



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
1265/D



HIERONYMI CAPIVACCI MEDICI OLIM PATAVINI CLARISSIMI,

OPERA OMNIA,

Quinq; Section. Comprehensa,

QVARVM

I. Physiologica, *II. Pathologica,*
III. Therapeutica, *IV. Mista,*
V. Extranea.

QVA EDITIONE, TVM CAPIVACCI plurima typis hactenus nondum vulgata in lucem proferuntur: tum deprauatissimi Gallorum atque Italorum Codices penitus abolentur.

Cura

IOHANNIS HARTMANNI BEYERI, Medici Francofurtensis.

FRANCOFVRTI.

E Paltheniana, Curante Iona Rhodio.

M. D. C. III.

Cum Gratia & Priuilegio Cæsar. Maiest. decennali.



REVERENDISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, DOMINO IOHANNI-ADAMO, ARCHIEPISCOPO MOGVNTINO; SACRI Romani Imperii per Germaniam Archicancellario, & Electori; &c. Principi, Dominoque suo clementissimo.

QVANQVAM medicæ artis permagnum in humana vita vsum esse, abunde plerisque constet; Princeps Elector Illustrissime, Domine clementissime: non pauci tamen reperiuntur, qui, cum æui decursum a Deo opt. max. gubernari, & suis quasi septis ac limitibus includi coercerique audiunt; morbos mortemque infligi necessitate inexpugnabili, olim a creatore definita, & immutabiliter fixa, arbitrantur. Et cum extra cancellos vitæ positos egredi nulli vspiam liceat: illi ipsi, quæ ad defensionem & conseruationem salutis a Deo data concessaque sunt media, vilipendunt vel plane negligunt: superfluum, verbi gratia, putantes, contagii vitare consortia, remedia morbis quærere, aut hostiles aduersum armari acies, &c. quibus eo tempore mortis eiusmodi genere, Deo ita olim decernente, sit occumbendum. *Qui medicam arte nullius esse vsus existimāt; eo quod fati morbi lethales eveniant immutabili:*

Periculosa certe & impia isthæc opinio: quæ tum pro valetudine ad Deum preces, tum vniuersam medicandi rationem subuertit. Nam si mors futura, qualitercunque accidet, ita a Deo ante prædestinata sit, vt aliter euenire nequeat: quorsum vitæ incolumitatem ac salutis præsidia orabimus ab eo, qui vt mutet fatum induci nullus potest? Cumque de necessariis non nisi amens deliberet; *Aristotele teste, capite octauo, libro primo* περὶ ἑρμηνείας, *& capite tertio, libro tertio, Ethic. ad Nicomach.* frustra de sanitatis tutela medicæ instituentur consultationes, necnon diætæ ac medicamentorum præcepta inutilia prorsus & vana reputabuntur. *grauiter alucinantur.*

Hanc de prouidentia diuina perniciosam valde & intolerabilem hæresin ex imprudentium animis vt euellamus; quædam de cœlesti vniuersorum administratione altius paullo repetenda: quo medicinæ dignitas & eximia vtilitas plenius adferatur.

Rerum igitur & actionum humanarum omnium miras vicissitudines, variasque mutationes, minime quidem fortuito temereue accidere, sed DEI be- *Omnia enim quæ natura cō-*

ſtant ordinatione fiunt celeſti: nigniſſimi opificis ordinatione, pia Chriſtianorum fides amplectitur. *Æternum* enim ac omnipotentem DEVM vniuerſi e nihilo eſſe conditorem, *Moſes capite primo Geneſ.* & τὴν τῶν ὅλων συνεκτικὴν αἰτίαν, *Ariſtoteles capite ſexto lib. de mundo.* ſacræ profanæque teſtantur literæ: qui, pro immenſa ſua bonitate, potentia & ſapientia, in mente ſua delineatam mundi imaginem, ſtato & opportuno tempore reipſa creando exhibuit: vt & ipſe mundus, & partes ipſius omnes numeris ſuis abſolutæ, certo quodam atque firmo modo exſiſterent. *Plato in Timæo.* Sed & idem Architectus, opificio indeſinenter adſiſtens, totam rerum naturam ſua illa, qua condiderat, vi & efficacia conſeruat: ſingulis a ſe creatis & ſubſiſtendi & mouendi initia fineſque conſtituit: rerum cauſſas non ſolum principales, ſed etiam ſubſequentes nouit, eas ceu Dominus ex arbitrio regit, moderaturque, diſponit ac ordinat. *Aurelius Auguſtinus capite vigeſimonono, libro ſeptimo de ciuit.* DEI.

per cauſſas fere ſubordinatas; Omnis vero iſta mundi gubernatio fatalis violentiæ expers eſt: & plerumque mediate fit, ac per cauſſas ſubrogatas, quas ſecundas vulgo nominant: quibus diuina maieſtas tanquam voluntatis ſuæ inſtrumentis vtitur: dum ita adminiſtrat cuncta, quæ creauit, vt etiam ipſamet proprios, quos tribuit, exercere & agere motus ſinat. *Auguſtinus capite trigeſimoſeptimo, libro ſeptimo de ciuitate* DEI. Ita enim hominis voluntas, DEO ordinante, principium eſt actionum humanarum, libere quod melius ſibi videtur in rebus externis eligens. *Ariſtoteles capite decimo, libro tertio de anim. & capite primo, lib. primo Ethic. ad Nicomach.* Natura quoque motus cauſſa eſt vniuſcuiuſque, in quo primo & per ſe ineſt: *Ariſtoteles capite primo, libro ſecundo Phyſic. acroaſ. & capite ſeptimo, libro primo de generat. & corruption.* Exempli gratia, in ſole, perpetuæ rotationis; in ponderibus, ad centrum inclinationis; in igne, aptæ materiæ combuſtionis: &c. Imo effectis cauſſæ ita reſpondent, vt neceſſariorum cauſſæ etiam ſint neceſſariæ; & contingentium cauſſæ contingentes. Nec etenim DEI præſcientia, quod certa ſit & falli nequeat, contingentiam tollit euentuum naturalium: ſed quemadmodum a diuina prouidentia diſponitur effectus, neceſſario vel contingenter futurus: ita etiam cauſſæ neceſſariæ aut contingentes, e quibus ille procedet, ac ordo, quo ſingula euentura ſunt, diſponuntur, atque, cum futura ſint, ob id a DEO, quem nihil latet, & cui omnia inſtar ſunt præſentium, præſciuntur. *Auguſtinus capite nono, libro quincto de ciuit.* DEI.

Non tamen ſi rebus naturalibus propria etiam agendi adſcribitur facultas; propterea DEO, ſeu cauſſæ principali, quidquam derogari exiſtimandum eſt. Res enim naturales, vt adpoſite doctiſſimi Ficini habent commentarii, in effectibus producendis non ſunt proprie cauſſæ, ſed diuinæ prouidentiæ organa: & vbicunque prouide natura videtur incedere, non ducit ipſa ſeipſam, ſed ab ipſa prouidentia ducitur, fines omnium ordineſq; & in ſeipſa præſcribente, & naturæ, prout vult, inſcribente. *ad Timæum, & ad lib. 1. de legib. Platonis.*

ſæpe etiam abſq; his. Proinde illi naturæ neceſſitati creator minime adſtringitur: ſed pro liberrima & optima ſua voluntate libere prorſus cuncta moderatur. Vnde non raro DEVM abſolute, citra manifeſtas & naturales cauſſas, hominum προαιρέσεις, aut alia quæuis, mirabiliter regere ac diſpenſare videmus. Quemadmodum legimus Saulis de Dauide necando conſilia impedita fuiſſe, *cap. decimooctauo & 19.*

lib.

lib. 1. *Reg.* Solem diem integrum immobilem constitisse; *capite* 10. *Iosuæ.* maris rubri & Iordanis aquam ab inuicem diuisam, & vtrinque montis instar eleuatam, viam Israelitis siccam solidamque præbuisse; *capite 14. Exod. cap. 3. Ios. Psalmo* 106. immites inter leones tutum Danielem fuisse. *capite sexto Daniel.* & cum sociis Sadrach, Mesach, Abednego, flammæ vim omnem elusisse, *capite.* 3. *Daniel.* &c.

Simili prorsus ratione humani etiam corporis valetudinem, imo ipsam quoque & vitam & mortem DEO ter maximo adscribere conuenit: qui, ceu prima summaque caussa naturalis corporis affectiones illas per subseruientes caussas naturales salubres vel insalubres dispensare solet. Quas morborum ac sanitatis caussas licet plerique agnoscere videantur: mortem tamen pari modo in naturalibus minime ponunt principiis, sed in absoluta quadam prædestinatione, qua DEVS metam vitæ cuiuslibet hominis certo temporis puncto adstrixerit, & eodem postmodum caussas mortis certas ac definitas, quæ aliter habere nequeant, ineuitabili dirigat nectatque ordine: ita vt pro effecti decreto caussas ordinari, non pro caussarum naturali efficientia effectum seu mortem obuenire nonnulli existiment. Duci autem potissimum S. Iobi auctoritate videntur: qui DEVM menses vitæ humanæ in numerato tenere, vitæque terminos constitutos præterire posse neminem, adfirmat. *capite* 14. Quæ sane Iobi sententia, vt verissima, ita pie amplectenda. Si enim capilli, abiectissima corporis pars, numerati sunt, *Matth. capite decimo. Luc. capite* 12. & statura corporis sua mensura circumscripta est: *Matth. capite sexto* multo magis vitæ nostræ curriculum apud DEVM definitum esse, nec vnquam mortem casu aut fortuna, sed certo & iam ante decreto DEI consilio accidere, statuendum.

Pariter & mors constitutione obtingit diuina:

Constitutionem vero illam termini vitæ recte accipere decet: non videlicet pro absolute fatali determinatione, sed pro diuina ordinatione caussarum administrarum, ingenita sua potentia vitam & sustentantium, & corrumpentium. Cum enim vita nihil aliud sit, quam duratio calidi, coniuncti cum humido seu vegetatrice anima, *Aristoteles capite primo, libro de vita & mort.* calorisque vitalis duratio & exstinctio effecta quædam sint naturalia, a caussis similiter naturalibus dependentia: sine dubio, pro calidi humidique natiui varia tum interna dispositione, tum ad externas caussas habitudine, non solum qualitates, sed quantitatem etiam ipsius vitæ variari consentaneum est. Nam internam vitæ principiorum conditionem quod attinet, quandiu in animantibus calidum humidumque ita coniuncta sunt, vt alterum ab altero non destruatur, illa viuunt: peremto autem horum alterutro, eadem intereunt. Et, quibus calor innatus vegetior ac robustior obtigit, humidumque radicale substantia purius, quantitate copiosius, qualitate temperatum, densumque: iis vita est diuturnior: vt recte libro de long. & breu. vitæ notat Aristoteles. Hinc prisci illi nostri parentes, ob internarum vitæ caussarum puritatem, nongentesimum ætatis annum superarunt: *capite quinto Genes.* sequentes vero, quia paullatim magis magisque ab illa principiorum bonitate desciuerunt, annum saltem quadringentesimum; his posteriores ducenteli-

principiis vitæ peremtis;

vel interna ipsorum met ac naturali efficientia;

mum, centesimum; *capite vndecimo Genes.* & Mosis tempore octogesimum, *Psalm. 90.* vix attigerunt. Agens namque in humidam seminis sanguinisque substantiam natiuus calor, primum quod in vtero conceptum est cogit: mox siccius reddit, ac rudimenta cuiusque membri exhibet: amplius siccans, exactam vniuscuiusque speciem profert: tum fœtum in lucem editum auget, & ad maturitatem, summumque membrorum ac virium incrementum deducit: hinc, continuata eiusdem caloris efficientia partes omnes plus iusto siccescentes officia sua minus probe administrant: vnde corpus tandem contabescere, calorem vitalem extingui, animalque interire, necessum est. *capite secundo, libro primo de sanit. tuend. capite quarto, libro de marcore: capite secundo, libro secundo de temperamentis.* Et hæc naturalis mors est: qua ætate decrepita, e siccitate, pabulive defectu, sine sensu doloris, ac secundum naturam, τὸ θερμὸν φυσικὸν interimitur: non ob aduentitiam aliquam affectionem, sed ob principium in ipsa re animata subsistens. *Aristoteles capite primo, libro de vita & morte; Galenus capite octauo, libro primo de differentiis febrium.* Quo plane sensu in Timæo Plato adserit, animal vnumquodque ab ortu fatale viuendi spatium in seipso καθ' αὑτὸ continere: innuens, vitam firmitate internorum primordiorum, calidi nimirum humidique natiui, non simplici fato, concludi.

vel externarum caussarum violentia. Verumenimuero naturalis mortis tempus plurima extra corpus orta præter naturam anteuertere possunt, calorem innatum destruentia: quarũ vario, nobis quidem incerto, conditori tamen certissimo interuentu, mors accidere solet, quam violentam nominant philosophi. *Aristoteles capite primo, libro de vita & morte.* Hoc censu morbi, plagæ, venena, animi affectus, fames, sitis, ignis, gelu, strangulatus, & similia habentur: quibus immatura morte maiorem hominum partem tolli, quotidiana experientia testatur. Hinc etiam Seiracides tristitia, zelo, iracundia, & ingluuie, dies minui docet, *capite 30. & 38.* Et Psaltes dolosos ac sanguinarios, nec dimidio vitæ ambitu gauisuros pronuntiat: *Psal. 54* cum id hominum genus vel in acie cadere, vel inter pocula perire, vel interimi toxico, vel capitis affici supplicio; rarissime statam vitæ periodum naturæ legibus conficere videamus.

Licet vero naturalis primordiorum vitæ corruptio arte vitari nequeat: Quamobrem, cum mors naturalis arte nulla euitari possit, eo quod cordis substantia humidior seipsa effici nequeat, sed ætatis decursu necessario adeo exsiccetur, vt tandem agere prorsus desistat, qui vitæ finis est: recte D. Iobus terminum vitæ, principiis illis materialibus definitum, præteriri non posse testatur: & Galenus genito corpori istam corruptelæ interitusque connatam esse necessitatem, adstruit. *cap. 5. lib. de marcore.*

Violenta tamen, diuino medicinæ beneficio sæpe præcauetur. Violentæ autem mortis plurimas declinare caussas hominem posse, neminem ire inficias arbitror. Gladii enim, ponderisve illabentis lethalem ictum, ferarum occursus, & alia fortuita, licet cæcos habeant impetus, persæpe tamen quosdam effugere, dies loquitur. Eæ vero caussæ, quæ forinsecus aduenientes necessario corpus nostrum immutant, vulgoque res non naturales appellantur, etiam arte regi possunt: inque harum obseruatione pars medicinæ ὑγιεινὴ versatur, quæ idonea viuendi ratione firmam corporis constitutionem tuetur. Quin morbos quoque, ne temporis tractu exitium adferant

rant

rant, præſidiorum ſalutarium vſu mature propulſare, ſanitatemque reſtituere, ἡ θεραπευτικὴ docet. Hac ratione medici cauſſas tollentes potentiâ mortiferas, earum quoque effecta ſeu actum impediunt. DEVS vero, naturalibus minime alligatus, nonnunquam etiam præter vulgatum naturæ curſum ſingulari conſilio nutuque ſuo mortis tempus quibuſdam prorogare ſolet. Ita enim ſecundum quaſdam futurorum cauſſas moriturus erat Chizkias: ſed huic quindecim ad vitam annos Iehouah adiicit: *capite vigeſimo, libro ſecundo Reg.* id vtique faciens, Auguſtino interprete, *capite 17. libro ſexto, de geneſi ad literam.* quod ante conſtitutionem mundi ſe facturum eſſe præſciebat, & in ſua voluntate ſeruabat. *Quin & Iehouah peculiari nōnunquam conſilio ſupra naturæ leges vitã prolongare ſolet.*

Hunc ad modum ſi vitam gubernari humanam diuinitus intelligamus: non tantum pro corporis ſalute, vitæque diuturnitate, preces ad DEVM inſtitui, ſed præſidia quoque medica pie vtiliterque adhiberi & poterunt, & debebunt. Valetudinis enim vitæque & mortis cauſſæ ad cœleſte numen ſingulæ, ceu primum motorem, reuocandæ veniunt. *Exod. capite 15. Pſal. 103. Sapient. capite 16.* Ac proinde omnes merito tam ſanos, quam ægrotantes, ſi valetudinem ſartam tectamque cupiant, primo ad vitæ ſalutiſque fontem illum atque auctorem mentis oculos conuertere, & ab eo ſalutaria quæque per CHRISTVM piis votis flagitare decet: qui naturales cauſſas & condidit, certiſque facultatibus donauit, & eaſdem nihilominus pro beneplacito libere moderatur *Sciracid. capite 38. D. Iacob. capite quincto.* Sic Chizkias, lethali detentus morbo, Dominum, qui percuſſerat, precibus lacrymiſque placare ſtudebat, priuſquam de aliis cogitaret præſidiis *capite vigeſimo, libro ſecundo Reg.* Aſſa vero, quod Domino neglecto in medicis ſpem omnem poſuiſſet, non obſcure ſacris in hiſtoriis reprehenditur. *capite 16. libro 2. Paraleipomen.* Deinde media quoque a Deo creata, viribus quælibet ſuis inſignia, ad ſanitatem conſeruandum, morbos præcauendum curandumque, & ita ad vitam quantum natura licet diutiſſime ſuſtentandum, ſtudioſe inquirere atque vſurpare conuenit. *Sciracid. capite 38. Sapient. cap. 7.* *Medicina ergo dum vitæ ac valetudinis curam profitetur, a ſuprema non abducit cauſſa, ſed ad eam ducit:*

Cum igitur ars medica ab ipſo vniuerſi rectore inſtituta & approbata ſit, vſumque in vita ac valetudine tuenda nobiliſſimum præbeat mortalibus: nemo non in ea excolenda & locupletanda ſtudium operamque pro virili collocare debet. *Ideoq; ab omnibus piis amplectenda.*

Ipſum hoc Hieronymum Capiuaccium, Medicum olim Patauï clariſſimum, nunc tota Europa celeberrimum, cumulate præſtitiſſe, & de re medica egregie meritum eſſe, adeo toti iam orbi innotuit; vt commentarios ipſius, ob præſtantem & perfectam eruditionem a doctis ore pleno laudatos, vlteriore mea prædicatione neutiquam indigere, nec ornari a me vſpiam poſſe exiſtimem. *Quo fine Capiuaccii nunc eduntur opera:*

Quia vero eorum Pars Practica, octo abhinc annis euulgata, denuo recudenda, & ab adſperſa Italorum Gallorumq; Typographorum ſpurcitie repurganda erat: equidem in perpetuam optimi præceptoris memoriam, inque philiatrorum gratiam, vniuerſa viri doctiſſimi opera, mira rerum grauitate fœcunda, & ob id a plurimis vehementer iamdudum expetita, cura mea digeſta, & vno volumine comprehenſa, publice exſtare volui.

Illustriss. Electoris M. clemēti patrocinio.

Celsitudini autem T. Princeps Elector Illustrissime, Domine Clementissime, hanc submisse dedicare editionem placuit: patronum vti illustrem liberalisq; disciplinæ omni genere imbutum, magni & præexcellentis medici scripta haberent: vtq; Celsitudinis T. clementiam singularem, quam immerens varie sum expertus, hoc veluti monimento palam testarer. Sereno autem vultu Illustrissima Celsitudo Tua hosce conatus meos accipiat, & fauoris aura, gratiaq; deinceps sua dignari me pergat, submississime oro. Eandem demum valere, & salubriter diu regnare, precor. Francofurti ad Mœnum. IIX. Eid. Septemb. Ann. cIↃ. IↃ. c. II.

Celsitudini T. Illustriss.

submisse deditissimus

Johannes-hartmannus Beyer.

EFFIGIES HIERON. CAPIVACCI.

IN ICONEM BVCEPHALI, ET OPVS.

Nosse viros quicunque cupis, vultusque animosque
Deposcis. Non his plura duobus habent.
Bucephali faciem pictor tibi sistit & ora,
Beyerus mentem hoc expedit, ecce, libro.
Spectatum dicet magnum grauitate bonumque,
Plenaque solerti pectora consilio.

Andreas Libauius, Med. D. &
Poeta Laur. F.

IN BVCEPHALVM SECVNDVM IOHANNIS-HARTMANNI BEYERI, MEDICI CELEBERRIMI.

Ingenio Mauortis opus molimur, & artis,
Pallas vtrique præeſt ingenioſa DEA.
Sic quondam ſuperis hanc vim de ſedibus ortam
Antiquis placuit dedere in ambo viris.
Quis neget ingenii merito, & ſapientibus auſis
Tum florere artes, tum bene bella geri?
Nil vetat armiſonam cæleſti e mente Mineruam
Dicere habere forum noſtra per arua ſuum.
Bellipotens AQVILAS *Mahometi in caſtra minaces*
Explicat, & victo CÆSAR *ab hoſte redit.*
Arma rudi Muſæ vibrant infeſta iuuentæ
Barbariemque grauem vi ſapiente domant.
Rupta quies populo eſt, & init ſua prælia quiſque.
Nos quoque pugnantum portio certa ſumus.
Conſerimus calamos, verique operamur in ara,
Haud paſſi tenebras, præque valere dolos.
Nec ſatis & viuas armare in prælia voces,
Et veri gnaris diſſeruiſſe labris:
Morte obita ſuperamus, & infracti vſque tuemur,
Quæ placuere animis, faſque probaſſe fuit.
Noſtra dehinc ſeri veniunt in bella nepotes,
Inſtaurant acies ſcutaque noſtra mouent.
Tu TRITONI *viuos Mauortia ob auſa coronas:*
Sed ſcis & noſtris nectere ſerta comis.
Propter Apollineas male ſana per agmina pugnas,
Et decus, & longos das ſuper orbe dies.
Bucephalum ſpecta celebrem per Phœbea quondam
Pulpita Doctorem, Pæoniumque ſenem.
Aſpice quam peragat crebros a Marte triumphos?
Lucem iterum atque iterum poſt ſua fata videt.
Tu legis, & ſparſos iungis BEYERE *labores,*
Emeriti ſenis, & reddis ab vngue nouos,
Phœbigena tanto mentis pollentior vſu,
Quanto Bucephalo eſt Virbius ille minor.
Neue tibi cadat hoc vnquam infeliciter auſum,
Fulminis haud metues a Iouis arce minas.
Aſſueſces non poſſe mori; mitteris in æuum,
Viuere quemque facis vita erit ille tibi.

Andreas Libauius, Med. D. &
Poeta Laurea. F.

INDEX

INDEX CAPITVM SINGVLORVM, TOTIVS OPERIS CAPIVACCIANI.

HIERONYMI CAPIVACCI OPERVM SECTIO PRIMA;

quæ est

PHYSIOLOGICA;

Complectitur tractatum

1 *de Fœtus formatione.pag.3,*

2. *De Signis virginitatis, tam masculi, quam fœminæ.pag.13.*

3. *de Methodo anatomica.pag.14.*

I. Capita libri de FOETVS FORMATIONE.

1. *Quid sit fœtus humanus: & de tribus fœtus inuolucris.pag.3.*
2. *De semine viri ampla disputatio.p.4.*
3. *De mulieris semine: & quod actiue atque passiue ad fœtus generationem concurrat.p.8.*
4. *De sanguine menstruo, altero generationis humanæ principio p.9.*
5. *De fœtus caussa efficiente, ac finali.p.10.*
6. *Partes fœtus singulæ quo tempore generentur.p.10.*
7. *Cur modo vnus, modo plures gignantur fœtus.p.11.*
8. *De similitudine speciei, sexus, & effigiei.p.12.*

II. Tractatus de NOTIS VIRGINITATIS & masculi, & femellæ probabilibus: vbi floris virginei corruptionem non posse certis semper indiciis deprehendi, docetur.pag.13.

III. Commentarii de ANATOMICA METHODO capita.

1. *De auctoris instituto: deque nomine methodi anatomicæ.p.14.*
2. *De anatomicæ methodi essentia ac definitione: & primum de subiecto, nimirum partis natura p.15.*
3. *De efficiente methodi anatomicæ caussa: vbi de animæ facultatibus, spiritibus, calido innato, & partiũ constitutione, multa scitu necessaria.p.23.*
4. *De artis anatomicæ caussa finali.p.44.*
5. *De diuisione anatomiæ.p.44.*
6. *De ordine legendi libros anatomicos: de Galenici operis constructione, quo partium corporis humani vtilitates docet: tandemque de consecandi cadauera ratione ac ordine.p.45.*
7. *Qua methodo in partibus similaribus atque dissimilaribus progredi debeat anatomicus: vt membri operatione & natura cognita, vitæ indicationem inueniat.p.49.*
8 *De applicatione methodi anatomicæ ad partes corporis: & primum de ossium physiologia.p.52.*
9. *De cartilaginibus.p.61.*
10. *De ligamentis.p.62.*
11. *De tendinibus.p 65.*
12. *De membranis.p.68.*
13. *De glandulis: & corporibus glandulosis p.71.*
14. *De pinguedine, & adipe.p.74.*
15. *De fibris p.79.*
16. *De venis.p.81.*
17. *De arteriis.p.89.*
18. *De neruis.p.95.*
19. *De cute.p.101.*
20. *De musculis.p.105.*
21. *De ossibus in specie: nimirum de capitis oßibus.p.112.*
22. *De partibus dissimilaribu carneis: & primum de cerebro.p.119.*
23. *De applicatione method. anatomicæ ad cerebrũ.p.124.*
24. *De oculis p.127.*
25. *De applicatione methodi anatomicæ ad oculos.p.131.*
26. *De auribus.p.136.*
27. *De applicatione methodi anatomicæ ad aures. p.139.*
28. *De olfactus organo.p.142.*
29. *De applicatione methodi anatomicæ ad nares.p.145.*
30. *De gustatus instrumento p.146.*
31. *De applicatione methodi anatomicæ ad linguam. p.149.*
32. *De voce, & eius organis.p.150.*

33. *De applicatione methodi anatomicæ ad laryngē. p.154.*
34. *De sermone, & eius organis p.155.*
35. *De applicatione methodi anatomicæ ad organum sermonis.p.158.*
36. *De corde.p.159.*
37. *De methodi anatomicæ ad cor applicatione.p.164.*
38. *De pulmone.p.167.*
39. *De applicatione methodi anatomicæ, ad pulmones.p.170.*
40. *De hepate.p.172.*
41. *De applicatione methodi anatomicæ ad iecur. p. 174.*

SECTIO ALTERA;
nimirum
PATHOLOGICA;
agit

1. *de Rebus præter naturam.p.178.*
2. *de Pulsibus.p.184.*
3. *de Vrinis.p.208.*
4. *de Modo interrogandi ægros.p.236.*

I. Tractatus de REBVS PRÆTER NATVRAM capita.

1. *Quid secundum, quid præter naturam: & primum de caussa morbifica potissimum efficiente, eiusque differentiis.p.178.*
2. *De morbo & eius differentiis: vbi simul de caussa morbifica materiali in qua, & formali.p.179.*
3. *De symptomate, & eius differentiis.p.182.*

II. Tractatus de PVLSIBVS capita.

1. *De vsu, summisque capitibus doctrinæ de pulsibus. p.184.*
2. *De pulsus essentia & natura, in genere p.184.*
3. *De absolutis ac simplicibus pulsuum differentiis.p. 185.*
4. *De absolutis & compositis pulsuum differentiis.p. 186.*
5. *De differētiis pulsuum respectiuis, quoad ordinem, æqualitatem, ac proportionem p.186.*
6. *Quomodo ad dignoscendum pulsus tum Medicus, tum Æger, comparare se debeat.p.190.*
7. *De cognitione pulsus magni & parui.p.191.*
8. *De cognitione celeris ac tardi pulsus.p.192.*
9. *De cognitione pulsus crebri & rari.p.192.*
10. *De cognitione vehementis, seu fortis; languidi, seu debilis pulsus.p.192.*
11. *De pulsus mollis & duri cognitione.p.192.*
12. *De cognitione differentiarum pulsus respectiuarum.p.193.*
13. *De caussis pulsuum primariis, in genere.p.193.*
14. *De caussis præcipuorum pulsuum simplicium.p. 195.*
15. *De caussis pulsuum relatiuorum: & primum ordinati ac inordinati; æqualis atque inæqualis.p.197.*
16. *De caussis inæqualitatis singularis, in vna parte arteriæ p.197.*
17. *De caussis inæqualitatis singularis, in diuersis partibus arteriæ.p.198.*
18. *De caussis inæqualitatis collectitiæ.p.198.*
19. *De caussis pulsuum inæqualium compositorum, seu complicatorum.p.199.*
20. *De caussis pulsuū cum rhythmo, & sine rhythmo. p.201.*
21. *De caussis secundariis naturalibus, pulsum alterantibus: quæ sunt, sexus, ætates, & temperamenta.p. 201.*
22. *De caussis secundariis non naturalibus, & præter naturam pulsuum mutantibus.p.202.*
23. *De præsagiis simplicium & primorum pulsuum. p.202.*
24. *De prognosticis pulsuum ordinatorum & inordinatorum p.203.*
25. *De præsagiis pulsuum singulariter inæqualium.p. 204.*
26. *Quid pulsus systematice inæquales indicent. pag. 204.*
27. *De præsagiis e pulsibus cum rhythmo, & sine rhythmo.p.206.*
28. *De præsagiis pulsuum inæqualium compositorum. p.206.*

III. Capita tractatus de VRINIS.

1. *De ordine tradendorum.p.208.*
2. *Lotii definitio: & quod ipsum sit hepatis excremētum.p.208.*
3. *De liquore vrinæ, & eius coloribus: obiter quoque colorum physiologiam concernentia quædam.p.210.*
4. *De contento vrinæ.p.215.*
5. *De caussa instrumentali generationis lotii, tū præcipua, tum adiuuante.p.217.*
6. *De caussa finali generationis vrinæ.p.217.*
7. *De optimi lotii notis, quoad substantiam, colorem, & contenta.p.218.*
8. *De vrina sanorum, bona quidem, sed ab optima paullum deflectente.p.218.*
9. *De vrina ægrotantium sanorum vrinæ quoad contentum valde simili: & de diagnosi contentorū materiæ alimentalis ac morbificæ p.219.*
10. *De differentiis vrinarum, ab optima plane deficientium: & primum de caussis vrinæ tenuis.p.221.*
11. *De caussis vrinæ crassæ, & non turbidæ, & turbidæ. p.222.*
12. *De caussis lotii exigui, & copiosi.p.224.*
13. *De caussis vrinæ calidæ frigidæq; p.224.*
14. *De lotii inodori, ac fœtentis caussis p.224.*
15. *De caussis lotii perspicui, & opaci.p.225.*
16. *De caussis lotii splendentis, & non splendentis.p. 225.*
17. *De caussis vrinæ colorum deficientium.p.225.*
18. *De colorum vrinæ excedentium caussis.p.226.*
19. *De differentiis lotii a contento: & primum de praui contenti colore, situ, ac præsagio p.229.*
20. *De contento morboso pessimo.p.231.*
21. *De contenti morbosi speciebus, seu differētiis quoad substantiam.p.231.*
22. *Summa capita, & veluti index hactenus traditorum.p.235.*

IV. Tractatus de MODO INTERROGANDI ÆGROS:

vbi, tum res secundum naturam, actiones nimirum animales, naturales, ac vitales; tum præter naturam, circa locum affectum, diligenter exquirendas esse, docetur: vt nocētibus cognitis, iuuantia per indicationes inueniantur. pag.236.

C A P I T V M.

S E C T I O T E R T I A;
videlicet
T H E R A P E V T I C A;
continet

1. *Methodum medendi.p.239.*
2. *Rationem componendi medicamenta.pag. 298.*
3. *Cauteriorum rectam administrationem.p. 301.*

I. Capita Methodi Medendi.

1. *De nomine methodi medendi: & quod ab vniuersalibus ad specialia sit progrediendum, methodo ἀναλυτικῇ, cui diuisio subseruiat: simul de triplici errore qui in diuidendo committi queat.p.239.*
2. *De essentia, seu definitione medendi methodi. Obiter etiam summa iuuantium seu indicatorum genera proponuntur: quæ tamen infra capite quincto plenius tractantur.p.240.*
3. *De methodi medendi diuisione, a forma, & fine. p. 242.*
4. *De indicationis nomine ac essentia: vbi tres indicationis definitiones; simulque indicantis conditiones; & tandem discrimen indicationis, experientiæ, ac analogismi, proponuntur p.243.*
5. *De diuisione indicationis: & primum de ea, quæ sumitur a Comprehensione, seu genere in definitione indicationis proposito: nimirum de indicatione Generali, & Speciali: deque harum differentia, quoad vtilitatem, & artificium.p.247.*
6. *De varietate indicationis, quæ sumitur a differentiis Indicati: nimirum a Præsidio, & ab Vsu præsidii p.249.*
7. *De indicationis diuisione, ratione Indicantis curatorii, præseruatorii, & vitalis.p 250.*
8. *Indicantia saltem tria esse: nec huic repugnare sententiæ quod Galenus ἐν πλάτει nonnunquam a parte affecta, ægri natura, facultate medicamentorum, temperamento, magnitudine morbi, tempore, ætate, consuetudine, aere, &c. ceu notis atque indiciis vere indicātium peti indicationes, tam curatiuas, quam prophylacticas affirmare videatur.p.250.*
9. *De Morbo, seu indicante curatorio: & primum, quomodo morbus indicet remedium, tum genericū, tum specificum.p.255.*
10. *De indicato vehementi, seu valido, in genere: quomodo scilicet vehementia cuiuslibet indicantis, siue Morbi, & Caussæ, siue Virtutis, indicet præsidium vehemens Obiter etiam de remedii vehiculo: quod huius doctrina non ad medendi, sed medicamenta componendi artem pertineat.p.257.*
11. *Qua ratione morbus indicet remediorum administrationem: & primum, quod a morbi actione indicetur Quantitas remedii p.260.*
12. *Quod a morbi passione Modus vtendi indicetur. p.261.*
13. *Tempus agendi indicari a morbi præsentia.p.262.*
14. *Vbi agendi monstrari a subsistentia indicantis.p. 265.*
15. *De Caussa morbifica, seu indicante præseruatorio; tum in genere, tum in specie; siue sit intemperies, siue materia: quomodo hæ caussæ per essentiam suam indicent præsidium prophylacticum. Et, cum intemperiei ratio facile pateat; materia morbifica, vt obscurioris natura plenius explicatur: eiusq; primum definitio proponitur.p.265.*
16. *De differetiis materiæ morbificæ: & primum qua mistum est, Vapor nimirum, vel Minera: quomodo ab his indicetur remedium præseruatorium.p.266.*
17. *De materiæ morbificæ differentiis, quatenus est mistum præter naturam: seu, de vitiis materiæ morbificæ: & primum de peccato in Forma.p.267.*
18. *De vitio materiæ morbificæ secundum Quantitatem: quod est, in contento, Abundantia; in cute, Cōtinuitas; in vasis, tum Amplitudo, tum Continuitas. p 269.*
19. *De mineræ peccato in Qualitate alteratiua, tum Prima, tum Secunda.p.270.*
20. *De vitio materiæ morbificæ secundum Motum.p. 271.*
21. *De materiæ morbificæ peccato in Quiete.p.272.*
22. *De differentiis materiæ morbificæ e tertio fonte: quatenus scilicet Lædit. Vnde vehemens est, vel debilis materiæ essentia: itemque vehemens, vel debile indicatum præseruatorium.p.272.*
23. *De differentiis materiæ morbificæ e quarto fonte: quatenus illa lædit hominem, secundum Partem aliquam corporis determinatam. Vnde indicatum surgit specificum, pro diuersa conformatione partis subiectæ ægrotantis.p. 273.*
24. *Quomodo caussa morbifica indicet Rationem vtendi p.274.*
25. *De Symptomate, seu caussa morbifica effectrice per accidens: quomodo indicet Præsidium, & huius verum Vsum.p.276.*
26. *De Virtute, seu indicante vitali: quomodo indicet τὸ quid agendum, & Vsum.p.277.*
27. *Pars affecta qualiter consideranda in methodo therapeutica: vbi, eam non præstare vllam medendi indicationem, docetur.p.280.*

Compendii eiusdem Methodi Medendi capita.

1. *De methodi medendi nomine.p.287.*
2. *De definitione methodi.p.287.*
3. *De diuisione artis medendi.p.288.*
4. *De definitione indicationis: de indicantis proprietatibus: ac de differentia indicationis, experientiæ, & analogismi.p 288.*
5. *De diuisione indicationis.p.290.*
6. *De indicati differentiis.p.290.*
7. *De diuisione indicantis.p 290.*
8. *Signa indicantium ab ipsis indicantibus esse distinguenda p.291.*
9. *De morbo, vt concurrat ad indicandum ipsum remedium.p.291.*
10. *De indicantium vehementia simplici & relata: itemque de remedii vehiculo p.291.*
11. *Quomodo morbus indicet vsum: & primo, quomodo morbi actio indicet quantitate auxilii.p.292.*
12. *Modum vtendi, a morbi passione indicari.p.292.*
13. *Præsentiam morbi, tempus agendi indicare.p.293.*
14. *Locum administrandorum præsidiorum innotescere e subsistentia indicantis p.293.*
15. *De caussa morbifica, siue dyscrasia sit, siue materia: & primum de materiæ morbificæ definitione.pag. 293.*
16. *De differentiis materiæ morbificæ, prout est mi-*

stum; vapor, vel minera: & quomodo hæc indicent. Quid agendum p.294.
17. De vitiis mineræ: & primum de peccato secundum formam.p.294.
18. De peccato mineræ secundum quātitatem.p.294.
19. De mineræ vitio in qualitate.p.295.
20. De materiæ morbificæ peccato in motu.p.295.
21. De vitio materiæ morbificæ in quiete.p.295.
22. De differentiis materiæ morbificæ, quatenus lædit. p.295.
23. De materiæ morbificæ differentiis, quà partes lædit determinatas p 295.
24. Quomodo caussa morbifica indicet rationem vtendi.p.295.
25. Symptoma vt concurrat ad indicandum præsidiū, & genuinum eius vsum.p.296.
26. Virtus quomodo præsidium & vsum indicet.pag. 296.
27. Summa methodi medendi capita, thesibus succinctè vt includenda.p.296.

II. Summa capita ARTIS COMPONENDI MEDICAMENTA, & COMPOSITA DIIVDICANDI.

De caussis componendi medicamenta; vt curatio tuto, citò, & iucunde possit institui p.298.
De quantitate baseos, adiuuantium, corrigentium, excipientium & præparantium p.299.
De inuestiganda dosi medicamenti compositi.p 299.

III. Tractatus de CAVTERIIS capita.

De vtilitate cauteriorum.p.301.
De tempore inurendi & gestandi cauterium.p.301.
Cauterium cui loco imprimendum.p.301.
De numero cauteriorum p 302.
Modus excitandi fonticulum p.302.
Fonticulus excitatus quomodo tractari debeat p.302.
Quomodo occurrendum iis, quæ præter naturam accidant fonticulo.p.303.

SECTIO QVARTA; nempe MISTA; comprehendit

1. Scholas in primam aphorismorum Hippocratis sectionem: partim ad præsagia, partim ad curationem facientes.p.305.
2. Practicæ libros septem: de cognitione & curatione affectuum capitis, partium capiti annexarum, thoracis, pulmonum, cordis, æsophagi, ventriculi, intestinorum, iecoris, lienis, renum, vesicæ, partium genitalium, matricis: item arthritidis, luis venereæ, febrium, ac venenorū. pag.457.
3. De medica consultandi ratione, seu, de arte colligiandi, tractatum.p.931.
4. Consilia medica, consultationes, & epistolas.p. 941.

I. Capita COMMENTARIORVM IN PRIMAM SECTIONEM APHORISMORVM HIPPOCRATIS.

In præfatione agitur.

De aphorismi natura, definitione, ac differētiis.p.305.
De ordine aphorismorum, & connexu mutuo p.308.
De ratione explicationis seu interpretationis aphorismorum, ab auctore in hisce scholis instituta.p.310.

Primo aphorismo, docetur.

Aphorismum primū esse totius operis aphoristici procœmium.p.311.
Diuisio procœmii Hippocratici p. 313.
Vita cur breuis ab Hippocrate dicatur.p.313.
De vita & morte, quædam generalia.p.313.
Medicinam esse artem liberalem; & longā esse, ratione vsus, ac ratione habitus artis inueniendæ.p.314.
Occasio medica quid sit; & quomodo longam faciat medicinam.p.316.
Experimentū medicū quid; & cur periculosum.p.317.
Iudicium medicum quid: & cur difficile.p.319.
Scopus alterius partis procœmii Hippocratei: nimirum de medici, ægri, & adstantium officio, deque rerum externarum apparatu.p.321.

Secundo aphorismo.

Quod scopus huius aphorismi sit, agere de vitio humorum in qualitate, gratia pharmaceiæ p.325.
Explicatio verborum aphorismi.p.326.
Purgationem respicere qualitatem humorum, non quantitatem p.331.
Quæ plethora, & quæ cacochymia, requirant venæsectionem, & purgationem.p.332.
Quæstio difficilis ex Hippocrate, de curatione pleuritidis per venæsectionem, dolore adscendente; per pharmacum purgans descendente.p.333.

Tertio aphorismo.

Scopum huius aphorismi esse, agere de venæsectione.p. 334.
Diuisio aphorismi.p.336.
Examen verborum aphorismi.p.336.
De venæsectione quædam generalia.p.341.
Indicantia venæsectionem p.341.
Morbi magnitudo & virium robur, quomodo indicare venæsectionem dicantur.p.343.
Administratio venæsectionis, ratione quantitatis, temporis, modi, atque loci.p.348.

Quarto aphorismo.

Institutum huius aphorismi esse, de diæta agere.p.353.
De diæta quædam in genere: quid, quotuplex, a quibus indicetur.p.353.
Diuisio aphorismi.p.356.
Victus medici differentiæ, ad aphorismi enarrationem scitu necessariæ.p.356.
Morborum ratione temporis differentiæ, cognitu hoc loco necessariæ.p.357.
Explicatio verborum aphorismi.p.358.
Quomodo victus, seu cibus, vires seruare, vel augere dicatur: cum tamen cuiuslibet corporis vires quotidie minui & atteri constet p.360.

Quincto aphorismo.

Viribus contraindicantibus magis indulgendum esse, quam morbo acuto indicanti.p.361.
Diuisio aphorismi.p 362.
Explicatio verborum.p.362.
Num victus tenuior, an paullo plenior magis conueniat p.363.

Sexto aphorismo.

Scopus.p.365.

Diuisio.p.365.
Extremus morbus quid;& quotuplex.p.365.
Remedia extrema quæ.p.367.
Explicatio verborum.p.367.
Septimo aphoriſmo.
Scopus.p.368.
Diuiſio.p.368.
Interpretatio textus.p.368.
Contra Montanum, negantem ſeculo noſtro inediæ vſum, in peracutis.p.369.
Octauo aphoriſmo.
Scopus;& cum ſuperioribus connexio.p.369.
Diuiſio.p.369.
Explicatio verborum.p.369.
Tenuiſſima diæta quomodo indicetur a ſtatu morbi diuturni.p.370.
Quomodo morbus in ſtatu mitis dicatur, cum ſymptomatibus tamen vehementibus.p.371.
Nono aphoriſmo.
Scopus & connexus.p.373.
Diuiſio.p.373.
Verborum aphoriſmi enarratio.p.374.
Decimo aphoriſmo.
Scopus.p.375.
Diuiſio.p.375.
Textus explicatio.p.375.
Victus medici recte præſcribendi tractatio ſummaria. p.376.
Vndecimo aphoriſmo.
Scopus,& artificium p.377.
Enarratio verborum.p.377.
De periodis febrium,& periodorum partibus.p.377.
Ratio diætam in febribus præſtituendi.p.379.
Duodecimo aphoriſmo.
Continuatio cum ſuperioribus.p.380.
Diuiſio.p.381.
Verborum explicatio.p.381.
Circuituum febrilium cauſſæ.p.384.
Decimotertio aphoriſmo.
Scopus.p.388.
Inediam qui facile tolerent.p.388.
Pueris cur ciborum appetitus vigeat.p.388.
Ætatem calidiorem minus ferre ieiunium.p.389.
De ætatibus quædam in genere.p.389.
Explicatio verborum.p.390.
Decimoquarto aphoriſmo.
Scopus.p.392.
Diuiſio.p.392.
De calore natiuo quædam generalia.p.392.
Quomodo creſcentes abundent plurimo calido. pag. 395.
Qui plurimum habent calidi innati, eos plurimo egere alimento.p.396.
Num calor puerorum, an iuuenum, validior.p.397.
An calor naturalis differat a ſpiritu naturali. pag. 398.
De ſpiritibus corporis humani, phyſiologica quædam.p. 398.
Decimoquincto aphoriſmo.
Scopus, de victu ſanorum.p.402.
Diuiſio.p.403.
Explicatio verborum p.404.
De ſomno quædam generalia.p.404.
Exercitia num augeant calorem natiuum.p.407.
Cur hyeme ventres calidiſſimi; cum tamen in eis multa tunc gignatur pituita.p.407.
De veris temperamento.p.409.
Num ſudor quid naturale, vel præter naturam.pag. 410.
Decimoſexto aphoriſmo.
Scopus, de cibi qualitate.p.411.
Diuiſio.p.411.
Textus explicatio.p.412.
Num ſimile ſemper conſeruetur ſimili.p.417.
Decimoſeptimo aphoriſmo.
Scopus.p.420.
Diuiſio.p.420.
Textus explicatio.p.421.
Decimooctauo aphoriſmo.
Scopus.p.424.
Diuiſio.p.424.
Interpretatio verborum.p.424.
Decimonono aphoriſmo.
Scopus.p.425.
Diuiſio.p.425.
Verborum explicatio.p.426.
Vigeſimo aphoriſmo.
Scopus.p.427.
Paraphraſis aphoriſmi.p.428.
Enarratio textus.p.428.
De criſi quædam generalia, e pathologia.p.429.
Num die critico aliquid agendum, non operante natura.p.432.
Imperfectæ criſeos defectum eſſe ſupplendum.p.432.
Vigeſimoprimo aphoriſmo.
Scopus.p.434.
Paraphraſis.p.434.
Verborum explicatio.p.435.
Loca vacuationi idonea, a quibus tum indicetur, tum coindicentur.p.436.
Vigeſimoſecundo aphoriſmo.
Scopus, de tempore exhibendi pharmaci.p.438.
Diuiſio.p.438.
Explicatio verborum.p.438.
De concoctione,& eius ſpeciebus, concoctione, maturatione, elixatione,& aſſatione, generatim. pag. 438.
Concoctionem materiæ morbificæ, eſſe maturationem. p.440.
Præparationem humorũ neceſſariam eſſe ante & poſt maturationem.p.440.
Num tenuis materia incraſſantibus præparanda. pag. 441.
Præparationis humorum ſumma capita.p.442.
Furioſa materia.p.444.
Num minorans medicamentum locum habeat morbi initio, cruda exiſtente materia.p.445.
Vigeſimotertio aphoriſmo.
Scopus.p.450.
Connexus cum ſuperioribus.p.451.
Diuiſio.p.451.
Senſus.p.452.
Enarratio textus.p.452.
Leipothymia cur in venæſectione nonnunquam contingat,& quomodo præcognoſcenda.p.452.
Qui affectus requirant venæſectionem ad animi defectum vſque.p.453.

Auerrhoidis error, phlebotomiā illam damnantis.pag. 453.
Num etiam purgatio ad leipothymiam vsque conueniat.p.454.

Vigesimoquarto aphorismo.

Scopus.p.454.
Diuisio p.455.
Sensus.p.455.
Verborum explicatio.p.455.
Materia turgente, quando pharmacum exhibendum. p.455.
De correctione pharmaci per frigida, materia furiosa exsistente.p.456.

Vigesimoquincto aphorismo.

Scopus, & sensus.p.456.

II. Capita PRACTICÆ MEDICINÆ: nimirum

LIBRI PRIMI, de Capitis, & Partium huic annexarum affectibus, capita.

Cap.1. De methodo, quam in explicandis morbis particularibus Practici professores, vsurpare solent.p. 457.
2. De differentiis Externorum capitis affectuum: & speciatim de capillorum Defectu: vbi comprehenduntur Areæ, Capillorum defluuium, Caluitium, Tardusque pilorum, in mento præsertim, ortus.pag. 457.
3. De capillorum Excessu; tam in copioso prouentu, quam in indecora duritie.p.462.
4. De præcauenda Canitie, pilisq; tingendis p.462.
5. De Achoribus, siue capitis vlcusculis manantibus. p.463.
6. De Pityriasi, seu furfuribus & squamulis capitis. p.464.
7. De Phtheiriasi, seu pediculatione.p.465.
8. Enumeratio capitis Internorum affectuum: & primum de Capitis dolore: vbi communia quædam, tū theorica, tum practica, fusius explicantur.p.466.
9. De Phrenitide p.484.
10. De Lethargo, seu veterno.p.492.
11. De Melancholia, tam ea quæ accidit primario affecto cerebro, quam quæ ob consensum vel a toto, vel ab hypochondriis.p.495.
12. De Mania, seu furore.p.506.
13. De Obliuione, & Fatuitate: seu de Memoria mētisque detrimento.p.508.
14. De Vertigine.p.510.
15. De Incubo, seu ephialte.p.514.
16. De Comitiali morbo.p.516.
17. De Apoplexia.p.524.
18. De Comate, seu in somnum delatione: vbi digressio physiologica de Somni natura & caussis.p.524.
19. De Caro exquisito.p.530.
20. De Vigiliis præter naturam.p.531.
21. De Comate vigili, seu catocho spurio.p.533.
22. De Catocho exquisito, seu catalepsi.p.533.
23. De Tremore.p.534.
24. De Torpore, seu stupore.p.537.
25. De Resolutione, seu paralysi.p.539.
26. De Conuulsione, seu spasmo.p.543.
27. De Oris tortura.p.547.
28. De Catarrho, seu destillatione.p.549.
29. De Sternutatione.p.555.
30. De Hydrocephalo, seu capitis hydrope.p.557.
31. Enumeratio affectuum Oculorum: & primum de Lippitudine, seu ophthalmia: vbi digressio pathologica de Signorum medicorum natura.p.558.
32. De Phlyctænis, seu pustulis corneæ.p.564.
33. De Vlceribus corneæ p.566.
34. De Procidentia tunicæ rhagoeidis, seu corneæ ruptura.p.569.
35. De Suppuratione, seu hypopyo.p.569.
36. De Effusione pupillæ, seu mydriasi.p.570.
37. De Tabe pupillæ.p.571.
38. De Suffusione.p.572.
39. De Sugillatione, seu macula oculi.p.574.
40. De Pterygio, seu vngue oculi.p.575.
41. De Albugine & cicatricibus oculorum.p.576.
42. De Epiphora, seu lacrymarum effluxu.p.578.
43. De Rhœade, seu imminutione carnis lacrymalis. p.579.
44 De Encanthide, seu nimia carnis lacrymalis eminentia.p.580.
45. De Ægilope, & Anchilope.p.580.
46. De Macie oculi, seu atrophia.p.581.
47. De Expressione oculi.p.582.
48. De Strabismo.p.583.
49. De Visione læsa, citra morbum foris apparentem. p.585.
50. De Auditu læso.p.587.
51. De Olfactu læso.p.591.
52. De Sanguinis e naribus eruptione.p.593.
53. De Affectibus dentium præcipuis.p.594.
54. De Faucium affectu qui Angina dicitur. p.597.

LIBRI SECVNDI,

De Medii ventris, id est, Thoracis, Pulmonum, & Cordis affectibus, capita.

1. De Tussi morbosa: vbi digressio pathologica de Morbi natura in genere, quibus nimirum in categoriis sit reponendus.p.601.
2. De Respiratione deprauata: nimirum de Dyspnœa, Asthmate, & Orthopnœa.p.606.
3. De Dolore thoracis: potissimum de Pleuritide. pag. 610.
4. De Empyemate, vel suppuratione.p.618.
5. De inflammatione pulmonis.p.619.
6. De Spuitione cruenta.p.620.
7. De Phthisi, seu tabe ex vlcere pulmonis.p.625.
8. De Cordis palpitatione.p.628.
9. De Virium lapsu: nimirum de Syncope, & Leipothymia.p.631.

LIBRI TERTII,

De partium Imo ventre contentarum affectibus, capita.

I. Oesophagi affectus.

1. De Læsa deglutitione.p.634.

II. Ventriculi affectus.

2. Enumeratio affectuum ventriculi: & primum de Intemperie ventriculi.p.637.
3. De Imminuta ventriculi magnitudine.p.652.
4. De Tumore ventriculi.p.654.
5. De Vlcere ventriculi.p.665.
6. De Oris ventriculi dolore p.666.

7. *De Fame morbosa: nimirum de Inappetentia, Fame canina, Pica, & Bulimo. p. 671.*
8. *De Siti morbosa deprauata. p. 679.*
9. *De Læsa alimenti in ventriculo confectione: quæ est ἀπεψία, βραδυπεψία, & διαφθορά. p. 681.*
10. *De Singultu. p. 686.*
11. *De Vomitu, & Nausea. p. 691.*
12. *De Cholera, seu bilis inferne superneq; eruptione. p. 695.*

III. Intestinorum affectus.

13. *Enumeratio affectuum intestinorum: & primum de Dolore intestinorum, tam Colico, quam Iliaco: vbi & de Alui constipatione p. 698.*
14. *De Lumbricis, seu vermibus intestinorum. pag. 711.*
15. *De Profluuio alui in genere. p. 716.*
16. *De Fluxu leienterico, seu læuitate intestinorum. p. 720.*
17. *De Sanguinolento alui fluxu: vbi de fluxu hepatico, dysenteria, & tenesmo. p. 722.*

IV. Hepatis affectus.

18. *De Hydrope, seu aqua inter cutem. p. 725.*
19. *Iecinoris affectuum magis accurata tractatio: & primum de morbis hepar, vt membrum similare, infestantibus: qui sunt Intemperies, Imbecillitas, Cachexia, & Hydrops. p. 728.*
20. *De Obstructione iecoris. p. 737.*
21. *De Regio morbo, seu arquato, tum flauo, tum nigro. p. 741.*
22. *De Scirrho, seu duro hepatis tumore. p. 744.*
23. *De Vlcere iecinoris. p. 746.*
24. *De Inflammatione iecoris. p. 746.*

V. Lienis affectus.

25. *De Vitiis lienis in genere: quatenus ab hepatis distant affectibus: & speciatim de Scirrho, qui frequenter splenem obsidere solet. p. 751.*
26. *De Duro lienis tumore plenior dissertatio. pag. 752.*

VI. Renum affectus.

27. *De Vrinæ profluuio, seu passione diabetica. pag. 754.*
28. *De Lithiasi, seu calculo renum. p. 756.*
29. *De Renum exulceratione, seu abscessu. p. 760.*

VII. Vesicæ affectus.

30. *De Mictione imminuta & ablata: siue de Dysuria, & Ischuria. p. 761.*
31. *De Retentione lotii, paullo copiosior tractatio. p. 763.*
32. *De Mictione deprauata, seu Stranguria. pag. 765.*

VIII. Partium genitalium affectus.

33. *De Gonorrhœa, seu inuito seminis profluuio. pag. 765.*
34. *De Exstincta virilitate, seu impotentia rei venereæ. p. 767.*
35. *De Priapismo, seu colis præter naturam incremento, & tentigine. p. 769.*

LIBRI QVARTI,

De Matricis affectibus, capita.

I. Mensium purgationem concernentes affectus.

1. *De differentiis affectuum muliebrium: & primum de Suppressione mensium: vbi etiam de Sanguine menstruo nonnulla cognitu digna adferuntur. pag. 772.*
2. *De Menstruæ purgationis exsuperantia p. 780.*
3. *De Vteri stillicidio. p. 784.*
4. *De Fluore muliebri, seu vterino. p. 786.*

II. Spectantes conceptum.

5. *De Sterilitate: vbi de Conceptione, seminis natura & potentia, fœtusque conformatione agitur. pag. 790.*
6. *De Fœtu monstroso, siue irrito & inutili conceptu. p. 797.*
7. *De Mola, seu rudi in vtero concepta carne. pag. 798.*

III. Parturitionem attinentes.

8. *De Abortu, seu parturitione ablata & corrupta: vbi etiam Caussæ partus secundum naturam explicantur. p. 799.*
9. *De Partu laborioso ac difficili. p. 802.*

IV. Symptoma vteri, quatenus hic consideratur vt pars seruiens indiuiduo, non speciei.

10. *De Strangulatu ab vtero. p. 803.*

LIBRI QVINCTI,

De Arthritide, & Lue venerea, capita.

PARTIS PRIORIS

Caput vnicum: de Articulorum doloribus. p. 807.

PARTIS POSTERIORIS

1. *De Nomine, Definitione, & Caussis luis venereæ p. 811.*
2. *De Differentiis. p. 812.*
3. *De Signis p. 813.*
4. *De Indicationibus. p 814.*
5. *De Præsagiis. p. 814.*
6. *De Curationis parte, quæ Cheirurgia absoluitur. p. 815.*
7. *De Pharmaceutica curationis parte, totum corpus respiciente. p. 815.*
8. *De Medicamentis magis specialibus, ad ipsam luem directis, tum Alterantibus, tum Vacuantibus: & primum de eorum viribus. p. 816.*
9. *De Vsu guaiaci, seu ligni Indici: & quomodo sarsaparilla, china, sassafras, cum guaiaco, tanquam alexipharmaco principali, miscenda, & artificiose temperanda veniat: quomodo item eadem illa seorsim vsurpanda. p. 817.*
10. *De Administratione hydrargyri, forma litus & suffumigii: deque noxis emendandis, quæ argentum viuum comitari solent. p. 819.*
11. *De Curatione morborum & symptomatum, quæ occasione luis venereæ suboriuntur. p. 821.*
12. *De Victus ratione in morbo gallico obseruanda. p. 823.*

LIBRI SEXTI,

De Febribus, capita.

1. *Præfatio; canonis Auicennæ, potissimum primæ partis libri quarti ἀνάλυσιν exhibens. p. 824.*

2. *De febris nomine, Essentia, & hanc consequentibus Proprietatibus, quæ signorum communium loco sunt. Dissoluuntur etiam nonnullæ circa finitionem difficultates. p. 829.*
3. *De Caussis febrium euidentibus, seu externis. pag. 835.*
4. *De Differentiis febrium principalibus, ab essentia, seu calore desumtis. p. 836.*
5. *Digressio pathologica, de Morbi natura ac definitione: ad sequentem doctrinam de febrium differẽtiis intelligendum necessaria. p. 840.*
6. *De Communibus, seu non principalibus febrium differentiis. p. 841.*
7. *Omnes febres ad propositarum aliquam speciem seu differentiam referri posse, exemplis aliquot docetur. p. 842.*
8. *De Corporibus ad febres dispositis. p. 843.*
9. *De Temporibus febrium vniuersalibus & particularibus: quomodo in singulis ea obseruari & cognosci debeant. p 843.*
10. *De Febre ephemera seu diaria: primum quid sit: quæ eius caussæ & indicia: tum quomodo alias nonnunquam in febres transeat. Obiter digressio de Pulsibus adspergitur certe luculentissima. pag. 848.*
11. *De Indicationibus, Præsagio, & Remediorũ materiis in febre diaria. p. 852.*
12. *De Differentiis, seu speciebus ephemeræ febris. p. 854.*
13. *De Ephemera e labore. p. 854.*
14. *De Ephemera e constipatione: nimirum, e venarũ obstructione, cõniuentia orificiorum, vel cutis densitate. p. 856.*
15. *De Ephemera e cruditate. p. 860.*
16. *De Ephemera e bubone. p. 865.*
17. *De Ephemera ex ardore solis. p. 867.*
18. *De Putridæ febris Definitione, & Caussis: vbi quoque vniuersim de Generatione & Corruptione mistorum corporum agitur, putredinisque natura explicatur. p. 868.*
19. *De Differentiis febrium putridarum. Simul de Inuasionum & Circuituum caussis: deque vera intermittentis febris origine, contra veterem opinionem, & Fernelium. p. 870.*
20. *De Signis febrium putridarum diagnosticis: deq; signorum vsu, seu applicatione. p 873.*
21. *Digressio: qua rigoris & cognatorum symptomatũ natura explicatur. p. 876.*
22. *De Curatione febris putridæ in genere: & primum de Indicationibus. p. 877.*
23. *De Materia curationis cheirurgica, venæsectione scilicet, cucurbitulis, & hirudinibus: vbi quoq; de hæmorrhoidibus. p. 878.*
24. *De Pharmacea: & primum de clementer vacuantibus, tum per Os, tum per Aluum. p. 882.*
25. *De Medicamentis materiam morbificam præparantibus, quæ vulgo concoquentia dicuntur. Vbi de coctionis & cruditatis natura ac differẽtiis discursus physicus. p. 885.*
26. *De Medicamentis ore, aluo vrina, per cutis meatus purgantibus. Cum digreßione, de tempore exhibendorum catharticorum. p. 888.*
27. *De Alterantium medicamentorum vsu. p. 891.*
28. *De Victus ratione in febribus putridis obseruanda. p. 891.*
29. *De Putridis febribus in specie: & primum de febre Biliosa, seu tertiana intermittente, tam exquisita, quam notha p. 896.*
30. *De Tertiana continua, exquisita & notha. pag. 898.*
31. *De Sanguinea febre, id est, de synocho putrida, & experte putredinis: deque sanguinea biliosa finitima. p. 900.*
32. *De Febre phlegmatica. p. 901.*
33. *De Febre syncopali, seu cum oris ventriculi offensione; tum Humorosa, e crudorum succorum copia; tum Minuta, e succis valde tenuibus pag. 902.*
34. *De Febre quartana, & cognatis quinctana, sextana, septimana, nonana. p. 903.*
35. *De Hecticis febribus. p 905.*
36. *De Pestilentis febris definitione, caussis, differentiis, atque indiciis. p. 907.*
37. *De Præseruatione a febre pestilenti. p. 909.*
38. *De Ratione curandi febrem pestiferam. p. 911.*

LIBRI SEPTIMI,

De Venenis, capita.

1. *Quid sit venenum: & qua ratione in corpus agat p. 913.*
2. *De differentiis venenorum. p. 916.*
3. *De Indiciis. p. 919.*
4. *De Indicationibus. p. 919.*
5. *De Præsagiis. p. 920.*
6. *Quomodo venenis in genere cheirurgia, pharmacea, & diæta sit occurrendum. p. 921.*
7. *Specialis quorundam venenorum tractatio: & primum de Napello. p. 924.*
8. *De Anacardo. p. 925.*
9. *De Opio & Meconio. p. 926.*
10. *De Helleboro albo. p. 926.*
11. *De Cantharidibus. p. 927.*
12. *De Canina rabie p. 928.*

III. Tractatus de MEDICA CONSVLTANDI RATIONE, capita.

1. *De septem medicarum consultationum summis capitibus. p. 931.*
2. *Res secundum naturam a consiliis medicis excludi non debere. Tum, indicationum tractationem expediendam, priusquam mentio præsagiorum fiat. Et signis peculiare in consultandi methodo caput nõ esse constituendum p. 932.*
3. *Historia casus, de quo consultatio instituitur, vt proponenda. p. 933.*
4. *De rebus non naturalibus quantum & quo pacto consultantes differere debeant. p. 934.*
5. *Rerum naturalium explicatio quatenus in medicis consiliis, & qua ratione instituenda. p 934.*
6. *Consideratio rerum prater naturam, in consultatione medica p 935.*
7. *De indicationibus in consilio perpendendis p. 937.*
8. *Prognosticorum in consultationibus locus. pag. 937.*
9. *Materiæ præsidiorum quemadmodum in consultationibus proponendæ. p 938.*
10. *Pestilentis febris exemplo consultandi methodus illustratur. p 939.*

IV. Index Consiliorvm, Consvltationvm, Et Epistolarvm.

1. *In deſtillatione a capite, tuſſi & febricula: pro patritio quodam Auguſtano. p. 941.*
2. *In catarrho ſalſo, cum frigida & humida dyſcraſia ventriculi, calidaque iecoris & renum. pag. 943.*
3. *In deſtillatione a capite, memoriæ diminutione, vertigine, ſpatulæ ac pectoris dolore, ventriculi debilitate, & vrinæ ſabuloſitate. p. 944.*
4. *In catarrho a capite, anhelitus difficultate, febre hectica ſecundæ ſpeciei, & atrophia ſeu macie totius corporis. p. 945.*
5. *In catarrho a capite delabente ad os ſacrum: & inibi dolorem intenſum faciente. p. 946.*
6. *In catarrho, & faucium moleſtia p. 947.*
7. *In ſomnolentia, memoriæ atque rationis diminutione, vertigine, melancholia, nauſea, & vomitu. pag. 948.*
8. *In vertigine, cum ingenti capitis grauedine, dolore ventriculi, faciei rubore a cibo, nephritide cum vrinis ſabuloſis, nec non quandoque dolore podagrico. p. 949.*
9. *In vertigine, epilepſia, melancholico delirio, tremore cordis, macie totius corporis, & aliis nonnullis ſymptomatibus. p. 951.*
10. *In ſuffuſione oculi ſiniſtri: qua veluti culices antè oculum obuerſari videntur. p. 953.*
11. *In affectu quodam ſoporoſo, qui caro eſt finitimus. p. 954.*
12. *In epilepſia, & amentia pueri ſeptennis. p. 955.*
13. *In melancholia hypochondriaca, cum vertigine, vigiliis, & gallici morbi reliquiis. p. 956.*
14. *In melancholia hypochondriaca: pro viro annorum quadraginta, complexionis melancholicæ. pag. 958.*
15. *In hypochondriaca melancholia, anhelitus difficultate, & vrina ſabuloſa. p. 959.*
16. *In melancholia, vertigine, & muſcis ante oculos apparentib. p. 960.*
17. *In melancholia. p. 961.*
18. *In puſtulis, fiſſuris, & denudationibus labiorum. p. 962.*
19. *In paralyſi infernarum partium, nec non conuulſione & dolore. p. 962.*
20. *In læſa viſione: in iuuene XXV. annorum. pag. 964.*
21. *In orthopnœa, & viſione deprauata. p. 965.*
22. *In anhelitus difficultate, pulſu frequentiſſimo, & inæquali. p. 966.*
23. *In anhelandi difficultate, producta a pituita ſalſa, occupante bronchia pulmonis: in iuuene XXII. annorum. p. 967.*
24. *In interpolata anhelitus difficultate. p. 968.*
25. *In anhelitus difficultate, capitis deſtillatione, & raucedine. p. 968.*
26. *In voce pœne deperdita, & difficili reſpiratione. p. 970.*
27. *In tumoribus circa faciem, pluresq; alias corporis partes: quoniam alii melicerides, alii ſcirrhoſi apparent. p. 970.*
28. *In morbo gallico. p. 971.*
29. *In vigiliis, dolore artuum, pruritu & caliditate immenſa vniuerſi corporis. p. 972.*
30. *In dolore & inflatione ventriculi. p. 973.*
31. *In dolore renali & coxendico: itemq; in doloribus per totum corpus vagantibus. p. 974.*
32. *In pulſus frequentia, vrinæ ardore cum ſabuloſitate, tumore lienis, iecoris obſtructione, & ictero nigro. p. 975.*
33. *In ſtranguria, vt vrinæ ardore: pro Barone Germano. p 976.*
34. *In melancholia, capitis dolore, ac imbecillitate totius corporis. p. 977.*
35. *In dolore articulari, & ſcabie ſeu impetigine. pag. 978.*
36. *In ſcirrho lienis. p. 979.*
37. *In orthopnœa p. 980.*
38. *In imminuto teſte, & hernia inteſtinali. p. 980.*
39. *In præſeruatione, & curatione podagræ. p. 981.*
40. *In arthritide: pro eodem nobili viro. p. 982.*
41. *In arthritide. p. 983.*
42. *In iſchiade, luxatione imperfecta pedis dextri, & eiuſdem ſtupore. p. 985.*
43. *In dolore circa os ſacrum. p. 985.*
44. *In macie cruris dextri, ac læſa deambulatione. p. 986.*
45. *In tumore vtriuſque cruris, ictero nigro, & lienis ſcirrho. p. 987.*
46. *In ambulandi difficultate, ob dolorem tumoremque pedum p. 988.*
47. *In crurum vlceribus. p. 989.*
48. *In meliceride, & tumore quodam intra oculum; item nubecula in iride, infra tamen pupillam. pag. 991.*
49. *In hernia inteſtinali. p. 993.*
50. *In menſium profluuio, ventriculi dolore, ſiti, & anorexia. p. 995.*
51. *In conceptione intermiſſa. p. 996.*

Hiſtoria, cauſſaque obitus, nobilis cuiuſdam adoleſcentis; aluo fluida, variiſque ſymptomatibus aliis confecti. p. 997.

Epiſtola Capiuacci ad Thomam Eraſtum: de cõtagio, putredine, morbiſq; totius forma. p. 998.

Alia eiuſdem epiſtola ad Petrum Monauium: de cauſſa morborum contentiua; de indicatione a dolore ſumta; & a quo τὸ An agendũ indicetur. p. 1000.

Eiuſdem altera ad Monauium epiſtola: de iiſdem; & de catarrho per Europam anno Chriſti 1580 graſſante. p. 1002.

SECTIO QVINCTA;

quæ eſt

Extranea, nimirum Logica;

continet Opuſculum de Methodis, ſeu differentiis, doctrinarum: cuius capita,

1. *Operis prooemium: quo de vſu, difficultate, titulo, & methodo huius tractatus diſſeritur. p. 1004.*
2. *De definitione doctrinæ p. 1005.*
3. *De diuiſione doctrinæ. p. 1009.*
4. *De definitione ordinis. p. 1010.*
5. *De diuiſione ordinis. p. 1012.*
6. *De analytico ordine. p. 1014.*
7. *De ordine ſynthetico p. 1016.*
8. *De ordine definitiuo. p. 1018.*
9. *De conuenientia, ac diſcrepantia ordinum. p. 1019.*

INDEX CAPITVM.

10. De Vtilitate ordinum. ibid.
11. Quinam ordinum præstantior p. 1020.
12. De methodis: & primum de definitione methodi. p. 1022.
13. De diuisione methodi. p. 1023.
14. De definitione methodi demonstratiuæ. p. 1025.
15. De diuisione demonstrationis. ibid.
16. De definitione methodi definitiuæ. p. 1026.
17. De diuisione definitiuæ methodi. p. 1027.
18. De ordine proponendi definitiones. p. 1028.
19. De arte conficiendi definitionem formalem quidditatiuam. p. 1029.
20. De constitutione definitionis speciei, per methodum tum compositiuam, seu resolutiuam, tum diuisiuam. p. 1031.
21. De arte constituendi generis definitionem. p. 1031.
22. De modo conficiendi definitionẽ formalem quidditatiuam, seu per additamentum. p. 1032.
23. De caussali definitione constituenda; & a formali distinguenda. p. 1034.
24. De definitione diuisiuæ methodi. p. 1034.
25. De diuisione methodi diuisiuæ. p. 1035.
26. De arte diuidendi. p. 1036.
27. De resolutiuæ methodi definitione. p. 1038.
28. De diuisione resolutionis. p 1040.
29. De cõuenientia & discrepãtia methodorũ. p. 1041.
30. De Præstantia methodorum. p. 1042.
31. Quid medendi methodus apud Galenum. p. 1044.
32. De doctrina experimentali. p. 1046.
33. De definitione modi docendi. p. 1047.
34. De diuisione modi docendi. p. 1048.
35. Ἀνακεφαλαίωσις opusculi de doctrinis. p. 1049.

HIERO-

HIERONYMI CAPIVACCI
OPERVM
Sèctio Prima:

Quæ est

PHYSIOLOGICA:

ET COMPLECTITVR TRACTATVM

I. De Fœtus formatione.
II. De Signis virginitatis, tam masculi, quam fœminæ.
III. De Methodo anatomica.

HIERONYMI CAPIVACCI DE FOETVS FORMATIONE, LIBER.

CAPVT I.

De fœtus humani definitione. Et primum de Membranis fœtum inuoluentibus.

A DOCTRINAM *de fœtus formatione*, quam peculiari libro Galenus explicauit, summe & difficilem esse & vtilem, idem quarto eius libri capite innuit. Quare vt tam philosophis, quam medicis hac in parte inseruiamus: diligenter totum hoc negotium expedire lubet.

Versabimur autem circa formationem humani fœtus, & quidem fœtus perfecti, omnibusque suis numeris absoluti. Quem sane hoc modo definiendum statuimus: quod nimirum sit *homo, tunicis obuolutus, e semine & sanguine genitus ab homine, gratia conseruationis speciei humanæ.* Definitio.

Hominem quidem dicimus: vt a brutis fœtum nostrum secludemus. *Tunicis* vero *obuolutum*: quibus ab homine extra vterum discernatur.

B Sed ad pleniorem intelligentiam, de *tunicis* quædam in medium sunt adferenda. Tres autem cum sint fœtum claudentes tunicæ; χωρίον nimirum, seu secundina, ἀλλαντοειδὴς, & ἄμνιος seu ἀμνεῖος: singularum tradamus & materiam e qua, & compositionem, & vsum. Inuolucra fœtus tria.

Secundinam ergo quod attinet: hanc Galenus c.4. & 5. lib.15. de vsu partium, membrana & vasis, ceu materia e qua, constare dicit. Et cap. vlt. lib. de dissectione vteri, ait: chorion multarum venarum & arteriarum contextum quendam esse, ac interualla membranis obducta habere. Capite item secundo libri de format. fœtus, scribit, chorion vasa obtinere satis angusta, quibus iungatur extremitatibus vasorum vteri. Desinunt autem chorii vasa in duas venas, & totidem arterias, inque vmbilicum fœtus perducuntur. Vt autem vasis hisce robur paretur; propterea chorio substantia glandulosa obtigit: nam glandulæ ad vasorũ custodiam genitæ sunt, quod nostro de partibus similaribus opere, suo loco, planum faciemus. Secundina.

C Quoad compositionem chorii: tenue hoc est, instar telarum aranearum, & satis angustum: cap.5 lib. 15. de vsu part. crassius enim, ponderosum exstitisset, nec in partu (quod summe est necessarium) facile rumpi potuisset. Licet autem tenue sit chorium: duplicatum tamen, pro vasis excipiendis, fuit effectum: hinc fit, vt & crassum appareat, licet reuera crassum sit minime. Situm quod concernit: secundina fœtum in orbem circumdat, instar circulorum dolia ambientium: cap.4. lib.15. de vsu part. At vero non vndiquaque fœtum cingit, sed a mucronata tantum sterni cartilagine, ad elatissimam ossis ilium sedem. Secundum externam superficiem, subiicitur vteri partibus, ad quas pertinent orificia vasorum, vnde purgationes menstruæ erumpunt, vnde etiam vteri vasorum origo est, vocanturque acetabula: de quibus in vteri anatomia agendum. Gal. cap 4. lib. 15. de vsu part. & cap. 10. l. de dissect. vteri. Interna superficie chorion pertinaciter secundo inuolucro adhæret.

D Vsus chorii est, custodire vterum, fœtumque. Matricem quippe sublinit, ne ab excrementis ipsius fœtus lædatur, cap.4. lib.15. vs. p. Fœtum etiam continet, per suam substantiam membranosam: & fœtum matrici per vasa alligat, & sanguinem fœtui impertitur. c.2. l. de form. fœtus. Hæc de chorio.

Alterum inuolucrum, vocatur *allantoides*, seu intestinalis tunica: quæ componitur e membranis, & vasis, acceptis a chorio. c.7. & 10. l. 1. de sem. c. vlt. l. de diss. vteri. c.5. lib.15. vs. p. Allantoides

Est autem hæc membrana tenuis & angusta: sed longa, & versus vesicam perforata. Incubit amnio, seu tertio inuolucro. Exoritur ea parte, qua vrinaculum est dilatatum: vt per medium vrinaculum hoc inuolucrum cum vesica fœtus iungatur. Sed præterea hæc tunica obducit fœtum, secundum caput, nates, & pubem: ad differentiam primi inuolucri. Ea secundum superficiem internam connascitur amnio, tantum interuentu vasorum vmbilicalium: secundum externam superficiem, chorio connascitur, & vterum contingit, vt appendatur vtrique cornu vteri.

E Huius autem est vsus caussa seminis, caussa chorii, & caussa excremẽti serosi. Caussa seminis: nam allantoides primis diebus totum semen ambit. Caussa chorii: pro vt diorii generatio adiuuatur. Caussa excrementi: pro vt hæc tunica suscipit excrementum serosum.

Amnios, seu auriculum, habet substantiam membranosam, vasis implicitam, instar allantoidis: & Amnios.

similis eſt formæ; ſed denſior:cum qua tamen denſitate adeſt tenuitas.c.vlt.de diff.vteri:& amplior euadit iam propoſita tunica,nam copioſius continet excrementum. Secundum ſuperficiem externam vnitur allantoidi:ſecundum internam,toti fœtui:vt inter fœtum & amnion ſit ſudor. A

Huius tunicæ vtilitas eſt,vt detineat fœtus excrementa: & propterea Galenus c.7.l.1.de ſympt.cauſſis,dicit,fœtus excremẽta reponi in duplici tunica, id eſt,in allantoide,& amnio:& dum detinet ſudorem, eſt in cauſſa,vt fœtus veluti innatet, & innatãdo non ſit ita ponderoſus vtero;præterea, vt tempore partus facilius egrediatur per collum matricis,nam huius ceruix ſudore magis ſit lubrica.

Galenus cap.5.l.15.vſ. p. quatuor membranas proponit ipſius fœtus: quia chorion accipit, vt duplicatum.

Indusium. Sed Veſalius addit inuolucrum quartum,quod vult eſſe genitum e ſubſtantia lutoſa: (quam ipſe nõ explicat,quænam ſit.)vulgo vocat *induſium*:in maſculo vocatur galea, in femina vitta;interdum conſpicitur interdum non; quia non ſemper cum ſecundinis egreditur. Dicendum, pro Galeni defenſione: Galenum proponere membranas, quæ fiunt ante generationem fœtus in prima generatione, quæ tantum tres ſunt:hoc enim induſium procedit a fœtu poſtquam eſt genitus. Generatur enim e craſſo excremento tertiæ coctionis fœtus, quod ſubſtantia lutoſa dici poteſt. Vſus eſt,vt cutis fœtus a ſudore non lædatur.Hæc de inuolucris fœtus. B

CAPVT II.

De Virile ſemine.

Semen. SEquitur in definitione:*Fœtum generari e ſemine, & ſanguine.* Quoad ſemen:loquemur de ſemine eiaculato,tum maris,tum feminæ. C

Semen cõſtat ſeroſa humiditate,& ſpiritu. Per ſemen maris, non intelligimus quodlibet ſemen,ſed fœcundum: quod componitur *e ſeroſa humiditate, & ſpiritu*.c.7.com.aduerſus Lyc.cap.3.l.14.vſ.p. Ceterum,feminis partio humoroſa,plus obtinet & ignis & aeris:ad differentiam ſanguinis, qui ſane eſt minus igneus, & minus aereus ſemine.cap.2.l.1.de tuen.ſan.Portio ſpiritalis,eſt tantum ſpiritus vitalis:ſemẽ enim plenum eſt ſpiritu vitali:qua de cauſſa ſpumæ aſſimilari,poteſt c.5.l.1.de ſem.cap.9.lib.14.vſ.p.Et Ariſtoteles cap.2.l.2.de gen.animalium dicit,ſemen compoſitum eſſe e ſpiritu & aqua: vt ſemen ratione ſpiritus ſit calidum,ratione aquæ,humidum. Ex his patet,quid per ſemen ſit intelligendum:& quod componatur e ſpiritu & humore.

Semen ſecundum partem ſpiritalé procedit a toto. Iam dicendum de origine & ſpiritus & humoris. *Spiritalis portio* generatur in corde, & per arterias potiſſ.in totum corpus diffunditur:vt ſemen ſecundum portionem ſpiritalem procedit a toto, quia ſpiritus vitalis a corde toti corpori impertitur. Hinc Hipp. lib.4. de morb.dicit;ſemen procedere ab omnibus viri & feminæ partibus. Et l.de genit.idem Hipp. dicit, ſemen ſecerni a ſolidis partibus,& a mollibus partibus,id eſt,a ſpermaticis, & carnoſis ſeu ſanguineis: & præterea ſecerni ab omni humido,id eſt,a ſanguine arterioſo, & venoſo. Vnde l.de aere,aq.& loc.dixit, a ſanis parentibus fieri fœtum ſanum,a morboſis morboſum. D

Quomodo ſemẽ a toto decidatur. Sed intelligendum, *quomodo ſemen procedat a toto?* Hippoc.l.de gen.ait, ſemen prouenire ab omni humido, vt quod ſecernitur,ſit robuſtiſſimum;vnde vis in coitu redditur imbecillis. His verbis ſignificatur,ſemen prodire ab omni ſanguine, vt portio excreta, quamuis ſit exigua,ſit tamen robuſtiſſ.quare eſt ſpiritus vitalis,qui a toto procedit. Vnde ſubdit Hippoc.cum in coitu pudendum teritur, & homo mouetur,humidum in corpore incaleſcens diffunditur, & a motu conquaſſatur,atque ſpumeſcit. Cum ergo ſpuma fiat ex humore,ſpirituque, concurrente vel calore,vel motu, vel vtroque:ſanguis habet ratiõnem humoris,ſpiritus vitalis,habet rationem vaporis: & cum in coitu accedat calor,& motus; ſit vt a ſanguine ſpumeſcente,ob cauſſas propoſitas, in coitu ſecernatur ſpiritus vitalis. Sed notandum a ſanguine non ſimpliciter ſecerni ſpiritum, vt in corde gignitur, ſed vt ſit vehiculum facultatis generatricis, quæ a qualibet parte,& potiſſimum principalibus,emanat. Hinc Hippoc. loc.cit.ait: ſi venæ iuxta aures ſecentur, genitura emittitur, ſed infœcunda; nam plurima genitura procedit a capite in ſpinalem medullam, & per vaſa, pertinentia ad ſpinalem medullam, perducitur in teſtes:ob citatricem enim conſolidatur trucitus ſeu meatus. E

Ariſtoteles quoque ſimiliter ſemen maris a toto procedere cognouit. Nam c.9.l.4.gen.an.inquit: ſi ſemen non procederet ex omni parte animalis,ſimilitudinis cauſſa eſſet falſiſſima.

Sed notandum;cum ſemen a toto procedit,ratione ſpiritus vitalis, a toto procedentis; *differentiam eſſe inter ſpiritum vitalem; vt procedit a corde, & vt procedit a toto.* Nam vt procedit a toto,vim generatricem ſuſcipit a reliquis corporis partibus, quæ formare poteſt in fœtu partes ſimiles parentibus: vt enim ſpiritus vitalis procedit a corde,ſuſcipit vim generatricem, per quam poteſt generare omnes partes, non dico ſimiles,ſed omnes.Hinc Hippoc.l.de gen.ait:e mutilatis parentibus generari integros filios,quia parens mutilatus habet omnia, quæ habet corpus ſanum, ſcil. in virtute cordis, a quo primum omnia pendent. F

Cum ergo ſemen ſit conſtitutum e ſpiritu vitali: propterea Philoſophus c.3.l.2. gen. an. dicit, in ſemine eſſe calorem,ſeu ſpiritum,in quo ſit natura,quæ proportione reſpondeat elemento ſtellarum,id eſt, cœlo:& hunc ſpiritum eſſe cauſſam,vt fœcunda ſint ſemina:porro hic ſpiritus nec ignis eſt,nec a prędominio igneus,quomodo non conſeruaret ad ſimilitudinem cœli,ſed potius corrumperet,proinde, cum hic ſpiritus in ſemine exſiſtens, ſit genitus e ſanguine (ſicut in ſermone de ſpiritibus docuimus) & ob id c.4. electis;dominatur aer,non ignis:ſpiritus ergo a prædominio non eſt igneus, ſed aereus potius. Hæc de ſeminis portione ſpiritali. G

Circa *humoroſæ portionis* originem, conſiderandum: primo e qua materia gignatur:ſecundo a quo agente

A agente ſeminis formam ſuſcipiat. Quoad primum, Galen. c. 12. l. 1. de ſem. & c. 4. l. 2. de ſem. alimenti ſemen generari *e ſanguine*. Et philoſophus c. 18. l. 1. gen. an. dicit; ſemen eſſe excrementum vtile vltimi id eſt, alimenti ſanguinei, quod vltimum eſt, quod in membra digeritur. Et ſecundum hanc rationem procedit a toto, quia etiam ſanguis a toto procedit.

Humoroſa ſeminis portio e ſanguine generatur.

Quoad ſecundum; ſi capiatur ſemen ratione cauſſæ perficientis, perficitur *in teſtibus*: etiam ſecundum Ariſtotelem, vt ſuo loco probabimus. Hinc Galenus c. penult. l. 1. de ſem. dicit, dum facultas teſtium viget, totum corpus mutari.

Semen in teſtib. perficitur.

Quoniam ergo opus eſt calore inſigni, ſemen perficiente, e cap. 2. l. 2. d. tuen ſan. fit *vt coitus pertineat ad ætatem florentem*, in qua viget calor: nam in ætatibus præcedentibus, corpus nimium augetur, vnde materia deficit: in ætate ſubſequente, calor eſt debilis, vt non poſſit ſemen admodum perfectum, & fœ- B cundum generari. c. 4. l. 14. vſ. part. Hinc Plato in dialogo de Repub. præcipit, vt vir venere vtatur a 30. vſq; ad quinquageſimũ quintum: mulier a 20. vſq; ad 40. Iam hæc lex non obſeruatur, ideo nõ mirandum, fœtus imbecilles gigni. Addit Ariſtoteles cap. 14. l. 5. hiſt. animal. ſemen incipere generari circa 14. annum, ſed prolificum produci, circa 21. & maſculum generare vſque ad 70. feminam ad 50. ſed raro: nam vt plurimum marem gignere ad 65. feminam ad 45. ſed quandoque in natura monſtra occurrunt, vt mares etiam vltra hanc ætatem gignant. Plato loco cit. reſpicit ad generationem filiorum robuſtorum: Ariſtoteles autem magis communiter loquitur.

Aetas florens veneri apta.

Ceterum, ſemen, quatenus habet vltimam perfectionem in teſtibus, non procedit a toto. Et ad hoc ſemen reſpiciens Ariſtot. cap. 18. l. 1. de gen. an. ait, ſemen non procedere a toto. Hæc de ſeminis origine.

Semen, vt non a toto.

Iam loquemur *de vi & potentia ſeminis*: dicentes de facultate portionis primum ſpiritalis, deinde C humoroſæ. Quoad *portionem ſpiritalem*, differentia eſt, inter ſemen & ſanguinem: c. 2. l. 1. tuen. ſan. nam ſemen habet rationem opificis ſeu agentis, ſanguis habet rationem materiæ opifici obedientis. Heic enim Galenus loquitur de ſemine fœcundo, eiaculato in vterum, quod potiſſ. eſt agens per ſpiritum: vnde cap. 3. lib. 14. vſu partium dicit, cum ſemen ſit miſtum ex humore & ſpiritu, ſpiritum eſſe motus principium. Et cap. 8. lib. 1. ſem. dicit, in ſemine eſſe ſpiritum, qui eſt animalis principium per ſe mobile, vt non inſtar vaporis diſſoluatur, ſed in profundum ſubeat, & ſeipſum conſeruet. Sic etiam Philoſophus c. 3. l. 2 gen. an. dicit; ſemen eſſe fœcundum per ſpiritum, qui in ſemine continetur; nam in ſemine eſt facultas, elemento ſtellarum proportione reſpondens: ſicuti enim cœlum generat, ita etiam in ſemine eſt vis prolifica: vnde etiam ſecundum Ariſtotelem non egreditur, ſicut nugatur Galenus, dum Ariſtoteli aduerſatur. Et propterea Philoſophus cap. 4. lib. 2. gen. an. ait, ſemen euadere ſimile coagulo: ſicuti enim coagulum eſt D lac, continens calorem vitalem: ita ſemen per ſpiritum vitalem, membra & reliquas partes vnire poteſt, & generare, ſeu conſtituere. Propterea ſpiritus vitalis eſt præcipuum generationis organum: ſeu, eſt præcipuum organum facultatis generãtis, ante generationem calidi innati: nam poſt generationem calidi innati, ſpiritus vitalis eſt quidem organum facultatis generãtis, ſed ſimul cum calido innato. Hoc ergo loco notandum, ſpiritum vitalem, vna cum ſemine eiaculatum, conſeruari beneficio ſpiritus vitalis feminæ. A femina enim in coitu ſpiritus vitalis eiaculatur, & tempore geſtationis vteri, a corde matris, ſpiritus vitalis ſuppeditatur, & deinde conſeruatur beneficio ſpiritus vitalis, ſeu ipſius fœtus, non ſemper, ſed poſtquam in fœtu cor eſt formatum.

Semen fœcundum agit per ſpiritum.

Quoad vim *portionis humoroſæ* in ſemine maſculo; concurrit, primum vt efficiens; ſecundo, vt ſubiectum facultatis generatricis; tertio, vt materia e qua aliquid generatur.

De portione ſeminis humoroſa.

E Quæ, vt intelligantur, probare oportet *ſemen viri eiaculatum in vterum, non egredi*, etiam ſecundum Ariſtotelem: Galenus enim hunc reprehendit. Dicit ergo Philoſophus cap. 7. lib. 7. hiſtor. an. ſemen maris in vterum eiaculatum, inſinuari in vterum, & contineri, & coniectum membranis obduci. Et cap. 4. lib. 2. gen. an. dicit, vteri partes puriſſimum ſemen continere. Et cap. 3. lib. 7. hiſtor. an. dicit; feminam non concipere, ſi ſemen effluat: ideoque ſi in 7 diem intus permaneat, certiſſimum eſſe ſignum, factam eſſe conceptionem ſeminis. Ergo ſecundum Ariſtotelem ſemen detinetur. Sed dubitatur, quia Philoſophus cap. 4. lib. 2. gen. an. dicit, ſemen inſtar coaguli ſimiles partes vnire, vt coactis partibus vnitis, corpulentia humoris diſcernatur. Videtur ergo diſtribui & egredi corpulentia, id eſt, portio humoroſa ſeminis? Reſp. Ariſtoteles nõ vult, ſemen egredi vterum, ſed corpulentum humorem, ſeu portionem craſſiorem, extra partes intimas & vnitas collocari, vt ſcil. degeneret in membranam. Verum igitur eſt, portionem illam craſ- F ſiorem, ſecerni a tenuoribus, & ab intimioribus, vt ſic dicam: ſed propterea non egreditur, verum degenerat in membranam fœtum obuoluentem. Vnde, dum Philoſophus dicit, corpulentum ſeminis humorem ſecerni; ſubdit, parte terrena ſicceſcente, circumobduci membranam: quare hæc ſeparatio degenerat in membranam. Galenus cap. 3. lib. 1. de ſem. ſcribit Ariſtotelem ſenſiſſe, genituram eſſe ſeparabilem; & portionem humoroſam, cum ſit aquea, a natura diſſolui, & in flatũ diſſipari. Ergo ſemen nõ remanet, quia diſſoluitur. Reſponſio. Semen in vtero manet, ſecundum Ariſtotelem, cap. 3. l. 2. gen. an dum autem addit, ſemen in ſpiritum difflari, inſinuat generationem calidi innati, ſeu ſpiritus inſiti, non flatus.

Semen viri, in vterum coniectum, non egreditur quod male Galenus Ariſtoteli adſcribit.

Galenus ergo noluit Ariſtotelem intelligere. Proponit fere verba formalia Ariſtotelis, e cap. 3. lib 2. gen. an. quod caput eſt intelligendum. Ego de eo libere dicam quod ſentio, & Deum teſtor, me nullum expoſitorem vidiſſe: iudicabitis vos an ſit bona expoſitio. Quærit ibi Philoſophus, ſi e ſemine non conſtitui- G tur conceptus, ſi ſemen eiaculatum non eſt materia, e qua fit fœtus; quonam vertitur corpulentia ſeminis, cum ſemen ſua facultate agat? nec enim ſemen eſt pars conſtituendi conceptus, nec tamen in nihil reſolui poteſt? Reſpondet Philoſophus, *ſemen eiaculatum a fœtu conſtituendo partim eſſe ſeparabile, partim inſeparabile*. Hæc reſponſio vt intelligatur, ſciendum, ſemen obtinere ſpiritum & humorem. Spiritum Ariſtoteles vocat calorem, qui eſt ſedes cuiuslibet potentiæ ſeu virtutis; ideoque merito eſt diuini-

Enarratur locus Ariſtotelis cõtrouerſus.

oris naturæ, quam sint elementa: at pro statu, animæ est differentia, verbi gratia, in homine spiritus vitalis est perfectior, quam in brutis: vbique autem scil. in homine & brutis, perfectior est elementis; vt semen secundum partem spiritalem sit animatum. Sed dubitatur: anima enim est actus corporis organici: at semen non est organicum? Responsio. Aristoteles definiuit animam, vt est forma corporis animati, vt corpus animatum potest operari, verbi gratia, equus est animatus, quia potest currere, & obire omnia munia, quæ pertinent ad equum: At equi semen, potest tantum e materia determinata fœtum equinum generare, non potest currere, nec obire operationes equi. Propterea Aristoteles tradidit definitionem animæ in communi, ita tamen, vt competat ea omni animato, quod potest operationes illius animati corporis exercere, sicut equus, & alia corpora animata, quæ sunt organica. Hinc dicit Philosophus, animam esse actum corporis organici, quod potest operari, seu obire operationes, spectantes ad corpus organicum. Hac ergo ratione semen non est animatum, quia non est organicum: & proinde, licet semen animatum statuatur, non tamen est subiectum morbi, vel sanitatis, quia non potest obire operationes organicas. A B

Semen, quatenus separabile, & inseparabile Aristoteli.

Sed ad rem. Semen secundum spiritum est sedes facultatis generationis, estque separabile, e cap. 3. l. 2. gen. an. a corpore fabricando seu fœtu, qui debet fabricari, secundũ partem spiritalem: nam vis generatrix, semini a parte tributa, post fœtum formatum euanescit, ac dissoluitur, vel separatur. Quare, secundum Aristotelem, *semen est separabile, ratione partis spiritalis.* Pars seminis humorosa, Aristoteli dicitur corpus genituræ, vel seminis, id est, pars materialis, quæ a fœtu fabricando est inseparabilis, nec tamen est pars conceptus: de hac ergo quæritur, quonam vertatur? Respondet Aristoteles dissolui, & in spiritum euanescere. Non est sentiendum, vt dicit profugus Galenus (pace eius dixerim) Aristotelem voluisse, euanescere spiritum, ita vt prorsus dissipetur: nam hac ratione, quomodo esset inseparabilis? Semen ergo secundum partem humorosam vertitur in spiritum, seu calidum innatum; ideoq; semen, quod antea oculis intueri poteramus, non amplius cernere possumus, dum conuersum est in calidum innatũ. Recte ergo dixit Aristoteles, ita mutari, vt euanescat. Ceterum, semen, mutatum in calidum innatũ, est inseparabile a corpore generando, & producitur ad mortem hominis vsque: hoc enim calidum innatum, est nexus animæ cum corpore, ideoque est inseparabile, nec tamen est pars constituti corporis, non caro, non pars similaris, nec dissimilaris; sicut etiam statuitur de succo, e quo lac coagulatur. Sic patet, semen in vtero detineri. C

Spiritus seminis, concurrit ad actionem vt quo, humor purior, vt quod,

Iam dicendum, *quomodo concurrat.* Primum ergo concurrit vt efficiens: hinc Aristot. c. 7. lib. 2. part. an. dicit, semẽ esse generationis nostræ principium: & c. 2. l. 1. gen. an. dicit, marem esse animal, quod in alio gignit: & c. 18. l. 1. gen. an. ait, semen vim habere generandi, & esse primam caussam: iure enim Philosophus primam caussam effectricem statuit, ad differentiam seminis feminæ. Gal. c. 6. l. 1. sem. ait, semen attrahere, retinere, contoquere, expellere. Et propterea rationabiliter Plato in Timæo dicit, semen esse animatũ. Sed notandum: cum semen sit principium effectiuum, & secundum spiritum, & secundum humorem: spiritum concurrere vt quo, humorem, vt quod, sed secundum partem puriorem humoralem; nam pars humorosa impurior, degenerat in membranas, vt scribitur c. 6. l. 1. de sem. D

Facultas seminis generatrix. 1. Alteratrix.

Porro, cum semen contineat in se facultatem generatricem, *quid sit facultas generatrix* explicandum. Gal. c. 5. & 6. l. 1. fac. natural. dicit, facultatẽ generatricem obtinere potẽtiam alteratricem, & formatricem.

Alteratrix potentia, dupliciter intelligi potest. c. 4. l. 3. simpliciter. Proprie quidem accipitur, vbi potentia alteratrix ita per primas qualitates agit, vt quod alteratur de specie in speciem mutari possit. Verbi gratia, quando alteratrix ita agit in materiam, vt eam mutet in substantiam ossis, sic enim fit mutatio de specie in speciem. Alteratrix autem improprie accipitur, quando fit contusio seu contractio, verbi gratia, dum ensis secat aliquod corpus. Nos in præsentia, per alteratricem potentiam, propriam intelligimus. E

2. Formatrix.

Quoad *formatricem*, Gal. c. lt. de form. fœtus, de hac dubius est: & addit, in ea summam esse sapientiam; ceterum, ait, semper se dubitasse, animæ substantiam definire. Et cap. vlt. l. 2. de tempore, dicit, de hac facultate formatrice dubitasse Aristotelem, num sit diuinioris originis, & quid diuersum a primis qualitatibus, cal. frig. &c, nec enim formatrix solis qualitatibus (quæ tantum sunt organa, vt & crasis) definiri potest, sed est quid excellentius, & primus opifex, ratione sc. temperamenti, quod est instrumentum formatricis Hinc ergo colligitur, formatricem in homine, esse facultatem formæ humanæ; formatricẽ in equo, esse facultatem formæ equinæ: vt sicuti ad animæ sensitiuæ facultates pertinet iudicare, ita ad facultatem generatricem (quæ & ipsa est facultas formæ, vt etiam facultas sensitiua, nam omnes facultates sunt vnius formæ) pertinet alterare, formare, sicut ad sensitiuam, videre, audire &c. Sæpe igitur de quibusdam dubitamus, de quibus tamen non est ita dubitandum. Ceterum, notandum, hanc formæ facultatem generatricem, operari vna cum sole: nam sol & homo generant hominem. Ideoque mirum non est, hanc generatricem esse sapientem, cum socium habent cœlum. Vnde, vt refert. Gal. c. vlt de form. fœtus, Platonicus quidam dixit, animam per mundum diffusam formare: nam Deus vbique residet, & mediante sole, astrisque, id est, motu & lumine, vim tribuit ipsi semini, vt possit generare. Hunc respiciens Gal. c. vlt. l. 2. de sem. ait, naturam dedisse naturalium instrumentis facultatis insitas, vt sine docente possint operari: & propterea hac ratione, formatrix etiam in brutis est sapiens, id est, format & operatur. Et sic patet, generatricem esse alteratricem, & formatricem. F

Subiectum facultatis generatricis parentũ. 1. Ante seminis eiaculationẽ.

Iam dicendum *de generatricis facultatis subiecto.* Et cum generatrix pertineat ad parentes, & ad fœtum: primum explicandum, quodnam sit *subiectum generatricis parentum*, non fœtus; idque primum ante seminis eiaculationem; secundo, tempore eiaculationis seminis; tertio, post eiaculationem. *Ante eiaculationem* quodnam sit eius subiectum, proponitur aliqua e parte a Gal. c. 7. l. 6. plac. vbi ait, cum origo facultatis generatricis non sit ex vtero: ergo a patre. Quare vis generatrix ante eiaculationem residet in parte viuente ipsius patris, & præsertim in corde: vnde a parente mutilato, fit filius integer. Subiectum ergo generatricis est pars similaris, vt similaris potest alterare, & vt pars similaris est pars instrumenti, potest esse subiectum sedesque formatricis. G

Quo-

A Quoad subiectum *tempore eiaculationis*, generatricis subiectum est calidum innatum, & spiritus vitalis, vt hæc duo sunt dispersa per totum corpus: quare, tempore eiaculationis hæc sunt primum subiectum facultatis generatricis: dico primum subiectum, ad differētiā seminis, quod in testibus genitum eiaculando emittitur. Fundamentum est: nam facultas sine subiecto nequit consistere: cum quo hæc facultas residet in parente, id est, in partibus viuētibus maris; ab his partibus facultas cōmunicatur semini, ꝙ in testibus generatur: & in hoc transitu seu itinere, tempore eiaculationis, a partibus viuentibus, & præsertim principalibus, ad testes, facultas generatrix pro subiecto habet calidum innatum, & spiritum vitalem, vt organa accommodata facultatis generatricis: dum deinde facultas generatrix, a masculo est impertita semini, genita in testibus, & est impertita per medium calidum innatum, & spiritum vitalem,
B hęrens semini, pleno spiritu vitali, in vterum defertur. — 2. eiaculationis tempore.

Deniq; *post eiaculationem*, generatricis subiectum, est semen eiaculatum, calidum innatum, & aliquo modo vterus. Primum enim semen est subiectum generatricis: post vero dū semen degenerat in calidum innatum, subiectum non est amplius semen, sed est calidum innatum, quia semen est mutatū in calidū innatum. Vnde Galenus c.7.com. aduersus Lycum, dicit; post conceptum gigni primum calidum innatum, deinde partes viuentes: quare si calidum generatur post conceptionem: ergo generatur a generatrice, residente in semine. Et propterea Galenus c.6.l.6.de plac. dicit originem facultatum generātium fœtum nō esse ex vtero, sed e semine. Et ideo c.3.l.2.fac.natur. dicit, maris semē habere in se facultatem sanguinis attrahendi. Et c.11 ac 13.l.1.de sem. dicit, facultatem formatricem pertinere ad semen: vt cum Philosopho c.10.l.2.de gen.anim. semen sit animatum. — 3. Post eiaculationem.

C Sed amplius & ratione, & auctoritate probari potest, calidū innatū esse subiectū facultatis generatricis. Ratione quidem: nam semen non potest diu durare, ideoq; non potest esse subiectū: nec pars viuens fœtus, potest esse subiectū, quia nulla adhuc est genita, siquidem facultas non est in genito, sed in generāte: quare necesse est, vt facultas generatrix sibi fabricet organū, ꝙ nil aliud est, quā calidum innatum, quod propterea genitum, euadit subiectum facultatis generatricis. Confirmatur idem *auctoritate* Hippocratis, qui in l.de natura pueri, ait; fœtū formari a spiritu, sc. insito, seu calore innato: hic ergo est subiectū generatricis. Hinc Galenus c.3.l.1.fac.nat. ait, generatricem facultatem esse extensam per omnes partes, nō sane alio modo, quam ꝙ residet in calido innato, ꝙ omnes partes attingit. Et ob id philosophus c.10.l.2.gen.an. dicit, mēbra fœtus non fieri ab agente extrinseco; nam agens externū non tangit, omnis autē actio fit per tactum: quare partes fœtus, cum Philosopho generātur ab eo agere, ꝙ est intus, ꝙ nil aliud esse potest,
D q̄ semen eiaculatū, sed cōuersum in calidū innatū. Notandū autē hoc calidū insitum esse extra cōstitutionem partiū, non esse temperiem, non cōpositionem, non vnitatem, nil enim seipsum gignit, quare quod generat, non est pars viuens, alias idem seipsum generaret: quare est calidum innatum.

Vterus etiam aliquo modo, post eiaculationem, est generatricis subiectum. Vnde Galenus c.13.l.1.sem. dicit, in prima generatione e semine, duplicē esse vim generatricem, alia enim est fabricatrix seminis vt semen sit subiectum, alia vero fabricatrix pertinet ad vteri conceptacula, quibus semen adhæsit eiaculatum. Heic vero Galenus loqui, non de generatione fœtus seu de generatione partium, fœtum constituētium, sed de prima generatione, id est, de generatione vasorū, quæ generantur ante alias partes, vt suo loco docebimus. Hæc ergo vasa gignuntur a duplici facultate, quarum altera pro subiecto habet calidū innatū, de quo dictū, reliqua ꝓ subiecto habet vteri receptacula, nō totū vterū: at hæc facultas cōcurrit tan-
E tum, ad productionem vasorum, non fœtus. Et hęc de facultatibus ante generationem fœtus.

Quoad *subiectum facultatis fœtus ipsius*, cum nil seipsum generet, e c.10.l.2.de gen.anim. in fœtu non erit facultas, quæ sit caussa suæ generationis: secus autē statuēdū est de facultate in fœtu quæ potest debito tempore similem fœtū generare; sed ratione propriæ generationis, fœtus est subiectum aliarum facultatū non generatricis, nihil enim seipsum generat. Vnde Galenus c.5.l.de form.fœtus, dicit, verisimile esse, formatas partes proprias functiones exercere, vt alterius auxilio non egeant: hæ autem functiones fœtui tribuuntur e semine, vt vult Galenus c.6.l.6.plac. & hæ facultates non sunt generatrices, sed est facultas altrix, & auctrix. c.9.l.1.de tuen.sanit. c.8.l.1.de sem. cō.73. sect.7.l.3.epid. c.7.l.1.de symp.causs. Hoc etiā cognoscens Philosophus c.10.l.2.de gen.an. dicit, sicuti fœtus seipsum non generat ita seipsum auget. Cete-
F rum, cum fœtus moueatur, vt testatur Hippocrates, l.de natura pueri, & com.37.sect.1.l.6.epid. & Philosophus c.3.l.7.hist.an. mas mouetur circa 40.diem, fœmina tardius: vt propterea fœtus sit subiectū, & facultatis altricis, atq; etiam motricis, non generatricis. Dubitatur, ꝙ Galenus c.13.l.1.de sem. dicit, facultatem validissimam esse in venis præsectis, vt præbeant semen, & vis illa possit fabricare venas. Ergo idē seipsum potest generare? Responsio. Ad venam, partesq; viuentes, nō pertinet fabricare venam nouam, hoc enim est impossibile, sed tamē nouam portionē deperditam possunt restaurare. Præterea dubitatur: quod post partum dentes nascuntur. c.4.l.2.hist.an. c.4.l.2.gen.an. & apud Galenū in l.an. omnes animalis partes simul fiāt. Responsio. Formatrix residet in radice dentium, quæ radix est pars dentis, & genita est in vtero: vnde Galenus c.5.l.2.sem. ait: in his qui recens nati sunt, dentium radices in gingiuis latere. Hactenus dominus quomodo concurrat semen, vt agens. — Subiectum facultatis generatricis ipsius fœtus.

Iam explicandum, *quomodo concurrat semen, vt materia e qua*. Proinde semen maris eiaculatum, cō-
G currit in ratione materiæ e qua, ratione membranæ, ratione vasorum, & ratione calidi innati: non ergo ita in fumum dissoluitur. — Semē, quomodo concurrat vt materia e qua.

Quoad *membranas*, Galenus c.6.l.1.sem. dicit, semen vuluam attingere, & mutari in chorion: nam hæc membrana est vicina vtero. Sed etiam amnios fit e semine, c.10.l.sem. & propterea Philosophus c.4.l.2.gen.ani. dicit, seminis portionem terrenam siccescere, & circumobduci membrana, vt sc. degenerat in membranam, cum huius beneficio gignatur membrana, qua postea fœtus continetur.

Quoad *vaſa*:ſemen etiam horum eſt materia:vnde Galenus c.2.& 4.l.de form.fœtus,dicit, e ſemine e- A
iaculato,quod vuluæ vaſis adhæſit,vaſa generari:quod etiam c.13.l.1.ſem teſtatur.

Quoad *calidum innatum*,ad hoc reſpiciens Galen.c.3.l.14.de vſ.p.ait ſeminis portionem humoroſam
eſſe materiam idoneam, ad generationem fœtus:nam vt per ſpiritum trahit humiditatem, reddit humi-
ditatem attractam ſimilem portioni humoroſæ ſeminis: vnde cum Galeno loco citato, ſanguis nec pri-
ma,nec propria eſt generandi animalis materia : ratio prima, nam calidum innatum eſt, quod quam-
primum e ſemine generatur,non propria,nam ſanguis mutatur in ſemen.

Calidum innatum quid.

Ex his colligere licet,calidum innatum eſſe *miſtum, genitum e ſemine & ſanguine:* primum enim gignı-
tur e ſemine maris,& tenui humiditate,quæ eſt proxima vaſis;per quam tenuem humiditatem vaſis pro-
ximam,nihil aliud intelligit,quam ſanguinem dealbatum,qui mutatur in ſemen. Deinde vero calidum
innatum generatur e ſemine,præcedente tempore,& ſanguine menſtruo,vt hic mutatur in ſemen,&hoc B
poſtea in calidum innatum:quare Galenus c.3.l.14.vſu. p. loquitur de calido innato,quod illico fit,id eſt,
poſt conceptionem.At aph. 14. ſect. 1. & c. 2. & 7. com.aduerſus Lycum,loquitur de calido innato,quod
poſt a fit,non illico poſt conceptionem,& propterea ſit etiam e ſanguine menſtruo. Sed ſemper, vtcunq;
accipiamus calidum innatum,ſanguis mutatur in ſemen,ſi debet generari calidum innatum.

Semen eſt principium effectiuum & materiale.

Ad rem. Sic ſecundum Galenum maris ſemen eſt materia e qua calidi innati : quod etiam Ariſtote-
les voluit,ſic referente Galeno,c. 3.l.1.de ſem.vbi habet, ſecundum mẽtem Philoſophi, maris ſemen diſ-
ſolui in ſpiritum,id eſt,calidum innatum, vt voluit Ariſtoteles c. 3.l.2. gen. an. quamuis Galenus non vult
intelligere Ariſtotelem.Sed notandum,quod Galenus c.1.l.1.ſem.dicit, Ariſtotelẽ aduerſus Hippocratem
voluiſſe,ſemen eſſe principium tantum effectiuum, cum tamen ſit principium materiale, & materiale
etiam cum Ariſtotele,ratione calidi innati. Animaduertẽdum igitur,Hippocratem recte ſtatuiſſe, ſemen C
eſſe principium & effectiuum, & materiale,quia reſpexit ad omnia,quæ generantur poſt cõceptionem.
Quare cum poſt conceptionem generetur calidum innatum,generentur inuolucra;dubio procul ſemen
poteſt ſtatui principium etiam materiale. At Ariſtoteles ſolum ad fœtum reſpexit,non ad inuolucra, non
ad calidum innatum organum generatricis, vt intelligitur e c.20.l. 1. gen. an. & hoc modo ſemen nequa-
quam poteſt eſſe materiale principium.

Capvt III.

De ſemine Muliebri.

Ariſtotelis de ſemine muliebri ſententia.

CEterum, præter ſemen virile,concurrit etiam *ſemen fœmineum*,(loquimur enim de ſemine a fœmina
eiaculato.)Hoc ſemen proponitur ab Hippocrate,l.de genitura.Idem quoq; concedit Ariſtoteles,li- D
cet Galenus eum redarguat.Nam c.19.l.1.gen.an.non negat fœminam ſemen emittere, ſed ſaltem dicit,
illud non eſſe tale,quale a mare emittitur,id eſt,non eſſe ita craſſum,lentum, calidum, coctum & ſpiritu
vitali plenum;quod etiam medici concedunt.Præterea Philoſophus addit,ex amborum miſtione nõ ge-
nerari fœtum:ſi Ariſtoteles admittit amborum ſeminum miſturam,quomodo negat fœminę eſſe ſemen?
Recte autem dicit Ariſtoteles, fœtum non gigni ex amborum miſtura:nam fœtus generatur e ſanguine
mẽſtruo:miſtum vero ex vtroq; ſemine,eſt calidum innatum.Vnde c.20 l.1.gen.anim. dicit Philoſophus,
mulierem ſemen non gignere,propter frigiditatem,vt propter hanc producatur mẽſtruum, quod eſt ſe-
men non purum,id eſt,non ita perfectum,vt ſemen,quod a mare generatur. Ex hoc facile colligere licet
ob ſeminis impuritatem& frigiditatem,fieri quandoq; poſſe,vt a fœmina eiaculetur ſine voluptate.Qua-
re ex his patet,etiam ſecundũ Ariſtotelem fœminam generare ſemen:vnde c.3.l.2.gen.anim.dicit,excre- E
mentum fœminæ habere in potentia partes,quibus differt fœmina a mare: & hoc excremẽtum vocat ſe-
men non purum.

Seminis vtriuſque neceſſitas.

Vtrumque autem ſemen eſſe neceſſarium patet,e c.4.l.2. de ſem.nam ſi tãtum eſſet ſemen viri,nõ poſ-
ſet omnes vteri partes oblinire, quare non fieret conceptus:opus ergo etiam fuit fœmineo ſemine:atta-
men ſi ſolum fœminæ fuiſſet ſemen,ob ſui imperfectionem non fieret conceptus.

Fœminæ ſemen frigidius.

Cauſſa autem generationis diuerſi ſeminis fuit : nam mas eſt calidior fœmina : vnde Ariſtoteles pro-
blemate 26.ſect. 4. dicit, fœminas tempore æſtatis eſſe magis efficaces in Veneris vſu, nam fœminæ, vt
frigidæ,per aeris caliditatem corroborantur,mas autem calidus per æſtatem reſoluitur. Nec ſine ratio-
ne fœmina genita eſt frigidior:nam vt ſcribit Galenus c.6.l.14.vſu partium, opus fuit ſanguine mẽſtruo F
qui generatur a calore debili,non diſſoluente.

Semen fœminæ concurrit actiue & paſſiue.

Ceterum ſemen fœminæ concurrit vt agens,& vt materia, e c.1.l.2.ſem.vbi Galenus ait, miſtũ e ſemi-
ne maris & fœminæ,eſſe perfectum ſemen,& in vtroq; ſexu ſpeciem humanam vtroq; ſemine egere, vt
differentia ſit in actionibus,ſecũdum magis & minus. Vnde Ariſtoteles c.18.l.1.gen.anim.ait,quæ e mare
& fœmina oriuntur,e contrariis oriri. Cum ergo contraria ſint in eodem genere:ergo vtrumq; ſemen et-
iam ſecundum Philoſophum,eſt in genere agentis: At contrarietas eſt,vt ſemen maris agat,ſemen fœmi-
næ patiatur:e qua tamen fœmina & agente,& patiente procedit miſtum,particeps actiuitatis vtriuſq; ſe-
minis.Sed dubitatur:nam Ariſtoteles c.2.l.1. gen.anim. aſſimilat marẽ cœlo,id eſt,agẽti;fœminam autem
materiæ,vt vtriuſq; ſecundũ Philoſophum,facultas ſit diuerſa:quare alterum actiue,alterum paſſiue con-
currere videtur?Reſponſio.Ariſtotelis loquitur de generatione fœtus,poſt conceptionem fœtus, poſt e- G
iaculationem,vt producitur calidum innatum poſt conceptum,vt ad fœtus generationem calidum inna-
tum ſit agens,quatenus potiſſ. dependet a mare,ſanguis autem menſtruus pendet ſolum a fœmina, cali-
dum innatum a ſemine maris potiſſ.ſed aliqua e parte a ſemine fœminæ:propterea Ariſtoteles marem aſ-
ſimulauit cœlo,fœminam terræ: & propterea ſubdit, vtriuſq; facultatem eſſe diuerſam, quoniam vnum
habet rationem agentis,alterum materiæ. Et propterea ibidem etiam ſubdit,fœminam illud, e quo fit a-
nimal,

A nimal,in ſe generare:quare loquitur de materia e qua. Et idem inſinuauit c.20.l.1.gen.ana c.4.l.2. de gen.
animal.dicit enim maſculum formam & principium præbere,fœminam corpus & materiam, ratione ſc.
generationis fœtus,non calidi innati(in hoc enim omnis ſolutio quæſtionis verſatur) quia in generatio-
ne fœtus,cum gignatur e ſanguine menſtruo,fœmina eſt illa, quæ ſubminiſtrat materiam, id eſt, ſangui-
nem menſtruum: & dum ſemen fœminę eſt impurum(non loquor de menſtruo) & permiſcetur cũ ſe-
mine maris,pro generatione calidi innati,in permiſtione,vt perficitur a ſemine maris, habet rationẽ paſ-
ſi,at,vt prodit a fœmina,ſuſcipit vim generatricem a fœmina,& hoc modo,habet rationem agentis. Ce-
terum,inquit Ariſtoteles,c.1.l.4.gen.ana.mas eſt,quod primum mouet,vt concoquat,vt generet; fœmi-
na,autem id non poteſt,ſed recipit,hoc eſt,mas mouet principaliter non omnibus modis, vt neceſſarium
B ſit,fœminam recipere ſemen maris. Vnde Hippocrates in l.de natura infantis,ſic referente Galeno c.1.l.2
ſem.dicit,e genitura maris & fœminæ fœtum generari,quoniam ex vtriuſque miſtione fit verum ſemen,
& perfectum. Patet igitur,quoniam ſemen fœminæ etiam vt agens concurrat.

Porro,ſemen fœminæ,vt concurrit in ratione materię,dicimus concurrere,tum gratia ſeminis ma-
ris,tum gratia involucrorum, ſeu membranarum. Gratia quidem ſeminis maris concurrere, oſtendit
Galenus,c.7.l.1.de ſem.c.1.l.2.de ſem. vbi ait,ſemen fœminæ eſſe alimẽtũ ſeminis virilis,& ſic eſſe materi-
am,ideoque ſi vtrumque ſemen probum generaretur, fieri calidum innatum optimum & robuſtum, &
homines vltra 100.annos viuerent,ob probum hunc nexum animæ cum corpore. Præterea ſemen fœmi-
næ concurrit,vt materia membranarum (loco citato) nam dum ſemen fœminæ proprios facit progreſ-
ſus,membranæ formantur:vnde Galenus c.10.l.1.de ſem.ait,inteſtinalem tunicam vna cum chorio, e ſe-
C mine ſeroſiore,id eſt fœminæ,generari. Hæc de ſemine.

CAPVT IV.

De Menſtruo ſanguine:altero generationis primordio.

IAm etiam de *ſanguine* agemus,e quo fœtum generari in finitione diximus. Eſt autem ſanguis menſtru- Menſtruus
us,*excrementum ſanguineum,genitum a calore fœminæ,propter ſpeciei conſeruationem.* ſanguis.

Dicitur excrementum:ad differentiam ſanguinis,quo fœmina nutritur. Dicitur excremẽtum ſan-
guineum:ad differentiam excrementi ſeminalis.

Huius efficiens eſt calor debilis:vnde Galenus c.5.l.2.de ſem.ait,fœminam redundare excremento Effi
ſanguineo,quia eſt debilior,& quia calor debilis non reſoluit,ſed generat,c.6.l.14.vſu partium.

D Vtilis autem hic ſanguis eſt propter ſpeciem: nam ratione fœminæ, & quantitate, & qualitate eſt Vſus men-
inutilis.c.8.l.de atra bile. Huius menſtrui ſanguinis,ſecundum Auicennam,triplex eſt partio: purior, fœ- ſtrui.
tum nutrit,minus pura in mammas fertur,impuriſſima,ad tempus partus in vtero moratur. Sic Gal.c.9.l.
1.de tum ſan.dicit,quod optimum eſt in ſanguine abſumi in fœtum, dũmodo prægnans non ſit morbo-
ſa;nam in morboſa,fœtus maior etiam aliquid impuri habet, quia pars pura in tali admodum eſt paucus,
c.7.l.1.de Sym.cauſ.Porro purior illa pars ſanguinis,conſtat omnibus humoribus,id eſt,ſanguine,pituita,
bile & melancholia.c.2.l.2.de elem.com.27.& 39.l.1.de natura hum.& c.4.l.8.de plac.

Ceterum hic ſanguis menſtruus,eſt alterum generationis principium.com.Aphoriſm. 14. ſect.1. &
eſt materia,ſeu principium materiale,ad differentiam ſeminis,c.2.l.1.de tuen. ſan. Dicitur quaſi materia,
c.4 l.8.plac.quia non eſt materia proxima, nam ſanguis mẽſtruus mutatur, antequam fiat materia pro-
E xima. Sed menſtruus ſanguis,ſecundum Galenum,non tantum eſt principium materiale, ſed etiam effe-
ctiuum:vnde c.2.l.2.de ſem.ait,animal generari e materia & facultate,ſanguinemque & ſemen eſſe effecti-
ua,quamuis ſemen magis effectiuum,minus materiale,ſanguis minus effectiuum,magis materiale. San-
guis ergo eſt principium effectiuum,ſecundum ſpiritum vitalem,vt dictum eſt de ſemine:eſt autem prin-
cipium materiale;quatenus e ſanguine fœtus generatur,nutritur,augetur,vt docetur c.8.l.de atra bile.

Quare explicandum,quod ſanguis menſtruus ſit materia generationis,& nutritionis. Quoad *gene-* Sanguis eſt
rationem:partes fœtus ſanguineæ generantur e matris ſanguine. c. 2. l. 2.de elem.com.27.& 39.l. 1.de nat. materia ge-
hum.c.4.l.8.de plac. Et hinc Galenus irridet Ariſtotelem,c.12.l.1.de ſem.qui ſtatuerit eodem loco,omnia nerationis.
membra fieri e ſemine,& omnia e ſanguine. Sed recte Ariſtoteles ſcripſit:omnia enim fiunt e ſemine,tan-
quam a cauſſa efficiente: (non tanquam e materia, vt male interpretatur Galenus, cum tamen Philoſo-
F phus aperte dicat,ſemen non eſſe partem fœtus) e ſanguine,vt e materia,ex qua. Cum autem omnes fœ-
tus partes fiant e ſanguine menſtruo:ſciendum,ſanguinem hunc non in omnibus membris eandem na-
turam ſeruare,c.10.& 16.l.1.de ſem.c.7.aduerſus Lycum,vbi Galenus ait,ſolam carnem generari e ſangui-
ne,ſed quatenus mutatur in ſemen,nec ſeruat priorem naturam. Heic autem per carnem Galenus intel-
ligit proprie ita dictam,quæ eſt vere ſanguinea,qualis muſculorum. Dum ergo c.vlt.l. 10. meth. Galenus
in omni ſimilari parte proponit,ſubſtantiam fibroſam,membranoſam, & carnoſam:ea non eſt caro pro-
prie dicta,ſed ſeminalis,producta e ſemine tenuiori,& proinde e ſemine minus elaborato,quę ſatis ad car-
nem accedit,& deperdita reparari poteſt,ad differentiam portionis membranoſæ & fibroſæ:ideoque hæc
portio carnoſa ſanguinea vocari poteſt: Et hæc notanda,propter doctrinam febrium hecticarum.

Sanguis etiam eſt materia *nutritionis,& augmenti*,eſt enim alimẽtũ calidi innati,alimentũ fœtus, vna Sanguis eſt
G cum involucris. Alimentum eſſe calidi innati,dicitur com,Aphoriſm. 14.ſect.1.& com.aduerſus Lycum c. materia nu
2.& 7. vbi dicitur calidum innatum fieri e ſanguine & ſemine:quare his nutriri & conſeruari debet. Hic tritionis.
ſanguis eſt halituoſus. Et eſt alimentũ fœtus.c.3.l.2.de natural.facultat.natura fœtus trahit,quod dulciſ-
ſimum eſt in ſanguine,Hippocrate teſte,l.de natura pueri, & Galeno teſte,c. 6. l. de Vſ. aduerſus Eraſiſtr.
com.Aphoriſm.43.ſect.5.Fœtus etiam nutritur ſanguine quatenus mutatur in lac, com. Aphoriſm.52.
ſect.5.quod fit menſibus vltimis,primis enim lac non generatur,ideoque vltimis menſib. fœtus lacte alitur.

CAPVT V.

De caussa Efficiente, & Finali.

Homo generat hominem.

POstremo, in fœtus humani definitione diximus, eum præter solem generari ab homine. Secundum Aristotelem c. 1. l. 2. de gen. animal. c. 1. l. 1. de part. animal. per hominem, enim intelligimus virum & mulierem, cuius vtriusq; coniunctio est necessaria. Et hæc generatio fit *gratia conseruationis speciei humanæ:* quod per se est apertissimum. A

CAPVT VI.

Quo tempore partes fœtus generentur.

Nō omnes partes simul absoluūtur.

GAlenus libro an omnes partes simul fiant, dicit, solum Creatorem nouisse, quæ pars prrimo gignatur: ait tamē probabile esse, non omnes partes simul consistere. Sicut enim artifex in opere cōficiendo, primum facit fundamenta: ita & natura, seu generatrix facultas. Cum ergo generatio præcedat ab imperfecto ad perfectum; necesse est, initium fieri ab aliqua parte, quæ prius fiat: non ergo omnes simul consistunt. Præterea in prægnatione nuper incipiente, videmus partes alias formatas, alias nondum, & post ipsum quoque partum, dentes, cornuaque producuntur. Nec præter rationem, natura hoc modo progreditur: ducta enim intelligentia non errante, respicit ad vtilitatem, quæ vario tempore requiritur: & proinde, vt vario tempore partium requiritur vtilitas, ita vario tempore partes producuntur. Quare determinandum, quæ partes prius, quę posterius generentur. B

Calidum innatum primo generatur.

Meo iudicio, primum omnium, post conceptionem, generatur *calidum innatum*, ceu ratio organum facultatis generatricis, sine quo fabricare non potest, nec enim calidum innatum genitum est ante conceptum; quia calidum innatum non tribuitur vtero, sed tātum semen ante conceptionem consistit: neq; calidum innatum generatur in tempore conceptionis: quia vterus non generat calidum innatum, sed tantum de potentia in actum deducit vim generatricem in semine exsistentem: Ergo necessarium fuit, hoc instrumentum, calidum sc. ingenitum, post conceptionem generari. Et hoc Galenus sentit, c. 7. in com. aduersus Lycum, vbi habet calidum innatum generari ante partes similares, & has ante dissimilares. Et c. 3. l. 3. de fac. natural. dicit; semen primum trahere sanguinem, vt iustam magnitudinem acquirat, quam acquirere debeat, vt fiat calidum innatū, organum facultatis. Et c. 9. l. 1. de sem. dicitur, primum tempus generationis fętus esse, dum seminis species adhuc apparet, & Hippocrates l. de genitura, hoc primum tēpus in fœtu dicit genituram, quasi tunc nondum generentur partes similares, sed fit tantum genitura, semen & sanguis, & proinde calidum innatum. Philosophus etiam hoc approbat, dum c. 3. l. 2. de gen. animal. vult semen eiaculatum, secundum partem humorosam esse inseparabile, vt degeneret & mutetur in spiritum insitum, seu calidum innatum. C D

Auctoritas.

Inuolucra fœtus.

Post calidum innatum proxime generantur *membranæ fœtum inuoluentes:* his enim opus est, vt fœtus partes detineri queant, quæ tamē nondū tunc sunt genitæ: de vtilitate autē & necessitate inuolucrorum, suo loco diximus. Auctoritas Galeni hoc cōfirmare potest: ait enim amnion generari primis diebus. c. 10. l. 1. de sem. & in semine esse vim fabricatricem, quę sibi primum generet membranas, c. 3. l. 2. fac. naturalib. Primum dicit Galenus, quia loquitur de formatrice facultate (ad differentiam alteratricis) quæ primum generat membranas, ante reliquas partes fœtus: Sed alteratrix, etiā ante membranas generat calidum innatum E

Vasa membranarum.

Vasa etiam *inuolucrorum*, nimirū venæ & arteriæ, gignuntur ante partes fœtus. Ratio: nā opus est sanguine & spiritu, pro generatione partium fœtus quæ per vasa subministrantur: ideoq; vasa ante partes generantur. Sic Galenus c. 13. l. 1. de sem. ait; in principio generari vasa; vt adiuuet etiam fabricatrix, quæ pertineat ad orificia vasorum vteri: idem ait c. 4. l. 15. de vsupar. Sed oritur dubium: nam c 6. l. 6. de plac. dicitur venam iecoris esse originem venarum chorii, & inuolucrorū, item arteriam cordis originem arteriarum chorii: proinde vena hepatis prius generari videtur: &c. Responsio. Si vasa hæc considerantur, vt sunt ductus, seu meatus sanguinis & spiritus; oriuntur ab orificiis vasorum vteri, c. 5 l. 15. vsupart. & proinde ita acceptum generantur ante partes fœtus. At si considerentur, quatenus suscipiunt vim influentem, a corde, a iecore, a partibus principalibus; potest dici ortum e iecore trahere, & hoc modo accepit Galenus loco citato, vnde subdit, si comprimantur arteriæ circa vmbilicum fœtus, eas quæ in chorio sunt carere pulsu: respicit ergo ad vim influentem a corde fœtus. Hæc de calido innato, cum fœtus inuolucris, horumque vasis. F

Tēpus generationis partiū fœtus, prout incipiunt.

Quoad *generationis tempus*, hoc dupliciter consideratur: primo, vt partes fœtus incipiūt generari, secundo, vt perfecta est & absoluta partium generatio. Incipiunt autem partes generari, e c. 9. l. 1. de sem. post primum tempus, id est, post tempus generationis calidi innati, & inuolucrorum. Præter hoc primum tempus sunt alia tria tempora. Iccirco secundum tempus est, dum genitura sanguine repleta, cerebri, cordis, & hepatis præ se fert magnitudinem quandam: sed informia adhuc hæc viscera sunt; ita vt fœtus hoc etiam secundo tempore, non vocetur genitura, sed potius fœtus: apparet autem horum viscerum aliqua magnitudo, quam hæc sunt tria principia instrumentorū, quibus reliquæ partes egent. c. 6. l. 15. de vsupar. Et hoc secundo tempore hæc viscera ita sunt vicina, vt se tangant inuicem, postea vero locis secluduntur. c. 8. l. 1. de sem. In tertio tempore tria hæc principia, cor, hepar, cerebrum, exquisite cernūtur: reliquarum autem partium quædam apparet delineatio c. 9. l. 1. de sem. Et hoc tempore quoque fœtus appellatur id quod vtero continetur. Quartum tempus est, cum artus distincte cernuntur, & Hippocrates hoc tēpore vocat animal. (Galenus c. 2. l. de formatione fœtus ait, cutim primū esse genitam; non quod cutis ante viscera gignatur, quod falsum est; sed quod sit prima genita, id est, extima, seu prima sensibus exposita.) Hæc de tempore generationis. G

Tempus

Tempus *perfectionis* quadruplex est,c.3.l.de formatione fœtus:primum,in quo hepar;secundum, in quo cor;tertium,in quo cerebrum;quartum,in quo generantur membra, motui voluntario inseruientia. Fundamentum sumi potest,e c.6.l.15.de vsu part.Iecur enim primo perficitur, quia fœtus tum modo plantæ viuit,& talem habet dispositionem,vt eo tempore non egeat arteriis, ergo neque corde. Cor secundo perficitur,vt pulset,& fœtus viuat non solum vt planta,sed etiã vt animal.At dubitatur,quomodo fœtus habeat rationem animalis, virtute cordis:cum animal sit animal per sensum & motum,quæ pertinent ad cerebrum,non ad cor?Sciendum igitur e c.9.l.1.de sem. fœtũm viuere vita animalis per cor & cerebrum,& euadere animal,quatenus ab vtero absolutus est,vt de loco in locum moueatur; quod fieri nõ B posset,si fœtus vel esset frigidus,vt planta,vel instrumentis ingressoriis caruisset: quare, sicut propter instrumenta motus opus fuit cerebro;ita propter caliditatem necessarium fuit cor,& propterea cor hoc secundo tempore fuit formatum, vt fœtus vita animalis etiam viueret. Cerebrum tertio perficitur. Hinc Aristoteles c.3.l.2.de gen.animal.dicit,animal,primo viuere vita vegetante, deinde vita sensitiua;post vita rationali. Quare si recte interpretemur Philosophum,etiam ipsius sententia primo perficitur iecur,cuius vi fœtus habet rationem plantæ;secundo cor,cius virtute fœtus rationem habet animalis:tertio cerebrum,cuius gratia homo est rationalis.Sed dubitatur,quia c.4.l.2.de gen.animal.clare asseritur,in animalibus sanguineis primum cor generari,& vltimo etiam mori: quod repetitur a Galeno de sententia Peripateticorum,ca.4.l.de form. fœtus. Sed dicendum,Aristotelem respexisse ad membrum,a quo primum procedit animalis facultas,quæ generica est in corde,& impertitur aliis partibus,ibique determinata euaC dit ac propria. Quare vnicus est fons,videlicet cor: quod omnium primo viuit per se,& vltimo moritur. Nec tamen negasset Philosophus iecur ante cor esse conformatum: ea ratione,quatenus iecur vitam habet non a corde,sed a matre, seu muliere quæ vtero gerit, in virtute calidi innati, & menstrui sanguinis: posteaquam vero iecur genitum est,& deinde cor formatum,iecoris vita pendet a corde fœtus.Quartum denique tempus est,in quo perficiuntur & corroborantur organa motus voluntarii, tertio tempore formata.Hæc ergo 4.sunt tempora fœtus perfecti.

Absolutæ partium generationis tempus.

Plærumque autem fœtus perficitur spatio 9.mensium.cap.3.l.3.fac.natural.sed differentia est,quam proponit Aristoteles cap.4.li.7.de hist.animal.vbi habet,mulierem modo spatio nouem mensium,modo alio tempore fœtum absoluere;bruta vero eodem tempore:ratio est,quia bruta vtuntur simili victu,mulieres diuerso,ideoque a septimo mense,vsque ad vndecimum fœtum perficiunt. Vnde fœtus ante septiD mum nõ est vitalis:in octauo autem quandoque est vitalis, vbi mulieres sunt admodum fertiles;hæ enim admodum robustos habent fœtus. Præterea etiam discrimen est inter masculum & fœminam, vt fœtus masculus citius perficiatur:nam calidior exsistens, efficacius attrahit alimentum; præditusque est calore innato robustiore,ca 4.l.7.de hist.animal. Et quamuis masculus sit robustior,& citius perficiatur;magis tamen læsus producitur,quia solus masculus in vtero magis agitatur c.6.l.4.de generat.animal. Præterea accidit vt mas & fœmina gemelli minus feruentur,quam si vterque gemellorum eiusdem sint sexus,scilicet vel mares, vel fœminæ:ratio est; quia mas citius perficitur,fœmina tardius; quæ temporis inæqualitas noxia.

Gestationis tẽpus quantum sit.

Aristoteles c.22.l 6.de hist.animal.statuit equas vel per annum,vel decem menses in vtero gerere:& oppositum statuit c.4.l.7.de hist.animal. Vbi notandum,eandem equam semper eodem tempore parere: E at mulier eadem statutum pariendi tempus non habet.

Mulier nõ habet statutum pariendi tempus.

Quæritur heic de octimestri partu,quare non sit vitalis? Ego cum Hippocrate libro de septimestri partu dicerem,tria esse quadragenaria periculosa,in quibus fœtus facile mori potest. Primum quadragenarium est in primo mẽse, in quo fit generatio ipsius fœtus: secũdum est in octauo:tertium est,postquam fœtus in lucem est editus.Quia ergo periculum est in secundo quadragenario: propterea si fœtus octauo mense exeat,non viuit,nisi mulier sit maxime fertilis,monente Philosopho,quę ita robustum efficiat fœtum,vt noxas quadragenarii secundi & tertii perferre queat. Primum quadragenarium est periculosum, quia natura maxime laborat & secundum alteratricem & formatricem. In tertio quadragenario fœtus subit mutationem ambientis,& alimenti:vnde & hoc periculosum. In secundo quadragenario roboratur fœtus:& hoc in fœtu septimestri est mensis sextus;at in fœtu,qui debet in lucem produci nono menF se,est octauus mensis: quod si decimo mense partus sit futurus, secundum quadragenarium est in mense nono,&c. At rarissime accidit, vt fœtus sexto mense perficiatur: vnde etiam fœtus septimestris vtplurimum est imbecillis,secundum Philosophum c.4.l.7.de hist.animal.ob inopiam alimenti.

Octimestris partus,quare non sit vitalis.

Hinc ergo patet,quot sint tempora fœtus:quæ ita se habent,vt tria non excedant 42.dies;quandoque non excedant 30. Vnde Hippocrates l.de natura pueri dicit, masculum perfici 30.diebus, feminam spatio 42.dierum: nam semen masculinum est calidius, vt etiam masculus incipiat moueri mense tertio, fœmina vero quarto mense: Et hoc notari potest ad prædicendum, num sit masculus, an fœmina,quod vtero geritur.

Temporũ fœtus quãtitas.

CAPVT VII.

Cur modo vnus,modo plures gignantur fœtus.

G DE *numero* fœtuum Aristoteles cap.4.li.7.de hist.animal.dicit, mulieres parere quandoque duos,tres, quatuor, quinque, eodem tempore conceptus. Caussa est, vt dicit Philosophus, cap.4.lib.4.de gen.animal.quia discissa,seu fissa materia in conceptione diuiditur: quod itidem voluit Hippocrates lib. de natura pueri.

Numerus fœtuum.

CAPVT VIII.

A

De similitudine Speciei, Sexus, & Effigiei.

Speciei similitudo.

QVoad *speciem*; caussa similitudinis in ea, est sanguis menstruus, vt est determinata materia, c.2.& 5.l.2. de sem. nam generans generat non e qualibet, sed e determinata materia; verbi gratia, e cane masculo, & vulpe fœmina, generatur vulpes, quia fœmina est vulpes: species enim sequitur materiam, seu sanguinem menstruum.

Caussa similitudinis secundum *sexum*, proponitur c.5.l.2.de sem. quod sit sanguinis & seminis temperatura: masculus enim e calidiore semine oritur. Idem sentit Hippocrates, l.de genit.& l.1.de diæta.& Aristoteles ca.3.l.4.de gen.animal. Cum ergo mas fiat e semine calidiore, & pars dextra sit calidior: pro- B pterea mas generatur, si dexter testiculus sit crassior, cap.5.l.2.de sem.&, si testiculus sinister adstringatur, conducit ad generationem masculi, teste Hippocrate, in l.de superfœt.

Effigiei similitudo.

Quoad similitudinem *effigiei*, hæc multis modis perpendi potest: cap.4.lib.2.de sem. Primo enim quæri potest, cur infans interdum magis similis sit patri, interdum matri: secundo, cur secundum aliquas partes magis similis sit patri, secundum aliquas matri: tertio, cur similis sit auis: quarto, cur nec patri, nec matri sit similis? Dicit ergo Hippocrates, lib. de aere æquis & loc. a sanis parentibus sanos gigni liberos, a morbosis morbosos, a distortis distortos, quia semen a toto procedit. Similitudo ergo a seminis vi procedere videtur. Vnde Hippocrates l.de genit. ait: e quacunque corporis viri parte plus prodierit genituræ, quam mulieris, partus erit magis similis patri: si contra, matri: vt fere impossibile sit, fœtum per omnia & e toto similem esse, vel patri, vel matri. Vnde Galenus cap.5.l.2.de sem. dixit, semen maris & fœminæ esse C caussam similitudinis, secundum effigiem, per spiritus nimirum, non per portionem humorosam; quibus spiritibus præditum est semen fœminæ, semenque maris; quibus etiam spiritibus fouetur menstruus sanguis, vt testatur Galenus c.2.l.2.de sem.

Quæstionũ propositarum explicatio.

Hoc ergo posito fundamento; quoad primum quæsitum, e c.2.l.2.de sem. quamuis propria ratione vis seminis vincit in parte, attamen quandoque vincitur. Vincit quidem vis patris, dum semen procedit a patre robusto, quare fœtus patri similis est: vincitur, dum vis seminis fœminæ est robustior, quæ etiam robustior & efficacior redditur propter sanguinem menstruum, vnde matri quam patri fœtus est similior, præsertim si sanguis menstruus sit calidus, & plenus spiritu: nam cum semen fœminæ semen viri superet, saltem post conceptum, fieri potest vt fœtus sit similis matri. Vnde etiam Aristot. c.19.l.1. de gen. animal. dicit, filios esse similes parentibus: nam quod accedit ad partes fœtus genitas, sed non formatas, est simile D partibus parentum, vnde discessit; nam quale id actu est, quod in parente remanet, tale est semen potentia, seu facultate, quam in se continet: loquitur ergo Philosophus de maris semine. Quod si solus mas concurreret, omnis similitudo esset a patre, fœtusq; patri essent similes: quod est falsum. Et propterea Aristoteles non dicit, menstruum sanguinem esse prorsus expertem formationis; quia imo, cap.3.l.2.de gen. animal. dicit, menstruum habere omnes partes potentia, quæ in parente sunt actu: ideoque, vt ait Philosophus, si maris excrementum, id est, semen, superatur, fœtus matri similis fit. Quid clarius? Si maris semen superet, patri fœtus est similis; si contra, matri. c.3.l.4.de gen. animal.

Sed dubitatio est de filia, quare aliquando patri sit similis: nam, cum fœmina fiat, quia maris semen superatur: ergo omnis similitudo a matre. Dicendum fœminam, seu filiam interdum patri similem esse, quia patris testes generant semen debile, quare fit fœmina: at quia reliquæ patris partes sunt robustæ, ideo E ab illarum spiritibus talis efficacia procedit, vt fœtus sit quidem fœmina, sed patri similis, secundum partes illas patris robustas. Hæc de primo quæsito.

Secundo quæritur, cur partus secundum aliquas partes similis sit patri, secundum aliquas matri? Caussa e dictis patet, & colligitur ex Hippoc. l.de gen. quia scil. est victoria, secundum partes patris, vel matris: vnde Aristot. c.3.l.4.de gen. animal. dicit; si non superetur menstruum a semine maris, fœtus secundum illam partem erit similis matri.

Tertio quæritur, cur fœtus nonnunquam auis sit similis? Caussa est, quia fieri potest, vt auorum semen non vsq; adeo sit robustum, & vim accipiat in liberis seu progenitoribus; & cum in his hanc vim habeat, fit vt ex his prognati auorum, similitudinem retineant.

Postremo quæritur, cur liberi interdum non sint similes parentibus? Caussa est, seminis maris tum F imbecillitas, tum robur. Quoad imbecillitatem, Arist. c.3.l.4.de gen. animal. dicit; si motus agentis, id est, seminis maris ad extremum superetur, & materia non superetur, remanet animal, id est, menstruum vitale, & parentibus dissimile. Quoad robur, procedit vel simpliciter a semine, vel a semine vt a capite deducitur. Si simpliciter a semine procedat; si est æquale robur seminis maris & fœminæ, vt victoria sit nulla e parte, est fœtus dissimilis. Si vero, vt suscipit vim a capite; pro varia imaginatione parentum, fœtus varii producuntur: vnde auctor l.de ther. ad Pis. c.11.& Hipp. l.de aere, aq.& loc. c.7. dicunt, in Asia multiformes generari partus, quia ibi dominatur voluptas, & vbi voluptas, maxime afficitur imaginatio. Sed notandum, vim hanc impertiri per spiritum vitalem, quia defertur in vterum, vel cum semine, vel cum sanguine menstruo; Quare & in coitu, & post coitum, dum mulieres vtero gerunt. Ergo & vterus aliqua e parte concurrit, quia Hippocrates lib. de gen. ait, qua vterus plagas accipit, ea puer mutilatur. Et hæc de For- G matione fœtus.

F I N I S.

A

B

HIERONYMI CAPIVACCI TRACTATVS, DE SIGNIS VIRGINITATIS, TAM MASCVLI, QVAM FOEMINÆ: QVO DOCETVR, IN HVMANO GENERE VIRginitatem non posse certis & indubiis notis adstrui.

PROBABILIA signa virginitatis in *mare* sumuntur e mutatione odoris & vocis : in
fœmina, ex hymene, & venarum congerie, quibus os ceruicis vteri affici consueuit.
C Quoad *odorem*; ante coitum putant similem seruari: at post deflorationem, eum Odoris
mutari ad insuauem & hircinum. Verum nos statuimus in pubertate hanc odoris mutatio.
mutationem accidere, quod semen eo tempore gignatur. Dum enim semen procrea- Caussa 1.
tur, spiritus vitales largius quam antea in testes diffunduntur, reliquum autem corpus
eos pauciores habet, ideoque natura, spirituum copiosorum ope destituta, humores
& excrementa non ita superat, vt antea; vnde necessario odoris mutatio fit. Deinde vis seminis genera- Caussa 2.
trix, ante seminis generationem quasi sopita, eo tempore quo semen producitur, ita excitatur, vt semen
gignat, & vim suam, id est, qualitatem quandam realem toti corpori impertiatur: vnde humores, & excre-
menta corporis, a pristina odoris bonitate desciscunt, caroque vniuersa similem affectionem contrahit.
Hinc castratorum animalium carnes iucundiores; non castratorum insuaues, siue Venerem exerceant,
D siue non; quamuis euidentior sit in iis mutatio, quæ Venere vtuntur. Quia igitur odoris mutatio fit, quo-
niam semen gignitur: ab ea non potest vllum signum certum virginitatis vel deflorationis sumi.
Vocis mutatio duplex est: vel enim vox pura, seu sonora, in impuram, seu raucam mutatur; vel acuta Vocis mu-
in grauem. In pubertate igitur, non e coitu, sed ob seminis generationem, vocis puritas non retinetur. tatio.
Cum enim vox sit sonus aeris efflati, dependens a glottide mota: fit vt vox sonora fiat, dum aer efflatus a
pura glottide percutitur. At in seminis generatione vtrumque desideratur: vnde vox impuritatis fit par-
ticeps; quia spiritus deficiunt; & vis illa seminalis toti, & proinde etiam laryngi impertitur. Acutæ vocis
caussa immediata, est aer velociter impulsus: tarde agitatus aer, est caussa grauis vocis. Quare in pubertate
vox fit grauior, non e coitu necessario, sed constitutione laryngis, & generatione seminis. E constitutione
laryngis, quia instrumenti angustia, vt in pueris, est caussa vocis acutæ, eo quod aer velociter impellitur: at
E in pubertate instrumenta fiunt ampliora, vnde aer iam velociter moueri nequit. E seminis generatione;
quia spiritus vitales in testes decumbunt, minoreque copia ad reliquas corporis partes deferuntur, vnde
aer minori impetu agitatur. Quare e vocis mutatione, non sumitur certum indicium virginitatis, aut de-
florationis.

Quoad *fœminas*, & primum quoad *Hymenem*; huius caussa efficiens est facultas generatrix, quę cum Hymen.
semine parentum in vterum deducitur. Materia e qua, sunt portiones fibrosæ, & membranosæ, pertinen- Vide Colũ-
tes vtplurimum ad os ceruicis: (nam secundum Aetium in quibusdam fœminis in ipsius pudendi labiis bum, & Pa-
solet hæc membrana generari; in quibusdam etiam circa vteri osculum,) quæ ita extenduntur, luxurian- ræum.
te facultate generatrice, vt membrana hæc producatur. Finalis caussa huius membranæ nulla est, quia e- cap. 96. l. 15.
ius generatio non est necessaria; cum aliquando generetur, aliquando non, vt omnes anatomici fatentur.
F Et Aetius hanc membranulam inter morbos recenset; tantum abest, vt vtilem eam existimet. Præterea,
cum, fœtu in lucem edito, natura etiam materias seminales gignat (vt patet in tumoribus folliculis dona-
tis, pterygio & sebel:) non mirum est, si tempore formationis fœtus pars aliqua etiam non necessario p-
creetur. Ergo absentia hymenis, non arguit mulierem esse defloratam; nec præsentia certum est virgini-
tatis indicium: nam si foramen sit amplius, seminis ingressus non impeditur, maxime si virile pudendum
non admodum vastum, muliebre autem peramplum sit.
Quod *venarum congeriem attinet*, non negamus fieri posse, vt circa os ceruicis venulæ nonnihil ex- Venarum
tendantur. Cum enim hoc fiat in vitio, quod Arabes sebel vocant: (in quo venosa substantia ita extendi- congeries.
tur, venulæq; inuicem ita inferuntur, vt ex iis veluti panniculus quidam efformari videatur) non miran-
dum, si in generatione fœtus, facultas illa generatrix luxurians, e venulis ad os ceruicis attinentibus, for-
G met contextum quendam venarum, quibus disruptis sanguis effluat. Sed neque harum venarum genera-
tio est perpetua: vnde nec latentibus his venulis, necessario violata est virginitas; nec apparentibus, neces-
sario est integra: potest enim euenire, vt hæ venulæ in congressu sanguinem non emittant, si scilicet vena-
rum cumulus sit exiguus, pudendum fœminæ vastum, virile paruulum.
Quamobrem defloratio, vel natura tegi, vel arte ita occultari potest, vt interdum etiam periti me-
dici, & obstetrices fallantur.

 A

HIERONYMI CAPIVACCI, DE ANATOMICA METHODO, COMMENTARIVS. B

CAPVT I.

De auctoris Instituto: deque methodi anatomicæ appellatione.

Anatomes necessitas.

MEDICVS dogmaticus vitia humanum corporis obsidentia nequit expugnare, nisi o-
pe indicationum, desumtarum tum ab essentia & affectus, & loci affecti, tum ab es- C
sentiam consequentibus. Quandoquidem vero hæc, ceu abdita, in apertum anato-
me profert, teste Galeno c.1.l.1.de loc.aff.& c.10. l.3. loc. aff. patet cognitionem ana-
tomiæ summe vtilem esse medico & necessariam. Hippocrates etiam, libro de flati-
bus, morbos specie caussaque conuenire, solis autem locis differre affectis, asserit:
vnde locorum, seu partium corporis humani cognitionem ex anatomia petendam
esse medicinam facturo, planum est. Eodem Plato tendit, dum lib.4. de legibus, me-
dico naturam morbi mature ac initio perquirendam esse, ait: natura vero morbi determinata, hoc est, re-
cessus a naturali statu, cognitionem requirit naturalis status partium corporis. Vtile ergo & necessarium
nostrum est propositum.

Institutum auctoris.

Porro quatuor nobis in methodo hac anatomica explicanda erunt. Primo Nomen; quid nimirum D
per methodum anatomicam sit intelligendum. Deinde, Essentia & definitio huius methodi. Tertio,
Ordo, cui insistendum erit in omnibus corporis partibus enarrandis. Quarto, Applicatio huius ordinis
ad partes tum similares, tum dissimilares.

Nomine methodi anatomicæ non sola partium sectio intelligitur, sed etiam notitia vsus & actionum.

Sed ad primum explicandum accedamus: erat autem explicare, quid per methodum anatomicam
intelligere oporteat. Capitur autem, vt a medico perpenditur, non a philosopho. Itaque sciendum ex
Gal.lib.de instrumento odoratus c.1.dissectionem membrorum græce ἀνατομὴν nuncupari: nam Anato-
me, seu anatomia est vox Græca, & apud Latinos sonat dissectio, seu confectio: secundum quem significa-
tum nequaquam accipimus methodum anatomicam, cum ad anatomicum pertineat (ad differentiam
lanii,) non modo circa dissectionem versari, verum etiam circa actiones, & vsus. Quare de methodo ana-
tomica idem ad portionem dicendum, quod significauit Gal. dum quatuordecim illos libros inscripsit E
de methodo medendi: nil aliud intelligens, quam artem curatricem, ad differentiam artis de tuenda sani-
tate: vt per methodum non intelligat instrumenta, sed habitum principalem, hoc est artem curatricem.
A simili igitur nos per methodum anatomicam intelligimus habitum in mente hominis, quem applicās
huic & illi humano membro, illius membri naturam, alioqui abditam, dignoscit. Hæc autem methodus
ita accepta Galen. auctore lib.2.de anatomicis administrationibus cap. 2. duplicem partem obtinere po-
test: alteram, quam vtilem vocat: reliquam, quam superabundantem nominat. Quæ quidem vtilis dicitur,
illa est, quæ ad vsum conducit: verbi gratia, dum cognoscimus, vbi aut neruus, aut præcipuus musculus si-
tus sit, vbi arteria, aut vena magna. Nam vbi medicus hæc ignorarit, & aliquid ex particula præcidere vo-
luerit: interdum mortis magis, quam salutis erit auctor, interdum vero mancos efficiet. Quæ vero anato-
mes pars superabundans dicitur, supra vsum artis conducit: veluti est, scire circa linguæ musculos, cur tot F
& tales fuere, cuius rei caussa particula sit facta, cur talis, tantaue, cur etiam vena, vel arteria, vel neruus,
talem & talem habeant situm. Quæ sane cognitio artis vsum excedit, cum ad medendum sat sit, scire par-
tis situm, nec ad vsum conferat situs caussam prænoscere. Cum itaque Metho. has duas partes obtineat;
dicit Gal. se esse coactum etiam circa superabundantem partem versari, propter Sophistas, quibus non
satis est naturæ artificium in vtilibus tantum didicisse, sed passim quærunt rerum caussas, quibus etiam
ignoratis mederi licet, materia chirurgica. Quare nos, Gal. imitantes, vt omnibus morem geramus, &
proinde vt absoluta sit huius meth. doctrina; circa methodum anatomicam versabimur, vt duas proposi-
tas partes in se claudit: & potissimum quia & secunda pars, quamuis non conducat ad vsum artis, ratione
sectionis faciendæ a chirurgo, attamen conducit artifici, vt dignoscat locos affectos, & sciat ex rei natura
cognita inuenire iuuantia, & eo modo loquitur Gal. in lib. de anat. administrationibus, vbi respicit partes G
ad chirurgos pertinentes. Hæc de primo.

CAPVT II.

De anatomicæ methodi Essentia, ac definitione: & primum de eius subiecto.

Quod

Quid methodus anatomica.

A QVod ad ſecundum attinet, (erat autem huius methodi definitionem proponere,& explicare)Me-
thodi,ſeu artis Anatomicæ hæc ſit definitio:*Ars Anatomica eſt ars naturæ hominis,ſectione,actione,&*
vſu comparata,gratia indicationis vitalis. Verum ſi licet breuiorem,& abſolutam tradere definitionem fa-
cultatis Anatomicæ,hæc erit definitio:*quod ſit ſcientia hominis,donati motu voluntario rationali,gratia in-*
dicationis vitalis.

Explicatio definitionis methodi anatomicæ.

Hæc definitio,quoniam eſt omnium dicendorum fundamentum,primum breuiter, mox prolixi-
us & diligentius explicanda.

Quantum ad breuem expoſitionem,ſciendum,hanc traditam eſſe per formam,ſubiectum, & finẽ:
Omittitur autem cauſſa efficiens,quoniam ex neceſſitate ſupponitur,vt,ſi proponatur,ſuperuacanea vi-
deatur,quoniam non eſt in cauſſa,vt hoc definitum a quocunque alio magis diſtinguatur,quam ex parti-
B culis propoſitis. Declaro. Loco formæ & proinde generis dictum fuit, eſſe *Scientiam*, vt diſtingueretur a
peritia,quæ pertinet ad inciſores,ad manuales. Loco autem ſubiecti,& proinde differentiæ, dictum fuit,
Hominis,ad differentiam Anatomiæ verſantis circa bruta. Tum huius ſubiecti addita eſt ratio formalis:
fuit autem *motus voluntarius rationalis:* vt per hanc particulam diſtingueretur Anatomia vt pars Phyſio-
logiæ,ab alia parte Phyſiologiæ:ſiquidem Phyſiologia medicinæ pars verſatur circa cognitionem elemẽ-
torum,& humorum,& temperamentorum,adhæc & membrorum ſimilarium, ac diſſimilarium. Anato-
mia autem,vt Phyſiologiæ pars quædam,verſatur circa membra,vt ſimilaria diriguntur in inſtrumenta-
lia,& vt inſtrumentalia ſunt inſtrumenta hominis motu voluntario rationali donati. Vt propterea per
hanc particulam diſtinguatur Anatomia ab ea phyſiologiæ parte, quæ verſatur circa elementa, tempera-
menta,& humores:præſertim cum elementa & temperamenta dirigantur etiam ad ſimplicia medicamẽ-
C ta. Tandem loco finis dictum fuit,*gratia indicationis vitalis:* vt per hanc particulam diſtingueretur facul-
tas hæc anatomica ac medica a philoſophia. Siquidem & philoſophus verſatur circa corpus humanum,
tum multifariam acceptum,tum vt eſt prędıtum motu voluntario rationali:at nequaquam a philoſopho
conſideratur gratia indicationis vitalis. Cum igitur ex propoſitis,omnibus numeris diſtinguatur hoc de-
finitum a quocunque alio;ſuperuacaneum eſſet aliam particulam addere. Et propterea a nobis eſt omiſſa
cauſſa efficiens:ſiquidem neminem latere debet,ſicut philoſophię inuentio pertinet ad philoſophum,ita
huius facultatis Medicæ inuentionem ſpectare ad medicum:quippe qui ſectione,actione,& vſu hanc co-
gnitionem & acquirit,& acquiſitam edocet.

Prolixior definitio.

Quod ſi quis,clarioris doctrinæ gratia,definitionem prolixiorem exoptet,dicere licet:*Anatomia eſt*
ſcientia hominis,motu voluntario rationali præditi,a medico,ſectione,actione,& vſu inuenta,gratia indicatio-
D *nis vitalis.*

Genus definitionis, ſcientia,ſeu cognitio.

Et cum non ſit ab re,circa hanc(vt polliciti ſumus)prolixius verſari:ideo ſigillatim quamlibet par-
ticulam perpendamus. Primum igitur dictum fuit, *Methodus anatomica eſt cognitio.* Per quam intelligere
oportet duplicem habitum,hoc eſt,non modo ſenſu,ſed etiam ratione comparatum. Nec ab re. Nam cũ
facultas anatomica ſit pars medicinæ, & medicina ſit cognitio ratione comparata: huiuſmodi etiam
erit facultas anatomica. Vnde huius veritatis non ignarus Plato in Gorgia ait:ſicut coquinaria eſt peritia,
ita medicinam eſſe artem:nam cum coquinaria conſpiciat voluptatem,nec voluptatis naturam conſide-
rat,nec cauſſam,ſed vſu quodam,& experientia,& memoria eius, quod accidere conſueuit,ſolum freta,
voluptates ſtudioſe parat:at medicina illius,quod curat,naturam expendit,& ſimul cauſſam eorum, quæ
agit,perpendit,& horum cuiuſque rationem reddere poteſt. Et propterea,vt a peritis nudis ſeiungamur,
E circa facultatem hanc anatomicam verſandum:Siquidem corporis humani naturam diligenter expẽdi-
mus,non quidem merito ſectionis,ſed actionis,& vſus. Quod ſit verum:dum cognoſcimus lienem con-
ferre ad iecinoris ſanguificationem,proinde deducimur in cognitionẽ naturæ iecinoris, per lienis actio-
nem,cum lienis actio pertineat potius ad rationem,quã ad ſenſum. Quod eſſe verum confirmat Gal.9.de
anatomicis adminiſtrationib.1.cum ait,anatomen quandoque ad functionis inuentionẽ ratiocinationes
exhibere. Ob id huius cauſſæ cognitio,& habitus ille,non erit peritia,ſed ſcientia. Vt methodus anatomi-
ca ſit ars,hoc eſt,habitus intellectus,effectiuus,cõparatus non tantum ratione,ſed etiam experientia. Ex-
perientia autem,& proinde peritia,potiſſimum pendet a diſſectione,a qua etiam nomen accipit. Vnde ad
hanc veritatem reſpiciens Galenus,tertio de compoſitione medicamentorũ ſecundum genera c.2. volu-
it,ſectionem conferre ad cognitionem experientiæ partium. Ecce vocat cognitionẽ experientiæ, hoc eſt,
F cognitionem experimento comparatam: quæ cum ſit peritia,ob id 2.ad Glauconem primo ait,ad digno-
ſcendas internas inflammationes,opus eſſe peritia naturæ membrorum. Ecce proponit peritiam,non ar-
tem:vt præſertim ſit peritia anatomica ſecundum illam partẽ,quæ confert ad vſum,nec hũc tranſcendit.

Subiectum, ſeu differẽtia, in definitione anatomicæ methodi nimirum natura partium.

Deinde dictum fuit(*naturæ hominis,membri humani*)Quæ, vt cõtinent materiam circa quam ver-
ſatur methodus,ars,cognitio anatomica,ita omni cum diligentia ſunt explicanda. Primo igitur quantum
attinet ad naturam:hanc propoſuit Gal. 2. ad Glauconem primo, dum ait:ad dignoſcendas internas in-
flammationes opus eſſe peritia,hoc eſt cognitione naturæ membri. Et fundamentum fuit,quoniã natura
membri,ſeu particulæ,eſt indicans vitale,& ſignum præcipuum indicantis cuiuslibet,hoc eſt,vitalis præ-
ſeruatorii,& curatorii,quemadmodum in methodo medendi docuimus. Ita vt hoc loco diligenter ſit ex-
plicandum,quid nam per naturam membri, ſeu partis intelligere oporteat. Dico ergo opus eſſe intelli-
G gere ſubſtantiam,temperiem,quæ conſequuntur,& quæ accidunt.

1. Subiectũ partiũ docet anatomia.

Ex quibus cum conſtituatur non leuis pars huius methodi: ideo tria præſtabimus: primo quidem
ſigillatim circa vnumquodque horum cum Gal. diſcurremus: ſecundo horum neceſſitatem per cauſſam
ſeu rationem proponemus:tertio dubia & proponemus,& diſſoluemus.

Quantum attinet ad primum:dictum fuit,per membri naturam opus eſſe intelligere ſubſtantiam,

vt hæc ab anatomico ſit cognoſcenda. Hæc veritas comprobatur Gal. auctoritate 9. de anat. adminiſtra- A
tionibus c.1. dum ait: in cadauere anatomen, hoc eſt, ſectionem celebratam, nos cuiuſque particulæ edo-
cere non modo compoſitionem, ſed etiam ſubſtantiæ proprietatem. Vt per ſubſtantiæ proprietatem in-
telligere oporteat illam materiam, illam membri partem, quæ oculis conſpicitur: ſiquidem dum cadaue-
ris, vel etiam corporis viuentis ſit diſſectio, conſpicimus oſſa obtinere oſſeam vocatam ſubſtantiam, quæ
alia eſt a carnea, a membranea, & reliquis. Quo loco animaduertendum, hanc propriam ſubſtantiam eſſe
domicilium facultatis determinatæ: ſiquidem ſubſtantia viſceris propria ea eſt affecta proportione, vt ita
contrahat facultatem, vt id efficiat, quod alia facultas efficere nequit: verbi gratia, in iecinoris ſubſtantia
ea eſt proportio, qua ita contrahitur naturæ facultas, vt poſſit ſanguificare: quam ſane functionem vnicũ
iecur poteſt obire: vt ſanguificatio fiat ab alteratrice iecinoris determinata a proportione illius propriæ
ſubſtantiæ, cuius temperatura, vt organo, vtitur ſanguificatrix. Sed ad rem. Gal hanc propriam ſubſtantiã B
propoſuit loco iam citato. Sed vt res fiat exploratior, liceat etiam alias addere auctoritates. Gal. ergo 4. de
vſu par. 12. non modo hanc propriam ſubſtantiam admittit, verum etiam addit, inſtrumenti particulam,
cui in corpore alia non ſit ſimilis, eſſe auctorem propriæ actionis totius inſtrumenti, cuiuſmodi eſt in o-
culo cryſtallinus. Tertia auctoritas eſt Gal. 6. de Pla. 8. dum inquit: vnumquodque animalis membrum, cũ
ſit compoſitum ex aliis ſimplicioribus partibus, proprium quiddam in ſubſtantia ita adeptum eſſe, vt ni-
hil aliud in vniuerſo animantis corpore reperiatur, ſiue ventriculum, ſiue lienem, ſiue alia viſcera conſpi-
ciamus. Quarta auctoritas eſt, primo de facultatibus naturalibus 6. dum ait: vnumquodque organum par-
ticulatim: ſuã obtinere ſubſtantiam, vt tam ambæ veſicæ (tam ea, quæ vrinam, quam quæ flauam excipit
bilem,) non tantum a ceteris omnibus, ſed etiam inter ſe, differant; tum meatus, qui a bilis veſica oriũtur,
& in iecur inſeruntur, omnino nec arteriis, nec venis, nec neruis ſint ſimiles: vt, quemadmodum vnum- C
quodque organum particulatim ſuam obtinet ſubſtantiam, ita actiones proprias cuique membratim par-
ticulę neceſſe eſt eſſe, quemadmodum & vſus: vt inferat, non in qualibet particula propria eſſe actionem,
(niſi intelligamus propriam nutritionem) ſed voluit inferre, vnumquodque membrum ſecundum pro-
priam ſubſtantiam, ſi habet actionem, hanc eſſe propriam; ſi vſum, hunc eſſe proprium: vt ſi pars ſit deſti-
tuta & operatione & vſu, ſit ſuperflua, quod natura non patitur. Quincta auctoritas ſit 1. de loc. aff. 1. dum
ait: anatomiam tum alia docere, tum cuiuslibet partis ſubſtantiæ proprietatem: quam per exemplum ex-
primens, proponit tracheæ ſubſtãtiam propriam, & proinde a qualibet alia diuerſam. Sexta auctoritas ſit,
dum 3. de ſymp. cauſſis 1. ait, cauſſam mutationis ciborum in ventriculo eſſe certam quandam temperiem,
quæ etiam efficit proprietatem corporis ventriculi. Vnde per proprietatem corporis ventriculi nil aliud
intelligit, quam propriam ventriculi ſubſtantiam, quę eſt domicilium facultatis chylificatricis: & cum hęc D
propria ſubſtantia ſit facta a temperie, ſi oboriatur intemperies, tunc afficiatur propria illa ſubſtantia in-
temperie: & ideo ibi appellat noxas in ſubſtantia, hoc eſt, in ſubiecto facultatis: nam propria illa ſubſtantia
eſt ſubiectum facultatis. Quare non intelligit ſubſtantiam, nec eſſentiam facultatis: quia facultas non po-
teſt lædi: ſed per ſubſtantiam intelligit ſubiectum, quod eſt propria ventriculi ſubſtantia; ad differentiam
magnitudinis, figuræ, & reliquorum, quæ pertinent ad compoſitionem. Conſtitutum ergo ſit, per ſubſtã-
tiam opus eſſe intelligere, quod paſſim Galenus vocat proprietatem ſubſtantiæ.

Ceterum notandum Galenum 7. de Plac. 5. aliam etiam præter hanc proponere proprietatem, dũ ait:
natura ita comparatum eſt, vt ſubſtantiarum proprietates, facultatum etiam ſibi cõuenientium proprie-
tates ſecum habeant. Quibus verbis Galenus duas proponit proprietates, inuicẽ correſpõdentes: nempe
proprietatẽ ſubſtantiæ, & proprietatẽ facultatis. Vnde, non recedentes a veritate propoſita, dicimus, Gal. E
per proprietatẽ ſubſtantiæ intelligere propriã ſubſtãtiam, quæ ita reperitur in vno membro, vt nõ in alio:
quæ ſane propria membri ſubſtantia talis dignoſcitur a ſenſibus externis, & potiſſimũ a viſu, vt donata eſt
tali vel duritie, vel mollitie, vel odore, colore, ſaporeq;, & proinde ab his, quæ neceſſario conſequuntur o-
perationem: vt inſpiciatur ſubſtantia, & cognoſcatur tẽperatura: vnde cum Gal. 3. de elem. 2. pars neruoſa
eſt pituitoſa, alba, mollis, viſcida, quare frigida. Quo vero ad proprietatem facultatis, per hanc intelligit li-
mitatam, & propriam redditam facultatem: vt animalis facultas in oculo limitata propria euadit, & voca-
tur viſiua: euadit autem propria, & proinde viſiua, quoniam limitatur a proportione & temperatura illius
propriæ ſubſtantiæ. Vt rationabiliter ſit conuenientia inter ſubſtantiam & facultatẽ: vt, ſicut determinata
eſt quædam ſubſtantia, ita ſit determinata quædam propria facultas. Ceterum, quamuis detur proprietas
tum facultatis, tum ſubſtantiæ: in præſentia ſermo ſit principaliter* de proprietate ſubſtantiæ, de propria F
ſubſtantia, quæ ita reperitur in vno membro, vt non in alio: veluti ſubſtantia cryſtallini ſolum in oculo.

Sed occurrit dubitatio. Nam Gal. 3. de facultatibus naturalibus 8 ait, ventriculum obtinere tunicam
quæ qualis in ipſo eſt, talis etiam eſt perſiſtens vſque ad ipſum os. Sed nota: quia forte hæc non eſt propria
ſubſtantia, cum propria ſubſtantia ſit tunica peculiaris, vt propterea tunica, de qua hic ſit ſermo, perueni-
at etiam ad tracheam arteriam. Qua de re agetur in ſermone de ventriculo. At ſi verum eſt, quod in quoli-
bet inſtrumento ſit reperire partem peculiarẽ, quæ in alio non reperitur: quomodo particula ſimilis ſub-
ſtantię reperitur in ventriculo, gula, & ore? Dico: quandoque membrum propriam habere operationem:
cuius præcipua cauſſa eſt particula, quæ ſubſtantiam habet, qualis in nullo alio inſtrumento reperitur: at ſi
accidat, vt duo, & tria, & plura ſint membra, quæ eandem habeãt operationem; oportet, vt quemadmodũ
inſtrumenta conueniunt in operatione, ita etiam conueniant in proprietate ſubſtantiæ quemadmodum G
apparet in vtroque oculo, in vtroque rene, in muſculis: hi namque cum conueniant, vt motu voluntario
membra moueant, ob id in omnibus eſt ſimilis ſubſtantia: alia tamen a ſubſtantia membrorũ, quæ motu
voluntario non mouentur. A ſimili ergo, cum nõ modo ad ventriculũ, ſed etiã ad os pertineat, cibos mu-
tare: ob id hæ partes in proprietate ſubſtantiæ conueniunt: neque obſtat quod cibus maiorem mutationẽ
acquirat

A acquirat in ventriculo:id enim non fit,quia alia sit substantiæ proprietas,sed quia ventriculi temperamētum alia habet adnexa,quæ in ore desiderantur,vt membra adiacentia,& calorem innatum, & influentē, quæ in ore partim desiderantur,partim minus efficacia sunt. Huius autem dubitationis dissolutio colligitur ex Gal.6.de plac.8.dum ait:quemadmodum ex propria specie,hoc est,proprietate substantiæ, propria prodit functio:ita ex communi specie,hoc est,communi proprietate substantiæ,communem prodire functionem:verbi gratia,proprietas communis inest venis,arteriis,neruis, ossibus, cartilagini, membranis,ligamentis,adipi,imo etiam(addamus nos)musculis: quæ sane partes, communis vtilitatis gratia instrumentis inditæ sunt:neque enim fieri potest,vt ex corporis locis variis partium propositarum functiones immutentur:nam arteria vbique,siue in calce,siue in capite pulsat. Quo autem ad proprietatem determinatam:hæc ita in vno membro reperitur,vt in nullo alio:quoniam nō communem,sed priuatam
B respicit functionem.

Hactenus ergo constitutum sit,per substantiam opus esse intelligere propriam substantiā, siue hæc substantiæ proprietas sit determinata,siue communis.Hæc de substantia.

Quo vero ad temperaturam:hanc proposuit Gal. 1. de vsu part.9. vbi etiam voluit partem membri præcipuam per hanc operari.Vnde hic notandum,hanc esse certam quandam,& peculiarem temperaturam:sicut & præcipuæ partis substantia propria est, ad differentiam temperaturæ partis non principalis, dum & ipsa pars non principalis concurrit,sed non vt caussa operationis,sed potius vt conseruans partem principalē:& hoc est, quod significauit Gal.1.de vsu part.XIII.vbi voluit digitorum carnem esse propugnaculum,& proinde partem conseruantem,quia calida est & humida:Ecce per temperiem concurrit,at non propriam,sed calidam & humidam. Temperamentum etiam proposuit Gal. 1. de naturalibus facul-
C tatibus 2.dum ait:singulas partes hoc vel illo modo agere,ob certam quandam temperiem,quam ex quatuor qualitatibus sunt nactæ. Vnde & 2.de facultatibus naturalibus cap. 8. ait, propter certam quandam temperiem particula quæque certam habet functionem.Dixit etiam 7.Meth.3. vnamquamque animalis particulam propriam edere actionem,quæ tantum ab aliarum actionibus differt,quantum ipsa particula ab aliis est diuersa:differt autem particula ab aliis per temperiem;vt,qui tueri vult earum actionem,& temperamentum custodiat,oportet. Ecce ergo quam insignis necessitas cognoscendi temperaturam, cum ab hac capiatur indicatio vtilis:siquidem huius custodia,est actionis custodia. — 2.Temperamentū partium anatomia docet.

Ceterum cum temperies ad actionem conferat,simul etiam cum temperiem necessario consequētibus:ideo etiā hæc sunt cognoscenda.Per consequentia intelligo cum Gal.1.de facultatibus naturalibus, 6.& 1.de vsu part.9.inprimis qualitates tangibiles,veluti sunt durities,mollities,lentor, friabilitas,leuitas,
D grauitas,densitas,raritas,asperitas,lenitas,crassitudo,& tenuitas:quas sequuntur,quæ gustus,odoratus,& visus sunt propriæ,nempe sapores,odores,& colores:quæ omnes vocantur secundæ qualitates, quoniam sequuntur primas; vt secundæ qualitates determinatæ sequantur temperiem determinatam. Nec ab re hæ secundæ qualitates sunt pernoscendæ: siquidem præter alias vtilitates, cum eodem Gal. loc. citato, quandoque simul cum temperatura sunt in caussa principalis operationis,vt ad visionem edendam crystallini color.Vnde colligitur colorem non esse præcipuam caussam visionis;sed crystallini colorem cum eius temperie:vt temperies,& necessarium & præcipuum locum obtineat. Hæc de temperatura cum suis consequentibus. — 3 Cōsequētia tēperaturam, in anatomia ppōnūtur.

Quantum denique attinet ad ea,quæ accidunt,hæc proposuit Galenus passim,vt pote 1.de vsu part. 9.Per hæc autem intelligere oportet,quæ spectant ad constitutionem membri,vt est dissimilare;ad diffe-
E rentiam similaris:nam pertinent etiam ad partem similarem;at non,vt similaris,sed vt est pars instrumenti.Siquidem si capiatur pars,vt similaris,vt pote caro,in hac cognoscere oportet temperiem, & quæ necessario consequuntur:si autem accipiatur,vt pars instrumenti,in hac oportet perpendere,quæ accidunt. Hæc autem nil aliud sunt quam compositio,hoc est,conformatio,magnitudo, numerus, situs: & determinata compositio,quæ ex his determinatis prodit. Per conformationem autem intelligere oportet superficiem,figuram,meatus,& cauitates. Per magnitudinem,quantitatem continuam. Per numerum, discretam.Per situm autem,tum sedem partis,tum connexum cum aliis partibus. Per determinatam autem compositionem intelligere oportet propriam compositionem: vt sicut in parte similari datur proprietas substantiæ, ita in dissimilari detur proprietas compositionis: quæ tamen ita se habent, vt consequentia sint illa,quæ nos manuducunt in cognitionem propriæ substantiæ, vt hinc colligamus, quæ nam
F sit partis temperies:hæc enim est partis constitutio,scilicet similaris, sicut compositio dissimilaris, & vnitas vtriusque , vt ab his sumuntur indicationes.Sed nota, forte Galenum proposuisse tantum colores, sapores,odores,duritiem,& mollitiem,quoniam sequuntur temperiem,vt organum alteratricis: reliqua autem,vt grauitas,leuitas,densitas,raritas,asperitas,lenitas,crassitudo,& tenuitas,sequuntur temperiem, vt organum formatricis,vt verbi gratia,os est leue,quia rarum,quia cauum,rarum autem,& cauum, fit a formatrice,quamuis per mediam temperaturam. Vnde & Philosophus secundo de partibus animalium primo dicit,Primas qualitates consequi grauitatem,leuitatem,densitatem,raritatem,asperitatem,lenitatem,& reliquas id genus affectiones:& similiter,vt dictum fuit,oportet intelligere Aristotelem. At sciendum:cum temperatura sit organum & alteratricis,& formatricis:vt est organum alteratricis,quæ consequuntur ita inter consequentia debent recenseri,vt nequaquam pertineant ad id,quod accidit, veluti o-
G dor,color,durities,mollities:si autem capiatur,vt est organum formatricis,tunc formatricis effectus, vel consequuntur temperiem,vel non consequuntur:si consequuntur,indifferenter se habent, & ad consequentia,&ad id quod accidit,veluti asperitas,lenitas, densitas,raritas, grauitas, leuitas: Siquidem, vt sequuntur organum formatricis,quod est temperies,inter consequentia recenseri possunt: vt autem sunt opera formatricis,ad differentiam alteratricis,numerantur inter ea quæ accidunt. Notandum autem,dū — 4. Accidētia parti organicæ in anatomia docentur. — Cōpositio partis instrumentariæ.

ſunt effectus formatricis,& proinde recenſentur inter ea, quæ accidunt,bifariam accipi poſſe:vno modo, A
vt prima;reliquo,vt ſecunda.Declaro:rarum & denſum ſunt prima, leue,& graue ſunt ſecunda, vt prima ſequuntur:ſiquidem,ceteris paribus,rarum eſt leuius,denſum eſt grauius.Quo fit,vt ſi in partibus ſit vitiũ ſecundum prima accidentia,ſit morbus:vt propterea Gal.in libro de morborum differentiis, inter morbos in mala compoſitione recenſeat aſperitatem,leuitatem,denſitatem,raritatem: non autem grauitatẽ, & leuitatem.Si denique capiatur temperatura,vt organum facultatis formatricis, vt formatricis effectus non conſequuntur temperaturam:hæc ſolum recenſentur inter ea quæ accidunt, cuiuſmodi eſt figura, cauitas,magnitudo,numerus,& poſitio:vt merito ſi in his ſit vitium morbus oboriatur in mala compoſitione.Vnde concludendum,aſperitatem,lenitatem,denſitatem,raritatem,grauitatem,leuitatem,& reliquas id genus affectiones,recenſeri poſſe inter conſequentia temperaturam,vt eſt formatricis organum, non abſolute,ſed,vt ad hoc conſequuntur:quod mediocris eruditionis homo citra explicationem poteſt B
facile aſſequi.Hæc autem omnia ea ratione ſunt pernoſcenda,quoniam ad membri actionem conferunt: vt compoſitionem ſeruare nil aliud ſit,quã actionem ſeruare:verbi gratia, ſi manus compoſitio ſit vitioſa,etiam vitioſa erit apprehenſio.

Hæc autem,vt neceſſario pernoſcenda,in anatomia,fuiſſe propoſita a Gal.non modo 1.de vſu partium,nono,ſed etiam alibi, oſtẽdo. Vnde prima auctoritas ſit primo de vſu partium decimoſeptimo,circa finem:cum,loquens de tendinibus manuum,tanquam de partibus concurrentibus ad apprehenſionẽ, proponit multitudinem,magnitudinem,poſitionem,diuiſionem,& applicationem:vbi per multitudinẽ, intelligit numerum:per poſitionem,ſedem,regionem,quam occupat tendo:per diuiſionem, & applicationem,connexum. Vocauit autem applicationem,reſpiciens ad connexum tendinis,vt inſeritur: vocauit autem diuiſionem,reſpiciens ad connexum ratione originis. Secunda auctoritas ſit 4. de vſu part. 14. C
dum ait:dicendum de poſitione,numero,magnitudine,complexione,conformatione,coitione,& omni inter ſe communione.Quo in loco complexionem,hoc eſt complexum, coitionem, & omnem inter ſe communionem,referre oportet ad ſitum:vt per poſitionem intelligat ſedem membri: per complexionem,ſeu complexum,quomodo ſe habeant ad partes adiacentes:per coitionem partium inſertionem:per communionem,vt per partes vel ſuſceptas vel tranſmiſſas membra inuicem communicant,verbi gratia, cor,cerebrum,& hepar inuicem communicant,per venas,arterias,& neruos:hepar, vt mittit venas, arterias,& neruos ſuſcipit;cor,vt mittit arterias,venas, & neruos admittit; cerebrum, vt impartitur neruos, venas & arterias recipit. Vnde,partium communionem explicans,dicit,ſecundo de anatomicis adminiſtrationibus vltimo,partes vario modo inuicem connecti,& inſeri: nam aliæ inſtar claui inſeruntur, vt dentes,in ſuis maxillis:aliæ ſeſe inuicem ingredientium modo componuntur,vt capitis oſſa per ſuturas: D
aliæ tanquam glutine connectuntur,vt partes quæ cartilaginis interuentu coeunt: aliæ ceu luto coeunt, vt quæ carne connectuntur:aliæ quaſi fune,vt quæ ligamento iunguntur. Tertia auctoritas ſit nono de anatomicis adminiſtrationibus capit.1.vbi exponit in cadauere, anatomia celebrata, cuiuſque particulæ ſitum,numerum,magnitudinem,figuram,& compoſitionem:per compoſitionem inſinuans, quod reliquum eſſe poteſt totius compoſitionis,hoc eſt,conformationem,quæ præter figuram,ſuperficiem,meatus, & cauitates admittit. Quarta auctoritas ſit nono de Placitis octauo:dum ait,in muſculis obſeruari magnitudinem, ſitum, numerum, figuram, totam demum compoſitionem, & formationem. Hæc de compoſitione.

Proprietas cõpoſitionis.

Quantum ad proprietatem compoſitionis:hanc etiam fuiſſe propoſitam a Gal.oſtendo. Primum dum ſexto de Placitis octauo,ait:porro qualis eſt pulmonis ſubſtantia,talem nullam aliam inuenies:cerebri item corpus,id eſt,quale nullum aliud:& idem de corde,renibus, & liene aſſerit: concluditque in ſingulis,ex ſubſtantiæ proprietate,propriam quandam functionem conſequi,vt nimirum cor propriam habeat functionem ab aliis viſceribus.Gal.autem per proprietatem ſubſtantiæ intelligere proprietatem totius ſubſtantiæ,hoc eſt,vniuerſi membri,& proinde proprietatẽ compoſitionis,inde demonſtro: quoniã ſtatim ſubdit aliam proprietatem,nempe partis ſimilaris.Quod ſit verum,ſubdũtur formalia verba. Singulorum quoque horum,ſcilicet inſtrumẽtorum caro,præter alias omnes,ſcilicet carnes,præcipuã quandam nacta eſt proprietatem.Ecce prius propoſuit proprietatem totius inſtrumenti: nunc proponit proprietatem ſolius carnis,& proinde partis ſimilaris.Vnde etiam proponens exemplũ de oculo, nõ proponit totum oculum,ſed cryſtallinum:proponẽs exemplum de iecore,eius carnẽ proponit: quare proponit proprietatem partis ſimilaris.Poſtea autem proponens proprietatem compoſitionis, quæ eſt proprietas F
totius inſtrumenti,loquens,gratia exempli,de corde,non proponit cordis carnem,ſed corpus,hoc eſt,totum cor.Conſtitutum igitur ſit,præter proprietatem partis ſimilaris,dari etiam proprietatem totius inſtrumenti,quæ proprietas compoſitionis dici poteſt.Neque vero inutiles ſunt hæ proprietates,imo ſummæ neceſſitatis.Siquidem membrum harum proprietatum ope proprias obit functiones.Differentia autem eſt harum proprietatum. Nam proprietas ſubſtantiæ partis ſimilaris, eſt functionis propriæ cauſſa præcipua:vt,membri facultas,tanquam organo vtitur temperatura,qua propria hæc ſubſtantia eſt donata:proprietas autem totius inſtrumenti,hoc eſt,compoſitionis,eſt functionis propriæ cauſſa perfecta;vt, membri facultas tanquam organo vtitur hac propria compoſitione,verbi gratia,in oculo cryſtallinus eſt præcipua cauſſa viſionis, per ſuam temperiem; totus autem oculus eſt cauſſa perfecta viſionis,per ſuam compoſitionem.Ad eundem modum,caro iecoris per ſuam temperiem eſt cauſſa præcipua ſanguificationis:totum autem iecur per propriam compoſitionem eſt cauſſa perfectæ ſanguificationis. Ecce ergo, G
quemadmodum præter proprietatem partis ſimilaris, datur etiam proprietas totius inſtrumenti. Hæc veritas adhuc Galeni auctoritate confirmatur, dum quinto met. quinto ait: nos vti aliquando inſtrumentis,pro partis proprietate,vt pote (ait Galenus) ad craſſa inteſtina vtimur clyſtere,ad veſicã perforatis

directo

A directe fiftulis. Ecce hic proponit partis proprietatem: exemplumque tradit de craffis inteftinis,& vefi-
ca,nequaquam refpiciens ad horum partem fimilarem, fed ad vniuerfa membra, vt eam obtinent com-
pofitionem,vt inftrumentis illis accommodatis vti liceat.

Hactenus conftitutum fit,quemadmodum per naturam intelligere oportet fubftantiam propriam
partis fimilaris,temperiem, cum confequentibus, & quæ accidunt. Hæc de primo.

Naturam mēbri contineri quatuor fupra propofitis.

Accedamus ad fecundum, quod erat per cauffam horum quatuor neceffitatem patefacere, vt inde
pateat,non plura,nec pauciora effe per membri naturā intelligenda. Hæc veritas vt facilius elucefcat,cur
primū proponatur fubftantia partis propria,cum temperatura, & fequentibus, deinde vero quæ accidūt,
vt etiam nota euadat differentia inter confequentia,& illa quæ accidunt (nam,& quæ accidunt confequi
videntur)fciendum,non recedendo a Gal.1.de facultatibus naturalibus 6.cum verfemur circa corpus hu-
B manum,vt operatur,& proinde vt productum eft in fui productione,quod non fat fuit fimplex naturæ a-
ctio,fed opus fuit actione mixta ex alteratione & formatione. Vnde primo, quoad alterationem attinet,
natura in prima animalis generatione vtitur generatrice,alteratriceque potentia, particulatim vero ex-
calfactoria,refrigeratoria,humectatoria,& ficcatoria,tum præfertim his potentiis,quæ ex harum mixtu-
ra fiunt,veluti offifica, neruifica, membranifica,(claritatis namq; gratia his nominibus vti liceat) vt in o-
mni animali tot fint membra alteratricis facultatis,quot habet in fe elementares, hoc eft, fimilares parti-
culas,vt hinc fimilaris partis prodeat propria tum fubftantia,tum tēperies,& hanc neceffario confequen-
tia. Quod vero attinet ad formationem,hæc operatio eft alterius virtutis,quam formatricem vocant, &
artificiofam,fiquidem omnia alicuius gratia ita molitur, vt nihil aut otiofum fit, aut deniq; ita fe habens,
vt poffit aliter melius fe habere, vt totum opus ad formationem fpectans,non fequatur temperamētum,
C quia non procedit ab alteratrice,verum accidat,& adnectatur temperamento,fed neceffario, vt nifi for-
matrix fuo munere fungatur,membrum genitum neceffario detrimentum patiatur. Hoc autem forma-
tricis opus nil aliud eft,quam compofitio.

His ergo hunc in modum habentibus facile eft propofitorum naturam pernofcere. Nam cum na-
turæ inftitutum fuerit,membrum producere animatum,& proinde ad agendnm accommodatum, cum
actio primum quidem fiat a membro, vt partem habet fimilarem, donatam peculiari fubftantia, tempe-
ramento,& confequentibus; perfecte autem & abfolute fiat actio a membro, vt eft compofitione prædi-
tum,ideo neceffum fuit,vt membrum a vi altercatrice primum propriam fubftantiam,temperamentum,
& confequentia fufceperit;mox vero a formatrice neceffario compofitio fuperaddita fuerit. Non fit au-
tem mentio de vnitate, nam dum membrum beneficio alteratricis & formatricis hæc decenter affequi-
D tur,neceffario etiam membrum probam vnitatem adipifcitur: vt vnio in parte fimilari fit opus alteratri-
cis,& in toto organo formatricis. Hæc de cauffa neceffitatis,& proinde hæc de fecundo.

Dubiorum quorundā folutio.

Tertio loco inftituimus dubia proponere, & diluere. Dubium itaq; oritur, quoniam dictum eft,ad
anatomicum pertinere cognofcere naturam membri,& per naturam intelligere oportere fimilaris partis
propriam fubftantiam,temperamentū,confequentia temperamentum, & compofitionē, fequitur actio-
nem & cetera omnia excludi,& actionem nō cognofci, fed potius effe cauffam cognitionis propofitorū.
At Galenus aliam opinionē amplecti videtur. Etenim fecundo de Placitis quarto, fex circa cor explicāda
proponit,nimirū fitum,quantitatem,nexum,formationem,difpofitionē,& motum. Ecce proponit mo-
tum cognofcendum,attamen motus ad nullum prius propofitorum refertur. Adhæc Gal.9.de anatomi-
cis adminiftrationib.primo,ait:in viuo confectio interdum functionem ipfam manifefte oftendit, inter-
E dum ad functionis inuentionē ratiocinationes exhibet. Amplius 1.de locis affect. primo,fed magis verfus
finē capitis,ait, per artem fecandi corpora opus effe exacte cognofcere qualis fit cuiuslibet partis effentia,
deinde qualis actio & compofitio. Ecce actionem recenfet inter ea, quæ cognofcuntur ab anatomico,a-
ctio tamen nec ad fubftantiā,nec ad temperamentū,nec ad confequentia,nec ad ea quæ accidūt,refertur.

Pro refolutione dicimus,ad anatomicum pertinere cognofcere,non folum naturam partis,hoc eft,
fubftantiam,temperiem,cum confequentibus,& his quæ accidunt,verum quędam alia præter hæc,vtpo-
te motum, & actiones alias, & vfum,vt paffim colligitur ex Galeno. Verum differentia eft inter cognitio-
nem naturæ membri, & reliquorum,nam membri natura principaliter cognofcitur,vt ab hac indicatio-
nes hauriantur, reliqua autem cognofcuntur,vt cognita fint media,per quæ rei naturam abditam digno-
fcamus. Quod fit verum,paffim dicit Galenus, nifi membri operationem prius nofcamus, non licet circa
F membri anatomen verfari, vt eius naturam pernofcamus, vt operatio fit medium,quod debet effe cog-
nitum,vt per hoc notum deducamur in cognitionem naturæ reconditæ membri. Vnde fecundo de fa-
cultatibus naturalibus 9. ait: quænam fit cuiufque inftrumenti functio id nullum adhuc præftat ad me-
dendum vfum,& recte dicit [adhuc.] nam vlterius fcire oportet,quæ fit cauffa illius actionis,verbi gratia,
fi fit caliditas,hanc effe reuocandam,fi perierit. Cæterum quia quandoque contingit, vt actiones & vfus
non pateant,ob id hæc primum cognofcere oportet. Et propterea dicit Gal.primo de locis affectis,inter
initia; cum corporis partium aliquæ in imo corpore lateant, vt vna cum fuorum affectuum idea innote-
fcant,exercitatum ratione virum defiderant,tum in partium & actionibus & vtilitatibus, tū in diffectio-
nibus. Ecce ergo quemadmodum opus eft exercitatione,vt cognofcamus actiones,& vfus, vt fciamus et-
iam diffecare,vt hinc loci affecti naturam cognofcamus,vt quidquid eft pręter naturam membri cognof-
G catur,vt fit medium idoneum,quo natura membri dignofcatur. Quare omnis ruit ambiguitas. Hactenus
ergo conftat,cum Methodus anatomica fit cognitio naturæ, quidnam per naturam intelligere oporteat.

Quid per hominis, feu membri humani naturā, intelligendū.

Iam pergendo in definitionis explicatione, cum hæc methodus fit cognitio naturæ hominis, feu
membri humani, & hominem intelligamus, vt conftat ex partibus viuentibus, & fimilaribus,& diffimi-
laribus,explicabimus, quid intelligendum fit nō modo per membrum,fed ēt per partem,feu particulam,

inſtrumentum,& locum:tum quia omne membrum eſt pars,& membrum aliquod eſt inſtrumentũ:tum A præterea, vt, cum in hac doctrina anatomica ſæpenumero his vocibus ſit vtendum, quilibet mentem noſtram exploratam habeat.

Pars corporis quæ, & quot modis, dicatur.

Et primum cum omne membrum ſit pars, & omnis locus ſit pars, & omne inſtrumentum ſit pars; non autem e contra: ob id primo de parte dicendum, ſeu de particula:nam hæc verba ſunt ſynonyma. Vnde primo method. 5. dicit, nihil refert ſi quis oculum totius, vel partem, vel particulam vocet, nam pars & particula,eſt totius integri pars,ſiue particula. Primo itaque ſciendum cum pars dicatur alicuius totius pars,vt pars in homine totius hominis pars;ſi capiatur in ſuo communiſſimo ſignificatu, prædicari de qualibet parte,hoc eſt,& viuente & non viuente:ſecundum quem modum accipit Ariſtot.ſecundo de partibus 2.vbi inter partes recenſet,nõ ſolum os,carnem,neruum,& reliqua id genus vita donata,verum etiam ſanguinem, ſaniem, &c. quæ dubio procul non viuunt: vt ſecundum hanc rationem & vngues, & B pilos,inter partes recenſere liceat. Si autem pars non capiatur ad ſummum generice, capitur pro corporis parte viuente:vt ſecundum hanc rationem ſanguis extra ſedem partium collocetur: ſecundum quem modum accipiens Ariſtot. partem 2.de partibus decimo,ait,ſanguinem non eſſe ſenſu præditum,quippe qui nulla pars ſit animalium. Vnde & Galenus hunc in modũ partem accipiens,decimoſexto de vſu partium primo,ait:ſicut vocamus totum animal,& vnum,propterea quod apparet per quandam circumſcriptionem propriam nulla ex parte aliis coniunctum:ita oculum,linguam,& ſimilia,particulam vnam nominamus,quoniam propriam habent circumſcriptionem:ſed ad differentiam totius,hæc circumſcriptio non eſt omnino diſtincta,ſed quadantenus proximis coniuncta: vt denuo corpus illud vocetur particula,dum nec vndequaq; habet circumſcriptionem propriam,nec vndequaq; cum aliis coniungitur,veluti portio carnis cum alia portione carnis:vt propterea plures ſint animalis particulæ, aliæ maiores, aliæ mi- C nores, & aliæ omnino in aliam ſpeciem indiuiſibiles, veluti caro & quælibet pars ſimilaris. Vnde patet partem capi poſſe,vel magis,vel minus generice. Si magis generice capiatur: eſſe genitam gratia alicuius vtilitatis,cum natura otioſum non admittat.Notandum vero cum Galeno 1.de vſu part.3.quod quamuis particulæ ſint vtiles animæ,non ob id tamen ſint in cauſſa perfectionis animæ:vt fuit deceptus Anaxagoras,inquiens: quia homo manus habuit,propterea animal fuit ſapientiſſimum: contra enim potius cum Philoſopho ſtatuendum,quia homo ſapiens eſt, ideo manus habuit,quib. tanquam artium organis vnicus homo vteretur. Si autem capiatur pars minus generice,hoc eſt,pro parte viuente:cum vita nequaquã ſit ſine actione,idcirco pars viuẽs genita eſt gratia actionis,vt nulla ſit pars vita prædita, quæ agere nequeat,& cum vita conſeruetur per nutritionem, quæ eſt primaria actio, hoc eſt, partis propter ipſam partem idcirco ſtatuere licet,viuentem partem genitam eſſe gratia primariæ actionis. Hæc de parte. D

Membrum corporis, quid.

Quantum autem attinet ad membrum:hoc,ſi in communi capiatur,accipitur pro parte viuente.Et ſicut pars viuens eſt vel ſimilaris,vel diſſimilaris:ita membrum eſt vel ſimilare,vel diſſimilare. Hæc veritas confirmatur: nam præter id,quod Auicennas diuidit membra in ſimilaria & diſſimilaria, Ariſtoteles quoque ſecundo de partibus primo, ait, conſtare animalia ex vtroque membrorum genere, hoc eſt, genere ſimilarium & diſſimilarium:vt propterea concludat animalium membra eſſe vel ſimilaria,vel diſſimilaria. Et cum accipiat membra, vt poſſunt operari: ſubdit,partes etiam ſimilares obtinere vires ad actiones accommodatas. Quod ſi verum eſt de partibus ſimilaribus, adhuc verius de diſſimilaribus: cum ibi aſſerat Ariſtot. ſimilaria diſſimilarium gratia haberi: vt propterea partes diſſimilares plures vires, & compoſitaſ obtineant. Verbi gratia, vis alia ad premendum,alia ad mittendũ eſt commoda. Vnde hanc veritatẽ ſigillans philoſophus,dicit primo de generatione anim. 19. membrum non eſſe membrum niſi æquiuoce,ſi- E ne anima, aut alia facultate, hoc eſt ſine anima, aut natura operante. Vnde a Philoſopho non recedens Galen.2. de tuenda 11.dicit,omnes partes quatuor facultatibus gubernari:vbi per partes intelligit omnes ſimilares,ex quibus cum fiant diſſimilares,hæ etiam vitam obtinent. Membrum ergo,ſi communiter capiatur,idẽ ſignificat,quod pars viuens,& proinde in ſe claudit partes & ſimilares,& diſſimilares: vt in hoc conueniant,quod actionem reſpiciunt. At ſi membrum preſſius capiatur,vt ſcilicet ſignificat partem,ſed non ſimplicem,at compoſitam:tunc ſumitur pro parte inſtrumentali, ſecundum quem modum capiens Ariſtoteles primo de hiſtor.animalium 1.& 2.de partibus primo & vltimo,dicit,portiones animalium ſimilares dici partes;at quæ diſſimilares ſunt,non modo dici partes,ſed etiam membra,& ob dicit,membra appellari,naſum,oculum,quæ etiam poſſunt vocari partes.

Inſtrumentum humanum.

Vnde membrum ita acceptum,hoc eſt,a ſimilaribus diſtinctum,vocatur inſtrumentum. Quod ſit F verum, dicit Gal.8. de decretis 4. corpora vocari ſimilaria,eo quod omnes partes ſimiles ſunt:ſed & ſimplicia & prima nuncupantur,quoniam ſunt ex quibus alia conſtituuntur; inſtrumentaria autem appellamus,quæ ex ſimilaribus ſunt compoſita. Vnde & Ariſt. 2. de partibus primo,diſſimilares partes vocat inſtrumentarias. Quo loco animaduertendum, Philoſophum diuidere partes in ſenſorias,& inſtrumentales: non quia omnes partes ſimilares ſint ſenſoriæ, ſed quia reſpexit ad partes, vt ſunt animalis partes, vt cum animal ſit animal per ſenſum & motum, ob id partes obtinet & ſenſorias, & motiuas, quas vocat inſtrumentales,quoniam ad differentiam partium ſenſoriarum ſunt diſſimilares. Quod ſit verum,ſubdit, quod ſimilare eſt,capax eſt ſenſibilium: quod diſſimilare,mouens,& agens. Sed ad rem. Diſſimilares partes nomine inſtrumenti donantur, ad differentiam partium ſimilarium. Quod etiam pernoſcens Gal.1. Methodi 6. diſtinguens inſtrumentum a parte, voluit inſtrumentum dici poſſe partem, non econtra, vt G verbi gratia oculum liceat vocare & partem & inſtrumentum:corneam tunicam partem,non inſtrumentum. Cuius veritatis vt ratio pateat,inſtrumenti humani proponenda eſt,& explicanda definitio.

Eius definitio.

Itaque inſtrumentum humanum *eſt membrum, genitum ex determinatis partibus, a propria generatrice, gratia actionis propria & perfecta humana.*

Declaro

A Declaro. Dictum fuit, esse *membrum*, & proinde corpus viuens: ad differentiam non viuentis: vt cadaueris oculus sit æquiuoce oculus.

Deinde dictum fuit, *genitum ex partibus determinatis*. Hanc particulam proposuit Arist. 1. de partibus animalium vltimo. nam dum vult omne instrumentum esse genitum alicuius rei gratia: vt finis est determinatus, ita & partes instrumentum constituentes debent esse determinatæ. Partes autem hæ determinatæ bifariam intelligi possunt: vt differant a partibus aliorum instrumentorum, vel per se, vel per accidens: per se, dum, verbi gratia, (vt ait Gal. 6. de decretis octauo) vnumquodq; membrum instrumentarium animalis compositum est ex aliis partibus, sed simplicioribus, & proprium quiddam in substantia ita adeptum est, vt nil aliud in animalis corpore simile reperiatur: per accidens autem, dum vnum instrumẽtum fit ex venis, & arteriis, & neruis, sicut & reliquum, sed differentia est accidentalis, vt in vno instru-B mento hæc organa sunt vel duriora, vel maiora, vel plura, vel etiam diuersam habent originem. Cæterum notandum, cum instrumentum ex determinatis partibus componatur, has partes esse toto instrumento quidem simpliciores, seu minus compositas, at quandoque esse similares, quandoque dissimilares: quod explicans Gale. lib. de morborum differen. 4. voluit, cum instrumenta ex particulis componuntur, differentiam esse inter instrumenta, vt primum instrumentum sit, quod est compositum ex partibus similaribus, vt musculus: secundum instrumentum, quod est conflatum ex primis instrumentis, vt digitus, compositus scilicet ex musculis. Tertium instrumentum, quod est compositum ex secundis instrumentis, vt pes ex digitis. Quartum, quod est compositum ex tertiis, vt crus ex pede, tibia, & femore. Hactenus ergo patet, quemadmodum instrumentum est compositum ex determinatis partibus.

Dictum deinde fuit (*a propria generatrice.*) Nam, verbi gratia, vitalis spiritus procedens ab oculo, se-C cum tempore coitus ducit in vterum vim oculi generatricem.

Post fuit dictum (*gratia actionis*) ad differentiam instrumenti artificum. Vnde hanc veritatem noscens Arist. 2. de partibus 1. dicit, partes instrumentarias esse dissimilares, & per has administrari actiones; vt sectio non est facta caussa serræ, sed contra sectionis gratia. Scribebat etiam secundo de partibus 10. vbi paucæ actiones, ibi paucorum instrumentorum vsus requiritur. Ecce instrumenta respiciunt actiones. Vnde, sibi ipsi concors, quarto de generatione animalium 18. dicit, partes inuicem distingui, vel affectib. vel facultate: affectibus quidem, vt similares, quæ duritie, mollitie, & reliquis eiusmodi affectionibus ab alteratrice prodeuntibus, distinguuntur, cum aliæ sint magis, aliæ minus duræ, vel molles: facultate autem distinguuntur dissimilares, vtpote quæ aliquid efficere possunt, vt lingua, & manus.

Postea dictum fuit (*propriæ*) ad differentiam actionis communis. Hanc particulam licet colligere D ex Galen. lib. de differen. morbor. 6. nam voluit, instrumentum esse quod proprium exsequitur officium. Vnde hic notandum, partes similares viuentes obire functiones, sed non proprias; nam quælibet pars similaris attrahit, retinet, coquit, & expellit. At instrumentum habet proprium officium: vt manus apprehensionem, oculus visionem, & sic de reliquis. Et ob id etiam 6. de decretis 8. scribit, instrumentum præcipuam quandam functionem adipisci

Deinde dictum fuit (*perfectæ*) ad differentiam propriæ operationis, sed imperfectæ, cuius caussa est pars instrumenti præcipua, vt crystallinus in oculo. Vnde 6. de decretis 8. dicit esse partem nulli in corpore similem, beneficio cuius instrumenta præcipuam quandam functionem adipiscuntur. At quamuis hęc præcipua operatio prodeat tum a parte præcipua, tum a toto organo: differentia tamen est, quoniam originem habet a parte præcipua, vt a toto perficitur instrumento. Et propterea dicit 1. Methodi 6. instru-E mentum voco animalis partem, quæ perfectam edere actionem potest: per perfectã autem actionem intelligere oportet, propriam; nam pars similaris perfectam obit functionem, sed nõ propriam, at communem. Et propterea ibi dicit Gal. corneam tunicam esse particulam, non instrumentum. nam quamuis vt viuit, perfecte nutriatur, vacat tamen propria functione. Sed occurrit dubitatio, nam loco præcitato cum dicit Gale. instrumentum voco animalis partem, quæ perfectam edere actionem possit; dans exemplum per oculum, & linguam; proponit neruum, venam, & arteriam, & proinde organa communia: cum tamen hæc præter nutritionem videantur esse solum ad vsum, vt sint veluti canales quidam & ductus; & propterea dicit Gale. 2. Methodi 6. si iecinoris vena afficiatur obstructione, erit morbus potius iecinoris, ex accidenti autem venarum; si autem vena afficiatur intemperie, erit morbus primum venæ, ex accidenti autem hepatis: quare vena vt similaris, est sedes morbi, non autem vt instrumentalis: ergo vt simi-F laris, tantum agit: vt instrumentaria est, tantum ad vsum. Dicendum: communia dicta organa bifariam accipi posse: primo modo vt reperiuntur in aliquo viscere, & proinde, vt sunt partes illius visceris, vt sunt partes totius instrumenti: secundum quam rationem non sunt subiectum morbi, nisi, vt habẽt communem functionem, vt sunt similares partes: nam vt instrumentales, sunt tamen ad vsum, cum propria instrumenti actio primum quidem fiat a sola parte præcipua, & a toto instrumẽto perficiatur. Secundo modo autem hæc organa communia capi possunt, vt sunt extra viscera: secundum quam rationem destinata sunt distributioni: nam neruus præest distributioni radiorum spiritus animalis, arteria distributioni sanguinis tenuioris, vena distributioni sanguinis crassioris: neq; vero hæc organa distributioni sunt destinata solum, vt ductus, sed vt agunt, quæ actio nil aliud est, quam transmissio, quæ sane ad expultricem refertur. Et tandem ita comprobatum fit, instrumentum genitum esse gratia actionis, quæ propria est & per-G fecta. Cæterum hoc loco notandum, cum detur perfecta operatio, quæ est vel communis, vel propria: inter has esse discrimen, vt functiones communes sint primariæ, propriæ autem secundariæ. Hoc pernoscens Galenus libro curatiuo per sanguinis missionem capite quarto dicit, a similaribus perfici primarias operationes, ab instrumentariis secundarias: vt, cum pars similaris sit causa communis operationis, instrumentalis propriæ, dubio procul communis functio sit primaria, propria autem

ſecundaria. Quo loco intelligere conuenit per primarias actiones, quæ fiunt a parte propter ſe, per ſecun- A
darias autem, quæ fiunt propter aliud, hoc eſt, ad totius corporis vtilitatem. Propterea Galen. 2. de facul-
tatibus naturalibus 3. reſpiciens ad primariam actionem cuiuslibet particulæ, ait: niſi a natura facultas
quædam naturalis vnicuique inſtrumento ſtatim ab initio eſſet tributa, durare animalia non poſſent, non
modo annorum, ſed nec etiam pauciſſimorum dierum numerum. Reſpiciens autem tum ad primarias, tũ
ad ſecundarias, 9. de medicamentis ſecundum locos 2. dicit; corporis particulas ita ſe habere, vt omnes
familiaria attrahant, aſſimilent, & aliena expellant, idque gratia ſuæ conſeruationis efficiant: Aliquæ au-
tem (ait Gal.) per accidens obtineant, vt per ſuas actiones totum iuuent. Vnde exemplum accipiens a lie-
ne, eius functionem & primariam & ſecundariam patefaciens, ait, lienem eſſe viſcus, quippe quod, vt con-
ueniens attrahit alimentum, ſuam firmitatem cuſtodit: at ſecundario per hanc actionem vniuerſo cor-
pori ad humorum bonitatem confert. Vbi nota, hanc actionem, vt eſt attractio conuenientis alimenti, B
eſſe primariam; vt autem eſt attractio craſſi excrementi iecinoris, eſſe ſecundariam. Patet ergo, cur in de-
finitione dictum fuit, inſtrumentum eſſe gratia actionis propriæ & perfectæ, quæ tamen eſt ſecundaria
operatio.

Tandem dictum fuit (*humanæ*) tum vt diſtingueretur inſtrumentum hominis, ab inſtrumento bru-
torum: tum quoque, vt quodlibet comprehenderetur inſtrumentum, pertinens ad hominem, ſiue capia-
tur, vt homo, ſiue vt animal, cum nequeat eſſe homo, quin ſit animal. Hæc de inſtrumento.

Locus in corpore humano, pro parte inſtrumentaria.

Quantum denique attinet ad locum: per hanc vocem potiſſimum intelligere oportet inſtrumen-
tum. Vnde Gal. ſtatim inter initia primi de locis affectis ait: locos nominant corporis particulas, nõ ſolum
recentiores, ſed veterum medicorum quoque non pauci: vt, cum in illis libris inſtitutum ſit loqui de co-
gnitione affectorum inſtrumentorum, per locos nil aliud intelligere poſſit, quam inſtrumentales partes. C

Galeni locus de anatomes parte præcipua.

Tandem duo circa partes cum Gal. ſunt animaduertenda. Primum, dixiſſe Galen. 2. de anatomicis
adminiſtrationibus, ca. 3. eſſe anatomes partem, quæ ab omnibus præcipua, vtiliſſima, maximeque neceſ-
ſaria exiſtimatur: quæ nimirum verſatur circa muſculos, neruos, arterias, & venas, non cordis, aut alicuius
viſceris, verum quæ in cruribus manibuſque, ac thoracis exteriore regione, iuxta ſpinam, aut pectus, aut
coſtas, aut ſcapulas, aut abdomen, aut collum, aut caput ſunt conſpicuæ. Vt per hæc verba inſinuaret,
hanc partem eſſe præcipuam, ac neceſſariam chirurgicis, vtpote peritis, qui manu medentur. Quod ſit ve-
rum, ſubdit, huius partis ignaros quotidie in rebus ſecuris timidos, in iis quæ metum poſtulabant ſecuros
exſtitiſſe. Vnde etiam ſubdit: adhortor iuuenes, vt relictis in præſentia cerebri, cordis, linguæ, pulmonis,
iecinoris, lienis, renum, ſtomachi, laryngis, fœtus, vteri confectionibus, prius ediſcant, quali cõnexu bra-
chium, ſcapulæ, & cubitus deligentur, quomodo rurſus alia artuum membra ſingula, quinam muſculi ea D
moueant, qui nerui, quæ arteriæ & venæ quamque particulam intercurrant. Ecce, dicit in præſentia: quia
in hoc libro verſatur circa diſſectionem, potiſſimum propter chirurgos, propter peritos, quibus vt parti-
um cognitio per diſſectionem fiat facilior, voluit tanquam a notioribus inchoare, a particulis, a vaſis par-
tium externarum: neque propterea tamen deſpicit diſſectionem vaſorum ad viſcera pertinentium: & ob
id in præſentia, vaſis relictis partium internarum, ediſcere docet particulas artuum partium externarum.
Ecce, non abſolute relinquuntur, ſed in præſentia: nec exteriora vaſa tantum ſecantur, aut tantum edi-
ſcuntur, ſed prius, ante vaſa viſcerum: vt quælibet tamen ſint pernoſcenda.

Differentiæ partium inſtrumenti.

Secundum animaduerſione dignum eſt: cum inſtrumentum ſit compoſitum ex parte præcipua, &
partibus quæ aliæ ſunt a præcipua; ſciendum cum Gal. in lib. de diſſectione vulnerum ca. 4. has partes eſſe
vel non tangentes, vel tangentes: Tangentes autem vel ſolum tangere, vel etiam committi: Eas vero, quæ E
committuntur vel ſimpliciter annecti, vel etiam vniri: Quæ autem vniuntur, vel ſimpliciter vniri, vel et-
iam contexere: & quæ contexunt, vel ſolum contexere, vel etiam alere. Quæ autem ſint omnes hæ partes,
explicat loco citato Gal. methodum applicans vuluæ, quod & nos ſuo loco explicabimus.

Verum cum inſtrumentum plures admittat particulas: an ad efformandum inſtrumentum eodem
modo vel diuerſo concurrant, præſciendum. Gal. ergo hanc veritatem proponens 1. de vſu partium 8. vo-
luit totius inſtrumenti partes quadruplicis eſſe claſſis. Primæ quidem claſſis ſunt, per quas actio obitur,
vtpote quæ principaliter ad actionem concurrunt. Secundæ claſſis, quæ concurrunt ſine quib. non. Ter-
tiæ, quæ ſunt in cauſa vt actio melius fiat. Quartæ, quæ ad omnium conſeruationem conferunt. Cuius
numeri (ni decipior) hæc eſt neceſſitas: nam membri particulæ ad actionem concurrunt vel principali-
ter, vel ſecundario. Si principaliter; eſt pars præcipua. Si ſecundario: pars dirigitur vel ſimpliciter ad actio- F
nem, vel ad actionem vt perſeuerare debet. Si ſimpliciter ad actionem: reſpicit vel neceſſitatem, vel perfe-
ctionem. Si neceſſitatem, ſunt partes quæ concurrunt ſine quibus non. Si perfectionem, ſunt partes quæ
concurrunt, vt actio melius fiat. Si denique reſpiciant actionem, vt perſeuerare debet, ſunt partes quartæ
claſſis, quæ nimirum ad omnium conſeruationem conferunt, ſiquidem præſtat, organum in actu ſecun-
do in operatione verſari, Hæc de anatome, vt eſt cognitio naturæ membri.

Homo, quatenus ſit anatomicæ ſubiectum.

Deinde in definitione dictum fuit, (*Humani*) vt pateat, propoſitum eſſe membrum humanum, ad
differentiam membri aliorum animalium. Vnde Galen. 2. methodi 5. ait, venam, arteriam, & neruum, eſſe
veluti elementa eius Phyſiologiæ, quæ eſt de homine: & hinc etiam liquet anatomicum verſari circa cor-
pus humanum. Sed hactenus nondum conſtat, ſecundum quam rationem anatomico peculiaris ſit artis
anatomicæ ſtatuenda ſubſtantia. Neque enim ſat eſt aſſerere, capiendum eſſe hominem gratia ſanitatis, G
nam ſecundum hanc rationem, quæ communis eſt, perpenditur a Medico non ſolum in parte anatomi-
ca, verum etiam in qualibet alia. Itaque ſciendum & 1. cum Ariſt. 2. de partib. hominum genus eſſe, quod
non ſolum viuendi, ſed etiam bene viuendi rationem obtinuit, quippe, quod aut vnum ex animalibus no-
bis cognitis diuinitatis particeps ſit, aut omnium maxime. Dicit autem maxime, quoniam ſol cum planta

plantam

A plantam gignit. Vt rationabiliter homo ſit ſubiectum anatomiæ, vt bene viuendi rationem obtinet: nam
ita magis a reliquis diſcrepat. Præterea dixit Galen. 1. de vſu par. 2. partes hominis diuerſas eſſe a partibus
brutorum, propter animarum diuerſitates: nam partes ſunt vtiles animæ, quoniam corpus eſt organum
animæ, vt non ab re natura brutis timidis nudum & inerme corpus effecerit; contra ferocibus arma do-
narit, vtpote tauro cornua, apro dentes: vni autem homini, quia rationis particeps, tribuit manus, inſtru-
mentum ſane ad omnes artes neceſſarium, & paci & bello idoneum. Ex quibus verbis colligitur anato-
miæ ſubiectum eſſe hominem, vt eſt rationis particeps, per quam vtatur manibus, vt inſtrumentis, ad ar-
tes neceſſariis. Confirmatur hæc veritas: nam 6. de decretis 2. ſecundũ Platonem admittit in homine tres
eſſe animæ ſpecies, ſeu partes: nempe rationem, iracundiam & cupiditatem: & rationem homini compa-
rat. Amplius Gal. 13 de vſu part. ait; vt homo animam habet rationalem, ita etiam corpus ſolum inter ea,
B quæ ſunt ſupra terram, habuit diuinum, atque optime ad animæ facultatem comparatum: vt cum corpus
referatur in animam rationalẽ, quæ in ſui actione vtitur homine, & potiſſimum manibus, hæc actio nil a-
liud ſit, quam motus voluntarius rationalis, hoc eſt duce ratione celebratus.

Anatomiæ ergo ſubiectum nil aliud eſt, quam corpus humanum, vt duce ratione motum edit arti-
ficioſum. Vnde 7. de vſu part. vltimo ait: hominem exponere nobis iam eſt propoſitum. Hæc veritas
adhuc magis firmatur Galeni auctoritate: & primum quoniam 3. de vſu partium 3 voluit, omnium ani-
malium ſolum hominem & ſtare, & ſedere, gratia illius, per quod a cæteris diſtat: eſt autem operatio ar-
te facta, quam per manus obit homo: vt cum omnes manuum in opificiis actiones requirant hominem
vel rectum, vel ſedentem: (ſiquidem nemo aut pronus, aut ſupinus quicquam molitur) merito vnicus
homo & rectus ſtat, & ſedet. Ecce, ſi homo a brutis diſtat per compoſitionem, quæ eſt neceſſaria ad ope-
C rationem, ad motum arte factum; ideo ſubiectum huius artis erit homo, vt artificioſe, & proinde bene-
ficio rationis, operatur. Amplius Gal. 14. de vſu partium 6. ait, ſoli homini manum eſſe donatam quem-
admodum & rationem, qua diuinius nihil mortali ineſt, quæ ſane eſt vſura manu. Ecce, ſi homo rationis
particeps, qua manu vtitur: ratio, vt manu vtitur, dubio procul motum edit artificioſum. Quare anato-
mici ſubiectum aliud eſſe non poteſt, quam corpus humanum, vt duce ratione motum edit artificioſum,
ſeu rationalem. Et ſi contingat hominem eſſe bene ſecundum partes, & potiſſimum præcipuas, conſti-
tutum, vt omnes vni obediant rationi, non modo fiet motus artificioſus, verum etiam ita proportiona-
tus, vt, hoc mediante, homo iuſtitiam, pulchritudinem, & felicitatem aſſequatur. Quam veritatem inſi-
nuauit Gal. 7. de placitis 1. dum voluit iuſtitiam eſſe quartam totius animæ virtutem, quæ ex mutua trium
virtutum inter ſe habitudine & proportione emanat. Hæ autem tres virtutes ſunt, quæ germinant ex tri-
D bus animæ partibus, ſeu facultatibus, ſedibus ſeiunctis: vt puer (de quorundam ſententia) viuat potius
vitã animalis, quam hominis: vt nimirum ex rationali, reſidente in cerebro, virtus prodeat, quæ vocatur
prudentia, vel ſapientia, vel ſcientia: ex iraſcibili, collocata in corde, fortitudo: ex cõcupiſcibili, ſedem ha-
bente in iecore, temperantia. Vt propterea, cum anatomici ſubiectum ſint membra hominis, vt actionem
obit artificioſam, cuius medio iuſtitiam, & felicitatem aſſequi poteſt, & potiſſimum dum tres illas virtutes
aſſequitur, tribus illis viſceribus bene conſtitutis: idcirco anatomicus principaliter circa tria hæc viſcera
verſari debet, & propter hæc circa reliqua.

At non ſit ab re propoſitam doctrinam antiquorum teſtimonio ſtabilire. Primum itaq; ſciendum,
dixiſſe Hippocr. lib. de veteri medicina, neceſſarium eſſe medico cognoſcere facultatum humorum vires,
& figuras, quæ in ipſo homine ſunt. Vbi per facultates humorum intelligit, quæ ſit vis humoris dulcis, &
E aliorum: per figuram autem intelligit hominis compoſitionem. Quibus verbis nil aliud inſinuat quam
duplicem partem Phyſiologiæ: vt alia verſetur circa humores: reliqua circa compoſitionem hominis, nẽ-
pe anatomica vocata, vt propterea pro ſubiecto habeat hominem. Qui ſane quamuis & animal ſit parti-
ceps ſenſus, & motus; &, vt homo, ſit particeps rationis, & vt rationi famulatur, ſenſus, & per rationem tũ
alia munia obeat, tum motum voluntarium: ſpectat tamen ad anatomicum, potius reſpicere ad motum,
quam ad ſenſum: nam ſenſus reſpicit hominis prudentiam, vt propterea homo ſit omnium animalium
prudentiſſimus, quia tactum obtinet exquiſitiorem: motus autem pertinere videtur ad hominis robur.
Quod ſit verum; dicit Plato in Theæteto, corporis habitum ocio & torpore corrumpi, exercitatione au-
tem & motu plurimum conſeruari. Cum ergo ſenſus pertineat ad prudentiam, motus autem ad robur:
anatomicus, vt medicus, iure pro ſubiecto ſibi arripuit hominem, vt duce ratione motum obit volunta-
F rium. Vnde Plato in Cratylo, reſpiciens ad hominem, vt a philoſopho perpenditur, non autem a medi-
co, ait: Solus ex animantibus homo nuncupatus eſt ἄνθρωπος: quoniam homo & videt ſimul, & con-
templatur animaduertitque quod videt: quaſi ἀναθρῶν, contemplans, ἃ ὄπωπε, quæ vidit. Sed, vt dixi,
hunc in modum homo accipitur a philoſopho: ſicut in ratione motus voluntarii rationalis a medico.
Hactenus ergo explicauimus quomodo Methodus anatomica ſit cognitio naturæ membri humani. Hæc
de ſubiecto.

CAPVT III.

De Efficiente methodi anatomicæ cauſſa.

QVo ad effectricem cauſſam, in definitione dictum fuit [*ſectione, actione, & vſu comparata.*] Hanc
G particulam veluti ad verbum propoſuit Gale. 2. ad Glauconem 1. dum putat ad dignoſcendas inter- Efficiens cauſſa.
nas inflammationes opus eſſe peritia naturæ membrorum, quæ ex ſectione ſimul, & exquiſita ſcientia o-
perum, atque vſuum comparatur. Dicit etiam Galenus 6. method. 4. ex diſſectionis ratione partium na-
turam addiſci. Cæterum, ſi hæc tria, nempe ſectio, actio, & vſus, inuicem conferantur, non quidem ſe-
cundum dignitatem, ſed tempus: ſectio reliqua præcedit. Hanc veritatem propoſuit Gale. primo de lo-

cis affect.1.dum ait,vt partes in ſuperficie conſtitutæ patent, ita quæ in imo corpore ſunt,latent, vt virum A
deſiderent exercitatum,tum in actionibus & vtilitatibus partium,tum vel maxime in corporis diſſectio-
nibus,quæ eas,hoc eſt actiones,& vtilitates præcedunt.Nec immerito cum multo difficilius ſit actionum,
& vtilitatum exquiſitam ſcientiam conſequi,quam ſectionis peritiam adipiſci. Expedit autem a notiori-
bus inchoare. Accedit ex Galé.9.de anatomicis adminiſtrationib.1. ſectionem in viuo partim functionē
oſtendere,partim ad functionis inuentionem ratiocinationes exhibere. Dictum autem fuit quod ſectio
præcedat actionem & vſum ſecundum tempus,non autem dignitatem,vt ſectio reliquis ratione dignita-
tis ſit poſtponenda. Nam,vt ait Hippocr. in lib.de flatibus, quæcunque manuum operam exigunt, ad ea
conſuetudine perueniendum eſt: eſt enim conſuetudo manuum exercitator & magiſter. Vt ex his colli-
gere liceat,partem pertinentem ad ſectionem, & ad chirurgum, eſſe puram peritiam: cum ſolo vſu, ſeu
conſuetudine comparetur. B

Natura membri humani tribus cognoſcitur.

Cum igitur hæc tria ſint, per quæ, vt per media cognita, deducimur in cognitionem naturæ mem-
bri humani,ob id circa hæc tria aliquantiſper digredi non erit ab re: & primo circa ſectionem, ſecundo
circa actionem,tertio circa vſum.

Sectio aperit naturam corporis.

Quantum ergo attinet ad ſectionem,breuiter ſciendum cum Gal.3. de compoſitione medicamen-
torum, ſecundum genera 2. in definitione propoſita, per ſectionem non eſſe quamlibet intelligendam:
vt excludatur ſectio fortuita, quam etiam ſpeculationem vulnerariam nominant: nam ad cognoſcen-
dam partis naturam, opus eſt & frequenti ſectione, & vt, dum fit,cum diligentia partes inſpiciamus:
quod in vulneraria anatome fieri non poteſt:nam quamuis in bello ob frequentia vulnera fiant frequen-
tes ſectiones, attamen nemo,dum ſauciatum cito curare ſtudet, contemplari poteſt vbi vulneratis parti-
bus venæ, arteriæ & nerui ſubiaceant. Per ſectionem igitur intelligere oportet,& frequentem, & quæ fit C
in cadauere & brutorum,& potiſſimum humano,& in bruto viuente,viuentem enim hominem impium
eſt diſſecare, niſi anatomicus vicem carnificis ſibi arripere velit.Quomodo autem, & quibus inſtrumen-
tis ſectio ſit adminiſtranda, hoc loco explicare non licet. Hic autem tantum duo admonere liceat, & v-
trumque cum Gale. 9. de anatomicis adminiſtrationib.cap.1. Primum: nulli obſcurum eſſe oportere, vt
mortui animantis conſectio eam præcedat, quæ in viuo adminiſtratur, nam a notioribus eſt inchoan-
dum. Secundum: cum duplex ſit ſectio, vel partis a toto ablatæ, vel toti adiacentis; prius celebrandam
eſſe ſectionem partis a toto ablatæ, nam hoc negocium facilius eſt, quam ſecare partem toti adiacentem.
Hæc de ſectione.

Actio & vſus, ad cognitionem corporis plurimum faciunt.

Quantum ad actionem, & vſum: de his maiori diligentia agendum. Siquidem Gale. 1. de Placitis
8. vna cum Ariſtotel. voluit non deduci in eſſentiam cuiuslibet inſtrumenti, non ex fabrica, ſed ex ope- D
ratione & vſu inſtrumenti. Nam ſi de oculi eſſentia interrogemur: non licet dicere eam eſſe,ſecun-
dum quam oculus ex tot & talibus humoribus, & membranis ac muſculis, certo quodam mo-
do compoſitis, eſt conſtitutus: ſed oculum viſiuum eſſe inſtrumentum,reſpondebimus. Vnde ſi inſtru-
mentum eſt viſiuum, eſt oculus: etiam ſi diuerſo modo & homo, & cancer conſtitutum habeant ocu-
lum. Quemadmodum etiam ſi inſtrumentum eſt ingreſſiuum, eſt crus:ſiue ſit elephantis,ſiue bouis, ſi-
ue hominis.

Sed occurrit dubitatio, primo quia Galenus videtur fabricam, & proinde compoſitionem, & ſe-
ctionem deſtruere:ſecundo quia per membri eſſentiā videtur accipere potentiam & facultatem membri,
non autem propriam ſubſtantiam, temperiem,quæ conſequuntur, & quæ accidunt,vt ſuperius in expli-
catione definitionis accepimus: Præſertim cum dicit 2. ad Glauconem 1. membri naturam comparari E
non modo ex actionibus & vſibus, ſed etiam ſectione:vt etiam voluit 1. de loc. affect. 1. Itaque ſciendum,
membri naturam ſeu eſſentiam bifariam capi poſſe: altero modo pro præcipuo agente illius membri, a-
lio modo pro organo principalis agentis. Si primo modo: dubio procul nil aliud eſt quam membri po-
tentia ſeu facultas, quam cum Galen.1. de Placit. 8. non ex fabrica, non ex ſectione,ſed ex operatione &
vſu ſolum comprobamus: ſecundum quem modum,medicus non debet accipere membri, eſſentiam,ni-
ſi induat habitum Philoſophi, propterea quod hæc eſſentia non patitur, niſi ex accidente,ad paſſionem
ſui organi. Vnde & ibi loquitur ſecundum mentem etiam Ariſtotelis,quia ſcilicet non vt medicus,ſed vt
Philoſophus loquitur. Si autem capiatur natura membri pro inſtrumento principalis agentis: per natu-
ram intelligere oportet propriam ſubſtantiam,temperiem,quod conſequitur,& quod accidit.Secundum
quem modum accipit, 2. ad Glauconem 1.& 1.de loc.affect.1. Et hæc natura ita a medico accipitur, quia F
hæc illa eſt,quæ patitur, ad cuius læſionem ex accidente patitur facultas:& hæc comparatur,non modo a-
ctione,& vſu, ſed etiam ſectione:quamuis actio & vſus præcipuum locum obtineant, cum pertineant ad
artificem; ſectio autem ad peritum,quare omnis ruit ambiguitas.

Sed dubitatio oritur: nam Galen.2. de facultatibus naturalibus 1. ait: nouiſſe,quæ nam ſit cuiuſque
inſtrumenti functio, id nullum adhuc præſtat ad medendum vſum. Sciant iuuenes Galen. recte dixiſſe
[adhuc] nam ſolum cognoſcere inſtrumenti functionem, non confert ad vſum medendi, ſed oportet
vlterius progredi, vt nimirum ex cognita actione dignoſcamus inſtrumenti naturam: vt, ſi lædatur in-
ſtrumenti actio, ſciamus naturam illam vitioſam redditam naturalem ſtatum reuocare:& idem eſt dicen-
dum de vſu.

Cum ergo vtriuſque, hoc eſt, actionis, & vſus, inſignis ſit neceſſitas: ne fiat confuſio, primum de G
actione dicemus, & ea cum diligentia, vt & breuiter & facile, quid ſtatuendum ſit de vſu, quilibet intel-
ligere poſſit.

Actionis nomen.

Quantum ergo attinet ad actionem, & primo quo ad nomen: Galen.1. de naturalibus facultatib.
2.ait; quædam eſſe,quæ vocari poſſunt opera, non actiones; vt caro, naturæ eſt opus,non actio: quædam
autem

A autem vtroque modo vocari possunt, hoc est, & opus, & actio, veluti concoctio, digestio, &, si ita loqui licet, sanguificatio. Et secundum hunc modum nos accipimus. Vocamus autem euitandæ confusionis gratia potius actionem, quam opus, cum præcipuus sermo esse debeat non de operatione, sed de actione, quamuis ex cognitione operationis appareat etiam notitia operis, siquidem ex Gale. 1. de facultatibus naturalib. 3. per actionem intelligimus id cuius caussa est potentia, vt cum ad actionem sequatur opus, ex notitia actionis appareat etiam notitia operis.

Cæterum adhuc circa vocem aduertendum, (vt appareat, quidnam definiatur) dixisse Galen. 6. de Placitis 1. operationem & actionem bifariam accipi posse. Nam quantum attinet ad actionem, primo capitur, vt est motio effectiua, hoc est, quæ ex se proficiscitur, vt ira ratione iracundiæ, vt pulsus ratione cordis. Hæ enim sunt motiones, quæ ex corde prodeunt, non autem ex alio in cor. Secundo modo capitur o- Vocabuli actionis distinctio.
B peratio, vt nõ modo est motio effectiua, hoc est, ex se, verum etiam fit secundum naturam, hoc est, vt prima ratione fiat a natura, veluti rationalis, veluti pulsus moderatus, siquidem in his functionibus cor agit, non afficitur. Quo autem attinet ad affectionem, hæc bifariam & ipsa capitur. Primo modo, vt est motio ex alio in aliud, veluti ira ratione concupiscibilis, & totius manus motio, & crurum ingressus, nam ira ratione concupiscibilis, est motio quæ prodit ex alio in aliud, hoc est, ex iracundia in concupiscentiam, a simili manus motio proficiscitur a cerebro in manum, subiectum autem est manus in motione manus, crus in ingressu. Vt necesse sit, frequenter operationem & affectionem in vno eodemq; subiecto conuenire, & ratione tantum differre, verbi gratia, incisæ rei diuisio est vnica & eadem res, vt relata ad incidens dicitur operatio, ad rem incisam affectio, at diuisio est tantum in re diuisa, in passo. Dixit autem frequẽter, quoniam quandoq; contingere potest, vt motio, vt operatio & affectio subiecto non conueniant, verbi
C gratia, si membrum moueatur a musculo, erit actio ratione musculi, affectio ratione membri, quod mouetur: at motio pro subiecto habet & musculum motorem, & membrũ motum. Sed ad rem: afflictio primo modo accepta, est motio non ex se, sed ex alio in aliud. Secundo modo capitur affectio, vt est quid præter naturam, siue sit motio effectiua, vt pulsus immoderatus, siue sit motio ex alio in aliud, vt immoderata ira ratione concupiscibilis, & potissimum rationis, & totius etiam corporis, dũ ab immodica ira ad actiones noxias fit impulsio. Huius classis est etiam crurum ingressus vitiosus.

Quibus sic positis, dicimus, nos per actionem non intelligere actionem vitiosam, sed secundum naturam: vt propterea affectio secundo modo accepta excludatur: cum autem motio & secundum naturam dicatur operatio, quæ potest esse vel effectiua, hoc est, ex se, vel ex alio in aliud, nos in præsentia operationem intelligimus proprie acceptam, hoc est, vt distinguitur ab affectione quocunque modo ac-
D cepta, siue capiatur vt motio ex alio in aliud, siue vt motio præter naturam. Siquidem ex recta cognitione operationis hoc modo acceptæ, patebit & quid sit affectio, vt ex alio in aliud, & quid operatio præter naturam hominis.

Operatio igitur seu actio hunc in modum accepta, est *motus hominis effectiui, mediante spiritu, & constitutione, gratia voluptatis.* Actionis definitio.

Sed forte non sit ab re, breuiorem, exactam tamen proponere definitionem; vt si dicamus: humana actio, est motus hominis, dependens ab anima, gratia voluptatis. Hæc sane definitio absoluta censeri põt, quoniã, cum sit accidentis secundum naturã, traditur per formam, subiectum, efficiens, & finem. Quæ et ita se habent, vt dum per hæc hoc definitũ a quocunq; alio distinguitur, aliquã necessitatem præ se ferant. Forma igitur est *motus*: vt actio distinguatur ab omni & substantia & accidente, quod est in facto. Subiectum
E est homo: per quod subiectũ distinguitur actio humana a qualibet actione, & brutorũ, & inanimatorum. Efficiens est anima: per quod distinguitur motus, vt actiuus, a passiuo: nam dum actio dependet ab anima nõ aũt ab obiecto, est actio, est motus actiuus, non affectio, non passio, v.g. in visione, speciei visibilis receptio est oculi non actio, sed passio, quia dependet hæc receptio, hæc motio in oculum, in sensum, nõ ab anima, sed ab obiecto, vt iudicium circa speciem visibilem est actio, quia dependet ab anima. Finis deniq; est voluptas, per quam distinguitur actio secundum naturam ab actione præter naturam: nam actio secundum naturam definit in bonum, in pulchrum, & proinde in voluptatem: contra actio præter naturam.

Hæc autem omnia & vera, & necessaria esse diligenter explicare polliceor, & omnia Gale. dictis stabilire. Primum ergo dictum est, [*actio est motus*] nam, vt cessare ab actione est quiescere, pertinetque ad Actio est motus.
F quietem: contra agere, operari, versari in actu secundo, concernit motum. Vnde hanc veritatem cognoscens Gal. 1. de loc. affec. 1. ait, actio est motus. Quam particulam etiam proposuit, 17. de vsu par. 1. sextoque de Placitis 1. motionem proponit: Synonyma autem sunt motus, & motio. Hinc colligitur cum Galeno 2. methodi 3. motum esse in fieri, non in actu. Colligitur etiam, vt actio est motus, vt motus perpendatur in substantia, qualitate, quantitate, & vbi: Si motio sit in substantia, respicit conseruationem vel speciei, vt est generatio, cuius species sunt alteratio, & formatio: vel indiuidui, & est nutritio. Omitto autem corruptionem, quia sermo fit de actione secundum naturam, & vtili. Si autem motio sit in quantitate, respicit magnitudinem, & est auctio. Prætereo autem diminutionem: quoniam est potius ad malum. Si autem motio fit in qualitate, est vel alteratio, vel alterationis dignotio: quæ esse potest vel externa, vel interna, vt pertinent ad facultates, vel externas, vel internas, de quibus suo loco. Vel etiam dicamus, si motio fit in qualitate, est alteratio vel materialis, vel spiritalis; seu, vel extra animam, vel in anima. Si consideratur vbi, est
G motio secundum locum, in qua id quod patitur, vel quiescit, vel mouetur: si quiescit est actio, quæ vocatur retentio, in qua sane est motus ex parte retentricis, quies autem ex parte retenti. Si autem id quod patitur mouetur, fit motio vel naturalis, vel voluntaria, si naturalis, id quod mouetur, cum ex se non moueatur, sed ab alio, vt motio fit tractu, fit attractio, & pulsu, expulsio: si autem voluntaria, est motus voluntarius nuncupatus.

C

Deinde dictum fuit [*Hominis.*] Qua particula proponitur actionis subiectum: nam actio, vt accidens, psostulat subiectum, vt id, quod operatur sit subiectum actionis. Verbi gratia: oculus videt parietem coloratum, visio autem vt actio est in oculo, vt aũt affectio, in parietem nam quod iudicat, est oculus; quod iudicatur, est paries coloratus. At loco subiecti propositus est homo, per quem intelligimus corpus humanum, ad differentiam aliorum corporum operantium: Siquidem hominis actio est illa, qua anatomicus deducitur in cognitionem naturæ membri humani. Vnde & Gal. pernoscens actionis subiectum esse corpus, dicit 1. de loc. affect. 1. actio est motus partium. A

Actio est motus hominis.

Cum ergo homo sit actionis subiectum, sciendum per hominem opus esse intelligere & totum hominem, & hominis partem. Quantum ad totum hominem: huius actio, vt pertinet ad anatomicum, est potissimum motus voluntarius: & hoc est, quod insinuauit Galenus 12. de vsu part. 4. dum ait, corpus vniuersum per neruos procedentes a spinali medulla, tanquam a trunco sumere quidem primum & maximũ motum, post motum autem sensum. Ecce præcipuum locum obtinet motus voluntarius, artificiosus autem, ad differentiam motus voluntarii brutorum, vt ex Galen. 14. de vsu part. 6. colligere licet. Ceterum motus hic artificiosus seu rationalis, multiplex esse potest: quod noscens Galen. 1. de vsu partium 8. ostendens differentiam inter animalis partes paruas, & magnas: dicit minores facta esse ad totius organi actionem; verbi gratia, cornea rhagois refertur in totius oculi visionem: maiores autem, vt sunt manus, pedes, oculi, lingua, caussa actionum totius animantis procreatas esse. Ecce proponit actionis plures motus: verbi gratia, totius operatio est texere, digladiari, quæ sane & consimiles operationes, & manus, & pedes, & oculos postulant. Verum, quamuis plures sint motus, omnes tamen tanquam ad communem functionem referuntur in motum voluntarium artificiosum. B

Actio totius hominis, est motus artificiosus.

Ceterum hoc loco admoneantur iuuenes, sententiam fuisse Galeni libr. de vtilitate respirationis cap. 1. dari actionem tum propriam, tum communem: propria est visio, ambulatio, vt propria est oculorum, & crurum: communis autem est quæ competit omnibus partibus: & hæc communis actio est vita, hoc est, animæ operatio, vt hac deficiente, illico animal pereat, vt cum vita sit communis operatio, & proinde totius hominis, & similiter motus artificiosus, **in genere** potest dici communis, vt sit a toto homine. Propterea sciant iuuenes, differentiam esse inter has duas communes actiones, nam vita est actio communis, & homini, & brutis: motus autem artificiosus pertinet tantum ad hominem. Vnde cum medici subiectum non sit brutum, sed homo: ob id præcipua totius hominis operatio erit motus artificiosus: nõ despicienda tamen alia communis functio, nempe vita, vt hæc conseruanda est, propter motum artificiosum caussa melioris vitæ. Hæc de actionibus totius hominis. C

Actiones partium hominis.
1. Communium.
2. Principalium.
3. Nõ principalium.

Quo vero actiones partium, sciendum hominis partes esse, vel communes, vel non communes: & si non communes, vel principales, vel non principales. Quantum ad communes Gal. 6. de plac. 8. ait, in communi membro communem esse functionem: communia autẽ membra sunt nerui, arteriæ, venæ, os, cartilago, membrana, ligamentum, adeps. Quo fit, vt ex variis corporis locis horum membrorum actiones mutentur: verbi gratia, arteria siue in cerebro sit, siue in calce, continuo communem arteriarum functionem obseruabimus, idem de reliquis communibus membris dicendum. Quæ autem sint harum partium functiones, in applicatione methodi fiet apertum: siquidem ex Gale. 1. de vsu part. 16. venarum, arteriarũ, neruorum, musculorum, & eorum actiones sunt ignotæ, vt propterea sermone indigeant longiore. Quo vero ad actiones partium principalium, primum scire oportet, per partem principalem, cum Galen. 6. de plac. 6 opus esse intelligere illud membrum, quod iis quæ ex se oriuntur, vel vim, vel materiam saltem suppeditat, v. g. cor, est membrum præcipuum, quia & vim pulsificam tribuit arteriis, & sanguinem arteriosum suppeditat. Et hinc colligendum, partes præcipuas non modo operari, sed primarias etiam functiones obire, id est, principales, quæ non sunt actiones secundariæ, at sunt propter aliud. Quantum denique ad actiones partium non principalium, ad has respiciens Gale. dicit 6. de plac. 8. quemadmodum iecur ex ventre alimoniam attraxit, ita quæ post iecur constituta sunt membra, per alias venas in se eandem alimoniam exsugunt, tum deinceps ex his alia, atque hoc tantisper, vsque dum in omnia animalis membra alimentum digeratur. Ecce ergo quomodo membra non principalia trahunt sanguinem, mutant in propriam substantiam, & quæ coquuntur subsequentibus membris, ad differentiam membri præcipui, hoc est, iecinoris, non generantur. D E

Constitutum ergo sit, actionem esse motum hominis, & secundum totum, & secundum partem: & communem, & determinatam, & hanc tum præcipuam, tum non præcipuam, vt hæc omnia, hoc est, totum, & partes sint motus, & proinde actionis subiectum, vt actio, tanquam motus, est accidens, cum accidentis sit inesse subiecto. F

Actio hominis dependet ab anima.

Deinde in definitione dictum fuit, [*dependens ab anima*] & vere dependens; cum actio sit motus, & proinde in fieri. Vt per animam dicere liceat fieri actionem, ab homine effectiuo, hoc est, vt est particeps animæ, & animæ organorum.

Actio est motus effectiuus.

Effectiuus autem motus est actio, quod proposuit Gal. 1. de lo. aff. 1. dum ait, actio est motus partium factiuarum. dum etiam libro de differentiis sympt. 1. ait, actionem esse motum agentis. Vnde & Plato in Gorgia ait, quale agens agit, tale quiddam pati patiens. Per quam particulam distinguitur actio, ab affectione, cum affectio sit motus corporis patientis, & proinde sit motus passiuus, contra actio sit motus effectiuus, sit motus actiuus. Et ob id dicit Gal. 6. de Placitis 1. actionem esse motionẽ effectiuam. Dicit quoque secundo methodi 3. atque etiam 17. de vsu part. 1. actionem esse moum actiuum, quia est motus corporis factiui. G

Quare explicare oportet quid intelligendum sit, per hominem, per corpus, per partem factiuam.

Dicimus ergo per corpus effectiuum opus esse intelligere corpus quod potest agere, vt secundũ ali-

quas

A quæ actiones etiam semper sit in actione, in actu secundo. Vnde primo de præsagiis ex pulsibus quarto dicit, cordis corpus facere pulsum, est corpus præditum anima, & proinde facultate, quæ nil aliud est quam potentia, qua corpus agit: vt corpus ad actionem concurrat, vt quod, iuxta illud, non pupilla videt, non visus, sed oculus totus. Vnde dicit Plato in Sophista, facultas effectrix est vis quædam, quæ causa est, vt sint postea, quæ antea non fuerant. Anima autem, & proinde eius facultas, concurrat vt quo, iuxta illud, anima est, qua viuimus, sapimus & intelligimus, vt actionis caussa præcipua, qua membrum agit, sit anima. Quod noscens Plato dicit in Cratylo: dum anima est in corpore, est cum corpore vt viuat, vt operetur, vt corpus sit veluti claustrum, seu carcer, seu sepulchrum animæ. Vnde etiam addebat in Epinomide, animam a corpore differre, quoniam anima mentem habeat, non autem corpus, anima dominetur, corpus subiiciatur, anima sit caussa omnium passionum, nequaquam corpus. Vt denuo actionis præcipua caussa
B sit anima, seu animæ facultas. Quamuis Gale. 6. de plac. 3. dicat id, quod in singulis viscerib. reperitur quod scilicet est præcipua operationis caussa, rectius nominari animæ substantiam, quam subiectum, quam facultatem: cuiusmodi est in cerebro rationalis, in corde irascibilis, in iecore concupiscibilis. Dicebat autem Gale. 1. de caussis pulsuum secundo, facultatem nominari a facultate faciendi, cuius habet facultatem, alicuius enim est facultas: vt eius notio sit relatio, non substantia. Sed Gal. parum de vocibus curans 6. Epid. 5. ait, partem tertiam animæ, quam Plato vocat iracundam, siue facultatem, siue vtrumque nominare velis. Vnde idem Galen. 9. meth. 10. dicit, tres esse diuersi generis facultates toti corpori ex suo veluti fonte distributas, quas Plato animas vocat. Ecce Gal. vocat facultates, Plato animas. Sed vtcunque vocetur, facultas est vis, qua corpus agit. Et ob id Gal. 6. de loc. aff. vltimo voluit partem operantem præditam esse facultate, qua pars citra docentem operatur. Quod etiam in brutis obseruatur, v.g. boues primo folia de-
C uorant, mox ruminant, & omnia operantur citra docentem, ope scilicet facultatis.

Effectiuum corpus, agit facultate, quæ caussa est principalis actionis.

Cæterum aduertendum cum Gale. 1. simpl. 1. cum facultas sit caussa quædam effectrix, esse posse vel actu, vel in futuro tempore. Vnde quantum attinet ad facultatem naturæ, est in actu naturæ, vt ignis continuo calfacit, ita naturæ organum est semper in actu secundo. At quantum spectat ad facultatem animæ, hæc quandoque actu est, quandoque potentia: vt facultas visiua quandoque videt, quandoque non, musculus quandoque mouet, quandoque cessat a motu.

Facultas naturæ & animæ.

Facultatem autem aliam esse a qualitate noscens Gal. dicit nono de simplici primo, absurdum esse asserere eandem esse ignis & aeris tum qualitatem, tum facultatem. Ecce distinguit qualitatem a facultate, qualitas enim est organum, facultas auctor. Hinc cum eadem sit ratio simplicium & mixtorum, errant, qui dicunt, facultatem esse temperaturam. Quemadmodum pariter falluntur, qui non distinguunt
D animam a temperatura. Qua ignoratione cum non obrueretur Hippoc. primo de decretis, ait, animam hominis, ignis & aquæ temperamentum habere, insinuans animam habere organum, hoc est, temperamentum, constitutum ex igne, & aqua, hoc est, ex calido & sicco, & frigido, & humido, & proinde ex omnimode contrariis, vt ex horum mutua actione medium quoddam prodeat temperamentum, quod tamen non est anima, sed animæ organum. Et propterea subdit Hipp. anima semper similis est, & in maiori, & in minori, non enim alteratur, neque per naturam, neque per necessitatem, hoc est, vi: corpus autẽ, hoc est, animæ subiectum, nunquam idem in vllo aliquo est. Ecce, si anima semper similis, & corpus nunquam idem, quia eius temperatura mutat: ergo anima cum Hip. non est temperatura. Et ab Hippocrate nequaquam recedens Plato in Phædone, ait, esse in corpore nostro complexionem quandam ex calido, frigido, humido, & sicco, cæterisque talibus, & horum temperantiam consonantiamque animam esse, videlicet
E resultantem in corpore, postquam hæc ipsa bene moderateque inuicem temperata sunt: vt quotiescunq; horum natura in corpore, propter morbos, vel alia mala, immoderate vel remittitur, vel intenditur, necesse est, animam subito interire, hoc est corpore dissolui. Ecce, quod intenditur, & remittitur est corporum: nam hoc est temperies, non anima, quare anima differt a temperie.

Facultas, & anima non sunt temperatura.

Hactenus ergo constitutum sit, hominem esse effectiuum per animam, & proinde per animæ potentiam, seu facultatem.

Cæterum cum homo productus sit effectiuus, hoc est, ad operandum idoneus, non autem ad vnicam, sed plures obeundas functiones, ideo plures obtinuit facultates, quarum aliquæ sunt Principales, aliquæ, vt a principalib. emanantes, Non principales, vt de omnibus sit dicendum, vt dum cuilibet membro methodus applicabitur, eius actio a propria facultate prodiens leui negocio sit conspicua. Quantum igi-
F tur attinet ad principales, hæ sunt in duplici differentia, vt referuntur vel in Vitam, Vel Meliorem vitam. Quantum ad principales caussa vitæ, sunt illæ facultates, ad quarum actiones sequitur opus, quo vita seu omnis animæ operatio conseruatur. Vnde vt hæc operatio in tribus præcipuis visceribus perficitur, ita sunt tres principes facultates, nempe ratione sanguinis, sanguificatrix vocata, in iecore, ratione spiritus seu caloris vitalis, vitalis vocata, in corde, ratione spiritus animalis autem, vt in cerebro gignitur, vt nomen non habet, ita vel generatrix spiritus animalis, vel alteratrix animalis, ad differentiam naturalis, & vitalis dici potest. Quo vero ad facultates principales caussa melioris vitæ, sunt quæ proponuntur a Gale. 6. de plac. vbi dum ait, tres esse facultates, rationalem, concupiscibilem, & irascibilem, quæ ita se habent, vt concupiscibilis sola reperiatur in stirpibus, rationalis in Diis: irascibilis sola nequaquam reperitur, quæ sane etiam ex Peripateticorum sententia sedem habet in corde, vt ratio aduersus concupiscentiam irascibilem
G adiutricem haberet, vt hinc homo non brutorum vita, sed multo meliori foueretur.

Facultatũ diuisio.

Cæterum pro exacta harum facultatum intelligentia notandum cum Gale. 6. de plac. 2. circa has facultates differentiam esse inter Platonẽ & Arist. (vt alii breuitatis caussa omittantur.) Vnde quantũ attinet ad Platonẽ, vt voluit sedib. esse separatas, & naturis longe inter se discrepantib. ita has vocat, & partes, & species, quib. anima nostra est donata. Nã id vocatur pars, quod ad totum aliquod constituendum con-

Platonis & Aristotelis comparatio in doctrina de facultatib.

currit:ſpecies aũt,quæ habet naturam quandam ab alia re diſcrepantẽ. Quo ſit,vt,auctore Platone in Ci- A
uili,ſpecies poſſit appellari pars,non e contra pars vocari ſpecies:nam poſſunt eſſe plures eiuſdem naturæ.
Quare cum ratio, iracundia & cupiditas, totã animam conſtituant, ideo dicuntur partes:cum ẽt inuicem
naturis longe diſcrepant,dicuntur ſpecies. Hanc aũt variam naturam exprimens Plato,rationẽ aſſimila-
bat homini,iraſcibilem leoni,cupiditatem variæ cuidam multorum capitum beſtiæ.At Ariſt.hæc tria vo-
luit eſſe potentias,ſeu facultates vnius naturæ,ſeu ſubſtantiæ,ex corde proficiſcentis. Quas Platonis & A-
riſt. opiniones ponderans Galen.voluit Platonem recte fuiſſe philoſophatum:Ariſtot.autem erraſſe.

Concordia Platonis & Ariſtotelis.

Ceterum ſi nemini via ad philoſophandum eſt præcluſa,mihi quamuis omnium minimo,dicere li-
ceat,tantos Philoſophos verbis potius,quam re ab inuicem diſſentire.Hanc autem concordiam oſtendit
nobis rei natura.Nam cum obſeruemus hominem munia obire ad rationem,iracundiam,& cupiditatem
ſpectantia:homo autem ſit vnum propter formam,propter animam,quæ neceſſario vnica eſſe debet:hæc B
enim informat, & dat eſſe vnico indiuiduo, vt hæc anima ſit quædam ſubſtantia incorporea,inuiſibilis,&
proinde ſimplex, vt nequaquam proprie ex pluribus partibus componi poſſit: ob id cum Ariſtot. eſt v-
nica ſubſtantia ex corde proficiſcens, & radicem habens in corde. Ceterum quamuis animæ ſubſtantia ſit
vnica, ſimpliciſſima: nihilominus plures, ac ferme innumeras obire poteſt functiones, non immediate
tamen, ſed per medias facultates: quæ pro determinata ac priuata partium corporis conſtitutione, ita
determinãtur, ita contrahuntur, vt quæ communes ſunt facultates propriæ euadant. Vnde & a Gal. paſ-
ſim proprietatum facultates vocantur, verbi gratia, carnifica in carne, oſſifica in oſſe: quæ ita habent, vt
oſſifica proprietas ſeu facultas ſedem habeat in oſſe,carnifica in carne,chylificatrix in ventriculo,& ſic de
reliquis: quælibet tamen primam originem nanciſcitur a facultate, a potentia, vt eſt facultas vnius ſub-
ſtantiæ, a corde proficiſcentis. C

Facultas animæ communiſſima, in alias facultates diuidua.

Qua veritate hunc in modum habita,dicimus,cum anima vnica ſit,facultatem & potentiam quan-
dam communem obtinere,quæ plurimum diuiſioni ſubiicitur. Hæc autem diuiſio triplex eſſe poteſt;nẽ-
pe facultatis generaliſſimæ,in minus generales: & minus generalium,in adhuc minus generales: & tertio
minus generalium, in ſpecificas, quæ in alias diuidi nequeunt. Primo ergo ſi communiſſima illa facul-
tas diuidatur, in genericas diuiditur: in tres nempe, cerebri,cordis,& iecinoris facultatem: vt cerebri fa-
cultas,quæ animalis vocari poteſt,a digniori eius facultate vocetur ratiocinatrix:cordis facultas, quæ cor-
dialis, ſeu vitalis dicitur, a digniori nuncupetur iracundia: iecinoris denique facultas, concupiſcibilis.
Quæ ſane facultates a corde tanquam ab arce, a ſede animæ emanant: vt animæ facultas, reſtricta & de-
terminata ſeu effecta animalis, reſideat in cerebro: effecta vitalis, ſeu iraſcibilis, in corde: effecta natura-
lis, ſeu concupiſcibilis, in iecore. Hæ facultates cum ſecundum operationes inter ſe plurimum diſcre- D
pent,poſſunt vocari ſpecies:& ob id Plato reſpiciens potius ad facultatum operationem,quam eſſentiam,
vocauit ſpecies. Quod ſi verum,rationalem comparat homini,iraſcibilem leoni,concupiſcibilem beſtiæ
multorum capitum. Vt autem hæ facultates in vnam referuntur,quæ eſt animæ facultas integra, & perfe-
cta, vt ſi vna defecerit animæ facultas, eſſet manca, ſecundum quandam ſimilitudinem poſſent hæ tres
facultates vocari partes, ex quibus animæ facultas integra conſtituitur. Quo vero ad ſecundam diuiſio-
nem, genericæ illæ, emanantes a generaliſſima,ſubdiuiduntur, animalis nempe,vitalis,& naturalis, vt a-
nimalis ſubdiuidatur in dignoſcitiuam,& motiuam,dignoſcitiua autem in internam,& externam. Vitalis
autem facultas in vitalem,iraſcibilem,& pulſificam. Naturalis in appetitricem,& altricem. Quantum de-
nique ad tertiam diuiſionem,illæ minus generales diuiduntur in ſpecificas, quæ amplius diuiſionem non
ſuſtinent,vt dignoſcitiua interior in ratiocinatricem,imaginatricem,& memoratricem,exterior in quin E
que ſenſus. Motiua in apprehenſiuam,egreſſiuam,& reliquas huius claſſis facultates,quæ in vnam motri-
cem referuntur. Cordis autem facultas diuiditur,vt vitalis ſit generatrix vel calidi innati,vel ſpiritus vita-
lis,vel ſanguinis arterioſi, & proinde caloris influentis cauſſa melioris vitæ, iraſcibilis productrix variorũ
affectuum: pulſifica ſit hæc & illa pulſifica,vt eſt huius vel illius arteriæ. Naturalis etiam facultas ſubdiui-
ditur,vt concupiſcibilis ſit ratione conſeruationis indiuidui,cibi & potus,ratione conſeruationis ſpeciei,
libidinis. Alteratrix autem in ſanguificatricem,chylificatricem,& reliquas id genus ſpecificas facultates,
quæ tot ſunt,prout ſunt determinatæ partes.

Facultarũ ſedes,ſeu domicilia.

Quæ ſane facultates ratione ſui domicilii ita ſe habent, vt generaliſſima ſedem habeat in corde. Mi-
nus generalis in cerebro,corde,& hepate,nempe animalis in cerebro,vitalis in corde,naturalis in iecore,
ſpecifica autem in determinatis partibus, verbi gratia,ratiocinatrix in medio cerebro,viſiua in oculo, ap- F
prehenſiua in manu,chylificatrix in ventriculo, appetens cibum & potum in ore ventriculi,venerem in
teſtibus,& ſic de reliquis,de quibus potius dicendum vbi methodus huic & illi membro applicatur. Ec-
ce ergo quemadmodũ datur generaliſſima facultas,cuius fons & origo eſt in corde, dantur etiam genera-
les facultates,quæ prodeunt omnes a corde,dantur ẽt,quæ ab his prodeunt,vt aliquæ immediate prodeũt
a corde,ſcilicet vitales:aliquæ a cerebro,vt animales,aliquæ a iecore,vt naturales. Vt,ſi hæc veritas hunc in
modum intelligatur,nulla ſit inter Platonem & Ariſt.diſcordia,dum modo velint eſſe concordes.Hacte-
nus ergo conſtat quemadmodum facultates principales ſint,& cauſſa vitæ,& cauſſa melioris vitæ.

Non principales facultates.

Quo vero ad non principales, duas habent conditiones, altera eſt, vt deriuentur ab vna ex ge-
nericis, reliqua alteri inſeruiat, verbi gratia, ratiocinatrix, quamuis deriuetur ab animali, inter prin-
cipes tamen recenſentur, quia non famulatur aliis, contra, ſenſus exterior inter non principes re- G
cenſentur, quoniam & emanat ab animali, & facultatibus internis dignoſcitiuis famulatur. Ad eun-
dem modum inter facultates naturales, nutrici reliquæ famulantur, vt illæ potiſſimum inter non prin-
cipales recenſeantur, quæ abſolute aliis inſeruiunt, vt retentrix ratione concoctricis, vt ſenſus ex-
ternus ratione facultatum internarum, ad differentiam imaginatricis & memoriæ, quæ principales
dicuntur

A dicuntur ratione ſenſus exterioris, non exquiſite autem principales, quoniam inſeruiunt ratiocinatrici.
Cæterum quamuis tot ſint facultates, nihilominus cum Gal.lib. de differentiis ſymp.3. colligere li-
Facultatis diuiſio alia.
cet, genere duplicem tantum eſſe facultatem: aliam liberam, aliam non liberam. Per liberam intelligo, cũ
eodem Gal.2.de motu muſculorum, quincto, cum facultatis actio pendet a voluntate noſtra, verbi gratia,
motus voluntarius eſt quem, quando volumus, vel ſedamus, vel citius, & tardius, vel crebrius ac rarius ef-
ficimus: cuiuſmodi eſt viſio, diſcurſus, & omnis denique actio prodiens a facultate cerebri animali, cuius
facultates aliæ non ſunt quam tres illæ principes, ſenſus internus, cum reliquis externis, & motus volun-
tarius dictus. Alia vero ex parte, per non liberam intelligo, quæ aſſidue cogitur eſſe in actu ſecundo, & na-
turalis vocatur. Vt merito Galenus præcitato loco, hoc eſt, de differentiis ſymp. 3. dicat, actionum duas
primas eſſe differentias, alteram animæ, reliquam naturæ.
B Nota: vbi naturalis ceſſat ab actione, non amplius agit, vt auctrix, dum ceſſat ab actione, non amplius
Diſcrimen facultatum animæ & naturæ.
auget, ſimiliter dum formatrix ceſſat ab actione, non amplius agit, ceſſat autem dum opus eſt perfectum,
& auctrix dum celebratum eſt debitum augmentum. Animalis vero dum ceſſat, iterum agit, vt oculus
modo non videt, modo redit ad videndum. Quare eſt differentia inter facultates animæ, & naturæ.
Cæterum ſicut facultas animæ alia præter propoſitas dari non poteſt, ita, quantum attinet ad natu-
Naturalis facultas quadruplex.
ræ facultatem, non eſt niſi quadruplex: nempe alteratrix, attractrix, retentrix & concoctrix. Quod ſit ve-
rum, ait Gal. prima aph. 22. naturam vniuſcuiuſq; particulæ vti quatuor potentiis, attractrice proprii ali-
menti, eiuſdem retentiua, ad hæc concoctiua, & quarta, quæ humores diſcernit, & aliena expellit, vt diſ-
cretiua referatur ad expulſiuam. Vnde harum munia explicans Gal. dicit li. curatiuo per venæ ſectio. 8. &
6. Epid. 6. tertio, partem quamlibet poſſidere familiarem attractricem, vt attractrix attrahat, quod parti
C familiare eſt. Alteratrix ita agit in attractum, vt opus ſuum, hoc eſt, alimentum perficiat, & ex toto vin-
cat. Retentrix autem agit, dum clauſus permanet meatus, & contenta a continente nequaquam expelli-
tur, (vt ait Gal. 6. de lo. aff. 6.) ſed contra per contractionem, comprehenditur & retinetur. Quantum de-
nique ad expultricem, vt ait Gal. lib. curatiuo per venæ ſectionem octauo, hæc expellit alienum & quan-
titate, & qualitate: vt hinc mirandum non ſit, ſi iecur, ſi ventriculus, materias expellant nequaquam qua-
litate peccantes, nam ratione copiæ alienæ ſunt. Cæterum cum eodem Gal. 6. de loc. affe. 6. excretio ſecun-
dum naturam fit, aperto fluxionis meatu, ac reliquo conceptaculi ſpatio, & contractio, & ad apertum et-
iam meatum impellente, quidquid in continente ſpatio continetur.
Conſtitutum ergo ſit naturales facultates eſſe tantum quatuor, vt quotquot a Gal. recenſentur in-
ter naturales, aliæ non ſint præter has quatuor. Quæ veritas, vt pateat, liceat propter iuuenes quoſdam
D Galeni locos in medium adferre, & dum obſcure offerant, illuſtrare. Primum ergo Galenus 1. de ſanitate
tuenda quincto, inter naturalis facultatis actiones recenſet auctionem, concoctionem, diſtributionem &
nutritionem. Quibus verbis, per diſtributionem inſinuat expultricis functionem, per reliquas autem al-
teratricis functionem. Nam vt alteratrix agit in cibum, ipſum mutando in ſanguinem, in humiditatem
alimentalem, eius functio dicitur concoctio, vt autem ita alterat, vt mutet in propriam partium ſubſtan-
tiam, eius actio vocatur nutritio, vt demum mutat in propriam ſubſtantiam alimenti maiorem portio-
nem quam fuerit reſoluta, vocatur auctio. Ecce quomodo concoctrix, nutrix, & auctrix, nil aliud ſunt
quam facultates alteratrices. Secunda auctoritas ſit tertio de ſympt. cauſis ſecundo, vbi inter facultatis na-
turalis actiones proponit nutritionem, concoctionem, & aſſimilationem: ſed omnes redigit ad alteratri-
cem. Quod ſit verum, ait, naturalium actionum prima ac propemodum omnium maxime neceſſaria eſt
E nutritio, quæ alteratricis quædam eſt ſpecies. Addit autem, ſimiliter & concoctio, quæ eſt in ventre, & ve-
nis, & qualibet particula, eſt alteratio. Quarta, quam aſſimilationem vocant, nomine quidem a nutritione
diſſidet, re autem non diſſidet, quare erit alteratio. Tertia auctoritas ſit primo de facultatibus naturalibus
a quincto, vſque ad nonum, vbi voluit, naturales facultates tres eſſe, nempe generatricem, auctricem, &
nutricem, quæ ita habet, vt generatrix agat, dum in vtero geſtatur & fingitur animal, quo tempore primas
ſedes obtinet formatrix, & alteratrix, ſiquidem generatricis vis actio eſt quidem naturæ non ſimplex, ſed
ex alteratione, & formatione compoſita, alteratrici autem & formatrici famulantur auctrix, & nutrix: ſi-
quidem dum fœtus in vtero geſtatur, vt eius partes augentur, famulatur auctrix, vt autem nutriatur, nu-
trix. Cæterum quantum attinet ad auctricem, hæc illa eſt qua corpus, quod continuitatem ſuam hæc ſpe-
ciem ſeruat, in omnem dimenſionem attollitur. Hæc autem dominatur ab eo tempore, quo animal per-
F fectam magnitudinem eſt adeptum, vſque ad ætatis vigorem. Quæ autem auctrici facultati famulantur,
ſunt alteratrix & nutrix. Quo autem ad nutricem, huius generalis actio eſt alteratio, quæ tamen differt ab
alteratione genitricis. Nam in genitrice per alterationem quod os non erat, factum eſt os, vt merito hæc
alteratio generatio nominetur, in nutritione autem id quod affluit efficitur ſimile ei, quod factum, quod
genitum eſt, vt merito nutricis alteratio aſſimilatio nuncupetur. Vt finis generatricis ſit eſſe illius, quod
gignitur, cum generatio ſit mutatio de non eſſe ad eſſe, finis autem augmentatricis, ſit geniti perfectio,
nutricis denique finis, vt genitum, vt perfectum plurimo tempore duret. Vt quælibet facultas, vt naturæ
facultas, ſemper ſit in actu ſecundo, ſemper agat, donec ſuum finem eſt aſſecuta, vt generatrix agat, quouſ-
que animal eſt genitum, & formatum, auctrix quouſque animal ad magnitudinem debitam eſt perductũ:
nutrix denique toto vitæ tempore animalis. Vt ex hoc diſcurſu pateat, cum hæ tres facultates ſint altera-
G trices, præter quatuor propoſitas potentias naturales, aliam non eſſe imaginandam.
Sed difficultatem facit vis formatrix, cum generatricis actio ſit mixta ex alteratione, & forma-
tione, vt generatrix facultas ſit alteratrix, & formatrix. Quare formatrix alia ab alteratrice, non
poteſt referri in alteratricem. Dicendum: hanc eſſe excipiendam, vt ſit facultas quædam diuina, & ſuper
naturam, vt eius opus non naturale, non vnif… me, ſed artefactum, & plane diuinum appareat, propterea

quod corpori a genitrice per alterationem producto optimam tribuit compositionem, quæ merito nec A est de essentia geniti, nec necessario essentiam consequitur, sed (vt ait Gal. 1. de vsu par. 9.) necessario accidit. Vt naturæ facultates concurrentes ad indiuidui & generationem, & incrementum, & conseruationē, sint tantum quatuor, nempe alteratrix, attractrix, retentrix, & expultrix: quibus, tanquam quid diuinum & extremum, additur formatrix. Vel rectius dici potest, quod facultates sint vel animæ, vel Naturæ. Si animæ: vel Dignoscitiue, vel Non. Si dignoscitiue: vel Interioris, vel Exterioris. Si interioris, vel Principalis, vel Non principalis. Principalis: vel Simpliciter, vt ratiocinatrix, vel secundum quid, vt imaginatrix, & memoratrix. Si nō principalis, vt sensus communis. Si exterioris, vt quinq; sensus. Si autem dignoscitiue, vt quæ pertinent ad motum voluntarium. Quæ omnes statuuntur animales functiones, propterea quod modo agunt, modo non agūt: modo magis, modo minus agunt: v.g. homo ambulat, cessat, modo velocius, modo tardius ambulat. vt si etiam nullum sit impedimentum, possit nō ambulare. At quæ naturæ sunt B facultates, dum præsens est obiectum, non possunt non agere, vt si quandoq; cessent ab operatione, id fiat, quia deficit obiectum: v.g. dum fœtus est formatus, cessat formatrix, quia non habet in quod agat, vt si lædatur compositio rursus agit, sicut etiam auctrix. Vnde naturæ facultates cōsiderantur ratione vel illius quod generatur, vel ratione geniti. Si ratione illius, quod generatur, siue sit totum, siue sit pars locum habet formatrix, cui famulatur alteratrix, siquidē formatrix tribuit compositionem, quæ est principale organum propriæ & perfectæ operationis: vt formatrix vigeat, & in formatione fœtus, & post formatū fœtum: at in formatione fœtus pro domicilio habet semen, post autem partem viuentem, seu calidum innatum saltem pro alterius generatione. Si aūt naturæ facultates considerantur ratione geniti respicimus vel ad meliorem vitam, vt sunt vel irascibilis, vel concupiscibilis: vel ad vitam, vt sunt quatuor naturales potētiæ vocatæ, quæ sane tantum quatuor sunt, caussa vitæ rei genitæ. Vt nulla sit in Gal. dictis ambiguitas. C

Quarta auctoritas sit Gale. 1. de facultatibus naturalibus 11. dum ait, propter nutritionem opus esse agglutinatione, & propter agglutinationem appositione: namque cum nutritio sit assimilatio eius quod nutrit, ad id quod nutritur, vt hæc fiat assimilatio, oportet vt præcedat agglutinatio, seu adhærentia, nam si alimentum defluit, non posset assimilari, & ob id alimentum, alioqui fluidum, ope naturalis caloris lentitiam glutinisque consistentiam adipiscitur, vt agglutinatio pertineat ad alteratricem, cui famulatur retentrix. Quod sit verum, tertio de facultatibus naturalibus primo ait, retentricem vim conferre ad agglutinationem, & assimilationem, quoniam, nisi succus attractus & appositus, in particula quiesceret, nec agglutinari, nec assimilari posset. Ecce agglutinatio non pertinet ad retentricem, sed ad alteratricem: quæ primo agglutinat, mox assimilat. Addit deinde Gale. loco præcitato, hoc est 1. de facultatibus naturalibus 11. propter agglutinationem opus esse appositione: nam fieri nequit vt alimentum adhæreat, nisi D primum apponatur. Dicebat autem tertio de facultatibus naturalibus 1. positionem, vel adiunctionem esse finem actionis, quæ vi attractrice proficiscitur, siquidem, & nutrimenti ex venis in singulis particulis adductio, adhuc attrahentis virtutis est opus, vt appositio pertineat ad attractricem, vt autē alimentum appositum, appositum permaneat, ad retentricem, vt tandem concludere liceat, postquam succus, qui omnem animalis particulam nutriturus est, a vasis excidit, primum in totam particulam dispergitur, mox adiungitur seu apponitur, deinde appositus agglutinatur, demum assimilatur, & quæ succi portio non assimilatur, expellitur. Vt rationabiliter Gal. 1. de facultatib. naturalibus secundo, concludat, etiam secundum mentem Hipp. naturam omnia artificiose & iuste agere, vt est facultatibus prædita, siquidem his facultatibus singulæ particulę conuenientem succum ad se trahunt, & apponunt, beneficio attractricis, ope autem retentricis appositum retinent, quousque agglutinetur, & assimiletur, partes autem agglutinant & E assimilant, virtute retentricis, demum quod interim non permisceri, nec cum nutriendo similitudinem recipere potuit, vi secretoria reiiciunt.

Caussæ actionis instrumentales, spiritus, & constitutio.

Hactenus ergo constat quemadmodum actio est motus hominis, sed effectiui, vt. s. vel agit, vel agere potest, vt corpus effectiuum est, hoc est, vt facultate præditum. Deinde in definitione dictum fuit: [*Mediante spiritu,*] vt hinc colligeretur, spiritum non esse auctorem seu primā causam efficientem operationis, sed concurrere vt medium, vt organum facultatis.

Spiritum corporis humani natura.

Quomodo autem concurrat spiritus, vt pateat cognoscenda est spiritus natura. In cuius inuestigatione, vt æquiuocationes ob vocis ignorationem fugiamus, primum scire oportet, quid per spiritū significare velimus. Itaque sciendum, nos per spiritum intelligere hominis substantiam, non solidam, non humorosam, sed quam Hipp. distinguens a solidis, & humoribus vocabat impetentem, seu impetum facien- F tem. Quæ sane spirituosa substantia nil aliud est, quam *mixtum per se mobile, genitum ex sanguine, & vapore gratia conseruationis facultatis humanæ.* Hæc definitio explicatur, vt explicatione absoluta oculis conspiciatis, quomodo facultas ad operandum concurrat, mediante spiritu.

Quid spiritus?

Spiritus est mixtum.

Primum ergo dictum fuit [*spiritus est mixtum*] quæ particula colligitur ex Galeno dum sexto & quincto c. dicit caloris ingeniti moderationem, hoc est, qualitatem, seruari respiratione: corporeæ autem substantiæ quod absumptum est, per cibos resarciri. Ecce vocat corpoream substantiam, nos autem mixtum, quoniam est genus magis proximum. Adhæc cum quilibet spiritus fiat ex sanguine, & ex hoc conseruetur, propterea quilibet spiritus. s. hominis, est substantia corporea, est mixtum.

Per se mobile.

Deinde additum fuit [*per se mobile*] ad differentiam humorum, qui ad similitudinem spirituum, inter solidas partes non recensentur, sed ad differentiam spirituū, humores non sunt per se mobiles, non ex G se, sed ad tempus, & ab alio mouentur, siue impulsi, siue attracti. At spiritus per se mouentur, vt quilibet spiritus semper moueatur, nempe spiritus insitus, spiritus vitalis, & spiritus animalis. Vt hinc etiam Galenus dicat tertio de facultatibus naturalibus vltimo, sanguinem esse tenuem, vaporem tenuiorem, spiritum autem tenuissimum, quæ sane tenuitas maxime ad motum confert.

Quam-

A Quamlibet autem ſpirituum ſubſtantiam eſſe per ſe mobilem, licet dictis Gal. ſtabilire, & præſertim ſpiritum inſitum, nam vt dicimus ſpiritum inſitum, dicimus ſubſtantiam, quæ locum non mutat, & proinde potius quieſcit. Itaque ſciendum, & primum quantum attinet ad ſpiritum inſitum, per hunc intelligimus calidum innatum. Siquidem, & Gal. 5. ſymp. nono ait, nos calidum innatum vocare etiam animantium natiuum ſpiritum: vt etiam aſſerat calidum innatum eſſe halituoſum & calidum ſpiritum. Nuncupauit etiam hoc calidum innatum, ſpiritum, ſeptimo de placitis ſeptimo: dum inquit: oculorum ſpiritum lucidum effici, dum factus eſt particeps animalis ſpiritus a cerebro prodeuntis. Ex quo etiam colligere licet, ſpiritus inſiti, ſeu calidi innati ſubſtantiam eſſe minus tenuem, ſubſtantia ſpiritus animalis: vt ſicut ex Gal. loc. cit. animalis ſpiritus eſt corpus fulgidum, ac quaſi æthereum, hic fulgor, hic ſplendor deſidet in calido innato, in ſpiritu inſito, ſaltem ſecundum oculum, gratia ſcilicet viſionis. Huius ergo ſpiritus ſeu
B caloris inſiti motum exprimens Gal. lib. de rigore cap. 6. dicit, calorem inſitum eſſe ſubſtantiam, per ſe & ſemper mobilem, & ſua ſponte, & proinde ex ſe, non ab alio. Hic autem motus eſt foras intus: vt alter motus ſemper alterum excipiat: neque animalis generatio poſterior eſt, ſed prima. Obtinet autem hunc duplicem motum, quoniam hoc calidum innatum eſt temperatum ex calido & frigido: ex calido quidem, vt huius beneficio prima ratione, hoc eſt, primum ſua ſponte, per ſe ſurſum & foras mouetur, atque caloris innati ſubſtantia calido potiſſimum ad actiones indiget: ex frigido autem, vt hoc retineat, impediatque nimium motus ſurſum vehementiam: ſiquidem periculum eſt, ne calor innatus, præ leuitate & impetu ſurſum a corporibus diſcedat, & hinc diſſipetur. Vnde dicit Ariſt. prima particula probl. 33. hyeme calorem intus ſe contrahere, æſtate extra euadere, vt propterea non ſit quilibet calor, ſed proprius, vt ait
C 3. problem. 25. qui ſane corrumpitur, aut marcore, aut exſtinctu: marcore quidem, hoc eſt, vel indigentia alimenti, vel ab alieno calore, vt ignis in ſole, & lucerna apud ignem. Exſtinguitur autem contrariis, hoc eſt, frigido, & humido, in copioſiori vel vitioſo alimento. Vt tandem calor innatus corrumpatur marcore, quia deorſum non poteſt moueri: exſtinctu autem, vt motus ſurſum adimitur. Ecce ergo, quemadmodum ex Galeni ſententia calor innatus, ſeu ſpiritus inſitus, ſubſtantia eſt per ſe mobilis.

Quod ſi ſpiritus innatus, ſi calor innatus, eſt per ſe mobilis: id multo magis de ſpiritu vitali, & animali eſt aſſerendum. Sed calor innatus, ſemper ſui ſubſtantiam, partem non deſerit: calor enim innatus, verbi gratia, oculi, oculum non deſerit; cordis, cor non relinquit: & ſic de reliquarum partium calido innato eſt ſtatuendum. At ſecus dicendum de vitali, & animali ſpiritu. Hi enim ſpiritus præter motum ſurſum, & deorſum, ſeu foras, & intus, & proinde præter motum communem his ſpiritibus, & calido innato,
D etiam alio motu afficiuntur, in quo proprium fontem deſerunt. Nam vitalis ſpiritus mouetur a corde extra cor: vt hinc etiam ſemen, quod eiaculat, ſit vitali ſpiritu plenum. Animalis etiam ſpiritus mouetur a cerebro extra: vt hoc oculus non exigue ſit viſurus. At notandum differentiam eſſe inter hos motus: nam motus, qui fit in parte, competit ſpiritui, vt per ſe eſt mobile: qui autem eſt a parte extra partem, adſcribitur ſpiritui, vt ab alio mouetur, & potiſſimum ab impellente, a facultate tranſmittente.

Vnde Galenus, reſpiciens ab ſubſtantiam ſpirituoſam, vt mouetur ab vna parte ad aliam partem, 12. method. 5. fatetur, dari ſpiritum animalem & vitalem: ſed dubitat de ſpiritu naturali, inquiens: quod ſi naturalis quoque aliquis ſpiritus eſt, vtique hic quoque in iecinore, & venis continebitur, ſicut vitalis in corde, & arteriis. Ecce dubitat: quia per ſpiritum naturalem, non intelligit ſpiritum inſitum, ſeu calidum
E natiuum: quia de hoc, an detur nunquam dubitauit: ſed intelligit ſubſtantiam quandam ſpirituoſam, quæ mouetur a parte ad partem, quæ ſit alia a ſpiritu animali, & vitali: quia dubio procul ſi daretur, in tertio ex membris principibus, nempe iecinore, detineretur. At ſtatuendum potius non dari, cum hoc non egeat naturalis facultas, ad differentiam vitalis, & animalis, vt patebit dum de ſpiritus vtilitate loquemur.

Spiritus naturalis, an detur.

Ceterum cum conſtitutum ſit omnem ſpiritum, & proinde etiam ſpiritum inſitum, ſeu calidum innatum, mixtum eſſe per ſe mobile: neceſſario colligitur calorem innatum eſſe quid aliud a temperatura. Vnde hanc veritatem pernoſcens Hippo. 6. Epid. 5. ait: hominis anima ſemper producitur vſque ad mortem: ſi autem anima igneſcat, tunc anima ſimul cum morbo corpus depaſcitur. Ibi namque per animam ſignificat primum eius inſtrumentum, quod eſt calidum innatum: hoc enim ad mortem vſque perduci-
F tur: hoc autem dum igneſcit, depaſcitur corpus, ſimul cum morbo: per morbum autem nil aliud intelligit, quam corporis temperiem redditam calidiorem, redditam morboſam. Quare calor innatus eſt quid diuerſum a temperatura: nec ab re: cum calidum innatum ſit ſubſtantia, ſit corpus, quod etiam antiqui ingenitum ſpiritum vocabant. Hactenus ergo patet quemadmodum ſpiritus eſt mixtum ſemper & per ſe mobile.

Calidum innatū non eſt temperamentum.

Deinde in definitione dictum fuit, [*genitum ex vapore.*] Qua particula proponitur materia, ex qua generatur ſpiritus. Hanc autem eſſe ſanguinem & vaporem, comprobamus Gale. teſtimonio. Et primo, quo ad ſpiritum inſitum, dicit Gale. 1. aph. 14. ſubſtantiam calidi innati eſſe aeream, & aqueam: quoniam & duo generationis principia, ex quibus fit, ita ſe habent: ſiquidem alterum, nempe ſemẽ, paucam omnino ſubſtantiam terrenam participat, plurimum autem aeris calidi humidique in ſe continet: reliquum
G vero, nempe ſanguis menſtruus, natura humidus eſt: vt cum calidum innatum ex his duobus ſit conſtitutum, & eius ſubſtantia ſit bene temperata, & ex his igneum genitum ſit, ex ſanguine, quia ex ſanguine menſtruo, ex vapore, quia ex ſemine, vt ſcilicet ſemen & ſanguis mutetur in vaporem, vapor in calidum innatum vapore tenuius, & proinde in ſubſtantiam inuiſibilem. Confirmatur hæc veritas ex Gal. in lib. aduerſus Lycum cap. 7. nam ait, calidum innatum primo genitum nil aliud eſſe quam ſanguinem,

Materia ſpiritus.
Spiritus inſiti materia.

&fermen,hoc est,corpus quoddam confectum ex sanguine menstruo & semine. Vt cum semen constet A ex serosa humiditate,& spiritu,recte dictum fuit genitum esse ex sanguine & vapore. At hic notandum cum Arist.3.de generatione animalium nono,calidum innatum hominis differre a calido brutorum, vt fiat ex semine maris: cum dicit, solum in homine esse semen separabile a corpore, hoc est,a fœtu:sed de his diligenter in sermone de formatione fœtus. Amplius lib.ad Thrasybulum 19.ait,calidum innatum esse substãtiam humidam,& calidam,hoc est,sanguineam,& seminalem:vt pro sui reparatione his etiã egeat. Adhæc, respiciens ad sanguinem ex quo gignitur calidum innatum, ait 5. simpl. 9. calidum innatum contineri in omnibus animantis partibus, sed instar sanguinis non esse vndiquaque simile, & in spatiis inanibus non parum eius inesse substantiæ,imo potius veluti materiam quandam, quæ leuiculam exposcit mutationem,vt perfecte in spiritum innatum mutetur. Tandem dicit Gal. 8. de Plac. 7. caloris insiti generationem non esse ex attractione spirituum,qui sunt in arteriis,sicut in lapidibus, & lignis fieri cernimus:cum huius substantia sit sanguis,& semen:vt etiam eius complexio sit temperata: vt iam calor innatus duo in se contineat,nempe substantiam,& temperiem.Gal.1.de semine, quincto dicit, Aristotelis sententiam fuisse,vel insitum calorem,vel spiritum innatum, vel bonam temperaturam, roboris membrorum caussam esse:per insitum calorem insinuans temperiem:per spiritum autem substantiam. Quod etiam cum Aristotele neque Hippocrates ignorauit: siquidem lib. de alimento ait, facultatem alimenti peruenire ad ossa,& ad omnes partes,non modo viuentes,sed etiam non viuentes, & proinde ad sanguinem,pituitam,& medullam:& præterea addit,in caliditatem spirituum, & humiditatem. Quæ verba,si recte intelligantur,patebit apud Hippocratem dari calidum innatum. Itaque sciendum,ita esse intelligendum Hipp.vt per facultatem alimenti intelligat vim cibi,beneficio cuius & continentia & contenta conseruantur,vt propterea conseruentur ossa,& omnes partes viuentes,& non viuentes: quamuis differenter:siquidem partes viuentes conseruantur,& concurrente cibo vere aluntur: reliquæ autem partes non viuentes,siue sint solidę,vt vngues,siue etiam fluxiles,reparantur,& regenerantur:vt vis cibi perducatur ad sanguinem,ad pituitam,quæ potest in sanguinem conuerti, ad medullam, ex qua ossa aluntur. Sed præterea addit caliditatem spirituum,& humiditatem:insinuans,quæ communia sunt cuilibet parti viuenti:vt per caliditatem intelligat calorem a corde influentem:per spiritum,calidum insitum: per humiditatem,propriam viuentis partis humiditatem,ex qua viuens pars alitur, siquidem, vt pars viuens alatur,opus est præter constitutionem partis,hoc est,temperiem,compositionem,& vnitatem, vt adsit ꝓprium alimentum,in quod agat spiritus insitus,sed in virtute caloris a corde influentis, vt proprium alimentum, vt propria humiditas in substantiam partis viuentis mutetur.Ecce ergo quomodo secundum Hipp.datur spiritus insitus,& proinde calidum innatum:siquidem spiritus insitus,vt differt a vitali, & animali,est potissimum calor insitus:vt autem differt a temperatura,& calore influente,est spiritus insitus, est substantia. Vt ex his colligere liceat,calidum insitum esse corpus,cuius calor est elemẽtalis, cum fiat ex sanguine,& semine:vt,si recte intelligatur Hip.huic veritati non refragetur.Itaque sciendum Hip. lib.de carnibus dixisse,quod calidum vocamus immortale est,& cuncta intelligit,& videt,& audit,& scit omnia, tum præsentia,tum futura. Quæ verba sunt ita intelligenda,vt per calidum intelligat calidum elementale.Quod sit verum,subdit:huius calidi plurimam partem,cùm turbata essent omnia, in supernam circũferentiam secessisse,& veteres nominant æthera,ignem.Vnde hic obiter colligendum,Hip.nouisse mundi orginem,cum dicit,cum turbata essent omnia,hoc est,ante mundum,vbi turbatio,confusio,chaos adhuc esset,mundi origo fuit,dum calidum in supernam circumferẽtiam secessit,& creatus est ignis. Sed ad rem:calidi elementalis plurima portione ascendente factus est ignis:altera autem pars huius calidi decessit in infernam partem,quæ pars terra appellatur,nempe frigida,& sicca.Et in hac sane multum calidi inest:tertia autem pars aeris medium locum occupauit,calidum quidem,& humidum exsistens:quarta autẽ pars cœpit terræ proximum locum humidissimum,hoc est,aquam.Patet ergo quemadmodum per calidũ intelligit elementale.Hoc autem arripit,vt medium,per quod Deus Opt.Max.mundum hunc creauit,& conseruat:& propterea respiciens potius ad primum motorem,quam ad medium,& per hoc medium insinuans nobis vires primi motoris,ait,esse immortale: quasi insinuans hoc calidum pendere a primo omnium rerum auctore,qui immortalis est, & cuncta intelligit, & scit omnia, tum præsentia, tum futura. Vnde ad supremam illam diuinitatẽ respiciens,nec de olfactu,nec de tactu,nec de nutritione,& aliis consimilibus inferioris classis functionibus loquitur:vt pateat per calidum non intelligere calidum innatum hominis:tametsi calor ille elementalis possit mutari in calidum innatum hominis,sed tũc & vna cum homine perit,& organum est functionum hominis.Hæc de insiti caloris substantia, ex qua gignitur. F

2. Vitalis materia. Quod autem ad spiritum vitalem:ex Gal.7.de Plac.3.huius materia sumitur ex inspiratione,& ꝓinde ex aere,& humorum exhalatione,hoc est,tenuiore ac puriore sanguinis parte: vt rationabiliter gigni ex sanguine arterioso statui possit:vt etiam dicit 12.meth.5.vt propterea fiat ex elementis, & hinc ex igne. Vnde dum philosophus secundo de generatione tertio, ait, nec esse ignem, nec ex igne fieri:intelligit a prædominio,cum spiritus a prædominio sit aereus,& ob id secundo de generatione animaliũ quarto, ait, spiritum esse calidum, & humidum.

3. Animalis materia. Quantum denique attinet ad animalem, Gal.12.meth.5.& li. de vtilitate respirationis vltimo,ait,necessarium esse,spiritum animalem nutriri,hoc est,conseruari per reparationem substantiæ loco illius,quę dissipatur:est autem aer,& sanguinis vapores. Ab aere quidem conseruatur,& ex inspiratione potissimum G alimenti pars per nares animali spiritui accidit:vt cerebrum valde non egeat aere a corde allato: cuius signum est,quod si arteriæ circa collum laqueis adstringantur,nihil patiatur animal,sed per totam diem,& respirare,& moueri possit.Ceterum conseruatur etiam ex sanguinis euaporatione, prodeunte a corde ad plexum retiformem,& ab hoc in cerebrum.Ceterum notandum cum Gal.lib.de vsu pulſ.3.quamuis animalis

A malis ſpiritus beneficio aeris nutriatur,& vaporis ſanguinei, qui in arteriis plexum formantibus præparatur:magis tamen propriam vtilitatem tribuere arterias,vaporem ſanguineum præparantes. Nec ab re: ſiquidem & ſpiritus animalis genitus ex ſanguine & aere,potiſſimum per portionem ſanguineam ſpiritus animalis cõſtituitur.Vnde 7.de Plac.3.ait,ſpiritum vitalem perfectius coctum in animalem mutari: quippe cum oporteat animalem ſpiritum exquiſitiſſimam omnium mutationem adipiſci: quare ſpiritus animalis,& citius & maiori ex parte conſeruatur ope aeris,magis tamen proprie beneficio vaporis ſanguinis, & præſertim prodeuntis ex plexu retiformi,ad differentiam euaporationis ſanguinis e venis.Vnde idem Gal.5.de Plac.7.ait,animalem ſpiritum parua ex parte alimentum ſuſcipere ex venis ad cerebri ventriculos pertinentibus,maximum autem ac præcipuum ortum habere ex arteriis a corde ortum habentibus, & plexum retiformem efformantibus. Vt tandem colligere liceat, animalem ſpiritum ſeruari maiori ex
B parte beneficio aeris,& potiſſimum per nares attracti:minori ope vaporis ſanguinis arterioſi: adhuc minori ope vaporis ſanguinis venoſi:magis tamen proprie virtute ſanguinis arterioſi.

Hactenus ergo patet,quemadmodum ſpiritus eſt mixtum per ſe mobile, genitum e vapore,qui in calido innato eſt ſeminalis,& ſanguineus,in reliquis aereus & ſanguineus: quamuis ratione ſpiritus animalis ſit etiam ſpirituoſus,vt gignitur ex ſpiritu vitali:& rationabiliter calidum innatum eſt ſeminale, & ſanguineum.

Deinde dictum fuit [*a natura.*] Qua particula proponitur cauſſa efficiens, quæ eſt natura, ad differentiam animæ:vt productio ſpiritus non ſit actio animæ,ſed naturæ. Quæ veritas,vt aperta reddatur,nõ erit ab re circa vnumquemque ſpiritum digredi.Primo ergo quantum ad ſpiritum innatum: cum producatur etiam antequam in vtero gignatur fœtus,& poſt fœtus generationem conſeruetur:ſciendũ, Cauſſa efficiens ſpiritus. 1.Innati ſpiritus cauſſa.
C ante fœtus generationem produci ex ſemine,& facultate naturali generatrice, a vi ſeminis mediante ſpiritu vitali immutato,& adiuuante calore vteri:dum vero fœtus eſt genitus,produci & conſeruari a facultate naturali fœtus,ſecundum omnes eius viuentes partes. Vt cum procreetur a qualibet corporis parte: ſtatuendum ſit,non ab anima,ſed a natura produci:propterea quod anima ſuas obit functiones tantum in cerebro,& partibus ſenſum & motum a cerebro ſuſcipientibus. Propterea hoc cognoſcens Gal. dicit ſexto epid.quincto,calidum innatum reperiri in toto corpore,in iecore,& corde. Neque obſtat,quamuis ibi Gal.de cerebro loquens proponat ſpiritum animalem, non autem calidum innatum: nam ob id nec voluit nec debuit inſinuare calidum innatum non reperiri in cerebro,nam ſi reperitur in toto, igitur etiam & in cerebro. Vnde ita eſt locutus Gal.reſpiciens ad præcipuas actiones animæ, vt eſt & anima & natura:præcipua autem functio,ratione totius iecinoris & cordis,eſt functio naturalis,ratione autem cere-
D bri,animalis:vt cum ad edendam functionem naturæ primum locum teneat calor inſitus,ad obeundam autem functionem animæ,ſpiritus animalis;ob id loquens & de toto & de iecore,& corde, propoſuit calidum innatum;loquens autem de cerebro,propoſuit ſpiritum animalem. Præterea ita etiam eſt locutus, quoniam cerebri organum eſt calidi innatum,quod permixtum habet ſpiritum animalem, propter operationes principes,quæ in cerebro obeuntur.Conſtitutum ſit igitur,cum natura agat in toto corpore, & potiſſimum in iecore,& corde:ob id calidum innatum gigni a natura,tum totius,hoc eſt,a facultate alteratrice,tum ſingularum partium,tum potiſſimum iecinoris,& cordis. Hinc fit vt calor innatus varius producatur,vt corporis partes inuicem diſſideant. Et ob id dicit ibi Gal.iecinoris calorem eſſe remiſſiorem,vt ſola egeat tranſpiratione, cordis autem calorem eſſe intenſiorem,vt egeat etiam reſpiratione: vt merito etiam calor iecinoris fiat ab agente minus calido,cordis autem calor magis ab agente calido. Idem de reli-
E quis corporis partibus ſtatuendum: vt calidum innatum cerebri a remiſſa potius quam intenſa caliditate producatur. Ceterum vtcunque agentia differant,perpetuo ſunt agentia,vt organa naturalia,non autem animalia. Hinc ſequitur,vt cum calor inſitus ſit efficacior,ſit calidior,productus in corde, quam in reliquis corporis partibus:propterea dixiſſe Gal.9.meth.10.caloris inſiti cor eſſe fontem: per calorem inſitũ non intelligẽdo omnem calorem:quia calor inſitus in qualibet parte gignitur,nec eam deſerit:quare per calorem inſitum intelligit efficaciorem & calidiorem,vt eius non ſubſtantia,ſed qualitas a corde tanquã a fonte deducatur in totum corpus,quæ ſane qualitas calor influens,ſcilicet a corde nuncupatur. Vnde ad idem reſpiciẽs Gal.lib.de vtilitate reſpirationis vltimo,ait,cor eſſe principium naturalis caliditatis,ibi per naturalem caliditatem intelligens quidem calidum innatum,at non abſolute,ſed vt ab hoc emanat calor influens, vitam conſeruans omnibus corporis partibus: vt merito etiam cor vitæ principium ſtatuatur.
F Comprobatum ergo ſit,calidum innatum eſſe naturæ opus.

Quo vero ad ſpiritum vitalem, & hic eſt naturæ opus, vt propterea aſſidua ſit huius generatio. Ex Gal.autem 7.de Plac.3.cum reperiatur in arteriis,& corde, potiſſimum gignitur a facultate cordis altera 2. Vitalis efficiens.
trice,quæ vitalis nuncupatur:quare a natura non ab anima.

Quo vero ad animalem ſpiritum,hic ſane reperitur in cerebro. Vnde dicit Gal. lib.de vſu part.ſecundo,cerebri ventriculos animalis ſpiritu plenos eſſe. Neque ſolum animalis ſpiritus reperitur in eius 3. Animalis cauſſa.
ventriculis,ſed etiam (vt aſſerit lib.de vtilitate reſpirationis,cap.vltimo,) in cerebri ſubſtantia: vt huius cauſſa efficiens nil aliud ſit quam naturalis cerebri facultas,quæ ſuis organis efficaciter agat in ſanguineum vaporem:cum ex Galen.7.de Plac.3.oporteat animalem ſpiritum exquiſitiſſimam omnium mutationem adipiſci,vt hinc tempore aliquo egeat, cum in inſtanti tanta mutatio, vtpote ſpiritus vitalis in ani-
G malem,fieri nequeat. Vltimam autem (ait Galen.) perfectionem acquirit in cerebri ventriculis: quod intelligendum eſt de ſpiritu animali, qui eſt organum ſenſus & motus: nam,quia organum eſt principum facultatum, & continetur in cerebro, ita in cerebro poſtremam conſequitur perfectionem. Ceterum vbicunque gignatur, ſemper eſt opus non animæ, ſed naturæ. Vt propterea cerebrum producat ſpiritum animalem in virtute caloris ſui innati, non autem ſpiritus animalis prius geniti,

Quoniam, vt cito patebit, ſolus animalis ſpiritus eſt organum animæ, quamuis cum inſito permixtus: reliqui autem ſpiritus, hoc eſt vitalis, & inſitus, ſunt organa naturæ. A

Finalis cauſſa ſpiritus.

Poſtremo definitionis particula fuit [*gratia conſeruationis facultatis humanæ.*] In hac particula clauditur cauſſa finalis ſpiritus. Hic autem proponitur facultas humana, quia ſermo eſt de actione, de operatione hominis. Dictum autem fuit [*gratia conſeruationis,*] vt ſpiritus tanquam animæ ſeu facultatis organum diſtingueretur a membri conſtitutione, hoc eſt, temperie, & compoſitione: quandoquidem & conſtitutio eſt facultatis, & proinde animæ organum. Vnde pro huius veritatis intelligentia ſciendum, facultatis organum bifariam accipi poſſe: altero modo, vt principaliter conſeruat facultatem, ſecundario autẽ vt ad facultatis operationes obeundas confert: reliquo autem modo, vt principaliter conducit ad facultatis operationes edendas, ſecundario autem ad facultatis conſeruationem: vt, ſi reſpiciamus ad facultatis B conſeruationem, primas partes obtineat ſpiritus: ſi ad facultatem operantem, conſtitutio temperaturæ. Quod cognoſcens Gal. 3. de ſymto. cauſſis primo, ait, ciborum mutationem in chylum fieri a ventriculi temperatura, ſed adiuuante calido. Ecce, ratione facultatis operantis, principale organum eſt temperatura: adiuuans, calidum innatum.

1. Spiritus innati vtilitates.

Ceterum, vt hæc veritas magis elucescat, & omnis cuiuslibet ſpiritus vtilitas pateat, liceat ſigillatim circa vnumquemque ſpiritum digredi. Itaque quantum ad ſpiritum innatum. (vt omnia Gal. dictis comprobentur) dicit Gal. 2. ad Glauconem ſecundo: natiuus calor fortaſſis, (vt nonnulli arbitrantur philoſophi, ac medici ſummi) ſubſtantia virtutum exſiſtit: etſi non hoc, ſaltem primum ac maxime neceſſarium ipſarum inſtrumentum. Ecce, nil aliud inſinuat, niſi calorem natiuum ita ſeruare virtutes ſcilicet naturales, vt vel ſit eſſentia, vel ſaltem neceſſarium & primum organum, ſine quo virtus nequaquam conſiſtere C poteſt. Amplius Galenus ſexto epid. quincto, ait, multis in locis dixiſſe Hippo. calorem naturalem operationum naturalium eſſe auctorem. Ecce proponit calorem naturalem auctorem, principale agens, quod tamen eſt falſum: nam principale agens, eſt anima, eſt facultas: ſed vocauit auctorem, vt ſignificaret, conſeruari ab hoc facultatem. Vnde ibidem habet Galenus Hippocratem ſignificare animę ſubſtantiam eſſe calorem naturalem: nam quamprimum deſinit calor, pars anima orbatur. Et propterea philoſophus decimoquarto problem. nono, dicit mortem eſſe refrigerationem caloris interioris: vt calidum innatum ſit nexus animæ, cum corpore. Ceterum hoc loco notandum, natiuum ſpiritum conſeruare facultatem naturæ, vt propterea etiam conferat ad operationes naturæ, non autem animæ, niſi adnexum habeat ſubiectum, beneficio cuius euadat etiam animę inſtrumentum. Quod pernoſcens Ariſtoteles quincto de generatione animalium ſecundo, ait: vt ſpiritus natiuus, in aliis locis pulſum facit, in aliis inſpirationem, ita D in meatu auditorio facit auditum, ſcilicet per permixtionem ſubſtantiæ aereæ cum calido innato: vt etiam in oculo calidum innatum, ſpiritus inſitus, ſit cauſſa viſionis: vt etiam in cerebro, vt permixtum habet animalem ſpiritum, ſit cauſſa principum functionum: vt animalis functionis organum non ſit inſitus calor naturalis, ſed vt mixtum quoddam ex calore naturali, & ſpiritu animali, vel alia ſubſtantia. Quod ſane additum eſt propter oculorum ſpiritum ſcilicet inſitum, qui ex Gal. 7. de placitis ſeptimo, lucidus efficitur, dum factus eſt particeps animalis ſpiritus a cerebro prodeuntis: vt ſpiritus inſitus, ſeu calor inſitus cryſtallini concurrat ad viſionem, & proinde ad animæ operationem, non ſolus, ſed neceſſario coniunctus cum ſpiritu animali: vt viſionis, vt actionis animalis præcipua cauſſa ſit ſpiritus animalis, non autem naturalis calor, ſiquidem concurrit ad viſionem, vt illuſtrans, vt perfectus redditus ab animali. E

Galenus de vſu calidi innati.

Cum ergo natiuus ſpiritus primum quidem naturalem facultatem conſeruet, deinde etiam vt adiuuans concurrat ad operationes obeundas ipſius naturæ: mirum eſſe non debet, ſi Gal. pleriſque in locis hanc veritatem propoſuit: ſimul etiam proponens pleraſque naturæ operationes, quæ concurrente etiam natiuo calore obeuntur. Primo ergo Gal. 6. Epid. quincto, ait, caloris natiui primum officium eſſe corpus noſtrum alere, ſanguinem primum creare, & hominem ad iram excitare. Quibus verbis primum proponit calorem innatum cuiuslibet corporis partis, vt quælibet pars pro ſui conſeruatione eget nutritione: ſecundo proponit calorem innatum iecinoris, ope cuius ſit ſanguificatio, cuius opus eſt ſanguis, neceſſarius cauſſa nutritionis totius corporis: tertio proponit calorem inſitum cordis, cuius cauſſa homo ad iram excitatur: quod etiam dicit 6. de Plac. vlt. Secunda Gal. auctoritas ſit 4. aph. 2. dum ait, calore natiuo debilitato ex profluuio ſanguinis, nec cibos bene concoqui, neque in ſanguinem tranſmutari, multoque etiã F minus diſtribui; vt calor innatus ſit inſtrumentum facultatis, & ventriculi, & iecinoris. Admoneantur autem ſtudioſi, quamuis dicat Gal. calore natiuo debilitato multo minus ſanguinem diſtribui: non eſſe dictum, vt ſignificaret calorem innatum eſſe magis neceſſarium organum expultricis, quam concoctricis: ſed vt inſinuaret quod, dum ob caloris imbecillitatem non coquitur alimentum, expultrix ita ſit debilis, vt nequeat expellere, & præſertim quia ſanguis male concoctus non cedit facultati tranſmittenti. Tertia auctoritas ſit 6. epid. 4. 25. vbi ait, ab inſito calido exuperante optimas fieri in ventriculo coctiones. Addit autem, hoc eſſentiam habere repoſitam in ſanguine & ſanguineis viſceribus: in ſanguine quidem, cum ex hoc reficiatur, vt ſcilicet mutetur in ſemen: in ſanguineis viſceribus, hoc eſt, animatis, nam niſi membrum ſit animatum & ſanguineum, hoc eſt, particeps huius calidi, calidum nequaquam reparari poterit: vt ſecundum hanc rationem membrum ſanguineum ſit non modo caro, ſed & os, & membrana, & quodlibet G aliud membrum vita præditum: nam vbi vita, ibi calor inſitus: & vbi calor inſitus ibi vita. Quarta auctoritas 6. epid. 3. 18. dum ait, vitalis potentiæ eſſentiam eſſe ingenitum calorem, qui ex corde habet originem. Ex quibus duo colligere licet. Primum, ingenitum calorem eſſe eſſentiam vitalis potentiæ, prout ſcilicet vitalis potentia ope huius conſeruatur: ſecundum autem, dixiſſe Gal. eum calorem eſſe eſſentiam vitalis potentiæ, qui ex corde habet originem, ad differentiam ſcilicet alterius caloris, qui ex alia parte habet originem.

A riginem. Vt propterea per calidum ingenitum nō intelligat ſpiritum vitalem, ſed inſitum cum vitali per-
mixtum:qui,vt conſeruat vim ſanguificatricem,eſt calor iecinoris:& ſic de reliquis:vt hinc quilibet calor
ad operationem peculiaris partis iuuamentum præſtet. Quincta auctoritas ſit 5. ſimpl.9.dum habet, cali-
dum innatum omnes naturales actiones adaugere,& eo magis,quo eius ſubſtantia eſt copioſior, cuiuſ-
modi eſt in iis qui creſcunt. Ex quibus duo potiſſimum colligere licet:primum, naturales actiones adau-
gere,vt propterea calidum innatum ſit adiuuans,ad differentiam temperaturæ, quæ ad agendum primū
concurrit:vt etiam licet colligere ex 3.de ſymp.cauſſis 1.dum ait,cibi mutationem fieri a ventriculo adiu-
uante calido.Secundum autem,conferre ad augendas actiones naturales,non aliquas, ſed omnes: vt ſi-
gnificaret,nullam eſſe partem vita præditam,quæ hoc calido non egeat:vt ſi calidum innatum non eſt a-
nimæ eſſentia,eſt ſaltem eius primum inſtrumentum,ſcilicet conſeruans.Sexta auctoritas ſit ſecundo de
B facultatibus naturalibus 4.dum ait,a calore innato fieri nutritionem,concoctionem,omnem ſucci gene-
rationem,& in excrementis etiam qualitates.Poſtrema auctoritas ſit 8.de Placit.7.vbi(cum dicit calorem
innatum etiam ſecundum Hippocratis ſententiam omnium naturalium operationum auctorem eſſe,
atque arteriarum motum produci ab inſito calore)ſubdit, quinimo etiam eſſe in cauſſa motus & neruo-
rum,& muſculorum,cuius ſignum eſt, quod ſi vel frigore, vel veneno frigefactum fuerit corpus, nulla
alia re in corpore alterationem patiente,ſtatim quidem arteriarum motus, neruorum item, & muſculo-
rum,ceſſant:vt his verbis inferat,conferre calidum innatum ad functiones obeundas,non modo naturæ,
ſed etiam animæ:ſiquidem neruorum & muſculorum motus animæ ſunt actiones. Et ob id notandum,
calidum innatum non eodem modo ſe habere ratione naturæ,& animæ. Nam ratione naturæ, primum
naturalem facultatem conſeruat,vt propterea naturalium operationum auctor vocetur:deinde vero ad-
C iuuat facultatem ad opetandum,vt quo maior eſt portio calidi innati, eo melior fiat naturalis operatio,
a naturali facultate, mediante partis temperatura. At ratione animæ, primum calidum innatum non
conſeruat animalem potentiam, nam (vt ſuo loco patebit) conſeruatur ab animali ſpiritu: neque et-
iam multum confert ad animæ functionem, cum motus voluntarius valentior fiat potius a calido ſic-
co,quam a calido humido: cuius ſignum, pueros, calido innato maxime refertos, non edere motus ad-
modum robuſtos: vt calor innatus potiſſimum ſit in cauſſa motus voluntarii, vt eſt in cauſſa, vt vis ani-
malis influens ſuſcipiatur a parte: vt dum vi cauſſæ refrigerantis afficitur calor natiuus, vim animalem
non admittat, hincque motus ceſſet. Vt id concludendum ſit, calidum innatum & potentiam natura-
lem conſeruare, & omnes eius actiones augere, non nihil etiam ad animæ functiones celebrandas
conducere.

D Quod ſi volumus cum Platone etiā calidi innati vtilitatem pernoſcere:primum ſcire oportet Plato- Calidi innati vſus,ex Platone.
nem in Timæo ſcripſiſſe,omnia animalis membra vitam poſſidere in igne,& ſpiritu, quæ ſane animal aſ
ſidue reſoluunt,& exhauriunt,vt proinde alimento ſit opus. Quibus verbis colligitur,caloris & ſpiritus
natiui beneficium,& maleficium.Beneficium quidem,quoniam animalia viuunt per ignem & ſpiritum:
maleficium vero,quoniam ab his animal abſumitur.Vnde per ignem intelligere oportet calorem cordis:
per ſpiritum autem calidum innatum,eſſentiam membrorum,ſine quibus nequaquam membrum viue-
re poteſt.Ad hæc idem Pla.in Gorgia,& in Phædro ait,mortem nil aliud eſſe quam animæ & corporis in-
uicem diſſolutionem: vt hinc colligere liceat, vitam eſſe vnionem animæ cum corpore, vt ſane hæc duo
inuicem ligantur,vt vniuntur beneficio calidi innati:vt hoc deficiente deficiat vnio animæ cum corpo-
re,& hinc ſuccedat mors.

E Ariſtoteles quoque vtilitatum calidi innati nō ignarus,dicit 5.de generatione animalium 6.vnum- Calidi innati vtilitas ex Ariſtotele.
quodque membrum ſuum calorem habere. Ad hæc 2.de partibus animalium 3.cibum concoqui, & mu-
tari, non niſi per caloris vim: vt propter alimenti concoctionem non modo animalia, ſed etiam ſtirpes,
calorem naturalem obtineant. Et cum Ariſtotele hic calor pluribus partibus eſt accommodatus,quem-
admodum cibi adminiſtrationes ſunt accommodatæ, vt, verbi gratia, conficiatur cibus in ventriculo, &
iecore,iis partibus eſt accommodatus calor,qui aptus ſit ad cibum concoquendum,vt nimirum per calo-
rem ventriculi panis fiat chylus,per calorem iecinoris chylus fiat ſanguis. Quinimo etiam(vt ait tertio de
generatione animalium vltimo)in animalibus generantibus continetur calor, qui ſecernendo ex cibo
ingeſto,& concoquendo,facit excrementum,quod conceptus eſt principium, hoc eſt, ſemen. Adhæc,
cum eodem Ariſt.tertio de partibus 6.calor eſt id quod vim obtinet agendi:ſanguinis autem copia calo-
F ris eſt indicium,nam vt ſanguis eſt copioſior,gignitur a validiori calido. Et tandem reſpiciens ad plures
calidi innati vtilitates, 5.de generatione animalium vlt.ſcribebat,conſentaneum eſſe naturam magna ex
parte vti ſpiritu,vt inſtrumento;nam vt nonnulla artium inſtrumenta vtilia ſunt ad plura,qualis in exci-
ſoria malleolus,& incus;ſic in rebus a natura inſtitutis ſpiritus varium exhibet vſum: per ſpiritum autem
intelligit calorem innatum,& propterea in eodem cap.paulo ſuperius dicit, calorem vim agendi obtine-
re. Notandum autem,dixiſſe Philoſophum, naturam magna ex parte vti ſpiritu: non quia aliquando
ſpititu ſeu calore non vtatur: ſed dicit magna ex parte, hoc eſt,ad plures vſus. Quod ſit verum,ſpiritum
comparat,vt inſtrumentum,ad artis inſtrumenta,vt ſunt ad plures vſus.Ita autem eſt locutus, quoniam
loquitur de calore gignente dentes,& proinde de ſimplici calido innato,ad differentiam calidi innati nō
ſimplicis:nam vt ſimplex calidum innatum eſt inſtrumentum, quo natura vtitur ad plures vſus; contra
G calidum mixtum eſt inſtrumentum,quo natura vel anima vtitur, ad vnicum tantum & priuatum vſum:
nam ſi miſceatur cum ſpiritu animali, eſt organum principum facultatum, & viſus: ſi cum ſpiritu vitali,
eſt inſtrumentum facultatis vitalis cordis: ſi cum naturali, ſanguificatricis iecinoris: ſi cum aere, audi-
tus tantum: ſi cum vapore, olfactus: ſi cum humore,guſtus:in reliquis autem functionibus, natura hoc
calido inſito citra permiſtionē vtitur, & ꝓinde vt inſtrumēto,ad plures vſus.Hęc de vtilitate calidi innati.

2. Vitalis vſus. Quoad ſpiritum vitalem:huius finis non eſt, vt ſit vehiculum vis pulſificæ:ſiquidem ex 7. de Placit. A
5.arteriæ pulſant,non propter ſpiritum a corde immiſſum,ſed quia tunicas adnexas habent cum corpore
cordis,ab eoque vim influentem aſſidue ſuſcipiunt.Sed neque ad ventris concoctionem plurimum con-
fert. Quod ſit verum,ait Gal. 2. de naturalibus facultatibus 8. quemadmodum ſpiritus vitalis in quibuſ-
dam animalibus plurimum valet ad concoctionem,quæ fit in ventre:contra in hominibus vel nihil, vel
omnino leue aliquid & exiguum confert:& cauſſa forte fuit,quoniam veſcitur cibariis facilioris coctio-
nis,vt a ſpiritu vitali potius conſumerentur,aſſarenturque, quam concoquerentur. Quare alium vſum
In corde. ſpiritui vitali tribuere licet.Et(ni fallor)multiplex eſſe poteſt: nempe & in corde, & extra cor. In corde
quidem,vt permixtus cum calido innato euadat organum functionum cordis:ad hæc vt vim iraſcibilem
viuificet,& conſeruet. Quæ veritas colligitur ex Gal. 6. de Plac. 8. dum ait:ex eo quod habemus cor eſſe
principium feruentis & ſpirituoſi ſanguinis,hoc eſt,ſanguinis vitali ſpiritu pleni,etiam cognoſcimus ira- B
cundiæ ſedem in corde collocatam eſſe: quæ conſequentia nulla eſſet, niſi iracundia ad ſuam edendam
functionem vitali ſpiritu egeat.Atque huius veritatis ratio eſſe poteſt: quoniam vitalis ſpiritus, vt ferui-
Extra cor. dus,cor vehementer calidum conſeruat:nam ex Gal.6.de Plac.vlt.quo cor eſt calidius,eo vis iraſcibilis eſt
validior.Spiritus autem vitalis extra cor vſus duplex eſſe poteſt.Alter qui colligitur ex Gal.6.de Plac. 8. vt
ſit ſubiectum deferens calorem influentem a corde,in totum corpus. Nam cum huius caloris influentis
præſentia aſſidua ſit,maxime neceſſaria ad partium vitam conſeruandam:cum calor influens ſit qualitas,
multo promtius a corde toti communicatur beneficio ſpiritus vitalis, quam ſi per partem poſt partem
impertiretur.Et hoc eſt,quod ſignificauit Auicennas dum febrem definiens dicit eſſe calorem extrane-
um procedentem a corde in totum corpus,mediante ſpiritu,& ſanguine:per ſpiritum nil aliud, quam vi-
talem,intelligens.Reliquus autem vſus eſt cum Gal.7.de Placit.3.vt ſit animalis ſpiritus materia. Ad hæc C
in ſemine vnitur tantum calidi inſiti,vt ſit organum generatricis:vt voluit Ariſtot.2.de generatione ani-
malium 3.dum voluit in ſemine eſſe ſpiritum,qui facit,vt ſemina ſint fœcunda: & 3. de generatione ani-
malium vlt. ait, in ſemine recipi ſpiritum animalem, & per hunc eſſe principium conceptus: vbi per
ſpiritum animalem intelligit ſpiritum animalis, ad differentiam ſpiritus ſtirpium : quoniam tum ſpiri-
tum animalem conſtat eſſe vitalem, cum ſemen eiaculatum ſit plenum ſpiritu vitali. Hæc de ſpiri-
tu vitali.

3. Animalis finis. Quantum denique ad animalem ſpectat:de hoc loquens Gal.6.Epid.5.dicit, ſpiritum in cerebri ca-
uis poſitum primarium eſſe animæ inſtrumentum:per primarium cauſſa non operationis,ſed conſerua-
tionis & viuificationis facultatis,intelligens.Vnde hanc veritatem inſinuans, addit: ſatis eſt artem medi-
cam ratione tractantibus noſſe, ſi contentus in cerebri ſinibus ſpiritus, aut prorſum corruptus ſit,aut a D
naturali temperie vna cum temperie cerebri longiſſime diſceſſerit, mortem neceſſario ſequi. Vt ex his
colligere liceat,cerebri animam ſeruari a ſubſtantia & qualitate ſpiritus, nec non & a temperatura cere-
bri:ita tamen vt vitium in ſubſtantia ſolum ſufficiat ad animalis mortem:vitium autem ſecundum quali-
tatem,& inſigne eſſe debeat,& coniunctum habere debeat vitium in temperatura cerebri. Vt hinc colli-
gere liceat & temperaturam eſſe quid aliud ab anima:& cauſſa conſeruationis animæ primum locum ob-
tinere ſpiritum,ſecundum temperaturam;ſicut ratione operationis primum obtinet temperatura,ſecū-
dum ſpiritus.At hic admoneantur ſtudioſi,dixiſſe Gal.mortem neceſſario ſequi, vbi animalis ſpiritus eſt
prorſus corruptus,& loqui de ſpiritu,vt permiſcetur cum calido inſito. Vnde non proponit ſpiritum,vt
corrumpitur,ſed vt corruptus eſt:nam dum corrumpitur,poteſt reſarciri,vt homo non pereat. Præterea
Gal.non proponit ſpiritum corruptum,ſecundum aliquam tantum ſui portionem,ſed ſecūdum omnem E
ſui portionem:cum proponat ſpiritum prorſus corruptum:Etenim ſi corruptus ſit ſpiritus ſecundū ali-
quam ſui partem,fieri quidem poteſt,vt non ſit idoneum animæ organum,& propterea mors non ſucce-
dit,quia cum poſſit regenerari,ad eam perducetur copiam, vt euadat accommodatum animæ organum:
ſi autem contra prorſus ſit corruptus,ob cauſſam ſiue reſoluentem,ſiue ſuffocantem, ita ceſſat a ſuo mu-
nere vis animalis,vt cor ita patiatur,vt mors ſubſequatur.Siquidem ex Gal.9.meth.10.ex tribus facultati-
bus nempe naturali,vitali,& animali,qualibet earum amiſſa,neceſſe eſt reliquas perire. Hoc autem ea ra-
tione admonere voluit,propterea quod niſi animalis ſpiritus prorſus ſecundum ſubſtantiā ſit corruptus,
non moritur animal.Quod ſit verum,Gal.7.de Pla.3.vt probaret animalem ſpiritum eſſe primum animæ
inſtrumentum,ait,ſpiritum animalem neque eſſe animam,neque animæ domicilium : nam animalis ſpi-
ritus exinanitio animal vita non priuat,ſed,ſenſu & motu erepto,tantiſper ſtupidum reddit, quoad rur- F
ſus collectus reſtituatur:vt ſi ſpiritus animæ ſubſtantia eſſet,fieri nullo modo poſſet, quin ſimul atque o-
peratio ceſſet,continuo quoque anima interiret.Ecce,eſt inanitus ſpiritus,& tamen homo non moritur.
Quare per inanitum intelligere oportet non prorſus inanitum:quia tunc dubio procul ſequeretur mors,
cum amplius reparari nequeat. Sed hic quiſpiam obiicat, ſi ibi Gal.non intelligeret integram inanitio-
nem ſpiritus animalis,ratio ipſius nihil valeret:cum ita arguat:dum ſpiritus inanitur, non ſequitur mors,
ſed actionis amiſſio:ergo non eſt anima,ſed animæ inſtrumentum:nam quis ſtatim dicere poſſet,non ſe-
qui mortem,quia totus non vacuatur:nam vt remanet portio ſpiritus,ſi eſt anima,remanet etiam anima.
Sed,hæc inſtantia nihil valet:nam ſecundum hunc modum non ratiocinatur Galenus, ſed ad hoc reſpe-
xit, vt ſi ſpiritus animalis, eſt anima, dum vacuatur, vt ceſſet operatio,ita etiam mors ſubſequi debet: ſi
autem eſt organum,quamuis ad eius vacuationem ceſſet operatio, non tamen ſequitur mors. Vnde cum G
ad ſpiritus inanitionem amittatur operatio,non tamen neceſſario ſequatur mors: igitur non anima,ſed
animę organum eſt.Sed propterea non negaret Galenus integram vacuationem ſequi mortem:quemad-
modum confeſſus eſt 6. epid. 5. 6. vbi proponit ſpiritum prorſus corruptum : & lib. de vtilitate reſpira-
tionis, vlt. dum ait, duas eſſe cauſſas repentinæ corruptionis, nempe immoderatam caliditatem,
& va-

A & vacuationem totius substantiæ. Ecce, proponit vacuationem totius substantiæ, non partis: vt si spiri-
tus animalis afficiatur secundum qualitatem, nequaquam esse possit in caussa mortis, nisi vna cum spiritu
etiam lædatur constitutio. Quod sit verum, ait: siue constitutio cerebri offendatur, siue simul circa cere-
brum spiritus, siue caliditas sola, mors ex necessitate animali contingit. Ecce ad vitam magis necessaria est
tum constitutio, tum caliditas innata, quam animalis spiritus: nam vt sola læsio secundum qualitatem vel
constitutionis, vel calidi innati, est caussa mortis; ita sola læsio spiritus secundum eius qualitatem non po-
test esse caussa mortis, sed solum si vna cum spiritu etiam constitutio lædatur: vt etiam oportet (vt ait Ga-
len. 6. epid. 5. 5.) vt spiritus qualitas vna cum constitutionis qualitate maxime a natura discedat. Huius au-
tem veritatis ratio esse potest: nam spiritus est organum animæ, non naturæ: constitutio autem, & cali-
dum innatum, sunt quidem organa animæ, sed potissimum naturæ: vita autem magis pendet a facultate
B naturali, quam animali. Ad hæc cerebri constitutio, & calor innatus, organa sunt, quorum ope natura a-
nimalem spiritum producit. Sed etiam dicendum, si inaniatur spiritus animalis, secretus a calido innato,
non sequi mortem: si autem vacuetur spiritus animalis, permixtus cum calido innato cerebri, vt est orga-
num facultatum principum, & generatricis spiritus animalis, necessario sequitur mors: & hoc est pulcer-
rimum. Hactenus ergo constitutum sit, spiritus animalis hunc esse vsum, vt animalem facultatem conser-
uet, & ad eius etiam munia obeunda conferat: quamuis præcipuus vsus sit facultatis conseruatio. Quod sit
verum, dum manus apprehendit, operatur manus: constitutio magis concurrit, quam spiritus: cum illa
sit peculiaris manus constitutio, spiritus autem non perueniat ad manum.

Ceterum cum animalis facultas operetur, & in cerebro, vt princeps vocata, & extra cerebrum, vt — *Vsus spiritus animalis in facultatib. principibus.*
sensus externus, vt voluntarie motrix: explicare oportet, quidnam præstet animalis spiritus gratia harum
C facultatum. Itaque sciendum, quantum attinet ad principes facultates, harum caussa natura procreauit a-
nimalē spiritum cum calido insito permixtum, qui in cerebri poris residet, vt animalis spiritus non modo
resideat in cerebro, secundum eius ventriculos, sed etiam secundum poros, vt secundum poros pertineat
ad principem facultatem, secundum ventriculos autem ad non principem, ad sensum & motum. Spiri-
tum autem animalem residere in cerebri substantia, colligitur ex Gal. 7. de Placit. 7. dum ait, animalem spi-
ritum esse corpus frigidum, & quasi æthereum, quod per totum cerebrum est diffusum. Ecce animalis spi-
ritus diffunditur per totum cerebrum. Hæc eadem veritas colligitur ex Gal. lib. de vtilitate respirationis
vlti. dum ait, spiritum qui in ventriculis cerebri continetur, necessario esse, vel animę substantiam, vel pri-
mum eius organum. Et, si est primum organum, non autem animæ substantia, necessarium est cerebrum
in seipso animæ substantiam habere, quæ erit vel insita caliditas, vel spiritus, vel tota constitutionis spe-
D cies, aut si qua alia præter constitutionem incorporea facultas existit. Ecce, præter spiritum existentem
in ventriculis cerebri, proponit alium spiritum, & hunc diuersum a constitutione, & calido innato, er-
go nil aliud esse potest quam animalis spiritus, sed contentus in cerebri poris. Cuius sane munus est, cum
Gal. eodem loco, vt conferat ad principes functiones edendas. Quod sit verum, ait: cum conueniat spiri-
tum animalem omnium purissimum esse & optimum, si cōtingat, vt sanguis in vitiosos vapores soluatur,
si sanguis fuerit melancholicus, delirium fieri melancholicum, si autem biliosus delirium fiat phreniticū.
Ecce, si animalis spiritus vitiosus est in caussa, vt principes facultates lædantur, ob id, si purus procreet, &
talis seruetur, erit in caussa vt principes functiones optime obeantur. Ecce ergo quomodo animalis spi-
ritus est organum principum facultatum, & conseruans, & ad operationem etiam conducens, sed intelli-
gamus, vt est permixtus cum calido insito cerebri.

E Quod autem attinet ad animales facultates non principales, harum etiam gratia genitus fuit anima- — *Vsus animalis spiritus facultatib. non principibus.*
lis spiritus, quod sæpius testatum reliquit Gal. potissimum autem lib. de vtilitate respirationis vlt. dum ait,
animalem spiritum esse vel animam, vel primum organum scilicet sensus, & motus, vt si cerebri ventricu-
li vulnerentur, homines statim sensus expertes & immobiles euadant. Vt his verbis significet summam
huius spiritus vtilitatem, & esse spiritum qui pertineat ad cerebri ventriculos. Hanc veritatem euidentius
expressit, 3. de locis affe. 7. dum ait, animæ, in cerebri corpore residentis, primum instrumentum in sensi-
bilibus actionibus, & motiuis esse animalem spiritum, qui continetur in cerebri ventriculis. Ceterum a-
nimalis spiritus est organum potius conseruans facultatem, quam conducens ad operationem, cum ap-
prehensio fiat a manu, in qua animalis spiritus non residet. Quod cognoscens Gal. dicit 7. de Plac. 7. ani-
mam vti animali spiritu tanquam principali vehiculo, insinuans per animalem spiritum vim animalem
F impertiri partibus, in quibus sensationes, & motiones voluntariæ celebrantur. Dicit etiam 4. de loc. affe.
2. spiritum animalem esse primum animæ instrumentum, ad transmittendos in vniuersas corporis partes
sensum & motū. Ecce spiritus animalis transmittit sensum & motum, vt ad partes nō perueniat cum facul-
tate, sed solum transmittat. Ea autem vi ac efficacia transmittit, vt (quemadmodum fatetur Galenus 2. de
Plac. 5.) voluntas etiam digitum longissime distantem statim moueat, vt nullum prorsus temporis spatiū
reperiatur inter volendi digitum mouere, & ipsum mouendi actum, vt nequaquam sit, spiritum secun-
dum sui substantiam a cerebri ventriculis ad manum confluere, nam substantia corporea tam cito moue-
ri nequit. Sed id pro veritate determinandum, vt per neruos visorios secundum eorum substantiam spiri-
tus perueniat ad oculos, secundum reliquos autem neruos spiritus sit animalis facultatis vehiculum, vt
postquam spiritus secundum sui substantiam ad certum quendam terminum est productus, mittat tem-
G poris momento instar solis radios per vniuersam neruorum substantiam, vt huiusmodi radii sint etiam
vehiculum facultatis animalis, vt confertim partibus impertitur, vt cum Gal. 7. de Placit. 4. in fine, produ-
citur per neruum ad principium spinalis medullæ, vt vim infert facultati, vt partes efficacius alterentur,
seu facultatem suspiciant, dum autem per operationes producitur ad oculum, vt instar solis per radios v-
niatur cum ambiente, vt ad sui naturæ proprietatem immutetur. Ceterum spiritus secundum substan-

tiam non confluunt per omnes neruos: quia,cum cerebrum egrediuntur,necessario dissipantur,vt repa- A
ratione egeant. Quod sit verum, dicit Galenus libro de vsu pulsuum 2.spiritum animalem in motu vo-
luntario consumi.

Negatur spiritus naturalis.

Ex quibus colligere licet,spiritum naturalem non dari: quoniam facultas naturalis est insita,ad dif-
ferentiam vitalis,& naturalis: vt dubitaret Gal. 12. Meth.5. vt si detur, reperiatur in iecore & venis,vt or-
ganum sanguificatricis,vt permiscetur cum calido innato iecinoris,quod calidum innatum,vt in reliquis
partibus est seminale,& sanguineum,sed primum habet permixtum spiritum naturalem, qui fit ex vapo-
re sanguinis,vt in iecore calidum innatum sit magis sanguineum, quam in reliquis partibus, quia est or-
ganum sanguificatricis.

Ex his ergo patet,quemadmodum spiritus est mixtum per se mobile,genitum ex vapore,siue vapor
sit sanguinis,siue seminis,siue etiam aeris,a natura,gratia conseruationis facultatis humanæ. Apertum et- B
iam est,cur in definitione actionis dictum sit,esse motum hominis effectiui,mediante spiritu.

Constitutio partis agentis,est etiam instrumentum facultatis.

Constitutio quid?

Deinde additum est in definitione, [*& constitutione.*] Quæ sane particula exprimit actionem fieri a
facultate per organum,quod vnicum non est: non solum spiritus,sed etiā partis agentis constitutio. Vnde
pro huius particulæ explicatione,declarandum proponitur, qua ratione constitutio ad agendum cōcur-
rat. Quod vt rationabiliter explanetur, inprimis scire oportet, quid per constitutionem intelligere opor-
teat. Dicimus ergo per constitutionem opus esse intelligere *partis viuentis constitutionem, & eam secundū
naturam:* quam dum pars obtinet,sanitatem etiam possidet, vt pars sana dicatur, contra autem ægra, si
constitutio reddita sit præter naturā. Vt huiusmodi naturalis partis viuentis constitutio nil aliud sit quam
affectus secundum naturam corporis viuentis,quem immediate sequitur actio bona.

Constitutio bona est affectus secūdum naturam.

Declaro hanc definitionem: ex cuius explicatione ita apparebit quid sit sanitas, & quid morbus, vt C
nullus in mentibus nostris remaneat ambiguitatis locus: quinimo facile deprehendemus, quam inutili-
ter & confuse plerique scripserint.Primum ergo dictum fuit [*constitutio bona est affectus.*] Hæc particula
colligitur ex Galeno 1.meth.7 dum ait, actionis caussam esse affectum: per affectum autem nil aliud in-
telligit,quam constitutionem,vt seipsum explicat,cap.9. eiusdem libri. Quæ sane constitutio,vt est affe-
ctus,est quid in facto esse,non in fieri.Hic autem affectus est secundum naturam,ad differentiam affectus
præter naturam:& ob id Gal.lib.curatiuo per venæ sectionem c.4.constitutionem naturalem appellabat.
Vt cum constitutio sit affectus secundum naturam, nil aliud sit, quam caussa contentiua sanitatis, vt sani-
tas seorsum caussa contentiua est affectio partis dependens a bona constitutione,qua posita ponitur sani-
tas,& remota remouetur.Quemadmodum mala constitutio,vt affectus præter naturā,est caussa conten-
tiua morbi: vt morbus seorsum a caussa contentiua est læsio facultatis partis, dependens a mala constitu- D
tione,siquidem posita mala constitutione ponitur læsio facultatis,& remota remouetur. Nec ab re: cum
& sanitas,& morbus,seorsum a constitutione sint affectiones,sint in fieri. Deinde dictum est [*corporis vi-
uentis*] siquidem ex Gal. 1.meth.7.si particula sit demortua,tantum abest vt operetur,vt potius sit oneri:
neque enim oculis nostra caussa egemus,sed vt videamus. Tandem additum est, [*quem immediate sequi-
tur bona actio.*] Hanc particulam tetigit Galenus libro curatiuo per venam sectam; dum ait,omnes cor-
poris partium functiones bonas sequi naturalem constitutionem, vt primariæ actiones proficiscantur a
similaribus,secundariæ autem ab instrumentalibus. Vbi per primarias non oportet intelligere principa-
les; nam sanguificatio est actio principalis; attamen fit a iecore,& secundum partem similarem, hoc est,
propriam eius cutem,& a toto iecore vt est instrumentum: quare per primarias intelligere oportet, vt
sunt propter membrum quod agit: per secundarias,vt per aliud: verbi gratia,nutritio est actio primaria, E
sanguificatio secundaria,quia confert etiam aliis partibus quam iecinori. Aduertendum autem Gal.pro-
ponere quidem bonas functiones,vt sequuntur constitutionem, non absolute, sed bonam: nam si mala
sit constitutio,tunc corpus erit male affectum,& hinc male producuntur actiones. Vnde Gal.1.metho.8.
ait: corpus esse,quod actiones præcedit,vt.s.ad operandum concurrit: oportet autem (inqt Gal.) vt cor-
pus non sit præter naturam affectum,si bonas actiones obire debet: siquidem bona actio esse nequit sine
corporis naturali affectu: nec vitiosa nisi corpus sit affectum; vt per hæc verba insinuarit,naturalem af-
fectum,hoc est,corporis constitutionem esse necessarium instrumentum, quo vtitur corpus seu corporis
facultas.Sed hoc loco obiter admoneantur studiosi: vt intelligant quid voluerit Galenus,dum dicit,non
posse esse vitiosam actionem,nisi cum corpus est affectum,hoc est morbo correptum; nam si recte intel-
ligatur,sibimet contradiceret, dum dicit 3.de symp. caus. 1. actionem lædi quandoque ob errorem exter- F
num. Quare hunc in modum Galenum intelligere oportet; vt cum profiteatur methodum curatiuam,
ob id versatur circa corpus ægrum,vt functio læsa,vi cuius ęgrotat homo,necessario fiat a morbo,non au-
tem ab errore externo. Secus autem dicendum in arte præseruandi: nam fieri potest vt actio lædatur, &
sensibiliter;propter errorem externum:quia nondum est morbus,sed imminet.Sed ad rem,ad bonā con-
stitutionem,vt est affectus secundum naturam corporis viuentis,sequitur bona functio. Vnde etiam lib.
ad Thrasybulum 15.& lib.de differen.symp.1. voluit, actionis caussam esse sanitatem,& ad actionem sequi
pulcritudinem.Sanitas autem nil aliud est quam constitutio hæc: ergo est actionis immediata caussa. Ce-
terum hoc loco aduertendum, cum constitutio sit caussa immediata actionis, & similiter facultas caussa
sit immediata actionis,differentiam esse inter facultatem & constitutionem: nam facultas est caussa prin-
cipalis immediata: constitutio autem est caussa instrumentalis immediata. Vnde Gal.1.meth.9.respiciens G
ad constitutionem,vt ad agendum concurrit,vt instrumentum,ait,constitutionem præstare vicem caus-
sæ ad actionem. Quam veritatem si ex modernis aliqui cognouissent,libros adeo vastos imprimendos nō
curassent: siquidem hac veritate proposita facile est intelligere morbum esse læsionem facultatis; quam
immediate sequitur actio læsa; nec non & morbum esse constitutionem præter naturam; quā immediate

sequitur

A sequitur actio læsa. Nam si sermo fiat de actione vt procedit a caussa principali, immediate procedit a fa-
cultate: si autem sermo fiat de actione, vt procedit ab instrumento, procedit a constitutione.
Ceterum cum bona constitutio sit instrumentum, quo mediante facultas agit; quod explicandum
relinquitur, est quotuplex sit partis viuentis & agentis, constitutio. Dicimus ergo hanc duplicē esse, nempe
propriam & communem. Declaro. Cum corporis pars sit vel similaris, vel instrumentalis, illa propria sta- Cōstitutionis diuisio.
tuitur constitutio, qua ita donatur pars similaris, vt non instrumentalis: vel ita donatur pars instrumen-
talis, vt non similaris. Communis autem intelligitur constitutio, qua vtraq; pars, hoc est, & similaris, & in-
strumentalis, prædita esse potest. Quantum ergo attinet ad propriam: Galenus primo de sanitate tuenda Propria.
quincto, hanc in genere duplicem proposuit, quemadmodum & duplicis generis est pars: nempe simila-
rem & instrumentalem: ait enim in naturali corporis nostri cōstitutione ea maxime seruanda sunt, quo-
B rum beneficio functiones obeamus: addit autem, functionum caussas esse similarium bonam tempe-
riem, & instrumentalium formam, positum, numerum, & magnitudinem, & proinde compositionem.
Ecce quomodo functionum caussa est constitutio, hoc est, temperatura, & compositio.
Sed ad vberiorem doctrinam, vtrumq; euidentius non erit alienum explicare. Primum ergo quan-
tum attinet ad temperaturam, hæc illa est, beneficio cuius (vt ait Gal. lib. quod animi mores corporis tempe- Crasis est primum organum facultatis, in parte similari.
raturā sequuntur) c.2. a similarib. actiones primo proueniunt, hoc est, vel primariæ, ad differentiā compo-
sitionis, q̄ est caussa secundariæ operationis: vel & primo, non autē perfecte, nā totius membri operatio,
vt perfecta, accepta refertur toti mēbro, secundum autē sui initium parti similari præcipuæ illius membri, &
ob id dicit Gal. 7. meth. 2. partibus similaribus animantis actiones primum acceptas referri. Ecce dicit pri-
mum. Quāuis si sermo fiat de operatione, q̄ non pertineat ad totum membrum, hæc & primum, & perfecte,
C fit a parte similari, & proinde mediante tēperie, & præcipuo & immediato instrumento. Quæ veritas cōfirma-
tur Gal. auctoritate 2. de naturalibus facultatib. vlt. dum ait, iecur, venas, arterias, cor, ventriculum, & oēm
deniq; particulā, q̄ aliqua fungitur actione, necessario hoc obtinere, propter certā, hoc est, determinatam
ex quatuor elementis tēperiē. Adhæc lib. de vtilitate respirationis c. vlt. inter prima cerebri organa proponit
non modo spiritum animalē, calidumq; innatū, verum ēt totam constitutionis speciē, hoc est (vt explicat
Gal.) calidi, frigidi, humidi, & sicci temperaturam. Ecce temperatura est primum organum, vt si cum spi-
ritu animali, & caliditate innata cōferatur, sit principalissimum organum: nam animalis spiritus est orga-
num viuificans vim animalē, & aliquo modo ēt conducens ad functiones, calor innatus cōseruat vim ani-
malem, & naturalem, & adiuuat potissimum sui caliditate vim naturalē: temperatura autē vtramq; facul-
tatem conseruat, vt hac dissipata pereat animal; & est præcipua caussa instrumentalis facultatis animalis prin-
D cipalis, & naturalis, vt operetur. Atq; hæc est illa temperatura, beneficio cuius natura in quolibet membro
propriam generat substantiam: de qua loquens Gal. 7. de anatomicis administrationibus c.8. inquit, simi-
lares partes obtinere substantiam non ad amussim eandem, sed singulis inesse quandam proprietatis sub-
stātiam, quandā peculiarem substantiam, q̄ verbis quidem queas describere, euidenter autem manifestare
nequaquam: quæ enim visu tantum aut tactu manifeste discernuntur, ex verbis docere accurate impossi-
bile est: ducere vero aliquem ad exquisitiorem eorum inspectionem est possibile: nam similarium caro
eandem ideam omnino non habet: nam musculorum caro rubicundior est & mollior carne, quæ in ven-
triculo, vulua, & intestinis habetur; cordis autem substantia durior: hinc fit vt si quis musculum, & cor
pariter cocta gustare voluerit, gustu non mediocrem eorum differentiam obseruabit. De hac ergo pro-
pria substantia loquens, ait, omnes peritos naturæ interpretes tum Philosophos, tum Medicos fateri, oēs
E actiones substantię proprietatem imitari. Quæ verba recte sunt intelligenda, ne forte quis credat proprie-
tatem substantiæ esse caussam actionis: nam ibi per proprietatem substantiæ intelligit (vt audiuistis) pro-
priam partium substantiam, vt propterea intelligat materiam a qua non fit actio, vt hæc materia, & secun-
da materia sit facultatis agentis domicilium, non autē agens, nisi vt quod. Quare Galenum & Philosophos
ita intelligere oportet, vt actiones imitentur proprietatis substantiā, vt proprietas substantię significat de-
terminatam facultatē, vt præcipuum agens, & determinatam temperaturā, vt præcipuum instrumentum:
nam vt alia est substantia cordis, alia musculorum, ita alia est facultas cordis, alia musculorum: alia tempe-
ratura cordis, alia musculorū, quare & alia actio, verbi gratia cordis motus est naturalis, musculorum vo-
luntarius. Itaq; substantiæ proprietatem proponit vt signum temperaturæ, & merito, cum ex Galen. 3. de
sympto. caus. 1. a temperatura proprietas substantiæ efficiatur. Vnde idem Gal. 7. meth. 3. dicit, vnāquamq;
F animalis particulam propriam edere actionem, quæ tantum ab aliis actionibus differt, quantum ipsa par-
ticula ab aliis distat, differt autem particula a particula per temperiem, siue simplicem, siue compositam.
Ecce quomodo similaris particula per suā temperiē, vt per proprium & necessarium instrumentum, actio-
nes obit. Quinimo Galenus vt ostenderet temperiem esse organum præcipuum, non modo partis vt agit, vt
quod, sed etiam facultatis, qua fit actio: ait, 5. de loc. aff. vlt. actionis caussam esse facultatem, ea tn̄ ratione,
vt omnium facultatum essentia consistat in peculiaribus partium temperantiis. His verbis significans, ne-
cessarium ac præcipuum facultatis organum, ac prout vni parti tributa est propria temperatura, ita illa pars
donata sit propria facultate, vt propriæ facultates tot sint, quot etiam sunt partium propriæ substantiæ, &
propriæ tēperaturæ: ita tamen vt propria substantia sit facultatis domicilium, propria autē temperies præ-
cipuum instrumentum. Vocabat autem Gal. propriam facultatem, ad differentiam communis, q̄ scilicet
G communis est omnib. corporis partibus, vtpote attractrix, retentrix, expultrix, & concoctrix, quæ in ieco-
re specifica euadit, & vocatur sanguifica. Huius autē præcipuum instrumentum est iecinoris determinata
temperatura, vt huius etiam tanta sit necessitas, vt Galen. 1. de præsagio ex pulsibus quarto dicat, facultatis
essentiam singularium partium positam esse in commodo singularum illarum partium temperamento.
Sed ob id non licet intelligere, facultatem formaliter esse temperamentum, sed effectiue, vt scilicet dum

temperamentum efficit propriam ſubſtantiam,a qua limitatur,contrahitur facultas,vt propria euadat,vt A
hinc facultatis vis ita pendeat a temperie,tamquam a neceſſario organo, vt neceſſario pro conditione or-
gani agat: vt,quemadmodum ait Galenus 9.ſi facultas ſit temperatiſſima,ſtrenue agat:intelligitur autem
temperatiſſima,dum reſidet in membro temperatiſſimo.Nam facultas hoc optimo organo vtens,optime
etiam operatur. Vt cũ temperatura ſit facultatis organum,ob id tẽperatura non ſit facultas: tametſi Gal.
ſæpenumero per temperiem ſignificauit,& facultatem,& formam: propterea quod temperamentum eſt
maxime proprium & neceſſarium organum facultatis agentis.Ceterum & Hip.ſummam vtilitatem tem-
peramenti pernoſcens etiam cauſſa melioris vitæ, primo de dieta ait: quod humidiſſimum eſt in igne, &
ſicciſſimum in aqua ſi in corpore temperamentum acceperint,ſapientiſſima ſunt.Quibus verbis nil aliud
ſignificat,niſi quod ſi aqua cum igne,& contra ignis cum aqua temperamentum accipiat,fit optima tem-
peries: quæ id erit animæ organum,vt animal ſit ſapientiſſimum.Quod ſit verum; ſubdit; nam cum ignis B
habeat humiditatem ab aqua, aqua autem ſiccitatem ab igne: vterque ſufficientiſſimus eſt,vt neq; ignis
alimenti indigentior multo procedat,neque aqua indiga motus multum leuis reddatur: ſic itaque vtraq;
& per ſe ſufficientiſſima ſunt, & inter ſe permixta, quod enim minime vicinis indiget, hoc maxime præ-
ſentibus obtemperat. Ex his igitur anima temperata ſapientiſſima eſt, & valentiſſima memoria prædita.
Si autem ignis ſit paulo inferior, ac defectuoſior quam aqua:ſapientes ſunt verum defectuoſiores, quam
in priori temperamento.Nam ignis ab aqua ſuperatus,tardiorem motum faciens,ſegnius ſenſibus allabi-
tur. Conſtantes autem cum manſuetudine ſunt huiuſmodi naturæ, ad quamcunque rem animum appli-
cuerint.Et ſi amplius ignis ab aqua ſuperetur,fiunt attoniti,& ſtupidi.Si autem aqua vim defectuoſiorem
accipiat,quam ignis,homines ſunt ſapientes,& talis anima cito percipit allabentia,hoc eſt,ſenſibilia,& id-
eo ſæpe ab vna re ad aliam tranſit,vt natura talis ſit bonę animæ.Si autem amplius aqua ab igne ſuperetur, C
anima erit auctior,ſed minus conſtans priore. Et ſi adhuc amplius aqua ſuperetur ab igne,talis anima eſt
valde acuta,& homines vocantur ſubfurioſi, vt denuo pro vario dominio vel ignis,vel aquæ,temperamẽ-
tum prodeat, vt hoc temperamentum cauſſa ſit ſapientis & deſipientis animæ. Vt hic obiter colligere li-
ceat,cum dicit Hip. temperamentum eſſe cauſſam animæ ſapientis, & deſipientis: temperamentum eſſe
quid aliud ab anima.Hæc de temperatura vt eſt propria conſtitutio partis ſimilaris.

Compoſitio & præcipuum inſtrumentũ operationis quæ fit a toto organo.

Quo vero ad compoſitionem, vt eſt conſtitutio propria partis inſtrumentalis: huius neceſſitatem
inſinuauit Galen.2.meth.6.dum habet: quoniam actiones omnes a corporibus ſimilaribus fiunt,reliquæ
vero inſtrumentorum particulæ vſum aliquem præbent: hoc morbi genus duplex erit,alterum in ſimila-
ribus,alterum in totis organis.Quæ dicta (vt puto) ita intelligenda ſunt: cum actiones fiunt a partibus,&
a toto membro: vt fiunt a partibus,fiunt ab his,vt ſimilares,vt harum temperies,& ideo vnum erit morbi D
genus in intemperie, vt autem fiunt operationes a toto morbo, eſt alterum morbi genus in toto organo,
hoc eſt,morbus in compoſitione: vnde nequaquam hic morbus oboritur,niſi totum membrum ageret,
vt cum agat mediante bona compoſitione, cum morbus ſit conſtitutio præter naturam lædens operatio-
nes,hæc conſtitutio, præter naturam, nil aliud eſt,quam mala compoſitio. Ecce ergo quõ totum inſtru-
mentum operatur mediante ſua conſtitutione,quę propria eſt totius inſtrumenti:quæ non eſt temperies,
ſed compoſitio.Et ob id 1.de cauſſis pulſuum 4.ait, omnem facultatẽ, quæ alterius cauſſa agit, inſtrumen-
tum quærere ad opus appoſitum: verbi gratia,inſtrumentum quod ſpiſſis tunicis,& cauum eſſet intus,cu-
iuſmodi eſt arteria,inſtrumentum ſane accommodatum eſt facultatis pulſificæ. Ecce ergo quõ facultatis
inſtrumentum eſt compoſitio. Vnde etiam 1.de ſanitate tuen.5.ait, poſitum eſſe in cauſſa bonarum fun-
ctionum.Sed dubitatio oritur ex Gal.6.de loc.affect.vlt.dum ait,actiones ex propria partium eſſentia per- E
uenire,non autem ex poſitu: nam ſiue cor,ſiue iecur,in alia quapiam parte poneretur,nihilominus actio-
nem ſuam obtineret.Dicendum hoc loco Galenum perpoſitum non intelligere totam compoſitionem,
ſed tantum ſitum: & hunc non ratione partium membri, ex quo prodit totius membri compoſitio, ſed
ratione totius membri,ex quo ſitu non prodit compoſitio membri,ſed compoſitio totius corporis.Vnde
ſi,verbi gratia,iecur etiam in parte ſiniſtra eſſet ſitum, ſanguificaret, quoniam nec illi deeſt propria car-
nis eſſentia, quæ eſt præcipua cauſſa actionis, nec deeſt compoſitio, quæ prodit ex ſuis particulis: ſed ſo-
lum eſt in parte ſiniſtra & proinde ſitum habet ex quo potius prodit totius corporis,quam iecinoris com-
poſitio.Hæc de propria conſtitutione.

Vnitas partis eſt organum facultatis ſecundarium.

Quo vero ad cõem; hanc euidenter inſinuauit Gal.2.meth.6. & alibi, dum dicit, ſolutã vnitatẽ eſſe
morbum cõem ſimilarium & diſſimilarium. Nã ſi ſoluta vnitas eſt morbus,ideo eſt conſtitutio præter na- F
turam immediate lædens operationes. Quare eius contrarium,nempe ſanitas,erit conſtitutio ſecundum
naturam,bonarum operationum cauſſa: conſtitutio autẽ ſecundum naturam contraria ſolutæ vnitati nil
aliud eſſe poteſt,quam vnitas,ſeu continuitas, vt hac mediante bona fiat actio. Eſt autem hæc conſtitutio
cõis ſimilaribus,& inſtrumentalibus: quoniam & ſoluta vnitas eſt morbus partium, & ſimilarium & diſſi-
milarium.Ceterum ſi conferatur vnitas,ſiue cum temperie,ſiue cum compoſitione: ſemper in ratione in-
ſtrumenti facultatis primas partes obtinet,in ſimilari temperatura,in inſtrumentali compoſitio.

Quid vnitas & morb in ſoluta vnitate.

Verum cum omnibus non pateat,quidnam ſit vnitas partium, & ſimilarium,& diſſimilarium: ob
id liceat hoc explicare, & præſertim, vt liceat etiam intelligere naturam morbi in ſoluta vnitate. Hanc
ergo doctrinam licet colligere ex Galeno,libro de morborum differentiis 11.ibi namque voluit dari ægri-
tudinis genus,quod eſt ſoluta vnitas: qui morbus obſidere poteſt partes tum ſimilares, tum diſſimilares, G
vt ſi detineatur pars ſimilaris, ſoluatur vnitas partis ſimilaris: ſi autem detineatur totum inſtrumentum,
ſoluatur vnitas totius inſtrumenti. Addit autem morbum hunc, hanc ſolutam vnitatem, tripliciter
parti occurrere: primo modo,vt ſit morbus per ſe partis ſimilaris, ex accidenti autem totius membri, vt-
pote ſi ligamentum ſoluatur, ſecundum partem, nam ligamenti vnitas viciatur, vt ſit propria patientis,
particulæ

A particulæ ægritudo, ex accidenti autem totius mẽbri, qm̃ accidit, vt aliqua eius particula patiatur: vt vnitas
ligamenti, quatenus eſt vnitas partis ſimilaris, nil aliud ſit quam partis continuitas, quæ ſane eſt effectus
optimæ mixtionis: vt mixtionis effectus præcipuus ſit temperatura, non præcipuus autem vnitas: quam-
uis vtrumq; partis ſimilaris agentis ſit organum. Secundo autem modo occurrit ſoluta vnitas, vt ſit mor-
bus proprius, ſeu per ſe, totius membri: ex accidenti autem partium ſimilarium, veluti ſunt apoſpaſmata,
id eſt, conuulſiones, quę ſoluta vnitas ſit, dum inſtrumenti partes inter ſe vnitæ auelluntur. Vnde differen- Vnitas diſ-
tia eſt inter ſitum partium, & vnionem: nam per ſitum intelligimus talem ſitum, & totius membri, & ſin- fert a poſi-
gularum etiam particularum, ex quo particularum ſitu prodit totius membri compoſitio: per vnionem tione par-
autem intelligimus, dum partes præter ſitum illum, inuicem ita ſunt coniunctæ, vt quamuis ſint reuera tium.
contiguæ, ad ſenſum tamen continuæ eſſe videntur: vt ex hac partiũ coniunctione prodeat totius mem-
B bri vnitas, qua mediante, membrum, vt inſtrumentale, agit: vt ſi diſſoluatur, lædatur actio totius inſtru-
menti: vt per ſe ſit morbus totius membri, ex accidenti autem ſingularum partium, vt accidit, vt ſint par-
tes inſtrumenti. Vnde notandum Galenum proponere apoſpaſmata in plurali: nam apoſpaſma in ſingu-
lari, vt ſcilicet competit vni tantum parti, hoc eſt ligamento, eſt ſoluta vnitas per ſe ligamenti, vt colligitur
ex Gal. 4. meth. 1. vbi ſolutam vnitatem in ligamento vocat Apoſpaſma. Tertio oboritur ſoluta vnitas vt
ſit morbus per ſe, & partis, & totius inſtrumenti: vt ſi ligamentum ex toto ſoluatur, eſt quidem morbus
partis, quoniam ligamentum non eſt amplius vnitum, ſed in duas diuiſum partes: eſt autem morbus toti•
inſtrumenti, quoniam partes non amplius cohærent, neque vniuntur, vt totius vnitas fiat ex vnione, &
adhærentia partium. Nec obſtat, quamuis aſſiciatur vnica tantum pars: quoniam afficitur, vt pars inſtru-
menti, vt ſoluta vnitas ligamenti, partis ſcilicet ſimilaris, vt vna eſſe debet, ſit morbus partis ſimilaris. So-
C luta autem vnitas ligamenti, vt partis inſtrumenti, vt concurrit ad vanitatem totius membri, ſit morbus
totius inſtrumenti. Ex quo Galeni diſcurſu cum colligatur dari ſolutam vnitatem, quæ eſt morbus, & par-
tis, & totius inſtrumenti, vt ſoluta vnitas ſit cauſſa læſionis, functionis, & partis, & totius, propterea vnita-
tem eſſe organum, & parti, & toti membro commune, quo mediante facultas operatur: id cum in defini-
tione operationis dictum ſit, eſſe motum hominis effectiui, mediante ſpiritu, & conſtitutione: per con-
ſtitutionem opus eſt intelligere temperiem, compoſitionem, & vnitatem, vt temperies ſit organum partis
operantis, compoſitio totius membri, vnitas vtriuſque.

Quibus ex rei natura ita conſtitutis, vnum obiter colligere liceat: nequaquam dari morbum, qui nõ Omnis
ad vnum horum trium generum referatur, nempe vel ad intemperiem, vel malam compoſitionem, vel morbus ad
ſolutam vnitatẽ, cum in morbo neceſſarium ſit, vt id, quod eſt immediatum organum facultatis, patiatur, vnum e tri-
D & ita patiatur, vt re ipſa aliquam mutationem experiatur. Quæ duo ſane locum habent in temperatura, bus vulga-
compoſitione, & vnitate: ſiquidem ſtante vita, nec anima, nec animæ facultas patitur, vt mutationem ac- tis generib.
cipiat, ſed mortis tempore ad organi deſtructionem obeunt. Vt in errore ſint qui imaginantur, dari mor- reuocari
bum præter tria illa genera, quem vocant, vel a tota forma, vel a proprietate occulta. poteſt.

Sed quia dubitatio eſſe poteſt, de proportione partis ſimiliaris: ideo ſciendũ, neq; huius cauſſa mor-
bum, præter tria genera eſſe ſomniandum. Nam per proportionẽ nil aliud intelligere oportet, q̃ determi- Vitiũ pro-
natam quandã proportionẽ propriæ ſubſtantiæ partis ſimilaris, vtpote carnis iecinoris: quæ ſane ꝓportio portionis.
prodit ex mixtione quatuor corporum elementorum, quę ſane proportio dum a generante per alteratio-
nem eſt producta, nec mutationẽ aliquam admittit ſtante vita, neq; eſt facultatis organum, ſed ſolum eſt
vt facultas communis limitetur, contrahatur, & euadat propria, vt propria hæc facultas pro domicilio ha-
E beat propriam ſubſtantiam, tali non modo temperie, ſed etiam ſubſtantiarum proportione donatam, cu-
iuſmodi eſt facultas alteratrix, ſanguifica reddita, quæ pro domicilio iecinoris ſubſtantiã eſt adepta. Cete-
rum ꝓpria illa facultas, agens mediante organo immediato, agit ꝑ propriã temperiem, non autẽ per pro-
portion, ẽ vt cum ꝓportio ad differentiã temperaturæ, compoſitionis & vnitatis, nec mutationem admit-
tat, nec ſit facultatis organum, ſed ſolum domicilium, aſſerendum morbum in proportione non dari. Ex
quibus colligendum, differentiam eſſe inter ꝓportionem partis ſimilaris, & inſtrumentalis: nam propor-
tio partis ſimilaris (vt diximus) nec mutatur, nec facultatis eſt organum: in inſtrumentali autem propor-
tio & mutatur, & eſt facultatis organum: ſiquidem nil aliud eſt, quam determinata & peculiaris cõpoſitio.
Neq; obſtat, quamuis a facultate partis ſimilaris prodeant actiones ſupra vires temperamenti, id enim ſit
quoniam illa proportio eſt in cauſſa, vt ita limitetur facultas, vt ſit apta ad illas priuatas functiones obeun-
F das, vt organo tantum concurrente, nõ proportione, ſed determinata temperatura. Hinc ſequitur ſi a ge-
nerante, per alterationem vitioſa producatur ꝓportio, verbi gratia, in renibus, vi huius renum alteratricẽ
ita limitari, vt aptiſſima ſit ad gignendos calculos: gignit autẽ mediante organo ꝑ temperiem ſuam, non
autem per proportionem, vt cum calculi generatio ſit corrupta actio, hæc nequaquam referatur in mor-
bum, cum in conſtitutione nõ ſit noxa, ſed in errorẽ externum, qui tñ cauſſa eſt externa, nẽpe vitioſa pro-
portio, ſicut etiam quandoq; læditur ſanguificatio ob vitioſum chylũ. Quamuis differentia ſit inter chy-
lum, & proportionem, quia chylus eſt materia, in quam agit facultas ſanguifica: proportio autem eſt
contrahens facultatem. Ceterum aduertendum quamuis partis ſimilaris proportio non concurrat vt or-
ganum facultatis, nihilominus cum inter proportionem detur ſimilitudo, & diſſimilitudo, ad hæc vis cõ-
trahendi facultatem vel vehementiorẽ, vel imbecilliorem, ſequitur vt virtute harum proportionum fa-
G cultas ita limitetur, vt ad agendum euadat ratione ſimilitudinis validior, ratione diſſimilitudinis imbeci-
lior, vt quandoque etiam ex toto actus ſecundus adimatur, prout diſſimilis proportio erit idonea ad limi-
tandam facultatem magis vel minus efficacem, perpetuo tamen vt facultas agit, vt organo vtitur tẽpera-
tura, vt autem eius actio vel minuitur, vel etiam aufertur, quoniam facultatis imminuitur vel etiam adi-
mitur aptitudo, ad vtendum temperatura vt ſuo inſtrumento, vt lædatur actio ob errorem externum, cu-

ius proportio est ita dissimilis & efficax, vt alterius facultas otiari cogatur: verbi gratia, dum magnes fricatur adamante, adimitur magnetis actio, dum allio fricatur, reuocatur adamantis actio. Ecce magnes nihil patitur, neq; adamas, vt scilicet aliqua fiat mutatio vel in temperie, vel proportione, & tamen aufertur actio: quare ob externum errorem. Vt merito statuendum sit, cum facultatis organum immediatum nil aliud sit quam temperatura, compositio, & vnitas, & in his vim esse morbi: & cum hæc nil aliud sint, quam constitutio, recte in definitione actionis dictum esse mediante constitutione. A

Finis actionis est voluptas.

Tandem in definitione actionis dictum fuit [*gratia voluptatis.*] Qua in particula continetur actionis finis: qui sane in operatione secundum naturam habet rationem boni, & boni delectabilis, vt propterea nil aliud sit, quam voluptas, siquidem agens agit, vt ex actione aliquid iucundum consequatur: verbi gratia, homo oculis non videt vt videat, sed vt ex visione aliquam vtilitatem consequatur. Et propterea dicit Galen. 7. de Plac. 6. non satis esse ad voluptatis laborisque creationem, vt vel lenis, vel aspera in corpore motio fiat, sed necesse esse, vt vtriusque agitationibus sensus quisquam accedat. Ecce quemadmodum ad sensum pertinet creare voluptatem, vt sensationis secundum naturam finis sit voluptas. B

Platonis & Aristotelis sententia, de caussa actionum finali.

Sed nota, quia tertio de anima septimo, ait, quod in sensu est voluptas, & dolor, in intellectu bonum, & malum, vt cum perfectio pdicetur de voluptate, & bono; forte in definitione melius erit dicere, caussa perfectionis Sed liceat cum Platone circa hanc operationis finalem caussam digredi, vt veritas magis elucescat. Itaq; sciendum, dixisse Platonem in Gorgia, omnium actionum finem esse bonum, & boni gratia omnia esse facienda, non autem ipsum bonum gratia reliquorum. Vnde ex his verbis opus esset statuere finem actionis esse bonum: cum tamen dicat Aristot. tertio de anima septimo, quod in sensu est voluptas, & dolor: in intellectu bonum, & malum: vt sensationis finis sit voluptas, intellectionis autem bonum. Propterea sciendum bonum, & voluptatem bifariam capi posse. Declaro: & primo bonum, vel est vere bonum, vel apparens bonum. Quod vere est bonum aduersatur malo, & de hoc intelligit Aristotel. tertio de anima, vt propterea sicut distinguit voluptatem a dolore, ita secernit bonum a malo. Quod autem est apparens bonum non aduersatur malo: quia quamuis bonum esse videatur, est tamen malum, & hoc modo intelligendus Plato dum in Gorgia ait, omnium actionum finem esse bonum, quod etiam in dialogo de pulcro, pulcrum appellauit, dum ait, potentiam esse pulcrum, impotentiam turpe, & oculi statuantur pulcri, non qui impotentes videndi, sed qui apti & vtiles ad videndum. Quod autem attinet ad voluptatem; accipitur vel generica, vel specifica: si generica, pertinet ad omnes facultates, vt omnis operationis finis sit voluptas: si autem specifica, potissimum solet capi pro voluptate pertinente ad sensus exteriores, & potissimum ad gustum, & tactum. Vnde ad sensum voluptatem respiciens Aristot. 3 illo de anima septimo dicit, quod in sensu est voluptas, & dolor; in intellectu est bonum, & malum. At Plato respiciens ad voluptates in genere, in Phædro proponit voluptates & corporis, & animi, quæ scilicet in discendo percipiuntur. Vnde etiam in dialogo de iusto ait, vt tres sunt animæ partes, siquidem vna est qua homo discurrit, alia qua irascitur, & tertia qua concupiscit; vt, inquam, tres sunt animæ partes, tres quoq; voluptates esse videntur sua cuiusq; partis propria. At addit in dialogo de Republ. cũ tres voluptates sint; voluptas partis eius qua discimus, erit vtiq; suauissima, eiusq; dulcissima vita, in quo hæc pars dominat. At quanta sit in contemplatione veritatis suauitas, solus Philosophus sentit: vt hæc sit vera voluptas, & sincera: (ait Plato) reliquæ oẽs vmbratiles & inanes. Addit ẽt in dialogo de iusto, cum tria sint hominũ prima genera, nempe Philosophus, contentiosus, auarus, esse quoq; voluptatum species tres, hisce subiectas. At voluptates ita se habent, vt ait in Protagora: q̃dam iucunda sunt bona, q̃dam mala, per iucunda aũt intelligit, q̃ vel voluptatis principia sunt, vel efficiunt voluptatẽ. Vt tandẽ si voluptas in genere capiatur, cum sit cõmunis cuilibet animæ, cuiuslibet ẽt actionis finis esse potest: secus autẽ statuendum, si capiatẽ specifica voluptas, hoc est, ad solos sensus ptinens, sicut accepit Philosophus 3. de anima 7. Cuius veritatis etiam non fuit ignarus Plato. Quod sit verum, in Philebo ait, sapientiam neque inesse in vita voluptatis, neq; voluptatem in vita sapientiæ, vt neq; voluptas sit omne bonum, neque dolor omne malum. Vnde ad eundem sensuum voluptatem respiciens Plato in Conuiuio, ait, voluptates omnes amore esse imbecilliores, vt illis dominetur amor: siquidem amor, quoniã libidinibus, & voluptatibus dominatur, mirum in modum temperatus est. C D E

Comprobatum ergo sit, voluptatem in genere acceptam esse finem actionis humanæ in genere, ratione & corporis geniti, & generandi, vtpote generatio seminis, cuius vtilitas, cuius finis est propter fœtam generandum.

Sed & respiciens ad sensuum voluptatem Gal. 1. de caussis Sympt. 6. ait, in omni sensu esse dolorem, & voluptatem, vt sane voluptas bonæ sensationis sit finis, sit vtilitas: ad quã respiciens Gal. 17. de vsu part. 1. ait, animalib duplicem vtilitatem accidere: primam ab actionibus, secundam a partibus, vt agant: nã pars, scilicet viuens, superuacanea esset, si actione esset orbata. Ecce hic duplicem pponit vtilitatẽ, aliam actionis, aliã partis: at voluit actionis vtilitatem esse primam ac pstantiorem: nam partis vtilitas est actio, actionis aũt voluptas. Rationabiliter autẽ dicit Gal. si reperiretur aliqua pars actione orbata, esset abscindenda, vtpote cui⁹ nullus esset vsus, nulla esset vtilitas, qua homo frueretur, hoc est, nec partis, nec actionis. Vnde hoc loco admoneantur iuuenes, dixisse Gal. oẽm partem conferre ad vsum, per actionem, p vsum intelligens illum, qui non pcedit scilicet tempore, sed sequitur actionem, vt dum proponuntur partes, quæ tm̃ sunt ad vsum destinatæ, sermo sit de vsu, qui actionem tempore præcedit, vt hoc vsu pditæ, per hunc vsum conferant ad actionem totius membri: ob id tamen non sequitur, vt pars propriam non habeat actionẽ, cuius finis est vtilitas propria, actione posterior tempore, sed dignitate prior, quæ vtilitas voluptas nuncupari potest. Vnde ad hanc vtilitatem respiciens 11. de vsu partium 13. ait, partis actionem constructione & generatione esse priorem vtilitate, contra dignitate vtilitatem esse priorem actione, vt primus scopus constructionis omnium partium sit vtilitas. Ecce proponit vtilitatem, quæ consequitur actionem, F G

quæ

A quæ est eius finis: quæ vtilitas nil aliud est, quam voluptas, & proinde quid dignius actione: quod nequa-
quam statuendum de vsu, qui tempore actionem præcedit, nam actioni quodammodo famulatur. Cuius-
modi est ille vsus de quo loquens Gal. 17. de vsu part. primo, ait, nil aliud esse quam aptitudinem quandam
ad agendum, ad quem etiam respiciens, dicit, primo de locis aff. 1. vt actio est motus partium, ita vsus inest
omnibus partibus etiam nihil agentibus: igitur non sequitur actionem: vt ob id etiam partes non viuen-
tes hunc vsum obtineant, cuiusmodi. v. g. sunt pili, qui dubio procul carent vsu, qui est finis actionis, qui
voluptas nuncupari potest, ad differentiam vsus actionē præcedentis Vnde etiam notandum, huncvsum.
qui est finis actionis, esse quid aliud a securitate: de qua loquebatur Gal. 12. de vsu part am 10. dum dicit,
actionem dignitate anteponi securitati, ad sanitatis vero diuturnitatem postponi securitati: & merito:
quoniam securitas magis confert ad sanitatis diuturnitatem, quam actio: at contra actio securitate est di-
B gnior, propterea quod dignius est quod consequimur beneficio actionis, quā sit sanitatis diuturnitas: nam
quod consequimur ope actionis est voluptas, propter quam diuturnam optamus sanitatem, vt etiam sa-
nitas sine voluptate emortua sit.

Constitutum ergo sit, actionis humanæ finem esse voluptatem. Ad quā respiciens Gal. 11. de vsu part.
3. dicit: cum tria sint actio, vtilitas, & pulchritudo: ratione dignitatis priorem locum obtinere vtilitatem,
secundum actionē, tertium naturalem pulchritudinem: siquidem primus scopus constructionis omnium
part. est vtilitas, vt merito, & actione & pulchritudine naturali sit dignior. Actionem aūt esse pulchritudi-
ne dignioré ibidem colligitur, cum dicit: ea quæ natura semper imitatur, esse illa, quæ ad actiones & vtili-
tates pertinent, vt natura pulchritudinem respiciat, non vt primum scopum, sed veluti operations addita-
mentum: siquidem pulchritudo ad vtilitatis successum & bonitatem refertur: vt propterea actio non sit
C gratia pulchritudinis, sed vtilitatis.

Sed quid est vtilitas? cum Gal. oculorum vtilitas est admirabilis, vt cum sit quid aliud ab actione, &
dignius, ideo erit finis visionis, & proinde voluptas, qua ope probæ visionis fruimur.

Cum igitur humanæ actionis finis sit voluptas: quotuplex sit voluptas merito explicare expedit. Dici- Voluptatis diuisio.
mus ergo voluptatē bifariam accipi posse: altero modo, vt est finis simpliciter actionis: reliquo, vt est finis,
in quē respicit agēs actionē producens. Sed primo modo in genere duplex est voluptas: nā vt duæ sunt pri-
mæ actionū differentiæ, vt nimirum actio est vel naturæ, vel animæ, ita ēt emanat voluptas vel naturæ, vel
animæ: quāuis euidentior & præstantior sit animę, quam naturæ voluptas: & eo ēt pręstantior, quo erit fa-
cultatis animæ dignioris voluptas: vt omnium voluptatum præstantissima sit, quæ probæ intellectionis est
finis, vt sit veluti diuinæ bonitatis fruitio. Sed hæc limites artis anatomicæ transcendunt. Quod si liceat in
D præsentia proponere voluptatē omnium præstantissimam, quæ sit finis actionis, seu operationis hominis,
vt ad artificem anatomicum pertinet: statuendum sit, esse voluptatē non naturæ, sed animæ: quæ sane vo-
luptas finis est motus voluntarii artificialis, ad differentiā motus voluntarii brutorū, veluti proba locutio.

Si autem alio modo capiatur voluptas, vt est finis, in quem respicit actionis auctor: vt agens respicit
vel vitam, vel meliorem vitam: ita & duplex erit voluptas, alia vitæ, alia melioris vitæ, hoc est, quæ conse-
quuntur vel vitam, vel meliorem vitam: vt nec vita, nec melior vita sit finis, cum vtrumque sit actio,
siquidem vita, & melior vita, est animæ actio, vita quidem, est animæ actio, qua præsente homo viuit, me-
lior autem vita est animæ actio, qua præsente homo non simpliciter viuit, sed bene viuit: vt propterea
melioris vitæ finis sit voluptas multo excellentior fine vitæ simpliciter acceptæ. Hinc sequitur, in præci-
puis visceribus operationes obiri gratia & vitæ, & melioris vitæ: causa vitæ, generatio spiritus animalis in
E cerebro, vitalis, in corde; sanguinis in iecore; secundum quam rationem cor reliquis est anteponendum:
nam quamuis animalis spiritus sit dignior vitali, hoc intelligere oportet causa melioris vitæ: nam causa
vitæ, spiritus animalis gignitur causa respirationis, & hęc propter vitam, propter cor. Causa autem melio-
ris vitæ, operatio est ratio, ira, concupiscentia, generatio etiam animalis spiritus, vt sit animæ organum,
non quidem ad edendam respirationem, sed ad obeundas principes functiones, & motus etiam artificio-
sos, veluti est texere, pila ludere, oratio vocalis, & similis artificialis motus: secundum quam rationē cere-
brum obtinet principatum. Itaq; vt agens respicit vel ad vitam, vel ad meliorem vitam; ita datur finis, seu
voluptas, vel vitæ, vel melioris vitæ, qui tamen finis ita se habet, vt cum vita referatur in meliorem vitam,
etiam finis vitæ referatur in finem melioris vitæ.

Cæterum vterq; finis multiplex esse solet: prout & vitæ, & melioris vitæ actiones sunt multiplices.
F Vnde ad hæc arcana respiciens Gal. quartodecimo de vsu part. 1. naturam ad construendas animalis par-
tes ad tres scopos respexisse dicit, nimirum vt partes crearet gratia vel vitæ, vel commodioris vitæ, vel in-
staurationis generis, vt v. g. partes vitæ causa creatæ, sunt cerebrum cor, &, iecur: causa autem melioris vitæ,
oculi, nares, aures, manus, causa instaurationis generationis, testes, matrices Quo loco notandum, quam-
uis Gal. proponit tres scopos, ad quos natura respicit in creandis animalis partibus, non propterea tamen
finium genera esse multiplicanda, vt finis tantum actionis naturæ, vel animæ, item vitæ, vel melioris vitæ,
nam cum vita seruetur secundum indiuiduum, vel speciem, ob id vtroque modo finis erit vitæ. Ad eun-
dem modum, quicquid consequimur causa melioris vitæ, quamuis multiplex esse possit, quodlibet tamen
est ad finem, ad voluptatem melioris vitæ, v. g. si homo meliorem vitam obseruans, operetur secundum
prudentiam seu sapientiam, vel scientiam, nec non secundum fortitudinem, temperantiam, & iustitiam;
G semper cuiuslibet operationis finis erit voluptas, quæ meliorem vitam sequitur. Nam ex Gale. 7. de placi-
tis primo, prudentia, nec non sapientia, & scientia, prodeunt ex facultate rationali. fortitudo ex irascibili,
temperantia ex concupiscibili, iustitia deniq; ex trium virtutum inter se habitudine, & conuenientia e-
mergit; vt si homo secundum iustitiam operetur, eam obeat functionem, cuius finis est optima voluptas,
& proinde non naturæ, sed animæ; nec vitæ, sed melioris, imo optimæ vitæ.

Hactenus ergo explicata est operationis definitio: quæ fuit: *humana actio est motus hominis effectiui, mediante spiritu, & constitutione, gratia voluptatis.* Ex cuius definitionis explicatione ita etiam patet, quid sit vsus, & quotuplex: vt in huius declaratione non sit tempus conterendum. Vt hinc etiam pateat cur definiendo methodum anatomicam dictum fuit, methodus anatomica est ars naturæ membri humani, sectione, actione, & vsu comparata: siquidem ex ignoratione actionis, & vsus, necessario impedimur, quominus habitum anatomicum consequi possimus. Quod sit verum, Gal. li. de dissectione vuluæ cap. 3. ait, plerosque in absurda fuisse delapsos, in vteri anatome, quoniam neq; vsum, neque functionem cornuum sciebant explicare. A

Caput IV.

De artis anatomicæ causa finali.

Finis anatomiæ.

POstremo in definitione methodi anatomicæ, vt finis non desideraretur, dictum fuit [*caussa inuentionis indicationis vitalis*] in hac particula duplex finis, & vterq; externus proponitur. Voco finem externum, ad differentiam inartificiosi: qui nihil aliud est quam cognitio artificialis naturæ membri humani. Finis autem externus duplex proponitur: alter proprius, alter cõmunis. Proprius, vt hæc pars artis medicæ reliquis partib. medicinæ distingueret: cõmunis autẽ, vt anatomia medica a philosophica distingueret. B

Cognitio naturæ mẽbri, propter indicationẽ vitalem.

Itaq; quantũ attinet ad proprium finem: pro huius intelligentia altius exordientes, dicimus, in arte medica, vt est vnus finis communis, nempe sanitas, ita sunt diuersi particulares fines, quorũ quinque sunt interni, quinq; autem externi. Nec ab re: cum ars medica in quinq; partes distribui possit, quarum duas, & præcipuas Auicennas practicas nuncupauit, tres aũt, quę in duas illas referuntur, theoricas. Vnde quãtum attinet ad practicas; cum alia sit ars tuendæ sanitatis, reliqua ars curatrix: quantum attinet ad artẽ tuendæ sanitatis, eius proprius finis internus est inuentio seu cognitio indicationis vitalis, & præseruatoriæ: finis autem externus, est præsens sanitas, vt vel conseruet, vel firmior reddatur. Quo vero ad curatricem: eius finis internus, est inuentio indicationis vitalis, præseruatoriæ, & curatoriæ: finis autem externus, vt sanitas deperdita reparetur. Quod vero spectat ad partes theoricas: cum sint physiologica, pathologica, & semiotica: Quantum ad semioticam, huius finis internus, est cognitio omnium consequentium & sanitatem, & ægritudinem: & ob id, dicit Auicennas in prima primi capit. 1. de subiectis medic. debemus in medicina scire accidentia, quæ in sanitate accidunt, & ægritudine. Finis autem externus, sunt signa manifestantia quælibet indicantia. Quo vero ad pathologicam: huius finis internus, est cognitio rerum præter naturam, hoc est, morborum, causarum, & symptomatum: externus autem, vt inueniatur indicatio præseruatoria, & curatoria: vt pathologica non inueniat indicationes, nam practicus inuenit, ex cognitione naturæ indicantium, sed vt inueniuntur a practico: & ob id pars theorica refertur in practicam. Quantum denique ad physiologicam: huius finis internus, est cognitio rerum naturalium omnium, ad hominem pertinentium, siue sint humores, siue spiritus, siue membra: anatomiæ autem, tanquam partis physiologicæ, finis internus, est cognitio naturæ membri: finis autem externus & præcipuus, vt inueniatur indicatio vitalis: siquidem a parte secundum naturam constituta indicatio sumitur vitalis: vt si pars conferat ad inuentionem remedii curatorii, concurrat non vt indicans remedium, sed vt signum lapsus morbi, & proinde vt signum indicantis curatorii: quemadmodum exacte in methodo medendi explicamus: & declarat etiam Gal. lib. de constitutione artis medicæ c. 17. Hæc de fine proprio. C D

Naturæ humanæ cognitio propter sanitatem.

Quo ad communem, fuit sanitas: circa quam non est aliqua difficultas, nec opus est longiori explicatione, cum pateat medicæ artis finẽ esse sanitatem, in quã cum conferantur omnes medicinæ partes, cõstat etiam partẽ hanc anatomicam vocatam in eandem referri: vt per hunc finẽ medicus, a philosopho distinguatur. Siquidẽ ex Gal. secundo de anatomicis administrationib. secundo, physicis anatomica speculatio subseruit, vel solius speculationis gratia, vel vt doceat artificium naturæ, in qualibet particula, pbe expressum; at medico vtilis est, ad affectus noscẽdos, sanandos, & ad illorum præsagia. Quælibet autem vtilitas in vnam sanitatem refertur, vt scilicet vel præsens conseruetur, vel deperdita reparetur. E

Caput V.

De Diuisione anatomiæ.

Diuisiones anatomiæ.

HÆc de definitione methodi anatomicæ: fuit autem: methodus anatomica est cognitio naturæ mẽbri humani, sectione, actione, & vsu comparata, gratia indicationis vitalis, propter sanitatem, Ex qua definitione licet colligere anatomiæ diuisionem in suas partes: & potissimum a forma, subiecto, & efficiente: cum hæc diuisionem patiantur.

1. a forma.

A forma quidem; vt cognitio est habitus cõparatus vel experimẽto, vel ratione: si experimento, est anatomiæ pars, quæ peritia vocatur; quã Gal. 2. de anatomicis administrationib. vtilem vocauit: si autem cõparetur ratione, scientia vocari potest, sed ratione finis, effectiue, quia scilicet finis est sanitas: vt methodus anatomica sit ars comparata ratione, & experimento. Hanc autem partem, quæ ratione comparatur, voluit conducere supra vsum artis, vt & superabundantẽ, & superfluam vocet, quamuis nec sit super vsum artis, nec superflua. At ita locutus est Gal. quoniam accepit anatomicam speculationẽ, vt comparatur vel solius speculationis gratia, vel vt homo per hunc habitum scientificum comparatum doceat naturæ artificium in qualibet parte, quæ cognitio ptinet ad philosophos, & ideo est supra vsum artis, est superflua. Vt si capiatur cognitio anatomica, vt ratione comparatur, vt in virtute huius habitus dogmatice sanitatem præsentem conseruare, & deperditam reparare sciamus; secundum hanc rationem erit, & non erit, supra vsum artis: erit supra vsum artis empyrice; non erit autem supra vsum artis, dogmatice. Vt tandem ex his colligere liceat, cognitionis anatomicæ duplicem esse partem: aliam experimentalem, seu historicam, quæ peritia etiam dici potest: aliam autem scientificam, quæ illa est portio, secundum quam ars dici potest. F G

Quo

A Quo vero attinet ad subiectum: hoc est vel ossium, vel carnium. Per ossium subiectum intelligo omnia ossa, vt reliquarum partium fundamenta: per carneum subiectum intelligere oportet, non modo proprie dictam carnem, sed carnem etiam membraneam, venosam, & omnem deniq; substantiam aliam ab osse, quod reliquorum est fundamentum. Vt cum membrum diuidatur, vt est vel osseum, vel carneum: hinc duæ anatomicæ methodi partes deriuent, quarum vna dicit Osteologia, reliqua Sarcologia: siquidem Osteologia cum Galeno primo de anat. administ. ca. 2. est ossium humanorum cognitio: cuius subiectum est ὁ σκελετὸς, cadauer assiccatum. Sarcologia autem est cognitio reliquarum partium humanarum: cuius subiectum est cadauer integrum, vel etiam corpus humanum, vita præditum. 2. a subiecto.

Quantum deniq; spectat ad efficiens, ad medium, quo hæc methodus comparatur, cum triplex fuerit, nempe sectio, actio, & vsus: hinc etiam tres huius methodi partes prodeunt: vt alia sit sectiõis cognitio, B de qua Gal. in lib. de dissectione vuluæ venarum, & potissimum in libro de anatomicis administrationibus: alia sit cognitio actionis, de qua in libro de motu musculorum, de facultatib. naturalibus, & potissimũ in libro de placitis Hipp. & Platonis: alia deniq; sit cognitio vsus, de qua in libris de vsu partium. 3. ab efficiente.

Capvt VI.

De ordine legendi libros anatomicos: de constructione operis Galenici, partium corporis vtilitatem explanantis: tandemque de consecandi cadauera ratione ac ordine.

CVm multæ sint partes integrã anatomen cõstituentes: nõ ab re fore arbitramur, si deinceps proponatũ ordo, primo inter libros anatomicos: secũdo inter libros de vsu partiũ: tertio inter partes dissecandas.

C Quantum ergo ad primum attinet: erat aũt ordinem inter libros anatomicos, & proinde anatomiæ partes in mediũ adferre: omnia ergo cum Galeno proponentes, sciendum, dixisse, cũ primo librò de anatomicis administrationibus cap. secundo, primum esse versandum circa osteologiã, hoc est, ossium interpretationẽ: quoniam ossibus aliarum partium natura respondet: nam si ossa parua, & musculi parui; si cranium rotundum, & cerebrum rotũdum: vt hinc colligere liceat, primum legendos esse libros de ossibus. Sed præterea adhuc magis hunc ordinem explicans, dixit secundo de vsu part. septimo, ad vsum particularum pernoscendum duo necessaria esse: alterum est, constructionem totam membri callere: reliquum operationẽ totius mẽbri pernoscere: vt qui exacte cõstructionem nouerit, ab ipsa doctus natura particularum vtilitatẽ nullo negocio inueniet: vt inferre liceat, post libros de ossibus legendos esse lib. de anatomicis administrationibus: siquidẽ per dissectionẽ cõstructionem assequimur, & potissimum dum in parte D Sarcologica versamur. Deinde vero cum merito vsuum noscendorum, actiones totius mẽbri, imo & partium callere expediat: ante libros de vsu partiũ, legendi sunt libri, in quib. partium actiones docentur: cuiusmodi potissimum sunt libri de placitis, de motu musculorum, de vsu respirationis, pulsuum, de facultatib. naturalibus, & si qui alii sunt, in quibus partium functiones explicentur. Eandẽ sententiam proposuit 6. de vsu part. 12. dum ait, doctrinam de vsu part. præcedere doctrinam de actionibus: & hãc præire doctrinam de dissectione, quæ est inter anatomicos, & quæ de anatomicis administrationibus tractat: per dissectionem autem inter anatomicos intelligere oportet dissectionem, spectantem non ad actiones, vel vsus, sed ad structuram, vtpote quid statuendum sit de numero ventriculorum cordis, in qua re (ait Galenus) philosophorum & medicorum plærique sunt alucinati. Ex quo colligendum, quod dissectio non circa structuram, sed circa actiones, in libris de actionibus sic discutienda. Amplius lib. 2. de anatomicis adE ministrationibus cap. 2. ait: oportet medicum inprimis esse exercitatum in dissectionibus, hoc est, in visione partium, hoc est in cognitione structuræ: mox in carneorum viscerum functionibus: deinde oportet vsus singulorum viscerum cognoscere, siquidem hi vsus ad affectuum dinotionem maxime conducunt. Vt hinc colligere liceat, non modo primo esse versandum circa dissectionem, deinde circa actiones, & postremo circa vsus: verum etiam doctrinam historicam tempore scientificam præcedere. Vt hac de causa etiam primo de locis aff. primo, sectionem actioni & vsui ante ponat: in arte autem medicinali, vltimo, actionem antepon[illegible] vsui: atque hinc præcipiat primum legendos esse libros de placitis, & de semine, mox de vsu partium. E., si etiam obiter licet ponere ordinem inter libros de actionibus, expediat primum legere l. 3. de facultatibus naturalibus, mox de placitis. Siquidem Gal. sexto, de placitis sexto, ait: quæ hic dicunt de ciborum mutatione, si quis intelligere cupit, oportet, vt prius sit exercitatus in naturalium facultatum rationibus, de quibus alibi peculiari tractatu agemus. Et dubio procul nil aliud est, quam tractatus de naturalibus facultatibus inscriptus.

F Quæ a nobis de ordine inter partes anatomicas, & hinc etiam inter libros anatomicos proposita, si vera sunt: facile est cognoscere Galeni libros in prima classe, in qua potissimum circa anatomen versatur, ita circa ordinem esse dispositos, vt maior confusio mente concipi non possit, quemadmodum ex modo traditis etiam puer facillime intelligere poterit, vt nobis non liceat hanc euidentem confusionem clarius exprimere. Hæc de primo. I. Ordo librorum anatomicorum in genere. In dispositionẽ operũ Galeni vulgatam.

Quo autem ad secundum: erat autem ordinem explicare inter lib. de vsu partium, siquidem hi sunt libri, in quos reliqui referuntur: nam ad horum dignitatem respiciens Gal. 3. de vsu partium decimo, horum librorum sermonẽ sacrum vocat. Itaq; hunc ordinem proponens Gal. primo, de vsu part. vlt. inquit; in primo & secundo libro sermonem haberi de manu, in tertio, de cruribus; in quarto & quincto, de orgaG nis nutritionis; in sexto & septimo, de corde, & pulmone, ita tamẽ vt in sexto agat de corde, in septimo, de pulmone; in octauo & nono, de his, quæ ad caput pertinẽt, & potissimum de cerebro, in decimo, de oculis, in vndecimo, de organis ad faciẽ attinentibus, in duodecimo & 13. de his, quæ ad spiritum pertinent, quartodecimo & quinctodecimo, de partib. generationi deseruientibus & de his, quę ad coxę vertebra attinẽt: II. Ordo librorum de vsu partium.

in sexto-

in ſextodecimo,de communibus organis,hoc eſt venis,arteriis,& neruis;in vltimo monſtrat totius ope- A
ris vtilitatem. Hæc igitur Gal. omnia declarat,& hac ſerie diſponit.

Ratio ordinis librorũ de vſu partium.

Cæterum vt conſtat his verbis a Galeno duo proponi;nempe quot ſunt declaranda , & quo ordine
diſponẽda:ita quæ ſit eorum cauſa,a quo fuerit enucleatum,partium ego ignoro. Noſtrũ ergo propoſitũ
eſt hæc arcana(vt exile ingenium noſtrum poteſt,)vobis patefacere. Quod vt firmius & euidẽtius aſſequi
poſſim,primum noñihil circa inſtitutum li.de vſu partium digredi oportet.Itaq; ſciendum ex Gal.primo
de vſu partium 16.vt etiam libri inſcriptio manifeſtat,propoſitum eſſe dicere,non de actionib.,ſed de vti-
litate particularum.Neq; obſtat,quamuis dicat Gale 6.de vſu part.ſecundo propoſitum eſt non actiones
demõſtrare,ſed inſtrumentorum cõſtructionem explicare:nam per hæc verba nil aliud inſinuauit,niſi in
lib.de vſu part.propoſitum non eſſe actiones demonſtrare,ſed ex demonſtratis inſtrumẽtorum conſtru-
ctionẽ,non hiſtorice,ſed ſciẽtifice,hoc eſt,in virtute vſuum explicare:quod nihil aliud eſt, quam agere de B
vſu par.Et ob id ſibi conſentiens,quarto de anatomicis adminiſtrationib. primo,ait in opere de particu-
larum vſu inſtitutum fuiſſe,vt omnium corporis humani part.ſtructuram,quãto artificio conſtant,expo-
neret. Ecce non ſimpliciter docet ſtructurã: ſicut in lib.de anatomicis admin.ſt.ſed ſtructuræ artificium:
ꝙ cum pendeat ex vſu,ob id ſtructuræ artificium docere,nil aliud eſt,quã circa particularum vſum verſari

Opus de vſu part.libr.16. membrorũ corporis vſum docet: lib.17.vtilitatem huius doctrinæ proponit.

Hoc ergo horum librorum de vſu part. inſtit. ita ſuppoſito,accedentes ad principale noſtro propo-
ſitum,quod erat doctrinam,& neceſſitatem,& ordinem cum cauſa patefacere : dicimus, cum Galeni in-
ſtitutum eſſet de vſibus omnium partium corpòris humani dicere, duo facit : primum in omnibus,libro
vlt.excepto,hos omnes vſus,vt pollicitus eſt, explicat : deinde,quod vlt.libro proponit.ſummam ac pene
diuinã huius doctrinæ vtilitatẽ exponit. Quod hoc ſit verum,Gal.in vlt.lib.c.2.proponit cõmoda,quæ ex
opere de vſu part.conſequi poſſumus:atq; inquit,vnum ac maximum cõmodum nobis occurrere,nõ tã- C
quam medicis,ſed tanquã præſtantioribus,hoc eſt,ſcire aliquid cupientibus de vi ipſius vtilitatis:& ꝓpte-
rea in c.1.dicit,opus de partium vtilitate non ſolum medico eſſe vtile , ſed multo magis medico philoſo-
pho,qui totius naturæ ſcientiam ſibi ſtudeat comparare,vnde cum oportet his ſacris initiari , ſiquidem ſi
quis in tanta carnium & ſuccorum colluuie mentem habitare conſpicatus fuerit, mentis excellentiam
quæ in cœlo eſt,intelligat : hincque opus de partium vtilitate,quod prius exiguum ſibi videbatur, perfe-
ctiſſimæ ætiologiæ verum principium conſtituetur , quæ ſane ætiologia multo maior atque præſtantior
tota medicina.Secundum deinde cõmodum eſt,cognitio affectuum partium profundarum : quã ad rem
actionis cognitio magnum habet momentum : v.g. qui nouit ventriculi actionem eſſe ciborum coctio-
nem:ſi lædatur coctio,ventriculum eſſe affectum cognoſcet.Sed præter actionem , vtilitatis eandem co-
gnitionem præbent:vt ſi in cruribus aliquod os fuerit fractum , aut ſit articulo dimotum,cognoſcemus D
animal lædi,quoniam ſcimus,quod per oſſa cruribus innitamur: vt ad cognoſcendum quænam pars ſit
affecta non minus conferat vtilitatis,quam actionum cognitio. Tertium cõmodum,quod ſimiliter ſe ha-
bet,eſt futurorum prænotio : quod tñ commodum ſecundum eſſe voluit Gal. quia tum cognitio partis
affectæ,tum futurorum prænotio,pertinet ad artem ſignorum.Sed ad rem. Cognitio actionum & vſuum
conferunt ad futurorum prænotionem:nam ſit in cruribus fuerit luxatio cum vlcere;ſignificatur ambu-
lationis noxa in futurum tp̃s incurabilis : quod ſi coxendicum luxatio etiam fuerit ſine vlcere,futuram
claudicationem ſignificabit.His addit quartum commodum , quod tertium vocat;quia ad partem cura-
tricem ſpectare videt̃ : eſt autẽ quæ reſpicit materias tum medicinales,tum chirurgicas:medicinales qui-
dem,nam dum ex anatome ſcimus naturam prouidentiam habere,vt in morbis fiat a natura criſis,nos na
turam imitantes medicamentis vtimur:chirurgicas vero,nam dum partium vtilitatem probe callemus, E
ſcimus ẽt circa part. inciſionem,quæ audacter ſecari debent,& contra quæ timide,& caute incidenda.

Quo loco admoneantur iuuenes , ne forte credant materias tum medicinales,tum chirurgicas eſſe
materias remedii,indicati vel ab actione,vel ab vſu , vel ſaltem a membri natura, ope vel actionis,vel vſus
cognita:nam nullum horum verum eſt;ſed ſtatuendum,horum beneficio cognoſci naturam , & proinde
virtutem an permittat,vel potius prohibeat materias remedii,indicati a re præter naturam : v.g. materia
morbifica indicat purgans,cuius materia eſt rhabarbarum,ſi tempus ſit criſis,& natura nihil agat , virtus
eſt,quæ permittit medicamentum. Ad eundem modum ſectio eſt materia remedii, indicati a cauſa mor-
bifica . beneficio autem vel actionis,vel vſus cognoſcimus,in parte eſſe virtutem , vel permittentem , vel
prohibentem.

Sed ad rem.Patet quemadmodum Gal.in vlt.li.anatomiæ proponit vtilitates.Sed hic aliquis diceret, F
verum quidem eſſe Gal.in reliquis libris verſari circa vſum part.in vlt.autem proponere operis vtilitatem
at nondum huius ordinis cauſam patere.Itaq; huic quæſito ſatisfaciens Gal. capit. vlt. ait,cauſam fuiſſe,
vt hic vltimus liber ſit veluti quidam bonus ἐπῳδὸς , hoc eſt,vt ſtantes ante deorum aras hymnis Deos ce-
lebrabant,ita hic liber,dum huius operis tot commoda explicat,inſinuauit etiam,naturam , tantæ fabricę
auctorem,mirifice eſſe celebrandum. Et hoc eſt,quod ſignificauit tertio de vſu part. decimo, dum ait,
doctrinam hanc de vſu partium eſſe ſacram,vt conditori noſtro hymnum componat. Iure ergo in fine o-
peris epodum,ſeu cantilenam ex innumeris vtilitatibus colligit.

Sed dubitabit aliquis : Nam Gal. in libro de oſſibus inter initia ſtatim habet; ex oſſibus ſingula per
ſe qualia ſint , tum quam inuicem ſtructuram habent,nota medico eſſe debent , ſi recte ea cum vel fran-
guntur,vel ſua ſede dimouentur,curaturus eſt.Ex quo colligitur,Galenum huius libri vtilitatem in prin- G
cipio proponere:cur ergo in libro de vſu partium in fine ? Dicendum , huius diſcriminis cauſam fuiſſe,
nam dum primo proponitur vtilitas,fit gratia addiſcentium,vt ad addiſcendum inflammentur, dum au-
tem poſtremo loco,vt qui ex doctrina cognoſcit tot ſequi vtilitates , non addiſcat , quia iam didicit,ſed
Deo gratias agat.Vnde cum ex inſcriptione libri,dum inſcribit̃,liber de oſſibus ad tyrones,non ita accen-

dantur

A dantur addiſcentes. quemadmodum ex inſcriptione libri de vſu partium corporis humani:rationabiliter
Gal. commoda in libro de oſſibus inter initia propoſuit:in opere autem de vtilitate partium in fine,vt in
hoc laus conditori decantetur. Et præſertim cum vtilitatem,& ſummum conditoris artificium colligat,
inuicem conferens omnes corporis partes,vt ex his admirabile & pene diuinum opus efficitur. Et hoc
eſt,quod inſinuauit Gal.2. de vſu part. vlt.dum ait : in fine operis ſe dicturum de magnitudine , & poten-
tia totius manus,cum aliis vniuerſis membris : nam cum illa inuicem conferuntur , magnitudo modera-
ta,& conſtructio bene conſtituta oſtenditur,vt hinc emergat vtilitas,hincque conditoris laus. Hæc de
ordine inter lib. vltimum,& reliquos.

Cæterum quo ad reliquos inter ſe:dicimus,cum propoſitum eſſet Galeni loqui de vſu particularum Methodus
corporis humani,duplicem ob cauſam,primum de manu,&ſumma cum diligentia,hoc eſt,in primo& ſe- in opere de
B cundo libris fuiſſe locutum:prima cauſa fuit,vt a notioribus initium ſumeret:loquens autem de manu ,i- vſu partium
nitium ſumit a notiori,quoniam notiſſima eſt manuum operatio,nempe apprehenſio:hæc autem cogni- obſeruata.
tio neceſſaria eſt,quoniam non licet circa partium vſum verſari,niſi earum operatio ſit nota. Reliqua aũt 1.& 2. lib.
cauſa fuit,quoniam corpus humanum,vt anatomiæ ſubiectum,ab aliis animalibus potiſſimum diſtingui-
tur per manum,&propterea manus ſit organum ante organa, hincque organum ad quaslibet artes exer-
cendas accõmodatum. Hæc veritas confirmatur multiplici Galeni auctoritate. Et primo:dum ſecundo de
vſu part. primo ait,ſe narrationẽ a manu incepiſſe propterea,ꝙ pars hæc homini ſit maxime propria,non
autẽ quia ſit dignior:ſiquidem ex ſexto de vſu partium ſeptimo,cordis pars etiam ignobilior,præſtantior
omnibus quæ ſunt & in cruribus,& in manibus:vt primo loquatũ de manu , non vt de parte præſtante,ſed
hominis propria. Confirmatur hæc veritas cum eodem Gal.2.de anat.adminiſtrationibus c.3.dum voluit,
C primam eſſe verſandum circa manum,tum in libris de vſu part.quoniam eſt propria hominis particula,tũ
in lib. de anat.adminiſtrationib.quoniam vt pars externa vſui eſt maxime neceſſaria,ne in diſſecando par-
tes affectas error aliquis committatur. Dicit etiam quarto de anat. adminiſtrationib. primo, a manibus
non temere ſumſiſſe exordium,quoniam has partes in ſolis hominib. videre licet. Conſtitutum igitur ſit,
Gale.in 1.&2.de vſu partium,& proinde ante alias partes,locutum eſſe de manu , vt de parte omnium ma-
xime propria ipſi homini.

Quo vero ad tertium librum,in hoc agit de cruribus & pedibus pariter : reſpiciens ad id,quod totius 3. lib.
eſt,& hominis proprium. Hunc autẽ ſermonẽ eſſe de notiori inſinuauit Gal.ſecũdo de vſu partiũ vltimo,
dum ait,poſt ſermonẽ de manu ſe velle loqui de cruribus,propter ſimilitudinẽ conſtructionis. Ecce a no-
tiore procedit. Sed & ſimilitudo conſtructionis ſignificat pedes eſſe partes homini proprias:quamuis ma-
D nus ſint magis propriæ:ſiquidem corpus humanum ab aliis diſtinguitur per manus &pedes,ſed magis per
manus, quã per pedes. Vnde ad hanc ordinis cauſam reſpiciens idem Gal. quarto de anatomicis admini-
ſtrationib. primo,dicit,non fuiſſe abſurdum ſtatim poſt ſermonem de manu,de cruribus nonnulla com-
mentari:quãdoquidẽ & in his homo præter omne aliud animantium genus proprium quiddam ſibi ven-
dicat,vt nimirum ſolus ad amuſſim rectus crurum beneficio incedat. Apparet ergo cur in primo,&ſecun-
do de vſu part.dicitur de manu:in tertio de pedibus. Neq; obſtat,quãuis dicat Gal.2.de vſu part.c. vltimo,
quo ad muſculos mouentes humerum,ſe de his dicturum in lib. 13. vbi perfecte de humero,& omoplatis
loquitur:nam ille eſt locus,(vt cito noſcetis)in quo ſermo habetũ de his,quæ procedunt a cerebro.

Expeditis igitur partibus,per quas homo ab aliis diſtinguitur:pernoſcens diuinus Gal. non ſatis fu-
E iſſe naturæ,vt partes creauerit,per quas homo ab aliis animalibus diſtinguitur,ſed etiam optimum fuiſſe,
vt generentur partes,beneficio quarum homo conſeruaretur:ideo,vt hæ partes ſunt a natura conditæ,ita
etiam de his Galeno dicendum. Has autem hac ſerie diſpoſuit:vt cum partes hominis conſeruationi deſti-
natæ eſſent in duplici differentia:ſiquidem aliæ conſeruant , aliæ ſunt partes cõmunes conſeruantibus in-
ſeruientes:rationi conſonum fuit,vt primum de conſeruantibus loqueretur, mox vero de his,quæ com-
muniter conſeruantib. famulantur. Vt merito in penultimo lib.hoc eſt in 16.ſermonem habeat de venis, 16. lib.
& arteriis,& neruis. Vnde hunc ordinem inſinuans 3. de vſu part.9.ait:venarum,arteriarum,& neruorum
enarrationem eſſe facturum procedente omni ſermone,quoniã hæc ſunt communia totius corporis in-
ſtrumenta,ſiquidem eis cõmiſſæ ſunt communes vtilitates : nam membra per arterias refrigerantur,per
venas nutriuntur,per neruos animalem vitam ſuſcipiunt. Cęterum quantum attinet ad partes cõſeruan-
F tes,cum ſint in duplici differentia,nimirum vt conſeruant vel indiuiduum,vel ſpeciem:rõnabile fuit ver-
ſari primum circa partes conſeruantes indiuiduum,mox vero circa conſeruantes ſpeciem. Quare in lib. 14. & 15. lib.
ante penultimum,hoc eſt in 14. & 15. de partibus genitalibus loquitur : in prioribus autem de conſeruan-
tibus indiuiduum. Verum quantum ad conſeruantes indiuiduum : cum conſeruetur beneficio parti-
um ad tres ventres pertinentium,nempe abdomen,thoracem,& caput , & proinde ventrem inferiorem,
medium,& ſupremum:1. agit de partibus ventris inferni,ſecundo medii,& tertio ſuperni. Cuius ordinis
duplex fuit ratio. Altera quidem & prima: quoniã cum conſeruetur indiuiduum beneficio ſanguinis, ſpi-
ritus vitalis,& animalis,qui ita ſe habẽt,vt animalis gignatur ex vitali,vitalis ex ſanguine:rationi cõſonum
fuit,primum verſari circa partes concurrẽtes ad generationẽ ſanguinis;ſecundo cõferentes ad generatio-
nẽ ſpiritus vitalis;tertio circa conducentes ad productionem ſpiritus animalis. Secunda ratio fuit:cum ex
G Gal.8.de vſu part.6.actionum aliquæ reſpiciant vitam , vt reſpiratio,& ſuperflua excretio, aliquæ autem
commodiorem vitam,vt olfactus:rationabile eſt,primum verſari circa partes,quæ operantur cauſa vitæ ,
mox circa illas, quæ operantur cauſa commodioris vitæ. Vnde ab hac veritate non recedens Gal.14. de
vſu partium 1. ait,naturam ad conſtruendas animalis partes ad tres ſcopos reſpexiſſe : nimirum , vt partes
crearet gratia vel vitæ,vel commodioris vitæ,vel inſtaurationis generis:vt ſubdat , cum de partibus geni-
tis cauſa & vitæ,& commodioris vitæ dictum ſit,modo dicendum de partibus cauſa inſtaurationis. Ecce
pri-

primum proponit partes caussa vitæ, deinde caussa commodioris vitæ Neq; obstat, quãuis primum sit locutus de manibus, & pedibus, quæ partes sunt vitæ commodiori attributæ: siquidem de his non loquitur vt conferuntur cum partibus caussa vitæ procreatis; sed de his (vt scitis) est sermo, vt sunt partes hominis propriæ, & proinde distinctæ ab aliis, quibus commu inter animalia sunt donata. A

4 & 5 lib. His ergo rationibus adductus Gal. in 4. & 5 lib. agit de organis nutritionis, & proinde de partibus
6 & 7. lib. spectantibus ad ventrem inferiorem in quo sanguis generatur, in 6 & 7. de corde, & pulmone, hincque de partibus spectantib. ad ventrem medium, in quo spiritus vitalis producitur: cuius caussa in 7. lib loquetur de mamillis, de quibus tamen & diligẽtius agit in sermone de partibus generationi destinatis: quod monuit Gal. dum 7. de vsu par. ait, dicendum de mãmillis diligenter, quando de partibus genitalibus dicimus: nũc vero hoc est in septimo, cum sermo fiat de organis spiritus, ob id & mammillarum meminimus, vt quę situm habent in thorace. Duobus autem in locis de mammillis dicit, quoniam pertinent modo ad organa B spiritus, vt hic: modo ad organa generationis, vt circa postremos libros. Sed ad rem. In 6. & 7. sermo habe-
8. & 9. lib. tur de medio ventre. Deinde vero in 8. & 9. loquitur de cerebro, hincq; de partibus spectantibus ad ventrem supremum, in quo gignitur animalis spiritus, organum sane accommodatum, & ad vitam caussa respirationis, & ad commodiorem vitam caussa aliarum functionum: vt cerebri caussa quatuor libros scribat, nempe decimum, vndecimum, duodecimum & decimumtertium, in quibus hunc ordinem seruat, vt
10. lib. primum, hoc est, in 10. agat de oculis, vt de organo, non modo cerebro proximo & præstantissimo reli-
11. lib. quorum sensuum, verum etiam de illo, cuius actio est euidentissima: in 11. autem agit de his, quæ pertinẽt
12. & 13. lib. ad faciem cum partes sint reliquis proximiores cerebro: tandem in 12. & 13. de his quæ pertinent ad spinam, sunt enim organa, quibus vtitur cerebrum magis distantia, quam faciei partes.

Sed aduersus hunc ordinem occurrit dubitatio. Nam Gal. in lib. 15. loquitur de musculis ischium, id C est, coxendicis articulum mouentibus, in quo tamen libro sermo fit de organis generationis. Et augetur difficultas, quoniam Gal. 15. de vsu par. vltimo ait, se velle sermonem habere hoc loco de musculis ischii, ea tamen conditione, vt quod soli articulo ischii est peculiare, hoc loco sit commemorandum. Dicendum idem quod dictum est de mammillis, de his sermonem fieri in tractatu, & de corde, & membris genitalibus, quoniam omnibus conferunt, vt a simili caussa coxendicis musculi cõferant ad coitum per modum articulationis coxendicis, ob id illico post absolutum sermonem de partibus genitalibus, de his musculis tanquam de inseruientibus sit locutus.

Hæc de ratione ordinis librorum Galeni inscriptorũ de partium vtilitate. Quæ tibi omnia, Lector, subiecta tabella ἐν τύπῳ exhibet.

D



E

Ordo indissectione obseruandus. Quo vero ad tertium circa ordinem explicandum, erat autem ordo seruandus in partibus dissecandis. Paucis ego dicimus cum Gal. 9. de anato. administr. c. 1. a notioribus exordientes, opus esse inprimis secare cadauera, mox ventrem, præterea primum exercere sectionem in parte a toto ablata; deinde in parte toti adiacenti. Nam cum oporteat cum Gal. 4. de anat. administ. primo singulas partes dissectas accurate conspicere, efficacius in cadauere cernetur, & præsertim si pars a toto sit ablata. At hæc cum cadauer diuidatur in artus, & ventres, admonet Galen. 3. de anat. administr. primo, opus esse vt iuuenes primo exerceantur in horum natura pernoscenda: nam præter id quod hæc sectio est facilior, est etiam magis necessaria ad vsum chirurgi incidentis, & medici dogmatici, vt pateat curationis ratio circa luxationes, & cum vlcere, & citra, circa fracturas ossium, circa excisionem materiæ putridæ, circa etiam tibiæ vel spiculi exsectionem. Vnde eundem ordinem proponens 4. de anato. administr. primo, inquit, se primo locutum esse de dissectione artuum, deinde versatum esse circa totam musculorum consectionem, deinde conuersum esse ad ordinem, quem incontrario de vsu partium seruauit. Ratio autem similis ordinis fuit, quoniam (vt ait Gal.) propositum est docere qualem naturam singula organa obtineant, cuiusmodi etiam est propositum in opere de vsu partium: vt differentia sit, quia in lib. de vsu partium organorum naturam consequimur per vsus, hic autem per sectionem. F

Ceterum aduertendum hunc ordinẽ esse seruandũ, dũ sermo fit de dissectione: & ob id ait Gal. se esse locutum, & ita loquitur, & in hoc sermone seruat ordinem, quem etiam in opere de vsu partium seruauit. At si capiatur sectio, vt fit: aliter statuendum. Vt in sectione administrãda duplex fit ordo: alter dum cadauerum copia suppetit: reliquus si cadauerum copia desideratur. Primũ ergo si copia sit cadauerũ, cum Gal. G

1. de anat.

A 1.de Anat.adminiſt.ſecundo, hic exercitii ordo eſt ſeruandus:vt opus ſit perdiſcere primum oſſium naturam:deinde ad muſculorum inciſionem properandum:nam oſſa,& muſculi reliquis omnibus veluti fundamenta ſubiecta ſunt: deinde licebit quoduis diſcere primum, ſiue arterias ſiue venas, ſiue neruos, atque in horum conſectionibus verſari: viſcerum natura, adhæc inteſtinorum, adipis, glandularumque natura facilius innoteſcet. At ſi cadauerum non ſit copia, alius ſeruandus ordo, quibus temporibus in ſcholis ſeruatur: quem proponens Gal. 5. de Anato. adminiſtr. cap. 6. ait, ſe quamprimum ſimia fuerat ſtrangulata, omnes abdominis muſculos incidiſſe, mox inteſtina, ventriculum, iecur, lienem, renes, veſicam, &, ſi fœmina erat, etiam vuluam & hæc prima die amicis conſecuiſſe, ne diutius aſſeruata computreſcerent. Deinde Galenus ſequenti die ad alia tranſgreſſus, incidebat eo ordine, qui in huius operis ini-
B tio conſcriptus eſt.

CAPVT VII.

Qua methodo in partibus ſimilaribus & diſſimilaribus progredi debeat anatomicus: vt membri operatione & natura cognita, vitalem indicationem inueniat.

HÆc de ſecundo principaliter propoſito quod fuit verſari circa eſſentiam Methodi Anatomicæ. Modo quo ad tertium attinet, fuit autem docere viam quandam ordinatam, quæ applicabilis ſit cuilibet membro corporis humani. Quod ſane eſt callere quot & qua ſerie ſint perpendenda in quolibet mēbro, vt eius natura exacte pateat. Vt tanta ſit huius methodi vtilitas, imo neceſſitas, vt cum Gal. 1. de vſu part. 5. quiſquis ſine methodo recte partium vtilitatem aſſequi ſe poſſe putat, alucinetur. Vnde c. 8. eiuſdem lib.
C gloriatur inquiens, neminem ante ipſum omnes organorum functiones explicaſſe. Præterea, ſiqui etiam alicuius membri actionem expreſſere, attamen ex ignoratione methodi in multis particularibus fuerunt decepti. Et quod maius fuit, etiam Hip. vt (ait Gal.) obſcure nonnulla ſcripſit, quædam omnino prætermiſit. Notandum autem Hip. hæc omiſiſſe actu, non virtute, ſiquidē ait Gale. quædam ſe adiecturum, non tamen proprio marte, ſed per methodos ab Hip. traditas.

Quid in ſingulis partibus conſectari perpendēdum.

Cum ergo huius methodi tanta ſit neceſſitas, ne deficiamus, duo præſtabimus, alterum erit proponere quot ſint perpendenda: reliquum, qua ſerie, hoc eſt, e pluribus, quodnam primo perpendendum; quod ſecundo, quod tertio, & ſic deinceps.

Quantum ergo attinet ad primum: cum ex Gale. ſententia 1. de vſu part. 8. ad dignoſcendos quoslibet vſus partium totius membri neceſſarium ſit cognoſcere quæ ſit totius membri actio, propterea quod
D omnes membri particulæ in vnam conſpirant totius membri actionem, v.g. oculi partes in viſionem, manus partes in apprehenſionem, idcirco neceſſarium eſt duo perpendere, quorum alterum eſt actio, reliquum autem membrum ad actionem concurrens. Quantum ad actionem, quamuis in membro plures obeantur actiones, nos tamen vnicam, ac determinatam, & præcipuam illius membri intelligimus, veluti eſt viſio in oculo. Quo vero ad membrū: nō recedentes a Gal. 1. de vſu partiū 8. 9. & 10. capitibus, dicimus opus eſſe intelligere tum ſingulas particulas totum membrum conſtituentes, tam etiam totum mēbrum compoſitum. Quantum attinet ad partes: perpendi poſſunt, vt vel non viuunt, vt vitreus in oculo vel viuunt: tuncque perpenduntur penes modum eſſendi, vel concurrendi ad totius membri operationem. Si primo modo capiuntur partes, vt ſunt magis, vel minus ſimplices, verbi gratia, in oculo cornea eſt magis ſimplex, in manu muſculus minus ſimplex. Si autem ſecundo modo: ſumūtur partes vt ſunt vel præcipuæ
E cauſſæ actionis, vel cauſſæ ſine quibus nō fieri poteſt actio, vel cauſſæ quarum ope actio melius fit, vel deniq; ſunt partes, quæ pro omnium cuſtodia ſunt creatæ. Quare in exercitatione anatomicæ methodi verſari oportet circa partes his modis acceptas, vt totum membrum explicetur: tum quidnam & in ſingulis partibus & in toto membro perpendere & noſcere oporteat, vt inde operationis legitima cauſſa pateat, hincq; membri natura ita eluceſcat, vt deinde in parte practica liqueat, quomodo concurrat, & vt indicans auxilium, & vt ſignum etiam indicantis, ſiue in arte de tuenda ſanitate, ſiue in curatrice.

Quot conſideranda ſint anatomico, in ſingulis partibus.

Quantū ergo attinet ad partes, & primo quoad non viuentes: hoc peculiare obtinent, vt ſit perpendenda tota ſubſtantia, vt vitrei, vt vertitur in alimentum cryſtallini. Hoc loco notandum circa partes inſtrumenti non viuentes, has etiam in methodo anatomica eſſe includendas: fundamentū, & demōſtratio; quoniam in ſermone de manu Gal. ſumma cum diligentia loquitur de vnguibus, quæ tamen nō viuunt:
F & rationabiliter, cum ſint partes, quæ ad differentiam ſanguinis, ſunt totius inſtrumenti particulæ ſimilares quidem, ſed quæ manent. Ad hæc dum in oculo perpenditur albugineus, perpenditur particula nō viuens: & ſicut in vngue, ita etiam in albugineo ponderamus cum conſequentia, tum quę accidunt: quare & vitreus, quamuis non viuat, a methodo non eſt excludendus. Ceterum cum vitreus id priuatim obtineat, vt eius ſubſtantia vertatur in alimentum cryſtallini: hoc nequaquam erat non admonēdum. Sed animaduertendum, vitreum aliquam ſimilitudinem obtinere cum corpore pingui: vt ſicut aliqua eius pars manet, ſicut vnguis, caro, & reliquæ partes ſimilares: aliqua autem pars non manet, ſed eſt alimentum, & corporis pinguis, & calidi innati: ita & vitrei partem eſſe permanentem, & partem verti in cryſtallinum, & in vitreum. Sed diſcrimen eſt: nam portio pinguis dum mutatur in corpus pingue, mutatur in partem viuen-
G tem: dum autem portio vitrei mutatur in ſubſtantiam vitrei, & eſt portio impurior, cum purior vertitur in ſubſtantiam cryſtallini, mutatur in partem non viuentem: vt vitrei eadem ſit generatio & conſeruatio, quæ vnguium ac pilorum, & proinde partium permanentium, ſed non viuentium. Et propterea Gale. in meth. reſpiciens ad inſtrumenti particulas, & viuentes & non viuentes, ſed permanentes, non propoſuit mutationem totius ſubſtantiæ: non tamen eſt ab re in applicatione methodi hoc admonere, ſi contingat vt inſtrumentalis aliqua reperiatur particula, quæ ſecundum aliquam partem non maneat, cuiuſmodi eſt corpus pingue, & vitreum.

Partes non viuentes, vtiles ſunt, nō per craſin nec per id quod cōſequitur, nec pe id quod accidit, nec per operationē, ſed per totā ſubſtātiam: proindehęc cōſiderāda.

In partibus viuentibus quæ consideranda differentia.

Quo autem ad viuentes: & primo quo ad simpliciores, cum possit esse vel principales, vel non prin- A
cipales: si principales, sunt in duplici differētia: etenim sunt, vel passiuæ, vel actiuæ. Passiuæ sunt veluti lin-
gula in gutture. Gal. autem in methodo passiuas non proposuit, quoniam concurrunt, sine quibus non, v.
g. sine lingula non fieret vox. Hoc autē monuisse volui propter Galenū. qui septimo de vsu par. 11. & 13. ait,
lingulam obtinere substantiam, vt similis alia in corpore non reperiatur, atq; esse principalissimum vocis
instrumentū: intelligatis passiuum: cōcurrit autem per temperiem passiuam, hoc est humiditatem, ad hæc
& per consequens, & id quod accidit. Nota quia forte lingula concurrit vt actiua, vt mouet, vt percutit ae-
rem: sed hæc percussio pendet a motu musculorum, vt non sit simpliciter actiua.

Porro secundum, partem instrumenti principalem esse actiuam vel simpliciter, vel secundum quid.
Pars actiua simpliciter, est, quæ agit, & ab alia particula instrumenti non patitur: verbi gratia, caro iecino- B
ris agit, vt non patiatur ab alia iecinoris parte: similiter crystallinus in oculo agit, vt non patiatur ab alia o-
culi particula: & huiusmodi principales particulæ necessario agunt per temperaturam. Pars autem acti-
ua secundum quid, est, quæ est caussa operationis vt patitur, & propterea etiam passiua dicitur, vt nisi ab a-
lia instrumenti particula patiatur, nequaquam sit actionis caussa: verbi gratia, lingula in larynge: nam nisi
patiatur a musculis laryngis, nequaquam fiet vox, quia non poterit aerem percutere. Et huiusmodi parti-
cula, siue actiua, siue passiua appelletur, (nam vtroque modo dici potest) nequaquam concurrit per tem-
periem: quoniam eius actio non est alteratio, sed motio ac percussio. Vnde, sicut in motu alterationis a-
ctio fit per temperiem, contra in motu locali fit actio per secundas qualitates, & proinde per id quod con-
sequitur, sunt autem durum, & molle, grauitas, & leuitas: siquidem alio modo fit motio, dum quid percu-
titur est vel molle, vel durum; dum quod mouetur est vel graue, vel leue: pariter dum quod percutit est vel C
durum vel molle. Vt cum lingula nequaquam concurrat per temperiem, sed per determinatam duritiem
non propterea sit asserendum Gal. fuisse diminutum, quia dum dicit, partem præcipuam concurrere per
temperaturam, & quandoque etiam per id quod consequitur, respexit ad particulam simpliciter actiuam,
ex hoc inferens, si fuerit pars secundum quid actiua, vt patiatur, concurrere saltem per id quod conse qui-
tur. Quo autem ad partes actiuas principales vt est crystallinus in oculo, in his ex necessitate cōcurrit tem-
peramentum, quod proprium significatur, per propriam earum substantiam. Dico autem ex necessitate
concurrere temperamentum, nam quandoque præcipua pars concurrit simul & cum temperie, & cum a-
liquo ex consequentibus, quemadmodum in oculo crystallinus, qui sane vt præcipua visionis caussa con-
currit per suum temperamētum, vna cum colore. Si autem simpliciores partes cōsiderentur, vt non sunt
præcipuæ caussæ actionis, sed conferunt vt vel sine ipsis non fiat, vel vt melius fiat operatio, vel ad custodi- D
am, in his raro temperies perpenditur, vt semper duo in genere sint perpēdenda, quorum alterum est ne-
cessario consequens temperamentum, vtpote color, odor, sapor, durities, mollities, veluti os propter duri-
tiem, reliquum autem est, quod necessario accidit, nempe positio, magnitudo, numerus, conformatio, &
proinde compositio.

Circa quæ, propter iuuenes, tria notanda, primum quidem circa partem præcipuam opus esse per-
pendere (vt dictum fuit) temperaturam vt plurimum, quandoque autem temperaturam cum aliquo ex
consequentibus, si videlicet sermo fiat de parte, vt est præcipua caussa actionis, at si eadem pars capiatur, vt
alia ratione ad operationem concurrit, secundum hanc rationem oportet considerare, & quæ cōsequun-
tur, & quæ accidunt, v.g. dum in crystallino speculamur situm, figuram, & alia id genus, quæ accidunt, ac-
cipimus crystallinum non sub ea ratione, vt est præcipua caussa visionis, sed potius vt est caussa vt melius E
fiat visio, vt in parte ea ratione qua est præcipua caussa actionis, oporteat speculari necessario temperiem,
& quandoque cum temperie aliquot ex consequentibus, vt autem non est præcipua actionis caussa, di-
gnoscere liceat & consequentia, & quæ necessario accidunt.

Secundo notandum est, partes non principaliter cōcurrentes, quæ custodiæ gratia genitæ sunt, quid
peculiare requirere: vt videlicet non solum sicut in reliquis perpendere expediat & quod necessario con-
sequitur, & quod necessario accidit, verum etiam temperamentum: vt videlicet perpendere oporteat an
pars sit donata temperamento, ope cuius reliquæ partes conseruentur: hoc autem temperamentum dif-
fert a temperamento partis præcipuæ, nam huius debet temperamentū esse peculiare, vt in alia parte non
reperiatur, & ideo potest & supra, & infra temperamentum: & temperamentum partis conseruantis de-
bet esse moderate calidum & humidum. Quæ veritas fuit proposita a Gal. 1. de vsu part. 13. dum habet ex F
sententia etiam Platonis in Timæo, carnem esse propugnaculum ac tegmen aduersus æstus. & frigora,
quoniam eius temperatura est humida, & moderate calida, vt instar balnei æstate resudans, & humectans
extrinsecus refrigerium toti corpori proprium familiareque affundat: hyeme autem contra suo calore
extrinsecus illatam & nos circumdantem frigiditatem arceat. Ecce ergo quemadmodum in parte con-
seruante præter consequentia & accidentia etiam temperiem considerari oportet: vt si humida sit, & mo-
derate calida, ad custodiam conferat.

Tertio notandum est, dixisse Gal. in arte medicinali octauo, corporib. secundum essentiæ rationem
inesse, vt similaria sunt, temperiem, vt instrumentalia compositionem. Si ergo compositio est de essentia
instrumenti, quomodo Gal. 1. illo de vsu partium nono, compositionem recenset inter ea quæ accidūt ne-
cessario, ad differētiam temperaturæ, quæ inest secundū essentiæ rationem. Et augetur difficultas: quoniā G
cap. nono, loquens de totis organis, inter ea quæ accidunt compositionem recenset. Dicendum: quod ne-
cessario accidit bifariam capi posse; altero modo, vt sit quid accidentale, non autem de essentia: secundum
quem modum compositio cōpetit parti similari, nam parti similari secundum suæ essentiæ rationem cō-
petit temperies, accidit autem cōpositio: reliquo modo autem capitur quod necessario accidit, vt scilicet
fit a virtute, quæ necessario priori virtuti succedit, vt compositio, quæ fit a virtute formatrice, quæ neces-

sario

A ſario coniungitur cum alteratrice, vt alia potentia generatricis: ſecundum quam rationem hic effectus,
qui ratione formatricis dicitur neceſſario accidens ratione partis ſimilaris, non eſt de eius eſſentia, ſed
ratione partis diſſimilaris, eſt de eius eſſentia: quare omnis ruit ambiguitas. Hæc de partibus ſimplicio-
ribus.

Quo vero ad minus ſimplices, Galen. 1. de vſu partium nono, voluit eſſe partem, quæ ſit minus
ſimplex, quam ſimilaris: vt in manu muſculus, ad differentiam nerui. In qua ſane parte perpendere opor- In partibus
tet operationem. Et hoc eſt, quod ſignificauit, dum ait: diſtinguendum, an pars propter actionem ſit vti- magis com-
lis, verbi gratia, muſculus in manu, dum flectit digitum, confert ad apprehenſionem, vt muſculi oculi ad poſitis, per-
viſionem per motum. Hæc de partibus. pendenda
eſt opera-
tio.

B Quo autem ad totum membrum: in hoc perpendere oportet, tum id, quod neceſſario accidit, tum In toto
actionem. Quantum ad id quod neceſſario accidit, hoc euidenter propoſuit Galen. primo de vſu parti- membro
um nono, dum ait: conſiderare oportet, quæ accidunt, & organorum particulis, & totis organis, per id ꝙ perpenden-
accidit, nil aliud intelligens, quam compoſitionem, vt ipſe ſeipſum explicat. Quo vero ad actionem, ſi per- da compo-
penditur in parte minus ſimplici totius organi multo magis in toto organo eſt conſideranda, ſiquidem ſitio: & ope-
ex Gal. in arte medicinali octauo, operationes ſequuntur & temperiem, & compoſitionem. Et ob id Gal. ratio.
ſecundo, de placitis quarto, circa cor & proinde circa totum membrum, quinque explicanda proponit,
nimirum ſitum, quantitatem, nexum, formationem, diſpoſitionem, & motum: per hæc nil aliud intelli-
gens, quam id quod accidit, & actionem; nam id quod accidit, eſt tota compoſitio, quæ & proprietas com-
poſitionis, & diſpoſitio vocatur, quæ conſtat ex quantitate, hoc eſt, magnitudine ac numero, ſitu, (in quo
C etiam clauditur connexus,) & conformatione. Motus autem eſt cordis actio. Ecce ergo quemadmodum
in toto & compoſitionem, & actionem perpendere oportet. Ceterum hoc loco notandũ, hæc in toto mẽ-
bro conſiderata, non ſolum referri in actionem propriam totius membri, verum etiam in actionem alte-
rius membri: verbi gratia, manus duplex confert ad apprehenſionem: ventriculus per attractionem, retẽ-
tionem, & expulſionem, ad chylificationem; per chylificationem, ad ſanguificationem, quare ad functio-
nem iecinoris. Vnde cum membri diſſimilaris ſit perpendenda propria functio, vt in ventriculo chylifi-
catio; facultas ventriculi naturalis, ſeu chylificatrix eſt præcipuum agens, a quo chylificatio procedit: vt
cum egeat organo, hoc ipſum eſt vel adæquatum, vel non adæquatum: non adæquatum autem vel princi-
pale vel ſecundarium: principale quidem pars membri præcipua, vt ventriculi tunica interna: ſecundari-
um, reliquæ ventriculi partes: adæquatum, totus ventriculus. Quæ ſane omnia concurrunt vt quod: tuni-
D ca nimirum interna, vt quod principale: externa, vt quod ſecundariũ: totus ventriculus, vt quod adæqua-
tum. Hinc ſequitur requiri a facultate organum, quod concurrat: vt quod: ſed quo mediante agat: quod
ſane nihil aliud eſſe poteſt, quam conſtitutio illius, quod concurrit vt quod: ſiquidem conſtitutio eſt affe-
ctus, a quo tanquam ab organo prodit operatio; conſtitutio autem nil aliud eſt, quam temperies, compo-
ſitio, & vnitas. Quæ ſane conſtitutiones inuicem ita habent, vt temperies ſit propria ſimilarium, compoſi-
tio propria diſſimilarium, vnitas vtrique communis. Hinc ſequitur, vt, ſicuti vitiata vnitate eſt morbus in
inſtrumento, modo vt partis ſimilaris, modo vt totius; prout vnitas, vel ſimilaris, vel diſſimilaris partis eſt
læſa: ita dum vitiatur temperies, eſt morbus organi ſimilaris: ſi autem vitietur compoſitio, eſt morbus to-
tius inſtrumẽti. Vt quamuis partis ſimilaris vitietur, verbi gratia, magnitudo, ſit morbus totius inſtrumẽ-
ti: quoniam dum magnitudo in parte perpẽditur, capitur magnitudo partis, nõ vt ſimilaris, ſed vt eſt pars
E totius; vt partis magnitudo concurrit ad magnitudinem totius: vt compoſitio partium concurrit ad to-
tius compoſitionem: Vt hinc neceſſario ſit colligendum, temperiem eſſe organum præcipuum partis ſi-
milaris: compoſitionem præcipuum organum totius membri. Vt hinc chylificatio ſui initium habeat a
propria ſubſtantia, vt agit per temperiem: vltimam autem perfectionem aſſequatur a toto ventriculo, vt
agit per compoſitionem, & non modo per compoſitionem, ſed determinatam, & propriam compoſitio-
nem: nam tamen vt vtroq; organo facultas chylificatrix, tanquam præcipuum agens, ſeu (ſi in animam
referatur.) vt cõcauſſa vtatur: vt ſiue noxa ſit in tẽperie, ſiue in cõpoſitione, facultas, vt deſtituta præcipuo
organo, agere nequeat: ita vt facultas non lædatur, (quia lædi nequit,) ſed lædatur tãtum eius inſtrumẽtũ.
Quod ſit verum, dum Gal. tertio de ſymt. cauſſis ait, facultatem fruſtrari, vel ob errorem externũ, vel quia
læditur: addit, lædi, aut culpa ſuæ ſubſtantiæ, aut malæ cõpoſitionis. Ecce læditur facultas, quia læditur vel
F ſubſtantia ipſius, vel ob malam cõpoſitionem: vbi per ſubſtantiam non oportet intelligere facultatẽ eſſe
ſubſtantiam: ſed ſubſtantiam eſt domiciliũ facultatis: quod merito vocat propriam ſubſtantiam, quia eſt
propria ſedes, proprium domicilium facultatis. Vnde dum ſubdit, in tẽperamenti vitiis propriam faculta-
tis ſubſtantiam labefactari, in morbis in mala compoſitione duntaxat impediri: non oportet intelligere
facultatem vel labefactari, vel impediri ſed vtrumque eſt referendum in proprium domicilium faculta-
tis: vt cum hoc domicilium ſit ſimilare, & ſimilare ſit per temperiem: propterea per temperiem labefacta-
tur. Sed quia hoc domiciliũ ꝙ concurrit vt quod, non poteſt ad finem vſq; obire chylificationem, niſi ad-
iuuetur ad bona compoſitione: ſi vicium in compoſitione occurrat, hoc domicilium, quia ſimilare, nõ la-
befactatur, ſed ſolum impeditur, quominus ſuum opus perficere valeat. Quare quod labefactatur, & im-
G peditur, non eſt facultas, ſed propria eius ſubſtantia, hoc eſt proprium eius domicilium.

Conſtitutum ergo ſit præcipuum organum partis ſimilaris eſſe temperiem: præcipuum autem to-
tius, propriã cõpoſitionem. Vt in Anatome cauſſa totius inquirere liceat id quod accidit. & operationẽ.

Sed hoc loco quod diſcutiendum deſideratur eſt: cum merito partis opus ſit perpendere quomo-
do concurrat, an ſcilicet, vt præcipua, vel vt ſecundaria: & ſi vt ſecundaria, an vt ſine qua non, an vt melius
fiat operatio, an ad tunicam, quidnam ſit de toto ſtatuendum? Dicendum, totum membrum per compo-
ſitionis partes concurrere, vt ſecundum, hoc eſt, vt fieri ſine ipſo nequeat operatio propria, vt fiat melius,

& ad tunicam: vt modo vnomodo, modo alio modo concurrat: & idem esse statuendum de toto vt concurrat, per operationem, vt siue cõcurrat per partes compositionis, siue per operationem, nequaquam sit caussa præcipua actionis. At si membrum concurrat per totam compositionem, seu determinatam cõpositionem, quam vocare licet proprietatẽ compositionis: dicimus esse caussam actionis præcipuam. Ceterum cum asserere, totum esse caussam præcipuam actionis, sit totum cũ aliquo alio facultatis organo conferre: sicut cum conferimus partem præcipuam cum reliquis partibus, vt concurrat secundario: ob id necessarium est, vt totum cum aliquo alio conferatur: hoc autem non potest esse totum, quia idem cũ seipso cõpararetur. Quare debet cõferri cum suis partibus, ex quibus componitur. Cum autem partium vna sit præcipua, reliquæ secundariæ: necessum est, vt cũ omnib. conferatur: quare & cũ præcipua, nam quodhabet rationem primi, est in caussa, vt reliqua omnia secundum locum obtineant: vt dicendum sit vel totum non habere primum locum, vel si habet, arduum esse intelligere, quomodo duo primum locum ratione eiusdem operationis, obtineant. At primum nequaquam dicendũ: nam si quælibet pars, & proinde etiam præcipua, est genita caussa totius, & totum est id quod operatur, siquidem nõ pupilla videt, non visus, sed oculus totus: vt cum necessarium sit statuere totum obtinere primum locum, nec hunc alicui parti, quæ ob id præcipua dicitur, esse denegandum; dicendum sit, propriam operationem, quæ in Anatome cuiuslibet visceris est supponenda, duobus modis accipi posse: altero modo, vt fit: reliquo, vt vltimam perfectionem acquirit. Si primo modo: primum locum habet vnica tantum pars, cui similis nulla in reliquo corpore conspicitur, vt siue conferatur cũ reliquis partibus, siue etiam cum toto mẽbro, vt concurrit vel per cõpositionis partes, vel per operationem, semper præcipuũ locum possideat. At si capiatur operatio secundo modo, hoc est, vt vltimam perfectionem assequitur: dico, totum etiam collatum cum parte pręcipua constituta, prima sede donari, vt quamuis pars præcipua per tẽperiem assiduo agat, donec perfectissimus fiat chylus nihilominus, totum, per propriam compositionem, est illud, quod est præcipua caussa integrę operationis, & absoluti etiam operis. Quare omnis ruit ambiguitas.

Nota hic circa methodum reperiri aliquam partem, quæ concurrit secundum, totam substantiam, vt vitreus, vt est alimentum crystallini: quam totam substantiam non proposuit Galenus, quia respicit tãtum ad particulas viuentes, vitreus autem non viuit. Quare hoc adde methodo.

His ergo ita habentibus, patet dum methodus applicatur, opus esse totius membri actionẽ cognoscere, & huius gratia in parte, vt præcipua, perpendere temperiem, scilicet per propriam substantiam, hoc est, obiecta sensus, hoc est, & consequentia, in parte autem vt non præcipua, si simplex, opus est perpendere quæ necessario & consequuntur, & accidunt, etiam si sit ad custodiam, etiam temperamentum, si minus simplex, etiam actionem; in toto autem, & id quod accidit & actionem, examinare oportet. Hæc de primo, quod fuit, proponere quot sint perpendenda.

Quid primo, secundo, & tertio in singulis partibus perpendẽdũ.

Quo autem ad secundum: quod erat, ordinem seu seriem inter hæc edocere: paucis dicimus cum Gal. primo de vsu partium octauo, primum opus esse, vt membri, cuius Anatomen profitemur, pateat operatio: verbi gratia, in oculo visio: siquidem vtilitatem partium inueniri non licet, nisi membri actione ad vnguem cognita: idem cap. 9. affirmauit. primo etiam de vsu partium sexto, atque secundo de vsu partium 16. Cognita autem actione, cum Galeno primo de vsu partium nono, oportet versari circa particulam totius membri præcipuam: & circa hanc perpendere duo, primum quomodo concurrat vt præcipua actionis caussa, an per temperiem tantum: an per temperiem, & simul per aliquod necessario consequens temperaturam: alterum, an etiam concurrat, vt non principalis, perpendendo, primum operationem vt notiorem, si adest; secundo, quæ necessario consequuntur: tertio, quæ accidunt. Hinc ad alias partes perscrutandas accedere oportet, & dignoscere an concurrant sine quibus non, vel ad melius, vel ad tutelam; in his examinando primo operationem, secundo quæ consequuntur, deinde quæ accidunt. Excipitur pars ad custodiam creata, in qua cũ etiam locum habeat temperatura: hanc primum proponere oportebit, secundo consequentia, tertio quæ accidunt. Quibus circa partes explicatis, postremo circa totũ versari oportet: & in hoc cõpositionis rationem cognoscere, nec non actiones. Inter hæc autem, hoc est, inter compositionem & actionem totius membri, hic ordo seruandus, vt si respiciamus ad præcipuam actionem totius membri, siue alterius membri, id præcedat quod totius est.

Ceterum hoc loco duo notanda, alterum circa partes non principales: reliquũ circa ea quæ accidũt. Circa partes quidem non principales: cum sint sine quibus non ad melius, & ad custodiam, inter has non esse necessarium ordinem seruandũ, sed prout incisori, cõmodius erit, licet primo circa vnam quandoq;, & quandoque circa alteram versari. Quo autem ad ea quæ accidunt, cum sint conformatio, magnitudo, numerus, & situs, & tota compositio: inter hæc non est necessarius ordo, vt licet quandoq; primum circa vnum, quandoq; circa alterum versari, quamuis non sit ab re primũ perpendere quæ magis externa sunt; veluti situs, magnitudo, numerus, figura, superficies: magis autẽ recõdita sunt meatus, & cauitates, sed (vt dixi) inter hæc non est necessarius ordo: vt pro cõmodo incisoris prius modo vnum, modo alterũ perpẽdere oporteat. Quamuis non sit ab re vnum ordinem sibi seruandũ proponere: v. g. versari primum circa situm, per quem etiam connexum intelligere oportet, deinde circa magnitudinem, numerum, figuram, superficiem, meatus, & cauitates. Hæc de tertio principaliter proposito.

CAPVT IIX.

De Applicatione methodi Anatomicæ ad partes corporis: & primum, de Ossium Physiologia.

QVartum, principaliter primo capite propositũ, erat, hãc methodũ circa singulas corporis partes exercere. In hoc autẽ præstando, duo faciemus: 1. loquemur de illis partib. quę ferme ad cõpositionem

A cuiuslibet membri concurrunt:secundo autem de illis partibus,quæ ex primo explicandis fere omnibus
componuntur.Partes autem simpliciores sunt,ossa,cartilago,ligamenta,tendines,membranæ,glandulę,
pinguedo fibræ,venæ, arteriæ,nerui,cutis,cuticula,& musculi.Vnde ferme omnes tangens Gal. 3.de Ana.
1.dicit,actiuam naturam constare ex ossibus,ligamentis,musculis:per os insinuans etiã tendines, & mẽ-
branas,& cõmuni omnium velamento hoc est cute,insinuãs etiam subiectam pinguedinem. Partes vero
magis cõpositæ sunt,vt manus,oculus,iecur,cor,& reliquæ corporis partes cõpositæ. Huius autem ordi-
nis hæc est ratio; nam dũ de compositis loquemur,cum sint compositæ ex ossibus,cartilaginibus, ligamẽ-
tis,tendinibus,venis,arteriis,neruis,& reliquis simplicibus partibus,& plures etiam ex musculis: si harum
natura nobis erit cognita,leui negotio,qua ratione quodlibet membrum ex his sit compositum,& breui-
B ter,explicabimus. Nam Aristoteles secundo de partibus primo ait : partes similares sunt priores genera-
tione,& sunt gratia dissimilarium,vt dissimilares ex similaribus componantur.

Quantum igitur attinet ad simpliciores partes: primum agemus de ossibus,mox de reliquis:deinde *De ossibus primum agendum.*
rursus ad ossa redibimus & demum de partibus compositis loquemur. Bis autem de ossibus loquemur,
primum quidem in genere,sicut etiam faciemus in reliquis.Secunda vice autem sigillatim circa quælibet
ossa discurremus,ex toto partem ostealogicam absoluentes,vt hac absoluta, deinde Sarcologicam ex toto
perficiamus.Neque vero ab re primum de ossibus sermo est institutus, siquidem etiam Gale. dicit primo
de Anato.administrationibus secundo, opus esse perdiscere primo omnium ossium naturam,quoniam
reliquarum partium sunt veluti fundamentum subiecta.

C Quo igitur ad nomen attinet:per ossa intelligimus omnes illas hominis particulas,quæ (vt ait Gal. *Nomen.*
libro de ossibus capitulo primo & vltimo)dum inuicem adherescunt, compaginem quandam efficiunt,
quæ Sceletos appellatur.

Est autem os *membrum similare,genitum ex semine,a vi ossifica, gratia fundamenti ceterarum parti-* *Ossis definitio.*
um hominis.

Declaro hanc definitionem.Primo dictũ fuit,esse *membrum*.Hæc particula fuit posita, vt os distin- *1.Forma.*
gueretur a spiritibus,& humoribus.Siquidem Hipp.sexto epid.septimo,hominem diuidit in cõtinentia,
hoc est,membra;contenta,id est,humores;& impetum molientia,hoc est,spiritus. Vnde cum humor &
membrum in hoc conueniant,vt vtrumq; sit corpus;quamuis humor gignatur ex ciborum cõmixtione,
membrum autem ex humorum cõmixtione;cum ergo vtrumq; sit corpus,corpus de humore & mẽbro
D prædicatur:membrum autem sub corpore contentum,de neruo,ligamento,osse,& reliquis membris: vt
membrum sit genus proximum ossis,per quod os distinguitur,& ab humore,& a spiritu. Et ob id Auicẽ-
nas prima primi,capite de membris statuit,os esse membrum.

Deinde dictum fuit [*similare*] ad differentiam membri dissimilaris.Hoc loco liceat breuiter expli-
care,quid per partem similarem intelligere oporteat,præsertim cũ in doctrina Anato. sæpius habenda sit
mentio de partibus,& similarib.& dissimilaribus.Itaq; sciendũ,vt maiori ex parte colligere licet ex Arist.1.
de generatione animalium decimooctauo, partem similarem tribus modis accipi posse,primo modo,vt
quælibet portio eandem habet naturam cũ toto,secundũ quem modũ etiam sanguis dicitur similaris, q͂a
quælibet pars sanguinis est sanguis.Secundo modo,dicitur pars similaris, quæ præter positam conditio-
nem,vt ingreditur compositionem totius,suam seruat naturam,secundum quam rationem sanguis non
est pars similaris,sed vnguis,nam sanguis,verbi gratia,ad fabricã digiti suam naturam non seruat,sed mu-
E tatur,vnguis autem remanet vnguis. Tertio modo dicitur pars similaris,quæ præter duas allatas condi-
tiones, ita ad fabricam concurrit instrumenti seu partis dissimilaris, vt sit particeps vitæ, veluti dum
membrũ(vt ait Arist.)componitur ex neruo ac carne.Vnde si quæ similaris particula has tres obtinet cõ-
ditiones,germana est,& propriissime dicta pars similaris,quæ etiam nomine similaris mẽbri non est indi-
gua. Vt his ita explicatis pateat,os esse vere partem similarẽ,& vt viuit,& dũ dissimilaris compositionem
ingreditur,suam seruat naturam,atq; vt quælibet ossis pars & nomen & definitionem ossis contineat. Vt
cum os sit simplicissimum membrum,& proinde destitutum venis,arteriis,& neruis, dentibus exceptis a
Galeno lib.artis medicin.nono,os statuatur corporis pars,quæ nec aliorum gubernationi præest, nec ab
aliis,sed a seipso gubernatur,nec aliunde potentias emanantes habet. Hoc autem loco notãdum,per hæc
organa opus esse intelligere euidentiam, nam, vt ait Galen. 16. de vsu partium vltimo, natura tribuit
F quidem ossibus venas,sed adeo exiguas,vt etiam in magno animali non appareant, vt primum tangant
ossa, sed non penetrent : & hoc vt in pluribus intelligere oportet, nam cranium habet venas, & arte-
rias.

Deinde dictum fuit[*genitum ex semine*]ad differentiam membri similaris non seminalis,sed geniti *2. Materia ossis.*
ex sanguine.Vnde hanc ossis materiam,(vt ita dixerim)seminalem cognoscens Hip. dicit sexto Aphoris.
decimonono:cũ discissum fuerit os,neq; augetur,neq;coalescit: cuius dicti alia ratio esse nequit,nisi quia
os genitũ ex semine,tanquam ex materia ex qua,vt cum nequeat semen ea copia generari, vt sat sit ad re-
parandum : propterea discissum nec augeri possit,neq; coalescere. Vnde hanc materiam ex qua magis ex-
primens Gal.1.de semine decimo,ait,ossa genita esse ex seminis portione crassiori,& terrestri, & minus ad
G destruendum idonea. Vt cum ossa gignãtur e semine etiã semine nutriantur : siquidem ex quibus sumus, *Ossium alimentum.*
iisdem alimur.Et ob id Gal.1.de semine 13,voluit seminales partes,vt genitæ sunt ex semine, ita etiam se-
mine nutriri:quo fit vt dum sanguinem vertunt in sui alimentum,sanguinem mutent in semen.Ceterum
quamuis seminales partes semen gignant, gignunt tamen ea tantum copia,vt possint & conseruari, & vs-
que ad certum terminum augeri:si tamen contingat,vt pars seminalis abscindatur, vix fieri potest, vt re-
paretur:vt id quandoq; in vena cõtigerit,nequaquam in neruo,vel arteriis. Cuius veritatis ratio est:nam
ad reparandũ partem seminalem deperditam,opus est & copioso semine,& virtute valida. Vnde q̄ ad co-

piosum semen, ita copiosum esse debet, vt ab increscente carne os vasis obstrui non permittatur, quod sane in vena raro contingit, quoniam simplicem & tenuem habet tunicam, quæ proinde non ita copioso eget semine: contra nequaquam in arteriis id euenire potest, cum arteria, vt est sextuplo crassior vena, ita multo copiosiori egeat semine: vt mirum non sit, vt sicut a vi arteriæ gignitur semen, ita carne increscente supprimatur, vt nequaquam ea possit colligi copia, quæ ad arteriæ generationem sit idonea. Quo vero ad facultatis seminis effectricem, hæc quidem inest partibus seminalibus, at nequaquam ita valida, veluti dũ in vtero geritur animal: nã in vtero, vt vniuersus humor est collectus, ita duplex fabricatrix vis inest, nẽpe & seminis, & conceptaculorum, quibus semen proiectum adheserat, vt in vasis discissis in exulcerationibus deficit creatrix vis, quæ per totam materiam transeat ac permeet, sed solum in vasis seminalibus residet vis seminis fabricatrix, quæ materiam extrinsecus tangit. Ex his ergo constat, in partibus spermaticis vim esse producendi ex sanguine semen, quod sat sitquidem pro nutritione, non autem, nisi rarissime, pro deperditæ partis reparatione: vtpote in vena, nequaquam in arteria, & multominus in osse. Ceterum cum ossa alantur semine, quia semen gignunt ex sanguine: propterea Gal. 9. de Placi. 8. ait, ad ossa singula pertingere venas, quæ alimentum deferunt: quare sanguinem: qui ita deinde coquitur a facultate ossium, vt e Gale. 6. methodi vlt. mutetur in nutrimentũ & crassius & magis terreum, quam aliud quoduis nutrimentum in toto animali fuerit: nec ab re: siquidem os, vt dictum est, genitum est ex seminis portione: crassiore, & magis terrea. Vnde eandem veritatem cõfirmans lib. de inæquali intemperie 1. ait, os esse partem similarem, quæ in suis spatiis multum in se continet humoris crassi & albi, ad id comparati, vt ossa nutriat. Vnde hanc vocat 8. aphoris. 39. similem naturæ ossium. Vocat autem ibidem hunc humorem superfluum at non ratione ossium, sed ratione reliquarum partium, a quibus sanguis in hunc humorem cõuersus deriuauit.

Medulla. Atq; hoc ossium alimentũ naturæ ossiũ simile, nuncupauit Gal. 3. de facultatib. naturalibus vltimo, medullam: dũ ait, ossa nutriri medulla: quæ sane, dum parua sunt ossa, sinusq; expertia, cauernulis earum est inspersa; in magnis autem ossibus, & quibus sinus non desunt, in sinibus medulla est collecta. Sed aduertendũ cum Galeno primo de motu musculorũ primo, hanc medullam ossium alimentum esse diuersum a medulla spinæ: siquidem medulla, ossium alimentũ, humida & propemodũ fluxilis est, vt pinguedini assimilari possit, vt ab hac nullus prodeat neruus, nec cerebri & spinalis medullæ tegumentis operiatur, nec præterea venis & arteriis intexatur. Vt hinc colligere liceat, hanc medullam esse inanimatam: contra autem spinalem medullam animatam esse, ad similitudinem & cerebri, & nerui.

Aristotelis sententia de ossium materia. Verum hæc opinio non ita fuit Galeni, quin prius fuerit Aristotelis. Si quidem & secundũ Arist. ossa gignuntur ex semine, & aluntur semine: ita tamen vt sanguis mutetur in medullã, & hæc in semen, ex quo deinde alitur os. Hęc autem veritas, q̃uis non ita facile, colligitur ex Aristotele, secundo de generatione animaliũ quarto, vbi inter reliqua circa ossa duo proponit, nempe materiam ex qua generantur ossa, & alimentũ. Itaq; quo ad materiam ex qua: inquit, naturam imitari patrẽfamilias prudentem, quippe qui in cura rei familiaris omnia iuste dispensat, vt cibus optimus detur liberis, deterior seruis, vilissimus brutis animalibus: sic igitur natura in ortu, in fabrica fœtus, ex materia sincerissima carnem conficit, ex excremẽtis autem ossa, neruos, pilos, vngulas, & reliqua generis eiusdem, scilicet vitæ expertia, cõstituit: vt propterea hæc vltima efficiantur, cum iam naturæ excrementum suppetit; vt tandem cõcludat, ossa in prima partium cõstitutione gigni ex seminali excremento. Vnde hoc loco admoneantur lectores, cur Philosophus inter partes viuentes numerat tantum ossa, & neruos, nõ cartilagines, nec ligamenta: caussa ergo fuit, quoniam per ossa insinuat etiam cartilagines, cum ab ossibus solũ secundũ magis & minus differant; (vt secũdo de partibus nono testatũ reliquit,) vt progressu temporis etiam degenerẽt in ossa, vt suo loco explicabitur: neruos autẽ intelligit ligamenta, quæ vt ossib. prodeunt, similem generationem cum ossibus vindicare videntur. Sed ad rem. Ossa gignuntur ex seminali excremento: ad quod respiciens etiam dicit 43. probl. vlt. os consistere ex materia vacante, id est, superflua, & proinde excrementitia. At nõ omnibus modis excrementitia. Vnde quãuis dicat, ossa, pilos, & vngues gigni ex excrementis: subdit tamen, ossa constitui ex excremento quidem, sed seminali, & nutritiuo: vngues autem, pilos, & reliqua id genus vita destituta, ex cibo gigni aduentitio, & actiuo, quem tũ a fœmina scilicet in vtero, tum deforis sibi acquirat: vt nimirum gignantur, non ex semine, sed proprie accepto excremento.

Quo autem attinet ad ossium alimentum, cuius beneficio & conseruantur, & augentur: inquit Arist. loco citato, secundo de generatione animal. 4. cum animal augetur, ossa incrementum capiunt ex alimento naturali, quo partes principales augentur, ita tamen vt ossium alimentum sit reliquia, & excremẽtum alimenti partium principalium. Ecce vocat reliquiam & excrementum; reliquiam quidem, quia est portio sanguinis menstrui, quæ relinquitur in nutritione partium carnosarum, partium principaliũ: siquidem partes osseæ carnosis famulantur. Vocat autem excrementum: quoniam hæc portio, quæ relinquitur, non est ita pura, vt materiæ portio qua caro alitur: vt propterea ossa ad differentiam pilorũ, & vnguium, vt non gignuntur ex puro excremento, ita nec aluntur puro excremento. Hæc veritas magis confirmatur, vt patebit Aristotelis testimonio, secundo de partibus sexto; dum ait, ossium alimentũ esse sanguineum: vt scilicet ossium tepor, quem facit ossium complexio, sanguinem cõcoquit, & proinde dealbat, vt alimenti sanguinei, quod in ossa distribuitur, medulla sit, & concoctum excrementũ. Ex quibus dictis nequaquam colligendum, aduersus Galenũ medullam ita esse excrementum, vt non sit alimentum ossium. Nam etiam cum Aristotel. loco citato colligi potest, medullam esse ossium alimentum. Quod sit verum: ait, sanguinis per se concoctio sæuum, & adeps: dixit autem prius medullam esse similem pinguedini, seu axungiæ, & sæuo: prout animalia prædita sunt vel axungia, vel sæuo. Et addit ex animalibus esse, quæ in ossibus nullam effatu dignam medullam habent, videlicet ea quibus ossa robusta sunt,

& soli-

A &solida, vt leoni: nam alimentum in ossa absumitur. Ecce ergo si leonum ossa carent medulla, quoniam
alimentum in ossa absumitur, ergo medulla est alimentum: nam si medulla esset excrementum, cum leo-
nis ossa copioso egeant alimento, oportet vt copiosum sanguinem concoquant, at vbi copiosum est ali-
mentum, ibi etiam copiosum esse debet excrementum: at in leonibus, cum non adsit medulla, igitur non
est excrementum, sed alimentum: at quo aluntur leonis ossa, est quidem medulla, sed non apparet, quia
tota vertitur in substantiam ossium: secus autem dicendum de ossibus, in quibus copiosa conspicitur me-
dulla, hæc enim nondum est conuersa in ossis substantiam, vt sit alimenti sanguinei contentum & con-
coctum excrementum, hoc est, superabundans, non tamen vt non possit verti in substaniam ossium.
Vt propterea concludendum sit, ossium alimentum esse semen, in quod mutatur medulla, quæ fit ex su-
perabundante sanguine. Hactenus ergo explicatum sit quomodo os est membrum seu pars similaris, ge-
B nita ex semine.

Deinde in definitione dictum fuit (*a vi ossifica*) in qua particula continetur caussa efficiens, per quam 3. Caussa efficiens ossis.
distinguitur os, vt membrum similare spermaticum a reliquis similaribus spermaticis, vtpote a neruo, &
reliquis: nam nerui effectrix caussa est neruifica; ossis autem est facultas ossifica. Cuius vim exprimens
Galenus primo de semine decimo, ait: ossium caussa agens fuit caloris facultas, qua torreret ossa, ac pror-
sus arefaceret: siquidem per vim caloris, quæcunque inerat pars pinguis, quasi spuma quædam efferue-
scens effundi & exprimi poterat, vt pinguissima quaque parte succu extracta, ossa terrestria ac arida, & pin-
guedine prorsus carentia reddiderit.

Ceterum cum hæc facultas ossifica, seu ossium generatrix, instar reliquarum generantium reliqua
membra, duplicem habeat potentiam, nempe alteratricem, & formatricem: per alteratricem ossi tribuit
C & temperiem, & quæ consequuntur temperiem, vt os pars est similaris: per formatricem autem composi-
tionem, vt os similare est pars membri dissimilaris, & proinde totius instrumenti. Idcirco in præsentia ef-
fectus vtriusque potentiæ explicare oportet.

Primo ergo quo ad effectus alteratricis, cum fuerit temperies, cum consequentibus temperiem: quan- Crasis ossium.
tum ad Temperiem, ex Galeno libro de ossibus inter initia colligere licet, ossium temperiem esse frigidam
& siccam. Nec ab re: nam cum Plat. in Timæo, os natura ita composuit, terram atterens puram, limum-
que miscuit madefecitque medulla, id postea in ignem iecit, deinde in aquam mersit, rursum in ignem, &
iterum in aquam, atqua ita sæpe transferens, ita reddidit, vt a neutro liquefieri possit, vt merito ossa inter
animantium partes sint aridissima, & maxime terrestria. Vnde, & primo Prognosticorum septimo, & no-
no simpl. capitulo de terræ differentiis, ait; ossa, substantiam terrestrem obtinere. Vt cum talis sit ossium
D temperies, dictum fuerit ab Hipp. 5. aphorism. 18. frigidum ossibus esse inimicum, calidum vero amicum:
potius ratione calidi innati ossium, quam temperaturæ: nam simile simili gaudet; sed quia in osse, vt natu-
ra frigidiore calor innatus est exiguus, a frigido tanquam a contrario facile offenditur, a calido autem,
tanquam ab amico, iuuatur. Hæc de temperatura.

Quo autem ad consequentia: os cum Gale. libro, de inæquali intemperie secundo, obtinet substan- Durities ossium.
tiam duram, quæ tamen, vt ait Aristot. secundo de partibus nono, est durior in maribus. Eius caussam effi-
cientem proponens Gal. primo de semine 10. ait, a vi caloris extrahi humiditatem, vt ossa terrestria ac ari-
da euaserint, quoniam dura esse debeant. Vbi per vim caloris, intelligere oportet remissum calorem, sed
qui ob diuturnam moram vehementer agit, vt ita extrahatur humiditas, seu pinguedo, vt ossa arida per-
maneant. Hinc fit, ossa lõgiori tempore gigni ceteris partibus: quod ea ratione dictum est, quoniam cum
E simile a simili gignatur, & os sit frigidum, non potest ab intensiore calore gigni, sed moderatio, qui tum
etiam longiori tempore agens, ossis substantiam duram efficit. Quemadmodum etiam in corpore non
gignuntur calculi a calore intensiori, sed ob temporis diuturnitatem vim suam ostendit calor moderatus.
Et ob id dicit Aristot. secundo, de partibus sexto, ossium teporem, quem facit ossium complexio, sangui-
nem concoquere. Sed ad rem. Inter reliqua ossis temperamentum frigidum & siccum consequentia, fuit
durities. Huius autem duritiei vsus est (vt colligere licet ex Galen. libro de ossibus inter initia) vt strenue
superpositas partes sustinere possent. Dicebat etiam 11. de vsu partium 18. ossa esse dura, caussa propriæ
securitatis. Aduertendum autem cum Galen. primo de semine 10. os minus aridum, & proinde minus
durum ea in parte esse creatum, qua carnes superinduxit, antequam inuolucris membraneis operiretur;
ad differentiam aliarum partium, quibus & ligamenta adnectit, & membranas superinducit, quibus dein-
F de carnes aggregantur ea ratione, nam ossis pars minus arida, promtius carnem admittit; magis autem ari-
da, & ligamenta, & membranas. Hæc de iis, quæ pertinent ad ossa, vt fiunt a facultate ossifica per altera-
tionem.

Quo autem ad ea quæ pertinent ad formationem: est autem compositio, quæ esse potest in parte simi- Compositio ossium.
lari, vt est pars totius instrumenti. Vnde quantum attinet ad compositionem, in genere cum Galeno li-
bro primo, de anatom. administrationibus capitulo secundo, vis formatrix ossibus eam tribuit compo-
sitionem, ad cuius imitationem cetera in animali affingi debeant: cuius compositionis ratio fuit, quo-
niam ossa debebant esse fundamenta reliquarum partium, quæ varia compositione varias functiones
obire debebant, vt propterea reliquæ partes dignitate ossa præcedant: verbi gratia, si caluaria est rotun-
da, & cerebrum talem figuram consequitur: si maxillæ paruæ, & illarum musculi sunt parui: & sic de re-
G liquis: ita tamen, vt cerebrum sit dignius cranio, & musculus suo osse, nam os est ad vsum, gratia operatio-
nis, & cerebri, & musculorum. Quo fit vt in præsentia non sit reddenda caussa huius & illius determina-
tæ compositionis, huius & illius ossis: hæc enim est explicanda, dum ad membra instrumentalia determi-
nata descendimus, circa illa Methodum anatomicam exercentes: hoc loco sufficiant quædam generalia
explanare.

Itaque cum compoſitio compleatur ex conformatione, magnitudine, numero & ſitu: & conformatio in ſe claudat figuram, ſuperficiem, meatus, & cauitates: quoad figuram; patet, oſſa eam conſequi, pro ratione contentorum, vt qualis eſt figura caluariæ, talis ſit cerebri. A

Figura oſſium. Superficies.

Quo autem ad ſuperficiem: cum Galen. 11. de vſu partium 18. oſſa capitis ſquamoſa a natura genita ſunt, vt per hæc ſimplicia oſſa laxa ac cauernoſa, temporum oſſibus denſis ac duris cõiungerentur: ſiquidem denſum cum raro, & laxum cum duro, ſocietatem niſi per medium habere non poſſunt: hoc autem medium eſt os ſquamoſum, & proinde inæquale.

Meatus & cauitates.

Quo vero ad meatus & cauitates: oſſa ita ſunt conformata, vt quælibet habeant meatus; hoc eſt, poros, ſeu cauernulas, quædam etiam cauitates. Horum autem meatuum & cauitatum vſus fuit cum Galen. 11. de vſu partium 18. vt in his oſſium alimentum detineretur: quòd ſane in cauitatibus eſt medulla, in B cauernulis autem ſuccus quidam tenuior. Ceterum cum oſſium quædam præter cauernulas habeant cauitatem, quædam non habeant: cum Gal. loco citato, & ſecundo de vſu part. 16. & libro de oſſibus primo, os magnum cauitate eſt donatũ, & cauernulas etiam habet maiores, vt propterea ſit rarum: os autem paruum cauernulas duntaxat obtinet, & eas exiles, atque anguſtas, vt hinc os paruum ſit denſius magno. Cuius diſcriminis duplex fuit cauſſa: altera, vt cum os magnum copioſiori egeat alimento, ob id & cauernulis, & cauitatibus eguit, vt in his copioſum detineatur alimentum: contra oſſi paruo ſat fuere cauernulæ: reliqua autem cauſſa fuit, vt oſſa ſecuritatem obtinerent, & motui non eſſent impedimento, nam cum ad ſecuritatem conducat denſitas, ad motum autem leuitas; in paruis oſſibus opus fuit denſitate, nam ſi os paruum cauum exſtitiſſet, imbecillum omnino fuiſſet; contra in magnis oſſibus opus fuit raritate, nam ſi os magnum & denſum, & cauitate deſtitutum fuiſſet creatum, graue fuiſſet, & geſtatu difficile: vt merito in C imbecillioribus animalibus, oſſa ſint magis laxa, & caua, & proinde rariora, & leuiora; contra in fortioribus minus laxa, & pleniora, & proinde denſiora, & grauiora. Ex quibus colligendum denſitatem & raritatem, grauitatem & leuitatem eſſe quidem ſecundas qualitates, & proinde effectus prodeuntes a temperamento, tanquam a præcipuo inſtrumento agentis: agens tamen principale non eſſe facultatem alteratricem, ſed formatricem: nam dum formatrix os creat cum cauernulis exilibus, & ſine cauitate os creat denſum, & hinc graue, & proinde non ita promtum ad patiendum, dum non producit cum cauernulis amplioribus, & cauitatibus, os efficit rarum, & cauum, & hinc leue. Vt cum grauitas & leuitas ſint ſecundæ qualitates, ad differentiam duritiei & mollitiei, quæ ſequuntur formatricem: propterea Galenus primo de vſu part. nono, potiſſimum propoſuit interea, quæ neceſſario conſequuntur temperiem, duritiem, & mollitiem, & præſertim quia competunt parti vt ſimilaris, leuitas autem & grauitas parti vt eſt pars inſtrumenti. Hæc de conformatione. D

Colligit grauitas & leuitas effectus formatricis.

Magnitudo.

Quo autem attinet ad magnitudinem: modo maiora, modo minora efficiuntur, prout fundamentum ſunt partis vel maioris, vel minoris. Vnde ex primo de anato. adminiſtrationibus ſecundo, ſi maxillæ paruæ, & muſculi parui.

Numerus.

Quo vero ad numerum: natura plura produxit oſſa, vt in homine, cum Galeno nono de Placitis octauo, ſint plura quam trecenta: & ratio fuit, quoniam ſunt fundamentum muſculorum, a quibus nequaquam plures motiones obiri poſſent, niſi rariſſima eſſent oſſa. Accedit etiam, numerum ad ſecuritatem conducere.

Situs.

Quo denique ad ſitum: hoc loco ſat ſit loqui de ſitu, vt in ſe claudit oſſium connexum: nam de hac & illa poſitione ſeu ſede oſſis, dicendum, vbi de hoc & illo oſſe fiet ſermo. Per connexum autem intelligere E oportet, tum oſſis cum aliis partibus, tum potiſſimum oſſis cum oſſe: nam cum plura ſint oſſa, neceſſaria fuit oſſium inter ſe coniunctio.

Connexus oſſium cum aliis partibus.

Quantum ad primum attinet: cum Galeno nono de Placitis octauo, ad oſſa ſingula pertingunt venæ, quæ alimentum deferunt. Ad oſſa autem non pertingunt nerui, præterquam ad dentes. Cur autem inter oſſa ſoli dentes cum neruis adnectantur, & proinde ſentiant, dicemus in ſermone de dentibus. Cur autem oſſa non connectantur cum neruis, cauſſa fuit, quia nõ expedit oſſa ſentire: quoniam cum ſint fundamenta reliquarum partium, & proinde etiam illarum quæ mouentur, frequentiſſimi fuiſſent dolores. Neque obſtat, quamuis dolor quandoque ad oſſa pertingere videatur: nam cum Galeno ſecundo de locis affectis ſeptimo, ſunt membranarum dolores, quamuis oſſium veluti dolentium inducant imaginem.

Sed occurrit dubitatio ex Galen. libro de Placitis quarto, dum ait: ſenſu carere videntur oſſa non- F nulla, in oſſibus quoque nonnulli quandoque grauitatis ſenſum percipiunt, qui tamen admodum eſt obſcurus. Ecce hic in aliquibus admittit ſenſum, in aliquibus non. Neque eſt vt quis dicat, ſenſum hunc referendum eſſe in membranam, in perioſtium: nam dum membrana afficitur, dolor oboritur non obſcurus, nec grauatiuus, ſed inſignis, vt pungitiuus. Dicimus ergo, Galenum reſpicere ad ſenſum animæ, vt fiat in virtute neruorum, ſed per membranam. At duo notanda: primum membranam eſſe vel exigui, vel multi ſenſus: ſi exigui, huius cauſſa paruum ſenſum grauitatis non percipere: ſi autem multi ſenſus, ſentire, prout membrana ad os pertingit vel exigui, vel multi ſenſus, ita os grauitatis ſenſum vel experiri, vel non. Secundo aduertendum: appendices non habere perioſtium, nec oſſa in cauitatibus aurium. Notandum autem membranam oſſa ambientem bifariam affici poſſe: altero modo quia eius ſoluatur vnitas, quod ſit, dum cauſſa morbifica hæret, & principaliter agit in membranam, & fiunt dolores quando- G que vehementiores, ſicut contingit in morbi victoria, vt quandoque in vigoribus quartanarum: alio vero modo membrana afficitur citra ſolutam vnitatem, dum materia morbifica copioſa hæret in oſſibus, & ponderoſa, & grauis redditur membranæ, vt fiat triſtis ſenſus, qui potius grauitas, quam dolor ſit dicendus. Et ideo dicebat, nonnulla oſſa quandoque grauitatis ſenſum percipere, qui tamen admodum obſcurus ſit. Vnde etiam ſubdit, ſenſum ponderis, qui in viſceribus exoritur, referendum potius in mem-

A membranam viſcera obuoluentem, quam in ipſa viſcera. Hæc de connexu oſſium cum reliquis partibus.

Quo vero ad connexum oſſis cum oſſe: hunc proponens Philoſophus tertio de hiſtoria animalium ſeptimo, & ſecundo de partibus nono, dicit, ſimilem eſſe naturam oſſibus, ac venis, vt ſicut vena ex vno principio orta continua eſt, ita os ortum ducens a ſpina dorſi, quæ compacta ex vertebris a capite ad coxas porrigitur; os, inquam, ortum ducens a ſpina, continuum eſt, vt neque os vllum ſeorſum per ſe habeatur. Cuius poſitionis continuæ cauſſa fuit: nam ſi os oſſi continuum non eſſet (vt ait Ariſt.) nec flectendi, nec dirigendi cauſſam vllam præberet: cum tamen corpus inflecti per animalis motum neceſſe ſit. Ceterum cum oſſium connexio non ſit vnica: ob id admonebat Ariſtot. tertio de hiſtor. an. 5. oſſa vel foris viciſſim tangi, vel alterum alteri inſeri, vt propterea neruis ligentur, vt circa quæuis oſſa neruorum copia ducatur, B excepto capite: id enim non neruis, ſed ſuturis ipſorum oſſium continetur. Quo loco admoneantur Iuuenes, Ariſtotelem per neruos intelligere ligamenta: non enim erat bonum, vt oſſa inuicem connecterentur per neruos proprie acceptos, nam ſæpenumero eſſent oborti dolores. Vnde dum ſecundo de partibus nono dicit, oſſa deligari per neruos: per hos inſinuauit ligamenta. Vnde etiam Ariſt. nullum conſtituit caput de ligamentis. Sed ad rem.

Connexus oſſium cum oſſibus.

Hactenus patet, cum Philoſopho oſſa inuicem vario modo connecti. Quæ veritas, vt magis pateat, Galeno etiam duce eſt intelligenda. Itaque ſciendum cum Galeno in procœmio libri de oſſibus, dupliciter oſſa connecti nempe vel per Arthroſim, vel per Symphyſim. Declaro. Per Arthroſim intelligimus articulum in genere, vt eſt compoſitio naturalis oſſium. Quamuis Hippocrates (ait Galen.) per articulum quid aliud intelligit; ſiquidem primo de fracturis primo, & tertio de fracturis 52. per articulum C intelligit oſſium, quæ inter ſe committuntur, non cauum, quo proximi oſſis caput recipitur, ſed ipſum caput, hoc eſt, oſſis partem orbiculatam. In præſentia ergo cum Galeno per arthroſim intelligimus naturalem oſſium compoſitionem. In cuius fabrica, vt ait Galen. tertio de fracturis 55. duplex fuit conſilium: alterum, vt articulus permittat membrum ſine impedimento ſuos vſus præſtare: quod ſane euenit, & quia caua in ſummo exſiſtunt, & quia ligamenta ſunt laxa: reliquum autem, vt articulus prohibet, ne oſſa ſua loco moueantur, quoniam ſtabilitatem præſtat articulus per caua admodum ſituata, & altiores oras habentia, per ligamenta robuſtiora, & breuiora, & per robuſtas cordas, validius commiſſuram a parte exteriori cogentes.

1. ἄρθρωσις.

Per ſymphyſim autem (ait Galenus) intelligere oportet vnionem naturalem oſſium. Vnde hoc loco D quis quæret, cur plurimum oſſium inuicem coniunctio genere ſit tantum duplex: nempe Arthroſis, & Symphyſis? Dicendum, non aliam eſſe cauſſam, niſi quia dum vis generatrix per vim formatricem agit, & nititur in pluribus oſſibus conſtitutionem moliri, quæ non eſt temperies, quia pertinet ad oſſa, vt ſimilaria: erit igitur compoſitio, & vnitas: cum conſtitutio ſit tantum triplex, nempe temperies propria ſimilarium, compoſitio propria inſtrumentalium, & vnitas vtriſque communis Itaque Galenus reſpiciens ad compoſitionem, propoſuit arthroſim, & ob id voluit eſſe oſſium naturalem compoſitionem: reſpiciens autem ad vnitatem, propoſuit ſymphyſim, & ob id hanc voluit oſſium eſſe naturalem vnionem, vt ſi contingat vitium eſſe in arthroſi, morbus ſit in mala compoſitione, nempe in ſitu; ſi autem in ſymphyſi, morbus ſit in ſoluta vnitate.

2. σύμφυσις.

Cum ergo oſſium coniunctio ſit duplex: nempe Arthroſis, & Symphyſis: quantum attinet ad Arthroſim, E hæc diuiditur in Diarthroſim, & Synarthroſim. Quantum ad Diarthroſim, quæ dearticulatio dici poteſt; hæc cum Galen. 12. de vſu part. primo, eſt compoſitio oſſium per motum voluntarium comparata. Quinimo, cum motus eſſe poſſit vel euidẽs, vel obſcurus, cum Gal. in procœmio de oſſibus, Dearticulatio eſt ſtructura, eſt compoſitio oſſium, quorum motus eſt euidens. Subdiuiditur autem Diarthroſis penes diſcrimen vel compoſitionis, vel motus. Penes diſcrimen quidem compoſitionis, triplex eſt, ſpecies: nempe Enarthroſis, Arthrodia, & Ginglymus. Declaro. Enarthroſis eſt, cum cauum excipiens altum admodum eſt, caputque quod in id inſeritur oblongum. Hæc veritas colligitur ex Gal. ſecundo de vſu part. vndecimo, primo de motu muſculorum nono, vbi ait: dum oſſa inuicem coeunt vt articulus fiat, alterũ quidem ipſorum oſſium eſt quod mouetur, alterum vero, veluti ſedes quædam ei quod mouetur, eſt ſubfirmatum eo modo, vt ſe habent oſtiorum cardines. Vnde oſſi manenti neceſſaria eſt cauitas: ei vero quod mouetur F deuexitas, quæ etiam oſſis caput vocatur. Quo fit, neceſſum eſſe, vt tanta ſit cauitatis profunditas, quanta eſt capitis oſſis longitudo. Vt merito in enarthroſi, cum cauum ſit admodum altum, caput etiam quod inſeritur ſit oblongum, vt femoris cum coxendice, & humeri cum ſcapula. Quo autem ad Arthrodiam, eſt quæ cauum habet, & caput, vt enarthroſis, ſed ad eius differentiam cauum non eſt altum, ſed cauum ſimiliter, & in ſuperficie; & hinc etiam caput non oblongũ, ſed depreſſum: veluti prima ceruicis vertebra cum ſecunda, & dens ſecundæ cum prima. Ceterum propter Iuuenes notandum, cum mentio habita ſit de oſſe, quod habet caput; & de oſſe, quod habet cauum: quo ad caput attinet; (ait Gal.) oblongum & depreſſum caput voco, vtrumque referens ad ceruices quibus connectitur: per ceruices autem intelligere oportet tenues oſſium proceſſus, quarum ceruicum externum, quod craſſius & orbiculatum eſt, caput nominatur: cum vero in mucronem proceſſus deſinit, non ceruix, ſed κορώνη nuncupatur. Quo vero ad cauum, ſi altius deſcendat, κοτύλη ſeu acetabulum dicitur: ſi autem in ſuperficie ſitum ſit, ab ocularis ſinus G ſimilitudine γλήνη appellatur. Vt merito in enarthroſi cauum dici poſſit cotyle, in arthrodia glene. Quo vero ad Ginglymum, ea eſt, qua oſſa ſeſe inuicem ingredientia coniunguntur: quemadmodum vertebræ inter ſe, ac humerus cubituſque alligantur, quanquam in his quædam eſt differentia: nam in vertebris media in vtramque ſupra infraque appoſitam ſubit, humeri vero ac cubiti mutuus ingreſſus eſt. Hæc de differentiis diarthroſis, penes modum compoſitionis.

1. διάρθρωσις. ἐνάρθρωσις. ἀρθρωδία. γίγγλυμος.

Quo vero ad ſynarthroſim: hæc cũ Galeno, loco toties citato, nempe procœmio libri de oſſib. coarticu-

2 συνάρθρωσις.

latio dici poteſt. Hæc ſane duplex eſt, prout a diarthroſi ſeu dearticulatione differt, vel ſecundum magis & A
Synarthroſeos primũ genus. minus, vel ſpecie: Primo quidem modo ſynarthroſim accepit Gal. dum ait, eſſe ſcilicet diarthroſis & ſyn-
arthroſis pro motus quantitate diſcrimen. Declarans autem quomodo pro motus quantitate diſcrimen
recipiant, ſubdit: nam diarthroſis eſt ſtructura oſſium, quorum motus euidens eſt: ſynarthroſis autem oſ-
ſium, quæ neque validum neque manifeſtum, ſed obſcurum difficilemq; habent motum. Ecce diarthro-
ſis & ſyuarthroſis eſt idem finis, cum vtraque ſit cauſſa motus: differentia autem ſolum eſt pro quantitate
motus, hoc eſt, ſecundum magis & minus. Vnde ad has differentias reſpiciens Gal. vt ſcilicet diſcrimen eſt
ſecundum magis & minus, 2. de vſu partium 17. ait, dearticulationem eſſe vel magis, vel minus validam, vt
validior ad validiores etiam obeundas functiones conducat, minus autem valida ad minus validas: verbi
gratia, validior eſt dearticulatio tum carpi, tum gibbi cubiti, minus valida humeri: ſiquidem per carpi, & B
gibbi cubitorum articulos validiſſimæ & plures obeuntur actiones; contra autem per humeri dearticula-
tionem; nam frequenter vel quieſcit, vel ſimiliter & citra violentiam mouetur. Vt cum dearticulationum
aliæ ſint magis, aliæ minus validæ, opus etiam fuit, vt validiores etiam eſſent robuſtiores: quod ſane robur
beneficio ligamentorum conſequuntur, & compoſitionis oſſium inuicem: beneficio quidem ligamento-
rum, vt valida ſint in cauſſa robuſtæ dearticulationis, cuiuſmodi ſunt magna, ſeu craſſa, dura, & rotunda.
Ex quibus colligendum in præſentia, articulationem conferre ad efficiendum articulum robuſtiorem:
non autem ad vnienda oſſa, ſicut in ſymphyſi, de qua ſuo loco dicemus. Quod ſi Veſalius & reliqui intel-
lexiſſent, Galenum non redarguiſſent.

Robur etiam aſſequuntur articuli beneficio compoſitionis, dum oſſa in connexu minimum di-
ſtant, quemadmodum in carpo, in quo articulus eſt valde adſtrictus: Dum præterea in magnitudine oſſa C
quæ ingrediuntur, habent eminentias æquales cauitatibus oſſium ſuſcipientium, quæ etiam, vt oſſa ſuſce-
pta detinent, labra quædam ac veluti ſupercilia obtinent. Contra autem res ſe habet in articulatione in-
firma: nam tenuia ſunt ligamenta, & laxa oſſium immiſſio.

Ex his ergo conſtitutum ſit, articulos inuicem differre ſecundum magis & minus, vt ſcilicet diſcri-
men recipiunt pro quantitate motus, vt dearticulatio ſit efficacior coarticulatione, quia dearticulatio eſt
in cauſſa motus validioris, & euidentis, coarticulatio autem imbecillioris & obſcuri. Vt cum differentia
ſit inter dearticulationem, & coarticulationem ſecundum hanc rationem ſecundum magis & minus:
proinde non differant ſpecie.

Idcirco ſicut triplex eſt ſpecies dearticulationis, ita triplex eſt ſpecies coarticulationis: Enarthroſls,
Arthrodia, & Ginglymus, vt differentia ſit tantum ſecundum magis & minus. Enarthroſis eſt in tali oſſe D
cum oſſe cymbam referente: Arthrodia, in primę coſtæ cartilagine, cum primo oſſe pectoris: Ginglymus,
in ſingulis vertebris, præter primam ceruicis, & duodecimam thoracis. Hæc de ſynarthroſi, vt a diarthro-
ſi differt ſecundum magis & minus.

Synarthroſeos alterũ genus. Si autem alio modo capiatur ſynarthroſis, hoc eſt, vt fine, & proinde ſpecie differt: eſſe non poteſt
alia articulatio, quam quæ eſt gratia nõ motus, ſed ſecuritatis: vt huius nullus prorſus ſit motus: quia ſi ali-
quis eſſet motus; non ſpecie, ſed differentia, eſſet ſecundum magis, & minus. Hanc autem propoſuit in
proœmio de oſſibus, dum ait: Synarthroſios quoque triplex eſt ſpecies; vt inferat Synarthroſim non mo-
do differre a diarthroſi, pro motus quantitate, ſcilicet ſecundum magis & minus, ſed etiam ſpecie, vt hu-
ius etiam ſint tres diuerſæ ſpecies: non poteſt autem ſpecies differre niſi ſecundum alium finem: eſt au-
tem non motus, ſed ſecuritas: eius gratia oſſa inuicem ſunt coniuncta, ita tamen, vt non ſit opus motu. E
1. Sutura. Atque huius Synarthroſis tres ſunt ſpecies, nempe: Sutura, Harmonia, & Gomphoſis. Declaro. Sutu-
ra compoſitio quædam eſt, ad conſuturæ veram ſimilitudinem, vt in capitis oſſibus, ſeu, ad ſimilitudi-
nem duarum ſerrarum ſeſe mutuo recipientium, vel inſtar vnguium, cum gibbæ videlicet partes, ad vn-
2. Harmonia. guium figuram ſtructæ, ſubeant in ſinus, quibus apte excipi poſſunt. Harmonia autem eſt oſſium coar-
3. Gomphoſis. ticulatio per ſimplicem lineam: ſunt autem nonnulla maxillæ ſuperioris oſſa, & quædam etiam capitis
oſſa ad hunc modum conſtructa. Gomphoſis eſt, cum inſtar claui os oſſi infigitur: veluti dentes in man-
dibularum foſſulis. Ceterum cum Galen. gomphoſis prope ad ſymphyſim accedit, vt ſcilicet videatur
pertinere potius ad vnitatem, quam ad compoſitionem. At reuera pertinet potius ad compoſitionem:
ſiquidem dentes ſuis alueolis non adnaſcuntur, cum vel eruantur, vel ſua ſponte decidant: quod nequa-
quam fieret, ſi gomphoſis eſſet vnio, non autem compoſitio.

Hæc de coniunctione oſſium per compoſitionem, & proinde per arthroſim: ſiue ſit diarthroſis, ſiue F
ſynarthroſis: & ſi ſynarthroſis, ſiue ſecundum magis & minus, ſiue ſpecie differat a diarthroſi.

Symphyſis. Quo vero ad oſſium coniunctionem per vnitatem, quæ dicitur Symphyſis: hæc duplex eſt, vt oſſa
inuicem connaſcuntur, vel inter ſe, vel aliorum interuentu. Quæ etenim oſſa fungoſiora molliora que
ſunt, mutuo inter ſe coaleſcunt: quæ autem ſicciora, egent corpore, quo mediante vniantur. Si ergo pri-
mo modo fiat coalitus, fiat vnio, vt apparet in oſſibus maxillæ inferioris: tunc hæc vnio detinet nomen ge-
neris, & vocatur Symphyſis. Si autem fiat coalitus, mediante corpore alio ab oſſe: hoc eſt vel cartilago,
vel ligamentum, vel caro. Si cartilago, erit Symphyſis, quæ vocatur Synchondroſis, ſi ligamentum, (quod
vocabant antiqui etiam neruum) erit Symphyſis, quæ dicitur Synneuroſis: ſi caro, nuncupatur Syſſar-
coſis. Horum autem exempla eſſe poſſunt: primo Symphyſis, vt detinet nomen generis, vt oſſam ma- G
xillæ inferioris: Synchondroſis, vt oſſa pubis, & oſſa puerorum cum ſuis appendicibus: Synneuroſis au-
tem, vt radius cum vlna: Syſſarcoſis denique vt oſſa hyoidis cum oſſibus pectoris, mandibula inferiori,
ac ſcapula.

Hæc de connexu oſſis cum oſſe, ſiue per compoſitionem, ſiue per vnitatem. Quibus hunc in mo-
dum habitis, (vt puto) vſque adeo patet Galeni ſententiam ita eſſe veram, vt non deceat aliorum vel ſen-

tentias,

A tentias, vel in Galenum redargutiones in medium adferre: ſiquidem ex veritate propoſita ſponte corruunt.

Quare cum hactenus pateat os eſſe membrum ſimilare, genitum ex ſemine, a vi oſſifica;& alteratrice, tribuente temperiem,& vnitatem oſſi, vt eſt pars ſimilaris; & formatrice, addente & compoſitionem,& vnitatem oſſi, vt eſt pars totius inſtrumenti:modo ſequitur vt oſſis finalis cauſſa explicetur. Itaque in definitione dictum fuit (*gratia fundamenti ceterarum partium hominis.*) Hæc ergo particula non modo claudit cauſſam finalem, ſed per hanc etiam diſtinguit os ab oſſe, hoc eſt, ab oſſe monſtroſo, morbifico, brutorum, nec non & cadaueris humani: ſiquidem cadaueris oſſa ſunt æquiuoce oſſa, at ſi hæc contemplemur, id fit propter hominis oſſa, quorum proprie eſt finis propoſitus, nimirum vt ſint ceterarum partium fundamentum. Nec præter rationem: nam cum homo, vt paruus mundus, ad portionem reſpon- 4. Finalis cauſſa oſſium.

B deat magno mundo, quemadmodum in magno mundo fundamentum eſt terra, in paruo etiam, & proinde in homine, aliquod debet eſſe fundamentum terræ proportione reſpondens: nil aliud autem eſſe poteſt, quam os, quoniam inter omnes corporis partes maxime illud eſt terreſtre. Hanc vtilitatem noſcens Ariſtot. ſecundo de partibus nono, ait, oſſium genus haberi ob carnis conſiſtentiam: vt omnibus partibus carnoſis oſſa ſubiaceant, aut flectendi gratia, ſi caro moueatur; aut conſeruandi, ſi pars carnoſa ſit immobilis. Vnde capitulo octauo etiam inquit, oſſa genita eſſe gratia ſenſus tactus: natura enim oſſium adhibita eſt, vt ſua duritia ſeruaret rem mollem, hoc eſt, carnem, hoc eſt, inſtrumentum tactus. Ad hæc, tertio de partibus quarto, ait, cor eſſe deſtitutum oſſe, excepto corde equi, & cuiuſdam generis boum, quibus præ magnitudine os quaſi adminiculum ſubditum eſt, quomodo etiam totum corpus (ait Ariſtot.) oſſibus ſuſtentatur, & continetur. Vnde & Plato libro de oſſium natura ait, oſſa corpori ſtabilitatem,

C rectitudinem, ac ſpeciem, id eſt, figuram exhibere, vt ſi os deficiat, pars propriam figuram non ſeruet. Et ob id Auicennas cap. de membris ait, os eſſe corporis fundamentum, & ſuſtentaculum motuum. Potuit autem accepiſſe a Galeno, ex libro de oſſibus cap. primo, dum ait: oſſium vſus eſt, vt ſint fundamenta ſubiecta ad vniuerſam corporis ſubſtantiam ſubſtentandam, vt propterea omnia oſſibus adnaſcantur, & ſtabiliantur. Ecce ergo quemadmodum oſſium vſus eſt, vt ſint fundamentum reliquarum partium, vt ſecundum hanc rationem oſſa concurrant, vt partes ſine quibus non, cum ſine fundamento ędificium conſtrui nequeat.

Quo loco admoneantur Iuniores, hunc eſſe oſſium vſum, ita tamen vt oſſa præter communem hunc vſum, alios etiam obtineant. Neque hoc eſt abſurdum: ſiquidem ex Galen. 11. de vſu partium 18.& 2. de vſu partium 11. millies demonſtratum eſt, naturam omnibus, quæ gratia alicuius parata fuerant, ad alium

D quoque vſum probe vti, & vnius partis multiplex etiam poſſit eſſe vſus, quamuis vnus ſit communis, reliqui proprii, verbi gratia, natura efficit oſſa, vt eſſent ceterarum partium fundamenta, ſed præterea quoque oſſibus ad alios vſus vtitur. Vnde Auicennas, cognoſcens propoſitum finem eſſe communem, in ſermone de oſſibus ait, omnia oſſa corporis ſuſtentaculum ſunt, & erectio; vt ſi conferant propter motum, etiam conferant vt ſuſtentaculum, non e contra:& per articulos, vt ait Plato in Timæo, partes mouentur, hoc eſt, flectuntur, & proinde etiam inſtaurantur. Sed non modo conferunt ad motum, ſed etiam alios præſtant vſus: vtpote cum Gal. tertio de locis affectis, decimo, oſſa quæ ethmoidea, id eſt, colatoria vocantur, habent foramina, per quæ vapores ad cerebrum feruntur. Ecce hæc oſſa alium habent vſum, quam motum; ſunt tamen partium, quæ adnaſcuntur, fundamentum. Præterea plures oſſium vtilitates proponens Galenus vndecimo de vſu partium decimooctauo, ait, oſſa a natura conſtructa eſſe, gratia aut mo-

E tus, vt in omnibus dearticulationibus; aut perſpiratus; aut tranſitus cuiuſdam, vt capitis ſuturæ; aut partium diſcriminis, vt oſſa ſquamoſa; aut ſecuritatis, ac patiendi difficultatis, vt oſſa capitis, & manuum, quæ ex multis oſſibus conflantur. Ecce oſſium ſunt plures vſus, de quibus tamen non hic, ſed propriis locis dicendum, nimirum dum de hoc & illo oſſe loquemur. Sat ſit in præſentia ſcire, ex omnibus vſibus duos reliquis eſſe magis communes, ad quos reſpiciens Galenus decimoſexto de vſu partium ſecundo dicit; oſſa per ſuam ſubſtantiam, ſcilicet terreſtrem, & proinde duram, duas vtilitates præſtare: altera fuit, vt ſint multis locis veluti ſtabilimētum, ac ſedes aliis partibus ſubiecta: ſecunda, vt ſint veluti propugnaculum quoddam ac murus. Vt cum hæ ſint communes oſſium vtilitates, iure oſſa neruos non ſuſcipiunt, vtpote quibus vanum erat aut ſenſum aut motum voluntarium tribuere. Ceterum quamuis duæ ſint oſſium communes vtilitates, magis tamen communis eſt, vt ſint reliquarum fundamentum: verbi gratia, cranium

F confert crebro propugnaculum, ſed præterea eſt ſedes partium adhærentium, vt perpetuo cum reliquis vſibus locum habeat, & ſit fundamentum. Neque obſtat quamuis dicat Galenus alteram vtilitatem eſſe, vt ſint multis in locis veluti ſtabilimentum, ac ſedes, vt per hæc verba inferre liceat, ſi oſſa ſunt ſedes in multis locis, ergo non omnibus, ergo vt ſint ſedes, non eſt communis vſus. Etenim dicimus, quodlibet os eſſe fundamentum reliquarum partium, ſed non omnium, ſed vicinarum & adhærentium: verbi gratia, coſtæ ſunt ſedes muſculorum, non cordis, vt per multos locos non intelligere liceat locos in quibus reperiuntur oſſa: nam vbicunque reperitur os, ſemper eſt ſedes, eſt fundamentum: ſed per multos locos intelligere licet, vel alias partes, vel aliarum partium locos, vt ſignificaret, os ita eſſe ſedem, vt ſit ſedes multarum partium. Quare nulla eſt difficultas.

Atque iam patet, quemadmodum os nil aliud eſt, quam membrum ſimilare, genitum ex ſemine, a

G vi oſſifica, gratia fundamenti ceterarum partium.

Generalem porro ſermonem de oſſibus quod attinet; nil aliud explicandum relinquatur, niſi vt breuiter digrediamur circa quaſdam voces, quibus frequenter cum Gal. in ſermone ſpecifico de oſſibus vti cogemur. Sunt autem appendix, proceſſus, acetabulum, glene, bathmoides. Appendix quid.

Primo ergo quantum attinet ad Appendicem, hanc Gręci ἐπίφυσιν vocant, hoc eſt, additamentū ſeu ad-

nascentiam quandam. Voluit autem Gal. libro de ossibus primo, esse appendicem, vbi os cum osse ad vnionem coit: vt appendix sit os alteri ossi adnatum, peculiarem obtinens circumscriptionem, vt non sit vlla portio ossis, cui committitur: Et potissimum conspicitur in iunioribus, in senioribus autem vix coniunctionis terminus cõspicitur, vt vera sui ossis portio esse videatur: cuius discriminis ratio est, nam in infantibus inter os & appendicem conspicitur cartilaginis portio, quæ appendicem ossi glutinis modo adnectit, quæ deinde procedente ætate in os conuertitur. Vt hinc colligere liceat, hanc inter appendicem & os suum coniunctionem, esse potius per symphysim, quam per arthrosim: per compositionem, & per symphysim, quæ vocatur synchondrosis, quia fit interuentu cartilaginis, quamuis procedente ætate, cum cartilago in os degenerarit, videatur symphysis per se, hoc est, vnio circa medium aliquod corpus facta. A

Galenus a Vesalio reprehensus.

Circa cuius vsum Gal. reprehenditur a Vesal. primo libro capitulo septimo, propterea quod Gal. 11. de vsu partium 18. voluerit, appendicem esse operculum sinuum ossium medullam excipientium. Siquidem (ait Vesal.) & appendices habent cauernulas medulla repletas. Ad hæc quamplurima reperiuntur ossa, non modo parua, sed etiam ampla, quæ & sinibus carent, & tantum appendicem habent, cuiusmodi sunt scapulæ, & alia ossa, de quibus suo loco. B

Defenditur. Pro Gal.

Ego sane epiphysis vsum apud Gal. triplicem reperio: Duos siquidem proposuit vndecimo de vsu partium 18. & tertium minus præcipuum secundo de vsu partium vndecimo. Declaro. Gal. vndecimo de vsu partium 18. ait: artuum capita, quæ vtique epiphysis, & condylos appellant, exstiterunt gratia discriminis partium: nam cum homo sit vnus, expedit etiam partes diuersas vnire. Vnde si contingat os simul esse cauum, & laxum, vt egeat osse denso & duro; per mediam cartilaginem os densum & durum, cum cauo & laxo coniungitur: quemadmodum cum temporum ossibus duris ac densis, per media squamosa, syncipitis ossa laxa ac cauernosa coniunguntur. Hinc fit, vt si os sit simul cauum & laxum, egeat epiphysi: siquidem epiphysis est os, nec cauum, & durius osse cui coniungitur, saltem secundum partem, qua in dearticulationem desinit, vt dicit Galen. vbi os medullam habet, appendicem instar operculi, vt plurimum videas adnasci: dicit autem (vt plurimum) quia, vt plurimum os, quod medullam habet, & proinde est cauum, est etiam laxum; vt, si eueniat quandoque os habere medullam, & simul esse cauum & durum, non egeat appendice, cuiusmodi est maxilla inferior, nam est quidem os cauum, sed durum, & eius cauitas est exigua. Sed cur os cauum & rarum eget epiphysi? Inquit Galenus ob duplicem caussam: Altera, quia os cauum, & proinde medulla repletum, eget operculo, præsertim si sit rarum; nam os densum per se medullam sine externa epiphysi sibi claudet: secus autem si sit rarum, nam potissimum vi motus medulla effluere ac dissipari posset, nisi ab epiphysi, tanquam ab operculo, clauderetur. Reliqua autem caussa fuit, quoniam quæ dearticulantur ossa dura postulant, vt quæ assidue erant mouenda, atq; inter sese atterenda. Vt appendix per suam duritiem & densitatem conferat, & vt operculum medullam conseruans, & vt in motu non ita facile patiatur. Quibus addit tertiam vtilitatem 2. de vsu partium 11. dum ait, naturam vti epiphysios eminentiis seu gibbositatibus, tanquam muro quodam valido, aut turri, muniens capita tendinum digitos mouentium, quæ sane capita inter medias harum eminentiarum concauitates dimisit. C D

His hunc in modum propositis, secundum Gal. mentem, de epiphysios vtilitatibus, facile est Vesalii obiectionibus satisfacere. Nam primo, dum ait Vesalius: appendices habent cauernulas medulla repletas, ergo non sunt operculum alterius ossis: non valet hæc consequentia: nam epiphysis habet cauernulas, non cauitates: quia ipsi sat est illa medulla in cauernulis contenta, & ideo non est opus alio operculo. Dum autem addit; reperiri ossa & parua & ampla, quæ sinibus carent, & tamen habent appendicem: dico, in his appendicis vsum non esse caussa medullæ, cum non adsit cauitas, sed caussa motus, & vt non fiat passio, & quandoque pro custodia capitum tendinum. E

Galenus contra Columbum adseritur.

Sed neque Columbi obiectiones difficile est dissipare. Nam primum, dum ait, appendices non esse ossibus duriores, quia (vt scitis) dicit Gal. esse saltem duriores secundum partem, qua appendices cum ossibus committuntur. Ob id subdit Columbus, se non posse tueri Gal. appendices frequenti assiduoq; motu articulorum non agere propter suam duritiem, sed id fieri beneficio cartilaginis, quæ sua (vt ita dicam) vnctuositate articulationem non modo magis lubricam, & ad motum promtiorem facit, verumetiam cõseruat: quo fit, vt non omnia ossa habeant epiphysim, crustam tamen hanc cartilagineam præ se ferant. Dicimus, articulationem lubricam seruari ope cartilaginis; conseruari autem propter ossium duritiem: ossa autem quædam seruari sine appendice, quoniam ita dura sunt, vt appendice non egeant. F

Ceterum bonus Columbus, alas sibi esse credens, & audacter ad sydera vsque euolare sibi persuadens, ait; appendicis vsum nemini adhuc cognitum, sed scitu dignum & pernecessarium esse, vt ex coniunctione appendicum cum ossibus, ligamenta prodirent, quæ in articulis compositionem stabiliunt: vt si sint ossa in quibus non fiat coarticulatio, vt ossa illi & scapularum, vt nonnulli vertebrarum processus, ex horum ossium coniunctione cum epiphysi oriuntur ligamenta, quæ ad musculorum constitutionem necessario concurrunt. Atque deniq; pro suæ sententiæ confirmatione, ostendit, ligamentorum necessitatem caussa & musculorum, & articuli. Sed satius erat vt ostenderet ligamentorum non necessitatem, sed quomodo beneficio epiphysis oriantur: nam patet id quod oriuntur, etiam dum non adest appendix. Accedit; si os formatum esset vt appendix non esset coniuncta, sed esset pars totius ossis, nihilominus etiam citra hanc coniunctionem orta essent ligamenta. Hæc de epiphysi. G

Processus quid.

Quo autem ad processum, quem Græci vocant Apophysim: cum Galen. libro de ossibus primo, est totius ossis pars, quæ instar tuberculi prominet. Vt processus reperiatur etiam in epiphysi, & quandoque etiam appendices hæreant aliorum ossium processibus.

Processus autem seu apophyses vt figura differunt, variis vocibus donantur, vt vocent styloidem processum illum qui acuti styli formam refert: nuncupant autem coronæ processum, si similem habeat formam

A mam cum cornu cerui:vnde eſt proceſſus acutus,ſed non ita tenuis,vt ſtyloeides, cuiuſmodi ſunt proceſſus in inferiori maxilla.Nominant etiam ancyroidem proceſſum,qui anchoræ formam præ ſe fert,cuiuſodi ſunt proceſſus interiores ſcapularum. Ad hæc vocant proceſſuum capita, & ſunt proceſſus,qui deſinunt in oſſis caput: & quidam habent illud caput depreſſum,quidam oblongum & prominens, in aliquibus etiam eſt rotundum. Depreſſum quidem, vt poſtbrachialis,dum iungitur cum brachiali, oblongum vt femoris caput ſuperius,quo cum oſſe coxendicis articulatur.Ceterum ſi accidat,vt caput depreſſum vix percipiatur an ſit eminens, vel cauum,dicitur condylos, Latini vocant nodos,vt femoris inferiora iuxta quæ depreſſa capita. Rotundum autem, quale eſt humeri cum ſcapula. Adhæc tenuior pars proceſſus dicitur ceruix,& ab oſſe vſque ad caput pertinet.

B Horum autem proceſſuum vſus multiplex eſt : primum enim conducunt ad commodum oſſium connexum,adhæc ad exortum, & inſertionem partium, & harum etiam tutelam:ſicut dictum eſt de epiphyſi.Quæ cum Galeno ſecundo de vſu partium vndecimo,confert inſtar muri ad tutelam capitum tendinum,ſecundum ſuas eminentias,hoc eſt proceſſus.Vt cum hic vſus competat appendici, non vt appendix,ſed vt habet proceſſum,& habet eminentiam:propterea vndecimo,de vſu part.18.proponens vſus appendicis,vt appendix,duos tantum propoſuit.Hæc de proceſſu ſeu apophyſi.

Quo vero ad acetabulum,quod Græci cotylem,& cotyledona vocant,eſt ſitus profundus, qui excipit caput oſſis:obſeruatur autem in coxa,vbi femoris caput admittitur. Hic autem profundus ſinus augeri ſolet,a proceſſibus quibuſdam circularibus:qui vt ſunt poſiti in ſuperficie,ita hos proceſſus labra ſeu ſupercilia vocamus: & ſunt in cauſſa, vt oſſa non ita promte luxentur. C De his loquendum in ſermone de proceſſibus.

Acetabulum quid

Proceſſus ſupercilia ſeu labra.

Quo autem ad Glenem,eſt ſinus leuiter cauatus, qui refert formam ſinus ocularis,cuiuſmodi reperitur in tarſi oſſibus,vt glene,vt ſinus ſuperficietenus cauatus, reſpondeat capiti depreſſo,quod condylos ſeu nodus vocatur.

Glene.

Quantum denique ad Bathmoides, ſunt oſſium ſinus,qui baſis ritu os mouere non ſinunt vltra quam animanti ſit ex vſu:cuiuſmodi reperiuntur in ſede anteriori & poſteriori humeri,vt ſingulos vlnæ proceſſus excipiant.Hæc de oſſibus in genere.

Bathmoides.

CAPVT IX.

D

De Cartilaginibus.

QVantum attinet ad cartilaginem, per hanc intelligimus ſubſtantiam quandam albam, mediam inter oſſa & ligamenta.Auctor finitionum hanc oſſis imaginem nuncupauit. Cuius hæc poteſt tradi definitio:*Cartilago eſt membrum ſimilare,ex ſemine genitum,a facultate cartilaginifica,gratia cuſtodiæ partium motui deſtinatum.*

Definitio.

Declaro hanc definitionem,ſed eo breuius,quo maiori ex parte patere poteſt ex traditis in doctrina de oſſibus.Primum ergo dictum fuit,eſſe *partem*,eſſe *membrum ſimilare.* Siquidem quælibet pars cartilaginis eſt cartilago.Et ob id Galenus primo de elementis ſeptimo, & primo de natura primo,cartilaginem inter partes ſimilares recenſet. Nec ab re:nam,quamuis cartilago non ſit ſimplex ſubſtantia,ſed mixtum quoddam ex pluribus: nihilominus eam habet compoſitionem, quæ competit parti mixtæ ſimilari, ad differentiam & inſtrumenti, & totius corporis. Declaro. Cum Galeno libro de differentiis morborum E tertio,in homine triplex eſt compoſitio: vna totius,vt prodit ex coniunctione partium inſtrumentalium, vt totus homo compoſitus eſt ex artubus, & viſceribus:alia eſt compoſitio, quæ procedit ex coniunctione partium ſimilarium,vt cor,quod componitur ex carne,membranis, venis, arteriis,& id genus ſimilaribus particulis: tertia autem, ſed in genere omnium prima, eſt compoſitio ſimilarium, cuiuſmodi eſt cartilago, vt componitur ex quatuor elementis, vt ex his fiunt humores. Conſtitutum ergo ſit, cartilaginem eſſe partem ſimilarem: quæ tamen vt inſtrumenti pars inſtar carnis & reliquarum partium ſimilarium,præter temperiem,decentem requirit compoſitionem,quam per formationem,& magnitudinem ibi inſinuat Galenus. Vt cum cartilago ſit pars ſimilaris, & proinde deſtituta venis, neruis,& arteriis,ſiquidem horum nullum per cartilaginis ſubſtantiam diſſeminatur; vt ſit pars quæ viuit, quæ proinde inſitas habet a natura potentias;iure a Galeno capite artis medicin.nono, numeretur inter partes, quæ a F ſe ipſis gubernantur, neque aliarum gubernationibus præſunt.

Deinde dictum fuit[*genitum ex ſemine.*] Eſt enim pars ſeminalis, vt plurimæ corporis partes. Ceterum aduertendum cum Galeno, ſecundo de temperamentis ſecundo : quamuis fiant ex ſemine arteriæ,venæ,nerui,& membranæ ex vna parte;ex alia vero,etiam oſſa, & cartilagines: nihilominus differentia eſt:quoniam vis generatrix per alteratricem in generatione membranæ,arteriarum, venarum,& neruorum,ita agit in ſemen,vt tendatur; in oſſe autem, & cartilagine,vt etiam concreſcat. Hinc fit,vt cum opus ſit vi intenſiori alteratricis in cōcretione, quam in intēſione;vt oſſa & cartilagines vltimo perficiantur. Et cum ex ſimili materia fiant oſſa & cartilagines:ob id dixit Ariſtoteles tertio de hiſtoria animalium octauo,& ſecundo de partibus nono, cartilaginem eadem conſtare materia qua oſſa. Vt trigeſimotertio probl.vlti. etiam dicit,cartilaginem non niſi os eſſe: & differentia eſſe ſecundum magis & minus, vt pro- G pterea & cartilago fiat ex ſemine;& rupta nunquam reparetur. Vnde cum crtailago gignatur ex ſemine, hoc etiam alitur.Huic autem proxima eſt materia,quam Galen.tertio de facultatibus naturalibus vltimo, voluit eſſe ſubſtantiam mucoſam,quæ cartilaginibus circumfunditur.

Materia.

Deinde fuit dictum [*a vi cartilaginifica.*] Nam ſicut propriam oſſis facultatem vocamus oſſificam,ita cartilaginis, cartilaginificam nuncupare licet. Hæc autem cum agat per vim & alteratricem, & formatricem: quantum attinet ad alteratricem, per hanc,vt colligere licet ex Galeno 1.de elementis ſe-

Craſis.

ptimo, cartilagini tribuit temperiem frigidam & ſiccam. Notandum autem, cum Galeno primo de A
temperam.ſexto, & ſecundo eiuſdem operis tertio, cartilaginem quidem eſſe ſiccam, non quidem abſo-
lute, ſed vt mixtum, in quo ſiccum excedit humidum, vt idem etiam de frigido ſit ſtatuendum. Vt pro-
pterea cartilago ſit conſtituenda frigida & ſicca, vt mixtum, in quo elementum frigidum & ſiccum do-
minatur: ea tamen lege, vt ſi (cum Galen. eodem libr. cap. vltimo) conferatur cartilago cum oſſe, cartila-
go ſit minus ſicca, vt frigidiſſimus & ſicciſſimus ſit pilus inter ea, quæ in corpore reperiuntur, ſiue ani-
mata, ſiue innanimata ſint: inter animata autem omnium frigidiſſimum & ſicciſſimum ſit os: cui ſucce-
dit cartilago. Vnde hanc temperiem neceſſario conſequens proponens Galen. 7. de vſu partium tertio,
ait, cartilaginem obtinere ſubſtantiam omnium partium duriſſimam, vt ſolo oſſe ſit mollior, ſeu mi-
nus dura.

Soliditas, & connexus. Quo vero attinet ad formatricem: ab hac ita fuit formata, vt cum Ariſtot. tertio de hiſtoria octauo, B
& ſecundo de partibus nono, ad differentiam oſſium, non ſit perforata, vt propterea nec medullam con-
tineat. Quod non eſt intelligendum de cartilaginibus, quæ inſunt animalibus loco oſſium: nam in his car-
tilagines ſunt perforatæ, vt contineant humorem in medullæ ſpeciem. Adhæc, cartilago cum neruis con-
nexum, cum Gal. decimoſexto de vſu part. ſecundo, non eſt adepta: quoniam cum Gal. primo de elemen-
tis ſecundo, eſt ſenſus expers. Et ratio fuit, quoniam cartilaginis eſt vſus, vt ſenſus in cauſſa fuiſſet de-
trimenti.

Vſus. Vſus autem eſt qui in definitione eſt propoſitus, dum dictum fuit [*gratia cuſtodiæ partium motui de-
ſtinatarum.*] Hunc vſum proponens Galenus duodecimo de vſu partium decimoquincto, ait, demon-
ſtratum eſſe, cartilaginis ſubſtantiam ad ſubiecta inſtrumenta tegenda & defendenda maxime eſſe ido- C
neam, vt quæ neque comminui, neque rumpi, quemadmodum dura atque friabilia, neque incidi, neque
contundi, quemadmodum mollia, & carnoſa queat. Vt colligere liceat cartilagines eſſe recenſendas inter
partes, quæ ad cuſtodiam potiſſimum fuere creatæ. Neque obſtat, quamuis a Galeno alii cartilaginis vſus
proponantur: nam vel ad hunc, hoc eſt, cuſtodiam referuntur, vel non ſunt ita præcipui vſus, vel huius
cartilaginis proprii, vt non illius. Declaro. Galen. vndecimo de vſu partium decimooctauo, inquit, car-
tilaginem inſtar glutinis cuiuſdam coniungere denſa & dura oſſa cum laxis & raris: ſiquidem cauernu-
las oſſis laxi reſarcit, & aſperitates læuigat. Ceterum cartilago vt coniungit, ita etiam per coniunctionem
cuſtodit: quare præcipuus finis eſt cuſtodia. Præterea Galen. duodecimo de vſu partium tertio, ait, car-
tilaginem vnctionis vſum præſtare articulis, ſolam tamen ad motum non ſufficere, quoniam motoriis
inſtrumentis adnexa, ſuperfluum pondus inſtar lapidis præbet. Ex quibus colligendum, cum cartila- D
go ſit adnexa motoriis inſtrumentis; merito, vt in definitione dictum eſt, eius vtilitatem reſpicere par-
tes motui deſtinatas; dum autem ait, præſtare vnctionis vſum; per vnctionem, & motus fit melior, & par-
tes etiam cuſtodiuntur. Addit etiam Galen. decimoſexto de vſu partium ſecundo, cartilaginis duplicem
eſſe vſum, vt alter ſit in articulis, vt per leuem ac politam ſubſtantiam partes ſubungat: ecce conferunt
ad motus, vt melius fiant: reliquus autem (ait Galen.) vt ſint corpora mediocriter cedentia, & proinde ad
partium ſubiectarum tutelam. Ecce ergo quemadmodum cartilaginum finis, eſt cuſtodia. At notandum,
dixiſſe Ariſtot. tertio de hiſtoria animali, ſecundo. quod vice fungitur oſſis, eſſe certilaginem. At hoc in-
telligendum eſſe de cartilagine, quæ reperitur in animalibus oſſibus deſtitutis: & ob id ait, quod vice fun-
gitur oſſis, eſt vti ſpina, & cartilago, hoc eſt, in animalibus, quæ loco oſſis obtinent, vel ſpinam, vel car-
tilaginem. At in homine, qui obtinet oſſa, cartilago adnexa alium habet ab oſſe vſum. Vnde ſecundo de E
partibus 9. addit, cartilaginoſæ partes inſeruntur flexuris, hoc eſt, articulis, veluti lectiſternium, ne attritu
mutuo lædantur. Hæc de cartilaginibus in genere dicta ſufficiant.

CAPVT X.

De Ligamentis.

QVantum ad ligamentum: & primo quoad nomen: Galen. lib. de oſſibus in procemio ait, apud anato-
micos tria fuiſſe neruorum genera, vt neruum qui oritur ex cerebro, nominarent neruum volunta-
rium; qui oritur ex muſculis, tendinem; qui ex oſſibus, ligamentalem. At ſubdit Gal. ne æquiuoca nomina
obſcuritatis aliquid adferant, quod ex oſſibus oritur, vocabimus non neruum, ſed ligamentum. Græci vo- F
cant Syndeſmum, Latini etiam vinculum, copulam.

Definitio. Huius autem a Veſalio hæc proponitur definitio: *Ligamentum eſt corpus ſimilare, ex oſſe aut cartila-
gine, aut quauis duriore membrana principium ducens ſenſus expers, durum, ſed cartilagine mollius, album, va-
rioſq; in colligendo, continendo, obtegendo, & muſculis conſtituendis, homini vſus præſtans.* Quam definitio-
nem breuitatis, & proinde vtilitatis veſtræ gratia nec approbare, nec improbare volo: nam alia propoſita,
& explicata, quilibet facile, quantum ponderet definitio Veſalii propoſita pernoſcet. Hæc igitur a nobis
traditur ligamenti definitio: *Ligamentum eſt membrum ſimilare, genitum ex ſemine, a vi ligamentifica, gra-
tia cuſtodiæ coniunctionis partium.*

Genus. Declaro. Primo dictum eſt, eſſe *membrum ſimilare.* Hæc particula colligitur ex Galeno primo de
elementis octauo: vbi voluit hominem conſtare ex primis, hiſque ſenſibilibus elementis, quæ ſimila- G
ria appellantur, cuiuſmodi ſunt fibræ, membranæ, caro, adeps, neruus, medulla, os, cartilago, ligamen-
tum, & id genus alia, quorum vniuerſæ particulæ eandem cum toto formam retinent. Quæ ſane ſi-
milares particulæ, & ipſæ gignuntur ex aliis ſibi proximis elementis, hoc eſt, humoribus inuicem permi-
xtis; ſicut humores generantur ex cibis, & potionibus; & hæc ex quatuor elementis, quæ ex nullo amplius
corpore generantur, ſed ex materia, & qualitatibus. Ecce ergo quemadmodum ligamentum eſt homi-
nis

A nis pars ſimilaris,quemadmodum etiam primo de natura humana a principio, & libr. de morborum differentiis cap.3.explicauit. Ceterum ex Galen.lib. de æquali intemperie ſecundo colligimus,ligamentum non modo eſſe partem ſimilarem,ſed vere,& maxime ſimilarem. Siquidem ait:digitorum particulæ,ſunt oſſa,cartilago, ligamentum,arteria,vena,membrana, caro, tendo, vnguis,adeps:quas particulas non licet diuidere in aliam ſpeciem,ſed ſunt ſimilares,ac primæ,exceptis tamen arteriis,& venis: hæ namque ex fibris,& membranis ſunt conditæ.Ecce non excludit ligementum. Erit ergo pars ſimilaris,& maxime ſimilaris,hoc eſt,magis ſimilaris,quam vena,& arteria. Vnde merito idem Gale.lib. artis medicin.ligamentũ recenſuit inter illas partes,quæ a ſeipſis gubernantur,nec potentias aliunde habent emanantes,vt hinc
B ſit pars viuens,ſed quæ arteriis,venis,& neruis non egeat. Et ob id dicit Gal.decimoſexto de vſu partium 2.ligamenta neruos non ſuſcipere,& iure affirmauit primo de Placit. ligamentum ſenſu omni carere. At inquit Veſalius in ſermone proprio de ligamento, commune eſſe ligamentis, vt obtuſo admodum ſenſu participent:nollem enim,ait,dicere nullo. Nullam autem huius dicti probationem confert: forte autem fuit adductus Galeni auctoritate, dum tertio de facultatibus naturalibus vltimo ait,ligamenta confici ex multis fibris,quæ & ſimilares particulæ ſunt,& vere ſenſibiles.Sed fuit deceptus: nam per fibras ſenſibiles non intelligit ſenſitiuas,hoc eſt,ſenſu prędita,ſed ſenſibiles,hoc eſt,quæ poſſunt eſſe ſenſus exterioris obiectum,hoc eſt,quæ tangi,& conſpici queunt. Quemadmodum etiam (ſi licet Galen.per Gal.interpretari) primo de elementis octauo, intellexit, dum ait, hominem conſtare, ex carne, adipe,oſſe,cartilagine, tanquam ex primis & ſenſibilibus elementis. Ecce vocat elementa ſenſibilia, hoc eſt,non quæ ſentiunt,
C ſed ſentiuntur. Neque obſtat duodecimo de vſu partium tertio, tendinem minus ſentire neruo, magis autem ligamento,vt inde ſit inferendum,ligamentum ſentire? Nam cum originem non ducat a cerebro, non poteſt ſentire:ſed talis fuit modus loquendi, vt neruus magis ſentiat, tendo minus,ligamentum adhuc minus,quia nihil. *Ligamentũ non ſentit.*

Sed quomodo ligamentum nutrietur ſi non habet venas? Dico venas deferre alimentum, non facultatem,quia inſita eſt.

Deinde in definitione dictum fuit (*Genitum ex ſemine.*) Hanc materiam ex qua noſcens Gal.lib.de conſtitutione artis med.ſeptimo, ait, ligamentum ortum habere ex ſemine, vt ſi excidatur,reſarciri nequeat.Quam veritatem magis explicans primo de ſemine decimo, ait, ligamenta gigni ex ea ſeminis portione lenta,quam extrahit calor in oſſium generatione ex ſemine, vt portio terreſtrior mutetur in os minus terreſtrius,& viſcida in ligamentum:ita vt cum eodem Galen.primo de decretis nono,in fibras rectas
D reſoluatur,ligamentis tamen admodum duris exceptis, quippe quæ in fibras reſolui non admodum poſſunt:quinimo & plura ligamenta in membranæ ſpeciem dilatantur. Vt cum ligamentum gignatur ex lenta ſeminis portione, iure cum Gal.3. de facultatibus naturalibus vlt. ligamenta alantur lento humore,qui ipſis inſperſus viſitur:hunc vero ſuxerunt ex ſanguine venarum,electo inde,quoad potuere, quam ſimillimo:aſſimilant autem ſenſim ac ſenſim, atque in ſuam naturam mutant: quem ſcopum vt aſſequantur, ſuccus ille,vt diutius detineatur,& per moram alteretur,inſpergitur in ſpaciis mediis fibrarum, ex quibus & plurimis ligamenta conficiuntur:conficiuntur ex plurimis fibris. Vt ſignificaret, cum partes ſimilares conſtent ex ſubſtantia carnoſa,fibroſa,& membranoſa,hæc fibroſa plurima eſt, & neceſſario,quia procedit ex ſemine,in quod agit calor in oſſium generatione,vt portionem lentam mutet in ligamenta. *Materia.*

E Deinde dictum fuit (*a vi ligamentifica.*) Per hanc intelligimus generatricem propriam ligamenti: quæ ſane cum agat per alteratricem,& formatricem;quantum attinet ad alteratricem, per hanc tribuit ligamento temperiem frigidam & ſiccam. Verum addit Gal.3. de ſymp.cauſſis 3. eam conditionem,vt ligamenta quanto ſunt ſicciora,tanto valentiora,ſi tamen ſint intra illum ſiccitatis exceſſum, vt propter duritiem,ſcil.a ſiccitate prodeuntem,non flectantur,& propter ſiccitatem, veluti friabilia euadant, quippe ita conuulſionibus tentantur.Ligamenta ergo ſicca eſſe debent,ſed vſque ad certum ſiccitatis terminum: ita tamen,vt ligamentorum ſubſtantia cum Gal.6.aphoriſ.49.ſit durior & dēſior ſubſtantia carnis. Quinimo cum eodem Galen. duodecimo de vſu partium ſecundo, ligamentum obtinet ſubſtantiam mediam inter cartilaginem & neruum;at vt non ſit molle, vt neruus; propterea quod in vehementioribus motibus abrumperetur;neque durum,vt cartilago,vt oſſibus a muſculis tractis obſequatur. Dicit etiam primo
F de Placitis 9.& primo de vſu partium 17.reſpiciens ad conſequentia temperaturam, ligamentum eſſe ſubſtantiam quandam albam,& exſanguem,& multo craſſiorem ac duriorem neruo,tendine,& membranis. & diſcrimen eſſe inter ligamenta,pro intenſiore ſcilicet & remiſſiore ſiccitate, vt etiam teſtatus eſt primo de temperamentis vltimo. Vt ligamentum interdũ ad tantam duritiem producatur,vt ſubſtantiam quandam cartilagineam conſequatur,vt ad differentiam ligamenti minus duri vocetur ligamentum cartilagineum.Huiuſmodi ſunt ligamenta,non quæ articulis exterius obtenduntur,ſed quæ inter oſſa latitant,vtpote ligamenta quæ vertebrarum corpora intercedunt.Hoc autem loco admoneantur iuuenes, ne forte credant ligamentum cartilagineum gigni a duplici facultate,nempe a ligamentifica, & cartilaginifica: ſiquidem producitur ſolum a ligamentifica, ſed quæ ita agit in ſeminis portionem accommodatam, vt ita ſiccet,vt ſemen ſubſtantiam conſequatur adeo duram, vt ſit in conſinio cartilaginis: quemadmodum etiam contingit cartilagini,vt quodammodo oſſea euadat. *Temperamentum, & conſequentia, vt albedo, durities,inſenſibilitas.*

G Tandem vis generatrix per alteratricem ligamentis eam tribuit temperiem, vt ſit ſenſus expers: ſiquidem partis temperies eſt in cauſſa, vt membrum vel ſentiat,vel non ſentiat. Hæc veritas colligitur ex Gal.libro de conſtitutione artis medic.9.vbi ait, partem vel non ſentire, vel ſentire,& quidem vel magis, vel minus,eſſe proprietatis temperamenti,hoc eſt, accidentia propria ſequi propriam corporis temperaturam: ſiquidem ait, innumeras eſſe elementorum alterationes & temperaturas,vt inde mox innumeræ particularium corporum oriantur proprietates,vt hinc aliqua corpora euadant ſenſus expertia, alia vero

ſenſus capacia: atque horum nonnulla magis, nonnulla minus. Vt cum ligamenta non ſentiant; merito A
obtineant temperaturam, quæ ſenſus organum eſſe nequit. Sed forte quis ambiget: Si ſenſus ſit, quoniam
partes neruos ſuſcipiunt; quomodo ſenſus refertur in partis temperiem? Dico: ad ſenſum efficiendum o-
pus eſſe, vt vis ſenſitiua influat, & hinc egemus neruis: ſed præterea expedit, vt influxa ingrediatur mem-
brum, cuius temperies ſit organum ad ſenſum accommodatum.

Hic autem obiter admoneantur iuuenes, a Gal. 1. de vſu partium nono, inter conſequentia tempe-
raturam non proponi ſenſum: quoniam non tantum pendet a temperie, vt durities, & mollities, odor, ſa-
por, & color: ſed etiam a neruis, quos oculis conſpicimus.

Sed ad rem: vis generatrix ligamentis eam tribuit temperiem frigidam & ſiccam, vt ligamenta eua-
derent alba, dura, & addamus etiam ſenſus expertia. B

Ortus ligamentorum.

Quo vero attinet ad formatricem: hæc (vt colligit ex Galen. lib. de cibis boni & mali ſucci cap. 4.)
cum ligamento tribuit exortum, vt hunc ab oſſibus mutuetur: quod etiam affirmauit 12. de vſu partium
tertio. Ceterum notandum, ligamentum oriri vt plurimum ab oſſe, quandoque autem a cartilagine:
dum autem oritur ab oſſe, quandoque deſinit in os, vt ligamenta articulorum humeri, & genu; quan-
doque autem deſinit in cartilaginem, vt ligamenta, quæ coſtarum cartilagines pectoris oſſi commit-
tunt. Dum autem oritur a cartilagine, deſinit in cartilaginem, vt ligamenta laryngis cartilagines mu-
tuo amplexantia. Neque huic veritati aduerſatur Galen. quamuis dicat primo de motu muſculorum
primo, ligamentum ex oſſe omnino ortum habere; ita namque eſt locutus, quoniam dum perduci-
tur ad cartilaginem, exortus eſt ab oſſe. Excipiuntur autem ab hoc ſermone ligamenta, quæ ortum
ducunt a cartilagine: quoniam hoc loco Galen. loquitur de ligamentis, vt concurrunt ad fabricam mu- C
ſculi.

Magnitudo.

Ad hæc, formatrix præter exortum ligamentorum alia format magna, alia parua: vt cum Gal. primo de
Plac. 9. quantum ad conformationem, alia ſint lata, alia teretia.

Figura.

Et quanquam omnia denſam habeant ſubſtantiam, vt foraminibus, hoc eſt, poris carere videantur:
nihilominus cum hac denſa ſubſtantia pleraque non ſunt perforata, quædam autem perforata. Ver-
bi gratia, quoad lata, cum ſint vel tenuia, vel craſſa: lata & tenuia ſunt, vt ligamentum, quod ſecun-
dum cubiti longitudinem inter vlnam & radium producitur: lata autem & craſſa, vt articuli humeri pe-
culiarium ligamentorum gratia: teretia autem, vt ligamentum ex dente ſecundæ vertebræ ceruicis, in
occipitis os procedens. Quæ non habent foramina, ſunt iam propoſita, & lata, & teretia. Quæ denique ha-
bent foramina, ſunt vt ligamenta inſtar annuli tendinis, & alia etiam corpora tranſmittentia, & ligamen- D
tum membraneum inter tibiæ os & fibulam conſiſtens. Hæc de facultate ligamentifica.

Cauſſa finalis.

Tandem dictum fuit [*gratia cuſtodiæ coniunctionis partium.*] Hunc finem exprimens Galenus
primo de Placitis nono, ait, ligamentum exhibere illum vſum, quem nomine præ ſe fert, hoc eſt, vt vo-
catur ligamentum, ita ligat partes inter ſe, vt ſicut ſunt a natura coniunctæ, ita etiam cuſtodiantur. Vn-
de ad hunc vſum reſpiciens Galen. libr. de morborum differentiis decimo, ait: ſi ligamentum aliquod
aut relaxatum, aut intenſum fuerit, aut diſruptum, in ea parte dearticulationis motus offenditur, non ſa-
ne aliam ob cauſſam, niſi quia partes debitam coniunctionem non ſeruant. Vt propterea (vt ſubdit Gal.)
ſi ligamentum male habeat, ſit morbus in non naturali copulatione partium, cum vicinis partibus: per
copulationem, ſeu coniunctionem intelligere oportet partium ſitum, & vnitatem.

Neque huic veritati aduerſatur Galenus, quamuis 5. aphoriſ. primo, proponens corpora a quibus E
ſecundum electionem motus perficiuntur, recenſeat non ſolum neruos, tendines, & muſculos, ſed et-
iam ligamenta. Nam ita intelligere oportet Galen. vt ligamenta conferant ad perficiendum mo-
tum, vt ligent, & ligando vt partes coniunctas cuſtodiant, ita eſt in cauſſa vt motus perficiatur: ſiquidem
quamprimum naturalis coniunctio vitiatur, illico & motus oblæditur. Adhæc, eundem vſum proponens
Galen. primo de motu muſculorum primo, ait, per ligamentum muſculos colligari oſſibus: ſignificans
cum natura coniungat muſculos oſſibus, hanc coniunctionem ſeruari beneficio ligamenti.

Sed dubitatio eſt: quia ibidem ait Galen. per ligamentum muſculos oſſibus coaleſcere: ergo liga-
mentum eſt in cauſſa coalitus, eſt in cauſſa coniunctionis, vt non tantum cuſtodiat partes coniunctas,
verum etiam coniungat. Dicimus, finem communem ligamentorum eſſe cuſtodiam partium coniun-
ctarum: fieri autem poſſe, vt quædam ligamenta peculiares quoſdam fines obtineant: verbi gratia, liga-
mentum, cum concurrit, vt materia ex qua tendinis muſculum conſtituentis, poteſt eſſe in cauſſa vt mu- F
ſculus cum oſſe coaleſcat, vt cum oſſe coaleſcit ligamentum, ex quo ſit tendo, muſculi non contemnen-
da portio.

Ceterum hunc communem vſum eſt aſſecutum ligamentum (vt ait Gal. 12. de vſu partium ſecundo)
ob ſuam ſubſtantiam duram: per hanc enim valide oſſa ſimul colligat, ac continet, vt quamuis per duri-
tiem non impediat motum motorium, tamen inſtrumentum non eſt, quemadmodum neruus: nam ner-
uus oritur ex principio animal mouente, non autem ligamentum. Vt cum ligamentum non ſit inſtrumē-
tum motorium, conferat autem ad perficiendum motum, id præſtet quoniam partes coniunctas ſeruat.
Vnde etiam dicit decimoſexto de vſu partium ſecundo, ligamentorum vſum eſſe, vt inſtar funiculi aliarū
partium quaſdam cum oſſibus, & oſſa cum aliis oſſibus colligent: veluti ſi (vt ait Plato in Timæo) dum li-
gamentis, quæ vocat neruos, membra vinciuntur, vt intenſis, & remiſſis, circa cardines ipſos, corpus ad G
flexionem & extenſionem promtum & agile reddatur.

Quare ſigillantes ligamentorum finalem cauſſam, dicimus cum Gal. primo de anat. adminiſtr. deci-
mo, finem communem eſſe, vt partes contineant, ſiue ſint oſſa, ſiue muſculi: cum Ariſt. & quincto de gene-
ratione animalium ſeptimo, dicat, oſſa requirere naturam neruorum, id eſt, ligamentorum, vt ſcilicet
oſſa

A ossa custodiantur. Fieri autem potest, vt ligamentorum etiam sint alii vsus, sed nõ communes: sed qui pręstentur ab vno ligamento, non ab omni: &, si ab omni, non sit tamen præcipuus vsus; cuiusmodi proponitur a Gal. loco citato, dum ait, ligamenta munimenta esse corporibus subditis. Addit etiam tertium vsum præstare: est autem, dum vt indumenta extrinsecus tendinibus circundantur. Quartum autem vsum non proponit, quia reducitur ad primum: nam vt in primo ligamenta detinent ossa cum ossibus, ita in quarto musculos cum ossibus, vt merito quartum hunc vsum a primo non esse alium genere asserat. Ceterum his vsibus si alii addantur, erunt spectantes ad peculiaria ligamenta; vtpote si habeant foramina, vt tendines transmittant, vt annulus habenam. Adhæc, vt aliquod ligamentum per suum situm inter os & tendinem, prohibeat instar strati quominus tendo ab ossis duritie offendatur. Adhæc, vt augeat acetabulorum & ossis sinuum cauitatem: cuiusmodi est ligamentum cartilagineum, quod oritur ad supercilium sinus coxen-
B dicis. Amplius ligamentum tribuit musculis firmamentum, sine quo musculorum internorum & externorum non æque valida esset functio. Hunc autem vsum præstat ligamentum, dum inter musculos instar septi & interstitii intercedit, & musculis durum ossis modo renixum præbet, cuiusmodi est illud ligamentum, quod porrectum inter vlnam & radium secundum cubiti longitudinem, cubiti musculos interiores ab exterioribus interdiuidit. Et tandem, vt materia ex qua, ligamentum, non omne, sed aliquod, concurrit ad musculi constitutionem, vt ex eo fit tendo. Qui sane vsus vt respiciunt peculiaria ligamenta, ad differentiam primi & communis: ita in sermone proprio de hoc & illo ligamento fusius explicabuntur.

Ceterum, vt ligamentorum doctrina reddatur firmior, & dissoluantur difficultates, quæ inter Philosophos, & Medicos perpetuæ esse videntur, circa neruos; liceat aliquantisper cum Aristot. digredi circa
C ligamenta. Quæ quoniam vocat neruos, ob id plerique, credentes Aristotelem per neruos intelligere vnum ex tribus organis communibus, mirum in modum fuere decepit. Itaque sciendum cum Aristot. 3. de historia animalium 5. per neruos intelligenda ligamenta, vbi voluit neruos, hoc est, ligamenta, vt aluntur ex humore, qui similis est humori albido & glutinoso, ita ex hoc generari: vt cum ille humor sit seminalis: propterea idem est, ac si dixisset, gigni ex semine albido & viscido, mucori simili: vt propterea (vt ait Aristotel.) neruus incisus solidari nequeat. Huic autem secundo de partibus secundo tribuit temperiem siccam. Vnde etiam secundo de generatione animalium quàrto, inter corpora sicca recensebat non modo os, sed etiam neruum; quamuis cum neruus sit minus siccus; sequatur vt os sit fragile, neruus autem, hoc est, ligamentum sit ductile. Addebat autem loco præcipue citato, hoc est, tertio de historia animal. 5. nerui originem esse in corde. Nam cum opus fuerit cor custodiri præ ceteris partibus, ideo neruorũ, hoc
D est, ligamentorum origo est in corde, vt quamuis principaliter inseruiant cordi, vt parti præcipue, nihilominus per se etiam resident in aliis partibus, absque eo quod habent connexum continuum cum corde. Quod sit verum, ait: naturam neruorum non more venarum continuam de eodem initio procedere, vt nerui sint deducti distractique, & passim ad artus & flexus ossium applicentur. Quod nequaquam dicendũ de neruo, qui ex tribus communibus organis est vnum, hoc est, aliud a vena & arteria: siquidem neruus pro communi organo acceptus, quacunque in parte reperiatur, ita continuitatem habet cum cerebro, vt abolita continuitate statim pars per continuitatis defectum sensu & motu priuetur. Ecce ergo apertissimum esse Arist. per neruos intelligere ligamenta. Quemadmodum etiam accepit tertio de partibus quarto, dum ait: copia neruorum in corde est, idque recta ratione, hinc enim oriuntur motus, qui intẽdendo, remittendoque efficiuntur; itaq; cor ministerio tali eget, & robore: ministerio quidem, hoc est, motu, qui
E intelligendus est nõ voluntarius, sed naturalis, vt nimirum cor intenditur, hoc est, comprimitur, & remittitur, hoc est, dilatatur; & hic est ille motus, qui originem habet in corde: neque hoc negant medici. Sed præter id quod cor eget tali ministerio, s. motu naturali, & illo assiduo: eget etiam robore: nam citra robur assiduo illo motu agitari non posset. At robur assequitur ope neruorum, hoc est, ligamentorum. Neque obstat, quamuis Arist. loco principaliter citato, nempe tertio de historia animalium quincto, dicat; si pars neruo careat, partem stupore non tentari: nam ita audire oportet Aristot. vt cum dicit, neruos continere membrum ad saliendum accommodatum, significat neruos, hoc est, ligamẽta tributa esse parti, vt in motu custodiantur, vt si pars careat neruo, hoc est, ligamento, sit pars expers motus localis; quare & stuporis, hoc est, motus localis imminuit: nam vbi non est motus, nec est motus imminutus. Vnde dum etiã secundo de partibus octauo, ait, neruos esse caussam sensus tactus; cum per neruos intelligat ligamenta: idem
F statuit de neruis, quod de ossibus, quæ fatebatur esse propter tactum, quia sustentant carnem, organum tactus, vt pariter ligamenta sint propter tactum, quia custodiunt ossa, quæ munita ligamentis, apprime seruant carnem, & proinde organum tactus. Vt tandem, cum ad ligamenta pertineat custodire partes cõiunctas, ne inuicem dispertiantur: merito dicit tertio de historia animalium secundo, locum communitatis secundum, obtinere neruos, ad differentiam scilicet sanguinis, & venarum, quæ locum communitatis primum obtinẽt. Nam venæ respiciunt nutritionem nerui, hoc est, ligamenta respiciunt partium coniunctarum custodiam. Hæc ergo dicta sint de ligamentis.

Aristoteles per neruos intelligit ligamenta.

Capvt XI.

G

De Tendinibus.

QVantum ad Tendines: & primo quo ad nomen, Gal. secundo de locis affectis septimo, ait: tendines nominantur a nonnullis nerui, eo quod neruosa sunt corpora. Adhæc libro de ossibus in procemio, & 3. de alimentis quarto, ait: quæ in partibus ex carnibus neruosa sunt corpora, ad similitudinem neruorum nominantur nerui: sunt autem ossium ligamenta, sensus expertia, & tendines. Ceterum ex Galeno primo de motu musculorum a principio, recentiores ad differentiam ligamentorum tendines

Nomen.

vocant Aponeuroſes, quaſi eneruationes muſculorum: quoniam vident muſculos in eos finiri: ſed iuniores vocant etiam chordas. A

Definitio.

Tendinis autem ſeu tendonis hæc proponitur definitio: *Tendo eſt membrum ſimilare, genitum ex fibris nerui & ligamenti in muſculo mixtis, a facultate tendifica, cauſſa motus voluntarii vehementis.*

Galenus.

Declaro. Primo dictum eſt, eſſe *membrum ſimilare.* Nam quælibet pars tendinis eſt tendo: & ob id Gal. lib. de inæquali intemperie ſecundo, tendines recenſet inter partes ſimilares: imo voluit eſſe magis ſimilares, quam ſint venæ, & arteriæ. Ceterum tendo ita eſt ſimilaris pars, vt inſtar cartilaginis, oſſis, & ligamenti, inſitas habeat a natura potentias. Differt autem, quoniam tendo etiam aliunde habet: etenim tendo non modo nutritur, ſed etiam, vt ait Gal. primo de motu muſculorum primo, propter neruum ſentit: quamuis minus ſentiat, quam neruus, propter permixtionem ligamenti: nam vt eſt particeps naturæ ligamenti, ita hebetatur ſenſus acrimonia.

Definitio. Tend. Membrum ſimilare. Tendo ſentit.

Materia tendinis.

Deinde in definitione dictum fuit, [*Genitum ex fibris nerui & ligamenti in muſculo mixtis.*] Qua in particula continetur materia ex qua. Hæc autem colligitur ex Galen. 12. de vſu partium tertio, dum ait, tendinem fieri ex nerui & ligamenti fibris inuicem permixtis. Huiuſmodi autem fibræ producuntur in corpore muſculi, vt tum ligamentum, tum neruus, non extra muſculum, ſed in muſculo, in fibras diſſoluatur. Vt ſecundum hanc rationem tendo oriatur a muſculo, vt (ſicut ait Galenus) muſculus ad conſtituendum tendinem fuerit comparatus. Quod dictum recte intelligendum: non enim his verbis voluit ſignificare muſculum principaliter eſſe organum gratia tendinis: nam alius eſt muſculi vſus, & magis præcipuus, vt in ſermone de muſculo explicabimus: ſed ita eſt locutus, vt pateret tendinis ortus, vt ſcilicet ortum ducit a muſculo. Vt merito muſculus præter alias vtilitates, hanc etiam præbeat, vt ſit tendinis origo, prout ſcilicet ex fibris in muſculo permixtis generatur. Vnde hanc veritatem explanans & confirmans, dicit primo de motu muſculorum primo, tendinem naſci ex muſculi fine, vbi ſunt fibræ, nerui & ligamenti, vt hæc duo primo inſeruntur in caput muſculi, deinde in totum muſculum diſſoluta in fibras reſoluuntur, ex quibus deinde producitur tendo. Vt cum non producatur ex fibris tantum nerui, verum etiam ligamenti: tendo naſcatur multo maior neruo, vt ſæpe & ſextupla & decupla craſſitudine tendo neruum excedat. Vnde idem Galen. reſpiciens ad fibras duplicis claſſis, primo de vſu partium 17. dicit, tendinem eſſe partem progenitam ex neruis & ligamentis in muſculos diſperſis, rurſuſque inuicem coeuntibus. Idem etiam replicauit ſecundo de vſu partium 7. nec non & primo de Placitis 9. atque primo de ſemine 10. Vt cum tendo gignatur ex fibris tum nerui, tum ligamenti, cum eodem Galeno primo de motu muſculorum & primo, & ſecundo, tendinis natura mixta ſit & media inter ligamentum & neruum. Quod etiam inſinuauit dum 6. methodi quarto, ait, tendines compoſitam habere ſubſtantiam ex neruo & ligamento. Vt ſatis temere Galenus a Veſalio libro ſecundo cap. 2. redarguatur: ſiquidem adſcribit Galeno, quod dicat, muſculum inter neruum & ligamentum eſſe natura medium, & generari ex æquali portione nerui & ligamenti: cum tamen nullum horum ſomniarit Galen. Nam primum, dum ait, eſſe corpus natura medium inter neruum & ligamentum: non intelligit muſculum, ſed tendinem, vt quilibet facile intelligere poteſt. Præterea, cum ſermo fiat de tendine, quamuis habeat naturam mediam inter neruum & ligamentum: non oportet tamen intelligere medium exquiſite, ſed mediũ, hoc eſt, recedentem naturam a natura ligamenti, propter mixtionem nerui, & recedentem a natura nerui, propter mixtionem ligamenti: ita tamẽ, vt cum hac media natura tendo produci poſſit ex maiori portione ligamenti, quam nerui, vt idem Gal. euidenter fatetur, cum dicit, tendinem quandoq; decupla craſſitudine excedere neruum.

B C D

Galenus contra Veſalium defenditur.

E

Temperamentum tendinis.

Deinde in definitione dictum fuit [*a facultate tendifica.*] Hæc igitur propria facultas, ad differentiam oſſificæ, & reliquarum, tendinem generat per potentiam alteratricem, & formatricem, hunc in modum. Et primum, quantum ad alteratricem: per hanc generatrix tribuit tendini, cum Galen. primo de temperamentis vltimo, complexionem frigidam & ſiccam. Et, cum eodem Galen. de ſympt. cauſſis tertio, quo ſunt ſicciores tendines, eo ſunt validiores, dum modo ſiccitas non excedat limites complectionis ſanitatis. Vt tendinis temperies eam habeat latitudinem, vt ſit minus frigidus & ſiccus tendo ligamento; magis autem quam membrana. Vt rationabiliter cum Galen. ſecundo de temperamentis ſecundo, tendo ſit ligamentis mollior, ſeu minus durus. Et ob id dicit primo de Plac. 9. tendinem eſſe molliorem ligamento, neruo autem duriorem: atque ideo album, & exſanguem. Hæc enim ſunt quæ temperiem frigidam & ſiccam conſequuntur. F

Exortus.

Quod vero attinet ad formatricem: per hanc generatrix tendini talem elargita eſt cõnexum, vt, quoad ortum, cum Gal. tertio de medio ſecundum genera cap. ſecundo, & libro de oſſibus in proœmio, tendo oriatur ex muſculo, vt ligamentum ex oſſe: & merito, cum gignatur ex fibris in muſculo productis ex neruo & ligamento. Cum vero ex muſculo ortum ducat tendo, vt plurimum oritur ex fine: & ob id loco citato dicit Galen. plurimos muſculos deſinere in tendines, vt cum eodem Gal. primo de motu muſculorum a principio, vnus muſculus quandoque deſinat in plures tendines. Dixit etiam libro de cibis boni & mali ſucci c. quarto, ſub extremum muſculi tendines oriri. Hunc autem exortum vtplurimum obtinent tendines. Dico autem, vtplurimum: nam quandoque, ſed raro, in medio muſculi tendo habet exortum: veluti in muſculo quarto maxillam inferiorem arripiente; & in quarto muſculo, a quo hyoides deorſum trahitur. Sed dum de muſculis in ſpecie fiet ſermo: exacta tendinum apparebit ortus, ſiue a fine, ſiue a medio, ſiue etiam a capite. Ceterum vtcunque tendo aſſequatur ortum, cum Gal. primo de motu muſculorum 2. inſeritur vt plurimum omnis tendo in oſſis terminum cartilagine illitum: ita autem ſe habet, vt dilatatus inuoluatur circa partem ſuperiorem oſſis, quod caput vocatur, &, vt ait Gal. primo de vſu part. 17. in caput ſecundi oſſis, hoc eſt, mouendi, quomodo ſimulacra funiculis ſolent moueri, vt tendo non inſeratur G

in ſyn-

A in ſyntaxin oſſium, neque in fine prælocati, ſed vt dictum eſt, in caput ſecundi oſſis, ſcilicet mouendi. Sic enim cum tendo trahitur a muſculo, erat contracturus os ſubiectum, ſibi connatũ: & ob id muſculus vinculo valido cum oſſe mouendo, & ob id ligamento eguit quemadmodum neruo, vt vim motoriam ſuſciperet. Hæc de connexu quem formatrix tribuit tendini.

Quo vero ad magnitudinem: cum Galeno primo de motu muſculorum ſecundo, tendo multo maior fuit formatus, quam neruus. Magnitudo.

Quoad numerum, vnus muſculus modo vnum habet tendinẽ, modo duos, modo tres, modo quatuor, modo plures, vt longiſſimus dorſi muſculus. Numerus.

Quoad figuram, cum Gal. 1. de Plac. 9. tendo alius teres, & breuis; alius latus, & hic eſt modo longus, Figura.
B modo breuis.

Quoad meatus: tendo obtinet quidem denſam ſubſtantiam, vt aliquod habeat foramen, & modo vnicum, modo plura, vt in ſermone de muſculis in ſpecie patebit.

Tandem in definitione dictum fuit [*gratia motus voluntarii vehementis.*] Hac particula clauditur cauſſa finalis tendinis, vt tendinis communis & proprius vſus ſit motus vehemens. Per motum autem vehementem intelligimus & intenſiue, vt eſt dum oſſa mouentur, & extenſiue, dum etiam oſſa non mouentur ſed motus diu perſeuerat, vt eſt oculorum motus, cum tempore vigiliarum oculi ferme ſemper moueantur. Dictum autem fuit, hunc vſum eſſe communem, hoc eſt, cõpetere cuilibet tendini; & proprium hoc eſt ſoli: ad differentiam aliorum vſuum, quibus etiam membra ſimilaria, nempe nerui, & ligamenta, ſunt donata. Hi autem vſus ſunt, ſentire, & coniunctas partes cuſtodire. Vnde ad has vtilitates tendinis, ne-
C quaquam proprias, reſpiciens dicit Gale. primo de motu muſculorũ ſecundo, tendinem exhibere vſum nerui, & ligamenti, ligamenti quidem, quoniam alligat muſculũ ſubiectis oſſibus, in quæ inſeritur, vt hac ratione nihil differat a ligamento, nerui autem, vt ſentit, & mouetur. Vt tendo hos vſus obtineat, per ſuam ſubſtantiam, vt eſt mixta ex nerucea & ligamentali. Vt cum eodem Galeno 13. de vſu partium 3. per ſubſtantiam nerueam, & proinde mollem, ſentiat: per duriorem autem, coniunctas partes cuſtodiat: per quam duritiem etiam ita eſt roboris particeps, vt differat a neruo. Eandem veritatem propoſuit Gale. primo de vſu partium 17. vbi ait, tendines colligari per ligamenta: ſentire & moueri per ſubſtantiam nerueam. Vnde notandum, cur dicit, colligari, ſentire, & moueri: non autem mouere. Et, vt puto, non alia fuit cauſſa, niſi quia ligari & ſentire, non pertinent ad muſculum ſicut motus: vt muſculus ſit qui moueatur; reliqua, quæ mouentur. Vnde Galenus primo de locis affectis penultimo, ait, ad partes mouendas aliquando muſcu-
D los peruenire, aliquando per medios tendines: vt tendo ſit inſtrumentum, quo vtitur muſculus ad partes mouendas: vtitur autẽ, vt muſculus mouet tendinem, qui tendo motus a muſculo, trahit, mouet reliquas partes, & potiſſimũ oſſa cum quibus annectitur. Ceterũ quamuis dum muſculus oſſa mouet, hæc moueat per medios tendines, vt tendines etiã moueantur: nihilominus differentia eſt inter oſſa & tendines: nã tendines mouentur a muſculis, vt moueant oſſa cũ reliquis partibus mouendis: oſſa autem tantũ mouentur. Vnde ad hoc diſcrimen reſpiciens Gale. ſecundo de ſanitate tuenda 11. dicit, actiones voluntarias proprias eſſe muſculorũ, neruorum, ac tendinũ: vt ſi motus fiat maiori vi & celeritate, primum quidem & maxime hæ partes exerceantur, ex accidenti vero etiam arteriæ: vt cum prædictis oſſa, venæ, carnes, ligamenta, & ceteræ omnes animalis partes vna moueantur. Verum quamuis tendo conferat ad motum, vt muſculi organum, ad edendum motum, ſcilicet: validum, attamen (vt ait lib, de cibis boni & mali ſucci, quar-
E to) muſculus non eſt auctor motus voluntarii, per neruum: nam paruus eſt neruus: ſed propter eum tendinem, qui colligat muſculum cum oſſe mouendo: vt hic non ſit quilibet motus, ſed vehemens in quo etiam oſſa mouentur. Vt propterea ex lege naturæ (vt ſcribit Galen. primo, de motu muſculorum tertio,) omnis tendo in os omnino inſeratur, non tamen omnis muſculus in tendinem deſinat: verbi gratia, in nullo muſculorum linguam mouentium naſcitur tẽdo, quoniam lingua nullũ os erat motura. Ecce ergo quomodo tendo refertur in oſſis motum & proinde efficacem. Vſus tendinum, ad oſſa efficaciter mouenda.

Ceterum tendinem a natura eſſe productum cauſſa motus voluntarii validioris, expreſſe colligitur a Galeno primo de muſculis tertio: nam ait, muſculorum alios mouere ſeipſos, alios alia corpora. Qui quidem muſculi ſeipſos mouent, ſunt vt muſculi ſedis & veſicæ: vnde ab his nullus naſcitur tendo. Qui ve-
F ro muſculi aliquid aliud a ſeipſis mouent, vel mouent os, vel quippiam aliud ab oſſe. Qui quidem os mouent, in tendines omnino vel maiores, vel minores terminantur: quia ſcilicet ad os mouendum opus eſt vi intenſiori: vt cum in maiori quanto ſit maior virtus, iure dicit primo de motu muſculorũ ſecundo, tendinem maiorem factam eſſe neruo, quoniam erat os moturus. Qui vero mouent quippiam aliud ab oſſe: vel mouent vnam, vel aliam corporis partem, quæ neque eſt os, neque cutis, veluti muſculi oculorum, linguæ, teſtiũ, & penis, pharyngis, & maxime laryngis. Qui muſculi ita ſe habent, vt aliqui habeant tendines, aliqui careant. Qui quidem mouent partes facilius mobiles, non habent tendines: vtpote quorũ muſculorũ motus, non eſt admodum vehemens: verbi gratia, muſculi linguę, penis, teſtiũ, veluti etiam aliqui muſculi in pharynge, & larynge, nam quibuſdam obſcure quidã ſunt tendines, aliquibus omnino non ſunt. Muſculi autẽ habent tendines, veluti oculorum muſculi, hi namque membraneis quidem, ſed validis ten-
G dinibus in duram & neruoſam tunicam adiacentem rhagoidi perueniunt, quia. ſ. oculus, frequenter mouetur, robuſto eget motore. Tendo non eſt omni muſculo.

Ceterum, vt conſtat tendinẽ conferre ad motũ: ita, qua ratione conferat, non eſt ita euidens. Dubitatio autẽ oritur ex dictis Gal. nam primũ 12. de vſu partiũ 3. ait, tendinem primum eſſe motus inſtrumentum: cum tamen muſculus ex primo de motu muſculorum primo, ſit proprium motus inſtrumentum. Præterea idem Gal. lib de Plac. 5. ait, fieri a ſe ipſo ob plenitudinem quod nos mouet, aut neruus, aut tendo, aut muſculus, aut quidquid ſit illud ꝙ nos mouet. Ad hæc 5. aphoriſ. 1. ait; corpora, a quibus motus ſe- Quomodo tendo ad motum voluntarium concurrat.

cundum electionem proferuntur, eſſe neruos, ligamenta, muſculos, & tendines. Cum ergo ad motum vo- A
luntarium edendum corpora concurrentia ſiat nerui, ligamenta, muſculi, & tendines: quomodo tendines concurrant, explicandum. Et augetur difficultas: quoniam, ſi tendo eſt primum motus inſtrumētum, ergo erit præcipua pars. At ex Gal. 1. de vſu part. 17. tendo videtur concurrere, & vt pars ſine qua non, & vt melius fiat motus: vt pars ſine qua non, cum inter initia capitis dicit; quia erat impoſſibile oſſibus ſic terreſtribus & lapideis motum voluntarium tribuere, natura prouidit, vt per aliud oſſa moueret, atq; ob id ex muſculis tendines produxit. Ecce ſi impoſſibile erat, vt oſſa ſine tendinibus mouerentur, ergo tendines concurrant, vt ſine quibus non. Tendinem etiam concurrere, vt melius fiat motus colligitur ex eodem Galeno eadem in cauſſa, ſed in fine dum ait: ita igitur multitudo, magnitudo, potentia vniuſcuiuſq; tendinis, melioris gratia facta ſunt.

Dicendum pro reſolutione, tendinem bifariam accipi poſſe: altero modo vt eſt pars muſculi, reliquo B
vt eſt quid procedens a muſculo. Si capiatur vt particula muſculi, ad differentiam carnis, venarū & aliarū partium, vt nihil aliud eſt, quam fibræ, nerui, & ligamenti inuicem permixtio: ſecundū hāc rationem ſtatui poteſt primum motus inſtrumentum, nam eſt præcipua pars muſculi, ſed vt ex tendine & carne eſt confectum vnum mixtum ſimilare, ſ. ad ſenſum, vt cryſtallini ſinus in oculo. Neq; obſtat, quanquam inter prima motus organa recēſeantur nerui, & muſculi. Nam cum muſculus, quandoq; habeat tendinem, quandoque ſit expers, vt ſuo loco explicabitur: ſi muſculus non habeat tendinem, tunc neruus, nec fibræ neruoſæ habent rationem partis principalis, & tunc neruus recte ſtatuitur primum motus organum; muſculus autem ſtatuitur primum motus organum, hoc eſt, primū adæquatum, vt oculus totus viſionis. Conſtat ergo quomodo inter prima motus organa recenſere liceat neruum, muſculū, & tendinem: a qua claſ- C
ſe excluditur ligamentū, quod, ſi concurrat ad perficiendum motum nequaquam concurrit vt organum, vt illa tria, ſed ſolum vt cuſtodit partium coniunctionem, & eſt materia proxima ex qua fit tēdo. Si autem tendo capiatur, vt muſculum egreditur, vel vt actu fibræ tum nerui tum ligamenti ita ſunt permixtæ, vt cum tendo ſit procreatus: in hoc tendine perpendimus vel id quod conſequitur, temperiem, vel id quod accidit, ſi id quod conſequitur, ſecundum hanc rationem intelligimus duritiem, ſecundū quam ita ſe habet ad motum oſſium, vt habeat rationem cauſſæ ſine qua non: & ita eſt audiendus Galenus 1. de vſu part. 17. initio capitis. Si autem perpendamus quod neceſſario accidit, concurrit ad melius: & hoc modo eſt intelligendus in fine eiuſdem capitis: quod ſit verum, ibi circa tendinem proponit numerum, magnitudinem, & poſitionem. Sublata igitur hoc modo omnis eſt ambiguitas.

CAPVT XII. D

De Membranis.

Nomen. QVantum ad membranam: & primo quo ad nomen, propter iuuenes notandum, Gale. 2. de temperamentis, ſecundo. bis proponere membranas, & tunicas: vt colligere liceat aliud corpus eſſe intelligēdum per membranam, aliud per tunicam. Itaque ſciendum, Galen 6. de Anat. adminiſtr. 11. dixiſſe, anatomicos vaſorum, & inſtrumentorum corpora tunicas appellare, membranam autem illud corpus, quod extrinſecus ambit: v. g. duas ventriculi interioris tunicas vocant, exteriorem autem membranam. At Gal. 6. de Anat. adminiſt. 7. ſubdit, hos non admodum proprie voce vti, cum potius operimentum, aut tegumentum tunicæ vocabulo ſignificetur, vt tunica refera ſit tertia ventriculi tunica. Et ob id Gal. 2. de temperament. ſecundo, proponit & tunicas, & membranas: vt comprehenderet & corpora inſtrumenta con- E
ſtituentia, & etiam ambientia. Quanquam cum eodem Galeno non plurimum de vocibus debemus eſſe ſoliciti: ſiquidem 14. de vſu partiū 9. loquens de peritonæo, ait, peritonæi talem eſſe vſum, ſiue tunicam, ſiue membranam, ſiue operimentum, ſiue quouis alio modo voluerit nominare aliquis eorum, qui conſumunt totam vitam in nominum contentione, ſicut etiam de nomine membranę litigant: antiqui indifferenter, tunicas & membranas vocant, quos nos quoq; (ait Gal.) ſequemur, & potiſſimū, quia, vt inquit 7. de anat. adminiſt. 2. nos ſolemus membrum aliquod a ſubſtantia nominare mēbranam, quia. ſ. ſubſtantiam habet mēbraneam, ab vſu autē tunicam. Quare & nos modo tunicam, modo mēbranam nominabimus: Semper tamen intelligentes eam corporis partem, quæ mēbrum non conſtituit, ſed tegit: cuiuſmodi ſunt mēbranæ propoſitæ a Gal. 7. de anat. adminiſt. 2. vbi ait, exacte mēbranam eſſe peritonæum, pleuram, tenuem cerebri mēbranam, perioſtia ſeu quæ oſſa ambiunt, & muſculorū ipſorum peculiares, & cordis in- F
uolucrum. Quibus etiam addere licet, mēbranam carnoſam vocatam, & denique omnem membranam, quæ corpus aliquod tegit.

Definitio. Tunicæ igitur ſeu membranæ hæc eſt definitio: *Membrana eſt membrum ſimilare, ex ſemine genitū, a vi membranifica, gratia cuſtodiæ ſuperficiei partium.*

Declaro. Primum dictum eſt, eſſe *membrum ſimilare.* Et primo, eſſe membrum, hoc eſt, partem vita præditam, colligitur ex Galeno, qui libro artis medicinalis nono, membranam recenſet inter partes quæ habent inſitas potentias. Vnde etiam ſecundo methodi ſexto, voluit, omnes oculi membranulas præditas eſſe omnibus naturalibus facultatibus, vt hinc etiam nutriantur.

Deinde vero mēbranam eſſe mēbrum ſimilare, deſumitur ab eodem Galeno, qui paſſim, & potiſſimū libro de differentiis morborum tertio, primo de elementis 6 & octauo, mēbranam inter partes ſimi- G
lares. ſ. quo ad ſenſum, recenſet: quemadmodum etiam & primo de natura humana principio, & octauo de decretis quarto. Vnde ſeptimo de anat. adminiſtr. 2. dicit, mēbranam eſſe ſibi ex toto ſimilem. Addebat etiam quincto de vſu part. 11. tunicas inſtrumentis circumiectas eſſe prorſus ſimplices & omnino mēbranoſas: vt differant ab internis tunicis, vtpote a prima, & ſecunda ventriculi: de quibus in præſentia non loquemur: nam eæ ſunt quæ corpora particularum conſtituunt, quæ fibras obtinent, quibus carent tunicæ inſtru-

A instrumentis circumiectæ, de quibus nunc loquimur. Hoc autem loco circa fibras notandum, fibras bifariam accipi posse: alio modo vt sunt particulæ aliæ a substantia partis, vt fibrę quæ reperiuntur (verbi gratia) in interna tunica ventriculi: vt fibra quid aliud sit a propria substantia tunicæ: quarũ etiam munus aliud est a munere propriæ substantiæ tunicæ ventriculi: vt suo loco explicabitur: secundũ quem modum acceptæ fibræ, locum non habent in mẽbrana, de qua loquimur. Et de his intelligebat Galen. 5. de vsu part. 11. Similiter accipiebat sexto de Anat. administr. septimo, dum ait. peritonæum nullas obtinere fibras, sicut nec alia quæuis membrana, vt membranæ corpus sit totum simplex. Alio & secundo modo potest accipi fibra, vt nihil aliud sit quam plurium fibrarum permixtio, ex quibus constituatur totum membrum, vt mẽbrum illud nil aliud sit, quam fibrarum aceruus: secundum quem modũ fibras acceptas non
B licet excludere a membrana, cum membrana nil aliud sit, quam fibræ inuicem coniunctæ. Secundũ quem modum fibras accipiens Galen. 3. de facult. naturalibus vltimo, ait, ligamenta, neruum, & membranas ex multis confici fibris, quæ & similares particulæ sunt, & vere sensibiles. Sed nota circa hanc particulam [sensibiles] quia Auicen. in cap. de membris ait, fieri particulam ex fibris non sensu perceptis: vbi dicendum, esse quidem sensibiles cum Galeno; cum Auicen. autem non ita sensibiles, quemadmodum fibræ destinatæ motui, vel voluntario, vel etiam naturali, gratia communis vsus: vt declarabimus in sermone de fibris. Constitutum ergo sit membranam esse corpus similare, ea tamen ratione, vt quemadmodum ait, Gal. 1. meth. 6. cuiusque tunicæ propria substantia in similes diuidatur partes. Recte autem dictũ est a Galeno, secundum propriam substantiam, vt si venas admittat, venæ non pertineant ad mẽbranam, quoniam mẽbrana exsanguis copioso sanguine non egeat. Vnde dum Gal. 5. metho 4. proponit cerebri mem-
C branarum hemorrhagias, hoc est, sanguinis fluxum immoderatum, vt non nisi ex venis satis amplis egrediatur, per venas intelligere oportet, quæ ad membranas pertingunt, vt non sunt ad vsum membranæ, sed potius aliarum partium, vt suo loco explicabimus.

Ceterum, quamuis membrana sit similaris, differt tamen ab osse, cartilagine, ligamento, & reliquis similaribus, quæ non sentiunt, propterea quod membrana, quæ vera est membrana, sentit. Hæc veritas confirmatur Galeni auctoritate. Nam primum, secundo de locis affect. 7. ait mẽbranam cuti subiectam & membranas profundiores, quæ scilicet sunt in media carne, & membranas, quæ ossibus adiacent, scilicet periostia vocata, doloribus affici. Ad hæc 6. aphoris 5 ait, inflammata tunica circum iecur ducta, dolorem fieri acutum. Amplius libro curatiuo per sanguinis missionem, in fine, loquens de membranis in genere, statuit eas dolore affici pugnente infixo in vna parte, tanquam in centro loci affecti; tensiuo autem, in o-
D mni musculo circumcirca ad centrum. Vt si membrana dolet, igitur & sentiat. Cum autem sensus fiat per neruum, ob id Galenus secundo de loc. affe. 4. ait, in viscerum circumambiente mẽbrana esse sensum, quoniam per hanc neruus dispergitur: vt non pulset, quia non habet arterias. Vnde etiam 6. de vsu partium secundo, ait, membranam per neruum non moueri, sed duntaxat sentire. Modum autem secundũ quem neruus distribuitur in membranam explicans Galenus, primo de semine decimo, loquens de mẽbranis, quas vocat inuolucra membranea, quæ ossa operiunt: asserit, ab his prodire tenuia quædam tegumenta, quæ carnes, & proinde musculos tegunt: ita tamen vt in vnamquamque huiusmodi membranam neruus prius dispergatur, sed in fibras telis araneis subtiliores diuisus: vt denuo mẽbrana sentiat per neruum, quem tamen non conspicimus, quia in tenuissimas fibras est dissolutus. Vt hinc etiam quoad sensum membrana pars similaris statuatur.

E Sed oritur dubitatio: nam Galen. lib. artis medic. 9. recenset mẽbranam inter eas partes, quæ potẽtias non habent aliunde emanantes. At cũ mẽbrana sentiat, & per neruũ, igitur habet sensum aliunde emanantem. Dicendũ, ibi Gal. proponere partes (vt ipse seipsum explicat) quæ destitutæ sunt neruis, arterijs & venis. Sed cũ mẽbrana, quæ legitima est, per neruos sentiat, vt passim testatus est Gal. notandũ quod interdũ numeret membranam inter partes, quæ aliunde non habent potentias emanantes: vbi intelligit corpus illud, quod ad sensum summam habet cum membrana similitudinem, & vocatur membrana: quę, quia producitur ab osse, ideo post ligamentum statim numerat membranam, quasi insinuans membranam, quæ est partus ossis. Vnde de hac loquens Galen. 7. de anat. administ. 2. præter legitimas membranas proponit quædam corpora membranosa, quæ ex ossibus, instar substantiæ ligamentorum, procedunt. Vt mirum non sit, si huiusmodi membranæ ad similitudinem ligamentorum non sentiant, nec aliunde ema-
F nantes potentias habeant. At hæ non sunt veræ membranæ, sed potius ligamenta membranea, quæ scilicet in substantiam similem membranæ degenerarunt.

Deinde in definitione dictum est, [*genitum ex semine.*] Hæc particula colligitur ex Gale. 1. de semine 11. in fine: nam ait, quæ mẽbranea sunt, ex semine fuere producta. Neq; obstat, quamuis Gale. dicat secundo de facultatibus naturalibus tertio, mẽbranam ad similitudinem ossis, cartilaginis, arteriæ, & plerunq; partiũ esse quidem exsanguem, ex sanguine tamen factam. Nam ita (vt puto) intelligere oportet: vt membrana fiat ex sanguine, vt primum sanguis vertitur in semen, & deinde ex semine mẽbrana, vt mẽbrum seminale producatur. Quód significauit Gal. dum primo de semine 31. ait, facillimum esse sanguini, vt caro efficiatur, membranæ vero & tunicæ difficillimum: nil aliud inferens, nisi quod caro, vt genita est ex sanguine, sanguine etiam alitur, at membrana, vt genita ex semine, semine ali debet; & si sanguine de-
G beret ali, id fieret difficulter, quia oporteret vt in semen primum sanguis mutetur: quæ enim partes ex semine sunt genitæ, pro vltimo alimento nil aliud habent quam semen. Ceterum cum mẽbranæ instar ossium giguantur ex semine: Gal. admonet, inter hæc corpora seminalia esse discrimen: idem (vt secundo de temper. secundo voluit) tunicæ & membranæ formantur ante ossa, quoniam fiunt ex seminis substantia tensa, ossa autem ex concreta seu coagulata. Vnde cum membrana sit genita ex semine, iure (vt ait Galen. 3: de facultat. naturalibus vltimo,) membranæ aluntur lento humore, qui in ipsis inspersus visitur,

Membranę sentiunt.

Materia immediate semen est.

hunc traxerunt ex sanguine venarum, electo inde quoad potuere sibi quam simillimo: assimilant autem sensim, atq; in suam naturam mutant; quem scopũ vt assequantur, succus ille, vt diutius detineatur, & per modum alteretur, inspergitur in mediis spatiis fibrarum, ex quibus membrana conficitur. A

Vera membrana distat a neruosa, & ligamentali.

Cum ergo membrana eo modo, quo dictum fuit gignatur e semine: sequitur membranas distingui a quibusdam corporib. quæ ad sensum similia esse videntur mẽbranis, exacte tamen non sunt mẽbranæ. Siquidem Gal. 7. de anat. administ. 2. dũ inter exactas membranas recensuit peritonęũ, pleuram, tenuem cerebri membranam, periostia, musculorum inuolucra, & cordis inuolucrum: mox ab his exactis membranis distinguit quædam corpora membranosa, quæ plerisq; in locis citra hæc inuolucra exsistunt: quorum aliqua ex neruosa musculorũ exilitate, tendinis modo, generantur, cuiusmodi est membrana, quæ cum Galeno tertio de comp. medic. secundum genera, circũdat tendines, qui per brachiale procedũt: quædam vero ex ossibus, instar substantiæ ligamentorum, procedunt: vt priora nominare liceat membranas neruosas, posteriora, membranas ligamentales. Vnde etiam cum eodem Gal. primo de decretis 6. plæraq; ligamenta dilatantur in membranæ speciem: & recte dicit, in speciem, seu formã, vt sint saltem quoad sensum membranæ, vt aliquid simile membranis, non autem veræ membranæ: nam eam obtinent duritiem & crassitiem, quę nequaquam cõpetit exactis membranis. Cõstitutum ergo sit, legitimã membranam fieri ex semine, & potissimum quæ principalis est, vtpote peritonæum, quod sane fit ex semine: ex peritonæo autem reliquæ fiunt membranæ, quæ ventris inferioris viscera obuoluunt, vt proprio loco explicabimus: quemadmodum etiam cum Gale. 1. de semine decimo, ex periostio prodeunt tegumenta, quæ musculos vestiunt. B

Efficiens caussa.

Deinde in definitione dictum est [*a facultate membranifica.*] Hęc particula proponitur a Gal. 1. de naturalibus facult. 6. dum ait, membranam ad similitudinem reliquarum partium similarium produci a facultate generatrice: cuius cum duplex sit potentia, nempe alteratrix, & formatrix: quantum ad alteratricem, ait ab hac produci membranæ substantiam: vt ea sit membranæ substantia, quę alia sit a substantia alterius partis similaris, propterea quod fit a potentia alteratrice determinata, quæ alia est ab alteratrice, a qua producitur substantia, vel ossis, vel nerui, vel cartilaginis, vel alterius partis similaris: quam claritatis gratia (ait Gal.) liceat nominare membranificam, quippe quæ, vt determinata est facultas, ita proprio vtitur & determinato temperamento, tanquam præcipuo organo. Quo autem attinet ad formatricem, quæ ad differentiam alteratricis vocari potest formatrix membranifica: hæc illa est, quæ membranæ, vt est instrumenti pars, formam, connexum, & reliqua ad compositionem spectantia effingit. C

Crasis membranæ.

Vnde, hanc doctrinam magis applicantes membranæ, dicimus: & primo quoad alteratricem, dubitandum non est ab hac tribui membranæ frigidam temperiem: & hoc est quod significauit Gale. dum secundo de loc. aff. septimo, ait, membranæ essentiam esse frigidam & exsanguem: vt, dum proponit frigidam, intelligat temperiem frigidam: dum proponit exsanguem, significat calidum innatum exiguum. Est autem cum Galeno primo de temper. vltimo, magis quidem sicca mẽbrana, quam vena, & arteria, & potissi nũ siccior neruis etiam duris: sed minus sicca non modo ligamento, sed etiam tendine. Sermo autem fit de vera membrana, scilicet custodiente: nam si fiat sermo de tunica, quæ est propria mẽbri, cum Gal. 2. de temperamentis tertio, tunica scilicet venarum, arteriarum, intestinorum, ventriculi, vteri, & vtriusque vesicæ, vt hæ tunicæ habent fibris contextã, propriam carnem, hæc caro est cutd calidior: præterea vt pars similaris cum habeat portionem carneam, hæc calida est: sed cum portio membranea sit copiosior, iure statui potest frigida & sicca. D

Mollities. Tenuitas.

Vt cum talis sit membranæ temperies, propterea Gal. 1. de decretis 7. & 9. ait: membrana omnis tenuis est ac mollis: vt mẽbranæ, quamuis duritie inter se differant, longe tamen a ligamento distent, & nunquam in tantam duritiem veniant, vt ligamentum. Vnde idem Gal. hanc tenuitatem magis exprimens, septimo de anat. administ. secundo, ait mẽbranarũ substantiam esse prætenuem araneæ modo. Ceterũ cum eodem Galen. 5 de vsu part. 11. discrimen inter membranas est, vt aliæ obtineant substantiam magis, aliæ minus robustam: verbi gratia, tunica vesicę operimentum, est minus tenuis, est robustior, iecinoris minus robusta: vt alia sit tenuior, alia minus tenuis, vt potissimum tenuioris sint similes arcanarum telis, contra aliquæ sint crassiores, pro determinati instrumenti cõmodo, cuiusmodi est vesicæ membrana, cuiusmodi etiam est membranæ carnosæ substantia, quę etiam æqualem substantiam in omni corporis parte conseruat, nam interdũ per carnosas fibras ita crassa redditur, vt carnosa vocetur, cuiusmodi est in collo, fronte, & in reliqua propemodum facie. Sed nota: quia forte crassum refertur ad magnitudinem, tenue ad paruitatem, scilicet secundum profunditatem: quare pertinebit ad formatricem, non autem ad alteratricem. Sed præterea huic membranæ ea parte, qua musculorum proprias tangit membranas, lentor mucosus obducitur, ita namque non impedit, sed potius præsidio est musculorum motui. E F

Situs membranarum

Quo autem attinet ad formatricem: & primo quoad situm, & proinde etiam connexum: formatrix hunc varium tribuit mẽbranis, prout varius est situs corporum, quæ tegumento egent. Hinc factum est, vt cum Galeno primo de semine decimo, natura ad productionem ligamentorum in semen egerit, circa capita ossium, ad productionem autem periostii in succum extractum, vt secundum longitudinem vndique ossa inuoluerentur. Ad eundem modum formatrix membranæ carnosæ vocatæ, cum situm tribuit, vt sit iure per vniuersum sparsa corpus. G

Connexus.

Et cum hoc situ eum connexum est elargita, vt cum subiectis musculis quidem coniungeretur, sed firmius cum cute; nam contumax connexus musculis motoriis impedimento esse potuisset. Hinc membrana musculis fibris quibusdam variis adhæret: cuti autem committitur per quamplurimas venas paucissimasq; & tenuissimas arterias, & neruorum propagines, quæ vt membranam pertranseunt, & pertingunt, ad

A gunt ad cutim,ita cutim cum membrana cõiungunt, ad hæc accedit proxima fibrarum membranearum ſeries,cuius beneficio membrana validiſſime cuti adnectitur. Ceterum cũ hoc connexu membrana tantum diſtat a cute,quanta adipis eſt craſſitudo inter cutem & mẽbranam. Hæc de ſitu,& connexu.

Æqualitas.

Quo autem ad conformationem attinet:ex Galeno ſecundo de locis aff.ſeptimo mẽbranarum corpus vniuerſum æquale eſt,ita tamen,vt cum eodem Galeno ſexto de anat. adminiſtrationibus ſeptimo,& quincto,de vſu part.vndecimo,omnis tunica,figura ſit ſimilis telis aranearũ,nimirum obtinens ſubſtantiam initar telæ araneæ contextam.

Denſitas.

Tandem formatrix cum Galeno ſexto,aph.trigeſimotertio,membranæ tribuit ſubſtantiam(ad differentiam ſubſtantiæ pulmonis)denſam,hoc eſt amplis meatibus deſtitutam,vt non ita promte,ac pulmo B ſuccos fluentes ſuſcipiat.

Finis.

Tandem in definitione dictum fuit,[*gratia cuſtodiæ ſuperficiei partium.*] Hunc ſane finem colligimus ex Galen.primum,dum ſexto de anat.adminiſtrat. ſeptimo ait,operimentum proprie tunicæ vocabulo ſignificari. Ecce confert ad tegendum. Præterea ſeptimo de anatom. adminiſtrat.ſecundo,ait,membrum nominari tunicam ab vſu: vſus autem eſt, vt ſit indumentum partium, & proinde vt ſit pars, quæ confertad cuſtodiam:vt ſcilicet,vt ait Auicennas,ſummum,hoc eſt,ſummitatem, ſeu ſuperficiem partium,in ſua figura & factura cuſtodiat. Atque hic vſus communis eſt cuilibet membranæ, ſiue (vt monet Galen.6.de decretis octauo,) in hac,ſiue in illa corporis parte reperiatur. Non obſtat quin aliqua membrana aliquem peculiarem vſum obtineat,vt ſuo loco patebit;verbi gratia,cum Galen.14.de vſu partium vltimo,) quæ membrana exterius matricibus eſt circumdata, vtraſque matrices in idem cõiungit, C tegitque,& cum vicinis corporibus colligat:quæ tegit pulmones,confert ad ſenſum. At communis vſus eſt operire,& citra inſtrumenti grauitatem:vt merito & tenuis ſit facta,vt non eſſet ponderoſa:denſa, vt eſſet robuſta,extenſibilis,& circumambiens,vt totum tangeret,& proinde cuſtodiret, ſecundum ſuperficiem inſtrumenti.

Filamentorum membraneorum vſus.

Notandum autem hunc vſum eſſe membranæ,vt permanet membrana:nam ſi capiatur ſubſtantia mẽbranea,vt in tenues portiones diuiditur,& diſſeminatur per ſubſtantiam partiũ ſimilarium,videtur eſſe ad cuſtodiam ac tutelam fibrarum,vt validius firment carnem. Hæc veritas colligitur ex Galen. 10. methodi vlt.dũ ait,in ſingulis ſimplicium ac primarum,hoc eſt,ſimilarium partiũ,ſubſtantiæ portionem triplicem eſſe,nempe veluti fibroſam,membranoſam,& carnoſam, vt hæ tres ſubſtantiæ in vnica etiam venæ tunica reperiantur:quæ tamen ita habẽt,vt propria venæ ſubſtantia,hoc eſt,carnoſa,adnaſcatur vtriſq; D hoc eſt,ſubſtantiæ fibroſæ,& membranoſæ: adnaſcitur autem caro non modo fibris ſimpliciter,ſiue ſint veræ fibræ,ſiue veluti fibræ, ſed etiam fibris membraneis, vt dum fibræ membraneæ opercula fiunt fibris, ab his immediate & principaliter cuſtodiatur caro, ne diſſoluatur, vt cum fibrarum ſubſtantia ſit terreſtrior carne, calor febrilis poſt partium humiditatem, qua partes nutriuntur, primum depaſcat carnoſum genus, quod circa tum fibroſas,tum membranoſas partes hæret,deinde ipſas ſolidas populatur, hoc eſt,ſeminales partes. Vt ex his colligere liceat,membranam,vt eſt mẽbrana,cuſtodire partes & viſcera ſecundum ſuperficiem:vt autem degenerat in filamenta mẽbranea, cuſtodire fibras, & has adiuuare ad firmandam propriam partis ſubſtantiam.

Ariſtoteles quid de membranis prodiderit.

At hæc omnia potuit accepiſſe Gal.ab Ariſt.3.de hiſtoria animalium ſecundo,13.& tertio de partib. vndecimo;ſiquidem voluit mẽbranam carne vacare,&proinde eſſe ſimilarem,vt vaporem nec trahat,nec E habeat: nam hoc vapore contenta læderetur. Ad hæc, ait,præciſam non coire:vt propterea fiat ex ſemine. Voluit etiam eſſe ſimilem cuti denſæ ac tenui:nam vt denſa,noxia a contentis arcere poteſt,vt tenuis,non poterat. Ambit autem & oſſa & viſcera,vt ſit animalium pars communis, vt quæ ambit, tegat, & proinde illæſa ſeruet; vt oſſa ſuis ſpolientur membranis,ſyderentur:& hinc fit,vt prout partes principaliores ſunt, robuſtiores obtineant membranas,cuiuſmodi eſt cerebrum,& cor,quippe quæ principatum maxime vitæ obtinent. Hæc habuit Ariſt. Hæc de membranis.

CAPVT XIII.

De Glandulis & Corporibus glandulosis.

Nomen & diſtinctio.

F QVantum ad adenes,ſeu glandulas:per has intelligimus quodlibet membrum, ſiue ſit cõfectum ex ſolis glandulis,ſiue ex ſubſtantia glanduloſa permixta cum alia ſubſtantia. Ceterum ne committatur confuſio,primo agemus de membro glanduloſo ſimpliciori, mox de compoſito:& potiſſimum, quia cũ Galeno ſecundo de ſemine vndecimo, ſi inuicem conferantur omnes glandulæ,duplicem habent vſum: non quidem, vt omnes duplicem habeant vſum: ſed loquens diſiunctim,ait, quædam vnum, quædam alium: vt cum vſu differant, ſeorſum de hac & illa dicendum. Vnde idem Galen.19.de vſu partium ſecundo,duas proponit glandularum ſpecies;hoc eſt,duo membra ſpecie diuerſa:veluti,verbi gratia,vena & arteria,quæ ſunt duo vaſa ſpecie,& proinde etiam vſu diuerſa. Vnde inter has glandulas ponens differentiam 14.methodi vndecimo,dicebat,aliquas ſimpliciores nominari glandulas, reliquas autem corpora glãduloſa. Vnde & ſecundo de ſemine vltimo,glandularum duplex genus proponit:nempe glandularum, & G corporum glanduloſorum.

Glandula quid.

Itaque,quantum ad primum genus,quod vocamus Adenem,ſeu glandulam,huius talis ſtatui poteſt definitio:vt glandula ſit *membrum ſimilare,ex ſemine genitum,a vi glandulifica,gratia cuſtodiæ inſtrumentorum communium.*

Genus.

Declaro & breuiter hanc definitionem. Primum dictum eſt,eſſe *membrum ſimilare*:ſiquidem Gal. lib. artis medic.nono,glandulas recenſet inter partes,quæ inſitas quidem habent potentias,non autem aliunde emanantes;ſunt autem partes viuentes,quæ carent venis,neruis, & arteriis. Vt hac ratione glan-

dula diſtinguatur a corpore glanduloſo, hoc enim (vt ſuo loco oſtendemus) his eſt donatum inſtrumen- A
tis: quibus caret glandula, de qua heic loquimur, & loco iam citato eſt locutus Galenus. Vnde ſibimet cõcors Galenus, ad has reſpiciens glandulas, lib. de Plac. quarto, ait, quaſdam glandulas ſenſu carere, quia ſcilicet non habent neruos. Atque ſecundo de locis aff. quarto, inquit, adenibus nullas eſſe arterias. Neque obſtat, quamuis Gale. nono de vſu part. 13. dicat, a neruo qui ex cæcis foraminibus excidit, fieri quaſdam propagines ad glandulas, quæ ſunt circa aures: nam quamuis cõmunia inſtrumenta, deferantur ad glandulas, deferuntur tamen non propter glandulas, vel glandulæ ſunt, ſed vel vt tales glandulę, quippiam peculiare obtinentes; vel ſi ad glandulas, vt glandulæ deferuntur, non propter glandulas, ſed propter alias corporis partes: vt glandulæ ſint ad vſum & commodum inſtrumentorum, non e contra, vt patebit quando de fine loquemur.

B

Materia. Deinde in definitione dictum eſt: [*Genitum ex ſemine.*] Neque hanc veritatem turbat Galen. dum ſecundo de facultatibus naturalibus tertio, ait, glandulam, ad ſimilitudinem venæ, arteriæ, & plærarumque partium, eſſe ex ſanguem, ex ſanguine tamen factam. Nam (vt etiam in ſermone de membranis dictum & repetemus cum Auicenna in cap. de membris,) cum omnia præter adipem & carnem gignantur ex ſemine: dum membra ſeminalia dicuntur fieri ex ſanguine, ita intelligere oportet, vt etiam in vtero alantur ſanguine menſtruo, cuius aliqua portio, nempe benignior, vertitur in ſemen, & eſt illa portio, quæ coagulatur, & hac aluntur membra ſeminalia. Nam quæ benigni ſanguinis portio non coagulatur, & non conuertitur in ſemen, carnis & adipis euadit alimentum.

Efficiens caussa. Crasis. Deinde in definitione dictum fuit [*a vi glandulifica*] per quam de more intelligimus facultatem determinatam, & aliam ab oſſifica, neruifica, & reliquis membra generantibus. Hæc autem, per vim alte- C
ratricem (cũ glandula ex Gal. 2. de facult. naturalib. tertio, ſit exſanguis) tribuit frigidam temperaturam: ſiquidem ex Galen. 5. aphoriſ. 46. omne exſangue eſt frigidum. Ceterum glandula ita eſt adepta frigidam temperiem, vt ſit admodum remiſſa. Vnde cum Hipp. lib. de glandulis, glandularum natura eſt pinguis,

Mollities. & alitur ſanguine albo, qui eſt veluti pituita, vt cum remiſſo calore ſit coniuncta humiditas, vt mollem ſubſtantiam conſequentem obtinuerit, quemadmodum decimoſexto de vſu partium decimo, teſtatus eſt Galen.

Forma. Quo autem ad formatricem: per hanc, glandula eſt aſſecuta formã rotundam, & oblongam, & cum Hipp. lib. de glandulis, raram: Præterea cum Gal. 13. methodi quincto, & præſertim ſecundo de differentiis febr. vlt. raram, ad ſimilitudinem ſpongiæ: nam ibi loquitur potius de glandulis, quam de corporibus glanduloſis: ſiquidem loquitur de glandulis ſub alis, quæ nõ ſunt procreatæ, ad ſuccũ aliquem creandum, D
ſicut glanduloſa corpora, vt ſuo loco docebimus. Atque huius conformationis beneficio glandulæ ſunt aptæ ad ſuſcipiendas fluxiones a partibus nobilioribus, vt non modo ſub alis exſurgant tumores, bubones vocati, ſed etiam in medio brachii: vnde in eodem loco effatu digna adeo ſit conſtituta. Omnis ergo glandula rara, & ſpongioſa eſt. Differentia autem eſt ſecundum magis & minus. Nam ex Galeno decimoquarto methodi vndecimo, corpora glanduloſa, ad differentiam glandularum, non paulo rariora ſunt, & magis ſpongioſa, & ratio fuit: quoniam cum eſſent corpora illa deſtinata ad generationem alicuius ſucci, vt detineretur, & copioſus, opus fuit ſubſtantia magis rara, & ſpongioſa. Vt cum inter glandulas, & corpora glanduloſa ſit diſcrimen non exiguum, penes ſubſtantiam raram, & ſpongioſam: idem Galen. 2. de ſemine vltimo, ſtatuit, glandulas eſſe denſas, & ſiccas, hoc eſt, minus raras, & repletas; ad differentiam corporis glanduloſi, quod ſine dubio rarius eſt, & magis humidum, hoc eſt, magis repletum. Ceterum ſicut E
glandula ſecundũ magis & minus penes ſubſtantiam raram & ſpongioſam differt a corpore glanduloſo: ita & inter ipſas glandulas eſt differentia ſecundum magis & minus: prout ſcilicet non modo ſunt deſtinatæ ad cõmunem ac præcipuum ſuum vſum, verum etiam ad admittendas fluxiones, prout ſcilicet ſedem obtinent, in quam prompte a robuſtis partibus excrementa mittantur, vt ſemper gratia ſuperfluitatis ſuę tranſmiſſæ ad quamlibet glandulã, ſiue genitæ a corpore glanduloſo pro ratione ſuperfluitatis partis, iſtę genitæ ſint magis & minus raræ: & ob id Galenus ſeptimo de vſu part. 17. dicit, glandulas laryngi adiacentes eſſe laxiores, & fungoſiores, vt partes omnes, quæ tum ad laryngem, tum ad pharyngem pertinẽt, humore perfunderentur.

Finis. Sed iam de vſu loquamur. Cuius cauſſa in definitione dictum fuit [*gratia cuſtodiæ inſtrumentorum communium.*] Hoc loco per inſtrumenta communia intelligo cum Galeno primo de vſu partium vltimo F
communia totius animalis organa: ſunt autem venæ, arteriæ, & nerui. Hinc fit, vbi ſunt glandulæ, ibi etiam eſſe horum organorum copiam. Sed quæ eſt horum organorum cuſtodia. Galenus ſecundo de ſemine vltimo, ait, ex ſententia Marini, quem præſtantiſſimum vocat, glandularum vſum duplicem eſſe: vt cum alter ſit glandularum, reliquus autem corporis glanduloſi: quantum attinet ad vſum glandularũ, de quibus nunc eſt ſermo, inquit hunc eſſe, vt firmentur vaſa, hoc eſt, communia inſtrumenta ſuſpenſa: quæ cum diffuſa ſint, periculum ſubeant, ne in vehementioribus agitationibus diuellantur, cuiuſmodi ſunt glandulæ, quæ denſæ ſunt, & ſiccæ, hoc eſt, minus raræ & repletæ: ſiquidem ad cuſtodiendum opus eſt denſa ſubſtantia: ad admittendas & detinendas ſuperfluitates rara. Adhæc eundẽ vſum proponens, 16. de vſu partium ſecundo, inquit, glandulas eſſe veluti ſtabilimentum diuiſionis vaſorum. Ecce proponit ſtabilimentum, cuſtodiam vaſorum, & proinde communium inſtrumentorum. Dicebat etiam tertio G
de aliment. ſexto, naturam comparaſſe aliquas glandulas ad firmandas vaſorum diuiſiones. Vnde cum hæ glandulæ hunc vſum præſtent, vt ſpatia inter vaſa repleant: ob id dicit Galenus octauo de vſu partium primo, glandulas vaſorum diuiſiones replere: atque etiam 6. de vſu partium 4. addit id naturæ eſſe perpetuum, vt quoties vas ſublime diuidit, ibi mediam glandulam diuiſionem oppleturam, interponat: ſiquidem, vt ait Galenus 14. methodi 11. glandulæ, quæ, quod in medio vaſorũ in diuerſas partes deductorum, implent

A implent, deductionis vaſorum pro firmamento ſunt. Addebat Hippo. libro de glandulis, cõferre, vt quod in corporis partes plus iuſto influit, ſuſcipiant, vt ſic nimia in corpore humectatio non inſit; & conferant ad cuſtodiam corporis. Neque glandulæ propterea noxam experiuntur, quoniam materia fluens eſt alimentum ipſis glandulis coaleſcens, dum tamen fluxio ſit bonæ materiæ. At potiſſimũ, cum glandula conferat ad cuſtodiam vaſorum, quæ per diuiſiones euadunt imbecillia, & promtiſſime paterẽtur, niſi adeſſet glandula, quæ ſpatia inania repleret, & vtrinque vaſa tangeret: ob id ſummo artificio a natura factum eſt, vt glandula eſſet mollis, quia duritie vaſa offenderet. Ad hæc, vt pro magnitudine ſpatii & vaſorum, maior eſſet arteria. Vnde glandulam hunc vſum præſtare per magnitudinem & mollitiem ſignificans Galenus, dicit 16. de vſu partium decimo: arteriæ, quæ ſurſum ad iugulum adſcendunt, maximam & molliſſimam glandulam, inſtar ſtrati cuiuſdam mollis, naturam ſubſtrauiſſe. Ecce arteria erat magna: quare & magna
B glandula. Ad eundem modum & cauſſa magnæ venæ, opus fuit magna glãdula. Quod ſit verum: Galenus ſexto de vſu partium quarto ait, naturam condidiſſe glandulam quandam, quam thymũ vocant, quæ ſane maxima ſimul & molliſſima eſt, quæ ſuperioribus partibus medii pectoris oſſis ſubiicitur, ſiquidem eſt in cauſſa, ne pectoris os, venam cauam attingens, ſui duritie oblædat, & omnia cauæ germina, quæ ibi plurima ſunt, ſtabiliantur. Vt denuo ex his pateat glandulam eſſe partem, quæ eſt reliquarum cuſtodia, & potiſſimum per mollitiem, magnitudinem, & ſitum. Hæc de glandulis.

De Corporibus glanduloſis.

QVantum ad corpora glanduloſa: de his eo breuius dicendum, quia plura ac nota ſunt ſupponẽda, ex traditis de glandulis. Itaque ſciendum, quod corpus glanduloſum eſt *membrum diſſimilare, ex ſemine* Definitio.
C *genitum, a facultate glandinifica, gratia generationis excrementi vtilis.*

Declaro. Primo dictum, eſſe *membrum diſſimilare:* quoniam eſt corpus, non modo confectum ex ſubſtantia glanduloſa, verum etiam ex alia, & potiſſimum venoſa, & arterioſa, & neruea. Quod ſit verum, dicit Gal. decimoſexto de vſu partium ſecundo, eſſe glandularum ſpeciem, quæ ſane vt venas & arterias obtinet, ita etiam neruos communi ratione omnium partium habuit: quod etiam decimoquarto methodi vndecimo replicauit. Genus.

Deinde additum eſt, [*genitum ex ſemine*] quod ex dictis de glandulis patet. Deinde dictum fuit *a vi glandinifica.* Quæ ſane per vim alteratricem etiam corporibus glanduloſis tribuit frigidum temperamẽtum. Vnde & exſanguia ſunt. Et hinc etiam vbera, vt corpora glanduloſa, frigida ſunt. At remiſſior eſt frigiditas, vt hinc gignant lentum ſuccum. Intenſior autem eſt humiditas, vt cum Galeno ſecundo de ſemine 6. ſit glanduloſum corpus inſtar ſpongiæ humiditate imbutum. Et ratio fuit: nam humiditas cõfert ad Craſſis.
D productionem humidi excrementi, ſiccitas autem ad robur vaſorum. Et ob id ibi ait Gal. glandulas eſſe corpus ſiccum, ad differentiam corporis glanduloſi.

Quo vero attinet ad formatricem: hæc ita ſe geſſit, vt, quemadmodum ait Galen. decimoquarto methodi 11. & ſecundo de ſemine vltimo, corpora hæc neruoſa obtinuerint ſubſtantiam magis raram, & ſpongioſam, quam glandulæ. Quinimo etiam cum Galen. 10. de vſu partium 11. quædam glandulæ, vtpote oculorum, meatus non obſcuros poſſident. Vt ſi denique glanduloſum corpus intueamur, tale eſſe cum Galen. 3. de alimen. 6. deprehendimus, vt, quantum lingua a carnis ſubſtantia diſtat, tantum glandulæ a linguæ ſubſtantia recedant: quamuis aliquæ magis, aliquæ minus: vt quæ linguæ adiacent, ſint quadantenus ſimiles: & quæ in mammis habentur, eo tempore ſaltem, quo non ſunt lacte refertę. Forma.
E
Demum dictũ fuit, [*gratia generationis excrementi vtilis.*] Quem vſum Gal. 14. methodi 11. non modo propoſuit, verum etiam multo eſſe præſtantiorẽ vſu glãdularum eſt teſtatus. Siquidem ait: glandularũ, vt ſunt pro firmamento vaſorum, non magnum eſſe vſum animantibus, ſed ex abundantiori prouidentia ſic has quoque glandulas naturam fabricaſſe. At illarum glandularum, quas vocamus corpora glanduloſa, quæ ſaliuam, lac, genitale ſemen, vel etiam pituitoſum quendam humorem in meſenterio, vel faucibus, vel larynge generant, maiorem eſſe vſum. Ecce ergo quomodo hæc corpora glanduloſa gignunt excrementum, ſed vtile. Vnde hæc corpora, vt hoc gignunt excrementum, non parum conferunt: quod expreſſit Gal. dum 16. de vſu partium 2. aſſerit, eſſe glandularum ſpeciem, quæ ad ſuccos animanti vtiles generandos fuerunt comparatæ. Neque abſonum eſt aſſerere, id quod a corporibus glãduloſis gignitur eſſe vtile, & etiam ſuperfluum. Nam, vt ait Gal. 5. aph. 39. commune eſt omnibus animalis partibus, quæ aptæ Vſus glanduloſi corporis.
F ſunt humores aliquos vtiles generare cauſſa alterius, vt humor ille ſit quædam veluti ſuperfluitas partis ipſum generantis.

Ceterum cum glanduloſum corpus genitum ſit vt ſuccos ſuperfluos, ſed vtiles, gignat: prout diuerſi gignuntur ſucci, ita etiam corpora glanduloſa per hanc actionem, per hanc ſucci generationem, in varios vſus referuntur. Hæc autem vtilitas pertinet vel ad alias partes, vt ait Gal. loco iam citato, vel ad generis propagationem, vel ad conceptus nutritionem. Declaro. Vtilitas pertinet ad alias partes: veluti dum cum Gal. 2. de ſemine vltimo, glandulæ gignunt humorem quendam lentum, & proinde quaſi pituitoſum, qui idoneus eſt ad membra irriganda, ne facile ſiccentur, & inde ad motum inepta reddantur: cuiuſmodi, verbi gratia, cum Gal. decimo de vſu partium 11. & 11. de vſu partium 10. ſunt duæ glãdulæ in vtroq; oculo, quæ meatibus non obſcuris humiditatem in oculos effundunt, ad motuum facilitatem: cuiuſmodi
G etiam ſunt glandulæ laryngis, & linguæ, hæ ſiquidem, vt ait 3. de alim. 6. ſaliuam gignunt. Vtilitas deinde pertinet ad generis propagationem: vtpote dum a glandulis circa teſtes gignitur ſemen. Tandem vtilitas ſpectat ad conceptus nutritionem: dum a glandulis mammarum gignitur lac.

His, hunc in modum habentibus patet, corpus glanduloſum per ſuam temperiem gignere ſuccum vtilem, & per ſuam compoſitionem retinere, & tranſmittere: ita tamen vt per ſuam actionem, hoc eſt,

ſucci ſuperflui vtilis generationem,vtilitatem præbeat,quæ varia eſt,vt varia eſt vis ſucci geniti. Hæc de A glandulis,& corporibus glandulosis.

CAPVT XIV.

De Pinguedine,& Adipe.

Nomen.

MOdo dicendum de pinguedine,& adipe.Per pinguedinem autem intelligimus molliorem ſubſtantiam,quam etiam axungiam,& laridum vocant:per adipem autem craſſiorem, quam vocant ſæuum. At Ariſt.3.de hiſtoria animalium 17.& ſecundo de partibus quincto, per adipem intelligit pinguedinem: & quod Gal.vocat adipem,Ariſt.nominat ſæuum.Sed parum de vocibus ſolicitus Gal 11. ſimpl. c. de pinguedine ait:ſi voles,oleoſam & pinguem in animalibus ſubſtantiam omnem adipem appellato:ſed & pinguedinem appellare totum hoc genus licet.Vt mirandum non ſit,ſi ſæpe Galenus & adipem pro pinguedine,& pinguedinem pro adipe quandoque accepit,& quandoq; vnum pro vtroq;. Liceat autem nobis, B ad euitandam omnem confuſionem,hoc genus,quod in ſe cōtinet pinguedinem & adipem,corpus oleoſum appellare:pręſertim cum Gal.3 de facultatibus alim. 11.pinguedinem & adipem voluerit eſſe quod oleoſum.Sed & Ariſt.3.de partibus nono,vtrique ſubſtantiæ tribuens nomen commune,vocat corpus pingue:at cum corpus pingue accipi poſſit,& pro excremento pingui quod generatur, & pro parte viuente, quæ generat pingue excrementum;in præſentia accipimus pro generante.

Definitio.

Vt ſi hoc corpus definiatur,dicendum ſit: *corpus oleoſum ſeu pingue,eſt membrum ſimilare, ex ſanguine genitum, a vi oleonifica, gratia generationis excrementi pinguis, propter totius cuſtodiam caloris naturalis.*

Genus.

Declaro:primo dictum eſt,eſſe *membrum*:vt cum membrum ſit ſanitatis & morbi ſubiectum,ſignificaremus,corpus hoc pingue eſſe partem viuentem.Quæ veritas probatur Galeni auctoritate,libro artis C medic.nono,vbi inter partes æque inſitas a natura habent potentias,recenſet adipem.Neque dicendum, ibi per adipem intelligi quid diuerſum a pinguedine:nam dum illico proponit partes quarum non eſt regimen,numerat capillos & vngues,nō autem pinguedinem,propterea quod per adipem intellexit quodlibet corpus pingue,ſiue ſic adeps,ſiue pinguedo.Hæc veritas adhuc firmatur:nam Galenus lib. de differentiis morb.octauo,ait,auferri partium numerum,ſi arteriæ,venę,nerui,cutis,membrana,caro,& adeps auferantur Ecce adipem proponit inter partes viuentes.

Corpus oleoſum qua ratione ſit animatum.

Sed difficultas eſt,quid accipere oporteat per hoc corpus vita præditū:an ſimpliciter corpus oleoſum,an vero ſimul cum membranis coniunctum?Atque ferme omnes ſtatuunt,opus eſſe intelligere aggregatum ex corpore pingui,& membrana:præſertim cum dicit Gal.primo de temperamentis vltimo,adipem concreſcere:vbi cum frigidis & exſanguibus particulis coniungitur:vt ſeorſum nequaquam viuat, D ſed ſit potius contentum:cuius ſignum,quoniam & coquatur,& tempore inediæ in alimentum vertatur: quod nequaquam de parte viuente dicendum.Ceterum huic ſententiæ aduerſatur Gal.dum libro de inęquali intemperie ſecundo ait,digitorum particulas eſſe oſſa,cartilaginem,ligamentum,arteriam,venam, membranam,carnem,tendinem,vnguem,cutim,& adipem:atque addit,has partes eſſe ſimilares,exceptis venis,& arteriis,quæ ex fibris & membranis ſunt conditæ.Ecce,ſi excipit venas & arterias, quia ſunt conditæ ex membranis:igitur ſi adipem intelligit vna cum membrana,debebat etiam adipem excipere.

Pinguedo nutrit.

Quare dicerem ego,corpus hoc pingue eſſe animatum,potiſſimum ſecundum partem quæ ad eius centrum pertinet:vt hinc fiat,vt etiam in tabe conſumtis nōnihil appareat.Neque obſtat,quamuis ſequitur:ſiquidem & caro viuit,& liquatur.Quod ſit verum 3.epid.3.72.ait Gal. non eſſe æque malum,carnem colliqueſcere,ac adipem;nam calor eſt feruentiſſimus,qui carnem fundit;moderatior qui pinguedinem. E Vnde Ariſt.5.probl.4.dicit,pingue per laborem,per motum concalfactum,liqueſcere,non carnem: non negaret tamen a calore feruentiſſimo etiam carnem aliqua ex parte colliqueſcere.

Neque etiam obſtat,quamuis in cibi penuria animal adipe alatur:ſiquidem cum Gal.4. de vſu partium 12.omenti pinguedo per inediam calori innato ſuggerit alimentum. Etenim non alitur pars viuens, nec calor innatus alitur portione viuente,ſed non viuente,& potiſſimum illa,quæ debet in adipem mutari:vt cum adeps proprio alimento deſtituatur,imminuatur,& hinc corpora emacientur:non ita tamen vt aliqua portio viuentis adipis non ſuperſit.

Quomodo Ariſtoteli adeps ſit excrementū.

Verum Ariſt.oppoſitum ſuſtinere videtur. Etenim primo de generatione animalium 18. loquens de ſemine,vt eſt vtile excrementum vltimi alimenti,hoc eſt,ſanguinis:voluit eſſe corpus pingue, eſſe excrementum,quamuis bonitate ſubſtantiæ ſalubre.Præterea cap.19.ait,pinguedinem eſſe excrementum, F vt ſemen.Vnde 5.probl.14 ait,pingue non eſſe rem propriam naturæ,ſed aduentitiam: nec ita eſſe neceſſarium,vt adhæreat,ſicut caro.Patet ergo corpus pingue,vt prædicatur de adipe & pinguedine, non eſſe corpus viuens,ſed excrementum, ſecundum Ariſt. ſecundum Galenum autem eſſe membrum ſimilare, & proinde vita præditum.Pro reſolutione dicendum,vt etiam prius dictum fuit, corpus pingue eſſe mixtum quoddam ex ſubſtantia excrementitia,& viuente:ita tamen vt pars excrementitia ſuperet. Vnde Ariſt reſpiciens ad ſuperabundās,dicit eſſe excrementum: eſt autem id corporis pinguis portio magis ad ſuperficiem pertinens, & eſt corpus pingue,ſimplex,hoc eſt,citra membranas.At portio viuens, ad quam reſpexit Gal.vt colligeret eſſe morbi ſedem,ſpectare magis videtur ad centrum, nec prorſus membranis eſt deſtituta.At hoc loco notandum,membranas bifariam capi poſſe. Vno modo vt ita ſe habent,vt ſunt in cauſſa,vt corpus,membranis donatum,ſit diſſimilare,vtpote cum membranæ totum corpus ambiunt: G ſecundum quem modum accepit Galenus lib.de inæquali intemperie cap. 2. vbi aſſerit, venas & arterias non eſſe ſimilares,quoniam obtinent membranas:per has intelligens membranas, quæ vaſorum corpus ambiunt, & ſunt etiam in cauſſa,vt vaſa per illas membranas ſentiant: vt cum his membranis ſit deſtituta caro& pingue corpus, propterea ibi Galenus inter partes ſimilares numerat carnem, & adipem, ad differen-

A differentiam venarum, & arteriarum. Secundo autem modo accipi possunt membranæ, vt necessario
sunt partes partis similaris: secundum quem modum accepit Galen.10 methodi vltimo dum ait, partem
omnem similarem genitam esse ex triplici substantia, nempe carnosa, fibrosa, & membranosa; quæ sane
portio membranosa non ambit partem similarem, sed ex permixta per totam substantiam partis simila-
ris: vt portio carnosa firmam sedem habeat beneficio portionis fibrosæ, & præsertim vt portio fibrosa a
membrana custodiatur: vt secundum hunc modum accepta membrana non reddat partem dissimilarem,
sed remaneat similaris & propterea Galen. libro illo de inæquali intemperie secundo, statuit, carnem ad
differentiam venarum & arteriarum esse similarem, quoniam non constituitur ex membranis, vt aliqua
vasa: non negaret tamen carnem obtinere membranas, cum omnis pars similaris obtineat membranas.
Vnde cum corpus pingue sit pars viuens: præter propriam substantiam pinguem possidet fibras, quæ sunt
B propria substantia duriores, quæ a membranis custodiuntur. Vnde si quis in cadauerum dissectione dili-
genter pinguedinem vel adipem in minutas partes diuidat, obseruabit aliquas pingues corporis particu-
las vsque adeo esse obductas membranulis, vt separari nequeant, quin diuellatur & incidatur pinguedo.
Ecce ergo quemadmodum corpus pingue secundum aliquam partem est excrementum, secundum ali-
quam vita præditum.

Sed forte quis quæret, cur natura in generatione corporis pinguis totum corpus non constituit vita Cur pingue
vel orbatum, vel præditum? Dicerem ego caussam fuisse, quoniam cum opus fuerit, vt natura produceret do partim
excrementum, quod vtile esset ad conseruationem speciei & indiuidui: vt caussa speciei produxit semen, animata,
ita gratia conseruationis indiuidui genuit corpus pingue. Hoc enim est quod cōseruat calidum insitum, partim ex-
& proinde animæ cum corpore nexum. Cum autem corpus pingue calidum innatum custodiat, tum aliis cremētitia.
C modis suo loco dicendis, tum etiam vt vertitur in substantiam calidi innati; nec fieri possit vt pars viuens
mutetur in substantiam alterius: ideo necessum fuit, vt hoc corpus pingue esset excrementum.

Ceterum, cum nihil se ipsum gignat, ideo necessum fuit, vt esset aliquod generans, & hoc vita præ- Pingue cor-
ditum. Vnde cum semen, excrementum vtile caussa speciei, gignatur secundum portionem spiritalem a pus a quo
corde, vt scilicet gignit spiritum vitalem, secundum autem portionem corpoream & humorosam a testi- gignatur.
bus: ita necessum fuit vt in corpore corporis pinguis esset auctor, ita vt vltimam tribueret perfectionem
sanguini, vt in corpus pingue mutaretur: quod, meo iudicio, nil aliud est, quā corporis pinguis portio vita
prædita: vt, sicut testes sanguinem in verum semen mutant, ita corpus viuens, pingue nuncupatum, san-
guinem in pingue excrementum vertit, & illo etiam nutritur, sicut & testes semine aluntur.

Constitutum igitur sit corpus pingue esse membrum, & proinde viuens, secūdum scilicet intimam
D partem, vt fibris atque membranis munitam.

Vt hoc loco etiam addere liceat, cum ad corpus pingue, vt viuens, pertineat generare excremen- Aristoteles
tum pingue, sicut ad testes seminale: Aristotelem respexisse ad id quod generatur, quod dubioprocul in- plenius ex-
star seminis est excrementum: supponens, tanquam manifestum, aliquod esse debere membrum viuens, plicatur.
quod hoc gignat, & hoc etiam esse membrum aliqua ex parte simile excremento, quod gignitur. At Ga-
len. lib. artis medicinalis 9. respiciens ad id quod generat, recenset inter partes viuentes: vt iam omnis sit
deleta ambiguitas.

Deinde dictum est [similare,] siquidem cum quælibet pinguedinis pars sit pinguedo: idem Galen. Adeps, pars
primo de natura humana 1. & 1. de elementis 6. & 8. adipem & pinguedinem recenset inter partes simila- est simila-
res: vt etiam, (cum sit pars similaris, quæ aliunde non habeat insitas potentias) cum eodē Gal. lib. de con- ris.
E stitutione artis medicæ 7. axungia minime doleat, quia sensu vacat: quare & membrana, (scilicet circum-
dante) & neruis caret, vt prorsus sit similaris.

Deinde dictum est [*genitum ex sanguine*] quam materiam ex qua proposuit, cum ait, adipem esse Materia est
exsanguem, sed tamen factum ex sanguine. Vnde 1. de semine 11. addit, si adeps excidatur, alius adeps gene- sanguis.
ratur. Ceterum cum corpus hoc pingue gignatur ex sanguine: Gal. 2. de temperamentis 3. & 16. de vsu par-
tium 2. addit, gigni ex sanguinis portione oleosa seu pingui, & fluxili, per tenues venas effusa: vt, cum ef-
fundatur per tenues venas, sit etiam sanguinis portio tenuis. Vnde ad tenuitatem respiciens Auicennas
cap. de membris, asserit, adipem gigni ex sanguinis aquositate, & vnctuositate. Ecce proponit portionem
aquosam, hoc est, tenuem: quæ tamen non est serosa, sed vnctuosa, hoc est, alimentalis: ad differētiam por-
tionis tenuis ichorosæ, quæ tenuis quidem est, sed nequaquam vnctuosa, vel alimentalis, sed excremen-
F titia & præter naturam. Vt cum adeps gignatur ex alimento sanguineo tenui, differat a carne: quæ sane (vt
ait Auicen.) generatur ex sanguine spisso siue crasso. At fortasse Gal. accepit a Philosopho, corpus hoc gi-
gni ex sanguine: nam quamuis loquatur de excremento pingui, nihilominus patet, si excrementum hoc
fiat ex sanguine, corpus pingue viuens hoc ipsum producere, vt eo alatur; etsi eo alitur, ex eo etiā esse ge-
nitum. Corpus autem hoc pingue, sed excrementitium, gigni ex sanguine, habetur ab Arist. Etenim 3. de
partibus 9. ait, finem probæ concoctionis sanguineæ esse adipem & sæuum, vt non modo corpus pingue
gignatur ex sanguine: sed eo probe concocto, & proinde puro. Vnde tertio de historia animalium 19. ait,
adipem fieri ex sanguine, vt sanguis fit ex sanie, hoc est, tenuiori portione chyli & sanguinis. Vnde ad hanc
sanguinis tenuitatem respiciens secundo de generatione animalium 2. dicit, pingue nec terræ esse, nec a-
quæ, scilicet a prædominio, sed spiritus, hoc est, aeris: quo fit vt per summa aquæ fluitet; aer enim content'
G veluti in vase effert, per summaque sustinet, & caussam leuitatis præbet. Neque solum tenuis est hic san-
guis, sed purus & optime concoctus, vt rationabiliter dicit Philosophus 13. problem. 4. pingue fœdum o-
dorem non reddere, quoniam non est crudum, sed concoctum. Hoc autem statuendum est de corpore
pingui, siue sit adeps, siue pinguedo, siue sæuum. Quod sit verum: dicit 2. de partibus 5. adipem & sæuum
generari ex eo, quod in animalis pulpam, hoc est, carnem non absumitur: & proinde cum caro fiat ex san-

guine,etiam adeps & sęuum fiunt ex sanguine:& vtrumque est sanguis concoctus;vt etiam cap.6.est testa- A
tus.At quamuis vtrumque fiat ex sanguine, nihilominus, vt ait Arist. 2. de partibus 5. differentia est inter
sæuum & adipem;quoniam sæuum fit ex sanguine corpulentiori,vt propterea sæuum sit terreum,& mo-
do fibrosi sanguinis cogatur:at adeps fit ex sanguine minus crasso,vt non cogatur,nec siccitate aliqua frã-
gatur,quoniam eius natura minus terrena est. Verum vtriusque corporis pinguis(vt ait Arist.1.de genera-
tione animalium 19.)sanguis,sicut etiam in generatione seminis,est superuacuus,& concoctus. Quamuis
alio modo coquatur sanguis in generatione seminis,alio modo in generatione corporis pinguis: siquidẽ
alia est facultas in testibus vel vasis seminariis,seminis productrix,& alio vtitur organo,hoc est,tempera-
mento;& alia est vis in corpore pingui,& alio vtitur temperamento,vt producatur pingue excrementũ.

Pinguedo semini derogat.

Vt cum vtrunque excrementum,hoc est,seminale,& pingue,fiat ex sanguine(vt ibidem ait Arist.)
pinguia animalia minus seminis gignant,quoniam vt sanguis absumitur in excrementum pingue,ita de- B
ficit genitura:vt merito cum eodem Philosophio c.18.viri & mulieres fœcunditatis sunt minus participes,
dum sunt præpingues.

Exsanguia carent adipe.

Præterea cum ex traditis statutum sit,corpus pingue fieri ex sanguine,& hoc superfluo: cum fiat ex
sanguine,merito cum Arist.secundo de partibus quincto,animalia sanguine destituta, & semine & adipe
& sæuo sunt destituta:nam sanguis deest, ex quo adeps,& sæuum fiunt.

Membra pinguibus vicina parũ habent sanguinis.

Vt autem pingue corpus producitur ex sanguine superfluo;euenit,vt ait Arist.3.de historia anima-
lium 19. vt propinqua sanguinem quidem obtineant purum, sed paucum, quia scilicet vertitur in pin-
guedinem.

Valde pinguia non sentiunt.

Quinimo,vt addebat secundo de partibus 5.si corpus pingue modum excedat, sensus tactus impe-
ditur,propterea quod carni, hoc est, tactus organo, deficit alimentum,cum in pinguedinem mutetur: C
hoc autem ex ratione sequitur,quoniam(vt ait Arist.)tum pingue corpus, tum caro, fiunt ex sanguine:
differentia autem est,quoniam ad productionem carnis ita elaboratur sanguis,vt vertatur in partem quæ
vim obtinet sentiendi;at in generatione corporis pinguis,sanguis mutatur in partem, quæ nullum sen-
sum habere potest:vt hinc fiat,si hoc corpus mediocriter in animaliũ membris habeatur,vtile esse;si autẽ
modum excedat obesse atq; interimere.Nam dum pingue corpus mediocriter se habet,non impedit sen-
sum,quoniam caro,sensorium tactus,seruatur,beneficio scilicet sanguinis,cum plus iusto pingue nõ ab-
sumatur.At si pingue corpus modum excedat,ita nocet,vt quandoque etiam interimat. Nam si sanguis
totus transeat in adipem & sæuum,animal perit ea parte,qua sensum habet,nam tunc exigua relinquitur
sanguinis copia,gratia carnis:vt valde pinguia celerius senescant & pereant:cum interitus sit sanguinis in-
opia:siquidem vbi est sanguis exiguus,corpus facile & a frigore & a calore affici potest. D

Efficiens caussa adipis.

Constat igitur, quemadmodum etiam cum Arist.pingue corpus gignatur ex sanguine.
Deinde dictum fuit,[*a vi oleaginifica.*]Hanc etiam licet vocare vel pinguificam,vel adipificam, ad
differentiam scilicet carnificæ.Hæc autem quamuis agat secundum vim & alteratricem, & formatricem:
potissimum tamen agit per alteratricem,vt hinc corpus hoc veluti informe sit procreatum. Quantum
ergo attinet ad alteratricem:notandum,hanc duplicem esse:alteram & præcipuam, quæ dat huic corpori
esse per se:reliquam minus præcipuam,quæ esse accidentale tribuit.Declaro.Quæ tribuit esse per se,est il-
la,quæ huic corpori elargitur formam,temperiem,& quæ consequuntur illam temperiem;vt dum amit-
tit hoc esse, nequaquam amplius sit adeps,nec in adipem reuerti possit. Quæ autem tribuit esse acciden-
tale,illa est,quæ dat adipi consistentiam,qua ablata,adeps adhuc remanet adeps, necnon & illa consisten-
tia separari potest.

Crasis, & color adipis.

Quantum ergo attinet ad primam & præcipuam alteratricem: hæc in vtero in generatione fœtus E
residens in semine,seu calido innato;in fœtu autem perfecto in pingui corpore; & temperamentum &
album colorem,& proinde quæ consequuntur temperamentum,tribuit. Vt quemadmodum os, vt ali-
mentum conuertit in ossis substantiam,illi alimento tribuit & temperiem frigidam,& siccem, & albedi-
nem qualis etiam est in osse generante:siquidem simile a simili gignitur: ad eundem modum corpus hoc
pingue,siue sit pinguedo, siue adeps, in sanguinem tenuem ac pinguem ita agit, vt eum sanguinem in
corpus pingue commutet,hincque illi sanguini,tanquam proprio alimento,eam tribuit temperaturam,
& calorem,quibus ipsum corpus pingue est donatum.Vt,quidquid dicat Vesalius,cum corpus pingue sit
calidum & humidum,& album:similiter sanguis ille,vt in pinguedinem vel adipem mutatur,& tempera-
mentum calidum & humidum & colorem album assequitur. Tale autem esse huius corporis tempera- F
mentum colligitur ex Gal & primo,& quarto de vsu partium 9.dum ait,pinguedinem calidam esse; vt si
pinguedine vice olei vtamur,facile in flammam transmutetur,tanquam ad flammę naturam proxime ac-
cedat:nihil enim frigidum promte comburitur,vt scilicet in combustione flamma erumpat. Hoc autem
sequitur:quoniam adeps in flammam facile mutatur,propter similitudinem,quæ non est caussa vel tenui-
tatis, vt in palea;vel siccitatis,vt in lignis aridis;quia pinguedo nec tenuis est,nec sicca:quare solum ratio-
ne caliditatis,cum ignis sit substantia sicca,tenuis,& calida. Et hoc est pulcerrimum & demonstratiuum.
Vnde Hippocr.lib.de carnibus ait;pinguis sedem & metropolim esse calidum: quod enim calescit pri-
mum omnium cum diffunditur,pinguefit. Adhæc Galen.primo de elementis sexto ait, per exsuperan-
tiam adipem esse calidum & humidum,sicut os est frigidum & siccum. Amplius Galen. 11. simpl.cap.de
adipe ait: quamuis pro animalium temperatura differentia sit inter pinguedinem:attamen omnis pin- G
guedinis facultas est calefactoria & humectatoria humani corporis. At sus inter animantia quadrupe-
dia pinguedinem habet minus calidam,& magis humidam:vt hominem quidem largius humectare pos-
sit,sed non æque calfacere.Nam pinguedinis suum talis est caliditas, qualis in nobis. Quare hominis pin-
guedo calida est,& humida;sed magis humida,quam calida.Vnde primo de temperamentis vltimo dicit,

A adipem eſſe cerebro humidiorem. Atque ſecundo de temperamentis tertio, addebat, commode dictum veteribus eſſe adipem eſſe humidiſſimum. Vnde rationabiliter primo de temperamentis 6. adipem recẽſet inter ea, in quibus humidum præualet ſicco. Vt cum homo inſtar ſuis pinguedinem obtineat calidam & humidam, ſed magis humidam, quam calidam; recte intelligere oporteat Gal. dum ait primo de medicamentis ſecundum genera, in iunioribus animalibus ſæuum ſeu adipem eſſe humidiorem minuſque calidum, quam in perfectis: inſinuans, & in iunioribus, & in perfectis caliditatem ſeparari ab humiditate; ſed magis in iunioribus, quam in perfectis; quia iuniores ſunt humidiores. Vnde Gal. ad hanc veritatem reſpiciens, nimirum adipem eſſe minus calidum, & magis humidum: ſecundo de temperamentis quarto ait, in homine calorem eſſe vel temperatum, vel a temperato recedentem: ſi ergo calor ſit temperatus, nec ſiccitas ſit adnexa, quia corpus fieret gracile, ſed humiditas ſit aucta, maior copia generabitur carnis, minor B adipis: ſi autem calor recedat a temperamento, & moderatio ſit in humido & ſicco, calor a temperato recedens erit vel remiſſior, vel intenſior: ſi remiſſior, maior erit copia adipis, quam carnis: ſi autem intenſior, maior erit copia carnis quam adipis.

Ex quibus colligere licet, adipem ſemper fieri ab agente humido, cum quo eſt coniuncta in actiuis vel temperies, vel calor, ſiue remiſſus, ſiue etiam immoderatus: quamuis modo in maiori, modo in minori copia colligatur, pro ratione calidi temperamenti: ſiquidem in calidiori temperamento diſſipatur, in minus calido ſeruatur & colligitur. Vnde ad remiſſum calorem reſpiciens Ariſt. dicit tertio de hiſtoria animalium 18. omnia ætate prouecta potius quam nouella pingueſcere: & præcipue cum iam ſuæ longitudinis & latitudinis modum adepta, augeri in profundum incipiunt. Nam in prouecta ætate & calor eſt debilior, nec ceſſante augmento ſanguis abſumitur, vt vertatur in pinguedinem. Vt etiam cum Philoſopho C 3. de partibus 4. omne pingue ſit calidum & humidum.

Quomodo adeps exſiccare dicatur.

Sed dubitatio oritur ex Gal. paſſim, & potiſſimum 7. de medicamentis ſecundum genera cap. 1. nam aſſerit adipem emolliens eſſe medicamentum: & tamen dicit, animalium ſicciorum adipem euidenter ſiccare. Addit autem ſuillum adipem eſſe molliſſimum & humidiſſimum, & proinde aliorum imbecillimum, vt teneris corporibus conueniat: ſed ſi conuenit teneris corporibus ad emolliendum, conuenit vt ſiccat, quamuis minus. Sed ſi humidiſſimus eſt, quomodo ſiccat? Dicimus, adipis temperaturam eſſe humidam: & ſiccare tamen, vt habet vim attenuandi ſeu digerendi. Nam vbi caliditas eſt coniuncta cum tenuitate partium, vim habet digerendi, & proinde vacuandi & ſiccandi: vt illi adipes magis, digerant, & proinde magis ſiccent, qui ſunt tenuiorum partium: vnde ibi ſubdit: hi ergo omnes adipes tenuiorum partium ſubſtantiam inter quadrupedia animantia obtinent. Vt hinc omnis tollatur am- D biguitas.

Hactenus ergo patet, quemadmodum corpus hoc pingue calidum ſit & humidum, & tenuium partium: & rationabiliter, cum fiat ab agente calido & humido, ex ſanguinis portione tenuiori: vt ſi craſſum hoc corpus ſeſe offerat, id conſequatur ope alteratricis, quæ eſſe accidentale tribuit, vt ſuo loco conſtabit. Hæc de alteratrice, quæ præcipua eſt, & legitimum eſſe tribuit huic corpori pingui.

Coagulatio adipis.

Quo autem ad alteratricem, quæ tribuit eſſe accidentale: hæc nil aliud eſt, quam frigidum temperamentum, beneficio cuius corpus illud pingue concreſcit, ac veluti congelatur. Hæc veritas ſæpe fuit propoſita a Galeno, & primum 4. de anat. adminiſt. 6. dum ait, pinguedinem, ſcilicet genitam, a calore liquefieri, a frigiditate conſeruari: vt merito in neruoſis partibus conſiſtat, & abundet in iis, qui otioſam vitam degunt: & ratio eſt, nam partes neruoſę ſunt frigidæ, & per otioſam vitam frigidum euadit corpus. Eadem E veritas colligitur ex primo de temp. vltimo, & 2. de temperamentis tertio, dum ait, adipi concretionem contingere, vbi in frigidum venit locum, & proinde vbi adiacet membranis, quæ frigidæ ſunt. Vnde & rationabiliter inquit, concretionem contingere adipi: inferens adipem iam ſuam habere eſſentiam, ſed concretionem tanquam quid accidentale ipſi addi a frigido. Vt rationabiliter adeps calefactus liqueſcat, nec circa aliquam particulam præcalidam, vtpote circa cor, vel iecur, coire nequeat. Quod ſi adeps gigneretur a frigido, calfactus non liqueſceret: at non generatur, ſed genitus a frigido concretionem acquirit. Hanc veritatem etiam pernoſcens Auicennas capite de membris ait, adipem gigni ex ſanguinis vnctuoſitate, quam frigiditas coagulat: vt agens coagulans ſit quidem frigiditas, ad differentiam agentis coagulantis ſanguinem, ex quo fit caro, quod eſt caliditas, & ſiccitas: cum tamen caliditas & ſiccitas non ſit auctor carnis, nam caro calida eſt & humida, & ob id fit a calido & humido. Sed ad rem. Adeps concre- F ſcit ope frigiditatis. Quam veritatem ſi cognouiſſet bonus Veſalius, non ita eſſet locutus de cauſſa albedinis adipis. Quid autem dicat, ne ſiat temporis iactura, a me non proponitur: nam ſermo noſter omnes diluit ambiguitates. Quod ſit verum: dum Gal. ſecundo de temperament. 4. ait, adipem ex habitu frigidiori ſemper naſci; intelligere oportet de cauſſa coagulante & conſeruante adipem. Nam quamuis adeps gignatur a calido, a calido etiam diſſipatur: contra autem concreſcit & conſeruatur a frigido: vt quamuis in corpore calido copioſus gignatur, non appareat tamen; quia diſſipatur. Et ob id loco citato cum dicit Gal. adipem ex habitus frigiditate tantum ſemper naſci, ſubdit, vt fœminę viris ſint pinguiores, eò quod fœmina mare eſt frigidior, & plurimum domi verſatur. Ecce ergo quemadmodum non reſpicit ad generationem adipis, ſed ad adipis geniti conſeruationem: ſiquidem conſeruatur in fœmina, non ita diſſipa- G tur, propter frigiditatem corporis, & vitam otioſam. Vnde hanc veritatem magis ſtabiliens ibidem ſubdit: ſi corpora ſint æque referta pinguedine, & carne, vt corpus ſupra temperiem eſt frigidũ, ita eſt humidum: at quibus plus eſt adipis quam carnis, a temperie eſt magis receſſus per frigidum quam per humidũ: quia ſcilicet concretio fit a frigido, non ab humido.

Hactenus ergo conſtitutum ſit, facultatem generatricem per caliditatem gignere pinguedinem, per frigiditatem illam genitam coagulari; vt cum Galeno ſecundo ſimpl. ſecundo quidam dixerint, pin-

guedinem esse calidam:nam in sanis & bene curatis copiosa gignitur, hæc autem cum fiat robusta a natu- A
ra,quæ calida res est,ideo pinguedo vt fit a calido,est calida. Alii vero dixerunt frigidam, quoniam in fri-
gidis corporibus magis gignitur.Hoc autem loco circa pinguedinis temperiem non improbat antiquos,
sed circa prauam rationem inueniendi medicamentorum facultates.Patet igitur adipem calidum esse, &
humidum,& talem gigni a calido,concrescere autem a frigido.

Adipis & pinguedinis discrimen.

Ceterum hoc loco notandum,differentiam esse inter pinguedinem & adipem.Siquidem ex Gale-
no vndecimo simpl.cap.de pinguedine:pinguedo est substantia minus crassa, & minus dura, vt celeriter
in ignem posita liquescat,nec facile vbi liquata sit,rursum concrescat, & potissimum gignitur in naturis
humidioribus:contra autem adeps crassior est,& durior, vt nec facile liquescat, & liquata celerrime con-
glatietur, cuiusmodi conspicitur in animantibus terrestriorem naturam habentibus: vt hinc pinguedo
vigeat in suibus,in bobus adeps. Vt hinc, non quodad concretionem, sed quod ad generationem, adeps B
fiat ab agente magis calido,quam pinguedo:vt corpus illud pingue, quod circa præcordia residet,de quo
proprio loco dicemus,fit potius adeps,quam pinguedo.Sed pręterea idem Gal.discrimen pat. faciens in-
ter pinguedinem,& adipem,tertio de alimen.11.dicebat,inter hæc duo esse differentiam penes humidita-

Adeps vt dicatur siccus.

tem,& siccitatem:vt adeps sit pinguedine multo siccior. Quibus ex verbis nequaquã colligendũ, vtramq;
substantiam esse siccam, & sicciorem adipem, cum vtraque substantia sit potius humida:quare hunc in
modum Galenum intelligere oportet,vt substantiam magis concretam & compactam, vocet sicciorem;
minus autem concretam,minus siccam,vel etiam humidam.Quod sit verum,loquens de pinguedine;ait:
pinguedo humida quæpiam res est.Declarans autem quomodo intelligenda sit humida, subdit, esse lon-
ga vetustate oleo incrassato assimilem. Ecce,non loquitur de humiditate,vt significat temperiem humi-
dam,sed substantiam modice concretam,ad similitudinem olei prę nimia vetustate incrassati.Et ob id,dũ C
ait,adipem esse multo sicciorem pinguedine:subdit;ideoque si calefactum adipem fundas,coit facile, ac
concrescit.Ecce respicit ad substantiam,vt est vel magis vel minus concreta,quam vocat vel magis vel mi-
nus siccam.Hanc autem differentiam,sicut & reliqua prædicta,consequitur corpus pingue beneficio al-
teratricis,siue generantis,siue genitum coagulantis.

Aristoteles de differentia adipis & pinguedinis.

Hanc veritatem etiam cognoscens Arist.ait 3.de historia animalium 17. sæuum esse fragile, & cum
refrixit concrescere:adipem autem liquidum,minimeque aptum durari:vt ex sæuo fiant candelæ,nõ au-
tem ex adipe:per adipem autem intelligit Arist.quod vocat Gal.pinguedinem.

Adipis densitas, & situs.

Quo autem attinet ad formatricem:quamuis non multum laborarit in fabrica huius corporis pin-
guis,vt informe esse videatur,& satis accedere videatur ad naturam contenti: nihilominus fuit in caussa,
vt corpus hoc(cum Philosopho Probl.21.)esset densum: præterea vt determinatum & decentem situm D
assequeretur:siquidẽ cum Gal.16.de vsu partium 2.natura,& proinde formatrix, partibus animantis mẽ-
branosis ac neruosis corpus hoc coniunxit.Vnde addebat 4.de anat.administ.2.adipem membranis,liga-
mentis,tendinibus,& vt semel expediam,omnibus sanguine vacuis frigidisque corporibus obduci sole-
re,vt etiam instar cuticulæ,cutis,& membranæ carnosæ,pinguedo media inter membranam & cutem,to-
tum corpus ambiat. Natura autem hunc situm huic corpori tribuit, (vt ait Gal.6.de anat.administr.6.)vt
ab harum partium frigiditate concresceret,& concretum conseruaretur.Addebat autem Arist.3.de histo-
ria animalium 17.adipem consistere inter carnem & cutim,sæuum in fine carnis semper esse:vt sedẽ magis
intimam obtineat sæuum,& a calore minus remisso fiat.

Vsus adipis.

Postremo in definitione dictum fuit [*gratia generationis excrementi pinguis, & hinc caussa custodiæ
caloris naturalis.*] Nam cum dictum sit ex mente Arist.1. de generatione animalium 18. & 19. corpus pin- E
gue esse excrementum,sicut & semẽ:ideo necessario insinuauit necessarium esse,vt sit in corpore aliquod
membrum,quod gignat excrementum hoc pingue: quod dubio procul nil aliud esse potest,quam cor-
pus pingue vita præditum:quod vt genitum est ex excremento pingui,ita simili excremento debet ali: at
non potest ali, nisi sanguis a membro pingui in corpus pingue mutetur, sicut sanguis a carne vertitur in
carnem.

Ceterum hoc loco notandum,idem dicendum de membro pingui, quod dicitur de testibus:nimi-
rum vt testes gignunt semen,primo caussa sui,secundario caussa conseruationis speciei:ita membrũ pin-
gue pinguem humorẽ gignit,primo caussa sui,secundario gratia conseruationis calidi innati.Et propter-
ea in definitione proposuimus potius generationem excrementi pinguis,quam humoris pinguis:nam vt
materia hæc pinguis vertitur in alimentum membri pinguis,non habet rationem excrementi,sed potius F
alimenti:at vt materia hæc pinguis respicit calidum innatum,est materia ratione membri pinguis super-
flua, excrementitia, sed vtilis; propter ea quod pinguis hæc materia superuacanea destinata est custodiæ
totius caloris naturalis.Pro cuius veritatis particulæ intelligentia sciendum,hunc esse vsum communem
cuilibet pinguedini,& adipi,qui pręcipuus ac veluti peculiaris est huius corporis pinguis:quod dictum est

Tria, quæ calido innato insunt, nimirum substantia, qualitas, & motus, beneficio corporis pinguis cõseruantur.

ad differentiam vtilitatis communis quidem huius corporis,sed quam etiam præstat caro. Siquidem ex
Auicenna cap.de membris,caro & adeps coagulata sunt ad implẽda loca vacua primorum membrorum,
hoc est seminalium.Ecce est finis communis,& adipi,& carni. Vnde quoad finem,qui adscribi potest o-
mni adipi,& pinguedini,& his potissimum,alius is non est,quam custodia totius caloris naturalis. Dictũ
autem fuit totius;ad differentiam arteriarum,quæ(vt suo loco dicetur,)custodiunt calorem,sed non cor-
dis,& solum secundum qualitatem. G
Qua autem ratione corpus hoc pingue calorem naturalem custodiat, declarantes boni moderni,
nil aliud dicunt,& præsertim Vesalius & Columbus,nisi quod calorẽ natiuũ non secus ac viscus detineat.
Ego autem dicerem,cum in calore naturali tria sint potissimum conseruanda,nempe substantia,qualitas,
& motus;(vt in methodo medendi euidenter comprobatur) corpus hoc pingue tria illa custodire: &
primum

A primum quidem ſubſtantiam, vt in inediis, in defectu alim nti, dum in ſubſtantiam calidi innati mutatur, vel ſaltem (vt ait Gal.16.de vſu partium ſecundo) pinguedo affuſa ſiccis & tenuibus corporibus, ſua pingui ſubſtantia humectat corpora, quæ celeriter in diuturnis inediis, ac vehementibus exercitationib. & caloribus immodicis ſiccantur atq; indureſcunt: ſiquidem in iis caloris naturalis ſubſtantia dubio procul imminuitur: vt cum huiuſmodi actio ſit naturæ, non animæ actio, (vt ait Gal.) pinguedo merito neruos non deſideret. Vnde hoc loco notandum, corpus hoc nequaquam verti in alimentum ſeu ſubſtantiam partium, ſed ſolum calidi innati: nam ex Gale.3.de alimen.11, adeps & pinguedo pauci ſunt nutrimenti, vt potius carnium nos alentium ſint condimenta, quam alimenta: ſi ergo hæc ſubſtantia oleoſa per os aſſumta, exigui eſt nutrimenti; ſat eſt vt in inediis caloris innati ſit conſeruatio. Vnde nec animalia hyberno tempore latitantia aluntur pinguedine: nam pinguia permanent: ſed pituita alimentali, quæ in ſangui-B nem, & proinde in alimentum, mutatur. Hæc de ſubſtantia.

Quo autem ad qualitatem: cum caloris innati qualitas ſit caliditas; ideo a pinguedine, vt calida, conſeruatur.

Quantum deniq; ad motum, cum ſeruetur, dum plus iuſto non diſpergitur, vt hac ratione indicet vniens calorem: hanc vnionem ſeruat ope pinguedinis, vt concretam obtinet ſubſtantiam.

Quare caloris naturalis cuſtodia eſt vſus, qui potiſſimũ competit corpori pingui, & omni, & propterea dicit Gal.6.de decretis 8. pinguedinem eundem vſum præſtare, ſiue in hac, ſiue in illa parte reperiatur.

Ariſtotelis de vſu pinguedinis ſententia.

Sed nec Ariſt. pinguis excrementi vſum ignorauit. Primum enim 2.de partibus 5. ait: ſi adeps & ſæuum mediocriter in animalium membris habentur; ad ſanitatem, & vires opitulari: opitulantur quidem ad ſanitatem, cum ſanitas ſit proba conſtitutio, ad quam ſequuntur bonæ operationes, dum eſt præſentia C corporis pinguis, modũ non excedentis, omnes animæ functiones bonæ erunt, dum corpus hoc pingue non permittat, vt particulæ afficiantur a cauſſa vel ſiccante, vel refrigerante: opitulatur autem virib. hoc eſt, organo cuſtodienti vires; eſt aũt calidum innatum. Præterea tertio de partibus 9 ſcribit: renes obtinere corpus pingue, ſalutis cauſſa, vt renum natura calida ſit: nam cum renes vltimo loco poſiti ſint, teporẽ deſiderant ampliorem: & cum lumbi, nempe ſedes renum, ſint excarnes, renes vice carnis adipe muniuntur, vt etiam melius cõcoquant ſua pinguedine, vt.ſ. pinguedo calida eſt, nam calor concoquit. Ecce ergo quomodo pinguedo eſt ad cuſtodiam caloris concoquentis, & proinde calidi innati, ſed per ſuã caliditatem. Hoc etiam inſinuatum ab eodem fuiſſe colligitur, dum 10.problem.23, ait: ſus calidiſſimus eſt omniũ quadrupedum, & proinde calidior cane, & boue: quippe cum neceſſe ſit, vt animal pingue tale ſit, hoc eſt, calidiſſimum. Quo loco notandum, per calidiſſimum intelligi animal præditum calidi natiui ſubſtantia D copioſiore: nam, ſi non penes calidum natiuum, ſed penes temperaturam conferatur ſus cum cane, canis eſt calidior: ſi autem penes calidum natiuum, ſus eſt calidior: neceſſe autẽ eſt, vt animal pingue ſit tale, hoc eſt donatum plurimo calido natiuo: vbi enim pinguedo, ſcilicet non excedens, ibi plurimus calor natiuus, quoniam a pinguedine conſeruatur. Vt corpus pingue cum Philoſopho conferat per calorem: ſed præterea & per denſitatem, quæ non permittit calidum innatum diſſolui: vt rationabiliter expediat cum Philoſopho, decimo problem. 21. pingue vnumquodque denſum eſſe. Vt etiam dicit primo de generatione animalium decimooctauo, pingue eſſe excrementum bonitate ſubſtantiæ ſalubre.

Alii vſus pinguedinis.

Ceterum non obſtat, quin præter præcipuam vtilitatem propoſitam, & adeps & pinguedo alias vtilitates præbere valeant, verbi gratia, adeps toti corpori circumfuſus inſtar tegumenti tuetur partes intra adipem exſiſtentes, ab immodico tum calore, tum frigore. Ad hæc in clunib. vicem ſubit puluinaris. Tan-E dem addit etiam Gal.10.de vſu partium 11. nullius alterius gratia naturam pinguedinẽ oculis comparaſſe, & ſatis etiam duram; niſi vt huius ope oculi nõ facile colliquentur: ſiquidem vt vnctuoſa, & pinguis perpetuo madefacere poteſt, vt ad motuum oculorum facilitatem pinguedo fuerit comparata. Hæc de corpore pingui, & proinde de pinguedine, & adipe, dicta ſint.

CAPVT XV.

De Fibris.

Nomen.

QVo aut ſpectat ad fibras, quas etiam villos dicunt: quoad nomen, primum ſciendum, fuiſſe Ariſtotelis ſententiam (ita referente Galen. lib. quod animi mores corporis temperaturam ſequuntur cap.7. in aliquo ſanguine reperiri quidem fibras, ſiquidem 3. de hiſtor. animalium 6. ait, duplex eſſe genus fi-F brarum, vt primum genus ſit fibrarum, quæ inter neruum & venam ſuam habent naturam; ſecundum autem genus fibrarum ſit illarum, quæ continentur in ſanguine; quamquam non in ſanguine cuiuſque animalis, vt iis præſentibus (vt etiam ait cap.19.) ſanguis ſpiſſetur: vt propterea ceruorum & leporum ſanguis, fibris deſtitutus, non ſpiſſetur, & ſi ſpiſſatur, non coitu firmiori, vt fit in animalibus fibroſo ſanguine donatis, ſed fluido, quale lac eſt quod ſine coagulo ſponte coiuerit: in cauſſa autem coitionis firmioris eſt fibra; quoniam, vt ait 2. de partibus 4. fibræ reddunt ſanguinem terrenum, vt fibræ ſolidæ ſunt & terrenæ. Cum ergo fibrarum ſit duplex genus: de his, quæ pertinent ad ſecundum genus, non erit ſermo noſter: nam quamuis ſint quædam ſanguinis portiones terreſtres, ope quarum ſanguis cogitur, cum ſpectent ad contentum, non autem ad partem continentem ſeu viuentem: ideo nos per fibras, non ſan-G guinis, ſed viuentium partium, intelligimus.

Fibra quid.

Fibræ autem ita acceptæ hæc eſt definitio: *Fibra eſt membrum ſimilare, genitum ex ſemine, a vi fibrifica, gratia cuſtodiæ carnis.*

Genus.

Declaro. Primo fuit dictum, *eſſe membrum ſimilare*, cum Gal. qui euidenter 1. de elementis 8. fibras numerat inter partes ſimilares.

Deinde dictum fuit, [*genitum ex ſemine.*] Hæc veritas colligitur ex Gale. paſſim, & potiſſimum 1. de

ſemine 10. ex quo loco colligitur fibras omnes fieri ex ſemine; ſed quaſdam mediate, quaſdam immedia- A
te. Mediate ſiquidem ait muſculorum fibras fieri ex neruis, & ligamentis; quæ immediate fiunt ex ſemi-
ne. Immediate autem, dum ſubdit: ventris autem, inteſtinorum, vtriuſque veſicæ, vteri, & cordis fibras, e
ſemine ortum habere. Eandem ſententiam propoſuit 1. de iunċturis 12. & præſertim ſecundo de temp. 3.
dum ait, in corde eſſe fibras quales in muſculis cernimus: ceterum non eſſe idem fibrarum genus: nam
quæ in muſculis habentur, neruorum & ligamentorum eſſe particulas; cordis autem fibrarum propriam
quandam eſſe ſpeciem, æque ſcilicet, vt tunica venarum, arteriarum, inteſtinorum ventriculi, vteri & ve-
ſicæ vtriuſque. Vt cum fibra membrum ſit ſpermaticum, iure diċtum eſt a Galē. 10. methodi vltimi ſicut
caro, (ſcilicet muſculorum) perire & regigni poteſt, hoc nequaquam de fibroſa portione ſtatuendum, vt
hinc etiam in febribus malignis, non liquentur fibræ, vt carnes, quoniam iam animal prius moriatur, an-
tequam fibræ prorſus ſiccentur. B

Efficiens caussa.

Deinde in definitione diċtum fuit [*a vi fibrifica.*] Hæc ſane cum agat per alteratricem, & formatri-
cem: quantum ad alteratricem: hæc, ſi fides eſt adhibenda Galeno, fibris tribuit temperamentum frigi-
dum & ſiccum: vt hinc fibra terreſtrem ſubſtantiam ſit adepta. Quod ſit verum: ait Galen. 2. de tempera-
mentis 3. carnes tunicarum, venarum, arteriarum, inteſtinorum, ventriculi, vteri, & veſicæ vtriuſque, eſſe
quidem calidiores cute: at quo ad fibras attinet, partium ſimiles eſſe omnino ſubſtantiæ cutis, partim
paulo magis, partim paulò minus, tum frigidos, tum ſiccos: Ecce ergo quemadmodum fibrarum tempe-
ries ad frigidum & ſiccum vergit. Vt cum Ariſtot. tertio de hiſtoria animalium ſexto, fibra ſuam habeat
naturam inter venam & neruum, vt fibra ſit frigidior, vena minus frigida forſitan neruo.

Situs fibrarum, & hinc triplex earū genus.

Quo ad formatricem ſpeċtat, vt colligere licet ex Galeno, tertio de facul. naturalibus oċtauo, & vn-
decimo, & ſexto de vſu partium 8. vt formatrix fibris tribuit ſitum determinatum, ita pro vario ſitu variæ C
fibræ oriuntur, quæ etiam ſuis vocibus donantur, vt cum triplex ſit ſitus, tres etiam ſint fibrarum differē-
tiæ. Etenim ſi fibræ ſitum obtineant ſecundum longitudinem, teċtæ vocantur, ſi autem ſecundum latitu-
dinem, nominantur tranſuerſæ, quæ etiam circulares dicuntur, ſi deniq; ſitum obtineant, nec ſecundum
longitudinem, nec ſecundum latitudinem, appellantur obliquæ, ſi denique fibrarum ſitus ſit indifferens,
vocantur ſimpliciter fibræ, cuiuſmodi ſunt ligamentorum, neruorum, & membranarum fibræ. Ceterum
quo ad fibras, per quas editur motus naturalis, ſed euidens; ita in membris fibræ collocātur, cum Galeno,
tertio de facult. naturalibus vndecimo, ſi inſtrumentum vnicam tantum habeat tunicam, vt ambæ veſicæ,
vterus, & vena, in hac omnes ſunt collocatæ, ſi autem inſtrumentum duas habeat tunicas, fibræ reċtæ, &
obliquæ collocantur, in tunica interna, tranſuerſæ, in externa; vt in ventriculo: excipiuntur autem inte-
ſtina, nam quamuis duplicem obtineant tunicam, attamen in vtraque ſunt tranſuerſæ; & ratio eſt, nā ven- D
triculus eſt organum coċtionis; inteſtina diſtributionis: ſed de his propriis locis.

Tandem diċtum fuit [*gratia cuſtodiæ carnis*] pro cuius particulæ intelligentia ſciendum, nos per car-
nem intelligere cum Galeno 10. methodi vltimo, tum in muſculo, quæ ſane proprie caro vocatur, tum et-
iam in aliis partibus, quæ carnoſa ſubſtantia dicitur, verbi gratia, in vena alia eſt portio neruoſa, alia fibro-
ſa, alia carnoſa. Dicebat etiam lib. de cibis boni & mali ſucci quarto, in corde reperiri fibras, & carnoſam
ſubſtantiam. Quinimo decimo methodi vltimo addit, in ſingulis ſimplicibus & primis vocatis partibus,
præter ſubſtantiam membranoſam & fibroſam, reperiri etiam carnoſam. Dum ergo in definitione diċtū
fuit, fibras procreatas eſſe propter cuſtodiam carnis, per carnem, & muſculorum carnem, & cuiuslibet
partis carnoſam ſubſtantiam intelligimus. Huius autem gratia factas eſſe fibras oſtendo, Galeni auċtori-
tate, & ea multiplici, cum hunc vſum moderni etiam diligentiores ignorarint. Primo ergo dicit Galenus E
decimo methodi vltimo, carnem herere circa ſolidorum corporum partes, tum neruoſas, tum fibroſas,
differentia autem aſſignari poteſt, inter partes tum neruoſas, tū fibroſas; vt portio neruoſa, ſeu membra-
noſa, cuſtodiat fibroſam portionem, ſecundum ſuperficiem; fibroſa autem carnē, ſecundum omnes par-
tes. Sed ad rem: cum caro hereat circa fibras, ergo fibrarum vſus eſt cuſtodia carnis, nec ab re; nam cum fi-
bra ſit ſubſtantia magis terreſtris, quam caro; ideo non caro fibræ, ſed fibra carnis debet eſſe fundamen-
tum. Ad hæc ait Galenus lib. de cibis boni & mali ſucci quarto, & ſecundo de temperam. tertio, cordis fi-
bræ viſuntur ſolidæ, multæ, longæ, quemadmodum in muſculis, circa quas carnoſa ſubſtantia concreuit.
Ecce circa fibras concreſcit, firmatur, cuſtoditur carnoſa ſubſtantia. Quod noſcens Gal. ſexto de vſu par-
tium oċtauo, inquit, cordis fibras multum ab aliis differre, nempe duritie, contentione, toto denique ro-
bore, ac patiendi difficultate, quoniam cum nullum ſit inſtrumentum, cuius tanta ſit ad aċtiones conſtā- F
tia, ac robur, quemadmodum in corde; conſentaneum fuit cordis ſubſtantiam ad robur ſimul & patiendi
difficultatem comparari. Ecce ſi propter aċtionis conſtantiam opus eſt ſubſtantia robuſta, & difficili ad
patiendum; & talis euadit beneficio fibrarum: ergo fibrarum vſus, eſt cuſtodia ſubſtantiæ carnoſæ cuius-
libet membri. Amplius Gal. 1. de fraċturis duodecimo, ait, muſculum obtinere fibras, quibus caro ſimplex
vndique concreſcit. Adhæc quinċto de ſemine decimo, ait, fibris totum cordis corpus quibuſdam quaſi
crinib circundari. Ecce cordis caro circundatur, cuſtoditur, fibris; quare fibrarū finis eſt cuſtodia carnis.

Vſus fibrarum communis.

Hunc autem finem eſſe communem, inde colligitur. Nam ſi finis communis eſſet motus, ſiue vo-
luntarius, ſiue naturalis; fibræ aliquæ vſu eſſent orbatæ; vtpote quæ proponuntur a Gal. 3. de facult. natu-
ralibus vltimo; nempe ligamenti, neruí, & membranæ fibræ: ſiquidem hæc corpora nequaquam motu lo-
cali, vel voluntario, vel naturali mouentur: hæc enim corpora ſolum propter ſe, non aūt quia commune G
munus corpori præbeant, vel attrahunt, vel retinent, vel expellunt: vt propterea non dicat Auicennas, o-
mnem villum conferre ad motum; ſed nullum motum fieri, niſi per villum. Vt ſtatuendum ſit fibras o-
mnes hoc commodum præbere, vt carnem cuſtodiant. Vnde tertio de articulis 81. ait, dum fibræ melius
aluntur, caro ſit firmior.

Ceterum

Alii fibrarũ ſpeciales fines.

A Ceterum præter hunc communem vſum, alios minus communes præſtant: ſunt autem motus animæ, & naturæ. Ad quod reſpiciens Auic. cum dicit, nullum motum fieri, niſi per villos, ſubdit; motus autem eſt vel voluntarius, & fit a villis in muſculis: vel naturalis, & fit a villis matricis, & venarum. Accepit autem hanc veritatem a Galeno; ſiquidem, quantum attinet ad motum voluntarium, dicit octauo de anat. adminiſt. quincto, ſi fibras omnes tranſuerſas amputaueris, totos muſculos ſtatim motu priuabis. Dicebat etiam tertio de facultatibus naturalibus octauo: in muſculis dum fibra quæque intenditur, atque ad principum retrahitur, motus muſculorum obitur: fit autem, vt inſtrumentorum corpora pro fibrarum poſitura motus habeant, vt fibræ per ſuum ſitum non ſimpliciter conferant ad motum, ſed ad determinatum motum, hoc eſt, magis ad hanc, quam ad illam partem. Quo autem attinet ad modum naturæ: reſpiciens Galenus ad hunc, & determinatum, vt ſit non a voluntate, ſed a natura per fibras, & potiſſimum per B determinatum ſitum; inquit quincto de vſu partium vndecimo: ſi villorum rectorum ſolorum (hoc eſt, qui ſitum habent ſecundum longitudinem tunicę) longitudo imminuitur, fit attractio; ſi autem tendantur ſoli tranſuerſi, fit expulſio: per hos autem villos, ita inſtrumenti corpus, vtpote veſicæ, mouetur, vt ſi ſoli tranſuerſi tendantur, latitudo contrahatur, vt fiat expulſio: ſi ſoli recti, longitudo minuatur, vt fiat attractio: ſi autem omnes tendantur, hoc eſt, recti, tranſuerſi, & obliqui, tota cõtrahitur particula quemadmodum etiam ſi omnes extendantur, tota extenditur particula, vt ſicut per tenſionem fit inanitio, ita per extenſionem fit repletio. Ceterum omnes hi motus fiunt a natura, hoc eſt, vel attractrice, vel retentrice, vel expultrice: tametſi materia ſui copia poſſit extendere, vtpote dum plus iuſto veſica repletur, vt a natura fiat fibrarum tenſio, a materia extenſio: vt per fibras conſequamur attractionem, retentionem, expulſionem. Vnde dicit Gal. 14. de vſu partium vlt. ſingula inſtrumenta, dum agunt fibris rectis, attrahunt: dũ C tranſuerſis, excernunt; dum omnibus ſimul agunt, retinent; vt fiat quidem retentio per obliquas fibras, ſed dum cum his & reliquæ tenduntur. Vnde tertio de facultatibus naturalibus 11. etiam voluit per fibras rectas minui membrum, & hinc fieri attractionem; per tranſuerſas, & obliquas membrum conſtringi, vt fiat retentio; ſi videlicet magis agat retentrix, quam expultrix; vt, ſi magis agat expultrix, fiat potius expulſio, & hinc fibræ etiam obliquæ compoſitio fieret, quidquid dicat Falloppius in ſuis obſeruationibus pag. 170. vt ſi natura agat per ſolas tranſuerſas, (vt eodem lib. c. 13. ait Gal.) fiat expulſio.

Sed ſuis locis, dum de inſtrumentis corporis loquemur, quomodo in quolibet inſtrumento ſeſe habeant fibræ, explicabimus. In præſentia id ſcire in hac doctrina generali ſufficiat: vſum fibris omnibus communem eſſe cuſtodiam carnis, & muſculorum, & reliquorum corporum, cum hoc tamen communi vſu quaſdam fibras conferre ad motum voluntarium, quaſdam ad naturalem, cauſſa quidem attractionis, D retentionis & expulſionis. Hæc de fibris.

CAPVT XVI.

De Venis.

QVantum ad venas: de his in genere quidem, ſed ſumma cum diligentia, dicendum. Siquidem Gale. 2. methodi 5. ait, Herophilum ſtatuere venam, arteriam, & neruum principia cõtinere, & veluti elemẽta eſſe eius Phyſiologiæ, quæ de homine conſtituitur. Eſto, inquit, hæc prima eſſe, quamuis prima non ſint: inſinuans, principaliora eſſe hepar, cor, & cerebrum: ſecundum locum obtinere, venam, arteriam, & neruum. Itaque cum vena ſit veluti elementum Phyſiologiæ, quæ de partibus hominis conſtituitur, hoc eſt, artis anatomicæ, merito diligenter de vena dicendum.

E Itaque quoad nomen attinet: ex Gal. 6 de decr. 8. lib. de cauſſis morborum 3. cum duo ſint vaſa, quorum vtrumque antiquiores venam vocabant: quidam fuere, qui vas pulſu donatum, arteriam vocarent, quod autem pulſu caret, venam. Quos etiam nos imitantes, per venam ad differentiam arteriæ vas illud intelligimus, quod pulſu eſt deſtitutum. Nomen.

Venæ igitur huncin modum acceptæ, hęc eſt definitio: *Vena eſt membrum ſimilare, genitum ex ſubſtantia carnoſa, fibroſa, & membranoſa, a vi venifica, gratia diſtributionis ſanguinis craſſioris.* Definitio

Declaro: dictum eſt *membrum*, hoc eſt, pars viuens. Quod ſit verum Galenus 2. de ſanitate tuenda 11. ait, motus naturales, ad differẽtiam motus voluntarii, eſſe actiones venarum: ſiquidem omnes venæ quatuor naturalibus facultatibus gubernantur. Genus.

Deinde dictum eſt [*ſimilare.*] Hanc particulam etiam cognouit Galenus: ſiquidem lib. de morbo F rum differentiis 3. venas recenſet inter partes ſimilares. Oportet autem intelligere venam eſſe ſimilarem, quoad ſenſum: at ſi exquiſite perpendatur, poſſet etiam ſtatui pars inſtrumentaria. Et ob id Gal lib. de inæqu. intemp. 2. dum recenſet partes ſimilares, & numerat oſſa, cartilaginem, ligamentum, membranam, venam, & arteriam, & reliquas partes ſimilares; ſubdit, exceptis venis, & arteriis; nam ex fibris, & membranis ſunt conditæ, vt vena ſit ſimilaris quoad ſenſum, non exquiſite tamen, vt os: vt ſi conferatur cum oſſe poſſit etiam ſtatui inſtrumentalis; ſi cum muſculo ſimilaris. Sed nota venam eſſe ſimilarem, ſi capiatur citra membranam circumdantem, & fibras illas euidentes. Venæ vt ſimilares dicantur.

Deinde dictum eſt [*genitum ex ſubſtantia carnoſa, fibroſa, & membranoſa.*] Hæc particula colligitur ex Gal. 10. methodi vlt. dum ait, in venæ tunica etiam tenui inueniri fibras multas, quæ fibroſæ, & neruoſæ, ſint araneoſis quibuſdam interſtitis contextæ, quib. adnaſcitur propria venæ ſubſtantia, quæ & carnoſa G ſubſtantia (ait Gal.) & particulæ quædã caro dici põt. Ecce venæ tunica conſtat, ex carnoſa ſubſtantia, ſeu propria carne, & fibris, & membranis. Aſſerit etiã 2. de temp. 3. venarum tunicã eſſe confectam ex ſubſtantia fibroſa, & carne ſuis fibris circumnata. Addebat aũt Auicennas, venam non modo eſſe confectam ex ſubſtantia fibroſa, verumetiam ex qualibet, hoc eſt, ex triplici fibrarum ſpecie, hoc eſt, rectis, trãſuerſis, & obliquis, quæ quandoq; inuicem vſq; adeo complicãtur, vt efforment cellulas illas, de quarũ inuentione, Materia venæ.

quidam mirifice gloriantur. Materia ergo, ex qua immediate procreatur vena, est carnosa & fibrosa substantia. Dico autem immediate: nam vena mediate fit ex semine; & adhuc magis mediate ex sanguine. Vtrumque comprobatur cum Galeno. Namque inquit 2. de facultatibus naturalibus 2. venam quidem esse exsanguem, esse tamen ex sanguine factam. Addit autem 1. de semine 11. cum quælibet pars primum e sanguine proprium succum trahat, difficulter deinde vertitur in substantiam venæ, quia oportet vt primum in semen mutetur. Vt vena, cum eodem Gal. 1. de semine 10. & lib. de fœtuum formatione quarto, ex seminis substantia primo omnium generetur. Vt, cum vena sit seminale membrum, cum eodem Gal. 1. de sem. 3. raro visum sit, venam renasci. Quinimo 14. methodi 16. addit, se vidisse quandoque venas sensibiliter regeneratas esse: verum has non tamen similes iis, quæ prius perierant: quemadmodum conspicitur in cauis vlceribus renasci carnem. A

Mediatæ venarum materiæ, semen & sanguis.

At nota, venam esse seminalem, ratione portionis fibrosæ & membranosæ, non autem carnosæ. Vnde 10. method. vlt. ait, venarum & singularum particularum substantiæ molem ex tali esse materia, quæ & perire, & regigni possit: contra autem statuendum esse de portione fibrosa, & membranosa: vt vena sit genita ex sanguine secundum portionem carnosam, secundum reliquas ex semine. B

Venæ quatenus spermaticæ partes.

At notandum, substantiam membranosam semper tegere fibras, quandoque autem venę corpus ex triplici substantia compositum. Sed nota etiam, portionem carneam esse seminalem, sed tenuem, vt possit reparari: ac de hoc alibi. Hæc veritas comprobatur ex Galen. 5. de vsu partium secundo, dum ait, venas protegi a membranis. Præterea 16. de vsu partium penultimo, ait, plurimis arteriis & venis inesse, vt per membranas coniungantur. Adhæc libro de inæq. intemp. 2. venas separat a partibus similaribus; eo quod præter propriam carnem, ex fibris, & membranis sint conditæ. Neque huius veritatis inscius Auic. in ca. de membris, capiens a Gal. 7. de anat. admin. 5. ait, venas medii ventris suscipere membranas a pleura, ventris autem inferioris a peritonæo. Ceterum cum venæ tunica tegatur a membrana, non autem cuiuslibet venæ tunica: Gal. 7. de anat. administr. 5. explicans, quænam vena exteriori membrana egeat, inquit, eam esse, quę aut colligari, aut fulciri, aut contegi desiderat. Quam sententiam euidenter enarrans Vesalius ait, aliquas venas obtinere membranas, aliquas his carere. Quæ quidem venæ obtinent membranas, sunt, quæ aut longo tramite ducuntur, aut duriori corpori incumbunt, aut alicubi suspenduntur. Sunt autem venæ, quę extra villos aut musculum eminent, vt ex cōterminis membranis quædam tenuis vena obuoluatur. Quæ autem venæ non obtinent membranas, sunt quæ corporibus sunt insertæ, & in illis propagatæ: nam venæ in illis corporibus formantur, vt non egeant membrana; imo si adesset, impedimento esset, quominus promte sanguis e venis sudaret, & succus in venis collectus ita facile elaberetur, siquidem vis visceris promtius agit in sanguinem, dum vena caret membrana. C D

Membranosa portio alia tegit fibras venarū, alia totā venam.

Inquirendum vero, cur quandoque dicat Galen. venam sentire, quandoque sensus esse expertem. Quod sit verum, 5. de vsu partium 2. & 16. de vsu partium 2. vbi loquitur de sensu, qui fit per neruos, venas sentire euidenter testatur. Ad hæc lib. de plenitudine 4. ait: cum vena aut arteria nimis distenditur, aut dirumpitur, affectus pertinet ad continentia vasa, quia scilicet vasorum soluitur vnitas: cum autem vas grauatur, pertinet ad sensitricem facultatem: quam ibi a facultatibus distinguit, vt, dum subdit, arterias, & venas sensum retinere; necessarium sit intelligere sensum animæ. Neque obstat, quamuis ibi dicit venas & arterias retinere sensum alium, nam per alium sensum non intelligit sensum naturæ, sed alium a ventriculi sensu, quippe qui admodum exquisitus est, at venarum arteriarum remissus. Quod sit verum; subdit, si maxima fuerit plenitudo, sensum retinet exiguum; nullum, cum plenitudo non multa fuerit.

Quænam venæ sentiant.

At oppositum asserere videtur decimosexto de vsu partium duodecimo: siquidem ait, arterias & venas cuiusque partis sensus omnino esse expertes, vt siue frangantur, siue incidantur, siue vrantur, nihil sentiant. E

Cuius sane discriminis alia non est ratio, nisi quia cum venarum aliquæ habeant membranas, ope harum venas sentire: cum autem aliquæ membranis careant, ideo hæ sunt prorsus sensus expertes, sunt autem potissimum venæ, vt ait Galenus cuiusque partis, hoc est musculorum, & viscerum. Quare omnis ruit ambuiguitas.

Deinde dictum fuit [*a vi venifica*] quæ cum agat per vim alteratricem, & formatricem: quantum attinet ad alteratricem, ab hac vena eam accipit temperiem, quam proponit Galen. primo de temperam. vltimo, inquiens, venam esse exsanguem, & frigidam natura, contactu autem sanguinis calfieri, atque ad medium temperamenti statum venire, in passiuis autem esse siccam, ita tamen, vt sit minus sicca pilo, osse, cartilagine, ligamento, tendine; magis sicca quam neruus, vt æqualem siccitatem cum membrana & arteria obtineat, &, si aliquod est discrimen, vt ait quinto methodi septimo, vena sit minus sicca quam arteria. Ceterum cum in venæ tunica sit duplex substantia: nempe fibrosa & carnosa, cum Galeno secundo de temperamētis tertio, venæ caro est calidior cute, fibrosa autem substantia cute modo magis, modo minus frigida & sicca, vt denuo ex temperie carnis seminalis & fibrarum, resultet venarum temperamentum potius frigidum & siccum, quam secus. F

Efficiens venarum. Crasis.

Hanc autem temperiem consequitur substantiæ potius tenuitas, quam crassitudo, vt ex Galeno 6. de vsu partium 10. & 11. venæ tunica non modo sit tenuis, sed multo tenuior quam arteriæ tunica, excipitur autem vena arteriosa, quæ densior est arteria venosa. Sed forte tenuitas, & crassities pertinent ad magnitudinem, & hinc ad formatricem. Sed de his in sermone de pulmone. Hæc de alteratrice. G

Tenuitas tunicarum.

Quo vero attinet ad formatricem, primum sciendum cum Gal. 2. de semine 5. huius organum non esse frigidum & humidum, sed calidum & siccum, hoc est enim organum illius agentis, quod genituræ formam seruat, & ob id dicit, vt arteriæ & venæ citius fistulentur, & cetera demum omnia mēbra formentur, caussam esse instrumentalem, calidum & siccum. Ceterū cum formatrix partib. tribuat confirmationem,

A nem,magnitudinem,numerum,&situm:quantum ad conformationem,oculis patet,& proponit Auicē- Conforma-
nas cap.de membris,venam similitudine arteriæ in longum extendi, & formari instar fistulæ concauam. tio venarū.
Quæ aūt fuerit huius conformationis cā,quinimo totius compositionis, apparebit,vbi de vsu loquemur.
Quo autem attinet ad magitudinem: formatrix hanc inæqualem tribuit:verum cum Galeno 16.de Magnitu-
vsu partium primo, nec citra iustitiam, nec citra artificium: non quidem citra iustitiam dum respexit ad do.
partis suscipientis dignitatem: nec citra artificium, dum mentem ad instrumētorum securitatem direxit.
Proinde vt hos scopos assequeretur natura, quemadmodum in aquis potabilibus distribuendis, mecha-
nici fonti maxime aquæ ductum applicant,ita natura cuilibet principio,nempe cerebro,cordi,& iecino-
ri,vnicum,& maximum instrumētum, veluti stipitem produxit,a quo deinde rami in partes propinquas,
& iuste & artificiose dispertiuntur.
B Addebat etiam Galen.16. de vsu partium vltimo,venas penes magnitudinem distribui partibus, vt Magnitu-
partes alimento egent,vt quæ copiosiori egent alimento,maiores venas,quæ minus copioso,minores ve- do ratione
nas recipiant. Vnde nisi partes alimento egerent, ac nihil diffluerct,sed partium habitus idem perpetuo alimenti
maneret,venis dubio procul non egerent. Ceterum cum partes egeant alimento,nec eodem modo, si-
quidem aliæ copiosiori,aliæ minus copioso:sciendum,partes esse generis eiusdem,vel diuersi. Eiusdem,
vt si partes carnosæ cum carnosis conferantur,osseæ cum osseis: diuersæ,vt si conferatur pulmo cum ossi-
bus. Si ergo partes fuerint eiusdem generis,pro solo generis discrimine,vel maioribus,vel minorib.venis
egent,vt nimirum,quæ sunt maiores,copiosiori egeant alimento;quæ minores minori. Si autem partes
fuerint diuersi generis,perpendere oportet,quod temperiem consequitur & motum. Vnde quoad tem-
C periem:a membro calido magis effluit,quam a frigido.Quoad id quod consequitur:a membro molli ma-
gis effluit,quam a duro. Quoad motum seu actionem:magis effluit a membro quod assiduo & vehemen-
ter mouetur,quam a membro quod moderatas obit functiones. Hinc sequitur,cum pulmo sit membrū
calidissimum,molissimū,& quod motu agitatur perpetuo:vt ab hoc copiosa substātia effluit,ita requirere
copiosum alimentū,& proinde venas magnas obtinere. Contra se habent ossa:nā cum frigida sint, dura,
bonamq; totius vitæ partem quiescāt;sunt corpora,a quib.quod effluit est exiguum,vt exiguo egeant ali-
mento,vt hinc adepta sint venas adeo exiguas,vt ne clare quidem appareant,ēt si animal magnum fuerit.
Medium aūt locum obtinent aliquæ partes,verbi gratia,cor est calidum,& in perpetuo motu,sed durum:
cerebrum molle & in perpetuo motu,sed frigidum. Ceterum cū maior fiat effluxus a corde duro,quia ca-
lidum;quam a cerebro molli,quia frigidum rationabiliter cor maiores obtinet venas,quam cerebrum.
D Verum cum venæ contineant non modo alimentum,sed etiam excrementum;vt caussa copiosioris
alimenti venæ maiores sint conditæ:ad eundem modum,gratia copiosioris excrementi opus fuit maiori-
bus venis:verbi gratia cum Gal.16.de vsu partium vltimo,ad renes producuntur venæ magnæ,non quod
multo egeant alimento,sed vt renibus in trahendis serosis excrementis inseruiant.
Aristo.autem addebat primo de historia animalium 17.Hominis venas esse crassas,proportione hu- Magnitu-
mani corporis,ita tamen vt aliæ sint ampliores,aliæ minores,vt quæ prodeunt ab amplioribus,& tandem do ratione
in minimas degenerent:vt colligitur ab eodem Philosopho tertio de partibus quincto.Hoc autem intel- excremēti.
ligendum est de magnitudine naturali:nam si aduentitiam spectemus,dicendum cum Aristot.3. de histo-
ria animalium 17. quibus multum est carnis,iis venæ arctiores,& sanguis rubentior, & venter ac viscera
parua: quibus autem parum carnis, iis venæ ampliores, sanguis atrior,viscera magna,& venter auctior.
E Caussa esse potest,quoniam dū copiosa est caro,sanguis absumitur,vt venæ concidant, & euadant arctio-
res,quoniam a copioso sanguine non extenduntur:sanguis autem est rubentior: hic enim carnis optimū
alimentum: venter autem,& viscera sunt parua,quoniam sanguine vt augetur caro,viscera augeri neque-
unt. Contra autem quibus parum est carnis,venæ sunt amplæ,quia in carnem non absumitur sanguis: &
sanguis atrior,nam si rubicundus,in carnem mutaretur:& cum caro non augeatur, fit vt venter & viscera
augeantur,nam fruuntur alimento,quo caro destituitur.
Verum venæ secundum magnitudinem inter se non modo differunt, verum etiam ab arteriis, ea Venæ ma-
tamen seruata lege, cum Galeno 16. de vsu partium duodecimo, vt venæ in partibus insertæ, mole arte- iores arte-
rias excedant. Ratio autem fuit: quoniam partes omnes alimento indigent,siue calidæ sint,siue frigidæ, riis.
siue molles, siue duræ, alimentum autem per venas defertur, vt autem ope arteriarum caloris natiui mo-
F dus ad vnguem seruetur, non amplius similiter omnes postulant,nam partes,quæ naturali temperamen-
to sunt frigidæ, etiamsi ad alterum aliquando deuenerint,frigiditates sustinent tamen, & vincunt, & rur-
sus sine molestia calefiunt.
Vnde ob eandem caussam factum est,quoad numerum attinet, vt venæ sint arteriis numerosiores, Numerus
atque propterea (vt testatur ca.13.) inueniri venas quasdam sine arteriis,nullam autem arteriam sine con- venarum.
iuge sua vena.Intelligere autem oportet per arteriam coniugem,non eam quæ tangitur,aut quæ per mē-
branas venæ est coniuncta,sed eam quę propter eundem vsum exstiterit,verbi gratia,quemadmodum ar-
teria, quæ ex sinistro cordis ventriculo oritur, est truncus arteriarum,quæ in toto sunt animanti, a simili
vena caua est truncus,a quo omnes venæ prodeunt. Ad hæc,arteriis prodeuntibus a corde ad pulmones,
proportione respondent venæ,quæ a iecore impertiuntur ventriculo,lieni,& mesenterio. Adhæc,vt ar-
teria sursum & deorsum fertur,itidem & vena. Vt denique arteria nunquam sit sine coniuge vena, vena
G autem,quia numero excedat,sine coniuge arteria sit procreata.
Ceterum si numerum etiam perpendamus,circa vasorum tunicas,cum Gal.sexto de vsu partium II.
vena ad differentiam arteriæ vnicam numero tunicam obtinet.
Quo autem ad situm,& primum secundum originem, Gal.in arte medicinali nono,venas recenset Situs vena-
inter partes,quæ oriuntur ab hepate.Vt non ab re,cum eodem Gale.sexto,de decretis quincto,& octauo rum.

de decretis primo, omnes venæ sint continuatæ cum iecore. Neque obstat; vt ait Gale. 6. de vsu partium 11. quamuis vena caua pertingat ad cor, vbi dexter est ventriculus, propter pulmones, nam vbi non est pulmo, etiam dexter ventriculus perit. A

Venarum actio secundum Aristotelē.

At notandum circa venarum originem, propter dicta Aristotelis. Nam secundo de partibus nono, & tertio de partibus 4. euidenter fatetur, venarum principium esse cor: vt cū venæ in omnes corporis partes deferantur, vnum tantum habeant initium, quod est cor, vt vena orta ita sit ex corde, vt vena cum vena continua sit, vt si quæ vena sit separata, nec sui origine continua tendat semper & procedat, sanguinē in se contentū seruare non possit. Ex quibus dictis dubio procul colligendum, cor esse venarum principium.

Secundum medicos.

Sed non propterea asserendum, hoc dictum omnibus numeris aduersari Medicis, statuentibus venarum principium esse hepar. Nam in venis duplex principium mente concipere licet: alterum a quo est prima origo venæ, vt vena est tale corpus similare, quod inseruit iecinori, & secundum hanc rationem cū Galeno venarum origo est a iecore, in quod deferunt sanguinis rudimentum, & a quo assumentes sanguinem, hunc toti corpori impertiuntur: quemadmodum ēt a iecore, vt a principio assumūt vim, per quam, si qua portio chyli in perfectum sanguinem non est mutata, in ipsis venis perficiatur, quātum scilicet sanguinis venosi natura requirit. At cum non sufficiat, vt sanguis gignatur, sed operæ pretium sit, vt genitus conseruetur, propterea opus fuit alio principio, cuius beneficio sanguis in venis contentus ab omni labe immunis seruaretur. Tale autem principium est aor, & hoc est quod statutum fuit a Philosopho. Quod sit verum, ait, nisi vena sui origine continuitatem haberet cum corde, suum seruare sanguinem non posset, calor enim profluens ab origine hoc est, a corde, facit, ne sanguis concpletur, & ne putrescat. Ecce respicit sanguinis geniti conseruationem, nam conseruatur, dum vel non concrescit, vel non putrescit. Sanguinē autem conseruari beneficio caloris cordis, inde etiam colligitur, cum sanguis extra venas solum seruetur in corde. Vt ex his colligendum sit, generationis sanguinis principium esse iecur, conseruationis autem principium esse cor. Sed notandum ad conseruationem sanguinis in venis existentis, non ita concurrere cordis calorem, vt etiam non concurrat propria venarum temperies, cuius signū, in cadauere, sanguinē in venis contentū fluidum seruari, tametsi cordis calor iam cessarit, vt, si post mortem venarum temperies sanguinē seruat fluidum, multo magis id præstet dum animal viuit, quamuis post mortem sanguis ille in venis fluidus non sit impuritatis omnis & putredinis expers. B C

Situs venarum maiorum ad cētrum.

Deinde vero, quo ad situm secundum magnitudinem, cum Gale. 16. de vsu partium 11. magna vasa in nulla parte per summam superficiem apparent, sed intus in profundo abdita feruntur: & magis arteriæ, quam venæ, cum maioris sint momenti arteriæ, periculumque maius ex sanguinis profluuio, si sectæ fuerint, afferant. D

Venarum cū arteriis connexus.

Quo autem ad situm secundum connexum venarum cum arteriis, ex Gal. 7. de vsu partium 17. inter venas & arterias est connexus, per anastomosim, id est, orificiorum apertionem, vt ob id, & sanguis & spiritus in venis & arteriis contineatur. Quo etiam fit, vt respirationis & pulsus vtilitas non cordi soli atq; arteriis, sed venis etiam distribuatur, Ceterum notandum, cum Gale. in lib. de venarum & arteriarū dissectione vltimo, neq; omnes coniungi cum arteriis venas, neq; omnes arterias cum venis. Et hinc aliud esse dicere, venam esse sine coniuge arteria, & dicere venam esse coniunctam cum arteria: siquidem datur arteria, quæ non est coniuncta cum vena, & non datur arteria, sine coniuge vena, vt superius diximus.

Ductus.

Quantum denique ad situm secundum ductum, ex Gale. lib. iam citato cap. 1. licet etiam secundum Hippocratis sententiam venas arbori assimilare, nam quemadmodum arbor obtinet truncum, qui parte inferiore in multas radices, superiore in numerosam ramorum sobolem tendit, ita venæ, quæ in intestina & ventrem deferuntur, proportione radicibus respondent, quæ vero in totum corpus sparguntur, sunt rami cauæ, quæ trunco assimilatur. E

Portæ ductus.

Quis autem sit venarum absolutus ductus, Galen. 2. epid. 4. in principio diligenter explicat, vt quilibet facile intelligere potest. Vt sufficiat in presentia pauca quædam circa ductum & portæ & cauæ in medium adferre. Itaque quantum attinet ad portam, hæc (vt ait Gale. sexto de Placit. quincto,) a nonnullis porta iecinoris vocatur, ab aliis ianitrix, vt portam vocet totam illam partem, quæ primum in concauo iecinoris exstare cernitur, quæ etiam omnium latissima est, & nequaquam cordi continuata conspicitur, sed mittit (cum Galeno, 8. de Placit. primo) veluti radices, venas in ventriculum, iecur, & reliqua intestina, lienem, & omentum. Vt, cum eodem Gal. libro de venarum & arteriarum dissect. cap. primo & septimo, venæ ex vno prodeant principio, caua nimirum iecinoris parte, quam portas vocant. Nam hinc exorta quædam magna vena porrigitur oblique tum ad inferiores, tum ad alias animantis partes, iuxta medium duodeni intestini. Portæ autem septem venæ ita habent, vt vnus ramus sit exiguus, sex reliqui ampli. Igitur quoad ramum exiguum, huius venæ sunt, vt primum sit breuis quædam vena, quæ in nonnullis sola apparet, vt plurimum autem venis aliis comitata capillorum instar tenuibus, quæ sane tendunt tum ad duodenum, tum ad pancreas. Sed præterea quædam est parua vena ad pylorum assurgens, quæ distribuitur ventriculo, & circa, & ante ipsum. F

Quo vero ad ramos portæ insigni amplitudine percurrentes, sex numero recensentur: vt primus nascatur prope pylorum, cuius situs est ad dextram prope iecur, hic autem ramus fertur ad concauum ventriculi. Secundus ramus fertur ad lienem, quamuis in aliquibus simiis non sint duo rami, sed vnus tantum, qui statim ab exortu bifariam scinditur, vt secundum vnam partem, ventriculum; secundum aliam lienem adeat. Ceterum sit secundus ramus, seu secunda vena, quæ lienem adit, vena est satis parua, quæ multas in itinere venas, pilorum modo graciles, in pancreas edit, cumque iam prope lienem peruenerit, notabili magnitudine ramum ad concaua ventriculi mittit: quæ autem venæ pars lieni insidet, maxime circa lienis medium positionem habet, deinde inibi in ramos scissa, toti lieni, qua est concauus, clatior ex- G

A tior expãditur,multis in ipſum veluti radicib.inſita.Nec vero hic tota in ramos exhaurĩt,ſed ſatis notabili
magnitudine ſunt ipſius vtraq; extrema,vt alterũ extremum a lienis capite ad gibba vẽtriculi ſubeat,reli-
quũ ex imo lienis ad partem ſiniſtram omenti.Hæc vt plurimum fiunt. Quandoq; vero,ſed rarius,priuſ-
quã vena ad caput ſplenis pertingat,magna vena ad ventris gibba attollitur,ramos ex ſe tum ad reliquum
ſplenem,tum ad concaua ventriculi vſq; ad eius os,emittens. Tertia deinde vena,& magna,exorta,com-
plectitur externũ meſenterium ad partem ſiniſtram magnorũ inteſtinorum vſq; ad ſedem., Quarta a de-
xtris prope pylorũ enata, ad gibbum ventriculi adſcendit,a quo ſubeuntes propagines ad omenti dextrã
partem prodeunt.Quincta exorta ex latere dextro magnæ venæ,diſcinditur in meſenterium,& inibi per-
tinet ad colum inteſtinum.Sexta & vltima ad medium duorum dictorum meſenteriorum peruenit,atque
B præterea plurimas propagines habet,& in iecur primo, deinde in omne tenue inteſtinum, poſtremo in
cœcum inteſtinum,& quandã exiguam coli partem,qua colum cœco adnectitur. Hæc de ductu portæ. Cauæ ductus.

Quo autem ad venam cauam dictam: Galen. decimoſexto de vſu partium ſecundo, ait, venam ca-
uam ex gibbis hepatis procedere ſurſum, ac deorſum,trũco cuidam bifido aſſimilem: quoniam & corpo-
ris noſtri pars alia eſt hepate eminentior,alia humilior. Ceterum cauę ſitum magis explicans,libro de ven.
& arteriæ diſſectione cap.ſecundo,ſtatuit,venas prodeuntes a caua, quæ ita vocatur,quia maxime eſt, eſ-
ſe duplicis claſſis,vt alterius claſſis venę per gibbam iecinoris partem diſpergantur,vt ſuccum confectum
aſſumant: reliquæ claſſis venæ, ſanguinem in omnem corporis partem vertant: & hæ in duas præcipue Adſcẽdens
diuiduntur:nam alia portio ſurſum attollitur ad cor,reliqua deorſum in ſpinam dorſi deflectitur. Quan- caua vena.
tum attinet ad priorem: ad cor quidem attollitur per ſeptum tranſuerſum,ita tamen (vt admonet Gale-
nus ſexto de decretis quincto,) vt nequaquam in corde ortum habere videatur, & huius prima coniuga-
C tio fertur ad ſeptum tranſuerſum: deinde vero permultæ venæ, capillorum modo tenues, deferuntur in
membranam thoracem intercipientem,& pericardium: poſt quas alia vena ſatis notabili magnitudine in
dextram cordis aurem fertur, mox ab aure in ſinum eius dextrum, atque inde alia nacta eandem cum ar-
teriis tunicam,in pulmones producitur:adhæc alia vena perquam exigua, per exteriorem cordis ſuperfi-
ciem,in totum viſceris corpus ſpargitur. Atque eodem modo in plurimis animantium, vena ad ſiniſtras
thoracis partes fertur. Ceterum cum vena caua cor prætererit, ad iugulum feſtinans, eam promit ve-
nam, cuius modo mentionem fecimus: forte autem intelligit illam venam, quæ in ſimiis paullo ſupra
aurem cordis dextram ſita eſt,) quæ per ſpinam delata in omnes thoracis partes diffunditur, præterquam
inter prima duo, & quandoque tria interualla coſtarum præter hanc venam ſupra cor caua alias promit
venulas tenues, inſtar filorum araneæ, quas mittit ad membranas thoracem intercipientes, & in glan-
D dulam thymum vocatam. Ceterum dum caua prope iugulum peruenerit,in duas deducitur partes,atque
ita in latus oblique vtraque pars inclinata, a media regione paullulum diuertit: ex quibus, dum ſingula
ad ſibi vicinam clauiculam adſcendit, in medio ductu venarum ad anteriora thoracis procedentium ra-
dices ſparguntur: præter has coniugatio magnarum venarum,ſe in ramos ſcindentium,adit ſpatia inter-
coſtalia ſuperioris thoracis, adhæc loca,quæ ſunt circa ſcapulas, nonnullos etiam ex interioribus colli
muſculos. Atque ab his venis illæ etiam naſcuntur,quæ vbi ad ſextam colli vertebram peruenerint,in ipſa
foramina ſe inſinuantes,ad caput vſque efferuntur. Quod autem de his ſupereſt,id totum ad axillas por-
rigitur,vt vtrinque vna vena axillaris vocata procreetur. Vtraque autem axillaris vena quatuor parit pro-
pagines: prima quidem,& ea parua,diſtribuitur muſculis, qui a medio oſſis pectoris ad humerum ferun-
tur: ſecunda propago, & ipſa perexigua, in axillarum glandulоſa membranoſaque corpora ſpargitur:ter-
E tia autem, craſſitudine notatu digna prædita,deorſum iter habet, vtraque autem per ſuum thoracis latus
deorſum verſus, tenui neruo, ſub cute porrecta, ad ſubcartilaginea vſque delabitur.quarta denique poſt
has vena,ab ea,quæ per axillam in manum fertur, exoritur,in muſculos diſpenſatur,tum illos, qui cauam
ſcapularum partem ſubſternunt,tum eum qui inter axillæ cauitatem conſtituentes eſt maximus. Hæc de
cauæ portione,quæ ſurſum fertur.

Quo autem ad portionem,quæ deorſum tendit:ex Galeno,libro de diſſectione venarum & arteria- Deſcendẽs
rum,cap.8.vena eſt,quæ vbi e iecore primum ſe expromſit, priuſquam in lumbos conſidat,elatior adhuc cauæ ra-
exſiſtens,ſecundum partem dextram,in dextri renis tunicam, & circumiecta corpora ramulos mittit,ſe- mus.
cundum autem ſiniſtram,venam mittit notabili magnitudine donatam, quæ in ramos ſciſſa corporibus
inibi exſiſtentibus diſtribuitur. Adhæc a caua prodeunt,quæ omnium facile ampliſſimæ in renes inſerun-
F tur.Deinceps poſt has ad teſtes deferuntur venæ,quæ ita habent,vt ab ea,quæ ad ſiniſtrum perfertur renẽ,
mittatur ramus,qui ad ſiniſtrum teſtem tendit,atq; hic ab illa ſola,quæ ad renem perfertur, proficiſcitur:
interdum autem & ramulum,qui cum ipſo coit,a caua aſſumit. Quæ vero in dextra parte vena eſt,ad de-
xtrum teſtem contendens,ab ipſa producitur caua: quanquam hæc quoque mihi ſemel obſeruata eſt duo
principia habere, ſicut perſæpe habet, quæ in ſiniſtrum teſtem perducitur. Præterea ſecundum eas ve-
nas a ſingulis vertebris mittuntur venæ, quarum extrema mittuntur,ad abdominis muſculos. Tandem
in vltimis lumborum vertebris,vbi non amplius eſt videre arteriam venæ ſubiectam:(nam contra arteria
elatior,ſupra venam prouehitur,vena autem per ipſas vertebras:) hac igitur parte ſeſe contingit vtrumq;
vas,& in duo membra diuaricatur,efficiturq; illorum figura Λ græcorum elemento perſimilis:vtraq; aũt
cohærentium vaſorum pars obliquior ad ſibi ſubiectum crus deſcẽdit.In hoc aũt ductu,primum vtriuſq;
G venæ ramus diſtribuitur ad carnes in lumborum longitudinẽ exporrectas, Ψόας græci vocãt.Præterea aliæ
pilis ſimiles obſcure quandoque perferuntur ad eam peritonæi partem,quæ eſt ad lumbos. Poſt has vero
deinceps ad crura tendentes propagines,tum ad imas, tum ad anteriores partes,primum ad muſculos lati
oſſis tendẽtes,deinde ad vteri partes inferiores venæ progrediuntur paullo ſupra, quã eſt colli primus ex-
ortus. Hæ autẽ venæ in ceruicem diſſeminantur, & ad vterum coeuntes quadam ſui parte teſticulos am-

plexantur, altera vero parte ad vteri fundũ pertinent. Ex iis autem, quæ ad interiora vteri feruntur, venæ A propagantur veſicam ſubeuntes. Deinde aliud eſt coniugium venarum, quæ prodeuntes mutuo ſe contingunt, & progignunt venas vtrinque vnam, quę per pubis oſſis foramen ad exteriora cum eius loci neruo porrigitur. Atq; ita vas hoc, vt ẽt neruus, ad inferiora oſſis, quod ad pubem eſt diſtribuitur. Poſt hanc eſt alia coniugatio venarum, quæ per rectos muſculos adſcendunt, deinde extremis coniunguntur venarum, quas per thoracem deſcendere ad ſubcartilaginea prius dictum eſt. Quinetiam ab eadem radice venulæ vtrinq; ſingulæ perferuntur in vterum, per quas venas mammis cum vtero maxima eſt communicatio. Inſuper aliud eſt coniugium earum, quæ ad pudenda pertinent, & vtrinq; ad commiſſuram duorum oſſium pubis deſcendunt. Deinde ſtatim eſt alia vena vtrinq;, quæ ad crura procedit ad interiores femoris muſculos. Sequitur alia poſt has coniugatio venarum, ſub cutim in ſuperficie exſtantium, quæ de inguinibus primum orientes per ilium regionem adſcendunt. Hinc reliqua magna vena in crus diuiditur, primũ B iuxta inguina emittens propaginem, quæ cum parua arteria in anteriores muſculos ſpargitur. Secundam deinde producit propaginem, quæ ex internis partibus ad genus vſque ſubter cutim diſſipatur, ac alias nõ paucas ad profundiorum femorum partes diſtribuit. Ceterum paullo altius, quam femur, cum tibia articulo iungitur, in tres partes diuiditur, quarum media & maxima per femur deorſum ad poplitem fertur, atque inde per profundum partis poſterioris tibiæ, hoc eſt, ſuræ procedens, non modicam ramorum ſobolem in eius muſculos ſpargit: altera autem parte, quæ in ſuperficie eminet, per exteriorem partem fibulæ ad pedis articulum pertingit: tertia vero, quæ eſt interior, ad interiorem tibiæ partem, hoc eſt, ad ocreã procedit, ac inde ad malleolum peruenit, ad ipſum tibiæ extremum, quæ ſane ad ſanguinem mittendum commodiſſima eſt. Ceterum a maxima, hoc eſt, media iam propoſita, quæ per profundum muſculis diſtribuitur, duo fiunt cum arteria extrema, quorum alterum maius, a tibia fertur ad interiora: reliquum per C mediam regionem duorum oſſium tibiæ ad interiora pedis producitur, ac immiſcetur propagini alterius venæ, quæ ab exterioribus tibiæ partibus per fibulam deſcendit, vt denuo quatuor ſint venæ, quæ ad pedes deſcendunt: vna quidẽ omnia extima, per gibboſum fibulæ extremum: altera per partes interiores fibulæ: tertia per interiorem tibiæ regionem: quarta, quæ ex interioribus partib. extuberantes oſſium tibiæ proceſſus eſt complexa: vt denuo harum quatuor duæ expoſitæ ſint fibulæ, reliquæ duæ tibiæ. Hæc de venarum ductu, & præſertim vt ad ſermonem generalem ſpectare poteſt.

Finalis cauſſa.

Tandem in definitione dictum fuit [*gratia diſtributionis ſanguinis craſſioris.*] Pro cuius cauſſæ finalis intelligentia ſciendum, nos de more intelligere venarum finem, qui & omnibus & ſolis venis competit. Non negamus tamen alias veritates, & plures, venas præſtare. Verum ſi competunt omnibus venis, locum etiam habent in aliis partibus: & ſi ſolis venis, non tamen omnibus. Vt non ſit ab re, ad exactam ve- D narum doctrinam omnes venarum vtilitates patefacere, ſiue ſit vtilitas, quæ omnibus & ſolis venis ſit attribuenda, ſiue omnibus venis, ſed non ſolis: ſiue aliquibus tantum venis. Itaque quantum attinet ad vtilitatem, quæ omnium & ſolarum eſt venarum: fuit in definitione propoſita, & nil aliud eſt, quam diſtributio ſanguinis, ad differentiam aliarum materiarum, & craſſioris, ad differentiam ſanguinis tenuioris, qui per arterias defertur, vt etiam tenuior arterialis vocetur, craſſior autem venalis. Quem ſane finem pernoſcens Auicennas cap. de membris, ait, venas eſſe creatas ad hoc, vt ſanguis corporis membris diſtribuatur. Vnde etiam hepatis latorem vocat. Per ſanguinem autem opus eſſe craſſum intelligere, colligitur ex Galeno 6. de vſu part. 10. dum ait in venã concludi ſanguinem craſſum. Vnde & facile circumfuſis partibus diſtribueretur, vena ad differentiam arterię tunicam tenuem & raram obtinuit. Hunc autem finem, nempe ſanguinis diſtributionem, propoſitum ab Auicenna, inſinuauit etiam Galenus, dum tertio de vſu part. E nono ait, venarum communem eſſe vtilitatem, hoc eſt, totius corporis, vt membra nutriantur. Cum autem ſanguine nutriantur, ita ope venarum ſanguis diſtribuitur. Et ob id idem Galenus quarto de vſ. par. decimoſeptimo, venas dicebat eſſe organum diſtributionis. Hunc vſum etiam inſinuauit nono de vſ. par. ſexto, dum ait, nutritionem eſſe propriam ac præcipuam venarum omnium actionem. Quod ſano modo audiendum. Non enim partium nutritio, eſt actio venarum, ſed ipſarum partium, quæ nutriuntur, verbi gratia, venæ cerebri non nutriunt cerebrum, ſed cerebrum vi ſua ſeipſum nutrit: vt venæ præbeant vſum, vt ſolum deferant ſanguinem, ſine quo pars nutriri non poſſet. Vnde ad eandem veritatem reſpiciens 16. de vſu part. 12. ait, partes ope venarum nutriri, & rationabiliter etiam primo de ſem. 5. dicit, omnia membra, a venis tanquam a communi inſtrumẽto gubernari. Amplius ſecundo de locis affect. vltimo ait: quoniam inſtrumenta nutrimento egent, ideo opus fuit venis, quare venarum vſus eſt, vt præbeant alimen- F tum. Eundem finem ſignificauit, dum ſecundo methodi ſexto, ait, quanquam cauſſa cryſtallini maxime ſint factæ omnes oculi partes, ſingulæ tamen earum aliquam ſeorſum actionem ſunt nactæ, & vena quidem, arteria, & neruus, toti animanti communem.

Vſus ſolius & omnis venæ.

Hanc veritatem inſinuauit Ariſt. tertio de hiſtoria animalium ſecundo; dum ait, partes ſimilares (largo has modo accipiens,) eſſe communes ſanguineis animalibus, ita tamen, vt locum communitatis primum obtineat tum ſanguis, tum vena, locum aũt communitatis ſecundum obtineant reliquæ ſimilares partes. Vt his verbis ſignificaret, ſanguinis & venarum vtilitatem eſſe magis communem vtilitate reliquarum partium: quoniam ſanguis, & vena pertinent ad nutritionem, quæ eſt communiſſima actio, vt quamuis caro principatum obtineat in animali, non eſt tamen ita communis eius vtilitas, nam cum ſit organum tactus, tactus non eſt ita communis, vt nutritio. G

Venarum actio communiſſima eſt alimenti diſtributio.

Ceterum cum venæ actio toti animanti ſit communis, & proinde vtilis: alia eſſe nequit quam alimenti diſtributio. Per alimentum aũt (vt in definitione dictum fuit) intelligere oportet ſanguinem: nam ſecus vtilitas eſſet venarum non propria, ſiquidem Galen. 2. de ſanitate tuenda 11. alimenti diſpenſationem non tm̃ veris, ſed aliis etiam inſtrumentis tribuit. At ſanguinem craſſum diſpenſare, ad ſolas venas pertinet.

Cum

A Cum ergo venarum finis ſit diſtributio ſanguinis craſſioris,propter partium nutritionem,circa hunc finem duo explicanda : alterum, pertinere hunc finem ad omnes venas,reliquum , quomodo venæ concurrant,an ſcilicet per temperamentum,per ea quæ conſequuntur,per ea quæ accidunt,per actionem.

Quantum attinet ad primum , cum venarum aliæ ſint extra iecur , aliæ in iecore, & quæ extra iecur aliæ ſint portæ,aliæ cauæ venæ:& quæ in iecore,aliæ partis ſimæ, aliæ gibbæ, omnes ſanguinem diſtribuere,eſt comprobandum. *Portæ vſus* Quantum ergo attinet ad venas extra iecur:ſunt vel porta,vel caua. Quoad venas portæ,ex Gale.quarto de vſu partium ſecundo, venæ meſaraicæ alimentum deferunt ad iecur per portas, vbi per alimentum nõ tantum oportet intelligere chylum, ſed chylum aliqua ex parte in ſanguinem mutatum , cum dicit, meſaraicas alimentum in ventriculo elaboratum non ſimpliciter deferre in hepar , ſed in ipſis præparatum,diſtribuere in hepar. Vnde,dum Galenus ait,libro de venarum & arteriarum diſſect.
B primo , per venas , quæ tum ad ventriculum , tum ad inteſtina deſcendunt , cibum adſcendere ad portas, hincque per venas pertinentes ad iecur, in totum iecur permanare,per cibum intelligere oportet chylum præparatum,& proinde in ſenguinem(quamuis non perfecte)mutatum. Atq; hæc veritas confirmatur ex Galeno , cum ſecundo de Placit. quincto, dicit, in venis a iecinore in ventriculum pertinentibus primum ſanguinem gigni. Hæc de venis portæ.

Quo autem ad venas extra iecur,ſed pertinentes ad cauam,huius etiam vſum eſſe ſanguinem diſtribuere, *Cauæ vſus* colligitur ex Gal.ſecundo de Placit.quincto,cum dicit,a vena caua cor & reliqua membra alimentum recipere. Ad hæc libro de venarum & arteriarum diſſectio.ſecundo, ait, a caua propagari venas, quæ in omnes corporis partes ſanguinem ferunt. Præterea ſecundo de ratione victus decimo,ait,venam cauã ex gibbo hepatis ſurſum ad dextram cordis aurem ſanguinem ferens , partibus interiacentibus exiguum
C diſtribuit,ſed cordi plurimum elargitur:ecce vſus eſt ſanguinis diſtributio. Neque obſtat,quamuis dicat Gale.ſexto de vſu partium vltimo,cauæ venas pertingentes ad renes,deferre excrementum ſeroſum.nam cum hoc excremento etiam ſanguinem deferunt. Hæc de venis extra iecur.

Quo autem ad venas intra iecur;reſident in iecinoris parte vel ſima,vel gibba, ſi in ſima, cum Gale. *Venarũ in ſima hepatis parte gibbaque, vtilitas.* lib.de venarum & arteriarum diſſect.cap.1.alimentum aſcendit ad portas iecinoris,& hinc in totum iecur permanat.Ecce ſanguis non permanet in venis portæ,ſed diſtribuitur in partem gibbam. Si autem venæ reſident in parte gibba, de his loquens Gal.eodem lib.c.2.ait,harum venarum officium eſſe ſuccum in ſimis confectum aſſumere,ceterum,vt aſſumunt,non totum retinent, ſed eius maior portio per totũ corpus diffunditur. Quare hæ venæ ſunt viæ,per quas ſanguis a ſimis iecinoris diſtribuitur in totum corpus. Vt ſecundum eundem ſenſum accipere liceat Galen.verba,dum quarto de vſu partium quincto ait,iecur
D ſecundum gibbam partem donatum eſſe vena,quæ chymum iam purum,& ab excremento tum bilioſo, tum melancholico defecatum,ſuſcipit,aut vt ſuſcepit non retinet,vt per totum corpus diſtribuatur.

Hactenus ergo comprobatum ſit ad omnes venas , & ſolas , pertinere ſanguinis craſſioris diſtributionem. *Quomodo venæ concurrant ad ſanguinis diſtributionem.* Quare explicandum ſuccedit, per quid venæ hunc vſum præſtent. Dicimus ergo , hunc vſum venas præſtare per ea,quæ conſequuntur temperaturam,quæ accidunt, & per actionem. Declaro. Primum, quo ad ea,quæ temperaturam ſequuntur,eſt venarum tenuitas,ad quam reſpiciens Galen.6.de vſu partium 10. ait , quamuis ſanguis ſit craſſus,facile tamen circunfuſis partibus diſtribui,propter venarum tenuitatem. *1.* Sed forte tenuitas pertinet ad magnitudinem,vt tenue ſit paruum,craſſum ſit magnum,quare ad ea, quæ accidunt.

Quo autem ad ea quæ accidunt, hæc tetigit Galenus,dum loco iam citato dicit,ſanguinem etiam *2.*
E craſſiorem diſtribui propter venarum raritatem. Præterea dum lib.de morborum differentiis 7.voluit,ad venam ſpectare,optimum ſanguinem diſtribuere,vt fiſtuloſa eſt , ac habet meatum , quo fit,vt prout amplior eſt meatus,copioſioris ſanguinis fiat diſtributio,vt merito,cum Gal.16.de vſu part.vltimo,venæ ſint modo maiores,modo minores , prout maiorem vel minorem copiam deferunt alimenti,vt ſi meatus occludatur,diſtributio impediatur.Ceterum Ariſt.quoq; vtilitatem non ignorans venarum,vt concurrunt per id quod accidit,& præcipue per conformationem,& poſitionem , primum quo ad conformationem, ait 3.de hiſt.animalium 19.venas eſſe vaſa & conceptacula,ſanguinis,vt,corde excepto, nullibi ſanguis reperiatur, quam in venis. Vnde ſecundo de partib.tertio,venas quaſi ſanguinis vaſa vocat,Idem etiã tertio de partibus quarto eſt teſtatus,atq; ſecundo de generatione animaliũ quarto. Vnde tertio de partib.5.ait, cum quiſque humor deſideret conceptaculum,venarum autem genus ſit conceptaculum & vas,propter-
F ea ſanguis in venis vt in vaſe continetur,vt propterea vena per conformationem ſimilem vaſi ſanguinem contineat. Vt hinc,cum vena ſanguinem contineat,dicat 2.de partib.8. venas haberi gratia ſenſus tactus, quia ſcilicet continent ſanguinem,qui vertitur in carnem, quæ eſt organum tactus. Quo autem attinet ad poſitionem,hanc proponens Philoſophus 3. de partib.5.dicit,cauſſa,vt venæ in omnes corporis partes digerantur,eſt, vt ſanguis in venis contentus in omnes corporis partes diſpenſetur.

Ceterum & venas per actionem concurrere ad ſanguinis diſtributionem,propoſuit Philoſophus,dũ *3.* 3.de partib.3.ait,procedunt ex ampliorib.venæ minores,quouſq; arctiores reddantur, quã vt ſanguinem tranſmittere poſſint.Ecce concurrunt per tranſmiſſionẽ,quare per actionem. Vnde,a Philoſopho accipiens,actionẽ inſinuauit Gal.dũ 2.de ratione victus 10. ait,per venas ſanguinẽ ferri,& diſtribui. Diſtributio aũt,ad differentiã lationis,fit per actionẽ,hoc eſt per attractionem a vicinis venis,& tranſmiſſionẽ ad alias.
G Hinc factũ eſt,vt venæ obtinuerint fibras rectas quidẽ,per quas trahunt, trãſuerſas, per quas tranſmittũt, obliquas aũt,per quas fit aliqua retentio,ne maiori cum impetu,quam deceat,fiat diſtributio.Neq;.n.venæ egebant fibris adeo robuſtis,cã propriæ nutritionis.Ceterum admoneantur ſtudioſi,quamuis venę ad ſanguinis diſtributionem concurrant per attractionem, & tranſmiſſionem,nihilominus etiã concurrere partes nutriendas,vt ſcilicet proprium trahant alimentum,vt cum Galeno tertio de ſympt. cauſſis ſecun-

do, alimenti diſtributio perficiatur a ſingulis particulis, conueniens ſibi alimentũ attrahentibus. Et recte A dicit, diſtributionem perfici: vt inſinuaret, non ſolum particulam alendam concurrere, ſed etiam venas.

Hactenus ergo patet, ſanguinis craſſioris diſtributionem pertinere ad omnes & ſolas venas, per conſequentia temperiem, quæ accidunt, & actionem.

Vſus omnium, ſed non ſolarum venarum.

Quo autem ad vſum, qui competit omnibus venis, ſed non ſolis: hanc vtilitatem propoſuit Gale. 6. de Placitis octauo, dum ait: fieri non poſſe, vt ex corporis locis venæ functio immutetur: nam vena vbiq; propriam ſubſtantiæ ſpeciem ſeruat, ex qua propria prodit functio. Quibus ſane verbis ſignificat, mutationẽ alimenti in propriam ſubſtantiam, vt ipſamet vena nutriatur, & proinde conſeruetur: quæ functio competit quidem omni venæ, ſed ẽt omnibus partibus, vt pro ſui nutritione alimentum in propriam ſubſtantiam per proprium temperamentum immutent. Vt ſanguinis diſtributio ſit propter totum corpus, immutatio autem in propriam ſubſtantiam propter ſeipſas. Ecce eſt vtilitas, quæ competit omni venæ, ſed B non ſoli. Sed nota: cum Galen. proponat propriam venarum functionem, non eſſe nutritionem, quia nutritio eſt actio communis: quare per propriam oportet intelligere diſtributionem, quæ competit omnib. venis, ſiue ſint in vna corporis parte, ſiue in alia. Cuius claſſis eſt ẽt ſanguificatio: ſiquidem ait Gal. 4. de vſu part. 17. coqui in omnibus venis ſanguinem: vt quamuis natura venis diſtributionis organa effecerit, ipſis tamen etiam facultatem ſanguinis generatricem indiderit, ne dum alimentum per venas fertur, ipſi alimẽto tempus fruſtra periret. Ecce ſanguificatio pertinet ad venas, ſed minus quam diſtributio: vt ſanguificatio potiſſimum ſpectet ad iecur: de quo ſuo loco: ſat ſit intelligere, hoc munus ſanguificandi pertinere ad omnes venas, non autem ſolas. Eadem veritas colligitur ex Galeno, dum inquit, tertio de temperam. 2. venas, ventriculum, & iecur, eſſe organa coquendi: vt cum coctio ſit vel cibi, vel chyli, cibus coquatur a ventriculo: chylus autem a venis, & hepate, & ab his fit ſanguificatio. Hinc ẽt dicit Gal. quincto de tuenda C ſan. vltimo, carnes non recte coquere, ſi acceperint a venis, quæ male coxerunt, ergo venæ coquunt propter carnes: quæ cum alantur ſanguine, ideo venæ ſanguificant. Dicebat etiam libro de morborum differentiis ſeptimo, venam optimum ſanguinem generare. Dicebat etiam ſexto epid. quincto, primo: iecinoris & venarum facultatem eſſe cibos concoctos mutare in ſanguinem. Adhęc primo de vſu partium 16. ait, venas factas eſſe gratia generandi ſanguinis, & ſimul in omnes partes ferendi.

Ceterum aduertendum, ſanguificationem pertinere quidem ad omnes venas, ſed non eodem modo: ſiquidem ad meſaraicas pertinet præparatio aliqua chyli in ſanguinem mutandi: & id ob dicit 4. de vſu partium ſecundo, venas meſaraicas alimentum in ventriculo elaboratum attrahere, & præparare. Dicebat etiam ſecundo de Placitis vltimo, primum alimenti organum eſſe os, gulam, ventrem, ſecundum venas e iecinore in ventriculum pertinentes, in quibus ſanguis primum gignitur: meſaraicæ ergo ſanguifi- D cant, vt præparant, & rudem quendam ſanguinem gignunt, venæ autem, quæ ſunt in ſimo iecinoris, vna cum carne iecinoris ſanguificant, & perfectum ſanguinem efficiunt, venæ autem reliquæ ſanguificant, vt & perfectum ſanguinem conſeruent, & portionem imperfectam, ſi qua eſt, reddant perfectiorem.

Neq; obſtat Veſalii obiectio in Galenum: dum ait, cum venæ ſint albæ, vim ſanguificandi non obtinere. Nam vena per propriam vim, & ſibi inſitam, ſuccum gignit album: per vim aũt quam ſuſcipit a iecore, ſanguificat. Quæ reſolutio traditur a Gal. 6. de Placit. 8. dum ait, illos eſſe damnandos, qui venarũ tunicis, ſecundum naturam ipſarũ, ſanguinis creandi munus deferunt: recte aũt dicit, ſecundum naturã: nã in venis gignitur ſanguis, nõ ſecundum naturã venarum, ſed ſecundũ vim venis a iecinore cõmunicatam. Sed & omni venæ cõpetit ſanguificatio, non ſoli: q̃ proponitur ab Hip. li. de alimẽto, dũ ait: ex venis & arteriis abeũt in omnia ſanguis, & ſpũs, & calor p̃ hæc meat. Hæc de vtilitate cuiuslibet venę, ſed non ſolius. E

Vſus ſolarũ venarum, ſed non omnium.

Quæ autem vtilitas ſit ſolius venæ, ſed non omnis: colligi poteſt a Gal. in arte medic. 9. eſt autem, deferre vim naturalẽ. Quod ſit verum, inquit: aliquas eſſe partes, q̃ inſitas habent a natura potentias, aliquas vero q̃ inſitas ſimul & emanantes, cuiuſmodi ſunt quæ neruis, arteriis, & venis egent. Si ergo ſunt, q̃ venis egẽt, ergo per venas defertur vis naturalis, vt ſicut vis animalis ſolum defertur per neruos, ita naturalis ſolum defertur per venas, at non per oẽs, ſiquidem tñ ad oſſa pertingunt venę, quamuis exiguæ, oſſaq; a Galeno recenſentur inter partes, q̃ natura inſitas, nequaquam aliunde habent emanantes facultates. Vt hinc colligere liceat differentiã inter facultatẽ naturalem & animalem, vt animalis ſolum influat, naturalis & inſita ſit, & influat, vt quandoq; ſufficiat ſolum inſita, vt in oſſe, quoniam vix diſſipatur, quandoq; opus ſit & inſita, & influente, vt in muſculis, & reliquis partibus, quarum ſubſtantia, vt prompte diſſoluitur, prõte etiam & copioſe refici debet, vt opus ſit robuſta facultate, & proinde inſita, quæ robur etiam acqui- F rat ab influente. Sed ad rem, delatio naturalis facultatis pertinet ad ſolas venas, ſed non omnes.

Vſus non ſolarũ, nec omnium venarum.

Tandem vtilitas venarum nec omnium, nec ſolarum, proponitur a Galeno, decimoſexto de vſu partium vltimo, dum ait, venas latas deduci in renes, non quidem, quia multo egent alimento, ſed vt attrahant valide, & ita attrahentes renibus inſeruiant, ad attrahenda ſeroſa excrementa. Ecce venæ ſunt non omnes, ſed pertinentes ad renes, quæ attrahunt vna cum renibus excrementa ſeroſa, & illa etiam deferunt, vna cum arteriis, quare vtilitas, nec ſolius, nec cuiuslibet venæ. Cuiuſmodi etiam eſt vtilitas, quæ adſcribitur cauæ, dum Galenus quarto de vſu partium quincto, ait, venam cauam ſuſcipere ſanguinem, qui multa humiditate tenui & aquoſa eſt plenus, vt conducat tanquam nutrimenti vehiculum, ſiquidem quamuis ex hac ſeroſitate nulla particula nutriri queat, diſtribui tamen alimentũ in corpus ſine hac non poterat. Tandem vtilitas nec ſolius, nec cuiuslibet venæ eſt, quæ proponitur a Galeno libro de vſu pul- G ſuum ſecundo, dum voluit, venarum vſum eſſe, vt calorem a corde toti impertiantur, propter illum continuum tranſitum, qui eſt de arteria in venam, vt ob id ligatis arteriis partes non prorſus orbentur cordis calore, quia per venas caloris aliquid in omnem particulam defertur. Addebat inſuper capite tertio, ſi poſt vulnus vinculo excipiantur, tum venę, tum arteriæ, partes citius reddentur frigidiores: ſi autem

ligen-

A ligentur ſolæ arteriæ, ſerius: nam aliquis confluit calor per venas: ſi aũt ſolæ venæ ligentur, partes frigidæ
non redduntur; nã ſufficit calor per arterias cõfluens. Eſt ergo caloris diſtributio vtilitas, nõ ſolius venæ,
cum pertineat & magis ad arterias: nec omnis venæ, ſed illius tantũ, quæ arteriam habeat cõtinuam, quo-
niam per continuũ tranſitum de arteria in venam fit hæc diſtributio, vt potiſſimum fiat per id, quod acci-
dit, hoc eſt, per ſitum venæ proximum arteriæ, & per orificia ſeu per poros ipſius venæ. Hæc de venis.

CAPVT XVII.

De Arteriis.

QVANTVM ad arterias: primum quo ad nomen: notandum ex Galeno ſexto de Placit. vltimo, & ſe- Nomen.
cundo epid. quincto, circa finem, & alibi quoque, Hippocratem & Platonem vaſa ſanguinem conti-
B nentia nominaſſe venas: poſteriores autem, vas, ſanguinem continens deſtitutum motu, vocarunt venas,
præditum autem motu, arteriam. Ceterum, cum (eodem teſte Galeno 7. de compoſit. medicamen. ſecun-
dum locos, cap. 1. & 7. de anat. adminiſt. primo) duplex ſit genus arteriæ, aliud a ſiniſtro cordis ventriculo
in totum propagatum, aliud quod ex larynge in pulmonem deſcendit: nos in præſentia circa illud arteriæ
genus verſabimur, quod a corde exoritur. Et ſicut illud genus, quod in pulmones deſcendit, nominatur
arteria aſpera: ita hoc, de quo loquemur, poteſt vocari arteria leuis.

Leuis igitur arteriæ hæc definitio tradi poteſt: *Arteria leuis eſt membrum ſimilare, genitum ex ſub-* Definitio.
ſtantia carnoſa, & fibroſa, & membranoſa, a vi arterifica, gratia diſtributionis ſanguinis ſpirituoſi.

Declaro. Primo dictum fuit, arteria eſt *membrum*: ſcilicet vita præditum, quod neceſſario habet Genus.
facultates, ſiquidem ex Galen. lib. 4. de vſu part. 7. quodlibet inſtrumentum contrarias inter ſe ſibi inſitas
C facultates habet, nempe attractricem, & expultricem, præterea retentricem, & alteratricem. Et ob id lib.
artis medic. no 10, arterias recenſet inter corporis partes viuentes, ad differentiam ſcilicet pilorum.

Deinde dictum fuit [*ſimilare*] ſiquidem Gal. lib. de morborum differentiis tertio, arterias collocat Materia.
inter partes ſimilares, quamuis non ſint ita ſimilares, vt oſſa, cartilagines, & ligamenta: quemadmodum
teſtatur libro de inæquali intemperie ſecundo, vbi venas & arterias ſeparat a partibus magis ſimilaribus,
ſicut in ſermone de venis explicauimus.

Deinde in definitione dictum fuit, [*genitum ex ſubſtantia carnoſa, & fibroſa, & membranoſa*] ex de-
cimo methodi vltimo, vt dictum fuit de venis, vt ex hac particula colligeremus, quamuis arteria fiat me-
diate ex ſemine, & magis mediate ex ſanguine (vt ait Gale. ſecundo de facultat. naturalibus tertio) nihil-
ominus, vt ſanguis mutatur in ſemen, & ſemen ad procreationem arteriæ in carnoſam ſubſtantiam & fi-
D bras: hæ duæ ſubſtantiæ ſunt materia ex qua immediate fit arteria.

Vnde quoad ſubſtantiam carnoſam, hanc Auicennas vocauit ligamentalem, & Galenus lib. de inæ-
quali intemperie ſecundo, membranoſam, quoniam tunicę caro, inſtar ligamenti & membranæ extendi-
tur, eſt tamen determinata & propria caro arteriæ, diſtincta a qualibet alia carne, etiam ſeminali.

Quod autem attinet ad ſubſtantiam fibroſam, ex hac etiam arterias fieri locis citatis, dicit Galenus.
Quinimo etiam addit, ſecundo de temperamentis tertio, hanc ſubſtantiam fibroſam, ad differentiã fibra-
rũ in muſculis, non eſſe factam ex ligamentis & neruis, vt inſinuaret genitam eſſe ex priuato ſemine. Neq;
etiam fibræ citra artificium arteriam conſtituunt, ſiquidem, cum arteria (vt ſuo loco oſtendemus) duas
habeat tunicas, cum Galeno, ſexto de vſu partium, interna fibras obtinuit tranſuerſas, addebat autem Ve-
ſalius, (ſed a Gal. accipiens, ſeptimo de anatomicis adminiſtrationibus quincto) tunicam interiorem eſſe
E intertextam duntaxat tranſuerſis fibris, exteriorem autem rectis, & quibuſdam mediocriter obliquis,
tranſuerſis nullis: vt ſi fibræ inuicem cõferantur, plurimæ ſint tranſuerſæ, pauciſſimæ obliquæ, rectæ pau-
ciores tranſuerſis, plures obliquis. Et ratio fuit, quoniam arteria, vt ſuo loco explicabitur, magis eget de-
ſtinata tranſmiſſione, minus attractione, & adhuc minus retentione, fibræ autem tranſuerſæ inſeruiunt Codex Aui-
tranſmiſſioni, rectæ attractioni, & obliquæ retentioni. Neque huic veritati aduerſatur Auicennas, quam- cennæ cor-
uis dicat, vbi membra habent duas tunicas, in interna ſemper fibras eſſe rectas & obliquas, in externa trãſ- rigitur.
uerſas. Dicimus, non opus eſſe legere ſemper, ſed ſæpe, vt ſcilicet excipiantur arteriæ, vtpote quæ magis
ſunt deſtinatæ diſtributioni, quam retentioni: ad differentiam ventriculi, vteri, & ſimilium partiũ. Quod
ſit verum: Auicennas, cum dicit, melius eſt vt villi attrahendi & retinendi ſint: ſimul addit, niſi in inteſti-
nis, nam magis egent attractione & expulſione, quam retentione. Conſtitutum ergo ſit, arteriarum ma- Arteria nõ
F teriam ex qua, eſſe ſubſtantiam carnoſam, & fibroſam: & proinde membrum eſſe ſpermaticum: vt deper- reparari,
ditum reparari nequeat, quamuis ad differentiam oſſis agglutinationem admittat, vt teſtatum reliquit ſed tamen
Galenus quincto methodi ſeptimo: ſiquidem eam duritiem non obtinet, quam os, & cartilago: vt aliud agglutinari
ſit partem deperditam refici, aliud diuiſam agglutinari. poteſt.

Ceterum notandum, dum dictum fuit, arteriam eſſe genitam ex carne, & fibris, (vt dictum eſt de ve- Quædam
nis) opus eſſe intelligere de quacunque arteria. Siquidem quædam reperitur arteria, quæ præter proprias arteria mẽ-
tunicas, communem etiam, hoc eſt, membranã aſſequitur. Quod ſit verum: Galenus quincto de vſu par- brana te-
tium ſecundo, ait: arterias inſtar venarum diſtribui, vt membranæ, quib. venæ proteguntur, & vicinis par- guntur.
tibus colligantur, protinus arteriis quoque ſint vſui. Ecce arteriæ membranis teguntur. Adhæc idem Ga-
lenus, ſeptimo de anatomic. admini. quincto, dum propoſuit tunicas peculiares arteriæ, ita habet: quarta
G vero peculiaris tunica nulla eſt, ſed veluti quibuſdam venarum, ita arteriis alicubi adhereſcit & circun-
tenditur membrana tenuis, integens, aut firmans, aut connectens arterias vicinis particulis; atque id ma-
xime venis & arteriis accidit, ſecundum ſeptum, in ima regione a peritonæo, in ſuperiori intra thoracem
a membrana ſubcingente coſtas. Vt demum, cum membrana aliquam arteriam quandoque inueſtiat,
cum Gal. paſſim, & potiſſimum libro de pleuritide quarto, aliqua arteria ſentiat.

Arteriarum ſanguis.

Conſtitutum ergo ſit, arterias immediate productas eſſe ex ſubſtantia carnoſa, & fibroſa, vt hæ ſubſtantiæ fiunt ex ſemine: vt ſemen fit ex ſanguine, qui ſane ſanguis cum Galeno tertio de facultatibus naturalibus vltimo, eſſe poteſt tum arterioſus, tum venalis. Quod ſit verum: quantum ad arterioſum, hoc eſt, a corde emanantem, ait, quod ſanguinis in cauitatem arteriarum, cum dilatantur, eſt translatum, id ceu maxime ſibi conueniens, maximeque nutrire valens tunicæ vaſorum, ſcilicet arteriarum, trahunt. Quo vero ad ſanguinem venoſum, hunc proponens, ait: quod autem ex venis in arterias transferatur aliquid ſanguinis, præter ſanguinem ſcilicet arterioſum, euidenti argumento eſt: Si enim multis ampliſque arteriis præciſis iugulare per eas animal velis, inuenies animalis venas atque arterias vacuatas, quod ſane nunquam fieret, niſi vena & arteria inter ſe haberent altera in alteram ora recluſa. Cum ergo ſanguis ex venis in arterias influat, niſi arteriæ ex hoc nutrirentur, fruſtra ſanguis in arterias conflueret. Quare arteriæ aluntur ſanguine & arterioſo, & venoſo: vt ab arteriis in ſemen mutatur. Excipi tur autem magna arteria prope cor: vnde Hippocrates libro de corde ait: magnam arteriam non nutriri ſanguine apparente, & quem videmus: quod ex eo fit manifeſtum, mactato enim animali, & ſiniſtro ventriculo diſſecto, tota arteria diſſoluta apparet, modico ſeroſo humore excepto, flauaque bili, conſpicitur autem (vt puto) ſeroſus humor, quia fuit ſanguinis vehiculum: apparet autem flaua bilis, quoniam, cum ſanguis pro alimento arteriarum egeat inſigni elaboratione, aliquid flauæ bilis in hac inſigni coctione ſecernitur.

Efficiens cauſſa. Craſis.

Deinde dictum eſt [*a vi arterifica.*] Per hanc de more intelligimus generatricem arteriarum, per propriam alteratricem, & formatricem. Vnde quantum ad alteratricem: hæc arteriis tribuit illam temperiem, quam proponit Galenus primo de temp. vltimo, dum ait: arteriarum tunicam exſanguem eſſe, & natura frigidam, contactu autem ſanguinis calefieri, atq; ad medium temperamenti ſtatum venire, in paſſiuis autem voluit eſſe ſiccam, ſed minus tendine, & magis neruis, atque etiam (vt ait quincto methodi ſeptimo) ſicciorem vena. Addit autem ſecundo de temperamentis tertio, arteriarum carnem eſſe calidiorem cute, fibras autem partim ſimiles, partim paulo magis, partim paulo minus, tum frigidas, tum ſiccas.

Durities, & craſſities.

Vt cum hæc ſit arteriarum temperatura hanc ſequatur potius durities maior, quam in venis: & quo ad formatricem, craſſities. Vnde dicit Galenus quarto de dignoſcendis pulſibus vltimo, arteriam tam craſſa tunica eſſe munitam, vt peritonæi ſit ſextupla. Dicit etiam ſexto de vſu part. decimo, venas & arterias nõ habere tunicas æque craſſas, ſiquidem arteria ſextuplo eſt ſpiſſior, quam vena. Excipitur autem arteria venoſa, de qua in ſermone de pulmone loquemur, quemadmodum etiam de vena arterioſa. Sed ad rem. Arteria obtinet ſubſtantiam craſſiorem venis, & præterea cum Gale quincto methodi ſeptimo, etiam durã: quamuis arteria ſit longe mollior, & magis carnoſa, quam os & cartilago. Alteratrix itaq; arteriis hanc tribuit temperiem, & proinde hæc temperiem conſequentia. Cur autem: apparebit, dum circa vtilitates arteriarum verſabimur. Hæc de vi alteratrice.

Conformatio.

Quantum ad formatricem: cum hæc tribuat conformationem, magnitudinem, numerum, & ſitum: quantum ad conformationem, reſpiciens ad hanc Gal. 1. de differentiis pulſuum 3. ait: arteriæ corpus non modo eſſe longum, ſed præterea teres, & cauum: Dicebat etiam primo de cauſſis pulſuum 4. arteriam inſtrumentum eſſe, quod ſpiſſis eſt tunicis, & cauum intus. Vt cum eodem Gale. li. de morborum differẽtiis 7. arteriæ euidentes obtineant meatus. At præter hos euidentes meatus pertinentes ad cauitatem arteriarum, ſunt etiam alii meatus, ſeu pori, quorum aliqui ſpectant ad tunicas, aliqui ad extremitates arteriarũ. De quibus omnibus agens cum diligentia Galenus, dicit libr. de vſu pulſ. 5. arterias numeroſas obtinere meatus, per quos materia extra arterias tranſmittitur, & in arterias attrahitur. Siquidem in primis arteriæ communia habent cum venis oſcula, quamuis adeo exigua, vt ſenſum noſtrum fugiant: quo fit vt ſi magnæ ſimulq; multæ arteriæ vulnerentur, vniuerſus animalis ſanguis per eas exhauriatur. Arteriæ præterea, ait Gale. poſſident ora, quæ in cutem finiuntur, per quæ & aer circundans recipitur, & halituoſum excrementum excernitur. Amplius arteriæ ſecundum ſuas tunicas habent tenues quoſdam meatus veluti ſpiramenta, per quos ex circumpoſitis ſpatiis viciſſim trahunt & expellunt. Adhæc arteriæ oſculorum ſpecie meatus habent, qui in inteſtina & ventriculum terminantur, per quos ex ventre & inteſtinis tum attrahunt, tum rurſus expellunt. Hæc de conformatione.

Magnitudo.

Quantum ad magnitudinem, cum Gale. 3. de facult. naturalibus vltimo, arteria eſt vas ſatis vaſtum, a quo quæ ſunt in corpore omnes arteriæ ortum habent. Magnitudinis aũt cauſſa fuit, quoniam arteria nõ modo ſpiritum a pulmone accipit, verum etiam ex dextro ſinu, per vias communes, hoc eſt, ſepti foramẽ, ſanguinem ſuſcipit. Ceterum, quamuis arteria vas ſit magnum, nihilominus æqualem magnitudinẽ non ſeruat: vt arteriæ aliqua portio ſit maior, alia minor. Veluti cum Gale. ſexto de vſu partium quincto, & 16. de vſu partium ſecundo, dum arteria ex corde enaſcitur, protinus imparibus ſectionibus bifariam diuiditur, nam maior eſt portio, quæ fertur deorſum: quoniam totius animantis partes cordis ſubſtantia ſunt plures. & maiores ſuperioribus. Hic adeſſe craſſitiem, & tenuitatem, in reſpectu ad venas.

Numerus arteriarum.

Quantum deinde attinet ad numerum: ſi primum arteriæ conferantur cum venis (vt dictum fuit in ſermone de venis ex Gale. 16. de vſu partium 12.) arteriæ in partibus inſertæ ſunt pauciores venis: & ibi ratio fuit explanata.

Tunicæ.

Si autem perpendatur numerus in ipſis arteriis: potiſſimum perpendere licet tunicarum numerum: Dicebat autem Galen. 7. de anatomicis adminiſtrationibus quincto, arterias poſſidere tunicas peculiares duas, nempe exteriorem & interiorem, exterior eſt ſane tenuis, qualis eſt venæ tunica, & rectis fibris, & quibuſdam mediocriter obliquis, tranſuerſis nullis contexta, interior vero, & durior eſt, & quinctuplo craſſior, in tranſuerſas fibras diſſoluitur. Hæc præterea interna tunica, ſecundum internam ſuperficiem ceu quandam cutẽ obtinet, telæ aranearum manifeſto perſimilem, in magnis quidem arteriis perſpicuam,

quam

A quam nonnulli tertiam arteriæ tunicam ſtatuunt. Præter has nulla alia eſt peculiaris: ſed in aliqua arteria, vt ſuo loco dictum fuit, quædam membrana contegens. Sed ad rem. Hic eſt tunicarum numerus: vt peculiares ſint duæ: exterior, & interior; cum ſua cute, in ſuperficie interna. Hanc eandem veritatem propoſuit, dum ſexto de vſu partium vndecimo ait: arteriam duas obtinere tunicas, quarum interna craſſa eſt admodum denſa, ac dura, exterior tenuis, ac mollis, cuiuſmodi eſt venæ tunica. Dicebat etiam quarto de differentiis pulſuum ſecundo, arteriam eſſe vas aſſimile venæ, niſi quatenus duplicem tunicam, & longe robuſtiorem habet. Hæc de numero.

Arteria ortus.

Quo autem attinet ad ſitum: & primo penes ortum: Gal. lib. artis medic. 6. ait, arterias originem ducere a corde, hoc eſt, vt ait Gal. 6. de vſu partium quincto, a ſiniſtro cordis ventriculo, quemadmodũ etiã primo de Placi. c. 7. affirmauit, & replicauit tertio facul. nat. vlt.

Ductus arteriarum tutus eſt.

B Quo autem attinet ad ſitum, ſed penes ductum: primum id ſcire expedit, formatricem hunc ſecurũ tribuiſſe arteriis, vt, cum Gal. primo de præſagio ex pulſibus tertio, rarum ſit, vt arteria de ſua ſede migret. Hinc factum eſt cum Galen. 16. de vſu part. 10. vt quanto arteria ad vitam eſt principalior, tanto ductum ſeu ſedem tutiorem habuerit. Hinc etiam formatrix cum eodem Galen. 3. de anatomicis administ. octauo. in imo retinet arterias, vt nuſquam particulam ipſarum manifeſte in cutem emittat: emittit autem & venas, & neruos. Vt arteriarum ſitus ſit vſque adeo profundus, vt cum Galen. tertio de anatomicis adminiſtrationibus vltimo, in carnoſis arteriarum pulſus non appareat. Statutum ergo ſit, arterias, ſecundum ductum, ſedem admodum tutam obtinere: nam vbi læduntur arteriæ, ſummum vitæ imminet diſcrimen.

Arteriæ venis ſunt vicinæ.

C Ceterum arteriæ præter tutam ſedem cum Gal. nono de vſu partium quincto, etiam eam ſunt adeptæ, vt venis ſint propinquæ: vt hæc vaſa mutuo ſeſe contingant, & ſemper arteriis venæ inſideant, vt, teſte Galeno quincto de vſu partium ſecundo, ſit conſpiratio quædam, & materiarum communio.

Arteriarum ductus & propago.

Ceterum vt in hoc ſermone generali aliqua ex parte arteriarum ductus appareat: ſciendum ex Gal. libro de venarum arteriarumque diſſect. cap. nono: & primo de placitis ſeptimo, & 16. de vſu partium ſecundo: ſexto de vſu partum quincto, libro de pulſibus ad tyrones quincto, quemadmodum dictum eſt de venis, ita dicendum de arteriis a corde prodeuntibus; vt quæ ramorum ſerie pulmones petant, radicum imaginem oſtendant: quæ autem aorta, ſeu magna vocatur arteria, caudicis in arbore proportionem ſubeat.

Ceterum ex hac magna arteria, quæ trunco reſpondet, & maxima eſt, diſtribuuntur rami tum ad reliquum corpus. Quæ ſane diſtribuitur in cor: eſt, quæ cor ambit ſeu coronat: vnde dicitur ὁπιστεφανοῦσα,
D quaſi circumcoronans: vt cor in ambitum duas habeat circumfuſas arterias, alteram quidem maiorem, quæ maximam cordis partem amplectitur: reliquam ea maxime regione diſtributam, vbi tertium ventriculum eſſe exiſtimauit Ariſt. at iacet in latiori cordis parte, quæ eſt particula dexterioris ventriculi, nõ autem tertius ventriculus.

Minor arteriæ portio adſcendens.

Ad reliquum autem corpus magna arteria mittens ramos, hunc ductum ſeruat, vt minor pars ſurſum feratur: maior autem ad ſpinam deflectatur. Vnde, quantum attinet ad minorem: hæc dum ſurſum fertur, confeſtim in ſectiones inæquales finditur: nempe in maiorem & minorem. Quantum ad maiorem minoris: hæc ad iugulum tendens, oblique de ſiniſtra ad dextram thoracis partem porrigitur. Hæc autem vbi prope glandium, hoc eſt, thymum peruenerit, primum mittit ramum ad ſiniſtram iugularem, poſt illũ
E alterum ad dextram: deinde quidquid ipſius reſtat, ad pectoris os, non aliter ac vena porrigitur, tum alios producens ramos, tum eum qui mammas ſubit. Quæ vero portio ad primas thoracis coſtas diuiditur, extraque thoracem emergit, vt vena, ad ſpinales muſculos diſtribuitur, quæque per foramina ſex vertebrarum colli deducta, vna cum vena, ad ſpinalis medullę meningas deſcendit, & diuiditur, vt ad ſummum humerum, ſcapulam, & axillam dextram, vna cum venis diſtribuatur: ſicuti & arteriæ carotides dictæ ſingulæ cum ſingulis iugulariis venis internis adſcendunt. Omne autem quod ex carotidibus reliquum eſt, ſurſum recta procedens, penetrat in caluam, inibique plexum illum, ad retis imaginem complicatum, efformat. Deinde rurſus in duas coiens arterias, ſubdit ad cerebrum. Quo autem ad minorem, oppoſitum maiori habet ſitum: nam attollitur & ipſa obliquior ad ſiniſtram ſcapulam, & axillam, & propagines mittit ad pectoris os, primas etiam thoracis coſtas, ad ſex colli vertebras, atque ad clauiculæ loca vicina ſummo humero: cum autem has omnes ediderit, reliquum eius in ſcapulam & manum diuiditur. Hæc de arteria, vt
F ſurſum fertur.

Maior portio arteriæ deſcendens.

Quo vero ad eam quæ ad ſpinam deflectitur, quæ maior eſt: hæc vt a corde ſe promit, & ad ſpinam deflectitur, quinctam thoracis vertebram adſcendit, & inde per totam ſpinam vſque ad latum os deſcendit: atque primum propaginem quandam emittit tenuem, quæ in eas diuiditur thoracis partes, quibus pulmones adiacent. Huius autem propaginis extrema ad arterias vſque adſcendunt; deinde per ſingulas vertebras rami, tum in ſpatia intercoſtalia, tum ad ſpinalem medullam exoriuntur. Ceterum magna arteria deorſum procedens, ſimulatque thoracem egreſſa eſt, præterea duas in ſeptem tranſuerſum mittit arterias, deinde in abdominis viſcera, nempe ventriculum, iecur, lienem, meſenterium, inteſtina, renes, veſicam, & teſtes. Dum vero magnæ arteriæ pars extrema, ad lumborum latera peruenerit: ſuperpoſitam venam tranſcendit, atque bipartita in vtrumque crus mittitur. At dum hæ portiones ita feruntur,
C præterea ad vtramque ipſarum conſpiciuntur propagini ramuli, qui conceptibus per vmbilicum inſeruntur, atque ſimiliter etiam in iam perfectis animantibus arteriæ aliquæ propagatę, vna cum venis, ad os latum & vicinos muſculos excurrunt. Atque tandem cruris vtriuſque arteria per crus deſcendens ad pedes defertur. Hæc de arteriarum ſitu in genere: & proinde de compoſitione, quæ arteriis a formatrice fuit tributa.

Finis.

Tandem in definitione dictum fuit, [*gratia distributionis sanguinis spirituosi.*] Hac particula exprimitur vtilitas,quæ & omni,& soli arteriæ attribuitur. Qua vtilitate explicata,(vt in sermone de venis)reliquas arteriarum vtilitates explanabimus:siue competant omnibus,at non solis: siue solis, sed non omnibus:siue nec solis,nec omnibus. Quantum ergo attinet ad vtilitatem,qua & sola & omnis arteria est donata,& proinde in definitione est proposita:dictum fuit,esse distributionem sanguinis spirituosi. Vnde primum sciendum,dixisse Hipp.lib.de ossium natura,venas,id est,arterias, pulsatiles venas per corpus diffusas,spiritum,& fluxum,& motum exhibere:spiritum,id est vitalem:fluxum,id est,sanguinem spiritalem: & motum,id est,vim pertinentem ad arterias,vt pulsent. Sed præterea sciendum, dixisse lib.de carnibus, arteriam plus habere calidi,quam venam, & spiritum condere,& conseruare. Adhunc sciendum,cum Gal.6.de Placit.8.per sanguinem spirituosum opus esse intelligere sanguinem,qui est permixtus cum copioso spiritu vitali. Vnde dicit loco citato Galenus,arterias deuehere in totum corpus sanguinem,sed nõ crassiorem instar venarum: verum feruentem & spirituosum, & qui cum vehementia fluit. Dicit etiam primo de semine sexto,ex arteriis influere spiritum, vna cum subtili admodum,& pauco,& calido sanguine. Vt,cum sanguis spirituosus sit cordis opus,propterea cum Auic.arteria sit lator,inseruiẽs cordi: quod accepisse potuit a Gal.lib.artis medic.nono. A B

Vsus soli & omni arteriæ conueniens.

Ceterum quia arteria distribuit sanguinem spirituosum,& quia detinet,& quia transmittit; vt nisi sanguis a corde in arterias effluxus in arteriis detineretur,& nisi arteriæ transmitterent,non fieret hæc distributio:idcirco duo explicanda occurrunt:alterum quomodo arteriæ detineant sanguinem: reliquum quomodo transmittant ad hanc distributionem.

Quomodo sanguis in arteriis detineatur.

Quantum ad primum: ex Galeno sexto, de vsu partium decimoseptimo,arteriæ sanguinem tenuem detinent per suam substantiam crassam,& hinc per duplicatam tunicam,& proinde per ea quæ consequuntur. Sed forte per ea quæ accidunt:nam crassities pertinet ad magnitudinem. Patet autem,per sanguinem tenuem opus esse intelligere sanguinem spiritu refertũ. Vnde Galenus libro de tumoribus præter naturam vndecimo,voluit,arterias detinere sanguinem tenuem multo spiritu refertũ. Vt huius caussa etiam cum Auicenna arteria duplici tunica fuerit donata,& interna etiam satis crassa,ne a sanguine calido contento scindatur,& ne spiritus contentus præ nimia sua raritate resoluatur. C

Distributio sanguinis spirituosi.

Quo autem ad secundum:dicimus arterias conducere ad distributionem per sui actionem,hoc est, per pulsum:de quo infra suo loco dicimus. Sed præterea,& magis,per expulsionem,& proinde per fibras, quæ ob id in tunica interna sunt tantum transuersæ,& plures. Constat ergo quemadmodum & omnis & solius arteriæ vtilitas est distributio sanguinis spirituosi per vniuersum corpus. Quæ sane vtilitas non exigui est momenti:siquidem virtute huius transmissionis,præter id,quod aluntur arteriæ, vt superius diximus,accidit & animalem spiritum nutriri,& calorem vitalem per totum corpus, mediãte sanguine & spiritu,dispensari. Vtrumque Gal.auctoritate comprobatur. Et primum quantum ad animalis spiritus nutritionem:dicit Gal.6.de vsu part.17.in arteriis purum sanguinem & tenuem detineri,nempe qui spiritui animali nutrimentum erat suppeditaturus. Quo vero ad calorem vitalem:dicebat Gal. lib. de vsu pulsuũ secundo,calorem toti a corde communicari per arterias,quamuis non modo per cauitatem, hoc est, per spirituosum sanguinem in cauitate detentum,sed etiam per arteriarum tunicas: vt quamuis arteriæ vinculo constringantur,subiectis tamen partibus non adimatur calor:quoniam per tunicas nonnihil cõfluit Vt arteria sit caloris influentis ductus,seu subiectum,& per continuatam tunicam,& per meatum,hoc est,sanguinem spirituosum contentum in meatu. Vt tandem concludere liceat,omni & soli arteriæ competere,vt distribuat sanguinem spirituosum toti corpori:vt huius distributionis beneficio non modo alantur arteriæ,verumetiam nutriantur spiritus animales,& calor a corde in totum influat. Vt si seorsum hos fines spectemus,nutritio animalis pertineat solum ad arterias,quæ caput petunt: distributio autẽ caloris influentis,ad omnes arterias,non tamen ad solas,cum etiam, (vt dictum fuit in sermone de venis,) aliqua fiat per venas distributio. Quinimo vt ait lib.de vsu pulsi.3. cordis calor influit ad partes,non modo per venas,& arterias,verumetiam per alias omnes particulas: vtilitas autem & omnis & solius arteriæ, sit sanguinis spirituosi distributio per totum corpus. D E

Cõseruatio qualitatis caloris natiui: quæ omni,sed nõ soli arteriæ conuenit.

Eiusdem classis,vt puto, ferme est qualitatis caloris naturalis custodia: vt cum arteriæ conferant toti,& distribuendo calorem influentem,& per tunicas,& per cauitates,& conseruando caloris insiti qualitatem:rationabiliter arterias Galenus 1.de semine quincto,& alibi,recẽset inter prima maximeque communia in animalibus instrumenta, a quibus omnia membra gubernantur. Dictum autem fuit, ferme: propterea quod distributio sanguinis competit soli & omni arteriæ: commoderatio autem caloris,omni quidem arteriæ, sed non soli: siquidem ex Galeno lib. de vsu respirationis vltimo,moderata respiratio contingit per arterias toti, hoc est, omnibus membris,præterquam cordi, & cerebro; quia scilicet cordi accidit per pulmones, cerebro autem per nares: vt caloris custodia non solum pertineat ad arterias, verumetiam ad asperam arteriam,& pulmones, atque ad nares. Vnde hic notandum, hoc loco Galenum accipere respirationem pro motu ex inspiratione,& exspiratione: quomodo accipiebat Hipp. 6. epidemiorum 6.primo. Vnde ait:demonstratum est, impossibile esse caliditatem esse saluam citra respirationem:inspirans namque & exspirans est totum corpus. Vt per respirationem accipiat motum,non modo voluntarium,qui sit a musculis, qui proprie dicitur respiratio; verumetiam naturalem,qui fit ab arteriis, & vocatur pulsus:qui,vt ait Galen.lib.de vsu pulsi.2.est veluti quædam respiratio. Sed ad rem: Qualitatem temperiem caloris seruari,cum pertineat & ad nares,& ad pulmones,& ad arterias: rationabiliter hęc vtilitas est quidem omnis arteriæ,sed non solius. Et quod hoc sit verum,adhuc confirmatur Galeni testimonio,libro de vsu pulsi.2. dum ait: cordis calorem seruari sola respiratione: aliarum autem partium, & pulsu,& calore,a corde effluente. Vnde dum ait Auicennas,cap.de membris,arterias esse creatas, vt cor F G

cuen-

euentetur: eſt praua lectio, & legere oportet, vt calor euentetur. Et hæc veritas colligitur etiam ex Gale. 16. de cauſſis morborum 3. & 4. de præſag. ex pulſibus 12. dum ait, calorem ſeruari a motu corois: & arteriarum.

Quomodo arteriæ cõſeruent caloris natiui qualitatem

Ceterum hoc loco admoneantur ſtudioſi, dictum eſſe, ad arterias pertinere, conſeruare calorem naturalem, ſecundum eius qualitatem: non quidem calefaciendo, vt pertinet ad pinguedinem: ſed potius attemperando. Et hoc eſt, quod ſignificauit Gal. dum primo de vſu partium 16. ait: arterias cuſtodire naturalem caliditatem. Siquidem (ſi licet Galen. per Gal. interpretari) tertio de vſu partium nono, in fine ait, membra per arterias refrigerari. Dicebat etiam 16. de vſu part. duodecimo, in corporis partibus miſceri arterias, vt caloris ſymmetria conſeruetur. Dicebat etiam libro de vſu pulſuum vltimo, ope arteriarum calorem inſitum refrigerari: quod etiam octauo, de Placitis octauo, replicauit: nec non primo
B de different. feb. 4. ſecundo, de locis affectis vltimo.

Conſtitutum ergo ſit, vtilitatem cuiuslibet arteriæ, ſed non ſolius, eſſe caloris naturalis omnium partium, præterquam cordis, cuſtodiam, ſeu commoderationem ſecundum qualitatem: vt hæc caloris cuſtodia differat a cuſtodia caloris pinguedinis, ſeu adipis: ſiquidem ope corporis pingui, & omnib. modis cuſtoditur calor, & cuſtoditur etiam cordis calor.

Quomodo arteriæ cuſtodiant calorem omniumpartium.

Vnde in præſentia explicandum ſuccedit, qua ratione ad hunc vſum præſtandum concurrant arteriæ. Dicimus ergo concurrere cum Gal. 3. epid. 3. 1. per actionem, per motum: de quo loquens Galen. 2. de tuenda vndecimo, & primo de differentiis pulſuum 3. dicit, arteriarum motum nunquam intermittere. Dicebat etiam ſexto, de locis affectis ſexto arteriarum motum perpetuum eſſe, eo quod neceſſaria ſit nobis arteriarum actio: vt cum hic motus ſit perpetuus, cum Gal. 6. de vſu part. decimoſeptimo, arteriæ, &
C craſſam ſubſtantiam, & duplicatam tunicam fuerint conſecutæ, vt arteriarum corpus eſſet robuſtum, & proinde ad perpetuum motum perferendum idoneum. Hic autem motus paſſim a Galeno, & potiſſimũ primo de differentiis pulſuum tertio, pulſus vocatur.

Pulſus arteriarum.

Vnde cum arteriæ per motum perpetuum, pulſum vocatum, conferant ad commoderationem caloris inſiti: ne in tanto negocio deficiamus, primum explicare oportet, quæ ſit forma huius motus: ſecũdo, quod agens, an ſc. animæ, vel naturæ; & vnde prodeat, hoc eſt, an ſit inſitum arteriis, an aliunde influat: tertio quomodo hic motus vtilitatem propoſitam præſtet.

Forma pulſus.

Quantum ad primum: dicimus cum Gal. 1. de differentiis pulſ. 3. hunc motum geminatum, eſſe ex contrariis conſtitutum partib. hoc eſt, contractione, & diſtenſione: vt cum Galeno libro de vſu pulſuum ſexto, vtraq; pars ſit actio: ſiquidem pro vi magis & minus robuſta, intenditur & remittitur, tum diſten-
D ſio, tum contractio, ſeu diaſtole & ſyſtole: cuiuſmodi etiam reperitur in corde. Ad quam ſimilitudinem reſpiciens Gal. dicit libro de vſu pulſuum 1. arterias eundem motum cum corde cuſtodire: vt hinc arteriȩ & cor eadem motus incommoda ſentiant: vt ſi homo plus iuſto calefiat, vt reſpiratio euadit celerior, frequentior, & maior; ad eundem modum & pulſus mutatur. Vt cum reſpiratio & pulſus ab eiſdem cauſſis mutentur: omnes ferme tum Philoſophi, tum medici, in hanc opinionem deuenerint, quod reſpirationis & pulſus idem ſit vſus: nempe caloris innati conſeruatio, & ſpiritus animalis nutritio. Quamuis dum pereunt, eandem noxam non afferant: ſiquidem abolita reſpiratione, homo perit: pulſu autem ſublato, minime. Vnde Gal. reſpiciens ad ſimilitudinem inter motum cordis & arteriarum, dicit, ſeptimo, de anat. adminiſt. 5. omnes arterias eodem rhythmo cum corde pulſare. Dicebat etiam libr. de pulſib. ad tyrones primo, omnes inter ſe arterias & cor eandem habere pulſandi rationem. Vt cum Galeno tertio de præſa-
E gio ex pulſibus tertio, motuum & cordis, & arteriarum exordia in idem incidant tempus: diſcrimen autẽ ſit, quoniam cor ſingulis arteriis maiorem, celeriorem, vehementioremq; pulſum habet. Hæc de primo.

Pulſus cauſa efficiens.

Quo ad ſecundum, quod erat pulſus cauſſam effectricem proponere: dicimus cum Galeno ſecundo de tuenda vndecimo, arteriarum motum fieri non a voluntate, ſed a natura, vt pertinet ad omnes corporis partes, vt omnes quatuor facultatib. naturalib. gubernantur. Ceterum cum motus naturalis, ex Galeno lib. de tremore ſecundo, ſit vel ſenſib. non apparens, cuiuſmodi locum habet in venis; vel euidens: in præſentia intelligimus motum naturalẽ euidẽtem, qui & vitalis dici poteſt: vt rationabiliter fiat a facultate vitali. Sed oritur difficultas: cum arteriarum motus fiat a facultate vitali, non eſſe naturalem. Nam Gal. quarto, de præſagio ex pulſibus duodecimo ait: facultatem vitalem non eſſe eãdem cum naturali, ſeu nutrice vocata: nam vitalis gignit pulſum, naturalis familiare attrahit, alienum reiicit, retinet, atq; alterat fa-
F miliare alimentum: vt vitalis nec in ſtirpibus nec animalib frigidiorib. inueniatur, cuius generis ſunt oſtrea, in quib. tantum vis reperitur naturalis. Dicimus, & vitalem vocatam, & naturalem dictam, vtramq; eſſe naturalem, ad differentiam animalis: diſcrimen autem eſſe, quoniam naturalis vel agit ſine motu euidenti; vel ſi cum euidenti, non eſt motus perpetuus, vt dum a ventriculo fit vomitus, ab vtero fœtus excretio: at vitalis agit cum motu euidenti, & illo perpetuo. Vt cum facultas hæc pulſifica ſit naturalis, nequaquã ſit quid præter illas quatuor, nempe attractricem, retentricem, alteratricem, & expultricem. Eſt ã. attractrix, & expultrix: vt per motum dilatationis fit attractio, per motum autem contractionis expulſio.

An inſita, an influens facultas pulſifica.

Ceterum cum arteriarum motus fiat a facultate vitali: inquirẽdum an arteriis ſit inſita, an potius aliunde influat. Dicimus cum Galen. 3. de præſagio ex pulſib. 3. 2. de ratione victus 47 lib. de vſu pulſuum 6. & vltimo, & alibi, pulſum eſſe motum arteriarum, vt præditæ ſunt facultate vitali, ipſis a corde tributa. Et ſe-
G cũdo de ratione victus 47. Gale. dicit: ſicut vna eſt in neruis facultas, quæ principiũ habet cerebrũ; altera in venis, quæ oritur ab hepate; ita quædam eſt in arteriis, cuius principium eſt cor. Vnde ſui nõ immemor Gal. 1. de cauſſis pul. 4. dicit: arteriarum motum fieri a facultate, ad differẽtiam inſtrumentorum artificum vt arteriis a corde ſit indita facultas, quæ per eas totas permanat. Quomodo autem influat ac permeet, explicans libro de vſu pulſ. capit. 4. & 5. & 7. de placit. 5. ait: arterias pulſare, non propter ſpiritum a corde

immissum,sed quia tunicas connexas habent cum corpore cordis.Ceterũ quamuis pulsus effectrix caussa A
sit facultas vitalis a corde effluens:hæc tamen non sine calore insito arteriarum agit.Quod sit verum:Gal.
8.de Placitis 7.inquit,arteriarum motum produci ab insito arteriarum calore.Hæc de secundo.

Quomodo pulsus calorem natiuũ conseruet.

Quo autem ad tertium:erat autem explicare,quomodo arteriæ per suum motum sint vtiles, & potissimum calorem naturalem moderentur,& tueantur.Gal.primo de caussis pulsuum 4.de vsu puls.5. & 4. & vlt.8.de Plac.8.& alibi,sæpe asserit,cum arteriæ contrahantur,& dilatentur; per contractionem quidquid in ipsis fuliginosum fumosumque creatum est,id exprimẽdo elidere, quo fit vt caloris insiti suffocatio inhibeatur:per dilatationem autem,exteriorem aerem in corpus attrahere , vt hinc caloris dissolutio prohibeatur,siquidem calor innatus refrigeratur,vnitur. Vt colligere liceat insitum calorem conseruari ab arteriis & secundum qualitatem,& secundum motum.

Quomodo fiat attractio arteriarum.

Ceterum notandum,circa attractionem,quæ fit per dilatationem arteriarum:cum Gal.3. de facult. B natural.vlt.duo esse tractionis genera:aliud quod fit qualitatis conuenientia,veluti dum ferrum trahitur a magnete.Hæc autem attractio fit cominus,hoc est,a propinquis, pertinetque ad instrumenta , non vt caua,sed vt instrumenta sunt,quæ nutriri postulant: quo fit vt cum trahatur, quod cognatum est attrahenti:si accidat grauius esse cognatum,hoc trahi,non autem leue: & huius attractionis auctor est attractrix,quæ sine motu euidente agit:at de hoc attractionis genere in præsentia non fit sermo. Aliud autem est tractionis genus,quod successione ad id,quod vacuatur,contingit: veluti dum aer attrahitur in follibus:secundum quam attractionem,vt partes eminus,seu a longe trahere possunt,ita prius trahunt, quod leuius est.Hæc autem tractio pertinet ad illa instrumenta,quæ caua & dilatabilia sunt,cuiusmodi est cor, & arteria: excipitur autem vena : nam quamuis caua sit, non est tamen dilatabilis,hoc est,non mouetur, non dilatatur & comprimitur,sicut arteria.Et in præsentia hoc tractionis genus intelligimus : vt arteria C
per suum motum,scilicet dilatationis,conferat ad attractionem illius quod attrahitur, successione illius quod vacuatur.

Quid trahant arteriæ.

Attrahunt autẽ arteriæ,dum dilatantur,quod tenuius ac leuius est,siue sit salutare, siue morbosum, siue extra corpus,siue in corpore.

1. Quod sit verum:quo ad id quod extra corpus,dicit Gal.1.simpl.12 demonstratum est,arterias, vbi se dilatant,vndequaque & per omnes meatus attrahere,non aerem modo halitumque,sed quidquid etiam trahi facile,ac ob tenuitatem expedire consequi ad impetum spiritalis seu vaporosæ substantiæ,possit: vt si piper ad exactissimum pollinem sit redactum,simul cum ambiente aere ab arteriis attrahatur. Vt cum eodem Galeno tertio simpl.decimooctauo,arteriarum attractio,dum dilatantur,vt caussa primaria vicinum omne attrahat:vt secundaria,essentiæ tenuitas.Sed ad rem.Arteriæ externum aerem attrahunt, sic- D
ut etiam primo de differentiis feb.4.testatus fuit.Sunt autem cum Galeno tertio de facultatibus naturalibus decimoquarto,arteriæ,quæ ad cutem finiuntur:nam iis vicinus est aer,atque maxime leuis, & huius beneficio attemperatur calor innatus.

2. Quantum autem attinet ad id,quod est intra corpus:cum Galeno tertio de facultatibus naturalibus decimoquarto,attrahitur substantia in corpore existens,quæ leuis ac tenuis est: vt trahant arteriæ spiritum,halitum,& sanguinem tenuem; succus autem,qui in ventre & intestinis reperitur, aut nihil,aut omnino perexiguum. Declaro,cum eodem Galeno c.14.Quæ arteriæ sunt cordi propinquæ, a corde trahunt,dum scilicet dilatantur:vt quamuis,dum subsident,reddãt materiam cordi, nihilominus cum Gal. lib.de vsu puls.quincto,a corde plus accipiunt,& reddunt minus,propter membranas,quæ in superna arteriarum parte nascuntur:etenim membranæ os quidem magnæ arteriæ obstruunt,vt non reddant cordi E
sicut accipiunt:at non ita ad vnguem obstruunt,vt nihil prorsus ex arteria redeat in cor: vt demum per id quod accidit,arteriæ plus accipiant,quam reddant:siquidem arteriæ magis egent corde,quam cor arteriis.Ad rem:ex Gal.arteriæ cordi vicinæ trahunt a corde:rationi autem consonum est,vt leuia trahant:quare spiritum vitalem,halitum,seu sanguinis vaporem, & sanguinem tenuem. Nec citra vtilitatem. Nam quantum ad spiritum vitalem attinet:vt simpliciter distribuitur,est caloris influentis vehiculum:vt distribuitur in cerebrum,confert ad nutritionem spiritus animalis.Quo autem ad sanguinis vaporem:vt simpliciter distribuitur,est veluti pabulum spiritus vitalis:vt defertur in cerebrum, in animalem spiritũ mutari potest.Et hoc est quod docuit Gal.dum l.de vsu puls.3.ait, spiritum animalem nutriri aere,per respirationem;per pulsum autem,nutriri sanguinis arterialis vapore in plexu retiformi elaborato. Quantum denique,ad sanguinem arteriosum:vt simpliciter defertur,& subiectum est calorem influentem deferens, F
& arteriarum alimentum esse potest:vt autem distribuitur in cerebrum , in plexu retiformi in spiritum animalem mutari potest.

Quæ denique arteriæ tum a corde,tum a cute absunt:sese aperiunt vel ad venas,vel ad ventriculum.

3. Si ad venas:quod in venis est leuissimum ad se trahunt:id autem est,vel portio sanguinis tenuior,vel serum.Vnde quod ad sanguinem attinet:hunc proposuit etiam quincto de vsu part. 2. dum ait: arterias instar venarum distribui,vt vasis ipsis sit conspiratio quædam,& materiarum communio,hoc est,sanguinis tum venosi,tum arteriosi communio:siquidem dum arteriæ contrahuntur,sanguis arteriosus impertitur venis:contra,dum dilatantur, sanguis venalis communicatur arteriis. Vt dum hic sanguis venalis simpliciter defertur per arterias, vna cum arteriali, possit arteriarum esse alimentum : dum autem petit cerebrum,elaboratus,vt decet,animalis spiritus substantiam possit augere.Quod autem attinet ad serum: G
hoc tetigit Galenus primo de tuenda sanitate 12.nam voluit,in arteriis contineri non solum sanguinem, sed etiam serosum excrementum,quod transmittendi alimenti est vehiculum : quod vbi est officio suo functum, ex arteriis in vesicam defluit. Vt hinc colligere liceat sanguinem arteriosum esse quidem tenuem,at non ita vt non egeat vehiculo:nec ab re:cum ex Galeno,libro de atra bile secundo,sanguis effluens

A ens ex arteria concrescat. Sed ad rem : arteria venæ proxima dum dilatatur, serum, vt proximum & tenue,
trahit: vt sit in caussa facilioris distributionis sanguinis arteriosi.

Si denique arteriæ aperiantur ad ventriculum: aut nihil, aut omnino exiguum trahunt : quantum
scilicet (ait Galen. 3. de facult. naturalib. 14.) exquisitissime est confectum, quod sane, vel in alimentum
mutatur, vel si quid id non admittat, cum sanguis non sit, saltem sui humiditate non permittit arterias a
perpetuo motu siccari.

Vt denique cum arteriæ per suum motum corpori vtilitates præbeant, iure dictum fuerit a Galeno
secundo methodi 6. & 7. meth. vltimo, arteriam esse nactam actionem toti corpori communem.

Quare vtilitas omnis & solius arteriæ est distributio sanguinis spirituosi : omnis autem, sed non so-
lius commoderatio caloris natiui, siquidem est munus etiam organorum, quę sunt respirationi destinata:
B Denique nec omnis, nec solius arteriæ vtilitas est multiplex, vtpote, est nutritio animalis spiritus, attra-
ctio sanguinis venosi, seri & chyli. Etenim nutritio animalis spiritus pertinet ad respirationis organa, ad
aliquas venas ad arterias solum ad caput pertinentes. Attractio autem sanguinis venosi, & seri, pertinet
ad venas, & solum ad arterias venis proximas. Tandem chyli attractio pertinet ad nutritionis organa, &
solum ad arterias ventriculo proximas. Nihil autem dico de arteria venosa: de hac enim suo loco dicen-
dum, nempe in sermone de corde, & pulmone. Hæc ergo dicta sint de arteriis in genere.

CAPVT XIIX.

De Neruis.

C QVantum ad neruos : & primo quo ad nomen : cum ex Galeno primo de motu musculorum primo, Nomen
idem corpus vocent siue tonum siue neruum, nos etiam vocabimus modo tonum, modo & potissi-
mum neruum. Ceterum notandum cum Galen. 6. epid. primo, secundo; quemadmodum aliqui neruum
& tonum vocant id, quod vere est neruus, quod scilicet ex cerebro vel dorsi medulla prodit : aliqui vero
quandoq; neruum appellant non secundum propriam neruorum potentiam, sed accipientes similitudi-
nem secundum corpoream substantiam, veluti dum colis corpus cauernosum neruum vocamus, cuius
caussa, & totum colem neruosum dicunt: nos in præsentia cum Galeno 15. de vsu partium primo, neruum
accipimus secundum propriam substantiam, vt scilicet a cerebro vel dorsali medulla procedit.

Neruum ita acceptum hunc in modum definimus : Neruus est *membrum similare, genitum ex sub-* Definitio.
stantia medullari, fibrosa, & membranea, a vi neruifica, gratia distributionis facultatis animalis.
D Declaro. Dictum est esse *membrum* : siquidem (vt patet) est pars corporis, & viuens : vt colligere licet ex Genus.
Galen. passim, & præcipue lib. artis medic. 9.

Deinde dictum est (*similare*) scilicet quoad sensum: secundum quam rationem Galenus 12 de vs. p.
secundo: primo de elementis octauo, & lib. de morborum differentiis tertio, neruum inter corpora sim-
plicia, & proinde similaria, recenset.

Deinde dictum fuit (*genitum ex substantia medullari, fibrosa, & membranea.*) Hanc autem materiam Materia.
ex qua esse triplicem, colligitur ex Gal. Nam primum quantum ad substantiam medullarem, quæ est pro-
pria caro nerui : hanc insinuans tertio de anat. administr. vndecimo, ait: quod ex aliquo nascitur, ceu ipsi-
us quædam propago, substantiæ eiusdem speciei cum sua origine esse oportet: vt cum nerui propagentur
ex cerebro & spinali medulla, & vtriusque substantia dici possit medullaris : iure dictum fuit, neruum ex
E substantia medullari fuisse genitum. Confirmatur adhuc ex Galeno septimo de placit. vltimo, dum ait : si
præcidas nerui medullam, continuo membrum, cui neruus inseritur, stupidum omnino & immobile red-
dideris. Quare neruus fit ex substantia medullari. Vnde addebat primo de motu musculorum primo: ner-
uum ita fieri ex substantia cerebri, vt neruus videatur cerebri substantia stipata, & densata, ideoque duriu-
scula facta. Amplius dicit septimo de placitis 3. neruum in medio sui, in centro, obtinere quandam substã-
tiam intimam, arborum medullæ quamsimillimam, quæ a cerebro ortum habet.

Quo autem ad substantiam fibrosam : hanc tetigit tertio de facultatibus naturalibus vltimo : siqui-
dem ait, neruos confici ex multis fibris: vt cum Gal. primo de decretis nono, etiam desinat in musculis in
fibras rectas : sed hæ sunt compositæ ex tota nerui substantia: nerui autem ex semine gignuntur, seu ex fi-
bris cerebri, vel spinalis medullæ : vt differentia sit inter fibras, ex quibus generatur neruus, & in quas re-
F soluitur.

Quantum denique ad substantiam membraneam : hanc proposuit tertio cap. septimo de placitis
siquidem ait : vnumquemque neruum, per intimam substantiam, scilicet medullarem : obtinere dupli-
cem substantiam exteriorem: vt prima, hoc est, proxima medullæ, prodeat ex tenui cerebri membrana: al-
tera autem a dura. Vt tandem concludere liceat, neruum esse genitum ex substantia medullari, quæ firma-
tur a fibris, & tegitur a membranis.

Vt colligere liceat, neruum esse membrum seminale: & ob id dictum fuisse a Galeno, primo de se-
mine decimo, neruum a vegetabili principio esse genitum ex semine : quamuis mediate, instar omnium
partium, cum eodem Galeno, secundo de facultat. naturalibus tertio, mediate ex sanguine: vt scilicet san-
guis vertitur in semen. Vt merito dicat Hippocrates sexto aphorism. decimonono, cum discissum fuerit
G os, aut cartilago, aut neruus (non proponit autem alias partes similares, quia illarum caro fit ex sanguine)
neque augetur, neque coalescit : non augetur quidem, quoniam (vt in commento ait Gal.) augeri vocat
talem generari substantiam, qualis est abscissa, sicut in caussis vlceribus videtur caro germinare, &
ratio est quia caro fit ex sanguine, neruus autem ex semine : neque coalescit, nam per coalesce-
re intelligere oportet, quando discissa corporis labra agglutinantur, quæ sane agglutinatio nequaquam

obitur,& præsertim secũdum omnes partes. Quod sit verum; si quis inspiciat ossa prius fracta, mox agglutinata, fracturæ profundum videbit non agglutinatum, nam præter partium naturam labra vulneris non sunt parum distantia. Notandum autem, dixisse Hippocratem, cum neruus fuerit discissus, non autem diuisus: nam quæ discissa sunt, diuisionem habent vsque ad finem peruenientem, & fieri etiam potest, vt aliqua substantiæ portio sit ademta: quæ autem diuisa sunt, nec patiuntur solutam vnitatem ex toto, nec portio aliqua amputatur, vt diuisa agglutinari queant, non discissa. Constitutum ergo sit, neruum genitum esse ex substantia medullari, fibrosa & membranea, & proinde ex semine: & eo potius frigido, & pituitoso, quam bilioso. Vt ob id cum Galeno, secundo aph. vigesimosexto, nutriantur nerui frigidis & glutinosis humoribus: vt etiam tertio de facultatibus naturalibus vltimo, neruorum alimentum lentum humorem vocarit. Vt cum Galen. 2. de temp. 3. cum omne exsangue sit frigidius sanguine prædito, hinc nerui, per calidum, a cutis natura tantum absint, quantum consentiens est, exsangue corpus a sanguine prædito abesse. A B

Efficiens. Crasis.

Deinde dictum est [*a vi neruifica.*] Hæc itaque per vim alteratricem neruis tribuit temperiem: vt cum Gal. 1. de temperamentis vltimo, neruus omnis exsanguis sit & frigidus. Hipp. autem libro de locis in homine ait: neruos nutriri maxima ex parte ab ossibus, sed nutriri etiam a carnibus: vt scilicet neruorum substantia medullaris capiat alimentum a medulla: ossium substãtia autem exterior & membranosa a carne, vt in se continet suarum membranarum alimentum. Quod autem attinet ad passiuas qualitates: nerui duri sunt sicci, etiam cum Hippo. libro de locis in homine, sed minus quam vena, & arteria: molles autem nerui in humiditate & siccitate mediam naturam, sicut cutis, obtinent.

Sed circa passiuas qualitates occurrunt duo dubia. Primum: quod Galenus secundo de temperamẽtis tertio, ait: proxima cuti est mollium neruorum natura: duriores autem in humido & sicco secundum cutis naturam se habent. Ecce 1. de temp. vlt. dicit: molles nerui in humiditate & siccitate mediam habent naturam, vt cutis: hanc autem temperiem adscribit potius duris 2. de temp. 3. Dicendum: veram esse sententiam prolatam a Gal. 1. de temperamentis vltimo: vt molles nerui sint in passiuis temperati, vt cutis: falsum autem esse dictum in secundo de temperamentis tertio. Nec ob id redarguendus est Gal. nam hæc lectio non reperitur in codice græco antiquo: siquidem in veteri codice adest particula [non] negatiua, quæ in non antiquo desideratur: vt si etiam dum proponit neruos duros, legamus molles; & dum proponit molles, legamus duros, etiam citra particulam negatiuam legere liceat. Statuendum ergo pro veritate; duros esse paulo sicciores cute: molles autem esse temperatos instar cutis. C

Codex Galeni emendatur.

Secundum dubium: quando Galenus secundo ad Glauc. secundo, ait: neruosas partes esse magis siccandas arteriosis: vt cum pars quo est siccior, indicet remedium siccius: propterea neruosas partes, esse sicciores arteriis. Oppositum autem prius est determinatum. Dicimus: per neruosas partes non opus esse intelligere neruos, sed partes, quæ neruosæ vocantur, propter similitudinem secundum corpoream substãtiam: cuiusmodi sunt non modo ligamenta, sed etiam membranæ. Siquidem ex Gal. primo de temperamentis vltimo, membrana siccior est neruo, etiam duro. Quare omnis ruit ambiguitas, patetque neruum durum a mediocritate parum per siccum excedere, mollem esse temperatum. D

Opticorũ temperies.

Liceat autem solum visorios neruos excipere: siquidem ex Galeno 8. de vsu partium sexto, nerui cũ cerebro eandem obtinent substantiam, siccitate autem ab ipso dissident: excipiantur tamen optici, vtpote qui conflati esse videantur ex substantia cerebri veluti concreta, atque adstricta, non tamen exsiccata. Hæc de temperie.

Mollities.

Quo autem ad ea, quæ temperiem consequuntur: primum cum Gal. 12. de vsu partium secundo, natura neruum creauit molliorem ligamento, compactiorem autem substantia cerebri: ne (vt ait Galenus septimo de Placitis quinto) facile a quolibet pateretur. Dicit autem Hipp. libro de locis in homine, neruos robur & colorem medium habere inter ossa, & carnem; vt molliores sint ossibus, & duriores carnibus. E

Diuisio neruorum ab eo quod crasin sequitur.

Ceterum quamuis omnes nerui sint molliores ligamentis, vt cum Galeno, libro primo de Placitis nono, longo interuallo a copularum duritie distent; nihilominus cum eodem Galeno passim, & potissimum loco modo citato, nec non septimo de Placitis quinto, libro de instrumento odoratus cap. secũdo, & octauo de vsu partium quinto, si nerui inuicem conferantur, aliqui sunt molliores, aliqui duriores: vt molliores sint spectantes ad organa sensuum, hæc enim patiuntur: duriores autem pertinentes ad motus instrumenta, hæc etenim agunt. Vnde etiam addebat 9. de vsu partium 14. neruorum alios esse molles, alios duros, alios medios, æquissimo interuallo ab extremis distantes. Molles autem, & duri subdiuidũtur: nã tales sunt vel in summo, vel non in summo. Si in summo: est neruus vel mollissimus, vel durissimus. Si non in summo: sunt nerui medii inter medium exquisite distinctum ab extremis, & extremum: & dicuntur vel molles, vel duri: molles quidem, qui medii sunt inter mollissimum & medium: duri autem, qui medii sunt inter durissimum & medium. F

Huius autem discriminis secundum mollitiem & duritiem ratio desumi potest a materia ex qua, a ductu, & vsu. A materia ex qua: molliores propagantur a cerebro, duriores a spinali medulla, quoniam spinalis medulla est durior cerebro. A ductu autem: in hoc perpendimus longitudinem, & breuitatem: rectitudinem, & obliquitatem: & spatium, an durum, nec ne. Declaro. Quo ad longitudinem, & breuitatem: dicit Galen. 16. de vsu partium quinto, vbi natura ductura est longo itinere neruum, & præsertim exiguum, donauit neruo in reliquis substantiam similem, sed crassiorem, tutelæ gratia. Quo ad rectitudinem & obliquitatem: si via sit anfractuosa, durior producitur. Quo ad spatiũ: si in via perueniat ad membrum durum, propter contactum corporis durioris, durior progignitur. Tandẽ quo ad vsum: gratia sensus mollior efficitur: durior autem caussa motus: & vt motus est vehementior, eo etiã durior producitur. Et hoc est, q̃ significauit Gal. 16. de vsu partiũ 1. dum ait: dum natura ductura est neruũ motui vehementi G

musculi

A muſculi miniſtraturum, duriorem efficit: vt mirandum non ſit, ſi ſæpius neruorum ſubſtantia craſſeſcat, vel vti in collo circa laryngem; ſecundo, cum in thoracem incidunt ad radices coſtarũ progredientes; tertio, quoniam primo thorace exeunt, vt ſexies nerui ſubſtantia craſſeſcat, tot quidem in dextra, & totidem in ſiniſtra. Hæc de alteratrice.

Figura. Quo autem ad formatricem: & primo, quoad conformationem: neruus habet teretem figuram, omnium minime ad patiendum idoneam: primo, de Placit. 9. Præterea cum Galeno vndecimo de vſu partium primo: & primo de ſymptomatum cauſſis quincto: & octauo de vſu partium 6. neruus factus

Denſitas. eſt cerebro denſior, vt nullam habeat perſpicuam cauitatem, vt etiam ait Hip. lib. de locis in homine. Quo fit vt colis corpus illud neruoſum, non ſit neruus, ſed ſubſtantia ligamentalis: vt ſuo loco explicabi- B tur. Excipiuntur tamen nerui optici; hi namque donati ſunt euidenti meatu. Quamuis plerique hoc negent: ſicut & plerique teſtantur ſe vidiſſe. Huius autem conformationis cauſſa fuit, quoniam & venæ, & arteriæ, eguerunt cauitate, vt ſubſtantiam corpoream deferrent: contra neruus his fuit deſtitutus, cum nequaquam ſubſtantiam deferat corpoream, exceptis opticis, per quos animales ſpiritus in oculos deuehuntur. Vt cauitas, ſi adeſt, non ſit propter ſanguinem, ſed propter ſpiritum. Et ob id Galen. ſecundo de facult. natur. 6. ait: nerui cauitatem eſſe plenam non ſanguine, ſed animali ſpiritu.

Magnitudo Quod autem attinet ad magnitudinem: primum ſciendum cum Galen. 3. de anat. adminiſtr. 3. per magnum neruum non oportet intelligere ſecundum longitudinem, ſed ſecundum circumferentiam: vt maximus ſit neruus, qui maximam habet circumferentiam. Itaque quo ad magnitudinem attinet, conſtat, non æqualiter fuiſſe formatos, vt cum Galeno quincto de vſu partium 9. pro mole organorum, in C quæ inſeruntur, pro actionum dignitate, intenſione, & vſus aſſiduitate, nerui maiores & minores producti fuerint: hincque (cum eodem Galeno lib. de inſtrumento odoratus ſecundo) natura tribuerit oculis neruos non modo molliores, ſed etiam maiores, quam reliquis ſenſoriis: poſt quos ſunt nerui pertinentes ad auditum, deinde ad guſtum: & demum ad tactum: vt, cum vis tangens ſit valde hebes in ſenſiliũ dignotione, & in vniuerſo corpore diſtributa, (ad differentiam aliarum facultatum ſenſitiuarum) neruos ſibi famulantes habeat non modo duros, ſed etiam minores, a ſpinali medulla maxima ex parte ortum habentes.

Numerus. Quo autem ad numerũ: dicit Gal. lib. de neruorum diſſect. ca. quincto: neruos omnes prodeuntes ſiue a cerebro, ſiue a ſpinali medulla, coniugatos eſſe, vt alter a dextra, alter a ſiniſtra oriantur, & vterq; magnitudine exquiſite æqualis: vt excipiatur tantum neruus vltimus, qui a medulla enaſcitur, nam ille ſolus D ſine coniugio eſt, propterea quod dorſalis medulla iam in neruos abſumta fuerit.

Ortus neruorum. Quantum deniq; attinet ad ſitum; & primo penes ortum: dicere licet cum Gale. lib. de neruorũ diſſect. ca. primo: neruorum originem eſſe cerebrũ, nam vel oriuntur ex cerebro, vel ex dorſali medulla, cuius principium eſt cerebrum. Vnde dicit etiam 16. de vſu part. ſecundo, a cerebro produci ſpinalem medullam, a qua, tanquã a trunco, partibus quæ ſunt ſub capite, nerui immittuntur. Id quoq; dicit Gal. primo de Placitis nono, neruos oriri a cerebro vel immediate, vel per mediã ſpinalem medullam. Ita autem ſe habent cũ Gal. nono de vſu partium 14. vt molles omnes oriantur a cerebro, ea tamen ratione, vt molliſſimi oriantur a mediis anteriorũ partium cerebri; duri autem omnes ortũ ducant a ſpinali medulla, ita tamen, vt duriſſimi ab ora inferiori eius originem ducant, qui autem medii exacte ſunt, oriantur ab ea ſede, qua cerebrum & ſpinalis medulla coniunguntur. Vt cum molles (vt ſuo loco probabitur) magis reſpiciant E ſenſum, duri motũ: dicat Galenus lib. artis medic. 11. a ſpinali medulla oriri neruos motiuos, a poſteriori cerebro paucos ſenſitiuos, plures motiuos, contra ab anteriori paucos motiuos, plures ſenſitiuos. Vt cum Galeno octauo de vſu partiũ ſexto, molles prodeant a cerebro anteriori, ſecundum partem intimam, duri ſecundum partem extimam, nam interior pars, eſt mollior. Hæc de ſitu penes ortum.

Ductus & diſtributio neruorum. Quod autem attinet ad ſitum penes ductum: præter id, quod nerui & dextræ & ſiniſtræ partis eadem prorſus ſerie diſtribuuntur, vt eundem ſitum obtineant: accedit tutelæ neruorum gratia (vt teſtatur Gal. ſecũdo de locis affectis ſeptimo) venas ſemper priores in ſuperficie eſſe: deinde arterias, quibus poſtea nerui ſubduntur. Accedit cum eodem Gal. cap. ſexto lib. 8. de vſu partium, nullum neruum neq; ad curuaturam cubiti, quoniam eſt excarnis, inuenias expoſitum, neque ad genu & tibiam anteriorem: ſed vbiq; in profundo inter propugnacula aut oſſium, aut cartilaginum, aut ligamentorũ, aut carnium: nam ſecun- F dum hunc modum iter tutum aſſequuntur.

Nerui motorii. Ceterum cum Galeno, ſeptimo de vſu partium 14. & 16. eiuſdem operis 6. nerui motorii hunc particularem ſitum obtinent, vt ea lege in omnes muſculos infigantur, vt inſerantur in muſculi vel caput, vel prope caput, aut non infra medium, nequaquam autem ad finem. Hinc fit, vt cum nerui ſepti tranſuerſi ad medium muſculi corpus ferantur, per totum muſculi corpus diſſeminati, fibras omnes trahãt ad medium, vt hoc medium caput muſculi euadat.

Senſitiui nerui. Quo autem ad ſenſitiuos: dicit 16. de vſu partium ſecundo, diſtribui in cutem, membranas, arterias, venas, inteſtina, vterum, veſicam, ventriculum, viſcera omnia, & glandularũ ſpeciem alteram, hoc eſt, quæ ſuccos animali vtiles generant.

Neruorum cerebri συζυγίαι. G Verum cum plures ſint neruorum coniugationes, quæ varios obtinent ſitus penes ortum, progreſſum, & inſertionẽ: non ſit ab re, memoriæ gratia, breuiter has ſecernere: & omnes cũ Galeno lib. de neruorum diſſect. ad tyrones.

Prima. Itaq; quo ad primam coniugationẽ neruorũ cerebri: dicebat Gal. c. ſecundo, prodire ab vtraq; ventriculorũ anteriorũ parte. Hi autem nerui notabilẽ obtinent craſſitudinem, reliquis molliores, & in oculos inſeruntur. Vnde extra caluariam permeant, per foramen æque latum, vt eſt nerui craſſitudo: collocatũ autem eſt hoc foramen, qua prima oculorũ regio oriri incipit, vt nerui veluti oculorum radices eſſe vi-

deantur. Vterque autem dum intra oculum immergitur, in latum ſeſe extendit, ac vitreũ humorem ſphæ- A
ræ modo in orbem circumit, nihilque adhuc a cerebri natura inibi differens.

Secunda. Quo autem ad ſecundam coniugationem ait, cap. 3. huius neruos prioribus eſſe minores, ſed duriores: qui foras e caluaria excidunt prope foramen primæ coniugationis, atq; muſculis oculos mouentibus diſtribuuntur.

Tertia. Quo ad tertiam coniugationem, inquit cap. quarto, huius nerui ſi diligenter inſpiciantur, in prima ſtatim radice, plures eſſe videntur: ſi autem negligentius, omnes vnus eſſe apparebit. Adiacent autem neruis ſecundæ coniugationis, non ſane in primo exortu, ſed dum per caluariam progrediuntur. Ceterum huius coniugationis nerui ita multifariam deſcendunt, vt commune habeant foramen cum carotide ſeu
ſoporaria arteria, per quod arteria adſcendit, & nerui deſcendunt. Ceterum cum multifariam hæc coniu- B
gatio deſcendat: prima particula in inferiorem capitis partem tendit, hincq; nerui per collũ & thoracem ad partes infra ſeptum diſtribuuntur. Alia autem particula, & ea porro exigua, cum e caluaria excidit, ſecundam coniugationem attingit, non tamen ei miſcetur, ſed varie ſcinditur. Confeſtim igitur excidit particula ipſius apud maxillæ dearticulationem, & in priorem aurium partem producitur, permiſta neruis, a quincta cõiugatione prouenientibus. Alia præterea eſt pars veluti truncus, & in duas ſcinditur partes, quę deinde in multas ſecantur particulas vt alia diſtribuatur tum in muſculos temporales, & manſorios, tum in omnes etiam alios, qui a ſuperiori maxilla, exoriuntur. Adhæc per hos neruos gingiuis, dentibus, ac cuti quæ circa faciem eſt, ſenſus impertitur. Reliqua vero pars tum ad dentium, qui in inferiore ſunt maxilla, radices ſcinditur, tum gingiuis, ac labris inferioribus propagines mittit. Plurima etiam eius pars in linguę
tunicam diſſipatur: vt hanc neruorum coniugationem guſtatoriam nuncupent. Dicit etiam nono de vſu C
partium decimoquincto, a tertia coniugatione neruos ſuſcipere gingiuas, & dentes omnes, totam cutem faciei, tunicam narium internam, omnes ferme partes ad maxillam inferiorem pertinentes, ad hæc motus palpebrarum, quæ circa ſupercilia, vt & frontem totam. Addebat autem cap. 10. ab hac tertia coniugatione peruenire neruos in iecur, lienem, renes, in totum ventrem, & omnia viſcera.

Quarta. Quo vero ad quartam coniugationem: inquit cap. quincto, huius neruos commiſceri ſtatim cum tertia, ſimulque prætergredi, primum quidem craſſam mẽbranam, poſtea capitis os, deinde ad oris palatum ſecedere: vt recte inuenit Marinus.

Quincta. Quantum deinde ad quinctam: inquit cap. 6. huius diſtributionem manifeſte duplicem eſſe: quamuis hæ diſtributiones ſint ſibi mutuo vicinę, & vnam eſſe, propter Marinum concedere liceat. Ex altera er-
go diſtributione, ſeu radice in priori parte, exoritur neruus, qui auditorius vocatur, qui vna cum dura ce- D
rebri membrana in auditus foramen incidit: cum qua in latitudine ſcilicet ſeſe explicans, meatum ſublinit. Ex reliqua radice alter prodit neruus, qui incidit in aliud lapidoſi oſſis foramen, quod cęcum appellatur. Statim vero & hic neruus illi tertiæ coniugationis neruo, qui foras excidere apud maxillæ de articulationem dictus eſt, permiſcetur: vt ex vtriſque permixtis maxima pars, vel vt melius dicam, totum fere ſcindatur in latum muſculũ, quem dilatationem appellamus, qui cuti ſubnaſcens buccam ſiue maxillam mouet.

Sexta. Quantum deinde ad ſextam coniugationem: ſeptimo c. ait, hanc vno vti foramine, quod prope ſuturæ lambdoidis ſitum eſt. Ceterum cum primum ex cerebro exoritur, principium habet trium neruorũ, qui cum extra caluariam excidunt, varie tum inter ipſos, tum cum adiacentibus miſcentur. Verum, vt ait
cap. 10. primorum diſtributio mittit propagines in muſculos gutturis: reliquorum autem duorum, alter E
tum in faucium muſculos, tum in linguæ radicem, alter tum in ſcapulæ muſculum illum latum, tum in alios quoſdam qui inibi ſunt, peruenit. Verum enim vero huius ſextæ coniugationis nerui ſecundum plurimam portionem inſeruntur in os ventriculi, antequam autem inſerantur, propagines in collum & thoracem habent. Ex medio autem thorace nonnullæ portiones ad quoſdam muſculos gutturis veniunt, vt ſi lædantur, animalis vox deficiat. Ad hęc pulmo & cor ab hac ſexta coniugatione quandam neruorũ portionem in collo ſuſcipiunt. Varia præterea eſt horum neruorum commixtio, tum cum intercoſtaliũ neruis, tum iis fere omnibus, qui ad lumbos parui feruntur, tum poſtremo cum reliquiis eorum neruorũ qui ad ventriculi os veniunt. Varia deniq; eſt & intra peritonæi regionem diſtributio, vt perreptent nerui ad
iecur, lienem, & renes, ad totum ventrem, atque omnia viſcera. F

Septima. Quo denique ad ſeptimam coniugationem: cum Gal. cap. ſeptimo, hæc maxima ſui parte in linguæ muſculos diſtribuitur, parua autem ſui portione producitur ſemper in eos muſculos, qui tum ſcutiformi laryngis cartilagini, tum humilibus lamboidis oſſis lateribus ſunt cõmunes, in alios autem quoſdam non ſemper. Ceterum addit capit 9. neruos infra caput tendentes, ita miſceri, vt nerui 3. 6. & 7. coniugationis inuicem miſceantur, cum quibus etiam multam commixtionem faciunt nerui primæ & ſecundæ coniugationis dorſalis medullæ, vt hæç mixtio anatomicis confuſionem pepererit. Hæc de neruis a cerebro prodeuntibus.

Neruorum coniugationes ſpinalis medullæ. Prima. Quo autem ad neruos ortum trahentes a ſpinali medulla: horum prima coniugatio cum Galen. ca-
pit. 11. oritur a duobus primis vertebræ foraminibus, medullam tangentibus. Hæc autem coniugatio vnam radicem apud medullam habet, mox ſcinditur in duas portiones, vt altera retro, altera ad latus fera- G
tur: vt hæc coniugatio parua ſit in animalibus, paruis vertebris donatis: contra magna, ſi magnæ ſint vertebræ. Hinc autem prima coniugatio in eos diſtribuitur muſculos, qui circa capitis dearticulationem ſunt.

Secunda. Quantum deinde ad ſecundam coniugationem: hæc emergit ad ſimilitudinem primæ a poſteriori parte, non tamen vt prima per foramina. Nã in vtraq; ſpinæ parte eſt locus oſſibus nudatus, in medio primæ & ſecundæ vertebræ, per quem exoriuntur nerui. Hi autem aliquandiu per latera ad priora ferun-

tur,

A tur,complicati primæ & tertiæ coniugationibus neruorum cerebri:vt plurima eorum portio posteriori-
bus colli musculis distribuatur:simul etiam quippiam latis musculis buccas mouẽtibus impertitur.Quid-
quid vero iam reliquum est ipsorum,ad caput adscendit,posteriorem ipsius totam regionem protexens:
quemadmodum & quod antrorsum fertur, propemodum in totam priorem capitis partem dissemi-
natur.

Quo vero ad tertiam coniugationem:ait,capitulo decimotertio, hanc exoriri ex transuersis parti- Tertia.
bus,vbi colli secunda & tertia vertebra inter se mutuo congredientes commune ac rotundũ efficiunt fo-
ramen,quod nerui crassitudini latitudine est æquale.Hæc autem coniugatio statim scinditur in duas par-
tes.Vnde,quoad alteram partem,quæ retrorsum fertur;distributiones quasdam per profundum muscu-
B lorũ,qui inibi sunt,exhibet:deinde ad spinæ apicem exsurgit,indeque rursus neruus hic obliquus in prio-
ra tendit,in musculum post aurem disseminatus. Quo vero ad reliquam partem,quæ in priora fertur;hæc
vicinis exortibus permiscetur, ac distributiones quasdam, tum aliis quæ illic sunt corporibus, tum latis
musculis,tum iis,quæ sunt ante aurem,mittit.

Ceterum cum dictum sit de prima,secunda,& tertia coniugatione,sciendum cum Gal.in cap.deci-
moquarto,communia reliquas coniugationes omnes habere;primũ quidem,vt per foramen duabus ver-
tebris cõmune nerui exscindant. Secũdo,vt nerui statim in exortu scindantur in duplicem partem,nem-
pe minorem,& maiorem:minor autem ad priora,maior ad profundum feratur,& primo in spinæ apicem
deinde vero,in priora per latum musculum, qui buccas vna cum labiis ad latera abducit, circa hoc quod
maxillæ inferioris os mouet.Tertio cõmune est,vt post primum statim exortum breuem quandam ner-
C uorum distributionem in musculos spinales exhibeant.Quarto cõmune est vt nerui ad spinam retrorsum
ferantur,propaginesq; quasdam musculis colli & capitis communibus,impertiantur.

Quo vero ad reliquas colli vertebras:cuiusq; quid peculiare proponens Galenus cap. decimoquin- Quarta.
cto,inquit:Quantum ad quartam quæ inter tertiam,& quartam vertebram enascitur, ab hoc oritur bre-
uis admodum neruulus,qui ad quinctam peruenit coniugationem,cui,quamprimum excidit, permisce-
tur:qui sane neruulus in simiis conspicitur,non frequenter autem in ceteris animalibus.

Quoad quinctam coniugationem:huius duplex est portio,vna quidem parua portiuncula decliuis Quincta.
fertur,quæ vbi paruas quasdam,a succedentibus cõiugationibus portione assumserit,septi transuersi ner-
uus euadit;reliqua autem maior particula ad summum scapulæ adscendit.

Quo vero ad reliquas,hoc est,sextam,septimam,& octauam:vt excidunt foraminibus,sexta quidem Reliquæ
D coniugatio oritur,post quinctam vertebram,septima post sextam, octaua post septimam,postea sibi mu- colli syzygię
tuo permiscentur,atque ad scapulæ sinum,& ad brachium per axillam tendunt.Hęc de coniugationibus
colli.

Quantum deinde ad coniugationes vertebrarum thoracis:inquit cap.decimosexto,primam coniu- Thoracis vertebrarũ coniugationes.
gationem exoriri inter primam & secundam thoracis vertebram,&plurimam sui partem permisceri cum
iam dictis coniugationibus. Ceterum hæc prima coniugatio secundum eius portionem non exiguam in
primum intercostale descendit,ac ad spinales musculos retro peruenit: secundum vero reliquam totam
portionem,super primam costam extensam,neruo,qui est post septimam colli vertebram,copulatur: de-
inde omnes hæ partes inter sese complicatæ,per axillam in scapularum sima,&brachium,feruntur,vt ma-
gna neruorum pars in brachii & cubiti musculos distribuatur, quod vero reliquum est in summam ma-
E num disseminetur.

Quo vero ad reliquas coniugationes vertebrarum thoracis:neruos pariunt eodem modo se haben-
tes,excepto neruo qui est in secundo intercostali,hic enim neruus idem manifeste excidens ad brachii cu-
tem accedit.At reliquæ omnes coniugationes,statim cum oriuntur,neruorum portionem quandam,sed
minorem,tribuunt spinalibus musculis,aliisq; qui in dorso sunt,veluti tum scapulas mouentibus, tum ad
humeri dearticulationem adscendentibus:secundũ autem reliquam portionem vniuersam ac maximam
mittunt neruos per intercostalia ad os vsque pectoris progredientes, quibus donantur musculi tum in-
tercostales,tum qui extrinsecus thoraci impositi sunt.

Quantum deinde ad coniugationes quæ a dorsali medulla ad nothas costas accedunt:neruorũ mi- Ad nothas costas nerui
F norem portionem singulæ intercostali sibi respondenti distribuunt, quoniam nothæ costæ os pectoris
non perueniunt:reliquam vero totam,& proinde maiorem portionem mittunt ad hypochondrium, vt
nerui in os distribuant musculos,& qui primi instrati sunt,extrinsece nimirum,&oblique,superneque ex
thorace delati,& qui recta descendunt carnosique sunt.

Quantum deinde ad coniugationes vertebrarum lumbi:capite vltimo ait,commune esse harum o- Coniugatio lumborum.
mnibus neruis,vt ad spinales musculos,& abdomen, & psoas vadant. Ceterum id peculiare habent, vt
primarum vertebrarum post diaphragma ab vnaquaque neruus quidem paruus permisceatur iis neruis,
qui superne deorsum descendunt a cerebro:vltimarum autem lumborum,scilicet vertebrarum,duæ sunt
coniugationes neruorum ad crura tendentium,quarum coniugationum nerui permiscentur neruis cõ-
iugationum duarum ossis sacri.

G Denique quantum attinet ad coniugationes ossis sacri:cap.vltimo dicit;has primum neruos mitte- Ossis sacri nerui.
re primis musculis dearticulationem coxendicis mouentibus:reliquam autem totam neruorum partẽ ad
crura tendere,in vnumquemq; musculum vsque ad crurum finem, sicut & in manuum musculis factum
est.Qui vero nerui per reliqua lati ossis interna externaq; foramina explantationes habent in os coccyga
terminantes,disseminantur musculis sedis,vesicæ,pudendi,immo& ipsi pudendo,ad hæc musculi,squi ab
osse sacro,& ab interna ossis pubis parte exoriuntur,omnibusque etiam corporibus extrinsecus iuxta sa-
crum os incumbentibus.Hæc de situ neruorum,quantum in genere licuit.

Vtilitas neruorum.

Tandem in definitione dictum fuit [*gratia distributionis facultatis animalis.*] per hanc intelligendo, A quæ potest distribui, quæ scilicet principalis non est. Et ob id dicit Galen. neruorum vtilitatem esse, facultatem sensus & motus a cerebro in partes deducere. Eandem sententiam habuit septimo de vsu partium 14. Vt cum Galen. libro de neruorum dissect. primo nulla animalis particula sine neruo vel sensus, vel motus voluntarii particeps esse possit. Eandem sententiam habuit septimo de Placitis 3. & septimo de placitis quincto. Vt cum vel sensus, vel motus, vel quandoque etiam vtrunque pertineat ad corporis membra: iure a Gal. primo de semine quincto, & secundo meth. sexto, neruus positus sit inter prima, maximeque communia instrumenta, a quibus omnia membra gubernantur. Vnde respiciens ad motum Hip. lib. de ossium natura ait: neruos exhibere flexionem, & distensionem. Vnde & Plato in Phædone ait, neruos esse qui intendunt, & remittunt commode, faciuntq; vt flectendi membra homo habeat facultatem. Ceterum cum nerui inuicem ita se habeant, vt alii constituantur molles, alii duri: cum Galen. septimo de anatom. administrationibus cap. octauo, quamuis omnes nerui vtramque habeant facultatem, hoc est, sensitiuam, & motiuam, siue sint molles, siue duri; molles tamen ad sensum aptiores sunt, duri autem ad motum. Notandum autem hoc loco cum Galen. primo de placitis nono, excipi neruos insigniter molles: siquidem ait: neruorum quorundam ea est substantia, vt sint admodum molles, qui ad sensum tantùmodo sunt idonei; qui autem duri, & ad sensum, & ad motum. Vt neruorum non sit exigua, sed insignis vtilitas: quam proponens Gal. 5. de vsu partium nono, dicit: quemadmodum sunt in corpore organa, nempe sensus, motus, & nutritionis; ita neruorum triplex est vsus: primus quidem, caussa organorum sensus, siquidem per neruos sentiunt, verbi gratia oculus videt per neruos: secundus, caussa organorũ motus, hoc est, musculorum, vt propterea musculus per neruos moueat: tertius, caussa organorum nutritionis, verbi C gratia, renes per neruos noxia sentientes, ea a se propellunt. Addebat autem Auicennas libro primo, fen prima, doctrina quincta, c. primo, neruorum vtilitatem esse vel per se, vel per accidens: per se, vt deferant sensum, & motum, quamuis primo propter organa sensus & motus, secundo propter organa nutritionis: per accidens autem, vt caro corroboretur, etiam corpus fortius fiat, significans, dum neruus in musculis degenerat in fibras, hæ namque carnem musculorum roborant, firmant, vt hinc corpus robustius ad motum euadat.

Vsus neruorum, quatenus sunt ductus.

Ceterum, vt conferant ad sensum & motum, notandum bifariam concurrere: alio modo vt via, vt ductus facultatis: reliquo vt etiam habent actionem, non vsum tantum. Vtrũq; declaro: & primo vt sunt ductus, seu via facultatis: dicit Gal. 7. de anat. admin. octauo, omnes neruos, vtramque habere facultatem, hoc est, sensitiuam, & motiuam, hoc est, deferre vtramq; facultatem, siquidem quilibet neruus potest esse D via vtriusq; facultatis: vt Auicennas neruum latorem nominarit. Vnde dicebat Gal. primo de motu musculorum primo, in neruis magnam esse vim superne, a magno principio affluentem, non autem ipsis cõnatam: vt in morem venarum a cerebro, ceu ex quodam fonte, deducant, vires musculis, & proinde membris siue motiuis, siue sensitiuis. Caussa fuit (cum Galeno septimo de placitis quincto) differentia in substantia: nam si neruus talis, quale est cerebrum, prorsus remansisset, nulla eius ope indiguisset. Respiciens etiam Gal. ad neruos, vt sunt via facultatis animalis: ait, primo de sympt. caussis quincto, si nerui prorsus angustentur, primo torpet, postea omnino sensus & motus expertes sunt. Ecce proponit angustiam, quare morbum in via, statuit etiam libro de constitutione artis medic. 4. neruum esse veluti viam facultatis, a cerebro prodeuntis.

Quomodo neruus conferat ad distributionẽ facultatis.

Vt cum neruus sit via facultatis, conferat ad hanc distributionem per sui temperiem seu substanti- E am, per id quod consequitur, & per id quod accidit: vt scilicet hæc pertinent ad intimam neruorum substantiam. Per substantiam quidem seu temperiem: cũ nulla alia substantia, neruea excepta, quamuis mollis & peruia, sit apta ad deferendam facultatem. Per id autem quod consequitur: per mollitiem assequitur, vt prõtius distribuatur. Per id quod accidit, hoc est per poros: vt si occludantur, inhibeatur transitus. Hinc sequitur, tametsi nerui statuantur vel molles, vel duri, omnes tamen similem obtinere temperiem, quod consequitur, quod accidit: vt differentia sit solum secundum magis & minus: vt merito quilibet neruus aptus sit ad deferendum animalem facultatem, siue sit sensitiua, siue motiua.

At notandum cum Galeno primo de symptomatum caussis octauo, per neruos vim sentiendi partibus transmitti, vt modo magis, modo minus influat: vt quanto somnus est profundior, tanto minus influat. Quod sano modo est intelligẽdum: nam vis animalis spiritalis, nec suscipit magis & minus; vt si modo F robustior sit, modo imbecillior, id contingat caussa spirituum animalium, vt suos radios mittunt: vt cum tempore somni fiat concentratio spirituum, & hinc radiorum, minus influat virtutis, hoc est, minus robustæ, minus munitæ a radiis. Vnde ad hanc veritatem respiciens Gale. libro de instrumento odoratus secundo, voluit, neruos tum molliores, tũ maiores ad sensationem acutiorem præstandam conferre: contra duriores & minores ad hebetiorem. Quorum dictorum non est alia ratio, nisi quia quo nerui sunt & maiores & molliores, eo promtius & in maiori copia suscipiunt spiritus animalis radios, vt ait octauo de vsu partium sexto, & ab obiectis promtius & magis alterantur. Vt sensus exquisiti caussa sit neruorum mollities: quæ cum habeat coniunctam raritatem, hinc fit, vt humida & densantia sensum hebetent. Et hoc est pulcerrimum.

Vsus neruorum, quatenus habent actionem.

Quo autem ad actionem: hac etiam donatos esse neruos comprobatur. Et primo ex Galeno, pri- G mo de decretis 9. nam ait, tria esse instrumenta, quæ corporis forma similia sunt, operationibus autem & vsibus non parum distant: sunt autem copula, tendo, & neruus. Quare neruus habet actionem: neque hæc actio est nutritio, quia & hæc reliquis competit. Confirmatur magis ex Galeno, dum septimo de Placit. quincto ait: neruos inuicem differre: nam qui mittuntur ad sensuum instrumenta sunt molliores iis, qui mouent membra: caussa autem fuit (ait Galenus) quoniam sensus fieri non potest, nisi ner-

A uus ab obiecto aliquo modo afficiatur. Ecce si neruus afficitur ab obiecto: ergo non est tantum via facultatis, verum etiam sentit. Vt, cum neruus eo magis afficiatur, quo est mollior, motorii nerui omnes sint capaces sensus tactus: quoniam (vt ait Galenus) huius sensibile est crassius: vt scilicet neruus motorius, quamuis durior, possit tamen affici ab obiecto tactus, nequaquam ab obiecto aliorum sensuum. Sed ad rem: cum neruus afficiatur a sensibili obiecto, ideo non modo est via facultatis, sed etiam sentit, vt afficitur. Et hinc fit, vt cum Galeno adhuc hanc veritatem stabilire liceat: cum septimo de anatomicis administrationibus octauo dicat: molles esse ad sensum aptiores, duros autem ad motum. Quod nequaquam dixisset, si nerui facultatis essent solum latores. Nota, neruum non sentire, nisi vt recipit: nam iudicium pertinet ad quid intus, & de hoc dictum est diligenter in sermone de manu. Et tandem cum Galeno
B hæc veritas firmatur: nam nono de vsu partium decimoquarto voluit, neruos inuicem differre, vt molles sint apti ad sensum, inepti autem ad motum: contra duri sint apti ad motum; ineptissimi autem ad sensum: vt nisi neruus mollis maneat, qualis a cerebro est enatus, nequaq̃ ad motũ conferre: eiusmodi sunt nerui qui ad ventriculum feruntur: vt si neruus mollis euadere debeat motorius, necessarium sit, vt exporrectus siccior & durior seipso euadat. Ex quibus euidenter colligitur, neruum per sui mollitiem conferre ad sensum: per duritiem autem ad motum, vt durities sit in caussa hebetis sensus, mollities autem cum Galeno, etiam decimoquincto de vsu partium primo, tensione motui sit impedimento. Quæ veritas cum hunc in modum se habeat: neruus non est tantum via facultatis, quia neruus sui mollitie non impedit transitum facultatis motricis, verum etiam concurrit ad agendum, nempe ad sentiendum per mollitiem, ad mouendum per duritiem, vt neruus quo durior eo magis conferat ad mo-
C tum.

Facultas defertur in opticis per substãtiam spiritus: in reliquis per radios.

Hactenus ergo constitutum sit, quemadmodum nerui omnes & soli, animalem facultatem deferant: mollissimi autem sentiant tantum: reliqui, & sentiant, sed sensu tactus, & moueant.

Ceterum cum nerui omnes hoc obtineant, vt deferant animalem facultatem: sciendum differentiam esse inter opticos & reliquos omnes: vt cum Galeno septimo de Placitis quarto, non deferatur facultas per spiritus, nisi per opticos ad oculos: vt cum hoc præstent per foramen internũ, hoc solũ etiã in opticis fuerit procreatum. At in reliquis neruis, facultas defertur per neruorũ substantiam, quæ tamen quamuis non habeat foramen vnum a principio vsque ad finem, nihilominus opus est vt sit rara & poris referta: nam secus facultatis non esset capax: quo fit vt hi pori occludantur, & hinc neruorum substantia densetur, facultatis transitum inhibens.

Cur non omnes nerui perforati.

D Sed loco citato quærit Galenus, cur neruis omnibus non sit tributum foramen? Inquit Galen. si nerui omnes foramen haberent, opus erat circumiectum fuisse illi meatui corpus quoddam araneorum telis tenuius, quod facile discerpi potuisset, & meatus singulis pene momentis obturari potuisset: at cum opticus sit satis amplus, hoc periculum non ita imminet. His ergo de caussis ait Galenus nõ omnibus neruis meatus est datus. Sed nobis etiam liceat addere aliam caussam, cur non omnibus neruis sit concessus meatus: quia opus esset insigni copia spirituum, qui per illos meatus animalem facultatem deferrent. Adhæc facultas, vt qualitas quædam spiritalis, non eget, vehiculo corporeo, quale est spiritus. Vt spiritus in oculum confluat vna cum facultate, non quidem primum, vt deferat facultatem, sed vt misceatur cum calido innato crystallini, & extra oculum radios mittat. Et hæc veritas colligitur ex Galeno, loco citato: nam quærit, si vnus neruus potest vim deferre sine foramine: cur in exortu spinalis medullæ for-
E matus est meatus, nec non & in opticis? Respondens Galenus, ait: hæc foramina facta esse, vt reciperent subtiliorem substantiam, hoc est, animalem spiritum: quippe qui dum producitur ad principium spinalis medullæ, quodammodo violentiam infert facultati, vt efficacius a partibus suscipiatur, dum non peruenerit ad oculum instar solis per radios, cum ambiente vtitur, ad ambientem ad naturæ suæ proprietatem immutet.

Præcipua nerui pars est medulla.

Hæc de neruorum vsibus. Quos omnes vsus acceptos referri oportet neruis, secundum internam portionem, scilicet medullarem. Nam quantum attinet ad exteriores partes, a membranis progerminantes: cum Galeno, septimo de placitis tertio, hæ idem officium neruis exhibent, quod membranæ cerebro præstant, nempe operiunt, & tuentur. Hæc de neruis.

F

CAPVT XIX.

De cute.

Nomen.

QVod attinet ad cutem: ex Galeno secundo de vsu partium sexto, quod Latini vocant cutem seu corium, Græci vocant δέρμα, quoniam excoriari potest; quod de maiori parte cutis intelligere oportet: siquidem aliquarum partium cutem non est possibile excoriari, propter tendines, & musculos insertos: vt suis locis declarabimus. Per cutem autem intelligere oportet, cum Galeno, tertio de aliment. 33. eam corporis partem, quæ totum corpus ceu vestimentum quoddam natiuum ambit. Cum autem corporis pars, instar indumenti totum corpus ambiens, sit cutis, non modo secundum portionem intimiorem, sed etiam superficiariam, ob id nos per cutem vtramque partem intelligimus: quamuis intima pars, cutis dicatur; exterior autẽ, cuticula seu ἐπιδερμίς. Vnde Galenus quincto aph. 77. ait, cutis superficiem nomina-
G ri ἐπιδερμίδα, hoc est, superiorem pelliculam. At cum cuticula sit pars cutis: nos per cutem vtramq; partem intelligimus. Secundum quem modum etiam quandoque accepit Galenus. Quod sit verum: 3. methodi 4. ait, siue summæ cuticulæ, quam epidermida vocat, siue totius cutis sit soluta vnitas. Ecce totam cutẽ capit & pro cute, & pro cuticula: siquidem tota cutis nõ afficitur vulnere, nisi sit affecta cuticula vocata. Eodem modo etiam accipitur decimoquarto methodi secundo. Vt cum ita capiatur cutis: eodem sermone liceat & de cute & de cuticula verba facere.

Definitio.

Quare cutis hunc in modum acceptæ hæc proponitur definitio: Cutis est *membrum similare, genitum ex substantia sanguinea & seminali, a vi cutifica, gratia custodia omnium partium.* A

Genus.

Declaro. Dictum est, esse *membrum:* siquidem cum membrum sit morbi & sanitatis subiectum, & proinde pars viuens, cum cutis viuat, iure inter membra recensetur. Neque obstat, quamuis Galenus explicite non proponat in arte medicinali cap. 9 cutem: nam implicite proponit, & ea arte, vt sit necessarium fateri cutem vita esse præditam. Ibi namque voluit illas partes esse vita orbatas: quarum tantum est generatio, & nullum est regimen, cuiusmodi sunt capilli, & vngues. At cutis non tantũ est generatio, sed etiam regimen: immo duplex regimen, vt nimirũ cutis & a se ipsa nutritur, & ab aliis regitur, nempe vt neruos, venas, & arterias admittit. Vnde non licet inferre: Gal. non proponit cutẽ, ergo cutis non viuit. Nam proponit capillos, qui tamen nõ viuunt. Adhæc vero proponit musculũ, oculum, linguam, & similes alias partes, & tamen viuunt. B Quæ sane omnia membra insinuat, dum ait: reliquæ vero partes, vt vnum ex se ipsis habent regimen, hoc est, insitas habent potentias, insimul etiam & emanantes habent. Constitutum sit ergo, cutem esse membrum, quod & insitas & aliunde emanantes habet potentia.

Deinde in definitione dictum fuit [*similare.*] Nã quælibet pars & particula cutis est cutis. Vnde etiam Gal. lib. de inæquali intemp. 2. cutem inter similares partes annumerat.

Materia cutis primum sanguinea.

Deinde fuit dictum [*genitum ex substantia sanguinea & seminali.*] Quantum attinet ad sanguineam: ad hanc respiciens Arist. 2. de generatione animalium quarto, dicit: cutem fieri carne senescente. Et cum caro sit terrena: 5. de generatione animaliũ tertio, dicit, omnino cutis naturam terrenam esse. Ex hac gignitur tum cutis, tum cuticula: discrimen autem est: quoniam cutis generatur ex substantia sanguinea exacte permixta cum seminali: cuticula autem ex sola sanguinea: vt cum a natura inuicem misceatur sanguis & semen, vt copiosior est sanguis, veluti efflorescit, hincq; in summitate cutis, epidermis seu cuticula enascitur. C Et propterea dicit Gal. tertio meth. quincto, si cutis prorsus perierit, hoc est, non modo secundum superficiem, sed etiam secundum partem profundam, non amplius regeneratur: at si sola cuticula amittatur, resurgit. Cuius euentus alia non est ratio, nisi quia cuticula fit ex sanguine, & proinde eius substantia sanguinea est, sed dum seminali nequaquam permixta: ad differentiam reliquæ portionis cutis. Ceterum etiam cutem fieri ex sanguine, sed cum semine permixto, euidenter colligitur ex Galeno, primo de temperamentis vltimo, dum ait: cutis est veluti neruus sanguine præditus. Ecce sanguinem proponit.

Materia seminalis præcipua, quasi neruea.

Quod vero ad substantiam seminalem: ad hanc respiciens Arist. tertio de historia animaliũ 11 ait: cutem vulneratam non coire, vt conspicitur in cute sine carne, vt in genu; bucca, præputio & palpebra. D Ceterum cum cutis fiat ex seminali substantia, hæc multiplex est; principalis quidem veluti neruea: non principalis vero neruea, arteriosa, & venalis. Declaro: & eo libentius, quia hæc veritas non omnibus patet. Et primo quo ad substantiam veluti nerueam: hanc tetigit Gal. 1. de temp. vlt. dum ait: cutis substantiam esse veluti sanguine præditũ neruum: qui sane veluti sanguine præditus neruus, sit inter neruũ & carnem plane medius, ac si ex mixtis vtrisque constitueretur. Ecce, inquit, ac si cutis substantia ex mixtis vtrisque, hoc est, carne & neruo, constitueretur: vt significaret, cutem non constitui ex mixtione carnis & nerui, seu habere mediam illam naturam, ac si ex illis cõstitueretur: vt ex hoc inferat, cutem constitui ex quadam substantia admodũ simili neruo, vt eam etiam obtineat temperiem, quam obtinet neruus. Vnde in maximo versantur errore, qui credunt cutem confici ex carne exacte commixta cum legitimo neruo. Nam præter auctoritatem propositam, est euidens ratio: E cum enim cutis media esse videatur inter neruum & carnem, & secundum temperiem, & secundum duritiem & mollitiem, vt neruus magis cõcurrat ad duritiem promouẽdam, caro autem ad mollitiem: dubio procul, vbi neruus esset copiosior, ibi durior esset cutis, quod tamen est falsum: siquidem cutis manus interna plurimas neruorum fibras admittit, cutis autem verticis paucissimas, cum tamen cutis verticis sit durior; est autem durior, non propter neruos, quia non est sensus exquisiti veluti cutis manus: propterea concludendum, cutem fieri ex semine, vt mutatur in fibras, membranosas, admodum similes neruosis, ita tamen vt fibræ illæ, veluti neruosæ exacte cum substantia sanguinea seu cum carne misceantur. Vnde primo de sem. 10. ait, gigni cutem ex substantia membranea, & carnosa. Vt ex vtrisque optime mixtis gignatur cutis: & hinc fiat, vt cutis vincente portione veluti neruea euadat durior; superante autem carnea, euadat mollior; magis autem vel minus sentiat, pro ratione substãtiæ vere nerueæ. F Vnde dum Gal. 3. de locis aff. 7. ait, cutem neruosam esse: intelligere oportet, confectam ex substantia admodum simili, non secundum potentiam, sed secundum corpoream substantiam, neruo. Hæc de materia seminali principali.

Materia cutis non principalis neruus.

Quo autem ad non principalem: cum sit neruosa, arterialis, & venosa: quantum ad neruosam inquit Galen. 9. de vsu partium 15. cutem omnem sensus gratia neruorum propagines paucas, tenues, raras, ægre conspicuas instar filorum araneæ, ex omnibus subiectis partibus recipere. Excipitur autem frontis cutis: vtpote quæ, cum motus voluntarii sit particeps, merito fibras neruorum conspicuas est adepta. Ex quibus colligendum, neruos non esse partem præcipuam, ex qua cutis constituitur: cum concurrat solum gratia sensus, vel motus, non autem caussa principalioris vsus de quo suo loco. Et hinc factum est, cum Galen. 16. de vsu part. 2. cutem non suscipere proprium aliquem neruum, sicut musculi; sed ex partibus subiectis admittere fibras neruosas, quæ simul cum subiectis partibus cutem connectunt, sicut etiam G ei sensum suppeditant. Quo autem ad reliquas substantias, hoc est, venosam & arteriosam; vt colligere licet ex dictis in sermone de neruis, arteriis; & venis: neruorum, arteriarum, & venarum tenuissimæ partes deducuntur in cutem, vt scilicet cutis, instar aliarum partium, sit particeps vtilitatis, quæ ab his tribus communibus vocatis instrumentis impertitur; non autem, vt ex his tanquam ex principali substantia efformetur cutis: nam præcipua substantia est tum caro, tum similis neruo substantia. Constitu-

tum

A tum ergo ſit, cutem generari ex ſanguine, & ſemine; & proinde ex carne, & cuticula, ſcilicet vt ex ſangui-
ne, vt autem ex ſemine, ex ſubſtantia veluti neruea, arteriali & venali. Hoc autem intelligere oportet de
cute in genere: nam datur aliqua cutis, quæ præter has ſubſtantias admittit etiam carnem muſculoſam,
cuiuſmodi eſt labiorum cutis. Hæc enim cum Gal. 11. de vſu part. 15. eſt illa cutis, cum qua muſculi per to-
tum commiſcentur. Recte autem dictum eſt; muſculos per totum miſceri: nam dum muſculi per totum
miſcentur, habent rationem materiæ, ex qua pars, & proinde cutis conſtituitur: dum ſolum coniungun-
tur, hoc potius pertinet ad cutis ſitum, cuiuſmodi, verbi gratia, eſt cutis frontis: de qua loquens Gal. nono
de vſu partium decimoquincto, ait, ei ſubeſſe muſculoſam quandam ſubſtantiam tenuem, multas neruo-
B rum fibras recipientem, vt cutis frontis cum hac ſubſtantia muſculoſa coaleſcat, ad differentiam cutis
reliqui corporis, vt vtriuſque ſit motus vnus, eſt autem ſupercilia attollere. Ecce ſubſtantia muſculoſa
modo commiſcetur, vt in cute labiorum: modo ſolum coaleſcit, quare pertinet ad ſitum, non autem ad
materiam ex qua.

Cutis materia ex qua conſtituta, patet cutem nutriri ſanguine, & ſemine, & optimo ſanguine, non Nutritio cutis.
autem pituitoſo. Vnde dum Galenus ait, ſecundo prognoſticor. tertio, cutem nutriri ſanguine pituito-
ſo: hoc non eſt ſecundum naturam, ſed præter naturam, vt euenit in hydrope. Quod ſit verum: ait, vni-
uerſa cutis, vtpote quæ ſanguine pituitoſo alitur, intumeſcit, vt ſi digito premas, ſtatim appareat caua.
Ecce loquitur de cute corporis hydropici. Quoniam autem alitur ſanguine, non fit ex carne: nam dum
Galenus tertio methodi quincto, ait, cutem creari ex ſubiecta carne: loquitur de cute deperdita vi cauſ-
C ſæ morbificæ, quæ generatur, dum caro magis ſiccatur & coquitur, vt mutetur in cutem, quæ tamen non
eſt vera cutis, cum cutis deperdita regenerari nequeat.

Deinde in definitione dictum fuit [*a vi cutifica.*] Hæc, quantum attinet ad alteratricem, cum Ga- Efficiens.
leno, primo de temperamentis vltimo: & ſecundo de temperamentis primo: & quincto ſimplicium quar-
to, tribuit cuti temperiem mediam inter calidum, frigidum, humidum, & ſiccum: & potiſſimum illi Craſis cutis.
cuti, quæ eſt in manu interna hominis temperati. Vnde dum quarto de ratione victus in acutis 102. ait,
cutem eſſe frigidiorem carne: inſinuat temperiem cutis: nam cum caro per calidum excedat, ita cutis
eſt frigidior, vt recedit ab illa caliditate, efficitur temperata. Similiter, dum Galenus tertio metho.
quincto ait, cutem eſſe ſicciorem carne: non ſignificat cutem excedere per ſiccum, cum ſit temperata:
ſed eſſe ſiccam in reſpectu ad carnem, quæ per humidum excedit, vt cutis temperata, tamen ad carnem
D humidam poſſit dici minus humida, ſeu ſiccior. Huius autem temperiei ratio colligi poteſt ex Galen.
primo de temper. vltimo: nam cum cutis ſit compoſita ex carne excedente per calidum & humidum, &
ſubſtantia ſimili neruo, frigida & ſicca: ex his contrariis reſultat media quædam temperies, inter calidum,
frigidum, humidum & ſiccum. Vt hic obiter confirmare liceat, veritatem a nobis prius propoſitam cir-
ca materiam ex qua cutis. Nam ſi fieret cutis ex legitimo neruo, cum ſit neruus potius ſenſitiuus, quam
motiuus: cum Galeno, loco citato, neruus ſenſitiuus in humiditate & ſiccitate mediam naturam obti-
net, vt, ſi cutis fieret ex carne calida, & humida, & neruo temperato: cutis complexio media inter extremas
non eſſet.

Hæc cum ſit cutis temperies, nempe media inter extremas: cum Galeno loco citato rationabiliter in Conſequẽs craſin.
duritie & mollitie medium ſtatum obtinet.

E Quantum autem attinet ad formatricem: cum Philoſopho tertio de hiſt. animalium vndecimo, cu- Conformatio.
tis hominis proportione magnitudinis tenuiſſima eſt. Adhæc continua eſt, præterquam vbi naturales
meatus ſunt, & in ore, & vnguibus. Vnde etiam cum Galeno, primo ſimpl. 12. natura cutem omnem effi-
cit in primo ſtatim ortu continuam, ac temporis ſpatio perforatam aliquibus in locis, cum Galeno, ter-
tio de locis affectis ſeptimo, vt ſecundum ſe totum plurima nanciſcatur ſpiramenta, inſtar cribrorum.
Vnde etiam primo de tuenda 12. ait, cutem totam poris eſſe refertam. Præſtat autem cum Galeno eodem
lib. cap. decimo, vt in raritate & denſitate mediocritatem ſeruet: ſiquidem denſior ab internis, rarior ab
externis facile tentatur. Ceterum notandum hoc potiſſimum eſſe intelligendum, de cute ſecundum pro-
fundiorem partem: ſiquidem ex Galeno ſexto epid. ſecundo, tertio, cutis pellicula, hoc eſt, epidermis cre-
ata eſt denſior, vt non habeat meatus, vt cutis: quo fit vt materiæ ab intimis detruſæ potius cuticulæ, quam
F cuti inhæreant. Verum vt cutis eſt rarior cuticula; ita cum Galeno tertio, methodi quincto, eſt denſior
carne. Neque obſtat, quamuis dicat Galenus 11. de vſu part. 15. cutem frontis laxam eſſe; nam ibi per la-
xam, non intelligit raram, ſed potius vt eſt ſoluta ab oſſibus, & moueri poſſit, vt hæc laxitas potius perti-
neat ad ſitum, quam ad conformationem.

Quare iam de ſitu loquamur. Primum ergo cum Galeno, ſecundo de vſu partium ſexto, cutis am- Situs.
bit totum corpus. Vt, cum ex Galeno libro de cauſſis morborum ſexto, omnium aliarum partium extima
ſit collocata, non abſque ratione totius corporis excipiat excrementa. Vnde hoc loco notandum: cutem
per hunc ſitum non eſſe imbecillam, ſed per hunc ſitum excipere excrementa. Siquidem ex Galeno, loco
citato, cutis recipit ſuperfluitates ob duplicem cauſſam; quarum altera eſt ſitus iam propoſitus: reliqua
imbecillitas. Vt Galenus nequaquam proponat ſitum, vt ſit cauſſa imbecillitatis. Sed dubitatio occurrit,
G quomodo cutis ſit natura omnibus partibus imbecillior, cum ſit temperata, & præſertim cum ratione ſi-
tus nõ mutet temperiem: cuius ſignum, quod & alitur, & tangibilia exacte percipit. Dicerem ego, in præ-
ſentia perpendendam eſſe imbecillitatem & robur, non penes alteratricem facultatem, ſed expultricem.
Quod ſit verum: dicit Galenus, a partibus robuſtis fieri expulſionem, vt cum in reliquis partibus expul-
trix ſit robuſtior, in cute infirmior, propterea cutis a Galeno imbecillis eſt conſtituta. Robur autem &
imbecillitatem expultricis inde haurire oportet, vt cum materia ad cutem propellatur a venis maiori-
bus ad minores, & a minoribus ad minimas, & ab his ad cutem: id fit, quoniam, vt in maioribus venis, &

cordi ac iecinori proximis virtus est robustior,& quia sunt magis participes calo:is influentis, & quia habent fibras transuersas maiores, & proinde robustiores: ad eundem modū,si conferantur venæ etiam minimæ cum cute,ad expellendum sunt robustiores,& ratione caloris influentis, & ratione fibrarum transuersarum, siquidem cutis nec influentis caloris est ita particeps, nec fibrarum expulsioni destinatarum. Sed ad rem:cutis sedem omnium partium extimam fuit consecuta. A

Connexus. Ceterum si situm spectemus merito connexus:eundem nequaquam seruat,sed alium,& alium. Verbi gratia cum Galeno libro de dissect. musculorum capitulo quarto, cuti frontis vnitur musculosa quædam natura,vt tota cutis circa frontem moueatur,quamuis immobilis seruetur maxilla. Ex quo colligas cutem non fieri ex illa substantia musculosa,sed cum illa esse coniunctam. Addebat autem vndecimo de vsu partium decimoquincto; cutem frontis solum substantiæ musculosæ esse vnitam: cutem autem manuum internarum,& plantarum pedis,cum tendine coalescere: quemadmodum tertia est cutis differentia in toto animali,quæ cum subiecta musculosa substantia est appensa,non autem coaluit. Ceterum cutis frontis quamuis sit vnita cum parte musculosa:verum tamen a subiectis ossibus ita est soluta, vt moueri possit. Vt demum cutis cum reliquis partibus ita coniungatur,vt modo possit,modo non possit excoriari:sicut propriis locis explicabimus. B

Finalis caussa. Tandem in definitione dictum fuit[*gratia custodia omnium partium.*] Hæc particula colligitur ex Galeno,octauo de vsu partium primo,dum ait: spinali medullæ munimento sunt circumpositi spondyli: vasorum vero diuisiones glandulæ replent:membranæ item ac ligamenta quædam muniunt simul prædicta & colligant;commune vero omnibus operimentum est cutis. Vt etiam cum Galeno,primo de semine decimo,fœtum dum vtero geritur,custodiat, ne lædatur a sudore, qui inter carnem & cutem continetur. Adhæc tertio de anatomicis administrationibus primo ait:artuum natura constat ossibus,ligamentis,musculis,arteriis,adhæc communi omnium velamento,cui nomen est,cutis. Dixit etiam decimoquarto methodi secundo, cutem esse omnium partium commune tegumentum. Admonebat autem Philosophus tertio de historia animalium vndecimo, cutem omnia habere, quibus est sanguis, vt insinuaret, cum ex sanguine fiat caro,cutem esse potissimum propter custodiam carnis. C

Per quid conferat cutis.

Hanc autem vtilitatem præstat per duritiem,& densitatem.Siquidem ex Galeno,tertio de tuenda san. tertio, tutissimum est aduersus noxas externas imminentes, vt homo cutem habeat duram & densam,vt merito etiam cuticula sit densior,quoniam extrinseca caussa huic primum occurrit,vt cuticula cutem, etiam tueatur. Neque vero,opinior,statuendum cuticulam cutem custodire,vt vasorum pertingentium ad cutem oscula occludat: siquidem non sunt ita reclusa, vt sanguis exeat; vt, si abrasa cuticula egrediatur sanguis,id fiat,quia simul etiam aliqua cutis portio soluitur. Quod sit verū:dum excitatis vesicis cuticula adimitur,sanguis nec venalis, immo nec arteriosus effluit. Constitutum ergo sit omnes corporis partes custodiri a cute per eius duritiem & densitatem,ne ab externis occurrentibus lædantur. Iure autem proponuntur extrinsecus occurrentia:nam quantum ad interna offensa,hæc magis lædunt, quo cutis est durior ac densior. Verum per eius raritatem(quę tamen exigua esse debet,propter materias externas)& proinde per tenuia foramina facit ad exitum excrementorum tenuium, & pilorum generationem. Cur autem cutis vario modo sese habeat ad pilorum productionem,suis locis explicabimus:nimirum dum de cute vel capitis,vel frontis,vel etiam aliarum partium loquemur. At silentio obuoluere nō liceat,quod proponitur a Philosopho,secundo de generatione animalium quarto,& quincto, de generatione animalium tertio & quarto:siquidem ait, vngues,cornua,& pilos,& similia,gigni ex cute, non autem ex carne, vt pili crassi ex crassa cute oriantur,tenues ex tenui, vt tenuiores exeant propter meatuum angustiam, vt etiam cutis colorem æmulentur, in brutis quidem,at non in homine, præterquam quod in vitiligine humani pili fiunt albi. Quamuis autem per ætatem albescant, vt in canitie; illa tamen albedo non sequitur colorem cutis,sed inopiam potius & exilitatem caloris. Et ratio est:nam pili ea ratione oriuntur ex cute,vt fiant ex excrementis ad cutem pertinentibus,vt cum brutorum cutis sit densior, excrementa ita detineantur,vt cutis colorem nanciscantur:secus autem statuendum de cute humana,cum sit rarior, vt excrementa exeant, antequam colorem cutis acquirant:hinc fit,cum cutis vitiligine afficitur, densior reddatur, diutiusque hæreant excrementa,&merito in pilos albos degenerent. Hactenus ergo patet,quemadmodum vsus omnis & solius cutis est omnium partium intimarum custodia. D E

Cutis quænam actio. Ceterum hoc loco inquirendum,an cutis per vsum propositum aliquam habeat actionem. Ex Galeno autem lib. de caussis morborum sexto, aliquis colligere posset, cutem esse tantum ad vsum destinatam,nequaquam ad actionem:cum dicit, cutem esse quoddam veluti velamentum animali cognatum,vt neque coctionem,neque alimenti digestionem,neque sanguinis generationem,neque pulsum,neque respirationem,neque voluntarium motum,neque omnino operationem aliquam afferat animali. At hæc verba recte sunt intelligenda. Nam cutis,præter id quod est totius corporis indumentum, & proinde ad vsum destinata, non prorsus actione est destituta:licet enim cuticula sit tantum ad vsum, & omni careat actione, (nam neque nutritur, neque sentit.) cutis tamen ipsa secundum partem profundiorem & nutritur,& proinde coquit,& alterat alimentum. Adhæc etiam in sensu tactus afficitur,vt cum Aristot. hac de caussa fuerit admodum tenuis,vt scilicet ait tertio de hist.animalium 11.Dicendum ergo, Gale.per operationem intelligere operationem quæ conferat toti animali.Quod sit verum:ait, neque omnino operationem aliquam affert animali. Vnde dum ait,cutem non habere actionem: non intelligit coctionem proprii alimenti,sed quæ a parte perficitur caussa totius corporis, veluti est chylificatio. Quo vero attinet ad sensum tactus;in præsentia supponendum,non ita sentire vt cutis sensus sit actio,sit iudicium; nam solum afficitur,solum est medium:quod,quoniam exactissime explicabitur in sermone de manu,ideo in præsentia nihil dicendum. F G

CA-

CAPVT XX.

De Musculis.

QVantum ad musculos, seu lacertos, siue vox sit desumta a similitudine muris, vel lacerti, vel piscicu- Nomen.
li: constat, quid per musculum anatomici accipiant.
Quare musculus est *membrum dissimilare, genitum ex neruis, ligamentis, carne, venis & membranis, a*
vi musculifica, gratia motus voluntarii. Quid musculus.
Declaro. Primum dictum est, esse *membrum*, hoc est, partem viuentem. Et hoc ita apertum est, vt
nulla egeat probatione.
Deinde dictum est [*dissimilare*] scilicet ad differentiam similaris. Hæc particula colligitur ex Galen. Genus.
B lib. de morborum differentiis 4. dum ait: musculum, venam, & arteriam inter prima instrumenta connu-
merari, vtpote quæ ex simplicibus, id est, similaribus corporibus vnius operationis gratia componuntur:
ad differentiam secundorum instrumentorum, quæ componuntur ex primis instrumentis, verbi gratia,
digitus componitur ex musculis. Ceterum notandum, differentiam esse inter musculum, & vasa, hoc est,
venas & arterias. Nam musculus semper inter partes instrumentales recensetur: vasa autem modo inter
partes instrumentales, vtpote dum præter proprias tunicas obtinent etiam membranam, vt monuit Gal.
libr. de inæquali intemperie 2. modo inter partes similares, dum membrana circumdante sunt destituta:
tunc enim non conficiuntur ex pluribus partibus similaribus, sed ex vnica, quæ est propria tunica, siue sit
simplex, vt in vena; siue duplex, vt in arteria: quamuis hæc tunica, cum Gal. 10. meth. vlt. constet ex substã-
C tia carnosa, fibrosa, & membranosa. At musculus quicunque est instrumentalis; quoniam semper confici-
tur ex pluribus similaribus. Merito autem recensetur inter prima instrumenta, quoniam non conficitur
ex dissimilaribus: siquidem vt conficitur ex vena & arteria, hæc vasa similaria sunt: quia in musculo, vt te-
status est Gal. 7. de anatomicis admin. 5. vasa circundantibus membranis sunt destituta. Recte ergo dictũ
fuit, musculum esse membrum instrumentale, seu dissimilare.
Deinde fuit dictum [*genitum ex neruis, ligamentis, carne, venis, arteriis, & membranis.*] Quæ veritas Materia
& testimonio visus comprobatur, & Galeni dictis passim, præsertim autem secundo de locis affect. 2. pri- musculorũ.
mo de motu musculorum primo. Explicandum vero est, qua ratione hæ partes ad musculum constituen-
dum concurrant. Sigillatim ergo circa singulas discurrentes: primum, quantum attinet ad neruos, ex Ga-
leno primo de facult. natur. 2. neruus perueniens ad musculum in prima quidem insertione in pauciores
D distribuitur portiones, illis rursus in alias scissis, hisque iterum sectis in alias, eo vsque tandem scissura pro- 1. Nerui.
cedit, vt in membranas, & valde tenues fibras, desinat. Rursus hæ particulæ inuicem coeunt, ac produ-
cunt neruos prioribus maiores, sed numero pauciores, qui tandem nerui in fine musculi & numero &
magnitudine euadunt pares iis, qui initio primo in musculo locantur. Vnde dicit Gal. 1. de vsu partium
18. musculum generari, dum per carnes fit neruorum disseminatio. Dixit etiam primo de semine 10. mu-
sculum produci ex neruorum fibris. Dicebat etiam primo de motu musculorum primo, neruos ita pro-
gredi, vt dum primum musculos attingunt, scindantur multipliciter in aliam subinde atque aliam sectio-
nem: atque tandem in tenues & membraneas fibras resoluti, totum sic musculi corpus contexant. Dicit
etiam 2. de locis affectis 2. musculum componi ex neruis, vt in tenuissimas quasdam veluti fibras resoluũ-
tur. Vnde & 9. de Plac. 8. dicit ad musculos produci neruos. Hæc de neruis.
E Quo autem ad ligamenta: dicit primo de motu musculorum primo, musculum confici ex quibus- 2. Ligamen.
dam propaginibus, in carnem missis a ligamentis. Dicit quoque primo de semine 10 musculum produci
ex ligamentorum fibris, vt hæ carne superinducta in vnum coniunguntur. Adhæc secundo de locis affe-
ctis 2. asserit, musculum esse confectum ex ligamentis, vt in tenuissimas quasdam veluti fibras resoluun-
tur. Vt ex his colligere liceat, musculum donatum esse fibris, quæ prodeant non modo a neruo, sed etiam
a ligamento. Vt rationabiliter dicat Gal. lib. de cibis boni & mali succi 4. in musculis reperiri fibras solidas
multas & longas, circa quas carnosa substantia concreuit, vt musculus sit cõfectus ex neruis & ligamentis,
vt hæc corpora in fibras resoluuntur. Ceterum cum musculus fiat ex neruis & ligamentis: non credendũ
(quemadmodum falso Vesalius tribuit Galeno (musculum fieri ex æquali portione nerui & ligamenti:
quemadmodum in sermone pro salute Gale. in sermone de tendine explicatum fuit, vt in præsentia non
F liceat repetere. Hæc de neruis, & ligamentis.
Quantum ad carnem: dicebat Gal. 2. de vsu partium 16. carnem esse partem musculi. Vnde dicit 10. 3. Caro.
methodi vltimo: vocatur caro tantum ea, quæ in musculis est, reliquarum nullam homines carnem vo-
cant, præterquam admodum pauci. Quæ autem carnes in visceribus visuntur, vtpote in iecore, renibus,
liene, & pulmone, παρεγχύματα quasi affusiones vocant: quæ in intestinis, ventriculo, stomacho, & vte-
ro, sine nomine relinquunt. Ob id dicit Aristot. 3. de historia animalium 16. in genere sanguineo dari car-
nem, & quid simile carni: nam vt se habet spina ad os, ita carnis æmulum illud ad carnem. At dicimus cum
Gal. 11. symp. primo, carnem proprie dictam esse, quæ visitur in musculis. Adhæc 2. de temperamentis 3.
ait: cum carnis plures sint species: prima species est, quæ caro proprie appellatur, quæ nusquam in corpo-
re per se inuenitur, sed est perpetuo musculi pars. Vnde capitulo 5. ait: omnis musculus carnosus est. Vt
G cum Galen. 3. de facult. alim. 5. musculi carnes sint exactæ, & potissimum ipsorum partes mediæ: nam qui-
dam musculi capita habent neruosa, quidam etiam maximos tendines secundum finem generant. Vt
non ab re dicat Galen. secundo de locis affectis secundo, musculos ita fieri ex carne, vt (sicut testatur cap.
septimo) carnes numerentur inter musculorum partes. Ceterum carnes ita se habent, cum eodem Gale-
no, secundo de locis affectis secundo, vt tenuissimas veluti fibras neruorum & ligamentorum admit-
tant, vt ex his per carnem dispersis musculorum essentia pendeat. Vnde etiam in arte medicinali capitulo

quinćto dicit: propriam musculorum substantiam duobus constare, nempe carnibus,& fibris,quibus enascuntur carnes. Recte autem statuit carnem fibrosam esse propriam musculorũ substantiam: tum,quia hæc caro in solis reperitur musculis:tum,quia est præcipua organi pars.Sed de hoc suo loco. A

Caro simplex,& fibrosa.

Vnde notandum, differentiam esse inter simplicem carnem, & fibrosam:nam simplex caro intelligitur seorsum a fibris,& præsertim nerueis, & ligamentalibus, ad differentiam fibrarum sanguinearum, quemadmodum capiebatur a Galen. in arte medicinali nono, vbi inter partes similares etiam cum Arist. secundo de partibus primo, simplicem carnem proponit. Non simplex autem caro est fibrosa:nam constat ex duabus partibus similaribus. Quod sit verum:Galen.primo de natura humana primo, ait:cum caro adhæreat fibris musculorum,& carnem esse similarem, & fibras. Quare caro non vt caro,sed quoniam per carnem(vt ait Gal.primo de vsu partium decimooctauo)disseminantur nerui,caro fit musculus. B

Sed occurrit dubitatio: quomodo Galen. lib. artis medicinalis nono per carnem simplicem intelligit carnem seorsum a fibris:cum dicat decimo methodi vndecimo,omnem partem similarem constare ex substantia carnosa, fibrosa, & membranosa. Quare simplex caro,vt similaris,intelligi debet vna cum fibris?Dicimus in omni parte carnosa esse fibras:verum ex substantia carnosa,& fibrosa quandoque fieri vnam partem similarem, quandoque duas: fit quidem vna pars similaris, quotiescunque fibra permixta cum carne,immediate fit ex semine,vt in tunica venæ; similiter dum caro acquirit fibras ex fibris sanguinis. Fiunt autem partes similares,quotiescunque caro permiscetur cum fibra, quæ non fit immediate ex semine,sed ex aliqua parte similari seminali, vt fibræ carnis musculi, siquidem fiunt ex neruis & ligamentis.Vt si caro nanciscatur fibras,quæ immediate fiunt ex partibus similaribus, non egeat fibris,quæ immediate fiunt ex semine. C

Carnis temperies.

Et hinc fit,vt caro simplex vocata,ad differentiam fibrosæ seruet suam temperiem,quæ alia est a temperatura fibrarum. Vnde ad simplicem carnem respiciens Galenus, libro de inæquali intemperie sexto, non recedens a Philosopho,secundo de partibus secundo,& 34. problem.tertio, ait:carnem calidam particulam esse.Dicebat etiam primo de temperamentis 6 carnem secundum exsuperantiam esse humidam. Addebat cap.vlt.carnem calidiorem & humidiorem esse cute:siquidem caro est multi sanguinis,& calida: est autem (vt ait 2.de temperamentis 3.) minus humida adipe, vt in homine, secundo de partibus 16.sit mollissima.

Materia carnis spermatica, quoad fibras:sanguinea, quoad ipsam carnem.

Hinc cum Hippoc.lib.de carnibus:caro genita est ex frigido,vt glutinosa portio in foramina transierit,in foraminibus autem humidum est,veluti in venis magnis. His verbis significat, carnem secundum portionem fibrosam & membraneam genitam esse ex frigido, hoc est, glutinoso semine: sed præterea secundum portionem carneam caro generatur ex humido,hoc est, ex sanguine qui in venis magnis continetur,cum Gal. tertio methodi quincto.Et tertio simpl.25.idem Galenus dicit; a carne trahi sanguinem, vt ab agente:nimirum cum eodem Galen.cap.nono,a facultate carnis sanæ. Quemadmodum autem per facultatem intelligimus facultatem carnis sanæ:ita per materiam ex qua, per sanguinem,intelligimus sanguinem inculpatum.Vnde dicebat Arist.secundo de generatione animalium quarto: naturam conficere ex materia sincerissima carnem,vt rationabiliter sit vita prædita,& ob id nequaquam mutetur in alias partes.Vnde,dum ait Arist.tertio de histor.an.16.quoties animal extenuatur,caro aboletur,& in venas fibrasque transit:non intelligit carnis substantiam mutari in fibras,& venas:sed vbi minuitur caro membri, cõspici & venas,& fibras.Sed ad rem:caro & viuit,& gignitur ex pura materia.Siquidem si gignatur ex vitioso sanguine:tantum abest,vt sit calida,vt potius sit frigida. Quod insinuauit Galen.dum tertio de sympt. caussis 1.ait neque enim idem est, esse carnem, & esse carnem pituitosam: nam caro est caro per formam: est autem pituitosa, per temperiem frigidam & humidam: talis autem euadit, vt nutritur sanguine pituitoso. D E

Caro quatenus reparetur.

Constitutum ergo sit,probam carnem esse calidam & humidam:& fieri ex sanguine, non autem ex semine.Vt rationabiliter dicat Gal.lib.de constitutione artis med. septimo;si male affectam carnem resecueris,facile aliam poteris reficere. Quod sane dictum intelligendum est de carne seorsum a fibris: nam fibræ,quia seminales, deperditæ reparari nequeunt: quo fit, vt si abscindatur caro, cum habeat fibras permixtas,fieri non potest,vt dum amputatur caro,simul etiam non abscindantur fibræ,vt cum regeneretur tantum caro,non fibræ;locus vacuus repleatur sola carne: quæ cum non sit fibrosa, musculus ad functionem euadat imbecillior,vt quo copiosior caro abscinditur, eo etiam infirmior euadat musculus, quia fibrarum maior copia desideratur. Hinc fit,vt caro fibris destituta inepta sit, non modo ad motum,sed etiam ad sensum:siquidem nequaquam affici potest a qualitate tangibili,dum neruis est priuata. Neque obstat,quamuis in carnis excrescentia homines sentiant: & si ferro candente caro etiam fibris destituta tangatur,dolor oboriatur insignis:nam sensus fit in carne fibrosa,per mediam carnem non fibrosam; sicut & cutis sentit per mediam cuticulam;sensus autem dolorificus exsurgit, quoniam caliditas illa ignea producitur vsque ad fibrosam carnem,vt eius soluatur vnitas. F

Conformatio carnis.

Ceterum caro sine fibris,vt sanguine alitur,ita a natura sine cauernulis fuit efformata. Siquidem ex Galen.3. de facult.naturalibus vltimo,partes vario modo sunt formatæ,vt quædam habeant sinus, vel cauernulas,vel aliquid,quod cauernulis proportione respondeat; quædam autem his non egeant,vt partes succum quo nutriuntur,vel magis vel minus alteratum desiderant. Siquidem partes, quæ non expostulant succum admodum alteratum, his sinibus & cauernulis non egent; veluti carnes tum viscerum omnium,tum musculorũ:namque nutriuntur sanguine exiguam alterationem consecuto. Neque obstat, quamuis cor habeat sinus:quoniam ad alios vsus;quam ad cordis nutritionem,sunt destinati. Quæ autem partes desiderant alimentum maxime alteratum,hos habent sinus, vel cauernulas, vt succus vsque adeo detineatur,quousque quantum decet alteretur:cuiusmodi sunt ossa, quæ vt alantur, opus habent numerosa G

rosa

A rosa mutatione: siquidem qualis carnibus est sanguis, talis est ossibus medulla, vt antequam sanguis mutetur in medullam, opus sit multiplici alteratione.

Situs carnis.

Carnis autem positio fuit, vt ait Arist. 7. de partibus 9. vt consistat circa ossa, vinculis modo fibrarum tenuibus adhærens, nam per hunc connexum conseruatur, vt hæc positio sit ad tutelam. Hæc de carne, vt est materia ex qua fit musculus: nam de carnis vsu suo loco dicemus.

4 & 5. Venæ & arteriæ.

Quo vero ad vasa, hoc est, vt venas, & arterias; ex his etiam confici musculum comprobatur ex Gal. siquidem nono de Placit. 8. ait: ad musculos perduci non solum venas, sed etiam arterias. Eandem sententiam habuit primo de motu musculorum primo: nec non & 2. de locis affectis 2. & lib. de formatione fœtus capitulo vltimo.

6. Membranæ.

B Quantum denique attinet ad membranas: dicit Galenus primo de motu musculorum primo, musculi partem esse membranam a ligamento prodeuntem. Addebat autem 2. de locis affectis 7. membranas esse in media carne: sunt enim plurimæ membranæ, & inæqualiter insitæ, & carnem etiam circundantes. Sunt quidem insitæ: nam si quælibet pars similaris ex Galen. 10. methodi 11. cōstat ex substantia veluti fibrosa, carnosa, & membranosa, etiam in carne hæc tria esse debent: quare & membrana. Sunt etiam membranæ circundantes; vt, cum Galen. lib. de cibis boni & mali succi cap. 4. musculus propria circumscriptione separatus esse videatur ab aliis musculis.

Constitutum ergo sit, musculum compositum esse ex neruis, ligamentis, & proinde ex horum fibris, ex carne, venis, arteriis, & membranis, vt ex horum corporum similarium miscella, cum Galen. 1. de facult. naturalibus 2. musculus quodammodo constitui possit, corpus, quod habet principium, hoc est, C caput; medium, hoc est, ventrem, & finem: ea tamen lege compositum, vt secundum caput sit magis neruosum, & adhuc magis secundum finem; secundum ventrem autem magis carnosum. Hæc de materia ex qua musculus generatur.

Efficiens. Temperamentum.

Deinde in definitione dictum fuit [*a vi musculifica.*] Hæc ergo per vim alteratricem tribuit temperiem variam, vt variæ sunt partes musculum constituentes: verbi gratia, nerui temperies est frigida, carnis autem humida: quo fit, vt, cum portio carnea reliquas mole excedat, musculus sit calidus & humidus, quia carnosus: est autem hæc secunda complexio: nam prima pertinet ad partes similares: secunda, ex partibus similaribus prodiens, ad totum dissimilare, vt ex Auicenna prima primi Fen. capitulo de complexione medicinarum, patet: sed de his alias. At si capiatur musculus secundum partes fibrosas, & seminales: siccus statui potest, vt quo plures fuerint & maiores portiones seminales, eo siccior euadat, & hinc D etiam robustior. Quam veritatem insinuauit Galenus, dum 3. de sympt. caussis 3 ait neruos, ligamenta, tendines, & musculos, quo sunt icciora, tanto esse valentiora: si tamen plus iusto non sit excessus, ne inflexibilia ac friabilia euadant.

Figura.

Quo vero attinet ad formatricem: cum hæc tribuat compositionem: quantum attinet ad conformationem, & primo quo ad figuram; multiplex tribuitur musculis: nam alii similem habent figuram cum mure, alii diuersam. Adhæc alii habent figuram triangularem, vt habent tres angulos, alii quadrangularem, vt habent quatuor angulos, alii aliam, vt habent quinque, vel etiam plures angulos: sicut explicabimus, dum circa singulos musculos discurremus Hoc loco id vnum notandum cum Galen. secundo de motu musculorum, vlt. musculos inuicem differre penes figuram, vt modo agunt, modo quiescunt, vt musculi costarum & ventris differant a ceteris fere omnibus musculis, qui alias partes mo- E uent. Nam costarum & ventris musculi deuexi, perpetuo sunt assimilati subiectorum instrumentorum figuris; ita vt dum quiescunt deuexitatem seruent: cum autem agunt, minus curui fiant: contra reliqui musculi, dum quiescunt recti, dum vero agunt, curui fiant. Cuius diuersitatis caussa est: nam cum quibusdam subiectum sit amplum quoddam spatium cedens, quibusdam autem musculis subiecta sit substantia dura & renitens: iure fit, vt, qui mollem habent sedem, dum tenduntur versus principium, iis mollities sedis cedat, hincque maior corporis musculi pars occultetur, & proinde minus curui fiant; quod sané accidit musculis ventris, & thoracis, in locis inter ossa mediis: siquidem quantum ad ventris musculos, nisi venter sit repletus, vt in hydropicis, & vterum gerentibus, hi musculi priusquam agant sunt curui, vt subiecta sunt instrumenta: nam ad illorum curuitates extenduntur: cum vero agunt intro cedunt, nam facile premunt subiectas cauitates. Similiter quantum ad musculos thoracis, in locis in- F ter ossa mediis residentes: priusquam agant, figuram similem totis costis habent, curui quidem extrinsecus, caui autem intrinsecus: cum autem agunt, prementes primum quidem & maxime membranam ipsis subiectam, nempe succingentem nuncupatam, per ipsam vero & pulmonem, qui mollis est & laxus, tantum introcedunt, quantum substantiam subiectorum instrumentorum cedentem habent, vt propterea hi musculi, dum agunt, minus curui fiant. Quo vero ad musculos reliquos, qui ossibus incumbunt: dum agunt, curui fiunt, dum quiescunt recti: nam dum contrahuntur, tantum in profunditatem & latitudinem augescentes, quantum de longitudine deperditur, eminentiorem omnem corporis molem habent, & proinde figuram curuam acquirunt: dum non laxantur, & proinde quiescunt, vt moles illa eminentior euanescit, ita rectam figuram acquirunt. Sed in figura immorari amplius non licet.

Cauitas.

G Quo vero attinet ad cauitatem; Gal. sexto aph. 29. ait: in musculis cauitates sola ratione contemplamur; nec ab re: nam cauitates essent in caussa, vt musculi ad motum non essent ita robusti. Non negamus tamen aliquos esse perforatos, vt septo transuerso bina obtigerint foramina, quibus venam cauam, stomachumque transmittit. Sed de his in propriis locis.

Magnitudo.

Quo autem atinet ad magnitudinem: cum Galen. 1. de motu musculorum nono, vt musculus erat moturus os, vel maius, vel minus, ita musculos factos esse modo maiores, modo minores: siquidē natura

musculorum magnitudinem creauit proportione parem moli mouendorum ossium. Addebat etiam tertio de vsu partium vlt. cum duo sint musculi genu flectentes, & duo extendentes; cum maior sit dignitas in extensione; ideo musculi extensioni destinati maiores fuere creati. A

Numerus. Quo autem attinet ad numerum: si hunc spectemus ratione totius corporis, cum Gale. 9. de Placit. 8. musculorum numerus excedit ossium numerum, vt cum ossa sint plura quam trecenta, adhuc plures erunt musculi. Et ob id, libro de formatione fœtus vlt. ait, in animalis corpore musculos plures esse, quam trecentos. Si autem spectemus numerum ratione partis, quæ mouetur: cum Galen. 3. de vsu part. vlt. 10. de vsu partium nono: duodecimo de vsu part. 8. & primo de motu musculorum octauo, nulla particula, quæ mouetur, vnico vtitur musculo: nam partes omnes motu voluntario præditæ, duobus vt minimum indigent musculis oppositis, altero scilicet extendente, & altero flectente: potissimum autem duobus musculis est opus: quoniam vnus musculus vtrosque motus efficere nequit: tum, quia partem quam moturus est, omnino trahit ad seipsum; tum etiam quia vnicus est situs, cum vnicus sit musculus. Vnde nisi pars musculum contrarii motus auctorem obtineret, motus claudicaret, aut funditus aboleretur. Siquidem oportet, vt particula, quæ mouetur, vicissim alterum habeat musculum contractum, alium laxatum, vt contractus trahat ad se, laxatus autem ab alio trahatur cum particula: quo fit, vt dum perit vnus motus, etiam alter obeat. B

Monitum circa conuulsionem. Vnde hoc loco obiter admoneantur studiosi, qua ratione fiat, vt in conuulsione pars non cesset a motu. Itaque sciendum, conuulsionem esse spuriam, vel legitimam. Si spuria fuerit, pars contrahitur, quia expultrix irritatur, & insurgit ad expulsionem, vt cerebrum in epilepsia: vnde vt expultrix est in caussa cõtractionis partis, ita vis motrix per musculos illæsos, contractos ab expultrice, laxat, atque ita motus perseuerat, vt vicissim agit expultrix, & motrix, vt si accidat expultricem maxime vigere, vt non cedant motrici musculum contractum laxanti, pars immota permanet. Si autem sit conuulsio legitima: tunc fit contractio a musculo contracto, a neruo breuiori reddito; quoniam autem non quilibet neruus est affectus, vis animalis influens ad musculos, musculum præter naturam contractum nititur extendere, & cum nonnihil extendat, extensioni succedit retractio, quæ fit a caussa morbifica. Vt cum magis possit caussa morbifica quam vis animalis, vehementior fit contractio musculi affecti, quam eius relaxatio a musculo sano. Hinc fit in tetano, in quo sunt affecti omnes musculi caput mouentes, & ad anteriora, & ad posteriora, caput immotum videri: contra autem in emprosthotono, & opisthotono, in quibus non omnes musculi læduntur, vt ruat omnis ambiguitas. Hæc de numero. C

Situs fibrarum. Quantum denique attinet ad situm: hic perdiscendus ratione & fibrarum, & totius musculi. Quantum ad fibras: Gal. septimo de anatomicis administr. octauo, ait: musculos obtinere fibras positu simplices, vt cum eodem Galeno sexto de vsu partium octauo, musculi obtineant fibras, aut solum rectas secundum longitudinem, aut solum transuersas secundum latitudinem, nequaquam autem simul vtrumque genus. Nam singuli musculi, singulos habent & simplices motus. Ceterum, vt admonet Galenus duodecimo de vsu partium octauo, musculi fibras habent, vt plurimum secundum suam longitudinem porrectas, raro autem transuersas, aut obliquas. D

Ortus & insertio musculorum. Quo vero ad situm totius musculi: & primo penes ortum & insertionem, ita se habent musculi, vt ortus pertineat ad partem quiescentem, insertio autem ad partem, quæ debet moueri: propterea ait Galenus primo de motu musculorum nono, naturam ita musculos produxisse, vt ex superiacentibus ossibus, quæ debent quiescere, inseruerit in subiacentia ossium capita, quæ debent moueri, vt per intensos, seu contractos musculos, ossium capitibus sursum tractis, simul cum eis totum membrum sursum traheretur. Vt musculorum exortus, fit ex superiacentibus ossibus: verum modo ex eorum capitibus, aut condylis, dum scilicet maiores debent esse musculi: modo paulo inferius, iuxta cotylem, aut glenem, dum nõ debent esse ita magni, quamuis non multo inferius oriantur a capitibus, quoniam nerui parui fuissent. Ceterum cum musculi perueniant ad partes mouendas: cum esse possint, & ossa, & aliæ partes (vt propriis locis dicetur) cum Galeno primo de locis affectis 6. ad partes mouendas aliquando musculi ipsi perueniunt, aliquando vero per medios tendines. E

Ductus musculorum. Quo ad situm penes ductum: addebat Galenus in arte medic. 5. musculos ambire omnia ossa. Addebat etiam, primo de motu musculorum quincto, musculorum alios occupare sedem internam, vt qui mẽbrum flectunt; alios externam, vt qui extendunt. Adhæc, cum Galeno, tertio de vsu part. 10. aliqui oblique producuntur, vt qui ad motus obliquos conducunt: aliqui recti perreptant secundum longitudinem, vtpote qui ad exactam flexionem aut extensionem conferunt. Tandem quarto de anatomicis administrationibus nono, ait: de omnibus musculis hoc communiter intelligendum esse, eas, qui rectam posituram obtinent, simplici præesse motui; qui vero non rectam habent posituram, composito; ita tamen vt non sit duplex motus, quia ab vnico musculo vnus tantum producitur motus. F

Finalis caussa. Postremo in definitione dictum fuit [*gratia motus voluntarii.*] Hanc particulam tetigit Galenus primo de motu musculorum primo: nam voluit & motum voluntarium non fieri sine musculis, & motum voluntarium ad solos pertinere musculos, vt rationabiliter musculus motus voluntarii proprium instrumentum statuatur. Vnde & libro de cibis boni & mali succi quarto, ait: musculum obire motum voluntarium. Dicit etiam primo de locis affect. sexto, omnem voluntarium motum ad musculorum officium pertinere: siquidem nullus neruus per se, sine musculo, sed per musculos, voluntarium motum perficit. Vnde dicit duodecimo de vsu partium secundo, os moueri, musculum autem mouere. G

Motus voluntarius est actio musculorũ propria, & communis. At propter iuniores notandum, motum voluntarium ita pertinere ad musculum, vt sit musculi actio & communis, & propria: adhæc vt prodeat a musculo vt ab agente & præcipuo, & adæquato. Hæc quatuor

A tuor cum Galeno declaro. Et primum, esse propriam, & communem actionem, explicabat Galenus primo de fracturis primo, dum ait; musculorum in seipsos contractionem, & proinde motum voluntarium, esse & proprium, & communem; proprium si musculi referantur ad reliquas corporis partes, communem si inuicem conferantur musculi: & ob id quincto de vsu partium decimoquarto, ait, omnium musculorum opus commune esse, vt tensis fibris in seipsos resideant.

Musculus est organũ motus voluntarii, adæquatũ, & præcipuum.

Deinde vero hunc motum procreari a musculo, vt ab agente, & præcipuo, & adæquato, colligitur ex Galeno. Et primum musculum esse instrumentum adæquatum, insinuauit secundo de tuenda 11. dum ait: quæcumque voluntate suscipiuntur actiones, eæ musculorum, neruorum, & tendinum propriæ sunt. Ex his nil aliud inferens: nisi musculum, ad differentiam nerui, & tendinis, esse organum quidem B proprium motus, sed adæquatum; vt concurrat ad contractionem, vt totus oculus ad visionem. Musculum autem esse quoque voluntarii motus organum non adæquatum, sed præcipuum, euidenter colligitur ex Galeno, libro de constitutione artis med. 5. dum ait: incessus, & proinde motus voluntarius, est actio totius cruris: cui tamen ex partibus omnibus, ex quibus constat crus, musculorum præest genus; vt musculus sit præcipua pars cruris, vt per suum motum confert ad incessum: non autem per temperiem, nam hæc pertinet ad partem similarem, cum Gal. primo de vsu part. 9. musculus autem est pars instrumentalis.

Musculi motus proprius, & accidentalis.

Ceterum musculus, cum sit auctor motus voluntarii, siue adæquatus, siue præcipuus, auctor est illius motus, in quo musculus a facultate animali trahitur ad proprium principium, (vt fatebatur Gal. primo de motu musculorum octauo) non autem vt laxatur. Quod sit verum: tum cap 9. tum quarto eiusdem C libri, ait; vnius musculi per se vnicam esse actionem, & proinde vnicum motum: est autem hic motus, quando musculus operatur, trahens ad seipsum particulam, quæ mouetur. Dum vero idem musculus contractus laxatur, & proinde fit contractione contrarius motus: hic ad musculum pertinet, non per se, sed per accidens, quoniã musculus a seipso contrahitur, a seipso non laxatur; sed ab alio musculo abducitur. Vt eiusdẽ musculi cõtractio, & relaxatio, ita se habeant, vt contractio sit actio ipsius musculi: relaxatio autem passio eiusdem musculi, actio autem alterius, qui dum seipsum contrahit, partem trahens, contractum musculum relaxat, vt nisi musculus, a seipso contractus, ab alio relaxetur, densus semper maneat.

Motus quatuor.

Vt hinc concludere liceat, motus ad musculos pertinentes, ex Galeno primo de motu musculorum septimo, & octauo, quatuor esse: duos per se, & duos per accidens. Quantum ad motus per se: sunt illi motus, qui fiunt a musculo qui mouetur, non autem ab alio musculo. Horum alter est, qui fit a musculo, vt est D voluntatis organum, & fit per tensionem musculi, siue per tensionem erigatur membrum, siue etiam reclinet, siquidem reclinari fit voluntarie. Reliquus autem motus per se est, dum musculus agit, quamuis moueri non videatur, fit autem dum, verbi gratia, manus sursum tensa permanet: quod sane assequitur manus ope musculorum manum eleuantium per suam tensionem, quæ sane actionis species siue tonica, siue aliter appelletur (ait Galenus) nihil refert; id verum est in hac actione tonica musculos non otiari, sed voluntate imperante agere, dum manus sursum est tensa.

Quo autem ad motus per accidens: alter est qui primo per se opponitur, dum musculus ab opposito extenditur, qui sane motus musculo, qui extenditur, comperit, vt musculo & vita & sanitate prædito; nam si pereat musculus, vel scirrho afficiatur, ab opposito musculo non mouebitur, & proinde non extenditur. Reliquus autem motus per accidens, qui quodammodo secundo per se opponitur, est, qui inest musculo, vt inanimato, & penitus ex seipso immobili, vtpote dum membrum non reclinat, sed decidit, vt E musculus, ferietur, & in grauitatem vergat.

Ceterum notandum circa motus per se: quamuis duo proponantur, cum pertineant ad vnicum musculum, ad vnicum motum referri, hoc est, ad musculi contractionem, per quam musculus vel erigitur, vel reclinatur, vel tensus manet.

Musculus etiam somni tempore mouet.

Hoc musculi munus ad ipsum pertinet, non modo tempore vigiliarum, sed etiam tempore somni. Quod sit verum: ait Gal. 2. de motu musculorum quarto, quincto, & sexto, musculos in somno tonice agere, hoc est, tensos permanere, quinimo aliquos loqui, aliquos ambulare. Hoc autem fit, quoniam dormientium anima non prorsus quiescit: sed solum in vigore somni fit quasi intermissio quædam. Vt dormientes non sint penitus sensus expertes; sed difficulter sentientes, vt vocati subaudiant, tangentes sen- F tiant, & lumine importato exsurgant. Neque est vt quis dicat (ait Gal.) has non esse animæ actiones, quoniam non assequimur mente eas fieri: nam neque cum oras, aut disputas, omnium partium motibus mentem adhibet. Id autem fatendum est, in somnis aliter quam in vigiliis concurrere: siquidem in somnis obscure agit, vt obscure etiam fiant imaginationes, neque stabiles, vt obliuiscatur, ac si eas actiones non egisset: nam sicut memoria insignes impressiones rerum in imaginationibus seruat, quod est memoria tenere; contra si obscuras & superficiarias impressiones accipiat, non conseruat, & hoc est obliuisci: quemadmodum sane contingit in phrenitide, ebrietate, timoribus, curis, & omnino in vehementibus animi affectibus, & proinde etiam tempore somni.

Ceterum cum hactenus constet, musculum creatum esse vt sit motus voluntarii organum: duo adhuc explicanda desiderantur: primum quidem, quidnam vtilitatis & commodi consequamur, gratia motus voluntarii: secundum, per quid musculus concurrat ad motum voluntarium obeundum, & præser- G tim cum plures sint musculi particulæ, quomodo inuicem differant ad voluntarium motum præstandum. Quantum attinet ad primum: ex Galeno, primo de motu musculorum, primo, musculus per motũ voluntarium confert ad plures vsus, verbi gratia, septum ad respirationem, musculi oculi ad meliorem visionem. Vnde dicit etiam tertio de sanitate tuenda secundo; tensis in thorace vniuersis musculis, & remissis seu relaxatis, qui in septo & abdomine, deorsum feruntur excrementa. Ecce musculi motus cõfert ad descensum excrementorum. Addebat autem sexto de locis affectis quarto: si musculi, qui fluores cohi-

Musculi plurimos variosque præstant vsus.

bere solent, quiescant ab opere, & abdominis musculi maxime medii suo munere fungantur, fit excrementorum vacuatio. Vt si alui excrementa duriora euadant, cum eodem Galenus tertio de sympt. caussis 2. musculorum & abdominis & thoracis valenti actione sit opus. Vt tandem cum musculi per motum voluntarium conferant ad naturæ operam, quamuis primaria ratione sint organa animæ: possint tamen & inter naturæ instrumenta, quamuis non primaria, recenseri. Quam veritatem explicans Galenus, sexto de anatomicis administrationibus cap. vltimo, inquit: esse musculos, qui tertiam constituant differentiam instrumentorum cibi. Sunt autem musculi abdominis, sedis, & vesicæ. Abdominis quidem: hi siquidem non modo ad efflationes, & voces edendas, non parum adferunt virtutis, verum etiam ad excrementa egerenda conferunt: siquidem eo tempore, quo animal aluum exonerat, octo abdominis musculi pariter cum septo, pro communi omnium musculorum functione tenduntur. Sedis autem musculi ad stringendum claudendumque meatus extremum sunt accommodati, vt musculus orbicularis, seu sphincter dictus, solo eo tempore relaxetur, quo animal aluum exonerat, reliquo autẽ omni tempore sedis os claudit. Vesicæ denique musculi, vt claudant solum sunt appositi. Hæc de primo. A B

Quomodo singulę musculi partes concurrant ad motum voluntariũ. 1. Nerui.

Quantum ad secundum: erat autem explicare per quidnam musculus concurrat ad motum voluntarium, ad tensionem, hoc est, secundum eius particulas, vt appareat, qua ratione quælibet pars concurrat: ex quo etiam patebit, quæ sit motus voluntarii præcipua pars, quæ concurrat sine qua non, quæ ad melius, & quæ ad tutelam. Itaque cum musculi partes sint nerui, ligamenta, fibræ, caro, vena, arteria, & membrana: quantum attinet ad neruum: Gal. primo de motu musculorum primo, ait: musculum esse animale instrumentum per neruos: nam horum ope fit sensus, & motus: differentia autem est inter sensum, & motum: quoniam sensus munere suo fungitur, non modo in musculo, verum etiam in omnibus reliquis particulis, neruis donatis, vt neruus sit veluti riuus ortũ ducens vel a cerebro, vel a spinali medulla, cuius beneficio musculus non planta, sed quiddam præstantius planta redditur, assumto scilicet sensu & motu voluntario, quibus animal a non animali differt. Vnde dicit Galenus duodecimo de vsu partium tertio, nerui vsum esse, vt missum a ratione imperium perferat, motusque principium præbeat, vt neruus a Galeno inter motoria instrumenta recenseatur. Hinc fit (quemadmodum testatur Galenus octauo de anatomicis administrationibus quincto) commune omnibus musculis esse, vt si nerui lædantur, totus musculus statim motu priuetur. Vt ex his facile colligere liceat, neruum in ratione nerui esse musculi partem, quæ concurrit, vt sine qua non. Dico autem, in ratione nerui: nam si capiatur, vt resoluitur in fibras, aliud est statuendum, vt suo loco patebit. Hæc de neruis. C

2. Ligamenta.

Quo autem ad ligamenta: dicit Gal. 12. de vsu part. 2. ad edendum motum voluntarium opus esse ligamento: quod tamen (vt ait capit. 3.) instrumentum non est, cum nec ex cerebro, nec ex spinali medulla procedat. Vt cum ligamentum non sit ad motus generationem necessarium: non concurrat vt pars sine qua non, sed caussa melioris motus, vt sane confert ad recte mouendum: siquidem sine ligamentis ossa modo huc, modo illuc a suo situ deflectentia, sua sede dimouerentur. Hoc autem intelligere oportet (vt dictum fuit de neruis) de ligamentis, vt ligamenta permanent, vt pertingunt in musculum, nondum autem in fibras sunt dissoluta. Hæc de ligamentis. D

Fibræ.

Quo vero attinet ad fibras: per has, vt ait Galen. 12. de vsu partium 3. intelligere oportet illas fibras, in quas nerui ac ligamenta dissoluuntur: siquidem, vbi membrum motui voluntario est destinatum, vtroque est opus, hoc est, ligamento, & neruo. Harum itaque fibrarum duplex est vsus: alius principalis, alius secundarius: seu, alius proprius, alius communis omnibus fibris: siquidem (vt alias diximus) ex mente Galeni, natura eandem particulam pluribus vsibus donauit. Est sane communis, vt ait Galen. 2. de locis affectis 2. & 12. de vsu partium tertio, firmare carnem, ne a propria sede dimoueatur. At quantum attinet ad præcipuum vsum, concurrit vt pars præcipua musculi ad motum voluntarium. Hæc veritas comprobatur multiplici Galen. auctoritate. Nam primum lib. artis medicinalis 5. ait, propriam musculorum substantiam constare ex fibris; quibus innascuntur carnes. Vnde sicut humor crystallinus, vt propria oculi substantia, est præcipua caussa visionis; ita & substantia fibrosa, vt propria musculi substantia, est præcipua caussa motus: per fibras autem intelligit quibus enascuntur carnes, hoc est, permixtas cum carnibus; ad differentiam nerui, & tendinis, vt cõcurrunt sine quibus non. Vnde dum ait Gal. 2. de tuenda 11. quascunque voluntarias actiones, musculorum, neruorum, & tendinum proprias esse; per proprias oportet intelligere præcipuas, sed his tantum competentes, quamuis non eodem modo concurrant: nam neruus, & tendo concurrunt, vt sine quibus non; musculus totus, vt organum adæquatum; huius autem fibræ, vt præcipuum organum. Secundo confirmatur veritas proposita ex Galc. 12. de vsu part. tertio, in fine, dum ait: musculis commune ac vniuersale esse, vt membra moueant multis ac minimis tendinibus: per hos nil aliud intelligens, quam fibras confectas ex neruis, & ligamentis: sicut etiam componuntur magni tendines: sed magnus tendo non habet locum in quolibet musculo, cum Galeno primo de motu musculorum tertio, sicut tendo multus ac minimus, hoc est, fibrarum cumulus. Vnde dum ait Galenus 10. de vsu partium nono, musculos mouere partes per quosdam tendines: intelligere oportet, vt per partes, sine quibus vehemens motus fieri non potest. Tertio eadem veritas comprobatur ex Galeno, primo de Placi. vltim. dum ait, instrumentum, quo animalis membra mouentur, robur requirere, cuiusmodi nequaquam est neruus, sed musculus, vt si musculus referatur ad neruum vectis cuiusdam vim habere videatur: quemadmodum enim pondera, quæ manibus mouere non possumus, vectibus adhibitis mouere consueuimus: sic corporis membra, cum neruis mouere non valeamus, ad ea mouenda musculos sumus consecuti. At musculos sumus consecuti, vt neruus in vnoquoq; musculo, in fibras dissolutus, cum fibris copulatus cõmiscetur & implicatur. Vt cum musculus habeat rationem vectis per has fibras, iure statuere liceat has fibras præcipuam esse musculi partem. Quarto eadem veritas stabilitur ex Galeno, de anatomicis administra- E F G

nistra-

A nistrationibus 7.nam ait:ex sectione costarum,spinalis medullæ,neruorum, & fibrarum,motum musculorum aboleri:aboletur autem hic motus, per sectionem costarum, quoniam adimitur fundamentum: per sectionem spinalis medullæ,vt euanescit animalis facultas:per sectionem nerui, vt deficit ductus animalis potentiæ. Quare per sectionem fibrarum pars præcipua desideratur. Et ob id eodem libro cap. quincto,ait:commune omnibus musculis esse, siue nerui lædantur, siue omnes fibræ transuersæ amputentur,totos musculos statim motu priuari. Expedit autem non solum neruorum principium,sed etiam fibrarum situm pernoscere:siquidem nonnullæ superne deorsum versus procurrunt,quemadmodum fibræ anteriorum mediorumq; thoracis musculorum:quædam in latus inclinant, sicut posteriorũ: aliquæ rursus toti musculorum longitudini proportionantur, veluti fibræ aliorum omnium,& intercostalium.
B Vt instrumentorum corpora motus consequantur, non modo simpliciter per fibras,verum etiam (vt ait Gal.tertio de facultatibus naturalibus octauo) pro fibrarum positura: nam in musculis,dum fibra quæq; intenditur,atque ad principium retrahitur,motus musculorum obitur. Vt fibrarum situs non simpliciter conferat ad motum, sed ad motum determinatum, vt musculi substantia fibrosa sit præcipua caussa motus;positio autem talis & talis motus,per positionem autem intelligere oportet determinatam, vt scilicet situm obtinent vel in longitudinem,vel transuersum;ad differentiam situs indeterminati, vt scilicet fibræ in qualibet musculi parte reperiantur,secundum quem modum in præsentia intelligimus, vt nimirum præcipua actionis caussa sit fibra,vt per totum musculum est dispersa. Neque obstat,quamuis dicat Gal.8.de anatomicis administrationibus octauo,si musculus vnico capite constat,facilimum esse illius se-
C ctione motu musculum priuare,si autem musculus pluribus donatus sit capitibus, omnia incidenda esse, vt ex his quis forte colligat,fibras esse præcipuam motus caussam, vt residet tantum in musculi capitibus. Dicimus,Gal.non respicere ad fibras,sed ad neruos,vt in caput musculi inseruntur, vt neruis discissis necessum sit vt musculi motus aboleatur,quoniam concurrunt vt caussa sine qua non.

Constitutum ergo sit, musculi præcipuam partem esse substantiam fibrosam; quæ potest primum concurrere per suam temperiem siccam; cum ex Galeno tertio de symptomatum caussis tertio, motus voluntarii organa,quo sunt ficciora, tanto sint valentiora. Sed substantia hæc fibrosa potest etiam concurrere per id quod consequitur temperiem,nempe per duritiem:nam fibra neruosa est mollior,ligamẽtosa est durior, vt ex vtrisque fiat substantia ita dura, vt ad motum sit idonea.Hæc de fibris.

Quo vero ad carnem:hæc,vt caro,concurrit vt pars custodiens, vt autem caro fibrosa, concurrit vt +Caro. 1.
D pars quæ est præcipua actionis caussa. Vtrumque probo:& primo concurrere ad custodiam reliquarum, colligitur ex Galeno 12.de vsu partim tertio,dum ait: carnis musculum constituentis vsum esse, vt æstus, frigora,& reliquas iniurias propulsaret,vt esset fibrarum scilicet euidentium operimentum, venarum & arteriarum sustentaculum. At cum alias dictum sit,carnem muniri a fibris, hic autem asseramus fibras muniri a carnibus,ob id sciendum,non esse absurdum,imo summe artificiosum,vt vicissim vna pars alteram custodiat,vt fibræ custodiant carnem ne dissoluatur,caro autem custodiat fibras, ne contundantur & rumpantur.Vnde addit Hippoc.lib.de ossium natura: carnes exhibere & cutis & omnium colligationem & constrictionem. Neque carnis vsus prorsus ignarus,Plato in Timæo scribat, carnem esse tegmen aduersus frigus & calorem,vt fuerit referta calido humore, vt æstate roscida & madida extrinsecus toti corpori domesticum præbeat refrigerium, hyeme vero rursus proprio igne exteriorem glaciem moderate
E repellat;& mollis fuit,vt leuiter corporibus cederet,& proinde esset ad varios casus munimentum.At respiciens ad carnis copiam, dicit; naturam simul non admittere in aliquo membro carnem multam simul & sensum auctum;quod ita intelligendum: nam vbi in parte est copiosa caro, est etiam copiosus vapor qui sensui & prudentiæ officit.

Ceterum caro hos vsus præstat,vt colligere licet ex Galeno, primo de vsu partium 13.& per temperiem,& per id quod temperiem consequitur, nempe per mollitiem. Etenim quo ad temperiem attinet, nempe calidam,& humidam:iuuat instar balnei,quod sui caliditate ortam ex gelu frigiditatem sanat,humiditate autem siccitatem natam ex caliditate irrigat. Vt denique caro, quemadmodum omnis calida moderate humiditas, vtrisque immoderantiis,scilicet frigoris, & æstus, æqualiter prosit. Quo autem ad mollitiem:per hanc corporibus occurrentibus molliter lenit:rque cedit, instar rerum lana piloque coa-
F gmentatarum. Hinc factum est,cum Galeno loco citato, si natura copiosam produxerit carnem in partibus inter articulos mediis,vt circa detrimentum motus partes illæ muniantur. Dico autem, citra detrimentum motus:nam nisi circa articulos perpauca esset caro, sui copia esset grauis, internum etiam articuli spatium occluderet, & proinde motum turbaret, præsertim cum caro flexioni nullam commoditatem præstet.Patet ergo quemadmodum musculi caro,vt caro,sit pars ad custodiam destinata.

Quo autem ad carnem,vt est fibrosa:hanc esse præcipuam actionis caussam,comprobatur ex Galeno,in arte medicinali capit.quincto,dum ait:propriam musculorum substantiam duobus constare, nempe carnibus & fibris,quibus innascuntur carnes,vt non proponat simpliciter fibras, quibus innascuntur carnes.Vnde etiam primo de fracturis duodecimo,ait:propriũ musculorum corpus sunt fibræ, quæ simplici carne cinguntur.Vnde & Arist.tertio de historia animalium secundo ait: carnem esse præcipuũ cor- 2.
G pus,quod animalibus inest, vt significaret, carnem esse præcipuam partem cuiuslibet instrumenti,vt sit præcipua actionis caussa:nil aliud significans, quam mixtum quoddam ex carne & fibris, hoc est,carnem fibrosam;ibiq; proponens alias musculi partes,ait,illas non complere musculorum substantiam, sed subministrare.Ecce ergo quomodo propria musculi substantia, est caro fibrosa. At primum de vsu partium nono,& alibi frequenter,dictum est,propriam partis seu instrumenti substantiam, cuiusmodi alia in reliquis instrumentis non reperitur, esse actionis præcipuam caussam, vt cum caro fibrosa in solis musculis reperiatur,sit propria musculorum ratio, vt sit præcipua actionis musculi caussa,instar aliarum partium,

per temperiem,quæ nec ita calida est & humida,sicut caro simplex,nec ita frigida & sicca,vt fibra seorsum a carne. Eadem veritas etiam confirmatur:nam si in quolibet alio instrumento pars præcipua est caro, vtpote in ventriculo,iecore,liene,pulmone, & reliquis:cur etiam non erit in musculo? Constitutum ergo sit,carnem fibrosam esse musculi præcipuam partem,& hinc præcipuam motus voluntarii caussam. Hæc de carne. A

§ 6.7. Vasa, & membranæ. Quantum denique attinet ad venas,arterias,& membranas: propriis locis dictum fuit,has esse partes,quæ eundem vsum in qualibet parte præbent, vt nimirum sint ad custodiam: & ob id cum Galeno in arte medic.quincto,venæ,& arteriæ,sunt veluti riui quidam, qui sunt in caussa, vt musculi in vita permaneant. Vt horum gratia ab eodem Gal.primo,de motu musculorũ primo, musculus naturæ instrumentũ statuatur:siquidem vena defert sanguinem frigidũ & crassum, arteria autem tenuem & calidum, vt proprio capite de vena & arteria dictum fuit. Idem etiam statuendum de membrana,quod nimirum sit ad custodiam totius musculi,ac si esset cutis musculi. B

Sed nota,musculi partes,& præcipue carnem fibrosam,requirere calidum natiuum robustum: quo fit vt homines in ambulando defatigentur,& cogantur quiescere:quoniam, quamuis influat facultas, & nulla fiat mutatio in temperatura, & reliqua constitutione;quia tamen dissipatur calidum innatum,hinc coguntur quiescere,& eo citius, quo calidum natiuum musculi est imbecillius. Hinc pueri semper mouentur,quia eorum calidum natiuum est copiosum. Hæc de musculis in genere.

CAPVT XXI.

De Ossibus in specie:nimirum de Capitis ossibus.

Transitio. HActenus in genere de Similaribus egimus partibus:sequitur, vt Dissimilares, seu e similaribus compositas, aggrediamur. Sunt autem dissimiles Osseæ,vel Carneæ:illarum doctrina Osteologia; istarum Sarcologia dicitur. C

Osteologia heic in specie quælibet corporis humani ossa cõsiderat. Cum autem ea plura sint, variisque sedibus distincta:primum loquemur de ossibus Capitis,seu supremæ partis: deinde & Inferioris corporis ossa expediemus.

De ossibus quæ explicanda. Verum vt hæc de ossibus doctrina,quantum fieri potest breuissime absoluatur, supponentes quæ in genere de ossibus tradita sunt,circa duo tantum versabimur, nempe circa formatricis opera, & vsum, vt omnium ossium determinata pateat compositio,& vsus: verbi gratia, quæ ossium capitis determinata sit conformatio,quæ magnitudo,quis numerus,quis situs,quæ denique vtilitas. Et si quid circa reliqua,vtpote vel temperiem,vel id genus,notatu dignum occurret,non omittemus. D

Nomen. Ceterum antequam de formatricis effectibus loquamur: aduertendum, nos primum & in præsentia versari circa ossa capitis ad cranium seu caluariam componendam occurrentia: quemadmodum accepit Gal.lib.de ossibus capit.primo. Vt in præsentia sermo fiat,nec de capite, nec de ossibus totius capitis:sed de ossibus summi capitis,hoc est,de caluaria. Nam primo caput est quid aliud a caluaria:siquidem per integrum caput cum Galeno tertio de placitis octauo,accipere licet totam supremam corporis partem vsq; ad collum,vt maxilla etiam in capite includatur. Vt per caput intelligere oporteat,non solum partem in toto corpore eminentiorem, verum etiam illius partis portionem eminentiorem, quæ scil.vocatur cranium seu caluaria:quemadmodum accepit Galenus,vndecimo de vsu partium decimooctauo,vbi distinguit ossa capitis ab ossibus maxillæ: vnde & cap. 19. mentionem habens de cranio, ossa vocat non capitis, sed summi capitis. In præsentia ergo sermo fit de ossibus,non totius capitis,sed summi capitis:quæ ossa inuicem coniuncta vnum efficiunt os,quod cranium seu caluariam vocamus. E

Figura cranii,an sequatur cerebri figuram. De cranio igitur loquentes,quo ad conformationem,& primo quo ad figuram:circa hanc quod primum explicandum occurrit,est,cum cranium & cerebrum simili figura donentur, quodnam sit in caussa alterius:an nimirum cranii figura sequatur figuram cerebri,an contra. Hoc autem intelligere apud Gal. est satis difficile:nam a se ipso dissentire videtur. Siquidem ex altera parte ait octauo de vsu part. duodecimo;quia cranio cerebrum aiunt cõformari, non videntur animaduertisse,quod cerebrũ a dura meninge est seiunctum,vt neq; dura meninx cranio adhæreat. Adhæc libro de fœtuum formatione cap.tertio inquit,capitis os post omnia alia ossa concreuisse. Vnde circa synciput est adeo tenue in nuper natis,vt cerebri agitatio & tactu & etiam visu percipiatur. Si ergo cranium post omnia ossa concrescit, & proinde post cerebrum perficitur:igitur cerebrum a cranio nõ formatur. At ex reliqua parte idem Gal.primo de anatom.administrationibus secundo,ait naturam ad ossis imitationem cetera in animanti effingere,vt si animali caluaria sit rotunda,necessario cerebrum tale fuerit,si longa longum. Ecce ergo quomodo cerebri figura pendet a cranii figura. F

Dicendum pro veritate,nec cerebrum formari a cranio,nec cranium a cerebro:sed omnium figuram, & vniuersam compositionem produci a vi formatrice. Quod sit verum:ait, naturam ad ossis imitationem cetera in animanti effingere. Ecce natura effingit,non os. Vnde dum etiam Gal.6.epid.3.18.ait:vt cerebrũ producitur magnum,ita & caput, quemadmodum paruo exsistente cerebro, & caput paruum efficitur: non est dicendum,capitis magnitudinem & paruitatem produci a cerebro,sed a vi formatrice,quę scilicet ad similitudinem ossium reliqua format,vt pro indigentia contenti etiam cõtinens procreetur:verbi gratia,cum magni pulmonis amplum thoracem format,merito magni cerebri magnam caluariam. G

Figura bona cranii. Sed iam hac difficultate amota,de caluariæ figura loquamur. Cum Gal.ergo lib.artis medic.11.propria capitis figura est,veluti si excogitares sphæram exquisite rotundam, ex cera confectam, leuiter vtrinque depressam,vt posteriores prioresque partes magis gibbæ fiant,quam sphæræ conueniat;quæ vero vtrinq; cõsistunt,magis rectæ. Vnde idem Gal 6.epid.primo 37.ait,optimam capitis figuram oblongo orbi vtrinque compresso similem esse:quod etiam libro de ossibus primo replicauit:& nono de vsu part.17.

Cete-

A Ceterum,cum hæc constituatur cranii proba figura, ad differentiam vitiosæ: non erit ab re vitiosam,quæ tamen sit intra latitudinem sanitatis,explicare. Hæc ergo proponitur a Galeno, nono de vsu partium decimoseptimo: & sexto epid.primo 37.ex quibus locis colligitur,tres esse tantum culpatas figuras,vt nimirum,vel vtraque eminentia perit, veluti in capite quasi perfecte sphærico; vel vnica eminentia tantum perit,hæcque vel anterior,vel posterior,vt caput mucronatum,seu acutum euadat. At minus vitiosa est figura,vbi posterior est maior anteriore, quam vbi minor: ibi namque & nobilissimus cerebri sinus,& dorsi medullæ exortus collocati sunt. Ceterum notandum, cranium præter has quatuor figuras,duas alias obtinere posse.Altera est,& prima,& proposita a Galeno, sexto epid. 1.37.dum vtraque habet eminentias productiores. Sed hoc pertinet potius ad magnitudinem auctam, quam ad figuram, B vt si cum hac productione,seu magnitudine eminentiarum seruetur figura; sit magnum caput,ex copiosa materia, a formatrice robusta fabricatum. Reliqua figura proponitur a Galen. nono de vsu partium decimoseptimo, in qua caput secundum latera est maius, vt longitudo in latitudinem sit transmutata: sed hæc non est amplius acuminati capitis figura,sed monstrosi:ne,vt ait ibi Galen.9.possunt viuere:nam cum retro sit cerebellum, ante autem apophyses ad nares & oculos sint positæ, fieri nequaquam potest, vt ea quæ est ad aurem dimensio,superet eam,quæ est secundum longitudinem. Constat ergo quemadmodum quadruplex tantum potest esse figura cranii secundum naturam constituti. Cur autem tali fuerit donatum figura,patebit,dum de cerebro loquemur: siquidem cranium propter cerebrum est progenitum.Hæc de figura. — *Minus bona cranii figura.*

C Quo autem attinet ad superficiem: cranium interius & exterius superficiem habet lenem: nam si aspera fuisset, secundum exteriorem partem pericranium læderet, secundum interiorem duram meningem. — *Superficies.*

Quo autem ad meatus & poros:dicebat Galenus de vsu partium primo, cranium factum esse cauernosum, & præsertim secundum partem mediam inter internam & externam: nam si cranium æqualiter fuisset formatum rarum & spongiosum,non fuisset efficax ad externas iniurias a cerebro arcendas: si autem æqualiter densum, sui pondere molestasset,nec vapores (vt par est) transpirassent. Vt colligere liceat,cranium secundum partem externam & internam vnicum esse: quamuis Medici partem externam vocent primam tabulam,internam secundam: inter quas tabulas est cranii pars media multo rarior, in qua etiam medulla & proinde cranii alimentum detinetur. Ad rem:cranium non est æqualiter vel den- D sum,vel rarum,sed inæqualiter(vt dictum est)secundum partem internam,externam, & mediam; & secundum varia ossa,ex quibus conficitur,vt suo loco declarabimus, vbi & cauitates,& meatus, vt priuatim huic & illi ossi cranii competunt,patefaciemus.Hæc de conformatione. — *Pori.*

Quantum ad magnitudinem, vt colligere licet ex Galeno, sexto epid.tertio, decimooctauo, formatrix recte operans,eam tribuit cranio magnitudinem,quæ pro cerebri magnitudine requiritur. — *Magnitudo.*

Quo autem attinet ad numerum:cum Galeno libro de ossibus cap. primo, caluaria est os, conflatum ex sex ossibus,excepto sphenoide. Vnde hoc claudens inter caluariæ ossa, vndecimo de vsu partium decimooctauo,ait,septem esse capitis ossa. Hæc autem enumerans vndecimo de vsu partium vltimo: & libro de ossibus primo,voluit duo esse syncipitis,vnum frontis, vnum occipitis, vtrinque vnum ad suam aurem,& sphenoides. — *Numerus ossium capitis.*

E Declaro, & primo quo ad duo syncipitis ossa, quæ etiam bregmatis ossa vocantur,cum Galeno vndecimo de vsu partium vltimo, & decimonono, sunt rara & cauernosa, reliqua autem duriora & densiora:caussa autem fuit tum superfluitatum vacuatio, tum difficultas patiendi. Vt cum ossa spectantia ad verticem,nempe syncipitis, sint, per quæ fit vacuatio, nec iniuriis ita obnoxia: ob id fiant laxa & cauernosa: contra reliqua, cum per ea non fiat vacuatio, & plagis ac reliquis noxis sint exposita, substantiam obtinuere duram & densam,cuiusmodi sunt ossa, quæ pertinent ad frontem, ad occipitium,& aures:quamuis occiput sit densissimum & firmissimum:medium inter hæc os frontis habet: Septimum autem os quod dicitur sphenoides, seu cuneiforme,seu polymorphon, quia scilicet est multiforma, quod etiam 9.de vsu partium primo, & 11.de vsu partium 9. palati os vocat: hoc sane durum est, & densum: nam si laxum fuisset,ab excrementis, quæ a locis superioribus promanant, breui computruisset. Cete- F rum quamuis sit ita densum,nihilominus (ait Gale.) continet in sese foramina meatuum cerebrum purgantium:per hæc foramina intelligens(vt explicat octauo de vsu partium sexto) duos canales,qui per palatum in os totius cerebri excrementa crassa eructant. At os sphenoides præter hæc duo foramina,& satis ampla, vt ait nono de vsu partium 1.tenuibus foraminibus quasi cauernulis quibusdam est donatum, vt cap.3.ex hoc,palati os seu sphenoides cerebro comparauerit.

At Vesalius, quem etiam secutus est Columbus, ait: os cuneiforme cribri aut spongiæ modo non esse perforatum,vt cerebri pituitam transmittat: sed potius continuum & solidum vndique in superficie conspici:at obtinere sinum,in quo detinetur glandula pituitæ defluxum excipiens. Ceterum, vt pituita egrederetur,ab illo sinu,vtrinque quosdam meatus deduci,per quos pituita defertur: nam impossibile esset pituitam per illa foramina ferri,si sphenoides instar spongiæ exiguis illis foraminibus esset donatum. G Hæc habuit Vesalius contra Gal. — *Vesalius & Columbus Galenum impugnãt.*

At nos pro Galen.dicimus,os cuneiforme donatum fuisse, & duobus euidentibus foraminibus, & præterea exigua quædam foramina instar cribi aut spongiæ obtinuisse. Vnde quantum ad duo illa euidentia foramina,ait Galenus octauo de vsu partium sexto, duos esse canales,qui per palatum in os totius cerebri excrementa scilicet crassa eructant: qui duo soli purgando cerebro sufficiunt. Ex quo colligas contra Vesal.si soli sufficiunt, igitur non sit expurgatio per exigua illa foramina sphenoeidis. Et confirmatur hæc veritas:nam Galenus, nono de vsu partium primo, ait: naturam propter tenuia excrementa, — *Galenus defenditur.*

foramina quædam tenuia effecisse; propter crassa autem cerebri excrementa, meatus effecisse non modo A
decliues, sed etiam amplos, vt qui multorum, & eorundem crassorum horum veluti riui quidam & canales erant futuri, cuiusmodi sunt, qui per palatum in os crassa eructant excremẽta. Ecce ergo quemadmodum Galenus cognouit crassa excrementa expurgari per amplos meatus, non autem exiguos & instar spongiæ effectos. Vnde quantum attinet ad hæc exigua foramina, quibus sphenoides instar cribri seu spongiæ donatur; hæc nequaquam reperiuntur in superficie ad palatum pertinente; neque hoc dicit Galenus. Imo 11. de vsu partium nono, voluit, os hoc esse durum & densum: nam si laxum fuisset, vi decumbentium excrementorum facile computruisset, vt hæc foramina non penetrent per totam sphenoidis substantiam, sed solùm huius substantia non nihil spõgiosa percipiatur secundum internam partem. Neque vero credidit Gal. (vt falso ipsi adscribit Vesalius) per cribrosam hanc substantiam crassa cerebri ex- B
crementa in os descendere: non enim fuit ita stupidus, vt non cognouerit hoc esse impossibile, & suis dictis etiam aduersari, cum voluit crassa excrementa deferri per amplos meatus, tenuia autem per exiguos. Quod sit verum: dum Gal. loquitur de amplis meatibus 11. de vsu partium nono, ait: sphenoides obtinere meatuum foramina cerebrum expurgantia; dum autem loquitur de eiusdem exiguis foraminibus, nono de vsu partium tertio, ait: os cibro cuidam simile in palatum desinens excipere glandulam. Ecce os, vt cribrosum, non est via per quam excrementa deferantur, sed solum excipit glandulam. Sed cur vt cribrosum excipit glandulam? Ait ibi Gal. satius esse cerebri excrementa transcolari, non autem protinus excidere: siquidem cogeremur assidue exspuere; quare ne cogeremur perpetuo exspuere, & os apertum detinere, creatum est os sphenoides spongiosum, vt glandulam exciperet, & aliquo tempore excrementum seruaret. Quare maxime fuit alucinatus Vesalius, & cum eo Columbus. C

Os ethmoides. Hactenus ergo patet, si sermo fiat de numero ossium capitis, hoc est, cranii, seu caluariæ, esse necessario 7. At Vesalius & Columbus addunt octauum: quodammodo Galenum imminutum redarguentes. Hoc autem os ethmoides dicitur, sed Gale. hoc quidem os nouit, sed nono de vsu partium tertio, & alibi, recenset inter ossa nasi; quare de hoc suo loco loquemur. Hæc de numero.

Situs. Synciput. Quo ad situm: cum caluariæ 7. ossa fuerint proposita, nempe duo syncipitis, vnum occipitis, vnum frontis, duo temporalia, & sphenoides: quantum attinet ad syncipitis ossa, Galenus vndecimo de vsu partium vltimo, ait: bregmatis ossa esse desuper incumbentia, & circundata parte posteriori ab osse occipitii; anteriori ab osse frontis; vtrinque ab ossibus temporum. Vt cum Galen. sexto epid. tertio, primo, vtrumque syncipitis os quatuor lineis sit circumscriptum: vna est quidem, quæ per suturam in longum porrigitur vtrique ossi communis; secunda, quæ posterius porrigitur lambdoidis suturæ lateribus, ante- D
rius vero coronali vocatæ: tertia & quarta lineæ sunt, quæ vtraque parte squamosis commissuris porrigunt.

Occiput. Quo vero ad occipitis os, hoc sane intus leue est, & minime asperum, pariter & extra, secundum eius regionem excarnem, sede autem subiecta, & vbi capitis os non minimam capitis basis portionem efficit, asperum & inæquale sese offert, propter ligamentorum & musculorum ortum & insertionem. Adhæc, cum Gal. lib. de ossibus primo, occiput inter ossa capitis maximum omnium foramen iuxta primam vertebram habet. Adhæc effatu dignam obtinet crassitudinem, at inæqualiter: nam crassissimum apparet ea regione, qua iunguntur duo maximi duræ membranæ sinus, sanguinem, spiritum vitalem, venarum, arteriarumque modo continentes, vt hæc occipitis sedes sit crassissima: similiter & tota excarnis occipitis E
pars; quæ intus habet cauernulas valida squama obductas. At reliqua occipitii sedes, circa posteriorem colli regionem, vbi & oriuntur & inseruntur musculi, est quidem densa: sed quamquam tenuis, & cauernulis destituta, est tamen cerebelli domicilium: quod ne ob tenuitatem iusto esset imbecillius, in eius medio oblongum eminet tuberculum, ossis robori plurimum fauens. Vnde cum hoc tuberculum in internam caluariæ amplitudinem vergat, duos quasi sinus efformat, in quibus cerebellum detinetur. Atq; hoc tuberculum, cum tenui illa occipitis portione producitur ad regionem vsque foraminis dorsali medullæ parati. Adhæc, occiput in externa sede ad latera dicti foraminis duo habet capitula, quæ primæ ceruicis vertebræ articulantur, vt caput proprio motu flectatur, & extendatur. Hæc capitula in puerulis sunt donata appendicibus, quæ progrediente ætate delitescunt. Quinimmo in puerulis occiput ex tribus saltem confectum esse videtur ossibus, quæ lineis tribus cartilagine oppletis dirimuntur, vt in occipite duo sint occipitis ossa, & vnum in basi capitis sphenoidi commissum: in adultis autem vnicum euadit, propterea F
quod cartilago in os degenerat.

Occipitis situs. Ceterum cum Gale. libro de ossibus primo, occiput lambdoide sutura cum suis additamentis, atque etiam ea sutura, qua hæc additamenta iunguntur, terminatur. Quem situm magis explicans Vesalius ait, occiput eum situm obtinere, vt quinque quodammodo lateribus constare videatur: duobus quidem a sutura lambdoide formatis; duobus ab eiusdem suturæ additamentis: ac demum quincto a linea quæ occipiti ac cuneiformi communis habetur. Cum autem hæc quinque latera euidenter colligantur ex dictis Galeni: satis imprudẽter & impudenter redarguitur Galenus a Columbo, adscribente Galeno quod voluerit, occiput non quinq;, sed tribus lateribus esse donatum. Fuit autem deceptus (vt puto) quoniam Gal. lib. de ossibus primo ait: sunt autem syncipitis ossa quadrilatera; quæ modo diximus, trium laterum G
sunt: intelligit Columbus per [modo dicta] occiput; quod est falsum; nam per modo dicta Galenus intelligit temporis ossa. Quod sit verum: statim subdit: quinctum os capitis, quod occiput est, & huic ossi tribuit quinque latera, vt facile est intelligere. Vnde Vesalius fuit magis prudens, qui occipiti tribuit quinq; latera, nec Galenum redarguit. Hæc de occipite dicta sint.

Os frontis. Quo vero attinet ad os frontis: hoc quodammodo orbiculare est, nullibi tenuius, quam vbi superiorem oculorum sedis regionem constituit, & vbi cum ethmoide committitur, & supra supercilia, vbi

veluti

veluti in duas partes deducitur, vt ſinum amplum efficiat, quem (ait Columbus) ignorauit Galenus. Et in
rei veritate huius non meminit Galenus. Hunc autem propoſuit Veſalius: & voluit duplicem eſſe vt vnus
ſit in dextra, reliquus in ſiniſtra parte. Et hi ſinus aere ſunt repleti: vt forte os ita cauum ſit efformatum, vt
eſſet leuius; an vero conferat ad alios vſus, vbi ſermo fit de cerebro, declarabitur, quando craniũ propter
cerebrum, docebitur eſſe genitum. Adhæc os frontis paullo ſuper ſupercilia, & reliquam ſedem excarnem
nullam cauitatem oſtendit notabilem, & multo craſſius eſt, quam oſſa ſyncipitis: qua tamen his cõmittitur,
& ſagittalis ſutura in coronalẽ incidit, frontis os eſt tenuius, quã in ipſa fronte. Hoc autem vnicũ eſt, exce-
ptis caluariis, quibus ſagittalis ſutura vſq; ad ſummũ naſi producitur, ꝙ tamen raro euenit. Hoc autem os,
cũ Gal. li. de oſſib. primo, coronali ſutura diſtinguitur, nec non ea, quæ capiti cũ maxilla ſuperiori cõmu-
B nis eſt. Quem ſitũ magis explicans Veſalius dicit, frontis os circũſcribi coronali ſutura, & illa qua termina-
tur ethmoides, & illa, quæ incipit a cauo temporum, ac per medium oculorum ſedium ducta, ad ſuperci-
liorũ vſq; congreſſum fertur, ac frontis os a maxillæ ſuperioris oſſibus ſeparat. Hæc de oſſe frontis.

Quo vero ad oſſa temporalia, quæ ſcilicet vtrinque ad aures ſunt poſita: hæc cum Galeno lib. de oſ- Oſſa tem-
ſibus primo, multifariam ſe habent: vt horum ſit pars quæ lithoides, ſeu petroſa nominatur, quia petræ porum.
ſpeciẽ refert, & protenſis finibus ſuturæ lambdoidis terminatur, atque obtinet proceſſum, qui a ſimilitu-
dine columnæ vocatur στυλοειδὴς, a ſimilitudine acus βελονοειδὴς, a ſtyli ſcriptorii ſimilitudine γραφοειδὴς, a ſi-
militudine calcaris galli πλῆκτρον vocatur, in quo auditus meatus continetur. At Veſalius de hoc proceſ-
ſu ſtyloide loquens, ait: eſſe quidem ſolidum, ſed ita tenuem, & prominentem, vt leui occaſione poſt mor-
tem abrumpatur, vt in caluarii e terra effoſſis raro occurrat. Neque Veſalius ait, in hoc auditus meatum
C contineri, ſed ab hoc porrigi muſculos ad os hyoidis, ad linguam, & inferiorem maxillam. Ceterum cum
Veſalius in hoc non redarguat Galen. forte ita eſt intelligendus Galenus, vt dum dicit in eodem auditus
meatum contineri, non intelligat in eodem proceſſu, ſed in eodem oſſe temporali: vt merito hoc os inte-
rius obtineat cauitatem, quæ detineat ea quæ ad auditum conferunt.

Addit deinde Gal. alteram eſſe partem ſcilicet petroſæ proximam, iuxta duos alios exortus, ſeu pro-
ceſſus: quorum alter mamillaris dicitur, alter eſt oſſis iugalis. Declaro: quantum attinet ad mamillarẽ, qui
etiam μαστοειδὴς vocatur, hic eſt ſtyloidi ſatis vicinus, & intus vacuus, ac diuerſus, veluti ſpeluncis excauatus;
vt non ſolum conferat inſertioni muſculorum caput mouentiũ, quia a pectoris oſſe, & clauiculis princi-
pium durunt; verum etiam vt conſtitueretur ſedes ampla auditus organo, quod cauitate eget.

D Quo autem ad proceſſum oſſis iugalis, ſeu ζυγώματος: hic ſane proceſſus eſt, qui mediam oſſis iugalis
partem efformat. Hic incipit, cum Colũbo, ab auris meatu, & deſinit in primũ maxillæ ſuperioris os, cum
quo per obliquam ſuturam coniungitur, & formam conſtituit quodãmodo pontis ſuperequitantis caua
temporum. Adhæc, circa ortum eiuſdem proceſſus, iuxta meatum auditorium, ſinus eſt altus, cartilagine
obuolutus, in quem alter maxillæ inferioris proceſſus, ſeu capitulum articulatur, quod longius: quo loco
eſt auditorii meatus initium ſatis craſſum, quod ſutura exigua & obſcura diſcernitur a temporis oſſe, &
potiſſimum ſecundum ſedem, tum anteriorem, tum inferiorem.

Tandem addebat Galenus, eſſe temporaliũ oſſium partem, quæ temporibus occupatur: eſt autẽ pars
os verticis ſpectans, ampla & tenuis admodũ, ſed ſolida, & cauernulis deſtituta. Ceterum notandum circa
proceſſus, Colũbum, præter ſtyloidem, mamillarem, & oſſis iugalis, addere quartum, quem tertium vocat;
E vt hic proceſſus iuxta ſtyloidem ſit in longũ protuberans interiore caluariæ parte, in quo effingitur laby-
rinthus reflectendis aeris ictibus quam appotiſſime auditorium ſinum excipiens. Sed de hoc in ſermone
de oſſibus aurium dicendum.

Ceterum quo ad horum oſſium temporalium ſitum attinet, vi connexum habent cum aliis oſſibus,
cum Galen l. de oſſibus 1. ſecundum ſuperiorem partem, qua vergunt ad ſuturam ſagittalem, connectun-
tur ſuturis ſquamæ ſimilibus: ita autem vocantur ſuturæ, ſeu agglutinationes λεπιδοειδεῖς ſeu ſquamoſæ, cũ
Galen. 9. de vſu part. vlt. quoniam vtrumque os, quod applicatur, paullatim in anguſtam quandam ſqua-
mam extenuatur; non ita tamen, vt in ſuturis hæc oſſa mutuo ſeſe ingrediantur, ſed quod ſuperne deſcen-
dit, ſubiecto, parte interna, incumbit, eo autem quod inferne adſcendit extrinſecus. Huius autem cõiun-
ctionis cauſſa fuit, vt temporum oſſa duriora & denſiora, cum reliquis raris ac cauernoſis tuto coniunge-
F rentur. Vt merito oſſis ſuperioris, vt minus duri, finis intus conderetur, circa craſſæ meningis læſionem,
quæ dubio procul potuiſſet lædi, ſi temporũ, ſi inferiorũ oſſium, quæ duriora ſunt, finis adſcendiſſet, vt cũ
adſcendentis extra emergat, nec mẽbrana lædatur, & ſit validũ propugnaculum. Sed ad rem. Temporum
oſſa in ſuperiori parte per ſuturas ſquamæ ſimiles circumſcribuntur; in poſteriori laterum lambdoidis ad-
ditamentis; in anteriori ſutura, quæ capiti, hoc eſt, occipiti cum ſphenoide communis eſt, & diſtinguitur
a maxilla ſuperiori in inferiori eadem ſutura, quæ infimam oſſium temporum regionem cum ſphenoide
coniungit, vt trium ſint laterum, quamuis circularia potius eſſe voluerit Veſal. niſi circulus a proceſſu tur-
baretur. Hæc de temporum oſſibus.

Quantum denique attinet ad ſphenoides, ſeu cuneiforme, ſeu polymorphũ, ſeu baſilare: ſæpe etiam Os ſpheno-
a Gal. palati os nominatur. Hoc cum Gal. lib. de oſſibus 1. alii numerant inter oſſa capitis, alii inter oſſa ma- ides.
G xillæ ſuperioris, quia medium eſt inter maxillam ſuperiorem, & caput. Hoc ſane quomodo obtineat duo
foramina, vt in parte interna ſit ſpõgioſum, ſuperius aduerſus Veſal. demõſtrauimus: vt in præſentia bre-
uiter quædam admonere liceat, circa eius ſitũ, cum ſuis proceſſibus. Ex Gal. ergo 11. de vſu par. 19. ad baſim
totius capitis ſubiacet, quemadmodũ & ipſius pars oſſi occipitii eſt continua. Adhæc ex Gal. lib. de oſſibus
1. hoc os obtinet apophyſes, ſeu proceſſus, quos ab alarum ſimilitudine πτερυγοειδεῖς vocant. Hos autem cu-
neiforme os in externa ſede ad caluariæ baſim quatuor obtinet; vtrinque binos: in quorum medio con-
ſpicitur cauitas, a qua validus enaſcitur muſculus; qui in ore deliteſcens, maxillam inferiorem ſurſum

trahit, vt os claudat, vt musculus ope horum processuum non modo oriatur, sed etiam secundum suum principium custodiatur.

Cranii suturæ.

Hæc de septem cranii ossibus dicta sint, penes eorum situm, qui vt euidentior reddatur, dicendum de cranii ossium coniunctione, ope cuius, cranii ossa situm suum conseruant. Itaque sciendum: cũ coniungantur ossa, vel per articulum seu compositionem, vel per symphysim seu vnionem, cranii ossa potissimum per articulum vniri. Cum autem coniunctio per articulum esse possit per dearticulationem, & coarticulationem: dicimus, vtroque modo coniungi, hoc est, per diarthrosim, & synarthrosim. Et cum synarthrosis capiatur, vt a diarthrosi differt, vel secundum magis & minus, vel speciem: dicimus, in cranio locum habere synarthrosin, vt potius specie differt, siquidem vnio, seu coniunctio potissimum fit per suturas. B

Ossa capitis sutura coniungi.

Vtrumque declaro. Et primo, quo ad coniunctionem per suturam, vtpote quę magis respicit omnia caluarię ossa, quam dearticulatio. Et 1. coniunctionem esse per suturam, & proinde per coarticulationem, vt specie distinguitur a dearticulatione; colligere licet ex Gale. dum 13. de vsu part. 8. ait, cerebrum contineri ab osse immobili, si ergo cranium est immobile, ideo vnum os cum alio per suturam, nequaquam per dearticulationem, coniungitur.

Sed occurrit difficultas ex Galen. 13. meth. 22. dum ait: in sutura coronali inter mandendum commissionis ossium manifestum conspici motum, quoniam est laxa ossium compositio: si ergo conspicitur motus manifestus, ergo vel illa coniunctio non est per suturam, vel in sutura dabitur motus, & proinde etiam sutura erit coarticulatio, differens a dearticulatione secundum magis & minus; non specie: quod tamen est falsum. Dicendum: Galen. non fateri, conspici hunc motum in qualibet sutura coronali. Nam ait, plurimam esse suturæ coronalis diuersitatem in hominibus: quæ etiam ante dissectionem manifeste apparet, vt in quibusdam, quibus rasum fuerit caput, inter mandendum euidens conspiciatur motus, vtpote quibus laxa est ossium compositio. Motus ergo non apparet in omni sutura, sed solum in coronali; neque in coronali cuiuslibet hominis, sed illius tantum, cui accidit vt sit laxa nimis ac veluti menstruosa ossium compositio. Vt liceat asserere cranii ossa inuicem coniungi per coarticulationem, vt specie differt a dearticulatione; hoc est, per coarticulationem, in qua nullus conspicitur motus.

Solutio. C

Quot suturæ.

At iam explicandum succedit, quotuplex sit sutura, & quis suturarum vsus. Quantum attinet ad primum: dicimus, suturas capi posse, vel proprie, vel improprie. Proprie quidem, dum ossa ad duarum serrarum similitudinem sese mutuo recipiunt: improprie vero, dum per simplicem lineam ossa committuntur, vt hæc coarticulatio potius dicenda sit harmonia, quam sutura. Propterea Gal. li. de ossibus 1. dum ait, in capite esse septem suturas; suturas intelligit, & proprias, & improprias. Quamuis cum Gal. lib. de ossibus 3. in superficie videantur committi per harmoniam: si autem frangantur in imo, compositio pertinere magis videatur ad suturam, quam ad harmoniam. Vt propriæ illæ sint suturæ, quę & intus & extra suturæ apparent. Adhæc suturæ ita se habent, vt aliquæ pertineant tantum ad ossa cranii, aliquæ & ad cranium, & ad alia ossa, vt cum cranio coniunguntur. Dum Galen. loco citato septem proponit suturas: & peculiares, & communes intelligit, quarum tamen quinque sunt peculiares, duæ communes: tres legitimæ, & quatuor nothæ, vt legitimæ, & peculiares, sint λαμβδοειδής, sagittales, & coronales: nothæ, & peculiares, duæ squamosæ: nothæ, & communes, duæ spectantes ad maxillam superiorem, & os cuneiforme, seu sphenoides vocatum. D

Legitimæ suturæ.

Quantum attinet ad legitimas suturas, quæ etiam peculiares sunt, respiciens ad has Galenus, nono de vsu partium decimoseptimo, asserit, cranium tres obtinere suturas: ea tamẽ lege vt vario modo sese habeant, pro varia capitis figura. E

Declaro, cum Galeno loco citato: cum caput obtinere possit duplicem figuram, probam aliam, reliquam improbam, quæ tamen in monstrosæ figuræ latitudine non continetur: quantũ attinet ad probam figuram, cum sit instar sphęræ oblongæ, vt caput sit ad vtramq; aurem depressum, duas autem habeat eminentias, alteram frontis, reliquam occipitis: secundũ hanc figuram caput obtinet tres suturas, instar literæ H. nempe rectam sagittalẽ, coronalem, & lambdoeidem. Sagittalis quidem est, quæ quodãmodo partem caluariæ dextram a sinistra seiungit, vt os syncipitis dextrũ a sinistro dirimat, & rarissime ad nasum pertingat. Coronalis autem est, quæ ambit anteriorem frontem, in modũ circuli, & dirimit ossa syncipitis ab osse frontis. Lambdoeides deniq; formam literæ Λ obtinens, in parte residet posteriori, & distinguit ossa syncipitis & temporum, ab osse occipitis. F

Quo vero ad improbam figuram, qua caput acuminatum formatur: cum huius sit triplex figura, prout vel vtaque perit eminentia, vel vna; hæcque vel anterior, vel posterior: si eueniat vtramque perire eminentiam, duę tantum sunt suturę, ad similitudinem literę X, vt altera extendatur ab vna aure ad aliam, reliqua vero per medium verticem ad frontem, si autem deficiat vnica tantum eminentia; si desideretur posterior, perit λαμβδοειδής; si autem pereat anterior, perit coronalis: semper autem recta, seu sagittalis manet, vt siue cum lambdoide, siue cum coronali coniungatur, coniunctio fiat similitudinem literæ T.

Galenus contra Columbum defenditur.

Hęc verba vt apud Galenum legit Vesalius, ita etiam refert. At diligentior Columbus Galenũ redarguit, inquit enim se sexcenta millia capitum inspexisse, & manibus attrectasse, attamen ne vnum quidem cranium cernere potuisse, quod vel figura non naturali const.ret, aut cui ex tribus suturis vna deesset. At dicerem ego, & primo quo ad figuram non naturalem, quamuis hanc non viderit Columbus, non ob id asserendum, fieri non posse, vt a natura non formetur, quoniam & monstra quandoque formentur. Quo autem ad suturas, dicere possemus, nunquam Columbum aliquam deficientem obseruasse, quoniam ipsi non accidit, vt acuminata capita inspexerit. G

Ceterum

A Ceterum vt veritas magis pateat,aſſero tres ſuturas in omni cranio reperiri,quæ ita ſe habēt, vt mo- Suturæ in adultis obliterantur.
do ſint conſpicuæ,veluti in iunioribus;modo vſq; adeo obſcuræ, vt deperditæ videantur, veluti in ſenio-
ribus:nam vt temporis longitudine cartilagines degenerant in oſſa,appendices in portionem oſſium qui-
bus erant adnatæ:ita & capitis oſſa ſic vniuntur,vt ſutura non conſpiciatur. Non eſt ergo negandum in
cranio non monſtroſo eſſe tres ſuturas.
Huius numeri ternarii ratio a Galeno tertio de vſu partium 17. redditur, dum ait: cum caput ſit ita
formatum,vt ſit longius quam latius:ob id,gratia partium dextrarum & ſiniſtrarum,ſat fuit vnica ſutura;
nam vt recta ſecundum capitis longitudinem extenditur,ita pars dextra a ſiniſtra diuiditur. At cauſſa par-
B tium anteriorum & poſteriorum,cum minus vaſtæ ſint partes, vnica non ſat fuit,ſed duplici caput eguit:
vt cranii portio media inter ſuturas æqualis eſſet portioni vtriuſq; partis, hoc eſt, anterioris, & poſterio-
ris. At ſi non contingat,vt vel altera capitis deficiat eminentia, vel vtraque,cum caput non ſit multo lon-
gius,quam latius:non eget tot ſuturis,hoc eſt,ita formatis,vt coronalis, vel lambdoidis formam referat:
non negandum tamen,cum cranii oſſa,& ſyncipitis,& frontis,& occipitis,inuicem dirimantur, tres eſſe
diuiſiones,quæ potius duarum ſuturarum,quam trium,imaginem præbent:vt in rotundo capite vtraque
ſit recta,in capite autem,in quo deficit vnica tantum eminentia,duæ appareant,nempe ſemper ſagittalis,
quandoque autem coronalis, quandoque lambdoides: At ſane rariſſimum eſt, vel caput eſſe exacte rotū-
dum,vel etiam prorſus alteram eminentiam deficere,vt ſuturæ raro a ſua figura degenerent.Hæc de ſutu-
ris legitimis,& propriis.
C His ſuccedunt nothæ:ſed propriæ, quæ duæ ſunt,& a Galeno libro de oſſibus primo,ſquamoſæ nū- Suturæ ſpuriæ propriæ.
cupantur: eo quod oſſa,vt terminantur in ſquamas,per has inuicem coniunguntur. Duæ autem propo-
nuntur,quarum vna eſt in parte dextra,alia in ſiniſtra:& vt quælibet ſutura dirimit oſſa ſyncipitis ab oſſi-
bus temporum, ita ſecundum extrema tangit lambdoidem in parte poſteriori, in anteriori autem coro-
nalem.
Tandem ſunt duæ ſuturæ,& nothæ,& communes,quæ, (vt ait Gal.libr.de oſſibus primo)commu- Suturæ ſpuriæ communes.
nes ſunt ſuperiori maxillę,atq; ſphenoidi. Vnde notandum,ſi capiatur ſphenoides,vt os caluarię,ſuturam
propriam ſtatui poſſe: at ſi capiatur vt os maxillæ, vel medium inter cranium & maxillam, ſuturam com-
munem dici poſſe. Sed vtcunque vocentur, ſunt duæ ſuturæ, ſuperiori maxillæ & ſphenoidi commu-
nes. Altera quidem eſt,dum extrema lambdoidis ab vtroque latere inferiora ad baſim vſque capitis pro-
D tenduntur, & per medium lapidoſorum oſſium, & qua occiput primæ vertebræ dearticulatur, deorſum
feruntur,ibique exigua quadam linea tranſuerſa iunguntur:vt hæc ſutura ſit cōmunis capiti & ſphenoi-
di,vt ſurſum vtrinque ad caua temporum tendit,quo etiam coronalis ſuturæ extrema perueniunt: inde
etiam rurſus deorſum verſa,& ad poſtremos dentes delata,ad palatum vſque procedat,ſphenoidis vndiq;
terminatū comprehēdens. Vt huius ſuturæ quidquid ſurſum fertur ad fines coronalis,ſit commune cum
eſſe capitis:quod vero ex vtroque latere ad palatum tendit, ſuperiorem maxillam a ſphenoide diſcernit.
Reliqua autem & ipſa notha,& communis capitis ſutura eſt,quæ caput a ſuperiori maxilla diuidit. Hæc
principium ſumit ex cauis temporum,qua ſcilicet ſutura capiti & ſphenoidi communis,cum ſuturę coro-
nalis finibus in idem conuenit, atque inde ad oculorum ſedes procedit, & per eos medios tendens iuxta
medium ſuperciliorum ſibi ipſi iungitur.
E Quibus ſeptē ſuturis Colūbus addit octauam,q̃ ſeptimā in ordine collocat,& voluit eſſe propriam, Octaua ſutura Columbi.
co quod os frōtis ab octauo caluariæ oſſe diſtinguitur:At huius non meminit Gal. quoniam os illud octauū,
ſcilicet ethmoides,non numerat inter oſſa cranii,ſed inter oſſa capitis,vt eſt,vel os naſi,vel medium inter
oſſa caluariæ & naſi:& de hoc ſuo loco dicemus. Conſtitutum ergo ſit,tres eſſe cranii ſuturas,& legitimas,
& proprias,duas nothas,& proprias,duas deniq; & nothas & cōmunes. Hæc de ſuturarum numero.
Quo vero ad vſum: hic ſane multiplex proponitur a Galeno, nono de vſu partium decimoſeptimo. Suturarum vſus.
Prima quidem vtilitas eſſe poteſt, vt per has fuliginoſa excrementa tranſſpirent: qua ſane expurgatione
(vt ait Galenus nono de vſu partium primo,) cerebrum duplici de cauſſa eget:altera quidem,& commu- 1.
ni omnibus particulis,cum expediat excrementa excerni:reliqua autem & priuata,quę capitur a ſitu,nam
caput vt tectum calidæ domui ſuperpoſitum, vt a ſubiectis partibus fuliginoſa, & vaporoſa excrementa
F excipit, ita longiori eget vacuatione, vt non ſufficiat ad horum vacuationem cranii ſubſtantia foraminu-
lenta,& cauernoſa,propterea quod,vt ſuo loco dictum fuit, neceſſum fuit cauernulas vtrinque in leuem
& denſam oſſis ſquamam deſinere, vt nequaquam ea larga fieri poſſit vacuatio, qua cerebrum eget. Se- 2.
cunda vtilitas a Galen. loco citato,hoc eſt,9. de vſu partium 7. propoſita fuit: vt beneficio ſuturarū craſ-
ſa meninx oſſi capitis alligaretur. Tertia,vt vaſorum alia quidem intra, alia extra exciderent. Quarta pe- 3.
ricranii generationem præbet, ſiquidem ex Galeno, octauo de vſu partium nono,pericranium fit ex mē- 4.
branis, quæ per capitis ſuturas egrediuntur. Vnde addebat, nono de vſu partium quincto,lambdoidem
ſuturam conferre ad exitum craſſæ meningis, ſecundum eius partem craſſiorem,& vbi duplicatur. Quin- 5.
cta vtilitas fuit,vt per ſuturas cranium ex multis oſſibus componeretur,ita namq; dum rumpitur, ruptu-
ra per totum cranium non extenditur, ſed ad ſuturas deſinit. Quibus licet addere ſextam, & præſertim 6.
G coronalis peculiarem, cum Galeno, decimotertio methodi vigeſimoſecundo, dum ait: cranii oſſa eſſe
coniuncta per ſuturas, & minus per coronalem, vt applicati medicamenti non modo qualitas, ſed etiam
tenuis ſubſtantia intra cranium ingrediatur. Hæc de capitis ſitu per ſuturas, ſiue legitimas, ſiue no-
thas, & proinde per harmoniam, vt ſunt ſpecies coarticulationis, vt hæc ſpecie differt a dearticula-
tione.
Quo vero ad ſitum per dearticulationem: hanc tetigit Galenus duodecimo de vſu partium ſepti- Coniūctio cranii & vertebrarū per diarthroſin.
mo,dum ait:primam vertebram cum capite dearticulari, ſecundam cum prima, non autem cum capite:

(quomodo autem: explicabimus, dum de vertebris loquemur) vt occipitium coniungatur cum prima vertebra, vt occipitii capitula detineantur in cauitate primi ſpondyli. Quomodo autem hic articulus tutiſſimus ſit, beneficio & craſſorum ligamentorum, & multitudine muſculorum, & exacta oſſium compoſitione: explicabimus in parte ſarcologica, nec non in ſermone de vertebris. Hæc de cranii compoſitione, vt producitur a formatrice. A

Caluariæ vſus. Quo vero ad caluariæ vſum: cum Gal. ſeptimo de vſu partium vigeſimo primo, & octauo de vſu par. nono, cranium eſt os, quod eſt tegumentum duræ meningis, & proinde inſtar galeæ, ad tutelam cerebri, vt tueatur cerebrum per duritiem, & detineat ſecundum magnitudinem & figuram. Vnde hoc loco admoneantur ſtudioſi, ne, vt Columbus, cæcutiant, aliud eſſe, loqui de cranio, aliud de capite, hoc eſt, de parte corporis eminentiori. Nam ſi ſermo fiat de cranio, formatum eſt (vt dictum fuit) gratia cerebri. At ſi ſermo fiat de capite, vt de parte eminentiori: nequaquam eſt conditum propter cerebrum; vt Galenus octauo de vſu partium ſecundo, illos improbet, qui voluere, caput eſſe factum propter cerebrum: ſiquidem, vt addit capit. quarto cerebrum in quibuſdam animantibus ad pectoris oſſa eſt collocatum, vt propterea capite careant, vel ſi rudem quandam capitis delineationem habent, non ibi tamen, ſed in pectore reſideat cerebrum. Vt hinc capite quincto ſtatuerit, caput genitum eſſe propter oculorum actionem & tutelam: propter actionem quidem primum, quia oculorum actio locum editum poſtulat, vt merito animalia capitis expertia oculos ſuper ceruices prælongas obtineant. Deinde vero, quia oculorum viſio fit per neruos molles, qui cum a parte proxima procedere debeant, (nam in longo itinere paterentur) propterea caput obtinuit cerebrum, vt ab hoc, tanquam a parte vicina, nerui molliores in oculos perducerentur. Vt merito quamuis cerebrum non ſit genitum cauſſa oculorum, eſt tamen locatum in capite, hoc eſt, in parte ſuprema, propter oculos. Deinde vero caput propter oculorum tutelam fuit productum, nam cum homo ob corporis ſubſtantiam oculos molles habeat, & proinde iniuriis obnoxios: inuenit natura, qua arte faceret oculis particulã, quæ alta ſimul eſſet, & eos tueri ſatis poſſet: ſupra quidem ſupercilia conſtituens: infra vero, quas malas appellamus attollens: internis præterea partibus naſum adponens: externis, proceſſum oſſis iugalis. E quibus Galeni dictis manifeſtum eſt; ipſum, dum adſerit caput oculorum gratia factum eſſe; per caput non intelligere cranium, ſed partem corporis eminentiorem, quę non tantum cranio conſtat, ſed etiam ſuperciliis, & reliquis partibus. Quia igitur hoc loco de cranio, ſeu caluaria tãquam de capitis oſſe, loquimur: merito vſum eius in cerebrum dirigimus. Hæc de cranio. B C

Os iugale. Sequitur iugale os τὸ ζύγωμα, quod ſatis durum ac denſum eſt: quamuis, ſi frangatur, intus cauernoſum appareat, & proinde alimentum proprium contineat. Exteriori parte gibbum, intus cauum eſt: & ſecundum Galenum capit. 12. & 1. l. de oſſibus, in medio ſuturam habet obliquam: ſiquidem effectum, & e duobus proceſſibus, quorum alter proceſſus eſt oſſium temporum, & eſt ſecunda pars oſſium temporum, quæ auditorio foramini ſuperpoſita eſt, (nam hæc temporum pars duos habet proceſſus: tum mamillarem; tum qui iugalis oſſis portio exſiſtit.) Alter eſt proceſſus, qui efficit oſſis iugalis partem anteriorem, emergens a maxilla ſuperiore, ſub paruo oculi angulo, vt hoc os caput cum malis coniungat per oſſa temporum: vt duo oſſa, temporum ſcilicet & maxillæ ſint veluti iugo ſubiecta. D

Situm autem eſt iugale os medio loco inter duos maxillæ ſuperioris proceſſus: & longiore proceſſu, ſeu capite, quod roſtrum refert, eſt humilius: breuiore autem ſublimius, vt teſtatur Galenus ca. 5. l. 2. de articulis.

Diſtinguitur os iugale ab oſſe maximæ maxillæ ſuperioris, per ſuturam, quæ exoritur ſub oſſe iugali: vt ait Galenus cap. 3. de oſſibus: cuius ſuturæ pars poſterius tendens, ſub oſſis iugalis concauo deſinit, ibique cum ſphenoeidis ſutura communi committitur. E

Vſus oſſis iugalis. Os hoc, temporis muſculo præpoſitum, hunc tuetur. Quamuis etiam ab hoc oſſe manſorius muſculus principium ducat.

Oſſicula auditus. Quoniam vero temporum oſſa conficiunt auditorium meatum, in quo quædam continentur oſſicula: ideo, antequam de oſſibus Maxillæ ſuperioris agamus, prius de his oſſiculis loquemur. Tria autem ſunt: quorum nullibi Galenus mentionem facit. Sed Iacobus Carpenſis duo invenit: tertium Ingraſſias. Reſident prope in media regione illius cauernulæ, quam tympanum vocant. Primum vocatur Malleus: caudamque ſeu finem habet inſitum in interna membranæ facie: caput ſurſum verſus anteriora attollitur. Huic capiti inſidet ſecundum os, quod Incus; ſeu dens vocatur: & inſidet malleo dens parte ſua latiore, cauitate quædam malleoli caput excipiens. Crura denti gemina ſunt: quorum breuiore, craſſiore, & elatiore, tympani adhæret parieti, ea parte, qua aquæductus labitur: altero longiore, graciliore, & decliui, coniungitur cum apice tertii oſſiculi, quod Stapes vocatur: Stapes autem ſua baſi alteram, ſiue ſuperiorem tympani feneſtram claudit. Oſſa hæc duplici articulo coniunguntur: primo, malleus & imus: altero, incus & ſtapes. Extrema autem horum oſſium, vt pertinent ad articulum, cartilagine (inſtar reliquorum articulorum) incruſtata ſunt: nec non mollibus quibuſdam membranulis ligamenti vię colligantur. Quia autem coniuncta ſunt per articulum, neceſſario mouentur a portionibus quibuſdam carneis, exiguis, ibidem reſidentibus; quæ, ceu muſculi, actores ſunt exigui motus illorum oſſiculorum. F

Vſus trium oſſiculorũ. Vſus horum oſſium obſcurus eſt; de quo varie auctores ariolantur. Nos de eo c. 27. in doctrina ſarcologica de auditus organo, diligenter agemus. Sufficit heic monere, ope actionis horum muſculorũ, ſpeciem ſoni ſuſcipi & ad interiora permeare, tum vero excrementis aurium locũ patefieri. Stapes enim ſua baſi ſuperiorem tympani feneſtram claudit: nam aeris ictus, delatus in mollem ſubſtantiam deliteſcit: cõtra, per ſolidam & oſſeam ſubſtantiam, quodammodo robur & puritatem adquirit. Iam vero, dum malleus incudem mouet, & incus ſtapedem; ſuperior illa feneſtra nonnihil aperitur: quæ apertio facit, vt & excrementa deſcendant, (ſic enim & abdominis muſculi ad feces expellendum inteſtinorũ expultrici opem ferunt.) G

A ferunt.) & ſpecies audibilis ingrediatur. Alucinantur ergo, qui oſſa iſthæc ita moueri credunt, vt inuicem percuſſa ſtrepitum edant: nam internus ille ſtrepitus, externum ſonum confunderet: & præterea motus articulorum omnes, etiam vehementes reliqui corporis, ſine tamen ſtrepitu, obeuntur. Hæcque de auditus oſſiculis.

AD LECTOREM.

E Capitis oſſibus, ea quæ Caluariam conſtituunt, hactenus explicauit auctor. Reſtant vero maxillæ, dentes, oſque hyoeides: præterea dorſi ſpina, ſcapulæ, brachia, manus, thoracis coſtæ, clauiculæ, & ſternum: tandem coxæ, femora, tibię, pedeſq; extremi. Quę
B omnia, præcedentium imitatione, ſi diligens Capiuaccianorum lector fueris, attexere haud difficulter conaberis. Quin eadem ratione deinceps quoque Sarcologiæ defectum induſtria farcies, opuſque hoc anatomicum complebis. Vale.

Ioan. Beyer.

CAPVT XXII.

De partibus Diſſimilaribus carneis: & primum de Cerebro.

AGgrediemur nunc Sarcologicen diſſimilarium, ſeu partium non oſſearum corporis humani: iiſque methodum anatomicam applicabimus. In omni autem parte diſſimilari, primum cognoſcenda eſt propria functio: vt hac cognita, methodoque applicata, pateat, quidnam ſit, quod habet rationem par-
C tis principalis, partis adiuuantis, partis ſine qua non, & partis ad cuſtodiam, ſiue tutelam. Quæ in qua libet parte diſſimilari conſideranda

De Cerebro.

In cerebro igitur primum cognoſcere oportet, quæ ſit operatio cerebri. Accipimus autem cerebrum, vt eſt gratia vitæ, & gratia melioris vitæ, c.1.l.14.de vſu part. Hinc trademus definitionem, quatenus cerebrum reſpicit vitam: ſed in explicatione definitionis, quomodo concurrat ad vitam meliorem, explanabimus. Nomen.

Proinde cerebrum eſt *membrum diſſimilare, genitum e propria carne, membrana, glandulis, venis & arteriis, a propria generatrice, gratia generationis ſpiritus animalis.* Definitio.

Diſſimilare vocatur, c.3.l.de diff.morb. Partes autem ſimilares e quibus componitur, ſunt, propria caro, membranæ, &c. quarum explicationem in cauſſa efficiente trademus: nam vt cauſſa efficiens diuerſi-
D mode ſe habet circa ſimilares partes, ita etiam apparet natura partium ſimilarium.

Iſta igitur efficiens, eſt vis propria, quæ cerebrifica dici poteſt, de qua explicandum, quomodo ſe habeat in generatione omnium partium, e quibus cerebrum eſt compoſitum. Efficiens.

Caro igitur, e qua cerebrum conficitur, vocatur cerebri caro, id eſt, caro propria, cui ſimilis in corpore non reperitur, c.4.l.8.de vſu part. Huic carni, facultas alteratrix tribuit temperiem, & id quod conſequitur temperiem. 1. Caro cerebro.

Temperies carnis cerebri (cum e c.8.l.1.de ſem. continetur e ſolo ſemine) eſt frigida & humida, c.vlt. l.2.de temper. vnde alimentum prębet pituitoſum, frigidũ, humidũ, c.8.l.3.de fac.alim. Frigidius & humidius cerebrũ eſt cute: calidius autem & humidius ſpinæ medulla, c.3.l.2. de temp. Hæc quidem de cerebri ſubſtantia intelligẽda ſunt, co.aph.2 ſect.6. At vero calidũ cerebri innatũ, id eſt, ſpiritus inſitus, eſt calidus: Craſis.
E vnde frigidũ cerebro inimicũ, calidum amicũ dicitur: quia calidũ innatum a ſimili conſeruatur, cõ.apho. 18.ſect.5. Si reſpiciamus ad ſpiritus in cerebro exſiſtentes, tũ animales, tũ vitales, qui animaliũ ſunt materia; caliditatẽ cerebro tribuere poſſumus, ſed adſcititiã: & huc reſpiciẽs Gal.c.2.l.8.de vſ.p. ait, cerebrũ calidius eſſe quocunq; aere æſtiuo. Quod ſano modo intelligendũ de propria temperie: cerebrum enim per ſe frigidius eſt cutę, aer autem æſtiuus calidior cute, minus tamen calidus cerebro. Humidũ quoq; eſſe cerebrum, traditur aph.1.& 3.ſect.3.l 6.epid.com.aph.2.ſect.6. Hæc humiditas, ſi immoderata, eſt pręter naturam: & ſi naturalis, tamen inſalubris eſt, quia leui occaſione catarrhi inuadunt.

Conſequens craſin, eſt mollities: cerebri enim ſubſtantia mollior eſt neruo, c.6.l. 8.de vſu p. quin ẽt mollior eſt ſpinæ medulla, c.1.l.2.de temp. Anterior cerebri pars mollior eſt parte poſteriore, id eſt, cere- Mollities.
F bello, c.6.l.8.de vſu p. Veſalius ſtatuit cerebrũ anterius, præſertim ſecundũ baſin, ſatis eſſe durũ, ita vt recte cum cerebello comparari queat, eſtq; in parte anteriori quædam portio ſatis dura, nimirum corpus calloſum, quod cognouit Gal. Ita ergo accipiendũ Galeni dictum, cerebrum anterius eſſe mollius poſteriori, nõ abſolute, ſed ſecundum maiorem partem. Nec debuit Veſalius ita facile redarguere Galenum.

Formatrix cerebro & cerebello tribuit figuram, ſimilem gyris, ſeu ſpinis inteſtinorum, c.13.l. 8. de vſu part. Plexus in cerebello ſunt plures, at maiores & pauciores in cerebro. Figura cerebri.

Porro cum cerebrum diuidatur in partem Anteriorem & Poſteriorem: pars anterior hæc in ſe continet, carnem ventriculorum, corpus calloſum, ſeu ſeptum, fornicem, teſtes, nates. Horum ſaltem ſtructuram (id eſt, quid eſt) hoc in loco proponemus: cauſſas (id eſt, propter quid) alibi. Anterius cerebrum quibus conſtituatur.

Caro ventriculorum, eſt propria ſubſtantia, nec enim ſolæ cauitates ad ventriculos pertinent. Hinc Galenus ait, cerebrum affici intemperie interdum ſecundum ventriculos, interdum ſecundum corpus: ſi Caro ventriculorum.
G ventriculi afficiuntur dyſcraſia, hæc ſane non poteſt pertingere ad cauitates, id eſt, ad qualitatem, ſed ad propriam carnem. c.8.l.3.de loc.aff.

Corpus calloſum ſuccedit, ſatis durum, vnde & nomen habet: quidam a figura arcus vocant fornicem, ſed improprie: oritur ex interna cerebri ſubſtantia: & reſidet in medio cerebri: Poſterior pars corporis calloſi, magis eſt vicina ſedi anteriori cerebri. Secundum dextram & ſiniſtram partem ſuam, vnit cerebri ventriculos: ſecundum interiorem & inferiorem ſuperficiem, deſinit in ventriculos anteriores. Secundum medium, deſinit in quoddam tuberculum, quod dicitur Septum: huius ſepti ſubſtantia eſt Corpus calloſum.

Septum. valde tenuis,& διαφανὴς,vt videatur ob tenuitatem quasi membrana,&speculũ, vnde quidam ob diapha- A neitatem speculum vocant:oritur e medio corporis callosi (vnde patet esse portionem cerebri,quia corpus callosum est substantia cerebri;non autem membranam , vt Columbus putat) & committitur supra cerebri portionem,quæ fornix vocatur.

Fornix. Fornicem Galenus vocat cameram,c.11.l.8.de vsu par.alii arcum,seu pontem, a similitudine,posteriori enim parte duobus cruribus,& anteriori parte vno crure,septo substernitur.

Nates. Nates,glutia,clunes,vel testes,sunt portiones cerebri tenues,oblõgæ & eminentes, (vnde testes dicũtur)deducunt meatum e tertio in quartum ventriculum:sedem habet inter cerebrũ & cerebellũ.c.vlti. l.8.de vsu part.Quidam,minus diligentes,aliam portionem proponunt,quam vuluam appellant.

Cerebellũ. Cerebellum(id est,posterior cerebri pars)vndecuplo minus cerebro est: attamen quantitatẽ habet B effatu dignã:magis latũ est,quam longum,& profundũ.Residet in parte posteriori: & secundũ orbiculos sedẽ habet versus spinæ medullã:& desinit in duos processus,qui cũ sint similes breuibus vermib. vocantur vermiformes.Extenditur secundũ totum meatum,qui anterius cerebrum cum posteriori coniungit. 2 Membranæ cerebri. c.vlt.l.8.de vsu part.Hæc de carne cerebri.Sequitur de mẽbranis cerebri. Mẽbranæ crasis est frigida, sicca, vt in generali doctrina diximus:hinc cerebri mẽbranæ sicciores cute dicũtur,c.3.l.2.de tuen.san. Vnde & eam habet duritiem,quæ sequitur crasin frig.& siccam.

Pia mater. Formatrix,mẽbranam duplicẽ formauit:quarũ altera tenuis,altera dura,c.3.l.7.de Plac.Tenuis tangit cerebri carnem secundũ superficiẽ,penetrat etiam ad profunda,vt & cerebrũ & cerebellũ tangat , vsq; ad internã ventriculorũ capacitatem,solo excepto corpore calloso,qđ ob duritiem non munitur vel tegitur a tenui meninge,c.8.&12.de vsu part.Vesalius contra Galenũ negauit,cerebri ventriculos obduci pia C matre:id solum præstare ventriculis cerebri ait, vt deducat vasa:At vero hæc mẽbrana tangit parietes vẽtriculorũ,quamuis non affigatur:deinde adeo est tenuis,vt nisi summa diligentia,&ilico post mortẽ cadauer dissecetur,omnino flaccescat,medicosq; decipiat,vt& Vesaliũ. Infundibulum. Degenerat etiam tenuis meninx in infundibulũ:posteaq̃ enim succinxit cerebrũ ad latera illius orificii,quod cõstituitur a duob.meatib.purgationi destinatis,orbicularem quendã processũ a se producit,qui ab initio amplo &orbiculari,sensim ad similitudinem infundibuli angustetur,vnde in longam desinit fistulam,& hinc per foramina duræ meningis desinit ad glandulam,quam cerebri pituitam recipit.c.3.l.9.de vsu part.

Dura mater Dura meninx crassa est,& dura,idq; magis quam vlla mẽbrana,maxime circa plexum retiformem, c.16.l.9.de vsu par.Cõmittitur infra cerebrũ,ita vt in hac parte magis crassescat,præsertim circa regionem cerebelli.Positio hęc est:licet vnica sit mẽbrana,portio tamen posterior duplicata cõspicitur,c.5.l.9.de vsu D part.Craniũ attingit:nam secundũ suturas lambdoidẽ &sagittalem valide cranio annectitur;minus valide secundũ suturam coronalem.Pars eius inferior,substernitur plexui,vt tantũ sit interstitium inter cerebrũ,& os cuneiforme,quanta est latitudo glandulæ extra cerebrũ exsistentis,c.12.l.8.de vsu par.c.16.l.9.de vsu part.Degenerat dura mater in ligamenta,qui soboles adest arteriarum soporalium supra,ad latera , & ad partes anteriores,vt sunt nares,palatũ & c. 16.l.9.de vsu p.ibi autẽ oriũtur hę portiones ligamẽtales,vbi duplicata est hæc mẽbrana.c.5.l.9.de vsu part.At Vesalius vel non intellexit,vel,quod magis credo, noluit intelligere Galenum,ait enim hæc ligamẽta non esse,quia non oriantur ex ossibus.Respondeo,Galenum hic non loqui de veris ligamentis,quæ & vsu & re talia sunt,id est: quæ & vim habent connectendi, &ex ossibus oriuntur,sensuque carent:loquitur autem de ligamentis,quæ vsu saltem talia sunt,non re & secũdum substantiam,id est,quæ partes connectunt,non autem ex ossibus,sed membrana ortum ducunt. E

3.Glandulę. Conarium. Glandulæ cerebri duæ sunt:altera est intra duram meningem,alera extra eam.Quæ est intra duram, a similitudine coni vocatur conariũ,& pinealis:quidam penem,seu colem vocant. Substantia eius est glãdulosa.c.vlt.l.8.de vsu part.Alteratrix eam produxit satis duram:obuoluitur tenui mẽbrana.Formatrix eã repoluit extra ventriculos paulo post initiũ meatus,qui a tertio vẽtriculo in quartũ procedit. Et hæc glãdula incũbit testibus vocatis,& reponitur sub initio vasis venosi qđ prodit e quarto sinu duræ meningis,in χοάνη. tertio ventriculo.Vnde Galenus ait,c.7.l.9.de vsu part.cerebrũ obtinere adenem in medio venarũ. Glãdula extra duram matrem,dicitur χοάνη,a similitudine sphæræ amplæ,c.3.l.9.de vsu part. Positio est,inter os palati , & duram membranam : & adhæret soporalium arteriarum propaginibus, quæ sunt satis insignes.

4.Vasa. Vasa,id est,venæ & arteriæ sunt in locis oppositis:nam arteriæ a corde sursum ferũtur ad caput,pe- F tunt eam regionem,vbi est nexus retiformis: at venæ petunt verticem capitis,c. 1. l. 9. de vsu part. Porro venæ permeant per foramina duræ matris,sursum ad cranium & pericranium , deorsum ad tenuem meningem:coniunguntur venæ, vt deducant sanguinem in torcular,& hinc plurimi riuuli emanant,& petunt cerebrum nutritionis gratia.Vesalius reprehendit Galenum,quasi voluerit torcular esse corpus mẽbranosum, cum tamen sanguis in venis,ceu loco proprio, conseruari debeat.Verum Galenus per cauitatem intelligit eam,quæ sit substantia venosa,non membranonsa, ait enim ex hoc sinu prodire riuos, qui nihil aliud sunt,quam venæ,quare & cauitas illa constituta est,e substantia venosa: Dum non ignorauit Galenus,propriũ sanguinis locum esse venas. Arteriæ,dum adscendunt,permeant cranium , & inter cranium,duramque membranam ita distribuuntur,& ita coeunt, vt efficiant plexum retiformem,qui com- G plectitur glandulam extra cerebrum:& ex arteriarum coalitu,nascitur alia coniugatio, quæ per foramina duræ meningis ingreditur cerebrum.Hæc de partibus Cerebri.

Totius cerebri consideratio. Iam explicandum , quomodo generatrix se gesserit ratione totius cerebri. Alterarrix igitur , aliquo saltem modo, (hoc dico, quia nollem redargui a modernis) concurrit:nam temperamentum ab alteratrice productum,proprie pertinet ad partes similares,non ad totum , nisi per viam consecutionis , quam Auicennas vocauit secundam complexionem.

Crasis.

A Temperamentum igitur totius cerebri, est potius calidum, ratione spirituum, non carnis: in passiuis potius humidum est, quia portio carnis proprię, maxime excedit membranas & vasa, quę ad siccum vergunt. Quoad consequens: cerebrum est molle.

Compositio cerebri

Formatrix fecit superficiem læuem: figuram rotundam & longam. Cauitates ad quatuor redigi possunt, qui dicũtur ventriculi, duo sunt anteriores, vnus posterior, & vnus medius, præsertim circa sui dimidium. Anteriores sunt anfractuosi, oblongi, & coarctantur instar coni, qua pertinent ad nares, c. 2. l. de ven. dissect. c. 10. l. 8. de vs. p. Numero duo sunt: eam assecuti positionem, vt secũdum partem anteriorem deducantur ad nasi principium, & distinguantur per septum: in parte posteriori desinunt in communem cauitatem, qua constituitur medius seu tertius ventriculus. Hic autem est meatus satis magnus, qui producitur a duobus ventriculis anterioribus, ad posteriorem seu quartum, c. 11. l. 8. de vs. p. Hic postremus, qui & B tertius, & quartus vocatur, magnus satis est, quãvis reliquis sit minor, c. 10. & 12. l. 8. de vs. p. situs est inter cerebellum & spinalem medullam, vbi exiguum foramen est a tertio ad hunc postremum. Meatus cerebri duo sunt, c. 3. l. 9. de vs. p. Vnus satis amplus, qui producitur e fundo medii ventriculi: alter angustus, qui non facile obseruatur; & forte male habent corpora hoc meatu destituta; producitur a meatu, qui cerebrum cerebello connectit, & producitur ad postremum meatum, vt ex ambobus fiat vnum orificiũ, quod recipitur ab infundibulo, in glandulam externam immisso, quæ ab osse cuneiformi excipitur. Vesalius addit duos alios meatus: nec mirandum, Galenum non omnia vidisse. Voluit scilicet Vesalius duos alios esse meatus, ad latitudinem callosi corporis, secundum eius longitudinem. Quoad magnitudinem in homine cerebrum formatum est maximum: cerebri autem magnitudo sequitur magnitudinem capitis, ap. 18. sect. 3. l. 6. epid. Numero vnicum est cerebrum, non duo. Videtur tamen duplex proponi c. 6 l. 8 de vs. p. C at vnicum saltem est, sed diuiditur: ea enim qui duplicia a natura formantur, similiter se habent, vt quod in vno reperitur, etiam sit in altero; sic quod in vno est oculo, etiam in altero est &c. & inter cerebrum anterius & posterius maxima est differentia. Cerebri positio est inter os, c. 13. l. 1. de tuen. san. nam eo repletur caluaria, quamuis minus in senibus, in quibus siccescit. ap. 1. sect. 3. l. 6. epid. Connectitur per arterias & venas cum corde, c. 11. l. 2. de caus. puls.

Vsus cerebri.

Finis, ob quem a natura factum est cerebrum, est generatio spiritus animalis. Cum autem cerebrum sit organum multarum actionum, scire oportet, cur in definitione cerebri tantum mentio sit facta generationis spiritus animalis.

1 Organum nutritionis.

Cerebrum ergo duobus modis sumi potest: primum quatenus nutritur, & conuenit cum aliis instrumentis corporis, & sic est organum nutritionis id est, attrahit nutrimentum, retinet, alterat, & D superflua expellit. Altero modo sumitur vt est instrumentum, ab aliis instrumentis corporis distinctum: & hoc modo sumtum, consideratur, vel vt est fabricatum gratia melioris vitæ, vel vt est formatum gratia vitæ.

2 Sedes facultatum principum.

Cerebrum igitur, quatenus meliorem vitam respicit, munus habet & per se, & per aliud; c. 3. l. 7. de Plac. Per se enim imaginatur, recordatur, intelligit, cogitat: per aliud vero mouet partes motu voluntario, id est, habet functiones, quæ inseruiunt aliis partibus. Hinc Galenus, cõ. 6. l. 2. progn. pręcipua cerebri ministeria esse ait, memorari ac cogitare; subseruientia id est, non præcipua, sensum & motum: principes enim functiones sunt propter cerebrum, reliquæ propter aliud. Hinc etiam cerebrum dicitur organum actionum animalium, c. 1. l. de vs. p. & organum principalissimum, c. 1. l. de vs. respir. quia nimirum est sensorium sensoriorum, c. 8. l. 1. de sympt. causs. c. 6. l. 8. de vs. p. excipiũtur extremitates anteriorum ventriculo- E rum, secundum quas cerebrum non est sensorium sensoriorum, sed organum olfactus, c. 4. lib. 1. de symp. caus.

Quoniam autem cerebrum est organum facultatum principum, & non principum, de his pauca dicenda. Principum facultatum sedes & domicilium est cerebrum, nimirum rationis, actionis voluntariæ & sensitiuæ, c. 10. l. 9. meth. c. 13. l. 1. tuen. val. c. 7. l. 2. de plac. c. 4. & 5. l. 3. de loc. aff. c. 4. l. 9. de vs. p. Vnde cerebrũ totius corporis gubernator dicitur. ca. 7. l. de tot. morb. temporibus. Et Pelops, Galeni præceptor, (qui iniuste reprehenditur a Galeno) voluit, cerebrum non tantum neruorum, sed etiam venarum & arteriarũ esse principium, non quidem caussæ originis, sed quatenus ab vna ratione vniuersum corpus gubernatur. cap. 5. l. 6. de plac.

Principium facultatum non principum.

Cerebrum etiam est principium facultatum non principum, cap. vltim. l. 7. de placit. per neruos F enim molles, sensum tribuit, per duros sensum & motum voluntarium. Ipsum quidem cerebrum motu naturali mouetur, non voluntario, vim tamen motricem partibus tribuit. Sentit etiam noxia, non per se, sed per membranas quibus inuoluitur, ad sui custodiam, caussa vitæ, non melioris vitæ, c. 4. l. de pleurit. At aliis partibus sensus & motus tribuuntur gratia melioris vitæ maxima e parte: dicimus maxima e parte, quia sensus quidam, & motus etiam nonnullus excipitur: Sensus enim tactus (& gustus quatenus est tactus) respicit & vitam, quatenus per eum partes sentiunt noxia, eaq; expellunt, gratia vitæ: & respicit meliorem vitam, quatenus obiecta tactilia sensui interiori offert, cum nihil possit esse in intellectu, quin prius sit in sensu: Tactus sensus, gratia vitæ, residet in omnibus corporis partibus, quæ neruos suscipiunt; at tactus, gratia melioris vitæ, potissimum pertinet ad manum, quæ organum est, non solum apprehensionis, sed etiam tactus, quatenus tactus accipitur gratia melioris vitæ. Sic quidam motus G voluntarius, vt respiratio (quæ fit a cerebro) vitam respicit, c. 6. l. de vs. p. c. 7. l. 4. de loc. aff. ope n. respirationis cor refrigeratur, & proinde vita conseruatur. Et hoc modo intelligendus Aristoteles, inquiens, cerebrum gratia vitæ esse genitum, propter refrigerationem cordis; non quod a cerebro per partem post partem cordi communicetur frigiditas (vt satis inepte Galenus Aristotelem redarguit, quod pace ipsius dixerim) sed quod cerebrum caussa sit respirationis. Hoc ipsum etiam Galenus cognoscens, c. vlt. l. 7. meth.

Sensus & motus interdum nõ tãtum meliorem vitam, sed etiam vitam, respiciunt.

L

ait,cerebrum par habere momentum ad vitam cum corde,gratia respirationis scilicet,non gratia craseos: A
nã demta respiratione homo moritur;at crasis cerebri nõ est ita necessaria ad vitã, quemadmodũ cordis;
nam ob intemperiem cordis(quod vitę est principium,in quo generatur calidum innatum animę vinculum)citius moritur homo,non ita cito ob cerebri intemperiem,multo tardius ob intemperiem iecoris,t.
47.l.2.de ratione vict.t.2.& 5.l.1.prorhet.

3. Gratia vitæ,cerebrum obit quatuor functiones naturales,attractionem,retẽtionem, cõcoctionem,
expulsionem.

Hactenus cerebrum tripliciter considerauimus ,primum vt est organum nutritionis: secundo ,vt
respicit meliorem vitam:tertio,vt respicit vitam. Quæ omnia iam plenius & distinctius persequemur.

I. Actiones cerebri, quatenus est organũ nutritionis.

Cerebrum ergo quatenus est organum nutritionis,vt quodlibet membrum viuẽs,attrahit, retinet, B
expellit superuacua,tenuia quidem per suturas,crassa vel pituitosa præcipue per os, alterat etiam alimentum,& in suam substantiam cõuertit. Quia autem cerebrum est organum magnũ, copioso eget alimẽto:
at Aristoteles c.7.l.2.de part.animal.ait,in cerebrum non produci sanguinem copiosum,sed exiguum,tenuem,sincerum,id est,sine bile,non calidum:vnde huic sanguini cerebri,c.10.l.2.de part.an.opponit sanguinem calidiorem. Aristoteles fuit diligentissimus,& fortassis diligẽtior Galeno:vt impossibile sit,callere anatomiam sine Aristotele:nec tamen hoc in loco pugnat cum Galeno : nam Galenus respicit ad sanguinem copiosum,a iecore in caput(viscus magnum)delatum;quod pituitosum exsistens,maiori e parte
degenerat in excrementum crassum,pituitosum;minori autem e parte mutatur in sanguinem tenuem,
temperatum,e quo cerebrum alitur. Aristoteles vero respicit ad alimentũ purum,virtute alteratricis e copioso illo sanguine confectum,& productum; vnde & c.10.l.3.de partibus animal. ait , e venulis extremis
produci vaporem sanguineum,e quo concrescente,nutriatur & augeatur cerebrum : non autem respicit C
ad illud alimentum,quod a iecore in caput defertur.

II. Actiones cerebri, quatenus respicit meliorem vitã.

Secundo,cerebrum caussa melioris vitæ,duplex obit munus,vnum per se,alterum per aliud, c.3.l.7.
de Plac. Munus per se,vocatur,quod cerebrum in seipso obit,non extra,vt imaginatio,memoria,intellectio:Per aliud,quod fit quidem cerebri virtute,sed extra cerebrum,vt sensus & motus voluntarius. Hinc
cerebrum,caussa melioris vitæ,est organum animale,non naturale,c.1.l.de vtilit. puls. & quidem organũ
animale principalissimum,c.vlt.l.de vs.respir.& sensorium sensoriorum,c.8.l.1 de sympt.caus.

Quomodo cerebrum sit principium sensus; scilicet ratione iudicii,sed nõ vt medium recipiens.

Porro cerebrum secundum philosophos & medicos esse organum facultatum principum , ac non
principum,facile probari potest. Nam Galenus cap.6.l.8.de vs.part.ait,animal non sentire,nisi alteratio,
quæ fit in quolibet sensorio,producatur in cerebrum. Secundum Aristotelem & sensatio pertinet ad cerebrum,licet caussa sensationis,id est,ipsa receptio ad cerebrum non pertineat. Sic verbi gratia,cerebrum D
non est medium tactus (hoc enim est caro,cutis,partes neruosæ) quia cerebrum contrectatum non sentit,cap.7.l.2.de part. Quomodo autem cerebrum sensus sit expers,declaratur, cap. 10. l.2. de partib. quod
scilicet cerebrum non contineat caussam sensus,id est,receptionem (ad sensionem requiruntur receptio
& iudicium:receptionem vocat philosophus caussam sensionis sine qua non,quæ iudicium præcedit) sed

Cerebrum est,quo sentimus.

sit sensus expers,vt excrementum, quod nihil sentit, quomodocunque afficiatur. Cerebrum ergo licet
non sit medium recipiens, nõ tamen omnibus modis sensus expers statuendum. Hinc manifestius philosophus,cap.10.l.2.de part.ait:cerebrum parte capitis priore contineri,quomodo sit illud principium quo
animal sentit,& quomodo sensus a corde proueniat,quod priori parte sit commissum. His verbis caussam
reddit philosophus, cur in priori parte locetur cerebrum hoc modo. Illud principium,quod est in parte E
priori,est quo animal sentit:cerebrum est in parte priori:ergo cerebrum est quo animal sentit. Propositio
probatur,quia sensus a corde prouenit,quod parte priori collocatur:vnde colligendum quod etiam a ce-

Sensus prodit & a corde & a cerebro.

rebro procedat sensus,quia in anteriore parte collocatur ;alias vana esset ratio Aristotelis. Sensus ergo
prodit a corde,& a cerebro:a corde,quatenus ab hoc facultas communissima procedit,quæ in sensitiuam
postea degenerare potest:a cerebro etiam sensus prodit, quatenus ab hoc procedit facultas minus communis,reddita animalis , quæ postea in determinatis sensoriis determinata euadit. Fieri potest,vt hæc
» mea explicatio non sit bona:attamen non prorsus erit inutilis, quia alii excitabuntur :testor enim De-
» um, me neminem vidisse,neque habere Aristotelis explicatorem. In hunc plane sensum ibidem Aristoteles addit:partes sanguineas sentire,id est,partes anteriores,quæ venas habent,& inquibus cerebrum re-

Quomodo Aristoteles dicat,naturam sensus quosdam in cerebro collocasse.

sidet,non autem occiput,quòd venis est vacuum. Et cap.10.l.4.de part.ita scribit : naturam sensus quosdam in cerebro collocasse,quoniam sanguis cerebri temperatus sit , & idoneus ad cerebrum tepefacien- F
dum,& ad sensuum tranquillitatem & integritatem. Quorum verborum hæc est vis: cor non esse idoneum ad sensationem, quoniam in eo generatur spiritus vitalis,feruens : cerebrum autem idoneum esse
ad sensationem, quoniam in eo generatur spiritus animalis,frigidus,vnde natura sensus nõullos in cerebro locauit,quia sanguis eius temperatus est. Per hos vero sensus in capite positos,Aristoteles potissimum
intelligit visum & auditum:nam cap.10.l.2.de part. ait, tactum & gustum aperte e corde dependere, olfactum medio modo se habere,auditum & visum maxime in capite positos esse. Respicit heic philosophus ad iudicium,ad sensorium iudicans;(nam ad sensationem opus est receptione & iudicio)quod in
visu & auditu est externum , nimirum oculi & aures; in olfactu non est ita extimum,nimirum carunculæ mammillares; in tactu autem est intimum : ideoque olfactum medio se habere modo philosophus G
dixit.

Dubium.

Dubitatur autẽ,cur Aristoteles dixerit saltẽ de gustu & tactu,ꝙ a corde pendeant, cũ tamẽ ex ipsius
sentẽtia omnia a corde orianẽ,tanq̃ a sede facultatis cõmunissimę? Respõsio. Cor,ꝓut est domiciliũ facultatis cõmunissimę,est origo omniũ sensuũ:si vero respiciamꝰ & facultatẽ minus cõmunẽ,id est,ad sensum
commu-

Differentiæ inter tactũ r. & reliquos sensus.

A communem pertinentem ad cerebrum, differentia est inter tactum & alios sensus: primum enim tactus
sensorium iudicans, non est extra, sed intra cerebrum; at reliquorum sensuum sensorium & recipiens &
iudicans, est extra cerebrum: deinde calidum innatum, quo vtitur sensorium tactus, non gèneratur in ca-
pite; at calidum innatum, quo sensoria reliquorum sensuum vtuntur, gignitur in capite: hinc tactum a
corde, reliquos sensus a cerebro pendere statuit Aristoteles. Declarandum id est, quomodo calidum in-
natum reliquorum sensuum generetur in capite. e.g. quoad visum, eius calidum innatum, permistum ha-
bet spiritum animalem, qui generatur in capite: auditus sensorium permistum habet aerem, cuius perfe-
ctio fit in capite, vt infra demonstrabimus: olfactus calidum innatum, habet permistum vaporem, qui ex
aere in capite generatur: gustus (quatenus propria ratione consideratur, non vt quidam tactus) gustus,
inquam calidum innatum permistam habet humiditatem aquosam, fastiualem, quæ in capite generat̃, in
B corporibus glandulosis ad linguam pertinentibus. At tactus organum suum habet calidum innatum, ꝙ
non generatur in capite; id etiam quod permiscetur cum calido innato tactus non generatur in capite,
sed in corde, nihilq; aliud est, quam calor cordis, ad organum tactus influens. Hinc Aristoteles, in l. de sen-
su & sens. ait, sensorium tactus esse in corde, quia facultas tangendi sit terræ: i. quia organum tactus recipi-
ens sit terreum, (non n. loquitur. de vltimo organo iudicãte, sed de recipiente, de carne) Non dixit tactus
sensorium esse cor, sed in corde: instrumentum enim sine quo non põt fieri receptio, non est cor ipsum,
sed calor e corde fluens, qui a cerebro frigido tribui non potest: vnde Aristoteles addit, cor cèrebro op-
poni, vt calidissimum.

Cutis, caro, &c. non est instrumẽtum, sed medium tactus.

Heic vero & illud obseruandum est, sensum tactus, secundum iudicium, nequaquam fieri in cute,
carne, neruis, parte neruosa, vt quidam statuunt. Sensus n. tactus est quædam functio propria, pertinens ad
C vnicam tantum partem; sicut visio tantum pertinet ad oculum, auditio ad aures. Et propterea Aristoteles
c. 10. l. 2. de anima, dicit, tactum non fieri per medium externum, vel aerem, vel aquam, vt alii sensus, sed
per medium quod est in corpore. Vnde colligitur, cutim, carnem & similes partes, non esse sensorium ta-
ctus iudicans, sed habere rationem medii. In hanc sententiam, c. 2. l. 3. de anima, inquit; carnem non esse
vltimum instrumentum sensus, nam vltimum est illud quod iudicat. Ratio demonstratiua est: quia sen-
sibile, positum supra instrumentum, non sentitur; at caro contrectata sentit: ergo non est instrumentum
tactus, i. non iudicat.

Obiectio.

Contra hæc dubitatur e problem. 18. sect. 3. in quo Aristoteles dicit, tactum imitari visionem, sicut
enim visio fit per oculum, ita & manus ad tactum concurrit. Respo. tactum non omnibus modis imitari
visionem, sed tantum quoad receptionem: nam c. 10. l, 2. de part. animal. euidenter statuitur, nequaquam
D in partibus extimis fieri iudicium.

Alio obiectio.

In Galeni etiam scriptis dubia quædam occurrunt. Nam c. 16. l. 7. de plac. scribit Galen. tactus in-
strumentum esse terrestre, visionis igneum; & hæc instrumenta, quatenus alterationem percipiunt, ner-
uos participare. quibus verbis statui videtur, iudicium pertinere ad partes neruosas, cutim, &c. maxime,
quia subdit Galenus alterationem non esse sensum, sed dignotionem alterationis, quæ fiat in parte, qua-
tenus neruo prædita est. Resp. Galenus tanquam medicus, seu artifex sensatus, dignotionem obiecti tacti-
lis, asscribit medio, nimirum parti neruosæ: idq; prout medicus, non sine ratione; quia in curatione me-
dicamenta, caussa doloris, applicantur medio: vnde medium vocatur sentiens, quia per suam receptionẽ
& alterationem in caussa est, vt statim facta alteratione, fiat etiam iudicium, sed in parte intima. Medium
vero tactus neruos obtinere necessarium est: nã quia hoc medium terrestre est, beneficio neruorũ ita al-
E teratur, vt sit accommodatum mẽbrum, per quod alteratio percipitur: mẽbrum contra, quod nerui par-
ticeps non est, non est idoneum, vt afficiatur ab inuasione corporis terrestris, sicut Galenus c. 6. l. 7. de pla.
ait, e quo loco manifestissimum est, ipsum non ad iudicium, sed ad receptionem respicere, quæ tamen est
caussa, sine qua iudicium fieri nequit. Quod si quis asserere velit, iudicium fieri in cute, parte neruosa, &c.
nescio sane, quomodo is tueri possit Galen. c. penul. l. de diff. morb. vbi ait, cutim tantum esse destinatam
ad vsum, nec habere operationem propriam.

Medicorũ auctoritates.
Cerebrum esse sedem facultatum principum.

Hactenus ex Aristotele, philosophorum principe, demonstratum est, cerebrum esse organum, per
se principum facultatum, & per aliud non principum: Iam idem e medicis astruemus. Quantum enim
ad facultates principes, ait Galenus cap. 10. l. 9. meth. cerebrum esse domicilium facultatis ratiocinatricis;
quod etiam fatetur cap. 4. & 5. l. 3. de loc. aff. cap. 4. l. 9. de vs. p. item cerebrum pręsidere sensui, & motui vo-
F luntario, cap. 10. l. 9. meth. præterea cerebrum esse principium facultatis gubernantis, quatenus scilicet
corpus a cerebro gubernatur caussa melioris vitæ, nam caussa vitæ, gubernatur a corde, cap. 7. l. de tot.
morb. temp. Sic Hippocrates l. de sacr. morb. ait, e cerebro nos sapere, intelligere, videre, audire, cogno-
scere turpia, pulcra, honesta, &c. item insanire, delirare, timere, angi: iudicium enim non ad cor pertinet,
sed ad cerebrum; quia sapientia, & intellectio, requirit organum temperatum, quale est cerebrum, non
calidius, quale cor & spiritus vitalis; si enim aer ingrediatur in cerebrum, non calefit, sed retinet vigorem
suum; at, si aer per inspirationem cor petit, transeundo per pulmones alteratur, vnde vires suas seruare ne-
quit, & hinc fit, vt non cor, sed cerebrum, optimum sit intellectionis organum. Attamen Hippocra-
tes l. de corde, ait, mentem hominis in sinistro cordis ventriculo sitam esse, similiterque rationem & me-
moriã. Quod dictum eo modo intelligendum, quo Aristotelis verba supra explicauimus: ad cor enim
G pertinet facultas communissima, quæ a digniori potest mens vocari: facultas vero determinata, quæ ope-
ratur, necessario pertinet ad cerebrum, quod non ita calidum est, vt cor, sed particeps spiritus animalis
temperati.

Cerebrum esse organũ facultatum non principum.

Porro cerebrum etiam organum est facultatum non principum: nam per neruos molliores tribuit
sensum, per minus molles, & sensum, & motum voluntarium, c. vlt. l. 7. de Plac. Licet autem cerebrum sit

origo ſenſus & motus voluntarii:ipſum tamen cerebrum nec mouetur motu ſpontaneo,ſed naturali;nec A ſentit,cauſſa melioris vitæ,etiamſi cauſſa vitæ ſentiat noxia, qui tamen ſenſus potius ad membranas cerebri,quam ad cerebrum ipſum pertinet,c.4.l.de plen.Hactenus ergo docuimus,cerebrum,quatenus reſpicit meliorem vitam,per ſe obire functiones principes,per aliud vero ſenſum & motum voluntarium.

3. Actiones cerebri,quatenus reſpicit vitam.

Attractio & expulſio.

Poſtremo,ſi cerebrum ſumatur,quatenus reſpicit vitam,quatuor obit functiones:nam attrahit,retinet,concoquit,expellit:non autem loquimur iam de his functionibus,quatenus nutritionem ipſius cerebri reſpiciunt,ſed prout cerebrum ab aliis membris diſtinctus edit operationes. Attractio & expulſio, nihil aliud ſunt,quam motus cerebri euidens,qui cum ſit perpetuus,non eſt voluntatis,ſed vitę,c.13.l.6.de vſ.p.Mouetur enim cerebrum,vt ꝑ dilatationem attrahat,recipiat aerem,qui velut inſpiratio cerebri eſt, c.5.& c.vlt.l.de org.odoratus.Licet enim cerebrum ꝑ ſe ſit frigidũ,propter retẽtionem tamẽ ſpiritus vitalis,quem a corde ſuſcipit,caleſit;vt aliquo egeat refrigerio,c.4.l.de org.odor.Rurſus per motum compreſ- B ſionis,expellitur portio fuliginoſa calidior,vltra etiam ſpiritum animalem in ventriculis cõtentum.(nam qui in ſubſtantia cerebri continetur,eſt organum facultatum principum)tranſmittit,ſcilicet ad oculos,c. vlt.l.3.de pla.Contrariũ videtur ſtatuere Gal.c.4.l.de org.od.nam ait per compreſſionem fieri attractionẽ, per dilatationem vero expulſionem. Reſponſio.Hæc a Galeno dicuntur,non ratione ipſius cerebri,ſed reſpectu capitis,ſiue ſpatii,quod eſt inter cranium,& cerebrum:nam dum comprimitur cerebrum,repletur illud interſtitium,ne detur vacuum;contra,ſi cerebrum dilatatur,ex illo ſpatio aer extruditur. Ex his ergo patet,quomodo motus cerebri,nimirum attractio & expulſio,referatur in ſpiritum animalem:nam attrahitur aer,e quo fit animalis ſpiritus;per expulſionẽ vero expellitur impurus aer, & tranſmittitur ſpiritus animalis.Similiter & retentio neceſſaria eſt,vt aer in ſpiritũ animalẽ cõuertatur. Concoctio deniq; ſeu alteratio,nihil aliud eſt,quam generatio ſpiritus animalis:quæ præcipua eſt cerebri actio,in q̃ reliquæ C omnes referuntur.Hinc cerebrum dicitur fons animalis ſpiritus,c.5.l.12.meth. quia in vẽtriculis cerebri, ſpiritus animalis naſcitur,c.3.l.7.de plac.c.8.l.7.de vſ.p.c.11.l.8.de vſu p.

Retentio. Cõcoctio.

Quomodo Ariſtoteles dicat, cor a cerebro refrigerari.

Nec hoc Ariſtoteles ignorauit:nam c.7.l.2.de par.animal.inquit,cerebrum genitum eſſe ad ſalutem naturæ,id eſt,gratia vitæ:cum enim cordis calor ſit igneus,ad hunc moderandum,natura cerebrũ frigidũ eſt molita,operatio enim potius ſit a mediocri calore,cum perfectio in mediocritate conſiſtat.Sic c.16.l.1. de hiſt.anim.ait,cerebrum datum eſſe omnibus animalibus ſanguineis,quæ calida ſunt,& ſpiritũ gignunt feruidum, qui eget cerebro refrigerante,id eſt,conuertente ſpiritum vitalẽ in animalem.Item, c.4.l.2.de gen.anim.inquit,naturam ob cordis calorem ſupra conſtituiſſe frigidum & humidum cerebrum:innuẽs, ſpiritum vitalem ſurſum ferri ad caput,ibique refrigerari,& in ſpiritum animalem verti,ſine quo vita cõſiſtere nequit;quamuis ſpiritus animalis non ſolum ad vitam,ſed etiam ad meliorem vitam conferat,c.2. D l.2.de partibus.Ex his facile conſtat,ſententiam Ariſtotelis fuiſſe,generationem ſpiritus animalis ſpectare ad cerebrum, gratia vitæ.

Contra Galeni,non Ariſtotelis confutationem.

Verum redarguendi conſuetudo etiam Galeni tempore viguit,homineſq; finxere aliud,quam auctores propoſuerant:nam Galenus c.2.l.8.de vſ.p.contra Ariſtotelem inſurgit, quaſi ſtatuerit, cerebrum refrigerare cor remotiſſimum.At tam imprudens Ariſtoteles non fuit;ſciuit enim omnem actionem fieri per contactum;cerebrum autem cum non tangat cor,non poteſt id refrigerare.Hoc igitur voluit philoſophus,cerebrum frigiditate ſua,in cordis calorem igneum agere,dum verum ſpiritum vitalem,non quidem in corde exſiſtentem,ſed iam deductum in cerebrum,ita moderatur & attemperat,vt eum in animalem conuertat,actione per contactũ.Maxime ergo Galenus aduerſus Ariſtotelem nugatur,dum magnũ dicit eſſe interſtitium inter cor & cerebrum:rationeſque a Galeno allatas prorſus nihil valent.Hactenus E ergo ex Ariſtotele & Galeno patet,generationem ſpiritus animalis,eſſe præcipuam cerebri actionem.

CAP. XXIII. *De applicatione methodi anatomicæ ad cerebrum.*

Applicatio methodi,ad cerebrum.

DEinceps methodum anatomicam cerebro applicabimus.Hoc autem fieri non poteſt,niſi cõſtet,quę ſit operatio cerebri;quæ,vt iam demonſtrauimus,cauſſa melioris vitæ eſt ratiocinatio;cauſſa vitæ, eſt generatio ſpiritus animalis. Quamobrem explicandum reſtat,quomodo cerebrum,& ſecundum totum, & ſecundum partes,ad has functiones obeundum concurrat.Partes ſunt,caro,membranæ,glandulæ, venæ, arteriæ, (nerui proprie non ſunt partes cerebri, vt eæ quæ iam propoſitæ ſunt:ſed ſaltem ſecundum Auicennam virgulta ſunt a cerebro prodeuntia.

1. Caro,pręcipua pars cerebri.

Quantum ergo ad carnem attinet,hæc præcipua eſt pars cerebri,(ſupra diximus,inueſtigata inſtrumenti actione,proximum eſſe vt quæratur,quænam pars ſit præcipua) & præcipua cauſſa operationis,id F eſt,tum ratiocinationis,tum generationis ſpiritus animalis:nam ea pars dicitur præcipua,cui ſimilis in toto corpore nulla reperitur.Hinc Galenus c.3.l.7.de plac.ait,cerebrum eſſe animæ ſedem & organum,non ſecundum ventriculos,ſed ſecundum corpus ſeu carnem.Et c.4.l.9.de vſ.p.ait,ratiocinatricem habitare in cerebro,non in cauitatibus;inque cerebri corpore ſeu carne,ſpiritum animalem plurimum cõtineri, qui qualitatis ꝓprietate agat,q̃ proprietatẽ ꝑ concoctionẽ ſit adeptus.E quibus verbis 4.colliguntur. Primũ, cerebri carnem eſſe cõmunis domiciliũ & organum,quia cerebrum eſt id ꝙ ratiocinatur,ac diſcurrit. Se-
» cundo,ſpiritum animalẽ in carne contentum,eſſe inſtrumentum ratiocinatricis;in ventriculis autẽ cere-
» bri contentum,eſſe organum ſenſus & motus.Tertio,ſpiritum eſſe organum,per propriam qualitatem & temperiem.Quarto,ſpiritum concoqui & generari a carne,dum e vitali in animalem mutatur.

Craſis.

Quoniam igitur caro eſt præcipua pars cerebri,iam oportet videre,per quid concurrat:nimirum per G craſin,per id ꝙ conſequitur,& per id ꝙ accidit.Quoad tẽperiem,Galenus ait,c.13.l.8.de vſ.p.intellectionẽ non ſequi cerebri cõpoſitionem,ſed bonã carnis cerebri tẽperiem:nã ꝑcipua functio,fit a temperie,tanq̃ ab organo principali,nõ vt ab agente principali,quod eſt anima:eſt autem cerebrum intellectionis organum,vt quod,nam cerebrum eſt,ꝙ intelligit. Præter hanc autem Galeni auctoritatẽ, ratio addi poteſt,e c.6.l.8.de vſ.p.vbi dicitur,cognitionẽ non fieri,niſi organa alterentur:animal enim nõ ſentit, niſi alteratio

fiat

fiat a cerebro in ſenſum externum,& a ſenſu in cerebrum; verbi gratia,nihil aſſequimur ex alteratione cryſtallini,niſi princeps animæ facultas, ſenſus externi alteratione̅ ſentiat: quia ergo opus eſt alteratione ſequitur temperiem eſſe neceſſariam. Porro cum craſis carnis cerebri ſit frigida & humida: cerebrum per frigiditatem ſpiritum vitalem attemperat,inſuper cauſſa eſt,ne cerebrũ ita facile inflammetur,ex aſſiduo motu,e motibus neruorum & ſpirituum,e paſſionibus ſenſuum. Humiditatis autem beneficio, cerebrum non ſiccatur,licet aſſiduo moueatur, præterea per humiditatem bonã figuram aſſequitur, vt ait Auicennas,nam humidum facile figuram admittit. Sic ergo cerebri caro confert per temperiem.

B Conſequens craſin eſt mollities,propter q̃ cerebrũ facile mutatur,facile ſuſcipit,&alteratur:coniũcta autem eſt aliqua viſciditas,vt nerui e cerebro prodeuntes firmi eſſent,ac ſtabiles, c.6.l.8.de vſ.pa. Mollities.

Tandem id quod accidit,vel communiter accidit carni cerebri & cerebelli: vel priuatim vnicuiq; Communiter ergo concurrit cerebrum &cerebellum,per ſpiras & circumuolutiones,quæ viæ ſunt ſpiritus animalis,c.3.l.8.devſ.p.Columbus alium vſum addit:ait n.ſpiras a natura cõformatas eſſe,vt cerebrum eſſet leuius,& facilius moueretur: Quod veriſimile quidem eſſet, ſi motus cerebri eſſet voluntarius,at eſt naturalis. Veſalius inquit, per ſpiras ſuſtineri cerebrum, ne ob mollitiem concidat. Præterea idem ait, beneficio ſpirarum nutriri tenuem meningem,quæ vaſa ſeu venas habet frequentes,per quas alimentum diſtribuit̃. At hic vſus non omnino admittit̃,quia ſanguis facile,etiam ſine ſpiris permeare põt, per raram cerebri ſubſtantiam. Ego alium vſum addo, cerebrum per ſpiras ſeparari, vt ſanguis non ita facile fluat, ac elabatur, ſed potius detineatur, magiſque concoquatur,ac in ſemen, ſeu alimentum cerebri mutetur;
C cerebrum enim vt membrum ſpermaticum,ſemine nutritur: Hinc frequentiores ſpiræ in cerebro ſunt, quam in cerebello: quia enim cerebellum craſſius eſt & durius,nutrit̃ e ſanguine magis elaborato, quem diutius detineri neceſſe eſt, per plures ſpiras. Spiræ gyri.

Priuatim autem in cerebro oportet perpendere,calloſum corpus,ſeptum,fornicem, teſtes,& nates, quæ omnia nihil aliud ſunt q̃ caro cerebri.Corpus calloſum,vtile eſt per id,quod conſequitur, nimirum per duritiem,qua cerebrum ſuſtinet,ne concidat: hinc,ſi corpus hoc reddatur mollius,cerebrum collabitur,& actiones eius confunduntur:vnde in vitiis cerebri non ſemper ad vapores confugiendum, vt vulgares medici faciunt.Præterea hoc corpus calloſum concurrit per ſitum, quatenus dextram cerebri partem connectit cum ſiniſtra. Denique hoc corpus per ſitum ſuum cõcurrit,quatenus per medium ſeptum attollit fornicem,ne ventriculi comprimantur;& propterea maxime confert ad cuſtodiam: vnde ſi acci-
D dat,hoc corpus non recte eſſe collocatum,i.non proximum eſſe ſepto,vt per medium ſeptum non attollat fornicem; comprimuntur ventriculi,maleq; habet cerebrum.Septum concurrit per ſitum:dum diuidit ſiniſtrum ventriculum a dextro: præterea per eundem ſitum,dum attollitur a corpore calloſo vicino, attollit fornicem. Fornix per ſitum infra calloſum corpus, inſtar fornium ædificiorum, incumbens cerebrum ſuſtinet,e.ideoq;, ſi figuram ſuam non ſeruet,facile cerebrum collabitur,maleq; ſuas obit fũctiones,c.11.l.8.de vſ.p.Teſtes ſeu nates,per duritiem & ſitum, ita cuſtodiunt meatum, qui eſt e tertio ventriculo in quartum,ne claudatur. Corpus calloſum. Septum. Fornix. Teſtes.

Priuatim in cerebello conſiderantur,tum ipſum cerebellum totum, tum proceſſus vermiformes, in quos deſinit. Cerebellum totum, vt Auicennas monet, per craſin ſuam ſpiritum animalem perficit: hinc ratione generationis ſpiritus animalis,i.gratia vitæ caro cerebelli eſt præſtantiſſima, licet gratia me-
E lioris vitæ non ſit præſtantiſſima: præterea cerebellum ſecundum ſuum ſitum, ſedemque orbicularem, maxime confert gratia ſpinalis medullæ c.vlt.l.8.de vſ.p. Proceſſus vermiformes cerebelli, per duritiem concurrunt ad tutelam: per ſitum vero concurrunt ad tranſmiſſionem ſpiritus animalis, quatenus e medio ventriculo tranſmittitur in poſteriorem. Hæc de carne cerebri. Cerebellũ. proceſſus vermi formes.

Membranæ tutelam præſtãt:harum duæ ſunt. Tenuis tribus modis conſideratur,primum, vt membrana:ſecundo degenerat in ligamenta: tertio,vt degenerat in infundibulum. Si primo modo ſumat̃, cõcurrit per duritiem,vt inſtar cutis tegat cerebrum: & præterea,vt inſtar meſenterii,colligat vaſa,c.8.l.8. de vſ.p.cap.3 l.7. de plac.& hic præcipuus eſt vſus. Secundo quatenus hæc membrana degenerat in ligamenta,ligat proceſſus vermiformes cum natibus,ne in aſſiduo motu meatus clauderetur,c.vlt.l.8.devſ.p. Tertio,quatenus tenuis membrana in infundibulum degenerat,conducit ad tutelam, prout ſc. in cauſſa eſt,
F vt craſſum & pituitoſum cerebri excrementum expurgetur,c.7.l.9.de vſ. p. 2. Membranarum cerebri vſus. Tenuis.

Dura meninx eſt tegumentum cerebri,& per duritiem & per craſſitiem ſuam eſt propugnaculum, ne a cranio lædatur,vel tenuis meninx,vel ipſa cerebri ſubſtantia,c.9.l.8 de vſ.p. Hinc craſſior facta eſt,vbi opus eſt maiori tutela,vt circa plexum retiformem,vbi ſubſtrata eſt cerebro copioſiori: ſic enim præcauet,ne arteriæ,plexusue retiformis comprimantur,c.16.l.9.devſ.p. Eſt ẽt craſſior iuxta cerebellum,ad maiorem cuſtodiã:quia cerebellum eſt pars principaliſſima. Conducit quoq; per ſitum:primum n. quatenus duplicata eſt,facile venas recipit,c.6.l.8.de vſ.p.c.5.l.9.de vſ.p.deinde per ſitum ſeiungit cerebrũ a cerebello,contractus n.mollis duriq; corporis ſine medio non eſt tutus: vnde hæc membrana cerebrum & cerebellum complectitur;& correſpondet pleuræ in medio ventre,peritonæo,in inferiori,cap.3.lib.7.de plac. Suſtinet etiam plexum,ne ita compatiatur ab oſſibus,c.16.l.9.de vſ.p. Deniq; per ſitum vtilis eſt, vt ptin-
G git ad ſuturas,c.7.l.9.de vſ.p.portio n.ad ſagittale̅ pertinens, prohibet ne meatus vermiformis a cerebro grauetur: portio ſpectans lambdoeidem, ſurſum trahit corpus, ne ventriculus poſterior concidat: tandem portio coronalem ſpectans ſuturam,attollit medium ventriculum,ne a cerebro comprimatur. Per cõnexum cũ cranio dura membrana in cauſſa ẽ,ne cerebrũ collabat̃,dũ in ſuo motu deorſum fertur, cap. 16.l.9. meth. Duræ vſus

Quoad glandulas: Conarium intra cerebrum ſitum ad cuſtodiam, non ad actionem eſt genitum: ſtabilit n.vaſa,ac replet diuiſiones venarum,c.vlt.l.8.de vſ.p.Choanea.q̃ intra cranium quidem eſt,ſed ex. Glandularum vſus.

tra cerebrum,ſub hoc tñ poſita, & ipſa ad cuſtodiam facta eſt: recipit n. excrementum craſſum & pitui- A
toſum,non repente,ſed ſenſim defluens c.5.l.9.de vſ.p. Veſalius ait,glandulam hanc trahere excrementũ,
propter familiaritatem,quam cum eo habet. At hoc falſiſſimum eſt:non enim glandula attrahit,ſed ſuſci-
pit. Durities eius facit, vt perferre & ſuſtinere queat excrementum illud pituitoſum. Iuuat etiam hæc
glandula,ne os ita lædatur ab hoc excremento: dum n.glandula repleta eſt,effluit hoc excrementum per
latera,ſc.per foramina exſiſtentia in baſi caluariæ.Hic priuatus huius glandulæ vſus eſt: præter quem etiã
communem glandularum vſum obtinet,dum diuiſionem arteriarum ſoporalium cuſtodit.

4 Venarum vſus. Venæ conferunt ad mutationem:& ſunt etiam in cauſſa,vt fiat coniunctio partium cerebri cum du-
ra meninge,c.6.l.9.de vſ.p. Quomodo autem concurrãt venæ per duritiem,per conformationem,patet e
doctrina de venis.

5. Arterias vſus. Arteriæ cerebri,præter cõmunem vſum,quẽm aliis præſtant partibus,id peculiare hic habent, quod B
formant plexum retiformem,c.10.l.16.de vſ.p. ſecundum quam rationem conducunt ad nutritionem.aut
ſi proprie loqui licet,ad generationem ſpiritus animalis: hic n.alitur,partim ex inſpiratione, partim ex eo
quod ſuppeditat plexus retiformis,quod nihil eſt aliud,q̃ ſpiritus vitalis,& ſanguis tenuis, ac ſpirituoſus,
c.5.l.12.meth. Hinc plexus ille continet ſanguinem purum & tenuem,c.17.l.6.de vſ.p. pro generatione ſpi-
ritus animalis,c.4.l.9.de vſ.p. Hac de cauſſa propter tutelam plexus hic (qui eſt quaſi cauernula) abdu-
ctus eſt craſſa mẽbrana. Sic omnia conſpirant in generationem ſpiritus animalis. Hæc de partib. cerebri.

Totius cerebri vtilitas. Totũ cerebrũ cõcurrit ad ratiocinationẽ,& generationem ſpiritus animalis,per compoſitionem &
operationem. Nihil dico de craſi,nihil de eo quod craſin ſequitur: nã hæc pertinent ad partes ſimilares.

Compoſitio. Per compoſitionem, id eſt, p id ꝙ accidit cerebrum conducit ad intellectionem: nam c.7.l.3.de loc.
aff. ait Gal. ſi accurate conſiderentur,quæ per diſſectionem apparent,nos cognoſcere cerebrum ratioci- C
nari & memorare. In partibus diſſectis (de quib. heic loquitur Galenus) non videmus craſin,ſed compo-
ſitionem: hæc ergo reſpicit meliorem vitam. Compoſitio autem hæc conſideratur dupliciter: primum
ratione partium compoſitionis,quales ſunt,ſuperficies,figura,meatus,cauitas, magnitudo, numerus, ſi-
tus: deinde ratione totius compoſitionis,quæ ex his omnib. reſultat.

Superficies. Per ſuperficiem læuem, vt ait Auicennas,concurrit cerebrum; vt facilius recipiat,vnde melior fit a-
cto: nam vbi melior receptio, etiam melior actio.

Figura. Per figuram circularem,ſeu ſphæricam (quæ capaciſſima) cerebrum redditur capax aeris, ſpiritus
vitalis,ſanguinis,vt copioſus ex his generetur ſpiritus animalis. Præterea per hanc figuram concurrit ad
Ventriculi. tutelam: hæc enim figura,minimum iniuriis eſt obnoxia.

Per cauitates,ſeu ventriculos,cerebrum perficit materiam ſpiritus animalis,eamque exacte in ſpiri- D
tum animalem mutat,c.8.l,7.de vſ. p. Concurrunt autem ventriculi ad ſpiritus animalis generationem,
per figuram,numerum,magnitudinem,& ſitum. Figura orbicularis eſt,maxime circa mediam regionem:
hæc enim figura & difficulter patitur,& eſt capaciſſima,c.11.l.8.de vſ.par. Numerus ventriculorum is eſt, vt
perfectiſſime ſpiritus animalis elaborari queat: quod enim non fit in vno,id fit in reliquis. Per magnitu-
dinem,concurrunt ventriculi ad retentionem copioſæ materiæ c.12 l.8.de vſ.p. Quoad ſitum, cerebrum
alio modo concurrit per anteriorem,alio per poſteriorem,alio per medium. In anteriori enim parte duo
ſunt ventriculi,per quos fit inſpiratio & exſpiratio: præparatio & confectio ſpiritus animalis, ſecundum
Auicen.& Galen.c.10.l.8.de vſ.p. incipit in his ſpiritus concoqui,ſed non e toto concoquitur. Gal. alium
addit vſum,ſecundum partes ad nares pertinentes,inquit enim eſſe organa excrementorum, & ſenſori-
um olfactus,c.10.l.8.de vſ.p.c.4 l.1.de ſymp.cauſ. Duo enim ſunt hi ventriculi ad tutelam,vt vno vulnera- E
to,alter munia obire queat neceſſaria. Hinc apertiſſimum,Galenum male refutatum eſſe a Veſalio. Me-
dius ventriculus vtilis eſt,primum,quia (c.11.l.8.de vſ.p.) coniungit interiores ventriculos cum poſterio-
ri, vt per eum, ceu magnum meatum,ſpiritus animalis,ex anteriorib. ventriculis in poſteriorem tranſſu-
mi poſſit: præterea in hoc ventriculo concoctio ſpiritus animalis magis perficitur,ſecundum Auicẽnam.
Poſtremus ventriculus,ſpiritum in anterioribus confectum ſuſcipit,c.11.l.8.de vſ.p. nam ſub capite nerui
hinc diffunduntur,& hinc ſpinalis medulla,vt opus ſit copioſo ſpiritu. Hinc c.13.l.8.de vſ.p. Galenus ait,in
poſteriori ventriculo contineri ſpiritum copioſiorem,& propter ſe,& propter motum voluntarium; re-
ſpiciens ad functiones principes & non principes. Auicennas ait ſpiritum animalem, vltimam perfectio-
nem in hoc ventriculo acquirere. Sufficit autem vnicum eſſe hunc ventriculum; nam & ſatis magnus eſt,
& præterea reſpicit ſpinalem medullam,quæ etiam vnica eſt; quin & magis vnitus,melius radios ſuos mit-
tit,c.10.l.8.de vſ.p. F

Quinam ventriculus ſit præſtantior. Quæritur autem quinam ventriculus ſit præſtantior? Galen.c.11.l.8.de vſ.p. ait, quoſdam ſtatuiſſe
medium eſſe principaliorẽ,quoſdam poſtremum: additque, ſe dubium hoc diſſoluiſſe,in l. de plac. Quæ-
ſtio ergo eſt non de omnib, ventriculis,ſed de medio & poſtremo,vter ſit præſtantior? Proinde cum Ga-
len. ait,c.7.l,3.de loc.aff. in apoplexia impleri ventriculos principales,neceſſarium eſt, vt intelligatur me-
dius & poſtremus. Determinans autem hanc difficultatem Galen.ca. 3. lib. 7. de plac. ait: primum locum
ſcil. ratione dignitatis,obtinere poſtremum ventriculum,ſecundum medium,tertium anteriores; maxi-
me enim cerebrum lęditur,vulnerato poſtremo ventriculo: præterea in poſtremo ventriculo continetur
materia magis ſpiritalis & perfecta,c 12.l.8.de vſ.p. Quin & c.7.l.3.de loc.aff. ait,primum cerebri inſtrumẽ-
tum in ſenſu,& motu ſpontaneo,eſſe ſpiritum animalem ventriculi poſterioris,quanquam non contem- G
nẽdus ſit medius,anteriores autem his cedere. Sic ergo Galen. decernit,reſpiciens ad cerebrum gratia vi-
tæ: At Auicennas,reſpiciens ad cerebrum gratia melioris vitæ,ait ventriculum medium,ſeu carnem, quæ
ad medium ventriculum pertinet,eſſe præſtantiorem,hic enim locus eſt ratiocinationis, vt prior ventri-
culus apprehenſionis,poſterior diſcurſus: ſicut ergo ratiocinatio ceteris præſtantior,ita & eius locus.

Hinc obiter colligendum, Principes facultates in cerebro ſedes obtinere diſtinctas: licet n. vniuer- Tres prin-
ſum cerebrum totum ſit vnum; quia tamen & principes iſtæ facultates, & propriæ earum functiones tres cipes facul-
ſunt, propriaque functio ad vnicam tantum partem pertinet, non ad plures; neceſſario ſtatuendum, to- tates ſedib.
tum cerebrum per carnem ventriculorum anteriorum imaginari; per carnem poſtremi ventriculi me- diſtinguũ-
morari, per medii carnem diſcurrere, ratiocinari. Hæc de cerebri ventriculis. tur.

Meatus concurrunt ad tutelam, id eſt, ad excernenda excrementa cerebri. c. 3. l. 9. de vſu partium. Meatus.

Quoad numerum, cerebrum eſt vnicum, diuiſum tamen in anterius & poſterius. Numerus.

Sufficere autem poteſt vnicum cerebrum, quia ſatis magnum & amplum eſt, vt, ceteris parib. in ho- Magnitu-
mine maius ſit, quam in brutis, propter generationem ſpiritus animalis, & potiſſimum propter principes do.
functiones.

B Quoad ſitum: Cerebrum intra cranium eſt collocatum, propter tutelam. Præterea, qui in loco ſu- Situs.
periori ſitum, in cauſſa eſt, vt oculi melius inſeruiant cerebro: quamuis autem cerebrum ſurſum ſit loca-
tum propter oculos, perfectius tamen eſt oculis, quia hi cerebro famulantur. Tum vero propter cerebrũ,
etiam caput ſurſum eſt, cap. 9. libr. 1. de hiſt. an. Hinc cerebrum dicitur inſtrumentum principaliſſimum
quia ſitu reſpondet parti ſublimi ipſius vniuerſi: & hoc intelligitur cauſſa melioris vitæ: nam cauſſa vitæ,
paſſim Ariſtot. ait, cor obtinere principatum. Addit etiam Ariſtoteles loc. cit. locatum eſſe cerebrum in
loco oſſeo quidem, ſed raro & ſuturis donato, non denſo, idque ad maiorem tutelam, vt tranſpirare excre-
menta poſſent. Hinc problem. 47. ſect. 10. ait Ariſtoteles, raros dentes, vitam indicare breuiorem, quia ſi-
gnificent cranii denſitatem, & proinde tranſpirationis difficultatem, vnde corruptiones in cerebro con-
C tingant. Inſuper c: 7. l. 2. de part. an. inquit Ariſt. cerebrum marium eſſe maius, quam feminarum, ideoque
tranſpiratione egere maiori, vnde & cranium maris pluribus refertum ſuturis. Situm cerebrum eſt, in do-
micilio nõ admodum carnoſo, ne nimis excalfieret, cum ad generationem ſpiritus animalis, & ad obeun-
dum functiones principes, non oporteat cerebrum eſſe calidum. c. 10. l. 2. de part. Domicilium etiã cerebri
piloſum eſt, vt a frigore & calore defendatur. ca. 14. li. 2. de partib. Situm eſt cerebrum, a pectore ſeparatum
per ceruicem ne pars nobiliſſima inficiatur a partibus infernis. Plato in Timæo.

Tandem cerebrum per totam ſuam & determinatam compoſitionẽ, quæ e partibus propoſitis reſul- Tota cere-
tat, concurrit ad perfectiſſimam generationem ſpiritus animalis, & perfectam intellectionem. Quare ſi vi- bri compo-
tietur compoſitio, certe & in operationibus noxa continget. Hactenus dictum, quomodo totum cere- ſitio.
brum concurrat per compoſitionẽ: iam dicendum, quodãmodo totũ cerebrum concurrat per operatio- Quomodo
nem. Cerebrum enim per motum, id eſt, operationem non præcipuam, reſpicit actionem præcipuam, ni- cerebrum
D mirum generationem ſpiritus animalis: hic enim generari non poſſet, niſi totum cerebrum aſſiduo ſuo concurrat
motu concurreret, id eſt, & attractione & expulſione. Hæc ergo gratia vitæ intelligenda: Gratia melioris per opera-
vitæ, concurrit cerebrum ad ratiocinationem, per generationem ſpiritus animalis Licet. n. hęc generatio, tionem.
ratione vitæ ſit actio præcipua, ratione tamen melioris vitæ ratiocinatio magis eſt præſtans, vnde in hanc
ceu præcipuam, generatio ſpiritus animalis refertur. Et hæc de Cerebro.

Caput XXIV.

De Oculis.

HVcuſque de Cerebro, ſenſoriorum ſenſorio: ſequitur de ipſis ſenſoriis, viſus, auditus, odoratus, gu- Tranſitio.
ſtatus, tactus. Primum ergo dicendum de viſu, ſenſu & magis euidente, & digniore, cuius inſtrumen-
E tum Ocvlvs.

Accipimus autem oculum vna cum palpebris. & ſic definimus: Oculus eſt *inſtrumentum, genitum ex* Oculi defi-
humoribus, tunicis, cartilagine, adipe, corporibus glanduloſis, carunculis, organis communibus, muſculis & pal- nitio.
pebris, a vi propria generatrice, gratia viſionis. Dicitur inſtrumentum, ad differentiam partis ſimilaris. ca. 6.
lib. 1. meth. Materiam e qua, explicabimus in cauſſa efficiente. Cauſſa efficiens, eſt propria generatrix, de
qua videndum, quomodo ſe geſſerit in partium oculi generatione.

Primum autem occurrunt humores oculi, qui tres ſunt, Cryſtallinus, Vitreus, Albugineus. De cry- 1. Humores.
ſtallino ait, Ariſtot. c. 4. l. 2. de gen. animal. eum generari e puriſſimo cerebri humore, non quidem e ſub- Cryſtalli-
ſtantia cerebri, ſed e materia quæ in cerebro perficitur ac generatur: propterea, ſicuti cerebrum eſt frigidũ nus.
& humidum, ita etiam hæc portio frigida & humida eſt, & aquea: vnde ob difficilẽ materiæ coctionem, Craſis.
F tarde perficiuntur oculi. Si hic humor ſit copioſus, ait Ariſt. oculi fiunt nigri, ſi exiguus, cæſii. ca. 10. li. 1. de
hiſt. an. c. 1. l. 1. de gen. animal. Hinc Ariſtoteles ſtatuit viſus inſtrumentum eſſe aqueum: reſpicit enim par- Viſus in-
tem illam ſimilarem quæ oculis conſpicitur, nimirum humorem cryſtallinum, qui frigidus, humidus, & ſtrumẽtum
aqueus eſt. At Galenus cum Platone, c. 6. l. 7. de Plac. ait, viſus organum eſſe igneum, ſeu, continere ignẽ, num aque-
reſpiciens calidum innatum viſus, quo ceu organo cryſtallini corpus vtitur: hoc calidum eſt igneum, lu- um an i-
minoſum, ſplendidum, quia permiſtum habet ſpiritum animalem æthereum & luminoſum, non autem gneum.
habet ignem comburentem. Ad hoc organum Philoſophus etiã reſpiciens, problem. vlt. ſect. 3. ait: viſum Durities.
fieri ex igne. Porro cryſtallini frigiditas & humiditas, non eſt admodum inſignis: neceſſario tamen humi-
ditas adiungitur, vt facile fieri poſſit alteratio. Hinc Galenus, cognoſcens non multam eſſe illam humidi-
tatem, ait: cryſtallinum duritie imitari glaciem, vnde & humor glacialis vocatur. cap. 5. l. 7. de Plac. vocat et- Albedo.
G iam mediocriter durum & album, c. 1. l. 10. de vſ. p. & inquit, eum eſſe purum, ac perſpicuum. ca. 6. l. 8. de vſ. Perſpicui-
part. Hæc de cryſtallini temperie, & de iis quæ temperiem ſequuntur. Dicendum nunc de iis, quæ a for- tas.
matrice tribuuntur. Figura ergo cryſtallini eſt orbicularis, c. 5. l. 7. de Plac. depreſſa tamen ſecundum par- Figura.
tem anteriorem, qua reſpicit humorem albugineum: tota figura lenti ſimilis. ca. 6. li. 10. de vſ. p. Situs eſt
& in medio vitrei albuginei. Hæc de cryſtallino. Situs.

Vitreus.

Vitreus aliqua e parte eſt humidus,ſed non ad modum craſſus,nam fluxilis eſt:purus tamen,perſpicuus,& ſatis copioſus.c.1.l.10. de vſ.p.c.5.l.7. de Plac. Figuram habet rotundam. Contingit retiformem. In anteriori parte ſatis eſt planus,in medio nonnihil concauus. Poſitus poſt cryſtallinum. A

Albugineus.

Albugineus eſt ſatis tenuis,ſincerus,cryſtallino circumfuſus,fluidus.c,4.lib.10. de vſ.p.Situs eſt inter cryſtallinum, & rhagoeidem, c.2.l.1. de ſymp.cauſſ. Hic humor, vna cum ſpiritu animali, opplet omnem locum pupillæ.

Pupilla.

Eſt autem pupilla diuerſum quid a cryſtallino, & a foramine rhagoeidis: nam c.18.l.3. de hiſtor.an. Philoſophus ait, omnibus animalibus quæ duros habent oculos, pupillam ſæuo conſtare, at cryſtallinus non eſt ſæuoſus,alias non frigidus,ſed calidus eſſet.Præterea Ariſt.lib.4.de hiſt.an.pupillam vocat id totũ, quod continet cryſtallinum & albugineum: vnde ca.1.li.5.de gen.animal.cryſtallinus vocatur humor pupillæ. Quoniam enim pupilla eſt ſedes cryſtallini,id eſt, partis oculi principalis; factum eſt, vt interdum B Ariſtot.dixerit,non pupillam videre,ſed totum oculum, per pupillam intelligens contentum præcipuũ, quod eſt cryſtallinus. Qui locus nonnullos decepit. Foramen etiam rhagoeidis,non e pupilla.cap.2.li.1.de ſym.cauſſ. Pupilla ergo eſt locus continens foramen,minimus videtur oculi circulus. Septem enim ſunt circuli ad oculum pertinentes,e quibus conſtituitur iris, cap.2.li.10. de vſ.p. Primus circulus conſtituitur a retiformi,vt propagines mittit ad medium cryſtallini,quibus cryſtallinus in anteriorem & poſteriorem partem diuiditur,hic circulus eſt in cryſtallino maior,reliquorum autem circulorum eſt minimus.Secundus circulus fit a retiformi ſuperius,vt eſt ligamentum vitrei & cryſtallini. Tertius prodit etiam a tunica retiformi. Quartus a chorio. Quinctus a dura meninge,quæ in oculum producitur. Sextus fit ab aponeuroſi muſculorum, id eſt, a propaginibus tendinum muſculorum oculi.Septimus fit a pericranio.

Solus humor cryſtallinus viuit.

Ex humoribus autem ſolus cryſtallinus viuit. Vnde etiam Galenus cap.2.li.1.de ſym.cauſſ.proponit C tantum morbos occupantes cryſtallinum; quia ceteri humores, & ſpiritus, vt non viuunt,ita etiam morbo affici non poſſunt. Albugineus eſt fluidus,& deperditus reparari poteſt.Ergo non viuit. Vitreus etiam nõ ſeruat figuram ſuam,vt cryſtallinus præterea eſt alimentũ cryſtallini, & non viuit. Quædam partes vitrei (vt Auicennas ait) vertuntur in ſubſtantiam cryſtallini,quædam vero ſunt excrementitiæ, vtiles tamen,vt infra demonſtrabimus. Addit Auicen. vitreũ eſſe ſuperfluitatem cryſtallini;vnde ſequitur quod non viuat. Obiici autem poſſet,e c.10.li.1.de vſ.p.vitreum nutriri per anadoſin,id eſt, per tranſſumtionẽ, addit etiam Galenus,vitreum nutriri a corpore ambiente,quod corpus conflatum eſt e cerebri portione deſcendente & dilatata. Vitreus ergo videtur viuere. Reſponſio.Hæc non eſt vera nutritio,ſed potius regeneratio vitrei, non autem fit hæc regeneratio e ſubſtantia ipſius cerebri, ſed vna cum portione ac ſubſtantia cerebri,deſcendit tenuis membrana,per cuius vaſa defertur ſanguis,id eſt alimentũ,e quo generatur vitreus, ac nutritur cryſtallinus, quatenus videlicet,alterum hoc, in cerebro iam confectum,per anadoſin diſtribuitur. Sic etiam Hippoc. ait in lib. de loc. in hom. tenues venas e cerebro ferri ad oculos, per ambientem membranam. Hoc Ariſto.quoque inſinuauit,dicens generari oculos e portione cerebri puriſſima,vt ſupra diximus. Quamuis ergo omnes humores nutriantur,ſolus tamen cryſtallinus vere nutritur, & viuit. Hæc igitur de humoribus oculi ſufficiant. D

Quando Vitreus nutriatur.

2. Tunicæ.

Tunicæ oculorum quatuor ſunt, tres,ratiõne ſubſtantiæ,& ratione vſus,nimirum annata,cornea, vuea,vna ſolum ratione vſus,nimirum retiformis. Annata quidem fit e pericranio,dum in oculos deſcendit,ac in membranam degenerat,reliquę fiunt e neruo optico,cornea quidem e parte ipſius externa,vuea e media, retiformis ex intima.

Annata.

Annata,ſeu coniunctiua,dicitur etiam prima oculi tunica, c.2.l.1.de ſym.cauſſ.eſt alba,c.10.li.1.prognoſt. Auicennas addit, eam eſſe pinguem, at reuera pinguis non eſt ea parte, qua ad oculum pertinet, ſed tantum id dici poteſt,quatenus pericranium degenerat in membranam palpebrarum. Oritur a pericranio, cap.2.libr.4.κ.Τόπ. Annata autem eſt hæc membrana corneæ,c.vlt.li.de diff.morb.Progreſſus eius talis eſt, vbi pericranium abducitur a labiis ſuperciliorum, in longitudinem etiam extenditur,vt palpebra,& annectitur ſubiectis muſculis oculi,& perducitur ad iridem oculi,tandemq; in corneam inſeritur. E

Cornea.

Corneam Ariſtoteles vocat cutim oculi (non enim intelligit annatam)dicitque eſſe albam,læuem, tenuem, non rugoſam:l.3.de gẽn.an. Galenus ait, eam eſſe albam,duram,ſplendidam,tenuem,ca.3.li.10. de vſ.p. Licet autem tenuis ſit,eſt tamen multiplex,non ſimplex, quod Galenus cognouit, nam c.vlt.l.de diff. morb.ait corneam poſſe corripi vlcere profundo, at quomodo vlcus profundum eſſe poteſt, ſi cornea ſit tenuis & ſimplex. Non ergo hoc Galenus ignorauit,vt quidam autumant. Auicennas quadruplicatam,id eſt,e quatuor tunicis compoſitam eſſe corneam ait. Quamuis autem eſt multiplex,vnica tamen eius eſt origo,nimirum ex opticorum externa ſubſtantia, c.2.l.10.de vſ.p. Totum ambit oculum,ad differentiam annatæ:poſterior autem eius portio,propter duritiem,vocatur Sclerotica. Pars eius ad pupillam pertinens foras, a cryſtallino obducitur,c.4.l.10.de vſ.p. F

Vuea.

Vuea dicitur etiam rhagois,cærulea,& chorois,a copia vaſorum:ſecundum Galenum,c.2.4.& 6.l.2. de vſ.p.vaſis eſt referta. Verſus cryſtallinum aliquantiſper humida & mollis eſt,ſecundum exteriorem partem minus mollis. Variis eſt donata coloribus,ſcilicet nigro,fuſco, cœruleo. Ad pupillæ regionem obtinet foramen. Oritur a media optici ſubſtantia, id eſt, a tenui membrana: ſub cornea dilatatur,& ad anteriora porrigitur. Non autem ambit totum oculum, vt cornea: vnde quartus oculi circulus producitur. Præterea ad regionem pupillæ aliquo interuallo abſcedit, & diſtat a cornea. G

Retiformis.

Retiformis, non habet ſubſtantiam veræ tunicæ: eſt enim propria,medullaris, & intima ſubſtantia & expanſa. Producitur ergo a neruo optico: qui primum a vitreo ſuſcipitur & amplificatur, vitreumque amplectitur; deinde inſeritur in maximum cryſtallini circulum. Hæc ergo ea eſt cryſtallini tunica, de qua Galenus ait,cap.6.lib.10.de vſu partium cryſtallinũ obtinere tuniculam propriam, albam, ſplendentem:

& hæc

A & hæc ſplendida potiſſ. eſt ſecundum partem anteriorem. Tegitur quidem ab hac membranula cryſtallinus, ſecundum partem anteriorem & poſteriorem: at ab anteriore ſolum parte eſt tranſparens, ſpeculique habet rationem: Et hac ratione videtur Gal. ſtatuere, hanc tunicam ſaltem eſſe in parte anteriore: quia ad viſionem edendam ſufficit: vt ſplendor ſit non poſt, ſed ante cryſtallinum. Diminutus ergo heic fuit Galenus: quod pace eius dixerim.

3. Cartilago.

Præter alias vero partes, oculus conſtat e cartilagine. Loquimur autem de cartilagine, ſpectante ad proprium oculi corpus, nõ ad palpebras, de quibus ſuo loco. Huius inuentor eſt Falloppius: nullam enim eius mentionem facit Galenus. Fallopius trochleam vocat, quia habet canalem, inſtar rotulæ, per quem admittit tendinem quincti muſculi oculi. Ligatur cum membrana, quę ab interno oculi angulo pendet.

4. Adeps.

Adipe etiam conſtat oculus. Vnde Ariſtot. cap. 18. l. 3. de hiſt. an. ait, oculum durum, vt in quibuſdam B brutis, ſæuo conſtare; adipe non durum. Eſt autem hic adeps aliquo modo durus, albus, copioſus, intra muſculos oculorum. Hinc oculus circumfuſam dicitur habere pinguedinem, c. 11. l. 10. de vſ. p.

5. Glandulosa corpora.

In vtroque etiam oculo reperiuntur duo corpora glanduloſa (non enim ſunt veræ glandulæ: quam differentiam ſupra in doctrina glandularum reperies) quæ per meatum non obſcurum, effundunt humiditatem. c. 11. l. 10. de vſ. p.

6. Caruncula.

Caruncula etiam neruoſa reſidet in maiori angulo, vbi eſt foramen ad nares. c. 11. li. 10. de vſ. p.

7. Vasa. Nerui.

Nerui oculorum alii motorii, alii ſenſorii. Motorii oriuntur a ſecundo pari neruorum cerebri, & producuntur ad muſculos, de quibus in doctrina muſculorum. cap. 4. libr. 4. de loc. aff. Nerui ſenſorii, ab Herophilo dicuntur pori, ſeu meatus, quia perforati ſunt, cap. 2. lib. 1. de ſymp. cauſſ. cap. 2. lib. 4. de loc. aff. cap. 2. lib. de neru. diſſect. dicuntur etiam optici, ſeu viſorii, quia ſunt viſus organa. Hi nerui optici intus C ſunt molliſſimi, cap. 16. lib. 10. de vſ. part. cap. 5. lib. 7. de Placit. Et obtinent duram meningem, quæ in his neruis durior eſt, quam in aliis. cap. 14. lib. 10. de vſ. p. Hi nerui ſunt ſincera portio cerebri, a cerebro vſque ad viam, quæ fertur ad oculos: dum autem extra cranium egrediuntur, hæc ſubſtantia fit durior: & dum deueniunt ad cauitatem ſuperciliorum, euadit rurſus mollior, & hei etiam amplificatur, ac in retiformẽ tunicam degenerat. c. 6. li. 8. de vſ. partium. De conſequentibus opticorum hactenus. Formatrix neruos opticos formauit cauos. cap. 3. lib. 16. de vſu partium, ſoli enim inter neruos ſunt perforati, cap. 2. libr. 4. de loc. aff. cap. 6. l. 8. de vſ. part. c. 4. lib. 3. de Plac. vtriuſque enim nerui meatus tandem in vnum concurrunt. Foramina autem euidentius conſpiciuntur ſi animal ſit magnum, ſi ſtatim poſt mortem diſſecetur, ſi aer exſiſtat luminoſus. Horum foraminum ratione fit, vt, ſi alter oculus claudatur, alterius pupilla dilatetur: quod non fieret, niſi nerui eſſent perforati Nerui hi ſunt maximi, c. 3. l. 16. de vſ. p. maiores neruis oris ven- D triculi, c. 3. lib. de org. odorat. Siti ſunt hi nerui inter cerebrum & oculum, ca. 5. l. 7. de Plac. Oriuntur a prima coniugatione neruorum cerebri, ab anteriori nimirum cerebro, ſed ſecundum baſin, at permeant foramina oſſis ſphenoeidis, deſinuntque in internam oculi cauitatem, vbi faciunt retiformem. cap. 2. li. 4. de loc. aff. c. 3. lib. de vſ. p. c. 14. lib. 10. de vſ. p.

Venæ.

Venæ oculorum ſatis ſunt exiguæ, ita vt viſum effugiant, in inflammationibus tamen oculorum apparent, cum replentur ſanguine. capite 12. libro de tum. præter naturam. Originem habent duplicem: alteram intrinſecam, e vaſis membranæ tenuis, capite 2. lib. 10. de vſu partium cap. 2. libr. 4. de loc. affect. alteram extrinſecam a pericranio, quod ad oculi corollam venas mittit, vt Galenus ait, comment. 10. lib. 1. prognoſt.

8 Musculi.

Muſculi oculorum minimi ſunt, & vnicum habent neruum, ne plura fierent foramina; ſed eum ſa- E tis magnum, propter motum oculorum frequentem. cap. 13. lib. 9. de vſu part. Eorum numero ſunt ſeptem, cap. 5. lib. de diſſect. muſc. cap. 8. libr. 10 de vſu part. cap. 2. lib. 4. de loc. affect. Quoad ſitum, quatuor muſculorum poſitio eſt recta, duorum obliqua: hi ſunt cauſſa motus obliqui, illi recti. Recti habent quatuor ſedes, ſurſum, deorſum, ad latus ſiniſtrum, ad dextrum. Obliqui in ſingulis palpebris verſus minorem angulum, ſupra & infra ſunt extenſi; prodeunt enim a magno oculi angulo, inque paruum angulum producuntur. Fallopius in quincto & ſexto muſculis, diſſentit: ait enim quinctum oriri ab interno angulo, vnde incipit muſculus, qui oculum recta ad interna oculi trahit, qui cum peruenerit ad exteriorem marginem interni anguli, vbi prominet caruncula illa lacrymalis, deſinit in tendinem gracilem & teretem, qui obuoluitur trochleæ, ſeu corpori cartilaginoſo, & hinc reflectitur ad angulum, verſus ſuperiorem oculi regionem, inſeriturque inter implantationem duorum muſculorum, quomodo alter F ſurſum, alter ad anteriora & recta oculum mouet. Sextum autem idem Fallopius voluit oriri in inferiori parte orbitæ cauitatis illius, & per tranſuerſum ad angulum exteriorem aſcendere, & breui tendine inſeri in oculum, propter inſertionem quincti muſculi. Quid autem ſtatuendum ſit, infra dicemus. Septimus muſculus eſt ſatis magnus, & ambit totam oculi radicem, cap 8. libr. 10 de vſu partium, ita vt pertingat ad baſin oculi, cap 5. lib. de diſſect muſcul. complectitur radicem quoque neruorum opticorum, c. 2. l. 4. de loc. affect.

9. Palpebrę.

Oculi etiam habent palpebras, cap 13. lib. 2 de part. an. Conſtant e cute, membrana carnoſa, pericranio, cartilagine, pilis, cap. 11 εἰσαγ. pinguedo autem omittitur; nam inter cutim & membranam carnoſam, non eſt vera pinguedo, ſed ſolum humiditas quædam vnctuoſa, quæ propter ſimilitudinem pinguedo vocari poteſt Superior palpebra muſculos habet: inferior non. Declinant palpebræ ad craſin ſic- G cam, quia partes e quibus conſtituitur, maiori e parte ſunt ſiccæ; comm. aphoriſm. 52 ſect 6. Hinc non molles quidem ſunt palpebræ, nec tamen ita duræ, vt oſſa, capite ſexto libro 10. de vſu part. Superior palpebra habet foramina tenuia, paullo extra maiorem angulum, quæ ad nares pertingunt. capite 15. libro 10 de vſu part. Minor eſt inferior, ſuperior maior: cap. 10. libr. 10. de vſu part. Cutis ſuppoſita eſt: deinde ſuccedit membrana carnoſa: præterea eſt perioſtion, membrana quam natura ſeparat & extendit a ſuper-

ciliis oculorum, ſicut etiam extenſa eſt palpebra. ca.7.l.10. de vſ. p. Habent etiam palpebræ tarſum, id eſt, A
corpus cartilagineum, tenuibus foraminibus peruium, ſitum eo loco, vbi palpebræ inuicem committuntur, ſecundum earum extremitates. c. 7. & 9. l.10. de vſ.p.

Cilia.

Huic parti etiam infixi ſunt pili, qui e materia glutinoſa a colore generantur, ſecundum Hipp. in l. de carnib. Ariſtoteles eos congenitis pilis annumerat, vocatque Cilia, c. 9.l.1.de hiſt.an.c.10.l.3.hiſt.ani. Eam habent magnitudinem, vt plus iuſto non excreſcant: defluunt autem ob immodicam venerem. Situs eorum eſt in extremis palpebrarum, c.9.l.1.hiſt.an. Solus autem homo cilium poſſidet in vtraque palpebra, & magis ſecundum inferiorem, c.4.l.2.de partibus: cap.14.& 15. li.11. Non augentur hi pili, ſed recti & tarſi eandem ſeruant magnitudinem. c.3.l.10.de vſ.p. c.14. l.11.de vſ.p.

Muſculi palpebrarum.

Muſculos autem habet ſaltem ſuperior palpebra: nam inferior eſt immobilis.c.9.l.10. de vſ.p.c.2.l.4. de loc. aff. Sunt autem duo parui, in medio cutis & perioſtii membranæ: alter in maiori angulo oritur, & B
apud naſum obliquum habet ſitum, perduciturque ad tarſi partem dimidiam: alter ad minorem angulum oritur, deduciturque ad reliquam tarſi portionem: Et ſic vtriuſq; muſculi finis in tarſum inſeritur. Gal. c.2.l.4.de loc.aff. videtur tres ponere muſculos, quorum vnus attollat palpebram, duo detrahant. Reſponſio. Si ſumantur muſculi, quatenus totam habent poſitionem in palpebra, & prout membrana carnoſa in muſculos degenerat; duo tantum ſunt muſculi: at ſi ſumantur muſculi, quatenus inſeruntur in palpebrā, & extra habent poſitionem; vnus muſculus extra palpebras ſitus, duplex ſtatui poteſt. Sic ergo intelligendum eſt Gal.cap.2.l.4.de loc.aff.& c.10.l.10.de vſ p. vbi ait, anatomicos propoſuiſſe muſculos ad maiorem angulum, palpebram claudentes, id eſt, quibus ipſe vnum non viderit, pollicetur autem ſe de hoc dictu-rum in libro de dubiis motibus, qui nobis periit. Hæc de partibus oculi.

De TOTO oculo.

Quoad TOTVM oculum, ipſius ſuperficies eſt læuis. Figura rotunda: oculi duo ſunt, dexter & ſiniſter, ſecundum ſitum. Diſtincti ſunt, interuallo euidenti, ca.8.l.10. de vſ.p. quod tamen in hominibus eſt minus, quam in brutis, c.15.l.1 de hiſt.an. Siti autem oculi ſunt in capite, loco eminenti, c.1.l.10.de vſ.p. vnde cerebrum in capite ſitum eſt propter oculos, c.5.l.8 de vſ p. Hinc viſionis ſedes eſt apud cerebrum, in parte anteriori, vbi oſſa formant cauitatem, quam orbitam nuncupant. cap.10.li.2.de Plac. Ita autem ſunt collocati oculi, vt ſupra habeant ſupercilia, infra malas, ſecundum maiorem naſi angulum, ſecundum minorem proceſſum oſſis iugalis, c.6.l.10. de vſ.p. c.5.l.8. de vſ.p. C

Finis oculorum eſt VISIO. Et receptio & iudicium pertinet ad oculos.

Poſtrema iam reſtat definitionis particula, finem & vſum oculi continens, qui eſt VISIO, reſpiciunt enim oculi meliorem vitam, cap.1. l.14. de vſ.p. Oculorum ergo vſus permagnus eſt, cap.12.lib.6.de tuen.ſan. licet oculus non ſit pars principalis, cap. 13. li.1.de tuen. ſan. Porro ad oculum pertinet, non tantum receptio, ſed etiam iudicium & dignotio, quæ ambo viſionis nomine complectimur. Hinc Galenus D
ait, oculos cognoſcere colores, vbi ſane reſpicit iudicium, cap.3. lib. 5. de Placit. Præterea ait, oculum cognoſcere ſplendoris qualitatem, cap.6.lib.8. de vſu partium, inſuper, oculos iudicare colorem, magnitudinem, ſitum rei coloratæ, cap.7.lib.7.de Placit. Videmus quidem per oculum, non per facultatem, ca.6. lib.7.de Plac. hoc eſt, non videmus per facultatem communem, ſed per oculum, id eſt, per facultatem determinatam, in oculum influentem.

Modus viſionis.

Vt autem hæc recte intelligantur, ſimulque pateat, quomodo omnia in oculo ad vnam viſionem dirigantur; dicendum eſt DE MODO VISIONIS, de quo vna eſt & eadem ſententia Hippocratis, Platonis, Ariſtotelis & Galeni.

Hippocrates ait in li.de Carnibus: Viſionem fieri per diaphanum, vt oculus afficiatur a ſplendidioribus: oculus enim patitur, obiectum vero agit, vnde ſplendidius eſſe oportet. E

Plato in Timæo ait, viſionem fieri, dum viſio fertur ab oculis, & color a corpore colorato: Duo enim ad viſionem requiruntur, primum potentia, cuius ratione extra oculum egreditur, non quidem facultas viſoria: (nec enim ita ignarus fuit Plato) ſed radii prodeuntes a ſpiritu animali, deinde requiritur obiectū, id eſt, corpus coloratum, a quo ſpecies procedunt, & in oculum intromittuntur. Verum etiam medium, ad viſionem neceſſarium, proponit Plato, in dialogo de guſtu: vbi ait, opus eſſe lumine ad viſionem, ideoque intimum corporis noſtri ignem, non vrentem, ſed illuminantem, oculum & medium illuminare, dum per anguſtam & mediam oculi ſubſtantiam euolat. Quibus verbis Philoſophus ſignificat, intimum ignem corporis noſtri, id eſt, calorem cordis, ſpiritum vitalem in caput aſcendentem, dum mutatur in ſpiritum animalem, hoc eſt, ignem illum nō comburentem, ſed illuminantem, & perducitur ad ſolidam mediamque oculorum ſubſtantiam; cauſſam eſſe viſionis. Solida autem illa & media oculorum ſubſtantia eſt F
cryſtallinus, qui particeps redditur ſpiritus animalis: ſicut etiam ſupra diximus, calidum innatum cryſtallini, ad viſionem efficiendum, habere permiſtum ſpiritum animalem.

Color duplex.

Color autem qui obiectus eſt viſui, dupliciter accipitur, vt fit e varia permiſtione luminis & tenebrarum, & hic improprie dicitur color: poteſtq; cryſtallinum alterare etiam intra oculum exſiſtens: vnde ſæpe clauſis oculis varias colores homines intuentur: deinde color proprie dicit, qui e varia fit elementorum permiſtione, vt aer & aqua habeant rationem diaphani, terra opaci terminati, ignis luminoſi; & hic color non poteſt conſpici, niſi extra oculum, tunc enim ſpeciem producit, quæ oculum ingreditur.

Viſio fit per lineas rectas.

Ingreditur ſpecies per lineas rectas, quæ conum conſtituunt, & circulum reſpiciunt, harum vna dicitur axis.c.12.l.10.de vſ.p. Circulus non eſt in oculo, ſed in obiecto, vt oculus ſit baſis. Axis eſt omnium linearum rectarum media, extenſa a pupilla ad centrum circuli in obiecto, vnde Galenus ait, cap.13 l.10. de G
vſ.p. axis principium eſſe opticum, vbi nimirum opticus ſecernitur, & degenerat in retiformem. Conus eſt figura, quæ deſcribitur a lineis rectis circuli: cuius vertex ſeu ſummitas eſt pupilla. Vnde quibus conus eſt maior, maior ēt eſt orbis ſplēdoris. c.4.l.7.de Plac. quemadmodū apparet in leone, & pardo, &c. in quibus conus eſt ſatis magnus, vt tempore noctis videre liceat orbem ſplendoris. Omnis ergo circuli planities, per

A ties, per multas lineas, easque omnes rectas, conspicitur, vnde, si pupilla ad latera deducatur, obiectum apparet maius, quam sit, vel dextrum, vel sinistrum, prout pupilla ad hoc vel illud latus vergit. Quod si vna pupilla inferior sit reliqua, obiectum, quamuis vnicum, duplex tamen apparet, quia conorum axes non manent in vno plano, c. 13. l. 10. de vs. p.

Vt autem visio fiat, secundum Platonem, necesse est lumen diurnum ad aciei effluxum accedere, vt refert Gal. c. 6. li. 7. de Plac. non n. acies effluens, id est, radius visorius, prodiens a spiritu animali, in magna copia egreditur, vt ad astra accedat; sed contra lumen diurnum, id est, externum accedit ad spiritum, vt simile simili, id est, lumen externum cum interno coniungatur, (est enim e c. 4. l. 10. de vs. par. similitudo inter radium visorium, & lumen externum) e qua mistione duplicis luminis, aer medius euadit corpus idoneum ad visionem. Non enim potest fieri visio, nisi aer duplici lumine affectus, ita se habeat ad oculum,
B secundum portionem qua fit vnio vtriusq; luminis, sicut neruus opticus: Quemadmodũ n. neruus afficitur a cerebro, vt vis animalis distribuatur; sic etiam aer afficitur a spiritu visorio per radios, & a solis splendore, vt alteratio speciesque diffundatur, non vt vis animalis diffundatur, sicut inepti quidam Galeno affingunt, c. 5. l. 2. de Plac. Tandem totus aer, ad linguas visuales pertinens, ob similitudinem ita afficitur, vt species admittat, & ad animam effundat.

Coiunctio luminis externi & interni.

Ex his ergo patet visionem fieri & intromissione, & extramissione. Intromittitur enim species in oculum: vnde cum Galenus cap. 5. lib. 7. de Placit. ait, visionem fieri in contactu radii, non videtur, quatenus radius extra oculum vnitur cum lumine externo, alias enim visio fieret extra oculum; sed quatenus per contactum species intra oculum distribuitur; visio enim est actio spiritualis, quæ fit in instanti. Sic ergo species intromittitur. Egrediuntur vero radii visorii recta, & per rectum quoque reflectũtur: Si enim
C corpus aliquod sit diaphanum, vt radii non terminentur in eius specie, sed permeent, non fit visio, vt in nebula, quæ oculis est proxima, capite quincto, libro 7. de Placitis. Ne quis autem obiiciat, spiritus egredientes dissipari; is sciat non spiritum egredi, sed radios, cap. 8. lib. 7. de Placit. Hinc Aristoteles problem. 15. sectio 30. ait, lusciosos scribere literas minutas, quia palpebræ contrahuntur, vt radius non dilatetur. Quamuis autem spiritus animalis non egrediatur, opus tamen est satis copioso spiritu, vt radii conseruentur.

Intramissio & extramissio.

Secundum Aristotelem visio fit, quando color per medium actu perspicuum, sensorium visus mouet. cap. 1. l. 5. de gen. animal. Vnde color motiuus actu perspicui dicitur, c. 7. l. 2. de anima. Extramissionem videtur negare Aristoteles, in l. de sens. & sensibili: quod intelligendum de extramissione facultatis, quæ concedi non potest. Radiorum enim extramissionem etiam Aristoteles statuit, c. 1. l. 5. de gen. animal. vbi
D ait pupillam, id est, spiritum animalem in pupilla contentum, ad similitudinem candelæ accensæ in lucerna, lumen spargere, seu radios extramittere. Sic problem. 11. sect. 30. ait, obiecta gemina videri, si vtriusq; oculi radius ad idem punctum non deuenerit, vnde apparet, secundum Aristotelem necessarium esse, vt radii oculos egrediantur, & ad idem deducantur punctum, quod non potest esse intra, sed extra oculos. Et problem. 15. sect. 30. ait, radios quandoque vniuersos profluere. Item problem. 21. sect. 30. ait, visionem fieri melius vno oculo, quia spiritus animalis ferme totus confluit in oculum apertum, vt radii in idem concidant. Et problem. 26 sect. 30. ait, seniores procul videre, quoniam radios procul emittunt. Item proble. 15. sect. 32. inquit, meliorem fieri visionem, dum contrahuntur palpebræ in angustum, quia sic radii non dilatantur.

Extramissionem etiam statuit Aristoteles.

E Proinde, vt omnis tollatur ambiguitas, sciendum visionem dupliciter considerari. I. Simpliciter, extra comparationem, & sic sufficit, vt calor per continuum aerem, lumine externo affectum, moueat crystallinum, vt actu diaphanum, nec necesse est vt aliquid egrediatur. Et sic intelligendus est Aristoteles, dum extramissionem improbat. II. Modo, sumitur visio respectiue, cum vna visio alteri comparata melius fieri dicitur, quatenus scilicet radius melius egreditur: melior enim fit visio, si radius sit purior, procedens a puriore spiritu, & copiosior, prodiens a copiosis spiritibus. Hinc Hippocrates, Plato, Galenus, respicientes non simpliciter ad visionem, sed ad omnem visionem, & proinde etiam ad visionem respectiuam meliorem, statuerunt non tantum intromissionem, sed etiam extramissionem. Hæc hactenus.

Conciliatio Aristot. & Platonis.

Vis exquisite cernendi, pertinet ad puritatem crystallini, & tenuitatem, seu perspicuitatem corneæ.
F At procul videre, spectat ad situm oculi, ne alteratio & motio, quæ fit ab obiecto, dissipetur.

Ratione	iudicii	sensus, seu facultas est agens.	
		obiectum, patiens.	
	receptionis	sensus, patiens.	
		obiectum, agens.	

Capvt XXV.

De applicatione methodi anatomicæ, ad Oculos.

Primo loco discurrendum est circa partes oculi; secundo circa totum oculum, vt cognoscatis, qua ratione oculus, & secundum partes, & secundum se totum concurrat ad visum.

Quid docendum.

G Quantum igitur attinet ad partes, oportet primum cognoscere, quænam inter oculi partes sint principales, nam cum Galeno c. 6. l. 2. meth. vnicum instrumentum vnicam tantum habet partem præcipuam, quæ in oculo est crystallinus, qui cum propriam quandam habeat substantiam, cui nulla similis in corpore reperitur, merito pars præcipua statuitur, concurrens ad propriam oculi functionem, quæ est visio. c. 8. l. 6. de Plac. c. 3. l. de org. od. c. 1. l. 10. de vs. p. idem statuit Plato in Alcibiade.

De partib. oculi, quænã sit principalis. I. Nimirum crystallinus.

Notandum autem e cap. 2. l. de org. od. duplex esse visionis organum, vnum principale, crystallinus;

alterum adæquatum, nimirum totus oculus: vnde Gal.c.6.l.1.meth.ait, totum oculum perfectam visionẽ A edere. (Sunt qui dicant ratiocinationem esse operationem similarem, non instrumentariam, vt omnis ẽt actio fiat a parte similari. At ratiocinatio, instar visionis, pertinet ad duplex instrumentum, nimirum ad principale, quod est propria cerebri caro similaris; & ad totum cerebrum instrumentale: & propterea perfecta ratiocinatio fieri non potest, nisi beneficio totius cerebri; sicut etiam totus oculus non simpliciter visionem, sed perfectam visionem edere potest.) Constitutum igitur sit, crystallinum esse præcipuum, quod ad visionem concurrit.

Crystallinus & alteratur, & iudicat.

Ceterum cum ad visionem celebrandam opus sit & alteratione, & alterationis dignotione: explicandum circa crystallinum, an concurrat vel tm̃ ad alterationem, vel solum ad dignotionem, an ad vtramque. Alterationem ergo pertinere ad crystallinum, docuit Gal.cap.4.l.10.de vs.p. vbi clare asserit, crystallinum, a colore mutari. Dignotionem spectare ad crystallinum colligitur e ca.2.li.10. de vs.p. vbi dicitur, crystallinum proprium obiectum sentire. B Et c.2.l.1.de sym.causs.ait Galenus, quam rationem habet in oculo crystallinus, eandem habet finis meatus auditorii, vbi fit iudicium de sono, seu dignotio sonorum, quare etiã de crystallino statuendum, quod iudicet. Præterea dicit Galenus loc cit. crystallinum solum mutari a colore; & facultatem sentire, vt a cerebro ad crystallinum producitur. Ecce facultas sentit, vt producitur ad crystallinum: in crystallino ergo fit iudicium, non sola alteratio seu passio. Constat ergo crystallinum esse præcipuum organum, & in alteratione & dignotione. Vnde Aristot. c.9.l.1.de hist.animal.ait, humorem oculi esse, quo videmus & iudicamus: quo loco per humorem internum nihil aliud intelligit, quam crystallinum,

Obiectio.

Contra autem ea quæ iam dicta sunt, dubitari posset, neruos visorios esse præcipuam oculi partem: quia Galenus c.8.l.9.de vs.p.ait, propter opticos totum oculum creatum esse, quasi in opticis præcipua sit C vis visionis.

λύσις.

Responsio, nerui non sunt præcipua oculi pars, sed in neruis consistit vis sentiens, quæ ad crystallinum perducitur per solos neruos, non per alias partes: vnde propter neruos, id est, propter facultatem, quæ per neruos distribuitur, totus oculus factus esse dicitur.

Alia obiect.

Quomodo autem intelligendum id quod c.6.l.1.meth. Gal. ait, oculi membranas esse primas oculi particulas? Respondeo, membranæ oculi, sunt prima oculi pars, non ratione crystallini, sed ad differentiã faciei, ac totius corporis: oculi membranæ enim sunt particulæ faciei, vt oculus est pars faciei: membranæ oculi, sunt etiam particulæ corporis, vt oculus est pars, non tantum faciei, sed etiam totius corporis. Præterea Galeni illud dictum, non exstat, in lib.anat. sed in methodo medendi.

Crasis crystallini.

Cæterum, crystallinus ad visionem concurrit per crasin, per id quod sequitur, & per id quod accidit. Quoad temperiem, ait Gal.c.6.l.1.meth crystallinum, vt quid similare, esse primum visionis organum, vt D quod a calore alteratur, cum sit actu perspicuum: omnis enim res, addit Galenus, talis est, id est, operari potest, propter temperamentum. (hic obiter notandum, crasin non esse rei formã, sed esse organum principale, per quod determinatæ eduntur operationes: quia enim illud vere est, quod operatur, cum manus mortua, quæ operari nequit, non vere sit, sed æquiuoce, quia etiam operationis præcipuum organum est crasis; propterea Galenus dixit, omne tale esse, id est, operari posse, per temperamentum. Quare crystallinus per temperiem, potest mutari & alterari ab obiecto colore. Crystallinus etiam per temperiem cõcurrit ad iudicium: vnde Gale.c.6.l.7.de Plac.ait, organum duplicem obtinere substantiam, alteram per quã alteratur, alteram per quam iudicat, pars autem per quam iudicat, est nerui participatio; quæ tamen non sufficit, sed requiritur etiam proprium temperamentum crystallini; cuius temperamenti proprii ratione, determinata euadat facultas, nimirum visoria; ad differentiam aliarum partium quæ neruos habent, & tamen non vident. E Præter nerui ergo participationem, necessaria est propria crasis: ideoque crystallinus per proprium temperamentum, confert & ad alterationem, & ad iudicium.

Durities crystallini.

Per id etiam quod temperiem consequitur, confert ad alterationem: nam per duritiem confert ad sui tutelam. Per propriam quidẽ crasin, vt diximus, crystallinus est pars præcipua, sed ratione consequentis, id est, per duritiem confert ad tutelam & custodiam sui, cuius custodiæ ratione fit bona visio. Per duritiem quoque crystallinus seruat propriam sedem: nam si esset mollior, non seruaret naturalem sedem, deperdita aũt sede, si v.g. crystallinus magis descenderet, obiectum q; vnicum est, semper geminũ appareret.

Perspicuitas crystallini.

Concurrit præterea crystallinus per id quod consequitur, nimirum per perspicuitatem, nam Gale. c.6.l.7.de Plac.ait, crystallinum sine hac perspicuitate non posse alterari. Cum ergo ratione iudicii, necessaria sit alteratio; propterea Gal.c.2.l de org.od.& c.5.l.7. de Plac. ait, visionis organum lucidum esse, vt in F rebus lucidis naturam illam lucis cognoscat: & cum eodem Galeno, dignotio fit, quoniam perspicui fit alteratio.

Aristotelis sententia.

Sed Aristoteles quoque cognouit, humorem crystallinum secundum temperiem concurrere: Hinc enim ca.1 li.5.de gen.animal.inquit, oculum fabricatum esse alicuius gratia, id est, gratia visionis, non propter colorẽ cæsium, sed per quid aliud, nimirum per temperaturam. Concurrit etiam crystallinus per perspicuitatem, secundum Arist.in li.de sensu & sensil.vbi probat Democriti sententiam, visionem ad aquam pertinere: additq; Arist. non fieri visionem, quod crystallinus sit aquosus, sed quod pellucidus & διαφανὴς, cum autem diaphaneitas sit cõmunis aeri, & aquæ; ait Philosophus, satius esse, crystallinum esse aquosum, quam aerium, vt cogi possit, & asseruari, quod non fieret, si esset aerius. Quare cum Philosopho crystallinus concurrit etiam per perspicuitatem, quam Gal.c.9.l.1.de vs.p. vocat colorem, vt crystallinus concur- G rat quidem ad visionẽ per colorem, per perspicuitatẽ, id est, per id quod consequitur, sed simul cum crasi, non autem per solum colorem: Gal.enim loco cit. proponit colorem cum crasi, & Philosophus ca.1.l.5. de gen.an.ait, visus partem propriã, i. principalem esse aqueam, vt visio fiat, quatenus hęc aquea substantia est pellucida, id est, quatenus habet propriam crasin, coniunctam cum diaphaneitate. Et propterea notandum

A dum diaphaneitatem concurrere alio modo, quam concurrit color cæſius: nam ſiue oculus ſit cæſius, ſiue niger, poteſt tamen fieri viſio; niſi autem cryſtallinus ſit διαφανὴς, viſio fieri nequit. Quare diaphaneitas cõcurrit ſimpliciter ad viſionem, color aũt ad determinatã viſionem, cæſius ad vnam determinatam viſionẽ concurrit, niger ad aliam. In quem ſenſum Ariſtot. ait, cap. 1. l. 5. de gen. an. oculum cæſium interdiu acute cernere non poſſe, nigrum autem noctu non acute poſſe cernere. Cum enim viſio ſit motus alterationis, non localis cryſtallini; & opus ſit motu mediocri, non admodum excedenti, non diminuto: oculus cæſius a luce magis mouetur, quam par eſt, & propterea interdiu ob nimium motum, non ita facile cernere poteſt: Contra oculus niger, noctu minus quam par eſt a luce exigua mouetur, vnde propter exiguam alterationem, non poteſt exquiſitus fieri intuitus.

Perſpicuitas & color, diuerſi mode ad viſionem concurrũt.

B Sed obſeruandum, quod Ariſtoteles loco cit. reprehendit Empedoclem, qui voluit, oculum cæſium, plus habere ignis, quam aquæ: nigrum plus aquæ, quam ignis: ideoque oculum cæſium interdiu acute nõ videre ob aquæ inopiam, nigrum noctu non exacte videre, ob penuriam ignis. Sed Philoſophus vim viſoriam non tribuit igni, vt Empedocles, verum aquæ: ideoque Empedoclem reprehendit. Sed pro Empedocle reſponderi poteſt, quod non dixerit, viſionem tribuendam eſſe igni, non autem aquæ; ſed cauſſam imbecilli viſus eſſe inopiam vel ignis, vel aquæ; quoniam oculus cæſius ob inopiam aquæ, interdiu minus mouetur (ſicut etiam Ariſtoteles voluit) niger autem ob ignis paucitatem minus mouetur, quam decet: nam vbi ignis copia eſt, ibi facilius fit motus. Vnde etiam Ariſtoteles voluit, viſionem optimam fieri, ſi oculus conſtet e mediocritate humoris, id eſt, e moderata aqua: vt inopia & ſuperfluitas ſint in cauſſa non acutæ viſionis. Ariſtoteles ergo tantum reſpexit ad cryſtallini ſubſtantiam, quatenus magis vel minus aquæ eſt particeps:
C Empedocles autem reſpexit etiam ad calidum innatum cryſtallini, quod permiſtum habet ſpiritum animalem, quem Empedocles ignem vocat. Et tamen ipſe quoque Ariſtoteles hunc ſpiritum animalem admittit, nam problem. 2. ſect. 3. ait, hominem vno oculo exquiſitius cernere, quam duobus: quia duobus oculis plures motus fiunt, quam vno oculo, at paucitas motuum eſt cauſa ſenſus exquiſiti: quia enim oculus ex vnico dependet principio, ſecundum problem. 4. ſect. 3. ſane ſi facultas ſeu vis, vnum ſaltem mouet oculum, exactior fit viſio: ſed quia facultas non ſuſcipit magis & minus, ideo hic motus non pendet a ſola facultate, ſed e facultate, quatenus cum hac ſpiritus animalis in oculum fertur: Si ergo ſpiritus qui in vtrumque ſolet oculum deferri, in vnum tantum feratur, eſt in cauſſa, vt facultas melius agat, & magis exacta fiat viſio. Ex his ergo patet, Ariſtotelem quoque admittere ſpiritam animalem, qui defertur in oculos, quem Empedocles ignem vocauit. Et propterea licet auctores ſæpe diſcordes eſſe videantur: non ſunt tamen ſi recte intelligantur.

Empedocles contra Ariſtotelẽ aſſeritur.

D Et hucuſque docuimus, cryſtallinum concurrere per craſin, & per id quod ſequitur: breuiter etiam demonſtrabimus, quod concurrat per id quod accidit, & omiſſis manifeſtis, proponemus tantum figuram & ſitum. Per figuram ſphæricam non tamen exacte cryſtallinus concurrit ad ſui tutelam, quia figura orbicularis omnium minime iniuriis eſt obnoxia. Præterea per figuram concurrit, vt melior fiat viſio (nõ propter ſimplicem viſionem) propter hanc enim figurã non exacte rotundam plures lineæ viſuales obiecto communicantur, quod nõ fieret, ſi exacte rotunda eſſet figura, c. vlt. l. 10. vſ. p. Inſuper hæc figura non exacte rotunda, confert etiam ad cuſtodiam: ſedes enim abſolute rotunda eſt ſatis lubrica; vnde per motum facile potuiſſet cryſtallinus ſitum mutare, ſi exacte fuiſſet rotundus.

Ea quæ accidunt cryſtallino. Figura cryſtallini.

Per ſitum confert cryſtallinus, vt melius fiat viſio, & ad cuſtodiam. Confert, vt melius fiat viſio: nam c. 2 l. 1. cauſſ. ſympt. ſi ſurſum vel deorſum feratur; obiectum vnicum geminatum appareret: ideoque cry-
E ſtallinus vnius oculi, per ſimilem ſitum, cum ſitu cryſtallini alterius oculi, in cauſſa eſt, vt bona fiat viſio, nulluſq; in ea committatur error. Ad cuſtodiam conducit ſitus: quia, cum in medio ſit inter albugineum & vitreum, ſatis tutus eſt, quemadmodum etiam admonuit Auicennas.

Situs.

Humor vitreus, per ſuam ſubſtantiam conducit ad cryſtallini cuſtodiam, vt eſt cryſtallini alimentum, capite primo, libro decimo vſu part. Per albedinem ſuam ad hoc conducit vt facile mutetur in cryſtallinum: præterea conducit per ſuam albedinem, vt ſeruet ſpiritus animales puros. Per qualitatem & copiam, vitreus conſeruat cryſtallinum. Per figuram, id eſt, per planitiem ante, & per cauitatem in medio, confert ad cuſtodiam; habet enim planitiem ſecundum circumferentiam, & cauitatem in medio, vt detineat cryſtallinum. Per figuram orbicularem confert ad cuſtodiam. Per ſitum vicinum cryſtallino, eſt in in cauſſa, vt cryſtallinus facilius & melius nutriatur.

2. Vitreus humor.

F Humor Albugineus, per ſuam humiditatem conſeruat humorem cryſtallinum, & præterea humiditatem rhagoidis, ſecundum internam ſuperficiem. c. 2. lib. 1. de cauſſ. ſymp. c. 6. l. 10. de vſ. part. Per albedinem autem albugineus Spiritus animales puros, & ſpecies puras ſeruat: ideoque ſi hac deſtituatur albedine, nequaquam bona fit viſio. Conducit etiam per ſuum ſitum, c. 4. l. 10. vſ. p. ne cryſtallinus a carnea per foramen rhagoidis tangatur, alias enim ſine dubio læderetur. Vnde c. 2. l. 1. de ſym. cauſſ. Galenus dicit, albugineum eſſe inſtar clypei cryſtallini. Et hæc de humoribus.

3. Albugineus.

Quoniam autem opus fuit, vt cryſtallinus maxime cuſtodiretur, propterea etiam neceſſarium fuit, vt tunica annata, & per duritiem, & per ſitum conduceret ad cuſtodiam partium ſubſtratarum. Additque Galenus cap. 7. l. 10. vſ. p. membranam annatam eſſe duplicatam, & continere vnctuoſam quandam ſub-
G ſtantiam, quæ maxime conferat ad motum palpebrarum & totius oculi, ſine qua dubio procul, oculi palpebræ areſcerent & ſiccarentur. Per ſitum annata tunica eſt copula ſui coniunctio omnium membranarum oculi, ideoque ad cuſtodiam facit, com. 10. l. 1. prognoſt. firmatque oculum ad oſſa. capite 2. libr. 4. de medicamentis localibus.

Annata tunica.

Cornea per colorem album conducit, nigrum enim eſt tranſlucidum. cap. 1. l. 5. de gen. animal. Ariſtot, Præterea confert per tenuitatem, vt motus extraneus, qui nimirum prodit ab obiecto, fiat rectus, non

Cornea.

obliquus. Conducit per læuitatem:si enim rugosa fiat cornea, motus ab obiecto prodiens recto tramite A
fieri nequit, cum tamen visio necessario fiat per directum. Ab his non recedens Galenus capite tertio, li-
bro decimo vsu partium ait, corneam per sui duritiem conducere ad tutelam crystallini: Per albedinem
autem seu splendorem, instar laternæ transmittere radios. Per densitatem concurrit ad custodiam spiri-
tuum animalium: ideoque si perforari tunicam corneam accidat, spiritus egrediuntur, & necessario visio
læditur. Præterea cornea conducit per sui tenuitatem, quatenus huius beneficio egrediuntur radii spiri-
tus animalis, & fit ingressus intra oculum & specierum, & luminis externi. Confert etiam cornea per si-
tum: vt enim quadruplicatur, teste Auicenna, tuetur crystallinum, quem sane non ita tueretur, nisi portio
corneæ super aliam portionem esset supposita. Conducit præterea per situm, vt foras longius deducitur,
vt crystallinus non tangatur a cornea.

Rhagoeides.

Cœrulea tunica, ῥαγοειδὴς, cum Galeno ca.3.4.& 6.l.10.de vs.part.per sua vasa corneam nutrit, eique B
alimentum subministrat, per mollitiem autem quam obtinet intus versus crystallinum, hunc humorem
(est ad tutelam) non lædit; sed per mollitiem versus corneam, in parte exteriore, est ad sui tutelam, vt non
lædatur a duritie corneæ. Conducit per colorem, id est, vt ab albo recedit, vt splendorem colligat, & ad pu-
pillam transmittat, ne dissipetur. Rhagois ergo hoc colore fouet splendorem crystallini, ne dissipetur a
splendore corneæ, & a splendore externo: ac proinde huius tunicę beneficio, visus maxime custoditur, c.2.
l 1.de sym.causs. Præterea rhagois per foramen, per hoc quod accidit, est in cã vt radii foras transmittãtur.

Retiformis.

Tunica retiformis, dupliciter perpenditur in applicatione methodi: primo vt tunica retiformis ta-
lis manet per generationem: secundo vt retiformis degenerat in arachnoidem. Si primo modo sumatur,
vt manet, conducit cum Galeno, ca.2.l.10.vs.part. quatenus secum ducit teruam meningem a cerebro, vt
propterea conferat ad alimentum vitrei, & hinc ad alimentum & custodiam crystallini. Proinde natura C
prouida, in fabrica huius tunicæ formauit vasa, multo maiora, quam conueniat magnitudini huius tuni-
cæ; nam opus erat alimento, & proinde magnis vasis. Vsus igitur huius tunicæ est, vt crystallinus sentiat al-
terationem; quod præstat per suam crasin, quæ similis est temperaturæ cerebri: nam c.5.l.7.Plac. non repe-
ritur aliquod obiectum externum, quod sit certius, quam obiectum visus: vt præterea necessarium fuerit,
hanc tunicam similem habere temperaturam, cum temperatura cerebri. Si tunica retiformis capiatur, vt
degenerat in arachnoidem, eius vsus est, vt custodiat crystallinum, cap.6. libr.10.vs. partium. Et quatenus
hæc tunica arachnois est fulgens instar speculi, est in caussa pronitioris & melioris alterationis crystalli-
ni: vt si recte perpendatur vtilitas huius tunicæ, in parte posteriore sit ad custodiam, & caussa etiam me-
lioris visionis.

Trochlea.

Cartilago, trochlea vocata, per duritiem confert, vt quinctus musculus efficacius moueat, vt per D
hunc motum melius etiam fiat visio.

Adeps.

Adeps oculi confert ad custodiam calidi innati oculi: qui communis est vsus omnis adipis, vt in ser-
mone de partibus similaribus diximus: Sed præterea in oculo hanc etiam præbet vtilitatem, vt oculus me-
lius moueatur, nec ita facile siccetur. c.11. l.10. vs. part.

Corpo glandulosa.

Corpora glandulosa oculorum, concurrunt per suam operationem (nam supra diximus, partes con-
currere per temperaturam, per id quod sequitur, per id quod accidit, & per operationem) quatenus ge-
nerant humiditatem, genitamq; in oculum effundunt, sine qua nimium aresceret oculus.

Carunculæ.

Carunculæ, vt pertinent ad maiorem oculi angulum, sunt in caussa, vt oculi foramen claudatur, vt
excrementum defluat per oculos: quod maxime conducit ad tutelam oculorum, & ad meliorem etiam vi-
sionem. Conferunt autem carunculæ per duritiem, & per situm, quem possident ad foramen ossium na- E
rium; vt materia excrementitia potius per nares destillet. c.11.l.10. vs.part.

Optici nerui, quid cõferant.

Nerui optici concurrunt, vt sine quibus non fit visio: vnde Galenus dixit, c.2.l.1.de causs.sym. facul-
tatem per neruos ad oculum distribui. Et per hos neruos, adeo copiosus spiritus animalis in oculos fertur,
vt copiosior spiritus in oculis sit, quam in ventriculis cerebri, com.28.sect. 4.li.6.epid.c.8.l.7.de Plac. quod
sane factum non esset a natura, nisi summa esset spirituum vtilitas, nisi opus fuisset, vt copiosi radii egre-
derentur oculos. Facultas autem animalis ad nullam aliam partem per spiritus defertur, nisi ad oculos, ca-
pite quarto, libro 7.de Placit. At facultas quæ perducitur ad oculum non transit crystallinum, non residet
in albugineo, cornea, aliis partibus minus extra oculum. Contra spiritus animalis, etiã pertransit vltra cry-
stallinum: vt vniuersa illa sedes, quæ est a cornea secundum foramen rhagoidis, vsque ad crystallinum, sit
referta spiritu animali. Summus ergo vsus est spiritus in oculo exsistentis, c.6 lib. 10.vs.part. vt enim a so- F
le procedit splendor, ita a spiritu animali emanant radii, c.4.l.7. Plac. E quib. tria breuiter colligi possunt,
primum, spiritum animalem non egredi oculum, secundo, vt per hosce radios egredientes aer suscipiat
speciem visibilem, vt optima fiat visio, non simpliciter visio: tertio, radium non perduci ad obiectum re-
motum, ad astra.

Optici ergo primum concurrunt per mollitiem, vnde Galenus c.3.l.16. vs. par. ait, opticos esse mol-
lissimos, quia visus est sensus certissimus, nam quod molle est, promtissime alteratur, c.6 l 8.vsu part. vnde
nerui optici, procedentes a cerebro in oculum, dum oculum ingrediuntur, euadunt molliores, quam sint
in itinere; cum tñ alias natura soleat neruos semper minus molles efficere, quo magis distant a cerebro:
contrarium in opticis est factũ propter exquisitum sensum. Sed quoniã mollities ad custodiam non con-
ducit: propterea optici intus sunt molliores, propter exquisitum sensum, extra autẽ duriores propter cu- G
stodiam. ca.5.l 7.Plac. Conferunt per cauitatem, per id quod accidit, vt spiritus influere queat, nisi.n.essent
perforati, non influeret spiritus, c.3.l.16.vs.p.c.4.l.7.Plac. Et hic fluxus fit per foramen commune non sine
vtilitate; vt dum alter oculus clauditur, totus spiritus ad apertum oculum confluat, vt optima fiat visio.
Conducunt etiam per magnitudinem hi nerui, vt sensus fiat magis exquisitus, c.3.l 16. vs.p. facultas.n ipsa
quidem

A quidem non ſuſcipit magis & minus, attamen magis vel minus operatur pro diſcrimine organorum: vnde, cum magni ſint optici, ſpiritus copioſi confluunt, & copioſiores exſiſtentes ſunt in cauſſa, vt facultas melius operetur. Ratione magnitudinis & craſſitiei conducunt ad tutelam: nam cum hi nerui ſint perforati, opus eſt craſſitie & magnitudine; ſi enim parui eſſent, & tenues, facile poſſent lædi. capite 5. libr 7. Plac. Tandem conferunt per poſitionem, vt oriuntur a cerebro, & perueniunt ad oculum: nam per hunc ſitum, & ſpiritus animalis, & vis animalis, impertiuntur oculo. Similiter conferunt per coniunctionem, id eſt, per poſitionem, qua coniunguntur, huius enim coniunctionis beneficio vnum tantum eſt planum, vt propterea etiam obiectum, quemadmodum decet, ſaltem vnicum appareat, non duplicatum: quoniam linea viſoria incipit quidem a duplici ſede, ſed æquali, quare ab vno plano & coniuncto. Præterea vtilis eſt coniunctio, vt ſi alter oculus claudatur, ſpiritus ad alium deferatur.

B Non eſt, vt de venis & arteriis loquamur; quia quam habent vtilitatem in aliis partibus; eandem etiam in oculo præſtant. *Venæ & arteriæ.*

Muſculi concurrunt, vt melius fiat viſio, capite ſeptimo, libro decimo de vſu partium. Nam beneficio muſculorum plura obiecta eodem tempore intuemur. Sed præterea etiam ad cuſtodiam ſunt muſculi, quatenus firmant oculum ne prolabatur. Conferunt etiam muſculi per actionem, vt retrahuntur ad proprium principium: vnde Galenus capite decimotertio, libro nono de vſu partium dixit, muſculos oculi eſſe paruos, ſed magnos habere neruos, propter motum ſcilicet aſſiduum. Conferunt ēt per numerum: vt enim ſunt plures, ita conferunt ad plures motus. Denique per varium ſitum, conferunt ad varios motus: nam ſecundum Galenum capite quadrageſimoquincto, libro de diſſect. muſc. capite ſecundo, libro quarto de loc. affect. ſicuti ſeptem ſunt muſculi ipſius oculi, ita etiam ſeptem ſunt motus: primus C muſculus ſurſum mouet; ſecundus deorſum; tertius ad latera, ſed ad angulum maiorem; quartus ad latera, ſed ad angulum minorem; reliqui duo muſculi oculum circumagunt, per ſitum ſuum obliquum; ſeptimus muſculus ad radicem oculi, id eſt, ad opticum pertinens, oculum firmat, vt ſurſum trahit: vnde ſecundum Galenum capite primo, libro decimo de vſu partium, hic ſeptimus muſculus etiam cuſtodit neruum opticum. Veſalius ſtatuit, firmari etiam oculum, a ſexto, & quincto muſculo, quatenus hi muſculi ſimul agant, non ſeorſim: ſeptimum autem muſculum ſolum tegere neruum opticum, & conducere ad rectum motum. Sed forte decipitur Veſalius: nam ſeptimi muſculi fibræ contrahuntur ad interiora; ideoque etiam ſenſus teſtimonio patere poteſt, muſculum hunc conferre, ne oculus extuberet. Quare melior Galeni eſt, quam Veſalii ſententia. *Muſculi.*

D Palpebræ in genere conducunt ad cuſtodiam oculi in homine, quia homo habet cutem tenuiſſimam. *Palpebræ.*

Hoc loco duo notanda. Primum, quod dixit Philoſophus, palpebras moueri inſtinctu naturæ: non quod alium habeant motum, quam voluntarium, qui fit a muſculis, ſed quod moueantur ſine artificio.

Secundo notandum, palpebras motum obtinere in homine admodum frequentem, vt ab his, quæ extrinſecus occurrunt, non ita lædantur oculi: quoniam homo habet cutim tenuiſſimam, per quam fit exquiſitus tactus, quia tangibilis qualitas magis agere & alterare poteſt: proinde ratione huius exquiſiti tactus, opus fuit maiori cuſtodia; quare & motu frequentiore palpebrarum. Galenus capite primo, libro de org. odoratus ait, palpebras eſſe propugnaculum, id eſt, facere ad cuſtodiam; quia oculi ſunt mobiles, & quia molles; vnde, niſi eſſent palpebræ, propter mollitiem facile læderentur ab his quæ occurrunt. In hunc ſenſum Plato in Timæo palpebras vocat tegmen oculorum ſalubre. Neque obſtat, quamuis E palpebræ dum claudantur, ſuat in cauſa, vt homo non cernat: nam melius eſt, aliquandiu non videre, quam vt oculi lædantur. Verum quando Galenus cap. 6. lib, 10. de vſu partium ait: palpebras primum eſſe ad cuſtodiam corneæ: ita intelligit; quod principaliter quidem faciant ad cuſtodiam cryſtallini; ſed primo, id eſt, immediate, ad cuſtodiam corneæ.

Notandum autem præterea eſt circa palpebras, quomodo differant, & quomodo conueniant; Differunt ergo palpebra inferior, & ſuperior; quod inferior ſecundum Galenum cap. 10. libr. 10. de vſu part. minor eſt ſuperiori, nam ſi maior eſſet corrugaretur, & ſic non ſine detrimento excrementa ſuſciperet: cū ergo ſit minor ſuperiori, ideo non mouetur, & proinde non eget muſculis. Contra ſuperior eſt maior, & propterea mouetur, & quia mouetur, accepit quoque tum muſculos, tum foramina, ad differentiam inferioris. Muſculi quidem ipſius admodum vtiles ſunt & neceſſarii, ſecundum Galenum cap. 9. l. 10. de vſu F partium; & com. 2. ſect. 5. li. 6. epidem. vt horum motu, oculus modo pateat, modo claudatur: dum enim patet oculus, fit viſio; dum latet, non læditur, ſicut ſomni tempore. Huius autem ſuperioris palpebræ muſculi ad ſimilitudinem reliquorum muſculorum conferunt per operationem: ſed præterea etiam per ſitum, vt teſtatur Galenus cap. 8. libr. 10. de vſu partium. nam ita ſe habent hi muſculi, vt muſculus minoris anguli deorſum trahat; maioris, ſurſum: vnde ſi contingat vtrumque muſculum eodem tempore moueri, fiet palpebræ figura, quam nonnunquam reflexam vocat Hippocrates, in qua figura oculus neque apertus eſt, neque clauſus. Hæc de ſuperioris palpebræ muſculis. Quoad foramina: palpebra ſuperior tenue obtinet foramen, paullo extra maiorem angulum, in hunc vſum, ne palpebra exſiccetur vel areſcat, & præterea vt facile moueatur. c. 11. l. 10. de vſ. part. His ergo palpebræ differunt.

G Porro, ea, in quibus conueniunt, ſunt, tarſus, & pili tarſi: nam hæc in vtraque ſunt palpebra.

Tarſus eſt portio cartilaginoſa, vtilis, tum per id quod conſequitur, nimirum per duritiem; tum per id quod accidit, nimirum per foramina. Per duritiem tarſus eſt vtilis, vt productiones muſculorum quos tarſus recipit, firmiter & cum ſtabilitate in tarſo inſerantur, quo exacta & valida fieri poſſet tum apertio, tum clauſio; capite nono, libro decimo de vſu partium. Præterea tarſus conducit ad tutelam perioſtii, quod productum ad palpebras in tarſo firmatur, & cuſtoditur ob tarſi duritiem; capite ſecundo libro 10.

de vſu partium. Inſuper tarſus per ſui duritiem pilos ſeruat, non ſimpliciter, ſed pilos rectos ſeruat: qua- A re, ſi contingat tarſum reddi molliorem, pili palpebrarum rectitudinem non ſeruant, vnde non fit viſio, quemadmodum eſſet conueniens. Tarſus denique conducit per foramina, capite ſeptimo, libro decimo de vſu partium, quatenus horum beneficio pili generari & contineri poſſunt; cum alias tarſus ob cartilagineam & duram ſubſtantiam, non aptus fuerit ad pilorum productionem.

Quantum ad pilos attinet, hi ſecundum Galenum, capite ſecundo, libro primo method capite primo & ſecundo, libro primo. κ. τόπ. in palpebris vtiles ſunt ad pulcritudinem: vnde qui ob luem Veneream his pilis deſtituuntur, deformes euadunt. Præterea ſunt etiam vtiles ad partium ſanitatem, vt Galenus ait, loco citato. vnde etiam capite ſexto, libro decimo de vſu partium ait, pilos palpebrarum eſſe ad tutelam & cuſtodiam oculorum. Sed notandum, huiuſmodi pilos vtiles eſſe, per colorem, per figuram, per magnitudinem, & per ſitum. Per colorem, vt monet Auicennas, quatenus hi pili luminis æqualitatem B ſeruant nigredine ſeu opacitate ſua: licet enim non omnes pili nigri ſint omnibus, attamen propter opacitatem, lumini contrariam, ſplendorem moderantur, & ad æqualitatem redigunt, ne huius ἀμετρίᾳ oculi lædantur. Per figuram etiam conferunt, e capite ſeptimo, libro decimo vſu partium. quatenus tenſi manent, & recta ſua figura oculum a puluere arcent. Sed poſſunt etiam eſſe in cauſſa, vt radii oculum egredientes rectitudinem ſeruent. Præterea per magnitudinem conferunt, eamque moderatam, capite 14. libro vndecimo de vſu partium, ſi enim minores eſſent, non prohiberent quæ in oculum poſſunt incidere: ſi eſſent maiores, eſſent inſtar carceris, & viſionem impedirent. Tandem conferunt etiam per ſitum; quatenus per interuallum commenſuratum, mediocre, proportionatum, tuentur oculos: nam ſi pili ſeſe contingerent, oculis noctem offunderent.

Totus oculus, vt concurrat ad viſionem edendum.

Quoad totum oculum; ſufficit ſcire, quod conferat per numerum, poſitionem, & operationem: C nam reliqua ſunt facilia. Quoad numerum; oculi duo fuerunt, gratia melioris viſionis, vt homo eodem tempore plura obiecta videret, quæ vno oculo ſimul omnia intueri non poſſet. capite octauo, libro decimo de vſu partium. Ariſtoteles capite decimo, libro ſecundo de part. animal. ait, geminos oculos eſſe, quia duplex ſit corporis pars, dextra & ſiniſtra. Et addit, totum oculum conferre per magnitudinem moderatam, oculus enim quia moderatæ eſt magnitudinis optime videt, quod etiam repetitur capite decimo, libro primo de hiſtoria animal. nec ratio proponitur, quia patet. Oculus etiam confert per ſitum, vel ſedem, quæ eſt apud cerebrum, vt oculus conſeruetur: ideoque ſitus facit ad oculi cuſtodiam. Hoc rectius explicat Ariſtoteles capite decimo, libro ſecundo de part. animal. Cum enim cerebrum ſit frigidum & humidum; viſus vero, id eſt, cryſtallinus ſit aqueus, optimum fuit, vt eſſet prope cerebrum, quo propter vicinitatem promtius generaretur humor cryſtallinus, & genitus conſeruaretur; nutritur enim e portio- D ne, quæ a cerebro producitur, vt ſuo loco diximus. Addit etiam Ariſtoteles, problem. 17. ſectio. decima, in homine oculos minus diſtare, quam in brutis, tum quia homo eſt ſolers, ingenioſus, & motus eſt ad anteriora, tum quia bruta manibus carent, vt ad latera reſpiciant. Ceterum, oculi æqualem habent ſitum, problem. 17. ſectio 30. ne per ſitum inæqualem res vna cernatur gemina. Tandem ſitus etiam conducit ad optimam viſionem, quatenus enim oculi reconditi ſunt, non prominentes, cernunt clariſſime. capite decimo, libro primo de hiſtoria animal. Addit Galenus com. 44. ſectio. ſecunda, libro ſexto epid. oculum dextrum exactius non cernere ſiniſtro: nam, vt colligitur e problem. decimotertio, ſect. 31. vis viſoria in alteratione conſiſtit. Præterea hic ſitus conducit ad tutelam, & vt melius etiam fiat viſio: quatenus nimirum inuicem diſtant oculi, & ſurſum ſunt locati. Vnde Galenus, reſpiciens ad diſtantiam, capite octauo, libro decimo vſu partium inquit, oculos, vt aliqua e parte inuicem diſtant, videre plura ob- E iecta, etiamſi caput non moueatur. Et reſpiciens ad ſedem eminentem, capite primo, libro decimo vſu partium ait, oculos in eminenti loco eſſe collocatos, vt procul magis aſpiciant, & in anteriori parte eſſe locatos, quia in hanc partem mouemur. Sed notandum circa ſedem eminentem, caput non eſſe factum propter cerebrum, ſeu, non eſſe locatum in ſuperiori parte propter cerebrum, ſed propter oculos, vnde ſecundum Galenum capite ſecundo & quarto, libro octauo vſu partium, cranium eſt propter cerebrum, caput autem, id eſt, locus eminens, propter oculos, nimirum propter actionem, & propter cuſtodiam: propter actionem, nam viſio locum editum poſtulat: præterea viſio ēt fit per neruos molles, quare hi debent oriri a loco proximo. Propter tutelam vero, nam oculi ſunt molles & facile patiuntur, quare capite egent, vt habeant circumpoſita oſſa ad cuſtodiam. Præterea ad latera oculi ſunt collocati, inter naſum, & proceſſum oſſis iugalis, propter tutelam. Similiter gratia tutelæ, oculus infra habet malas prominentes, ſupra habet ſupercilia, quæ per pilos inſtar muri oculum cuſtodiunt, capite decimoquarto, li- F bro decimo de vſu partium. Præterea oculus totus concurrit, per totam, eamque determinatam compoſitionem, ad edendum viſionem: vnde ſi vitium aliquod occurrat ſecundum compoſitionem, illico læditur actio. Et tandem concurrit oculus per operationem, id eſt, per expulſionem, ad tutelam, vt colligitur e capite decimotertio, libro primo de tuen. ſan. nam oculus eiicit excrementa per nares; & per palpebras, quæ expulſio eſt actio, ratione cuius cuſtoditur oculus. Sic ergo patet, omnia quæ propoſuimus in vnam viſionem dirigi. Hæc de oculis.

CAPVT XXVI.

De Auribus. G

Nomen.

PER aures cum Galeno intelligimus organum auditus: non tantum aures externas, id eſt, auriculas, ſed etiam vniuerſum auditus inſtrumentum, & extra, & intus: quemadmodum Galenus hanc vocem vſurpat cap. 4. lib. 8. de vſu partium.

Auris

A Auris ergo ſic accepta, eſt *inſtrumentum genitum e neruo expanſo, aere ingenito, membranis, oſſibus, cartilaginibus, ligamentis, cuti, communibus organis, & muſculis; a propria generatrice, gratia auditus*. Pro explicatione huius definitionis, ſufficit digredi circa cauſſam efficientem & finalem. Et primum circa efſectricem, vt appareat, quando facultas formatrix ſe geſſerit, circa materiam, e qua auris producitur. (Heic circa materiam e qua, vnicum tantum notetur: nimirum dum Galenus cap. 3. lib. 5. de Plac. proponit ſpiritum auditorium; intelligendum eſſe calidum innatum, id eſt, aerem ingenitum; non autem ſpiritum animalem, quæ plane puerilis eſſet expoſitio, vt ſuo loco explicabimus. Definitio auris.

Quantum igitur ad propriam generatricem; & primum, vt produxit neruum expanſum. Galenus hunc neruum vocat dilatatum, ſeu expanſum, cap. 2. lib. 1. de ſymp. cauſſ. Hunc generatrix mollem produxit, capite quincto, libro octauo de vſu partium. Id quod intelligendum eſt de neruo aurium, intra B meatum exſiſtente: nam de externis neruis poſt loquemur, intra organa communia. Sed mollities huius nerui non eſt admodum inſignis: natura enim hunc neruum minus mollem produxit, quam auditui conueniat, capite octauo, libro octauo de vſu partium. Cauſſam in methodi applicatione reddemus. Et hoc de conſequente nerui expanſi. Quantum ad id quod accidit, quod eſt effectus generatricis, ſecundum facultatem formatricem: hic neruus formatus eſt magnus, non ſecundum quamlibet dimenſionem, ſed ſecundum latitudinem, non ſecundum profunditatem; vnde etiam latus, ſeu expanſus dicitur. cap. 5. lib. 5. vſu partium. Neruus enim ſecundum profunditatem magnus eſſe non potuit, quia meatus auditorii foramen recipiens eſt exiguum. cap. 3. lib. de org. odorat. Quoad huius poſitionem, cum Galeno, cap. 6. lib. 8. de vſu partium, oritur a quincto pari neruorum cerebri: & in cauitate oſſium degenerat in membranam tenuiſſimam. Neruus expanſus.

C Quoad aerem ingenitum: hic e ſententia Galeni cap. 5. libr. 7. de Placit. cap. 6. lib. 8. de vſu partium, nihil aliud eſt, quam ſenſorium auditus: vnde Galenus dixit, auditus ſenſorium eſſe aerium. Et capite 2. lib. de org. odorat. ait, auditus organum eſſe ſimile aeri. Et capite ſecundo, libro quarto, de loc. affect. inquit, tangendi organum eſſe craſſiſſimum; videndi tenuiſſimum; auditus minus tenue. Heic per ſenſorium viſus, non debet intelligi cryſtallinus, nam hæc ſententia eſſet falſiſſima, cryſtallinum eſſe tenuiorem organo auditus, quod aerium eſt, & obtuſum oculorum effugit. Quare per viſus organum intelligi debet calidum innatum cryſtallini, quod particeps eſt ſpiritus animalis, luminis. Et hoc modo calidum innatum auris eſt minus tenue, cum ſit aerium: quia aer ingenitus eſt minus tenuis, quam calidum innatum, particeps non aeris, ſed ſpiritus animalis. Ad rem. Aer ingenitus eſt organum auditus. Et hoc calidum ingenitum pertinet ad labyrinthum, de quo ſuo loco. Hoc autem calidum innatum D Galenus capite tertio libro quincto de Placit. vocat ſpiritum auditorium, qui permiſtum habet aerem externum, eiuſque ingreſſu reficitur. Aer enim hic ingenitus, cum ſit miſtus e ſimplici calido natiuo, & ſimplici aere natiuo: æquum eſt, vt ex his duobus reparetur. [Aer ingenitus nil aliud eſt, quam calidum innatum aurium, quod habet permiſtum aerem: ideoque non modo reficitur e puro ſanguine, ſed etiam ex aere externo.] Quare præter ſanguinem, eſt etiam neceſſarium, vt aer externus ingrediatur. Quod cognoſcens Ariſtoteles, (qui diligentior fuit Galeno) capite decimo, libro ſecundo de vſ. partium dicit, ſenſorium auditus eſſe aerium. Et capite primo, libro quincto de generatione animal. ait, hoc ſenſorium egere corde, vt meatus auditorii tendant in cor: omnes enim ſenſus oriuntur a corde, quatenus per meatus, id eſt, per arterias conſeruatur eorum calidum innatum: Ceterum, cum calidum auris ſit aerium, & proinde neceſſe habeat, vt conſeruetur beneficio aeris; (nam e quibus generamur, ex iiſ-E dem conſeruamur) hinc ſcribit capite 11. libro primo de hiſtor. animal. aures eſſe capitis partes, vt nulla ſpiratio deſideretur: nihil aliud ſignificans, niſi aerem per inſpirationem ingredi caput: nam per caput fit inſpiratio. Vnde Ariſtoteles capite ſecundo, libro quincto, de gener. animal. inquit, extrema ſenſorii auditus terminari ad partes ſpiritales, non alia ſane de cauſſa, niſi vt ingrediatur aer: Et addit hinc fieri, vt oſcitantes & reſpirantes minus audiant: tunc enim eodem tempore motus alterans, qui fit de obiecto auditus, perducitur ad ſenſorium, & per myringam, & per meatus internos, qui pertingunt ad locos reſpirationis. Vnde ex huiuſmodi ſitu aliqua e parte ſequitur detrimentum in auditu: ſed hoc factum eſt, quia fuit neceſſarium, vt calidum innatum auris conſeruaretur, quod fieri non potuit, niſi aeris externi beneficio. Proinde hi meatus pertingunt ad locos reſpirationi dicatos. Aer ingenitus.

F Fabricam myringæ, proponit Galenus capite tertio, libro quincto de Placitis, capite ſexto, libro octauo vſu partium, & Hippocrates libro de carnibus, eſt enim membrana ſeu pellicula iuxta os: eaque eſt tenuis & ſicciſſima. Quoad magnitudinem, eſt mediocriter denſa & craſſa. Genita eſt e ſemine: non ex alia membrana. Eius ſitus eſt, in primo meatu oſſeo, ſpectante ad meatum cartilagineum: & extenditur oblique, vt recta reſpiciat meatum oſſeum, & oblique reſpiciat meatum cartilagineum. Membrana.

Oſſa cum Galeno capite ſexto, libro octauo vſu partium, & præſertim oſſa illa continentia ſunt admodum dura, denſa, anfractuoſa, a formatrice effecta: vnde etiam meatus anfractuoſi dicuntur, capite ſecundo, libro primo de ſym. cauſſ. Hi meatus, qua cerebrum ſpectant, ſunt ſtrictiores. Auicennas addit, oriri ab oſſe petroſo, & deduci ad cauitatem, vbi aer nunquam deficit. Oſſa.

Sed hic meatus oſſeus non eſt vniformis: diuiditur enim in cauitates & meatus exiguos. Ca-G uitates potiſſimum ſunt tres. Prima & exterior, eſt proxima meatui cartilagineo, & vocatur tympanum (nam myringa improprie dicitur tympanum) & hæc cauitas reliquis duabus maior eſt, habetque duas feneſtras; vna eſt oualis, ad ſimilitudinem oui, quæ eſt elatior, & in ſui medio, id eſt, in ipſa cameratione ſeu cauitate tympani, deſinit in ſecundam cauitatem: altera feneſtra eſt rotunda, & eſt humilior

quam oualis, declinatque ad posteriora, & per os, per meatum osseum penetrat, atque in geminos canales formatur, quorum alter tendit ad secundam cauitatem, alter ad tertiam: & secunda hæc fenestra A semper permanet aperta, ad differentiam prioris. Præterea prima hæc cauitas obtinet foramen, in quod desinit canalis, qui suscipit portionem duriorem nerui quincti paris. Habet etiam hæc prima cauitas foramen, quod terminatur in alteram paruam cauitatem, & prope radicem gargareonis inseritur. Hæc de prima cauitate.

Secunda cauitas vocatur Labyrinthus, habetque foramina, quæ via sunt quincti paris nerui, sed mollioris, non duri, hæc cauitas residet ad finem primæ cauitatis, sed minor est, & vicinior cerebro, quam prima cauitas. capite tertio, libro de organ. odorat.

Tertia cauitas dicitur Cochlea, & cœca, quia foramen habet simile anfractui cochlearum, capite vndecimo, libro primo histor. animal. omnino minor est reliquis duabus, & foramen habet commune B cum prima & secunda cauitate, beneficio cuius habet commercium, & cum tympano, & cum labyrintho: Et oritur hæc tertia cauitas a fenestra circulari tympani, quæ desinit in labyrinthum, & in cochleam.

Tria ossicula. Sed præterea huic osseo meatui adduntur tria ossicula, quæ in tympano, in prima cauitate collocantur: suntque Malleolus, Incus, & Stapes: quæ tria duobus articulis inuicem coniunguntur. Malleolus autem insertionem habet cum myringæ facie interna: & versus anteriora attollitur huius ossis caput, cui insidet incus, & sui portione caua suscipit, incipit tuberculum malleoli, & incus crure suo crassiori & latiori hæret tympano, reliquo crure coniungitur cum capite tertii ossis, scilicet stapedis. Stapes autem sua basi spectat ad fenestram tympani, id est, oualem, quam hoc ossiculum claudit. De horum vsu post differemus. C

Cartilagines. In aure cartilagines triplices sunt perpendendæ: primum enim auris externa, extra meatum osseum, ex his formatur, & oculis nostris subiicitur. Hinc Galenus capite quarto, libro tertio alim. capite sexto, libro de cibis bon. & mal. succi. capite 12. libro 11. de vsu partium ait, auris substantiam esse cartilagineam, loquens de externa aure seu meatu externo cartilagineo, qui producitur vsque ad myringam. Secunda cartilago pertinet ad tympanum, quæ osseum annulum, vnit cum reliquo osse tympani, quia sine hac cartilagine non potuisset tuta esse coniunctio: ideoque hæc cartilago non est extra. Tertia cartilago spectat ad partes extremas trium ossiculorum, præsertim vbi malleus cum incude iungitur, & intus cum stapede.

Ligamenta. Ligamentum etiam pertinet ad ossicula illa tria, quatenus hæc ligamento quodam molli colligantur. D

Cutis. Cutis spectat ad aurem externam: quam externam partem Aristoteles vocat auriculam, capite vndecimo, libro primo de histor. animal. Huius pars superior dicitur pinna, & constat e carne & cartilagine, inferior dicitur fibra, & constat solum e cuti, sine cartilagine.

Communia instrumenta. Organa communia, sunt nerui, & vasa. Nerui sunt caussa vel tactus, vel motus, & pertinent ad aurem internam, ad tympanum, non omnibus modis, sed ad tympanum pertinent vt ossicula contineant. Nerui autem qui pertinent ad aures externas, oriuntur a secunda coniugatione spinæ, suntq; in homine admodum exigui, quia etiam aures in homine sunt fere immobiles, capite sexto, libro decimo sexto vsu partium. Nerui autem ipsius tympani, sed duri, prodeunt a quincto pari cerebri, & inseruntur in musculum ossiculorum. Quoad vasa: hæc sunt venæ & arteriæ perexiguæ. comm. vigesimosecundo, sectio. E quincto, libro sexto epid.

Musculus. Musculus est exiguus, & oritur a substantia simili ligamento, qua os cuneiforme committitur cum temporali osse, & desinit hic musculus in tendinem gracilem, qui producitur in maiorem apophysin, id est, processum malleoli, & per medium tympanum excurrens, incumbit articulo, quo stapes cum altero crure incudis copulatur. Vnde oculatissimus Falloppius secundum visum deceptus est; idque factum est, quia vsum ignorauit. Vidit quidem tunc tendinem gracilem, sed credidit esse neruulum; cum tamen sit tendo, nam huius portionis vsus, non ad neruum: sed ad tendinem spectat.

Auris tota. Quoad totam aurem. Temperamentum ipsius est frigidum & siccum, quia hoc instrumentum componitur e particulis, maiori e parte frigidis & siccis. Id quod accidit, est compositio, nimirum figura, magnitudo, & situs. F Figura orbicularis est, extra deuexa, intus conuexa, vnde rationabiliter meatus cartilagineus flexuosus formatur, capite duodecimo, libro vndecimo de vsu partium. Magnitudo auris ea est, quæ & auditui conuenit, nec impedimento est capiti. Sita est in capite, quia est pars capitis capite vndecimo, libro primo de histor. animal. Et collocatur in capite ad latera, capite quincto, libro octauo de vsu partium, & ita collocatur, vt promineat, capite 12. libro 11. vsu partium.

Finalis caussa. Hæc autem omnia a natura creata sunt gratia auditus. Ideoque auditio est propria operatio, destinata huic instrumento, capite vndecimo, libro primo de histor. animal. Hoc etiam Plato in Timæo statuit: vbi etiam vult, maxime conferre auditum ad Philosophiam adipiscendam cum sermo ad auditum pertineat. Galenus capite secundo, libro de org. odorat. & capite tertio, libro quincto de Placit. ait, aurium actionem, esse cognitionem vocum, & sonorum. Quamobrem auditio est propria aurium functio. G

Quomodo fiat auditio. Quomodo autem fiat auditus, explicat Aristot. libro 2. de anima. Nam ad auditionem efficiendam oportet, vt proprium obiectum agat in sensorium, ita vt sensorium alteretur, & alteratum alterationem dignoscat. Et Galenus capite quincto, lib. 8. de vs. part. ait: vt fiat auditus, oportet vt sensorium afficiatur.

A Explicandum ergo quodnam ſit propriam hoc obiectum, quæ cauſſa efficiens, & quod ſubiectum illius
obiecti. Obiectum ergo eſt ſonus, cap. 6. lib. 8. de vſu part. At hic ſonus fit in aure, ſed tamen extra au-
rem; quandoque etiam intra, ſed præter naturam: ſi extra, & in corpore, & extra corpus, cap. 4. lib. 1. de
ſympt. cauſſ. At quomodocunque fiat, neceſſe eſt, vt efficiatur ictus, & velox percuſſio, quæ fieri poteſt in
aqua, magis autem in aere, inter duo corpora ſolida, læuia. Galenus cap. 4. lib. 1. de ſymptom. cauſſ. ait: ſo-
nitum quandoque fieri in aure, cum tamen nihil extra ſonet, idque accidere propter motum, circa cere-
bri membranas. At ſoni ſubiectum eſt aer: ideoque aer requiritur vnus continuus, agitatus: vnde & ae-
rem internum, intra aurem exſiſtentem, agitari & commoueri oporteat. Fit ergo auditus, dum ſonus, ob
aeris ictum excitatus, perducitur per aerem, vſque ad ſenſorium.

B

CAPVT XXVII.

De applicatione methodi anatomicæ, ad Aures.

IAm cognoſcendum eſt, quomodo & partes auris, & tota auris concurrant ad propriam ſuam functio- Tranſitio.
nem, nimirum ad auditionem. Ideoque cum fiat auditus, ob ſonum per aerem ad ſenſorium produ-
ctum: facile patet, partem auris præcipuam eſſe finem meatus, vbi neruus dilatatus coiungitur, cap. 3. lib. 1.
de ſympt. cauſſ. Pars enim præcipua eſt neruus dilatatus ad finem, id eſt, ad labyrinthum, ad finem ſecundæ Neruus expanſus.
cauitatis. Hoc ſenſu Galenus cap. 6. lib. 8. vſu part. ait: cerebro ad aures deſcendere neruum, qui re-
cipit auditus obiectum; ſicuti cryſtallinus recipit obiectum viſus: vnde recte Auicennas dicit, hunc ner-
uum correſpondere humori cryſtallino in oculo. Galenus cap. 5. lib. 8 de vſu part. ait: aures obtinere ner-
C uos, quoniam aures affici debent. Et cap. 6. euidenter aſſerit, ad hunc neruum pertinere iudicium. Con-
currit hic neruus per temperaturam ſuam: cuiuslibet enim inſtrumenti pars præcipua, per craſin ſuam
determinatam concurrit. Concurrit etiam per conſequens, nimirum per mediocrem mollitiem, cap 5. l. 8.
vſ. part. Eſt enim hic neruus minus mollis neruo optico: mollis eſt propter ſenſum, quia molle facilius pa-
titur, cap. 6. l 8. vſu part. at mollities non eſt inſignis, gratia cuſtodiæ, quam natura maxime ſolet reſpicere;
ideoque maluit eligere mediocrem mollitiem, quam vt ſenſum faceret exquiſitiſſimum, qui non duraret.
Conducit etiam hic neruus per id quod accidit, id eſt, per magnitudinem: nam aures habent magnos ner-
uos propter ſenſum, cap. 9. l. 5. vſu part. hæc autem magnitudo potiſſimum ad latitudinem pertinet, non a-
lia de cauſſa, quam vt hic neruus particeps eſſe poſſit copioſi aeris ingeniti. Per ſitum cerebro viciniū con-
fert: nam ob hanc vicinitatem, non tantum facultas promte ad aures tranſmittitur, ſed etiam obiectum &
D ſuſceptum & cognitum defertur in cerebrum, in ſenſorium commune, c. 6. l. 8. vſ. p. Situs nerui recõditus,
facit ad tutelam, ne ita facile lædatur.

Aer ingenitus, concurrit, vt ſine quo non: ſine hoc enim nec receptio nec iudicium fieri poteſt. Aer ingenitus.
Nam quoad receptionem, Galenus cap. 2. lib. de org. odor. ait: aures obtinere corpus ſimile aeri, (id eſt, ae-
rẽ ingenitum) ad ſonos recipiendos aptum. Et cap. 6. lib. 7. plac. ait, auditus organum (non hic loquitur
de neruo expanſo, ſed de eius calido innato) eſſe aerium, & alterari a vocibus: quare alteratio & receptio
pertinet ad aerem ingenitum. Iudicium quoque pertinet ad hoc calidum ingenitum aerium: nam Gale-
nus c. 6. l. 7. de plac. ait: auditus organum eſſe aerium, quo proprias aeris affectiones, id eſt, ſonos & voces
dignoſcimus, & iudicamus. Et Ariſtoteles l. 2. de anima, inquit: aerem inſitum exacte ſentire, ſeu iudicare
E differentias motus aeris, id eſt, ſonorum: quatenus ſcilicet concurrit, vt ſine quo non: nam præcipuum or-
ganum eſt neruus expanſus, donatus aere ingenito.

Concurrit autem aer ingenitus, & per tenuem ſubſtantiam, & per ſitum. Per ſubſtantię ſuæ tenuita- Quomodo concurrat ad auditum aer ingenitus.
tem concurrit, ſecundum philoſophum l. 2. de anima, nam dum externus aer mouetur, etiam internus a-
gitatur. Sed hoc dictum recte, quæſo, intelligatur. Aer ingenitus, ſecundum philoſophum, eſt immobilis,
neque per labyrinthum errat, vel de loco ad locum mouetur, ſed hæret neruo expanſo, & hunc non de re-
linquit. Mouetur autem aer ingenitus motu alterationis, non locali: & hæc alteratio fit a ſono; dum enim
a ſono alteratur aer externus, fit vt etiam internus alteretur. Valeant ergo interpretes, qui putant Ariſto-
telem loqui de motu locali. Præterea aer ingenitus confert per ſitum, vt ſedem habet in meatu oſſeo, cui
neruus expanſus includitur. Sicut ergo calidũ innatũ, quod habet permiſtum ſpiritum animalem, in cry-
ſtallino reſidet: ita aer ingenitus reſidet in neruo expanſo.

F Myringa concurrit ad cuſtodiam c. 6. l. 8. vſ. p. operit enim & tuetur neruos: & cõfert per duritiem, Mẽbrana.
quæ maxime vtilis eſſe ſolet ad partium cuſtodiam. Notandum autem concurrere myringam, per medio-
critatem quandam inter raritatem & denſitatem: vt ſcilicet cuſtodire poſſet partem pręcipuam, nimirum
neruos, citra tamen impedimentum propriæ operationis, videlicet auditionis: nam per hanc mediocrita-
tem inter raritatẽ & denſitatem, tenuitatem & craſſitiem, poteſt ſine impedimento ſonos ſuſcipere. Sic er-
go membrana, per duritiem reſpicit cuſtodiam: ita per tenuitatem concurrit, vt melius fiat actio: qua de
cauſſa hominem auditum habere exquiſitum, ſcribit Ariſtoteles, c. 2. l. 5. de gen. anim. Myringa etiam con-
currit per id quod accidit, nimirum per ſitum, qui obliquus eſt ad meatum cartilagineũ, & rectus ad tym-
panum. Situs obliquus ad meatum cartilagineum, facit ad cuſtodiam: ſic enim quę auri extrinſecus occur-
runt, non ita facile poſſunt lædere. Recta autem ad tympanum eſt poſitio, nõ ratione cuſtodiæ, ſed vt me-
G lius fiat receptio, quia ſpecies promtius recta fertur.

Quantum ad oſſa: hæc in auribus duplicia ſunt, nimirum: Continentia, & contenta. Continentia, Oſſa continentia.
quæ meatum oſſeum conſtituunt, per ſuam duritiem ſeipſa cuſtodiunt; & ſunt etiam in cauſſa vt con-
tenta ſeruentur. Præterea per duritiem ſunt in cauſſa, ne parietes meatus concidant; quod fieret, ſi
meatus hic eſſet membraneus, vnde ſpecies audibiles ſine impedimento ingredi non poſſent.

Sed cum cartilagines etiam eam habeant duritiem vt non concidant: nihilominus hic meatus internus A
potius fuit osseus, quam cartilagineus; vt sic magis faceret ad custodiam. Præterea speciem audibilem ita magis seruat sonoram; qua ratione ossa non tantum ad custodiam concurrunt, sed etiam vt melius fiat actio. Concurrunt etiam ossa per densitatem, cuius beneficio externum aerem, qui pro reparatione aeris ingeniti ingreditur, continent. Per cauitatem concurrunt ossa: cuius beneficio hæc ossa sunt viæ speciei, & sunt ductus aeris. Concurrunt etiam ossa per conformationem anfractuosam, quæ in caussa est, ne aer incorrectus citra alterationem neruum recta petat: quod fieret, nisi meatus esset anfractuosus. Præterea meatus hic osseus habet plura foramina: quędam sunt viæ neruorum, quædam aeris, nonnullæ excrementi. Foramen ergo quod pertinet ad tympanum, est quod perducitur ad nares & palatum; cuius beneficio aer ingreditur meatum osseum, non per myringam, sed per meatus pertinentes ad nares: ideoque dum aer per nares inspiratur, portio ingreditur meatum osseum auditorium, pro refectione aeris B
ingeniti; vnde philosophus cap. 2. l. 5. gen. animal. ait, aures impleri spiritu, quomodo sunt vicinæ origini loci spiritalis, id est, per quem aer attrahitur. Concurrit etiam hic meatus osseus per magnitudinem; magnus enim est, vt plura admittere & continere possit corpora, habet quippe cauitatem triplicem, tympanum, labyrinthum, & cochleam: Vnde etiam mirum non est, si hic meatus per multiplices suas cauitates, est via excrementi, speciei, & receptaculum aeris. Excrementũ (quod pauci sciunt) suscipitur a tympano, per fenestram oualem, quæ pertinet ad labyrinthum: & cum nõ liceat, vt assiduo excrementa aggrediantur, fit vt fenestra hæc oualis non semper permaneat aperta, sed modo aperta, modo occlusa, quatenus scilicet clauditur a stapede. Species producitur, non per fenestram oualem; quæ non semper est aperta, cum tamen necessarium sit, vt species deferatur per fenestram, quæ perpetuo sit aperta: quare species ingreditur per fenestram tympani circularem, quæ perducitur ad labyrinthum, semperque aperta C
est: in labyrintho autem fit auditus, quia in eo neruus expansus residet, cum aere ingenito; deinde hęc species a labyrintho producitur in cerebrum, in sensorium commune. Sic ergo tympanum respicit excrementa, secundum fenestram oualem. Tympanum autem secundum fenestram circularem, & labyrinthus, respiciunt ingressum specierum. Tertia cauitas, quæ cochlea dicitur, est aeris receptaculum, nam aer inprimis recipitur a tympano, per fenestram circularem: vt autem aer detineatur, & detentus elaboretur & alteretur, opus est cauitate quadam ossea, quę sit cæca & occlusa, non ita aperta, ne facile aer egrediatur. Postremo concurrunt hæc ossa per situm: quatenus enim meatus hic osseus infra vergit, & ad meatum cartilagineum tendit, vtilis est, vt species suscipiatur. Vt autem hic meatus positionem habet superiorem, versus cerebrum; est in caussa, & vt facultas animalis suscipiatur, & vt communicetur species audibilis ipsi cerebro, seu communi sensorio. D

Officula. Quoad officula; Falloppius admodum diligens anatomicus, asserit officula moueri, vt concussa myringa malleolus commoueatur: at non affert caussam, quare moueantur. Pueriliter nonnulli, hæc officula speciem deferre dicunt: nam hæc officula pertingunt ad fenestram clausam, species autem debet deferri per fenestram apertam. Neque dici potest, quod hæc officula speciem conseruent, quia meatus osseus sufficit ad soni conseruationem. Quare hæc officula connumeranda sunt inter partes, quæ faciunt ad custodiam, & nerui expansi, & aeris ingeniti; sic autem decet conseruari partem instrumẽti præcipuã. Sane in hunc vsque diem horum officulorum vsus fuit incognitus. Ego vero statuo, hæc officula non esse partes principales, non sine quibus non, neque conferre vt melius fiat actio, sed facere ad custodiam. Omnes enim cuiusque instrumenti partes in hac quadruplici sunt differentia. Faciunt autem ad custodiam nerui expansi, & calidi innati huius nerui: quatenus horum officulorum beneficio, excrementa ex- E
purgantur. Nam sicuti hæc retenta, auribus & neruo expanso obesse possunt: ita dum excernuntur, neruus expansus custoditur. In nutritione nerui expansi (sicut in qualibet nutritione) necessario duo excrementa generantur, crassum, & tenue: idque non tantum in infantia, sed etiam in ætate prouectiore. Crassum igitur illud excrementum, genitum in labyrintho, secundum neruum expansum, necesse est vt expurgetur, ne ibi manens præcipuum instrumentum offendat. Non quidem verisimile est excerni per partes superiores: hoc enim excrementum, quia crassum est & terrestre, descendit, non ascendit. Si descendit, duplex tantum est via, & vtraque ad tympanum: vna per fenestram circularem, altera per oualem. Per circularem egredi nequit: per hanc enim ingrediuntur species; quæ hac ratione impuræ fierent, & auditus redderetur obtusus. Quare excrementum hoc descendit in tympanum, per fenestram oualem, quæ aperitur & clauditur, beneficio horum trium officulorum: aperitur, dum officula mouentur; clauditur, F
dum quiescunt. Verum, non tantum propria labyrinthi excrementa, per oualem fenestram descendunt; sed etiam cerebri excrementa, si quandoque in labyrinthum deferantur, per eandem descendunt. Nam in tenella infantium ætate, in qua humiditates magis redundant; fit, vt non tantum nerui expansi, sed etiam cerebri excrementa, destillent in labyrinthum: vnde etiam ipsius cerebri per aures fieri potest euacuatio, quemadmodum testatur Galenus eod. aphoris. 24. sect. 3. & c. vltimo, lib. 7. meth. Heic autem notandum cum Galeno, loco cit. lib. 7. method. cerebrum purgari per aures, & hinc per palatum. Innuit enim Galenus excrementum, quod producitur a labyrintho in tympanum, non necessario euacuari per myringam, & hinc per meatum cartilagineum, seu auriculas externas; sed ex auribus perduci ad palatum. Et in hanc sententiam Galenus quoque cap. 12. lib. 6. de tuen. san. statuens, aurium magnum esse vsum; subdit, materiam excrementitiam aurium, seu excrementa, quæ perducuntur ad tympanum, non esse G
excernenda per myringam, sed esse deriuanda ad nares & palatum. Ex his ergo patet, maximam horum officulorum esse necessitatem: vt, dum mouentur, & aperitur illa fenestra, materia illa excrementitia eo descendens, postea expurgetur per meatus, ad nares & palatum pertingentes.

Hæc

Hæc de horum oſſiculorum vſu iam & compoſitionis rationem reddere conabimur. Et primum, hæc oſſicula fuerunt parua, non magna, quoniam collocantur in ſede anguſta, in tympano: præterea fuere parua, quia ad aperiendum feneſtram, pro excrementorum purgatione, opus quidem fuit motu, ſed debili, qui oſſa magna non requirebat. Inſuper, quod hæc oſſicula, magnitudine ſua exigua præſtare non potuerunt, numero id ternario ſupplent. Quoad ſitum: malleolus ſpectat ad myringam, quia malleolus habet rationem baſis aliorum oſſiculorum: ſtapes ſpectat ad feneſtram, quia illam aperit, & claudit: incus reſidet in medio, vt hoc os cum vtroque reliquo coniunctum, in cauſſa ſit, vt ſtapes melius moueatur: prout enim ſtapes promtius mouetur, pro eo etiam feneſtra promtius aperitur, vt melius excrementa deſcendant.

B Quoad cartilagines, hæ pertinent ad aurem externam, ad tympanum, & ad oſſicula. Cartilagines auris externæ, per id quod conſequitur, nimirum per duritiem, quæ media eſt inter duritiem carnis & oſſium (cap. 12. lib. 11. de vſu partium,) conferunt, & ad cuſtodiam, & vt melius fiat auditus. Ad cuſtodiam quidem, quia hæc cartilago nec ita facile frangitur, vt oſſa; nec ita facile contunditur, vt caro: quod etiam Ariſtoteles habet, cap. 9. lib. 2. de part. animal. Sic ergo durities immediate facit ad cuſtodiam: mediate autem ſecundum Auicennam, confert ad auditum, quatenus figuram fornicis ſeruat apertam, ne concidat, vt ſpecierum ſoni via ſit patens. Præterea hæc cartilago immediate conducit, vt melior fiat auditio, cap. 12. lib. 11. de vſu part. vbi Galenus ſcribit, hanc cartilaginem per duritiem ſuam, fundere ſonum, vt efficacius agat in ſenſorium; ſonus enim efficacior ſeruatur beneficio ſubſtantiæ cartilagineæ, vt obiectum fiat potentius, & proinde magis ſtrenue agat in ſenſorium; vnde in cauſſa eſt, vt iudicium fiat exactius, & melior auditio. Cartilagines.

C Confert etiam cartilago per id quod accidit, nimirum per compoſitionem, id eſt, per ſuperficiem, figuram, meatum, magnitudinem, & ſitum. Iuuat per ſuperficiem: quia meatus cartilagineus (quem auriculas appellat Ariſtoteles) per ſuperficiem mediam inter piloſam & læuem, eſt in cauſſa, vt melius fiat auditus; nam ſuperficies prorſus æqualis, non ſeruaret motum: nimis autem piloſa ſuperficies impediret motum: media igitur maxime vtilis fuit, cap. 11. lib. 1. de hiſtor. animal. Per figuram cartilago confert ad cuſtodiam, & vt melius fiat actio. Ad cuſtodiam: quia cartilaginis flexuoſa figura, facit, vt non tantum aer corrigatur & contemperetur, ſed etiam corporum exiguorum impetus ea figura propulſatur, ne recta in aures ferantur, cap. 6 lib. 8. vſ. part. Præterea per hanc flexuoſitatem cartilaginis, portiones magis complicantur, cap. 12. lib. 8. de vſu part. Hæc quoque figura flexuoſa, vergit ad aliquam rotunditatem, quæ & ipſa ad tutelam facit. Inſuper figura flexuoſa eſt in cauſſa, vt melius fiat auditio, ſecundum Auicennam: hac enim flexuoſitate vox retinetur, nec ita facile diſſipatur. Et hoc etiam voluit philoſophus, cap. 2. lib. 5 de gener. animal. vbi ait: hominem procul minus audire, quam aliqua bruta, quia homo & minus longas, & minus intricatas ſeu flexuoſas habet auriculas. Per meatum etiam iuuat cartilago: quatenus eſt via vocis & ſoni. Confert etiam per magnitudinem, cum Galeno cap. 12. lib. 11. de vſu part. nam pro magnitudine ſua magis auget & fundit ſonum, quia in maiori quanto maior virtus. Verum talem eſſe oportuit magnitudinem, quæ non eſſet impedimento in homine, propter pileos & galeas, quibus homines vti ſolent. Conducit etiam per ſitum: nam cartilago ſurſum extenditur, & ratione ſoni, & vt meatus reddatur magis flexuoſus, vt impediantur quæ extrinſecus auribus incidere poſſunt, cap. 11. lib. 11. vſu partium. Cartilago tympani eſt in cauſſa, vt tympani membrana prope ſit oſſibus, & his inſeratur: æquum enim non erat, oſſa myringam ſine medio tangere. Oſſicula etiam cartilaginem obtinent ſecundum ſuos articulos, vt melius fiat motus. Et hinc myringa, dum tangitur a malleolo, non patitur: malleolus tangit myringam, ſed tangit ſecundum partem extimam, quæ eſt cartilaginea.

(The marginal letter D stands beside the line "& ipſa ad tutelam facit…", and E beside "enim non erat, oſſa myringam…".)

Ligamenta oſſiculorum, ſunt in cauſſa roboris articulorum, vt etiam in reliquis articulis. Ligamenta.

Cutis eſt ad cuſtodiam auris externæ. Cutis.

Organa communia, eundem habent vſum, quem in aliis partibus. Notandum tamen circa neruos muſculorum, eſſe neruum muſculi in tympano exſiſtentis, qui vim motricem defert in muſculum. Et hic concurrit, ſeu vtilis eſt per ſuam actionem, quæ eſt retractio incudis, vnde ſtapes etiam retrahitur, & hinc fit apertio feneſtræ, vt tandem excrementa egrediantur. Inſtrumēta communia.

F Quoad totam aurem: hæc confert per ſitum. Nam ſecundum Galenum cap. 5. lib. 8. vſu partium, cerebrum eſt in capite propter oculos: contra, reliqua inſtrumenta ſunt in capite propter cerebrum, nam organa quælibet ſuſcipiunt neruos a cerebro. Oculum propter ſuam actionem oportuit eſſe in loco edito, vt optima fieret viſio. Veſalius voluit etiam aurem in loco eminenti eſſe collocatam, cum ſonus in ſublime feratur. Sed decipitur Veſalius: nec enim in ſublime tantum fertur, ſed quo a ventis impellitur. Vnde Ariſtoteles cap. 10. lib. 2. de part. animal. ait: aures eſſe capitis partes, & ſecare caput in duas partes; quoniam auditus non modo fit per directum, vt viſio, ſed etiam vndique. Quatenus autem aures ſunt eminentes, conferunt, vt promtius deferatur ſpecies ad ſenſorium commune: neque ſecundum ſitum dextrum vel ſiniſtrum plurimum prodeſt; quia non eſt differentia inter dextram & ſiniſtram aurem, com. 44. lib. 6. epidem. Auris tota.

G

CAPVT XXIIX. A

De Olfactus organo.

Nomen.

GAlenus c.4.l.1.de ſym.cauſ.ait:naſi finem eſſe organum odoratus. Vbi per organum olfactus, non intelligit organum adæquatum. Nos autem in præſentia organum adæquatum intelligimus; & propterea nõ modo finem narium, ſed & finem, & totos nares: & liceat hoc organum adæquatum nominare naſum, vel nares.

Definitio.

Quamobrem, naſus eſt, *inſtrumentum genitum e carne propria, ſpiritu vaporoſo, oſſibus, cartilagine, membrana, cuti, communibus organis, & muſculis; a propria generatrice; gratia olfactus.* In huius definitionis explicatione, ſaltem circa cauſſam effectricem & finalem verſabimur. Quo igitur ad cauſſam effectricem; videndum, quomodo ſe gesserit, circa fabricam omnium particularum, e quibus conſtitutum eſt hoc olfactus organum. B

Propria caro organi olfactus.

Primum diximus inſtrumentum hoc genitum eſſe e propria carne. Per propriam carnem intelligimus eam huius organi particulam, quæ ad proportionem reſpondet cryſtallino in oculo: quæ ſane particula nihil aliud eſt, quam quoddam cerebri germen, e quo conſtituuntur duo proceſſus, pertinentes ad ventriculos anteriores cerebri, qui proceſſus ſunt ſatis ſimiles neruis. Galenus cap. 5. lib. 7. de plac. hos proceſſus vocat extrema anteriorum ventriculorum cerebri. Vnde cap.10.l.3.loc. aff. ait; olfactus organum eſſe in fine ventriculorum cerebri: quem locum Galenus vocat proceſſus mammillares, ſeu papillares.

Alteratrix huic particulæ tribuit temperiem, admodum ſimilem temperamento cerebri, nimirum frigidã & humidam; nam hi proceſſus, ſunt cerebri germina: nihilominus cerebri ſubſtantia aliquãtulum C magis frigida eſt & humida, quam hi proceſſus.

Alteratrix etiam dedit id quod hanc temperiem ſequitur, nimirum mollitiem & albedinem. Et cum hæc propria caro ſit minus frigida & humida, quam cerebrum: hinc factum eſt, vt fieret minus mollis, quam ſubſtantia cerebri; ſed mollior ſubſtantia neruorum, dum ſcilicet nerui progrediuntur, & extenduntur. Minus ergo mollis eſt, & neruo optico, vt degenerat in retiformen, & neruo expanſo. Cum igitur hæc caro ſit frigida, humida, & mollis; recte dixit Ariſtoteles cap.9.l.2.de anima, olfactus organum non eſſe exactum perfectum; qui organum tale debet eſſe potentia, quale obiectum eſt actu; quia obiectum agit in ſenſorium, & hoc in ſui naturam conuertere debet: at obiectum, id eſt, odor, habet rationem ſicci: quare & organum olfactus potentia ſiccum eſſe debet, vt actu ſiccum reddatur ab obiecto odore. Verum, cum hi proceſſus mammillares ſint actu frigidi & humidi, & quidem valde humidi: non D niſi maxima difficultate ad ſiccitatem reduci poſſunt. Propterea, ſecundum Ariſtotelem, ratione huius difficultatis homo obtuſe & remiſſe olfacit: & nihil percipit, ſeu olfacit, abſque vel dolore, vel voluptate, quia ſcilicet oportet, vt obiectum efficaciter agit, propter organi imperfectionem, id eſt, propter eius humiditatem. Id ergo homini euenit in olfactu, ab organi imperfectione, quod contingit brutis in viſione, habentibus duros oculos: vnde opus eſt, vt obiectum efficaciſſime agat. Hic Ariſtoteles (dicant alii quicquid velint) reſpicit non tantum ad receptionem, ſed etiam ad iudicium: bruta non tamen melius recipiunt, ſed etiam melius iudicant odores, quam homo; ob huius carnis papillaris imperfectionem & humiditatem: vnde Ariſtoteles c.9.l.2.de anima, & in l.de ſenſu & ſenſil.ait; non ita manifeſtum eſſe, quid ſit odor, ſicuti patet, quid ſonus, quid color; ideoque hominem ait a pluribus animalibus ſuperari in olfactu, licet ſapores exquiſite percipiat, & multo exquiſitius quam odores, quia ſcilicet organum in homine E eſt impurum, ob humidam temperiem. Porro notandum, impuritatem organi in homine eſſe duplicem, natiuam, & aſſcititiam. Natiua eſt, quoniam hoc cerebri germen magis eſt humidum, quam requirat olfactus, potius enim deberet eſſe ſiccum. Accedit impuritas aduentitia, quia cerebrum excrementa & copioſa, & humidiora demittit in organum olfactus. Et propterea dicit Ariſtoteles, problem. 10.ſect.33. hominem parum valere olfactu, quia latiora habet foramina, ob quæ promtius ſuperfluitates admittit.

Generatrix autem per formatricem, hanc propriam carnem formauit teretem, & latiorem, quam profundiorem: eſt enim oblonga, concaua, conuexa, ſed ſine cauitate, & rara, cap.2.l.de org.odor. Quoad ſitum, oritur a ventriculis cerebri anterioribus, & defertur inter cerebrum & os ſphenoides, & os frontis, & deſinit in ethmoides. Galenus cap.6.lib.8.de vſu part.dicit, olfactus organum eſſe repoſitum in cranio, F ſecundum illam partem, quæ continet vapores. Eodemque modo cap.5.lib.2.de plac.ait, propriam carnem huius inſtrumenti habere ſedem, vbi cerebri ventriculi anteriores ſunt vaporoſi.

Spiritus vaporoſus.

Recte ſecundo loco diximus, hoc inſtrumentũ conſtitutũ eſſe e ſpiritu vaporoſo: quemadmodũ euidentiſſime teſtatur Galenus cap.6 l.8.vſ.part.& cap.5.lib.7.de plac. præterea cap.2.& 4.l.de org. odor. ait, olfactus organum eſſe ſimile vapori. Vapor autem ſecundum Galenum cap.6.lib.1.de ſymp.cauſſ. eſt humor attenuatus: quare hoc olfactus organum eſt tenuius organo guſtus, quia organum guſtus eſt humoroſum aqueum. Hinc Galenus cap.2.l.de org.odor.ait, organum olfactus eſſe medium inter aerem & humorem, vt ſit craſſius aere, tenuius humore. Et cap.6.lib.5.de ſympt.cauſſ.ait; olfactus organum eſſe halituoſum. Non loquitur de proceſſibus mammillaribus, ſed de calido innato organi olfactus. Proinde calidum natiuum in proceſſibus illis, non eſt ſimplex, ſicuti in organo tactus, ſed particeps vaporis. G Hinc Galenus cap.6.lib.8.vſu part.dicit, olfactus organum eſſe cerebri ventriculos anteriores, non omnibus modis, ſed quatenus hæc caro vaporoſum ſpiritum continet. Et cap.22.lib.4.ſimplic. Galenus dicit, non omne odoratũ eſſe ſuaue: ſuaue enim illud eſſe, quod familiare eſt ſpiritui, vapori, calido innato, contento in ventriculis cerebri; inſuaue autem quod non eſt familiare. Heic procul dubio per ſpiritum Galenus

A nus nihil aliud intelligit, quam calidũ innatum vaporosum, non spiritum animalẽ. Galenus hoc videtur accepisse a Philosopho, qui l. de sensu & sensili ait; odoratus sensorium in capite contineri, & cum halitu spirituoso ferri, vt ad spirantem penetret locum. Quare per spiritum halituosum, Galenus intelligit calidum innatum, particeps halitus, vaporis. Hoc sensu etiam philosophus cap. 4. lib. 2. de gen. animal. ait; olfactus meatus esse plenos spiritu natiuo: & addit hos meatus contingere aerem externum; vt scilicet ex hoc aere externo, verso, seu mutato in vaporem, seruetur calidum innatum ipsius olfactus.

Præterea generatrix hoc instrumentum formauit ex osse ethmoide, cap. 7. lib. 8. de vsu partium. Ossa.
Hoc os colum dicitur, propter foramina quibus est præditum: hæc foramina sunt instar foraminum cribri, seu spongiæ, sunt enim etiam tortuosa, ad similitudinem spongiæ, & quidem plura sunt foramina
B tortuosa & anfractuosa quam recta. Habet autem hoc os quatuor partes. Prima est processus superior, qui iacet inter processus papillares. Secunda, est ad similitudinem cribri perforata, & subiicitur duræ membranæ. Tertia est processus inferior, qui superiori processui ex aduerso respondet, & partes narium superiores distinguit. Quarta est spongiosa, quæ vtramque superiorem narium partem implet, & perficit oculi orbitam. Et hæc de ossibus magis internis.

Externa magis ossa, secundum Galenum cap. 19. lib. 11. vsu partium, formata sunt minus dura reliquis, id est, ossibus malarum & maxillarum. Et hæc ossa, vna cum septo, tria sunt: duo quidem (cap. 4. lib. de org. in. odor.) discernuntur suturis, a medio nasi & superciliorum, & recta a summis partibus ad imum narium procedunt: tertium os dicitur septum, & cum Galeno com. 4. sect. 1. lib. 6. epid. diuidit foramen nasi; hoc septum ducit originem ab octauo osse capitis, & desinit super os, quod supra oritur ab osse fron-
C tis, & terminatur ad nasi finem, vbi pinnæ narium sunt locatæ. Porro hæc ossa ita sunt collocata, vt efficiant nares foraminibus donatas. Foramina autem e cap. 2. lib. de org odor. duo sunt: quorum vtrumque supra media nasi loca, efficit canalem quendam osseum, qui tria habet foramina; vt declarat Galenus cap. 11. lib. 10. vsu partium, vnum foramen est pars ossis intima, quod foramen quandoque est via excrementorum cerebri, & est etiam via aeris. Secundum foramen propositi canalis est eminens, vt canalis osseus sursum tendit ad cerebrum, & pertingit ad foramina tortuosa ossis spongoidis. Tertium foramen vergit ad oculos, & pertinet ad radicem oculorum.

Cartilagines, e quibus hoc instrumentum constat, vocantur alæ, cap. 12. lib. 11. de vsu partium, & sunt minus duræ reliquis cartilaginibus, ita vt accedant ad substantiam, seu duritiem ligamenti. Sunt etiam satis tenues, cap. quarto, lib. de oss. Hæ cartilagines aliquando tres proponuntur: duæ nominantur pin- Cartilagines.
D næ, seu alæ, quæ pertinent ad latera & annectuntur ossibus: tertia autem præterea est cartilago, quam Aristoteles, cap. 11. lib. primo de histor. animal. vocat septum, quæ duas intersecat, & inuicem dirimit: diligentiam tamen adhibens, cognoscet, septum hoc nil aliud esse, quam portiones alarum, quatenus hæ duplicantur. Quare duæ sunt cartilagines, sed duplicatæ: vt propterea Galenus non sit reprehendendus.

Membranæ in organo odoratus tripliciter sunt perpendendæ: primum, vt tegunt processus mammillares: secundo, vt sunt via speciei odorabilis: tertio, vt pertinent ad nasi meatum. Si primo modo sumantur, membrana est tenuis meninx, quæ processus mammillares, vtpote cerebri germina tegit. Excipitur extrema portio processuum mammillarium: hæc enim non tegitur a tenui membrana: nam, vt pro- Membranæ.
E cessus mammillaris porrigitur in sinum, custoditur a sinu, vt membrana non egeat; vt hinc etiam species odorabilis promtius permeet, sine aliquo impedimento. Si membrana sumitur secundo modo, vt via speciei: cum Galeno c. 2. l. de org. od. & c. 6. l. 8. vs. part. hæc membrana pertinet ad olfactus organum, vt est operimentum narium, & est foraminulentum. Rara hæc est membrana: & nihil est aliud, quam portio duræ meningis, superposita ossi colatorio, & propterea est minutis foraminibus traiecta. Videtur quodammodo esse operculum illud, ab Aristotele propositum: quam sententiam licet Galenus improbet, nos tamen in applicatione methodi respondemus, etiam esse veram, & Galenum noluisse Aristotelem intelligere. Si denique tertio modo sumatur membrana, vt pertinet ad nasi meatum: hæc est dura, cap. 3. lib. de org. odo. & originem ducit e crassa meninge, vt sit communis ori, gulæ, & tracheiæ arteriæ cap. 16. lib. 9. de vsu partium.

F Cutis in homine est sine pilis: homo enim animal est mansuetum, cap. decimo quarto, lib. vndecimo, de vs. part. Cutis

Quoad organa communia: Venæ & arteriæ sunt exiguæ. Non repugnat his, quod copiosus sanguis prodit a naribus: hic enim effluit, non e propriis narium vasis, quæ sunt exigua, sed e vasis tenuis meningis, qui a cerebro prodeuntia ad nares proueniunt, Nerui pertinent, vel ad tunicam narium, vel ad musculos. Pertinentes ad tunicam, sunt molles, & oriuntur a tertio pari neruorum cerebri, cap. quinto, lib. octauo, vsu partium, cap. tertio, lib. decimo, vsu partium. Addit Galenus cap. 3. lib. de organ. odor. hos neruos esse minores neruis spectantibus ad tunicam linguæ. Nerui autem ad musculos pertinentes, prodeunt a neruis, qui per maxillam superiorem feruntur, & sunt propagines tertii paris, cap. 17. lib. 11. vsu partium. Instrumẽta communia.

G Nares denique, quatenus mobiles sunt, obtinent musculos c. 11. lib. 1. de histor. animal. Hi autem musculi duo sunt, sed exigui, & oriuntur a malis, & in nasi alam, sibi correspondentem desinunt, c. 17. l. 10. vs. p. & c. 3. l. de musc. dissect. Vesalius addit musculum quendam membraneum, satis tenuem, in interna narium amplitudine collocatum; qui interdum obseruatur. Musculi.

Naſus totus.

Quoad totum naſum:ſi de totius inſtrumenti temperatura dicere velimus, quæ ſecunda tempera- A
tura vocari poteſt;ea eſt frigida & ſicca: quia partes conſtituentes,in hoc dominantes, ſunt frigidæ & ſic-
cæ.Sequitur id quod accidit,& præſertim figura, ac ſitus. Figura narium modo eſt reſima, id eſt, depreſ-
ſa,quæ humiditatẽ ſignificat;modo acuta,ſeu adunca,ſeu curua,quæ ſiccitatem indicat, c. vlt. l. 2. de tem-
pera. Situs patet.

Finalis cauſſa.

Genitum autem eſt hoc inſtrumentum gratia olfactus,cap.11.lib.1.de hiſtor.animal. ideoque nares
compoſitæ ſunt ad meliorem vitam,cap. 1. lib. 14. de vſu part. Nec tamen ad meliorem ſolum vitam,ſed
etiam ad vitam nares conferunt:nimirum ad reſpirationem,& ad excrementorum purgationem, quæ a-
ctiones vitam reſpiciunt,cap.6.l.2.de ſem.Nos autem in definitione tantum præcipuam actionem poſui-
mus;cum olfactus præcedat reliquas actiones,teſte Galeno cap. 6. l. 8. vſu part.vbi inquit, nares primum
conditas eſſe gratia olfactus, ſecundo gratia reſpirationis, tertio merito excrementorum expurgando- B
rum.Sed dubium oritur,quomodo Galenus cap.11.lib.11.de vſu part.dicat, nares eſſe primum reſpirandi
organum.Reſponſio,Galenus hoc loco non anteponit reſpirationem olfactui;ſed comparat naſum ori,
in reſpiratione,& naſo ea in parte primum locum tribuit:ideoque etiam philoſophus c.11.l.1.hiſt. anima.
ait,naſum præbere meatum ſpiritui,id eſt,aeri. Ariſtoteles quoque ſentit, olfactum non modo meliorem
vitam,ſed etiam vitam reſpicere:nam in l.de ſenſu & ſenſili dicit;animalia cibum ſentire per odorem, i-
deoque bruta exquiſitiſſime odorari. Et ait ibidem Ariſtoteles,dari ciborum genus,quod hominis pro-
prium eſt, ad hominum ſalutem: eſt autem odor, qui cerebrum calefacit: vt in applicatione methodi di-
cemus.

Quomodo fiat olfactus.

Quoad modum,quo fit propria & præcipua huius inſtrumenti,operatio, nimirum olfactus, ſcien-
dum eſt cum Hippocrate in l.de carnibus,cerebrum humidum olfacere, vt aridorum odorem vna cum C
aere per corpuſcula cartilaginoſa trahit: ideoque, vbi naſi cauitas eſt ſicca, exactius fit olfactus: & cere-
brum non olfacit aquam(niſi putrida ſit)quia aqua humidior eſt cerebro. Fieri autem olfactum dicit
Hippocrates,naribus non repletis, vt ſcilicet aer trahi queat. E quibus verbis colligitur primum, cere-
brum eſſe illud quod olfacit: ſecundo,cerebrum humidum ſentire odorabilia arida,id eſt, cerebrum hu-
midum pati ſeu affici ab obiecto ſicco;& proinde organum ſiccius,promtius affici: tertio, olfactum non
fieri ſine attractione aeris,vt etiam fatetur Galenus c.3.l.de org.od. Obiectum ergo olfactus, ſunt ſpecies
odorabiles.

Subiectum ſpeciei odoris duplex.

Harum ſubiectum eſt ſubſtantia vaporoſa,quæ ambienti permiſcetur, & per nares inſpirata in ce-
rebrum defertur,cap 22.lib.4.ſimpl.Cum ergo & aer,& vapor ſit ſubiectum ſpeciei odorabilis;ſciendum,
aerem magis eſſe principalem: nam, ſi corpus odorabile plurimum a naribus diſtet; tunc aer inſpiratus D
per medium vaporem ſuſcipit ſpeciem,eamque ad nares defert, & ad organum olfactus. Hac de cauſſa
Auicennas ait:medicos accipere a philoſophis, odorem reſidere in aere,tanquam in radice,id eſt,in ſub-
iecto,ſecundum viam delationis;aer enim ſpeciem defert:& addit, aerem deferentem adiuuari a vapore,
prodeunte e corpore odorato.Hinc ergo patet,aerem eſſe ſubiectum principale, & vaporem habere ra-
tionem adiuuantis.

Phyſica quidam de olfactu.

Calor eſt cauſſa efficiens odorum.

Sed non erit abs re,altius quædam a philoſophis repetere. Cum igitur olfactus fiat, quoniam orga-
num alteratur a proprio obiecto:intelligere oportet,quodnam ſit hoc obiectum:& præterea, quomodo
ſenſorium ab hoc obiecto afficiatur. Ariſtoteles igitur, in l.de ſenſu & ſenſili ſtatuit, olfactus obiectum
eſſe olfactile,quod olfactile habeat facultatem eluendæ & abſtergendæ ſapidæ ſiccitatis, vt per calorem
ſubſtantia ſicca detergatur.Cum enim olfactus fiat in aere & aqua,quorum vtrumque eſt humidum: ne- E
ceſſe eſt,vt odor ſit materia natura ſapidæ ſiccitatis,in humido aereo,vel aqueo. Proinde etiam olfactile
ita affici oportet, vt a calore ſapida qualitas eluatur. Quoniam igitur calor eſt cauſſa efficiens odorum,
quatenus ſapidam qualitatem eluit:hinc euenit,vt inodora ſint inſipida,odora vero ſapida,ſicuti mare eſt
odoratum,quia ſaporem continet,& ſiccitatem ſapidam:præterea euenit,vt refrigerantia,odoris vim de-
leant & obtundant,calorem conſumendo ac hebetando,qui odorum eſt cauſſa efficiens.

Duo genera odorum.

His ita poſitis, notandum,duo eſſe odorum genera,ſecundum philoſophũ,loco citato. Vnum ge-
nus eſt ad agendum quod digeſtum eſt per ſaporem,qui ex accidenti ſuauis & inſuauis perſentitur. Hoc
I. primum odorum genus eſt,quod reſpicit alimentũ,quod eſt digeſtum per ſaporem,qui appetẽtibus qui-
dem ſuauis percipitur,ſaturis autem animalibus, nec amplius appetentibus,odores non ſunt ſuaues, &
id ex accidenti,verbi gratia,ſi eſca brutorum aſpergatur floribus,aut moſcho,&c.nulla reddetur ſuauitas, F
nullus obſeruabitur ſuauis odor.Cum ergo hoc primum odoris genus ex accidenti præbeat ſuauitatem:
fit vt eiuſmodi odor per ſe nec ſuauis,nec inſuauis ſit,ſed tantum per accidens. Et hoc odoris genus et-
II. iam ad bruta pertinet:ſic enim aper, verbi gratia, per odores cibum exquiſite perſentit. Aliud eſt odo-
ris genus,quod non reſpicit alimentũ,vt odor florum, qui non ex accidenti, ſed per ſe ſuauis aut inſuauis
eſt. Et hoc odoris genus hominis eſt proprium,neque brutis competit: ratio eſt; quia cerebrum homi-
nis eſt frigidum, humidum & amplum, ideoque gratia vitæ ac ſalutis, eget calefactione; quam præ-
ſtat hoc ſecundum genus odorum, quod ſua natura eſt calidum. Quare hic odor, ſecundum philo-
ſophum,reſpicit vitam,facitque ad firmam valetudinem. Ex his intelligitur, odorem non adiuuare ali-
mentũ quatenus eſt odor: non enim omnis adiuuat,ſed ſaltem primum genus; ſecundum autem, quod
ad hominem tantum pertinet, non adiuuat, ſed confert ad valetudinem, ad calefaciendum cerebrum. G
Sed heic notandum, hoc ſecundum odorum genus per ſe eſſe odorem, quia per ſe ſpirat ſuaue & inſua-
ue:primum autem genus per accidens eſſe odorem, quia ex accidenti ſuaue & inſuaue ſpirat. Deinde
notandum eſt, hoc ſecundum genus, conferre quidem ad vitam, vt habet vim calefaciendi; ſed præ-
terea conducere ad meliorem vitam, quatenus odoris ſcientia habetur, quia nihil poteſt eſſe in intelle-

ctu,

A ctu quin prius in sensu fuerit, & propterea ad solum hominem pertinet. Hinc colligitur hominem in
sensu olfactus non omnibus modis a brutis superari: nam licet homo superetur a brutis in odore ali-
mentali, attamen in odore qui per se est odor, homo bruta superat, vnde solus homo delectatur floribus
odoratis.

Porro, cum olfactile agat in sensorium, per medium aerem & aquam: si per aquam, olfactus fit si-
ne respiratione, si per aerem, cum respiratione. Hinc Philosophus cap. 10. l. 2. de part. animal. loquens
de olfactu, qui fit per respirationem, ait, nares sentire per respirationem, nec animal in aqua olface-
re. Et in l. de sensu ac sens. ait; in animalibus quæ spirant, olfactum fieri per inspirationem. Et capit. 9.
l. 2. de anima ait, non olfacere sine respiratione, esse hominis proprium, id est, omni homini conue-
B nire, non autem soli, quia etiam bruta quædam per inspirationem olfaciunt. Verum aliis in locis Philo-
sophus, respiciens ad olfactum, qui non fit in aere, sed in aqua) non enim vno semper modo Aristote-
les loquitur,) inquit, animalia non spirantia, olfacere sine respiratione, cap. 9. l. 2. de anima. & in l. de
sensu & sensil. Sed ne quis duplicem olfactum hinc inferri putet, addit hoc fieri, pro discrimine organo-
rum. Sicut enim animalia, quæ habent oculos molles, obtinent palpebras, quæ duros, non habent pal-
pebras ita in olfactu, quæ animalia non respirant, olfactus organum habent velamine destitutum: quæ
autem respirant, habent velamen, ad quod aperiendum & remouendum necessaria est respira-
tio.

Olfactus fit vel cum, vel sine inspiratione.

Non autem est ignorandum, cum philosopho in l. de sens. & sensil. olfactum tenere medium locum,
inter quinque sensus externos, ratione scilicet modi, quo fit olfactus. Nam gustus & tactus organa, tan-
C guntur ab obiecto; visus & auditus, fiunt citra obiecti contactum: at olfactus medio se modo habet, mo-
schus enim, verbi gratia, non tangit organum, id est, nares necessario, fit tamen per contactum, quatenus
substantia quædam vaporosa emanat, quæ perducitur ad sensorium, præsertim si olfactile sit vicinum, &
potissimum in homine, eius sensorium, quoniam non ita perfectum est, vt in quibusdam brutis, necesse
est, vt vapor sensorium petat.

Olfactus est inter sensus medius.

CAPVT XXIX.

De applicatione methodi anatomicæ, ad Nares.

D PArs præcipua instrumenti odoratus, non sunt nares externæ: quod Galenus c. 3. l. de organ. od. pro-
bat tum a constitutione partis, tum a modo quo fit olfactus. A constitutione quidem partis, quia cum
in naribus externis sint ossa, membrana, cartilago, horum nullum dici potest organum præcipuum: non
ossa, vel cartilagines, quia non sentiunt: non tunica, quia & substantia repugnat, & nerui, substantia, eo
quod odoratus organum non potest esse terrestre, qualis est tunica: nerui non respondent, quoniam ner-
ui spectantes ad tunicam sunt minores, quam nerui spectantes ad tunicam linguæ; at olfactus, vt tertius
sensus, supra gustum, neruos maiores postulat. Præterea a modo olfactus: odoratus fit per inspiratio-
nem; ergo præcipuum organum non est pars narium externa, sed quid magis reconditum. Hoc autem
nihil aliud est, quam propria caro, in quam ventriculi anteriores degenerant: ideoque Galenus cap. 10.
l. 3. loc. aff. & cap. 6. l. 8. vsu partium, ait; olfactus organum collocatum esse intra cranium in ventriculis
anterioribus.

Quænam instrumenti olfactus pars sit præcipua.

E Porro caro hæc propria concurrit ad functionem hanc obeundam, per crasin, per cōsequens, & per
id quod accidit. Per crasin concurrere, insinuat Galen. c. 10 l. 3. de loc. aff. vbi ait, olfactum lædi, dum cere-
bri anteriores ventriculi afficiuntur intemperie: si igitur intemperies est caussa læsionis, sane temperies e-
rit caussa instrumentalis, cuius ratione fit olfactus.

Processus mamillares

Concurrit etiam per id quod consequitur, id est, per mollitiem, quæ est maior, quam sit in gustu &
tactu, minor, quam in auditu & visu: est ergo mediocris mollities, quia sensus olfactus, medium locum ob-
tinet inter sensus externos.

Denique concurrit per id quod accidit, id est, per compositionem. Habet igitur teretem & orbicu-
larem figuram, quæ latior est, quam profundior. Est concauum hoc instrumentum, vt per hanc cauita-
tem prompte admittat, & sine detrimento excrementa cerebri. Nec tamen hinc Vesalius recte infert, Ga-
F lenum voluisse, hæc organa esse perforata: nec enim ita negligens fuit Galenus, vt hoc non viderit: ca-
uitatem habent quandam, fateor; non ob id tamen perforata sunt. Præterea concurrunt per raritatem,
cuius beneficio hi processus capaces sunt spiritus vaporosi, nam si essent densiores, non ita admitterēt ca-
lidum illud vaporosum. Concurrunt etiam per situm: portio enim hæc præcipua, ponitur in parte supe-
riori, vnde fit, vt facultas a cerebro prodiens, facillime suscipiatur, quia via est breuior; & hinc etiam fit, vt
species facile deferatur in cerebrum, seu commune sensorium. Quatenus autem hæc pars duræ membra-
næ proxime adiacet; fit, vt beneficio respirationis species suscipiatur per duram membranam.

Spiritus vaporosus concurrit, vt sine quo non potest fieri olfactus. Hinc Galenus cap. 6. l. 8. de vsu
partium, ait, ventriculos cerebri secundum processus mamillares extremitates spiritum vaporosum con-
tinere, vt a proprio sensibili alteretur. Cum enim debeat esse similitudo, inter organum & sensibile, opus
G fuit olfactus organum esse simile vapori, ideoque necessarium fuit, vt eius calidum innatum, permistum
haberet vaporem, c. 3. l. de org. od. Heic ergo notandum, quoniam pars præcipua obtinet temperaturam
& calidum innatum; & in sensatione, requiratur dignotio seu iudicium, & receptio: in iudicio primū lo-
cum obtinere temperamentum, in alteratione, calidum innatum vaporosum, alteratio enim fit a simili
& propterea vapor est id quod afficitur. Et hinc Galenus respiciens ad alterationem, c. 6. l. 7. de Plac. ait: ol-
factus organum vaporosum a vapore alterari.

Calidum innatum organi odoratus.

Quoad ossa, hæc sunt dura, ad custodiam. Per conformationem autem sunt via aeris inspirati, & pituitæ, a cerebro defluentis. capit. 6. l. 2. de sem. præcipuus quidem vsus est caussa olfactus, alter caussa aeris, tertius caussa excrementorum. cap. 6. l. 8. de vsu partium. Cum igitur ossa narium concurrant per foramina; sciendum, hæc pertinere vel ad os ethmoides, vel ad amplam cauitatem narium. Foramina ethmoidis, sunt recta & flexuosa: recta sunt in caussa, vt melius fiat actio, id est, olfactus, spiritus enim promtius per recta foramina ingrediuntur, c. 10. l. 3. loc. aff. flexuosa concurrunt ad tutelam, non vt melius fiat actio: nam nisi hæc foramina essent aliquantisper flexuosa, aer non refractus repente cerebrum peteret, & sic illud læderet. capit. 6. & 7. l. 8. de vsu partium. Neque obstat, quamuis flexuosa hæc foramina sint in caussa, vt non ita promte cerebrum expurgetur, nec ita facile odoris species ingrediantur, nam magis læderetur cerebrum ex aere per recta foramina irruente: vnde natura magis ad cerebri tutelam respexit. Foramina amplæ cauitatis narium, sunt in duplici differentia: pertinent enim vel ad palatum, vel ad oculos. Pertinentia ad palatum, sunt ad tutelam; primo, vt vacuatio per os, seu screatum per hæc fiat, cap. 2. l. de organ. odor. deinde, vt (cum spiritus per nares) aer non recta, sed oblique ad tracheiam perueniat, ideoque nec frigidus, nec purulentus pulmonibus noceat, cap. 11. l. 11. vsu partium. Foramina pertinentia ad oculos cum Galeno c. 11. l. 10. vsu partium, duplicem præbent vsum: primum enim sunt via nerui tertii paris, quia in narium tunicam disseminatur, cap. 16. l. 9. vsu partium, deinde, vt oculi excrementa fluant in nares, nam satius est, vt per nares, quam vt per oculos fluant. Conferunt etiam hæc ossa per situm: nam os ethmoides est appositum membranæ perforatæ: foramina enim ethmoidis, beneficio huius situs vtilia sunt, secus non. c. 16. l. 8. vsu partium. Præterea tenuia sunt narium ossa, ne essent oneri. c. 19. l. 11. de vsu partium. Septum, os est ad tutelam faciens, partes a se distinguens, vt vna læsa, reliqua integra maneat.

Cartilagines. Cartilagines connumerantur inter partes ad tutelam. Concurrunt per suam duritiem, quæ determinata est, id est, remissior duritie ossium: si enim nares prominentes essent ex ossibus conflatæ, facile frangi potuissent, capit. 9. l. 2. de part. animal. cap. 11. & 12. l. 1. vsu partium. Adhæc cartilagines per mediocrem duritiem iam propositam, citra articulos mouentur. Et hic motus non est superuacaneus, maxime enim confert ad inspirationem, & exspirationem, c. 13. l. 11. vsu part.

Membranę. Quoad membranas: tenuis facit ad custodiam: os enim tegens, tuetur processus mamillares. Dura membrana accipitur, & quatenus est media inter os ethmoides & processus mamillares, & quatenus obducit cauitatem illam amplam meatus, cap. 6. l. 8. de vsu partium. Dum igitur est media, inter os ethmoides, & processus mamillares, rara est & perforata, & sic viam vapori præstans, conducit ad olfactum, conducit ad inspirationem, vt est via aeris ad cerebrum: conducit ad euacuationem, vt est via excrementi. Et sic dura membrana, per raritatem seu foramina, id est, per id quod accidit, summæ est vtilitatis. Notandum autem huius membranæ foramina non habere operimentum cap. 5. l. de organ. odor. vbi etiam Galenus refutat Aristotelem, qui voluit, hæc foramina obtinere operculum, vbi olfactus fit cum respiratione, vt in animalibus quæ respirant. Sed ego puto, Galenum, quia omnia cognouit, noluisse Aristotelem intelligere. Dico ergo pro Aristotele: foramina in aliquo instrumento dupliciter accipi posse: primo modo cum deperditione partis perforatæ, verbi gratia, perforatis ossibus, foramen semper est apertum, nisi habeat operculum, quia foramen factum est, cum ossis deperditione: talia etiam sunt illa orificia in corde, quæ membranis teguntur. Secundo modo accipitur foramen, vt fit sine deperditione substantiæ, verbi gratia, quando fit foramen in substantia molli, tunc id fieri potest citra ablationem alicuius portionis: & hoc foramen non est peruium, seu reclusum, nisi recludatur impetu materię occurrentis: ideoque ipsum habens operculi rationem, non eget alio operculo, aperitur enim a materia cum impetu occurrente. Hoc secundo modo Aristoteles accipiens foramina in l. de sensu & sensil. ait, in animalibus quæ respirant, spiritus seu aer id abducit, quod est veluti operculum. Non ergo vocat operculum, sed veluti operculum. Et l. 2. de animo inquit: in olfactu operculum abduci e dilatatione foraminis membranæ, non ossis: nam ossis foramina non possunt dilatari. Et hæc pro Philosopho. Quoad membranam, quæ pertinet ad cauitatem nasi: hæc vtilis est, vt custodit, tegitque: præterea vt fit sensus per neruos, ca. 17. l. 4. vsu part.

Cutis. Cutis est ad custodiam: vt alibi dictum.

Vasa. Vasorum vtilitas, aliunde petatur. Id de neruis notetur, conferre eos per mollitiem: nam nasus eget tactu exquisito, propter custodiam cerebri, c. 3. l. 16. vsu part.

Musculi. Musculi per suam actionem conferunt, ad apertionem alarum, gratia inspirationis, vt hinc etiam species odorabilis ingrediatur. c. 3. lib. de dissectione muscul.

Nares. Quoad totum instrumentum. Nares sursum locatæ sunt, quoniam odor superiora petit. Præterea collocatæ sunt prope os, quoniam esculentorū iudicium pertinet ad nares. Hic ergo situs naribus obtigit, & ad custodiam, & vt melius fiat operatio. Præterea cum Galeno cap. 14. l. 11. vsu partium, hoc instrumentum per exspirationem facit ad custodiam præcipui organi, dum sc. fuliginosa caliditas excernitur. Hęc de instrumento olfactus.

Caput XXX.

De Gustatus instrumento.

Nomen. PEr instrumentum gustus, illud intelligimus instrumentum, quod compositum est non simpliciter e lingua, sed e lingua donata musculis.

Definitio. Quare lingua sic affecta, hunc in modum definiri poterit: quod sit *instrumentum, genitum e propria carne, spiritu aqueo, tunica, ligamentis, organis communibus, glandulosis corporibus, & musculis, a propria*

A *propria generatrice, gratia gustatus.* Pro explicatione huius definitionis, versabimur circa caussam efficien-
tem, & finalem.

Quoad caussam efficientem, primum sciendum quomodo se gesserit circa generationem proprię
carnis. Hæc propria caro, vocatur pars similaris, & distinguitur a tunica linguæ, c.4.l.1. de sym.causs.dici- Propria linguæ caro.
tur etiam peculiaris & propria linguæ substantia.c.5.l.3, aliment. Quoad crasin: est minus calida, quam ca-
ro musculorum, & magis calida quam caro glandulosa, c.6.l. 3.alim. Hinc cap.4.l. 3.de cibis bon. & mal.
succi, ait, linguæ naturam esse glandulosam, seu accedere ad temperiem glandulæ. Quoad consequens:
hæc caro est mollis, magis quam caro proprie ita dicta, & minus, quam corpus glandulosum. Quoad for-
B matricem facultatem. Formauit hanc carnem spongiosam, com.14.l.6.epid.ca.5.l.3.alim.c. . .l.de org.od.
& apud Aristotelem c. 11.l.1.hist. anim.

Sed propria hæc caro donata est spiritu aqueo; non luminoso, vt in oculis, non aereo, vt in auri-
bus, non vaporoso, vt in organo olfactus. Galenus capit.2. l. 4.loc.aff. ait: tangendi sensorium esse cras- Spiritus aqueus.
sius, minus crassum, sensorium gustus, adhuc minus, sensorium olfactus, minime crassum organum
visus. Hoc in loco Galenus respicit ad calidum innatum cuiuslibet instrumenti: nam si loqueretur de
præcipuis partibus, verbi gratia, in oculis de crystallino, falsum esset organum visus (id est, crystallinum)
esse tenuius, aere ingenito auribus, seu instrumento auditus. Cum ergo tactus organum sit terrestre, ol-
factus organum sit vaporosum: gustus organum sine dubio erit aqueum, nam substantia aquea est mi-
nus crassa substantia terrestri, & magis crassa quam substantia vaporosa, & recte quidem, cum gustus sit
C sensus magis spiritalis, quam tactus, & minus quam olfactus. Huc respiciens Galenus ait, gustum esse
naturæ humidæ, id est, aqueæ, capit. 6.l. 1. de sym.causs. Per humidum enim hoc loco non potest aer
intelligi, quia hic pertinet ad organum auditus: & præterea Galenus cap. 2.l. de organ. od. cap. 5.& 6. l.
7.de Placit. euidenter scribit, gustus organum esse humidum aqueum. Quapropter hoc organum ni-
hil aliud est, quam calidum innatum, quod habet permistam substantiam aquosam. Huc facit quod
Galenus scribit, com. 3. sect. 1.l.1. prorhet. linguam habere humiditatem connatam, e vasis & glan-
dulis saliuam fundentibus. Ex his verbis colligitur, primum, calidum linguæ innatum particeps esse hu-
moris: deinde, cum addit, per vasa, & glandulas communicari hoc calidum innatum linguæ, colligi-
tur, hoc fieri per vasa, quæ deferunt alimentum, vt in aliis partibus, ad conseruationem calidi innati
simplicis quod passim in toto corpore reperitur, & per glandulas, quæ portionem aquosam saliua-
D lem gignunt. Quemadmodum enim ventriculi cerebri generant spiritum animalem, quem tribuunt
crystallino, pro restauratione calidi innati crystallini: & quēadmodū aer externus mutatur & corrigi-
tur, vt vertatur in aerem ingenitum, pro organo auditus, & vaporem, pro organo olfactus: ita et-
iam pro restauratione humiditatis aquosæ calidi innati linguæ, opus fuit, vt per corpora glandulosa,
generaretur hæc materia aquosa salíualis, ita vt conseruaretur calidum innatum organi gustus. Hinc
Galenus com.aphorism.39. sect. 5. dicit: vt sanguis est superfluus in hepate, semen in testibus, ita sa-
liua in lingua. Et sicuti sanguis hepatis, vt est superuacaneus ratione hepatis, est alimentum reli-
quarum corporis partium: ita corporum glandulosorum saliua, est quidem superuacanea, ratione
corporis glandulosi, ac proinde est alimentum faciens ad conseruationem calidi innati linguæ. Hoc A-
uicennas non ignorans, ait: linguæ rorem, id est. humiditatem roridam, natiuam, aqueam, a saliua con-
E seruari.

Tunica, e qua hoc instrumentum est genitum, communis est ventriculo, palato, gulæ.com.30.l. 3. Tunica.
prognost. Quatenus autem pertinet ad linguam, ab alteratrice facta est minus dura, quam palati tunica,
Aristoteles ait, eam in brutis varie esse [est consequens] coloratam, c.6.l.5.de gen. animal. Sed quia est sa-
tis tenuis, hic color non ita obseruatur, quēadmodū monet Philosophus, probl.6.sect.4. hoc autem acci-
dit huic tunicæ, quia potest aliquo modo recenseri inter partes externas.

Ligamentum fuit mediocre in longitudine, c.10. l. 11. de vsu partium, Vesalius addit, esse reflexum, ita Ligamentū
vt sub lingua conspiciatur. Columbus addit, quandoque adhærere dentibus, vt pertineat ad dentes ante-
riores, & tunc facit, vt lingua nec attolli, nec extra os exseri queat. Vnde merito ligamentum hoc ab ob-
F stetricibus dissecatur.

Lingua habet plura & maiora organa communia, quam conueniant magnitudini linguæ, ca-
pit. 5.l. 3.aliment. Obtinet enim duas venas, & totidem arterias, capit. 10.l. 11. de vsu partium, & qui- Organa communia.
dem venæ illæ sunt magnæ, com. 14.sect. 5.l. 6. epidem. Sed animaduertendum cum Auicenna, vasa
intra linguam esse parua, quæ autem sub lingua, esse magna, & vocantur ab Auicenna, duæ raphenæ.
Nerui linguæ alii sensorii, alii motorii, capit. 5.l. 5. de aliment. Sensitiui sunt molles, cap.2.l.6.vsu par-
tium. Addit Galenus capit. 6.l. 8. de vsu partium, linguæ neruum esse molliorem, neruo pertinente ad
auditum, quamuis lingua sit quartum in ordine sensorium. Hoc autem contingit: quoniam sedem
habet tutam in ore, & præterea, quia sensus gustus est imperfectior auditu, & ratione propriæ substan-
tiæ organi, & ratione calidi innati: nam in auditu, propria substantia est neruus expansus, & calidum
G innatum est aerium: contra in lingua hæc duo sunt imperfectiora, caro scilicet linguæ crassior, ma-
gis terrestris, & calidum innatum aqueum. Præterea hi nerui præter mollitiem, adepti sunt a for-
matrice crassitudinem, capit. 2.l. de organ. od. quia lingua est acuti admodum sensus. Quoad situm:
hi nerui oriuntur a tertio pari cerebri, & permeant per ossa anteriora perforata, ad linguam, in eius
tunicam, capit. secund. l. 4. loc. affe. capit. 3.l. 9. vsu partium, capit. 10.& 11. l. 11. vsu partium. Motorii
nerui oriuntur a septimo pari cerebri, & disseminantur in musculos, capit. 13.l. 9. vsu partium, capit. 2.
l. 4. l. aff.

Glandulosa corpus. Lingua etiam obtinet corpora glandulosa, vnum vtrinq;: quæ non debent vocari glandulæ, si pro- A
prie loqui velimus, vt suo loco docuimus, c.10.l.11.vsu part.c.5.l.3.alim.

Musculi. Musculi linguæ carent tendine, quia non mouent os, capit. 3. l. 1. de motu musc. Præterea hi mu-
sculi secundum vtramque linguæ partem, & numero & magnitudine sunt æquales, sed diuersum ha-
bent ortum; nam alii supra, alii infra, alii ad latera, ortum habent. capit. 10. l. 11. vsu partium. Et pro-
pterea diligens Falloppius, secundum Galeni sententiam ca. 4. lib. de dissect. musc. statuit, quatuor esse
musculorum paria: primum par oritur ab asperitate menti, in medio scilicet menti, & inseritur fere in
medium linguæ inferioris, id est, vergit ad infernam & mediam linguæ partem: ita vt maior horum
musculorum pars, perueniat ad radicem linguæ, minor autem portio versus anteriorem apicem linguæ
feratur & aliquæ fibræ hyoidi communicentur. Secundum par, oritur a lateribus hyoidis, & inseritur in B
radicem & latera linguæ. Tertium par oritur ab extrema calcaris facie, & quasi ad supremum lin-
guæ apicem peruenit. Quartum oritur ab interna facie calcaris, & per tendinem inseritur primæ
cartilagini laryngis, & lateribus hyoidis, & extremæ linguæ. Heic notandum, quando Galenus dicit,
musculos linguæ carere tendine, intelligit musculos, qui pertinent tantum ad linguam: at quartum par
non modo deducitur ad linguam, sed etiam ad cartilaginem laryngis, ad latera ossis hyoidis, ideoque ten-
dinem obtinet.

Lingua tota. In tota lingua, considerari debent: figura, meatus, magnitudo, numerus & situs. Quoad figuram:
lingua ad basin est lata, & in acutum seu mucronem desinit, cap. 10. l. 11. de vsu partium. Quoad meatus
Auicennas duo proponit orificia sub lingua, quæ ad glandulas pertingunt, capit. 10. l. 11. de vsu parti-
um, qui duo meatus nec venæ sunt, nec arteriæ, ideoque etiam vsum habent diuersum. Magnitudo ea C
est, vt lingua totum os possit tangere, capit. 10. l. 11. vsu partium, nam nimis magna flecti non potest,
nimis autem parua totum os non potest tangere, capit. 9. l. de differ. morb. Vnde Aristoteles capit. 11. l.
1. de histor. ani. ait, eam linguam esse optimam, quæ media est inter latum & angustum. Quoad nume-
rum, vnica est lingua, sed in dextram & sinistram diuisa, c.8.l.9.vsu partium, cap.10.l.11. vsu part. Et hinc
Aristoteles ait, linguam esse geminatam, vt oculis etiam fissura illa sit conspicua, c.16.l.2.de part animal. Si-
tum lingua habet in ore, c.5.l.8.vsu part. Vnde Aristoteles linguam recenset inter partes externas, quam-
uis in ore sit locata, c.6.l.5.de gen.animal.

Finalis caussa. Genitum porro est hoc instrumentum gratia gustus: licet enim plures sint linguæ actiones, harum
tamẽ præcipua est gustatus. Hinc Aristoteles c.11.l.1.de hist.anim.inquit, linguam sentire sapores. Et ca.10. D
l.2.de part.animal.ait, in lingua esse sensum qualitatis tactoriæ. Et ca. 11.l. 1. de hist. animal. dicit, linguam
esse creatam ad gustum & sermonem. Præterea capit. 11. l. 4. de part. animal. scribit linguam conferre ad
manducationem. Plato in Timæo ait, linguam esse molem carneam, gustui dedicatam. Galenus capit.
2. l. 4. de loc. aff. dicit, linguam esse organum gustus, tactus, & motus voluntarii. Et idem dicit Galenus
capit. 4. l. 1. de se. cap. 3. l. 1. de mot. musc. cap. 5. l. 8. de vsu partium, c. 8. l. 9. de vsu partium, vbi dicit lin-
guam vtilem esse ad iudicandos sapores, ad sermonem, ad masticationem, & ad deglutitionem. Idem-
que affirmat. capit. 2. l. de organ. odor. & capit. 10. l. 11. de vsu partium, vbi potissimum asserit, linguam
sapores discernere. Et capit. 6. l. 1. de se. dicit. linguam conferre ventriculo, ad discernendum succos,
quos ventriculus desiderat. Insuper comm. 78. sect. 2. l. 1. epid. & cap. 6. l. 1. meth. inquit, locutionem
esse linguæ actionem: & cap. 4. l. 2. de placit. ait, linguam esse organum vocis, non simpliciter, sed dear- E
ticulatæ, id est, sermonis. Et capit 5. l. 1. vsu partium ait: linguam esse instrumentum instar oculi, id est,
gratia actionis totius animalis, vtpote gratia deglutitionis: & ait, esse etiam instrumentum animale, pro-
ut confert ad motum voluntarium, & locutionis est instrumentum. Et capit. 4. l. 11. vsu partium, ait, con-
ferre ad masticationem; lingua enim instar manus cibos in ore volvit, vt conterantur: offert etiam cibos
gulæ, & deprimit ad gulam, vt facilior fiat deglutitio.

Gustus soli linguę conuenit. Quamuis autem tot sunt linguæ actiones: in definitione tamen solus gustus est propositus, quia hęc
est illa actio, quæ soli linguæ competit. Vnde Galenus c.3 l. 2. meth. ait, linguam solam sapores percipere,
Nam lingua non est organum adæquatum locutionis, sed est pars organi. Sicut visio pertinet ad crystalli-
num, vt est pars totius oculi, ad oculum, vt est organum adæquatum. Ita locutio quidem pertinet ad lin-
guam, non vt ad (hoc enim est os secundum Auicennam) organũ adæquatum, sed vt ad partem totius in- F
strumenti. Sed ad gustum lingua concurrit vt organum adæquatum.

Dubium. Solutio. Verum Galenus c. 2. l. 16. vsu partium, ait, dentes vna cum lingua sapores diiudicare: non ergo gu-
stus pertinet ad solam linguam? Respõsio. In gustu maxima oritur voluptas e deuoratis dulcibus, quia suc-
cus dulcis familiaritatem & similitudinem habet cum tunica, cap.11.l.3.de ratione vict. & addit Galenus
tunicam linguæ euidentissimum habere sensum dulcedinis, in gutture autem esse sensum voluptatis, qui
sensus voluptatis etiam fit in ore ventriculi, cum viscus hoc dulcibus delectetur. Ex his verbis colligitur,
dulcedinem pertinere ad solam linguam, voluptatem ad labia, ad alias oris partes. Cum ergo voluptas
sit finis actionis, vt alias docuimus: in lingua voluptas est finis sensationis dulcedinis, in reliquis autem
partibus voluptas est finis non gustus, non sensationis dulcedinis, sed est finis attractionis, cum in illis par- G
tibus voluptas sequatur attractionem, non gustum. Et propterea dicit Galenus, viscera gaudere dul-
cibus, & ob similitudinem ea celerrime attrahere. Manifeste ergo Galenus proponit attractionem: vt
lingua percipiat voluptatem, quæ est voluptas animæ, viscerum autem voluptas non animæ, sed natu-
ræ. Sed posset quis instare, hanc solutionem tantum respicere saporem dulcem & familiarem, non
autem amarum, cum tamen Galenus loco citato dicat, dentes discernere sapores, non tantum dulcem,
sed etiam amarum. Et capit. 11. l. 11. de vsu partium, ait, oris tunicam suscipere neruos molles: vnde situs

linguæ

A linguæ tunica, ita etiam reliquæ oris partes, sapores diiudicant. Solutio facilis non est. Crederem tamen dicendum esse, oris partes & linguam iudicare sapores, sed esse differentiam: nam lingua sola iudicat, reliquæ autem partes iudicant simul cum lingua. Et propterea inquit Galenus, dentes vna cum lingua sapores discernere. Ratio autem quare reliquæ oris partes, non nisi cum lingua sapores discernant, hæc est. Quia ad sensationem efficiendam, opus est alteratione & iudicio: iudicium fit a facultate per neruos, omnes autem oris partes neruorum sunt participes: alteratio autem pertinet ad spiritum aqueum, calorem natiuum aqueum, qui, (ad differentiam neruorum) linguæ est proprius. Quare si dentes linguæ contactu suscipiant saliualem illam humiditatem: fit gustus. Experientia hoc testatur: si quis enim piper, vel quid aliud palato applicet, nec illam partem lingua tangat,, non per-
B cipiet acrimoniam: sed quamprimum lingua illam partem tangit: illico acrimoniæ sensus oritur. Constitutum igitur sit, gustum esse actionem propriam linguæ, tanquam instrumenti adæquati.

Verum & MODVS, quo fit gustus, est explicandus. Obiectum igitur in hac sensatione est sapor, comm. 6. l. 1. de natur. humi. Subiectum saporis est vel cognatum, vel non cognatum. Cognatum est dum offertur sapor dulcis: non cognatum, dum amarus. capit. 6. l. 1. de sc. vt hinc sequatur sensatio vel iucundi, vel tristis. At cuiuslibet saporis, id est, & iucundi & iniucundi subiectum est humidum. Et propterea Aristoteles l. 2. de anima dicit, gustabile esse qualitatem tactilem, nam humiditas est tactilis. Gustabile ergo dum tangit linguam, hanc alterat, & actu humidam reddit, quia quid simile obtinet, nimirum calidum innatum, spiritum aqueum seu humidum, vt hinc postea fiat iudicium. Modus quo fit gustus.
C

CAPVT XXXI.

De applicatione methodi anatomicæ, ad Linguam.

GAlenus cap. 6. l. 1. de Sym. causs. ait, gustum pertinere ad partem linguæ, quæ est similaris, ad tunicam, & neruos molles. Cum igitur gustus ad has tres partes pertineat: facile patet, carnem propriam esse partem præcipuam, cum huic in reliquo corpore nulla alia pars similis reperiatur: nam tunica communis est aliis oris partibus, vt & nerui. Nec obstat, quod Galenus cap. 2. l. 4. de loc. affect. dicit, si intemperie afficiatur linguæ membrana, gustum vitiari: nam membrana, licet non sit pars præcipua, est tamen caussa sine qua non. Præterea nec id obstat, quod Galenus cap. 2. l. 16. de vsu partium, inquit, sic-
D ut nerui duri inseruntur in musculos, ita molles inseri in proprium organum, nimirum in membranam linguæ. Hinc enim non colligitur, membranam esse præcipuam partem: quia sufficit, vt nerui molles tangant propriam carnem, eique secundum superficiem adhæreant, licet non intimius inserantur: nam ibidem quoque Galenus habet, dentibus tribui neruos molles, non scribit, necessario penetrare. Quare præcipua particula est propria illa linguæ caro. Hæc autem concurrit per suam temperaturam, quæ est minus calida, & magis humida, quam crasis carnis musculorum. Et addit Galenus, vt etiam Aristoteles cap. 15. l. 1. de hist. ana. hanc crasin esse meliorem in homine, quam in brutis, cum homo sit tactus & gustus exquisitioris. Concurrit etiam hæc propria caro per mollitiem. Vnde Aristoteles capit. 17. libr. 2. de part. an. ait; linguam ea ratione qua est mollis, vim habere tangendi; & gustum esse quendam tactum. Præterea cum hæc linguæ mollities accedat ad glandularum mollitiem, secundum hanc rationem caro
E mollis linguæ est ad custodiam venarum magnarum, quibus tamen non eget lingua, sed est ad custodiam, vt hæc magna vasa tuto diuidantur, vt in sermone de glandulis explicauimus (obiter heic notandum, partem præcipuam instrumenti, posse etiam facere ad custodiam aliarum partium.) Præterea confert hæc præcipua pars conformationem: quatenus enim spongiæ similis est, facile conseruat spiritum aqueum copiosum. Secundum Aristotelem, cap. 11. l. 1. de hist. an. & c. 17. l. 2. de part. caro linguæ potiss. vtilis est secundum postremam eius partem. Pars præcipua organi gustus.

Spiritus aqueus præcipuum locum obtinet, respectu alterationis, ob similitudinem cum subiecto saporis, quod est aqueum. Vnde Galen. c. 6. l. 7. de Plac. ait, gustus organum, vt aqueum, ab humido, id est, a sapore affici. Spiritus aqueus.

Tunica est ad custodiam superficiei linguæ: concurrit vt caussa sine qua non fieri potest gustus. V- Tunica.
F tilis est per crasin: vnde Galenus c. 2. l. 4. de loc. aff. ait gustum vitiari, si intemperie afficiatur hæc membrana: concurrit etiam per situm, quatenus linguam ambit hæc tunica, in quam nerui sensitiui distribuuntur, c. 10. l. 11. vsu part.

Ligamenta per duritiem faciunt ad custodiam. Quatenus autem hæc ligamenta non absolute considerantur, sed vt ligamenta linguæ, concurrunt per longitudinem, ca. 10. l. 11. de vsu part., nam per determinatam longitudinem fit, vt linguæ basis sit stabilis, firma, & linguæ extremitas facile quoquo versum pertingat, vt nec nimis colligatur & exseratur, & facile intra trahatur: quod sane lingua efficere non posset, nisi ligamenta mediocrem longitudinem essent adepta. Ligamenta.

De organorum communium vsu, alibi dictum. Notandum autem vasa copiosa fuisse, propter alimentũ & refectionem spiritus aquosi. Vnde Galenus com. 3. sect. 1. l. 1. prorhet. dicit linguam habere hu- Instrumenta communia.
G miditatem connatam, e vasis. Nerui concurrunt, vt sine quibus non: per neruos enim lingua & sentit, & mouetur, cap. 10. l. 11. vsu partium, per neruos quidem molles sentit, per duros consequitur motum voluntarium, cap. 13. libri 9. de vsu partium, vnde com. aphorism. 32. sect. 6. ait, vitiari sermonem ob immoderatam humiditatem neruorum. Quoad situm, quatenus producuntur ad musculos, motum conferunt, sensum vero quatenus ad linguæ tunicam, l. 11. de vsu partium. Et propterea ca. 8. l. 9. vsu partium, dicit Galenus neruos sensorios distribui in linguam & oris partes, & conferre ad gustum, tametsi gustus,

e capit. 13. l. 9. vsu partium, pertineat solum ad extremas partes linguæ, quæ solum a sapore tanguntur. A

Corpora glandul. Glandulosa corpora conferunt per actionem, id est, per saliuæ generationem, cap. 5. l. 3. alim. quæ actio vtilitatem præbet, primum motui, quia humectatis lingua & oris partibus horum corporum beneficio (eructant enim humorem) lingua facilius mouetur, c.10. l. 11. vsu partium, deinde sensui, quia his cōseruatur humiditas natiua, com.3. sect.1. l. 1. prorhet. Vnde & Auicennas ait, proprium rorem beneficio saliuæ conseruari.

Musculi. Musculi conferunt ad motum voluntarium, vt lingua mouetur sursum, deorsum, ad latera, cap. 10. l. 11. vsu partium, item, vt circumfertur, retrocedit, & exseritur, cap.3. l. 1. de mot. musc. Conferunt autem musculi ad motus propositos, per consequens, per figuram, numerum, situm, & actionem. Quoad consequens, per mollitiem mediocre conferunt ad optimam loquelam; mollities enim immodica est caussa balbutiei: com. aphorism.32. sect. 6. Concurrunt etiam per id quod accidit, vt per figuram, vnde blæsi euadunt homines, ob improbam figuram musculorum linguæ, com.78. sect. 2. l. epid. Concurrunt quoque per numerum: plures enim musculi sunt creati, propter plures linguæ motus, c.10. l. 11. de vsu partium. Cōferunt etiam per situm: nam motus musculorum, respondent situi, verbi gratia, primū par linguam exserit per suum situm, & infra etiam reuocatur, hoc enim par duplicem habet originem, interiorem, & posteriorem, c.14. l. de diss. musc. Secundum par, vt rectam habet positionem, est caussa motus recti. Tertium par, cum oriatur ab extrema calcaris facie, & quasi ad summum apicem pertineat; si agat eodem tempore vterque musculus, versus interiora sursum lingua trahitur: si autem agat vnus tantum musculus, lingua sursum tantum trahitur ad alterum latus. Quartum par oritur ab interna facie calcaris, & inseritur primæ cartilagini laryngis, inseritur lateribus hyoidis, & extremitati linguæ: quare sursum retrahit linguam, vt etiam tracheiam, & fauces, vnde fauces cōstringuntur. Postremo concurrunt musculi per actionem, vt ad suum principium retrahuntur. B C

Tota lingua. Tota lingua concurrit per orificia, magnitudinem & situm. Quoad orificia: lingua concurrit per foramina, vt sunt viæ, per quas corpora glandulosa emittunt saliuam, cap. 10. l. 11. de vsu partium. Per magnitudinem etiam iustam lingua bene agit. Auicennas addit, bonam commensurationem in lingua secundum longitudinem, & latitudinem maxime conferre ad locutionem: vnde Galenus com. aphoris. 30. sect. 6. ait, linguam breuiorem in caussa esse balbutiei. tales enim non possunt proferre t, r, cum hæ literæ requirant linguæ longitudinem. Præterea lingua per latitudinem ad basin, est ad sui custodiam: per angustiam etiam ad sui extremitatem confert ad familiarem motum, cap. 19. l. 11. vsu partium. Sita est lingua intra os, ad custodiam. Præterea hic situs confert ad iudicium: quia proximus est neruorum principio: confert ad vocem, quia pharyngi proximus: ad masticationem quoque & deglutitionem, quia proximus oesophago, c.5. l. 8. vsu partium. Tandem homines ad differentiam brutorum quorundam, habēt in lingua partem dextram & sinistram connexam: qui connexus maxime vtilis est ad sermonem (vt suo loco) & ad manducationem, c.16. l. 11. vsu partium. Sic ergo linguæ vtilitates patent. D

CAPVT XXXII.

De voce, & eius organis.

Transitio. DE tactu, in sermone de manu diligenter loquemur. Iam ad organum voci destinatum nos conuertimus: voce quidem omni, non sermoni tantum: quod organum est guttur. E

Nomen. Intelligimus autem non quodlibet vocis organum, sed adæquatum, cap.4. l. 2. Placit. Galenus cap. 6. l. 1. de loc. aff. pro hoc instrumento accepit partem, quæ pertinet ad totam laryngem. Vnde cap. 5. l. 7. de vsu partium, ait, laryngem esse primum vocis instrumentum: dicit, primum, quia larynx primum format vocem, ad differentiam thoracis, qui est primum instrumentum, quod præbet non formam, sed materiam vocis. Nos autem loqui oportet de illo instrumento, quod format vocem.

Definitio. Sic ergo acceptum, hoc modo definietur: Guttur est *instrumentum, genitum e propria carne, cartilagine, tunicis, musculis, corporibus glandulosis, & organis communibus, a propria generatrice, gratia vocis.* Pro explicatione, agemus de caussa efficientem & finali. Quoad igitur efficientē: declarare oportet, quomodo propria generatrix se gesserit, circa propositas particulas, e quibus guttur componitur. F

Glottis. Primum ergo quoad propriam carnem: dicitur glottis, seu lingula, cui in aliquo corpore similis substantia non reperitur (in quolibet enim instrumento est propria quædam caro, sicut in oculo crystallinus.) Hæc lingula simul est membranosa, adiposa, & humiditatem habet viscidam ac vnctuosam, c.11. l. 7. vsu partium. Minus ergo mollis est adipe & glandulis, & est mollior membranis & cartilaginibus. In aliis corporis instrumentis, reperiuntur particulæ solum cartilagineæ, solum membraneæ, solū adiposæ, solum glandulosæ: sed hæc substantia ex his simul confecta est: & hinc consequitur mollities iam proposita. Ita igitur Galenus propriam hanc & peculiarem substantiam proponit. Quoad compositionem, seu id quod accidit: hæc lingula habet propriam quandam figuram, c.13. l. 7. vsu part. & refert lingulam fistulæ, c.11. l. 7. vsu part. Quoad meatus & cauitates, foramina sunt in vtraque lingulæ parte, quæ in vnum coincidunt foramen. Secundum partem internam apponitur quædam cauitas, non exigua, & veluti membrana quædam procedit in cauitatem, vt rimula quædam appareat, c 13. l. 7. vsu partium. Magnitudo huius propriæ carnis est mediocris: nam si fuisset minor, via spiritus, id est, aeris, fuisset occlusa: si maior, in caussa fuisset, vt vox læderetur, c.14. l. 7. vsu part. Sita est hæc caro propria, in spatio laryngis interno, c. 11. & 13. l. 7. vsu p. G

Cartilagines. Cartilagines, e quibus formatur hoc instrumentum, id est, guttur, vocātur larynx, vnde tota larynx cartilaginea dicitur, c.10. l. 7. vsu part. nam Galenus per laryngē intelligit caput branchi, seu asperæ arteriæ

c.12

A c. 2.l.5.meth.& larynx, si proprie loquamur, distinguitur a pharynge, vt colligitur e c.15.l.de dissect.musc. & cap.3.lib.1.de mot.muscul. interdum tamen Galenus laryngem vocat pharyngem, vt cap.3.lib.1.de vsu partium & ca.1.lib.8.de vsu partium. Ad rem: Larynx constituitur e cartilaginibus: quæ quoad numerum, a Galeno tres numerantur, si capiatur larynx citra operculum seu epiglottida, vel 4. si simul cum operculo. Cartilagines ergo tres sunt magnæ.ca.11.12.lib.7.vsu partium,c.6.l.1.loc.aff. Prima dicitur scutiformis, quia scuto similis: residet in anteriori parte: & exterius est formata deuexa, interius concaua, & quandoque in aliquibus ita prominet, vt vocent pomum Adami & hæc reliquarum est maxima. Secunda, Galeno est innominata, a modernis annularis dicitur: minor est prima, maior tertia: & annectitur in inferiori parte primæ cartilagini. Tertia est aritænois, quia similis est gutturnio, seu vasi quo manibus B aquam affundimus: & hæc constat e duabus cartilaginibus, per membranam simul iunctis: annectitur etiam & secundæ, & primæ cartilagini: Et si velimus annexum per articulos perpendere, sicut Galenus cap.12.lib.7.vsu partium, fit connexus duplici dearticulatione, vt connectitur prima ad secundam; & secunda ad tertiam.

Operculum, seu epiglottis, substantiam obtinet cartilagineam: proinde temperiem frigidam & siccam: quare duritiem; durius enim est ligamento. Figura est rotunda. Magnitudo paulo maior laryngis orificio. Situm habet contrarium aritænoidi, & vergit ad stomachum.c.16.l.7.vsu part. Epiglottis.

Larynx obtinet tunicam internam, cap.12.l.5.methodi, quæ communis est laryngi, tracheiæ, & œsophago, c.11.lib.7.vsu partium. Hæc humidior reddita, vocem raucam efficit.c.6.l.4.loc.aff. Tunica.

C Hoc instrumentum habet etiam ligamenta, quæ sunt membranosa, ac neruosa, quæ prodeunt a prima cartilagine ad secundam.c.11.l.7.de vsu part. Ligamenta.

Guttur etiam constat e musculis. Vnde Galenus dicit, cap.11.& 12.lib.7.de vsu partium, & cap.4.l.16.vsu partium larynge n secundum propriam compositionem moueri a musculis 12. secundum cōpositionem autem communem aliis partibus, moueri ab 8.musculis, vt sint 20. Musculi.

Quoad musculos solius laryngis, quidam sunt communes tribus cartilaginibus, quidam non sunt communes, id est, non competunt omnibus tribus. Quoad communes tribus cartilaginibus, inprimis sunt 4.quos Galenus cap.14.lib.de dis musc. duos tantum statuit, sed eos bifidos. Hi autem musculi deriuantur e prima cartilagine ad secundam. Et duo sunt exteriores, duo interiores, prorsusque sunt æquales. Hi musculi primam cartilaginem ita applicant secundæ, vt exacte angustent orificium laryngis in- D ferius. Deinde sunt alii 4. musculi a secunda cartilagine in tertiam prodeuntes: quia ita secundam cartilaginem cum tertia coniungunt, vt finem laryngis superioris aperiant. Postea duo sunt musculi, qui 4.iam propositis contrarium habent positionem: qui sane scutiformem cartilaginem arytænoidi perpetuo annectunt; non perpetuo annectunt scutiformem cartilagini secundæ immediatæ. Et hi musculi trahunt ad internam capacitatem primam cartilaginem ad similitudinem crumenæ, vt os laryngis superne claudatur. Propositi musculi, e cap.25 lib.7. vsu partium vehementissimam habent actionem, & ita claudunt laryngem, vt in spiritus cohibitione a tot musculis thoracem contrahentibus, non superentur.

Quoad musculos peculiares vnius tantum cartilaginis, hi sunt duo, qui resident circa basin tertiæ cartilaginis, & guttur claudunt. Non reperiuntur in animalibus exiguæ vocis, vt in simia. cap.11.lib.7. E de vsu partium.

Musculi communes & laryngi & intimis partibus, sunt 8. vt testatur Galenus cap.11.& 12.lib.7.vsu partium, quamuis hi musculi aliquo modo possint vocari proprii, vt inter cartilagines laryngis pertinent tantum ad scutiformem. Horum igitur musculorum duo oriuntur ex inferiori latere hyodis, & ad anteriorem partem scutiformis producuntur, & trahendo abducunt scutiformem a reliquis cartilaginibus, & propterea meatum amplificant. Duo deinde oriuntur musculi a scutiformi, & tendunt ad os pectoris: & in animalibus magnæ laryngis miscentur duobus musculis: vnde animalia, possidentia paruam laryngem, duos tantum habent musculos, & recte; quia membrum magnum pluribus eget musculis. Hi autem musculi, partem inferiorem scutiformis contrahunt, & tracheiam leuiter constringunt. cap. 10.lib.de dissect. muscul. vbi proponit Galenus duos tantum musculos, quia secat simiam, animal paruæ F laryngis: at cap.11.lib.10.vsu partium proponit quatuor, respiciens ad animalia magnæ laryngis. Tandem sunt duo musculi transuersi, qui oriuntur ex obliqua parte scutiformis, & œsophagum in orbem complectuntur, & simul coeunt: hi trahendo scutiformem, eam secundæ cartilagini applicant, & hinc larynx astringitur.

Guttur etiam componitur e corporibus glandulosis, quæ sunt laxiora & fungosiora, cap.17.lib.7. vsu partium, & sunt magna, cap.6.lib.3.alim. vtrinque laryngi verum apponitur corpus glandulosum. cap. 10.l.11.vsu partium. Glandulosa corpora.

Quoad organa communia. Vasa prodeunt a vicinis partibus. Nerui alii superne deorsum feruntur, alii inferne sursum, cap.13.lib.7. vsu partium, cap.4.lib. 16. vsu partium. Musculi 20. laryngis, neruos 14. suscipiunt superne deorsum, 6. musculi inferne sursum. Et sunt principaliores musculi, G qui artænoidem mouent, vt larynx angustetur: & sunt isti musculi bifidi propositi, & proinde illi quatuor, qui e scutiformi producuntur ad secundam cartilaginem, & reliqui duo producuntur a scutiformi ad aritænoidem. Quoad neruos igitur, qui superne deorsum feruntur, illi a parte superiori distribuuntur, & prodeunt a sexto pari cerebri: excipitur tamen musculus qui attollit scutiformem, hic enim neruos accipit a septimo pari, vt scribit Galenus cap.8.libr. de dissect.neru. Quoad musculos, qui inferne sursum feruntur, non obtinent neruos qui dicuntur recurrentes

transuersi,& prodeunt a 6. pari cap. 6. l. 4. loc.aff. hi autem propagantur dum ad thoracem peruenerint. A
Maximo autem artificio natura est vsa: nam cum musculorum propositorum caput sit infra, finis supra, necessarium fuit, vt nerui immitterentur a parte inferiori, vbi est caput musculi: at non opus fuit vt nerui prodirent, vel a collo, vel a cerebro: non potuerunt oriri a collo, a spinali medulla ceruicis, quia fuissent obliqui: nec potuerunt a cerebro oriri; vel enim oriri debuissent a 6. vel 7. pari: non a 7. quia fuissent obliqui & inutiles: dum autem oriuntur a sexto, recti oriuntur, & sunt vtiles, at si supra inserantur, essent inutiles & noxii, quia musculi caput est in parte inferiori, non in superiori. Natura igitur reciprocum quendam progressum effecit, vt a 6. pari cerebri, nerui recta producerentur, & per collum ac thoracem deducerentur, ita tamen vt in thorace fiat cursus ille reciprocus, vt nerui sursum redeuntes ad laryngem, inserantur in caput musculi: Verum cum pars thoracis, vnde nerui incipiunt reuerti, & sursum ascendere, B debeat esse pars rotulæ similis: proinde hęc pars, ad rotulæ similitudinem, formata, est firma, stabilis, læuis, non aspera, non inæqualis: Vnde hæc pars non potuit esse clauicula, nec primum os costæ, nam nerui nimium extimi essent, & proin facillime læderentur. Prudens igitur natura, neruos primum per viam longam deduxit: & hoc potest conferre ad tutelam, nam quo magis neruus a cerebro recedit, eo euadit durior & firmior. Et cum opus fuerit, vt reflexio fieret in thorace, & secundum partem sinistram, & dextram, quia ad vtramque partem spectant musculi: quoad sinistram, natura neruos obuoluit, circa arteriam maximam, qua hæc primum a corde emergit, inque spinam reflectitur, vt sic neruus, motum seu rotulam, læuem, æqualem & robustam obtineat: Quoad dextram, natura hos neruos obuoluit circa arteriæ partem, & oblique a corde sursum ad dextram axillam fertur; sed cum flexio esset obliqua, natura corre- C xit hanc obliquitatem multitudine productionum neruorum, & ligamentis robustis, vt hi nerui recurrentes veluti circa rotulam in orbem inuolui videantur: vnde hi nerui per rotulam excurrentes & recurrentes, in 6. laryngis musculos deferuntur, c.14.& 15.l.7.vs.part.cap.4.lib.16.de vsu part. Sed oritur dubitatio, cur dixerimus ab his musculis laryngem angustari: cum tamen Galenus c.15.l.7.vs.p. dicat, ab his claudi & aperiri laryngem. Responsio. Clauditur larynx secundum partem inferiorem, & secundum aritænoidem: at aperitur secundum orificium superius.

Guttur totum. Postremo, quoad totam laryngem, seu totum guttur: temperamentum huius instrumenti est mediocre, cum eius partes quædam calidæ, quædam frigidæ, quædam humidæ, &c. Proinde etiam mediocrem habet mollitiem. Huius autem compositio optima fuit, vt testatur Galenus c.11.l.7. vs.part. vt verbi gratia, inferius orificium sit amplius, ne, si quis contingat error, protinus actio lædatur. Collocatum est D hoc instrumentum in collo. c.6.l.13.vsu part.

Finalis causa. Porro larynx vocis gratia condita est, ideoque vocis instrumentum dicitur, c.9 l.6.de tuen.san. dicitur etiam primum & principalissimum vocis organum, ca.4.l.2.de plac.cap.1.l.8.vsu part.c.11.l.7.vs.par. quanquam enim ad vocem edendam concurrat, pulmo, thorax, concurrunt tamen, vt vocis materiam subministrant, at vocis primum organum & proprium est larynx. Sed notandum, laryngem etiam ad alia esse vtilem: est enim via spiritus ad respirationem. c.11.l.7.de vsu part.

Sonus, vox, sermo: vt conueniāt, & differant. Verum vt methodum anatomicam gutturi applicare queamus, primum explicandum est, quomodo vox fiat. Sciendum ergo, sonum, vocem, & sermonem, genere conuenire, sunt enim motus: at differre, quia sonus etiam pertinet ad inanimata, vox etiā ad bruta animalia, sermo ad solum hominem. Secundū Aristotelem l.2.de anima, c.de auditu. Vnde merito Galenus dixit, si vox pereat, perire etiam sermonem. E c.6.l.4.de loc.aff. Et cum vocem principalissimam esse actionem dicit, cap.3.l.16. vsu part. non simpliciter vocem intelligit, sed vocem formalem, id est, sermonem, qui est actio principalissima, non omnibus modis, sed in respectu ad sensum & motum, non ad ratiocinationem, quia sermo est mentis nuntius.

Sonus. Cum ergo superiora tria conueniant genere, nim. motu: oportet in his tribus considerare, & mouens, & mobile. Quantum igitur attinet ad sonum, qui præcedit vocem, & sermonem; cum Arist. c.9.l.4. de hist.animal. Sonus est attritio aeris, exsistentis inter duo corpora, quæ inuicem percutiūtur: vel e l.2.de anima, sonus est motus aeris, a motore duro & læui, velociter & vehemēter percutiente. Quare mobile, in sono, est aer: efficiens, est durum, læue, velociter & vehemēter percutiens. (corpus quod percutitur, quatenus percutitur, habet rationem passi: at prout ipsum quoq; percutit aerem, habet rationem agentis.) Cur autē sonus eget efficiente duro, lęui, æquali? Primum durities est necessaria: quia molle mouet citra vehemētiam, durum contra. Deinde læuitas est necessaria, quia oportet vt aer percussus nō diffundatur: & pro- F pterea cum læue habeat vnum planum, fit vt aer percussus, nō comminuatur, vel diuidatur, ob planitiem. Hinc fit, vt sal igni impositus, strepitum faciat. Probl.26.sectio.10. nam violentia ignis, humor in sale existens, vertitur in spiritum seu vaporem, qui cum impetu exsiliens, salem ita rumpit, vt fiat percussio aeris, cum violentia.

Vox. Ceterum, Vox est sonus aeris efflati, dependens a glottide, motu a musculis laryngis. Hæc accidentis est definitio: quare dicendum de forma, subiecto, & caussa efficiente.

Materia, seu subiectum vocis. Forma est sonus, de quo iam dictum.

Subiectum, seu mobile, non tantum est aer, vt in sono, sed aer efflatus. co.25.sect.4.l.6.epid. fit enim vox, dum aliquod percutit aliquod, & in aliquo, quod est aer, c.8.l.2. de anima. vnde illa animalia vocem G edunt, quæ aerem suscipiunt, non cetera. Quæritur, cur vox superne deorsum melius audiatur, quam inferne sursum: cum tamen aer, qui est vocis materia, sursum moueatur? Respondet Philosophus probl.45. sect.11. primum, quia vox iuncta humori, pondere humoris deorsum labitur: deinde quia deorsum fit reflectio, nam vox ceu quid aerium, cum sursum fertur, vbi aeri sibi aduerso occurrit, superiorem eum amplissimum per vim nequit propellere: non est igitur in voce tanta violentia sursum, quam deorsum. Vocis porro materia, nō tantum est aer, sed aer efflatus, vnde Philosophus c.8.l.2.de anima, dicit vocē generari ex

aere

A aere per respirationem attracto. Et cum respiratio constet inspiratione & exspiratione, aer est vocis materia, vt exspiratus, non vt inspiratus, cap.4.& 5 l.2.de plac.c.5.l.7.vsu partium, vbi aer efflatus, dicitur propria materia vocis, quia scil.aer, est communis materia soni & vocis. Oportet autem aerem efflatum heic intelligere, non quocunque modo, sed cum vehementia: vnde Galenus cap.6.lib.1.loc. aff.ait: exsufflationem esse motum spiritus, seu aeris emissi, affatim, cum vehementia. Cum ergo ob vehementiam motus fiat strepitus, propterea dixit Philosophus, prob.41.sect.11.homines minus audire cum respirant: ratio est, quia in respiratione motus quandoque est adeo vehemens, vt non modo fiat strepitus, sed quandoque etiam laryngis tunica afficiatur.c.1.l.7.κατὰ τόπ.& c.6.l.1.loc.aff. Et quamuis hoc modo aer in laryngem agat, eamque moueat, vt quandoque inflammetur tunica: attamen aer habet rationem mobilis & passi, vt B percutitur a larynge. Constitutum igitur sit, mobile in voce, esse aerem efflatum.

Si quis quærat, a quonam fiat efflatio? is sciat cum Galeno ca.5.l.7.vsu partium efflatum fieri a musculis thoracis; qui etiam scripsit cap.9.lib.1.loc. aff. sunt autem musculi intercostales, vt asserit cap.6.l.4. loc.aff. Vnde recte Galenus c.5.l.1.de sem.ait, vocem adimi, si lædatur spina ad ænoicē; intercostales enim musculi inde neruos suscipiunt. Concurrunt etiam ad efflatum efficiendum, abdominis musculi, vt testatur Galenus c.4.l.2.de plac.c.4 l.4.vsu.part.c.2.l.6.vsu part.(sed notandum, e cap.8.l.2.de anima, hominem per respirationem vti aere, primum ad innatum calorem cordis, quod est necessarium, id est, caussa vitæ: deinde, ad vocem, ob bonum, id est, caussa melioris vitæ. Non ergo noua hæc est distinctio.) Porro hic aer efflatus, hoc mobile patitur seu mouetur a glottide, quæ immediate aerem mouet, vt illico fiat vox: vnde Philosophus cap.8.lib.2.anim. dicit, animum esse id quod verberat, & collocari vbi gargareon C est; nihil aliud significans, quā glottida, laryngis partem præcipuam. Glottis agit, ratione aeris, quem percutit: patitur autem vt mouetur a musculis: sicut testatur Galenus, ca.6.l.1.loc. aff. inquiens, vocem fieri, dum aer beneficio musculorum intercostalium vehementer egreditur, & epiglottis a musculis moderate aperitur, & clauditur. Hi musculi glottida mouentes, sunt musculi laryngis: & propterea Galenus c.6.l.4. loc.aff. hos recenset inter organa vocis:& ca.5 l.2.de plac. dicit, vocem formari a voluntate, id est, a musculis, qui instrumenta sunt voluntatis: quo sensu ab Arist.probl.23.sect.10.vox dicitur aer formatus, scil. quatenus larynx a musculis mouetur. Hinc c.4.l.2.plac. Galenus dicit, guttur esse vocis instrumentum, quatenus scil. spiritus ascendens a gutture formatur.

Efflatio a quo fiat.

Sed notandum, quod Galenus c.5.l.7.vsu part.ait, vocem fieri a palato & gargareone: a palato, quatenus refringitur; a gargareone, quatenus hoc aer percutitur, ceu a plectro fides. Et com.73.sect.2.lib.1. D epid.vocis organa vocat arterias, gulam, fauces. Quare guttur non videtur organum vocis adæquatum. Responsio. Si vox accipitur, vt fit, tantum pertinet ad guttur: si autem sumitur, quatenus facta conseruatur & augetur, pertinet ad palatum, gargareonem. Hinc Galenus c.5.l.10. vsu partium, ait, vocem beneficio palati & gargareonis augeri, non dicit fieri. Similiter c.11.l.7.vsu partium, & in l.inscripto de voce, ait, gargareonem conferre ad magnitudinem vocis: sicut etiam Auicennas voluit.

Dubium.

Cum ergo ad efficiendam vocem opus sit, vt aer exspiratus percutiatur a larynge, sed beneficio musculorum: cognoscere iam oportet, quidnam operentur musculi, dum laryngem mouent. Galenus ergo c.11.& 15.l.7.vsu partium dicit, vocem fieri, dum larynx dilatatur & cōprimitur: opus ergo est dilatatione, & expressione: ita tamen, vt secundum superius orificium exacte & aperiatur & claudatur: vt in hoc motu glottis moueatur, vt spiritus ascendens efflatur, habeat transitum angustiorem, qui paulatim ex amplo E fit strictior. Hactenus quomodo fiat vox: quod mobile: quis motor.

Larynx, vt a musculis moueatur.

Sed ad vberiorem vocis cognomen, dicemus aliquid de caussis primum vocis sonoræ, & raucæ; secundo magnæ & paruæ; vltimo grauis & acutæ. His enim recte intellectis, facile cognoscetur, quomodo ad vocem edendam concurrat guttur & larynx.

Transitio.

Quantum igitur ad caussas vocis sonoræ, seu claræ, & raucæ; Galenus cap.1.l.7. κατὰ τόπ.dicit, ob copiosam humiditatem non fieri vocem claram; nam quod percutit aerem, est molle, ratione humiditatis, cum tamen durum requiratur: quare puritas laryngis est caussa vocis sonoræ. A voce sonora seu clara, recedit vox clangosa, ob immodicam siccitatem; & rauca, ob immodicam humiditatem. Requiritur ergo mediocritas, & puritas laryngis, com.3.sect.1.l 1.prorhet.& com.12.sect.2.lib.1. prorhet.& cap.7. lib.7. vsu F partium. Hinc Aristoteles probl.12.sect.11.dicit, raucedinem fieri, post vigilias & cibos: per vigilias enim vigent cruditates, quæ fauces nimium humectant, vnde fit raucedo: per cibum etiam agitatur guttur, ideoque incalescens humorem trahit. Addit Galenus com.78.sect.2. lib.1. epid.læuia & æqualia, sonoram vocem edere: quare si organum redditur asperum, fit raucedo: At si asperitas fiat a siccitate, non fit quidem vox sonora, sed nec rauca, verum clangosa, cuiusmodi obseruatur in canibus, ob immoderatam siccitatem. Et propterea cum Galeno, com.27. sect.1.lib. 6. epid. inter pueritiam & pubertatem vox fit rauca. Et ratio redditur. cap.16.lib.1.de sem. dum enim vis seminalis vigere incipit in testibus, tunc omnia in corpore exsistentia turbantur, vt in his etiam animalibus caro non sit ita suauis; vnde & laryngis tunica aliquam contrahit impuritatem, vt vox rauca fiat.

Caussa vocis claræ, & raucæ.

Quoad caussas vocis magnæ & paruæ: sciendum e c.7.l.5.de gen.animal.vocem fieri magnam, dum G copiosus aer mouetur, paruam, dum exiguus. Vnde Aristoteles etiam dicit, probl.3.sect.11.magnam vocem fieri, dum multus aer agitatur, vt in calidis naturis. Et Galenus c.67.art.med.dicit magnam fieri vocem, vbi efflatio est vehementior. Et com.78.sect.2.l.1.epid.dicit, paruam vocem fieri, ob gutturis angustiam, tunc enim paucus aer mouetur. Id quod etiam contingere solet, dum musculi sunt imbecilles, quia tunc non possunt copiosum aerem mouere.

Caussa magnæ & paruæ vocis.

Postremo, quoad caussas acutæ & grauis vocis: sciendum e cap.7.lib.5. de gen. animal. acutam vocem fieri, dum aer velociter mouetur, grauis, dum tarde. Quare vox magna, potest esse & grauis,

Caussa grauis, & acutæ vocis.

&acuta:item vox parua, potest esse grauis & acuta, vt scil. aer vel copiosus in voce magna, vel exiguus in parua, velociter, vel tarde mouetur. Vnde vituli & vaccæ vocem edunt grauem, quia in vase amplo vituli & vaccæ aer est copiosus, vt vox sit magna, sed quia tarde mouetur, ideo vox est grauis: contingit autem in vitulis, vt non possint copiosum aerem velociter mouere, propter ætatem, quia in prima ætate musculi, qui sunt instrumenta voluntatis, satis sunt imbecilli: in vaccis autem adest imbecillitas, non propter ætatem, sed propter sexum femineum, in quo ea est imbecillitas, vt copiosus aer velociter moueri non possit. Contra, tauri reddunt vocem acutam; nam aer est copiosus, ob vasis amplitudinem; & velociter mouetur, ob virtutis robur. Cum igitur aer, vt vel tarde, vel velociter mouetur, sit in caussa vocis acutæ, aut grauis: rationabiliter dictum fuit a Philosopho, c.7.l.5.gen. animal. loci caliditatem esse in caussa grauis vocis, loci frigiditatem acutæ: ratio est; nam vbi thorax est calidus, spiritus producitur crassus, quare velociter non mouetur, vnde vox grauis: contra, vbi adest frigiditas, aer est tenuis, iccirco velociter mouetur. Hinc feminæ vox acuta, maris grauis. Possumus etiam & nos addere, cor maris attrahere aerem copiosum, qui tardius mouetur, & proinde vocem grauem reddit: contra in feminis aer nõ ita copiosus attrahitur, ideoque magis velociter mouetur. Probl.3.sect.11. Hinc etiam fit, vt vox a longinquo sit acutior, probl.6.sect. 11. nam quo magis vox continuatur, eo minus aer copiosus agitatur, ideoque eo velocius mouetur, vnde vox acuta. Ceterũ, vox redditur parua, quamuis acuta, ob minorem copiam aeris: & hinc probl.16.sect.11. aqua frigida, de eodem profluens vasa, acutius sonat, quam calida, quia frigida est grauior, vnde velocius mouetur. Hinc etiam, e probl.14.sect.11. in puerili ætate vox est acutior, quia ob loci angustiam aer est exiguus, & velociter mouetur, sicut etiam testatur Galenus com.10.sect.1.l.1. prorhet.

CAPVT XXXIII.

De applicatione methodi anatomicæ, ad Laryngem.

Lingula. PRæcipua particula gutturis, correspondens crystallino in oculo, est lingula. ca.6.l.1.loc.aff.c.13.l.7.vsu part. Glottis ergo concurrit, vt patitur, ratione musculorum, a quibus mouetur: concurrit vt agens, quia percutit aerem efflatum. Differt ergo a crystallino, quia crystallinus concurrit actiue, vt possint iudicare, vt crystallini vitium non pendeat ab alia parte oculi: contra, lingulæ actio, vt mouet aerem, pendet ab actione alterius partis, totius instrumenti, scilicet gutturis, quia pendet a musculis. Vnde hæc præcipua pars, ad differentiam crystallini, concurrit potius per consequens; at crystallinus potius per temperamentum, quia prorsus actiue concurrit; lingula vero non simpliciter actiue concurrit, sed etiam passiue, quatenus a musculis patitur, & sic concurrit potius per consequens, id est, per mollitiem peculiarem indeterminatam, quæ crasin lingulæ sequitur. Per hanc igitur mollitiem, quæ vergit ad duritiem, glottis aerem concutit, vt fiat strepitus, & vox. Deinde per mollitiem, e c.13.l.7.vsu partium concurrit etiam ad sui custodiam, vt nec spiritu repleatur, nec mota a musculis rumpatur. Præterea cum hæc mollities sit particeps visciditatis, fit vt homo citra externam humiditatem loquatur; nisi ob violentiam aliquam hæc particula siccetur, vt in maximis febribus & agitationibus, tunc enim homo loqui non potest, nisi humiditas aliqua accedat. Insuper per mollitiem fit, vt tantum queat angustari & dilatari, quantum sufficit ad percussionem aeris exspirati. Concurrit etiam glottis per id quod accidit. c.13.l.7.vsu part. nimirum, per figuram, cauitatem, meatus, magnitudinem & situm, ac proinde per totam compositionem: vnde, si in propositis mutatio aliqua fiat, dubio procul vox vitiatur: nam oportet, vt aer a pulmone ascendat, & petat locum, qui ex amplo paulatim fiat angustus, & rursus ex angusto fiat amplus.

Cartilagines. Cartilagines huius instrumenti concurrunt per duritiem, vt percutiunt aerem: per numerũ, vt sine quo non: nam aer percuti non potest sine motu, & cartilagines moueri non possunt, nisi sint plures, nam vna non moueretur. c.10.l.7.vsu par. Tribus autem tantum opus fuit cartilaginibus: nam opus est tantum dilatione & compressione: ratione dilationis opus fuit dearticulatione primæ cartilaginis ad secundam; ratione compressionis, opus fuit dearticulatione secundæ cartilaginis ad tertiam, ca.12.l.7.de vsu partium ideoque cum larynx tertio motu non egeat, non etiam eguit quarta cartilagine; & sic hæ cartilagines per numerum ternarium concurrunt. Sed præterea cartilago onicnoides concurrit etiam ad custodiam tracheiæ, est enim caussa, vt vomentibus nihil in tracheiam deferatur, deprimitur autẽ ab his quæ euomuntur, c.16.& 17.l.7.vsu part. hoc enim præstat hæc cartilago, & per consequens temperamentum, & per cõpositionem; nam ita formata est, vt vergat in laryngis caput, ad laryngis capacitatem.

Epiglottis. Epiglottis confert, vt cibus & potus ad pulmones non feratur, ideoque est ad custodiam: præterea iuuat, vt operit & tegit, c.3.l.3.de partibus animal. Confert per consequens, & per id quod accidit, cap.16.l. 17.vsu part. nam vt epiglottis obtinet duritiem cartilagineam, est in caussa vt respiratio secundum rectum fiat, recta moueatur: præterea est in caussa, vt tempore deglutitionis, non euertatur, quod fieret nisi illam haberet duritiem: Addit Auicennas, per duritiem resistere catarrhis, malis sputis, vaporibus, fumis, qui redeunt e corde per exspirationem: præterea per hanc duritiem resistit aeri, recurrenti caussa vocis, vt nõ ita lædatur. Concurrit etiam per id quod accidit: nam epiglottidis magnitudo, est paulo maior orificio laryngis; nam si minor esset, non posset claudere; si maior, gulam obrueret. c.16.l.7.vsu part.

Tunica. Tunica concurrit & ad tutelam, & vt melius fiat actio seu vox. c.7.l.7.vsu part. Ad tutelam; nam custodit cartilagines, ne a permeatibus lædantur. Est in caussa, vt melius fiat vox, quia facit vt cartilagines melius sonent. Concurrit autem per temperaturam, densitatem, & tenuitatem. Per temperaturam: quia mediocritas temperamenti est in caussa, vt melior fiat actio; & proinde, cum siccitas sit moderata, vox fit optima, nam sicciora, quæ excedunt, vocem reddunt deteriorem, quam quæ moderate sunt sicca. Densitatis beneficio, cartilagines non ita imbuuntur humiditate, ne rauca vox fiat. Per tenuitatem concurrit; nam si esset crassior, occuparet maiorem amplitudinem arteriæ, seu laryngis, sine aliqua vtilitate.

Liga-

Ligamentum ſunt ad tutelam. Vincula.

Muſculi concurrunt, vt ſine quibus vox non fit, cap.11.l.7.vſu part.quia alias larynx non moueretur. Muſculi. Concurrunt autem per ſuam operationem, nim.per tenſionem, vnde Galenus cap.vlt.l.2.de motu muſc. ait; ſi tenduntur muſculi gutturis vocem fieri.

Organa communia concurrunt vt in aliis inſtrumentis.

Corpora glandulosa, pharyngem & laryngem humiditate perfundunt. cap.17.l.7. vſu part.ideoque Glandulosa corpora. ſunt fungoſa, vt magis largum affundant humorem: cartilagines etiam cuſtodiuntur huius humiditatis beneficio, & melius mouentur, vnde melius fit vox. Hinc ſi contingat, has glandulas ſuo munere non fungi, ſiccatur larynx, & vox fit rauca.

B Totum guttur, concurrit per ſuperficiem, cauitatem, orificia, magnitudinem, & ſitum. Per ſuperficiem enim læuem, ſeu per læuitatem facit ad probam vocem edendum.c.67.art.med. Guttur totum. Per cauitatem concurrit, vt ſit via aeris. Concurrit etiam per orificia: nam inferius orificium eſt amplius, vt aer copioſior per exſpirationem ingrediatur laryngem, qui magnæ vocis eſt cauſſa c. 1.l.7.vſu part. Confert per magnitudinem: nam latitudo facit ad vocem magnam, c.67.art.med. Hinc Galenus com. 25.ſect.4.l.7.epid.ait, vocem magnam fieri, ſi larynx latius pateat. Addit c.6.art.med.fauces per latitudinem concurrere ad vocem grauem, per anguſtiam ad acutam: & hinc, cum ætatis progreſſu larynx maior & latior euadat, vox acuta in grauem degenerat: ratio eſt, quia vbi eſt anguſtia, aer eſt exiguus, & velociter mouetur, vnde vox fit acuta. (dum homines canunt, & caput deprimunt, vox fit grauior; quia per hanc diſpoſitionem gutturis, ſeu capitis, nõ ita velociter aer mouetur.) Concurrit etiam per ſitum, vt guttur eſt ſupra pulmones, quia C aerem attrahit, & in exſpiratione ſuſcipit a pulmone. Situs autem in collo, facit ad cuſtodiam: vnde Galenus c.1.l.8.vſ.part.ait; collum eſſe propter laryngem, vt hoc vna cum pulmone & larynge pereat. Præterea concurrit per connexum cum muſculis faucium, vt vox melius fiat.cap.15.lib.de diſſect.muſc. Patet etiam quod per totam & determinatam compoſitionem, ad vocem concurrat: ſi enim aliquod vitium accidat, vox vitiatur.

Capvt XXXIV.

De Sermone, & eius organis.

HActenus de voce: iam etiam de Sermone agemus: cuius organum adæquatum eſt os. Locutio.

Quare os hoc modo acceptum, eſt *inſtrumentum, genitum e lingua, gargareone, labiis, bucca, gingiuis, oſſibus, muſculis, membranis, & communibus organis, a propria generatrice, gratia ſermonis.* Oris definitio.

D Pro explicatione huius definitionis, primo cognoſcendum, quomodo generatrix ſe geſſerit, in fabrica & partium, & totius oris. De fabrica linguæ, iam ante diximus: quomodo autem concurrat ad ſermonem, aliter quam ad vocem, in methodi applicatione dicemus. Lingua.

Gargareon, dicitur columna, ſeu columella, c.11.l.11.vſu part.c.3.l.6.κατὰ τόπ. Eſt pars oris: vnde Galenus c.8.l.de diff.morb. ait, columellæ ablationem eſſe morbum palati, palatum autem eſt pars oris, vt Vua. teſtatur Galenus com.32.ſect.1.l.6.epid. Porro, vua ita accepta, vt oris particula, adepta eſt ſubſtantiam carneam, & proinde temperamentum, quod vergit ad calidum & humidum cap.3.l.6.κατὰ τόπ. hinc ſequitur mollities mediocris. Sed notandum, huius partis ſubſtantiam non tantum eſſe carneam (nam ſi amputetur, non poteſt reparari) ſed e parte quoque ſpermaticam, quia habet non ſubſtantiam fibroſam, & mẽbranoſam. Quoad formationẽ; eſt corpus læue, rotundum, oblongum verſus palatum, ita vt ad baſin epi-
E glottidis pertineat, quia videtur pẽdere ſupra ſupremã partem epiglottidis. Aperto ore facile conſpicitur.

Labia etiam oris ſunt partes: vnde Galenus c.6.l.4.loc.aff.ait; gratia ſermonis labia ad os pertinere. Labia. Compoſita ſunt e ſubſtantia multiplici.c.16.l 11.vſu part.c.1.l.de diſſect.muſc.c.15.l.9.vſu part.c.4.l.4. Cõſtant enim e fungoſa ſubſtantia, e cuti, & terminis lati muſculi: & labiorum cutis cum ſubſtantia muſculoſa ita eſt permiſta, vt vocetur, vel cutis muſculoſa, vel muſculus cutaceus. Adhæc labia præter organa communia ſuſcipiunt fibras a muſculis latis & gracilibus: vnde labia facillime mouentur. c.3.l.4. de adm. anat. Temperatura autem eſt calidior & humidior, quam in cute ob permiſtionem carnis muſculoſę cum cute, c.11.l.11.vſu part. Vnde labiorum durities excedit rationabiliter duritiem muſculorum, ob permiſtionem cutis, quæ eſt durior muſculo. Quoad formationem. Superficies labiorum eſt æqualis: figura orbicularis: poros habent inſtar ſpongiæ. Duo ſunt labia, ſuperius & inferius. Et ita ſunt collocata, vt conna-
F ſcantur, & adhæreant oſſibus maxillarum.

Per buccas intelligimus oris cauitatem interiorem, intra malas faciei, a mento ad oculos. Pars buccarum ad oculos ſpectans eſt craſſior, & magis carnoſa; quæ ſpectat ad labia & mentum, eſt tenuior, magis Buccæ. cutanea & ſeminalis. Et huc reſpiciens Galenus c.1.l.3.meth.ait; buccarum partem tenuiorem non conſolidari. Buccarum alia dextra, alia ſiniſtra. Galenus c.2.l.4. de adm.anat per totas buccas intelligit dextram & ſiniſtram.

Gingiuæ ſunt carnoſæ circa dentes: quare calidæ & humidæ, aliqua e parte molles, & poſitionem habent circa dentes.c. 5.l.9.de vſu part. Gingiuæ.

Sequuntur oſſa palati, maxillarum, dentium.cap.5.l.2.de art.c.6.l.4.loc.aff. Oſſa palati potiſſ.fiunt a Oſſa. cuneiformi, quod poteſt vocari os palati. cap.1.l.9.vſu part.& c.9.l.11.vſu part. & hoc os eſt ſatis durum ac
G denſum; ſi enim eſſet laxum, propter excrementa puteſceret. Obtinet hoc os in palato foramina, ſeu meatus, per quos cerebrum expurgatur, vt ſunt duo canales, qui excrementa per palatum in os emittunt, cap. 6.lib. 8. vſu partium. Præterea hoc os obtinet tenuia foramina, inſtar cribri. c. 1. lib.9.vſu part. At Veſalius & Columbus prorſus negant iſta foramina: & dicunt, hoc os eſſe maxime ſolidum, & obtinere ſinũ, in quo detinetur glandula, quæ ſuſcipit excrementum cerebri. Sed decipiuntur hi. Nam os ſphenoides, primum habet duo foramina euidentia & ampla, ad craſſa cerebri excrementa purgandum, quæ Galenus

pro cerebri expurgatione ſat eſſe ſtatuit, cap.6.lib.8.vſu part. Et propterea male Veſalius Galeno aſcribit, A quod voluerit per exigua foramina, inſtar cribri, expurgari cerebri excrementa: nam c.1.l.9.vſu part.ait, craſſa excrementa purgari per meatus ampliores. Deinde os ſphenoides obtinet etiam foramina exigua, quæ tamen non reperiuntur in externa ſuperficie, pertinente ad os ſeu palatum (nam os, hoc eſt, durum ac denſum: c.9.l.11.vſu part. quare ſine foraminibus) ſed in ſuperficie interna, quæ ſcil. ſuſcipit glandulam: ſatis enim fuit excrementa cerebri percolari, id eſt, ſenſim deſcendere, non autem prorſus excidere, quia cogeremur aſſiduo exſpuere. c.3 lib.9.vſ. part. propterea dum excrementa deſcendunt in glandulam, aut in cauitate oſſis ſphenoidis excrementa aliquantiſper detinentur, & non ita repente fluunt, non ita frequenter exſpuunt. Cum autem hæc glandula detineatur in cauitate oſſis, vt os non eſſet admodum denſum, fuit neceſſarium, ſed potius ſpongioſum, & minus durum; ne glandula, quæ mollis eſt, lædatur a con- B tactu oſſis durioris.

Quoad oſſa maxillæ & ſuperioris & inferioris: hæc quædam habent communia, quædam propria. Communia pertinent ad figuram, magnitudinem, & poſitionem. Quoad figuram, e c.8.l.10.vſu.part. maxilla vtraque emittit proceſſus tenues, quos vocant præſepiola, quæ dentes circumdant. Quoad magnitudinem, c.2.l.1 admi.anato. maxillæ ſunt paruæ, vnde & facies rotunda, & muſculi pares: vnde c.3.l.4.adm. anat. deinde, homines obtinere maxillas breuiſſimas, ad differentiam multorum brutorum. Quoad poſitionem, c.19.l.11.vſu part. maxillæ poſitionem obtinent, ſecundum ſuturas admodum obſcuras, vt ſuturæ in oſſibus maxillarum non ita appareant, niſi diu coquantur. Hæc de communibus. Quoad propria, e c. 19.l.11.vſu part. maxilla ſuperior eſt minus dura; nec durities, quæ eſt maior in inferiori, impedit vt infe- C rior moueatur, nam inferior eſt minor ſuperiori. Præterea, quoad id quod accidit, c.18.l.11.vſu part. ſuperior maxilla eſt ſine cauitate, quare etiam ſine medulla. Et quamuis ſine cauitate ſit, non tamen propterea grauitate officit: non enim mouetur, & eſt ſatis magna. Componitur e pluribus oſſibus, & ad ſummum e 15. de quibus alias. c.3.& 4.l.de oſſibus. Hæc ſunt propria maxillæ ſuperioris. Inferior eſt durior, nam iniuriis magis eſt obnoxia, cap.18.l.11.vſu partium. Quoad id quod accidit: cauitatem obtinet exiguam, propter muſculos temporales; & eſt minor ſuperiori. Et e cap.6.l.de oſſ. huius os non eſt exacte ſimplex, vt ſi coquatur, diuiſionem aſſequatur. Vnicam habet diuiſionem, non admodum perſpicuam, in extremo mento. c.vlt.l.11.vſu part.

Dentes ſunt oris partes: vnde cap.8.lib. de diff. morb. dicitur, amiſſionem eſſe oris ægritudinem. Dentes autem proculdubio ſunt oſſa: vnde cap.5.lib. de oſſ. dicitur, dentes obtinere oſſeam ſubſtantiam, D quæ mollium neruorum cerebri eſt particeps, cuius ratione ſoli dentes inter oſſa ſentiunt, eo modo, quo alias explicauimus. Cum ergo dentes ſint oſſei, ſunt frigidi & ſicci, duri: & Hippocrates l.de Carn. ait, dentes duriores eſſe reliquis oſſibus. Quoad id quod accidit, dentium acutorum, vti ſunt canini & ſectores, figura eſt inciſoria in parte ſuperiori, in baſi enim inferiori ſunt lati: maxillares ſunt lati, inæquales, & magni, c.1.l.3.part.animal. c.8.l.11.vſu part. Quoad numerum, ſunt 32. inciſorii, 4. canini, 2. maxillares vt plurimum 10. c.8.l.11.vſu partium c.8.l.de oſſ. Poſitio dentium communis, eſt in concauis oſſium. Quoad ſitum proprium, inciſores ſunt in parte anteriori: canini vtrinque collocati ſunt ad latera: dein quinque maxillares in quolibet latere. Ea autem ratione ſunt collocati, vt inciſores ſuperiores cum inferioribus poſſint committi &c. co.3.& 4.ſect.1.l.4.epid.

Muſculi. Muſculi alii ſunt Labiorum, alii Buccarum, alii Maxillæ inferioris. Labiorum muſculi, numerantur E inter muſculos faciei. c.13.l.9.vſu part. Sunt autem, c.16.l.11.vſu part. c.2.l. de diſſect. muſc. duo ſuperiores oriuntur a malis oblique deſcendentes; duo inferiores oriuntur ab extremis maxillæ, vbi eſt mentum, & obliqui inſeruntur in cutim, ita quidem, vt cutis veluti muſculoſa reddatur. Superiores ſi ambo tendantur, labrum ſurſum mouetur: ſi vnus ſaltem tendatur, oportet labrum ad eam tantum partem moueri. Si inferiores ambo tendantur, labrum infra mouetur, & ſi vnus tantum muſculus agat, fit motus obliquus: ſi ambo eodem tempore agant, fit motus rectus.

Buccarum muſculi duo ſunt, vtrinque vnus. cap.7.l.de diſſ. ven. cap.1.l.de muſc. c.16.lib.11.vſu partium. Oriuntur e regione ſpinæ ceruicis, cutique ac buccis coaleſcunt: buccas abducunt ad aures, ſeu latera. Hi ſunt illi muſculi, qui potiſſimum in ſpaſmo canino ſolent lædi: propterea eorum ſitus cognoſcendus.

Maxillæ inferioris muſculi (ſuperior autem non mouetur) mouent ſurſum, deorſum, vel ad latera. F c.6.l.de diſſ. muſc. Surſum mouentes muſculi, ſunt duplicis coniugationis: prima coniugatio eſt temporalium: ſecunda eſt muſculorum, qui ſunt adiutores temporalium. Quoad temporales, poſſunt vocari maſſeteres, & maſticatorii, c.4.l.11.vſ. part. quamuis magis proprie maſſeteres vocẽtur, qui mouent maxillam ad latera; ſed improprie etiã temporales dicuntur. Temporales igitur, in homine ſunt minus [illegible]ruoſi, & minores: ratio eſt, quia minor hominis eſt maxilla, quam brutorum, c.2.l.11.vſ.part. Hi ſunt reconditi in capitibus oſſium, vt portio admodum exigua extra emineat conſpicua: id quod fit ratione cuſtodiæ. Oriuntur a primo oſſe maxillæ ſuperioris, a fronte, a ſyncipite, & oſſe temporali, petroſo: occupant capitis latitudinem ad poſteriora, & ſupra cutis partes; & deſinunt in acutos & validos tendines, qui perducuntur in extremitatem coronæ maxillæ inferioris; & inſerũtur in maxillam inferiorem ad ceruicis exortum: qui G ſane muſculi ſurſum trahunt maxillam inferiorem, & ſic os claudunt. c.4.l.de diſſect. muſc. c.4.l.11.vſu partium. Adiutores temporalium, ſunt duo muſculi, ſatis validi & craſſi: obtinent fibras rectas: & ſunt collocati intra os: & oriuntur ab oris cauitate, pertinente ad os ſphenoides, ſecundum proceſſus pterygoides; & deſinunt in validum tendinem, in parte interiore maxillæ inferioris: hi ſimul cum temporalibus muſculis ſurſum maxillam trahunt, & propterea os claudunt. cap.6.lib.12.vſu partium, cap.6.lib.de diſſ. muſcul. Muſculi deorſum mouentes maxillam, ſunt duo muſculi ſatis anguſti, prolixi, rotundi: oriuntur

A tur a proceſſu ſtyloide,& inſeruntur maxillæ inferiori,vſque ad medium mentum ; deorſumque trahen-
do maxillam,os aperiunt.c.5.l.11.vſu part.c.6.l.de diſſ.muſc.Muſculi mouentes ad latera, proprie maſſete-
res, maſticatorii dicuntur, & ſunt triangulares: reuera duo ſunt vtrinque (non vnus) quatenus duo ha-
bent principia ; alterum ad malas,id eſt, ad primum os maxillæ ſuperioris, reliquum ad os iugale:& ter-
minum habent veluti triangularem in inferiorem maxillam : & acuto proceſſui maxillæ adhærent, vbi
cum temporalibus maxime coniunguntur:& hi maxillam ad latera trahunt, & circumagunt. c.6.l.de diſſ.
muſc.c.4.l.11.vſu part. Quod ſi propoſiti muſculi inuicem conferantur ; maiores claudunt, minores ape-
riunt,medio modo ſe habentes ad latera mouent:nam maior eſt labor in maxilla attollenda & ſuſtinenda:
minimus in deſcenſu maxillæ:mediocris eſt labor,dum maxilla circumagitur, tunc enim nec fit aſcenſus,
B nec deſcenſus.c.6.l.10.vſu part.

Oris membrana,producitur e craſſa meninge, & producitur in os, per foramina propinqua glan- Membrana.
dulæ infundibuli.c.16.l.9.de vſu part.

Organa communia prodeunt a proximis ramis. Quoad neruos : de linguæ neruis,diximus in ſer- Organa communia.
mone de lingua. Nerui autem buccarum patent ex his,quæ dicuntur de neruis, pertinentibus ad muſcu-
los buccarum. Quare de neruis aliarum partium dicemus. Nerui ergo labiorum prodeunt a tertio pari
cerebri:& tranſmittuntur per tenuiſſima foramina maxillæ ſuperioris,ad labrum ſuperius:ſicuti qui pro-
deunt per maxillam inferiorem,deducuntur ad labrum inferius. Gingiuarum autem nerui,e c.15.l.9.vſu
part. ſunt propagines tertii paris neruorum cerebri. Tunicæ autem nerui, ſimiliter oriuntur a 3.pari ce-
rebri.c.11.l.11.vſu part. Nerui dentium ſunt molles,non duri, & oriuntur e 3. pari cerebri.c.15.l 9.vſu part.
C Nerui ad muſculos pertinentes,oriuntur a tertio pari,& ſuſcipiuntur a labiis, a muſculis maſticatoriis &
temporalibus.cap.2.lib.4.loc aff. Ita autem ſe habent, vt nerui muſculorum temporalium, quia plures
ſunt,tres obtineant neruos, duos a 3.pari, vnum a quincto.cap.15 & 13.lib.9.de vſu partium. Hæc de o-
ris partibus.

Totum os in homine formatum fuit paruum, ad differentiam brutorum, homo enim non dicitur Os totum.
mordere.c.9.l.11.vſu part.

Os autem factum eſt gratia ſermonis. Vnde Plato in Timæo ait: oris naturam compoſitam eſſe, e Cauſſa finalis.
dentibus,lingua,& labiis,gratia neceſſariorum, & optimorum, id eſt, & vitæ cauſſa,quatenus os alimen-
tum admittit:& gratia melioris vitæ, quatenus verba egrediuntur. (non ergo reprehendendi ſunt, qui
D ſic vitam & meliorem vitam diſtinguunt: cum hæc diſtinctio etiam Platoni nota fuerit.) Verum multæ
ſunt oris vtilitates: os enim genitum eſt gratia alimenti & cibalis & aerii, gratia excrementi, & gratia ſer-
monis.

Ad cibale alimentũ os concurrit:primo,vt cibus in ore acquirat aliquam mutationem, beneficio ſa-
liuæ,c.7.l.3 fac.nat.ſecundo,os concurrit per ſuam carnem,os enim conficit cibum,& præparat ventricu-
lo,dum cibus per maſticationem comminuitur.c.1.l.3.part.anim.c.5.l.de cib.bon.& mal.ſucci: tertio con-
currit os,vt via cibi ad ventriculum,ſecundum Auicennam.

Quoad alimentum aerium,Galenus cap.vlt.l.2.de plac.ait;principium alimenti ſpiritalis eſſe os,na-
res,guttur,pulmones:dicuntur principium alimenti ſpiritalis,ad differentiam cordis,in quo hoc alimen-
tum acquirit tantum vltimam perfectionem, in reliquis autem partibus præparatur: ceterum, ſi hæc 4.
propoſita inuicem conferantur, primum locum obtinent nares (vt ſupra diximus) non os. Os ergo eſt
E gratia aeris:vnde & Ariſt.dicit,os conferre ad reſpirationem.c.1.l 3.part.anim.

Quoad excrementum,Auicennas ait, os eſſe viam excrementorum, prodeuntium a ventriculo(in
vomitu) & a cerebro.

Denique os reſpicit ſermonem : vnde Galenus c.6.l.4.loc. aff.inter ſermonis organa proponit lin-
guam,dentes,labia,palatum, gargareonem ; quæ omnia ſunt oris partes, ideoque os eſt adæquatum ſer-
monis inſtrumentum,vt e propoſitis partibus conſtituitur: & recte Auicennas dicit, os eſſe vas vniuerſa-
le,id eſt,adæquatum locutionis. Nos autem in definitione tantum ſermonem propoſuimus,quia loqui-
mur de ore humano,quod ſermone differt ab ore brutorum : Vnde Auicennas ait, os in brutis,eſſe orga-
num exſufflationis,in homine locutionis:& Ariſtoteles cap.7.lib.1.de part.animal.ait : os in omni anima-
li eſſe cauſſa cibi & reſpirationis, in homine cauſſa ſermonis. Hinc cap.7.lib.5. de gen.animal.dicit, ſo-
F lum hominem oratione vti. Et iccirco etiam Galenus cap.13.l.16.de vſu part.ait, vocis principaliſſimum
inſtrumentum eſſe os:ita vt vox formata,id eſt, ſermo,ſit præcipua oris operatio, & merito proinde pro-
poſita in definitione.

Sed pro recta methodi applicatione,aliquantiſper digrediemur circa ſermonem. Per ſermonem De Sermone.
intelligimus perfectum,ſiue ſit affirmatio, ſeu negatio, ſiue enuntiatio vera, aut falſa, ſiue pertineat ad
oratorem,vel Poetam,&c. Loquimur ergo de ſermone perfecto,id eſt, compoſito e nomine & verbo,&
proinde compoſito e literis tum vocalibus, tum conſonantibus,quem ſermonem Ariſtoteles in poetica
vocat orationem.

Sermo igitur,ſeu oratio eſt vox intelligibilis, compoſita, ſignificatiua, cuius partes ſeparatæ ſigni- Quid ſermo?
ficant;percuſſa a lingua,vt animi affectus pateant. Explicatio. Quia ſermo dicitur vox, neceſſario eſt mo-
G tus. Dicamus ergo in hoc motu,de mobili,& motore. Sermo dicitur vox,ad differentiam ſoni,qui non eſt
vox,ſed motus.

Dicitur autem vox intelligibilis, ad differentiam vocum aliquarum ferarum : nam ferarum vo-
ces habent etiam literas,quæ ſunt elementa orationis, vt ſint indiuiſibiles, ſed non intelligibiles: homi-
nis autem vox eſt indiuiſibilis,ſed intelligibilis. Vox ergo eſt genus,quod prædicatur de voce brutorum,
quæ eſt indiuiſibilis,ſed non intelligibilis, & propterea non poteſt eſſe ſermonis elementum:prædicatur

etiam de hominis voce, quæ potest esse indiuisibilis, sed non intelligibilis, & proinde potest esse sermonis A elementũ, vt litera, prolata ab homine, non a brutis. Hinc Aristoteles c.17.l.2.de part.animal.distinguit sermonem ab aliis vocibus brutorum, & inquit, linguam esse conditam ad literarum explanationem, & sermonis expressionem, vt litera sine dubio a sermone distinguatur.

Sequitur in definitione: Composita: ad differentiam literæ: nam litera ab homine prolata, est vox intelligibilis, sed indiuisibilis: sermo autem est vox, non modo intelligibilis, sed etiam composita. Hinc Aristoteles c.9.l.4.hist.animal.dicit, locutionem esse compositionem e consonantibus & vocalibus: quod etiam proponitur c.16.l.2.part.animal.

Sequitur: Significans: ad differentiam syllabæ, coniunctionis, articuli, quæ sunt voces intelligibiles compositæ e literis, sed minime significant: sermo autem significat, vnde Aristoteles c.8.l.2.de anima B dicit, vocem, scil.humanam, esse sonum significantem.

Sequitur: Cuius partes quædam separatæ aliquid significant, ad differentiam nominis, verbi, & casus: verbi gratia, si quis dicat. Leo ambulat; leo aliquid significat; item ambulat.

Sequitur: Percussa a lingua, vt notetur caussa efficiens, quæ proponitur ab Aristotele ca.9 l.4.histor.animal.lingua enim percutit vocem, vt mouetur a musculis: est enim motus voluntarius, mouent autem musculi linguam, duce facultate motrice, & præterea duce facultate principali, vnde Aristoteles c.9.l.4.histor.animal.dicit, vocem acquiri per naturam, locutionem per disciplinam, vt surdi ita nati, vocem emittant, non autem locutionem.

Postremo in definitione dicitur, vt animi affectus pateant, vt testatur Aristoteles in principio libri C de interpretat.& c.9.l.4.hist.anim.dicit, locutionem esse propriam hominis.

Capvt XXXV.

De applicatione methodi anatomicæ, ad organum sermonis.

Lingua. AD sermonem efficiendum, pars præcipua organi adæquati, nimirum oris, est lingua, vnde Hippocrat.l. de Carn. vult vocem fieri, dum spiritus attractus per inania foras currit, ita vt vox degeneret in sermonem, dum scilicet vox in lingua articulatur: nisi enim lingua vocem articulauerit, non fit sermo. Hippocrates l.4.de morb.dicit, vocem articulari a lingua & labiis: vbi intelligit, linguam concurrere vt præcipuam partem, labia autem vt partes adiuuantes. Et iccirco Galenus cap.6.l.4.loc.aff ait, caussa sermonis, principatum obtinere linguam. Et com.74.sect 3.lib.3.epid.ait, resoluta, id est, analysi effecta lin- D gua, homines clamare, sed loqui non posse, vox enim fit, non sermo. Et com.3.sect.1 lib.1.prorhet.dicit, si patiatur lingua, fit balbuties, non raucedo; fit enim vitium in sermone, non in voce, quæ ad laryngem pertinet. Et Philosophus cap.16.lib.2. partium animal. dicit: linguam non modo percipere sapores, sed etiam formare voces & efficere sermonem, lingua enim est organum adæquatum gustus: sermonis autem est organum principale, non adæquatum.

Sed dubitatur, quia Aristoteles cap.9.lib.4. histor.an. dicit, quibus lingua libera & absoluta non est, nec vox emittitur, nec sermo: quare lingua videtur esse vocis organum. Galenus autem com.74.sect.3.l.3.epid.dicit, si resoluatur lingua, homo non loquitur, sed clamat. Responsio. Vox fit tantum a larynge; & lingua non concurrit ad efficiendum vocem, concurrit tamen lingua, vt pars, a qua vox iam facta amplificatur, & fit intelligibilis: si ergo lingua resoluitur, homo non loquitur, sed solum clamat, qui tamen E clamor non est intelligibilis.

Quare præcipua pars totius oris est lingua: & proinde sciendum, quid operetur lingua, & per quid operetur. Aristoteles c.17.l.2.de part.animal.dicit, linguam conferre ad literarum explanationem, & sermonis expressionem. Vnde Galenus aphor.32.sect.6.ait, linguam dearticulare vocem: & cap.6.l.4.loc.aff. ait, linguam ita dearticulare vocem, vt eam distinguat: vox enim genita in larynge, beneficio linguæ mutatur in literas, & in sermonem. Sed notandum; vocem, vt degenerat in sermonem, necessario percuti a lingua; nec enim locutio fieri, vel literæ coniungi possunt, sine percussione, quæ fit a lingua. Ceterum, literæ sunt vocales & non vocales, seu consonantes. Vocales, secundum Aristotelem in poetica, producuntur sine ictu, seu percussione: (producuntur non lingua, sed ab ore & gutture) vocalis enim quatenus est vox, fit a percussione laryngis, dum aer percutitur a gutture, non a lingua, at vocalis, quatenus est F litera, excludit linguæ percussionem. Quare ad vocalem literam, lingua concurrit vt pars principalis seu præcipua, prout vox, iam percussa a larynge, beneficio linguæ amplificatur, & redditur intelligibilis. Patet igitur literas vocales, non fieri concurrente lingua percutiente. Porro literæ non vocales, siue sint semiuocales, siue consonantes, producuntur a lingua & labiis.cap.9.l.4.hist.an. Litera enim vt vox, percutitur a larynge; sed quatenus est non vocalis litera, percutitur principaliter a lingua, & labia concurrunt sine quibus non. Cum ergo lingua concurrat & percutiendo, & non percutiendo: merito dixit Philosophus, voces, seu literas, quandoque fieri cum ictu, quandoque sine. Patet igitur quidnam operetur lingua, & circa sermonem, & circa literas.

Iam explicandum, per quid concurrat lingua ad sermonem. Sciendum ergo linguam, instar lingulæ G in larynge, concurrere potius vt passiuam, quatenus scilicet percutitur & mouetur a musculis. Quare concurrit ad sermonem, potius per id quod consequitur, & per id quod accidit, quam per crasin: sicuti contra, dum præcipua pars concurrit magis vt actiua, potius per temperiem cõcurrit. Lingua igitur, quia magis passiua, concurrit per consequens temperiem, & per id quod accidit. Vnde Aristoteles cap.17.l.2.de partibus animal.ait, linguam concurrere & caussa literarum, & caussa sermonis, vt mollis, vt lata, vt absoluta est. Mollities, est consequens: latitudo & absolutio, accidunt. Vnde etiam Galenus cap.8.lib.de diff. morb.

morb.dicit, quendam in conuulſione linguam ſecuiſſe, vt propterea minus facile loqui potuerit. Et cap. 12.lib.2.de hiſt.an.dicit Philoſophus, animalia literas proferre, quibus lingua eſt latior. Et c.17.l.2.de part. anat.proponit linguam abſolutam, id eſt, non adhærentem, quare proponit ſitum linguæ. Ratio autem cur lingua debeat eſſe mollis, lata, & abſoluta; hæc eſt: quod enim eſt molle, facilius mouetur: & proinde lingua mollis facile mouetur, vnde facile diuiduntur voces, & proinde fit ſermo. Lingua autem lata omnes literas poteſt proferre: nam lingua amplior, voces anguſtas admittit; anguſta autem voces amplas capere non poteſt. Tandem lingua ſoluta, non adhærens, facile in omnes partes fertur, & propterea poteſt vocem quamlibet formare. Verum lingua non tantum ad ſermonem concurrit, ſed etiam ad cibum: nam per motum, eſt in cauſſa, vt dum cibus teritur & comminuitur, non ita cedat ſub dentibus: & propterea Galenus cap.4.l.11.vſu partium dicit, linguam ad maſticationem conferre, vt quæ inſtar manus, cibos in ore voluit. Præterea confert lingua ad cibum per ſuas glandulas, vt ſcil. ſubminiſtrat ſaliuam: & propterea Galenus c.1.l.5.κατὰ τόπ.ait, fabam maſticatam reddi magis diſcuſſoriam, beneficio ſaliuæ, quæ a linguæ glandulis tribuitur.

Gargareon. Gargareon eſt pars, quæ vſum & operationem præſtat.cap.8.l.de diff.morb.ſed addit Galenus, veluti quibuſdã videtur: nam gurgulio, vt diſtinguitur ab aliis partibus, tantum vſum præſtat, non operatur; quod ſi conſideretur vt pars viuens, habet operationem, id eſt, nutritionem, quæ eſt communis, de qua non loquimur. Eſt ergo columella tantum ad vſum, eumque multiplicem. Primum enim eſt gratia ſermonis, & proinde melioris vitæ: vnde Galenus c.14.l.11.vſu part.ait, gargareonem conducere ad magnitudinem, & elegantiam vocis: nam, cum vox ad laryngem pertingit, augetur a columella, non fit ab ea, ca.7.lib.7.vſu partium. Quare a Galeno c.6.l.4.loc.aff.gargareon inter locutionis organa recenſetur. Confert gargareon per ſuam mollitiem, eamque potius moderatam: vnde dicit Auicennas, eam obtinere ſubſtantiam carnoſam, quæ eſt mediocriter mollis. Præterea facit ad cuſtodiam propoſitarum partium; eſt enim propugnaculum laryngis, prohibens, quo minus refrigerentur arteria aſpera, & pulmones, quemadmodum eſt etiam in cauſſa, vt puluis in laryngem non incidat.c.11.l.11.vſu part.

Labia. Labia faciunt ad tuendos dentes.cap 6.lib.2.partium animal. ſed potiſſimum conferunt ad ſermonem.cap.9.l.4.hiſt.an. conſonantes enim literæ, non modo a lingua fiunt, ſed etiam a labiis. Vnde ca.15. l.2.de part.an.Philoſophus dicit, literam partim lingua produci, partim labiis comprimi. Et propterea cap.6.lib.4.loc.aff.dicit Galenus, labia ad ſermonem non parum conferre. Et Ariſtoteles cap.16.lib.2.partium, an.dicit; hominem labia obtinere carnoſa & mollia, vt quæ ſeparari poſſint, & etiam committi, gratia ſermonis.

Buccæ. Buccæ vtiles ſunt: dum enim mouentur a muſculis, ſunt in cauſſa vt melius fiat ſermo.cap.16.lib.11. vſu partium.

Gingiuæ. Per gingiuas fouentur dentes: & præterea per caliditatem gingiuarum, vbi aliqua e parte (præparantur) mutantur, in ore.c.7.l.3.fac.nat.

Oſſa. Oſſa Palati, ſunt in cauſſa, vt ſermo melius fiat. Hinc c.6.lib.4.loc.aff. Galenus dicit, palatum non parum conferre ad locutionem: & cap. 5. lib.7. vſu partium dicit, vocem, dum ad laryngem peruenerit, augeri a palato. Maxillarum oſſa, per duritiem faciunt ad cuſtodiam muſculorum. Et per figuram ſuam, quatenus habent proceſſus, id eſt, præſepiola, faciunt ad cuſtodiam dentium. cap.8.lib.11.vſu partium.

Dentes conferunt ad manducationem & ſermonem. cap. 8. lib. de diff. morb. & proinde dentes non parum opitulantur linguæ.cap.6.lib.4.loc.aff. Reſpiciens igitur ad maſticationem, ait Galenus, cap.7.lib.15. vſu partium productos eſſe dentes, ne infans cogatur ſemper lac ſugere, ſed vt poſſit maſticare. Et Ariſtoteles c.1.l.3.de part.an.dicit, homines vti dentibus ad vſum communem, ſcil. ad maſticationem, ſed potiſſimum ad locutionem, nam ad literarum expreſſionem, plurimum conferunt dentes anteriores acuti. Galenus, reſpiciens ad maſticationem, proponit dentium & figuram, & numerum. Quoad figuram, cap. 5.lib.de oſſ. & cap. 8.l. 11. vſu part.dicit, inciſores per figuram acutam ſecare: caninos autem partim latos, partim acutos, per latitudinem atterere, per acutiem ſecare: maxillares latos, inſtar molæ cibos inciſos & fractos læuigare, & terere. Quoad numerum, c.9.l.11.vſu part.ait, hominem vnum tantum habere caninum, quia homo, vt ſapiens, non debuit mordere: contra autem bruta.

Muſculi. Muſculi labiorum, buccarum, maxillarum, conferunt per actionem ad motum harum partium, cauſſa maſticationis, & locutionis: c.14.& 16.l.11.vſu part.c.4.l. 11.vſu part.c.6.l.diſſ.muſc.

Membranæ faciunt ad cuſtodiam.

Organa communia, venæ, arteriæ, nerui, vt conferant, alias dictum.

Os totum. Totum os concurrit per compoſitionem ſuam, eamque determinatam, quæ pertinet ad vnum hominem. Vnde, ſi in hac compoſitione contingat vitium, contingit etiam error vel in maſticatione, vel in ſermone. Et hæc de ſermone.

CAPVT XXXVI.

De Corde.

Quid tractandum. ANatomiam thoracis tractaturi, primum de Partibus, deinde de toto thorace. Inter partes, primum de Corde loquamur, eo quod hoc præcipuum eſt organum actionis thoracis; vt hepar actionis abdominis, & Cerebrum, actionis capitis.

Nomen. Per Cor igitur humanum, intelligimus viſcus cauſſa vitæ & quidem ſimpliciter, non cauſſa vitæ vel commodioris, vel melioris.

Definitio. Eſt autem cor *inſtrumentum, genitum e carne, fibris, adipe, membranis, & communibus organis, a facultate cordifica propria, gratia generationis caloris naturalis, vitalis.*

Genus. Cor dicitur instrumentum:igitur quid dissimilare.Hinc Aristoteles c.1.l.2.de part.animal.dicit,cor A
esse quidem similare secundum carnem;sed dissimilare,quatenus in partes similares secatur.

Materia. Materia e qua cor est constitutum,multiplex est:nim.caro; fibræ, adeps, membranæ, organa communia,id est,venæ,arteriæ,nerui.

Efficiens. Caussa efficiens,est vis cordifica,quæ potest generare cor:alias in accidentium, non substantiarum definitione caussa efficiens poni solet; licet autem cor sit substantia, heic tamen facilioris doctrinæ caussa eius caussa efficiens proponitur.Iam igitur explicanda hæc caussa efficiens. Omnis facultas instrumentum generat per potentiam alteratricem,& formatricem. Quare sciendum, quid hæc facultas generatrix per has duas potentias tribuerit,& partibus cordis,& toti cordi.

Caro cordis. Crasis carnis cordis. Quoad partes:& primum quoad carnem:duplex est cordis caro,alia quidem propria, alia vero quæ B
spectat ad cordis auriculas.Propriæ carni, facultas generatris per potentiam alteratricem tribuit temperaturam admodum calidam.Hinc,cor dicitur genitum e sanguine calidiore c.8.l.1.de sem. Et, cor viscus est,maxime sanguineum & calidum.c.vlt.l.1.de temperam.ac, si digitus in sinistrum cordis sinum immittatur,euidens sentitur calor.c.3.l.2.de temperam.Huic temperamento calido additur siccum: vnde cordis caro eo est durior,quo siccior. Cor natura frigidissimum, multo calidius est cerebro calidissimo.c.28. artis medic.Et,cor secundum propriam substantiam,est calidius & siccius iecinore, secundum propriam carnem.c.8.l.6.de placit,insignis autem cordis caliditas,potissimum pendet e Contentis,vt docet Hippocrates in l.de carnibus,vbi dicit cor calidum esse,propter spiritus & sanguinem.

Calidum innatum cordis. Verum præter hanc temperiem calidam & siccam, quæ est qualitas, cor obtinet calidum innatum,
quod est substantia:hinc Galenus ca.5.l.de curat. per vsum, ait, calidum naturale conseruari e sanguine, C
vt pro discrimine sanguinis modo sit copiosius,modo in minori copia: quibus indicat,calidum innatum esse substantiam.Calidum innatum ad omnem quidem partē viuentem spectat: huius tamen caloris fons & radix est cor,& propterea in corde hic calor naturalis est intensior.Sic Galenus c.7.l.6.vsu part.& c.vlt. l.6.de plac.ait,cor esse fontem caloris natiui:qua etiam de caussa cor habet venas pulsatiles, id est, arterias, ad differentiam hepatis.Quod etiam cordis calor sit intensior,testatur Galenus c.2.l.de vsu puls.inquiens, cordis calorem semper feruere.Ab hoc calore ita pendet vitalis potentia, vt Galenus.com.15 sect.3.lib.6. epid. dixerit; calidum esse essentiam vitalis potentiæ; non quod calidum innatum sit potentia vitalis, sed quod hæc a calido conseruetur,remoto enim calore,actum est de vitali potentia. Cordis ergo caro est calida,sicca.

Durities carnis Cor. Quoad consequentia temperiem,cordis caro est dura.c.11.l.3.de fac.alim.c.8.l.7. vsu part.cap.7.l.de D
admin. anat. & durior est carne musculorum. Est autem caro hæc durior in sinistra parte, potissimum in septo ventriculorum.c.16.l.6.de vsu part.

Deinde generatrix per potentiam formatricem, tribuit id quod accidit. Quo igitur ad ea quæ accidunt,in præsentia tantum loquamur de superficie,& densitate:reliqua enim patebunt, vbi de toto corde loquemur.

Foueæ septi. Superficies septi est inæqualis,& obtinet foueas,sed nulla penetrat.

Densitas. Densa satis est cordis caro,vt statuit Hippocrates in l.de corde,& Aristoteles c.17.l. .de hist.animal. & Galenus c.17.l.6.de vsu part.at major est densitas in sinistra parte,& maxime in septo.

Foramina. Quod si formam licet addere, septum obtinet foramina, quæ communia sunt ipsorum vasorum,c. E
vlt.l.3.de fac.nat.

Cōpactio. Quamuis cordis caro vnica esse videatur, quoad numerum, sunt tamen plures carnis particulæ inuicem compactæ,& multo arctius compactæ sunt,quam caro cerebri, vt testatur Philosophus ca.4.l.3.de part.anim.c.3.l.4.de part.

Auriculæ cordis. Caro auricularum,sunt epiphysis cordis.cap.4.& 15.l.6. de vsu part.& vocantur auriculæ, quia similes sunt auribus capitis.ca.9.l.7.de adm.anat. Substantia auricularum est satis neruosa, & magis cuticularis,quam cordis corpus.Eius temperies est,vt cutis; durities,vt membranarum. Formatrix has particulas formauit densas,concauas,numero duas,& cordi vtrinque annexas ad basin cordis;annascuntur enim substantiæ tum cordis,tum vasorum,c.9.l.7.de adm.an.c.17.l.6.vsu part.

Fibræ. Fibræ in corde reperiuntur,vt in musculis.c.3.l.2.de temperam. Ceterum,non sunt portiones neruorum & ligamentorum,sicuti in musculis, sed obtinent propriam substantiam, e priuato semine con- F
tractam, non e neruis,neque e ligamentis.Sunt autem hæ fibræ frigidæ, siccæ, duræ. Formatrix eas fecit densas,numerosas,longas,transuersas,obliquas:& pertinent ad cordis corpus,ad auriculas,&ad membranas tegentes orificia.c.4.l.de cibis bon.& mal.succi:c.8.l.6.de vsu part.

Adeps. Cor opertum est inuolucro pingui. cap.7.libr.1.de histor.animal.vera autem pinguedo in corde non reperitur, sed adeps; qui aliquo modo durus est, & ægre liquatur. Materia e qua,est vapor copiosus sanguineus emanans. Agens est vis adiposa,quæ potest adipem generare:calida,quæ potest vaporem mutare in adipem: Concurrit autem frigiditas membranarum ad concretionem, vt adeps inter cor,& pericardium resideat.

Mēbranæ. Membranæ sunt triplices:Pericardium:Propria cordis membrana:& Membranæ quæ operiunt va- G
sorum orificia.

Pericardiū. Pericardium habet substantiam membranosam,quæ est frigida & sicca:mollior osse,durior pulmone.c.7.l.1.de hist.animal.ca.3.l.7.de admin.anat.c.16.l.6.de vsu part. Formatrix,tribuit formam(vt etiam cordi)pyramidalem,superficiem æqualem,continuam,excepta basi, vt vasis quinque cor egredientibus, via præberetur.Est etiam hæc membrana mediocriter crassa. Locum habet medium in thorace,ita tamē, vt mucrone vergat ad sinistram partem.Oritur nō e corde,sed e quinq; vasorū tunicis,a pleura productis,

Con-

A Connectitur pericardium cum membranis interſepientibus, cum partibus neruoſis ſepti tranſuerſi,& cum pleura. Tandem pericardium continet aquoſum humorem,id eſt,ſerum, quod fuit vehiculum ſanguinis venoſi.

Tunica cordis propria.

Tunica cordis peculiaris eſt ſatis dura,admodum tenuis,& cordis ſubſtantiam tangit.

Valuulæ vaſorum.

Membranæ orificiorum vaſorum, ſunt duræ, denſæ, & ſunt maiores in illis vaſis, quæ materias in cor ducunt.c.9.l.7.de adm.anat.c.6.l.6.de placit.cap.14.l.6.de vſu part. Et,cum quatuor ſint orificia vaſorum,quodlibet habet tres membranas,excepta arteria venali,quæ duas tantum habet:& oriuntur omnes a tunicis vaſorum orificiorum: vnde quædam intro vergunt,quædam foras.

Venæ cordis.

Organa communia ſunt venæ, arteriæ, & nerui. Venæ pertinent vel ad cor, vel ad pericardium. B Ad cor ſpectantes,tres ſunt.cap.17.lib.6.de vſu partium. Vena caua,quæ ab hepate procedens,in dextram cordis auriculam perducitur. Vena arterialis, quæ orta a dextro cordis ventriculo, diſſeminatur in pulmones. Vena coronalis(cap.14.l.6 de vſu part.)quæ oritur a vena caua,antequam hæc in dextrum cordis ſinum deducatur,& hæc circundat baſin cordis. Venæ pericardii paruæ ſunt,& oriuntur a mediaſtino, & a vena caua,quæ diaphragmati ſurculos mittit.

Arteriæ cordis.

Arteriis non eguit pericardium, nam calidum eius exiguum ſatis euentari poteſt, ob viciniam cordis. Arteriæ autem cordis tres ſunt.c.19.l.6.de vſu partium, cap.10.l.7.de admin.anat. Vna eſt arteria ſatis dura & denſa,& magna: in animalibus maioribus videtur degenerare in os cartilagineũ;radix enim aortæ aliquando ita induratur, vt quaſi cartilago fiat. Formatrix produxit hanc arteriam admodum amplam, C vnde Galenus ca. 7.l.6. de vſu partium, ait aortam eſſe maiorem arteria venali: id quod intelligere oportet de cauitate arteriæ,non de orificio;nam aortæ orificium minus eſt, orificio venæ cauæ, & arteriæ venalis: Quare in hoc Veſalius male reprehendit Galenum. Oritur autem aorta, ſecundum Galenum cap. 5.lib.de form.fœtus, a ſiniſtra cordis parte,at non e corde; nec enim generatur aorta ex illo ſemine,e quo cor generatur,ſed e proprio ſemine. Altera arteria dicitur venalis; quæ oritur a ſiniſtra cordis parte, & diſſeminatur in pulmones. Tertia eſt arteria Coronalis, totum cordis corpus, inſtar cinguli conueſtiens; eſtque propago arteriæ magnæ. cap.17.& 18. lib 6.de vſu partium. Hæc vaſa Ariſtoteles non ignorauit: nam cap.3 lib.3.de hiſtor.animal. proponit venam maiorem, id eſt, cauam, prodeuntem ex ampliſſimo, nimirum e dextro cordis ſinu. Aortam idem oriri dicit,e medio ſinu,quem Galenus ſiniſtrum appellat. Et addit Philoſophus,corpus aortæ,eſſe ſatis neruoſum;non quidem vere nerueũ,ſed craſſius,quam ſit vena.

Nerui cordis.

D Nerui cordis ſunt exigui.cap.8 & 7.lib.6.de admin.anat.c.10.lib.1.de plac. Et heic oportet intelligere veros neruos. Nam Ariſtoteles c.4.lib.3.de part.animal.ſcribit cor habere neruorum copiam: vbi non intelligit proprie neruos, ſed fines membranarum & ligamenta; quia cor propter motum aſſiduum, opus habuit firmamentis & ligamentis:& hæc interpretatio Galeni eſt, cap.10 l.1.de partium. Proprii autem cordis nerui,oriuntur a ſexto pari neruorum cerebri. ca.8.lib.7.de adm.anat.ſed nerui propoſiti, non immediate diſtribuuntur in cor, quemadmodum neque in hepar, neq; in renes, neque in lienem; verum in inuolucra,nam pericardium accipit neruorum propagines,quibus diuiſis ſenſibiliter,quædam in cor inſeruntur: ideoque viſcera non habent ramos peculiares,ſed propagines ſuorum inuolucrorum. c.18.li.6. de vſu partium.

Totum cor.

Hactenus de partibus cordis. Quoad totum cor, aliquo modo reſpicientes ad ſecundam comple- E xionem,dicimus,totum hoc aggregatum eſſe calidum & ſiccum.

Quoad formatricem: ſuperficies extra læuis eſt, præterquam in baſi, vnde vaſa prodeunt. Secundum ventriculos cordis ſuperficies eſt inæqualis.c.17.l.1.de hiſt.animal.cap.7.lib.6.de vſu part.

Figura cordis non omnino eſt rotunda,nam in extremo in acutum ſe colligit.

Quoad cauitatem: præter vaſorum cauitatem,cum Hippocrate in l.de corde, & cum Galeno c.11.& 16.lib.6.de vſu partium.& cap.5.lib.1. de placit. cor duos habet ventriculos: Siniſter aſcendit ad ſummum verticem cordis, dexter, multo inferius ceſſat: præterea ſiniſter eſt profundior, vt mediam pene cordis ſubſtantiam occupet.cap.11.lib.7.de admin.anato. At Ariſtoteles voluit, in maioribus animalibus tres eſſe ſinus cordis, in minoribus duos,in adhuc minoribus vnum, ſenſibilem ſcilicet. cap.3.lib.1.de hiſtor. animal.cap.3.lib.3.de hiſtor.animal.cap.4.lib.3.de part.animal. Et ait,hos ſinus ita ſe habere, vt dexter ſit F maior, ſiniſter minor, medius mediocris. Notandum enim Ariſtotelem loqui de corde animalium habentium pulmones, vt dexter ventriculus Ariſtotelis,ſit dexter Galeni;& medius Ariſtotelis, ſiniſter Galeni: Siniſter autem Ariſtotelis non reperitur in omnibus animalibus,ſed in maximis.

Quoad orificia,bina ſunt in vtroque ventriculo.c.11.l.6.vſu part.in dextro eſt orificium venæ cauæ, & venæ arterialis: in ſiniſtro,aortæ, & arteriæ venoſæ. In dextro ventriculo maius eſt orificium venæ cauæ,in ſiniſtro maius aortæ,quam arteriæ venoſæ.c.vlt.l.3.de fac.animal.

Quoad magnitudinem; cor maximum eſt ſecundum baſin,vbi vaſa ſunt.c.2.l.6.vſu part. Ariſtoteles, c.17.l.1.de hiſt. animal.dicit,hominis cor non valde eſſe magnum.

Quoad numerum; eſt vnicum inſtrumentum, quamuis diſtinctum per ventriculos,cap.7.lib.3.de part.animal.

G De ſitu: cor poſitum eſt in medio thorace, ſed magis vergit ad ſuperiorem & priorem partem. c.17. l.1.de hiſt.animal.c.17.l.2.de hiſt.anim.c.3 & 4.l.3.de part.anim. Et circumdatur a pulmonibus.c.2.& 7.l.6. de vſu part.& com.44.ſect.2.l.6.epid. Et,cordis baſis eſt in medio, vertex ad ſiniſtrum propendet, mucro ad anteriora,baſis ad dorſum.c.7.l.7.de adm.an.

Quoad connexum; cor iungitur tracheiæ per cartilagines & fibroſa vincula. c.16.l.1.de hiſt.animal. Per neruos cerebro connectitur, per venas hepati.c.12.l.2.de cauſ.pulſ. Per ligamenta robuſtiſſima connectitur cum pleura & thorace.c.8.l.6.de vſu part. Ligamenta autem oriuntur e fibris cordis.

O 3

Caussa finalis cordis.

Cor conditum est,ad generationem caloris naturalis vitalis. Vt autem hoc recte intelligatur, duo A explicanda.1.quot sint cordis functiones:2.quomodo inter varias functiones,propria functio sit generatio caloris naturalis vitalis.

Cor est sedes facultatis communissimæ.

Quoad primum:Aristoteles,ita referente Galeno, cap.7.l.3.de plac.plures ponit animæ facultates, & has omnes in corde,ceu vnico principio,collocatas, vt enim in magna mundo vnicum est principium, ita etiam in paruo,id est,in homine,vnicum esse debet, alias homo vere vnus dici non posset: hoc autem principium est anima,quæ cum in corde,ceu in fonte, resideat; ita etiam in corde residet animæ facultas communissima: vnde cor domicilium est, non cuiuslibet facultatis, sed communissimæ; quæ in partibus,priuatis instrumentis contrahitur: verbi gratia, facultas cordis communissima,ita in iecore contrahitur,vt euadat naturalis,verbi gratia, sanguificatrix. Hinc Hippocrates in l.de morbis virg.dicit:cum B in virginibus sanguis non habet effluxum,& resilit ad cor;cor fieri fatuum,vnde torpor,& delirium. Ecce igitur,quomodo,secundum Hippocratem & medicos,cor affectum, trahat cerebrum in consensum. Ceterum communissima hæc facultas, a corde influit in cerebrum per neruos; in iecur per venas; in totum corpus per arterias. Vis vitalis, quæ a corde toti corpori impertitur, non est vis communissima,sed determinata,sicut etiam animalis,& naturalis: ideoque opus fuit magnis arteriis, vt cor esset origo arteriarum,non tantum ratione virtutis communissimæ,sed etiam determinatæ. At facultas a corde impertita cerebro, est communis, nondum determinata, quia in cerebro demum contrahitur & limitatur:& propterea cor non est principium neruorum, sicut arteriarum; quia per has impertitur determinata facultas,per neruos communis:dum autem virtus communis, cerebro impertita, limitatur,vt fiat animalis,postea a cerebro per neruos in corpus demittitur;vnde secundū hanc rationem cōmunem,non cor est C neruorum principium. Præterea,communissima illa facultas a corde fluit ad iecur, per venas,& mox in hepate euadit determinata,sc.naturalis; quæ postea per venas in totum corpus distribuitur: vnde cor est principium venarum,ratione virtutis communissimæ,hepar autem est principium venarum, ratione facultatis determinatæ,id est,naturalis. Quare cor est sedes,tum facultatis cōmunissimæ;tum facultatis determinatæ vitalis. Et cum Galenus c.vlt.l.de vsu respir.c.1.l.de vsu pulſ.co.5.sect.2.l.1.prorhet.ait,cor esse principium vitalium functionum,respicit ad virtutem determinatam. Arist.c.1.& 2.l.2.de part.anim.c.3.l.2.de part.anim.vult,in animalib.sanguineis, cor esse principium vitæ,motus,sensus, & venarum;& in eo esse vim sentientem,mouentem, ac nutrientem. His Philosophus vult, cor esse principium facultatis cōmunissimæ,cum ab eo omnis vita(quæ est actio,seu operatio animæ)nim.& simpliciter dicta,& cōmodior,& melior,ꝓcedat. Quare secundum Philosophum, cor est principium venarum,non omnibus modis, D sed quatenus venis tribuit facultatem cōmunem,quæ postea in hepate euadit naturalis. Hinc Arist.dicit, c.4.l.3.de part.anim.in animalib.sanguineis necessario esse cor,quia sanguis in iecore gignitur a facultate sanguifica,quę cum determinata sit, originem habet in corde;nam facultas cōmunissima,est determinatarum origo. Et c.4.l.2 de gen.anim.dicit,cor esse principium part.similarium & dissimilarium:similariū, vt est principium vitæ simpliciter acceptæ,cuius actio est nutritio:dissimilariū, vt est principium vitæ cōmodioris,& melioris;vitæ cōmodioris actio,est motus voluntatius; melioris,ratiocinatio. Cor igitur est principiū facultatis cōmunissimę:ideoq; dū cōmunissima facultas deficit,reliqui marcescūt:qua de caussa recte dixit Philosophus.c.4.l.3.de part.anim.& Gal.com.2.l.4.epid. cor solum nō pati grauem noxam.

Facultates in corde, nutritioni eius deseruientes.

Ceterum,pro explicatione caussæ finalis,in definitione ꝓpositæ,cor dupliciter cōsiderandum: primo, E vt conuenit cum reliquis partib.viuentib.secundo,vt ab his differt. Quatenus cor conuenit cum aliis partibus viuentib.nutritur:iccirco vt reliquę partes viuētes,ita etiam cor opus habet facultate attractrice,retentrice,alteratrice,& expultrice. Verum ex his nulla est ꝓpria. Gal.c.vlt.l.3 fac.nat.ait,cor nutriri e sanguine,extra cor attracto,nim.e vena coronali. Præterea nutritur cor e sanguine dextri ventriculi, sed minori e parte. At dubitatur,num cor nutriatur e sanguine dextri sinus:nam Gal.c.17.l.6.vs.p.ait;cor per dextrum ventriculum,pulmoni præparare alimentum,non sibi ipsi. Resp. Cor in dextro vētriculo præparat sanguinē gratia pulmonum;cōtra nō præparat eum,gratia corporis ꝓprii cordis: nihilominus ipsum cor alitur e sanguine dextri ventriculi,non præparato: Ratio est,quia cordis corpus est densum,ꝙ pro nutrimento opus habet sanguine crasso,venoso. Sed rursus contra hanc rationem dubitatur: nam Gal.c.8.l.1.de sem.ait,iecur genitum esse e sanguine crasso,cor e subtili & calidissimo, quem fœtus trahit per arterias: ꝙ si ergo cor genitum est e sanguine arterioso,ad differentiā iecinoris;debet etiā ex hoc sanguine ali,quia F his nutrimur,e quib.constamus. Resp. In corde reperitur triplex substantia,sc.carnosa;fibrosa,& calidi innati. Substantia carnosa,& fibrosa,genitę sunt e sanguine crasso,& aluntur alimēto crasso ac denso,quod a vena caua,ꝓcedit. Substantia calidi innati est admodum tenuis,& gignitur e sanguine tenui:ideoq; ꝓpter cor præparatur sanguis venosus,vt efficiatur arteriosus, & sic conseruetur caliditas in corde: sicuti enim calidum innatum cordis,permistum habet spiritum animalem; ita calidum innatum cordis, permistum habet spiritum vitalem. Hippoc.in l.de corde, ait:mentem hominis in sinistro cordis ventriculo sitam esse,& reliquæ animæ imperare,siquidem ab anima in homine, & proinde ab eius facultate communissima omnia pendent; & ideo non ait nutriri e cibo vel potu, prodeuntibus e ventriculo, sed e pura & illustri substantia,e sanguinis discretione nata, & hoc est alimentum spiritale calidi innati (quod animæ & cor- G poris vinculum est)plenum scilicet spiritu vitali,& a sanguine secretum.

Irascibilis in corde facultas.

Secundo cor perpendendum vt differt a reliquis partibus. Cor igitur caussa vitæ melioris & commodioris præter 4 facultates naturales propositas,obtinet irascibilem facultatem.c.1.l.14.de vsu part. Ira est actio cordis.c.1.l.6.de plac.quę si moderata est,statuenda operatio;si immoderata,nō actio,sed affectio est statuenda facultatis irascibilis. Cor igitur est principiū facultatis irascibilis.c.7.l.2.de plac.c.vlt.l.6.de plac.c.18.l.6.de vs.part. Facultatē autem irascibilem pertinere ad vitā meliorem & commodiorem, facile colligitur

A gitur e Galeno,qui c.5.l.3.de plac.ait,cor ad omnem vitam conferre,at non simpliciter, nam cerebrum, (inquit Galenus)cordi imperat cor obedit.Cor igitur caussa vitæ & melioris & commodioris,concurrit, non per aliud,sed per se,c.8.l.7.de plac.nam cum anima vindictam sumere cupit de offensis,(vocatur ira) vt respicit animalia, pertinet ad commodiorem vitam;vt autem suffragatur rationi aduersus facultatem irascibilem, pertinet ad vitam meliorem.

Si cor perpenditur,vt distinguitur a reliquis partibus,sed caussa vitæ:cum Galeno c.10.l.3.de vsu p. cor totius vitæ est principium: quæ tamen cordis vita, stirpium vitam excedit,c.10.l.9.meth.med.& hanc facultatem appellat Galenus vitalem.Vnde c.7.l.6.de vsu p.dicit, cor esse viscus præstantissimum, quemadmodum ratione melioris vitæ cerebrum. Vitalis facultas cordis.

B Ceterum,cor caussa vitæ plures edit functiones:quæ sunt,Motus, Detētio sanguinis & spiritus,Generatio sanguinis, & spiritus vitalis, Generatio caloris naturalis vitalis.Hæ sunt functiones cordis, vt est principium vitæ simpliciter acceptum:quæ omnes functiones nihil sunt,præterquā functiones illę naturales,attractio,retentio,alteratio,expulsio. Functiones cordis vitales.

Motus enim cordis pertinet ad attractionem: generatio sanguinis,spiritus,& calidi innati, spectant ad alterationem. Respirationis enim meminimus:quia non fit a corde,sed propter cor.c.7.l.2.de plac.dicitur tamen aliquando cor principalissimum respirationis organum, scilicet cuius gratia, c.1.l.7.de adm.ani. Motus cordis ita pertinet ad cor,vt cor sit motus origo, c.3.l.6.de plac. & adeo vehemens, vt cor omnium vehemētissime moueat, c.13.l.6. de vsu partiū. Hic cordis motus est perpetuus.c.8.l.7.de adm.ani. dum enim cessat,est vitæ finis.c.8.l.3.simp.c.5.l. de marcore. Et hic motus pertinet ad vtrumque ven-
C triculum,capit. 16.l.6. de vsu partium. Estque motus hic operatio, ad differentiam palpitationis, cap.1.l.6.de plac. Fit autem non a facultate animali ac voluntaria, sed a natura,capit 9.l.7. de vsu partium, quæ pulsifica dicitur,c.8.l.2.de plac. quæ in corde residet,& ab hoc arteriis communicatur, c. vlt.l.7. method. comm.3. sect. 1.l.6.epid. Ceterum,hæc facultas naturalis pulsifica non est quid fictitium, sed mista est e potentia attractrice & expultrice. Sicut enim facultas generatrix est quid mistum e potentia alteratrice & formatrice: ita facultas pulsifica agit per potentiam attractricem, & per potentiam expultricem. Hinc Galenus cap.4.l. de vs. puls. ait, cum cor dilatatur, fieri attractionem; dum autem contrahitur, fieri expulsionem: idemque testatur cap. vlt.l.3. de plac. & cap. vlt.l.3. fac. natural. Et cum hæ functiones sint admodum vehementes; ait Galenus, cor vehementius & attrahere, & expellere, quam hepar, cap. 13.l.3.de fac. natural. imo nihil reperiri in corpore, quod magis attrahat, quam cor.cap. 15.l.6. de vsu pulsis.
D dum enim cor dilatatur, omnium maxime aerem trahit: secundo vt cor est caliditatis principium, instar flammæ maxime trahit: tertio, cum aer refrigerans sit familiaris cordi, instar etiam magnetis cor attrahit: cum igitur triplex sit attractionis modus, secundum omnes cor valide attrahere patet. Hippocrates in l. de carnibus statuit, cor calidissimum omnium membrorum, reliquis partibus motum præbere. Quidam male dicunt, hunc non esse Hippocratis librum. At vero Hippocrates per motum, loco citato, non intelligit voluntarium, hic enim non spectat ad cor; nec tribuitur omnibus partibus,sed musculis: non etiam intelligit pulsum, qui tantum arteriis tribuitur, non reliquis partibus. Quare per motum intelligit actionem: nam actio est motus. Et, cum a corde calidissimo prodeat facultas communissima: propterea omnibus partibus tribuitur motus, id est, actio. Porro non est idem tempus dilatationis & contractionis arteriarum atque cordis: nam Galenus capit. 2.l. de vsu resp. dicit, dum cor contrahitur,
E spiritum mitti in arterias, & arterias distendi, & contra. Idem tamen seruatur rhytmus: nam quæ proportio est inter dilatationem & contractionem cordis;eadem est inter dilatationem & cōtractionem arteriarum: vnde Galenus ait,similem esse motum cordis & arteriarum,quoad rhytmum,non quoad tempus:l.de puls.ad tyrones,circa principium.Hæc de motu cordis.

Retentio sanguinis & spiritus, proponitur a Galeno c.16.l.6.de vsu p.vbi vult, vtrumq: cordis ventriculum sanguinem & spiritum continere:licet in dextro sanguis sit copiosior,in sinistro spiritus.Et l.de inæq intemper.dicit Galenus,ventriculum sinistrum detinere sanguinem tenuem & spirituosum. Arist. c.19.l.3.de hist.animal.dicit, sanguinem reperiri in corde, etiam extra venas:in alio loco non nisi in venis (nec in iecore,nec in pulm.est extra vasa)quod etiam affirmatur.c.17.l.1.de hist. animal.&c.4.l.3.de part.
F ratio est,quia cor est sanguinis(sc. spiritalis) origo,& propterea illum potest conseruare.

Quoad generationem sanguinis & spiritus: Galenus ait, cor generare sanguinem, sed calidiorem, sicciorem, & fluuiorem, quam sit sanguis in hepate generatus: vnde hic sanguis in corde genitus,impetu quodam in membra diffunditur, capit.1.l.3.de plac. ca. 6. & 8. lib.6.de plac.Generatur autem hic sanguis e sanguine venoso, transmisso a iecore ad dextrum cordis sinum, & hinc ad sinistrum, vbi in spirituosum sanguinem conuertitur. Quare Aristoteles capit.1.l.2. de part. animal. dicit, cor primum creare sanguinem: vis enim sanguifica in corde prima est & prior iecore, dupliciter: primum, vt communissima, quæ in iecur fluens limitatur: deinde vis sanguifica etiam determinata prior est in corde, quia cor secundum facultatem alteratricem determinatam, generat sanguinem perfectiorem, quem Galenus calidiorem & sicciorem vocat. Hinc Philosophus capit. 5.l. 2.ait, cor inesse omnibus animalibus, quibus est sanguis, & septum transuersum: nam per septum transuersum fit respiratio, beneficio cuius ita munitur & roboratur cor, vt sanguinem gignat arteriosum, nec plus iusto accendatur. Cor etiam generat spiritum vitalem, quem per arterias cor dispensat, capit.6.l.6. de Plac. Hic autem in corde & arteriis gignitur ex inspiratione & sanguinis exhalatione, capitulo tertio, l.7. de Placit. Generatur in sinistro ventriculo, qui ob id vocatur spirituosus, capit. 7.l.6. de vsu partium.

Postremo cor generat calorem naturalem,est enim fons calidi innati, capit. 8.l.7.de adm.anatom.

non est fons, nisi gignat. Calidum autem naturale gignitur a cordis facultate, quæ potissimum viget in A sinistro cordis ventriculo. c. 10. l. meth. com. 24. sect. 4. l. 6. epid c. 9. l. 7. de vsu partium. Hoc etiam Aristoteles cognouit: qui c. 7. l. 3. de part. anim. dicit, cor esse necessarium, propter caloris originem: est enim focus, quo primordia ignis natiui continentur & seruantur. Hic autem calor naturalis a nobis vitalis dicitur, prout permistum habet spiritum vitalem.

Generatio caloris natiui vitalis, est præcipua cordis actio

Cum ergo tot sint cordis functiones: oportet cognoscere, quæ sit præcipua functio, scil. caussa vitæ. Nos dicimus, præcipuam cordis actionem esse generationem caloris natiui vitalis. Hinc Galenus c. 7. l. 3. de Plac. ait, (proponens opera caussa vitæ,) cor omnibus membris caliditatem impartiri, & arteriis motũ. Ergo generatio caloris natiui est magis præcipua, quia non tantum est propter arterias, sicuti motus, sed propter omnia membra. Hinc Arist. c. 1. l. 1. de par. an. dicit, ad virtutem vitalem pertinere spiritus conser- B uare. Et secundũ Auicẽnam, virtus vitalis alteratrix conseruat spiritus, conseruare autem τὸ εἶναι calidi innati, seu spiritus, nihil est aliud, quam generare hoc calidũ innatum. Vt autem hoc magis reddatur manifestum, reliquas functiones conferemus cum generatione calidi natiui: nim. respirationem, motum cordis, sanguinis & spiritus tum detentionem, tũ generationem. Quoad respirationem, hæc citra controuersiam postponẽda est generationi calidi natiui, quia famulatur generationi calidi innati: respicit. n. actionẽ vitalem, id est, vitam, quatenus facit, vt calor naturalis refrigeretur, c. 1. l. de vs. respir. nam animal respirat caussa insitæ caliditatis, quæ duplicẽ habet motũ, sc. deorsum, & sursum; motus deorsum, seruatur per inspirationem, sursum, per exspirationem, c. 3. l. de vs. respir. Quare respirationis præcipuus vsus est, vt calor cordis seruetur. c. 9. l. 7. de vsu p. c. vlt. l. de vs. respir. Motus cordis, id est, systole & diastole, etiã respicit conseruationem caloris natiui, c. 7. l. 2. de præsag. e puls. Sed dubitatio oritur, eo quod Galenus com. 7. l. 2. prognost. C motum cordis dicit præcipuum esse cordis officium. Respõsio. Galenus hoc in loco non simpliciter proponit pręcipuas actiones cordis, sed illas quæ possunt esse signa, versatur enim in arte prognostica: ideoq; cum pulsus cordis sit euidens, non autem ita euidens generatio calidi natiui, non hanc, sed illum Galenus proponit. Quia autem hic motus famulatur generationi caloris natiui: propterea motus est postponẽdus generationi caloris natiui. Deniq; sanguinis spiritus vitalis tum detentio, tum generatio, famulantur generationi caloris natiui: sanguis enim & spiritus sunt calidi natiui & materia e qua, & vehiculum. nam calidi natiui substantia fit e sanguine & spiritu, e quibus etiam alitur, seu regeneratur. Hæc etiam sunt vehiculum caloris cordis: vt enim calor est copiosus in corde, ita etiam in carnes, id est, in reliqua mẽbra mediante sanguine distribuitur: vt sanguis sit vehiculum, com. 25. sect. 4. l. 6. epid. c. vlt. l. 6. de plac. Quare ex his patet caloris naturalis vitalis generationem esse actionem omnibus aliis anteponendam: nam hic calor na- D turalis euidenter & exacte vitam conseruat; cum sit animæ corporisq; vinculum. Ideoque omnia ad cor pertinentia, sunt referenda in hanc vnicam operationem.

Capvt XXXVII.

De Methodi anatomicæ ad cor applicatione.

Declarandum est, quomodo omnes cordis partes, ipsumq; cor totum, in vnam caloris vitalis generationem referantur. Partes sunt, caro, auriculæ, fibræ, adeps, membranæ, & communia organa.

Caro cordis propria.

Caro cordis propria est, cui similis in toto corpore non reperitur, ideoq; est caussa præcipua generationis caloris natiui, vt crystallinus est visionis caussa præcipua. Concurrit autem per temperaturam, per id quod consequitur, per id quod accidit. E

Temperies est calida & sicca: & abundat calor naturalis, tum copiosus, tum feruidus. Quæ duo nimirum temperies, & calor naturalis ita vigent in sinistro cordis ventriculo; vt gratia vitæ sint instrumenta, primum facultatis generantis calidũ naturale, secundo autem sint organa virtutis motricis, & pręparantis sanguinem venosum, & generantis sanguinẽ spirituosum. Vnde, quo cordis temperatura est calidior, eo opera producuntur calidiora, e quib. tandem generatur calidũ innatum admodũ feruens, c. 8. l. 6. de Plac. Galenus ad motum respiciens, c. 8. l. 7. de adm. anat. ait, motũ prodire a visceris substantia, id est, a temperatura, quæ iuuatur a tali calore determinato (hinc patet calidum natiuũ esse quid diuersum a temperatura.) Ceterum, per temperiem confert cor etiam ad cõmodam & meliorẽ vitam: confert enim ad iram, quę est facultatis irascibilis potentia, & respicit vitam cõmodam: vnde Gal. c. vlt. l. 6. de Plac. ait, vim irascibilẽ F egere organo calido.

Quoad id quod consequitur: concurrit cor per duritiem, hæc enim in caussa est, vt cor ægre patiatur, & tuto moueatur, & motus robustior efficiatur. c. 8. l. 6. de Plac. c. 7. l. 7. de vsu partium. Quare caro cordis non tantum est præcipua caussa actionis per temperiem, sed etiam per id quod consequitur, cõcurrit ad custodiam cordis, vt cor tuto moueatur, & ad meliorem operationem, vt motus fiat melior & robustior. Est autem cor durius secundum ventriculum sinistrum: vt scilicet cor melius contineat sanguinem spiritalem, item, vt sinister ventriculus validius moueatur dextro, c. 17. l. 1. de vsu par. Tanta autem durities non requiritur in dextro ventriculo: nam hic continet sanguinem crassum & minus mouetur. Præterea hæc durities alium etiam præstat vsum: vt sc. conseruetur æqualitas ponderis: sinistra enim pars, quatenus durior, est grauior, quatenus continet spiritum vitalem, imminuitur grauitas: contra in dextro ventriculo, est crassus & grauis sanguis, ideoque minor durities. Porro hæc durities dicitur esse moderata, G nam si excedat, secundum Aristotelem, est in caussa sensus hebetis: respicit enim ad sensum tactus, quem a corde pendere arbitratur, c. 4. l. 3. de part. animal.

Quoad id quod accidit propriæ cordis carni: cor per suam densitatem & crassitiem, facile e se potest moueri, cap. 7. l. 6. de vsu partium. Addit Aristoteles. c. 4. l. 3. de part. an. cordis substantiam per suam densitatem maxime conseruare principiũ caliditatis. At immodica densitas caussa melioris vitæ nocet, (licet

A (licet proſit cauſſa vitæ.) facit enim ſenſum hebetem, vt inquit philoſophus. Porro caro ſepti per foramina in cauſſa eſt, vt ſanguis prodeat a dextro ventriculo in ſiniſtrum. c. vlt. l. 3. de fac. natural. Præterea cordis caro per ſuam figuram, cum ſit orbicularis, confert ad tutelam, ca. 7. l. 6. de vſu partium. Et propterea cordis caro minus eſt orbicularis ſecundum inferiorem partem, quia illa pars eſt ignobilior; ideoque non eget tanta tutela. Deinde cordis caro concurrit per ſitum: nam caro præſtantior ſupra eſt poſita, minus præſtans ad latera, adhuc minus præſtans, inferius: cordis enim caro, ſecundum portiones præſtantiores, debet obtinere locum magis ſecurum, c. 7. l. 7. de vſu par. Ariſtoteles, tanquam philoſophus reſpiciens ad vitam non modo commodiorem, ſed etiam meliorem, c. 4. l. 3. de part. an. ait, cordis articulationem eſſe in cauſſa, vt homo ſenſu meliore valeat. Vbi per cordis articulationem intelligit cordis partes ita ſituatas,
B vt vna pars ab altera ſecerni nequeat: ſic enim multo efficacius a corde impertitur facultas communiſſima ipſi cerebro, vbi limitata, animalis euadit excellentior.

Quoad auriculas cordis; Hippocrates in l. de corde dicit; Cor per auriculas aerem recipere. Auriculę ergo habent rationē cauſſæ ſine qua non: ideo concurrunt ad tutelam: nam niſi cor aerem recipiat, illico obit calidum innatum. Secūdum hanc autem rationem auriculæ non conferunt per temperaturam: nam hoc pertinet ad partes pręcipuas, non ad receptionem aeris (hoc tamen eſſet dicendū, ſi ſermo eſſet de nutritione auricularū.) Concurrunt autē per id ꝙ conſequitur: nim, per duritiē ad tutelam, niſi n. durā obtinerent ſubſtantiam, non poſſent motum illum validum ſuſtinere. c. 4. & 15. lib. 6. de vſu part. Auriculæ cordis.

Concurrunt etiam per id quod accidit nim. per cauitatem, per numerum, per ſitum. Cauitas facit ad tutelam orificiorum, nam per eam tuto ſuſcipiuntur materiæ: ſi enim cauitas non adeſſet, auriculæ im-
C plendo cordi nequaquam ſufficerent; imo citra hanc cauitatem auriculæ tenſæ a corde diſrumperentur. Concurrunt per numerum, e c. 9. l. 7. de adm. an. quia, vt duæ ſunt auriculæ, ita ſunt in cauſſa vt duo vaſa in cor materiam deducant ignitam. Concurrunt per ſitum, prout dextra auricula genita eſt, propter venam ſiniſtram, propter arteriam venoſam.

Quoad fibras: per duritiem, cordis concurrunt fibræ, vt cor melius moueatur, & hic melius fiat generatio calidi innati; ad quam actionem omnia tandem diriguntur. Per numerum, vt numeroſæ ſunt fibræ, concurrunt, vt melior fiat motus præſertim concurrunt fibræ, vt conſtringatur cor, ac dilatetur, niſi enim hunc ſitum adeptæ eſſent fibræ, cor nec contrahi poſſet, nec dilatari. Quare fibræ per duritiem ſunt in cauſſa, vt melius fiat actio; per ſitum autem ſunt nares, ſine quibus non. Fibræ cordis.

D Quoad adipem: huius finis eſt cuſtodia caloris. Quare adeps cordis ſecundum portionem nondum viuentem, reficit ſubſtantiam calidi naturalis. Propono autem adipis portionem nōdum viuentem: quia ex Galeno & Ariſtotele ſuo loco demonſtraui, adipem eſſe partem viuentem, & generari a calore, concreſcere a frigido: vnde, antequam vapor ſanguinis ſit e toto conuerſus in adipem vita præditum, poteſt eſſe alimentum calidi naturalis Pręterea adeps ſui temperie moderatur feruorem calidi cordis, & non permittit humiditatem ſiccari. Adeps etiam mollitie ſua, eſt veluti puluinar totius cordis, ne in motu lædatur. Neque liqueſcit, quia non eſt pinguedo, ſed adeps, & adhæret membranis. Adeps igitur eſt pars deſtinata ad tutelam. Adeps cordis.

Pericardium eſt ad tutelam, eſtque pars cordis ignobilis, c. 6. l. 5. loc. aff. Per ſui duritiem ſuſtinet cordis motum, & cor cuſtodit. Sicut enim cor maxime opus habet tutela ita obtinuit pericardium robuſtiſſimum. c. 11 l. . de part. animal. Per leuem ſuperficiem, non impedit cordis motum, c. 6. l. 6. de vſu partiū. Pericardiū.
E Per figuram pyramidalem exacte ambit cor. Per foramina eſt vaſorum via. Per magnitudinem amplam, amplectitur cor magnum. Et per magnitudinem, cum diſtet a corde, permittit cor dilatari: & continet excrementum ſeroſum, cuius beneficio cor non exſiccatur, & promtius agitatur. Hinc Hippocrates in l. de corde, ait, cor habere tunicam, in qua ſit humor vrinæ ſimilis, medela exſiſtens cordis æſtuantis: eſt autem portio portionis, quam e pulmonibus cor lambit & exſugit. Si enim guttur animalis ſecetur, quod paullo ante obitum biberit potionem coloratam, conſpicitur guttur (ibidem id atteſtante Hippocrate) eodem colore infectum: nec tamen fit tuſſis, quia potio ſenſim iuxta parietes pulmonis, ſeu gutturis deſcendit, vt aeris elationem non impediat. Hanc poſtea veluti vrinam, cor mingit in pericardium: per quas autem vias, alias dicetur.

F Tunica cordis propria, vt reliquæ, conducit ad tutelam. Tunica cordis.

Sed cordis mēbranæ, quæ tegunt orificia vaſorū, ſunt in cauſſa ne cor in vanum laboret. c. 13. l. 6. vſ. p. neue attractum egrediatur, vel egreſſum rurſus intro commeet. Sunt ergo in cauſſa, vt melius fiat actio, id eſt, retentio & tranſmiſſio, c. 14. & 15. l. 6. vſ. p. & c. 6. l. 6. de plac. Concurrunt autem hæ membranę ad propoſitas vtilitates, per duritiem, ob quam non cedunt materiæ impetum facienti. Durior igitur membrana eſt iis vaſis, quæ materias introducunt: quia in attractione maior eſt impetus, quam in tranſmiſſione, c. 15. l. 6. de vſu part. Præterea concurrunt per id quod accidit, nimirum per denſitatem: vnde membranæ ſunt denſiores iis vaſis, quæ introducunt materias, ob eandem cauſſam. Concurrunt etiam per numerum: vnde tres ſunt membranæ in quolibet orificio vaſorum, vt exacta fiat apertio & occluſio; quo ſcil. melius obeatur attractio & tranſmiſſio. Excipitur autem arteriæ venoſæ orificium, quod duas tantum habet mē-
G branas: nam hoc orificium nō debuit ita exacte occludi, vt reliqua, quia hoc vas eſt via fuliginis a corde ad pulmones. Concurrunt etiam per ſitum: nam quæ membranæ ab internis foras vergunt, non ſinunt materias in cor reuerti: quæ autem ab externis intro feruntur, non permittunt vt materia per eandem viam e corde egrediatur. c. 11. & 10 l. 6. de vſu part. c. 6. l. 6. de plac. Membranæ orificiorum vaſorum.

Venarū cōmunes vtilitates aliūde patent. Peculiares explicandæ ſunt in vena caua, arteriali, & coronali. Caua per magnitudinem ſanguinē copioſum ducit in cor, per ſitū autē cōmode ſanguinem ab hepate in cor diſtribuit, c. 17. l. 6. de vſu part. Vena arterialis) vt in doctrina Pulmonis dicemus) per craſſitiem ſe Venæ cordis.

tuetur a motibus cordis & pulmonum:per densitatem tribuit vehitque sanguinem tenuem. Coronalis A vena, per magnitudinem situmque, tantum sanguinis defert cordi, quantum sufficit pro alimento cordis. c.17.l.6.vsu part.

Arteriæ cordis.

Arteriæ tres sunt; aorta, venosa, & coronalis. Aorta per duritiem sustinet motum assiduum, vt durities concurrat ad custodiam, est enim veluti stabilimentum cordis, c.19.l.6.de vsu part.c.4.l.3.de part.animal. Deinde aorta concurrit per magnitudinem, vt recipiat copiosam materiam, c.15.l.6.de vsu par.ideo aortæ maior est portio deorsum infra cor, quia partes infra cor exsistentes, sunt maiores & plures, quæ copiosiore materia egent. Per densitatem continet sanguinem tenuem. Venalis arteria per sui orificium est via fuliginum a corde ad pulmones c.15.l.6.vsu partium. Et oportuit esse tenuem, quia pulmo plurimo sanguine alitur, & cordi ad trahendum spiritum subsequitur c.8.l.6.vsu part. Arteria coronalis, calorem B seruat moderatum, c.7.l.6.vsu part.

Neruí cordis.

Nerui concurrunt ad tutelam, sed pauci sunt in corde, quia cor non est organum animæ: sed naturę, c.vlt.l.1.de Plac.c.18.l.6.de Plac. Per neruos autem cor habet conuenientiam cũ cerebro: sicuti per venas cum hepate: nam opus fuit consensu, potiss. inter membra præcipua, c.3.l.16.vsu part.

Cor totum vt concurrat ad caloris vitalis generationem.

Totum cor non concurrit per temperiem, nec per id quod consequitur, hæc enim ad partes pertinent: sed concurrit per id quod accidit, & per operationes. Per id quod accidit, totũ cor dupliciter cõcurrit: primo modo, vt pertinet ad partem cõpositionis; secundo, vt pertinet ad totam cõpositionem. Quo ad partem compositionis: per superficiem lenem cor mouetur citra periculum vicinarum partium.

Deinde per figuram orbicularem promtius & tutius mouetur.

Quoad cauitates, seu ventriculos Hippoc in l.de corde ait, eos esse flumina, beneficio quorũ totum C corpus irrigatur. Dexter ventriculus per sitũ maxime confert ad generationem calidi innati: continet n. sanguinem venosum, sicut sinister arteriosum.c.5.l.1.de plac. Dexter ventriculus est propter pulmones: non enim adest, nisi pulmones assint, quamuis nobilior sit pulmonibus, hi enim aluntur a dextro cordis ventriculo, propter custodiam caloris naturalis.c.9.& 11.l.6.de vsu p.c.5.l.6.de Plac. Præterea dexter ventriculus concurrit per magnitudinem, est enim maior sinistro, quia suscipit sanguinem, & propter pulmones magnos, & propter ventriculum quoq; sinistrum. Et quilibet ventriculus per suam cauitatem mouetur, vt fiat dilatatio & contractio. Sed notandum Aristotelem cum Medicis consentire. Arist. enim c.4.l.3. de part.an.inquit, cor, vt cauum, esse conceptaculum primi sanguinis. Quia ergo proponit primũ sanguinem, ideo innuit etiam dari secundum sanguinem: primus est arteriosus, secundus venosus: nam licet sanguis venosus primum gignatur in hepate, vt ratione originis hic primum locum sibi vindicet, nihilominus D ratione dignitatis, ratione principatus, ad quẽ respexit philosophus, sanguis arteriosus dicitur primus seu magis præcipuus. Et addit Aristoteles, cor, pro mole animaliũ, obtinere modo tres ventriculos, modo duos, modo vnum: & melius esse, vt tres sint ventriculi, quam vnus, aut duo. Dexter ventriculus continet sanguinem plurimum & calidissimum & hinc dextra corporis pars est calidior: sinister autem ventriculus continet sanguinem frigidissimum, & in parua quantitate: medius ventriculus continet sanguinem mediocrem & copia, & calore, sed puriorem, nam principium debet quiescere; quare opus habet sanguine puro, mediocri copia & calore. Medius Aristotelis ventriculus, est Galeni sinister, quem ait esse calidissimum, c.3.l.2.de temperamentis. Caliditas extensiue viget in dextro ventriculo, quia sanguis in eo est copiosior, intensiue in sinistro: at non ita permanet, quia caliditas residet & fundatur in toto subiecto, vnde pars corporis dextra calidior apparet. Galenus ergo duos tantum proposuit ventriculos, respiciens E ad cor humanum: at Philosophus, respiciens ad cor omnium animalium, modo tres, modo duos, modo vnum posuit: tres sunt in maximis animalibus, quæ cor maximum obtinent: Sinister autem Aristotelis ventriculus minimus est in iis animalibus, in quibus reperitur. Ratio horũ est: Cum enim in magnis animalibus sit pulmo magnus, vt colligitur ex Hipp.in l.de corde, hic sane copiosum potũ lambit, vnde magno opus fuit ventriculo, in quem reciperetur potio pulmonis. Sinũ hunc sinistrũ Aristo.dixit continere sanguinẽ exiguũ & frigidissimũ, sc.propter serositatẽ, quæ nõ in magnis animalib.copiosior esse debet: vt sanguis in his animalib.copiosus transmittatur in cor, beneficio copiosi ventriculi, vt aliqua portio præter potũ pulmonis dilabi possit per sinistrum Aristotelis ventriculum in pericardium.

Quoad orificia; cõcurrunt, vt sine quib.non: nam sine vasorum orificiis, materia nec egredi, nec ingredi cor posset.c.11.& 16.l.6.de vsu p. At maior est vtilitas orificii sinistri: nam vita magis pendet a sinistro F Gal.seu medio Arist.sinu, & magis etiam confert ad generationem caloris naturalis.c.7.l.6.de vsu part.

Quomodo autem conferat per magnitudinem & situm, patet e traditis de ventriculis; vt colligere licet, e c.vlt.l.3.fac.natur.& c.5.l.6.vs.p.

Adhæc totum cor cõfert per magnitudinem: per eam enim continet orificia magna, materiam copiosam: est focus caliditatis naturalis copiosæ, & proinde efficacissimæ facultatis, cum in maiori quanto sit maior virtus, reliquis paribus.c.7.l.6.de vsu p. Arist.c.4.l.3.de part.animal.dicit, pauida esse animalia, quibus cor est magnum, audacia, quibus minus, vel mediocre: heic excedens dicitur magnitudo, ratione proportionis cũ reliquo corpore, in tali enim corpore spiritus non expanduntur, vt decet, vnde timor.

Quoad situm, totum cor confert ad sui tutelam & custodiam, quia in medio pulmone residet, c.2. G & 7.l.6.vsu part. Et tandem per situm conducit ad vitam meliorem, secundum Platonem in Timæo: cor enim capiti propinquius est, quam iecur, quia in corde residet anima, quæ debet obedire rationi, vt facultas rationalis, vna cum irascibili, coerceret facultatem concupiscibilem, si forte contingat, vt concupiscibilis rationis iussa respuat.

Quoad connexum: cor per tunicam & ligamenta ita connectitur, vt custodiatur. c.8.l.6.vsu partium.

Hæc

A Hæc de parte compositionis. Per integram vero compositionem, cor concurrit ad absolutam & exactissimam generationem calidi naturalis vitalis: vt, si aliquod vitium occurrat, illico desideretur optima generatio caloris natiui.

Et tandem cor concurrit per operationem, ad generationem calidi naturalis, vt sc. concurrit per reliquas suas functiones. Vnde cum Galeno ca. 8. l. 6. plac. per motum conseruatur calidum cordis proportionatum, per detentionem sanguinis & spiritus, & per generationem etiam horum, caliditatem naturalem generat: nec enim sine his functionibus posset generari. Præterea per nutritionem, id est, per actionem, quæ competit aliis etiam partibus conseruat facultatem alteratricem: vt facultas hæc strenuo
B caliditatem naturalem, vitalem, generet. Hinc patet, quomodo omnia concurrant in vnicam generationem calidi innati.

Plato in Timæo, respiciens meliorem vitam, & statuens, cor esse originem arteriarum, vult per hanc rationem ita facultatem irascibilem exardescere, vt ita ratione imperãte facultas hæc irascibilis, in omnibus obediat præstantissimæ rationi. Vnde liquet, quomodo per hanc generationem spiritus vitalis, & transmissionem, respiciat etiam ad meliorem vitam: vt hæc ratio, & reliqua omnia caussa melioris vitæ referantur ad facultatis irascibilis operationem.

CAPVT XXXIIX.

De Pulmone.

C IAm de Pulmone loquemur, qui propter cor fabricatus est. Pulmo autem est *instrumentum, genitum e carne propria, tracheia, organis communibus, tunica, a vi propria pulmonifica, gratia alterationis aeris.* Instrumentis pulmo annumeratur, c. 3. l. de diff. morb. Materia e qua patebit, vbi de efficiente caussa loquemur. Definitio pulmonis.

Caussa efficiens est vis propria pulmonifica. Hippocrat. in l. de carnib. dicit; Cor humidum glutinosissimum cito calefacere & exsiccare & quid veluti spumeum generare, id est, pulmonem. Sed falsum est cor generare pulmonem: & hic liber non est Hippocratis. Verum pie sunt interpretandi auctores. Credo igitur ipsum auctorem voluisse insinuare, non pulmonis generatricem residere in calido innato proprio, sed iuuari a calido cordis, ea ratione potissimum, quia pulmo est cordi vicinus. Inquit enim loco citato Hippocrates, pulmonem iuxta cor natum esse, & ideo ratione vicinitatis cor generat pulmonem, hoc est, sui caliditate est in caussa, vt vis pulmonifica cito generet pulmones. Efficiens.

D Porro intelligendum, quomodo vis pulmonifica se habeat ad pulmonis generationem: primo ad generationem partium pulmonis.

Caro igitur pulmonum, ita genita est a generatrice, vt sit simplex, non fibrosa, vt cordis caro, c. 3. l. 2. de temperam. Temperatura huius carnis, quoad actiuas qualitates, (de quibus Galenus ne verbum,) est modice calida: secundum Aristotelem in l. de hist. animal. id quod etiam colligitur e com. aph. 39. sect. 5. vbi Galenus ait, pulmonem generare spumam albicantem, id est, veluti pituitam aere plenam: hoc non põt fieri a magno calore, sed potius a caussa frigida. Et l. 3. de alim. ca. proprio de pulmon. statuit Galenus, brutorum pulmones præbere alimentum pituitosum. Hippocrates in l. de corde, ait, pulmonem esse frigidũ natura, id est, temperatum. Caro igitur pulmonis est remisse calida. Quoad passiuas, Gal. c. 3. l. 2. de tẽper. Caro pulmonum.
E dicit, pulmonem esse humidum, vt adeps est. Auicennas addit, pulmonis humiditatem accedere ad humiditatem mamillarum, & testium. Sed oritur dubium. Nam Auicennas c. de membris dicit, pulmonem nutriri e calidissimo sanguine, & bile copiosa admista sanguini: Ergo pulmo nõ videtur frigidus & humidus. Auicennas huic dubitationi satisfaciens, dicit, pulmones humidos esse, ob superfluam humiditatem, quæ copiosa colligitur e vaporibus ascendentibus, & catarrho descendẽte; quæ humiditas ob meram pulmonem humectat, vt pulmo etiam humiditate naturali sit minus humidus hepate; at extrinsecus pulmo est magis madefactus. Præterea, pulmonis alimentum est quidem calidum & siccum, quatenus alimẽtum est remotum: vt autem est proximum alimentũ, est moderate calidum & humidum, quẽadmodũ dicit Gal. com. aph. 39. sect. 5. vt sit veluti pituita aere plena. Quare sanguis calidus & siccus, permistus cum bile, est alimentum pulmonis, sed remotum & mediatum, quod postea mutatur in minus calidum in pulmone a
F temperie eius: quemadmodum etiam sanguis calidior in mammillis mutatur in lac, quo mammillæ nutriuntur: vt etiam spiritus vitalis in animalem ac frigidiorem mutatur.

Quoad consequens, caro pulmonum est mollis, c. 3. l. 2, de temperam. c. 2. l. 7. de vsu p. c. 4. l. 2. de motu musc. Et secundum Arist. c. 1. l. 2. de gen. animal. animalia calidiora obtinent pulmonẽ magis mollem.

Quoad id quod accidit, cum Galeno, c. 7. & 10. l. 6. de vsu part com. aph. 33. sect. 6. pulmonis caro est admodum rara: & quidem rarior liene, c. 2. l. 2. ad Glauc. Sed notandum cum Galeno c. 16. l. 15. de vsu partium, differentiam esse in carne pulmonis, quando est in vtero, & quando est extra vterum: nam in vtero est densior & grauior, quam extra vterum. Quoad situm c. 3. l. 2. de temperam. pulmonis caro circa tracheiam, & communia organa concrescit.

Tracheiam arteriam dicimus illud vas, quod a larynge in pulmones descendit. c. 1. l. 7. κ.τόπ. Hæc ma- Aspera arteria.
G iori e parte est cartilaginea, e parte membranea. c. 7. l. 7. vsu par. c. 3. l. 5. loc aff. Intus obtinet tunicam, quæ communis est etiam ori & oesophago. c. 3. 7 & 11. l. 7. vsu part. & prǫterea etiam obtinet tunicam externam. Temperatura tracheiæ est frigida & sicca. Durior est secundum portionem cartilagineam, quam secundũ membraneam. c. 4. l. 7. vs. p. Forma eius est rotũda, extra quidẽ cõuexa, intus cõcaua, c. 7. l. 3. de vs. p. At portiones cartilagineæ perfectum circulum non faciunt. Præterea tracheia habet orificium quod pertinet ad pharyngem, c. 9. l. 7. vs. part. Præterea ita est formata tracheia, vt rami & orificia eius quæ in pulmone repetiuntur, excedant magnitudinem, venæ arterialis, & arteriæ venalis. c. 5. l. 5. loc. affect. Quoad situm

portio cartilaginea est extra locata, membranea intus, c.3.& 7.l.7. vsu partium. Tota tracheia situm ob- A
tinet ante gulam, c.3.l.3.de part.animal. Et dum tracheia cauitatem thoracis ingreditur, iuxta quartam
thoracis vertebram diuiditur in duos ramos, dexter disseminatur in pulmonem dextrum, sinister in sini-
strum, cap.1.l.7.κ.τόπ.cap.8.l.4.loc.aff. & postrema tracheiæ capita committuntur cum imis, seu pro-
fundis arteriæ venosæ, c.4.l.2 de plac. Tracheia autem eum habet situm, vt sit media inter reliqua vasa,
nam in parte posteriore habet venam arterialem, in anteriore arteriam venalem. cap.8.l.7. vsu partium.
Tracheię autem tunica (media) interna fibras habet rectas, c.3.l.7. vsu partium. Et præterea est rotun-
da, densa, satis crassa, sed descendens fit tenuis, vt in pulmone sit tenuissima, capit.1.l.7.κ.τόπ. Externa
autem tunica instar vestimenti tracheiam circumdat.c.3.l.7.vsu part.

Vena arterialis, & arteria venalis.

Communia organa sunt vena arterialis, & arteria venalis, c.5.l.7. de adm.anat. de quibus in sermone B
de Corde. Vena arterialis, est crassa, dēsa instar arteriæ: arteria venalis est tenuis & rara, instar venæ, c.4.&5.
l.7.admin.anatom. Vena arterialis est maior arteria venosa, sed est minor tracheia, c.10.l.6.vsu partium.
Arterialis vena, oritur a dextro cordis ventriculo, arteria venalis, a sinistro: loco citato. Et cum Galeno c.
11.l.6. vsu partium, vena arterialis oritur e densioribus partibus cordis; arteria venalis, e minus duris, hæc
scil. e partibus venosis, illa e partibus arteriosis.

Nerui pulmonis.

Neruos pulmo habet valde paruos, qui prodeunt a sexta syzygia cerebri, ab illis propaginibus, quæ
reperiuntur prope oesophagum, c.10.l.6. de dissect, neruorum, c.2.l.7. vsu partium, c.5.l.6.loc.aff. hi ner-
ui disperguntur per membranam pulmonis, non autem per visceris substantiam. Vnde Galenus com.30.
l.3.progn. dicit, pulmonem vel non sentire, vel difficulter. Additq; c.8.l.4.loc.aff. pulmonē non vehemē-
ter dolere. Et c.4.l.de plen. ait, se dubitare, num sensus tactus pertineat ad tunicam pulmonis, vel ad pul- C
monem. Et cap.3.l.2.l.affect. ait, in peripneumonia non esse dolorem pulsatiuum, eo quod pulmo sen-
sum non habeat, scilicet exquisitum: nam pulsans dolor fit ab arteriis præter naturam pulsantibus, vt in
phlegmone, q̄ sane arteriæ vehemēter pulsantes percutiunt, vt pars percussa ab arteriis dolore afficiatur,
dummodo pars illa habeat sensum exquisitum, quia nisi pars habeat sensum exquisitum, non sentitur illa
percussio, & proinde non persentitur dolor pulsans.

Membrana pulmonis.

Membrana pulmoni extrinsecus est mollis, læuis, rara, c.5.l.4.loc.aff. & tenuis, cap.2.l.7.vsu partium.
Habet autem hæc membrana asperitatem vbi continet pleuram, & cum ea connectitur, & ab ea oritur:
nam demandatur tunica ad pulmonis vasa, & hinc illorum vasorum tunicæ degenerāt in tunicam ambiē-
tem pulmones. Hæc de partibus pulmonis.

Pulmonis totius temperamentū.

Quoad totum pulmonem: totus pulmo est minus calidus, magis humidus. Et notetur caliditatem D
statuendam potissimum ratione contenti sanguinis; vt pulmo eo sit calidior, quo magis est sanguineus.
Vnde Aristoteles c.8 l.3. de part.animal. dicit, vesicam tributam esse animalibus, quæ pulmonem habent
sanguineum; nam ob pulmonis sanguinem & calorem, animalia sitiunt, & copiose bibunt; ideoq; egent
vesica. Vnde idem Philosophus c.1.l.2. gen.animal. ait, quæ animalia pulmonem habent, calidiora sunt:
& inter animalia, habentia pulmones, illa calidiora sunt, quæ habent pulmonem & molliorem, & magis
sanguineum: vt caliditas pendeat a sanguine & contento. Pulmo autem in caussa sitis, quia consentit os
ventriculi (a quo sitis immediate pendet,) per traheiam arteriam, cuius tunica interna continua est, cum
pulmoni, tum ori & oesophago, & ventriculi orificio: si ergo pulmo est calidior, exspiratio est calidior, vt
vētriculo caliditas impertiatur, & proinde fiat sitis, quæ principaliter oritur a pulmone, immediate ab ore E
ventriculi.

Superficies læuis pulmonum.

Quoad id quod accidit, ratione totius pulmonis; ita est fabricatus pulmo, vt superficiem habeat lę-
uem, satis madidam, & humore lento obductam. Aspera autem apparet, vbi pulmo cum partibus per fi-
bras connectitur, quarum beneficio fit hæc asperitas, & pulmo thoracis lateribus colligatur: in reliquis
partibus superficies est lęuis. Huc Aristoteles respiciens, inquit, hominis pulmonem esse inæqualem.c.16.
l.1.de hist.animal.

Figura.

Figuram pulmo peculiarem non habet, sed qualem requirit superficies interna partium thoracis:
quare pulmonis figura extra est sphærica, intus caua: & cauitatem nō habet pulmo, nisi per vasa; nec pul-
mo est porosus, nisi per raram eius substantiam.

Magnitudo

Magnitudo pulmonis correspondet quantitati asperę arteriæ, c.16.l.13. vsu part. Addit Arist.c.6.l.3. F
de part.animal. pulmonem magnum, esse sanguineum, paruum exsanguem.

Numerus.

Quoad numerum, pulmo est vnicus, licet bipartitus videatur, cap 7.l.2.de part.animal. & in ouipa-
ris videtur duplex. At e l.1.de hist.animal.c.16. pulmo simplex est, nec diuisus in duos pulmones, sed in
partem dextram & sinistram quod etiam fatetur Galenus c.11.l.7. de adm.anat. Additque Galenus c.4.l.6.
de vsu part.c.2.l.7.de vsu part. dextrum & sinistrum pulmonis diuidi in lobos duos, vt sint 4. lobi. Addit
Galenus cap.4.l.6.de vsu partium, vnum lobum, caussa dextræ partis pulmonis: qui euadit conspicuus, si
quis exacte dissecare voluerit. At anatomici omnes contra Galenum statuunt, quinctum lobum repe-
riri solum in brutis & in illis quæ habent longum pectus, non in homine, qui breuem habet thoracem,
vbi vena caua statim ab inuolucro sine interuallo septum permeat, ideoque non eguit quincto lobo cu- G
stodiente. Sed hi plurimum alucinantur. Omnes dicunt, in canibus, simiis, & animalibus quæ habent lō-
gum pectus, reperiri quinctum lobum, sed hic lobus est conspicuus. Galenus autem non loquitur de
quincto lobo conspicuo, nam dicit quinctum lobum reperiri per sectionem diligentē, quia non est ita e-
uidens: quare loquitur de quincto lobo in homine: quia in brutis, longo thorace donatis, est conspicuus.
Qui lobus in pulmone humano est ad custodiam venæ cauæ: ideoque est in dextra parte. Vena autem ca-
ua bifariam potest custodiri: primum ratione viæ, seu itineris longi, vbi parte custodiente opus.
Hac

A Hæc custodia in homine non eget vena caua; sed in brutis, quæ pectus longum habent. Deinde caua vena eget custodia ratione motus perpetui ipsius thoracis: nec enim vena caua perpetuum hunc motum sustinere potuisset, nisi lobo quincto custodita fuisset. Hic autem lobus quinctus, non tam numerosis vasis est intextus, vt reliqui quatuor lobi, in quibus sunt multi rami tracheiæ, venæ arterialis, & arteriæ venalis: at quinctus lobus maxima parte continet substantiam pulmonis mollem, cum exiguis admodum vasis; vt ratione huius mollitiei sit substerniculum ipsius venæ cauæ. Quinctus ergo lobus distinguitur a reliquis potius per substantiæ varietatem, quam quod vere separetur: ideo, vt Galenus monet, opus est diligenti sectione: vt per hanc appareat discrimen in substantia.

Situs.

Quoad situm: pulmo collocatus est in ventre superiore, id est, supra abdomen, cap. octauo, lib. septimo, de admin. an. & circumdat cor, cap. tertio, lib. tertio, de part. animal. & cap. octauo, lib. primo, de
B symptom. caus. Vergit autem pulmo ad dorsum; secundum Hippocratem, in lib. de arte. Quoad nexum: per tracheiam, cap. 1. lib. 8. de vsu partium, pulmo connectitur cum collo: nam animantia quæ carent pulmone, carent tracheia, & propterea etiam collo. Pulmo quoque per tracheiam connectitur cum glandulosis corporibus, quæ pertinent ad latera radicis laryngis, vt viscidus humor in tracheiæ cauum immittatur. Præterea connectitur pulmo per tracheiam, dorso. Per vasa pulmo connectitur cordi, item e c. 16. l. 1. hist. animal. venæ cauæ, atque aortæ. Pulmo per arteriam venosam renibus & vesicæ connectitur, cap. 4. l. 6. loc. aff. per neruos cerebro: per membranam, dorso, qui quam lateribus dorsi pulmo validissime alligatur.

Præcipua pulmonis functio.

Hæc omnia ob id facta sunt, vt pulmo aerem inspiratum perficiat. Quare aeris inspirati alteratio est propria & præcipua functio pulmonis. Pulmo enim dupliciter sumi potest: primo, vt conuenit cum aliis
C partibus viuentibus: secundo, vt differt.

Actiones pulmonis, vt conuenit cum aliis partibus viuentibus.

Si pulmo sumatur primo modo, ad eum pertinent 4. facultates & functiones naturales, caussa proprii alimenti. Quare de alimento breuiter pulmonis dicendum. Hoc aliud est in vtero; aliud extra vterum cap. 6. l. 5. vs. p. In vtero pulmo alitur sanguine vasorum, quæ vnam tantum habent tunicam, vt est vas venosum, quod sanguinem venosum a caua vena suscipit: vnde tunc pulmo rubet, quia eo tempore pulmo tantum eget vt augeatur, ideo satis fuit sanguis venosus. Quare pulmo in vtero non modo est ruber, sed etiam densus & grauis: quia sanguine venoso nutritur. Extra vterum pulmo nutritur sanguine flauiore, admodum subtili, & spirituoso, cap. 17. lib. 4. vs. par. & nutritur ex hoc sanguine copioso, cap. 10. libr. 6. vs. par. vnde pulmo ex hoc sanguine euadit albus, rarus, & leuis, cap. 6. l. 15 vs. p. Sanguis autem, quo pulmo extra vterum nutritur, spirituosus euadit, propterea quod attenuatur & in dextro cordis ventriculo,
D & in pulmone, amotu arteriarum & pulmonis, quo veluti spumosus efficitur. Cum ergo in homine in lucem edito, pulmo non amplius nutriatur sanguine venoso: fit, vt perforatio vasorum quæ sanguinem a vena caua tempore gestationis arripiebant, occludantur & penitus contabescant, supra ingenii humani captum. Sed hoc loco oritur dubitatio, primum circa essentiam sanguinis: nam Galenus cap. quinto, lib. quarto, vsu partium, ait, pulmonem nutriri sanguine puro, scilicet extra vterum: Auicennas prima primi, cap de membris dicit, pulmonem, scilicet extra vterum, nutriri calidissimo sanguine, admisto multæ choleræ, & sic non videtur purus esse. Responsio. Galenus per sanguinem purum intelligit secretum ab excrementis, vt non sit mistus e tenui & crasso, sed vniuersus sanguis sit tenuis, hoc est, vt omnis illa materia alimentalis sit tenuis, id est, sanguis attenuatus a corde, & a pulmonis motu & præterea sit bilis alimentalis, & alimentum tenuissimum. Hinc Galenus dicit, pulmonem nutriri sanguine veno-
E so attenuato, sed additur, flauo, vt insinuetur mistio bilis alimentalis. Auicennas autem dicit, pulmones nutriri sanguine calidissimo, & proinde attenuato, & admisto multæ choleræ, id est, bili alimentali, quæ necessario in hepate generatur. Secundo, aliud oritur dubium circa alimentum pulmonis. Nam Galenus com. aphor. 39. sect. 5. ait, pulmonem nutriri e spumoso humore, qui potius est pituitosus, quam biliosus. Et eodem sensu cap. 12. lib. 3. de aliment. fac. ait, pulmonis esum, creare succum pituitosum. Quomodo igitur pulmo nutritur sanguine, permisto cum bile alimentali? Responsio. Pulmonis substantia debuit esse tenuissima, sed visciditatis particeps, ob motum assiduum: indiguit ergo alimento tenui & viscido. Quare propter tenuitatem, opus fuit sanguine bilioso & tenui: propter visciditatem substantiæ pulmonis, opus fuit pulmonis caliditate moderata, & insigni humiditate: vnde hæc temperatura moderate calida, agens in sanguinem biliosum, in passum calidum & siccum, eum attemperat & moderatur, reddit-
F que albicantem, spumosum, & lentum, quo postea pulmo nutritur; sicut etiam cerebrum agit in spiritum vitalem, & hunc refrigerat & temperat. Contra obiici potest, e cap. decimo, lib. sexto, vsu partium, pulmonis calorem esse copiosum, vt alimentum attenuet, fundat, & in vaporem conuertat, quomodo igitur diximus, caliditatem esse moderatam? Responsio: pulmonis calor est copiosus, sed non intensiue: pulmo enim calidum innatum copiosum habet, quod tamen non est intensum: vnde pulmo alitur sanguine, qui attenuatur aliqua e parte in pulmone, & in dextro ventriculo cordis. Sed occurrit etiam alia dubitatio, circa copiam alimenti: nam Galenus cap. 10. lib. 6. vsu partium, ait, pulmonem egere copioso alimento. At cap. sexto, lib. quinto, vsu partium, ait, pulmonem egere sanguine paucissimo. Responsio: sanguis dicitur paucus, si conferatur cum sanguine qui defertur ante partum, & cum aere, quo pulmo eget copiosissimo. Et hæc dicta sint de functionibus pulmonis, vt conuenit cum reliquis partibus
G viuentibus.

Actiones pulmonis vt differt ab aliis partibus.

Si secundo modo capiatur pulmo, vt differt a partibus reliquis vita præditis: accipitur vt est destinatus & vsui, & actioni. Quatenus pulmones destinati sunt vsui, non actioni; respicimus vel meliorem vitam, vel vitam. Si respiciamus meliorem vitam, statuendum est, pulmonem esse organum vocis. Si vitam respiciamus, statuere oportet, pulmones esse organum respirationis, cap. secundo & nono, lib. sexto,

vſu partium,cap primo,lib.ſeptimo, vſu partium. Hinc Ariſtoteles cap. ſexto & ſeptimo, lib. tertio, de part.animal dicit,pulmonem aditum aeri patefacere, prout contrahuntur, & attolluntur. Addit autem philoſophus, pulmonis motum oriri a corde, quatenus ſcilicet facultas communiſſima a corde in cerebrum procedens,fit animalis,quæ dum influit in muſculos thoracis, eſt in cauſſa, vt moueatur. Summa ergo pulmonis eſt neceſſitas ad reſpirationem,cap.quarto,lib.ſecundo, de gen. animal. Hinc Galenus cap.decimo tertio,lib.ſeptimo,meth.dicit,pulmonis miniſterium,id eſt,vſum (non dicit,actionem) eſſe neceſſarium ad vitam. Et vltim.cap. lib. de vtil. reſp. inquit;pulmonem eſſe reſpirationis organum non primum:nam primum eſt thorax,a quo pulmo mouetur,cap.10.lib.6 vſu partium,cap.tertio,lib quinto, loc.aff.item Hippoc.in lib.de corde.Sed præterea, cum Platone in Timæo, pulmo reſpicit etiam meliorem vitam:vbi dicit;per reſpirationem beneficio pulmonis, cordis ardorem temperari, vt ſedato tumultu rationi facile obſequatur.Sed præterea pulmo eſt productus gratia vocis,& reſpirationis, & conſeruationis caloris natiui. Gratia vocis & reſpirationis: nam Galenus cap.primo, lib.ſeptimo,de adm.an.cap. vltim.lib.de vſu reſpir.inquit,pulmonem eſſe principaliſſimum reſpirationis organum, ſcilicet quatenus propter cor fit reſpiratio:thorax autem eſt primum reſpirationis organum,vt habet rationem efficientis; in reſpectu ad pulmones,vt mouentur:pulmo denique primum dicitur organum reſpirationis, gratia actionis,non ratione vſus.

Quatenus pulmo deſtinatus eſt actioni;concurrit,vt ſeruat aerem inſpiratum, vt agit in aerem inſpiratum.Pulmo enim promte aerem alterat,eſtque aeris promtuarium,cap.2 lib.6.vſu partium. Et,cum pulmo aerem contineat,fit vt diutiſſime vox continuari queat;& intermiſſa inſpiratione cor non protinus lædatur,c.vlt.l.de vſu reſpirat.

Si denique capiatur pulmo cauſſa functionis,propter conſeruationem calidi innati vitalis; eo modo refertur pulmo in cor, cuius præcipua actio eſt generatio calidi innati. Secundum hanc rationem concurrit pulmo,vt agens,non vt patiens Et hæc actio eſt aeris alteratio,propoſita in definitione tradita. Hoc Galenus propoſuit cap.octauo,lib.7.vſu partium, vbi habet: quod quemadmodū caro hepatis deſtinata eſt coctioni chyli;ita pulmonis caro eſt deſtinata coctioni aeris. Heic ſimilitudo eſt, quod vtrobique caro eſt cauſſa & coctionis cibi,& alterationis aeris; non autem quod aer e toto in pulmone perficiatur, ſicut hepar prorſus concoquit cibum: nam aer inſpiratus primum alteratur in pulmone, poſtea in corde & arteriis,& præcipue in plexu retiformi,& abſolutiſſime in cerebri ventriculis: vnde aer perficitur in capite,cauſſa ſpiritus animalis:at cauſſa calidi vitalis, perficitur in corde, cap. octauo, lib.ſeptimo, vſu partium. Differentia autem eſt in aere,cauſſa ſpiritus,& cauſſa caloris naturalis cordis: nam aer inſpiratus cauſſa ſpiritus confert per ſuam ſubſtantiam, propterea quod ſpiritus conficiuntur & regenerantur ex aeris ſubſtantia. Sed cauſſa calidi naturalis vitalis cordis, confert per qualitatem, quatenus ſcilicet accipimus calidum innatum cordis ſincerum, id eſt, citra permiſtionem ſpiritus vitalis: nam ſi accipiatur calidum cordis,vt ad differentiam aliarum partium habet permiſtum ſpiritum vitalem,ſicuti calor cryſtallini habet permiſtum ſpiritum animalem; ratione huius miſcellæ aer in pulmone elaboratus confert etiam ratione ſubſtantiæ.

Aeris igitur alteratio pertinet ad pulmonem: quæ eſt præcipua operatio, reliquis anteponenda. Primo enim ſi capiatur pulmo, vt conuenit cum aliis partibus: patet ſecundum hunc ſenſum pulmoni tribuendas eſſe actiones communes,non propriam; propria autem eſt proponenda in definitione. Si capiatur pulmo,vt diſtinguitur ab aliis partibus:poteſt perpendi,vel ratione vſus,vel ratione actionis: in definitione ſatius fuit proponere actionem, quam vſum; vnde nec vocem, nec reſpirationem in definitionem propoſuimus,quia reſpeximus ad actionem, non ad vſum. Actio eſt aeris retentio, & alteratio. Retentio dirigitur ad alterationem: quare alteratio eſt præcipua, quam in finitione propoſuimus. Hinc Ariſtoteles, cap. decimo quinto,lib.2. de hiſt. animal. ait; propter aerem opus fuiſſe tracheia & pulmone: tracheia, vt eſt via;pulmone, vt agit. Quare præcipua actio pulmonis eſt alteratio aeris inſpirati.

Capvt XXXIX.

De applicatione methodi anatomicæ, ad pulmones.

Caro pulmonum.

PArtes pulmonis ſunt,caro,tracheia,organa communia,& membranæ.

Caro propria,cui ſimilis in corpore nulla reperitur,eſt præcipua cauſſa actionis. Sed dubitatur, quia cap.8.lib.7.vſu partium,dicitur, pulmonis propriam particulam eſſe tracheiam: & ſubſtantia ipſius tracheiæ pertinere videtur ad ſolos pulmones. Reſpōſio:Pulmonis caro eſt ꝓpria,& tracheia eſt propria: ſed eſt differentia:nam ratione vſus, vt ſcilicet pulmo eſt organum vocis & reſpirationis, propria eius particula eſt tracheia: at ratione actionis,vt pulmo eſt organum alterationis aeris, propria particula pulmonis eſt caro,quia hæc agit,non tracheia.

Sicut autem caro hepatis concurrit per ſuam craſin calidam & humidam,ad generationem ſanguinis:ita etiam caro pulmonis concurrit per ſuam temperaturam, quæ magis per humidum, quam per calidum excedit,vt calor ſit ſatis remiſſus:ita vt caro pulmonis frigida ſtatui poſſit, cordis reſpectu, cap.8. lib.7.vſu part.Et hoc ſenſu Hippocrates in l.de corde ait;pulmonem natura eſſe frigidum,& ob id cordis intemperiem caſtigare.

Præterea pulmonis caro concurrit per mollitiem,ad cordis tutelam: nam cor in pulmone tuto ſaltare poteſt,c.2.l.6.vſ.p.

Deinde concurrit per id quod accidit,hoc eſt,per leuitatem & raritatem: ſiquidem confert ad motum.Vnde Galenus c.17.l.6.vſ.p.& c.6.l.15.vſ.p.dicit,pulmonis motui aſſiduo deſtinatum eſſe pulmonem, vt carnem obtinet leuem.

Præter-

A Præterea concurrit etiam per situm; replet enim quod est inane inter vasa; vnde est vasorum custodia, c.8.l.5.de vs.p.

Confert etiam pulmo per tracheiam, quæ est pars concurrens, vt sine qua non potest fieri inspiratio & exspiratio, c.16.l.1.de hist.animal.c.3.l.3.de part.animal. Et Galenus ait, pulmones beneficio tracheię vocem edere, efflare, inspirare, exspirare, c.8.l.7.de vs.p. Aspera arteria.

In tracheia autem oportet perpendere substantiam & tunicas.

Quoad substantiam, concurrit tracheia & per id quod consequitur, & per id quod accidit. Per id quod consequitur, hoc est, per duritiem cartilagineam, & per mollitiem membraneam. Per cartilaginem & duritiem concurrit ad vocem: per membranam, & mollitiem concurrit ad motum, vt promtius repleatur & euacuetur, c.4.5.& 6.l.7.de vs.p.
B Quare tracheia per cartilagines est organum vocis; per membranas, est organum respirationis. Galenus de vsu resp. dicit; tracheiam esse vocis organum, & esse viam respirationis: nam tracheia, vt pertinet ad vocem, non modo est via aeris, sed etiam concurrit vt agens, hoc est, vt percutit aerem: quod non est dicendum merito respirationis.

Quoad id, quod accidit tracheiæ; ea concurrit per figuram, cauitatem, magnitudinem, & situm. Per figuram rotundam, tracheia est tuta & capax, per rotunditatem ergo concurrit ad custodiam, & vt melius fiat operatio, prout scilicet hæc figura est capax, sic enim copiosior aer inspiratur & exspiratur, cap.7.lib.7. vs.part.

Concurrit etiam per cauitatem, vt tracheia est via spiritus: & sic est pars sine qua non, lib. de causs. resp. Vnde Hippocrates lib. 4. de morb. dicit, animal vocem non edere, nisi pulmo tracheiæ adhæreret.

C Deinde concurrit tracheia per magnitudinem: ea enim ipsius magnitudo est, quæ sufficit ad vocem & respirationem, id est, quæ admittit aerem in ea quantitate, quæ sufficit pro voce, & respiratione, cap. 16. lib. 13.vs.part.

Situm perpendere oportet, & ratione partis tracheiæ, & ratione totius tracheiæ. In parte interiore collocata est portio membranosa, ne lædatur œsophagus; in exteriore portio cartilaginea, ad sui custodiam, c.7.l.7.vs part. Adhæc harum partium situs confert gratia cibi & potus, vt melius descendant ab ore per œsophagum in ventriculum: nam portio membranea in parte interiori collocata, cedit esculentis & potulentis. Quoad situm totius tracheiæ; & primum vt oritur a larynge, ad reliquorum vasorum differentiam, scilicet arteriæ venalis, & venæ arterialis, quæ a corde oriuntur; per hunc situm, ante scilicet gulam, est via ad pulmones & cor, vt spiratio fiat, tum propter pulmonem, tum propter originem cordi
D inditam, c 3.l.3. part. animal. quibus verbis Aristoteles insinuauit præcipuam actionem pulmonis & cordis: pulmonis quidem actionem, vt tracheia pulmoni tribuit aerem alterandum: cordis, dum ait, tracheiam esse viam aeris, propter calidum cordis primogenitum. Tracheia etiam per situm concurrit, quatenus ita collocata est, vt in eam primum aer permeet, c.18 l.3.de diff. resp. Præterea, vt tracheia habet talem situm, vt media est inter alia vasa, nimirum arteriam venalem, & venam arterialem, cordi tribuit aerem, vt nutriatur, c.8.l.7.vs.p.

Tunica traheiæ interna, per siccitatem suam moderatam, & per moderatam duritiem, concurrit ad vocem, cap.7.lib.7.vsu part. valde sicca duraque corpora non reddunt vocem; igitur requiritur moderata durities. Deinde per moderatam duritiem tunica potest extendi, est in caussa, vt melius fiat deglutitio.
E Et per densitatem confert ad tutelam cartilaginis. Densior est supra, quam infra; vt per maiorem densitatem magis custodiatur; per minorem vero infra, circa pulmones, est in caussa vt melius fiat respiratio; vt scilicet aer mittatur a tracheia in arteriam venalem; & tracheia quoque ab arteria venali promtius fuligines suscipiat. Per situm autem hæc interna tunica, vt est continua tunicæ œsophagi, portio aliqua potionis defertur in pulmones, ad horum ariditatem temperandum; & sic concurrit ad tutelam: in fine, l.8. de plac. Externa tunica (vt etiam in aliis partibus) concurrit ad tutelam.

Organa communia concurrunt per densitatem, crassitiem, cap.4 lib.7.de adm.an.cap. 10.lib.6.vsu part. nam vena arterialis, confert ad nutritionem pulmonis, qui alitur sanguine subtili. Nec obstat, quod sanguis paucus impertitur, cum tamen copioso pulmo egeat: non enim deficit alimentum pulmonis, tum ob arteriæ venalis raritatem, & tenuitatem, tum ob venæ magnitudinem. Vena arterialis etiam confert per situm, vt oritur a corde, & per totos pulmones spargitur, ipsique tracheiæ proxima est: hinc alimen-
F tum susceptum a corde, & pulmonis substantiæ, & tracheiæ præbetur. Arteria venalis est instrumentum spiritus & sanguinis: spiritus, vt in cor defertur aer in pulmone elaboratus; & vt a corde in pulmones defertur portio fuliginosa, cap. octauo, lib. septimo, vsu partium, cap. decimo quinto, lib. sexto, vsu partium. Est etiam sanguis organum; nam detinet sanguinem purum, tenuem, & copiosum, vnde & vas ipsum, & pulmo nutritur, cap.8.lib 7.vsu partium. Confert autem per raritatem, cauitatem, & situm, cap. 10. lib. 6.vsu partium. Per raritatem, sanguis tenuis pulmoni impertitur: ac transfertur aer elaboratus, & fuligo. Per cauitatem confert, vt propositas materias admittit, & nonnihil detinet. Per situm, vt melius aer a pulmone in cor distribuatur, cap. 3.lib. 6. de plac. quin etiam situs facit ad tutelam, quia arteria venalis est in parte anteriori tracheiæ: non enim tutum erat, admodum eam a corde elongatam producere, propter tunicæ imbecillitatem, cap. octauo, lib. septimo, vsu partium. Nerui idem præstant, quod in aliis par-
G tibus. Cōmunia instrumēta.

Tunica pulmonis facit ad tutelam: ea per sui mollitiem, & leuitatem, obtemperat motui pulmonis: per raritatem & tenuitatem, admittit transitum materierum, quæ colliguntur quandoque in cauitate thoracis. Hæc de partibus pulmonis. Membrana pulmonū.

Totus pulmo, concurrit per id quod accidit, & per operationem. Quoad id quod accidit; pulmo

Pulmo totus vt concurrat ad aeris alterationem.

per leuem & lubricam superficiem promtius cedit motui thoracis. Per asperitatem confert ad tutelam: A
huius enim beneficio thoracis lateribus alligatur, & ita custoditur. Per figuram, quæ accidit ad circula-
rem, admittit copiosam materiam, & iniuriis resistit. Per magnitudinem confert ad multiplicandum
tracheiæ distributionem, quia præstat tracheiam esse numerosam, cap. sexto, lib. decimo tertio, vsu parti-
um. Præterea, cum pulmo sit sanguineus, obtinet calorem amplum, ad quem attemperandum copioso e-
get aere: quare pulmo debuit esse magnus, cap. sexto, lib. septimo, de part. animal. Deinde pulmo confert
per numerum loborum, cap. decimo, lib. septimo, vsu partium, nam per lobos pulmo melius amplexatur
cor, vt cor melius attrahat, & in motu custodiatur: Per lobos etiam pulmo facilius & tutius dilatatur. Ad-
dit Auicennas; pulmonem esse diuisum in dextrum & sinistrum, gratia tutelæ: vt vna parte læsa, reliqua
esset immunis. At quinctus lobus, est solum ad tutelam cauæ venæ, cap. quarto, lib. sexto, vsu partium, cap.
decimo, lib. septimo, vsu partium, & concurrit hic quinctus lobus per mollitiem, pulmo enim mollior B
est in hac parte. Concurrit etiam pulmo per figuram: nam dum cauæ subiicitur, excauatur. Per situm
concurrit, vt occupat dextram partem; quia ibi est vena caua. Deinde concurrit totus pulmo per situm,
vt est cordi proximus, ita enim facile inseruit cordi, cap. octauo, lib. primo, de symptom. causs. Ceterum,
cum pulmo sit organum respirationis, debet esse membrum satis longum: ob id obtinet tracheiam, per
quam pulmo ab ore distat, cap. tertio, lib. tertio, de part. animal. Quoad connexum: pulmo per tracheiam
connectitur cum collo, glandulis, dorso. Vt connectitur cum collo, confert, vt sine quo non potest fieri
vox; ideoque animalia pulmone carentia, collo carent, & voce, cap. primo, lib. octauo, vsu partium. Vt au-
tem connectitur cum glandulis, hic connexus confert ad custodiam tracheiæ, & pulmonis: nam ad lin-
guæ radicem est corpus glandulosum, quod generat humorem, beneficio cuius non siccatur tracheia. Vt
connectitur cum dorso, est ad custodiam pulmonis, quatenus hic cum parte stabili connectitur. Deinde C
per venam arterialem, & arteriam venalem, connectitur cum corde: sine hoc enim connexu, materia non
potest a corde vel suscipi, vel transmitti. Per membranam etiam connectitur lateribus thoracis, vt non ita
facile concidat, vt promte motum thoracis sequatur: quare & ad custodiam facit, & vt melius moueatur
pulmo. Hæc de toto pulmone, vt concurrit per partes compositionis. Quoad totam compositionem, cō-
currit per hanc ad absolutam operationem: nam si aliquod vitium sit in compositione; illico desideratur
bona aeris alteratio, bona pulmonis actio.

Tandem concurrit pulmo per operationem, non quidem per motum, (quia pulmo saltem affici-
tur) sed per retentionem aeris, quem conficit: vt per retentionem concurrat ad aeris elaborationem,
(pulmo factus est ad custodiam cordis: & proinde non gratia vitæ, sed caussa melioris & optimæ
vitæ.) D

CAPVT XL.

De iecore.

Hepar quid.

DE hepate hoc loco agemus, vt sumitur caussa vitæ indiuidui. Est autem iecur *instrumentum, geni-
tum e carne propria, organis communibus, bilis receptaculis, & tunica, a vi hepatica, caussa sanguifi-
cationis.*

Dicitur instrumentum, ad differentiam partis dissimilaris.

Materia.

Materia e qua, est caro, organa communia, bilis receptacula, & tunica: c. 12. l. 4. vs. p. Vesicam felleam
omisimus in definitione, nam est extra hepar. E

Efficiens.

Caussa efficiens, est vis hepatica, ab hepate parentum prodiens, inque semine sita.

Iam inquirendum, quidnam vis hæc hepatica tribuat; primum partibus hepatis, deinde toti
hepati.

Caro iecoris.

Propria iecoris caro, est calida, com. aph. 40. sect. 5. vnde com. aph. 48. s eiusd. dicitur, vteri partem
dextram esse calidiorem propter iecoris vicinitatem. Estque hepatis caro calidior & humidior cute, c. 3. l.
2. de temp. At minus calida est corde, & magis humida, c. 8. l. 5. de plac. Ceterum hæc iecoris caliditas e san-
guine pendet: vnde iecoris caro tanto est calidior cute, quo magis sanguine abundat, qui refertus est ca-
lore & spiritu, vt testatur Hippocrates in l. de corde. Quoad consequens, iecoris caro genita est minus
dura corde & cute. At caro partis simæ, si conferatur cum partis gibbæ carne, est mollior. Est autem
iecoris caro, rubra. Quoad id quod accidit, pulmonis caro spongiosa est formata, renum densissima, F
dein hepatis, vt hepatis caro densior sit, quam lienis, c. 2. l. 2. ad Glauc.

Venæ.

Quoad organa communia, & primum quoad venas: harum temperies est frigida & sicca, durities
mediocris: in his consideranda sunt opera formatricis, præsertim penes magnitudinem, numerum, & si-
tum. Quoad magnitudinem; venarum iecoris tunica tenuissima fuit formata, & cum motu, cap. deci-
mo tertio, lib. tertio, vsu partium, cap. vndecimo, lib. sexto, de adm. an. cap. secundo, lib. quinto, vsu parti-
um. Factæ sunt venæ numerosæ, ita tamen vt in parte gibba terminentur ad cauam, in caua ad portam.
Ceterum iecoris venæ ita progrediuntur, vt venæ portæ & cauæ rami, per oscula inuisibilia committan-
tur, cap. 17. lib. de const. art. vt intra carnem hepatis producatur quidam plexus, ad eius similitudinem, qui
est ante testiculos, & qui in cap. 13. lib. 4. vsu partium. Iecur ergo est radix venarum, cap. vltim. lib. 6. de
plac. nam habet rationem radicis secundum venas portæ, cap. tertio, lib. sexto, plac. rationem trunci, se- G
cundum cauam. Licet autem iecur sit radix venarum, caro tamen iecoris non est materia venarum, quē-
admodum scripsit Galenus de arteriis, c. 5. l. de form. fœtus, nam venarum substātia est satis diuersa a sub-
stantia carnis hepatis.

Arteriæ.

Quoad arterias: harum temperatura est frigida & sicca: durities maior, quam venarum.

Formatæ

A Formatæ autem ſunt arteriæ paruæ, & collocatæ tantum ſub venis ſimæ partis, nec enim in gibbis reſident, cap.13. lib.4. vſu parti. m. Prodeunt ab aorta, quæ dextræ ſedi inferioris membranæ omenti confertur.

Neruus.

Quoad neruos: hi ſunt frigidi, in paſſiuis temperati. Sunt molles, cap.2. lib. 6. vſu partium. Eſt autem minimus iecoris neruus, & in tunicam viſceris diſtribuitur, non in totum hepar, cap. 13.lib.4.vſu partium, cap.decimo, lib.quinto vſu partium, lib.2.de loc.aff.proditque a ſexto pari cerebri, cap. 4. lib. 16. de vſu partium.

Meatus fellei.

Quoad meatus felleos, obtinent ſubſtantiam ſimilem cyſti fellis: quare obtinent etiam ſimilem temperiem, & mollitiem cum cyſti fellea, de qua ſuo loco, cap.12.lib.4.vſu partium, cap. 13. lib. 5. vſu part. Veſalius aſſerit hos meatus felleos, in hepate reſidentes obtinere ſubſtantiam neruoſam: ſed ſenſus con-
B trarium reſpondit: & præterea cyſtis ſubſtantia debet eſſe talis, cui ſimilis non reperiatur in toto corpore. In his meatibus perpendenda ſunt, magnitudo, motus, ſitus. Quoad magnitudinem; hi meatus ita ſunt formati, vt alii magni ſint, cap.12.& 13.lib. 4. vſu part. alii parui, & inuiſibiles, c. 6. lib.eiuſdem. Numeroſi ſunt: & quidem minores ſunt plures, quam magni. Quoad ſitum; oriuntur a cyſti, & collocantur in hepate, & extra, vt qui proueniunt ad inteſtina, & præterea qui prorumpunt in veſicam felleam, cap. 12. lib. 4.vſ.part. Diſperguntur autem hi meatus per hepatis partem ſimam, non per gibbam, c. 13.l.4.vſ.p.c.6.l.5. vſ.p.c.12.l.6.de adm.an.

Hepatis tunica.

Quoad tunicam; eius temperies eſt frigida & ſicca: duritiem obtinet maiorem, quam venæ & arteriæ. Prodit a peritonæo, & ambit totum iecur, c.4.l.4.vſ.p.

Totius iecoris conſtitutio.

C Quoad totum iecur: cũ caro iecoris, quæ reliquis partibus copioſior eſt, ſit calida & humida; ſtatui poteſt iecoris temperamentum eſſe calidum & humidum; & iecur eſſe molle. Quoad conformationem, ſuperficies iecoris extra eſt leuis, æqualis: intra, id eſt, ſecundum partem cui ſubeſt ventriculus, eſt inæqualis potius, quam aſpera. Figura accedit ad rotunditatem, cap.18.lib. 1. de hiſt. animal. quamuis inſtar ceræ figuretur a vicinis partibus. Galenus, loquens de hepate omnium animalium, inquit, hepar quinque lobis, ſeu fibris, complecti ventriculum, cap.8 lib.4.vſu partium. Quoad meatus, iecur ſecundum ſe totum obtinet duos magnos meatus, portæ ſcilicet & cauæ, cap. 15.lib.5.ſimpl. Quoad magnitudinem, formatum eſt hepar ſatis magnum: & maius, guloſis & humidis, cap.8.lib.6.de adm. an. Numero eſt vnicum. Quoad ſitum: magnam portionem habet in dextra parte abdominis, cap. 8. lib. 6. de adm. an. niſi cum philoſopho, cap.18.l.1.de hiſtor.animal. hoc viſcus prodigioſe ſit diſpoſitum: at ſemper in abdomine: Vnde cum Hippocrate lib.de arte dicit, iecur eſſe collocatum in thorace; per thoracem intelligens compo-
D ſitum e pectore, & abdomine. Quoad connexum, cum Gal.cod.1. lib. 2. progn. per venas copulatur lieni, ventriculo, inteſtinis. Et cap.5.lib.de form.fœtus, ſecundum partem ſimam copulatur cyſti fellis: per ligamenta, ſepto tranſuerſo; vt in aliquibus etiam corporibus nothis coſtis. Et c.14.l.4. vſ. p. per venam cauam copulatur cordi.

Sanguificatio eſt hepatis actio præcipua, & propria.

Iecur hunc in modum generatum fuit gratia ſanguificationis, cap. 7. lib. 5. loc. aff. cod. vlt. lib. 1. progn.cap.3.lib.7.de plac.nam hepatis munus eſt generatio ſanguinis. Vnde cap.4.lib.6.de plac.ait, hepar vltimam perfectionem tribuere ſanguini: vt propterea ſanguis recipiatur a partibus infra ſeptum, itemque a cordis membrana, antequam cor ingrediatur. Ideo Galenus com.6.lib.2. progn.ait, præcipuam iecoris miniſteria eſſe ſanguinis & humorum generationem; dum enim generatur ſanguis, generantur etiam humores. Hippocrates in l.de corde, cognoſcens generationem abſolutam & perfectiſſimam ſangui-
E nis pertinere ad iecur, non ad cor; dixit, magnam arteriam eſſe plenam ſanguine non principali. Vnde colligitur, dari ſanguinem principalem, & non principalem: arteriæ non continẽt ſanguinem principalem, ſeu venoſum, quo omnes partes aluntur. Hinc Galenus cap.6.lib.6.de plac.dicit, operationem iecoris, id eſt, ſanguificationem, eſſe magis neceſſariam, quam ſit operatio ventriculi, at minus neceſſariam, operationem cordis, c.13.l.7.meth.

Ariſtotelis conſenſus cũ medicis.

Sed hoc Ariſtotelis etiam teſtimonio, eſt comprobandum: qui cap.15.lib.7.de hiſtor. animal. dicit, iecur eſſe in omnibus, in quibus generatur ſanguis: & addit, iecur eſſe partem præcipuam. Ergo ſecundum Ariſtotelem, iecur eſt auctor præcipuus ſanguinis. Præterea c.9.l.2.de part.animal.dicit, quod cor & iecur neceſſaria ſint animalibus ſanguineis, vt cor ſit propter caloris originem, iecur gratia cibi concoquendi; eſt autem ſecunda vbi concoctio, mutatio chyli in ſanguinem. Quare etiam ſecundum Ariſtotelem, iecur
F eſt cauſſa præcipua mutationis chyli in ſanguinem. Et propterea, dum idem philoſophus c.3.& 19.lib.3.de hiſt.animal.c.9.l.3.de part.animal.inquit, cor eſſe principium ſanguinis, non autẽ iecur; intelligere oportet, loqui Ariſtotelem de ſanguine arterioſo; vocat enim ſanguinem palpitantem: non tamen negat, iecur eſſe principium ſanguinis venoſi.

Quomodo ſanguis e ſanie.

Sed cum ſanguis fiat e chylo: quæritur, cur Ariſtoteles cap. 19.lib.3.de hiſtor.animal. dixerit, ſanguinem fieri e ſanie. Reſponſio. Ariſtoteles in fine cap.citati inquit, ſaniem eſſe ſanguinem inconcoctum, aut quia nondum eſt concoctus, aut quia in ſerum degenerabit. Et cap.20.lib. 3. de hiſtor. animal. inquit; lac præter caſeum continere ſaniem, quam ſerum vocamus. Et cap.4.lib.2. de part.animal. addit, ſaniem eſſe partem dilutam ſanguinis, vt ſit pars vel nondum concocta, vel corrupta. Quare philoſophus ſignificauit, ſaniem & ſanguinis partem tenuem & aquoſam; quare frigidam, & nondum concoctam; ad diffe-
G rentiam tenuis, bilioſi, qui calidus eſt & concoctus ſanguis. Hæc autem portio ſanguinis, aquoſa adhuc cruda, a calore vel vincitur, vel non. Si vincitur, conuertitur in ſanguinem, vt (ſecundum Philoſophum) hæc portio quæ vocatur ſanies, dum vincitur, fit ſanguinis gratia. Si non vincitur a calore, corrumpitur & degenerat in ſerum, quod non eſt lotium. Nam lotium eſt chylificationis tenue excrementum, quod non poteſt mutari in alimentum: neque eſt materia corrupta lotium. Quare Ariſtoteles per ſerum intelligit

colorem morbosum,qui color non semper generatur,sed dum calor est imbecillis. Quare patet secũdum Aristotelem sanguinis generationem pertinere ad iecur. A

Venæ sanguificandi facultatem ab hepate obtinent.

Galenus,cap.17.lib.quarto,de vsu partium, ait, iecur esse sanguificationis primum instrumentum, quia venæ non producuntur ab hepate, sed a vi venosa. Iecur autem, tanquam radix & principium venarum,tribuit venis virtutem;cap.9.l.art.med. Quare euidenter colligere licet,vim naturalem esse & insitam,& influentem:chylus enim albicans,fit rubeus a venis albis,per vim a iecinore influentem. Vnde & Vesalius,& Columbus fuere decepti.

Operationes iecoris non præcipuæ.

Verum vt sanguificatio est præcipua & propria operatio iecoris:ita aliæ etiam sunt iecinoris operationes,vel non præcipuæ,vel præcipuæ,non tamen propriæ.Operationes iecoris non præcipuæ,sunt potentiæ animæ naturalis,nimirum attractix,retentrix, alteratrix, expultrix; quæ diuersæ sunt actiones a sanguificatione,præsertim attractio,retentio,& expulsio.Addit autem Galenus c.7.l.8.κ.τόπ.virtuté principalem esse alteratricem;reliquas,esse non principales. B

Et præcipuæ.

Præcipua actio iecoris,est mutatio sanguinis in substantiam iecinoris: nam hæc actio est in caussa nutritionis iecoris:ideoque sanguificatio dirigitur in iecinoris nutritionem : & propterea nutritio non modo est actio principalis,sed etiam magis principalis sanguificatione.Hinc Galenus com. 5. sect. 2.lib.1. prorhet.dicit,iecur esse principium functionum,quæ alimoniæ inseruiunt: quia nouit nutritionem esse magis principalem sanguificatione.Ceterum,cum iecinoris nutritio fiat e sanguine: sciendum cum Galeno,cap.decimo,lib.sexto,vsu partium,cap.decimo quinto,lib. quarto, vsu partium, hunc sanguinem, esse sanguinem limosum,crassum,rubicundum. Quamuis autem nutritio sit actio principalior sanguificatione;non est tamen actio propria:non enim iecur tantũ,sed etiam omnis pars viuens nutritur. Præcipua igitur,& simul propria actio,& sanguificatio,in definitione proposita. C

Concupiscentia quomodo ad hepar spectet.

Oritur dubium,de concupiscentia:e cap.18 lib.6.vsu partium, cap.vlt. lib. 6. de plac. cap.4. lib.3.loc. aff.nam iecur est sedes facultatis concupiscibilis, seu appetentis; quia vis concupiscibilis testium, & oris vẽtriculi,emanat ab hepate:Quare facultas cõcupiscibilis videtur alia,a quatuor facultatibus naturalibus, & propterea esse operatio hepatis & propria,& præcipua. Sed vt pateat, cur in definitione proposita sit sanguificatio,non autem concupiscentia:sciendum,functiones naturales capi posse caussa vel simpliciter vitæ,vel commodioris vitæ,vel melioris vitæ.Si capiantur caussa vitæ,sunt tantum 4.facultates, & præcipua est alteratrix. Si capiantur caussa commodioris vitæ,& melioris vitæ; licet addere concupiscibilem. Nam quantum attinet ad commodiorem vitam,concurrit concupiscibilis,vt dum magis viget, melius fiat attractio alimenti,cap.8.lib.3.fac.natural.Respicit etiam concupiscibilis meliorem vitam,cap.3. lib.3.de plac.ad iecur enim pertinet iucundorum fruitio;vt,si plus iusto vigeat,oriatur incontinentia, seu intemperantia;si moderate se gerat facultas concupiscibilis,& cedat irascibili ac rationi,homo viuat secundum iustitiam. D

Verum,cum hepar,caussa vitæ commodioris & melioris sit sedes facultatis concupiscibilis, vt cor irascibilis,& cerebrum rationalis:quæritur,cur Galenus c.3. l.7. de plac. dixerit,cerebrum & cor munus habere per se,& per aliud;hoc autem non tribuat hepati? Caussa est,quia Galenus cognouit, rationem pertinere solum ad cerebrum;irascibilem solum ad cor;& nequaquam extrinsecus influere:concupiscibilem autem influere ad ventriculum,ad testes. Quare cum in præsentia perpendatur a nobis hepar caussa vitæ:ob id in definitione proposuimus sanguificationem. E

CAPVT XLI.

De applicatione methodi anatomicæ ad iecur.

Sanguificatio est præcipua & propria operatio iecoris:in quam vnam omnia ad iecur pertinentia debent referri,id est,& partes iecoris,& totum iecur.

Caro hepatis.

Quoad partes,& primum quoad carnem,hepatis caro est præcipua caussa sanguinis,cap. decimo secundo,lib.quarto,vsu partium,cap.octauo,lib sexto,de plac.nec enim similis caro est in vniuerso corpore.Ceterum scire oportet,carnis hepatis facultatem,cum sua forma,esse agens principale: vt instrumentum sit carnis temperatura,non forma,non facultas. Et hinc Galenus cap.tertio,lib.quinto, loc.aff. dicit, caussam generationis sanguinis esse iecoris propriam facultatem, cuius essentia consistit in peculiari temperatura; nam peculiaris temperatura est præcipuum organum, sine quo facultas non operatur. F

Temperatura autem est calida & humida. Vnde Galenus cap. vltim. lib. sexto, de plac. ait, hepar non generare sanguinem calidum,nisi quia est calidum:quod etiam testatur, cap. tertio, lib. quarto, vsu partium. Est autem hepar minus calidum corde,cap.octauo,lib.sexto,de plac.nam generat opus minus calidum,quam sit opus cordis.Vnde idem Galenus cap.octauo,lib.secundo,facul. natural. respiciens ad temperaturam iecoris calidam,inquit,secundum mentem & Hippocratis,& Aristotelis, sanguinem fieri a mediocri calore,reliquos autem succos,hoc est,biliosos & melancholicos,ab eodem calore hepatis, sed immodico:Si enim calor hepatis sit moderatus,gignit massam sanguineam,optime constitutam: sin autem calor sit immoderatus,generatur massa sanguinea,sed vel biliosa, vel melancholica. Hæc de carnis hepatis temperatura. G

Ceterum,cum sanguis sit succus calidus, & copiosus: præter carnis temperiem opus fuit calido innato

innato copioso adiuuante. Vnde Galenus, com.25.sect.4.l.6.epidem. inquit; in iecore & corde copiosum ab initio esse insitum calidum. Attamen in hepate non ita est copiosum, vt toti corpori communicetur, nam calor a solo corde influit. Nec obstat, quamuis Gale.loc.cit.dicat, in carnes e sanguine iecinoris profundi calorem, nam hepar carnibus tribuit calorem, vt tribuit probum & copiosum sanguinem, vt, si carnibus impertiatur sanguis vel exiguus, vel frigidus, carnes frigidæ euadant. Quare non impertitur calor, sed sanguis, quia calor a solo corde. Neque etiam obstat, dum Galenus c.vlt.l.6. de Plac.dicit, sanguinem promanare e iecore, spiritum e corde, ex vtrisque calorem. Nam vnus est calor influens, qui prodit a corde, sed hic in totum distribuitur, non modo per arterias, sed etiam per venas, ideoque cum hepar venarum sit origo, secundum hanc rationem calor prodit ab hepate. Constitutum ergo sit, hepatis carnem concurrere ad generationem sanguinis, per temperaturam moderate calidam & humidam, & copiosum calidum innatum.

Quod si respiciamus ad meliorem vitam, addendum cum Platone in Timæo, hepar per puram substantiam, id est, per probam temperiem, & hinc per naturam dulcem & amaritudinis expertem, ad diuinationem conferre, nam cum Deus vidisset, animam talem fore, vt rationi non obtemperet, sed simulacris visisque assiduo rapiatur; factum est, vt iecur per puritatem suæ materiæ, per probam suam temperiem, instar speculi nitens atque perspicuum, ad imagines excipiendas accommodatum, diuinationis esset auctor.

Sed redeamus ad contemplationem iecoris caussa vitæ. Si perpendamus, quod consequitur temperiem carnis hepatis, per duritiem minorem duritie cordis, melius fit sanguificatio, nam huius beneficio seruatur calor, potius elixans, quam assans. Vnde sanguis calidior euadit in parte gibba hepatis; nam in ea parte caro est durior.

Quoad id quod accidit, hepatis caro per densitatem maiorem, quam sit densitas in liene, melius conseruat calidum innatum; quare melius fit sanguificatio.

Venæ hepatis. Quoad organa communia; & primum quoad venas; conferunt per magnitudinem, numerum, & situm. Per magnitudinem, e c.13.14.vs part. venarum tenuitas est in caussa, vt melius fiat sanguificatio, vt succus chylosus melius sanguificetur: adhæc tenuitas confert, vt sanguis iam genitus melius a porta ad cauam perducatur. Nec venarum tenuitas nocet, nam cum venæ residcant in hepate, periculo non sunt expositæ: & quamuis fabricatæ sunt tenuissimæ, non tamen dirumpuntur. Adhæc vtraque vena in exordio fuit magna fabricata, propter tutelam ipsarum venarum: nam, vt inquit Galenus, cap.2.lib.5. vsu partium venis longum iter facturis, periculum imminebat, si ab initio paruæ fuissent fabricatæ. Adhæc magnitudo confert, vt melius fiat distributio chyli in iecur, & sanguinis distributio extra iecur. Vnde sanguis immoderatus, in hepate non detinetur beneficio distributionis. Adhæc Galenus capite 95. art. med. dicit, venarum amplitudinem cum numero concurrere, vt melior fiat retentio in hepate. Quoad situm; per venarum plexum in hepate alimentum diu moratur. capite decimotertio, libro quarto vsu partium, vnde in sanguinem exacte mutatur: Ceterum, quatenus in plexu venæ portæ & cauæ per orificia se contingunt per anastomosin; ita melior fit distributio. Tandem venæ per operationem concurrunt, vt non modo sanguinem detinent, sed etiam alterant, capite duodecimo, libro quarto vsu partium, vt melius fiat sanguificatio.

Arteriæ iecoris. Arteriæ præbent vsum communem, nam harum beneficio seruatur commoderatio caloris, capite 12. libro quarto vsu partium. At arteriæ concurrunt ad tutelam calidi insiti hepatis. Concurrunt autem per duritiem, meatum, & actionem, hoc est, per pulsum, vt in dictionibus de arteriis diximus. Resident arteriæ in parte sima hepatis, & paruæ sunt: nam hepatis portio gibba non indiguit arteriis, quoniam ob vicinam septi mouetur, & hinc refrigeratur. capite decimotertio, libro quarto vsu partium. Ad sanguificationem quidem, quæ in hepate fit, opus est plurimo calore, qui seruatur beneficio sanguinis in iecore geniti. Sed calidum insitum eget euentatione per motum, & viuificatione per essentiam caloris a corde influentis. Caussa euentationis per motum opus fuit arteriis secundum partem simam: nam pars gibba per septum mouetur, atque cum calor iecoris sit mitis, ad differentiam caloris cordis, & præsentia sit sanguinis moderate calidi, & multifariam hepar euacuetur; non opus fuit validiore motu, quare neque magnis arteriis. Caussa autem viuificationis per essentiam calidi a corde influentis; hoc calido eget calor hepatis, secundum vtramque partem, id est, secundum simam, & gibbam. At non eget admodum copioso. Vnde, cum cordis calor communicetur etiam per venas, ob id pars sima, cum non communicet cum corde per venas, donata fuit arteriis, sed paruis. At portio gibba, cum per venam cauam cum corde maximum habeat consensum, ita per venas a corde suscipit calorem, vt non fuerit opus arteriis.

Iecoris nerui. Quoad neruos, conferunt vt optima fiat expulsio, capite decimotertio, libro quarto vsu partium. Molles sunt, nam hepar non mouetur, capite secundo, libro decimosexto vsu partium. Sunt parui & pauci, nam iecur nocentibus non est ita expositum: præsertim, cum expurgetur a cysti, liene, & renibus. Nerui etiam per positionem conferunt ad meliorem vitam. Nam sicuti hepar per arterias copulatur cordi, ita per neruos cerebro, vt ratio, irascibilis, & concupiscibilis facultates se inuicem audiant, & sibi inuicem obsequantur. cap.13.lib. 4. vsu partium.

Meatus fellei. Bilis receptacula conferunt, vt excrementum biliosum a bono sanguine separetur, & melior fiat expulsio bilis a iecore, vt hi meatus sint ad tutelam. capite duodecimo, libro quarto vsu partium. Hunc vsum præbent per duritiem, cauitatem, situm, actionem. Per duritiem conferunt, vt promtius contineat bilem. Per cauitatem, vt bilis ad duodenum instar canalis perducatur. Per situm conferunt ad

receptionem,& transmissionem bilis. Ad receptionem,vt suscipiunt a iecinore, vt in iecore collocantur, A & in parte sima;nam ibi sanguis a bile depuratur.Conferunt ad transmissionem; quatenus meatus inseritur in duodenum intestinum,non in reliqua intestina,nec in ventriculum,c.4.lib.5.vs.par. Non in reliqua intestina meatus inseritur;nam meatus breuior est:& hinc minus iniuriis obnoxius, propter breuitatem. Adhæc, cum in intestinis congerantur excrementa & illa crassa:optimum fuit, vt meatus perducatur ad primum intestinum,vt omnia intestina fruantur bile. Non inseritur autem in ventriculum:nam os superius afficeretur a bile, & cibi in ventriculo diu morari non possent. Quare optima meatus positio fuit in duodeno. Concurrunt etiam per actionem,vnde Galenus dicit;sanguinem in iecore confectum, expurgari functione receptaculorum fellis. ca.4.l.6 de Plac.ea autem functio est attractio:ideoque Galenus ait, meatus bilis bilem attrahere.cap.13.l.4. vs.part.

Hepatis tunica. Tunica instar cutis ad tutelam facit:hoc præstat per aliquam duritiem: Per situm, vt ambit iecur, & B circumdat,& per tactum. c.12.l.12. vsu partium.

Totius iecoris vtilitas. Totum hepar confert per id quod accidit:&per operationem,ad sanguificationem.Quoad id quod accidit;& primum penes ea,e quibus prodit determinata compositio:Igitur quoad conformationem;per superficiem & figuram,præstat potius vtilitatem vicinis partibus,cum ad partium vicinarum figuram terminetur.

Quoad meatus maximos, confert ad sanguificationem,vt melius fiat sanguificatio: nam nisi essent ampli, ægre chylus reciperetur,ægre copiosus detineretur,& ægre transmitteretur.

Quoad magnitudinem hepatis,excedit magnitudinem aliorum animalium, æque magnorum per quam magnitudinem confert, vt melius gignetur sanguis, & copiosior; nam in maiori quanto est maior C virtus, & copiosior sanguis detinetur.Ceterum magnitudo immoderata, vt respicit meliorem vitam, nocet: nam gulosis & humidis magnum est hepar;nam viget vis concupiscibilis,& hinc gulositas:vnde patitur vis cordis & cerebri, hominesque euadunt timidi, & secundum rationem segnes, inertes, capite octauo,libro sexto de anat. adm.

Quoad numerum,sat fuit vnicum,quia magnum.

Quoad positionem, sedem dextrã occupat, nam totus lien est in parte sinistra;& hinc corpus genitum est æquilibre;vt conferat ad actionem totius corporis,& motus voluntarius melius obeatur.Iecur et secundum sedem vergentem ad anteriorem ventriculi regionẽ,confert vt melius fiat chylificatio, & hinc postea sanguificatio: vnde Dominus seruo,id est,iecur ventriculo præbet vtilitatem.cap.8.lib.4 vsu part. Adhæc per hunc situm infra cor & cerebrum,confert ad meliorem vitam:nam procul habitat a consultore, a cerebro, vt Plato in Timæo ait. D

Quoad connexum,cum sit vel sine medio,vel cum medio:quoad connexum sine medio,secundum partes simas,habet annexam cystim,ad tutelam;hac enim biliosum excrementum purgatur.c.5 l.de form. fœtus. Si autem sit connexus cum medio, & primum per venas,vt connectitur hepar ventriculo & intestinis; concurrit, sine quo non fieret distributio chyli in hepar: adhæc, vt citius & melius fiat sanguificatio: nam in venis est facultas sanguificandi,capite 12.lib.4.vsu partium.Præterea vt per venas connectitur cum mesenterio,hepar cibum allicit,vt melius fiat attractio,quæ fit per venas,in mesenterio tutam sedem habentes.l.6.de loc. affect. Per venas vt coniungitur cum liene,expurgatur hepar;quare ad tutelam,com. aph.21.sect.4.Postremo per ligamenta,vt connectitur hepar cum septo,& reliquis vicinis partibus,quamuis sit ponderosum,tamen non decidit;vnde confert ad tutelam.c.14.l.4.vs.part.

Tota iecoris compositio, est præcipuum organum perfectæ sanguificationis. Quare vt tempera- E tura carnis hepatis est præcipuum organum ratione initii sanguificationis:ita tota compositio, est præcipuum organum totius hepatis,caussa absolutissimæ sanguificationis.

Et tandem concurrit per operationem, vt sine qua non: nempe, vt iecur attrahit, vt retinet: Nam vt expellit,est ad tutelam:quia post perfectam sanguificationem, nisi fieret transmissio, iecur insigne detrimentum experiretur.

F I N I S.

HIER.

HIERONYMI CAPIVACCI

OPERVM

Sectio Secunda,

NIMIRVM

PATHOLOGICA:

AGENS

I. De Rebus præter naturam.
II. De Pulsibus.
III. De Vrinis.
IV. De Modo interrogandi ægros.

HIERONYMI CAPIVAC- B
CI TRACTATVS, DE RE-
BVS PRÆTER NATVRAM.

CAPVT I.

De Caussa morbifica.

Secundum naturam.

RES præter naturam plurimum a naturalibus differunt. Nam res secundum naturam emo- C
lumentum & iuuamentum adferunt corpori: ideoque iuuant, prout opera fiunt inculpa-
ta, quæ proficiscuntur ab actionib. secundum naturam, quæ actiones a sanitate ortum tra-
hunt: quam sanitatem efficiunt & conseruant caussæ salutares.

Præter naturam.

Oppositum accidit, dum res præter naturam sese habent: quoniam dum corpori oc-
currunt, nequaquam iuuant, sed manifeste lædunt: vnde opera efficiuntur vitiosa, quæ opera sunt effectus
actionum læsarum, quę a morbo prodeunt: morbus autem a caussa morbifica producitur. Tria igitur tan-
tum sunt præter naturam: Morbus, id quod hunc Præcedit, & quod Sequitur: illud Caussa morbifica,
istud Symptoma a medicis dicitur.

Definitio caussæ.

Primum de caussa agemus: quia hæc & morbum, & symptoma præcedit. Est autem caussa alicuius
effectus caussa, teste Galeno cap. 1. lib. de diff. sympt. & effectus est alicuius caussæ effectus: quæ caussa effe- D
ctui perfectionem aliquam tribuit. Consideratur autem effectus dupliciter: vel cum fit, vel cum est factus.
Antequam fiat effectus, non est: beneficio igitur caussæ fit, qui modo non erat. Non esse, est imperfectio
effectui: esse, perfectio; quam perfectionem a caussa obtinet effectus. Si cōsideretur effectus, vt est factus:
hic effectus duplicem adhuc perfectionem a caussa nancisci potest; quarum vna est suimet conseruatio;
altera, vt effectus sit vtilis.

Differentiæ caussarum.

Cum igitur triplex hæc perfectio tribuatur effectui a caussa: fit, vt non vnica, sed multiplex sit caus-
sa. Declaro. Quoad primam perfectionem: Si effectus non productus producitur: hic effectus potest es-
se substantia, vel Accidens. Si fuerit substantia, duplex ad eius generationem caussa est necessaria: efficiens
nimirum, & materialis e qua. Si vero effectus fuerit accidens, sufficit efficiens caussa: accidentia enim non
nisi per metaphoram admittunt materiam e qua. Quoad secundam perfectionem, quæ est conseruatio E
facti effectus: hic effectus similiter vel substantia est, vel Accidens. Si substantia sit conseruanda, necessa-
ria est caussa formalis, quæ rei dat esse. Si accidens sit conseruandum, præter formam opus est materia in
qua: substantia enim per se subsistit, accidentis autem est inesse. Quoad tertiam & vltimam perfectionem:
effectus vel naturalis est, vel præter naturam. Naturalis effectus vtilitatem adfert: præter naturam exi-
stens, noxius est. Gratia ergo huius vltimæ perfectionis, effectus requirit caussam finalem, quæ caussa a re
præter naturam excluditur, cum finis habeat rationem boni.

Caussæ morbificæ quot sint.

His ita constitutis, si consideremus morbum, vt est quidam effectus: non alias certe caussas habebit,
nisi efficientem, materialem in qua, & formalem. Materiam enim e qua non admittit, quia accidens est:
&, cum sit præter naturam, ab eodem quoque finis excluditur. Hinc in morborum definitionibus medi-
ci recte tribus tantum caussarum generibus vtuntur, de quibus & nos agemus. Loquemur autem heic sal- F
tem de caussa efficiente, de formali vero & materiali, de morbo tractaturi verba faciemus.

Morbi caussa efficiens.

Efficiens igitur caussa est, quæ primam perfectionem tribuit effectui, dum scilicet effectum produ-
cit, & hic ab ea incrementum suscipit. Quare in efficiente caussa duo sunt necessaria, primo, vt actu agat
caussa, deinde, vt exsistat. Hincque patet, caussarum differentias sumendas esse ab actione, & Esse, seu ex-
sistentia. Circa actionem caussæ efficientis duo cōsideranda: Modus actionis, & Respectus actionis. Quo-

Differentię a modo actionis.

ad modum actionis, caussa agit vel Propria vi, ac per se, vel Non propria vi. Agens vi propria, est Principa-
lis, vel Adiuuans. Non agens propria ratione, est caussa sine qua non, quæ scilicet nihil agere potest, nisi
cum caussa primaria, vi propria agente, coniungatur, verbi gratia, si pars afficiatur inflammatione, effe-
ctus est inflammatio, huius caussa principalis est sanguis fluens, caussa adiuuans, tenuitas sanguinis, dolor
partis, & caliditas loci qui inflammatur: caussa sine qua non, est viarum apertio. Hæ igitur caussarum sunt G
differentiæ, procedentes a vario modo actionis.

Differentiæ a respectu actionis.

Porro, dum in actione consideramus respectum inter caussam efficientem, & effectum, hic effectus
a caussa productus, vel Similis est caussæ, vel Dissimilis, vt, si caussa calida producit effectum calidum; simi-
litudo est, si frigidum; dissimilitudo. Hinc differentiæ oriuntur caussarum per Se, & per Accidens. Sic
aqua

A aqua frigida refrigerat per se: calorem vero introducit per accidens, partes densando. Ita rhabarbarum calefacit per se: dum autem bilem educit, refrigerat per accidens.

Differentiæ caussarum ab actione, sic habent: ab exsistentia desumtæ sequuntur. Τὸ εἶναι ergo caussarum est. Respectiuum, vel Absolutum. Respectiuum esse, dicitur relatio caussæ ad effectum qui producitur: & huius ratione caussa est vel Remota, vel Proxima seu coniuncta. Absolutum esse nuncupatur, cum caussa in proprio esse consideratur: & huius ratione caussa efficiens est Externa, vel Interna. Externa, quæ etiam primitiua & procatarctica vocatur, est, quæ forinsecus corpori occurrit. Quia vero heic de caussis agimus morbificis: notandum, res non naturales a medicis dictas, huius loci minime esse: vocantur enim res non naturales, dum nihil agunt: quod si vero agant, non sunt amplius res non naturales, sed statim fiunt vel res naturales, seu secundum naturam, si iuuant; vel præter naturam, si lædunt: hæ caussæ in- B salubres, illæ salubres nuncupantur. Porro caussæ externæ vel necessario occurrunt, adeo vt ferendæ sint necessario: vel non necessario occurrunt, quas declinare licet. Quælibet harum caussarum quatuor habet fontes: est enim ex adsumendis, adhibendis, vacuandis, vel faciendis. Declaro. Quoad caussas morbificas, vt prodeunt e rebus non naturalibus necessario occurrentibus; inter adsumenda numerantur cibus & potus: inter adhibenda simul & adsumenda, aer, qui & intrinsecus & extrinsecus occurrit: inter vacuanda, inanitio, cui opponitur repletio: facienda tandem vel sunt communia corpori & animo, vt somnus & vigilia: vel propria corporis, vt motus & quies: vel animi propria, vt animi accidentia. Quoad caussis non necessario occurrentes; inter adsumenda, reponuntur medicamenta quæ exhibentur: inter adhibenda, quæ foris applicantur: inter vacuanda immoderati fluxus: inter facienda, immoderati motus, cursus vel agitationes, quos motus, si volumus, vitare possumus.

Distinctio caussarum ratione exsistentiæ. Caussa Externa.

C Quoad caussam internam, in hac consideramus Originem & Fundamentum. Ratione originis, caussa est Natiua, vel Adscititia. Natiua, in corporis generatione locum habet, & oritur vel e semine, vel e sanguine menstruo. Adscititia post corporis ortum introducitur. Ratione fundamenti, caussa interna est Continens, vel Contentum. Continentis nomine intelligimus intemperiem alicuius partis, vt dum ventriculus est frigidior, hæc intemperies frigida est caussa efficiens, producens effectum morbosum. Contentum est vapor, vel Minera vaporis: vt vapor sanguinis pro sua minera habet sanguinem. Peccatum autem huius contenti morbifici multiplex est, pro ipsius natura & essentia. Cum enim hoc contentum sit corpus mistum naturale, productum ab agente morbifico, quatenus corpus est, peccatum est secundum quantitatem, vt est mistum, secundum formam organi: vt naturale, secundum motum, vt productum, vel semper, vel per interualla: vt nocens, vel intense, vel remisse.
D

Interna Caussa.

Capvt II.

De Morbo.

HÆc de caussa dicta sufficiant: sequitur vt de Effectu, id est, morbo ipso agamus. Est autem morbus, cum Galeno libro de differ. morbor. constitutio præter naturam, immediate lædens operationes naturales.

Morbus quid.

Dicimus morbum constitutionem præter naturam, quia sanitati opponitur: sanitas enim est, dum bene corpus est constitutum, hoc est, dum bonam obtinet temperiem, bonam compositionem & vnitatem. Cum igitur morbus sanitati opponatur, expedit, vt in genere conueniat cum sanitate, & proinde, E vt sit constitutio; sed, ad differentiam sanitatis, præter naturam. Quare morbus acceptus cum sua caussa contentiua, erit intemperies, mala compositio, & soluta vnitas. Heic vero tamquam axioma notetur, in morbis caussam contentiuam esse intemperiem, malam compositionem, & solutam vnitatem. Si morbus seorsum a caussa contentiua capiatur, nequaquam est constitutio, sed affectio, læsiove facultatis, dependens a caussa contentiua, id est, ab intemperie, a mala compositione, & soluta vnitate: vt vero est constitutio, est independens, atque in facto esse. Propterea iure morbus inter affectus, hoc est, inter res permanentes recensetur. Nec tamen quicunque affectus præter naturam est constitutio, quod plerique ignorantes innumeras nugas proponunt, dum claram Galeni auctoritatem contemnunt, decimo de vsu partium, vbi inquit Galenus, colorem vitiosum in oculo esse in caussa læsæ visionis: color vitiosus est affectus præter naturam, immediate lædens operationem, non tamen est morbus, quamuis a- F liqui satis inscienter hoc testari sint coacti. Dicere itaque licet constitutionem esse affectum præter naturam, at non econtra, neque enim color vitiosus est morbus, nam quamuis sit affectus præter naturam, non tamen est constitutio, quandoquidem hæc est vel intemperies, vel mala compositio, vel soluta vnitas.

Constitutio.

Omnis constitutio est affectus, non contra.

Cum autem dictum sit, morbum (vt est constitutio præter naturam) habere permanentiam, sciendum, duplicem esse permanentiam, alteram logicam, seu rationalem, seu mente contemplabilem, aliam ex vsu artis. Prima quidem est, qualis proponitur a Galeno, cap. 1. lib. 1. de locis affectis, dum ait, dari morbos adeo solutu faciles, vt quamprimum tollatur caussa efficiens, illico euanescant. Sit, gratia exempli, obstructio, hæc certe morbus est, quia est mala compositio, mala conformatio in meatu, hæc mala compositio, seu hæc constitutio præter naturam, & si sit in facto esse, & habeat permanentiam, est tamen hæc maxime G momentanea, vt dum remouetur materia, quæ est obstructionis caussa efficiens, illico delitescat obstructio, & propterea non est ex vsu, non indicat vtile, non remedium, vt nil sit agendum. Constitutio vero permanens, quæ ex vsu est, remota caussa efficiente adhuc permanet, ideoque indicat vtile, vt ratione illius vti liceat remediis. Sit enim introducta calida intemperies, hæc, remota caussa illius efficiente, adhuc indicat ex vsu refrigerans.

Affectus permanens.

Non ſufficit autem, vt morbus dicatur conſtitutio præter naturam, ſed neceſſarium eſt, vt vi huius A
conſtitutionis lædatur operatio. Libro enim de diff. morb. ca.12. proponens inflammationem Galenus, inquit tumorem hunc, auctam hanc magnitudinem, & proinde hanc conſtitutionem præter naturam, interdum eſſe morbum, ſi nimirum vi ipſius læditur functio, interdum ſymptoma, quotieſcunque vi huius non læditur functio.

Morbus eſt partis viuentis.

Ex his colligatur morbum neceſſario conſiſtere in parte viuente: non enim niſi a parte viuente proficiſcuntur actiones. Quot igitur ſint operationes, & a quibus prodeant, ſcire oportet: vt quomodo ſe habeat morbus, dum corpus affligit, intelligamus. Duplex primum eſt operatio, altera communis, quæ omnibus partib. competit, reliqua autem propria, quæ ita producitur ab vna parte vt non ab alia. Cum aũt actiones ſint producentium, ſeu ſuppoſitorum, vt determinatũ eſt apud Philoſophos: actio communis, veluti nutritio, primum quidem fit a ſuppoſito, quod profecto eſt pars ſimilaris, vt eſt caro, neruus, & hu- B
iuſmodi. Ad actionem propriam tria poſſunt concurrere ſuppoſita, ac præſertim dum membra admodum ſunt compoſita, quemadmodum manus, ad cuius propriam actionem primum ſuppoſitum, quod concurrit, eſt pars ſimilaris, vt caro; aliud diſſimilare, vt in eadem manu digitus; tertium vero eſt totum membrum, manus ſcilicet tota. Propria operatio, in membro maxime compoſito, poteſt quidem eſſe duplex; prima maxime propria, quæ toti organo tribuitur, vt manui apprehenſio: alia eſt operatio propria, non tamen, verbi gratia, totius manus, ſed partis illius diſſimilaris, nempe digiti, vti eſt flexio. Ad hanc operationem (ita referente Galeno lib. de conſt. art. cap.4 & lib. 2. meth. 6.) pars ſimilaris concurrit quidem primum, ſed imperfecte, pars autem diſſimilaris ſecundario, ſed perfecte, vt propterea morbus flexionem lædens, per ſe ſit morbus digitorum; ex accidenti, ſimilaris partis. Dum vero ea læditur operatio, quæ maxime propria eſt totius membri, vt videlicet manus apprehenſio, ad hanc celebrandum pri- C
mum concurrit caro, quę eſt pars ipſius ſimilaris, ſed imperfecte, digitus vero ſecundario, ſed adhuc etiam imperfecte, minus tamen, quam caro, totum vero membrum ſecundario quidem, ſed perfecte tunc gratia exempli, mala compoſitio, quæ lædit apprehenſionem, morbus eſt per ſe totius manus, ex accidenti partium. Nec minus venæ iecoris obſtructio, ratione cuius læditur ſanguificatio, (vt ait Galenus) per ſe eſt totius iecoris morbus, ex accidente venæ: ſanguificatio etenim a toto abſoluitur iecore, nequaquam a vena.

Differentię morborum eſſentiales.

Eſſentiales ac primariæ morborum differentiæ, quæ aliis rebus præter naturam competere non poſſunt, a forma morbi deſumuntur, hæc autem corporis eſt conſtitutio, quæ eſſe poteſt, vel Propria tantum partis ſimilaris, vel diſſimilaris, vel Communis vtriſque. Conſtitutio propria partium ſimilarium, vel procedit a diſproportione Corporum elementorum, vel Qualitatum ipſorum. A prima cõſtituitur mor- D
bus in proprietate nuncupatus, qui nequaquam poſt ortum corporis introducitur, ſed a principio generationis naſcitur; cum hæc diſpoſitio fiat a corporibus elementorum: a ſecunda vero, quæ emergit ex mala proportione quatuor primarum qualitatum inuicem agentium & patientium, producitur morbus in intemperie; qui leui negotio ſubdiuiditur: vincentibus enim magis actiuis qualitatibus, fit morbus calidus, vel frigidus: ſi ſuperent quæ ſunt minoris actiuitatis, oritur morbus humidus, vel ſiccus. Idem intelligendum eſt de compoſitis ex his.

Conſtitutio autem quæ propria eſt partis diſſimilaris, dum præter naturam redditur, fit morbus, qui a medicis dicitur mala compoſitio: quæ non aliunde procedit, quam ex vitioſa proportione ſimilarium, conſtituentium partem diſſimilarem: & ſimiliter ex mala proportione diſſimilarium, conformantium totum corpus. Ex hac collatione partium totum conſtituentium, duo emergunt: Situs, & Quan- E
titas. Si ergo deficit proportio in poſitione partium prædictarum, fit morbus in ſitu, qui plures ſortitur differentias, pro ſitus varietate: hic enim ſpectatur antrorſum, retrorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, ſurſum, deorſum. Quantitas porro Diſcreta eſt, vel Continua. In diſcreta fit morbus in numero: atque tunc vel aliquid ſuperadditur, & fit morbus in numero excedente: vel adimitur, & morbus oritur in numero deficiente. Continua quantitas duplex eſt: Indifferens, vel Determinata; vt colligitur e Galeno, libro de differentiis morborum. Indifferens eſt morbi quantitas continua, cum indifferenter occupat partes membri internas, vel externas: & tunc morbus fit in magnitudine, eaque vel aucta, ſi quantitas iuſta maior, vel Diminuta, ſi quantitas imminuitur. Determinata quantitas eſt, quæ occupat vel Externas tantum, vel internas tantum partes. Externarum partium peccatum eſt in Superficie, & Figura. In ſuperficie, Leuiore, vel Aſperiore. Figuræ autem multiplex eſt vitium, quia varie admodum figura mutari po- F
teſt. Internarum partium mala compoſitio ſeu vitium, eſt in Cauitatibus, aut Meatibus: & vel in Exceſſu, vel Defectu. In exceſſu eſt ampliatio, ſeu immodica apertio. In defectu eſt anguſtia, quæ, ſecundum Galenum lib. de different. morb. multiplex eſt, pro varia cauſſarum diuerſitate. Et alucinantur, qui circa anguſtiam non niſi obſtructionem perpendunt. Si enim a cauſſa comprimente efficiatur anguſtia, vocatur compreſſio: ſi a cauſſa conſtipante, dicitur conſtipatio: ſi a cauſſa quæ ſubſidere faciat, dicitur ſubſidentia: ſi a cauſſa coalitum faciente, coaleſcentia,: ſi ab obſtruente, obſtructio. Vitia porro meatuum in ſpecie conſiderantur, vel ſecundum Orificia, vbi exceſſus dicitur apertio, ſeu recluſio; defectus, anguſtia, vel ſecundum Tunicas, vbi exceſſus dicitur laxitas, ſiue raritas; defectus, denſitas.

Quod ſi tandem vitietur conſtitutio quæ communis eſt partibus ſimilaribus, & diſſimilaribus, ori- G
tur morbus in ſoluta vnitate. Et hic morbus varia ſortitur nomina, pro diſcrimine cauſſarum efficientium, & pro locorum diuerſitate. Si etenim ſoluta vnitas producitur ab acri materia, dicitur vlcus: ſi a cauſſa incidente, dicitur vulnus. Ratione locorum, vt dicit Galenus cap. 12. libr. de diff. morb. in oſſe nominatur fractura, in carnoſa parte, vlcus & vulnus. Notandum autem vnitatem partis ſolui dupliciter. Aut enim ſoluitur vnitas totius partis: & tunc ſoluta vnitas eſt per ſe morbus totius organi atque partis.

Vel

A Vel ſoluitur vnitas, non ſecundum totum, ſed ſecundum partem, & tunc ſoluta vnitas dicitur eſſe morbus totius, per accidens, & partis, primo.

Morborum differentiæ non principales.

Hactenus de differentiis morbi principalibus. Differentiæ non principales, quæ non morbo ſaltem, ſed etiam aliis rebus præter naturã poſſunt conuenire, ſumuntur ab his quæ accidunt morbo, & hæc accidunt vel Formæ morbi, vel Subiecto, vel Cauſſæ efficienti. Forma eſt conſtitutio præter naturam, quæ duo neceſſario requirit, primo, vt Actu exſiſtat; deinde vt ſit Præter naturam. Ratione formæ morbi quatenus actu exſiſtit, morbus eſt Simplex, vt dyſcraſia calida; vel Cõpoſitus, vt diſcraſia calida atq; humida. Cõpoſitus, vel eſt Complicatus, vbi plures in eadẽ parte reſident morbi; vel Non complicatus. Præter naturam exſiſtens cõſtitutio duo flagitat, primum vt ſit Violenta, deinde vt Lædat. Violenta id habet, quod non ſemper ſit, ſed modo oriatur, modo deſinat, ideoq; morbi differentiæ hinc ſurgunt, ab Ortu, & B Euẽtu. Quoad originem, morbus eſt Nouus, ſi morboſa conſtitutio de nouo fiat, vel Antiquus, ſi multo tempore antea ceperit. Ratione euentus, morb. eſt Salubris, qui facile corrigitur; vel Lethalis, qui vinci nequit. Vterq; autem vel Simpliciter talis eſt, vel ſecundum quid. Salubris etenim ſimpliciter eſt, qui deſinit in integram & certã ſalutem ægrotantis, ſecundum quid, qui licet ad ſalutem terminetur, non tñ ad certam integramq; deuenit, ſed periculum habet recidiuæ. Lethalis cõtra ſimpliciter eſt, qui neceſſario cum morte ægrotantis deſinit, ſecundum quid, qui, licet mortẽ non adferat, ſed deſinat, alium tñ incurabilem relinquit morbum. Hæc de conſtitutione præter naturã, quatenus eſt violenta. Porro, ſi eadẽ conſideretur, vt lædit, occurrit tum Vehementia, tum Reſiſtentia conſtitutionis lædentis. Vehementia eſt vis læſionis, ſeu vis actionis in lædendo, & heic perpenditur vel Actio ipſa, vel Tempus actionis. Gratia actionis morbus C eſt Vehemens, vel Debilis, prout prauæ conſtitutionis actio eſt vehemens, vel Lenis. Rurſus vterq; dicitur talis vel Simpliciter, vel Secundum quid. Simpliciter vehemens morbus explicatur a Galeno, ſed intricate, c.6.l.4.meth.c.12.l.7.meth.c.vlt.l.8.method.c.3.l.11. method. Cum autem ſimplex vehementia prodeat ab eſſentia morbi, ſicut triplex eſt morbi eſſentia, ita ẽt triplex eſt vehementia, generica, ſpecifica, & indiuidualis: v.g. generica, febris, ſpecifica, febris ardens, indiuidualis, eſſentia febris in ſene. Morbus vehemẽs ſecundum quid, eſt vehemens, non ſecundum propriam eſſentiam, ſed ratione loci; qui locus vel Principalis eſt, vel principalem in Conſenſum ducens. Hinc etiam ex oppoſitorum axiomate iudicandum, de morbo debili ſimpliciter, & ſecundum quid. Hæc de ipſa actione. Quoad tempus actionis, hoc interdum Breuiſſimum eſt ac momentaneum, interdum Non momentaneum, vnde morbus vel Logicus, qui, cauſſa ablata, illico & ipſe aufertur, vt obſtructio, vel ex vſu artis, qui poſt cauſſæ ablationem adhuc perſeuerat, D vt febris hectica. Ita eſt vehementia, ſequitur reſiſtentia, quæ eſt reactio conſtitutionis lædentis, quod enim lædit, lædendo agit repatitur. In reſiſtentia autem perpenditur Gradus & Modus reſiſtentiæ. Gradus eſt, cum morbus magis vel minus reſiſtit, vnde morbus eſt Boni vel Mali moris, prout vel cedit facile, vel maxime reſiſtit. Ratione modi reſiſtentia cõſideratur Simpliciter, vel Secundum quid: vnde morb. Principalis, qui reſiſtit propria ratione & ſimpliciter, vt febris, quę non fit ab inflammatione: vel Nõ principalis, qui non propria ratione, ſed ſecundum quid reſiſtit, ſequiturq; aliũ morbum, vel ab alio fouetur, vt febris, quæ fit ab inflammatione. Hæc de differentiis morborum communibus, a forma morbi deſumtis.

2. A morbi ſubiecto.

Quoad differentias a ſubiecto, conſideramus ſubiectum, vt eſt Sedes morbi, vel in Reſpectu ad morbum. Subiectum, quatenus morbi ſedes, vel eſt Totum corpus, vel Pars corporis. Si totum corpus, dicitur communis morbus, vt febris. Si autem ſedes affecta ſit pars, hæc vel Conſentit cum alia parte, vel Non cõſentit. Conſentire heic dicuntur partes, quæ eodem affectu laborare poſſunt: & talis morb. vocatur etiam E communis, ſed per indifferentiã, vt inflãmatio, nam pars inflammata cum alia parte in hoc cõſentit, quod ambæ inflammatione corripi queunt. Contra pars corporis cum alia non conſentire dicitur, quãdo morbus ita eſt vnius partis, vt nequeat eſſe alterius, & hic morb. nominetur appropriatus, veluti epilepſia, quæ vitium eſt capitis, non aliarum partium. Si porro conſideremus ſubiectum in reſpectu ad morbum, id facimus penes Modum, vel Proportionẽ. Penes modum: cum dicimus ſubiectum affici a morbo vel per Se, vel per Accidens: exempli gratia, ſi afficiatur particula aliqua, præbens tm̃ vſum alicui membro, ita vt vſus ſolummodo vitietur, inde aũt lædatur actio totius mẽbri, veluti cum obſtructio venarũ hepatis occurrit: per ſe tunc dicimus affectum eſſe totum iecur, ex accidẽti venas. Ratione proportionis, dicimus, morbum cum loco affecto vel Proportionatum eſſe, vel Non proportionatum: vt morbus calidus, in corpore aut membro calido proportionatus exſiſtit: contra in frigido, ita febris ardens in ſene eſt morbus diſpro- F portionatus, in iuuene proportionatus. Hæc de differentiis communibus a forma & ſubiecto.

3. A cauſſa efficiente.

Quoad cauſſam efficientem, cum cauſſa morbifica non poſſit eſſe, niſi actu agat, & ſit: conſideranda ſane venit cauſſa, vt Agit, & vt Eſt actu. Agit autem non in inſtanti, ſed in tempore, eoque Longo, vel Breui, vnde producitur morbus longus, vel breuis. Si conſideretur cauſſa ſecundum eſſe; notandum, cauſſam morbificã interdum ita eſſe cauſſam morbificam, vt ſimul ſit morbus; interdum ſaltem eſſe cauſſam, hoc eſt, cauſſam vel vnicum tantum, vel vnum poſt alium affectum introducere, vnde morbus dicitur Incipiens, veluti hectica ex ira; vel Non incipiens, vt hectica e putrida febre orta. Cauſſa porro quæ ſaltem cã eſt, & non morbus, vel Interna eſt, vel Externa. Interna ſiue ſit vapor, ſiue vaporis minera, perpendenda eſt penes Eſſentia, & Peccatum. Eſſentia eſt Simplex, vel Miſta: hinc morbus eſt legitimus ſeu exquiſitus, G a materia pura & ſimplici; vel ſpurius ſeu nothus, a materia alteri permiſta. Peccatum in materia conſiderandum eſt, quatenus hæc eſt Corpus, & Miſtum, & Naturale, & vt producitur ab agente morbifico, & vt Lædit. Ratione corporis, oritur peccatum ſecundum quantitatem, & hinc morbus dicitur magnus vel paruus. Prout materia eſt corpus miſtum, peccatum exſiſtit ratione putredinis: vnde morbus contagioſus, vel non contagioſus. Si perpendatur cauſſam morbifica interna vt naturalis, ad differentiã artificialis, eſt ſubiecta Motui & Quieti, Mouetur que vel Extra venas, vel In venis perſiſtit, vnde morbus dicitur vel

continuus, vel intermittens. Et, cum in motu seruatur ordo, morbus dicitur ordinatus, vel inordinatus. A Quod si sumamus materiam vt producitur ab agente: in hac productione consideratur Tempus, & Locus. Quoad tempus: producitur caussa vel Ante ortum patientis, vel Post ortum, vnde morbus natiuus seu hæreditarius, vel adscititius. Quantum ad locum gignitur materia vel in loco, vbi est morbus; & hic dicitur per essentiam, vel in loco vbi Non est morbus; & nominatur morbus per consensum. Exempli gratia, vertigo est morbus in via, & angustia, quæ fit a materia vaporosa, hic vapor si generetur in capite, recte vocatur vertigo per essentiam: si in ventriculo, per consensum. Notandum tamen est heic, aliam esse rationem syncopes, quæ dicitur fieri per consensum a ventriculo, hæc.n.non est morbus per consensum; quia syncope, i. illa actio læsa non producitur ob morbum, sed ob errorem externum, nimirum a cã morbifica citra morbum. Ad morbum vero per consensum requiritur, non saltem vt materia extra partem gignatur, sed etiam vt in illa parte sit morbus, quemadmodum in vertigine angustia est in cerebro. B Si denique accipiamus materiam vt lædit, potest hoc esse Cum impetu, vel Sine impetu. Cum impetu, vel Adiuncto periculo, vel Sine periculo. Dum igitur hæc materia nocet citra impetum, licet morbus sit breuis, non potest tamen esse acutus, sed inter non acutos numeratur. Si lædat vero cum impetu materia: hoc contingit vel Citra periculum, vt in febre tertiana intermittente exquisita; oritur morbus ad naturam acuti accedens, sed tamen periculo vacans: vel Cum periculo, vt in febre ardente; qui morbus est vere acutus. Verum quemadmodum dantur gradus in impetu, ita variæ acutorum surgunt differentiæ: quas diligenter Galenus pluribus in locis persequitur.

Hucusque de caussis internis. Quoad differentias a caussis externis, vel Similes sunt hæ caussæ, vel Dissimiles. Caussæ dissimiles heic intelliguntur, cum plures patientes ægrotant ob diuersas caussas, vnde morbi sporadici, & sporsi vocantur. Similes caussæ vocantur, cum plures ægri ob caussam quandam C communem ægrotant, & hic morbus statuitur communis. Hæ similes caussæ duplices sunt: vel enim Eundem seruant tenorem, cum determinato anni tempore, in statuta regione vigent, & hic morbus endemius seu patrius dicitur, vel Non seruant eundem tenorem, sed indifferenter agunt, & dicitur epidemius morbus. Porro epidemius vel affligit Sine periculo, & vel cum periculo, & dicitur pestilens epidemius, vt febris pestilens.

Capvt III.

De Symptomatibus.

Symptoma communiter sumitu.

Morborum explicatis differentiis, proximum est, vt Symptomatis naturam speciesque inquiramus. Vox igitur symptomatis duobus modis sumitur, e cap. 1. libri de diff. sympt. communiter scilicet, & D proprie. Communiter sumitur pro omni re præter naturam, siue sit caussa, siue morbus, siue quod morbum sequitur: Huc respiciens Galenus loco citato dicit, discrimen esse inter morbum, & symptoma: morbus enim necessario est independens & in facto esse: symptoma vero tale non est, nisi quando communiter sumitur: dum enim ita accipitur, interdum est morbus, & sic est in facto esse.

Proprie dictum symptoma.

Proprie acceptum symptoma distinguitur a caussa, & a morbo: & est res præter naturam quæ seorsim a natura constitutionis aliquid præter naturam sequitur. Licet vero morbus caussam sequatur, quam similiter & symptoma consequitur: differentia tamen est, symptoma enim non e natura constitutionis, vt intemperies, mala compositio, vel soluta vnitas, sed vt res præter naturam, seorsim a natura constitutionis, caussam sequitur.

Differentiæ symptomatum ratione ortus.

Quoniam vero symptoma, ceu consequens, necessario habet præcedens aliquid præter naturam: E constat e præcedentis differentiis, etiam consequentis differentias esse eliciendas. Quod præcedit symptoma, potest esse caussa, Morbus, & Symptoma: ideoq; hinc triplex symptoma oritur, nimirum symptoma caussæ, symptoma morbi, & symptoma symptomatis. Symptoma caussæ insinuauit Galenus. cap. 1. lib. 3. de caussis symptom. vbi ait: actio læsa, quæ symptoma est, fit dupliciter, vel ob errorem externum, vel læsa facultate, verbi gratia, si coctio ventriculi læditur ob errorem externum, quia homo plus iusto comedit: heic cibus copiosus habet rationem caussæ efficientis; quam consequitur symptoma, nimirum læsa χύλωσις. Morbi Symptoma est, quod sequitur morbum: exempli gratia, si læsa ventriculi coctio, sequatur læsam facultatem, seu morbum ventriculi, nimirum intemperiem frigidam. Symptoma symptomatis est, quod symptoma sequitur, verbi gratia, dum læditur chylificatio, producitur pituitosus chylus, qui est symptoma, quod non immediate morbum, sed aliud symptoma sequitur: chylus enim pituitosus, qui ex- F crementum est, immediate sequitur aliud symptoma, scilicet actionem læsam seu chylificationem læsam.

Symptoma primum, & secundum.

Hinc patet symptoma diuidi posse in Primum, & Secundum: primum enim est quod antecedit, secundum, quod sequitur primum: vt docet Galenus cap. 2. lib. de diffe. symptom. Primum symptoma rursus duplex est, vnum ratione operis; alterum ratione similitudinis. Ratione operis, primum symptoma est actio læsa, nam ad actionem læsam sequitur opus præter naturã; verbi gratia, ad concoctionem læsam, sequitur excrementum mutatum. Ratione similitudinis, primum symptoma est sensibile, seu obiectum sensuum externorũ. Sic ẽt secundũ symptoma duplex est: sequitur. n. primum symptoma, vel vt opus, vel vt simile, nimirum sensibile. Differentia autem est inter primum & secundum symptoma; quia primũ est permanens, ac independens, secundum vero dependet in fieri, v. g. color vitiosus est symptoma primũ, G quia sensibile, dependẽs, & independens, at sonitus est obiectum quidem sensuũ exteriorum, sed est symptoma secundum, quia est dependens in fieri. Insuper, secundum symptoma operis duplex est: pertinet. n. vel ad Contenta, vel ad Continentia. Si referatur ad cõtenta, est excrementum mutatum, quod est opus consequens primũ symptoma, nimirũ actionem læsam. Si pertineat ad continentia, est qualitas mutata, sed dependẽs, vt sonitus. Hinc colligitur, symptoma primum nihil aliud esse, quã vitiosum illum affectum, a cã

morbi-

A morbifica prodeuntẽ: & ſymptoma primum,operis rõne,nimirum actionẽ, læſam eſſe ſymptoma primũ
ſimpliciter, quia nullũ aliud ſymptoma cõſequitur,ſymptoma aũt rõne ſimilitudinis,eſſe primũ ſecundũ
quid,veluti color,qui eſt ſymptoma primum ſecundum quid,quia primum, vt ſenſibile,non tñ abſolute,
quia inter colorem,ſeu qualitatem mutatam,& morbum,ſunt media,& proinde priora ſymptomata.

Porro ſymptomatum genera,e parte viuente functioni deſtinata,ſunt deducenda. In parte viuente Sym
tria reperiuntur:Facultas,Contentum, & Continens. Hinc triplex oritur ſymptoma:actio læſa,ratione mat
facultatis,excrementum mutatum,ratione contenti,& qualitas mutata,ratione continentis. uiic
ne ſubie

Læſa actio ſumitur penes Eſſentiam,vel Peccatum. Penes eſſentiam,functio eſt animæ,vel Naturæ. cti.
Animæ vel eſt Cognitio,vel Motio.Cognitio eſt Principalis,vel non Principalis. Principalis triplex : læſa 1 Læſa a-
ſcilicet imaginatrix,& Memoratrix.Non principales ſunt quinq; actiones,vt ẽt quinq; ſenſus: Viſio læſa, ctio.
B Auditio,&c. Motionem voluntariam quod attinet,hæc nõ ſubdiuiditur,diuerſis tñ nominibus donatur,
pro partium quibus exercetur ratione,in ore quippe Locutio dicitur,in thorace Reſpiratio,in manu Ap-
prehenſio,&c. Naturæ actio reſpicit conſeruationem Speciei,vel indiuidui.Speciei conſeruatio eſt actio,
quæ dicitur ſui ſimilis generatio.Indiuidui conſeruatio eſt Immediata,vel Mediata.Immediata,eſt motus
cordis & arteriarũ,qui pulſus dicitur.Mediata eſt functio Principalis,vel Non.Principalis vel in eodẽ ſtatu
cõſeruat indiuiduũ,vt nutritio,vel auget,vt auctio.Actio non principalis,ſeu miniſtra,quadruplex eſt:ſci.
attractio,retẽtio,concoctio,expulſio:Et hæc varia ſortitur nomina,pro varietate partiũ a quib.obitur,in
ventriculo.n.dicitur chylificatio,in hepate ſanguificatio,&c.Hæc de differẽtiis actionũ quoad eſſentiam.

Peccatum actionis duplex eſt,aut enim actio Non fit,aut Male fit.Si non fit,eſt functio ablata. Male
C fit,aut Diminute,vocaturque imminuta functio,aut Deprauate,& functio deprauata dicitur. Et hæc de
primo ſymptomatum genere.

Quoad excrementa mutata,hæc ipſa quoq; conſiderantur penes Eſſentiam,vel Peccatum.Eſſentia 2. Excre-
a coctione procedit,quæ triplex eſt:Prima,Secunda, Tertia.Hanc triplex ſequitur excrementũ , ceu opus mentum
coctionis:eſt autem Determinatum,vel Indifferens.Determinatũ dicitur,quod ita eſt opus,verbi gratia, mutatum.
primæ concoctionis,vt non poſſit eſſe ſecundæ,vel tertię,ſic primę coctionis opus eſt pituita & chylus,ſe-
cundæ,ſanguis cum excremento birioſo,melancholico,ſero,&c tertiæ,multiplex eſt,neruus,caro,ſanies,
calculus. Opus indifferens ſeu commune eſt, quod indifferenter eſſe poteſt cuiuſque coctionis opus, vt
flatus & vapor. Hæc de eſſentia excrementi.

Cum vero excrementum ſit opus quoddam,ab actione ſeu concoctione genitum, ideoque corpus
D miſtum,naturale, (ad differentiam arte facti) & nocens homini,ſit,vt hinc differentiæ excrementi penes
peccatum ſint hauriendæ. Qua igitur excrementũ ſtatuitur eſſe corpus,peccat in quantitate,eaq; vel De-
ficiente,vel Exundante.Peccatum defectus,non eſt cuiuslibet excrementi,ſed tũ vtilis,v.g. iecore exſiſtẽ-
te frigidiore,generatur bilis in minori copia,quam par ſit,vbi peccatum ſeu defectus ſtatuitur ipſius bilis,
non facultatis expultricis.Peccatum exſuperantiæ,eſt excrementi inutilis. Si capiatur excrementũ vt mi-
ſtum,peccat vel ſecundum Formam,vel ſecundum Organum formæ. In forma eſt peccatum vel Simpli-
citer,vel Secundum quid. Simpliciter,vt ſi generatur calculus, qui merito appellatur excrementum toto
genere præter naturam. Secundum quid,dum vi putredinis excrementũ corrumpitur, ſed hoc eſt per ac-
cidens,ad differenti um peccati ipſius calculi. Si peccatum accipiatur ſecundum organum formæ,organũ
hoc põt eſſe duplex,Principale,& adiuuans.Peccatum eſt in excremento ſecundum organum principale,
dum noxia adeſt proprietas,aduerſaria proprietati corporis noſtri,vt excremẽtum gallicum , quod gene-
E ratur in lue Venerea , & excrementum peſtilens;ſed de proprietatibus loquemur in doctrina de venenis.
Organum non principale duplex eſt, prout pertinet ad qualitates vel Primas, vel Secundas. Quare ex-
crementum vel ſecundum primas, vel ſecundum ſecundas qualitates peccabit, vt dum vel humidius,
vel ſiccius,vel frigidius,vel calidius,vel mollius, vel durius euadit, idem de reliquis qualitatibus intelligas,
nec minus dum ſit ingrati ac iniucundi vel odoris, vel coloris, vel ſaporis. In excremento vt naturale eſt,
quatenus opponitur mixto artefacto , & ſubiicitur motui & quieti , conſideratur peccatum & ſecundum
Quietem,& ſecundum Motum. Secundum quietem peccatum contingit,dum id,quod deberet vel con-
ſueuiſſet , egredi , detinetur ; ſeu quod deberet fluere, quieſcit; vt feces,menſes, &c. contra, vitium eſt in
motu, vbi egreditur id, quod deberet detineri,& in hoc motu cum Gale.loc.cit. expedit duo expendere,
Tempus in quo fit motus, & ſpatium per quod excrementum mouetur.Quoad tempus peccatum eſt,dũ
F intempeſtiue egreditur,vnde hic fluxus ſymptomaticus dicitur. Peccatum eſt in ſpatio, quoties per locos
egreditur inſolitos, ſeu per ſpatium non conſuetum;ad quod reſpiciens Galenus dicebat,ſanguinem flu-
entem per os eſſe exiens E toto genere præter naturam,ratione materiæ,quæ per locum inſolitum effluit.
Si poſtremo capiatur excrementum vt lædit , peccatum eſſe poteſt in eo vel ſecundum eius Vim, ſcilicet
quia vehemens,aut debile ſit,vel ſecundum Modum exitus illius,dum videlicet egreditur , vel ſoluendo
continuum,vel non ſoluendo; & proinde vel cum dolore,vel cum ſtrepitu tantum.

Quod denique ſpectat ad qualitatem mutatam , hæc ſimiliter perpendi poteſt ſecundum Eſſen- 3. Qualitas
tiam,& Peccatum,quod illi contingit. Cum igitur , quod ad eius eſſentiam pertinet,ſit obiectum ſenſu- mutata.
um exteriorum, nimirum qualitas ſenſibilis , ſicut quinque ſunt ſenſus , quorum ipſa exſiſtit obiect um
G ita quinque etiam neceſſe eſt vt ſint huius mutatæ qualitatis ſpecies , ſeu genera ſubalterna, tangibilis ſci-
licet,viſibilis,audibilis, olfactilis,& guſtabilis.

Quoad peccatum , prout qualitas ſtatum naturalem mutat, ita contingit peccatum , verbi gratia , ſi
quis ſecundum naturam faciem habeat rubicundam,& poſtea palleſcat , erit peccatum in qualitate penes
colorem, & ſic de reliquis. Et hæc de ſymptomatibus.

F I N I S.

HIERONYMI CAPIVACCI TRACTATVS, DE PVLSIBVS. B

CAPVT I.

De vsu, summisque capitibus doctrinæ de pulsibus.

NON paruam demonstrandorum morborum vim obtinent Pulsus, & Vrina, vt dicit Galenus primo ad Glauc. 2. Duo enim voluit maxima indicia esse, ante omnia in morbis cognoscenda: Pulsus nimirum & Vrinas, illi siquidem cordis & arteriarum constitutionem indicant; hæ vero hepatis & venarum dispositionem denuntiant 4. aphor. 77. Quare vtilis & valde necessaria est de Pulsibus & Vrinis consideratio, sine qua neque morborum cognitio, neque prænotio, neque tandem curatio haberi potest. Circa quos tres actus cum medicus potissimum ac necessario versetur, ob id agemus de pulsibus & vrinis: & primum de Pulsibus, quia, si ad inuicem comparentur tractationes, hæ longe sane vtilior, difficilior, & obscurior erit de Pulsibus consideratio, quam de vrinis. Vtilior enim hæc est, cognitio, quia per pulsum functiones vitales, an fortes, an debiles sint, cognoscimus, libro de curandi rat. per sang. miss. capite sexto. Præterea variæ morborum differentiæ hinc cognoscuntur. Tandem non paruam futurorum e pulsu præsumimus indicationem: 4. de differ. pulſ. capite quincto. Est etiam pulsuum difficilior & obscurior cognitio: primo de præsag. ex pulſ. capite secundo, quia infinitæ numero sunt alterationes, quibus contingit pulsum variari. Secundo propter temporis spatium, quod exigitur in his mutationibus addiscendis. Tertio propter præclaram memoriam, quæ requiritur in his mutationibus obseruandis. Hinc factum est, vt Herophilus, qui primus arteriarum pulsum miranda arte tradere conatus est, fuerit a discipulis derelictus, propter maximam difficultatem, vt refert Plinius capite 37. libro 11. natura histor. Et hinc est ausus dicere Galenus, primo de differ. pulſ. capite secundo, de præcognitione ad Posthumum 1 2. 3. de crisſ. vlt. Hippocratem de pulsibus fere nihil sciuisse, seu digni dixisse, vel propter rei difficultatem, vel quia ignorauit. Nos tamen dicimus cũ eodem Galeno, primo de diff. pulſ. 2 Hippocratem pulsum non ignorasse: sed nihil digni dixisse, vt alii etiam antiqui: vt abunde probat Amatus Lusitanus centuria tertia, & Franciscus Vallesius in suis controuersiis. Ex his colligere poterimus, difficillimam & obscurissimam fore de pulsibus tractationem.

C D E

Sphygmologiæ [printed "Sphygmo- l.giæ"] vtilitas, & difficultas.

Sũma doctrinæ de pulsibus capita.

Hanc tamen nos, propter tyrones, reducemus compendiose ad quatuor capita, sectantes Galenum primo de dignosc. pulſ. capite primo, vbi tractationem de pulsibus in quatuor partes dissecat, videlicet in Physiologicam, Diagnosticam, Ætiologicam, & Prognosticam. Physiologica est, quæ de differentiis pulsuum; Diagnostica, quæ de cognitione differentiarum; Ætiologica, quæ de caussis; Prognostica, quæ de iudiciis & præsagiis ex pulsibus pertractat.

CAPVT II.

De pulsus essentia, & natura, in genere.

PRimam partem, nempe Physiologicam, aggredientes, quæ de differentiis tractat, primo agemus de essentia pulsuum, quia differentiæ magis propriæ pulsuum, ab essentialiter inhærentibus desumuntur. F
Hæc essentialiter inhærentia quia per definitionem habentur, ideo primo tractabimus de definitione.

Nomen pulsus.

Ceterum pulsus definitio (4. de diff. pul. cap. 2.) duplex est, vna nominalis, altera essentialis. Nominalis, seu notionalis est, quæ nomen explicat, & aliquid essentiæ declarat. Cum autem e primo de differentiis pulsuum primo, multipliciter capi possit pulsus apud Hippocratem, præcipue tamen pulsus idẽ est quod euidens & conspicuus arteriarum motus, vt digitum euidenter pulset, seu eleuet, quẽadmodum lib. quod animi mores corporis temperaturam sequantur c. 1. circa finẽ dicit Gal. forte accipiens a Praxagora.

Definitio pulsus.

Definitionem essentialem habet Galenus, quarto de differentiis pulſ. cap. 2. cum ait: *Pulsus est actio propria, primo cordis, secundario arteriarum, e diastole & systole composita, a vitali facultate procedens, vt caloris naturalis seruetur mediocritas, & spiritus animalis in cerebro generetur.* Quæ definitio merito constat omnibus quatuor caussis: nam naturalia, quæ in fieri sunt, cum pendeant ab omnibus caussis, per omnes caussas debent definiri. Ideo in hac definitione ponitur *actio propria*, seu *motus proprius cordis*, loco formæ, qui motus *compositus est ex diastole, & systole*, scilicet contractione, & distentione. Dicitur deinde, *primo cordis, secundario arteriarum*, loco caussæ materialis, seu instrumentalis. Additur, *a facultate vitali* G

vitali procedens,loco cauſſæ efficientis: quæ facultas efficiens,temperamentum cordis eſt. Dicitur poſtremo, *vt caloris naturalis ſeruetur mediocritas*, *& ſpiritus animalis generetur in cerebro*, loco cauſſæ finalis. Conſeruatur calor naturalis per pulſum: quia omnis flamma gaudet ventilatione, & attemperatione, quam facit aeris qualitas: immo flamma eget expurgatione a cineribus ne ſuffocetur, & obruatur: vnde motus pulſus,per diaſtolem, id eſt, dilatationem,attrahit aerem frigidum, ventilat calorem,ipſum auget, ac etiam ſpiritus vitales generat: Per ſyſtolem expellit fuligines, quæ eleuantur ab ipſo calore, agente in humiditates corporis,quæ poſſunt ſuffocare ipſum calorem, vt videmus in externis,ignem nempe ſuffocari a cineribus.

Circa definitionem hanc quatuor eſſent examinanda quæſita, pro completa declaratione ipſius: Primum eſt,quomodo moueatur cor,& arteriæ. Secundum,an hic motus fiat a calore dilatante,& ſpumificante ſanguinem;& an compreſſio fiat a grauitate arteriæ,an ab ipſa facultate animæ. Tertium eſt,an dilatato corde dilatentur arteriæ;an e contra. Quartum an facultas cordis ſit animalis,an naturalis. Pro quibus exacte intelligendis,recurratis ad ſecundum librum artis medicinalis,illiusue explanationes cuius loci hæc tractatio eſt propria, hic,quoniam compendioſam profitemur doctrinam,non examinabimus iſta ad longum,ſed tantum aliquid circa illa dicemus.

Quæſtiones, ad pulſus naturã plenius intelligẽdum vtiles.

I. Circa primum notandum eſt,quod motus triplex ſolet eſſe: quidam rectus,quidam circularis,& quidam reflexus,quaſi compoſitus ex his. Motus cordis non eſt rectus,nec omnino circularis,ſed reflexus: etenim cum fiat ab anima,quæ eſt infima intelligentiarum, hæc quærit aſſimilari aliis motoribus, & quærit moueri ſemper æterno motu circulari: at quoniam in materia operatur, non poteſt hoc ipſum conſequi: ob id fit quidam motus medius,qui aſſimilatur recto,quia finitur; & aſſimilatur circulari, quia continuo, & ſemper vno tempore fit,quaſi ab eodem in idem. Vnde non poteſt dici proprie circularis, ſed quaſi circularis,qui verius reflexus dicitur: de quo videatis Alexandrum Piccolomineum.

II. De ſecundo quæſito,videre oportet Galenum 4. de præſag.ex pulſ 12. vtrumq; nempe motum, hoc eſt dilatationis & conſtrictionis,a facultate fieri: quæ facultas eſt virtus naturæ,de genere vegetatiuæ ſimilis,diſſimiliter agens diuerſos effectus,ad vnum finem,hoc eſt,ad conſeruandum ſymmetriam caloris naturalis cordis. Ob id aſſerendum eſt,motum arteriarum non fieri a calore euaporante,& eleuante arterias, ſed à facultate eleuante. Sic neq; depreſſionem a grauitate arteriæ fieri,ſed ab eadem facultate vitali.

III. De tertio expedit videre Galenum,tertio de præſagiis ex pulſib.3. vbi ait, arterias habere facultatem pulſatilem a corde,quæ vna cum corde arterias diſtendit,& contrahit,contra Monachum,& Conciliatorem. Quæ facultas vna eſt, ab vnitate ſubſtantiæ cordis, & vtitur fibris rectis pro dilatatione,tranſuerſis pro conſtrictione. Hic tamen motus fit in arteriis, propter influens lumen temperamenti cordis: quod lumen eſt facultas immaterialis,quæ per tunicas arteriarum diffunditur. Hinc 7. de anatomicis adminiſtrationib.14. & 15. ait Gal. in multis animalibus,aperto thorace, hunc motum videri dilatationis, & conſtrictionis. Imo experientia aduerti poteſt,vnum & eundem eſſe motum cordis & arteriarum,ex Gale.6. de vſ.par.2. ſi videlicet manum dextram ponamus in regione cordis & ſiniſtra tangamus arteriam manus dextrę: tunc enim tangens eandem diſtentionem & contractionem in corde & in arteriis percipiet.

IV. De quarto ſciendum eſt,quod Gal.7 de vſ.p.9. de cordis & thoracis motu loquens, inquit, motum cordis a natura fieri,thoracis ab anima.i.a voluntate. Quoniam igitur motus hic ſine cognitione fit;ob id naturalis, & a facultate vegetatiua factus dicitur. Vegetatiua autem duplicem habet partem, vnã altioris ordinis,quæ pulſatilis,& ſpiritifica dicitur,quæ præparat ad vitam;aliam infimi ordinis,quę proprie naturalis vocatur,vt nutritiua,generatiua,& augmentatiua;vnde hæc virtus dilatando attrahit aerem frigidũ, & ſanguinem: conſtringendo,fumos expellit: Per medias quietes,quæ ſequuntur diaſtolem,retinet ſpiritificando: Per caloris feruorem,cõcoquit generando ſpiritus;quia generare ſpiritus,eſt ſpecies coctionis.

CAPVT III.

De abſolutis ac ſimplicibus pulſuum differentiis.

HAbita definitione: ex hac maxime propriæ erunt ſumendæ differentiæ, tanquam ab eſſentialiter inhærentibus. Ob id primo notandum,quod differentiæ omnes pulſuum vel ſint Abſolutę,vel Reſpectiuæ. Abſolutæ,quæ per ſe conſiderantur,ſine comparatione ad alias differentias,reſpectiuæ vero, comparando ad alias. Abſolutæ vel ſunt Simplices,vel Compoſitæ.

Differentiæ pulſuum.

Simplices differentiæ pulſuum deſumuntur a motu,in quo conſiſtit differentia pulſus, a motu, dico,non ſimpliciter conſiderato,ſed prout eſt actus mouentis & mobilis, ſiquidem natura motus non eſt ſimplex,ſed compoſita ex pluribus,componitur. n. eſſentialiter ex quinque, videlicet ex ſpatio, per quod mouens mouetur;deinde ex tempore quod conſumitur a motore in tranſitu ſpatii, tertio ex quiete, quæ eſt finis motus: quarto, ex motore, qui eſt auctor motus: quincto ex inſtrumento quo motus perficitur. Ergo cum quinque ſint eſſentialiter componentia motum,quinque erunt primæ & ſimplices differentiæ pulſuum. Nam ſpatio,ſeu quantitati diſtentionis arteriæ,reſpondet magnitudo & paruitas motus. Tempori conſumpto in actione, reſpondet motus qualitas,quæ eſt celeritas & tarditas. Quieti motus,ſeu quãtitati quietis temporis,reſpondet crebritas & raritas. Motori, vehementia & debilitas. Arteriæ qualitati, mollities & durities.

Simplices differentiæ quinque.

Idcirco qualis eſt menſura ſpatii pertranſiti,talis pullulat differentia,verbi gratia,ſi ſpatium,quod pertranſit arteria fuerit magnum & grande, ſecundum omnes dimenſiones,fiet pulſus magnus,ſi ſpatium in magnitudine fuerit paruũ,fiet pulſus paruus,ſi mediocre,fiet pulſus mediocris,ex 1. de diff. pulſuum 4.

1. A ſpatio.

Sic etiam ex tempore conſumpto a motore in tranſeundo ſpatio,pullulat differentia talis, qualis fuerit temporis menſura. Vt ſi motor parum temporis conſumat in motu,pulſus fiet celer,ſiue citus ſeu cita-

2. A tempore.

tus: ſi multum conſumat temporis,fiet tardus:ſi mediocre,fiet pulſus moderatus,primo de diff. pulſ. c. 7. A

3. A quiete.

Quoniam vero motus fit ex motu dilatationis, qui ſurſum eſt,& conſtrictionis, qui deorſum: ob id quies media intercidit, a qua ſurgit differentia. Nam vel arteria parum in quiete immoratur,& fit pulſus creber:vel arteria multum immoratur,& fit pulſus rarus;vel mediocriter quieſcit, & fit pulſus mediocris: ex primo de differentiis pulſuum 7.

4. A motore.

Præterea ex motore (qui eſt facultas vitalis) iuxta robur facultatis,vel debilitatem ipſius,ſumuntur differentiæ pulſus.Siquidem ſi virtus valida & robuſta fuerit,fiet pulſus vehemens: Si infirma,& languida fuerit,fiet pulſus languidus:ſi mediocris,moderatus fiet pulſus,primo de differentiis pulſuum cap. 6.

5. A mobili.

Tandem ex arteria, quæ eſt inſtrumentum mobile, iuxta conditionem & qualitatem ipſius, ſumuntur differentiæ. Nam aut dura eſt, & fit pulſus durus:aut mollis,& fit pulſus mollis: vel mediocris, & fit pulſus moderatus. B

Differentiæ pulſuum pro memoria in manu notandæ.

Has differentias poteritis in digitis quinque manus habere: vt vnicuique digito triplex inſit differentia,penes exceſſum,defectum,& moderatum;ſecundum tres iuncturas repertas in digito quolibet. In pollice collocentur differentiæ pulſus magni:hinc indice,differentiæ velocis,in medio,differentiæ crebri, in annulari,differentiæ vehementis,in auriculari,differentiæ mollis.

Differētiarū intenſio & remiſſio.

Hæ differentiæ etiam porro diuiduntur e Galeno de præſag. ex pulſib.ca.1.in poſitiuam,comparatiuam & ſuperlatiuam:vt magnus,maior,maximus:celer,celerior,celerrimus:creber,crebrior,creberrimus: vehemens,vehementior,vehementiſſimus:mollis,mollior,molliſſimus.

Non eſſe plures differentias pulſuum ſimplices.

Sed dicetis: videtur,quod plures ſint dandæ differentiæ pulſus ſimplices, quam quinque: ſiquidem Auicen.& alii Antiqui enumerant differentias multas ſimplices,deſumtas ex variis conditionibus arteriæ, nimirum a capacitate arteriæ,vel a modo ſubſtantiæ,vel ab arteriæ qualitate tangibili. A capacitate deſumuntur differētiæ,vt plenus,vacuus,& mediocris.A modo ſubſtantiæ,tenuis,craſſus,& mediocris.A qualitate grauis,leuis,& mediocris.Reſpondeo,harum differentiarum alias eſſe imperceptibiles,alias vero inutiles. Sunt imperceptibiles differentiæ a capacitate arteriæ deſumptæ, vt plenus,& vacuus,quia cognoſcere plenitudinem,& capacitatem, & vacuitatem arteriæ,eſt impoſſibile, ſiquidem arteria ſemper ſtat in motu,& motus impedit cognitionem,& quia cutis ſuperſtat groſſa ipſi arteriæ,vt impediat cognitionem, niſi plenum velimus vocare magnum,& vacuum paruum. Similiter iudicandum de tenui,& craſſo,graui, & leui pulſu: quos non dari,dicit Galenus,ſecundo & tertio,de differentiis pulſuum. De calido & frigido, dicimus,non eſſe differentias:nam non magis dici debet pulſus calidus & frigidus,quam albus & niger,quæ accidentia arteriæ ſunt. Quod ſi Galenus,primo de differentiis pulſuum cap,4.& Auicen.ponāt hanc differentiam,illam ad intentionem antiquorum proponunt,vel poſuerunt,vt declararent, quouſq; tactus aduertatur, non quod ſint differentiæ pulſuum per motum habitæ. Vbi vero dicit Galenus, primo ad Glauconem capite de tertiana, pulſus in tertiana eſſe magnos, celeres, & calidos,dico,calidos, eſſe tanquam adiectiuum, vel, poſitam eſſe illam particulam, non ad ſignificandum differentiam pulſus, ſed arteriæ qualitatem, quæ occurrit inter tangendum. Etenim in febribus:non ſolum a pulſu & vrina ſumuntur indicia,ſed etiam a caloris qualitate.10. met.4. Nec valet,ſicuti molle,& durum ſunt arteriæ accidentia,& conſtituunt differentias pulſuum,ita calidum,& frigidum non enim eſt par ratio,quia molle, & durum cognoſcuntur per motum;ideo ſunt differentiæ pulſus,quatenus concernunt motum,non ita calidum,& frigidum;quæ differentiæ poſſunt animaduerti ſine pulſu,ſiue ſine motu.

CAPVT IV.

De abſolutis, & compoſitis pulſuum differentiis. E

Compoſitorum pulſuum differentiæ.

COmpoſitorum e ſimplicibus pulſuum plures ſunt differentiæ, quidam ſunt Complicati, quidam Compoſiti. Licet vero omnes nomine pulſus compoſiti comprehendantur,differentia tamen eſt inter compoſitos, & complicatos,nam complicati ſunt, qui variantur & miſcentur non ex natura pulſus,

Cōplicati.

ſeu ex proprietate pulſus,ſed caſu,& accidentaliter,verbi gratia,ratione indiuidui, vt quando complicatur magnus cum moderato ſubceleri,cum moderato ſubcrebro,cum moderato ſubuehementi,cum moderato ſubmolli;& aliæ plures complicationes.

Cōpoſiti.

Compoſiti vero ſunt,quorum compoſitio naturalis eſt,& neceſſaria,& ineſt,vt pulſus eſt ex natura ſua,verbi gratia,quando componitur magnus, velox, celer,creber, & mollis, quia vnuſquiſque ſimplex eſt ſua vnitate. Quorum pulſuum compoſitiones & complicationes variæ poſſunt effingi,quæ cum confuſionem pariant;ob id dimittendæ. Si placet tamen videre Ioſephum Struthium poteſtis & Leonem Roganum. F

Verum vt aliquas magis faciles habeatis pulſuum compoſitiones,notandum,quod prima compoſitio poteſt eſſe omnium differentiarum exſiſtentium in ſummitate quinq; digitorum,ſecunda compoſitio moderatorum,tertia compoſitio infimorum in digitis,quarta ſit primus in pollice, cum quatuor mediis moderatis,quincta compoſitio primus in pollice, cum quatuor infimis, & ſic de ſingulis,connectendo, incipiendoque a differentia exſiſtente in ſummitate indicis, vt dictum eſt de illa exſiſtente in pollice, ſic de ceteris exſiſtentibus in ſummitate aliorum digitorum, medii, annularis,& auricularis,ex quibus differentiis multæ dantur,multæ non,verbi gratia,magnus cum duro non poteſt complicari, quia durities reſiſtit magnitudini.

CAPVT V. G

De differentiis pulſuum reſpectiuis, quoad Ordinem, Æqualitatem, & Proportionem.

Relati pulſus.

DIfferentias reſpectiuas eas dicimus, quæ ad aliquid reducuntur,& reſpectiue dicuntur, quia cum alio comparantur.Hæ differentiæ duplices ſunt, vel enim habent reſpectum ad Ordinem, vel ad Naturā.

A

De ordinatis & inordinatis pulsibus.

Ordinati.

RAtione ordinis, pulsus est Ordinatus, vel Inordinatus: caretque medio. Ordinatus est, qui ordinem obseruat certum, siue æqualitatis, siue inæqualitatis. Omnis enim æqualis pulsus semper est ordinatus. Quidam vero inæqualis pulsus ordinatus etiam esse potest; si nimirum obseruet inæqualitatem in omnibus, vel pluribus differentiis, quodam ordine: verbi gratia, si octo pulsationes sint vehementes, vna debilis, & rursus octo vehementes, vna debilis, sicque deinceps, dicetur pulsus ordinatus in vehementia: idemq; statuendũ de aliis differentiis, id est, de celeritate, crebritate, &c. Inordinatus est, qui non obseruat ordinẽ, sed semper est diuersus: vt si vnus pulsus sit vehemens, alter debilis, tertius quartusque vehemens.

Inordinati.

De æqualibus & inæqualibus pulsibus.

B

RAtione naturæ pulsus est Æqualis, vel Inæqualis, item Rhythmicus, vel Sine rhythmo, id est, vel continens proportionem, aut harmoniam, vel non continens; & carent etiam medio: quia sunt contradictorii.

Æqualitas tum absolute, tum certi alicuius generis.

Æqualis pulsus duplex est: Simpliciter, vel Secundum quid. Simpliciter ęqualis est, quando in omnibus differentiis obseruat æqualitatem: verbi gratia, in magnitudine, celeritate, crebritate, vehementia, & mollitie; adeo vt in nulla istarum differentiarum immutetur. Secundum quid vero æqualis est, quando secundum aliquas differentias immutatur, siue in duabus, siue in tribus: vt si dicatur æqualis in vna differẽtia, & inæqualis in aliis differentiis.

Æquales in vno, vel multiplici pulsu.

Vlterius hæc æqualitas vel est in vna pulsatione, vt omnes arteriæ partes æqualiter incedant in motu: vel est æqualitas in Multis pulsationibus, vt singulæ pulsationes sibi correspondeant in differentiis prędictis, id est, in magnitudine, celeritate, crebritate, vehementia, & mollitie.

C

Inæquales: tum absolute tum certi generis.

Sic inæqualitas pulsus duplex est: vel Simpliciter, vel Secundum quid. Simpliciter, quando in omnibus differentiis obseruat inæqualitatem. Secundum quid, quando in aliquibus.

Inæquales: tum vno pulsu, tum in multitudine.

Adhuc inæqualitas hæc (siue simpliciter, siue secundum quid) vel est Singularis, vel Collectitia, systematica, siue congestitia. Inæqualitas singularis est, quæ in vna pulsatione obseruatur, vt in vno arteriæ ictu varietur pulsus. Inæqualitas autem collectitia est, quæ reperitur in pluribus pulsationibus: adeo, vt per comparationem vnius ad alterum, aut plurium inter se, dicatur inæqualis. Nominatur autem συστηματικὴ, quod plurium pulsuum habeat differentias: sicuti musicorum systema varietatem acutarum & grauium vocum comprehendit.

D

Singulariter inæquales tum eadem arteriæ parte, tum diuersis partibus.

Singularis inæqualitas duplex rursus est: primo de differentiis pulsuum 13. vel in Vna parte arteriæ, id est, sub vno digito, vel sub Pluribus partibus arteriæ, id est, sub pluribus vel omnibus digitis.

1. Eadem parte nimirum.

Inæqualitas singularis in vna pulsatione, & in vna parte arteriæ, seu sub vno digito, est, quando tempus dilatationis & constrictionis arteriæ diuiditur in partes diuersæ celeritatis: etenim cum tempus non sit admodum breue, poterit partiri in partes sensu perceptibiles: vt vna pars prædicti motus sit celer, altera tarda, & e contra: quamuis idem motus continuus sit, non omnes tamen eius partes habent æqualem velocitatem.

Hæc inæqualitas habet sub se tres differentias: vnam, quæ dicitur pulsus Intermittẽs; secundam, quæ dicitur Impar citatus: tertiam, quæ dicitur Dicrotus, seu bis pulsans.

Intermittens.

Intermittens in vno pulsu est, quando motus distensionis arteriæ interrumpitur media quiete, antequam arteria ad externam quietem deueniat, & adeo interrumpitur, vt non maneat in interruptione, seu quiete, sed motum perficiat, donec ad externam naturalem quietem veniat. Et hic potest sub se plures habere differentias, & vtiles, & inutiles.

E

Impar citatus.

Impar citatus est, quando motus distensionis est continuus, & nulla quiete interruptus, & nihilominus vna distensio constat ex partibus tardis, & partibus celeribus: vt, si motus dilatationis lente incipiat, & celeriter desinat: vel contra velociter incipiat, & tarde desinat: vt sic contineat varietatem in vna dilatatione, & constrictione. Et hic pulsus habet etiam differentias inutiles.

Dicrotus.

Dicrotus, seu bis pulsans, est, quando arteria incipit moueri, & antequam finiat motum inceptũ, retrocedit, & inde iterum adsurgit ad perficiendum inceptum motum, vt duplex appareat pulsatio. Hic habet tres differentias. Prima, quando incipit moueri arteria, & inde contrahitur, vt faciat ictum, & tandem perficiat suum motum, & sentiatur alia pulsatio. Secunda, quando non facta perfecta dilatatione sentitur ictus, & perfecta dilatatione sentitur alius ictus. Tertia, quando post perfectam & completam dilatationẽ alium facit inopinatum ictum, vt in incude, & malleo solet apparere.

F

2. Diuersis partibus & vel.

Altera singularis inæqualitas in pluribus partibus arteriæ est, quando sub vnica distensione plures digiti immutantur, vel duo, vel tres, vel quatuor.

Et hi pulsus sunt in duplici differentia: quidam sunt inæquales motu Continuo, quidam sunt inæquales motu Interciso.

Motu continuo.

Inæquales motu continuo sunt, quando duo, vel tres, vel quatuor digiti patiuntur, dummodo sint contigui: verbi gratia, si sentiatur inæqualitas percussionis sub primo, & secundo digito, vel sub primo, secundo, & tertio, vel sub omnibus, vt arteria percutiat alterum digitum magis, alterum minus: veluti, si primum percutiat vt octo, secundum percutiat vt sex, tertium vt quatuor, quartum vt duo. Et hi sunt inæquales Æqualiter, vel Inæqualiter. Inæquales æqualiter, tactum mouent æquali modo: inæquales vero inæqualiter, inæquali modo: Verbi gratia, si motus, vt qui apparet sub vno digito, æqualiter distet a motu secundi digiti, & ipsa motu tertii, & ipsa motu quarti, æquali seruata distantia, vt octo, vt sex, vt quatuor, & vt duo: hi pulsus myuri vel decurtati singulares dicuntur. Vti, si pulsus incipiat a magno, seu vehementi, vel celeri, vel crebro, vel molli; & semper minoretur æqualiter,

G

vt deficiat magnitudo,& veniat ad paruitatem; vel deficiat vehementia, & veniat ad languiditatem; vel deficiat velocitas,& veniat ad tarditatem; vel deficiat crebritas,& veniat ad raritatem; vel deficiat mollities,& veniat ad duritiem. Et hic pulſus habet plures differentias: etenim vel ſentitur ſub primo,& ſecundo digito: vel ſub primo,ſecundo,& tertio: vel ſub omnibus quatuor:& fiunt diuerſæ differentiæ, quas per otium poteritis apud Doctores videre. A

Vel motu interrupto. Alii ſunt pulſus inæquales non motu continuo,ſed motu interciſo, ſeu interrupto, & habent quatuor differentias. Prima eſt,quando primus digitus & tertius motum ſentiunt: ſecundus & quartus non ſentiunt. Secunda differentia eſt,quando motus ſentitur ſub primo,tertio, & quarto digito: ſub ſecundo digito non ſentitur. Tertia differentia eſt,quando ſecundus & quartus motum ſentiũt: primus & tertius non ſentiunt. Quarta differentia eſt, quando primus & quartus ictum ſentiunt: ſecundus & tertius non ſentiunt. Alii addunt quinctam differentiam: quam non poſuit Galenus. B

De pulſibus inæqualibus ſyſtematicis.

Collectiue inęquales: tum 1. æqualiter. INæqualitas collectitia,ſyſtematica,ſeu congeſtitia,quę in pluribus pulſationibus aduertitur,duplex eſt vel eſt inæqualitas Æqualiter facta,vel inæqualitas Inæqualiter facta.

Pulſus ergo inæqualis æqualiter eſt,quando vna pulſatio eſt maior, ſecunda minor, tertia æqualiter minor,quarta æqualiter minima pari proportione: verbi gratia,vna vt octo,ſecunda vt ſex, tertia vt quatuor,quarta vt duo,adeo vt æqualitas in diſtantia reperiatur inter hos ictus;& hic pulſus dicitur decurtatus ſeu myurus collectiuus,cauda muris,ſeu cauda ſoricina. Myurus duplex eſt: vnus quando pulſationes non ceſſant diminui vſque ad defectionem:& dicitur myurus deficiens,ſeu cauda muris finitiua. Alius, cum ceſſant diminui ante defectionem,priuſquam videlicet arteria deſinat. Et hi vel perſeuerant in eadem paruitate,ad quam gradatim deciderunt;& carent nomine: vel non perſeuerant in eadem paruitate, in quam inciderunt,ſed de nouo augentur;& dicuntur myuri reciproci,ſeu cauda ſoricina alternatiua: vt ſi primus pulſus ſit magnus,& gradatim minoretur per plures alios pulſus,inde vero in eandem magnitudinem iterum attollatur,vel paullo minorem aut maiorem. Non ſolum autem hæ differentiæ in magnitudine conſiſtunt,ſed in aliis etiam differentiis,videlicet celeritate,crebritate,vehementia,& mollitie. C

2. Inæqualiter: ſcilicet. Syſtematicus pulſus inæqualis inæqualiter,eſt qui inter pulſationes plurimas nõ ſeruat æqualem diſtantiam,ſed inæqualem. Et hi ſunt multiplices. Alii enim ſeruant inæqualitatem in magnitudine & paruitate,alii in celeritate & tarditate,alii in crebritate & raritate,alii in vehementia & debilitate,alii in mollitie & duritie:& ex his alii carent nomine,& anonymi dicuntur; alii habent nomina,& ſunt quatuor, videlicet Intermittens in pluribus pulſationibus, Intercurrens, Deficiens,& Deficiens reciprocus. D

Intermittẽs pluribus ictibus. Intermittens in pluribus pulſationibus eſt pulſus inæqualis propter raritatem: quando nimirum inter plures pulſationes deeſt vna pulſatio, vel duæ, vel tres, ſecundum quod magis vel minus arteria in quiete immoratur,ita vt pulſus ceſſare videatur;& hinc per defectum illarum pulſationum adeo rarus efficiatur,vt intermittens appelletur.

Intercurrens. Intercurrens præcedenti oppoſitus, eſt inæqualis in crebritate: quando videlicet inter duas arteriæ pulſationes alia media præter naturam inopinata apparet pulſatio.

Deficiens. Deficiens eſt,quando arteria motu deſtituitur præ nimia paruitate, vt in myuris deficientibus dictum eſt.

Deficiens reciprocus. Deficiens reciprocus eſt,in quo iterum agitari & moueri arteria incipit. *Et hic pulſus deficiens* affinis eſt pulſui intermittenti: differt tamen ab eo,quia intermittens deficit per duas,tres, vel quatuor pulſationes,nonnunquam quinque: inde regreditur,& alias repetit. Deficiens vero longiore tempore ſine motu perſiſtit;(ſine motu,dico,ſecundum ſenſum,non ſecundum rem,) inde aſſurgit. Præterea intermittens eſt inæqualis in raritate,deficiens vero in paruitate. Aſſimilatur etiam deficiens myuro deficienti: quia ambo deſinunt in tantam paruitatem,vt deliteſcant: at myurus deuenit ad paruitatem per pulſationes æquales; deficiens vero deſcendit ad paruitatem per pulſationes inæquales. E

De inæqualibus compoſitis pulſibus.

Compoſiti inæquales. EX his differentiis pulſus inæqualis,componuntur aliæ differentiæ,quæ Compoſitæ inæquales dicuntur. Componuntur autem ſeu combinantur ex inæqualitate collectiua cum ſingulari: vel ex collectiua cum collectiua: vel ex ſingulari cum ſingulari. Et hæc compoſita inæqualitas duplex eſt: vel in Situ arteriæ, vel in Motu arteriæ. F

1. In ſitu arteriæ: vt contorti. In ſitu eſt, quando arteria pulſa ſentitur ſurſum,vel deorſum; antrorſum,vel retrorſum; dextrorſum,vel ſiniſtrorſum; adeo vt vniuerſum arteriæ corpus commoueatur. In aliis quidem inæqualitatibus vel ſurſum vel deorſum mouetur: in hac vero inæqualitate arteria,naturali ſede relicta,motu quodam erratico mouetur,& pulſat aliquando ſecundum vnam partem,aliquando ſecundum aliam. Hic pulſus Contortus dicitur:& eſt magnus cum duritie. At dicetis: non datur magnus & durus pulſus,quia durities reſiſtit magnitudini: quomodo hic magnus & durus erit? Dicatis, duritiem non eſſe circa omnes partes arteriæ, ſed aliquando circa vnam, aliquando circa aliam partem: ob id hæc durities particularis non repugnat magnitudini: ſed durities vniuerſalis,id eſt,ſecundum totam arteriam, repugnat magnitudini.

2. In motu arteriæ: quales ſunt. Alia eſt inæqualitas compoſita ſecundum motum;& hinc fiunt multæ differentiæ pulſuum, innominatæ: aliquæ vero ex his ſunt nominatæ,vt pulſus Vndoſus, Vermiculans, Formicans, Caprizans, Serrans, Spaſmoſus, Vibratus, Tremens, Hecticus,& Strepens. G

Vndoſus: Vndoſus & vermiculans ſunt pulſus, qui fiunt in diuerſis arteriæ partibus, & inæquales penes magnitudinem,paruitatem,celeritatem,& tarditatem. Vndoſi partes aliquæ magis eleuantur,quædam minus

A nus eleuantur,aliquæ tardius,aliquæ celerius mouentur,vndarum modo:ficuti enim vna vnda alterã excipit,durante eleuatione a principio:ita aliæ partes arteriæ fortius,aliæ debilius,aliæ velocius, aliæ tardius feruntur;& pulfus heic altior,ibi humilior fentitur.

Vermiculans. Vermiculans eodem modo fit,ficut vndofus:fed differentia eft,quia in vndofo arteria magis eleuatur in magnitudine,imo celeriores & plures habet eleuationes in magnitudine: vermiculans vero minores habet eleuationes in magnitudine,& tardiores;vt in verme annulofo deambulante cernimus, quando eleuatur & deprimitur.Et hinc facillime vndofus in vermiculantem pulfum tranfit : vermiculanfque in formicantem.

Formicans. Formicans pulfus eft prædictis fimillimus,cum conftet iifdem inæqualitatibus:differt tamen ab eis paruitate,cum conftet imbecilli quodam motu;ita vt ignari putent ægris pulfus deficere. B Dicitur autem formicans,a formicæ fimilitudine,ex motu paruo,& tardo,cum fit omniũ minimus,& tardiffimus: quãuis enim creberrimus appareat,non celer , vti etiam videtur formica crebros gradus facere; non tamen mouetur velociter.

Caprizans. Caprizans feu gazellans,eft pulfus inæqualis in vna pulfatione, & in vna parte arteriæ, & eft qui habet quietem mediam,vt fiat ex inæquali celeritate,& vehementia inftar caprarũ,feu gazellæ, quæ eft fpecies capræ: capræ enim gemino motu multoties exfiliunt: fefe enim modice retrahendo quiefcunt,inde fortiter & celeriter cum impetu mouentur:talifque motus eft in hoc pulfu.

Serratus. Serrans pulfus eft inæqualis in vna pulfatione,& in pluribus arteriæ partibus, motu quodam intercifo:& eft,quando arteria quofdam digitos ferit,quofdam non ferit,cum duritie. Inæqualitas autem hæc aliquando in duritie feu tenfione,& in mollitie apparet;aliquando vero apparet fecundum fitum arteriæ. C Ictus igitur duri cum fint,aliquando furfum,aliquando deorfum,aliquando a dextris,aliquando a finiftris fentiuntur,ad modum ferrantis:etenim ex dentibus ferrę funt quidam ad dextras, quidã ad finiftras partes inclinati:ob id cum fit motus furfum & deorfum a ferrante,neceffe eft,vt fiat tenfio, & motus tenhuus fentiatur modo in vna parte,modo in alia,id eft,modo furfum,modo deorfum,modo in dextris,modo in finiftris partibus.

Conuulfiuus. Spafmofus feu conuulfiuus pulfus, eft inæqualis ratione fitus arteriæ:immutatur enim variis modis: nam conftat ex quadam tenfione,& duritie,& apparet arteria remota a propria fede, ac fi effet tenfus, feu conuulfus,feu contractus neruus carpi:nec enim poteft arteria multum diftendi propter duritie.

Vibratus. Vibratus,feu arcuatus apud Arabes,eft quafi fpafmofus:& conftat ex eadem inæqualitate,nempe ex fitu arteriæ immutato:differt tamen a fpafmofo fecundum magis & minus: vibratus enim facit maiores D eminentias,& in altum attollitur verfus cutim,modo furfum,modo deorfum,ad modum fagittæ vibratę, quæ non recto motu mouetur,propter aeris refiftentiã,fed modo furfum,modo deorfum fertur: In conuulfiuo vero fiunt eædem eleuationes furfum. Tum vibratus habet hoc,quod fimul vna pars in altum irruit,eodem tempore,alia deorfum tendit,vt in vna celerius,in alia tardius,in vna vehementius, in alia debilius moueatur:vnde arcus figuram repræfentat,cum eleuatur ad cutim : conuulfiuus vero eminentiam quandam acuminatam feu rectam repręfentat.

Tremens. Tremens feu palpitans pulfus eft,qui inæqualis eft in pluribus pulfationibus,in magnitudine,vehementia,crebritate,& fit cum tremore,ficuti cum cor palpitat,& tremit:nõ tamen ita clarus & confpicuus eft tremor in arteria, vt in corde.

Hecticus. Hecticus pulfus eft inæqualis,& femper in vna inæqualitate perfiftit:nec enim mouetur inæqualiter E per nouas differentias,fed eas inæqualitates,quas affumit,eafdem femper obferuat; vnde aliquando paruus,celer,creber,debilis fit,& durus;vel oppofitus, in omnibus , vel in aliquibus differentiis;ita tamen vt femper fit inæqualis,& inæqualitatem eandem feruet.

Strepens. Strepens pulfus eft inæqualis cum fonitu,vel ftrepitu:conftat enim ex inæquali duritie & vehementia,& non femper æqualem fonitum edit.

De pulfibus rhythmicis , & fine rhythmo.

Proportionati pulfus. HActenus de pulfibus refpectiuis ordinatis,& inordinatis ; æqualibus , & inæqualibus:fequuntur pulfus rhythmici,& fine rhythmo:qui confiftunt in qualitatum motus diftenfionis & contractionis, proportione.Sunt autem qualitates motus,celeritas,tarditas,& inter vtramque mediocritas.Sicut enim pro- F portio eft inter dulce & amarum,inter calidum & frigidum:ita etiam dilatationis & conftrictionis eft proportio quæ rhythmus appellatur.Hic porro vel eft æqualis & par;vel inæqualis & impar. Proportio par, feu rhythmus par eft,quando dilatatio celer,conftrictio celer:vel quando dilatatio tarda, conftrictio tarda:vel quando dilatatio moderata,conftrictio moderata eft. Rhythmus impar,feu inæqualis,fex habet differentias:prima eft,quando dilatatio celer,conftrictio tarda:fecunda, quando dilatatio celer, conftrictio moderata eft:tertia,quando dilatatio tarda,conftrictio celer:quarta,quando dilatatio tarda, conftrictio moderata:quincta,quando dilatatio moderata eft,& conftrictio celer:fexta,quando dilatatio moderata,conftrictio tarda.

Eurythmi, & arythmi. Secundum alios datur etiam pulfus Eurythmus , proportionatus videlicet ætati , fexui , tempera- G mento:& Arythmus,id eft,non proportionatus:hicque triplex eft.Pararythmus,qui eft pulfus obferuans menfuram feu pondus ætatis propinquæ ; vt puer habens pulfum iuuenis : alius eft Heterorythmus,& eft quando pulfus obferuat menfuram feu pondus ætatis diftantis; vt pulfus pueri,qui obferuat menfuram pulfus lenis: tertius pulfus dicitur Ecrythmus, qui non feruat pondus feu menfuram vllius ætatis.

 A

CAPVT VI.

Quomodo ad dignoscendum pulsus tum Medicus, tum Aeger, comparare se debeat.

Diagnosis pulsuum difficilis.

ITa Sphygmologiæ pars φυσικωλέγ habet: sequitur Diagnostica, de cognoscendis pulsibus. Cognitio hæc difficilior est priore: secundum Galenum primo de dignosc. pulsf. primo; siquidem differentiæ pulsuum sensu habent opus vt aduertantur: sed cognoscere pulsuum naturam, & ponere differentiam, altior & difficilior est cognitio, videlicet rationalis. Non est tamen quod deterreamur ab hac tractatione: quia multa docentur a Galeno, & Doctoribus, ad facilem cognitionem differentiam facientia.

Ad pulsum igitur rite explorandum, requiritur apparatus quidam & medici, & ægri: tum vero etiam Axiomata quædam huc spectantia cognouisse expedit.

Medici apparatus.

Quoad Medici apparatum: primo requiritur, vt eius manus mollis sit, in cuius mollitie consistit sen- B sus exquisitus: ob id, qui callosam habent manum & asperam, carent exquisito sensu, & consequenter non poterunt exquisite cognoscere differentias.

Secunda conditio est, vt non statim medicus tangat ægrotantis pulsum: etenim multoties accessu medici perturbatur pulsus ægrotantis, iudicium medici exspectantis: ob id primo salutando de latere sedeat, ipsumque hilari vultu (dicit Celsus, l.3.c.6.) percontetur, & singula exquirat, quæ faciant ad morborum cognitionem: Primo quotus dies agatur ægrotationis; ac de more symptomatum præcedentium, & præsentium interroget; faciem ægrotantis inspiciendo, an plurimum distet a naturali statu, vt docet Hip. primo prænot.2. & temperiem eius intueatur.

Tertia conditio est, vt sit medicus exquisitus, & expertus in differentiis pulsuum; ipsumque pulsum C pluries tangat, non vnica vice: reponendo brachium in bono & decēti situ, vt non sit valde extensum, nec manus prona sit in volam, non contractum, nec sublatum, nec valde depressum, sed sit modice contractū ad thoracem, seu ad iugulum, & reclinatum in latere.

Quarta: tangat pulsum in superna arteria carpi, vel dextra, vel sinistra, quæ pars commodissima est pro tactu: est enim statim obuia manui, inuerecunda, & magis excarnis. Hac parte differentiæ pulsuū magis sentiri poterunt, præterquam in pueris, in quibus arteriæ in temporibus conspicuæ sunt, & maxime commodæ pro tactu. Dicetis: melius est tangere thoracem, seu regionem cordis in pectore, quam arteriam in carpo: quia cum pulsus a corde dimanet, per tactum propinquū certius iudicamus, quam per longinquum: maior etenim est distantia a brachio ad cor, quam a pectore ad cor? Respondeo: quod & si sit propinquior tactus, nihilominus motus cordis solet impediri a motu difformi thoracis, qui subest volun- D tati: imo motus cordis in pectore sentitur reflexus, in arteria vero carpi sentitur rectus, seu linearis, vt non perturbet tactum.

Quincta conditio est; vt tangat quatuor digitis, vt possit animaduertere plures differentias pulsus, & tangat vel comprimendo, vel palpando, seu manu suspensa, vel medio modo. In comprimendo quidem oportet tangere, premendo vehementer arteriam digitis, vt fieri solet in vehementissimis & durissimis pulsibus: tum etiam, vt per hanc compressionem possit cognosci quies interna pulsus. Palpando vero aliquando tangit medicus, id est, manu suspensa leuiter digitos admouendo, non tamen premendo: & hoc pacto solemus cognoscere languidos, seu paruos pulsus, quietemque externam, quæ subsequitur post distentionem, & pulsus longitudinem. Verum licet primo premere arteriam digitis, inde leuiter subleuare, donec tactus ad locum peruenerit, in quo arteria mouetur: & hoc, vt aduertatur debilitas per suffocatio- E nem: aliter apparebit pulsus debilis, cum non ita sit. Tandem medicus tangit manu media inter palpationem, & compressionem; aliter, vt non premat vsque ad profundum, & occultentur aliquæ partes arteriæ.

Ægri apparatus.

In ægro etiam quædam requiruntur, vt certum fiat medici iudicium. Primo, vt æger sit absque animi & corporis perturbatione, ex qua pulsus variari contingit: ob id tangat pulsus cum æger a perturbationibus conquieuerit.

Secundo ponat manum in thorace, necesse est, vt suprapposito quodam naturali medio, & aliquando ad libitum medici ipsam reponat resupinam, aliquando pronam in volam; & teneat digitos nec admodum flexos, nec admodum extensos, sed parum inclinatos secundum naturalem figuram: &, tangente medico, non moueat manum voluntario.

E pulsu tēperato reliqui omnes æstimandi.

Vt vero rectius possit artifex cognoscere omnes differentias pulsus, oportebit supponere quædam F axiomata & fundamenta, seu principia, quibus iactis, facillime possit manu duci in cognitionem ipsarum: vt secundo de dignos. pulsf. c.2. dicit Galenus. Primum axioma est: non posse medicum cognoscere differentias pulsuum, nisi in relatione ad naturalem pulsum: vt per accessum & recessum ab ipso possit metiri differentias alias: quia rectum est index sui & obliqui. Talis autem pulsus naturalis, est corporis temperati: qui est medius inter omnes extremos; cum medium temperatum dicatur, secundo aph.51. & omnis naturæ substantia in symetria consistat. Potissimum ergo pulsus temperatus erit semper medius. Dicunt tamen aliqui naturalem esse potius vehementem seu fortem pulsum; non debilem, nec mediocrem: quod in forti vigeat virtus; quæ quanto fortior, tanto temperatior. Quod si obiiciatur ex Auicenna, pulsum naturalem medium esse inter omnes differentias simplices; & medium esse illud, quod inter duo extrema sit, ideoque naturalem pulsum non esse vehementem, sed mediocrem: dicunt, id valere de medio mate- G riali, secundum situm, non de medio formali secundum virtutem. Aliis vero ex Galeno pulsus, vel est vehemens, vel vehementissimus: vehemens est temperatus, vehementissimus excellit temperatum: quia nō fit a sola facultate, sed ex aliis caussis; nempe cum arteriæ mollitie, & vehementi necessitate euentandi; quę non reperiuntur in corpore temperato.

Secundum axioma est: medicum non solum cognoscere per pulsum ictum arteriæ, vt dicebant antiqui,

A tiqui,ſed etiam cognoſcere diſtenſionem & eleuationem ipſius,id eſt,longitudinem,latitudinem,& profunditatem:& hoc patet experientia ad ſenſum,in corporibus macris,in quibus non ſolum ictus ſentitur, ſed etiam magnitudo & paruitas pulſus,quæ non poſſunt cognoſci, niſi cognoſcatur longitudo, latitudo & profunditas,& per conſequens diſtenſio pulſus.

Diaſtole etiam arteriarum ſenſibilis eſt.

Tertium axioma eſt:in pulſu non ſolum dilatationem,ſed etiam conſtrictionem reperiri & ſentiri, contra Empiricos;qui dicebant,non ſentiri contractionem,ſed ſolum ictum & diſtenſionem ſentiri.Hęc enim ſenſorium tactus mouent:contractio non mouet,quia fugit a noſtro tactu. At vero Galenus l.1.de dignoſ.pulſ.3.& 4.hoc probat exemplo corporum,quæ ſe mutuo tãgunt,idq; vel leuiter & ſuperficialiter, vel fortiter,vt durius exſiſtens premat & penetret alterum,& mollius prematur ac cedat. Si ergo corpora B ſe fortiter contingant;quomodo fieri poteſt,vt receſſus prementis fiat ſubito & inſenſibiliter; cum ſit tẽpus inter primũ receſſum & finem ſatis perceptibile? Abſque dubio igitur conſtrictio ſentiri poteſt.Quod ſi corpora ſe contingant in ſuperficie:vnum poteſt alteri ſuccedere,& ab eodem ſecedere, vt nõ ſentiatur. Sic vtrem,& veſicam plenam aere fortiter prementes receſſum aeris aduertimus; minime vero ſi leuiter attingamus.Similiter imaginemur,in arteria maxime ſentiri contractionem.Et hoc potiſſimum veritatẽ habet in pulſu vehemẽtiſſimo:ſecundo in duro:tertio in tardo:quarto in magno:vt Galenus ait,primo de dignoſcendis pulſ.c.6.In vehementi ergo ſentitur cõpreſſio,quia digitos vehementer premimus,& receſſum ſentimus;in tardo,propter tẽporis longitudinem,quæ intercidit;in duro,quia non ſtatim, ſed pedetentim,arteria recedit:in magno,ꝓpter maximã eleuationẽ,cum maxima fiat etiã depreſſio,debet ſentiri.

Vt & ſyſtole.

Quartum axioma eſt:non ſentiri poſſe a medico finem conſtrictionis,& principium diſtẽſionis, ſeu eleuationis:quia ſi leuiter tangamus pulſum,externam tantum quietem cognoſcemus: ſi fortiter C premamus,vniuerſum arteriæ motum occultabimus.

Syſtoles finis, & diaſtoles initium ſentiri a medico nõ poſſunt.

Quinctum axioma eſt,quod inter duos contrarios motus ſemper cadat quies media;cum motus nõ poſſint continuari:ergo duplex aderit quies,cum duplex ſit motus:vna,quæ dicitur quies interna: altera, quæ dicitur externa.Quies externa ſentitur,quando motus non amplius ſit,& ſentitur leui manus applicatione,id eſt,palpando:at quies interna non ſentitur,neque quies vera,quæ eſt poſt finem contractionis, neque quietes duæ non verę,quæ ſunt vltima pars cõtractionis,& prima pars eleuationis:omnes hæ quietes occultantur medico.

Quietes pulſus quã perceptibiles.

CAPVT VII.

De cognitione pulſus magni & parui.

D INter primas differentias,deſumtas a quantitate diſtenſionis motus,erat pulſus magnus, & paruus. At magnitudo,& paruitas duplex eſt:propria,& impropria. Propria eſt reſpectu magnæ diſtenſionis arteriæ:impropria eſt reſpectu corporis arteriæ magni:& cum hac magnitudine impropria ſtare poteſt pulſus paruitas,vt in ſenibus,in quibus pulſus apparent magni,& in ſe ſunt parui:cõtra paruus pulſus improprie dictus eſt in pueris,qui paruus apparens,in ſe eſt maximus.

Magnitudo & exilitas pulſus duplex.

De prima magnitudine hic ſermo eſt:proprie enim dicitur pulſus magnus,(ſemper facta collatione ad pulſum medium,& naturalem) quando magna fit diſtenſio in corpore arteriæ,& arteria magnum ſpatium pertranſit:adeo vt nulla laxitas in arteria remaneat, ſed tendantur omnes arteriæ partes,ſecundum longum,latum,& profundum.Paruus vero pulſus eſt,quando partes arteriæ aliquę laxæ permanent,vt vlterius diſtendi poſſint.

E Cognoſcitur ergo magnus pulſus manu comprimente:etenim propter magnam diſtenſionem repellit digitos,& arteria foueam facit.Manus autem ægri ſit prona,quia in hoc ſitu liberior fit motus, quia per rectum magis excurrit arteria.

Contrectatio qualis heic requiratur.

Paruum vero pulſum cognoſcemus,facta comparatione ad temperamentum proprium:quod temperamentum multoties habet pulſum paruum,qui in ſe tamen non eſt paruus.Cognoſcitur manu ſuſpẽſa,non comprimente:ne totum auferatur ſpatium,& motus arteriæ occultetur.

At quoniam pulſus magnus conſtat ex longo,lato,& profundo;quia magnitudo conſiſtit in latitudine,longitudine,& profunditate:ob id notandum,cum arteriæ corpus ſit magnum,longum,latũ, & ꝓfundum,& ſit corpus circulare rotundum;ideo poſſet triplicem figuram cauſſare:vnam circularem,ſecũdam angularem,ſeu acuminatam,tertiam depreſſam. Circularem figuram facit, quando arteria,cum ſit corpus teres,ſeu rotundum,pulſat,faciens circulum.Deinde facit acuminatam figuram ; amiſſa circulari F ſuperficie,vt ſolet apparere in principiis acceſſionum.Tertio facit depreſſam & planam figuram;ac ſi eſſet circulus parum compreſſus.Monſtrat autem Galenus figuras exemplo paruæ pilæ,in aquam iniectæ:quę aliquando adeo in aqua perſiſtit,vt parum ipſius pilæ videatur,& tunc non facit figuram circularem, ſed depreſſam:aliquando adeo in aqua conſiſtit, vt medietas eius appareat, & tunc videtur figuræ circularis. Dat etiam exemplum lunæ:quæ cum propinqua eſt plenilunio, facit figuram circularem:quando eſt prope coitum,videtur figuræ rectæ,vel depreſſæ.Sic quando arteria ſe eleuat in figura circulari ſecundum omnes partes,tunc ſentitur latitudo & profunditas:ſi vero ſecundum paruas partes, ſeu paucas ſe eleuauerit,faciet humilem & anguſtum pulſum.Si vero partes non eleuentur, ſed depreſſæ & humiles maneant, tunc ſentitur longitudo.Quare ad longitudinem dignoſcendum debemus vti manu ſuſpenſa:& obſeruare,an percutiat arteria ſub quatuor digitis,an vero longius excurrere videatur vltra quatuor digitos.Lati-G tudo vero & profunditas in figura ſphærica confunduntur:egent ob id media manus applicatione inter comprimentem,& palpantem:quia etiam ſenſus fallax poteſt eſſe,cum foret neceſſarium metiri ſpatium longitudinis & profunditatis,quod per tactum manus nõ poteſt obſeruari. Ob id latitudo & profunditas poterunt percipi aliqua ratione,vel exemplo.Apte igitur manus ægri reponatur:nam prona in volam exſiſtens longitudinem & latitudinem;ſupina vero melius altitudinem oſtendit.

Lõgitudo, latitudo, & profunditas pulſus magni.

CAPVT VIII.

De cognitione celeris & tardi pulsus.

Celeritatis ratio in pulsu vnde æstimanda.

CEleritas & tarditas simpliciter cognosci possunt, vel ratione & intellectu, secundum earum essentiam, vt faciunt Philosophi: vel cognoscuntur experientia, per sensum, vt Medici faciunt. Hinc duplex est cognitio: vna philosophica, quando cognoscimus celeritatem facta comparatione ad tempus, quod consumitur in motu alicuius spatii transeundi: adeo, vt celer dicatur, qui pauco tempore fit; tardus vero qui multo tempore fit: quia tempus est mensura motus 4. phys. com. 119. Alia est cognitio medica secundū sensum, & experientiam: quæ primæ repugnat, ex eo, quod si ratio celeritatis esset desumenda a tempore, tunc formica diceretur moueri celeriter, cum passus suos breui tempore emittat, & nihilominus tarde mouetur. Vnde tempus non solum sufficit ad cognitionem celeris & tardi, sed est etiam considerāda magnitudo spatii, per quod fit motus, conferendo id, cum tempore, quod tempus non requiritur de necessitate ad celerem & tardum motum, sed vt refertur ad spatium. B

Tota igitur ratio celeritatis in qualitate motus consistit: quando enim concitatus est motus, celer dicitur: quando non concitatus, tardus appellatur. Concitatus autem est, quando maiorem magnitudinē vel æqualem, pertransit mobile minori tempore. Quod si requiratur autem tempus, id fit a posteriori: vnde Galenus primo de differētiis pulsuum primo, & de pulsibus ad Tyrones, loquitur de celeritate ratione temporis, non secundum mentem propriam, sed antiquorum: vel comparādo tempus ad spatium: nam aliud est definire, aliud est docere modum cognitionis. Definitur per tempus: sed modus cognitionis absq; tempore percipi potest: vt si vnus equus vno die moueatur, & decem milliaria perficiat, alter vno die moueatur, & viginti milliaria perficiat: qui perficit minori vel æquali tempore maius spatium, ille celeriter mouetur; qui minus spatium, tardius: ob id equus, perficiens viginti milliaria vno die, dicitur moueri velociter; qui decem milliaria perficit, dicitur moueri tarde. C

Contrectatio.

Tangendus est pulsus celer manu comprimente: tardus vero manu suspensa, seu palpando.

CAPVT IX.

De cognitione pulsus crebri & rari.

Frequentia pulsus quo metienda.

CRebritas seu frequentia, & raritas, differentiæ quietis erant: desumuntur enim a quiete vel externa, vel interna. Externa autem quies est, antequam arteria incipiat comprimi: interna vero, quando quiescit pulsus in parte interna, adeo vt dilatari non cœperit. Vnde in quiete externa pulsus parum in motu quiescit: & tunc ille pulsus est creber, qui breui tempore quiescit: ille est rarus, qui multo tempore: mediocris dicetur, qui seruat mediocritatem inter extrema. Vnde datur duplex crebritas, & duplex raritas: vna interna, alia externa: secundum quod quies est. D

Modus contrectationis.

Cognoscitur hic pulsus non comprimendo, sed palpādo: eo, quia si comprimamus, auferetur a pulsu tota quies externa, vt videatur arteria semper quiescere. Interna vero quies non sic potest obseruari, vt externa, sed tantum per rationem, & intellectum: item illæ duæ quietes impropriæ & apparentes, videlicet vltima pars contractionis, & prima pars distensionis, impediunt veram & propriam quietem, & nihilominus tamen illæ duę quietes non sentiuntur. At vera quies aliqua ex parte cognosci potest tactu ab exercitato in tangendo; cognoscetur enim comprimendo digitos, & hoc maxime in pulsu vehementi.

CAPVT X.

De cognitione vehementis, seu fortis; languidi, seu debilis pulsus. E

Caussæ, loco signorū.

HÆ differentiæ a facultate, & vitali robore proficiscuntur: etenim facultas fortis & robusta vehementes pulsus facit: debilis vero & languida, languidos & debiles facit: mediocris, mediocrē producit pulsum.

Vehemens ergo est, qui vehementer tactum impellit, & digitos euertit. Languidus vero seu debilis est, qui facillime a tactu vincitur. Mediocris, qui inter hos medius est.

Tangendi ratio.

Tangitur autem pulsus vehemens manu comprimente: primo de dignosc. pulsſ. quinto: languidus vero eget manu suspensa, seu palpante: mediocris pulsus manu media eget. Et hoc pacto tangendo, si ictus & percussio sentitur sub primo digito, & ita sub secundo, & sub tertio, & validior sub quarto, vehementissimus est, & valde resistit pressioni digitorum. Languidus, quamuis sentiatur, non tamen resistit, & facillime vincitur. Et hoc plurimum confert medicis, in dando medicamento: vt si senserint pulsum quoquo modo validum, medicamentum dabunt: si languidum, non dabunt. F

Similium distinctio.

Vlterius in magno pulsu dignoscendo, aduertat medicus, ne confundat plures differentias, quæ habent similitudinem inter se: vt est pulsus vehemens, magnus, celerrimus, altus, vibratus, conuulsiuus, & durus: quia hi omnes quasi eandem effigiem repręsentant 4. de dignos. pulsſ. c. 1. Quas differentias medicus distinguere poterit ex eo, quia vehemens tactum euertit, manui prementi valde resistit: at alii euertunt manum suspensam, & leui facta applicatione: etenim si eos vehementer presseris, tactui non resistunt; si aliter tetigeris, impellunt, & tendunt: at si premamus digitos, cedunt: vehemens solus resistit.

CAPVT XI.

De pulsus mollitie & duri cognitione.

Signa duritiei & mollitiei.

DIfferentiæ mollis & duri pulsus sumebantur a qualitate arteriarum; quatenus qualitas illa pendet a motu. Hæc autem dupliciter cognosci potest: vno modo ex humiditate arteriæ, vel carnis superiacentis: cum enim hæ molles sint, mollem pulsum repræsentant: Sic ex siccitate eiusdem arteriæ, vel carnis, duri cognoscuntur, ex eo, quia passionem tactui inter mouendum imprimunt diuersam ab aliis pulsibus: nam pulsus mollis, mollius, durus, pressius seu durius tactum ferit: Sed dicetis: durus pulsus pressius tactum G

cum

A cum feriat, vti & vehemens: ergo iidem erunt pulsus: cum vehemens etiam tactũ pressius feriat? Respondeo, differentiam esse inter vehementem, & durum: quia vehemens tactum euertit, impellendo; durus vero, præter id, quod tactum euertit contundendo, tantum euertit pulpas digitorum: etenim omnia dura carnem premunt, & contundunt: at vehementia tantum impellunt: vt venti maximi impetu suo impellũt corpora grauia, lapides vero & quæ dura sunt, euertunt, & contundunt. Et sic sæpe nos fallit durities arteriæ in pleuritide, præseferens vehementiam: & nos, putantes pulsum durũ esse vehementem, sanguinem mittimus, & miseros ægrotantes interficimus: quia durus multoties paruus erit, & sua duritie præseferet vehementiam.

Cognoscitur mollis pulsus leui manus applicatione, vel media, quia facillime cedit tactui. Durus vero B cognoscitur manu comprimente: quia sua duritie resistit. Contrectãdi modus.

Calidi vero & frigidi, pleni & vacui, leuis & grauis pulsus differentiæ, cum non sint veræ differentiæ, non possunt cognosci ex cognitione simplicium differentiarum.

Vos etiam poteritis cognoscere differentias compositas, cognitis simplicibus differentiis.

Capvt XII.

De cognitione differentiarum pulsus respectiuarum.

I. Ordinati & inordinati pulsus cognitio.

Differentiæ respectiuæ erant, ordinatus & inordinatus: æqualis & inæqualis, cum rhythmo & sine rhythmo. Ordinatus ergo cognoscitur sola tactus attentione: immorando ad plures pulsationes, videlicet ad centesimam; vel ad minorem, videlicet ad quadragesimam. Quod si eo tempore inter dictas pul-
C sationes vna vel plures aduertatur a reliquis differentes, nullo ordine seruato: pulsus inordinatus dicetur. Quod si aliquis ordo seruetur: ordinatus dicetur. V.g. si in singulis octo pulsationibus vehementibus nona exsistat debilis, & sic procedat, ordinatus: si minus, inordinatus dicetur.

II. Æqualis & inæqualis.

Æqualis facillime cognosci potest, vt ordinatus: quia omnis æqualis ordinatus est: eget ergo longa manus impositione, vt ad centesimam vsque pulsationem obseruetur. Quod si aliqua pulsatio obseruetur pulsus inæqualis dicetur. Et eo magis inæqualitas cognosci potest: cum rectũ iudex sit sui, & obliqui.

At cum inæqualitas duplex sit, singularis in vna pulsatione, & collectiua in pluribus: singularis adhuc duplex, in vna parte arteriæ, & in pluribus partibus arteriæ: hæc difficillimæ, vel impossibilis est cognitionis. I. Si enim leui manus applicatione tangamus; solum ictus, & externa quies sentientur, non inæqualitas: si manu comprimente tangamus; tunc non poterit obseruari postrema motus pars: si medio modo
D tangamus; aliquas differentias cognoscemus, aliquas vero non: aliquas dico cognoscemus, vt tertio de dignosc. pul. cap. 2. & 3. in maximis & vehementibus pulsibus etiam manu comprimente quædam inæqualitates possunt cognosci: at in paruis & debilibus pulsibus, vt sunt formicantes, impossibile est, vel admodum difficile, cognoscere differentias has in vna parte arteriȩ: quia pulsus mouetur in paruo spatio, in quo non potest obseruari principium status: ob id non potest obseruari inæqualitas.

Sed, vt melius cognoscamus inæqualitatẽ in vna parte arteriæ in pulsibus maximis & vehementibus varia manus applicatione debemus vti: aliquando comprimente, aliquando suspensa, aliquando media: sic etiam aliquando omnibus digitis tangere debemus, aliquando tribus, aliquando duobus, aliquando vno: quia vt plurimum sub vnico digito sentitur inæqualitas. Vnde si debilis fuerit pulsus, non poterit sentiri sub quatuor digitis, sed sub vno, vel duobus: si vero fortior fuerit pulsus sub tribus vel quatuor di-
E gitis. Ob id in omni pulsu semper tenemur tangere quatuor digitis, inde aliquos auferre, secundum necessitatem, vt manus ægri sit prona, aut supina; quia in hac figura arteria erit liberior admotum. Et sic cognoscemus inæqualitatem singularem in pluribus partibus arteriæ, id est, sub pluribus digitis: manu ægri prona in volam exsistente, & leui manus applicatione, seu leui compressione, & pluribus digitis tangendo.

II. Inæqualitas collectiua facillime cognosci potest, sola tactus attentione, propter spatium temporis, quod interiacet inter plures pulsationes: vt clare patet in pulsu intermittente; qui est, quando inter duas pulsationes venit tertia inopinata, quæ non exspectabatur: vbi sentitur pulsus inæqualitas, & sic de aliis.

Sed aduertendum, quod hæc inæqualitas collectiua non ita facile potest in omnibus pulsationibus
F cognosci, sed tantum in magna & vehementi: ob id myuri pulsus, myuri deficientes, myuri reciproci, & intermittentes pulsus a medico diligenti cognoscuntur: sic a pari vndosum cognoscimus, quando in primo digito maior sentitur pulsatio, in secundo minor, in tertio maior, in quarto minor.

III. cum & sine rhythmo.

Quomodo pulsus cum rhythmo & sine rhythmo cognoscatur: non est vt loquamur ad mentem antiquorum de ipsis pulsibus: abunde enim loquitur Galenus in lib. aduersus Archigenem capit. 4. Galenus enim longe lateque docet cognoscere pulsus hos, ex proportione, nempe dilatationis ad constrictionem, non ex proportione temporis ad tempus, vt antiqui. Desumitur ergo cognitio horum pulsuum a qualitate motus, id est, a proportione celeritatis & tarditatis, quæ est inter diastolem & systolem. Etenim ad celeritatis cognitionem non opus est integram dilatationem & compressionem arteriæ exspectare: sed primo arteriæ impetu seu motu apparet celeritas totius dilatationis & constrictionis: adeo, vt si æqualis celeritatis vel tarditatis fuerit distensio arteriæ cum compressione, dicetur pulsus cũ rhythmo, id est, pro-
G portionatus: si vero inæqualis fuerit dilatatio a compressione, vel celeritate, vel tarditate, pulsus rhythmicus inæqualis dicetur, vel sine rhytmo. Et hæc de cognitione pulsuum.

Capvt XIII.

De caussis pulsuum primariis, in genere.

Caussarum pulsus diuisio.

Tertia tractatio, quæ Ætiologica dicebatur erat de caussis pulsuum. Sunt autem caussæ pulsuum in du-

plici differentia:quædam enim dicuntur Veræ caussæ,quædam autem dicuntur Concaussæ;quæ commo- A
ditatem præstant,& sunt quinque,vt infra dicemus. Porro caussæ veræ adhuc sunt in duplici differentia:
quædam sunt caussæ Primariæ, quæ continentes,seu coniunctæ,seu synecticæ apud græcos dicuntur,quæ
pulsum generant,& simul alterant:quædam vero sunt caussæ Secūdariæ, procatarcticę seu externæ dictæ,
quæ non generant pulsum,sed tantum alterant.

Primariæ caussæ. Caussæ primariæ,generantes simul & alterantes, sunt triplices. Facultas vitalis, quæ temperamen-
tum dicitur: Instrumentum, id est, arteria: & Vsus, cuius gratia fit pulsus: qui vsus triplex est,primus pro
refrigerando calore: secundus pro expellendis cineribus calidis,in corpore genitis; tertius pro generan-
dis spiritibus.Vnde facultas & instrumentum sunt propter vsum: quia semper facultas & instrumentum
nituntur vsui satisfacere. B

Secundariæ. Caussæ secundariæ,quę tantum alterant pulsum,& non generant,sunt triplices:Naturales,Non na-
turales,& Præternaturam. Caussæ naturales sunt tres Ætas,Sexus, & Temperamentum. Non naturales
sunt sex,Aer,Cibus & potus;Inanitio,& repletio,Motus & quies:Somnus & vigilia, & Animi accidentia.
Caussæ præter naturam sunt tres:Caussa morbi,Morbus,& Symptoma.

Discrimen. Hinc apparet differentia inter caussas primarias generantes, & secundarias tantum alterantes. Pri-
ma est,quia primariæ caussæ generant pulsum,& insimul alterant: secundariæ vero tantū alterant,& non
generant.Secunda est differentia,quia secundariæ caussæ alterant mediate,id est,inquantum alterant pri-
mo caussas primarias:at primariæ pulsum alterant immediate,id est,non mediante alia caussa.

Primariarū caussarum subdiuisio. Cum autē tres sint caussæ primariæ,immediate alterātes,& generātes pulsum:de his ergo tractabimus:
supponentes primo omnem caussam primariam tripliciter diuidi. Virtus enim seu facultus,quæ est caussa C
primaria pulsus,vel est vehemens,vel moderata,vel debilis:Sic instrumentum, quod etiam caussa est pul-
sus,vel est molle,vel mediocre,vel durum:Vsus,qui etiam & ipse est caussa primaria,vel est auctus, vel me-
diocris,vel diminutus.

Pulsus essētiales,& cōsequentes. Secundo supponendum, quod omnibus his caussis primariis, vis & conditio sit, vt faciant duplices
pulsus:vel Proprios,peculiares,essentiales,seu conuertibiles:vel Non proprios,sed familiares.Verum non
omnes caussæ primariæ habent pulsus proprios,& familiares:sed aliquæ,vt est facultas, & instrumentum,
habent proprios,& familiares:at vsus,quia varius est & indeterminatus, non habet proprios pulsus, seu
conuertibiles,sed tantum familiares, seu consequentes. Sunt autem proprii & essentiales pulsus, qui ab
vna dictarum caussarum propriarum proficiscuntur.Familiares vero sunt,qui a pluribus caussis primariis D
possunt dependere,vel a duabus,vel ab omnibus tribus.

Facultatis pulsus. Vnde pulsus essentialis est conuertibilis cum sua caussa essentiali. Et hinc facultas valida habet pul-
sum proprium &conuertibilem,qui dicetur pulsus validus seu vehemens:adeo,vt possit dici ad cōuerten-
tiam;facultas vehemens,ergo pulsus vehemens;pulsus vehemens, ergo facultas vehemens: sic, facultas
languida,ergo pulsus languidus;& e contra; sic facultas moderata habet pulsum moderatum, & e contra.
Habet etiam facultas non solum pulsus proprios,sed familiares etiam seu consequentes; vt est pulsus ma-
gnus,celer,& rarus,qui sequuntur vehementem pulsum.Eadem ratione facultas languida habebit pulsus
suos familiares:videlicet paruum,tardum,& crebrum seu frequētem. Ita & moderata facultas moderatos
pulsus habebit.

Instrumenti pulsus. Sic dicendum de instrumento,id est,arteria,quæ habet suos pulsus essentiales. Vt molle instrumen- E
tum habet mollem pulsum;durum instrumentum,durum pulsum;mediocre instrumentum,mediocrem
pulsum:vt dici possint ad conuertentiam.Habet autem non solum essentiales pulsus,sed etiam familiares
itaque instrumentum molle habebit magnum,celerem,&rarum:Instrumentum durum,habebit familia-
res,paruum,tardum,& crebrum.Ita instrumentum moderatum,moderatos habebit.

Vsus seu vtilitas pulsationis quos pulsus habeat familiares. Vsus tamen,quoniam indeterminatus ac varius est & multiplex;habebit varios pulsus,familiares ta-
men,non proprios;nisi vsus complicetur cum facultate, vel instrumento:ex se vero non habet proprios,
sed habebit aliquos familiares magis, quibus commodius satisfacere possit vsui,seu refrigerio caloris. E-
get ergo calor cordis refrigerio;quia auctus est:at potest augeri,vel secundū naturam,vel præter naturam:
vterque calor facit vsum auctum:vt,si abundet secundum naturam,egeat magna dilatatione, non tamen
magna constrictione:si autem abundet calor præter naturam,egeat magna dilatatione,& magna constri- F
ctione,pro refrigeratione aucti caloris, & pro excernendis cineribus suffocantibus calorem: & tunc pul-
sus,qui solet satisfacere vsui aucto,erit magnus:&, si vsus erit magis auctus,erit magnus,celer & creber,vt
intensius per hos pulsus possit calor auctus refrigerari:id enim quod non potest magnitudine refrigerari
sola,supplet celeritas;& quod non potest celeritas,supplet crebritas;vt minori quiete moretur arteria. At
si calor præter naturam auctus fuerit,& sit putridus:quia tunc dupliciter est auctus,ex propria intensione
secundo ex cinerum calidorum multiplicatione,ob id eget maiori refrigerio: & hinc erit pulsus magnus,
celer,& creber,seu freques,non solū circa dilatationem,sed etiam penes cōstrictionem:& hoc cum distin-
ctione:nam si vsus fuerit auctus cum virtutis robore,tunc erit magis familiaris pulsus magnus; si vero sit
cum virtutis imbecillitate,vt in conualescentibus accidit,tunc celeritas erit magis familiaris. Sic si vsus
imminutus sit:habebit contrarios pulsus familiares,vt est paruus,tardus,& rarus.Ita dicatis de vsu medio- G
cri:obtinebit enim pulsus medios inter magnum & paruum, inter celerem & tardum, inter crebrum &
rarum.Et hoc quoad simplices caussas generantes.

Complicatio facultatis cum vsu quos faciat pulsus. Si tamen hæ primariæ caussæ duæ vel tres complicentur,pulsus facient diuersos.Et primo,si facultas
complicetur cum vsu,tales pulsus facit:vel enim facultas est vehemens,& vsus est auctus:&tunc fiunt pul-
sus vehementes,magni,celeres,& crebri. Quod si vsus in maiori excessu fuerit,vt calor in corde sit valde
auctus cum forti virtute;fiunt pulsus vehementiores,maiores,celeriores,& crebriores: vel vehementissi-
mi,maximi,celerrimi,& creberrimi.

A Si facultas sit languida,& vsus diminutus:fiunt pulsus languidi, parui, tardi, & crebri. At si diminutio vsus fuerit multa:fiunt pulsus languidissimi,minimi,intermittentes,& deficientes.

Si facultas fuerit vehemens,& vsus diminutus : pulsus erunt moderati, & vehementes, tardiores, & rari.

Si facultas fuerit languida,& vsus auctus:erunt pulsus moderati,debiles, seu languidi, & moderate crebri:quia vsus est auctus. Quod si magis imminuatur vsus : erunt pulsus debiles,parui, tardi, & crebertimi.

Quod si instrumentum cum vsu complicetur:si quidem instrumentum molle fuerit,& vsus auctus, erunt pulsus molles:quia vsus non habet sibi proprios,sed familiares pulsus:erunt ob id magni,celeres,& B crebri. Si facultas simul fuerit moderata,& vsus auctus moderate:erunt moderati pulsus. *Cōplicatio instrument cum vsu, quos pariat pulsus.*

Si fuerit instrumentum durum,& vsus diminutus:pulsus erunt duri, parui, tardi, & crebri; si paruus fuerit recessus vsus, & instrumenti; at si impar,vel valde remissus vsus,erunt duri,minores, cerebriores,tardiores.

Si instrumentum molle,& vsus sit diminutus: pulsus erunt molles,tardi,& rari.Quod si mollities superet,erunt maiores,seu moderati in magnitudine:quia ex vsu diminuto, & instrumento molli, resultat quædam moderantia:si vero vsus magis diminutus sit,quam facultas,erunt minores.

Si instrumentum durum,& vsus auctus pulsus erunt duri,& quia durities resistit distensioni, non erunt ita magni;ideo erunt pulsus minores,celerrimi,creberrimi:quod si vsus magis excedit duritiē, erunt moderati in magnitudine,celeres,& crebri:quia durities non resistit celeritati,& crebritati.

C Coniunguntur etiam multoties facultas & instrumentum:si ergo facultas sit robusta vel vehemens, & instrumentum molle:tunc pulsus erunt maiores,tardiores,& rariores. *Pulsus complicationis instrumenti cum facultate.*

Si facultas fuerit robusta,& instrumentum durum in excessu modico;pulsus erunt moderati in duritie:quod si durities præualeat;erunt pulsus parui, celeres, & crebri.

Si facultas imbecillis,& instrumentum molle;pulsus erūt moderate molles,in paruo excessu; in magno vero excessu erunt parui,tardi,& crebri.

Si denique imbecillis fuerit facultas,& durum exstiterit instrumentum:tunc sane pulsus fient tardi, crebri,parui.

Aliquando vero omnes tres caussæ primariæ connectuntur,nempe facultas,cum vsu, & instrumēto:quas combinationes secundum rationem poteritis adinuenire.Si minus:videatis Struthium,Roganū, D & alios. *Pulsus orti e complicatione facultatis,vsus,& instrumēti.*

Sed vt melius has differentias calleatis:notandæ erunt aliquæ regulæ,quibus facilime combinationes has poteritis adinuenire.Prima est,quod durities arteriæ resistit magnitudini:eo quia arteria dura distendi non potest:non tamen durities resistit celeritati,& crebritati. Vnde licet arteria sit dura, nihilominus pulsus potest esse celer,& creber,quatenus cito mutat locum.

Secunda regula est,quod tres caussæ primariæ ita firmā habent inter se connexionē,vt vna,aut duabus variatis, varietur tertia : cum hoc tamen, quod si duæ sint affectæ præter naturam, non tamen in excessu,(verbi gratia instrumentum & vsus excedant a naturali statu parum,facultas vero bene se habeat, id est non sit affecta præter naturam)tunc duæ illæ caussæ,instrumentum nempe & vsus, non possunt labefactare illam facultatem:caussarū namq; vis magis æstimari debet,quam numerus:non enim semper pau- E ciores a pluribus vincuntur:sed interdū vna,quæ potens est,magis agit,ac plus potest,quam duæ,quæ imbecilles existant.Si instrumentum & vsus sint in excessu:de necessitate facultatem labefactant,id est, variant a naturali,vt si v.g.vsus sit auctus,instrumentū molle in excessu;ipsam virtutem variant, q̄uis ipsa virtus sit mediocris,& non in excessu:faciunt igitur illæ duæ caussæ,ac si essent in excessu. Ita dicatis de aliis caussis.Aduertendum autem,summos ac maximos excessus,non duas tantū,sed omnes caussas immutare.

Tertia regula est,quod si pulsus paruus sit de necessitate,huius sane caussam nullam efficaciorē esse arbitrabimur,quam propriam facultatis imbecillitatem:quamuis interdū ob reliquarum caussarū summum recessum minimus contingat pulsus.

Quarta regula est,quod pulsus celer,& creber semper arguunt vsum auctum :imo nunquam fieret crebritas,si vsui seu necessitati satisfaceret magnitudo?Si ergo magnitudo non satisfaciat,insurgit celeri- F tas:quod si non sufficiat celeritas,insurgit crebritas.At si vsus intensissimus sit, pro illius ratione adaugetur in his excessus.

CAPVT XIV.

De caussis præcipuorum pulsuum simplicium.

Deinceps de nonnullorum præcipuorum pulsuum,ac primum de simplicium caussis coniunctis, nec non de concaussis agemus.

Pulsuum caussæ coniunctæ seu Synecticæ sunt,facultas,vsus,& instrumentum : quamuis aliquando sit vna istarum,aliquando duę,aliquando omnes tres,& hoc,quando a mediocritate pulsus recesserit.Habent etiam alias concaussas:quæ quinque sunt:& in idem veniunt cum coniunctis caussis, sed secundario G motui aliquid præstant,id est,commoditatem:& sunt Crassitudo corporis, Gracilitas, Locus circa arteriam vacuus,Grauitas superadiacentium corporum,& Formationis proprietas *Pulsuum αἴτια, & συναίτια.*

Magni igitur pulsus caussæ cōiunctæ sunt,fortitudo virtutis,obedientia instrumēti,id est, mollities, & vsus auctus.Fortitudo inquam virtutis,quæ possit dilatare.Arteria mollis quæ consentire: vsus auctus, seu necessitas euentandi,quæ a calore aucto est,quæ possit cogere facultatem & instrumentum.Hinc est, quod eleuatur pulsus magnus secundum omnes dimēsiones: & tunc dicitur magnus simpliciter.Quādo

vero attollitur ſecundum longitudinem tantum, vel latitudinem, vel profunditatem tantum: dicitur magnus ſecundum quid. Ad hunc pulſum magnum conſtituendum, non omnes tres cauſſæ ſimul de neceſſitate concurrunt, ſed aliquæ. A

Parui. Parui pulſus cauſſa eſt debilitas virtutis, inobedientia inſtrumenti, id eſt, durities, & vſus diminutus, qui a pauco calore eſt. Verũ cauſſa prima paruitatis eſt virtutis debilitas; aliquando tamen fit paruitas propter duritiem inſtrumenti, & vſum diminutum.

Longi. Quod ſi fuerit pulſus longus, qui videtur excurrere vltra quatuor digitos: cauſſæ erunt facultas languida, non potens mouere ſecundum latum & altum, vt motus murium in ſacco aliquo ſtricto, cum non poſſint ſecundum latum & altum moueri, mouentur ſecundum longum. Fit etiam longitudo ob inobedientiam inſtrumenti, quod nequeat ampliari ſecundum latum & amplum, ſed tantum ſecundum B longum. Præterea ex cõcauſſis erunt corporis gracilitas, vel propria formatio ipſius arteriæ, vt ita apta ſit moueri ſecundũ lõgum. Solet etiam excitari ab extrinſeco, id eſt, a macie, vel cutis tenſione, & duritie carnis, quæ non ſinunt dilatari arteriam ſecundum latum & amplum, ſed tantum ſecundum longum.

Breuis. Breuis vero pulſus, qui ſola breuitate a naturali deficit, cauſſa eſt debilitas ipſius virtutis: & concauſſa eſt arteriæ formatio naturalis, qua diſponitur arteria, vt motu quodam breui moueatur: vel aliquando contingit propter corporis craſſitiem, quæ occultat longitudinem, vt in corpore carnoſo.

Lati. Lati pulſus cauſſæ ſunt facultas non maxime languida, ſed parum languida: & mollities arteriæ, qua diſponitur moueri arteria ſecundum latum, non ſecundum longum. Concauſſæ ſunt locus amplus, & vacuus ipſius arteriæ, vt pars ſuperior atteriæ ſuo pondere cadat ſuper inferiorem, & faciat ictum ſecundũ la- C tũ. Alia cauſſa eſt carnoſitas carpi, grauans, & ſuperſtans arteriæ. Sic ẽt quando eſt rugoſa: vt in ſenibus, & in his qui euacuationem plurimam paſſi ſunt; aut quia humore eſt madefacta, vt in hydropicis.

Stricti. Stricti ſeu gracilis pulſus ſunt cauſſæ, debilitas facultatis, durities inſtrumenti. Concauſſæ vero gracilitas corporis, ſiccitas cutis: adeo, vt ſi omnes iſtæ cauſſæ concurrant, fiat pulſus valde gracilis, ad inſtar cordę alicuius inſtrumenti, vel ad inſtar fili tenuis: cum languida facultas arteriam duram diſtendere nequeat in altum & latum. Et huic haud diſſimilis hecticam febrem patientium pulſus videtur.

Alti. Alti pulſus cauſſæ ſunt, facultas robuſta, ſeu mediocriter robuſta, vſus adeo, vt facultas irritata ab vſu aucto moueat ad partem ſuperiorem, non tamen ſecundum latum & longum: quia hic motus in altũ eſt ei proprius, & facilior. Concauſſa vero eſt locus ſtrictus arteriæ, ſecundũ latum & longum: nam ſi non eſſet locus ſtrictus, ex vſu aucto, & virtute aliqualiter forti, fieret magnus pulſus, quia arteria ob loci commodi- D tatem ad omnes dimenſiones moueretur.

Humilis. Profundi ſeu humilis pulſus cauſſa eſt, facultas imbecillis. Cõcauſſa eſt corporis craſſities: qa adeps, & caro profundant arteriam, ipſamq; cõprimunt, & deprimunt: quæ ob id parum ſurſum attollitur. Verum debilitas hæc facultatis, vel eſt per veram reſolutionem, & eſt propter carentiam ſpirituum: vel eſt per aggrauationem, vt in principiis acceſſionum, vbi pulſus profundi & ſubmerſi apparent.

Celeris. Celeris, ſeu velocis, ſeu concitati pulſus cauſſæ ſunt, virtus mediocriter fortis, vſus auctus, & inſtrumentum obediens: & tunc fit, quod pulſus, non potens ſatisfacere neceſſitati auctę, per magnam eleuationem, ſatisfacit per velocitatem. Ita quando non poteſt velocitas ſatisfacere neceſſitati auctæ; quia virtus eſt languida, ſupplet pro tunc crebritas, id eſt, parum quieſcit arteria. Quod ſi facultas debilis ſit, & vſus auctus, velocior erit pulſus; vel velociſſimus: quatenus enim non poteſt magnificari, velocitat. E

Tardi. Tardi pulſus cauſſæ ſunt, vel languida facultas, vel vſus imminutus, vel inſtrumentum durum, vel aliquæ ſimul.

Crebri. Crebri frequentis, ſeu ſpiſſi pulſus cauſſæ ſunt, vſus auctus, vel cum debilitate virtutis, vel cum duro inſtrumento. Vnde, ratione debilitatis virtutis, non poteſt magnificari: ratione duritiei, non poteſt eleuari. Vnde, quando deficit magnitudo propter debilitatẽ virtutis, inſurgit celeritas. Quod ſi maior neceſſitas ſit, pulſus durus fiet creber. Vnde debilitas virtutis cum vſu aucto cauſſa eſt, quæ non poteſt magnificare, neque velocitare: & ob id crebritat.

Rari. Rari pulſus cauſſæ ſunt, fortitudo virtutis, cum vſu diminuto, vel cum mollitie arteriæ. Etenim cum non adſit neceſſitas euentandi, id eſt, non ſit vſus auctus: tunc facultas magnam interponit quietem, inter vnum motũ & alium: & ob id fit rarus pulſus. Pro magnitudine enim virtutis, debebat magnificari: & non F poteſt, per accidens: quia vſus non vrget, ob id longam facit quietem; quia neceſſitas euentandi pauca eſt. Vnde virtuti difficilius eſt crebritare, ſeu frequentare, quam rarefacere, quia breuiori tempore moueri, & quieſcere, difficilius eſt, quam raro moueri, id eſt, longo tempore quieſcere.

Vehemẽtis. Vehementis, ſeu fortis pulſus cauſſa eſt robur virtutis, quę fortiter impellit digitos: ſiue hęc ſit fortis fortitudine naturali, ex bono tẽperamento, ſiue fortitudine accidentali, vt in iratis apparet in quibus fortior & vehemẽtior apparet pulſus. At vehementia vera, & naturalis pulſus, eſt a robore facultatis naturali.

Languidi. Languidi ſeu debilis pulſus cauſſa eſt, virtutis vitalis, ſeu caloris naturalis debilitas, ſiue ſit debilitas naturalis, in his qui malo temperamento præditi ſunt, ſiue accidentalis & morboſa, ab animi accidẽtibus, reſoluentibus virtutem: vt etiam a vigiliis, ieiuniis, exercitiis immodicis, & omnibus aliis cauſſis, quæ reſoluere poſſunt calorem, & ſpiritum. Siue enim calor naturalis ſuffocetur, ſiue reſoluatur, ſemper apparebit pulſus debilis, & languidus. Sed quando languidus pulſus eſt per ſuffocationem, apparenter dicetur G languidus, quando vero languidus eſt per reſolutionem, exſiſtenter.

Mollis. Mollis pulſus cauſſę ſunt, mollities arteriæ naturalis, vel accidentalis, quæ excitatur ex cibis humidis, ex ægritudine aliqua humida, vt eſt hydrops: vel a balneo mollis redditur pulſus.

Duri. Duri pulſus cauſſæ ſunt, durities arteriæ, quæ (primo de diff. feb. 7.) tripliciter euenire poteſt, vel propter tenſionem, ab aliqua inflammatione contrahente, vel ob frigiditatem condenſantem, vel ob ſiccitatem

A tem excitatam a calore,& humidi deperditione; vt in hecticis, vel ab aliqua caussa conuellente, vel spasmante.

Turgidi. Turgidi postremo pulsus caussæ sunt, formatio arteriæ gibbosa, corporis crassities, atq; necessitas, siue vsus auctus.

Capvt XV.

De caussis pulsuum relatiuorum: & primum ordinati, ac inordinati, æqualis & inæqualis.

Pulsus ordinati, & inordinati caussæ. CVm inter respectiuas differentias pulsuum ponantur ordinatus & inordinatus: Caussa horum erit B caussarum principalium stabilitas, vel instabilitas. Nam si caussæ fuerint fixæ, & stabiles, vt non permutentur, fiet pulsus ordinatus: si vero fuerint instabiles, & mutabiles, seu non fixæ, fiet pulsus inordinatus.

Æqualis & inæqualis. Æqualis pulsus caussa est fortitudo virtutis, obedientia instrumenti, & vsus, seu necessitas moderata. Quod si varietur vsus, vel instrumentum, vel facultas: inæqualis dicetur.

Æqualis simpliciter caussa est æqualitas, seu moderantia caussarum principalium, seu primariarum: id est, facultatis, vsus, & instrumenti.

Æqualis vero secundum quid caussa est æqualitas aliqua, seu moderantia ex illis tribus: virtutis videlicet, vel arteriæ, vel vsus.

Inæqualis simpliciter caussa est inæqualitas, seu diuersitas omnium caussarum principalium.

C Inæqualis vero secundum quid caussa est diuersitas & variatio alicuius caussæ, videlicet facultatis, & instrumenti: non tamen variatio ipsius vsus. Ratio est ex Galeno 2. de causs. puls. cap. 1. quia inæqualitas, quam facit vsus, si aliquando fiat, non est sensibilis medico: quia vsus non potest ita subito variari, vt sensibilis fiat medico. Quod si dicatis: nonne ab vsu fiunt pulsus naturales, & æquales: ergo & inæquales? Dico, quod fiant inæquales, non tamen sentiantur: vel dicunt aliqui, quod non fiant pulsus inæquales, sed potius diuersi.

Capvt XVI.

De caussis inæqualitatis singularis in vna parte arteriæ.

QVoniam inæqualitas duplex erat, Singularis, & Collectiua: primo incipiamus a Singulari.

D Quamuis aliqui a collectiua incipiant, tanquam a notiori: non singulari, tanquam a simplicioris. Singularis duplex est: in vna parte arteriæ, seu sub vno digito; & in pluribus partibus arteriæ, seu sub pluribus digitis. Inæqualitas sub vno digito tres habet differentias: intermittentem scilicet in vno pulsu, quando motus quiete media interrumpitur; imparem citatum, quando motus est continuus, & tamen constat ex partibus diuersæ celeritatis & tarditatis; tum e contra dicrotum, seu bis pulsantem, quando pulsus fit motu redeunte in vna pulsatione. Hæ differentiæ difficilis sunt cognitionis. Caussæ vero horum pulsuum in genere sunt, facultas vitiata, vel grauata, vel soluta, vel distracta: & instrumentum ineptum admodum, vel quia plenum, vel obstructum, vel compressum. Quæ eædem caussæ, sunt etiam caussæ inæqualitatis collectiuæ: quamuis deterior sit inæqualitas singularis, quam collectiua: quia in vnica solum actione plura reperiuntur vitia; in collectiua vero vitia sunt in pluribus pulsationibus: vnde dici solet, quod claudicatio assidua deterior sit interpolata: Verum singularis inæqualitas semper E habet vsum vrgentem: nisi enim vsus vrgeret, facultas, multitudine humorum onerata, vel obstructione impedita, aut compressione obsessa, aut ex resolutione languida, nunquam conaretur mouere post quietem.

Caussę pulsus in singulariter inæquaiis eadē arteriæ parte.

Intermittētis pulsus caussæ. Pulsus ergo intermittentis in vna pulsatione caussæ sunt, debilitas virtutis: libro secundo de caussis pulsuum, capite tertio: quæ virtus, mouens arteriam, cum sit debilis, laxatur & fatigatur: ideo quiescit per tempus, & rursus tentat mouere: vnde inæqualis redditur pulsus in raritate. Caussa etiam est instrumentum ineptū, quo quomodo ineptum reddatur: vel quia plenū, vel quia obstructum, vel quia compressum: nam si est plenum, tentat natura expellere, id, quod molestum est: replendo enim molestat: ideo in illa expulsione immoratur longa quiete; & ob id mouet tarde: sed quia maxima est plenitudo, diu moueri non potest, ideoque quiescit, rursusque incipit moueri. Quod si quietes sint longiores, a facultate ni- F mium imbecilla: tunc caussa erit inæquale cordis temperamentum.

Imparis citati. Imparis citati pulsus, qui in vno motu continuo, quique non eadem velocitate mouetur, (namque aliquando in principio tardus, in fine celer, vel e contra) eædem sunt caussæ, quæ erant pulsus intermittētis, at leuiores caussæ sunt in impare citato; fortiores, & deteriores in intermittente: quia grauius est interrumpi motus, quam alterari, & diuersimode celeret fieri. Vnde impar citatus magis potentem habet virtutem quam intermittentes: & ideo impar citatus pendet de necessitate a facultate debili per aggrauationem: quæ, tentans expellere, id, quod molestum est, facit pulsus celeres; & quia in illa expulsione laxatur, facit pulsus in fine tardos: non tamen quiescit. Illa autem celeritas est cum aliquali magnitudine: vnde hæc differentia pulsus cognoscitur in magno pulsu: in paruo enim pulsu iudicari non possunt variæ motus differentiæ. Cum ergo fiat a facultate debili per aggrauationem: maxime aggrauabitur obstructione, G seu repletione, & compressione.

Dicroti. Dicroti, seu bis ferientis pulsus, (qui, cum mouetur, in media distensione retrahitur, & rursus iterum mouetur, in vnica pulsatione) caussa est cordis intemperies. Per cordis autem intemperiem intelligo facultatem vitiatam & inæqualem redditam: ab vsu vero facultas reddita vitiata, motum inceptum perficere non potest, sed a contraria caussa vrgente, in medio itinere cogitur contrarium motum efficere.

Quomodo eadem pulsatione cor dupliciter moueatur.

Sed vt intelligatur, quomodo intemperies cordis possit facere in vna pulsatione duplicem motum contrarium; notandum, quod cor habeat partes dextras, & sinistras: hinc accidit vt partes dextræ sint calidæ & mundæ, sinistræ vero sint frigidæ & vaporibus malis plenæ: natura ergo sagax facit dilatationem ad refrigerandum partes calidas, postea facit contractionem ad expellendum vapores: ex qua contentione & altercatione, cum arteria dilatatur refrigerationis gratia, interim vrgente necessitate expellendi fuligines retrahitur, vt illis satisfaciat, antequam eleuationem suam naturalem perficiat; inde iterum ex necessitate refrigerandi cogitur facultas ineptam distensionem complere. A

Non prętermittendum tamen, quod aliis modis possit cor intemperari: videlicet quando partes aliquæ calidæ, aliquæ frigidæ & calidę exsistunt: tunc enim in eo calidæ faciunt pulsus magnos, celeres, & crebros; frigidæ vero paruos, tardos, & raros; & tunc fit pulsus inæqualis, aliquando in vno pulsu, aliquando in pluribus pulsationibus: & pro vincētis qualitatis ratione pulsus redditur inęqualis: quod si vna pars non vincat aliam, fiet pulsus inæqualis anonymi, id est, sine nomine. B

Aliquando tamen intemperatur cor intemperie calida, & humores in ventriculis cordis sunt frigidi: & tunc fiunt pulsus inæquales, & mites, vt in pestilentialibus hecticis, ex tertio de præsag. ex pulſ. capit. tertio. Quod si humores sint calidi, & cor frigidum; tunc potest fieri inæqualitas & singularis, & collectitia.

CAPVT XVII.

De caussis inæqualitatis singularis, in diuersis partibus arteriæ.

Caussæ pulsuum inæqualium motu continuo.

ALtera inæqualitas est in diuersis partibus arteriæ. Hæc inæqualitas habet diuersas differentias: alia enim inæqualitas est cum motu continuo, vt sentiatur sub duobus, vel tribus, vel quatuor digitis contiguis, & huiusmodi pulsus sunt myuri, qui dicuntur inæquales æqualiter. Horum myurorum pulsuum caussæ sunt, debilitas facultatis vitalis per resolutionem, vnde cum facultas sit languida per essentiam, non potest æqualiter mouere mobile, ideo, cum est prope cor, aliquantulum fortiter & velociter mouet; & quanto magis secedit a corde, eo debilius, & tardius mouet; vt tandem ad immobilitatem perueniat, tunc fit myurus deficiens. Fit etiam aliquando myurus reciprocus: quando non ita languida est facultas, sed potius aggrauata, vt iterum assurgat in maiorem vel æqualem eleuationem. Alia etiam concaussa est: nimirum gracilitas arteriæ, & mollities: vnde dispari eleuatione eleuatur arteria: quia vna pars arteriæ magis mollis, secunda minus, tertia minus, quarta minus: & semper quæ minus mollis est, non ita potest eleuari. C D

Et interrupto.

Alia denique inæqualitas est cum motu interciso, & proinde huiusmodi pulsus dicuntur inæquales inæqualiter, facti motu quodam interciso: qui speciatim eminuli & prominuli dicūtur, vel eminentes & prominentes: quoniam in medio eleuantur in prima parte, & vltima deprimuntur. Caussa horum est facultatis imbecillitas. Et quoniam imbecillitas varia esse potest: ob id etiam diuersi fiunt pulsus eminuli & prominuli. Cum ergo imbecillis sit, non potest mouere omnes arteriæ partes, sed in aliquibus magis mouet, in aliquibus vero, minus dispositis ad motum, non mouet, seu parum mouet. Hoc autem potest prouenire ex tenuitate & leuitate cutis: quando in aliqua parte arteriæ nulla, vel admodum pauca est caro superstans. Alia vero caussa est siccitas, & humiditas arteriæ, in diuersis partibus, vt sit prima & vltima parte sicca, & media humida, in partibus siccis occultatur, in media vero, quia est humida motu sentitur. Secunda caussa est naturalis situs arteriæ, vt in extremis partibus sit depressa & profundata, in medio sit eleuata. E

CAPVT XIIX.

De caussis inæqualitatis collectitiæ.

Caussæ pulsuum collectiue inæqualium.

INæqualitatis systematicæ, seu collectiuæ caussæ sunt, ineptitudo instrumenti, & debilitas facultatis non tamen vsus, vt dictum est: quia, etsi vsus immutetur, non facit tamen sensibilem inæqualitatem; ex secundo de caussis pulsuum cap. 1. quod & nos supra diximus, loquentes de inæqualitate singulari. Requiritur ergo pro caussa, instrumentum ineptum, & facultas imbecillis, vel vtrumque simul.

Ineptitudinis instrumenti tres caussæ.

Sed quot modis variari potest instrumentum, vt inæqualitatem hanc pariat? Dico, tripliciter reddi ineptum instrumentum: vel per compressionem, quando sunt duo corpora, quorum vnum premit & adstringit alterum: vel per obstructionem: vel per repletionem. Ratio est ex eo: quia omne quod mouetur, in loco mouetur. Cum autem arteria sit corpus; ergo mouebitur in loco. Quare potest accidere, vt locus, in quo mouetur arteria, sit impeditus ab aliquo comprimente arteriam; vel obstruente; vel replente, vt non bene possit dilatari: & ideo insurgit facultas, vt remoueat illud impedimētum, & facit quosdam ictus fortes: inde laxatur facultas ob laborem factum, & desistit seu quiescit; & postea redit ad faciendos alios ictus: & sic fiunt myuri deficientes, & intermittentes pulsus. F

Compressio arteriæ.

Sed quæ est caussa compressionis seu constrictionis arteriæ? Arteria sane comprimitur aliquo tumore præter naturam, siue sit inflammatio, scirrhus, œdema, seu abscessus, vel alia caussa similis inflammationi, vt est plenitudo venarum comprimentium arterias: quæ caussæ non sinunt dilatari ipsam arteriam: &, cum necessaria sit dilatatio, facultas insurgit ad expellendum id, quod molestat, & facit aliquos ictus diuersos, vel quiescit. G

Obstructio arteriæ.

Aliquando impeditur arteria obstructione: cuius caussa est viscidus, & crudus humor arteriis impactus, maxime si orificiis arteriæ inhæreat, & eo magis, si arteriæ propinquiores cordi fuerint, vt hinc fiat pugna inter facultatem & caussam vitiantem, quia spiritus non est liber in suis operationibus, & ideo redditur pulsus inæqualis. Vnde, si facultas inde expellat humores per secessum, per cutim, seu per

alias

A alias partes & vias: tunc pulsus redditur bonus, & æqualis. Quod si facultas languida fuerit, vt non possit expellere illos humores: tunc pulsus hic erit malus, & cum maximo periculo, vt omnes quasi patientes hunc pulsum moriantur.

Impeditur quandoque arteria repletione: quæ repletio si fuerit in venis, tunc venæ plenæ arterias comprimunt, & sequitur inæqualitas per compressionem. Exsistente ergo repletione, siue secundum venas aggrauantes arterias, siue secundum arterias, insurgit facultas ad expellendum, & in expulsione laxatur, & fit inæqualis. Quod si repletio etiam obstruat: (quia non omne obstruens est replens; ideoque ponitur pro alia caussa:) tunc solent fieri pulsus intermittentes. 3. Repletio arteriæ.

Non solum autem inæqualitas hæc fit ratione instrumenti inepti, sed ratione facultatis debilis: se- Imbecillitatis facultatis tres caussæ.
B cundo de caussis pulsuum cap primo. Facultas tripliciter potest reddi debilis, vel per aggrauationem, vel per distractionem, vel per irritationem: non tamen per viam resolutionis, vt aliqui dixerunt: quia hæc facit pulsus vniformes: nam facultas seu temperamentum non potest tam cito mutari ex se: & facultas per se debilis, non potest inæqualitatem collectiuam facere in pluribus pulsationibus: etenim cum essentialis fit imbecillitas, semper faciet pulsum vniformem, paruum nempe & debilem, ad vniformitatem facultatis.

Debilitatur ergo aliquando facultas per aggrauationem: quando nimio onere, verbi gratia, plenitudine, vel cacochymiæ copia oneratur, vt non possit ita onerata incedere: sicut patet in portante onus graue; qui, si incedat, inæqualiter incedit: vel in illo, qui alligatus est secundum vtrosque pedes; non potest enim incedere nisi inæqualiter, antea enim solutus, incedebat ordinatis gradibus; inde ligatus ægre mo- 1. Aggrauatio.
C uetur & inordinate. Tunc autem fit pulsus interceptus: in quo virtus est valida, & robusta in se; sed apparet debilis, ratione oneris: ideo cum pulsus sint inæquales, nimirum vehementes, vel inter languidos & vehementes, multæ apparent pulsationes inæquales.

Interdum debilitas est per viam distractionis: quando scilicet natura vult satisfacere diuersis necessitatibus. Vnde, sicuti (vt dicunt philosophi) pluribus intentus minor est ad singula sensus; minor enim semper redditur ad omnia: ita facultas intenta ad plures necessitates, minoratur & debilitatur. Et hoc accidit, quando cor secundum aliquas partes est calidum, secundum aliquas frigidum: tunc enim pars calida facit pulsum vehementem, celerem & crebrum: pars frigida facit pulsum languidum, paruum, rarum, & tardum, ideo, quia natura modo distrahitur ad vnam partem, modo ad aliam; redditur debilis; ad cuius debilitatem fit pulsus inæqualis. 2. Distractio

D Debilitas tandem fit per irritationem ab aliqua caussa mordente, cogente facultatem extra naturæ limites & instituta operari, vt ex vaporibus malignis, vel humoribus mordentibus; Qui non quantitate, sed qualitate, mordendo, debilitant. 3. Irritatio.

Ex his, vt calleatis omnes differentias, quæ continentur sub systematica seu collectiua inæqualitate, (cuiusmodi est myurus, intermittens, intercurrens, & deficiens) a quibus scilicet caussis pendeant; notandæ erunt quædam regulæ. Caussæ reliquorum pulsuum, systematicæ inæqualiū.

Et prima est: quod pulsuum inæqualium quidam sunt proprii, arguentes caussam propriam & conuertibilem: quidam sunt communes, non arguentes caussam propriam & essentialem, sed communem caussam. Declaro. Proprii pulsus, caussam propriam & conuertibilem seu essentialem habentes, sunt myuri, seu decurtati, siue sint deficientes, siue reciproci: omnes enim arguunt caussam propriam, a qua
E sola fiunt; nempe facultatem languidam, secundum magis & minus. Vnde valet dicere: est myurus deficiens, & reciprocus, ergo facultas est languida, & resoluta; quamuis deficiens habeat magis resolutam; reciprocus vero non ita resolutam facultatem.

Alii sunt pulsus communes, seu differentiæ communes, quæ non habent propriam caussam; & possunt fieri non tantum a facultate resoluta; sed ab ineptitudine instrumenti, languidam virtutem reddentis, vt sunt intermittentes, intercurrentes, qui non fiunt ab vna tantum caussa essentiali, sed etiam ab alia, id est, ab instrumento pleno, & tunc isti pulsus erunt magni & vehementes. At si fiant a facultate debili, per resolutionem; pulsus erunt parui & languidi. Vnde non valet dicere: intercurrens est, ergo virtus languida, quia facultas in se est robusta, onere tamen pressa.

Secunda regula est, quod quotiescunque istæ caussæ mutuo coniunguntur, verbi gratia, facultas re-
F soluta, & onus, seu grauitas instrumenti, tunc omne genus inæqualitatis potest fieri, vt vitiatum instrumentum semper vitium in facultate faciat. Quamuis enim ipsa facultas sit valida; facit languidam, non absolute, sed in respectu ad caussas. Et ita quocunque modo facultas vitiata sit, semper instrumentum illis redditur ineptum ad motum, non quod ex se ineptum sit: nam in hac inæqualitate efficienda, semper opus est virtute languida per oppressionem, & instrumento inobediente.

Fit etiam inæqualitas hæc collectiua ab animi passionibus, quæ distrahunt facultatem, quatenus sub contrariis motibus facultas vitalis agitatur. Vnde Galenus libro de præcognit. ad Posthumū capite sexto, ex cognitione huiusmodi pulsus, cognouit mulierem Pyladis amore captam: nempe ex animi passionibus, agitantibus cor, & facientibus pulsum inæqualem inæqualitate collectiua.

G

CAPVT XIX.

De caussis pulsuum inæqualium compositorum, seu complicatorum.

HABITIS caussis pulsuum inæqualium simplicium; agendum est modo de caussis inæqualium compositorum. Hæc inæqualitas composita, vel est in situ arteriæ, vel in motu. In situ fit pulsus contortus, id est, magnus cum duritie, modo sursum, modo deorsum delatus. Caussa Contorti pulsus caussa.

huius pulsus est, violenta attractio partium vicinarum arteriæ: quæ partes tenduntur & contrahuntur ab A inflammationibus, & tumoribus præter naturam, extendentibus tunicas & cartilagines: & hinc per consensum contrahuntur arteriæ, quia cartilagineæ sunt. Contortum etiam pulsum facit (dicit Galen. 2. de caussis pulsuum 11.) inæqualis intemperies cordis, modo calida, modo frigida. Retrahere præterea vicinas partes valent, squalida siccitas, & frigus immodicum.

Vndosi. Alii erant pulsus inæquales compositi secundum motum: qui plures erant: inter quos primus vndosus est, quando vna pars eleuatur, altera deprimitur, ad instar vndarum cum quadam magnitudine. Caussa horum pulsuum triplex est. Prima, est facultas languida per aggrauationem, non per resolutionem: ob id in se fortis est. Secunda, est humorum plenitudo, quæ virtuti resistit, vt non possit facultas æqualiter mouere arteriam, sed modo eleuat vnam partem, modo aliam, modo deprimit vnam partem, B modo aliam. Tertia caussa, est maxima instrumentorum mollities, vt non possint æqualiter moueri, vt apparet in corrigiis, in coriis; in quibus si vna pars eleuetur, altera deprimitur. Et hic pulsus in mulieribus ac hydropicis vt plurimum obseruari solet.

Vermiculantis. Vermiculantis pulsus caussæ sunt quasi eædem: quia facilis est descensus ab vndoso ad vermiculantem; & a vermiculante ad formicantem, caussa autem in vermiculante, est virtutis debilitas per resolutionem, non per aggrauationem: ideo pulsus fiunt parui & languidi: in vndoso vero magni. Possunt etiam aliæ caussæ excitare vermiculantem: verbi gratia, plenitudo humorum, & mollities instrumenti, vt in vndoso dictum est.

Formicantis. Lib. colle. 4. Ab iisdem caussis fit formicans: sed in formicante virtus est magis debilis per resolutionem, quam C in vermiculante. Vnde non est verum dictum Auerrhois & aliorum, dicentium, quod necessarius sit transitus a vermiculante ad formicantem: &, quod nunquam fiat formicans, nisi præcesserit vermiculans: quia a pari, nec fiet vermiculans, nisi vndoso præcedente; & tamen constat vermiculantem esse sine vndoso; ita & formicans potest esse sine vermiculante; quando debilis redditur virtus per resolutionem, vt in malignis febribus, ex malignitate maxima, resoluente vires, fit ab initio formicans, non tamen ipsum præcedit vermiculans.

Caprizantis. Caprizans pulsus, qui in vna pulsatione & eleuatione bis ferit, celeriter in principio mouetur, tarde in medio, vt quiescat, & vltimo celeriter. Caussa huius pulsus, est facultas valida, per viam grauaminis debilis reddita: quæ primum impetum velocem facit, & in medio tarde mouetur, imo quiescit ex onere, ex aliqua plenitudine; vltimo impetu facto celeriter mouetur.

Serrini. Serrini pulsus, qui inæqualis & durus est, caussæ sunt, facultas valida, cum vsu aucto, & duritie in- D strumenti. Cum ergo sit valida virtus, irritatur ab vsu aucto: & quoniam instrumentum est durum, non potest ipsum æqualiter mouere: ob id nunc ferit sub aliquo digito, sub aliquo non: quia aliquæ partes in altum attolluntur a virtute forti, & vsu aucto: aliquæ vero comprimuntur, & paruæ fiunt, per duritiem arteriæ. Sed quare durum redditur instrumentum? Quia neruosę partes inflammatę sunt, & contractæ: ad quarum contractionem per consensum arteriæ contrahuntur & tenduntur: & hoc accidit præcipue in pleuritide, aliisque membranarum affectibus.

Spasmosi. Spasmosi pulsus caussa, est neruosarum partium contractio seu conuulsio. Etenim propter societatem seu colligantiam neruorum cum arteriis, arteriæ quoque tenduntur; ex eo, quia arteriæ accipiunt fibras a neruis; tum quia ramuli neruorum cum ramulis arteriarum quandam inuicem habent coniun- E ctionem: nam cuilibet arteriæ supra, vel infra, vel ad latus, adhærent nerui, vt in conuulsionibus & epilepsiis apparet. Hic pulsus magnus, tardus, & vehemens est, non in excessu.

Vibrati. Vibrati pulsus triplex est caussa: vsus auctus, instrumentum durum, facultas robusta: quæ cum sit robusta conatur vsui satisfacere: ob id conatur distendere arterias; & arteria, cum dura sit, nec dilatetur quantum necessarium est; ob id hic pulsus eleuatur in altum, inde ob duritiem deprimitur, cum non apte arteria distendi possit, vt in magnis inflammationibus, obstructionibus, in spasmis etiam. At concurrit (vt concaussa) inæquale cordis temperamentum, quod auget vibrationem; non tamen vibrationem efficit: quia, vbi humidior & calidior est pars arteriæ, tunc mollior & velocior est pulsus: vbi vero frigidior, pulsus erit durior, minor, & tardior.

Palpitantis. Palpitantis pulsus caussa est, flatuosa cordis & arteriarum repletio, exitum quærens. Et hinc notandum est: quod si cor aliquando a flatu palpitet, non est necessarium etiam arterias palpitare. Quia corde F immutato & palpitante, arteriæ non immutantur, imo arteriæ aliquando palpitant, & cor non palpitat: quia vbi vapor & flatus est, ibi palpitationem excitat: si fuerit tantum in arteriis, in illis palpitationem excitabit; si fuerit in corde, in corde etiam palpitationem excitabit, non in arteriis: at si in vtrisque, & in corde, & in arteriis; & cordi, & arteriis aderit palpitatio; & maxime si arteriæ fuerint molles; quod solet apparere in expergiscentibus.

Trementis. Trementis pulsus non est propria caussa: quia non datur pulsus proprie tremens; cum tremor fit cum voluntate. At si arteriis aliqualis tremor insit: illud non est ratione sui, quia non sunt voluntarii motus instrumenta. Inest autem & illis tremor, ratione neruorum affectorum, communicantium arteriis, vt apparet in febribus malignis, in quibus tremor excitatur a vapore mordaci.

Hectici. Hectici pulsus caussa, est læsio aliqua fixa, in partibus solidis exsistens, vt virtus debilitetur, vt est mara- G smus, pulmonis vlcus, empyema, ob id semper sui similis efficitur pulsus, inæqualitatem obseruans.

Strepentis. Strepentis pulsus caussæ, sunt durities arteriæ, facultas valida, & spatium arteriæ aere plenum: ob id fit strepitus, & sonus, hæc enim requiruntur ad sonum faciendum, vt apparet in tympano, necessaria enim est virtus fortis percutientis; necessaria est durities instrumenti percussi, necessarius est aer inclusus, vt est in tympano, pro receptione soni.

CAPVT XX.

De caussis pulsuum cum rhythmo, & sine rhythmo.

RHythmus nihil aliud est, nisi comparatio & proportio temporis dilatationis ad tempus constrictionis: quæ proportio est vel in celeritate, vel in tarditate dilatationis & constrictionis. Pulsus autem rhythmicus duplex est: quidam par & æqualis: quidam vero impar & inæqualis.

Caussæ pulsus rhythmici tum paris:

Rhytmicus par seu æqualis, reperitur in corporibus temperatis, inquibus celeritas & tarditas in dilatatione & constrictione sunt eiusdem conditionis & æqualitatis, nempe moderatæ, & naturales; quia æqualitas est refrigerationis, & æqualitas transmissionis vaporum. Et quia in corporibus temperatis moB deratus est calor; moderata eget dilatatione: & quia moderata est generatio vaporum; ob id constrictio, qua expelluntur vapores, est moderata.

Tum imparis.

Rhythmicus impar & inæqualis, obseruat imparem illam proportionem & æqualitatem. Et hoc accidit in corporibus intemperatis, naturaliter, & præter naturam: nam contingit, vt dilatatio sit magis celer, quam constrictio, vel e contra, vel vt aliis modis varientur: quemadmodum in tractatu de differentiis dictum est. Quod si dilatatio magis celer sit, quam constrictio, caussa est maior necessitas euentandi, id est, maior caliditas, quam necessitas expellendi fuligines & vapores adustos, vt in ephemera febre videtur. Si vero magis celer sit constrictio, quam dilatatio: caussa est maior copia vaporum expellendorum, excitantium facultatem ad expellendum, vt in febribus putridis apparet. Si tandem par ratio sit dilatationis & constrictionis, in excessu tamen erit, id est, ex aucto calore, & multiplicatis vaporibus: & C fiet tunc pulsus rhythmicus immoderatus in celeritate dilatationis & constrictionis

Arythmorũ pulsuum caussæ.

Pulsus non exacte proportionatus: siquidem obseruet proportionem ætatis propinquæ, vt pueritiæ cum iuuentute, dicitur pararythmus: & huius caussa est, variatio parua caussarum primariarum seu synecticarum. Si vero obseruet proportionem distantis ætatis, vt pueritiæ cum senectute, dicitur heterorythmus: & hic iniquius vitium arguit, seu maius, in caussis primariis. Si tandem nullam proportionem seruet pulsus, id est, non habeat proportionem cum aliqua ætate, dicitur ecrythmus: & hic maximum vitium in caussis primariis arguit.

CAPVT XXI.

D *De caussis secundariis naturalibus, pulsum alterantibus & mutantibus: quæ sunt, sexus, ætates, & temperamenta.*

CAussæ pulsus secundariæ, alterantes, & non generantes pulsum erant res non naturales, naturales, & præter naturam. Quoad naturales: hæ petuntur a sexu, ætate, & temperamento.

Sexus qualiter pulsum immutet.

Virorum pulsus maior & vehementior, quam mulierum.

PVllus sexus, vel est Virorum, vel Mulierum. Virorum pulsus semper est maior & vehementior, & moderatior, mulierum vero pulsus celer & creber, ceteris paribus, id est, dummodo in omnibus requisitis obseruetur paritas: verbi gratia, mulier operetur vt mulier, sedendo, & quiescendo; vir operetur vt vir, laborando: non e contra: secundo, sint in eadẽ regione nati, vel habitantes, tertio, sint eiusdem ætatis, quarE to, sint eiusdem temperamenti, verbi gratia, sanguinei, pituitosi, vel melancholici.

Caussa.

Sed quæ est caussa, quod vehementiores & maiores sint pulsus virorum, quam mulierum? Caussa equidem est, quia vir calidior & robustior est muliere. Secundo, quia vir membra & arterias ampliores habet, vt clarior & liberior fiat motus, imo maior fiat eleuatio arteriæ: in feminis vero, quia angusta spatia arteriarum habent pituita & adipe occupata, non potest fieri hæc eleuatio. Tertio, quia viri, laboribus dediti cum sint, calorem semper audent, mulieres in otio degunt. Quarto, quia viri habent arterias vacuas a superfluitatibus: mulieres non; imo præ abundantia excrementi, & quia corpus magis densum habent, naturalem habent expurgationem singulo quoque mense. Ob id, cum feminæ habeant oppositas caussas cum viris, non possunt habere pulsus magnos, & vehementes, vt viri, sed minores. Cum autem minoribus pulsibus vsui satisfacere non possint, ob id supplet celeritas illum defectum, & crebritas; F vnde pulsus mulierum apparet celer & creber.

De pulsibus ætatum.

Pulsus puerorum.

PVerorum pulsus magni sunt, mediocriter vehementes, celerrimi, creberrimi. Ad edendum enim pulsum magnum tria sunt necessaria; vsus auctus, instrumẽtum molle, & facultas robusta: quæ tria in pueris inueniuntur; ob id pulsus fiunt magni. Sunt tamen simul celerrimi, & creberrimi: quia non sufficit illa magnitudo, & eleuatio arteriæ, ad refrigerandum: quia ipsorum arteria est parua; ob id parum dilatatur, compensant itaque magnitudinem celeritate, & crebritate. In vehemẽtia autem sunt moderati, quia, etsi radicaliter virtus sit vehementissima; tamen quoniam calor obrutus est multo humido; ob id eius est opus moderatum, hinc est, quod pulsus moderati, non vehementes sint.

Senum.

Senum pulsus sunt parui, languidi, tardissimi, & rarissimi: a contrariis caussis: quia debilis est caG lor: ob id vsus diminutus, facultas imbecilla, & instrumentum durum. At diceris: senum pulsus magni sunt, ex magnitudine arteriæ. Dico: quod, quamuis appareant magni ex magnitudine arteriæ, non tamen dicendi sunt proprie magni: quia non habent magnam distensionem, quæ est ex vehementi & forti facultate.

Iuuenum.

Iuuenum pulsus sunt maximi, vehementes, & celeres: quia robusta est facultas, & vsus auctus, vigente calore innato magis actuato, imo abundant in calore acquisititio.

Ætatis cõsistentis.

Mediæ ætatis, seu consistentis pulsus medii sunt: quatenus vel accedunt ad iuuentutem, vel ad senectutem: ob id habent pulsum similem ætati vicinæ. A

De pulsibus temperamentorum.

Pulsus temperamenti calidi.

PVlsus temperamentorum, pro varietate eorum varii quoque sunt. Calidum enim temperamentum maiores, & celeriores, & crebriores habet pulsus: quia vsus est auctus: & vsui aucto familiares magis sunt magnus, celer, & creber: ob id iidem pulsus temperamentum calidum sequuntur. Non tamen habet hoc emperamentum necessario pulsus vehementes: quia immoderata caliditas deiicit seu debilitat virtutem.

Frigidi.

Temparamenti frigidi pulsus, contrarii sunt pulsibus temperamenti calidi.

Sicci.

Temperamenta humida & sicca, facultatem, & instrumentum variant, licet vsum non immutent, B ideo siccum temperamentum pulsum maiorem, durum, & rarum, paulo vehementiorem facit, vti maxime in corporibus gracilibus naturaliter, non præter naturam, apparet: præter naturam enim corpora gracilia sunt ex inedia, vel morbo aliquo facta; quæ non habent pulsus maiores: sed corpora gracilia naturaliter maiorem habent pulsum, quia spatia sunt lata, per quæ arteria mouetur, & calor est multus: inde videmus in gracilibus pulsus maiores.

Humidi.

Humida temperamenta contrarias habent caussas: ergo & pulsus.

Capvt XXII.

De caussis secundariis non naturalibus, & præter naturam, pulsum mutantibus. C

Mutatio pulsus a rebus non naturalibus, & præter naturam.

DE pulsibus a rebus non naturalibus petitis, ab aere, anni tempore, regione, cibo & potu, inanitione & repletione, motu & quiete, somno & vigilia, & animi accidentibus: non tractabimus: cum facilimas caussas habeant, & cunctis sint manifestæ.

Neque immorandum est, in recensendis caussis rerum præternaturalium: quia perspicuæ erunt, versantibus per omnes morbos, per caussas morbi, & symptomata morbi: & commodius de ipsis in tractatibus particularibus fiet mentio.

Capvt XXIII.

De præsagiis simplicium & primorum pulsuum.

Dignitas huius partis Prognosticæ.

INter quatuor partes huius tractatus, honoratissima, & medicis valde necessaria est hæc tractatio, quæ D de præsagiis ex pulsibus pertractat, ob idque Prognostica dicitur: præsagire enim docet præsentia, præterita, & futura, vt primo Prognost. secundo docetur. Et hinc consulo, vt omni studio medici omnes hanc conentur adipisci: quia hæc est inter ceteras honoratissima: & nobilitate, dignitate, ac præstantia, alias tres iam propositas excellit, & medicum diuinum facit.

Quid ex pulsibus præsagire liceat.

Notandum vero ex Galeno, libris de præsag. ex puls. quod per pulsum duo præsagire possimus: vel caussas immediatas differentiarum, simulque & vtilitatem, & damnum, quod apportant singulæ caussæ: vel præsagire possumus, morbum futurum, aliquid prædicere, vel præsens exacte perpendere, & alicuius loci affecti cognitionem euidẽtem habere: primum igitur docere nitemur, nempe quid præsagiant genera pulsuum, quas caussæ ipsorum vtilitates, & quæ damna apportent.

Incipiamus ergo a magno & paruo pulsu. Quos vt cognoscamus, & præsagiamus, semper pulsum E comparare tenemur cum pulsu optime temperato, nempe sanorum, qui mediocris est, vt præsagire possimus, quantum accedat, vel recedat a naturali statu, & optime temperato, in magnitudine & paruitate, vt coniiciamus, quod malum, quod bonum, quod damnum, quæ vtilitas, futura sit: an salus, an mors.

Pulsus magnus quid significet.

Magnus ergo pulsus præsagit facultatem robustam, instrumentum molle, & vsum auctum, seu vrgentem, vel omnes simul has caussas; vel vnam tantum illarum caussarum: siue tantum sit facultas, siue instrumentum tantum, siue sit vsus tantum. Quod ita distinguere poterimus: nam si pulsus erit magnus, & vehemens; a facultate erit illa magnitudo: si magnus, & mollis; ab instrumento molli erit illa magnitudo: si vero careat vehementia, & mollitie; erit magnus ab vsu aucto. Vnde notandum, quod non solum ex vsu aucto possit pulsus magnus excitari; sed ab eo in excessu aucto, concurrente vel instrumento, vel virtute: atque ita vsus in excessu huiusmodi pulsum facere potest, concurrente, (vt dictum est) F virtute moderata, vel instrumento moderato. Præter hæc, vt quid certi præsagiamus ex pulsu magno & paruo, semper recurrendum est ad caussas naturales, & præter naturam, ad naturalem, nempe ad sexum, ætatem & temperamentum. Vt si vir sit, vel iuuenis, temperamenti calidi: & pulsus magnus erit, & caussa illius magnitudinis erit naturalis. Quod si magnus fuerit sine his caussis naturalibus, recurrendum est ad caussas præter naturam: nempe ad vsum plus iusto auctum, vel ad generationem spirituum, qui resoluti sint, vnde in præter naturam dispositis, ex pulsu magno præsagire possumus calorem maximum, vel generationem spirituum, ex defectu ipsorum præcedente. Quæ ita cognoscemus: nam si ex vsu aucto proueniat illa magnitudo præter naturam; cognoscemus ex calore totius corporis, ex siti, exque signis aliis. Quod si præcesserit aliqua caussa resoluens spiritus, vt frequens syncope, & cutis non sit calida, tunc illa magnitudo, quæ apparet, est pro generatione spirituum.

Sed aduertendum, quod interdum pulsus apparet magnus magnitudine impropria & fictitia, non G tamen est magnus a facultate forti, neque ab instrumento molli, neque ab vsu aucto; sed a magnitudine arteriæ, vt in gracilibus corporibus, vt in senibus solet apparere.

Paruus quid indicet.

Per pulsum paruum, præsagire possumus facultatem debilem, instrumentum durum, & diminutum vsum. Etenim facultas debilis non potest, distendere, & magnificare arteriam; instrumentum durum non potest distendi; ob id redditur pulsus paruus; vsus etiam diminutus reddit pulsum paruum, quia non

A non cogit. Ex omnibus ergo his, vel ab aliqua harum cauſſarum, pulſus paruus pendet. At cognoſcemus, a quanam cauſſa fiat pulſus paruus. Etenim ſi paruus ſit & languidus, erit a facultate debili; ſi paruus & durus, ab inſtrumento, ſi non adſit durities, nec languor, erit ab vſu diminuto. Quamuis etiam a naturali ſtatu arteriæ prouenire poſſit paruitas: quando enim arteria eſt exilis, paruus ſit motus oportet. In ægris tamen paruus pulſus ſemper a dibilitate facultatis prouenit. At erit ſemper paruus, & creber; ſiue hæc debilitas ſit ex debili calore, ſiue ſit ob penuriam ſpirituum. Quod ſi fuerit paruus ex debilitate caloris, cognoſcemus ex frigiditate corporis, ex colore ſubalbido, & ceteris huiuſmodi ſignis. Si autem præceſſerint ſubitæ & maximæ euacuationes, vigiliæ, labores; tunc ex reſolutione ſpirituum paruitas erit.

B Hinc quoque aduertendum, an paruitas propria & vera ſit, an non vera & fictitia: nam in carnoſis corporibus pulſus paruus repræſentatur, & tamen non eſt vere paruus.

Celer pulſus a triplici pendet cauſſa: ob id tria præſagit, facultatem validam, inſtrumentum obediens, & vſum auctum: fit enim vel ab omnibus, vel a duabus, vel ab vna iſtarum cauſſarum. Vnde ſi celer & vehemens fuerit pulſus, a facultate forti dependet: ſi celer & mollis, ab inſtrumento obediente. At ab vſu ſolo non fit celeritas; ſed ſimul cum facultate, & inſtrumento. Quod ſi natura magnitudine poſſet ſatisfacere vſui aucto, non egeret celeritate. Verum quia non poteſt: ideo inſurgit celeritas, ad explendum defectum magnitudinis: & ſi non poſſit celeritas, ad defectum ipſius inſurgit crebritas. Hinc ſanis pulſus celer ſemper eſt cum magnitudine: nunquam autem paruus & celer, quod ſi aliquando paruus & celer appareat, id contingit ab aliqua cauſſa præter naturam, videlicet, vel animi labore, vel ab alio huiuſmodi, C vires etiam reſoluente, & augente vſum. Celer quid denotet.

Ex tardo præſagiendum, languidam eſſe facultatem, inſtrumentum durum, & vſum diminutum. Tardus.

Pulſus creber arguit vſum auctum, facultatem languidam, & inſtrumentum durum. Quod ſi Vſus ſolus ſit auctus, cognoſcetis ex eo, quod facultas non ſit languida, neque inſtrumentum durum, nihilominus creber eſt. Verum, pulſum hunc crebrum ſemper præcedit magnitudo, & celeritas. Vnde in ſanis oſtendit immoderatum vſum calidorum, vel vini, vel ciborum, vel medicamentorum calidorum: in ægris vero vſum auctum ab ingente caliditate arguit. Quod ſi pulſus ſit creber & durus; a duritie arteriæ proficiſcitur. Si creber & debilis; cauſſa eſt debilitas facultatis, quod nequeat dilatare, quantum eſt neceſſarium; ob id crebritat. Creber.

Raritas vero pulſus prædicit robuſtam facultatem, inſtrumentum molle, & vſum diminutum. Et- Rarus.
D enim a facultate robuſta diſtenditur arteria, quantum vſus exigit. Ab inſtrumento molli fit aliquando raritas. Nam ſi facultas ſit mediocris, (quia arteria eſt mollis, & motui non reſiſtit,) ideo ipſam diſtendit, quantum vſui eſt neceſſarium, & pulſus eſt rarus quia celeritate, crebritateque non eget. Vſus tamen diminutus facit raritatem, & in ſanis corporibus non arguit malum. At in ægris raritas ab vſu imminuto eſt valde periculoſa, & lethalis: & hoc, quando ex propria raritate & naturali, in maiorem tranſit, vt experimur in quibuſdam febribus peſtilentialibus, tertio de præſagitione ex pulſ. c. 3. & l. 2. de præſag. e pulſ. c. 4. Et hinc accidit, vt plurimi ſubito moriantur, & aliquando moriantur vigilantes, vti quando cor calidum eſt, & humores frigidi: aliquando moriantur dormientes, quando cor frigidum, & humores calidi. Cognoſcitur tamen hoc: nam ſi intemperies fuerit frigida; pulſus eſt ſumme languidus, & paruus; raritas tamen eſt naturalis: At ſi cor calidum, contenta frigida ſint; pulſus erit ſumme rarus, non tamen ita langui-
E dus, ſed mediocriter valida eſt facultas.

Hic dubitant Doctores, qui pulſus in febribus melior ſit; an creber, an rarus. Reſpondetur ex Galeno, quod in febribus meliores ſint crebri raris, & ratio eſt: quia fiunt crebri ab vſu aucto, concomitante etiam facultate valida, ſecundum magis & minus. Raritas in autem ægris, fit a facultate debili, duritie arteriæ, & vſu diminuto: ob id ſemper peior eſt. Num pulſus creber, an rarus, in febribus ſit melior.

Pulſus vehemens arguit robur facultatis, & quo vehementior, eo melior: dummodo non excedat limites naturales, quia tunc non præcedit robur facultatis, ſed irritationem potius naturæ. Vehemens.

Languidus ſemper arguit debilitatem facultatis: & quo languidior eſt, eo maiorem virium lapſum, defectum, & exſtinctionem denotat: ſiue debilitas ſit ex euacuatione, labore, animi paſſionibus immodicis: ſiue ſit ex compreſſione, & aggrauatione humorum; ſiue ſit per irritationem ab humore ali-
F quo maligno. Languidus.

Mollis pulſus prædicit arteriæ humiditatem, & mollitiem naturalem, in his, qui vtuntur immodico potu, vel cibis humectantibus, vel balneo, vel otio. In ſtatu vero præter naturam ſi pulſus fuerit mollis, arguit humidum corporis habitum, vt in hydrope: arguit ſomnum profundum: arguit peripneumoniam, arguit apoſtemata phlegmatica, & ſimilia, quæ arterias humectare poſſunt. Mollis.

Durus vero pulſus tria prædicere poteſt: primo de diff. feb. ca. 6. vel ſiccitatem corporis, & arteriarum, factam a febre; vel arguit congelationem a frigore; vel tenſionem neruorum, ſeu partium neruoſarum, quomodocunque hæc fiat, ſiue per repletionem in ſpaſmo, ſiue per inflammationem, vt in pleuritide, & aliis huiuſmodi affectibus. Durus.

G

CAPVT XXIV.

De prognoſticis pulſuum ordinatorum & inordinatorum.

PVlſus in relatione ſeu reſpectu eſt triplex: vel enim reſpectum ad ordinem habet, & dicitur ordinatus, ac inordinatus: vel ad naturam, & dicitur æqualis, ac inæqualis; cum rhythmo, & ſine rhythmo. Primũ igitur de ordinato & inordinato quid præſagiendum ſit, videamus.

Ordinatus ergo, vel conſideratur in ſtatu naturali, vel præter naturam. Si in ſtatu naturali conſideretur:

Ordinati & inordinati pulsus præsagium.

semper arguit bonum, id est, æqualitatem, & permanētiam caussarum naturalium, pulsuum efficientium, A in eodem statu. Inordinatus, arguit caussam aliquam non naturalem.

Quod si ordo pulsus consideretur in morbis: dicitur ex Gal. 2. de causs. puls. c. 14. quod ordinatus minus malus sit, quam inordinatus, quia ordo significat naturæ præualentiam; ergo ordinatus præternaturam indicabit naturæ æqualitatem, seu caussarum æqualitatem, naturam imitantium.

In morbis ordinatus pulsus melior est inordinato: contra nōnullos.

At Struthius, & alii moderniores, & Mercatus, dicunt, quod ordinatus in affectibus præter naturam peior sit inordinato: quod ordinatus arguat caussæ præter naturam firmitatem, & æqualitatem, quæ ægre superari possit, vt quarto aph. 30. dixerit Hippocrates: quæcunque febres eadem hora occupant, difficile iudicium habent, id est, longum, quia caussam arguunt fixam. Præterea dolores colici, determinato & ordinato tempore inuadentes, deteriores sunt inordinatis. Sic pulsus, qui paruus est, verbi gratia, & B ordinatus, est magis malus, quam inordinatus, id est, qui modo paruus, modo magnus est. Nos tamen statuimus, quod aliud sit, præsagire longitudinem & breuitatem morborum; & aliud, præsagire salutem & mortem, vt 3. prognos. 39. Ordinatio enim in præter naturam affectibus, etsi arguat longitudinem morbi, (quia arguit æqualitatem, & firmitatem caussæ,) tamen nō arguit mortem, vt inde dicatur peior inordinatione. Ideo ex ordinatione indicatur salus, quantum est ratione sui: quia ordinatio est a natura, regulante caussas præter naturam, 3. de crisibus decimo. Natura regulans & ordinata est, quæ regulate & ordinate procedit. Inordinatio vero neque indicat salutem, vel mortem: quia materia est mobilis, & fluxibilis: ob id non sumitur indicium salutis, aut mortis; quamuis sumatur indicium longitudinis & breuitatis.

Capvt XXV. C

De præsagiis pulsuum singulariter inæqualium.

Æqualis & inæqualis, quid denotent.

PVlsus æqualis in sanis corporibus semper bonum arguit, nempe sanitatem: inæqualis vero non perfectam sanitatem. In ægris æqualis semper arguit malum fixum, nempe materiam, seu dispositionem, vt in pulsu hectico apparet, vbi obseruatur æqualitas, quamuis pulsus in se sit inæqualis: inæqualis arguit malum. Et quoniam inæqualitas est duplex, singularis, & collectiua, singularis rursus duplex, in vna parte arteriæ, & in pluribus partibus arteriæ: omnes hæ inæqualitates malum præsagiunt.

Inæqualitas singularis magis periculosa, quā systematica.

Verumtamen singularis inæqualitas, siue in vna parte arteriæ, siue in pluribus, grauior & magis periculosa est, quam sit inæqualitas collectiua: quia grauior est caussa, quæ vnicam pulsationem vitiat, quam quæ aliquas pulsationes vitiat, & non omnes. Vnde Galenus, secundo de præsag. ex puls. 4. inquit, D intermittens in vno pulsu deterior est, intermittente in pluribus pulsationibus, dummodo sint cum paritate caussæ, id est, si ambæ intermissiones a languida pendeant facultate. Etenim si intermissio fiat in vnica pulsatione a vitio instrumenti, non semper est periculosa: quia & aliquando salubris, vt in pulsu caprizante experimur, qui de genere intermittentis est.

Pulsus igitur ex inæqualitate singulari prodeuntes, (nempe intermittens in vna pulsatione, impar citatus, atque dicrotus) omnes mali & perniciosi in se sunt; & quidem peiores, quam collectiue inæquales: maxime si vitio facultatis facti sunt inæquales: denotant enim aut facultatem extreme debilem, aut vehementer obsessum instrumentum.

Intermittētis vno ictu præsagium.

Semper tamen, vt certum fiat ex his præsagium: consideranda est morbi magnitudo, & caussæ efficacia. Sic intermittens in vno pulsu, malum prædicit, & quidem magis, si a languida facultate pendeat. E Quod si motus sequens primum motum celerior fuerit & vehementior; bonum est: nam significat naturam esse euasuram: at si fuerit æqualis, vel minor; significat malum. Præterea in hac intermissione considerandum est quietis tempus: quo enim longius id est, eo malum deterius; quo breuius tempus quietis, eo minus malum.

Imparis citati.

Impar citatus minoris est discriminis, & diutius perferri potest ab ægrotantibus, quam vno ictu intermittens: minus enim imbecillem arguit facultatem: cum fiat a facultate sane debili, sed aggrauata, ideoque tamen nitente expellere id quod sibi est molestum.

Dicroti.

Dicrotus seu bis feriens perniciem quoque minatur: significat enim facultatem ita vitiatam, vt in medio cursu cogatur retrahi, & motum efficere contrarium, præterea etiam caussam apprime infensam denotat, vtpote humores impuros, malignos, & putridos, vel vapores fuliginosos ex illis humoribus suscitatos, qui a facultate, iam debili exsistente, vinci nequeunt. F

Myurorum.

Myuri etiam singulares ex inæqualitate singulari oriuntur: qui designant virtutis imbecillitatem, seu resolutionem, & præterea corporis gracilitatem simul ostendunt.

Capvt XXVI.

Quid pulsus systematice inæquales indicent.

Pulsus inæquales collectiue.

INæqualitas collectiua vel fit æqualiter, vel inæqualiter. Si fiat æqualiter: ab hac oriuntur pulsus inæquales quidem, sed æqualiter, vt sunt myurus collectiuus tum deficiens, tum reciprocus, & nonnulli nomine carentes. Si fiat inæqualiter, ab hac prodeunt pulsus systematici inæqualiter inæquales: qui scilicet inter pulsationes plurimas non eandem seruant distantiam; & inæqualem etiam præ se ferunt inæqualitatem, in vna, vel altera pulsuum qualitate; magnitudine videlicet aut paruitate, celeritate aut tarditate, crebritate aut raritate, & similibus. Tales sunt anonymi quidam, & præsertim intermittens in pluribus pulsationibus, intercurrens, & deficiens. G

Systematice inæqualis pulsus semper malus: maxime æqualiter inæqualis.

Porro collectitia hæc inæqualitas semper mala est, siue æqualiter, siue inæqualiter sit facta: arguit enim vitium vel instrumenti, vel facultatis, vel vtriusque simul. Verum deterior est inæqualitas æqualiter facta, quam inæqualitas inæqualiter facta. Quæ enim fit inæqualiter, arguit instrumenti seu arteriæ ineptitu-

A eptitudinem ac impedimentum: at quæ fit æqualiter, arguit facultatis defectum, qui semper deterior est instrumenti defectu.

Instrumenti seu arteriæ vitia sunt, obstructio, adstrictio seu compressio, & repletio. Quod si ergo hæc vitia maxima seu valde insignia fuerint, maximum periculum minantur: si autem parua fuerint, minus periculum significant.

Inæqualis pulsus ob arteriæ vitium.

Sed quomodo cognoscam, quando ineptitudo instrumenti, nempe obstructio & plenitudo, sit maxima? Cognoscetur ex eo: si inæqualitas, facta ab his caussis, sit valde perspicua, seu valde sensibilis, & frequenter facta; arguit maximum impedimentum, nempe maximam obstructionem & plenitudinem: ob id maximum imminet periculum. B Si vero inæqualitas non sit ita clara, imo dubia, & quasi insensibilis, & raro fiat; arguit hoc impedimentum non ita magnum ex obstructione vel plenitudine, vel compressione.

Arteriæ vitium num euidens, an obscurum.

Ratione loci ita possumus præsagire; impedimentum hoc vel est in instrumentis prementibus arterias, aut in arteriis, vel in tunicis arteriarum, (imbibiti videlicet & inhærentes humores,) vel in osculis cordis. Si in venis & arteriis fuerit impedimentum: minatur periculum non maximum. Si vero in tunicis: maius periculum. Si in oscillis cordis, maximum periculum. Quæ cognoscere possumus ex eo: quia si inæqualitas est haud frequens; arguit esse in venis, vel arteriis: si est frequens, & pluries facta; arguit maximam adesse plenitudinem & obstructionem, in tunicis hærentem: quod si cum inæqualitate adsit syncope; impedimentum, id est, plenitudo vel obstructio erit in oscillis cordis; & hæc inæqualitas arguit mortem.

Locus vitii arteriæ.

C Insuper considerandę sunt qualitates humorum excitantium obstructionem vel plenitudinem. Etenim si sint humores multi, & maxime sanguinei, qui faciunt inæqualitatẽ; hæc inæqualitas erit omnium leuissima, vt non arguat periculum: si tamen cito succurramus: potest enim hæc plenitudo statim auferri, nempe venę sectione. Et hoc cognoscetis ex signis redundantis sanguinis. Quod si inæqualitas fiat ab aliis humoribus a sanguine; erit periculosa: poterit tamen auferri purgatione, quamuis non ita facile, vt prima. Si inæqualitas fiat a vitiosis & grossis humoribus; hæc periculosissima: quia humores sunt rebelles, & egẽt adeo longa incisione, vt interim fortasse suffocare ipsam virtutem possint.

Qualitates caussarum vitii arteriæ.

Facultas etiam nonnunquam vitiatur, vt inæqualitas systematica inde exsurgat. Fit autem hoc, si vel oneretur multitudine: vel distrahatur inæquali cordis intemperie; vel irritetur a maligna humoris qualitate, aut eiusdem mordacitate.

Pulsus facultatis vitio inæqualis.

D Inæqualitas orta a facultate grauata, non semper malum portendit. Nam si inæqualis pulsus simul fuerit vehemens & validus, tunc significat naturam pugnantem cum caussa grauante ipsam. Quod si fuerit inæqualis & languidus, seu magis languidus, quam vehemens, magis tardus, quam celer, magis rarus, quam creber; tunc malum exspectandum est: est enim signum facultatis debilis, superatæ a caussa: Consideranda tamen simul alia signa, nempe vrinæ, & alia symptomata: quia nunquam est fidendum vni signo, sed pluribus, 3. prognost. 37. 1.

Pulsus inæqualitas proueniens a facultate distracta, est periculosissima; quia arguit intemperiem inæqualem cordis: & vix curari potest. Etenim si cures partem calidam cordis, auges frigidam; si frigidam, calidam auges: adeo, vt semper malum stet in augmento. 2.

Tandem inæqualitas producta a facultate irritata, est signum malum, secundum magis & minus; 3. Nam si a venenositate irritetur, maximum malum arguit; imo est mortale signum, vt in febribus quibusE dam malignis obseruatur. Quod si nõ a venenositate, sed a mordacitate: nõ erit ita periculosa inæqualitas.

Et hic notandum quod non possit fieri inæqualitas hæc collectiua a virtute simpliciter seu essentialiter debili; verbi gratia, ratione alicuius maximæ vacuationis: quia tunc facultas hæc esset æqualiter debilis, & faceret pulsus paruos, ac languidos. Quod sane docuit Galenus, secundo de præsag. ex puls. capite quarto, inquiens: cum debilitata duntaxat est facultas cordis, non degrauatur tamen ab humoribus; hic omnino pulsus parui sunt & languidi, ex facultatis imbecillitate: nulla vero illis adest inæqualitas, nisi quãdo corpus cordis inæquali intemperie detinetur. Verum nos de hac inæquali cordis intemperie nuper diximus.

Facultas simpliciter debilis, non facit pulsus collectiue inæqualis.

Illud autem denuo addamus: quod inæqualitates, quæ fieri dicuntur ex duplici intemperie, comF munes quidem videntur & aliis affectibus. Vnde qui huius classis anonymi pulsus vocantur; modo ab onerata facultate, modo a vitiato fiunt instrumento. Quare, & in horũ caussis inueniendis, vt certum ex his fiat præsagium, omni diligentia vti debemus.

Myurus collectiuus facultatis imbecillitatem seu resolutionem denotat. Hic deficiens est, vel reciprocus. Deficiens, maiorem prænuntiat imbecillitatem, vt tandem ad immobilitatem perueniat facultas, dum magis magisque a corde secedit. Reciprocus, non ita est perniciosus: & minus quam intermittens: & minus adhuc, quam deficiens alterius classis, qui omnium est periculosissimus: languidam tamen, & ipse facultatem significat; sed quæ, etsi plurimum sit aggrauata, iterum tamen ad arteriæ eleuationem, vel maiorem, vel saltem æqualem insurgit: siue id propria ratione, seu ab intemperie; vel caussa instrumenti contingat.

Myuri collectiui præsagia.

G Intermittens in pluribus pulsationibus propter sui raritatem exstat inæqualis: &, quia inter plures pulsationes ei vna aut altera deest pulsatio, aut duo, vel tres; vnde rarior quam par sit efficitur, intermittentis ob id nomen est adeptus. Hic, cum fiat a facultate non ita debili, aut aggrauata, vt fit intermittens in vna pulsatione; merito non ita prauus censetur. Non enim (teste Galeno 2. de præsag. ex puls. ca. 4.) ita incommoda est inæqualitas, quæ in aceruo consistit, quam quæ vnius pulsus inæqualitas est: In hac etenim, quæ fit in pluribus, obseruatur facultas non ita resolui, aut opprimi, quemadmodum in ea, quæ fit vnica pulsatione: nam hæc per plures pulsus non intermittit: & propterea facultatis aut instrumenti mi-

Intermittens in pluribus pulsationibus quid præsagiat.

nus vitium arguit: & ideo minus etiam periculi portendit. Imminuitur periculum, dum huiuſcemodi A pulſus vitio præſertim fiunt inſtrumenti: tunc enim minus languidi ac parui ſunt, niſi noxa ſit in oſculis cordis. Languidi tamen ac parui omnes quidem fiunt ab imbecilla facultate; atque tunc, qui non habent tempora excedẽtia intermiſſionem vnius pulſus, non ita ſunt periculoſi: periculoſiores euadunt, qui diutius quieſcunt: & qui duorum pulſuum tempora intermittendo pertranſeunt, pernicioſiſſimi fiunt, vt ab his vix quiſquam liber euadat.

Senes tamen, atque pueri, non adeo intermittentibus pulſibus ſuccumbunt; ſicuti e contra ex iuuenibus nullus (quod etiam atteſtatur Gal 2. de præſag. ex pulſ. 4.) euadere obſeruatur: niſi forte qui ſui natura huiuſmodi habeat. Huius autem ratio deſumitur ex Hippoc. 2. aphor. 34. quandoquidem in morbis minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori, magis congruit morbus, quam B quibus in multo iſtorum conuenit. At ſenibus, & pueris, ex facili ac leui occaſione contingit in actionibus mutatio: non ita porro iuuenibus; quare in his maximum naturæ exceſſum patiuntur iuuenes, & ob id magis periclitantur, quam ſenes, & pueri.

Intercurrens. Intercurrens eſt ille, quando loco quietis fit alius ictus, vt videatur alius pulſus. Hic eſt bonus, & ſecurus: quia arguit facultatem validam, aggrauatam, pugnantem cum cauſſa morbi, eamq; non eſſe pigram ad pugnandum; vnde victoriam & ſalutem per criſin futuram prædicit talis pulſus.

Deficiens. Deficiens porro eſt, quando motu deſtituitur arteria ſecundum ſenſum. Et hic eſt valde periculoſus; imo periculoſior intermittente; quia addit aliud ſupra intermittentem. Etenim intermittens eſt, qui deficit, & inæqualis eſt ob raritatem: at deficiens deficit, & inæqualis eſt ob paruitatem; ſemper autem paruitas C deterior eſt raritate.

CAPVT XXVII.

De præſagiis ex pulſibus cum rhythmo, & ſine rhythmo.

Rhythmici & ſine rhythmo præſagium. PVlſus cum rhythmo eſt, quando, verbi gratia, celeritas dilatationis eſt æqualis celeritati contractionis, vel tarditas dilatationis tarditati cõſtrictionis. Et tunc ille pulſus arguit corpus ſanum & temperatum in ſuo genere. Si autem contractio eſt dilatatione velocior, vel e contra: fit pulſus, ſine rhythmo: qui, ſi in ſanis corporibus reperiatur; ætatis, vel ſexus, vel temperaturarum, vel animi paſſionum eſt indicium.

Sed vt melius rem hanc declaremus, notandum, quod duplex ſit calor in nobis: quidam naturalis, quidam præter naturam. Naturalis, quia eſt qualitas calida, facit dilatationem, attrahendo aerem pro ſui refrigeratione, pro ſui refrigerio. At calor præter naturam, quia fuliginoſus vt plurimum eſt, vltra qualita- D tem calidam habet etiam fuligines, & vapores: propterea facit contractionem, ad expellendum illos vapores. Et hinc eſt, quod indiget celeriori & velociori contractione, quam dilatatione. Hinc dico, quod dilatatio celer vult refrigeratione caloris natiui: contractio vero celer vult expulſionem vaporum. Et hinc ſequitur, quod in febribus putridis eſt velocior contractio dilatatione: quia multi vapores adſunt expellendi. Et ita apparet in principiis acceſſionum. Hic dicitur pulſus rhythmicus impar.

In optime vero ſanis maior & velocior eſt dilatatio contractione: quia non adſunt vapores expellendi; ſed tantum qualitas caloris, quæ indiget refrigerio: ob id, ſi celer dilatatio, & celer erit conſtrictio, quia calor, agens in humidum, eleuat aliquales vapores: & tunc fit pulſus cum rhythmo. At quando tanta eſt & maxima imparitas, fiet pulſus ſine rhythmo, vt in ſtatu præter naturam: humores etenim crudi egẽt E concoctione a calore: calor vero intendens corrigere, eleuat vapores: quibus eleuatis redditur contractio maior, & plus iuſto velocior, vt illos expellat. Vbi vero natura concoxit illos humores rebelles, contractio non eſt valde celer: ſed parum plus quam dilatatio, & tunc eſt ſignum, quod humores ſunt concocti, & ſuperati a natura. Vnde Galenus (primo ad Glauconem, capitulo ſecundo) ait; ſigna coctionis deſumi ex pulſibus & vrinis, modo prædicto.

Hac etiam ratione in ſenibus contractio velocior eſt dilatatione: quia fuligines a calore debili eleuantur. In iuuenibus vero celerior eſt dilatatio contractione: quia viget calor, qui eget dilatatione pro refrigerio.

Hinc ſi pulſus obſeruet proportionem propriæ ætatis, arguet temperamentum naturale, & proprium, & bonum. At ſi obſeruet proportionem propinquæ ætatis, malus eſt. Deterior vero quando ſeruat proportionem diſtantis ætatis, quia hi pulſus cum noxa aliqua fiunt maiori, vel minori, vt quanto ma- F ior vel minor eſt receſſus; maior, vel minor ſit noxa.

CAPVT XXIIX.

De præſagiis pulſuum inæqualium compoſitorum.

Vndoſus pulſus quid annunciet. QVoad pulſus inæquales compoſitos: primo de vndoſo agemus; de quo Galenus agit ſecundo de præſagitione ex pulſibus nono. Hic aliquando bonus, aliquando malus: bonus eſt in febribus, apparentibus ſignis coctionis, quamuis enim nimiam redundantem humiditatem denotet; nihilominus arguit ſudores criſeos in ſtatu morbi, maxime ſi vehemens ſit ſimul, & altus pulſus. Aliquando eſt malus, & oſtendit morbos humidos, vt febres quotidianas, hydropes, aſcitem, & anaſarcam, niſi adſit ſcirrhus, G ſeu inflammatio in viſceribus, vel in partibus propinquis arteriis, quæ ſolent immutare pulſus: ita vt in angina & pleuritide pulſus non ſit vndoſus. Fit ergo pulſus vndoſus a facultate onere preſſa, & grauata.

Vermiculans quid ſignificet. Quoniam vndoſus definit in vermiculantem: ob id malum affert ſignum vermiculans; ſignificat enim naturam deiici & debilitari. Fit etiam concurrente arteria molli, vt vndoſus; ſed a virtute imbecilli; e contra vndoſus a virtute robuſta. Obſeruatur ergo huiuſmodi pulſus vermiculans in his, qui paſſi ſunt immodicas

A dicas inedias,& euacuationes;& tunc non eſt ita malus, quando virtus reſtitui poteſt vino, & carne, quia defectus eſt in ſpiritibus:at quando defectus eſt in partibus ſolidis principalibus, vt in phthiſi, in empyemate, malum eſt ſignum, virtutis enim arguit imbecillitatem, quæ ſubleuari minime poſſit.

Aliquando vermiculans degenerat in formicantem, & hic peſſimus eſt, & mortem prædicit: quia arguit maximam virtutis imbecillitatem, vt vix recuperari poſſit: niſi tamen hic pulſus formicans dependeat ab aliquo errore externo, reſoluente ſpiritus: tunc enim emendari poteſt; quia virtus refici poteſt carnibus,& vino, roborantibus & regenerantibus ſpiritus: nam ſicuti ſubito reſoluuntur ſpiritus, ita ſubito generantur: ob id non eſt maximi periculi. At hic vnum notandum, quod in febribus acutis non fiat pulſus formicans: quia in formicante lente mouetur arteria; at in acutis celerrime; quia vſus eſt auctus a B caliditate,& tunc potius facit celeres & crebros, præ debilitate. Formicans quid.

Caprizans pulſus bonus eſt,& ſine periculo, cum in principio eſt tardus,& vltimo celer: arguit enim facultatem validam, & futuram victoriam ſupra morbum, maxime, ſi vrina fuerit bona, cum bono ſedimento, criſin futuram breui tempore prædicit, dummodo ſecunda motus pars poſt contractionem non ſit imbecillis, tunc etenim ſignificat pugnam dubiam,& facultatem non admodum præualentem. Caprizans quid.

Serrinus pulſus malum arguit, quarto de cauſſis pulſuum.7 & 8. imo mortem aliquando: arguit enim maximam internam inflammationem; adeo vt niſi virtus ſit fortis, iſti non euadant; ſiquidem tunc cruda cum ſit inflammatio, vires autem debiles; eget tempore, vt concoquatur, at vires languidæ perferre & exſpectare coctionem illius nequeunt, vt interim ſuccumbant,& mors ſequatur. Si igitur virtus fuerit debilis; certum indicium eſt mortis, vt in pleuritide apparet, vbi ſola ſpes eſt in virium robore. Serrinus quid.

C Conuulſiuus pulſus quandoque bonus, quandoque malus: bonus, quando in principio morbi apparet: quia tunc prouenit a repletione diſtendente: malus, quando accidit poſt morbum, poſt euacuationes, poſt nimium calorem,& nimiam ſiccitatem,& tunc lethalis eſt, vt apparet in ſingultu, & in ſpaſmo ex inanitione proueniente. Cõuulſiuus quid.

Tremulus ſemper malus eſt, imo mortem prædicit; quia tunc arteria conuelli incipit; ſi enim fiat in febribus, ex muſculorum tremore, morbi longitudinem ſignificat; ſi autem fiat corde & arteriis trementibus, imminentis mortis præludium eſt; maxime tamen inflammationem cerebri denunciat, cum arteriis communicantem. Tremulus quid.

Palpitans pulſus non eſt omnino periculoſus; quia cauſſam parum perſiſtentem habet, vt eſt flatus. At aliquando palpitans eſt ex corde & arteriis; aliquando ex corde tantum: ſi ex corde & arteriis dependeat, maximam aquoſitatem in capſula cordis congeſtam arguit: at ſi ex corde tantum, vt quando palpitatio non eſt continua; tunc fit ex vaporibus flatuoſis, eleuatis ex ventriculo, vel aliis partibus petentibus cor,& tunc eſt malum: ſolet enim accidere in peſtilentiis. Palpitans quid. D

Strepens arguit arteriæ locum vacuum, aere plenum,& duritiem arteriæ: & hic reperitur in magnis febribus ſenum, vel in his, qui forti ſpaſmo corripiuntur, vel in corporibus emaciatis, quæ nutrimento egent. Strepens quid.

Hecticus pulſus affectum diuturnum arguit: quod ſi robur adſit virtutis, poſſunt euadere, alias moriuntur. Hecticus quid.

Poteſt tandem pulſus prædicere morbos aliquos,& partes aliquas affectas, videlicet cor, cerebrum, pulmones, thoracem, hepar, ventriculum,&c. Sed de his in morbis particularibus fiet exacta mentio.

FINIS.

 A

HIERONYMI CAPIVAC. B
TRACTATVS DE VRINIS.

CAPVT I.

De ordine tradendorum.

Vtilitas & difficultas huius tractationis.

ROMANTIÆ *vtilitatem* dum considero: nihil in re medica hac ipsa vtilius perspicio. Nam, vt testatur Galenus c.4.l.4.de tuend.valet. ope vrinarum possunt affectiones venarum & arteriarum cognosci: accedit etiam hoc, vt plura alia omittam, C nihil esse, quod magis ad prognosticandum conferat, quam vrinæ cognitio: quandoque enim contingit, vt vult Hippocrates, nos ex sola coctione, in vrina perspecta, posse tum citam, tum certam salutem polliceri. Verum sicuti hoc negotium vtile est; ita etiam maxime est *arduum*: (mihi credite) vt mirum non sit, si ex pluri-mis qui de vrinis tractarunt, perpauci fuerint veritatem assecuti. Quid enim assecutus fuerit doctissimus Actuarius, qui omnibus numeris vrinarum tractationem voluit absoluere, vos in progressu huius tractatus cognoscetis.

Ordo doctrinæ de vrinis: Ad tantum igitur negotium accedentes, vtilitatis vestræ gratia, duo faciemus in hac materia: primo proponemus ordinem, quem in hoc tractatu sumus obseruaturi: deinde, Deo optimo maximo fauente, negotium aggrediemur. D

1. Aliorum. Quantum ad primum attinet: noui, omnes in hac re ita progredi, vt primo de Differentiis vrinarum; secundo de Caussis; tertio de Præsagitione, verba faciant. Quamuis Actuarius materiam de Vrinis quatuor absoluat: primo enim de Differentiis; secundo de signis; tertio de Caussis, quarto de præuidentia agit. Nolo ego hunc ordinem improbare: veruntamen hoc scio, si hoc negotium breuiter & non sine vtilitate explcandum est, oportere nos alio ordine progredi. Nam dum prius de differentiis loquimur, & deinde ad caussas accedimus: velimus nolimus cogimur differentias repetere. Ad eundem modum, dum loquimur de præuidentia; cogimur easdem differentias repetere. Sed hoc est procedere doctrina valde prolixa.

2. Auctoris. Quo igitur ordine procedemus? E recte philosophantium sententia, rectum solet esse iudex sui met, & obliqui. Proinde non erit præter rationem, si nos primo de sanorum, deinde de ægrotantium vrinis loquamur. Quem ordinem etiam insinuare videtur Aetius, vir in re medica non cōtemnendus: dicit enim, E quod quicquid est præter naturam, inueniatur ex naturalibus. Idcirco ab his est ordiendum. Nec exspectetis, vt in hoc tractatu de conditionibus, ad vrinam attinentibus loquamur: veluti; de aere & loco, in quibus reponi debeant vrinæ: & similibus. Ea enim solum proponemus, quæ recondita sunt: non prætermittentes ea, quæ a Galeno proponuntur: qui c.4.l.4.de tuenda sanitate præcipit, & optimo iure, vt perpendamus consistentiam, colorem, atque contenta in vrinis.

CAPVT II.

Lotii definitio: & quod ipsum sit hepatis excrementum.

SEd qua ratione hæc erunt consideranda? Si certam capere notitiam vrinarum vultis: oportet, vt a veris fundamentis, atque optimis, huius doctrinæ initium sumamus; nimirum a rei essentia, quæ explicanda erit definitione. Definitionem ergo vrinæ tradamus, eamque omni diligentia explicemus. F

Sed aduertatis duplicem posse definitionem assignari: vnam quidem breuiorem: alteram vero longiorem.

Breuior hæc est. *Lotium vel vrina est excrementum aquosum iecoris, per colis meatum egressum.*

Definitio breuior vrinæ. In hac definitione id vnum est aduertendum, ipsam esse traditam per proximum genus, sicut requirit omnis bona definitio, non autem per remotum: verbi gratia; si quis dicat, hominem esse substantiam, vel corpus: hæc non est hominis definitio. Quænam ergo sunt proxima genera? Ea sunt, quæ, cum per differentias subdiuiduntur, faciunt nos descendere ad definita, vt si diuidatur animal per rationale & irrationale. Excrementum ergo potest esse, vel Vaporosum, vel Corpulentum. Vaporosum quidem, vt quando exeunt flatus. Corpulentum vero, quando exeunt reliqua. Excrementum autem corpulentum, G vel est Solidum, vel Liquidum. Solidum, vt vngues, pili, & huiusmodi alia. Liquidum vero est, vel Humorosum, vel Serosum seu aqueum. Vrina igitur est excrementum serosum, seu aquosum. Vnde Arist.c.7.l.4.meteor.lotium reposuit inter species aquæ.

Neque ego in hac breui definitione proposui renes, quod Fernelius facit: qui dicit, lotium esse excrementum serosum, sanguinis vehiculum, renum vi secretum. Supponatis nunc renes nihil prorsus lotio

tri-

A tribuere:vrina enim,vt ſuo loco audietis,vniuerſam ſuam abſolutionem acquirit in iecore, ideo non erat neceſſaria illa particula,*vi renum.&c.* Quod ſi diſtingui debet lotium a ſudore:ſufficit dicere,excrementum hoc exire per meatum colis.

Definitio longior vrinæ.

Tradamus etiam definitionem lotii prolixam,& clariorem:hoc modo:*Lotium eſt excrementum iecoris,genitum ex aſſumta aquoſitate, biliosi excrementi nonnihil adepta, & ex alimento coctionem renuente,a ſanguificatrice,vt ſanguis tum depuretur,tum deuehatur,per meatum colis egreſſum.*

Vrina eſt excrementum.

Declaro hanc definitionem.Patet,lotium eſſe *excrementum,* ex Ariſtotele,cap.17.l.1.de generatione anim.Competit enim quibuslibet excrementis, vt ſint alimenti reliquiæ.

Quare explicare oportet reliquas particulas:quarum vi hoc excrementum a reliquis ſeparatur.

Lotium eſt hepatis excrementũ.

B Diximus *iecoris,* ex Galen.l.5.de vſu partium, 10.vbi dicit,quatuor eſſe conſtituta inſtrumenta a natura pro expurgando iecore:lienem ſcilicet, veſicam felleam & duos renes. Renes autem expurgant iecur a ſeroſitate. Hoc colligitur ex Galeno c.9.l.3.de naturalibus facultat.vbi ait, quemadmodum hominum ſtercus canibus eſt ſuauiſſimum;ita excrementum iecoris renibus eſt iucundiſſimum. Quodnam eſt hoc excrementum?Eſt excrementum ſeroſum. Vnde non præter rationem Gal.l.5.de vſu part.c.5.redarguit Lycum Macedonem tanquam amentem,quod imaginabatur lotium eſſe excrementum renum:hoc enim nequaquam eſt dicendum.Imo addit Gal.l.1.de natur.facul.c.vltimo, non eſſe credendum, tantam excrementi ſeroſi copiam poſſe eſſe excrementum renum, vt partium, quæ nimis ſunt exiguæ. Et ob id ibidem dicit,quod,vt veſica fellea bilem attrahit a iecore,ita renes ſeroſum excrementum. Vnde licet bilis attrahatur a veſica fellea e iecore;non tamen eſt excrementum veſicæ felleæ.Ita etiam,licet renes attra-
C hant lotium e iecore;non eſt tamen lotium excrementum renum,ſed iecoris. Hoc autem ſcire non ſufficit:oportet enim ſcire,quid per iecur ſit intelligendum. Per iecur ergo intelligimus tum carnem iecoris, tum ipſius venas,id eſt, venas in eo exſiſtentes.Principaliter tamen intelligimus carnem; quia ſignificatio abſoluitur in carne iecoris:caro enim primo ad ſanguificationem concurrit: idcirco vtrumque intelligimus.Vnde Galenus (& hoc ſcitu perneceſſarium eſt præſertim,quia ignoro, an aliquis hactenus hoc cognouerit) l.3.de ſympt.cauſſis c.2 dicit, triplex eſſe iecoris ſeu venarum excrementum; ſcilicet,bilioſum, melancholicum,& ſeroſum.Si igitur triplex eſt venarum excrementum,per venas oportet intelligere venas quæ ſunt in hepate,non autem extra hepar: quia omnibus in confeſſo eſt,& bilem, & melancholiam generari in hepate.

Quomodo in qualibet coctione duo excrementa.

D Sed occurrit dubitatio: quomodo fieri poſſit, vt in iecore triplicia excrementa locum habere poſſint.Nam ex Galeni ſententia c.3.l.3.method.in qualibet coctione duo neceſſario colliguntur excrementa:quorum vnum tenue eſt,alterum craſſum. Vnde loquens de vlcere, dicit duo colligi excrementa in vlcere:alterum tenue,quod appellat liquorem,alterum craſſum,quod vocat ſorditiem. Si igitur duo tantum ſunt excrementa in qualibet coctione:quomodo tria ſunt in venis iecoris? Non dicatis,ita eſſe intelligendum Galenum,vt voluerit neceſſario duo tantum eſſe excrementa: poſſunt enim eſſe plura, neque hoc ipſe negaret. Nam primum poſſum dicere, licet ſint plura excrementa, horum tamen aliqua poſſe reduci ad tenuia,aliqua ad craſſa; & ſic non dicerem falſum. Præterea ſuſpecta redditur curatio vlceris. Nam ratione tenuis excrementi, oritur indicatio ſiccandi: ratione craſſi, indicatio oritur extergendi. Vnde,ſi poſſet dari aliud excrementũ; ſuſpecta redderetur curatio: quia quis ambigeret, an aliud moliri oporteat.Propterea alio modo diluenda eſt ambiguitas. Sciendum ergo, cum ſermo ſit de concoctione,
E ſermonem eſſe,vel de concoctione alicuius ꝙ & perficitur,& depuratur:vel de cõcoctione alicuius,quod perficitur tantum,nec depuratur.Verbi gratia,ſi ſermo fiat de generatione carnis in vlcere: dum generatur caro,caro & generatur,& depuratur ab excremento tum tenui,tum craſſo, at ſi ſermo fiat de ſanguine,hic concoquitur in iecore, ſed tamen exacte non depuratur in eadem parte, in qua perficitur:ſanguis enim in ſima iecoris parte per ſe perficitur,& aliqua ex parte depuratur:depuratur enim a bile,& a melancholia,non tamen a ſeroſitate:nam ab hac depuratur in parte gibba. Et idcirco dicit Gal.c.2.l.3. de ſympt. cauſſis,quatuor eſſe concoctiones,quarum prima fit in ventriculo,altera in venis, tertia in ſingulis partibus,quarta eſt aſſimilatio,quæ ex Gal.nihil aliud eſt,quam nutritio,ad quam aliæ referuntur.Præter igitur nutritionem,voluit Galenus tres eſſe concoctiones.

F Auicennas prima primi, cap. de qualitate generationis humoris, vult quatuor eſſe concoctiones: primam fieri in ventre,alteram in hepate,tertiam in venis,& quartam in ſingulo quoquo membro.Vnde plerique volunt,Auicennam diſſentire a Galeno. Quod tamen non eſt. Quantum enim ad primam coctionem in ventre:patet nullam eſſe inter ipſos diſcrepantiam. Nec quo ad ſecundam. Licet enim dixerit Galenus,ſecundam concoctionem eſſe in venis, Auicennas autem in hepate, nulla tamen eſt diſcordia: quoniam Galenus per venas intelligit venas exſiſtentes in hepate;Auicennas vero intelligit hepar,ad differentiam venarum,quæ ſunt extra hepar, & ideo Galenus proponens venas hepatis,intelligit etiam carnem hepatis. Sed difficultas eſt,quia dicit Auicennas, tertiam concoctionem fieri in venis. Quid enim vult ipſe per venas?intelligit, (vt dicunt aliqui) venas extra iecur exſiſtentes. Quod ſit verum, patet:quoniam Auicennas,proponens tertiam concoctionem,vult eadem eſſe excrementa tertię & quartę concoctionis. Et propterea venarum concoctio Auicennæ eſt potius præparatio quædam ad quartam conco-
G ctionem.Quare non eſt concoctio diſtincta.Ideo habet eadem excrementa. Quod hoc ſit verum, videatis Auicennam,qui vult excrementa tertiæ & quartæ concoctionis eſſe tenuia,craſſaque, tenuia vult eſſe, quæ inſenſibiliter tranſpirant,craſſa autem,quę ſenſibiliter exeunt;quæ dubio procul nõ ſunt excrementa tertiæ concoctionis,ſed quartæ.Quare nulla eſt diſcordia: quia Auicennas tertiam concoctionem non intelligit diſtinctam concoctionem;ſed diſpoſitionem ad quartam.Quare quantum attinet ad ſecundam concoctionem,in qua prodit lotium,conſtat hanc ipſam fieri in iecore & venis.

Verum adhuc remanet difficultas: quia triplicia erunt excrementa iecoris & ſecundæ coctionis. A
Poſſem ego dicere, Galenum c.3.l.3.method.ita eſſe intelligendum, vt velit, in qualibet coctione duo tantum eſſe excrementa, quorum vnum ſit tenue, alterum vero craſſum: & proinde tenue in iecore eſſe bilioſum & ſeroſum: craſſum vero eſſe melancholicum. Sed tamen nolo vt ſic reſpondeatis. Dico ego intelligendum eſſe Galenum de ea coctione, in qua id, quod coquitur, in eadem parte perficitur, & depuratur; veluti apparet in generatione carnis in vlcere, vbi caro & fit, & depuratur. Secus eſt dicendum de concoctione ſanguinis: ſanguis enim qui perficitur in ſima parte iecoris, non poteſt in eadem depurari, propterea quod non poſſit id, quod eſt ſeroſum, adſcendere. Non poteſt itaque ſanguis & perfici, & depurari in ſima iecoris parte, ſed perficitur inſima, & depuratur, in gibba. Namque in ſima parte, vt duo colliguntur excrementa, alterum tenue, alterum craſſum: ita etiam in ſuperiori parte, cum ſanguis iam perfectus, non B
tamen depuratus, ſegregatur pariter alterum excrementum tenue, & eſt liquor, alterum vero craſſum, & eſt contentum. Neque aliquis imaginetur hæc eſſe fictitia, ſanguinem nimirum perfici in ſima, & depurari in gibba. Hoc probabo ex Galeno: & hoc faciam, non ſolum pro conſummatione veritatis huius rei; ſed etiam vt cognoſcatis, quidnam aſſecutus ſit in hac re Fernelius. Dicit Gal.c.4.l.5.de vſ.part. ſanguinem inſima parte rubrum purumque fieri: purum, inquam, ab humore bilioſo, & melancholico, a quibus ſcil. ſeparatur, ſanguis vero inſima rubefactus, adſcendit in gibbam. Addit ibi vnum, quod eſt perpēdendum: ſanguinem ſcilicet in ea parte reddi rubicundum. Nam (vt dicit Plato) ſanguinis color præ ſe fert ignis diuini portionem a quo originem ducit.

Num lotiū etiam venarum poſſit dici excrementum.

Patet igitur lotium eſſe excrementum iecoris. Sed dicit Galen.c.11.l.1.de tuenda ſanitate, aliud eſſe C
excrementum iecoris, aliud venarum & arteriarum. Contra cont 3.com.in l.1.prorhet. dicit lotium indicare affectum venarum & arteriarum. Vnde ex his videtur colligi, lotium eſſe excrementum venarum & arteriarum. Pro huius difficultatis ſolutione ſciendum eſt, totum lotium acquirere ſuam perfectionem in gibba iecoris parte: ibi enim nomen, & ſubſtantiam, & colorem acquirit. Sed aduertendum, lotium ſeu ſerum in iecore perfectum, non attrahi totum a renibus. Portio enim aliqua diſtribuitur per venas corporis, vt ſit vehiculum ſanguinis. Hęc autem ſeri portio, quæ fit vehiculum ſanguinis, ſecundum aliquam ſui partem vel inſenſibiliter tranſpirat, vel in ſudorem conuertitur, reliqua autem portio eſt illa, quam attrahunt renes. Hanc autem attrahunt non a iecore, ſed a venis extra iecur exſiſtentibus, id eſt, a venis totius corporis. Idcirco ſi conſideretur lotium, non ratione loci, in quo acquirit ſuam perfectionem; ſed ratione loci, e quo attrahunt renes hoc modo lotium erit excrementum venarum. Si autem lotium ea ratione cōſideretur, qua debet conſiderari, quatenus generatur: ſecundum hanc conſiderationem gignitur in iecore. Et ob id diximus in definitione, ipſum eſſe excrementum iecoris. Sed quatenus lotium attrahitur, modo a iecore, modo a venis, modo ab arteriis: ita ipſum modo iecoris, modo venarum, modo arteriarum poteſt dici excrementum. D

Vrina, quomodo veſicæ excrementum dicatur.

Sed difficultas occurrit maior: quoniam eſt Galeni ſententia cap. ſeptimo l.5.de vſ.part. veſicam attrahere excrementum ſeroſum, atque hoc eſſe proprium excrementum veſicæ. Si ergo eſt proprium veſicæ excrementum: quomodo eſt iecoris? Supponatis in præſentia, veſicam attrahere ſeroſitatem, non a renibus, vt ex anatome vidiſtis, ſed a vaſis vrinariis. Atque hac ratione, (quando Galenus dicit, lotium eſſe excrementum proprium veſicæ) per proprium intelligit familiare, hoc eſt, proprietatem quandam ſimillimam habens, & maxime affinem cum corpore veſicæ, cuius ſimilitudinis ratione fit hæc attractio. Nam E
vere excrementum hoc gignitur in iecore. Poteſt autem dici, lotium eſſe excremētum etiam renum, hoc ſenſu: quatenus ſcil. eſt renibus familiare. Hæc ſolutio fuit Gal.c.10.l.5.de vſ.part. vbi dicit, partes attrahere excrementum, ratione communitatis, quæ eſt in qualitate, id eſt, ratione proprietatis.

CAPVT III.

De liquore vrinæ, & eius coloribus: obiter queq; Chromatologica quadam.

Materia lotii duplex: liquor, & contentum.

PRæterea diximus in definitione: *genitum ex aſſumta aquoſitate, bilioſi excrementi nonnihil adepta, & ex alimento concoctionem renuente.* In qua particula nihil aliud continetur, quam materia, ex qua producitur lotium, excremētum hoc ſeroſum. Hæc autem materia duplex eſt: & merito. Sicut enim in generatione ſanguinis, atque eius depuratione aliqua, quæ fit inſima iecoris regione (dico aliqua, quoniam ibi ſanguis non vndequaq; depuratur) duplex producitur excrementū, quorum vnum tenue eſt & bilioſum, alterū craſſum & melancholicum: ita etiam rationi conſonū eſt, in perfectiſſima depuratione ſanguinis, quę in gibba iecoris fit, duplicia produci excrementa, quorum vnum ſit tenue, alterū vero craſſum. Tenue eſt liquor vrinæ: craſſum vero contentū in vrina. Cum ergo hęc duo ſint excrementa, ex quib. conſtat lotiū: idcirco neceſſe fuit, in definitione ponere materiā, ex qua excrementū tum tenue, tum craſſum gignitur. F

Liquoris vrinæ materia.

Dicamus prius de materia ex qua fit *liquor*. Diximus ex aquoſitate aſſumta. Quia lotium non tantum prodit ex potione, verum etiam originē ducit ex parte aquoſiore ciborum. Idcirco diximus: ex aſſumta aquoſitate, ſiue potus, ſiue cibi. Vnde eſt ſententia Gal.l. 10.de ſimpl.med.fac.c.de ſudore, eandem eſſe materiā ſudoris, & vrinæ; nempe, bilis portionē, ſeu aquoſitatem. Atq; addit Ariſt.probl.tertio ſect.2. alimēti partem dulciſſimam in corporis ſubſtantiam cōuerti: alieniſſimā vero partem, quam crudam appellat, vel adſcendere, & vocari ſudorem; vel deſcendere, & dici vrinam. Eadem ergo eſt materia ſudoris & vrinæ. G

Bilis cum lotii aquoſitate miſcetur.

Fit autem lotium ex aſſumta aquoſitate, non ſimpliciter, ſed (ex Galeno, locis citatis) ex aquoſitate, bilioſæ ſubſtantiæ nonnihil adepta. Neceſſarium eſt enim vt bilioſa ſubſtantia cum aquoſitate miſceatur. Bilioſa autem ſubſtantia poteſt eſſe, & alimentum, & excrementum, vt alias diximus. In præſentia locum non habet bilis alimentalis, ſed excrementitia. Et hoc ſentit Gal.c.6.l.quincti de vſu part. vbi ait, bilioſum excrementum ſecundum tenuiorem partem cum lotio permiſceri.

Sed

A Sed forte aliquis dicet: cur factum est a natura, vt cum aquositate misceatur biliosum excrementum & potissimum in corpore sano? (loquimur enim de vrina sanorum.) Quando ergo corpus sanum est, & in sanguificatione prodit bilis excrementitia, cur tota hæc bilis non cõfluit ad vesicam felleam? Quæ hæc est necessitas, ob quam excrementũ hoc biliosum iecoris permiscetur aquositati? Cum enim excrementum serosum sufficiat ad deferendum sanguinem, idcirco non videtur opus esse permixtione bilis.

Credo ergo perdifficile esse reddere huius rationem. Dico tamen hoc esse natura factum, vt illud excrementum redderetur familiare naturæ, vt non esset inimicum partibus, a quibus attrahitur. Familiaritas vero hæc fortasse postulabat, vt cũ aquositate permixta esset hæc superfluitas biliosa, vt tingatur aquositas. Aquositas ergo suspicit colorẽ ob hoc biliosum excrementũ. Non n. põt calor, citra, biliosam materi-

Tinctura lotii sanorũ quæ, & vnde.

B am, tingere lotium: (dicant alii quidquid velint.) Hoc colligitur e Galeno cap. 12. l. 1. de crisibus: vbi dicit, per inediam reddi lotium magis coloratum: quoniam per inediam (ait Galenus) calor vlterius agens, quam par sit, partem pinguiorem vertit in amaram bilem, quæ lotium tingit. Sed quomodo tingitur? Dicit ibi Galenus, lotium esse subrufum, vel subflauum (semper autem loquimur de lotio sanorum.) Et quoniam inter subrufum & subflauum colorem, est color rufus medius: idcirco colligatis, etiam lotium secundum naturam, esse vel subrufum, vel subflauum, vel rufum. Hi enim sunt tres illi colores, qui faciunt lotium secundum naturam.

Galenus autem (volo vt intelligatis hos colores eo modo, quo ipsos intelligit Galenus c. 12. lib. 1. de crisibus) per rufum intelligit colorem, qui est propior albo, quam sit flauus. Et idcirco per rufum non intelligatis rubrum, quia ruber est propior nigro, quam flauus: sed intelligatis citrinum, qui est proxi-

Rufus vrinæ color.

C mus albo.

Hi colores licet sint secundum naturam: lotium tamen tingunt diuersimode, pro diuersitate bilis. Nam alia est bilis pallida, alia rufa, alia flaua. Inter has autem hæc est differentia: quod pallida fit a calore remissiore: rufa ab intensiore: flaua vero adhuc ab intensiore. Hinc est, quod si debeat fieri lotium secundum naturam, necesse est, vt aliquid bilis cum aquositate misceatur. Si enim nihil permisceatur, lotiũ non erit secundum naturam. Si autem aliquid permisceatur: vel erit bilis, vel aliud a bile. Si quid aliud permisceatur, (vt suo loco dicemus) erit lotium præter naturam. Quod si bilis permisceatur: nisi sit vel pallida, vel rufa, vel flaua; lotium non erit secundum naturam: verbi gratia, si cum lotio misceatur bilis vitellina, vel porracea, vel alia, de quibus suo loco. Debet ergo misceri bilis, vel pallida, vel rufa, vel flaua: non tamen omnibus modis. Nam quantum attinet ad bilem pallidam, dummodo hæc in debita copia mi-

Tincturæ varietas.

D sceatur, fiet lotium subrufum, & proinde secundum naturam; quod si minima copia misceatur, tunc vrina non erit secundũ naturã, sed modo sub spicea, modo spicea fiet, non autem subrufa. Debet ergo mediocris materiæ quantitas cum aquositate permisceri. Si vero cum aquositate misceatur bilis rufa: lotium fiet subrufum, & rufum etiam: pro maiore vel minore portione rufæ bilis. Iam si adhuc copiosior rufa bilis misceatur: fiet lotium subflauũ absq; splendore. Quod si fiat mixtio flauæ bilis: lotiũ reddetur subflauum & splendens: Nam vt dicit Galenus loco citato, flaua bilis splendens est, igneæ portionis caussa, quæ quidem portio ignea collecta est in flaua bile. Quod si copiosior sit flaua bilis: lotium fiet flauum, nõ autẽ subflauum: & tunc erit lotium, quod videbitur excessisse limites lotii secundum naturam.

Sed aduertendum, ne quis vestrum credat, præter bilis mixtionem, necessarium esse aliquid aliud mi-

E sceri, nempe serosum sanguinem. Nam Galenus loco citato, ait, opus esse, vt cum serositate permisceatur, non modo serosus sanguis, sed etiam aliqua portio rufæ bilis. Dicatis, ad producendum lotium secundum naturam, non necessarium esse, vt permisceatur ichor sanguinis. Sed quid voluit Galen. his verbis? Cum ibi loquatur de vrinis subrubris, & proinde de vrinis ægrotantium: vult, tales vrinas non esse bonas: Propterea quod indicant debilem calorem, qui non potest gignere rufam bilem, nec sanguinem exacte concoquere: Et idcirco si lotium debet bonum euadere (dicit Gal. oportet vt misceatur rufa bilis: non tamen ob hoc inferre voluit, lotio secundum naturam necessarium esse ichorem sanguinis misceri.

Verum cum lotium secundum naturam tingatur a bile pallida, rufa, & flaua: color subrufus, rufus, & subflauus arguere videtur materiam vel magis vel minus calidam. Nam si Galeni dicta recte perpendantur, is modo videtur colores referre in temperaturam, modo non. Videatis eum lib 4. de simplicitat.

Colores lotii vnde.

F med. facult. cap. vltim. qui locus est difficillimus. Ratione huius difficultatis dicit ibi Galenus, colores non sequi temperamentum: propterea, quod in genere alborum & nigrorum dantur calida, frigida, humida, & sicca: verbi gratia: nix alba est, tamen est frigida: cepa est alba, tamen est calida. Non ergo solet a colore argui temperamentum. Sed ibidem monet Galenus, nos posse a colore arguere temperamentum, in eodem genere seminis, vel succi: & dat exemplum in genere ceparum, quarum albæ minus sunt calidæ, rubræ calidiores.

Vt hoc recte intelligatis: cognoscendum est, *quomodo producatur color.* Videatis Aristotelem, 1. de generatio. animal. vbi asserere videtur, alba esse calida, & quanto aliquid est magis album, eo esse calidius. Cum autem Aristoteles sit Philosophorum princeps, non est existimandum, cum sine ratione locutum fuisse. Præterea & Auctor illius libelli de coloribus (qui tribuitur Aristoteli) docet, simplices, id est, veros

Naturã colorum in genere.

G colores, sequi mixtionem elementorum. Cum ergo concurrant elementa ad producendos colores: explicandum nobis est, quomodo concurrant. Supponere ergo oportet, cũ mixtum cõponatur ex quatuor elementis, nos in elementis posse considerare formas substantiales, materias elementorũ, & eorũ qualitates. Hoc (ni fallor) fit euidentissimum, dum cõsideramus formas elementorũ. Nam ex varia mixtione harum formarũ, prodeunt variæ proprietates vocatę; verbi gratia, proprietas educendi bilem in rhabarbaro prodit ex mixtione formarũ elementorũ, quæ cõcurrunt ad efficiendũ rhabarbarũ. Quod si cõsideramus materias, tunc prout diuersimode miscentur materiæ; ita etiã variæ germinant affectiones, verbi gratia, qꝫ

Colores ex elementis prodeunt.

mixtum sit liquabile, vel illiquabile, hoc prodit ex mixtione materiarum, non formarum. Quod si in elementis consideramus qualitates tantum: tunc vel in elementis consideramus, calidum, frigidũ, humidum, & siccum; vel alias qualitates. Si consideramus primas qualitates, prodeunt odores, sapores mixtorũ, mollities, & durities. Color autem nequaquam prodit ex his qualitatibus. Neq; huic veritati aduersatur Galenus, si recte intelligatur: qui lib. 1. de vsu part. c. 10. dicit, non modo odores, sapores, mollitiem, duritiem sequi temperamentum: sed etiam colores. Ergo e Galeno colores necessario sequuntur temperamentum. Quod si sequuntur temperamentum: ergo necessario ortum ducunt ex primis qualitatibus: quod est cõtra ea, quæ sunt proposita. Oportet vt Gal. intelligatis. Ibi enim loquitur de temperamento, quatenus cõnotat formam de prædicamento substantiæ. Hanc formam exprimit (tanquam Medicus, & artifex sensatus) per ipsum temperamentum. Et quoniam hoc est verissimum, accidentia formas insequi, eo, quia agẽs naturale quantum dat de forma, tantum etiam dat de consequentibus formam: idcirco dicit Galenus colores sequi temperamentũ, id est, formam substantialem: propterea, quod omnia, quæ sunt in mixto, formæ ipsi famulantur. Vnde aliud est dicere, hoc fieri ex illo, & aliud dicere, hoc sequi illud. Accidentia sequuntur formam: non tamen fiunt ex forma. Itaq; Galenus per colores in relatione ad temperamẽtum, intelligit colores insequentes temperaturam, hoc est, formam de prædicamento substantiæ. A B

Nimirum, e mistura diaphani & opaci.

Cum igitur colores non fiant ex permixtione formarum, neque ex permixtione materiarum, neque etiam ex permixtione qualitatum primarum; prodeant tamen ex elementis: oportet ergo præter hoc considerare in elementis alias qualitates, id est, diaphaneitatem, opacitatem, & lumen. Vnde colores prodeunt ex diaphano terminato, & ex opaco: ex diaphano, inquam, ita mixto cũ opaco, vt quod non erat antea luminis particeps, fiat nunc particeps luminis, atque secundum eius superficiem summitatemve euadat coloratum. Vnde Aristoteles lib. de sensu & sensili considerans hoc lumen euadere in colorem in parte summa superficie, ve diaphani terminati cum opaco; (Plato autem non respicit ad extremitatem illam, sed potius ad lumen) dixit, colorem esse veluti flammulam quandam, seu fulgorem, ex corporibus emanantem. C

Perspicui, opaci, & luminis caussæ secundũ alios.

Sed non sufficit scire hoc. Oportet enim etiam noscere, in quo consistat diaphaneitas, & opacitas, & vnde prodeat lumen.

Quo ad Diaphaneitatem & Opacitatem: dixere quidam, diaphaneitatem consistere in puritate elementorum: opacitatem vero in earum impuritate. Alii dixerunt, diaphaneitatem consistere in raritate elementorum: opacitatem in densitate. Sed hi deficiunt.

Confutatio

Et ostendo primum priores deficere. Certum enim est, aurum esse purius argento, & tamen argentum est magis album auro: quod aduersatur primæ opinioni. Hæc enim vult, quod vbi est plus diaphani, ibi etiam color magis ad album vergat: aurum magis recedit ab albo quam argentum, & tamen aurum est purius argento. Præterea si vera esset hæc opinio, vix possemus tueri Gal. qui lib. 1. de cris. c. 12. vult, bilem turbulentam esse rufam: quod si bilis purior euadat, tunc ait eam flauescere. Ecce, bilis flaua est purior rufa: nihilominus bilis rufa est proximior colori albo, quã flaua; & tamen magis viget puritas in flaua quam in rufa. Ergo diaphaneitas non consistit in puritate D

Posteriores & ipsi deficiunt: volunt enim diaphaneitatem in raritate consistere, opacitatem in densitate. Est autem fumus, qui tenuis est, & rarus: attamen nigricat.

Veræ perspicui ac opaci caussę.

Quare pro huius rei veritate dicendum est, diaphaneitatem consistere in puritate & raritate: non in puritate tantum, vel tantum in raritate: opacitatem vero consistere in impuritate & densitate. Vnde cum in albo colore vigeat diaphaneitas; idcirco albus color visum disgregat: contra color niger ob densitatem plus æquo visum vnit, & deniq; suffocat. Hinc etiam colligendum, nil mirum esse, si aurum sit minus album argẽto, quamuis aurum sit purius argento: nam quia multo etiam densius est aurum argento; idcirco densitas plus potest, quam puritas. Optime etiam dictum est a Galen. lib. 1. de cris. capit. 12. bilem esse magis flauam, etiamsi sit purior: quoniam (ad similitudinem auri) ipsa est densior; densitas secum fert opacitatem; & opacitas, quæ a densitate prouenit, est in caussa, vt color auri, & flauæ bilis, magis recedat ab albo, quam color argenti, & rufæ bilis. E

Constitutum ergo sit diaphaneitatem & opacitatem esse in caussa coloris.

Elementa diaphana, aer & aqua: opacum, terra.

Sed quæ sunt diaphana? Ex Aristotele prim. de sensu & sensili, & 2. de anima 68. elementa diaphana sunt, aer & aqua: quæ ambo cum sint humida, idcirco Plato in Timæo, loquens de coloribus, dum vult proponere diaphana, proponit humorem. Vnde vbicunque proponitur humor a Platone, intelligatis elementa diaphana, aerem scilicet & aquam. Sed præterea est elementum opacum, terra quæ terminat diaphanum. F

Ignis: elementum lumen præstans coloribus.

Superest quartum elementum. Hoc autem quid pręstat coloribus? Diximus supra, colores non tantum prodire ex diaphaneitate & opacitate, sed etiam ex lumine. Vnicus autem ignis lumen præbet: & idcirco hic luminosus dicitur a Platone. Nec enim sufficit, vt diaphanum misceatur cum opaco: sed etiam oportet, vt concurrat lumen ignis, si fieri debet color, Vnde, ad hoc respiciens Plato, dixit, colorem esse veluti flammulam seu fulgorem ignis. Igitur ea ratione cõcurrit, quatenus est luminosus. Vnde lumen ignis, quando fit permixtio diaphani cum opaco, degenerat in splendorem, & in colorem. Sed de splendore suo loco. Propter hæc Aristoteles in lib. de coloribus, respiciens ad caussas principales coloris, & proinde nullam faciens mentionem terræ, dixit, caussam præcipuam esse lumen solis, & ignis: aerem vero & aquam proponit tanquam diaphana, quæ, vt intermedia, colores deferunt ad oculos. Per lumen ignis intelligit lumen internum, iam propositum, quod degenerat in colorem. Addit autem lumen solis: quia respicit non modo ad colores, quatenus colores sunt; sed etiam ad colores, quatenus videntur. Sunt autem colores propter lumen internum: videntur autem propter externum, vt solis, lunæ, & candelæ. G

His

A His ita constitutis, patet loco corollarii, quod pro varietate ignis, varii etiam fiant colores. Hoc colligitur ex Platone in Timæo, vbi dicit: ex vno igne (notetis quæso hæc verba, quæ sunt aurea) veluti ex coruscatione exsiliente, & altero penetrante, & in humore exstincto (per humorem intelligit diaphanum terminatum) ex horum mixtione varii fiunt colores. Subdit Plato: ignis autem, genus medium, permiscetur cum humoribus oculorum: non tamen cum humore albugineo, nec cum vitreo; sed cum diaphano ab opaco terminato. (diaphanum vero vocat humorem oculorum, propterea, quod secundum sui superficiem euadit obiectum oculorum.) Cum ergo medius ignis permiscetur cum humore oculorum, producit colorem sanguineum: quem Plato rubrum appellat. Et propterea idem, loco citato, sibi-B ipsi constans, dicit alimentum omne euadere rubicundum: & huius caussam reddens, ait, hoc fieri ob portionem ignis in humido exsistentis, & humidum detergentis. Quod dixit etiam Galenus c.4.lib.4. de vsu partium, vbi, loquens de colore sanguinis, & proinde de colore rubicundo, citat Platonem; & dicit, sanguinis colorem, (vt dixit Plato) præ se ferre ignis portionem, in humido ab eodem deterso: & vocat Galenus ignem hunc diuinum: reuera autem est diuinus, cum lumen præbeat. Constitutum ergo sit, ex diuersitate ignis, diuersos etiam fieri colores. Sed quomodo? Quid sibi vult Plato? Plato, (ni fallor) proponens triplicem ignem, nihil aliud proponit, quam ignem clariorem; ignem tenebricosum; & ignem inter hos medium. Quod hoc sit verum, patet ex Platone. Quando enim dicit; ex vno igne, tanquam ex coruscatione exsiliente; clare exprimit, ignem clariorem. Quando deinde subiungit; ex altero vero permanente, penetranteque, qui in humore, seu in diaphano obruitur; dubio procul nil aliud in-C telligit, quam tenebricosum ignem. Quando postea subdit, medium ignem; nihil aliud intelligit, quam medium inter clarum & tenebricosum, vt est lumen sanguinis, nec adeo clarum, nec adeo tenebricosum. Et ob id mirum esse non debet, si ex diuersitate ignis, varii etiam fiunt colores. Ex clariori enim igne, fiūt colores albi: ex tenebricoso, nigri: ex medio, medii.

Varietas colorum, ob variam admistionē ignis clarioris, vel obscurioris.

Secundo patet etiam e superioribus, quod pro diuersa mixtione diaphani cum opaco, diuersi fiunt colores. Quando enim plus viget diaphanum, colores magis ad album vergunt: quando magis viget opacum, tunc color ad nigrum potius inclinat. Cetera tamen debent esse paria, id est, debet seruari paritas in luminoso igne. Quod dicit etiam Auerroes, 5. coll. 29. vbi vult, ex igne clariori fieri colorem album; & addit, exiguo clariori permixto cum diaphano, in quo non sit plurimum opaci: ad faciendū enim colorem album, requiritur non solum claritas ignis; sed etiam, vt diaphanum non sit permixtum cum copioso o-D paco. Præterea addit Auerroes, colorem nigrum fieri ex igne tenebricoso, permixto cum diaphano non peruio. Ecce proponit diaphanum non peruium, id est, quod habet permixtum copiosum opacum.

Varietas colorum, e varia mistione perspicui & opaci.

Quare ceteris paribus, prout magis viget diaphanum, ita etiam color magis tendit ad album: contra, si magis viget opacum, color magis vergit ad nigrum. Ad eundem modum diphanum peruium, prout erit vel aereum, vel aqueum; ita corpora colorata erunt vel calidiora, vel frigidiora: si namq; vigeat diaphanum aqueum, corpora erunt alba, & frigida: si vigeat diaphanum aereum, corpora erunt calida, & alba: si autem cum parte terrea pmisceantur partes aereæ; tunc fiet color albus, & corpus erit vel temperatum, vel moderate calidum: quod si cum partibus terreis, id est, cum opaco, misceantur partes aqueæ, id est, diaphanum aqueum; corpus erit album, sed erit frigidum, & humidum. Pro diuersitate ergo diaphani, corpora E sunt modo calida, modo frigida.

Diaphanū caussa albedinis: opacū nigredinis.

Ex his ergo, quæ dicta sunt a nobis circa colorum naturam, credo non admodum difficile esse intelligere, quid voluerit Galenus, & Aristoteles. Vnde quoad Aristotelem, dicimus, ipsum 5. de generatio. animal. 6. respicere ad corpora alba, quæ tamen alba sint ob diaphanum aereum. Quod hoc sit verum patet: quoniam dicit ibi, aerem caussare albedinem. Aristoteles ergo loquitur ibi de corporibus albis, propter diaphanum aereum: propterea quod præcipuum eius institutum in eo capite est, loqui de colore animantium, vtpote eorum, in quibus adest calor mitis & suauis. Quod cognouit etiam Auerroes 1. coll. 29. vbi ait: si corpora fiant alba, propter mixtionem aeris cum terra; tunc corpora vel sunt temperata, vel non multum excedunt per calidum. Ecce est calor mitis. Aristoteles autem comparabat alba aerea, non omnibus, sed nigris tantum corporibus, quæ talia redduntur propter diaphanum aqueum. Et nisi hoc addatis F non potestis recte intelligere Aristotelem. Comparat ergo Aristoteles alba aerea nigris: propterea dicit, aquam calidam albos facere, frigidam autem nigros: vt significet, se loqui de albis aereis, quæ comparantur cum nigris aqueis, & proinde illa sunt his calidiora. Cur autem necessarium fuit hoc admonere? Propterea quod fieri potest, vt corpora sint colorata ob diaphanum aqueum, quæ tamen sint magis alba, quam corpora colorata ob diaphanum aereum. Nam si accidat, vt dum viget diaphanum aqueum, opacum sit exiguum, & ignis sit clarus; ex altera parte fit aereum diaphanum, opacum copiosum, & ignis tenebricosus: proculdubio magis album erit illud corpus, in quo est diaphanum aqueum: propterea quod cum diaphano aereo mixta est maior copia opaci, & in eodem ignis est magis tenebricosus. Aristoteles ergo comparat alba aerea, cum nigris aqueis, non autem cum nigris aereis: propterea quod nigra aerea possunt esse calidiora albis: quod facile ostendo. Nam ad faciendos colores, præter diaphanum, concurrit etiam opacum, atque ignis: quando autem concurrit ignis clarus, tunc oritur color al-G bus, quando concurrit tenebricosus ignis, tunc est caussa coloris nigri. Si igitur inuicem conferatis ignem clarum, & ignem tenebricosum; dubio procul dicetis, ignem clarum non esse adeo insignem, nec tantum calefacere, quantum calefacit ignis tenebricosus. Vnde ignis ex palea est clarus, & mitis, si conferatur cum igne lignorum, qui nō est ita limpidus, vt ignis paleæ. Hinc fit, quod corpora albicantia non fiant ita calida, vt sunt corpora nigra: quia in corporibus albicantibus viget ignis mitis, qui nō ita exurit, nec calefacit corpora. Contra vero, quando corpora sunt nigra) supponendū est diaphanū in vtrisq;

Quomodo secundum Aristotelem corpora nigra calidiora sint albis.

esse aerem) sunt calidiora; quia viget in his ignis tenebricosus, qui habet maiorem vim calefaciendi. Hæc ergo ad Aristotelis dogmata dicta sint.

Num color arguat temperamētum e Galeno.

Quantum vero ad Galenum attinet: non difficile est intelligere, quid ipse voluerit. Nam quando li.5.de simpl. med. facult. c. vlt. dicit, nos ex colore non posse arguere temperamentū, quia dantur alba calida, vt cepæ, & alba frigida, vt nix: hoc dicit, quia cognouit, colores prodire quidem ex elementis, sed tamen non ex primis qualitatibus elementorum, sed ex diaphaneitate, opacitate, & lumine. Quare ad hoc respiciens optime locutus est.

Sed cur ibidem dicit: in eodem genere succi vel seminis nos posse ex colore deduci in cognitionem temperaturæ? Hoc dicit, quia comparat corpora colorata, constantia ex eodem diaphano, id est, non cōparat aquea cum aereis. Et sic hoc est verissimum, seruata paucitate diaphani, quæ sunt in eodem genere, id est, quæ frigida sunt, alba sunt frigidiora, rubra vero minus. Contra, si sunt in genere calidorum, alba sunt minus calida, rubra vero sunt calidiora. Hæc etiam fuit Auicennæ sententia: expresse enim asserit, si corpora sunt eiusdem generis frigida, alba esse frigidiora rubris. Oppositum autem est dicendum de calidis: nimirum quod alba calida minus sunt calida, rubra vero calidiora. Quænam est huius ratio? Non alia præter hanc: quia in albis est minus de igne, & ignis est clarior, non tamen ita potens, in rubris vero ignis non est ita clarus, est tamen potentior, & magis calefaciens. Quod cognoscens Auerroes 5. coll. 29. dicit; quando adest color ruber, tunc color hic significat colorem propter ignem. Quare ex Auerroe, imo ex veritate ipsa, manifestatur ignis in colore rubro magis, quam in albo. Optime ergo dicit Galenus, in eodem genere alba calida esse minus calida; rubra autem calidiora: eo, quia in his ignis est potentior, & minus purus. Sed non propterea est dicendum: hoc est rubrum, ergo calidum. Et hoc colligitur ex Galen. 2. de simpl. med. cap. 3. dantur enim sandali rubri, qui tamen sunt frigidi. Ratio huius est: quoniam ad faciendum colorem, quamuis necessario concurrat lumen ignis, non tamen ob id necesse est, vt tanta cōcurrat ignis copia, vt mixtum euadat calidum: sufficit enim vt modicus ignis ingrediatur, non purus tamen, ad faciendū colorem rubrum. Quare nō valet: est rubrum, ergo calidum. Sed licet quidem inferre: in eodem genere, quod est frigidum, si est rubrum, est minus frigidum: si est album, est magis frigidum, quia in albo est minus de igne. Idem etiam dicendum de calidis: album calidum, est minus calidum, quam rubrū, quia in rubro est magis de igne. Hoc igitur sit perpetuum: & hoc voluit Galenus. Propterea milium, cum frigidum & album est, magis frigidum est, quam nigrum: cepa autem cum sit calida & alba, est minus calida, quam rubra.

Auicennæ sententia de ortu colorū

Sed aduertendum, dixisse Auicennam lib. 2. cap. 3. hæc quæ dicta sunt, esse vera, vt in pluribus: verbi gratia. cepa alba est minus calida, quam rubra: hoc verum est, vt in pluribus, dicit Auicennas: quia cognouit, interdum oppositum euenire; vt in Hetruria his temporibus reperiuntur cepæ, quæ licet sint albæ, nō tamen possunt gustari, adeo acres calidæque sunt: rubræ autem in respectu ad has albas videntur esse dulces, & proinde minus calidæ. Vnde igitur hoc fit? Dicit Auicennas, loco citato mixtionem duplicem esse: vnam primam, alteram vero secundariam, seu complexionalem. Dicit ergo Auicennas, fieri posse, vt aliquid reperiatur, quod ratione primæ mixtionis sit frigidum, ratione vero secundariæ sit calidum, seruetur tamen idem color: nam si, verbi gratia, illud frigidum, quod erat album, per mixtionem secundariam fiat calidum, adhuc tamen remanebit album. Ratio huius hæc esse potest: propterea quod non est impossibile, vt per secundariam mixtionem concurrant calida elementa, quæ non mutent colorem, sed mutent tantum complexionem, quando nimirum ea, quæ miscentur, sunt mole exigua, virtute maxima. Dat exemplum Auicennas, accipiamus libram vnam lactis, & misceamus duos aureos euphorbii cum lacte, atque ea fiat mixtio, vt res vnica videatur: lac ante permixtionem euphorbii erat frigidum albū; post vero secundariam mixtionem cum euphorbio, adhuc mixtum quod remanet est album, non tamen amplius frigidum, imo vero intense calidum. Ecce ergo ratione secundariæ mixtionis mutatur temperatura, non color. Vnde subdit Auicennas quod in lacte fieri cōspicimus, idem etiam fieri a natura. Vnde mirum amplius esse non debet, si aliquid sit album, & in genere calidorum, sit tamen calidius, quam rubrū; si dentur cepæ albæ calidiores, quam rubræ: hoc euenit ratione secundariæ mixtionis: & secundaria hæc mixtio euenire potest ratione diuersi alimenti, quod exsugunt ex terra cepæ, pro discrimine regionum.

Coloris lotii naturalis

Hæc autem, quæ hactenus dicta sunt de coloribus, *ipsi lotio applicemus*, cōcludentes hoc modo: Cum lotium fiat vel subrufum, vel rufum, vel subflauum; illud est reliquis calidius, quod est subflauum, minor autem caliditas indicatur a lotio rufo, adhuc remissior a subrufo: propterea quod, cum subrufus color vergat magis ad album, quam reliqui, idcirco significat non adesse ignem ita tenebricosum, sed calorem remissiorem.

Splendor vrinæ.

Ex his etiam colligatis, quod lotium secundum naturam interdum est sine splendore, interdum cum splendore, ex Galeno tit. 1. de cris. c. 12. quando enim gignitur flaua bilis, redditur lotium splendens, ob ignem qui viget in flaua bile. Vnde vt sciatis, quid possit lotium splendens: aduertatis, splendorem in corporibus produci a lumine ignis: & ignem esse caussa coloris, atque splendoris. Differentia tamen est; nam si ignis debet degenerare in splendorem, necesse est, vt lumen ignis magis vniatur, quam quando ignis degenerat in colorem. Quam veritatem cognouit etiam Aristoteles, lib. de coloribus, quando dixit, splendorem esse collectionem luminis. Quando igitur lumen non ita colligitur, tunc fit color: quando autem maxime colligitur, tunc fit splendor. Propterea quæ splendent, oportet vt sint densa, & vt habeant opacū parum admixtum, alioquin non fiet collectio luminis. Proinde cum bilis flaua sit densior & purior, ex Galen. loco citato: hinc merito fit, vt lumen ignis, qui in ipsa est, non modo in colorem, sed etiam in splēdorem degeneret. Vnde etiam in ea corporum cœlestium parte, quæ densior est, obseruamus collectionem lucis.

Lotium

A Lotium ergo naturale debet habere colorem superius a nobis propositum. Et hæc cognouit etiam Aristoteles 1.probl.53.vbi dicebat.Lotium rufum significare coctionem.

Aduertant autem iuniores,vt semper id obseruent,quod ibidem præcipit Aristoteles: vt scilicet lotium non totum mingatur,sed per vices,& paullatim pluribus vasis,& exigua quantitate,excipiatur:nam sicut figuræ in multo facilius conspiciuntur,ita etiam colores in exiguo facilius cernuntur. Hoc, inquam obseruandum est,ratione coloris tantum:nam si reliqua ad vrinam pertinentia voluerimus cognoscere, veluti contentum;tunc debemus seruare præceptum Auicennæ,qui iubet,vt fiat mixtio in vnico vase, & vnica vice,& vt vas sit adeo amplum,quod totam vrinam contineat:quo non color tantũ, sed etiam contentum in vrina possit obseruari.

Num tota vrina, an pars eius aliqua excipienda.

B

CAPVT IV.

De contento vrinæ.

HActenus de liquore vrinæ, parte nimirum eius tenui:sequitur pars crassior,contentum, quod portio est alimẽti. Thriuerius,vir alioqui subtilissimus & doctissimus,in Theorica sua negat,in lotio sanorum esse cõtenta.Sed decipitur.Hoc enim aduersatur sensui,rationi,& auctoritati. Rationi: quia scitis hoc esse veluti axioma,alimẽtum esse dissimile actu,simile autem potestate. Non potest autem id, quod actu est dissimile,& potestate simile,actu simile reddi,nisi segregentur excrementa. Cum ergo dentur excrementa,quæ alia sunt ab aquositate,& a reliquis,bile,scilicet & melancholia:necesse est,vt fateamur dari hoc excrementum Licet autem in sanis quandoque non appareat; hoc idcirco fit,quoniam excrementum hoc C cum sanguine distribuitur,& degenerat in sorditiem. Tutius tamen esset,vt exiret cum lotio.

Contẽtum in lotio etiam sanorũ reperiri,

Propterea dicit Aetius,in corpore optimi habitus,& optime sano, generari lotium, in quo est contentum album,læue & æquale. Ex hoc etiam dicit Galenus,lib.1.de cris.c.12.ibi enim,iubens vt consideremus lotium sanorum,subdit,in horum lotio adesse sedimẽtum interdum copiosum,interdum exiguum. Idem expresse asserit 1.prognost.vlt.sedimentum in lotio, ad differentiam puris, esse vndique secundum naturam,& proinde hoc reperiri debet in sanis. Idem 2.progn.26.dicit:si corpora sunt sana, vel plus æquo comedunt.vel tenuiter viuunt,vel moderate:si plus æquo comedunt, habent sedimẽtum in vrina copiosum. Sed statim inquient isti:sermo est de corpore sano,quod non committat errores in victu. Hoc nihil est:quoniam Galenus dicit;si non fiat error in victu,apparet sedimentum,exiguum tamen. Ecce sermo est de sanis hominibus,qui non delinquunt in victu:tamen Galenus dicit,in his esse sedimentum, quam- D uis exiguum. Addit deinde Galenus si autem homo tenuiter viuat,tunc nullum prorsus est sedimentum. Sed propter hoc non debent hi asserere, non esse necessarium,in sanorum lotio contentum esse,quia sermo sit de sanis corporibus, quæ non delinquunt. Propterea licet dicat Galenus in aliquibus non esse sedimentum, non negaret tamen adesse contentum. Quoniam potest esse contentum suspensum, potest esse nebula,quamuis non sit sedimentum,in his qui tenuiter viuunt. Cum ergo in sanis non delinquentibus necessarium sit,apparere contentum:idcirco errant,qui aliter dicunt.

Sed vnde prodit hoc contentum? Dicit Gal.1.progn.vlt.contentum esse portionem alimenti, quæ coctionem renuit. Sed quæ est hæc portio? Dicit Gal.1.de cris. 12. hanc portionem esse incõfectum crudumque humorem. Idem lib 1.de alim.facult.cap.de tritico,dicit,hunc inconfectum, crudumq; humorem esse alimenti portionem,quæ non conficitur a calore,quæ non deducitur in sanguinem, & est portio E crassa,frigida,& terrestris. Vnde ibi voluit,huiusmodi succum crudum,nõ esse pituitam. Nam pituita (ex Gal.loco citato) est quiddam diuersum a succo illo crudo & incõfecto:pituita enim est quidem frigida, sed tamen humida est & aquosa,potestq;in sanguinem verti,(sermo sit de pituita alimentali.) Pituita quoque & ipsa dicitur humor crudus,sed qui tamen potest in sanguinem verti: quod non est dicẽdum de hoc succo crasso,crudo & frigido,terrestrique,qui prodit ex partibus frigidioribus,terrestribus, crassisque ciborum,& est illud,quod subsidet in vrinis.

Contenti materia.

Sed aduertendum,dixisse Gal.loco citato,in vrinis etiam contentum subsidere,& materiam copiosam,in morbis ex repletione a pituita genitis. Vt ex his facile colligatur,dari contentum in vrina sanorum quod sit diuersum a contento ægrotantium. Contentum enim sanorum est reliquia alimẽti,seu chyli: est illa portio chyli,quæ non potest iu sanguinem mutari. At in ægrotantibus contentum non est reliquia a- F limenti,sed reliquia materiæ morbificæ. Et hoc colligitur ex Gal.1.cris.12.vbi,loquens de lotio sanorum, dicit;in tempore,quo concoquitur alimentum & sanguis,tunc copiosum esse id,quod subsidet in vrinis: perfecta vero concoctione alimenti,id quod subsidet,nõ esse ita copiosum,propterea quod facta coctione,alimenti portio,quæ renuit coctionem,fit in minori copia. Ecce contentum esse reliquiam alimenti. Sed dicet quis. Si in tempore coctionis id quod subsidet est copiosum: perfecta vero coctione est exiguum:ergo antequam fiat coctio,id quod subsidet, deberet esse copiosissimum, quia tunc portio cruda est copiosissima. Tamen dicit Galen.4,de tuenda sanit.4.ante coctionem nihil contenti adesse in lotio. Quare aduertendum, non sufficere, vt sit portio cruda alimenti, sed requiritur etiam, vt talis portio cruda, quæ non potest concoqui,segregetur ab illa parte, quæ coctionem admittit. Vnde in tempore coctionis, G illud quod bonum est coquitur,& etiam quod bonum est a malo separatur. Sed ante coctionem, quamuis sit portio cruda copiosissima; quoniam tamen fit non segregatio, idcirco nihil potest in lotio apparere.

Differentia contenti sanorum & ęgrotantiũ.

Constitutum ergo sit,contentum sanorum esse portionem alimenti,id est,chyli,quæ renuit coctionem. Loquens autem Galenus de contento ægrotantium, 1. de cris. 12. dicit adesse contentum copiosum in febribus pituitosis,in corporibus repletis:contra in febribus biliosis,in morbis,qui originem duxerunt a caloribus, ex inedia etiam, apparere modicum contentum in vrina: quia materiæ illæ morbificæ

non ſunt ita craſſæ,copioſæque,vt in morbis ex repletione. Idem dicit Auicennas.Hoc etiam liceat vni- A
ca Hippocratis auctoritate confirmare:qui ſenſit, 1.epid.2.29. aliquos grauiſſimis detentos morbis fuiſſe
ſanitati reſtitutos,eo,quia cum vrinis reddebant contentū copioſum,album,& læue.Hoc copioſum ſedi-
mentum eratne excrementum materiæ morbificæ, an alimenti? Dici non poteſt ipſum fuiſſe excremen-
tum alimenti: nam ſi ſic fuiſſet, illi obiiſſent: quia cum grauis eſt morbus, & homo vtitur copioſo ali-
mento, cuius ratione colligitur copioſum contentum; nonne manifeſtum eſt hominem illum eſſe mo-
riturum?

Albedinis contentorū cauſſa: Galeno falſo adſcripta.

Porro inueſtiganda reſtat cauſſa, ob quam contentum ſit album: præſertim quia dixerunt quidam,
Galenum fuiſſe in maximo errore,quia voluerit ſedimentum reddi album, propter ſolida corpora, quæ
ſunt alba:& dicunt,hoc propoſitum eſſe a Galeno,1.progr:vlt.vbi dicit,ſemen album effici,quia aſſimila- B
tur ſolidis corporibus,quæ alba ſunt: ſubdit,& pus ſimiliter album reddi, quoniam corpora ſolida ſunt al-
ba,vt partes membranoſæ,neruoſæ:ſubdit deinde eandem eſſe generationem contenti in lotio,eandē ob
cauſſam eſſe ſedimentum album in lotio. Ecce ſicut ſemen fit album a corporibus albis:ita ex Galeno cō-
tentum ſit album ex corporibus albis:quod non eſt dicendum.Et in hoc optime progrediebantur,dū re-
prehendebant Galenum. Si enim hoc dixiſſet,reprehenſione eſſet dignus. Nam quamuis ſanguificatio
fiat a iecore,& venis iecoris;principaliter tamen fit a carne iecoris:cuius proprium eſt non albifacere, ſed
rubificare. Quare cum lotium ſit excrementum iecoris,& principaliter fiat a carne iecoris:non eſt dicen-
dum,contentum fieri album ab albificantibus corporibus.

Vera cauſſa.

Pro veritate igitur huius rei dicimus,contentum eſſe album,nō quia acquirit colorem hunc a ieco-
re:(ita enim eſſet coloris potius rubicundi)ſed quoniam confici non poteſt a iecore. Iam enim diximus, C
contentum eſſe crudam portionem chyli inconfectam,quæ non poteſt verti in ſanguinem.At cū ſit por-
tio chyli,idcirco eſt albicans,& remanet albicans,quia renuit coctionem.

Galeni explicatio.

Ad Galenum autem quid dicendum? Hoc nequaquam dixit Galenus,eo in loco. Voluit ſimilitu-
dinem inter pus,& contentum,in hoc conſiſtere:quod ſicut pus eſt quiddam medium, inter ſubſtantiam
ſecundum naturam & ſubſtantiam præter naturam;quatenus neque eſt ita ſecundum naturam,vt ſemen,
neque eſt prorſus præter naturam;ſed medio modo ſe habet,inter rem abſolute ſecundū naturam, & ab-
ſolute præter naturam:ita ſit dicendum de contento.In hoc enim ſtat ſimilitudo:quod contentum, neq;
eſt vndique alimentalis humor,nec eſt aliquid præter naturam;ſed eſt medium inter pus,& humorem ali-
mentalem.Quod ſit verum,patet:quia locutus Galenus de contento,dicit:neq; eſt ſanguis mutatus.Ecce D
contentum non eſt humor alimentalis.Ait deinde:nec eſt pus,id eſt,nihil habet præter naturam. Quare
loquitur de contento albo:nigrum enim habet aliquid præter naturam. Sed eſt quiddam mediū, quia eſt
excrementum ſecundum naturam,non autem humor alimentalis,nec pus. Quare ſimilitudo non eſt, in
colore:ſed in hoc,vt habeat mediam naturā inter pus,& humorem alimentalem:ſicut pus habet naturam
mediam inter rem ſecundum naturam,& rem præter naturam.

Situs contenti triplex

Hoc autem contentum ex Gal.4.de tuenda ſanit.4.ſolet varias liquoris ſedes obtinere:modo ſubſi-
det,& tunc Sedimentum ſiue hypoſtaſis dicitur.Quod ſi ſit in loco non ita infimo, ſed verſus partes ſupe-
riores:dicitur Suſpēſum.Quod ſi reperiatur in ſupremis partibus:dicitur Nebula:& tunc(ex Gal.loco ci-
tato)eſt ad ſimilitudinem iuſculi pinguis refrigerati.Aduertendū tamen,quod ſi ſuperficietenus tantum
intelligatur Galenus,non recte loquitur:ſermo enim eſt ibi de lotio ſanorum,in quo nunquam obſerua-
bitis iſtiuſmodi apparere in ſummitate,quemadmodum apparent in ſummitate iuris pinguis refrigerati. E
Hæc enim apparent tantum in lotio ægrotantium:ſiquidem ibi tantummodo adeſt nebula,vbi adeſt pin-
guedo.Quare Gal.ſignificare voluit,quod,ſicut in iuribus pinguibus refrigeratis apparet pingue illud in
ſuperficie,ita a pari,contentū non pingue videtur in ſuperiore parte lotii.Propterea in ſanis licet nō ſem-
per cōſpiciatis hypoſtaſin:non tamen ob hoc dicatis,contentum non eſſe neceſſarium in lotio ſanorum.
Interdum enim in hoc adeſt ſuſpenſum,interdum hypoſtaſis,interdum nebula.

Contenti [illegible] tres:albedo, læuitas, æqualitas.

Aduertendum autem,tria in his contentis concurrere;vt ſint alba,læuia, & æqualia. Nam ſi nō ſunt
alba:indicatur,contentum præter naturam,& indicatur materia morbifica.Læuia ſunt:quia in ſanis calor
eſt validior.Vnde etiam æqualia ſunt:quia calor æqualiter agit,regulat partes, & conficit. Vnde licet hæc
portio non poſſit in ſanguinem cōuerti,eo quod renuit coctionem;eam tamen acquirit elaborationem, F
quam poteſt.Quia ergo calor æqualiter agit in partes illas:idcirco excrementū æqualiter regulatur,quan-
tum excremento conuenit, ideoque contenta ſunt æqualia.Nam quando calor viget,eodem modo ciba-
ria conficit & prandii & cœnæ. Propterea quocunque tempore obſeruabitis huiuſmodi contenta, ipſa e-
runt æqualia,dummodo non fiat aliquis error,dummodo lotium reddatur,abſoluta concoctione.

Nec eſt, vt quis dicat, ſuſpenſum vel nebulam non eſſe ſecundum naturam,ſuſpenſumque idcirco
fieri, quoniam materia ſuſpendatur, nec ſubſidere poſſit,ob flatus.Non enim locū habent flatus,in quo-
cunque ſuſpenſo & nebula,ſed tantummodo in ægrotantium lotio. In lotio ſanorum licet ſit ſuſpenſum
& nebula,hoc tamen non fit quod adſint flatus ſuſpendentes. Vnde obſeruamus cōtenta læuia,non aſpe-
ra;ſicuti obſeruamus,dum vigent flatus.Hoc autem fit varietate alimenti,quo vtūtur homines:prout ſci-
licet alimentum vel craſſius, vel minus craſſum eſt. Vnde interdum magis ſubſidet, interdum magis ad- G
ſcendit.

Cōtentum naturale nō occupat plura loca.

Sed dicet aliquis:vnde eſt,quod in lotio ſanorum non obſeruamus,eſſe ſimul hypoſtaſin,& ſuſpen-
ſum? Euenire enim poteſt,vt aliquæ portiones crudæ excrementitiæ ſint grauiores,aliæ leuiores:vbi gra-
uiores quidem deſcendent, & facient hypoſtaſin: leuiores vero adſcendent,& facient ſuſpenſum,vel ne-
bulam?In corpore optime cōſtituto hoc fieri non poteſt, quia calor robuſtus ita agit, vt partes excremē-
titiæ vniantur ita, vt vel ſola hypoſtaſis fiat, vel ſolum ſuſpenſum,vel nebula. Cum autem ſit hypoſta-
ſis,licet

A ſis,licet fiat vnio partium excrementitiarum,quarum aliæ ſint grauiores,aliæ leuiores: a valido tamen ca-
lore tanta non poteſt fieri vnio,quin partes grauiores deſcendant,& faciant baſin hypoſtaſis: partes vero
leuiores,licet vniantur cum grauioribus,ita vt nec fiat ſuſpenſum,nec nebula;aliquantulū tamen adſcen-
dunt.Hinc eſt,quod fit hypoſtaſis ad formam pyramidis:quæ eſt optima hypoſtaſis.

CAPVT V.

De cauſſa inſtrumentali generationis lotii,tum præcipua,tum adiuuante.

CONtentum vna cum liquore non fit ab aliquo agente, quod ſit præcipuum, præterquam *ab ipſa ſan-*
guificatrice.Poſtpono nunc formam,dantem eſſe corpori. Certum enim eſt hanc eſſe præcipuam,vt — Sanguifica- trix eſt cauſſa præcipua generationis vrinæ.
hac diſtructa omnia corruant;ſed cum ſubſtantia ſit,immediate agere non poteſt:verum oportet, vt ha-
B beat inſtrumenta varia,pro varietate functionum.Dico ergo lotium & contenta eſſe producta a ſangui-
ficatrice. Supponendum eſt enim in corpore humano plures eſſe facultates, deſtinatas ad varia munia.
Et,vt alias nunc omittam,quatuor ſunt facultates & potentiæ,quæ naturali & nutritiuæ famulantur: at-
tractrix,retētrix,alteratrix,& expultrix.In præſentia agimus de cōcoctrice, ſiue alteratrice: non de qua-
cunq;,ſed de determinata,quæ reſidet in iecore,& dicitur ſanguificatrix,ad differentiā chylificatricis.San-
guificatrix igitur eſt cauſſa inſtrumentalis,ſed præcipua,cui alia omnia famulantur. Quænam ſunt iſta? O-
mittamus vnionem & compoſitionem:dicamus de proprietate iecoris,& temperatura:quod iecur, af-
ctum tali proprietate & temperatura,tale ſit inſtrumentum,vt vi huius ſanguificatrix poſſit & ſanguinem
generare,& ſanguinis excrementa producere,& proinde lotium,de quo loquimur. Vnde proprietas eſt
inſtrumentum adiuuans:facultas eſt inſtrumentum principale; complexio iecoris eſt inſtrumentum ad-
C iuuans.Sed ſi comparemus proprietatem & complexionem inuicem:proprietas eſt inſtrumentum adiu-
uans præcipuum,complexio vero ſecundarium.Vnde caloris eſt,indifferenter agere:at quando adiuncta
eſt proprietas,determinate agit;ſed tamen magna eſt neceſſitas temperaturæ caloris. Facultas ergo ſan-
guificatrix eſt cauſſa inſtrumentalis,& præcipua,generationis lotii: licet concurrat tum proprietas; tum
temperatura iecoris,id eſt,calor iecoris.

Galenus cognoſcens hanc facultatem eſſe vim caloris iecoris,10.de ſimpl.med.fac. c. de ſudore, di- — Temperatura, ſeu calor hepatis cauſſa adiuuans.
cit,eandem eſſe materiam lotii & ſudoris,atque talem materiam in corpore calefieri.Concurrit igitur ad
generationem lotii,calor. Et aduertatis, calorem non modo eſſe in cauſſa, vt tingatur lotium,quatenus
calor generat bilem: verumetiam vt aquoſitas acquirat decentem ſubſtantiam, nec ſit plus iuſto tenuior,
vel craſſior,ſed mediocriter ſe habeat. Vnde non ſufficit,vt lotium ſit bene coloratum ad hoc,vt bonum
D dicatur:nam lotium poteſt eſſe bene coloratum, & tamen crudum. Crudum autem eſt lotium, quando
non acquiſiuit conuenientem ſubſtantiam,& quando eſt tenue.Et hoc ſignificauit Auicennas in tracta-
tu de vrinis,dicens,vrinam coloratam & tenuem in morbis acutis maximum indicare periculum, & ca-
loris imbecillitatem. Calor enim (ait Auicennas) non tantum bilem debet producere,vt tingat lotium;
ſed etiam debet præbere lotio debitam ſubſtantiam:imo dicit, multo difficilius eſſe, vt lotium acquirat
bonam ſubſtantiam,quam vt acquirat bonum colorem. Calor igitur,tanquam cauſſa inſtrumentalis,ſed
ſecundaria & adiuuans,concurrit ad generationem lotii,vt ſit in cauſſa generationis, non modo coloris,
ſed etiam ſubſtantiæ.

E

CAPVT VI.

De cauſſa finali generationis vrinæ.

POſtremo diximus in definitione: *vt ſanguis tum depuretur,tum deuehatur*. Quæ particula fuit propo- — Vſus generationis lotii.
ſita ab Auicenna,capite de generatione humorum. Dicit enim ibi, lotium, ſeu excrementum aquo-
ſum,conducere ad attenuationem,& penetrationem ſanguinis,ita vt ſerum ſit vehiculū ſanguinis. Et ni-
ſi aquoſitas ſeparetur a ſanguine,ſanguis eſſet impurus. Præterea conducit hoc excrementum, tanquam
vehiculum.Quomodo?Excrementum ſeroſum, ex Gal. lib. 4. de vſu part.cap.5.eſt vehiculum ſanguinis,
quatenus ſanguis defertur a parte ſima in gibbam iecoris. Sed tale excrementum eſt vehiculum ſangui-
nis,non modo ita conſiderati,ſed etiam prout ſanguis defertur per vniuerſum corpus:ex Galen.lib. 4. de
vſu part.cap.6.quo in loco addit Galenus,quando ſecatur vena, nos poſſe conſpicere hoc excrementum
aquoſum,quod fuit vehiculum ſanguinis.Conducit igitur non modo ad depurationem, ſed etiam ad di-
F ſtributionem ſanguinis.

Propterea ichores non poſſunt eſſe ad hunc vſum a natura conſtituti, vt ſint vehiculum ſanguinis. — Ichores differunt ab excremēto ſeroſo: &
Nam ſi ſanguis defertur per vniuerſum corpus,beneficio excrementi aquoſi,non eget pro ſui diſtributio-
ne ichoribus. Sed licet ichores non conducant pro diſtributione ſanguinis: negare tamen non licet ipſos
dari.Dantur enim ichores:& ſunt diuerſi ab excremento ſeroſo.Hoc colligitur ex Galeno, primo morb.
com.c.4 vbi dicit,ſerum atræ bilis permiſceri cum aquoſo excremento,id eſt,cum lotio.Per ſerum namq;
atræ bilis intelligit ichorem atræ bilis.

Sciatis igitur dari quidem ichores hos:tamen eſſe omni vſu deſtitutos. Cur autem ichores nullum — Nullū habent vſum.
habent vſum? Quia ſunt potius ad maleficium, & præter naturam. Vnde in corpore optime conſtituto
non reperiuntur ichores. Reperitur quidem excrementum ſeroſum & eſt ad vſum:& hoc ait Galen. 2.
G epid.2.37.Vbi Hippocrates loquens de ſanguine ichoroſo,dicit,talem ſanguinem eſſe vel malum, vel bo-
num.Galenus ibi in comm.ponderans dictionem illam,[bonum:] dicit, omnem ſanguinem ichoroſum
eſſe malum:ſed in conſuetudine fuiſſe apud antiquos,vt ea,quæ ſunt minus mala, bona vocarent. Con-
cludit itaque Galenus,omnem ſanguinem ichoroſum eſſe malum? Sed tamen in ichoribus dantur gra-
dus. Ichor enim bilis, eſt peior ichore ſanguinis. Quare cum ichor ſit præter naturam, nullum habet

vſum.Non eſt igitur vehiculum ſanguinis:cum ſit præter naturam. Vnde ichores tunc præſertim produ- A
cuntur,quando calor non eſt vſque adeo validus,vt ſucci alimẽtales puri ac ſinceri,id eſt, ſine ichore poſ-
ſint gigni.Hinc ſequitur,quando ichores vigent,ſuccos facile putreſcere:vt videmus in externis rebus:&
vt colligitur ex Gal.4.de ſimpl.med.fac.vlt.vbi ait,partem ichoroſam , quæ reperitur in ſuccis, niſi abſu-
matur vel ab igne,vel a ſole,eſſe in cauſſa vt ſucci corrumpantur. Idcirco in aliquibus regionibus deco-
quuntur vina,ne putreſcant. Per decoctionem enim ichoroſa portio abſumitur.

Conſtituitur ergo dari ichores: licet nullum vſum habeant: & excrementum ſeroſum conducere ad
purificationem & deductionem ſanguinis: & per colem exire ad differentiam ſudoris.

CAPVT VII. B

De optimi lotii notis, quoad ſubſtantiam, colorem, & contenta.

Lotium optimum quale.

HIS ita conſtitutis,facile eſt colligere,ex Gal. 1.de criſ. 12. lotium illud optimum eſſe,quod nullum ha-
bet defectum,vel in ſubſtantia,vel in colore,vel in contento.

Quoad ſubſtantiam lotium debet eſſe mediocre,non craſſum,nec tenue.

Ratione autem *coloris* lotium debet eſſe vel ſubrufum,vel ſubflauum; vel magis ſubrufum , vel ma-
gis ſubflauum. Cur addit magis? Aduertendum,ibi Galen. loqui de lotio ſanorum corporum , quæ ob-
tinent ſupremum gradum ſanitatis: non intelligatis tamen ſupremum gradum ſanitatis abſolute: quia
ſic nõ poſſetis recte aſſequi,quid ſibi voluerit Galenus: per ſupremum igitur gradum,oportet intelligere
corpora tum temperata,tum intemperata; intra latitudinem tamen ſanitatis exſiſtentia. Ea autem ratio- C
ne ſunt accipienda corpora,vt temperata conſiderentur, quando obtinent ſupremum gradum ſanitatis
ſuæ: ſimiliter & diſtemperata conſiderentur,quando habent ſupremum gradum ſuæ ſanitatis:non autem
abſolute. Namque proponit Galenus lotium & ſubrufum, & ſubflauum; & magis ſubrufum, & magis
ſubflauum: eo quod ſi corpora ſunt temperata,lotium eſt medium inter ſubrufum,& ſubflauum , & pro-
inde rufum erit: corpora vero diſtemperata,ſed ſana tamen,ſunt dyſcraſiata, quatenus recedũt ab exqui-
ſita temperie: Recedunt autem vel per exceſſum,vel per defectum. Lotium igitur in his,quæ ſunt diſtem-
perata per defectum caloris,eſt ſubrufum: quoniam calor non eſt ita validus,vt eſt in temperatis, in qui-
bus lotium fit rufum. Sed cur addit Galenus magis ſubrufum: Vult ſignificare,colorem illum ſubrufum,
cum ſit color medius inter rufum,& ſpiceum; dum homo retinet ſupremum gradum ſanitatis,licet ſit di-
ſtemperatus, cum tamen magis accedere ad temperatum: vnde lotium eſt proximius rufo,quam ſpiceo. D
Iure ergo dicit Galenus, lotium eſſe & rufum, & magis ſubrufum. Ex altera vero parte, ſi corpus ſit di-
ſtemperatum,recedatque a temperie per exceſſum: lotium non eſt rufum,ſed magis coloratum,vt ſubfla-
uum. Non poteſt lotium eſſe flauum: quia quando eſt flauum, non eſt amplius lotium corporum opti-
me ſe habentium: eſt tamen magis ſubflauum, quoniam in corpore, quod habet caliditatem exceden-
tem, cum ad ſummum peruenit caliditas, lotium non eſt tantum ſubflauum,ſed maxime ſubflauum,non
tamen debet eſſe flauum. Reſpiciens ergo Galenus ad vniuerſam latitudinem ſanitatis,dicit colorem eſſe
vel ſubrufum,vel ſubflauum,vel magis ſubrufum,vel magis ſubflauum.

Contentum denique in lotio debet eſſe album,læue,& æquale:&tunc præcipue optimum eſt lotium,
quando non eſt contentum copioſum,ſed potius exiguum. E

CAPVT VIII.

De vrina ſanorum, bona quidem, ſed ab optima paullulum deflectente.

Lotium ab optimo declinans. Bonum lotium.

CVm autem ſic habeat lotium optimum:colligendum ex Galen. 1. de criſ. 12. lotium recedens ab opti-
mo,poſſe eſſe & Bonum & Malum. *Bonum* eſt, quod eſt maxime ſimile propoſito. *Malum* vero, quod
maxime differens ab eodem,& non ſignificat coctionem,ſed cruditatem,& perniciem.

Lotium ergo ſi debet eſſe *bonum*, oportet vt ſit ſimile penes tria illa ſuperius propoſita. Propterea
ſenſit Galenus 2.progn.30.lotium eſſe bonum tunc,quando nec tenue eſt,vt aqua;nec craſſum,vt lotium
iumentorum,quod ſubiugale dicitur.Debet ergo lotium habere ſubſtantiam ſimilem ſubſtantiæ ſanorũ F
lotiorum.Idem dicendum de colore lotii:debet enim habere colorem a ſubruſo ad ſubflauum , ſimilem
colori lotii ſanorum.Idem eſt dicendum de lotio penes contentum : debet enim habere contentum al-
bum,læue,& æquale.Idcirco dicit Hippo. 2.progn.26 vrinam eſſe optimam, quæ habeat ſedimentum al-
bum, læue, & æquale: & vſque adeo bonam voluit eſſe vrinam hanc, vt dixerit,eam ſignificare certam &
tutam ſalutem.

Sedimentũ aliquando bonum videri poteſt: & ægri tamen moriuntur: id vero ſedimentum eſt materiæ alimentalis, nõ materiæ morbificæ.

Vt autem locus ille recte intelligatur,aduertendum,Hippoc. loqui de contento, quod gignitur ex
morbifica materia:ad differentiam contenti,quod gignitur ex materia alimentali,quodque fit ex portio-
ne eius renuente concoctionem. Vnde non debet medicus mirari,ſi aliquando homines moriantur, licet
hi reddant lotium,habens ſedimentum album,læue,& æquale. Tale enim ſedimentum, non eſt materiæ
morbificæ,ſed alimentalis. Hoc tamen non ſufficit,ſed oportet vt addatis,differentiam eſſe ratione agen- G
tis;aliter namque erraretis:ſiquidem aliud eſt agens ratione contenti ſanorum; aliud ratione contenti æ-
grotantium. Ratione contenti ſanorum,calor eſt prorſus ſecundum naturam: at ratione contenti ægro-
tantium,calor non eſt prorſus ſecundum naturam. Eſt & aliud diſcrimen,maiori dignum animaduerſio-
ne:nempe,calorem ratione contenti ſanorum,eſſe calorẽ iecoris, & venarum iecori proximarũ:at calorẽ
ratione

A ratione contenti ægrotantium, non tantum posse esse calorem iecoris & venarum ipsius, sed etiam reliquarum venarum extra iecur, id est, venarum totius corporis. Huius autem discriminis hæc est ratio; quia excrementum hoc aquosum, suam acquirit perfectionem in generatione sanguinis, & in eius depuratione, vbi est genitus; quæ duo fiunt in iecore: at in morbis, materia quæ concoquitur non semper est in iecore, sed aliquando in iecore, aliquando in venis extra iecur. Vnde, si materia morbifica reperiatur in iecore, nisi sit pituitosa, non exspectandum est contentum album: si vero appareat contentum rufum, nigrum, rubrum, debemus polliceri salutem: hoc enim est bonum lotium. Neque hoc meum est inuentum, sed Galeni, qui nunquam sine ratione locutus est. Si sit materia biliosa in iecore, calor iecoris non potest talem materiam dealbare: eius enim munus est rubificare: idcirco flaua bilis permanet. Hoc cognoscens Gal. 2. prognostic. dicit: si materia fuerit pituitosa, contentum ad album declinabit; quia pituita est alba: si B materia fuerit biliosa, contentum ad croceum verget: imo (addo ego) ad rufum. Et eodem sensu Hippocrates 1. epid. 2. 23. proponit casum cuiusdam ægrotantis, qui quamprimum reddidit lotium cum contento rubro & læui, tum illico restitutus est saluti: quia materia illa morbifica erat sanguinea, & vigebat in iecore. At si materia morbifica reperiatur extra iecur, tunc concurrit calor venarum. Et quia venarum proprium est dealbare, idcirco siue materia sit biliosa, siue pituitosa, contentum tamen semper debet esse album. Huiusmodi autem contentum est optimum: quia agens est calor venarum, quæ dealbant. Et secundum hanc rationem non erit hæreticum, asserere, hoc contentum posse esse excrementum tertiæ coctionis, quatenus fit a venis extra iecur, ratione materiæ morbificæ. Et quod hoc sit verum, ostendo. Galenus 1. de cris. 12. loquens de febribus biliosis, ad differentiam pituitosarum, dicit: quamuis non obseruamus sedimentum album, apparet tamen suspensum album: quia cum materia morbifica viget extra iecur, debet C cerni albedo. Idcirco, quamuis Hipp. non posuerit sedimentum illud, 2. progn. 26. non tamen debetis ita inferre: non apparet hoc contentum; ergo non possumus prædicere tutam & certam salutem. Hæc consequentia aduersatur experientiæ. Nonne dicit Gal. loco citato, in febribus biliosis non esse exspectandũ sedimentum: homines enim restituuntur sanitati cum solo suspenso. Quare si solum suspensum sufficit, ex solo etiam suspenso debetis prædicere certam salutem. Et hæc est illa pars, propter quam medici tanquam Dii suspiciuntur. Ita igitur intelligatis Hippocratem, non de omnibus morbis loquentem, sed de his tantum, qui non possunt solui, nisi appareat sedimentum. Nam & hoc dicit Gal. loco citato: nempe, in morbis ex repletione non exspectandam esse salutem, nisi appareat sedimentum. Et hoc est verum in his morbis, non autem in omnibus. Atque hæc dicta sint de lotio sanorum & de optimo lotio.

D

CAPVT IX.

De vrina ægrotantium, sanorum vrinæ quoad contentum valde simili: & de diagnosi contentorum materiæ alimentalis ac morbificæ.

IAm transitum facientes ad considerandum lotium *ægrotantium*, ne quis fiat error in prognosticando, operæ pretium est, vt lotium inspicientes cognoscatis, an id, quod in lotio continetur, sit reliquia materiæ morbificæ, an alimenti. Diximus enim aliud esse contentum ratione materiæ alimentalis, & aliud ratione materiæ morbificæ.

Quomodo dignoscendum sit cõtẽtum materiæ alimẽtalis, a cõtẽto materiæ morbificæ

Vt igitur hoc exacte cognoscatis, oportet distincte progredi. Et primum considerandum est, dum sumus apud ægrotantes, (loquimur enim in præsentia de lotio ægrotantium, non multum tamen recedẽte a lotio sanorũ:) an materia morbifica reperiatur in iecore, & ꝓximis ei venis, an in venis extra iecur? E

Si enim materia morbifica reperiatur *in venis iecoris*, tunc duo sunt aduertenda: an scilicet æger tenuiter viuat, an vero copioso victu vtatur: (ægri enim in cibo & potu non raro delinquunt.) Si *viuat tenuiter*: tunc ex Galeno 2. prognostic. 26. vt supra audiuistis, redditur lotium cum nullo sedimento, sed cum suspenso.

1. Si materia morbifica sit in iecore: & æger tenui victu vtatur.

Vnde hoc ita constituto, aduertendum, an eodem tempore fiat coctio alimenti & materiæ morbificæ, an diuerso tempore. Si fiat eodem tempore, (fieri enim potest, vt natura eodem tempore concoquat cibum, & materiam morbi) tunc ratione materiæ cibalis non adest sedimentum in lotio, sed modicum suspensum: & cum modicum sit suspensum, & eodem tempore excernatur cum contento materiæ morbificæ, ipsum vincitur a contento materiæ morbificæ, & in huius naturam vertitur, ita vt non sit caussa errandi. Potestis ergo prognosticari, quando homines tenuiter viuunt: quoniam exiguum est illud suspen- F sum, & conuertitur in naturam materiæ morbificæ.

Si coctio alimenti & morbi fiat tempore eodem:

Quod si diuerso tempore fiat coctio: fieri potest, vt materia alimentalis vno tempore, materia autem morbifica alio tempore concoquatur. Naturalis enim facultas est in assidua operatione: propterea quando morbi sunt in principio, natura concoquit cibum, non autem materiam morbificam. Fieri etiam potest oppositum, vt cibus sit crudus. Et cum sit crudus (hoc potestis experiri in sanis) homines illico reddunt lotium sine contento: ex Gal. 4. de tuend. sanit. 4. quia natura nondum est aggressa cõctionem noui cibi. Tunc autem potest esse concocta materia morbifica, ita, vt dum redditur lotium, in ipso insit contentum materiæ non alimentalis, sed morbificæ. Et vos lotium inspicientes, ita esse cognoscetis. Nam si obseruabitis suspensum album, læue, dicatis esse contentum materiæ alimentalis: at si contentum subsideat, dicatis esse contentum materiæ morbificæ. Quando enim homo tenuiter viuit, non potest reddere G lotium, quod habeat sedimentum materiæ alimentalis. Si ergo adsit sedimentum, est dubio procul sedimentum materiæ morbificæ.

Si diuerso tempore.

Sed quoniam euenire potest, vt contentum ratione materiæ morbificæ non subsideat, adsit tamen vel suspensum, vel nebula; quomodo distinguendum illud a materiæ alimentalis suspenso? Non difficulter id cognoscitur; quoniam vel morbus est biliosus, vel melancholicus, vel sanguineus: tuncque si suspẽ-

Distinctio suspẽti morbifici, & alimentalis.

ſum ſit album,dicatis eſſe ſuſpenſum materiæ alimentalis,nec ſitis ita audaces in prædicendo ſalutē. Quod A
ſi ſuſpenſum ſit coloris declinantis ad aureum,vel ad rubrum, vel ad nigrum, dicatis hoc eſſe ſuſpenſum materiæ morbificæ. Et aduertendum,nos in præſentia loqui de materia morbifica, quæ in iecore reperitur.Sed ſi materia fuerit pituitoſa,contentum poteſt eſſe album: ideoq; diſtinguendum contentum illud pituitoſum,a contento alimentali: vtrumque enim eſt admodum ſuſpenſum,& album. Ita vero diſtinguetis: quoniam contentum alimentale,præter id,quod eſt: album, non eſt admodum craſſum, non inæquale,non aſperum:at contentum materiæ pituitoſæ morbificæ craſſius conſpicitur,nec læue eſt, aut æquale:propterea,quod in morbis pituitoſis,quando adſit ſuſpenſum,vel etiam nebula,ſunt flatus ſuſpendentes:& præterea progrediente tempore obſeruabitis contentum illud magis & magis deſcēdere, ita vt tandem ſubſideat.Senſit enim Gal.1.de criſ.12.morbos pituitoſos,& ex repletione,non poſſe ſolui,vel cognoſci,niſi lotium habeat ſedimentum. Contra obſeruabitis, ſi fuerit contentum materiæ alimentalis, B nunquam ſubſidebit.Ratio huius manifeſta: quoniam ſermo eſt de ægroto tenuiter viuente.

Si largius viuat patiens: morbi materia in hepate exiſtente.

Quod ſi æger *copioſo vtatur cibo*,& materia morbifica etiam in iecore detineatur;facile medici decipi poſſunt:tunc enim contentum alimētale ſolet eſſe copioſum:vt colligitur e Galeno com.26.l.2.progn. Si ergo morbus ſit in initio,& ſedimentum album appareat;non propterea exiſtimandum eſt, morbū in augmento,vel ſtatu eſſe;hic enim error eſſet maximus:neque ſalutem prognoſticari poſſumus;quia enim morbus eſt inter initia,natura nō aggreditur coctionem materiæ morbificæ,ſed in copioſum cibum agit, ideoque contentum album apparens eſt alimentale.

At progrediēte morbo aduertere oportet,num morbus prodeat e ſuccis tenuibus,id eſt,bilioſis;vel craſſis,id eſt,pituitoſis,aut melancholicis.Si prodeat e bilioſis,& diuerſo tempore fiat excretio iſtorū contentorum;apparebit ſedimentum albū alimentale,propter copioſum cibum:poteſt autē apparere ſuſpen- C ſum rufum,citrinum,bilis colorē præ ſe ferēs.(nam in morbis bilioſis,in morbis ex inanitione, laboribus inedia ſufficit obſeruare ſuſpenſum,c.12.l.1.de criſ.)Vnde ſi in principio morbi ſedimentum albū, & ſatis læue apparet;progreſſu autē morbi propter ſedimentum album,aſſit ſuſpenſum citrinum: nō ſimpliciter dicendum eſt,vt quidam faciunt,deteriorem fieri morbum;nam aliquando fit melior, quia fit maturatio materiæ morbificæ.Hoc autē accidit,quoties contentū materiæ morbificę nō vnit,ſed ſeparatur a cōtento alimentali,licet eodē tēpore excernantur:vnde contentū alimētale reſidet in fundo, contentū materię morbificæ eleuatur.Interdū autē horum contentorū fit vnio,& tunc ſedimentū apparere ſolet (non ſuſpenſum)quia ob victum copioſum,magis poteſt copia & quantitas contenti alimentalis.Et quia hoc alimentale contētum ſubſidens cōiunctum habet excrementū bilioſum;fit,vt ſi prius apparuerit ſedimentū D albū,poſtea ſedimentū euadat ſubcroceū,ſubrufum,ꝓ maiori vel minori portione excremēti bilioſi:id qꝫ optimū eſt ſignū.Nec obſtat Hip.ſententia,com.26.l.2.prog.ſedimentū albū eſſe optimū;ibi.n.ſenex loquitur de ſedimēto materiæ morbificæ:at in p̄ſentia ſedimentū ꝙ prius erat albū, tale erat ratione materiæ alimentalis,ideoq; nō indicabat materiā morbificā maturari,ſed dum fit ſubrufum, indicat eam maturari.

Idem de materia melancholica, & pituitoſa dicendum. In materia enim melancholica,melius erit contentum ſubnigrum,quam album(nam album nil aliud indicat,quam cibum concoqui:at ſubnigrum denotat materiam morbificam melancholicam concoqui,) ſi ſcilicet homo copioſe comedat:vnde qui detinentur quartanis,tunc ſaluti ſunt proximi,quando contenta nigricantia obſeruātur. Quare diligentes eſſe debemus in interrogando ægros,quonam victu vtantur.

11. Si materia morbifica ſit extra iecur:& æger viuat tenuiter.

Si materia fuerit pituitoſa,ſedimentū ratione cibi eſt albū:ratione autē pituitæ, ſuſpenſum apparet, E &,ſi apparet,non eſt malū:quia ſignificant materiā pituitoſam concoqui.Si vtrumq; contentum coniungatur,ſedimentum album apparet,miſtum e materia alimentali & morbifica: id autem hoc modo dignoſcitur:nam ante coctionem materiæ morbificæ,ſedimentum erat album & læue,non admodū craſſum;at ob miſtionem alterius contenti,acquirit aliquam aſperitatem,nec eſt vſq; adeo albicans,vel læue;quia fieri non poteſt,vt dum ſubſidet excrementum pituitæ,ſtatim album,læue & æquale ſit ſedimentum,ſed ꝓgreſſu temporis tale fit,prout natura magis ac magis materiam morbificā ſeu pituitoſam ſuperat. Quamobrem,ſi prius apparet lotium cum ſedimēto albo & læui;poſtea vero hoc contentum aliquo modo inficitur,vt nō amplius ita album & læue ſit;non propterea timendū eſt,vt quidā faciunt:nam hoc contentū, ꝙ non ita bonū videtur,ſignificat permiſtionē vtriuſq; contenti.Quod ſi diuerſis tēporibus hæc cōtenta excernātur:facillime e traditis cognoſcentur.Nā ſi excernit̄ alimentalis materia:id fit ꝑ aliquot horas,poſt concoctū cibū,nō tantū in ventriculo,ſed etiā in iecore,& ſedimentū eſt albū.Si excernatur contentū an- F teq̃ cibus concoquat̄;eſt cōtentū materię morbificę,adſtipulāte etiā colore,& aliis ſignis a nobis ꝓpoſitis.

Si materia morbifica nō reperiat̄ in iecore,ſed *extra iecur*:videndū,num æger tenuiter viuat,vel largius.Si *tenuiter*,non poteſt adeſſe ſedimentū alimentale,ſed tantū ſuſpenſum alimentale:ideoq; ſi aſſit ſedimentum,eſt materiæ morbificæ.Suſpenſum autem num ſit alimentale,an materiæ morbificę,ita diſtinguitur:nam,ſi morbus ſit inter initia,& ſuſpenſum ſit albū,contentū eſt alimētale:ſi ſit alterius coloris, vt in morbis bilioſis,melancholicis & ſanguineis,ſuſpenſum eſt materiæ morbificæ.Sed notandū fieri poſſe; vt,etiamſi redundet materia bilioſa,ſuſpenſum tamē ſit album,læue & æquale,vt colligitur e com.12.l.1.de criſ.vbi Galenus aſſerit in morbis bilioſis non eſſe exſpectandum ſedimentum,ſed ſufficere ſuſpenſum album,læue & æquale.Hoc autem intelligendum eſt de materia bilioſa,quæ reperitur extra iecur, nō de eā G quæ in iecore reperitur:nam ratione venarum extra iecur,dum bilis maturatur,poteſt ſecundum aliquam ſui portionē albū colorem acquirere.Porro ſuſpenſum albū bilioſum,diſtinguit̄ a ſuſpenſo albo alimētali, ꝑ coniecturā:nā ſi ſit excrementum materiæ bilioſæ morbificæ,præceſſit ſuſpenſum citrinum, quod ſenſim poſtea albicans euaſit: ſi hoc non apparuerit,oppoſitum eſt ſtatuendum.Et quod dictū eſt de bilioſo

Si largius viuat æger.

cōtento: idē de reliqs dicendū eſt.Si *largius viuat* homo, e traditis facile cognoſcetur:poteſt enim eſſe ſedimentū alimētale,quia homo copioſo cibo vtit̄,ſed id albū eſt:ſi autē ſit contentū materiæ morbificę, diuerſū eſt a priori,ꝓ diſcrimine materię morbificę,vel pituitoſę,vel bilioſę,vel melācholicę,vel ſanguineæ.

A Oritur autē dubitatio, cur dictum sit lotium esse optimum, vel (si sit ægrorum) optimo proximū, qꝫ habet suspensum album, læue, & æquale. Nam Galenus com. 83. sect. 3. l. 3. epid. ait, contenta eleuari propter flatus, & nisi assint flatus, subsidere. Suspensum ergo videtur fieri ratione flatuum: vbi autē flatus sunt, ibi calor debilis est, ideoque non fiunt optimæ coctiones, & proinde lotium non est optimum. Respōsio: Galenus heic loquitur de lotio ægrorum: ideoque ab hac difficultate lotium sanorum excluditur. Præterea etiam in ægris potest esse suspensum optimum, & sine flatibus: ideoque dum Galenus ait, si non assint flatus, suspensa descendere; non loquitur de quocunque suspenso ægrorum, sed de malo. Hæc solutio colligitur e com. 1. sect. 2. lib. 1. prorhet. vbi Hippocrates ait, si quippiam in vrina sublime petierit, delirium significare. Galenus hoc ponderans, inquit id non esse intelligendum de omni contento, quod petat superiores lotii partes; sed tantum de vitioso, quod non propria ratione, sed ex accidenti minatur delirium,
B propter flatus scilicet qui significant agitationem esse in venis, & humores raptum habere ad partes capitis, com. 30. sect. . l. 3. prorhet. Si autem suspensum vitiosum non fuerit, non est periculum de delirio; sed significant potius securam & citam salutem.

Nū suspensum bonū esse que it: cum a flatibus fiat.

CAPVT X.

De differentiis vrinarum, ab optima plane deficientium: & primum de caussis vrinæ tenuis.

HActenus diximus de lotio ægrorum, quod satis simile est lotio sanorum: Iam etiam agēdum est de lotio ægrorum, quod *plane dissimile est lotio sanorum*.

Lotium, ab optimo multum recedens.

Heic ergo dissimilitudo attendenda est penes Liquorē, & penes Contenta. In *liquore* considerare oportet Substantiam, Quantitatem, & Qualitatem. Quoad *substantiam*: bonū lotium, obtinet moderatam
C substantiam: malum, tenuiorem, vel crassiorem. Quoad *quantitatem*: bonum lotium respondet aquosis assumtis: malum est magis exiguum, vel copiosius. Quoad *qualitatem*, hæc Prima est, vel Secunda. Quoad primam, lotium optimum est, cum egrediens, nec calidius est, nec frigidius: malū, vel calidius est, vt in ardentibus febribus, vel iusto frigidius. Quoad secundas qualitates: omittemus sapores, & alias similes qualitates, dicentes tantum de odore & lumine. Quoad odorem: bonum lotium neq; admodum grauiter olet, neque odore prorsus est destitutum: malum est, quod vel grauiter olet, vel inodorum est. Postremo quoad lumen: in hoc consideratur permistio diaphani cum opaco; diaphanum lumē suscipit, & ab opaco terminatur. In hac autem permistione tria sunt consideranda. Primo in permistione diaphani rari & puri, cum opaco denso & impuro, animaduertendum, vndenam sit victoria; num e parte raritatis & puritatis, an e parte densitatis & impuritatis: pro huius enim permistionis discrimine, lotium fit vel Perspicuum, vel
D Opacum. Perspicuum est, quando visus facile penetrat: opacum contra. Non enim idem est tenue & perspicuum, crassum & opacum: quia crassa quædam, interim tamen (secūdum Auicennam) perspicua sunt, vt albumen oui, vitrum liquefactum, oleum: sic quædam tenuiora sunt opaca, vt fumus, aqua turbida. Hippocrates aph. 72. sect. 4. per vrinas perspicuas intelligit tenues: non tamen inferri potest, ob id, non dari crassam & perspicuam vrinam: cum Galenus in commento dicat, albas esse vrinas, & perspicuas, tenues; innuens, etiam crassas perspicuas dari. Si ergo lotium sit vel Opacum, vel summe perspicuum; a natura recedit. Ideoque de caussis harum vrinarum nobis erit agendum. Secundo consideratur illa permistio non penes victoriam: sed prout est victoria e parte huius vel illius, consideratur varia permistio: tuncque diaphanum corpus terminatum redditur coloratū: propterea de differentiis a colore desumtis, nobis agendum erit. Tertio, consideramus hanc permistionem, quatenus fit e raro & puro, item e denso & impuro:
E vnde lumen colligitur, & degenerat in splendorem: Et hac ratione loquendum erit de lotio splendente, vel splendore destituto.

Differentiæ vrinaru nō natural ū, ratione liquoris.

Quantum igitur ad substātiam lotii; *tenue* redditur lotium, vel ob Intemperiem, vel propter Obstructionem. Ob intemperiem, vel ipsorum Renum, vel Iecoris. Renum intemperies frigida, in caussa est, vt neque renes valide attrahant, neq; valide expellāt. Iecoris intemperies, potest esse tum Calida, tū Frigida.

Tenuis lotii caussæ: 1. Intemperies.

Dubitatur autem quomodo lotium possit fieri tenue & a frigido, & a calido? quomodo etiam ab his possit crassescere, vt videtur colligi e com. 38. l. 2. progn. Responsio. Calor alius est naturalis, temperatus; alius non naturalis: & hic vel est diminutus, seu remissus, quem frigoris nomine donamus, vel est intensus. Calor diminutus potest esse caussa lotii exacte tenuissimi: præterea, potest lotium tenue, minus tenue reddere; non autem potest crassum lotium tenue efficere. Calor intensus non potest efficere lotium ex-
F quisite tenuissimum: sed potest lotium tenue magis tenue reddere, potest etiam crassum lotium attenuare, & tenue crassefacere. Declaranda hæc omnia sunt. Calor diminutus, seu languidus, producit lotium; instar aquæ tenuissimæ, crudissimum, c. 12. l. 1. de crisi. Et huiusmodi lotium duplex est: vel enim statim excernitur, vel aliquantisper detinetur. Celerrime excernitur in diabete: quod prauissimum est lotium significans exstinctionem & alteratricis, & retentricis, duarum nimirum potentiarum, non vnius tantum: exstinguitur autem in diabete alteratrix iecoris, non ventriculi; quia si homo bibat vinum rubrum, fieri tamen potest vt album reddat lotium, ad similitudinem aquæ; vnde apparet, factam esse aliquam alterationem in ventriculo, non in iecore; ideoque aquosum permanet lotium, non acquirit compagem, nec colorem. Calor intensus, potest etiam cum lotio tenui esse: sed tunc lotium est coloratum, rufum, subflauum, ob permistam aliquam bilis portionem, non albicans. Nec mirum esse debet, calorem intensum
G reddere lotium coloratum, sed iusto tenuius, id est, præbere colorem, non etiam veram substantiam: nam maior est difficultas in efficienda substantia, & vniendis partibus, quam in præbendo colore. Id quod inde etiam comprobatur: quia vrina sæpe vini & aceti colorem habet, non autem tam exquisita vnitam substantiam: & hinc Auicennas docet, quomodo hi liquores, qui sæpe ab impostoribus tentandi gratia medicis offeruntur, ab inuicem sint discernendi: si enim vas non ita sit propinquum, vt odore fieri queat di-

Vrina, vt a vino & aceto distingui possit.

stinctio; hoc modo cognosci poterũt: vinum, vel acetum, quo propinquius est oculis, eo tenuius apparet; A
lotium contra crassius: caussa est, quia partes vini & aceti maxime vnitæ sunt, & magis quam lotii partes, quia lotium est excrementum; ideoque si lotium proxime diligenter aspiciatur, apparebunt quædam veluti corpuscula, seu portiunculæ, quæ non sunt vsque adeo vnitæ Obiectio: si calor moderatus, reddit lotium moderatum in substantia: ergo calor immoderatus, faciet vrinam crassiorem? Responsio. Cum viget calor naturalis, & cum adest temperies, lotium acquirit optimam substantiam; non autem quando intemperies adest. Præterea calor intensus potest etiam crassum lotium attenuare: nam calor febrilis attenuat: vnde quoque fit, vt crassiores partes subsideant, & liquor tenuis permaneat, qui prius erat crassus. Insuper calor intensus potest in caussa esse, vt lotium, quod album est productum a diminuto calore, adhuc perseueret tenue, non tamen ita tenue vt antea, sed vt iusto sit tenuius.

2. Obstructio.

Denique obstructio tenuis lotii caussa est: partes enim tenuiores permeant, crassiores permeare nequeunt. B

Perspicua vrinarum sit tenuis, vel caussa.

Auicennas, in vrina perspicua distinguit, num sit tenuis, vel crassa: vtramque enim oculorum acies penetrat. Si tenuis est spuma e vehementi concussione est exigua, bullæ paruæ, quæ celerrime dissoluuntur: si crassa, spuma copiosior, bullæque diutius durant.

CAPVT XI.

De caussis vrinæ crassæ, & non turbidæ, & turbidæ.

Vrinã posse incrassari.

SEquitur de ***crassarum*** vrinarum caussis. Lotium non crassescere, sed potius coagulari, affirmat Aristoteles, c.7.l.4.meth. vbi philosophus de ambiente externo, in vrinam agẽte, loquitur: nos autem in præsentia loquimur de caussis internis, id est, de calore, in corpore exsistẽte, & de materiebus, quæ ita cum vrina possunt permisceri, vt vrina crassa reddatur. C

Crassi lotii differentiæ. Non turbulentum, oleaceum.

Porro lotium crassum, vel est Turbulentum, vel Non turbulentum. Non turbulẽtum, vel est Oleaginosum, vel Non oleaginosum.

Oleaginosum est, quod habet consistentiam & colorem oleo similem, vt ait Galenus, com.72 sect.3. l.3. epidem. Hoc vel Pingue est, de quo in contentis agamus; vel Non pingue, de quo Galenus agit, & nos in præsentia. Tale lotium oleaginosum, nõ pingue, dicit Galenus se sæpe conspexisse, citra ægrotantium detrimentum, quia non indicat colliquationem, cum non sit pingue. Consequitur autẽ lotiũ substantiã oleosam, quoniam adest pituita, quæ non est vsque adeo crassa, sed viscida & aquosa, quæ liquori mista, hunc oleo similem reddit. Huiusmodi liquor, interdum est Candidior, interdum Flauescit. Si candidior fuerit, cruditatem significat, non perniciem, nisi aliqua lethalia signa fuerint coniuncta, verbi gratia, si summa assit febris vehementia. Si sit flauescens, melior est vrina, & citius sequitur salus. Vrinę ergo oleosę, non sunt pertimescendæ, dum modo non sint pingues. Hæc de vrina crassa, non turbulenta, & oleosa. D

Nec turbulentum, nec oleaceum.

Vrina crassa, nec turbulẽta, nec oleosa, potest esse pituitosa, sanguinea, melancholica, biliosa. Crassa pituitosa, originem ducit e pituitosa materia, quæ crassa est, & non ita aquosa, vt in vrina oleacea, sed terrestris potius; non impura tamen, quia impura, turbulenta esset. Hæc in libro de Vrinis, ab auctore innominato, dicitur vrina crassa pituitosa. Crassa sanguinea est, cum ob insignem calorem sanguis permiscetur cũ liquore, ita vt crassescat. Crassa melancholica est, cum permiscetur humor melancholicus. Crassa biliosa est, secundũ Auicennam, cum permiscetur bilis vitellina: hinc non proponit innominatus ille auctor, nam loquitur tantum de flaua vrina: at si bilis vitellina permisceri debet cum liquore vrinæ, requiritur insignis calor, qui valde exurat; vnde strenue agens in bilem vitellinam, quæ flauissima est, per vlteriorem adustionem acquirit colorem, qui magis intensus est, quam sit color flauus, id est, qui magis declinet ad atrum: vt colligitur e com.38.l.2.prognost. vbi ait Galenus, bilem crassescere, dum supra modum assatur. Hæ igitur sunt crassæ vrinæ, quæ bonæ non sunt, & quanto crassiores, tanto deteriores, com.32. lib.2. prognost. E

Turbulentũ crassum lotium.

Restat lotium crassum turbulentum. Non autem loquemur de lotio, quod turbulentum redditur ob permistionem puris, vel seminis, vel alterius materiæ: non enim agimus iam de contentis. Sed primo agemus de iis turbulentis, de quibus Galenus loquitur c.4.l.4. de tu. san. & c.12.l.1. de cris. Deinde per viam sequelæ, loquemur de vrinis, quæ turbulentæ redduntur ratione ambientis.

Tres differentiæ turbidarum vrinarum.

Galenus c.12.l.1. de cris. ait, tres esse differentias vrinarum turbidarũ: alia turbida mingitur, post clara euadit, alia clara mingitur, & post fit turbida: alia turbida mingitur, & talis permanet. Prima est melior, secunda peior: tertia in medio bonitatis & malitiæ constituta. F

Turbidi lotii caussa.

Caussa vrinarum turbidarum, est flatulentus spiritus, lotio permistus, cap.12.l.1.cris. l.3. epidem. sect. 1. com.5. nam in vrinis subiugalibus assunt flatus, sicut in musto, quod ratione flatuum ebullit: vnde hæ vrinæ prænuntiant capitis dolorem: nam si flatus assunt, sursum ascendunt, & secum ducunt noxios succos, vnde fiunt capitis dolores. Has turbulentas vrinas, Galenus appellat fermẽtatas, com.40.l.2. prorhet. ratione permistionis flatus cum aquositate, qui permiscet etiam illas materias cum ista aquositate. Do exemplum: dum acetum decidit in terram, fit fermentatio, veluti auctio, nam terra madefit, & ratione aceti suscitatur flatus, qui dum ascendit, secum ducit portionem terræ madefactam ab aceto. Vnde etiam in musto, ratione istorum flatuum, necessarium est, vt dum ebullit, occupet maius spatium. Idem in lotio turbulento & fermentato accidit; quatenus flatus, permisti cum materia & aquositate, efficiunt vrinas turbulentas. G

Flatuũ materia, & efficiens.

Fiunt autem flatus e materia cruda & crassa, in quam natura, seu calor natiuus agit. Nam in morborum initiis, quando natura nondum aggreditur materiam morbificam, non fiunt vrinæ turbulentæ, sed crudæ sunt instar aquæ: in fine autem principii, cum natura aggreditur coctionem materiæ morbificæ; & progre-

A dicnte morbo ad flatum, cum color etiam magis agit in materiam morbificam, fiunt lotia turbida. Galenus com. 21. ſect. 3 & com. 15. ſect. 5 lib. 1. epid. ait, vrinam ſimilem lotio iumentorum eſſe, in qua redundant crudi & craſſi humores. Auicennas ait, vrinam turbulentam fieri, propter permiſtionem flatuum, cum terreſtreitate & parte aquoſa.

His ita poſitis, conſtat vrinam peſſimam eſſe, & exquiſitam indicare cruditatem, quæ clara redditur, & talis permanet; ſignificat enim naturam nec aggredi coctionem, nec tam cito aggreſſuram eſſe.

Vrina, quæ clara mingitur, & manet.

Si clara vrina redditur, deinde turbatur, non eſt ita mala, vt prior, quia ſignificat quandam perturbationem flatuoſi ſpiritus, quæ ſignificat naturam iam aggreſſuram eſſe coctionem. Circa finem enim principii morborum, dum natura nondum quidem concoquit materiam morbificam, ſed cito coctionẽ eſt aggreſſura, ita vt aſſit veſtigiũ aliquod coctionis; ſuſcitantur flatus, qui non ſunt copioſi, quia non eſt B multa actio caloris, ideoq; vrina clara redditur: ſed poſtea dum flatus exitum quærunt, ratione huius commotionis conturbatur lotium, & quo citius turbatur, eo melius eſt indicium, quia ſignificat flatus eſſe copioſiores, & proinde calorem magis agere in materiam.

Si clara mingitur dum turbatur.

Dum vero progreditur morbus, calor adhuc magis agit, vnde etiam producuntur copioſiſſimi flatus, lotiumq; turbidum redditur, & vel tale permanet, vel clareſcit: melius eſt, ſi clareſcat; peius, ſi turbidum permaneat, & ratio eſt, quoniam turbidum redditur ob copioſos flatus; turbidum autem permanet, quia hi flatus ſunt craſſiores, & valde permiſti cum materia craſſa, vt deſcendere hæc nequeat. Si lotium turbidum redditur, & poſtea clareſcit, hoc fit, quoniam copioſi illi flatus ſunt attenuati. Attenuantur autem hi flatus, interdum a calore naturali, interdum a calore præter naturam. Cognoſcitur vero e bona, vel mala ſubſidentia, de qua ſuo loco. Aetius ait, ſi vrina turbida reddatur & clareſcat; ſignificare, quod fermentatio C imminuatur & decreſcat. Iure igitur Galenus ait cap. 12. libr. 1. de criſ. peiorem eſſe illam vrinam, quæ clara redditur, & poſtea turbatur, quia ſaltem adeſt veſtigium coctionis, non ita malam, quæ turbida redditur, taliſque permanet, quia natura tunc eſt aggreſſa coctionem: adhuc minus malam, quæ redditur turbida, & poſt clareſcit.

Si turbida mingitur.

Porro lotium turbidum, ſignificat longitudinem morbi, niſi virtus ſit debilis. com. aphor. 70. ſect. 4. Sed bona eſt illa vrina, quæ turbida redditur, & poſt clareſcit, bonamq; habet ſubſidentiam, quoniam hæc vrina parum habet inæqualis ſubſidentiæ. Hæc Galeni verba obſcura ſunt, quæ ita intelligenda puto. Dum turbulenta vrina redditur, ſemper inſignis, non exigua, eſt perturbatio; neceſſario enim a copioſis flatibus dependet c. 12. l. 1. criſ. c. 4. de tu. ſa. 1. Sed perturbatio duplex eſſe poteſt, inæqualis, & æqualis: In æ- D qualis eſt, quando calor, agens in materiam morbificam, materiam habet difformem, heterogeneam reſiſtentem, at dum calor, ſuperat & valide agit, dum materia eſt attenuata, nec ita reſiſtit; tunc, quia valida eſt pugna, perturbatio quoque eſt inſignis, at æqualis. Propterea rationabiliter dixit Galenus, illam eſſe bonam vrinam, quæ turbida redditur, poſtea vero clareſcit. Quare vrinarum turbulentia interdum bonum eſt ſignum, interdum malum.

Bonitas vrinarum turbidarũ.

Diximus hactenus de cauſſis internis vrinarum turbidarum, iam etiam exponemus, quomodo vrinæ reddantur turbidæ, ratione ambientis, non modo in corporibus ægrotantibus, ſed etiam in ſanis. Primum ergo ſciendum, calorem lotii, ſegregare partes heterogeneas, & homogeneas congregare, vnde, dũ lotium redditum eſt, fieri põt, vt ob frigidum aerem calor ipſius lotii hebeſcat, & debilior euadat; ideoque languidus ille calor, & ab aere frigido pene exſtinctus, non amplius poteſt heterogenea ſegregare, & ho- E mogenea congregare; vnde lotium turbidũ redditur. Quod ſi lotium turbidum emittatur, & diu ita permaneat; nunquam clareſcet, licet ſæpius igni admoueatur, ratio eſt, quia calor vrinæ e toto eſt diſſipatus. Sin vero diutius turbidum non permanſerit, & igni admoueatur, calor ignis reuocabit lotii calorem, qui reuocatus, ac veluti inſurgens, homogenea congregabit, & heterogenea ſeparabit.

Turbatio lotii, ab ambiente aere.

Quæri heic poteſt, quare in corpore ſano, & quidem in eodem corpore ſano, lotium modo turbetur, modo non turbetur: v. g. Reddat aliquis ſanus lotium tenue & album, inſtar aquę, illico poſt cibum, quãdo nondum facta eſt coctio: præterea idem reddat lotium boni coloris, & cũ bono contento, poſt coctionem celebratam: idem inſuper adhuc bis reddat vrinam, quæ ſatis bene ſit colorata, & contentum habeat. Accidet aliquando, vt vnum lotium ex his turbetur, alterum non turbetur. Primum lotium clarum redditur, & clarũ permanebit: itidem ſecundum. Reliqua duo lotia clara reddentur, quia non aſſunt flatus, vt in F corporib. ægrotãtibus; ſed deinde turbabuntur, vnum quidẽ prius, alterum poſterius; vnum citius, alterũ ſerius. Quæ eſt cã huius diuerſitatis, in lotio eiuſdem corporis ſani? Hæc eſt cã, meo iudicio. Primũ lotium non turbatur, quia exquiſite crudũ eſt, & inſtar aquæ tenuiſſimum, vt ferme partes non reperiantur heterogeneæ, ſed vniformes, ideoq; hoc lotiũ non habet contentum non turbatũ, ſed clarum permanet. Secundum lotium nõ turbatur, etiamſi habet bonum colorẽ, decentem compagem, probum contentum: cã cur non turbetur, eſt, quia validus & robuſtus eſt calor lotii, neq; cedit ambienti, nõ ſuperatur ab ambiente, ſed reſiſtit. In reliquis lotiis eiuſdẽ corporis ſani, non eſt calor ita validus, ideoq; non ita põt reſiſtere ambienti, ſed potius cedit, & exſtinguitur: ideoq; lotium conturbatũ. Vnum vero lotium citius, alterum tardius conturbatur, prout calor magis vel minus eſt debilis: quo. n. debilior eſt, eo minus reſiſtit ambienti.

Cur eiuſdem hominis ſani lotium, modo turbetur, modo non turbetur.

Errant igitur ii, qui dum lotium febricitãtium, quod prius turbabatur, poſtea non turbatur, dicunt eſſe abſolute bonum ſignum. Interdum enim bonum eſt, interdum malum. Bonum eſt, quando lotium G ægrotantis, quod primo non turbabatur, poſtea vero turbatur, non ratione aeris ambientis, (quia eſſet malũ) ſed ratione cauſſæ internæ. i. ratione flatuum, qm̃, cum prius non producerentur flatus, mox generari incipiunt: Huiuſmodi turbulentæ vrinæ ſignificant quoddã coctionis veſtigium: prius. n. non turbabatur lotiũ, quia aderat frigiditas & cruditas exacta: poſt vero cũ turbari incipit, ſignũ eſt coctionẽ incipere: ideoq; bonum. Quid ſi lotium, prius non turbari ſolitum, turbetur ratione ambientis; non eſt bonum

In febribus quando bonũ ſit lotium turbatum.

ſignum: indicat enim calorem fieri debilem, nec poſſe reſiſtere aeri ambienti, ſic uti prius reſiſtebat. Hinc fit, vt, ſi ægrotantes debiles fiant, ſumma etiam diligentia præcaueri nequeat, quin lotia turbentur, ob caloris magnam imbecillitatem, etiamſi lotium ſeruetur in loco calido. A

Quomodo autem cognoſci poteſt, turbari lotium, ratione cauſſæ vel internæ, vel externæ? Primũ ſic cognoſcitur: dũ turbatur a cã externa, id potiſſimũ fit in aere frigido, tempore videlicet autũni & hyemis: ideoq; lotium a turbulentia præſeruatur, dũ in loco calido detinetur. Quod ſi lotium turbetur ab interna cauſſa, id etiã fiet aere calido exſiſtente: quoniam illa conturbatio non dependet ex aere, ſed ab interna cauſſa. Deinde, hoc etiam modo cognoſcitur: Si lotium ab ambiente turbatum eſt, modo ne diutius, quã par eſt, turbidum permanſerit, igni admotum, reclareſcere poteſt, reuocato ſcilicet calore, qui veluti exſtinctus erat ab ambiente. At ſi turbatum ſit lotium a cauſſa interna, igni nunquam clareſcit; ſicut accidit B in febribus peſtilentibus, dum excernuntur vrinæ illæ turbidæ, fermentatæ, ſubiugales, quæ licet per 10. horas prope ignem detineantur, non tamen clareſcunt.

Capvt XII.

De cauſſis lotii exigui, & copioſi.

DIfferentias vrinarum præter naturam, a ſubſtantia deſumtas, expediuimus: ſequuntur differentiæ a quantitate petitæ.

Quantitas lotii.

Quoad copiam igitur vrinarum, diximus bonum eſſe lotium, quod ea redditur copia, quæ proportione reſpõdet aquoſis aſſumtis. Quare illud erit diſſimile, quod vel Copioſius reddet, vel in minori copia.

Cauſſæ generationis lotii copioſi.

Lotium *copioſius* generatur, quoniam languet vis iecoris, ita vt in lotii ſubſtantiam vertatur non tan-
tum portio bibita, ſed etiam portio ferme omnis tenuis & aquoſa chyli. Languens enim calor, dum non C
poteſt chylum, vt decet, in ſanguinem conuertere, copioſam producit ſeroſitatem. Languet autem calor
1. iecoris, vel Propria ratione, vel ex Accidenti. Propria ratione, quãdo iecur redditur frigidius, vt in cache-
xia, in hydrope, plurimum ſerum gignitur, ob frigidam iecoris dyſcraſiam, & gignitur iecore languente
2. propria ratione. Ex accidenti vero hoc vitium poteſt referri, tum in Iecur, tum in Alias partes. Refertur
in iecur, quotieſcunq; iecur calidius eſt, & ratione caliditatis inſignis iuſto citius chylum attrahit, vt cibus
debito tempore non permaneat in ventriculo, ſed iuſto citius ad iecur diſtribuatur, quod nõ poteſt opti-
me ſuo fungi munere, nec chylum vſq; adeo exacte in bonum ſanguinem mutare poteſt; vnde generatur
ſeroſitas copioſior, quam calor regulare non poteſt, idq; non propria ratione, ſed quia cibus iuſto celerius
3. ad iecur peruenit. Hoc etiam fieri poteſt vitio aliarum partium, ſcil. Ventriculi, & renum. Vitio quidem
ventriculi, quando hic debilis eſt, vnde chylum aquoſum producit, qui ad iecur delatus, non poteſt exacte D
elaborari: quia error primæ concoctionis, non poteſt corrigi per ſecundam concoctionem: ideo excre-
4. mentum hoc aquoſum in maiori copia producitur, ratione chyli aquoſi. Ratione renum hoc fit, quando
hi ſunt calidiores, vt accidit in diabete, quia ob vehementem calorem violenta fit attractio, & proinde nõ
detinetur chylus in iecore, quamdiu oportet, vnde plurima ſeroſitas peruenit ad renes.

Cauſſa generationis & excretionis, ſeu mictus, differunt.

Heic notandum, aliud eſſe loqui de generatione copioſi lotii: aliud, de mictu copioſo lotii. Nam fieri poteſt, vt lotium copioſum generetur, nec tamen excernatur, ſed retineatur, vt accidit in aſcite, & in omni hydrope. De generatione lotii copioſi, eiuſq; cauſſis, egimus: quod ita genitum, redditur, niſi aſſit impedimentum, ſeu affectus aliquis illarum partium, qui huius non ſunt loci.

πρόγνωσις e quantitate lotii.

Ceterum, lotium copioſum modo bonum eſt, modo malum. com. 41. ſect. 3. lib. 3. epidem. Bonum eſt lotium copioſum, ſi per criſes redditur, vnde cauſſæ morbificæ expurgantur: & hoc lotium copioſum præceſſerunt ſigna coctionis. Non autem bonum eſt, ſi copioſum excernatur lotium, vel quia non poſſit E contineri, vel quia præ nimia mordacitate protrudatur.

Cauſſa vrinæ exiguæ.

Lotium *exiguum* producitur, vel quia adſumta aquoſitas non diſtribuitur e ventriculo in iecur; vel quia diſtribuitur quidem, ſed exiguum tamẽ lotium generatur. Nõ diſtribuitur in diarrhoea, fluxu chyli, fluxu alui, & tunc lotium in parua redditur copia. aphoriſm. vltim. ſect. 4. vbi alui copioſa deiectio, mictio exigua eſt. Sed interdum, etiamſi aquoſitas adſumta diſtribuatur, lotium tamen exiguum eſt, ob inſignem iecoris calorem abſumentem, vt accidit in febribus ardentibus. Sic Galenus ait. com. 75. ſect. 2. l. 1. epid. in febribus ardentibus lotium reddi exiguum, & ad nigrum tendens, & eſſe malum ſignum.

Capvt XIII.

De cauſſis vrinæ calidæ, frigidæque. F

Differentiæ vrinæ a qualitate prima.

QVoad primam qualitatem: lotium vel *Calidius iuſto* redditur; cuius cauſſæ ſunt intemperies calida iecoris, intemperies calida renum: vel *Non ſeruat calorem conſuetum*, dum redditur, quando ſcilicet calor languet, cum viget pituita, cum adeſt intemperies frigida.

Capvt XIV.

De lotii inodori ac fœtentis cauſſis.

Differentiæ vrinæ ab odore.

QVantum ſecundas qualitates attinet, lotium ſecundum naturam non eſt expers odoris, quia excrementum eſt, nec tamen eſt odor vſqueadeo malus.

Quod ſi lotium *omnis odoris expers ſit*, id fit a debili calore, ab intemperie frigida, & proinde id lotium maxime eſt crudum: hinc lotium aquæ ſimile, & inodorum, exquiſitam ſignificat cruditatem. G

Si *oppoſito modo* ſe habuerit, fit ratione cauſſæ putrefacientis. Hæc autem cauſſa viget in iecore, vel in Venis totius corporis, vel in Renibus, vel in Veſica. Et hæc cauſſa duplex eſſe poteſt: vel enim eſt Materia excrementitia in iſtis partibus, vel etiam Praua affectio eſt in ſolidis partibus iſtorum membrorum. Si fuerit materia, tunc craſſa redduntur vrinæ, & fœtentes: & aliquando hæc vrina bonum ſignificat, vt quando tem-

A do tempore crisis materia morbifica, verbi gratia, febrifica & putrida, excernitur; sed præcessere coctionis signa. Quod si caussa putrefactiua vigeat in ipsis partibus, lotium erit potius tenue, contenta autem esse poterunt putrilaginosa, (de quibus suo loco) sed liquor erit tenuis: & hæc est mala vrina.

CAPVT XV.

De Caussis lotii perspicui, & opaci.

SEquuntur caussæ differentiarum, quæ desumuntur a lumine: circa lumen autem perpendenda sunt, perspicuitas, Splendor, & Color.

Perspicuitas & opacitas lotii.

Quoad *perspicuitatem*, vrina sanorum moderate perspicua esse debet. Si igitur vrina sit vel opaca, vel plus, quam conueniat, perspicua est vrina præter naturam, & dissimilis vrinæ sanorum.

B *Opaca*, seu non perspicua vrina producitur, quoniam cum liquore vrinæ permiscetur, materia vel crassa, vel etiam impura: & produci potest, modo a calore intensiore, modo a calore diminuto: distingui autem hæc poterunt e differentiis colorum, de quibus postea.

Vrina *magis perspicua quam par est*, duplex esse potest, Tenuis, vel Crassa. Tenuis alba aquæ similis est, & fit a diminuto admodum calore, & significat exactam cruditatem, capite duodecimo, libro primo crisi. Hæc tenuis potest etiam esse colorata, quæ non ita cruda est vt prior, quia acquirit colorem, ratione permistionis bilis, quæ permistio non habet locum in priori vrina. Perspicua crassa vrina, fit e pituitosa materia, non crassiore terrestri, non impura, ita enim esset opaca; sed e pituitosa materia aquosa, pura; vnde est etiam illa vrina perspicua, quæ crystallina dici potest, & indicat morbi longitudinem, quia pituitosa est vrina.

C

CAPVT XVI.

De caussis lotii splendentis, & non splendentis.

Splendor lotii.

HActenus de perspicuitate & opacitate. Quoad splendorem: potest esse vrina *& splendens, & non splendens*, præter naturam. Dum igitur inspicimus lotium alicuius ægrotantis, oportet præscire, an hoc corpus, dum bene haberet, reddiderit lotium splendidum, nec ne; non enim omnia corpora sana reddunt lotiũ splendidum: *calidiora corpora splendidum reddunt, frigidiora non ita splendidum. Si ergo patiens*, qui sanitatis tempore reddidit lotium splendidum, excernat lotium non splendidum, erit præter naturam: quod si ægri lotium *magis sit splendidum, quam sanitatis tempore esse solebat*, itidem præter naturam est.

D Si *splendor non adest*: hoc fit, quoniam diminuitur calor ægrotantis corporis, nam lotium fit splendidum, quia cum liquore permiscetur flaua bilis, quæ splendens est: cum ob densitatem ipsius lumen colligatur, vniatur, & in splendorem mutetur. Si vrina non sit splendens, indicat non generari flauam bilem, sed rufam, vel pallidam, *quæ generantur a calore remissiore: ideo hoc lotium indicat calorem esse remissum.*

Contra, lotium *splendidius* indicat calorem insigniorem reddi; hinc in morbo Gallico lotium splendens apparet, quia virulentia Gallica, præter proprietatem aduersariam proprietati iecoris, donata est caliditate, qua intenditur calor iecoris; & propterea lotium fit splendidius.

Si ægri lotium sanitatis tempore non sit splendens, & morbi tempore *splendens* reddatur, est præter naturam, splendens autem producitur, vel a calore, vel a frigore, id est, a diminuto, vel ab intenso calore. A E calore enim insigni producitur flaua bilis, quæ lotium facit splendidum, cum prius sanitatis tempore, vel rufa, vel pallida bilis produceretur. A calore diminuto fit lotium splendidum, non ratione bilis flauæ, sed ratione pituitæ aquosæ & puræ, cum scilicet apparet vrina illa crystallina, quæ instar crystalli splendet; sed indicat frigiditatem, & proinde cruditatem. Colore igitur splendens lotium dignoscitur: nam si a calore fiat, flauescit; si a frigore, albescit.

CAPVT XVII.

De caussis vrinæ colorum deficientium.

QVantum colorem attinet: Bonum lotium est subrufum, rufum vel subflauum: ca. 12. lib. 1. de crisibus. A colore lotii differentiæ.
F Malum est, quod habet alios colores.

Color potionis ingestæ.

Porro aquositas lotii acquirit colorem vel In corpore, vel Extra corpus. *Extra corpus*, secundum Auicennam; vt si homo largiter bibens vinum nigrum, nigrum lotium mingit; si flauum flauum; si crassum, crassum, si tenue, tenue: Hoc Auicennas accepit ab Hippocrate & Galeno, com. 15. sect. 5. li. 6. epidem. vbi Hippocrates dicit, dari vrinam, quæ habet similem potui colorem. Caussa huius rei est Externa, vel Interna. Interna significat exactissimam cruditatem, & maximam facultatis alteratricis imbecillitatem. Externa est potus copiosior, vnde Auicennas proponit vinum inebrians. i. copiosum. Quod si potio sit vel mediocris, vel exigua, & tamen vrinæ color potui similis sit, indicat vitium esse internum.

Color lotii in corpore acquisitus.

Color aquositatis, qui *in corpore* acquiritur præter naturam, recedit a coloribus sani lotii, per Defectum, vel per Excessum. Per defectum, qui ad album vergit, per excessum, qui ad nigrum. Deficiens color, est Albus, & Spiceus: Excedens, est Flauus, Ruber, Viridis, Liuidus, & Niger. Mediocris est Rufus, G seu Citrinus.

Hi colores, si exquisite tales sunt, ita appellantur, si non exacte tales sunt, sed remissiores, particula SVB addi solet, vnde vrina subalba, id est, remisse alba dicitur. Galenus cap. 12 li 1. de cris. proponit albam vrinam, quæ aquę similis est, deinde addit, si aliquid bilis gignatur, tunc fieri vrinam vinosam. i. quæ similis sit vino tenui albo, subiungit, si accidat, vt adhuc maior bilis portio gignatur & permisceatur, fieri vrinam

ſubſpiceam,id eſt,ſubpalearem. Galenus ergo ponit vrinam mediam inter albam & ſubſpiceam,quæ non A
eſt alia, meo iudicio, quam ſubalba; *neſcio, quam recte hoc ſtatuatur, nam ſubalbum remotius a medio eſſe debet, quam album.* Datur ergo vrina Alba,Subalba,ſubſpicea, & Spicea.

I. Alba tenuis.

Alba vrina eſt Tenuis, vel Craſſa. Tenuis fit, quoniam vel non generatur bilis,vel,ſi generatur in alias partes defertur,& non permiſcetur cum aquoſitate. Non generatur,vel quia calor languidus eſt,vel quia non detinetur aquoſitas,quandiu detineri deberet. Calor enim debilis,ne rufam quidem bilem generare poteſt.ca.12.l.1.criſ. Vnde vrina alba & tenuis,cruditatem ſignificat,& exſtinctionem caloris natiui.com.32.l.2. prognoſt.non tamen talis ſignificatur exſtinctio caloris natiui,quæ necem homini afferat, quia vrinæ tenues & decoloratæ,id eſt, albæ,cruditatem ſignificant,& longitudinem morbi, non tamen abſolute indicant perniciem.com.21.ſect.3.l.1.epidem.

Alba craſſa.

Deinde bilis non generatur, quia non detinetur aquoſitas,quamdiu detineri deberet: vnde ſi lotium reddatur ante concoctionem,erit inſtar aquę,etiam in corporibus ſanis,quia iuſto citius redditur antequam generetur bilis:cognoſcitur hoc inde,quod homines nimis bibunt,& ob immodicam potionem coguntur mingere, antequam cibus concoquatur. B

Redditur etiam lotium album,quando bilis gignitur quidem,ſed in alias partes defertur. Sic Galenus refert, com. 71 ſect. 2.libr.1. epid. lotia fuiſſe aquoſa,tenuia & alba,& fuiſſe dyſenteriam, id eſt, bilem genitam,non permiſtam fuiſſe cum aquoſitate,ſed delatam ad inteſtina,vbi dyſenteriam,ſeu alui fluxum excitarit.(Hinc colligi poteſt,cur natura partem excrementi bilioſi cum lotio permiſceat, ſi enim vniuerſum excrementum bilioſum expurgaretur per veſicam felleam,& per inteſtina, fierent fluxus, & ſæpiſſime euenirent dyſenteriæ) Interdum etiam bilis ad caput fertur, vnde lotium album in delirantibus prauum ſignum dicitur,aphor. 72. ſect.4. indicatur enim bilem rapi in cerebrum, in membrum præcipuum. C

Lotium album craſſum morbi diuturnitatem indicat.

Dantur etiam vrinæ albæ craſſæ,nam expreſſe habet Galenus,vrinas craſſas & ſubiugales,ſi non ſint albæ,ſed alterius coloris,eſſe peſſimas,vt in febribus peſtilentibus. com. 10. li.1.prognoſt.& com.72.ſect.3. lib.3.epidem.Cauſſa harum vrinarum,eſt humor craſſus pituitoſus,qui albus eſt:ideoque Hippocrates in illo aphoriſmo ait(nim.aph.74 ſect.4.) cum periculum eſt de abſceſſu circa articulos, ſi lotium reddatur album craſſum,hominem non corripi illo abſceſſu.

Dubitatio. Si vrina alba craſſa fit, ob permiſtionem craſſæ pituitæ: igitur huiuſmodi lotium, morbum diuturnum indicat,quia morbi pituitoſi ſunt diuturni: Attamen Hippocrates comm.77. ſect. 3. l.3. epidem.proponit caſum cuiuſdam,qui reddebat vrinas albas craſſas, & euaſit die quarto: Reſponſio Lotium album & craſſum,longitudinem morbi ſignificat, quotieſcunque morbus, quo patiens detinetur e ſola materia pituitoſa ortum ducit.Sin morbus non vndique ſit pituitoſus,ſed oriatur ex aliis materiebus; D
fieri poteſt, vt lotium ſit craſſum,& cito terminetur,quia hic morbus non eſt vndique pituitoſus,& pituita etiam alba quæ peccat, cum lotio expurgatur.Hoc applicabimus caſui, ab Hippocrate propoſito. Loquitur eo loci Hippocrates, de quodam patiente, qui male habuit ſecundum lienem,& fluxit ſanguis copioſus e nare ſiniſtra: vnde ſuccus melancholicus non tingebat lotium, quia non deueniebat ad illas partes, ſed deferebatur ad caput,ad venas narium:addit etiam Hippocrates,affuiſſe ſudorem copioſum calidum,vnde apparet,ſeroſa euacuata eſſe per illas partes,non per vias lotii:pituita autem per lotii meatus expurgabatur. Mirum igitur non eſt, ſi ille euaſit die quarto, quia morbus non erat maiori e parte pituitoſus, ſed bilioſus. Quod ſi pituitoſus ſit morbus, & tale appareat lotium: certe morbi diuturnitatem ſignificat.

Alba multiplex.

Ceterum, pituita quæ cum lotio permiſcetur, multiplex eſſe poteſt, ſi enim magis vnita & coacta fuerit pituita,erit vrina alba,ſed cryſtallina:ſi minus cogatur,ſeu vniatur,erit vrina alba,craſſa,niuea:ſi adhuc minus, lactea vrina dicetur. E

Error quorundam.

Ex his apparet, maxime eos alucinari,qui dicunt lotii liquorem a nulla materia tingi,præterquam a bile. De ſanorum lotio hoc verum eſt:de ægrorum falſiſſimum.

II. Subalba.

Hactenus de alba vrina, in qua non permiſcetur bilis. Sequitur *Subalba*, quam proponit Galenus cap.12. lib.1. de criſ. in qua aliquid bilis permiſcetur,ſed in modica copia: Et hæc vrina tenuis eſt; aſſimilatur enim vino albo tenui. Veruntamen,ſicut alba vrina eſt tenuis,vel craſſa, ita ſubalba etiam eſt Tenuis, vel Craſſa. Tenuis fit ob permiſtionem bilis exiguæ, de qua modo diximus. Subalba craſſa, bilem exiguam habet permiſtam, ſed præterea etiam pituitam. Pro diſcrimine autem pituitæ, varia eſt ſubalba, F
nimirum lactea, qualis ſolet conſpici in pueris:niuea,cryſtallina,quæ eſt pellucida, ad ſimilitudinem cornu lucernæ.

III. Subſpicea, & IV. Spicea.

Subſpicea, & ſpicea ſeu palearis vrinæ fiunt,quia bilis in maiori copia permiſcetur, quam in ſubalba; in minori autem quam in ſubrufa. Porro ſubſpicea vrina tingi poteſt a bile pallida, rufa, & flaua. Si a flaua bile, apparet ſplendor ſpicei, vel ſubſpicei coloris: quia bilis flaua in tam parua copia permiſcetur, vt lotium non poſſit euadere ſubrufum. Si tingitur a pallida, vel rufa bile,non adeſt ſplendor.

Spicea & Subſpicea, poſſunt eſſe tenues, vel Craſſæ, ſicut de alba & ſubalba diximus, nec eſt aliquod diſcrimen, niſi quod ſpicea & ſubſpicea non ſignificant tantam cruditatem,nec tantam morbi longitudinem, vt alba & ſubalba.

CAPVT XIIX. G

De cauſſis vrinæ colorum excedentium.

I. Flaua

HÆc de coloribus deficientibus, ſequuntur excedentes. *Flaua* vrina redditur, ob permiſtionem bilis rufæ, flauæ, & vitellinæ. capite 12 libro 1. de criſ. libro decimo, ſimpl.med. c. de bile, vbi Galenus aſſerit,bilem flauam,ſi plus iuſto calefiat,craſſiorem fieri,& colore flauam:bilis igitur vitellina cum craſſior, ſit fla-

A fit flaua bile, tamen habet flauum colorem, lotiumque tingit flauedine. Rufa bilis flauum reddit lotium, si copiosissima sit: flaua, in minori copia id facit, vitellina, in copia adhuc minori, quia hæc habet flauum colorem, sed intensissimum. Si lotium flauum est, ob rufam bilem, est crassum satis, quia requiritur copiosa bilis rufa: præterea lotium caret splendore. Si sit flauum, ob flauam bilem: non erit ita crassum, & habebit splendorem. Si fuerit bilis vitellina, lotium erit crassiusculum, & splendor potius imminutus, quia ob insignem calorem fieri incipiunt exustiones, & impuræ redduntur materiæ, vnde splendor imminuitur.

Hinc iudicandum, sæuius esse malum, dum tingitur lotium a bile vitellina, minus sæuum, si a bile flaua, quia non est calor ita intensus, adhuc minus sæuum, si a rufa bile.

II. Rubra.

B Vrina *rubra* propinquior est nigræ, quam flaua, capite 12. libro primo de cris. Fitque ob permistionem flauæ bilis, vel ipsius sanguinis. Dicit enim Galenus loco citato, dari sanguinem rubicundum, & flauum, at bilis intense flaua, magis est flaua, quam sanguis flauissimus; & contra datur sanguis, bile rubicundior (nam etiam bilis flaua, si calor vehemens partes tenuiores, rariores, & puriores absumat, magis opaca fit, & rubra redditur: sicut ignis tenebricosior redditus & impurus, non potest debitam claritatem seruare, ratione materiæ.) Porro rubedo sanguinea, fit ob permistionem sanguinis vel non flaui, vel flaui. Si sanguis non sit flauus, vrina erit rubra sine splendore, si sanguis flauescens, aderit splendor, quem tamen superabit rubedo: Si rubra vrina fiat a bile, aderit & tunc splendor, sed is superabit rubedinem; cum Galenus dicat, sanguinem flauissimum esse minus flauum flaua bile, & esse rubicundiorem bile rubescente. In hunc sensum etiam Auicennas ait, esse vrinam rubram sanguineam, quam puluerulentam vocat
C & obscuram, quia non adest illa splendida claritas: esse etiam vrinam rubram biliosam, clariorem, quæ priore sit deterior.

Quomodo sanguis per vlteriorem calefactionem flauescat.

Dubium heic oritur, quomodo sanguis per vlteriorem calefactionem flauescere possit, si enim materia a calore exuratur, necesse est acquiri colorem, qui magis ad nigrum vergat; sicuti bilis super excalfacta rubescit, quia color ruber, magis accedit ad nigrum, quam flauus. At sanguis per vlteriorem calefactionem, non deberet flauescere, quia color flauus magis distat a nigro, quam ruber, potius ergo viridis reddi deberet: Responsio. Hoc fit ob diuersitatem materiæ: alia enim est materia bilis, alia sanguinis. Declaro. Dum calor in bilem flauam agit, & hanc plus æquo crass. facit, etiam ipsam magis opacam reddit; vnde acquirit colorem, nigro propinquiorem nimirum rubrum; nam vbi magis de opaco, ibi magis de nigro. Verum, dum calor agit in sanguinem; si sanguis non euadit melancholicus, sed flauescit; id fit,
D quia partes tenuiores segregantur a crassioribus, vnde sanguis qui crassior erat & impurior, secundum partem tenuem segregatam a crassa, redditur rarus, purus, minus opacus, habet plus diaphani: idcirco secundum hanc partem debet acquirere colorem, qui magis a nigro sit remotus, quam ruber: debet igitur flauescere.

Rubedo intensissima a solo sanguine.

Alia etiam est difficultas: nam Galenus commen. 14. sectione quincta, libro sexto epidem. ait; fieri non posse, vt corporis pars aliqua rubra reddatur, præterquam a sanguine, at nos diximus, vrinam etiam a bile rubram fieri; cum Galenus capite 12. libro primo cris. aperte dicat, dari sanguinem rubicundiorem bile. Galenus libro sexto epid. hoc significare voluit, fieri non posse, vt pars aliqua fiat rubicunda, ita vt color ruber superet alios colores, præterquam a solo prædominante sanguine, exprimit enim aperte colorem rubrum, prædominantem aliis coloribus.

Permistio sanguinis cum vrina.

E Porro si vrina rubra fit ob permistionem sanguinis: hæc permistio vel Non est exacta, vel est Exacta: si non exacta, pannus lotio impositus, tingitur; non tingitur, si exacta.

Dum sanguis non exacte permiscetur, dicitur vrina cruenta & sanguinolenta: de qua loquitur Galenus com. 6. sect. 5. libr. 1. epid. Hæc caussatur ob apertas renum venas a calculo angulari, vel alia caussa, com. 31. sect. 2. l. 1. prorhet. In his vrinis permiscetur sanguis non corruptus: nam si vrinæ sanguineæ fuerint vitio renum & vesicæ, sanguis potest esse citra corruptelam: dum autem sanguis corruptus est, & putridus, a toto prodire potest, vt colligitur e com. 42. sect. 2. l. 1. epid.

Altera e parte, vrinæ rubræ, quæ fiunt ob exactam permistionem sanguinis cum liquore lotii, duplices sunt: aliæ concoctæ, quando sanguis solus iusto coquitur & assatur, vt fit in febribus synochis, potiss. pestilentibus, aliæ inconcoctæ & crudæ, quando crudus permanet sanguis, & non perfecte coquitur.
F Hæc diuisio sumitur e com. 31. sect. 2. l. 1. epidem.

Vrina valde rubra, rubra, & subrubra.

Galenus comment. 21. secti. secunda, libro primo prorhet. proponit vrinas intense rubras, alias rubras: intense rubram, ait esse crudam; subrubram esse salubrem, longitudinem tamen morbi indicare; rubram esse mediam, id est, meliorem valde rubra, & peiorem subrubra. Subrubra vrina fit, quia calor debilis est, & non potest sanguinem exacte calefacere, vnde generatur sanguis serosus, ichor sanguinis; non enim tantus calor est, qui rufam bilem generare queat, a qua lotium tingatur, proinde lotium tingitur a crudo & seroso sanguine, ideoque fit subrubrum. comment. 27. libro secundo prognost. capite 12. libro primo de cris. Hinc Hippocrates comment. 27. lib. 2. prognost. ait, hanc vrinam esse salubrem, quia indicat benignitatem humoris, scilicet sanguinis, indicare autem morbi longitudinem, quia crudus est sanguis, qui concoqui debet. De vrina rubra & intense rubra, non agit Hip. loc. cit. quia quid de his sit statuendum, facile colligitur ex iis quæ de subrubra dicta sunt, vt ait Gal. com. 5. sect. 1. l. 3 epi. quo. n. rubicun-
G dior fuerit vrina, eo morbum longiorem indicat. E quib. verbis colligitur, vrinam rubram & intense rubrā, non fieri ob sanguinem magis concoctum, seu minus crudū, quia non possent indicare longitudinē morbi, sed morbū breuiorem, fiunt ergo a sanguine seroso crudo, sicut ēt subrubra vrina At differētia est, ꝙ subrubra fit a sanguine seroso exiguo, rubra a copiosiore, summe rubra, a sāguine seroso adhuc copiosiore, sicut lotiū subspiceū fit a bile pallida exigua; & subflauū, a bile pallida copiosa. Ex his intelligi pōt Gal.

dictũ.com.21.sect.2.l.1.prog. quia si vrina intense rubra fuerit corrupta, multum est perassatus sanguis, & mala vrina, quod si intense rubra fuerit cruda, hæc est peior rubra, & rubra peior subrubra, nam intense rubra fit a sanguine seroso copiosiore, quam reliquæ. A

Porro, num vrina rubra sit facta a sanguine superassato, an a crudiore distingui poterit e signis caloris, si enim sit debilis calor, & vrina magis ad flauum quam atrum declinet; a seroso sanguine facta est vrina rubra, si signa assint caloris vehementis, & lotium ad atrum declinet; a superassato sanguine.

III. Viridis: quę degenerat in nigram, vel liuidã.

Sequitur *Viridis* vrina, id est, herbacea: (nam quidam etiam homines pallentes vocant virides. com. 16.sect.2.lib.6.epid.) Viridis color est principium nigri, seu vergit ad nigrum, c.12.l 1.cris. est etiam principium liuidi, com.7. libro primo, progn. si est principium nigri, fit a calore exurente; si est principium liuidi, fit a frigore. Dum caussa exsiccans & calefaciens adest, color viridis degenerat in nigrum absque medio liuido: si occurrat caussa refrigerans, & imbecillitas caloris, vt calidum ingenitum resoluatur, tunc color viridis degenerabit in nigrum colorem, per medium liuidum. Ratio est, dum enim calor superassat, resoluit partes tenues, vnde crassiores fiunt impuriores, lotium fit magis opacum, ideoque color niger obscurus: Sic etiam deficiente calore, partes fiunt impuriores, ideo possunt nigricare. B

Diagnosis. Si vrina sit viridis ob calorem exurentem, febres erunt insignes, sitis inexhausta, exspiratio calida, poterit in lotio aliquis esse splendor: sin ob caloris defectum, contraria aderunt signa, pulsus necessario erit debilis, & pessima est huiusmodi vrina.

Cognoscendum etiam est, an vrina hæc viridis sit sanguinea, vel biliosa: si sanguinea, præcessit rubra sanguinea, si biliosa, præcessit vrina rubra biliosa; hæc autem vrina biliosa; quæ viridis euadit, varios suscipit colores, qui tamen omnes virides sunt, magis, minusue obscuri, prout bilis flaua & vitellina magis vel minus assantur; vnde aliquando est instar brassicę, aliquando instar foliorum plantaginis, modo color est porraceus, prassinus, isatodes (dicitur azuro chiaro, italice) si maxime superassetur, est color æruginosus (dicitur azuro oscuro.) C

IV. Liuida.

Liuida vrina proxima nigræ est, & habet colorem plumbi, vnde & plumbea dicitur, destituta omni splendore, fit ob defectum ingeniti caloris. comment.7 libro primo, prognost. comment.29. sect. secunda, libro primo epid. capite 12. libro primo de cris. quibus locis Galenus asserit, colorem liuidum tantum fieri a frigido: vnde apparet commentarios illos de humoribus non esse Galeni, qui ei ascribuntur, e quibus colligi potest, colorem liuidum etiam a calido fieri. Liuidus color vel intense talis est, vel remisse, vnde vrina vel Liuida, vel Subliuida.

V. Nigra.

Nigrum lotium redditur, non citra materiam, sed ob materiæ permistionem, materia illa est sanguis, bilis, vel melancholia. D

Sanguis lotium tingens est impurus & melancholicus Nam Hipp. com.82.sect.3.l.3. epid proponit vrinas nigras, non ratione contenti (quia addit esse tenues) sed quia liquor tingebatur a materia permista, nimirum a sanguine menstruo detento; vnde & mulierem illam superstitem fuisse Galenus affirmat, licet nigram vrinam reddiderit. Vnde etiam Auicennas ait, in mulieribus vtero gerentibus, ob detectionem menstrui sanguinis, lotium fieri nigrum, ad similitudinem vini corrupti.

Redditur etiam nigrum lotium a flaua bile: dum hæc, non simpliciter exuritur, (nam tunc potius viride fieret lotium,) sed dum assatur, vt in febribus ardentibus lethalibus, & in atram bilem omnium pessimam degenerat. comment.75. sect. 2. libro 1 epid. Hæc vrina nigra, ob bilem præassatam, est tenuis, vt Galenus ait. Cui sententiæ repugnat ratio, nam calor, materiam assans, partes tenuiores absumit, vnde materia crassescit. Et *Galenus commen.32. libro 2. progn.* videtur asserere lotium nigrum crassum esse: idem Aetius ait. Quidam dicunt, vrinam heic dici tenuem, quæ contentis careat. Sed ego puto, tenuem dici vrinam, *ratione crassioris, nam Galenus com.76. ca. 4. aphoris. dicit, consueuisse Hippocratem non* absolute, sed comparate tenue dicere, id quod minus crassum est. E

Denique nigra vrina redditur ratione melancholiæ. com.20. sect. 3. li.1 epid. vbi est historia Hecophontis, qui lotium nigrum & tenue reddidit, quod a bile tingi non potuit, quia hæc per aluum & intestina fuit excreta, laborauit autem lienis tumore, qui cum intumuit, vrinæ fuerunt rubentes, non ita nigræ; dum autem lien subsedit, nigra fuit vrina, ob susceptum humorem melancholicum. Maxime autem nigrum fit lotium a sero, vel ichore melancholiæ, sanguinis *flauæ bilis perassatæ.com.4.l.1. prorhet.*

Aetius Galeni imitatione ait, lotium nigrum fieri ab atra bile, & a melancholia: atra bilis fit e sanguine *crassiore, vel e flaua bile assata, fit etiam a melancholia nigrum lotium, citra insignem illam assatio*nem, citra exstinctionem caloris naturalis, veluti in febribus quartanis accidit, item in deliriis melancho*licis, nec prauæ sunt huiusmodi vrinæ. Dicit etiam* Auicennas, vrinam nigram fieri a bile, a sanguine, & a melancholia, si a bile, præcedit flauus color, si a sanguine, præcedit color quidam obscurior quam sit flauus, si a melancholia, præcedit color adhuc obscurior quam vel flauus, vel sanguineus. F

Nigrum reddi non potest lotium, citra materiæ permistionem.

Sunt qui dicant, lotium etiam nigrum fieri citra permistionem alicuius materiæ: idque probant Galeni auctoritate, Com.3.li.3.prorhet.cap.12.lib.1.de cris. vbi ait, lotium nigrum fieri, vel ob insignem exu*stionem, vel ob exstinctionem caloris naturalis: proponit ergo simpliciter calorem & frigiditatem; ne* verbum quidem faciens de materia. Ait etiam Galenus, se neminem vidisse seruatum eorum, qui lotium reddidere nigrum: quod sane intelligendum videtur de lotio nigro citra materiam, nam lotium nigrum *cum materia excernitur citra perniciem.com.20.sect.3.l.1.* epid. com.73. sect. 3. l. 3. epid. Verumtamen impossibile est intra corpus nigrum reddi lotium, citra materiæ permistionem, si enim ob solam caloris *natiui exstinctionem, citra materiæ nigræ* generationem & permistionem vrina nigra fieri possunt vt illi e Galeno c.12 l. 1. de cris. contendunt: certe in morituris, in quibus calor omnis exstinguitur, necessario nigrum semper lotium appareret: cui tamen experientia non suffragatur. Quantum autem Galeni locum G

attinet,

A attinet, ca.12.li.1.de crisibus, cum Aetius recte explicat, quod videtur vel caliditatis, vel frigiditatis ratione producatur nigra materia, quæ tingat lotium, & signum sit in morbis acutis periculosissimum: si enim calor, vel adeo sit intensus, vel ita remissus, vt gignatur atra bilis (pessimus ille succus) & quidem ea copia, vt cum lotio permisceatur; nutrimento corpus destitui necesse est, ideoq; mortem significari patet. Galenus ait, se neminem vidisse seruatum, vbi lotium fuit nigrum: quibus verbis magnum periculum indicatur: nec propterea sequitur, quod, cum Galenus non viderit, propterea prorsus sit impossibile. Sed tamen distinctio heic locum habet: si enim lotium nigrum sit, ob permistionē succi melancholici, non est lethale, sed sæpe cum iuuamento excernitur, vt de Herophonte patet, & com.73.sect.3.li.3.epid. plures se vidisse Galenus scribit: quod si lotium sit nigrum, ob insignem feruorem, aut ob calorem exstinctum, lotium est prauissimum. Dignoscendum autem est, num lotium fiat nigrum, ratione caliditatis, aut ratione frigidi-
B tatis. Si præcedat calor flauus, indicatur caliditas, secundum Auicennam: quidam dicunt, & communiter, si præcedat color viridis, indicari caliditatem; cum tamen color viridis, & a calido & a frigido fieri queat. Sin liuidus color præcedat, indicatur frigiditas. Est etiam aliud signum: nam si assit in lotio fœtor, signum est caloris exurentis: si non assit, indicatur caloris exstinctio. Hinc practicorum error patet, dum caussam afferunt aphoris.81. sect. 4. vbi Hippocrates ait, pus fœtidum prodire e vesica, non ita fœtidum e renibus: illi caussam reddunt, quoniam vesicæ calor sit debilis, renum validior. At secundum Auicennam pus magis fœtens in renibus generatur, quam in vesica, vbi enim maior calor, ibi fœtor maior. Accidit tamen, vt pus e vesica prodiens magis fœteat, quam e renibus prouenienſ: quia e vesica citius egreditur, & impermistum est, at e renibus prodiens, magis permistum est; ideoque fœtor minuitur, ob permistionem alterius materiæ; tardius etiam egreditur, vt fœtor ita sincerus non appareat. Sic etiam in externis sincera magis
C fœtent, quam quæ permista sunt.

CAPVT XIX.

De differentiis lotii a contento, & primum de praui contenti colore, situ, ac præsagio.

HVcusque de differentiis vrinæ a liquore petitis, diximus, restat vt de differentiis a Contento sumtis verba faciamus. In contentis igitur, non sanorum, sed quæ ab optimis recedunt, considerare oportet, primo Qualitates, nimirum colorem, odorem, & situm: deinde Substantiam, seu species. Transitio.

Quoad colorem atque odorem, contenta alia sunt Mala, seu praua, alia Pessima. Mala contenta sunt Alba, Citrina, Rubra, & Nigricantia. Praua contenta.

D *Album* contentum duplex est: aliud Minus album bono contento, aliud Magis album. 1. Album.

De eo quod est *minus album*, loquitur Galenus aphorism. 69. sect. 4. Et illud est contentum, quod apparet in initiis morborum, dum vrinæ crassæ sunt, & apparet contentum album, quod subsidet. Vnde Minus album. notetis ex Galeno loco citato, contentum subsidere interdum ratione coctionis, & interdum ratione grauitatis materiæ. Si subsideant ratione coctionis, est bonum contentum, de quo non loquimur in præsentia; sin autem subsideat ratione grauitatis materiæ, est malum contentum. Hoc autem distinguetis ex Galeno, loco citato: si ab initio vrinæ fuerunt tenues, deinde etiam crassescant, & appareat contentum; hoc fit merito coctionis, nam in principio adest cruditas, & progrediente morbo fit coctio. Contra si fiat descensus, ob grauitatem materiæ; apparent prius vrinæ crassiores & exiguæ, quæ postea fiunt copiosiores, & tenuiores, ratio est hæc, quia cum in principio apparet hæc vrina, non fit talis ob coctionem materiæ, sed quia cum ipsa excernuntur humores, qui ob grauitatem descendunt, & ob crassitudinem mate-
E riæ non potest esse vrina copiosa. Amplius vero cognoscetis hoc ex Auicenna: quia si erit contentum ratione coctionis, non erit asperum, sed læue, contra, si ob grauitatem, non potest esse illa læuitas, & omnimoda similitudo. Tandem cognoscetis, quia si fiat contentum album ratione coctionis, primum apparebit nebula, supensum, & tandem hypostasis; contra vero, si fiat contentum ratione grauitatis materiæ, conspicietis primo contentum in fundo, deinde videbitis ipsum adscendere, & postquam adscenderit, progrediente morbo rursus descendet, & dum descendit, non est contentum malum, sed bonum, quia morbi pituitosi non soluuntur, nisi appareat sedimentum.

Datur etiam contentum malum, *magis album* bono, de quo locutus est Hippo.2.progn.27. *vbi proponit* mala contenta, & inter alia proponit contentum magis album. Sed quale est hoc contentum? Vnde Magis album. prodit? Fit ratione *pituitæ, & ex Gal in eo comm, ratione pituitæ mixtæ cum flatibus: quo fit, vt hoc con-*
F tentum sit rarum admodum vt spongia, & aerem suscipiat. Ea autem ratione, quod aerem suscipit, redditur album, & magis album, quam contentum album bonum.

Sed difficultas est, nam quo pacto hoc contentum subsidet? Quia cum fiat ratione pituitæ mixtæ cum flatibus, deberet potius ascendere, nam flatus materiam suspendunt, & Hippocrates loquitur ibi de sedimento. *Dicimus Hippocratem loqui de sedimento, quod descendit. Sed aduertendum, cum in hoc* duplex sit materia, alia corpulenta & grauis, alia vaporosa & leuis; cumque magis possit materia, quæ grauis est, sua grauitate, *quam leuis sua leuitate; cogitur hoc mixtum ratione prædominantis descendere* potius. Sed dicet quis, hoc non est tollere difficultatem, nam ego dicam, quando fit suspensum, & satis crassum, materia illa est grauis; & tamen flatus magis possunt, & sic dominantur, quare ergo & in præsentia istud non apparet? Flatus possunt dupliciter considerari, alio modo, vt non pertinaciter sunt mixti cum
G materia graui, alio modo, vt sunt pertinaciter mixti. Si accidat flatus non esse mixtos pertinaciter cum materia crassa, tunc fieri potest, vt *sint in caussa adscensus materiæ*, atque sic, vt *suspendantur*. At si flatus exacte sint mixti, & pertinaciter cum materia, tunc materia dum descendit, necessario secum ducit flatus, quia sunt exacte mixti. Et hæc veritas colligitur ex Galeno, dum attingit caussam magis albi contenti; dicit hoc fieri ex pituita & flatu; sed addit, pertinaciter mixto. A quo non recedens Auicennas, dicit, hoc

V

contentum fieri,ob vehementem mixtionem flatuum cum pituita. At non est bonum contentum: quia indicat cruditatem,& imbecillitatem caloris.

2. Citrinũ.

Contentum *citrinum seu rufum*, vti etiam subruffum, non est ita prauum, prauitatem vero adquirit aliquam, dum intenditur calor, dum scilicet fit subflauum, vel flauum; nam tunc indicat calorem esse copiosiorem.

3. Rubrum.

Contentum *rubrum* fit ex sanguine. Potest autem fieri tum e sanguine seroso, de quo loquitur Hippocra. 2. prognost. 27. cum ex sanguine cocto. Ex cocto sanguine, vel citra assationem, vel superassato. Si fiat ex cocto, & superassato; est admodum prauum: nam dum exuritur sanguis, prauæ exsistunt febres. Si fiat ex cocto, non assato; hoc tantum abest vt sit prauum, vt etiam sit potius bonum: (dicant alii quicquid velint) Et hoc confirmo ex Galeno, qui dicit sect. 4. aphoris. 71. dum diceret Hippocr. quando apparet quarto die contentum subrufum, septimo desinit morbus: Galenus in commen. dicit, hoc esse verum, non modo in subrufo contento, sed etiam in albo: at Hippocratem id proposuisse, vt aliquid notatu dignum proponeret. Vnde inquit, oportet duo considerare circa hoc contentum: alterum, quod hoc appareat die iudicatorio: nam signa futuræ crisis præsertim incipiunt apparere die iudicatorio. Secundo notare oportet, non modo propositum esse diem iudicatorium, sed etiam quartum, ad differentiam aliorum dierum, qui sunt iudicatorii. Nam differt quartus dies ab aliis: quia si appareant signa coctionis die quarto, salus potest esse septimo, id est, spatio trium dierum: si septimo appareant, vndecimo, decimoquarto; non sit solutio morbi spatio trium dierum: nã si appareant septimo, fiet solutio morbi spatio septem dierum, si vndecimo, fiet solutio morbi decimoseptimo: si decimoquarto, fiet solutio morbi vigesimo die. Ecce, quod maior est vis quarti diei, quam reliquorum. Sed quæ est ratio? Non alia, nisi quia quarto die virtus est validior, quam aliis diebus. Et hoc omnes possunt cognoscere: nam quo magis protrahitur morbus, eo fit debilior virtus: cum igitur sit virtus validior die quarto, idcirco maiori cum impetu potest agere in materiam morbosam: Quare, quod facit 7. 11. decimoquarto, spatio septem dierum; operatur die quarto spatio trium dierum. Quando igitur obseruabitis contentum rubrum, ratione assati sanguinis, quarto die; dicatis esse bonum signum, & salutem posse sperari septimo.

Sed præterea etiam alia auctoritas est, 1. epid. sect. tertia, 23. vbi proponit Hippocr. contentum rubrum, aitque hoc apparuisse octauo die, & eo die ægrotantem liberum a morbo euasisse, & licet sexto apparuerit contentum album, ac læue, non tamen morbum illum fuisse ex toto profligatum, nisi octauo die quo apparuerit contentum rubrum. Et augetur dubitatio, nam loco citato proponit Galenus sententiam Hippo 2. prognost. 26. vbi voluit, vrinam cum contento rubro indicare securitatem, sed diuturnitatem morbi Quæ sententia si vera est: quo pacto ille fuit illico seruatus, mingens vrinam cum contento rubro? Colligitur solutio ex Galeno, loco supra adducto: & primum colligitur ex eo loco, non esse impossibile, vt appareat vrina cum contento albo ac læui, & tamen non subsequatur salus: illud enim contentum, quamuis fuerit album & læue, non tamen fuit æquale, hoc est, omni tempore non apparuit, sed alternatim erant cruditates & coctiones. Quare apparuit contentum bonum, album scilicet & læue, & morbus non fuit sublatus, quia supererant materiæ crudæ adhuc concoquendæ: & ob id non erat æquale contentum quia omnes humores omni tempore non conçoquebantur, postremo apparuit illud contentum rubrum & læue. Vnde dicebat Auicennas, læuitatem in contento indicare maximam coctionem, ita vt magis possit læuitas, quam rubor: nam læuitas indicat naturam, quæ materiam morbificam æqualiter concoquit. Erat igitur illud contentum rubrum & læue.

At est etiam aliud, quod obseruandum, ne decipiamini. Nam dicit Hippocrates, vrinas fuisse boni coloris. Quare contentum, indicans longitudinem morbi, reperitur in liquore non bene colorato. Vnde reddens caussam Galenus 2. prognost. 26. longitudinis morbi, caussam esse dicebat, quia non generetur sanguis perfectus, sed serosus, neque generetur bilis, idcirco cum non producatur bilis, proinde liquor citrinus non redditur, sed potius subruber. At Hippoc. cum proponit 1. epid. sedimentum rubrum, ait fuisse vrinas bene coloratas: &, si sunt bene coloratæ, (ad differentiam aliarum vrinarum, quæ præcesserunt.) vel sunt subrufæ, vel rufæ, vel subflauæ, & hæ tales fiunt, quia generatur bilis, & dum generatur bilis, non adest sanguis ille crudus, & proinde non potest esse contentum indicans morbi longitudinem. Quare hoc contentum aliud est ab eo, de quo loquitur Hippocrates in prognosticis.

4. Nigricãs.

Contentum *nigricans* ex melancholia, proponitur ab Auicenna & Aetio: voluntque hoc apparere in fine febrium quartanarum, & in fine delirii melancholici.

Præsagia contenti morbosi, non tamen pessimi.

Auicennas, comparans hęc contenta simul, voluit, album esse minus malum rubro: rubrum esse minus malum flauo: flauum vero esse peius albo, & rubro; quia peior est bilis, pituita & sanguine.

Iam tempus est vt loquamur de significato istorum contentorum ratione situs. Sensit Galenus 2. prognost. 36. melius esse si contentum subsideat: non ita bonum quando est suspensum, adhuc minus bonum quando est nebula. Hoc est verum, si fiat sermo de bonis contentis: at si fiat sermo de malis, oppositum est statuendum. Ideo dicebat Galenus 1. de cris. 12. multo peius esse contentum, si descendat: non ita esse malum, quando est suspensum, adhuc esse minus malum, quando est nebula. Loquitur enim ibi de prauis contentis. Ratio est, quia, dum fit sermo de bono contento, quanto calor est validior, & proinde quanto magis agit in materiam morbificam; tanto etiam contentum magis ac magis descendit. Quod si loquamur de prauo contento, hoc fit, quia calor præter naturam est insignis, & quoniam materia morbifica non cedit calori naturali, sed eum potius vincit, vnde materia descendit: &, si postea incipiat calor naturalis materiam morbificam superare, tunc non ita grauis est materia, nec ita descendit, sed potius adscendit, & quia calor naturalis incipit vincere materiam morbificam, mirum non est si hæc attenuetur, idcircoque adscendat, & læue contentum obseruetur.

CAPVT

CAPVT XX.

De contento morboso pessimo.

PEssima contenta sunt, Nigra, Viridia, Liuida, atque Fœtida. Quæ cum sint praua, indicant cruditatem, & perniciem. Pessima contenta.

Quantum attinet ad *nigra* contenta: hæc (vt ait Galenus) fiunt, vel ob insignem calorem aduren- 1. Nigrum.
tem, vel ob insignem refrigerationem. Nam contentis id euenit, quod cernimus contingere partibus ex-
ternis nostri corporis: quæ dum morantur sub Sole, ob exustionem nigriores euadunt, & similiter, ob ae-
ris frigiditatem maximam extra occurrentem, nigro colore inficiuntur, quod experiuntur illi, qui per lo-
ca frigidissima iter faciunt. Idcirco istud contentum prauum est: indicat enim vel insignem feruorem,
B vel caloris exstinctionem. Vnde Hippocrates 2. progno. 29. dicebat, si alba sit nubecula, bona est; si nigra,
mala. Nec sine artificio locutus est: nam cum dixisset, nubeculam nigram esse malam; proculdubio insi-
nuauit, & suspensum nigrum esse malum, & similiter sedimentum. Verum, quia omnis nigra nubecula
non est mala: Galenus in comment. cognoscens dari nubeculas nigras bonas, (vt etiam voluit Aetius)
idcirco monet, Hippocratem loqui de nigra nubecula, quæ caussetur vel ob insignem feruorem, vel ob
exstinctionem caloris naturalis.

Præterea *viridia* etiam contenta mala sunt: nam dicit Gale. 1. de cris. 12. colorem viridem esse prin- 2. Viride.
cipium coloris nigri.

Color etiam *liuidus* est malus, & est nigri principium. Sunt igitur mala hæc contenta, nō ita tamen, vt 3. Liuidum.
nigra. Et si comparare liceat viridia contenta cum liuidis; dicatis liuida esse peiora: quia color viridis non
C solum est nigri principium, sed etiam liuidi ipsius.

Fœtida etiam contenta mala sunt, quia indicant magnam putredinem. Sed hæc dixisse sufficiat de 4. Fœtidū.
contentis in genere.

CAPVT XXI.

De contenti morbosi speciebus; seu differentiis quoad substantiam.

DEinceps contentorum species exsequemur. Hæc sunt Spumosa, Pinguia, Purulenta, Orobacea, Fa-
rinacea, Squamea, Furfuracea, Carnosa, Capillaria, Filamenta, Corpuscula, atoma, Arenosa, Calcu- Species cō-
losa, atque Spermatica in gonorrhœa. tenti mor-

D Quoad *spumam*: de hac primo loquemur, eo quod in suprema vrinæ parte obseruetur. De ea lo- bosi.
cuti sunt Hippocrates, & Galenus, 2. prognost. 47. vbi Galenus, reddens eius caussam, dicebat, in vrina 1. Spumea
spumam fieri ex materia vaporosa seu aerea, & ex materia corpulenta humida, concurrente calore, idcir- contenta.
co dicebat Galenus, si accidat, vt pars aerea sit pura, & materia corpulenta sit tenuis, aquosa, non viscida,
non crassa; tunc materia aerea non potest diu detineri a materia corpulenta, sed facile exhalat, vt apparet
in spuma, quæ fit in mari, hæc enim cito resoluitur. Vnde etiam in vrina, quando obseruabitis spumam
facile resolui, dicatis, nec materiam corpulentam esse viscidam & crassam, nec materiam vaporosam esse
turbulentam. Contra accidere potest, vt spuma ex aere impuro & turbido, ac materia corpulenta, crassa,
& viscida oriatur: tuncque materia vaporosa ita non adscendit, nec corpulenta (cum sit crassa & viscida,)
permittit, vt tam facile egrediatur materia vaporosa: quare diutius persistit. Id quod cognoscens Hippo-
crates, 7. aphorism. 34 videbatur significare, spumam, quæ apparet in vrina, indicare morbum frigidum
E diuturnumque renum. Et ratio colligitur ex Galeno: nam dum fiunt flatus a calore debili, siue gignatur
in ventriculo vitio ipsius, vel vitio lienis, vel vitio iecoris; tunc materia ista flatuosa, vel demittitur in ca-
uitatem abdominis, tuncque fit tympanites; vel ad intestina descendit, & fit dolor colicus; si propellatur
ad ventriculum, fiunt dolores ventriculi; si accidat vt colligantur vel gignantur flatus in renibus, tunc fit
spuma vrinæ, eo quod illi flatus misceantur cum materia humida. Cum autem flatus fiant a calore debili,
iure dixit Hippocrates, spumam vrinæ non modo indicare vitium renum, sed etiam vitium frigidum,
quia languet calor renum: & hoc intelligendum est de spuma, quæ non facile dissipatur. Quod cognouit
Galenus loco citato; quamuis enim loquatur ex mente aliorum, non reprobat tamen eorum opinionem:
nam fieri potest, vt interdum orificia vasorum, quæ perueniunt ad renes, recludantur, & cum impetu
materia flatuosa petat renes, tuncque appareat spuma, & hæc facile resoluitur, & adest in corpore feruor
F potius quam frigus.

Sed aduertatis, sensisse Gal. lib. 3. prorhet. comm. 20. fieri posse, vt detur vrina spumosa pinguis: de Lotiū spu-
qua non loquebatur Hippoc. sect. 7. aph. nec nos loquimur in præsentia: nam loquimur de spuma, & non meum, &
de pinguedine. Quare quando videbitis spumam, pinguemque vrinam: non dicatis hanc indicare frigi- pingue.
ditatem renum, sed potius caliditatem, quia ratione ardoris fiunt colliquationes & pinguedines.

Valeant ergo, qui dicunt, vrinam spumosam indicare vitium capitis, indicat vitium renum.

Sed quid de *pingui* vrina? Hæc duplex est, vt colligitur ex Gale. 3. epid. 3. 72. alia est, quæ absolute pin-
guis dicitur, alia vero quæ dicitur pinguis & syntectica, de qua in præsentia non loquimur.

Simpliciter pinguis duplex est, alia Oleagina, alia Non oleagina. Oleagina, similis est oleo, in sub- 2. Pinguia.
stantia, & in colore, non solum autem est oleagina, sed etiam pinguis; quia præter substantiam & colorem,
G oleo similes, habet etiam pinguedinem, & idcirco distinguitur ab illa, de qua supra locuti sumus: nam ver-
ba facimus de vrina oleosa, non pingui.

Pinguis vrina non oleosa est, quæ habet tantum pinguedinem supernatantem, sed non habet liquo-
rem substantia & colore similem oleo. At quomodo fit? Ex Gale. 3. Epid. 3. com. 72. & 7. aphoris. 34. fit ra-
tione caloris exurentis, qui colliquat pinguedinem.

Et hæc pinguedo potest prodire, vel a partibus existentibus supra renes, vel ab ipsis renibus: Hippocrates autem loco citato nos docebat, quomodo possimus distinguere, an prodeat ab hac, vel ab illa parte. Si in tota vrina, id est, si continuatim in vrina appareat pinguedo; signum est colliquationis renum, pinguedo illa colliquatur, ob caliditatem renum, & illico miscetur cum vrina. Secus vero dicendum, si non in tota vrina appareat, nam primum communicatur vni parti, deinde alteri, atque ita deuenit sensim ad renes, & cum vrina miscetur. Præterea cognoscetis; quia erunt querelæ, vel de calore renum, vel totius. A

Notandum autem, quod dixerit Galenus, pinguedinem hanc, quæ colliquatur, apparere in summitate vrinæ, & non descendere: nam materia hæc pinguis est aerea, idcirco potius adscendit: non ait, dari vrinam pinguem secundum omnem partem, superiorem scilicet, inferiorem, & mediam; vt oleum, quod secundum quamcunque partem pingue conspicitur. Aetius vero affirmat, dari vrinam pinguem, in qua pinguedo appareat in quacunque parte. Quid igitur dicendum? Solutionem huius contradictionis colligere possumus ex Galeno, tertio epidem. sectio. tertia, comm. 72. vbi inquit, fieri colliquationem a calore exurente: & addit, si hic calor est insignis, colliquat tantum adipem; quod si adhuc intensior redddatur, non modo colliquat pinguedinem, sed etiam carnem. Inde hoc est verissimum, dum sola colliquatur pinguedo, contentum est solum in parte superiori: at si fiat carnis etiam colliquatio, tunc potest apparere etiam in parte inferiori, sed nunc non loquimur de contento carneo. Aetius igitur est optime locutus, dum dixit, vrinam pinguem reddi secundum partem superiorem, & inferiorem, nam inquit, dum incipit colliquatio, tunc quod pingue est supernatat, dum vero in vigore est colliquatio, & perseuerat calor colliquans, tunc apparet contentum hoc, quod fit ratione colliquationis in parte etiam inferiori, quia tunc non colliquatur solum pinguedo, sed etiam caro. B C

3. Purulēta. Solet etiam apparere *Pus* in vrina, de quo locutus est Galenus secundo prognost. 72. & 4. aphor. 75. Et hoc fit vel ratione abscessus, vel ratione vlceris.

Sed notent iuuenes, sensisse Galenum, tertio prorhet. comm. 20. dari vrinam purulentam, quæ vel proprie est purulenta, vel improprie. Proprie purulenta est, quæ fit ratione puris, siue prodeat pus ab hac parte, siue ab illa, vt a vesica a renibus, vel a partibus supra renes. Improprie vero vrina purulenta est, quando egreditur cum liquore materia pituitosa, crassa.

Hæ distinguendæ, non tantum ex fœtore; quia possibile est, vt pituita etiam fœtida fit, atque excitet tristem sensum, cum diu detinetur in vesica, & præsertim quando est alba pituita. Vnde debetis animaduertere, quando redditum est lotium, & facta est subsidentia, effundatur liquor, ita vt remaneat contentum vel in fundo vasis, vel in aliquo panno lineo, deinde obseruetur, an illud contentum facile dissoluatur, an contra sit tenax: Si tenax est, materiam pituitosam indicat, at si facile dissoluatur, est pus. D

4. Orbea, seu eruacea. Quantum ad contentum *orobaceum*: de hoc locutus est Galenus, sexto epidem. sect. prima, comm. sexto, & comment. 15. sectio. 5. eiusdem sexti libri, per quod contentum intelligimus illud, quod est simile orobo, & quoniam aliqui orobum eruum appellant, idcirco Aetius vocauit hoc contentum eruinum, sumpta voce a similitudine. Galenus appellat idem contentum hordeaceum, quia apparent quædam in vrina similia hordeo. Sed aduertendum est, similitudinem non desumi a farina hordei, quia differt contentum hordeaceum a farinaceo, nam farinaceum est simile farinæ hordeaceæ; at contentum hoc, de quo loquimur nunc, est simile granis hordei.

Hoc autem contentum, quomodocunque appelletur, suas habet caussas, ex Galeno, 3. epidem. sect. 3. commen. 72. Fit enim hoc contentum, dum caussa colliquans progreditur. vnde non solum fiunt vrinæ pingues, sed syntecticæ, quę non simpliciter indicant colliquationem, sed insignem colliquationem, nam dum magis intenditur colliquatio, non solum absumitur adeps, sed etiam caro, quæ cum sit deterior pinguedine, hinc est, quod hoc contentum subsidet. E

Aduertendum est præterea circa hoc contentum, cum fiat ex colliquatione carnis; colliquari carnem vel renum, vel iecoris, vel lienis, vel totius corporis. Quæ ita distinguendae Galeno. Si carnis renum fiat colliquatio, tunc illa contenta carnosa apparent, & habent colorem similem colori vrinæ arenosæ, & erit tunc magnus feruor in regione renum: si fiat colliquatio lienis, tunc contenta erunt nigricantia, si iecoris, erunt contenta rubra, præ se ferentia colorem sandarachæ rubræ, vnde Galenus vocabat hoc contentum sandaracham: si autem fiat colliquatio carnis aliarum partium, erunt (vt dixit Galenus) contenta non albida: quod voluit significare Galenus his verbis: non dixit nigra, quia nigra proueniunt ex colliquatione iecoris; non dixit alba, quia tunc non esset colliquatio carnis, sed partium solidarum, sed dixit non albida, vt significaret, fieri colliquationem carnis, & apparere contenta granis orobi similia. F

5. Similacea. Est etiam contentum *farinaceum*, de quo locutus est Galen. 2. prog. 28. & 1 de crisib. 12. & 7. apho. 31. Hoc autem contentum appellatur farinaceum, quia est simile farinæ crassiori. Vnde dicebat, sicut accidit, vt hordeum, quod reperitur sub mola, non æqualiter elaboretur, & fugiat confectionem molæ, ex quo fit farina quædam crassior, eodem modo est animo concipiendum euenire, quādo fit hoc contentum, quod non modo appellatur farinaceum, sed etiam pultaceum, similaceum, & polentaceum.

Quæ igitur sunt huius caussæ? Ex Galeno, locis citatis, colligimus, in colliquatione hunc esse progressum, vt primum absumatur pinguedo recens, deinde vetusta, post pinguedinē absumatur caro recens, deinde vetusta, & firmior; tandem partes solidæ. Sed quia hoc contentum non modo fit ratione colliquationis, sed etiam feruoris exurentis sanguinem, vt in febribus, hinc est, huiusmodi contentum farinaceū caussari posse, ex crassiori sanguine exusto, præterea ex adipe vetusto, atque ex carne vetustiori. Quæ ita distin- G

A distinguenda: si fiat ratione exustionis sanguinis, t: ✝c illa contenta erunt nigricantia, quia ob exustionem nigrescit sanguis, si fiat ratione colliquationis, ratione caussæ colliquantis, si in saniem degeneret pinguedo recens, superstes autem sit vetusta, ad similitudinem farinæ crassioris hordei, cognoscetis quia erit pingue hoc contentum: si fiat colliquatio carnis, non apparebit hæc pinguedo, sed contentum ad aliquam verget rubedinem, erit subrubrum.

Notate autem, Hippocratem dixisse, quod dum apparent hæc contenta, indicant morbum diuturnum. Quod quidem recto sensu debet intelligi, nam secus non possemus tueri Hippocratem. Si morbus non sit lethalis; erit diuturnus, quia corpus non potest cito sanari, quando fiunt colliquationes. Quod si morbus sit lethalis; non dicatis fore longum, imo erit breuis.

B Aetius loquens de hoc contento pultaceo, dixit, fieri hoc ex colliquatione partium solidarum, & vocari farinaceum, eo quod habet partes crassiores furfuribus similes. Quare vel Hippocrates fuit diminutus, vel Aetius superfluus. Omnes possunt defendi. Scire igitur oportet Hippocr. 2. progn. 28. dum loquitur de contento farinaceo, squamaceo, furfuraceo, considerare illud contentum farinaceum, quod præcedit squamaceum, & furfuraceum, & non illud contentum farinaceum, quod est post furfuraceum. Nec absque ratione, quia si consideremus furfuraceum, & conferamus hoc contentum cum contento pultaceo, proposito ab Aetio; est tantum differentia secundum magis, & minus. Vtrumque enim, scilicet furfuraceum, & pultaceum, fit, quia colliquantur solidæ partes; sed maior est consumtio in pultaceo, minor in furfuraceo. Et hoc colligitur ex Aetio: qui dixit, pultaceum habere partes crassiores contento furfuraceo. Ergo si maior est consumtio in pultaceo, quoniam absumuntur partes solidæ; differentia erit secun-
C dum magis & minus, & hoc non est ante furfuraceum, sed post. Quare cum Hippocrates loquatur de contento farinaceo præcedente furfuraceum; dicere minime potuit, hoc fieri ex colliquatione solidorũ, sat fuit dicere, hoc fieri ex colliquatione adipis vetusti, & carnis vetustæ. Aetius autem, vt Galenum interpretaretur, voluit progredi distinctissime, & quamuis esset differentia tantum secundum magis & minus, quia tamen hoc est simile farinæ crassiori, etsi non præcedat furfuraceum, tamen optime dixit, fieri ex colliquatione solidorum. Et vos ex colore distinguetis, quia hoc contentum farinaceum erit albicans, sicut etiam sunt solida.

De contento squameo locutus est Galenus 2. progn. 28. & 1. de crisib. 12. Hoc autem vocatur squameum, quia squamis assimilatur: &, quia egreditur ad similitudinem laminarum, & foliorum, vocari solet lamineum, & foliatum. 6 Laminea, seu foliacea.

D Quæ sunt huius caussæ?] Ex Galeno, locis adductis, fit, quando absumuntur partes solidæ, sed secundum superficiem, vt aliquid egrediatur ad similitudinem laminæ. Vnde aduertatis, differentiam esse inter squamas, & furfures. Nam squamea contenta substantiam habent latiorem, & tenuiorem: contra furfuracea contenta habent substantiam crassiorem, sed angustiorem. Cum igitur lamineum contentum sit latum, & tenue, facile est colligere, quod dum fit colliquatio solidorum, cum absumuntur, non penetrat, sed agit in superficie.

Non modo autem fit hoc contentum in venis, sed etiam in vesica, ex 4. Apho. 8. Cognoscitur vero an prodeant hæc contenta ex vesica, quia tunc non est necessarius feruor in toto corpore; & percipitur tristis quædam sensatio in vesica, & ex necessitate id euenit ratione abrasionis. Quod si procedat a toto, non est tristis sensatio in vesica, & necessario est feruor in toto corpore.

E *Furfuraceum* contentum illud est, de quo loquitur Galenus 2. prognost. 28. & 1. de crisibus 12. & 4. 7. Furfurea.
Aphor. 77. quod ita appellatur, ob similitudinem, quam habet cum furfuribus, & est crassius squameo, quia magis penetrat caussa absumens.

Quandoque autem ex toto prouenit corpore, quandoque etiam ex vesica. Triplex autem est huiusmodi contentum, vnum est, quod fit vitio vesicæ, quando abraditur corpus vesicæ, aliud est, quod fit ex absumtione partium solidarum totius, tertium est, quod non fit ratione colliquationis totius, sed ratione caussæ exurentis sanguinem. Legatis Galenum 4. Aphoris. 77. Certum est illud contentum, de quo loquitur Hippocrat. 2. prognost. 28. fieri ratione colliquationis, & insignis, at illud, de quo loquitur 4. aphorism. 77. potest etiam fieri ratione caloris exurentis sanguinem, & præsertim si fuerit crassus melancholicus.

F Vos autem ex traditis facile cognoscetis hoc contentum. Nam si fiat ex sanguine exusto, erit ad similitudinem furfuris nigricantis substantiæ: contra, albicantis, si fiat ratione colliquationis. Et si fiat ratione colliquationis, cum prodeat a venis totius, & item a vesica, ex Hippocr. 4. aphor. 77. vos ita distinguetis, nam vrina vel erit tenuis seu cruda, vel crassa seu cocta. Si sit vrina crassa; dicatis contentum prodire ex vesica; quando enim bona est vrina, non est vitium in venis. Quod si vrina sit tenuis, & proinde indicans cruditatem, & naturam non superare, sed potius superari, erit contenti furfuracei indicium, quod fit ratione totius. Sed præterea addatis dolorem, qui erit in regione vesicæ. Quod si dolor erit in toto corpore citra dolorem vesicæ, dicatis prodire a toto.

Hippocrates lib. 2. prognost, com. 28. loquens de contento farinaceo, squameo & furfuraceo, & hæc simul conferens, dicebat, prauum quidem esse farinaceum, sed peius esse squamaceum, pessimum vero esse furfuraceum. Ratio est clara, nam cum fiat contentum farinaceum, ex colliquatione, vel adipis vetusti,
G vel vetustæ carnis, nondum autem absumantur solidæ partes, vt in contento squamaceo absumuntur, proculdubio hoc erit peius illo; pessimum autem est furfuraceum, quia non solum absumuntur solidæ partes, sed magis absumuntur, quam dum fit contentum squamaceum, crassius enim est furfuraceum squamaceo, nam caussa absumens magis penetrat.

Hæc omnia vera sunt, si hæc contenta accipiantur, sicut accipiuntur ab Hippocrate, quod dico pro-

pter contentum farinaceum, & furfuraceum. Nam quo ad farinaceum; si accipimus id, quod ab Aetio proponitur, quod fit quando absumuntur solidæ partes, & magis quam dum fit contentum furfuraceum: cui dubium, hoc contentum farinaceum peius esse? Pultaceum igitur Aetii, quod fit ex absumtione solidorum, peius est. Vnde dicebat Aetius, apparere quædam crassiora, quam sunt furfuracea. Quantum vero attinet ad furfuraceum contentum; si accipiatur eo modo, quo accipitur ab Hippocr. deterrimum est: sed si accipiatur, vt accipitur a Galeno aphoris. 77. sectio. 4. vbi proponit furfuraceum contentum, quod vult quandoq; fieri ob exustionem crassioris sanguinis; si accipiatur, quatenus fit ratione exustionis sanguinis crassi, non est deterrimum, nec peius squamaceo, sed squamaceum peius est, in quo absumuntur partes solidæ, in illo autem sanguis exuritur. Quare si reducetis contenta in suas caussas, nulla erit difficultas. A

8. Carnosa. Succedunt alia contenta, & sunt *veluti carunculæ, & veræ carnes* etiam quandoque, de quibus est locutus Galenus 4 aphor. 76. Dicebat autem, se interdum vidisse excretas veluti carunculas, nunquam tamen veras carnes, voluitque illam materiam instar carunculæ apparere in febribus ardentibus, dum magnæ fiunt exustiones in renibus, in iecore, in quibus interdum quædam apparent sedimina, orobis similia. Obiter colligatis, Galenum ponere discrimen inter sedimina similia orobis, & illa, quæ sint veluti carunculæ. Fiunt igitur hæc contenta ob insignem exustionem. B

Sed addebat Galenus, se non vidisse contenta, quæ sint veræ carnes, ait tamen, casum non esse impossibilem, & nostris temporibus visa fuerunt huiusmodi contenta. Prodeunt autem ex renibus. Nam quando renum vlcera magna sunt, & abraduntur, non est impossibile, vt quædam portiones carneæ cum vrina excernantur.

9. Capillacea. Sunt præterea contenta *veluti capilli.* Auicennas, vrinam cum his contentis vocabat capillarem, appellant alii capillitium. De hoc contento loquitur Hippocr. 4. aphoris. 76. vbi voluit, quod dum crassæ sunt vrinæ, si egrediantur, aut carunculæ, aut veluti capilli, indicium sit, vitium esse in renibus. C

Galenus in comment. (qui hoc loco improbatur a Thriuerio) loquens de hoc contento capillari, ait, eos omnes esse in errore, qui credunt hoc contentum prodire ex substantia renum: nam qui ita dicunt, ostendunt se renum compagem penitus ignorare: non. n. huiusmodi est renum substantia, vt ex ea possint prodire tales materiæ, instar capillorum: nam est substantia densa, est caro densa, nequaquam fibrosa. Quomodo igitur fiunt hæc contenta? Dicit Galenus, hæc produci ex materia pituitosa, tenaci: fierique in renibus, & venis.

Sed præterea idem Galenus 6. de locis affect. 2. loquens de hoc contento capillari, inquit, gigni ex materia pituitosa, & probabilius esse, quod gignatur in venis, quam in renibus. Si hæc dicta Galeni vera sunt, quomodo tuebimur Hippocratem, qui ex hoc contento infert renes esse affectos? Opinor ego nos posse tueri Hippocratem, & Galenum: & illos decipi, qui Galeno contradicunt. Galenus nouit hanc difficultatem, & cum sciret, non esse possibile hanc substantiam capillarem fieri ex renum substantia; idcirco dixit, eam fieri in renibus, & in venis. Hippocrates vero ita debet intelligi; dixit is 4 aphor. 75. quando cum vrina exit vel pus, vel sanguis, aut vesica, aut renes laborant, deinde subdit alium aphorismum 76. in quo ostendit, quando afficiantur renes, ad differentiam vesicæ: in 77. ostendit postea, quando afficiatur vesica, non autem renes. Vnde 76. & 77. aphorismi, pendent ex 75. in quo dicit, si cum vrina egreditur pus, aut sanguis, laborant renes, aut vesica. Quomodo cognoscam renes laborare? Subdit: si cum vrina crassa, (id est, cocta, quæ non indicat passionem venarum,) apparuerit vel caro, vel substantia capillaris, tunc renes laborant. Hæc est illatio necessaria, supposito quod egrediatur, vel sanguis, vel pus: ita vt ob id suspicio sit, vitium esse vel in renibus, vel in vesica. Erit vitium in vesica, si egrediantur contenta furfuracea, squamacea: Erit autem in renibus, si exibunt carunculæ, aut veluti capilli. Quare licet verum sit, materiam capillarem gigni in venis, & magis probabile sit eam gigni in venis, quam in renibus: possumus tamen inferre; est pus, vel sanguis; ergo indicium est vlceris renum, vel vesicæ, si egrediatur materia capillaris, necessario erunt affecti renes. D E

Atque fieri potest hæc materia capillaris, quia dum est vlcus in renibus, viget calor præter naturam? vnde, si accidat materiam pituitosam ad renes deuenire, ratione caloris extranei, ob vlcus, potest hæc materia in longum extendi, & acquirere formam capilli. Et hæc materia interdum est longior, albicans, interdum nigricans, interdum fit in renibus, interdum in venis; si materia viscidior fuerit, longiores fiunt pili; si non fuerit ita viscida, minus longi. Albicantes pili sunt, quando sincera est pituita, cum vero admiscetur materia melancholica, nigri fiunt, ita vt sit suspicio aliqua, ne sint pili pudendorum. Generantur etiam a calore venarum. F

10. Filamenta. Sunt præterea contenta *veluti filamenta*, quæ solent apparere in vrina post vsum Veneris, & præcipue dum corpora sunt pituitosa, & semen est pituitosum.

11. Atoma corpuscula. Præterea obseruantur *corpuscula quædam atomalia*, quæ fiunt ab exustione. Aduertendum tamen, interdum apparere, dum viget exustio, interdum etiam post: quia fieri potest, vt dum viget exustio, interdum non excernantur. Propterea in declinatione febrium etiam ardentium obseruabitis atomos istos. Et huiusmodi corpuscula nigricantia sunt, quia facta sunt ratione exustionis.

12. Spermaticæ resolutiones. 13. A rene. 14. Calculi. Egreditur etiam interdum *semen*, vt in gonorrhœa: interdum *materia arenosa & calculosa.* G

Cautio vromantis notanda. Notate tamen ex Hippocrate, secundo prognost. trigesimoseptimo, dum vrinæ conspiciuntur, aduertendum esse, an vitium aliquod sit in vesica, vel in renibus: quia si erit vitium in his partibus, non potest rectum ferri iudicium de affectibus venarum, quia interturbatur lotium; sin minus, poteritis rectum iudicium ferre.

CAPVT

CAPVT XXII.

Summa capita, ac veluti index hactenus traditorum.

HÆc itaque dicta sint de vrinis Sanorum & Ægrotantium. Nunc autem per modum epilogi dico ex Galeno primo, de crisſ. duodecimo, vrinas ægrotantium, vel esse coctas, vel crudas, vel medio modo se habere. Anacephalæosis vrologiæ.

Coctæ mediocrem habent substantiam; colorem bonum, inter subrufum, & subflauum; contenta etiam habent optima, id est, alba, læuia, & æqualia.

B *Crudæ* vrinæ, vel tantum crudæ sunt, vel crudæ & perniciosæ. Crudæ sunt tenues, albæ, & contentis destitutæ: crudæ sunt etiam turbulentæ, non ita tamen, vt primæ. Deinde sunt crudæ & perniciosæ, quæ fuerunt propositæ a Galeno: sunt autem hæ vel virides, vel liuidæ, vel nigræ, vel fœtidæ: quæque habent contenta, vel pinguia, vel orobacea, vel farinacea, vel squamea, vel furfuracea. Omitto carunculas, veluti capillos, calculos, & alia, quæ potius indicant affectus vesicæ, & renum, quam venarum.

Quoad vrinas *medias*, hæ sunt in duplici differentia, ex Galen. 1. de crisſ. 12. aliæ enim magis accedunt ad coctas, aliæ magis ad crudas. Quæ accedunt ad coctas, sunt bene coloratæ, sed tenues, habentque sedimentum album & læue, sed non æquale. Quæ vero ad crudas accedunt, sunt ex Galeno, loco citato, subrubræ, quæ non fiunt ex sanguine exacte cocto, sed potius ex serositate; & propterea, quamuis sunt inter coctas & crudas, tamen magis accedunt ad crudas, quam quæ prius fuere propositæ.

Atque hic esto finis huius tractationis de vrinis: ad laudem Dei omnipotentis.

FINIS.

HIERONYMI CAPIVACCI, DE MODO INTERROGANDI ÆGROS, TRACTATVS.

Cognitio rerum præter mutā, suppeditat iuuātia, per indicationes.

OGMATICI iure optimi statuuntur Medici, qui nimirum ad morbos curandum conferentia per indicationes inquirunt. Modus autem inueniendi per indicationes iuuantia, absque obseruatione, analogismo & ratiocinio; est e comprehensione nocentium: istis enim cognitis, statim & illa e contrariorum lege patent. Quare Medici plurimum in cognitione nocentium laborare debent: ad quam cognitionem cum summe necessaria sit ægros recte & medice interrogandi ratio; nos eam breuiter hoc loco expediemus.

Historia morbi ab ægro referenda.

Laborantibus, quos curandi gratia Medici inuisunt, si loqui possint, præcipiendum, vt tum morbi originem ac decursum, tum querelas suas, quam fieri possit diligentissime ipsi exponunt: vel ægrotantium loco ab adsistentibus hoc flagitandum.

Quænā interrogāda.

Hoc facto, cum Galeno cap.2. lib.1. de locis aff. &c. ægri interrogandi, non de omnibus, neque de omnibus corporis partibus, neque de his quæ oculis patent: sed de *præteritis* primum, deinde de *præsentibus*, quæ nimirum fugiunt Medicum. Initio autem *res Secundum naturam*, postea quæ *Præter naturam* sunt, citra confusionem, exquirendæ.

Coniecturę medicæ.

Notandum vero, ea quæ coniecturis artificiosis innotescere possunt; ex ægro minime quærenda, sed prudenter grauiterque a medico ipso proponenda esse: vt arte & experientia clarus ac venerandus, ægro & assidentibus videatur Medicus, hosque in sui rapiat admirationem; qui videlicet Laborantis conditionem, etiam prius quam ab ipso ægro edoceatur, vniuersam pene ad amussim teneat. Exempli gratia; si a capite exordiri negotium hoc lubeat, vtpote a parte in supremo corporis loco constituta: si forsitan patiens retulerit, se a principio generationis copiose exspuisse, & quidem materiam insipidam: tunc non rogabit Medicus, num ægro somni sint profundi, necne: sed dicet rationi consentaneum esse, somno longo & alto patientem teneri: hoc quippe coniicere licet, e copiosa pituitæ exspuitione, quæ materia frigidum indicat humidumque cerebrum, vnde somnolenti redduntur homines.

Quærendū de actionibus corporis.

Porro si quæ scitu necessaria Medicus coniectura adsequi non potest, interrogandus ordine Laborans est, per actiones corporis instituta progressione: actionum enim noxæ affectam producit particulam: c.5. l.1. de loc. aff. Verbi gratia: Capitis actiones (quas primum lustrare decet) aliæ sunt propriæ, nimirum animales: aliæ communes omni parti viuenti, scilicet naturales. Animales sunt principales, & non principales, nimirum cognoscitiuæ & motiuæ. Circa has omnes, quomodo se habuerit æger, habeatque rogandum.

Animales actiones.

Naturales actiones.

Naturales actiones omni viuæ parti competentes, non ita conspicuæ sunt vt animales: ideo, vt cognoscatur, num bene, vel male hæ edantur, consideranda sunt ea quæ has naturales functiones consequuntur, nimirum exeuntia, & qualitates mutatæ. Circa caput igitur de exeuntibus quærendum, quomodo ægri se habuerint circa excrementa oculorum, aurium, oris, narium, an fluxerit etiam sanguis, necne. Hinc qualitates seu adfectiones considerandę, nimirum color capitis, itemq; eiusdem magnitudo, &c. vt ita in cognitionem status naturalis ipsius capitis deueniatur.

Capitis conditione explorata, quomodo Ventriculus ante morbum habuerit, disquirendum: quisnam cibi & potus fuerit appetitus: quæ exeuntia, tum aluo, tum interdum ore; num etiam nausea vel vomitus molestare consueuerit: hinc enim de concoctione, & ventriculi temperatura iudicandum.

In Hepatis statu naturali indagando, considerandum, quomodo fiat sanguificatio: id quod ab exeuntibus & adfectioribus addiscitur. Excrementa sanguificationis, quæ peragitur in iecinore, sunt melancholia & bilis: ideo interrogandi ægri, num excrementa sint biliosa, seu citrina, & maxime colorata: an vero melancholica, quæ non raro per venas hæmorrhoidales excernuntur. Lotium vero, quamuis excrementum sit venarū & arteriarum; potest tamen & ipsum statū iecoris naturalem significare. Quare de lotio quoque interrogandi ægri, quomodo se habuerint tempore sanitatis. Interim tamen, si ex aliis indiciis cognoscere queat medicus, iecur exstitisse, vel esse calidius: non rogandi de vrina ægri, sed simpliciter adfirmandum, lotium esse subflauum.

Simili ratione lienis, renum, vesicæ, & reliquarum omnium partium, interrogando conuenit explorare statum. Bene enim se habent, si munere suo probe & citra querelam fungantur.

Tandem

A Tandem interrogandi sunt ægri de functionibus vitalibus, quæ considerantur & in corde, & extra cor in arteriis. Maxime vero cordis constitutionem pulsus aperit. Quia autem nonnunquam pulsus ægrotantis, præsertim febre detenti, alienissimus est, a naturali: ne error hinc oriatur, decet Medicum cõsiderare morbum quo patiens laborat: animaduersa enim mutatione, qui cum in pulsu morbus efficere potest, ἀναλόγως de pulsu naturali iudicandum. Vt, si quis, calidioris cordis natura exsistens, corripiatur febre continua, pulsumque habeat ad modum frequentem & velocem: iudicabit ægro medicus, frequentiam & velocitatem etiam sanitatis tempore in pulsu fuisse, sed non ita insignem. Itaque de cordis viribus e pulsu pronuntiandum: si enim pulsus calidum cor arguat: merito audax & animosus homo statuitur. Vitales actiones.

B Naturali partium singularum constitutione hoc modo explorata: interrogandum est de rebus Præter naturam: & discurrendum circa actiones partis, quæ pati videtur: verbi gratia, si caput doleat, examinandæ sunt functiones capitis, item exeuntia, & qualitates mutatæ, vt color, &c. vt æstimare hinc liceat, quanta sit a naturali statu facta singulorum mutatio. Quærendum ergo tunc est de capite, non de aliis partibus: nisi suspicio sit, propositum symptoma capitis, non primum a capite prodire, id est, caput non per essentiam, sed per consensum alterius partis adfici: tunc etenim pars primario laborans indaganda, eiusque a natiua conditione recessus diligenter attendendus, accurata omnium quæ ad hanc rem necessaria sunt facta inquisitione. Inquisitio rerum præter naturã.

Cognitis tandem rebus præter naturam, seu nocentibus: indicationum medicarum doctrina leui negotio iuuantia suppeditabit. Iuuantium inuentio.

FINIS.

HIERONYMI CAPIVACCI

OPERVM

Sectio Tertia:

VIDELICET

THERAPEVTICA:

CONTINENS

I. *Methodum medendi.*
II. *Rationem componendi medicamenta.*
III. *Cauteriorum rectam administrationem.*

HIERONYMI CAPIVACCI METHODVS MEDENDI.

Capvt I.

Quid nomine methodi medendi intelligendum veniat: & quod ab vniuersis ad specialia sit progrediendum, methodo ἀναλυτικῇ, cui diuisio inseruiat: simul de triplici errore, qui in diuisione committi poßit.



CVM institutum sit de methodo medendi dicere: dubitandum non est, nos suscipere prouinciam & admodum vtilem, & sane difficilem.

Vtilitatem, imo vero necessitatem, ex eo colligere licet; quod cum (ex Galeno, primo de tuenda valetudine capite primo) duæ sint præcipuę partes artis medicę, inter has enumeretur methodus medēdi, siue ars curatrix: propterea, quod reliquæ artis partes in hanc curatricem referantur, nempe Physiologia & Pathologia, quæ de signis loquitur. *Necessitas methodi medendi.*

Quo vero ad huius methodi difficultatem: hanc facile haurire licet ex Galeno: quandoquidem huius methodi gratia scripserit libros quatuordecim, quos inscripsit de methodo medendi. Et augetur difficultas: nam licet admodum prolixus fuerit; vsque adeo tamen difficiles sententias proposuit, vt fatear me ignorare, quinam hucusque Galenum recte intellexerit. *Eiusdem difficultas.*

In tanto igitur negotio tria præstabimus: Primū quidem versabimur circa nomen methodi: Secundo huius methodi essentiam explicabimus, ex qua patebit quotuplex possit esse methodus medendi: tertio, cum methodi essentia constituatur ab indicatione, diligenter etiam loquemur de indicatione; & fortasse ea cum diligentia, vt omnes Galeni auctoritates, quæ sibi inuicem videntur aduersari, facillimæ nobis reddantur, & perspicue appareat, omnes in vnicam veritatem conspirare. Rem igitur aggrediar. *Summa huius tractationis capita tria.*

Quoad nomen: ex Gal. c. 4. l. 4. meth. per methodum oportet intelligere viam ordinatam vniuersalem, quę particularium est commonstratiua: hoc est, viam vniuersalem, quæ cuilibet indiuiduo est applicabilis; seu viam vniuersalem, quam, dum eritis apud ægrotantes, scietis applicare. Hinc sequitur, quod via nihil aliud sit, quam transitus ab vno ad aliud. Sed non dicatis more quorundam, opus esse intelligere viā, quam quilibet sibi parat: propterea quod etiam asinus iter adiens a vico in alium vicum sibi parat viā, quæ tamen non est methodus. Et ideo per viam intelligatis transitum ab vno ad aliud, cum ordine. Et in hoc Medici dogmatici a reliquis distinguuntur. *Methodus Aristotelea, ἀπὸ τῶν κα[illegible] [illegible] Phys.*

Hæc veritas fuit proposita a Galeno, primo methodi capite quarto; vbi ait: methodo inuenire non est fortuito inuenire, sed ordine quodam, vt aliquid sit primum, aliquid secundum, aliquid tertium: significans, esse progrediendum a genere generalissimo, ad genera subalterna; & a generibus subalternis ad species: verbi gratia, si febricitet Socrates, ita est progrediendum; vt primo perpendamus Socratem febre affectum, esse correptum morbo; ecce genus generalissimū: deinde vero hac via progredimur, dicentes, febrem esse morbum calidum; & magis adhuc descendemus, dicentes, esse morbum calidum vt duo: ecce est via a genere ad species. Quem etiam progressum significat Galenus l. 2. meth. 7. dum ait, auspicandū esse a primis indicationibus, hoc est, genericis, & esse progrediendum ad specificas: & ob id non est quælibet via, sed via ordinata a primo indicante ad secundum, ad tertium, a generico ad specificum.

Sed fortasse quæret iunior, quænam hæc via est? Galenus l. 11. meth. c. 2. statuit, hanc viam esse resolutiuam. In via resolutiua progressus ex necessitate est a fine, ad ea quæ sunt propter finem: cuiusmodi est via in hac methodo, quando progredimur ab indicante ad indicatum. Recte intelligatis: quia non omnes intellexerunt hanc veritatem: dum progredimur ab indicante ad indicatum, est progressus a fine, ad ea, virtute quorum finem consequimur. Do exemplum; dum adest febris, dicimus, est morbus calidus, ergo erit indicatio refrigerandi: morbus calidus est finis indicans; præsidium refrigerans est indicatum, est illud quod dirigitur in finem, respicit finem, & quod remouet morbum calidum. at hoc non est finem consequi. *Vera constituendæ artis methodus ἀναλυτική.*

Est igitur hæc via, via ordinata, & est via resolutiua: cui tamen famulatur diuisio. Hanc sententiā proposuit Galenus (volo præstare quod sum pollicitus) lib. 1. ad Glauc. c. 1. quod caput nescio ego a quo intelligatur: hoc vnū certo scio, fieri non posse, vt qui recte assequitur hoc caput, imaginetur asserere, venæsectionem indicari a morbo magno, vna cum sanguine, siue plenitudine. Declaro: Galenus loco citato dicit: ille medicus qui scit haurire indicationes omnes per diuisionem inuentas, hic solus (quantum humanis permittitur viribus) medendo non errabit. Ecce hoc in loco euidentissime Galenus patefecit diuisionem *τῇ ἀναλύσει inseruit διαίρεσις: cuius ope indicationes inueniuntur.*

famulari methodo medendi:quia oportet haurire indicationes quę inueniuntur per diuisionem.Ecce diuisio famulatur.Et tanti Galenus fecit hanc diuisionem,vt asseruerit, huius gnarum, quantum humanis permittitur viribus,medendo non errare. Quare qui non callet hanc indicationum per diuisionem inuentionem,dubio procul errat,& infelices ægrotantes manent. A

Triplex diuisionis vitium.

Porro Galenus,loco citato,ne in tanti momenti prouincia deficeret, proponit tres errores, qui ab imprudentibus facile possent committi.

1. Si subsistatur in summo genere.

Primus error esse potest,quando medicus diuidens vt inueniat indicationes,nõ transit vltra genus: quo fit,vt inueniat tantum per diuisionem indicationem genericam;quę nobis manifestat indicatum genericum,quod non sufficit pro curatione:& ideo qui ita diuidunt sunt diminuti.

2. Si in speciebus subalternis hęreat.

Secundus error est,quo diuidentes progrediuntur a genere generalissimo ad subalterna, in quibus persistunt,non vltra progrediuntur:quo fit,vt & isti sint diminuti,quia per diuisionem inueniunt indicationem genericam subalternam, & hinc indicatum genericum subalternum, sed dimittunt specificum: quare in curatione aberrant. Exempli gratia,si homo febricitat,febris vt morbus, indicat remouens: vt morbus calidus,frigidum:sed hoc non sufficit,sed oportet descendere ad speciem specificam; vt si, verbi gratia,febris est morbus calidus vt duo,indicat remedium specificum,& frigidum,vt duo. B

3. Si perperã instituatur.

Tertius error est,quo medicus vitiosam seu prauam facit diuisionem. Quid oportet intelligere per vitiosam & prauam diuisionem? Diminute locuti fuimus. Galenus loco citato,primo ad Glauc.primo, seipsum non declarauit:quia cognouit hoc pertinere ad logicum.Sed Galenus,omnia ferme cognoscens, applicat veram doctrinam suo proposito,(vt interpretemur Galenum per eundemmet Galenum)dicẽs, 9.meth.14.tria esse quæ primum curationem indicant.Sed in præsentia nolo explicare, quid velit Galenus per hæc verba,cum dixit,tria sunt quæ primum curationem indicant: quia, licet hæc verba sint difficillima,vt explicatione egeant,non licet tamen vt in præsentia a nobis explicentur, sed suo loco:sed solũ in præsentia ad nos pertinet intelligere, id quod attinet ad diuisionem.) Inquit igitur Galenus,tria sunt quæ primum curationem indicant:morbus,temperatura,& aer.Subdit autem Galenus, morbum diuidi in differentias,sed non in caussas:temperaturam autem & aerem diuidi non in differentias,sed in caussas. Ego vellem,vt qui asserunt venæ sectione indicari a magnitudine morbi vna cum sanguine, explicarent hunc locum;quia,vbi intelligerent,nequaquam in absurdum vsque adeo insigne inciderent. Locus iste hunc in modum est interpretandus.Galenus loco citato,hoc est,9. meth.14. loquitur de indicatione tantum curatiua,de indicante tantum curatiuo.Quod sit verum,dicit:tria sunt quæ primum curationem indicant.Quod curationem indicat,& vere indicat,est tantum morbus: & hoc nunc supponatis, indicans curationem esse tãtum morbum.Hinc fit vt morbus sit diuidendus in differentias seu species,nõ in caussas:nam licet morbus habeat caussas,hoc tamen loco non potest diuidi in caussas:ratio est, quia hoc loco sermo fit tantũ de indicatione curatiua,non de præseruatiua:quia indicatio præseruatiua sumitur a caussa,curatiua a morbo & specie morbi;a morbo,a morbo calido,vt duo;si hic morbus fiat a sanguine, a sanguine sumitur indicatio præseruatiua.Sic quia Galenus loquitur de indicatione curatiua tantum,nõ potest nec,debet morbum diuidere in caussas,quia confunderentur indicationes curatiuæ cum præseruatiuis. Et ob id dicit Galenus lib.1.ad Glauc.cap.1.illos errare,qui vitiose diuidunt, hoc est, qui confundunt indicationes curatiuas cum præseruatiuis,qui diuidunt morbum in differentias & in caussas:veluti illi faciunt,qui dicunt,venę sectionem indicari a morbo magno,vna cum sanguine;miscent enim morbum cũ caussa,id est,sanguine,qui est caussa morbi.Quare obseruandum est,ne vitiosa instituatur diuisio,& ne indicationes curatiuæ cum præseruatiuis misceantur:hoc est,ne diuisio quę respicit morbum,complectatur caussas, vel diuisio quæ respicit caussas, cõplectatur morbum:non enim hæc oportet confundere: & suo loco,dum loquemur de methodo, intelligetis,quomodo procedendum sit in quocunque indicante C D E

Methodus ab vniuersalibus.

Hactenus constitutum sit,vt asserit Galenus 9.meth.cap.vlt.in hac methodo,in hac via,hauriendas esse primum indicationes primas,hoc est,genericas:deinde secundas,id est,subalternas;vltimo specificas. Verbi gratia,si respiciamus ad sanguinem,& proinde ad indicans præseruatorium;sanguis, vt quid morbificum præter naturam,indicat auxilium remouens:descendamus,si,verbi gratia,sanguis peccet, & peccatum sit vehemens;indicat auxilium remouens sanguinem,sed non ita genericum, sed vehemens, quia peccatum est vehemens:&,si,verbi gratia,sanguinis peccatum vehemẽs fuerit secundum motum, indicat remedium adhuc magis determinatum,imo specificum,quod est remedium vehemens,sed reuulsorium. Et hæc dicta sint generice:quia suo loco diligenter de his loquemur. F

Methodus medendi,& ars curãdi, idem.

Tandem notandum quoad vocem,nos in præsentia non modo versari circa methodum,verum etiam circa methodum medendi,ad differentiam methodi tuendę sanitatis;vt hęc vox nimirum methodus medendi,significet artem medendi:vt idem sit,inscribere libros illos Galeni quatuordecim de methodo medendi, & de arte curandi,seu de arte curatrice.

CAPVT II.

De essentia,seu definitione methodi medendi.Obiter etiam summa iuuantium seu indicatorum genera proponuntur:quæ tamen infra cap.5.plenius tractantur. G

Definitio methodi medendi.

PRimum huius tractationis caput,de methodi voce ita expediuimus:alterum sequitur, de essentia methodi,quam definitio exhibet. *Methodus* igitur *medendi est ars, quæ per indicationes inueniuntur iuuantia,vt deperdita sanitas hominis reparetur.*

Necessarium est,vt cogitetis,an hæc definitio sit bona vel mala:vt ex vobismetipsis citra præceptores tra-

A res ſciatis tradere definitiones,& iudicare an definitiones ab aliis traditæ ſint comprobandæ. Perfecta igitur definitio in ſe claudere debet formam, ſubiectum,efficiens,& finem. Quare inquirere oportet,an hæ cauſſæ,& qua ratione,claudantur in propoſita definitione.

1. Forma.

Quantum attinet ad *cauſſam formalem:* dictum fuit:eſſe artem. Namque cum medica facultas ſit ars & medica facultas,tum alias partes in ſe contineat,tum potiſſimum methodum tuendæ ſanitatis, & curatricis:neceſſarium eſt,vt fateamur,methodum curatiuam eſſe artem. Cum autem ſit ars, non eſt inſtrumentum methodus medendi, ſed eſt habitus principalis,potentialis:non ſcientia quidem, non prudentia,non intellectus,nullus denique habitus potentialis,niſi ars.

2. Subiectũ.

Et cum ſit ars,& proinde habitus intellectus:dum proponitur hæc forma, patet etiam *ſubiectum*, ꝙ B ſit habitus potentialis non corporis,ſed animi,ſeu intellectus.

3. Efficiens.

Cauſſa efficiens fuit propoſita in definitione,quando dictum fuit,[*qua per indicationes:*] namque indicatio eſt cauſſa efficiens,&, vt ſuo loco explicabimus, eſt inſtrumentum. Methodus medendi non eſt inſtrumentum,ſed habitus potentialis effectiuus,id eſt,ars: ſeu cauſſa efficiens huius habitus potentialis, eſt indicatio;quia indicatio eſt inſtrumentum.Inſtrumentum reducitur ad cauſſam efficientem,vt omnes ſciunt.Et quia omne inſtrumentum,beneficio cuius comparatur habitus principalis,ex neceſſitate eſt inſtrumentum logicum(vt ſuo loco demonſtrabimus,dum loquemur de indicatione,aſſerentes indicationem eſſe inſtrumentum logicum,inſtrumentum inuentum a logico) ideo per hanc efficientem cauſſam methodus medendi diſtrahitur ab ea curatione,quæ non pertinet ad dogmaticũ, quia non inuenitur per indicationem,non comparatur per indicationem, ſed vel per experientiam, vel analogiſmo, vel alio in- C ſtrumento diuerſo ab indicatione. Vnde Galenus,vt omnia etiam cum Galeno confirmemus.ca. 5.lib.12. meth.dicit, ſi alteratio in ſpiritu fiat,vel ab animali venenato,vel a quolibet alio veneno,eſſe negotium extra methodum medendi. Quare eſt negotium extra methodum medendi? quia non poteſt comparari indicatione, ſed alio inſtrumento. Vnde Galenus primo meth c.4.dicit, inſtitutũ ſuum eſſe, ſermonem habere de remediis,quę non empirice,ſed methodo ac per indicationes inueniuntur. Conſtitutum igitur ſit efficientem cauſſam medendi methodi eſſe per indicationem.

4. Finis.

Ratione cauſſæ finalis,dictum fuit in definitione,[*qua per indicationes inueniuntur iuuantia, vt deperdita ſanitas hominis reparetur.*] Quibus verbis,vt manibus hanc veritatem tangatis, continetur duplex finis:alter poteſt vocari Internus,alter Externus:licet qui externus vocatur vna ratione, alia ratione poſſit vocari internus. Declaro. Finis internus eſt,quando dictum fuit,[*inueniuntur iuuantia*] nam inuentio D iuuantium eſt finis internus indicatiuus. Alter finis eſt,dum dictum fuit,[*vt deperdita ſanitas hominis reparetur*] qui finis poteſt vocari externus,ſi reſpiciamus ad indicationẽ;poteſt etiam vocari internus, quotieſcunque reſpicimus ad totam hanc methodum medendi.

Internus finis methodi curatiuæ: inuentio præſidiorũ.

Vtrumque finem magis atque magis explico:& primum,quantũ attinet ad finem indicationis, qui erat inuentio iuuantium;hunc finem propoſuit Galenus quincto metho. 9. vbi voluit, pertinere ad methodum medendi tradere inuentionem præſidiorum.

Cur in finitione ponatur inuẽtio iuuantium, non indicatorum.

Et hoc loco admoneantur iuniores,cur potius in hac definitione dictum ſit, *vt inueniantur iuuantia*,quam,vt inueniantur indicata. Ratio huius fuit:quia indicatum latius patet,cum morbi etiam a ſignis ſuis indicentur: cum enim dicimus, eſt dolor lateris,eſt tuſſis,eſt difficultas anhelitus;ergo inflammatio, pleuritis: nos beneficio iſtorum ſignorum deducimur in inuentionem indicati,ſignati, hoc eſt, pleuriti- E dis:ſed pleuritis non eſt iuuans, imo nocet: eſt quidem indicatum, ſed non eſt indicatum, de quo in præſentia eſt ſermo. Et ob id,vt ab hoc indicato,&ab inuentione huius indicati,diſtingueretur illud,quod inuenitur per methodum,per indicationes;rationabiliter in definitione dictum eſt, [*inueniuntur iuuantia.*]

Iuuans duplex:præſidium,& vſus materiæ præſidii.

Per iuuantia autem intelligimus omnia quæ inueniuntur per indicationes: vt ſunt, tũ Præſidia,tum Vſus ſeu adminiſtratio materiæ præſidiorum. Exemplo res fiet manifeſta.In febri pręſidium eſt frigidum: ſi forte febris ſit calidum vt duo,præſidium eſt frigidum vt duo: huius præſidii materia, verbi gratia,eſt lactuca:circa quam materiã præſidii frigidi,perpendimus vſum ſeu rectam adminiſtrationem,hoc eſt,quãtitatem lactucæ,modum adminiſtrandæ lactucæ,tempus quo eſt adminiſtrãda lactuca,&locum cui eſt ad- F miniſtranda. Iuuans ergo in ſe claudit Quid agendum, Quantum,Quando, Quomodo,& Vbi: non plura,neque pauciora.

Id quod e Galeno aſſeritur.

Confirmatur hæc veritas Galeni dictis:vbi voluit ad methodum pertinere inuenire remedia, & ſcire etiam inuentis recte vti. Inuentis recte vtimur, quando nullus fit error, vel in doſi,vel in modo, vel in tempore,vel etiam in loco. Docet etiam idem Galenus 6.meth.2.methodum & auxilia inuenire, & inuenire etiam vſum inuentorum. Præterea, ad confirmationem huius veritatis dixit Gale. primo ad Glauconem primo,methodum medendi perfici & qualitate, & quantitate auxiliorum, tum modo eorum vſus, & temporis occaſione. Propoſui hanc auctoritatem,quia fui vobis pollicitus declarare omnes ferme auctoritates ad methodum medendi ſpectantes:& profecto quia ego neſcio a quo intelligantur.

1. De præſidio.

Hunc locum ita ego explico. Dum dixit Galenus 1.ad Glaucon.1.methodum medendi perfici qua- G litate & quantitate auxiliorum:per hoc nihil aliud intelligit,niſi Quid agendum, nõ Rectam adminiſtrationem:quia loquitur de quantitate & qualitate præſidiorum, non materiarũ remedii. Explicant omnes, per qualitatem oportere intelligere Quid agendum,per quantitatem Quantum agendum. Hoc eſt falſiſſimum:& ratio eſt,quia loquitur non de materia auxilii,ſed de auxilio : exempli gratia, ſi ſermo fiat de febri loquitur de auxilio refrigerante,non de lactuca,non de materia frigidi. Quid agendum nihil aliud eſt quam auxilium:recta adminiſtratio reſpicit materiam auxilii,non auxilium. Galenus hoc loco dicit,methodum perfici qualitate & quãtitate auxiliorum. Do exemplum,propter iuniores:ſi verbi gratia,ratione

febris indicatur auxilium frigidum,tunc inuenta est qualitas Quid agendum,id est,remedium frigidum: hoc remedium frigidum potest esse frigidum,vel in hoc,vel in illo gradu,primo,secũdo,tertio, & hoc est Quid agendum specificum,remedium magis determinatum.Et hoc est quod significat Galenus, quando proposuit quantitatem, quia gradum auxilii exprimit per quantitatem : nec ita sollicitus fuit de vocibus. Sæpe vero confundit quantitatem cum qualitate:quemadmodum dicere solemus,febris magna, cum tamen sit dictio impropria;quia febris proprie dici debet vehemens potius,quam magna.Ita etiam Galenus per qualitatem intelligit Quid agendum genericum,per quantitatem Quid agendum specificum.

2. de vsu.

Quod vero attinet ad rectam administrationem:proposuit Galenus,loco citato,modum vsus,intelligens rectam administrationem,hoc est, Quantum,Quomodo,& Vbi:&,quia recta administratio in se claudit etiam Quando agendum,hoc innuit cum in medium affert temporis occasionem. B

Et quia fui vobis polliticus declarare auctoritates:debent iuniores animaduertere,licet Quando agendum pertineat ad rectam administrationem;Galenũ tamen per modum vsus non intelligere, Quando agendum:distinguit enim non citra artificium Galenus modũ vsus,hoc est,quantum,quomodo,&vbi, a quando,seu a tempore agendi,propter difficultatem:nam(vt exprimit Galenus.)nancisci temporis occasionem difficillimum est:& ideo respiciens ad hanc difficultatem,quam etiam proponit,separat Quando agendum a reliquis tribus.

Tempus interdum a Galeno nõ comprehẽditur sub vsu: & quare:

Sed adhuc dubitabit iunior:quia quandoq; dixit Galenus,quantitatem nec verbo exprimi,nec scribi posse,nec mente etiam cõcipi,quare videtur esse maior difficultas circa Quantum agendum,quam circa Quando agendum. Oportet recte intelligere Galenum:dũ loquimur de quantitate, duplex potest esse sermo:quãtitas enim dum significat Quid agendum specificum,quod indicatur a gradu determinato indicantis,(exempli gratia,auxilium frigidum vt duo in prima mansione,indicatur a morbo calido vt duo in prima mansione)quem gradum Galenus quandoq; quantitatem vocat, & solum Deum posse cognoscere fatetur:&ideo difficultas est in quantitate,vt respicit Quid agendum.At si alio modo capiatur quantitas vt pertinet ad rectam administrationem;multo difficilius est assequi Quando agendũ,quam Quantum; quia occasio est præceps.Patet igitur quomodo hæc auctoritas sit intelligenda. C

Præterea idem Galenus in arte medicinali capit.89.dicit,ad methodum pertinere,inuenire qualitatem materiæ,hoc est,quid agendum;præterea quantitatem:per hanc significans quantum agẽdum, tempus opportunum,& modum vsus,hoc est,quomodo,& vbi:& ex his verbis pariter colligere licet illa duo, hoc est,quid agendum,& rectam administrationem.

Explicatus igitur est finis internus indicationum:qui finis est,inuenire remedia iuuantia,& vsum. D

Externus finis: reparatio sanitatis

Finis vero totius methodi medendi,seu totius artis curatricis,est propositus,dum dictum est[vt deperdita hominis sanitas reparetur.] Proposita est sanitas hominis deperdita, ad differentiam brutorum. Dictum autem fuit,[vt sanitas deperdita reparetur]vt hæc methodus distinguatur a methodo tuendæ sanitatis:nam & methodus tuendæ sanitatis est ars,qua per indicationes inueniũtur iuuantia: vt adhuc nullum appareat discrimen inter methodum tuendæ sanitatis,& methodum medẽdi:quare distinguitur per particulam vltimo loco propositam. Eam particulam proposuit Galenus primo methodi quincto, dicẽs, propositum esse in methodo medendi morbum remouere,vt sanitas reparetur. Et quincto methodi septimo,dicit,ad methodum medendi spectare inuenire auxilia,quibus æger sanetur. Ecce respicit ad sanitatem deperditam recuperandam,ad differentiam tuendæ sanitatis.Pręterea idem Galenus nono metho. quincto,ait,sanatio seu curatio est præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitũ mutatio. Quo loco,quæso,diligenter aduertatis,quænam sit definitio hæc curationis. Per curationem intelligit Galen. artem curatricem,methodum medendi:ista sunt synonyma:vnde idem est ac si dixisset,methodus medẽdi,ars curatrix est præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio. Quę definitio est ista?Est definitio tradita per caussam finalem.Nec redarguenda definitio,cum artes per finem distinguantur:vt cum finis huius artis sit remotio morbi,sit vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio. E

Ex his patet,cur dixerimus in definitione,methodum medendi esse artem,qua per indicationes inueniuntur iuuantia,vt sanitas deperdita hominis reparetur.

CAPVT III. F

De methodi medendi diuisione,a forma,& fine.

Diuisio methodi. 1. a forma.

EXplicata definitione,facile intelligere licet,quemadmodum methodus medendi multiplex esse possit: differentias enim haurire licet a forma,& a fine.

A forma,methodus medendi est habitus vniuersalis,vel habitus specificus. Et hoc colligere licet ex Galeno,4.meth.cap.quarto,vbi dicit,auspicandum esse semper ab affectu,siue in vniuersali,siue in particulari;siue in genere,siue in specie.Vnde quarto methodi primo dixit tot esse methodi species, quot sunt species morborum.Exempli gratia,in febribus hæc seruatur methodus:est morbus calidus, ideo refrigerandum:morbus calidus vt duo;ideo refrigerandum vt duo.Ad eundem modum in hydrope,est morbus frigidus,quare calefaciendum:est frigidus vt duo,quare calfaciendum vt duo.Merito igitur dixit Galenus *tot esse methodi species,quot sint morborum species:semper tamen eadem via, & eodem ordine progredimur ab indicatione generica ad specificam.* G

Sed dubitabit iunior:quia Gal.5.meth.9.dicit,se tradere methodos quæ pręsidiorum genus tantum indicent:si hoc est verũ,quomodo hæc meth.vt superius dictũ fuit,progreditur ab indicationib. genericis ad specificas?Equidẽ dixi,esse necessariũ interpretari & explicare Gal.auctoritates:ideo dicerẽ,per genus præsidiorũ intelligi præsidiũ genericũ,hoc est,cõmune & huic & illi materiæ. Declaro: Gal.ibi proponit præsidium,ad differentiã materiæ præsidii:verbi gratia,ratione morbi frigidi indicatur præsidiũ calidum

A lidum,cuius materia poteſt eſſe multiplex,poteſt eſſe petroſelinum,poteſt eſſe piper,poteſt eſſe aniſum,vt
præſidium calidum,& calidum in tali gradu:licet enim ſit præſidium ſpecificum, ſi conferatur cum præſi-
dio generico;poteſt tamen vocari præſidium genericum,ſi conferatur cum materia pręſidii,quia hęc ma-
teria,vt audiuiſtis,multiplex eſſe poteſt.Vnde Galenus hoc in loco accipit genus pręſidii,comparans cum
materia præſidii. Quod ſit verum,proponit diaſpermaton, nimirum materias medicinales.Ita igitur de-
betis illum locum intelligere,ſecus ſibimet cõtradiceret:confert genus præſidii, ad materias medicinales.
Et recte dicit Galenus eo in loco,quincto meth. 9. methodum inuenire tantum genus præſidii, nequa-
quam materias:nam inuentio materiarum pertinet ad librum de alimentis,de ſimplicibus medicamentis
B ad librum de compoſitione medicamentorum:illi libri ſunt extra hanc methodum. Neque obſtat quod
Galenus in libro de methodo medendi ſæpenumero proponat materias:nam hoc facit & gratia exempli,
& præterea vt nos doceat in virtute illorum exemplorum rectam adminiſtrationem.

Si capiatur diuiſio a *fine:* hanc diuiſionem inſinuauit Galenus quarto metho.quarto;vbi ait:ſi cauſſa 2. a fine.
morbifica deſiit,nec amplius adeſt,locum habet methodus de qua in tertio libro methodi medendi:ſi au-
tem cauſſa morbifica nondum ceſſauit,& adhuc perſeuerat,oportet vti methodo de qua in quarto libro.
Quare duplex eſt methodus,duplex eſt ars curatrix:vna de qua in tertio libro,alia de qua in quarto. Quo-
modo ergo intelligendus Galenus?Vnica eſt methodus,& ars curatrix:ratione finis tamen diuiſionem a-
liquam admittit.Quomodo ratione finis ? Finis methodi eſt morbi ſublatio: finis methodi quandoq; et-
iam eſt cauſſæ ſublatio:in arte curandi,locum habet,ratione morbi,ſeu ratione ſublationis morbi,indica-
C tio curatiua,ratione cauſſæ efficientis,indicatio præſeruatiua:& ratione vtriuſq; eadẽ via progrediendum
a genere in ſpeciem ſpecialiſſimam.Et propterea methodus curatiua,ars hæc curatrix , quandoq; eſt ſim-
plex,quandoque compoſita: ſimplex,ſi non adeſt cauſſa:compoſita ex neceſſitate,ſi adeſt cauſſa: Galenus
ergo methodum ſimplicem propoſuit in tertio libro,nam ibi proponit methodũ ratione morbi tantum:
methodum vero compoſitam propoſuit in quarto libro , nam ibi verſatur non ſolum circa remotionem
morbi,verum etiam circa remotionem cauſſæ.

CAPVT IV.

De indicationis nomine ac eſſentia: vbi tres indicationis definitiones,ſimulque indicantis conditiones, & tandem diſcrimen indicationis, experientiæ,ac analogiſmi , proponuntur.

D CVm methodus medendi ſit *cognitio iuuantium,* quam cognitionem tanquam per inſtrumentum , ac Nomen indicationis.
proinde per cauſſam efficientem conſequimur,per *indicationem:* idcirco diligenter de indicatione lo-
quemur: & tria exponemus:primo quidem vocem,ſecundo eſſentiam,tertio diuiſionem.

Quoad nomen:ex ſententia Galeni,ſecundo meth.c.ſeptimo,indicatio nihil aliud ſignificat , quam
ipſam ſequentis ſeu agendi,hoc eſt,iuuantis inſinuationem;vt illud quod inuenitur, quaſi in præcedenti
aliquo ſit deſignatum,nimirum in indicante,& hac voce nobis ſignificetur id,quod deſignatum eſt in in-
dicante ſeu præcedente.

Galenus triplicem proponit definitionem indicationis.Et ego proponam has tres definitiones, vt
ſciatis intelligere Galenum. Licet autem diuerſæ videantur eſſe definitiones:cognoſcetis tamen vnam eſ-
ſentiam eſſe,ac vnicam definitionem.Galenus igitur ſecundo metho. 7. inquit: *Indicatio eſt inuentio eius,* Prima indicationis definitio.
E *quod ſequitur ex rei natura.*

Heic notandum,indicatum id,quod inuenitur per indicationem,non ſolum eſſe Quid agendũ,ſed
etiam Quantum,Quomodo,Quando,& Vbi,Inter quæ hoc eſt diſcrimen:quoniam Quid agendum in-
dicatur tantum ab eſſentia indicantis:reliqua quatuor nequaquam : nam recta adminiſtratio , vt ſuo loco
dicemus,id eſt, Quando,Quantum,Quomodo,& Vbi,licet ipſa quoq; ſint indicata, non tamen indican-
tur a natura indicantis,non indicantur ab eſſentia indicantis,ſed ab eo,quod conſequitur eſſentiam. Eſt
differentia inter eſſentiam,& illud quod conſequitur eſſentiam.Quare Galenus,vt dixi, reſpiciens tãtum
ad Quid agendum,vere dixit,indicationem eſſe inuentionem eius,quod ſequens eſt ex rei natura.

Secunda definitio proponitur a Galeno,libro ad Thraſybulum,capitulo vndecimo:vbi dicit, *indi-* Altera definitio.
catio eſt comprehenſio iuuantis ſimul cum natura nocentis. Quo loco reſpicit ad Quid agendum,& non ad o-
F mne Quid agẽdum,ſed tantum ad Quid agendum, curatorium,& Quid agendum præſeruatorium. De-
claro: Galenum reſpicere tantum ad Quid agendum,ex eo colligitur;quia proponit naturam indicantis,
quæ natura indicat Quid agendum, non autem vſum ſeu rectam adminiſtrationem. Galenum præterea
proponere tantum indicatum curatorium & præſeruatorium,ex eo colligimus; quia proponit naturam
nocentis : quia inquit ; indicatio eſt comprehenſio iuuantis , ſimul cum natura nocentis:id quod nocet,
neceſſario eſt præter naturam,ſiue ſit morbus,ſiue cauſſa,ſiue ſit ſymptoma : vt nocens , in ratione mor-
bi,ſit indicans curatorium;nocẽs in ratione cauſſæ & ſymptomatis,quatenus ſymptoma habet rationem
cauſſæ,eſt indicans præſeruatorium.Quare hoc loco Galenus prætermittit indicans vitale,& indicatũ vi-
tale,id eſt, Quid agendum vitale:nam indicatum non eſt nocens,non eſt præter naturam,eſt quid vtile;&,
vt ſuo loco demonſtrabimus,nil aliud eſt quam virtus. Quare hanc definitionem ita intelligatis,vt in ſe
G claudat Quid agendum curatorium & præſeruatorium.

Tertia definitio ab eodẽ Gal. proponitur,libro ad Thraſybulũ c. 11. vbi ait, *indicationem eſſe, quan-* Poſtrema definitio.
do rebus percipiendis perceptis,ſimul & quod confert percipitur,citra experientiam , & analogiſmum. Et puto
ego hanc definitionem indicationis abſolutiſſimam eſſe, propterea quod (ad differentiam definitionis
primo loco propoſitæ)in ſe claudit,non modo Quid agendum,verum etiam Rectam adminiſtrationem
materiarum iuuantium. Præterea hæc tertia definitio(ad differentiam definitionis ſecundo loco propo-
ſitæ)in ſe continet,non modo indicans curatorium & præſeruatorium,verum etiam vitale.

Generalitas tertiæ finitionis.

Eſt autem vſq; adeo generalis hæc definitio indicationis, vt niſi aliquid addatur, conueniat indica- A tioni & in methodo medendi, & in arte tuendæ ſanitatis. Quare particula addenda, cuius beneficio indicatio de qua loquimur, diſtinguatur ab indicatione quæ pertinet ad methodum tuendæ ſanitatis.

Hæc omnia declaro, vt recte poſſitis intelligere Galen. Primum igitur, dum ait Gal. indicationem eſſe, *quando percipiuntur res percipiendæ*, hoc eſt, quando cognoſcuntur res cognoſcendæ; dum proponit percipienda, non proponit nocentia, quemadmodum in ſecunda definitione; ſed proponit percipienda in genere, non contracte, nimirum & nocentia, & iuuantia: quare Gal. in hac definitione proponit quæq; indicantia, hoc eſt, curatoria, præſeruatoria & vitalia, quæ ſunt iuuantia, non nocētia. Dum vero Galenus dicit, indicationem eſſe, dum iuuans percipitur, dum percipiuntur percipienda, dum cognoſcuntur co- B gnoſcenda: hanc particulam [*cognitis, perceptis*] proponit, ad differentiam primæ definitionis, quam propoſuit 2. meth. 7. proponit cognitionem in genere, in communi, vt reſpicit & eſſentiam, & id quod conſequitur eſſentiam. Vnde merito hæc tertia definitio diſtinguitur a prima: quia in prima, quæ eſt propoſita 2. meth. 7. continetur tantum Quid agendum, quod a nullo alio indicatur, quam a natura, ſeu eſſentia indicantis: in hac autem tertia definitione, dum proponit cognitionem in genere, & proinde tum eſſentiam indicantis, tum id quod conſequitur eſſentiam; facile conſtat, hanc eſſe abſolutam definitionem; quia tradit eſſentiam indicationis, virtute cuius inuenimus iuuans, quod non modo eſt Quid agēdum, verum etiam eſt Recta adminiſtratio, eſt rectus vſus materiarum iuuantium, hoc eſt, vt alibi intellexiſtis, Quando, Quomodo, Quantum, & Vbi. Conſtat igitur quomodo hæc definitio ſit diſtincta a reliquis duabus definitionibus: & quomodo Galenus ad varia reſpiciens, nunquam fuerit deceptus. C

Perfecta & propria indicationis curatiuæ definitio.

Hæc generalis & abſoluta definitio, diligenter eſt, ſed breuiter, a nobis explicanda. Quare vt cognoſcatis, quænam debeat eſſe definitio indicationis circa quam verſamur, hoc eſt, quæ pertinet ad methodū medendi, ad differentiam methodi tuendæ ſanitatis: hunc in modum indicationis definitionem tradere libet. *Indicatio pertinens ad methodum curandi, eſt comprehenſio iuuantis, ſimul cum comprehenſione indicantis, citra experientiam, & analogiſmum, gratia ſanitatis deperditæ reparandæ.*

Definitio indicationis per finē.

Declaro hanc definitionem. Primum autem iuniores hoc loco admoneantur, hanc non eſſe definitionem formalem. Licet enim a Galeno triplex ſit propoſita indicationis definitio; nulla tamen fuit formalis: nam indicatio formaliter eſt inſtrumentum logicum, imp rf. ctus ſyllogiſmus. Vnde, vt inſtrumentum habet rationem cauſſæ efficientis, beneficio cuius conſequimur cognitionem iuuantium, conſequimur habitū principalem; & cū inſtrumēta (quēadmodum ēt artes) potiſſimū per finem diſtinguantur, vt D finis maxime pertinere videatur ad eſſentiam inſtrumentorū: non ſine arte Gal. omnes indicationis definitiones per cauſſam finalem inſtituit, quemadmodum etiam intellexiſtis Galenum quandoq; artem curatricem, ſeu methodum medendi definiuiſſe per cauſſam finalem, quando dixit, curatrix eſt vitioſi affectus in naturalem habitum mutatio: eſt definitio tradita per cauſſam finalem: ad cūdem modum, dum inquit Gal. indicatio eſt comprehenſio iuuantis: hæc definitio traditur per cauſſam finalem: vt quemadmodum dicere ſolemus demonſtrationis finem eſſe ſcire per cauſſam, ſiquidē demonſtratio eſt inſtrumētum logicum, ſed tradens cognitionem per cauſſam, vt cognitio rei per cauſſam ſit finis demonſtrationis: a ſimili, finis indicationis, id eſt, huius inſtrumenti logici, quo vtitur medicus dogmaticus, nihil aliud eſt, quā comprehenſio, & proinde eſt functio, pertinens non ad ſenſum, ſed ad intellectum.

Iuuans quid & quotuplex.

Eſt igitur indicatio *comprehenſio iuuantis, ſeu conferentis*: ſiue ſit Quid agendum, ſiue Vſus, ſeu recta E adminiſtratio. Notetur autem ex ſententia Galeni, in libro artis medicinalis c. 89. Galenū per iuuans præſidium quandoq; accipere cauſſam ſalubrem; vt præſidium poſſimus vocare iuuans, cōferens, cauſſam ſalubrem, remedium, alimentum; hæ omnes voces pertinere poſſunt ad Quid agendum; per Vſum autem ſemper intelligimus illa quatuor, id eſt, quantum, quando, quomodo & vbi. Finis ergo internus indicationis nihil aliud eſt quam cognoſcere, inuenire, comprehendere, & Quid agendum & Rectam adminiſtrationem materiei.

Differentia præſidii, & materiæ præſidii.

Notandū vero vbi exquiſite loquimur, differentiam eſſe inter *auxilia, & materias auxiliorum* quēadmodum colligere licet paſſim, & præſertim 14. meth. 1. vbi ait, ſe tradere methodum curandarū inflammationum, non autem ſe tradere methodum inueniendarum materierum, ſeu auxiliorum. Exempli gratia: ſi, ratione inflammationis indicatur remedium frigidum, cuius materia ſit lactuca; verſatur Gal. circa F inuentionem remedii, non autem circa inuentionem materiæ lactucæ: & ſi quandoq; materias proponit Gal. proponit ſolum gratia exēpli. Verū animaduertatur, eundē Gal. vocibus minime addictū, quandoq; confundere voces, vt quandoq; materias nuncupet auxilia: quemadmodum facit 2. meth. 1. Sed dum exquiſite loqui eſt inſtitutum, differentia maxima eſt inter auxilia, & auxiliorum materias.

Indicans eſt eſſentia, & id quod ſequitur eſſentiam.

Ceterum, cum indicatio ſit comprehenſio iuuantis, ſimul cū cognitione indicantis: per *cognitionem indicantis*, intelligimus cum Galeno, in tertia definitione tradita, & cognitionem Eſſentiæ, & cognitionē illius, quod Conſequitur: illud autem quod conſequitur, (vt ſuo loco oculis conſpicietis) nihil aliud eſt, quam actio, paſſio, præſentia, & ſubſiſtentis: & hæc conſequuntur eſſentiam Indicantis.

Poſtremæ partes definitionis.

Dictum autem fuit: *ſine obſeruatione, ſine experientia, & analogiſmo*: nam indicatio eſt inſtrumentum ſatis diuerſum ab experientia, & analogiſmo.

Fuit etiam neceſſarium addere, *gratia ſanitatis deperditæ reparandæ*: vt per hunc indicationis finē, ſed G externum, diſtinguatur hæc indicatio, ab indicatione quæ locum habet in methodo tuendæ ſanitatis.

Ad indicationis definitionem intelligendum, tria cognitu neceſſaria.

Sed pro exactiſſima huius definitionis intelligentia, tria ſunt explicanda: primum, quid intelligere oporteat per res percipiendas & perceptas: ſecundo, quid intelligere oporteat per experientiam: tertio (quod pauci cognouerunt) quid intelligere oporteat p r analogiſmum; & quomodo diſtinguatur analogiſmus quo vtuntur dogmatici, ab eo quo vtuntur methodici.

1. Res percipiendæ: ſeu indicantia.

Quo ad primum: per res percipiendas & perceptas intelligimus primo rei naturā. Quam veritatē p-

A posuit Gal.meth.2.vbi vocauit ēt quid agendū:quæ rei natura est cognita ac euidens intellectui,& occulta sensui.Deinde per res percipiēdas intelligimus id quod cōsequitur:nimirū illa quatuor, quantū quando,quomodo,& vbi. Sed aduertendum,quæ percipiuntur non modo esse res præter naturam, videlicet morbum,& caussam;sed etiam esse res secundum naturam,vt virtutem.

Porro indicans requirit quatuor conditiones: quæ conditiones sunt fundamenta huius doctrinæ, vt mirandum non sit, si doctiores viri has negligentes conditiones, & in venæ sectione,& in tota methodo fuerint maxime alucinati. Prima conditio est, vt indicans sit notum per intellectum. Secunda, vt vnum non nisi vnum indicet. Tertia conditio,vt indicans ex necessitate sit præsens, non præteritum, non futurum. Quarta vt indicans reperiatur in homine,in corpore. Indicātium quatuor proprietates.

B Ostendo ex Galeno has omnes conditiones. Quo ad *primam:* dicit Galenus primo method. quincto: quoniam omnis morbi curationem inuenire propositum est, necessarium est morbi naturam prius scire. Quomodo deducitur hęc consequentia? Quia propositū est,inuenire cuiuslibet morbi curationem; ideo necessarium est prius scire morbi naturam. Tota ergo curatio pendet ex cognitione naturæ, & proinde essentiæ morbi indicantis. Præterea idem Gal.2.meth.6.dicit:tot sunt medendi rationes, quot morborū ideæ: quare ab idea & essentia capitur indicatio. Præterea eodem capite dicit:prima via est cognitio morbi seu naturæ morbi. Ad hæc 4.meth.4.dicit,opus esse vt qui methodum assequi optat,habeat cognitionem similis & dissimilis,& cognoscat essentiam indicantis. Præterea lib.ad Thrasyb.cap.8.dicit venena nō pertinere ad methodum,nec cognosci per indicationes:nam ad medicum pertinere cognoscere caussas,& cognoscere essentiam;non esse autem notam intellectui essentiam naturamq; veneni. Similiter c.6. C l.13.meth.ea quæ tota substantia aduersa sunt,a methodo excluduntur,quia eorum essentia non possit intellectui nota esse. 1. Indicans notum est intellectui.

Sed dubitatio oritur ex Galeno,secundo ad Glauc.quarto,vbi ait:de tumoribus dictum est indicatiue,sed nondum manifeste. Si sermo per indicationes,procedit a nota essentia indicantis; cur dixit Galenus,de tumoribus dictum est indicatiue,sed nondum manifeste? quia si indicatiue,si per indicationes,igitur manifeste. Dicendum, per indicationes Galenum respicere ad quid agendum: dum autem subdit, nondum manifeste,non respicit ad Quid agendum,sed ad Vsum materierū,ad rectam administrationem materierum. Quod hoc sit verum,Galenus eo in loco subsidit præsidiorum materias. Constitutum igitur sit,necessarium esse,vt indicantis essentia nota sit intellectui.

D *Secunda* conditio quæ necessaria est in indicante,est,vt vnū indicans non nisi vnum indicet. Vnum enim nequaquam plura potest indicare. Hanc veritatem proposuit Gal.9.meth.12.vbi habet,conferentis indicatum semper esse vnum: quoniam vnum vnam habet tantum naturam. Sed moneantur hoc loco iuniores,Galenum statuere,vnum vel esse simplex,vel cōpositum: verbi gratia,febris est vnum indicans, sed est morbus calidus & siccus: quare duo indicat,quia est affectus cōpositus: quemadmodum simplex, simplicem indicationem facit. Secundo notetur,vnum obtinere naturam genericam,& naturam specificam; per naturam genericam,genericum indicauit præsidium,per specificam,specificum: vt, licet sit vnum,duo tamen indicet: non per eandem naturam,sed per genericam vnum,per specificam aliud. Sed quælibet natura,vt vna,vnum indicat. Vnde Gal.1. meth.c.13.dicit,vnam semper dari ex quaq; re indicationē. Quod si vnum plura indicet,id fit per plures essentias. Do exemplum: bilis,vt copiosa, indicat auxilium minuēs: E vt calida,frigidū: & sic de reliquis. Quare vnum indicans,secundum vnicam essentiam, non nisi vnum indicare potest. Vnde idem Galenus in libello ad Thrasybulum c.44.dicit,absurdum esse dicere,idem diuersa indicare. Et quia Galenus rationem huius veritatis cognouit: dixit eodem libro ad Thrasybulum c. 45. vnum tantum ab vno indicari,quoniam vnum vni tantum aduersatur: verbi gratia,calidū indicat tātum frigidum,quia frigidū solum calido aduersatur. Sed dubitatio est ex dictis Gal.li.ad Thras.c.23. dū inquit, neq; vnum semper idē indicare. Si vnū tantum vnum indicat: ergo semper idē indicat. Quomodo ergo intelligendus Galenus? Dicatis ita esse intelligendum Galenū: quod vnum non semper idem indicet,si considerentur plures essentiæ: quia vnum in genere,per plures essentias plura indicare potest. Declaratur hoc exemplo,proposito a Galeno loco citato: vrinæ suppressio est vnum,sed non semper vnum indicat: quia si fiat a calculo vnum indicabit; si a grumo sanguinis,aliud, si a pituita,aliud. Ita igitur est intelligendus Galenus,vt vnum non nisi vnum indicet: vnicum genus indicet vnicum præsidium genericum, vnica species F indicet,vnicum remedium specificum: quia vnum non est nisi vni contrarium. 2. Vnū non nisi vnum indicat.

Hinc fit vt non possim non maxime mirari,quomodo aliqui,solis auctoritatibus addicti, spreta ratione,spreta rei natura,asserant,morbum magnum seu vehementem,esse quid commune ad venæ sectionem & pharmacum: nam morbus vehemens est vnum indicans,& est indicans curatorium ad differentiam morbi debilis quia proponitur morbus magnus: hoc vnum indicans curatoriū equidem nescio quomodo possit indicare duo,hoc est venæ sectionem & pharmacum. Pręterea in his dictis innumera sunt absurda: quia hęc duo indicata sunt præseruatoria,illud indicans est curatoriū: indicans,vnum,indicata duo. Error quorundam.

Tertia conditio in hoc consistit,vt indicans sit præsens,non præteritum,non futurum. Ratio,&, ni fallor,demonstratio hęc est: quia indicatum refertur tantum in indicans. Declaro: in intemperie frigidiori G ventriculi,remedium calidum,quod est indicatum,refertur in indicans,refertur in intemperiem vētriculi. Vnde Galenus 3.meth.1.ait,absurdū esse asserere,aliud esse quod indicat,& aliud quod curatur: quod indicat,est illud quod curatur,necessario est præsens,hoc euidens est. Præterea Galenus 4.meth. 3. dicit, a nullo eorū quæ non permanent,indicatio sumitur remedii ex vsu. Ex quibus Galeni dictis duo colligatis: primum,dari indicans ex vsu,& non ex vsu: secundo,indicationem quæ fit ex vsu tantum sumi a præsenti; & præterea,cum nec præteritum,nec futurum permaneant,a nullo horum sumi indicationem. Nam audiuistis,a nullo eorum quæ non permanent sumi indicationem: præteritum non permanet: futurum quis 3 Indicans omne est præsens.

est ille ignarus qui dicat permanere? Quare cum non permaneat futurum, neque præteritum, a nullo ho- A
rum sumitur indicatio. Valeant igitur boni illi viri, qui dicunt morbum magnũ indicare venæ sectionem
cum Hipp. dicente 4. de ratione vict. 19. (nec enim subterfugiam auctoritates) secandã esse venam si mor-
bus sit vehemens; ergo (vt illi inferunt) a morbo vehementi indicatur venæ sectio: Galenus in eo cõmen-
tario nos admonet, per morbum vehementem opus esse intelligere morbum vehementem non solũ præ-
sentem, sed etiam futurum: quia Hippoc. eo in loco intelligit per morbum vehementem, & præsentem, &
futurum. Si intelligit morbum vehementem, & præsentem & futurũ: igitur a morbo vehementi, & præ-
senti, & (vt coguntur infelices homines asserere) a futuro indicabitur venæ sectio. Venæ sectio est materia
auxilii ex vsu: & ideo indicatio vtilis capietur etiam a futuro: futurum non permanet, ideo nõ potest indi- B
care. Statutum igitur sit, necessarium esse vt indicans sit præsens.

Præseruatoria etiam indicatio a præsenti caussa sumitur

Licet antẽ indicatio semper sumitur a præsenti, euenire tamen potest, vt illud indicans præsens quã-
doq; actu efficiat morbum, quandoque possit efficere: & licet morbus non sit præsens, illa tamen materia,
quæ potest morbum efficere, illa est præsens: quia nisi esset præsens, nequaquam posset indicare: verbi gra-
tia; est aliquis, qui singulis annis solet corripi pleuritide: antequã fiat pleuritis secatur vena, secatur autem
vena, vt sit materia remedii indicati a sanguine præsenti, qui tamen sanguis præsens non actu efficit mor-
bum, sed potest efficere. Dubitatio est, quia Gal. 4. meth. 3. inquit: præsentis est curatio, futuri autẽ est pro-
uidentia, quare indicatio sumitur a futuro. His verbis Gal. in præseruatione respicit ad futurum, a quo ta-
men nõ sumitur indicatio, quia, vt diximus, indicatio sumitur a præsenti, sed, vt potest lædere. Quare me-
dicus vt in curatione tanquam ad finem respicit ad morbum præsentem, vt eũ remoueat, & indicationem C
sumit a præsenti: ita in præseruatione respicit ad futurum, vt hominem præseruet a morbo imminẽti, sed
indicationem sumit a præsenti, vt potest morbum efficere.

4. Indicans in corpore hominis subsistit.

Postremo necessarium est, vt indicans reperiatur in corpore humano: & ratio est, quia materia reme-
diorum seu materia iuuantium administratur corpori. Hanc veritatem proposuit Galenus 4. meth. , vbi
habet, nullam extrinsecam caussam indicare, non capi indicationem a caussa externa.

Sed aliquis dubitabit: Galenus loco citato inquit, si caussa recessit, ab hac non sumitur indicatio: igi-
tur si nõ recessit caussa, sed remaneat, ab hac poterit sumi indicatio. Dicimus, nequaquam ex caussa exter-
na, quæ consistit extra corpus, esse sumendam indicationem, licet etiam permaneat. Ad Galeni autem au-
ctoritatem dicimus, dum ait, si caussa abiit, ab hac non sumi indicationem: per hanc caussam ipsum intel-
ligere caussam internam, caussam in corpore exsistẽtem. Quod sit verum: videatis locum, ibi enim loqui- D
tur de caussa putredinis, de caussa inflammationis.

II. Experientia seu obseruatio.

Sed iunior replicabit: in febri, exsistente aere calidiore, alteramus aerem aqua rosacea, quæ aqua ro-
sacea respicit aerem, adhibetur aeri, non corpori: quare aqua rosacea videtur esse materia remedii frigidi,
indicati ab aere calido: quare ab indicante extra corpus. Apud aliquos, & quidẽ viros doctos, tanti fuit hæc
dubitatio, vt dixerint, ab aere sumi indicationem: quod falsissimũ est. In præsentia igitur dicimus, hoc esse
verum, in febre, exsistente aere calidiore, aqua rosacea refrigerari aerem: sed hoc negotium non pertinet
ad methodum medendi, sed est extra methodum: nam dum egemus materia frigida, quæ est aer; aer refri-
geratus ab aqua rosacea, pertinet ad materiam & materia est extra methodum.

Sequitur vt declaremus, quid intelligere oporteat per *Experientiam:* vt pateat, quomodo indicatio
distinguatur ab experientia, ex sententia Gal. lib: ad Thrasybulum c. 11. Experientiæ seu obseruationis co- E
gnitio pertinet potius ad sensum, indicatio vero ad intellectum, verbi gratia, comprehẽdimus cognitione
Socratem esse affectũ pleuritide, quoniam in Socrate obseruamus symptomata, quæ conspeximus in ple-
risq; aliis vt dolorem pungitiuum, tussim, & reliqua. Quemadmodum etiam ad dẽtium stuporem vtimur
portulaca: quoniam, vt empeirici, obseruauimus, dum homines essent stupore affecti secũdũ dentes, por-
tulaca eum ademtum. Galenus ad Thrasyb. cap. 11. ait, *experientiam esse comprehensionem eius, quod sæpe &
eodem modo visum est.* Vnde facile patet indicationem maxime distingui ab experientia.

III. Analogismus.

Tertio videndum quidnam sit *Analogismus:* vt pariter pateat, indicationem esse instrumentũ diuer-
sum ab Analogismo. Ex Gal. igitur ad Thras. c. 11. *Analogismus est comprehensio iuuantis per similitudinem.*
Analogismus non est cõprehensio iuuantis ex natura indicantis: sed est cõprehensio iuuãtis per similitu-
dinem. Quare autem hæc cõprehensio potius fiat per similitudinẽ quam ex natura indicantis, ratio colligitur F
ex Galeni loco citato; quia nimirũ caussa est recondita, quia rei natura latet: ad differentiam indicationis,
in qua mentio fit iuuantis, ex cognita natura indicantis. Quando igitur caussa latet, vt non possit locũ ha-
bere indicatio, neq; experientia seu obseruatio: confugiendum ad analogismum, vt inueniatur iuuans.

Quomodo instituẽdus analogismus.

Verum Galenus libro de figuratione empirica c. 11. voluit in Analogismo inueniri iuuans, per tran-
situm de simili ad simile. Quid intelligere oportet per transitũ de simili ad simile? Intelligere oportet hanc
similitudinem, cũ Galeno locis citatis, vel in membris, vel in affectib. vel in materiis. Declaro, propter iu-
niores. In membris, verbi gratia, vt si conferamus manũ cum pede: in affectibus, si conferamus fluxũ san-
guinis nariũ, cum fluxu alui: in materiis, si conferamus mespilũ cum cydonio. Sed animaduertendum, in
præsentia transitum esse faciẽdum a simili ad simile, vel in mẽbris, vel in affectib. non autẽ in materiis: quia
materiæ non pertinent ad methodum curatricem, ad iuuantia, ad inuentionem iuuantium, sed ad librum G
de medicamentis, de alimentis.

Empirici analogismo respiciunt sensata: dogmatici vero naturam rei.

Ceterum cum Analogismus sit instrumentum & Empeiricorum, & Dogmaticorum: recte intellige-
re oportet, quomodo inuicem differãt Analogismus Empeiricorum & Dogmaticorum, & quomodo A-
nalogismus Dogmaticorum distinguatur ab indicatione. Gal. igitur, c. 18. libri ad Thras. dicit analogismũ
esse perceptionem seu cõprehẽsionem iuuantiũ per similitudinẽ: ea tamen cõditione seruata ab empeiri-
cis, vt confuso quodãmodo concursum symptomatum obseruent: namq; empeirici nesciunt distinguere

vtilia ſymptomata ab inutilibus. Declaro. Cum Galeno loco citato, datur ſymptoma cauſſæ, ſymptoma loci affecti, ſymptoma facultatis, ſymptoma patientis. Declaro magis. Symptoma cauſſæ eſt grauitas, quæ eſt ſymptoma quod ſignificat cauſſam eſſe mineram, non vaporem. Datur ſymptoma loci, verbi gratia, difficilis ſpiratio, quæ ſignificat thoracem eſſe læſum. Datur ſymptoma facultatis, verbi gratia, animi defectus: & hoc ſymptoma virtutem, facultatemque debilem ſignificat. Poſtremo eſt ſymptoma patientis, vt, dum Socrates conuellitur, patitur conulſionem vel æqualiter, vt in tetano, vel inæqualiter, vt in opiſthotono, & emproſthotono. Cum igitur ſint hæc ſymptomata, empeirici neſciunt diſtinguere vtilia ab inutilibus. At rationalis ſcit diſtinguere, & cognoſcit, licet quandoque ſit diſſimilis concurſus ſymptomatum, eandem tamen conuenire curationem: verbi gratia, in tetano, emproſthotono, & opiſthotono, ſunt diuerſa ſymptomata; eſt tamen eadem curatio, ac conuenit, quia ſymptomata patientis ſunt inutilia. Contra, quandoque eſt ſimilitudo in concurſu ſymptomatum, curatio tamen eſt diuerſa, vt in ſputo ſanguinis ex fractura, apertione, & eroſione, poteſt eſſe ſimilis tuſſis ſanguinis, eodem modo ſe habens: ecce eſt ſimilis concurſus ſymptomatum: at diuerſa eſt curatio, quia alia eſt adhibenda cura in fractura, alia in apertione, alia in eroſione: & hoc non cognoſcunt empirici, ſed rationales, qui in analogiſmo faciunt tranſitum a ſimili ad ſimile, diſtinguendo inutilia ab vtilibus.

Vtilia ſymptomata diſtinguenda ab inutilibus, in analogiſmo.

Et hoc eſt neceſſarium: ſiquidem ex Galeno, ad Thraſybulum capite decimonono, vtilia ſymptomata manifeſtant propoſitum vtile indicans, hoc eſt, vtilia ſymptomata ſunt ſigna, non indicantia, ſed ſigna (dico) manifeſtantia propoſitum indicans vtile. Hoc indicans triplex eſt, materia locus, & facultas. Nam loco citato, Galenus excludit ſymptoma patientis: quia ſymptoma patientis eſt ſymptoma, quod nō ſignificat indicans, ad differentiam ſymptomatū vtilium: quæ ſymptomata ſunt ſymptomata cauſſæ, loci, & facultatis: hæc ſunt ſymptomata vtilia, quia ſignificant indicans, quod triplex eſt, cauſſa, locus, & facultas.

Sed admoneantur iuniores, vt intelligant auctoritates ſatis difficiles, quas equidem ignoro a quo recte intelligantur. Ergo Galenus, loco citato ad Thraſybul. 19. cum tria ſint propoſita, hoc eſt, cauſſa, locus, & facultas; addit, a cauſſa indicari auxilii genus, a loco indicari vtendi modum, a facultate menſuram. Quid voluit per hæc Galenus intelligere? Dicam quod ſentio; vos poſteà iudicate; licet hæc veritas a nobis modo proponenda, in progreſſu huius doctrinæ magis atque magis conſpicua ſit futura. Dico igitur a cauſſa indicari genus auxilii, hoc eſt, genericum auxilium, hoc eſt, Quid agendum genericum, verbi gratia, ſi eſt materia morbifica, indicat præſidium genericum, indicat ſui remotionem, a cauſſa igitur indicatur genericum præſidium. Cum vero addit, a loco indicari vtendi modum, non explicetis Hebraice, vt verba ſonant: quia locus non poteſt indicare modum agendi. Per modum igitur vtendi licet intelligere Quid agendum ſpecificum, vt locus nō indicet, ſed per viam ſigni ſignificet determinatum peccatum, a quo determinato peccato poſtea indicatur Quid agendum ſpecificum. Declaro: bilis, indicat auxilium remouēs bilem, quod eſt genericum: ſi bilis, verbi gratia, afficiat veſicam, veſicæ locus affectus nobis ſignificat bilem lædere veſicam: vnde hæc læſio determinata bilis, hoc peccatum determinatum, indicabit remedium vacuans bilem, ſed determinatum, hoc eſt diureticum, vt clariſſime intelligatis, quando loquemur de materia, de cauſſa indicante. Locus igitur affectus cum Galeno, hoc in loco, confert ad inuentionem modi vtendi ſpecifici remedii, vt ſignificat determinatum peccatum, cauſſam determinati peccati ac ſpecifici. Præterea, a facultate indicatur menſura: non credatis facultatem indicare Quantum agendum, quia hoc falſum eſt; ſed hoc loco Galenus per facultatem intelligit facultatem vel permittentem, vel prohibentem, vt dum rationalis cognoſcit vim facultatis & virtutis, cognoſcat etiam menſuram, hoc eſt, cognoſcat quomodo permittat, quomodo prohibeat, quod indicatur a cauſſa.

Licet vero in analogiſmo cognoſcantur ſymptomata cauſſæ, loci, & facultatis, id eſt, ſymptomata vtilia; eademque cognoſcantur etiam in indicatione: differentia tamen maxima eſt inter indicationem, & analogiſmum. Dogmaticus enim ex cognitione cauſſæ, loci, & facultatis, deuenit in cognitionem iuuantis, & in indicatione, & in analogiſmo. Diſcrimen tamen eſt: quia in indicatione id quod indicat iuuans, eſt natura notum, citra ratiocinium: in analogiſmo vero rationalis etiam procedit a cauſſa & natura rei indicātis, dum tranſit a ſimili, quod notum eſt intellectui ſecundum eſſentiam & naturam, ad ſimile aliud, a quo poſtea inuenitur iuuans, quad rationi non eſt notum ſecundum eſſentiam, ſed innoteſcit ſolum per ſimilitudinem & ratiocinium.

Differentia indicationis & analogiſmi.

CAPVT V.

De diuiſione indicationis: & primum de ea, quæ ſumitur a comprehenſione, ſeu genere in definitione indicationis propoſitæ, nim. de indicatione Generali, & Speciali: deq; harum differentia, quoad vtilitatem & artificium.

HActenus de indicationis eſſentia: ſequitur Diuiſio, quæ capi debet a propoſitis in definitione: nimirum a comprehenſione, ab indicato ſeu iuuante, tandem ab indicante.

Quoad primum, vt indicatio eſt *comprehenſio*, eſt comprehenſio vel Generica, vel Specifica. Hæc diuiſio colligitur ex Gal. 6. meth. 1. vbi dicit, indicationem communem deſumi ab affectibus, ſeu morbis; a partibus autē, hoc eſt, a partibus affectis, deſumi alias, & alias indicationes. Ecce, proponit cōmunem indicationem, quare genericam: dum proponit alias, & alias indicationes, inſinuat determinatas & ſpecificas indicationes. Eadem veritas confirmatur cum Gal. l. 11. meth. c. 6 & 7. item l. 8. meth. c. 1. vbi proponuntur febrium indicationes genericæ, & ſpecificæ.

Indicatio Generalis, & Specialis.

Dubitabit fortaſſis aliquis ex Gal. 10. meth. c. ſecundo, vbi dicit: cum inuenti ſint generalis indicationum modi, tranſeundum ad præſidia ſpecifica, & particularia. Galenus igitur (obiiciat aliquis) non modo apponit præſidia generica, & ſpecifica, ſed etiam indiuidua, particularia: cum tamē particulariū conſideratio nō ſit meth. quæ eſt habitus potētialis & intellectus; ſed pertineat ad exercitationē. Reſp. eſt Galenum

proponere præsidia generica seu communia, deinde specifica, postremo particularia: non quod putat dari A indicationes indiuiduales, sed vt significaret, hæc præsidia generica ac specifica esse applicanda particularibus. Vnde Gal.1.meth.2. dicit, opus esse intelligere specificas; quia non liceat desumere infra specificas: modo specifica sint, quæ non admittunt diuisionem, & quorum illico inueniuntur materiæ: verbi gratia; dum cognosco morbum esse calidum vt duo, & descendo ad hoc determinatum, ad hoc specificum; statim habeo, esse inueniendam materiam, verbi gratia, lactucam.

Generalissimæ seu primæ indicationes duæ.

Gal.3.meth.tertio dicit, duas esse indicationes primas, intelligens genericas: quia (vt audistis in methodo) hæc seruanda est via, vt progrediamur ab eo quod est primum, ad secundum, & tertium: primum vero est generale. Quomodo igitur (vt intelligatis auctoritates) dictum est; sunt indicationes duæ primæ? Primæ, sunt generales: vna spectat ad res præter naturam, alia ad res secundum naturam, vt duplicatum B sit, quod indicat generica. Galenus tantum versatur circa res secundum naturam, & circa res præter naturam. Recte igitur dixit Galenus, duas esse tantum genericas indicationes: quia desumuntur tantum a rebus præter naturam, & secundum naturam: nequaquam a non naturalibus. Sed ad rem. Datur indicatio generica, datur etiam specifica.

Indicatio generica, teste Galeno ca.5.l.1.meth. indicat contrarium: specifica, indicat contrarium determinatum. S:d hoc loco admoneantur iuniores, Galen.2.meth.12. non proponere contrarietatem, sed potius oppositionem: nam cum Platone medici quandoque abutuntur vocibus: & ideo appellemus oppositionem.

Constitutum igitur sit, dari indicationem genericam, dari specificam; & genericam esse generalissimam, seu primam; vel secundam, seu subalternam. C

Indicationum distinctio, ab vtilitate, & artificio.

Differentia vero est inter has indicationes: nam generica neque artificiosa est, neque vtilis: subalterna vtilis esse potest, non tamen ex necessitate, sed non artificiosa, specifica & vtilis est, & artificiosa. Quæ veritas non ita facile colligi potest ex Galeno, & ideo a nobis explicanda: præsertim quia nescio a quo hactenus hæc veritas fuerit explicata. Primum autem scire oportet, quid modo intelligere expediat per indicationem Vtilem, & Inutilem; Artificiosam & Non artificiosam.

Indicatio inutilis, & vtilis.

Inutilis indicatio est, quæ indicat præsidium cuius non est materia. Quare vtilis indicatio erit, quæ indicat præsidium, cuius reperitur materia. Declaro exemplo, proposito a Galeno in arte medicinali cap. 94. vbi proponit ægritudinem quæ fit a materia obstruente: obstructio indicat auxilium aperiens, cuius non reperitur materia, & ideo est indicatio inutilis: dum autem fit a materia; si materia crassa, hæc materia crassa indicat attenuandum, cuius præsidii reperitur materia, verbi gratia, ægrimonia, quæ habet vim D attenuandi. Constat igitur quid intelligere oporteat per indicationem vtilem, & inutilem. Nam quotiescunque est indicatum, quod non habet permanentiam, nisi momentaneam, cuiusmodi est obstructio; indicatio est inutilis. Q ia vero obstructio non est morbus seu affectus in genere generalissimo, sed potius in genere subalterno: ideo indicatio non modo generica, sed etiam subalterna est inutilis. Specifica vero propterea quod semper reperitur materia; vtilis est.

Artificiosa, & inartificiosa indicatio.

Indicatio artificiosa est, quæ non est vulgo communis. Vnde dicit Galenus 6.meth.2. scire quid fieri oporteat, magna res non est: sed quibus rationibus illud sit efficiendum scire, artificiosum est. Indicatio igitur specifica non modo est vtilis, sed etiam est artificiosa: generica, inutilis & inartificiosa: verbi gratia, febris, vt præter naturam, indicat remouens, cuius non reperitur materia, quare est inutilis indicatio, est etiam inartificiosa, propterea quod etiam vulgo pat:t. Et ob id idem Gal.3.meth.1. dicit, indicationem a E morbo acceptam esse tantum principium, vnde medendi methodus proueniat, vt magna ea non sit artis portio.

Quomodo generica indicatio nonnunquam sit artificiosa.

Sed dubitatur: cum generica indicatio contineatur in methodo medendi, quæ instituitur a generica indicatione, ad specificam eam esse partem artis, & contineri in arte, si methodus sit ars: nam in methodo progredi oportet a genere ad speciem, a primo ad secundum; non licet derelinquere: primum ergo pertinet ad artem: ergo indicatio generica artificiosa est, quia clauditur in methodo. Dicendum, indicationem posse accipi dupliciter: vel pro comprehensione, quæ progreditur ab indicante ad indicatum; & sic quælibet indicatio est artificiosa: vel pro cognitione naturæ indicantis, & hæc cognitio vel communis est vulgo, nimirum generica, quæ ob id inartificiosa; vel non communis, vt specifica, quæ ob id artificiosa, quia ad præsidium necessaria. Quare indicatio generica vno modo dici potest inartificiosa, alio modo F artificiosa.

Subalterna autem quandoque est inutilis, vt obstructio: quandoque vtilis, vt febris, quatenus est morbus calidus, quia indicat frigidum, cuius reperitur materia. Subalterna præterea potest esse inartificiosa, quia eius comprehensio potest esse etiam brutis communis: verbi gratia, bruta, dum sentiunt incendium, sese frigidis immergunt. Est etiam artificiosa, vt est via a subalterna ad specificam.

Tandem specifica vtilis est, quia reperitur materia, verbi gratia, si est febris calida vt vnum, indicat frigidum vt vnum; cuius materia, verbi gratia, est endiuia. Specifica etiam est artificiosa, quia pertinet solum ad artificem. Vnde Galenus 3.meth.1. ait, soli artifici facultatem esse inueniendi illa, quibus perfici possit, quod a prima, hoc est, generica indicatione suggeritur: & hoc fieri indicatione ac methodo, hoc est, G via a genere ad speci m, a medico logico & dogmatico.

Quare specifica indicatio magis sit artificiosa, quam subalterna: & in quo consistat artificium.

Sed difficile est cognoscere, quonam modo specifica indicatio sit magis artificiosa, quam subalterna, quam generica. Conuenit autem omnes indicationes artificiosas esse, quia progredimur ab vna indicatione ad aliam, ad genericam, ad specificam. Cum autem hæc via pertineat ad artem, ad methodum; omnis indicatio, secundum hanc rationem, erit artificiosa. Sed quomodo specifica est magis artificiosa? Dum, verbi gratia, asserimus; febris est quid præter naturam, indicat sui remotionem: dum descendimus

ad sub-

A ad ſubalternam indicationem,& dicimus;febris eſt morbus calidus,oritur indicatio refrigerandi, oritur indicatio in virtute contrarietatis,quatenus eſt morbus calidus. Ergo non apparet maior ars,maius artificium in hac indicatione ſubalterna,quam in generica. Eadem etiam videtur eſſe ratio, ſi deſcendimus ad ſpecificam;eſt morbus calidus vt duo,ergo oritur indicatio refrigerandi vt duo, e contrarietate determinata. Quare videtur eadem ars,idem artificium,in generica,in ſubalterna,& in ſpecifica.

Sed forte aliquis reſpondebit, artificium locum habere potius in indicatione, quæ indicat Vſum, quæ oſtendit rectam adminiſtrationem,quam in indicatione,quæ indicat Quid agendum. Hæc ſolutio nulla eſt.Conſideremus enim exempli gratia Quantum agendum: volo ſcire quæ doſis rhabarbari ſit adminiſtranda:hoc habeo ex actione materiæ bilioſæ;ſi,verbi gratia,bilioſæ materiæ actio ſit ſumma,igitur B ſumma doſis eſt exhibenda rhabarbari: vnde neque in hac indicatione eſt ars.Recte intelligatis;dico,non eſſe artem aut ſapientiam in indicatione generica.

Equidem arbitror,dictum fuiſſe,ſpecificam indicationem eſſe magis artificioſam,quemadmodum etiam indicatio,quæ indicat Quid agendum,quæ indicat Rectam adminiſtrationem, eſt magis artificioſa.Sed hoc artificium non conſiſtit in progeſſu indicationis ex indicante ad indicatum:nequaquam: quia intellexiſtis,ſimile eſſe artificium in qualibet indicatione,ſiue ſit generica,ſiue ſpecifica. Artificium ipſum in hoc potiſſimum eſt,vt medicus cognoſcat naturam indicantis. Cognoſcere autem indicans ſecundum eſſentiam genericam,facile eſt,ſed cognoſcere ſecundum eſſentiam ſpecificam,hoc opus hic labor eſt.Ad eundem modum cognoſcere indicata,rectam adminiſtrationẽ; hoc omne ſat difficile eſt, vt opus ſit magno artificio. C Vnde medicus dogmaticus, & verus artifex oportet vt ſit ſupra modum verſatus in parte phyſiologica,in Pathologica,in parte de ſignis.Et merito hę partes referuntur in methodum medendi,in artem,quæ per indicationes comparatur.

Hæc dicta ſint de diuiſione indicationis,quatenus indicatio eſt comprehenſio generalis,vel ſpecialis.

CAPVT VI.

De varietate indicationis, quæ ſumitur a differentiis Indicati:nimirum a Præſidio, ab Vſu præſidii.

QVantum ad diuiſionem indicati,indicatum duplex eſt: Quid agendum, & Vſus. Nam in indicante duo perpendimus:eſſentiam,& id quod conſequitur eſſentiam.

Indicantiũ eſt Præſidium,ſeu Quid agendũ:& Vſus. Præſidium eſt Generale,& Speciale.

D Quid agendum poteſt eſſe genericum,ſubalternum, & ſpecificum: genericum, verbi gratia,in febri,remouens: ſubalternum, in febri,frigidum: ſpecificum,in febri,frigidum vt duo. Hanc veritatem propoſuit Galenus 3.meth.3,ibi namque euidenter proponit indicatum genericum & ſpecificum. Vnde, reſpiciens eo in loco ad indicatum ſpecificum, inquit; neque dici, neque ſcribi, neque mente accurate percipi poſſe. Eſt autem, vt inquit ibi Galenus, in qualibet re quantitas:ſubintelligatis Quid agendum ſpecificũ,quod nihil aliud eſt, quam Quid agendum determinatum, ſeu gradus determinatus,qui admodum difficilis eſt inuentu. Vnde dum ſubdit Galenus,menſuram ex copia & defectu colligi;intelligit,an magis vel minus ſiccandum. Hinc ego deſideraui, vt iſti,qui per quantitatem ſemper intelligunt Quantum agendum,hanc auctoritatem explicarent.Menſura ſeu quantitas in hoc conſiſtit,vt ſiccemus;at magis vel minus ſiccare, innuit gradum ſiccitatis, ſiccitatem magis vel minus intenſam: & hoc eſt Quid E agendum, non Quantitas. Declaro propter iuniores: ſi, verbi gratia, in febri cupio ſcire,an ſit corpus refrigerandum vt vnum, vel vt duo, vel magis, vel minus;hoc eſt Quid agendum, propterea quod ſumitur a gradu caliditatis: dum poſtea cognoſco, opus eſſe frigido vt duo, & in libro de medicamentis inuenio lactucam; dum in lactuca volo cognoſcere doſim & quantitatem, hoc pertinet ad Quantum agendum.

Statutum igitur ſit,indicatum Quid agendũ,vt diſtinguitur ab Vſu,eſſe vel genericum,vel ſpecificum.

Si conſidaretur indicatum ratione vſus,ſeu rectæ adminiſtrationis,hic vſus eſt quadruplex:nimirũ hoc eſt,Quantum, Quando, Quomodo,& Vbi.Huius numeri hæc eſt inuentio,& neceſſitas;quæ ſi vobis non placebit,aliam inuenire licet. Veriſſima namque eſt:& e Galeno paſſim colliguntur hæc quatuor. Huius, inquam,numeri ratio pendet;non ex eſſentia indicantis, ſed ab eo quod conſequitur eſſentiam indicanF tis:& hoc,quod conſequitur eſſentiam indicantis,eſt quadruplex; igitur & vſus quadruplex:namq; quotuplex eſt indicans,totuplex etiam eſt indicatum. Quod igitur conſequitur eſſentiam indicantis,eſt actio, paſſio,præſentia & ſubſiſtentia.Propter iuniores libet dare exemplum.In bile,ſi feruidior fuerit bilis, vehomens erit actio:ſi bilis fuerit craſſa,difficilis erit paſſio:ſi appareat bilis in corpore,eſt præſens, quia non præteriit,non eſt generanda,ſed iam eſt genita,eſt præſens:ſi bilis excitet eryſipelas in brachio, ſubſiſtit in brachio. Ecce igitur quemadmodum quatuor ſunt, quæ pertineat ad id,quod conſequitur eſſentiam indicantis.

Vſus eſt quadruplex.

Ratio autem,ob quam illa quatuor indicantis eſſentiam conſequantur,hæc eſſe poteſt. Dum enim perpendimus eſſentiam,hanc conferimus vel cum qualitate, vel cum quantitate: nam hæc abſolute non ſunt perpendenda,quia id quod agit,ſiue ſit nocens, ſiue iuuans, non ſine medio agere ſolet: hinc fit, vt G ſi eſſentia indicantis coniungatur cum qualitate, vim habet agendi, vnde prodit actio: & cum id quod agit, etiam repatiatur, hinc etiam fit, vt locum habeat paſſio,vt paſſio conſequatur eſſentiam. Si autem eſſentia indicantis coniungatur cum quantitate: ad quantitatem pertinet tempus,& locus,ſeu vbi;ratione temporis, locum habet præſentia:ratione loci,ſubſiſtentia. Conſtat ergo quomodo hæc indicata quatuor requirantur.

Ratio quadruplicis partitionis ipſius vſus.

Sed dubitatur,cur Hipp.tex.6.libri de officina med.proponat ægrotantẽ,aſſidentes,miniſtros, machinamenta,lumẽ,vbi,quando,quomodo,quantũ,quibus: repetit quomodo,quando,corpus,inſtrumenta,

Hippocratis,de vſu,& eius partibus.

tempus, modum & locum. Cur igitur Hippocrates non proponit tantum quatuor, sed multo plura? Facile est huic dubitationi satisfacere: namque Hippocrates plura proponit, quia non solum respicit administrationem materierum, sed etiam illa, quæ spectant ad ægrotantem, ad medicum, ad ministrum: quo fit vt *Quomodo*, non semel, sed iterum atque iterum proponatur. Nos autem in præsentia versamur circa methodum medendi, ad quam methodum tantum pertinet per indicationes inuenire iuuantia, hoc est, Quid agendum, & Rectam administrationem. A

CAPVT VII.

De indicationis diuisione, ratione Indicantis curatorii, præseruatorii, & vitalis.

HActenus de indicationum differentiis, quæ petuntur a comprehensione, & indicato: restat indicantis consideratio, quæ est præcipua pars huius artis; virtute cuius hæc methodus intelligitur, & ex cuius ignoratione viri doctissimi maxime fuere decepti. B

Indicans commune omne est curatoriũ.

Indicantis igitur diuisio sumitur ab ipso fine; quia indicans constituitur per finem. Finis autem est duplex: alter communis, alter non communis, sed potius determinatus. Finis communis, vt dictum est in definitione, & dicit etiam Galenus libro ad Thrasybulum cap. 5. est deperditæ sanitatis reparatio: per quem finem distinguitur methodus medendi, ab arte tuendæ sanitatis. Per hunc finem constituitur indicans, quod vocatur curatorium: nam ratione finis communis in methodo medendi, omne indicans est & dicitur curatorium; siue capiatur a morbo, siue a caussa, siue a virtute.

Speciale indicans est curatoriũ, præseruatorium, & vitale.

Quo vero ad finem determinatum: duplex hic est. Loquor autem nunc de fine in methodo medendi, in qua, sicuti finis communis est reparatio deperditæ sanitatis, & vnicus est is finis; ita finis non communis duplex est, alter est Remotio rerum præter naturam, reliquus autem est Custodia rerum secundum naturam. Hanc veritatem cognoscens Galenus, 1. ad Glauc. 1. asserit, illum optimum esse medicum, &, quantum permittitur humanis viribus, non posse errare, qui omnia & secundum naturam & præter naturam ad methodum reducit. C

Cum igitur sit duplex finis; alter remotio rerum præter naturam, reliquus custodia rerum secundũ naturam: quantum attinet ad Remotionem rerum præter naturam, hic finis subdiuiditur: quoniam id quod est præter naturam, vel est morbus, vel est caussa; nihil aliud. [*Admoneantur iuniores, nos negligere symptomata, licet sint præter naturam, quoniam, vt suo loco cognoscetis, symptomata nequaquam indicant, nisi vt habent rationem caussæ.*] Cum igitur id quod est præter naturam sit duplex, morbus, & caussa: hunc oritur duplex finis determinatus; alter est remotio morbi, reliquus remotio caussæ. Quo fit, vt morbus sit indicans curatorium, vt morbus sibi vendicet nomen communis indicantis, vnde dicitur indicans curatorium: caussa autem (ratione cuius indicatur remotio caussæ) caussa, inquam, est indicans præseruatorium: in arte tamen curandi, caussa potest vocari indicans curatorium, ratione finis communis, at ratione finis determinati est indicans præseruatiuum. Est autem aliud indicans ab indicante præseruatorio in tuenda sanitate: quia in arte tuendæ sanitatis, finis est conseruatio sanitatis: Sophistæ autem confundunt finem communem cum determinato. D

Ratione rerum secundum naturam, ratione alterius finis, qui est custodia rerum secundum naturam, hic finis non subdiuiditur, quemadmodum remotio rerum præter naturam: sed ratione huius finis constituitur indicans vitale: quod ita etiam nuncupauit Galenus 9. meth. 13.

Concisa est breuisque medendi methodus: quia tria tantum indicantia.

Propterea, dicant alii quicquid velint, methodus medendi breuissima est: cum contineat tria tantum indicantia, non plura, nec pauciora. Et Gal. 10. meth. 2. similiter voluit tria tantum locum habere in putridis febribus Quod si tantum tria locum habent in putridis febribus: igitur impossibile est in aliis affectibus plura quam tria imaginari; quoniam putrida febris non est morbus sine caussa, ad differentiam hecticæ febris; præterea putrida febris vires solet prosternere, ad differentiam Ephemeræ. Hoc sensu dictum est ab eodem Galeno, 10. meth. 1. in putridis febribus indicationes sumi a febribus, a caussa, & a vi naturali, vt febris sit indicans curatorium, caussa præseruatorium, vis naturalis vitale. E

Sed forte iuuenis dixerit: dixisse Galenum 2. methodi in fine, opus esse in corpore ægrotante perpendere affectum, actiones, passiones, quæ sunt secundum naturam, quæ præter naturam, & ab omnibus sumendas indicationes. Dicatis: licet hæc sint plura, omnia tamen deduci ad illa tria, ad morbum, ad caussam, & ad virtutem. Vnde fuit Galeni sententia, libro artis medicinalis c. 89. intemperiem indicare solam alterationem; caussam vero per euacuationem tolli: significat enim ab intemperie, a morbo, sumi tantum indicationem curatiuam: at si intemperies habeat coniunctam materiam, hanc caussam & ipsam indicare curationem, & proinde esse indicans præseruatorium. F

CAPVT IIX.

Indicantia saltem tria esse, nec huic aduersari sententiæ, quod Galenus ἐν πλάτει nonnunquam a parte affectâ, ægri natura, facultate medicamentorum, temperamento, magnitudine morbi, tempore, ætate, consuetudine, aere, &c. ceu notis vere indicantium, peti indicationes, tam curatiuas, quam prophylacticas, affirmare videatur.

Locus affectus, & facultas medicamentorum, non indicãt, sed signa sunt.

SIc demonstratum est tria tantum esse indicantia: curatorium, præseruatorium, & vitale. Videri autem possit cuipiam, Galenum etiam alia indicantia, eaque varia, hinc inde proponere. Nam c. 3. l. 3. meth. ait, vlceris & cauitatis curationem perfici eadem methodo, quæ capitur a loco affecto, & a facultate medicamentorum. Si igitur indicatio capitur a loco affecto, & a facultate medicamentorum; non ergo tantum a morbo, caussa, & virtute? Respondeatis, indicationem sumi a re præter naturam, & ratione vlceris, & ratione cauitatis: sed perpetuo indicationem præsidii, seu Quid agẽdum sumi ab essentia indicantis. Quare G

dum

A dum proponit locum affectum, dum proponit facultatem medicamentorum: non proponit, vt indicantia, sed in ratione signi. Nam, verbi gratia, locus affectus indicat gradum morbi, vt declarabo, cum explicabo Gal. 9. meth. 14. Similiter dum proponit facultatem medicamentorum, proponit vt signa, non vt indicantia: quemadmodum quandoque dixit Hippocrates, morbum indicari a curatione: & ideo curatio, hoc est, facultas medicamentorum, nobis ostendit morbum, nobis significat essentiam indicantis.

Aph. 17. sect. 2.

Præterea Galenus 3. meth. 7. ait: in curatione esse tria perpendenda, ægrotantis naturam, hominis propriam curationem, & naturæ proprietatem ineffabilem. Quare indicatio curatiua ex Galeno, loco citato, videtur desumi a natura ægrotantis, a propria hominis curatione, & a naturæ proprietate ineffabili. Quomodo ergo indicatio curatiua sumitur tantum a morbo; cum morbus tantum sit indicans curato-
B rium? Dicendum, iuuans subalternum, seu genericum, sumi a natura ægri; seu a natura ægrotantis, vt temperies ægrotantis nobis significet naturam morbi; verbi gratia, in febre, si ægri natura est frigida, est signũ vehementis febris; in sene quippe febris ardens est vehementior, febris ardens est cum maiori recessu in corpore frigido, quam calido.

Natura ægri, propria curatio, & ἰδιοσυγκρασία nõ indicant.

Dum autem Galenus proponit hominis propriam curationem; insinuauit Quid agendum specificum, vt, quia cognoscimus hominem non modo esse calidum, sed esse calidum in primo; ideo hæc caliditas in primo, hæc propria hominis temperatura, nobis significat determinatum gradum, recessum determinatum febris, a quo determinato recessu & gradu, tanquam ab indicante curatorio, indicatur Quid agendum specificum.

C Cum denique Galenus proponit proprietatem ineffabilem; (vellem vt isti interpretarentur has auctoritates Galeni, vt iuniores cognoscerent veritatem) loquitur de indicatione curatiua, & voluit esse desumendam a proprietate ineffabili. Si est proprietas ineffabilis. (obiiciat quis) quomodo potest esse indicans curatorium? Ego ita interpretarer Galenum, quod per hæc verba insinuarit Quid agendum specificum; non modo specificum, hoc est, in febri, frigidum in secundo; verumetiam quod insinuarit Quid agendum specicum in tali & tali mansionẽ. Exempli gratia: vbi est febris calida in secundo, & in prima mãsione; indicat nobis frigidum in secundo, & in prima mansione. Cum igitur ex Galeni sententia, in opere de medicamentis, reperiantur medicamenta calida in tali gradu, & in tali mansione: necessarium est fateri, hæc medicamenta esse materiam remedii, exempli gratia, calidi vel frigidi, in tali gradu, & in tali mansione. Significat autem mansio gradus temperaturæ, a proprietate ineffabili: nam vix fieri potest, vt gradus in determinata mansione cognoscatur, sed per coniecturam progredi oportet.

D Verum dubitatur quoque, cur dixerit Gal. 3. meth. 9. primam indicationem sumi a solo affectu: remedia autem inde inueniri nõ posse, nisi naturale temperamentum totius & partis pernoscatur, vna cum aere. Quare indicatio, ex Galeno loco citato, sumitur ab vlcere, a temperatura, & ab aere. Quomodo igitur a solo morbo?

Sciendum est proponi aerem, non vt habet rationem indicantis, sed vt signum: nam si, verbi gratia, in vlcere aer fuerit humidior, ita disponit vlcus, vt opus sit medicamento magis siccante, quam si aer non esset humidior. Vnde aer non indicat; sed est signum intensioris humiditatis, a qua fit indicatio.

Aer non indicat.

Temperaturam vero Galenus non accipit hoc loco in ratione signi, sed indicantis. Hanc veritatem debetis recte intelligere: quia Galenus, vt suis locis cognoscetis, accipit temperaturam quandoq; in ratione signi, vt 9. meth. 14. quandoq; in ratione indicantis, vt hoc loco, hoc est, 3. meth. 9. hoc enim loco pro-
E ponit curationem vlceris: quemadmodum 9. meth. 14. respicit potius ad curationem febris. In curatione vlceris, temperatura naturalis partis, complexio naturalis partis, habet rationem indicantis in febre, temperatura totius habet rationem signi. Declaro. Si, verbi gratia, vlcus est in parte sicciori, oportet magis siccare, quam si pars fuerit minus sicca: & ratio est; quia pars siccior debet talis cõseruari, quia complexio secundum naturam, etiamsi a temperie recedat, est conseruanda, indicat sui conseruationem, indicat simile: pars siccior, vt talis conseruetur, indicat simile siccum. Et ob id recte dictum est hoc in loco, 3 meth. 9. temperaturam habere rationem nõ signi, sed indicantis. Nunc autem supponatis, temperaturam ita acceptã, in ratione indicantis, esse indicans vitale, non curatorium, non præseruatorium. Amplius etiam supponatis, indicans vitale nil aliud esse quam virtutem. Quomodo autem temperatura sit virtus, suo in loco ocu-
F lis conspicietis.

Temperamentum quomodo indicet.

Quod si sermo fiat de febri, vt 9. meth. 14. tempetatura habet rationẽ signi, nõ indicantis. Verbi gratia, sit febris in corpore calido: cum Galeno loco citato, vtimur frigido: frigidum non potest indicari a cõplexione calida secundum naturam, quia quod est secundum naturam, indicat simile, calidum indicat calidum: at sermo est de frigido, quod indicatur a febre, quæ febris significatur a temperatura calida.

Temperamentum quando nõ indicet.

Vnde ex dictis colligatis, & potissimum ex 3. meth. 9. primam indicationem, hoc est, genericam, sumi a solo affectu, id est, morbo: reliqua autem vel habere rationem signi, vel, si sint indicantia, nequaquam esse posse curatoria, quia indicatum curatorium a solo morbo indicatur.

πρᾶγμα.

Amplius Galenus loco citato, per remedia intelligit indicata specifica, quę sane indicantur ab essentia specifica, vt suo loco clarius dicemus.

G Præterea ex eodem loco colligere licet, si vlcus fuerit in parte temperata, in medicamentis nil innouandum. Hanc veritatem recte percipiatis, vt sciatis curare vlcera. Si in parte temperata, dicit Galenus, vlcus erit, in medicamentis nil innoues; si autem locus intemperatus sit, medicamẽta mutare oportet, quãtum corpus ad naturalẽ intemperiem est versum. Vt inferat Galenus, remedia nõ indicari a temperatura, sed ab intemperie: intemperies nimirũ indicat, non temperatura. Et sermo est de intemperie naturali, nõ de morbosa. Quorum dictorum hæc est ratio. Cum vlcus indicet siccum in primo, & refringatur ab humiditate vlcus: non potest locus temperatus mutari, non potest locus temperatus pati, a medicamento

ſicco in primo, non poteſt pars temperata mutari a medicamento ſicco in primo. Sed ſi pars fuerit intemperata, & vtamur ratione vlceris medicamento ſicco in primo; refringetur ab humiditate vlceris, vt ſicca intemperies non conſeruetur, ſed immutetur. Cum autem expediat vt naturalis intemperies conſeruetur, imo ſit neceſſarium in curatione vlceris, vt intemperies naturalis conſeruetur; (quia ſi mutabitur, nunquam locus conſolidabitur) inquit igitur eſſe opus ſiccari medicamento magis ſicco, quam indicetur ab vlcere. Ecce igitur quemadmodum temperies non indicat, intemperies indicat, in vlcere.

Primum indicatum quomodo dicatur aliquid indicare.

Dicit etiam Galenus 4. meth. 3. curationis indicationem ab affectu ſumi: particulatim autem agenda, ab eo quod prima indicatio dictat, atque præterea a natura partis, ab aere, & cognatis. Galenus hoc in loco proponit indicationem curatiuam, & tamen inter indicantia proponit non modo morbum ſeu affectum, verum etiam illud quod dictitat prima indicatio. Illud quod dictat prima indicatio, eſt primum indicatum. Quare cum Galeno, a primo indicato ſumitur prima indicatio curatiua. Quod puer non diceret; ita tamen loquitur Galenus: proinde proponit partis naturam, aerem, ætatem, conſuetudinem, cognata. Dicendum igitur, intelligere Galenum quod indicatio curatiua ſumatur ab affectu præter naturam, id eſt, a morbo, & per curationis indicationem 4. meth. 3. intelligere indicationem genericam: dum vero ſubdit particulatim agenda, nil aliud intelligit, quam Quid agendum ſpecificum, quod Quid agendum ſpecificum inuenitur in virtute indicationis genericæ. Verbi gratia, ſi a febri indicatur frigidũ, nunquam eſt deſiſtendum a frigido: & hoc eſt quod dictat prima indicatio, quod oſtendit indicatio generica, vt verbi gratia, præſidium genericum, eſt frigidum in febri, ſpecificum, eſt frigidum in primo, & in prima manſione: & ſic nunquam recedimus a frigido, ab eo quod dictat prima indicatio. Sed non propterea eſt dicendum, primum indicatum habere rationem indicantis. Reliqua a Galeno ibi propoſita habent rationem ſigni.

Differentia ſignorum, & indicantium.

Notandum igitur differentiam eſſe inter ſigna & indicantia: nam ſignum nobis ſignificat indicans; indicans autem eſt illud a quo ſumitur indicatio. Quam veritatem vtinam omnes cognouiſſent: quia nos non ita laboraremus.

Ætas, & cõſuetudo nõ indicant.

Verum nonunquam Galenus vocibus abutitur, quia nominibus non fuit addictus, & indicantia vocat illa, quæ proprie ſunt ſigna. Sic enim cap. 14. lib. 9. method. ait, indicationem ſpecificam ſumi ab ætate, a conſuetudine, ab aere. Sed quomodo? Reſpicit ea Galenus, vt mutant temperaturam: ſunt indicantia, vt mutant temperaturam, non autem ſunt vere indicantia, ſed in ratione ſigni: quia talis aer, talis conſuetudo, indicium eſt talis temperaturæ. Vt autem hoc euidenter pateat, legatur Galenus 9. method. 15. vbi ait: noſcere oportet temperaturam ex ætate, anteacta vita, & aere. Voluit Galenus ab ætate, aere, capi indicationem: non quia vellet hæc eſſe indicantia, ſed ſigna. Quod ſit verum, ait, cognoſci temperaturam ex ætate, aere, &c. quare ſunt ſigna. Similiter cum Gal. dicit 11. meth. 1 indicationem ſumi ab ætate, a vitæ inſtituto, a conſuetudine, &c. accipit ea vt ſigna, non vt indicantia. Eſſet ſatis imprudens, qui diceret, indicationem ſumi ab ætate. Neque obſtat, licet dicat Hippocrates 4. de ratione vict. 19. ſecandam eſſe venam, quando ætas eſt florens, vt ætas videatur habere rationem indicantis: quod eſt falſum; ætas enim non indicat, ſed eſt ſignum virtutis vel prohibentis, vel permittentis. Præterea, dum Galen. 13. meth. 16. inquit: coindicantia ſunt, virtus, natura, ætas, aer, conſuetudo, & reliqua: per virtutem intelligit virtutem permittentem: per reliqua omnia intelligit ſigna. Et ideo quando Galenus, ait, indicationem ſumi ab ætate & reliquis; accipiatis hæc vt ſigna. Patet igitur, quod indicatio curatiua ſumatur tantum a morbo.

Vehementia affectus non indicat, ſed ſignum eſt indicantis.

Præſeruatiua indicatio a cauſſa morbifica ſumitur. Contra vero Gal. 4. meth. 6. videtur quędã verba proponere, quæ difficultatem faciunt: dum ait, morbi magnitudinẽ primum indicare vel ſanguinis detractionem, vel purgationem. Morbi magnitudo, vel morbus vehemens, eſt indicans curatorium: ſanguinis vero detractio & purgatio, ſunt indicata præſeruatoria. Quomodo igitur ſanguinis detractio & purgatio, cum Galeno, indicantur a morbo vehementi? Dicendum, Gal. morbum vehementem non accipere in ratione indicantis: quia non fuiſſet Galenus, ſed homo imprudentiſſimus: nam morbus vehemens, vt ſuo loco cognoſcetis, eſt indicans tantum curatorium, & non poteſt indicare remedium præſeruatorium. Quare accipit morbum vehemẽtem in ratione ſigni. Materia autem morbifica eſt illa, quæ indicat: & duo ſunt indicata, vt Galenus dicit loco citato, nimirum, remedium vacuans ſanguinem, & remedium purgans: ſunt duo indicata, quia & indicans eſt duplex: eſt ſanguis, indicans venæ ſectionem; & eſt materia recendens a natura ſanguinis, ſeu eſt materia alia a natura ſanguinis, quæ indicat purgationem. Morbi autem magnitudo habet rationem ſigni: & hoc ſignum eſt morbus vehemens, quod ſignum poteſt duo ſignificare. [*Licet abſurdum ſit, aſſerere, vnum eſſe indicans, & duo eſſe indicata, vt ſuo loco demonſtrabimus, non tamen abſurdum eſt, dicere, vnicum ſignum poſſe referri ad duo ſignificata, vnicum ſignum poſſe duo ſignificare.*] Ob id Galenus, accipiens morbum vehementem pro ſigno, non pro indicante, dicit, morbi magnitudinem indicare vel ſanguinis detractionem, vel purgationem: eſt ergo ſignum quod duo ſignificat, quorum vtrunque eſt vere indicans præſeruatorium, quod nihil aliud eſſe poteſt, quam cauſſa morbifica, hoc eſt, vel ſanguis, vel humor recedens a natura ſanguinis & quia hæc duo indicantia præſeruatoria quãdoque ſunt debilia, quandoque ſunt vehementia; morbus vehemens eſt ſignum indicantis præſeruatorii, ſed vehementis, verbi gratia, vbi eſt febris ſynocha continens, febris hæc vehemens, eſt ſignum ſanguinis affecti peccato vehementi, id eſt, ſanguinis vehementer peccantis: ita febris ardens exquiſita, eſt febris vehemens, & eſt ſignum materiæ bilioſæ vehementer peccantis, quia ab his materiebus vehemẽter peccantibus indicatur validum auxilium pręſeruatorium, ſiue huius auxilii materia ſit venę ſectio, vt in ſanguine peccante; ſiue ſcammonium, vt quando peccat bilis. Quare Galenus loco citato, dum proponit morbi magnitudinem, non accipit in ratione medicantis, ſed in ratione ſigni, quod ſignum nobis ſignificat indicans

A dicans præſeruatorium. Nam Gal.ibi ait,miſſionem ſanguinis vel purgationem admittendam eſſe,propter morbi magnitudinem:ergo ſanguinis miſſio eſt vnum indicatum,purgatio eſt vnum indicatum: ſed duo reſpiciunt,ſanguinem,& cacochymiam. Indicata ſunt præſeruatiua, quare etiam indicantia præſeruatoria.Quod indicatur, eſt ſanguis & cacochlymia, quæ habent rationem ſigni ipſius morbi vehementiæ.Equidem non capio rationem huius conſequentiæ : morbus eſt vehemens, virtus eſt valida,ergo ſecanda vena. Imo fieri poteſt, vt morbus aliquis ſit vehemens, qui non fiat a ſanguine, & virtus ſit valida, quæ ſuſtineat ſcammonium,elaterium , antimonium;& tamen non ſit ſecanda vena.

A tempore,ab ætate,conſuetudine, aere, non ſumuntur indicationes;quia non dantur plura indi- *Aliæ indicantium notæ.*
B cantia,quam tria:reliqua habent rationem ſigni.

Quoad tempus:Galenus 3.meth.vlt.proponit,recens vetuſque vlcus,hoc eſt, nouum vel antiquum vlcus nihil indicare. Falluntur igitur, qui credunt, in victu viuendi rationem aliam eſſe principii,aliam augmenti,aliam ſtatus,aliam declinationis. Siquidem ex Gal.4.meth.4.Indicatio non ſumitur a tempore:& tempus docet dierum numerum,non autem indicat per ſe, ſed ex accidenti, propterea quod conſequitur vt ſignum:quia igitur confert tempus ad agnitionem,ideo habet rationem ſigni,non tamen indicatio ſumitur a tempore.Quid clarius?Tempus igitur habet rationem ſigni,non indicantis. *Tempus nō indicat.*

Quin etiam Galenus 4.meth.5.ait,in vlcere diuturno inueniri iuuans,non ex tempore, non ex diuturnitate vlceris,ſed ex vitio ſucci:quare ſuccus indicat;tempus nequaquam.

Præterea Galenus libro ad Thraſybulum cap.39.dicit, cum morbi ſunt in vigore ſeu ſtatu, victu tenuiſſimo vti oportet.Hæc fuit Hippocratis ſententia.Sed addit loco citato Galenus tempus, id eſt, morC bi ſtatum,non accipi ab Hippocrate vt indicans,ſed vt metitur facultatem, vt eſt ſignum facultatis ac virtutis:quia alia eſt virtus in ſtatu,alia in aliis temporibus. Et c.40.eiuſdem libri dicit:*inter initia ſi quid videtur mouendum moue*;initium (hoc tempus) accipit,vt ſignum, quod ſignificat,vires inter initia perferre motionem ſeu euacuationem. Præterea ad Thraſ.c.45.inquit Galenus: indicans indicat aut ſui cuſtodiam,aut ſui ablationem:tempus neque ſui cuſtodiam,neque ſui ablationem indicat : ergo non poteſt eſſe indicans.

Tandem quod dixit Galenus 9. meth. 14. tempus opportunum admouendæ materiæ capiendum ex quatuor febris temporibus:tempus accipit non vt indicans,ſed vt habet rationem ſigni.

De ætate idem ſtatuendum,quod nimirum non indicet,ſed ſigni rationem habeat.Recte igitur in- *Ætas non indicat.*
D telligendus Galenus cap.2.l.10.meth.inquiens, vires robuſtas vacuationis vſum nihil morari:infirmiores autem pro magnitudine imbecillitatis vacuantium vſum impedire : accidere autem imbecillitatem, tum ex aliis cauſſis,tum e ſenio.Sciendum igitur,ætatem non habere rationem indicantis,& proinde nec prohibentis nec permittentis : quia cum tria tantum ſint indicantia, tria tantum ſunt permittentia,tria tantum prohibentia. Cum igitur inquit Galenus virtutem robuſtam non morari auxiliorum vſum; & ſubdit, virtutem eſſe debilem , propter ſenium: per ſenium non intelligatis ætatem in ratione prohibentis, ſed in ratione ſigni;ætas enim ſenilis eſt ſignum virtutis debilis,quæ eſt prohibens.

Similiter Gal.11.meth.3.dum inquit,indicationem ſumi ab ætate non præterita,ſed præſenti;accipit ætatem,vt ſignum,non vt habet rationem indicantis,quia ætas nequaquam indicat. Accipit autem ætatē præſentem,quia eſt ſignum præſentis temperaturæ. Fuit admirabilis Galenus:proponit ætatem præſentem,non præteritam,quia ætas præſens,eſt ſignum præſentis temperaturæ,ætas præterita,eſt ſignum præE teritæ temperaturę.Ætas præſens eſt ſignum præſentis temperaturę;indicatio ſumitur a præſenti,indicatio ſumitur a temperatura præſenti (non a præterita) cuius ſignum eſt temperatura præſens. Et ob id 11. meth.13.inquit,ad indicantia cognoſcenda conferre ætatem,& conſuetudinem.

Galenus etiam c.15.l.11.meth.medendi ait;ſaluberrimum eſſe in febribus mittere ſanguinem, ſi nec ætas,nec virtus prohibeant.Cum autem vnicum tantum ſit quod prohibet,nempe virtus: dum propoſuit Galenus ætatem;non intelligatis ætatem prohibentem : quia ætas non ſit indicans,nec poteſt eſſe prohibens.Ideo loco citato per ætatem accipit ætatem , non prohibentem , ſed ætatem quæ eſt ſignum prohibentis,eſt ſignum temperaturæ,verbi gratia,puerilis ætas,ſignificat nobis temperaturam humidam & calidam,ratione cuius virtus diſſoluitur ac diſſipatur, vt non poſſit perferre venæ ſectionem;accipit ætatem F in ratione ſigni.

Præterea 9.meth.16.inquit,ætatem indicare curationem,per intercedentem corporis temperaturā. Igitur eſt ſignum ætas,non indicans;eſt ſignum intermediæ naturæ,ac temperaturæ; quæ temperatura & ipſa eſt ſignum,vt ſupra diximus. Quare quando Galenus dicit,indicationem ſumi ab ætate,intelligatis, in ratione ſigni,non indicantis.Hæc de ætate.

Quantum ad conſuetudinem: dicit Gal.9.meth.16. conſuetudinem non parum conferre ad remediorum inuentionem.Intelligatis,conſuetudinem conferre vt ſignum,non in ratione indicantis.Et ſubdit Galenus,conſuetudinem ſummam vim habere in inuentione remediorum , ſeu maxime conferre ad inuentionem remediorum, quoniam ſignificat corporis naturam,ergo conſuetudo concurrit in ratione ſigni,& confert ad inuentionem remediorum,vt eſt ſignum corporis temperaturæ. *Conſuetudo non indicat:*

G Præterea Gal.11.meth.3.dicit in ægris ſeruandam eſſe temperaturam,etiam vitioſam,ea ratione,qua maxima eſt indicatio,quæ ſumitur a conſuetudine.A conſuetudine non ſolum ſumitur indicatio,ſed maxima:tamen conſuetudo nequaquam indicat,quia ſunt tantum tria indicantia. Quod ſit verum,dicit Galenus maximam indicationem ſumi a conſuetudine,vt temperaturam vel ſeruat,vel inducit. Quare maxima eſt indicatio,quæ ſumitur a conſuetudine,quia conſuetudo eſt ſignum temperaturæ; quæ temperatura,etiam vitioſa,indicat ſimile in corpore ægrotante,& eſt cōſeruanda,conſuetudo habet rationē ſigni.

Præterea Gal.9.meth.vlt.& 8.meth.vlt.proponit quædam dicta de ætate & conſuetudine ſimul;quę

A dicta non ita facile ab omnibus intelliguntur. Dicit igitur Galenus ex consuetudine esse sumendam indicationem, si multo tempore intemperatæ naturæ victu contrario sint vsæ: ratio est, quia consuetudo, atque etiam ætas, sunt signa temperaturæ: nam temperatura adscititia producitur ab ætate, producitur a cõsuetudine: siquidem ætas mutat temperaturam, alia est temperies in pueritia, alia in iuuentute: consuetudo & ipsa, si multo tempore perseueret, mutat temperiem. Porro indicatio vitalis capitur a temperatura, vt temperatura est essentia virtutis: non secus: quia indicans vitale nil aliud est, quam virtus; & sola virtutis essentia est indicans vitale. Quare temperatura, vt est essentia virtutis, indicat pręsidium vitale: de quo Gal. 8. meth. vlt. Ætas igitur & consuetudo proponuntur a Galeno in ratione signi, non autem quod sint indicantia. Sed consuetudo non quælibet signum est, verum quæ multo tempore perdurat. Ob id loco citato B subdit Gal. indicationem sumi ab ætate & natura, hoc est, temperatura, non absolute, sed cum consuetudine antiqua. Magis enim potest consuetudo, quam possit ætas; propterea quod consuetudo quæ perdurat, mutat temperaturam, quæ producitur ab ætate. Si, verbi gratia, iuuenis, ratione ætatis iuuenilis, calidus sit: ex consuetudine antiqua, quæ longo tempore perduret, ciborum frigidorum, erit iuuenis tandem frigidus. Ideo Gal. dicit, indicationem sumi ab ætate & temperatura, non absolute, sed cum consuetudine: semper tamen ætatem & consuetudinem sumit in ratione signi.

Obiter heic notandum Galenum, libro de assuetudinibus, non respicere ad iuuantia, sed ad materias iuuantium, *quod negotium non pertinet ad methodum medendi.*

Aer non indicat. Tandem quantum ad aerem spectat: Gal. 3 meth 8. ait in methodo medendi inspicere conuenit aeris temperaturam: nam vbi aer intemperatus est, sanationem moratur; quare danda opera, vt medicamẽ- C tis aeris excessui occurramus. Ecce, quemadmodum medicamenta referuntur in aerem. Præterea dicit Gal. & Hippoc. in calidiori aere vtendum frigidioribus, in frigidiori aere, calidioribus. Hanc auctoritatẽ ita intelligatis: dum aer immoderatus corrigitur, id fit, vt euadat materia remedii: quemadmodum etiam dum vtimur ptisana, & ptisanæ frigiditatem veremur, eam corrigimus pipere: piper ergo respicit ptisanã, & indicatur a ptisana. Sed hoc non pertinet ad methodum medendi, verum ad compositionem ciborum, *est negotium extra methodum. Dum autem Galenus e mente Hippoc. in aere calidiori statuit opus esse* frigidiorib. in frigidiori calidioribus: hæc frigidiora, & hęc calidiora, adhibẽtur corpori ægrotanti, & ideo *pertinent ad methodum, non sunt extra methodum, non adhibentur aeri, sed corpori ægrotanti.* Aer vero concurrit vt signum: quia in methodo medendi nullo modo aer potest esse indicans: dicant alii quicquid velint. Et poteritis videre virum doctum, qui scribit de indicatione, & affirmat aerem indicare; sed D errat: concurrit enim in ratione signi. Declaro: si, verbi gratia, fuerit febris, & aer calidior, oportet vti frigidioribus, propterea quod aer calidior fouet febrem, redditque febrem magis intensam, si aer calidior *reddit febrem magis intensam, ergo intensius refrigerare oportet: sed hoc magis frigidum indicatur a fe*bris vehementia, indicatur ab intensitate febris, a gradu febris: quem gradum, vt signum nobis significat aer. Quare aer habet rationem *signi.*

Quin etiam Gal. 8. meth. vlt. loquitur de victu medicinali in febribus ephemeris, statuit, indicationem desumendam esse ab aere: & si aer temperatus sit, similium esse indicationem: si autem intemperatus, contrariorum, verbi gratia, hyeme cibus debet esse calidus & siccus, æstate frigidus & humidus. Licet autem dixerit Galenus aerem temperatum similia indicare, intemperatum cõtraria: nequaquam tamen aer *indicat, nec similia, nec contraria; accipit igitur Gal. aerem in ratione signi, quod signum significat indi-* E cans quandoque contrarium, quandoque vitale. Declaro: dum significat febrem, est signum indicantis *curatorii: dum significat temperiem, seu intemperiem, naturalem, est signum indicantis vitalis. Si consi*deretur aer vt signum indicantis curatorii, si temperatus est, non potest esse in caussa alicuius mutationis, *vnde id est agendum, quod indicat febris. Si autem aer est intemperatus: vel est dissimilis, vel similis:* si est dissimilis febri, habet rationem materiæ, quare non indicat, si autem est similis, significat intensiorem febrem, vnde signum est intensioris febris. Si autem capiatur, vt est signum indicantis vitalis, hoc est, vt est signum temperaturæ, (sermo est de febri ephemera, de hac loquitur ibi Gal.) si similis est, nu est sine caussa alicuius mutationis: si autem fuerit dissimilis, vt, verbi gratia, aer sit frigidior, corpus sit calidius, vtimur cum Gal. minus frigidis; & ratio est, quod aer sui frigiditate est contrarius naturali temperamento calido, vt non liceat vti ita frigidis, quemadmodum indicantur a febri, sed minus frigidis. Ecce igitur quemad- F modum aer refertur ad temperaturam naturalem; est enim signum temperaturæ. Quare cum dicit Galenus indicationem sumi ab aere, intelligere oportet, in ratione signi, non autem aliter.

Oritur etiam dubium ex 9. meth. 15. vbi ait Galenus: cum aer in nostra manu nõ sit, ideo ex aere propria *indicatio sumitur. Ecce, quemadmodum ex Gal. sententia non modo ab aere sumitur indicatio, sed etiam* sumitur propria indicatio: cũ tamen ab aere nullla prorsus hauriatur indicatio. Quare per aerẽ intelligatis. *aerẽ concurrere in ratione signi manifestantis. namq; aer sui præsentia, dum, exẽpli gratia, est similis febri,* veluti aer calidus in febri, ita fouet ac intẽdit febrẽ, vt a febre ita intensa & aucta hauriatur ꝓpria indicatio.

Præterea Galenus 9. meth. vlt. inquit: in vacuatione sanguinis perpendenda, natura ab initio, consuetudo, ætas, aer, affectus, ante hunc sane affectum virtus. Ex quibus dictis colligunt, sed non admodum prudentes medici, in vacuatione sanguinis, vt indicantia concurrere, naturam, consuetudinem, ætatem, G aerem, affectum, & virtutem; neque suæ opinionis aliam reddunt caussam, quam verba Gal. pessime intellecta. Hunc igitur locũ ita intelligatis. Loquitur Gal. de remedio vehementi sanguinem euacuante, cuius materia est venæsectio. Cum igitur loquitur Gal. de remedio vehementi valido, sanguinẽ euacuante, hoc indicatur ab affectu. Et ideo Gal. hoc loco ꝓponit affectum in ratione indicãtis, vt tantũ affectus sit indicans, nil aliud, quia vnicũ tantum est indicãs. Per affectũ autem nõ intelligatis morbũ, sed intelligatis peccatum quo sanguis afficitur. Proponit etam Gal. hoc loco virtutem, & dicit, ante affectum virtus: per hæc

signi-

A ſignificans, virtutem eſſe præferendam peccato ſanguinis, quotieſcunque cetera ſunt paria, vt ſuo loco cognoſcetis: nam virtus cõcurrit in vacuatione ſanguinis, quandoque vt permittens, quandoque vt prohibens, vt ſit anteponenda peccato ſanguinis. Dum autem proponit Galenus naturam, accipit naturam ab initio, hoc eſt, temperaturam natiuam, ad differentiam adſcititiæ: & temperaturam natiuam vocat naturam ab initio. Quam temperaturam non accipit in ratione indicantis, quia ſolus affectus indicat, & ſola virtus in vacuatione ſanguinis, vel permittit, vel prohibet, quia valida permittit, debilis prohibet: ſed naturam ab initio, ſeu temperaturam natiuam, accipit in ratione ſigni manifeſtantis virtutem debilem, vel robuſtam. Idem eſt intelligendum de conſuetudine, de ætate, atque de aere. Propter iuniores do exem-
B plum: temperatura natiua frigida & ſicca, eſt ſignum virtutis debilis, calida virtutis robuſtæ: præterea, ſi aliquis aſſuetus eſt perferre venæ ſectionem, hæc conſuetudo eſt ſignum virtutis robuſtæ: ad eundem modum ætas, verbi gratia, puerilis eſt ſignum virtutis debilis, & proinde prohibentis: ſic aer impenſe calidus & ſiccus, eſt ſignum virtutis debilis, prohibentis. Quare hoc eſt perpetuæ veritatis, vnicum tantum eſſe indicans, vnicum tantum prohibens. Quod ſi Galenus plura proponit: ſunt ſigna, non ſunt indicantia.

Poſtremo locus quidam Galeni difficilis, quem pauci intellexere, reſtat explicandus. Ait enim Galenus c. 14. l. 9. meth. curatiuam indicationem ſumi a morbo, temperatura, & aere: & ſubdit Galenus, hæc tria eſſe prima, quæ curationem indicent. Quare heic explicandum, primum, quomodo hæc tria concurrant ad indicandum: deinde, qua ratione tria tantum ſint: poſtremo, quomodo hæc tria ſint prima. *Galeni locus obſcurior.*

C Quantum attinet ad primum: ſcire oportet, Galenum hoc in loco verba facere de indicatione curatiua, non de præſeruatoria, non de vitali: ſed de curatiua: & de hac tum generica, tum ſpecifica. Ex tribus ergo propoſitis, hoc eſt, ex morbo, temperatura & aere, morbus tantum eſt indicans: temperatura & aer ſunt ſigna, non autem indicantia. *Morbus vere indicat: craſis & aer ſunt ſigna.*

Declaro. Sermo eſt ibi de febre, quæ indicat frigidum: temperatura non indicat frigidum, quia temperatura cum poſſit eſſe calida, indicat ſui conſeruationem, id eſt, ſimile, nimirum calidum. Quia igitur ſermo eſt de remedio frigido: propterea temperatura eſt ſignum gradus ſeu receſſus febris, vt vltra, non ſit corpus febrile refrigerandum, vltra ſcilicet gradum receſſus a naturali ſtatu; quia temperatura ſe tuendam indicat & ſui conſeruationem requirit. Et ob id Galenus eo loco, cum proponat temperaturam in ratione ſigni, accipit temperaturam non præſentem, ipſius corporis febricitantis, ac intemperati: ſed accipit temperaturam quæ fuit eo tempore, quo homo cœpit febricitare.

D Aerem quoque & ipſum in ratione ſigni accipit, vt aer indicat gradum febrilem. Nam, verbi gratia, aer calidior indicat etiam febrem intenſiorem, quia febris fouetur ac intenditur ab aere calidior.

Patet igitur quemadmodum hæc tria conferant ad curationem: ea ratione tamen, vt ſolus morbus ſit indicans, reliqua ſint ſigna.

Secundo docendum, quomodo tria illa tantum curationem indicent. Primum ergo ſupponẽdum, ſermonem eſſe de indicatione tantum curatiua. Cum itaque corpus febricitans duplicem poſſit habere affectum, quorum alter eſt morbus, alter ſanitas, vt neceſſario corpus vel morbo afficiatur, vel ſanitate: ratione neceſſitatis ſimpliciter, duo habent locum, morbus & temperatura; merito autem neceſſitatis ſecundum quid, habet locum aer. Et ideo dicit Galenus, aerem perpendi, tanquam id, ſine quo nec morbus eſſe poteſt, nec ſanitas. Vnde merito neceſſitatis ſimpliciter, ſunt duo, morbus, & temperatura: merito
E neceſſitatis ſine qua non, eſt aer. Quare tria tantum. *Quomodo ſola illa tria curationẽ indicent.*

Enarrandum poſtremo, qua ratione morbus, craſis, & aer, prima ſint, quæ curationem indicent. Sciendum proinde, morbum eſſe primum, vt diuiditur in differentias, ſeu ſpecies: reliqua autem duo, nimirum temperaturam & aerem, habere rationem primi, vt diuiduntur non in ſpecies, non in differentias, ſed in cauſſas. *Qua ratione tria illa dicantur prima.*

Declaro cum Galeno loco citato. Quo ad morbum: ex Galeno morbus non debet diuidi eo in loco in cauſſas: poteſt tamẽ alias in cauſſas diuidi, vt ſi dicamus, quod morbus ſit ab hac, vel ab illa cauſſa, a ſanguine, vel a pituita; ſed eo in loco nõ eſt ita morbus diuidendus, quia ſermo eſt de indicatione curatoria, quæ non ſumitur a cauſſa morbi: ſed diuidendus eſt morbus in ſpecies, verbi gratia, morbus in intemperie, diuiditur in intemperiem calidam, vel frigidam: & vtraque intemperies indicat remedium curatorium, nõ
F præſeruatorium. Morbus igitur habet rationem primi, vt eſt genus, quod in ſpecies diuiditur.

Quo vero attinet ad temperaturam, habet rationem primi, vt diuiditur in cauſſas, non vt diuiditur in ſpecies: temperatura tamen alias poteſt diuidi in ſpecies ac differentias, verbi gratia, ſi dicamus, complexio eſt moderata, vel immoderata; & immoderata, calida, vel frigida. Ecce quemadmodum temperies poteſt diuidi in ſpecies. Galenus tamen loco citato, inquit, non diuidi temperaturam in ſpecies, ſed in cauſſas: quia loquitur de temperatura non vt eſt indicans, [nam vt ſuo loco cognoſcetis, quando loquemur de indicatione vitali, temperatura indicans eſt diuidenda in ſpecies, quia ita diuiſa, eſt indicans vitale.] Hoc in loco, cum capiatur temperatura vt ſignum, ideo eſt diuidenda in cauſſas, vt videlicet temperatura ſit vel a principiis generationis, a primo ortu, vel ſit ab ætate, vel a conſuetudine, vel ab aere. Et tunc temperatura, ſi conferatur cum ætate, & reliquis, habet rationem primi.

G Aer etiam diuidi debet in cauſſas, quatenus prodit a regione, ab anni tempore, a cœli ſtatu ſeu conſtitutione. Quod ſi enim aer conferatur cum cœli ſtatu, cum tempore anni: dubio procul habet rationem primi.

CAPVT IX.

De Morbo, ſeu indicante curatorio, & primum quomodo morbus indicet remedium, tum genericum, tum ſpecificum.

Transitio.

CVm statutum sit, tria tantum esse indicantia, nimirum curatorium, præseruatorium, & vitale; expedit, vt in præsentia sigillatim circa hæc tria discurramus.

Indicatum curatorium duplex.

Primum quod ad *indicans curatorium*; hoc nihil aliud est, quam morbus. Morbus vero indicat Quid agendum, & Vsum, hoc est, rectam administrationē materiæ. Ne fiat igitur confusio, ostendemus primo quomodo se habeat morbus ad indicandum Quid agendum; secundo autem loco, ad indicandum vsum.

Morbus indicat remedium, non alimentum.

Quantum attinet ad primum; morbus indicat Quid agendum, quod communiter potest vocari indicatum iuuans, prǣsidium, at magis proprie vocatur remedium. Et hoc vobis explico, vt ex vobismetipsis & sciatis loqui, & sciatis intelligere, quando Galenus vel proprie vel improprie loquatur. Per remedium, cum Galeno in l. ad Thrasyb. cap. 43. intelligimus remedium, ad differentiam alimenti: nec præter rationem: quia, vt suo loco cognoscetis, alimentum nequaq̃ est indicatum curatorium, sed tantum vitale, & a virtute sola indicatur; contra, remedium est Quid agendum, quod indicatur a morbo. Differentiam vero inter remedium & alimentum, colligere licet ex Galeni loco citato; remedium est illa materia quæ agit in corpus, verbi gratia, febris indicat frigidum, & proinde remedium, quia huius materia, verbi gratia, endiuia, agit in corpus, refrigerat corpus. Contra, alimentum est Quid agendum, cuius materia patitur a corpore, verbi gratia, virtus indicat alimentum, cuius materia est caro pulli, quæ caro patitur, vincitur a corpore. In præsentia igitur per Quid agendum non intelligimus alimentum, sed remedium. B

Morbus, remedium indicat auferens.

Remedium autem cum duplex sit, aliud Auferens, aliud Conseruans: in præsentia non intelligimus remedium conseruans, quoniam remedium conseruans indicatur a sola virtute: [in præsentia supponatis, a virtute seu ab indicante vitali indicari non modo alimentum, sed etiam remedium conseruans] verum in præsentia per remedium intelligimus remedium auferens. C

morbum.

Hoc vero auferens cum & ipsum duplex exsistat, aliud auferens Morbum, aliud auferens Caussam: nos in præsentia intelligimus remedium auferens morbum, non caussam: quia sermo est de indicato curatorio, quod sumitur tantum a morbo. Remedium autem auferens caussam, est remedium præseruatorium, quod indicatur tantum a caussa, & de hoc suo loco. Nunc igitur per remedium, intelligimus remedium auferens morbum.

Remedium curatorium a morbi essentia indicatur.

At hoc respiciens Galenus lib. ad Thrasybulum cap. 48. dicit, affectum solum morborum expulsionem indicare: & ratio patet; quia, cum proportio esse debeat inter indicans & indicatum, si indicans sit curatorium, etiam indicatum ex necessitate debet esse curatorium.

Temperatura non indicat, sed gradū morbi definit.

Sed dubitatio est, quia Galenus 11. meth. 1. inquit, quæ curationem indicant, sunt duo, morbus, & temperatura. Quare indicans curatorium non modo erit morbus, sed etiam temperatura. Respondeo. D Indicans curatorium est tantum morbus. Quare Galenus loco citato temperaturam accipit in ratione signi, vt temperatura significet gradum morbi, a quo gradu sumitur indicatio: non sumitur indicatio a temperatura, sed a gradu morbi, patefacto a temperatura. Et ob id subdit Galenus, laborantis temperaturam, vna cum morbo, contrarietatis mensuram definire. Quid est indicatum? quid est definitum? Est mensura, hoc est, est remedium determinatum, verbi gratia, remedium frigidum in secundo gradu: hoc est remedium, hæc est mensura, quæ proponitur a Galeno. Cum hæc sit mensura, & hoc sit remedium determinatum, verbi gratia, frigidum in secundo, a quo indicatur? Dicit Galenus indicari ac definiri a laborantis temperatura, vna cum morbi contrarietate; proponit laborantis temperiem, & morbi contrarietatem. Si est vnum indicatum, debet esse vnum indicans. Quodnam erit hoc vnum indicans? quis est ille tam ignarus, tam pertinax, qui non videat, indicans esse morbi contrarietatem. Et hoc ostendo propter iuniores, v.g. E in febri, in corpore temperaturæ calidæ, indicatum est frigidum: si indicatum est frigidum, ergo a sola febre indicatur, quia febris vt calida indicat frigidum: quod frigidū non potest indicari a tēperatura calida.

...fectus in ...ere, non ...icat remedium v- ...seu specificum.

Porro remedium morbum auferis a morbi essentia indicatur. Essentia autem Generica est, vel Specifica. Generica, in genere indicat morborum expulsionē, & inutilis est, vt patet e Galeno, libro ad Thrasyb. c. 9. vbi dicit, ab affectu conferentia nō indicari. Per affectum nil aliud intelligit, quam indicans in genere, secundum essentiam genericam, verbi gratia, dum accipimus morbum, febrem, vt est quid præter naturam, indicans secundum essentiam genericam. Per conferentiam autem intelligit indicatum specificum. Est autem notissimum, indicatum specificum non indicari ab indicante generico: quia semper seruatur proportio inter indicans & indicatum; vnde indicans genericum indicat Quid agendum genericum; F indicans specificum indicat Quid agendum specificum. Merito igitur dicit Galenus, ab affectu cōferentia non indicari, hoc est, ab indicante generico, non indicari indicata specifica.

Ad quam veritatem respiciens Galenus, dicit eod. l. ad Thras. c. 23. indicationem nō sumi ab affectu. Quod dictum, nisi recte intelligatur, satis dubium est. Indicatio enim sumitur a morbo, ab affectu. Voluit igitur significare Galenus, indicationem vtilem non sumi ab affectu, ab indicāte generico. Imo quandoque neque sumitur indicatio ab indicante subalterno; sed a specifico tantum: exempli gratia, ait Gal. l. ad Thras. c. 23 si fuerit inflammatio, quæ tollitur sanguinis euacuatione; inflāmatio non indicat vtile; quia id quod indicat, est materia, est sanguis; indicatio præseruatoria non curatoria oritur.

Morbi species ima, exhibet determinatū præsidium.

Specifica morbi essentia, vtilem præstat indicationem. Vnde Gal. c. 10. l. 10. meth. med. ait. propriam, hoc est, specificam indicationem, indicari a determinato affectu: & subdit discendam ad vnguem cuiusque affectus essentiam; quod ab essentia sumatur indicatio. Similiter idem Gal. 13. meth 21. dicit, præsidiorum formulam desumi & indicari ex affectus natura, hoc est, ex essentia specifica; siquidem per præsidiorum formulam nihil aliud intelligere potest, q̃ præsidium seu remedium specificum. Hoc sensu etiam Gal. lib. ad Thras. 48. dicit, ab affectu indicari solū morborum expulsionē: quib. autem expellantur morbi, ab alio sumi. Quæ verba ita sunt intelligenda; ꝙ morbi expulsio, h.e. Quid agendum genericum, indicetur ab affectu, ab essentia generica: dum vero subdit, [*quibus autem fiat expulsio*] significat remediū specificum, ꝙ indicatur ab alio, h.e. ab alia essentia, quam ab essentia generica, quia sc. indicatur a specifica.

CAPVT X.

De indicato Vehementi, ſeu valido, in genere: quomodo ſcilicet vehementia cuiuslibet indicantis, ſiue Morbi & Cauſſæ, ſiue Virtutis, indicet præſidium vehemens. Obiter etiam de remedii vehiculo, quod huius doctrina non ad medendi, ſed medicamenta componendi artem pertineat.

SIc morbus per eſſentiam genericam & ſpecificam, remedium generale & ſpeciale indicat. Deinceps conſiderandum, quomodo morbus per eſſentiam vehementem & non vehementem, indicet remedium validum & debile.

Eſſentia morbi vehemens, & non vehemens.

Notandum vero præſidium validum ac debile, non tantum eſſe curatorium, de quo in præſentia eſt ſermo, verum etiam præſeruatorium, & vitale. Et hoc in loco licet noſtrum principale inſtitutum dirigatur ad præſidium vehemens curatorium: ita tamen loquemur breuitatis gratia, vt appareat etiam quodnam ſit remedium vehemens præſeruatorium, & vitale: quia omnium eſt eadem ratio.

Doctrina vehementiæ heic generatim traditur: nō de morbo tantum, ſed etiam de cauſſa, & virtute.

Primum igitur, ne contingat deceptio ob nominis ignorationem, ſciendum, fuiſſe Galeni ſententia lib. ad Thraſyb. c. 34. omnia auxilia eſſe cum magnitudine, vt quodlibet remedium poſſit vocari magnum ſeu vehemens. Verum cum in magnitudine detur latitudo: medici auxilia quæ ſunt magis vehementia, vocant vehementia; quæ ſunt minus vehementia, ſolent appellare debilia. Et ſecundum hanc rationem nos in præſentia accipimus.

Nomen vehementiæ.

Auxilium vehemens, indicatur ab eſſentia vehementi indicantis: quia ſemper dent eſſe proportio inter indicatum & indicans.

Quam veritatem cognoſcens Galen. 4. meth. 6. dicit, in omni morbo ſpectandum eſſe ſcopum à magnitudine deſumtum: vnde extremis morbis extrema remedia competunt. Sic cum Galeno loco citato, 4. meth. 6. in ſanguinis redundantis concurſu nō neceſſario ſecanda vena: nam aliis ſatisfacit vel balneum, vel frictio, vel aliquid conſimile. His verbis ſignificat Galenus, dum adeſt ſanguinis redundantis concurſus, ſi in ſanguine peccatum ſit vehemens, opus eſſe vehementi præſidio, cuius materia eſt venæ ſectio: ſi autem contra ſanguinis peccatum non ſit vehemens, opus eſſe remedio debili, cuius materia, verbi gratia eſt frictio, eſt balneum.

Vehementia indicati reſpondet vehementi eſſentiæ indicantis: in omni autē affectu vehementia, vel debilitas, maior, minorue, conſideratur.

Præterea dixit Galen. 3. meth. vlt. magna vlcera curari his quæ valenter ſiccant, parua autem vlcera curari his quæ moderate ſiccant. Quibus verbis nihil aliud inſinuat, niſi remedium vehemens indicari ab eſſentia vehementi; remedium debile, hoc eſt, moderate ſiccans, indicari ab eſſentia debili. Sed notent iuniores, vt recte & non in cortice intelligant Galenum, perpetuo auxilium vehemens indicari ab eſſentia vehementi: verum non credatis, dum Galenus hoc loco proponit magnum vlcus, & paruum vlcus, hæc eſſe indicantia. Qui in cortice ſeu ſuperficie volunt Galenum intelligere, affirmabunt, remedium vehementer ſiccans indicari a magno vlcere, debiliter ſiccans a paruo vlcere: ſed vtrunque eſt falſum: nam vlcus ſiue magnum ſiue paruum, vlcus, inquam, quomodocunque acceptum, eſt morbus: ſi morbus, ergo indicans curatorium; quare etiam remedium curatorium: at remedium ſiccans in vlcere ſiue intenſe, ſiue remiſſe, non eſt curatorium, ſed præſeruatorium, propterea quod remedium ſiccans reſpicit excrementum tenue vlceris, excrementum eſt illud quod indicat, nec eſt morbus, ſed cauſſa morbifica, eſt indicans præſeruatorium. Quare Galenus dum proponit magnum vlcus, & paruum vlcus, hæc proponit Galenus non vt indicantia, ſed vt ſigna, quæ ſigna nobis manifeſtant indicans præſeruatorium. Declaro: magnum vlcus ſignificat copioſum excrementum, ſignificat excrementum vehemens, ſignificat excrementum cuius eſſentia indicat remedium vehementer ſiccans: paruum autem vlcus eſt ſignum exigui excrementi, & proinde indicantis præſeruatorii debilis, quod indicat remedium ſiccans moderate.

Magnitudo & exiguitas vlceris non indicat, ſed manifeſtat cauſſam vehementiorem vel debiliorem.

Præterea fuit Galeni ſententia 14. meth. vlt. (& hanc auctoritatem propon•, vt quando exercebitis artem chirurgicam, ſciatis intelligere Galenum) ſanationem pterygii, id eſt vnguis in oculo, ſanationem, inquam, pterygii parui & mollis fieri per detergentia medicamenta; magni & duri per inſtrumenta chirurgica. Quid voluit quæſo ſignificare Galenus? Dum proponit medicamenta detergentia, proponit remedia debilia: dum proponit chirurgiam, remedia vehementia proponit. Quare neceſſarium eſt, vt hoc loco reperiatur indicans & debile, & vehemens. Quantum ad indicans debile; hoc ſignificat Galenus, quando propoſuit pterygium paruum & molle. At detergentia præſidia non indicantur a paruitate, non indicantur a mollitie; & ideo paruitas & mollities proponuntur a Galeno, vt ſigna debilis eſſentiæ, materiæ exſtirpandæ: namque vbi pterygium eſt paruum & molle, materiæ eſſentia eſt debilis; contra autem vbi pterygium eſt magnum & durum, opus eſt vehementi præſidio, opus eſt ferro ac chirurgia: ſed non indicatur a magnitudine & duritie remedium vehemens; ſed magnitudo pterygii duritieſque ſunt ſigna vehementis eſſentiæ.

Idem in pterygio monſtratur.

Gal. etiam 14. meth. 13. dicit: his conſiderationibus habitis, inuenies quando chirurgia & quando medicamentis vti liceat. Quibus verbis proponit Quid agendum ſeu remedium vehemens, quod ſignificat per ferrum, & chirurgiam: proponit debile, quod inſinuat per medicamenta. Hæc autem deſumuntur ſemper ab eſſentia: nam eſſentia vehementior indicat vehementius, debilis debile.

Quia autem perpetuæ veritatis eſt, remedium vehemens indicari ab eſſentia vehementi; non modo vtile, verum etiam neceſſarium erit, cognoſcere, quidnam intelligere oporteat per vehementiam & magnitudinem indicantis: ſine qua doctrina non eſt poſſibile callere methodum medendi. A quo fuerit expoſita hæc veritas, teſtor Deos me ignorare. Paſſim loquitur Galenus de vehementia indicantium: & modo vna ſententiam, modo aliam proponere videtur. Nam 4. meth. vlt. dicit, vehementiam eſſe capiendam ex dignitate, & propriis ſubſtantiis, loquitur in numero plurali. lib. 9. meth. 13. dicit vehementiam

Doctrina de indicantium vehementia difficilis eſt: quod varius hac in re Galenus videatur.

capi a dignitate,a magnitudine & a propria ſubſtantia; non dicit a propriis ſubſtantiis, ſed a propria ſub- A
ſtantia.lib.11.meth.c.3.dicit,vehementiam capi a dignitate & magnitudine; & explicans, quid intelligere
oporteat per dignitatem,ſubdit,ſiue vitæ,ſiue ſanitatis:magnitudinem vero ait intelligendam, vel ratio-
ne propriæ ſubſtantiæ,vel ratione declinationis a naturali habitu.

Vehementia eſt abſoluta,vel relata:

Vt intelligantur hæ auctoritates,& reliquæ omnes a Galeno propoſitæ,ſcire oportet,vehementiam
indicantis eſſe vel Abſolutam,vel Reſpectiuam.Per abſolutam vehementiam intelligo, quando indicans
ſ. orſum conſideratur,hoc eſt,quando non comparatur cum alio indicante. Contra,vehementia reſpe-
ctiua eſt,quando vehementia vnius indicantis,confertur cum vehementia alterius indicantis.

abſoluta, ſimpliciter, vel ſecundũ quid:

Vehementia abſoluta alia eſt vehementia ſimpliciter accepta & propria ratione, alia vero ſecun-
dum quid,hoc eſt,non propria ratione,ſed ratione alterius: Do exemplum. Cancer eſt affectus ſimplici- B
ter vehemens;quia ſecundum propriam eſſentiam,& in qualibet parte, cancer ſemper eſt affectus vehe-
mens: puſtula vero eſt affectus vehemens ſecundum quid; nam puſtula in cute eſt affectus debilis, at ſi
fuerit in parte nobili,id eſt,in iecore,in pulmone, puſtula eſt affectus vehemens ſecundum quid, hoc eſt,
ratione loci affecti. Hinc Galenus quarto methodi ſeptimo,reſpiciens ad vehementiam ſecundum quid,
propoſuit partis præſtantiam:quam propoſuit etiam ſeptimo methodi duodecimo.

ſimpliciter abſoluta, actiuitatis, vel reſiſtentiæ.

Ceterum vehementia abſoluta ſimpliciter, eſt Actiuitatis, vel Reſiſtentiæ, verbi gratia. febris ar-
dens eſt vehemens, & vehementiam obtinet abſolutam ſimpliciter,ſed ratione actiuitatis. Ratione reſi-
ſtentiæ vehementiam obtinet vlcus contumax,& materia dura.

Galeni teſtimonio diuiſio illa vehementiæ adſtruitur.

Huc reſpiciens Galenus c.6.l.4.meth.ait,omnem morbum grauem cenſeri, aut propter præcellen-
tiam partis,aut propter affectus magnitudinem, aut propter ipſius cacoethiam. Per partis præſtantiam, C
inſinuat vehementiam ſecundum quid, hoc eſt, ratione partis præſtantis. Per affectus magnitudinem,
ſignificat vehementiam ſimpliciter ratione actiuitatis. Per cacoethiam, manifeſtat vehementiam ſim-
pliciter ratione reſiſtentiæ: quæ enim ſunt cacoethe, ſeu mali habitus, ſunt difficilis curationis,ſummæ-
que reſiſtentiæ.

I. Abſoluta indicantis vehementia,eſt eſſentia eiuſdem ſubalterna,vel ſpecifica: nunquam generica.

Quia igitur a vehementia indicatur Quid agendum:neceſſarium eſt,vt vehementia ſit eſſentia. Et
cum indicantis eſſentia ſit triplex, generica, ſubalterna & ſpecifica: vehementia indicantis nequaquam
poteſt eſſe eſſentia generica,ſed ſubalterna,& ſpecifica. Declaro. Subalterna duplex eſſe poteſt:vel enim
eſt magis proxima genericæ,vel eſt magis vicina ſpecificæ. Vehementia pertinens ad eſſentiam ſubalter-
nam,ſed proximam genericæ,eſt vehementia,quam Gale. locis citatis dignitatem vocauit;vehementiam
enim deſumſit ex dignitate. Vehementia ſpectans ad eſſentiam ſubalternam, ſed proximam ſpecificæ, D
eſt illa,quam nuncupauit propriam eſſentiam ſiquidem vehementiam accepit a propria eſſentia. Vehe-
mentia tandem pertinens ad eſſentiam ſpecificam, eſt illa, quam Galenus locis citatis accipit penes de-
clinationem a naturali habitu.Quare vehementia pertinet ſemper ad eſſentiam ſubalternã ac ſpecificam.

Exempla triplicis abſolutæ vehementiæ.

Quoniam vero ſunt fundamenta huius artis:libet dare exemplum de quolibet indicante; nimirum de
morbo,de cauſſa,de virtute:& quidem exempla proponemus,in quolibet genere,triplicis abſolutę vehe-
mentiæ,ſubalternæ videlicet tum prioris,tum poſterioris,ac tandem ſpecificæ.

1. Morbi exemplum.

Quantum attinet ad morbum:febris,conſiderata vt morbus,vt quid præter naturam,& proinde ſe-
cundum eſſentiam genericam;nõ eſt vehemens,nullam habet vehementiam præter naturam:& propter-
ea recte dictum eſt, vehementiam non eſſe eſſentiam genericam. At ſi capiatur febris,vt morbus totius

Prima vehementia.

corporis;febris eſt vehemens,ſed ſecundũ eſſentiam ſubalternam,quæ eſt proxima genericæ.Et ideo dum E
accipimus febrim,vt eſt morbus totius, & vt a morbo totius læduntur omnes actiones naturales; ſecundũ
hanc rationem febris eſt morbus vehemens:ſed hæc vehementia vocatur a Galeno dignitas,eſt vehemen-
tia quæ accipitur a dignitate,& pertinet ad eſſentiam ſubalternam,magis proximam genericæ.

Secunda.

Secundo,ſi accipimus febrim,vt eſt febris ardens; hæc eſt vehementia, quæ pertinet ad eſſentiam
ſubalternam, ſed quæ accedit ad eſſentiam ſpecificam: & hæc eſt illa vehementia, quam vocauit Gale-
nus propriam eſſentiam: propriam,ad differentiam illius ſubalternæ, quæ magis accedit ad genericam.

Tertia.

Tertio ſi capiatur febris ardens,ſed in corpore ſenili; hæc eſt vehementia, quæ ſpectat ad eſſentiam
ſpecificam:quam ſignificat Gal.per declinationem a naturali habitu.Dum enim eſt febris ardens in ſene,
ſeu corpore frigido, eſt ſummus receſſus, & propterea eſt vehementia ſecundum eſſentiam ſpecificam, F
quæ ſumitur a declinatione, a naturali habitu.

II. Cauſſæ exemplum. Prima.

Si de cauſſa,ſeu indicante præſeruatorio ſit ſermo,verbi gratia,de ſanguine:ſanguis, vt præter natu-
ram,non habet in ſe vehementiam;& ideo recte diximus, vehementiã non pertinere ad eſſentiam gene-
ricam.Si deſcendendo ſanguis perpendatur vt materia morbifica, ad differentiam materiæ excrementi-
tiæ:ſecundum hanc eſſentiam ſubalternam;quæ eſt proxima genericæ,locum habet vehementia,quæ ac-
cipitur ex dignitate.

Secunda.

Si magis deſcendamus,ad eſſentiam ſubalternam,ſed magis proximam ſpecificæ, & conſideremus,
verbi gratia,ſanguinem eſt eſt putridus:vehementia erit ex propria eſſentia.

Tertia.

Tertio,ſi deſcendamus ad eſſentiam ſpecificam,& conſideremus ſanguinem,exempli gratia,vt eſt pu-
tridus in ſummo:[dantur enim gradus in putredine;datur maior,& minor declinatio a naturali ſtatu ſan- G
guinis.]erit vehementia ſecundũ eſſentiam ſpecificam,quam deſumſit Gal. declinatione,a naturali ſtatu.

III. Virtutis exemplum. Prima.

Indicans vitale,ſeu virtus,ſi accipiatur ſecundũ eſſentiam maxime genericã, vt eſt quid ſecundũ na-
turam, & diſtinguitur a re præter naturã:ſecundum hanc eſſentiã non eſt vehemens,id eſt,hęc eſſentia nõ
eſt vehemens:perpetuo enim generica eſſentia nõ indicat auxilium vehemẽs. Si deſcendamus ad eſſentiã
ſubalternam, & conſideremus virtutem ſeu vires ſecundum naturam quæ conſeruat vitam: ſecundum
hanc eſſentiam ſubalternam, virtutis eſſentia eſt vehemens: ſed hæc vehementia pertinet ad dignitatem.
Si

Si descendamus, & perpendamus virtutem vt dissipatur, vt est facilis dissipationis, vt v.g. in puerili Secunda.
ætate: hæc est essentia subalterna, quæ vergit ad specificam, & desumitur a propria essentia.
Postremo, si capiatur virtus in puero molliori: (quia datur latitudo in puerili ætate) secundum hanc Tertia.
rationem virtutis essentia est essentia specifica, quæ desumitur ex magnitudine declinationis: & hæc est
summa declinatio virtutis.

Hactenus de absoluta indicantis vehementia. Respectiua vehementia est, quando vehementia vni-
us indicantis, confertur cum vehementia alterius indicantis. Quare, vbi vnum saltem est indicans, respe-
ctiua vehementia locum non habet, sed necessario in pluribus indicantibus. Hinc Galen. c. 10. l. 10. meth.
ait; si vnus in corpore affectus sit, eius curationem, si non ratione, certe experientia haud difficulter inue-
B niri: [Notandum tamen, hanc ipsam etiam curationem, si ratione institui debeat, arduam fore: cum diffi-
cile sit, vt alibi Galenus affirmat: gradum cognoscere, a cuius gradus essentia sumitur indicatio.] vbi vero
connexi plures sint affectus. & præsertim contrarii, curationem & ratione & experientia accidere diffi-
cilem. Duplex autem est difficultas: Prima, quia difficile est nouisse cuiusq; affectus essentiam, a qua sumi-
tur indicatio. Secunda difficultas est: quia, cum Galeno loco citato, cognoscere oportet, ex pluribus affe-
ctibus, quem primum omnium, aut magis, quem rursus minus, aut secundo, aut tertio loco curare opor-
teat. Et in hoc est magna difficultas.

Quare in mixtis affectibus oportet cognoscere, quæ vis, quæ essentia, quæ vehementia sit intensior, Respectiua
quæ remissior: nam essentia quæ est intensior, habet rationem prohibentis: quæ vero remissior, habet ra- vehementia
C tionem permittentis. intensior

Hoc igitur fundamentum memoriæ est mandandum: idem indicans, idem (inquam) secundum es- prohibet,
sentiam absolutam, rationem habere indicantis; & idem prorsus, (nec enim sunt multiplicanda indican- remissior
tia in hac methodo) secundum essentiam respectiuam, secundum essentiam comparatam ad essentiam permittit.
alterius indicantis, habere rationem vel prohibentis, vel permittentis. Habet rationem prohibentis, si es- Πορίσμα.
sentia respectiua est intensior: habet rationem permittentis, si essentia respectiua est remissior.
Quare tria tantum dantur indicantia: tria quoq; prohibentia: tria tantum permittentia.
Et morbus secundum essentiam absolutam est indicans, secundum respectiuam vehementiorē pro-
hibens, secundum respectiuam remissiorem permittens. Idē prorsus est statuendū de caussa, & de virtute.
Comprobantur hæc omnia Galeni auctoritate 8. meth. vlt. qui locus non est vsque adeo facilis: vbi In pluribus
dicit Galenus in contrariis indicationibus, si quis indicationum potestatem non examinet, eum non pos- indicatio
D se mensuram victus medicinalis inuenire. Ex quo colligatis, summe esse necessarium, in pluribus affecti- nibus singu-
bus, & contrariis indicationibus, perpendere omnium potestates. lorum ve-
Quo in loco Gal. quid intelligat per mensuram, nimis ego libenter ab aliis intelligerem: dicam quod hementia
sentio. Puto ego, (locus est difficilis, & non pōt recte curari febris, nisi bene intellecta illa auctoritate) per perpenden-
mensuram seu gradū victus non intelligi Quantum agendum, sed Quid agendum, & Quid agēdum, quod da.
est mixtū ex vitali indicato, & indicato curatorio. Declaro. Est mixtum ex indicato vitali: quia Gal. accipit
indicationem a tēperatura: (& hoc nunc supponatis: in sermone autē de virtute seu de indicante vitali, o-
stendam euidēter, quod temperatura quæq; nihil aliud sit quam essentia virtutis) nam cū indicatio capia-
tur ab essentia indicantis, Gal. 8. meth. vlt. per mensuram victus intelligit indicatū vitale, vt indicatur a tē-
E peratura. Intelligit ēt per mensuram victus, indicatum curatorium, vt indicatur ab essentia febris, vt indi-
catur ab indicante curatorio. Et propterea hoc indicatum est mixtum, non simplex.

Horum autem duorum indicantium essentia est vehementia respectiua, quæ vehementia respecti Plura indi-
ua dupliciter potest considerari: Prout scilicet hæc duo indicantia, hoc est, vitalia, & curatoria, vel consen- cantia vel
tiunt, vel discrepant. consentiūt,
Si consentiant hæc duo indicantia, nimirum temperatura hominis febricitantis, & febris: hæc vehe- vel Discre-
mentia indicat victum medicinalem intensiorem, hoc est, magis intense refrigerantem. Et ideo dicit loco pant.
citato Galenus, si febricitantis ætas, temperatura, consuetudo, & aer in quo degit, omnia ita fuerint com- Consensus
parata, vt indicent auxilium frigidum, quemadmodum etiam indicatur a febri: tunc oportet exhibere vi- indicantiū,
ctum magis frigidum: quia est concordia inter febrem, ætatem, consuetudinem, & reliqua. intendit ve-
F Si autem sit discrepantia inter indicantia; animaduertendum, quantum attinet ad virtutem, quæ est hementiam
indicans vitale, an adsit temperies, vel intemperies; hoc est, an v.g. Socrates febre detentus, sit vel tempera- indicati.
tus, vel distemperatus: sermo autem est de complexione secundum naturam.
Si fuerit temperies: virtutis essentia nequaquam est vehemens, proinde virtus negligitur: quia adest
temperies, quæ est signum debilis essentiæ virtutis. Hinc dicit Galenus loco citato, in temperatura medio-
cri, id est, vbi non est intemperies, victum esse exhibendum frigidū, vt indicatur a febri. Ecce hæc est men-
sura victus, hic est gradus victus refrigerantis: vt exhibeatur victus ita frigidus, vt indicatur a febre; quia
virtus despicitur, & virtus solum permittit.
Si vero ex parte virtutis fuerit intemperies, ac discrimen indicantium, virtutis nimirum & febris:
indicetur victus remissior, seu minus frigidus, quam indicetur a febre. Ratio iam dictorum est: quia vbi
G sunt indicantia contraria, est necessarium, vt fiat aliqua refractio, aliqua remissio. Si ergo contrariorum
indicantium in febri vis est par ac æqualis: indicatur victus medius inter frigidum indicatum a febre, & ca-
lidum indicatum a virtute. Si autem vis ac potentia contrariorum indicantium sit impar: indicatur victus Cōtrarietas
medicinalis a medio tantum recedens, quanto est maior vel minor vis indicantium. indicantiū,
Si tria indicantia (quia plura non dantur) sint paria in vehementia, hoc est, morbus, caussa, & virtus: remittit ve-
virtus superat reliqua, morbum videlicet & caussam, & magis est consulendum virtuti quam reliquis. Id hementiam
quod cōprobatur Galeni auctoritate 9. meth. 13. vbi ait (respiciens ad indicantia) primam indicationem indicati, vel
æqualis, vel
intensionis.

ſumi a virtute; proximam primæ ſumi ab aff.ctibus quos curare proponimus;poſtea deinceps reliquas. A
Quomodo hæc eſt intelligenda auctoritas?Notate Galenum quatuor proponere: vnum proponit, dum
inquit,primum indicatum ſumi a virtute:quia virtus(ſi cetera ſint paria) eſt regina omnium indicãtium.
Deinde alia duo proponit,quando ait,proximam indicationem ſumi ab affectibus:nam per affectus in-
telligit duo indicantia,hoc eſt,morbum,ſeu indicãs curatorium,& cauſſam,ſeu indicans præſeruatorium.
Quod ſit verum;ſubdit:datur affectus qui vacuationem requirit:qui affectus non eſt morbus, ſed ex ne-
ceſſitate cauſſa:cum nullus morbus indicet vacuans,ſed ſola cauſſa.Recte igitur dicit Galenus proximam
indicationem primæ peti ab affectibus,hoc eſt,a morba & cauſſa. Quartũ deinde proponit Galenus, dum
dicit;*poſtea deinceps reliquas.* Quid voluit per hoc deinceps?cum ſint tria tantum indicantia,hoceſt,virtus,
morbus & cauſſa;& hæc tria propoſuerit Galenus?Per hæc quæ ſunt deinceps, non poteſt intelligere in- B
dicantia,ſed ſigna connotantia, nequaquam indicantia : quæ ſigna ſunt indicantium,nimirum virtutis,
morbi vel cauſſæ. Galenus igitur ponens indicantibus ſedes, primum locum tribuit virtuti,ſecundum
morbo & cauſſæ,tertium locum his quæ deinceps,hoc eſt,ſignis.Et ratio eſt manifeſta : quia virtus (dũ o-
mnia ſunt paria) eſt præferenda omnib.indicantibus:ſecundum locũ debent obtinere morbus,& cauſſæ,
quia ſunt indicantia;tertium locum reliqua,quia ſunt ſigna. Signa verò hæc, quæ ſunt deinceps, vel ad-
uerſantur viribus, vel non aduerſantur. Si aduerſantur, ſecundi ſunt loci,& vires primi. Si non aduerſan-
tur,ſed cum viribus conſentiunt: referunt vtrumque,calculum,hoc eſt,obtinent primam ſedem & ſecun-
dam. Declaro. Si conſentiant cum viribus,hoc eſt,ſi ſint ex parte virium,ætas,temperatura & reliqua:ob-
tinent primum locum,quia ſunt ſigna virtutis; ad differentiam illorum,quæ ſunt ſigna morbi vel cauſſæ.
Si autem ſint ſigna morbi,vel cauſſæ, tunc habent ſecundum ſeu poſteriorem locum. Ratio in promtu: C
nam hæc ſigna habent vtramque ſedem; primam quidem vt ſunt ſigna virtutis,ſecundam vt ſigna mor-
bi vel cauſſæ.

Si impar vehementia virtutis, morbi,& cauſſæ:intenſiori attendendum

Si imparia quod vehemẽtiam ſint tria indicantia:virtus modo reliqua ſuperat,modo a reliquis ſupera-
tur. Quod cognoſcẽs Gal.10.meth.1.inquit:expedit primam cauſſam,& febrem profligare,ſi virtus ſit ro-
buſta. Ecce quemadmodum primum locum habet morbus, & cauſſa; poſteriorem virtus, vbi eſt robuſta.
Rurſus dicit Galenus,primo roboranda eſt virtus, ſi eſt debilis. Præterea Galenus dicit 9.meth.7.indica-
tionem ſumtam a virtute,ſæpe eſſe maxime neceſſariam,aliquando mediocriter neceſſariam,quandoque
ita deſpici,vt prorſus vtilis non ſit. Deſpicitur autem virtus, quando vehementia ſeu eſſentia virtutis re-
ſpectiua eſt admodum remiſſa,contra intenſa eſſentia morbi, vel cauſſæ: quod ſane eſt, dum morbus eſt
vehemens,dum cauſſa eſt vehemens,& virtus eſt robuſta. Quare virtutis eſſentia dicitur vehemens, dum D
virtus eſt debilis:contra vero eſſentia virtutis dicitur debilis,vbi virtus eſt robuſta: & ob id virtus robuſta
permittit,debilis prohibet.

Vehementia cauſſæ plerumque maior, quã morbi.

Hactenus patet quid ſtatuendum ſit de vehementia trium indicantium,inuicem collatorum. Si ve-
ro,neglecta virtute,inuicem cõferamus morbum & cauſſam,ac perpendamus vehementiam tantum re-
rum præter naturam,hoc eſt,morbi,& cauſſæ:cum Galeno decimo meth.primo, plærunq; eſt vehemen-
tior cauſſa;quandoq; morbus,ſed plerunq; cauſſa:ratio eſt:quia, verbi gratia,febris,quę eſt morbus foue-
tur a cauſſa:ergo cauſſa,quia fouet morbum,habet rationem magis vehementis. Præterea,ſi febris ſit ve-
hemens,eſt vehemens dum ſit a cauſſa calida:rationi quippe conſentaneum eſt, caliditatem febrilem eſſe
intenſiorẽ ſi fiat a cauſſa calida,quam ſi a frigida:ita,verbi gratia, febris bilioſa eſt vehemens febris, pitui- E
toſa eſt remiſſę caliditatis. At cauſſa,hoc eſt,materia,vehemens eſſe poteſt,ſiue ſit calida ſiue frigida.

Hæc de vehementia indicantium.

Num partis affectæ profundus ſitus indicet vehemens remedium.

Videntur autem interdum valida ſeu vehementia remedia indicari,a ſitu partium profundo: c.vlt.l.
4.meth.c.1.l.5.meth.c.89 artis medicinal.ita vt vehementia remedia non ſemper videantur indicari a ve-
hementia morbi,cauſſæ vel virtutis:ſed etiam a profundis partibus. Reſpõdendum eſt, hanc quæſtionem
non pertinere ad methodum curatiuam,quã in præſentia profitemur,ſed eſſe extra methodum, & perti-
nere ad methodum de medicamentis. Declaro:vt ſciatis intelligere Galeni auctoritates, & non cõfunde-
re. Morbus v.g.indicat remedium vt duo in ſecundo gradu:ſi noueritis ex cognitione medicamentorum,
medicamenti vim in tranſitu remitti ac hebetari,eligetis medicamentũ aliquod intenſius,quod non mo-
do ſit calidum vt duo,ſed vt tria;quia in tranſitu ſeu itinere poteſt remitti vnus gradus. Et,ſi cognoſcetis ex F
doctrina ſimplicium medicamentorum,in tranſitu non remitti gradum,ſed remitti manſionem: eligetis
medicamentum in eodem gradu,ſed in maiori ac vlteriori manſione. Quod ſi non fuerit copia ſimplicis
talis medicamenti:ſecundum methodum componendi medicamẽta eligetis medicamentum, quod cum
alio permiſcebitis,vt ſurgat tale medicamẽtum,quod,dum in profundas partes perducitur,ita agat, vt ſu-
peret morbum. Et ideo illæ auctoritates noſtris dictis non aduerſantur: quia ſunt extra methodum me-
dendi.

Indicatiõ vehiculi remedii, non eſt huius methodi.

Idem ſtatuendum eſt de vehiculo:de quo loquens Gal.4.meth.vlt.dicit:in viſceribus pulmonum, &
pectoris,& renum,opus eſſe vehiculo:nam cum ratione vlcerum opus ſit medicamentis ſiccantibus, quæ
auſtera ſunt;ne hæc morentur in ventriculo,ideo egemus vehiculo. Hinc Galenus in vlceribus pectoris G
miſcet mel,in renum vlceribus diuretica. Sed hæc pertinent ad methodum medicamentorum.

Capvt XI.

Qua ratione morbus indicet remediorum adminiſtrationem: & primum quod a morbi actione indicetur Quantitas remedii.

Quomodo morbus indicet vſum præſidii quadruplicem.

HVcuſque docuimus quomodo morbus indicet Quid agendum, ſeu præſidium: reſtat vt explicemus,
quomodo morbus indicet Rectam adminiſtrationem præſidii,hoc eſt, Quantum, Quomodo, Quando &

to,& Vbi. Quæ ſane cum quatuor ſint indicata, & vnam non niſi ab vno indicetur; neceſſarium eſt, vt in morbo ſint quatuor indicantia, quæ eſſentiam morbi conſequuntur: nam a morbi actione indicatur Quantum agendum, a paſſione Modus, a præſentia Quando, a ſubſiſtentia Vbi. Et licet hæc veritas locum habeat in quolibet indicante; ſat tamen ſit in præſentia hæc applicare morbo. Supponere autem oportet (quemadmodum ſuo loco fuit declaratum) hæc quatuor non pertinere ad morbi eſſentiam, quia eſſentia nihil aliud indicat, quam Quid agendum, ſed pertinere ad illud quod conſequitur, quod quadruplex eſt, vt ſuo loco fuit explicatum.

Primum ergo quoad Quantum agendum, per quantitatem intelligimus doſin materiæ remedii, indicati a morbo, verbi gratia, febris indicat frigidum, cuius materia eſt lactuca; doſis autem lactucæ eſt Quantum agendum. Eſt ideo Quantum agendum reſpicit materiam remedii, indicati ab eſſentia indicantis, non autem ipſum indicans. Non ergo confundendum eſt præſidium, ſeu Quid agendum cum vſu: verbi gratia, frigidum vt duo non eſt Quantum agendum, ſed Quid agendum ſpecificum, cuius materia exempli gratia, eſt lactuca: Quantum vero eſt ipſa doſis lactucæ.

Quantitas eſt doſis materiæ præſidii.

Notandum autem, dicere Galenum 5. meth. 4. in duris corporibus ad hæmorrhagiam plus aloes eſſe miſcendum, in mollioribus corporibus plus thuris. Quod dictum nõ pertinet ad rem noſtram, ſed potius ad compoſitionem medicamentorum. Hoc admonere volui, ne credatis Quantum agendum fumi a duritie, vel mollitie corporum. Ibi igitur proponit quantitatem & aloes, & thuris, non reſpiciens ad methodum medendi, ſed ad methodum componendorum medicamentorum.

Quantitas in compoſitione medicamentorum conſideranda, huius loci non eſt.

Intelligatis igitur per Quantum agendũ doſin materiæ, lactucæ, endiuiæ. Et oportet ob id per quantitatem intelligere, quantitatem continuam, non quantitatem diſcretam. Ego dico quod ſentio: vos iudicabitis. Excluditur quantitas diſcreta: nam, ſi, verbi gratia, vti voluerimus lactuca pluribus vicibus, hoc non pertinet ad Quantum agendum; ſed ad Quando agendum: in febris, verbi gratia, vti volumus lactuca, et vtimur pluribus vicibus, nimirum bis, ter, quaterue, quia prima vice non eſt expugnata febris, ſed perſeuerat febris præſentia, ob quam præſentiam rurſus vtimur lactuca, præſentia vero non indicat Quantũ, ſed quando agendum: quare per quantitatem oportet intelligere continuam, non diſcretam.

Continua heic quantitas: non diſcreta.

Hæc autem doſis eſt ſumma, mediocris, & minima: ſumma doſis indicatur a ſumma actione morbi, mediocris doſis a mediocri actione morbi, minima doſis indicatur a minima actione indicantis.

Varia quãtitas, a varia morbi actione.

Sed animaduertite, ſi quandoque contingat ſummam eſſe actionem morbi, vt propterea indicetur ſumma doſis: non licere tamen ſemper medicamentum adminiſtrare in ſumma doſi, quia præter actionem ſummam indicantis, requiritur etiam virtus permittens, virtus robuſta.

Summam doſin non niſi virtus robuſta permittit.

Hanc veritatem explicauit Galenus nono meth. cap. decimoquarto: licet illa auctoritas poſſit duplicem ſenſum habere. Dicit Galenus: quantitatem accipere oportet ex conferendo morbum cum naturali habitu, vt quantum febris a naturali habitu receſſerit, tantum oporteat refrigerare. Primus ſenſus, qui mihi nõ diſplicet, eſt, Galenum verſari circa Quid agendum ſpecificum ſeu determinatum, quod indicatur a gradu morbi, qui gradus cognoſcitur ex naturali habitu; ideoque ſignificare velle Galenum, opus eſſe tantum refrigerare, (in ſecundo gradu, verbi gratia,) prout factus eſt receſſus a naturali ſtatu. Secundus ſenſus eſſe poteſt, (ſi admittamus Galenum verſari circa Quantum agendum ſeu circa doſin materiæ) ea quantitate materiam eſſe adminiſtrandam, prout indicatur ab actione, hoc eſt, prout actio eſt magis vel minus intenſa: quam intenſionem & remiſſionem indicat, tanquam ſignum, receſſus a naturali ſtatu: nam quanto maior eſt receſſus, tanto hic receſſus eſt ſignum intenſioris & vehementioris actionis.

Vnde iuniores hoc memoriæ mandent; vnum non niſi tantum vnum indicare: ſed vnum poſſe & indicare Quid agendum, & eſſe ſignum alterius indicantis, verbi gratia, receſſus a naturali ſtatu indicat remedium Quid agendum in tali gradu; idem receſſus poteſt eſſe ſignum alterius indicantis, nimirum actionis, quæ indicat Quantum agendum.

Idem poteſt eſſe indicans, & ſignum alterius indicantis.

Capvt XII.

Quod a morbi paſſione Modus vtendi indicetur.

De morbo diximus, qua ratione concurrat ad indicandum Quantitatem agendi: ſequitur ergo, vt ſermo fiat pariter de morbo quatenus indicat Quomodo agendum.

Modus agendi cum ſit pars rectæ adminiſtrationis, pertinet ad materiam remedii. Multiplex autem poteſt eſſe hic modus: nam pertinet vel ad Subſtantiam, vel ad Qualitatem materiæ. Ad ſubſtantiam, vt quando vtimur lactuca vel in ſubſtantia ſolida, vel in ſubſtantia fluida; quemadmodum & vtimur quandoque rhabarbaro in ſubſtantia ſolida, vt pillulis, quandoque in ſubſtantia liquida. Qualitas vel eſt Alteratiua, vel Motiua. Quoad qualitatem alteratiuam, vti poſſumus lactuca, actu calida, vel frigida: lactuca potentia eſt frigida, ſed actu adminiſtrari poteſt modo calida, modo frigida. Quoad qualitatem motiuam, poſſum vti lactucæ decocto, vel in modum ſtillicidii, vel citra ſtillicidium applicando lactucam. Conſtat igitur quid intelligere oporteat per modum agendi.

Modus agendi quid.

Hic modus agendi eſt indicatum; ergo debet indicari ab aliquo indicante. Hoc indicans nequaquam poteſt eſſe eſſentia morbi: quia morbi eſſentia ſiue generica, ſiue ſpecifica, quomodocunq; capiatur, nihil aliud indicat, quam Quid agendũ: modus agendi nõ eſt Quid agendũ, & ob id nõ poteſt indicari ab eſſentia: indicatur ergo ab eo quod conſequitur eſſentiam morbi: hoc autem non eſt actio, quia vnum non niſi vnũ indicare poteſt, actio indicat quantũ: eſt ergo morbi paſſio, a qua indicatur modus agendi. Fundamẽtũ huius veritatis eſt: propterea quod medicamentũ vario modo agit, hoc eſt, modo magis, modo minus efficaciter agit, prout vario modo adminiſtratur, v. g. medicamentum refrigerans efficacius agit, ſi actu

Paſſio morbi indicat modum agendi.

frigidum adminiſtratur:ad eundem modum medicamentum calefaciens efficacius calefacit, ſi actu calidum adminiſtratur:& ſic de reliquis. A

εὐαισθησία non indicat modum vtendi,

Galenus lib.13.meth.cap.vltimo dicit:ſi membrum fuerit exquiſiti ſenſus, vt oculus indicatur medicamentum lene,non aſperum. Qui in ſuperficie legit Galenum, & rei naturam ſpernit,dicit,medicamentum lene,& non aſperum indicari ab exquiſito ſenſu.Galenus dicit,ſi fuerit exquiſiti ſenſus,ſicuti oculus,oportet vti medicamento leni.Quare modus agendi non indicatur a paſſione,ſed ab exquiſito ſenſu:quod falſiſſimum eſt.Quare locus ille ita eſt intelligendus,vt ſpectet non ad methodum curatiuam,ſed ad methodum componendorum medicamentorum;oportet vt artifex,qui medicamenta conficit,ita cõponat,vt non ſint aſpera,ſed optime lenia,gratia exquiſiti ſenſus oculi.Et ideo illa auctoritas ſententiam noſtram non euertit. B

Embrochæ forma oculo non conuenit.

Si deſideratis Gal.auctoritatem,in qua reſpicit ad modum agendi:videatis Gal.13.meth.vlt. vbi ait: ſi medicamentum humidum eſt adminiſtrandum,ex alto effunditur,dum eſt malum cerebri, non oculi. Voluit ſignificare Galenus,ſi medicamentum actu humidum ſit adminiſtrandum, in modum ſtillicidii, conuenire in malis cerebri,non autem in morbis oculi.Ratio eſt:quia virtus cerebri permittit,virtus oculi prohibet.Declaro.Medicamentum in modum ſtillicidii,indicatur & in morbo cerebri, & in morbo oculi,quantum ſpectat ad paſſionem indicantem. Do exemplum, propter iuniores:verbi gratia,ſit intemperies frigida in habitu,cuius paſſio ſit difficilis:& hæc intemperies frigida occupet cerebrum,occupet etiam oculum.Ratio demonſtrat,vt & ratione intemperiei frigidæ cerebri,& ratione intemperiei frigidę oculi,vtamur medicamento calido,in modum ſtillicidii:quia in vtroq; morbo paſſio eſt difficilis.Veruntamen præter indicans requiritur etiam permittens. Vis autem cerebri permittit ſtillicidium : virtus oculi prohibet. Hanc veritatem proponit Gal.loco citato:vbi dicit eſſe vtendum medicamento,quod ex alto cadit,in morbis cerebri:quia in capite eſt oſſea ſubſtantia & ſanitas.Vnde qui eſſent imprudentes,& addicti ſolum verbis Galeni,ſtatim dicerent,oſſeam ſubſtantiam cranii,& ſanitatem cranii permittere: quod eſt falſum;quia vnica virtus permittit,vnica virtus prohibet in oculo.Declaro:oſſea ſubſtantia,eſt ſignum virtutis permittentis;nam dum cerebrum eſt affectum intẽperie frigida, & ſtillicidium adminiſtratur ſupra futuram coronalem:virtus(quia adeſt oſſea ſubſtãtia)permittit.Sanitas etiam a Galeno propoſita eſt ſignum virtutis permittentis:vnde ſanitas non permittit,ſed eſt ſignum virtutis:namq; cum ſanitas ſit in parte ſana,nõ lædit;& idcirco hæc ſanitas eſt ſignum virtutis permittẽtis.Et propter iuniores declaro. Sit aliquis affectus intemperie frigida in habitu,ſecundũ ſubſtãtiam cerebri:huius paſſio indicabit ſtillicidiũ: ſed cõtingit,vt ſecundum cutim,pertinentem ad futuram coronalem,ſit vlcus;quomodo poteritis vti ſtillicidio?propterea quod non adeſt ſanitas,adeſt ægritudo,& vlcus,quod vlcus eſt ſignum virtutis prohibẽtis.Quantum attinet ad oculum:dicit Galenus loco citato,non eſſe vtendum ſtillicidio in morbis oculorum,quia ſubſtantia eſt mollis:& ideo dicatis,ſtillicidium non prohiberi a mollitie oculorum,non prohiberi ab ægritudine oculorum;ſed dicatis,hęc duo eſſe ſignum virtutis prohibentis ſtillicidium:nam ſcillicidium non indicari ex paſſione morbi oculorum. C D

In hepatitide non applicanda actu frigida.

Præterea dicit Gal.13. meth. 12. ſi hepar inflammatione laborare incipiat,medicamentum actu frigidum non applicabitis:at ſi artus,vel crura,vel brachia laborare incipiant inflammatione, licet applicare medicamentum actu frigidum.Vnde in inflammatione iecinoris non applicabitis actu frigida:applicabitis in inflammatione brachii. Declaro hæc verba. Loquitur hic Gal.de recta adminiſtratione,hoc eſt,de modo,ſecundum quem debet adminiſtrari medicamentum reprimens:qui modus a nullo alio indicatur, quam a paſſione materiæ reprimendæ.Et licet hic modus ſit potius indicatũ præſeruatorium,quam curatorium:libet tamen,clarioris doctrinæ gratia,hoc in loco proponere.Loquitur ergo Gal.de modo ſecundum quem in inflammatione debet adminiſtrari medicamentum reprimens : qui modus a nullo alio poteſt indicari,quã a paſſione materiæ reprimendæ.Et poſſibile eſt,vt, quantum attinet ad materiam reprimendam,in hepatis tum brachii inflammatione, materia adſit reprimenda, cuius paſſio ſit adeo difficilis, vt indicet reprimens actu frigidum:medicamentum autem reprimens,quo frigidius eſt (non modo potentia,ſed actu)eo valentius reprimit:quare reprimens actu frigidum ita poteſt indicari a paſſione materiæ,in inflammatione hepatis,ſicuti ẽt a paſſione materiæ in inflãmatione brachii.Et ob id Galenus, loco citato,reſpicit non ad indicans,ſed ad prohibens,& permittens;vt prohibens locum habeat in inflammatione iecinoris,permittens autem in inflammatione brachii.Declaro.Virtus eſt quæ poteſt prohibere & permittere: virtus hepatis prohibet; quia calor naturalis hepatis non poteſt ſuſtinere actu frigidum : non prohibet autem virtus brachii;propterea quod in brachio naturalis calor permittit actu frigidum.Statuatis igitur modum agendi indicari tantum a paſſione morbi,quemadmodum dictum eſt a Galeno. E F

CAPVT XIII.

Tempus agendi indicari a morbi præſentia.

Per Quando agẽdum quid intelligendum, in vna materia,& pluribus: vnicaque vel pluribus. affectibus.

QVando agendum, ſiuę tempus opportunum poteſt accipi,vel ratione Vnius materiæ medicinalis,vel ratione Plurium:&,ſi ratione plurium,vel in Vnico affectu,vel in Pluribus.

Declaro. Cauſſa vnius materiæ;vt,quando inſtitutum noſtrum eſt aquam frigidam exhibere. Et hoc Quando agendum Galeno lib.ad Thraſybulum cap.37.duplex eſt; aliud generale, aliud particulare: per generale intelligit Galenus vnum ex quatuor morbi temporibus, hoc eſt, principium,incrementum, ſtatum,vel declinationem : per particulare intelligit Galenus horam:dicitque inquirendum eſſe & quo morbi tempore,& qua hora diei ſit exhibenda frigida. G

Cauſſa vero plurium materierum,& primum in vnico affectu, hunc in modum tempus conſideratur:verbi gratia,eſt opus endiuia,nymphæa,lactuca;quæ ſunt materiæ refrigerantes; inuicem tamen diſcrepant

ſcrepant

A discrepant, cũ altera sit remissa vt endiuia, altera intensior vt nymphæa: proinde medico cognoscendum an primum liceat exhibere endiuiam, an nymphæam.

Postremo caussa plurium materierum, & plurimorum affectuum, hunc in modum Quando agendum intelligere oportet: verbi gratia, si ratione febris sit vtendum aqua frigida, ratione materiæ venæ sectione, caussa virtutis carne vel vino: expedit vt medicus cognoscat ordinem agendorum; vt scilicet cognoscat an primum vti liceat vel frigida, vel venæsectione, vel carne. Galenus appellat ordinem agendorum; qui nihil aliud est quam Quando agendum.

Porro ex Galeno lib. ad Thrasyb. c. 3?. & c. 38. Quando agẽdum, siue sit tempus vniuersale, siue particulare, ab vno tantum indicatur nimirum a præsentia, quæ consequitur essentiam vehementioris indi-
B cantis. Quam veritatem significat Galenus, dum ait: Quando agendum indicatur a præsentia indicantis, & absentia prohibentis. Primo intuitu videntur esse duo indicantia: pręsentia indicantis, & absentia prohibentis. Sed quia vnum, non nisi ab vno indicatur, & quodlibet indicatum indicatur a præsenti: ideo ita est intelligendus Galenus, vt Quando agendum indicetur tantum a præsentia indicantis. Sed quæ est hæc præsentia? Est præsentia, quæ cõfert essentiam vehementioris indicantis: quæ locum habet, quando non adest prohibens: nam dum adest prohibens, seu id quod impedit, habet rationem vehementioris indicantis: quia secus non prohiberet, Quare idem prorsus est, dicere, Quando agendum indicari a præsentia indicantis, & absentia prohibentis; ac si diceremus, Quando agendum indicari a præsentia quæ consequitur essentiam vehementioris indicantis.

Tempus agendi indicatur a pręsentia vehementioris indicantis.

Hanc præsentiam vehementioris indicantis cognoscere, ratione temporum vniuersalium, non est
C adeo difficile: at ratione temporum particularium, est difficilima, nam nec scribi possunt tempora particularia. Et ratio est: namque plurima concurrunt ad hoc, vt cognoscamus, non quo tempore vniuersali, sed qua hora & quo tempore particulari sit vena (verbi gratia) secanda: nam licet possimus venam secare ante cibum; non tamen semper eadem hora secamus, sed quandoque illico ante cibum, quandoque per horam ante cibum, quandoque per duas horas ante cibum: præterea alii ægrotãtes, vt dicit Galenus locis citatis, post venam sectam egent somno, alii non. Quare plurima ac fere innumera sunt perpendenda, vt cognoscamus horam agendi ac tempus particulare.

Cognitio præsentiæ indicantis ratione tẽporum particularium, est difficillima.

Dubitatur autem e Galeno c. 6. l. 7. meth. quomodo dicat, ad inuestigandum tẽpus agendi opus esse naturarum inspicere proprietates: & subdit Galenus, se nouisse quosdam, qui si noctu vigilare cogantur,
D non amplius dormiant: iis, ait, vt noctu bibant consulendum non esse. Ecce, Quando agendum, hoc est, potio an debeat exhiberi tempore nocturno, necne, indicari videtur a proprietatibus naturalibus? Respondeo, Quando agendum a nullo alio indicari, quam a præsentia vehementioris indicantis. Vnde Galenus, dum proponit naturarum proprietates; proponit has proprietates vt signa virtutis prohibentis. Nam si indicans, verbi gratia, requirat, vt Socrati tempore noctis detur syrupus vel potus; Socratis vero fit illa proprietas, vt dum cogitur vigilare, non possit postea amplius dormire: dubio procul vires hinc arguuntur debiles: ideo hæc proprietas est signum virtutis prohibentis.

Proprietas naturalis non indicat sed est signũ prohibẽtis vel permittentis.

Sed vt hæc doctrina recte intelligatur, tria sunt explicanda. Primũ, quomodo cognosci debeat Quãdo agendum, ratione vnius materiæ: secundo, quomodo fiat manifestum Quando agendum, vt est diuersarum materierum, sed in vnico tantum affectu: tertio, quomodo apertum fiat Quando agendum, ratione
E diuersarum materierum, & in pluribus affectibus.

Cognitio temporis agendi.

Quoad primum: verbi gratia, in febri ardenti vtimur frigida circa statum, seu vigorem: ratio est, quia eo tempore febris præsentia magis potest ad indicandum aquam frigidam, quam materię cruditas ad prohibendum. Ecce, vtimur circa statum frigida quia indicans est vehementius prohibente, & adest præsentia indicantis vehementioris. Ita Galenus primo ad Glaucon. 9. dicit: balneo qui admodum delectantur, si bis in die abluent, non errarit, modo in tempore id fiat: si vero etiam coctionis signa adsint, si etiam sæpius lauerit, non delinquunt. Quibus verbis Galenus proponit Quando agendum, ratione vnius materiæ, hoc est, ratione balnei, in tertiana intermittente exquisita exacte: nam balneum est materia remedii refrigerantis, humectantis, & vacuantis: indicans, est febris, quæ indicat refrigerans & humectans; est præterea materia, quæ indicat vacuans. Quare Quando agendum hoc in loco indicatur a præsentia febris, &
F a præsentia materiæ, quæ duo sunt præsentia, & semper adsunt exsistente febre. Licet vero vti balneo, cum Galeno, bis in die, si homo delectetur. At delectatio, seu voluptas hoc in loco non est indicans, sed signum virtutis permittentis. Præterea est eligenda hora, qua nec cibus, nec accessionis materia prohibet, nec cruditas materiæ. At vero Galenus non ita vtitur balneo, capit. 10. in cura tertianæ nothæ; quemadmodum in cura tertianæ exquisitæ: propterea quod in tertiana notha, cruditas prohibet, in exquisita non prohibet. Et ob id dicit Galenus, si vero etiam coctionis signa adsint, etiam sæpius lauare expedit: nam dũ sunt signa coctionis, sunt signa quæ indicantur seu manifestantur præsentia indicantis; a qua præsentia indicatur Quando agendum.

1 Ratione vnius materiæ.

Tempus vero agendi ratione plurium materierum, sed in vnico affectu; etiam hoc ipsum desumitur a præsentia vehementioris indicantis. Vnde si contingat indicans esse vehementius, conuenit a validioribus inchoare; si contra, a debilioribus. Hanc veritatem proposuit Galenus 3. meth. vlt. dum habet: in quibus periculum non impendet, inchoandum a leuioribus; quæ nisi proficiunt, ad validiora adscendendum: at vbi ægroto periculum imminet mortis, non inchoandum a mitioribus sed a valentioribus, propterea quod adest præsentia admodum vehemẽtis indicantis. *Exempli gratia*, Gal. 14. meth. 13. dicit, in columellæ vitio primũ an ad naturam reuocari queat tentandũ; si nõ licet, prorsus amputare oportet. Ecce, proponit materias medicinales, tanquam debiliores; & materias chirurgicas, seu amputationem, tanquam validiores. Si ergo cognoscimus columellæ vitium non esse admodum vehemens, licet vti medicamentos

2 Ratione plurium materierũ in vnico affectu.

ſed ſi cognoſcimus columellæ vitium eſſe vehementiſſimum, vt non cedat materiæ medicinali, quamprimum ad amputationem, & ad chirurgiam debemus confugere. A

3. ratione plurium materierũ, in diuerſis affectibus. vno tẽpore.

Tandem vt cognoſcamus Quando agendum in diuerſis materiebus, & diuerſis affectibus: ſciendum ex Galeno primo methodi 9. contraria indicantia quandoque Vno tempore locum habere, quandoque Diuerſis temporibus. Vno tempore: vt in vlcere partis humidioris, vtimur eodem tempore ſiccis & humidis: ſiccis, ratione materiæ excrementitiæ, quæ eſt indicans preſeruatorium; humidis vero, ratione partis, quæ pars ſecundum naturam habet temperiem humidam, quæ temperies humida indicat, humidum, quia indicat ſui conſeruationem. Notandum autem, cum natura ſeu temperies partis vlceratę habeat vim indicandi, hanc naturam ſeu temperiem non eſſe indicans curatorium; quia curatorium indicat contrarium: natura vero partis ſimilem ſui cuſtodiam indicat. B

diuerſis tẽporibus.

Præterea quandoque contrariis vtendum indicatis, ſed diuerſo tempore, (cum Galeno loco citato) ſi hæc quæ inuicem perpenduntur, habent rationem vel cauſſæ Principalis, vel Sine qua non, vel Vrgentis. Ratio eſt: quia vbi indicantia non æque poſſuut, oportet materias adminiſtrare diuerſis temporibus; ſecus autem, vbi æque poſſunt indicantia. Vnde loco citato dicit Galenus: ordinem ſanationis, ſeu tempus, inuenies, ſi ad illa tria reſpexeris. Verbi gratia, in vlcere habet rationem cauſſæ principalis temperies, ſeu natura; illa enim eſt quæ carnem generat: cauſſa ſine qua non, cum Galeno loco citato, eſt ſordities, cauitas; nam licet pars vlcerata ſit temperata, non ſit intemperie affecta morboſa, tamen non poteſt vlcus remoueri, niſi remoueatur ſordities, niſi cauitas repleatur: habet autem rationem vrgentis, verbi gratia, ſi in vlcere fuerit conuulſio.

Duo autem heic notanda ſunt: primo, quodnam ex his tribus magis poſſit: deinde quomodo hæc tria concurrant ad indicandum Quando agendum. C

Vrgenti prius proſpiciendum quã cauſſæ, tum principali tum ſine qua non.

Quo ad primum vrgens magis poteſt quam reliqua, & eſt anteponendum, tum cauſſæ principali, tum cauſſæ ſine qua non. Ratio eſt: quia imminet periculum & mors. Vnde neceſſarium eſt, vel affectum inſanabilem relinquere; verbi gratia, vbi eſt vlcus cum luxatione, oportet luxationem dimittere: quandoque etiam cogimur, dicit Galenus, nouum affectum inſanabilem excitare; verbi gratia, ſi ſanguis immoderate fluat, cogimur vas abſcindere, id eſt, venam, vel arteriam, & ob id nouum affectum inſanabilẽ producere. Patet igitur, id, quod vrget, eſſe vehementius reliquis.

Cauſſa principalis potior eſt cauſſa ſine qua nõ.

Si vero inuicem comparemus cauſſam principalem, & cauſſam ſine qua non: primum locum obtinet cauſſa principalis: vt primo ſit occurrendum cauſſæ principali, mox autem cauſſæ ſine qua non. Sed hoc loco explicandum eſt, quid velimus per cauſſam principalem, & cauſſam ſine qua non. Non enim intelligimus cauſſam, ſine qua non poteſt tolli cauſſa principalis: quia ſecundum hanc rationem primo eſſet occurrendum cauſſæ ſine qua non. Sed dum inuicem comparamus cauſſam principalem, & cauſſam ſine qua non, vtramque cauſſam dirigimus ad morbum: &, cum morbus habeat cauſſam principalem, atque cauſſam aliam ſine qua non; primo dicimus eſſe occurrendum cauſſæ principali. Quod ſi accipiatur cauſſa ſine qua non, vt refertur, non ad morbum, ſed ad cauſſam principalem; primo eſt occurrendum cauſſæ ſine qua non. Ideo debetis recte diſtinguere. Exemplo ſit vlcus, quod habeat cõiunctam inflammationem, ſorditiem, & cauitatem: primo ſtudemus remouere inflammationẽ, vt introducatur temperies, quæ habet rationem cauſſæ principalis: ſecundo occurrimus ſorditiei, hoc eſt, cauſſæ ſine qua non: poſtremo ſolutæ vnitati. D

Cauſſa prius tollenda deinde morbus.

Tandem ſi conferatur cauſſa ſine qua non, non cum vrgenti, non cum cauſſa principali, ſed cũ morbo: dubitandum non eſt, primum eſſe cauſſæ ſine qua non, occurrendum, deinde vero morbo: quia patet, magis poſſe cauſſam ſine qua non, quam poſſit morbus. Hæc de primo explicando. E

Præſentia indicantis tempus agendi oſtẽdit.

Reliquum eſt, vt declaremus, quomodo hæc conferant ad indicandum tempus curationis. Cõferũt autem ſolum per præſentiam; quia Quando agendum a ſola præſentia indicatur. Si ergo inuicem conferamus hæc quatuor, hoc eſt, vrgẽs, principalem cauſſam, cauſſam ſine qua non, & affectum; ſi hæc, inquam, conferamus penes vehementiam, primum locum obtinet vrgens, id eſt, vehementius eſt: vnde huic primo occurrendum. Quod cognoſcens Galen. dicit, 10. meth. c. 1. licet cauſſa primo ſit reſpicienda, aliquando tamen febris, hoc eſt, morbus ſeu affectus perniciem minatur, vt febri primũ ſit occurrendum. Ecce prius occurrimus febri, quam cauſſæ: quia febris habet rationem vrgentis. Et cum Quando agẽdum indicetur a præſentia eſſentię vehementis; & febris quæ perniciem minatur, habeat rationem vrgentis; præſentia etiam febris conſequatur eſſentiam vehementiorem: hac de cauſſa prius conſulendum febri, quam cauſſæ. Eandem veritatem propoſuit Gal. 4. meth. 4. Et ex lib. 7. meth. c. 12. cum in pluribus affectibus quandoq; tria ſint, hoc eſt, vrgens, principalis cauſſa, cauſſa ſine qua non: ex Galeno, vrgens indicat quam primũ eſſe agendum, quia imminet periculum: deinde cauſſa principalis, quoniam habet rationem cauſſæ efficientis & augentis affectum: quo vero ad cauſſam ſine qua non, dicit Galenus, huius cauſſa reſpiciendum eſſe ad id, quod ordo præſcribit. Ordo vero præſcribit quid ante quod, quid cum quo, & quid poſt agendũ. Quæ omnia pertinent ad meth. vt verſatur circa Quando agendum. Hoc dictum non eſt vſq; adeo facile intellectu: ideo, propter iuniores, eſt explicanda hæc auctoritas. Sciendum igitur, Galenum per ordinem intelligere ordinem cauſſarum inter ſe: v.g. (vt non recedamus ab exemplo propoſito a Gal.) pituita poteſt accipi vt generatur in cerebro; ſecundo, accipitur pituita vt deſcendit a capite in ventriculum; tertio, capitur pituita, vt iam eſt impacta in tunicis ventriculi, & effecit ſeu produxit morbum frigidũ in ventriculo. Heic ordo præſcribit, quid ante quod, in duabus cauſſis; verbi gratia, primum occurrendum materiæ, vt generatur in capite. Deinde, vt fluit, conſtituit, quid poſt quod, in plurib. cauſſis, quam in duabus, vtpote in tribus: verbi gratia, primo occurrimus pituitæ, vt generatur in cerebro: permanent duæ cauſſæ, pituita quæ fluit, & pituita impacta: quare occurrimus primum pituitæ fluenti, deinde impactæ: quod eſt perpendere quid poſt quod. F G

Sed

Sed interim obſeruandum, tempus agendi a ſola indicantis præſentia indicari, minime ab ordine: hunc tamen ordinem concurrere in ratione ſigni: nam, ordo nobis ſignificat vehementiam intenſiorem & remiſſiorem: verbi gratia, primum ſanandum cerebrum, ſecundo vacuandus ventriculus, tertio tunicæ mundandæ, quarto calefaciendus ventriculus refrigeratus. Vnde ordo inter cauſſas eſt ſignum, nobis ſignificans, hanc præſentem cauſſam eſſe vel magis vel minus vehementem: & poſtea ab hac præſentia, (nõ ab ordine) ab hac, inquam, præſentia indicatur Quando agendum. Perpetuo igitur Quando agendum a præſentia indicatur.

Ordo non indicat: ſed eſt loco ſigni.

Capvt XIV.

B *Vbi agendum monſtrari a ſubſiſtentia indicantis.*

VBi agendum, indicatur a ſubſiſtentia, vt conſequitur eſſentiam indicantis. Verbi gratia: in febri, balneum dulcis aquæ applicatur toti corpori, propterea quod febris habet ſubſiſtentiam in toto corpore. Similiter Galenus 12. meth. c. vlt. dicit: ſi mordax humor ſubſiſtat in inteſtinis, medicamentum oportet iniicere per ſedem, quod eluat mordacem humorem. Ecce ergo, quemadmodum Vbi agẽdum indicatur a ſubſiſtentia indicantis.

Locus agendi indicatur a ſubſiſtentia.

Sed notent iuniores, fuiſſe Galeni ſententiam, 13. meth. 21. locum cui applicantur medicamenta, inueniri ex cognitione actionum & vſuum partium. Vnde ſtatim rudiores inferent, Vbi agendum indicari ab actione & ab vſu partium: quia ſine dubio Galenus hoc in loco reſpicit ad Vbi agendum; cum loquatur de medicamento, quod debet loco applicari, & velit inueniri ab actione & ab vſu partium, non ab actione, vt eſt ſymptoma, ſed ab actione naturali partium. Dicendum vero Galenum hoc in loco
C actionem & vſum accipere in ratione ſigni. Quod ſit verum, ſubdit loco citato Galenus, locum affectum reconditum & internum, ad differentiam externi, cognoſci ex actione & vſibus. Ecce accipit actionem & vſum in ratione ſigni: quia vt ſignificant locum affectum, ſignificant ſubſiſtentiam indicantis, a qua indicatur Vbi agendum.

Actio partium non indicat: ſed ſignum.

Quomodo vero dixit Galenus 13. meth. vltimo, ſi medicamenti vis alte in cerebrum penetrare debeat, id eſſe applicandum ſuturæ coronali: cum cranium hoc in loco ſit tenuiſſimum ac rariſſimum? Hinc enim forte iunior inferet, a tenuitate ac raritate oſſis indicari Vbi agendum. Dicerem igitur, Vbi agendum a ſola ſubſiſtentia indicari, a nullo alio. Cranium autem hoc in loco concurrere, vt prohibet applicationem medicamenti reprimentis, per craſſitiem & denſitatem: & vt permittit eandem per tenuitatem & raritatem, vt reprimens ſit applicandum ſuturæ coronali, quia in ea parte non adeſt craſſities, ac denſitas,
D non adeſt prohibens. ſed potius raritas ac tenuitas, & proinde permittens. Sed animaduertant iuniores: raritatem ac laxitatem non eſſe permittentia, nec craſſitiem & denſitatem eſſe prohibentia: ſed hæc eſſe ſigna virtutis permittentis, ac virtutis prohibentis.

Denſitas & raritas non indicant locum agẽdi: ſed ſigna ſunt virtutis permittentis, vel prohibentis.

Capvt XV.

De cauſſa morbifica, ſeu indicante præſeruatorio; tum in genere, tum in ſpecie; ſiue ſit intemperies, ſiue materia: quomodo hæ cauſſæ per eſſentiam ſuam indicent præſidium prophylacticum. Et, cum intemperiei ratio facile pateat; materiæ morbificæ, vt obſcurioris, natura plenius explicatur: eiuſque primum definitio proponitur.

E QVod dictum eſt de morbo, idem eſt de cauſſa morbifica intelligendum. Ad quam reſpiciens Galenus 9. meth. 6. dicit, faciendorum indicationem ſumi cauſſa.

Indicans præſeruatorium.

Per cauſſam heic oportet intelligere cauſſam efficientem, non formalem, quæ reperitur in corpore ægrotante: ſiue hæc cauſſa ſit genita Extra corpus, veluti pilea plumbea, quæ per bombardam impellitur, aut venenum extra corpus genitum, ſed tamen præſens in corpore; ſiue cauſſa illa efficiens ſit genita In corpore.

Cauſſa morbifica heic eſt efficiens: genita In corpore, vel Extra.

Præterea cauſſa efficiens morbifica heic intelligitur, ſiue per ſe ſit cauſſa ſiue per Accidens: per ſe, vt cauſſa morbifica, exſiſtens quid præter naturam, diſtinctum a morbo & ſymptomate: per accidens, veluti ſymptoma, quod ex accidenti habet rationem cauſſæ efficientis morbificæ; & poteſt, (vt ſuo loco cognoſcetis) eſſe actio; quæ tamen non accipitur hoc loco, quemadmodum ſupra c. 11. accipiebatur actio indi-
F cans Quantum agendum, quæ non ſolum præter naturam, ſed etiam ſecundum naturam eſſe poteſt, vt infra declarabimus, vbi de virtute indicante loquemur. Primum ergo iam agemus de cauſſa per ſe & propria ratione indicante: deinde de ſymptomate.

Cauſſa, Propria ratione, & per Accidens.

Circa cauſſam igitur, quæ non eſt ſymptoma, duo declarabimus: primum, vt ea indicet Præſidium: deinde, vt indicet vſum, ſeu rectam adminiſtrationem præſidii.

Cauſſa indicat Remedium, & Vſum.

Quoad primum: a cauſſa remedium quod indicatur, eſt ſolum præſeruatorium: non vitale, nec curatorium. Quo fit, veriſſimum eſſe, materiam non eſſe de eſſentia morbi: quia ſi materia eſſet de morbi eſſentia, materia indicaret remedium curatorium. Materia autem nõ eſt de morbi eſſentia; propterea quod morbus non poteſt eſſe mixtum ex accidenti & ſubſtantia: morbus enim eſt accidens, non ſubſtantia. Et, ſi contingat, morbum in intemperie adnexam habere materiam, hæc eſt extra eſſentiam, & habet rationem
G cauſſæ efficientis, vt ab hac capiatur indicatio præſeruatoria. Ob id Galenus 12. meth. primo dicit, a cauſſis præſtari indicationem prouidentiæ. Præterea libro ad Thraſybulum cap. 25. dicit, a cauſſa indicari vacuationem, ſeu a cauſſa ſumi indicationẽ, quoad eſt, non morbus, ſed multitudo: hoc eſt, cauſſam indicare vacuans remedium præſeruatorium. Præterea 11. method. 2. dicit, putridas febres præter curationem etiam præſeruationem ſibi adiungere, hoc eſt, cauſſæ ſublationem. Addebat Galenus, loco citato, a cauſſa ſumi

Cauſſa eſt indicans ſaltem prophylacticũ.

indicationem præſeruatiuam in arte tuendæ ſanitatis, ſi cauſſa ſit in corpore non ægrotante: at ſi cauſſa A
ſit in corpore ægrotante, ab hac ſumitur indicatio præſeruatiua pertinens ad methodum curatiuam.

Notent iuniores, quandoque Galenum, & præſertim 11. meth. c. 4. cauſſam morbificam vocare affectum: quia non ita ſollicitus fuit de vocibus.

Eſſentia cauſſæ indicat remedium.

Conſtitutum igitur ſit, a cauſſa efficiente a ſumi indicationem præſeruatiuam: & cauſſæ morbificæ indicatum eſſe Quid agendum, ſeu remedium præſeruatorium.

Si ergo cauſſa indicat remedium præſeruatorium, hoc eſt, Quid agendum: neceſſarium eſt, vt hoc indicet per ſui eſſentiam; ſiquidem Quid agendum a ſola eſſentia indicatur: debet igitur indicari ab eſſentia cauſſæ.

Cauſſæ triplex eſſentia:

Cauſſæ eſſentia, (quemadmodum dictum eſt de morbo, & dicetur ſuo loco de virtute) eſt vel Generica, vel Subalterna, vel Specifica. B

1. Generaliſſima.

Quoad genericam: accipitur cauſſa vt res præter naturam, in corpore ægrotante, morbi effectrix. Quare ſecundum hanc eſſentiam genericam, indicat remedium, ad differentiam alimenti, indicati a virtute: indicat remedium remouens, ad differentiam remedii conſeruantis, indicati a virtute: indicat remedium remouens cauſſam, ad differentiam remedii curatorii, quod indicatur a morbo.

2. & 3. ſubalterna, ac ſpecifica.

Quoad eſſentiam ſubalternam & ſpecificam cauſſæ morbificæ; huius gratia neceſſarium eſt cauſſam morbificam diuidere. Cauſſa igitur morbifica eſt vel Intemperies, vel Materia.

Dyſcraſia indicat alterans contrarium.

Intemperies, indicat contraria: vt intemperies frigida ventriculi, in febri pituitoſa, vt habet rationem cauſſæ generantis pituitam, ſeu generantis materiam febris, indicat calefaciens. Vnde Gal. 11. meth. 1. dicit, ſæpe adſcititiam intemperiem ad efficientes cauſſas reduci, & ob id indicationem illis concedere C
præſeruatiuam.

De materia morbifica plenior tractatio.

Materia vero maiori diligentia eſt diuidenda, vt pateat eſſentia & ſubalterna & ſpecifica: namque intemperies facile poteſt diuidi. Diligenter igitur tradenda eſt materiæ morbificæ diuiſio: & præſertim, quia dicit Galenus 10. meth. 1. in febribus cauſſam habentibus, primam indicationem ſumi a cauſſa. Intelligant autem hoc loco iuniores primam indicationem, non ratione dignitatis, quia hæc ſumitur a virtute: neque primam, ratione inuentionis indicationum, quia primum locum obtinet morbus; ſed intelligant primam, ratione temporis; nam in exſecutione primum eſt abſoluenda indicatio, quæ ſumitur a cauſſa. Sic etiam dicit Galenus, vndecimo, method. decimo, indicationem ſumtam a febre, eſſe primum, & vltimum; primum, ratione inuentionis; vltimum, ratione exſecutionis, ſeu adminiſtrationis materierum.

Definitio materiæ morbificæ, ſeu cauſſæ efficientis materialis.

Cum igitur diligenter ſit tradenda diuiſio cauſſæ morbificæ; operæpretium eſt primo materiæ D
morbificæ definitionem tradere: niſi enim tradatur definitio rei diuidendæ, impoſſibile eſt vt diuidendo non committatur error. Eſt igitur materia morbifica *miſtum præter naturam, lædens hominem ægrotantem*.

Declaro hanc definitionem. Cum materia ſit *miſtum*; ex neceſſitate eſt ſubſtantia. Eſt autem miſtum *præter naturam*, ad differentiam miſti ſecundum naturam; vt videlicet eſt hepar, quod eſt miſtum ſecundum naturam: & præterea ad differentiam rei ſeu mixti non naturalis; vt panis, qui antequam aſſumatur, non habet rationem cauſſæ morbificæ, ſed rei non naturalis; at vbi eſt ingeſtus cibus, & offendit, eſt miſtum præter naturam, & propterea habet rationem cauſſæ morbificæ. Deinde dictum fuit, *lædent hominem*: ad differentiam materiæ, vt poteſt lædere bruta. Poſtremo dictum fuit *ægrotantem*: ad differentiam illius materiæ, quæ lædit, & eſt præter naturam, ſed in corpore nondum ægrotante. Hinc ſequitur, E
diſtinguendam eſſe materiam morbificam, quæ in præſentia a nobis perpenditur in methodo medendi, a materia morbifica, quæ locum habet in arte tuendæ ſanitatis; quia in arte tuendæ ſanitatis poteſt quidē hominem lædere, ſed non ægrotantem.

CAPVT XVI.

De differentiis materiæ morbificæ: & primum quoad eſt miſtum, Vapor nimirum, vel Minera: quomodo ab his indicetur remedium præſeruatorium.

Quatuor fontes differentiarū materiæ morbificæ.

EX allata materiæ morbificæ definitione, Differentiæ eiuſdem ſunt deſumendæ: primum a materia, vt eſt miſtum: ſecundo, vt eſt præter naturam: tertio, vt lædit: quarto, vt lædit hominem ægrotantem.

1. Materia, vt miſtum, eſt Vapor, vel Minera.

Primum igitur, materia morbifica, vt eſt miſtum, ſeu ſubſtantia corporea, eſt vel Vapor, vel Minera. F

Vapor indicat vacuans per ἀδήλοις διαπνοήν.

Vapor, indicat remedium remouens materiam morbificam, per inſenſiles meatus, ſeu remedium vacuans per inſenſiles meatus: contra autem minera, per ſenſiles meatus. Nullo enim modo poteſt minera euacuari, niſi per ſenſiles meatus. Quod ſi autem minera conuertatur in vaporem; tunc non indicat amplius vt minera, ſed vt vapor. Hanc veritatem cognouit Galenus 13. methodi cap. 16. vbi habet, vacuationem fieri per meatus vel ſenſiles, vel inſenſiles. Vnde improprie loquuntur Medici, quando dicunt, vacuationem eſſe vel ſenſilem, vel inſenſilem: nam vacuatio, quæ fit per ſudorem, eſt vacuatio ſenſilis, quia ſudor conſpicitur: at pori, per quos fit ſudor, ſunt meatus inſenſiles: & ob id Galenus recte dicit, vacuationem fieri per meatus vel inſenſiles, vel ſenſiles. Sic vapor indicat remedium vacuans per inſenſiles meatus. G
Quod ſi fortaſſe vapor fuerit pituitoſus: indicabit ſpecificum remedium, nimirum vacuans per inſenſiles meatus vaporem pituitoſum: & ſic de reliquis.

Minera per manifeſtos meatus exigenda.

Minera indicat vacuans per ſenſiles meatus. Hæc autem minera vel eſt Animata, vt vermis, caro, monſtrum, & ſimilia: vel eſt Inanimata; & eſt vel Solida, vt calculus, pila plumbea, feces duriores; vel Liquida: & hæc aut Alimentalis, vt chylus, ſanguis; aut Excrementitia, vt humores excrementitii,

A mentitii,ſemen,lotiũ,ſanies,ichores,feces liquidiores,& alia id genus. Hæ omnes mineræ in genere ſunt mineræ: & proinde in genere ſubalterno indicant remedium vacuans per meatus ſenſiles. Et quælibet harum indicationum eſt præſeruatiua. Vnde Galenus in arte medicinali cap. 99. dicit, indicationem præſeruatiuam præcipue capi ab humore: dixit, *præcipue*, non quod ab aliis mineris non capiatur indicatio præſeruatiua, quia a quacunque minera morbifica ſumitur indicatio præſeruatiua: ſed quia frequentius ſumuntur indicationes ab humoribus, quia frequentius peccant humores, quam calculi, vel reliquæ mineræ.

Materia vero morbifica determinata, indicat remedium determinatum: nam indicatio generica euadit ſpecifica, dum deſcendimus ad hanc vel illam mineræ ſpeciem: verbi gratia, ſanguis indicat vacuans ſanguinem; bilis indicat vacuans bilem. B Quare Galenus 14. meth. 17. dicit, curationem inueniri ex ſpecie humoris. Vbi notandum per curationem non intelligi indicationem curatiuam; quia indicatio curatiua, ad differentiam præſeruatiuæ, nõ ſumitur a ſpecie humoris; nam cum ab humore ſumatur indicatio præſeruatiua, ergo & a ſpecie humoris; ſi enim genus eſt indicans præſeruatorium, & ſpecies ſub illo genere contenta eſt indicans præſeruatorium. Quare Galenus per curationem intelligit methodum curatiuam, quam in his libris profitetur: vt hæc curatio inueniatur ex ſpecie humoris. Ratione igitur finis communis, poteſt vocari indicatio curatiua; ſed ratione finis proprii, hoc eſt, ratione remotionis humoris ſpecifici, eſt indicatio præſeruatiua. Addebat Galenus lib. 14. meth. cap. 18. ſpeciem humoris cognoſci ex victu: verbi gratia, cognoſcimus bilem peccantem, ex victu præcedente bilioſo. Et ob id ex ſpecie humoris indicatur ſpecificum remedium. Vnde etiam Galenus ad aphoriſ. ſecundum primæ ſectionis, (cum dicit Hippocrates, ſi talia purgentur, & reliqua.) in commentariis ait; ſi bilis peccat, bilis purganda; C ſi ſanguis, ſanguis euacuandus: nam determinata mineræ ſpecies indicat remedium ſpecificum. Præterea c. 3. lib. 14. meth. ait, ſi purum ſit eryſipelas, bilem purgandam. Amplius c. 6. l. 4. meth. dicit, aliquando ſanguinem euacuandam, ſi ſanguis vincat, aliquando pharmaca adminiſtranda, ſi alii ſucci vincant. Quare indicatio determinata ſumitur a ſucco determinato: nam ſanguis ſanguinem vacuans indicat, & bilis bilem euacuans.

Minera ſpecifica indicat remedium determinatum.

Sed notandum, cum dicit, dici a Gal. 4. meth. 6. morbi magnitudinem perpendendam eſſe ad indicandum non modo vacuationem ſanguinis, ſed etiam purgationem: ibi morbi magnitudinẽ ſignum eſſe peccati vehementis materiæ, ſiue ſit ſanguis, ſiue alius humor a ſanguine.

Morbi & cauſſæ magnitudo nõ indicat, ſed eſt ſignum.

Videri vero poſſet alicui, ſanguinis miſſionem non indicari a ſanguinis redundantia, ſed a morbi magnitudine, cum virium robore: quia Galenus cap 6. lib. 4. meth. dicit: D ſi morbus ſit valens cum virium robore, nemo eſt qui ſanguinem non mittat. Dicimus Galenum ſermonem habere de ſanguine peccante: vt ſi morbus adſit, qui ſignificat peccatum in ſanguine vehemens, & virtus ſit robuſta, ſit ſecanda vena, licet homo ſit expers redundantiæ ſanguinis: quia poteſt eſſe peccatum in ſanguine, non in quantitate, non in redundantia, ſed vel in motu, vel in ſubſtantia, vt ſuo loco intelligetis. Quare Galeni auctoritas nobis non aduerſatur. Nam idem Galenus decimotertio method. quincto dicit, quod ſanguinis miſtionem indicet copia ſanguinis, & ſuccorum vitium indicet purgationem. Et decimo method. cap. decimo dicit, ſectionem venæ non primario, ſed ex accidenti, ſanare calidam intemperiem: quod primum vacuet ſanguinem, & ad ſanguinis euacuationem remoueatur intemperies: quemadmodum quandoque per venam ſectam iugulatur febris, ſanaturq; intemperies. Quare venæſectio a ſanguine indicatur: vt propterea E Galenus nono meth. vndecimo dicat, venæſectionem eſſe adhibendam, eo quod ſanguinem vacuet.

Conſtat igitur quid indicet cauſſa morbifica, vt eſt mixtum: vapor ſcilicet, vel minera.

CAPVT XVII.

De differentiis materiæ morbificæ, quatenus eſt miſtum præter naturam: ſeu, de vitiis materiæ morbificæ: & primum de peccato in Forma.

PORRO minera, quatenus eſt *miſtum præter naturam*, prædita eſt Forma, alteratiua Quantitate, Qualitate prima & ſecunda, Qualitate motiua. Hæc omnia ſunt perpendenda. Quodlibet autem peccatum ſpecificum ac determinatum indicat remedium ſpecificum determinatum præſeruatorium.

2. Materia morbifica, vt miſtum præter naturam, peccat in Forma, Quantitate, Qualitate, Motu, & Quiete.

F Ad quæ fundamenta reſpiciens Gal. in arte medicinali cap. 99. dicit; humores neque lentos eſſe debere, neque craſſos, neque aquoſos, neque plurimos, neque vehementer calidos, aut frigidos, neque mordaces, neque putredini obnoxios, quare multo minus putridos aut venenoſos. Quibus ſane verbis Galenus nihil aliud inſinuat, quam multiplex peccatum mineræ, ſeu materiæ morbificæ, vt eſt miſtum præter naturam. Declaro. Inſinuat quidem Galenus peccatum ſecundum formam, dum proponit humores putridos. Proponit peccatum ſecundum quantitatem, dum in medium affert humores plurimos. Significat peccatum in qualitate alteratiua, & quidem prima, dum proponit humores calidos ac frigidos in ſummo. Proponens mordaces, inſinuat peccatum ſecundum qualitatem ſecundam. Dum proponit humores lentos, proponit peccatum in motu, de quo ſuo loco. Idem Gal. a ſemetipſo nequaquam recedens 14. meth. 17. dicit, propriam vlceris curationem deſumi ex humorum ſpecie, & quantitate: per ſpeciem intelligens formam, G & quæ formam conſequuntur, hoc eſt, qualitates primas, & ſecundas, alteratiuas, & motiuas. Dicit etiam eodem in loco, ad curationem opus eſſe, pernoſcere humorum copiam, craſſitiem, tenuitatem, potentiam: vbi per copiam, intelligit peccatum in quantitate: per craſſitiem, & tenuitatem, peccatum in ſecunda qualitate: per potentiam intelligit peccatum ſecundum formam, & quæ formam conſequuntur. Tum 2. meth. cap. 13. proponens vitia humorum, dicit referenda ea eſſe ad prædicamentum quantitatis, & qualitatis.

Ordinate igitur procedentes, primo discurremus circa peccatum secundum Formam, secundo circa Quantitatem, tertio circa Qualitatem, quarto circa Motum, & Quietem. A

Vitium formæ quod.

Peccatum in *forma* est quando minera peccat toto genere præter naturam. Materia autem quæ toto genere est præter naturam, dupliciter intelligitur; vel per Se, vel ex Accidenti: Per se; vt calculus, lumbricus, membrana in suffusione, pila plumbea per bombardam transmissa in corpus. Per accidens autem potest esse duplex: est etenim vel Contentum, vt humor putridus: vel Continens, veluti corrupta caro in corpore humano: nam humor & caro, per se, ac propria ratione non sunt toto genere præter naturam, sed ex accidenti, quando corrumpuntur, ac putrefiunt.

Formę peccatum indicat in genere Remouens: in specie, Eradicans, vel Transponens.

Hæc materia toto genere præter naturam, in communi seu generali indicat remedium quoddam genericum, quod tamen subalternum est: & cum Galeno 14. meth. 17. indicat remedium secundum totum B auferens: quia peccat toto genere præter naturam, quod remedium, secundum totum auferens, potest Eradicans nuncupari. Ideo 10. meth. 8. caussa materiæ putridæ, & proinde toto genere præter naturam, proponit eradicans. Similiter 14. meth. 13. Et pariter in arte medicinali cap. 94. vbi sermo habetur de calculo, qui peccat toto genere præter naturam. Sed animaduertite, ibi addere Galenum, si calculus, eradicari vel extrahi non possit eum esse transponendum. Addebat etiam Galenus 14. method. 13. quorum affectuum locus affectus vna quæpiam naturalium partium est, prima indicatio est, vt affectus sanetur: secunda indicatio, si insanabilis sit affectus, vt vna cum vitio seu affectu pars quoque ipsa amputetur, veluti in cancro: e contrario in suffusionibus, cum non licet extrahere in prima indicatione, transferre oportet suffusionem ad locum minoris momenti. Quæ verba, vt opinor, intellectu difficilia sunt. At si velimus secundum artem, & ex rei natura, assequi mentem Galeni: Galenus his verbis proponit Quid agendum, in du- C plici materia, toto genere præter naturam, id est, in cancro, & in suffusione. Vnde per affectus non intelligit morbum, sed materiam nimirum materiam cancri, & materiam suffusionis: quæ vtraque materia est toto genere præter naturam. Quoad cancrum, in hoc duo sunt toto genere præter naturam: primum materia quæ cancrum efficit, id est, melancholia vsta; deinde pars affecta, reddita toto genere præter naturam: quare vtrunque indicat amputationem, seu extractionem. At in suffusione, toto genere pręter naturam est tantum materia: pars affecta non est toto genere præter naturam: & ideo virtus partis, scilicet oculi, prohibet extractionem, & permittit tantum transpositionem.

Quo modo eradicās & transponēs ab vno indicari videantur.

Sed cum Galenus, proponens materiam toto genere præter naturam, velit, hanc indicare extractionem, vel (si non liceat extrahere) transpositionem: cumque hæc duo sint indicata: quæritur quomo- D do indicentur ab vno indicante? Exempli gratia: calculus in vesica quandoque extrahitur, vnde indicatur extrahens; quandoque transponitur, vt si supprimatur lotium a calculo occludente meatum ceruicis, hic calculus est transponendus: Hei idem calculus est toto genere præter naturam: duo sunt tamen indicata; remedium extrahens, & remedium transponens. Neque est vt aliquis fugiat: cum videlicet in suffusione virtus prohibeat extractionem, opus esse transponere: quasi virtus sit illa, quæ indicet. Virtus enim non potest indicare transponens, sed tantum sui conseruationem. Ideo vtrunque videtur indicari ab vno tantum indicante. Dicerem ego, calculum in hoc generali, seu in hac essentia generica, subalterna tamen, vt est mistum toto genere præter naturam, indicare remedium secundum totum remouens, hoc est, commune. Hoc autem remedium secundum totum remouens, duplex esse potest: vel extrahens, vel transponens. Differentia est inter hæc duo remedia indicata, quod alterum est vehementius reliquo. Oportet E autem vehementiam hac ratione perpendere, vt id quod vehementius est, magis possit ad indicandum remedium eradicans, quam virtus ad prohibendum: & hoc est vehementius indicans, quod magis potest quam virtus. Ac in calculo vesicæ, quia virtus quandoque permittit incisionem, ob id ad extractionem confugimus. Quare materia toto genere præter naturam, si secundum suam essentiam sit vehementior quam essentia virtutis; indicat extrahens: si autem materia toto genere præter naturam sit minus vehemens, quam vehementia virtutis; hæc essentia minus vehemens indicat transponens: vt, in suffusione nō licet extrahere membranulam, nō licet extrahere materiam suffusionis, propterea quod virtus oculi prohibet, ad differentiam virtutis quandoque in vesica.

Hactenus igitur patet, quomodo peccatum in forma indicet remouens, quod est transponens, vel eradicans. F

Locus Galeni difficilis, de venæ sectione nō pręsentibus signis plethorę.

Sed occurrit locus Galeni difficilis, cap. 4. lib. 8. methodi: vbi ait, in ephemera e parua obstructione, si protrahatur declinatio, putredinem necessario oriri, nisi vitiosus succus transpiret: quare, vt transpiret, opus esse maiori auxilio: ac si æger fuerit inter ætates medias, hoc est, inter senilem, & puerilem, vbi robur sit virium, secandam venam, etiamsi plenitudinis signa non adsint; vt vitiosi succi maiori parte euacuata; ad detergentia atque deobstruentia accedamus. Hinc ergo rudior colligere posset, venæsectionem non indicari a plenitudine, sed a cacochymia, seu succo vitioso. Nos igitur dicimus, Galenum loco citato proponere remedium vehemens, non debile; & vacuans sanguinem, non cacochymiam. Vtrumque facile comprobo. Primum quidem; quia dicit Galenus, dum protrahitur febris ephemeræ declinatio, cum imminere putridam febrem, & opus esse maiori auxilio. Ecce, proponit ma- G gnum seu vehemens auxilium. Secundum etiam patet; hoc est, proponi auxilium vacuans sanguinem: quia loco citato dicit Galenus, si puer vel senex sit, sanguinem non detrahes. Ecce, loquitur de vacuatione sanguinis, vt sit detrahendus in mediis ætatibus, non in extremis. Patet igitur, Galenum proponere Quid agendum, quod est auxilium vehemens, sanguinem vacuans. A quo igitur indicatur hoc auxilium? Necessarium est, vt indicetur a sanguine peccāte. At peccatum sanguinis potest esse

triplex:

A triplex:secundum motum,secundum quantitatem,& secundum formam. Vitium in motu,non habet
locum in præsentia:quia non agitur de vitio inflammatorio e fluxione. Neque proponitur peccatum in
quanto:quia Galenus ait,*etiamsi non adsint signa plenitudinis.* Relinquitur ergo, vt peccatum indicans, sit
peccatum secundum formam,quod Galenus vocat succum vitiosum.Quare peccatum in forma sangui-
nis,quando scilicet est ineptus ad nutritionem,seu quando imminet putredo, habet rationem indicantis:
ac ętates mediæ sunt signa virtutis permittentis:nam vnica virtus est quæ permittitur, vnica, quæ prohi-
bet;ætas vero & reliqua sunt signa.Præterea vt maxime iuniores confirmentur: summa diligentia legant
Galenum 9. meth. 11. in quo capite proponit euidenter triplex sanguinis peccatum, videlicet secundum
formam,quantitatem , & motum. Insinuat peccatum sanguinis secundum formam,dum proponit san-
B guinem,qui propriam qualitatem non seruat, vt in alimentum verti non possit: non enim proponit hic
peccatum secundum qualitatem;quia dum qualitas peccat,qualitas indicat;&,si est caliditas,indicat frigi-
dum,& e contra:quare hic,dum proponit qualitatem,proponit qualitatem tanquam signum peccati se-
cundum formam,vt rationaliter non alterare,sed euacuare sit opus:proponit igitur peccatum secundum
formam.Proponit etiam loco citato peccatum secundum quantitatem, dum proponit sanguinem inuti-
lem,quando multitudine creuit,vt aut vires premat,aut vasa distendat;quibus verbis significat peccatum
in quanto,siue sit plenitudo quoad vires, siue sit plenitudo quoad vasa. Tandem insinuat peccatum se-
cundum motum,vbi proponit sanguinis impetum.

CAPVT XVIII.

C *De vitio materiæ morbificæ secundum Quantitatem:quod est,in contento,Abundantia;in cute,*
Continuitas;in vasis,tum Amplitudo,tum Continuitas.

EGimus de materia morbifica,vt peccat secundum formam : modo dicemus de materia morbifica,vt
peccat secundum *Quantitatem*. Hæc igitur duplex est:vel enim habet rationem Continentis, vel ra-
tionem Contenti. Per contentum intelligo humorem , qui in corpore continetur:per continens autem
intelligo partem solidam,viuentem.

Quantum igitur attinet ad contentum:per contentum , seu humorem peccantem in Quanto,in-
telligimus,dum exuberat:quia dum est defectus,hoc pertinet,vt suo loco intelligetis,potius ad virtutem. Contenti vitium est
Dum igitur materia seu humor abundat,cum Galeno in arte medicinali 94.& 95 indicat.Euacuationem, exsuperan-
quæ est indicatum satis genericum , quod desumitur a peccato in quanto generico. At iudicatum tia:cuius
D specificum debet indicari ab indicante specifico.Indicans specificum est sanguis, non simpliciter vt pec- indicatum
cat in quanto,sed , vt peccat in quanto determinato , verbi gratia , sanguis peccans ad quantitatem vnius est vacuans
libræ:& hoc indicans specificum indicat. Quid agendum specificum,id est, imminuens seu euacuans ad secundum
libram. partem,id est,minuẽs.

Hoc indicatum locum habet,siue remedium sit minuens per se , siue per accidens : & hoc probo e Minuens
Galeno.Quoad remedium cuius materia euacuatur per se,non ex accidenti;Galenus 14.method.17.dicit, per se.
in curatione vlceris communem curationem esse,vt prohibeatur humorum confluxus;propriam autem
curationem inueniri ex humorum specie,& quantitate.Ecce proponit quantitatem humoris, peccatum
in quanto,a quo sumitur indicatio.Et magis descendens ad indicationem specificam, dicit 11. meth. 14.
oportet tantum sanguinis detrahere,quantum supra naturalem statum abundat.Ecce capit indicationẽ a
determinato peccato,seu a determinata quantitate.Et Galenus non admodum curans nomina , ibidem
E facit mentionem modi euacuationis:per modum euacuationis non intelligens Quomodo agendum,sed
Quantum,nimirum Quid agendum specificum. Præterea dicit Galenus 13.meth.11.vacuationem non
modo inueniri ex redundantia materiæ,sed ex ætate,natura , aere,consuetudine, & ante hæc ex virtute.
Ecce loquitur hic de remedio minuente,quod a sola redundantia indicatur, nimirum a peccato in quã-
to:quia vnum non nisi ab vno indicatur. Licet vero Galenus hoc loco plura proponat:non tamen pro-
pterea imaginari oportet,hæc omnia esse indicantia:quia fuisset deceptus Galenus , ac sibimet contradi-
ceret:quare indicans est redundantia,seu peccatum in Quanto; permittens est virtus : & ob id vtitur illis
verbis , *& ante hæc virtus*; quod virtus sit præferenda omnibus indicatis: reliqua,id est,ætas, consuetudo,
temperatura & aer,signa sunt vtriusque,hoc est & sanguinis redundantis,seu indicantis,& virtutis robu-
stæ,permittentis:verbi gratia,si fuerit tempus veris,est signum copiosi sanguinis,& ob id indicantis;est et-
F iam signum virtutis robustæ,& ideo permittentis.Quare nunquam vltra tria sunt somnianda vel indicã-
tia,vel prohibentia,vel permittentia.

Quo vero ad remedium,cuius materia per accidens euacuatur:hoc proposuit Galen.10 meth.5.vbi Minuens
habet:vidistis,me eos qui vel abundantia,vel ex phlegmone laborarent , sub longa inedia detinuisse , vt per accidẽs.
ante septimum non cibauerim,viribus valentibus.His Galenus significat , abundantiam & peccatum in
Quanto indicare minuens,virtutem autem robustam esse permittentem.Dicit etiam idem Gal.13.meth.
6.plethoram curari quandoque inedia.Quare inedia,seu victus minuens, nequaquam indicatur a virtu-
te,sed solum a materia peccante in Quanto: virtus autem concurrit non vt indicans,sed,si robusta est, vt
permittens;si debilis,vt prohibens.Insuper Galenus 11.method.5.dicit: sed & nutrimenti modus hinc ti-
bi est desumendus:quo loco intelligendum, quid velit Gal. per nutrimenti modum ; & quid velit per illa
G verba,*hinc tibi est desumendus:*vt hinc appareat,quid sit indicans,quid sit permittens, & quid prohibens.
Galenus igitur per nutrimenti modum, intelligit victum minuentem : vnde proponit victum tenuissi-
mum,& ob id maxime minuentem:quare proponit materiam remedii minuentis, quæ materia per acci-
dens euacuat,non per se. Quo vero ad secundum explicandum:indicatur a materia morbifica,permitti-
tur & prohibetur a virtute. Hæc veritas Galeni dictis comprobatur:nam ait:quippe cum vires robustas

habent,& morbi summus vigor est breui futurus, victu tenuissimo vtendum. Ecce, vtimur victu tenuissi- A mo, quia futurus est breui status: quod sane nobis significat materiæ peccatum,& vehemens etiam peccatum: vt non simpliciter vti liceat victu minuente, sed maxime minuente, hoc est, tenuissimo. Quare indicatio non desumitur a statu febris, seu a tempore morbi, sed hoc est signum peccati materiæ indicantis: virtus autem cum Galeno proponitur robusta & valens, quia debilis prohibet.

Hactenus igitur comprobatum sit, peccatum in Quanto indicare vacuans, vel minuens, si sermo fiat de materia peccante in Quanto, vt habet rationem contenti.

Partis viuæ, habentis rationem materiæ morbificæ, vitia.

Continens nihil aliud est, quam pars viuens: seu materia continens peccans in Quanto, est materia viuens. Continens porro vel continet materiam Quiescentem, veluti cutis, caro, quæ sunt partes viuentes; vel Non quiescentem, sed potius fluentem, quæ transmittitur, cuiusmodi sunt venæ, ac reliqui ductus seu canales, per quos fluit contentum. B

Continuitas cutis & carnis, indicat diuidẽs.

Quantum igitur spectat ad materiam morbificam, quæ habet rationem continentis materiam quiescentem: hæc potest esse cutis & caro. Per cutem vero & carnem intelligo has partes non morbosas, sed sanas: quæ partes, etiam sanæ exsistentes, euadunt caussæ morbificæ: nam loquimur heic de indicante præseruatorio, quod nihil aliud est, quam caussa morbifica: quare necessarium est, vt cutis & caro euadant caussæ morbificæ; non quidem principales, sed sine quibus non: vt, dum a cute vel carne detinetur pus, vel alia materia morbifica; cutis est sana: quia suppono has partes non esse intemperatas, sed temperatas: attamen quia detinent materiam morbificam, sunt caussa sine qua non, seu, sunt caussa vt materia morbifica non egrediatur. Materia morbifica detenta nocet: & ideo cutis, vt detinet materiam morbificam, nocet: quare & hęc habet rationem caussæ morbificæ sine qua non; & ob id habet rationem indicantis, sed præseruatorii. C

Hanc veritatem tetigit Galenus 3. meth. vlt. inquiens: si vlcus habet cauitatem altius recõditam sub cute, cutem scindere oportet. In tali casu chirurgus, ductus Galeni auctoritatibus, & auctoritate quę pendet a rei natura, accipit ferrum, & cutem secat: ferrum est, materia remedii scindentis cutem: remedium scindens cutem est indicatum, ideoque necessarium est, vt ab aliquo indicetur: indicatum quippe dirigitur ad indicans; verbi gratia, ventriculi intemperies calida indicat frigidum, quod frigidum dirigitur ad calidum. Ita remedium scindens respicit cutem: diuidimus enim vel scindimus cutem, vt per cutem discissam egrediatur materia. Quare nolimus velimus, fateri cogimur hoc remediũ indicari a cute, sed a cute, vt habet rationem caussæ morbificæ.

Præterea 13. meth. 5. dicit Galenus: aliquando propter multitudinem puris, saniei, & corruptarum materierum, exscindimus cutem, quia cutis sana, ex accidenti fit caussa morbifica sine qua non, & habet D rationem indicantis præseruatorii, propterea quod impedit materiæ exitum.

Heic quæritur, per quam essentiam cutis concurrat ad indicandum? Nam versamur adhuc circa Quid agendum, quod a sola essentia indicatur, non ab alio. Quæ igitur est essentia in cute? quæ est essentia in carne quæ scinditur, seu aperitur? Hoc vitium seu hæc essentia pertinet ad Quantum: quod peccatum in quanto nihil aliud est, quam continuitas cutis, vel carnis: cuius contrarium (indicans enim præseruatorium oppositum indicat) est diuisio. Quare cutis, quia propter continuitatem detinet materiam morbificã, indicat diuidens remedium: cuius materia est ferrum, quemadmodum etiam cutis in venæ sectione diuiditur.

Meatuum amplitudo indicat angustans.

Si consideretur materia morbifica, quatenus habet rationem continentis materiam fluentem, seu transeuntem: hæc materia morbifica est meatus, canalis, seu vena. Possunt autem meatus seu ductus bifa- E riam peccare, & proinde habere rationem caussæ morbificę; altero modo per Amplitudinem, reliquo per Continuitatem. Per amplitudinem: quando materia morbifica fluit, cum alioquin fluere non deberet; vt contingit in immodicis euacuationibus. Licet vero amplitudo sit secundum naturam, redditur tamen morbifica, ex accidenti, hoc est, ratione materiæ fluentis.

Et hæc amplitudo indicat contrarium, videlicet remedium angustans: cuius materia, verbi gratia, est ligatura, vel defensiuum vocatum, quod paratur ex adstringentibus, seu angustãtibus: nam beneficio huius angustationis prohibetur transitus materiæ.

Meatuum continuitas indicat diuidens.

Præterea in ductu perpendimus continuitatem, prout meatus per sui continuitatem impedit, quo minus sanguis, vel alia materia, exeat. Hoc quantitatis seu continuitatis peccatum, per suam essentiam indicat diuidens, quemadmodum fit in venæ sectione, vt extrahatur sanguis. Hæc de peccato secundum F quantitatem.

Capvt XIX.

De mineræ peccato in Qualitate alteratiua, tum Prima, tum Secunda.

Qualitatis peccatum, indicat contrarium alterans.

SIc habet peccatum materiæ morbificæ in forma, & quantitate: sequitur *Qualitatis* vitium: eiusque vel Primę, vel Secundę. Quoad primam qualitatem: materia calida indicat frigidum; & sic de reliquis. Quo ad secundam qualitatem: materia, exempli gratia, viscida & lenta, indicat remedium detersorium; crassa attenuans: & sic de reliquis.

Vnde Galenus 11. meth. 5. dicit: si obstructio fuerit, indicatur victus attenuans. Non credatis, victum attenuantem indicari ab obstructione; quemadmodum videtur prima facie asserere Galenus: sed per obstructionem intelligere oportet id indicans, quod est ex vsu: est autem materia crassa, quæ indicat victum G attenuantem.

Sic etiam Galenus 14. meth. 5. asserebat, duram materiam esse molliendam.

Constat igitur quemadmodum materia morbifica, peccans in Quali, siue sit qualitas prima, siue secunda, indicet suum contrarium: quod semper est præseruatorium. Hæc de peccato in Qualitate.

Capvt

CAPVT XX.

De vitio materiæ morbificæ secundum Motum.

> Motus vitia, defectus, & intensio.

RESTAT mineræ peccatum in *Motu* & *Quiete*. Motus vitia sunt Defectus & Exsuperantia.

> Defectus, indicat motum adiuuans.

Si deficiat motus: indicat remedium adiuuans ac intendens illum motum deficientem. Quam veritatem tetigit Galenus 9. method. capite quincto, inquiens: si tempore mittendi sanguinis menses fluant, si sanguinis quantum sat est, effluat, id est, si sanguinis motus sit sufficiens; naturæ omnia sunt permittenda, & nihil agendum: sanguinis enim motus secundum naturam, quia vitiosus non est, nihil indicat. Si autem sanguis non effluat ea copia, qua deberet, vt motus sit diminutus; oportet tantum addere, vt ex coniunctis ambobus perficias quod postulat sanguis: nam imminutus motus indicat remedium adB iuuans ac intendens motum illum diminutum.

> Exsuperantia motus, indicat motum inhibens.

Si motus sit excedens: in genere materia morbifica secundum hanc essentiam, hoc est, secundum motum exsuperantem, indicat remedium minuens seu compescens illum motum excedentem: & hoc est remedium satis genericum, quod indicatur a motu excedenti superfluo.

> Indicata, motum inhibentia, in specie quinque.

Remedium autem specificum, quod continetur sub hoc generico, est Intercipiens, Reuulsorium, Deriuatorium, quod duplex est, nimirum, Simplex deriuatorium, & deriuatorium Mistum, atq; Reprimens seu repercussorium. Hæc igitur sunt indicata specifica, quæ sub illo generico continentur. Et quia hoc negotium est maximi momenti, & satis difficile: ideo hæc indicata specifica a nobis summa diligentia explicanda sunt, vt appareat a qua essentia specifica indicentur.

> Demonstratio illorum quinque, e motus physica.

Ratio igitur horum indicantium & indicatorum hæc est. Consideramus in præsentia materiam C morbificam, vt peccat secundum motum excedentem: quæ materia ita præter naturam mota, motu excedenti ac vitioso, secundum Philosophos, requirit Spatium per quod moueatur, a Motore extrinseco, vt motus incipiat a termino A quo, & desinat in terminum Ad quem.

Quatenus igitur motus respicit spatium, indicatur remedium compescens hunc motum, quod in specie est intercipiens. Ecce remedium illud genericum, hoc est, compescens motum illum superfluum exuberantem, contrahitur ac euadit specificum, nimirum intercipiens, ratione spatii per quod mouetur materia.

Caussa autem extrinseci motoris, qui mouet a termino a quo, ad terminum ad quem; indicatur remedium auferens violentiam extrinseci motoris violenti, vt materia moueatur potius in aliam partem. D Motor autem violentus extrinsecus duplex esse potest, Attrahens, vel Impellens, & propterea indicat remedium contrarium, attrahens nimirum indicat impellens; impellens indicat attrahens.

Sed quia vtrunque est genericum, ideo, vt euadat specificum, oportet indicans magis contrahere. Id autem notissimum est, quod attrahens genericum, indicans contrarium, indicet contrarium efficacius: verbi gratia, si pars attrahit per caliditatem vt duo, indicat calidum vt tria. Similiter est dicendum de impellente.

Attrahens igitur euadens magis adhuc specificum, triplex esse potest, prout in motu excedenti materiæ consideramus motorem, vel raione termini A quo, vel ratione termini Ad quem, vel simul ratione Vtriusque termini. Declaro. Si consideramus materiæ peccatum, vt respicit terminum a quo: indicatur remedium attrahens ad longinqua; quod medici vocant reuulsorium, seu diuersorium. Si consideramus E terminum ad quem, indicatur attrahens ad vicina, seu ad latera; quod vocatur deriuatorium simplex, propterea quod indicatur a solo motu, a solo fluxu, ratione termini ad quem. Si tandem perpendimus motũ vitiosum excedentem, ratione motoris externi, in relatione simul vtriusque termini, a quo, & ad quem: indicatur attrahens, quod vocatur deriuatorium, ad differentiam reuulsorii, & in specie mistum deriuatorium, ad differentiam deriuatorii simplicis.

Impellens indicatur tantum a motu materiæ, ratione termini ad quem: quod medici vocant reprimens, seu repulsorium.

Quare materia, vt præter naturam mouetur, indicat Intercipiens, Reuulsorium, Deriuatorium simplex, Deriuatorium mistum, & Repellens.

> 1. Intercipiens est indicatum inutile, nõ habens materiam.

Intercipiens, est remedium, cuius materia non inuenitur. Nam, verbi gratia, dum intercipimus materiam, descendentem in catharro a capite ad pulmones vsu diacodeiωn, vel sacchari rosacei, antiqui cũ F bolo armena, non est putandum, beneficio horum medicamentorum materiam illam fluentem vere, ac per se, seu primaria ratione intercipi, ac ita motum ipsius inhiberi, sed intercipitur fluens materia, quia frangitur ac hebetatur illius motus, dum dictis remediis incrassamus materiam tenuem, quæ ob tenuitatẽ facile mouetur. Quare materia tenuis indicat crassefaciens, cuius materia medicinalis est diacodeiωn. Preterea dum intercipimus materiam fluentem, ligando & adstringendo partes, materia remedii est ligatura, ac defensiuum vocatum, quæ materiæ, sunt quidem materiæ alicuius remedii, sed non materiæ intercipientis, sed remedii angustantis, & adstringentis, indicati a vasis, ductibusque amplis. Quare impossibile est, vt reperiatur materia remedii intercipientis: ideoque non sunt reprehendendi medici, licet in fluxione materiæ mentionem non faciant remedii intercipientis.

> 2. Reuulsorium, & 3. deriuatorium simplex.

G Reuulsorium vna cum deriuante simplici, proponitur a Galeno 4. metho. 6. vbi ait, reuulsionem faciendam esse ad contrarium, deriuationem ad latera, seu ad vicina, & addit ibidem, irruente fluxione, reuellendum esse: innuens, reuulsionem capi a motu, seu fluxione.

Præterea dicit Galenus, 13. meth. 11. in his quæ circa caput accidunt, purgare per contrarium oportet. Et 14. meth. c. 8 dicit, in Priapismo opus esse vomitoriis, contra in vitio linguæ esse purgandum, & hoc ex partium situ indicari. Quibus verbis Gale. non intelligit, situm partis habere rationem indicantis, quia

A hoc eſt indicatum ſpecificum, quod ſupponit genericum, videlicet auferens immodicum motum materiæ, ſitus autem partium non indicat, auferens, nam eſt quid ſecundum naturam, ideoque non poteſt eſſe indicans præſeruatorium. Quare Galenus his verbis proponit. Quid agendum, quod eſt reuulſorium, & indicatur a materia mota præter naturam, id eſt, motu vitioſo, cuius moti vitioſi ſeu indicantis ſignum eſt ſitus partis. Nam remedium reuulſorium indicatur a motu, ratione termini a quo: an verò debeat eſſe reuulſorium ſurſum, hoc eſt, vomitorium, vel reuulſorium deorſum, hoc eſt, deiiciens per aluum; hoc indicatur a motu materiæ, vt ſurſum, vel deorſum mouetur; quem motum ſignificat nobis, vt ſignum, ſitus partis. Quæ autem pars vel inferna, vel ſuperna eſſe debeat, cui materia reuellentis remedii ſit applicanda: hoc non indicat motus materiæ: quia hoc pertinet non ad Quid agendum, ſed ad Vbi

Præterea Galenus 5. meth. 3. dicit, reuulſionem & deriuationem eſſe communia remedia immodicæ B euacuationis, ita tamen, vt refulſio fiat ad contraria, deriuatio ad latera ſeu vicina, vnde materia fluens per ſedem, ſurſum eſt reuellenda, deriuanda autem per vterum. Quibus verbis Galenus dubio procul proponit Quid agendum, hoc eſt, remedium reuellens, & deriuans. Licet vero dixerit, reuulſionem & deriuationem eſſe communia remedia immoderatæ euacuationis, nemo tamen debet eſſe ita fatuus, vt aſſerat, hæc remedia indicari ab immoderata euacuatione, moderata enim euacuatio indicat repletionem, reuellens vero & deriuans indicantur a motu. Quare immoderata euacuatio habet rationem ſigni, non indicantis: nam immoderata euacuatio eſt ſignum motus præter naturam. Exempli gratia, ſi aliquis obſeruet immoderatum fluxum ſanguinis; nonne cognoſcet, immoderatum eſſe impetum ſeu motum in ſanguine? Et ob id indicatio ſumitur a motu, motus autem, tanquam a ſigno, poteſt ſignificari ab immodica euacuatione.

4 Deriuatorium miſtum.

Miſtum deriuans indicatur a motu, vt ſimul reſpicit terminum a quo, & ad quem. Sic in pleuritide C venę ſectio ab eodem latere eſt materia remedii reuellentis, ratione materiæ fluentis, eſt etiam materia remedii deriuantis, ratione materiæ fluxæ, cuius ſignum eſt, quid fit euacuatio ad mutationem ſanguinis, quæ mutatio ſignificat, euacuari materiam fluxam. Et hoc remedium vocatur deriuatorium reuellens, ſeu reuulſorium deriuans; prout magis, vel reuellit, vel deriuat.

Sed obiici poſſet, dixiſſe Galenum 4. meth. 6. ſi fluxio ceſſauerit, atque membro inhæſerit, deriuare oportet. Vnde ſequi videtur, remedium deriuans indicari a materia quieſcente, non fluente. 2. ad Glau. 2. dicit, deriuationem eſſe humoris, qui iam membrum occupauerit. Reſpondendum eſt, e capite 3. libr. 5. meth. remedium deriuans poſſe accipi cauſſa immoderatæ vacuationis, vel repletionis. Si cauſſa immoderatæ euacuationis, veluti in fluxu immoderato menſium, remedium deriuans indicatur a materia, vt mouetur, D ſeu fluit, & in hoc non eſt difficultas. Si autem capiatur cauſſa immoderatæ fluxionis, id eſt, quando materia fluens eſt cauſſa inflammationis, ſeu repletionis magis auctæ, tunc, licet materia quæ indicat remedium deriuans non fluat ab vna parte ad aliam partem; tamen mouetur a vaſis illius partis, ad ſpatia eiuſdem partis, vnde appellatur materia fluxa, quia iam fluxit de vno loco ad alium, & eſt materia mobilis, vt materia a vaſis ſeu ductibus, ad ſpacia eiuſdem partis, & ſecundum hanc rationem indicat deriuans.

5. Repulſorium.

Reprimens remedium indicatur a motu materiæ, vt reſpicit terminum ad quem: & agit per impulſionem. Vnde dicit Galenus cap. 5. l. 11. meth. dum ad affectum locum ſit fluxio, reprimere expedit. Ecce, reprimens indicatur a fluxione ad locum affectum, hoc eſt, vt reſpicit terminum ad quem. Præterea 13. methodi 6. dicit: incipiente inflammatione, dum quod affluit, non eſt craſſum, oportet reprimere. Ecce, proponit materiam fluentem, non quieſcentem. Et 13. meth. 8. dicit, reprimere oportet quod fluit. Conſtitutum E igitur ſit, etiam reprimens remedium indicari non a materia quieſcente, ſed a materia peccante ſecundum motum, vt reſpicit terminum ad quem.

CAPVT XXI.

De materiæ morbificæ peccato in Quiete.

Quies materiæ morbificæ, indicat vacuans per locum affectum.

QVoad peccatum materiæ ſecundum *Quietem:* cum Galeno 13. meth. 9. materia morbifica quieſcens, indicat commouens, ſeu vacuans per partem læſam, vt vapor quieſcens, indicat vacuans per partem læſam, quod eſt digerens, ſeu euacuans per inſenſiles meatus, minera vero quieſcens, indicat euacuans per partem læſam, ſed per ſenſiles meatus. Vnde dicit Galenus 12. meth. 8. ſi dolor poſt reuulſionem & deriuationem perſeueret, tunc materia eſt impacta, quare digerenda. Præterea 13. method. 16. ait, diaphoreticum, id eſt, digerens, indicari a materia in parte inflammata contenta: quare a peccato ſecundum quietem. F Et, ſi ſermo fiat de euacuatione per ſenſiles meatus, cum Galeno 13. metho. 9. materia quieſcens ſenſiliter eſt euacuanda, per partem affectam. Hæc dicta ſint de peccato materiæ ſecundum quietem.

CAPVT XXII.

De differentiis materiæ morbificæ e tertio fonte: quatenus ſcilicet Lædit. Vnde vehemens eſt, vel debilis materiæ eſſentia: itemque vehemens, vel debile indicatum præſeruatorium.

HVcuſque de indicato materiæ morbificæ, quatenus eſt miſtum præter naturam. Eadem materia iam perpendenda eſt, vt *lædit.*

Læſio materiæ morbificæ vehemens, vel debilis.

G Materia erga corpus lædens, lædit vel Vehementer, vel Citra vehementiam. Secundum hanc eſſentiam materia indicat remedium vel vehemens, vel debile, quemadmodum dictum eſt de morbo. Differentia autem eſt, quia remedium vehemens indicatum a morbo vehementi, eſt curatorium, a materia eſt præſeruatorium: vt ſi ſanguis vehementer lædat, indicat remedium vehemens, cuius materia eſt venæ ſectio; ſi autem debiliter, indicat ſanguis debile auxilium, cuius materia, verbi gratia, ſunt cucurbitulæ.

Ad

Ad hanc veritatem respiciens Galenus quincto methodi, capite primo, dicit, vlcera egere medica-
mentis magis siccantibus, quando sunt humidiora. Quibus verbis Galenus proponit remedium vehe-
mens, scilicet vehementer siccans, quod indicatur ab humiditate vehementi, cuius vehementiæ signum
est copia, non enim indicatur magis siccans a copia materiæ, sed a vehementia materiæ; quam vehemen-
tiam, vt signum, nobis significat copia seu quantitas; quia in maiori quanto, est maior virtus; excremen-
tum copiosius magis lædit.

Vehementior causa, indicat vehementius præsidium.

Præterea Gale. 13. meth. 6. & 4. metho. 6 ait, plethoram curari sanguinis missione, balneo, vel frictio-
ne; cacochymiam purgatione, si enim febricitet æger, opus esse sanguinis missione, vna cũ inedia, vel pur-
gatione: si vero homo non febricitet, aliis opus esse, hoc est, frictione, balneo, &c. id est, leuioribus. Quibus
B verbis nihil aliud voluit diuinus Galenus significare, quam vehementiam & debilitatem materiæ, seu ve-
hementem vel debilem læsionem, vnde si vehemens sit læsio, vehementibus remediis vtendum vt sectio-
ne venæ, purgatione vel inedia. Materiæ autem vehementiam significat nobis Galenus per febrem, vnde
febris non proponitur hoc loco, vt indicans, nam febris nec missionem sanguinis, nec purgationem, nec
inediam indicat, sed est signum vehementis læsionis materiæ. Heic ergo obiter notandum cum Galenus
vere indicantia quandoq; accipiat, vt signa; non esse præter rationem, vt quæ nequaquam possunt esse in-
dicantia, etiam accipiat in ratione signi.

Amplius c. 12. l. 14. meth. dicit Galenus, in curatione meliceridis, atheromatis, & steatomatis indica-
tionem communem esse, vel digestionem, vel putrefactionem, vel excisionem, differentiam autem esse,
quod meliceris tria illa admittat; atheroma duo, nimirum remedium putrefaciens, & remedium excidens;
steatoma vero indicet solum excisionem In abscessibus autem profundis, & potissimum in visceribus, ad-
C dit Galenus probari resoluentia & digerentia, non putrefacientia, nec excidentia. Hæc verba ita sunt in-
telligenda. Galenus, tria illa proponens, respicit materiam principalem in abscessibus contentam; nõ fol-
liculum, continentem illas materias, qui digerentibus minime cedit. Proponit autem remedia vehemen-
tia, quæ indicantur a vehementia materiæ, & quandoq; prohibentur a virtute. Quantum enim attinet ad
indicans, loquitur de abscessibus in quibus peccat materia toto genere præter naturam, siue sit meliceris,
siue atheroma, siue steatoma. Et cum eodem Gale. 14. meth. 13. materia in quolibet abscessu ex propositis,
cum sit toto genere præter naturam, indicat eradicans, seu secundum totum euacuans. Hoc autem eradi-
cans minus vehemens est digerens, magis vehemens est putrefaciens, in summo vehemens est excidens.
Quare necessarium est, hæc ita a materia indicari; vt a materia minus vehementi, indicetur minus vehe-
mens, a materia magis vehementi magis vehemens. Galen loc. cit. minorem vehementiam significat per
D substantiæ tenuitatem, hoc enim loco non accipit tenuem substãtiam, vt habet rationem indicantis, quia
indicaret crassefaciens; sed accipit in ratione signi. Quare meliceris triplicem curationem admittit, quo-
niam constat ex tenuiori materia, quam constent reliqui abscessus. Cum ergo tenuitas sit signum virtutis
remissioris, crassitudo sit signum virtutis validioris; atq; Gal. accipiat vehementiam penes resistentiam, in
steatomate locum habet remedium vehementissimũ, excidens quia peccat materia crassissima, non cedẽs
digerenti, nec putrefacienti, in atheromate aũt, cum materia sit minus crassa, non cedit digerentibus, sed
putrefacientibus, in meliceride vero, cum sit tenuior, potest ẽt cedere digerentibus. Ita ergo respicit Gale.
materiæ maiorem vel minorem vehementiam. Respicit tandem etiam id quod prohibet; quando dicit
postremo loco; si abscessus fuerit in visceribus, nequaquam confugiendũ ad putrefacientia, vel excidẽtia.

E
CAPVT XXIII.

De differentiis materiæ morbificæ, e quarto fonte: quatenus illa lædit hominem, secundum Determinatam aliquam corporis partem. Vnde indicatum surgit specificum, pro diuersa conformatione partis subiectæ ægrotantis.

DE materia morbifica, vt indifferenter lædit hominem ægrotantem, locuti sumus, sermo igitur nunc
fiat de materia, vt *lædit magis secundum vnam partem, quam secundũ aliam.* Materia ergo hunc in mo-
dum accepta, indicat remedium specificum. Exempli gratia, cum Galenus 5. metho. 11. dicit, pectus & pul-
monem expurgari per tussim; ventriculum vacuari sursum per vomitum, deorsum secundum naturam,
hæc indicatio delumitur a forma partis, vt pars est instrumentalis. Quæ verba non ita sunt intelligenda,
quasi indicatio sumatur a partis instrumentalis forma, vel conformatione, vt videtur prima facie insinua-
F re Galenus. Illis ergo verbis proponit Quid agendum, quod indicatur a materia morbifica, quatenus se-
cundum hanc rationem formalem, vel secundum hanc essentiam, lædit determinatam partem, quod in-
dicatum est specificum, verbi gratia, vomitorium, deiectorium, diureticum, tussiculare seu per tussim va-
cuans. Signum autem huius essentiæ indicantis, hoc est, signum materiæ morbificæ lædentis partem de-
terminatam, est conformatio partis. Conformatio, inquam, partis, est signum indicantis, non indicans, sed
est signum materiæ, vt lædit partem determinatam. Subdit Galenus, ab vlcere sumi indicationem, ab vl-
cere quidem ventriculi, quod vomitus sit periculosus; & ab vlcere pulmonum quod remedium tussicula-
re sit periculosum. Vt ita vomitorium remedium indicetur a pure lædente ventriculum; prohibeatur au-
tem ab vlcere ventriculi vomitorium, vlcere videlicet indicante vniens. Recte hoc intelligendum Indi-
cat vlcus remedium vniens, remedium vomitorium vnitatem soluit, & ita vlcus augetur, quare quod in-
G dicatur a pure, id est, vomitorium, prohibetur ab vlcere. In vlcere pulmonis remedium vacuans per tussim
indicatur a pure, vt lędit pectus, vlcus vero intenditur potius, quia tussiculare auget solutam vnitatem. At-
tamen in praxi, in vlcere ventriculi, non vtimur vomitoriis; in vlcere pulmonum & pectoris, vtimur tussi-
cularibus. Ratio autem diuersitatis sumitur ex fundamentis methodi, quia in vlcere ventriculi magis po-
test vlcus ad prohibendum vomitorium, quam pus ad illudipsum indicandum: contra, in vlcere pectoris;
magis potest pus ad indicandum tussiculare, quam vlcus ad prohibendum, in vlcere. n. ventriculi, licet nõ

Materia, determinata loca occupans, determinata indicat præsidia.

vacuetur materia purulenta per partes ſupernas, poteſt tamen euacuari deorſum; at in vlcere pulmonis, A
ſola tuſſis, non per aliam viam poteſt fieri puris euacuatio: quæ non eſt infima cauſſa, propter quam pectoris & pulmonum vlcera vix poſſunt remoueri.

Præterea dicit Galenus 11. method. 9. *reſpiciens ad materiam vt lædit partes determinatas* dicit, inquam, in febribus continentibus, in quibus putredo in toto reperitur, expellere oportere per vrinam, aluum, & ſudorem: &, ſi ad os ventriculi materia ſponte impetum habeat, etiam per vomitum, Galenus hoc loco proponit Quid agendum, vt indicatur a materia putrida: & proponit Quid agendum ſpecificum, hoc eſt, diureticum, deiectorium, Sudatorium & quandoque etiam vomitorium, quæ ſane indicata ſpecifica deſumuntur a materia, vt lædit hominem ægrotantem, ſecundum totum corpus; quia loquitur de febre putrida continenti, in qua putredo eſt in omnibus ferme vaſis. Cum ergo materia putrida lædat to- B
tum, indicat quodlibet vacuans, id eſt, diureticum, ſudatorium, deiectorium, & vomitorium: & ob id Galenus indicata illa proponit coniunctim, non diuiſim. Porro in febre putrida continenti materia putrida euacuanda eſt diuretico, quia læduntur partes ad renes ſpectantes, indicatur etiam ſudatorium, quia in febre materia lædit partes ad ambitum totius ſpectantes, indicatur quoque deiectorium, quia in hac febre peccat materia quæ lædit has partes: ideo loquitur coniunctim. Sed vomitorium tum indicatur, ſi materia in febre putrida continenti ad os ventriculi ſponte impetum habeat, non ſecus. Vomitorium enim indicatur a materia, vt lædit os ventriculi: quam læſionem ſeu quam eſſentiam indicantis, nobis ſignificat motus materiæ. Vnde hoc loco non ſumitur indicatio a motu, vel ab impetu, ſed impetus eſt ſignum indicantis, hoc eſt, materiæ lædentis os ventriculi. Quod ſi in febre putrida continente, materia reſideat quidem in ventriculo, ſed lædat partem infernam; non indicatur vomitorium, ſed deiectorium potius, ſiqui- C
dem materia putrida eſt *potius deorſum quam ſurſum euacuanda, prohibet enim vacuationem per vomitum, os ſupernum ventriculi. Ideo niſi lædatur os ventriculi, quod cognoſcimus ex impetu materiæ, exque motu hoc ſpontaneo, ita vocato a Galeno; non indicatur vomitorium.*

Conſtitutum igitur ſit, deiectorium, diureticum, ſudatorium, vomitorium, tuſſiculare, & alia id genus remedia, indicari à materia morbifica, vt lędit hominem ægrotantem, non indifferenter, ſed ſecundum partes determinatas.

CAPVT XXIV.

Quomodo cauſſa morbifica indicet Rationem vtendi.

DE cauſſa morbifica acturi, capite 15 huius tractatus explicandum ſumſimus, quomodo ea tum Præſi-
Tranſitio. dium indicet, tum Vſum præſidii. Abſoluta igitur doctrina de præſidio ipſo, iam *rectam adminiſtra-* D
tionem præſidii aggrediemur, & quomodo cauſſa morbifica ad eam indicandum concurrat, docebimus. Breuiores autem erimus, quia & morbo, & cauſſæ commune hoc eſt negocium, niſi quod ille curatorium, iſta prophylacticum exhibet indicatum. Ideoque c. 11. 12. 13. & 14. quantum opus eſt huc transferentur.

Quantum igitur agendum, ſumitur ab actione cauſſæ morbificæ, verbi gratia, ſi bilis ſit ſumma actio,
Quantum indicatur ſumma doſis rhabarbari, id eſt materiæ remedii. Vnde Galenus ſectione prima, aphoriſm 23. di-
agendum. cit, in vehementiſſimis febribus, in maximis inflammationibus, in ſummis doloribus, eſſe euacuandum vſque ad animi defectum, & eſſe moliendam euacuationem vnica vice, propterea, quod illorum malorum vehementia nobis ſignificat ſummam actionem materiæ, a qua ſumma actione, & non ab alio, indicatur Quantum agendum.

Modus agendi indicatur a paſſione cauſſæ morbificæ. Verbi gratia, ſi bilis ſit craſſior, rhabarbarum E
Quomodo. exhibendum in bolo, quia efficaciter magis agit, & debet etiam agere, quia bilis ob craſſitiem difficulter patitur. Sic Galenus 13. metho. 5. dicit: ſi ratione puris oporteat partem incidere, in inciſione longitudo latitudine debet eſſe maior, ideoque in inguinis vlcere longitudo per tranſuerſum fieri debet, non per rectum, quippe ita cum membrum inflectimus, naturaliter cutis ſibi applicatur. Quibus verbis Galenus proponit modum agendi, & proponit modum circa adminiſtrationem ferri indicantis, vt longitudo ſit maior latitudine, & vt longitudo ſit per tranſuerſum. Hoc loco id quod indicat remedium ſeu Quid agendum, non poteſt eſſe aliud quam cutis, quatenus habet rationem cauſſæ ſine qua non. Modum vero agendi indicat paſſio cutis, cutis hæc eſt paſſio, vt promtius admittat puris exitum, & promtius vniatur, ſi inciſio fiat per tranſuerſum.

Semper autem oportet reſpicere in indicationibus ad ea quæ permittunt, nec tantum conſideranda F
indicantia, ſed etiam permittentia.

Vnde Galenus primo ad Glauconem 15. dicit, aere calidiore, opus eſſe vti oxyrhodino actu frigido; frigido aere, tepido oxyrhodino. Quæ dicta videntur parere ambiguitatem, nam in aere frigido egemus medicamento actu magis frigido: quia oxyrhodinum, quod habet vim reprimendi, magis reprimere debet, quando materia reprimenda magis reſiſtit ac magis difficulter patitur, propterea quod modus agendi indicatur a paſſione. At tempore frigido materia reprimenda minus cedit, patitur ac reprimitur, quam aere calido. Et, cum oxyrhodinum magis efficaciter agat, dum actu frigidum adminiſtratur. Igitur tempore frigido deberet magis actu frigidum adminiſtrari. Oppoſitum autem dicit Galenus. Huic obiectioni ſatisfacturi, dicimus, modum agendi ſemper indicari a paſſione, & a nullo alio. Sed quoad materiam frigidam; in hac materia poſſumus paſſionem duobus modis conſiderare, altero modo, G
vt paſſio ſequitur eſſentiam quæ eſt frigiditas, quæ indicat calidum; reliquo vero, vt eſt paſſio quæ ſequitur eſſentiam quæ eſt materiæ motus ſeu fluxus, qui fluxus indicat remedium reprimens. Si primo modo capiatur paſſio, vt eſt paſſio materiæ frigidæ, materia vt magis frigida eſt, & proinde vt difficulter patitur, indicat medicamentum actu magis calidum, non frigidum; quemadmodum materia calida, vt indicat frigidum, quo calidior fuerit, eo ipſius paſſio erit magis difficilis, & indicabit medicamentum

A tum magis actu frigidum. Si vero capiatur, vt reprimenda materia frigida, indicat reprimens magis actu frigidum, quam materia calida reprimenda, & ratio est, quia materia calida facilius reprimitur, ac facilius patitur, quam frigida. Galenus igitur, considerans materiam omnibus modis, hoc est, & ratione qualitatis primæ, & ratione motus; atq; inuicem conferens materiam calidam, & materiam frigidam; statuit materiam frigidam, ratione remedii reprimentis, indicare magis actu frigidum, tamen ratione passionis frigiditatis, indicare actu calidum, materiam autem calidam omnibus modis indicare actu frigidum. Et ob id, ad hæc fundamenta respiciens Galenus, recte dicit, ratione materiæ frigidæ esse vtendum oxyrhodino tepido, ratione calidæ actu frigido: quia duplex passio materiæ calidæ indicat actu frigidum; materiæ autem frigidæ, vna passio indicat calidum actu, vna frigidum actu.

B Galenus l.12.meth.c.3. dicit; si æstas fuerit, siue æger sit frigidæ siue calidæ potioni assuetus, frigidum oxymeli dabis; si autem fuerit hyems, omnibus siue sint assueti frigidis, siue calidis oxymeli calidum dabis. Hoc loco proponit modum agendi, vt sciamus, an oxymeli sit exhibendum actu vel calidum, vel frigidū. Et voluit Galenus, consuetudinem ab aere superari, dicit enim; si homo est assuetus calidæ potioni, æstate dabis frigidum; & si frigidæ, dabis hyeme calidum: quare aer superat consuetudinem. Galenus ergo proponit modum agendi, circa oxymeli, in febri syncopali ex crudis succis. Vnde indicans hoc loco est succus frigidus & viscidus, proinde modus agendi indicatur a passione huius succi: quare hic succus, vt frigidus, vt crassus, vt viscidus, habet rationem indicandi oxymeli actu calidum, quia oxymeli administratum actu calidum efficacius agit, vincit succum frigidum, crassum, viscidum. Quid autem est illud quod habet rationem prohibentis? Est succus pituitosus, non vt frigidus, non vt crassus, non vt viscidus, sed vt liquabilis, nā quatenus potest fundi, habet rationem prohibentis, vbi enim hic succus in febre syncopali loquatur, C facile est vt petat viscus principale, & hinc fiat actu syncope. Quare consideranda est caussa, ob quam potest liquari. Potest liquari vi aeris calidi, qui aer calidus habet rationem caussæ morbificæ, colliquantis hūc succum pituitosum, & vt habet rationem caussæ, est ēt signum huius succi, vt est liquabilis, & ideo est signum succi liquabilis prohibentis. Et propterea recte dicit Galenus, consuetudinem superari ab aere, & ægro, licet sit assuetus calidæ, tempore tamen æstatis, quo possit liquari succus pituitosus, oxymeli actu frigidum esse exhibendum, quo minus succus ille liquetur.

Quando agendum indicatur a præsentia materiæ, vt sequitur essentiam vehementioris indicantis, quemadmodum dictum fuit etiam de morbo. *Tempus agendi.*

Galenus 14.meth.16. vbi loquitur de picatione seu de medicinis quæ conficiuntur ex pice, asserit, neque assidue, neque sæpe vtendum esse picatione, & hyeme bis in die, æstate semel. Heic Galenus proponit D Quando agendum, ratione medicamenti ex pice. Medicamentum autem ex pice est materia remedii, indicati a parte frigida, vnde, dum adest præsentia indicantis, nimirum frigiditas partis, licet, vti picatione, nisi aliquid prohibeat. Prohibet autem sanguis, a parte attractus per picationem, qui sanguis æstatis tempore calido promtius digeritur ac dissipatur, vt merito picatione vti liceat tempore æstatis semel tantum, hyeme autem bis, propterea quod sanguis attractus non ita dissipatur hyeme.

Dubitari hoc loco potest circa Quando agendum, in venæsectione reuulsoria, num eodem die, an diuersis sit ingeminanda. Gale. enim c.3.l.5.meth. ait: Cum e naribus sanguis erumpit, vbi paululum e cubili vena detraxeris sanguinis, mox vnam horam intermittens rursus detrahes. Quare Galenus hoc loco in reuulsione venæsectionem repetit eodem die, non diuersis diebus. Sed libro curatiuo per venæsectionē c.21. dicit, in venæsectione, vbi institutum est euacuare, eodem die repetenda est venæsectio, in reuulsionē E autem diuersis diebus. Galenus ergo sibimet aduersatur? Respondemus, sanguinem indicantem, cum in præsentia accipi possit, vt peccat vel Copia, vel Impetu, quomodocunque peccet, vtrunq; peccatum bifariam accipi posse, altero modo, vt homo læditur actu; reliquo vero, vt potestate. Si capiatur primo modo, vt homo actu lęditur; siue peccatū sit in Quanto, vt indicatio sit vacuandi; siue in Motu, vt indicatio sit reuellendi; expedit eodem die, non diuersis, venæsectionem repetere. Et hoc modo loquitur Gal.5. meth.3. ibi namq; verba facit de sanguinis motu, vi cuius homo actu læditur, dum patitur immoderatum sanguinis fluxum. Quare in praxi obseruetis, siue intentio sit vacuandi, siue reuellendi, vt eodem die repetatur venæsectio, ratio est, quia vbi sanguis actu lædit, pręsentiam habet, quæ sequitur essentiā admodum vehementem. Si aūt alia ex parte sanguis non actu lædat, sed possit lædere, is vel copia peccat, vel impetu, si copia, eodē die; si impetu diuersis dieb. phlebotomia iteranda, & propterea in vacuatione eodē die, in reuul- F sione, diuersis dieb. Ratio est, quia copia magis potest, & pręterea in peccato secundum quantitatem vires melius perferunt repetitam vacuationē eodem die. Secundum hanc rationem locutus est Gal. li. illo curatiuo per venā sectam c.21. nam expresse proponit sanguinis peccatum non vt actu lædit, sed vt pōt lædere.

Vbi agendum indicatur a subsistentia materiæ, siquidem id quod agit, agit per contactum, & ideo necessarium est, vt materia remedii accedat & deducatur ad materiam morbificam. Verbi gratia, si materia morbifica in ventriculo habet subsistentiam, exhibemus medicamentum per os. *Vbi agendum.*

Licet vero hoc manifestum sit, propter iuniores tamen proponemus Galeni auctoritatem, ex cuius intellectione, non empirice, sed dogmatice; patebit vlcerum curatio. Inquit Galenus tertio, methodi vltimo, si vlcus habeat cauitatem profundam, & cauitas sit in parte inferiori, vt sanies detineatur, vel tota G cauitas incidenda, vel incidere oportet in fundo tantum. Cognoscimus vero an tota cauitas sit incidenda, an in fundo tantum, ex vlceris magnitudine, & loci natura, si enim vlcus sit magnum, & locus periculosam sectionem faciat, expedit in fundo tantum aperire, si contra, hoc est, si vlcus non sit magnum, sed potius paruum, & locus periculosam sectionem non faciat, tota cauitas scindenda. Galenus hoc loco proponit Vbi agendum, caussa materiæ remedii, hoc est, caussa ferri scindentis, vt pateat an cutis sit scindenda vel in fundo, vel secundum totam cauitatem, hoc est Galeni institutum eo in loco. Cum igitur proponat Vbi agendum ratione materiæ seu ferri, vt incidit cutim, necessarium est, vt quemadmodum

cutis habet rationem indicantis Quid agendum, ita subsistentia cutis indicet Vbi agendum. Cutis subsistentia in vlcere proposito est secundum totam cauitatem; & ob id esset scindenda tota cauitas cutis, nisi adesset prohibens. Hoc enim est perpetuæ veritatis, non modo opus esse indicante, sed etiam permittente. Quid est ergo illud, quod prohibet? Est virtus, quę non pōt sustinere incisionē totius cauitatis. Si enim vlcus sit paruum, & locus affectus non sit in caussa periculosæ sectionis, hoc est, locus affectus non sit præditus exquisito sensu, neruis magnis, ac vasis; tunc vlcus paruum, & talis locus affectus, sunt signa virtutis permittentis incisionem totius cauitatis, si autem contra vlcus sit magnum, vel locus incidendus sit donatus neruis, aut magnis vasis, est in caussa periculosæ sectionis, & ob id vlcus magnum, & locus propositus, sunt signa virtutis prohibentis; non sunt prohibentia, sed sunt signa virtutis prohibentis. A

Præterea Galenus, ad eandem veritatem respiciens, 5. metho. 3. dicit, reuulsionem moliendam in iis quæ supra sunt, deorsum; in iis quæ infra, sursum. Quia scilicet respicit ad subsistentiam, vt sequitur essentiam, quæ essentia est motus seu impetus secundum partem supernā vel infernam, dextram vel sinistram, internam vel externam. B

Et 13. meth. 11. ait, quæ vena sit secanda, ex parte laborante indicatur. Intelligatis, partem laborantem non indicare Vbi agendum, sed esse signum subsistentiæ sanguinis, verbi gratia, si iecur afficiatur, basilica secanda; quia ita indicat subsistentia, cuius signum est iecur affectum.

Hæc de materia morbifica, indicante, & Quid agendum, & Vsum, dicta sufficiant.

CAPVT XXV.

De Symptomate, seu caussa morbifica effectrice per accidens, quomodo indicet Præsidium, & huius verum Vsum.

Transitio. CAussa, per se & propria ratione morbi effectrix, ita indicat Quid agendum, & Vsum. Sequitur, vt de *Symptomate* agamus, quod ex accidenti nonnunquam habet rationem caussæ efficientis morbificæ: vbi explicabimus, quomodo concurrat ad Quid agendum, & ad Rectam administrationem. C

Symptoma non indicat per se, sed vt habet rationem caussæ. Quoad Quid agendum, Galenus 11. meth. 12. dicit, symptoma primum, id est, per se ac per suam essentiam non indicare. Si ergo Symptoma non indicat per suam essentiam, prorsus non indicat, quia Quid agendum a sola essentia indicatur. Addit Galen. 12. meth. 1. Symptoma non indicare, nec mutare seu prohibere. Quandoque tamen illud ex accidenti curationem immutat, hoc est, prohibet, vnde etiam necessario indicat, quia id quod prohibet, necessario etiam potest indicare. Sed indicat ex accidenti, vt habet rationem caussæ vel augentis morbum, vel lædentis vires, ideoq; est indicans præseruatorium, hoc enim verissimum est, nullum dari indicans, præter curatorium, præseruatorium & vitale.

Symptoma indicans, est actio, vel exiens mutatum, non qualitas. Ceterum cum Symptomata sint triplicia, nimirum actiones vel exeuntia, vel qualitates, symptoma, cum Galeno loco citato, quod habet rationem indicantis, est actio læsa, vel excretum mutatum, nequaquam qualitas mutata, qualitas enim mutata non indicat, propterea quod cum affectu, vnde nascitur, vna cessat. Quæ Galeni dicta mihi satis intellectu difficilia esse videntur. Difficultas autem inde oritur, quia actio læsa est in fieri, qualitas immutata, verbi gratia, color in ictericia, est in facto esse. Si ergo actio est in fieri, & qualitas in facto esse, quomodo actio indicat, qualitas non indicat? Quid enim qualitas cesset vna cum morbo seu affectu, falsum esse videtur, immo actio cessat vna cum morbo, quia pendet a morbo, non qualitas. Equidem dicerem, quod actio læsa secundum suam essentiam sit in fieri; at actio læsa, secundum perseuerantiam læsionis, vi cuius patiens affligitur, habet vim indicandi, quia perseuerat, & perseuerando cruciat. Ad hoc autem vt indicet, necessarium est, vt nō cesset vna cum affectu, nam si actio cesset & minuatur simul cum affectu, tunc id quod indicat non est symptoma, sed est affectus, si enim contingat vno remedio & symptoma & affectum leniri; remedium non indicabitur a symptomate, sed a morbo, verbi gratia, in pleuritide adest dolor, adest inflammatio; si vena aperiatur, per venam sectam minuitur dolor & inflammatio, seu affectus, id autem quod indicat, non est dolor, sed est sanguis, ad cuius imminutionem minuitur etiam dolor, dolor tamen non indicat, quia imminuitur vna cum affectu. Sed alia e parte, secundum Galenum loco citato, dolor habet rationem indicantis, cum non imminuitur vna cum morbo, sed potius intenditur ad imminutionem affectus. Verbi gratia, in putrida dysenteria cū dolore, si vtamur succo tragi, vel lacte, imminuetur dolor, sed dysenteria magis putrida reddetur, quod si vtamur mumia vel aqua salita, imminuetur putredo, sed intendetur dolor. Datur igitur dolor & symptoma, quod ita perseuerat in læsione, seu quod læsionem habet permanentem & non cessat, nec minuitur simul cum affectu, imo potius intenditur. D

Quomodo.

Sic etiam excrementum mutatum, seu fluxus immoderatus perseuerat in læsione, & ideo potest habere rationem indicantis, non enim cessat, nec imminuitur vna cum imminutione affectus, ideo contrarium indicat, quemadmodum dictum est de dolore, verbi gratia, sit fluxus immoderatus materiæ prauæ; fluxus indicat adstringens, materia vacuans.

De qualitate vero seu tertio symptomate hoc statui non potest, nam qualitas, licet respectu sui essentiam habeat permanentem, & sit in facto esse, vt vocetur a Galeno affectus, attamen caret aliis conditionibus, nam sui perseuerantia nec virtutem lædit, nec morbum auget, quemadmodum reliqua duo symptomata. Præterea qualitas non potest indicare remedium, quod morbum intendat, quemadmodum actio læsa, & excrementum, nam præsidiorum materiæ, quæ sanant morbum, sanant etiam qualitatem, & ob id Galenus dicit, qualitatem mutatam cum affectu vnde nascitur vna cessare, quia remedium quod sanat affectum, sanat etiam qualitatem. In ictero autem si aliquid superfit post remotam vesicæ felleæ obstructionem, id quod remanet, non ad artem curatricem, sed ad decorationem pertinet.

Quare symptoma in ratione caussæ indicat, & est vel actio, vel excrementum.

Notandum vero, qua ratione Galenus dixerit c. 1. l. 12. method. symptoma ex accidenti curationem mutare

A mutare, esse tamen per se indicans. Sciendum igitur indicans ex accidenti posse capi dupliciter, primo modo, vt finem per accidens respicit, sic virtus per se est indicans vitale, quia per se respicit vitam, est autē indicans ex accidenti in venæsectione, quia respicit finem ex accidenti, nimirū vacuationem sanguinis, quē finem per se respicit sanguinis peccatum, ideoq; virtus, hoc loco accepta vt indicans ex accidenti, non est per se indicans, sed vocatur potius permittens. Secundo modo accipitur indicans ex accidenti, nō ratione finis, quod hunc per accidens respiciat, quia non esset per se indicans; sed quia per naturam accidentalem, quæ sibi accidit, indicat, sic symptoma, non vt symptoma, sed vt caussa, per essentiam caussæ, quæ sibi accidit, indicare potest. Et hoc modo, hoc in loco accipitur, & ob id symptoma per se est indicans, quia respicit per se finem, quem respicit caussa, at hunc finem non respicit vt symptoma, sed vt habet rationem caussæ.

B Symptoma autem in genere, vt habet rationem caussæ, indicat sui remotionem, Quid agendum genericum, speciatim, verbi gratia, dolor indicat mitigatorium pręsidium; fluxus immoderatus adstringens, & sic reliqua. Et hæc de præsidio, a symptomate indicato. *Essentia indicans symptomatis generica, & specifica.*

Vsum quod attinet: Quantum indicatur ab actione symptomatis: Modus a passione: vt de morbo, cap. 11. & 12. diximus. *Quantum & Quomodo.*

Tempus agendi indicatur a præsentia, vt sequitur essentiam vehementiorem. Nam symptoma quandoque habet rationem caussæ principalis, quandoque caussæ sine qua non, & quandoque vrgentis. Hinc Galenus 12. meth. 1. comparat symptoma & cum virtute, & cum affectu præter naturam, vt pateat quodnam magis possit. Si enim collabantur vires, non tamen vehementer sint resolutæ, ad symptoma tantum respiciendum: quia magis potest symptoma, quam virtus debilis, non vehementer tamen dissipata. Si vero vehementer resoluantur vires, oportet & symptomati prospicere, & vires firmare: maxime igitur C potest symptoma: ita vt, licet vires sint admodum resolutæ, sit tamen necessarium occurrere symptomati, verbi gratia, si dolor vrgeat, & vires sint debiles ac resolutæ: oportet occurrere & dolori, & viribus, nam si solis viribus occurramus, dolor vrgens, poterit esse caussa mortis. Conferens porro Galenus symptoma cum affectu, dicit, si vtrunque vrgeat, quandoque magis potest symptoma, quandoque magis affectus; & ita magis potest quandoq; affectus, vt, spreto symptomate, etiam dolorificis sit nonnunquam vtendum. Sed vtrum magis possit symptoma, an affectus; nobis significat virtus, si enim virtus sit robusta, magis potest affectus, & occurrendum affectui: si autem contra vires sint debiles, primo dolor mitigandus, & vires firmandæ, antequam prospiciamus affectui. *Quando.*

Vbi agendum, sumitur a subsistentia: v.g. si dolor est in manu, mitigatoria sunt applicanda manui. *Vbi.*

D Et hæc de indicante præseruatorio.

CAPVT XXVI.

De virtute, seu indicante vitali: quomodo indicet Quid agendum, & Vsum.

RESTAT *indicans vitale:* nimirum *Virtus:* de qua explicabimus, quomodo concurrat ad indicandum Quid agendum & Vsum: *Transitio.*

Quoad primum: virtutem habere rationem indicantis, euidenter dicit Gal. 9. meth. 6. vbi habet, indicationem sumi a laborantis viribus. Et c. 5. l. 11. meth. ait: quemadmodum ab affectu præter naturam ad materias præsidiorum deducimur, ita a singulis generibus indicantium, primorum, ad easdem descendendum; veluti a virtute. Quare virtus est vnum ex primis generibus indicantium. *Virtus est indicans.*

E Lib. 9. meth. 13. Galenus vocat virtutem indicans non curatorium, non præseruatorium, sed vitale, dicens: indicatio a virtute, e numero est indicationum vitalium, siue quæ ad vitæ custodiam pertinent: nā neque vt valeamus, neque vt a morbis liberemur, a virtute quicquam primum desumimus, sed vt viuamus. His verbis significat Galenus, virtutem primum, id est, per se, respicere vitam, ex accidenti autem respicere morbum, & caussam; & horum respectu posse esse indicans vel curatorium, vel præseruatorium, at per se, respectu vitæ, esse indicans vitale. Ob id Gal. 9. meth. 13. dicit, virtutem primum indicare sui custodiam; ex accidenti vero relationem habere ad affectum, significans, virtutem propria ratione indicare; sed vt per accidens alios fines respicit, permittere. Et l. 11. met. 9. virtutem ait, perpendendam semper esse propter vitam; aliquando ex accidenti, ad morborum sanationem. Item 10. meth. 2. dicit, quod a viribus petitur, in febribus ephemeris exiguum est; in longioribus febribus, maioris momenti. Euidentissime igitur patet, virtutem esse indicans, & per se vitale. *& quidem vitale.*

F Porro virtus, vt indicans vitale, necessario indicat Quid agendum per suam essentiam, & genericam, & subalternam, & specificam, quemadmodum etiam reliqua indicantia. Quoad essentiam genericam, virtus accipitur, vt quid secundum naturam, in quod reliqua omnia secundum naturam referuntur, vt sola virtus sit indicans vitale. Vnde satis pueriliter loquuntur, qui & aerem, & ætatem, & consuetudinē, inter indicantis vitalia recenset. Dicit autem Gale. 11. meth. 3. virtutem indicare sui custodiam, vt duo sint scopi, nimirum indicans essentia virtutis; & indicatum, custodia, nam indicatum procedit ex indicante, & vterque scopus est genericus. Ceterum secundus scopus, id est, custodia, de Galeni sententia similium exhibitionem indicat. Quod dictum recte intelligendum. Cum enim custodia sit indicatum, non potest indicare. Quare ita intelligendus Galenus, quod essentia virtutis indicet custodiam, quæ custodia indicet, id est, significet præsidium simile: sicut in morbis sublatio significat contrarium. Nam vt generica G indicatio a morbo desumta est contrarietas, seu contrarium remedium, ita a virtute est custodia, id est, iuuans simile. *Indicat in genere sui custodiam, per simile iuuans.*

Essentia virtutis subalterna, siue specifica, indicat simile subalternum, siue specificum: 9. metho. 13. Cum autem indicatio a virtute accepta sit vitæ custodia, & vita sit vel facultatum numerus, vel facultatum essentia, vel facultatum actio: sequitur, quod virtus sit potentia animæ, vitam custodiens Nam cum Gale. *Virtutis essentia consistit in spiritib. carne, solidis, & calido innato.*

9 meth.10.cum tres sint facultates; seruare facultates, est vitam seruare. Verum cum facultates non operentur, nisi per subiecta & organa, ob id Gale.11.meth.1.dicit, virtutis essentiam compleri substantia spirituali, solida, & carnosa, cap.vero 5. lib 12.meth.dicit Galenus, compleri virtutis essentiam substantia spirituosa & solida, vbi prætermittit carnosam; quia loquitur de syncope, quæ non fit ratione carnis, nam virtus *minorem locum obtinet in carne, præstantiorem in spiritibus, præstantissimum in solidis.* A

Vitalis igitur indicatio sumitur a Continente, & Impetu faciente, non autem a contento, quia contentum *seu humor, etiam secundum naturam, ad actionem non concurrit, nec est organum,* sed effectus, opus, vel obiectum. Quare contentum non potest esse indicans vitale, sed continens, quia concurrit ad actionē, vt Quod, & spiritus, quia concurrit, vt Cum quo, sed continnns præter propriam substantiam obtinet calidum innatum, quod aliud est a spiritu, & aliud a temperie, sursumque & deorsum mouetur, hoc pro nunc supponantis, quia aliter fortasse loquemur de partibus continentibus. B

Virtutis essentia subalterna, est Substantia, Quantitas, Qualitas, & Motus.

Virtus igitur consistit in Spiritibus, Carne, Partibus *solidis*, seu seminalibus, & Calido innato. In horum singulis tria sunt seruanda, seu custodienda; nimirum Substantia, Quantitas, & Qualitas, verùm in spiritibus, calidoq; innato, etiam præter il*l*a tria Motus est conseruandus. Vnde indicantia vitalia subalterna sunt substantia, Quantitas, Qualitas, & Motus, spirituum carnis, partium similarium, & calidi innati. Quæ omnia indicant custodiam, seu præsidium simile, non auferens.

Substantia virtutis indicat alimentum primum, seu iuuans substantificum,

Substantia, siue sit substantia spirituum, siue carnis, siue partium seminalium, siue etiam calidi innati in genere indicat iuuans substantificum, quod medici cum Galeno recte vocant alimentum, ad differentiam remedii. Vnde Gale.9.meth.13. dicit, seruari virtutem, si substantia non imminuatur, vbi custodia limitatur, & fit custodia substantiæ. Quare iuuans substantificum, seu alimentum, a substantia indicatur. C Præterea Gale.11. meth.14. ait, ratione febris nutriendum non esse, & solam virtutem nutrimentum indicare, vt quod inanitum est de substantia reparetur. Ecce, nutrimentum, seu alimentum, indicatur a substantia virtutis. Dum igitur Gale.1.de ratione victus 44.asserit, a virtute solam indicari alimoniam, intelligenda est virtus non omnibus modis, sed secundum illam essentiam, quæ est substantia virtutis.

Determinatum.

Alimentum vero indicatum satis genericum est, magis determinatum & specificum proponitur a Galeno, 11.meth.3.vbi vult, virtutis substantiam indicare alimentum seu iuuans substantificum, ita tamen vt virtutis substantia varia, etiam varium alimentum indicet. Quoad varietatem substantiæ virtutis, substantia est Tenuis, Crassa, vel Medio modo se habens; spiritus quidem substantia tenuissima est, solidorum crassa, carnosi generis media inter tenuem & crassam. Quare spiritus substantia indicat alimentum tenuissimum, solidorum substantia alimentum crassius, carnis substantia alimentum medium inter tenue & D crassum. Verumtamen datur in iis substantiis latitudo, verbi gratia, in puerili ætate, solidorum substantia, quæ crassa est, est minus crassa, quam in aliis ætatibus. Non tamen propterea ætas est indicans alimentum, sed sola virtutis substantia, ætas vero per mediam temperaturam est signum substantiæ solidæ, magis vel minus crassæ, verbi gratia, in pueritia, temperatura calida & humida, est signum substantiæ solidæ minus crassæ, & mollioris.

Quare a virtute, vt eius essentia est substantia, indicatur solum alimentum, & determinatum alimentum, prout est determinata virtutis substantia.

Quantitas virtutis, indicat alimenti mēsuram.

Sequitur Quantitas, quæ & ipsa est essentia virtutis teste Galeno, qui cap. 1. l. 11. metho. med. ait, in substantia virtutis perpendendam esse quantitatem & qualitatem, & addit, similium indicationē, hoc est, custodiam, indicari ex quantitate substantiæ partium viuentium, & spirituum. Per quantitatem autem intelligit quantitatem cōtinuam, non discretam, numerus enim partium semper manet, verbi gratia, duo E oculi, quinq; digiti, &c. at quantitas continua, ist est, magnitudo solidorum seu partium seminalium; in iis corporib. quæ augentur & crescunt, non manet eadem, sed augetur, carnis autem quantitas, aut spiritus, non modo in corporibus quæ augentur, sed etiam in adultis mutatur & modo augetur, modo minuitur.

Determinatum.

Si ergo solida sint maiora, indicatur alimentum maioris nutrimenti, seu magis nutriens; cuius materia est, verbi gratia, caro caponis, si solida sint minora, indicant alimentum minus nutriens, cuius materia est caro pulli. Ideoq; loco citato subdit Galenus similium mensuram ex conseruandæ substantię quantitate inueniri, nam similium mensura, hoc est, quantitas determinata, seu Quid agendum specificum, indicatur a quantitate seu magnitudine substantiæ conseruandæ.

Sed obiici posset ex aphorismo 14.sect.1. Hippocratis, pueros egere plurimo alimento, licet minores F exsistant adultis. Respondendum est, a quantitate virtutis indicari mensuram alimenti, dum modo seruetur paritas. Quare oportet comparare adultum cum adulto, virum cum viro, puerum cum puero, non puerum cum viro. Nisi enim conferamus puerum cum puero, vel adultum cum adulto, non seruabitur paritas, nam puer eget alimento, vt conseruetur, & vt crescat; vir autem adultus eget alimento, non vt augeatur, quia non amplius augetur, sed vt conseruetur. Quod si duo sint adulti, alter maior, alter minor, rationi consentaneum est, opus esse copiosiori alimento, caussa maioris calidi. Dicit autem Hippocrates loco citato, qui crescunt, plurimum habent calidi innati, & ob id plurimo egent alimento, vbi notandum, calidum innatum copiosum esse signum dissolutionis substantiæ, a qua indicatur alimentum magis vel minus nutriens, prout substantia magis vel minus dissoluitur seu dissipatur, virtus quippe siue sit debilis, siue robusta, indicat per præsentem quantitatem, nam prout imminuitur, indicat alimentum reficiens G substantiam deperditam; & indicat magis vel minus reficiens. Et hoc est Quid agendum specificum, sed æquale in virtute robusta, inæquale in virtute debili, quia oportet debilem virtutem robustam reddere.

Qualitas virtutis indicat simile alimentum medicamētosum.

Qualitas virtutis ipsa quoque est essentia virtutis, & proinde indicat, non est signum. Hinc Galenus capite tertio, libro vndecimo method. dicit, a temperie substantiæ, seu qualitate indicari, an alimentum debeat esse calidum, vel frigidum. Præterea c. 13.li.11. meth.loquens de custodia, non de contrarietate, ait,

similium

A ſimilium indicationem capi a temperamento laborantis partis, & omnium reliquarum quæ ſunt principales, & præterea a qualitate ſubſtantiæ ſpiritus. Dum Galenus proponit ſimilium indicationem deſumtã a partib. ſeu continentibus, proponit temperamentum, dum autem affert indicationem a ſpiritibus, non proponit temperamentum, ſed qualitatem. Ratio eſt, quoniam temperamentum eſt conſtitutio partium viuentium, at cum ſpiritus *non viuant, nec operentur; propterea merito ſolidorum propoſuit* temperamentum, hoc eſt, conſtitutionem; gratia autem ſpirituum, qualitatem.

Præterea *dicit Galenus 9. meth. 13. ſeruari virtutem, ſi non alteretur. Et lib. 11. meth. c. 1. dicit, in ſub*ſtantia virtutis perpendendam eſſe tum quantitatem, tum qualitatem.

Quia igitur qualitas eſt eſſentia virtutis, ob id eſt indicans vitale, & indicat ſimile, quod tamen non eſt alimentum, ſed remedium. Quando autem Galenus paſſim dicit, alimentum ſolum indicari a virtute; B intelligit a virtute, cuius eſſentia eſt ſubſtantia, nam vt e ſuperiorib. patet, alimentum determinatum indicari poteſt etiam a quantitate ſubſtantiæ *virtutis. Medicamentum vero ſeu remedium indicatur* quidẽ a virtute, ſed vt eius eſſentia eſt qualitas. Similiter dicit Galenus 11. meth. 5. qualitatem nutrimenti indicari a morbi affectu, vna cum ſolidorum temperamento. vbi proponit qualitatem nutrimenti medicinalis, eamq; ait indicari a morbi affectu, & a temperamento ſolidorum. Quatenus indicatur a morbi affectu, hoc eſt, a cauſſa ſeu materia morbifica, quæ ſi calida eſt, indicat frigidum; indicatũ eſt præſeruatorium, at quatenus reſpicit conſeruationem temperamenti ſolidorum, eſt indicatum vitale. Quare qualitas nutrimenti non eſt vnum indicatum ſemper, ſed poteſt eſſe duplex: præſeruatorium, vt indicatur a qualitate materiæ morbificæ, vitale, vt indicatur a temperamento ſolidorum, & hoc cũ Gal. 8. met. vlt. debet eſſe ſimile.

Motus poteſt etiam eſſe virtutis eſſentia, vt motus calidi innati, qui indicat conſeruans. Notandum C tamen, indicationem a motu non eſſe ex vſu: quia dum ſeruatur quantitas & qualitas calidi innati, etiam motus ſeruatur. Hinc Galenus 11. meth. 15. ait, adſtringentia idonea eſſe, quia roborant affectam partem, ne excrementa ſuſcipiat. Quare adſtringẽs indicatur a parte ſeu virtute, & indicatum eſt cuſtodia ſeu corroboratio partis. Amplius loco citato dicit Galenus, præcipue autem roborare & adſtringere oportet, ratione ventriculi & iecinoris; nam hæc viſcera in morbis etiam ipſis operantur. Vbi vult, virtutem partis indicare per calorem naturalem, ſeu calidum innatum, quod calidum innatum indicat vniens ſeu adſtringens, pro ſui cuſtodia, & ne diſſipetur, ſed conſeruetur motus calidi innati. Ob id vndecimo method. 16. in lienis affectibus admiſcet adſtringentia, vt roboretur & cuſtodiatur viſcus, hoc eſt vt conſeruetur calidi innati motus, & propterea 13. methodi 16. ait, partes ſeu virtutem indicare ſui robur, per motum calidi innati. Vnde 10. meth. 10. dicit, balnei partes frigidas vires firmare, balneum enim eſt materia indica-D ta a virtute, quia roboratur virtus, id eſt, vnitur calidum innatum.

Motus virtutis, ratione calidi innati, indicat adſtringens, ſeu vniens.

Heic vero dubitatio oritur e Galeno, qui lib 13 meth. 12. ca. dicit, in incipiente inflammatione epatis licet vti oleo adſtringente, in inflammatione oculi autem nequaquam. Si ergo improbatur adſtringens in inflammatione oculi, falſum eſſe videtur, quod partes adſtringendo roborandas diximus? Reſpondendum eſt, Galenum hoc loco non loqui de remedio ſeu indicato adſtringente, ſed de materia remedii, quia proponit oleum. Si enim Galenus in inflammatione improbaret adſtringens, non poſſet excuſari. Improbat autem oleum adſtringẽs, quia iecur poteſt oleum ferre, oculus nequaquam. Sed hoc cognoſcere, non pertinet ad methodum medendi, ſed ad doctrinam de medicamentis, in qua doctrina addiſcimus, oleum eſſe materiam, quam non poteſt oculus ſuſtinere.

Dubii ſolutio.

Præterea dicit Galenus 11. meth. 14. ſi puer ante 14. annum laboret ſynocho cum putredine, ſanguis E non eſt mittendus. Quo loco ætas puerilis eſt ſignum virtutis prohibentis venæſectionem, quatenus ætas eſt ſignum temperaturæ, vi cuius diſſoluitur ſubſtantia virtutis. Vnde ſubdit Galenus; cum pueri calidi & humidi ſint, plurimum ſubſtantiæ diſſolui. Similiter & reliqua quæ ibi proponuntur a Galeno vt habitus, conſuetudo, &c. omnia ſunt ſigna virtutis, & nullum eſt indicans.

Ætas eſt ſignum virtutis.

Libet autem heic explicare Galeni locum, intellectu admodum difficilem. Dicit Galenus 8. metho. vlt raro accidere, vt in ephemeris indicatio capiatur a natura virium; in putridis autem febribus & in hecticis, indicationem eſſe ſumendam a virtute. Subdit deinde Galenus, licet indicatio a virtute, tum in omni morbo, tum in ephemeris ſemper ſit adhibenda, nobis tamen, inquit, in præſenti diſputatione non eſt opus indicatione a virtute; quoniam virtus in ephemeris primum non indicat, ſed ex accidenti. Quibus verbis ſignificat, indicatum a virtute, per ſe & propria ratione non habere locum in ephemera, ſed ſo-F lum ex accidenti.

Virtus vt in febribus ephemeris perpendenda.

Ibidem tamen proponit victum medicinalem, propria ratione indicatum in ephemera a virtute, per ſe, non ex accidenti, & præterea dicit, indicationem a virtute ſumtam ſemper in ephemeris perpendendam, ſicut in omni morbo. Idem habet Galenus 10. meth. 1. vbi vult in ephemeris perpendendam eſſe indicationem deſumtam a viribus.

Quidam, fortaſſe hanc difficultatem non potentes diſſoluere, dixerunt, particulam illam, *vires*, deſiderari in codice græco: propterea quod in ephemeris indicatio ex accidenti tantum, non autem propria ratione ſumatur a virtute.

Vt ergo recte intelligatur Gale. duo ſunt ſupponenda: Primum; virtutis eſſentiam eſſe vel ſubſtan-G tiam, vel temperiem: ſecundum virtutem accipi, vel ſolam, vt indicat vitale præſidium; vel collatam cum alio indicante, an ſcilicet magis, vel minus poſſit. In hac autem comparatione quo robuſtior eſt virtus, eo magis deſpicitur, vnde Gale. 9. meth. 9. ait; virtutem in ephemeris egregiam prouidentiam non requirere, quod omnino valida ſit, ideoque parum curanda: contra virtus debilis, quia magis vitæ officit accurate perpendenda. Verum res præter naturam oppoſito modo ſe habent, quo enim ſunt robuſtiores, eo maiorem prouidentiam poſtulant, quoniam magis nocent vitæ.

His suppositis, si capiatur virtus, vt eius essentia est temperatura; locum habet in ephemeris, siue virtus sola perpendatur, siue etiam conferatur cum aliis indicantibus. Et secundum hanc rationem Galenus 8. metho. vlt. locutus est de victu medicinali, seu de indicato alterante, non modo curatorio, vt indicatur a febre, verum etiam vitali, vt indicatur a temperatura, quatenus temperatura est essentia virtutis.

Si vero sumatur virtus, vt eius essentia est substantia, secundum quam essentiam non indicat alterans, seu victum medicinalem, sed iuuans substantificum, id est, alimentum primum; siquidem sola virtus perpendatur, hoc est, non comparetur cum aliis indicantibus, locum habet in omni morbo, quare etiam in ephemera, & hoc est, quod significat Galen. loco citato, quando dicit, virtutem perpendendam esse in omni morbo, & semper in ephemera. Si autem virtutis substantia secundo modo accipiatur, hoc est, vt cõparatur cum aliis indicantibus, indicatio a virtute raro habet locum in ephemera, non semper. Quod cognoscens Galen. loc. cita. ait, licet indicatio semper capiatur a viribus, non est tamen opus indicatione in præsenti disputatione. Quænam est hæc disputatio? Disputatio, quam proponit Gale. lib. 8. meth. cap. vlti. versatur circa vehementiam plurium indicantium, vt cognoscamus quodnam indicans sit vehementius, cui indicanti sit studendum. Proinde si conferatur virtutis substantia in ephemeris, cum reliquis indicantibus, robusta est virtus, ideoque despicitur, & raro habet locum, contra in putridis, & hecticis.

Vsum vt indicet virtus.

Et hæc de virtute, indicante Quid agendum.

Quantum.

Quoad *vsum:* Quantum agendum capitur ab actione, non ab actione læsa, sed ab actione virtutis. Proinde si virtutis actio est maior, exhibemus carnem caponis in maiori copia: nam virtus, cuius actio est vehementior, potest copiosiorem carnem vincere. Hinc dicit Gale. 1 ad Glauc. 9. cibi quantitas sit tanta, quanta cõcoqui potest. Præterea 1. ad Glauc. 3. dicit, loquens de vino; mensuram capi ex virtute. Et licet ibi proponat ætatem, consuetudinem, & alia, hæc tamen proponit, non vt indicantia, sed vt signa indicantis, hoc est, vt signa actionis virtutis.

Quomodo.
Tempus.

Modus indicatur a passione virtutis. Si enim difficulter patiatur virtus, licet vti cibo in forma solida; si contra, in forma liquida: iuxta illud; facilius esse impleri potu, quam cibo: aph. 11. sect. 2. Quando agendum, indicatur a præsentia vehementiori virtutis: sicuti diximus de morbo, & caussa. Vnde Gal. 11. meth. 5. dicit, tempus nutriendi in febribus vnam accessionem habentibus, esse illud, quo facilius virtus morbũ tolerat, & quo prius in sanitate cibari sunt assueti. Hæc verba ita sunt intelligenda. Supponere oportet, virtutem semper esse præsentem; & caussam morbificam, prohibentem nutrimentum, semper esse præsentem. Cum igitur semper sit præsentia virtutis indicantis, & semper sit præsentia materiæ morbificæ prohibentis; propterea quod proponitur febris continens, quæ vnicam habet accessionem, hinc sequitur, esse exhibendum cibum, quando, vtroque præsente, magis possit virtus ad indicandum, quam materia ad prohibendum. Quodnam est hoc tempus? Est tempus, quo virtus facilius sustinet morbum, vt, tempore æstatis, hora frigidiori, & præterea hora consuetudinis cibi, consuetudo autem illa est signum, quod nobis manifestat, ea hora virtutis potentiam magis posse, quam possit potentia materiæ morbificæ.

Locus administrandi.

Vbi agendum, desumitur a subsistentia virtutis. Virtus autem licet vbique subsistentiam habeat; nihilominus, vt relationem habet ad cibum ac nutrimentum, subsistentiam habet in ventriculo: & propterea alimenti materia per os exhibetur.

Capvt XXVII.

Pars affecta qualiter consideranda in methodo therapeutica: & eam non præstare vllam medendi indicationem.

Transitio.

Hactenus medendi methodum vniuersam, ternario indicantium conclusam, absoluimus. Sed quoniã a parte etiam affecta indicationes sumere Galenus locis quamplurimis videtur: controuersiam hanc, appendicis loco, disceptabimus: &, Galeni difficiliora loca interpretantes, parti nullam prorsus esse vim indicandi, planum faciemus.

Ad inuentionẽ præsidiorum necessario est partis affectæ consideratio, quia pars signum est, & essentiæ indicantis, & illius quod consequitur essentiam.

Galenus in arte medicinali c. 94. dicit, inuentionem præsidiorum ad sanitatem spectantium partim sumi ab affectu, plurimum autem a partibus affectis. Quibus verbis significare videtur, indicationem magis esse desumendam a parte, quam ab affectu, cum tamen potior indicatio, quæ nimirum spectat ad sanationem, seu indicatio curatiua, sumitur ab affectu. Ita igitur hic locus intelligendus. Galen. iis verbis insinuat Quid agendum genericum, quod indicatur ab essentia generica, quę essentia generica potest cognosci citra opem partis. Quid agendum autem specificum, & vsus, seu recta administratio, indicantur ab eo indicante (siue sit essentia specifica, siue id quod consequitur essentiam) quod cognoscitur beneficio partis affectæ, vt pars sit signum, & essentiæ specificæ, & illius quod consequitur essentiam. Quare recte dicit Gale. inuentionem præsidiorum minori ex parte sumi ab affectu, hoc est, ab essentia generica; plurimum autem a parte: quia beneficio partis venamur Quid agendum specificum, itemque beneficio partis consequimur rectam administrationem, non vt pars est indicans, sed vt signum. Hinc Gale. 13. meth. 29. dicit, si quis indicationem sumtam a parte adimat; medicinam sex diebus addiscet. Et recte ita est locutus, propterea quod recte cognoscere quæ in parte sunt cognoscenda, est admodum arduum, & difficile.

In omni parte affecta generatim consideranda substantia, actio, vsus, sensus, raritas, & densitas.

De parte autem corporis tractaturi, primum explicabimus, quid accipere oporteat per partem, deinde, quomodo pars in hac medendi methodo sit consideranda.

Per partem igitur intelligimus partem viuentem in corpore ægrotante: siue ægritudo sit secundum totum, siue secundum partem. Pars autem hunc in modum accepta, est vel Similaris, vel Dissimilaris. Et consideranda sunt in partibus, tum Communia similaribus & dissimilaribus; tum Propria.

Communia sunt, quibus pars similaris & dissimilaris conueniunt, nimirum vita, & vitæ Subiectum, nã pars & similaris & dissimilaris, tũ viuit, tum animæ est subiectũ. Quatenus pars viuit, prædita est actione & vsu,

A &vſu, patitur etiam,& proinde ſentit;vnde cadauer excluditur. Quatenus autem huiuſmodi partes ſunt animæ ſubiectum;ſunt ſubſtantia: Generatim ergo in omnibus partibus perpendi debent, ratione vitæ, Actio, Vſus,& ſenſus:ratione ſubiecti, Subſtantia quæ varia eſt, pro varietate actionis, vſus, & ſenſus, tum pro diuerſa raritate ac denſitate. Hinc Gale.c.10.l.13.meth.ait, communia ſimilarium & diſſimilarium capi a ſubſtantia,& actione, per actionem & vſum,& ſenſum etiam inſinuans. Et, reſpiciens 10.method.vlt.ad ſubſtantiam ſimilarem, dicit, ſubſtantiam eſſe vel fibroſam, vel membranoſam, vel carnoſam. Reſpiciens aũt ad ſubſtantiam diſſimilarẽ,6.meth.4.dicit:dũ ſumitur indicatio a ſubſtantia partis, oportet ſcire, omẽtum (v.g.) eſſe compoſitum ex membrana tenui, ex arteria, ex venis, quæ vaſa ſunt orta ex vaſis maximis.

Proprium partium ſimilarium, eſt proprietas temperaturæ, prodiens ex determinata miſtione ſub-
B ſtantiarum elementorum.

Proprium autem partium diſſimilarium eſt proprietas compoſitionis, procedens ex determinata compoſitione partium ſimilarium, verbi gratia, cum alia ſit compoſitio in manu, alia in pede; hinc alia eſt proprietas manus, alia proprietas pedis, & ſic de reliquis diſſimilaribus partibus.

Speciatim in parte ſimilari perpendenda eſt craſeos proprietas, in diſſimilari proprietas cõpoſitionis.

Peculiare igitur partium ſimilarium, & proprietas illa, quæ natura quandoque vocatur, & temperamentum. Proprium autem diſſimilarium, eſt proprietas compoſitionis & ipſa compoſitio. Communia vtriuſq; ſunt, ſubſtantia, actio, vſus, ſenſus, raritas & denſitas. Vnde Gale.4.meth.vlt.& c.17.l.de conſtit.artis med. inquit, partem affectam indicare per naturam, hoc eſt, per temperaturam, propterea per figurã, & ſitum, hoc eſt, per compoſitionem, amplius per ſubſtantiam, hoc eſt, per naturã, ex qua diſſimilaris pars componitur, item per functionem, per quam Galenus etiam inſinuat vſum, actio enim refertur in vſum,
C tandẽ per ſenſum. Hoc aũt loco Gal. raritatem & denſitatem non proponit, quia non erat neceſſarium, vt vnico in loco omnia proponerentur, & præterea per ſubſtantiam potuit inſinuare raritatem & denſitatẽ.

Hæc igitur omnia partis nomine intelligenda ſunt.

Explicare nunc aggrediamur, quomodo pars & per propria, & per communia, methodo medendi inſeruiat ac famuletur. Pro cuius intelligentia oportet aliquas Galeni auctoritates proponere, vt veritas pateat,& conſtet, indicantia eſſe tantum tria, nimirum morbum, cauſſam morbificam, & virtutem. Vt autem Galeni loca obſcuriora recte intelligi poſſint: primum inquirendum in ſingulis locis propoſitis, num Galenus de indicante agat, an de Indicato:&, ſi de indicato, num de Præſidio, an de Vſu pręſidii. Hoc enim patefacto, reliquum negotium omne facilius expedietur: referendo ſcilicet indicata ad ſua indicantia.

Partem affectam non indicare monſtratur explicatione aliquot ambiguorũ Galeni locorum.

Primum igitur dicit Galenus 3. methodi vltimo, in vlceribus partem indicare, & vt ſimilarem, & vt
D diſſimilarem, partem quidem vt ſimilarem, indicare ſimile, veluti partem ſiccam indicare remedium ſiccans. Quare pars ſimilaris habet rationem indicantis, & cum indicet pars ſicca ſiccum, indicat ſimile, & proinde pars ſicca eſt indicans vitale, prout id quod indicat eſt virtus, nihil enim poteſt eſſe indicans vitale, niſi virtus partis, cuius virtutis eſſentia eſt temperatura ſicca. Quare non cogimur propterea indicantia multiplicare.

Indicatio quæ videtur ſumi a partis tẽperatura, & compoſitione.

Si vero capiatur pars, vt diſſimilaris; ſecundum Galenum, verbi gratia, in parte vlcerata cui effluxus non patet, ſectio ſecundum totam cauitatem, vel permittitur, vel prohibetur. Id quod permittit ſectionem ſecundum cauitatem totam, id etiam quod prohibet, eſt virtus: cuius virtutis ſignum eſt materia ex qua componitur pars diſſimilaris, hæc enim materia ſeu cauſſa ex qua, non indicat neque prohibet, vel permittit, ſed eſt ſignum virtutis prohibentis, vel permittentis, verbi gratia, ſi pars diſſimilaris componatur ex ſubſtantia arterioſa & neruoſa, hæc ſubſtantia eſt ſignum virtutis prohibentis; ſi autem pars com-
E ponatur ex ſubſtantia carnoſa, hæc ſubſtantia eſt ſignum virtutis permittentis ſectionem ſecundum totam cauitatem. Quare nulla eſt difficultas.

Præterea Galenus 4.meth.vlt. dicit: quæ acuti ſenſus ſunt partes. citra dolorem ſunt ſanandæ: quæ autem contra, ſi affectus ſuadeat, indicant valentiora. Licet autem conſideretur in parte ſenſus, vt eſt acutus, vel obtuſus: non tamen ſenſus indicat, ſed affectus præter naturam, qui affectus ſi ſit vehemens, indicat validum remedium. Senſus autem acutus eſt ſignum virtutis prohibentis; obtuſus permittentis. Notandum vero, licet hoc loco ſenſus acutus non indicet, ſed ſit ſignum virtutis prohibentis: attamen ſenſum acutum quandoque poſſe eſſe indicans, & tunc ſenſum exquiſitum indicare ſui ablationem, cuius remedii materia quandoque ſit opium. Sed tunc ſenſus acutus, quia non cuſtodiam, ſed ablationem indicat, eſt ſymptoma, habens rationem cauſſæ morbificæ, & ob id eſt indicans præſeruatorium. Idcirco tria
F tantum ſunt indicantia.

A ſenſu partis exquiſito, vel hebetiore.

Amplius dicit Galen. 4.meth.vlt. opus eſſe principalium partium robur ſeruare, non principalibus tuto adhiberi poſſe mitigatoria & relaxantia. Quibus verbis proponit partis dignitatem ac præſtantiam, quæ patet per actionem, & vſum, quo namque actiones & vſus ſunt præſtantiores, eo etiam pars eſt præſtantior, quo minus præſtantes, eo pars ignobilior. Partis autem dignitas hoc loco non eſt quid diuerſum a tribus indicantibus propoſitis: nam per dignitatem intelligimus actionem & vſum. Significat autem Galenus, quo pars ſit dignior, magis etiam opus eſſe vt calor eius ſeruetur, adſtringentibus nimirum & vnientibus: diſſoluitur enim laxantibus. Præterea, hoc loco proponit Galenus virtutem indicantem, prohibentem, & permittentem. Proponit virtutem indicantem, quia pars dignitate donata, per calidum inna-
G tum, quod eſt virtutis eſſentia, indicat vniens. Proponit virtutem prohibentem, dum vult, licet affectus præter naturam indicet relaxantia, ab his tamen eſſe deſiſtẽdum, propter virtutem ſeu partis dignitatem. Virtutem denique proponit permittentem, dum inquit, ſi pars ſit ignobilis, non prohiberi laxantia, ſed permitti. Virtus autem prohibens & permittens, hoc in loco ſignificatur, tanquam a ſigno, a nobilitate ac præſtantia partis. Vnde actio præſtans, & proinde partis dignitas, non indicat iuuans, ſed eſt ſignum virtutis prohibentis; quemadmodum partis ignobilitas, eſt ſignum virtutis permittentis.

A præſtãtia & dignitate partis.

A situ, & figura.

Praeterea Galenus 4.meth.vlti. proponit indicationes, quæ sumuntur a positione, & figura partis, id A est, a proprietate dissimilarium. Verbi gratia, cui vlcus est in ventriculo, medicamenta bibenda sunt: cui autem exulcerata est gula, medicamenta nec semel, nec tota simul exhibenda, sed paullatim & assidue: siquidem quando gula est vulnere affecta, ex transitu, non ex adhærentia medicamentorum, remouetur vlcus; quemadmodum accidit in vlcere ventriculi. Ibidem etiam addit, vlcera gulæ medicamentum crassius & magis lentum, a positu & figura partis, indicare.

Galenus hoc loco, quo ad vlcus ventriculi, proponit indicatum, hoc est, medicamentum siccans, quod in potu exhibetur, & quod non simul totum bibitur, sed sensim. Quare his verbis videtur proponere indicatum, quod pertinet ad rectam administrationem, nimirum ad modum, & ad vbi. Modum proponit, dum confestim simul totum dicit assumendum. Vbi agendum proponit, dum medicamentum in vlcere B ventriculi per os exhibendum statuit. Modus indicatur a passione, vt sequitur essentiam indicantis Quid agendum, hocq; in loco indicans est passio vlceris ventriculi, cuius vlceris ea est passio, vt patiatur a medicamento, non sensim, sed confertim assumto; quia ventriculus talem habet formam seu figuram, vt medicamentum non fluat, sed hæreat: quæ tamen figura, non est indicans, vt quidam credunt, passionis vlceris, prout cedit medicamento confertim assumto. Vbi agendum indicatur a subsistentia vlceris ventriculi: quæ indicat medicamentum esse per os exhibendum, subsistentiæ autem signum est situs ventriculi, quare situs non indicat, sed est signum indicantis.

Quoad vlcus gulæ a Galeno propositum; Galenus duplex indicatum proponit, primo medicamentum, quod nec semel, nec totum simul, sed paullatim est assumendum: deinde medicamentum crassius & magis lentum. Vtrumque hoc indicatum pertinet ad modum agendi, & indicatur a passione vlceris gulæ, C quæ passio est, vt non cedat medicamentis, si illico fluant, ac præterlabantur, sed necessarium sit vt hæreat. Quare vt paullatim assumi queat medicamentum, sensim & sensim; conficiendum est vt sit lentum. Situs ergo seu figura gulæ non indicat medicamentum lentum & crassum: sed hęc positio & figura sunt signum passionis indicantis. Et licet vnicum indicans non nisi vnum indicet; non tamen est absurdum, duo tanquam signa concurrere ad vnum indicandum; quemadmodum heic concurrunt & figura & situs gulæ, ad vnicam indicandum passionem. De his etiam Galenus 7.meth.vlt. agit

A situ interno & externo.

Quinetiam ca.vlt.li.4.meth.med. Galenus ait, internas partes indicare familiaria; secus autem statuendum esse de partib. externis. V.g. in vlcere, in quo egemus exsiccantibus, si vlcus fuerit in parte interna, pars interna indicat, vtendū balaustio; hypocystide, &c. quæ naturæ familiaria sunt, non autem misy, non ære vsto, &c. quæ non sunt familiaria, quibus tamen vti licet in vlcere partium externarum. Ecce igitur D quemadmodum a parte sumi videatur indicatio. Sed hoc loco Galenus neque proponit Quid agendum, neque Rectam administrationem, quare hic sermo est extra methodum. Proponit autem materias remediorum siccantium, vt remedia siccantia indicantur ab vlcere. Quare, cum hic sermo pertineat ad doctrinam de medicamentis, non autem ad methodum medendi, hæc auctoritas nos non cogit, vt multiplicemus indicantia.

A situ, & forma.

Eodem modo intelligendus est Galenus 4. meth vlti. vbi in vlcere gulæ medicamentis siccantibus admiscet tragacantham, & gummi; sumta indicatione a situ & forma gulæ. Respicit autem doctrinam medicamentorum, ideoque est extra doctrinam methodi medendi.

Itidem.

Præterea Galenus quarto methodi vltimo, vult, gargarismis esse vtendum in malis faucium. Quibus verbis proponit modum agendi, hoc est medicamentum in forma gargarismi, qui modus indicatur a passione materiæ indicantis; cuius passionis signum est gulæ situs. Quare situs non indicat modum agendi, E sed est signum passionis.

Similiter.

Porro eodem 4. method. vlti. in vlcere tracheæ iubet, vt dum exhibetur medicamentum, decubitus sit supinus, quo influat paullatim medicamentum. Quibus verbis proponit modum agendi, qui indicatur a passione vlceris: cuius passionis signum est situs & forma tracheæ. Vnde obiter notandum (licet sit extra methodum medendi) in destillatione materiæ a capite ad pulmones, decubitū supinum esse improbandum, probatur autem vt homo sedeat, vel decumbat capite eleuato, nam si supinus iaceat, materia promtius fluit a capite ad pulmones. Sed hoc obiter dictum sit.

A proprietate compositionis partis organicæ.

Præterea Galenus 5.meth.5. ait, quæ indicatio a partibus sumitur, ea communibus iam dictis accedit veluti auctarium, dum variis instrumentis vtimur, pro partis proprietate, vt, intestinis per clysteres infundimus medicamentum, vesicæ per fistulam directo perforatam. Ex quibus quis posset colligere a pro- F prietate partium hæc instrumenta indicari, quod tamen falsum est. Galenus ergo non proponit Quid agendum, nec Vsum, quia clyster, & syringa non possunt pertinere ad rectam administrationem materierum, nisi per additamentum quoddam, & propterea, dicit Galenus, esse quoddam veluti additamentum, seu quoddam auctarium, referendum ad modum agendi; vt sit modi agendi veluti additamētum. Et hinc patet, in quanam medicinæ parte collocari debeant clysteres & syringæ, &c. diriguntur enim ad modum, & sunt veluti additamentum. Hoc auctarium, quia refertur ad modum, indicatur a passione morbi, vt indicans cedit medicamento, si tali instrumento immittatur, nimirum vel clystere, vel syringa. Huius passionis signum est proprietas partis, a Galeno proposita: non quidem proprietas tēperamenti partis similaris, sed proprietas partis instrumentalis, nimirū intestinorū, & vesicæ; quæ est proprietas compositionis. G

A crasi, dignitate, figura, situ, & sensu, quæ deinceps ordine explicantur.

Insuper secundum Gal.c.vlt.l.7.method. prima indicatio sumitur a laborantis partis temperie: nam mensurā remedii præscribit partis natura seu temperatura. Secunda indicatio sumitur a parte, vt vel eius actio est communis omnibus corporis partibus, vel communem virtutem subministrat. Tertia indicatio sumitur a figura partis. Quarta a positu partis. Quincta a vi sentiendi. Quibus verbis prima facie indicatio videtur sumi a parte, cum tamen nihil vim indicandi habeat, quam morbus, caussa & virtus. Notandum igitur,

A igitur, Galenum verſari circa curam intemperiei ventriculi cum materia, vt propterea indicetur duplex remedium; videlicet ratione intemperiei alterans, ratione materiæ vacuans.

His ergo ſuppoſitis, tanquam veriſſimis: quoad intemperiem, ſi pars calida laboret morbo frigido, liberalius & diutius calefieri poſtulat: contra, ſi pars calida calido morbo laboret, refrigerantibus eget remiſſis, & breui tempore. Quibus verbis Galenus proponit Quid agendum, & Quando agendum. Quid agendum inſinuat, dum proponit, a parte calida, morbo frigido affecta, indicari magis calidum; a calida autem, affecta morbo calido, indicari minus frigidum. Ratio eſt: quia in parte calida, morbo frigido affecta, eſt maior receſſus; & ideo indicatur remedium magis alterans; cuius intenſionis, gradus ſeu receſſus a naturali ſtatu, ſignum eſt temperatura partis. Quare id quod indicat, eſt morbus partis: temperatura autem eſt ſignum gradus morbi. B Proponit etiam Galenus Quando agendum, dum proponit, in parte calida, ſi morbo frigido afficiatur, longiori tempore eſſe vtendum medicamento: quod agendi tempus ſumitur a præſentia morbi frigidi, qui diutius durat, dum eſt maior receſſus: quam durationem ſeu perſeuerantiam nobis ſignificat temperatura. Quare temperatura non indicat Quando agẽdum, ſed eſt ſignum præſentiæ indicantis Quando agendum. 1. A temperatura.

De parte etiam dicit Galenus loco citato, ſi intemperie ſine materia, afficiatur, partem nihil indicare: nam pars & præſtans, & ignobilis, alteranda eſt, vt morbus requirit. In intemperie autem cum materia, ratione cuius indicatur vacuans, ſi pars ſit ignobilis, audacter vacuare oportet, vt affectus indicat, interim tamen etiam virtuti attentum eſſe cõuenit: ſi autem pars ſit præſtãs, perpendenda diligenter eſt virtus, ne magna vacuatione diſſoluatur. Ita quidem Galenus ſentit. 2. A præſtãtia.

C Auicennas autem contra quarta primi expreſſe aſſerit: ſiue alterare, ſiue vacuare volueris, reſpice ad partem.

Dico, Galenum hoc loco proponere. Quantum agendum, id eſt, an liceat vti alterante vel vacuante in magna doſi: non enim proponit Quid agendum, ſed Quantum agendum. Nam quoad medicamentum vacuans, dicit Galenus loco citato, partem non ſemper vacuandam magna ſemel vacuatione, hoc eſt, medicamento in ſumma doſi, vt confertim fiat euacuatio totius materiæ: vt ſi redũdet bilis ad libram, libra bilis tota eſt euacuanda, ſiue pars ſit nobilis, ſiue ignobilis; differentia tamen eſt, quia in parte nobili non confertim euacuanda, nec medicamentum exhibendum in ſumma doſi. Idemque eſt dicendum de alterante. Patet igitur Galenum verſari circa Quantum agendum. Hoc ſuppoſito, quoad alterans, dicit Galenus, a parte nullam ſumi indicationem merito alterationis: & ratio eſt, quia pars tum nobilis, tum ignobilis, permittit alterans validum ſeu vehemens, id eſt, permittit ſummam doſin. D Quod non eſt dicendum, ſi verſemur circa Quid agendum: namque alterans validum indicatur a morbo vehementi, at non permittitur a parte præſtante; quia pars præſtans non permittit validiora alterantia.

Reſpiciens autem Auicennas non ad Quantum agendum, ad quod reſpexit Galenus, ſed ad Quid agendum, dicit: ſiue vacuare, ſiue alterare volueris, oportet reſpicere ad virtutem.

Ideo facile tollitur contradictio: quia Auicennas reſpicit ad Quid agendum, Galenus ad Quantum. Igitur quo ad Quantum agendum; ſi actio indicantis ſit valida, quæcunque ſit pars, permittit ſummam doſin, medicamenti alterantis. Quoad vacuans, ſi pars ſit ignobilis, audacter vacuabis, vt affectus ſeu materia, vel materiæ actio indicat: quia partis ignobilitas ſignificat virtutem permittentem. Addit tamen Galenus, ratione partis permittentis, etiam in parte ignobili virtuti ſtudendum: vt, ſi peccet libra puris, tota hæc libra euacuanda; nam pars ignobilis permittit. E Dum vero addit, virtuti ſtudendum; per virtutem intelligit, quæ quandoque etiam in parte ignobili poteſt prohibere, dum virtus partis ignobilis imbecillis adſcititie eſt reddita: namque virtus natiua permittit. Exempli cauſſa, ſit abſceſſus in brachio, ſeu in parte ignobili, & brachium ſit emaciatum, quæ eſt imbecillitas adſcititia: heic dum inſtitutum eſt euacuare, perpendere oportet virtutem totius, quæ virtus poteſt prohibere: nam licet pars affecta ſit ignobilis; virtus tamen vel ratione ætatis, vel ratione morbi, vel ratione vigiliarum, & ſimilium, poteſt prohibere. Pars autem præſtans prohibet ſummam doſin vacuantis medicamenti.

Quare pars, vt præſtans, eſt ſignum virtutis prohibentis, per actionem, & vſum: quatenus ignobilis, eſt ſignum virtutis permittentis.

A figura partis, inquit Galenus, indicari modum vacuationis: ita ventriculus vomitu & deiectione inanitur; inteſtina deiectione tantum, ſicut & iecoris caua; renes, veſica, & iecoris gibba, ſi copioſus ſuccus F vitioſus fuerit, per deiectiones; ſi non copioſus, per vrinas; cerebrum per palatum, aures, & nares; pectus & pulmones per tracheam. 3. A figura.

His verbis Galenus proponit Quid agendum, nimirum remedium vacuans, quod vocat modum agendi ſeu vacuandi. Licet autem ſit Quid agendum, non quomodo agendum; appellat tamen modum vacuandi, intelligens vacuans determinatum, nimirum vomitorium, deiectorium, diureticum; quæ ſunt remedia vacuantia, ſed determinata; quorum remediorum plures reperiuntur materiæ.

Vt autem cognoſcatur, quomodo figura partis conferat ad inueniendum hæc remedia vacuantia determinata; ſciendum, remedium vacuans determinatum, de quo loquitur Galenus, indicari a materia morbifica, vt lædit partem determinatam, cum tali figura: vt figura non ſit indicans, (quia impoſſibile eſt) ſed ſignum determinatæ læſionis materiæ.

G Notandũ hoc loco, renes, veſicã, & iecinoris gibbã, indicare deiectoriũ, ac diureticum remediũ: deiectorium, ſi ſuccus vitioſus ſit copioſus; ſi vero ſit mediocris, diureticũ. Equidẽ exiſtimo, tum deiectoriũ, tum diureticũ, indicari a materia, vt lædit partẽ determinatã: at diureticũ ꝓhiberi a loci anguſtia: inteſtina vero, q̃a ſunt ductus ampliores, ꝑmittere deiectoriũ, ſeu tranſitũ ſucci vitioſi, etiã copioſi. Quare materię copia nõ eſt indicãs; (q̃a copioſa materia indicat minuẽs, nõ deiectoriũ aut diureticũ) ſed eſt ſignũ ductus

permittentis,vel prohibentis:nam ſi ductus ſit anguſtus,copia ſignificat,hunc ductum prohibere tranſi- A tum copioſæ materiæ:ſi vero ductus ſit amplior,copioſa materia eſt ſignum ductus permittentis.Ex anatome autem conſtat,qui ductus ampli ſint,& qui anguſti:ſed qui prohibeant, & qui permittant, a copia materiæ manifeſtatur.

Quoniam vero dictum iam eſt,& diureticum & deiectorium indicari a materia,vt lædit partem determinatam:ergo hinc ſequeretur,duo indicata ab vno indicari: quod aduerſatur fundamentis methodi.Dicendum puto,remedium diureticum indicari a materia,vt lædit corpus ſecundum partes vltra ſima iecoris:cum autem prohibetur,prohibetur a viarum anguſtia, quam anguſtiam ſignificat copioſa materia.At deiectorium,indicatur a materia,vt quieſcit.Et quia peccatum materiæ eſt in quiete, indicat commouens,non impellens, ſed attrahens; cuius materia in ſucco bilioſo eſt rhabarbarum. Rhabarbarum igitur eſt materia auxilii,indicati a materia quieſcente, vltra ſima iecoris: & quamuis ea ſit copioſa, non B prohibetur tamen deiectorium,quia ductus ſunt latiores.

4. A ſitu partis determinatæ.

Galenus pręterea 7.meth.vlt.capit indicationes a ſitu partis determinatę,tum ad ſolidorum intemperiem,alterandi;tum ad ſuccorum vitium,vacuandi.Nam partes quę in ſuperficie laborant intemperie; egent medicamentis,quæ intemperies indicat:ſi autem intemperies fuerit non in ſuperficie; propter interuallum,valentiora,quam indicet temperies,adminiſtranda. Galenus hoc loco nec Vſum, nec Quid agendum proponit: nam ſi in parte profunda fuerit morbus frigidus vt duo, indicat calidum vt duo: quod ſi vltra calefaciamus,tolletur quidem morbus frigidus,ſed introducetur morbus calidus. Quare hæc Galeni dicta ſunt extra methodum medendi;& pertinent ad doctrinam de medicamentis, ope cuius doctrinæ medicus ſcit eligere materiam, quæ vltra ſecundum gradum calefacit, ratione interualli;quia C cognoſcit, propter interuallum, materiam medicinalem calidam in ſecundo,per ſe morbum ſuperare non poſſe.

Quoad vacuationes,ad has quoque nonnihil ſitus indicat, dum docet ſocietatem laborantis partis cum aliis partibus.Nam quia cauo iecoris ſubiicitur ventriculus,& ieiunum inteſtinum, & ieiuno tenue, & huic ſubiiciuntur craſſa inteſtina:ideo poteſt iecur per vomitum,& aluum purgari:quamuis euacuatio ſit per aluum commodior,cum inteſtina melius perferant excrementa.

At quomodo ſitus indicet vomitoriũ,& deiectoriũ,ſeu quomodo vnũ duo indicet,intelligere difficillimũ eſt. Galenus ergo loco citato verſatur in methodo medendi,& ꝓponit Quid agendũ,ratione indicãtis,ac permittentis.Indicans eſt vomitoriũ & deiectoriũ.Vomitorium indicatur à materia morbifica, quatenus lædit partem determinatam,ſcilicet iecur,non ſimpliciter,ſed iecur vt habet talem poſitionem, D vt iecinoris cauo ſubiicitur ventriculus.Quare ſitus eſt ſignum determinatæ læſionis materiæ:& vomitorium eſt indicatum materiæ lædentis iecur,non ſimpliciter,ſed iecur vt habet talem poſitionem, vt iecoris cauo ſubiicitur ventriculus.Deiectorium autem indicatur a materia morbifica,vt lędit iecur talem habens poſitionem,vt ſocietatem habet cum inteſtinis,non cum ventriculo.Quare ſunt duo indicantia, & duo indicata,vomitorium & deiectorium;quæ duo indicata, tanquam a ſigno, ſignificantur à ſitu, & a proprietate iecoris.

Permittentia proponit Galenus,dum inquit,commodius fieri euacuationem per aluum; quia virtus inteſtinorum facilius permittit vitioſorum excrementorum tranſitum,quam virtus ventriculi.

5. A ſenſu.

Galenus etiam ſeptimo meth.vlt.dicit,perpendendam eſſe indicationem,quæ capitur a ſenſu:nam pars obtuſi ſenſus,medicamentum etiam mordens admittit:ſi autem fuerit acuti ſenſus, vires nimio dolore diſſipantur.Facile eſt intelligere,Galenum voluiſſe ſignificare,ſenſum hebetem eſſe ſignum virtutis E permittentis etiam vehemens remedium,& ſummam doſin:contra,ſenſum acutum eſſe ſignum virtutis prohibentis,& validius medicamentum,& ſummam doſin.

A temperamento & virtute partis ſimilaris.

Præterea Galenus 13.meth.7.ait,indicationẽ ſumi a parte & ſimilari,& diſſimilari.Quæ capitur a ſimilari,modum alterandi determinat:quæ autem capitur a diſſimilari, determinat eum locum per quem euacuare oportet,tum vacuationis rationem,tum vero in vſu medicamentorum, ſimilium ſpecie, pluris minoriſque modum.Quantum attinet ad partem,vt eſt ſimilaris,facile eſt Galenum intelligere:ſiquidem proponit Quid agendum ſpecificum,alterans in tali gradu:quod indicans poteſt eſſe curatorium, & vitale.Si curatorium;indicatur a morbi gradu,cuius ſignum eſt temperatura. Si vero capiatur remedium alterans,vt vitale;indicatur a virtute,cuius eſſentia eſt partis temperatura.Nam indicatio vitalis, deſumta a parte ſimilari,eſt deſumta a virtute,cuius eſſentia eſt temperatura:vt nunquam cogamur indicantia mul- F tiplicare vltra tria.

A compoſitione partis inſtrumentariæ.

Quo vero ad partem diſſimilarem,Galenus proponit tria;primo,locum per quem euacuare oportet:ſecundo,euacuationis rationem:tertio,in vſu medicamentorum ſimilis ſpeciei pluris minoriſq; modum.Hæc tria declaro.

Quantum ad primum:proponit Quid agendum determinatum,vt vomitorium, quod indicatur a materia,vt lædit partem ita compoſitam & conformatam:nec enim compoſitio eſt indicans, ſed eſt ſignũ materiæ indicantis.Quod ſi quis per hæc verba a Galeno propoſita,intelligere velit non Quid agendum, ſed Vbi agendum;hoc etiam condonemus:& dicamus,hoc Vbi agendum indicari a materiæ ſubſiſtentia, cuius ſignum ſit ſitus compoſitus partis:vt,ſi pus eſt in inguine,inguini materia remedii eſt applicanda.

Quantum pertinet ad ſecundum: Galenus inquit, partem inſtrumentalem determinare vacuandi G rationem.Vbi Galenus proponit Quid agendum,id eſt,vacuans ſpecificum,vt reſpicit ſanguinem in parte inflammata contentum: remedium ſcilicet vacuans, deriuans, reprimens,& vacuans quidem per partem inflammatam,per meatus ſenſibiles ſiue inſenſibiles,ob id vos cognoſcitis quid intelligat per vacuationis rationem.Quomodo autem pars inſtrumentalis indicet vacuandi rationem,Galenus explicat, capite

A pite nono eiusdem libri, dicens; indicationes inflammationum, sumtas a partis natura, situ, & figura, im- mutare curationem. Per indicationem mutantem curationem, non intelligit contraria indicantia, veluti calida, frigida: nam proponit indicata, quæ omnia in vnica inflammatione absoluuntur. Verum per mu- tationem curationis, intelligit vsum plurium præsidiorum, sed diuersis temporibus instituendum: verbi gratia, in inflammatione vtimur modo reprimente, modo deriuante materiam, modo vacuante, aliquan- do per sensibiles, aliquando per insensibiles meatus. Quare mutatio est in curatione; non quod indicantia sint contraria, sed quia nunc vno nunc alio vtimur. Hanc autem curationis mutationem significat pars af- fecta, vt est signum materiæ indicantis: verbi gratia, temperatura calida, significat materiam attractam; temperatura frigida, significat materiam transmissam: &, si pars sit instrumentalis, vt iecur secundũ simũ, significat virtutem non perferentem sectionem profundam, vt per intestina facienda sit euacuatio.

B Tandem, cum dicit Galenus, partem instrumentalem, in vsu medicamenti similis speciei, indicare pluris minorisque modum: proponit Quid agendum: veluti, cum indicatur remedium calidum vel te- nue, opus est scire, an indicetur magis vel minus calidum, magis vel minus tenue. Indicatur autem hoc a parte instrumentali: quemadmodum seipsum explicare videtur Galenus decimo tertio method. decimo- septimo: vbi habet, iecur & lienem similia medicamenta postulare, siue genere, siue specie similia dicas: differentiam autem esse secundum magis & minus: exempli gratia, scirrhosa materia, vt crassa, indicat at- tenuans: at lien scirrho affectus indicat magis tenue, iecur minus tenue: nam quale est iecinori absinthi- um, tale est lieni capparis cortex: rursus, quale iecinori eupatorium, tale lieni scolopendrium. Vnde hoc loco id quod indicat est materia crassa: at lienis materia scirrhosa est crassior: quare indicat magis tenue. Proinde lien tanto valentiora indicat quam iecur, quanto lien crassiori vtitur alimẽto. Quare lienis actio C & conformatio est signum materiei crassioris, a qua materia crassiore indicatur magis tenue, quam indi- cetur a materia scirrhosa in iecore. Quare semper actio & conformatio, &c. sunt signa, non indicantia: vt non sit necessarium indicantia multiplicare.

Galenus item libro decimo quarto methodi, capite quincto ait: quoniam membrorum scirrho af- fectorum alia sunt rara, alia densa, etiam vacuatio eorum diuersa specie remedia postulat: vnde tum in tendinibus, tum in ligamentis, cum scirrhosa fuerint, emollientibus incidentia sunt permiscenda. Diffi- cile est intelligere, quid hoc loco velit Galenus per remedia specie diuersa. Sciatis, Galenum non intelli- gere Quid agendum: nam materia scirrhi, siue pars sit rara, siue densa, indicat emolliens & incidens, quæ specie differunt: vnde loco citato Galenus probat acetum, nimirum incidens, in densa & rara parte: quod repetit in fine capitis. Quare dicendum, Galenum per remedia specie diuersa, intelligere non remedia, D sed materias remediorum: ait enim, vacuationem postulare diuersa specie remedia, hoc est, vacuandi indi- cationem perfici diuersis specie materiebus. Dicit autem aceti vsum esse posse in membro & denso & ra- ro; at non æque tuto; in neruis enim diuturno aceti vsu substantiam neruorum dissipari: in liene vero & musculis scirrho affectis tutum esse aceti vsum, quod raræ hæ sint partes. Patet ergo quod Galenus pro- ponat materiam remedii, id est, acetum; respiciens ad noxam, quam aliquando possit inferre: vt secundum hanc rationem pertineat ad doctrinam de medicamentis, non ad methodum medendi. Id tamen metho- di huius est, quod ratione aceti proponit Quando agendum; quod in scirrho indicatur a præsentia crassæ materiæ; & prohibetur a duræ præsentia: quia oportet prius emollire: tum si dura non prohibeat, & facta sit emollitio, diuturnum aceti vsum prohibet virtus nerui, permittit virtus musculi; virtutis autẽ signum est raritas ac densitas partium.

A raritate, & dẽsitate.

E Secundo etiam ad Glauc. secundo Galenus ait, a parte quatuor sumi indicationes: a temperatura, formatione, situ, & virtute. Loquitur ibi Galenus de cura inflammationis: & primum ait, temperaturam docere, quousque sit alterandum; vt temperatura sit signum gradus inflammationis: qui gradus, est in- dicans.

Quoad formam: respicit Galenus ad meatus & cauitates. Dicit enim, quod quædam sint partes, quę habeant cauitates intus tantum, vt venæ & arteriæ in artubus; quædam extrinsecus tantum, vt nerui intra peritonæum; quædam vtrinque, vt venæ & arteriæ intra peritonæum; quædam neutro modo, vt nerui in extremis partibus; additque, viscera ferme omnia intus & extra magnas habere capacitates. Hinc tandem concludit, quod partes quæ cauitates non habeant, superflua defluxionis recipientes, sint fortiter siccan- dæ, licet non fuerint natura sicciores, vt nerui in artubus, qui neutra ex parte habent cauitates. [Hoc lo- F co notetur, neruos, & præcipue motorios, inter siccas partes recenseri.] Cum dicit Galenus, neruos non esse natura sicciores; intelligit, quandoque fieri posse, vt nerui a principio generationis in aliquo indiui- duo producantur molles: oportere autem etiam istos fortiter siccare, propter cõformationem, quia neu- tra ex parte habeant cauitates. Quare conformatio non est indicans, sed est signum materię pertinacis, seu materiæ quæ magis resistit euacuationi; quoniam pars est destituta cauitate.

A temperatura, formatione, situ, & virtute.

Positionem ait Galenus docere, per quæ euacuare oporteat, & quomodo. Proponit igitur Quid a- gendum specificum, & Vbi. Quid agendum specificum vocat Quomodo. Qui modus, seu quod remedi- um specificum, indicatur a materia, vt lædit partem, talem situm obtinentem: verbi gratia, materia, vt læ- dit renes indicat diureticum: quare læsionis signum est situs, qui tamen non indicat. Vbi, indicatur a sub- G stentia: cuius signum est situs, vt alibi dictum est.

Quantum ad virtutem: ex Galeno loco citato facile est colligere, virtutem præstantem prohibere, ignobilem permittere.

Postremo Galenus in arte medicinali c. 89. inquit: in intemperie cum materia, capi indicationem a partis temperamento, & situ, gratia intemperiei; caussa autem materiæ vacuandæ, indicationem capi a forma & situ simul. Nam intemperies quo vehementior fuerit, eo indicat remedium vehementius: quam

A crasi, forma, & situ.

magnitudinem indicat, vt signum, complexio naturalis partis. Quoad situm vero; si pars fuerit profunda, inuenire oportet remedium, cuius vis in itinere non resoluatur. Sed hoc pertinet ad doctrinam de medicamentis. Quo ad vacuationem: ait Galenus, a forma & situ simul indicationem sumi: & tunc animaduertendum, an pars habeat effluxui patentes meatus sensiles, ad aliam partem vergentes, an iis careat: &, si habeat hos meatus, an deferantur ad partem nobilem vel ignobilem: hisque cognitis, semper materiam auertendam a parte nobili, & impellendam ad ignobilem. Quare hoc loco proponit Galenus conformationem & situm, vt signa virtutis vel permittentis, vel prohibentis.

Methodū medendi vniuersam, Præsidio, & eius recto Vsu compleri.

Quæ hactenus in hac methodo proposuimus, omnia complectitur Hippocrates, sectione sexta epidem. comment. secundo, textu trigesimotertio, ita habens: transitus aperire, vt nares, & alia quibus opus est, & vt conuenit, & qualia, vbi, quando, quantum, vt sudores, & alia plane omnia. Si diligenter legantur Galeni in hunc textum commentarii, & ponderetur doctrina hactenus a nobis proposita: facile patebit, B Hippocratem proponere in vacuatione Quid agendum, Quantum, Quomodo, Quando, & Vbi. Quid agendum proponit illis verbis; *quibus opus est, qualia, & quantum. Quibus*; insinuat materiæ peccatum, a quo sumitur Quid agendum. *Qualia*; significat peccatum materiæ determinatæ, vt materiæ biliosæ vel aquosę. *Quantum*; denotat Quid agendum specificum, vt exempli gratia, est librabilis: pręterea per *Quantum*, potest etiam intelligere Quantum agendum: nam solet Hippocrates breuitate vti. *Vt conuenit*; insinuat modum agendi. *Quando*, & *Vbi* etiam expresse ponuntur. Quamobrem ex his facile colligi potest, Hippocratem nihil aliud proponere, quam Quid agendum, & Vsum; qui complectitur, Quantum, Quomodo, Quando & Vbi: nec præter rationem: siquidem methodus medendi nihil aliud nobis potest præstare, quam hæc duo, nimirum Quid agendum, & Vsum: atque hæc omnia in virtute tantum trium indicantium, vel permittentium, vel prohibentium; quæ sunt curatoria, præseruatoria, & vitalia; ratione morbi, caussæ morbificæ, ac virtutis: in quibus & essentia, & quod hanc consequitur, est perpendendum. C

Hæc igitur ad laudem Dei Optimi Maximi de *methodo medendi* sint dicta.

FINIS.

COMPEN-

B COMPENDIVM METHODI MEDENDI, HIERONYMI CAPIVACCI.

Iohanneshartmannus Beyer, Lectori S.

ILLVSTRIS de medendi methodo commentarius, iam a me non prorsus nullo labore perpolitus ac emendatus, instar clauis cuiusdam, ad lectionem scriptorum Capiuacci frugiferam, omnino est necessarius. Huius ergo summa, Lector, capita, vt & sæpius in- C tentiusque euoluere, & firmius memorię mandare queas: en compendium tibi eiusdem, in priuatum olim meum vsum PatauI descriptum. Quoniam vero succinctam methodi huius breuitatem plęrisque locis Auctor ipse commendat; vniuersumque hoc negotium vel pagella vnica concludi posse adfirmat: nuda etiam methodi, ad epitomes calcem, veluti stamina adiicere volui, detracta quæ circum ea concreuerat mole. Laborem æquus hunc accipiens, eoque ad libitum fruens bearis me nimis. Vale.

CAPVT I.

D *De Nomine methodi medendi.*

PER methodum cap.4.lib.4.meth. oportet intelligere viam vniuersalem, quæ particularium est commonstratiua, seu, quæ indiuiduo est applicabilis. Via autem hæc est transitus ab vno ad aliud: non tamen quilibet transitus, sed qui fit ordine, & non fortuito: cap.4.lib.1.meth. Debet enim aliquid esse primum & generalissimum, aliud secundum, & subalternum, aliud denique infimum. Vnde cap.7.l.2.meth. Galenus ait, a primis indicationibus ad specificas esse progrediendum.

Ab vniuersis ad specialia progrediendum:

Hæc autem via est resolutiua cap.2. lib. 11. meth. quoniam progredimur heic ab indicante ad indicationem, id est, a fine, ad ea quæ sunt propter finem, seu, quorum virtute finem consequimur. Verbigratia dum febris adest; dicimus esse morbum calidum. Hinc indicatio oritur; refrigerandum E esse morbum calidum: & indicatur præsidium frigidum. Morbus calidus est finis, & indicans: præsidiũ frigidum est indicatum, quod respicit indicans, ac finem, seu, quod dirigimus in finem.

per methodum ἀναλυτικήν:

Αναλύσει vero inseruit διαιρέσις: cuius ope indicationes inueniũtur: vbi nec in summo genere est subsistendum, nec in speciebus subalternis, nec denique praua instituenda est atque vitiosa diuisio: qui tres errores c.1.l.1. ad Glauc. proponuntur. Exempla horum errorum. Febris, vt morbus, indicat sui remotionem: si quis heic subsistat, primum committit errorem. Febris, vt morbus calidus, indicat frigidum: heic qui cessat, secũdo is peccat modo; omittit enim indicatum specificum, & imum: si enim febris morbus est calidus vt duo, frigidum etiam vt duo indicatur. Tertii erroris exemplum est, si quis (indicationes curatiuas quærens) morbem diuidat in suas caussas. Cum enim tria sint, quæ primum curationem indicãt, c.14. l.9.meth. morbus scilicet temperatura, & aer: sciendum, morbum in differentias & species diuidendũ esse, F non in caussas: temperamentum vero & aerem, in caussas, & non in differentias. Licet enim morbus suas etiam habeat caussas: hoc tamen loco in caussas diuidi non potest, quia sermo tantum est de indicatione curatiua, quę a solo morbo eiusque specie sumitur; non autẽ de pręseruatiua, quæ sumitur a caussa. Tertio igitur hoc modo errant, qui indicationes curatiuas cum præseruatiuis confundunt, morbumq; & in differentias, & in caussas diuidunt: sicut illi faciunt, qui dicunt venæsectionem indicari a morbo magno, vna cum sanguine, seu plenitudine: sic enim confunditur indicatio curatiua & prophylactica, caussa & morbus; & sequeretur, vnum a duobus indicari.

cui diuisio famulatur. Triplex error, qui in diuisione committi potest. 1. 2. 3.

Notandum porro nos heic agere de methodo medendi, seu de arte medendi; ad differentiam methodi tuendæ sanitatis.

De methodo medẽdi, heic agitur.

G CAPVT II.

De methodi definitione.

HÆc de voce methodi: sequitur essentia; quæ definitione comprehenditur.

Methodus medendi est ars, qua per indicationes inueniuntur iuuantia, vt deperdita sanitas hominis reparetur.

Definitio methodi.

Hæc finitio continet formam, subiectum, caussam efficientem, & finalem.

Forma. 1.

Subiectū 2. Efficiens. 3. Forma, est ars; non enim est instrumentum, sed est habitus principalis effectiuus.

Subiectum e forma intelligitur: est enim habitus, non corporis, sed animi.

Caussa efficiens, est indicatio: instrumentum nimirum logicum, cuius beneficio habitus principalis comparatur. Hac caussa efficiente methodus distinguitur ab ea curatione, quæ non pertinet ad dogmaticum, quia non comparatur per indicationem, sed experientia, vel analogismo, vel alio instrumento ab indicatione diuerso. Vnde Galenus c.5.l.12.meth.ait: si alteratio fiat in spiritum, ab animali venenato, vel a quolibet alio veneno; curationem esse extra methodum medendi, quæ non indicatione, sed alio instrumento comparetur. Hinc etiam c.4.l.1.meth. Galenus dicit, se agere eo in opere de remediis, quę non empeirice, sed methodo per indicationes inueniuntur.

Finis 4. Finis duplex est, Internus & Externus: internus, est inuentio iuuantium: externus, est reparatio deperditæ sanitatis ipsius hominis: qui externus quidem finis est ratione indicationis; internus autem & ipse dici potest, si respiciamus ad totam hanc medendi methodum. B

Internus finis. Internus finis, nimirum inuentio præsidiorum, proponitur c.9.l.5.meth. Dicitur autem heic inuētio iuuantium, & non inuentio indicatorum; quia indicatum latius patet, cum & morbi a signis suis indicētur: vt e dolore lateris, tussi difficultate anhelitus, colligo pleuritidem adesse, quæ heic indicati rationem habet, nec tamen præsentis est instituti.

Per iuuantia autem heic intelliguntur omnia, quæ per indicationes inueniuntur: vt sunt cum Præsidia, cum Vsus seu administratio materiæ præsidiorum: sub vsu autem comprehenditur dosis seu quantitas remedii, modus administrādi, tempus, & locus, c.1.& 2.l.6.meth. Iuuans igitur in se complectitur Quid sit agendum: Quantum: Quomodo: Quo tempore: & Vbi. Exempli gratia: in febre, præsidium est frigidū. Huius præsidii materia, verbi gratia, est lactuca: circa quam perpendimus vsum, id est, quantitatem, modū administrandi, tempus quo est vsurpanda lactuca, & locum cui est applicanda. C

Externus finis. Finis totius huius methodi medendi est reparatio deperditæ sanitatis hominis. Hominis dicitur ad differentiam brutorum. Reparatio: ad differentiam methodi tuendæ sanitatis. Sic cap.5.l.1.meth. finis methodi medendi est, remouere morbū, vt sanitas reparetur. Et c.7.l.9.meth. methodus inuenit auxilia, quibus sanatur æger. Et c.5.l.9.meth dicitur: sanatio, id est, ars curatrix, seu methodus medendi, est præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem mutatio.

Capvt III.

De diuisione methodi medendi.

Diuisio methodi a Forma. Methodus medendi varie distribui potest. Primum a forma: vt sit habitus Vniuersalis, vel habitus Specificus. Hinc de postremo loquens Galenus cap.1.lib.4.meth. tot ait esse species methodi, quot sint morborum species. Semper tamen ab indicatione generica ad specificam est progrediendum: licet Galenus cap.9.l.5.meth. dicat, se tradere methodum, quæ præsidiorum tantum genus indicet: heic enim auctor genericum vocat præsidium, ad differentiam materiæ præsidii. [Tractatio materierum non pertinet ad meth. medēdi, sed ad libros de alimentis, de simplic. & de compos.] Ipsum tamen genericum præsidium, in certo gradu cōsideratum, fit specificum: vt præsidium frigidum: præsidium frigidum vt duo, &c. vt & sic a generica indicatione ad specificam progredi queamus. D

Diuisio methodi a Fine. Ratione finis methodus vel Simplex est, vel Composita, c.4.l.4.meth. Simplex est, qua morbus aufertur: & in hac locum habet indicatio curatiua; quia nulla morbi caussa adest, hanc Galenus l.3.method. proponit. Composita est, vbi & morbus & materia seu caussa remouetur: & heic locum habet indicatio curatiua & præseruatiua: hancque Galenus l.4.meth. tradit. In vtraque tamen methodo a genere ad speciem specialissimam est progrediendum. E

Hactenus de methodi essentia, definitione, ac diuisione. Sequitur de Indicationibus.

Capvt IV.

De definitione indicationis: de indicantis proprietatibus: & de differentia indicationis, experientiæ, & analogismi.

Transitio. Deinceps de indicatione agendum: hæc enim est caussa efficiens, & instrumētum, per quod consequimur cognitionem iuuantium, seu medendi methodum. Tria autem sunt explicanda, nomen; essentia seu definitio, & diuisio.

De nomine Indicationis. Nomen indicationis nil aliud significat c.7.l.2.meth. quam ipsam sequētis seu agendi insinuationē: vt id quod inuenitur, quasi in præcedente aliquo sit designatum: iuuans enim seu designatum, in præcedente aliquo designatur, nimirum in indicante. F

Definitio indicationis prima. Definitiones indicationis tres proponuntur a Galeno, verbis diuersæ, reipsa autem conuenientes. Prima est c.7.l.2.meth. Indicatio est inuentio eius, quod sequens est e rei natura. In hac finitione Galenus tantum respicit ad Quid agendum: hoc enim solum indicatur ab essentia indicantis: recta autem administratio (id est quantū, quomodo, quando & vbi) indicatur quidem, sed non a natura indicantis, verum ab eo quod consequitur essentiam.

Definitio secunda indicationis. Secunda definitio proponit c.11.l.ad Thrasyb. Indicatio est cōprehensio iuuantis simul cum natura nocentis. Heic respicit ad Quid agendū, non omne, sed curatorium, & præseruatiuum. Quod respiciat tātum ad Quid agendum, colligitur ex eo, quod proponit naturam indicantis, quæ tantum Quid agendum, non autem Vsum indicat. Quod tātum proponat indicatum curatiuum, & præseruatiuū, colligitur inde, quod proponit naturam nocentis: nocens autem omne cum sit præter naturam, vel morbus est, vel caussa, vel symptoma. Nocens igitur in ratione morbi, est indicans curatorium: in ratione caussæ & symptomatis (quatenus symptoma habet rationem caussæ) est indicans præseruatorium. Omittit ergo heic Galenus indicans vitale, id est, virtutem, quæ non est nocens, nec præter naturam. G

Tertia

Tertia finitio exstat c.11.l.ad Thrasyb. Indicatio est, quando rebus percipiendis perceptis, simul etiam quod confert percipitur citra analogismum & experientiam. Hæc definitio est absolutissima, & maxime communis: ad differentiam enim primæ finitionis, non modo quid agendum, sed etiam rectam administrationem materierum iuuantium complectitur. Ad differentiam secundæ continet non tantum indicans curatorium & prophylacticum, sed etiam vitale.

Tertia finitio.

In hac igitur definitione, percipienda significant non nocentia tantum, vt in secunda finitione, sed in genere & iuuantia & nocentia. Cognitio quippe in genere proponitur, quæ respicit & essentiam indicantis, & id quod consequitur illam.

Vt autem definitio hæc omnino perfecta sit, & distinguatur ab indicatione meth. tuendæ sanitatis;
B hunc in modum ea cōformari poterit. Indicatio est comprehensio iuuantis, simul cum comprehensione indicantis, citra experientiam & analogismum, gratia sanitatis deperditæ reparandæ.

Perfecta indicationis finitio.

Comprehensio) id est, functio intellectus, cognitio, inuentio.

Iuuantis) siue id sit Quid agendum, siue Vsus, seu recta administratio.

Indicantis) id est, & essentiæ, & eius quod sequitur essentiam.

Ad hanc definitionem intelligendum, tria notētur: 1. quænam sint res percipiendæ & perceptæ: 2. quid experientia. 3. quid analogismus.

Res percipiendę, sunt Essentia, & Consequētia essentiā, tum Morbi, & Caussæ morbificæ, tum Virtutis.

Per res igitur percipiendas & perceptas, intelligimus primum rei seu indicantis naturam, quæ non sensu, sed intellectu cognoscitur. c.2.l.2. method. Percipiuntur autem non tantum res præter naturam, vt morbus & caussa, sed etiam res secundum naturā, vt Virtus. Deinde intelligimus id quod consequitur na-
C turam: quod nil aliud est, quam actio, passio, præsentia, & subsistentia.

Porro vt plenius hęc cognoscantur, notandę sunt rerum percipiendarum seu indicantium quatuor conditiones. 1. est, vt indicans sit notum per intellectum. 2. vt vnum non nisi vnum indicet. 3. vt indicans necessario sit præsens, non præteritum, nec futurum. 4. vt indicans reperiatur in corpore hominis.

Indicantis proprietates quatuor.

I. Prima conditio, colligitur e multis Galeni locis, quibus astruit indicantis naturam & essentiam intellectui notam esse debere, vt c.5.l.1. meth. ad inuentionem curationis, necessarium est morbi naturam scire. Et c.6.l.1. meth. tot sunt medendi rationes, quod morborum ideæ: ab essentia igitur ac idea capitur indicatio.

II. Secunda conditio, vnum indicans simplex nō nisi vnum indicat, si idem sit perspectus: c.12.l.9. meth. quia vnum, tantum vnam habet naturam. At vnum, secundum diuersam essentiam, seu respectum, et-
D iam plura indicare potest, c.13.l.11. met. vt bilis, quoad copiosa, indicat vacuationē; quatenus calida, indicat auxilium refrigerans. Ita etiam vnum cōpositum, plura indicat, vt febris, est quid vnum: at quia est morbus calidus & siccus, indicat frigidū & humidum. Vnum etiam plura potest indicare: quædā nimirū in genere, quędam in specie, vt plethora in genere indicat vacuationem, in specie venęsectionem, &c. Rationem huius rei Galenus reddit c.45. ad Thras. vnum tantum potest indicare vnum, quia vnum vni saltem est contrarium, vt calidum saltem indicat frigidum.

Obiectio e c.21. ad Thrasyb. Vnum non semper idem indicat, vt vrinæ suppressio est idem: aliud tamen indicat, si fiat a calculo, aliud si a grumo sanguinis, aliud si a pituita. Resp. vnum genus, vnum tantum genericum indicat remedium: & quælibet species, specificum etiam vnum indicat auxilium.

ἐν ἐνδείξει.

E Ex hac conditione patet alucinari eos, qui morbum magnum communiter indicare dicunt & venæsectionem & purgationem: Ac præterea hoc etiam in ea sententia est absurdum, quod indicans est curatorium; duo vero illa indicata, præseruatoria.

Error quorundam.

III. Tertia conditio: Indicans præsens est, nō præteritum, nec futurum: nam c.1.l.3. meth: absurdum est, aliud esse quod indicat, & aliud quod curatur: at quod curatur necessario est præsens: ergo etiam quod indicat, præsens est. Præterea c.3.l.4. meth. indicatio non sumitur ab iis quæ non permanent: at præteritum & futurum non permanent: solum autem præsens permanet, ergo &c.

Obiectio. c.3.l.4. meth. præsentis est curatio, futuri prouidentia. Ergo etiam a futuro sumitur indicatio. Resp. in curatione medicus respicit ad præsentem morbum, & præsentis sublationem, ceu finem, sibi proponit; indicationem quoque a præsenti sumit: At in προφυλάξει, medicus ad imminens, seu futurum
F malum respicit, eiusque absentis præseruationem tanquam finem sibi proponit, indicationem tamen sumit a præsenti caussa, quatenus potest morbum efficere. Indicans igitur semper est præsens, siue actu morbum efficiat, siue possit aliquando morbum procreare, vt, si quis singulis annis corripi soleat pleuritide, ei, antequam fiat pleuritis, vena secatur: & sic a sanguine præsente sumitur indicatio.

Etiam in prophylaxi a præsenti sumitur indicatio.

IV. Quarta conditio: indicans reperitur in corpore humano: quia materia remediorum administratur corpori: vnde Galenus c.3.l.4. meth. ait, Nullam externam caussam indicare. Obiectio: in febre aer calidior alteratur aqua rosacea: Ergo ab aere, id est, ab externo sumitur indicatio: nec tunc illa aqua rosacea corpori, sed aeri adhibetur. Resp. hoc negotium extra methodi est limites: materia enim auxiliorum in methodo non consideratur: in febri autem egemus materia frigida, quæ inter alia est aer refrigeratus. At medicamentorum materia, quatenus exposcit præparationem & apparatum conuenientem, non di-
G citur indicare.

Alterum quod supra tractandum propōsuimus, est Experientia, quæ ab indicatione plurimum differt. c.10. & 11.l. ad Thras. dicitur, quod experientia, seu obseruationis cognitio, potissimum ad sensum pertineat: indicatio vero ad intellectum. Vt, Socratem comprehendimus pleuritide laborare, quia conspicimus & symptomata in Socrate, quæ etiam in aliis obseruauimus, vt tussim, dolorem pungentem, &c. Sic in dentium stupore portulaca vtimur, quia empeiricos in tali dentium dyscrasia, vsos esse eadem obseruauimus. Hinc experientia merito dicitur esse comprehensio eius, quod sæpe & eodem modo visum est.

ἡ πεῖρα.

Analogismus. Tertium caput tractandum est Analogismus: hic autem definitur cõprehensio iuuantis per similitudinẽ. Et differt ab indicatione: quod hæc e natura indicantis, non e simili desumatur. cap. 11. l. ad Thras. A

Quomodo analogismus instituendus, & quando. Inuenitur autẽ iuuans in analog. (e c. 11. l. de suffiguratione empeirica) per trãsitũ de simili ad simile: quæ similitudo vel in mẽbris cõsideratur, vt si cũ manu pedẽ conferamus; vel in affectib. vt si fluxum sanguinis nariũ, cum alui fluxu cõparemus, vel in materiis, vt si mespilum cum cydonio quis cõferat. Postrema consideratio, materierum scilicet, ad methodum non spectat, sed tantum duæ priores.

Tunc autem ad analogismum confugere licet, quando iuuans per indicationem, & obseruationem inueniri nequit, propter naturam indicantis latentem & reconditam.

CAPVT V. B

De diuisione indicationis, quoad est comprehensio.

DIuisiones indicationis sumuntur ex iis, quæ in eius definitione sunt proposita: nim. primum a cõprehensione, deinde ab indicato, seu iuuante: tertio ab indicante.

Indicatio generalis, specialis. Secundum comprehensionem indicatio est Generica, vel specifica, vt intelligitur e c. 11. l. 6. meth. vbi Gal. dicit; indicationẽ cõmunẽ desumi ab affectibus; alias vero atq; alias. i. speciales indicationes, desumi a partib. aff. Sic c. 1. l. 8. meth. & c. 6. v. 7. l. 11. meth. in febrib. generales & particulares ꝓponũt indicationes.

Duæ primæ generalis indicationes. Generalissimæ indicationes (quas Galenus primas vocat c. 3. l. 3. meth.) duæ sunt: vna sumitur a rebus præter naturam, vt remotio; altera a rebus secundum naturam, vt conseruatio.

Generica indicatio, alia Prima, seu generalissima: alia secunda seu subalterna.

Vt autem indicatio suprema, subalterna & specifica, a se inuicem discerni queant: duæ indicationis differentiæ, a qualitate desumtæ, sunt obseruandæ: scil. indicatio Vtilis & Inutilis: indicatio Artificiosa, & Non artificiosa. C

Indicatio vtilis, & inutilis. Indicatio logica, seu inutilis est, quæ indicat præsidium, cuius non est materia: vtilis contra est, quæ indicat præsidium, cuius reperitur materia: vt Obstructio a materia, indicat auxilium aperiẽs, cuius nulla reperitur materia, ideoq; indicatio est inutilis. Dũ autem fit a materia crassa, indicat attenuãs, cuius præsidii reperitur materia, V. G. agrimonia: hæc igitur vtilis est indicatio.

Indicatio artificiosa, & inartificiosa. Artificiosa indicatio est, quę ex arte progreditur, nec plebi vulgoq; cõmunis est. c. 2. l. 6. meth. Inartificiosa, quæ plebi etiã est nota, ita vt artis portio vel nulla sit, vel certe nec magna, nec propria, c. 1. l. 2. meth. Exẽpli gratia. Febris, prout est præter naturam, indicat remouens, cuius nulla materia reperit̃, est igitur indicatio inutilis: præterea hoc etiam vulgo patet (indicans enim secundum essentiam genericam facile cognoscitur, secundum specialem, difficillime.) Ergo indicatio inartificiosa. D

Hinc ergo patet indicationẽ generalissimã, nec artificiosam esse, nec vtilem: subalternam, vtilem esse posse, non semper tamen esse vtilem, nec esse artificiosam: specificam & vtilem & artificiosam esse.

CAPVT VI.

De indicati differentiis.

Indicatum est Quid agendum, & Vsus. INdicati diuisio sequitur. Indicatum est duplex, Quid agendum, & vsus, id est recta materierum administratio: Ratio: Quid agendum, dependet ab essentia indicantis, vsus ab eo quod cõsequitur essentiam. Cum ergo duo in indicante perpendamus, totidem in indicato etiam considerari necesse est.

1. quid agendum. Quid agendũ est Genericũ, Subalternũ, Specificũ: genericũ, vt remouẽs: subalternũ, in febre frigidũ: specificũ, in febre v. g. frigidũ in primo. [gradus n. determinati, non ad quantũ agendũ, sed ad quid agendũ specificũ ꝑtinẽt: dosis vero ad quantũ agendũ est referẽda. Exẽplũ in febre q̃ritur, nũ corpus sit refrigerandũ, vt vnũ, vel vt duo, &c. q̃stio est de q̃d agendũ, q̃ sumit̃ a gradu caliditatis febrilis. At si cognoui opus esse frigido vt duo, V. G. lactuca, dum q̃ro de dosi & quantitate lactucę, q̃stio est de quantũ agendum. E

2. Vsus. Vsus, seu recta administratio est quadruplex: Quantum, Quomodo, Quando, Vbi. Id enim ꝙ consequitur indicantis essentiam, quadruplex etiam est: nimirum actio, passio, præsentia, & subsistentia. Ratio:

Vsus partes. si essentia indicantis coniungatur cum qualitate (nec enim id quod agit, sine medio seu instrumẽto agit) vim habet agendi, vnde actio prodit. Et cum id quod agit, etiam repatiatur, hinc fit vt passio recenseatur. Quod si essentia coniungatur cum tempore, oritur præsentia: Si cum loco, seu vbi, oritur Subsistentia.

Exempla. Exempla horum quatuor: Bilis, si fuerit feruidior, vehementem habet actionem, si crassa difficulter patitur: si reperiatur in corpore, præsens est, quia non præteriit, nec generanda demum est, sed iam genita: si eadem in brachio excitet erysipelas, subsistit in brachio. F

CAPVT VII.

De diuisione indicantis.

Indicans generale, & speciale. INdicans diuiditur a fine methodi medendi. Finis autem duplex, communis & specificus. Cõmunis est deperditæ sanitatis reparatio: Cuius ratione indicans quodcũq; (siue morbus sit, siue caussa, siue virtus) dicitur Curatorium. Specialis finis duplex est: alter Remotio rerum præter naturam, alter Custodia rerum secundũ naturam. Cum autem res præter naturam duæ sint, Morbus & Caussa (symptoma enim licet præter naturam sit, nil tamen indicat, nisi caussæ habeat rationem) duplex etiam finis hinc oritur, morbi remotio, & caussæ remotio: & morbus quidem dicitur indicans curatorium, caussa autem dicitur indicans præseruatorium (quamuis caussa, ratione finis communis, etiam indicans curatorium dici possit.

Ex altero speciali fine, qui erat, custodia rerum secundũ naturam, constituitur indicans vitale: quod Galenus etiam ita vocat c. 13. l. 9. meth. Tria ergo solum sunt indicantia, morbus, caussa, vires: quæ c. 2. l. 10. G

Tria indicantia. meth. in febrib. putridis ẽt proponuntur, & c. 1. l. 10. meth. febris fit indicans curatorium, caussa præseruatorium, vires naturales indicans vitale. In hanc sententiam c. 89. artis paruæ dicitur, δυσκρασίαν solam alterationem indicare, caussam, autem per vacuationem tolli. Heic enim indicatur a morbo saltem indicationem curatiuã sumi; ꝙ si is coniunctã habeat materiam, seu caussam, ab ea indicationẽ peti præseruatiuam.

CA-

CAPVT VIII.

Signa indicantium, ab ipsis indicantibus esse distinguenda.

TRia tantum sunt vere indicantia: morbus: caussa morbifica, & virtus. At Galenus de nominibus interdum minime sollicitus, alia etiam, eaque plura indicantia proponere videtur: quæ tamen, si accurate cōsiderentur, indicantia proprie non sunt, sed indicantium ipsorum veluti notæ quædam & signa.

Indicantia improprie.

Proinde signi ac indicantis nouisse distinctionem operæ est pretium. Est autem signum, quod indicans ipsum manifestat, seu significat. Indicans illud est, a quo sumitur indicatio, & e quo inuenitur iuuans.

Signi & indicantis differentia.

His notatis, facile Galeni loca obscuriora quædam possunt intelligi. Sic enim locus affectus, significat gradum morbi: & facultas medicamentorum morbum ipsum prodit: cap. 3. lib. 3. method. aphoris. 17. sect. 2. Natura ac temperies ægri, morbi naturam, & recessum a statu naturali, manifestat: capit. 7. l. 3. method. Ita aer capit. 9. lib. 3. method. temperamentum capit. 14. libr. 9. meth. vehementia morbi cap. 6. lib. 4. method. tempus cap. vlt. lib. 3. meth, ætas c. 2. l. 10. meth. c. 3. l. 11. meth. consuetudo c. 16. lib. 9. meth. c. 3. l. 11. meth. & aliis locis alia quædam, a Galeno indicantibus, amplo quodam vocis significatu, annumerantur: non quod vere indicantia hæc sint, sed quod indicātium, nimirum morbi, caussæ, aut virtutis, conditiones nobis aperiant.

Planum vero hoc ipsum faciemus, de tempore, ætate, consuetudine, & aere. Vnde reliqua etiam huius generis omnia æstimari poterunt.

Tempus ergo non est indicans sed signum. Hinc c. vlt. l. 3. meth. dicitur, recens & vetus vlcus nihil indicare. Et c. 4. 5. l. 4. meth. dicitur, in vlcere diuturno inueniri iuuans, non e tempore, vel diuturnitate vlceris, sed e succi vitio. Sic c. 19. l. ad Thrasyb. cum Galenus explicat, cur in vigore victu tenuissimo sit vtendum, ait tempus, id est, vigorem morbi, non accipi ab Hippo. vt indicans, sed vt metitur facultatem, id est, quatenus signum est virtutis, quæ alia est in statu, alia in aliis temporibus. Sic c. 40. lib. eiusd. inter initia, si quid videtur mouendum, moue, &c. heic (ait Gal.) initium temporis accipit̄ vt signū, quod significat, vires ab initio perferre medicationem. Præterea c. 45. l. eiusd. ait: indicans indicat aut sui custodiam, aut sui ablationem: Tempus nec sui custodiam, nec sui ablationem indicat: Ergo non est indicans.

Tempus nō est indicās.

Ætas etiam non est indicans, sed signum, significat n. virtutem debilem, aut robustam, ac proinde c. 13. l. 11. meth. Galenus ait, ad indicantia cognoscendum, conferre ætatem & consuetudinem.

Ætas.

Consuetudo quoque, non indicantis, sed signi habet rationem, signum enim est tēperaturæ: ac proinde quia temperamentum conseruandum est, vulgo etiam dici solet, cōsuetudinem nō temere mutandā esse, eo quod temperaturam consuetudo indicet, quę non mutanda, sed conseruanda est, etsi vitiosa quoque exsistat. c. 3. l. 11. meth.

Cōsuetudo.

Aer vt signum concurrit non est indicans: febrem enim aer calidior magis reddit intensam: & propterea intensiora etiam refrigerantia indicantur, non quidem ab aere, sed ab intensione febris, quam aer calidior indicat. Quod si quis dicat, aeris excessu indicare contraria medicamēta corrigentia: ei respondemus: aerem quidem corrigi, sed tantum vt euadat materia remedii. Sic etiam cum ptisanæ frigiditatem timemus, pipere eam corrigimus: vbi sane a ptisana piper indicatur. Verum hoc negotium non pertinet ad methodum medendi, sed ad compositionem ciborum.

Aer.

Solus igitur affectus (id est, morbus & caussa morbi.) *indicat: Virtus autem vel permittit*, si sit fortis, *vel prohibet*, si debilis. Vnde patet tria esse indicantia. Curatorium, Præseruatorium, & Vitale: de quibus deinceps singulis agemus.

CAPVT IX.

De morbo seu Indicante Curatorio: quomodo concurrat ad indicandum ipsum remedium.

INdicans curatoriū, nil est aliud, quam morbus: hic autem indicat primum quid agendū, secūdo vsum.

De primo: quomodo sc. morbus indicet quid agendum. Morbus indicat in genere quidem Quid agendum, quod communiter dicitur iuuans, seu præsidium: in specie autem vocatur remedium, ad differentiam alimenti, quod a virtute indicatur, & quidem auferens remedium (non conseruans, quod a virtute indicatur) nec auferens caussam (quod est prophylacticum) sed morbū auferens. Et hoc a nullo alio indicat̄, quam a morbi essentia, c. 48. l. ad Thras. c. 10. l. 10. meth. c. 21. l. 13. meth. A generica quidem morbi essentia, indicatur in genere morborum expulsio: a specifica autem essentia, indicantur remedia specifica, quibus fit expulsio.

A morbo indicatur quid agendum, id est, remedium auferens morbum.

CAPVT X.

De indicantium vehementia simplici & relata: itemque de remedii vehiculo.

DEinceps explicādū est, quid statuendū sit, tum de remedio vehemēti, tum de rēedii vehiculo. Auxilium igitur vehemens indicatur ab essentia vehementi indicantis, c. 6. l. 4. meth. extremis enim morbis extrema competunt præsidia: vt si in sanguine peccatum sit vehemens, opus est vehemēti præsidio cuius materia est venæsectio: si peccatum non sit vehemens, opus est debili remedio, cuius materia, verbi gratia, est frictio, vel balneum. Sic c. vlt. l. 3. meth. dicitur, magna vlcera curari iis quæ vehementer siccant, parua iis, quæ moderate. Notandum autem magnum & paruum vlcus heic non esse indicantia, sed signa: indicatum enim nimirum siccans, non est curatorium, sed præseruatorium, cū spectet caussam vlceris, nimirum excrementum tenue. Ergo nec indicans est curatoriū, sed præseruatorium, quod ab vlcere magno vel paruo, ceu signo, manifestatur. Magnum enim vlcus, significat copiosum excrementū, & proinde vehemēs indicat igitur hoc excrementum, præseruatorium quoque vehementer exsiccans. Paruum vlcus, contra. Similiter c. vlt. l. 14. meth. pterygion paruum & molle, curatur per detergētia; magnō vero & durum per instrumentum cheirurgica. Heic paruitas non est indicans, sed significat tantum debilem essentiam, materiæ expurgandæ: magnitudo contra.

Auxilium vehemens indicatur ab essentia vehementi indicantis.

 A

Vehementiæ distinctio.

Vt autem rectius hæc intelligantur; sciendum est, quod vehementia alia sit Absoluta, cum indicans seorsum, & per se consideratur: alia Respectiua, quando vehementia vnius indicantis confertur cum vehementia alterius indicantis. Absoluta vehementia rursus vel Simpliciter talis est, ac propria ratione: vel Secundum quid, & ratione alterius. Exempli gratia, cãcer est affectus simpliciter vehemens, id est, secundum propriam essentiam, & in qualibet parte. Pustula vero, in cute est affectus debilis: in pulmone autem, iecore, vel alia parte nobili, est vehemens affectus, non simpliciter, sed secundum quid, nimirum ratione loci affecti: c.6.l.4.meth.c.7.l.12.meth. Vehementia absoluta simpliciter, vel est Actiuitatis, vel Resistentiæ: illius exemplum est febris ardens; huius, vlcus contumax, & materia dura.

Hac vehementiæ distinctione animaduersa: iam restat cognoscendum, quomodo ad indicandum quælibet vehementia concurrat, nimirum & absoluta, & respectiua. B

Vehementia absoluta quomodo indicet.

Absoluta igitur indicantis vehementia, indicat per essentiam indicantis Subalternam, & Specificam, nunquam per genericam. Subalterna autem essentia, alia Prior est, quæ propior genericæ; alia Posterior specificæ propinquior.

Vehementia essentiæ subalternæ prioris, Galeno est vehementia dignitatis, vt, in morbo, verbi gratia, essentia febris, quoad est morbus totius, lædens omnes actiones naturales: in caussa, verbi gratia, sanguis, quoad est materia morbifica, ad differentiam materiæ excrementitiæ: in virtute, natura quæ conseruat vitam.

Vehementia essentiæ subalternæ posterioris, Galeno est vehementia propriæ essentiæ, vt, in morbo, verbi gratia, febris ardens: in caussa, verbi gratia, sanguis, vt est putridus: in virtute, si hæc facile possit dissipari, vt in puerili ætate. C

Vehementia essentiæ specificę, Galeno est vehementia declinationis, seu recessus a naturali statu, vt, in morbo, verbi gratia, febris ardens in corpore senili, seu frigido: in caussa, verbi gratia, sanguis, vt est putridus extreme: in virtute, si hæc leuissima de caussa sit dissipabilis, vt in puero molliori.

Respectiua vehementia quomodo indicet.

Ita absoluta indicantis vehementia indicat. Respectiua indicat per essentiam suam, relatam ad essentiam alterius indicantis: & habet rationem vel Prohibentis, si essentia hæc respectiua sit intensior, vel Permittentis, sit remissior.

Versatur autem respectiua vehementia necessario in pluribus indicantibus: quæ vel Consentiunt, vel Discrepant.

Si consentiant indicantia: intenditur vehementia indicati. D

Si discrepent indicantia: remittitur vehementia indicati, vel vtriusque, si vehementia vtrinque par sit: vel intensioris, si impar sit indicantium contrariorum vehementia.

Si enim indicantium par sit vehementia: æqualiter infringitur vtriusq; indicati vehemẽtia, vt moderatio quædam surgat. Quod si impar sit vehementia: intensiori tantũ derogatur, quantũ pollet remissior.

Partes profundæ num indicent vehementia remedia.

Sed obiici heic posset, vehementia remedia non tantum indicari a vehementia morbi; sed a partibus profundis, vt docetur c.vlt.l.4.meth.c.11.l.5.meth.c.89.art.paruæ. Resp. hoc non pertinere ad methodum medendi, sed ad doctrinam de medicamentis. Si enim e scientia medicamentorum cognoscimus, vim alicuius medicamenti in transitu remitti; eligimus medicamentum intensius, quod si ad partes veniat profundas, ita agat, vt superet morbum.

Vehiculum.

De vehiculo idem statuendum est, quod scil. non huc spectet, sed ad medicamenta: c.vlt.l.4.meth. E ait Galenus, in vlceribus pulmonum & renum, opus esse vehiculo: in vlceribus enim opus est siccantibus, quæ austera sunt, & propterea ne diutius in vehiculo hæreant, in pectoris vlceribus mel miscemus, in vlceribus renum, diuretica.

CAPVT XI.

Quomodo morbus indicet Vsum, & primo, quomodo morbi actio indicet Quantitatem auxilii.

Vsus vt a morbo indicetur.

MOrbus indicat vsum, id est, quantum agendum, quomodo, quando & vbi. Hæc 4. indicata respondent 4. indicantibus, cum vnum ab vno indicetur semper. A morbi actione indicatur Quantum agendum: a passione Modus; a præsentia Quando: a subsistentia, Vbi.

Quantum agendum, id est, dosis.

Quantum agendum, est dosis materiæ remedii: quantitas nim. continua, non discreta (nam discreta pertinet ad Quando, non ad Quantum. Vt si quis in febre lactuca vtatur plurib. vicibus, quoniam prima vice febris non est expugnata: heic febris præsentia non indicat Quantũ, sed Quando agendum.) A summa igitur morbi actione, indicatur summa dosis, mediocris a mediocri, minima a minima. F

Notandum vero, licet interdum summa indicetur dosis, non semper tamen ea vtendum, nisi virtus robusta id permittat.

CAPVT XII.

Modum vtendi a morbi passione indicari.

Quomodo agendum.

QVomodo agendum, est modus agendi, qui etiam ad materiã auxilii refertur. Modus pertinet ad Substantiam, vel Qualitatem. Ad substantiam vt quando vtimur rhabarbaro in forma solida, vel liquida. Qualitas est Alteratiua, aut Motiua: alteratiua, vt si vtimur lactuca actu calida, vel frigida: motiua, vt si vtimur decocto lactucæ in modum stillicidii, vel non. G

Obiectio: c.vlt.l.3.meth. medicamentum læue, non asperum, indicatur ab exquisito sensu oculi: non igitur a passione? Resp. hoc non pertinere ad meth. medendi, sed ad compositionem medicamentorum.

Exemplum.

Exemplum. Laboret quis dyscrasia frigida in habitu, secundum substantiam cerebri, & secundũ substantiam oculi: heic passio difficilis est; indicatur ergo stillicidiũ calidum: c.vlt.l.13.meth. Verum cum præter indicans, requiratur etiam virtus permittens: cerebri virtus permittit stillicidium, oculi virtus prohibet: virtutis autem permittentis signum est substantia ossea, quę ferre potest medicamentũ ex alto cadens. Aliud

A Aliud exemplum: c.12.l.12.meth. Esto in inflammatione hepatis, & in inflãmatione brachii materia reprimenda, cuius passio adeo sit difficilis, vt indicetur reprimens actu frigidum; hoc enim valentius reprimit. At virtus hepatis hoc prohibet, per calorem naturalem hepatis, qui actu frigidum ferre nequit: Virtus autem brachii permittit, quia calor brachii naturalis actu frigidum ferre potest.

CAPVT XIII.

Præsentiam morbi tempus agendi indicare.

Quando agendum.

TEmpus opportunum consideratur, vel ratione vnius materiæ medicinalis, vel ratione plurium. Ratione vnius, cum quæritur & quo morbi tempore, & qua diei hora remedium sit exhibendum, c.37. B l.ad Thrasyb. Ratione plurium materierum, vel in vnico affectu, vel in Pluribus. In vnico affectu, vt si in febre vtendum sit endiuia & nymphæa. quorum altera intensior, altera remissior; cognoscendum est, quæ ex his primo dari debeat, in pluribus affectibus; vt si vti oporteat frigidis ratione febris; venæsectione propter materiam sanguineam; carne aut vino, propter virtutem: videndum est quodnam ex his primum vsurpari debeat.

Indicatur autem, quando agendum a præsentia indicantis, & absentia prohibentis. c.37. & 38. libr. ad Thrasyb. seu vno verbo, a præsentia indicantis vehementioris: quando enim adest prohibens, tum hoc habet rationem vehementioris indicantis, alias siquidem non prohiberet.

1. Quando agendum ratione vnius materiæ, indicatur a præsentia vehementioris indicantis: vt in causo circa statum vtimur frigida: quia tunc febris præsentia magis indicat frigidam, quam materiæ C cruditas eam prohibeat.

2. Ratione plurium materierum in vnico affectu, etiam indicatur quando agendum a præsentia vehementioris indicantis: si enim indicans sit vehementius, id est, si periculum impendeat, tum a validioribus inchoandum; si contra, a debilioribus, c.vlt.l.5.meth. Exempli gratia, c.13.lib.14.met. in columellæ vitio non admodũ vehemente, licet vti medicamentis mitiorib. in vehementissimo autem, quia non cedit mitioribus ad materiam cheirurgicam: id est, ad amputationem, tanquam validius præsidium, est confugiendum.

3. Ratione plurium materierum in diuersis affectibus: sciendum, contraria indicãtia vel vno tempore locum habere, si æque possunt; vel diuersis temporibus, si non æque possunt, id est, si alterum habet rationem caussæ principalis, aut sine qua non, aut vrgentis. Sic in vlcere partis humidioris, vtimur eodem D tempore siccis & humidis: illis ratione materiæ excrementitiæ; his propter partem cuius natiuum temperamentum est humidum. Exemplum partis posterioris: In vlcere, temperies habet rationem caussæ principalis, hæc enim carnem generat. Caussa sine qua non est sordities, cauitas in vlcere: licet enim pars vlcerata sit temperata; nihilominus non potest vlcus remoueri, nisi cauitas repleatur, remota sorditie. Conuulsio, si accidat vlceri habet rationem vrgentis.

Heic autem duo notanda, primum quodnam ex his tribus indicantibus magis possit. Secundum quomodo hæc tria currant ad indicandum Quando, seu tempus curationis.

De primo (c.1.l.10.meth.) Vrgens anteponendum est caussæ principali & sine qua non, ab eo enim imminet periculum mortis. Et hinc fit, vt interdum cogamur affectum insanabilem relinquere; verbi g. si vlcus est cum luxatione, oportet luxationem dimittere: interdum etiã nouum affectũ insanabilem E excitare; vt si sanguis immodice fluat, cogimur vas abscindere. Secundum locum obtinet caussa principalis: efficit enim & auget affectum. Tertium, caussa sine qua non tolli potest morbus; hæc enim caussa sine qua non, ad morbum refertur, non ad caussam principalem: secus enim caussa sine qua non, prius esset tollenda, quam caussa principalis. Vltimum locum obtinet ipse morbus. v. g. sit vlcus, quod habeat coniunctam inflammationem, sorditiem & cauitatem: tum primo studemus remouere inflammationem, vt introducatur temperies, quæ est causa principalis; secundo occurrimus sorditiei, id est, causæ sine qua non potest vlcus curari: postremo solutæ vnitati.

De secundo: Vrgens caussa principalis, & sine qua non, concurrunt ad Quando indicandum per præsentiam: nam Quando agendum a sola præsentia indicatur.

F

CAPVT XIV.

Locum administrandorum præsidiorum, innotescere e subsistentia indicantis.

Vbi agendũ

VBI agendum indicatur a subsistentia. Sic in febre, balneum aquæ dulcis applicatur toti corpori, quia febris habet subsistentiam in toto corpore. Cum autem Galenus c.21.l.13.meth. ait, locum medicamentorum applicandorum inueniri e cognitione actionum & vsu partium: accipit actionem & vsum, vt signa, quæ cum locum affectum significant, etiam significant subsistentiam indicantis, a qua sumitur Vbi agendum.

CAPVT XV.

De caussa morbifica, seu de indicante præseruatorio; siue sit intemperies, siue materia: & primum de materia morbifica definitione.

Caussa morbifica.

G PER caussam morbificam heic non intelligimus formalem, sed efficientem, quæ consistit in corpore ægrotãtis; siue in eo sit genita, vt sanguis vitiosus, siue extra corpus sit genita, vt pila plumbea quæ per bombardam impellitur, & venenum extra corpus genitum: itemque siue per se sit caussa, siue per Accidens, vt symptoma, quod ex accidenti rationem habet caussæ efficientis.

Primum igitur de caussa indicante per se agemus: & trademus quomodo hæc tum Remedium, tum Vsum indicet.

A

Remedium quod a caussa indicatur, tantum est prȩseruatorium: nam curatorium remedium indicatur a morbi essentia: at materia, id est caussa efficiens quorundam morborum, non est de morbi essentia quia morbus non est compositus ex accidente & substantia, sed tantum est accidēs. Sic Galenus ait, a caussis sumi indicationes prophylacticas: c. 1. l. 12. meth. c. 25. l. ad Thras.

Caussæ essentia indicat præsidium, seu quid agendum: Quæ vero consequuntur essentiam, ea indicat Vsum materiæ præsidiorum.

Caussæ essentia est Generica. vel Subalterna & specifica: & hæc vel intemperies, vel Materia.

Caussæ essentia, vel est Generica, vel Subalterna, vel specifica. Caussa generica, est res præter naturam in corpore ægrotante, morbi effectrix.

Et hæc indicat remedium; *ad differentiam alimenti, indicati a virtute* remouens; *ad differentiam remedii conseruantis, indicati a virtute:* caussam; *ad differentiam remedii curatorii, indicati a morbo.* B

Ratione essentiæ subalternæ & specificæ, caussa morbifica est vel intemperies vel Materia. Intemperies, vt verbi gratia, dyscrasia frigida ventriculi, in febre pituitosa, quæ habet rationem caussæ generantis pituitam, scilicet materiam febris.

Caussa efficiens materialis, id est, materia morbificæ, diligentius est explicanda: intemperies enim per se facile intelligitur.

Materia morbifica quid.

Materia igitur morbifica est *mistum præter naturam, lædens hominem ægrotantem.*

Mistum dicitur: vt indicetur esse substantiam, non qualitatem. *Præter naturam*) ad differentiam misti secundum naturam: vt hepar est mistum secundum naturam. Et præterea ad differentiam rei nō naturalis: vt panis nondum ingestus, non est caussa morbifica, sed res non naturalis; ingestus vero & offendens, est mistum præter naturam. *Lædans ægrotantem*) ad differentiam caussæ morbificæ, quæ locum habet in arte tuendæ sanitatis: illa enim est præter naturam, & lædere potest, sed non ægrotantem. C

CAPVT XVI.

De differentiis materiæ morbificæ, quatenus est mistū; vapor vel minera: & quomodo hæc indicent Quid agēdū.

Differentiæ morbificæ: vt est mistū.

Differentiæ materiæ morbificæ, desumuntur ab ea, primum vt est mistum: 2. vt est præter naturam: 3. vt lędit hominem ægrotantem. Materia morbifica, quatenus est mistum, seu substantia corporea, est vel Vapor, vel Minera.

Vapor indicat remedium, remouens materiam morbificam per insensibiles meatus: minera contra, per sensibiles. Quando autem minera conuertitur in vaporem, tunc non amplius vt minera, sed vt vapor indicat. c. 16. l. 13. meth. Improprie vero loquūtur medici, cum dicunt vacuationem esse sensibilem, vel insensibilem: omnis enim vacuatio sensibilis est, oculisq; percipitur, etiam sudor: sed tamen alia fit per meatus sensibiles, alia per meatus non sensibiles. D

Minera vel est Animata, vt lumbricus, caro, monstrum: vel Inanimata. Inanimata vel est Solida, vt calculus, pila plumbea, feces duriores; vel Liquida. Liquida vel Alimentalis, vt chylus, sanguis: vel excrementitia, vt humores excrementitii, semen, lotium, sanies, ichores, feces liquidiores, &c.

Minera ergo omnis in genere subalterno indicat vacuans per sensibiles meatus: in specie vero quælibet minera significat determinatum vacuans; vt sanguis indicat phlebotomiam, alii humores indicant purgationem. c. 6. l. 4. meth.

CAPVT XVII. E

De vitiis mineræ: & primum de peccato secundum Formam.

Mineræ, quoad est præter naturam vitia.

Minera quatenus dicitur mistum præter naturam, prædita est Forma, Quantitate, qualitate tum Alteratiua, nimirum Prima & Secunda, tum Motiua. Hinc Galen. c. 99. art. paruæ dicebat, humores non debere esse putridos; respiciens peccatum secundum formam: plurimos; secundum quantitatem: calidos & frigidos; secundum qualitatem alteratiuam primam: mordaces: secundum qualitatem secundam: lentos; peccatum in motu.

Peccatum secundum formam.

Materia peccans in forma est, quæ toto genere præter naturam est: idque vel per Se, vt calculus, lumbricus, membrana in suffusione, pila plumbea per bombardam in corpus transmissa, &c. vel per Accidens, vt est tum Contentum, nimirum humor putridus, tum Cōtinens, nim. caro putrida & corrupta, quæ non per se toto genere præter naturam sunt, sed ex accidente, quia putrida. F

Indicat eradicans.

Talis minera toto genere præter naturam, indicat medicamentum, secundum totum auferēs, quod Eradicans nuncupari potest. c. 17. l. 14. meth. c. 8. l. 11. meth. c. 13. l. 14. meth.

CAPVT XIIX.

De peccato mineræ secundum Quantitatem.

Peccatum secundum quantitatē. Exsuperantia humoris Continuitas cutis.

Materia morbifica vt peccat secundum quantitatem, duplex est Contentum, vel Continens.

Contentum est humor qui in corpore continetur. Contenti vitium est exsuperantia (defectus enim potius ad virtutem pertinet,) quæ secundum cap. 94. & 95. art. par. indicat euacuationem secundum partem non secundum totum, id est, imminutionem, non eradicationem.

Continens est pars solida viuens: & hæc vel continet materiam Quiescentem, vt cutis, caro: vel materiam fluentem, vt venæ & reliqua vasa. G

Cutis & caro, etiam non morbosæ, euadunt tamen caussæ morbificæ, sine quibus non, idque per accidens, quia detinent pus, aut aliam materiam morbificam, ne egrediatur: proinde habēt rationem indicantis præseruatorii, quia impediunt materiæ exitum. Hoc vitium nihil aliud est quam continuitas, pertinetq; ad Quantum: & indicat contrarium nim. diuisionem, cuius materia est ferrū. Hinc Gale. c. vlt. l. 3. meth. & c. 5. l. 13. meth. ait: Si vlcus habeat cauitatē altius sub cute reconditā, cutim hanc scindere oportet.

Vasa

A Vasa dupliciter habent rationem caussæ morbificæ, respectu materiæ contentæ, licet ipsa vasa per se sana sint) primum propter amplitudinem; secundo propter continuitatem. Propter amplitudinem, quãdo materia fluit, cum alioquin non deberet fluere: sic in immodicis vacuationibus, quamuis amplitudo sit secundum naturam, ex accidente tamen redditur morbosa, ratione scil. materiæ fluentis. Et hæc amplitudo indicat contrarium remedium angustans, cuius materia, verbi gratia, est ligatura, vel aliud defensiuum, quod transitum materiæ prohibet.

Amplitudo vasorum.

Propter continuitatem etiam vasa detinent sanguinem, aut aliam materiam, ne exeat. Et hoc peccatum indicat diuidens, vt fit in venæsectione.

Continuitas vasorũ.

B

CAPVT XIX.

De peccato mineræ in Qualitate.

MAteriæ morbificæ qualitas, qua peccat, est prima, vel secunda: & vtraq; indicat suum cõtrarium præseruatorium. Sic materia calida, indicat frigidũ: caussa, attenuans; viscida, detergens, dura emolliens.

Peccatum qualitatis.

CAPVT XX.

De peccato materiæ morbificæ in Motu.

SEquitur peccatum in motu. Motus vel Deficit, vel Exsuperat.

Si deficit, indicat remedium adiuuans, & intendens motũ deficientem, vt si sanguis nõ effluat ea copia, qua debet, tantum addere oportet, vt e cõiunctis ambobus, perficiatur ꝙ postulat sanguis. c. 5. l. 9. met.

Peccatum in motu.

Si exsuperat motus, indicat remedium compescens seu minuens illum motum excedentem atque superfluum. Hoc autem est Intercipiens. Reuulsorium, Deriuatorium simplex, Deriuatorium mistum, & C Reprimens, seu repellens. Quia (vt e physicis notum est) omnis materia mouetur a motore extrinseco, a termino, per spacium, ad terminum. Hinc tria remediorum genera: intercipiens, tria attrahentia, vnum impellens. Cum enim materia moueatur a motore extrinseco: indicatur remedium, adimens violentiam motoris, vt materia in aliam potius partem moueatur.

Intercipiens igitur remedium, respicit spatium, per quod materia mouetur. Intercipientis autem materia dari non potest: quia illa interceptio non per se fit, sed ratione alterius, videlicet incrassantis, vel angustantis. Sic in catarrho, materiam ad pulmones descendentem (cum ob tenuitatem moueatur) incrassamus diacodeio, saccaro rosantiquo, cum bolo Arm. & sic intercipimus. Præterea ligaturis, & defensiuis dictis præsidiis, partes angustamus; & ita per accidens materiam fluentem intercipimus.

Intercipiẽs.

Reuulsorium, seu diuertens, est remedium attrahens ad longinqua, & respicit terminum a quo. Hoc D vtendum, si fluxio valenter irruat, c. 6. l. 4. meth. fit enim reuulsio ad contraria.

Reuellens.

Deriuatorium simplex est remedium attrahens ad vicina, & respicit terminum ad quem.

Obiectio: Galenus c. 6. l. 4. meth. ait, Deriuationem locum habere si fluxio cessauit: & c. 2. l. 2. ad Gla. inquit, deriuationem esse humoris qui iam membrum occupat. Ergo deriuans a materia quiescente, nõ a motu indicatur. Resp. e c. 3. l. 5. meth. remediũ deriuans posse accipi, caussa immoderatæ vel euacuationis, vel repletionis. Caussa euacuationis (vt in immodico mensium fluxu) deriuans indicatur a materia quæ fluit & mouetur. Caussa repletionis, cum materia fluens repletionis est caussa; licet materia indicans deriuanda non fluat ab vna parte ad aliam; fluit tamen a vasis illius partis ad spatia eiusdem partis, & secundum hanc rationem indicat deriuans.

Deriuans simplex.

E Deriuatorium mistum est remedium attrahens ad loca nec omnino vicina, nec omnino remota, & respicit vtrumque motus terminum, a quo, & ad quem. Sic in pleuritide venæsectio ab eodem latere est materia reuellentis præsidii, ratione materiæ fluentis; & est materia deriuãtis, ratione materiæ quæ fluxit, cuius signũ est, quod fit euacuatio ad mutationem sanguinis vnde materiam influxã vacuari intelligitur.

Deriuans reuulsoriũ.

Reprimens est remedium, impellendo repellens materiam, ad locum affectum fluentem, dum non est crassa, c. 6. l. 13. meth. ac respicit terminum ad quem. c. 5. l. 11. meth.

Reprimens.

CAPVT XXI.

De vitio materiæ morbificæ in Quiete.

PEccatum secundum quietem, indicat commouens, seu vacuans per partem læsam, siue sensibiliter, siue insensibiliter. c. 9. l. 13. meth. c. 16. l. eiusd.

F

Peccatum secundum quietem.

CAPVT XXII.

De differentiis materiæ morbificæ, quatenus lædit.

HActenus de materia dictum est, quatenus est mistum præter naturam. Sequitur vt eam perpendamus, quatenus lædit. Lædit autem Vehementer, vel Non. Vnde morbifica materia est Vehemens, vel Debilis: & sic indicat remedium vehemens, vel debile; quale in sanguinis vitio est venæsectio, & cucurbitulæ.

Materia morbifica est vehemens, vel debilis.

CAPVT XXIII.

De differentiis materiæ morbificæ quatenus lædit partes determinatas.

QVatenus hominem lædit materia morbifica, lædit partes determinatas: & sic indicat remedium specificũ, v. g. vomitorium, deiectorium, diureticum, tussiculare. Signum autem materiæ morbificę, lædentis G partem determinatam, est conformatio partis. Sic materia in pectore, indicat tussiculare. c. 11. l. 5. meth.

Materia morbifica lædit hanc vel illam partem.

CAPVT XXIV.

Quomodo caussa morbifica indicet rationem vtendi.

QVantum agendum indicatur ab actione materiæ, si enim summa est bilis actio, indicatur summa dosis rhabarbari. Hic facit etiam aph. 23. sect. 1.

Modus indicatur a passione materiæ: si, verbi gratia, bilis fuerit crassior, rhabarbarum exhibendum in bolo, quia efficaciter agit; bilis enim ob illam crassitiem difficulter patitur.

Vsus vt indicatur a caussa morbifica.

Quando agendum, indicatur a præsentia materiæ, vt sequitur essentiam vehementioris indicantis. A

Vbi agendum indicatur a subsistentia materiæ: cum enim agens per contactum agat, necesse est, vt materia remedii accedat ad materiam morbificam.

CAPVT XXV.

Symptoma, vt concurrat ad indicandum Quid agendum, & ad Vsum.

Symptoma, indicat, vt caussa.

SYmptoma non indicat per se, cap.12.l.11.meth. nec etiam per se prohibet, c.1.l.12.meth. ex accidente tamen aliquando mutat curationem, id est, prohibet, & indicat, quatenus scilicet rationem caussæ habet. Est ergo indicans præseruatorium.

Symptoma indicans, est actio, & excrementũ.

Cum autem triplicia sint symptomata, scilicet actio, exiens, & qualitas: symptoma, quod habet rationem indicantis, est actio læsa, & excrementum mutatum, non qualitas mutata, hæc enim simul cessat cum affectu, vnde oritur, præterea etiam sui perseuerantia nec virtutem lædit, nec morbum auget. Deactione tamen notandum, quod non indicet secundum suam essentiam, quatenus est in fieri, sed secundum perseuerantiam læsionis, quatenus non cessat vna cum affectu. Si enim actio cessat cum affectu: tum indicans non est symptoma, sed affectus. B

quid indicet?

Symptoma in genere, vt habet rationem caussæ, indicat sui remotionem: in specie, dolor indicat mitigatorium præsidium; fluxus immoderatus astringens.

Quoad vsum: Quantum indicatur ab actione symptomatis: modus, a passione quando, a præsentia (c.1.l.12.meth. vide collationem symptomatis, & cum virtute, & cum affectu præter naturam.) vbi indicatur a subsistentia. Vt etiam supra in caussa dictum est. C

CAPVT XXVI.

Virtus, vt concurrat ad indicandum Quid agendum, & ad Vsum.

Vires sunt indicans vitale.

VIrtus habet rationem indicantis c.6.l.9.meth.c.3.l.11.meth. est enim indicans vitale, id est, ad vitæ custodiam pertinens, c.13.l.9.meth. nec enim a virtute quicquam sumimus vt valeamus, nec vt a morbo liberemur, sed vt viuamus, id est, virtus per se respicit vitam, licet per accidens quoque morbum & caussam respiciat.

Virtus indicat sui conseruationẽ.

Virtus, quoniam secundum naturam est, indicat sui custodiam, id est, iuuans simile.c.3.l.11.meth.

Subalterna virtutis essentia, est substantia, Quantitas, Qualitas, & Motus.

Quoniam autem facultates non operantur, nisi per subiecta & organa: ideo Galenus c.1.l.11.meth. ait, virtutis essentiam compleri e substantia spirituali, solida, & carnosa. (c.5.l.12. meth. omittitur carnosa; ibi enim de syncope fit sermo, quæ non accidit ratione carnis) indicatio igitur vitalis sumitur ab impetu faciente, & a continente: non a cõtento; quia humor ad actionem non concurrit, nec est organum, sed effectus, opus, vel obiectum. Continens autem præter propriam substantiam obtinet etiam calidum innatum, quod & a spiritu, & a temperie diuersum est. Ideoque virtutis essentia consistit in spiritibus, carne, solidis, & calido innato: in quibus quatuor sunt seruanda; substantia, quantitas, qualitas, & motus; in carne tamen & solidis motus excipitur. D

Substantia.

Substantia spirituum, carnis, partium seminalium, & calidi innati, in genere indicat iuuans substantificum, quod alimentum vocatur. tex.44.l.1. de ratione vict. Specificum alimentum proponitur ca.3.l.11. meth. prout enim virtutis substantia est tenuis, crassa, mediocris; pro eo etiam alimentum tenue, crassum, mediocre, indicatur. E

Quantitas.

Quantitas partium viuentium intelligitur cõtinua, id est, magnitudo (numerus enim partium semper manet: magnitudo vero mutatur.) Hinc si solida sint maiora, indicant alimentum maioris nutrimenti, cuius materia, verbi gratia, est caro caponis: si minora, indicant alimentum minus nutriens, cuius materia est caro pulli. Proinde mensura similium, id est, Quid agendum specificum, indicatur a quantitate substantiæ conseruandæ.

Obiectio: Pueri egent plurimo alimento aph.14.sect.1. & minores tamen sunt adultis? Respondeo, in collatione seruandam esse æqualitatem, & conferendum puerum cum puero, adultum cum adulto: non puerum cum adulto: quia puer eget alimento, & vt conseruetur, & vt crescat; vir adultus tantum vt conseruetur.

Qualitas.

Qualitas, seu temperamentum partium, indicat similia. Qualitas autem nutrimenti non est vnum indicatum, sed duplex: præseruatorium, quod indicatur a qualitate materiæ morbificæ; & vitale, quod indicatur a temperamento solidorum.c.5.l.11.meth. F

Motus calidi innati significat conseruans, id est, vniens, & astringens, ne motus dissipetur: per astrictionem enim vires firmantur, & calidum innatum vnitur.c.15.l.11.meth.

Vsus, vt a virtute indicetur.

Hæc de Quid agendum: sequitur Vsus. Et primum, Quantum agendum, capitur ab actione virtutis, vt si virtutis actio est maior, exhibemus carnem caponis in maiori copia. Modus indicatur a passione virtutis: *si enim virtus difficulter patitur, licet vti cibo in forma solida, si contra, in liquida: iuxta illud; facilius est* potu quam cibo impleri. Quando agendum, indicatur a præsentia vehementiori virtutis. Vbi desumitur a subsistentia virtutis: licet autem vbique virtus subsistat; attamen relatione ad cibum, subsistentiam habet in ventriculo, & propterea alimenti materia per os exhibetur. G

CAPVT XXVII.

Synopsis vniuersæ medendi methodi, thesibus nonnullis breuiter comprehensa.

1. MEthodus medendi est ars, qua per indicationes inueniuntur iuuantia, vt deperdita sanitas hominis reparetur.

2. Caussa

A 2. Caussa eius efficiens est Indicatio: instrumentum nimirum logicum, cuius beneficio habitus ille principalis comparatur.

3. Indicatio est comprehensio iuuantis, simul cum comprehensione indicantis; citra experientiam & analogismum, gratia sanitatis deperditæ reparandæ.

4. Indicans consideratur Absolute, vel Comparate.

5. Indicans absolute consideratum, præsidium seu indicatum analogon subministrat, indicando vel secundum Essentiam, vel secundum Consequentia essentiam.

6. Essentia, est ipsa indicantis (vt ita dicam) quidditas, tum generalissima, tum subalterna, & specialis:
B quæ indicat Præsidium ipsum, seu τὸ Quid agendum generalissimum, subalternum & speciale.

7. Consequentia essentiam sunt adiuncta, quæ Vsum seu administrationem præsidii indicant.

8. Suntque Actio, Passio, Præsentia, & Subsistentia.

9. Actio indicat Quantum agendum, seu quantitatem præsidii.

10. Passio indicat Quomodo agendum, seu qualitatem.

11. Præsentia indicat Quando agendum, seu tempus administrandi.

12. Subsistentia indicat Vbi agendum, seu locum administrandi.

13. Porro indicans ~~vel est~~ præter naturam, vel Secundum naturam.

14. Præter naturam indicat ablationem sui per Contrarium.

15. Præter naturam est Morbus, vel Caussa morbifica.

C 16. Morbus est Similaris, Dissimilaris, vel Cōmunis: quorū & essentia, & adiūcta e pathologicis repetātur.

17. Caussa morbifica alia est per Se caussa, alia per Accidens.

18. Caussa per se est Intemperies, vel Materia.

19. Intemperies indicat Alterans contrarium.

20. Materia peccat Forma, Quantitate, Qualitate, Motu, & Quiete.

21. Materia peccans forma toto genere præter naturam est: idque vel per Se, vt lumbricus; vel per Accidens, ratione corruptionis; siue sit contentum, vt humor putridus; siue continens, vt caro putrida. Et hæc indicat medicamentum Eradicans, seu secundum totum auferens.

22. Materia quantitate peccans, est Contentum, vel Continens.

23. Contenti vitium in quanto est Exsuperantia, quæ indicat Minuens, seu secundum partem vacuans.
D Defectus autem contenti ad virtutem pertinet, & indicat alimentum.

24. Continentis, seu partis viuentis vitium, est tum Continuitas cutis, carnis, & vasorum, exitum materiæ morbificæ prohibens; quæ Diuidens indicat: tum Amplitudo vasorum, materiæ detinendæ liberum transitum permittens; quæ indicat Angustans.

25. Qualitatis vitium tam Primæ, quam Secundæ, indicat Alterans contrarium.

26. Peccatum in motu, est Defectus, vel Exsuperantia.

27. Deficiens motus, indicat remedium Intendens motum.

28. Exsuperans motus, indicat remedium Compescens seu minuens motum.

29. In motu exsuperante cōsideratur Spatium, vel Terminus, tum A quo, tum Ad quem, tum Vterq;.

30. Ratione spatii per quod materia mouetur, indicatur remedium Intercipiens.

E 31. Ratione termini a quo motus incipit, indicatur Attrahens ad locum contrarium maxime distantem, quod Reuellens dicitur: cuius vsus est, fluxione valenter irruente.

32. Ratione termini ad quem fit motus, indicatur remedium ab illo termino materiam Remouens.

33. Hoc remouens vel attrahit ad vicina, & dicitur Deriuans, cuius vsus est fluxione cessante.

34. Vel impellit retro, & dicitur Reprimens: *cuius vsus est fluxionis principio, materia non exsistente crassa.*

35. Ratione vtriusque termini, indicatur remedium attrahens ad loca nec omnino remota, nec vicina: & dicitur Deriuans reuulsorium.

36. Peccatum in quiete, indicat Commouens, seu vacuans per partem affectum, siue sensibiliter, siue insensibiliter.

F 37. Caussa per accidens est Symptoma: hocque vel Actio læsa, vel Excrementum mutatum. Et indicat vt caussa, quatenus vim habet caussæ.

38. Indicans secundum naturam est Virtus: quæ sui custodiam per Simile indicat.

39. Virtutis essentia consistit in substantia tum Crassiore, *vt carne & solidis;* tum Tenuiore, *vt spiritibus, & calido innato.*

40. Vtraque substantia simile indicat Alimentum, quoad substantiam, molem, & crasin: tenuior præter hæc dissipabilis *substantiæ vnionem per* Adstringens *flagitat.*

41. Sic indicans absolute ac per se consideratur: comparate autem, quando vnum indicans cum alio discrepante *ratione Vehementiæ confertur.*

42. Vehementia est indicantis adiunctum, qua vel vitæ, vel meliori vitæ grauiter incommodat.

G 43. Vehementia est Simplex, vel Secundum quid.

44. Simplex est, quando indicans secundum propriam essentiam, & in qualibet parte, vehemens est.

45. Simplex vehementia est vel Actiuitatis, vt in febre ardente; vel Resistentiæ, vt in materia dura.

46. Vehementia *secundum quid, est, quando indicans ratione subiecti, seu partis affectæ nobilioris, est* vehemens.

47. Indicans ergo contrarium *si vehementiam habet intensiorem, dicitur* Prohibens: *si remissiorem,* Permittens.

FINIS.

HIERONYMI CAPIVACCI TRACTATVS,

DE METHODO ET COMPONENDI MEDICAMENTA, ET COMPOSITA DIIVDICANDI.

Necessitas & difficultas.

DOCTRINA de medicamentorum compositione maxime necessaria est & difficilis. Necessaria: quia multi affectus simplicibus tolli medicamentis nequeunt. Difficilis: quia nemo fere rectam componendi rationem sequitur. C

Partitio.

Primum autem trademus artem medicamenta componendi: secundo docebimus, quomodo medicamenti compositi dosis inuestigari debeat.

Componēdi ratio alia medicorũ, alia pharmacopoeorum.

De arte componendi saltem loquemur, quatenus ad medicos, non qua ad pharmacopoeos spectat. Quid enim opus est detrituratione, decoctione, coquinaria, &c. verba facere? Id vero in medicamenti compositione scire refert, quibus in quantitate maiori, quibus in minori sit vtendum, vt si quis præscribat, ℞. syr. rosf. recent. ℥ j. syr. de beton. ℥. ß. quæritur, quo de caussa plus de syr. rosf. sumatur; & cur eidem syr. de beto. admisceatur: non, quomodo syrupus rosatus conficiatur.

Caussæ cōpositionis medicamētorum.

Ad artem vero componendi, necessaria est cognitio scoporum in medicamento; quos Auicennas c. 2. l. 5. proponit nude, & sine demonstratione. D

Necessitas scoporum dependet a definitione medicamenti compositi: quod est materia remedii, qua medicus id consequitur, & tuto, & cito, & iucundo, quod simplici medicamento assequi nequit.

Partes compositi tres: Basis semper necessaria: adiuuans, & corrigens, non necessaria, nisi a basi requirantur. Basis est præcipua compositi pars, quæ a morbo, caussa, aut virtute indicatur. Hæc simplex est, in affectu simplici: multiplex, in compositis affectibus, vt si iecur calidius est, lien frigidior, basin e calidis & frigidis constitui oportet, vt colligitur e c. 3. l. 1. κατὰ γένη.

I. Tuta curatio.

Verum vt tuto, cito & iucunde curemus: constituta basi, respicere debemus tum ad Affectum, tum ad Corporis dispositionem.

In affectu considerabimus, num præscripta medicamenti basis affectu sit intensior, vel remissior: si intensior, Corrigentia sunt miscenda; si remissior, Iuuantia. Per medicamentum enim intensius tuta non fit curatio, sed contrarius inducitur affectus, vt si curandus sit affectus frigidus, vt primum medicamento calido, vt tertia tum calidus introducetur morbus. Per medicamentum autem remissius curatio fieri nequit, vt si in vlcere opus sit medicamento exsiccante in secundo, curatio per medicamentum siccum in primo nunquam absoluetur: in vlceribus enim pars affecta habet rationem agentis, ipsa enim carnem generat: & proinde si sicca est in primo, opus etiam est vti medicamento sicco in primo. At in dyscrasiis tollendis alia ratio est; hæ enim medicamentis remissioribus amoueri possunt, sed longiori tempore: sit intemperies frigida vt 2. tolli potest medicamento calido in primo, & ratio est, quia heic pars affecta habet rationem patientis, medicamentum autem calidum rationem agentis. E

In corporis dispositione considerandum, quomodo corpus affectum sit, ad basis qualitates tum euidentes, tum reconditas, si enim eas perferre nequit, Corrigentia addenda erunt. Sic dum basis ratione affectus calida & sicca est; corpus autem has qualitates ægre fert, cum pronum sit in vigilias: ad correctionem calidorum & siccorum, frigida permiscenda erunt, vt auctor theriacæ Andromachus fecit, opium calidis permiscens. Si basis naturæ nostræ sit contraria, & venefica, vt in electiue purgantibus, scammonio, colocynthide addenda sunt naturæ nostræ amica, vt sunt odorata, quæ basin corrigunt. c. 12. l. 2. de ratione vict. Et hæc ad curationem tuto instituendam. F

II. Cita curatio.

Vt autem cito etiam curemus, adiuuantia sunt miscenda. In horum autem inuentione, perpendenda est ipsius affectus tum Vis, tum Subsistentia.

Quoad vim: si affectus intensior sit medicamento simplici; iungenda sunt medicamenta facultatis intensioris, vt breuiori tempore curatione absoluatur: c. 3. l. 1. κατὰ γένη.

Subsistentia affectus, vel Remota est, vel Proxima. Si remota, facultas basis ob viæ longitudinem resoluitur, ac hebescit: miscenda igitur quæ hoc prohibeant, vt sunt frigida, verbi gratia, opium. Quod si basis per se sola ad locum distantem peruenire nequeat, permiscenda sunt medicamenta, quæ instar sint vehiculi: exempli gratia, in affectibus lienis ceterach. G

Si vicina sit subsistentia, euenire potest, vt basis non nisi tarde operetur, quoniam transit locum proximum, nec in eo moratur: permiscenda igitur, quæ faciunt vt diutius basis in loco subsistat proximo. Hoc ple-

A plerumq; adſtringentibus fieri poteſt, ſed ſi horum vſus quandoque non ſit tutus, præſtandum idem eſt interdum attrahentibus; ſic enim raphani ſuccus, Auicenna teſte, e iecore in ventriculum trahit.

III. Iucunda curatio.

Poſtremo iucunde curandum: cum enim medicamenta quædam inſuauia nauſeam excitent, vt Galenus docet c.3.l.1. κατὰ γένη; corrigenda, vel potius mitiganda ſunt, per ea quæ boni ſunt ſaporis, odoris, & quandoque etiam coloris: vnde Gal. c.15.l.1. de antidotis theriacam probat nigricantis coloris.

Excipientia & præparantia, vel ſunt corrigentia, vel adiuuantia.

E triplici igitur medicamentorum genere, omne compoſitum conſtare poteſt: ad quæ & excipientia medicamenta, & præparantia referuntur, verbi gratia, in roborando ventriculum per carnem cydoniorum, carnem hanc (vt ob frigus ſola dari tuto nequeat) molle excipimus, & ſic mel eſt corrigens. In compoſitione theriacę præparamus ſpecies cum vino ad delectationem, ad penetrationem, & ad correctio- B nem frigiditatis. Hactenus de arte componendi.

Quantitas partium compoſiti: 1. Baſios.

Sequitur vt de Doſi ſeu quantitate agamus, tum Partium ſingularum, quæ compoſitum medicamentum conſtituunt; tum ipſius Compoſiti.

Partes, vt ſupra docuimus, ſunt, baſis; adiuuantia & corrigentia; tum excipientia & præparantia. Baſin igitur conſtituentia medicamenta, ſi ſunt remiſſiora, in maiore copia ſumi poſſunt: nam in maiore quanto eſt maior virtus: ſi intenſiora, in minori. Præterea, ſi affectus plures coniuncti ſunt; baſis, quæ intenſiorem reſpicit affectum maior erit ea, quæ remiſſiorem reſpicit.

2. Adiuuantium & corrigentium.

Adiuuantia & corrigentia, quia baſin reſpiciunt, ob id varie permiſcentur, prout baſis requirit, modo in doſi æquali, modo in minore, vel maiore. Æqualis eſt, vt ſi baſios ſit vncia; & reliquorum pariter vncia. C Minor eſt quantitas, ſi baſis exigua eget correctione, & hæc proportio adiuuantium & corrigentium ad baſin, eſt minoris inæqualitatis, & conſiſtit intra rationem ſubduplam, & ſubduodecuplam, vt ſi baſios quantitas ſit 12. & reliquorum 6. vel baſios quantitas 12. & reliquorum 1. Hos rationum terminos egredi non licet: attamen proportiones intermedias captare medico integrum eſt, præcipue ſubtriplam, vt ſi baſios quantitas 12. & reliquorum 4. ſubquadruplam, vt ſi baſios quantitas 12. & reliquorum 4. ſubſextuplam, vt ſi quantitas baſios 12. & reliquorum 2. Ad has proportiones reſpiciens Andromachus, theriacam cõpoſuit. Si vero baſis iniucũdiſſima, vel violenta, plurima eget correctione; tunc maior requiritur adiuuantiũ & corrigẽtium, quam baſios quantitas: quæ habet rationem maioris inæqualitatis, & cõſiſtit intra rationem duplam & duodecuplam, vt ſi baſis ſit vncia, & reliquorum vnciæ duæ, vel ab his ad duodecim.

3 Excipientium & præparantium.

Quoad medicamenta quæ reſpiciunt reliqua adiuuantia & corrigentia, quæ ſunt vel excipientia totam compoſitionem, vel D præparantia: hæc ita ſe habere debent, vt excipientia in maiori quantitate, præparantia in minori præſcribantur, verbi gratia, ſi ad excipiendum ſpecies theriacæ imponimus mellis ℔. vj. ſat eſt imponere vini præparantis partem tertiam, nimirum ℔. ij. Excipiens autem ratione totius, modo in dupla, modo in tripla ratione eſſe poteſt, vt ad ſucci cichorii ℥. j. licet ſumere ſacchari ℥. iij.

Exemplum.

Quæ iam dicta ſunt, vno & altero exemplo demonſtrabimus. Prius hoc eſto: ℞. pulueris maſtic. ℥. ß. cinamomi ʒ. j. ceræ ʒ. ij. ß. miſce, & fac ſ. a. ceratum: Baſis huius compoſiti eſt maſtiche: quia ſcopus noſter eſt ventriculum roborare. Adiuuans eſt cinamomum: quia maſtiche non eſt adeo tenuis ſubſtantiæ, vt promte in intimas ventriculi partes deduci queat. Ratione quorundam, qui ab odore maſtiches abhorrent, & cinamomi odore delectantur; cinamomum etiam poteſt eſſe corrigens. Cera, qua medicamentum excipitur, habet rationem adiuuantis: quia facit, vt vis medicamentorum non diſſoluatur, ſed E diutius perſiſtat in regione ventriculi; vnde citius hoc aſſequimur quod intendimus, quam ſimplicibus pulueribus, vel inunctione. Cum igitur medicamentum hoc compoſitum ſit e baſi, & adiuuante, aliquo etiam modo e corrigente: quæritur, quænam ſit proportio inter medicamenta hæc ingredientia? Cinamonum, adiuuans hoc loco, ad baſin habet rationem inæqualitatis minoris: in aliis tamen caſibus etiam maior eſſe poteſt inæqualitas, vel etiam æqualitas: quod diſcrimen ex arte componendi non poteſt addiſci; ſed neceſſe eſt, vt medicus cognoſcat diſpoſitiones corporis patientis, vim affectus, & vim ſimplicium. Quia ergo in præſenti caſu ventriculus infirmus eſt, non tamen admodum refrigeratus, nec etiã humidior: maior ponitur maſtiches quantitas, minor cinamomi, ꝙ calidius eſt ac ſiccius. Eſt autẽ cinamomi ad maſtiches pondus ratio ſubquadrupla. Cera excipiens eſt: & habet relationem, non modo ad baſin, ſed etiam ad totum medicamentum ad ℥. ß. & ʒ. j. id eſt, ad ʒ. v. Quare hoc excipiẽs ad totum cõpoſitum habet F rationem minoris inæqualitatis, nimirum ſubduplam: quia baſis non eſt medicamentũ potens & validũ; & præterea cera virtutem baſis nonnihil obtundit: ideoque in minori quantitate miſcetur. Quod ſi autem medicamentum aliquod ſit efficax & violentum: excipiens maiore quantitate imponendum eſt.

Aliud exemplum.

Conſideremus aliud exemplum: ℞ ſucci cichorii ℥. ß. ſucci abſinthii ℈ ij. pul. agrimoniæ ℈ j. ſacchari ʒ. LXX. miſceantur. Heic baſis gemina eſt: ſuccus cichorii, atque abſinthii: quoniã iecur calidius eſt & ſimul obſtructum. Calidam igitur intemperiẽ refrigeramus ſucco cichorii, vel etiam lactucæ, & endiuiæ: ad obſtructionẽ vero vtimur medicamento detergente, nim. abſinthio. Et de cichorio plus ſumimus quã de abſinthio, quoniã in ꝓpoſito caſu maiore opus habemus refrigeratione, q̃ abſterſione. Adiuuans, ſeu vehiculum, eſt puluis agrimoniæ: qui ad baſin ʒ. vj. habet rationẽ ſubſextupli. Saccharum, primo eſt excipiens: deinde etiã adiuuans: nam a iecinore, vt amicũ, facile attrahitur, vnde etiã medicamẽtum per viam con- G fecutionis ad hepar perducitur, vt cito operetur, tandem eſt corrigens amaritudinem baſis, id eſt, qualitatem, non malignam quidem, ſed guſtui ſaltem ingratam. Habet autem ſaccharum decuplam ad baſin proportionem, quia calor iecinoris non eſt admodum inſignis, & patientes delicatiores amara faſtidiunt.

Doſes compoſitorum. Simplicium gradus, & graduum manſiones.

Hæc de doſi partium compoſiti. Ad inueſtigandum, porro doſin totius medicamenti cõpoſiti, oportet nouiſſe gradum & manſionem medicamentorum ſimplicium quæ in compoſito continentur.

Medicamentum igitur vel eſt Temperatum, vel Recedens a temperato: & hoc ſubſiſtit in gradu vel Primo, vel Secundo, vel Teretio, vel Quarto, tum quilibet gradus tres continet manſiones. cap. 26. lib. 1. de ſimpl. med. fac. & c. vlt. l. 5. de ſimpl.

Proportio graduum.

In gradibus autem illis ſeruatur proportio non arithmetica, ſed geometrica, vt e theriaca Andromachi A patet. Quin & ratio idem flagitat. Si enim in gradibus proportio ſeruaretur arithmetica, diſcrimina inter vnum & alterum gradum eſſent æqualia. At hæc magnopere ſunt inæqualia: nam primus gradus a temperato leuiter abſcedit, a primo alter gradus longius diſtat: tertius a ſecundo adhuc magis: maxime deniq; a tertio quartus diſſidet: nam calidum, verbi gratia, tertio receſſu calefacit, quarto autem comburit. Proportio igitur hæc geometrica eſt, non arithmetica.

Medicamentum autẽ temperatum conſtitutũ eſt ex æqualib. partib. calidi, frigidi, humidi, & ſicci & cuiuslibet qualitatis vnam partem cõtinet. In primo gradu, qualitatis excedentis duæ partes, & vna contrariæ qualitatis pars; continentur. Ita deinceps ſecundum rationem duplam progrediendũ: nam in ſecundo gradu qualitatis excedentis partes quatuor ſunt, vna pars contrariæ. In tertio gradu, excedentis octo, B vna contrariæ. In quarto, excedentis ſedecim, & vna contrariæ.

His poſitis, de doſi medicamentorum ſimplicium, ratione graduum & manſionum, ita ſtatuendum. Minima doſis medicamenti in quarto gradu, (verbi gratia, euphorbii) eſt granorum quatuor; infra enim hanc quantitatem non poteſt euphorbium, exempli cauſſa, obire functiones quarti gradus, ſed potius operatur vt medicamentum tertii ordinis. Summa autem doſis medicamenti in quarto gradu, & in tertia manſione, ſunt grana duodecim: ſumma doſis in ſecunda manſione, grana ſedecim: ſumma in prima manſione, grana viginti.

In tertio gradu, ſecundum proportionem duplam, minima doſis ſunt grana octo: ſumma doſis in tertia manſione, eſt ſcrupulus; nam coincidit cum ſumma doſi medicamẽti in quarto gradu, & prima mãſione, propter ſummam affinitatem finis tertii gradus, & initii gradus quarti. In ſecunda manſione, ſcru- C pulo illi, qui conſtituit ſummam doſin medicamenti in tertio gradu & vltima manſione; addenda eſt minima doſis medicamenti in tertio, nimirum grana octo, vt ſumma doſis in ſecunda manſione tertii gradus ſit granorum viginti octo. In prima manſione tertii gradus ſumma doſis ſunt ſcrupuli quinque: nam hæc etiam ſubquinctupla proportio ſeruatur inter minimam doſin tertiæ, & ſummam primæ manſionis, in quarto gradu; nimirum inter quatuor, & viginti.

In ſecundo gradu, minima doſis eſt dupla minimæ tertii gradus, nimirum grana ſedecim: ſumma doſis in tertia manſione, ſcrupuli quinque. In ſecunda manſione, ſcrupuli quinque, & grana ſedecim. In prima manſione, vncia vna, & ſcrupulus vnus.

In primo gradu, minima doſis, ſunt grana trigintaduo: ſumma, in tertia mãſione, vncia vna, & ſcrupulus vnus: ſumma, in ſecunda manſione, vncia vna, ſcrupuli duo, grana duodecim: in prima manſione, D vnciæ quinque, ſcrupuli quinque.

Medicamenti temperati minima doſis, ſunt grana ſexagintaquatuor: ſumma in tertia manſione, vnciæ quinque, ſcrupuli quinque, in ſecunda manſione, vnciæ quinque, ſcrupuli octo, grana quatuor, in prima manſione, vnciæ vigintiſex, ſcrupulus vnus.

Compoſitorum doſes, e ſimplicibus deducendæ.

Hæc igitur doſis eſt medicamentorum ſimplicium, ſiue ſint temperata, ſiue a temperie recedant. E quibus non difficile eſt cognoſcere doſin medicamenti compoſiti. Si enim compoſitum non tranſcenderit limites temperati, tanta eius doſis erit; quanta ſimplicis temperati. Si reſultarit medicamentum in primo gradu, etiam doſis erit medicamenti in primo.

Inueſtigatio graduũ compoſiti.

1. In miſtione proportionata:

2. In miſtione diſproportionata.

Verum heic neceſſarium eſt, oſtendere rationem cognoſcendi gradus medicamenti compoſiti. Hi E vero ſciri nequeunt, niſi noti ſint ſimplicium gradus, e Dioſcoride, Galeno, & aliis. Quod ſi ergo ſimplicium notitia huc affertur: in compoſitis hoc modo procedendum erit. Primo videndum, num ſimplicia ſint permiſta in doſi Proportionata, vel Diſproportionata. Si in proportionata: tum partes qualitatis excedentis, per numerum doſis ſunt multiplicandæ, vt ſi ſint duæ doſes medicamenti calidi in primo, quoniã excedens qualitas in primo gradu partes duas obtinet, & contraria vnam, multiplico 2. & 1. per 2. id eſt, per numerum doſis medicamenti propoſiti, vnde reſultant 4. partes calidi, & 2. frigidi. Si ſimplicia ſint permiſta in doſi diſproportionata, id eſt, infra minimam doſin; tum quæ ratio eſt doſis minimę ſupra aſſignatæ, ad doſin in medicamento propoſitam: ea etiam ratio eſſe debet partium qualitatis excedentis in imminuta doſi, medicamenti præſcripti. Vt, minima doſis medicamenti in 4. ſunt grad. iiij. at ſi medicamentum componatur e grad. ij. calidi in quarto; video integræ doſeos, ad propoſitam doſin rationem eſſe duplam: iccirco etiam dupla erit ratio partium integræ doſeωs, ad partes doſeωs propoſitæ: at partes inte- F græ doſeωs calidi in 4. ſunt 16. Ergo doſeωs propoſitæ partes erunt 8. Sic enim termini doſeωn, & partium, vbique in ratione dupla ſibi reſpondent: nam vt 4. ad 2. ſic 16. ad 8.

Exemplum plenius.

Præſtat vero integrum proponere exemplum: ad cuius imitationem, de aliis etiam ferri queat iudicium. ℞. caryophyllorum ℈ j. ſtoechadis ℈ ß. mellis ℥. vj. Miſce. Caryophylli ſunt calidi & ſicci in tertio: Ergo habent 8. partes calidi & ſicci, vnam frigidi & humidi. Stoechas eſt cal. in primo, ſicca in ſecundo: habet igitur partes calidi 2. ſicci 4. frigidi & humidi vnam. Mel eſt calidum & ſiccum in ſecũdo, proinde partes calidi & ſicci 4. habet; frigidi & humidi vnam. Medicamentum igitur hoc compoſitum, habet partes calidas 14 frigidas 3. ita vt partes calidæ ad frigidas rationem habeant quadruplam, ſuperpartientem duas tertias: ac proinde calidum in ſecundo ordine, & in prima manſione pronuntiatur. Semper enim quali- G tatis vincentis ad victum, ratio dupla primi gradus eſt: quadrupla ſecundi: octupla tertii, ſedecupla quarti. Medicamentũ præterea hoc partes ſiccas habet 16. humidas 3. ita vt illarum ad has proportio ſit quinctupla ſuperpartiens vnam tertiam: proin medicamentum hoc ſiccum dicitur in vltimo ſecundæ manſionis, ſecundi gradus. Et hæc hactenus.

FINIS.

B

HIERONYMI CAPIVACCI TRACTATVS,

DE RECTA CAVTERIORVM ADMINISTRATIONE.



C IN cauterio administrando quatuor sunt consideranda: tempus nempe quo excitari debet: quantitas discreta: locus, vbi excitandum est: postremo modus, quo tractari oportet. Quibus cognitis, nihil aliud in administratione cauteriorum desiderare oportet.

Quatuor circa vsum cauterii obseruanda.

Quare, ne tempus in his, quæ inutilia sunt, conteramus: dicendum est, cauteria non alia ratione a viris grauissimis fuisse excogitata, quam vt essent instrumenta, quibus materia peccans, quæ paulatim in corpore generatur & colligitur, per loca minus incommoda euacuaretur: ne vel sui copia, vel praua qualitate, partes corporis aut principes, aut ad vsum vitæ necessarias, perturbaret.

Finis cauteriorum, seu vtilitas.

Quæ quidem euacuatio tribus modis fieri potest: vel per Reuulsionem, vel per Deriuationem, vel per Interceptionē. Per reuulsionem quidem, vt, si materia, quæ a iecore ad caput defertur, per cauterium D in crure dextro excitatum reuellendo foras educatur. Vel, si materia salsa, quæ in catarrho ad pectus destillat, per cauterium in sutura coronali affixum, reuellendo euacuetur. Per deriuationem vero, vt, si materia, quæ a capite ad pectus destillat, per cauterium in brachio excitatum ad partem ignobilem deriuetur. Per interceptionem denique, vt, si materia, quæ a capite per spinalem medullam ad neruos ossis sacri, vel alterius partis, defluit, per cauterium in occipitio affixum intercipiendo euacuetur.

Euacuatio, quæ fit cauterio triplex.

Cauterium igitur cum sit materia seu instrumentum auxilii quocunq; modo euacuantis materiam excrementitiam, quæ in corpore generatur & congeritur; cuius generis quoq; possunt esse setaneum, vesicatoria, masticatoria, & errhina: necessario fit, vt ab eodem, a quo indicatur auxilium, indicetur etiam recta administratio materiæ eiusdem auxilii. Diuersa enim ratione ab vno plura indicari, nihil prohibet.

Præsidium, & vsus præsidii ab eodem indicantur.

Quare si materiam sui copia seu qualitate peccantem spectemus; indicabit auxilium euacuans: E quod multiplex esse potest, prout multipliciter materia peccat. Verum nulla est materia, nullumque instrumentum, quod multiplici generi euacuantium magis & tutius accommodari possit, quam cauterium: nam siue peccet copia, siue motu, siue quiete, ad ipsam euacuandam maxime erit opportunum cauterium.

Cauterium respicit materiæ peccatum in copia, motu, & quiete.

Illud igitur quod indicatur a materia hoc vel illo modo peccante, dicitur Quid agendum: nam materia vitiosa primo & per se indicat auxilium, hoc vel illo modo euacuans. Ab illis autem quæ materiæ accidunt, & ipsam comitantur, sumitur materiæ administrandæ indicatio. Accidit autem materiæ, vt agat in corpus humanum, vtque a medicamentis pati possit: non autem agere vel pati posset, nisi præsens in corpore esset, & alicubi existeret. Hæc cuilibet indicanti, scopo, seu proposito perpetuo accidere possunt: & totam administrationis materiæ rationem præscribunt.

Præsidium indicatur ab essentia: vsus præsidii, ab iis quæ sequuntur essentiam.

F Quare, si materiam vitiosam consideremus, vt hoc tempore, & in præsenti generatur; præsentia hæc indicabit, hoc tempore cauterium esse inurendum, modo nihil adsit quod prohibeat. Verum, quia repleto corpore periculum esset, ne humores in toto peccantes propter dolorem eo confluerent, & proinde inflammatio excitaretur: propterea ad cauteria non est accedendum, nisi corpus fuerit optime præparatū.

1. Quando: seu tempus inurendi cauterii.

Non sat autem erit nouisse, quo tempore inurenda sint cauteria, sed scire oportet, quamdiu aperta sint detinenda. Hoc autem docebit præsentia humoris peccantis: nam quamdiu adest peccans, & quamdiu perdurat illius generatio, tamdiu cauterium reclusum seruandum.

Quan diu gestandum cauterium.

Hæc de tempore inurendi cauterii. Dispiciendum quoque erit de loco, quem indicat subsistentia materiæ peccantis. Nam, si materia generetur in iecore, & petat caput, vt fiat reuulsio ad partem ignobiliorem; in dextro crure cauterium excitabitur: quod si crura petat; non in cruribus, sed in brachio dextro G erit affigendum. An vero in parte cruris interiori, vel exteriori sit inurendum: docebit rectitudo venarum eius loci, in quo generatur materia, ad locum, in quo excitatur cauterium, talis etenim rectitudo heic seruanda est, qualem etiam in sanguinis missione obseruandam docuit Galenus in libro de natura hominis. At si in parte sinistra generetur, & sursum in caput rapiatur, in crure sinistro imprimendum, sin ad inferiora, in brachio sinistro excitabitur. Quod si non moueatur, & generetur in ventre inferiore; locus erit in cruribus: si in medio ventre generetur, in brachiis inuretur, modo nihil prohibeat. Quod si in capite materia generetur, neque moueatur; in occipite brachiisque collocari poterunt, ea potissimum

2 Vbi: seu locus fonticuli.

parte,in qua materia residet: & sic erunt materia remedii deriuantis. At si materia in capite genita moueatur: & quidem,si ad pulmones moueatur,in occipite, atque coronali sutura ponentur cauteria: quæ erunt instrumenta auxilii reuellentis, & deriuantis materiam quiescentem. Si vero in cerebro nata materia, confluat in spinalem medullam,inque os sacrum, & ad lumbós:tunc cauterium ad principium spinalis medullæ ponendum,quod vim habebit materiæ auxilii intercipientis.

In loco affecto quando excitandus fonticulus.

Heic notandum est, circa cauterii ad locum affectum impositionem plerosque decipi. Nunquam enim in loco affecto excitandum est cauterium, nisi materiam eidem loco impactam euacuare sit propositum. Et tunc præmittenda est totius corporis purgatio, prætereà post materiæ illius impactæ euacuationem,claudendum erit cauterium,ac,si opus fuerit,alibi affigendum. Si enim per locum affectum materiam non tantum impactam,sed,hac educta, etiam fluentem euacuare voluerimus: periculum est, ne propter affluxum materiæ,partisque imbecillitatem, inflammatio aliqua suboriatur, quæ in gangrænam tandem degeneret.

Quænam partes admittāt cauteria.

Hæc de loco cauterii generatim. Si locus quæratur magis particularis: aduertendum est, in capite fieri posse,in sutura coronali,in occipite,in palpebris,in superciliis,& omnibus locis, in quibus pilorum generationem prohibere statuimus; nec non in angulis interioribus oculorum in naso, vt polypus absumatur;& aliis pluribus in locis, in quibus ignis administratio opportuna videtur. Vt autem suturæ coronalis locus verus innotescat, iubere oportet patientem, vt masticet: tunc enim quandoque in sutura coronali cutis capitis moueri conspicitur. Quod si cutis non moueatur, nec vllum suturæ vestigium appareat, tum radix manus palmæ ipsius patientis summo naso admouenda, sursumque extendenda, quo enim digitus medius pertigerit, ibi suturam esse coronalem existimandum est. Solent etiam excitari in brachiis, thorace, ore ventriculi, hepatis regione, circa splenem,infra vmbilicum,in inguine,in pube,in scroto, præsertim genus illud quod setaceum appellatur,in crure tādem,loco tribus aut quatuor digitis a genu distante,vbi musculi manifesto interstitio distinguuntur: tendines enim seu chordæ prope articulos carne sunt denudatæ. Hæc de loco.

3. Quantitas,seu numerus cauteriorum.

An vero vnum,vel plura sint affigenda cauteria, id nobis præscribet materia, quæ in vna vel pluribus locis generatur,vel ad diuersa loca mouetur. Si enim actio materiæ peccantis fuerit summa & vehemens,plura indicabit affigenda cauteria: si remissa fuerit,vnum sufficiet. Actionem autem vehementem,vel remissam nobis significat, tum materia copiosa quæ pluribus in locis generatur; tum quæ ad diuersa loca mouetur.Hæc de quantitate cauteriorum.

4 Modus excitandi & tractandi fonticulū.

Modus denique agendi sumitur a materia, prout facile vel difficulter cedit seu patitur. Quare si materia fuerit copiosa, vt in corpore obeso, vel plurimis scatente excrementis: tum, si nihil adsit quod prohibeat,foramen amplum & profundum erit efficiendum. Prohibere autem potest virtus: quæ,cum in spiritibus,humoribus, & partibus solidis considerari possit: hoc loco virtus quæ ad carnosum genus pertinet,est illa,quæ amplum aut profundum foramen prohibet efficiendum. Sunt enim quædam partes membranosæ & cutaneæ,quæ profundum cauterium sustinere nequeunt: in his itaque vlcuscula quæ excitantur, exustiones potius quam fonticuli appellari merentur: quæ autem proprie cauteria dici solent,in occipite,sutura coronali, brachiis & cruribus inuri consueuerunt. Sed in his quoque partibus interdum euenire solet,vt ob virtutis imbecillitatem fonticuli excitari non possint. Potiens,enim nonnunquam ita contabescit, & emaciatus est, vt solam carnem, ossa, neruos, & pellem, præ se ferre videatur.Et tunc virtus illa quæ ad solidas partes, carnosumque genus pertinet, non modo non permittit amplum foramen,sed neque vllum omnino efficiendum concedit.

Quod si nihil prohibeat,& passio materiæ sit summa, id est, si materia difficulter egrediatur;latum foramen,non angustum erit parandum. At si materiæ passio non sit summa,imo facilis sit exitus,minus amplum erit efficiendum.

Dilatantia foramen fonticuli.

Porro foramen amplum vel angustum fieri potest, vel radice aristolochiæ seu asphodelorum summe excalfacta,aut sulphure incenso,aut ligno,aut metallo,aut caustico. Ignita materia omnibus reliquis clementior est aurum:deinde argentum:postremo ferrum & æs. Cæsim, vel punctim imprimi possunt. Adiguntur,vti diximus,longius, latius, & in orbem circumferuntur. Quæ omnia passio materiæ euacuandæ, vel suapte natura, vel ratione loci nobis præscribit, & hortatur vt hoc potius quàm illo modo fiant.

Quod si caustico medicamento sint imprimenda:locum materiæ circumscribere oportet nucali testa,vel re alia simili,quæ suis constans marginibus,pateat in medio.

Defensiua,

Ne vero ignis seu caustici violentia iusto latius serpat ac diffundatur;partes proximæ cerato rosato, vel vnguento e cerussa, vel infrigidante simplici,vel cerato diapalma,vel alio genere eorum, quæ ἀποφλεγμαίνοντα vocant,sunt muniendæ.

Mora caustici.

Tam diu autem causticum immorari debet,donec locus nigrescat: id quod pro caustici vehementia,& natura partis dimetiri debemus: siquidem vehementi caustico in parte molliori citius fit impressio,quam in parte dura,& caustico leniori.Hoc ergo totum artificis iudicio permittendum est.

Crustæ detractio.

Eschara siue crusta non statim est detrahenda, sed maturare prius oportet, vt sua veluti maturitate consecuta sponte excidat:alioquin,si vis inferatur, excitari quandoque solet dolor, fluxio, inflammatio,vna cum febri. Tempestiue magis deduci potest,si ad modum crucis incidatur:deinde vel solo butyro,vel suillo adipe sine sale,foliis brassicæ excepto,foueatur.

Pilulæ in fonticulis gestandæ.

Crusta detracta:fiat pilula e sambuci medulla,hæc.n.aptissima est,quia mollis,blandaq; exsistens, quouis modo tractari potest.Comprimatur vero quoad opus est:& cōpressa in foramine collocetur,ac ita statua;

tuatur, vt loco dimoueri non poſſit: foliis braſſicæ, butyro illitis, foueatur: chartaque luſoria, vna cum petia e lino duplicata comprimatur, faſciaque circumligetur. Sic enim ob pilulæ mollitiem & lenitatem nullus excitabitur dolor, & humiditate vtriuſque materiæ ita imbuetur pilula illa, vt plurimum ad augeatur: quæ, cum ob chartæ luſoriæ compreſſionem reſurgere nequeat, quam citiſſime vlcuſculum cauum efficietur. Quod ſi chartæ loco ſumatur lamina argenti, vel æris: maior fiet compreſſio.

Vlcere quantum ſatis eſt excauato; ſi foramen in ea latitudine conſeruare volueris, in eo continuo geſtabis pilulam e ſuccino, vel cera, vel hederæ ligno, vel galerum aut pileum rotundum ex argento, confectum, pluribuſque locis perforatum. Quod ſi latius reddere foramen placuerit: nihil accommodatius erit, quam pilula e ſambuci medulla, aut ſorgi ſeu melicæ. Pilula impoſita; folio hederæ vel plantaginis, aut
B charta ſorbili, intra petiam lineam duplicatam, vtendum eſt: cui puluinus, aut lamina, chartaue, luſoria ſuperponi debet, vt fiat compreſſio. Bis autem in die, tum petiæ, tum folia mutari debent: pilula vero non eſt toties extrahenda: neceſſe enim eſt, vt locum ſibi paret, vnde non facile excidat: indies tamen circumagi debet.

Quod ſi caro, vt ſæpe fieri ſolet, & præſertim in principio, ſuccreuerit, & luxuriauerit, ita vt labra promineant: tum filamenta concepta, aut ſpongia noua minutim inciſa vel combuſta, erunt adhibenda, aut puluis aluminis vſti, aut hellebori nigri, aut corallorum rubrorum, aut præcipitati, aut æris vſti loti: quibus, vel ſimilibus, caro ſuperabundans erit remouenda. Ad validiora non eſt accedendum, niſi cogat neceſſitas. Nullum autem magis eſt præſentaneum auxilium, quam carnem ipſam veluti ſemimortuam omni diligentia præcidere.

Carnem ſuperfluam in fonticulo exedentia.

C Si vero per huiuſmodi cauteria nihil eruatur, quod non raro ſolet vſu venire, vt veluti arida videantur: conficienda erit pilula e materiebus quę vim habent attrahendi, vt e pice nauali, cera, & puluere hellebori nigri, colocynthidis, aut foliorum ſenæ: pro natura nimirum humoris peccantis, hoc vel illo pulueris genere vtendum. Simul etiam vice foliorum hederæ, ceratum ſacrum erit adhibendum: aut ceratum e cera & pini reſina.

Ariditas fonticuli, ob humores non cõfluentes.

At ſi cauterio inuſtum vlcus ſit aridum, eoque nihil excernatur, propterea quod calloſum ſit redditum: tum ſcarificandum erit, deinde cucurbitula ſemel aut bis admouenda. Et, ſi patiens ſcarificationem nolit admittere, huius loco imponatur puluis ſauinæ, vel chalcanthi vſti loti; immo, ſi his non cedat, accedendum ad miſy, & præcipitatum optime præparatum. Eodem tempore partes circumiacentes cerato διὰ χυλῶν cum gummi, vel ſine gummi, aut cerato e cera & reſina abietina, emollientur.

Ad callos fonticuli.

D Quandoque contingit, vt ſucci qui ad fonticulos confluunt ſint acres, mordaces, ac veluti maligni: vnde partes vicinas exulcerant, & non ſine dolore excoriant. Quo loco partes fouendæ erunt ſpongia, aqua dulci tepida imbuta: deinde illinendæ butyro, aqua maluæ diligenter eloto: aut occurrendum vnguẽto e ceruſſa caphurato, ad cerati formam redacto. Eaſdem præterea excoriationes exſiccabit ſerum lactis caprini chalybeatum: vel aqua hordei, cui malua incoxerit, aut aqua medicata S. Petri, vel Aponenſis, vel Montis ægrorum.

Ad humorum acriũ adfluxum: vnde excoriationes.

Si ob inſignem humorum affluxum fiat inflammatio, vnde dolor oboriatur, corpus purgandum erit, & humores reprimendi. Quare, ſi exigua fuerit inflammatio, ob humores iam fluxos, aut affluentes: ſat erit vino auſtero loca illa fouere. At ſi inflammatio fuerit ſatis inſignis: tunc vinum erit alterandum roſis, malicorio, maſtiche, & modico aluminis. Sed quia non ex æquo omnes humores redundant, ſed magis vnus quam alter peccat: propterea non abs re eſſet, ſi pilula e cera fieret, cui eſſet admiſta aliqua materia, quæ magis hunc quam illum humorem attraheret: quod ſupra etiam monuimus.

Ad inflammationes, ex humorũ confluentium copia.

Tandem, quia non ſaltem cito & tuto, ſed etiam iucunde remedia ſunt adminiſtranda: propterea ad vitandum prauum odorem, qui ex vlcuſculis interdum exhalare ſolet, danda erit opera, vt petæ quibus Patiens vtitur, ſint odoratæ: quod efficietur, ſi vna cum moſcho, vel goſſipio moſchato, vel ambra, ſpica, aut lauendula, aliaue materia odorata, in eadem capſula aſſidue repoſitæ adſeruentur. In hunc etiam finem fonticulus bis in hebdomade abluetur, tempore æſtatis, vino albo odorato, vel aqua roſarum, adſperſo ſpicæ oleo, vel ſimili huius farinæ. Et hæc de cauteriis.

Ad fœtorẽ ſordium fonticuli.

FINIS.

HIERONYMI CAPIVACCI

OPERVM

Sectio Quarta:

NEMPE

MISTA:

QVA COMPREHENDVNTVR

I. Commentarl in sectionem primam aphorismorum Hippocratis: partim Prognosi, partim Curationi deseruientes.

II. Practicæ libri VII. de cognitione & curatione affectuum capitis, partium capiti annexarum, thoracis, pulmonum, cordis, œsophagi, ventriculi, intestinorum, iecinoris, splenis, renum, vesicæ, partium genitalium, vteri: item arthritidis, luis venereæ, febrium, ac venenorum.

III. De medica consultandi ratione: seu, de arte collegiandi, tractatus.

IV. Consilia medica, consultationes, & epistolæ.

B HIERONYMI CAPIVACCI ENARRATIO SECTIONIS PRIMÆ APHORISMORVM HIPPOCRATIS.

Præfatio.

C DE Aphorismi natura, definitione, ac differentiis: de connexione aphorismorum Hippocraticorum inter se: tum de interpretandi aphorismos ratione, ab auctore hisce in scholis instituta.

CONSVEVERVNT omnes fere Hippocratis interpretes locum hunc docendi conscendentes, suarum lectionum initio multa sane præfari, vt medicinæ laudes ad summum efferant, vel susceptum negotium, arte elaboratum, atque vigiliis excultum (non absque ambitionis ostentatione) demonstrent. Nos vero huc conscendentes, vt sinceram, & absolutam quidem, minime tamen fucatam, studiosis D doctrinam conferamus: statim ad ipsos Aphorismos interpretandos accedemus. Neque mihi laborandum est, vt vos inflammatos reddam. Video enim vos satis superque ardentes, vt eos vos esse non ignorem, quales ad philosophandum natos Plato in Repub. instituebat. Vos enim liberos, moratos, atque maxime idoneos conspicio. Accedit etiam quod vos incredibili vestra humanitate me ad hanc sedem eleuastis. Et ob id me, vtilitati vestræ paratissimum, semper audictis. Quare audacter, ac hilari etiam animo propositam rem aggrediar.

Ceterum cum negotium hoc arduum sit admodum: tum quia paucis medicinam fere vniuersam continet; tum quia Hippocrates secundum Galenum primo de vsu part. 9. vox Dei dicitur: ideo diuinum est implorandum auxilium, cuius maxima vis exsistit. Imo Plato eius vim videns in Protagora, vel Sophista dicit, optimos esse illos, quos diligunt Dii. Et quarto de legibus dicit, Deum primum ad Ciuitatis constitutionem E vocemus. Oremus igitur & nos, vt diligamur a Deo, vtque sua benignitate nobis vobisque adesse dignetur.

Vt autem in proposito nostro negotio distincte procedamus, ac superuacanea omittamus: hoc pacto progrediemur. Primum de natura Aphorismi differemus: Secundo proponemus ordinem Aphorismorum inter se, vt eos sicuti annulos in catena coniunctos quisque videat: Tertio methodum in singulorum aphorismorum declaratione obseruandam ponemus: Quarto Aphorismos exponemus; In quorum expositione necessarium erit discursum conferentem vniuersæ Medicinæ facere. Summa capita Scholarum in aphorismos.

Quo ad primum: moneo, me nemini Auctori fore addictum, nisi verum dicat. Meum tamen institutum est ad duplicis classis viros velle respicere, nempe ad Antiquos, & ad Iuniores. Inter antiquos eligi possunt, vt monet Galenus in suasoria oratione ad artes, Hippocrates, & Plato: Eos enim statuit esse, F veluti Dei ministros, & veluti Mercurios; Nos tamen non modo hos, sed & Aristotelem, atque Galenum colemus. Per iuniores vero intelligimus & viuentes & non viuentes: Idque non alia de caussa, nisi ob vestram vtilitatem, vt ea, quæ ab eis vere dicta sunt, confirmemus: quæ vero nobis a Iunioribus suspecte dicta videbuntur, ea nos libero animo, & non contradicendi caussam,) vt suspecte dicta recensebimus. Qui auctores, & quatenus sequendi.

Quare ad primum propositum accedentes, quod fuit de aphorismi Natura differere; dicimus eius vtilitatem, ac necessitatem esse valde insignem: quoniam ignorata natura aphorismi; impossibile est alicuius aphorismi cognitionem habere. Incipiemus autem a definitione, quæ naturam rei proculdubio declarat. I. Natura aphorismi.

Verum antequam definitionem aphorismi proponam; quædam de eius voce mihi primum sunt dicenda. Hinc autem quamuis multa multi dicant: nos (aliis omissis) dicimus, aphorismum esse nomen verbale, a verbo ἀφορίζω, quod significat idem, ac segrego, seu secerno, & distinguo, adhibito tamen iu-G dicio. Ex quo colligitis, quod non quilibet aphorismos colligere possit; sed qui cum iudicio scit segregare. Vnde, cum Philotheus dicit, quod aphorismus sit sententia, quæ nec habeat commertium cum antecedentibus, nec cum sequentibus; non intelligit segregationem vnius aphorismi ab altero: Nam tunc (secundum eius sententiam) esset impossibile vnum aphorismum cum alio connectere. Quare intelligendum est, (vt supra diximus,) quod aphorismus sententia separata cum iudicio. Et ad hoc respiciens maximus expositor Galenus, in 1. com. huius primi, voluit, doctrinam aphoristicam esse illam, quæ cir- Nomen.

cumscribit omnes rerum proprietates, quæ non vanæ, sed necessariæ sunt: Ideo cum inscribitur liber A aphorismorum: intelligere debemus librum sermonum separatorum a superfluis, & vanis rebus.

Sed antequam ad definitionem veniamus, vnum aliud monere oportet, quod cum aphorismus dicatur sententia, sententia dupliciter capi potest: alio modo pro iudicio, vt cum dicimus hominem bene sentire, & talis sententia est iudicium æqui & boni viri, & de hac locutus fuit Aristot. 6. Ethic. 11. Secundo modo accipitur sententia, vt refertur ad enunciationem, & de hac Aristotel. loquitur 2. Rhetor. 22. Et hoc modo sententiam nunc accipimus.

Definitio aphorismi secundum iuniores.

Quoniam vero definitio est maximum fundamentum omnium rerum: ideo non est, vt aliqua ex parte in ea deficiamus. Et primo proponemus definitionem traditam a doctissimis, & clarissimis iunioribus. B Quidam iuniores dicunt, aphorismum esse enunciationem verborum inopem, sententiarum diuitem, vel cum ratione, vel sine ratione, vel euidenti, vel obscura, vel præposita, vel postposita sententiæ. Et hanc definitionem sententiæ dicunt esse sumtam ex Peripateticis. Addunt postea esse duplex genus sententiæ: Nam quædam est sententia simplex, sine ratione, quædam composita, id est, cum ratione.

Examen eius, & confutatio.

His excellentissimis viris ingentes gratias agere debemus: quoniam nemo fuit ante ipsos, qui conatus fuerit haurire definitionem sententiæ, seu aphorismi, ex mente Philosophi. Vnde ego, sæpius considerans, ac videns hanc definitionem, conquieuissem: nisi admonitus fuissem sanctissimi Platonis decreto, libr. de sanctitate, nos non debere omnibus quæ dicuntur assentiri, sed oportere nos considerare, an in se veritatem habeant, nec ne. Vnde cæpi hanc sententiam considerare, an in se verum contineat, & reperi tandem, hanc in se aliquid suspicionis habere. Quoniam huiusmodi definitio C videtur in se aliquid diminuti includere, aliquid confusi, & (ni fallor) aliquid falsi. Et (Deus sit mihi testis) nisi hæc contradictio maxime faceret ad vniuersam aphorismorum intelligentiam, ne verbum quidem de ea facerem, ne viderer contradictionis caussa, & non veritatis, isthæc propalare.

Ostendo confusionem, quæ duplex est, & in definito & in definitione. In definitio quidem: quia adserunt, hoc dicere Arist. 2. Rhetor. 22. Hoc autem est contra primos terminos medicinæ: Nam sententia, de qua ibi loquitur Aristot. est de rebus agibilibus, circa quas non versatur medicus, & hoc declarat. Arist. 6. Ethic. cap. 4. vbi vult medicinam non esse artem actiuam: nam actio non est effectio, nec e contra; nam habitus actiuus ad peritiam pertinet, effectiuus ad artem; Et ideo Galenus in lib. ad Thrasyb. cap. 27. dicit, medicinam non esse actiuam, sed effectiuam. Satis igitur confuse dicimus, si asserimus eandem esse sententiam aphoristicam, cum illa, de qua Aristoteles loquitur, 2. Rhetor. Est præterea confusio in defini- D tione, cum dicunt sententiam esse enunciationem, vel sine ratione, vel cum ratione. Modo hæc probo non debere in definitione poni: quia diuidunt vnum aphorismum ab alio: munus autem definitionis est, vt partes definitionis competant cuilibet definito, & non vna pars definitionis alteri definito, altera vero alteri. Vnde non debemus dicere: homo est animal rationale, album, & nigrum: sed sufficit dicere, animal rationale.

Quod autem diminuti fuerint etiam ostendo: Primo quia dicunt sententiam esse enunciationem, non autem dicunt esse enunciationem vniuersalē. Aristoteles tamen 2. Rhetor. 22. definiens sententiam, dicit; esse enunciationem; sed vniuersalem, merito autem aphorismi debet esse sententiæ vniuersales; quia sunt præcepta artis, quæ debent esse vniuersalia. Diminuti etiam sunt, quia non apparet, cuiusnam rei sit illa enunciatio: nam Arist. dicit, esse enunciationem vniuersalem agibilium: nam enunciatio, alicuius est E enunciatio. Verum non est, quod Viri hi, aliqua ex parte hanc veritatem cognoscentes, dicant, quod sententia sit enunciatio earum rerum, quæ vel semper, vel vt plurimum sunt; quæ autem vt plurimum sunt, ita possunt esse agibilia, vt factibilia: At aphorismus agibilium non est; sed factibilium. Diminuti vlterius sunt, quia ex definitione non apparet, a quo proponatur hæc sententia, modo Arist. ibi dicit, Esse hominis valde profecti, & non cuiuslibet, sed maximæ auctoritatis, proponere sententiam.

Postremo & falsitatem ostendo, non in definitione quidem; sed in his, quæ post definitionem dicunt, ex secundo Rhetor. 22. Sententiam duplicem esse, simplicem, & compositam; Quod nequaquam in toto illo cap. asseruit Aristot. Imo addimus, quod si Aristoteles id diceret, non posset a falsitate excusari: Nam non datur sententia composita: Si enim daretur sententia composita, maxime esset ea, quæ est pars F enthymematis, quæ habet rationem; vnde si est sententia cum ratione, sunt duæ enunciationes, vna ex parte rationis, altera ex parte sententiæ, sunt, inquam, duæ enunciationes, quę tamen non faciunt sententiam: nam vna facit sententiam, altera rationem; namque Aristot. dans exemplum de sententia cum ratione, dicit, oportet virum prudentem haudquaquam filios suos ad eximiam sapientiam erudire: enunciatio profecto simplex est, & sententia simplex.

Aphorismi definitio secundum auctorem.

Hæc cum considerassem, atque suspecta mihi viderentur dicta clarissimi Viri Iunioris: statim cognoui me in ignorantia versari, & ob id, Platonis sententiam sequutus (qui in Alcib. dicebat, qui credit se ignorare, quærit, quærens inuenit: inueniens scit.) primum quæsiui, & quærens adinueni hanc, quam credo veram, definitionem, quod videlicet aphorismus sit enunciatio vniuersalis, de rebus effectibilibus medicis, medico graui proposita, vt ars medica breuiter acquiratur. G

Declaro. Primum diximus esse enunciationem, cum Arist. loco citato: nec ab re enunciationē, quia non modo debet aliquid significare, sed aliquid veri, siue per affirmationem, siue per negationem. Et hoc genus aphorismi proponit Galenus 7. aphor. penultimo com. vbi voluit aphorismum esse enunciationē. Diximus [vniuersalis:] quia ex sententia Philosophi enunciatio potest esse vniuersalis, vel particularis; at in præsentia est vniuersalis; quoniam traduntur hic præcepta generalia, quæ sunt principia artis medicæ. Hoc dicit Arist. loco citato. Sequitur in definitione; de rebus effectibilibus, quæ particula necessaria est; nam

A nam enunciatio alicuius eſt enunciatio: Dicebat autem Ariſtoteles, res eſſe in duplici differentia: quaſdam quarum ſint operationes, quaſdam quarum non ſint operationes. De rebus, quarum non ſunt operationes, ſed ſolum eſt contemplatio; de his, inquam, non eſt ſententia, vt cum dicimus, rectum eſſe obliquo contrarium. Res, quarum ſunt operationes, conſiſtunt in duplici differentia: nam vel conſiſtunt in actione, vel in effectione. Si conſiſtunt in actione, harum principium eſt electio, finis vero eſt honeſtum, & poſt opus nihil relinquitur, & ſpectant ad prudentiam. Si conſiſtunt in effectione, principium eſt intellectus, finis vero vtile; & poſt opus aliquid relinquitur, & non ſpectant ad prudentiam, ſed ad artem: Et ideo Ariſtoteles de hac ſententia loquens, dixit, eſſe enunciationem rerum agibilium: nos vero medici dicimus eſſe ſententiam vniuerſalem effectibilium. Et quia diffinitio debet diſtinguere ab aliis rebus, ideo B addidimus [medicarum.] Sed quiſpiam dubitabit, cur ſententia non ſit de contemplabilibus, quæ præſtantiora ſunt. Dixi ſuperius, quod illa ſit optima diffinitio, ratione cuius tum diffinitum innoteſcit, tum corruunt dubitationes. Diximus eſſe enunciationem vniuerſalem, & a medico graui propoſitam, ex loco citato Ariſt. Ideo non quilibet medicus, ſed ſenex, & qui callet medicinam, vt fuit Hippoc. poteſt proponere ſententiam. Et ideo 7. Aphor. penult. inquit Galenus aphoriſmos eſſe enunciationes Hippocraticas. Habemus ex hac particula, quod quoties neceſſarium eſt, vt ſententia proponatur a medico graui, quod etiam ſententia eſt enunciatio grauis: & ſi grauis, erit breuis: quia homines graues breuiter loquuntur. Et hæ ſunt proprietates, quas colligimus ex rebus propoſitis in diffinitione. Ex quo patet ſententiam nō eſſe ſpeculabiliū: quia debet eſſe ſenex prudens, qui ſententiam profert: Iuuenis autem poteſt eſſe Mathematicus, non prudens; ex ſententia Ariſtot. Vltimo diximus [vt ars medica breuiter adquiratur:] ſic namque C & Galenus 1. aphor. com. 1. dicit, aphoriſmos conducere illis, qui volunt artem breuem facere, & addiſcere breui temporis interuallo: ex quo colligamus, quod non modo in aphoriſmis debeamus a vanis abſtinere; ſed breuiori oratione rem complecti. Occurrit vero hoc loco dubium: quare artis medicinalis principio dixerit Galenus, duplices eſſe doctrinæ ordines: in propoſito autem com. aſſerat, formam doctrinæ aphoriſticam illis eſſe vtilem, qui volunt breuiter docere: ſciendum ergo eſt neutiquam ibi diminutum extitiſſe Galenum; doctrina enim aphoriſtica modus eſt docendi, non ordo.

Porro ex particulis in definitione poſitis, ſcaturientes inde hauriemus differentias. Poſſunt autem duplici ex particula præcipue hauriri. Ex parte rerum effectibilium, & ex parte medici proferentis ſententiam. Idque ex Ariſtotelis obſeruatione. tum 2. Rhetor. 21. tum ex lib. Rhetor. ad Alexandrum regem, de- D promtum eſt: ne hoc temere effutire videamur. Differentiæ aphoriſmi.

Quod ad factibilium rerum differentias depromendas attinet: ſcire expedit, quod cum rerum quædam ſint, in quibus nihil admirandi ac noui continetur, quædam in quibus noui quippiam habetur: hinc fit, vt differentiæ ſententiarum fiant, nempe, vt aliæ cum ratione, aliæ ſine ratione ſint. Nam, dicebat citatis locis Ariſtot. credibilium rerum ſententias ſine ratione proferri: incredibilium cum ratione. Sic etiam dicebat 2. de Criſibus Galenus, quod variæ ſint ſententiæ, pro rerum diſcrimine: prout, inquam, res vel euidentes, vel obſcuræ ſunt. Sed vt has melius cognoſcamus, ſigillatim procedere oportet: namq; ſententia ſine ratione pro latæ in duplici eſſe ſerie dicuntur ab Ariſt. ibidem. Aliquæ ſunt, quę ita euidentes ſunt, vt ſtatim, quando ſententia proponitur, innoteſcit ratio; vt cum dicimus, optimum eſſe bene valere. Quis enim eſt tam rudis, cui non ſtatim innoteſcat cauſſa? Cuius ſententiæ ſi exemplum quęris apud Hippo- E cratem, facile reperies 2. aphoriſ. 2. cum dicit: vbi ſomnus delirium ſedauerit, bonum. Eſt inſuper aliqua ſine ratione prolata ſententia, quæ non ita euidens exſiſtit, ſed paululū conſideranti, plana fit ratio: vt cum Hippoc. 2. aph. 11. dicebat, facilius eſt potu impleri, quam cibo. Ratio leuiter intuenti eſt manifeſta: quia agens facilius in paſſum minus reſiſtens agit, quam in id, quod magis reſiſtit. 1. Differentiæ a rebus effectibilibus. Aphoriſmi ſine adiecta ratione.

Sed dubitaret quiſpiam multas eſſe ſententias Hippocratis, ſine ratione prolatas, quæ tamen neque modice, neque mediocriter conſideranti pateat. Vt cum dicit 2. Aphoriſm. 21. famem vini potio ſoluit. Et 6. aphoriſm. 33. dolores oculorum meri potius ſanat. Et 5. aphoriſm. 39. cum dicit, mulieribus, quæ non pepererunt, nec grauidæ ſunt, vbi lac aderit, menſes defecerunt. Occultæ mehercle ſententiæ, & multum etiam conſiderantibus non ad amuſſim perceptæ earum ſunt rationes. Imo Galenus ibi ait, quod ratio admodum longa ſit huius ſententiæ poſtremo allatæ, & quod impoſſibile ſit, vt eam aliquis calleat, F niſi fuerit multum exercitatus in libris de naturalibus potentiis. Dicimus autem nos varias fieri ſententias, pro ratione varietatis tum proferentis tum audientis. Vnde quo grauiores fuerint proferentes, & acutiores auditores, eo ſententiæ difficiliores exſiſtunt. Quare ſecus de ſententiis rhetorum ſtatuendum, ſecus de Hippocratis, qui fuit vir grauiſſimus; neque ideo ita claras ſententias debuit ponere, vt vel modice intuentibus pateant. Quinimo, 4. aph. 51. vbi Hippocrates dicebat in febribus abſceſſus, qui ad primas iudicationes non ſoluuntur, morbi longitudinem indicant: dicit Galenus hanc ſententiam adeo claram eſſe, vt ne Hippocrate quidem digna videatur. Propterea idem, commento 71. eiuſdem 4. dicit, quod nemo debet legere, vel interpretari Hippocratis aphoriſmos, niſi qui optime medicam artē calluerit. Quod ſi in primo commen. dicere videatur Galenus conducere hunc librum ad primam diſciplinam: recte hoc G intellectum nullam facit difficultatem, vt ſuo loco videbimus.

Sententiæ cum ratione & ipſæ duplices ſunt. Alia enim dicitur pars enthymematis, enthymematica alia. Ea pars enthymematis dicitur, quæ rationem ſeiunctam habet: ſiue interdū poſtpoſita, ſiue interdum præpoſita ratio ſit. Nam hæc rationis vel poſtpoſitio, vel præpoſitio nihil ad medicinam conducit, ſed ſolum ad elocutionem. Quæ ergo pars eſt enthymematis, ſeiunctam habet rationem: vt 2. aph. 51. Multum & repente vacuare, vel replere, vel calefacere &c. vel quomodolibet aliter corpus mouere, periculoſum. Ratio autem eſt, (inquit) quia omne multum naturæ inimicum. Aduertendum autem eſt, ꝙ cum Hipp. hanc Aphoriſmi cū ratione.

ſententiam, quæ pars enthymematis eſt, apponit, multifariam etiā rationē adiungere ſolet: nam aliquando cauſſam ſimplicem vnam adnectit: interdum duplici cauſſa probationem adiungit: interdum ſignum tantum addit: nonnunquam vero ſignum, & cauſſam. Per vnam tantum cauſſam: vt nuper adducta ſententia, [omne nimium naturę inimicum:] ideo multū vacuare, celerrime, &c. periculoſum. Quinctus autem huius primi li. aphoriſmus per duplicem cauſſam ſententiam probat: vt ibi manifeſtabimus. Per ſignum vero, vt 3. aphoriſmo, vbi, ſecundum Galenum, Hippocrates ſententiam ſuam declarat ſumto ſigno ab habitu exercitatorum. Sic in ſecundo per cauſſam & ſignum ſimul, vt 15. aphoriſmo patebit. Enthymematica vero ſententia rationem non explicatam, ſed implicatam habet, vt, exemplo Ariſtotelis: mortalis cum ſis, non debes habere immortaliū curam. Quaſi ſic fiat cum ratione ſententia: Tu es mortalis, quomodo debes habere curam immortalium? Apud Hippocratem autem eſt primus aph. Vita breuis, ars vero longa, occaſio præceps, experientia fallax, &c. Eſt etenim ſentētiæ implicita ratio: ac ſi dicamus: ideo vita breuis, ars longa exſiſtit, quoniam experientia fallax, occaſio præceps, &c. Ex his, quatuor ſententiarum differentiæ ſunt, quæ ex rebus ſumuntur. Quod ſi quis ſcire voluerit, quomodo hæ ſententiæ adinuicem proportionētur: is cognoſcat, quod quēadmodū duarū ſine ratione prima facilior, ſecunda difficilior erat; ſic & duarū, q̄ remanent: vnde prima ſententia facilis eſt, ſecunda difficilis, tertia adhuc magis difficilis, quarta difficilima, qua Hippocrates, vt magnitudinem artis indicaret, non ſine ſummo artificio vti voluit.

3. Differentiæ a perſona proferente.

Quantum ad ſententias ex parte proferentis attinet: (vt ex Ariſtotele patet, in Rhetoricis ad Alexandrum:) multæ ſunt earum differentiæ. Nos autem eas, quæ ad noſtrum negotium faciunt, tangemus. Nam aliæ ad modū prouerbii, nonnullæ ad modum concilii, aliæ ænigmatis, aliæ legis, & decreti, aliæ multis aliis modis proferūtur. Hippocrates vero ſub modum decreti ac legis ſuas has ſententias propalari voluit: vt hi aphoriſmi decerta ſint, a quibus medicum non oporteat remoueri. Proferens autem, quantum ad propoſitum noſtrum ſpectat, vel abſolute profert ſententias, vel ſecundum quid. Idque eo potiſſimum declarare volo: vt oſtendam, Hippocratem diuiniſſimum non modo medicum, ſed oratorem etiam eximium fuiſſe. Abſolute prolata propria natura vocata eſt ſententia, vt apud Ariſtotelem exemplum eſt, c. 11. Qui rerum imperitus eſt, vera ratione grauis Imperator eſſe non poteſt. Apud Hippocratem vero: extremis morbis extrema ſunt accommodata remedia. Sententia autem ſecundum quid proferri poteſt dupliciter: nam alia eſt ex ſimilitudine dicta: alia ex ſuperlatione ſententia vocatur. Ex ſimilitudine quidem: vt, quemadmodum exemplificat Ariſtoteles: qui pecunias auferunt, his ſimiles ſunt, qui ciuitates produnt. Apud Hippocratem eſt exemplum euidens in ſecundo aphor. primæ huius particulæ: in purgationibus ventris, &c. ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, &c. ſic & valorum inanitiones, &c. loquitur de purgatione, ſumta ſimilitudine a vacuatione naturæ. Ex ſuperlatione vero; vt (veluti Ariſtot. dicebat) grauiora qui fures ſunt committunt, quam qui latrones: fures ad latrones comparat. Apud Hippocratem vero exemplum eſt in ſectione prima aphor. 13. aphor. cum dicit: ſenes facilime ieiunium ferunt, non ita facile in ætate conſiſtentiæ conſtituti, difficilius adoleſcentes, omnium minime pueri. Hæc eſt ex ſuperlatione dicta ſententia. Nam aliquos magis, aliquos minus dicit ferre ieiunium. Ex quibus patet maximum artificium Hippo. Imo hoc addam, quod inprimis ſex aphoriſmis fuerit vſus his tribus ſententiarum generibus.

II. Ordo, ſeu connexio aphoriſmorum.

Iam quonam ordine de his aphoriſmis locutus fuerit Hippoc. inueſtigare oportet. Quod negotium tam arduum eſt, vt neminem, (vno excepto Iuniore viro mehercle clariſſimo) viderim, qui hoc tetigerit. Nam non eſt quod dicamus, præcipuum ſcriptorem Hippocratem ſine arte aphoriſmos conſcripſiſſe. Imo Galenus, qui omnia videtur Hippocratis arcana nouiſſe, in primo de fracturis comm. 6. quia videbatur Hippocrates peruertiſſe ordinem doctrinæ, ſtatim ipſum Galenus excuſat, inquiens, quod aliquando cogitur ordinem Hippocrates doctrinæ pręuertere, cum eſt aliquid, quod vrgeat: quia itaque aliqua eo in loco dubia contingebant, prius ea de medio tollere, deinde ad propoſitum deuenire vult Hippocrates. Quare ordinatus maxime eſt.

Cohęrentia aphoriſmorum, de aliorum ſententia.

Iuniores medici nouum quid, & veluti paradoxum, & a nullo alio tactum, aſſerunt, & quam doctiſſime. Eſt autem eorum ſententia, in aphoriſtico opere Hippocratem vti ordine compoſitiuo. Quam ſententiam, vt veram eſſe probent; aiunt Hippocratis inſtitutum eſſe in aphoriſmis de medici officio agere: quod in aphoriſm. facit: & ideo in ipſo libro primo de inſtrumentis medicis loquitur, & de indicationibus, quibus medicus dirigi poteſt, vt recte inſtrumentis vti poſſit. Hæc autem ſunt, Quomodo agendum, Quid, Quando, Quantum, Vbi &c. At vero quoniam cognouit Hippocrates has indicationes medicum ab aliquo errore depromere, qui triplex exſiſtit, vel in victu, vel in aere, vel in temperatura: ideo de his erroribus loqui poſtmodum voluit. Et quantum ad victum attinet: de eo ſecunda ſectione fuit locutus. De ſecundo errore, in aere, tertio libro, a principio libri vſque ad dimidium. A quo poſtea vſque ad calcem libri de tertio errore, in temperatura, verba facit. Nam etſi de ætatibus loquatur, ibidem per ætates temperaturas, vt recte aſſerunt, intelligere debemus. Conſiderans poſtea Hippocrates, errores hos ab aliqua ſumi immoderantia, hanc autem immoderantiam duplicem eſſe, vel penes quantitatem, vel penes qualitatem: ac exceſſui in quantitate conuenire purgationem: ideo in quarto libro, ad hoc reſpiciens, locutus eſt de vacuatione: & in fine quarti de ſignis prognoſticis loquitur, ſpectantibus ad hunc purgandi exceſſum, qui eſt in quantitate. Cumque etiam ad exceſſum qualitatis conſequantur (vt dicunt) morbi vel cum fluxione, vel ſine fluxione: ideo de hoc exceſſu quincto locutus fuit libro. Sed cum ad morbos ſymptomata conſequi ſoleant: de ſymptomatib. morborum in ſexto & ſeptimo libris tractauit. Quare hic eſt ordo totius operis aphoriſtici Hippocratis: qui ab officio medici, id eſt, indicationibus agendi, progreditur in victus errorem, aeris, & temperaturæ: & hinc progreditur ad corrigendos exceſſus in quantitate, & qualitate: poſtremo ad ſymptomata.

Confutatio

Hanc quidem opinionem ego multum considerans, totis viribus studui, vt mihi ipsa satisfaceret. Et ne viderer maleuoli mores sequi, ei quam libentissime subscripsissem. Sed vidi Galenum: qui primo de dignoscendis pulsibus capite primo dicit, quod quoties ad homines veritatis cupidos verba facimus, nihil mouere nos debet, nisi veritas. Possem sane & ego in maximo esse errore: sed ita infirmus meus est intellectus, vt non possim in modo dicta sententia acquiescere. Qua de re suspecta hæc mihi videtur opinio: non dico falsa, ne videar temerarii munus subire. Suspicio autem mihi ex optimis nascitur iudicibus ex legibus ordinis compositiui, & ex Hippocratis verbis. Nec possem meliores iudices desiderare. Ex legibus quidem ordinis compositiui: nam nemo ignorat hoc esse ordinis compositiui proprium, vt a simplicissimis ad composita procedat: vel, vt alii dicunt, a caussis ad caussata. Quod cum sit, non video quomodo procedere ab officio medici ad caussas, sit procedere ordine compositiuo. Nam vbi de officio medici loquimur, nulli dubium est, quod de parte therapeutica loquimur; vbi vero de caussis, & præcipue morbificis, clarum est, quod loquimur de parte medicinæ ætiologica. Vnde ordine compositiuo numquam pars therapeutica præcedet partem ætiologicam. Nam nulli dubium esse potest, quod si accipiamus Galeni libros ordinatos secundum compositiuum ordinem, & accipiamus ex vna parte libros de caussis, & ex alia libros de officio medici, quod præcedunt libri de caussis. Imo post illos, neque immediate, sequuntur libri de officio medici. Ideo ordo hic compositiuus esse non potest. Accedit sententia Hippocratis. Nam si videamus Hippocratem secundo aphorismorum, loquitur ibi de somno, & aliis, sed non sub ratione caussarum, vel vt ad caussas pertinent, sed vt spectant ad artem prognosticam. Nam modo bonum, modo malum hoc vel illud dicit esse: quare ad artem prognosticam hæc spectant. Sic & Galenus tertio de difficultate respirat. capitulo nono dicebat, plæraque in aphorismis ad artem prognosticam spectare. Quare ibi de prognosticis, non de caussis loquitur: vt clarius patebit, cum ordinem resolutiuum proponemus. Quare mihi his de caussis suspecta opinio videtur modo commemorata.

Aphorismorum intentio, de propria sententia.

Nostram quod attinet sententiam, licet hoc negotium sit maximi momenti, ac arduum valde: ita vt ei explicando non menses saltem, sed etiam annos insumere sit necesse: constanter tamen (suadente Galeno c. 1. l. 1. de dign. pulს. veritatis inuestigatio continuanda. Ergo itaque (licet an veritatem adinuenerim certo minime sciam) dico confitenter, Hippocratis artificium totum aphoristicũ in hoc consistere, quod primariam habeat intentionem loqui de arte curatiua; secundariam de arte prognosticandi: ita tamen, vt has duas artis partes nullo alio disponat ordine, quam resolutiuo.

Vt autem intellectus vester acquiescat, duo faciemus: primo, propositam veritatẽ declarabimus: Secundo eandem tum ex verbis Hippocratis, tum ex eius progressu, confirmabimus.

Pro primo autem intelligendo, quod fuit, Hippocratem primario loqui de arte curatiua: sciendum medicæ artis plures esse partes, quarum prima φυσιολογικὴ, in qua sermo est de rebus naturalibus hominis. altera dicitur αἰτιολογικὴ, seu παθολογικὴ, in qua sermo de caussis, ac affectibus habetur. Tertia pars ὑγιεινὴ, vocatur, quæ de tuenda valetudine verba facit. Quarta pars σημειωτικὴ est, in qua de signis disputatur. Postrema pars est θεραπευτικὴ, quæ de curatione, ac eius indicationibus differit. Harum partium, Galenus (primo de tuenda val. capit. primo, & libro ad Thrasybul. capit. 31. vbi differit, an ad gymnasticam pars salubris &c.) duas constituit præcipuas: alteram, de valetudine tuenda: alteram de methodo medendi, seu de arte curatiua. Et ob id, in libris de medendi methodo de curatiua loquitur, posthabita ea quæ de valetudine tuenda est: in libro autem de valetudine tuenda, reliquit eam quæ curatiua dicitur.

Ad hunc modum ergo Hippocrates, omittens partem de valetudine tuenda, solum de curatiua loqui voluit: in qua sermo fit de officio medici: de qua etiam Galenus in libro de officio medici, in libris methodi, ad Glauconem, & alibi, locutus est: quia est pars maximi momenti, ita vt Galenus in libro de constitutione artis capite decimosexto dixerit, vniuersum sermonem in arte medica esse institutum ob dextrum seu aptum remediorum vsum. Non est itaque mirum si de tam præstanti parte loqui Hippocrates voluit.

Secundum vero eius institutum fuit, de arte prognosticandi verba facere: quæ pars σημειωτικὴ dicitur, id est, de signis indicantibus tum præsentia, tum præterita, ac futura. Hippocratis vero institutum est, nõ de omnibus signis loqui, sed tantum de his, quæ futura præmonstrant, id est, de parte prognosticandi: neque præter rationem: nam cum sermo sit institutus de arte curatiua, non est aliqua pars medicinæ, quæ sit ei magis affinis, quam prognosticatrix. Nemo enim ad administrationem remediorum accedit, nisi, an morbus curationem admittat, cognouerit. Quare non de curatiua modo, sed præsagatiua etiam parte loqui voluit.

Primo autẽ curatiuam intendit: secundo præsagatiuam: nec ab re. Nam si has duas partes adinuicem conferamus, præstantior profecto erit curatiua. Namq; lib. de constitutione artis, ob curatiuam omnia alia in medicina facta sunt, & ad eam omnia alia relationem habent. Et ideo idem Gale. primo de ratione victus commento tertio, curationem per se expeti, siue exerceri a medico dicit, prænotionem autem non ob se, sed ob curationem. Principaliter itaque Hippocrates intendit de curatiua, secundario de prognostica, verba facere.

Modo dictorum ex Hippocrate comprobatio.

Id autem ordine resolutiuo factum fuisse diximus. Nam eo ordine prior est pars, quæ de officio medici tractat. Posterior quæ de prognosticandi facultate. Iam ex Hippo. ipso ostendemus, primo, quod eius primarium institutum sit, de arte curatrice loqui: deinde, quod de arte prognosticandi verba faciat: tandem, quod hæc ordine resolutiuo declaret. Quod ad primum attinet, nemini dubium, quod ars curatiua,

in nullo alio conſiſtat, quam in recta adminiſtratione medicamentorum, quæ conſiſtit in Quid agẽdum, A
Quomodo, Quando, Quantum, & Vbi. [Atq; hinc obiter aduertendum contra recentiores, qui dicũt ex
quinq; iſtis ſcopis quinq; indicationes ſumi: hi enim ſcopi non indicant, ſed indicantur: aliud enim eſt in-
dicans, aliud indicatum, vt ſuo loco dicemus.] Conſiſtit ergo curatiua tota ratio in recta adminiſtratione
Medicamentorum, præterea in Cheirurgia, & Diæta. De quibus tribus inſtrumentis Hippocratem ha-
bere diligentem ac exquiſitam tractationem in volumine aphoriſmorum, palam eſt. Præterea ſi verba e-
iuſdem Hippoc. inſpiciamus in duobus primis aphoriſmis, id clare videbimus. Nam cum in primo dicat,
vitam eſſe breuem, & artẽ longam, quia occaſio præceps, experimentum fallax, iudicium difficile: quid ali-
ud, niſi curatiuam artem, tria hæc nobis præmonſtrant? In ſecunda etiam aphoriſmi parte dicit: nec ſolum
medicum oportet ſe præſtare opportuna facientem, ſed vt æger, & aſſidentes, & exteriora omnia ſint rite B
præparata, conuenit: vbi clare de debito auxiliorum vſu verba facit. Neq; dicere poteſt aliquis, de hoc de-
bito auxiliorum vſu loqui Hipp. pro ſanitate conſeruanda: nam dicit [ſed vt æger] & non de ſano loquitur.
Imo Gal. in 1. aph. 2. inquit Hipp. ſermonem habere de omnibus in vniuerſum quæ ſunt præter naturam,
vt nimirum nos ex illis colligere poſſimus indicationes, quibus cognitis, auxilia recte adminiſtrare valea-
mus. Cõſtat ergo ex his, Hippocratem loqui de arte curatiua: non more empeirici, ſed vere dogmatici me-
dici: vt ex eius progreſſu cognoſcemus.

Præterea Hippocratem de arte præſagatrice loqui, id facile ex Hippocratis progreſſu demonſtrari
poteſt. Nam ipſe a principio ſecundi, vſque ad finem operis, ſemper apponit has particulas, bonum, ma-
lum, lethale, &c. quæ ad artem prognoſticatricem ſpectant: quod ſi qui aphoriſmi a prognoſtico alieni C
eſſe videantur; non tamen ob id putandum eſt, eos de prognoſtico verba non facere. Nam, vt ſuo loco vi-
debimus, aphoriſmi illi omnes in ſuum rediguntur ordinem. Nam nemo eſt, qui neget, a quarto apho-
riſmo huius primi, vſque ad decimumnonum, verba fieri de victu: etſi autem in 12. de conſtitutionibus
morborum, & non de victu loquatur: tamen nemo eſt, qui neget de victu ibi verba fieri. Nam ponitur il-
le aphoriſmus, vt dirigitur ad victum, vt ſuo loco. Vnde in tertio libro aphoriſm. de aere ac temporum
mutatione loquitur, ob artem prognoſticandi: quod & Galenus quincto aphoriſm. eiuſdem libri expreſ-
ſe teſtatur. Dicebat enim Hippocrates, Auſter auditum hebetat, caliginem viſui inducit, &c. Inquit ibi
Galenus, eſſe aduertendum, num id quod accidit, contingat ratione morbi, vel cauſſæ extrinſecæ: nam ex
hoc poſtea prognoſticandi ratio clarior fit. Ecce quod totus ille ſermo eſt in ratione prognoſticandi.
Sed dicet quis: etſi a ſecundo ad finem de arte prognoſticatiua loquitur: non tamen Hippocratem ſer- D
uare grauitatem ſolitam: nam etiam conſtituit opus proprium de prognoſticis. Volo, vt hoc ſoluat Ga-
lenus, primo de criſibus capite ſeptimo, & tertio de difficultate reſpir. capite nono; qui, multa, inquit, in
aphor. dicuntur, quæ pertinent ad prognoſticum: &, quia videbat difficultatem, inquit: aduertatis, quod
in prognoſticis loquitur Hippocrates de ſolis prognoſticis in morbis acutis: in aphoriſmis de prognoſti-
cis in quocunque morbo. Et quoniam cupiebat ſuam reſponſionem ſatisfacere, confirmat eam ex te-
xtu Hippocratis, qui in principio & fine illius operis dicit, ſe velle loqui de prognoſticis in morbis a-
cutis.

Quod ſi quiſpiam dicet: ſi in omnibus ſex libris aphor. loquitur de prognoſticis Hippocrates, quo-
modo procedit? Reſpondeo (& pro nunc hæc ſufficiant) quod Hippocrates conſiderauit, artem progno-
ſticandi ſumi a rebus naturalibus, non naturalibus, & præter naturam. De prognoſtico ſumto a rebus nõ E
naturalibus omnibus (præterquam de aere) vt de ſomno, victu, &c. loquitur in ſecundo. De aere autem
in tertio, vſque ad dimidium tertii. In eodem vſque ad finem eiuſdem tertii, loquitur Hippocrates de pro-
gnoſtico ſumto a rebus naturalibus, vt ab ætate &c. & per ætatem, vt optime aiunt clariſſimi moderni, tẽ-
peraturam intelligit. Deinde a quarto, vſque in finem totius operis, de arte prognoſticandi loquitur, pro-
ut ſumitur a rebus præter naturam, vt a cauſſis morbificis, morbis, & ſymptomatibus. Cur autem in prin-
cipio quarti quædam de vacuatione intermiſceat, ſuo loco dicemus.

Tandem hæc omnia ordine reſolutiuo diſponere Hippocratem, facile comprobari poteſt. Nam ſi
comparemus curatiuam artem prognoſticatrici ſecundum ordinem compoſitiuum; prima profecto erit
prognoſticatrix, hæc vero poſtrema; ergo ſecundum reſolutiuum, prima erit curatiua.

Hinc colligamus, hos libros non eſſe introductorios, quoniam in his fit ſermo de vltimis medicinæ F
Aphoriſmorum volumen non eſſe eiſagogicum.
partibus: & ideo optime Galen. in libro aduerſus Lycum, reprehendit Lycum, qui auſus fuerit Hippocra-
tis Aphoriſmos interpretari, cum non calleret totam artem Hippocratis. Sed forte dicet quis, huic ſentẽ-
tiæ refragari Galenum, dum in prima particula primi aphoriſmi doctrinam aphoriſticam maxime cõdu-
cere inquit ad primam diciplinam: ergo non videtur quod ſit de poſtremis medicinæ partibus. Dico id,
quod dicit conducere ad primam doctrinam, duobus modis poſſe intelligi: nimirum vt dicatur prima, id
eſt, de parte priori in arte: & ſi ita intellexiſſet Galenus profecto introductorius hic liber eſſet. Verũ hoc
modo non intelligitur, ſed ſecundo modo dicitur prima, reſpectu ad ſecundam doctrinam, quæ eſt me-
moria. Quando enim addiſcimus aliquid, quod prius ignorabamus, prima doctrina dicitur: ſecunda au-
tem doctrina dicitur, poſt rememorationem: & hoc modo Galenus intelligendus, quia dicit, modum do-
ctrinæ aphoriſticę ad primam diſciplina conducere, id eſt, ad intelligenda, quæ prius non cognoueramus, G
& poſtea etiam ad retinenda memoriæ, quæ didicimus. Ex his ergo mirum artificium Hippocratis in his
Aphoriſmis tradendis eluceſcit.

III. Ordo in aphoriſmorum expoſitione.
Nunc qua ſerie in explicandis aphoriſmis procedere debeamus, breuiter explicabimus. Primo enim
ex auctoritate Galeni in comm. lib epidem. præſertim primo in tertium quarto, intentionem ponemus,
ac vnum aphoriſmum cum alio connectemus. Secundo, ſi opus diuiſione fuerit, diuidemus. Tertio, ſin-
gula verba ponderabimus. Quarto, cum eodem Galeno examinabimus, an quæ ab Hippocrate dicun-
tur,

A recte dicta sint. In his explicandis & breuitatem, & luciditatem seruabimus. Et, vt breuiores simus, imitabimur Galenum, dicentem, quod nunquam sit recedendum a proposito Hippocratis: imo septima particula aphorismo primo eos reprehendebat Galenus, qui commentationes longas in primis tantum aphorismis induxerant, adeo vt postea fastiditi in reliquis aphorismis multa cognitu digna omiserint. Postremo, vt fidem faciamus huic doctrinæ, eam semper rationibus ex probatissimis auctoribus comprobabimus. Nam, vt dicebat Galenus primo de vsu partium capite quarto; Ratio est, quæ artes docuit. Neque negligemus auctoritates magnorum virorum: vt ars hæc Hippocratica potius practice, quam theorice a nobis explicata habeatur; est enim (vt dixi) Hippocratis intentio in hoc libro primo de arte curatiua loqui.

B

APHORISMVS PRIMVS.

Vita breuis, ars longa, occasio præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Nec solum se ipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & ægrum & assidentes, & exteriora.

Primus hic aphorismus est procœmium totius operis.

V*ita breuis, &c.*] In huius aphorismi interpretatione, eum ordinem seruabimus, quem sumus polliciti. Quantum itaque ad institutum Hippocratis attinet, dicebat Galenus in libello aduersus Iulianum capitulo primo, hunc aphorismum esse procœmium totus operis: &, consentiens sibi, in præsenti commento dicit, aphorismum hunc, siue sit vnus, siue plures, esse procœmium. Et in hoc consentiunt cōmuniter omnes interpretes. C Verum quid per hoc procœmium Hippocrates voluerit, maxime difficile esse intelligere asserit Galenus.

Recentioris cuiusdam sententia, de primo aphorismo.

Hanc difficultatem cum maxime animaduertisset clarissimus Iunior (siquidem sine huius intellectione difficile est postea sequentes aphorismos intelligere) distincte procedens, primo, pro eius intellectione, adducit eas interpretationes, quæ ab expositoribus adducuntur, quas Galenus in commento refert. Quarum expositionum Galenus aliquas reprobat, aliquas negligit, nonnullas aliqua ex parte admittit, aliquas ex toto admittit. Quos modos sex esse Moderni dicunt. Sed præterea addit hic vir doctissimus (cum sibi non vndiquaque satisfaciat modus, qui satisfecit Galeno & ne videatur semper aliena depascere, & nihil noui facere) septimum modum, Galeni modo fortasse meliorem, & exquisitiorem. In quo consistit modus hic tam admirandus, qui modum Galeni superat? Aduertatis, dicit, Hippocratem D posuisse in hoc procœmio magnitudinem & difficultatem artis: nam eius institutum est de tota arte medica in hoc opere sermonem habere. Nam, vt Galenus in arte medicin. totam medicam artem tradidit: sic Hippocrates in aphorismis: licet ille diffinitiuo, hic aphoristico ordine. Neque ab re: nam cum nullibi Hippocrates medicinalem artem totam esset complexus, nihil mirum si eam nunc totam nobis ante oculos ponere voluit.

Confutatio recentioris illius interpretis: itēq; Triuerii.

Quæ opinio cum noua sit, nequaquam mihi satisfacere potest: neque enim ego hoc anno nouam opinionem adinuenire volo: intelligo nouam, quæ prçter Galenum est: nam ego quæcunque dicam ex Galeno proponam. Quia (vt optime dicebat Plato in ciuili, vel de regno) quoties sunt aliqui, qui artem de tuenda sanitate transferunt ad ventos & calores, & frigora, &c. hi medici nominandi non sunt, sed curiosi homines, imo hos extremis suppliciis punire oportet.

E Sed videamus modo an expositio hæc stare possit. Primo falsum est, hic fieri sermonem de tota arte medica. Nam audiuistis de curatiua tantum & præsagatrice parte verba fieri. Sed detur, de tota arte medica verba fieri: quia, qui tractat de parte curatiua, in virtute etiam de tota arte medica tractare videtur: tamen non satisfacit solutio proposita. Nam quæsitum fuit, non cur procœmio, sed cur tali procœmio, in quo difficultatem & magnitudinem artis apposuit, vsus fuerit Hippocrates. Nam per hæc potius dehortari videtur, quam hortari animos legentium. Præterea si verissima est resolutio a Galeno proposita, cum vnica veritas sit: impossibile est, vt aliqua alia resolutio vera sit. Quod autem verissima sit Galeni solutio, vt aliter dicere impossibile sit, sic ostendetur. Verum vnum vos præmonere oportet, idque non alia de caussa dictum sit, nisi quia doctissimum hunc recentiorem veneramur, quod expositio seu resolutio a nobis adducta, & sic etiam redargutio contrarii, non procedit contra ipsum Modernum; sed potius aduersus F Hieremiam Triuerium, in expositione huius loci, qui istius opinionis auctor fuit: & ideo contra ipsum procedimus, non contra doctissimum Iuniorem.

Enarrationes huius aphorismi aliorum, improbatæ vel probatæ a Galeno.

Galenus proposuit sex vel septem potius modos respondendi; & quoniam, vt optime dicit Modernus, aliquos negligit, aliquos omnino improbat, aliquos ex parte approbat, aliquos ex toto: nos, breuitatis gratia, eos tantum modos adducemus, quos aliqua ex parte probat, & quos omnino probat. Modi aliqua ex parte probati sunt primus, tertius, & quartus. Primus modus est, quod ideo Hippocrates proposuerit difficultatem, & magnitudinem artis in procœmio, vt homines excitaret ad artem strenue ac sedulo exercendam. Secundus modus est, quod ideo hanc adduxit difficultatem, vt secerneret ignauos a solertibus, atque vt homines solertes magis ac magis inflammaret. Quartus modus, quod ideo hanc difficultatem artis apposuerit, vt pateret nobis caussa, ob quam sibi opus fuerit scribere commentaria. G Modus autem ex toto probatus, quinctus est, quod ideo hoc a principio apposuerit Hippocrates, vt caussam nobis ostenderet, ob quam commentarios sibi opus fuerit conscribere, non simpliciter, sed aphoristicos. Sed cur reliquos modos aliqua ex parte probat Galenus, quinctum vero ex toto? Quæsitum hoc necessarium cognitu est, & sine huius dissolutione nihil habere potestis. Nos autem cum tanti non simus, vt difficultatem hanc dissoluamus: ad summum ducem Aristotelem confugiemus, vt ex eo habeamus eas omnes leges, quæ ad procœmium constituendum requiruntur. Quantum itaque ad præsens attinet, sciendum, quod exordium, vt dicit Aristoteles in tertio libro Rhetor. bifariam considerari

Quę in exordio requiruntur illa omnia expressit Hippocrates.

potest; vno modo ex parte sui: reliquo ex parte auditoris. Ex parte sui, procemium hoc exigere dicit Philosophus, vt proponat finem, in quem dirigi omnia debeant. Non tamen semper proponere hoc procemium oportet. Nam si sermo de vili aliqua re ac nota fiat, frustra tunc hoc procemium proponitur. Tunc autem id procemium proponendum est, cum sermo de magna re aliqua ac noua est faciendum: tūc enim necessarium est proponere rem, de qua tractaturi sumus, dicit Aristot les, ob hanc caussam, ne auditores suspensi teneantur, sed præscire possint de qua re simus habituri sermonem. Quare in principio exordii proponenda est res de qua sumus habituri sermonem. Et dat exemplum de quodam, qui volebat loqui de bello, quod ex Asia in Europam defluxit: qui tale cœpit exordium: Dic mihi Musa virum: præcipe mihi sermonem alium, vt scilicet possim exacte dicere, quomodo ex Asia in Europam defluxerit bellum. Quantum ad exordium ex parte audientis attinet: eius munus exsistit, vt auditores beneuoli, dociles, B ac attenti reddantur. Attenti redduntur auditores, vbi magna quædam ac noua proponuntur. Beneuoli, vbi res aliqua non sine vtilitate proponitur. Dociles demum, vbi pollicetur auctor ordinate se rem pertractaturum, vel ordinem quo res pertractaturus est.

Pars Procemii spectans auditorem.

Sed cum omnes has leges exordium habere debeat: videamus, an has omnes Hippocrates obseruarit: & videbitis profecto eum non modo purum medicum, sed & absolutissimum fuisse Philosophum, & oratorem. Primum, quantum attinet ad exordium ex parte auditoris: sciatis, quod per illos tres modos quos ex parte approbat Galenus, Hippocrates reddit attentos auditores, præcipue per primum, & tertium: nam per quartum beneuolos eos magis efficit. Nam cum per primum modum ideo Hippocrates difficultatem artis proposuerit, vt homines ad eam strenue capescendam inflammaret: cui dubium, C quod in hoc maxime attentos reddat auditores? Cumque per tertium modum difficultatem ob id apponat, vt solertes ab ignauis secernat, ac vt solertes magis excitet: nemo debet ambigere auditores per hoc attentos effici. In quarto autem, cum proponat difficultatem, vt caussam assignet, ob quam fuit opus scribere commentarios: beneuolentiam proculdubio ab auditoribus captat, nam redduntur beneuoli ex eo, quoniam proponit vtilitatem, cum dicat scripsisse commen. Et ob id Galenus in commento modos hos aliqua ex parte approbat: quoniam non habent conditiones omnes, necessario requisitas ad verum procemium. Aliqua quidem ex parte approbat, quia conditiones habent aliquas: non ex toto, quia non omnes. Et ideo dicit ipse in commen. hi tres modi veri aliquid dicunt, non tamen constituunt procemium Hippocrate dignum, neque congruens his, quæ scribuntur. Veri aliquid dicunt, cum aliquas proponant conditiones ad exordium requisitas: non tamen, faciunt procemium dignum Hippocrate, id est, procemium tale, quod omnes conditiones includat, quodque congruat his quæ dicuntur: D quia primus modus nullam mentionem facit de commentatione, cur scilicet oportuerit scribere commentaria. At vero si quinctum modum considerabimus: profecto inueniemus, omnes leges quæ ex parte auditoris requiruntur, in eo contineri. Fuit enim quinctus modus, quod Hippocrates ideo difficultatem ac magnitudinem artis ostendat, vt nobis caussam manifestet, ob quam sibi opus fuerit scribere commentarios aphoristicos. Quomodo autem ex hoc hæ omnes leges eliciantur, nolo ego manifestare, sed volo, vt id Galenus declaret: inquit enim in commento: idem est id, quod dicit Hippocrates (*Vita breuis, &c.*) ac si diceret: quoniam ars medica adeo longa exsistit, vt ab homine, quantumuis diligenti, non possit inchoari, & ad finem vsque perduci: ideo necessarium est tradere cōmentationes aphoristicas, beneficio quarum ars medica & breuitate & vtilitate, ac summa etiam perspicuitate adquiratur. Cum hoc itaque Galenus dicat, & ista etiam sit rei veritas: cui dubium, omnes leges obseruari. Primo enim cum E proponat commentationem aphoristicam, quæ magna, ac noua est, attentos profecto reddit auditores: cumque hæc etiam vtilis sit, beneuolos etiam eos facit: cumq; dicat dilucide, ac breuiter se hoc tractaturū, nemini dubium esse debet, quod dociles eos efficit.

Exordii pars, spectās rem ipsam.

Leges etiam procemii ex parte sui, hinc eliciuntur. Nam, ex sententia Aristotelis, tunc exordium ex parte sui proponere debemus, cum sermo est de re magna, ac latenti. Hic autem hæc obseruantur: nam loquitur de re magna: si enim auctor operis fuit Hippocrates, qui fieri potest, vt sermo non sit de re non solum magna, sed maxima? Est etiam latens id, de quo verba facit Hippocrates, ideo necessarium fuerat id proponere in procemio: latens quidem est; nam qui tam varia sciebat, non poterat in hoc opere suo de vnica modo re loqui, & ideo latens erat, & ob id istud explicare oportebat. Præterea cum F partes medicinæ duæ essent præcipuæ: therapeutica altera, reliqua de tuenda valetudine: cumque lateret de qua sermonem facere deberet Hippocrates, ideo necessarium erat, vt tale argumentum constitueret, quod significaret nobis rem hanc latentem: & ideo secundam constituit aphorismi partem, vt de qua nam loqueretur medicinæ parte declararet: quæ ibi incipit: *Nec solum præstare se oportet medicum, &c.*

Galenum eiusdem cū auctore esse sententiæ.

His consentit, quod Galenus diligentissimus interpres (qui non ignorauit summum Hippocratis artificium) dicit, Hippocratem in hoc loco constituisse procemium tum commentario, tum his, quæ scribenda erant: quibus verbis quid aliud dicere voluit Galenus, nisi quod duo fecerit procemia Hippocrates, alterum ex parte auditoris, alterum ex parte sui. Propterea etiam Philotheus duo procemia fecisse Hippoc. scribit: sed quomodo id factum fuerit, non declarat. Galenus autem tangit; nam cum dicit G (tanquam procemium fecerit & ipsi commentario) ad auditores id refertur: nam ex commentatione aphoristica sumitur attētio, beneuolentia, & docilitas circa auditores. Cum vero subdit: (Et his, quæ in eo scribenda, &c.) tangit procemium ex parte sui, quod Hippocrates fecit secunda parte aphorismi, cum dicit: (Nec solum &c.) in quo cum dicat, quod non satis est medicum suum fecisse officium, sed oportet, vt assidentes, & æger suum faciant, &c. de re curatiua se sermonem habiturum docet, & de methodo medendi.

A medendi. Vnde ex parte rei nullum melius procœmium facere potuit Hippocrates, quam illud. Ex his ita-
que patet, procœmio duplici vti Hippocratem: & quod Galenus calluerit recte hanc artem, & quod ideo
ex toto quinctum modum, & non alios approbarit.

Hoc procœmium Hippocratis diuiditur in duas ſententias: quarum ſecunda ibi incipit: *Nec ſolum* Procœmii Hippocratei diuiſio.
oportet, &c. Hæ autem duæ ſententiæ partim conueniunt, partim differunt. Differunt: quia prima eſt en-
thymematica, id eſt, cum cauſſa implicita: ſecunda eſt ſine ratione, vt recte dicunt Moderni, & Montanus.
Eſt quidem prima enthymematica, nam cum Hippocrates dicat, *Vita breuis, ars longa, occaſio præceps, ex-
perimentum periculoſum*; idem eſt, ac ſi dicat: ideo vita eſt breuis, & ars longa, quoniam occaſio præceps, ex-
perientia periculoſa, ſeu fallax, &c. Nam, vt dicit Galenus, ſermo non abſoluitur his duobus verbis, ſed pri-
B ma pars orationis hoc vnum caput complectitur; *Vita breuis, ars longa.* Secundo differunt hæ ſententiæ,
quia prima dependet ab Hippocrate vt proferente, ſecunda vt conſultante: nam in ſecunda ſententia, vt
videbimus, Hippocrates veluti pactum & conſilium facit cum his, qui artem medicam ſunt exercitaturi.
Conueniunt tamen hæ ſententiæ: quia vtraque eſt ſententia vera, & abſoluta, & non ex ſuperlatione, ne-
que ex ſimilitudine.

Ad verborum aphoriſmi ponderationem iam deueniamus. Inquit itaque: *Vita breuis, &c.* Quid Vita breuis cur dicatur.
per vitam intelligat facile declarare poſſumus. Nam licet vita pluribus modis ſumi poſſit, vt apud Phi-
lotheum videre poſſumus: tamen quantum ad propoſitum noſtrum attinet, non pro alio tempore vita
ſumitur, quam pro eo tempore, in quo anima corpori coniuncta eſt: propterea Plato in Phædone di-
cebat, quod illo tempore, quo animæ diſſolutio a corpore fit, vita corpus deſtituitur. Deinde dicit:
C breuis. Galenus in commento, & omnes fatentur, dixiſſe breuem, reſpectu ad artem longam;
nec in hoc laborat Galenus, quia inquit ſemetipſum interpretatur Hippocrates, cum ſubdit: Ars
longa.

Circa hanc partem ſolent expoſitores quærere: vtrum homo ſit breuioris vitæ ceteris animantibus. Quæſtio extraordinaria, de vita animantiũ.
Quam quæſtionem a me non exſpectetis: quia non facit ad propoſitum, & propterea Galenus diligen-
tiſſimus interpres de hac materia ne verbum quidem facit, quia Hippocrates non loquitur de breuitate
vitæ, reſpectu ad animalia, vel ad ſtirpes, vel ad alios homines, ſed ad artem medicinalem. Verum ne
quis dicat me velle ſubterfugere labores, ideo vtilitatis veſtræ gratia ſolum huius materiæ reſolutionem
proponam: nam reſolutione habita facile poſtea poteritis quamlibet dirimere difficultatem.

Pro reſolutione autem ad optimos duces, Ariſtotelem & Platonem eſt confugiendum. Non autem
D poſſibile eſt hoc ſcire, niſi quomodo fiat mors, cum Platone in Timæo declaremus: mors, inquam, natu- Mors quid, & quomodo fiat.
ralis; quoniam poſtea Ariſtot. in libello de longitudine & breuitate vitæ, iſtud ad radices vſque explicauit.
Dicebat diuiniſſimus hic Philoſophus Plato, quod cum corpus noſtrum continuo in aſſidua ſit reſolu-
tione ob actionem: niſi præſto ei eſſet alimentum, cuius beneficio id, quod deperditum eſt, reſtaurari de-
beat, dubio procul animal interiret. Et hinc fieri diuiniſſimus hic Philoſophus inquit, quod ſi maior eſt
portio eius quod reſoluitur, quam eius quod reponitur, corpus noſtrum diminuitur: ſi vero repoſitio re-
ſolutione maior ſit, incrementum corpus ſuſcipit. Tunc autem potiſſimum, inquit, incrementum corpus
ſumit, cum corporis ſtructura valida eſt, ac eius calor natiuus robuſtus: quippe qui alimenta optime com-
minuere, & in ſubſtantiam corporis nutriti vertere poteſt. Verum progreſſu temporis cum calor imbe-
cillior reddatur: ob continuam pugnam, quam habet aduerſus alimentum: fit vt fatigatus non ita valide
E alimenta concoquere poſtea poſſit; & hinc fit, quod partes minui incipiant, & hinc imbecilliores reddan-
tur. Imbecilliores autem redditæ non poſſunt continere amplius radicale humidum, quod eſt nexus ani-
mæ cum corpore, & hoc fit tempore ſenectutis. Poſtremo, ſubdit, adeo lãguidus redditur calor, vt nequa-
quam poſſit alimentum admittere: & hinc fit, quod partes poſtea relaxatæ ac deſtitutæ, humorem ampli-
us retinere non poſſunt, & nexum; & inde fit, quod anima clam, & cum voluptate e corpore euolat. Hoc
autem ſubdit, ad differentiam mortis, quæ non cum voluptate, ſed violentia aliqua fit: non per diſſolutio-
nem humidi a calido.

Hanc veritatem cognoſcens Ariſtoteles facile colligere potuit in lib. de longitudine & breuitate Vitæ ſubiectum.
vitæ, vitam in nullo alio conſiſtere, quam in calido & humido: Quia ſi vita conſeruatur ratione caloris ad-
miniſtrantis alimentum, & partes ob alimentum humidum radicale continent: ideo vita in calido, & hu-
F mido conſiſtit. Hinc fit quod ſenectutem progreſſum ad frigidum, & ſiccum vocarit Ariſt. & dicit etiam,
mortem ſuam ſedem habere in frigido & ſicco.

Quo conſtituto, nemini dubium eſt, quod eo diutius viuet animal, quo diutius calidum ac humi- Cauſſæ diuturnioris vitæ.
dum durabit, ac quanto magis reſiſtet cauſſis frigefacientibus & ſiccantibus. Quantum ergo ad ſolutio-
nem quæſtionis attinet ex parte calidi; quo calor eſt vegetior ac robuſtior, eo animal longius viuet. Quo
ad humidum autem, tria ſpectare oportet: ſubſtantiam, quantitatem, & qualitatem humidi. Ex parte
ſubſtantiæ: quanto humidum eſt ſubſtantiæ purioris ac ſimplicioris, eo magis viuet animal. Quo ad
quantitatem: quanto in maiori copia humidum erit, tanto animal erit longioris vitæ. Ex parte qualitatis,
cum duplex ſit qualitas, prima, & ſecunda: ſi ex parte primæ; quanto humidum potius erit temperatum,
G & coniunctum potius temperato calori, quam excedenti, eo animal vitæ longioris erit. Ex parte ſecun-
dæ; ſi humidum non erit fluidum, & aquoſum; ſed potius permanens, ac viſcidum; diuturniorem ani-
malis vitam indicabit. Quibus propoſitis facile eſt tollere omnia argumenta; imo facile eſt intelligere
Ariſtotelem, cum paſſim de hac materia loquatur; ſed modo per viam corrollarii inferamus. Quantum
ad calorem: cum vegetior calor faciat diuturnioris vitæ animal; ideo mirum non eſt, ſi Ariſtoteles loco
citato prolixioris vitæ dixerit eſſe mares, quam feminas; quia calor in eis vegetior: ac, ſi etiam dixerit,

animalia in locis tepidis habitantia diutius viuere, quam habitantia in locis frigidis: quia in temperatis partibus calor est valentior. Quo ad humidum, ex parte substantiæ, humidum purius longiorem facit vitam: Propterea Aristot. 2. de hist. animal. cap. 3. dicit: animalia dentes habentia longioris esse vitæ, quam quæ vel nullos, vel paucos dentes habent: idque non alia caussa, nisi quia habentia dentes probe masticare possunt, ex qua masticatione purius redditur alimentum, ac cum paucis superfluitatibus, & ob id longius viuunt: quæ vero nullos vel paucos dentes habent, impurius habent humidum, & ideo breuiorem vitam obtinent. Hinc etiam est, quod Aristot. dixerit, mulum diutius viuere, quam equum: quia mulus non habet humidum seminale ita intermistum excremento, vt equus. Et hinc etiam est, quod homines, qui ordinatam vitam seruant, ob conseruationem puritatis humidi longius viuunt. Si vero humidum quo ad quantitatem copiosius fuerit, facit, vt animal diutius perseueret. Et hinc mirum non esse debet, si Aristoteles dixerit animalia maiora (quoniam maiorem humidi copiam habent) diutius viuere. Imo Aristoteles dicebat, nihil aliud mortem esse, nisi sanguinis inopiam: & propterea illi homines, qui plus æquo laborant, ac diutius exercitantur, breuius viuunt: Nam exercitatio est diminutio himidi. Si autem considerabimus humidum quo ad qualitatem primam: si humidum temperatius fuerit, longius vitam producit, & ideo non debet præter rationem videri, si Aristoteles 4. de gener. animal. cap. vltim. dixerit; quod homines diutius viuunt, quam quædam animalia etiam maiora: quia habent humidum magis temperatum. Et hinc etiam dicebat, quod apes diutius viuunt, quam quædam animalia: quia habent alimentum dulce, & magis temperatum. Et hac etiam de caussa dicebat animalia felle carentia, vt delphinum, & camelum, longius viuere. Si postremo quo ad qualitatem secundam consideratur humidum, viscidum & permanens longioris vitæ caussa est. Hinc idem Philosophus dicebat, terrestria animalia diutius, quam aquatilia viuere: quia in aquatilibus humidum aquosius, in terrestribus magis viscidum existit. Habet etiam in lib. de longitudine & breuitate vitæ, quod stirpes quædam longius, quam nonnulla animalia viuunt; ob humidum viscidius. Et hinc etiam est fortasse, quod homines viuunt longius, quam omnia animalia maiora, excepto elephante: quia in eo humidum est constantius. Ex his facile colligere possumus, quomodo homo sit breuioris, vel longioris vitæ, quam stirpes, quam animalia, & cetera demum omnia; sed, vt diximus, extra nostrum hæc sunt propositum.

Medicina, quomodo ars dicatur.

Subdit Hippocrates, *Ars longa*. Nemini dubium esse debet, quod per Artem, intelligit Medicinam. Dixit autem artem, quia propria vti voce voluit. Improprie enim est scientia. Nec hic volo quæstionem hanc examinare vtrum sit ars, vel scientia: quę penitus logica quæstio est. Quod si volueritis scire, cur modo ars, modo scientia nuncupetur: fortasse non erit præter rationem dicere, doctos viros ideo modo artem, modo scientiam illam appellasse: quia ad Platonē respexerunt, qui in dialogo de summo bono quinque gradus bonitatis constituit: in primo collocat omnium rerum mensuram; in secundo pulchritudinē, commensurationem, ac veritatem; in tertio mētem, ac sapientiam; in quarto scientiam, artem, & opinionem; in quincto temperatam voluptatem. Cum itaque medicina in quarto gradu collocetur: ideo non est mirum, si modo ars, modo scientia nuncupetur. Sed dicet quis: cur proprio vocabulo eam vocat, cum artem dicit? Hoc declarat a priori Arist. 6. ethic. a principio, vsque ad capitulum quartum: nam ibi habemus plures esse habitus intellectuales, sunt enim scientia, intellectus sapientia, prudentia, & ars. Cum itaque medicina sit habitus intellectus, facile colligimus ex Arist. quod non sit habitus, vt scientia, nec vt sapientia, nec vt intellectus; quoniam hi tres habitus versantur circa res quæ aliter sese habere non possunt. Tamen differentia est: quia prudentia versatur circa agibilia, ars vero circa effectibilia: & ob id cum medicina circa effectibilia versetur, propria ars erit.

Medicina est ars liberalis.

Sed cum ars sit: est ne ars liberalis, an potius vilis & sordida? Dicebat Galenus in oratione suasoria ad artes, capitulo vltimo; quod non modo sit ars liberalis, sed etiam liberalissima: & maxime mechanica. Nec tamen ob id sequitur, quod sit sordida, & vilis: nam docuit nos Plato in dialogo de recta nominum ratione, quod hæc vox μηχανὴ, significat excogitationem quandam solertem, ac sublimem machinationē: vt nihil aliud significet, quam altam quandam ac profundam intellectus penetrationem; vnde medicina est ars mechanica, non quia sordida; sed quia in ea fit maxima ac sublimis penetratio, atque requirit hominem præstantis ingenii. Si autem liberalis est ars medicina maxime est secundum eam partem, (vt dicebat diuus Plato,) in qua medicus fit a medico, quod dicebat in dialogo Exhortatorio. Medicus enim medicinam recte callens duo præstare potest munera; alterum vt medicum efficiat, reliquum vt inducat sanitatē. Cum medicus inducit sanitatem, opus efformat: cum vero medicum efficit, doctrinam inducit. At liberalior est habitus doctrinæ, quam operis: & ideo liberalis scientia medicina est, & præcipue secundum eam partem qua medicum effingit.

Medicina est longa.

Hæc autem ars longa est. Verum vt nulla in animis vestris dubitatio relinquatur, primum quomodo longa sit, deinde ex quanam parte, declarare instituimus. Artem igitur nemo longam esse dubitat: quomodo autem longa sit, exprimit Galenus primo de differentiis pulsuum c. 1. dicens esse longam suapte natura. Quomodo autem sua natura longa sit, dicebat Hippocrates in Lege, quod ad recte acquirendam medicam artem necessarii sunt aliqui Duces; nimirum natura, doctrina, institutio a puero, mores, locus studiis deditus, summa industria, & denique tempus. Quod declarat Hippocrates sumto exemplo a fructibus; vt enim cum fructum quis colligere voluerit, necessarius est ager, sic in disciplinis necessaria est natura addiscentis. Secundo sunt necessaria semina, quæ respectu doctrinæ tenent: & ideo qui recte volunt addiscere, bono opus est vt habeant perceptores, vt optima doctrina inseri possit. Deinde opus est, vt semina debito tempore in aruum mittantur: & hoc respondet institutioni a puero. Necessarius præterea est aer ambiens commodus, qui correspondet loco studiis dedito. Requiritur agricultura quæ

quæ correspondet industriæ, studio, ac moribus. Et postremo requiritur tempus; quoniam omnia tempus moderatur. Quare cum hæc omnia acquirere ac habere, non nisi maxime longum sit; ideo medicina maxime longa est.

Longitudo medicinæ, num ad habitum, vel vsum, vel ad vtrumque referenda.

Sed penes quas partes medicina longa est? Nam duas habet partes, vsum, & habitum. Scire oportet has duas partes fuisse ab antiquis etiam propositas: nam Hippocrates dicebat, quod ille, qui medicam artem callere vult, necessarium est, vt non modo sermone vtatur; sed vt in conuersatione versetur: nam per sermonem habitum intellexit; per conuersationem, vsum. Huius etiam sententiæ Plato exstitit in 1. de Repub. dialogo, quod ars medica illa est, quæ non modo vtile inuestigat; sed præbet: inuestigat ad habitum referens; præbet ad vsum. Idem Aristoteles (& hoc valet ad difficultates multas remouendas) in 6. B Ethic. cap. 3. & 4. tangens habitum artis, dixit; artem versari circa vniuersalia: & paullo post cap. 7. dicit; artem esse singularium, quo ad vsum. Ideo vana quæstio est: An ars circa vniuersalia, an circa particularia versetur; nam quo ad habitum circa vniuersalia, quo ad vsum circa particularia. Propterea addebat Arist. quod non modo sat est scire, quod carnes in vniuersali concoctu faciles conducant ad sanitatem; sed quęnam hæ carnes sint: quia non modo habitum; sed etiam vsum scire oportet. A quo suscipiens Galenus 9. meth. c. 6. dicebat medico necessarium esse habere vtrunque, tum habitum, tum exercitium; vnde habitū cruri dextro, vsum sinistro comparauit: nam vt carens altero crure homo claudicare dicitur, sic medicina claudicat sine altero horum, vel vsu, vel habitu. Sed dicet quis, vtrum horum est dignius, & vtilius: num habitus, an potius vsus? Dicendum, quod absque dubio habitus, cum vniuersalium sit, dignitate præcedit vsum, qui est particularium: sed quo ad vtilitatem, oppositū se habet; nam magis vtilis vsus est: propterea dialogo, qui Litigiosus inscribitur, diuus Plato dicebat, nullius vtilitatis esse artē illam, quæ docet modum C facilem conuertendi omnia in aurum, imo si omnia conuerterentur in aurum, nihil prodesset nobis, nisi ad quem vsum hoc fiat cognosceremus.

Iunioris cuiusdam opinio.

Cum itaque hæ duæ partes medicinæ sint: Modernus a Montano accipiens contra Galenum tenet, quod impossibile sit artem hic pro habitu accipere, sed debemus eam audire pro vsu. Hanc veritatem cōprobat valida ratione, & satis euidenti auctoritate. Ratio fuit: quia ratione habitus nihil aliud considerat medicus, nisi corpus humanum sanabile, principia, eius partes, ac passiones. Hæc autem omnia considerat, vt finita in specie: & propterea ratione huius ars longa esse non potest. Idem probat auctoritate Galeni: quia 9. de placitis Hippocra. cap. 2. inquit, habitum quemcunque artis vno tantum anno haberi posse: vsum vero neque toto vitæ curriculo. Ergo breuis est ars ratione habitus; sed longa ratione vsus. Et quoniam acutissimus Modernus videbat, quod aliquis dicere poterat pro Galeno, quod habitus potest bifa- D riam considerari: vno modo, ratione artis medicæ inuentæ; altero modo ratione artis medicæ inueniendæ: si ratione inuentæ consideretur, breui spatio acquiri potest; si ratione inueniendæ, maximus est labor, & maximum tempus: statim dicit Modernus, euasionem nullam esse, primum quia tempore Hippocratis medicina erat inuenta auctoritate Platonis, qui dicit medicinam inuentam esse tempore Æsculapii: ergo Hippocrates non potest loqui ratione artis adinueniendæ. Præterea vis videre, quod non loquitur de inuenienda arte, probo id: quia Hippocrates, volens probare artem esse longam, dicit; quia occasiō est præceps: modo occasio non potest esse præceps in habitu; sed bene in vsu. Quare de artis longitudine, quo ad vsum, non quo ad habitum, loquitur Hippocrates. Præterea, (& dicunt etiam fuisse sententiam Galeni) Hippocratis institutum nullum aliud est, nisi tradere quasdam regulas, & aphorismos, beneficio quorum medicus possit exercere artem inuentam circa singularia: Ergo non ad E habitum, sed ad vsum refertur artis longitudo: cuius contrarium dixit Galenus in commento. Hæc Modernus.

Propria sententia: medicinam esse longam ratione vsus, & ratione habitus artis inueniendæ.

Nos vero considerantes Platonis præceptum in dialogo de Mendacio (vbi dicebat nullum esse euidentius inscitiæ argumentum, quam ab opinione sapientum virorum recedere) nequaquam existimauimus bonum esse a Galeni sententia deuiare. Neque enim credimus, Galenum, qui in his exponendis aphorismis adeo diligens interpres fuerit, fuisse in re, quæ non admodum difficilis est, alucinatum: ac eo præcipue, cum 9. de Plac. Hippoc. c. 2. artis medicæ habitum breui posse comparari tempore dixerit: quod etiam primo de Crisib. c. 13. & 2. de Crisib. c. 3. & in lib. de præcognit. ad Posth. confirmare visus fuit. Nos itaque dicimus, quod vel est sermo de longitudine artis ratione vsus, vel ratione habitus. Quod longa sit ratione vsus, ab aduersariis conceditur: & Hippocrates hoc in aphorismo confirmat, cum de occasione, F iudicio, ac experimento loquitur. Si vero de habitu loquamur: dicimus, posse habitum bifariam considerari; vel ratione artis medicæ inuentæ, vel ratione inuenienda. Si de inuenta loquimur: concedimus & nos cum aduersariis, posse breui hunc habitum comparari spatio: at de habitu respectu medicinæ inueniendæ, tota est controuersia: nos enim huius ratione longam esse artem dicimus.

Vt autem intellectus noster acquiescat; duo comprobabimus: vnum est, quod ante Hippocratis tempora medicina non fuerit inuenta, vel valde imperfecte inuenta: alterum, quod ipse Hippocrates loquitur de longitudine artis, respectu etiam artis inueniendæ.

Primum comprobamus, non discedentes ab his testimoniis, quæ ab aduersariis sunt adducta: Ipsi enim ex Platone probabant ante Hippocratem medicinam fuisse inuentam. Plato in conuiuio, vel de amore dicit, quod ab Apolline Amoris discipulo, duce amore, & desiderio, fuit inuenta ars medica. Quini- G mo eodem in conuiuio asserit, vbi de laudibus Eryximachi verba facit, artem medicam fuisse ab Æsculapio inuentam. Expresse itaque asserit medicinam aliquo tempore fuisse inuentam. Quod quidem sic (vt puto) intelligere oportet. Ab antiquo artem medicam fuisse adinuentam, non quidem ex toto: sed penes semina. Expositio potest colligi ex Hippocrate: si fas est per Hippocratem, Platonem interpretari. Inquit Hippocrates in lib. de veteri medicina, ab antiquis fuisse inuentam viam & principium medicinæ: &

propterea posteros,per ea, quæ ab ipsis inuenta sunt, meliorem posse ac faciliorem habere aditum ad in- A
uenienda.Ideo non ex toto erat inuenta;sed necessarium erat,vt perficeretur. Quod & Galenus confir-
mat septimo Aphoris. 26. inquiens, Hippocratem fuisse primum , qui multa adinuenit in arte medica.
Quinimo vnum aliud addam,quod etiam recentiores dicunt in multis locis,quæ ab ipsis colligimus, vi-
delicet quod nec Hippocrates ita perfecerit medicinam,vt aliquid in ea non desideraretur. Inquit enim
Galenus primo de elementis,capite sexto,nemo ex toto artem medicam absoluit. Ac primo de vsu par-
tium capite octauo ,ait ; omnia quæ Hippocrates dicit de arte medica , vera sunt, & nihil perperam dicit;
tamen aliqua confuse, aliqua diminute tradidit: vt propterea coactus ipse Galenus fuerit, (vt ibi dicit)
obscure ab eo dicta, distincta reddere,& diminuta complere. Vt si desideratis exemplum : Galenus pri-
mo,ad Glauconem in principio gloriatur se primum fuisse,qui exactam doctrinam febrium ephemera-
rum tradiderit:propterea primo,de dign.pulc.capite secundo,eos reprobat, qui in arte medica insistunt B
in variis quæstionibus;quandoquidem ars medica longa est,& requirit hominem maximo præditum in-
genio.Imo Galenus primo de ratione victus in acutis 44.dicebat;quod non est vnus homo idoneus,& ad
docendam medicinam,& ad eam in singularibus exercendam. Quare non modo vsus, sed habitus lon-
gus dicitur. Hoc erat primum declarandum , quod scilicet habitus ratione scientiæ inueniendæ longus
nimis est.

Secundum erat,quod in hoc aphorismo loquatur Hippocrates de arte longa, ratione artis inueni-
endæ. Id per Galenum & Hippocratem confirmari potest. Per Galenum, qui in commento,cum dicat
duo esse instrumenta artium inueniendarum,experimentum,& iudicium , clare loquitur de inuentione
artis.Præterea hoc in eodem commento dicit:nemo enim satis esse potest ad eandem artem inchoandam
simul,& absoluendam,sed satis videri debet,si quæ multorum annorum spatio maiores inuenere , posteri C
accipientes,atque his addentes aliquid,illam aliquando compleant,atque perficiant.Ergo ad inueniendã,
non ad inuentam respexit artem.Ex Hippocrate etiam:nam si Hippocrates regulas quasdam generales,&
præcepta generalia,quæ aphorismos vocãt,tradit:hæc quid aliud sunt,quam habitus? Bene tamen verum
est,quod de hoc habitu loquitur,vt ad vsum dirigitur.

Confutatio recentioris medici opinionis.

Sed quid ad argumenta iuniorum ? Credo esse facillimum ea tollere: & ad primum , ex auctoritate
Platonis,iam constat responsio:nam Plato dicebat ab antiquo inuentam , non ex toto , sed penes semina.
Ad illud nono de placitis,dico,quod loquitur de habitu ratione artis inuentæ,qui breui acquiritur. Ad il-
lud de occasione,credo quod sit facile respondere:nam verissimum est hoc , quod hi asserunt,tantum ad
vsum facere occasionem,quodque ad inuentionem nihil faciat:neque hoc ignorauit Galenus:nam occa-
sionem in hoc com.ad particularia,& ad vsum refert.Modo non valet hæc consequentia:occasio ad vsum D
tantum refertur:ergo ars est longa ratione vsus tantum. Valeret quidem si proponeret longitudinem ar-
tis ratione occasionis tantum. At,præter occasionem,addit iudicium difficile,experientia fallax.Nam iu-
dicium & experimentum,difficile & fallax,cõducunt tum ad vsum,tum ad habitum,vt suo loco dicemus.
Vnde est longa ars,ratione vsus,tum ob occasionem,tum ob experimentum,tum ob iudicium: est longa
ratione habitus,tum ob experimentum,tum ob iudicium,non ob occasionem:ideo non valet ratio. Cum
vltimo loco addebant,citra controuersiam ab omnibus cõcedi,quod Hippocrates hic tradat regulas ge-
nerales,vt harum beneficio vsum in singularibus habere possimus; licet id sine controuersia dictum esse
asserant:dicimus tamen id neque Galenum,neque alium quempiam affirmare posse:nam tradit hæc præ-
cepta ratione habitus,& vsus,vt scilicet primo horum præceptorum habitum consequamur,& beneficio
postea habitus habeamus exercitationem in singularibus. Cõstat ergo,quod artem dicat esse longã Hip- E
pocrates,tum ratione vsus,tum ratione habitus artis inueniendæ.

Medicina quare longa.

Sed quare est longa?Quia hæc quæstio erat dissoluenda;ideo subdit Hippocrates,longa est;quia oc-
casio est præceps,experimentum periculosum,&c.

Occasio medica, quid sit.

De occasione primum loquamur,vt distincte procedamus:primum quid sit occasio:secundo quo-
modo per occasionem medica ars longa sit,declarare lubet. Quo ad primum:Iuniores dicunt ex senten-
tia Hippocratis in lib.qui inscribitur Præceptiones , occasionem nihil aliud esse, quam opportunitatem
medicinalem,in propinatione cibi,& medicinalium. Ego autem (si licet mihi dicere quod sentio) ne-
quaquam existimo hanc esse bonam definitionem occasionis : nam concedo bene Hippocratem dicere
occasionem esse opportunitatem medicinalem,&c.non tamen ob id sequitur:ita dicit Hippocrates;ergo
hæc est definitio. Nam si quis auctor(exempli caussa)dixerit,homo est albus:non valet inferre,hic auctor F
ita dicit;ergo hæc est hominis definitio. Quod autem definitio occasionis hæc non sit: ex definitionis le-
gibus,& ex Hippocrate probamus eo in loco. Ex legibus definitionis:nam definitio ita limitare debet de-
finitum,vt ipsum a quocunque alio seiungat. Modo,cum dicimus occasionem esse opportunitatem, &c.
hoc non modo occasioni competit,sed & tempori opportuno : confirmo hoc eo in loco per Hippocra-
tem,vbi dicit:nos medemur aliquando occasione,aliquando tempore opportuno. Quare,cum opportu-
nitas medicinalis competat tum occasioni , cum tempori opportuno: ergo hæc non potest esse bona oc-
casionis definitio.

Quare dicendum aliter est,quod scilicet Occasio nihil aliud sit,quam pars temporis opportuna, ac
momentanea , qua operationes medicæ mensurantur. Hæc est eius definitio. Declaro ex Hippocrate,
loco adducto. Dico occasionem esse partem temporis,vt a toto tempore seiungatur: Nam Hippocrates G
ibi dicebat,tempus est,in quo est occasio. Occasio vero est,in qua non est multum temporis. Vnde occa-
sio pars temporis est,& est opportuna:nam illud,quod citra opportunitatem animalis fit,non vergit ad v-
tilitatem animalis,sed ad interitum potius,vt Hippoc.lib.de decenti ornatu. Dixi præterea momentane-
am,vt distinguatur a quocunq; tempore,quod potest habere aliquam latitudinem : & hoc dicit Galenus
in præ-

A in præſenti commen.& in 12.lib.de vſu partium c.2. Poſtremo dixi, *Quæ operationes medicæ menſurantur.* Pro qua particula duo ſcire oportet: vnum, medicas operationes menſurari ab occaſione: ſecundum, quomodo ab ea menſurentur. Quoad primum: operationes medicas menſurari ab occaſione, hoc colligere licet ex Hippocrate, in eo de præceptis lib. vbi dicit; occaſionem maxime conducere ad operandum. Ecce, quod occaſio maxime conducit ad operationes: quod etiam Galenus in com. declarauit. Diximus medicas, vt a quacunque alia actione & occaſione id diſtinguamus. Sed quomodo hæ operationes occaſione menſurentur, difficilius eſt cognoſcere: nam menſurantur quatenus hæ operationes ſunt motus. Aduertendum tamen, quod licet Ariſtot. 4. Phyſic. dicat motum a tempore menſurari; & quod motus menſura ſecundum prius & poſterius, tempus ipſum ſit: operationes tamen medicæ nequaquam hoc modo, quo motus a tempore, menſurantur. B Nam ea ratione tempus motum menſurat, quatenus in eo prius & poſterius exſiſtit, quatenus competit enti ſucceſſiuo habere partes ſcilicet diminute: nam eius pars præterita dicitur, quæ præceſſit; futura, quæ iam ventura eſt. In occaſione autem non eſt pars præterita, ſeu prior, neque futura, ſeu poſterior; ergo occaſio non menſurat operationes medicas, vt tempus mẽſurat motum. Quomodo igitur occaſio has operationes menſurat? Hunc in modum: Quia ab hoc vt motus a tempore menſuretur, neceſſarium eſt, vt vniatur prius & poſterius per quoddam medium; nam aliter non poſſet fieri menſura, niſi daretur hæc vnio. Hæc autem vnio, quæ inſtans eſt, temporis quodammodo particula exſiſtit. Vnde ſi accidat, quod hoc inſtans, coniungens præteritum cum futuro, ſit inſtans opportunum, tale inſtans opportunum dicitur occaſio. Et ſecundum hunc modum operationes medicæ menſurantur ab occaſione, vt parte quadam temporis momentanea, cõiungente partem priorem & poſteriorem in tempore.

C Sed dicet quiſpiam: non videtur Hippocratem debitam ſeruaſſe grauitatem cum de occaſione locutus fuit; nam ſi occaſio eſt pars temporis momentanea, ſatis fuerat dicere; occaſio, & non debebat addere, præceps: nam etiam ruſtici ſciunt, quod occaſio præceps & fugax eſt, & ob id eam pingunt in anteriori parte capitis capillata fronte, & in parte poſteriori capillis nudatam formant, & fugacem, &c. Ad hoc duplicem aſſignamus reſponſionem. Altera eſt, quod Hippocr. dicit; præceps, quia medicus eſt artifex ſenſatus, qui non conſiderat res in puncto, & ideo conſiderat occaſionem cum aliquali latitudine, quæ vel maior, vel minor poteſt eſſe: vt autem alluderet Hippoc. ad difficultatem medicinæ, eam tangere voluit occaſionem, quæ minorem habet latitudinem: & ideo dicit, occaſio præceps. Quod etiam ex Galen. colligi poteſt. 5. de tuend. val. tud. cap. 3. vbi dicit, occaſionem illam, quæ eſt in morbis, eſſe magis præcipitem, quam quæ eſt in tempore ſanitatis. Cum autem hic de occaſione non in ſanis, ſed in ægris loqueretur, D ideo dicit occaſio præceps. Secunda reſponſio: (iudicio meo melior) quod Hippocrates non dicit occaſio præceps; ſed tempus acutum & velox. Idque ex Idiomate Græco haberi poteſt vbi dicitur. ὁ δὲ καιρὸς ὀξύς. Et aduertatis ne Fuchſius vos decipiat. Nam licet Græcam linguam fuerit profeſſus, tamen hic in maximo eſt errore; cum dicat καιρὸν ſignificare aliquod tempus anguſtum, id eſt, occaſionem. Et motus fuit Fuchſius auctoritate eius, qui conſtituit dictionarium græcum. Sed ſi magis licet Hippocratem per Hippocratem interpretari, quam per conſtituentem dictionarium græcum: dicendum, quod Hippocrates in his aphoriſmis multis conſueuit vocabulis tempus vocare. Nam vtitur verbo χρόνος, pro tempore, ſecundo aphoriſ. ſeptimo, vtitur & verbo ὥρη, tertio aphoriſ. primo, tertio & quarto aphoriſmis, pro tempore ſignificando: pro tempore etiam καιρὸς dixit, tertio aphoriſ. octauo, vbi non de occaſione, ſed de tempore, loquebatur. Et ob id dicit tempus acutum, vt occaſionem denotaret. E Et hæc expoſitio mihi magis, quam prima, ſatisfacit: nam non cogimur facere diſtinctionem de duplici occaſione.

Hac exſiſtente natura occaſionis quæritur quomodo ars medica ſit longa ex occaſione? Dico quod id prouenit tum ex parte occaſionis, tum ex parte corporis. Ex parte quidem ſui: nam in puncto conſiſtit occaſio, vt dicebat Gal. 12. de vſu partium, cap. 2. Et ideo inquit ipſe, quod quoties inducenda eſt ſymmetria, vel habet latitudinem, vel non: ſi habet, non eſt difficile inducere ſymmetriã: ſi non habet latitudinẽ, ſed in puncto conſiſtit, vt non liceat vltra progredi, hoc eſt valde difficile aſſequi: Et hinc eſt quod naturam ita progredientem admiramur. Et propterea cum occaſio latitudinem non habeat: ſequitur ex parte occaſionis, quod ars longa ſit. Eſt præterea difficilis occaſio ex parte corporis, & ob id ars longa: nam, vt dicebat primo ad Glauconem. 1. Gal. vnumquodque corpus propriam habet occaſionem. F Præterea corpus humidum eſt valde fluxile, vt dicebat Hippocrates in lib. de decenti ornatu, & Plato in conuiuio, vt continua ſit mutatio in corpore noſtro: quod & 2. ſectio. problem. 28. viſus fuit confirmare Philoſophus. Confirmatur denique hoc ex Gal. qui in hoc commen. dicit; occaſionem eſſe præcipitem ob corpus humidum fluxile; nam facile, atque continuo alteratur a cauſſis, non modo externis, ſed etiam internis. Ideo optime Philotheus dicebat, quod quoties eſt occaſio exhibendi vel cibi, vel medicamenti, tunc euenit, vt vel acceſſio inſtet, vel ſymptomata alia, quæ impediunt nos, quo minus id faciamus, & ideo tollitur poſtea occaſio, & difficile admodum eſt ipſam poſtmodum inuenire: & ideo mirum non eſt; ſi, tum ratione ſui, tum ratione corporis, occaſio præceps eſt: neque mirum etiam videri debet, cum adeo difficilis ſit occaſio, vt ars longa ſit merito occaſionis. Ars medica quomodo longa, ex occaſione.

De occaſione hactenus, quo ad per compendium fieri potuit, locuti ſumus: nunc de ſecundo, id eſt, G de experimento, loquamur. Dicit enim Hippocrates: *experimentum periculoſum.* Quid ſit experimentum, primo declarare oportet: ſecundo quare fuerit adinuentum. Sed vt aliorum confutem ſententias, non opus eſt, vt a me exſpectetis; nam propoſita veritate, falſitatem aliorum facile ex vobiſmet ipſis cognoſcere poteritis. Ne autem æquiuocatio aliqua contingat, per experimentum ego experimentum medicum intelligo: vt fiat diſtinctio ab experimentis, quæ in aliis artibus, ac ſcientiis reperiuntur. Huius autem talis Experimẽtum medicum, quid?

assignatur definitio. Experimentum est simulacrum fixum in memoria ex multiplici memoria, atq; sensatione magis multiplici, ad artis medicæ inuentionem & vsum conducens.

Experimēti generatio.

Pro cuius definitionis intelligentia, primo quomodo experimentum generetur, declarare oportet: nam hoc declarato facile cognoscetis non modo difficultatem hāc; sed quod passim Gal. dicit, quod duo sunt instrumenta, quæ conducunt ad inuentionem artis, Experimentum, & Iudicium. Sciendum itaque ex Aristotele, tum primo diuin. in principio, tum secundo post. in calce, hunc in modum experimentum fieri. Primum quidem necessarium est, vt fiant sensationes circa indiuidua eiusdem speciei, vt verbi gratia, nos obseruamus, quod hoc rhabarbarum purgat choleram, & illud, & illud: et has obseruationes appellamus sensationes: neque credatis sensationes has esse experimentum; quia falsum hoc esse ex Aristot. ibi liquet: Deinde ex his sensationibus memoria fit: nam vbi tertio viderimus rhabarbarum euacuare bilem, recordamur secundæ, & primæ obseruationis, & sic fit memoria. Deinde ex multis memoriis fit vnum opus animæ, id est, vnum simulacrum in memoria: & hoc est experimentum. A quo experimento, & animę operatione, intellectus postea constituit propositionem vniuersalem; omne rhabarbarum purgat bilem: nam intellectus ex simulacro constituit vniuersale, quod est principium in arte. Et ex hoc colligatis, experimentum non esse principium in arte, sed esse instrumentum ad principia artis inuenienda: vt patet ex Galeno in hoc commento, & 2. meth. 6. & 4. meth. 3. & 5. meth. 1. & multis aliis in locis.

Explicatio definitionis experimēti.

Hac conditione experimenti constituta facile est modo definitionem intelligere. Diximus primo, experimentum esse simulacrum: per hoc intelligentes animę opus, per quod tanquam per instrumentum intellectus facit postea propositionem vniuersalem.

Deinde diximus, fixum. Est autem necessaria, hæc particula: nam si experimentum cá ratione fit, vt beneficio eius intellectus postea constituat principia artis: principia autem semper debent manere, & esse fixa: & ob id ex aliquo fixo debent prodire: cum ergo ex experimento prodeant; experimentum fixum esse debet. Et ideo constat, quod non ex vna tantum, vel altera sensatione constat experimentum. Idemque Galenus 6. de tuend. valet. 14. dicebat, experimentum habere vicem oportet regulę, vt nihil scribamus, nisi experientia sit confirmatum. Postea in definitione diximus, in memoria. Per memoriam autem facultatem memorandi, quæ singularium receptiua est, intelligimus. Diximus deinde, ex multiplici memoria: per hanc autem non memorandi facultatem intelligimus, sed operationem memoriæ facultatis, nempe recordationes ipsas; nam ad experimentum faciendum plures memoriæ requiruntur. Et propterea citatis locis dicebat Aristot. quod experimentum est memoria multiplex, seu multæ memoriæ vnum faciunt experimentum; Vbi aduertatis, quod Aristot. dedit definitionem (si definitio dici debet) experimenti, per caussam efficientem: dicit enim experimentum est multiplex memoria, id est, fit ex multiplici memoria: nam, vt ibidem Philosophus dicebat, ad experimentum plures memoriæ, ad vnam memoriam plures sensationes. Vnde si ad experimentum requiruntur plures memoriæ, & ad vnam memoriam plures sensationes: ergo multo plures sensationes quam memoriæ requiruntur ad experimentum. Et hoc dicebat Galenus in lib. ad Thrasyb. de opt. sect. inquiens, experientiam esse memoriam eorum, quæ frequenter & eodem modo videmus. Quæ etiam definitio ex efficiente constat: nam experimentum non est memoria, sed fit ex memoria eorum, quæ frequenter eodem modo videmus; vt etiam memoria a sensationibus pluribus, eodem modo semper visis, fit.

Postea in definitione est additum; ad artis medicæ inuentionem, & vsum conducens. Nam, vt Aristot. locis citatis dicebat, experimentum confert ad inuenienda principia in omnibus artibus ac scientiis. Nos hic loquimur non de experimento ad quamcunque artem & scientiam faciente, sed de experimento medico. Diximusque, ad inuentionem, & vsum. Et quo ad inuentionem quidem attinet, facile cognosci potest, quod experimentum conducat: nam ex locis citatis, ex experimento facimus vniuersalia principia: exempli gratia, quod omne rhabarbarum purgat choleram. Quam etiam veritatem Hippocrates in lib. de veteri medicina tetigisse videtur; vbi dicit, quod cum obseruassent homines malam esse eandem victus rationem in sanis & ægris, cœperunt obseruare, an eadem vel diuersa vti melius esset: & tandem experientia adinuentum est hoc principium, quod alia victus ratione sani, alia ægri, vti debent. Vnde etiam Galen. 1. Prorhet. sect. tertio, comm. 33. inquit, Hippocratem ex multa experientia, quam ex particularibus sibi fecit, vniuersalia collegisse; quia ex sensationibus memoriæ, ex memoriis experimentum, ex experimento vniuersale. Hoc etiam Galenus in præsenti commen. dicit. Imo tanti fecit experimentum, vt secundo de tuend. libris simplici. & præsertim lib. nono, vbi de lapidibus & alibi, dicat, esse quædam in arte, quæ solo experimento adinuenta sunt, sine vlla ratione. Idem sentit 3. meth. cap. 1. vbi reprobat eos, qui omnia experientia in arte fieri dicebant, & eos, qui omnia ratione: nam quædam ratione inueniuntur in arte, quædam experimento; Et ob id licet non ita principale sit instrumentum experientia, vt iudicium; tamen est principale secundum quid, quo ad illas scilicet partes artis, quæ solo adinueniuntur experimento.

Conducit etiam experimentum ad vsum: nam vbi cognouerimus, quod omne rhabarbarum purgat choleram, cognoscemus etiam quod in hoc indiuiduo purgat choleram, & ideo exhibemus rhabarbarum.

Experimētum cur periculosum.

His habitis facile est intelligere; quid Hippocrates in præsenti loco velit, cum dicit, *Experimentum periculosum.* Nam non intellexit sensationes, sed illud opus animæ, quod ex multis memoriis, ac multo pluribus sensationibus fit: & ideo dicit, esse periculosum; nam ad hoc faciendum experimentum multa requiruntur, vt multæ memoriæ, & multo plures sensationes, quæ sensationes non citra periculum fieri possunt. Caussam, cur hæ sensationes citra periculum fieri non possint, reddit Galenus in commento, inquiens: quod id est propter subiecti nobilitatem. Sed iuniores dicunt; verum esse id, quod dicit Galenus,

A nus, experimentum esse periculosum propter subiecti nobilitatem, sed & alias etiam caussas esse, cur experimentum sit periculosum, vt experientiæ difficultates, & proprietates occultas. At ego mehercule ignoro, cur hi tam facile voluerint Galeno addere, qui non diminutus, sed bene obscurus fuit. Nam cum addunt ad experimenti periculum, difficultatem experimenti, & proprietatem occultam, dico quod proprietas occulta non est aliud a difficultate experimenti; nam hæc proprietas occulta in caussa est, cur experimentum sit difficile. Præterea statim cum ponitur subiecti nobilitas, statim innotescit & ponitur difficultas experiendi, nam difficile est admodum operari in subiecto adeo nobili; nam posita nobilitate subiecti, omnia ponuntur. Idque declaro magis; nam Galenus de eo loquitur experimento, de quo Hippocrates. Vnde cũ medicus suam contemplationem totam faciat de corpore humano: ideo loquendo de experimento, de eo ita loqui debet, vt distinguatur a quocunque alio experimento, quod medicum
B non est, & id non potest fieri, nisi posita nobilitate subiecti: nam in multis aliis est etiam difficultas operandi, vt dicimus, quod adamas, porphyrites &c. non inciduntur ab arte, sed ab aliqua proprietate occulta alicuius determinati corporis. In arte autem medica proprietas occulta sola non est, per quam experimentum medicum ab aliis distinguatur experimentis, & ideo satis artificiose Galenus posuit subiecti nobilitatem, & satis hoc etiam fuit. Quare dicit experimentum periculosum ob nobilitatem subiecti? Quia non operamur in aliquo animali bruto, sed in homine, in quo vel parum errare non fit citra interitum ægri.

Quantum vero ad iudicium attinet: Primo ante difficultatem, ne æquiuocatio contingat, scire oportet quod non accipimus Iudicium, eo pacto, quo empirici, vt in præsenti commento dicit Galenus; nam Iudicium accipiunt pro iudicatione eorum, quæ facta fuere, exempli caussa, si fuerunt ægro multa auxilia
C adhibita, Iudicium est, iudicare, quodnam eorum ægro profuerit, quodue obfuerit. Non autem hoc pacto accipitur, vt recte dicit Galenus, nam Hippocrates non fuit empiricus, sed secutus est rei naturam, & dogmaticus; vt etiam 3. aphoris. 11. commen. dicit Galenus. Sed quispiam ambiget, cum iudicium eo modo quo accipiunt empirici, sit difficile, cur & hoc intelligere non potuit Hippocrates, vt maiorem artis intimaret longitudinem, & difficultatem? Respondet Galenus 4. meth. ca. 3. non esse permiscendam empiricam medicinam cum rationali, & multo minus cum dogmatica, & ideo non potuit Iudicium empirico modo acceptum intelligere Hippocrates. Accipitur alio modo iudicium, pro inuentione veritatis; vt Galenus 4. metho. cap. 4 dicit, vbi ait, nulla ratione alia iudicium posse fieri pro inuentione veritatis, nisi ratione, & experientia. Nec de tali iudicio intelligimus, quia non de eo loquimur iudicio, quod est veritatis inuentio: sed de eo, quod est instrumentum ad veritatem inueniendam, distinctum ab experimento.
D Hoc autem iudicium potest etiam accipi ex sententia Galeni, in 9. de Placitis, cap. 1. pro iudicio naturali, id est, pro facultate cognoscendi siue vniuersalia, siue particularia, id est, pro facultate sensitiua, & intellectiua. Non accipitur pro facultate sensitiua; nam dicit, iudicium difficile, nam sensitiuam facultatem facile est cognoscere, neque de facultate intellectiua loquitur; nam licet hæc sit, vt tabula rasa, quæ cum difficultate perficiatur, tamen non de ea loquitur Hippocrates, & ratio est; nam cum hic Hippoc. de duplici instrumento loquatur, necesse est, vt vnum alteri proportionetur, si debet in dictis Hippocratis esse proportio: modo, cum primum instrumentum non sit sensus, sed opus sensus, seu sensitiuæ animæ; a pari alterum instrumentum non debet esse intellectus; sed opus intellectus; vnde vt experimentum proportionatur sensui, & est opus sensus; sic iudicium proportionatur intellectui, & est eius opus. Et propterea recte
E Galenus in hoc commen. dicebat, nos per iudicium ipsam rationem intelligimus.

Quid autem hoc sit, facile nunc est cognoscere. Iudicium itaque nihil aliud est (hoc modo acceptum) quam discursus, factus ab intellectu discurrente, ad artis medicæ inuentionem, & vsum conducens: Est quidem discursus a noto ad ignotum, factus ab intellectu, quare non a sensu, nec a cogitatiua; sed ab intellectu quidem discurrente; nam datur intellectus, qui quandoq; (vt hi dicunt) intuitiue cognoscit, ac intelligit, & ideo ad huius differentiam discurrentem proposuimus. Et propterea Galenus 1. de vsu partium, c. 4. dicit: solum hominem inter animantia habere rationem, & intellectum discurrentem, qui quidem (inquit) est veluti ars ante artes. Quinimo 4. de Placitis, c. 4. dicebat Galenus, intellectum discurrentem esse ducem singularium omnium operationum. *De iudicio. Nomen.* *Definitio med[illegible] dicii*

Ex quo liquet, quod ad inuentionem artium conducit iudicium, & quod ad vsum. Nam cum dicit, esse artem ante artes, nihil aliud significare vult, nisi quod confert ad inuentionem artium, & quod est
F veluti caussa artium, cum dicit esse ducem omnium singularium operationum, ad vsum id refertur. Sciatis autem, quod habet etiam caussam finalem propositam a Galeno, cum dixit; iudicium esse instrumentum inueniendarum artium, & ad inuentionem etiam remediorum facere; Nam Hippocrates instituit sermonem de arte curatiua, quod etiam tetigit Galenus, cum dixit; iudicium est recta eorum ratio, quæ facienda sunt: vbi dicit facienda sunt: nam iudicium est ante administrationem remediorum, non post, idq; exemplo probo, quod scilicet primo conducat iudicium ad inuenienda principia in arte: nam exempli caussa, volo inuenire iudicio, & ratione, quod victus humidus omnibus febricitantibus conueniat. Sic assero; morbo omni sicco humidus congruit victus; sed febris est morbus siccus: ergo omnibus febricitantibus conuenit victus humidus. Inuentum est hoc principium non experimento, vt illud, omne rhabarbarum
G purgat choleram; sed ratione, & iudicio.

Pariter confert ratione vsus. Exemplum: volo exhibere lactucam Socrati febricitanti: quomodo deuenio in id, ratione iudicii? Hoc pacto; vbi cognouero, quod humida omnia febricitantibus conueniant, quodque Socrates febriat, & quod lactuca humida sit; statim descendo, beneficio iudicii, vt exhibeam lactucam Socrati.

Et hinc facile colligere possumus, an Moderni sint in errore, cum dixerint non esse sermonem hic *In quosdā iuniores.*

de iudicio, prout facit ad artis inuentionem; Iam videmus hoc falſum eſſe. Neque modo ad inuentionem A conducit Iudicium, ſed ad rectam rationem operandi circa ſingularia, id eſt circa vſum. Hoc aſſerunt recentiores nouum eſſe; ſed nouum minime eſt: nam idem eſt dicere, iudicium ratione vſus; & iudicium eſſe certam rationem faciendi. Et hoc Galenus in hoc commento confirmauit cum dixerit, iudicium rectam eſſe rationem eorum, quæ facienda ſunt; per hoc enim nihil aliud, niſi iudicium ad vſum conferre, affirmare voluit. Quare Hippocrates iudicium tum ratione inueniendæ artis medicæ, tum ratione vſus hic intelligit.

Iudicium cur difficile.

Declarauimus quid ſit iudicium; ſequitur, vt declaremus, ob quid iudicium ſit difficile, Hoc declaratur a Galeno in præſenti commento, cum aſſerat, quod ſi veritas eſſet inuentu facilis, adeo celeberrimi viri non ita elaboraſſent pro ea inuenienda, imo aſſerit tantam in iudicio eſſe difficultatem, vt vſq; ad hæc B tempora ambiguitas permanſerit in animis noſtris. Vt autem intelligatur, an iudicium ſit difficile: ſupponere oportet id, quod ſupra diximus, nempe iudicium eſſe diſcurſum a noto ad ignotum: & ob id iure merito debet habere aliquid ratio ipſa, ſeu iudicium, quod rationem formæ obtineat; alterum, quod locum materiæ. In iudicio autem eſt difficultas, tum ex parte formæ, tum ex parte materiæ.

Ex parte quidem formæ, ſcire oportet, per formam diſcurſum nos intelligere, ac ſyllogiſmum tum perfectum, tum imperfectum, imperfectum autem cum demonſtratiuum, tum topicum: oratorium autem excludimus, & cauillatorium, excludimus autem ſyllogiſmos hos, moti auctoritate Galeni octauo de Placitis primo: vbi dicit, rationes eſſe in triplici differentia, aliquas procedentes ex neceſſariis, & hæ ſunt rationes demonſtratiuæ, vel ſunt proxime accedentes ad neceſſarias, & ſunt rationes probabiles, tertio ſunt rationes deſcriptæ ex his, quæ longe a neceſſariis abſunt, vt ſunt cauillatoriæ, & oratoriæ; & ob id C a noſtro propoſito excluduntur. Vnde dicebat etiam Galenus in libro ad Thraſyb. cap. quarto, cum qui ſine logicis rationibus aliquid quærere velit, oleum & operam perdere & ideo, ratione formæ, iudicio neceſſaria eſt logica; quam autem difficile ſit eam aſſequi, nemo eſt qui ignoret. Quare ex parte formæ in iudicio ſumma eſt difficultas.

Maior etiam in iudicio difficultas eſt ex parte materiæ, nam materia in hoc conſiſtit, vt dicebat Galenus ſexto de Placitis capite quincto, & primo de natura humana in principio, vt rerum cauſſas cognoſcamus. Quanta autem ſit difficultas in cognoſcendo cauſſas, nullus ignorat, imo nil in arte medica ita difficile exſiſtit. Et propterea Hippocrates tertio epidem. circa finem, dicebat, iudicium eſſe magnam partem artis: & Galenus in libro ad Thraſyb. dicebat, adhoc, vt medicus calleat veram artem medendi, neceſſarium eſſe, vt non modo formam calleat, ſed etiam materiam, id eſt, rerum cauſſas, & ob id opere precium eſt, vt qui medicus eſſe voluerit, naturam ſciat, id eſt, vt ſit philoſophus. Quare ex parte materiæ in- D ſignis eſt difficultas. Et ob id Hippocrates in libro de decenti ornatu dicebat, veluti Deo æqualem eſſe medicum bonum, nam cum adeo difficilis ars ſit, qui eam perfecte aſſequitur valde admirandus eſt. Et Galenus in locis citatis dicebat, medicum bonum facile veritatem adinuenire poſſe. Apparet ergo cur iudicium ſit difficile.

Ars ampla docetur aphoriſtice, memoriæ cauſſa.

Quare, ſi licet per epilogum concludere ſententiam propoſiti aphoriſmi, dicendum cum Galeno, ea ratione Hippocratem in principio aphoriſmorum magnitudinem artis oſtendere, vt ex hoc habeat, opere precium eſſe, medicam artem tradere doctrina aphoriſtica, beneficio cuius (dicit Galenus) ars medica per capita tradi queat, vt facile quilibet omnia neceſſaria memoriæ tradere poſſit. Conducit etiam ad rectam operationem, id eſt, ad vſum artis. E

Cur medicinæ magnitudinẽ tribus declararit Hippocrates.

Hæc ſententia quidem ita ſit expoſita, ſed vna tantum ſupereſt difficultas, quam eo libentius propono, vt magis pateat diuinum Hippocratis artificium, & quia a nemine eſt propoſita, & nimirum dubitatio eſt, cur Hippocrates proponens difficultatem artis, tantum tria propoſuerit; occaſionem præcipitem, experientiam fallacem, & iudicium difficile. Cauſſa autem dubitationis eſt, quia in arte medica aliqua reperiuntur, quæ inſignem arguunt artis medicæ difficultatem, imo maiorem quam ſupra dicta, vt eſt quantitas remediorum, quæ adeo cognitu eſt difficilis, vt nec verbo exprimi, neque calamo ſcribi, neque mente concipi poſſit, & propterea Galenus primo ad Glauc. quantitatem remediorum eſſe difficillimam dicebat.

Sed quiſpiam fortaſſe diceret, ob id non fuiſſe propoſitam, quia quantitas remediorum tum ſub experimento tum ſub iudicio comprehendi poſſit. Ad experimentum quidem poteſt reduci, quia vbi quis F habet benedcio experimenti quod rhabarbarum bilem purgat, ex hoc etiam habet, quod tanta doſis rhabarbari tantam poteſt purgare copiam bilioſæ materiæ: quare ad experimentum reduci poteſt. Ad iudicium etiam, quia beneficio diſcurſus habetur, quod in morbis magnis in maxima quantitate liceat euacuare, vt vſque ad animi defectum, & ſic in aliis. Quare ſatis fuit Hippocrati, ponere iudicium & experimentum, cum quantitas remediorum ad hæc reducatur. Sed hæc ſolutio non conuenit, nam eadem ratio de occaſione eſſet, quia tum ad experimentum, tum ad iudicium referri poteſt occaſio. Ad experimentum quidem, nam ad hoc vt experimentum citra periculum fiat, opus eſt habere temporis opportunitatem. Ad rationem etiam, quia non ſatis eſt habere, quod victus humidus conueniat febricitatibus per rationem, ſed quo etiam tempore id fieri debeat. Quare euaſio nulla.

Quid itaque dicendum? Credo ego Hippocratem, (qui potius diuinus, quam humanus fuit,) re- G ſpexiſſe ad intimum medici officium, nam (vt nouimus) principale Hippocratis inſtitutum eſt in opere aphoriſtico, de arte curandi loqui. Conſiderans itaque Hippocrates neceſſarium eſſe medico, & præcipue Hippocratico, vt morbum profliget, non tamen ſimpliciter, ſed maxima cum arte, tribus ſeruatis conditionibus, nimirum, vt cito profliget morbum, vt tuto, & vt facile id efficiat, ob id ad hæc tria oculos dirigens Hippocrates, tria tantum proponere voluit in diuino hoc prooemio, nempe occaſionem,

nem, experientiam, & iudicium. Nam occaſionem proponens, illam inſinuare voluit conditionem, vt medicus cito profliget morbum; medicus enim per occaſionis cognitionem ſcit cito morbum tollere. Experimentum tangens, ſecundam inſinuauit conditionem, vt medicus tuto exſtirpet morbos: nam cognoſcens medicus experimentum, beneficio experimenti fit, vt tuto, & extra periculum curet. Poſtremo, ad facilitatem alludens, propoſuit iudicium: nam medicus iudicioſus ſcit per iudicium vniuerſalia particularibus adaptare, & ſic, ſumma cum facilitate vniuerſalia particularibus congrue adaptans, morbos nouit detrudere. Quare ad hæc tria reſpiciens, tria tantum in diuino procœmio proponere voluit.

Hippocratis ſcopus in altera procœmii parte.

Nec ſolum oportet, &c. In hac ſecunda aphoriſmi parte, vt ſupra tetigimus, ſcopus Hippocratis eſt, B ſecundum proponere procœmium, quod eſt procœmium ex propria ratione. Nam in hoc procœmio proponit dicenda, id eſt, quod intentio ſit, tractare de arte curandi, & de methodo medendi. Proponit autem hoc per modum conſilii, (vt dicit Galenus) & hoc duplici de cauſſa: primo, vt moneat, quod ſi voluerimus obſeruare, quæ obſeruanda proponuntur ab Hippocrate hoc in procœmio, ea omnia, quæ ſcribuntur, vera eſſe intelligemus. Hæc autem ſunt quatuor, medicus, æger, adſtantes, & exteriora. Propoſuit ſecundo in modum conſilii, vt ita connectatur ſecunda aphoriſmi pars primæ, vt maiori nexu connecti non poſſit: nam cum dixiſſet in principio primi aphoriſmi, artem eſſe longam, ideo in ſecunda parte aphoriſmi conſulit, omnia eo dirigenda, quo medicus tum occaſionem, tum iudicium, & experimentum conſequi poſſit, vt morbum profliget cito, tuto, ac facile. Et ob id ſecunda pars aphoriſmi neceſſario priori coniungitur.

Diſtributio ſecundi procœmii.

C Diuiſionem admodum non ſortitur præſens pars aphoriſmi: nam eſt ſententia ſine ratione, & ex propria natura prolata. Quod ſiquis velit in quatuor partes diuidere, prout quatuor proponuntur, nempe medicus, æger, adſtantes & exteriora; non repugno: ſed hoc non multum refert.

Cur Hippocrates ſaltem quatuor proponat, medicum, ægrum, adſtantes, & externa, de ſententia cuiuſdam e recentioribus.

Veniamus ad expoſitionem. Modernus, magna ex parte a Montano ſuſcipiens, nititur monſtrare, qua ratione Hippocrates ſummo artificio quatuor tantum propoſuerit: medicum, ægrum &c. Et certe quilibet expoſitor id facere debet, vt oſtendat neque plura, neque pauciora ab auctore proponi potuiſſe. Dicit itaque ipſe, ex philoſophorum conſenſu, in omni actione requiri principia tum interna tum externa. Interna ſunt, agens, paſſum, & inſtrumenta ſine quibus actio fieri nequit: agens autem eſt natura, & medicus, (dicit Modernus,) paſſum eſt æger, inſtrumenta autem ſunt ea ſine quibus actio medica fieri nequit. Extrinſeca autem principia ſunt res externæ Ad hæc itaque reſpiciens diuinus Hippocrates, tan- D tum quatuor propoſuit; nam neque plura, neque pauciora dari poſſunt.

Confutatio Iunioris, cuius tamē nomē ſupprimitur.

Ego vero, (ſi licet dicere quod ſentio,) veriſſima hæc eſſe dico, quod ſcilicet in omni actione principia tum interna, tum externa requirantur; quod & mediocriter in philoſophia verſati ſciunt: tamen hoc non eſſe ad propoſitum affirmo: idque multifariam oſtendo. Primo quia debebat hic reddere cauſſam, cur Hippocrates de natura ne verbum quidē fecerit, quæ agens eſt: nam etſi ad morbum profligandum medicus & natura concurrant; principale tamen agens eſt natura, vt fuit ſententia Galeni paſſim ſexto epid. ſect. 5. particula prima, vbi (cum dixiſſet in textu Hippocrates, naturam eſſe morborum profligatricem,) Galenus in commento, ait, primam cauſſam ſanitatis eſſe naturam, imo explicat, quanam ſerie ſe habeant reliqua, quæ ad ſanitatem concurrunt: Prima (inquit,) eſt natura, ſecunda eſt ars medica, quæ eſt miniſtra naturæ, tertius eſt medicus, qui eſt miniſter artis & naturæ, quarto loco eſt ars pertinens E ad miniſtros medici, vt cheirurgia, quincto ſunt chirurgi: ſexto eſt ars conficiendi inſtrumenta, vt clyſteres, ferramenta, & id genus reliqua; & ars præparandi materiam, vt coquinaria: Poſtremo ſunt miniſtri, vt herbarii, coqui, fabri ferrarii &c. Cum ergo principem locum natura obtineat, cur de natura, vt agente, non eſt locutus Hippocrates? Secundo, reſolutio illa ſtare non poteſt, nam primo epidem. ſect. 2. partic. 51. dicebat Hipp. artem medicam tribus conſtare, morbo, medico, & ægro: cur itaq; Hippocrates artem curatricem proponens morbi non meminit? & præcipue cum morbus ſit acerrimus hoſtis medici, & naturæ. Tertio non poteſt eſſe ad propoſitum ſolutio, quod loquatur de ægro ſub ratione paſſi, falſiſſimum quippe hoc eſt; nam de eo loquitur Hippocrates ſub ratione agentis: quod ſic oſtendam, vt nemini relinquam locum dubitandi.

Auctoris ſententia.

Audiatis ergo veram reſolutionem. Hippocratis itaque tale fuit, & ſummum artificium. Nam con- F ſiderabat medici opus eſſe ſanitatem inducere, pro morbo profligando. Ad hoc autem, vt morbus arte tollatur (& notanter ſic dico, nā non loquimur de morbo, prout expellitur a natura, ſed ab arte, & a medico) neceſſario concurrit medicus. Vt autem medicus expellere velit morbum cito, tuto, ac facile, neceſſarium eſt, vt ſit agens a proportione maioris inæqualitatis. Sic autem dico; nam, vt alibi monſtrabimus, tenemus nos ex ſententia philoſophorum & medicorum omnium, non modo a proportione maioris inæqualitatis prouenire actiones, ſed æqualitatis, & etiam minoris. Si ergo medicus cito debet expellere morbum; neceſſarium eſt, vt ſit agens a proportione maioris inæqualitatis. Hoc autem ſic facile fiet, ſi pro ipſo ea erunt agentia, quæ indeterminata ſunt. Per hæc autem ca intelligo agentia, quæ interdum pro morbo ſunt, interdum pro medico: & ideo indeterminata ſunt agentia. Hæc vero nihil aliud ſunt, niſi æger, aſſiſtentes, & exteriora. Et primo, quod æger ſic ſe habeat, oſtendo. Etenim (vt o- G mnia cum Galeno dicere videamur) ſententia eſt Galeni ſexto, epidem. ſectio. quarta, commento nono, quod quotieſcunque debet profligari morbus a medico, æger duobus ſe poteſt habere modus: vno modo ex parte morbi, &, vt ſic, facile eſt, vt medicus ſuccumbat, cum duos habeat aduerſos hoſtes, poteſt etiam ſe habere ex parte medici, & ſic facile eſt, vt morbus vincatur, quia ſunt duo agentia, & duo inimici aduerſus morbum, æger, & medicus. Et propterea ad hoc reſpiciens Hippocrates, primo

epid.ſectione ſecunda,particula 51.dicebat optime,artem medicam tribus conſtitui,medico,morbo,& æ- A
gro; Nam duo ſe habent vt inimici, & extreme oppoſiti, morbus, & medicus, æger vero eſt indifferens.
Aſſiſtentes autē ſunt agentia indeterminata, nam ſi omnia recte fecerint,ſunt ex parte medici,ſin minus,
ex parte morbi. Idem de externis dicemus.

Naturæ & morbi,cur non faciat mentionē Hippocrates.

Quibus ſic conſtitutis, neceſſarium eſt, vt hunc diſcurſum Hippocrati applicemus, ne ſimus in
eodem crimine, quo aduerſarios reprehendimus. Sciendum itaque primo, quod ea de cauſſa non fuit
de natura locutus Hippocrates, nam cognouit non eſſe artem in natura, modo ſermo Hippocratis erat
de illis loqui, in quibus eſt aliqua ars. Nam natura non eſt ars,ſed ſupra artem. Quod ſi Galenus ſexto
epidem. ſectio. quincta, commento primo, naturam eſſe dicebat non ſine arte: ita intelligendum eſt,
quod id dixerit Galenus, vt alluderet ad admiranda opera naturæ. De morbo etiam noluit Hippocrates B
mentionem habere,quia in morbo nulla eſt ars,ſed morbus eſt agens certum & determinatum,& ſemper
agit in ægrum.

Æger,aſſidentes, & exteriora, conſiderantur heic vt agentia.

Propoſuit itaque medicum, quia in eo eſt ars, & etiam ægrum, ex parte agentis. Pro cuius verita-
tis intelligentia ſciendum,quod æger bifariam conſiderari poteſt, altero modo, vt paſſum,) nam & hoc
nos non negamus,) altero modo, vt agens. Si vt paſſum, conſideratur ea ratione,qua æger eſt ſubiectum
operis. Nam, vt tertio phyſicorum dicebat Philoſophus, actio eſt motus in agente, ea ratione, qua mo-
uens in mobili, vt in paſſo, ac ſubiecto. Sic in ægro recipitur operatio ſanitatis,& ægritudinis. Nam mor-
bus in ægrum agit, tanquam in paſſum, ad deſtructionem vitæ. Natura autem, & medicus agunt in æ-
grum, tanquam in paſſum, ad recuperationem ſanitatis. Altero modo poteſt conſiderari, æger, vt agens:
quatenus ſcilicet in eius arbitrio eſt, modo ex parte medici eſſe, modo ex parte morbi, & ad hunc mo- C
dū in hoc aphoriſmo accipitur. Quod ſit verum, declaro. Nam vt paſſum conſideratum corpus ægrum,
conſideratur ratione temperaturæ,habitus,ætatis,&c. At hic hoc modo non conſideratus. Sed quomo-
do conſideratur æger hic? Declarat Galenus in præſenti commen.quod conſideratur,vt obedit medico,
vel repugnat. Quæro autem modo; conſiderare ita ægrum,quomodo eſt eum conſiderare?profecto eſt
eum conſiderare,vt agentem. Quare conſiderat ægrum Hippocrates,vt obedientem, nam tunc eſt agens
aduerſus morbum, ſi autem repugnat, eſt agens aduerſus medicum. Itaque diuiniſſimus Hippocrates,
conſiderans conſideranda in arte,& conſiderans opus medici in arte curatiua eſſe profligare morbū,pro-
ponere voluit agentia indeterminata,quæ ſunt æger, aſſidentes, & exteriora,aſſiſtentes enim,& exterio-
ra, pro morbo, & pro medico eſſe poſſunt. Ideo oportet exponere, vt Galenus, qui primo de diebus de-
cretoriis vndecimo dicebat,ſi medicus velit recte præſagire, & curare opus eſſe,vt ea ſeruet, quæ ab Hip- D
pocrate in principio aphoriſmorum proponuntur. Vnde aduertatis,quod dicit,propoſitum Hippocra-
tis eſſe de arte præſagatrice,& curatrice loqui;& non de tota arte medica. Dicit ergo, eum qui has partes
medicinæ recte aſſequi voluerit, oportere ea ſeruare, quæ ab Hippocrate in principio aphoriſmo.dicun-
tur, & ſeipſum interpretatur Galenus inquiens,quod hæc ſint, vt medicus omnia cognoſcat, ac ſibi con-
gruentia ſeruet, æger autem in omnibus medico ſit obediens, & nullus error in exterioribus contingat.
Et propterea dicit,mirum non eſſe,ſi ſæpe non profligetur morbus,nam pauci ſunt medici, qui ſua mu-
nera recte expleant: Pauci ægri, qui in omnibus medico obediant,& aſſiſtentes,qui recta ratione omnia
præparent, ac miniſtrent, ac rariſſime contingat,vt in exterioribus nullus error committatur,& ob id mi-
rum non eſſe debet,ſi medicus ſuum inſtitutum ſemper non conſequatur.

Quid agēdum medico,ægro, adſtātibus, qualiſq; externorum debeat eſſe comparatio.

Sequitur iam, vt declaremus, quæ agere debeat medicus,æger, & aſſidentes, ac vt exteriora manife- E
ſtemus. Neque exſpectetis, vt declarem quædam verba Hippocratis, ſexto epid.ſect.quarta,commento
nono,ſic dicentis,ingreſſus,ſermones, figura,veſtis ægrotanti,tonſura,vngues,odores.Nam facile ex vo-
bismetipſis ibi cum Galeno in commento intelligere poteſtis. Noſtrum eſt,ea proponere tantum, quæ
magis videntur facere ad præſentem aphoriſmum.

Medici officium eſt, curare cito, tuto,& facile.

Sciendum ergo,quantum attinet ad medicum,quod ſi debet ſe præbere opportuna facientem, ne-
ceſſarium eſt,vt omni ſtudio nitatur morbum profligare,& cito,& tuto,& facile. Cumque impoſſibile ſit
medicum morbum demere cito,tuto,ac facile,niſi optime calleat occaſionem, experimentum, ac iudici-
um,propterea medicus præbebit ſe opportuna facientem, ſi hæc tria optime aſſequetur. Nos ergo quo-
modo hæc tria aſſequi medicus poſſit,declarabimus.

Cito curandum.

Quoad occaſionem attinet, diximus in occaſione difficultatem eſſe tum ex parte ſui, tum ex parte F
corporis humani. Sui, quia in temporis momento conſiſtit, & ob id præcipit Galenus in commento,
quod ſi quis nanciſci cito occaſionem voluerit, neceſſe eſt, vt quam maxime ſe exerceat in arte: nam oc-
caſio maxime exercitatum virum requirit. Si ex parte corporis,occaſio erat difficilis, quia corpus noſtrū
eſt valde fluxile, & mutationibus obnoxium, ſic ergo, vt occaſionem conſequatur citius medicus, ad has
varias & varias mutationes animum adhibere debet, nam interdum mutationes magnæ ſunt, interdum
minores &c. Et ob id medicus has mutationes, vel magnas, vel paruas aduertere debet, nam ex his oc-
caſionem cito aſſequi poterit. Declaro: (neque omnes ponam cauſſas mutationis, ſed aliquas tantum
immutare potentes, exempli ſolius cauſſa;) nam cauſſæ immutare poſſunt corpus noſtrum, vel ratione
ſpirituum, vel humorum. Ratione quidem ſpirituum, facilius medicus poteſt aduertere imminentes G
mutationes, quam ſi immineant ex humoribus. Nam in mutatione ex humoribus varia medicus præ-
cognoſcere debet. Nam præcognoſcere debet, an humor ſit corruptus, vel copioſus, vel calidus, vel
tenuis. Nam ex hoc præuidere ac iudicare poteſt medicus mutationes magis imminentes, quam ſi eſſet
ex contrariis humoribus, vt non corrupto, pauco, frigido, vel craſſo. Si etiam reſpiciamus ad cauſſas ex-
trinſecas immutantes corpus, facile quiſque medicus colligere poterit mutationes,cito vel magis immi-
nentes

A nentes. Nam si videbit aerem calidum, inæqualem, &c. & eius etiam generis victum: sciet præcognoscere quod mutatio magis imminet, quam si esset ex aere frigido, æquali, & simili etiam victu. Quare ex his medicus considerans magis vel minus imminentes mutationes, sciet cito nancisci occasionem pro dispositione mutationum. Occasionem autem intelligatis (vt recte monuit Galenus in methodo med.) in morbis curationem admittentibus.

Tuto curandum.

Quantum vero ad alterum attinet, vt medicus scilicet non modo cito, sed & tuto curationem facere possit: si hoc medicus consequi vult necessarium est, vt optimum habeat experimentum, & ob id declarare oportet, quomodo consequi possit medicus optimum ac tutum experimentum. Ex definitione experimenti suo loco habuistis, experimentum nihil aliud esse, nisi simulacrum fixum in memoria, ex multis recordationibus, & multo pluribus sensationibus constans. B Quare, si bonum debet esse experimentum, opus est, vt nullus in sensationibus error a medico fiat. At quomodo circa eas medicus procedere debeat, non decipiatur, declarandum.

Experimēti seu auxilii tuti conditiones.

Cum autem hic de curatiua parte sermo habeatur: ideo circa aliud sermo habendus non est, nisi circa auxilium medicum. Docet vero Galenus (tum in hoc commento, tum in primo de simplic. medic. facult. secundo, tertio, & decimonono: & secundo eiusdem operis secundo, tertio, nono, & duodecimo; & tertio de temperamentis cap. quincto, & præcipue in toto de simplic. medic. facult. opere,) quoad experimentum consideranda esse medica auxilia, primum ratione propria: secundo, ratione artificis vtentis auxilio: tertio ratione corporis humani, circa quod medicus experimenta seu auxilia exercet: (*Et propterea dicit Galenus tertio de simplic. medic. capite quincto, medicum a philosopho seiungi; quia philosophus considerat simplicia, referendo in totam naturam: medicus hæc eadem considerat, non in totam* C *naturam referendo, sed in naturam tantum humanam.*) quarto, oportet considerare auxilia medica respectu morbi profligandi.

1. Ratione propria.

Quantum ad auxilia ex parte sui, ea quidem considerantur vel penes substantias, vel penes Quantitates, vel penes Qualitates, vel penes Operationes. Penes substantias quidem, debent esse pura impermista hæc auxilia, secundum Galenum locis citatis, quæ enim impura sunt & mista, fallax potius quam tutum efficiunt experimentum. Merito quantitatis, in debita dosi debent assignari Ratione qualitatis, debent esse seiuncta ab extrema aliqua qualitate: vt præcepit idem Galenus primo de ratione victus decimotertio. Quoad opera, cum Galeno in adductis locis opus est spectare, tum Numerum, tum Modum operandi. Quoad numerum: videre oportet, cum Galeno, tertio de temperamentis capite quarto, an auxilium, quo vtimur, vnam tantum, vel plures efficere possit operationes: nam si hoc non cognouerimus, D decipiemur profecto in sensationibus: exempli caussa, medicamentum, quod nullatenus in substantiam nutriti corporis abire potest, quodque calidum suapte natura existit, id tantum vt faciat habet, quod scilicet qualitatis natiui caloris duntaxat adaugeat, at nutrimentum duo præstare potest munera, nam & qualitatem naturalis caloris, & substantiam auget: imo de lactuca verba ibidem faciens Galenus, dicebat, quod cum in ventriculo ea ipsa coquitur, primo, antequam concoquatur, minuat qualitates caloris natiui; at in nutrimentum versa, & qualitates, & substantiam eius adaugeat: quare duplex opus hoc præstat auxilium. Considerare insuper eisdem locis monet Galenus operandi modum an auxilium per se huiusmodi habeat operationes quas efficit, vel ex accidenti, quomodoque id cognoscere valeamus, declarabat etiam Galenus: nam ibidem asserebat, aduertendum esse, an auxilium eodem semper tenore a principio vsque ad finem operetur, an vero mutet ordinem, si enim idem perseuerat, per se tale efficit opus; si muta- E tur, ex accidenti id facit.

2. Ratione artificis, qui obseruare debet Modum, & Tempus.

Oportet insuper auxilia ex parte opificis considerare, vbi duo præcipue spectanda sunt; Modus, & Tempus. Quoad modum: Galenus eisdem locis dicebat, si medicus tutum velit experimentum nancisci, opus esse vt auxilia comminuantur, nam piper, verbi gratia, calefaciendi vim exercere non potest, nisi comminuatur, ac, vt ita dicam, minuatim trituretur, similiter de mandragora dicebat, si eius corticem accipiamus non minute incisum, atque applicemus corpori, vel in internis, vel in externis partibus, nullatenus corticem refrigerare. Quare vt tutum experimentum sit, comminuere debemus medicamentum.

Medicamēta, calida & frigida dicuntur potestate, non actu.

Ex heic obiter aduertatis, cum hæc comminutio non modo in calido, sed in frigido etiam requiratur medicamento, quod non tantum medicamenta calida, sed & frigida talia sint potestate, & non actu: F Quæ fuit Galeni expressa sententia, tertio de simpli. med. facul. ca. 10. vbi clarissime admodum vult, tum calida, tum frigida medicamenta talia non actu, sed potestate reperiri.

Quomodo deducūtur ad actum.

Ac quomodo talia potestate cum sint, ad actu deducantur: pulchre ac diuine satis declarat; quod nimirum deducuntur ad actum per comminutionem. Nam vt naturam ars imitatur, sic (si licet aliquid a posteriori arguere) natura eodem pacto, quo artifices, operatur. Dicit enim loc. citat. Galenus commune esse medicamento frigido ac calido, ipsum alterari, & quod idem est, ac si dicat, comminutionem ac veluti quandam fieri dissolutionem temperaturæ misti. Per temperaturam autem (ne decipiamini,) non intelligimus formam, resultantem ex quatuor formis elementorum, nam ex his temperatura proprie non fit: cum temperatura proprie qualitas sit; hæc autem sit substantia. [Licet Galenus hanc substantiam interdum temperaturam vocarit fusiori vocabulo, seu complexionem: de qua Auicennas pri- G ma primæ, quæ ex quatuor qualitatibus elementorum refractis constat.] Calor itaque natiuus, agens in medicamenta, verbi gratia, calida, dissoluit hoc vinculum, seu hanc complexionem, & qualitatem; qua dissoluta, per comminutionem & alterationem medicamentum ipsum, cum maiorem sit sortitum partem elementorum calidorum, operari incipit per caliditatem. Idem etiam de medicamentis frigidis iudicium est, non enim actu talia, sed potentia sunt, cum operari non possint, nisi prius aliquid

patiantur a corpore passuro, nam calor, agendum in hoc medicamentum, pariter comminuit ac vinculum & complexionalem illam qualitatem dissoluit, quæ ipsum tale potentia faciebat: qua dissoluta, cum in eo sit maior copia frigidorum elementorum, statim actu refrigerat. Dicit tamen Galenus (& aduertatis hoc, ne decipiamini,) si quis voluerit dicere medicamenta frigida esse actu frigida, dummodo in nomine tantum dissensio sit, in re autem minime, hoc ei esse concedendum, in calidis vero aliam esse rationem, medicamenta enim calida & frigida in hoc conuenire, quod vtraque deducantur ad actum beneficio caloris natiui, comminuentis, & quasi tollentis impedimentum, & vinculum, sed differre, quod calor natiuus, agens in medicamenta calida, non modo remoueat vinculum, sed & ipsa calefaciat. Quodque hoc verum sit, dicit ibi Galenus, calida medicamenta à calore natiuo incalescere. Vnde hæc medicamenta dupliciter calefaciunt, primum in virtute propria, quam potentia habebant, nunc autem, comminutione facta, actu consequuntur, præterea calefaciunt virtute caloris natiui; nam cum in ea calor natiuus agat, & calidi sit calefacere, fit, vt & ipsa ratione caloris natiui calefaciant. At frigida medicamenta eatenus patiuntur, quatenus comminuuntur, non quatenus incalescunt, nam eorum passio a calore est (vt dicit ibi Galenus) non vt incalescant, sed vt accipiant impetum refrigerandi, nam ea non calefacere, sed refrigerare debent. Propterea in praxi (vt capite citato habetur) sæpius experiri potestis, si cum medicamento quopiam frigido calidum admodum medicamentum admisceatur, non augeri profecto vim frigidi medicamenti, sed potius imminui; nam calidum illud vim habet frigidum refrangendi, at si exiguum sit, vim habet dandi impetum: & ob id sæpe cum opium propinamus, miscemus cum eo aliquod calidum, sed moderatum, vt non minuatur eius virtus ex eo, sed potius comminuatur, ac impetum accipiat. Quare frigida medicamenta tantum comminutionem acquirunt beneficio caloris: calida tum comminutionem, tum caliditatem. B C

Post hæc medicus pro tuto experimento faciendo tempus considerare debet: vt, quoties experiri aliquid voluerit, tempus proportionatum sibi in animo constituat, neque transeat de extremo ad extremum.

3. Ratione corporis humani.

Quod vero attinet ad experimentum: vt tutum sit ex parte corporis, opus est vt medicus aduertat temperaturam, habitum, ac proprietates corporis occultas. Temperaturam quidem; nam medicamenta, debent prius experiri in temperato, quàm in intemperato corpore. Habitum vero; nam si rarius erit vel mollius corpus, velocius faciet operationes medicina; si densius, tardius &c. Proprietates etiam occultæ quantum ad medicamenta recte adhibenda faciant, nemo est qui ignoret.

4. Ratione morbi.

Quantum ad auxilia ex parte morbi, aduertendum, quod (vt Galenus locis allegatis dicebat) prius debeamus experiri medicamenta in morbo simplici, deinde in morbo composito. D

Facile curandum.

Quantum vero attinet, vt medicus facile operetur, respectu iudicii: dicebamus in iudicio duo reperiri, Materiam, & Formam. Ratione materiæ, necessaria est cognitio caussarum omnium morbi, & adeo necessaria est, vt sine his caussis nihil in curatione habere possitis. Nam in curatione, vt dicebat Galenus sexto method. primo, & secundo, tum remedia inuenire, tum eis recte vti, medicus debet. Non potest autem hæc inuenire, nisi beneficio indicationum, indicationes autem non sumuntur nisi ex natura, & caussis morbi. Et ob id dicebat diuinissimus Galenus, quincto method. decimo, quod medicus ille, qui recte cognoscit affectiones, facile inuenire remedia possit. Et ob id tota ars non in receptis ponenda est, vt multi ignare admodum faciunt, sed in cognitione caussarum, & morbi.

Ægri officium in curatione.

Hæc de medico satis esse videntur. Ægrum quod attinet, hic debet obedire medico: & propterea Galenus, prima sectio. primi epidem. particula quinquagesimaprima dicebat, quod æger medico ex omni parte debeat esse obediens: nam aliter erit acerrimus hostis medici: exempli gratia si medicus præcipiat, vt a potu frigidæ caueant ægri si ipsi eam potarint, in maximum discrimen se conicient; imo aliquando (vt dicit Hippocrates in libro de flatibus) mortem sibi adsciscent. Et hoc etiam fuit præceptum medicorum antiquorum: qui, referente Platone in Dialogo de temperantia, dicebant, quemadmodum non possimus curare oculos absque curatione capitis, neque caput absque curatione totius corporis: sic non posse curari corpus, absque curatione animæ: nam vt a capite in oculos, & a corpore toto in caput, sic ab anima in corpus vitia defluunt. Similiter dicebat Galenus, primo de diebus decretoriis capite vndecimo, quod ægri debeant esse animo constanti, id est, temperantes, ac medico obedientes. E F

Adstantiū officium.

Assistentes etiam præterea suum subire munus debent. In quo autem illud consistat, facile ex Galeno in commen. colligere possumus.

Externorū apparatus.

Quod autem ad exteriora attinet, hæc recte præparata debent esse. Nam si error in istis committatur, (inquit Galenus) plerumque vel prognosticum, vel curationem, vel vtraque interrumpi contingit. Quod non alia de caussa scientissimus dixit Galenus, nisi quia apprime nouerat, institutum Hippocratis in his libris esse, de hac duplici tantum medicinæ parte loqui.

Sed quæ sunt hæc exteriora? Non credatis Galenum fuisse diminutum, vt fortasse credunt iuniores, qui inter exteriora apponunt copiam & motum materiæ. Nam hæc non se habent ex parte exteriorum: sed ad fluxibilitatem corporis, id est, ad occasionem reducuntur. Externa autem sunt (sicuti Galenus explicauit, libro de constitutione artis medicæ capite vltimo) quæ sumuntur, vel ex assidentibus, vel ex ægro, vel ex foris exsistentibus. Ab assidentibus: veluti si quis ex assistentibus (inscio ægro, & medico) ei propinet venenum &c. A patiente, si medico obedire nolit, vel de lecto surgat, vel alia consimilia faciat. A foris exsistentibus, vt si quid decidat in caput ægri, vel si aliquod non gratum fuerit dictum ægrotanti, vt de morte filii &c. Vacuanda vero non ad exteriora referuntur, sed potius ad occasionem. G

Quare vt præſentem aphoriſmum epilogemus: dixit Hippocrates, artem eſſe longam reſpectu vitæ humanæ quæ ſit breuis: quia difficile admodum ac laborioſum exſiſtat, vt medicus cito, tuto, ac facile curationem exerceat, ratione occaſionis præcipitis, experimenti periculoſi, fallaciſque ac iudicii difficilis: & propterea medicum ſe debere præſtare opportuna facientem, vt cito occaſionem aſſequatur, vtque experimentum tutum faciat, & vt iudicium facile habeat: neq; medicum ſolum ſe opportuna facientem oportere præſtare; ſed neceſſarium eſſe, vt æger ſit obtemperans medico, atq; adſtantes & miniſtri ſua munera rite ſubeant, vtque recte externa omnia ſint præparata. Quæ quidem omnia ſi obſeruata fuerint, noſcemus facile, omnia hic ab Hippocrate aſſignata præcepta eſſe veriſſima, & infallibilia, & ſi aliquis error contingat, non medico, neque arti eum adſcribi poſſe, ſed morbo, qui adeo malignus, atque rebellis exſiſtat, vt nulla neque vi, neque arte exſtirpari poſſit.

Epilogus.

APHORISMVS II.

In perturbationibus ventris, & vomitibus ſpontinis, ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert & leuiter ferunt; ſin minus, contra. Sic & vaſorum inanitio, ſi talis fiat, qualis fieri debet, confert, & bene tolerant; ſin minus, contra. Inſpicere itaque oportet & regionem, & tempus, & ætatem & morbos, in quibus conueniat, aut non.

POſthabitis breuitatis ac vtilitatis gratia aliorum omnium introductionibus, tale dicimus eſſe Hippocratis inſtitutum. Cum procemium ſuperiori particula propoſuiſſet, nunc tractationem aggreditur. Cum vero inſtituiſſet in primo libro de arte curatiua ſermonem habere, & recte nouiſſet diuinus hic ſenex, curationem præcipue conſiſtere in inuentione auxiliorum, ac Recta eorum adminiſtratione; ac perfecte etiam ſciuiſſet, tria eſſe auxilia, Pharmaciam nempe, Chirurgiam, & Diætam: conſtituit quamprimum tria hæc auxilia proponere, vt totam medendi artem compleret. Et ideo Galenus in commento aduerſus alios nonnullos interpretes dixit, non eſſe Hippocratis mentem, de auxilio quod eſt phlebotomia, atque de auxilio quod eſt diæta, loqui; ſed de qualitate eorum quæ euacuantur, ac de pharmacia.

Scopus huius aphoriſmi, & ordinis ratio.

Et ob id hic duo declaranda ſunt: alterum de qualitate hic Senem loqui: reliquum, quod cum de qualitate loquatur, verba etiam habeat de pharmacia, imo quod de qualitate ob pharmaciam ſermonem faciat.

Quoad primum, vt cognoſcatis, quod de qualitate loquatur: ſciendum, humores peccantes, (prout nunc noſtro propoſito ſatisfacere videtur) bifariam peccare poſſe, vel in Quantitate, vel in Qualitate. In qualitate, vel penes Primas qualitates, frigidum, calidum &c. (& hoc modo non poſſumus intelligere humores peccantes ratione qualitatis, hoc in loco, nam hic ſermo de vacuatione fit: at taliter peccantes humores non vacuatione, ſed ſola indigent alteratione) vel penes Qualitates, Subſtantiales, id eſt, penes ſubſtantiam, & propriam humoris naturam. Quod & Galenus dicit in libro de conſtit. artis capite decimonono: quod nimirum humor ſuperfluus ſit euacuandus, adhibita diſtinctione, an in quanto, vel in quali peccet: vbi per Quale, non modo puram qualitatem humoris, ſed & eius ſubſtantiam intellexit, ac naturam; per quantum, abſolutam quantitatem ac ſolam. Eodem modo hic ſumimus, cum dicimus, ſermonem eſſe Hippocratis de qualitate, id eſt, de humore non modo qualitate, ſed & propria natura peccante. Et ob id Galenus dicit, humorem prauum, vt pituitam, expellendum eſſe, pituita enim prauus humor eſt, nam non modo quantitate, ſed qualitate, ac maligna natura peccat. Quod autem de qualitate, non quantitate, ſit ſermo Hippocratis, quoniam multi ex antiquis oppoſitum ſuſtinuerant, multipliciter probat Galenus: Primo, quia Hippocrates dicit, talia & qualia; non autem tanta & quanta. Secundo dicit, purgentur, & non, vacuentur: nam vacuatio ad humores quantitate & qualitate peccantes refertur; purgatio ad humores ſola qualitate peccantes. Tertio, (dicit Galenus) in ſequenti aphoriſmo, Hippocrates agit de humore in quanto peccante; ergo non hic; quia eſſet ſuperfluus. Tandem addit, (licet Iuniores nolint hanc eſſe quartam cauſſam,) ſermonem Hippocratis eſſe de quali; quia agat de purgatione ea, quæ ſimilis ſit purgationi naturæ; ſed natura in tali vacuatione, & vomitibus ſpontinis, ac perturbationibus alui, purgat humores qualitate peccantes: ergo & Hippocrates de humoribus in quali peccantibus loquitur. Iuniores vero, credentes diminutum eſſe Galenum, quinctam adiungunt cauſſam, quod de quali loquatur Hippocrates: nam (inquiunt) ipſe in fine aphoriſmi proponit quatuor ſcopos, tempus anni, regionem, ætatem, & morbum, a quibus quatuor ſcopis ſumuntur indicationes humoris in quali peccantis. Dicimus nos cauſſam hanc rectam non eſſe, & ideo non fuiſſe propoſitam a Galeno diligentiſſimo: ſed ſatis fuiſſe quatuor cauſſas, quas ipſe propoſuit, nam licet illa quatuor vim habeant indicandi cacochymiam, id eſt, humores in quali peccantes; poſſunt tamen etiam indicare plethoram, id eſt, humores quantitate peccantes. Sit enim regio calida & humida, tempus vernum, ætas adoleſcentiæ, febris ſynocha, quæ ex 9. methodi 3. non poteſt niſi corpora plethorica corripere, citra dubium, ex his plethorica diſpoſitio indicari poterit. Et ideo hanc cauſſam non propoſuit Galenus.

In hoc aphoriſmo agi de vitio humorum in qualitate.

Secundo probandum erit, quod de qualitate ſermonem habeat Hippocrates, nulla alia de cauſſa, niſi ob pharmaciam. Id oſtendo, ſupponens primum, quod Hippocrates conſiderauerit, conſiſtere rectam methodum curandi in Inuentione trium inſtrumentorum, ac in Recta eorum adminiſtratione, vt propterea neceſſarium ſit confugere ad Quid agendum, Quantum, Quomodo, Quando, & Vbi. Quid autem ſit agendum, ex aliquo determinato peccato certum habemus, vt in mala animi conſtitutione, verbi cauſſa, (referente Platone in Sophiſta) multa ignorantia, multo maiorem doctrinam indicabit haurien-

De qualitate heic agi gratia pharmaciæ.

dam, in mala corporis dispositione, materia, verbi caussa, in quanto peccans, vacuationem indicabit; in quali, purgationem per pharmacum electiue trahens. Qua de re, volens proponere pharmacum, ex determinato peccato illud ostendere voluit, nempe ex humore in quali peccante: nam humor in quali peccans, pharmaco indiget, & ideo ex qualitate pharmaciam colligit. Idque ne figmentum videatur, probetur ex Galeno: qui in commento dicit, Hippocratis sermonem in hoc aphorismo esse, de omnibus rebus præter naturam, id est, de caussis, symptomatibus, & potissimum morbis, & de morbis non modo acutis, sed chronicis, non modo vehementibus, sed debilibus. Sed de rebus præter naturam sermo esse potest, & in parte medicinæ καθολογικῇ, in qua de caussis præter naturã sermo habetur; & in parte θεραπευτικῇ, in qua de affectuum curatione. Quando ergo Galenus hic dicit, de omnibus rebus præter naturam sermonem haberi; non intelligit, nisi in parte curatiua, quantum ad curationem scilicet spectare potest; quia hic proponit remedia. De remediis autem bifariam sermonem habere possumus, vel empirice, vel dogmatice. Hippocrates autem de remediis non egit, nisi dogmatice, nam non modo dogmaticus Hippocrates fuit, sed & dogmaticorum princeps. Remedia igitur proponit, in virtute suarum indicationum: nam indicationes nos manu ducunt in veram inuentionem, & administrationem remediorum. Quam veritatem cognoscens Galenus, expresse eam declarauit in comment. inquiens: sermo est Hippocrati de omnibus rebus præter naturam, non simpliciter, sed quarum nos docet inuentiones, id est, indicationes, & quidem dogmatice: nam ad has respicientes indicationes & inuentiones, facile possumus inuenire qualitatem, non quantitatem &c. Quid clarius potuit dicere Galenus pro pharmacia? nam dicere ipse voluit, quod sermo sit de his rebus præter naturam, vt ducunt nos ad veram inuentionem & administrationem pharmaciæ. Hic est ergo Hippocratis scopus, ac institutum. Proposuit autem id beneficio indicationis Quid agendum; nam hæc indicatio præcedit alias; ac virtute videtur continere alias indicationes. Sed dicet quis: si præter indicationem Quid, est etiam indicatio Quantum, Quando, &c. cur de his non agit Hippocrates? Ergo diminutus fuit? Dicendum cum Galeno: quod, licet hic non agat de illis, tamen in aliis aphorismis de illis loquatur: & ob id se excusat Galenus, de his rebus non longiorem sermonem habendum, ne eadem bis repetantur. Et ideo etiam a me hæc non exspectetis, nam de his in propriis aphorismis dicemus.

Partitio aphorismi.

Sed dicet quis sermonem esse de quantitate, quia Galenus in comm. inquit, si sanguis superabundabit, est euacuandus, quare de humore ex parte quantitatis loquitur? Non est credendum hoc de tanto viro, quod prius proposuerit de sola qualitate loqui, postea sibi aduersans de quantitate omni loquatur. Quare sano modo Galenus est intelligendus, & pro intelligentia sciendum, quod volens Galenus ostendere, sermonem Hippocrati esse de pharmacia, ac dogmatice loqui, dat exemplum, nam dicit dogmatice agit: si enim bilis peccat, bilem purgat, quemadmodum & cum sanguis, ipsum euacuat. Quare de sanguine hic non pro euacuatione egit, sed gratia exempli. Vt inueniatur Hippocrates semper dogmatice processisse, nempe ad indicationes respiciendo. Hoc est ergo Hippocratis propositum.

Diuiditur autem hæc pars in duos aphorismos. Secundus incipit ibi: Inspicere namque oportet. Differunt autem inter se duo hi aphorismi, quia primus est sententia, quæ est pars enthymematis, quæ habet probationem seiunctam, & præpositam, secundus vero aphorismus est sententia sine ratione. Secundo differunt, quia primus proponitur per modum decreti, & legis, secundus per modum consilii. Et propterea Oribasius, deueniens ad expositionem secundi aphorismi, dicit: Hic nos Hippocrates monet, &c. Vltimo differunt, quia primus aphorismus est prolatus per viam similitudinis, sumta, scilicet, similitudine a natura, secundus est prolatus propria ratione. Et propterea (si licet magis diuidere) diuidimus primum aphorismum in duas partes, in probationem, & sententiam: Sententia incipit ibi, sic & vasorum inanitio.

Paraphrasis huius aphorismi.

Vt autem intelligamus præsentem aphorismum, primo paucis concipere mente oportet verum eius sensum, nam ex vero sensu infinitæ ambiguitates tollentur. Hic est ergo sensus. Præcepit Hippocrates, vt quando fit purgatio, talis fiat, quę conferat, & quam leuiter ferant infirmi, vtque talem purgationem consequi medicus possit, eum Hippocrates monet, vt ita procedat, vt quæ molesta sunt purget, non quæ non peccant, quia & ipsa natura tunc optime vacuat, cum ea quæ molesta sunt vacuat.

Ex quo sensu aphorismi tria colligatis ab Hippocrate esse proposita. Primum est præceptum, secundum est regula, quam vt consequi possimus, præceptum assignat, tertium est probatio ac confirmatio regulæ. Præceptum in hoc consistit, vt medicus purgationem, quæ conferat, ac quam leuiter infirmi ferant, moliatur. Regula est, vt medicus vacuet vacuanda. Confirmatio regulæ, quia & natura sic procedit.

Sed difficultas est, qua ratione Hippocrates ad probandum aphorismum sumat rationem ab exemplo? Non dicatis sermonem esse de euacuatione naturali, nam hæ sunt nugæ, sed sermo est de pharmacia; sumto exemplo a vacuatione naturæ. Dicunt Moderni, a Montano suscipientes, quod Hippocrates hic tradat præcepta, pręcepta autem esse per exempla confirmanda. Non nego ego præcepta posse confirmari exemplis, sed dico id non esse necessarium, neq; vbique obseruatum. Nam in decimoquincto aphorismo dicit; copiosius alenda esse corpora hyeme ac vere, quam aliis temporibus, & hoc præceptum non exemplo confirmat, sed ratione, quia ventres hyeme & vere sunt natura calidissimi, Propterea ego aliter dicerem, cum Platone in Dialogo ciuili, vel de regno. Dicebat enim ibi, quod quoties est sermo de re magna & ardua, non esse præter rationem vti exemplo. Cum ergo hic proponatur res magna, nempe pharmacia, (quæ magna est res; dicente Galeno, duo esse maxima auxilia in morbis: 2 aphor. 29. phlebotomiam & pharmaciam,) voluit vti exemplo. Sed cur exemplo a natura est vsus? Dico id maxima arte factum fuisse, vt non modo id simpliciter exhiberet, sed etiam eo nos moneret. Dicit enim in procemio, artem esse

longam,

A longam,tum ratione occaſionis,tum iudicii,tum experimenti:ideo voluit nos monere,vt aſſiduo dirige-
remus oculos in naturam,natura enim non modo ſupra medicum eſt,ſed etiam ſupra artem medicam, &
ideo hoc exemplo vti voluit.

Dicit ergo Hippocrates, *in perturbationibus,&c.* Non dicatis, vt iſti dicunt,quod per perturbatio- In expurgationibus.
nes intelligat fluxum alui,ſed intelligit perturbationem,quæ eſt in ventriculo, quam ſequitur poſtea flu-
xus alui. Et ideo in text. Philothei habetur, in perturbationibus alui,& excrementis,quæ ſequuntur has
perturbationes,nam natura non expellit aliena, niſi perturbationem patiatur. Loquitur ergo de fluore
alui,qui comitatur perturbationem eius.

Quod autem dixit, *in perturbationibus:* ratio eſt; quia cognouit Hippocrates,quod aluus bifariam Cum perturbatione.
poſſit expurgari,vel cum perturbatione, vel ſine:ſi hæc expurgatio fit ſine perturbatione,hoc non fit ob
B humores qualitate peccantes, ſed tantum a potentia noſtrum corpus regente,& fit tempore ſanitatis,vbi
vero fluor alui ſequitur perturbationem, ibi neceſſario peccat materia, vel quantitate,vel maligna aliqua
qualitate,vel vtraque. Et ideo Galen. primo de ratione vict.18. dicit, perturbationes ventris fieri ex edu-
liis mordacibus ac flatuoſis &c. Quare Hippocrates voluit oſtendere ſe loqui de fluore alui, qui eſt cum
perturbatione,non de eo,qui ſine perturbatione exſiſtit.

Ventris.] Inquit 4. method.6. Gale. quod per ventrem poſſimus intelligere ſuperiorem,& inferio- Ipſius alui.
rem. Quarto de ratione vict.112. inquit, quod per ventrem ſuperiorem veteres aliquando thoracem in-
tellexerint,aliquando ventriculum per ventrem inferiore in inteſtina. Hic autem per ventrem non poſ-
ſumus intelligere ſuperiorem,nam hic ſermo fit de fluore alui, thorax autem expurgatur per os. Neque
C poſſumus intelligere ventriculum, nam licet hic per ſuperiora & per inferiora poſſit expurgari, tamen
eum non poſſumus audire,quia paullo poſt,in ſequentibus verbis,de eo verba faciet. Quare per ventrem
audire debemus ventrem inferiorem, nempe ipſa inteſtina.

Sequitur, *Et vomitibus ſpontinis:*] Quid intelligere debeamus per vomitum,facile videri poteſt:nam Et vomitibus.
nihil aliud intelligere debemus,quam motum materiei exeuntis a ventriculo per œſophagum extra cor-
pus:qui motus dependet ab expultrice ventriculi.

Deinde addit, *ſpontinis* quæ particula diligenter eſt explicanda: non enim ſolum ad vomitum, ſed Spõtaneis.
& ad perturbationem ventris dirigitur. Ac ſi dixiſſet Hippocrates, In perturbationibus ventris ſponti-
nis,& in vomitibus ſpontinis. Gale. 4. aphoriſ. ſecundo dicebat, eam eſſe ſpontinam euacuationem,quæ
fit citra euidentem cauſſam, & citra artem. Vnde ſi quis exempli cauſſa vomat, ob vomitorium medica-
D mentum,non dicetur vomitus ſpontinus,ſed artefactus. Quare vomitum citra euidentem artem & cauſ-
ſam factum intelligit.

Eſt autem vacuatio hæc ſpontina in duplici differentia, nam vel fit a natura,& ſecundum omnes le-
ges naturæ, veluti quando fit euacuatio a natura corpus noſtrum regente, vt ſanitas conſeruetur; vel fit
a natura, non tamen ſecundum omnes leges naturæ, id eſt, non ex toto ſecundum naturam. Quamuis
vero aſſerant nonnulli ſpontinam vacuationem primo modo accipi: nos tamen id impoſſibile eſſe fate-
mur, ac neceſſarium eſſe, vt intelligatur ſpontanea euacuatio citra euidentem cauſſam, ac citra artem, a
natura, non tamen ex toto ſecundum naturam. Et probatur hæc veritas duplici fundamento:primum,
quia Hippocrates in hoc aphoriſmo loquitur de ea ſpontina vacuatione,quæ poteſt obeſſe, talis autem
non fit a natura ſecundum omnes leges naturæ. Quod autem de ea Hippocrates loquatur, facile oſtendi
E poteſt, quia ait: *ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt ægri; ſin minus, contra.*
Ecce, quod de ea ſpontina loquitur vacuatione, quæ nocere poteſt. Secundum fundamentum: quia ſi
conſiderentur fluxus alui, ac vomitus ſpontinus, impoſſibile eſt, vt ſit a natura, ſecundum omnes leges
naturæ:& primum de fluore ventris hic Hippocrates loquitur,non de quocumque fluore alui;ſed de eo,
qui ſequitur ad perturbationem, at fluxus ventris a natura, & ſecundum naturam, eſt citra perturbatio-
nem ventris. Vomitus vero, etſi ſpontinus a natura fiat, non tamen eam habet neceſſitatem, quam de-
iectio ſecum: & ideo eſt a natura, non ſecundum naturam. Comprobatur hæc veritas ex Galen. 5. met-
hod. 11. vbi loquitur de vacuatione ventriculi, ſumta indicatione a ventriculo, quatenus eſt pars inſtru-
mentalis,id eſt, quatenus poteſt diuidi in duplicem ordinem,ſupremum,ac infimum,inquit enim ventri-
culum ſurſum purgari per vomitum, deorſum vero ſecundum naturam. Ecce quod oppoſuit vomitum
F deiectioni ventriculi,quæ eſt ſecundum naturam, vnde vomitus non eſt ſecundum naturam. Quibus ſic
conſtitutis,dicimus,quod Hippocrates proponat vacuationem ſpontinam, quæ diſtat a vacuatione vo-
luntaria,ab ea quæ fit ex arte, & ab ea quæ fit ex euidenti cauſſa. Fit autem vacuatio ſpontina hæc inter-
dum non regulariter operante, interdum non regulariter operante, quod Hippocrates in textu expreſſe
fatetur.Nam cum dicit,ſi talia purgentur,qualia purgari oportet,confert,& leuiter ferunt ægri,intelligit
de vacuatione facta a natura regulariter operante,cum vero ait,ſin minus;contra intelligit de vacuatione
facta a natura irregulariter ac ſymptomatice potius operante. Et hinc patet,quam vanæ ſint conſtitutio-
nes de vomitu, recitatæ a Modernis, an vomitus ſit naturalis,vel artificialis, vel voluntarius &c. Conſtat
enim,quod, quatenus efficitur vi artis,artificialis ſit,ſi autem fiat,quia expultrix vis imaginatrici obediat,
erit voluntarius, non tamen abſolute; nam ſi nulla læſio in ventriculo ad fuerit, tunc cum quis voluerit,
G ſtatim vomere poterit, ſi vero conſideretur quatenus irregulariter operetur natura, erit quodammodo
præter naturam,ſi autem fiat a natura regulariter operante,cum tamen vomitus procedere non poſſit ſe-
cundum omnes leges naturæ, tunc erit a natura,& non ſecundum naturam; non enim poteſt procedere
ſecundum omnes leges naturæ.

Poſt hæc addit Hippocrates, *ſi talia purgentur, qualia &c.* Per quæ nihil aliud intelligere noluit,niſi Si talia purgẽtur, qualia, &c.
humores peccantes, non ſecundum qaantitatem, ſed qualitatem, & ſunt illi humores, qui ſunt in cauſſa

cacochymiæ. Quodque hoc verum sit, dicit Philotheus in expositione, quod quoties purgantur humores, qui purgandi sunt, tunc æger liberatur a cacochymia. Sed circa hos qualitate peccantes humores, ne multæ contingant dubitationes, est aduertendum, quod hi humores qualitate peccantes dupliciter se habere possint: nam vel possunt concurrere ad molestiã principaliter, vel secundario possunt esse ad molestiam adiuuantes. Quomodocunque autem sint, vel principaliter, vel secundario molestiam inferentes, hic intelliguntur ab Hippocrate, & expurgandi sunt a corpore, exempli caussa, sit podagra ex pituita orta, quæ defluat ad locum affectum, merito bilis: pituita principaliter ad podagram generandum concurrere dicitur; bilis secundario, & vt caussa adiuuans: vterque tamen humor est vacuandus. Propterea Auicennas tertio libro Fen. 22. tracta. 2. de podagra: dat in ea sananda pharmacum, tum pituitam, tum bilem purgans: & capite octauo eiusdem lib. reddit caussam, cur non modo pituitam, sed bilem purgare velit: quia bilis, inquit, potest facere vt pituita currat alia vice ad membrum. Ex quo colligatis, satis suspectam esse resolutionem Modernorum, qui dicunt in affectibus ex pituita & bile, ideo purgari bilem, quia bilis non sinit concoqui pituitam. Suspecta est resolutio: quia Auicennas dat caussam, cur id fiat; ne per bilem rursus materia ducatur ad locum affectum. Præterea imaginari non possum, quomodo bilis cum pituita mista sit in caussa, vt bilis non coquatur: nam concedo, concoctionem fieri a calore naturali: & quamuis in bile calor sit mordax, & quodammodo igneus; propterea non debemus dicere, quod ipsa impediat coctionem pituitæ. Nam ad coctionem huius non modo requiritur, vt deducatur ad bonam formam, quantum est possibile; sed etiam præparatio. Præparatio autem pituitæ debet esse tum ex parte temperamenti eius, tum ex parte modi substantiæ. Ratione quidem temperamenti, quia cum pituita frigida sit, maxime resistit calori natiuo, & ob id ne ita pertinax sit, debet calefieri: nam per calefactionem postea sit magis præparata, vt coquatur a calore natiuo, & propterea recte faciunt practicantes, qui non syrupos præparantes calidiores exhibent; non vt concoquant immediate, nam male facerent; sed vt præparent, vt minus resistat pituita calori concoquenti. Ex modo autem substantiæ: nam pituita crassa est, viscida, ac lenta, ob quas quidem conditiones maxime rebellis est: & ob id, vt non ita resistat, vtque calor natiuus in eam vniformiter agere possit, necessarium est, vt attenuetur ratione crassitiei, atque vt abstergatur ratione viscid.tatis: & hæc est præparatio: nam sic præparata, facilius a calore natiuo postea concoquitur. Propterea optime faciunt practicantes, qui non modo calidiores exhibent syrupos, sed vim abstergendi habentes, & incidentes, non ratione coctionis, sed præparationis, vt facilius postea calor pituitam concoquat. His constitutis, videamus modo an bilis sit in caussa: vt pituita coqui non possit. Bilis calefacit, pituitam attenuat, visciditatem insuper remouet, & ob id Galenus interdum dicebat, caliditatem febris attenuare pituitam, post hæc, ratione acrimoniæ, ac amaritudinis suæ abstergit pituitam. Cum hæc itaque bilis in pituita faciat, erit ne in caussa, vt pituita coqui non possit? Potius contrario pacto res se habebit: cum hæc omnia pituitam præparent. Quare suspecta nimis resolutio est. Et ideo Galenus primo ad Glauconem, & libro de differentiis febrium, dans differentiam inter quotidianam exquisitam ac notham, ait, quotidianam puram, cum a sola pendeat pituita, neque bilem permistam habeat, longioris esse durationis: quotidianam vero notham breuiorem, ob bilem admistam, quæ accelerat coctionem materiæ.

Confert.

Subdit Hippocrates postea, *Confert, & leuiter ferunt, &c.*] Dicit, confert: quia sicut humores praui molestabant naturam; sic id, quod erit in caussa, vt humores hi molesti tollantur, dicitur conferre. Cum ergo sic se habeat purgatio, merito ergo conferens erit. Confert autem purgatio bifariam: vel quia totum tollit morbum, cum tota materia expurgatur; vel quia minuit morbum, cum pars materiæ vacuatur. Et hoc documentum optime vidit doctissimus Modernus.

Et leuiter ferunt.

Et leuiter ferunt.] Non est præter rationem id adiectum, quia possibile est, vt purgatio conferat, quia vacuentur humores praui, tamen non leuiter ferant ægri: sed molesta sit ipsis. Potest autem molesta esse vacuatio artificialis respectu pharmaci, quod correctionem requirit; de qua pharmacorum correctione alias loquemur. Præterea vacuatio naturalis potest esse molesta, ratione materiæ, vbi scilicet materia, quæ per œsophagum, vel intestina traiicitur, fuerit admodum acris ac mordax: nam poterit talis materia exulcerare partes istas, & sic non leuiter ferent ægri. Quare si purgentur purganda modo debito, confert, & leuiter ferunt ægri.

Sin minus, contra.

Sin minus contra:] facile est hoc intelligere: quia si verum est, quod quoties purgantur humores, qui sunt purgandi, confert, & leuiter feruntægri, per oppositum, si purgentur, quæ non debent purgari, non confert, & ægri moleste ferunt. Propterea aduertant medici, nam, si peccante pituita dent pharmacum bilem attrahens, fiet apoplexia: si bile peccante purgetur pituita, fiet phrenitis. Propterea cum Galenus & Auicennas loquuntur de ebullitione humorum, vt Galenus quarto de tuend. vale. capite quarto, & Auicennas capite de phlebotomia; non intelligunt tantum de sectione venæ, sed de pharmacia etiam. Nam si bilis purgetur, peccante humore frigido, ille humor magis crudus, rebellis, ac frigidus fiet. Sic si alius humor purgetur, peccante bile, magis hæc incalescet, ac rebellis humor fiet.

Sed dicet quis: si grauis auctor est Hippocrates, vt dixisti, cur per vnum oppositorum non intellexit reliquum, sed addidit, *sin minus, contra?* Non sine maxima arte id dicimus esse factũ. Nam voluit Hippocrates per hoc, vt nos suum præceptum obseruaremus omni modo, ac in nullo delinqueremus: & ob id proposuit, ac proponere voluit incommoda, quæ sequuntur ex mala purgatione, vt suum præceptum omni, qua decet, solertia obseruaremus.

Sic & vasorũ inanitio.

Sic & vasorum inanitio.] Hic vnum apponit aphorismum, post probationem ab exemplo sumtam. Per vasa autẽ (vt adnotauit Philotheus) intelligere debemus venas, arterias, & reliquas capacitates in corpore humano, in quibus possunt esse humores qualitate peccantes.

Inanitio.]

A *Inanitio*] Galenus per inanitionem non phlebotomiam, nec inediam dicit esse intelligendam, sed purgationem. Nam, vt dicit ipse in libro de atra bile, capite octauo, si peccat humor sola quantitate, vacuatione est opus: si quantitate & qualitate, purgatione. Purgationem ergo hic intelligit.

Sed videtur Galenus aduersus hanc expositionem esse: nam 4. aphor. 2. (vbi Hippocrates dicebat; *Si medicamenta purgantia talia euacuent, qualia quæ sponte fluunt, confert, sin minus, contra.*) dicit, vt excuset Hippocratem a nugatione, esse differentiam inter inanitionem de qua in quarto loquitur, & de qua in hoc aphorismo: nam ibi accipi purgationem magis stricte, pro purgatione materiæ per secessum tantum; at in hoc aphorismo accipi modo communiori, & non modo intelligi vacuationem per secessum, sed per vomitum, per os, per nares, per vesicam, per sectionem venæ. Quare hic non tantum per inanitionem purgationem
B intelligere debemus, sed sectionem etiam venæ, & communiter vacuationem.

Dicimus, hic purgationem magis communiter accipi, quam quarto aphorismo, quia ibi tantum per secessum, hic per secessum, vomitum, vrinam, &c. intelligit. Quod si dicas; ibi meminit Galenus sectionis venæ: ergo hic per inanitionem sectionem venæ intelligit? Aduertendum, quod, si Galenus per inanitionem intellexisset sectionem venæ, sibi expresse aduersaretur; quoniam dicit hic, non esse sermonem hoc in loco de phlebotomia; sed, inquit ibi, quod ad vberiorem doctrinam non erit præter rationẽ repetere euacuationem per vomitum, secessum, sectionem venæ, &c. Non tamen propterea dicit Gal. de sectione venæ in hoc secundo aphorismo locutum fuisse Hippocratem; nam sibi aduersaretur; sed bene in prima particula Aphorismorum: Nam in hoc primo lib. loquitur de pharmnacia, sectione venæ, ac inedia. Quare multa differentia est dicere de sectione venæ locutum fuisse Hippocr. in primo lib. & dicere eum loqui in hoc secundo aphorismo.

C Subdit autem Hippocrates, *Si talis fiat, qualis fieri, &c.*] Quæ verba declaratione non egent, quia satis sunt declarata in declaratione probationis.

Si talis fiat.

Posteaquam proposuit Hippocrates, vt a medico talis fiat purgatio, quæ conferat, ac quam leuiter ferant ægri; quoniam præceptum erat hoc maximi momenti; ideo ne aliquis error in eius obseruatione contingeret, propterea in secundo huius partis aphorismo consilium proponit, inquiens. *Inspicere itaque oportet regionem, tempus, &c.*] Vt autem præsentis aphorismi scopus intelligatur, seu præsentis consilii, sciendum, quod ad purgationem faciendum duo sint necessaria, alterum est materia purganda; reliquum, pharmacum, quo materia purgari debet. Ex parte quidem materiæ purgandæ, opus est cognoscere materiam peccantem, nam si eam ignorauerimus, facile est, vt vnum pro alio humore vacuemus. Non sat autem est ad pharmacum exhibendum, vt sit materia peccans in quali, quæ expurgari debeat, nam potest esse
D materia in quali peccans, quæ per pharmacum expurgari non debet: interdum enim materia in quali peccãs indiget pharmaco purgante, interdum non. Et ob id monet nos, vt cognoscamus, quando in quali peccans materia indigeat pharmaco purgante, & quando non.

Altera pars huius secũdi aphorismi.

Quod autem hæc duo proponat Hippocrates in præsenti aphorismo, declaro, & primo, quantum ad cognitionem materiæ peccantis attinet, vt optime declarat Galenus in commento, ea de caussa necessaria est cognitio materiæ peccantis quia color cutis, (inquit) non est sufficiens indicium ad indicandos humores peccantes, etiamsi ipse vtplurimum redundantiam humorum indicare possit, vt si color cutis citrinus fuerit, bilem redundantem indicabit, si ruber sanguinem, &c. Potest tamen esse, vt color decipiat medicos. Deceptio autem duobus modis contingere potest: altero modo, vt dicit Galenus in commento, quando humores plus æquo, ac quadam cum violentia pelluntur, vel intra, vel extra corpus; vt quarto
E de tuenda vale. cap. 4. dicebat, vel propter frigiditatem, vel propter calorem, vel timorem, vel verecundiam, &c. ob quas quidem res color deperditur, cum sanguis intropellatur, vnde potest decipere medicos. Secundo, cum nimio cum impetu ad partes exteriores pelluntur humores. Et quamuis id non declaret Galenus in præsenti com. declarat tamen quarto de tuend. val. quarto: vbi dicit, foras plus æquo spiritus ac sanguinem pelli, ex nimio motu corporis, ex æstu, ex ira immodica, &c. Cum itaque color cutis sufficiens non sit ad indicandos humores peccantes, ob id addere voluit Hippocrates tempus anni, regionem, ætatem, & morbum: cum ex his necessario venire possimus in cognitionem humoris peccantis. Quomodo autem id fiat, declarat Galenus, exemplo sumto a bile, & pituita, nam ex horum cognitione facile in aliorum cognitionem ex vobismetipsis venire potestis, hic enim non intendimus loqui de signis, sed hæc per exemplum adducta sunt. Vnico itaque verbo se expedit Galenus, inquiens, bilem indicari ex
F tempore anni, quod est æstas; ex regione calida: iuuenili ætate, ac specie morbi, vtpote ex tertiana: pituitam ex oppositis, vt hyemali tempore, frigida regione, senili ætate, & quotidiana febre, &c. Quibus exemplis nos postea ex nobismetipsis possumus facile deuenire in cognitionem cuiuscunque humoris peccantis: præcipue autem cum hæc quatuor Hippocrates proponat ob significandas res naturales, non naturales, ac præter naturam.

Humoris peccantis cognitio.

Sed quo ad aliud attinet, quod maioris momenti exsistit, ac diligentissima indiget consideratione, ac declaratione, cum ex eius recta notitia innumeræ dissolui possint difficultates, debemus quærere cum Oribasio, (qui certe in hoc diuinissime processit, beneficio horum quatuor instrumentorum, ab Hippocrate propositorum,) an peccante materia in quali in corpore humano, semper sit purgandum, nec ne:
G & vtrum valeat consequentia, morbus est magnus, vires robustæ, ergo purgandum.

Præsente noxio humore, quãdo purgandum, quando non?

Dicimus itaque, quod possit esse materia in corpore, in quali peccans, & tamen non licere vti pharmaco, cum adsunt prohibentia. Quæ autem hæc prohibentia sint, diuinissimus declarat Hippocrates in hoc aphorismo, & dicit, esse tempus anni, regionem, ætatem, & morbum.

Prohibentia purgationem.

Quantum ad anni tempus, supposita materia in quali peccante, æstiuo tempore non licet pharmacum exhibere, quia tempus hoc purgationem prohibet, vnde Hippocrates quarto aphorismorum quin-

1. Anni tẽmpus & 2. regio.

cto, sub cane,& ante canem difficiles sunt purgationes. Caussas huius dicunt iuniores esse tres: vnam Galeni, duas proprio suo marte adinuentas. A Ego autem has omnes caussas optimas esse dico, sed eas omnes esse Galeni assero, in comment. citati aphorismi, vt quisque videre potest. Prima ratio est; quoniam sub cane,& ante canem, ob æstatem, corpora admodum calida sunt: si itaq; ipsis propinetur pharmacum electiue trahens, quod & ipsum calidum est, corpora non tolerabunt hanc tantam caliditatem, & acrimoniam; sed in febres dilabentur. Secunda caussa; quia æstiuo tempore vires corporis dissolutæ sunt, & ideo cum medicamentum corpora etiam dissoluat, non poterunt ipsum ferre. Vltima caussa; quia tempore æstiuo, vi caloris ambientis fit motus caloris natiui a centro ad circunferentiam: pharmacum vero vim habet attrahendi a circumferentia ad centrum, at natura duos contrarios motus tolerare non potest simul, & ideo corpus tempore æstiuo pharmaciam non sustinet.

Idem de simili regione dicendum. B

Sed de tempore, ac regione frigidis quid dicendum? Dicimus purgationes etiam esse difficiles: at non eisdem de caussis, nam non est ea caliditas aeris ambientis, non illa virium dissolutio, neq; motus a centro ad circumferentiam, imo calor concentratur. Sed difficultas purgationis nascitur, quia tempore hyemis,& præcipue in maximo frigore, necessarium est vt aggregentur multi humores crassi, viscidi, ac lenti, præterea viæ angustentur,& ideo tum ex parte crassitiei ac viscidatis humorum, tum ex parte angustationis viarum, difficiles sunt purgationes hyeme. At multo æstate sunt difficiliores.

3. Ætas.

Ætas insuper prohibet pharmacum, nam licet materia peccet in quali, vel in pueritia, vel in extremo senio, non licet tamen pharmacum exhibere: idque ratione virium, quarum maxima est habenda ratio: nam vires in vtraq; ætate sunt valde infirmæ, at diuersa ratione, nam in pueris vires sunt infirmæ potentia: in vltimo senio actu. Non declaro hos terminos, quia sequenti aphorismo declarabimus. C Sed forte quis dicet, vires non requiri ad pharmaci exhibitionem, sed in sectione venæ? Dico hoc esse contra rationem, & contra Galeni auctoritatem. Omitto autem breuitatis caussa multa; quia fere innumeras possem adducere auctoritates. Dico itaque in pharmaco vires robustas requiri, licet non vt in sectione venæ. Idque sic probo. Fundamentum est ab omnibus concessum, nullum esse medicum auxilium, quod ita prosit, vt non etiam aliqua ex parte noceat; idque præcipue apparet in pharmaco electiue ducente, nam tale pharmacum non est sine aliqua malignitate, & maxime aduersatur naturæ humanæ, vt monuit Galenus secundo de ratione victus duodecimo, & ob id licet prosit medicamentum hoc; potest tamen obesse ob malignitatem, & hinc fit, vt nisi vires robuste fuerint, non possimus præbere pharmacum electiue trahens. Si vultis euidentes auctoritates, videte Galenum quarto de tuend. valet. capite quarto, vbi dicit, quod humore alio a sanguine peccante, purgandum sit, sed addit, robore virium D constante. Idem Galenus, primo prorhetic. sectio. secunda commen. 38. habet hæc ad verbum, corpora imbecilles vires habentia purganda non sunt. Quid clarius? Vires ergo debent esse validæ, vt purgationes leuiter ferant infirmi.

4. Morbus.

Postea ab Hippocrate morbus proponitur, qui etiam indicare, & prohibere potest pharmaciam, & ideo non valet consequentia; morbus est magnus, ergo secanda vena, nam etiam ad pharmaciam requiritur magnitudo morbi. Et id confirmo auctoritate, & ratione. Certum est quod debet esse proportio inter remedia & morbum, quia vbi non est proportio, neque etiam aliqua potest esse actio. Si enim morbus est debilis, debile etiam remedium indicat, quatenus debilis: si vehemens morbus fuerit, exigit etiam proportionatum auxilium, nempe remedium validum. Cum itaque hic sit sermo de pharmacia, quæ ex Galeno secundo aphorism. 29. vehemens est auxilium: quo enim ibi sunt valida auxilia, sectio venæ, E & pharmacia, imo pharmacia est periculosius remedium, cum non sit in potestate medici, vt sistat, quando vult) ideo necessarium est, vt pharmacum indicetur a morbo vehementi. Quare si morbus debilis fuerit, quantumcunque materia in quali peccet, non debemus exhibere pharmacum, nisi morbus fuerit vehemens, vel in præsenti tempore, vel in futuro. Et de hoc videte Galenum quarto libro de tuend. valetud. cap. quarto, & libro quarto methodi cap. sexto; vbi dicit, purgationem adhiberi, & propter abundantiam alterius cuiuscunq; humoris a sanguine, & propter vim morbi. Quare maxima vis morbi requiritur, ad hoc vt exhibeamus medicamenta purgantia. Et hæc summa veritas proposita fuit ab antiquissimis, & optimis; ita referente Platone in Timæo, vbi ex horum sententia ait; medicam purgationem esse vtilem, quando summa cogit necessitas, nec aliter dicunt esse aggrediendam purgationem, & ideo ipse præcipit, ne talem aggrediamur purgationem, nisi summa necessitate cogente: quia, vt optime diuinissimus F hic Philosophus dicebat, si morbi non exsistunt adeo vehementes; corrigendi erunt sola victus ratione, & debilibus quibusdam auxiliis. Ex his videtis, quam diligentissime quatuor hæc proposuerit Hippocrates, quæ purgantia prohibent medicamenta.

Ex hac etiam declaratione innumeræ soluuntur difficultates, nam per morbum non intelligimus absolute speciem morbi, si enim morbum intelligamus in relatione ad humores peccantes, dubio procul per morbum speciem morbi intelligere deberemus; nam quotidiana pituitam, tertiana bilem indicat, &c. si vero morbus referatur ad pharmaciam, non debemus intelligere speciem morbi. Et propterea vanæ sunt omnes dubitationes, quas nonnulli mouent de febre hectica, pleuritide &c. Exempli caussa, si sermo fuerit de febre hectica, an pharmaco purganda sit, nec ne: vana quæstio erit, nam pharmacum semper sumitur ab indicatione, quæ est purgatio, vnde cum in hectica purgatio non conferat, quia non est fe- G bris a materia pendens, ergo vanum est quærere, an in ea conueniat pharmacum, in ea enim conuenit alteratio, & refectio tantum.

Cur quatuor tantum proponantur pharmaca prohibentia.

Hippocrates autem quatuor, neque plura, neque pauciora proponit, impedientia pharmacum, nam per hæc quatuor nihil aliud intelligit, nisi hæc tria; res naturales, non naturales, & præter naturam.

A naturam. Et ne quis error fiat: ſciendum, quod hæc quatuor propoſita poſſint diuerſimode conſiderari:
in reſpectu ad materiam peccantem, & in relatione ad pharmacum. Declaro. Si conſideremus tempus
anni, & regionem, ratione materiæ; non modo hæc duo debemus intelligere per iſta, ſed omnes res non
naturales, vt cibum, potum, ſomnum, vigiliam, &c. Cum vero proponit ætatem, ratione materiæ, debe-
mus etiam intelligere omnes res ſecundum naturam, habitum ſcilicet corporis, vires, temperaturam, con-
ſuetudinem, &c. Per morbum vero, in relatione ad materiam, debemus intelligere res præter naturam,
vt ſpecies morbi, & ſymptomata morbi. Sed in relatione ad pharmacum; an hæc pharmacum indicent, an
prohibeant, an coindicent, diuerſo modo ſtatuere debemus. Per tempora anni, & regiones, tum cœli
ſtatum, tum cibum & potum, &c. intelligere debemus: nam hæc non habent vim vel indicandi, vel prohi-
bendi pharmacum. Per ætatem non omnes res ſecundum naturam intelligemus, ſed ſolum ætatem: quia
B ſcilicet vltimum ſenium & pueritia prohibent pharmacum: non ergo intelligemus temperaturam, neque
conſuetudinem, &c. Per morbum vero nihil aliud intelligere debemus, niſi debilitatem & vehementiam
morbi.

Sed dicet adhuc quis: Hippocrates propoſuit res naturales, non naturales, & præter naturam: vel-
lem ſcire, cur ad res non naturales ſignificandas duo adduxerit, nimirum anni tempus, & regionem; ad ſi-
gnificandas vero præter naturam, & naturales, vnum tantum? Vtile profecto eſt dubium hoc, & maxime
neceſſarium cognitu. Dico ergo maxima arte id ab Hippocrate factum fuiſſe: nam cum ſermo ei habea-
tur de his, quæ indicare vel prohibere poſſunt pharmaciam; ob id cognoſcẽs diuiniſſimus ſenex, quod ad
inhibendum pharmacum ſufficiat vna res ſecundum naturam, & vna etiam præter naturam; non ſufficiat
autem vna non naturalis, ſed omnes requirũtur: ob id duo ex parte harum apponere voluit, vt omnes ne-
C ceſſarias eſſe indicaret res non naturales: vnum in aliis, cum vnum eſſet ſufficiens. Declaro id (ne meum
figmentum videatur) cum Galeno, in pluribus locis. Certum eſt ex parte rerum ſecundum naturã, quod
vbi vires fuerint debiles, licet adſint alia omnia indicantia pharmacum; pharmacum tamen prohiberi: ſic
in ætate infantili, & vltimo ſenio omnino prohibetur pharmacum, quamuis omnia alia id requirant. Præ-
terea ſi ſolius morbi debilitas fuerit ex parte rerum præter naturam, & alia omnia contrarium indicabũt,
prohibetur pharmacum. Sed de tempore anni ſecus eſt: quia dicebat Galenus 1. ad Glauconem c. 14. de ſe-
ctione venæ loquens, quod quoties tempus anni calidum ſimul cum regione concurrerit, vt regio etiam
calida ſit; prohibeatur ſanguinis miſſio. Ecce quod omnia requiruntur, vt prohibeant miſſionẽ ſanguinis.
Deinde ſubdit: ſi vero tempus anni calidum ſit, regio autem non cõſentiat, ſed frigida ſit; non eſt abſtinẽ-
dum a miſſione ſanguinis, ſed ea parcior inſtituenda eſt. Quare non prohibet vnum ex non naturalibus,
D ſed minuit. Et ideo idem Gal. 11. meth. 14. aſſeruit, quod ſectio venæ prohibeatur tempore anni calido, re-
gione etiam exſiſtente calida, ac tali inſuper cœli ſtatu: quaſi voluerit, quod omnia debeant cõcurrere. At
cum id de ſectione venę dicatur; etiam de pharmaco idem intelligere debemus; Et propterea diuiniſſimus
Hippocrates monendo præcipit, vt oculos habeamus intentos ad regiones, & tempus anni: nam ſi in vnũ
concurrerint, abſtinebimus a pharmaco: ſimiliter ob ætatem, & ob morbum, abſtinebimus ab eo.

Quia vero Hippocrates ſecundo hoc aphoriſmo innuit, pharmaco purgandam eſſe materiam qua-
litate peccantem, non ſanguineam & quantitate peccantem ſola: videri poſſet Galenum contra ſtatuere
in multis locis, pharmaco non ſolum poſſe euacuari materiam in quali peccantem, ſed & in quanto. Nam
4. meth. 6. dicit, corpus plethoricum ſanari tum ſectione venæ, tum etiam purgatione: corpus autem ple-
E thoricum redundat materia in quanto peccante, & non in quali: ergo poteſt materia in quanto peccans
pharmaco vacuari.

Purgationẽ etiam quãtitatem reſpicere, ſecundum Galenum, videri poſſe.

Secunda auctoritas eſt eiuſdem Galeni, quarto de tuend. valet. c. 4. vbi admittens ſectionem venæ
quoties eſt ſanguinis abundantia; ſubdit, quod ſi aliquis ita timidus fuerit, vt ratione timiditatis non ad-
mittat ſibi venam ſecari; tunc aluum largius ducendam, hoc eſt, vtendum pharmaco. Quare materia ſan-
guinea non modo ſectione venæ, ſed pharmaco etiam vacuatur.

Vltima auctoritas eſt eiuſdem Galeni, ſecundo de ratione victus 10. & 11. Vbi cũ Hippocrates dixiſ-
ſet, dolore adſcendente eſſe aperiendam venam, deſcendente vtendum pharmaco; ibi ei ſermo fuerat de
materia peccante ſanguinea, vt de inflammatione, ac morbo, qui pleuritis vocatur; quem ſanguinem me-
dicamento purgante vacuat, vtpote helleboro. Quod autem materiam ſanguineam pharmaco vacuet, per
eundem Galenum ibidem probo, qui eandem materiam in commento cum ſectione venæ vacuat. Qua-
F re videtur, eandem materiam poſſe purgari tum ſectione venæ, tum pharmaco: & ob id Hippocratem fal-
ſum propoſuiſſe, cum dixit ratione materiæ in quali peccantis, oriri indicationem purgandi pharmaco,
& non ſectione venæ.

Iuniores, his auctoritatibus coacti, dixerunt, pharmaco ſanguinem poſſe vacuari: quod tamen verũ
nõ eſt: nam nunquam fuit cognitum, neque habemus iam pharmacum tale, quod ſanguinem vacuet: nec
ſi haberemus eo vteremur. Quod ſi aliquãdo id accidat: cõtingit tamen hoc ratione maximæ copiæ ipſius
pharmaci euacuantis, per viam conſequentiæ: nam medicamentum, cum alii humores non adſint ampli-
us, ſed omnes iam ſint attracti, trahit demum ſanguinem per viam ſequelæ.

Recẽtiores falſo ſtatuunt, ſanguinẽ pharmaco vacuari poſſe.

Sed pro huius rei intelligentia, diſtinguere oportet ſanguinem: vt Galenum intelligatis, qui nulla
ex parte diſcors fuit ab Hippocrate. Sanguis igitur dupliciter conſiderari poteſt: altero modo pro quarto
G humore ſeparato a reliquis; altero modo pro tota maſſa humorali, includente ſanguinem, & ceteros hu-
mores alios. Diſtinctio fuit Galeni, ſecundo de differentiis feb. cap. 4. Si ſermo ſit de ſanguine pro quar-
to humore, pharmaco tunc euacuari non poteſt, nec debet: ſed ſi morbus validus extiterit, ſectione
venæ euacuatur: ſi leuis, balneo, frictionibus, &c. Si accipiatur ſanguis pro maſſa humorali, quæ eſt
in cauſſa plenitudinis; ſciendum, hanc plenitudinem eſſe duplicem: vt colligitur ex Galeno paſſim,

Sanguinis, & plethoræ diſtinctio.

præſertim vero libro de plenitudine. 2. aphoriſ. 17. ſecundo in librum de natura humana primo, libro de curan. rat. per ſang. miſſ cap. 4. & 4. meth. 6. 9. meth. 5. 13. meth. cap. 6. & 4. de tuend. valetud. c. 4. aliam quidem quo ad Vaſa; aliam vero quo ad Vires. Plenitudo quo ad vaſa eſt illa, quam plethoram vocant, in qua æqualiter augentur humores, æqualitate iuſtitiæ; ita tamen, vt ad tale veniant augmentum, vt ob ingentem plenitudinem immineat ne vaſa rumpantur, vel fiat ſuffocatio caloris naturalis: de qua Hippocrates tertio aphoriſmo loquitur, vt videbitis. Plenitudo quo ad vires, dicitur cacochymia, quæ (ex ſententia Galeni, locis adductis) eſt, quando ſanguis eſt in copia exigua, ceteri vero humores ſunt copioſi; & non modo ſunt copioſi, ſed inſigniter etiam a natura ſanguinis recedunt. Vnde ſicut prior plenitudo dicitur exquiſita plethora: ita hæc dicitur cacochymia exquiſita. Nam tum plethora, cum cacochymia, & exquiſita, & notha dici poteſt, & eſt. Et quantum ad plethoram notham attinet, hæc poteſt eſſe duplex, vel cum putredine, vel ſine. Plethora notha cum putredine adhuc duplex poteſt eſſe: primo, quando eſt plethora exquiſita, cui tamen accedit putredo, veluti in febre ſynocha cum putredine; & vocatur plethora notha; quia plethora exquiſita dicitur ſolum peccatum in quanto, ac vbi maſſa humoris peccat in quanto: ratione autem putredinis peccat in quali: eſt igitur notha plethora, & non exquiſita. Secundo eſt plethora notha, quando præter dominium ſanguinis adeſt ſubdominium alterius humoris, vt bilis: & præter dominium ſanguinis, & ſubdominium bilis cum ea etiam eſt coniuncta putredo febrilis, & ita etiam multo magis erit notha. Præterea eſt plethora notha, ſed ſine putredine, quoties eſt dominium ſanguinis cum ſubdominio alterius humoris, ſine putredine. Si vultis habere auctoritatem pro his diſtinctionibus videre Galenum quarto de tuend. valetud. cap. quarto. Quantum ad cacochymiam: cacochymia notha dicitur, quando cum exigua copia ſanguinis erit aliorum humorum abundantia, non multum recedens à natura ſanguinis.

Quæ plethora, & quæ cacochymia, recipiant venæ ſectionē, & purgationem.

Quibus conſtitutis diſtinctionibus, hanc materiam reſoluentes, ſic dicamus: quod ſi ſermo fuerit de plethora exquiſita, nunquam licet deuenire ad exhibitionem pharmaci: ſed conuenit ſolum ſectio venæ, morbo tamen magno exſiſtente, cum reliquis ſcopis. Si eſt cacochymia exquiſita, tantum licet deuenire ad pharmacum; non autem ad ſectionem venæ. Et de hac loquitur Hippocrates in hoc ſecundo aphoriſmo: ſicuti in ſequenti aphoriſmo loquitur de plethora, quæ maxime exquiſita eſt.

Si autem conſiderauerimus plethoram notham: dicebamus eam eſſe duplicem; cum putredine, & ſine: eam, quæ eſt cum putredine duplicem etiam diximus eſſe. Ergo quantum attinet ad eam plethoram notham, quæ ſumma, ac maxima plethora eſt, ſed cum ea coniungitur febris putrida: dicimus, quod in hac plethora merito plenitudinis competat ſectio venæ; ratione autem putredinis, cuius merito ſanguis ſolet degenerare in naturam huius, vel illius humoris, tempore opportuno conuenit exhibitio pharmaci; quoniam attrahet partem craſſiorem, vel tenuiorem, non attrahendo ſanguinem, niſi putridam illam eius partem, quæ vel in bilem, vel in melancholiam conuerſa eſt. Et ideo mirum non eſt, ſi Galenus nono method. & in arte curatiua, proponit euacuationem tum per alias vias, tum per venæ ſectionem, & pharmacum.

Si vero fuerit plethora notha cum putredine, quia ſit dominium ſanguinis cum ſubdominio bilis, vel alterius humoris: tunc poteſt pharmacum, & ſectio venæ conuenire.

Idem dicendum, ſi fuerit plethora notha citra putredinem: quia humor peccat, & ex parte qualitatis, & ex parte quantitatis.

Poſtremo ſi conſiderabimus cacochymiā illam notham, tunc dico, quod conueniat vtrumque auxilium; pharmacum, & ſectio venæ: nam quarto de tuend. valet. dicebat Galenus cap. 4 quod liceat deuenire ad ſectionem venæ, vel quando abundat ſanguis, vel quando ceteri humores non admodum recedunt a natura ſanguinis.

Auctoritates Galeni ſupra allatæ enarrātur.

His ita habentibus, non erit difficile propoſitas auctoritates explanare. Nam quantum attinet ad eam authoritatem Galeni quarto meth. 6. qua dicebat, *quod corpori plethorico conueniat ſectio venæ, & purgatio*: quamuis poſuerimus tot diſtinctiones de plethora, tum exquiſita, tum notha; non poſſumus tamen reſpondere fugiendo, quod ibi Galenus loquatur de plethora notha; nam clariſſime conſtat eum loqui de plethora non modo exquiſita, ſed quam maxime etiam exquiſita. Scire igitur oportet, quod Galenus aliquando vſus fuit impropriè, hac voce, *purgatio*. Et ideo per purgationem non ſemper intelligit purgationem per pharmacum. Oſtendo id per Galenum loco citato, quarto nempe method. 6. vbi dicit, corpus plethoricum ſanari, vel per ſectionem venæ, vel per ſolutionem alui. Proponit itaque Galenus ſectionem venæ, & alui fluxibilitatem, in plethorico corpore: quia proponit valida auxilia, & debilia. Validum auxilium eſt ſectio venæ: proponens poſtea debilia remedia dicit ſolutam aluum, vel purgationem: per ſolutam aluum, intelligit aluum lubricam ſponte. Et ideo quando addit, vel purgationem: per purgationem debetis intelligere id, quod correſpondet ſpontinę illi euacuationi; & ideo debemus intelligere purgationem, beneficio cuius leniatur aluus. Quare loquitur ibi de linientibus, veluti ſunt clyſteres molliores. Neque quis veſtrum admiretur plethoricam diſpoſitionem ſolui clyſteribus, & lubrica aluo: quia exercitiis, inedia, & balneo, & reliquis habentibus vim abſumendi, diminuitur. Quod ibidem expreſſe teſtatur Gal. vbi poſtea (loquens de purgatione vera) dicit: purgatio adhibetur, & propter abundantiam alterius cuiuſcunque ſucci, & propter vim morbi. Si itaque vult, purgationem adhiberi propter abundantiam cuiuſcunque humoris a ſanguine: quomodo itaque primo dicit purgationem conuenire plethoræ, & vbi ſanguis peccat? Quare per purgationē, non veram purgationem intelligit, ſed lenientia: aliter ſibi expreſſe in eodem capite in paucis verbis contradiceret: quod de Galeno non eſt dicendum.

Galenus interdum per purgans intelligit leniens.

Lib. 4. met. c. 7. & artis medic. c. 89. & 99.

In plethora ſpuria locū habet venę ſectio, & purgatio.

Quantum ad auctoritatem quarti de tuend. valet. cap. 4. dico, quod Galenus ibi mentionem de plethora notha faciat: nam cum propoſuit pharmacum in corpore non admittente ſectionem venæ; proponit

A nit corpus, in quo est dominium sanguinis, & subdominium alicuius alterius humoris a sanguine: & propterea ea est plethora notha, in qua vtroque licet vti auxilio.

Quantum ad postremam auctoritatem, ex secundo de ratione vict. 10. & 11. difficile est intelligere verum Hippocratis sensum: & credo, non esse difficiliorem locum in Hippocrate: sed tamen difficultatem hanc tollemus in explicatione aphorismi vigesimi secundi, vbi de minoratione materiæ loquemur. Dico igitur, Hippocratem sermonem habere de cacochymia notha; nam certum est, Hippocratem ibi loqui de inflammatione: inflammatio autem non videtur constituere plethoram notham. Hoc autem verum esset, si ex parte tantum quantitatis sanguinis procederet inflammatio: at vbi est cacochymia notha; massa non dicitur sanguinea tantum, sed vel biliosa, vel pituitosa, vel melancholica a prædominio. Hic autem loquitur Hippocrates de massa sanguinea melancholica; & huius rei signum est; quoniam
B Hippocrates proponit helleborum, qui habet vim educendi humores adustos, ac melancholicos. Cum ergo de cacochymia notha loquatur, quæ potest expurgari tum sectione venæ, tum pharmaco: ideo non est mirum, si Hippocrates dixerit, vtendum esse pharmaco; ac Galenus in commento asseruerit, nos interdū posse vti sectione venæ: nam Galenus cū Hippocrate conuenit, & nulla est inter eos discrepantia.

In pleuritide requiritur venæsectio, dolore adscendēte; purgatio, descēdente. Vid. c.3. l.2. practicæ H. Capiuaccl.

Dicit autem Hippocrates, dolore adscendente esse secandam venam; descendente, vtendum pharmaco. Qui sane locus est difficillimus: siue materiam furiosam dicamus, siue nō. Nam si dicamus, materiā esse furiosam; primum, hoc est falsum, quoniam materia habet raptum ad locum determinatum: deinde, si materia furiosa est, quæ habet raptum deorsum; quare etiam non potest esse materia furiosa, quæ adscendit? Imo debet esse magis furiosa: quia dolor adscendens fit a materia fluxibiliori, & tenuiori; descendens autem a crassiori, & non ita fluxili. Ideo non loquitur de materia furiosa. Remanet etiam difficultas,
C si dicamus hanc materiam non esse furiosam. Statuunt enim aliqui, vt Triuerius, & hi qui aiunt, posse euacuari etiam materiam crudam, gratia reuulsionis, quod Hippocrates materia descendente vtatur pharmaco, adscendente autem sectione venæ, gratia reuulsionis. Primum quidem, falsissimum est hoc, quod liceat vacuare materiam crudam, ratione reuulsionis: quod clarissime ostendemus ex Galeno, & Hippocrate, ad aphorismum, *Concocta medicari, &c.* Sed admittatur hoc nunc esse verum: difficultas tamen non tollitur. Namque cur dolore adscendente non vtitur pharmaco? ista enim esset propria & vera reuulsio? Imo dolore descendente, si pharmaco vtamur, non est reuulsio: quia vacuatio fit per eam partem, ad quam natura vergit. Quod si hi concedunt, in inflammatione oculorum, & aliis morbis capitis, gratia reuulsionis, in principio nos posse vti pharmaco: cur Hippocrates dolore adscendente non vtitur pharmaco? Præterea si quis dicat, vacuari hanc materiam, quia possit esse, vt in toto sit concocta, in parte cruda?
D hoc quidem potest sustineri, & suo loco a nobis confirmabitur: sed remanet adhuc difficultas, quia æque potest esse concocta dolore adscendente hæc materia in toto, quā descendente? Cur ergo dolore adscendente secandam venam iubet? Ideo maxima difficultas est in hac auctoritate.

Difficultas quæstionis ex Hippocrate, de curanda pleuritide.

Audiatis igitur nostram resolutionem. Primum dicimus nos, Hippocratem eo loco sermonem habere de inflammatione ipsius pleuræ, de inflammatione, inquam, quæ pendet non a plethora exquisita, sed a cacochymia, vel plethora notha: & proinde sermonem esse Hippocrati de eo morbo, qui a tali materia pendeat, quæ possit tum sectione venę, tum pharmaco vacuari; non enim est vel plethora, vel cacochymia exquisita: quia Hippocrates veratrum exhibet, atque Galenus vtitur phlebotomia.

De hac autem plethora Hippocrates eam ob caussam loquitur: quia docere vult in actu practico, quando cum morbo dolor iunctus est, quomodo procedendum sit: an liceat prius sedare dolorem, ante
E quam fiat vacuatio; an prius sit expurgatio facienda, quam dolores mitigandi. Namque in actu practico maxima est difficultas: quia Auicennas quarto, primo, cap. primo & tertio de euac. & de phleb. dicit: cum euacuare volueris, prius seda dolorem. At Galenus 1. aphoris. 23. dicit: in maximis doloribus nullum magis præsentaneum inuenitur remedium, quam euacuare vsque ad animi defectum: eadem igitur vacuatio & materiam vacuat, & dolorem sedat.

Auctoris sententia: loqui Hippocratem de pleuritide a plethorica, vel cacochymica notha; cuius materia possit & plethorica & purgatione vacuari.

Hanc igitur difficultatem summam voluit dissoluere Hippocrates præallegato loco: propterea necessarium fuit, vt ageret de dolore pleuræ, qui est cum inflammatione, & pendet a plenitudine notha, non exquisita. Namque vbi plethora exquisita est, nemo est, qui eam non noscat: & propterea videns Hippocrates, quod hanc medici noscere possint, quodque in ea nō sit veniendum ad mitigationem doloris, quia statim euacuatione dolor mitigetur: ideo de ea loqui non voluit. At si sermo est de plethora, vel cacochy-
F mia nothis, & adsint signa vtriusque plenitudinis: certi esse nō possumus, an multa sit materia in corpore, necne: & ideo necesse est venire ad curationem tentatiuam. Neque hoc videatur figmentum: quia in principio secundo lib. de rat. vict. dicit Hippocrat. lateris dolorem tentare fomentis dissoluere, non ab re esse. Et 6. aphoris. 31. dicit, fomenta in pleuritide esse dignoscitiua signa, quæ faciant, vt veniamus in cognitionem, modicane vel multa sit inflammatio, & a multa vel pauca materia: nam applicato fomento, vel dolor mitigabitur, vel augebitur: si mitigabitur, erit indicium plenitudinis non ingentis; & ideo ad valida auxilia non est veniendum; nam corpus non est plenum valde: si enim ingentia auxilia adhiberemus, materia attraheretur, ac sic potius dolor augeretur, quam mitigaretur: si autem ex fomentis dolor augebitur, signum erit, inflammationem dependere a materia adfluente ab vniuerso corpore. Quare Hippocrates verba facit de dolore, pendente a plethora vel cacochymia nothis. Quod cum ita sit: hoc
G ex dictis vlterius haberi potest, quod cum per fomenta dolor non mitigatur, sed augetur; tunc, ratione ingentis doloris, (qui non modo fit ex materia, puta biliosa, sed ex loco affecto, qui est pleura, membrana nimirum exquisitissimi sensus) necesse sit venire ad euacuationem, beneficio cuius & plenitudo vacuetur, ac dolor sedetur. Quid ergo in hoc est obseruandum? Audiatis regulam ab Hippocrate propositam. Dicebat enim, quod quoties volumus euacuare, necessarium sit, vt prius sedemus

dolorem;& tunc moliamur euacuationem a parte longinqua;nam cum pars illa non doleat,poterit miti- A
gari dolor partis affectæ.Sed si non possumus mitigare dolorem:tunc eodem auxilio & materiam euacua-
re,& dolorem sedare debemus;ideoque a loco proximo,non longinquo,euacuare debemus:nam si a loco
longinquo vacuaremus,ratione euacuationis quidem fieret actio,sed magis posset fieri attractio ratione
poloris ingentis;& ideo plus poterit dolor,quam euacuatio a loco longinquo,& non sedabitur dolor; ob
id a loco proximo est euacuandum.Hippocrates igitur,respiciens ad inflammationem, in qua maximus
est dolor coniunctus,inquit:dolore adscendente secanda est vena, descendente vtendum est pharmaco.
Nam adscendente dolore maximo,magis proximus locus est secare venam,quam vti pharmaco.Ad quod
accedit,quod præter id quod locus est magis propinquus,non modo sit euacuatio totius corporis, sed et-
iam partis.Et hoc volebat Hipp.cum præcepit,esse euacuandum sanguinem vsque ad mutationem: quia B
non modo fit vacuatio totius corporis,(dicit Galenus)sed etiam materiæ e propinquo loco inflammato.
Præter hoc accedit aliud:quia quoties dolor adscendit,inflammatio potius pendet a sanguine bilioso; &
ideo febrem vehementem habet coniunctam:& ob id pharmacum exhibere non possumus. Sed potissi-
mum respexit Hippocrates ad commoditatem vacuationis.

Vbi autem dolor descendit,vtendum est pharmaco: quia est locus magis vicinus: & natura vacuat
materiam,propellendo eam ad partes inferiores pleuræ,& ideo,vbi exhibetur medicamentum, tunc na-
tura auxiliatur pharmaco;quia tum natura,tum pharmacum,ad infernas partes a superioribus vacuant.
Potissimum vero ita statuit Hippocrates,quia videbat,quod quoties dolor descendit, dependet morbus a
crassiori materia,& sanguine crassiori; & ideo vt plurimum cum eo non est coniuncta febris adeo vehe-
mens.Hinc Galenus in com.(qui nequaquam aduersatur Hipp.)dicit:vbi dolor descendit, febris vel est C
ingens,vel non:si non est ingens,vtendum pharmaco,non modo helleboro, sed, si opus sit, etiam scam-
monio:si febris est ingens, melius est vt vtamur sectione venæ; quamuis non tantum auxilii ex sectione
venæ,quantum ex pharmaco consequi possimus: quia cum fiat vacuatio a loco remotiori, non ita potest
euacuari materia fluxa,& proxima loco læso,& sic nō eodem tempore vacuatur materia, & mitigatur do-
lor.Et ideo Gal.id sentit,quod Hipp.

Propterea concludimus recte cum Hipp.quod dolore adscendente vena secāda est. Quamuis enim
sit plethora notha,vel cacochymia notha:tamen quia eodem tempore debemus euacuare materiam,& se-
dare dolorem;ideo secat venam.Contra,dolore descendente,pharmaco vtendum esse dicit:quia est locus
proximus,& non modo totum expurgat corpus,sed etiam materiam,quæ descēdit ad locum inflamma-
tum:dummodo non sit febris ingens.Nam in omni morbo & ad indicantia,& prohibentia respicere de- D
bemus;vt 16.aphorismo docetur & in tota arte curatiua.

APHORISMVS TERTIVS.

Habitus athletarum,qui ad summum bonitatis attingunt,periculosi, si in extremo con-
stiterint: neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere:cum vero
non quiescant, nec possint proficere in melius, reliquum est igitur, vt recidant in
deterius. His de caussis bonum habitum statim soluere expedit, vt rursus nutriri
corpus incipiat. Neq; compressiones ad extremum ducendę;(periculosum enim:)
sed qualis natura fuerit eius qui debet perferre,ad hoc ducere conuenit. Sic & eua-
cuationes, quæ ad extremum deducunt, periculosæ: & rursus refectiones cum ex- E
tremæ fuerint,periculosæ.

Scopus huius aphorismi,est, agere de venæsectione.

HAbitus athletarum,&c.]Hic etiam,posthabitis aliorum introductionibus, dicimus, institutum Hip-
pocratis esse,proponere sectionem venæ.Fundamentum autem,ex quo apparet tum ratio huius in-
stituti,tum connexus præsentis aphorismi cum superiori,tale est. Cum Hippocratis institutum in hoc
lib.sit,tradere artem curatiuam,quæ in tribus consistit instrumentis; cum in superiori pharmaciam pro-
posuerit,non immerito hic cheirurgiam,id est,venæsectionem proponit.

Vt autem cognoscatur,hunc fuisse Hippocratis scopum; id cum Gal.sed clarius cum Hippocrate,
comprobabo.

Scopū hunc esse,ex Hippocrate probatur: quia omnia ad venæsectionem requisita hoc aphorismo proponuntur.

Hippocrates enim nō modo in hoc aphorismo de sectione venæ loquitur;sed clarius,quam in 4. de
ratione victus 19.siue Hippocratis,siue cuiuslibet liber ille sit:dicit enim:si morbus vehemens est, ac ætas F
floruerit,& robur virium adfuerit,secanda est vena.Quare clare de sectione venæ loquitur auctor ille.Sed
vt intelligatur,Hippocratem magis clare proponere sectionem venæ,quam quarto illo de ratione victus:
supponenda sunt quædam.Et dicimus:quod sicut quatuor requiruntur ad exhibitionem pharmaci, pri-
mum materia peccans in quali,2.morbus vehemens,3.ætas florens,4.virium robur: ita & hæc quatuor in
sectione venæ requiruntur.Declaro magis,vt horum necessitatem cognoscatis.Galenus in lib.de atra bi-
le,c.9.& in superiori com.dicit,Quid agendum,hoc est,esse euacuandum,sumi a materia peccante:nam si
bilis peccat,oritur indicatio purgandi bilem,&c.si sanguis,oritur indicatio euacuandi sanguinem. Quare
materia sanguinea indicat Quid agendum,hoc est,esse euacuādum.Hæc autem sanguinis euacuatio 4.de
tuend.valet.c.4.& 4.meth.6.fieri potest,vel debili auxilio,vel valido:debili,vt balneo, frictionibus & cu- G
curbitulis,& similibus sanguinem paullatim educentibus:vbi autē morbus vehemens fuerit, vt dicit Ga-
lenus 6.aphor.47.sectione venæ est vtendum,quæ validum exsistit auxilium.Sed non modo hoc scire suf-
ficit,sed opus est etiā,vt ea cognoscatis,quæ coindicare,vel prohibere possunt;quæ sunt,vires & ætas:nam
vires validæ coindicant sectionem venæ,debiles prohibent:sic ætates mediæ coindicant; extremæ vero,
vt pueritia,seu infantia,& extremum senium,prohibent.Cum itaque quatuor hęc proposita requirantur
ad venæ

A ad venæſectionem:ſi probauerimus hæc omnia proponi in hoc aphoriſmo ab Hippocrate clarius, quam 4.de ratione victus:quis negare poterit,de venæſectione hic mentionem fieri.

Et primo,quantum ad *materiam peccantem ſanguineam*:in 4.illo lib.de ratione vict. 19. de ea ne verbum quidem facit:vnde non pauci ſunt decepti,credentes, cum ibi de ſanguinea materia non loquatur, quod illud ſit generale dictum;quodque valeat conſequentia hæc;morbus eſt vehemens, ætas florens, & vires robuſtę,ergo ſecanda eſt vena in quacunque materia.Sed decipiuntur:nam ibi non proponitur materia ſanguinea,ſed,tanquam notiſſima,ſupponitur:ſicut dicit clare Gal.1. aphor.23. inquiens;in maximis doloribus non eſt maius remedium,quam euacuare vſque ad animi defectum,ſi vires validæ fuerint:præſupponit autem materiam peccantem;quia dicit,adhibita diſtinctione modo pharmaco vtendum,modo ſectione venæ potius.Et euidenter Gal.4.de tuend.ſanit.4. ait, quoties ægritudo cedit debilibus auxiliis,
B nihil aliud agendum;ſed ſi non cedat,cogitandum de validioribus:& quidem ſi ſanguis peccet, ſecandam venam;ſi alius humor a natura ſanguinis,non venæ ſectione,ſed pharmaco vtendū.Quare ſupponit Hippocrates 4.de ratione victus,materiam peccantem debere eſſe ſanguineam;& ideo eius expreſſe non meminit.At hic Hippocrates non omiſit,nec debuit omittere materiam peccantē in quanto :ſicuti in ſuperiori aphoriſmo non omiſit materiam peccantem in quali:nam hic artem curatiuam tradit: & ideo debebat meminiſſe materiæ in quanto peccantis.Quod autem materiam peccantem in quanto hic proponat Hippocrates, facile poteſt oſtendi : nam athleticam proponit diſpoſitione,quæ abſque dubio in quanto peccat:neque clarius exquiſitiſſimam plethoram declarare poterat, quam per athleticam diſpoſitionem, quæ ad extremum vſque bonitatis deuenerit.Quare declarat materiam ſanguineam in quanto peccantē.

C Superſunt autem tria:vehementia morbi, vires robuſtæ, & ætas florens:quæ & ipſa clarius hic proponit,quam 4 de ratione victus.Quantum attinet ad *vehementiam morbi*:hunc ſcopum l.4. de rat. victus proponit,ſed indiſtincte nominans morbi vehementiam:Gal.vero in com.eam declarat,inquiens , eam non modo regulam eſſe veram in morbis acutis,vt etiam ibi auctor dicit,ſed & in chronicis:imo lib.de ſectione venæ,regulam non modo dicit eſſe verā in morbo præſenti valido,ſed etiam futuro.Sed omnia hic exquiſitiſſime tetigit Hippocrates:Hippocratice tamen,id eſt,non recedens ab admirabili illa breuitate, ac arte:nam proponens vehemētiam mali futuri,dicit eſſe veniendum ad validū auxilium : ſi ergo cū non adeſt morbus debemus venire ad validū auxiliū;quanto magis in vehementia præſentis morbi,ſiue morbus fuerit chronicus,ſiue acutus?Si hoc enim in futuro valet,multo magis in pſenti.Quod autē imminens periculū declaret facile patet:nam non modo dicit eſſe periculoſam athleticā diſpoſitionē in præſenti,ſed
D etiam eſſe neceſſarium,vt in deterius labatur. Quod autē ſit hoc deterius,Gal.exponit in com.inquiēs,vel eſſe ſubitam mortem,vel diſruptionem vaſorum,& venarum.Ecce ꝙ Hipp. omne periculoſum includit.

Quantum vero ad *vires* ſpectat,eas proponit auctor 4. de ratione victus ; ſed clarius hoc loco: nam proponens athleticam diſpoſitionem,certum eſt, quod exſiſtente huiuſmodi habitu, vires adeo ſunt robuſtæ,vt non ſolum in præſenti,ſed in futuro etiam tales ſint.Imo cum hic Hippocrates tradat methodū ſecandæ venæ,non modo proponit vires validas & in præſenti & in futuro:ſed etiam vires validas ſimpliciter;ad differentiam virium validarum ſecundum quid.Sed hoc magis infra manifeſtum fiet. Hippocrates vero proponit vires validas ratione ſpirituum,ac ratione etiam carnoſi totius generis, & partium ſolidarum:nam diſpoſitio hæc athletica tria hæc optime diſpoſita habet.

Quantum ad *ætatem*,eam etiam propoſuit Hippocrates. Nam, vt recte monuit Oribaſius,hic ha-
E bitus athleticus ita bene diſpoſitus non poteſt eſſe niſi in florenti ætate.

Quare cum hæc omnia requiſita ad ſectionem venæ clarius hic proponātur,quam quarto de ratione victus:ſequitur ergo neceſſario,quod clarius hic,quam ibi ſit propoſita venæ ſectio.Et ideo mirū certe eſſe debet,cur nonnulli dicant,hic Hippocratem non loqui de ſectione venæ: cum in quarto de ratione victus in acutis idem,& obſcurius dicat;& tamen nemo neget,quod ibi de ſectione venæ loquatur. Quod ſi quis fugiat,inquies,has omnes cōditiones requiri in exhibitione pharmaci:dico id eſſe verum:ſed tamē validiores vires requiri in ſectione venæ;præterea ſectionem venæ requirere materiam in quanto peccātem,pharmacum materiam peccantem in quali,de qua hic nulla fit mentio,ſed bene de materia in quanto peccante.Imo addo,quod non modo Hippocrates in hoc apho.proponat ſanguinem vacuandū,ſed Quo ſit vacuandus,hoc eſt,ſectione venæ,& Quando ſit ſecanda vena,& Quantum etiam ſit agendum.Prætermiſit vero Modum,& Vbi:quia ex his,quę dicemus nos,& dicet Hippocrates,haberi ſatis ſuperq; poſſunt
F & modus,& vbi. Et oſtendo,quod proponat Hippocrates Quid agendum,& Quo agendum:nam inquit; *his de cauſſis bonum habitū ſoluere expedit*:vbi, Galeno teſte,in cōmento,per *ſoluere*,intelligit venæſectionem eſſe adhibendam:quod eſt Quid agendum. Poſtea dicit,vacuandum eſſe ſanguinem *venæſectione*: ꝙ eſt Quo agendum:Tangit etiam tempus,dicens,*ſtatim ſoluere expedit*. Quantum ſit agendum,proponit, inquiens;*quo ad vires ferre poterunt*.Indicata vero hæc ab indicantibus ſuis ita dependent: nimirum Quid agendum ſumitur a plethora exquiſita:Quo agendum,a vehementia morbi,ab ætate florente,& a viribus validis:Quando agendum,ab inſigni plenitudine & vehementia morbi:Quantum agendum,a quantitate materiæ peccantis,& a virium tolerantia.Quare patet Hippocratis ſcopum eſſe,de cheirurgia diſſerere.

Cōfirmatur idem ſcopus cum Gal.cum quo multo difficilius exſiſtit videre hanc veritatē, quā cum Hip.Dicit enim Gal.in,com.*Poſtquā Hip.in præſenti apho.locutus eſt de qualitate;nunc in hoc apho.& ſequē-* — Idē ſcopus huius aphoriſmi e Galeno oſtenditur:ſed difficilius.
G *tibus vult loqui de quātitate,initiū ſumens ab immodica tū repletione,tū euacuatione*.Libenter audirē,q mihi verba hæc interpretaretur:tamē,aliorū expoſitiones omittentes , dicimus hanc eſſe Gal mentē.Quando, dicit,Hip.eſſe locutū ſupra de *qualitate*:intelligit Gal.eū ſupra locutū fuiſſe de materia in quali peccāte:q a ꝓponit pharmaciā,nō empirice,ſed dogmatice,in virtute.ſ.indicationū.Dicit aūt poſtea Gal.*hic & in ſequentib.apho.*(& in hoc ſtat tota difficultas:nam,ſi nō addidiſſet,in ſequentib.apho.nō multū laborarem,

vult agere de quantitate. Sed quid per quantitatem intelligimus? Non quidem ſectionem venæ: nam in ſequentibus non agit de ſectione venæ ex propoſito, ſed incidenter: ſolum autem hic ex propoſito agit de ſectione venæ. Quare ſecundũ proportionem, ſicuti per qualitatem intelligebamus materiã in quali peccantem: ita per quantitatem debemus intelligere materiam peccantem in quanto: nã tum in hoc aphoriſmo, tum in ſequentibus loquitur Hippocrates de materia in quanto peccante. Nam conſiderauit Gal. ꝙ materia in quanto peccans habeat ſuam indicationem, quæ eſt euacuatio: poteſt autem hęc euacuatio dupliciter fieri, vel valido auxilio, repente & inſigniter vacuante, veluti eſt ſectio venę: poteſt etiam vacuatio hæc fieri auxilio paullatim minuente quantitatem, veluti eſt victus minuens vires, ſiue ſit tenuis, ſiue tenuiſſimus. Vnde loquens hic de quantitate, loquitur de ea, prout valido debet vacuari auxilio: ſcilicet ſectione venæ. Quod autem ſit verum: addit Gal. *initium ſumens ab immodica tum repletione, tum euacuatione:* Initium ſumens, hoc eſt, loquens in præſenti aphoriſmo de euacuatione materiæ peccantis in quanto, ſumta indicatione ab immodica repletione, quæ indicat periculum maximum, & magnitudinem requirit euacuationis, & valido auxilio, id eſt, ſectione venæ indiget. In ſequentibus autẽ loquitur de materia, quæ in quanto peccat, quæ non indiget vacuatione valida, vt ſectione venæ; ſed diæta paullatim diminuente. A B

Et ex hoc notetis errorem, non ſolum aliquorum, ſed fere omniũ interpretum: quoniam cũ Hippocrates dicit medicinam eſſe ablationem & additionem; dicunt Hipp. in 2. aphor. & pariter in 3. ſermonẽ habere de inanitione, ac ablatione, & alludere ad partem medicinæ, in qua aufertur materia peccãs, vel in quali, vel in quanto: poſte loqui de victu, ſeu de altera parte, id eſt, de additione. Veriſſima eſt ab Hippocrate propoſita medicinæ difinitio; ſed hic non eſt ad propoſitum: quoniam hic non loquitur de victu addente, vel replente, ſed de victu ſpectante ad partem medicinæ, vt eſt ablatio: quoniam, cum loquatur de diæta, in nullo horum aphoriſmorum loquitur, niſi de victu diminuente, præterquã in aphoriſmo 11. vbi incidenter loquitur de victu addente. C

Hippocrates igitur in præſenti aphoriſmo proponit ſectionem venæ, nimirum Quid agendum, id eſt, ſanguinẽ eſſe vacuandũ, & Quo, nempe ſectione venæ, & Quo tempore, & Quantum etiã ſit agendũ.

Diuiſio aphoriſmi.

Nunc ſequitur, vt ad diuiſionem veniamus. Itaque ex ſententia Galeni dicimus, hanc ſententiã eſſe partem enthymematis, quæ habet probationem ſeiunctam, & præpoſitam, ſumtam tamẽ ab exemplo, vt ab habitu athletarũ: vnde erit ſententia ex ſimilitudine. Aphoriſmus ea incipit parte: *Sic & euacuatio, quæ ad extremum vſque deuenerit, &c.* Exemplum vero a principio ponitur.

Senſus totius aphoriſmi.

Sed antequam veniam ad põderationem verborum: primum in medium adducere decreui ſenſum totius aphoriſmi, qui talis eſt. Vt in habitu athletarum, ac athletica diſpoſitione, ſi accidat, vt ad ſummum bonitatis deueniat, quia tunc maximum adeſt periculum, ideo neceſſarium eſt, venire ad euacuationem ſanguinis per ſectionem venæ, idque ſtatim facere expedit; vt tamen non fiat extrema vacuatio, ſed in tãta quantitate, quantam ferre poteſt athleta, cui vena ſecatur: cum hoc ergo ſeruandum ſit in corpore athletico; a ſimili (infert poſtea Hippocrates) opus eſt, vt medicus ſeruet in quocunque ſimili corpore, id eſt, in eo, in quo redundat ſanguis, vt ſanguinem phlebotomia vacuet, idque cito faciat, atque eam ſanguinis quantitatem vacuet, quã poſſunt vires infirmi tolerare. Nam vt extremæ repletiones ſeu refectiones ſunt periculoſę; ita & extremæ vacuationes. Hic eſt integer ſenſus aphoriſmi. D

Examẽ ſingulorũ verborũ aphoriſmi.

Accedamus ad verba. Dicit Hippocrates: *Habitus athletarum cum ad ſummum bonitatis, &c.* Vt intelligatis, quid per habitum intelligat Hippocrates confugiatis ad Galenum, libro de optima corporis cõſtitutione, libello de bona habitudine, libello ad Thraſyb. & præſenti com. In quibus omnibus locis dicit Galenus quod medici accipiant habitum pro ea re, quæ non ita facile remoueri poteſt: vt Ariſt. in prædicamentis etiã dicit. Poteſt autem habitus hic vel bonus, vel malus eſſe. Malus habitus eſt, in quo non modo materia in quanto peccat, ſed in quali; imo magis in quali & dicitur cachexia. Et de hoc habitu non intelligit Hip. nam potius de bono verba facit. Bonus vero habitus duplex etiam eſt: vel ſimpliciter, vel ſecundũ quid, & cum appoſitione, (vt Gal. dicit.) Bonus habitus ſimpliciter eſt, quando corpus optime ſe habet, tum ſecundũ partes ſimilares, tum diſſimilares; ſecundũ quidẽ ſimilares, quoties corpus ſecundũ partes ſimilares eſt aſſecutum optimam temperaturam: ſecundũ autem partes diſſimilares, quãdo corpus in partibus organicis, & diſſimilaribus eſt aſſecutum optimam conſtitutionem, & conformationem, optimã magnitudinem, numerum, ac ſitum. Tale autem corpus optime cõſtitutum, neceſſario erit viſu pulcerrimũ. Vnde inferatis, quod pulcritudo adſpectus non cõſtituat bonum habitum. Nam bonum habitum tantũ duo à nobis dicta faciunt: bonus habitus partium ſimilarium & diſſimilarium: Cũ enim taliter fuerit cõſtitutum corpus, ſequitur neceſſario, vt ſit viſu pulcerrimum, vtq; habeat optimam ſanitatem, omnes inſuper habeat facultates validas, ac robuſtas, & vt nõ ita facile in ægritudines labatur. Et imo Modernus eſt in maximo errore: qui vult, ad bonum habitum ſimpliciter quatuor requiri conditiones: cum reuera duæ tantum ſint, nempe diſpoſitio bona ſimilarium, & diſſimilarium: quibus poſitis, ceteræ conditiones conſequuntur. Quod ſi conſecutiuas ponere velimus, non quatuor erunt, ſed fortaſſe pluſquam ſex, aut octo. Et de hoc habitu bono ſimpliciter (inquit Galenus) non intelligit Hippocrates hoc in loco: nam hic habitus vbi ad ſummũ bonitatis deuenerit, periculoſus non eſt: imo eſt veluti regula Polycleti; & ſi quæ corpora maxime accedunt ad hunc bonum habitum ſimpliciter, ſunt agricolæ. Hipp. autem de eo loquitur habitu, qui periculoſus eſt. Habitus vero bonus ſecundũ quid, dicit locis allegatis Galenus, eſt ille habitus, qui non habet omnes conditiones neceſſario requiſitas ad bonum ſimpliciter habitum; ſed aliqua deeſt conditio, atque eſt aliquod vitium penes partes ſimilares, vel diſſimilares. Et quamuis negent aliqui vitiũ in partibus ſimilaribus: videte tamen Gal. lib. de optima cõſtitutione; vbi, loquẽs de habitu ſecundũ quid, dicit, eum eſſe, in quo eſt aliquod vitium penes partes ſimilares vel diſſimilares: penes ſimilares quidẽ, quia quamuis in hoc habitu gignatur optimus ſanguis, tamen in ſanguine non ſeruatur ea ſymmetria, quæ in E F G

Habitus athleticus bonus, ſecundum quid.

optimo

A optimo habitu requiritur; & ideo dicitur dependere hoc ex aliquo vitio temperaturæ partium similarium. Præterea in habitu secundum quid, potest etiam esse vitium penes magnitudinem organicarum partium, quia hoc corpus ad molem quandam corporis deuenit, ad quam non deberet deuenire. Et dicebat Gal. habitum hunc esse illorum, qui nihil aliud faciunt, quam quod student corporis quantitatem augere, vt athletæ. Huc facit quod dicebat Plato, septimo de legibus, quod exercitationum quædam sint liberales, quas homines faciunt gratia sanitatis; & hunc ad modum exercitationibus non vtuntur athletæ: alię autem sint exercitationes, quas nonnulli faciunt, vt alios deiiciant; & hæ sunt exercitationes seruiles, & sunt ipsorum athletarum. Et propterea cum Hippocrates dicit, *habitus exercitatorum*; per exercitata corpora B intelligit athletica, non aliis exercitiis exercitata.

Sed dicet quispiam: si habitus hic periculosus est, cur ab Hippocrate bonus vocatur? Inquit enim *habitus exercitatorum, cum ad summum bonitatis deuenerit:* cum potius malum deberet proponere habitum. Sciendum, ex sententia Galeni in oratione suasoria ad bonas artes, quod athleticus habitus potius est quædam affectio, quam vere bonus habitus. Ab Hippocrate autē vocatur bonus habitus, hac de caussa: quia cum Hippocratis institutum sit, agere de sectione venæ, cum sectio venæ supponat Quid agendum, id est, sanguinem esse vacuandum; hæc indicatio sumitur a materia peccante in quanto, & non in quali, id est, a materia sanguinea, quæ tantum in quanto peccat: si comparetur materia hæc; ad materiam quæ requirit purgationem per pharmacum; hæc non tantum in quanto, sed in quali peccat; quare materia sanguinea, cum tantum in quanto peccet, est bona, respectu aliarum materierum, quę in quanto & quali peccant. C Et ob id Hippoc. ad hunc habitum respiciens, dicit, eum esse bonum respectu illius habitus, qui potius purgationem, quam sectionem venæ & euacuationem requirit.

Dicit porro: *Habitus athletarum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, in extremo constiterint.* Si recte hæc verba consideremus; duo inueniemus requiri ad hoc, vt habitus periculosus sit. Altera conditio necessaria est, vt habitus deueniat ad summum bonitatis: reliqua, vt deueniat ad extremum. Sed dicet quis: in idem videntur coincidere hæc verba; ad summum bonitatis, & ad extremum. Quæ est ergo differentia? Neq; est dicēdum Hipp. vti synonymis: nam nunquam vsus fuit synonymis Hipp. & pręcipue in aphorismis Scio, quod Modernus, accipiens a Triuerio, vt ingeniosus appareat, huius caussam reddens, dicat: quemad modum Hipp. proponēs victum, proposuit victum tenuissimum, & extreme tenuissimum: a pari hic proponit summam bonitatem, & extremam bonitatem, vt significaret excessum summum. D Sed ego nescio videre hanc subtilitatem. Nam si dixisset Hippocrates, habitum athletarum, qui ad extremum deuenerit, esse periculosum; nō video quem melius explicare potuisset excessum: quia si sic dixisset, nos non possemus vlterius progredi. Aliud autem est, loqui de victu tenuissimo, & extreme tenuissimo: vt suo loco dicemus. Quare dicerem, Hipp. hæc duo proposuisse maxima cū arte: nam ad duo respexit: cum enim dicit: *Qui ad summum bonitatis attingunt, &c.* per hoc significare voluit plethoram exquisitissimam, non modo distinctam a cacochymia vera, sed a cacochymia notha, & a plethora etiam notha; quæ ad tantam deuenit bonitatem, vt nullum in ea penitus vitium sit ex parte qualitatis, sed solū plethora verissima, & exquisitissima sit. Nam, vt, de purgatione loquēs, cacochymiam exquisitam apposuit; sic de sectione venæ loquentem oportebat plethoram exquisitissimam in medium afferre. Cum vero subiunxit; *Si in extremo constiterint:* considerauit Hippocrates, quod plethora exquisitissima possit esse duobus modis: nam E vel deuenit ad extremam illam plenitudinem, & repletionem, vt ad maiorem deuenire nō possit; vel non ad hanc summam repletionē deuenit: quia potest esse exquisitissima plethora, in qua nullum adsit in qualitate peccatum; tamen non sequitur, vt sit semper in summa illa repletione. Volens ergo proponere Hippocrates, non modo exquisitissimam plethoram, sed illam exquisitissimam plethoram, quę ad tantam deuenit repletionem, vt maiorem habere non possit; dicit, habitus athletarum, qui ad summum bonitatis, id est, ad exquisitissimam plethoram deuenerit, si ad extremum constiterit, id est, si eam habuerit exquisitissimam plethoram, quæ summam habet repletionem &c. Nec præter rationem id dicit Hippocrates: nam non modo hic proponere vult Quid, & Quo agēdum, sed Quantum etiam, & alia. Nam licet plethora exquisitissima, Quid sit agendum significet, non tamen Quo agendum ostendit. Sed si illum excessum insignem addideris, statim id fiet planum: nempe, quod cum periculum maximum insit, sit vena secanda sta-F tim. Neque modo Quo agendum, sed Quantum etiam agēdum indicatur ex illa insigni plenitudine: quo enim materia copiosior est in corpore, eo maior fieri vacuatio debet.

Habitus athleticus is est periculosus, qui plethoram, tum exquisitissimam, tum in summa & extrema copia.

Sed dicet quispiam: cur habitus hic est periculosus? Respondet Hipp. inquiens: *Neq; enim possunt in eodem permanere, neq; quiescere.* Gal. in lib. de optima habitudine, & in præsenti comm. declarat, cur habitus hi sint periculosi: ex qua declaratione habetur etiam declaratio verborum Hippocratis: & dicit, quod, cum necessarium sit, quod hæc corpora nutriantur, ideo accipiunt cibum; sit autem cibi concoctio facile nimis; quia virtus est valida multū: fit etiam distributio ad iecur, ac in eo fit sanguis, ac distributio ad mēbra, appositio, & agglutinatio. Sed cum supponamus (inquit Gal.) hæc corpora esse valde repleta, nam loquimur de habitu valde extremo; ideo non linquitur aliquis locus applicandi tale nutrimentum, necessarium autem est, vt fiat talis appositio, quia ibi tum materia, tum agens adest: cum itaque non sit locus vbi G hoc fiat, necessarium ergo est, vt vel calor naturalis suffocetur, & repentina fiat mors, vel vt aliquod vas rūpatur. Neque est, vt quis dubitet, quam veritatem possit habere dictum Galeni: quod hæc corpora, cum nimis repleta sint, possint appetere cibum. Nec exponatis dictum Galeni, vt aliqui, quod appetitus fiat, vel quia venę a ventriculo alimentum accipiant: vel quod ventriculus a venis alimentum trahat: nam si accipit alimentum a venis, cum venæ repletæ sint, nullus deberet esse appetitus: neque etiam dicendum est, quod venæ a ventriculo accipiant; nam si repletæ sunt, nihil possunt accipere, & ideo non potest fieri appetitus. Quare pro solutione multarum difficultatum dicendum, quod in his corporibus fiat appetitus, & ratione

Corporis habitus summe plenus, periculosus est, ob metum rupturæ vasis, aut mortis repentinæ e suffocatione caloris natiui.

delectationis,& ratione necessitatis. Delectationis quidem; quia adeo hi gulæ sunt dediti, vt etsi nimis repleti sint, tamen propter illam consuetudinem ac delectationem cibum appetant. Ratione autem necessitatis, nempe illius, quam Galenus proponit in commento; quia non student athletæ, nisi vt corpus augeant: ob hanc ergo necessitatem corporis augendi, cibum appetunt, ac sumunt. Vnde totus appetitus naturalis non est. Cum ergo hæc corpora admodum repleta sint; ideo necessarium est, vt vel vena aliqua rũpatur, vel mors sequatur repentina. Quomodo mors repentina? Hoc declarare lubet: vt ex vobismetipsis multas difficultates a Modernis motas soluere possitis, & eorum errorem magis noscatis Dicimus itaque ex Gal. in lib. de vtilitate respirationis c. 3. quod mors repentina fit ad destructionem caloris natiui. Calor autem eo modo destruitur, quo flamma, referente Galeno eisdem locis: nam vt in flamma duplex est motus, sic in calore; alter sursum, reliquus vero deorsum: qui motus ita sese inuicem sequuntur, vt altero destructo, reliquus dissipetur. Declaro magis. Tota flamma sursum mouetur, quia caloris est sursum adscendere; & proinde fit, vt cucurbitula flammæ superponatur, cum flamma sursum adscendere non possit, extinguatur: habet etiam necessario motum deorsum; quia cum calidũ celerrimam habeat corruptionem, indiget etiam celerrima refectione, & ideo necessarium est, vt deorsum feratur, nempe ad suam materiam & humidum, beneficio cuius, quod assidue deperditur, assidue refici possit. Cum itaq; duo motus sint, duplex est etiam destructio caloris: primo per motum deorsum, quoties ei deficit pabulum, & materia nempe ipsum humidum: & hæc destructio caloris dicitur destructio per marcorem, quam destructionem proposuit Galenus primo & secundo lib. de temperam. vtrobique cap. 2. vbi dicit, defectu humidi calorem marcescere: quod etiam dicit Aristoteles libro de vita & morte. Destruitur etiam motus altero modo, nimirum quia nimis sursum tendat, & dispergatur; vel quia hic motus sursum nimium cohibeatur: primo modo, veluti calor noster natiuus destruitur ab insigni calore solis, vel balnei, veluti parua flamma a magna destruitur: magna enim flamma minorem destruit eam ad se alliciendo. Vnde aduertatis, quod hi decipiuntur, qui dicunt, magnam flammam destruere minorem, absumendo humiditatem; & ideo tenent potius destrui per motum deorsum, quam per motum sursum: quia scilicet destruitur pabulum, & humidum. Destruitur postea motus sursum flammæ, quatenus cum violentia propellitur deorsum: vtque Galenus locis citatis dicit, talis destructio fit, vel ratione frigiditatis insignis aeris ambientis, vt dicebat secundo ad Glauconem cap. 2. prȩterea id fieri potest ratione immodicæ ventilationis prohibentis motum. Addebat etiam Galenus motum flammæ sursum impediri ratione multitudinis materiei, vt fuliginis: & propterea dicebat Galenus, quod fuligo destruit calorem, vt aqua destruit ignem: quia vt aqua impedit ignis motum sursum, ita fuligines destruunt flammam impediendo motum caloris; non quia absumatur humidum: quia quamuis fuligines vim habeant absumendi humidũ, non tamen ita destruunt calorem, nam non ita possunt absumere humidum, vt sequatur mors repentina. Et ideo dicendum cum Galeno, quod fuligines calorem exstinguunt, vt aqua ignem, prohibendo modum sursum ipsius caloris. His constitutis facile est videre, quid voluerit Galenus, cum dicit, quod hic habitus est periculosus, quia repentinam mortem facit, vt dicebat Galenus 11. meth. ca. 8. per destructionem motus caloris, non quidem eius motus qui deorsum est, sed penes motum sursum: quia motus ille cohibetur, & sic sequitur suffocatio caloris natiui: nam, vt dicit ibidem Galenus, suffocatur calor natiuus, vel per prohibitam transspirationem, vel per prohibitam respirationem. Caussa autem duplex affertur a Galeno, tum interna, cum externa: interna multitudo materia fuliginosæ: externa est quæcunque caussa exterior, quæ constipat porositatem corporis, ex qua constipatione, quemadmodum etiam ex fuligine, prohibetur motus caloris sursum, & sic sequitur suffocatio caloris.

Permanere, & consistere quid?

Sed dicet quispiam: cur Hippoc. dicit; *Permanere & quiescere:* nam videntur in idem coincidere. Respondeo: (& responsio est valde bona, & non est mea, sed Thaddæi:) cum dicit *permanere*: respicit ad habitum corporis & partes etiam corporis, quæ adeo sunt repletæ, vt nõ possint vlteriorem repletionem admittere: *quiescere* autem dicit, non ad partes respiciens, sed ad facultates. Et hanc expositionem videtur etiam tetigisse Philotheus: qui dicit, facultatem non posse quiescere, quia quies facultatis, eius destructio atque corruptio exsistit.

Recidere in deterius.

Præterea subdit Hippocrates; *cum ergo non possint in eodem permanere, nec in melius proficere, ideo necessarium est, vt in deterius labantur.* Quæ verba satis nota sunt, ex expositione iam allegata Galeni: nam necesse est, vt vel sequatur mors repentina per suffocationem caloris natiui, vel vt rumpantur aliqua vasa.

Plenior habitus statim venæsectione soluẽdus vt corpus absque periculo nutriri queat.

Addit post hæc Hippocrates: *His de caussis bonum habitum statim soluere expedit.* Exponit Galenus euacuandum esse sanguinem, sectione venæ: vbi, cum dicit, euacuandum esse sanguinem, habemus Quid agendum: cum ait sectione venæ, habemus Quo.

Dicit vero Hippocrates, (& hoc est maxime aduertendum.) *Vt rursus nutriri corpus incipiat.* Nam falsum est, ideo euacuationem fieri, vt rursus fiat nutritio: & non hoc voluit Hippocrates: sed quod ideo vacuatio sanguinis sit facienda, vt periculum instans aufugiamus, & ideo dicit, *Vt rursus nutritio fieri incipiat.* Nam in hoc consistebat totum periculum. Cum enim maxime vasa repleta essent, non poterat fieri nutritio absq; vno horum incõmodorum: scilicet, vel suffocatione caloris, vel vasorum disruptione. Et ideo inquit Hippocrates: euacuatio est facienda, vt rursus corpus absque periculo nutriri possit: nam cum corpus euacuatum est, potest absque periculo nutriri. Tangit etiam Quando agendum Hippocrates cum dicit, statim esse secandam venam: nam, vt inquit Philotheus, secamus venam ob vehementiam non modo mali præsentis, sed imminentis.

Venæsectio ne sit largior.

Deinde subdit Hippocrates. *Neque compressiones ad extremum ducendæ, periculosum enim, &c.* Per compressiones, vt monet Oribasius, euacuationem intelligit. Et hic Quantũm agendum sit, proponit

nit:non enim fiet vacuatio vſque ad extremum,nam hoc eſt periculoſum:quia,dicente Galeno in comm. non minus eſt periculoſa extrema vacuatio,quam extrema repletio,ſed æqualiter:& ideo non eſt,vt fugientes vnum periculum,in aliud æquale incommodum incidamus.

Extrema vacuatio periculoſa: quia calor & facultates eâ destruūtur.

Sed circa hæc verba quædam admonere lubet:quia non pauci in his ſunt decepti. Primum eſt; quia quiſpiam ambiget: cum cognouerim cauſſam,ob quam extrema repletio eſt periculoſa, vellem etiam ſcire cauſſam,ob quam extrema etiam vacuatio periculum habeat? Modernus, a Montano capiens,dicit, extremam vacuationem eſſe periculoſam,vel ratione ſui,vel ratione rei euacuatæ, vel ratione partium ſolidarum,a quibus fit vacuatio:ſed potiſſimum ratione ſui eſſe periculoſam vacuationem quia refrigerat B & ſiccat. Sed nolo tempus in hac opinione confutanda conterere:nam ex vera reſolutione, quam adducam,ex vobiſmetipſis eius falſitatem cognoſcetis. Ego itaque dico, extremam vacuationem eſſe periculoſam,tum ratione ſui,tum ratione rei euacuatæ. Ratione quidem ſui,non quia refrigerat & exſiccat:nam refrigeratio& exſiccatio ſanguinē vacuatū cōſequuntur:neq; enim fit refrigeratio & exſiccatio,niſi prius ſanguis euacuetur:ad ſanguinis ergo euacuationē ſequitur frigefactio & ſiccatio. Sed ideo periculoſam ratione ſui extremam vacuationem eſſe dico,quia extrema eſt:omne enim extremū naturę inimicum:idcoque extrema vacuatio naturæ inimica,ac periculoſa hac de cauſſa exſiſtit, quia extrema. Eſt præterea periculoſa,ratione rei euacuatæ,id eſt,ſanguinis:& hoc optime proponit Oribaſius:vult enim vitam conſiſtere in calore:cum ergo calor in ſanguine conſiſtat,hinc poſtea fit,quod ſi extrema fiat vacuatio ſanguinis,extrema etiam ſit vacuatio caloris;ad quam ſequitur refrigeratio&exſiccatio,ac omnium etiam facul- C tatum tum vitalium,tum animalium,& naturalium deſtructio. Quare omnia nocumēta ad hæc duo tantum ſunt referenda:ad rationem vacuationis,& ad rationem rei euacuatæ.

Quæ facultas primo, & quæ magis lædatur ab immodica vacuatione.

Sed inſtaret quiſpiam:ſi ad inſignem euacuationem ſequitur facultatū deſtructio:vellem ſcire, cum tres ſint facultates,vitalis nimirum,naturalis,& animalis; quænam ex his facultatibus primo lædatur, ſeu prius lædi incipiat:deinde,quæ magis ex his facultatibus lædatur? Dubitatio quidem hæc praxi eſt neceſſaria:nam cum ſciuerimus,quæ primo læditur,ei primo ſuccurremus; & quæ magis læditur, ei magis ſuccurremus:nam ei primo in praxi eſt ſuccurrendum,quod primo læditur;& ei magis, quod magis læditur. Modernus a Montano etiam ſubripiens,hic dicit:quod ſi conſideremus læſionem ratione originis & manifeſtationis,primo apparet læſio in vitali facultate,ſecundo in naturali,tertio in animali:at,ſi maiorem & minorem conſideremus læſionem,minor eſt læſio in animali, maior in naturali, & adhuc inſignior in vi- D tali. Ex reſolutione,quam ego adducam,volo,vt vnuſquiſque veſtrum confutet hanc reſponſionem: & ideo nolo impugnare ipſam.

Dico ergo,quod ratione originis ac manifeſtationis primum apparet læſio in animali,ſecūdo in vitali,tertio in naturali.Si autem ſermo eſt de maiori vel minori afflictione;dico,quod minor eſt læſio in animali,maior in vitali,maior adhuc in naturali.Quam veritatem dupliciter confirmo:& per viam ſigni,id eſt,a poſteriori;& per viam cauſſæ,id eſt,a priori.

Et primum, quantum viam originis; ſenſu euidens eſt, quod quoties fit aliqua extrema vacuatio, prius incipit debilitari motus ac ſenſus, quam quæcunque alia:vnde leipothymiam & ſyncopen præcedit debilitas in motu, ac obtenebratio circa oculos. Sic etiam videmus, quod antequam lædatur facultas cōctrix, quæ naturalis eſt, prius apparet læſio in vitali facultate: vnde ſæpe videmus vacuationem extre- E mam lædere facultatem animalem,& vitalem,non autem naturalem. Hoc quidem a poſteriori. Per cauſſam vero ſic noſtra ſolutio demonſtrari poterit. Certum eſt, quod facultas animalis in ſpiritibus animalibus conſiſtit, qui ſunt tenuiſſimi, & magis depurati ſpiritus, quam ſpiritus vitales; & vitales magis ſunt depurati, quam naturales; ſiue hos ſpiritus concedamus, (vt luce clarius oſtendam, in propria quæſtione:) ſiue ſanguinem,nam tunc nemo negat ſanguinem eſſe craſſiorem ſpiritibus. Si itaque hoc ita ſe habet:rationi conſentaneum maxime exſiſtit,vt reſolutio prius illis contingat ſpiritibus, qui magis reſolutioni apti ſunt;poſterius vero his,qui minus. At magis reſolutioni ſunt apti animales, poſtea vitales, demum naturales. Ergo primum læſio apparebit in animalibus,ſecundo in vitalibus, tertio in naturalibus. Et ſic ratione originis.

Ratione maioris vel minoris læſionis, id quoque a priori & a poſteriori oſtendi poteſt:quod ſcilicet F minor ſit læſio in animalibrs, maior in vitalibus,maxima in naturalibus. Nam vbi fuerit ſola læſio in animalibus ſpiritibus, ſolis odoratis occurrere ſolemus,quibus cerebrum quam maxime oblectatur:vbi vero læſio erit in vitalibus,ſolemus occurrere vnico tantum hauſtu vini maluatici,imo aliquando ſufficiunt ſola epithemata cordialia applicata cordi: quod ſi diſſipata ſit facultas naturalis, non modo procedimus odoratis,ſed & vino maluatico,non vna tantum vice,ſed ſæpius aſſumto,& ouis ſorbilibus,& contuſis,ex quibus poſſit facultas naturalis reparari. Sic a poſteriori. A priori autem hoc pacto. Certum eſt, quod quoties fiunt aliquæ actiones,& eſt idem agens in his actionibus,ſola autem diuerſitas fuerit ex parte paſſi;tunc,ſi introducatur effectus aliquis in his paſſis,cum ſola ſit diuerſitas ex parte patientis,quod ille effectus erit maioris momenti,qui habuit maiorem reſiſtentiam:nam quanto eſt maior reſiſtentia,tanto difficilius fit effectus,& eſt maioris momenti,ac maioris impreſſionis. Quo ſic conſtituto:cum facultas ani- G malis cōſiſtat in tenuiſſimis ſpiritibus,nulla fere eſt reſiſtentia; ideo effectus in his cauſſatus non eſt tanti momenti,ac impreſſionis,& ideo non multam læſionem facit:vitalis vero facultas habet ſpiritus magis reſiſtentes,quia non ita tenues,& ideo maior fit impreſſio in eis,ac læſio:maior adhuc in naturali facultate, quia ſpiritus adhuc craſſiores habet,& quodammodo corpulentiores;proinde effectus & læſio in eis maior eſt. Hæc quo ad has facultates.

Extrema & repletio, & vacuatio, æque periculoſæ, ratione euentus.

Sed iterum ambiget quis: Galenus, loquens de extrema hac vacuatione,dicit eam æque periculoſum eſſe, ad extremam repletionem:quæ verba aliquam habent ſuſpitionem:nam obſeruamus ſenſu,ra-

tione repletionis extremæ repente mori homines:quod non contingit ratione euacuationis extremæ: & ob id multi medici in hanc venere sententiam, extremam repletionem multo esse periculosiorem extrema vacuatione. Celsus vero libro suo secundo capite secundo oppositum voluit, ductus etiam experimẽto;nempe periculosiorem extremam vacuationem esse:nam maiori cum difficultate videmus corrigi nocumentum extremæ vacuationis,quam extremæ repletionis;quia extrema repletio statim secta vena corrigitur,non ita statim extrema vacuatio.

Modernus,vt partes Galeni tueatur,dicit,plenitudinem duplicem esse, quandam vasorum, quandam virium:si loquamur de plenitudine virium,æque periculosa est,ac extrema vacuatio;& de hac loquitur Galenus in commẽto:at,si loquamur de plenitudine quo ad vasa,est hæc periculosior extrema vacuatione. Distinctio bona est:vtinam ita esset ad propositum. Sed potest dupliciter destrui hęc solutio:primo; quia,si hæc plenitudo quo ad vires fuerit ex aliqua materia maligna, imo venefica; nonne poterit subito exstinguere calorem natiuum,vt quotidie videmus experientia? Quare & hæc periculosior est vacuatione. Secundo,non potest stare cum Galeno hæc solutio:nam clarum est,quod Galenus verba hæc profert, vt interpretetur Hippocratis exemplum:exemplum autem est de plenitudine quo ad vasa:nam dicit Hippocrates,habitum athletarum esse soluendum,quia est periculosus, non tamen vacuationem extremam esse faciendam,quia est periculosa;& Gal. in cõmento dicit, quia est æque periculosa:vnde de vacuatione plenitudinis quo ad vasa loquitur Hippocrates,& Galenus. Quare solutio non est ad propositum, & non conuenit cum Galeno.

Equidem aliis responsionibus omissis,quia multæ sunt,sic responderem,quod euacuatio extrema, & repletio extrema,possint penes tria comparari:primo penes correctionem,secundo penes tempus,tertio penes euentum & successum. Primo,inquam,consideramus extremam vacuationem & repletionem penes correctionem,id est, quænam ex his facilius,quæue difficilius corrigi possit: & hoc modo periculosior est vacuatio extrema,quia difficilius corrigitur:& sic intellexit Celsus. Secundo modo possunt considerari penes tempus,id est, quatenus cito vel tarde possunt inducere mortem:& sic dubio procul extrema repletio periculosior est;quia citius,ac velocius potest inducere mortẽ,nam potest inducere mortem repentinam:quod non facit extrema vacuatio,quia dat inducias. Si denique hæc duo considerauerimus secundum successum,tam certum est,tum extremam vacuationem,tum extremam repletionem posse inducere mortem,licet extrema repletio id possit citius. Ratione ergo euentus, id est,mortis,quæ caussari ab vtraque potest,vtraque æque periculosa est. Et sic intelligit Galenus,cum dicit,æque periculosam esse extremam vacuationem,ac repletionem,nempe ratione euentus. Quod proponit,vt moneat,quemadmodum etiam monet Hippocrates,nõ debere institui euacuationem extremam ne fugiendo periculum repletionis,incidamus in periculum euacuationis;& ne cupientes euadere mortis periculum ex repletione,in mortis incidamus discrimen ex euacuatione.

Extrema repletio tollenda est extrema vacuatione, sed ea tamẽ moderata.

Superest modo alia difficultas,quæ talis est. Si, exsistente plethorica dispositione,quæ est repletio extrema, non licet vti vacuatione extrema: igitur non seruatur vera ratio contrarietatis, quæ est, quod contraria contrariis semper curari debent. Multi multa dicunt. Nos quam verissimam putamus solutionem proponemus. Pro cuius intelligentia duo adnotanda. Alterum,quod sit maior contrarietas inter immoderatam repletionem,& moderatam vacuationem,quam vacuationem,immoderatam. Quare non ita seruatur vera ratio contrarietatis,quando comparamus immoderatam repletionem cum immoderata vacuatione;quam quando immoderatam repletionem cum moderata vacuatione cõparamus. Ratio autem est:nam vbi opponimus vacuationem repletioni;hæc procul dubio sunt contraria. At si opponamus moderatum immoderato,vel immoderatũ immoderato;maior profecto erit contrarietas inter immoderatum,& moderatum;quam inter immoderatum,& immoderatum. Et ob id magis opponitur moderata vacuatio,repletioni immoderatæ;quam immoderata vacuatio. Secundo notandũ, quod hæc moderata vacuatio non consistat in puncto,sed habeat latitudinem:nam & immoderatum latitudinem habet,cum quoddam leue sit immoderatum,quoddam ingens,quoddam extremũ,& maximum. Sic etiam moderatum habet latitudinem:nam vel leue potest esse,vel ingens,vel extremum,vt sit in confinio latitudinis:& ita potest esse in confinio latitudinis,vt si quis paulatim procedat ad extrema ex moderato,statim fiat immoderatus. Et propterea dicimus, plenitudinem extremam esse remouendam vacuatione moderata,sed extrema,id est;quæ in confinio sit latitudinis moderatæ. Similiter Galenus lib. artis medicinalis, cap 94.cũ dicit extremam repletionem esse tollendam extrema vacuatione; intelligit extremam, sed moderatam. Atque idcirco,cum Hippocrates ait, *compressiones ad extremum non ducendas*; intelligit, quod vacuationes non debeant esse immoderatæ, sed in extremo moderationis.

Quantitas venæsectionis vnde sumatur.

Addit postea Hippocrates: *Sed eousque euacuare conuenit,quatenus perferre potest natura eius, cui fit euacuatio,&c.* Dicunt Galenus,& Philotheus concordes, quod Quantum agendum non modo colligatur ex materia peccante in Quanto,ita vt,vbi multa materia,ibi multum euacuandum,tam vbi pauca,parum euacuandum,vt supra dicebat Hippocrates:sed multo magis Quantitas hęc agendi sumatur a viribus ægrotantis. Et ideo Hippocrates nunc præcipit, vt tantum vacuemus, quantum ferre potest natura & vires euacuandi corporis.

Extrema omnia periculosa.

Quæ cum Hippocrates in exemplo assumto dixerit, infert postea aphorismum: *Sic & vacuationes extremæ periculosæ, & rursus refectiones extremæ periculosæ.* Sensus est aphorismi: vt in athletica dispositione periculosa est immodica tum repletio, tum euacuatio: ita etiam in quocunque corpore etiamsi athleta non fuerit, immoderata tum vacuatio, cum repletio periculosa est. Quo innuit Hippocrates (vt dicit Galenus in commento) esse euitandum quodcunque immoderatum. Vt autem id immoderatum fugiamus, vires infirmi respiciendas esse,nos Galenus monet:nam si vires debiles fuerint,

etiamsi

A etiamsi in corpore remaneant superfluitates, tamen vlterius continuanda euacuatio non est. Præterea dicit Galenus, esse abstinendum, ne plus æquo repleantur corpora: idque dicit Galenus vt ex hoc occasionem habeat reprehendendi Antiquos, qui videre non poterant, quomodo idem hic & in exēplo dictum non sit.

Sed difficultas est: quia si debet esse proportio in exemplo, & aphorismo: cur in exemplo Quid agendum, Quo, Quando & Quantum proposuit; in aphorismo autem solum Quantum? Dicendum, vt Philotheus monet; si Hippocrates in exemplo, loquens de summa repletione, voluit hæc quatuor obseruari; idem etiam voluit in quocunq; subiecto repleto intelligi: & ideo quatuor, quę in exemplo posuit, in B quocunque subiecto sunt intelligenda. Sed cur Quantum solum in sententia apposuit? Proposuit quidem (quia grauissimus erat auctor) Quantum solum, breuitati studens: idque duplici de caussa. Altera: quia nihil ita difficile est in arte medica, quam noscere veram quantitatem agendi: & ideo eam, vt ita difficilem, proponere voluit; ne, videntes extremam repletionem, decipiamur, ac extreme vacuemus, sed ad vires debeamus respicere. Secunda caussa est, quia vltimum præsupponit priora: si ergo vltimum dictorum quatuor in exemplo propositum fuit, nimirum Quantitas: ergo hanc modo in sententia replicans, omnia summa arte ac breuitate replicauit. Sed instabit quispiam: si vltimum præsupponit priora; cur si in exemplo vltimo loco adducta fuit vacuatio, quæ supponit plenitudinem, hic in sententia non contentus est vacuationem in memoriam reducere, sed & repletionem? inquiens, *sic & extremæ refectiones, &c.* Dico, Hippocratē maxima arte proponere repletionem: nam non proponit eam repletionem, quæ C ante vacuationem est, sed quæ post vacuationem. Ostendo autem id ex Hippocrate: nam non dicit absolute repletionem, sed refectionem: refectio autem est post vacuationem plenitudo: & Galenus in commento id adnotauit, inquiens, quod ideo in textu Hippocrates dixerit rursus; quia de plenitudine, quæ post euacuationem est, verba facit. Hanc autem repletionem post euacuationem proponere voluit, non alia de caussa, nisi quia talis repletio non modo periculosa est, vt repletio ante vacuationem, sed multo etiam periculosior. Idque Galenus in commento declarat; inquiens, quod post vacuationem vires aliqua ex parte sunt debiliores redditæ, & ob id non possunt ita bene concoquere, ac regulare alimentum, & ideo tunc maius imminet periculum suffocationis, quam prius: nam virtus debilis facilius suffocatur, quam validior: vt exemplo de flamma patet, quæ cum magna sit, non ita suffocatur a multitudine olei, ac si parua esset. Quare maximo artificio hanc proponens refectionem, ea, quæ dixit pericula, & alia sup- D ponit.

Therapeutica Phlebotomiæ generalis.

QVibus sic actis, quia clarissime constat Hippocratem de sectione venæ verba facere: ob id, tum vt magis cognoscatis artificium Hippocratis; tum quia materia est vtilissima; tum etiam, vt intelligatis innumeras Galeni auctoritates, & præsertim illius libelli, qui inscribitur de cur. rat. per sanguinis miss. decreui breuiter de sectione venæ verba facere. Vt autem distincte procedam, primo declarabo inuentionem huius auxilii; deinde rectam eius administrationem: quæ duo, non modo in sectione venæ, sed in quocunque alio spectanda sunt auxilio: Vnde Galenus passim dicit maximam partem medicinæ curatiuæ consistere in inuentione remediorum, ac in recta eorum administratione. Intelligimus autem per in- E uentionem huius auxilii, an secanda sit vena, nec ne: per rectam eius administrationem, intelligimus, cognito, quod sit opus sectione venæ; in qua Quantitate sanguis sit euacuandus, Quomodo, Quo tempore, & per Quas venas corporis sit sanguis mittendus. — *De præsidio venæsectionis: quoad Inuentionē & Vsum.*

Quoad inuentionem huius auxilii: si dogmatice inuenire debet, opus est, vt inueniatur beneficio suorum indicantium. Dicimus itaque quatuor esse necessaria, pro inuentione huius auxilii, quæ cōprobabimus multis auctoritatibus Galeni. Primum est materia sanguinea peccans, ex qua sumitur indicatio euacuandi. Secundo, quoniam materia sanguinea vacuanda, non potest vacuari nisi sectione venæ; sed sectio venæ validissimum est auxilium: ob id necessarius est morbus vehemens, qui indicet vacuationem esse moliendam valido auxilio, id est, sectione venæ. Tertio debent esse vires validæ, permittentes hoc auxilium. Postremo ætas requiritur vel florens, vel media inter extremas ætates. — *I. Inuentio. Ad indicandum venæsectionem quatuor necessaria sunt indicantia & coindicantia.*

F Ostendam hæc: & primo quantum ad materiam sanguineam, quod ea requiratur, (quia in hoc est maior difficultas) ostendam ratione demonstratiua: deinde id confirmabo verbis formalibus Galeni, & Auicennæ. Fundamentum est hoc: quod cum necessarium sit in quocunque auxilio, vt antequam habeamus Quo agendum, prius habere debeamus Quid agendum; (nam Quo agendum præsupponit Quid agendum) cum ergo sectio venæ, validum auxilium, sit instrumentum Quo euacuamus; ergo supponit Quid agendum. Sed quid agendum sectionis venæ nihil aliud est, neque esse potest, quam euacuatio sanguinis: indicatio autem euacuandi sanguinis, vt millies audiuistis, non sumitur nisi a sanguine peccante: Quare sectio venæ præsupponit sanguinem peccantem. Requiritur ergo primo in sectione venæ materia sanguinea. — *1. Sanguinis peccatum.*

G Confirmo idem auctoritatibus Galeni: quarum ex innumeris saltem nouem adducam. Prima est commento 23. primi aphorismorum: vbi dicit: in maximis doloribus non inueni maius remedium, quam euacuare vsque ad animi deliquium. Et loquitur ibi de morbo vehementi, vel de symptomate comitante morbum vehementem: & ideo proponit validum auxilium. Sed subdit, adhibendam tamen distinctionem, an pharmaco vti liceat, an sectione venæ. Idque non alia de caussa dicit, nisi vt cognoscamus, quod in morbis vehementibus indicatio agendi sumatur a materia peccante: si enim materia sanginea peccat, venam secare: si alia, pharmacum adhibere debemus: & ideo dicit, adhibendam distinctionem. — *Galeni testimonia.*

Secunda auctoritas est quarto de tuend.valet.cap.4. vbi dicit:si lassitudo non cedit debilibus auxili- A
is,tunc cogitandum est de valentiori remedio,adhibita modo distinctione , vtrum magis conueniat vti
pharmaco,vel sectione venæ:& addit etiam;modo vires non dehortentur;nam vires non modo a sectio-
ne venę dehortantur,sed a pharmaco.Sed discernendum esse dicit:nam si peccauerit sanguis,sanguis mit-
tendus:si alius humor,purgatio adhibenda.

Tertia auctoritas est quarto meth.c.sexto;vbi dicit:quod quando æger propter vehementiam mor-
bi indiget tum sectione venæ, tum pharmaci exhibitione debemus considerare, num magis sit opus se-
ctione venæ, an magis pharmaco: & declarans se clare, ait, sectione venæ nos debere vti, cum materia
peccans fuerit sanguis;pharmaco,cum humor peccans fuerit vel bilis,vel atra bilis,vel pituita. B

Quarta auctoritas est 13.meth. capite vltimo:vbi Galenus dicit, quod in fluxionibus humorum ad
oculum possimus vti pharmaco,& sectione venæ:pharmaco,vbi humor peccans fuerit acris,id est,peccās
in quali;sectione venæ,vbi fluxio erit a plenitudine,id est a sanguine.

Quincta & sexta auctoritas est in lib.de cur.rat.per sang.miss.cap.7.& cap.8.vbi dicit, in fluxionibus
ad oculos esse inspiciendum,an succus peccans sanguis sit,nec ne: quia si sanguis, sectione venæ est edu-
cendus:si alius humor,pharmaco.

Septima, est quarto de ratione victus vigesimonono:vbi dicit,neminem ambigere, quod necessa-
rium sit ad hellebori exhibitionem,vt adsit & magnitudo morbi,&virium robur:&sic in quocunq; phar-
maco:ergo & in sectione venæ hæc inspicienda.

Octaua auctoritas,est quarto de ratione victus comm. 111. vbi dicit Galenus,in nullo hydrope con- C
uenire sanguinis missionem,præterquam in hyposarca, & eo hydrope,qui fiat ex suppressione sanguinis,
vel hæmorrhoidum,vel menstruorum, &c. idque non asia de caussa, nisi quia ibi peccat sanguis: non au-
tem quia in hoc hydrope est virium robur.(*Nam in hydrope virium robur est: & ideo Auicennas libro ter-
tio, cap.de hydrope dicit, quod ad apertionem abdominis in hydrope veniendum sit, quando vires fuerint valde
valida. Praeterea quarto de ratione victus vigesimonono dicit Galenus, quod ad exhibitionem hellebori requi-
ratur virtus valida: sed in hydrope damus elaterium, quod valentissimum est medicamentum, & multo va-
lidius, quam helleborus, nam non datur scrupulis, sed granis: ergo multo valentiorem requirit virtu-
tem.*)

Nona auctoritas est, in libro de constitutione artis medicæ capit. 19. quæ clarissima est. Dicit enim,
quod quoties ad aliquod superfluum in corpore,illud tale euacuandū est;adhibita tamen distinctione,an D
quantum, an quale sit. Et seipsum declarat, quid per quantum, vel quale intelligat: nam si fuerit (in-
quit) sanguis, sanguis sectione venæ est euacuandus: si vero vtraque bilis,vel pituita, debemus vti phar-
maco.

Quare clarum est ex his, & aliis innumeris Galeni locis, quod quando Galenus proponit sectio-
nem venæ,semper materiam peccantem sanguineam præsupponit.

Auicennæ testificatio.

Quin etiam Auicennas tractatu de febr.capit. de curatione in communi febr. putridarum, dicit,
quod in febribus secanda vena sit, quando vires fuerint fortes: neque hoc sufficit, sed requiritur, vt hu-
mor peccans sit sanguis; nam aliter pharmaco est vtendum. Vnde vtitur verbis formalibus Galeni quar-
to methodi cap. sexto. Idem habet Auicennas, quarta primi, cap.de phlebotomia, vbi semper præcipit,
in phlebotomia esse considerandam materiam peccantem:nam cum bilis,vel alius humor peccat,non est E
sanguis mittendus,sed sunt pharmaco educendi hi humores.

Quare ex his patet,quod in sectione venæ requiratur materia sanguinea vincens, & non alius hu-
mor. Deinceps ostendemus reliqua etiam tria esse necessaria:magnitudinem nempe morbi, viriū robur,
& ætatem florentem. Sed hoc clarum esse potest,tum ex Hippocrate,cum ex Galeno quarto de ratione
vict.com.19.imo ex toto libro de sectione venæ:vbi hæc tria esse necessaria ad sectionem venæ, clarissime
affirmant.Quod si caussam huius desideratis,facile est eam habere.

2. Morbi magnitudo

Quantum igitur ad morbi vehementiam: si debet esse proportio inter morbum, & auxilium mor-
bi; (cum,iuxta Hippocratis sententiam, extremis morbis extrema conueniant remedia) sequitur, quod
quoties morbus vehemens exstiterit,quod indicabit etiam vehemēs auxilium,puta sectionem venæ.Pro-
pterea Galenus sexto epidem.sect.3. circa finem, reddens caussam,cur Hippocrates ibi in pleuritide san- F
guinem non mittat;dicit,hoc ideo factum fuisse,quia illa pleuritis,cum in ea esset sanguinis exspuitio, e-
rat debilis;& ideo non indigebat vehementi & valido auxilio,vt venæsectione.

3. Vires validæ.

Requiritur postea robur virium:nam cum quodlibet auxilium, licet prosit, ex aliqua tamen parte
noceat;hoc maxime in sectione venæ poterit esse;cum per sanguinis euacuationem plurima spirituū co-
pia vacuetur:& ideo vires validæ debent esse,vt hoc auxilium ferant.

4. Ætas vegeta.

Requiritur postremo florens ætas:nam,vt supra etiam dicebamus,pueri, & in decrepita exsistente
ætate,non ferunt sectionem venæ.

Quare quatuor pro hoc auxilio requirūtur: Materia peccans sanguinea,morbi magnitudo,virium
robur,& ætas florens. G

Quatuor ad venæsectionem requisitorum, dispar est indicandi ratio.

Sed quispiam,qui non historice,sed secundum rationem rem cognoscere voluerit,quæret:cum hæc
quatuor requirantur;an eadem ratione,vel diuersa requirantur?Et hoc aduertatis:quia ex hoc soluetis o-
mnes auctoritates,& rationes,quæ aduersus propositam veritatem adduci possent. Dico, quod hæc qua-
tuor diuerso concurrant modo: Nam materia sanguinea concurrit, vt indicat Quid agendum: mor-
bus vehemens concurrit, non vt indicat Quid agendum, sed Quo agendum: virtus valida con-
currit, non vt indicans sectionem venæ; nam indicat sui custodiam, & alimentum; sed vt coindi-
cant

A cans ſectionem venæ;ætas vero florens eſt non prohibens,ſeu coindicans (nam idem eſt dicere,non prohibens,& coindicans) ſectionem venæ; ſed, ad differentiam virum,dicimus,quod ſit non prohibens ſecundario:nam ætas florens ad vires refertur: ſi enim in puero conſtaret virtus, vel in decrepito, mitteremus etiam his ſanguinem ſectione venæ. Hanc autem veritatem proponit Galenus, libro curatiuo per ſang.miſſ.ca.13.vbi dicit, quod ad ſectionem venæ duo requirantur ſcopi:Primo morbi magnitudo,quæ indicat ſecandam venam:deinde virium robur,quod eſt non prohibens.

Morbi magnitudo, & virium robur,quomodo iudicare venæſectionem dicantur.

His ita declaratis, non eſt quod quis ambigat ob Galeni auctoritatem,quarto meth.cap.6.vbi Galenus expreſſe dicit, quod ex redundantia ſanguinis non ſit capienda miſſio ſanguinis, ſed a magnitudine morbi,& a virium robore. B Et ideo quis ſtatim infertet:ergo, ex ſententia Galeni, non debemus materiam ſanguineam peccantem conſiderare;ſed ſat eſt, vt morbi magnitudo adſit, & virium robur, licet alia quæcunque materia peccet. Iam patet ex iis quæ attulimus, quomodo intelligenda ſit hæc auctoritas.Si enim conſiderauerimus Quid agendum, id a materia peccante ſumitur: ſi non conſiderauerimus Quid agendum;ſed Quo agendum, id eſt, an debili vel valido auxilio agendum ſit;tunc procul omni dubio(vt Galenus loco propoſito innuit)hoc non ſumitur a materia peccante,ſed a morbo,& viribus: nam ſi morbus magnus eſt,magnum indicat auxilium: ſi debilis morbus, debile auxilium. Et ideo eſſe ſecandam venam, & Quo agendum, hoc eſt, agendum valido auxilio,quod eſt ſectio venæ,& hoc non ſumitur a ſanguine, id eſt, non ſumitur a materia peccante ſanguinea, quia materia ſanguinea peccans non ſemper indicat ſectionem venæ, ſemper quidem indicat vacuandum ſanguinem; ſed an ſectione venæ, an alio quouis auxilio debeat vacuari,non indicat, quia ſanguis peccans non modo poteſt vacuari ſectio- C ne venæ,ſed inedia, frictionibus, cucurbitulis, & multis huiuſmodi.A materia ergo Quid agendum ſumitur,id eſt,eſſe vacuandum,ſed Quo ſit vacuandum,id eſt,quod ſit vacuandum hoc valido auxilio,quod eſt ſectio venæ,non indicatur a materia;ſed a magnitudine morbi,& viribus.Idque clarum eſt,quia poſtea Galenus ſtatim eodem capite ſubiungit;aliis materiis a ſanguine peccantibus ſatisfacere inediam,aliis frictionem aliis balneum,&c.

Obiectio.

Sed lubet hoc loco cuidam obiectioni,mihi a quodam auditore meo propoſitæ, ſatisfacere,quia ex eius diſſolutione magis veritas a nobis determinata confirmabitur. Ratio talis eſt. Omnis morbus magnus,vehemens,& acutus(nam de eo loquuntur morbo,qui acutiſſimus eſt, & non dat inducias,& celerrimi motus exſiſtit)indicat validum,ac præſentaneum auxilium. Cum vero duo ſint valida auxilia,venæ ſectio,& pharmacum, neque conuenire poſſit huic morbo a principio pharmacum, egeatque valido au- D xilio morbus hic,& non ſit aliud validum auxilium,niſi venæſectio, igitur a principio in hoc morbo acuto indicatur venæſectio.Quod argumentum ſi conceditur, (inquiunt) dummodo ceteri ſcopi adſint,vt virium robur,&c.ſequitur,quod non a materia peccante ſumatur vacuatio ſanguinis, ſed quacunque exſiſtente materia peccante in hoc morbo propoſito,eſſet indicatio mittendi ſanguinis;dummodo vires, & alii ſcopi conſenſerint.

Solutio.

Pro reſponſione ad huius argumenti materiam,vt videatis quantum poſſit argumentum, ſuppono caſum, (vt omnia concedam arguenti)quod ſit morbus magnus,vehemens, acutus non dans inducias; imo plus addo,qui pendeat a cacochymia exquiſita.(Nam ſi cacochymia exquiſita non ſit, ſed notha;vel notha, aut exquiſita plethora; concedo,quod in his indicetur mittendum eſſe ſanguinem : nam peccat E ſanguis, vel humor parum recedens a ſanguine) Suppoſito hoc dico,quod in caſu prædicto tria (quantũ ad noſtrum propoſitum attinet,)ſunt conſideranda: nam aliter ſi perfecte caſus eſſet tractandus, plura conſideranda eſſent. Primum eſt.Quid agendum;ſecundum Quo agendum; tertium Quando agendum Quantum ad Quid agendum; vt dicebat Gal.2.aphor.primæ particulæ,4. de tuend. c. 4. & in libro de atrabile capite ſexto, & alibi quam ſæpiſſime,id ſumitur a materia peccante: nam ſi ſanguis peccat,ſanguis eſt euacuandus; ſi bilis,bilis &c. Cum ergo in caſu propoſito ſit cacochymia exquiſita : ergo indicatur, quo ad Quid agendum,non eſſe euacuandum, ſed purgandum: ſunt enim duæ diſtinctæ indicationes purgatio:& vacuatio,vt ex locis allegatis clare patet. Quantum ad Quo agendum, an ſcilicet debili, vel valido auxilio purgatio ſit mollienda,capitur a morbo. Cum ergo hic morbus ſit vehemens, indicat validum auxilium: ſed non quocunque,ſed validum auxilium quo ad purgationem, & pharmacum,non au- F tem quo ad ſectionem venæ. Quo ad Quando agendum,ſumitur potiſſimum ab acumine morbi,&a materia: Ideo hæc duo potiſſimum conſideranda,motus morbi,&materia.Quo ad motum morbi:hic habemus morbum velociſſimi motus,& ideo indicat quamprimum eſſe agendum, nam in acutiſſimis morbis etiam eodem die eſt agendum,dicebat Hippocrates: & ideo ratione morbi indicatur eodem etiam die exhibitio pharmaci. Quoniam vero recte operans medicus non vnum tantum inſpicere debet, ſed omnia: ob id cum in hoc caſu materia peccans ſit cacochymia,neque materia cocta ſit: ideo non debemus pharmacum dare,niſi materia cocta fuerit,eodem atteſtante Hippocrate,aphoriſmo 22.ſect.1.Nam ſupponamus,quod ſit materia acutiſſimum morbum faciens,& non furioſa:(licet aliis impoſſibile videatur,quod ſit morbus acutus,& tamen materia non ſit furioſa.) Vbi alterum trium agere poſſumus; non dico debemus:(nam id quod debemus,vnum tantum eſt.) Primo,vt exhibeamus pharmacum a principio: Secun- G do, vt ſecemus venam, vt videtur velle aduerſarius: tertio vt differamus purgationem quouſque materia concoquatur. Sed quodnam horum in praxi agendum ? Dico,illud faciendum eſſe, quod vires magis perferre poſſint,ac melius: ac id ex quo maius iuuamentum, quam nocumentum ægri ſentire poſſint. Quo conſtituto, facile apparet, a principio in caſu propoſito non accedendum ad exhibitionem pharmaci: namque eum materia cruda ſit, per purgationem vel vacuabitur materia bona, vel ſaltem irritabitur, ac obſtructiones maiores fient, & ſic corpus vndique incaleſcet, ac febris magis exaſperabitur. Sed neque etiam veniendum eſt ad ſectionem venæ: id quod tum per viam cauſſæ, tum

per viam signi potest monstrari. Per viam quidem caussæ, & a priori: si Quo agendum supponit Quid a- A
gendum; & quid agendum in hoc casu est purgatio, quæ capitur a cacochymia; vbi autem purgatio con-
uenit, non est hæc molienda sectione venæ, sed pharmaco: Ergo patet per viam caussæ, quod in hoc casu
nullo pacto sectio venæ conuenit: nam nullum est, quod indicet sectionem venæ. Neque per viam signi
conueniret sectio venæ: quia vires non tolerarent sectionem venæ.

Sed cum asseram, non conuenire sectionem venæ, quia vires non tolerent: statim inferet quis: ergo,
secandam esse venam, & mittendum esse sanguinem, a viribus sumitur? Dico, quod vires, siue validæ, siue
debiles sint, nunquam se habeant ex parte scopi sectionis venæ, in casu proposito. Declaro. Si virtus esset
vt scopus ad sectionem venæ, tunc se haberet, vel vt non prohibens, seu coindicans, si valida esset; vel vt
prohibens, si debilis, vt Galenus libro de curan. rat. per sang. miss. c. 13. Sed hic vires non sunt coindicantes: B
quia coindicans significat esse aliquid, quod indicet: supponit enim coindicans id quod indicat: sic non
prohibens, supponit indicans. At ego in casu proposito non video aliquid, quod indicet sectionem venæ:
nã si esset cacochymia notha, vel plethora notha, vel exquisita, indicaretur sectio venæ: at in cacochymia
exquisita non est aliquid indicans sectionem venæ. Quomodo ergo vires possunt esse coindicantes; vel
non prohibentes sectionem venæ, si non est aliquid quod indicet? Idem etiam (vt clarius fiat) ostendo, in
morbo pendente a plethora exquisitissima. In hac plethora non indicatur purgatio: & ideo nec pharma-
cum. Sed cur pharmacum non exhibetur? Si vultis recte respondere; necessarium est, vt dicatis, quia non
conuenit, nec a priori, nec a posteriori: non a priori, quia a nullo indicatur pharmacum: non a posterio-
ri, quia vires non tolerant. Hic vires non sunt prohibentes pharmacum, quia non est aliquid, quod indi-
cet pharmacum, & ideo vires licet robustissimæ sint, tamen non tolerant pharmacum. Sic & in casu pro- C
posito, non tolerant sectionem venæ: non quod sint prohibentes, sed quia nihil adsit quod eam indicet.
Et caussa ab Hippocrate assignatur, dum inquit: *si talia purgentur, qualia purgori oportet, conuenit, &c.* at
purgatio requirit materiam in quali peccantem: hic autem materia non in quali peccat, (loquor de ple-
thora exquisita) sed in quanto solum. Sed forte quis quæret, quomodo vires, & quomodo morbus de-
pendens a plethorica affectione, possint concurrere ad purgationem, seu ad pharmacum indicandum,
quomodo cacochymia respiciat sectionem venæ, & plethora respiciat pharmacum. Dicit Hippocrates
quarto primæ sectionis aphorismo, quod victus tenuis non conueniat chronicis. Et quo colligitur darii in
arte medica indicantia, & non indicantia, non dico contra indicantia. Si enim accipiatis acutum mor-
bum, ipse indicat victum tenuem, & est nõ indicans victum mediocrem: si vero accipiatis morbum chro-
nicum, est ipse non indicans victum tenuem, non quia contraindicet; quia neque morbus chronicus in- D
dicat victum mediocrem. Similiter cacochymia est indicans purgationem, & est non indicans euacuatio-
nem, non autem contra indicans, quia euacuatio, & purgatio non sunt contraria: contra vero plethora est
indicans euacuationem, & est non indicans purgationem. Habetis ergo quantum ad Quid agendum esse
quædam indicantia, quædam non indicantia. Pari etiam pacto sunt indicantia, & non indicantia Quo a-
gendum: nam si fuerit morbus vehemens a plethora, indicabit sectionem venæ, & non indicabit phar-
macum. Quod si considerabimus vires, ipsæ similem locum habebunt, si enim fuerit morbus vehemens,
pendens a plethora exquisita, morbus indicabit sectionem venæ, & vires validæ coindicabunt, vires de-
biles prohibebunt. Ratione autem pharmaci hoc pacto concurrunt: nam vt morbus non indicat phar-
macum, sic vires sunt simul non indicantes morbum esse per pharmacum purgandum.

Ad propositum itaque redeuntes; cum in nostro casu non possimus nec pharmaco vti, nec sectione E
venæ, restat ergo, vt id quod possumus agamus; non enim semper in morbo vehementi a principio debe-
mus vti valido auxilio; sed id verum est, quando fieri potest: & ob id in casu isto debemus attendere, vt ma-
teria cruda coquatur, & cito coquatur, & ideo, si opus fuerit, bis in die debemus propinare conco-
quentia.

Formaliter tandem ad argumentum respondendo, dico, (cum arguit, morbus vehemens requirit
vehementia auxilia, ergo in hoc casu debemus vti validis auxiliis) antecedens verum esse, consequens fal-
sum: nam non modo debemus respicere indicantia, sed coindicantia, & prohibentia, & ideo si accidat, vt
aliquis morbus sit magnus, dubio procul, si aliquid non prohibuerit ex coindicantibus, valido debere-
mus vti auxilio: at hic multa prohibent hoc, quia materia non est concocta, vnde si in genere non debe-
mus vti valido auxilio, multo minus in specie: nam si cui negatur genus, multo minus species admittitur, F
veluti si non sit animal aliqua res, multo minus erit homo. Et ideo quando addunt, *dummodo alii scopi cõ-
senserint, vt vires*, falsum dicunt, quia in hoc casu vires non coindicant, nec prohibent sectionem venæ:
nam cum coindicans supponat indicans, quia nihil est, quod indicet sectionem venæ, ergo vires non co-
indicabunt illam. Et sic (vt mihi videtur) ad plenum rationi propositæ satisfactum fuit.

t Materia sanguinea, indicans Quid.

Vt autem quatuor requisitorum ad venæsectionem natura melius pateat, quædam heic adiiciemus.
Primum ergo per materiam sectionem venę indicantem, intelligimus materiam humoralem in venis ex-
sistentem, quæ vel facit plethoram exquisitam, vel plethoram notham, vel cacochymiam notham. Sed
quid hæ voces nunc significent, non est opus manifestare, quoniam suo loco, ex sententia Galeni quarto
de tuend. valet. quarto, diligenter eas explicabimus. Hinc colligatis, quando dicit Galenus quarto meth. G
sexto, & libro curatiuo per sang. miss. & alibi, etiam si non adsint signa plenitudinis, esse tamen venien-
dum sectionem venæ, verissimum esse hoc, quia ibi loquitur de ea plenitudine, quæ pendet a multitudine
sanguinis, quæque facit plethoram exquisitam: nam non modo in hac, sed in plethora notha, ac cacochy-
mia notha ad hanc venæsectionem deuenire possumus. Et ex hoc etiam colligatis, quod non modo liceat
in febre synocho, quæ est in corporibus sanguineis, sed in ea etium, quæ est in biliosis, pituitosis, ac melan-
cholicis, secare venam. Neque nobis contradicimus: nam venire semper possumus ad sectionem venæ,
cum

A cum non adeſt cacochymia exquiſita: ſic enim & Galenus quarto de tuenda ſanit. capite quarto dicit, ſi ſint humores non plurimum recedētes a natura ſanguinis, poſſe ſecari venam, ac etiam purgari: nam miſta materia miſtum Quid agendum indicat. Sed dicet quiſpiam: ſi eſſet aliquis febricitans humore nimium recedente a natura ſanguinis, vt cacochymia exquiſita: quid eſt agendum? Dico, quod in hoc caſu non ſit ſecanda vena: nam ſi venam ſecaremus, dubio procul ægrum interficeremus. Et hinc elicio, quod non modo in ſectione venæ, quæ fit gratia euacuationis; ſed in quacunque venæſectione, vt in ea, quæ fit cauſſa reuulſionis, vel deriuationis, debeamus requirere plenitudinem ſanguinis. Vt, ſi caſus adſit, quod quis laboret dolore coxendico, quodque dolor hic pendeat a materia pituitoſa vere, ita vt potius acida, quam dulcis ſit pituita, & recedat multum a natura ſanguinis: quid eſt agendum in hoc caſu? Dico
B interdum veniendum eſſe ad venæſectionem, interdum minime: debemus quidem venire, quando præter purgationem habet locum vacuatio: non debemus venire ad ſectionem venæ, quando locum habet ſola purgatio, non autem vacuatio. Sed quando habeat locum vacuatio, & quando non, pro hoc intelligendo, indicationes haurire oportet: quarum vna hoc in loco ſumitur a materia faciente dolorem, quæ cum multum a natura ſanguinis recedat, indicat purgationem, non ſectionem venæ: alia etiam ſumitur indicatio a cauſſa efficiente dolorem, quæ eſt vacuanda. Nec hic ſubſiſtere debemus, ſed vlterius eſt progrediendum: quoniam fuit regula Galeni multis in locis, & aliorum omnium medicorum non eſſe purgandam, nec vacuandam partem aliquam, niſi habeatur de toto ratio: & ob id in hoc caſu oportet oculos dirigere ad plenitudinem exſiſtentem in toto. Nam ſi corpus refertum fuerit cacochymia exquiſita, & humore multum recedente a natura ſanguinis, vt erat etiam pars affecta; oritur indicatio purgandi: &
C ob id nullo modo in hoc caſu vena eſt ſecanda, nec molienda vatuatio, ſed purgatio. At ſi in toto corpore non fuerit exquiſita cacochymia, ſed notha; tunc & ſecare venam, & purgare poſſumus: & ob id duplex in hoc caſu oritur indicatio, tum vacuandi, tum purgandi: eoque præcipue, ſi morbus fuerit validum requirens auxilium.

Ad venæſectionem quoque requiritur morbus, non quilibet tamen, ſed vehemens: ſiue intelligatis vehementiam hanc ratione actiuitatis, ſiue ratione reſiſtentiæ, ſiue ex propria vi morbi, ſiue ratione ſymptomatum, vel ratione cauſſarum; vel denique ex parte loci affecti: etſi ex parte loci affecti, ſiue locus affectus ſit pars aliqua ex principibus vel ſit pars famulans principalibus, vel tandem pars aliqua cōſentiens cum principalibus. Hæc omnia poſſumus per morbum vehementem intelligere. Præterea etiam cum
D Galeno locis citatis, & præſertim libro de ſectione venæ, per morbum non intelligo tantum morbum vehementem præſentem, ſed futurum: & hæc omnia, quæ dixi, hancque vehementiam non modo præſentem, ſed futuram intelligo. Sic Galenus quarto method. ſexto, vbi etiam non peccabat ſanguis, vt in illis qui ab alto ceciderant, ſecat venam: & hoc quia imminebat morbus magnus, vt inflammatio. Sed de morbo, ac eius vehementia hæc nunc dixiſſe ſufficiat: nam abunde ſatis de vehementia hac loquar ſexto aphoriſmo.

2. Morbus magnus.

Quantum ad Vires attinet: in his tria ſunt præcipue conſideranda. Primum eſt, vt intelligamus vires validas non modo in præſenti, ſed in futurum etiam: nam licet in principio validæ fuerint, tamen venam ſecare non debemus, niſi ſperauerimus eas in futurum valere poſſe. Et hoc ex Galeno colligitur, qui libro primo ad Glauconem ca. 14. præcipiebat, in febre cum fluore alui, etiamſi diminutus ſit fluor
E abſtinendum eſſe a quacunque vacuatione, & a ſectione venæ: quia licet vires in præſentia validæ videantur, tamen in futurum fient imbecilles: & hoc præcipue fit, quando febris eſt coniuncta cum vacuatione ſymptomatica: nam ſi non ſymptomatica, ſed potius critica vacuatio fuerit, vel quomodocunq; aliter a natura, non eſt timendus virium lapſus. Et ob id auctoritas Galeni nono method. capite quincto non eſt diſcors ab ea, quam modo adduxi: dicit enim ibi, quod in febre cum fluxu menſium, ſi menſes diminute fluant, ſecanda vena ſit: nam vacuatio illa non eſt ſymptomatica, ſed a natura fit; & quia eam natura non poteſt ita valide facere, vt debet; ideo naturam iuuare debemus venæſectione. Verum hæc omnia ad vires, non ad alium ſcopum, vt multi falſo credidere, referenda ſunt: vtpote non ſunt referēda ad ſymptoma, quod nullo modo inter ſcopos referendum venit.

3. Vires firmæ: præſentes & futuræ

F Secundum conſiderandum circa vires eſt, vt conſideremus vires, tum proprias, tum alienas. Neque iſta videantur eſſe imaginaria: nam hoc facimus, ne cogamur innumeros alios ſcopos ponere. Ita in muliere vtero gerente vires proprias intelligo vires mulieris; alienas vero vires, intelligo vires fœtus: quia interdum mulier moritur, & viuit fœtus; interdū contra fit: interdū vterq; moritur, aliquando etiam viuit vterq;. Sed fœtus vires interdū ſunt ꝓhibentes, interdū ſunt nō prohibentes. Declaro. Quotieſcūq; fuerit mulier vtero gerens; propoſitū medici volentis mulierem curare, duplex eſt: primū, vt vtrumque ſeruet: & hoc debet eligere, ſi fieri poteſt. Alterum eſt, vt de duobus malis, minus malum eligat: eſt autem minus malum habere mulierem incolumem, & fœtum mortuum, quam vtrumque perdere. Exempli gratia: cum mulier angina laborat, vel ſputo ſanguinis, ſi medicus vult vtrumque ſeruare; oportet vires validas eſſe, tum proprias, tum alienas. De propriis viribus mulieris id clarum eſt. De alienis etiam conſtat: nam ſi vires fœtus debiles fuerint, tunc fiet abortus: & ideo debiles prohibent, validæ coindicant. Coindicant
G quidem vires fœtus, vbi fœtus eſt paruulus, & parua indiget alimenti copia: cum vero grandior eſt factus, & indiget multo alimento; tunc vires fœtus ſunt inhibentes ſectionem venæ. Si vero medici ſcopus fuerit ſeruare tantum mulierem, tunc tantum vires mulieris debet inſpicere, ac derelinquere vires fœtus: nam tantum vires mulieris ſunt coindicantes, vel prohibentes. Quare ſi ſermo erit de muliere vtero gerente, non faciatis, vt hi faciunt, qui multiplicant ſcopos ſine neceſſitate; proponentes mulierem pro vno ſcopo, fœtum pro alio.

Vires validæ propriæ & alienæ.

Vires robustæ, ratione subiecti, nimirũ spirituum carnis & solidorum.

Tertio circa vires considerandum est, vt cognoscamus, in quibus consistant hæ vires, vt inde scire possimus, quænam concurrant, ad coindicandum sectionem venæ, quæ vero ad prohibendum. Facile autem ex Galeno est colligere, vndecimo method. capite 1. vires in tribus consistere: in spiritibus, carnosa substantia, & solidis particulis. Quid vero per spiritus sit intelligendum, nunc non declaro: nam inferius suo loco hoc manifestabo, quomodoque a calore naturali differant, ad amussim ostendam. Cum itaque virtus in his tribus consistat, potest ipsa considerari, vel vt est valida secundum omnes has tres partes; vel vt est debilis secundũ oẽs has partes, vel vt secundũ aliquas partes est valida, secundũ aliquas debilis: & in hoc etiam perpendere oportet, vtrum sit valida secundum plures partes, & debilis secundum pauciores; vel secundũ plures debilis, secundũ pauciores fortis. Vnde ex his sequitur, ꝙ interdũ habeamus vires validas secundũ omnes partes, id est, simpliciter & absolute, vel debiles simpliciter, vel validas secundum quid.

Virtus valida simpliciter.

Vires validæ simpliciter, & secundum has omnes tres partes, non reperiuntur, nisi in corpore plethorico, ac optime quadrato, quod redundat sanguine, peccante solum ex parte quantitatis, ac plethora exquisita laborat: præterea reperiuntur in corpore constituto in florente ætate: nam in pueris solidæ partes laxę ac molles nimis sunt, in senibus nimium aridæ. Et ob id reperiuntur hæ vires in eo corpore, quod proponit Galenus nono method. quarto, & Hippocrates in hoc aphorismo. Quod si vires fuerint validæ simpliciter, id est, secundum omnes tres partes; tunc valet consequentia: vires sunt validæ simpliciter, & morbus est vehemens; ergo secandam vena: quoniam vires hic concurrunt non modo vt coindicantes sectionem venæ, sed etiam vt indicantes copiam sanguinis: igitur vires in hoc casu præsupponunt Quid agendum, scilicet, esse euacuandum. Idque clare constat ex Galeno, in libro de cur. rat. per sang. miss. cap. 13. vbi dicit, si validæ vires fuerint, (simpliciter intelligendo) sufficere duos scopos ad secandum venam, quia, talibus exsistentibus viribus, impossibile est, vt in corpore ea sit cacochymia, quæ inhibeat euacuationem sanguinis. Si hæc itaque caussa est: sequitur ergo, quod Galenus voluerit, cacochymiam indicare aliud a vacuatione, id est, purgationem: & ob id Galenus ibi loquitur de viribus validis simpliciter, quæ non modo coindicant, sed indicant sectionem venæ.

Quod si vires debiles fuerin secundum has omnes tres partes; tunc nullo modo debemus mittere sanguinem, vt in decrepita ætate.

Virtus valida secundũ quid.

Si vero vires validæ fuerint secundum quid, id est, validæ ratione duarum partium, debiles vero ratione vnius tantum; hoc vnum, vel sunt spiritus, vel carnosum genus, vel solidæ particulæ. Si *spiritus* (aduertatis hoc: nam in hoc sumus discordes a multis,) languescant; quoties est corpus quadratum, ac sanguine referum, & non adest macies, sed florens ætas, solidaque bene se habent, sed spiritus non bene, quia scilicet nimium dissoluti sunt, ac a centro ad circumferentiam tracti: in hoc quidem casu virtus est prohibens sectionem venæ. At si ex altera parte imbecilles sint spiritus per viam concentrationis, quia nimium sint concentrati: tunc considerare oportet, an sanguis exsistens in hoc corpore sit corruptus, vel simpliciter copiosus sine aliqua corruptione. Si est corruptus; vel est insignis corruptio, vel est leuis. Si insignis fuerit corruptio, adeo vt sit impossibile reducere sanguinem ad benignum: tunc non debemus secare venam, sed partim nutriendo, partim vacuando frictionibus, clysteribus, & huiusmodi aliis, procedere debemus. Quod si putredo leuis fuerit, possumus deuenire ad sectionem venæ; quia ad benignum potest reduci sanguis: fiet enim euentatio beneficio sectionis venæ. Et de hac constitutione ac sectione loquitur Galenus, secundo aphorismorum decimoseptimo. Si autem sanguis solum copiosus fuerit, multo magis possumus secare venam.

Ideoque in syncope actu exsistente, a multitudine sanguinis, vires adeo validæ possunt esse, vt indicent sectionem venæ: id quod probatur multiplici Galeni auctoritate. Prima est 4. de ratione victus. com. 23. vbi dicit, quod in obmutescentia periculum sit, ne calo naturalis exstinguatur: & per obmutescentiam intelligit amissionem vocis, quæ aliud non est, neque esse potest, nisi syncope. Et c. 24. præcipit Gal. vt in hac obmutescentia, ac in hac syncope aperiatur vena dextri cubiti. Quare in syncope ex Galeni sententia possumus deuenire ad sectionem venæ. Secunda auctoritas est eiusdem, quarto de ratione vict. 82. vbi auctor ille vult, quod in melancholicis, vbi fiunt interceptiones spirituum ratione repletionis, sit deueniendum ad sectionem venæ, & Galen. in com. approbans hanc curationem, declarat quid intelligat auctor ille per interceptionem spirituum; & dicit, quod intelligat quando adest carentia pulsus, quæ fit ob materiam replentem: quæ nihil est aliud, nisi syncope, & tamen secat venam. Tertia auctoritas est eiusdem, libro eodem 4. com. 111. vbi Galen. habet: quemadmodum periculum est, ne ignis a lignis tum humidis, tum multis exstinguatur: sic periculum est, ne calor natiuus multitudine materiæ suffocetur: & propterea maxime præsentaneum est remedium sectio venæ. Vult ergo, quoties multitudo sanguinis est caussa syncopes, & imminet ex ipso sanguine periculum, vti integra defectio, ac suffocatio caloris natiui; tunc necessarium esse, vt quamprimum remoueatur talis multitudo. Sed meliori, ac valentiori auxilio non poteb remoueri, nisi sectione venæ. Quare sectio venæ etiam in syncope fieri potest. Neque est, quod quis hanc veritatem suspectam habeat, eo quod Galenus duodecimo meth. cap. 3. & primo ad Glauconem decimoquarto, dicat; actu exsistente syncope, a sectione venæ desistendum, & ab euacuatione, & a quocunque valido auxilio. Nam videre oportet, de qua syncope loquatur his in locis Galenus, non enim loquitur de syncope a multitudine sanguinis, quæ sectione venæ tolli possit, sed de ea multitudine faciente syncopem, quæ non est sine cruditate: quippe duodecimo methodi loquitur Galenus de cura febris syncopalis humorosæ, quæ pendet ab humoribus crudis, crassis, ac maxime tenacibus, & putridis, primo autem ad Glauc. præcipit esse vtendum mulsa, cui incoxerint hyssopus, thymum, vel pulegium, &c. quæ habent vim incidendi. Ergo ibi potius respexit syncopem, quæ fit ex visciditate & cruditate humorum, quam ex multitudine, & ideo sectionem venæ non admittit. Nos vero loquimur de syncope a multitudine sanguinis,

A guinis,quæ alio commodiori auxilio non poteſt tolli,niſi ſectione venæ. Hæc de virtute valida ſecundum
quid,quando imbecillitas eſt ex parte ſpirituum.

Si vero virtus fuerit valida ſecundum quid, eo quod habeat imbecillitatem ratione *carnoſi generis*
tantum,& robur ratione ſpirituum ac ſolidorum: tunc hæc coindicabit ſectionem venæ. Vt hoc intelli-
gatis, ſciendum, vires eſſe validas ratione ſolidorum & ſpirituum, debiles vero ratione carnoſi generis,
quoties æger fuerit in media ætate conſtitutus, inter ſenilem & puerilem; quia ſi non eſſet in hac media
ætate æger, non poſſet habere firmitatem ſolidorum; robur autem ineſt huic ætati ratione ſpirituũ,quia
ſpiritus neque plus æquo cõcentrantur,nec plus æquo diſperguntur; imo cum in tali corpore adſit ſan-
B guis, ex hoc bono ſanguine boni etiam ſpiritus neceſſario generantur. Sed debilitas eſt in carnoſo gene-
re, quia eſt macies. Quæritur autem quomodo poſſit laborare carnoſum genus,bono exſiſtente ſangui-
ne, ac ſpiritibus? Reſpondetur, id tum fieri; cum in corpore non ſolum boni ſanguinis copia generatur,
ſed malus etiam ſanguis aceruatur: veluti cum ſupprimitur naturalis vacuatio, vt in viris fluxus hæmor-
rhoidum, & in mulieribus menſes: in his enim & ſimilibus ſuppreſſionibus fit, vt licet ratione iecinoris
gignatur optimus ſanguis, tamen cum eo commiſceatur ſanguis malus, & ideo corpus emacietur. Tales
autem vires admittunt ſectionem venæ; vt patet ex Galeno, ſexto epidemior. ſectione tertia, commen.
vigeſimonono, qui in muliere illa emaciata,non ratione inediæ,ſed quia menſes ſuppreſſi fuerant, (cum
virtus eſſet valida tum ratione ſolidorum, tum ſpirituum, licet non carnoſi generis) ſecat venam, & in
magna copia.

C Quod ſi virtus ratione carnoſi generis valida ſit, itemque ratione ſpirituum,ratione vero *ſolidorum*
ſit debilis: tunc omnimode prohibetur ſectio venæ, etiamſi carnoſum genus & ſpiritus validiſſimi fue-
rint. Et hæ ſunt vires puerorum: his enim ſpiritus in maxima copia adſunt, carnoſum genus bene ſe ha-
bet, & calor natiuus viget; tamen vires non conſentiunt, ratione ſolidorum.

Et hæc de viribus ſecundum quid valentibus. Si autem virtus fuerit debilis ſecundum quid, id eſt, Virtus debilis ſecũdum quid.
ratione duorum debilis, ratione vnius valens: ſi hæc debilitas erit ratione ſolidarum particularum, tunc
omnimode prohibetur ſectio venæ;ſiue ſolidum illud genus imbecillum coniungatur cum carnoſis par-
ticulis imbecillibus, ſiue cum ſpiritibus imbecillibus: ſi enim ſolidum genus ſolum id facere poteſt,mul-
to magis id faciet, coniunctum vel cum ſpiritibus, vel cum carnoſo genere. Quod ſi vires validæ tantum
erunt ratione ſolidorum, debiles vero ratione carnoſi generis, & ſpirituum; tunc interdum prohibent,
D interdum coindicant ſectionem venæ. Prohibent eam, quoties ſpiritus defecerint per viam reſolutio-
nis; idque vel ob aliquam cauſſam reſoluentem ſpiritus, vel ob defectum alimenti: nam multoties vidi-
mus homines, qui bene ſe habuerint ſecundum has omnes partes; tamen propter magnum ieiunium ac
inediam corpus eſt emaciatum, ac ſanguis defecit, & ſpiritus ſunt reſoluti. Quare licet ſolida conſiſtant
tamen virtus prohibet ſectionem venæ; nam etſi in præſenti vires tolerent ſectionem ratione ſolidorum,
tamen periculum eſt, ne ſolida cadant in futurum. Et ob id Galenus quincto method. decimo tertio,in
muliere illa Romana, correpta ſputo ſanguinis, etiamſi morbus eſſet valentiſſimus, ac vires quo ad ſoli-
da validæ, tamen non ſecat venam; quia per quatriduum ieiunauerat. Interdum vero contingit vt ratio-
ne cacochymiæ exquiſitæ ſpiritus non admodum valenter ſe habeant, & genus carnoſum ſit emaciatum;
E vires tamen bene ſe habeant ratione ſolidorum: tunc virtus nec eſt coindicans,nec prohibens ſectionem
venæ: quia hic nullo pacto habet locum ſectio venæ, nec vacuatio. Aduertendum tamen, quoties eſt ca-
cochymia exquiſita, poſſe & cibis & medicamentis malos ſuccos ad meliorem ſtatum redigi; beneficio
cuius ſtatus poſtea non ita recedant a natura ſanguinis: & in hoc caſu vires non inhibebunt ſectio-
nem venæ. Ob id Galenus quincto method. decimoquarto, in catarrho ſalſo ſecat venam; quia humor
eſt redactus ad quendam probiorem ſtatum: nam ſi non eſſet redactus humor ad meliorem ſtatum,nul-
lo modo nec coindicaretur, nec indicaretur ſectio venæ. Si autem alia ex parte vires fuerint imbecilles
ſecundum quid: quia carnoſum genus debile fuerit, & ſpiritus etiam debiles, non per reſolutionem, ſed
per concentrationem; ſolida autem bene ſe habuerint: tunc virtus coindicabit ſectionem venæ. Vt, ſi
fieret præfocatio vteri in muliere cacochyma, non exquiſite, cuius præfocationis ratione periculum
F eſſet mortis præſentaneæ; dum tamen ſolida bene ſe habeant, ac ſpiritus concentrati ſint: tunc venien-
dum eſt ad validum auxilium, id eſt, ſectionem venæ. Et hoc etiam expertus ſum in propria ſorore: cui,
præfocatione laboranti, adſtante etiam alio doctiſſimo viro, ſecuimus venam, cuius beneficio ſtatim re-
ſtituta fuit.

Et hæc de viribus validis abſolute,& debilibus abſolute; validis ſecundum quid, & debilibus ſecun-
dum quid: quando ſint prohibentes,& coindicantes ſectionem venæ.

Quantum vero ad ætatem pertinet: per ætatem florentem intelligimus non ſolum ætatis vigorem, 4. Ætas florida.
ſed omnes ætates medias inter pueritiam, & extremum ſenium. Et hoc expreſſe colligitur ex Galeno:
qui in libr. curatiuo per ſang. miſſ. capite ſexto & nono, & octauo methodi quarto, dicit, ſe propoſuiſſe
ætatem florentem, ad differentiam ætatis ſenilis, & puerilis. Ætas autem florens habet vim coindican-
G di ſectionem venæ, non propria ratione, ſed quatenus refertur ad vires. Aduertendum tamen, quod æ-
tas ad vires non referatur immediate, ſed mediate: nam ætas refertur ad habitũ,qui habitus poſtea refer-
tur ad virtutem: teſte Galeno, quarto de ratione vict. vigeſimoquincto, vbi habitum ea ratione conſi-
derat, quatenus corpus vel mollis & laxæ eſt ſubſtantiæ, vel duræ; nam ſi partes molles vel laxæ fuerint,
corporis debilem indicabunt virtutem, ſi duræ & compactæ, firmiorem. Et ob id ætas ad habitum; habi-
tus ad virtutem reducitur: nam in ętate puerili habitus eſt nimis laxus, ac mollis; & ob id vires ſunt debiles,

ratione solidorum: in corpore senili habitus est debilis, quia partes sunt nimis aridæ; & ob id virtus in eis A est debilis, ratione solidorum, & omnium fere.

Aliorum coindicantium venæsectionem ratio.

Sed quispiam ambiget: cur ætatem solam proposuit Hippocrates: nonne etiam alia habent vim coindicandi, vt temperatura, consuetudo, tempus anni, &c? Dicendum, non sine maximo artificio Hippocratem proposuisse ætatem, quia cognouit in ætate senili ac puerili vires esse debiles: imo hoc habet ætas, vt ea sola possit prohibere sectionem venæ: nam in ætate puerili, & senio extremo, omnino prohibetur sectio venæ. Alia vero omnia, ex se sola sumta, non indicant Quid agendum, sed potius Quantum agendum: nam si debent indicare Quid agendum, simul iuncta esse debent. Et ob id primo ad Glauconem 14. & 11. meth. capite decimoquarto dicitur, quod tempus anni non sufficiat ad inhibendum sectionem venæ; sed opus sit, vt coniungatur cum constitutione aeris; ac regione, vtque omnia in vnum concurrant. B At secus de ætate: sola enim ipsa sufficiens est ad prohibendum sectionem venæ: & ob id Hippocrates, 4. de ratione victus 19. ætatem potius quam reliqua proponere voluit, licet reliqua etiam cōferrent. Et hæc de recta inuentione huius auxilii dixisse sit satis.

II. Vsus venæsectionis, seu administratio.

Nunc vero est opus manifestare, qua ratione inuentum hoc auxilium (nimirum sectio venę,) administrandum sit, vt nullum immineat periculum. Ad administrationem vero rectam auxilii concurrunt scopi illi quatuor: materia sanguinea, morbus, vires, & ætas. Concurrunt autem, secundum Galenum in lib. curatiuo per sang. miss. cap. 9. scopi illi ad venæsectionem, pro vi sua maiore, vel minore. Quia vero recta administratio in se claudit Quantitatem, Tempus, Modum, & Locum vacuationis sanguinis: proinde singula hæc ordine considerabimus. C

1. Quantum sanguinis detrahendum.

Quantitas ergo educendi sanguinis alia Continua est, alia Discreta: Quantitas continua sumitur a prædictis quatuor scopis: quo enim maiorem vim habent hi scopi, eo maior debet fieri sanguinis vacuatio: vt, si maior sanguinis adsit redundantia, si valentiores vires, vehementior morbus, ac ætas magis florens; nulli dubium, quod maior copia sanguinis vacuari debeat.

Ratione materiæ.

Vnde, si considerauimus *materiam*; in plethora exquisita, magna copia sanguinis est vacuanda, & interdum vsque ad syncopem: in plethora notha, nō tanta copia: in cacochymia notha, adhuc minor copia. Et ideo Hippocrates in hoc aphorismo proposuit plethoram exquisitissimam, vt summam etiam euacuationem sanguinis ostenderet.

Ratione morbi.

Quo ad *morbum*, ne error aliquis contingat notandum, per vehementiam morbi duo posse intelligi, primo vehementiam respectu morbi simpliciter, deinde vehementiam non respectu morbi simpliciter, sed respectu talis morbi. D Per vehementem simpliciter, intelligo morbum vehementem, non contrahendo ad hanc vel illam morbi speciem, sed morbum simpliciter; vt vehementissimum dolorem: & tali modo morbus acceptus, indicat euacuationem vsque ad animi defectum: 1. aph. 23. 9. meth c. 3. & 4. lib. de cur. rat. per sang. miss. c. 12. Per morbum vehementem non simpliciter, intelligo, v. g. inflammatorium: qui, prout est inflammatorius, indicat euacuationem non vsq; ad syncopem, sed vsque ad mutationem sanguinis (nam potest esse sanguinis mutatio, citra syncopen; & e contra potest fieri syncope, antequam incipiat mutari color. Euacuamus autem vsq; ad mutationem coloris, quia nostrum propositum est euacuare sanguinem fluentem, & fluxum. Propterea Hippocrates, secundo de ratione victus decimo, diligentissime in pleuritide mittit sanguinem, vsque ad mutationem: & Galenus in com. notat, quod euacuet sanguinem tum fluxum, tum fluentem. Ideo practicantes in quauis phlebotomia sanguinis mutationem quęrentes, sunt in errore: nam non est exspectanda mutatio coloris, E quando sanguis est vniformis in toto corpore; sed bene quando est difformis, & alius sanguis est in loco inflammato, atque in aliis locis. Cum ergo morbus vehemens dupliciter sumatur, vel simpliciter, vel non simpliciter; hoc diligenter aduertens Hippocrates, voluit istud proponere in præsenti aphorismo: & ideo dicit, esse veniendum ad sectionem venę, quoties imminet periculum vel repentinæ mortis, vel disruptionis vasorum: nam ratione repentinæ mortis, est morbus vehemens simpliciter; ratione disruptionis vasorum, cum periculum sit, ne fiat pleuritis, vel angina, est morbus non simpliciter, sed inflammatorius.

Ratione virtutis.

De *virtute* autem loquens Hippocrates aphorism. 3. sect. 1. ait, eo vsque ducendum, quousque ferat natura illius cui vena secatur. Ergo pro virium tolerantia est mittendus sanguis: nam interdum vires F maiorem copiam sanguinis vacuandi sustinent, interdum non tantam. Proinde, vt ad speciem descendamus; si virtus fuerit debilis secundum quid; non est supra quinque, vel sex vncias vacuandum. Si autem virtus fuerit valida secundum quid; tunc tolerabit maiorem copiam vacuationis, vt vsque ad octo vncias, & decem, & interdum vsque ad libram. Si vero virtus fuerit valida simpliciter, id est, secundum omnes sui partes; si alia consentiant: coindicabit missionem sanguinis vsque ad sexdecim, & 18. vncias, imo vsque ad mutationem sanguinis tolerabit vacuationem, vel de bono in malum, vel de malo in bonum: imo tolerabit vacuationem vsque ad animi defectum, si videlicet morbus id indicabit, & vires coindicabunt. Vnde Hippocrates in hoc aphorismo, proponens vires absolutas, voluit admonere vacuationem esse faciendam vsque ad animi defectum. Errant igitur dicentes, Hippocratem hoc in loco noluisse euacuationem vsque ad animi defectum: nam, cum dicat extremas vacuationes non esse moliendas, vtpote periculosas; & vacuatio vsque ad animi defectum sit extrema; moliendam igitur non esse concludunt. G Quibus reponimus, quod vsque ad animi defectum vacuatio extrema non sit: nam ea dicitur extrema vacuatio, quæ vltra virium tolerantiam exsistit: euacuatio autem vsque ad animi defectum potest esse cum virium tolerantia; quod etiam Galenus libro curatiuo per sanguinis mission. decimosexto significauit, inquiens: in vehementissimis morbis est euacuandum sectione venæ vsque ad animi defectum, viribus tamen tolerantibus, quæ debent esse validæ absolute. Præterea Galenus nono methodi

tertio,

A tertio, & quarto, vſque ad animi defectum vacuat ſanguinem in ſynochis: quia hæ febres non inuadunt, niſi vires abſolute validas habentes, & non corripiunt cacochymos. Aduertendum tamen eſſe monet Galenus, eodem curatiuo libro per ſanguinis miſſio. cap. 9. & 9. meth. 10. non eſſe ita temere & facile in hanc tam abundantem emiſſionem ſanguinis prolabendum: periculoſa enim eſt, cum non poſſimus ita exacte, ac minutatim cognoſcere virium terminum. Et ideo mirum non eſt, ſi ab hac vacuatione noſtri temporis medici prorſus abſtinent. Quin & Auicennas cap. de phlebotomia, ait: diminuas in phlebotomia, quantum poſſibile eſt: quoniam potius infra modum, quam ſupra modum vacuare debemus per phlebotomiam. Et ideo ne errorem aliquem committamus, præcipit Galen. lib de cur. rat. per ſang. miſſ. B cap. 21. vt ſanguinem euacuantes adſpiciamus continue ad mutationem in pulſu: nam cum debilitas aderit, ſtatim debemus ſanguinem ſupprimere: & ideo, ex eius præcepto, manum pulſui ſemper admouere debemus; præſertim cum in maxima copia extrahimus ſanguinem.

Quo ad *ætatem*: ſciendum, quod, quanto ætas magis ab extremis diſtabit, tanto vehementiorem, ac copioſiorem vacuationem indicabit. Et ob id non tanta copia coindicatur vacuationis primo ſenio, & in principio adoleſcentiæ, quam in iuuentute, & vigore. — Ratione ætatis.

Quantum ad *reliqua*, quæ ad vires reducuntur: ſciatis, nos per eas intelligere omnes res præter naturam, ſecundum naturam, & non naturales: de quibus Galen. 1. ad Glauc. 14. verba facit; cuius capitis enarrationem heic obiter habetis. Per *res præter naturam* intelligimus ſymptomata, vt dolores intenſos, &c. cum Galen. citato loco: hæc enim ſymptomata cum vires proſternant, ſunt in cauſſa, vt homines non poſſint ferre multas ac copioſas euacuationes. C Sed Galenus oppoſitum videtur aſſerere, 1. aphor. 23. cum dicit: nullum præſtantius remedium eſt in maximis doloribus, quam vacuare vſque ad animi defectum: hic contra dicit, ſymptomata poſſe frangere ac minuere vacuationem tam ingentem. Breuiter reſpondetur, dolores, & omnia ſymptomata dupliciter poſſe conſiderari: primo, penes propriam vim; ſecundo, penes tolerantiam patientis. Penes vim ſymptomatum, requirunt inſignem vacuationem: hocque modo intelligebat 23. primi lib. aphor. Galenus. Penes tolerantiam vero patientis, adhuc duobus modis conſiderari poſſunt ſymptomata: altero modo, vt æger ſit tam robuſtus ac validus, vt quam maximos ferat dolores: nam quidam ſunt adeo robuſti, vt nihil fere a vehementiſſimis doloribus quo ad vires proſternantur: altero modo, vt æger ita ſe habeat, vt ne minimos quidem dolores ferre poſſit, ſed ab eis proſternatur. Si ergo aderit virium tolerantia, poterit ea quantitas ſanguinis vacuari, quam indicat ſymptoma, D ſeu morbus: ſi non aderit virium tolerantia, non in ea quantitate erit vacuandus ſanguis. Et de hoc loquitur Galen. 14. primi ad Glauco. quia ibi loquitur de ſymptomatibus proſternentibus vires: & ideo dicit, quod diſtentione neruorum non debeamus multum ſanguinem mittere, quoniam vires non tolerent. Et quod de diſtentione dico, idem de dolore dicatur lædente vires infirmi: nam non poſſumus vacuare in tanta copia, quantam indicat dolor. — Ratione coindicantiũ, quæ ad vires reducuntur.

Si conſiderabimus *res naturales*, præcipue conſiderabimus temperaturam, habitum, conſuetudinem, & artificium: Quantum ad temperaturã: dicebat Gal. quod temperatura calida & ſicca non poſſit tãtam vacuationem ferre, vt alia quæuis temperatura. Sic etiam habitus rarus, mollis, ac laxus corporis, non poteſt ita validam admittere vacuationem, vt denſus ac durus corporis habitus. Quo ad conſuetudinem, ſi quis aſſuetus fuerit ſectioni venæ, hic maximam vacuationem tolerabit, non aſſuetus autem, vel aſſue- E tus, ſed difficile ferens iſtam ſectionem, non tantam ſuſtinebit vacuationem. Pariter de artificio, & vitæ genere: ſi quis balneator fuerit, vel aliquod tale tractarit exercitium, in quo continuis ſudoribus & vacuationibus exhauritur; hic non feret tantam vacuationem, vt ille qui otio ac pigritia per quietem ſemper viuere eſt aſſuetus, vt monachi faciunt. Hæc ergo non ſectionem venæ coindicant, ſed potius determinant quantitatem.

Si vero *res non naturales* conſiderauerimus: per eas intelligimus aerem, & ſex res non naturales, vt Gal. 11. meth. & 1. ad Glauc. vtrobique 14. Propterea ſi aer vel calidior, vel frigidior fuerit, nõ tanta eſt ſanguinis copia vacuanda, quantam alia indicant, & coindicant. Vbi vero aeris conſtitutio, & tempus anni, tẽperata fuerint; dummodo alia conſentiant, maxima erit copia vacuanda. Sic etiam ſi conſiderauerimus quædã alia: exempli cauſſa, ſi fuerit penuria annonæ, vt in pręliis: tunc minori copia vacuabimus, q̃ alia o- F ſtenderint: ꝙ ſi penuria nõ fuerit, aliis cõſentientibus maxima copia vacuabimus. Hęc quo ad quantitatẽ.

Sed an vna, vel pluribus vicibus ſanguis ſit euacuandus, ſumendum & a Morbo, & a Viribus. In *morbo*, (quantum ad præſens inſtitutum attinet) conſiderari poteſt vehementia morbi, & tempus afflictionis morbi. Quantum ad *vehementiam* attinet, ſi morbus vehementiſſimus fuerit, vnica vice vacuabimus, vt in febribus ſynochis: teſte Galeno libro cur. rat. per ſanguinis miſſion. capite duodecimo. Sic etiam in febribus aliis vehementiſſimis. Si vero non fuerit tanta morbi vehementia: partiri vacuationem poterimus: vnde in morbis diuturnis nõ ſemel, ſed bis, ac etiam ter, & ſæpius, mittere ſanguinem poterimus. Quo ad *tempus afflictionis*: conſiderandum, an actu, vel poteſtate morbus affligat. Si actu morbus affligat, vnica vice vacuabimus, vt Gal. lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. c. 12. in febribus actu exſiſtentibus facit. Quod ſi morbus non actu affligat, ſed immineat, etiamſi acutiſſimus fuerit; partiri vacuationem poterimus. Et hoc fi- G gmentum non eſt, ſed eſt Galeni, libro citato, capite decimotertio. Quantum autem ad vires attinet, dicendum: quod quanto vires validiores fuerint, eo magis coindicant vacuationem vnica vice eſſe faciendam: quo vero magis ab hoc robore recedent, eo magis indicabunt vacuationem partitam. Et ob id Galenus, libro illo curat. capite decimotertio (conſiderans adoleſcentes poſt quartumdecimum annum non habere vires admodum firmas, quæ poſſint magnam vacuationem ſanguinis admittere) dicebat, quod non ſemel, ſed bis ſit ſanguis vacuandus, & ſæpius. Idem de reliquis, ad vires ſpectantibus, dicendum. — Diſcretã quantitas: id eſt num vna vice ſanguis educendus, vel pluribus.

a Tempus opportunum venæ secandæ.

Quod attinet ad *tempus*, quo secare venam oporteat: duo hic consideranda sunt: alterum quo die, A
reliquum qua hora diei sit vena aperienda. Et hæc cognoscere opus est, per sua indicantia, & coin-
dicantia.

Dies venæsectionis, cum vna vice vena secanda.

Quantum ad *diem* attinet, vel loquimur de die, quo vnica vice est secanda vena, vel de die, quo non
semel, sed bis vel sæpius vena est aperienda. Si de die loquamur, quo vnica vice est vacuandum, vt hunc e-
ligamus commodum, opus est respectum habere ad materiam peccantem, ad morbum, & ad vires.

ratione materiæ peccantis.

Quo ad materiam peccantem attinet: considerare opus est, an sanguis euacuandus solus sit, vel po-
tius cum sanguine adsit cruditas in ventriculo ex cibo introducta, vt nono method. quincto, & vndecimo
method. decimoquarto monuit Galenus. Vnde, si sanguis erit in corpore, absque cruditate, quampri-
mum est euacuandum. Si vero cum sanguine adsit cruditas in ventriculo; tunc duo attendenda: primo, B
ne sanguine vacuato, post sectionem venæ attrahatur cruditas exsistens in ventriculo, & sic faciat maxi-
mas obstructiones: deinde ne cunctando sanguis suffocet calorem natiuum, neue inculcetur in partem
aliquam præcipuam. Sed hæc non habemus ex materia, sed potius ex morbo.

ratione morbi.

Si ergo morbum considerauerimus, morbus non est prohibens sectionem venæ, (quia prohibens
est in caussa, vt non fiat sectio) sed est differens sectionem venæ. Morbus enim bifariam considerari po-
test, vt indicat Quando agendum; primo vt est quid præter naturam, & vt sic, indicat quamprimum, &
primo die agendum: nam medici munus est non modo facile, sed cito, & tuto morbum profligare. De-
inde morbus perpenditur penes maiorem vel minorem vehementiam: nam si vehementissimus fuerit,
indicat quamprimum agendum, & primo die, quamuis sit cruditas in ventriculo: nam magis potest ve- C
hementia, quam cruditas. Et ad hoc respiciens Auicennas proposuit quædam perobscura verba, capite
de phlebotomia, inquiens: in sectione venæ est quoddam tempus coactum, ac necessarium, in quo co-
gimur sanguinem vacuare, neque est aliqua res prohibens, vult dicere, quod quoties morbus fuerit ve-
hementissimus, cogamur primo die vacuare, etiamsi in ventriculo cruditas adsit, quæ vim alioqui habe-
ret remorandi sectionem venæ. Si vero morbus non fuerit ita vehemens, & aderit cruditas in ventricu-
lo; magis poterit cruditas: & proinde prius materiam præparare debemus; non quod concoctionem san-
guis exigat, sed vt materia illa cruda coquatur. Et ideo ibidem dicebat Auicennas, esse tempus liberum
secandæ venæ, & (vt Galenus nono method. quincto dicit) in quo possimus superfluitates illas conco-
quere. Ideo in praxi, cum vehementissimus morbus fuerit, non est danda cassia, deinde secanda vena; sed
quamprimum debemus secare venam; quia curatio non potest differri: si vero non ita vehemens morbus D
fuerit, poterit sectio venæ differri.

ratione virium.

Quod vero ad vires attinet: ipsæ tripliciter possunt concurrere ad secandam venam: primo, vt o-
mnifariam consentiunt cum morbo: deinde, quatenus partim consentiunt, partim differunt: tum, vt vn-
diquaque dissident. Neque mira vobis videri debet hæc distinctio: quia est Galeni. Appello vires omni-
fariam consentientes, cum validissimæ fuerint: partim consentientes, cum cadunt a tanto robore: vires
omnifariam dissentientes, cum imbecilliores sunt. Primo, vires validiores dicuntur consentire cum mor-
bo vehementissimo: nam morbus vehementissimus indicat, vt primo die quamprimum mittatur san-
guis, vires validissimæ istud coindicant: si morbus etiam fuerit non ita vehemens, vires etiam consen-
tiunt; quia possunt perferre dilationem, siue vehementem, siue non. Vires vero non tam validæ, sunt par-
tim consentientes, partim dissentientes. Consentientes quidem: nam si morbus est vehemens, indicant E
vt quamprimum primo die mittatur sanguis, & vires consentiunt, vt quamprimum vena aperiatur, quia
si velimus differre, possent vires cadere in imbecillitatem. Si morbus fuerit non ita vehemens, vires istæ
dissentiunt: nam ratione morbi possumus differre sectionem venæ, at non ratione virium, quia vires non
possunt in hoc tempore non fieri debiles. Et ideo Galenus decimo methodi secundo præcipit, vt ratio-
ne virium quamprimum mittamus sanguinem: dicit enim quod in febribus putridis ardentibus, ac vehe-
mentibus debeamus primis diebus secare venam, & affert caussam; quoniam vires indies imbecilliores
fiunt, ita vt tandem non modo non coindicent, sed aliquando omnino prohibeant sectionem. Vires au-
tem omnino dissentientes, (& hic aduertatis; quia Modernus fuit deceptus) quoties multam habuerint
imbecillitatem, vel ex se, vel ratione alicuius symptomatis, vt ratione imbecillitatis ventriculi, vel ratione
doloris prosternentis vires, vel ratione morsus ventriculi, vel aliquo similium symptomatum, (vt dice- F
bat Galenus primo ad Glauconem 14.) etiamsi morbi vehementia indicaret quamprimum secandam
esse venam, tamen hoc faciendum non est, sed est differenda sectio venæ: nam qui secare venam volue-
runt, (inquit Galenus) perdurante ventriculi imbecillitate, vel aliquo alio horum symptomatum, vel in
mortem, vel in maxima vitæ discrimina inciderunt. Non tamen dicatis, quod hæc imbecillitas sit pro-
hibens sectionem venæ: quia non est prohibens, sed differens: nam dicit ibi Galenus, prius esse prospi-
ciendum ventriculo, vbi vero roboratus ventriculus fuerit, veniendum esse ad sectionem venæ: quare
non inhibet sectionem, sed retardat. Similiter, vbi habetis vigilias, prosternentes vires; primo somnum
conciliare debetis, deinde ad venæsectionem accedere.

Cum partite sanguis deplendus.

Hæc de die, vbi vna vice sanguis mittendus. Si autem eodem die secanda sit vena, bis, ter, vel am- G
plius: hoc sumitur, tum a Vehementia morbi, tum a Viribus: nam si fuerit repetendi vacuatio, eo quod
morbus vehementissimus fuerit, etiam eodem die bis, & ter secari vena potest: quod si nõ tanta vis morbi
fuerit, diuersis temporibus est repetenda venæsectio. Vires vero ita concurrunt, quod validiores permit-
tere possunt iterationem eodem die; debiliores non eodem die; sed diuersis.

Hora venæsectionis.

Quantum ad *horam*, qua secanda vena est; dico eam sumi, & a morbo, nec non a dispositione Ven-
triculi, & Aere ambiente.

Quan-

Quantum ad *morbum* attinet, in morbo consideratur Vis morbi, vel Motus morbi. Si vim morbi
consid·rauerimus: in vehementissimo morbo qualibet hora secanda est vena, non modo, interdiu, sed &
nocta. Et ideo Galenus lib. de cur. rat. per sang. miss. capite duodecimo & vigesimoprimo, reprehende-
batillos, qui non audebant secare, nisi a secunda diei hora, vsque ad quinctam, & sextam: nam si vehe-
mentissimus, (inquit) morbus fuerit, qualibet hora est vena aperienda: si non fuerit tanta vehementia,
erit aperienda a secunda hora diei, vsque ad quartam, & quinctam, vt optime etiam præcipit capite de
phlebotomia Auicennas: nam eo tempore cibus est concoctus in ventriculo, & æger est expergefactus. Si
motum morbi considerauerimus, vel morbus semper mouetur Eodem modo, & vniformiter, vel Di-
B uersimode. Vniformiter, vt vel semper decrescendo, vel semper augendo, vel semper eundem tenorem
seruando: & in his casibus quamprimum, & qualibet hora secanda est vena: nam vbi talis morbus fuerit,
magna est necessitas. Si vero morbus non fuerit vniformis, sed difformis: tunc vel erit Continuus cum
paroxysmis, vel erit Intermittens. Si cōtinuus cum hic non adsit quies; (attamen maior vel minor exacer-
batio) debemus sanguinem mittere hora minoris afflictionis: si vero per interualla morbus affligat, tunc
tempore interualli secanda est vena; vt tamen hoc obseruetur, vt per quinque, vel saltem quatuor horas
ante inuasionem aperiatur vena; &, si possibile est, per septem, & octo horas: namque ratione sectionis
venæ accessiones anticipare solent.

Quo ad *dispositionem ventriculi:* obseruandum tunc esse secandam venam, cum ventriculus vacuus
fuerit: & ideo hora opportuna secandæ venæ, est hora ante prandium, vel ante cœnam.

C Deinde consideramus *ambientem* seu aerem qui vel ad Temperatus, vel Excedens. Si temperatus:
ratione eius debemus secare venam, per vnam horam ante prandium, vel ante cœnam; estque (si aer
temperatus est) faciendum, vt homines horis solitis prandeant, ac cœnent; nec sunt cogendi ægri, vt vel
tardius, vel citius comedant. Si vero ambiens fuerit excedens: excessus erit ad Frigidum, vel ad Cali-
dum. Si ad frigidum; est hora minus frigida eligenda secandæ venæ: si ad calidum, eligatur hora minus ca-
lida. Vnde æstate, si comedere soleant decimaquarta, vt communiter fit, hora non est eligenda decima-
tertia, vt secetur vena; sed præcipiendum est, vt comedant hora decima, vt possimus commode hora nona
secare venam. Hæc de Quando agendum.

Quantum ad *modum* secandæ venæ: capitur hic modus a Materia peccante, a Viribus, & a vires Cō-
sequentibus. Per modum secandæ venæ intelligo, an foramen magnum, vel paruum sit faciendum in se-
D ctione venæ. A *materia* quidem, quia refertur ad massam in vena exsistentem: si massa biliosa fuerit, fora-
men sit acutum, ac tenue: si pituitosa, vel melancholica, vt non multum materia recedat a natura sangui-
nis, tūc foramen est faciendum amplum, vt crassior possit vacuari sanguis: quod si materia humoralis fue-
rit sanguinea, cum in ea non sit tenuitas bilis, nec crassities pituitę, foramen non nimis amplum, nec nimis
acutum, sed mediocre, fieri debet.

3. Modus: seu amplitudo vulnusculi venæ secandæ.

Quantum *vires* attinet: vires validiores ferunt amplius foramen; debiliores, non ita amplum:
nam vbi foramen fuerit amplum, maior fiet dissolutio spirituum, quam possint tolerare vires imbe-
cilles.

Idem de *consequentibus vires* dicendum: nam si fuerit ætas immediate post decimumquartum annū,
non poterit ferre foramen amplum. Idem de temperatura calida dicendum; de habitu non admodū den-
E so, de aere calido: quæ potius exiguum, quam amplum foramen exigunt.

Vt autem vires non cadant in sectione venæ; suadendum est, vt homines decumbant, vt Auicennas
præcipit: quia vbi sedentes vident sibi aperiri venam, frequenter solent incidere in deliquium animi; vt
primo aphorismorum vigesimotertio Galenus est testatus. Hæc de modo secandæ venæ.

Delicatis vena tundēda decūbentibus.

Postremo considerare debemus *locum*, id est, quamnam venam debeamus eligere pro sectione. De-
sumitur autem hoc partim a Materia quæ euacuari debet, partim a Morbo ratione cuius secamus venam,
partim ab Ipsamet vena.

4. Locus, seu electio venarum aperiendarum, ratione materiæ.

Quantum ad *materiam* attinet: consideramus materiam penes suam naturam, copiam, & penes lo-
cum in quo ipsa viget. *Naturam* quidem materiæ intelligimus, quoties consideramus plethoram vel ex-
quisitam, vel notham, vel cacochymiam notham. Si fuerit plethora exquisita; ratione eius habemus, vt
F vacuatio fiat ab eodem latere, vtque fiat per integram diametrum. Si vero notha plethora, vel cacochy-
mia spuria fuerit; non semper ab eodem, sed ab opposito interdum venam secare debemus, si non
fit tanta diuersio. Declaro cum Galeno qui decimotertio method. capite vndecimo dicebat, malo
exsistente in manu, vel brachio, debere institui diuersionem per crus; si in crure, diuersionem faci-
endam per brachium. Et secundo ad Glauconem secundo dicebat, in inflammatione genu, scarifican-
dam esse venam cubiti eiusdem lateris: & decimotertio method. quincto, manu laborante crus est scari-
ficandum, & postea subdit eodem quincto capite, crure altero laborante, reliquum crus esse scarifican-
dum. Impossibile vero est hæc loca intelligere, nisi per ea quæ iam protuli. Dixi igitur, & iterum dico,
quoties plethora exquisita fuerit, si malum sit in parte inferiori diuersionem per partes superiores esse
faciendam, & e contra. At si plethora notha, vel cacochymia notha fuerit, & malum sit in parte infe-
G riori, non est secanda vena partium superiorum, sed oppositi lateris inferioris. Ratio autem huius su-
mitur ex optimo fundamento: nam quoties medicus mollitur euacuationem, debet cauere, ne fiat talis
vacuatio, quæ transeat per membrum aliquod principale, materia peccante in quali: & ob id, dextro cru-
re laborante, brachii venam Galenus secabat, quia erat ibi materia in quanto tantum peccans, id est, ex-
quisita plethora: quia ibi Galen. loquebatur de habitu corporis quadrato, tempore veris exsistente: &
ideo, cum materia in quanto tantum peccaret, licuit inferioribus partibus affectis secare venam supe-
riorem. Sed si materia fuerit in quali peccans, non est facienda talis diuersio: quia periculum esset, ne cor

A læderetur per diuersionem materiæ. Heic vero quispiam obiiciet: si in cacochymia notha, crure laborante, reliqui cruris vena est secanda; cur Galenus de eadem cacochymia loquens, manu laborante, crus secat, & non alteram manum? Quia, inquam, Galenus (omnia cognoscens, ac videns) cognouit esse maximum periculum, vbi materia transit per membra principalia adscendens, non autem descendens: & ideo non impedit, manu laborante, vt aperiatur vena inferior, quia est in descensu: præterea etiam secta vena alterius lateris, pertransit cor.

Quod vero attinet ad *copiam* materiæ: sciendum, si materia non fuerit multa, sat esse vnam venam secare; si materia fuerit multa, posse aperiri duas venas. Et proinde Paulus, Aetius, & alii omnes, hac ratione moti, in inflammatione vteri, suppressis mensibus, secant venas superiores primum, deinde venas inferiores. B Nec hoc negasset Galenus, cum expresse decimotertio method. quincto, in simplici diuersione concedat, posse vnam venam secari: ergo, in toto corpore multa materia exsistente, tum in superioribus, tum in inferioribus, non negasset Galenus duas venas secari posse.

Locus tandem, in quo materia viget, multum potest: nam si ratione aliorum vna vena indicatur, ratione loci sæpenumero aliam cogimur venam secare. Vt, si sit febris putrida cum suppressione mensium; ratione febris, indicatur missio sanguinis a vena basilica lateris dextri: at ratione mensium, cogimur venam saphenam inferiorem aperire. Pariter, exsistente febre putrida cum tumore lienis; ratione febris, indicatur missio a vena basilica dextra: at ratione lienis, cogimur a latere sinistro sanguinem ducere. Similiter etiam in dolore capitis a sanguine pendente, cum totius corporis plenitudine; ratione doloris capitis, cephalicam aperire debemus: sed quia materia in toto corpore viget, cogimur aperire communem venam. C

Ratione morbi. Considerantes postea *morbum*; quamuis morbus multipliciter considerari possit, in præsenti tamen, quo ad ista, solum consideratur penes differentiam ab Origine, & a Subiecto quod morbo corripitur, tum penes differentiam a Coniunctis. Ratione quidem *originis*; prout vel imminet vt gignatur; vel ex toto genitus est, & factus: vel medio modo se habet, partim in fieri, partim in facto esse. Si morbus imminet: quamlibet venam potestis secare. Ideo Galenus in illo libro de curan. ratio. per sanguinis mission. dicit; si quis consueuerit singulis annis in morbum aliquem incidere, bonum esse vt ante inuasionem secetur vena hæc vel illa, vt si quis affligi solitus fuerit pleuritide lateris dextri; si ante inuasionem secetur vena alterius lateris, vel in inferioribus, vel in superioribus, non fuerit præter rationem. Si vero morbus ex toto fuerit factus: euacuatio facienda est per locum læsum, vel quam maxime proximum loco læso. D Hinc si fuerit vlcus vesicæ, non debetis vacuare totum corpus per vesicam, sed vesicam per vesicam; quæ est euacuatio a loco læso, vel a quam maxime proximo loco læso. Similiter Galenus secundo ad Glauconem secundo præcipit, in angina aperiendam venam linguæ. Ea idem sentiant Paulus, & Aetius, ac etiam Galenus quarto de ratione victus 30. & in libro curat. per sanguinis mission. Alexander etiam in phrenitide venam frontis secat: quamuis prius sint aperiendæ venæ remotiores, quæ totum corpus euacuant. Ex quo maxime errant illi, qui in febribus a saluatella primum mittunt sanguinem, deinde a venis communibus: nam oppositum faciunt eius, quod debet fieri: cum prius a remotioribus venis, deinde magis proximis debeamus sanguinem mittere. Et ob id mirum non est, si Galenus in libro illo cur. per sanguinis mission. hos irrideat. Quod si morbus partim sit in fieri, partim in facto esse: vena medio modo se habens eligenda est, nec tam proxima, nec tam remota. E

Sed est ne secanda vena eiusdem lateris, vel diuersi, seu oppositi? Nam si hoc ignorabimus, remedium nullum erit, vt Galenus decimosexto capite eiusdem curatiui lib. asserit. Heic considerandus est morbus ratione *subiecti*: nam vel est morbus Totius, vel Partis. Si totius, vt febris: tunc molienda est vacuatio a vena basilica, seu communi, vel etiam a iecoraria, quæ deriuatur a fonte sanguinis, vt totum corpus euentetur, lateris (inquam) dextri, vel etiam sinistri. Sed si morbus partem aliquam determinatam obsederit: tunc semper est seruanda rectitudo, vt optime Hippocrates dicit tertio prorrh. t. trigesimotertio, & Galenus passim in libro illo curat. Nolo autem hoc loco declarare, an semper sit seruanda rectitudo fibrarum: quoniam aphorismo 21. sectionis huius primæ declarabo, non esse semper hanc rectitudinem seruandam. Aduertendum tamen est, cum Galeno locis allegatis, an detineantur morbo renes, vel potius partes infra renes, vel partes supra renes. F Si detinentur renes; cum potius inferiores partes sint, quam superiores: potius inferiores venas secabimus: si vero fuerint partes infra renes, debemus aperire venas inferiores: si supra renes, debemus secare venas superiores: eo tamen seruato, vt si afficiantur partes, quæ sunt vel circa iecur, vel lienem, vel ventriculum, vel thoracem, sit aperienda vena iecoraria, vel lienaris: si partes capitis laborent, cephalica: si vero tum caput, tum iecur afficiatur, communis est aperienda, quæ respicit tum caput, tum iecur.

Considerandus tertio est morbus penes *coniuncta*: cuius vnum exemplum afferemus. Nam sit aliquis, qui habeat inflammationem in inguine, & aliquam intemperiem in hepate: tunc non est secanda vena superior: nam iecur hoc proprium habet, vt materiam transmittat ad inguina; quemadmodum cor ad axillas, vnde si aperiatur vena cubiti, impediemus actionem naturæ, quæ est, transmittere materiam deorsum ad inguina: ideo vena inferior est aperienda, qua non impediemus naturam, sed adiuuabimus: nam natura deorsum trahit, & nos etiam ad inferiora; præsertim vero cum volumus, vt materia ad suppurationem deueniat; interdum enim ad suppurationem deueniendum est, vt corpus expurgetur. G

Ratione ipsius venæ. Postremo sumitur venæsectio ab ipsa etiam vena, vt Galenus ait, locis allegatis, nempe ex situ, & apparentia ipsius venæ; si quis enim secare voluerit iecorariam, & hæc non appareat, secanda media

dia eſt;quod ſi hæc quoque non appareat,cephalica:&,in ſumma,ſecanda eſt illa vena, quæ magis in promtu exſiſtit.

Ex his ergo habetur recta inuentio huius auxilii, quod dicitur ſectio venæ, ac recta etiam eius adminiſtratio.

APHORISMVS QVARTVS.

Victus tenuis atque exquiſitus in morbis quidem longis ſemper; in acutis vero, in quibus non conuenit, periculoſus. Et rurſus qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis eſt. Nam & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues ſunt.

Institutum huius aphoriſmi, eſt de Diæta, ſeu tertio inſtrumento medico agere.

V*ictus tenuis & exquiſitus, &c.*) Expoſitores concordes ſunt in introductione præſentis aphoriſmi: atque inquiunt propoſitum Hippocratis eſſe, de ratione victus diſſerere: quam introductionem facile accipere potuerunt ex Galeno, in præſenti comm. dicit enim: poſtquam Hippo. locutus fuit de qualibet immodica repletione,id eſt,de repletione quoad vires in 2. aphoriſ.& de repletione quoad vaſa in 3. & locutus eſt de qualibet vacuatione,id eſt,de vacuatione per pharmaciam in 2. aphor. & de euacuatione per ſectionem venæ, in tertio: nunc aggreditur ſermonem de ratione victus ægroti: idque non alia de cauſſa, niſi, vt abſolutam faceret tractationem de tribus medicis inſtrumentis,Pharmacia, Chirurgia, ac Diæta.

Diæteticæ dignitas: & difficultas.

Huius autem Diætetici inſtrumenti tanta eſt dignitas, atque neceſſitas: vt, ſi volueritis id cum aliis comparare,dubio procul alia inſtrumenta & dignitate & neceſſitate ſuperabit. Sententia enim fuit Galeni,principio de facultate alimentorum,nos poſſe deſignato aliquo tempore viuere abſq; aliis auxiliis,non poſſe autem viuere abſque victu.

Aduertendum autem eſt,quod,veluti eſt ſummæ neceſſitatis,ita in eius adminiſtratione maximum impendeat periculum,ac ſumma difficultas. Vnde,primo epid.ſectione tertia,comm.29. Galenus,tangẽs hoc periculum,dicebat,non temere victus rationem eſſe adhibendam:quoniam ſi id citra iudicium fecerimus,poterit æger ob rationem victus malam ex paruo morbo in mortem incidere. Summa etiam eſt difficultas in hoc auxilio adminiſtrando,ac aſſequendo:quia,vt optime dicebat Galen. primo de ratione victus 12.ex ſententia Hippocratis non eſt medicus,qui ſcit nominare ptiſſanam,& hoc vel illud genus eduliorum:ſed qui callet artem,vt hæc recte adminiſtret. Quæ ars profecto ars magna eſt,& ſumma: vt optime 11.meth.15.dicebat Gal. inquiens:cum ars medica vniuerſa magna ſit,non leuis eſt ea pars,in qua de ratione victus ſermo habetur.

Cum hoc itaque auxilium tantæ ſit neceſſitatis ac vtilitatis, & in eo tantum immineat periculum, tantaque difficultas: propterea Hippocratis eſt inſtitutum, in præſenti aphoriſmo non modo agere de ratione victus; ſed ſumma cum diligentia, ac admirando cum artificio: præſertim,quia idem Hippocrates fatetur primo de ratione vict. 6. victum eſſe quiddam magnum, veteres tamen de eo nihil effatu dignum dixiſſe. Vnde non poſſum non mirari interpretes, qui ſententias has perlegerunt, quomodo tam leuiter Hippocratis ſummum artificium in hoc aphoriſmo pertranſierint. Quare ego, quantum potero, conabor Hippocratis ſententiam ad artificium maximum enodare. Dico igitur Hippocratis inſtitutum, ac ſcopum eſſe de ratione victus ſermonem habere: & quidem more Hippocratico, id eſt, ſummo cum artificio.

Hippocrates heic agit de diætetices inuẽtione & vſu, dogmatice.

Quoniam vero omnis recta tractatio cuiuſcunque inſtrumenti in duobus tota conſiſtit; in Inuentione eius,ac in recta ipſius Adminiſtratione:ob id Hippocrates,nullatenus diminutus,hæc duo de ratione victus perficere voluit.Primum autem de inuentione agere voluit:quoniam inuentio auxilii præcedit eius rectam adminiſtrationem:vt in ſecũdo aphoriſmo de pharmacia,in tertio de phlebotomia fecit. Sed neque ſat hoc erat,ad ſeruandum integrum Hippocratis artificium:nam non modo debet agere Hippocrates de inuentione huius auxilii,ſed dogmatice etiam agere: & ob id proponere debet iſtius inſtrumenti inuentionem,in virtute ſuorum indicantium,& coindicantium.Hoc ordine etiam proceſſi præcedenti aphoriſmo:inuenit enim ſectionem venæ in virtute indicantium,vt morbi vehementis,qui indicat ſectionem venæ;& in virtute coindicantium,vt virtutis validæ exſiſtentis in corpore athletico,quæ coindicat ipſam. Similiter in præſenti aphoriſmo proponitur inuentio diætetici auxilii dogmatice,in virtute indicantium,& coindicantium.

Tractanda in huius aphoriſmi enarratione.

Quoniam autem veritas eſt hæc Hippocratica, & maxime a communi vſu remota:ob id operæ pretium duxi,id vobis manifeſtum reddere. Vt autem id efficiam,quædam altius repetere cogor: & ob id, ne fiat cõfuſio aliqua,vtque diſtincte procedam,tria abſoluam. Primo enim explicabo,quid per hoc inſtrumentum,quod diæta ac victus ratio dicitur,intelligam: ſecundo erit exponendum, qua arte talis diæta ac viuendi ratio acquiri poſſit,in virtute indicantium,& coindicantium: poſtremo hæc ad propoſitum applicabo, declarans ſcopum Hippocratis in hoc aphoriſmo per ſuas cauſſas. In his non eſt mirum,ſi aliquantiſper immorabor: nam non modo habebitis ſcopum præſentis aphoriſmi ex his, quæ dicemus, ſed abſolutam huius aphoriſmi expoſitionem:imo habebitis,in virtute huius, omnes aphoriſmos explanatos,in quibus de victus ratione agitur, qui ab hoc aphoriſmo vſque ad decimumnonum excluſiue protrahuntur.

Diæta quid.

Per diætam igitur medici intelligunt viuendi rationem penes illas ſex res non naturales, aerem,cibum,potum,&c. Verum Hippocrates ex his ſex præcipuam partem intelligit,nimirum eam partem quæ conſiſtit in cibis & potionibus. Et propterea etiam nos cum Hippocrate in præſenti aphoriſmo per diæ-

tam intelligemus viuendi rationem penes cibaria, & potiones, quæ vel Offeruntur, vel Non offeruntur. A Dico, non offerūtur: quia inedia, quamuis sic cibi ac potus priuatio, ad genus tamen dietę reducitur: nam Hippocrates per diætam etiam intelligit (vt suo loco dicemus) inediam puram, quæ est, nihil penitus dare, id est, nullo pacto offerre cibaria, neque potiones.

Dięta, vel alimentū, vel medicamētum, vel simul vtrumque.

Hæc autem diæta sic accepta (& hoc aduertatis) non vnico modo accipitur, sed pluribus: nam primo accipitur, vt tantum habet rationem alimenti: secundo, vt tantum habet rationem medicamenti: tertio, vt habet rationem tum medicamenti, tum alimenti simul. Sed hæc & declaranda, ac confirmanda sunt verbis Galeni formalibus: cum debeant esse fundamenta, super quæ postea omnia constituemus.

Primo itaq; sumitur diæta, vt solum habet rationem *alimenti*: & talis non est nisi cibus; neque omnis B cibus, sed is, de quo Galenus c.1.lib.primi de facultatibus aliment. verba fecit: vt dicit, cibum esse, qui medio est temperamento, qui neq; habet vim refrigerandi, nec calefaciendi, sed qui citra manifestam qualitatem solam habet facultatem nutriendi, & augendi, vel saltem considerandi substantiam caloris natiui. Quo fit, vt, si calor naturalis augeatur tanta portione, quanta absumitur; cibus dicatur mediocris, ac conseruans vires, vt caro pulli, &c. Quod si augeatur calor in maiori portione, quam deperditur; tunc erit cibus plenus, & vires augens, vt caro caponis.

Secundo modo accipitur diæta, prout habet rationem, solius *medicamenti*: & talis est inedia cum nihil prorsus cibi exhibemus quæ vim habet medicamenti, non positiue, sed priuatiue; cum non per se, vt pharmacum, sed per accidens euacuet: de qua Gal.4.meth.6. locutus fuit: vbi voluit, corpus plethoricum inedia vacuari. C Sed quispiam dicet: cur, si tantum medicamētum est, non ponitur in genere pharmaci, sed in genere diætæ? Colligitur resolutio ex Galeno: qui voluit, inediam vacuare, sed per accidens: vnde talis diæta non est nisi priuatio cibi: & licet medicamenti rationem habeat, tamen quoniam in eodem genere opposita collocantur; ideo si cibus ponitur in genere diætæ, etiam eius priuatio, quæ est nihil dare, in genere diætę reponitur: neque aliquem esse existimo tā rudē, qui inediā in genere medicamentorum ponat.

Tertio diæta sumitur, prout habet rationem *tum alimenti, tum medicamenti*: atque est cibus medicamentalis nuncupatus: qui quidem cibus aliqua ex parte habet vim augendi substantiam caloris natiui, & sic se tenet ex parte alimenti: quatenus vero non refertur ad substantiam caloris natiui, vim habet non alimenti, sed medicamenti. Subit autem rationem tum alimenti, tum medicamenti, duobus modis: vel Positiue, vel Priuatiue. Priuatiue: veluti est victus tenuis, qui habet rationem cibi, quatenus nonnihil auget substantiam caloris natiui: quia tamen non tantum auget, quantum absumitur, hinc est, quod habeat vim D minuendi vires, & euacuandi per accidens, non autem custodiendi; & hac ratione vim habet medicamenti priuatiui: & de tali cibo loquutus est Galenus, primo de ratione vict.44. Idem de victu tenuissime dicendum: sed non de tenuissimo in extremo, in quo nihil omnino damus: hic enim nullo pacto rationem alimenti habere potest. Habet autem rationem vtriusq; positiue, cum non per accidens, sed per se operatur. Et tunc concurrit duobus modis: vel iuxta Primas qualitates, vel iuxta Secundas. Per primas; veluti cū dicimus cibum refrigerantem, & humectantem, vt lactuca, &c. & de hoc cibo Hippocrates locutus fuit, aphor.16.sect.1. Per secundas autem qualitates concurrit cibus, qui habet vim adstringendi, crassefaciendi, attenuandi, abstergendi, &c. veluti ptissana, quæ habet vim abstergendi, &c. Et si exēpla desideratis, recurrite ad Galenum, primo ad Glauc.c. de cura tertianæ nothæ, & lib. de attenuante vict. ratione: vbi aduertatis differētiam inter victum tenuem, & attenuantem: nam victus tenuis est, qui vires diminuit; attenuans E vero, qui attenuat humores crassos. Et sic cibus medicamētosus, quatenus nutrit, habet rationem alimēti quatenus alterat, medicamenti positiui. Sic ergo habetis, quid intelligamus per diætam.

Vires & morbus quomodo concurrant ad diætam indicādum, coindicandum, nō indicandum, prohibendum, contraindicandum.

Sed vt innotescat, quomodo se habeant indicātia, & coindicantia, ratione diætæ; declarare oportet, quid intelligamus per indicantia, ac coindicantia: nam his cognitis, cognoscetis etiam nō indicantia, prohibentia, & contraindicantia. *Indicans* ergo cum Galeno nihil aliud est, nisi illud, ad quod immediate refertur suum indicatum, & propria ratione. *Coindicans* vero est illud; ad quod indicatū non propria ratione, sed potius in ratione alterius refertur. Hæc a Galeno proponuntur allegato com.44. primi de ratione vict. difficillimis verbis: quæ fortasse adeo sunt obscura, vt nemo huc vsq; ausus fuerit, vel pauci, veritatem declarare. Et ob id hanc veritatem declarabo exemplo, sumto tum a pharmaco, tum a cibo. Pharmacum F enim est res indicata ratione morbi, coindicata ratione virium; & morbus est indicans pharmacum, vires sunt ipsum coindicantes. Pharmacum quidem est indicatum: illud enim est indicans, ad quod indicatum proxima ratione immediate refertur: at pharmacum remouet morbum, ac immediate refertur ad ipsum: ad vires autem pharmacum refertur non immediate, sed mediante morbo: quia pharmacum, remouendo morbum, est caussa, vt vires conseruentur; quemadmodum morbus est in caussa vt vires dissipentur. Cum ergo pharmacum immediate ad morbum referatur, mediate ad vires: hinc est, quod ratione morbi est indicatum, & morbus est indicans: ratione viriū est coindicatū, & vires sunt coindicantes. Declaro ēt in cibo. Cibus est res indicata ratione viriū, coindicata ratione morbi: per fundamētū propositum. Nam illud est indicans, ad ꝙ indicatū propria ratione & immediate refertur: cum ergo cibus immediate referatur ad vires, quia cibus sumitur pro conseruatione viriū, vt eodem 44. cōmento declarat Galenus; hinc est ꝙ cibus G ratione virium sit res indicata. Si autem referatur ad morbū, cibus non est res indicata, sed coindicata: quia morbus ad cibum refertur mediantibus viribus; cum cibus conseruando vires sit in caussa, vt vires cōseruatæ expellant morbum. Habetis ergo quid sit indicans, & coindicans; indicatum, & coindicatum.

Ex his facile habere potestis non indicantia, prohibentia, & contra indicantia: e cō.45.l.1. de rat. vict. & c.13.l. de cur. per ven. Nam *non indicans est*, quod non potest habere rationem coindicantis: vt si cōiunctus fuerit morbus duplex, materialis, & immaterialis: materialis quidem vacuationem indicabit, immaterialis alterationem: vnde materialis, indicans vacuationem, erit non indicans alterationem: sic immate-

rialis,

A rialis,erit non indicans vacuationem. *Prohibens* eſt,quod prohibet agere id,quod ab indicante requiritur: veluti ſi ratione virium opus ſit dare victum plenum;morbus,& præcipue acutus,eſt prohibens: vnde recte Galenus 44.illo com.appellat morbum prohibentem cibum. *Contraindicans* vero dicitur, quod non modo prohibet id,quod indicat indicans,ſed contrarium eius indicat: vt morbus acutus tenuem victum indicat:vires vero debiles non modo tenuem victum prohibent,ſed cōtra indicant;quia indicant victum plenum,tenui contrarium. Quod etiam contingit in morbis contrariis complicatis: ſic enim calidus & frigidus contraria indicant.

Quibus ita conſtitutis,ſi conſideremus diætam,quatenus alimenti tantū rationem habet: hæc non eſt niſi victus mediocris,vel plenus:& indicans eum victum non ſunt niſi vires:vt teſtatur Gal. 1. de ratio- B ne vict.44.11.meth.14.vbi dicit,quod ſola virtus indicet alimoniam,& ſolam alimoniam. Et ratio huius ex Ariſt.colligitur, 2.de partib.c.3.vbi inquit,virtutem indicare ſui cuſtodiam, quæ cuſtodia non niſi ex ſanguine habeatur:at ſanguis niſi ex alimonia acquiri minime poteſt: quare virtus ſola ſolā indicabit alimoniam. Et hinc,quanto virtus fuerit validior,eo victū pleniorem indicabit,cum magis abſumat:& ob id robuſtiſſima ſeu robuſta virtus victum plenum indicabit;ꝙ ſi non ita robuſta fuerit, cū minus abſumat minorem copiam alimenti,vtpote victum mediocrem,indicabit. Quare diætæ huius,quæ rationem alimenti tantum habet,vires ſunt indicantes. Coindicans vero eiuſdem non niſi morbus exſiſtere poteſt:dicebat enim Gal.7.aph.67.cibum eſſe morbi effectiuum. Vnde addebat primo de ratione victus 44. niſi alimonia officeret affectib.morboſis,ſic poſſe nutriri ægros,vt ſanos:ſed quia maxime officiat, ideo morboſam affectionem eſſe cibi prohibitionē,& tunc cibum eſſe dandum,cum morbus permittit. Ex quibus colligi- C mus,morbum interdum coindicare cibum,interdū prohibere. Sed id declarare oportet. Et primū quantum ad victum plenū attinet:hic victus a nullo coindicatur morbo,ſed ab omni morbo prohibetur. Victum mediocrem coindicat morbus chronicus,& ex decidentia acutus. At morbus acutus non ex decidentia,& peracutus,non modo plenum,ſed mediocrem etiam victum prohibet.

Diętam pure alimentalem indicans, & coindicans.

Si vero diæta conſideretur in medicamenti tantum ratione: quid erit indicans, quidue coindicans? Dico.(& hoc aduertatis: quia fortaſſe cogimur ab omnib.recedere:omnes enim vno ore dicunt, ꝙ ratio diætandi ſumatur a viribus)ſi conſideretur diæta ſub ratione medicamenti tantum, priuatiue tamen: ꝙ morbus ſit indicans,vires coindicantes. Confirmo ex Gal.in hoc cōmento:vbi dicit, vires non niſi ſui cuſtodiam indicare:imo & hoc idem habemus ex Ariſt. At diæta,ex eius ſententia in hoc cōmento,quę pura D inedia eſt,vim inſignem minuēdi ac diſſipandi vires habet: quomodo ergo dicere poſſumus vires meram inediam indicare? Nam ex ſententia Gal.1.de ratione vict.indicans ex indicato iuuari debet. Quare cum virtus inediam non indicet:erit ergo aliquid pręter naturam,quod eā indicabit,id ꝙ nil aliud eſt,niſi morbus:& morbus non quilibet,ſed tum materialis,cuius ratione minuimus victum; tum acutiſſimus, vel acutiſſimus in extremo.huius enim rationem pura inedia indicatur:ſed alii morbi,vt acuti,acuti ex decidētia,& chronici,ſunt non indicantes huius diætæ. Et ob id Galenus in cōmento dicit,integram inediā conuenire,vbi morbus quarto die terminabitur. Sed vires interdum huius diætæ ſunt coindicantes,interdum contraindicantes:coindicantes ſunt vires robuſtæ;& ideo Galenus,de ægris loquendo,dicebat,quo vires ſint robuſtiores,eo victum tenuiorem eſſe inſtituendum:vires autem debiles ſunt contraindicantes.

Diætam ſaltem medicamētalem id eſt,inediā indicans & coindicans.

Heic vnum notate,quo multas repugnantias in auctoritatibus tollere poteritis. Nam vel poſſumus E conſiderare vires vt indicantes, ratione cibi; vel vt coindicantes, ratione minutionis eius. Quoties vires indicant; quanto validiores ſunt, tanto victus plenior eſt exhibendus. Cum vero concurrunt vires vt coindicantes; totum oppoſitum eſt:nam quo validiores,eo victum magis tenuem denotant; quo minus validæ,eo victum magis recedentem a tenui.

Quod ſi conſideremus diætam in ratione alimenti,vel medicamenti ſimul,ſiquidem priuatiue conſideremus,ratione alimenti;(quia hic eſt victus tenuis,& tenuiſſimus,non tamen in extremo, quia habet aliquam vim nutriendi)dico,quod vires ſint indicantes,ex fundamento proprio: quia ſola virtus ſolā indicat alimoniam,vt cōſeruetur quantū poſſibile eſt:ratione vero medicamenti priuatiui,morbus eſt indicans,vires non indicantes:vnde morbus peracutus eſt indicans,ratione victus tenuiſſimi, vel in extremo: ratione victus tenuis,erit acutus,ſed citra decidentiam:morbus vero acutus per decidentiam, & chroni- F cus erit non indicans hunc victum;vnde ratione huius victus,quatenus minuit, morbus eſt indicans, vires vero interdum coindicantes,ſi validæ fuerint,ſi debiles, contraindicantes. Si vero conſideremus hanc diætam,vt habet vim medicamenti,& alimenti poſitiue: ratione alimenti,virtus eſt indicans;ratione medicamenti, res præter naturam,vt morbus eſt indicans: & ideo 16.aphor.Hippocrates dicebat, febres indicare victum humidum;quod autem de primis,idem de ſecundis intelligatur qualitatibus:nam morbus a craſſa pendens materia,pharmacum attenuans,& a tenui, craſſefaciens requirit,ac indicat.

Diætam ſimul alimētoſam & medicamētoſam indicans atque coindicans.

Ex his,quomodo Vires & Morbus ſe habeant ratione diætæ,ſatis conſtat.

Proximū iam eſt,vt quæ diximus aphoriſmo noſtro accōmodemus. Quare ex ꝓpoſitis non eſt difficile cognoſcere ſcopum Hippocratis in præſenti aphoriſmo. Nam dictum eſt, ſcopum eius eſſe, proponere victum, in virtute ſuorum indicantium, & coindicantium. Sed vt, qua ratione Hippocrates id fecerit, intelligatis: ſciendum, cum diæta multis modis accipiatur, hic non de ſanorum,ſed ægrotorum G Hippocratem loqui victu,vt Galenus in commento adnotauit,non enim inſtituit in hoc libro pertractare de arte tuendæ ſanitatis,ſed curatiua. Cumque victus hic ægrorum poſſit conſiderari in relatione ad calorem natiuum,tum ratione ſubſtantiæ eius,tum qualitatis:ideo de eo agens, primum loquitur de ipſo vt ad ſubſtantiam caloris refertur; poſtea vt ad qualitatem. Cum autem victus,qui ad ſubſtantiam refertur caloris,ſit vel plenus,vel mediocris, vel tenuis: Hippocrates principaliter ſermonem habere vult de victu minuente ſubſtantiam caloris natiui: & ratio eſt, quia hic eſt victus præcipue morbis conueniens.

Scopus huius aphoriſmi eſt,de victu ægrorū, minuēte repletionem.

Ac de eo agens, non modo de eo agit, vt refertur ad ſubſtantiam caloris, ſed vt eſt quoddam inſtrumẽtum medicum, quod refertur ad corporis repletionem amouẽdum: nam de repletionis remotione, quæ pharmaco fit, ſecundo aphoriſmo locutus fuit; de ea remotione, quæ fit ſectione venæ, tertio; at hoc quarto, de vacuatione, quæ per diætam fit, loqui vult. Et cum hic victus tum tenuis, tum tenuiſſimus eſſe poſſit: primum de tenui victu loquitur: poſtea ſexto, & 7. aphoriſ. de tenuiſſimo verba faciet. Et ratio eſt: quia non voluit immediate a cibo ad victum tenuiſſimum, in quo nihil damus, deſcendere; ſed gradatim, primo de tenui, poſtea de tenuiſſimo, voluit loqui.

Artificium Hippocratis in hoc aphoriſmo. Proponit itaque victum tenuem, in virtute ſuorum indicantium, & coindicantium: idque maxima arte, quia difficilia breuiter explicat. Loquitur enim de indicantibus victum tenuem Hippocrates: & victum tenuem proponens, non indicantia ipſum propoſuit: nam vbi quis cognouerit non indicantia victum tenuem, facile etiam quę ipſum indicant, cognoſcet. Pariter volens proponere coindicantia Hippocrates, propoſuit contraindicantia: nam ex his quiſpiam facile colliget coindicantia.

Sed ne videantur hæc eſſe figmenta; volo, vt verbis propriis omnia hæc Hippocrates manifeſtet in hoc Aphoriſmo: dicit namque: *Victus tenuis & exquiſitus in morbis quidem longis ſemper, in acutis vero, in quibus non conuenit, periculoſus.* Non eſt obſcurum Hippocratem proponere victum tenuem & exquiſitum: ſed hunc victum tenuem & exquiſitum ita proponit, vt ſemper ſit periculoſus in morbis chronicis: ſi ergo periculoſus ſemper in eis eſt; igitur morbi chronici ſunt non indicantes victum tenuem. Dicit poſtea, eſſe etiam periculoſum in acutis, in quibus non conuenit: quo innuit, quod in his hic victus non indicetur: & hi ſunt peracuti morbi, hi enim non tenuem victum & exquiſitum, ſed tenuiſſimum indicant: ſunt etiam morbi acuti ex decidentia; nam hi tenuem victum nõ indicant, ſed potius mediocrem. Ex his ergo habetur indicans victum tenuem & exquiſitum: nam ſi morbi chronici, acuti ex decidentia, & peracuti, ſunt non indicantes hunc victum: ſequitur, quod indicantes illum ſint acuti morbi citra decidentia.

Cum vero poſtea ſubdit: *Et rurſus, qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis eſt*: hæc verba nihil aliud ſunt, nec poſſunt indicare, niſi victum tenuem non eſſe offerendum, quoties id fit vltra virium tolerantiam: nam cum vires ita fuerint debiles, vt non poſſint tolerare hunc victum, is eis non eſt offerendus: ergo ſequitur, quod cum vires validæ fuerint, erunt coindicantes hunc victum tenuem.

Diuiſio aphoriſmi. Quoad diuiſionem, poterit aphoriſmus hic cenſeri vnicus, quamuis particula illa, *Rurſus*, adſit, quæ non alterum aphoriſmum, ſed potius ſermonem de altera re factum indicat, & manifeſtat. Quod ſi ſic: tũc idem iudicium eſſet de ſuperiori aphoriſmo, vt ibi notauit Galenus.

Hic autem aphoriſmus eſt ſententia, quæ eſt pars enthymematis, quoniam habet rationem ſeiunctam, & poſtpoſitam: & ratio ibi incipit, *Nam & repletiones, &c.* Aphoriſmus ſeu ſententia diuiditur in duas partes, quatenus in prima ponit victum tenuem, in virtute indicantium; in ſecunda, virtute coindicantium. Secunda incipit ibi, *Et rurſus.*

Veniamus ad expoſitionem. Et pro intellectione primæ partis, cum ſermo fiat de Victu & Morbo, oportet circa hæc diſcurrere.

De Victu, & Morbo diſcurſus pręparatorius. Victus heic conſiderandus reſpectu ſubſtantiæ caloris. Quantum ad cibum attinet, ex ſententia Galeni, primo de facult. alim. ca. primo, & lib. de ſucc. bon. & vit. & alibi ſæpius, cibus poteſt bifariam conſiderari, vel Abſolute, vel in Reſpectu. Abſolute quidem, ex parte ſubſtantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis, vel ordinis, vel modi præparandi: ſecundum quos modos nos in præſentia cibum conſiderare nolumus: nam omnes interpretes prolixi valde, & valde faciles circa hanc materiam ſunt: quamuis Galenus (quia conſiderauit cibum, vt Hippocrates etiam conſiderat) vt optimus omnium interpres, ne verbum quidem vllum de cibo hoc modo ſumto, voluit habere. Alio modo conſideratur cibus in reſpectu ad calorem: & hoc dupliciter, vel in reſpectu ad Subſtantiam caloris, vel ad Qualitatem. Hic conſideramus cibum in reſpectu ad ſubſtantiam caloris: quia in reſpectu ad qualitatem, perpenditur 16. aphoriſmo.

Victus alius plenus, alius mediocris, alius minuens. Hic vero victus, ad ſubſtantiam caloris relatus, vel eſt in Maiori quantitate, & ſubſtantiam auget, quæ deperditur: & dicitur victus plenus, vt caro caponum, vitulina, &c. vel etiam edulia non ita nutrientia, ſed in multa copia ſumta, vt oua, piſces, alica, &c. Vel in Eadem portione reficit, in qua conſumitur, & eſt victus mediocris, vt oua, piſces, alica, in mediocri quantitate (quia in multa, plenum faciũt victum.) Tertio eſt victus, qui potius habet vim minuendi vires. Notetur vero Galenum in commento dicere, victum tenuem eſſe illum, qui auferat vires, & terminum eius eſſe virium ablationem. Quod ſi nude intelligeretur, tenuis victus eſſet mors, quia mors eſt ablatio virium: ſed ſic intelligatur, quod tenuis victus ſit ablatio virium, ſcilicet validarum: eſt enim in cauſſa vt vires, quæ prius validæ erant, ab illo cadant robore. Sed multiplex eſt victus hic minuens vires: & quadruplex a Galeno, & aliis omnibus proponitur. Vel enim Aliquid addit, vel Nihil addit. Si addit aliquid: tunc vel parum diſtat a mediocri, & eſt victus tenuis ſimpliciter, vt ptiſſana integra, hordeumque in moderata copia: nam in multa, eſt victus mediocris. Quod ſi adhuc magis recedat a victu mediocri; non erit amplius tenuis victus ſimpliciter, ſed tenuis exquiſitus, vt eſt ptiſſana colata in moderata copia, vel ptiſſana integra in modica copia. Quod ſi magis etiam recedat: erit victus tenuiſſimus, non tamen in extremo, vt eſt mulſa, in qua homo ratione mellis conſequitur aliquod alimentum. Poſtremo eſt victus nihil addens, & eſt victus tenuiſſimus in extremo, ſeu extreme tenuiſſimus: quando vel nihil exhibemus; vel, ſi aliquid exhibemus, id non vertitur in ſubſtantiam nutriti. Et quamuis aliqui fuere viri doctiſſimi, qui dixerunt, hanc inediam probatam fuiſſe temporibus Hippocratis; his vero noſtris temporibus minime, ob deſuetudinem: ego tamen dico, ꝙ poſſit probari, & ſit in vſu, vt ſuo loco docebo. Eſt autem inedia, vel nihil penitus dare, vel aliquid, quod minime nutrit, vt vel oxymeli, vel aqua præcipue, quæ non nutrit, ſed poteſt aliquid efficere: vt colligitur ex Gal. 3. de

ratione

A ratione vict. 40. Et licet alibi dicat, aquam non humectare: intelligendum, quod aqua non humectet partes remotiores, habeat tamen vim humectandi partes proximas, vt ventriculum. Et ob id illi diutius viuunt qui a quam acceperunt, quam qui nihil, licet non nutriat aqua. Et hæc quoad victum.

Morbus acutus, vel chronicus.

Quantum autem ad morbum: non exspectetis longiorem diuisionem: quia vt de victu, quantum sufficere potuit ad propositum, locutus fui, sic & de morbo faciam. Et cum Hippocrates acuti & chronici meminerit morbi, nos etiam de his disseremus.

Acuti morbi cōditiones. seu requisita.

B Et priusquam diuisio acuti morbi ponatur, eius est natura afferenda: in qua cogimur esse discordes a doctissimo Altimaro. Dicimus ergo nos cum Gal. 2. de diebus decret. cap. 12. & 3. eorundem cap. vlt. & alibi, quod ad constituendum acuti morbi essentiam, necessario tres conditiones requirantur: Prima a tempore sumitur: secunda a motu: tertia a natura. Galenus allegatis locis proponit sententiam Archigenis, & laudat, quod acutum morbum non modo circa tempus, sed circa motum & naturam spectari dixerit.

Et cum eum laudet, quod hæc etiam fuerit eius sententia, credendum est. Sed quid per hæc Archigenes intellexerit, declarat Galenus & inquit: quod prima conditio sit, si morbus agat in naturam breui temporis spatio. Secunda est, si non modo breui tempore agat, sed cum impetu, & celeri motu: & ob id ephemeræ febres, licet breui tempore agant, quia tamen non agunt cum impetu, C ideo non sunt in genere acutorum reponendæ. Tertia conditio est, vt suapte natura morbus sit periculosus.

In Donatū Altimarum.

Sed Altimarus contradicit, & in hoc solo discordia consistit, volens probare, quod tertiana intermittens exquisita sit morbus acutus: & inquit, quod hæc tertia conditio non sit necessaria ad essentiam morbi acuti (periculum scilicet) sed sufficiant duæ primæ: idque probat triplici auctoritate Galeni, imo Hippocratis.

Nam Galenus, & Hippocra. 1. prognost. commen. 2. asserunt, febres esse aliquas continuas, quæ quarto, & citra quartum desinant, quæ tamen periculo vacent: modo febres hæ sunt acutæ, & peracutæ. ergo periculum non est necessaria conditio. Deinde Galenus 1. de crisibus cap. 16. asserit, aliquas esse acutas febres, in quibus nullum periculi signum adsit. Tertia auctoritas: primo de dieb. decr. vlt. dicit, fe- D bres quasdam esse acutas sine signo periculi. At quoniam omne nostrum studium in veritate indaganda consistit, & non debemus sic simpliciter auctoritatibus credere: Ideo coactus sum ab huius viri opinione recedere.

Consideraui enim hoc præter rationem esse, vt detur febris aliqua, quæ non modo sit continua, sed peracuta, quæ quarto, & citra quartum terminetur, & tamen non sit periculosa: & præcipue cum expressa sit sententia Hipp. 4. aphor. 43. dicentis, febres quæcunque non intermittentes tertio die fortiores fiunt, periculosæ sunt.

Quomodo ergo, si periculosæ sunt, potuit in prognosticis dixisse, non esse periculosas: nam si sunt periculosæ febres, quæ excitantur ex putrefactione in venis minoribus, & remotis, de qui- E bus quarto aphorism. 73. nonne multo magis periculosæ sunt illæ, quæ ex putrefactione in venis maioribus excitantur?

Securi morbi natura.

Pro intellectione itaque illarum auctoritatum, quę veræ sunt, non tamen ita extrinsecus intelligendæ; sciendum, quod possimus morbum tutum bifariam considerare: Primo modo, in respectu ad morbum tum periculosum, tum lethalem: secundo modo, in respectu ad morbum lethalem tantum. Si consideremus tutum morbum in relatione ad periculosum, & lethalem; non potest talis morbus esse de genere acutorum, quia distinguitur talis morbus contra periculosum, & lethalem: & talis est tertiana exquisita intermittens, quæ febris tuta est, cum nec periculosa, nec lethalis sit. Si vero consideremus morbum tutum, prout contra lethalem tantum distinguitur: tum morbi acuti sunt tuti, & periculosi: tuti, prout distinguuntur contra lethales; periculosi, quia periculo non vacant: vt sunt febres continentes, F quæ suapte natura cum periculosæ sint, vel habent signa certæ salutis, vel mortis: & quamuis de genere periculosarum sint, tamen dicuntur securæ, prout distinguuntur ab his febribus quæ lethales & periculosæ simul sunt.

Hoc voluere Galenus & Hippocrates in allegatis auctoriratibus, quia verum est, quod sint febres, desinentes quarto peracutæ, quæ tamen securæ sunt: non quia non sint de genere periculosarum, sed in respectu ad febres lethales, & mortales. Et ideo ex his facile est videre, quod tertiana morbus acutus non sit; loquor de tertiana pura intermittente.

Morbus vel chronicus, vel breuis.

Morbus porro agens in naturam, vel agit Longo, vel Breui tempore. Si longo, chronicus est; qui non modo per hebdomadas, sed per menses, & annos perdurat. Si breui agit tempore; vel G est Cum impetu, vel Citra impetum. Si impetu vacat; est morbus simpliciter breuis: vt ephemera febris.

Si vero agit breui tempore cum impetu; vel agit Cum periculo, vel Citra periculum. Si citra periculū; est morbus, qui non est acutus, quia ei deest vna conditio: sed est morbus similis & proximus acutis, quia habet duas conditiones, mouetur n. breui tēpore, & cum impetu; vt tertiana febris exquisita intermittens;

nam hæc breui tempore mouetur;ad ſummum enim ſeptem periodis,ſeu 14.diebus terminatur:præterea A
cum impetu mouetur;nam habet ſitim ingentem,vomitum bilis,& rigorem inſignem.
Non oportet autem mirari, cur ille vir fuerit intricatus: quia cauſſa erroris eius fuit,quod Galenus
interdum tertianam inter acutos morbos numerat,interdum minime.Nam dicebat primo de die. decr.c.
vlt.duplex eſſe morborum acutorum genus:alios eſſe morbos acutos,qui ad infebricitationem non deſi-
nant,alios qui ad eam terminentur:nec eſt dubium quod tertiana ſit de genere illorum acutorum,in qui-
bus morbus ad infebricitationem terminatur;& quod poſſit dici acuta,quia duas conditiones habeat,de-
ſit tertia,quæ eſt periculum. Et primo epid. ſectione tertia,commen.3. Hippocrates dicit,morbos acutos
eſſe eos,qui continue affligunt: vbi Galenus per continentes febres non modo continuas vere, ſed con- B
tinuas proportionales, intellexiſſe Hippocratem affirmat.

Acutorum morborum ſubdiuiſio.

Si vero fuerit morbus agens in naturam breui tempore cum periculo, ac cum impetu, talis eſt acu-
tus morbus. Et tunc diſtinguere oportet. Nam vel talis actio eſt Aſſidua, vel Non aſſidua: ſi non aſſidua,
erit morbus acutus ex prolapſu, ſeu ex decidentia: ſi autem fuerit aſſidua, erit morbus acutus citra deci-
dentiam. Atque hic acutus morbus adhuc ſubdiſtinguitur, ſumta diuiſione ab Impetu, Periculo & Tem-
pore. Ab impetu quidem:quatenus impetus vel eſt ratione Totius morbi, vel ratione Partis morbi: vt e-
pilepſia, quæ eſt morbus acutus,& chronicus; acutus, ratione tantum acceſſionis;nam in acceſſione ſunt
conditiones neceſſario in morbo acuto requiſitæ: ſic etiam apoplexia. A periculo autem: quoniam peri-
culum conſideratur ratione materiæ morboſæ agentis in naturam;quæ materia vel in ambitu Venarum,
vel in aliqua Principe parte reſidet. Si in ambitu venarum; neceſſario eſt febris continens, vt optime de- C
clarat Hippocrates primo epide.ſect.3. particula tertia: & primo de ratione victus octauo. Si vero mate-
ria occupet partem aliquam principem; tunc poteſt eſſe morbus acutus ſine febre, vt apoplexia: quod a-
phor. 19. ſect:2.dicit Galen.inquiens:vbi pars principalis aliqua morbo corripitur, poteſt morbus ille a-
cutus abſque febre eſſe. A tempore vero differentiæ ſumuntur: quatenus hic morbus acutus breui tem-
pore agens, vel agit Maxima cum breuitate, vel Non tanta cum breuitate. Si maxime breui agit tempo-
re, peracutus eſt morbus: ſi non tam br ui, acutus. Acuti rurſus ſubdiuiduntur: nam acutus morbus vel
fit Breui tempore, vel Non tam breui: ſi breuiori, exacte vel acquiſite acutus morbus eſt, qui quatuorde-
cim diebus terminatur: ſi non tam breui, eſt morbus non exquiſite acutus, ſed acutus ſimpliciter, qui
protrahitur vſque ad vigeſimum diem.Et ex hoc colligatis errare Altimarum, qui dixit, tertianam inter-
mittentem puram eſſe morbum acutum, ſed non exacte acutum: nam ex ſententia Galeni non eſt exa- D
cte acutus qui ad vigeſimum terminatur, ſed qui ad decimumquartum: vnde ratione temporis, cum
tertiana hæc ſeptem periodis, id eſt, quartodecimo die ad ſummum, terminetur, erit dicenda morbus
exquiſite acutus. Nam in hoc deceptus fuit, tenens, periculum non eſſe neceſſariam conditionem mor-
bi acuti, cum maxime tamen neceſſaria ſit. Peracutus etiam ſubdiuiditur: nam vel fit Breuiſſimo tem-
pore, vel Non ita breui: ſi breuiſſimo, exacte peracutus dicitur, & non tranſit diem quartum: ſi
non tam breui, eſt peracutus morbus, ſed non exacte, & hic vſque ad ſeptimum diem protrahi-
tur.

Explicatio ſingularum aphoriſmi partium. 1. pars: victus tenuis eſt periculoſus,in chronicis,

Quibus ita conſtitutis, nunc ad expoſitionem accedendum. Dicit Hippocrates: *Victus tenuis & ex-
quiſitus &c.* per quæ verba excludit victum tenuiſſimum, ſiue tenuiſſimum ſimpliciter, ſiue tenuiſſimum
in extremo:nam de victu ſimpliciter tenui,& exquiſite tenui verba facit: & propterea intelligit de ptiſſa- E
na integra,ratione victus tenuis ſimpliciter;de ptiſſana colata,ratione tenuis exquiſiti.
Subdit poſtea Hippocrates,quid ex hoc victu tenui ſimpliciter,& exquiſite tenui habeatur: *In mor-
bis quidem longis ſemper eſt periculoſus.* Galenus in cõmento hoc declarat,inquiens,quod in morbis chro-
nicis nullo pacto tenui vti poſſimus victu: quia in talibus morbis ſi non intendimus augere vires, ſaltem
eas conſeruare debemus:at id victu tenui ſimpliciter, vel tenui exquiſite fieri nequit:ideo hic victus tenu-
is ſimpliciter,& tenuis exquiſite eſt periculoſus in morbis chronicis:& propterea morbi chronici ſunt nõ
indicantes tenuem ſimpliciter,& tenuem exquiſitum victum.

& acutis, quibus non conuenit.

Adiungit deinde: *In acutis vero,in quibus non conuenit,etiam periculoſus.* Sed quid per acutos,in qui-
bus non conuenit,intelligit? Aliqui aiunt,ita dixiſſe Hippocratem ob vires: nam victus tenuis periculo-
ſus eſt in iis morbis acutis,in quibus vires ſunt debiles. Sed hæc expoſitio erronea eſt, ac e diametro ad-
uerſatur Galeno in commento:nam voluit Galenus in commento,& optime, vt, quoties in acutis mor- F
bis victus non conuenit tenuis, exhibeatur tenuiſſimus: non ergo propter vires hoc dicit: nam ſi pericu-
loſus eſt tenuis ob vires,non ad tenuiſſimum cõfugiendum eſt,ſed ad mediocrem victum. Alii per acutos,
in quibus non conuenit,acutos intellexerunt ex decidentia. Poſſibile quidem eſt, vt hos intelligat; quia
in his tenuis non conuenit victus: ſed cum ad quadrageſimum,& interdum vſque ad ſexageſimum diem
extendantur,vt chronici,victu mediocri indigent. Verum neque ſufficit hæc expoſitio, & eodem pacto
Galeno aduerſatur:quia dicit,non mediocrem,ſed tenuiſſimum victum conuenire. Ideo potius dicen-
dum eſt,quod acutos ex decidentia ſub chronicis intellexerit Hippocrates. Peracutos autem, in quibus
non conuenit,(vt optime expoſuit Galen. intelligere debemus peracutos:vt hic ſit ſenſus: Victus tenuis
ſimpliciter,& exquiſite tenuis, periculoſus eſt in acutis,in quibus non conuenit,id eſt,in peracutis:nam in G
peracutis non debemus dare tenuem victum,ſed vel tenuiſſimum ſimpliciter, vel tenuiſſimum in extre-
mo:& ob id dicit Gal.in commento,quoties morbus non progreditur vltra quartum,debere nos conten-
tos eſſe integra inedia,at ſi tranſcendit,mulſam eſſe exhibendam. Et ideo ſic intelligatur Hippocrates:
Victus tenuis eſt periculoſus in chronicis, acutis ex decidentia, & acutis in quibus non conuenit, id eſt,
peracutis.
Sed maxima inſurgit difficultas & repugnantia in dictis Galeni;nam in principio commenti;expo-
nendo,

A nendo cur dicat, *in acutis, in quibus non conuenit*; inquit, hoc eſſe dictum ob peracutos: in fine vero commenti, exponens eam particulam, *in quibus non conuenit*; dicit, hæc non eſſe dicta ob peracutos morbos: quia de his infra in 7. loquatur, verba faciens de victu tenuiſſimo, & morbis peracutis. Gręcizantes dicunt affirmatiue legendum eſſe locum Galeni quando inquit; *Hæc non ſunt dicta ob morbos peracutos:* legēdum dicunt: *Hæc ſunt dicta ad morbos peracutos.* Sed ſi veritati magis, quam Grammaticis credendum eſt: ego exiſtimo, pro veritate eſſe impoſſibile textum affirmatiue legi. Nam Galenus ita dicit: *Hæc ob peracutos dicta non ſunt, nam de his mox dicet.* Quomodo ergo aduerſatiua illa ſe poteſt tenere ex parte affirmationis? Quare liquenda eſt vt iacet litera. Dico ergo, eſſe impoſſibile, ſoluere hanc contradictionem, ſine indicantibus, & coindicantibus: quę a principio poſui. Et ob id dico, peracutos morbos duobus modis conſidera- B ri poſſe: vel vt non indicantes victum tenuem ſimpliciter, vel tenuem exquiſitum; vel vt ſunt indicantes victum tenuiſſimum, & tenuiſſimum in extremo. Si conſideremus morbos peracutos, vt non indicantes: nemini dubium eſt. quod, quando dicit, victus tenuis periculoſus eſt in acutis, in quibus non conuenit, intelligat peracutos, & hos non indicantes; nam propoſuit non indicantia, vt inde eliciantur indicantia. Si vero conſideremus morbos peracutos, vt indicantes: hæc non ſunt dicta ob morbos peracutos indicantes; nam in hoc aphoriſmo de tenui victu loquitur: de morbo autem peracuto indicante tenuiſſimum victum, &c. loquetur 7. aphoriſmo.

Ex his ergo habetis, quod victus tenuis ſimpliciter, & tenuis exquiſite, nō indicetur a chronico, nec acuto ex decidentia, nec peracuto: relinquitur ergo, vt indicetur a morbo acuto. Sed quomodo? Dico indi- C cari a morbo acuto, & quatenus eſt exacte acutus, & quatenus non eſt exacte acutus: nam morbus exacte acutus indicat victum tenuem exquiſitum: non exacte acutus victum tenuem ſimpliciter. Sed quæ huius ratio eſt? Reſpondet Gal. in comm. ſi hoc velimus ſcire, confugiendum eſſe ad Hippoc. in libris de ratione victus. Ex illis autem libris, & Galeni in illos commentariis, habemus diſcrimen, conſiderandum in victu acutorum morborum, tum penes Periculum, tum penes Breuitatem temporis. Penes periculum, cū Gal. 1. de ratione vict. 19. & vlt. & 2. eiuſdem 37. & alibi, dicendum: quo morbus eſt magis periculoſus, eo magis tenui victu vti licet: ſi vero periculum non eſt adeo inſigne, non eſt victu adeo tenui vtendum. Cum ergo intenſius ſit periculum in exacte acutis morbis, quam in non exacte acutis: ſequitur, quod in morbis exacte acutis victu exquiſite tenui ſit vtendum, in non exacte acutis tenui non exquiſite, ſed ſimpliciter. Idem colligitur ex breuitate temporis: quoniam, quanto morbus acutus breuior eſt, tanto indiget tenui- D ori victu. Vnde in morbo non exacte acuto, qui vſq; ad vigeſimum protrahitur, debemus offerre victum tenuem ſimpliciter, vt integram ptiſſanam: in exacte acuto, qui ad 14. ſufficit offerre tenuem exquiſitum victum, vt colatam ptiſſanam. Similiter a præceptis Hippocratis non diſcedens Gal. in 1. ad Glauc. c. 9. in cura tertianæ exquiſitæ intermittentis, quæ quartumdecimum non tranſſcendit diem, contentus eſt ſola ptiſſana colata, & conſequenter victu tenui exquiſito, licet ipſa morbus acutus non ſit.

Poſtea Hippocrates ſubiungit: *Et rurſus, qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis, &c.* Quæ verba omnes expoſitiones vno ore, neminem præter Galenum excipio, ſic interpretantur. Poſtquam Hippocrates in parte prima huius aphoriſmi locutus fuit de victu tenui ſimpliciter, & tenui exquiſite: nunc vult loqui de victu tenuiſſimo ſimpliciter, & extreme tenuiſſimo. Sed Galenus vir omnium maximus, neque ſomniauit hanc expoſitionem: verum ita exponit. Cum victum tenuem propoſuiſſet Hipp. in vir- E tute indicantium, ex non indicantibus: nunc eundem victum tenuem proponit, in virtute coindicantium, ex contraindicantibus. Conſtat autem priorem expoſitionem eſſe vanam: nam ſi Gal. & Hipp. dixiſſent, victum tenuem eſſe periculoſum in chronicis: quis eſſet tam ſtultus, qui neget multo periculoſiorem eſſe tenuiſſimum? nam ſi tenuis periculoſus eſt in chronicis, longe magis erit periculoſus tenuiſſimus. Præterea in prima parte Hipp. dicens, tenuem victum eſſe periculoſum in chronicis, non proponit cauſſam, & rationem: at in ſecunda parte, vbi proponit eſſe periculoſum tenuiſſimum, proponit cauſſam: nam dicit, *Nam & repletiones, &c.* At quæſo qualenam eſſet Hipp. artificium, proponere cauſſam in re manifeſta, in re non manifeſta non proponere? nam longe manifeſtius eſt, eſſe periculoſum tenuiſſimū victum in chronicis, quam tenuem; & tamen in tenuiſſimo proponit cauſſam, (vt hi dicunt,) in tenui non. Pręterea, cur Hippocrates eundem victum tenuiſſimum proponit 7. aph. ſumta indicatione a morbo peracuto, ſi F eum hic proponit? Quare peſſima expoſitio eſt, & totum deſtruit Hipp. artificium.

11. aphoriſmi pars: victus tenuis, & ſimpliciter, & exquiſite, ſi fuerit vltra virium tolerātiam, grauis.

Nos autem dicimus, vt ſupra quod Hipp. hoc aphor. voluerit proponere victum tenuem, & exquiſitū: nō tenuiſſimū, de quo ſuo loco loquetur) & voluerit dogmatice ipſum proponere, in virtute indicantium, ac coindicantium. Cum ergo eum propoſuiſſet in prima parte, in virtute indicantium: nūc ipſum in hac ſecunda proponere vult, in virtute coindicantium: & ob id, cum alias eſſet ſermo de indicantibus, & coindicantibus, addit particulam illam, *Rurſus:* vtque in prima, indicantia ex nonindicantibus adinuenit; ſic in hac ſecunda parte, ex contraindicantibus coindicantes vires vult adinuenire. Et ideo talis debet eſſe ſenſus: *Et rurſus,* victus nempe ille tenuis & exquiſitus, de quo locuti fuimus in prima parte, *vbi ad extremum deuenerit,* id eſt, vbi fuerit vltra virium tolerantiam, *grauis eſt.*

Neque cuipiam mirum videri debet, quod victus, qui eſt vltra tolerantiam virium, extremus voce- G tur: hoc enim frequenter contingit. Exempli loco, fiat euacuatio ſanguinis (verbi cauſſa) in Socrate, vſque ad octo vncias, in Platone vſque ad ſexdecim: ac Socrates non toleret vacuationem ob debilitatem; Plato toleret, quia robuſtus: vacuatio vſque ad ſexdecim, non eſt extrema, quia eſt cum virium tolerantia: at illa ad octo extrema eſt, quia vltra tolerantiam virium. Pariter victus tenuis & exquiſitus dicitur extremus, quando fit vltra tolerantiam virium: ſequitur ergo quod vires debiles ſint contraindicantes: &, ſi oppoſitorum eadem eſt ratio, ſequitur, quod cum validæ fuerint vires, erunt coindicantes victū tenuem & exquiſitum. Propterea optime Galenus in cōmento ſecundam par-

tem exponens, atque ad vires respiciens, dicit, quod pro virium tolerantia victum administrare oporteat. A
Et, consentiens Hippoc. dicit: *Quoniam & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.* Proponit caussam, quæ debet esse propria, ac vires respicere debet. Respicit autem; quia repletiones extremæ ideo sunt graues, quoniam suffocant vires, quia vires repletionem tantam perferre non possunt: vt ergo caussa respicit vires, sic & aphorismus. Quare hoc pacto intelligatis: victus tenuis & exquisitus grauis est, & non potest tolerari a viribus. Et merito dicit, *grauis*, non autem *periculosus*, vt refertur ad vires. Miror itaque has, qui Grecarum literarum cognitionem habent, cum viderint in prima parte Hippocratem dixisse periculosum, in secunda graues, ignorare distinctionem inter primam & secundam partem; quoniam & repletiones extremæ a viribus tolerari nequeunt.

Vires indicant victum auctiorem; coindicant tenuiorem.

Quia igitur victus tenuis & simpliciter, & exquisite, si fuerit vltra virium tolerantiam, grauis est: hinc B
colligi potest, vires quo sunt valentiores, eo magis hunc victum coindicare; quo infirmiores, eo minus coindicare, sed contraindicare victum magis ac magis auctum. Sed difficultas insurgit ob Galeni dicta: nam hic cum Galeno diximus, vires quo valentiores fuerint, eo tenuiorem victum esse adhibendum: at ipse primo de ratione victus commen. vlt. dicit, virtute robustiore exsistente, non esse exhibendum victum ita tenuem, sed augendum esse. Ex dictis iam responsio constare potest. Nam vires considerari possunt, & vt Indicantes, & vt Coindicantes. Si vt coindicantes eas considerabimus; quanto vires valentiores fuerint, eo victum tenuiorem coindicant; & hæc veritas a Galeno fuit proposita primo ad Glaucon. 10. vbi dicit, virtute exsistente robusta, posse dari mulsam aquosam; si non ita sit valida, debere exhiberi ptisanæ cremorem. De viribus vero, vt indicantibus oppositum, dicendum; nam quo valentiores fuerint, C
eo copiosiorem victum indicabunt: nam plus absumunt vires validæ, quam debiles. At, pro recta illius auctoritatis intelligentia sciendum, in corporibus sanis nunquam vires habere locum coindicantis, sed semper indicantis: nam in corpore sano semper est indicatio conseruandi. At in corporibus ægris, & coindicantis, & indicantis rationem vires habere poterunt: nam vt coindicantes considerantur vires, quoties morbus augetur, id est, a principio morbi vsque ad statum: vbi vero morbus ad meliorem statum vergit, tunc vires non coindicantes, sed indicantes sunt: & propterea dicebat Galenus, primo illo de ratione victus, cum morbus, & vires ad meliorem statum redacta fuerint, opus esse cibum augere, & magis vergendum ad mediocrem victum: ob id, si sermo sit de viribus vt indicantibus, quanto vires fuerint valentiores, tanto victus copiosior est adhibendus. Non obstant autem quæ hic dicuntur: nam hic sermo fit de viribus, non vt indicantibus, sed vt coindicantibus.

Sensus totius aphorismi, περιφραστικῶς.

Ex quibus modo facilis cum sit redditus totus aphorismus, liceat nobis eius sensum breuiter colli- D
gere. Hippocrates itaque vult in hoc aphorismo victum tenuem simpliciter, & exquisite tenuem proponere, in virtute indicantium, & coindicantium. Et primo in virtute indicantium, hoc modo: victus tenuis simpliciter, & tenuis exquisite, est periculosus in morbis longis; nam morbi longi non tenuem victum indicant, sed mediocrem. Est etiam periculosus in acutis ex decidentia: nam cum hi ad quadragesimum, & interdum ad sexagesimum diem extendantur, potius mediocrem victum requirunt. Sic etiam periculosus est in peracutis: quia hi tenuissimum, non tenuem, indicant victum. Et propterea relinquitur solum, hunc victum tenuem non esse periculosum, sed indicari a morbis acutis: ita tamen, vt victus tenuis exquisite indicetur a morbo acuto exacte; tenuis simpliciter a morbo non exacte acuto. Proponitur deinde victus hic in virtute coindicantium: dicit enim, victum hunc tenuem esse grauem, E
quoties est vltra virium tolerantiam: quia extremæ etiam repletiones graues sunt viribus. Vnde victus hic non erit grauis quoties cum tolerantia virium erit: & tunc vires coindicantes sunt, & non contraindicantes hunc victum.

Quomdo vires victus seruare, vel augere dicatur.

Quo sensu aphorismi in vnum collecto, reliquum modo est, vt duas difficultates in medium proponam: in quibus medici adeo fuerunt intricati, vt fortasse se extricare ab eis nesciuerint. Prima est quod diximus, victum quendam esse plenum, qui augeat vires; quendam mediocrem, qui vires conseruet. Sed dubitatio modo est ex principio primi de tuenda val. vbi Galenus habet, quod a principio generationis nostræ vsque ad interitum, vires assiduo fiant imbecilliores. Si fiunt continuo imbecilliores; qua ergo ratione poterit dari victus conseruans, nedum augens vires? Dicunt hi, victum conseruare, & augere vires, id est, promtitudinem instrumentorum. Sed quia hæc, & aliæ multæ expositiones vanæ sunt: ideo F
statim ad veram solutionem me conferam. Dico ergo, quod victus mediocris vires conseruet, plenus augeat vires, quatenus habent vim augendi, vel conseruandi substantiam caloris naturalis, eo modo, quo augeri & conseruari potest. Pro declaratione autem solutionis, vt acquiescatis, vnum supponendum est, vt verissimum: vires conseruari & augeri, ad conseruationem & auctionem caloris naturalis. Vnde videre oportet, qua ratione conseruetur calor hic: cum eadem ratione vires conseruentur & augeantur. Quod vt intelligatur, sciendum, (vt optime declarat Galenus in hac prima sectione aphor. commento decimoquarto) calorem naturalem posse accipi, & pro Substantia, & pro Qualitate. Et ibi declarabimus esse impossibile tot inueniri calores, quot Fernelius numerat. In præsentia vero, prout ad præsentem aphorismum pertinet, & ad nostrum institutum, dicimus, calorem pro substantia considerari. Sic autem acceptus calor, vel potest accipi ratione Puritatis substantiæ, vel ratione Quantitatis substantiæ. G
Si sumatur calor pro puritate substantiæ: tunc dico, nemini esse dubium, non posse æque puram seruari substantiam caloris natiui a primordiis vsque ad vitæ finem, sed quotidie impuriorem eam effici. Id quod exemplo doctissimi Ficini, quo vtitur argumento in Atlanticum Platonis, declarare liceat. Accipiatur dolium plenum vino puro, & ex hoc dolio extrahatur quotidie phiala vino plena, & imponatur altera phiala plena aqua: in hoc dolio seruatur eadem quantitas humoris, sed non permanet eadem puritas; quia vinum quotidie impurius redditur: nam cum primum sincerum esset

eſſet, paullatim poſtea fit aquoſum, ita vt tandem aquoſum euadat totum. Sic caloris natiui ſubſtantia ſingulis quibuſque diebus impurior fit, & tandem ad tam impuritatem deuenit, vt amplius vires ſeruari non poſſint. Si vero conſiderauerimus quantitatem ſeu copiam caloris natiui; tunc dicimus, quod copia hæc diminui, augeri, ac conſeruari etiam poſſit. Diminuitur quidem, quoties minor portio additur, quam auferatur: & hoc facit victus tenuis minuens, non conſeruans vires. Si vero victus in eadem portione addat, in qua aufertur: eſt victus conſeruans vires, qui mediocris dicitur. Augetur vero ſubſtantia caloris natiui, quoties plus additur, quam deperditur: & hic eſt victus plenus, augens vires. Et ſic eſt Galenus intelligendus.

Quomodo victu tenui in morbo acuto vires ſeruentur.

Poſtremo eſt dubitatio: Quoniam propoſitum medici eſt, vt ſemper vires morbo valentiores conſeruet; (namque morbus ſuperari non poteſt, ſi vires ipſo valentiores non fuerint:) quomodo, quæſo, vires morbo ſuperiores conſeruari poterunt; ſi dicit Galenus, in morbo acuto debere medicum victu tenui vires minuere? Modernus, ponderans verba formalia Galeni in commento, inquit; Galenum, quando dicit, victum tenuem minuere vires, ſic eſſe intelligendum, quod victus tenuis ſequatur minutionem virium. Et oſtendit rationem huius expoſitionis: nam vbi vires debiles ſunt, non eſt cibus copioſus ingerendus, quia vires debiles non poſſent eum concoquere: ſed ſi validæ fuerint, tunc eſt victus plenior concedendus, quia illum melius poſſunt concoquere. Sed ego intelligo hanc rem oppoſito modo e diametro. Nam, ſi Galeno in commento credimus, falſiſſima eſt expoſitio, quod victus tenuis minuat vires, id eſt, ſequatur minutionem virium: nam ſequeretur, quod vbi vires debiliores fuerint, non eſſet cibus augendus: ac in principio commenti dicit Galenus, quod quoties fuerint vires validæ, dare debemus cibum teniorem; vbi vero non ita validæ, ſed debiliores, debemus dare victum minus tenuem. Sed cauſſa errandi huic doctiſſimo viro fuit, quia non diſtinxit inter vires indicantes, & coindicantes. Nam verum eſt, quod vires indicantes, quanto validiores fuerint, eo magis copioſum cibum requirant; ſi non ita validæ, minus copioſum; ſed de coindicantibus viribus eſt totum oppoſitum: quia dicit hic Galenus, & primo ad Glauconem, quoties morbus fuerit acutus, victu tenui vtendum, præcipue ſi fuerint vires validæ; ſi vero fuerint non ita validæ, & vt contraindicantes, tunc magis ad mediocrem victum eſſe accedendum. Quare expoſitio hæc non poteſt conſiſtere. Alii aliter dicunt.

Sed ego, (alia omnia omittens) dicam, quæ ſentio, in materia hac difficili, reſpondendo ad argumētum formaliter. Propoſitum medici eſt, vt conſeruet vires morbo valentiores. Veriſſimum eſt hoc. Sed, cū infertur: ergo non debemus minuere vires: conſequentia negatur: & negationis ratio euidentiſſima eſt: nam quando in morbo acuto, (nam hic de morbo acuto ſermo fit) imminuimus vires, tunc conſeruamus vires morbo ſuperiores; contra vero, quando in morbo acuto augemus vires victu mediocri, tunc efficimus vires inferiores morbo. Quæ dicta vtraque ſi patefecero, nemini (vt puto) ſcrupulum in mente relinquam. Supponatis autē hic eſſe de morbo acuto ſermonem. Sit ergo morbus acutus, in quo exhibeatur victus plenus: dico, tunc fieri vires morbo inferiores: namque natura cogitur in cibum agere, atque concoquere, ac regulare cibum, vt in ſubſtantiam nutriti verti poſſit; & cum victus hic ſit plenus, non modo eſt addicta concoctioni cibi natura, ſed quam maxime addicta, vt cogatur deſerere morbum, cum natura agat in cibum, & non in morbum; & cum morbus acutus ſit, ac vehemens, taliſque vehementia non reguletur a viribus, cibo omnino addictis; conſiſtet morbus in ſuo robore, ac fiet longe viribus valentior, & ſuperior; vt primo ad Glauconem recte adnotauit Galenus: vnde maius erit nocumentum, quam ſit iuuamentum, ex auctione virium per victum plenum. Si vero ex alio latere victum tenuem minuentem vires exhibebimus in morbis acutis; tunc efficiemus vires morbo ſuperiores: nam, cum virtus, quæ valida ſupponitur, (nam ſi non eſt valida, non exhibemus victum tenuem,) valide in morbum agat, & eo validius, quanto tenuior eſt cibus, quia minus diſtrahitur a cibo; morbum ſuperabit: vnde maius erit commodum ex eo, quod vires agant in morbum, quam ſit nocumentum, quod fit ex minutione virium validarum per tenuem victum: vnde fit, vt efficiantur vires morbo ſuperiores. Et ſic huic dubitationi mihi videtur reſpondendum.

APHORISMVS QVINCTVS.

In tenui victu ægri delinquentes magis læduntur. Quicunque enim error committitur, maior in hoc fit, quam in paullo pleniori victu. Propterea etiam ſanis periculoſus exſiſtit valde tenuis, & conſtitutus, & exquiſitus victus: quoniam errores grauius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquiſitus, eo, qui ſit paullo plenior, magis periculoſus.

Scopus huius aphoriſmi eſt, viribus contraindicātibus magis attēdendū eſſe, quā morbo acuto indicanti.

IN *tenui victu ægri, &c.* Cum poſteriora prioribus, & priora poſterioribus conſentiant: ob id non debet videri mirum, ſi, cum expoſitores errarint in præcedentis aphoriſmi expoſitione, in hoc etiam exponendo aberrent. Ideo aliorum introductionibus poſthabitis, atque in his inſiſtentes, quæ ſupra diximus, eam, quæ verior nobis videtur, ſententiam proponemus. Dicimus ergo, quod cum Hippocrates diuiniſſimus, ac omni plenus artificio, præcedenti aphoriſmo de victu tenui ſimpliciter, & tenui exquiſite, locutus fuiſſet, in virtute indicantium, & non indicantium; & in virtute coindicantium, & contraindicantium: nunc, cognoſcens, poſſe in praxi aliquando contingere, vt non ſemper proponatur morbus acutus, in quo vires ſint coindicantes, ſed in quo ſint contraindicantes; (nam quoties indicantia & coindicantia in vnum concurrunt, facile eſt curationem aſſequi; quoties vero habemus indicantia & contraindicantia, tunc habemus curationem difficillimam, & ea de cauſſa Galenus compoſuit 14. libros de

methodo medendi.)hæc itaque videns Hippocrates voluit hoc aphoris declarare, quid in hoc casu sit no- A bis agendum:& dicit, quod magis debeamus viribus contraindicantibus attendere, quam morbo acuto indicanti:dixit autem *magis*, vt notet, aliqua ex parte etiam morbo esse attendendum, & non esse ipsum omnino negligendum. Et hæc fuit regula toties a Galeno in libris method. præcipue in libro octauo, capite vltimo, proposita.

Sed ne hæc chimærica videantur; declarare opus est, quomodo hæc faciat Hippocrates. Ipse enim in vltima parte huius aphorismi proponit aphorismum seu sententiam, cum dicit: *Ob hoc igitur tenuis victus, atq; admodũ exquisitus, eo, qui paullo plenior, magis periculosus.* Quibus verbis nihil aliud voluit dicere Hippocrates nisi, quod, cum victus tenuis a morbo acuto indicetur, a viribus contraindicetur paullo plenior: si magis periculosus est, qui a morbo indicatur, vt tenuis; paullo vero plenior, qui a viribus contraindicatur, est minus periculosus: tunc minus periculosum est faciendum. B

Vt autem nõ tantum scopum, sed vniuersam aphorismi seriem habeatis, quæ difficillima est, sciatis, quod ipse hanc rationem constituit. Ille victus est magis periculosus, in quo error commissus est grauior, quam ille, in quo error commissus non est ita grauis. Sed error commissus in tenuiori victu, est grauior, q̃ error commissus in paullo pleniori. Ergo victus tenuior est periculosior, quam paullo plenior. Cõclusionem autem ponit Hippocrates in vltima parte aphorismi. Quoniam vero maior satis clara est, eam omittit Hippocrates:& ponit minorem, ac eam probat, vt dicit Philotheus, sumto argumento a minori, hunc in modum: si id quod minus videtur inesse, inest, etiam inest, id, quod magis inesse videtur: sed minus videtur, quod sani delinquentes in tenuiori victu, lædantur;& tamen hoc ita habet in ipsis sanis, qui & hos errores grauius ferunt, quam eos qui fiunt in paullo pleniori: ergo multo magis erit in corporibus ægris: ideoque multo magis ægri delinquentes in tenuiori victu lædentur, quam in paullo pleniori. C

Diuisio aphorismi.

Ex hoc scopo facile est intelligere diuisionem præsentis partis. Nam hæc est sententia ex superlatione; quia fit comparatio inter victum tenuiorem,& paullo pleniorem. Est præterea hæc sententia pars enthymematis,& habet rationem seiunctam,& prępositam. Vnde diuiditur in duas partes: in prima est confirmatio, ac probatio sententiæ: vltima ibi incipit, *Ob hoc igitur tenuis victus,&c.* estque ipsa sententia. Prima pars diuiditur in duas: nam in vna ponit rationem, ibi; *Quicunq; enim error,&c.* in altera ponit confirmationem rationis:& hæc rursus in duas scinditur partes, quatenus in altera tangit minorem syllogismi illius topici, *Propterea etiam sanis valde periculosus est,&c.* in altera est conclusio eiusdem rationis,& hæc est in principio huius particulæ, quando dicit, *Ob hoc igitur tenuis victus,&c.*

Explicatio singularum partium.

Versio quorundam taxatur.

Quibus sic constitutis, accedamus nunc ad expositionem verborum. Primo itaque ponit cõclusionem, quæ est hæc: *In tenui victu ægri delinquentes, magis læduntur.* Aliqui textus habent, *In tenui victu ægri* D *delinquunt, quo fit vt magis lædantur.* Sed ex hac versione tota peruertitur sententia Hippocratis. Vnde melius est, vt iustissime vertamus, *delinquentes*: quia in textu græco non ἁμαρτάνουσιν, id est, *delinquunt*, sed ἁμαρτάνοντες, id est, *delinquentes*, habetur. Et sensus horum verborum est, quod ægri, dum vtuntur tenui victu magis læduntur, quam si delinquant vtentes victu pleniori. Vbi aduertatis, ne erretis, vt aliqui, qui asserunt Hippocratem in hoc principio dicere, victum tenuiorem esse magis periculosum, quam paullo pleniorem. Hoc enim dicet in vltima parte, quando ait, *Ob hoc igitur tenuis victus,&c.* Et non esset dignũ Hippocrate, eadem bis tam paucis repetere. Sed dicit, quod ægri, vtentes tenui victu, si delinquant, lædantur magis, quam si delinquant vtentes paullo pleniori. Et hæc fuit Galeni expositio in commento; dicit enim quod error, qui committitur in tenuiori victu, sit maxime grauis, ac periculosus: non dicit, quod tenuis victus, sed quod error in eo commissus, sit grauissimus; quod amplius confirmatur ex eodem Ga- E leno: qui, de sanis loquens, ait, quod sani non cogantur peccare ob tenuitatem victus, sed quod error, qui committitur in hoc tenui victu, sit grauis. Ideo sic intelligendus Hippocrates, quod vtentes victu tenui, si delinquunt, magis lædantur, quam læduntur hi, qui vtuntur victu paullo pleniori, si delinquunt.

In tenui victu.

Dicit, *In tenui victu*: vbi aliqui tenuissimum intelligunt, nescio qua ratione: nam in nullo codice, nec Græco, nec Latino, sic habetur. Pręterea hic aphorismus respicit proxime superiorem: nam cum in superiori aphor. de indicantibus & coindicantibus locutus fuisset, hic vero de contraindicantibus;& ille intelligatur de tenui simpliciter,& tenui exquisite: pariter hic aphorismus venit intelligẽdus de victu tenui simpliciter, ac exquisite.

Delinquẽtes.

Delinquentes. Aliqui,(vt Galenus dicit in commento) intelligebant ęgros delinquentes medicis in- F sciis, vt si quis æger clam deuoraret praua cibaria, volens ipse. Sed melius est, ait, vt quemcunque errorem intelligamus, siue volente, siue nolente ęgro; siue inscio, siue conscio medico. Et potest Galenus prohibere euidentem rationem: nam dicit Hippocrates *Quicunq; error.* Delinquunt quidem ægri volentes insciis medicis, quoties, præter institutum medicorum, vel ingerunt praua cibaria, vel e lecto surgunt, vel Venere abutuntur,&c. Fit error inuito ægro, vel ex parte medici, quoties medicus pharmacum propinat, quod propinare non debet; vel fit hic error ex parte assistentium, quoties plus æquo fricant,&c. vel ratione externorum, vbi ratione pluuiæ cogitur æger de lecto surgere; vel ex alio quopiam accidente aliquod aliud incommodum sortitur,&c.

Ratio aphorismi, cur tenuis victus magis periculosus paullo pleniori.

Quicunque enim error committitur, maior in hoc fit, quam in paullo pleniori. Hæc est immediata ratio G aphorismi; cur victus tenuis magis sit periculosus paullo pleniori: quia scilicet omnis error, qui committitur in tenuiori, maior est, quam qui fit in paullo pleniori. Caussam huius reddens Galenus in commento, supponit vnum, nimirum quod vires quanto sint valentiores, tanto melius ferant errores grauiores; quanto debiliores, tanto ægrius sustineant errata. Et id confirmari potest experientia: nam si aliquis robustus detineatur acuto morbo, & incidat in errorem, licet aliquantũ grauem; hic beneficio naturæ liberari poterit

A poterit:nam natura eſt morbi medicatrix:ſi vero quis debilis morbo detineatur acuto,ſi committat errorem,licet parui momenti,tamen facile eſt, vt moriatur. Conſtitutio igitur,quod vires valentiores melius ferant errores,quam debiles:dicit Galenus,errorem in tenuiori victu delinquenti maiorem eſſe,quam in paullo pleniori:quia victus paullo plenior vires efficit validas,victus autẽ tenuior vim habet diminuendi: &,cum debiliores fiant vires per tenuiorem victum, ſi committatur error, ægri grauius ipſum ferunt, & maius eſt periculum;nam debilior virtus grauius fert errores. Alia etiam cauſſa a Galeno proponitur,quę hæc eſt. Victus tenuis,non modo quia habet vim minuendi,vires debilitat; ſed quatenus eſt inſuetus ; & ideo dicebat Philotheus homines ex nouitate cibi offendi : proinde cum corpora in ægritudine vtantur victu tenuiori,in ſanitate mediocri,vel pleniori;ratione huius mutationis debilitantur vires: ſicuti conſeruantur ratione conſuetudinis.

B Sed aduertendum,in commento Galeni male legi, *Et tranſitus ab eo eſt inſuetus:* quia,cum ibi de pleniori loquatur,eſſet,ac ſi diceret,a tenuiori ad paullo pleniorem victum eſſe inſuetum tranſitum : quod falſiſſimum eſt:nam conſuetudo potius eſt accipienda ex ſanitate,quam ex ægritudine:etenim conſuetudo eſt natura altera. Vnde melius legatis,(vt alii,) *& tranſitus ad eum*,non ab eo, *eſt inſuetus :* ad eum enim, videlicet tenuiorem,tempore ægritudinis,eſt inſuetus. Reſtitutio ex dictis Galeni.

Poſtea addit. *Propterea etiam ſanis periculoſus eſt,valde tenuis,conſtitutus,& exquiſitus victus.* Nihil aliud voluit Hippocrates in hac parte,niſi dicere,quod quamuis hoc minus videatur eſſe in ſanis, quam in ægris:tamen hoc eſſe etiam in ſanis,vt,qui tenuiori victu vtuntur,grauius ferant errores,quam qui pleniori. Sanis etiam conſtituta diæta parũ tuta.

Et quia duo hic ſunt:ideo ea declaro. Primum,quod minus hoc videatur habere veritatem in ſanis,
C quam in ægris:ratio,quia vires in ſanis ſunt validiores,in ægris non ita robuſtæ:& hinc fit, vt ſani melius ferant errores,quam ægri. Ideo optime Oribaſius dicit,errorem tempore ſanitatis eſſe viam ad ægritudinem,errorem in ægritudine eſſe viam ad mortem. Alterum declarandum eſt:quod ipſa corpora ſana grauius ferant errores,vbi tenuiori victu vtuntur,quam ſi paullo pleniori. Et hoc manifeſtum eſt experientia:nam quoties corpora ſana tenui vtuntur diæta;ſi accidit, vt committant errores, non ita ferunt illos, quam qui paullo pleniori vtuntur.

Ponderemus verba. *Propterea etiam ſanis periculoſus eſt valde tenuis.* Proponit victum tenuem ſimpliciter,ſed dicit *valde*, vt ſignificaret vltimum terminum huius victus. Poſtea addit, *& exquiſitus*:nam de hoc victu in ſuperiori aphoriſmo locutus fuit. Deinde addit, *& conſtitutus:* quæ particula habet aliquam difficultatẽ:nam minime neceſſaria videtur,& temere ab aliquibus addita:tamen quia in textu reperitur,
D exponenda eſt. Scio tamen nonnullos interpretes per hãc particulam velle, Hippocratem normam victus tenuis apponere, quatenus ſcilicet vim habet minuendi. Ego crederem, poſſe dici;quod, vt dicit valde,de tenui ſimpliciter,quo proponat vltimum terminum illius;ſic de tenui exquiſito dicat conſtitutũ , vt habeat vltimum terminum eius,quem indicat exacte acutus morbus.

Addit poſtea: *Quoniam errores grauius, &c.* Modernus aliter legit;quia exiſtimat textum eſſe peruerſum: *Quoniam errores grauiores ferunt*:nec abſq; ratione:nam impoſſibile eſſe exiſtimat, quod ſani grauius ferant errores,quam infirmi;nam ſani multo melius errores ferunt. Sed ſi ita intelligeretur Hippocrates, verum quidem eſſet,quod Modernus dicit;non autem ita intelligitur;verum hoc pacto,quod ſani grauius ferant errores in tenuiori victu,quam in paullo pleniori:& ideo non comparamus ſanos cum infirmis, ſed tenuioris victus errores,cum erroribus paullo plenioris victus.

E Subiungit vltimo: *Ob hoc igitur tenuis victus, &c.* Hæc eſt concluſio,ſeu totus aphoriſmus:de quo nõ multa dicam:quia ſi concluſio dependet expræmiſſis, ideo ex declaratione illarum habetur ſenſus huius partis. Et ob id Galenus in fine commẽti dicit, *Quæ vero de aphoriſmo dicit ſunt manifeſta.* Dicit ergo quod & tenuis victus & exquiſitus ſit magis periculoſus paullo pleniori. Vnde notate, ꝙ cum dicat *magis*, præſupponat etiam victum paullo pleniorem eſſe periculoſum,ſed minus. Concluſio.

Habemus ergo hinc,quoties in morbo ſunt indicantia & contraindicantia,curationis ſcopum eſſe periculoſum,nam nec quod indicatur,neque quod contraindicatur, præſtare poſſumus: ſed quia magis periculoſus eſt ſcopus virium contraindicantium,ideo huic attendendum magis,altero tamen non ſpreto:dicit enim, *eo qui ſit paullo plenior*;& non, *plenior abſolute:* vt ex hoc concludat,quod cum magis pericu-
F loſus ſit ille victus,in quo error grauior committitur,& talis ſit victus tenuior;propterea, cum in morbo acuto recedendum ſit a victu illo tenui,magis inclinare nos debere ad victum paullo pleniorem, quam ad paullo tenuiorem,vt viribus contraindicantibus ſatisfaciamus:nec tamen pleniorem omnino conſectandum,ne prorſus videamur morbum ſpernere. Scopus a phoriſmi repetitur.

Verum difficultas heic oritur magni momenti,quæ tum ad praxin vtilis eſt, tum apparentem Hippocratis ἀντιλογίαν diſſoluit. Dicitur enim hoc loco, victum tenuem & exquiſitum eſſe magis periculoſum,quam ſit paullo plenior:at ipſe ſimul Hippocrates cum Galeno 2. de ratione vict. 19. oppoſitum habere videntur. Nam dicit Galenus,eos minus lędi,qui ſolum accipiunt potum,magis qui ptiſſanam colatam,& multo adhuc magis,qui ptiſſanam integram accipiunt. Ex quibus patet, maius eſſe periculum in pleniori,quam in tenuiori:Præterea Hipp. 2. eiuſdem 37. dicit: ciborum adiectioni non ſemper intendi-
G mus,ſed ſæpenumero expedit,vt cibos ſubtrahamus,donec morbus matureſcat:vnde videtur Hippocrates magis probare tenuiorem,quam pleniorem victum. Et idem Galenus dicens,reddit rationem, & inquit,magis tenuiori eſſe inſiſtendum,quam pleniori ; quia non facile ſit emendare errorem commiſſum in pleniori victu;facilius corrigere errorem,qui committitur in tenuiori. Quare videtur oppoſitum eius dicere,quod hic determinatum eſt: Nũ victus tenuior, an paullo plenior, magis conueniat.

In hac quæſtione multi multa dicunt : nos tamen tres referemus opiniones : alteram Moderni, ſe-

Triuerii opinio. cundum Braſauolæ,tertiam quam nos ſuſtinemus,licet noſtra non ſit.Modernus in hac materia idem di- A
cit,& ad verbum quod Triuerius:nimirum,quoties ſermo eſt de victu tenuiori,& pleniori , quiſnam pe-
riculoſior ſit;talis ſermo poteſt eſſe duplex:nam vel eſt de morbis chronicis,vel de acutis. Si de acutis lo-
quamur,periculoſior eſt plenior,quam tenuior:& ſic locutus fuit ſecundo de ratione victus Hippocra-
tes, quod ex inſcriptione libri conſtat, nam inſcribuntur illi libri de ratione victus in acutis, in quibus
quidem eſt periculoſior magis plenus,quam magis tenuis. At ſi de chronicis loquamur , in his tenuior
magis eſt periculoſius,quam plenior:& hoc modo hic intelligit Hippocrates. Vtque id, quod dicit, ve-
rum eſſe Triuerius perſuadeat,ſatis artificioſam adducit rationem ; & inquit:ideo in morbis acutis peri-
culoſior eſt plenior,quam tenuior;quia morbus acutus eſt breuis temporis , & non ita licet corrigere er-
rorem ex pleniore victu,quia morbus non dat inducias,vt in chronicis ; in quibus , cum ipſi longi tem-
poris ſint,facile longitudine temporis poteſt corrigi error commiſſus in paullo pleniori victu : Quod ſi B
tenuem victum conſideremus,totum eſt oppoſitum : quia in morbo acuto non ita periculoſus eſt : nam
etſi vim habeat minuendi vires;tamen,quoniam morbus eſt breuis temporis , vires perferre poſſunt : at
ſecus in morbo chronico;quia cum ſit longi temporis, ſi fiat error in victu tenuiori , nos poſtea erimus
coacti deuenire ad pleniorem,aduentante ſtatu ; quia vires non poterunt perferre tam tenuem victum:
ſed hoc periculoſum eſt,aduentante ſtatu augere victum. Quare concludit Triuerius , dixiſſe Hippo-
cratem magis eſſe periculoſum victum tenuiorem,quam paullo pleniorem;quia de morbis acutis loqua-
tur;imo etiam de ſanis;vnde dicat,*propterea etiam in ſanis*.

Sed reſolutio hęc ita ab omni veritate eſt aliena,vt nihil falſius.Primo autem oſtendam,quod ſit fal-
ſa:deinde,admiſſo quod ſit vera,oſtendam non eſſe ad propoſitum.Primum,cum Triuerius dicit pericu- C
loſiorem eſſe victum tenuiorem in chronicis,quam pleniorem ; contra in acutis periculoſiorem plenio-
rem:id falſum eſt.Et licet pro ſe videatur habere Galenum qui 1. ad Glauc. 8. dicit , quod victus tenuis in
morbis acutis non magnum afferat periculum,maximum in chronicis:(ob quam quidem auctoritatem
credo hos deceptos fuiſſe:nam impoſſibile eſt has auctoritates intelligere,ſine illis indicantibus & coin-
dicantibus)tamen auctoritatem illam nihil ad Triuerii opinionem facere exiſtimo,ſi dicamus,hac ratio-
ne victum tenuem eſſe magis periculoſum paullo pleniori,quia ſi fiat in morbis error in tenuiori victu;vt
ſi in principio tenuiori victu vſi fuerimus,quam opus fuerit,non eſt dubium,quod cogemur aduentante
ſtatu pleniorem victum adhibere:ſic etiam fiet in morbo acuto,cogemur enim ſi prius tenuiori vſi fueri-
mus victu,ſtatu accedente pleniori vti:modo abſque omni dubio periculoſior eſt victus plenior in ſtatu
acuti,quam in ſtatu chronici;& ratio eſt,quia ex victu pleniori diſtraheretur naturæ pugna contra mor-
bum;modo magis periculoſa eſt pugna morbi acuti , quam pugna chronici; itaque hic victus plenior eſt D
magis periculoſus in morbo acuto,quam in chronico;cum ex errore cõmiſſo cogamur deuenire ad ma-
ius periculum.Sed hoc intelligere oportet in morbis chronicis,& acutis,vbi eſt opus mutatione cibi:nam
nemini dubium eſt,quod ſi a principio vſque ad finem morbi acuti perſeuerare poterimus in victu tenui,
iſtud faciendum ſit.Et hoc dicit Galenus primo ad Glauc.octauo,quod victus tenuis non afferat pericu-
lum in acutis,ſuppoſito,quod vires ita validæ ſint,vt poſſint ſemper hunc victum tolerare : at oppoſitum
eſt in chronicis morbis;nam victus tenuis in eis graue affert periculum : quia vires non poſſunt tolerare
victum tenuem.At ſi cogimur mutare cibum,eſt periculoſior in morbo acuto victus a principio tenuior,
quam in chronico:vt ſi corripiatur quis morbo exacte acuto , qui terminetur die decimoquarto , & fiat
error in victu;quod ſcilicet primis quatuor diebus vtamur ſola mulſa,poſtea cogamur vti ptiſſana colata; E
ac poſt etiam integra:vnde victus hic,a principio tenuior adhibitus , eſt in cauſſa maximi periculi , & de-
ducet ægrum in maximum diſcrimen,& in mortem etiam.Accedit inſuper,quod abſolute conſiderantes
errorem,ſemper error in morbo acuto eſt periculoſior errore in chronico commiſſo. Quare hæc,quæ hi
dicunt,falſa ſunt.

Sed admittantur ea,quę falſa ſunt,vera eſſe;oſtendo modo non eſſe ad propoſitum:nam Hippocra-
tis ſcopus in hoc aphoriſmo,(vt diximus)eſt,loqui de victu ratione chronicorum , & acutorum morbo-
rum:nam ſi in præcedenti aphoriſmo dixit,in morbis quidem longis , & acutis,&c. etiam de victu hic lo-
quitur ratione chronicorum & acutorum morborum.Quod autem de victu ſanorum mentionem facit,
id non eſt principale inſtitutum huius loci,ſed ad rationem topicam conſtituendum id requiritur. Locus
ex ſecundo de ratione victus,&c.non eſt ad propoſitum. Nam verum eſt , inſtitutum Hippocratis eſſe ibi
loqui de ratione victus acutorum:ſed propterea non eſt aſſeuerandum ſimpliciter ea non habere veritatẽ F
in chronicis. Nam dicebat Galenus ibi com. 37. errorem commiſſum in pleniori victu magnum afferre
periculum,tum alias,tum maxime in morbo acuto : per quæ verba nihil vult Galenus aliud, niſi morbos
etiam chronicos intelligere:& ideo non tantum in acutis vera eſt ea ſententia. Quare prima hæc opinio
falſa eſt.

Braſauolæ opinio. Secunda eſt Braſauolæ:quam ideo adduco,quia aliqua ex parte videtur accedere ad expoſitionem a
nobis adductam.Nam dicit,Hippocratem ſecundo de ratione victus dicere,quod victus plenior ſit peri-
culoſior tenuiori:ſed in aphoriſmis nõ dicere oppoſitũ,quod tenuior ſit periculoſior pleniori ; verũ tan-
tum dicere , quod error, qui cõmittitur in tenuiori,magis ſit periculoſus, quam qui in paullo pleniori ſit.

Sed decipitur.Nam licet in principio huius partis dicat Hippocrates , magis periculoſum eſſe erro-
rem commiſſum in tenuiori victu,&c.in vltima tamen parte,vbi verum aphoriſmum proponit , ait: *Ob* G
hoc igitur victus tenuis eſt magis periculoſus victu paullo pleniori.Quare adhuc perſiſtit argumentum in ſuo
Auctoris,& Thaddæi ſententia. robore.

Tertia opinio noſtra eſt:nos enim cum Thaddæo Florentino (quoniam non profitemur nec ſub-
tilitates,nec nouitates,)dicimus,modis duobus poſſe conſiderari victum tenuiorem & pleniorem, vel in
rela-

A relatione ad Totum morbum, vel ad ſtatum morbi. In relatione ad vniuerſum morbum, dicimus, eſſe periculoſiorem, tenuiorem paullo pleniori: & hoc modo in hoc aphoriſmo intelligitur Hippocrates. In relatione vero ad ſtatum morbi, periculoſior eſt plenior tenuiori: & hoc modo eſt intelligendus Hippocrates ſecundo de ratione victus.

Quam reſolutionem videns Modernus, dicit, quod quæ a Thaddæo dicuntur, vera ſint, non tamen ad propoſitum: idque probat; nam Hippoc. in aphoriſmo dicit ſimpliciter, errores eſſe grauiores in tenuiori, quam in pleniori: & non ſe limitat nec ad vniuerſum morbum, nec ad ſtatum morbi. Sed ego bifariam oſtendo, reſolutionem hanc ad propoſitum eſſe, ac eſſe optimam; tum ex Hippocratis ſcopo, tum ex verbis formalibus Galeni, & Hippocratis. Ex ſcopo quidem: nam, vt audiuiſtis, propoſitum Hippocratis erat, loqui de tenui victu, ſumta indicatione a morbo acuto, in quantum acutus; non autem a morbo a-
B cuto, penes vigorem morbi acuti, ſed in quantum acutus; nam ſumta indicatione a morbo, viribus contraindicantibus, ſeu viribus infirmis, dicit magis eſſe periculoſum tenuiorem victum, quam plenioré: quia ſcilicet minuit vires, quę erant refocillandæ. At ratione ſtatus totum oppoſitum eſt dicendum, non modo in acuto morbo, ſed chronico: nam primo ad Glauc. cap. II. quod eſt de cura quartanæ, quæ eſt morbus chronicus, dicebat Galenus, quod in ſtatu eius vtendum ſit victu tenuiori: ergo, quamuis vniuerſus morbi progreſſus victum indicat mediocrem, vt in quartana, tamen ſtatus eius victum indicat tenuiorem. Et ibidem, capit. decimotertio, in cura continuarum dicit eſſe aduertendum, ſi vires fuerint validiores, & perſpexerimus morbum tranſcendere ſeptimum diem, non eſſe a principio vtendum tenuiori victu: quia cogamur poſtea, aduentante ſtatu, pleniori vti, cum tamẽ tunc temporis deberemus vti tenuiſſimo. Idem dicit primo ad Glauconem octauo: nimirum, ſi in morbis chronicis a principio voluerimus vti victu te-
C nuiori, tunc ſimul & morbum, & vires tollemus; vel aduentante ſtatu cogemur augere cibum, cum tamen ibi victus tenuiſſimus ſit adhibendus. Quare fit hic ſermo de victu, ſumta indicatione a morbo acuto, vt acutus, non a vigore eius. Et propterea tenuior victus magis eſt periculoſus. In ſecundo vero de ratione vict. proponit victum, ſumta indicatione a morbo acuto, non quatenus acutus, ſed ab eius vigore. Et oſtẽdo, ibi ad vigorem reſpexiſſe Hippocratem: quoniam dicit Galenus in eo libro, commento decimoquincto, propoſitum eſſe Hippocratis demonſtrare, quam grauiter errent illi, qui aduentante ſtatu pleniori victu vtuntur. Et decimonono commento dicit, victum pleniorem eſſe magis periculoſum circa ſtatum, quia non debeamus vti hoc victu niſi coquatur morbus. Quid clarius dici poteſt? Et Hippocrates in illo trigeſimoſeptimo, dicit, quod ſubtrahere expediat, donec morbus matureſcat: verum conſiderare maturationem, eſt conſiderare ſtatum morbi, vt expreſſo etiam ibi Galenus declarauit, in commento. In apho-
D riſmo vero hoc reſpicit ad morbum acutum, in quantum acutus, non ad vigorem: nam præter id, quod in ſuperiori aphoriſmo de morbis acutis & chronicis locutus fuit, cuius hic aphoriſmus eſt pars: accipiam etiam aliud, quod nemo negare poterit, quod ſcilicet Hippocrates infra aphoriſmo octauo loquatur de victu tenui, ſumta indicatione a vigore morbi. Quod ſi hoc eſt: vultis ne Hippocratem eadem bis ſine neceſſitate repetere in eodem libro? Dicit enim ibi, Quando morbus in vigore conſtiterit, victu tenuiſſimo vtendum. Nec aliquis dubitet, quod dixerit, tenuiſſimo, non autem tenui. Vnde de tenui hic, ibi de tenuiſſimo loquitur: nam (vt ibi exponemus) idem intelligit per tenuiſſimum, quod per tenuem, ob cauſſam, quam ibi aſſignabimus. Quare hæc Thaddæi reſolutio optima, vt mihi videtur, & ad propoſitum eſt.

E

APHORISMVS SEXTVS.

Extremis morbis extrema exquiſite remedia optima ſunt.

E*Xtremis morbis extrema, &c.*] Cum propoſitum Hippocratis eſſet, ſermonem habere de victu ægrorum, & proinde de victu vires minuente; atque hic victus eſſet tum tenuis, tum tenuiſſimus: poſtquam in ſuperioribus duobus aphoriſmis egit de victu tenui in virtute indicantium & coindicantium; modo eius propoſitum eſt ſermonem habere de victu tenuiſſimo. Ceterum, quia cognouit Hippocrates victum tenuiſſimum eſſe auxilium quoddam ſatis arduum, quod non ita facile admitti poſſit: propterea, vt non deueniret ad hoc extremum auxilium abſque medio; primum ſupra de tenui, deinde de tenuiſſimo victu voluit agere; ſed antequam inſtitueret ſermonem de victu tenuiſſimo, primum proponere voluit axioma, in cuius vigore omnis ſtabiliretur ſermo de victu tenuiſſimo, vt nemo ſit audax in proponendo tam
F arduo auxilio, id eſt, victu tenuiſſimo, niſi maxima ex cauſſa. Axioma autem in præſenti ponitur aphoriſmo: in quo, cum habeat, quod extremis morbis extrema conueniant remedia: facile poſtea inſinuare poteſt, quod in morbis acutiſſimis conueniat extrema inedia. Ad quem ſcopum reſpiciens Galenus in commento præſenti, dicit, ea, quæ in hoc aphoriſmo habentur, dicta eſſe ob ſequentem; & propterea ſubiungere Hippocratem ſequentem aphoriſmum. Scopus aphoriſmi.

Quare ſcopus nunc Hippocratis eſt, axioma tradere, cuius beneficio poſſit poſtea ſubiungere theoremata de tenuiſſimo victu.

Hic aphoriſmus, quamuis diuidatur a nonnullis in ſubiectum, & prædicatum; quod tamen nos non reprobamus: tamen videtur nobis, quod non admittat diuiſionem notatu dignam. Eſt enim ſententia, Diuiſio.
G quæ talis eſt ex propria natura, & ſine ratione prolata, & primi ordinis: vbi namque proponitur, quod extremis morbis conueniant extrema remedia; ſtatim quilibet colligere poterit rationem, quod, cum contraria contrariis curentur, ideo extremis morbis extrema ſint apta remedia. Sic etiam Hippocrates in libris de flatu dicit; quod famem tollat cibus, & ſitim potus, & repletionem euacuatio; & in ſumma vnum contrarium alterum expellat. Magnus ſeu extremus morbus quid.

Sed accedamus ad expoſitionem. Dicit, *Extremis morbis ſunt opportuna extrema remedia*: Sed apho-

risinum intelligere non est possibile, nisi terminos præcognouerimus. Et propterea videndũ est, an mul- A
ti sint extremi morbi; &, an de omnibus, an de aliquibus intelligat Hipp. Quia vero impossibile est alicu-
ius rei indagationem facere, nisi quid illud sit, cognoscatur; (vt processit Galenus in libris de diff. morbo-
rum; vbi methodo diuisiua omnes morbi differentias inuestigare volens, prius diuidendum genus defi-
nire voluit.) Propterea videamus quid sit morbus extremus: idque eo libentius facimus, quoniam quoti-
die apud practicantes videmus sermonem haberi de morbo magno, & extremo: quod non est declarandũ
a practicis, sed a theoricis. Morbus itaque magnus seu extremus, ex sententia Galeni quarto method. 6. 7.
method. 12. 8. method. cap. vlt. 11. meth. cap. 3. & 3. de tuenda valetud. capite 9. (quas auctoritates ideo addu-
xi, vt non modo confirmem hanc veritatem, sed vt eas videatis, quoniam inter se pugnare videntur circa
naturam morbi extremi.) nihil aliud est, quam affectus præter naturam, qui extreme aduersus naturam B
pugnat.

Differentiæ extremi morbi.

Cum ergo pugnet aduersus naturam extreme, facile est ex hac definitione colligere differentias
morbi extremi. Nam possumus in hac pugna morbi extremi considerare vel Vim pugnæ, vel Euentum,
qui consequitur ex vi pugnæ. Penes vim, quatenus scilicet valide agit morbus in naturam, vel est vehe-
mens Simpliciter, vel est vehemens & extremus Secundum quid. Extremus simpliciter vel est talis ratio-
ne Actiuitatis, vel est talis ratione Resistentiæ. Si ratione actiuitatis est vehemens; tunc vel est talis, vt dicit
Galenus, ratione Dignitatis, vel ratione Propriæ essentiæ morbi. Si ratione dignitatis, est morbus extre-
mus propositus a Galeno, exempli gratia, vteri præfocatio, non ex sanguine menstruo, sed ex semine; quia
fit ex digniori materia: vnde dicit tertio de tuen. valet. 9. morbum esse vehementem ratione materiæ di-
gnioris peccantis: neque hoc sine ratione dicit Galenus: quoniam (vt etiam dicebat primo de loc. affect.
in cap. vltimis.) vbi fiunt morbi ex semine, sunt magis vehementes, quam ex sanguine menstruo; quia C
quemadmodum semen, cum erat integrum, erat magis amicum naturæ, sic cum corrumpitur, ei fit magis
inimicum: quod etiam apparet in febri pestilenti, quatenus ex sanguine, qui est nobilior materia, pen-
det. Ratione autem propriæ essentiæ, id est, ratione multi lapsus, est vehemens, verbi gratia, febris ardens,
in qua est maximus lapsus; imo, si liceret graduare febres, esset veluti calida in quarto. Et aduertatis, quod
hi morbi necessario habent symptomata vehementia concomitantia, ita tamen, vt vires non prosternan-
tur: quia, si prosternuntur vires, non comitantur symptomata vehemẽtia, sed maligna; vbi vero vires non
ita prosternuntur, concomitantur vehementia symptomata. Proinde cum dicimus, morbum esse extre-
mum ratione symptomatum; id non est aliquid aliud superadditum: sed sufficit dicere, morbum esse ex-
tremum vel ratione dignitatis, vel ratione propriæ essentiæ: quia morbus vehemens ex propria essentia
habet vehementia symptomata: idque confirmat Hippocrates sequenti aphorismo, vbi dicit; vbi morbus D
extremus fuerit, extremos habet labores. Igitur dicere, morbum esse vehementem ratione symptoma-
tum, non est aliquid diuersi addere. Est præterea morbus vehemens ratione resistentiæ, quoties morbus
valide resistit auxiliis: vt cancer in parte ignobili: quoniam non ratione dignitatis in hoc casu, sed resisten-
tiæ, est morbus vehemens: sic elephantiasis, quæ etiam morbus est pertinacissimus. Sed aduertatis, quod
quartana non sit morbus extremus, licet exsistat quam maxime diuturna, & pertinaciter resistat medicis
auxiliis. Possemus dicere, febrem quartanam non esse talem ex toto genere, nam aliquas quartanas cito
desinere: sed non est bona resolutio. Et propterea dicimus, quod morbus vehemens ratione resistentiæ
opus habeat, vt dependeat suapte natura a materia resistente, quæ sit coniuncta, non antecedens: in febre
autem quartana materia coniuncta sunt vapores putridi, qui non ita resistunt; sed resistentia tantum est E
ratione materiæ antecedentis: ideoque non potest inter extremos morbos connumerari.

Est postea morbus vehemens secundum quid: & hic vel est talis ratione Virium Vniuersi corporis,
vel ratione Partis determinatæ. Ratione virium morbus dicitur extremus, in quo vires superãtur a mor-
bo: & ideo licet morbus suapte natura vehemens non sit; quia tamen superat vires, vehemens dicitur: vn-
de morbi corripientes senes, licet exigui sint, vehementes tamen dicuntur, ratione virium infirmarum.
Et vt plurimum hos morbos comitantur pauca, sed praua symptomata: vbi namque vires sunt debiles,
non possunt valide pugnare contra morbum; & ideo non possunt esse vehementia symptomata: in statu
enim vehementissima sunt symptomata; non alia de caussa, nisi quia vehemẽtissima pugna est inter mor-
bum & naturam. Cum autem in his morbis, ratione virium debilium, quæ a morbo superantur, sympto-
mata sint debilia, hi morbi parui interdum appellantur, etiam si vehementissimi sint; vt, febres pestilentes
a Galeno interdum morbi parui vocantur, licet sint vehementissimi ratione dignitatis, ac etiam ratione F
magni lapsus, & insuper quia superatur virtus a materia: dicuntur tamen parui, quia cum vires succum-
bant, symptomata non sunt magna, sed tamen maligna. Est postea morbus magnus secundum quid, ra-
tione partis; & vel ratione partis Principalis, vel ratione partis Famulantis principali, vel Consentientis
cum principali. Ratione principalis partis, veluti vulnus licet exiguum, aut morbus alius licet paruus ca-
pitis, vel cordis, vel hepatis, magnus dicitur secundum quid. Et hic aduertatis, quod Galenus interdum
dicat febrem, qua febris, esse morbum vehementem ratione loci affecti, id est, cordis: sed non est simpli-
citer morbus magnus febris, sed secundum quid, ratione loci affecti. Sed dicet quispiam: si febris, inquan-
tum febris, est morbus vehemens: ergo ex propria essentia, ergo simpliciter? Galenus sic est intelligendus,
quod febris, inquantum febris, sit morbus vehemens, ratione partis: quia cognouit Galenus febrem ad
sui essentiam necessario requirere cor: & sic febris, inquantum febris, est morbus vehemens, id est, in- G
quantum in sui essentia continet cor; quare est morbus vehemens secundum quid, id est, ratione cordis,
quod est subiectum principale febris. Morbus vero vehemens secundum quid ratione partis non præ-
stantis, seu non principalis, vel erit ratione partis Famulantis principali, vel Consentientis cum principa-
li: vt vulnus ventriculi, qui famulatur iecinori, vel cordi, &c. Et tales morbos consequuntur vehementia
sympto-

A ſymptomata:vnde in vulnere ventriculi dolores ingentes,conuulſioneſque fiunt,&c. Hi ſunt morbi vehementes ſecundum quid.

Si vero alia ex parte conſiderabimus morbos vehementes penes euentum;euentus hic poteſt conſiderari duobus modis,vel quatenus eſt euentus anceps,vel quatenus Certus. Si conſiderabimus euentum incertum vehementem.hic habet locum in morbo periculoſo,vt acuto,& peracuto.Euentus vero certus extremus,non poteſt eſſe euentus ad bonum; quia non eſſet extremus morbus: eſt ergo euentus ad malum. Et hic euentus vel Imminet, vel Non imminet. Si imminet,neceſſario hic morbus terminatur morte;vt angina lethalis: & hunc morbum neceſſario comitantur vehementia ſymptomata, & perniciosiſſima.Si vero euentus non imminet, eſt morbus inſolubilis.Et hic morbus inſolubilis vel eſt ſecundum Totum inſolubilis, vel ſecundum Partem. Inſolubilis ſecundum partem eſt hectica febris, quæ ad tertium
B vſque gradum proceſſit, & terminatur ad hecticam ſenectutis: & ideo deſinit hectica, ſed degenerat in hecticam ſenectutis. Secundum vero totum inſolubilis,eſt morb. epilepticus poſt vigeſimumquinctum annum;item lapis renalis,vel podagra,& maxime confirmata, & a principio generationis acquiſita:hi affectus,inquam, ſunt inſolubiles,& comitantur hominem vſque ad mortem.

De quibus extremi morbi ſpeciebus heic agat Hippocrates.

Cum itaque morbus vehemens tot modis conſiderari poſſit:de quo ergo Hippocrates in hoc aphoriſmo intelligit? Dicendum, quod Hippocrates potuerit intelligere morbum vehementem ſimpliciter, tum ratione actiuitatis, tum reſiſtentiæ; & ſecundum quid, tum ratione totius,tum ratione partis.Quo autem ad morbum ratione euentus, ſi conſideremus morbum vehementem ratione euentus incerti; tunc iſtum potuit intelligere Hippocrates. At ratione euentus certi, tunc vel imminet mors, vel non imminet: ſi imminet, non poteſt intelligere hunc Hippocrates: quia cum mors imminet,ſolis progno-
C ſticis ſunt relinquendi ægri, & non egemus validis auxiliis. Si non imminet, vel eſt inſolubilis ſecundum totum, vel ſecundum partem: ſi ſecundum partem, de his poteſt intelligere Hippocrates: nam in morbis inſolubilis ſecundum partem deuenimus ad maxima auxilia, vt in tertio gradu hecticæ vtimur maximo auxilio, nempe aqua frigida; quia melius eſt ægrum ad hecticam ſenectutis ducere, quam ad mortem. Si vero eſt morbus inſolubilis ſecundum totum; nec de hoc intelligit Hippocrates, quia hic morbus non admodum valido auxilio eget, ſed ſat eſt vti leui auxilio, vt quantum fieri poteſt,ægrum in vita detineamus.

Sed licet de his omnibus intelligere poſſit Hippocrates,tamen potiſſimum intelligit de morbo peracuto periculoſiſſimo,& de morbo extremo non ſecundum quid, ſed potius ex ſui natura: quia etiam in commento Galenus dicit,quod propter hunc aphoriſmum ſubiungatur ſequens,qui de morbo peracuto
D loquitur,quare hunc principaliter per morbum extremum intelligit,qui extremo indiget auxilio.

Extrema remedia quæ.

Sequitur nuuc,vt declaremus,quid Hippocrates velit per extrema remedia.Itaque ſciendum extremum remedium bifariam dici, vel Abſolute, vel Secundum quid: nam vt morbus vel erat abſolute magnus,vel ſecundum quid;ſic & remedium.Abſolute extremum remedium,Galeno teſte, ſecundo aphor. vigeſimonono, in Cheirurgia, & Pharmacia conſiſtit. Per Cheirurgiam intelligo non modo ſectionem venæ,ſed amputationem membri,perforationem abdominis, vel thoracis,vt in empyemate. Extremum in pharmacia eſt,vel Alteratio,vel Euacuatio. Alteratio vel ad calidum,vel ad frigidum:ad calidum extremum eſt remedium,verbi gratia,mithridatica confectio, theriaca, & in ſumma, quæ ex viperis parantur: ad frigidum,ſunt opiata medicamenta.Extremum in vacuatione eſt,exempli cauſſa,ſcammonium,vel elaterium. Vacuatio & alteratio ſimul extrema eſt,vt aquæ frigidæ copioſus potus:neque enim licet ad ex-
E hibitionem frigidæ deuenire,niſi morbus magnus fuerit. Auxilium extremum ſecundum quid eſt,vt victus tenuiſſimus,& præcipue tenuiſſimus in extremo.

Cum igitur tot modis ſumatur auxilium extremum, de quo hic intelligit Hippocrates? Reſpondendum eſt, ſicuti ſermo fuit non de vno morbo extremo, ſed omnibus, ſic auxilium extremum quodcunque eſſe intelligendum, non vnum tantum: vtque præcipue Hippocrates per morbum extremum voluit intelligere peracutum;ſic auxilium extremum dicendo, hoc præcipue referre voluiſſe ad victum tenuiſſimum. Et hæc expoſitio Philothei eſt,imo Galeni,& eſt optima.

Explicatio aphoriſmi, per partes.

Quibus conſtitutis facilis modo eſt expoſitio aphoriſmi. Dicit, *Extremis morbis conueniunt extrema remedia:* aliqui textus legunt *extrema conueniunt curationes:* ſed quomodocunque legamus,idem eſt ſenſus. Quia ſi legamus, *extrema remedia*, intelligimus pharmaciam, cheirurgiam, ſed potiſſimum diæ-
F tam: Si, *extremas curationes*, ſubintelligimus quatenus fiunt triplici inſtrumento, præcipue diæta: vnde idem eſt ſenſus. Quod ſi quis vult ſcire meliorem lectionem, dico eſſe meliorem, vt legamus, *extrema remedia*: & ratio eſt, quoniam morbus extremus non indicat extremam curationem: quia hæc indicatio non ſumitur a morbo,in quantum vehemens,ſed ab aliquo alio,verum de ratione morbi vehementis eſt, vt indicet Quo agendum videlicet, eſſe abſoluendam curationem valido auxilio. Sed parum hæc referunt. Dicit porro, *extrema remedia exquiſite:* vt per hanc particulam, *exquiſite*, inſinuaret vltimum terminum extremi remedii, quod indicat vehementia morbi. Tandem dicit, *optima ſunt*, quia,cum contraria contrariis curentur, morbus magnus magnum requirit auxilium. Propterea Plato in Alcibiade dicit,omnes morbos in quodam communi conuenire, tamen quemlibet morbum diſcrepantem requi-
G rere curationem, quia quilibet morbus propriam, & determinatam habeat naturam. Et ob id morbus magnus magnum, paruus paruum requirit auxilium. Sed recte intelligatis in quo conſiſtat hoc auxilium: quia ſat eſt, vt extremum auxilium ſit æquale extremo morbo;& non debet excedere, namque (vt alias probabimns) actio non modo prouenit a maiori,ſed & ab æquali, & cauſſa eſt,quoniam noſtrum propoſitum non eſt, vt morbus contrarius in contrarium morbum degeneret, ſed vt reducatur ad temperiem. Exempli cauſſa,ſi aliquod corpus eſt inſiguiter repletum,requirit inſignẽ euacuationem;ſed non tantã,vt

corpus repletum fiat insigniter inanitum; quia æquè vitiosum esset. Pariter, si sit morbus frigidus in tertio, debemus admouere medicamentum calidum in tertio; non vt frigefaciamus in tertio, sed vt introducamus mediocritatem: nam nolumus ex vno morbo alium morbum facere.

Extrema adhibenda, aliquando initio, aliquando post.

Sed cum morbus extremus extrema requirat auxilia, aduertenda est differentia, nam alius requirit extrema auxilia primum: sed postmodum debiliora: aliqui vero morbi extremi requirunt extrema remedia, sed debiliora tamen prius. Et hoc documentum propositum fuit a Galeno octauo methodi; vbi aliqua ex parte interpretatur hunc aphorismum. Et propterea etiam Auicennas capite de hydrope dicit, post leuiora auxilia deueniendum ad perforationem abdominis. Contra vero (inquiunt) si morbus acutus fuerit, quamprimum est deueniendum ad extrema remedia, circa victum, pharmaciam, & phlebotomiam; dummodo quid non obstet.

APHORISMVS VII.

Vbi igitur morbus peracutus est, extremos statim habet labores, & victu extreme tenuissimo vtendum est. Vbi vero non, sed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quantum morbus extremis est mollior.

Scopus.

VBi igitur morbus peracutus est. Cum ea, quæ superius diximus, proposuerit Hippocrates, immediate in virtute illius axiomatis, vt absolueret sermonem de victu minuente, voluit verba facere de victu tenuissimo. Et quemadmodum quarto aphorismo de tenui victu dogmatice loqui voluit, in virtute indicantium & coindicantium; sic modo dogmatice proponere voluit victum tenuissimum, in virtute suorum indicantium, & non indicantium: indicantia enim sunt morbi peracuti, qui indicant victum tenuissimum; non indicantia sunt morbi acuti qui non indicant victum tenuissimum. Nam aliquis credere posset, si victus tenuissimus indicetur a morbo peracuto, quod etiam indicetur ab acuto, & præcipue vbi vehementia symptomata sunt coniuncta: sed quoniam hoc non fit in praxi, verum victus tenuissimus conuenit peracutis, non autem tribuitur acutis; ob id Hippocrates proponit morbos peracutos indicantes, acutos non indicantes.

Differentia 4 & 7. aphorismorum.

Differentia autem est inter hunc aphorismum & quartum, quia ibi proposuit victum tenuem simpliciter, & exquisite tenuem, non modo in virtute indicantium, & coindicantium; sed coindicantium, & contraindicantium; de quibus quidem in præsenti aphorismo ne verbum quidem facit. Ratio autem est: quoniam summa arte, ac breuitate vsus Hippocrates, sat habuit, vt victum tenuissimum, in virtute coindicantium & contraindicantium, sumeret non a toto morbo, sed a vigore morbi; quod facit nono aphorismo.

In hoc ergo aphorismo scopus Hippocratis est proponere victum tenuissimum in virtute peracutorum morborum indicantium, & acutorum non indicantium.

Est autem sententia ex superlatione, & sine ratione prolata, non quod sit sine ratione, sed quod non habeat prolatam rationem, & est potius secundi, quam primi ordinis: quia non ita facile innotescit caussa.

Diuisio.

Diuiditur in duas partes. In prima proponit victum tenuissimum, in virtute morborum peracutorum indicantium: In secunda, in virtute acutorum non indicantium; quæ incipit ibi, *Vbi vero non, &c.*

Primæ partis sensus.

Inquit ergo: *Vbi morbus peracutus est, extremos statim habet labores, & victu extreme tenuissimo vtendum est.* Sensus hunc in modum per viam syllogismi elicitur. Extremis morbis extrema conueniunt remedia: sed morbus peracutus est extremus morbus: ergo morbo peracuto conueniunt extrema auxilia, seu remedia. Maior propositio est in præcedenti aphorismo: & ideo dicit Galenus, quod hunc aphorismum subiungat Hippocrates præcedenti. Minor potest elici ex Hippocrate, quod scilicet peracutus morbus sit extremus, hunc in modum: Ille morbus, qui extremos habet labores, est morbus extremus, ac morbus peracutus habet extremos labores: igitur morbus peracutus est morbus extremus. Et maior, ac minor clara admodum est. Ex his ergo habetur, quod morbus peracutus sit extremus, & quod extrema requirat auxilia. Sed dicet quis: morbus peracutus non indifferenter quodlibet extremum auxilium requirit; sed quoddam determinatum: at dicit Hippocrates, victu tenuissimo esse vtendum, & non addit aliud quodpiam remedium? Ob id vellem scire, cur tenuissimo victu sit in peracuto vtendum morbo? Rationem non proponit Hippocrates, sed bene interpres optimus Galenus, quæ est talis: Ille morbus extremus requirit victum tenuissimum, qui est statim consistens: talis est morbus peracutus: ergo morbus peracutus requirit tenuissimum victum. Minor est satis clara: quia morbus exacte peracutus non transit quartum: non exacte peracutus non protrahitur vltra septimum: & ideo omnis morbus peracutus est statim consistens. Maior vero, quod morbus statim consistens requirat victum tenuissimum, probatur a Galeno ratione, & auctoritate. Auctoritate quidem Hippocratis, quarto de ratione victus præsertim 9. & 47. 2. & 3. eiusdem vltimo, & alibi: ex quibus locis facile colligitur, quod morbus statim consistens requirat tenuissimum victum. Ratione autem: quoniam, quo magis morbus est cito consistens, seu deueniens ad statum, eo magis natura contra morbum agere debet, & quo magis agere debet, eo minus est distrahenda a pugna contra morbum per cibum, & propterea morbus cito consistens victum tenuissimum requirit.

Explicatio primæ partis.

Sed ponderemus verba. Dicit Hippocrates: *Vbi est morbus peracutus statim extremos habet labores.* Per labores intelligit symptomata extrema, ac vehementia. Dicit, *statim:* quia nisi morbus statim symptomata habeat, non erit peracutus; sed ille peracutus est, qui statim habet symptomata. Sequitur: *& victu tenuissimo est vtendum.* Per victum tenuissimum, vel intelligit non in extremo, vt mulsam, & cremorem ptisanæ in pauca quantitate, vel in extremo, vt nihil dare, vel solam aquam.

Sed

A Sed aduertatis Modernum cum Montano esse in maximo errore: nam tantum sibi arrogarunt, vt ausi fuerint aliter constituere normam ac ordinem diætæ, quam constituit Hippocrates, ac postea confirmauit Galenus. Nam Hippocrates & Galenus per victum tenuissimum in extremo integram inediam constituunt; isti vero non admittunt, sed volunt in tenuissimo in extremo aliquid dare, & sic postea gradatim & gradatim augent victum. Non autem est dicendum, quod ratione consuetudinis sit mutanda ratio victus ab antiquis instituta: nam non est dubium, quod tempore Galeni homines magis fuerint gulæ dediti, quam tempore Hippocratis, & ideo tempore Hippocratis ob normam in victu eunuchi non laborabant podagra; Galeni autem tempore laborabant, & tamen Galenus non fuit ita audax, vt hanc diætam peruerteret. Additur etiam, quod interdum his temporibus liceat vti tenuissimo victu in extremo, qui est, nihil dare, nam Brasauolas expertissimus (vt potestis videre) dicit, se multos morbos integra ine-B dia curasse, vt anginas quasdam, & quosdam alios morbos, qui quarto terminantur. Hæc autem est differentia, quod Hippocratis tempore frequentius licebat vti hac integra inedia; tempore Galeni rarius, & nunc etiam rarius, ob id tamen illam normam non debemus variare. Et præcipue, quia Galenus & Hippocrates non modo indicantia considerarunt, sed vires coindicantes, & contraindicantes. Et ideo tertio de ratione vict. comment. vltimo, tenuissimam diætam concedendam esse dicebat, vbi vires perferre possunt. Præterea secundo de dieb. decret. vndecimo dicit, si quis adolescens correptus fuerit morbo peracuto, qui quarto terminetur, temperamenti carnosi, optimi habitus, ac non ita resolubilis, quique possit famem tolerare cum facilitate, tunc ei iniungendam integram inediam, sed si non ita toleret, (inquit) licet morbus eam indicet, quoniam tamen vires contraindicant, omnimodam inediam non imperandam. C Quare si hæc omnia considerassent, non fuissent ita audaces, vt mutassent dogmata antiquorum.

Error Mōtani negantis nostro æuo vsum inediæ, in peracutis.

Et ob id etiam Hippocrates proponit non indicantia victum tenuissimum, dicens: *Vbi vero non, sed pleniorem victum contingit adhibere; tantum cibi indulgendum est, quanto morbus extremis est mollior.* Quæ verba sunt facillima: nam (vt optime interpretatur Galenus) quoties morbus non est ita peracutus, licet vti victu pleniori, id est, minus tenui. Et per hunc morbum intelligit acutum exquisite, qui decimoquarto terminatur, vel non exquisite, qui vigesimo. In his enim debemus vti minus tenui victu.

Altera pars aphorismi.

Et propterea concludens Hippocrates, dicit: cum morbus est peracutus, est vtendum tenuissimo, vel extreme tenuissimo victu: quanto vero magis morbus cadit ab illa vehementia peracuti, tanto etiam magis est recedendum ab illo tenuissimo victu: nam si aliqualiter morbus recedat, vt si morbus acutus exquisite, victu tenui exquisite vtendum, si magis recedat, vt sit acutus non exacte, victu tenui simpliciter vtendum, si vero magis recedat, vt si morbi sint acuti ex decidentia, & chronici, non est tenui, sed potius D mediocri victu vtendum, &c.

Tenuis diætá ad morbi vehementiam analogiam habet.

APHORISMVS VIII.

Quando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo vtendum est.

CVM Hippocrates in superioribus aphorismis locutus fuerit de victu ægrotantium, sumta indicatione a toto morbo, siue hic morbus esset acutus, siue peracutus: reliquum erat, vt ageret de victu ægrotantium, sumta indicatione non a toto morbo, sed a parte morbi. Cum autem pars morbi sit in duplici differentia: vniuersalis altera, reliqua particularis, vt accessio: prius agere voluit Hippocrates de victu ægrorum, sumta indicatione à parte vniuersali morbi, nam vndecimo postea aget de eodem victu, indicatione sumta ab accessione morbi. Quare scopus Hippocratis est, sermonem habere de victu ægrorum, E sumta indicatione a vigore morbi. Quem scopum cum Galenus vidisset, dicit in commento, in hac artis parte sermonem habere Hippocratem de victu, sumta indicatione a vigore morbi. Et recte dicit, in hac artis parte, quia pars quæ agit de ratione victus, quædam agit de ratione diætandi, sumta indicatione a vigore, quædam de ratione diætæ, sumta indicatione ab accessione. Aduertendum autem, quod a vigore sumatur indicatio non cibandi, sed potius minuendi vires: quia cibus, inquantum cibus, non nisi a viribus indicatur: & ideo hic est sermo de diæta minuente vires, quæ a vigore capitur, non inquantum tempus, (nam a tempore, quatenus tempus, nulla sumitur indicatio.) sed a vigore sumitur indicatio, quatenus in hoc tempore summa est pugna inter naturam & morbum. Ergo scopus est de victu, minuente vires, indicatione a morbi vigore sumta.

Connexus cum superioribus, & scopus.

F Aphorismus non diuiditur in partes aliquas notatu dignas: nam est sententia sine ratione prolata, & ex propria natura, & est secundi potius, quam primi ordinis, quia parum consideranti eius ratio apparet.

Diuisio.

Dicit, *Quando morbus*. Huius aphorismi sensus satis euidenter a Galeno proponitur. Dicit enim antiquum magistrum, id est, Hippocratem in hoc aphorismo præcipere, vt in morbi vigore victu tenuissimo vtamur, tum propter vehementiam casuum, id est, propter symptomata vehementia consequentia essentiam morbi, tū etiam propter morbi coctionem. Et fundamentum huius proponitur à Galeno: quia vbi instat vigor, ac vehementia symptomata, tunc insignis est pugna naturæ aduersus morbum: & propterea non est exhibendus cibus, ne cibi dulcedine allecta natura, addicta sit ei, & relinquat morbum.

Sensus.

Sed ponderemus verba: *Quandó morbus.* Galenus ponderat, quid per morbum debeamus intelligere: & dicit, quod non debeamus eos intelligere morbos, qui ad declinationem non deueniunt, sed exsistunt vel in principio, vel in augmento, vel etiam in statu: quia hi sunt morbi lethales, in qui-G bus sat est ars præsagiendi, nec in his debemus venire ad valida auxilia, siue medicamenta, siue rationem victus, ne postea malus morbi euentus adscribatur errori medicorum, ideo Galenus secundo aphorismorum vigesimonono dicebat, deploratos solis prognosticis esse relinquendos, nec debemus ratione horum morborum lethalium tenuissimo victu vti, vel aliquo valenti remedio, sed sat est in leuioribus consistere, vt Hippocrates in epidem, cum accedebat ad Philiscum, quamuis affectus lethalis esset,

Explicatio verborum.

non tamen abſtinebat a leuioribus; ſed cum prædictione. & hoc præſertim fit in his morbis lethalibus, in quibus imminet mors. Cum ergo dicit Hippocrates, *Quando morbus in vigore, &c.* intelligit non modo peracutum & acutum morbum, ſed acutum ex decidentia, & chronicum etiam, dummodo non ſint lethales, nam tantum lethales morbos excludit.

Addit poſtea *In ſuo vigore.* Quid per vigorem ſit intelligendum, non eſt, vt multa dicamus. Nam, hoc eſt opus pertinens ad eos, qui de febrib. diſſerunt, & præcipue ad eos, qui legunt caput Auicennæ, de horis febrium. Solum dicam breuiter id, quod ex Galeno colligitur paſſim in lib. de criſibus, & præcipue in libro de morbi temporibus. Hoc autem eſt, quod cum tempus ſit numerus motus ſecundum prius & poſterius, propterea tempus, quantum ad propoſitum noſtrum ſpectat, nihil aliud eſt, quam numerus motus in morbo ſecundum prius & poſterius. Quod cum ita ſit, hinc tempus diuiſionem in morbo ſumit; quatenus quidam conſideratur tempus & motus in morbo vel penes Vniuerſum morbum, vel potius penes Partem morbi. Si primo modo, eſt tempus vniuerſale: ſi ſecundo, particulare. Sed de tempore particulari aphoriſmo vndecimo dicemus. Tempus vniuerſale ſubdiuiditur, prout motus vario modo ſe habet in morbo: nam morbus ita ſe habet, quod primum incipit, augetur poſtea, dehinc conſiſtit, & tandem declinat, & hinc quatuor oriuntur tempora morbi vniuerſalia; principium, augmentum, ſtatus, & declinatio. Principium quidem eſt, quando natura adhuc morbum non aggreditur. Augmentum vbi natura aggreditur, & pugnat aduerſus morbum, & quanto magis agit in morbum, tanto magis augmentum properat ad ſtatum. Status autem eſt, vbi eſt ſumma pugna inter morbum & naturam. Declinatio, vbi morbus a natura vincitur. Cum quatuor ergo ſint morbi tempora, Hippocrates, aliis poſthabitis, vigorem tantum proponit: nec abſque ratione: quia inter morbi tempora nullum tempus eſt, in quo maior ſit pugna inter morbum & naturam, quam in vigore. Et ob id dicit: *Quando morbus in vigore.* Aliqui textus habent, *quando morbus in ſuo vigore.* Alii non habent particulam *in ſuo.* Quod ſi apponitur, non fit ſine maximo artificio, nam vigor, qui requiritur in morbis, vel eſt talis ratione eſſentiæ morbi, ſiue immaterialis morbus ſit, ſiue materialis, vt cum materiam non antecedentem; ſed coniunctam, & continentem habet, vel poteſt eſſe vigor in morbis ratione materiæ antecedentis, ſed quia magis poteſt vigor ratione materiæ coniunctæ, & propriæ eſſentiæ in morbis; ob id ad hunc vigorem reſpiciens Hippocrates, dicit *quando morbus in ſuo vigore.* Quamuis non excludat vigorem ex materia antecedente. Potiſſimum tamen refertur ad vigorem ex parte materiæ coniunctæ, & propriæ eſſentiæ.

Poſtea addit, *conſtiterit.* Quæ particula non eſt ſine arte propoſita. Conſiderauit enim in vigore eſſe latitudinem, & proinde vigorem habere partem priorem, poſteriorem, & mediam. In parte priori nectitur augmento; in poſteriori adhæret declinationi; media vero eſt, quæ exſiſtit inter vtramque partem. Et ob id Hipp. vigorem proponit; ſed potiſſimum mediã eius partem: quia vere ſtatus eſt in media ipſius parte. Sed cur mediam propoſuit partem? Dico, non ſine maximo artificio, quia (vt ante diximus,) non proponitur morbi tempus, quatenus tempus: (quia tempus, vt tempus, non indicat) ſed proponitur vigor, quatenus in hoc maxima eſt pugna inter naturam & morbum. Vnde, cum maxima pugna ſit in ſtatu, & præcipue in media ſtatus parte, non abſque cauſſa dicit, *conſtiterit.*

Addit deinceps; *Tunc victu tenuiſſimo vtendum.* Hic fere ab omnibus cogimur eſſe diſcordes, & diſcordia in hoc conſiſtit: quia victus tenuiſſimus bifariam conſiderari poteſt, primo, quatenus eſt tenuiſſimus abſolute, ſecundum propriam naturam victus tenuiſſimi; ſecundo modo in reſpectu. Per tenuiſſimum abſolute intelligo, vel tenuiſſimum in extremo, vt nihil dare, ſeu potum tantum: vel tenuiſſimum non tamen in extremo, vt mulſam. Per tenuiſſimum in reſpectu intelligimus victum, in reſpectu ad victum qui exhibetur in aliis temporibus morbi. Senſus ergo eſt Hippocratis, quod in vigore morbi victum non tenuiſſimo in extremo, ſed tenuiſſimo in reſpectu ad victum quo vtimur in aliis temporibus, ſit vtendum.

Cum autem his duobus modis victus tenuiſſimus ſumatur, quomodo intelligit Hippocrates? Omnes fere expoſitores per victum tenuiſſimum intelligunt victum tenuiſſimum abſolute. Nos contra intelligimus victum tenuiſſimum in reſpectu: atque id ita intelligendum eſſe demonſtro. Primum, quoniam hæc ſententia aphoriſtica de more ſententiarum, eſt quam maxime vniuerſalis, & propterea locum habere debet non modo in acuto, ſed in peracuto, ac chronico. Præterea Galenus, a veritate non recedens, per morbum intelligit omnes morbos, (exceptis ſolum lethalibus; ideo debemus intelligere hãc ſententiam vniuerſalem in omnibus morbis, (exceptis lethalibus) quibus tenuiſſimus abſolute victus omnibus conuenire non poteſt, chronicis enim victus hic non congruit. Et propterea non debemus intelligere victum tenuiſſimum abſolute, ſed in reſpectu ad alia morbi tempora.

Victus tenuiſſimus quomodo indicetur a ſtatu chronici.

Sed dicet quis, ego vellem duo ſcire, primo quomodo victus tenuiſſimus in reſpectu indicetur a vigore chronici: ſecundo, quoties hic victus indicatur a chronico morbo, non eſſe victum tenuiſſimum in extremo. Declaro vtrumque. Et primo, victum tenuiſſimum indicari a morbo chronico, probatur ex Galeno, primo ad Glauconem 8. vbi euidenter aſſerit, quod in diuturnioribus morbis operæpretium ſit reſeruare victum tenuiſſimum ad ſtatum; & inquit, victum tenuiſſimum in reſpectu ad alia tempora. Et proinde ſibi maxime conſtans, in eodem libro capite de cura quartanæ, dicit, in ſtatu tenuiori diæta vtendum eſſe, quam ante & poſt ſtatum, in quartana, inquam, quæ eſt morbus diuturnus, & clarum eſt, quod non intelligit victum tenuiſſimum abſolute, ſed in reſpectu. Poteſt etiam idem probari per eundem primo de criſibus capite decimo, vbi inquit, in acutis raro acceſſiones in ſtatu ad tres extendi; at in diuturnis non modo ſtatus ad tres acceſſiones extendi, ſed ad multo plures quandoque: cum ergo hoc ita ſit, non poſſumus victu abſolute tenuiſſimo vti in ſtatu: nam cum ſtatus adeo longus ſit, ſi vellemus hoc victu vti, ægrum interficeremus. Sed tamen vtimur victu tenuiſſimo in reſpectu ad alia tempora: nam ſi in aliis

tempo-

A temporibus mediocri victu vsi fuerimus in chronico morbo; in tempore ſtatus poterimus vti victu ſimpliciter tenui, vel exquiſite, prout maior vel minor erit ſtatus; vel vt vires erunt coindicantes, vel contraindicantes, vel indicantes.

Manifeſtus ergo eſt aphoriſmus; quod, quando morbus vel acutus, vel peracutus, vel chronicus, in ſuo vigore conſtiterit, tunc victu tenuiſſimo vti oporteat.

Verum difficultas heic occurrit in dictis Galeni, quæ inuicem pugnare videntur: nam dicit, tunc eſſe vigorem, cum natura fortiter & valide agit aduerſus morbum, ac vigorem nihil aliud eſſe, quam ſummitatem ac vehementiam ſymptomatum. Et idem etiam replicauit primo de diebus decretoriis, capite vltimo. Sed tertio de ratione victus commento vltimo, expreſſe aſſerit, morbum interdum eſſe mitem, & ſymptomata vehementia. Vnde difficultas inſurgit, qua ratione morbus poſſit eſſe mitis cum ſympto-
B matibus vehementibus.

Quomodo morbus in ſtatu mitis dicatur, cū ſymptomatibus tamē vehementibus.

Multi multa dicunt. Nos ſolum vnam proponemus opinionem, & non alia de cauſſa, niſi vt rei difficultas magis appareat. Modernus, magna ex parte a Montano capiens, dicit, quod morbus bifariam conſiderari poſſit, vel vt Salubris, vel vt Inſalubris. Si quatenus ſalubris, tunc morbus circa ſtatum eſt mitis, quia eſt prope ſalutem, & declinationem: ſymptomata autem ſunt vehementia, quia ſumus in ſtatu, & ita eſt intelligendus Galenus tertio de ratione vict. vbi ait, morbum eſſe mitem, ſymptomata vehementia. Si vero conſideremus morbum lethalem, ac in ſtatu exſiſtentem; tunc ſymptomata ſunt debilia: nam cum prope mortem ſimus, natura ſuccumbit, ac vincitur, & ideo non poteſt ſymptomata niſi debilia facere: morbus autem non eſt mitis, ſed ſæuus ac malignus: nam licet ſymptomata ſint debilia, ſunt ta-
C men praua, ac admodum maligna.

Sed reſolutio hæc nulla ex parte eſt ad propoſitum. Et vtinam ita eſſet facile inuenire veritatem, vt eſt facile ſolutionis huius falſitatem dignoſcere. Nam, ceteris poſthabitis, non eſt dubium, quoties conſideratur morbis ſalubris, vbi ad ſtatum deuenit, quod habeat ſymptomata vehementia: ſed morbus & ipſe de neceſſitate eſt vehemens; quia aliter non poſſet habere vehementia ſymptomata. Et ideo verum non eſt, quod Galenus tertio de ratione vict. per morbum mitem intelligat morbum benignum; ſicuti hi imaginantur: nam dicit, interdum morbum eſſe mitiorem, ſymptomata vehementia; interdum pari proportione ſe habere vehementiam morbi, cum vehementia ſymptomatum. Quare ibi opponit vehementiam ſymptomatum, contra vehementiam morbi: ergo eandem vehementiam opus eſt vt intelligat: ergo per mitem opus eſt, vt intelligat oppoſitum vehementi, nam aliter nulla eſſet comparatio. Vnde per mitem
D non intelligit morbum benignum; ſed idem, ac ſi dicat, interdum morbum vehementem eſſe, ſymptomata autem vehementia interdum mitem, ſeu debiliorem. Præterea in morbo lethali ſymptomata non ſunt debilia, vt hi imaginantur, ſed praua: & hæc diſtinguuntur contra benigna. Quare reſolutio hæc non eſt ad mentem Galeni, in dicto loco.

Sed quid dicendum? Pro reſolutione difficultatis vnum ſupponere oportet; quod eſt Galeni in allegato loco, & ab omnibus approbatum: tempora in morbis ſumi, vel penes coctionem & cruditatem materiæ, vel penes eſſentiam morbi, vel penes ſymptomata. Sed hic duo conſideratione egent: alterum eſt, cur tempora in morbis capiantur penes hæc tria, nec plura, nec pauciora: reliquum, vbi cognouerimus, quod ex his tribus tempora capiantur; ſcire oportet, an eodem modo, an diuerſo capiantur. Si enim hæc ſciuerimus, non hiſtorice, ſed dogmatice poterimus ad veritatem propoſitæ difficultatis deuenire.

E Quantum ad primum: dicimus, cum tempora in morbo capiantur ratione pugnæ naturæ, aduerſus rem, quæ eſt præter naturam; cumque res, quæ præter naturam eſt, ad tria tantum capita referatur, ad cauſſas, ad morbum, & ad ſymptomata: inde fit, quod tempora penes tantum tria in morbis ſumi poſſint, nimirum penes cauſſam, vel morbum, vel ſymptomata. Nam ſi conſiderabimus pugnam inter naturam & cauſſam, id eſt materiam; ratione huius oriuntur tempora a medicis dicta coctionis & cruditatis: ſi pugnam inter morbum & naturam, tunc oriuntur illa tempora, quæ dicuntur penes eſſentiam morbi, ſi vltimo conſiderabimus pugnam naturæ & ſymptomatum, oriuntur tempora, quæ penes ſymptomata dicuntur. Patet ergo cur penes tria tantum, nec plura, nec pauciora, tempora conſiderentur.

Sed quo ad ſecundum, an eodem, an diuerſo modo tempora ab his capiantur? Dicendum, quod diuerſo. Nam tempora penes coctionem & cruditatem, & penes eſſentiam morbi, ſumuntur a priori,
F penes ſymptomata vero a poſteriori. A priori quidem illa capiuntur: nam ſumitur primum tempus ratione pugnæ inter morbum & materiam, nec aliud cōſiderare oportet, ſic tempora penes eſſentiam morbi ad aliud prius non referuntur. De ſymptomatibus autem ſecus: nam hæc tempora conſideramus, quatenus vel referuntur in materiam concoquendam, vel in eſſentiam morbi. Declaro melius. Vbi eſt pugna inter naturam & materiam, vt natura incipiat coquere materiam crudam, quanto magis procedit concoquendo, tanto magis conſequuntur ſymptomata vehementia, & ideo a poſteriori ſumuntur, quia conſequuntur pugnam naturæ & materiæ. Pariter ſymptomata penes morbum ſumuntur a poſteriori, quatenus cōſequuntur pugnam inter naturam & morbum: nam quanto magis morbus in naturam agit, tanto ſunt ſymptomata magis vehementia. Et ideo tempora a morbo, & a materia, a priori ſumuntur, a ſymptomatibus, a poſteriori.

G His ita diſpoſitis, ad hoc vt intelligatis ſolutionem difficultatis primo propoſitæ, opus eſt, vt per hæc membra ſingula diſcurramus, vtque videamus, an in vnum hæc tempora concurrant. Et primo videndū eſt, an in vnum coincidant tempora penes materiam, ſecundo an concurrant tempora ratione materiæ, & ipſius morbi, tertio, an in vnum conueniant tempora morbi & ſymptomatum, conſiderando ſymptomata, & vt conſequuntur eſſentiam morbi, & vt conſequuntur materiam.

Quoad primum, conſiderantes morbum penes materiam, cum materia in morbis duplex ſit, an-

tecedens,& coniuncta;considerantes materiam hanc vtramque,dicimus,posse interdum concurrere:id A
tamen non esse ex necessitate:quia possibile est, materiam coniunctam regulari a natura, quæ tamen non
sit ad absolutam coctionem redacta: & nemo hoc negat, nec negare potest. Sed talia tempora non neces-
sario concurrunt.

Quod si consideremus tempora ratione materiæ, & morbi; vel consideramus tempora ratione ma-
teriæ antecedentis & morbi, vel materiæ coniunctæ & morbi. Quantum ad materiam antecedentem &
morbum;dico,quod tempora non concurrant in vnum necessario: nam possibile est, vt morbus, quate-
nus ad suam essentiam spectat, deueniat non modo ad statum, sed declinationem; & tamen materia non
coindicat, neque concocta sit: quod millies obseruabitis in febribus; nam videbitis in febribus sym-
ptomata leuia, quæ concomitantur essentiam febris, vt sic morbus ratione suæ essentiæ sit in declina-
tione, sed ratione materiæ antecedentis, in augmento; vt facile apparere potest ex signis cruditatis & B
coctionis. Et ad hoc Galenus respiciens, tertia de ratione vict. potuit dixisse; quod interdum vigor mor-
bi coincidat cum coctione: (& sine his distinctionibus esset impossibile hæc loca intelligere) Dicit,
quod interdum coindicat, ergo non semper. At quando non coincidit cum coctione vigor? Non alia
in occasione, nisi quando vigor penes essentiam morbi, consideratur penes concoctionem & crudita-
tem materiæ antecedentis: tunc enim vigor morbi cum coctione materiæ antecedentis non concurrit:
nam de coniuncta materia hoc est impossibile asserere. Sed possunt etiam interdum tempora penes es-
sentiam morbi & materiæ antecedentis concurrere, verum id non necessario fit. Vnde per mitiorem,
non benigniorem, sed debiliorem, debemus intelligere; vt comparatio inter essentiam morbi & mate-
riam sit bona.

Si autem considerabimus tempora penes materiam coniunctam, & essentiam morbi: tunc (cum C
materia coniuncta bifariam considerari possit, vt ex Galeno primo de crisibus vltimo patet; vel quate-
nus hæc materia tota seruatur ad faciendum vnam tantum criticam expulsionem, vel quatenus paulla-
tim ac paullatim expurgatur) si consideretur, vt ad vnam criticam expulsionem solum reseruatur; dicen-
dum est, necessario concurrere morbi tempora, & materiæ coniunctæ: quod ita facile demonstratur:
nam si fuerit pleuritis a sanguine pendens, &c. & hæc reseruetur ad vnam criticam expulsionem, nempe
ad suppurationem; in hac suppuratione, quæ est statis respectu materiæ, est etiam status respectu essen-
tiæ morbi. Quod si vis cognoscere, recurras ad symptomata necessario consequentia essentiam morbi,
nam videbis, tempore suppurationis febrem ac dolorem esse valde intensa, magnam difficultatem anhe-
litus, & tandem symptomata παθογνωμονικὰ dicta esse aucta: quare indicant etiam augeri morbi essen-
tiam. Nec hoc quispiam negare poterit, nam si ea est materia coniuncta, qua posita ponitur morbus, & D
remota remouetur: ergo cum est status ratione huius materiæ, erit etiam status ratione morbi. Et ob id
Galenus, (vt cum eo omnia dicamus,) loco citato dicit, interdum coincidere vigorem, id est, essentiam
morbi in vigore coincidere cum coctione materiæ, videlicet, cum coctione materiæ coniunctæ; & non
modo cum coctione materiæ coniunctæ, sed eius materiæ coniunctæ, quæ seruatur ad vnam criticam
expulsionem, namque de materia loquens coniuncta, immediate apponit exemplum de pleuritide, ac
morbis thoracis, iu quibus materia derepente ac vna critica expulsione soluitur. Quod si consideremus
tempora penes essentiam morbi, & comparemus ea ad tempora penes materiam coniunctam; non vt ad
vnam expulsionem criticam reseruatur, sed vt paullatim atque paullatim educitur, tunc cum Galeno co
in loco dicimus, quod hi morbi, tum ratione propriæ essentiæ, tum ratione materiæ coniunctæ, varia
habeant incrementa, ac decrementa: fiunt autem hæc mutua incrementa & decrementa non alia de E
caussa, nisi quia materia paullatim colligitur, quo tempore intenduntur symptomata; & postea expur-
gatur materia, & cũ expurgata fuerit, diminuuntur symptomata, vbi vero alia portio collecta fuerit ma-
teriæ, tunc etiam intenduntur symptomata: idque non modo ratione morbi, sed etiam materia, & ratio
euidentissima est; nam morbus se debet habere vt materia coniuncta, & e contra: nam materia coniun-
cta est, qua posita &c. Quod autem de materia, quæ paullatim expurgatur, fiat sermo, patet, quia loqui-
tur de vulnere, in quo materia pluribus vicibus paullatim ac paullatim expurgatur. Quare, si considere-
mus tempora penes essentiam morbi, & penes materiam coniunctam, quæ paullatim expurgatur; morbi
tempora & materia coincidunt, sed non vniformiter se habent tempora, verum modo intenduntur, mo-
do decrescunt; quatenus materia vel concoquitur, vel non.

Quod si considerabimus tempora penes morbi essentiam & symptomata: symptomata vel conse- F
quuntur essentiam morbi, vel essentiam materiæ. Quantum ad consequentia essentiam materiæ, siue cõ-
iuncta ea sit, vel ad vnam criticam expulsionem reseruata, vel non, siue antecedens, eo modo se habent,
quo audiuistis habere se materiam ipsam. Sed quo ad tempora penes symptomata consequentia essentiã
morbi; dicendum, quod quam maxime necessarium sit, vt eo modo se habeant, quo se habent tempora in
morbo: nam ita consequuntur morbum, vt vmbra corpus; sunt enim symptomata inseparabilia, & patho-
gnomonica. Ad hæc respiciens Gal. potuit merito in superiori com. & 1. de dieb. decr. dixisse, quod morbi
vigor nihil aliud sit, nisi summitas symptomatum: nec immerito, quia intelligit de symptomatibus essen-
tiam morbi consequentibus, nec de aliis potest intelligere, idque declaro, cum enim dicat, morbi vigorem
esse summitatem symptomatum, &c. ibi loquitur de eo vigore, cuius ratione victu tenuissimo est vtendũ; G
non alia de caussa, nisi ob vehementem pugnam, quæ est inter morbum & naturam: hęc autem conside-
rare nihil aliud est, nisi vehementia symptomata vehementem consequentia morbum aduertere: cum er-
go ibi de symptomatibus necessario morbum consequentibus loqueretur, necessario hanc protulit sen-
tentiam; quod vigor morbi nihil aliud sit, nisi symptomatum summitas & vehementia. Quare non sunt
inter se pugnantes hæ auctoritates, sed quam maxime sibi consentiunt.

APHO-

APHORISMVS IX.

Coniectare autem oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat. Et nunquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare, vel morbus antea deficiat, & hebetescat.

C*Oniectare autem oportet &c.* Proponitur explicandus aphorismus, qui quamuis facilis prima facie vi- Scopus &
deatur, in toto tamen aphoristico opere non reperitur aliquis aphorismus eo difficilior. Nos tamen connexus.
ea dicamus, quæ nobis veriora videntur. Et ob id, quantum attinet ad propositum Hippocratis in hoc a-
phorismo, & ad connexum cum superiori: sciendum, cum Hippocrates in superioribus aphorismis, ni-
mirum septimo, egerit de victu tenuissimo absolute, ratione suorũ indicantium, id est, morbi peracuti; &
B in præcedenti de victu tenuissimo in respectu, sumta indicatione a vigore morborum omnium salubri-
um: reliquum modo erat, vt pertractaret de eodem victu tenuissimo, in virtute coindicantium & con-
traindicantium: id quod præsenti aphorismo absoluit Hippoc. Et ratio huius fuit, quia fortasse potuisset
quis credere, tantam vim morbo peracuto, ac vigori morbi inesse, vt semper cogamur vti victu tenuissi-
mo: propterea monet, proponens coindicantia & contraindicantia victum tenuissimum: quemadmodũ
4. aphorismo locutus est de indicantibus & contraindicantibus victum tenuem. Quem scopum Galen.
respiciens in præsenti comm. dicit, cum egerit superius Hippo. de victu ratione morbi, modo eam propo-
nere aliam intentionem, capiendo eam a viribus quæ interdum sunt coindicantes, interdum contraindi-
cantes. Et propterea addit Gale. quod hic sermo sit pars totius artis de victu: quia ars de victu includit co-
indicantia, & contraindicantia &c. Imo aliud adiungit Gale. scopum hunc maxime confirmans, quia di-
C cit, priorem aphorismum, & hunc, & subsequentem, in vnum concurrere, id est, in vnum sermonem co-
incidere. Sed quomodo? Quoniam in superiori quidem aphor. de tenuissimo victu egit, hic etiam in se-
quenti aphor. de tenuissimo, & propterea hi tres aphor. in vnum concurrunt sermonem, qui est de victu
tenuissimo. Dicit tamen Hippocratem clarioris doctrinæ gratia totum hunc sermonem tribus partibus
distinctis declarare voluisse. Quare propositum modo Hipp. est, agere de victu tenuissimo, tum absolute,
tum in respectu, atque in virtute coindicantium & contraindicantium virium.

Quantum ad diuisionem: aphorismus hic est sententia simplex, potius primi quam secundi ordinis, Diuisio.
vnde Galenus non multum laborat in eius caussa assignanda. Et ob id reprehendendi sunt, qui dicunt
hunc aphorismum esse caussam præcedentis; vel e contra, præcedentem esse rationem præsentis: moti,
quia dicit Galenus, ex his tribus aphorismis fieri vnum. Nam non sic est intelligendus Galen sed quod hi
D tres aphorismi in vnum sermonem concurrant, de victu tenuissimo, & ratio est, nam neque præsens ante-
cedentis, neque antecedens præsentis ratio est. Et ob id diuisionem alio modo facimus, dicimusque, posse
hunc aphorismum diuidi in partes duas, quatenus in prima proponuntur, vires coindicantes, ac contra-
indicantes: quæ ex declaratione verborum aphorismi magis patebunt.

Sensum aphorismi quod attinet: Triuerius hoc in loco dicit, quod Hippocrates potuisset propo- In Triuerium.
nere hanc sententiam paucioribus verbis, vnde arguit Hippocratem, vt superfluum. Nec ita sine ratione
loquitur Triuerius: nam ita habet aphorismus: *Coniectare autem oportet, an æger cum victu sufficiat perdura-
re, donec morbus consistat &c.* Et paullo post addit, *& nunquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdura-
re.* Quæ verba expresse in idem coincidere videntur, ideo ait, quod id paucioribus dicere potuerit. Et mi-
ror equidem de Modernis, qui ita addicti sunt Triuerio, vt aliquando dicta eius ad verbum sibi adscribe-
E re non vereantur, quod nullum de hac re verbum fecerunt, impium enim est imaginari, nedum asserere,
in aphorismis Hippocratem esse superfluum.

Quare audite sensum aphorismi, & satis (vt opinor) reconditum; qui talis est, quamuis ratione mor- Sensus aphorismi.
bi peracuti vti liceat victu tenuissimo absolute, siue extreme tenuissimo, siue non extreme tenuissimo; &
quamuis etiam ratione vigoris cuiuscunque morbis salubris liceat vti victu tenuissimo in respectu, atta-
men coniectari oportet, an æger possit cum illo victu perdurare, donec morbus consistat, id est, attamen
coniectari oportet, an vires possint perferre victum istum tenuissimum, vsque ad statum. Vt autem præ-
cognoscere istud possimus, monet Hippocrates in hoc aphorismo, vt speculemur vim, tum ex parte Vi-
rium, tum ex parte Morbi. Ex parte quidem virium est, vt præcognoscamus, an vires in corpore ægrotan-
te tales sint, vt deficiant, & non possint perdurare vsque ad statum: vel contra potius ex parte morbi, an
F morbus talis sit, vt deficiat, & hebetescat, antequam vires dilabantur. Ex quo debuit inferre Hippocrates,
vbi præcognouerimus, quod vires non sint sufficientes, nec potentes talem victum tolerare, vt præco-
gnoscamus etiam vires esse contraindicantes: si cognouerimus oppositum, quod scilicet morbus ante
deficiat, quam vires collabantur, vt præcognoscamus tales vires esse coindicantes. Ex quibus non modo
sensus, & institutum Hippocratis colligitur, sed quod etiam sit ita vnus aphorismus, & suis partibus co-
hærens, vt nihil magis vnum cogitari possit.

Ratio autem præsentium dictorum colligitur e Galeno in commento. Nam dicit, cur opus est re- Ratio aphorismi.
spicere vires, & an æger sufficiat perdurare? Quia, inquit, vires solæ sunt, quarum gratia cibamus: & ideo
respicere oportet an coindicantes, an contraindicantes sint. Nam si vires validæ fuerint, id est, coindi-
cantes; vti possumus ea victus forma, quam morbus præscripsit, vbi enim validæ fuerint, possunt eum vi-
G ctum tenuissimum perferre, qui a morbo indicabatur. Quoties autem vires imbecilles fuerint, id est, con-
traindicantes; non possumus vti eo victu tenuissimo, quem morbus indicabat, sed tantum ab eo victu te-
nuissimo recedendum, quantũ vires imbecilliores fuerint. Et hoc non modo in progressu morbi, sed in
statu (ait) facere possumus: vbi enim in vigore fuerit quid dissoluens vires, (nunc enim de contraindican-
tibus viribus loquitur:) debemus etiam in eo nutrire.

Explicatio verborum.

Sed ponderemus verba. Dicit Hippocrates: *Coniectare autem oportet:* quia per demonstratiuam sci- A entiam veram id habere non possumus, sed per signa, quæ coniecturalem potius, quam demonstratiuam scientiam pariunt.

An æger cum victu &c. scilicet tenuissimo sufficiat perdurare. Nam cum hic aphorismus cum superiori vnicam faciat doctrinam, & in superiori facta sit mentio de victu tenuissimo; igitur & hic de eodem victu intelligendus.

Donec morbus consistat: id est, donec morbus non modo ad statum, sed ad vltimam eius partem deueniat: nam interdum virium ratione licet mutare victum, antequam æger deueniat ad statum; interdum etiam in ipso statu, quoties sunt aliqua symptomata vires dissoluentia.

Et nunquid prius ille deficiat. Hæc est secunda pars, in qua dat modum Hippocrates, secundum quem cognoscere possumus, an æger cum victu illo sufficere possit vsque ad statum, nec ne: & ratio cognoscendi B in hoc consistit, vt præcognoscamus, an vires possint sufficere, an morbus ante deficiat, vel hebetescat. Nec præter rationem hæc considerauit Hippocrates: nam, vt passim in libris de ratione victus habetur, diætandi ratio partim a morbo, partim a viribus sumitur. Et Galenus vndecimo methodi quincto dicebat, quoties vires ferant, exhibendum esse victum conuenientem ratione morbi; quoties non ferant, augendum esse victum.

Vires deficere, & non posse ad statum perdurare, non sunt synonyma.

Sed est maxima difficultas in verbis Hippocratis: nam dicit; *Et nunquid prius ille deficiat, nec possit perdurare:* quæ synonyma videntur; nam idem est non posse perdurare, & deficere. Quam difficultatem Moderni nec olfecerunt quidem, cum tamen sit maximi momenti: non enim dicere possumus synonymis vti Hippocratem, & præcipue doctrina in aphoristica. Ego itaque dico, fuisse necessarium, vt vtrun- C que diceret: nam aliter quam maxime diminutus fuisset. Ratio autem est: nam fieri potest vt vires deficiant, vtque perdurare vsque ad statum possint cum victu tenuissimo. Vnde non valet: vires deficiunt, ergo non possunt tolerare. Idque demonstrabo Galeni verbis formalibus, imo Hippocratis. Possunt itaque vires deficere, & non propterea non possunt tolerare inediam, dupliciter, vel ratione Victus, vel ratione alterius. Ratione quidem victus; (vt supra commento quarto habuimus) victus tenuis habet vim minuendi vires, nedum tenuissimus: imo dicebat ibi Galenus, quod terminus victus tenuis sit virium validarum (vt ibi exposuimus) ablatio, & ideo ratione victus tenuis, & tenuissimi, vires fiunt deficientes, & cadunt ab eo robore. Non tamen propterea sequitur, quod cum tali victu non possint durare ad statum vsq; vires, nam tunc si hoc esset, impossibile profecto esset cibare ægrum victu tenui, nedum tenuissimo. Quare non valet: ratione victus deficiunt vires; ergo non poterunt tolerare. Sed nec etiam ratione alte- D rius: nam vt dicit Hippocrates, secundo de ratione victus 48. & fusissime Galenus in commento; (sine quibus libris impossibile est aphorismos intelligere) vires bifariam deficere possunt, vel ratione insignis Repletionis, vel ratione insignis Euacuationis. Si ex repletione deficiant: nos ex Galeno, & Hippocrate, loco allegato, non debemus dare cibum, & tamen vires verissime deficiunt. Inquiunt enim: si vires deficiant, vel ob morbi acumen, vel ob dolorem ingentem, vires ita debilitari, vt pulsus cadat, atque etiam deliquium animi fiat: tunc pessimum esse aiunt cibum offerre, ac perperam illos facere, qui cibum exhibent. Et ideo caueant, qui indifferenter in syncope cibant ægros: nam si ægros ex repletione deficientes cibare voluerimus profecto eos necabimus. Quod si vires deficiant ratione euacuationis, pessimum est in inedia persistere, sed necessarium est corpus alere. Et ibi Hippocrates inquit, non esse ita difficile, cognoscere, an vires sint debiles ratione repletionis, vel euacuationis. Imo monet ibi Galenus, quod si fortasse E medicus aliquis non cibarit ægrum in defectione animi ex euacuatione, si postea accedens quis plebeius eum cibarit, profecto maxime conferet; ac omnes dicent, beneficio plebeii ægrum sanatum, ingenti medicorum vituperio. Quare in deliquio ex repletione non est dandus cibus: sed in deliquio ex inanitione necessario est cibus offerendus. Et ob id, a fundamentis Hippocratis nunquam recedens Galenus, tertio de ratione vict. comment. vltimo dicebat, in morbis acutis thoracis, & pectoris, quando materia venit ad suppurationem, & in statu vniuersa expurgatur, tenui vtendum diæta, a principio morbi vsque ad statum, cum tñ ante expurgationem, materia illa replens gignere causset imbecillitatem virium: vbi aũt expurgatio paullatim fiat, & vires fuerint debiles, cibandum esse, quia debilitas fit ex expurgatione, & in omni debilitate ex euacuatione cibandus est æger. Et propterea in hoc commento dicit Galenus, in vigore, vbi sit symptoma dissoluens vires, esse cibandum. Dicit, vbi est symptoma dissoluens vires, & intelligit ratione inanitionis, non repletionis. Colligentes igitur dicamus, vires posse esse deficientes, F non tamen necessario non potentes tolerare integram inediam, quia, si sunt deficientes ratione repletionis, sunt potentes tolerare integram inediam, & ideo non valet, sunt deficientes, ergo non sunt potentes tolerare. Si autem fuerint deficientes ratione inediæ, tunc necessario erunt etiam non potentes tolerare, & ideo Hippocrates, omnia considerans, vt alluderet ad defectionem ex inanitione, in qua pariter & deficiunt vires, & sunt impotentes tolerare, dicit: *nunquid deficiat, nec possit cum victu perdurare.* Per vires autem, cum Oribasio, tum naturales, tum vitales, & animales intelligere possumus.

Sequitur, *vel morbus ante deficiat, & hebetescat.* Nam morbus vel ex toto deficere potest, vel secundum partem hebetescere, vt tertio de cris. capite septimo dicit Galenus, & ideo dicit, vel deficiat, scilicet ex toto, vel hebetescat, scilicet secundum partem.

Sensus aphorismi repetitur.

Et ideo, colligentes totius aphorismi sententiam, dicamus, non modo opus esse pro illo victu exhi- G bendo tenuissimo ad morbum peracutum respicere, & ad morbi vigorem, sed opus esse oculos habere ad coindicantes & contraindicantes vires, idque vt cognoscamus, opus esse respicere vtrum vires deficiant, & non possint tolerare; nam tunc erunt contraindicantes, vel potius, an morbus ante deficiat, & hebetescat, nam tunc vires erunt indicantes.

APHORISMVS X.

Quibus igitur statim morbus in vigore consistit, iis statim tenuis victus est adhibendus. Quibus vero postea vigor futurus est, iis & in ipso statu, & paullo ante cibus est subtrahendus: priore vero tempore vberius alendum, vt æger sufficiat.

Scopus aphorismi, epilogum exhibere omnium præcedentium de victu aphorismorum.

Q*Vibus igitur statim morbus*, &c. Aphorismus hic adeo apud omnes fere interpretes visus fuit facilis, vt ne dignus quidem sit habitus, vt exponeretur, attamen ille quanto facilior esse videtur, tanto difficilior est. Siquidem dicendum non est, adeo facile Hippocratem superfluum videri. Quare aphorismum introducentes, dicimus: cum institutum esset Hippocratis, nouum de ratione victus sermonem aggredi; atque vellet de altera victus ratione pertractare, quæ in accessionibus sit adhibenda; &, cum sermo de victus ratione sit maximi momenti, voluit ea omnia, quæ hucusq; pertractata sunt de ratione victus, colligere, vt facilius postea ad accessiones deuenire posset. Quare propositum Hippocratis est, per epilogum, omnia, quæcunque dixit, colligere.

Et vt cognoscatis hunc scopum verissimum esse: comprobabimus id ex verbis Hippocratis, Galeni, & Philothei interpretis optimi.

Per Hippocratem quidem: nam habet in hoc aphorismo, *Quibus igitur statim.* Quæ particula, *igitur*, nihil aliud innuere vult, quam conclusionem & epilogum, ac compendium eorum omnium, quæ hucusque habuimus. Idem comprobatur per eundem Hippocratem, qui (vt in expositione literæ videbimus,) in hoc aphorismo proponit victum tenuem, & tenuissimum, & vt indicatum a morbo, & a vigore morbi; ac etiam loquitur de viribus coindicantibus ac contraindicantibus, ac etiam indicantibus. Si ergo de his omnibus meminit, de quibus in superioribus verba fecit: non est dubitandum hic verum eorum compendium fieri.

Eandem veritatem cum Galeno comprobamus, qui dicit in præsenti aphorismo: in hac sententia eundem habet sermonem, cum sermone quem habuit in superioribus aphorismis, vt ex trib. vnus veluti aphorismus fiat, in quo fit sermo de victu tenuissimo. Sed dicet quis: si eadem est sententia, ergo superflua? Statim infert Galenus differentiam inter hunc aphorismum & superiorem: quia 7. locutus fuit de morbo peracuto, hic autem est sermo vniuersalior. Dicit sermonem esse vniuersaliorem, quia non tantum est sermo de morbo peracuto, sed de omnibus morbis. Ergo necessarium est vt asseramus, hunc aphorismum esse compendium dictorum, quia in superioribus aphorismis, non modo fit sermo de morbo peracuto, sed acuto chronico, & omnibus morbis, & propterea hic sermo magis vniuersalis est, quam superior. Addit præterea Gale. quod quæ hic dicuntur sint manifesta; quoniam sint per epilogum collecta. Præterea etiam quis facile videre potest, quod hic Hippoc. etiam de vigore sermonem habeat; insuper etiam de viribus propterea in hoc aphorismo habemus compendium omnium dictorum de victu.

Eandem sententiam habet Philotheus, hunc esse, scilicet, sermonem vniuersalem, non modo morbum continentem, sed vigorem etiam cuiuslibet morbi. Et ex hoc haurire potestis præceptũ assiduo obseruandum in praxi, cum ratione morbi acuti, ac peracuti, ac etiam vigoris morbi, sit necessarium vti victu minuente vires; quod quanto morbus sit magis acutus, & citius ad vigorem veniat, tanto victu tenuiori sit vtendum: pariter, quanto vires (loquendo merito virium) validiores sint, tãto coindicare possint tenuiorem victum; quanto debiliores, inhibere tenuiorem, & coindicare magis plenum, seu minus tenuem.

Diuisio.

Quoad diuisionem: aphorismus hic est sententia sine ratione prolata: & potius primi quam secundi ordinis: nam cum compendium sit dictorum, necessarium est, vt caussæ eorum quæ hic dicuntur, manifestæ sint. Et ob id mirum non est, si breuissimis verbis Gale. ipsum pertransit. Diuidi tamen potest aphorismus hic in tres partes: quatenus in prima proponit victum minuentem vires in virtute morborum acutorum, & peracutorum: in secunda, (ibi, incipiente, *Quibus vero paullo post*) eundem victum proponit in virtute vigoris morbi indicantis: in tertia & vltima, (quæ incipit ibi, *Priori vero tempore*,) proponit vires coindicantes, contraindicantes, ac etiam indicantes.

Sensus.

Vniuersi aphoris. sensus talis est: cum in morbis peracutis, acutis, ac etiam chronicis, liceat vti victu minuente vires: differentiam tamen esse, quoniam in morbis acutis, ac peracutis vtendum sit victu minuente, quatenus acutus, acutus morbus sit, peracutus, peracutus: at in chronicis indicari quidem victũ minuentẽ, sed non inquantum chronici morbi sint, sed vt ad vigorem respiciamus. Vnde illud fit, vt quanto magis recedunt a vigore, tanto vires non potentes tolerare minuentem victum, indicent victũ plenioreẽ.

Explicatio verborum.

Dicit ergo Hippocrates; *Quibus igitur morbus statim in vigore.* Per particulam, *statim*, distinguuntur acuti, ac peracuti a chronicis: nam chronici nõ statim consistunt, peracuti vero, etiam si exquisite peracuti non fuerint, non excedunt septimum: acuti vero non pertranseunt 14. &, si non exacte acuti fuerint, ad summum vsque ad vigesimum protrahuntur. Vnde per statim consistentes morbos, intelligatis morbos non excedentes vigesimum: quasi proponat acutos, ac peracutos morbos simul.

His statim tenuis victus est adhibendus. Non sine arte dixit, *statim*, vt indicaret, acutos ac peracutos morbos ex sui ratione, quatenus acuti & peracuti, indicare victum minuentem. Nam differentia est inter morbos indicantes victum minuentem propria ratione, & inter indicantes victum minuentem ratione vigoris, nam in illis statim, & quamprimum victum, minuentem adhibere debemus; in his vero non statim, sed circa vigorem, ac statum.

Dicit porro; *tenuis victus est adhibendus, seu tenuiter nutrire oportet.* Quo in loco expositores sunt valde intricati: quia Galenus hæc intelligit dicta de morbo peracuto; ideo tenuissime debebat dicere? nam morbo peracuto tenuissimus, non tenuis conuenit victus. Sed ego dico, scripsisse, *tenuiter*; quoniã, vt Galenus in comment. dicit, sermo Hippocratis est maxime vniuersalis; & in hac prima parte sermo

eſt de acutis & peracutis morbis: & ideo vt commune verbum proferret tum acutis, tum peracutis, dicit, A *tenuiter*, ac ſi dixiſſet, in acutis & peracutis morbis opus eſt vti diæta minuente vires, quæ commun. quid eſt ad tenuem, & tenuiſſimam diætam. Et hoc ſat erat in epilogo, quod ſcilicet in acutis & peracutis, quatenus acuti & peracuti ſunt, liceat vti victu minuente: nam ex dictis quis facile intelligere poterat, quod in acutis minuente tenui, in peracutis minuente tenuiſſimo, opus ſit vti. Ecce quod non poterat neque clarius, neque exquiſitius verbum proponere, vt hæc, quæ dixit, epilogaret.

Altera aphoriſmi pars.

Quibus vero poſtea vigor futurus, &c. In hac ſecunda parte proponit victum minuentem vires in virtute vigoris; ac ex arte eum proponit in chronicis morbis potius, quam in acutis: quia euidentiſſimum erat, ſi in vigore chronici neceſſarium eſſet vti victu diminuente, multo magis in vigore acuti, ac peracuti; nam hi non modo ratione vigoris, ſed propria ratione indicant victum minuentem.

Iis, & in ipſo. In his ſcilicet morbis chronicis non ſtatim, ſed poſtea, vt in vigore, & paullo ante vigorem, ob vehementem pugnam, quæ eo tempore inter naturam & res præter naturam ſit, cibum ſubtrahere oportet. B

Tertia pars aphoriſmi.

Priore vero tempore. Tertiam apponens partem, vires ſine dubio tangit, & vires indicantes potius, atque contraindicantes, quam alias: quia victus plenior, imo nec mediocris, impoſſibile eſt, vt a morbo indicetur. Vnde quoties ali victu vti licet, vel ſunt indicantes vires, vel contraindicantes: ſunt indicantes, in chronicis, quia chronici morbi permittunt mediocrem victum, quem vires indicant: in acutis vero & peracutis, in quibus a principio morbi vſque ad ſolutionem opus eſt vti victu minuente, ſi cogamur a principio mediocri vti, vires erunt contraindicantes; quarum maximam rationem habere oportet; nam & maximi etiam ſunt momenti, vt dicebat Galenus, ſecundo de ratione victus quinquageſimoquarto, quod quamuis ratione morbi acuti ac peracuti victus minuens vires indicetur; tamen ob vires aliquando neceſſarium ſit exhibere mediocrem victum. C

Ex his ergo clare conſtat, hunc aphoriſmum eſſe dictorum compendium; & in eo præcipuas partes de ratione victus contineri. Dicebat enim Galenus paſſim in libris de ratione victus, & in hoc aphoriſmo, duas præcipuas indicationes eſſe diætandi; morbum, & vires: quæ cum hic tangantur, propterea in hoc aphoriſmo præcipua capita de ratione victus continentur.

ἀνακεφαλαίωσις doctrinæ de victus ratione.

Quæ cum ita ſe habeant, ad vtilitatem veſtram, & præcipue in praxi, & ad intelligentiam multarum Galeni auctoritatum, liceat veluti epilogo concludere vniuerſam hanc de ratione victus tractationem. Cum ergo in morbis alius victus indicari non poſſit, quam minuens, hic victus minuens, vel Tenuis eſt, vel Tenuiſſimus. Tenuis eſt, vel Simpliciter tenuis, & morbis conuenit non exacte acutis, vel Exquiſite tenuis, & conuenit exacte acutis. Tenuiſſimus etiam, vel tenuiſſimus eſt Abſolute, vel in Reſpectu. Tenuiſſimus abſolute, vel eſt Extreme tenuiſſimus, & indicatur a morbo exacte peracuto: vel Non eſt extreme tenuiſſimus, & indicatur a morbo peracuto non exacte. Tenuiſſimus autem victus in reſpectu indicatur a vigore cuiuslibet morbi ſalubris. Per vigorem autem intelligimus, tum tempus proximum ante vigorem, tum proximum poſt vigorem. Tempus autem ante vigorem, quod eſt in fine augmenti, tetigit Hippocrates in præſenti aphoriſmo, cum dicit, *His, & in ipſo ſtatu, & paullo ante*, non modo ſcilicet licet vti minuente victu in vigore, ſed etiam prope ante vigorem, & paullo etiam poſt vigorem: dicebat enim Galenus primo de ratione vict. vigeſimoquincto quod non modo liceat vti victu tenuiori tempore ſtatus, ſed per duos dies poſt ſtatum. Ratio autem, cur ante vigorem, & in vigore, liceat vti victu minuente; eſt maxima pugna inter naturam, & morbum, quamuis maior ſit in ſtatu, quam ante: poſt vigorem autem licet hoc etiam victu vti, quia vires debilitatæ non poſſunt perferre victum pleniorem. Ex quibus habetur modo, quod cum hæc ratione morbi acuti & peracuti proponantur, quod propterea excludantur morbi chronici, in quantum chronici, quia hi ſunt non indicantes victum tenuem, & multo minus tenuiſſimum. D E

Vires vero & vt coindicantes, & vt contraindicantes, & etiam vt indicantes concurrunt in morbis. Vires ſunt *coindicantes* ratione victus tenuis, & tenuiſſimi, robuſtiſſimæ ratione victus tenuiſſimi: non ita robuſtæ vires ratione victus tenuis. *Contraindicantes* autem vires ſunt, quando ſunt imbecilliores: quia, etſi ratione morbi victus ſit minuendus, cogimur tamen ratione virium victũ augere. Poſtremo ſunt *indicantes* vires, vel ratione totius morbi, vel ratione partis morbi. Ratione quidem totius morbi; morbus vel eſt Acutus, vel Chronicus: ſi acutus, vel peracutus, & ſic vires ſunt indicantes victum tenuem, & tenuiſſimum non tamen in extremo: ſed non in quantum minuunt vires hi victus, ſed quatenus habent aliquam vim alendi: quia alimentum non niſi a viribus indicatur. Ratione autem morbi chronici vires ſunt indicantes alimentum non ſimpliciter, ſed conſeruans vires. Si vero conſideremus ratione partis morbi, tunc præcipue conſiderantur vires, quatenus ſunt indicantes ratione principii & augmenti; quia videlicet in his temporibus ratione virium victu pleniori eſt vtendum: pleniorem intelligo victum in reſpectu: nam in principio quidem licet vti victu magis abundanti, quam in augmento; & in augmento minus, quam in principio, ſed magis, quam in ſtatu, niſi tamen aliquid obſtiterit. Dico autem ſic, quoniam poteſt aliquando contingere, vt circa morbi principium aliquis error committatur, quatenus medicus accedens ad ægrum vel cognoſcit, vel non cognoſcit infirmitatem: interdum enim contingit, vt quarto de ratione vict. quinquageſimoſecundo, dicit Galenus, vt primus dicbus morbus non cognoſcatur: & tunc in hoc caſu conſulit Galenus, vt minuamus cibum, quia fortaſſe aliquando adeo acutus eſt morbus, vt ratione victus multi accidant errores: poſtquam vero morbus cognitus fuerit, tunc ea eſt vtendum victus ratione, quæ præſcribitur a morbo. Vbi etiam morbus cognitus fuerit, eſt etiam aduertendum: nam vel incidit æger in morbum, quod fuerit plus æquo repletus, veluti ex nimiis cibis, voracitate, &c. Et tunc cum eodem Galeno quarto de ratione victus. 108. in principio, non eſt ple- F G

A est pleniori victu vtendum, quam in augmento, cum enim corpus sit maxime repletum, ex cibo in principio maxime lædetur, quia non repletione æger indiget, sed euacuatione. Et ideo in praxi hoc obseruate, vt quando vultis vel lenitiuum exhibere, vel venam secare, vel pharmaco electiue trahente materiam purgare; semper ante horum adhibitionem victum tenuiorem præscribatis; post vero non ita tenuem, sed postea, quo magis ad statum accedimus, tanto plus debemus de victu minuere. Sed circa augmentum illud est aduertendum, an in augmento ratione quapiam debiliores sint vires redditæ: & in tali augmento victus non ita tenuis est adhibendus, vt in principio; in aliis autem casibus semper in augmento minuendus est victus, & magis tenuis adhibendus, quam in principio.

APHORISMVS XI.

B In accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare noxium est. Et quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.

IN *accessionibus abstinere oportet &c.* Quantum pertinet ad simplicem & superficialem, (vt ita dicam) scopum istius aphorismi: facillimum est asserere, quod postquam Hippocrates in superioribus aphorismis locutus fuerit de victu minuente vires, sumta indicatione, tum a morbo vniuerso, tum a viribus, tum etiam a parte vniuersali morbi, id est, a vigore cuiuslibet morbi, modo nihil aliud supersit, nisi vt ageret de victu, sumpta indicatione a parte particulari, id est, ab accessione morbi. Et talem scopum euidēter confirmat Galenus in commento, cum dicit, quod Hippocrates doceat in hoc sermone, quo modo priuatim in accessionibus opus sit a cibo abstinere. Scopus aphorismi [illegible] inediæ, sumta indicatione ab accessione.

Facillimum ergo est constituere præsentem scopum: sed ex altera parte difficillimum est, penetrare C intimus, & fortasse hactenus fuit reconditum Hippocratis artificium, quod tanti est momenti, vt impossibile sit verbū vllum aphorismi assequi, sine eius diligenti animaduersione: quinimo ex huius declaratione multæ soluuntur difficultates. Vult ergo nobis declarare, qua ratione in ægrotantibus, & præcipue in febrientibus, liceat exhibere cibum ratione accessionis. Pro recta aūt intelligentia propositi Hippocratis, aduertendum, quidnam sit in hoc aphorismo res indicata, & quid indicans. Quantum ad rem indicatam, non credatis eam esse cibum, quia cibus a nullo alio potest indicari, quam a viribus, sed est inedia: nam & Hippocrates dicit, *In accessionibus abstinere oportet.* Vnde abstinentia, & inedia est res indicata, accessio res indicans. Verum circa accessionem aduertendum, quod accessio indicans inediam dupliciter capiatur: (& hoc est fundamentum totius huius negotii,) vno modo vt excludit declinationem; altero modo, vt in se declinationem includit. Accessio primo modo considerata, indicat inediam ratione principii, augmen- D ti, & status, non autem ratione declinationis. Declaro magis. Accessio quæ inediam indicat, ratione tantum trium temporum locum habet in eis febribus, quæ vel continuæ sunt, vel habent accessiones inordinatas, vel habent breue interuallum, in his tantum morbis habet locum accessio in tribus temporibus, seclusa declinatione. Accessio autem, quæ notat inediam ratione quatuor temporum, habet locum in his febribus, quæ habent accessiones ordinatas; quæ sunt intermittentes, & non modo intermittentes, sed quæ habent interuallum longum: in his enim febribus etiam ratione declinationis indicatur inedia, quia in his morbis non licet dare cibum, nec in principio, nec in augmento, nec in statu, nec etiam in declinatione; sed solum in interuallo. Cum itaque hoc maximi esset momenti, ac in febribus potissimum: voluit Hippocrates de vtraque accessione, & ea quæ est ratione trium temporum tantum, & ea quæ est ratione quatuor temporum, verba facere. Ideo scopus Hippocratis est pertractare de inedia, quæ indicatur E ab hac vtraque accessione. Artificium huius aphorismi reconditum.

Quantum ad diuisionem, in hac parte sunt duo aphorismi, seu duæ sententiæ, quæ in hoc conueniunt, quod vtraque est ex propria natura; differunt tamen, quia primus aphorismus est sententia, quæ est pars enthymematis, & habet rationem seiunctam, ac postpositam: secundus vero est sententia sine ratione prolata, ibi incipiens, *Et quibus per circuitus.* Merito autem hi duo aphorismi constituuntur connexi, quia in vtroque sermo est de inedia, vt indicatur ab accessione: in primo tamen, vt indicatur ab accessione ratione trium temporum tantum; in secundo, ratione quatuor temporum. Diuisio.

Sensus autem vtriusque partis, duos aphorismos continentis, hic est, in illis morbis, & febribus præcipue, quæ vel habent accessiones inordinatas, vel non deueniunt ad infebricitationem, vel si deueniunt, breue admodum habent interuallum; in his accessio ita indicat inediam, vt non liceat dare ci- F bum nec in principio, nec in augmento, nec in statu: quia cibum dare in his temporibus est periculosum, sed tantum licet dare cibum in declinatione. Rursus in illis febribus, & morbis, qui vel habent accessiones ordinatas, vel sunt deuenientes ad infebricitationem, cum longo etiam interuallo; in his non licet dare cibum, nec in principio, nec augmento, nec statu, nec declinatione; sed tantum in integritate, & in interuallo. Ad quem sensum respiciens Galenus, in fine parui huius commenti, dicit, quod in accessionibus liceat dare cibum, vel cum declinant, vel cum cessant accessiones: per id quod dicit, *vel declinant*, respicit primam partem, in qua in declinatione licet dare cibum, cum dicit, *vel cum cessant*, respicit secundam, in qua in interuallo opus est nutrire. Et certe nescio quomodo sine hac interpretatione intelligi Galenus possit. Sensus.

Dicit autem Hippocrates, *In accessionibus abstinere oportet.* Ex Galeni sententia in li. de morb. temp. G cap. 6. & Auicenna cap. de horis feb. accessio nihil aliud est, nisi deterior pars periodi. Sed hoc intelligi nequit, nisi quid periodus sit cognoscatur, & ex eius etiam rei intelligentia, quæ satis ardua videtur quæstio apud multos, num declinatio sit pars accessionis, vel non, patebit maxima cum facillitate. Explicatio verborum.

Periodus igitur est reditus ab eodem in idem, vel a simili in simile, vt quando febris incipit cum rigore, deinde rursus cum rigore inuadit; totum illud temporis spatium, quod est inter rigorem, & rigo- De febrium periodis, & periodorū partibus.

rem, dicitur periodus. Vnde in periodo plures partes reperiuntur: quædam deteriores, non ita graues aliquæ, quæ ſunt quatuor, quinque, & ſex partes, ſex in intermittentibus febribus ſunt; quinque & quatuor in proportionatis continuis: quinque quidem in his continuis proportionatis, quæ magis accedunt ad intermittentes; quatuor in his, quæ magis accedunt ad continentes. In continentibus autem non ſunt hæ partes, quia non habent acceſſiones, ſed vna ſunt tantum acceſſio, qua finita, febris completur. Sex tempora ſunt in intermittentibus: nimirum, Principium, Inæqualitas, Augmentum, Status, Declinatio, & Integritas ſeu interuallum. Principium eſt, quando acceſſio vel ex ſanitate, vel ex interuallo præcedentis acceſſionis incipit vel cum rigore, vel cum horrore, vel perfrigeratione, prout eſt in febribus diuerſitas: vnde tunc eſt principium acceſſionis, cum materia tranſmittitur a venis ad extra venas; ob quod, vt natura fortior ſit ad expugnandā materiam, contrahitur calor natiuus, ac concentratur, ratione cuius in principio partes apparent frigidæ. Cui principio ſuccedit inæqualitas, quippe quæ eo tempore, quo materia eſt tranſmiſſa a venis ad extra venas, in principio incipit putreſcere, cuius putrefactionis gratia eleuantur putres quidam vapores, qui, petentes cor, faciunt quendam feruorem circa partes cordis, exterioribus tamen partibus, (vt dicebat Galenus citatis locis,) adhuc frigeſcentibus: cum ergo eſt in interioribus partibus calor, in exterioribus frigus, nemini dubium eſt, quod habeamus anomaliam, vel inæqualitatem. Tertium tempus eſt augmentum, quod eſt, quando non modo exuritur locus, qui eſt veluti focus putredinis, ſed ita focus expanditur, vt partes exteriores amplius frigidæ nō ſint. Quartum ſuccedit tempus, nempe ſtatus, qui eſt, quando non modo expanditur calor ad exteriores partes, ſed ita expanditur, vt neſciamus diſcernere, an ſit maior caliditas in interioribus, quam in exterioribus partibus: conſiſtit enim, itaq; nulla ſenſu inæqualitas percipitur. Cui tempori ſuccedit quinctum, quod declinatio dicitur, quando feruor ille decreſcere incipit, præcipue autem circa partes thoracis, & præcordia, dico autem ſic, quia tunc temporis maior ſentitur calor circa partes exteriores, vt manus, & pedes, quam circa interiores thoracis, & præcordiorum; vt optime dicebat Galenus primo de ratione victus quadrageſimoquincto, ex teſtimonio etiam Hippocratis ibidem. Tandem eſt interuallum, vbi vndique ceſſat calor febrilis, & circa internas, & circa externas partes. Sed licet ſex ſint hæc tempora, ad quatuor tamen reduci poſſunt: nam inæqualitas ad augmentum reduci poteſt, & integritas ad declinationem. Galeno teſtante in libell. de morbor. temp.

Deinde vero hæc tempora quinque ſunt in illis continuis proportionatis, quæ magis vergunt ad intermittentes, quam ad continuas febres, veluti cum materia a venis magnis ad paruiſſimas, & non modo paruiſſimas, ſed eas quidem remotiſſimas tranſmittitur; vt fere ſint in confinio cum materia, quæ extra venas tranſmittitur. Sunt autem in his quinque tempora; quia cum continuæ ſint, in eis non adeſt interuallum, ſed bene quinque alia propoſita.

Sunt tandem quatuor in his continuis proportionatis, quæ magis vergunt ad continuas, quam ad intermittentes, nam in his materia a magnis ad minores venas tranſiicitur; ſed non adeo remotas. Et in his nec eſt interuallum, nec inæqualitas.

Acceſſio deterior periodi pars.

Ex his itaque cum ſatis (vt arbitrior) conſtet, quid ſit periodus: videamus modo, quomodo acceſſio ſit deterior periodi pars. Sciendum ergo, acceſſionem eſſe partem deteriorem periodi, intelligi duobus modis poſſe: vel quod ſit pars deterior periodi ſimpliciter, vel ſecundum quid. Declaro id cum Galeno. Eſt deterior pars ſimpliciter acceſſio, ſi eam conſideremus ratione trium horum temporum tantum, principii, augmenti, & ſtatus, ſecluſa declinatione; nam hæc tria tempora abſolute & ſimpliciter ſunt partes deteriores periodi, in declinatione vero ſymptomata minuuntur. Et hoc modo accepit Galenus duodecimo commento: vbi dicit, quod per acceſſionem intelligere oporteat deteriorem partem periodi; nimirum principium, & augmentum, quouſque morbus conſiſtat. Et hoc etiam modo Hippocrates, primo de ratione vict. quadrageſimoſexto dicit, cibandos eſſe ægros, quando calor ad pedes deſcenderit. Sed qualenam tempus hoc eſſe poteſt, niſi declinatio, ibidem, etiam ſic exponente Galeno? Si ergo in declinatione licet dare cibum: ergo impoſſibile eſt, vt ſit pars acceſſionis declinatio: quia hic inquit Hippocrates; *In acceſſionibus abſtinere oportet*. Si autem ſecundo modo conſideremus, acceſſionem eſſe partem deteriorem periodi ſecundum quid, vt dicebat Galenus ſecundo de differentiis febrium capite vltimo, tunc declinatio eſt pars deterior in periodo non abſolute, ſed in reſpectu ad integritatem, & interuallum. Et nemo in hoc ambigere poteſt. Quare diuerſimode conſiderata acceſſione, declinatio eſt pars deterior, & non deterior.

Prima pars aphoriſmi, de acceſſione, quæ excludit declinationē.

Porro Hippocrates dicit; *In acceſſionibus abſtinere oportet*: & reddit rationem, *quia cibum dare noxium eſt*: quoniam ſcilicet in ipſa acceſſione natura agit aduerſus materiam, & ideo non debet per cibū a pugna contra morbum natura diſtrahi. Præterea etiam in acceſſione ratione caloris febrilis diminuitur calor natiuus: vt infra decimoquarto commento dicemus: calor autem impotens non poteſt ita concoquere, & ideo cibus non eſt tunc temporis offerendus. Imo dicebat Philotheus, quod ſi in acceſſionibus cibaueris ægrum, fient vomitus, & perturbationes multæ in ægrotante. Sed dicet quis: cur in principio, augmento, & ſtatu, magis periculoſum eſt dare cibum? Reſpondentes, declarabimus priuatim nocumentum, quod ratione principii, augmenti, & ſtatus, accidere ſolet. In principio quidem cibum dare eſt noxium: nam in principio tranſmittitur materia a venis magnis ad paruas, vel a venis ad extra venas; ſi ſermo ſit de febribus continuis, quæ habent acceſſiones inordinatas, vel de his, quæ habent breue admodum interuallum. Cum igitur ſit talis tranſmiſſio materiæ, calor reuocatur ad partes internas: vnde ſi eo tempore cibum exhibere voluerimus, cum concentratus ſit calor, adhuc magis eum, ratione cibi, concentrabimus: vnde periculum erit, vel ſuffocationis caloris natiui, vel quod non poterit materia tranſmitti a venis magnis ad paruas, vel a venis ad extra venas. Vnde febris continua proportionata

in con-

A in continentem, intermittens in continuam mutabitur: quorum vnumquodque malum est. In augmento autem accessionis cibum si exhibuerimus, nocumentum hoc fiet; quoniam tunc calor febrilis non est æqualiter expansus ad omnes partes corporis, & natura satis etiam valide pugnat aduersus materiam; cibo autem distrahimus naturam a pugna, ac prohibemus etiam expansionem caloris natiui ad exteriores partes: vnde alterum duorum incommodorum sequetur; vel quod febris in deterius degenerabit, vel saltem prolongabitur expansio caloris natiui, & etiam ipsa accessio. Est denique nocumentum in statu: quia tunc maxima est pugna inter naturam, & caussam morbosam: vnde per cibum distrahimus naturam a pugna contra morbum: vnde periculum est, ne caussa morbosa validior reddita expugnet virtutem, & sequatur interitus ægrotantis. Ex his itaque cum constet non posse exhiberi cibum nec in principio, nec augmento, nec statu; quod tantum cibum liceat exhibere in declinatione.

B Notandum autem est, pro intellectione Galeni, quod differat accessio, & declinatio, ratione victus: nam accessio est res indicans, inedia res indicata. Quantum ad declinationem autem, declinatio nō est res indicans, nec inedia res indicata. Sed ratione declinationis res indicata est cibus: quia cibum dare in declinatione est opus. Non est autem cibus ratione declinationis res indicata, sed ratione virium; declinatio autem concurrit, vt coindicans, ac permittens cibationem, quæ indicatur a virtute. Et ratio a Galeno sumitur, primo de ratione victus 46. vbi dicebat, posse in declinatione cibari infirmos: quia tunc temporis symptomata cessarunt, atque natura non est ita addicta pugnæ aduersus morbum. Et ideo etiam Hippocrates in eodem 46. dicebat, quod liceat dare cibum, quando calor ad pedes descendit. Quam particulam ponderans Galenus in comminento, dicit, quod liceat dare cibum, cum calor ad pedes descendit: quia tunc temporis est declinatio: nam circa statum calor reperitur æqualiter expansus per vniuersum corpus: in de-
C clinatione autem multo insignior est calor circa pedes, & partes extremas, quam circa alias quasuis partes. Et propterea dicebat Hippocrates secundum Galenum, *descendere*: quia descendere significat de loco ad locum mutari; cum ergo tunc temporis declinatio sit, merito cibare licet. Et hoc etiam dicit Galenus in hoc commento, quod tunc licet dare cibum, tum accessiones declinant. Quod etiam Oribasius explicauit, inquiens; quod opus est ægrum ante accessionem, & in accessione esse ieiunum; nam nec in accessione debemus cibare ægros, nec etiam ante accessionem, cum tamen imminet accessio; vt dicebat Galenus in commento.

Quare colligentes primam partem, dicimus, quod in accessionibus illarum febrium, quæ vel continuas habent accessiones, vel inordinatas, vel cum breue fuerit interuallum, liceat dare cibum in declinatione.

D *Et quibus per circuitum, &c.* Hæc est secunda pars, in qua Hippocrates dicit, illam accessionem, quæ per circuitum fit, indicare inediam, non modo ratione principii, augmenti, & status, sed etiam declinationis: vt nec etiam in declinatione liceat dare cibum. Et propterea dicit; *Et quibus per circuitum.* Per periodos intelligimus circuitus, & potissimum ordinatos, vt explicabat Galenus sectione prima aphoris. commento decimo nono: vbi per circuitus exponebant periodos determinatas. Quare loquitur Hippocrates de his febribus, quæ habent accessiones determinatas, & interuallum, & illud satis longum. Sed secundum Philotheum non modo verus est hic aphorismus in febribus, sed ceteris etiam morbis habentibus periodos certas, & interualla etiam longa, qualis est epilepticus morbus, &c.

Altera pars aphorismi, de accessione, quæ includit declinationē.

In ipsa accessione, scilicet includente principium, augmentum, statum, & etiam declinationem, *abstinere oportet*: & ratio est; quia tunc cibum dare satius est, quando natura non altercatur aduersus mor-
E bum, & quando accessionem symptomata linquunt. Vnde de statu, augmento, ac principio, nemini dubium est. Nec etiam debet esse dubium de declinatione; si comparetur cum interuallo illo longo: multo enim magis læditur natura in declinatione, quam in longa illa integritate: ideo licet dare cibum hora quietis, quæ est interuallum; nam declinatio est pars deterior secundum quid. Et ob id Gal. in com. dicit, quod tunc dandus sit cibus ægrotanti, cum declinant vel cessant accessiones: dicit Galenus, cum cessant; vt alludat ad eam accessionem, quæ includit etiam partem deteriorem secundum quid, id est, declinationem. Idque clarius idem Galenus explicauit, quarto de ratione vict. 114. vbi dicit, quod in morbis acutis, vt in febribus continentibus, bonum sit ægros cibare, quando calor ad pedes descendit; quod aliud non significat, nisi declinationem: & postea subdit; in febribus autem diuturnis æger non est cibandus, vbi calor ad pedes descenderit; sed in meliori parte declinationis. Nam, vt idem Galenus dicit, in libro de temp. morbi
F capite sexto, declinatio modo erat simplex, modo composita: simplex habebat locum in febribus continuis, in quibus cum non adsit integritas, declinatio nullam denotat compositionem, & simplex est: declinatio composita includit etiam interuallum, & hæc est in febribus intermittentibus, in quibus præter declinationem, est interuallum. Si modo consideremus compositam ex simplici, & ex ipso interuallo, nulli dubium est, quod interuallum sit melior pars: & ideo ex sententia Galeni licet in diuturnioribus febribus dare cibum in meliori parte declinationis, id est, interuallo, id est, vbi accessiones cessarint. At vero id, quod supra de declinatione dicebamus, de interuallo etiam dicendum venit: quod scilicet interuallū, vt & declinatio, non indicent cibum, sed coindicent, atque permittant: nam, vt sæpe dictum fuit, alimentum sola indicat virtus.

G Sed vt sciatis in febribus recte diætare, vtque possitis Galenum intelligere, tum vndecimo meth. capite vltimo, tum decimo method. quarto, & quincto, declarare oportet, an interdum in accessionibus febrium liceat dare cibum in principio; an interdum id magis liceat in statu facere: & an in febribus lōgum habentibus interuallum melius sit aliquando in declinatione cibare, quam in integritate. Nec attingam aliorum difficultates; sed solum veritatem proponam. Vt autem quæ a nobis dicenda sunt, ex Hippocratis sententia pendeant; primo sciendum, quod cum per primam partem liceat abstinere a cibo in accessione,

Ratio diætandi in febribus.

ratione trium temporum;per ſecundam,ratione quatuor temporum: certum eſt, acceſſionem eſſe rem indicantem,& abſtinentiam eſſe indicatam. Quid igitur erit contraindicans? Nemini dubium eſt,quod ſint vires. Vires autem vel validæ ſunt, vel debiles:validæ eſſe non poſſunt,quia hæ omnia tolerant:ergo vires imbecilles ſunt contraindicantes.Conſideremus igitur primo has vires in prima acceſſione. Acceſſio primo modo ſumta indicabat abſtinentiam,tum in princio,tum in augmento,tum in ſtatu: & cibandum eſſe in declinatione vires indicabant.Sed habemus vires debiles contraindicantes. Quid ergo debemus facere?debemus ne cibare in principio,vel in augmento,vel in ſtatu? Sed facile ſoluitur. Nam cum non liceat dare cibum;propter vires debiles,quæ vſque adeo tolerare nō poſſunt,vel in ſtatu, vel in principio iſtud licebit:& prout vires diuerſimode debiles erunt,ita diuerſimode in cibatione progrediemur. Vires autem ſunt bifariam infirmæ:vel propter ſuffocationem,vel propter dilatationem. Si itaque erunt vires debiles,vel ſi immineat periculum debilitatis ratione ſuffocationis, & concentrationis: melius eſt B dare cibum in ſtatu,quam in principio. Contra vero ſi fuerint debiles per dilatationem, ſeu reſolutionem:melius eſt dare cibum in principio,quam in ſtatu.Et fundamentum huius eſt:quoniam in principio vires potiſſimum imbecilles ſunt per viam ſuffocationis;concentratur enim calor in principio ad interna,& ideo eſt maius in eo periculum ſuffocationis,quam in ſtatu:contra vero maius eſt periculum imbecillitatis virium per reſolutionem in ſtatu,quam in principio;quia in ſtatu iam præceſſit illa expanſio caloris ad partes exteriores.Quibus ita conſtitutus non eſt difficile Galenum intelligere allegatis locis: nam dicit,quoties ſit aliqua inflammatio iecoris,vel vbi fuerit magna reuocatio caloris ad partes internas, vel vbi magna ſit ſuccorum abundantia,& vires debiles fuerint,tunc non licere in principio acceſſionis, ſed in ſtatu dare cibum.Et cur hæc propalauit Galenus?non niſi quia ipſe reſpiciebat ad debilitatem virium C ratione ſuffocationis,& cōcentrationis.Etenim cum aliqua internorum eſt viſcerum inflammatio, cum multorum eſt ſuccorum abundantia,cumque ſit multa reuocatio caloris, periculum eſt de ſuffocatione: at in principio hoc eſt magis,quam in ſtatu:ergo melius eſt in ſtatu cibare ægrotantes,quam in principio, in propoſitis caſibus.In locis etiam allegatis dicebat Galenus, ſi quis fuerit calidæ ac ſiccæ temperaturæ ægrotans,cum imbecillitate virium,melius eſſe cibare in principio,quam in ſtatu. Et ratio eſt: quia huius temperaturæ ratione nimis exſoluuntur vires,& ideo cum non poſſint tolerare vſque ad ſtatum, melius eſt cibare in principio.Dicit etiam,cum quis fuerit ventriculi imbecillioris, vt facile vires eius exſoluantur,melius eſſe dare cibum in principio,quam in ſtatu:decimo method.quarto,& 6.de tuend.& alibi:quoniam ſi voluerimus vſque ad ſtatum exſpectare,proculdubio incidet homo in ſyncopem.Hæc quo ad acceſſionem ratione trium tantum temporum:ſequitur,vt declaremus, quomodo vires ſint contraindicantes in acceſſione penes quatuor tempora.Nam ratione affectionis morboſæ non licet dare cibum,nec D in principio,nec augmento,nec ſtatu,nec declinatione;ſed ſolum in integritate:ſed ſi vires fuerint debiles tantum,licebit etiam alio tempore potius cibare ægrum,vt in declinatione,quam in integritate. Hic concurrunt vires contraindicantes,quæ ſunt debiles per reſolutionem, non autem per ſuffocationem. Quod hoc ſit verum, confirmat Gal. 10. meth. 1. vbi dicit, quod in ſqualidis corporibus melius ſit cibare acceſſione declinante,id eſt,in declinatione,quam in integritate:ſed non indifferēter hoc fieri poteſt,ſed tantum in ſqualidis corporibus:in his enim virtus eſt debilitata,non per ſuffocationem,ſed per reſolutionem. Quare ſic mutandus erit cibus,ſi vires fuerint contraindicantes.

APHORISMVS XII.

Acceſſiones vero,& conſtitutiones morbi indicabunt, & anni tempora, & circuituum E ſucceſſiua incrementa,ſiue quotidie,ſiue alternis diebus,ſiue per maiora interualla fiant.Sed ex iis,quæ mox apparent,indicia ſumuntur:quemadmodum in morbo laterali,ſi circa initia ſtatim ſputum appareat, morbum breuiat: ſi vero poſtea appareat,producit.Et vrinæ,& alui excrementa,& ſudores,vel bonam morborum indicationem,vel malam;vel breues,aut longos fore morbos, mox apparentia, oſtendunt.

Cōtinuatio cum ſuperioribus.

A*Cceſſiones vero,& conſtitutiones,&c.*Pro ſcopo huius partis ſciendum,quod cum tres ſint intentiones diætandi,ita tamen,vt prima ſumatur a viribus;ſecunda a morbo;& hæc dupliciter, vel a toto morbo,vel a vigore morbi;& a toto quidem morbo,quatenus ab acuto indicatur tenuis, a peracuto tenuiſſimus,a chronico permittitur mediocris;a vigore autem morbi, quatenus ab hoc vigore indicatur victus tenuiſſimus in reſpectu ad alia tempora;tertia præterea, quæ ab acceſſionibus ſumitur: & de his ſatis ſuperque ſuperius locutus fuiſſet:modo eius propoſitum eſt in hoc aphoriſmo proponere modum, cuius beneficio præcognoſcere poſſimus tum acceſſiones morbi,tum conſtitutiones,id eſt,vigorem.Propoſitū eſt ergo loqui de acceſſionibus futuris,& futuro vigore. F

Sed hic eſt duplex dubitatio.Altera:cum hic aphoriſmus referatur ad præcedentes,& in præcedentibus locutus fuerit de virtute,quæ eſt prima & principalior indicatio cibandi: cur, ſicut tradit ſigna præmonſtrātia acceſſiones & vigorem morbi,non tradit etiam ſigna vires indicantia? Secunda difficultas: ſi tradit ſigna indicantia acceſſiones & vigorem; cur non etiam tradit ſigna indicantia vniuerſum morbum,vel acutum,vel peracutum,vel chronicum; cum de his etiam in præcedentibus locutus fuerit Hippocrates? G

Quantum ad primam difficultatem: ſatisfacit Galenus in commento, & dicit,propterea non eſſe locutum de virtute Hippocratem; quia virtutis cognitio facilior ſit, quam acceſſionis & vigoris: quia tempore Hippocratis in confeſſo erat,quod poſſet cognoſci ipſa virtus apud omnes,quamuis difficulter;

vt ex

A vt ex adspectu, ex facie ipsa, ex decubitu ægrotantis, &c. eratque etiam apud eos antiquos medicos in confesso, quod non posset aliquo pacto præcognosci futura accessio, vel futurus vigor. Propterea cum hæc esset discordia apud illos medicos, Hippocrates ex sententia Galeni, voluit solum loqui de præcognitione futuri vigoris & accessionis, aduersus illos medicos: nam si hoc habetur, habetur etiã præcognitio virium. Possumus etiam dicere, quod cum hic Hippocrates sit in parte curatiua; ideo voluerit esse diligentior in pertractatione rerum præter naturam, quam ipsius virtutis.

Quoad secundam difficultatem, cur non dederit signa præcognoscendi morbum vniuersum: dicimus, quod Hippocrates summæ studens breuitati cognouit, quod si quis præcognorit vigorem morbi & accessionem, præcognoscet etiam totum morbum, an acutus, vel peracutus, vel chronicus futurus sit. Verbi caussa, si quis ex signis, ab eo traditis, præcognoscet vigorem futurum in quarto, præcognoscet
B etiam morbum futurum peracutum. Et hæc est caussa, quod non loquitur de præcognitione totius morbi; sed tantum accessionis & vigoris; verum aduertendum, quod non simpliciter de præcognitione accessionis loquatur; sed de determinata præcognitione, id est, de ea præcognitione, quæ conducit ad nostrum propositum, hoc est, ad diætandi rationem, vt sciamus diætare: si enim cito, & non tarde accessio inuadat; vno modo diætabimus; si magis tarde, alio modo: sic etiam si accessio erit longior, vno modo; si breuior, alio modo diætam exhibemus: præterea si accessio erit hoc die, vno modo; si non, altero modo cibabimus. Quantum autem ad vigorem, dat modum præcognoscendi, an cito, vel tarde futurus sit vigor.

Quantum ad diuisionem præsentis aphorismi: aliis omissis opinionibus, dico hanc partem posse diuidi in duos aphorismos, (vt Philotheus) ita vt in primo aphorismo Hippocrates tradat præcognitio- Diuisio.
C nem tum accessionis, tum futuri vigoris, tum a toto morbo, tum ab annexis morbo, tum a parte morbi. In secundo autem tradat signa, eundem vigorem & accessionem indicãtia, sumta a symptomatibus: ibi; *Sed ex his, quæ mox apparent, &c.* Hæc autem diuisio est ad mentem Galeni: quia vbi Galenus est in ea parte aphorismi, quæ dicit; *Et accessionum successiua incrementa*; ait esse finem aphorismi. Ergo verba sequentia; *Sed ex his, quæ mox, &c.* sunt principium alterius aphorismi. Sunt autem hi duo aphorismi inter se ita distincti: nam primus est sententia sine ratione prolata, potius secundi, quam primi ordinis: quia Galenus in commento in ipsius caussa assignanda multum laborat. Secundus Aphorismus est sententia, quæ est pars enthymematis, quæ habet probationem seiunctam, & postpositam; quæ probatio desumta est ab exemplo, scilicet sputo, vrinis, deiectionibus, & sudoribus: & incipit ibi; *Quemadmodum in morbo laterali, &c.* Et ob id Galenus in commento dicit, quæ Hippocrates dicit in prognosticis de vrina, spu-
D to, &c. eadem nunc per modum compendii ab eo esse dicta. Quare hoc est exemplum; & probatio ab exemplo sumta.

Dicit ergo Hippocrates in prima parte, *Accessiones vero, & constitutiones.* Accessionem non est vt dicamus, vt alii, significare tria tempora; paroxysmum vero quatuor; hæc enim nugæ sunt: quia paroxysmus est vox græca, accessio latina, quæ idem significant. Sed si volumus maxime continuatum facere Hippocratem cum superioribus, dicendum, quod cum accessio in superiori fuerit duplex, quædam quæ tria tantum tempora includit, quædam quæ quatuor; & heic nomine accessionis vtramque intelligi. Sed dices: videtur expositio hæc Galeno aduersari: quia Galenus, exponens quid sit intelligendum per accessionem, dicit esse intelligendam deteriorem partem periodi; & declarat quid intelligat per hanc deteriorem partem, & ait, quod intelligat principium, augmentum, & consistendi tempus: quare excludit declinationem. Interpretatio verborum.
E Sed diligenter sunt verba Galeni consideranda & reuera dicendum est, Galenũ isthæc dicere. Sed ea profecto in medio commenti dicit: ibi autem non explicat, neque primam partem neque primum verbum aphorismi; sed explicat eam particulam, in qua ait Hippocrates; *Et circuituum successiua incrementa*: & ideo ponderans particulam circuituum, & accessionem in circuitu; per accessionem ipse dicit esse intelligendã tria tempora. Cum hoc ergo dicat Galenus in media parte commenti, ad aliud respiciens: ideo auctoritas non stat ad propositum. Vnde accessiones vtroque modo intellectas intelligit Hippocrates. Dicit ergo: accessiones siue hoc, vel illo die, siue breui, vel paruo tempore durabunt, vel cito, vel tarde fiant, indicabunt anni tempora, & quæ sequuntur, &c.

Et constitutiones. Constitutio bifariam accipi potest: altero modo pro vniuerso morbo, prout dicitur morbus vel acutus, vel peracutus, vel chronicus; altero modo pro vigore morbi, quomodo hic ac-
F cipitur.

Subdit, *Morbi indicabunt*: dicit autem non sine ratione indicabunt, & non indicant: quia hic non loquitur de cognitione, sed præcognitione; quomodo verba facit de accessione & vigore, nõ præsentibus; sed futuris. Sed quomodo morbi indicent accessiones & vigores, Galenus declarat in commẽto: & primo se excusat, si in hac materia breuiter discurrat: quia hæc declarauit ipse cũ Hippocrate in libris epidemiorum, & potissimum in libris prognosticorum: præcipue autem ipse Galenus in libris de crisibus & ideo sat Galeno erit, vt ea omnia, quæ diffuse in his libris tractata sunt, hic per summam repetat.

Morbi indicabunt. Per morbos intelligit naturam morbosam. Morbus autem duplex est, quidã qui corpus vniuersum occupat, & dicitur morbus vniuersalis, vt febris: quidam, qui occupat determinatam corporis partem, & dicitur morbus particularis. Galenus autem in commento declarat, cur morbus, siue Morbi vt præmonstrẽt accessiones & vigores futuros.
G vniuersalis, siue particularis, habeat vim præmonstrandi tum accessiones, tum constitutiones.

Et primum, quantum ad morbum vniuersalem, id est, febrem: febris est in duplici differentia, vel intermittens, vel continua: intermittens trium tantum est specierum, prout tres tantum sunt periodi: quia vel est periodus de tertio in tertium, vel de quarto in quartum, vel singulo quoque die. Habent autẽ hac ratione vim præmonstrandi vigores, & accessiones: nam si febris (inquit) pituitosa fuerit, habet quod

accessiones sint longiores, quodque morbi vigor tarde futurus sit, & non cito. Si vero habuerit accessio-
nem de tertio in tertium, significat, quantum est ex natura humoris proprii, futuras accessiones breuio-
res, & statum etiam cito aduentaturum. Si vero fuerit febris de quarto in quartum, indicat accessiones
longas, & longissime statum futurum. De febribus autem aliis intermittentibus, quæ a sanguine ortum
habent, siue tertio quoque die fiant accessiones, vt in biliosis, siue quarto quouis die, vt in melancholicis;
nunc non intendimus pertractare: non enim statuimus signa omnium febrium enumerare, quibus pri-
mo die quiuis medicus possit cognoscere species febrium, quænam sint: licet Galenus febrem intermit-
tentem ex sanguine, secundo de differ. feb. capite nono, & secundo de crisib. duodecimo, quodammodo
biliosam vocet; quia habeat accessionem de tertio ad tertium, vt biliosa. Quo autem ad febres continuas;
dicit Galenus, quod febres incendentes indicent accessiones breuiores, & statum cito futurum: febres
succendentes, statum tarde futurum, & longiores accessiones; semitertianæ autem medias accessiones, & B
statum: accessiones quidem nec longas nimis, nec nimis breues: statum nec multo post, nec valde cito fu-
turum. Ratio autem est, quia per febres incendentes intelligit febres, quæ fiunt a calidis & biliosis humo-
ribus, qui facile accenduntur: succendentes, quæ a pituitosis, vel melancholicis, qui non ita facile inflam-
mantur. Semitertianæ autem fiunt ex humoribus mixtis, ex his scilicet qui facile accenduntur, & ex his,
qui non facile incẽduntur; & ideo habent vigores, & accessiones medias. De ephemeris autem & hecticis
febribus hic verba non faciemus: nam noster scopus non est de signis febrium loqui.

Accedamus ad morbos particulares hi indicant tum vigorem, tum accessionem morbi. Quantum
ad accessionem: dicit Galenus, quod pleuritis, & phrenitis indicent vt plurimum accessionem de tertio in
tertium: quia ex biliosis humoribus excitantur. Si vero morbus circa ventriculum, & illas partes fuerit, in-
dicat accessionem singulis quibusuis diebus: quia solent illis partibus affectis promoueri febres ex pitui- C
tosis succis. Si vero morbus circa lienem fuerit, tunc indicat accessionem de quarto ad quartum. Quantũ
vero ad vigorem, dicit Galenus, quod pleuritis, & phrenitis indicent cito futurum vigorem: quia se ex-
tendunt hi morbi ad summum vsque ad quartumdecimum, si scilicet morbi exquisiti fuerint. Sic si fuerit
angina, & cholerica affectio, adhuc citius futurum statum indicant: nam & septimo, & quarto hi morbi
terminantur, & ideo sunt peracuti morbi. Quod si fuerit suppuratio, atra bilis & alii morbi circa ventri-
culum, & lienem; hi statum futurum tarde præmonstrant; quia sunt morbi chronici.

Adiuncta morbo, vti præmonstrẽt accessiones & vigores.

Subdit Hippocrates, *Et anni tempora.* In qua parte Hippocrates ponit signa præmonstrantia vigo-
res, & accessiones morbi, quatenus capiuntur ab annexis morbo. Sed quæ sunt hæc morbo annexa? Re-
spondet Galenus, potissimum esse temperaturam, ætatem, consuetudinem, vitæ industriam, atque ipsum D
aerem; & per aerem intelligit tempus anni, regionem, & cœli statum. Vnde obseruate maximum artifici-
um, & summam breuitatem Hippocratis: quia solum proposuit tempora anni: nam ipse considerauit, si
tempora anni habeant vim indicandi futurum vigorem, & futuram accessionem, multo magis hæc indi-
cari a temperatura, ætate, consuetudine, &c. Ideo voluit proponere tempus anni, vt si habeamus id, quod
minus videatur posse id facere, colligamus multo magis id posse facere ea, de quibus magis videtur, vt o-
ptime Galenus in commento adnotauit.

Quantum igitur ad anni tempora, dicit Galenus: si fuerit febris tempore æstatis, indicat accessionẽ
esse futuram de tertio in tertium, ac breuem etiam futuram; atque insuper statum morbi cito futurum. Si
vero fuerit tempus autumni, indicat accessiones futuras de quarto in quartum, ac etiam longiores, ac sta-
tum etiam longum. Quod si hyemale fuerit tempus, indicat accessiones singulis diebus futuras, & lon- E
giores, ac morbi etiam statum tarde adfuturum. Et propterea dicebat Hippocrates, quod febres quarta-
næ sint longæ, præcipue quæ hyemem attingunt; quia ratione frigiditatis aeris febres protrahuntur. Et
ob id etiamsi biliosa fuerit febris, sua natura breues habens accessiones, ac statum celerem: tamen si hye-
me aduenerit, poterimus prædicere accessiones futuras longiores, ac statum tardius aduentaturum, quam
pro natura febris biliosæ requiritur. Sed hæc facilia sunt. Imo ex his facile colligere potestis regionem, ac
aeris constitutionem. Hæc enim respondent temporibus anni. Imo facile etiam valebitis alia coniectare,
vt temperaturam, ætatem, vitæ industriam, ac consuetudinem: nam si temperatura corporis calida fuerit,
indicat accessiones breuiores, & de tertio in tertium, & statum cito adfuturum: opposita indicat tempe-
ratura frigida. Sic de ætatibus dicendum: nam si fuerit quis in ætate puerili, cum ea in ætate, ratione mali
victus & ingluuiei multi pituitosi humores aggregentur; indicat accessiones futuras longiores, ac singulis F
diebus, & statum tarde futurum: secus de ætate iuuenili & adolescentia, in quibus dominatur bilis; vnde
ætas hæc æstati correspondet: si autem fuerit ætas consistens, in qua multus aggregatur melancholicus
succus, de quarto in quartum significat accessionem, ac longissimum, & tardissimum statum; in senili vero
ætate, cum in ea multa generetur pituita, accessiones longæ, ac quotidianæ, statusque etiam tardus indi-
catur. Quod si vitæ industriam spectabimus: si præcessit vita otiosa, cuius ratione multa congeritur pitui-
ta, ac cruditas, indicatur accessio quotidiana, & longa, ac status tardus. Si vero vitæ industria præcesserit bi-
lem aggregans multam, accessio breuis, tertianaria, & status cito futurus significatur. Idem de consuetu-
dine dicendum: nam si quis fuerit assuetus incidere in febrem de tertio in tertium inuadentem, ac habere
fuit solitus breues accessiones, & statum celerem; nunc autem incidat in febrem: iudicandum est, accessio-
nem, ac statum breuem, & citum, & de tertio in tertium: & sic de aliis. Et hæc omnia Hippocrates paucis G
voluit complecti, cum dicit; *Et anni tempora.*

Accessionis incremẽta, vt præmonstrẽt accessionem & vigorem.

Post quæ addit, *Et circuituum successiua incrementa, siue quotidie siue alternis diebus, siue per maiora
interualla fiant.* In fine primi aphorismi huius partis Hippocratis proponit futuram accessionem, ac fu-
turum morbi vigorem, sumta indicatione non a toto morbo, sed ab augmento particulari ipsius. Et pro-
pterea dicit: *Et circuituum, &c.* Gal. in commento dicit, quod per circuitum intelligat reditum a simili in
similes

A ſimile:ſed hoc ſuperiori declarauimus commento. Proponit autem incrementa,quæ ſunt in circuitu,& periodo,quæ tamen incrementa potiſſimum ſunt in acceſſione,id eſt, (vt exponit Galenus) in deteriori parte periodi.Sed quomodo acceſſionis incrementa poſſint tum futuram acceſſionem, tum futurum vigorem præmonſtrare,Galenus ſatis fuſe declarat primo de criſib.16.& 17.vbi monet, vt in acceſſione, & potiſſimum in eius augmento tria obſeruemus:primo anticipationem & poſtpoſitionem acceſſionũ: ſecundo,vt conſideremus longitudinem & breuitatem eorundem:tertio,vt reſpiciamus ad debilitatem & vehementiam ſymptomatum.Ex his tribus Galenus infert,quanto acceſſio magis anticipabit,ac longior fuerit, & cum vehementioribus ſymptomatibus, eo magis febrem properare ad ſtatum: quanto autem magis acceſſiones oppoſito modo ſe habebunt,oppoſitum indicabũt. Heic vero aduertendum cum Galeno,locis citatis,ne decipiamur;ne,videntes acceſſiones interdum anticipare,credamus,in augmento eſ-
B ſe morbum;vel vidẽtes acceſſiones poſtponere,arbitremur febrem eſſe in declinatione:quia poſſibile eſt, vt anticipet in declinatione acceſſio,& vt poſtponat,ac vt febris ſit in augmẽto:nam ſunt quædam febres, quæ a principio ad finem vſque ſemper progrediuntur anticipando,quædam contra ſemper poſtponendo;& ideo non debemus arguere ex anticipatione,& poſtpoſitione acceſſionum, febrium augmentum, vel declinationem:& præcipue ſi conſiderauerimus ſimplicem anticipationem,vel poſtpoſitionem:nam (vt dicit Galenus) conſiderare oportet, an anticipatio ſit anticipatio conueniens pro natura febris, an multo maior anticipatio,quam ei congruat: verbi cauſſa, ſi videbimus anticipationem eſſe vnius horæ, non ob id arguemus augmentum:ſed ſi vel per duas,vel tres horas magis anticipabit,quam naturæ febris conueniat,prædicere recte poterimus in augmento eſſe febrem,& ad ſtatum properare. Pariter ſi poſtpoſitio ſit maior,quam naturæ febris conueniat;febrem prædicere poterimus in declinatione.Hæc ergo
C ſunt ſpectanda ad cognoſcendam futuram acceſſionem, & vigorem. Præterea etiam ſpectare debemus longitudinem & breuitatem acceſſionum,& vehementiam ſymptomatum;nam ſi hæc cognouerimus,ꝙ verbi cauſſa,anticipauit febris per tres horas,cognoſcemus etiã, quod in futuro tempore anticipabit per tres horas:& ſic ſciemus inſtituere congruam victus rationem: & ſic in aliis. Et hoc voluit Hippocrates, cum dicit: *Et circuituum ſucceſſiua incrementa.*

Deinde ſubdit, *Siue quotidie*, vt alluderet ad febrem pituitoſam; *ſiue alternis diebus*, vt ſignificaret febrem bilioſam; *ſiue per maiora interualla*. Hæc particula maximam ingeſſit difficultatem interpretibus. Ego autem,vt omnia ſint dogmatibus Hippocratis conſona,exponam Hipp. cum Hippocrate. Per maiora ergo interualla intelligere oportet:acceſſiones de quarto in quartum, de quincto in quinctum, de
D ſeptimo in ſeptimum,de nono in nonum;nam ex Hippocratis ſententia,1.epid.ſect.tertia, partic. ſecunda,& ſeptima,ac nona,dantur febres non modo quartanæ,ſed quinctanæ,ſeptimanæ, & nonanæ. Ergo per maiora interualla quartanas febres intelligemus,quinctanas, ſeptimanas, & nonanas, cum eodem Hippocrate. Fundamentum autem eius maximum profecto fuit:quoniam agens quodlibet,ſiue a proprietate occulta agat,ſiue per manifeſtas qualitates,neceſſe habet vt ſit in determinata quantitate,quodcunque ſit illud agens:quæ propoſitio eſt ſatis euidens:nam,exempli cauſſa, magnes non trahet ferrum niſi in debita fuerit quantitate; imo quanto in maiori copia fuerit magnes, tanto vehementius ferrum attrahet.Idem poteſt probari ex his,quæ euidenti qualitate agunt:nam etſi piper, vel cinnamomum calefaciunt, tanto inſignius operantur, quanto ſunt in maiori copia;iuxta illud:in maiori quanto maior eſt virtus:ſi enim quantum in minori fuerit copia,quam oporteat,vel actio non fiet,vel diminute fiet. Vnde
E mirum videri non debet,ſi materia melancholica,quæ de quarto in quartum affligit, ſit in minori copia, quod non poſſit efficere periodum quartanariam;ſed eam efficiat vel de quincto in quinctum, vel de ſeptimo in ſeptimum,vel de nono in nonum.Sed cur non ita de ſexto in ſextum?

Incrementa quotidie, alternis,& e maioribus interuallis facta.

Galenus quidem non videtur admittere has febres de quincto in quinctum,&c.Modernus nititur hic Hippocrati Galenum concordem reddere:nam ipſi ſermo de his febribus de quincto in quinctũ,&c. poteſt eſſe duplex:aliter,vt has febres fieri a determinatis humoribus dicamus:reliquus,ſi dicamus febres has fieri poſſe non a determinatis humoribus, ſed ab errore in victu. Hoc conſtituto, dicit Modernus, Hippocratem proponere has febres,non quatenus fiunt ex determinatis humoribus, ſed ex errore in victus ratione:Galenus vero reprobat has febres in hoc ſenſu ſcilicet vt dicamus fieri ex determinatis hu-
F moribus;non tamen negat fieri poſſe ex mala victus ratione.Sed nullo pacto poteſt concordia hæc conſiſtere.Primo quoniam Galenus vult expreſſe aduerſari Hippocrati in locis allegatis: imo nonnullas aduerſus Hippocratem adducit rationes,vt patet intuenti.Præterea ſi hæ febres fiunt ex mala viuendi ratione ſecundum Hippocratem,nempe quinctana,ſeptimana,&c.quæro,cur Hippocrates citatis locis dicat, quinctanam eſſe febrem malignam,& peſſimi moris,ſeptimanam,& nonanam benignam? Nam ſi quinctana,quæ ex ſola viuendi ratione fit,eſt maligna:ergo quid dicendum erit de quartana, quæ ex prauo humore determinato fit?Multo enim magis maligna febris eſt,quæ fit ex determinato humore, quam quæ ex ſolo errore in victu:& tamen quartana maligna non eſt. Amplius hæ febres habent determinatam periodum de quincto in quinctum, de ſeptimo in ſeptimum, &c. ergo ab indeterminata cauſſa proficiſci non poſſunt:nam effectus determinatus a cauſſa profluit determinata. At error in victu indeterminata cauſſa eſt.Ergo febris quinctana,&c.non poſſunt proficiſci ab errore in victu.Præterea,quid voluerit hic
G Hippocrates,videamus.Dicit; *Siue quotidie.* Per quod ſine dubio quotidianas febres, quæ ſingulis diebus inuadunt,intelligit:ſed hæ febres nõ fiunt ab errore in victu ſingulis diebus;ſed ab humore determinato. Deinde dicit; *Siue alternis diebus.* Per quæ verba tertianarias periodos,ratione determinati humoris, non erroris in victu,intelligit.Ergo ſi paritas in dictis Hippocratis eſt ſeruãda, vtq; non conturbentur verba eius,aſſerendũ eſt,ꝙ cum ait, *Et per maiora interualla*, intelligat febres,non ex ratione victus tales habẽtes

periodos;sed ex humore determinato. Quare concordia hęc doctrinam Hippocratis euertit,ac vndequaque interturbat,atque Galeno etiam contradicit.

Nos tamen cum Hippocrate dicimus,dari posse quinctanam febrem, septimanam, & nonanam. Sed quinctana est pessimi moris:quia fit ex humore melancholico exusto,& ex atra bile:omnis autem febris,quæ accenditur ex atra bile semper pessimi moris est:septimana autem & nonana fit ab humore melancholico naturali.Et hæc quo ad primam partem,seu quo ad primum aphorismum huius partis.

De circuitu um febriliũ caussa.

Nunc quæstionem de Periodicatione breuiter ante secundi aphorismi expositionem tangemus. Quæ quidem quæstio difficillima mehercle est,vt aliqui sint coacti doctissimi viri ad caussas occultas deuenire,aliqui eas fuerint adspernati. Nos tamen etiam facilem (vt par est) reddemus,atque summa cum breuitate.Ne autem confusio in animis vestris generetur:hoc in ea examinanda ordine procedemus:primo cur accessiones reuertantur videbimus:secundo,cur hæ accessiones inter sese discrepent; ita vt pituitosæ frequentius,biliosæ rarius,rarissime vero melancholicæ inuadant,coniectabimus:tertio,cur frequẽtia pituitosæ febris in hoc consistat, vt quotidie inuadat; biliosæ alternis diebus;melancholicæ autem de quarto in quartum,inquiremus.Non est autem arbitrandum,secundum & tertium idem esse. Namque potuisset quis dicere,esto,quod pituitosa febris habeat accessiones frequentes,biliosa raras,quartana rarissimas:nonne ita istud potuisset fieri,vt pituitosa de tertio in tertium;biliosa de quarto in quartum;melancholica de quincto in quinctum,inuaderet?cur itaque necessario singulis diebus prima; secunda tertio quoque die;tertia singulis quatuor diebus exæstuat?Atque his absolutis,vniuersa hæc de periodicatione materia absoluetur.

1. Cur in febribus reuertantur accessiones: quia scilicet permanent caussæ.

Quo ad primum:respondemus cum Galeno,secundo de differ.feb. vltimo, ad hoc, vt reuertantur accessiones,necessarium esse caussas inuasionis conseruari.Namque (dicebat ipse) ideo fit accessio, quoniam materia vel a venis ad extra venas,vel a venis magnis ad paruas,defluit.Quo fit,vt ad accessionem faciendam requiratur materia peccans,quæ vel transmitti, vel saltem attrahi debet:fluxio enim per attractionem fit:& ideo præter peccatum materiæ requiritur etiam vitium membri mandantis,ac membri recipientis.Vnde paucis se expedit Galenus ibi, quod quousque perseuerabit mala affectio in parte mandante,ac in parte suscipiente, ac materia ipsa peccans, semper reuertetur accessio: quod si hæc deficiant,non amplius redibit accessio.Hæc quo ad primum.

2 Cur citius reuertantur accessiones pituitosæ febris.

Quo ad secundum autem,nunc oportet animum intendere,cur pituitosa febris frequentes habeat accessiones;biliosa rariores;melancholica rarissimas. Quam etiam opinionem Plato in Timæo propalauit:quamuis ei quodam pacto Galenus aduersari videatur. Dicit enim Plato, continuas febres ex igne, quotidianas ex aere,biliosas ex aqua,melancholicas autem ex terra fieri,ac construi.Hæc vero dicit Plato, respiciens ad motum harum febrium:& quoniam continua febris velocissime,imo assidue mouetur;dicit ex igne eam fieri:est enim ignis maxime actiuus,& maxime velox inter elementa. Quotidianam vero ex aere dicit fieri, non respiciens ad humorem, ex quo fit,sed ad motum; & ideo dicit ex aere;quoniam aer segnior est igne,& magis mouetur,quam aqua,& terra;vt ideo quotidiana segnior sit continua, ac magis moueatur,quam biliosa,ac melancholica:quia singulis quibusque diebus mouetur, cum *illæ* de tertio in tertium,& de quarto in quartum moueantur.Biliosa vero est ex aqua,non quantum ad humorem, quia aqua frigida,& humida,ipsa vero calida est & sicca;sed quo ad motum,quia segnior est pituitosa, vt aqua segnior est aere;sed velocior melãcholica,vt aqua est velocior terra.Melancholica vero febris fit ex terra, ex pigerrimo elemento:quia habet accessiones tardissimas.

Sed quænam est caussa frequentiæ,& tarditatis in accessionibus?Breuiter(aliis posthabitis,) dicendum,quod id fit ex duobus:tum ex materia efficiente accessiones, tum ex illo inquinamento, & cinerulento,quod relinquitur in fine accessionis. Vnde illa febris,in qua sunt hæc duo valentiora, habet accessiones frequentiores.Cum hæc itaque magis possint in pituitosa,minus in biliosa,& multo minus in melancholica:ideo prima frequentissimas accessiones habet,secunda rariores,tertia rarissimas.

Sed hæc ostendenda sunt.Et consideremus primo *materiam*:namque materia febris pituitosæ citius generatur,& in maiori copia,quam materia febris biliosæ & melancholicę:Fundamentum autem,quo istud non modo persuaderi,sed demonstrari etiam potest,tale est: quoniam materia pituitosa generatur ex parte viscidiori,& crassiori,ac humidiori chyli:hæc autem pars in chylo sine dubio alias omnes partes excedit.Præterea aliud accedit;nam cum quilibet humor generetur in corpore a calore naturali; ille humor citius generatur,& in maiori copia,in quo fit minor resolutio: quando enim agens in materiam agit facile resolubilem,ex ea non potest aliquid nisi longo tempore generare. Resolutio autem hæc potest ex duobus pendere,& ex materia,prout ipsa suapte natura magis & minus est resolubilis,& ex calore, quatenus calor vel est insignior & vehementior,vel debilior potius.Vnde in febre quotidiana habemus materiam pituitosam,passum scilicet ipsum,quæ cum suapte natura viscida sit,difficile potest pati resolutionẽ: si consideremus etiam eius calorem,calor est satis diminutus,& non ita intensus,vt in biliosa febre: licet enim in qualibet febre sit calor extraneus adurens,& igneus,tamen est multo magis igneus calor in biliosa,quam in quacunque alia:& ob id nõ est mirum,si pituitosa materia citius,& in maiori copia generetur. Si vero biliosam consideremus materiam,hæc fit ex tenuiori parte chymi in iecore, quæ non est in tanta copia,vt erat portio chyli in ventriculo,ex qua fiebat materia pituitosa. Præterea hæc materia licet etiam pauca sit,tamen vltra hoc facile resoluitur,tum ratione intensissimi calidi, validissime resoluentis,tum ratione materiæ biliosæ,quæ suapte natura facile resoluitur. Si vero materiam melancholicam consideremus,ea fit ex parte crassiori chymi:& quamuis in chylo pars crassior in maiori generabatur copia, oppositum est in chymo,quod pars crassior in minima gignitur quantitate: & hinc est, quod tardius,quam bilis generatur hæc materia,licet non ita facile resoluatur,vt bilis;nam & in minori copia producitur,ac etiam

non

A non habet eam acrimoniam, quam habet bilis, per quam poteſt ſtimulare naturam ad expulſionem. Quod ſi ſanguinem poſtea conſideremus, idem eſt de ſanguine dicendum, quod de materia billioſa, & melancholica; nam febris ſanguinis, vel bilioſa eſt, vel melancholica: non enim febris ſanguinis fieri poteſt, niſi ſanguis putreſcens vel in bilem, vel in melancholiam vertatur; tenuior quidem pars ſanguinis in bilē, craſſior vero in melancholiam: opus namq; eſt, vt ſanguis degeneret in aliam naturam, vt ſecundo de diff. feb. & ſecundo de criſ. vtrobique capite nono, dicebat Galenus.

Quantum vero ad *inquinamentum*; nos per inquinamentum, cum Galeno tertio de præſagit. ex pulſ. capite ſeptimo, intelligimus illud, quod in acceſſionibus relinquitur; ſumto exemplo a lignis ardentibus: inquit enim; quemadmodum, dum igni ligna admouemus, niſi ignis exſtinguatur, primum incipit
B apparere fumus; cum vero ligna incipiunt excandeſceree, tunc duas obſeruamus in eis partes, alias ſurſum adſcendentes, quæ non ſunt fumus, ſed materia fuliginoſa; alias deorſum cadentes, & ſunt cinis. Pariter in febribus, dum ratione caloris febrilis excitantur humores exuſti, vna eſt portio eorum quæ eleuatur, & ſunt fuligines ipſę, quæ beneficio arteriarum expelluntur: altera portio eſt, quæ decidit, veluti cinis, & hanc partem appellamus cinerulentum, & coinquinamentum. Hoc autem diuerſimode ſe habet, pro diuerſitate febrium, a quibus excitatur. Vnde, cum in pituitoſa febre ſit copioſum & humidum, eſt etiam in cauſſa, cur acceſſiones citius reuertantur: talis enim materia pituitoſa difficile accendi poteſt: & hoc propoſitum fuit a Galeno ſecundo de differentiis febrium quarto, ita ad verbum dicente: cum febris pituitoſa pendeat ex craſſo, lento, frigido, & humido humore, qui non ita facile accenditur, nec ex toto accenſus reſoluitur, ſed multum in ea relinquitur inquinamenti, quod poſtea ſuccendi po-
C teſt, &c. De bile autem aliud etiam dicit: quoniam bilis ita accenditur, vt nihil fere in ea linquatur inquinamenti, quod poſtea ſuccendi poſſit. De melancholia vero ita dicit, quod licet difficultate accendatur, tamen accenſa poſtea ita conflagret, vt nihil quaſi derelinquatur. Quibus modo conſtitutis, facile eſt aſſerere febrem pituitoſam frequentiores habere acceſſiones; quia fit a materia quæ citius regeneratur; præterea in ipſius acceſſione relinquitur inquinamētum copioſius, & humidius. Sic enim ſecundo de differen. febr. quarto Galenus, dicit: *cum plurimum in pituitoſa febre relinquatur inquinamenti, hinc eſt, quod accelerat eius inuaſio.* Ex quibus verbis expreſſe colligitur, cauſſam inuaſionis & acceſſionis eſſe inquinamentum. Febris vero bilioſa habet rariores acceſſiones neceſſario: quoniam fit ex materia, quæ non ita cito regeneratur, & præterea non linquit inquinamentum in ea copia. Febris denique melan-
D cholica rariſſimas ſortitur periodos, quia fit ex materia, quæ adhuc tardius regenerari poteſt, & inquinamentum in acceſſione eſt in minima copia; ac præterea ſiccius eſt inquinamentum, ac ob id non ita facile accendi poteſt. Idem etiam de febre ſanguinea, quæ quodammodo bilioſa, quodammodo melancholica exſiſtit, dicendum.

Quoad tertium, quare pituitoſa febris quotidie inuadat, & non alternis diebus, ſicut bilioſa; & bilioſa alternis quidem diebus, & non de quarto in quartum, ſicuti melancholica? Dicendum, aliis omiſſis, quod nulla alia eſt huius rei cauſſa, quam natura humoris efficientis acceſſiones. Dicebat enim Galenus ſecundo de differ. febr. capit. vltim. quod varietur ordo acceſſionum, quia humor mutetur in alteram naturam, id eſt acceſſiones de tertio in tertium, mutantur, de quarto in quartum; quia humor bilioſus in melancholicum mutatur. Ergo cauſſa periodi eſt determinatus humor. Sed cum ſit hæc natura humoris cauſſa huius periodicationis; debemus ne dicere naturam hanc eſſe a cauſſa occulta, vel manifeſta? & ſi ab occulta, num diuina? Dicendum, cum natura dicatur tum de forma, tum de materia: nobiliori autem modo de forma, quam de materia: propterea cum dicimus naturam determinati humoris eſſe periodicationis cauſſam: per naturam intelligi formam ſubſtantialem, de prædicamento ſubſtantiæ ipſius humoris. Cum autem hæc forma nos lateat, quia rerum formæ ſunt nobis occultæ; idē dicere ſolemus, hoc dependere a forma occulta, id eſt, a tota forma illius humoris: quæ forma ſubſtantialis, cum naturalis ſit, eſt generabilis, & corruptibilis, & non inducitur, ſed educitur de potentia materiæ. Deducitur autem ex materiæ potentia, omnibus optimis peripateticis atteſtantibus, beneficio duplicis agentis: nimirum agentis, vniuoci, & particularis, & beneficio agentis æquiuoci, & magis vniuerſalis: iuxta illud, ſol & homo hominem generant. Homo enim ab homine generatur, vt ab agente vniuoco & ſpeciali: a ſole, vt ab agente
F generali, & æquiuoco, mediante lumine & motu. A pari hæc forma propria generatur in hoc humore ab agente particulari, & ab agente vniuerſali etiam, vt a cœlo; omnia enim a cœlo dependent, primo meteororum atteſtante Philoſopho. Vnde cum dicimus hunc effectū dependere a qualitate occulta: ſi per hanc qualitatē occultam intelligamus formam, quatenus educitur merito agentis particularis, & propriis; tunc non eſt recurrendum ad influxiones cœleſtes, conſtellationes, & alia, ad quæ hi, qui de periodicatione loquuntur, refugiunt. Sed ſi conſideremus hanc formam, quatenus educitur ab agente vniuerſa; ad cœleſtia recurrendum eſt: nam cauſſa vniuerſalis cœlum eſt.

3. Cur pituitoſa quotidie, bilioſa alternis, melancholica quarto die exacerbetur

Concludentes itaque materiam de periodicatione, dicimus, ſi ſermo ſit de reditu, cauſſam eſſe manifeſtam; ſi ſermo ſit de frequentia, cauſſam etiam eſſe manifeſtam: at ſi ſermo ſit de determinata frequentia, cauſſam aliam non eſſe, quam formam ſubſtantialem huius & illius determinati humoris. Et hæc de
G quæſtione: & de prima parte aphoriſmi.

Subdit deinde; *Sed ex his, quæ mox apparent &c.* Cum in priori aphoriſmo locutus eſſet Hippoc. de ſignis indicantibus tum acceſſiones, tum conſtitutiones, quatenus ſigna hæc capiuntur a toto morbo, & ab annexis morbo, & a partibus etiam morbi, id eſt, ab acceſſione: nunc in hoc 2. aphoriſmo proponit ſigna deſumta ex mox apparētibus. Non exſpectetis autem a me id, quod alii faciunt, quod fere vniuerſam proponunt de ſignis tractationem: hic enim non de ſignis ſermo fit, ſed de victu; obiter autem de ſignis. Et ob id etiam Gal. non omnia ſigna tractat, ſed quæ magis faciunt ad propoſitum: quod nos etiam facie-

Altera pars aphoriſmi: de ſignis, ſumtis a mox apparentibus.

mus. Dicendum ergo licet plures sint signorum differentiæ; attamen non postremas esse illas, secundum A
quas dicere solemus, quod sint quædam signa quæ vna cum morbo inuadunt, progrediuntur, ac desinũt,
& talia a Galen. dicuntur παθογνωμονικὰ, quæ ita morbum comitantur, vt vmbra corpus: quædam signa
non necessario inuadunt cum morbo, nec necessario desinunt cum eo, sed aliquando sic, aliquando non;
& hæc a Galeno mox apparentia signa nuncupantur. Et de his hoc in loco loquitur Hippocrates. Sed
quis dicet: si dantur signa pathognomonica, moxque apparentia: cur Hippoc. de mox apparentibus lo-
quitur, & de pathognomonicis ne verbum quidem facit, cum sint multo maioris momenti? Hanc quæ-
stionem nemo mouet: vnde maxime de his miror, qui tam copiosam tractationem de signis fecerunt,
quod hanc nullo pacto tetigerint. Dicendum autem, quod summus vir fuerit Hippocrates, & ideo maxi- B
me studere debuerit breuitati. Sed non ita debuit breuitati studere, vt quæ necessaria sunt prætermitte-
ret. Vnde dicendũ, quod hæc signa pathognomonica Hippocrates maxime proposuerit, ac maxime pro-
ponere debuerit. Proposuit autem in aph. i. in prima parte; dicit enim, *Accessiones & constitutiones morbi in-
dicabunt*. Per morbum intelligit speciem, idæam, ac formam morbi. e.g. pleuritis ex sua propria specie in-
dicat; statim enim indicat futurum morbi vigorem, & terminandam esse accessionem. Exponens itaque
Hipp. speciem morbi, necessario etiam intelligit signa parthognomonica. Idq; facile est assequi: nã si quis
E.C. dicat, est dolor lateris pungitiuus, cum difficultate anhelitus, cum tussi, febri continua, ac pulsu serri-
no: ergo morbus cito statum habebit. Ecce, ex his signis habetur, cito futurum esse statum, idque habetur
ex specie morbi. Nam valet: adsunt hæc quinq;, ergo cito est futurus status. Valet: est pleuritis; ergo status
cito futurus. Vnde diuinissimus Hippocrates maximo artificio proponens morbi speciem, noluit expres- C
se ponere signa pathognomonica: quia ea necessario includuntur in morbi specie. Proposuit autem mox
apparentia: quia non necessario includuntur; cum dicit, *Sed ex his, &c.* Quasi dicat: cũ accessiones, ac con-
stitutiones indicentur ex specie morbi; non modo ex specie morbi indicantur, & ex signis pathognomo-
nicis, sed ex his quæ mox apparent.

Verum hæc mox apparentia signa considerare oportet: nam in his fere omnes decipiuntur: diui-
dentes enim signa mox apparentia, ex sententia Gal. in hoc comm. dicunt, cum ita diuidere signa; vt signa
mox apparentia eadem sint, quæ signa assidẽtia; quæ subdiuiduntur in critica, & non critica signa; in signa
salutis, & mortis; & in signa cruditatis, & coctionis. Sed, vt opinior, ita non dicit Galenus: quia ipse (vt vi-
deri potest) diuidit signa mox apparentia in signa assidentia, salutis, & mortis, &c. Et ideo ipse non acci-
pit signa assidentia vt genus, quæ postea diuidat in signa coctionis, & cruditatis, &c. sed pro genere acci- D
pit signa mox apparentia, & sub hoc genere collocat signa assidentia, critica & non critica, coctionis, &
cruditatis, salutis, & mortis. Præterea signa assidentia ad propositam materiam non conducunt; nam non
indicant, nec accessionem, nec cõstitutionem morbi; sed potius locum affectum: E. C. dolor circa clauem
& circa præcordia; si circa præcordia, indicat potius affectam esse inferiorem partem pleuræ; si est dolor
circa clauem, indicat potius affectam partem superiorem. Pariter decubitus ægri in pleuram, vel in latus
læsum, vel opposito modo, est signum assidens: nam grauis decubitus circa latus læsum, indicat in flamma-
tionem occupantem exteriorem partem pleuræ: si est grauis decubitus in opposito latere, indicat potius
inflammationem interioris partis pleuræ: si est æque grauis decubitus in vtramq; partem, indicat in flam-
mationem æque grauem in parte tum exteriori, cum interiori pleuræ. Et propterea nos cum Philotheo
(qui multo melius intelligit Gale. quam recentiores) dicimus, quod signa mox apparentia vel sint critica E
vel non critica; vel coctionis & cruditatis; vel salutis & mortis.

Sed discurramus per hæc: & primo, quantum ad signa critica, quæ crisima, & decretoria vocantur a
Gal. hæc non apparẽt in morbi principio, accipiendo principium pro prima parte morbi: quia si adessent
in principio, non mox apparerent: sed apparent hæc signa vel in principio, (accipiendo principiũ pro tri-
bus primis diebus) vel in principio, accipiendo principium pro quarta morbi parte: at præcipue circa vlti-
mam partem principii, quæ adnectitur augmento; apparent etiam in augmento, & statu hæc signa critica.
Hæc autem sunt (dicit Gal. vel rigor insignis, vel fluxus sanguinis e naribus, vel vomitus, alui profluuium,
sudor, nox ante accessionem molesta, & alia a Galeno in com. proposita. Hæc autem signa crisima vel iun-
guntur cum signis coctionis, vel cum signis cruditatis. Si cum signis coctionis, indicant non modo statum
morbi futurum salubrem, sed cito etiam futurum; vt quanto citius signa coctionis apparuerint, tanto ci- F
tius futurus sit status. Si vero cum signis cruditatis, tunc vel indicant mortem, vel saltem morbi statum se-
rius futurum. Ideo distinguuntur signa critica a signis coctionis: quia coctionis signa semper sunt bona,
signa autem critica bona sunt, si iungantur cum signis coctionis; at si iungantur cum signis cruditatis, sunt
mala. Præterea etiam habemus, cum in aliquo morbo apparent signa critica (ceteris omnibus existenti-
bus paribus) morbũ futurum breuiorem, quam eum morbum, in quo hæc non apparent: nam vbi critica
apparent signa, indicant materiam valenter aduersus naturam pugnare, & e contra, vbi non apparent, in-
dicant defectum huius pugnæ. Modo ille morbus est breuior, in quo valentior est pugna inter morbum
& naturam: ille diuturnior, in quo talis deest pugna.

Sed aduertendum, quod in hoc comm. (vt dixi,) Gal. dicat, signa coctionis non apparere in prin-
cipio morbi: tamen primo ad Glaucon. dicit quod ephemera incipiat cum signis coctionis. Dicendum,
cum hic dicit, in morbi principio non apparere signa coctionis, &c. id intelligendum esse in iis morbis, in G
quibus possunt signa hæc intelligi: at coctio ad materiam refertur: & ideo recte dicebat Gal. signa coctio-
nis non apparere in principio, loquendo de morbis a materia pendentibus, non autem de ephemera quæ
morbus est immaterialis. Cruditatis autem signa in principio apparent, & in morbo salubri per aliquod
temporis spatium perdurant, postea succedit coctio: in insalubri vero fit maior cruditas indies, atque in-
dies, quousque mors adueniat. Vnde modo hæc coctionis signa quanto citius apparuerint, tanto indi-
cant morbum breuiorem: quanto vero tardius apparuerint, tanto magis oppositum est asserendum. Sed

A aduertatis, quod hic Modernus dicit, quod ſigna cruditatis indicent morbum longum futurum, & recte. Sed poſtea addit, cum cruditas apparet, periculum eſſe recidiuæ: quoniam cũ cruditas apparet, noua materia gignitur: fit autem recidiua ex noua materia. Sed hoc falſiſſimum eſt, & aduerſatur Hipp. 2. aphor. 12. aſſerenti, quæ relinquuntur in morbis recidiuas facere conſueuerunt. Si ergo recidiuæ fiunt ex reliquiis morbi: ergo non ex noua materia: nam reliquiæ noua materia non ſunt. Vnde cauſſa, cur cruditas poſſit inducere recidiuam, hæc eſt: quia cum hæc ſigna apparent, indicatur quod in corpore multa ſit copia materiæ crudæ, quæ non poſſit ita ſuperari a natura: nam quamuis ſuperari videatur, tamen reliquiæ quędam linquuntur, quæ ſunt cauſſa morbi futuri: vnde recidiua non fit ex noua materia, ſed ex reliquiis. Et ideo B Galenus de pleuritide loquens in commento dicebat: quoties tertio die apparent ſigna coctionis, tunc pleuritis nõ poteſt protrahi vltra quartumdecimum: imo ſi ante tertium apparebit ſputum, tunc ſeptimo, & ad ſummum 11. morbus terminabitur. Et ideo mirum eſſe non debet, ſi pleuritis in Anaxione perdurauit vſq; ad 34. quia exſpuitio, non apparuit, niſi tardiſſime, id eſt, poſt octauum. Reddebat cauſſam Gal. in comm. quia in illis inflammationibus, in quibus a principio non apparent excretiones, eſt ſignum cruditatis, & craſſitiei inflammationis, quæ vinci non poteſt, niſi longiori tempore, vt fuit pleuritis Anaxionis, quæ ideo longo durauit ſpatio.

Sequitur, *Quemadmodum & in morbo laterali, ſi circa initia ſtatim ſputum, &c.* Quæ ſatis facilia ſunt ex dictis: nam certum eſt, quod ſigna ſumat Hippocr. a morbo laterali, id eſt, a pleuritide: in qua hoc nobis indicatur, quod quanto citius ſputum apparuerit, tanto pleuritis breuior erit. Duo vero tantum C heic declarabimus: alterum circa verba: reliquum circa ſenſum exempli propoſiti. Circa verba Hippocrates dicit, *Statim.* Per quod aliud non intelligit, quam mox apparentia; nam ſi de mox apparentibus verba facit, hæc mox apparent: ſed per ſtatim (vt Galen. exponit in commen.) tres primos dies intelligit. Circa ſenſum autem exempli Hippocratis, vt perfecte illud intelligatur, Galen. propoſuit caſum Anaxionis, qui 3. epidem. ſect. 3. particula 79. fuit ab Hippocrate propoſitus, & a Galen. etiam 3. de criſibus 18. circa quem caſum a me non exſpectetis longiorem diſcurſum, tum quia ex dictis patet, quod in pleuritide quanto citius apparent ſigna coctionis, tanto magis cito morbus ad ſtatum deueniet: tum quia longiſſime circa hunc caſum diſcurrere nihil aliud eſſet, quam de pleuritide ſermonem habere; cum tamen hic Hippocrati non ſit inſtitutus ſermo de pleuritide, ſed de victu.

Verum vnum (ne videamur ex toto laborem ſubterfugere) ponderabimus: cur ſcilicet Hipp. in A- D naxione pleuritide detento venam ſecuit octauo die. Modernus omnia fere a Triuerio capiens dicit, hos eſſe in maximo errore, qui volunt ideo Hippocratem ſecuiſſe in octauo, quia a principio non fuerit accerſitus: quia ſi a principio fuiſſet accerſitus, mox ſecuiſſet venam. Sed inſtant: nam Hippocrates diligenter recenſet quæ a principio vſque ad finem acta fuere: ergo a principio fuit accerſitus. Præterea Hippocrates adhibuit fomenta: ergo a principio fuit conuocatus. Et propterea melius eſſe aiunt, vt dicamus, Hippocratem ſecuiſſe in octauo ob multas cauſſas: primo, vt antequam deueniret ad ſectionem venę, fomenta ſuum perficerent opus; nam non poſſunt in inſtanti fomenta operari. Secunda cauſſa poteſt eſſe (inquiunt) quoniam Hippocrates a principio non potuit cognoſcere, un eſſet pleuritis vera; & ideo fuit opus, vt primo cognoſceret hoc, deinde ſecaret venam. Tertia cauſſa (dicunt) poteſt eſſe, quoniam quoties dolor eſt intenſus, prius eſt ſedandus ille dolor, mox eſt ad euacuationem deueniendum: & ob id inſti- E tutum fuit Hippocratis primo ſedare dolorem, deinde ſecare venam.

Cur Hippocrates pleuritico Anaxioni octauo demum die ſecuerit venam.

Sed hæc omnia quæ dicunt, falſiſſima ſunt: neque eſt ex eis vnum, quod poſſit conſiſtere; idque facile demonſtratur. Primo, cum dicunt Hipp venam ſecuiſſe octauo, vt prius fomenta facerent ſuum munus, & mitigarent dolorem: dico verum eſſe, prius eſſe fomentis vtendum, deinde eſſe ſecandam venam, quando fomenta poſſunt mitigare dolorẽ: ſed quando morb⁹ non cedit fomentis, nõ debetis vti fomẽtis per ſeptem dies; nam fuit etiam ſententia Hippocr. 2. de ratione. vict. 9. ſi fomentis dolor non ſoluatur, non eſſe diutius in fomentis inſiſtendum. Quare expreſſe contradicunt Hippocr. quod a primo ad octauũ fomentis vtatur. Secundo dicunt, octauo ſecuiſſe venam, quia in principio Hipp nõ cognouerit pleuritidem: ſed hoc non eſt dicendum, neque temere de tali viro concedendum: nam eſto, quod nec primo die, neque ſecundo cognouerit pleuritim; tamen tertio vel quarto ſaltem cognouiſſet. Tertio aiunt hoc F ideo Hippocratem feciſſe, quia voluerit prius mitigare dolorem per fomenta. Vt alias declarauimus, propoſitio hæc apud medicos vulgata eſt, quod prius ſit ſedandus dolor, quam ſit euacuandum: quando ſcilicet volumus vacuare, vel inſenſibiliter vt per frictiones, vel per medicamenta calida, & valide attrahentia: ſed cum ſit vacuatio ſenſibilis, ac a longinquis, cuius beneficio euacuatur materia, quæ actu efficit dolorem; tunc quidem non eſt ſedãdus dolor, ſed euacuanda materia per ſectionem venę; nam per ſectionem venæ dolor etiam ſedatur, vt dicebat 1. apho. 23. Gal. vbi inquit, in maximis doloribus nullum præſtantius inueniri remedium, quam euacuare vſque ad animi deliquium.

Et propterea dicimus nos, ſecuiſſe octauo Hippocratem, quia non fuerit a principio accerſitus: quia, ſi a principio fuiſſet conuocatus, ſtatim ſecuiſſet.

Ad argumenta Triuerii facillimum eſt reſpondere. Et ad primum: cum non fuerit a principio ac- G cerſitus, non potuit recte intellexiſſe ea, quæ a principio acta ſunt. An vero adhibuit fomenta die ſexto? Dico quod non adhibuerit ipſe, ſed fuerunt fomenta ab aliis adhibita: tertio enim epid.. vbi caſum hunc recitat, non dicit ſe adhibuiſſe fomenta, ſed quod nihil adiutus ſit ex fomentis: de ſectione autem venę dicit, octauo die ſecui.

Quantum ad reliqua, quæ in aphoriſmo habentur, de vrina, & de ſputo, facillima ſunt: quia quæ de ſputo ſupra diximus, eadem etiam de vrina, & de aliis intelligenda ſunt.

APHORISMVS XIII.

Senes facillime ieiunium ferunt: secundo loco qui ætatem consistentem habent: minus adolescentes: omnium minime pueri, præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores.

Scopus: de victu minuente, sumta coindicatione & cõtraindicatione ab iis quæ ad vires reducuntur.

SEnes facillime, &c. Cum Hippocr. huc vsque locutus fuisset de victu minuente vires, sumta indicatione a morbo vniuerso, & tum acuto, tum peracuto; ac quia etiam de victu eodẽ, sumta indicatione a vigore vniuersali morbi, & sumta pariter indicatione ab accessione morbi, sermonem habuit; & cum non modo de victu minuente esset locuturus, sumta indicatione a propositis, sed sumta coindicatione, & cõtraindicatione a reliquis, quæ ad vires reducuntur: ideo hoc præstat in præsenti aphorismo. Sunt autẽ hæc quæ ad vires reducuntur, res secundum naturam, & res non naturales: res secundum naturam, vt habitus corporis, ætas, temperatura, &c. res non naturales, vt aer, per aerem intelligendo illa tria, de quibus sæpe meminimus. Sed dicet quispiam: cur hæc coindicantia & contraindicantia sunt non principaliter, sed quatenus ad vires referuntur? Huic quæsito absolutissime & satis clare satisfacit Galen. 1. de ratione vict. commen. illo aureo 44. quo in loco cum proponat Hipp. vires, dicit Gale. quod per vires non tantum vires intelligat Hipp. sed ea, quæ ad vires referũtur, vt sunt res naturales, & non naturales. Et dat exemplum Galenus de habitu, inquiens: si quis fuerit corporis habitu densiori, hic admittet ac coindicabit victũ minuentem, qui a morbo proprie indicatur; si vero fuerit habitus laxioris, ac mollioris, hic non permittet victum tenuem, sed potius inhibebit, & contra etiam indicabit: idque non alia de caussa, nisi virium ratione: nam vbi habitus est densus, vires sunt validæ; vbi gracilis, vires dissoluuntur, & non tolerant. Idem dicendum est de temperatura. Idem etiam de ætate, quam hic proposuit Hipp. & optime. Quantum vero ad res non naturales attinet; si aer fuerit frigidus, coindicabit victum, qui a morbo indicatur; quia tunc temporis vires talem victum possunt perferre: si autem aer fuerit calidior & siccior, non licet victu a morbo præscripto vti, idque non alia de caussa, nisi quia vires non permittunt. Quare hæc sunt coindicantia, & contraindicantia non principaliter, sed quatenus ad vires referuntur.

Cum itaque veritas sic se habeat, Hipp. de victu sermonem habens, non debuit prætermittere coindicantia & contraindicantia non principaliter: sed debuit ea proponere, Hippocratice tamen, id est, summo cum artificio, ac summa cum breuitate: & propterea per res naturales, & non naturales ætatem tãtum voluit Hipp. proponere. Neque credatis, vt aliqui, cum dicit Hipp. *senes hyeme, & vere*, ob id sermonem ipsi esse de victu, sumta indicatione a temporibus anni: quia videbitis hoc esse falsissimum ex formalibus Galeni verbis in commento, ita Hippocratem exponentis; quod scilicet proposuerit ætatem, & per eam omnia alia intelligere voluerit, vt etiam quarto de ratione victus decimonono, vel Hippocrates, vel summus ille auctor facit: vbi, proponens magnitudinem morbi, virium constantiam, & ætatem; per ætatem ea omnia quæ ad vires relationem habent, vt sunt res naturales, & non naturales intelligit.

Vnde scopus in præsenti aphorismo Hippocratis est, proponere victum minuentem ægrotantium, sumta coindicatione & contraindicatione, a coindicantibus & contraindicantibus secundariis, seu non principalibus, quatenus ad vires referuntur.

Hic aphorismus est sententia, quæ est pars enthymematis (si credimus Galeno) qui voluit subsequẽtem aphorismum esse caussam præsentis: vnde aphorismus hic, si ita est, est sententia, quæ est pars enthymematis, qui habet rationem seiunctam & propositam.

Sensus aphorismi.

Potest autem aphorismi sensus esse talis: quod senes ipsi facillime ferant inediã, ægerrime pueri, qui autem intermediam habẽt ætatem medio modo se habeant: quia non ita facile ferunt inediã, vt senes; nec ita ægre, vt pueri.

Inediam tolerant facile, qui minus appetunt, & ieiunio parum læduntur.

Sed pro aphorismi clariori intelligentia, primo videndum est, vt optime facit Galenus in commẽto, in quo cõsistat facilitas & difficultas tolerandi inediam. Dicit Galenus eam consistere in eo, quod homines vel appetunt, vel quod ex inedia læsionem percipiunt: vnde illud sequitur, quod qui magis appetunt, & qui ex inedia magis læduntur, hi difficillime tolerant ieiunium, & inediam: contra vero, qui non ita appetunt, nec ita ex inedia læduntur, hi facillime ferunt inediam. Hinc potest inferri, cum senes nec admodum appetant, nec ex inedia admodum lædantur; facillime ieiunium ferre; contra vero pueros, quia ex inedia maxime læduntur, ac quia maxime appetunt, minime ieiunium tolerare. Si vero medias consideremus ætates; qui sunt in ætate consistenti, facilius ieiunium ferunt, quam adolescentes: nam in ætate consistenti exsistentes, sunt magis proximi senectuti, quam pueritiæ; vnde nec ita appetunt, nec ita ex inedia læduntur: contra vero adolescentes non ita ieiunium ferunt; quia sunt proximiores pueris, vnde magis appetunt, ac magis ex inædia læduntur, quam in ætate consistentiæ exsistentes.

Ex his ergo patet, facillime ieiunium ferre senes; minus qui in ætate consistenti sunt; adhuc minus, qui in adolescentia, omnium autem minime pueros.

Pueri cur maxime appetant.

Sed dicet quis; cur pueri ex inedia maxime offenduntur ac maxime appetunt? Solutionem affert Hipp. in sequenti aphor. & ob id dicebat Gal. præsentis aphorismi caussam esse sequentem aphorismum. Sciendum tamen, quod caussa in nullo alio consistat nisi, quod ideo magis appetunt, ac magis ex inedia læduntur, quia sunt calidiores; & ob id difficillime ieiunium ferunt. Sed cur, cũ calidiores sint pueri, magis famescunt, ac ex inedia læduntur? Pro huius intelligentia quomodo fiat fames paucis est supponendũ. Sciendum ergo ex Aristot. 2. de anima 28. contex. & Galen. prim. de symptomatum caussis capit. 7. ad hoc vt fiat fames opus esse, vt insurgat facultas, seu potentia animalis in ore ventriculi ad appetendum

cibum:

cibum:excitatur autem hic appetitus,quia facultas animalis perſentit ſenſum quendam ſuctionis,quæ fit
à venis a ventriculo attrahentibus:ſed venæ ea de cauſſa alliciunt a ventriculo,quia inaniuntur: inaniuntur autem,quia membra corporis totius ob indigentiam ad ſe alliciunt alimentum, quod venas ipſas replebat. Vnde,quantò eſt maior indigentia in membris,tantò magis à venis membra alliciunt alimentũ;& ideo venæ magis exinaniuntur:& quo magis exinaniuntur, eo magis attrahunt a ventriculo: quo autem magis attrahunt a ventriculo,eo magis facultas ſenſum ſuctionis perſentit,& ſic eo magis fit appetitus cibi:vnde ſequitur,quod quanto maior eſt indigentia in membris,tanto ſit maior fames. Quibus ſic conſtitutis,ſi vlterius progrediamur,facillimum eſt addere, quantò corpus ſit calidius,tanto magis reſoluere,ac exinanire membra,& eſſe cauſſam maioris indigentiæ: vnde ſequitur,quanto calor ſit potentior & vege-
B tior,eo fieri maiorem famem. Et ideo (vt ad propoſitum noſtrum reuertamur: quia pueri ſunt calidiores, ac magis abſumunt: ideo magis appetunt, ac ex inedia læduntur. Per calorem autem,non calorem ventriculi intelligimus,ſed totius corporis: & propterea Ariſtoteles, & Galenus proponunt calorem totius. Namque calor ventriculi, vel eſt intenſus,vel diminutus, vel moderatus: ſi intenſior fuerit, non erit in cauſſa famis, ſed potius ſitis; & ideo quantò homines calidius habebunt orificium ventriculi, tanto magis ſitient; non dico fameſcent; quia hoc de ſiti, non de fame verum eſt. Si verò moderatus fuerit ventriculi calor, erit cauſſa appetentiæ, quia a calore moderato operationes optimæ proueniunt. Diminutus etiam calor cauſſa eſt appetentiæ: ſed appetentia hæc non ita naturalis eſt,vt quæ fit a calore moderato: & ideo licet frigidus ventriculus magis appetat, quam concoquat; hic appetitus tamen non eſt naturalis, ſed contra naturam. Per calorem ergo intelligatis calorem corporis totius: quia hic eſt cauſſa
C appetentiæ. Et ad hanc veritatem reſpiciens Philotheus, dixit quod corpora, quæ calida ſunt,magis appetant, quam frigida: quia calida corpora facilius reſoluuntur: vnde locum habet indigentia,& ob id appetitus;quia appetitus ratione fit indigẽtię:ſecus autem eſt de corporib. frigidis. Et ob id Ariſtoteles quarto de gener. animal. capite quincto dicebat,calidum appetere, ac cito etiam concoquere: frigidum vero non ita appetere.

His explicatis, facilis eſt redditus aphoriſmus,in quo habet Hippocrates; *Senes facillime ieiunium ferunt:* quia non ita appetunt,cum non admodum calidi ſint. *Secundo loco,qui ætatem conſiſtentem habent:* quia hi non ſunt ita frigidi,ſed aliquo pacto etiam calidiores. *Minus adoleſcentes:* quia calidiores. *Minime pueri:* quia calidiſſimi. Et huc reſpexerunt Oribaſius,& etiam Philotheus,cum dixere;ſenes fa- Ætas quò calidior, eò minus fert ieiunium.
D cillime ieiunium ferre, quia ſenum corpora non ita reſoluantur: amplius etiam, præter id quod frigida ſunt, non in continuo ſunt motu,ſed immobiles manent,atque quieſcunt: præterea (vt dicebat Oribaſius)ſenes,ſi de primo loquamur ſenio,multa abundant pituita dulci, quæ eſt in cauſſa, vt non appetant alimentum,quia hæc pituita poteſt in alimentum verti,&eſt benigna. Secundo loco ſunt conſiſtentes,qui minus inediam ferunt: quia magis mouentur, ac maiorem etiam habent calorem. Minus adhuc ferunt ieiunium adoleſcentes;quia eorum calor eſt ſatis abſumens:præterea non ita quieſcunt,vt ſenes, & qui in ætate ſunt conſiſtenti; ſed ſunt magis exercitiis deſtinati. Omnium autem minime pueri:quia ſunt etiam calidiores adoleſcentibus,cum ſint maxime proximi generationi;adeo vt nihil aliud eſſe videatur puer, q̃ calor: præterea habent corpora laxa,àc humida,cuius ratione facillime reſoluuntur; ac ideo multo indigent alimento,& inediam tolerare non poſſunt: præterea ſunt in continuo motu. Et propterea addebat
E Hippocrates,hoc potiſſimum eſſe in pueris,qui ſunt viuidiores:nam hi ſunt calidioris,& vegetioris naturæ,& præterea maxime omnium mouentur,ac agitantur.

Sed modo his viſis,ponderemus verba. Dicit Hippocrates:*Senes facillime ieiunium ferunt.* Quo in loco duo ſunt declarãda;alterum quid per ſenes,reliquum quid per ieiunium intelligat Hippocrates. Sed hoc in loco ſolent aliqui longiores facere diſcurſus de ætatibus: nos autem id ſatis breuiter tractabimus; quia ſpectat potius ad Auicennam interpretantes,in prima primi,vbi ex profeſſo de ętatibus verba fiunt: hic autem ætates non proponuntur vt ætates,ſed vt coindicantes,vel vt contraindicantes: & tertio etiam aphoriſmorum magis eſt hæc tractatio accommodata. Præparatio ad explicationem aphoriſmi.

Sed nos quæ dicemus,ex Galeno erunt deſumta,pręcipue ex commento vigeſimoſeptimo;& trigeſimo ſect. 3. aphoriſmorum,& ex nonò commento quincti aphoriſmorum:ex quibus locis habemus,ætatem in quatuor diuidi differentias:in ætatem Puerilem, Adoleſcentiæ, Conſiſtentiæ,& Senectutis. Quan- De ętatibus.
F tum ad ætatem puerilem,triplex hæc eſt:Infantilis altera,quæ per menſes durat. Dentium ſecunda quę vſque ad ſeptimum protrahitur annum,& ſeptem annos durat:tertia eſt,quę proprie Pueritia dicitur,& durat aliud ſeptennium,nempe ad decimumquartum vſq; annũ;qui eſt terminus etiam, in quo licet venam ſecare. Adoleſcentia inſuper in tres diuiditur:in Pubertatem, &in Adoleſcentiam proprie dictam, ac in Iuuentutem. Pubertas a 15. vel 14. excluſiue incipit anno, & durat alios ſeptem annos, nempe ad vigeſimumprimum annum. Aduertendum autem,quod non ſit poſſibile ita certum ſtatuere terminum hunc pubertatis: nam in aliquibus vſque ad 21. protrahitur, in aliquibus verò vſque ad 18. annum, & in quibuſdam vſque ad 19. pro diuerſitate complexionis & temperaturæ: quidam enim ſunt, in quibus ſenectus accelerat;quidam in quibus tardius aduenit. Adoleſcentia etiam vnum ſeptenarium durat. Vnde quibus pubertas ad 18. deueniebat, his adoleſcentia vſque ad vigeſimumquinctum porrigitur; quibus
G vero pubertas ad 21. adoleſcentia ad 28. perficitur annum. Poſtea eſt iuuentutis ætas, per alium ſeptenarium protracta,nempe vſque ad annum trigeſimumquinctum; in his præcipue, in quibus adoleſcentia ad vigeſimumoctauum vſque extendebatur. Tertia eſt conſiſtentiæ ætas, quæ quatuordecim durat annos, duplex ſcilicet ſeptennium, nimirum vſque ad quadrageſimumnonum annum. Succedit quarta & vltima ætas ſenilis: quæ ſubdiuiditur in primum & ſecundum ſenium. Primum ſenium durat quatuordecim annos:ideo vſque ad 63. extenditur annum, qui maxime cunctis periculoſus habetur. Poſtea eſt

secundum senium, quod si ad 70. vsq; consideretur, dicitur extremum senium: si vero vlterius, non modo extremum senium, sed ætas etiam decrepita. A

De quo senio loquatur auctor.

Quibus ita constitutis, cum Hippocrates dicit; *Senes, &c.* cum senes sint tum primi, tum secundi: de quibus intelligit? Gal. in comm. duas dat expositiones; in quarum altera excipit secundum senium, & tantum primum intelligit: secundum alteram intelligit vtrosque senes. Sed non ita id esse simpliciter intelligendum monet Gal. nam si per senes tum primos tum posteriores intellexerimus, debemus mutare verbum ieiunium; nam si intelligere voluerimus per ieiunium inediam, primi senes facillime ferunt ieiuniũ, & inediam; quia non resoluuntur, ac præterea referti sunt pituita dulci, quæ est thesaurus ipsius alimenti. Sed postremi & secundi senes non possunt ferre inediam, quia vires in eis sunt satis exiles, & languidæ: & B propterea cum inediam non possint ferre, opus est mutare verba, vt ratione primorum senum per ieiunium intelligamus inediam; ratione secundorum, per inediam paucitatem cibi intelligamus, id est, vt parum & sæpe cibum exhibeamus: nam (inquit Galenus) postremi hi senes non possunt tolerare multum cibum, sunt enim instar lucernæ pœne exstinctæ, in qua si volumus multam quantitatem olei simul ingerere, ex toto exstinguetur flamma; & ideo paullatim oleum est addendum. Similiter in postremis senibus, cum virtus sit pęne exstincta. opus est reficere vires frequenter, sed paullatim: & ideo per ieiunium paucitas cibi est intelligenda. Secũdum vero alteram expositionem, si tantum primos senes intelligamus, (secundis exclusis) per ieiunium opus est accipere inediam, id est, victum minuentem vires.

Cum autem duplex sit hæc expositio, quę proximior est artificio Hippocratis? Dicerem cum Philotheo, duplicem hanc expositionem, multo artificiorem esse ea, in qua tantum primum senium includitur, C exclusо secundo. Adeo vt dicamus, *senes facillime ieiunium ferre*, præter eos scilicet, qui ad extremam ætatem deuenerint. Quod autem hæc expositio melior sit, facile haberi potest, quia institutum Hipp. in hoc aphorismo est, loqui de victu minuente vires, sumta coindicatione ac contraindicatione ab ætate. Ideo non de paucitate cibi, sed de victu, minuente vires loquitur. Præterea Hippocrates, grauissimus auctor, proponens primum senium tantum, cognouit, quod facile quilibet possit habere secundum senium: nam huic non conuenit inedia; tum quia non admodum fert; tum quia, si consideremus extremum senium, illa ætas cum morbo coincidit, vt optime Aristoteles dicit quincto de gener. animal. vbi senectutem morbum appellauit, morbum (inquam) ex lege naturæ, quia quammaxime videtur senectus recedere a re secundum naturam.

Ieiunium quid hoc loco.

His itaque cognitis, facile est, quid per ieiunium velit Hippocrates, intelligere; nam debemus cum D victum intelligere, de quo in præcedentibus aphorismis: vnde cum in eis sit habitus sermo de victu minuente vires: in hoc etiam aphorismo loquitur Hippocrates de victu minuente vires, quatenus ab ætate vel coindicatur, vel contraindicatur.

Explicatio verborum aphorismi.

Restat vt literam percurramus. Dicit igitur: *Senes facillime*. Caussam sumsimus ex comm. Gale. tum quia senes non appetunt, tum quia non multum ex inedia offenduntur: & caussa huius est, sc. quod non lædantur ex inedia, quia calor in eis non est intensus, sed remissus potius; & ideo est caussa multi humoris pituitosi dulcis, non modo in ventriculo, sed in vniuerso corpore. Aduertendum tamen, quod frigidus humor in ore ventriculi, tum appetitus, tũ destructionis illius possit esse caussa; diuersimode tamen: nam si humor ille pituitosus immodicus fuerit, destruit appetitum; vt ab Auicenna habetur capite proprio, & a Gal. 1. de symptomatum caussis cap. 7. vbi autem non est multus, sed paucus, tunc non destruit, sed potius producit appetitum sui frigiditate. Cum itaque senes primi abundent pituita dulci, & multa, ideo non E appetunt: quia (vt dicebat Galen. 2. de ratione vict. 30.) vbi adest plurima copia pituitæ, hæc in sanguinem verti potest, & hac permanente, non indiget corpus nouo alimento.

Postea addit: *Secundo loco, qui ætatem consistentem habent.* Gal. hanc partem interpretans dicit, quod per ætatem consistentem intelligat mediam ætatem inter senectutem & iuuentutem: & licet Hippo. non fecerit (inquit Galenus) mentionem de iuuentute, quæ est ætas media inter consistentem & adolescentiam; nos tamen eam intelligere possumus, & facile; nam si, qui sunt in ætate consistenti, magis tolerant ieiunium; qui in adolescentia, minus; quia illi sunt propinquiores senectuti, hi pueritiæ: ergo, qui in iuuenili ætate sunt, medii inter hos exsistunt. Aduertendum tamen, cum dicimus ætatem consistentem, non debere intelligi quod in ea ætate calor sit in flore suo, adeo vt nullo pacto diminuatur; sed eam intelligimus ætatem, in qua calor aliquando fit mitior: dicitur tamen ætas consistens, quia est maxime vicina F vigori, id est, ætate iuuenili: est enim a 35. anno, vsque ad 49. Vnde Gal. dicit 3. aphor. 30. quod hæc ætas dicatur consistens, quia etsi calor non consistat, tamen quo ad sensum virtus omnes exercet operationes, vt nulla in eis appareat diminutio. Hæc autem ætas secundo loco fert inediam, quia eam non fert facillime, sed facile: quia calor incipit remitti: non est tamen ita remissus, vt in senectute, nec ita intensus, vt in iuuentute, & in adolescentia.

Addit: *Minus adolescentes*. Per adolescentes, tum adolescentes proprie dictos intelligere debemus, tum in pubertate constitutos, tum in iuuentute: hi enim minus tolerant inediam, quoniam calor est satis validus, atque absumens, vt propterea magna fiat indigentia, quæ postea est caussa appetitus: licet in pubertate exsistentes maiori cum difficultate ferant ieiunium quam adolescẽtes; & hi maiori, quam iuuenes: G iuuenes vero minori, quam hi. Aduertẽdum autem, quod Hipp. proponit ætates ex toto coindicantes, ex toto contraindicantes, & eas, quę neque ex toto coindicant, neque ex toto contraindicant: & id probatur tum ex rei natura, tum ex verbis Hippocr. Ex rei natura; nam si ætas senilis ex toto coindicat victum minuentem, puerilis ex toto illum contraindicat: ergo mediæ ætates neque ex toto coindicant, neque ex toto contraindicant. Idem declarant verba Hippocratis; nam dicit, *Senes facillime ferunt ieiunium*, vt ex toto coindicantem ætatem proponeret: postea, *Pueri omnium minime*, vt ex toto contraindicantem ætatem

A tem adiungeret; nam impossibile est, vt pueri admittant victum minuentem: tum, *adolescentes minus, in ætati consistente exsistente secundo loco*, vt ostenderet, has ætates vel non ex toto coindicantes, vel contraindicantes; nam adolescentia magis contraindicat, minus coindicat; consistentia magis coindicat, minus contraindicat.

Addit, *omnium minime pueri*: quoniam sunt contraindicantes victum minuentem, & caussa est, quoniam in pueris calor est plurimus: licet enim, (vt sequenti aphorismo fuse dicemus,) calor in iuuentibus sit intensior, ac maior, cuius rei signum est, quia magis calefaciunt iuuenes, & propterea sit magis absumens; quoniam autem non modo ex parte agentis regulatur actio, sed ex parte passi, & resistentiæ; B ob id sequitur, quod sit maior actio in puero: quia in puero ex parte passi fit facilior ac maior consumtio: præterea dispositio corporis eius facile resoluitur, & ob id pueri sunt contraindicantes victum minuentē.

Sed addit Hippocrates. *Præsertim qui inter hos sunt viuidiores.* Si recte consideremus Galenum in commento, facile est colligere, quod Hippocrates hic proponat victum minuentem, vt contraindicatur non modo ab ætate, sed a temperamentis: nam dicit Hippocratem proposuisse hanc particulam, vt significaret diuersas temperaturas: nam pueri viuidiores ideo omnium minime ieiunium ferre possunt, quia sunt calidiores.

Vnde colligatis, corpus calidæ ac siccæ temperaturæ non ita facile ieiunium ferre posse, vt quando est frigidæ & humidæ: quemadmodum optime dicebat Galenus, secundo de ratione vict. vigesimonono, & trigesimo: nam in his redundat succus pituitosus. Intelligo autem pituitam benignam, quæ in sanguinem verti potest; C nam cruda illa pituita, vt vitrea, nullò pacto conuerti potest ad benignum, & in alimentum: nam dicebat Galenus duodecimo meth. 3. si corpora succo crudo sint referta, & affecta morbo vehementi, cuius ratione opus sit vti victu minuente; tunc desperatam esse sanitatem. Quare pituitæ dulcis ratione facile ieiunium ferre possunt. Et ab hac veritate non recedens Galenus, octauo method. octauo, dicebat, temperaturam frigidam & humidam facile ferre ieiunium: secundo humidam: tertio frigidam, quarto frigidam & siccam; quæ tamen ratione siccitatis non ita facile ipsum ieiunium fert: sed cum caliditas iuncta est siccitati, difficillime fertur ieiunium. Et ob id etiam tertio capite octaui lib. method. dicebat, quædam esse corpora, quæ facillime inediam illam ferunt; vnde ex inedia illa triduana maximum sentiunt iuuamentum, non autem nocumentum, & hæc sunt corpora pituitosa. Aliquæ sunt naturæ, quæ maxima difficultate hanc triduanam ferunt inediam, vt biliosa corpora. Quædam vero sunt corpora, D quæ medio modo se habent: nam nec maxime læduntur, nec maxime iuuantur ex illa, & hæc sunt temperata corpora. Et ob id Hippocrates septimo aphoris. 59. dicebat: corporibus habentibus carnes humidas, id est, corporibus pituitosis, conuenire inediam. Quare pituitosa temperatura est coindicans victum minuentem, biliosa contraindicans. Et idem dicatis de reliquis coindicantibus & contraindicantibus, quatenus ad vires referuntur, vt de consuetudine; nam si quis multum comedere fuerit assuetus; non ita vt morbus indicat, est nutriendus. Vnde Galenus primo ad Glauconem cap 9. vbi tertianam intermittentem exquisitam curat, dicit, ratione ipsius febris, cum ipsa non pertranseat septimam periodum, licere vti sola ptissana colata, si quis tamen delicatioris fuerit naturæ, & multum comedere fuerit consuetus, non modo ptissanam colatam ei exhibendam, sed & olera, imo oua, imo pisces, imo etiam carnes. Ecce quanta sit vis consuetudinis. Quod de consuetudine dicitur, idem de aliis etiam quæ ad vires referuntur, E dicendum. Quæ temperaturæ inediam ferant.

Vnde si vultis veram & absolutam huius aphorismi expositionem habere, videte Galenum primo de ratio vict. commento 44. vbi licet Hippoc. solas proponere videtur vires, dicit tamen Galenus, quod per vires debeamus intelligere ea etiam, quæ ad vires reducuntur, vt sunt ætas, temperatura, corporis habitus, dispositio ventriculi, vita anteacta, atque denique aer ambiens Et proponit hoc exemplum, si fuerit quis pleuriticus, & sit in ætate ac temperatura media constitutus, habitu autem corporis non raro, sed densiori, sitque hic assuetus vti cibo non admodum copioso, & quo ad dispositionem ventriculi, sit ventriculi optimi, nullamque in eo læsionem habeat; & quo ad vitam ante morbū, ponatur, quod præter consuetudinem suam non se cibis repleuerit, sitque in ambiente temperato: & sit scopus ab Hippocrate propositus, vtendi victu vires minuente: cui dubiū est, quod hoc victu in hac pleuritide vti liceat? Nam cum pleuritis tenuem indicet victum: omnia alia hæc sunt coindicantia, & nihil est, quod contraindicet. F Quod si quis fuerit pleuriticus in adolescentia, sitque temperaturæ calidioris, & siccioris, habitus vero gracilis, & rari, assuetusque sit vesci copiosis cibariis, ac os ventriculi infirmum habeat, & antequam lapsus fuerit in ægritudinem, præter consuetudinem, vt quia exercitiis traditus fuerat, inedia potius fuerit vsus, quam cibo, & sit in ambiente aere æstiuo, calido ac sicco: quis ambigit, quod in tali adolescente impossibile sit, vt eum adhibeamus victum, qui a morbo indicatur? Quia, quamuis ratione morbi victu minuente sit vtendum: tamen habemus omnia, quæ ad vires referuntur, contraindicantia. Aphorismi plenior explicatio, e Galeno.

Sed pro solutione multarum difficultatum est aduertendum, quod Hippocratis regula vera sit, dummodo cetera sint paria. Declaro: vbi, exempli caussa, consideratis temperaturam frigidam, eamq; cum calida confertis, nulli dubium, quod temperatura frigida magis inediam toleret, quam calida, dummodo cetera sint paria: G nam non debetis comparare temperaturam frigidam pueri, cum calida senis: quia cetera non sunt paria: sed temperaturam frigidam pueri, cum calida pueri: nam ille puer, qui est calidioris temperaturæ, difficilius feret ieiunium, quam qui frigidioris.

Sed Oribasius dubitat, cur primo loco proposuerit senes, vltimo pueros. Respondet, quia, qui dicit senes, dicit pueros: non tamen valet oppositum. Nolo hoc reprobare, & quamuis nullo credam hoc artificio factum fuisse, dicerem tamen, potius sic collocasse Hippocratem, quia cognouit ætatem senilem esse coindicantem, puerilem contraindicantem: modo a facilioribus est exordiendum: sed Cur senum primo, deinde puerorum fiat mentio.

facilius est instituere victus rationem, quando cum morbo consentit ætas, quam quando repugnat, & A contraindicat: ideo voluit primo senilem ætatem coindicantem, vltimo puerilem contraindicantem apponere.

APHORISMVS XIV.

Qui crescunt plurimum habent calidi innati; plurimo igitur indigent alimento: alioquin corpus absumitur. Senibus vero parum calidi innati inest, paucis propterea fomitibus egent; quia a multis exstinguuntur. Hanc etiam ob caussam febres senibus non similiter acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus. B

Scopus: tradere rationem superioris aphorismi.

QVi crescunt plurimum habent, &c. Pro recta introductione huius aphorismi (in quo habet Hippocrates; *Qui crescunt, &c.*) cognouistis, quomodo fuerat Hippocrati institutus sermo de ratione diætandi infirmos. Et cum in superioribus aphorismis locutus fuisset de victu minuente, tum tenui, tum tenuissimo, in virtute morborum indicantium, & virium tum coindicantium, tum inhibentium: & in superiori aphorismo decimotertio locutus fuisset de coindicantibus quidem, sed secundario, vt videlicet ad vires referuntur, quandoquidem sermonem habuit de ætatibus: modo propositum eius in præsenti aphorismo est, tradere rationem eorum, quæ in superiori dicta sunt aphorismo. Cum enim dixerit, senes facillime ieiunium ferre, pueros maxima cum difficultate: nunc reddit caussam huius. Patet autem introductio hæc, tum ex Philotheo, tum maxime ex Galeno: qui asseruerunt, reddere Hippocratem in hoc aphorismo caussam eorum, quæ in superiori dixit. C

Diuisio.

Vnde, si hic redditur caussa sententiæ supra propositæ: dicendum, quod hæc pars non sit aphorismus; sed ratio aphorismi superius positi. Quæ tamen ratio (quantum ad diuisionem attinet) diuiditur: nam proponit Hippocrates tum rationem, tum rationis confirmationem, ibi: *Hanc etiam ob caussam febres senibus, &c.* quam rationis confirmationem vocauit Galenus signum; quia est a posteriori, non autem a priori.

Sensus.

Primum autem aphorismi talis est sensus. Pueri difficilime ieiunium ferunt; quoniam qui crescunt, plurimum habent calidi innati: & qui plurimo calido innato abundant, plurimo indigent alimento: contra vero senes facillime ieiunium ferunt; quia modicũ habent calidi innati, & ideo nõ egent plurimo alime, imo ex plurimo alimento calidum ipsorum suffocatur. Quod autem senes calidi natiui modicum quid habeant, id hoc signo probari potest: nam senes febribus acutis non ita facile corripiuntur. Hic est aphorismi sensus. Ex quo facile haberi potest continuatio huius aphorismi cum superiori. D

Incrementum puerorum, & adolescentum.

Dicit autem; *Qui crescunt.* Vbi sunt duo declaranda. Alterum quid per incrementum intelligat: secundum, cum incrementum sit alicuius incrementum, quid illud sit, cuius hoc dicitur esse incrementum. Quod ad primum facile apud omnes constare potest, Hippocratem per incrementum intelligere verum incrementum, quod fit secundum omnes tres dimensiones, longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ideoque excluditur illud incrementũ, quod aliquando fieri solet in ætate prouectis viris, quo pingues fiunt: nam hoc non est secundum omnes dimensiones. Quo ad secundum attinet, Hippocrates per eos, qui crescunt intelligit tum pueros, tum adolescentes, maxime vero pueros: nam cum hi maxime calidi sint, minime tolerare possunt ieiunium. E

Addit postea Hippocrates. *Plurimum habent calidi innati.* Pars hæc difficilima est, vt fere non sit difficilior aliqua tractatio in tota arte medica: nam moderni se extricare nesciunt, & proponunt modo vnum calorem, modo alium, &c. Ob id vt ad radices vsque intelligatur summum diuini Hippocratis artificium, duo sunt facienda: primo enim declarandum est, quid sit calor innatus: secundo, quomodo, qui crescunt, plurimo abundent calido innato. Ex his enim sententiam Hippocratis facile percipietis.

Calidum innatum est substantia, actu & potentia calida.

Quantum ad primum attinet, antequam definitio caloris innati proponatur; sciendum ex mente Aristotelis secundo de partibus cap. secundo, ea quæ calida sunt, vel esse per se calida, vt ignem, vel per accidens calida, vt aquam feruentem. Præterea ibidem dicebat Aristoteles, calida vel esse calida actu tantum, non potestate, vt aquam feruentem; vel potestate tantum, vt piper, non enim dicitur actu calidum; vel vtroque modo, potestate, s. & actu, vt ignem. Quibus sic constitutis, scire oportet, quod quando sermo est de calido innato, sermo sit de re actu & potentia simul calida. Calor autem hic hoc modo acceptus, vt dicit Galenus in lib. contra Lycum, & in hoc com. bifariam accipi potest: altero modo pro qualitate, cuius nomen est caliditas; altero modo pro substantia, & corpore calido. Hic autem (dicit Galenus) sumitur ab Hippocrate pro substantia. Et propterea errant, qui calumniantur Hippocratem, vt paulo infra in defensione Hippocratis dicemus. Sed hic calor insitus, qui substantia est, interdum calor insitus & natiuus, interdum etiam spiritus insitus vocatur: Galen. simplic. cap. 8. & 9. calorem naturalem modo calorem natiuum, modo spiritum insitum vocat. Et has etiam voces obseruauit Aristoteles, vt videre potestis apud ipsum 2. de gene. animal. cap. 3. vbi dicit, quod in semine sit calor, qui faciat fœcunda semina: & dicit hunc calorem non esse ignem, sed spiritum quendam in semine contentum. Quare vocat calorem natiuum spiritum. Sed quispiam ambiget: ergo calor natiuus, & spiritus naturalis non differunt? Docebimus infra in hoc commento fusius, ista maxime differre: nunc autem hæc sufficiat auctoritas. Galenus duodecimo method. quincto dicit, se semper fuisse ambiguum, an spiritus naturalis detur, nec ne: ergo spiritus naturalis non est calor natiuus: quia de calore natiuo an detur, neque ipse, neque alius quispiam vnquam dubitauit. F G

Qui:

Calor natiuus quid.

A Quibus modo ſic conſtitutis, proponamus definitionem caloris natiui: & quidem talem, vt ex ea
non modo eius pateat eſſentia, ſed etiam poſſint apparere proprietates omnes, conſequentes naturam
caloris natiui; imo, vt ex hac definitione tollantur omnes difficultates, & præcipue maxima illa quæſtio,
an vnus, vel multiplex ſit calor. Hęc enim ſunt perfectæ definitionis munera, ex Ariſtot. Calor igitur na-
turalis, ſeu ſpiritus inſitus, *eſt corpus miſtum, genitum ex ſemine & ſanguine menſtruo, ab agente naturali,*
pro animæ operationibus obeundis. Hæc eſt ſatis exquiſita caloris natiui definitio: quam declaro, & formali-
bus Gal. verbis confirmo.

Explicatio definitionis caloris natiui.

Diximus eſſe *corpus*: nam accipimus calorem pro ſubſtantia, & non pro qualitate, cum Galeno in
B præſenti commento. Et quia corpus vel eſt ſimplex, vel miſtum: dicimus cum eodem eſſe corpus *miſtum*:
imo ipſe ait hoc loco, eſſe corpus miſtum ex quatuor elementis; nos autem in definitione ita non dixi-
mus, quoniam elementa ſunt corpora nimis communia, conſtituentia omnia ſublunaria: in definitio-
ne autem (vt recte debebat) poſuimus componentia magis proxima: & ideo diximus eſſe corpus *compo-*
ſitum ex ſanguine menſtruo, & ſemine. Quod Galenus videtur aſſerere, & in libro contra Lycum, ac in
præſenti com. & primo etiam de tuend. valet. 2. vbi aſſerit, calorem naturalem fieri ex principiis genera-
tionis, id eſt, ſanguine menſtruo, & ſemine: hæc enim ſunt generationis principia, Galeno teſte. Propoſui-
mus etiam in definitione cauſſam agentem; cum diximus, *ab agente naturali.* Pro cuius partis declaratione
ſcire oportet, quamuis ad generationem horum inferiorum concurrat cauſſa ſuperior: (quia ſol & ho-
mo hominem generant,) quoad tamen concurrat, vt cauſſa æquiuoca, ac maxime vniuerſalis, & vt ad ge-
C nerationem hominis ſol & homo concurrit, ſic ad generationem caloris naturalis in homine exſiſtentis
concurrit ſol & homo: namque homo non modo generat hominem; ſed generando hominem, generat
quæcunque in homine reperiuntur: & propterea generat principale inſtrumentum in homine, id eſt, ca-
lorem natiuum: vt equus cum ſole non modo equum generat, ſed calorem equi. Nos autem in defini-
tione per agens naturale intelligimus agens ipſum vniuocum, hominem ſcilicet. Poſtea in definitione
adiungimus cauſſam finalem, cum dicimus, *pro animæ operationibus obeundis*: neque enim citra finem, &
eum quidem maximum, debebat generari calor natiuus. Quod autem ſit factus pro operationibus ob-
eundis, ex Ariſtotele colligi poteſt, tum 2. de partibus animal. cap. 7. & 4. de gener. animal. tum præcipue
ex ſecundo de gener. animal. 3. vbi loquens de calore naturali, dicit, quod in calore hoc naturali reperia-
tur natura, quæ proportione reſpondeat elemento ſtellarum: & ob id non dicit, calorem hunc eſſe cœle-
D ſtem, ſed proportione reſpondere elemento ſtellarum: quia vt cœlum nos generat, conſeruat, & auget,
mediate tamen; ita hic calor non comburit, vt ignis, nec deſtruit; ſed generat, conſeruat, & auget. Ideo vi-
detis, calorem hunc maxime conducere ad operationes obeundas. Quod Galenus etiam dicit 5. de facult.
ſimplic. med. c. 8. & 9. Imo octauo de placitis ſeptimo, ex ſententia Hippocratis dicit, calorem naturalem
eſſe auctorem operationum: Non tamen propterea credatis eſſe principale agens; ſed eſt inſtrumen-
tum principalis agentis, vt colligitur ex Galeno ſecundo ad Glauconem 2. vbi dicit: ſi calor natiuus non
ſit principale agens, eſſe ſaltem proximum inſtrumentum principalis agentis: & ideo ad operationes
obeundas concurrit vt inſtrumentum, quo fiunt actiones, quia alterum concurrit, vt quod, vt compo-
ſitum ipſum; alterum, vt quo, vt ſcilicet principale agens, vt anima, qua viuimus, ſentimus, ſapimus, &c.
Ideo Plato (licet loco citato nonnihil a Galeno reprehendatur) vult, a calore natiuo fieri operationes,
E vt ab igne, non quod vellet calorem natiuum eſſe ignem; nam hoc eſt contra Ariſtotelem, veritatem, &
ſenſum, ſed quia cognouit ignem eſſe maxime actiuum, vt explicaret in calore natiuo eſſe maximam
hanc actiuitatem, dicit eſſe igneum. Hæc eſt definitio, & hoc modo explicata.

Calor natiuus eſt aereæ & aqueæ ſubſtantiæ.

Ex qua definitione patet, quod calor naturalis ſit ſubſtantia quædam aerea, atque aquea: nam cum
ſtatuamus ex Galeno, primo de tuend. 2. fieri calorem natiuum ex ſanguine menſtruo, & ſemine; hinc
ſequitur, quod ſit aereæ ac aqueæ ſubſtantiæ: nam hæc principia calida & humida ſunt. Quamuis dicat
loco citato Galenus, maiorem eſſe portionem in ſemine ſubſtantiæ igneæ, atque aereæ; in ſanguine ve-
ro maiorem portionem ſubſtantiæ aqueæ, & terreæ. Quæ verba ſano modo ſunt intelligenda. Nam
poſſet dicere quis: quomodo calor natiuus ſit ex materia humida, ſi in ſemine eſt maior portio materiæ
F igneæ, in ſanguine terreæ? Verus quidem ſenſus verborum Galeni in hoc conſiſtit, quod ibi Galenus
non comparat elementa adinuicem in ipſo miſto, id eſt, ſubſtantiam aeream, & igneam, cum aquea, &
terrea: nam falſum diceret, ſed comparat ſanguinem cum ſemine, modo aliud eſt conferre elementa in
ſanguine, & in ſemine, aliud ſanguinem cum ſemine. Ideo eſt ita intelligendus Galenus, quod in ſangui-
ne ſit plus aqueæ & terreæ ſubſtantiæ, quam in ſemine, non autem abſolute loquendo, quam igneæ,
& aereæ.

Calor natiuus eſt temperaturæ calidæ & humidæ: & differt ab adſcititio.

Quod cum ita ſit, colligitur etiam ex præſenti definitione, vt adnotauit Galenus recte in præſenti
commento, & aduerſus Lycum, quod ſcilicet calor natiuus ſit temperaturæ calidæ & humidæ, quod ſit
mitis, benignus, & non mordax, quodque habeat euaporationes ſuaues, proportione reſpondentes eua-
porationi aquæ dulcis.
Colligitur etiam ex hac definitione differentia inter calorem natiuum & adſcititium: nam
G vt calor natiuus eſt temperatus, & ex ſubſtantia eſt aerea & aquea, ac mites habet euaporationes:
ſic calor adſcititius non eſt temperatus, ſed acris, & ſubſtantiæ non aereæ & aqueæ, ſed igneæ & ter-
reæ; & hinc eſt, quod habet mordaces, & acres euaporationes, quales ſolent efferri ex corpore cali-
do ſicco.

Caloris natiui differentiæ.

Ex aſſignata igitur caloris natiui definitione, non modo omnes proprietates eluceſcunt, (vt vidi-
mus,) ſed omnes etiam diluuntur difficultates; & præcipue illa, an vnus tantum ſit calor, vel multi. Do-
ctiores propoſuerunt plures calores, cœleſtem, animalem, natiuum, adſcititium, febrilem, & præ-

terea calorem elementarem: & voluerunt hos calores non ratione tantum, ſed ſubiecto diſcrepantes eſ- A
ſe. Quoniam autem reſolutio in paucis conſiſtit; ideo non exſpectetis, vt argumenta hinc inde adducam,
ſed ſufficiat vnicam proponere rationem, quam demonſtratiuam opinatur eſſe Fernelius, & vnam au-
ctoritatem Ariſtotelis quæ demonſtrare videtur, calorem cœleſtem non ratione, ſed ſubiecto eſſe di-
ſcrepantem à calore elementari. Ratio fuit, quia videmus mandragoram eſſe frigidiſſimam, & tamen
viuere: ſed hanc vitam non poteſt habere ratione caloris elementaris; quia a prædominio frigida eſt; er-
go viuit ratione caloris ſuperioris, qui cœlitus ad hæc inferiora tranſmittitur. Quare calor cœleſtis ab
elementari differt ſubiecto. Auctoritas vero Ariſtotelis eſt ſecundo de gener. animal. 3. vbi dicit Ariſto-
teles quod in ſemine ſit calor, qui faciat vt fœcunda ſint ſemina: & hic calor neque eſt ignis, (inquit) ne- B
que aliquid ex igne. Si ergo dicit non eſſe ignem, neque ex igne; ergo non eſt calor elementaris, ſed a cœ-
lo proficiſcens. Et Fernelium multi ſecuti ſunt, non tantum in calore elementari, & cœleſti; ſed in natu-
rali, & adſcititio.

Omnes calores corporis humani ſubiecto conueniunt.

Nos autem pro reſolutione dicimus, omnes hoc calores conuenire ſubiecto: quia omnes hi calo-
res elementares ſunt, ac ex elementis proficiſcuntur. Id autem oſtendo primum in calore naturali: nam
vbi id cognouerimus in calore naturali, de quo tota erat difficultas apud Fernelium, facilius id cogno-
ſcemus in aliis. Vt autem omnia cum Gal no proponamus, dicit Galenus in præſenti com. quod calor
naturalis ſit corpus compoſitum ex quatuor elementis, & euidenter id aſſeruit. Quod ſi hoc ita expreſ-
ſe dicit Galenus, neſcio cur hi in re tam clara voluerint ita ambigere: ac præterea ignoro, cur entia volue-
rint ſine neceſſitate multiplicare. Quare dicendum eſt, idem eſſe ſubiectum caloris naturalis cum ele-
mentari: quia fit ex elementis, ac ſubſtantiæ eſt aqueæ & aereæ. Vnde pro argumentorum ſolutione vnum C
notandum, quod vidit grauiſſimus ille Philoſophus Ioannes Grammaticus, in ſecundo de animal. 41.
com. dicit enim hoc cognoſcens, ſc. quod calor naturalis, elementaris, & animalis idem ſit; quodque ſit
in cauſſa diuerſarum operationum, non ratione ſubiecti, & materiæ, ex qua fit calidum hoc innatum; ſed
ex diuerſitate regulantis tale inſtrumentum: nam inquit, v.c. accipiatur bipennis; hæc ſi fuerit in manu
mali artificis, omnia deuaſtabit, neque quidpiam recte arte factum fieri poterit. Si autem idem numero
inſtrumentum ſit in manu artificis periti: hic nihil deuaſtabit, ſed omnia recte fient. Vnde videtis,
quod ex diuerſitate regulantis tale inſtrumentum, fiant tam diuerſæ operationes, bonæ, & malæ. Et pro-
pterea Ariſtoteles duodecimo metaphyſ. comparabat calorem naturalem calori artificis: volens innue-
re, quod quemadmodum ignis regulatur ab artifice, beneficio cuius artificis regulantis opera bona fiunt: D
ſic naturalis calor regulatur a natura; vnde poſtea fiunt operationes naturæ. Et ideo facile dicere poſſum,
quod cum calor natiuus ſit corpus miſtum, quod regulatur a natura: ideo varias & diuerſas faciat opera-
tiones naturæ. Quod etiam Ariſtoteles voluit, ſecundo de gener. animal. 3. quod calor naturalis non ſit
ignis: quia eſt ſubſtantia aerea & aquea: neque ex igne, & voluit dicere, quod calor naturalis non ſit ex i-
gne, id eſt, non reguletur ab igne: quia ſi operaretur in virtute ignis, combureret, ac omnia deſtrueret o-
pera: & propterea optime ſubdit loco citato, quod proportione reſpondeat elemento ſtellarum. Quod
fuit in cauſſa erroris Fernelii: nam aliud eſt dicere eſſe cœleſtem hunc calorem, aliud reſpondere cœlo.
Proportione autem reſpondet cœlo, hoc pacto: nam vt cœlum eſt in cauſſa, vt res generentur, atque vi-
uificentur, non autem deſtruantur, niſi per accidens: a pari calor naturalis regulatus a natura eſt in cauſſa
conſeruationis, & viuificationis rerum.

Et hinc etiam patet, quare calor hic naturalis, & animalis dicatur: nam dicitur naturalis, quia regu- E
latur a natura: animalis, quia regulatur ab anima.

De calore cœleſti eadem eſt ratio: nam vt dicebat Ariſtoteles ſecundo de gener. animal. 3. formæ hæ
omnes materiales, non ita materiales ſunt, quin alicuius diuinitatis participes ſint. Et hoc verbum fuit in
cauſſa, vt erraret etiam Fernelius. Nam quamuis hæ formæ non ſine aliqua diuinitate ſint: non ob id ta-
men eſt dicendum eas eſſe cœleſtes: & quod detur calor cœleſtis qui ſubiecto ab elementari differat: nam
licet cœlum his inferioribus omnibus largiatur ſuam bonitatem, aliquibus quidē clarius, aliis vero obſcu-
rius, ſecundum rerum capacitatem: non propterea dicendum eſt, in his inferioribus eſſe calorem cœle-
ſtem, realiter diſtinctum a calore naturali. Nam (ſi licet interpretari Ariſtotelem per Ariſtotelem,) dicit
Philoſophus 2. cœli, quod hæc inferiora non gubernantur a ſuperioribus, niſi tantum per lumen & mo- F
tum: & ideo hæc ſunt agentia mediata, quia agunt tantum mediante lumine, & motu. Et hinc fit quod
idem calor, qui naturalis eſt, & elementaris ſubſtantia, quatenus gubernatur a cœlo, vocetur calor cœ-
leſtis, ratione regulantis: quia vt hic calor, qui elementatis eſt, regulatus a natura dicitur naturalis, & qua-
tenus regulatur ab anima, dicitur animalis: a pari dicitur cœleſtis, quia regulatur a cœlo.

Dicitur etiam hic calor adſcititius, quatenus degenerat à calore natiuo: nam vt prius habebat ſub-
ſtantiam elementarem aeream & aqueam, ſic poſtea acquirit ſubſtantiam elementarem igneam & ter-
ream, & ſic fit adſcititius.

Quod ſi vlterius progrediatur, fit etiam febrilis, ac igneus; qui malas habet operationes: quia cum
non poſſit ita regulari a natura, non modo degenerat in ſubſtantiam igneam & terream, ſed ita etiam de- G
generat, vt egrediatur limites ſanitatis, & ideo fit calor febrilis, & præter naturam.

His ita conſtitutis, non eſt difficile modo tollere auctoritatem, & rationem propoſitam. Ad au-
ctoritatem quod attinet: dicit Philoſophus, non fieri calorem natiuum ex igne, cum ſit ſubſtantiæ aereæ
& aqueæ neque eſſe ignem, id eſt, non regulari ab igne. Quod autem hæc ſit bona expoſitio, patet, quod-
que non poſſit conſiſtere expoſitio Fernelii: nam ſi intelligeretur calor cœleſtis, vt ipſe dicit: tunc ne-
ceſſarium eſſet, vt talis calor deforis adueniret, neque eſſet eductus de potentia materiæ, quia cœleſtis
eſt. Modo hoc contradicit Ariſtoteli, quia ipſe aſſerit mentem ſolam deforis aduenire. Non ergo po-
tuit

A tuit dicere Philosophus, talem calorem esse cœlestem; nam sibi non modo in eodem capite, sed in paucissimis etiam versiculis contradiceret. Ad rationem etiam facillime respondetur: in mandragora paucus ille calor si consideretur quatenus regulatur ab elemento; tunc absque dubio non potest facere opera vitæ: sed si idem calor consideretur, quatenus regulatur a forma mandragoræ, & a virtute cœlesti; quia omnia inde gubernantur, non erit ita difficile videre, quomodo cum tam pauco calore possit consistere vita: quia hic calor regulatur a forma propria, & a virtute cœlesti.

Sequitur modo vt declaremus, quomodo crescentes plurimum habeant calidi innati. Et ex sententia quidem Galeni, tum in hoc commento, tum in libro aduersus Lycum, tum primo de tuend. secundo, colligere possumus, quomodo crescentes abundent plurimo calido, tum a priori, cum a posterio- Quomodo crescentes abundent plurimo calido.
B ri. A priori quidem: nam cum calor innatus originem ducat ex principiis generationis, id est, ex semine, & sanguine menstruo; sequitur ergo illos quam maxime possidere calorem natiuum, qui quam maxime proximis sunt principiis generationis: contra vero illos minus habere caloris innati, qui maxime recedunt a principiis generationis. Corpus enim nostrum assiduo atque assiduo exsiccatur: & progrediente ætate diminuitur substantia caloris innati, & augetur substantia caloris adscititii, id est, quemadmodum prius substantia caloris erat aërea & aquea; sic postea progressu ætatis substantia caloris fit ignea & terrea. Quibus positis fundamentis, facile est concludere, & dicere, quod, qui crescunt plurimum habeant innati caloris: quia scilicet maxime proximi sunt principiis generationis. Propterea Galenus dicebat secundo de temperamentis capite secundo, animal recenter editum calidum esse & humidum: per
C quod nihil aliud intelligebat Galenus, nisi quod animal recenter editum plurima abundet copia caloris natiui. Et octauo de placitis septimo, sibi maxime consentiens, dicebat, quod pueri recenter editi calidissimi sint; non ea quidem caliditate quæ in febribus ardentibus percipitur, sed calore insito. Sic igitur constat a priori, in pueris esse, ac in adolescentibus, sed præcipue in pueris, plurimum caloris innati.

Eadem veritas ex eodem secundo de temperamentis ab eodem Galeno a posteriori confirmatur vbi dicit, quod nutrices soleant formare membra recenter natorum, vt veluti cerea videantur membra: quo nihil aliud indicatur nisi substantia aerea & aquea, vt nihil esse aliud videatur corpus recenter natorum, quam massa quædam caloris innati. Confirmat eandem veritatem Galenus a posteriori: quia effluxus & euaporationes, quæ fiunt e corpore crescente, sunt satis mites, ac suaues: quæ vero ex corpore iuuenum exsiliunt, in quibus non habet locum amplius augmentum, fiunt insuaues,
D non mites euaporationes. Sed quia videbat aliquem posse negare; imo ex hoc, quod obseruamus in iuuenibus vapores acres, ex hoc, inquam, arguere, in iuuenibus esse maiorem copiam caloris innati; dicit hos decipi: quoniam si hoc esset verum, tunc hi cogerentur fateri, in febrientibus esse maiorem copiam caloris innati, quia effluxus sunt acriores: sed non est asserendum, febricitantibus esse maiorem copiam caloris; nam multo ipsis est minor. Ex quo concludamus, in pueris, tum quia proximiores sunt principiis generationis, tum quia habent euaporationes mites, esse maiorem copiam caloris innati: in his vero qui non crescunt, (vt in iuuenibus) tum quia sunt remoti a principiis generationis, tum quia habent acres euaporationes, minorem esse copiam caloris innati, maiorem adscititii. Sed de his hactenus.

E Nunc declarandum est, cur Hippocrates dicat: *Plurimum habent, &c.* Maxima profecto in hoc est difficultas, & tanta, vt Lycus ausus fuerit redarguere Hippocratem: nec sine ratione fuit motus: imo adeo validas habuit rationes, vt fortasse pauci assequi potuerint Hippocratis artificium intimum. Lycus enim Hippocrati aduersabatur, vt ex comm. hoc patet, & contra Lycum apud Galenum cap. sexto: & dicebat, Hippocratem non recte proposuisse particulam, *plurimum*: quia per calorem innatum intelligere possumus vel substantiam caloris innati; vel secundo qualitatem caloris natiui; vel tertio robur actionum caloris natiui. Vtcunque autem intelligat Hippocrates, non potest excusari. Primo enim, si volumus dicere Hippocratem intelligere substantiam: falsum est in pueris esse substantiam maiorem caloris natiui, quam in iuuenibus: nam substantia caloris natiui est diffusa per vniuersum corpus, & extensa per vniuersam corporis molem, vnde quanto maius fuerit corpus, tanto maior erit copia caloris natiui: at iuuenum corpora, & existentium in ætate consistente, sunt maioris quantitatis, quam
F puerorum: ergo, &c. Neque poterit intelligi per calorem qualitas, dicebat Lycus: nam tunc duplex esset error, alter in voce, alter in re. In voce: quia debebat vti his vocibus, vel magis, vel minus, vel intensius, vel remissius: non autem debebat dicere, *plurimum*: nam vox hæc, plurimum, non qualitatem significat, sed substantiam. Præterea esset error in re: nam falsum est dicere intensius esse calidum in puero, quam in iuuene: nam quo ad sensum, patet in iuuene esse intensiorem & acriorem calorem, quam in puero. Neque potest Hippocrates intelligere robur calidi innati: quoniam licet adsit robur, vbi maxima est copia caloris innati; tamen voce abutitur: nec enim debebat dicere *plurimum*, sed *validissimum*. Quare patet Hippocratem vel in re errasse, vel in voce & re simul, vel in voce tantum.

Moderni volentes a calumniis Lyci defendere Hippocratem, dicunt, ipsum intelligere substantiam
G tantum caloris innati: & propterea recte hac voce *plurimum* esse vsum Hippocratem.

Quæ resolutio mihi ex toto satisfacere non potest: nam si rem accurate considerare voluerimus, in pueris & crescentibus non modo est maior copia substantiæ caloris innati, sed est qualitas intensior, imo validius est robur. Et propterea decepti sunt moderni, dicentes, hic tantum substantiam intellexisse Hippocratem. Quod autem hæc tria maximo artificio significauerit Hippocrates, declaro cum Galeno e cap. 7. aduersus Lycum: quamuis non ita sit facile ex illo cap. 7. haurire solutionem. Et primo quantum ad substantiam: dicimus in pueris maiorem esse substantiam caloris innati, ob fundamentum a nobis

propositum: quia sunt maxime proximi principiis generationis. Et in hoc concordamus cum moder- A
nis: imo cum ipsis dicimus, id esse verum, habita corporis proportione, quod scilicet in pueris & crescen-
tibus sit multo maior substantia caloris natiui, quam in iuuenibus & non crescentibus; habita propor-
tione corporis puerorum, ad corpus iuuenum & non crescentium. Et in hoc fuit deceptus Lycus: quia
in comparatione cetera debent esse paria. Quantum vero ad reliqua, in quibus consistit difficultas; &
quantum ad qualitatem, dico, qualitatem caloris natiui esse intensiorem in crescentibus: non enim in-
telligo qualitatem cuiuscunque caloris, sed qualitatem caloris natiui: de hoc enim modo sermo est: & di-
co hoc notanter, propter qualitatem caloris adscititii, hæc enim maior est in iuuenibus & non crescenti-
bus. Nam alia est caliditas caloris natiui, alia est caliditas caloris adscititii: cum illa substantia aeream & a- B
queam comitetur, hæc igneam, & terream. Vnde, vbi plurima est substantia caloris natiui, ibi etiam ma-
xime vigent quæ proxime substantiam hanc comitantur: propterea cum in pueris sit plurimum substan-
tiæ caloris innati; ideo etiam in eis debet esse plurimus & intensus vigor qualitatis terminantis substan-
tiam caloris innati. Et hoc est, quod dicebat Galenus, secundo de temperamentis, animal recenter edi-
tum esse calidissimum. Sed hanc qualitatem alio consideramus modo in iuuenibus: quia, vt in iuueni-
bus plurimum est caloris adscititii, minus calidi innati; sic maior est qualitas caloris adscititii, minor qua-
litas caloris innati. Quantum ad robur: (modo non determino, an maior sit calor in iuuene, quam pue-
ro, vel e contra: quia de hoc infra dicemus, & eadem est ratio:) si verum est, quod in maiori quanto ma-
ior sit virtus; & in pueris maxima sit copia substantiæ caloris innati: ergo in eis est validius, & maximum
robur: & propterea in pueris erit robur valentissimum. Quare videtis, quod in pueris maior sit qualitas, C
substantia, & validius robur caloris innati, quam in iuuenibus, vt declarauit Galenus aduersus Lycum
cap 7. Et quia Galenus hoc esse difficile, declarat id exemplo: & propterea miror recentiores, qui viden-
tes tam clarum exemplum, alucinati tamen sunt. Nam dicit; sit medicamentum compositum ex aristo-
lochia, thure, farina orobi, & myrrha, & supponamus, quod aristolochia excedat alia tria medicamen-
ta in æquali portione, id est, quod sit aristolochia multo in maiori copia, quam reliqua tria, & (verbi gra-
tia) in triplicato numero; reliqua vero tria sint quantitate æqualia: ex hoc (dicit) medicamento habe-
tur, cum sit maior substantia aristolochiæ, quam aliorum, quod non modo in substantia & quantitate
excedat aristolochia, sed præterea habeat vehementiorem qualitatem, ac superet aristolochia in quali-
tate cetera medicamenta: præterea addit Galenus, quod habeat valentius robur aristolochia; quia in ma-
iori quanto sit maior virtus. Quare videtis, quod manifestissime declararit exemplo, in maiori substan- D
tia & quanto esse maiorem & vehementiorem qualitatem, & validius robur. Et propterea Hippocrates
diuinissimus summo artificio dicit, plurimum, vt proponat vocem, quæ explicet substantiam, & per hoc
principale illa etiam quæ de necessitate consequantur hoc principale, quia substantiam consequitur &
qualitas actionum, & robur. Propterea cum dicit Hippoc. *Qui crescunt plurimum habent caloris innati,
&c.* idem est, ac si dixisset: qui crescunt plurimam habent substantiam caloris natiui, & copiam & proin-
de vehementem & intensam habent qualitatem calidi innati, & ex hoc etiam eiusdem caloris innati ha-
beant valentissimum robur.

Qui plurimum habēt calidi innati, plurimo egent alimento.

Quoniam igitur Hippocrates dixit, eos qui crescunt plurimum habere calidi innati: propterea in-
ferre etiam potuit, *plurimo igitur indigere alimento.* Id enim ea ratione sequitur: quoniam illa corpora,
in quibus plurima fit consumtio, plurimo indigent alimento, vnde, cum corpora puerorum quam ma- E
xime resoluantur, ideo egent plurimo alimento. Maior est manifestissima: quia alimentum proportio-
ne debet respondere ei quod resoluitur. Minorem probat Galenus, nimirum in corporibus puerorum
fieri maximam resolutionem, idque ex eo facile demonstrari posse Galenus dicit, quoniam in pueris plu-
rimum est substantiæ aereæ & aqueæ, minimum autem substantiæ terrestris & igneæ, contra vero in iu-
uenibus plurimum est substantiæ igneæ & terrestris, minimum aereæ & aqueæ: nam corpora puerorum
magis resoluuntur, iuuenum vero non ita: quia ex humido maxima fit resolutio, modica ex sicco. Et hoc
persuaderi potest experimentis euidentibus: nam si sit oleum, vel aqua, vel aliud humidius, quod calefiat,
fiet consumtio maxima, & resolutio: contra si calefiat vel ferrum, vel æs, vel lapis, vel aliquod consimile
siccum, atque terrestre, effluxus quidem fiet, sed minima dissipatio. Cum igitur corpora puerorum hu-
midiora sint, ideo maxima fit euaporatio, & consumtio in eis: & hac de caussa dicit Hippocrates, *plurimo* F
indigent alimento. Accedit præterea, vt dicebat Galenus primo de difficultate respir. capite 7. quod, vbi
plurimum est calidum, ibi etiam est insignis caloris actio, vnde cum in pueris sit maximus calor natiuus,
& validus, hinc est, quod cum valide agat, insignis fiat pabuli consumtio; & ideo plurimo indigeant ali-
mento.

Corpora ieiunantium puerorum consumi necessum est.

Subdit Hippocrates: *Alioquin corpus absumitur.* Hæc particula talem potest cum Galeno habere
veritatem: corpora, cum id quod influit copiosius est, quam id quod effluit & euaporat, dicuntur auge-
ri: tunc vero conseruantur, quoties id, quod influit in æquali est portione, cum eo quod effluit, vnde se-
quitur, quod ea corpora, in quibus fit maior effluxus quam influxus & reparatio, consumantur. His stan-
tibus, cum corpora ieiunantium puerorum (de his enim loquitur: quoniam hic aphorismus relationem
ad præcedentem habet, in quo de ieiunio locutus fuit Hippocrates,) maiorem patiantur effluxum quam G
influxum, ideo consumuntur, ac destruuntur: Idque declarat Galenus in commento: quemadmodum
enim duæ sunt qualitates, quæ maxima cum difficultate dissipantur, nimirum siccitas & frigiditas, ita duæ
aliæ oppositæ qualitates dissoluuntur summa cum facilitate, vt caliditas & humiditas. Sed hæc caliditas
& humiditas in pueris maxime viget; non autem in iuuenibus, vel aliis quibuslibet: ideo pueri maxime
resoluuntur, sed non potest in eis fieri reparatio eius, quod resoluitur: quia supponimus eos ieiunantes,
vel minus, quam opus est, cibis vtentes, quare absumuntur. Ideo optime dicere potuit Hippocrates in
hac

A hac parte; *alioquin corpus absumitur*, hoc est, quia puerorum corpora, in quibus est substantia resolubilis,
plurimo indigent alimento: ideo consumentur, si ipsis plurimum non præstetur alimentũ. Namque Phi-
lotheus dicebat, cum calor innatus continuo agat in pabulum, & alimentum; nisi assiduo subministre-
tur alimentum, tum calorem ag re in partes corporis, cum non possit agere in alimentum, consumereq;
corpus totum. Hæc de pueris dicit Hippocrates.

Postea dirigens sermonem ad ætates, quæ ferre ieiunium possunt, dicit: *Senibus parum inest calidi*
innati; Sed quid per parum innati calidi intelligit? Respondeo, quemadmodum loquens Hippocrates de
crescentibus, per particulam, *plurimum*, significabat calidi innati substantiam; & per substantiam etiam
B caloris innati qualitatem, & robur suarũ actionum: ita in senibus dicimus parum esse calidi innati, id est,
paucam esse substantiam calidi innati: & cum pauca sit eius substantia; etiã qualitas caloris innati, & robur
actionum eius non erunt insignia: quia in pauco quanto pauca est virtus. Ideo dicebat Galenus in com-
mento, non solum substantiam caloris natiui, sed qualitatem, & robur intelligendã esse. Per senes autem
intelligere possumus tum primum, tum secundum senium: sed magis primum, (vt diximus in superiori
aphorismo;) nam de eo loquitur senio, de quo etiam in superiori locutus fuit aphorismo. Nobis autem
magis placuit primum intelligere senium: quia secundum non fert ieiunium: nisi per ieiunium parum &
sæpe comedere intellexerimus.

Senibus paucum est calidum innatum.

Subdit Hippocrates. *Paucis propterea fomitibus egent.* Consequentia hæc eadem sequitur ratione,
qua superior. Quia sicut pueri plurimo egent alimento, cum plurimum habeant calidi innati: ita senes
C habentes minimum calidi innati, egent minimo alimento. Dicit autem, *Egent fomitibus*, id est, alimen-
tis: nam respexit Hippocrates ad dogma illorum Philosophorum, qui vitam in igne consistere dicebant:
quamuis secundo de partibus animal. septimo capit. Aristoteles videatur reprobare hanc opinionem,
quando dicit, animam non esse ignem, sed potius in igne consistere. Sed hoc nihil refert: quoniam vo-
lebant illi dicere, animam esse ignem, in hoc sensu, quod quemadmodum ignis est actiuus, ita & anima.
Dicit ergo Hippocrates. *Propterea egent paucis fomitibus*, id est, alimentis, fouentibus vitam & calorem
naturalem, qui veluti in igneo corpore consistere videtur. Egent autem paucis fomitibus senes, & non
multis: quia a multis exstinguerentur. Idque docebat Galenus in commento a posteriori, & per ex-
emplum. Nam cum in senibus modicum sit calidi innati: si multum ipsi ingerant alimentum, & ci-
bum, calor innatus, cum non possit illum cibum conficere, exstinguetur, vt parua flamma a multo oleo
D in lucerna, & exiguæ ignis scintillæ à magna lignorum strue exstinguuntur. Potest etiam id a priori osten-
di: nam inter agens & passum dent esse proportio: sed cum in senibus sit actio modica ipsius natiui ca-
loris, ipseque calor sit exiguus: ideo non debet esse præsentia passi copiosi, ne calor natiuus exiguus suf-
focetur.

Senes paucis egent alimentis.

Subiungit Hippocrates. *Et ob hanc caussam senes non ita facile febribus acutis corripiuntur, corpus enim*
eorum frigidum est. Dicit Galenus hoc esse signum, cuius beneficio probet Hippocrates, in senibus non
esse multam calidi innati: quia in senibus non sit ad febres acutas procliuitas: nam (supponendo corpo-
ra senum esse frigida,) cum in habentibus symbolum sit facilior transitus, in non habentibus diffici-
lior: ob id, cum febris calida sit, ea non facile corripiuntur senes, sed potius inuaduntur apoplexia, &
E epilepsia, aliisque frigidis morbis: quia scilicet senes frigidi sunt. Præterea etiam in febre acuta neces-
sarium est, vt fiat conuersio natiuæ caliditatis in igneam caliditatem: at hæc conuersio in senibus nimium
difficulter, in iuuenibus autem, & præsertim calidioribus, facile fieri potest: in senibus quidem difficul-
ter; quoniam vbi est modicus calor, difficulter fit talis conuersio, vt in senibus exsistit: & ideo rarissime
febribus acutis detinentur senes. Quod si quandoque accidat, vt his febribus detineantur, moriun-
tur: quoniam non possunt fieri hæ febres in eis, nisi a validissima caussa, quæ validissimum introducit ef-
fectum, vnde validæ sunt hæ febres, quibus senile corpus ob imbecillas iam & languescentes vires resiste-
re non potest: & ideo destruitur.

Senes morbis calidis non opportuni.

Sed dicet quis: adhoc non habeo, an calor in puero validior sit, an in iuuene? Vnde si hoc non co-
F gnoscatur, non potest recta victus ratio administrari. Recte igitur est hoc aduertendum. Sed licet
longioribus verbis soleat quæstio hæc tractari: nos tamen breuissimis verbis, & quam paucissimis eam
absoluemus. Resolutio itaque talis est, quod calor dupliciter considerari possit: altero modo ratione
sui, reliquo vero modo ratione nostri modi cognoscendi. Quod si consideremus calorem ratione sui,
dupliciter adhuc ipsum considerare possumus: primo modo ratione sui subiecti, radicis, & fundamen-
ti, secundo modo potest considerari quatenus qualitas. Ratione autem subiecti sui & fundamenti, ad-
huc dupliciter considerari potest calor, vno modo ratione sui subiecti remoti, altero vero modo ratio-
ne sui subiecti proximi. Declaro hæc: quoniam sunt distinctiones, a Galeno desumtæ. Primum itaque
si consideremus calorem ratione radicis & fundamenti sui remoti; æqualis est caliditas in puero, & in
iuuene: quia per subiectum remotum, radicemque, ignem intelligimus: & hoc est, quod Galenus voluit
in comm. sub difficilibus illis verbis, quæ omnes non intelligunt, neque considerant, quando dicit, quod
G in vtrisque, hoc est, pueris, & iuuenibus, æqualis sit calor, quantum ad quartum elementum, scilicet i-
gnem. Et hoc eram voluit Auicennas, qui optimus fuit Galeni interpres, quando lib. 1. cap. de comple-
xionibus dicit, in pueris, & iuuenibus esse æqualem calorem in radice, id est, in igne: & ideo postea idem
Auicennas ibidem subdit, in pueris, & iuuenibus æqualem esse igneitatem. Si vero considerauerimus
calorem ratione subiecti proximi; cum subiectum proximum caloris sit substantia aerea & aquea, & si-
ne dubio talis fiat a principiis generationis; necessarium est, vt dicamus secundum hunc sensum, quod
in pueris maior sit caliditas, quam in iuuenibus: quia sunt proximiores principiis generationis: & ideo

Quæstio prima: calor puerorum, an iuuenum validior.

dicit Hippocrates in hoc aphoris. *Qui crescunt, habent plurimum calidi innati*: ratione, scilicet, radicis, A & subiecti proximi. At si consideretur calor ratione qualitatis, adhuc dupliciter considerari potest: primo modo quatenus qualitas est actiua: secundo modo consideratur non simpliciter quatenus qualitas actiua est, sed quatenus est qualitas actiua agens in proprium subiectum. Si considerauerimus calorem, quatenus simpliciter est qualitas actiua; dicimus calorem esse in iuuene intensiorem: quoniam calor qui fundatur in subiecto sicco, acuitur magis, quam ille qui fundatur in subiecto humido, aereo, & aqueo: & cum in iuuenibus fundetur calor in subiecto sicco, quia siccitas est lima caloris, ideo dicimus, quod calor sit acutior in iuuenibus. Idque ex Galeno patet, secundo de temperamentis cap. 2. & in hoc commento, quando dicit, calorem in iuuenibus esse acutiorem. Si vero consideretur calor, non vt est simpliciter actiua qualitas, sed vt est actiua in suum subiectum: certum est, quod in iuuene habeat suum B subiectum magis resistens, quia est terreum, quod non ita facile resoluitur, & propterea calor ille non potest ita agere: non quia sui natura non sit maxime actiuus, sed illud euenit ratione passi, quod est maxime resistens: contra in puero, cum calor fundetur in subiecto humido, minime resistens, propterea consideratus calor in respectu ad suum passum, quam maxime resoluit pueros; & ideo magis actiuus est calor in pueris. Et hoc est quod dicit secundo de temperamentis 2. Galenus quando dicit, quod animal recenter formatum calidissimum sit: quia calor fundatur in subiecto humido, quod facile resoluitur. Quod si consideretur calor ex parte nostri modi cognoscendi; consideratur dupliciter, vno modo, vt cognoscitur per sensum tantum, altero modo, vt cognoscitur per sensum, & rationem simul. Si consideremus calorem, vt iudicatur solo tactu: dicebat Galen. 2. de temperamentis secundo, quod millies obseruarit calorem esse æqualem in puero, & in iuuene, quantum ad simplicem tactum, & quantum ad cogni- C tionem ipsius caloris. Dico autem hoc; quoniam dicebat Galenus loco citato, quod calidum solo tactu cognoscere possimus, humorem non solo tactu, sed & ratione: & ideo dicit, si sermonem habeamus de calore, quatenus cognosci debet ratione sui subiecti, non tactu solo, sed tactu, & ratione simul; se obseruasse, calorem esse copiosiorem in puero, magis suauem, & mitem, coniunctum cum humido: in iuuene autem dicit calorem esse acriorem, ac mordaciorem, quia fundatur in sicco. Ideo quando quæritur, vter calor sit maior, in puero, an in iuuene; debetis cum distinctione, non absolute, respondere.

Quæstio secunda: an calor naturalis differat a spiritu naturali.

Succedit modo alia quæstio, sane difficilis, an calor naturalis differat a spiritu naturali, necne. Ex cuius quæstionis solutione non modo cognoscetis, qua ratione differat calor naturalis a spiritu naturali, sed etiam veram naturam & essentiam febris intelligetis. Sine enim his existimo non posse quidquam recte de ipsa definitione febris cognosci, in qua Auicennas dicit, febrem esse calorem extraneum, D dispersum per vniuersum corpus, mediante spiritu, &c.

Vt autem appareat vera resolutio huius difficultatis, necessarium est duo præcognoscere: alterum, quid sit calor innatus: reliquum, quid nam sit spiritus naturalis. Quantum ad calorem naturalem, non est, vt de eo in præsentia agamus, siquidem satis superque de eo in superioribus egimus.

De spiritibus humani corporis, in genere.

Quod si aliquid superest in definitione spiritus naturalis, illud modo patefaciemus. Quid ergo est naturalis spiritus? Dico id sciri non posse, nisi prius in genere quid spiritus sit sciamus: præcipue vero, quia ex declaratione spiritus in communi, non modo habebitis dari spiritum naturalem, de quo maximæ fuere dubitationes, sed quid sit etiam spiritus naturalis cognoscetis. Progrediendum enim est a magis communibus ad minus communia. Spiritus ergo (& sermo sit de spiritu, in corpore humano existente) talis potest descriptio proponi: *Spiritus est corpus mistum, ex halituosa parte tum sanguinis, tum semi-* E *nis, facultatibus famulans.* Declaro hanc definitionem cum Galeno, ex tertio de facultat. natural. decimoquarto: vbi Galenus dicit, quod in corpore humano nil conspiciatur tenuius ipso spiritu, atque ipsum esse substantiam leuissimam, & tenuissimam, eorum omnium, quæ in corpore humano reperiuntur: secundo loco dicit esse vaporem sanguinis, qui & ipse tenuis sit, non tamen ita vt substantia spiritus: tertio loco, esse sanguinem attenuatum. Ex his ergo habemus, spiritum esse substantiam; & quia substantia est genus valde remotum; ideo mutauimus definitionem, & diximus esse *corpus*, non tamen simplex corpus, sed *mistum*, quoniam ex Galeni sententia, loco citato, spiritus ipse ex sanguinis vapore conseruatur: quod cum ita sit, sequitur quod simplex corpus esse non possit, erit ergo mistum. Hoc autem corpus mistum *genitum est*, non ex sanguine, sed *ex vapore sanguinis*. Quam quidem particulam 11. meth. F 3. proponit Galen. quando dicit, spiritum gigni & conseruari ex vapore, qui attollitur ex sanguine. Vnde, cum habeat sui generationem non ex semine, neque ex sanguine, sed ex vapore seminis, & sanguinis: recte dicit Galen. 3. de facultat. natural. 14. spiritum esse tenuissimum. Postremo dictum fuit in definitione, *facultatibus famulans*; nam hæc est caussa finalis: hac enim de caussa a natura editus fuit spiritus naturalis, vt facultatibus famularetur, vnde deficiente spiritu, deficiunt etiam operationes facultatum.

Spiritus facultatibus diuersimode famulantur.

Sed dicet quis: si spiritus facultatibus famulatur, famulatur ne eodem an diuerso modo? Facile est respondere, diuersimode spiritus concurrere, ob facultates; quæ & ipsæ diuersæ sunt. Cum enim tres sint facultates, nimirum animalis, vitalis, & naturalis: ac facultas animalis ceteras præstantia & nobilitate excellat; secundo loco sit vitalis; tertio & postremo naturalis: sequitur, & non sine ratione, quod debeat esse G diuersitas in spiritibus, vt nobiliori modo concurrant spiritus ratione animalis facultatis, ignobiliori ratione vitalis, adhuc ignobiliori ratione naturalis.

Spirituum discrimen.

Sed in quo consistit hic spiritus naturalis, & quomodo differt ab aliis spiritibus & a calore natiuo? Dico tres spiritus, animalem, vitalem & naturalem, duobus differre: nimirum eo quo conseruantur, deinde eo quo referuntur ad virtutes. Declaro: & primo, quantum ad id ex quo conseruantur; differentia est: nam spiritus animalis cõseruatur & veluti alitur ex spiritu vitali, spiritus autẽ vitalis cõseruatur ex spiritu natu-

A naturali:vnde ſpiritus animalis eſt perfectior vitali,quia vitalis eſt veluti materia animalis; & ideo anima-
lis ſpiritus generatur, & alitur ex materia nobiliori, quam vitalis:ſpiritus autem naturalis adhuc eſt im-
perfectior, quoniam eſt veluti materia vitalis,& ſui conſeruationem & augmentum habet ex vapore ſan-
guinis attenuati in iecore. Non dico autem ſpiritum naturalem conſeruari ex ſanguine, ſed ex vapore
ſanguinis: nam inter tenuiſſima corpora primo eſt ſpiritus, ſecundo vapor, tertio ſanguis attenuatus, &
propterea 11.meth.3.dicit Galen.ſpiritum conſeruari ex vapore, qui attollitur ex ſanguine, qui vapor eſt
imperfectior ſpiritu naturali: cum ergo hoc nutriatur ſpiritus naturalis, ſequitur quod ſpiritus naturalis
ſit omnium ſpirituum imperfectiſſimus.Sic ergo differunt ſpiritus penes id ex quo conſeruantur. Secun-
do differunt ſpiritus,quatenus referuntur ad facultates,vt,ſcilicet,facultatibus famulantur:nam nobilio-
B ri facultati famulatur animalis ſpiritus ignobiliori vitalis, ignobiliſſimæ naturalis. Declaro ex Galen.in
lib.7.de decr.Hippoc.& Plat.4.cap.ex quo loco colligitur, quod animalis facultas viuificatur immediate
beneficio ſpiritus animalis:ita vt ſpiritus animalis ſit immediatum & proximum inſtrumentum facultatis
animalis:neque abſolute: quoniam etſi deferat vim ad oculos, non tamen defert facultatem animalem
per omnes partes corporis,vnde non ex toto eſt vehiculum facultatis,quoniam non vbique ſunt propor-
tionata inſtrumenta,ad quæ poſſit deferri quæcunque animalis facultas:concurrit autem ſpiritus anima-
lis,vt conſeruans & viuificans animalem virtutem. Spiritus autem vitalis famulatur facultati vitali, non
ita nobili, & præſtanti facultati, vt erat animalis: nam quamuis vitalis ſpiritus viuificet facultatem vita-
lem,hæc tamen facultas minus præſtans eſt, & vniuerſo corpori communicari debet, non vt animalis,
quæ aliquibus tantum determinatis particulis communicabatur, quamprimum enim aliqua pars deſti-
C tuitur facultate vitali,protinus deſtituitur vita,& moritur. Communicatur autem nobis talis vita benefi-
cio caloris influentis,ac illius caloris, qui vbi igneus redditur, cauſſa eſt febris: nam hic calor,a corde or-
tum ducens,mediantibus arteriis vniuerſo corpori,ac quibuslibet eius particulis,communicatur. Quam-
primum vero ceſſat calor influens peruenire ad aliquam partem,illico pars illa vita deſtituitur. Nam non
modo in calore inſito.ſed influente,conſiſtit cuiuslibet particulæ vita:quælibet enim pars operatur bene-
ficio caloris inſiti,non ſimpliciter,ſed etiam neceſſarium eſt,vt concurrat calor influens, qui deducat ca-
lorem implantatum de potentia ad actum,ac conſeruet eum in actu,in opere,ac etiam in vita:& propter-
ea niſi fiat hæc communicatio caloris influentis calori inſito, derepente ceſſat vita huius vel illius partis,
& ideo facultas vitalis defertur beneficio caloris influentis,qui ex corde originem habet, & hic deducitur
D beneficio ſpiritus vitalis. Neque hoc videatur mirum: nam,vt dicit Auicennas,febris eſt calor extraneus
accenſus in corde,(& loquitur ibi de calore natiuo in igneum conuerſo,) diſtributus ad partes corporis,
per venas & arterias,mediante ſpiritu. Dicit autem,mediante ſpiritu,nulla alia de cauſſa, niſi quia opti-
me cognouit, ſicut tempore ſanitatis communicatur vita omnibus partibus corporis, beneficio caloris
influentis a corde,non ignei,ſed naturalis, in virtute tamen ſpiritus vitalis, qui eſt ſubſtantia tenuiſſima,
quæ merito poteſt eſſe vehiculum caloris influentis: & proprerea ſicuti tempore ſanitatis ſpiritus eſt ve-
hiculum caloris influentis;ita tempore febris, ſeu in febre,ſpiritus, qui eſt in continua agitatione, eſt in
cauſſa,vt deferatur influens calor ad partes,ſed igneus redditus. Et ideo non concurrit præſtanti modo
ſpiritus vitalis,ſicuti concurrit animalis. Sed deſcendamus modo ad naturalem ſpiritum, de quo maior
eſt difficultas:nam impoſſibile eſt dicere ſpiritum naturalem deferre facultatem naturalem: nam hæc fa-
cultas non defertur Et hac de cauſſa docti quidam negarunt dari ſpiritum naturalem.Galen.enim primo
E de locis aff.cap.vlt.dicit,partibus inſitas eſſe potentias facultatis naturalis a natura: cuilibet enim parti na-
tura donauit has quatuor naturales potentias;attractricem, concoctricem, expultricem,& retentricem.
Quare impoſſibile eſt dicere has potentias deduci a iecore ad partes ipſas:ſicuti diximus de animali, & vi-
tali ſpiritu.Non igitur concurrit ſpiritus hic naturalis,vt delator facultatis naturalis:neque concurrit de-
ferendo calorem naturalem,videlicet inſitum;neque deferendo calorem influentem: non deferendo ca-
lorem inſitum,quia calor inſitus eſt complantatus partibus & eas non derelinquit, & ideo non defertur;
nec influentem, quia hic viget in corde, & fundamentum habet ex calore innato cordis;& ideo per vita-
lem ſpiritum defertur,non per naturalem. Dico igitur,concludendo,quod concurrat ſpiritus naturalis,
vt famulatur proximo & immediato inſtrumento facultatis naturalis. Non igitur ſpiritus naturalis eſt
F proximum inſtrumentum facultatis naturalis,ſicut ſpiritus animalis facultatis animalis, & ſpiritus vitalis
facultatis vitalis:ſed ſpiritus naturalis mediate concurrit,& famulatur facultati naturali, quia videlicet fa-
mulatur proximo & principali inſtituto facultatis naturalis: quod proximum inſtrumentum facultatis
naturalis,vt in ſuperioribus audiuiſtis, eſt calor innatus. Nam millies dicit Galenus calorem naturalem
eſſe auctorem facultatum naturalium,vt declarauimus ſuo loco.

Requiritur autem hoc inſtrumentum,ſcilicet,calor naturalis, vt fiant naturalis facultatis operatio- Caloris na-
nes.Ideo neceſſarium eſt, vt calor naturalis aſſidue conſeruetur. Conſeruatur autem duplicis alimenti turalis ali-
beneficio:quorum alterum eſt formale,reliquum vero materiale. Formale nihil aliud eſt,quam calor in- mentum,
fluens:quoniam iſte,vnitus calore inſito,deducit eum de potentia ad actum, eique vitam dat, ac vitalem quo conſer-
inſuper operationem.Alterum vero materiale,eſt alimentum,quod quidem nihil eſt aliud,quam ſanguis uatur.
attenuatus in iecore:nam (vt audiuiſtis) calor naturalis generatur ex ſanguine attenuato,& ſemine, ideo-
G que non poteſt ex vapore conſeruari,quia vapore ſpiritus conſeruatur. Vnde quincto de ſimp. med.fa-
cult.nono,optime dicebat Galenus,calorem naturalem eſſe ſanguinem,id eſt,ex ſanguine genitum.Cum
igitur calor naturalis conſeruetur ex ſanguine,ac eiuſdem caloris naturalis aſſidua fiat reſolutio: propter-
ea neceſſarium eſt,vt ipſum aſſiduo reficiamus,vtque ei continuum ſubminiſtremus alimentum, nempe
aſſiduum ſanguinem attenuatum.

Vt autem iſtud ſubminiſtretur aſſiduum alimentum calori naturali, neceſſarium fuit vehiculum

Vehiculum alimenti caloris naturalis, est spiritus naturalis.

quoddam, quod tenuius esset, cum vehiculum sit. Hoc autem vehiculum nihil aliud esse potest, quam naturalis spiritus in iecore genitus; non quidem ex attenuato sanguine, sed ex vapore sanguinis. Et propterea quincto de simp. med. facult. cap. 9. dicit Galenus, quod calor naturalis nihil aliud sit, quam sanguis & spiritus. Sed hoc non est ita simpliciter intelligendum, quod scilicet calor sit vel sanguis, vel spiritus: falsum enim hoc est, vt ex dictis patet: sed ita debet accipi, quod calor naturalis sit spiritus & sanguis; quia nimirum impossibile est, calorem naturalem conseruari sine sanguine attenuato, qui est veluti eius alimentum; & sine spiritu, qui est vehiculum huius alimenti, id est, huius attenuati sanguinis. Neque mirum hoc cuipiam videri debeat: quia cum assidua reparatio necessaria fuerit; sicuti caliditati influenti natura dedit vehiculum, scilicet spiritum vitalem, sic alteri calori (naturali videlicet) opus fuit dare vehiculum, spiritum scilicet naturalem, quo porro sibi alimentum deferatur. Ideo facile colligere potestis, B quod spititus naturalis famuletur ignobiliori facultati, nempe naturali: nam spiritus animalis est proximum instrumentum, immediate viuificans facultatem animalem, nec defert; & si defert, verbi caussa, ad oculos, immediate defert: sed spiritus naturalis ignobilissimus est; nam & ignobilissimæ facultati famulatur, naturali, scilicet eamque non defert, quia est infra partibus, imo nec defert instrumentum huius facultatis, calorem scilicet natiuum, quia & ipse insitus est; sed defert huic instrumento pabulum, & alimentum.

In Altimarum.

Ex quibus facile colligi potest, quomodo calor naturalis a spiritu differat naturali. Vnde & facile patere potest Donati Antonii ab Altomari error; nam quantum attinet ad auctoritates, quas adducit, nullius sunt momenti, & præcipue illa, quam adducit ex 12. method. cap. 5. quod dicat ibi Galenus se dubitare C circa spiritum naturalem. Galenus enim non simpliciter dubitauit de spiritu naturali: quia expresse cognouit substantiam hanc, quam spiritum naturalem appellamus: sed sub dubio locutus est; quoniam non ita apertum Galeno videbatur, quomodo huiusmodi substantia proprie spiritus vocari posset, propter ignobilitatem suam in respectu ad alios spiritus: quia non deferret facultatem, nec instrumẽtum facultatis, sed tantum alimentum instrumenti: & ideo dicit, si hæc substantia digna sit nomine spiritus, &c. Imo etiam addit Galen. hanc substantiam reponi in iecinore, & in venis ipsis, ex quibus suppeditatur pabulum caliditati naturali.

Discrimen caloris & spiritus naturalis.

Facile ergo est videre differentiam inter calorem, & spiritum naturalem, ex his verbis: nam per calorem naturalem Gal. intelligit calorem insitum, ac implantatum in partibus qui calor dicitur etiam spiritus insitus, & complantatus. Vnde differentia magna est inter spiritum insitum, & spiritum naturalem: D quoniam spiritum insitum Gal. vocat calorem naturalem, 5. de simp. med. facult. cit. & de eo nihil dubitat, vt dubitat de spiritu natur. 12. meth. 5. Præterea spiritus insitus inhæret parti, quia idem est cũ calore natiuo: at spiritus naturalis distribuitur per venas, estque substantia leuissima, & tenuissima, & ideo est de genere impetentium, vt dicebat Gale. 1. de diff. feb. c. 1. vbi ad mentem Hipp. ait, spiritus naturales esse impetentes: at calor naturalis non est impetens. Et quamuis Gal. 3. de causs. puls. c. 9. dicat, calorem naturalem moueri modo versus centrum, modo versus circumferentiam, non tamen propterea erit calor substantia impetens: quoniam si mouetur calor natiuus, nõ tamen deserit partes ipsas, vt spiritus naturales deserunt eas; qua de caussa impetentes dicuntur. Differt ergo calor naturalis a spiritu naturali: primo, quia calor naturalis insitus est partibus; spiritus naturalis vagatur per venas, per totum corpus: præterea calor naturalis generatur & conseruatur ex attenuato sanguine, spiritus naturalis generatur & conseruatur ex vapore sanguinis: amplius, calor naturalis est proximum instrumentum facultatis naturalis, spiritus autem naturalis non est proximum instrumentum, sed famulatur proximo instrumento facultatis naturalis, deferendo, scilicet pabulum calori naturali. Et ideo maxima est differentia inter calorem naturalem, & spiritum naturalem. E

Altimari opinio de spiritu naturali confutatur.

Ex his Altimari error de spiritu naturali, facile innotescit. Vult namque spiritum naturalem generari in iecore: idque verissimum est. Vult etiam spiritum naturalem esse alimentum caloris naturalis, ita vt spiritus naturalis sit sanguis attenuatus, qui quidem est alimentum caloris naturalis: atq; addit sanguinem hunc attenuatum, hoc. s. alimentum ea ratione esse spiritum naturalem, quoniam est alimentum instrumenti virtutis naturalis: vnde, cum sit alimentum instrumenti facultatis naturalis: ideo existimat debere appellari spiritum naturalem. Quæ resolutio quamuis multis verbis ab eo proposita fuerit in ipsius F opusculis, consistere tamen non potest. Falsum enim est dicere, hoc alimentum, quia est alimentum caloris naturalis, qui instrumentum est facultatis naturalis, propterea esse spiritum naturalem: quoniam similiter possemus dicere, spiritum vitalem esse spiritum animalem, cum sit alimentum spiritus animalis, qui est instrumentum facultatis animalis. Ideo non valet consequentia: est alimentum caloris naturalis, qui est instrumentum facultatis naturalis, ergo est spiritus naturalis. Præterea hæc resolutio aduersatur Gal. 3. de fac. nat. 14. quem locum voluit esse fundamentum dicendorum in hac materia. Dicit enim ibi Gal. quod spiritus sit substantia tenuissima omnium, quæ in corpore inueniuntur: alter gradus subtilitatis debetur vapori sanguinis, qui minus subtilis est: tertio loco est sanguis attenuatus. Si itaque spiritus substantiam habet tenuissimam, & est tenuissimus; ergo debet distingui a sanguine attenuato, vt facit ibi Gal. Quod si ita se res habet: non potuit dicere Donatus spiritum naturalem esse sanguinem attenuatum, esse alimentum caloris naturalis: quæ eadem sunt. Multum igitur discrepat sanguis attenuatus a spiritu, quoniam spiritus longe hoc attenuato sanguine tenuior existit. G

Repetitio doctrinæ de naturali spiritu.

Ideo veritas a nobis determinata in suo robore persistit: quod spiritus naturalis sit substantia tenuissima, genita & conseruata ex vapore, qui attollitur ex sanguine attenuato: qui spiritus datus est a natura, vt sit vehiculum sanguinis attenuati, id est, alimenti caloris natiui, qui est instrumentum proximum facultatis naturalis, vt supra satis superq; diximus. Et hæc de secunda quæstione dixisse sufficiat.

Tertia

A Tertia reſtat difficultas de febre: an ſubſtantia ſit, vel potius qualitas? Si conſideremus dicta Gale-
ni in hoc comm. elicere poſſumus ex Galen. febrem tum ſubſtantiam eſſe, tum qualitatem. Primum au-
tem habemus febrem eſſe qualitatem: dicit enim Galenus medicos nominibus abuti, dum dicunt, mor-
bos eſſe magnos, morbos eſſe paruos: & abuſum in hoc conſiſtere, quod morbus ſit qualitas; magnum
autem & paruum ad ſubſtantiam potius, quam ad qualitatem referatur: additque aliquos voce abuten-
tes vocare febres magnas, & paruas, cum tamen febris qualitas ſit, non ſubſtantia. Ex eodem vero com.
colligere poſſumus, febrem eſſe ſubſtantiam, ac febrem eſſe corpus: nam expreſſe Galen. aſſerit, quod
calor naturalis ſumi poſſit pro qualitate, & pro ſubſtantia: & poſtea, accipiens calorem pro ſubſtantia,
B dicit, quod ex calore naturali, & ſubſtantia hac vaporoſa, fiant effluxus & euaporationes mites ac ſuaues:
qui effluxus & euaporatio non poteſt fieri niſi ex ſubſtantia & corpore, non autem ex pura qualitate.
Loquens poſtea de calore adſcititio, dicit, quod fiant ex eo euaporationes potius mordaces, idque de-
clarat exemplo, ſumto a calore febrili: & dicit, quod ex calore febrili fiant effluxus mordaces, corrodentes
tactum. Si ergo iſti effluxus & vapores fiunt a calore febrili: ergo calor febrilis eſt ſubſtantia.

Quæſtio tertia: num febris ſit ſubſtantia, vel qualitas.

Heic aliqui, timentes aſſerere febrem eſſe corpus, neque potentes hoc cognoſcere, (licet facil-
limum ſit, neque nouum: nam & Thaddæus huius opinionis meminit, quod ſcil. febris ſit corpus, ſu-
per 16. aphoriſ. huius primi:) aſſeruerunt, iſtos effluxus & euaporationes non fieri ratione caloris febri-
lis, ſed ratione annexi, & coniuncti. Sed hæc eſt mera fuga. Nam ſi Galenus vult, fieri euaporatio-
nes mites ex calore naturali, conſiderato pro ſubſtantia: ergo cum dicit ex calore adſcititio fieri euapo-
C rationes mordaces, intelligit calorem etiam pro ſubſtantia, & cum declaret hoc in febrili calore, er-
go febrilis calor eſt ſubſtantia. Ideo ex hoc comm. e Galen. colligere poſſumus, febrem tum qualitatem
eſſe, tum ſubſtantiam.

Quam veritatem doctiſſimi moderni ſuſtinentes, vt redderent rem clariorem, adducebant proba-
tionem aduerſus ſe ipſos; quod febris ſcil. non poſſit eſſe ſubſtantia: nam ſi febris eſſet ſubſtantia, eſſet
morbus in numero: ſed hoc eſt falſum, & contra Hippoc. Galen. & omnes: nam apud omnes eſt in con-
feſſo, febrem eſſe morbum in intemperie, non in mala compoſitione, nec in numero. Soluentes hanc
difficultatem, dixere, febrem eſſe ſubſtantiam & corpus: ſed eſſe aduertendum, quod calor febrilis, pro
ſubſtantia acceptus, non intendatur, quatenus ſubſtantia, ſed in qualitate: ideo in qualitate fieri augmen-
tum, in ſubſtantia autem potius diminutionem fieri, quam augmentum: proinde non valere argumen-
D tum adductum: febrem enim non augeri pro ſubſtantia, ſed pro qualitate.

Sed ego ſæpe ſum admiratus, quomodo viri tam celebres in re tam manifeſta fuerint alucinati: cu-
ius vos eritis iudices. Nam in hac ſolutione duplex eſt error: primus, dum ſupponitur, calorem iſtum non
augeri penes ſubſtantiam, ſed potius diminui: nam ſi febris eſt ſubſtantia, & diminuitur ſubſtantia; dicam
eſſe morbum in numero diminuto: nam ſi manui erunt ſaltem tres vel quatuor digiti, erit morbus in
numero diminutus. Secundus error eſt priore peior: quia abſurdum quam maxime eſt, aſſerere, in febre
ſubſtantiam non augeri, quando quidem augetur ſubſtantia. Quod autem ſubſtantia augeatur, declaro:
non recedens a dictis Galeni in hoc comm. Suſtineo vero ipſemet febrem eſſe tum ſubſtantiam, tum
qualitatem. Cum dico febrem eſſe ſubſtantiam; intelligo febrem eſſe calorem naturalem, ſcil. influen-
E te n, igneum redditum. Ideo videamus, quomodo ſe habeat calor hic naturalis influens, penes ſuum au-
gmentum, ratione ſubſtantiæ, & ratione qualitatis. Si conſideratur augmentum, ratione ſubſtantiæ; in
calore naturali augmentum poteſt eſſe duplex: vel naturale, vel præter naturam. Augmentum natu-
rale eſt, quotieſcunque caloris naturalis ſubſtantia aerea & aquea fit maior: & tale augmentum non ha-
bet locum in febre, quia hoc eſt augmentum naturale. Præterea dicebat Galen. 3. de temperamentis cap.
4. ſubſtantiam caloris natiui augeri tantum ab alimento, & ab his quæ poſſunt verti tantum in ſubſtan-
tiam nutriti: at in febre concurrunt cauſſæ febrificæ, quæ nihil habent commune cum alimento, ideoque
non poſſunt augere ſubſtantiam caloris natiui, & propterea tale augmentum locum habere non poteſt.
Eſt præterea aliud augmentum, quod extra limites ſanitatis adhuc non eſt; & eſt, quando augetur ſub-
ſtantia caloris adſcititii, veluti in ætate iuuenili, in qua diminuitur ſubſtantia caloris natiui; & augetur
F ſubſtantia adſcititii, hoc eſt, diminuitur ſubſtantia aerea & aquea, & augetur ſubſtantia ignea & terrea:
ſed neque hoc augmentum caloris locum habet in febre, quia adhuc conſiſtunt operationes incolumes.
Eſt præterea augmentum tertium caloris naturalis, ſed hoc non eſt intra ſanitatem, ſed præter naturam:
quod augmentum in hoc conſiſtit, quia caloris naturalis ſubſtantia diminuitur, & augetur non modo ſo-
la qualitas caloris extranei, ſed etiam caloris extranei ſubſtantia. Quod autem caloris naturalis ſubſtantia
minuatur, habetur ex Gal. in hoc comm. quando Gal. dicit, ſubſtantiam caloris naturalis in febre neque
æqualem eſſe, nedum augeri: & propterea cum Gal. in febre minuitur ſubſtantia caloris naturalis, hoc eſt,
aerea & aquea, augetur autem ſubſtantia caloris extranei, & adſcititii, quoniam ſubſtantia illa caloris, quæ
erat aerea & aquea, fit quam maxime ignea: & ideo in febre non diminuitur, ſed augetur ſubſtantia calo-
ris ignei. Nam idem ſermo eſt de calore adſcititio; & de calore febrili: dicit enim Galenus quod in febre
fiant effluxus acres, & mordaces; qui fieri minime poſſunt, niſi accipiamus ſubſtantiam caloris non nati-
G ui, ſed caloris ignei redditi. Vnde, cum augeatur ſubſtantia caloris febrilis ignei; & qualitas comitetur
ſuum ſubiectum: intenditur etiam qualitas: & ideo in febre habemus augmentum, non ſolum ratione
qualitatis, ſed etiam ratione ſubſtantia.

Cum igitur habeamus febrem eſſe & qualitatem & ſubſtantiam auctam: qua ratione tollimus dif-
ficultatem, ne ſcil. dicamus febrem eſſe morbum in numero? Niſi a doctiſſimo Viro propoſitum fuiſſet
argumentum, equidem illi non ſatisfeciſſem: quoniam nimis leue eſt, & ſolutio eius patet, ſi vera defi-

niendi methodus cognita fuerit. Dico igitur dupliciter febrem definiri posse: formaliter, & caussaliter, A
id est, effectiue: Per formalem definitionem intelligo, quando febris definitur per verum genus, & ve-
ram differentiam. Per definitionem autem caussalem intelligo definitionem traditam per caussam im-
mediatam efficientem: vt cum dicimus, risibile est animal rationale mortale. Quo ita constituto, si fe-
brem definierimus formaliter, nihil aliud dicere poterimus, nisi quod febris sit qualitas. Quod si volue-
rimus febrem definire caussaliter, id est, per caussam effectiuam; tunc dicere possumus febrem, esse sub-
stantiam, atque corpus. Et propterea quando Galenus in hoc comm. & alibi dicit, febrem esse qualitatem,
vel febrem esse intemperiem calidam & siccam; definit febrem formaliter, per suum verum genus: vbi
vero dicit febrem esse calorem, est definitio caussalis. Galenus enim in hoc commento dicit, febrem fie-
ri ob conuersionem caloris natiui in igneum: non dicit, quod febris sit calor, sed quod fiat ex calore: quia B
considerauit calorem influentem esse caussam febris effectiuam. Antequam autem formaliter soluam
argumentum, duobus verbis declarabo, quomodo calor influens sit caussa efficiens febris: nam calor in-
natus non potest esse caussa efficiens febris, sed solum calor influens: vbi enim fit febris, necessarium est,
vt calor influens, qui viget in corde, igneus reddatur: igneus autem fit ille calor a caussis potentibus in-
troducere igneam qualitatem in eundem calorem influentem, qui postea calor influens, vbi igneus est
redditus, reddit calidas omnes partes corporis; quia non potest fieri hæc distributio ad omnes partes cor-
poris, nisi beneficio alicuius, quod possit distribui: & talis calor est influens, qui igneus factus, dat ignem
& calorem partibus; sicuti sanitatis tempore eis vitam tribuit. Vnde formaliter respondentes ad ar-
gumentum; quando illi dicunt; si febris est substantia, ergo est morbus in numero: negamus consequen-
tiam: quoniam dicimus febrem esse substantiam, non pro definitione formali, sed caussali, quæ traditur C
per caussam effectiuam. Nam hoc idem esset, ac si quis (exempli gratia) diceret; scamnum fit ab artifice,
ergo scamnum est artifex: hæc consequentia ridicula est.

Vnde hic obiter aduertatis, vt cognoscatis, an definitio ab aliquo auctore tradita sit caussalis, an po-
tius formalis: nam quis dicere posset, esse principii petitionem, cum asserimus, febrem esse qualita-
tem, esse definitionem formalem: cum vero dicimus esse substantiam, esse definitionem caussalem, &
per caussam efficientem. Opus est igitur hoc declarare. Si accipiatis genus positum in definitione, & redu-
catis hoc genus proximum in genus remotum, & deinde in remotissimum, & vtrumque genus prædice-
tur in quid de definito; ista erit definitio formalis: quoniam valet dicere; homo est animal, corpus,
substantia, &c. ista definitio est formalis, iuxta regulam in anteprædicamentis, quicquid prædicatur D
de prædicato, prædicatur & de subiecto, quod valet in essentialiter ordinatis, vt logici declarant. Si ve-
ro genus remotum non prædicatur in quid; sciatis hanc non esse definitionem formalem, sed caussa-
lem, vt si dicatis; risibile est animal rationale mortale; est definitio caussalis: nam si referamus animal
in corpus, & substantiam, non valebit dicere, risibile corpus est, risibile est substantia: & ideo est defi-
nitio caussalis.

Accipiamus modo definitionem febris, quæ est intemperies calida & sicca, dependens a calore in-
fluente igneo reddito. Hæc quidem definitio formalis est: quoniam capientes intemperiem, & reducen-
tes ipsam ad dispositionem, & dispositionem reducentes ad qualitatem, quæ sunt genera remota, &
remotissima: semper erit verum dicere, quod hæc omnia in quid de febre prædicentur: nam valet di-
cere, febris est dispositio præter naturam, est morbus, & est qualitas. Dicatis modo: febris est calor E
naturalis, factus extraneus, accensus in corde: dicatis postea calor est corpus, calor est substantia: va-
let ne dicere febris est corpus, febris est substantia? Non profecto. Et ideo hæc est caussalis, non for-
malis definitio. Hæc dicere volui: quoniam quidam putant hoc esse chimæricum & fictitium dictum,
quod detur definitio caussalis, & formalis: cum tamen hoc sit Aristotelis primo post. & sit verissimum:
vt iam probatum est.

APHORISMVS XV.

Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi. Quare per ea tem- F
pora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus copiosior
est: vnde & pluribus egent alimentis. Indicio sunt ætates, & athletæ.

Scopus: de victu sanorum agere.

V*Entres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, &c.* Pro introductione præsentis aphorismi, in memo-
riam reuocare oportet, quod cum hucusque egerit Hippocrates de victu minuente vires, id est, tum
tenui, tum tenuissimo, in virtute suorum indicantium, hoc est, morbi acuti, morbi peracuti, vigoris, &
accessionis: nec non egerit de eodem, in virtute suorum coindicantium, & principalium, hoc est, virium
& non principalium, seu eorum quæ referuntur ad vires, nimirum ætatis, temperaturæ corporis, con-
suetudinis, & anni temporis: nunc antequam loquatur Hippoc. de victu medicinali, de quo in sequen-
ti aphor. vult in præsenti sermonem habere de victu sanorum. Et ideo eius institutum nunc est de victu
sanorum agere. Qui scopus an sit Hippoc. nec ne, facile est videre apud Galen. in præsenti comm. Sed ex G
altera parte difficile est videre caussam huius scopi: & præcipue, cum institutum Hipp. sit, sermonem ha-
bere in hac parte de curatiua arte; & in quarto etiam aphor. dixerit Galenus Hippocratem sermonem ha-
bere de victu ægrotantium. In primis autem clarum est, hic Hippocratem sermonem habere de victu
sanorũ: quod probatur ex Gal. in fine com. vbi habet, omnia, quæ dicta sint in hoc aph. esse dicta ob cor-
p 𝔵a sanorum cõfirmatur & hoc e Gal. 1. de ratione victus com. 44. vbi ait, si quis laborarit morbo acuto,
ratio-

A ratione cuius opus sit vti diæta tenui; tunc si fuerit tempus hyemale huiusmodi tempus permittere talem victum tenuem: contra autem in æstate: nam quamuis ratione morbi acuti opus sit vti victu tenui, tempus tamen æstiuum hoc prohibet. Ex quo colligatis, tempus hyemis coindicare victum tenuiorem, & tẽpus æstatis hunc victum contraindicare. Hipp. tamen hic habet oppositũ, quod *ventres hyeme &c.* Et postea subdit; *Quare & his temporibus copiosiora exhibenda sunt alimenta.* Dicit ergo Hipp. hyemem indicare victum copiosum. Ideo est aduertendum, si considerauerimus hyemem, vt tempus coindicans cum morbo; si morbus indicat tenuem, hyemem etiam coindicare tenuem victum. Sed si considerauerimus tempus, vt indicans, non vt coindicans, quale est tempore sanitatis: hyems cibum copiosiorem indicat, quam æstas: quia vbi morbus affligit tempore æstatis, non possumus vti victu ita tenui, vt morbus requirit: B tempore autem sanitatis possumus æstate victu tenui vti, non copioso. Quare cum quod sanis conuenit dicat, non quod ægris; manifestum est, Hippocratis esse institutum de victu sanorum agere.

Artificium.

Sed qua de caussa hoc fecit? Sæpissime dixi, semper Hippocratem maximo esse vsum artificio. Cum ergo hucusque egerit de victu minuente, tum in virtute indicantium, tum coindicantium: antequam ad medicinalem cibum transiret, voluit admiscere sermonem de victu sanorum, vt multæ tollerentur difficultates, neque aliis committeretur error. Tollentur autem errores, si cognouerimus aliud esse indicans, aliud coindicans: neque vnum & idem hæc esse. Nam aliquis potuisset credere, eodem modo nobis esse progrediendum, quando aliquid est indicans, & postea illud idem est coindicans: cum tamen eodem non sit progrediendum modo. Cumque hoc non modo veritatem habeat in temporibus anni, sed in consuetudine, ætate, dispositione ventriculi, & viribus; imo in viribus principaliter, in his reliquis non principa- C liter, sed ratione virium: Hipp. voluit hoc declarare in temporibus anni: nam si tempora anni (quæ non sunt principalia, sed referuntur ad vires) differunt vt sunt indicantia, a se ipsis coindicantibus; multo magis id erit affirmandum de viribus. Et ideo ex primo de ratione vict. 44. sicut hyemale tempus pleniorem cibum indicat, ita vires robustæ coindicant victum tenuiorem, & indicant pleniorem. Vt igitur hoc declararet Hippocrates in hac parte, proponere voluit hanc sententiam. Quare scopus Hippocratis est proponere de victu sanorum sermonem, sumta indicatione a temporibus anni: vt ex hoc pateret differentia inter indicantia, & coindicantia.

Diuisio.

Quo autem ad diuisionem attinet: primo est cognoscendum, qualisnam hęc sententia sit. Scio modernum dicere, hanc esse sententiam enthymematicam; quæ est, quoties proponitur sententia cum ratione implicita: hæc enim est sententia, quę rationem habet implicitam; quia Hipp. dicit, *Ventres hyeme &* D *vere, &c.* & non dicit, *quoniam ventres hyeme, &c.* nam si dixisset, *quoniam*, ratio fuisset explicita, non implicita. Ego autem, his non obstantibus, credo, hanc esse sententiam, quę sit pars enthymematis: quoniam habet rationem seiunctam, & partim antepositam, partim postpositam. Nec valet si dicatur: *non dicit quoniam*: nam quamuis ibi non sit hęc particula, *quoniam*, separans rationem a sententia: tamen in ipso aphorismo apponitur particula *Quare*, quæ separat rationẽ a sententia; dicit enim, *Quare per ea tempora.* Quæ particula, *Quare*, denotat cõclusionem, quę mediante hac particula separatur a ratione. Cũ igitur sit sententia, quæ est pars enthymematis, ideo diuiditur hæc pars in sentẽtiam, & probationem: sententia autem est ibi; *Quare per ea tempora alimenta copiosa sunt exhibenda.* Probatio diuiditur in rationem, & confirmationem rationis. Confirmatio est ibi; *Indicio sunt ætates, & athletæ.* Ratio autem duas habet partes: quatenus in ratione minor est, quæ duas habet partes: prima est; *Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt.* E Secunda pars est ibi; *Etenim calor innatus copiosior est, &c.*

Sensus.

Vt autem cognoscatis hanc esse veram diuisionem: sensum legitimum aphorismi intelligere debetis, qui meo iudicio est difficillimus. Nolo autem proponere sensum eius, ab aliis adductũ, sed ex mea sententia hic est sensus aphorismi. Illis temporibus, quibus alimenta melius conficiuntur, & plura requiruntur; copiosiora alimenta sunt exhibenda. Addamus minorem: sed tempore hyemis & veris alimenta melius confici possunt, & plura requiruntur. Sequitur ergo conclusio, quod tempore hyemis & veris alimenta copiosiora sint exhibenda. Et hæc conclusio est sentẽtia & aphorismus propositus ab Hippocrate. Maiorem non proponit Hippoc. quia manifesta valde est. Minor autem ab Hipp. probatur, quia in ea aliqua poterat esse difficultas. Nam minor est: tempore veris & hyemis alimenta conficiuntur meli- F us, ac plura etiam requiruntur alimenta. Quæ minor, quoniam duas habet partes, ideo Hippoc. vtramque partem probat. Prima pars est, quod tempore hyemis & veris alimenta melius conficiantur: secunda quod tempore hyemis & veris plura alimenta requirantur.

Quantum pertinet ad probationem primæ partis: ex Hipp. talis probatio colligi potest. Illis temporibus alimenta melius conficiuntur: quibus ventres sunt natura calidissimi & somni longissimi: sed ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: ergo tempore hyemis & veris alimenta melius conficiuntur. Maiorem autem non probat Hipp. quia summa vtitur breuitate: sed Gal. in com. confirmat: nam cum istis temporibus plurimum sit caloris natiui, calor natiuus quam maxime adiuuat concoctionem alimentorum; pariter & somnus: & ideo maior verissima est. Minor etiam satis patet: & propterea patet conclusio; quæ erat prima pars minoris, posita in syllogismo.

G Probatur etiam secunda pars minoris, quæ erat, quod tempore hyemis, atque etiam veris, plura requirantur alimenta: quam partem ita probat Hipp. Eo tempore plura requiruntur alimenta, quo plurimum est calidi innati, sed tempore hyemis & veris plurimum est calidi innati: ergo istis temporibus plura requiruntur alimenta. Quod autem, vbi plurimum est caloris innati, ibi requiratur copiosum alimentum: hoc probat Hipp. sumto indicio ab ætatibus & athletis: quando dicit, *Indicio sunt, &c.* Et propterea ex hoc sensu facile quis colligere potest, cum tempore hyemis & veris quam maxime conficiantur alimẽnta, & plura etiam requirantur alimenta, ideo copiosiora esse alimenta exhibenda.

Explicatio verborum aphorismi. Ventres natura

A Dicit ergo Hippoc. *Ventres hyeme, &c.* Dicit hic Philotheus per ventres non tantum intelligi ventriculum, sed omnem corporis capacitatem, in qua facultas naturalis viget. Dicit autem Hippoc. *Natura, &c.* Hic videre oportet, quid intelligat per naturam. Nõ accipiatis per naturam temperiem, sicuti accipiebat Gal. 2. aph. 34. Neque temperaturam, & habitum corporis, vt idem Gal. 2. de ratione vict. 31. sed intelligatis, vt exponit Gal. in hoc com. quod per naturam voluerit intelligere calorẽ insitum naturalem. Ventres ergo sunt calidissimi calore insito, & naturali, non adscititio: nam si sermo esset de calore adscititio, oppositum esset. Nam ex 3. de caussis pulsuum 6. & 8. de placitis 7. colligitur tempore hyemis & veris plurimum esse caloris natiui, minimum adscititii; contra ęstate plurimum caloris adscititii, parum vero natiui caloris, id est, aereæ & aqueæ substantiæ.

hyeme,

B Sed qua ratione hyeme ventres sunt calidiores? Cum Hippocrate, & Galen. in hoc commen. scire oportet, per hyemem non intelligendam hyemem quocunque modo constitutam: nam ex 2. de cris. 3. anni tempora possunt dupliciter considerari: altero modo, vt seruant propriam naturam: reliquo vero modo, vt non seruant propriam naturam. Tempora anni tunc propriam dicuntur seruare naturam, quoties hyeme est frigiditas & humiditas, nõ autẽ caliditas: æstate vero aer calidus est & siccus, nõ autem humidus. Et ideo hic debetis intelligere hyemem, vt habet temperaturam frigidam & humidam, non intense, ita vt quam maxime excedat; sed vt sit commoderatio quædam. Nam talis excessus in quocunque tempore reprobatur & ab Hipp. & a Gal. 3. aph. & multis aliis in locis.

calidissimi.

C Sed cur hyeme ventres sunt *calidissimi*? Respondet Galenus, ex Aristotelis libr. quarto meteor. accipiens, id fieri ob concentrationem caloris: nam calor vnitus & concentratus fit multo validior seipso disperso.

Calor robustus a frigore externo intenditur: imbecillis extinguitur.

At monet Galenus in hoc commen. quod non semper calor fiat robustior ratione frigiditatis aeris: nam calor corporis vel est robustus, vel imbecillis: si est imbecillis, non acquirit robur, sed exstinguitur, ratione frigiditatis ambientis: at si calor validus fuerit, maius robur acquirit, ratione ambientis frigidi. Et hoc probat Galenus exemplo eorum, qui frigida aqua abluuntur: nam si in his fuerit calor robustior, ratione ambientis frigidi, id est, aquæ, fiet vegetior per concentrationem: at si languidus erit calor, potius deprimetur. Et ideo dicit, hunc aphorismum non habere veritatem in omnibus animalibus: veluti in his quæ ob languiditatem caloris tempore hyemis coguntur latere in cauernis: ne modicus calor exstinguatur; propterea illa animalia non possunt regulare multum alimentum: quia calor potius fit imbecillior, ratione ambientis. Intelligamus ergo ventres illorum animalium, & præcipue hominum, in quibus calor est robustus: qui robustior sit, ratione concentrationis, dum ad partes internas refugit ille calor. D Concentrantur vero illæ tantũ corporis partes, quæ loco dimoueri possunt. Cum enim corpus nostrum constet humore seminali, sanguine, & spiritu: recurrunt ad partes internas & concentrantur sanguis ac spiritus tantum, non autem humor seminalis. Per spiritum intelligit naturalem spiritum: per sanguinem autem, sanguinem ipsum attenuatum, qui est alimentum caloris naturalis, qui calor naturalis est principale instrumentum facultatis naturalis. Quare cum concentretur spiritus & sanguis, concentratur etiam alimentum caloris natiui, & eius vehiculum: ad horum quatuor concentrationem sequitur caliditas.

Vere victus plenior requiritur.

Addit Hippocrates: *Et vere:* Galenus in commento dicit, Hippocratem fuisse indistinctum. Quod sano modo est intelligendum: nam non dicit indistinctum, id est, confusum: quia nulla fuit vnquam in E Hippocrate confusio: sed indistinctum, id est, concisum, & breuem. Et ideo Galenus late hoc, ac diffuse explicans, & iure merito, dicit, ver dupliciter posse considerari: altero modo ratione suarum partium: reliquo vero ratione suæ temperaturæ. Veris sunt tres partes: prior, quæ est vicina hyemi; posterior, quæ est vicina æstati; media, quæ est proportionata pars veris. Si autem consideretur ver ratione temperaturæ, tunc vel habet temperaturam calidam, similem tempori æstiuo; vel habet temperaturam frigidam, similem hyemi; vel temperaturam sibi proportionatam. Hinc dicit Galenus, si ver sit in prima sui parte, victum esse instituendum, qualis institui solet tempore hyemis: si in postrema, talem esse instituendum victum, qualis conuenit tempore æstatis: si in media parte, accommodandum esse victum proportionatum veri. Quod si consideretur ver ratione temperaturę: si frigidior sit eius temperatura, conuenit victus hyemalis; si calidior æstiuis: si propriam seruauerit temperiem, instituenda est ratio victus veris. Cũ ergo Hip- F pocrates hic loquatur de vere, distincto ub aliis temporibus: ideo debet intelligi ver tẽperatum, & in media parte sui. Ideo dicebat Philotheus, vere victum esse exhibendum pleniorem, tum ratione partis prioris, tum etiam ratione mediæ partis. Ratione partis prioris; quia calor est plurimus propter concentrationem: in media itidem parte calor est maximus, quoniam non fit resolutio, sicut in ęstate, ideo conseruatur calor naturalis. Vnde, cum tempore hyemis & veris plurimus sit calor natiuus, a quo alimenta conficiuntur, (vt dixerunt & Gal. & Arist. plura eo tempore conueniunt alimenta.

Hyeme & vere somni longissimi.

Subdit post. a Hippocrates: *Et somni longissimi.* Quo in loco duo sunt declaranda: alterum est, qua ratione tempore hyemis & veris somni sint longissimi: reliquum est, quidnam ad mentem Hippoc. conducat hoc scire, quod somni his temporibus sint longissimi. Sed primum patere non potest, nisi caussę somni prius cognitæ fuerint.

De Somno quædam generalia.

G Multis autem posthabitis, (quoniam hic non est proprius locus hoc examinãdi, sed in secunda particula aphorismorum) dicimus, ex sententia Aristotelis, in secundo de partibus animal. cap. septimo, & in lib. de somno & vigilia, & ex Galeno in lib. de instr. odoratus capite 5. somnum esse affectionem potius quam opus: nam etsi loco allegato de hoc dubitauit Galenus, Aristoteles tamen euidenter asseruit esse affectionem: & ratio in promtu est, quoniam in somno sensus ligantur, & afficiuntur; ideo vere affectio dici potest. Est autem somnus affectio primi sensorii, quia in somno non vnicus sensus desistit ab opere suo

sed

sed omnis: ideo commune sensorium est subiectum huius affectionis; quod cor ex Aristotele est, ex Galeno autem cerebrum: de qua re modo disputandum non est. Facta autem est hæc affectio primi sensorii a natura, secundum Aristotelem, vt, quantum possibile est, animal perduraret: nam impossibile est animales actiones in continua esse operatione; sed est necesse, vt aliquam habeant intermissionem, atque quietem, quæ necessaria est, atque salubris facultati animali. Ideo pro intermittendis his operibus fuit necessarius somnus. Vt vero quando animal vigilat, ac sensus operantur, calor mouetur a centro ad ambitum & circunferentiam: sic e conuerso, quando animal quiescit, fit caloris reuocatio ab externis partibus ad internas partes. Et hoc voluit Hippocrates sexto epidem. sect. 5. partic. 10. Sed qua de caussa fit talis reuocatio caloris ad partes internas? Non alia profecto, ex Aristotele allegato loco, nisi quia cerebrum comprimitur, & aggrauatur: quoniam fit aliqua obstructio meatuum eius. Fit autem hæc obstructio duplici de caussa: tum ex vaporibus ad cerebrum adscendentibus; tum ex frigiditate cerebri hos vapores condensante. Duæ enim sunt somni caussæ præcipuæ: frigiditas cerebri, & vapores hi adscendentes. Ideo Galenus dicit, somnum fieri refrigerato primo sensorio. Concurrunt etiam ipsi vapores, qui non in cerebro reperiuntur, sed in partibus infernis corporis, qui, sursum repentes, densantur ratione frigiditatis cerebri: & ita impeditur transitus spirituum, & facultatis animalis, præcipue vero sensitricis, & motricis, & ligantur sensus, & fit somnus. Ideo Aristoteles loco citato dicebat, somnum potissimum fieri post cibum: quia tunc ex cibo assumto fiat maior ad caput euaporatio. Dicebat etiam fieri somnum ex mandragora, ex hyoscyamo: quoniam hæc assumta afferant multos vapores ad caput, ipsum aggrauantes. Dicebat etiam somnum fieri in ipsis lassitudinibus, in quibus fiunt colliquationes: quia materia colliquata euaporat ad caput.

Cur hyeme & vere somni longissimi.

Quæ cum ita habeant: facile est modo videre, qua ratione tempore hyemis & venis somni longissimi sint: & facile est etiam intelligere Galenum, qui est valde difficilis in hoc commento. Nam hyeme viget frigiditas maxima, cuius ratione somni possunt fieri longiores: & non modo viget frigiditas ratione constitutionis aeris, sed etiam ratione longitudinis noctium, quæ longitudo noctium est caussa frigiditatis: vnde non solum somnus augetur ratione frigiditatis ambientis, sed ratione noctium: quia noctu fit reuocatio caloris ad partes internas. Accedit etiam, ex Galeno primo de natura humana trigesimosexto, quod sicut sol sui præsentia est caussa caloris, ita sui absentia est caussa frigiditatis: vnde cum hyeme sint longæ noctes, erunt somni longissimi. Quod si consideremus mediam partem veris, locum non habet frigiditas; quia pars illa est temperata; & ideo caussa ex frigiditate non valet: sed valet caussa ex longitudine noctium. Quod cum viderit Galenus, scilicet longitudinem noctium esse communem hyemi & veri, non autem frigiditatem; dixit, somnos esse longissimos tempore hyemis & veris, ob noctium longitudinem; vt caussam communem in vtroque tempore haberemus. Si humiditatem consideremus, quæ etiam somni caussa est: tempore hyemis habemus maximam humiditatem: ver etiam nō excedit in siccitate. Quare cum caussæ somni consistant in frigida temperie cerebri condensante, & in humiditate, seu in vaporib. qui condensantur; & vtraq; caussa vigeat vere & hyeme: ideo mirum non est, si Hippocrates dixerit, tempore hyemis & veris ventres calidissimos esse, & somnos longissimos. Accedit etiam, quod ob copiam alimentorum fiant somni longissimi.

Scopus Hippocratis.

Sed ad secundum accedentes quorsum hæc dixit Hippocrates? Dico propositum esse Hippocrati probare primam partem minoris syllogismi: quod tempore hyemis & veris melius conficiantur alimenta. Idque facile ex somnis longissimis haberi potest; nam cum somni vigent, sunt in caussa, vt calor concentretur, ac validior fiat, valideque agat in pabulum: & ob id validissime in somno cōficitur alimentum. Ideo Aristoteles recte in lib. de somno & vigilia dicebat, melius nutriri hominum corpora in somno: quia meliores tunc temporis fiunt concoctiones. Præterea cū præcedunt somni, & sequitur vigilia, fit optima distributio alimenti quod erat prius optime confectum ratione somni: iuxta illud; somnus cōcoquit, vigilia digerit.

Sententia hoc aphorismo proposita: victum pleniorem hyeme, vereque indulgendum.

Cum itaque tempore hyemis & veris plurimus sit calor innatus, ac somni sint longissimi; ideo optime conficiuntur alimenta: & propterea Hippocrates proponit sententiam aphoristicam, & conclusionem quæ e dictis sequitur: nimirum cum tempore veris & hyemis melius conficiantur alimenta; propterea per hæc tempora copiosiora alimenta esse exhibenda.

Obiectio a Galeno proposita, & dissoluta.

Sed Galenus contra Hippocratem in commento arguit: eo tempore quo fit modica resolutio, requiri exigua alimenta: tempore hyemis & veris fieri modicam resolutionem, igitur requiri modica alimenta.

Probatur vtraque prætermissa a Galeno. Primo, quod eo tempore quo fit modica resolutio, requiratur minor copia alimenti, & modica: nam exhibentur alimenta pro eo quod est deperditum, dissipatum, ac resolutum, reparando. Minor autem, quod scilicet tempore hyemis & veris fiat modica resolutio, clara etiam est: quoniam non dissipantur corpora hyeme & vere, vt æstate. Et propterea sequitur conclusio, quod tempore hyemis & veris non requirantur copiosiora alimenta.

Hac obiectione proposita, Galenus statim pro salute Hippocratis in commento subiungit, sententiam Hippocratis verissimam esse, & ad sensum manifestam: videlicet, tempore hyemis si homines accipiant copiosiores cibos, quod optime conseruentur: si vero pauciores, quod homines refrigerentur, ac imbecilliores reddantur. Quoniam vero id non satis erat, ideo Galenus nititur in commento satisfacere obiectioni propositæ: & primo, quod ad maiorem, eam omnibus modis admittit Galenus, quod nimirum exhibeantur cibi pro ratione illius quod deperditur: vnde si nulla resolutio fieret, non esset quod cibariis vteremur. Sed minor consistere non potest, quod scilicet tempore hyemis & veris fiat minor

resolutio, quam fiat tempore æstatis. Vt autem probet falsitatem huius minoris Galenus, multa dicit, quę omnia ad pauca reducemus. Pro intelligentia itaque primo supponendum est, calorem naturalem esse instrumentum omnium operationum naturalium: nam beneficio caloris innati non solum corpus generatur, sed augetur, & quandiu viuit conseruatur; ita vt calor natiuus sit auctor instrumentalis, quia natura agens est principale operationum naturalium. Vnde sequitur, quanto validior natiuus fuerit calor, tanto validiores operationes naturales eum obire: quia a valido agēte validæ operationes proueniunt. Cum autem ex sententia Hippocratis calor naturalis quasi idem cum natura sit; quoniam calor hic est proximum ac immediatum instrumentum ipsius naturæ: ideo tum calor naturalis, tum natura ipsa, vt dicit Galenus in commento, non tantum habet operationes, vt appetat, atque vt alimentum conficiat, & agglutinet, sed vt expellat; neque tantum expellendi, sed etiam calor naturalis & natura habent vim expellendi cū prouidentia. Sed quid per hæc voluerit Galenus, difficile est videre; & non credatis quod hæc ea de caussa dixerit, quod calor sit cognoscens: sed hoc ideo dixit, vt distingueret operationem huius caloris naturalis, quatenus regulatur a natura, & ab ipsa forma, ab operatione, quæ fit a calore elementari, & calore igneo. Nam differentia est inter calorem elementarem, quatenus regulatur ab igne, & inter calorem naturalem regulatum a forma, & natura: nam calor elementaris ita absumit partes vtiles, vt inutiles; & ita sine prouidentia agit: quia non determinatur, nec regulatur a determinato agente: at calor naturalis cum prouidentia agit; quia regulatur a natura, quæ concurrente suo instrumento, calore scilicet naturali, superflua expellit, & inutilia; vtilia autem non expellit: & hoc voluit dicere Galenus. Sed postea subdit, quod calor naturalis, cum vim habeat expellendi, quanto validior fuerit, tanto validius expellat superfluitates: & quod ea quæ expelluntur per poros, non modo copiosius, sed etiam insensibiliter expellantur. Ideo dicit Galenus, Dioclem dixisse, sudorem esse præter naturam: non enim prodit a calore naturali, sed a calore præternaturali: sudor enim fit vel ob æstum, vel ob balneum, vel ob exercitia, & alias caussas violentes. Calor autem naturalis expellit insensibiliter: ideo si consideremus calorem natiuum tempore hyemis, erit validissimus, & hinc valide etiam expellet. Proinde ea quæ per cutim expelluntur a valido calore, etiam valide expelluntur per euaporationem insensibilem. Præterea quantum ad crassiora excrementa, cum calor naturalis hyeme sit validior, hinc est, quod tempore hyemis obseruamus contentum in vrinis crassius, quam æstate, & copiosius, sicut etiam ipsum lotium. Quod si excrementa adhuc crassiora consideremus, tempore hyemis alui excrementa copiosiora & magis cocta, quam ætate conspiciuntur. Quare ex hoc discursu Galeni patet, quod, cum calor sit validior tempore hyemis, habeat etiam vim magis expellendi superfluitates. Et ideo falsa est minor illa, qua dicebatur, quod tempore hyemis fiat minor resolutio, quam tempore æstatis. Imo possumus retorquere argumenta contra aduersarium, hoc modo: quod cum eo tempore maiora alimenta requirantur, quo fit maior resolutio; & hæc fiat maior tempore hyemis: quia tunc calor naturalis validius expellit; ideo tempore hyemis & veris copiosiora alimenta requiri, quam aliis temporibus, quando calor non est ita validus ad expellendum.

Calor naturalis hyeme & vere copiosior.

Subdit postea Hippocr. *Etenim calor innatus plurimus est*. Dicebat Galenus in commento, proposita esse hæc verba, propter vnicum verbum, positum ab eodem Hippocrate in principio; vbi dixit, *Ventres hyeme & vere natura:* dixit autem, *natura*, vt innueret his temporibus vigere non simpliciter calorem sed naturalem calorem: & ideo hic subdit; *Etenim tunc temporis plus viget calor innatus, quam aliis temporibus:* non quilibet calor, sed innatus. Præterea dicere possumus hæc verba proposita esse, vt conficiatur secunda pars minoris, propositæ in syllogismo. Nam fuerat Hippocratis institutum, probare hanc conclusionem: tempore hyemis & veris copiosiora esse exhibenda alimenta: quæ conclusio sic probabatur; illis temporibus copiosiora sunt danda alimenta, quibus melius cōficiuntur alimenta, ac plura etiam requiruntur: sed tempore hyemis & veris alimenta melius conficiuntur, & plura requiruntur: ergo, &c. Vbi videtis minorem habere duas partes: alteram, quæ probata iam est, & fuit, quod tempore hyemis & veris alimenta melius conficiantur: secundam, quod tempore hyemis & veris plura requirantur alimenta: quam partem nunc probat Hippocrates his verbis. Et ratio potest talis formari: illis temporibus conueniunt plurima alimenta, quibus calor innatus plurimus est: tempore hyemis & veris calor innatus plurimus est: ergo tempore hyemis verisque plura requiruntur alimenta. Et sic probata hac conclusione, quæ erat secunda pars minoris, minor satis constat: quod videlicet tempore hyemis & veris calor innatus plurimus sit. Et confirmatur ex sententia Galeni, non modo in præsenti commento, sed ex tertio de caussis pulს. sext. vbi euidentissime asserit, quod tempore hyemis & veris calor innatus sit plurimus, adscititius paucus; contra, tempore æstatis, adscititius copiosus, innatus modicus.

Quantum vero ad maiorem, quæ fuit, quod eo tempore requirantur plura alimenta, quo plurimus est calor innatus; hæc maior dupliciter probari potest: a posteriori, & a priori. Probatur a priori, a Galeno in commento: probatio autem originem habet ex hoc fundamento, quod videlicet debeat esse proportio inter calorem naturalem, & alimenta ipsa. Quomodo autem habeat veritatem hoc fundamentum, colligi potest ex Aristotel. potissimum quarto de generat. animal. 3. vbi dicit, quod omne agens in agendo repatiatur. Idque exemplis persuadet Aristot. Nam videmus, inquit, secantem hebetari, cōprimentem veluti comprimi, & quod calefacit refrigerari, &c. Vnde cum hoc verissimum sit, subdit Aristot. interdum accidere posset, agens ita esse dispositum, vt potius patiatur quam agat: quando videlicet non est proportio inter agens & passum. Non esse autem proportio potest dupliciter: vel ex parte agentis, vel ex parte passi. Ex parte agentis, quando imbecillum agens exstiterit. Ex parte autem passi hoc multis modis accidere potest: potissimum autem, vt dicebat Philosophus, dupliciter, vel ratione

A ne quantitatis, vel ratione malæ qualitatis, id est, frigiditatis: ratione quantitatis, vbi passum in insigni copia fuerit, vt tantam copiam non possit agens superare: ratione autem frigiditatis, & malę qualitatis, quoties passum ratione illius malæ qualitatis, tantam habet vim resistendi, vt agens potius patiatur, quam agat. Dat autem exẽplum Aristoteles de athletis, si fortasse copiosiori cibo, quam decet, vtantur, vbi namque athletæ vti voluerint copiosiori cibo, maximæ fient cruditates, quibus quasi calor natiuus suffocabitur; vnde maior erit actio alimenti in calorem, quam caloris in alimentum; quia scilicet non est proportio inter agens & passum. Galenus ergo hoc videns, recte dicit in commento, quod debeat esse proportio inter calorem naturalem & alimentum: si enim non fiat debita nutritio, id erit, vel quia alimentum erit copiosius, vel in minori copia: si copiosius, suffocabitur calor, & cruditates fient: si in minori copia, B non poterit conseruari ille calor, sed resoluetur, quia non erit proportio inter agens & passum. Vnde si homines hyeme minori, quam oporteat, vtantur cibo, refrigerabitur eorum corpus, & quam maxime lædentur. si autem copiosiore; proportionato tamen cum plurimo calore, non modo conseruabuntur homines, sed ex hoc etiam augebuntur; idque non modo in hominibus verum est, sed etiam in brutis. Imo aliquando in tanta proportione hyeme atque vere augetur sanguis in hominibus, vt in fine veris cogamur ipsis secare venam, ne vas aliquod disrumpatur, neue inflammatio, vel erysipelas, vel aliquis grauis sequatur affectus. Ex quo Galenus colligit, quod his temporibus vigeat sanguis, quibus plurimus est calor: & ideo tunc temporis offerendum esse statuit copiosum alimentum. Sic igitur a priori optime Gal. probauit maiorem propositionem.

Eandem probat a posteriori Hippocrates inquiens, *Indicio sunt, ætates, & athletæ*. De ætatibus id de-C clarare est facile: sed difficile de athletis. Quo ad ætates, argumento possunt esse pueri, quibus cum sit plurimus calor innatus, ideo in eis requiritur plurimum alimentum: vnde fere continuo comedunt. Quo ad athletas, hi (dicebat Oribasius) requirunt copiam maximam alimenti: quia ob exercitium fit maxima consumtio, ac partes concidunt: & ideo copiosiori cibo restaurari debent. Et hæc expositio probari potest. Sed dicit Galenus in hoc commento, vbi sit plurimus calor natiuus, & ibi esse indigentiam requirentem copiosum alimentum: indicio esse athletas, quibus calor natiuus augeatur propter exercitia frequentia & magna, vnde maximum etiam habeant calorem naturalem, ob quem plurimum requirant alimentum.

Sed est difficultas in verbis Galeni; quoniam dicit ob exercitia augeri calorem natiuum: quod non videtur verum: quia exercitium auget calorem adscititium, non natiuum: nam ex 3. de temperamentis D capite quarto, nihil potest augere calorem natiuum, nisi quod vertitur in substantiam nutriti, scilicet sola alimenta. Dico exercitia habere vim augendi calorem natiuum, hoc pacto; quoniam habent vim attenuandi sanguinem, vt quies ipsum crassefaciendi: amplius, exercitium habet vim excitandi calorem, vt quies reddendi sopitum & obtusum. Cum itaque beneficio exercitii attenuetur sanguis, ac spiritus & calor excitetur: & cum calor naturalis conseruetur, ac alatur attenuato sanguine, qui defertur ad calorem insitum particulis corporis, beneficio spiritus naturalis, qui est vehiculum sanguinis attenuati: cui dubium est, beneficio exercitii citius, validius, atque frequentius deferri alimentum calori innato, insito particulis? Cum itaque beneficio exercitii deferatur alimentum calido innato: ideo exercitia sunt caussa augmenti caloris naturalis: sunt autem caussa mediata, non immediata huius augmenti exercitia.

Exercitia nũ augeant calorem natiuum.

E

Concludendum ergo, cum eo tempore sint copiosa exhibenda alimenta, quo melius conficiuntur, ac plura requiruntur; cumque tempore hyemis & veris melius conficiantur, ac plura requirantur: his temporibus ergo sunt copiosiora alimenta exhibenda. Quod tempore hyemis & veris melius conficiantur alimenta, patet: quia tunc temporis somni sunt longissimi, & ventres natura calidissimi. Quod his etiam tẽporibus plura alimenta requirantur, probatur: quoniam tunc temporis plurimus est calor natiuus, qui plurimo etiam indiget alimento. Quod hoc sit verum, indicio sunt ætates, & athletæ: ætates, quoniam in crescẽte ætate viget calor natiuus: in athletis autem propter exercitia augetur calor natiuus. Et hæc est tota series huius aphorismi.

Repetitio sensus aphorismi.

Ceterum in huius aphorismi enarratione tres occurrunt difficultates: quas breuiter expediemus. Prima, ab omnibus, & a Galeno præcipue maxime ardua indicata, est; cur hyeme ventres dicantur cali-F dissimi, cum tamen in eis multa generetur pituita. Secunda difficultas est; num ver sit temperatum. Tertia; an quilibet sudor sit præter naturam, vt videbatur dicere Diocles ex sententia Galeni in commento; vel detur aliquis sudor voluntarius.

1. Quæstio: cur hyeme ventres calidissimi; cũ tamen in eis multa tunc gignatur pituita.

Circa primam Hippocrates docet hic, ventres esse calidissimos natura. At oppositum asserere videtur prima de natura humana, particula trigesimasexta: vbi ait, hyeme augeri pituitam, ob multitudinem pluuiarum, tum etiam propter noctium longitudinem. Quam sententiam ibi videns Galenus, statim habuit occasionem dubitandi. Cum enim Hippocrates dixerit in aphorismis absolute hyeme vigere calorem natiuum: qui fieri potest, vt hyeme plurima pituitæ copia gignatur? Pituita enim a debili calore generatur: quia humor est frigidus & humidus. Et tamen dicit Hippocrates hyeme pituitam augeri, G ob noctium longitudinem, id est, frigiditatem; & propter pluuias, id est, propter humiditatem. Si ergo hyeme pituita multiplicatur, quia viget frigiditas & humiditas: quo modo ergo dicere hic potuit Hippocrates ventres esse hyeme calidiores? Galenus putans hanc difficultatem esse maximam, & dicit, hyeme in partibus internis vigere calorem cõcentratũ: at frigidas partes exteriores esse, ob ambientẽ aerem: sed interdum aerem ambientẽ ita penetrare ad partes internas, vt generetur pituita, præcipue vero cũ homines non sint satis induti vestibus; & cũ hyeme comedunt cibaria pituitosa, ex quib. multa pituita generatur. Ideo licet vẽtres sint calidissimi hyeme, tamen nũ ob id sequitur, quod nõ possit multa generari pituita,

Sed credo Galenum in hoc sibi non satis fecisse; neque possum tueri Galenum, vel non assequor di- A
cta eius. Nam quæ dicta sunt ab Hippocrate, vel sunt necessaria, vel sunt contingentia. Si necessaria, ergo
de necessitate ventres hyeme calidissimi sunt natura: ergo de necessitate etiam pituita multiplicari nō de-
bet: quia viget calor natiuus, qui potius sanguinem, quam pituitam multiplicare debet. Nec dicendum est
Hippocratis dicta esse contingentia: quia adducta ab Hippocrate non essent ad propositum: nam primo
de natura humana dicit, pituitam hyeme multiplicari, propter noctes longas: at noctes longæ non acci-
dunt hyemi, sed sunt de necessitate: ergo dicta Hippoc. necessaria sunt.

Quid itaque dicendum? Multi multa dicunt, ac multas resolutiones afferunt, quas omitto. Equi-
dem dicerem difficultatem propositam non esse valde arduam: quodque ab Hippoc. & Gale. dictum est,
ventres hyeme esse calidissimos, ac hyeme multiplicari pituitam, & pituitam etiam a calore diminuto fie- B
ri; verissimas esse sententias.

Sed quid ad contradictionem? Scire pro ea tollenda debetis, quando dicimus ventres hyeme cali-
dissimos esse natura; quod de hyeme possit duplex esse sermo: alter, vt fiat comparatio inter hyemem ex v-
na, & autumnum ac æstatem ex altera parte. Alter, vt fiat comparatio inter hyemem & ver, non autem
inter hyemem & autumnum, ac æstatem. Si comparauerimus hyemem cum æstate, & autumno; dicimus,
calorem naturalem multo valentiorem esse hyeme, quam æstate, & autumno: quoniam quamuis æstate
& autumno calor adscititius sit plurimus, natiuus tamen est minimus: contra hyeme minimus est calor
adscititius, plurimus natiuus, & ideo æstate bilis, autumno melancholia, hyeme pituita multiplicatur:
quoniam calor naturalis æstate fundatur in substantia ignea & terrea; & sic in autumno: non autem in a- C
quea & aerea: & ideo coaceruatur bilis per adustionem, & melancholia: at hyeme generatur pituita a na-
turali calore, non quælibet, sed dulcis, quippe quæ est maxime proxima naturæ sanguinis, imo est via ad
sanguinem. Si comparauerimus hyemem non ad æstatem & autumnum, sed ad ver; alio modo est di-
cendum: namque vere calor magis viget, quam hyeme: ideo vere magis multiplicabitur sanguis, quam
hyeme: & caussa esse potest hæc: quoniam ratione ambientis, quamuis fiat illa concentratio caloris non
tamen potest fieri illi conseruatio operantis, quæ fit tempore illo moderato veris. Quod autem hæc sint
vera, & ad propositum: probatur ex Hippocrate, hic, & Galeno in commento: dicunt enim ventres
hyeme & vere calidissimos: igitur in respectu ad alia tempora, scilicet æstatem & autumnum. Quod au-
tem fiat comparatio hyemis ad æstatem & autumnum; probatur ex Galeno, qui in commento, loquens
de autumno, dicit: tempore hyemis corpora augeri quæ autumno erant emaciata. Ecce quod compa- D
rat hyemem non ad ver, sed ad autumnum. Præterea loquens de hyeme & æstate, dicit: insensibiliter
hyeme vacuari materiam, quia sit calor plurimus: æstate sensibiliter, quia sit calor modicus, natiuus. Et
ideo æstate non sunt ita copiosa lotia, vt hyeme. Videtis ergo quod hyemem non ad ver, sed æstatem ac
autumnum comparat. Quod autem comparando hyemem ad ver, non possit idem proferri iudicium,
atque comparando hyemem ad autumnum & æstatem; probatur: quia hyeme pituita generatur, vere
sanguis.

Probatur etiam ex Galeno in commento, quando inquit, ver trifariam considerari posse, prout tres
habet partes; primam, hyemi proximam; postremam, æstati finitimam, & mediam. Si ver consideretur se-
cundum primam sui partem, tunc talis est ei instituendus victus, qualis conuenit hyberno tempore, quia
ver est quam maxime simile hyemi secundum priorem partem. Si consideretur veris posterior pars, insti- E
tuendus est victus æstati conueniens. At si consideretur ver secundū mediam partem, tunc habet propor-
tionatā naturā, qualis cōuenit veri, & tunc est instituēdus victus qualis cōuenit ꝑ natura veris. Quare aliū
requirit victum ver media sui parte, alium hyems. Et ideo si alio modo est instituendus victus hyeme, alio
modo ea parte veris, in qua ver seruat exquisitam sui naturam; ergo calor alio modo se habet hyeme; alio
vere. Et ideo bene Hipp. inquit, ventres hyeme habere maiorem copiam caloris, respectu autumni, & æ-
statis; secus autem respectu veris. Sed dicet quis: admitto, quod hyeme & vere calor alio se habeat modo;
quia hoc negari nequit: præcipue vero hoc Galenus expresse dicit in commento: tamen negatur, quod
hyeme calor naturalis minor sit, quam vere: immo magis viget hyeme calor natiuus, quam medio vere:
quoniam hyeme exhibentur cibaria in maiori copia (vt cunctis liquet) ipsis corporibus: sed cum alimen-
ta proportione respondere debeant calori; sequitur de necessitate, quod etiam hyeme sit maior copia ca- F
loris natiui, quam vere. Montanus hic (quoniam vidit Auicennam, dicentem in secunda primi, vere
esse exhibendos cibos in minori copia, quam tempore hyemis) dicit, vt excusaret Auicennam, quod
impossibile sit hoc dixisse Auicennam: & fortasse Auicennam intellexisse ver secundum eam partem, se-
cundum quam est proximum æstati: quia tunc augeatur calor adscititius, & diminuatur natiuus: quia
hæc proxime accedit ad naturam æstatis. Sed positio hæc falsa est: nam non solum hoc dicit Auicennas,
quod minori copia sint dandi cibi vere; sed Hippocrates etiam libro de salubri diæta, particula secun-
da: idemque ibidem approbat Galenus: imo in confirmationem adducit Hippocratem in aphorismo-
rum secunda sectione, dicentem ęstate & autumno corpora difficillime cibos ferre, facillime hyemis tem-
pore, ver autem secundum locum habere. Quare manet in suo robore obiectio, quod s. maior copia cibi
requiratur tempore hyemis quam tempore veris; ideoque calor naturalis hyeme maior esset, quam vere: G
quod affirmari non potest, cum vere sanguis, hyeme pituita generetur, & sanguis requirat validiorem ca-
lorem agentē, quam requirit pituita. Respondentes itaq; ad argumentum, dicimus, verum esse, quod hye-
mis tempore conueniant cibi copiosiores, quam tempore veris: tamen dicimus cum Galeno in hoc
cōmento diligentissimo, ꝙ semper sit exhibendus cibus, habita ratione caloris natiui: si enim cōpiosior
fuerit calor, copiosius est præbendū alimentum; si paucus calor, paucum alimentum; dummodo (vt sub-
iungit Galenus, ex quo colligitur postea ipsa solutio,) ratione aeris ambientis non immineat periculum
aliquod

A quod fuſionis humorum. Itaque monet Galenus, vbi periculum ſit, ne humores fundantur ratione am-
bientis, licet calor natiuus plurimus ſit, tamen non eſſe exhibendos cibos copioſos: at tempore hyemis;
ratione frigiditatis aeris ambientis, non imminet periculum fuſionis humorum. Veris autem tempore
metuendum, ne humores fundantur, ſanguiſque ſeu maſſa ſanguinea in tanta copia aggregetur ac colli-
gatur, vt, quoniam tunc temporis omnia dilatari incipiunt, accedente poſtea ambiente calidiore, in po-
ſtrema veris parte & æſtate, fiat valida effuſio; ex qua effuſione vel venæ diſrumpantur, vel maxime ſubo-
riantur inflammationes, & tumores, cum ingenti hominum periculo, atque vitæ diſcrimine. Et ob id di-
cebat Hippocratres ventres eſſe calidiſſimos hyeme, reſpectu autũni, & æſtatis; at non reſpectu veris: quia
vere ſunt calidiores ventres, quam hyeme: quoniam vere ſanguis multiplicatur, hyeme pituita dulcis, quæ
arguit minus copioſum calorem, quam vere, quo generatur ſanguis. Hæc quoad primam difficultatem
B breuiter dicta ſint ſatis.
Altera difficultas ſ:quitur de veris temperamento: num ſcilicet temperatum ſit dicendum, vel po- 2. Quæstio de veris tẽperamẽto.
tius calidũ & humidum. Nos materiam hãc paucis abſoluemus: tum, quia hic non eſt proprius locus exa-
minandi hanc quæſtionem, ſed prima primi, & tertia particula aphoriſmorum: tum & magis, quia reſolu-
tio in paucis conſiſtit. Hunc autem nunc ordinem ſeruabimus: primo in quo conſiſtat difficultas hæc; a-
periemus: deinde ſolutionem apponemus. Difficultas in hoc conſiſtit: nam Galenus primo de temp. c. 3. &
4. ver calidum & humidum eſſe dicebat: idque non modo ab antiquis philoſophis & medicis dicit propo-
ſitum fuiſſe, ſed etiam ab Hippocrate, primo de natura humana 33. vbi euidenter calidum & humidum eſſe
ver Hippocrates confirmat. Ex altera vero parte oppoſitum idem Galenus aſſerere videtur: c.enim 3. l. 1.
C de temperam. reprehendẽs antiquos, dicit eſſe melius, vt dicamus ver temperatum, quam calidum & hu-
midum. Imo vbique locorum Galenus hanc confirmat veritatem in ſuis operibus, quod temperatum ſit
ver. Vnde mirum eſt, cur in hoc conſtans Gal. non fuerit. Sed an hoc Galenus aſſerat, videatis: nam loc. ci-
tatis (vt facile quiſpiam videre poterit,) dicit Galenus, quæſtionem eſſe de vere, an temperatũ, an calidum
& humidum ſit: & quamuis (inquit) Hippocrates & antiquiores dixerint ver, eſſe calidum & humidũ; ta-
mẽ melius eſt, vt dicamus, ver eſſe temperatum: licet cauſſa eſſe videatur, ob quam antiqui philoſophi ver
eſſe calidum, & humidum dixerunt. Quare non dicit Galenus, ver eſſe calidum & humidum: ſed hoc an-
tiquos dixiſſe. Quodque ſibi conſtet Galenus, videatis eundem primo de natura humana 37. vbi ait pari-
ter, quæſtionem fuiſſe non paruam de vere, an calidum & humidum, an temperatum ſit; & dicit, ſe hanc
quæſtionem alibi determinaſſe; rectius videlicet dici poſſe temperatum, quam calidum & humidum; vt in
D libris de temperamentis. Præterea idem Galenus in lib. de ſalubri diæta commento tertio, dicit, ver eſſe
medio temperamento; idque explicat primo de facult. alimentorum cap. 18. vbi dicit, medium duplex eſſe
poſſe: alterum, quod vtriuſq; extremi ſit expers, quod dicitur medium per abnegationem; alterum, quod
ſit æqualiter extremorum particeps, & hoc per participationem vocatur. Qua poſita diſtinctione, dicit
Galenus ver eſſe medio temperamento donatum, non per abnegationem extremorum, ſed per partici-
pationem. Ergo ver eſt temperatum, non calidum & humidum. Manet ergo hucuſq; difficultas: quia alio
modo dicit Hippocrates, alio Galenus.
Pro reſolutione difficultatis dicimus cum Galeno, ver eſſe temperatum: & fundamentum eſt: quia
in vere nullus apparet exceſſus in qualitatibus; præcipue vero, quia ſecundum Galenum libro de tempe-
ramentis, opus eſt conſiderare ver abſolute, non in reſpectu ad alia tempora: nam ſi conſideretur ver in
E reſpectu ad alia tempora, poteſt dici calidum & humidum: calidum quidem in reſpectu ad hyemem, hu-
midum ad æſtatem: quia hyems frigida eſt, æſtas ſicca. Imo etiam frigidum & ſiccum poteſt dici ver, in re-
ſpectu ad alia tempora: frigidum in reſpectu ad ęſtatem, ſiccum in reſpectu ad hyemem. Et propterea dicit
Gal. ver abſolute conſideratum, cum nullum habeat exceſſum, temperatũ eſſe. Omitto Auerrois argumẽ-
ta: tum quia non difficile ſolui poſſunt, tum quia hic non eſt proprius quæſtionis locus.
Verum pro ſalute Hippocratis dicendum, ver poſſe bifariam conſiderari: altero modo quatenus in
vere nullus eſt exceſſus; & ſic temperatum vocandum eſt cum Galeno: altero modo poteſt conſiderari
ver, prout nominari debet per primas qualitates; ac ſi quis diceret; cum ver ſit temperatum, ſi tamen liceat
ipſum appellare per primas qualitates, per quas magis liceat appellare? Nam Hippocrat. cognouit ver eſſe
temperatum. Dicit enim 3. aphoriſ. ver eſſe omnium temporum ſaluberrimum: at vbi eſt exceſſus, non
F poteſt conſtitutio ita ſalubris eſſe: & ideo nihil dicere voluit aliud, cum dicit ver eſſe ſaluberrimum, quam
ver eſſe temperatum. Cum vero nominatur per primas qualitates, non per reſpectum ad alia tempora, vt
antiquiores, quos merito reprobabat Galenus; ſecundum Hippocratem, poteſt dici ver calidum & humi-
dum, propter hanc cauſſam: nam cum ver ſit ſaluberrimum, ob id in eo maxime viget calor natiuus: ſed
calor natiuus calidus eſt & humidus, in eoque vita conſiſtit; nam vita in calido & humido conſiſtit. Ob id,
ſi licet ver per primas qualitates nominare, dicemus ipſum eſſe calidum & humidum, multo magis quam
aliam quamuis qualitatem habere: quia in calido & humido vita conſiſtit. Et hoc etiam voluit Galenus
locis citatis, præcipue vero primo de natura humana 33. dicit enim, rectius eſſe, id eſt, magis proprium, vt
ver vocemus temperatum, quam calidum & humidum. Vnde eſt lis de voce tantum. Quare conſideran-
tes ver, vt habet nullum exceſſum, dicimus ipſum eſſe temperatum: ſi autem per qualitates primas ipſum
G deſignare voluerimus, dicemus calidum eſſe & humidum: cumque id duplex ſit, excedens, & non exce-
dens; intelligimus non excedens, quod idem eſt, ac temperatum. Et ideo 3. de ſimpl. med. facul. cap. 12. Ga-
lenus dicit, quod exquiſite magis loquamur, ſi dicimus, quod ſymmetrum eſt, vtputa ver, eſſe tempera-
tum; quam ſi calidum & humidum. Non contradicit autem Hippocrati: quia Hippocrates, reſpiciens ad
primas qualitates, dicit eſſe calidum & humidum; quia hæ ſunt primæ qualitates, in quibus vita & calor
conſiſtit natiuus.

Mm

3 Quæstio: num sudor quid naturale, vel præter naturã.

Vltima difficultas est de sudore: quam tangit Galenus in hoc commento: num sudor quid naturale A
sit, vel præter naturam potius. Et primo videtur præter naturam esse: nam sudor fit ex caussis violentis, vt
dicit Galenus in hoc com. Ergo sudor est quid præter naturam, & violentum. Sed dicere posset quis: hæc
non fuit sententia Galeni: quia Gal. in com. non proponit id ex sententia propria, sed ex sententia Dio-
clis. Verissimum est, proponere id ex mente Dioclis: sed id non reprobat, verum admittit, atque cõfirmat.
Potest etiam id clarius colligi ex Galeno primo de tuend. san. 12. c. vbi dicit, quod portio serosa tum per a-
lias partes euacuetur, tum per cutim: neque enim portio illa serosa, ac ichorosa vniuersa vacuatur per re-
nes, sed aliquo modo etiam per cutim euacuatur: atque si calor insitus superat, fiunt insensibiles euacua-
tiones huius partis serosæ, & talis euacuatio insensibilis dicitur euacuatio per transpirationem, vel per
perspirationem: at si fiat expulsio huius materiæ a caussa violenta, tunc non insensibiliter, sed sensibiliter
vacuatur hæc materia, & tunc fit sudor. Quare Galenus euidenter asserit, sudorem fieri a caussa violenta; B
& etiam esse præter naturam.

Ex altera parte videtur sentire oppositum: vt in libro de sympt. differentiis c. vlt. ibi enim dicit sen-
tentiam fuisse Dioclis, sudorem esse præter naturam: & hanc sententiam esse satis duram, & præter rerum
euidentiam: difficilem autem esse quæstionem, an sudor præter naturam sit, nec ne; quam alibi velit diri-
mere. Sed non reperitur locus, in quo ex proposito difficultas hæc dissoluatur a Galeno. Si tamen ex ali-
qua parte dissoluitur, dissoluitur citato loco de differentiis symptom. ex quo loco colligitur, sudorem
non esse præter naturam: dicit enim duram esse, ac sine euidentia sententiam Dioclis, qui statuit sudorem
esse præter naturam; ex quo sumitur, Galenum voluisse, secundum naturam esse sudorem. Addit postea,
illud esse præter naturam, ratione cuius corpus læditur: sed huiusmodi non esse sudorem: imo ex sudore C
aliquando quam maxime corpus iuuari: ideoque non esse præter naturam; quia id, quod est præter natu-
ram, nocet.

Pro resolutione primo sciendum est, ex sententia Galeni, 10. de simplic. med. facul. cap. de sudore,
quod sudor nihil aliud sit, quam humor excrementitius, qui, (vt ipsa etiam vrina) originem habet ex hu-
more potu assumto; qui humor in corpore est excalfactus, & nonnihil etiam suscepit substantiæ ipsius bi-
lis. Vnde cum hæc sit natura sudoris, dicimus, sudorem neque esse ita secundum naturam, vt non sit præ-
ter naturam; neque ita præter naturam, vt non sit secundum naturam. Et propterea dicimus cum Galen.
1. prorhet. & sect. 2. commen. 29. aliqua esse bona, aliqua esse mala, aliqua media inter bona & mala: per
bona autem & mala, intelligit bona & mala absolute; per media ea intelligit, quæ non ita sunt bona, vt
non sint mala; nec ita mala, vt non sint bona. Ideo media, sunt bona secundum quid, & mala secundum D
quid. Sic de sudore dicendum, quod non sit secundum naturam ex toto, neque ex toto præter naturam.
Quod autem sudor sit huius mediæ naturæ, per caussas cognoscere poterimus; si primum sciamus, quid
sit id, quod ex toto est secundum naturam, & id, quod ex toto est præter naturam: quia hæc postea sudo-
ri applicantes, si videbimus sudorem aliqua ex parte conuenire cum re præter naturam, aliqua cum re
secundum naturam; facile colligemus, sudorem esse mediæ naturæ. Et quidem ex sententia Galeni,
vltimo de differentiis symptomatum, colligere possumus, illud esse vndiquaque secundum naturam,
quod fit citra violentiam, opportuno tempore, seu tempestiue, & quod fit etiam cum vtilitate. Et quia
contrariorum eadem est disciplina, facile colligere possumus, illud esse præter naturam, quod fit cum
violentia caussæ morbificæ, quod fit intempestiue, atque cum noxa & detrimento corporis. His posi-
tis, videamus, an sudor se habeat ex parte rerum secundum naturam, an ex parte rerum præter natu- E
ram. Primo sudor fit a caussa violenta, vt dicit Galen. in hoc commento; & primo de tuend. 12. Præterea
sudor fieri potest tempestiue. & potest etiam fieri intempestiue: si enim fiat apparentibus signis cõcoctio-
nis, dicitur fieri tempestiue; si autem fiat non apparentibus signis concoctionis, dicitur fieri intempesti-
ue. Quare conditio hæc modo adest, modo abest. Potest insuper sudor fieri cum vtilitate, & potest fieri
cum detrimento: nam si fiat sudor ex nimia malignitate morbi, vel caussæ morbificæ, tanti aliquando po-
test esse detrimenti, vt sudorem mors consequatur; interdum sudor solet esse caussa vtilitatis, vt vltimo de
differentiis symptomatum explicauit Galenus, vbi dicit, sudorem interdum fieri tempestiue, & cum salu-
te animalis.

His ita constitutis, facile apparet, quod sudor non sit toto genere præter naturam necessario: quia
licet possit aliquis sudor esse toto genere præter naturam, vt qui fit intempestiue, a caussa violenta, & cum F
noxa animalis; sudor tamen consideratus in genere, non est semper toto genere præter naturam: quia,
quamuis omnis sudor procedat a violenta caussa, tamen aliquis sudor potest fieri tempestiue, & cum vti-
litate animalis. Cum itaque sudor aliqua ex parte assimiletur rebus præter naturam, quia fit a caussa vio-
lenta; aliqua ex parte rebus, quæ fiunt secundum naturam: & quia potest fieri cum iuuamento, & tem-
pestiue: ideo sudor nec est toto genere præter naturam, nec toto genere secundum naturam, sed mediæ
est naturæ. Et ob id Galen. in hoc commen. dicit sudorem esse præter naturam, cum Diocle: quia in
hoc commento faciebat sermonem de calore innato, qui est substantia aerea & aquea, & de eius ope-
rationibus; dicens, a calore innato fieri euacuationem insensibilem, si validus fuerit; si autem fiat eua-
cuatio sensibilis, scilicet per sudorem, tunc hanc dicit non fieri a calido innato valido, sed a caussa vio- G
lenta: & ideo dicit sudorem esse præter naturam, quia considerauit, quod fiat a caussa violenta, pro-
ut distinguitur a calore natiuo. At ex altera parte, Galenus cap. vltimo de differentiis symptomatum,
dicit, duram fuisse sententiam Dioclis, quod sudor sit toto genere præter naturam; nam si esset to-
to genere præter naturam, tunc non posset fieri sudor tempestiue, & cum vtilitate: videmus au-
tem sudorem aliquando fieri tempestiue, & aliquando fieri cum vtilitate: ergo dura est eius sententia,
& est

A & est etiam præter sensum, & euidentiam: quia sensu conspicimus, sudorem interdum esse vtilem, & opportunum, ac tempestiuum.

Quare concludendum est, quod sudor neque toto genere præter naturam, nec toto genere secundum naturam sit; sed medio modo se habeat, & secundum quid secundum naturam, secundum quid præter naturam exsistat.

APHORISMVS XVI.

Victus humidus febricitantibus omnibus conuenit, maxime vero pueris, & iis, qui tali victu vti consueuerunt.

B *Victus humidus febricitantibus omnibus, &c.* Quamuis hic aphorismus satis breuis videatur, continet tamen plurima artis medicæ præcepta. Vnde Galenus summum hoc artificium intelligens, dicit, Hippocratem paucissimis verbis multa proponere, quæ ad artem medicam conducunt. Et propterea nostrum est, hunc aphorismum summa diligentia interpretari.

Primum itaque pro intelligentia in memoriam est reuocandum, Hippocratem in hac prima particula sermonem habere de ratione victus; primumque egisse de diæta in ratione medicamenti tantum, qui erat victus ipse tenuissimus in extremo: deinde egisse de victu medicinali, qui habet rationem cibi & etiã medicamenti, sed priuatiui, id est, per accidẽs vacuantis corpus, ac minuentis vires; & ob id egisse de victu tum tenui, tum tenuissimo, non tamen in extremo; postmodum in præcedenti aphorismo locutum fuisse de victu, in quantum cibus tantum est; vt inde appareret, quomodo eadem indicantia a se ipsis coindican- C tibus differrent; egisseque de victu, vt refertur ad substantiam, & quantitatem caloris. Nihil igitur aliud modo superest, nisi vt de cibo medicinali, in quantum medicamentum est, non priuatiuum; sed positiuũ, id est, quatenus habet vim agendi in corpus humanum, loquatur: & cum talis impressio fiat merito qualitatis cibi; ideo agere de cibo medicinali, nihil aliud est, quam agere de qualitate cibi. Et ad hoc respiciens Galenus dicit: postquam de quantitate cibi locutus est Hippocrates, nunc vult de qualitate eiusdẽ agere. — *Scopus: agere de cibi qualitate.*

In explicanda autem qualitate cibi, eandem intendit seruare artem Hippocrates quam seruauit cũ loqueretur de quantitate cibi, respiciendo nimirum indicantia, coindicantia, & contraindicantia: ideo in hoc aphorismo vult agere de victu medicinali, in ratione morborum indicantium E.C. febris; & rerum naturalium coindicantium, verbi caussa, ætatis, & consuetudinis. Ad quam veritatem respiciens Philo- D theus in com. dicit: postquam egit Hippocrates de victu sanorum in præcedenti aphorismo, nunc in præsenti aphor. agere vult de victu ægrotantium. Per quæ nihil aliud inferre & dicere Philotheus voluit, nisi quod superiori aphorismo locutus sit Hippocrates de cibo, quatenus indicatur a rebus secundum naturam: (quia considerauit cibum in quantum cibus est & alimentum) præsenti autem aphorismo institutũ eius est, agere de victu ægrorum, id est, de cibo, quatenus indicatur a rebus præter naturam, & coindicatur a rebus secundum naturam: veluti victus humidus, qui in quantum humidus non indicatur a rebus secundum naturam, sed a rebus præter naturam, id est, morbis; coindicatur autem a rebus secundum naturam. — *Artificium Hippocratis.*

Aduertendum est autem, cum agat Hipp. de qualitate cibi, & qualitas sit duplex, prima, ac secunda; agere posse cibum medicinalem, vel ratione primarum qualitatum, vel ratione secundarum. Agit quidẽ E cibus per primas qualitates, vel calefaciendo, vel frigefaciendo, vel siccando, vel humectando: per secundas autem, vel attenuando, vel crassefaciendo. Cum itaque cibus medicinalis ratione qualitatum duplex sit; sine dubio, cum proponat Hippocrates victum humidũ, sermo eius est penes primas qualitates. Quod autem nihil dicit penes secundas, ratio esse potest, quia secundæ qualitates a primis dependent; & ex cognitione cibi agenti; per primas qualitates, habebimus cognitionem cibi agentis per secundas: nam sicut a rebus præter naturam indicatur cibus humidus; sic ab eisdem rebus præter naturam indicatur cibus attenuans, vel crassefaciens. Præterea potius proponere voluit cibum medicinalem per primas qualitates; quoniam in hac prima particula scopus ipsius Hipp. est de arte curatiua sermonem habere: in arte autem curatiua, (vt sæpissime dicit in libris methodi Galenus, præcipue decimo quarto) indicationes principaliter a morbo desumuntur: ideo vbi fit mentio cibi agentis ratione primarum qualitatum, hic indicatur a morbo, frigidus a morbo calido, calidus cibus a frigido morbo: cibus autem medicinalis per secũdas qua- F litates agens, indicatur a re præter naturam; non tamen a morbo, sed a caussa morbi; nam materia crassa est attenuanda, tenuis crassefacienda. Ideo Hipp. potius voluit proponere cibum medicinalem penes primas qualitates, quam penes secundas: licet per primas qualitates etiam habeamus secundas. Vnde recte dicit Galenus quod exiguus aphorismus multa complectatur, quæ ad artem pertinent. Quare institutum Hip. est, agere de cibo medicinali, vt indicatur a morbo, & coindicatur a re secundum naturam. — *De primis cibi qualitatibus agit hic Hippocrates.*

Quantum autem ad diuisionem: aphorismus hic est sententia sine ratione prolata, & potius primi ordinis; cum veritatem habeat ratione duorum axiomatum: quorum alterum est, contraria contrariis curantur; reliquum, similia similibus conseruantur. Diuidi tamen potest in duas partes: nam in prima ponitur victus medicinalis in virtute suorum indicantium; in secunda idem victus proponitur in virtute suorum coindicantium, ibi. *Maxime vero pueris, &c.* Ad quam diuisionem aliqua ex parte respexit G Galenus in commen. quando dicit, Hippocratem in hoc loco sermonem habere de victu febricitantium, & sanorum. — *Diuisio.*

Quæ verba videntes plærique, imaginati sunt, Hippocratem hic sermonem habere de victu sanorum, & ægrotantium: ita vt sermo Hipp. non tantum sit in parte curatiua, sed in parte curatiua febrium: & præterea sermonem Hipp. esse de victu sanorum, & per consequens, de parte tuendæ sanitatis. Quæ o- — *De scopo huius aphorismi falsa quorundã opinio.*

mnia falſiſſima ſunt. Nam Hipp. inſtitutum eſt, ſermonem habere de victu medicinali, in virtute ſuorũ indicantium, & coindicantium: & quia res indicantes ſunt morbi, ideo ponit febres loco exempli: quia vero res coindicantes ſunt res ſecundum naturam, ob id ſumit exemplum ab ætate puerili, & a conſuetudine. Quod autem hæc expoſitio vera ſit, patet ex Gal. in com. quia dicit, primo ſermonem eſſe ex parte ſanorũ; & exponit ſe; vt inde habeamus indicationes, vt inde ſcilicet habeamus, quomodo febris & morbus indicent contrarium; res autem ſecundum naturam indicent ſimilia: quia in morbis locum habet remotio, quæ fit contrariis; in rebus ſecundum naturam locum habet conſeruatio, quæ fit ſimilibus. Proinde inſtitutum eſt. Hipp. in prima parte proponere victum medicinalem, prout indicatur a re præter naturam, ſumto exemplo a febre: in ſecunda parte, de eodem victu, prout coindicatur a rebus ſecundum naturam, ſumto exemplo ab ætate, & conſuetudine. A

Senſus.

Senſus aphoriſmi talis eſt: victus humidus omnibus febricitantibus conuenit; & maxime pueris, B non tamen ſimpliciter, ſed pueris febricitantibus; atque etiam illis febricitantibus, qui tali victu vti conſueuere. Atque hic aphor. veritatem habet, vt dicit Gal. 8. meth. vltim. virtute duorum axiomatum: contraria contrariis curantur; &, ſimilia ſimilibus conſeruantur. Per primum enim verum eſt, humidum victum conuenire febrientibus per ſecundum verum eſt, quod victus humidus pueris febricitantibus, qui natura humidi ſunt, conueniat.

Prima pars aphoriſmi: de indicantibus cibũ medicinalẽ.

Sed ad verborum nunc explanationem accedamus. Dicit Hipp. *Victus humidus*. Nemini dubium eſt, quod per victum humidum intelligat cibum medicinalem, operantem non per ſecundas, ſed per primas qualitates; qui poteſt eſſe calefaciens, refrigerans, humectãs, & ſiccans, & ex his complicatus. At Hippocrates intelligit victum humidum in præſentia: ſed non quemcunque victum humidum. Nam poteſt C victus humidus bifariam conſiderari; altero modo quatenus habet vim humectandi partes arefactas: reliquo vero modo quatenus habet vim humectandi ipſas inflammationes; habet autem hanc vim, quando inflammationes ſunt ſiccæ, hoc eſt, quando nulla fit expurgatio in inflammationibus, ſed potius detinetur materia, vel quia craſſa eſt, vel quia materia detinetur aliqua denſiori tunica: vt ex Galeno colligitur, primo de ratione vict. 22. vbi dicit, magis poſſe humectare vinum, & mulſam, quam ptiſſanam: quia maiorem habent poteſtatem attenuandi materiam quæ excitat inflammationem; ac inſuper maiorem habent vim reddendi poros cutis latiores, quam habeat ptiſſana: ideo, cum ptiſſana non ita poſſit attenuare materiam, nec cutim rarefacere; non habet eam vim humectandi, id eſt, aptam reddendi eam inflammationem humorum, vt ex ea fiat expurgatio. Sed hoc modo victus humectans non intelligitur in præſentia: ſed intelligitur victus humectans partes arefactas.

Hic autem cibus, qui habet vim humectandi, debet etiam habere aliquam vim nutriendi: quia aliter D non eſſet cibus, ſed elementum, vt aqua, & præcipue in relatione ad corpus humanum.

Idem tandem victus humectans poteſt conſiderari, cum Galenus primo de ſimplic. medic. facult. primo, prout talis cibus, vel eſt tantum actu humidus, vel tantum poteſtate, vel actu ſimul & poteſtate. Victus humidus actu tantum, eſt vt ius, in quo ſit decoctum cinnamomum, quod inde potius acquiſierit facultatem exſiccandi, quam humectandi; dicitur autem hic victus actu humidus, non potentia. Humidus poteſtate tantum, vt folia lactucę. Actu & poteſtate, vt ptiſſana colata, ius pulli, &c. Hippocrates autem loquitur de victu humido, tum poteſtate tantum, tum de eo, qui eſt humidus actu & poteſtate ſimul; & ideo dicit: *Victus humidus febricitantibus, &c.*

Cur febriẽti humidus præſcribatur victus, & non etiã frigidus.

Sed quomodo victus humidus conuenit febricitantibus? Declarat hoc Galenus in cõmento, quando inquit, victum humidum conuenire omnibus febricitantibus, per axioma illud: contraria contrariis E curantur. Cum ergo febris ſit præter naturam, indicat ſui ablationem; ablatio autem fit per contraria; & ob id, cum febris ſit paſſio calida & ſicca, conuenit ei victus contrarius, id eſt, refrigerans & humectãs. Sed aduertatis, Galenum dicere eſſe paſſionem calidam & ſiccam: & quia quis dubitare poſſet, declarat quomodo hoc ſit; & dicit, ideo hoc eſſe, quia febris ſit conuerſio natiui caloris in igneum. Volui hoc dicere, vt animaduerteretis, differentiam eſſe inter hæc duo, & eſſe eos quam maximo in errore, qui hæc eſſe ſynonyma affirmant. Cum enim dicimus: febris eſt intemperies calida & ſicca; hæc eſt febris definitio formalis: cum vero dicimus, febris eſt conuerſio natiui caloris, &c. eſt definitio tradita per cauſſam efficientẽ. Dicimus autem febrem eſſe intemperiem calidam & ſiccam; quia cõuertitur calor naturalis in igneum; nam ſi debet fieri febris, neceſſarium eſt vt mutetur temperatura caloris implantati in partibus: hoc autem fieri non poteſt, niſi mutetur id, quod conſeruat calorem implantatum in partibus: hoc autem nihil aliud F eſt, niſi calor influens a corde ad reliquas partes corporis: ſic & hic calor igneus redditus, iunctus poſtea calori implantato, illum febrilem, ac dyſcratum reddit.

Sed difficultas eſt, cum febris ſit paſſio calida & ſicca, & contraria contrariis curentur: igitur ei non modo humidus conuenit victus, ſed multo magis etiam frigidus: quia ſi in febre cõſiderauerimus has duas qualitates, caliditatem, ſcilicet & ſiccitatem; principalem ſibi locum in febre vendicabit caliditas, ſecũdarium ſiccitas: quia caliditas eſt de eſſentia febris, ac eius eſſentiam complet; ſiccitas nõ eſt de eſſentia, ſed conſequitur eſſentiam. Præterea ſi in febre vteremur tantum humectante victu, & non etiam refrigerante; tunc hic cibus potius nocebit, quam iuuabit: nam ſecundum Galenum 1. de facul. alim. primo, quotiēs alimentum aliquod facile alterabile offertur ventriculo calidiori, & febriculoſo, cibus ille corrumpitur, & non vertitur in ſubſtantiam nutriti: & ideo opus eſt dum in febribus offertur alimentum ad prohibendũ G inflammationem corporis, vt tale alimentum habeat vim moderandi calorem febrilem. Propterea febrientibus conuenit cibus non modo humidus, ſed frigidus, vt eius beneficio contemperetur acrimonia caloris; vt calor poſtea ita contemperatus, atque remiſſus, non habeat eam vim acrem mordendi, atque erodendi.

Si ergo

Si ergo res ita habet: cur Hippocrates hic proposuit, tantum victum humidum conuenire febricitantibus: non autem meminit frigidi? Pro solutione non exspectetis, vt quæ alii dicunt, proponam; quoniam hoc nimis longum foret. Præterea nolo aliorum solutiones proponere: quoniam videbitis, duobus propositis tantum verbis, haberi solutionem: quæstio enim hæc nullius fere est momenti: & nisi ab omnibus quidem proposita fuisset, eam non proponerem: vnde & Galenus diligentissimus, ac optimus interpres non proponit eam, quia non erat proponenda, cum extra propositum sit. Dico igitur quod Hippocrates proposuerit victum humidum in febrientibus, non autem frigidum, ne in falsitatem laberetur: quia si proposuisset victum frigidum, tunc non posset a falsitate excusari: quoniam licet febris sit passio calida, & sicca, cuius ratione ei conuenit victus frigidus & humidus; tamen hic proponit victum medicinalem, in virtute indicantium atque coindicantium. B Et ideo sic est intelligendus Hippocrates: victus humidus conuenit omnibus febricitantibus, maxime vero pueris febricitantibus: at quod victus frigidus conueniat pueris febricitantibus, & coindicetur a pueris, falsissimum est: nam similia similibus conseruari debent: ideoque victus humidus conuenit pueris febrientibus, quia pueri sunt humidi: quoniam autem non sunt frigidi, ideo non coindicant victum frigidum: sunt enim pueri temperati potius in actiuis qualitatibus ex 8. method. vltimo; vnde pueris febricitantibus non conuenit victus frigidus; sed potius temperatus. Et ex hoc colligatis, quam necessarium sit cognoscere artificium Hippocr. nam eo cognito, apparet dubitationem propositam vanam fuisse: imo apparet quod non potuerit aliud dicere Hippocra. quam id quod dixit. Etenim cum eius institutum sit, agere de cibo medicinali; debuit de eo agere dogmatice, id est, in virtute indicantium, & coindicantium: in virtute, inquam, indicantium, id est, rerum præter naturam, & morborum; ideo loco exempli accipit febrem, non quia eius institutum sit agere de febrili vi- C ctu: verum agere itidem debuit de eodem victu medicinali in virtute coindicantium, id est, rerum secundum naturam; & ideo loco exempli accipit ætatem puerilem, & cõsuetudinem, non quod eius institutum sit agere de victu sanorum.

Subiungit Hippoc. *Omnibus febricitantibus*: Quo in loco duo sunt declaranda: primum quid intelligat Hippocr. per febrem: deinde qua arte, & quomodo capiatur indicatio administrandi cibum medicinalem, sumta indicatione a febre. Quantum ad primum: per febrem intelligere debemus simplicem hanc affectionem. Dico affectionem simplicem; vt secludamus febrem a quacunque alia re præter naturam: nam cum febre potest esse aliquid coniunctum, quod indicet victum medicinalem, contrarium cibo medicinali qui indicatur a febre; potest etiam febris cum aliquo alio affectu iungi, qui non indicet quidem cibum medicinalem contrarium, sed tamen diuersum. Verbi caussa; cum ratione febris indicetur vi- D ctus humidus, potest cum febre iungi morbus alius, vel res alia præter naturam, quæ indicet victum contrarium, id est, siccum; potest etiam iungi alius affectus, qui non contrarium indicet victum, sed dissimilem, vt crassefacientem. Feb. ẽ hoc loco accipi. vt simplicẽ affectum.

Propterea vt multæ tollantur difficultates, videndum est, quot modis febris possit coniungi cum aliis rebus præter naturam: & eo maxime, quoniam hoc multum facit ad intelligentiam præsentis aphorismi; ad praxim etiam; tum & tertio, quia non est ita propositum ab omnibus. Dicimus ergo febrem posse coniungi cum aliis rebus præter naturam multifariam; nam potest coniungi febris cum alio morbo, & erit coniunctio morbi cum morbo; potest etiam iungi morbus cum caussa; & tertio potest iungi morbus cũ symptomata: præterea potest fieri coniunctio caussæ cum caussa; caussæ cum symptomate; atque vltimo potest fieri complicatio symptomatis cum symptomate. Declaro hæc omnia: & quantum ad coniunctio- E nem morbi cum morbo; febris potest iungi cum alio morbo, vel contrario, vel dissimili: cum contrario, vt proponitur a Gal. in com. si iungatur febris cum hydrope: nam ratione febris conuenit victus frigidus & humidus; ratione vero aquæ inter cutem, (cum hæc affectio in frigido & humido consistat,) competit victus oppositus, id est, calidus & siccus. Quare si in febre, cui hydrops iunctus est, non vtimur victu humido; non propterea ruit sententia Hippocratis: loquitur enim heic de febre sincera, non complicata cũ alio morbo. Potest etiam iungi febris cum morbo dissimili, vt si iungatur cum obstructione: nam ratione febris conuenit victus, agens ratione primarum qualitatum, medicinalis contrarius, id est, frigidus & humidus, ratione vero obstructionum non conuenit victus medicinalis contrarius, agens per primas qualitates, oppositus febri, sed agens per secundas qualitates, & ideo dissimilis, & conuenit victus crassitiem tollens, deobstruens, atque attenuans. Potest iungi postea morbus cum caussa, vt si fuerit febris pendens a F materia pituitosa, vel valde putrescente, vt in febre pestilenti: tunc enim, sumta indicatione a febre, conuenit victus frigidus & humidus, sed sumta indicatione a materia pituitosa, quæ frigida & humida est, cõuenit victus calfaciens & exsiccans, & sumta etiam indicatione a materia nimis putri, conuenit victus exsiccans etiam. Ergo a materia sumitur indicatio, contraria indicationi quæ desumitur a morbo, vt a febre ipsa. Coniungitur vero morbus cum symptomate, velut (vt dicit Galenus in commento,) si fuerit inflammatio lateris cum sputo sanguinis coniuncta. Per sputum autem sanguinis, non intelligatis sputum illud sanguinis, quod interdum fieri solet in pleuritide, quando scilicet materia, caussa inflammationis, per tussim expurgatur: sed intelligatis sputum cruentum, quod fit per disruptionem vasis alicuius. Ratione inflammationis, oritur indicatio exhibendi cibum aliqua ex parte laxantem partem inflammatam, vt facilius fiat expurgatio materiæ: contra vero ratione sputi sanguinis, indicatur cibus constipans, & crasse- G faciens, ne cibo relaxante vas ruptum magis aperiatur, atque relaxetur. Pariter si fuerit febris cum lienteria, ratione febris conuenit victus frigidus, & humidus: ratione lienteriæ, cibus dissimilis conuenit, scilicet crassefaciens, corroborans, atque etiam aliqua ex parte adstringens. Quod si iungatur caussa cum caussa, id est, cum fuerit febris aliqua notha, dependens a materia tum pituitosa, tum biliosa, tunc ratione materiæ pituitosæ indicatur victus calfaciens, siccans, atque attenuans: contra vero ratione materiæ biliosæ,

Febris complicatio cũ aliis rebus præter naturam.

indicatur cibus medicinalis refrigerans, atque humectans, non autem attenuans. Quod si iungatur caussa A cum symptomate; vt si febris dependeat a materia pituitosa, & coniuncta sit lienteria; ratione materiæ pituitosæ, indicatur victus attenuans; ratione fluxus, indicatur victus crassefaciens; qui sunt cōtrarii cibi. Postremo potest coniungi symptoma cum symptomate; vt si eodem tempore fuerit sputum sanguinis cruentum, cum constipatione insigni alui: ratione sputi cruenti, conuenit victus crassefaciens, atque constipans: ratione autem alui obstructę oppositus indicatur victus, nempe laxans, & aperiens. Ergo varii cibi indicantur, sumta indicatione a variis rebus præter naturam.

Sed quis dicet: si febris est iuncta cum aliquo contraindicante; quid agendum est? Secundum Galenum in hoc commento, & octauo meth. 9. si morbus est simplex, debet simplex fieri curatio: vbi morbus est compositus, atque permistus, composita debet adhiberi curatio: eo tamen seruato, vt illi quod magis vrget occurramus magis, reliquo tamen non spreto: vt si febris fuerit cum hydrope, ratione febris con- B uenit victus refrigerans atque humectans; ratione hydropis, calfaciens atque exsiccans: si febris magis vrgeat, opus est refrigerante & humectante vti victu, vt ptissana hordeacea: ne autem ex toto negligatur hydrops, aliquid est admiscendum ratione hydropis, vt aliquid petroselini, fœniculi, &c. in medica tamen quantitate: quod si magis vrgeat hydrops, opposito procedendum est modo, vt scilicet magis hydropi prospiciamus, febre non neglecta; veluti (si de medicamentis sermo sit,) si voluerimus vti syrupo de betonica, vel de stocchade, ratione febris debemus adiungere etiam aliquid syrupi de cichorio: & cibaria sunt condienda, cum maxima quantitate fœniculi, petroselini, piperis, cinnamomi, &c. at pro febre etiam addemus aliquid cichorii, borraginis, &c.

Quod cum ita sit: non est modo difficile videre, cum hic sit sermo de victu medicinali, in virtute indicantium accipi febrem pro exemplo, prout est simplex affectio, non vt coniuncta cum aliqua re præter C naturam.

Quomodo a febre sumatur cibandi indicatio.

Sed quomodo sumitur indicatio cibandi a febre? Respondet Gal. 1. de ratione victus 44. victū posse dupliciter considerari: vel vt est alimentum tantum, vel inquantum est alimentum, & medicamentum simul. Si consideretur vt alimentum tantum, a solis viribus indicatur, & a nullo alio indicari potest, loquēdo de immediata & principali indicatione: si autem consideretur, vt est medicamentum, indicari potest a rebus præter naturam, quatenus habet vim remittendi vel corrigendi eas: quod si quis fuerit cibus qui rationem habeat tum medicamenti, tum cibi; quatenus alit, & est cibus, a re secundum naturam indicatur; vt vero est medicamentum, a re præter naturam: sic ptissana naturam alimenti subit, vt nutrit; rationem medicamenti, vt humectat, detergit, atque aliqua ex parte attenuat. Cum igitur in præsentia sit sermo de cibo medicinali, quatenus agere potest per primas qualitates: indicans hunc cibum nihil aliud esse D potest, quam res præter naturam.

Cur morbus hic exempli loco proponatur: nō caussa, nec symptomata.

Sed si vlterius pergatis, videbitis mirum Hippocratis artificium. Res præter naturam vel est morbus, vel caussa, vel symptomata. Cur igitur Hippocrates loquens de re præter naturam, tantum morbum proposuit? Quandoquidem Hippocrates in hoc primo tātum respexit artem curatiuam; propterea quicquid proponit, proponit in virtute indicantium, quæ curatiua sunt: curatiuæ autem indicationes non sumuntur a caussa, quia ab ea potius sumuntur indicationes præseruatiuæ: non a symptomatibus quia 13. meth. 1. a symptomatib. non capiuntur indicationes, nisi quatenus subeunt vim caussæ: & ob id in hac parte curatiua debuit proponere exemplum de morbo, quia ab illo sumitur indicatio curatiua.

Cur febris potius, quā alius morbus proponatur.

Sed cum de morbo proponat indicationes: cur de febre magis, quam de alio morbo proposuit? Sciendum, exempla proponi de rebus magis manifestis, ac euidentibus ac etiam maioribus: vnde cum febris E sit morbus vniuersalis, magnus, ac valde euidens, ab eo potius, quam ab alio morbo voluit exemplum sumere. Sed fuit etiam motus Hippocrates aliqua maiore ratione: quia hic est sermo de cibo medicinali; propterea sumens exemplum a morbo, debuit potissimum proponere illum morbum, in quo de necessitate non potest bona fieri cibi concoctio; & quia talis morbus est febris, maximo artificio proponit febrem: dicit autem Galenus 2. de facult. natural. 8. cap. concoctionem ciborum in omnibus morbis non deprauari, sed in febribus: si quis enim cadat ex alto, atque contingat huic inflammatio circa inguina, antequam febricitet, bene se habebit circa ventriculum; sed si subsequatur febris, illico non potest fieri bona concoctio cibi. Et caussa potest esse in promtu: quia concoctio fit a naturali calore; in febribus autem hic calor fit intemperatus, & igneus: si ergo igneus redditur, cum sit principale instrumentum actionum naturalium, non poterit fieri bona concoctio. Quare Hippocrates, habens sermonem de cibo medicina- F li, potissimum proponere voluit de eo morbo exemplum, in quo deprauatur concoctio.

Altera aphorismi pars, de coindicantibus cibum medicinalē: quę sunt. 1. Ætas: &

Hactenus in prima aphorismi parte locutus est de cibo medicinali Hippocrates, in virtute indicantium; inquiens, *victum humidum conuenire febricitantibus omnibus*: Iam in secunda parte loquitur de eodem in virtute coindicantium: proponitque ætatem, & consuetudinem: ætatem, cum dicit, *Et maxime pueris*. Considerauit enim Hipp vt optime interpretatus est Gal. sicuti contraria contrariis curantur, sic similia similibus conseruari: vnde, quia in pueris viget calor natiuus, id est, substantia illa aerea & humida, requiritur victus similis, id est, humidus, secundum Gal. 1. de tuend. 7. vbi probat humida cibaria in pueris. Sed cur dicit, *maxime*? Quandoquidem considerauit Hippocrates cum est aliquis morbus qui requirit alimentum humidum; si accidat postea vt morbus ille, siue febris, siue alius quispiam sit, fundetur in aliquo corpore, quod ratione vel ætatis, vel alicuius alterius, etiam requirat victum humidum; tunc maxime esse G instituendum victum humidum: quia ab vno indicatur, & ab altero coindicatur; & sunt indicantia & coindicantia in vnum conuenientia, vnde maxime conuenit ille victus: & ideo recte dicit, *Victus humidus conuenit omnibus febricitantibus maxime pueris*: quia indicatur victus humidus a febre, & coindicatur etiam ab ætate puerili.

Et aliis

Et aliis qui tali victu vti consueuere. Proponit hic Hippocrates alterum coindicans, quod est con- 2. Consuetudo.
suetudo: quæ quidem est maximi momenti; vnde dicebat Gal. 2. de ratione vict. 33. cibaria inutilia, sed consueta tamen, melius perferri, quam vtilia, sed insueta: quia consuetudo multum facit. Consuetudo autem ex 8. meth. vltimo, similia requirit. Et ob id recte dicit Hippocr. *victus humidus conuenit omnibus febrientibus, maxime pueris febrientibus, & his etiam febrientibus, qui tali victu vti consueuere.* Si enim febris corripiat hominem, qui assuetus sit vti victu humido: ratione febris conuenit victus humidus; ratione consuetudinis humidus, ergo maxime conuenit victus humidus.

Et hinc patet, quomodo Hippocrates proposuerit res præter naturam indicantes, res autem secundum naturam coindicantes.

Sed dicet quispiam, Hippocrates pro coindicantibus proposuit consuetudinem, & ætatem: reperi- Sub ætate, & consuetudine alia etiam coindicantia comprehenduntur.
B untur ne alia? Satisfacit huic obiectioni Galenus in Commento, quod multa alia reperiantur coindicantia, vt temperatura, naturalis habitus corporis, proprietas occulta, aer ambiens, constitutio, regio, anni tempus. Proponit autem Hippocrates hæc duo tantum coindicantia, & per hæc alia etiam voluit intelligere: fuit enim mos Hippocrati, vno vel duobus propositis, ex his, quæ pari passu procedunt, reliqua postea subintelligere. Vnde per ætatem & consuetudinem, intelligit temperaturam, proprietatem, & aerem ambientem, etenim hęc (vt facile intelligere licet) concurrunt eodem modo, vt ætas & consuetudo, id est, concurrunt, vt coindicantia, ad differentiam morbi, & rerum præter naturam, quæ concurrunt, vt indicantia, non vt coindicantia.

Sed dicet quis, si concurrunt hæc, vt coindicantia, est ne in his aliqua dissimilitudo? Respondet hic Coindicantia vt concurrant cũ rebus præter naturã, id est, cum morbo, seu febre.
Gale. præcipue vero 8. meth. vltim. quantum necessarium est pro intellectione huius aphorismi, hæc con-
C currere posse, prout modo similia requirunt, modo dissimilia. Similia requirunt, quoties potius probanda sunt, quam improbanda, dissimilia, quoties potius sunt improbanda, quam probanda. Declaro hæc omnia, discurrendo per ætatem, consuetudinem, proprietatem indiuidualem, temperaturam, & ambientem aerem: quæ quidem sunt valde digna scitu, præcipue vero in praxi; & pro solutione illius quæstionis, an similia semper similibus conseruentur. Sciendum itaque hæc omnia bifariam posse considerari: altero modo absolute, non referendo ea ad morbum: reliquo vero modo in respectu ad morbum, & ad febrem. Si considerentur hæc non relatiue, sed absolute, vel excedunt, vel non excedunt. Si non excedunt, probantur; & ideo similia requirunt. Si autem fuerit excessus in eis, cum Galeno non probantur, & ideo dissimilia requirunt; beneficio quorum dissimilium tempore sanitatis corriguntur, atque auferuntur; tempore autem ægritudinis remittuntur.

D Declaro: & primum quo ad ætatem; si consideremus ætatem puerilem, in ea est humiditas, quæ tamen non arguit excessum, sed est humiditas temperata, & ob id hæc humiditas requirit similia, id est, victum humefacientem: vnde in pueris, (vt supra dictum est) Galenus laudat victum humidum. At si fuerit ætas senilis, quæ consistit in siccitate, (non loquor de excrementitia, sed de natiua siccitate; quia naturaliter redditi sunt sicci ipsi senes,) cum siccitas hæc moderata non sit, sed excedens: ideo est improbanda: & ob id non requirit similia, sed potius dissimilia, & contraria; vnde senibus non exhibemus cibos exsiccantes, sed contrarios potius, vt 5. de tuend. dicit Gale. vbi de senibus loquens, in eis non probat victum siccantem, sed humectantem potius.

Quantum vero ad consuetudinem attinet; certe consuetudo multum potest: nam si praua est, non ex toto immutanda, sed aliqualiter corrigenda, vbi autem in consuetudine non fuerit excessus, similia ad-
E hibenda sunt

Quantum ad temperaturam, si fuerit quis temperatus, vel non multus fuerit in eo excessus, requirit similia: si autem in eo fuerit excessus, nequaquam similia, sed contraria requirit. Ideo 8. meth. vlt. docebat, & optime, Galenus, eum qui, verbi gratia, fuerit calidioris & siccioris temperaturæ, lædi a simili, iuuari vero a contrario, quia in hac temperatura est excessus, & propterea est temperatura improbanda.

Quantum ad proprietatem indiuidualem, hæc quantum possibile est, est obseruanda.

Quantum ad ambientem aerem, ex lib. de salub. diæta 2. & 3 c. vel aer temperatus est, vel excedens: Si temperatus fuerit, requirit cibos similes, & moderatos, ac temperatos, & id, quod de cibo, dico idem de medicamentis dicendum. At si in aere fuerit excessus, quia est aer improbandus, contraria requirit, non similia, & ob id locis allegatis dicebat Galen. tempore veris victu temperato esse vtendum, æstate refrige-
F rante ac humectante, autumno autem etiam humectante: quia in his temporibus est excessus, & ideo contraria, non similia requirunt.

Quoad secundum principale attinet, si hæc consideremus in respectu ad febrem, & ad morbum: tunc considerare oportet, num hæc cum morbo proportionata sint, vel non proportionata: si enim sunt proportionata, sunt improbanda, & ideo requirunt non similia, sed dissimilia, & contraria: si sunt disproportionata, sunt probanda, & ideo requirunt similia.

Declaro, & primum in ætate, persistens in exemplo Hippocratis. Nam si fuerit febris in puerili ætate, febris consistit in sicco, puerilis ætas consistit in humido, humidum autem & siccum disproportionata sunt: ergo hæc humiditas in pueris, similibus est conseruanda, quia est febri contraria, quare victus humidus conuenit. Quod si fuerit febris in iuuenili ætate, hæc ætas est improbanda, cum sit proportiona-
G ta febri, quia febris in calido & sicco consistit, iuuenilis ætas in calido & sicco: vnde victu contrario, & dissimili iuuenili ætati vtendum, scilicet refrigerante & humectante. Vnde, si recte considerauerimus hanc ætatem, potissimum in ea conueniunt refrigerantia, vbi videlicet adsit febris: nam conueniunt refrigerãtia ratione febris, conueniunt ẽt, quia in hac ætate est caliditas excedens, quæ requirit cõtraria, nõ similia, tertio conueniunt refrigerantia ratione proportionalitatis, quæ est in febrem, & hanc ætatem, ideo cũ in

iuuenili ætate conueniant refrigerantia ratione febris, ratione excessus, & ratione proportionis; non est A vlla alia ætas, in qua magis refrigerantia conueniant, quam in hac. Si postea considerauerimus ætatem senilem, quæ consistit in frigido; tunc hæc ætas sine dubio est disproportionata; quia febris calida, hæc frigida: & ideo quis posset immediate dicere, esse ætatem probandam, & similia requirere: proinde conuenire victum frigidum seni febrienti? Neque dubium est hoc, quod seni febrienti conueniat victus frigidus: tamen non potest ille victus frigidus conuenire seni febricitanti, qui iuueni febrienti: nam iuueni conuenit victus frigidus, ratione febris, excessus, & proportionis; at seni febrienti conuenit victus frigidus ratione febris, conuenit etiam ratione disproportionis: at ratione excessus conuenit victus calidus; nam cũ ætas senilis consistat in frigido excedente, igitur requirit contrarium victum, calidum nimirum: & propterea cum senibus ratione febris tantum, & disproportionis conueniat victus frigidus, non autem ratione excessus; iuuenibus conueniat victus frigidus, omnibus modis, ergo in iuuene febriente requiritur B victus frigidior, quam in sene febriente.

Quod si consideremus consuetudinem; hæc vel est proportionata cum febre, vel non. Disproportionata est, quoties homines, exempli caussa, assueti sunt vesci cibis frigidioribus; nam febris in calido cõsistit, consuetudo in frigido. Proportionata autem est quoties assueti sunt vesci cibis calidioribus. Vnde cum consuetudo proportionata sit improbanda, contraria requirit; cum disproportionata sit probanda, requirit similia: ideo si quis fuerit febricitans, in quo ratione febris sit opus vti frigidæ potu, liberius dabimus ei potionem frigidæ, ex 8. meth. vlt. si fuerit frigidæ assuetus.

Quantum ad proprietatem indiuidualem; vel est proportionata cum febre, vel non est proportionata. Si est proportionata, non sunt ita similia ei offerenda, quia etiam dissimilia & contraria offerantur. Si est improportionata, requirit tantum similia. Declaro: sit exempli caussa, qui laboret ephemera, quia C proprietate hoc habeat, vt frigida minime admittere possit, sed calida: talis proprietas est proportionata febri; vnde ratione febris frigida sunt danda, & ratione proprietatis, quæ est proportionata, non sunt omnino dissimilia dãda, sed partim similia, partim dissimilia: vnde vtemur auxiliis actu calidis, potestate tamen frigidis: nam cum sint actu calidis, potestate, tamen frigidis, nam cum sint actu calida, respicimus ad proprietatem, quę non potest tolerare frigida, exhibebimus aũt potentia frigida ob febrem, vt decoctum lactucæ, calidum actu: vnde 11. meth. 2. dicebat Gal. sanari febrem per ea quæ potestate & actu simul frigida sunt, interdũ vero per ea quæ potentia frigida tantũ sunt. At si proprietas indiuidualis est disproportionata, tunc omnibus modis simile est adhibendum alimentum, vt si quis a proprietate habeat, vt frigida tantum ferat, non calida, vti possumus tum actu, tum potestate frigidis, & omnibus modis similibus. D

Quantum ad tempraturam; vel est proportionata cum febre, vel non. Si proportionata in probanda, & ideo non similia, sed contraria requirit: vnde si febricus fuerit temperaturæ calidæ & siccæ, quæ proportionatur febri; tunc est vtendum victu frigido & humido, tum ratione febris, tum ratione temperaturæ biliosæ improbandæ. Si autem fuerit improportionata, est probanda, & similia requirit; vt si fuerit febris in corpore temperamenti frigidi & humidi, veluti in corpore pituitoso, non vtimur ita frigidis & humidis medicamentis, & cibis, vt in corpore calido & sicco: & hoc non aliunde est, (vt postea declarabimus magis,) nisi quia, licet temperamentum frigidum & humidum ratione disproportionis indicet victum frigidum & humidum; tamen ratione excessus, (quia hoc temperamentum non est moderatum) hoc temperamentum non similia, sed contraria requirit; id est, calefacientia, & siccantia.

Quo autem ad aerem ambientem, pariter vel est proportionatus febri, vel disproportionatus. Si est E proportionatus, improbandus, quia auget febrem; & ideo contraria requirit, refrigerantia & humectantia. Si disproportionatus, probandus, quia habet locum remedii; & ideo similia requirit, refrigerantia scilicet & humectantia. Vt, si fuerit febris æstate, quæ respondet proportione febri; contrariis aer est reducendus ad frigiditatem & humiditatem: quod si fuerit febris hyeme, frigido & humido tempore, similia requirit, quia habet vim minuendi febrem, & calorem illum in intensum. Quod si dicat quis: ergo hyeme & anni tempore frigido debemus vti frigidioribus auxiliis, quam æstate? Dico, id non valere, vt etiam de ætatibus dixi: nam in æstate conuenit victus frigidus & humidus, primo ratione febris, secundo, quia est tempus excedens, & non temperatum, vt ver, requirit ergo contraria, id est, refrigerantia & humectantia; tertio, requirit eadem quatenus est proportionata æstas cum febre. At si hyems consideretur, tunc ipsi cõueniũt refrigerantia & humectantia, ratione febris, & quia habet disproportionem cũ febre, est similibus conseruanda: sed si consideremus excessum temporis in hyeme, tunc ei non conueniunt refrigerantia, F nec humectantia, imo contraria potius, ob excessum, scilicet, calefacientia & exsiccantia, & ibi idalia(?) te conueniunt ea, quæ magis refrigerant, ac humectant in febribus, quam hyeme.

In Triuerium.

Et hinc patet error Triuerii, qui adeo temerarius fuit, vt ausus fuerit reprehendere Galenum, qui veluti optimus interpres, cum Hippocrates ætatem & consuetudinem tantum apponat, ampliauit eius sententiam addens tempora anni. Dicit enim Triuerius, hoc esse factum præter rationem, quia tempora nihil faciant, semper enim (dicit) tempora anni contraria requirunt. Sed hoc falsissimum est, quia ver etiam similia requirit, quando est temperatum: præterea tempus anni disproportionatum cum morbo, similia requiritur, vt æstas in hydrope, ac hyems in febre. Quare optime dicit Galenus, & arroganter a Triuerio reprehenditur.

Ex his modo habetis, quomodo ad victum medicinalem concurrant coindicantia, quæ, scilicet, in- G terdum similia requirunt, interdum dissimilia.

Cur Hippocrat. non omnia coindicantia proposuerit.

Sed duæ supersunt difficultates. Prima, cum tot sint coindicantia, temperatura, proprietas indiuidualis, aer ambiens, ætas, & consuetudo, cur Hippocrates tantum proposuerit ætatem, & consuetudinem, non etiam alia? Dicimus Hippocratem in his aphorismis semper vsum fuisse maximo artificio, ac maxima et-

A ma etiam breuitate. Cum ergo considerasset coindicantia ad duo capita posse referri; alterum, vt coindicantia semper similia requirant; alterum, vt coindicantia modo similia, modo dissimilia exigant: ideo duo hic proponere euoluit, ad hæc duo alludens capita: quia reliqua ad aliquod horum duorum reducuntur. Declaro. Primum caput est eorum coindicantium, quæ semper similia requirunt, quæ scilicet non excedunt, sed temperata sunt: vt est puerilis ætas, in qua nullus est excessus: quia si quid potest considerari temperatum, hoc est puerilis ætas: quia in ea viget substantia aerea & aquea caloris innati, quæ quandiu durat, tamdiu vita persistit. Et propterea non poterat Hippocrates melius exemplum proponere de coindicante semper similia requirente, quod extra excessum est, quam proponere puerilem ætatem. Secundum caput est eorum coindicantium, quæ modo similia, modo dissimilia requirunt: vt consuetudo, quæ adeo praua interdum est, vt si non ex toto delenda, aliqualiter tamen remittenda, ac castiganda sit, si vero B bona fuerit, est præ ceteris conseruanda. Vnde ex parte eorum coindicantium, quæ modo similia, modo dissimilia exigunt, proponere voluit consuetudinem; quia inter coindicantia maximam vim habet consuetudo, vt optime dicit Gale. 8. meth. vlt.

Difficultas circa axioma, simile conseruari simili.

Sed occurrit secunda difficultas, & maxima: quia dicit Galenus in commento, imo est vulgatum axioma, quod similia similibus conseruentur. Difficultas est in hoc axiomate; quæ nunc a nobis dirimetur, & quam breuissime, quoniam multum ad praxim facit: licet hæc potissimum quæstio videatur pertinere ad tertium artis medicinalis, vbi est sermo de indicantib. curatiuis, atque præseruatiuis. Sed primum constare debet, in quo consistat difficultas. Difficultas igitur in hoc consistit: nam impossibile videtur in actu practico similia similibus conseruari: quia si fuerit iuuenis febricitans, quique temperaturæ sit calidæ, & siccæ, id est, biliosæ, sitque ex alia parte iuuenis alius febricitans, temperaturæ frigidæ, & humidæ, id est, C pituitosæ, certe (quod etiam fuit argumentum Aristot.) vtendum frigidioribus remediis in febriente pituitoso, & frigido, quam in febriente calido, & bilioso. Et consequentia facile deducitur: nam cum febriens biliosus sit calidus & siccus; ergo ratione temperaturæ, (si similia similibus conseruari debent,) debemus vti calidis & siccis: in febriente autem pituitoso, quia est frigidus & humidus, debemus vti frigidis & humidis, vt simile conseruetur a simili, debemus etiam vti frigidis ratione febris in hoc ipso: quare sequitur quod debeamus vti frigidioribus in febriente pituitoso, quam in febriente bilioso. Augetur etiam difficultas: quoniam vbi est maior lapsus, ibi maius requiritur auxilium, vnde dicebat Gal. 7. metho. vlt. si quis temperamento calido, incidat in dispositionem calidam, eum non pati tantum lapsum; ac si quis temperamento frigido incidat in eundem lapsum calidum. Ideo conuenient magis refrigerantia in febriente pituitoso, quam in bilioso: quia est maior lapsus, tum ratione temperaturæ, quæ similibus conser-D uanda est, tum ratione febris.

Montani responsio & eius confutatio.

In solutione multi multa dicunt: nos tamen tantum resolutionem Montani, & Moderni apponemus: postea veritatem, id autem, faciemus, vt rei difficultatem cognoscatis. Montanus dicit, quod debeamus considerare medicamenta seu auxilia ipsa, quatenus interdum offeruntur actu & potestate calida, interdum potestate calida tantum: quo supposito, quando dicimus, in febriente bilioso conuenire nõ ita refrigerantia, vt in febriente pituitoso, existimat in febriente calido conuenire frigida potestate tantum, actu autem calida. Atque ita dicit, coactus vi argumenti, nam si est calida naturalis temperatura, & quod est secundum naturam conseruari debet, ideo calida actu sunt apponenda ratione temperamenti, frigida autem potestate ad ablationem febris. In febriente autem frigido, vti possumus frigidis tum actu, tum potestate. Sed hæc solutio nulla est; in praxi enim Medici solent obseruare totum oppositum: nam si fue-E rit quis febricitans biliosus, & ex altera parte quis febricitans pituitosus, in febriente calido magis audacter vtemur auxiliis frigidis, non solum potestate, sed actu, si autem febriens sit frigidus, vtemur calidis actu potius, & frigidis potestate. Sic Gale. 10. meth. quincto, vbi vtebatur auxilio actu & potentia frigido, admonet, quod debeamus vti tali auxilio in febriente, & maxime in febriente calidi temperamenti, non autem in eo, qui est frigidi. Quare praxis oppositum confirmat eius, quod dicit Montanus.

Iunioris cuiusdam solutio & eius improbatio.

Recentiorum quidam in nodo hoc dissoluendo, ait, opus quidem esse, vti frigidioribus remediis in corpore frigido, quam in corpore calido, isto tamen obseruato, vt in febriente frigidioris temperamenti vtamur æqualibus in gradu; in febriente calidioris temperamenti vtamur æqualibus in mole; hoc est, vt in febriente frigido vtamur mag is intense frigidis; in febriente calido non ita intense frigidis, sed in maiori mole, ac in maiori copia. Quæ resolutio non potest consistere, & in ea duplex est peccatum, alterum F in verbis, alterum in re ipsa, quia Galeno, & curationi aduersatur. Est quidem error in verbis, quoniam, quando dicit conuenire æqualia in gradu, abutitur nomine gradus, nam per gradum debemus intelligere primum, secundum, tertium, vel quartum gradum, ideo male dicit æquale, quoniam, vt sciunt iuniores logici, æquale habet locum in quantitate, vt simile in qualitate, vnde potius esset dicendum, conuenire similia in gradu, quam æqualia. Præterea errat in rei veritate, quoniam falsissimum est, quod in febriente frigido debeamus vti frigidioribus, & magis intense frigidis auxiliis, minus autem frigidis, sed in maiori copia, in corpore calido. Nam si videbitis Galenum in libris methodi, præcipue vero lib 8. cap. vltimo, & primo ad Glauc. semper obseruabitis, eum in febre pituitosa, quæ est in corpore frigido, non vti ita frigidis, vti in febrientibus calidis, quia in febriente frigidi temperamenti non deuenit ad potum frigidæ, vt deuenit in febriente calidi temperamenti, & ideo Galenus, vbi proponit frigida remedia febrientibus G frigidi temperamenti, semper eis aliquid solet calidi admiscere, & hoc ob excessum temperamenti frigidi, quod non similia requirit, sed contraria calefacientia. Insuper falsum est asserere, febrienti calidæ temperaturæ conuenire calida in maiori mole: dicebat quippe Galen. 7. meth. vlt. temperie existente calida in corpore calido non esse ita insignem lapsum, ac si fiat in corpore frigido; & ideo auxiliis non in magna, sed in modica copia.

Quare adhuc consistit in suo robore difficultas a principio proposita. Imo augetur ob dicta Galeni A
3. aphoris. 2. & 3. vbi dicit, quod temperatura calida a similibus offendatur, a contrariis iuuetur; quod ob hanc caussam temperaturæ frigidæ melius se habeant æstate, peius hyeme; calidæ bene hyeme, peius æstate. Idem etiam de ætatibus dicendum: nam iuuenes melius habent hyeme, quam æstate: contra, senes melius habent æstate, quam hyeme. Quare non similia similibus conseruantur, sed potius læduntur; & dissimilia conseruantur a dissimilibus.

Auctoris solutio.

Pro resolutione itaque duo dicimus: primò, axioma a Galeno passim, & ab omnibus propositum, simile a simili conseruari, esse perpetuæ ac infallibilis veritatis: deinde, quod non vtile sit, nec debeat se semper simile suo simili conseruari. Vnde aduertatis, esse aliud dicere, simile a simili conseruari; aliud, simile a simili debere conseruari, vel salubre esse, conseruari simile a suo simili. B

Simile cõseruatur simili.

Ostendo vtrumque esse verum. Et primò, vt intelligatis quomodo semper simile a suo simili conseruetur, sciendum, talem conseruationem fieri ab agente in passum. Sed cognoscere oportet, quot modis agens in passum possit agere: nam ex hoc non modo solutionem intelligetis difficultatis, sed cognoscetis etiam nullam esse inter medicos & philosophos discordiam, qui dicunt actionem fieri a proportione maioris inæqualitatis, a proportione æquali, & a proportione minoris inæqualitatis. Sciendum ergo est, agens in passum dupliciter agere posse: vno modo ad Destructionem passi, reliquo vero modo Citra destructionem. Si primo modo consideratur; tunc talis actio potest esse vel ratione Substantiæ, vel ratione Qualitatis. Si ratione substantiæ; tunc vi agentis sine dubio debet sequi corruptio, & tunc talis actio, philosophis & medicis consentientibus, necessario fit a proportione maioris inæqualitatis. Si vero agens agat in passum pariter destruendo, sed in ratione qualitatis, per alterationem, veluti quando agens calidum ita agit in frigidum, vt non solum illum remittat, sed ita destruat, vt in calidam naturam conuertat: C
tunc dicimus talem actionem posse fieri tum a proportione maioris inæqualitatis, tum a proportione æquali, tum a proportione minoris inæqualitatis. Declaro hæc omnia: quia differentia est in his actionibus, & ex parte agentis, & ex parte passi. Statuimus nimirum fieri actionem ab agente, sed a proportione maioris inæqualitatis, vt cum in frigidum vt vnum, agit calidum vt duo, a proportione æquali, vt cum calidum vt duo agit in frigidum vt duo, a proportione minoris inæqualitatis, quoties calidum, vt vnum, agit in frigidum vt duo. Fit autem hæc actio diuersa, tum ratione Agentis, tum ratione Temporis. Si debet fieri actio a proportione maiori, ratione agentis, tunc necessarium est, vt sit dissimilitudo inter agens & passum: quæ dissimilitudo est non modo ratione Qualitatis, sed etiam ratione Gradus. Dissimilitudo est ratione qualitatis, quia verbi caussa, agens est calidum, passum est frigidum: alia enim qualitas est frigiditas, alia caliditas. Dissimilitudo est in gradu, quia agens est, exempli caussa, calidum vt tria, passum frigidū vt vnū, vel duo. Quantum aūt ratione molis, pōt esse æqualitas & inæqualitas: quia siue agens calidū vt tria sit in maiori dosi, quam frigidum vt vnum, siue sit in æquali, ita vt sit æqualitas in dosi: semper hoc agens ita aget in passum frigidum, vt fiat destructio illius. Et talis est actio a proportione maiori. Fit autem actio a proportione æquali, cum inter agens & passum est Similitudo, & Dissimilitudo, est dissimilitudo ratione qualitatis, quia agens calidum, passum frigidum: est similitudo ratione gradus, quia agens calidum vt duo, passum frigidum vt duo. Erit etiam inæqualitas ex parte molis, quia in maiori mole erit calidum agens, in minori passum frigidum, & tamen actio dicetur a proportione æquali, quia in æquali gradu est agens & passum. Postremo si fiat actio a proportione minori, tunc est dissimilitudo inter agens & passum omnibus modis, & præter dissimilitudinem etiam est inæqualitas. Primo autem est dissimilitudo omnibus modis, id est, tum ratione qualitatis, tum ratione gradus. Ratione qualitatis, quia agens calidum, passum frigidum. Ratione gradus, quia agens calidum vt vnum, passum frigidum vt duo. Est etiam inæqualitas, quia agens est in maiori copia; (nam alias non posset destruere passum:) nimirum agens est calidum vt vnum, passum vt duo, & ideo debet esse in maiori copia. Dicitur autem a proportione minoris inæqualitatis fieri actio, ob gradum, quia calidum agens est in minori gradu, quam frigidum passum. Differētia vero ex parte temporis in his actionibus: quia, si fiet actio a proportione maiori, cito fiet illa actio; nam cum fiat hæc a proportione maioris inæqualitatis, non multum potest resistere passum, & hinc est, quod actio breui tempore terminatur. Quod si a proportione æquali fiat actio, tunc nō fiet ita breui tempore, sed longiori, quia passum magis resistit. Si fiat actio a proportione minori, fiet in longissimo tempore, quia passum maxime resistit, sicuti vulgo dicitur, *Gutta cauat lapidem non vi sed sæpe cadendo.* Et hæc F
de agente per destructionem.

Quod si actio fiat citra destructionem, pariter hæc actio fieri potest, vel ratione Substantiæ, vel ratione Qualitatis. Si fiat ratione substantiæ, hæc actio consideratur, quatenus substantia vel Augetur, vel Minuitur, vel in æquali portione Seruatur: vnde cum hæ actiones sint diuersæ, fit vt modo requiratur inæqualitas, modo æqualitas. Inæqualitas, vbi substantia debet augeri, vel minui, differenter tamen: quia si substantia augeri debet, requiritur maior portio substantiæ, quam fuerit portio deperdita: alias non poterit fieri augmentum. Contra vero si fieri debet diminutio substantiæ, requiritur inæqualitas, in qua sit maior portio substantiæ, quæ resoluitur, quam substantiæ, quæ augetur. Requiritur autem æqualitas, quoties substantia non debet augeri, nec minui, sed seruari, hoc autem fit quoties in æquali portione est substantia quæ additur cum ea quæ deperditur. Quod si fiat actio citra destructionem, sed merito qualitatis, tale agens agere potest, vel Intendendo, vel Remittendo, vel Conseruando, nec potest requiri aliud G
membrum. Si agens agat in passum non destruendo, sed remittendo, tunc talis actio fieri potest, vel a simili, vel a dissimili, imo etiam potest fieri a dissimili omnibus modis. Declaro: primum fit remissio a simili, & dissimili, id est, a simili in qualitate, quia videlicet tam agens, quam passum est calidum, vnde est similitudo in qualitate, dissimilitudo aūt est in gradu, quia vnum (exempli caussa) est tale in primo, aliud in tertio,
vel

A vel quarto, veluti si aqua tepida ac moderata permisceatur cum valde feruenti; ex hac enim mistione proculdubio remittitur aliqualiter feruor aquæ feruentis; & in his est similitudo in qualitate, dissimilitudo in gradu: & fit hæc remissio a proportione minoris inæqualitatis. Fit etiam remissio a dissimili omnibus modis, ratione qualitatis, & gradus: qualitatis, vbi vnum est calidum, alterum est frigidum gradus, vbi alterū est calidum in primo, reliquum in tertio: vt si commisceatur aqua endiuiæ, cum aqua cinnamomi, aliqualiter remittetur caliditas aquæ cinnamomi; & hæc etiam actio fit a proportione minori. Quod si agens agat intendendo: tunc talis actio fit a simili, & a dissimili; non a simili omnibus modis. Fit quidem a simili: quia tam agens, quam passum debet esse vel calidum, vel frigidum; nam si vnum esset frigidum, & reliquum calidum, nunquam fieret intensio, sed vel remissio, vel destructio: igitur vel calidum vtrumque, vel frigidum debet esse: & dissimilitudo debet esse ratione gradus; nam agens, verbi caussa, debet esse calidum B vt duo, passum vt vnum calidum etiam debet esse: & sic caliditas hæc intendetur, & hæc intensio fit a proportione maiori. Ideo dicebat Galenus lib. de salub. diæta comm. 2. & 3 sicuti vnum immoderatum contrarium destruit alterum immoderatum contrarium; ita etiam simile immoderatum auget simile immoderatum. Et hoc est, quod dicunt, simile additum simili facit furere: simile, inquam, in qualitate, dissimile in gradu. Quod si agens agat conseruando; (ob quam conseruationem quæ hucusque dicta sunt fuere proposita,) talis debet proportio esse inter agens & passum, vt sit similitudò omnibus modis; nec modò similitudo, sed æqualitas: quamuis potiorem locum habeat omnimoda similitudo: quæ est, tum ratione Qualitatis, tum ratione Gradus. Ratione qualitatis; quoniam vtrumque debet esse vel calidum, vel frigidum, in gradu etiam debet esse similitudo; nam si calidum est vtrumque, vtrumque debet esse calidum in primo &c. si frigidum vtrumque, debet esse frigidum in eodem gradu. Et ideo calidum, siue modera- C tum, siue immoderatum sit, semper a suo simili conseruabitur: & sic de aliis. Debet etiam esse æqualitas in mole: & ideo si permisceatur calidum in primo cum calido in primo, conseruabitur: si frigidum in primo, cum frigido in primo, conseruabitur &c.

Propterea sunt in maximo errore, dicentes, temperatum conseruari a temperato, non autem intemperatum ab intemperato, & immoderatum ab immoderato: quoniam ita conseruatur hoc, vt illud; dummodo sit similitudo ratione gradus, & qualitatis, & æqualitas in mole. Et talis actio fit a proportione æquali. Quare patet, semper a simili simile conseruari.

Alterum quod proposuimus est; etiamsi simile à simili semper conseruetur, tamen non semper conseruandum simile simili, nam illud interdum licere, interdum non licere. Etenim tunc licet simile simili conseruare, quando talis conseruatio prodest: non licet, quando non prodest, id quod nemo hoc nega- D re debet.

Cōseruatio per simile non semper instituenda, sed quādo prodest.

Sed quando noceat, & quando prosit hæc conseruatio, ex Galeno habetur (quem, quamuis omnes adducant, nescio tamen quomodo eum omnes intelligant,) tum octauo method. vltimo, tum hoc commento, potissimum vero 3. aphoris. 2. & præcipue 3. commen. vbi enim quid fuerit moderatum, quam maxime prodest illud suo simili conseruare: si autem fuerit immoderatum, nocet illud suo simili conseruare, & est coniunctum cum detrimento. Quam veritatem videntes isti, non ita sunt interpretati Galenum: sed voluerunt, Galeni sententiam esse, simile immoderatum non conseruari a simili immoderato. Sunt nugæ istæ: quoniam maxime conseruatur simile intemperatum a simili intemperato. Dicit autem Galenus, licet simile intemperatum conseruetur a simili intemperato, non tamen licere ipsum conseruare, quia non iuuat ista conseruatio, sed potius obest. Aliud igitur est dicere, non debet conseruari. E quia nocet, aliud est dicere, conseruatur a simili, nam verum est, simile immoderatum conseruatur a simili immoderato: falsum, immoderatum simile debet conseruari a simili immoderato, quoniam non debet, cum noceat.

His ita positis, facillimum modo est satisfacere obiectionibus propositis. Nam quando dicebant hi, & præcipue Aristoteles, si simile a simili conseruatur, frigidioribus vtendum erit in febriente pituitoso, quam in bilioso, ratione similitudinis, cum simile naturale a simili secundum naturam conseruetur, nullius est momenti ratio hæc. Nam cum dicunt, in pituitoso conueniunt refrigerantia, ratione febris, verum est, conueniunt etiam ratione temperamenti, falsissimum est, moderatum enim debet conseruari per similia, immoderatum non debet conseruari, quia nocet. Vnde verum est, quod similia similibus conseruētur, sed in hoc casu non debemus temperamentum hoc calidum & siccum conseruare, quia excedit, F imò potius suis contrariis debemus corrigere.

Responsio ad obiectionem supra propositam.

Notandum tamen, vbi aliquid excedens naturale, volumus corrigere, vel tempore ægritudinis, vel tempore sanitatis; fieri id posse tempore sanitatis, quia non adeo tunc offendimus naturam, quoniam non habemus naturam pugnantem aduersus morbum, vt eam reuocemus a morbo, & temperaturæ applicemus, & reddamus pugnantem: corrigere autem possumus, deducendo temperamentum illud ad æqualitatem, & temperiem. Tempore autem ægritudinis natura non sustinet tantas mutationes, scilicet aduersus morbum, & aduersus temperaturam: tamen, quia hoc temperamentum est excedens, & fouet febrem, ideo debemus illud corrigere: non, sicuti in sanitate, deducendo ipsum ad æqualitatem, sed remittendo: aliud enim est remittere, aliud ad æqualitatem deducere. Et hæc fuit sententia Galeni secundo, de ratione vict. 44. vbi dicebat, naturam non sustinere in ægritudinibus mutationes insignes, hoc est, G quando deducitur temperamentum excedens ad æqualitatem, sed quando corrigitur, ac remittitur, tunc naturam hoc optime ferre, & maxima etiam cum vtilitate; nam per hanc correctionem febres profligantur, morbique fugiunt.

Correctio intēperiei naturalis, tempore sanitatis, instituenda.

Quantum ad auctoritates ab his propositas, cum dicebat Galenus, senes bene habere æstate, male hyeme: contra iuuenes, hæc auctoritas nihil contra nos, sed maxime nostram confirmat sententiam,

Respōsio ad auctoritates Galeni.

nam ætas ſenilis conſiſtit in frigido immoderato, & excedente; ideo non prodeſt hanc ætatem conſerua-
re, ſed nocet: & propterea hi iuuantur a contrariis, læduntur autem a ſimilibus: vnde melius habent ſenes
æſtate; quia exceſſus ille frigidus corrigitur: hyeme male habent, quia conſeruatur exceſſus ille, qui nocet.
Idem de iuuenibus dicendum.

Galenus etiam 8. metho. vltimo, dicit; ſi fuerit temperatura calida, quæ incidat in febrem, & aliqua
frigida, quæ in eandem labatur febrem; maiorem eſſe lapſum temperaturæ frigidæ, quam calidæ.
Si ergo eſt maior lapſus: ergo in temperatura frigida febriente conueniunt magis refrigerantia, quam in
temperatura calida; quia in hac non eſt ita inſignis lapſus. Pro ſolutione difficultatis ſciendum, quoties
aggredimur curationem alicuius affectus, antequam veniamus ad adminiſtrationem remediorum, opus
eſſe, vt non modo conſideremus indicantia, ſed coindicantia, & contraindicantia, quia ſi erunt coindi- B
cantia, vno modo erit procedendum; ſi contraindicantia, diuerſimode procedendum. Exempli cauſſa, ſit
iuuenis calidi & ſicci temperamenti, qui detineatur febre ardenti: ſit ſenex frigidi & humidi temperamen-
ti, qui eadem ſit correptus affectione: in quonam debemus vti magis refrigerantibus? Si conſideramus
iuuenem calidi & ſicci temperamenti, ratione indicantis, id eſt, febris ardentis, quæ eſt veluti calida in
quarto; oritur indicatio refrigerandi, & inſigniter etiam refrigerandi. Si conſideremus etiam coindican-
tia, & contraindicantia, quomodo habeant; vt ſi conſideremus iuuenilem ætatem; tunc, cum hæc ætas ſit
excedens in caliditate; quatenus excedens, non requirit ſimilia, id eſt, calida; ſed potius contraria, id eſt, re-
frigerantia, ſic ergo quatenus excedens frigida requirit; quatenus etiam conſiſtit in calido, eſt proportio-
nata febri, requirit refrigerantia. Ideo in iuuene calido & ſicco, correpto febre ardente, conueniunt re-
frigerantia, & ratione febris indicantis, & ratione temperamenti iuuenis, & etiam ætatis coindicantis. C
Vbi igitur in vnum concurrunt indicantia, & coindicantia; tunc maxime conueniunt refrigerantia: quem-
admodum dicit Hippocrates, victus humidus conuenit febricitantibus & maxime pueris febrientib. quia
conuenit hic victus humidus, & ratione febris indicantis, & ætatis coindicantis. Pariter in iuuene calido
& ſicco conueniunt refrigerantia quam maxime: quia in vnum concurrunt indicantia, & coindicantia.
Si autem conſiderauerimus hanc febrem in ſene, frigidi & humidi temperamenti; ratione febris oritur
indicatio refrigerandi; imo magis refrigerandi: quia maior eſt lapſus, quam ſit in iuuene, incidente in
eandem febrem, calido & ſicco. Si autem coindicantia conſiderabimus; facile, & per viam ſigni, & per
viam cauſſæ apparebit, non ita refrigerantia conuenire, vt in iuuene. Per viam cauſſæ: nam ſi conſide-
rauerimus ſenilem ætatem, quæ conſiſtit in frigido, & quidem excedente; hæc frigidum non eſt conſer-
uandum ſimilibus; ſed contrariis corrigendum, vt calidis, cum ergo febris requirat refrigerantia, ætas au- D
tem & temperatura non requirant refrigerantia, ſed potius calefacientia; ideo non poſſumus vti ita frigi-
dis, vt in iuuene, in quo omnia concurrunt. Per viam etiam ſigni iſtud patet: quoniam ſenes non poſſunt
ita frigida tolerare remedia, vt iuuenes.

APHORISMVS XVII.

Et quibus ſemel, aut bis, & quibus plura, vel pauciora, & particulatim oporteat offer-
re, conſiderandum. Condonandum autem aliquid tempori, regioni, ætati, &
conſuetudini.

Scopus. ET *quibus ſemel, aut bis, &c.* Hic aphoriſmus vt breuis eſt, ſic in ſe maximam continet difficultatem;
& adeo arduam, vt dixerint doctores vſque ad hæc tempora non fuiſſe diſſolutam: vnde ſumma di- E
ligentia audire oportet tum difficultatem, tum ſolutionem illius, quæ in actu practico conſiſtit.

Quoad ſcopum itaque præſentis aphoriſmi: cum hucuſque locutus fuerit Hippocrates de victu
tum nutriente, tum alterante, id eſt, de cibo ratione quantitatis, & qualitatis: nunc eius inſtitutum eſt
verba facere de modo adminiſtrandi talem cibum. Nam, (vt recte dicit Galenus:) non ſufficit ſcire, eſſe
dandum cibum magis & minus nutrientem, vel minuentem, ſed opus eſt etiam vt ſciamus, quot vicibus
oporteat exhibere talem cibum, num paucioribus, vel pluribus vicibus. Pariter non ſat eſt dignoſcere ta-
li victu eſſe vtendum; ſed opus eſt etiam tenere, an ſemel, vel bis, vel pluries ſit tali victu vtendum. Ideo in
præſenti aphoriſmo tradit artem cognoſcendi, quot vicib. oporteat exhibere cibum, tum ratione quan-
titatis, tum ratione qualitatis.

Artificium Hippocratis. Sed quanam arte id facit? Eadem, qua locutus eſt de cibo in quantitate, & qualitate: id eſt, in virtu-
te indicantium, id eſt, rerum præter naturam; & in virtute coindicantium, id eſt, rerum ſecundum natu- F
ram. Ad quam veritatem reſpiciens Galenus in commento, dicit, in præſentia ſermonem eſſe de victu
ægrotantium: & propterea ſe debent habere indicantia ex parte rerum præter naturam, coindicantia ex
parte rerum ſecundum naturam. Sunt autem coindicantia in duplici ſerie, quædam principalia, vt vires,
quædam non principalia, vt reliqua quæ ad vires referuntur, nimirum tempus anni, conſuetudo, ætas, &c.
quæ habent vim coindicandi, quatenus ad vires referuntur: & ad hæc omnia reſpexit Hippocrates in præ-
ſenti aphoriſmo.

Eſt igitur eius ſcopus, agere de modo adminiſtrandi cibum, tum ratione quantitatis, tum qualitatis;
in virtute indicantium, atque coindicantium.

Diuiſio. Quantum autem ad diuiſionem attinet, hic aphoriſmus eſt ſententia ſine ratione prolata, & ex pro- G
pria natura. Diuidi autem poteſt in duas partes: nam in prima ſimpliciter proponitur modus admini-
ſtrandi cibaria: in ſecunda vero idem modus proponitur, in virtute indicantium, atque coindicantium, ibi,
Condonandum autem aliquid &c.

Cur viriū, & rerū præter naturā heic non fiat mētio. Sed dicet quis: ſi hic indicantia ſe habent ex parte rerum præter naturam, & coindicantia ſunt res
ſecundum naturam, principalia autem ſunt vires: quomodo hic fit mentio de indicantibus, & coin-
dicantibus

A dicantibus;cum ne verbum quidem fiat,de rebus præter naturam;neque de viribus?dicit enim; *Tempori, ætati,& consuetudini?* Dico Hippocratem in hoc maximo artificio vsum:quod optime cognouit Galenus in commento. Consistit autem artificium in hoc,quoniam proponens Hippocrates coindicantia secundaria:de necessitate etiam intelligere debuit coindicantia principalia; & multo magis indicantia. Quod facile probatur:nam coindicantia tum principalia dicuntur, tum non principalia, quatenus referuntur ad principalia,id est,ad vires:ideo non principalia præsupponunt principalia. Quare proponens nõ principalia,proponit etiam principalia. Vires itaque sunt coindicantes;in respectu ad res præter naturam, indicantes. Si ergo coindicantia præsupponunt indicantia:ideo breuissime loquens Hippoc.non principalia coindicantia proponens, cognouit principalia coindicantia, & indicantia. Et ideo Galenus in commento dicit, B Hippocratem in hac sententia proponere res præter naturam, & vires : dicit enim duas esse præcipuas indicationes;vnam quæ capitur a materia morbifica;alteram a viribus.

Sensus.

Aphorismi porro talis est sensus. Operæ pretium est considerare, ratione qualitatis & quantitatis cibi, quot vicibus cibus debeat offerri : an debeat offerri pluribus vicibus, an paucioribus : Et, an his vicibus offerendus sit cibus multus, vel paucus. Vt autem cognoscere possitis, quonam modo procedendum sit : inspicere oportet res præter naturam, & vires, & aliqua etiam ex parte tempora anni, ætates, & consuetudinem.

Explicatio verborum

Dicit autem : *Et quibus semel, aut bis, & quibus plura, vel pauciora, &c.* Proponit modum administrandi cibaria:qui modus consistit in quantitate discreta;an vna vice cibus sit offerendus, vel multis vicibus : *Et quibus plura, vel pauciora.* Nec credatis, vt aliqui falso credidere,sermonem hic haberi ab Hippocrate de quantitate cibi : nam hic sermo est de modo administrandi cibaria, non de quantitate : quia de C quantitate in superioribus est locutus aphorismis.Hic autem sermo est de quantitate,non per se,sed vt refertur ad vices,nam supposita quantitate,quæritur,quot vicibus oporteat cibum exhibere,an semel, vel bis,vel paucioribus,vel pluribus vicibus dandum sit istud parum,vel multum,quod exhibetur. Et ad hoc respiciens Hippoc.dicit: *Particulatim.* Quia sigillatim coniectare debemus,quando volumus dare cibum semel,vel pluribus vicibus; an in multa,vel in pauca copia sit dandus in hac proposita partitione.

Sed vnde hæc habemus?Respondet Hippocrates in secunda parte : *Condonandum est aliquid ætati, &c.* Vbi proponuntur indicantia, atque coindicantia, tum principalia, tum etiam non principalia. Et quamuis expresse Hippocrates proponat saltem coindicantia non principalia;tamen Galenus in comm. & coindicantia principalia proponit,& indicantia.

Cibandi modus vt sumatur ab indicantib. & coindicantibus principalibus.

Nos autem loquemur primo de indicantibus,atque coindicantibus principalibus : dicit enim Ga-D lenus in commento,quod cibandi modus potissimum sumatur ab humoribus morbificis,& a viribus. Sed quomodo ab his sumitur hic modus cibandi?Galenus,(& notate:quia ex verbis eius maxima oritur difficultas;)multa dicit,& inter reliqua habet,morbum ex corruptione humorum esse cum virtute vel valida, vel debili:si cum valida,dandum cibum multum,& sæpe : sæpe, quia affectio indiget; multum, quia vires constant,ac possunt etiam concoquere cibum. Si vero fuerit cum hoc morbo virtus debilis;sæpe,& modicum cibi dandum:sæpe,ob affectum;modicum ob vires debiles.

Locus Galeni difficilis expacatu.

Sed in his verbis maxima consistit difficultas; nam, cum primo dicat Galenus, in morbo ex corruptione, ratione virium validarum esse cibum copiosum administrandum; istud aduersatur Galeno eidem,& Hippocrati primo de ratione vict. 44. vbi habent,in morbis acutis,qui victum tenuem indicant, si virtus sit valida,dandum esse victum tenuem; si non sit valida,opus esse augere cibum. Quare ex hoc lo-E co virtus valida coindicat victum tenuem,contra ac in hoc aphorismo. Præterea Galenus in hoc primo, particula tertia,vbi in morbis peracutis proponit Hippocrates victum tenuissimum, dicit, conuenire illum,si virtus fuerit valida Ergo virtus valida coindicat victum tenuissimum, hic autem dicit,quod coindicet copiosum. Tunc in hoc etiam primo,aph.9.vbi Hippocrates habet, *coniectare autem oportet, &c.* dicit Galenus,si virtus sit valida, modicum cibi dandum ; si debilis,cibum esse augendum.Amplius secundo aphorismorum decimo dicitur, corpora impura quanto magis nutriantur,tanto magis lædi.Et tamen hic ausus est dicere Galenus, in morbis ex corruptione humorum,si virtus fuerit valida, multum, & sæpe alimentum dandum.

Aliorum opiniones.

Vt facilius vera intelligatur solutio; primo proponam opiniones aliorum. Prima itaque opinio est Montani;corpora impura non debere nutriri : quia quanto magis nutrimus; tanto magis lædimus. Et F addit Montanus, *quicquid dicat Galenus in commen.* Vnde patet, quod Montanus velit reprehendere Galenum,vnde cum Montano esse non debemus.

Modernus ait,ita intelligendum esse Hippocratem,corpora impura quanto magis nutris,&c.videlicet prætermissa euacuatione;nam si prætermittas euacuationem in corpore impuro, quanto magis nutris,tanto magis lædis. At si sit morbus ex corruptione,& fiat euacuatio,licet multum nutrias,non nocebis.Primo modo intelligitur Hippocrates secundo aphoris. decimo, secundo modo intelligitur hic Galenus,quod scilicet sit sæpe,& multum alendum,vbi fuerit facta recta euacuatio. Verum opinio hæc satis voluntaria videtur,licet Moderni non sit,sed Thaddæi. Nam non dicit,corpora impura,nõ prætermissa euacuatione,posse nutriri:cum Galeno enim hic dicimus, certum esse,quousque sunt impura, non posse esse factam euacuationem:nam si impura sunt,igitur non sunt vacuata,si enim fiat vacuatio, non amplius G sunt,nec dicuntur impura. Quare est imaginaria responsio.

Triuerius autem dicit, hunc esse nodum hactenus insolubilem,& se adinuenisse solutionem. Imaginatus enim ipse est subtilem hanc responsionem, quod morbus, & febris possint bifariam considerari, vno modo, vt dependent ex cacochymia; reliquo vero modo, vt dependent ex corruptione sanguinis.Ex cacochymia intelligit Triuerius;quoties morbus dependet ex humoribus vel pituitosis & crudis,

vel calidis, & exustis, vt biliosis, & ex atrabilariis. Per morbum ex corruptione dependentem, intelligit A
maximam sanguinis corruptionem, vt in febribus pestilentibus fieri solet. Tunc dicit Triuerius: si corpo-
ra fuerint cacochyma, quantó magis nutris, &c. & hoc modo locutus est ibi Hippocrates. Quod si morbi
dependeant ex corruptione, dicit Triuerius, in his requiri copiosum cibum: quia vbi corrumpitur san-
guis, non potest refici medicamentis, sed debet refici cibis: ergo affectio hæc cibo indiget, quia aliter refici
non potest. Vnde si virtus valida fuerit, ipsa coindicabit id, quod à caussa morbosa iam est indicatum: &
hoc modo intelligit Galenus in commento. Addit Triuerius, peracutos & acutos morbos dependere vel
ex cacochymia, vel ex inedia, vel ex plenitudine, vel ex corruptione. Si morbi dependeant ex cacochy-
mia; in his conuenit victus tenuis, & tenuissimus: & de his est locutus septimo aphorismo huius primæ
particulæ, & 10. aphorismo secundæ particulæ. Sed tum Galenus, tum maxime Hippocrates, in eodem,
& septimo aphorismo locuti sunt de morbo ex plenitudine, in quo etiam conuenit victus tenuissimus. B
Quod si morbus dependeat vel ex inedia, vel ex corruptione; tunc conuenit cibus multus, & sæpe, & de
his loquitur hic Galenus in commento.

Sed hoc non potest consistere: & falsitatem ex eo colligatis, quia quicunque fuerit morbus, quate-
nus morbus, nullum potest cibum nutrientem requirere: quod si cibum indicat, indicat, non tanquam ci-
bum, sed quatenus cibum medicinalem. Præterea hæc solutio facit diminutum Hippocratem: quia vult,
Hippocratem septimo aphorismo tantum fuisse locutus de morbo ex plenitudine, & cacochymia: non
autem de morbo ex inedia, & corruptione: cur itaque de his morbis non est locutus? Tertio, & clarius, hæc
Triuerii expositio reddit Hippocratem confusum, & Galenum mendacem in principio commenti: nam
secundum Triuerium locutus est Hippocrates septimo aphorismo de morbo ex repletione, & cacochy-
mia; hic autem loquitur de modo administrandi cibos in morbis ex inedia, & corruptione, sed quomodo C
nũc agit de modo administrandi cibos in morbis ex inedia, & corruptione, si superius locutus est de mor-
bis ex cacochymia, vel repletione? Debebat enim agere de modo administrandi cibos in eis morbis, de
quibus supra verba fecit. Quemadmodum Galenus in commento dicit, hic loqui Hippocratem de mo-
do administrandi cibaria in his morbis, de quibus est supra locutus, tum ratione quantitatis, tum ratione
qualitatis. Quare si aphorismo septimo locutus est de morbis ex repletione & cacochymia; debebat ne
hic agere de modo administrandi cibos in morbis ex corruptione, & inedia? Quare Triuerii solutio mi-
nime probari potest.

Auctoris solutio.

Nunc tandem ad solutionem veram veniamus: quæ sumitur tum ex artificio Hippocratis, tum ex
sententia Gale. & Hippoc. Namque de diæta loquens tria absoluere voluit capita: primum de quantita-
te: secundum de qualitate ciborum: tertium de modo administrandi cibaria, tum ratione qualitatis, tum D
quantitatis. Primis duobus capitibus absolutis propositum fuit ei in præsenti aphorismo, de modo ad-
ministrandi cibaria, non módo ratione qualitatis, nec ratione quantitatis tantum; sed de modo admini-
strandi cibaria ratione vtriusque, verba facere. Agens autem de modo administrandi cibaria in quantita-
te, agit in virtute indicantium. Et, per indicantia intelligere debemus res præter naturam, & humores
peccantes: non est enim hic sermo de modo administrandi cibaria sanis. Quare necessarium est conside-
rare humores peccantes, pro solutione difficultatis.

Humores autem peccantes peccare possunt vel ratione Quantitatis, vel ratione Qualitatis, ergo in-
dicatio ab ei sumi potest, & ratione Quantitatis, & ratione Qualitatis: quo pacto considerauit Galenus
humores, sexto de tuend. 6. Si considerentur humores peccantes ex parte quantitatis, indicant modum
administrandi cibaria penes quantitatem, si considerentur, vt peccant in qualitate, indicant modum E
administrandi cibaria penes qualitatem. Peccatum penes quantitatem duplex esse potest: vel enim Defi-
ciunt humores, vel Superabundant. Si deficiant, tunc opus est considerare coindicans principale, id est,
vires, vt scilicet vires vel Debiles sunt, vel Validæ: quia vires possunt esse validæ ratione solidarum parti-
um, vt alias docuimus. Si vires fuerint validæ, cibus multus, & sæpe est exhibendus: sæpe, quia affectio in-
diget, cum sit humorum defectus. Si autem vires fuerint validæ, coindicant, vt illis vicibus multum cibum
exhibeamus: quia vires poterunt multum cibum regulare. Si autem debiles fuerint vires, sæpe erit nutri-
endus æger, ob affectum qui indiget; & parum ob vires, quæ non possunt multum cibum regulare. Dicit
enim Galenus: si accessio non adsit, (in hac enim abstinendum,) cibus sæpe dandus est, si nihil impediat;
& multus, si virtus fuerit valida; paucus, si debilis. Si vero fuerit humorum peccatum in quantitate, ob
superabundantiam; dandus est cibus in pauca copia, & raro: quoniam affectio non indiget cibariis, quo- F
niam humores superabundant, licet debilis fuerit virtus, vel fortis: nam virtus tunc debilis est ob suffoca-
tionem, & ideo in pauca copia sunt dandi cibi, si autem fuerit valida; tunc neque etiam dandus est cibus;
quia affectio non indiget cibo, neque ipsa virtus.

Si autem considerauerimus peccatum in qualitate, tale peccatum quodcunque fuerit, quatenus pec-
catum qualitatis, indicat cibum consideratum ratione qualitatis, non quantitatis, id est, cibum medici-
nalem; de quo decimosexto aphorismo fuit locutus Hippocrates. Humor peccans qualitate, vel peccat
ex parte qualitatis primæ, vel secundæ. Primæ qualitatis; cum vel calidior est, vel frigidior, vel humi-
dior, vel siccior, quoties etiam humor vel citra coctionem est, vel vltra coctionem, vt biliosus, & atra-
bilarius. Et vbi hic humor ex parte primæ qualitatis peccat, requiritur cibus medicinalis contemperans, G
vnde in morbo dependente ex humore peccante per primas Qualitates, quo magis peccauerit hic hu-
mor, tantó cibus medicinalis copiosior, & sæpius erit exhibendus. Et si considerauerimus vires coin-
dicantes, si validæ fuerint, coindicant hunc cibum medicinalem copiosum, & sæpe, si debiles coindi-
cant eundem victum medicinalem in pauciori copia, sed sæpe; quia affectio hoc requirit, sed in pauciori
cópia, ob virtutis debilitatem:

Non

A Non autem dandus multus cibus ratione inediæ, ex ſecundo aphoriſmorum decimo, ratione caco-
chymiæ, vt voluit Triuerius: nam tum ibi Hippocrates, tum in hoc commento Galenus de morbo ex ca-
cochymia pendente loquuntur. Diuerſitas autem in hoc conſiſtit: quia ibi Hippocrates loquitur de ci-
bo, inquantum cibus eſt, id eſt, inquantum habet vim nutriendi: & ideo dicebat corpora impura quanto
magis nutries, tanto magis lædis. Et quod hoc voluerit Hippocrates (præterquam quod ibi dixerit, *quan-
to magis nutries, &c.* per quod cibum, inquantum cibus eſt, intelligit) videatis ibi Galenum, qui dicit, ideo
corpora impura nutrita lædi, quia alimentum, additum corporibus malos habentibus humores, corrum-
pitur, vnde augetur ſubſtantia, ſed non corrigitur qualitas: ſi ergo non corrigitur qualitas, non eſt cibus
medicinalis; quia cibus medicinalis habet vim corrigendi qualitatem; nam calefaciens cibus remittit fri-
giditatem humoris, &c. Ideo ibi Hippocrates loquitur de cibo, ratione qua cibus, & ratione quantitatis,
B id eſt, inquantum alit; non de eo, inquantum medicinalis eſt: hic autem loquitur de cibo medicinali con-
temperante: nam vt ſupra locutus eſt de cibo, ratione quantitatis, & qualitatis; ſic hic loquitur de modo
adminiſtrandi cibum ratione humorum peccantium & in quantitate, tum in defectu, tum in ſuperabun-
dantia, & in qualitate; humores enim peccantes tum in quantitate, tum in qualitate, non modo medica-
mentis ſunt corrigendi, ſed cibis etiam medicinalibus.

Si autem conſiderauerimus humores ex parte qualitatis ſecundæ: tunc ſecunda qualitas poteſt con-
ſiderari vel vt conſequitur Formam, vel vt conſequitur Materiam. Secunda qualitas quæ conſequitur
formam, eſt, quæ conſequitur corruptionem humoris, & eſt putredo: quæ autem conſequitur materiam
humoris, eſt, vt ſi conſiderauerimus, an materia humoris tenuis ſit, vel craſſa, vel viſcida. Primo ergo con-
C ſiderabimus humores peccantes in qualitate ſecunda ratione formæ: ſecundo ratione materiæ.

Quoad primum, conſiderantes putredinem, id eſt, humores putreſcentes in corpore: talis putredo,
vel eſt Confirmata, vel Non. Si eſt confirmata, & ex toto facta; tunc talis humor ex toto putreſcens non
indicat cibum, nec ratione alimenti, nec ratione medicamenti, quia indicat ſui ablationem, imo eradica-
tionem; ideo non poteſt conuenire cibus: quod ſi cibus conueniat, conuenit ratione virium, ita vt vires
ſint indicantes. Si autem erit putrefactio non ex toto facta, ſed in fieri; tunc hi humores ſic putrefacti in-
dicant cibum medicinalem proportionatum, id eſt, contemperantem, nimirum moderate refrigeran-
tem, & exſiccantem. Ideo, Galeno teſte in commento, ſi in humoribus fuerit defectus, requiritur additio;
ſi corruptio, contemperamentum. Quid clarius dicere potuit: humor corruptus requirit contempera-
mentum? Hoc enim idem eſt, ac ſi dixiſſet, humor corruptus requirit cibum medicinalem contemperan-
tem: cibus enim prohibere poteſt, ne putredo magis ac magis introducatur. Quod ſi conſiderabimus vi-
D res coindicantes; hæ vel Validæ ſunt, vel Debiles. Si validæ, coindicant cibum medicinalem copioſum;
non dico nutrientem, ſed medicinalem; quia humores corrupti non poſſunt indicare cibum ex parte
quantitatis. Quare optime dicit Galenus, ſi virtus fuerit valida, & fuerit morbus ex corruptione, cibum
ſæpe dandum eſſe, (medicinalem, inquam,) quia affectio requirit; & multum, quia vires validæ poterunt
regulare cibum copioſum medicinalem contemperantem. Ideo illa auctoritas, *impura corpora quo plus
nutries, eo magis lædes*; nihil facit: quia de cibo loquitur, inquantum cibus eſt. Sed ſi fuerit virtus debilis, nõ
poterit tolerare multum cibum; & ideo debemus dare cibum ſæpe, & parum; parum, quia virtus eſt debi-
lis, neque poteſt multum cibum tolerare; ſæpe ob affectum.

Quantum ad febrem peſtilentem, de qua loquitur Triuerius, dicimus, eam, inquantum morbus eſt
acutus, indicare victum tenuem: & de tali febre, vt acuta, locutus eſt quarto aphoriſmo Hippocrates: nam
E ſeptimo aphoriſmo locutus eſt de omnibus morbis peracutis; ſic quarto de omnibus acutis. Et ideo in
virtute illius quarti aphoriſmi, peſtilens febris, quatenus morbus acutus, indicat victum tenuem, & mi-
nuentem vires. Sed ſi conſideremus febrem peſtilentem, non vt acutus morbus eſt, ſed vt pendet ab hu-
moribus putrefactis, ſecus eſt: quia non poteſt tolerare victum tenuem; variatur enim hic indicans: cum
aliud ſit, conſiderare febrem peſtilentem; vt morbus acutus eſt; aliud, vt ab humoribus putridis pendet.
Febris peſtilens, vt morbus acutus, indicat victum minuentem; vt autem peſtilens eſt, indicat victum me-
dicinalem contemperantem: & ſi vires validæ fuerint, indicatur hic cibus medicinalis cõtemperans, mul-
tum exhibendus, & ſæpe; ſi debilis, parum, & ſæpe. Quod ſi etiam conſideremus, quatenus in febre peſti-
lenti virtus caſura ſit, ſi non primo, ſaltem ſecundo die: debemus in hac febre non ita minuentem vi-
ctum inſtituere; quia vires perferre non poſſent, nam in hoc caſu contraindicantes ſunt vires. Et voluit
F hoc Hippocrates nono aphoriſmo, cum dixit; *coniectare autem oportet, &c.* Ideo in febre peſtilenti,
quatenus vires ſunt contraindicantes, non debemus ita tenuem victum inſtituere, vt in febribus acutis.
Si autem conſideremus humores corruptos; debemus in ea inſtituere copioſum cibum medicinalem
contemperantem.

Quod ſi poſtremo conſideremus humorem peccantem ex parte qualitatis ſecundæ, vt conſequitur
materiam; tunc hic humor, vel eſt Tenuior, vel Craſſior, ſi tenuior, craſſefaciendus eſt; ſi craſſior, attenu-
andus. Et de hac re in virtute primæ qualitatis egit Hippocrates decimo ſexto aphoriſmo. Vnde, quantũ
ad modum adminiſtrandi cibaria, habetis ex humore peccante, quod ſæpe ſit dandus cibus, quia affectio
indiget, & ſi virtus eſt valida, multum, quia poteſt tolerare; ſi debilis, in pauca copia, quia virtus non poteſt
regulare. Vnde cum eſt ſermo de morbo in cacochymia, (nam vbi craſſiores vel tenuiores ſunt humores,
G eſt ſermo de cacochymia,) ſi virtus valida fuerit, multum & ſæpe eſt dandum cibi medicinalis, nec obſtat
aphoriſmus, *impura corpora, &c.* quia licet vtrobique de cacochymia verba fiant, tamen differentia eſt,
hic enim eſt ſermo de cibo medicinali, ibi de cibo nutriente, conſiderato ex parte quantitatis; quæ mul-
tum inter ſe differunt.

Quare concludentes dicimus, ſi modus offerendi cibaria conſideretur; ſi fuerint humores peccan-

tes ex parte copiæ, indicaui modũ administrandi cibaria ex parte copiæ: si fuerint peccantes ex parte qualitatis, indicari modum ex parte qualitatis: si ex parte primarum qualitatum peccarit humor, indicari modum administrãdi cibaria ex parte primarum qualitatum: sic & de secunda qualitate dicendum. Et hunc in modum (vt credo) soluta & proposita difficultas. A

APHORISMVS XVIII.

Æstate & autumno cibos difficillime ferunt: hyeme facillime: secundum locum ver habet.

Scopus. A*Estate & autumno cibos, &c.* In hoc decimooctauo aphorismo differit etiam de ratione victus Hippoc. Quid autem voluerit, & cur eadem videatur asserere, quæ in 15. aphorismo hoc est satis difficile cognoscere. Nos tamen ita statuimus: Cum Hippoc. in superiori aphorismo locutus sit de modo administrandi cibaria in virtute indicantium, atq; coindicantium; dixeritq; aliquid esse condonandum tempori, ætati, &c. ne quis dubitare posset, quid nam tempori esset condonandum; ideo Hipp. satisfacit huic quæsito in hoc aphorismo. Et licet dixerit, condonandum tempori, ætati, consuetudini, &c. declarat tamen solummodo quid condonandum tempori; tum breuitatis caussa, tum quia cognoscens quid condonandum tempori, cognoscit etiam quid condonandum ætati, consuetudini, & reliquis, quæ his proportione respondent. B

Huius aphorismi, & decimiquincti differentia. Quo scopo ita proposito, facile est facile tollere omnes difficultates. Nam videbatur hic aphorismus superfluus, & coincidere cum aphor. 15. *Ventris hyeme, &c.* in quo aphor. loquitur de temporib. anni, sicut & in hoc. Ex hoc scopo tollitur huiusmodi difficultas, & ex dictis Gal. in hoc comm. quoniam 15. aphoris. sermo est de quantitate cibi, sumta indicatione a temporibus anni: hic non est sermo de quantitate cibi, sed de modo cibandi, & administrandi cibos; Dicit enim Galenus, & potissimum in com. sequenti, in viuendi ratione tria esse potissimum capita absoluenda: primum, de quantitate; secundum de qualitate cibandi; tertium de modo administrandi cibaria. At aliud est, modus administrandi cibaria; aliud, quantitas cibi. Est etiam alia differentia: nam 15. aphoris. est sermo de quantitate cibi; sed prout hæc quantitas est administranda corporibus sanis; hoc aphorismo sermo est de modo administrandi cibos ægris corporibus. Ideo, quamuis bis egerit de temporibus anni, egit tamen diuersa ratione. C

Diuisio. Quoad diuisionem: est sententia sine ratione prolata, nec aliquam notatu dignam admittit diuisionem. Si autem volumus diuidere, possumus in duas partes: in prima comparat æstatem & autumnum: in secunda hyemem & ver.

Sensus. Potest autem talis aphorismi colligi sensus. Cum infirmi tempore æstatis & autumni difficillime ferant cibos; propterea his temporibus cibi ægris sunt offerendi sæpe, quamuis sæpius æstate, non ita frequenter autumno. Et cum ægrotantes tempore hyemis atque veris facillime ferant cibos, licet facilius hyeme, quam vere, ideo oportet tempore hyemis exhibere rarissime, raro tempore veris. D

Explicatio verborum. Sed veniamus nunc ad ponderationem verborum. Dicit Hippocrates, *Æstate, & autumno cibos difficillime ferunt.* Quoniam dicit Hippocrates & Galenus in superiori commento, modum cibandi desumi potissimum ab humoribus morbificis indicantibus, & a virtute coindicante principali, & a temporibus anni coindicantibus, sed non principalibus: ideo si consistat quatuor tempora manifestare, an sæpe, an raro sint exhibendi cibi; patet etiam tempora hæc coindicare. Nam ex Galeno in commento, eo tempore debent exhiberi cibi in multa copia, in quo homines facilius possunt ferre, & concoquere multa illa cibaria; quia debet esse proportio inter calorem, & alimentum, sed tempore hyemis & veris melius homines concoquunt cibaria, quam tempore autumni & æstatis, ideo cibus exhibendus in maiori copia tempore hyemis & veris, quam autumni, & æstatis. Porro his temporibus, quibus cibus conuenit copiosior, opus est rarioribus vicibus dare cibum, & iis temporibus, quibus non licet dare cibum ita copiosum, necessarium est dare pluribus vicibus, & frequentius, cibum; sed tempore hyemis & veris conuenit cibus copiosior, quam æstate & autumno: ideo tempore hyemis & veris est exhibendus cibus rarioribus vicibus; tempore æstatis & autumni crebrioribus. Et hoc est, quod dicit Hippocrates in hoc aphorismo. *Si igitur æstate & autumno cibos difficillime ferunt ægri*; ideo debemus dare cibum frequentioribus vicibus: quia cum homines cum difficultate ferunt cibum, non possunt concoquere cibum vnica vice copiose assumtum: & ob id necessarium est partiri. Vnde id dicendum est (inquit Galenus) de æstatis tempore, quod in morbis ex inedia proficiscentibus, cum virium debilitate: nam in his parum, & sæpe oportet cibum dare, parum quia copiosum non potest facultas coctrix regulare; sæpe, quia ita requiritur ob inediam. Contra vero fit hyeme: nam dandus est copiosus cibus, sed rarissime quo ad vices. Vt autem æstate, sic autumno debemus dare cibos frequenter: quia difficulter ferunt cibos; non autem ita frequenter, vt æstate. Et quia tempore hyemis cibos facile ferunt; ideo copiosum victum, sed rarissime, debemus dare: ita etiam vere, sed non ita copiose, quia non ita facile ferunt, sed tamen copiosus est dandus cibus, verum raro. Et hinc colligatis ex Galeno in commento, sicut corpora dissoluta tempore æstatis, succedente autumno refrigerantur, & densantur, ita corpora densata tempore hyemis, succedente vere calefieri incipere. Constituta sit igitur hæc sententia, quod corpora ægra æstate & autumno difficillime cibum ferant, contra vero hyeme & vere facile. E F G

APHORISMVS XIX.

Iis qui per circuitus accessiones habent nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere adiectioni ante iudicationes.

His

Scopus, & ſenſus aphoriſmi, de Iunioris ſententia.

A *HIs qui per circuitus, &c.* Modernus a Montano capiens proponit ſcopum, qui e diametro aduerſatur ſcopo propoſito a Galeno. Proponit autem hunc ſcopum Montanus: quoniam ſibi ſatisfacere non potuit ſcopus propoſitus à Galeno. Dicit ergo Modernus: cùm propoſitum ſit Hippocratis, ſermonem habere in hoc primo li. de triplici inſtrumento, videlicet cheirurgia, pharmacia, atque diæta: (in quo quidem valde miror, quomodo hi proponant, ſcopum Hippocratis eſſe agere de triplici inſtrumento; cum in eo applicando ſibi non conſtent a principio vſque ad finem;) & cum per plures aphoriſmos locutus fuerit de diæta: antequam progrederetur ad pharmaciam, voluit proponere hunc aphoriſmum, vt eſſet epilogus omnium illorum, quæ hucuſque dicta ſunt de ratione victus. Vt ſenſus ſit: in acceſſionibus morborum, ſiue chronicorum, ſiue acutorum, ſiue peracutorum, eſt abſtinendum, & non ſolum in acceſſione, ſed in vigore, & ſub vigore; vt ſcilicet fiat ſubtractio cibi.

Cõfutatio.

B Sed ſcopus ab his propoſitus nullo pacto mihi ſatisfacere poteſt. Primo enim hæc interpretatio deſtruit ſcopum optime a Galeno propoſitum in commento: nam impoſſibile eſt, vt ſcopus Hippocratis fuerit duplex, & vterque bonus: vnica enim eius tantum debuit eſſe intentio. Præterea, ſi hic ſcopus a Montano propoſitus eſſet verus; tunc Hippocrates diminutus eſſet, & in materia de diæta, & in epilogo. In materia de diæta; nam ex ſententia Galeni in hoc commento, Imo omnium interpretum, triplex caput erat abſoluendum: primum de quantitate cibi; ſecundum de qualitate; tertium de modo adminiſtrandi. De quantitate & qualitate locutus eſt. Quantum ad modum, modus cibandi in duobus conſiſtit: primo, vt cognoſcamus, quot vicibus cibus exhiberi debeat; deinde vt cognoſcamus quænam ſit hora opportuna cibandi. Vnde ſi in hoc aphoriſmo ſcopus eſſet epilogus, Hippocrates fuiſſet diminutus, quoniam ſolum eſt locutus de vicibus, non autem de hora opportuna cibandi, de qua loquitur in hoc aphoriſmo, ad mentem Galeni, vt cito C cognoſcetis. Præterea patet Hippocrates diminutum fuiſſe in epilogo, quoniam epilogus in ſumma paucis continere debet, omnia ſuperius propoſita, ſuperius autem ſermo eſt habitus de modo, & de quantitate & qualitate: at in hoc aphoriſmo nullus eſt ſermo de quantitate, & qualitate, nulla ſit mentio de vicibus; ſed tantum de hora opportuna cibandi, & ideo cum inquit: *In acceſſionibus, &c.* non faciat epilogum: quia hic nec quantitatem, nec qualitatem proponit, neque vices.

Scopus e propria ſententia.

Meo iudicio inſtitutum Hippocratis eſt ex toto abſoluere ſermonem de diæta, & quia in ſermone de diæta triplex erat caput; vnum de quantitate, & de hoc a quarto ad quinctumdecimum locutus eſt, alterum de qualitate, de qua decimoſexto: tertium de modo adminiſtrandi, de quo decimoſeptimo, & decimooctauo locutus eſt aphoriſmo: nunc hoc aphoriſmo quod circa modum reſtat, exſequitur. Nam cũ modus cibandi duplex ſit, vel penes Vices, vel penes Horam opportunam cibandi: cum de vicibus loD cutus ſit præcedenti aphoriſmo, ſupererat vt loqueretur de modo cibandi ratione horæ opportunæ, & determinatæ, qua liceat dare cibum in quantitate & qualitate propoſita. Et hunc ſcopum tetigit Galenus principio præſentis commenti.

Recentior contra Galenum.

Sed Modernus, accipiens a Montano, & Triuerio, arguit contra Galenum. Namque cum Hippocrates proponit iudicationes, Galenus legit acceſſiones, vnde dicunt iſti, hic eſſe duplicem errorem Galeni, alterum, quod peruertat verba Hippocratis, cum pro iudicationibus legat acceſſiones, quæ plurimum inter ſe diſtent, alterum, quod iudicationem expoſuerit vigorem. Addunt iſti, ſi velimus legere acceſſiones, & vigorem; eſſe Hippocratem ſuperfluum: nam ſi legamus *acceſſiones*, aphoriſmum hunc coincidere cum vndecimo, quo dicit, *In acceſſionibus abſtinere oportet, nam cibum dare nocuum eſt.* Quod ſi legamus *vigorem*, dicunt etiam eſſe ſuperfluum Hippocratem; nam hunc aphoriſmum tunc fore eundem cum oE ctauo, *Quando morbus in vigore conſiſtit, tunc victu tenuiſſimo eſt vtendum.*

Refutatio recentioris.

Sed hos valde audaces eſſe dicimus, neque enim Galenum peruertere Hippocratis verba affirmamus, etiamſi per iudicationes accipiamus acceſſiones & vigorem, neque Hippocrates reddi ſuperfluum. Primum oſtendo: quia per iudicationes in præſentia opus eſt accipere tempus, in quo apparet maxima moleſtia, quæ non aliunde proficiſcitur, niſi a vi morbi, & rei præter naturam: & ideo per iudicationes acceſſiones intelligere oportet. Sed cum iudicationes fiant in acceſſione, & vigore morbi: propterea per iudicationes; non modo iudicationes intelligere debemus, ſed tempus etiam, in quo iudicationes fiunt. Et in hoc cognoſcatis maximum Hippocratis artificium, qui, vt alluderet ad tempus moleſtum, proponit iudicationes, per quas intelligit iudicationes, & tempus etiam in quo fiunt iudicationes, nimirum acceſſiones & vigorem. Ideo non peruertit Galenus verba Hippocratis. Nec etiam fuit ſuperfluus HippocraF tes: nam quoad aphoriſmum vndecimum, in quo videtur Hippocrates loqui de acceſſionibus, ſicut & in hoc aphoriſmo, dicendum, vndecimo aphoriſmo ſermonem eſſe de primo capite obſeruando, idem, de quantitate cibi, ſumta ab acceſſionibus indicatione: in hoc autem aphoriſmo ſermonem eſſe de modo cibandi; ſumta etiam indicatione ab acceſſionibus. Ideo Hippocrates ſuperfluus non fuit. Cur autem hi hęc dicant, mirum non eſt, quoniam non cognouerunt integrum Hippocratis artificium. Quoad octauum autem aphoriſmum, dicendum, Hippocratem in eo loqui de quantitate cibi in vigore, hic autem de modo cibandi. Cum ergo alia ratione hic & ibi loquatur Hippocrates ſuperfluus ergo non fuit. Quare perſiſtit Galeni ſcopus in ſuo robore, quod ſermo ſit de modo cibandi ægros penes horam opportunam, in virtute rerum præter naturam (quia de ægrotantium diæta agitur) nimirum, acceſſionum & vigoris, G indicantium, imo etiam virium contraindicantium.

Diuiſio.

Poteſt autem aphoriſmus in duas partes diuidi, in primo ponit modum cibandi, in virtute acceſſionum indicantium. In ſecunda eundem modum ponit, in virtute virium contraindicantium, cum inquit: *Sed ſubtrahere adiectioni ante iudicationes.*

Paraphraſis aphoriſmi.

Senſus aphoriſmi talis eſſe poteſt: In illis, qui habent morbos cum acceſſione, in acceſſionibus abſtinere oportet, vt nec liceat dare cibum, neque liceat cogere ægrum, vt capiat cibum, id eſt, vt nec liceat

dare cibum ægris appetentibus, nec non appetentibus; nisi extra accessionem. Quod si ob vires infirmas necessarium fuerit dare cibum, vel in accessione, vel prope; tunc oportet exhibere cibum, ita contraindicante virtute, sed in minori copia, quam antea.

Explicatio verborum.

Sensu cognito, accedamus ad ponderationem verborum. Dicit *Iis, qui per circuitus, &c.* Per accessiones intelligere debemus cum Galeno in commento partem periodi deteriorem: vt satis declaratum fuit. Aduertendum tamen, quod accessiones duplices sint: quædam Ordinatæ, quædam Inordinatæ. Vndecimo aphorismo tum ordinatas, tum inordinatas proposuit: hic autem accessiones tantum ordinatas intelligit ac proponit: & ob id dicit; *Iis, qui per circuitus habent accessiones*; quod exponit Galenus, his, qui habent accessiones ordinatas. Sed quis dicet: quid ergo agendum in accessionibus inordinatis? Oportetne in ipsis dare cibum? Dicit Galenus, etsi eas hic non proposuerit Hippocrates, tamen non fuisse earum ignarum: sed breuitatis caussa, cum aphoristice loqueretur, sat habuisse ordinatas proponere accessiones. Nam vbi ordinatæ sunt accessiones, abstinendum est a cibo in accessione, & prope accessionem, id est, imminente accessione; ea ratione, quia molestum est hoc tempus, ergo generatim siue ordinata sit accessio, siue non, non est dandus cibus tempore molesto.

Tempore molesto non cibandum, veluti.

Ideo necessarium est, si vultis ægritudines curare, vt cognoscatis, quæ molesta sint, quæue in morbum deducere possint. Et pro intelligentia aphorismi notandum, non modo accessiones molestas esse, pro dando cibo; sed etiam multa alia, vt immoderatam repletionem, quæ potest horam interturbare, tum repentinam euacuationem.

1. tempore accessionis, vel prope.

Declaro. Et primo, quantum ad accessiones, hæ bifariam considerari possunt, vno modo, vt Deueniunt ad infebricitationem, alio modo, vt Non deueniunt. Si consideremus eas vt deueniunt ad infebricitationem: tunc facile est eligere horam cibandi opportunam: ita vt cum Galeno nec in accessione, nec imminente accessione cibandi sint ægri, sed longe post accessionem.

Cognitio horę cibandi.

Sed dicet quis: per quot horas ante accessionem est dandus cibus? Dico non esse possibile statutam horam determinare; nam possumus dare cibum per quatuor horas, per quinque, per sex, per plures, vel per pauciores ante accessionem. Sed iterum dicet quis: quo ergo fundamento procedendum est, vt cognoscatur hora cibandi? Dico respiciendum esse tum ad Exhibitionem cibi, tum ad Virtutem in corpore exsistentem. Quantum quidem ad cibum; si cibus fuerit modicus, & facilis concoctionis, cum potestis exhibere per pauciores horas ante accessionem: si vero fuerit copiosus, nec ita facilis concoctu, per plures horas ante accessionem est cibus exhibendus. Quoad virtutem, si fuerit virtus imbecillior, debetis dare cibum per plures horas ante accessionem, vt possit virtus cibum ante accessionem regulare; si vero validior fuerit virtus, pauciores horæ sufficient ante accessionem; quia virtus breui tempore poterit concoquere alimentum. Vnde, quando cibus est in minori copia, & facilioris concoctionis, & virtus validior, tanto pauciores horæ sufficient: contra, si cibus fuerit copiosior, difficilior concoctu, & virtus imbecillior, per plures horas ante accessionē est exhibendus. Exempli caussa, panatellam cum ouo, non nisi per quinque vel sex horas ante accessionem exhibere debemus: carnem non nisi per septem vel octo horas ante accessionem: ptissanam colatam, per quatuor horas, vel pauciores ante.

Quod si fuerint accessiones non deuenientes ad infebricitationem; considerandum est, an in hac febre sint multæ accessiones, vel vna: si multæ, est eligenda hora, quæ minoris sit afflictionis; quia non potestis exspectare infebricitationem: si autem morbus vnam accessionem habuerit, vt in febre synocho, & in febre ardenti; tunc dandus est cibus tempore opportuno, ac consueto cibandi, quando æger sanus erat. Et hæc quoad accessionem.

2. tempore immodicæ repletionis, tum cibi, tum fecum.

Quantum autem ad immoderatam repletionem, hæc duplex est: immoderata repletio cibi, & immoderata repletio fecum. Si immoderata sit cibi repletio, tunc absque controuersia cibus dandus non est; nam cibus additus cibo interturbat concoctionem, & multas gignit cruditates, & sic innumeras ægritudines parit, & mala symptomata. Quantum ad repletionem fecum, videtur esse in Galeni & Hippocratis dictis repugnantia. Nam primo de ratione victus trigesimosecundo, Hippocrates & Galenus dicunt, non esse exhibendum cibum, nisi prius feces in intestinis exsistentes deiiciantur, si qui enim (inquiunt) cibum, non vacuato ventriculo, dederint; si dolor adest, eum adaugebunt; si non adest, inducent: quia cum intestina repleta fuerint, non poterit cibus permeare, & sic inferet offensam. Sed primo eiusdem quadragesimo secundo dicunt, non esse dandum nouum cibum, nisi feces deuenerint ad intestina ima, & crassiora. Vnde videtur difficultas in hoc consistere; quia primo dixerunt, nisi feces fuerint depositæ, non esse dandum cibum, hic, non esse opus vt feces eiiciantur, sed sat esse fatentur, vt descendant ad inferiora intestina. Quid ergo agendum in praxi? Colligitur solutio ex Galeno, in eodem commento trigesimosecundo; nam inquit, non esse exhibendum nouum cibum, nisi feces (& addit) copiosæ excernantur. Vnde non est necessarium, vt feces semper excernantur, nisi sint copiosæ: sed sat est, vt excrementa alui descendant ad intestina inferiora, dummodo non sit multa collectio fecum; nam tunc vel natura, vel arte feces sunt excernendæ. Ideo in praxi, si quis quater, vel ter etiam comederit, & non habuerit beneficium ventris; auxiliis excernenda sunt stercora: & ob id bene illi faciunt, qui alternis diebus vtuntur clysteribus; quia ita non colliguntur feces Et ex hoc aliud colligatis; nimirum, quemadmodum ad hoc, vt feces non colligantur, opus est vti clysteribus; sic ad hoc, vt descendant feces, non ita frequenter cibum esse assumendum, quia aliter maximæ cruditates & obstructiones fient Ideo maxime errantilli, qui de quarta hora in quartam cibant ægros: nam ante secundam cibationem primus cibus deberet prius descendere.

3. tempore venęsectionis.

Repentina etiam vacuatio concurrit ad horam opportunam cibandi. Per repentinam autem vacuatio-

A cuationem possumus intelligere sectionem venę, quia per sectionem venæ fit subita ac satis repentina vacuatio. Vbi ergo hæc adest, nec copiosus cibus, nec quamprimum, dandus est: sed debet esse interuallum vnius horæ, antequam exhibeatur cibus: non quia (vt aliqui dicunt) per sectionem venæ agitentur omnes humores; quos necesse sit prius quiescere, vt postea exhibeatur cibus; hæc enim nugæ sunt; sed quia, teste Galeno, quarto de tuend. san. capite vltimo, per sectionem venæ inaniuntur, & repente; quæ inanitæ cum violentia ad se alliciunt cibum, & cum impetu: & propterea attrahunt cibum incoctum, & crudum; vnde fiunt obstructiones ingentes, quia cibus attractus, cum crudus sit, viscidus etiam est & crassus; ac proinde obstructiones excitat. Propterea saltem per horam est differenda cibatio post venæsectionem: quia hoc spatio, vt optime ibidem dicebat Galenus, partes chyli concoctæ, in hepate exsistentes, alliciuntur a venis inanitis: vnde cum venæ attraxerint hanc partem chyli, ratione eius aliqualiter satiantur; & sic post ho-
B ram non attrahunt recens ingestum cibum; vnde cibus concoquitur. Ergo vacuatio ipsa repentina indicat modum cibandi.

Nō cogēdi ægri, vt ante accessionem edant.

Neque cogere. Non sat fuit dicere, non oportet dare cibum ægrotis, qui per accessiones affliguntur; sed *neque cogendi sunt*, adiungere voluit: quoniam infirmi in duplici sunt differentia: quidam cibum appetunt, & ob hos dicit, *non oportet dare cibum:* quidam non appetunt, & ob hos dicit, *neque sunt cogendi*; vt accipiant cibum ante accessionem. Vt sit sensus: non est dandus ægris cibus ante accessionem; neque si ipsi appetant, neque si non appetant cibum.

De virtute contraindicante, id est, requirente cibu in accessionibus.

Sed subtrahere adiectioni ante iudicationem. Hic tangit virtutem contraindicantem. Et notate mirum Hippocratis artificium: nam Hippocrates sane vidit, (cum dicit, *subtrahendum adiectioni cibi ante iudicationes,*) quod per iudicationes possimus intelligere tum iudicationes, tum in quibus sunt iudica-
C tiones, nempe vigorem, & accessionem: ideo voluit orationem limitare, dicens *in accessionibus*: quia cibi prohibitio est cōmunis tum accessionibus, tum vigori: cibatio enim debet euitari, tum in accessionibus, tum in vigoribus, tanquam in temporibus molestis. Sed quia aliquis potuisset dicere: si virtus debilis sit, cuius ratione nō possimus ita procul ab accessione cibare, sed opus sit in ipsa accessione cibare; debemusne attendere viribus contraindicantibus, an accessionibus indicantibus? Respondet, magis esse attendendum viribus contraindicantibus, non neglecta tamen accessione indicante. Namque inquit; *Ante iudicationes oportet subtrahere adiectioni*: id est, si cogamur in accessione dare cibum ob virtutem, subtrahere oportet adiectioni: id est, opus est dare cibum, quia ita contraindicat virtus: sed oportet subtrahere, nam debemus etiam respicere ad accessiones, & non debemus dare cibum in tanta copia, sicuti si essemus pro-
D cul ab accessione. Quare in ipsa accessione, ac in tempore molesto, si cogat virtus, dandus est cibus; sed nō in tanta copia, vt virtus indicat; quia attendere oportet etiam accessioni indicanti.

Post accessiones paullatim cibus augendus.

Ex hoc etiam colligatis, vt instante iudicatione oportet subtrahere cibum; sic post indicationem in parua copia dandum esse cibum. Vnde non faciatis, vt aliqui, qui immediate post accessiones ad cibos copiosiores deueniunt; sed (vt Galenus docet primo de ratione victus trigesimoprimo, & potissimum com. vltimo) post iudicationem (si tempore iudicationis vsi estis tenui diæta) augete cibum paullatim, vt si vsi estis in iudicatione ptissana colata, non statim ad integram transire debetis, sed aliquid integræ cum colata admiscere debetis, vt maior sit colatæ portio, minor integræ, postea sint in æquali portione; dehinc maior integræ; vltimo ad integram descendendum. Sensim ergo est augendus cibus: quia semper debemus respicere ad calorem: vnde, cum ratione iudicationis vires debiles sint, nō poterunt subitam mutationem tolerare; & ideo sensim est progrediendum.
E

Epilogus doctrinæ de diæta.

Quibus ita constitutis, nihil, vt opinor, reliquum est in materia de diæta: nam cum tria sint capita, quæ in victu considerari debent, Quantitas, Qualitas, & Modus administrandi, hæc omnia habuistis. Vnde cum acceditis ad infirmos (si recte diætare vultis) primum opus est vt consideretis victum, ratione quantitatis, vtrum plenus victus, vel mediocris, vel tenuis, vel tenuissimus, dandus sit. Deinde qualitatem considerare debetis, nempe qualis debeat esse victus, ratione primarum qualitatum, vel frigidus, vel calidus, &c. qualis ratione secundarum qualitatum, vel crassi faciens, vel attenuans, &c. Tertio consideretis modum administrandi cibaria, quibus vti vultis, an scilicet pluribus, vel paucioribus vicibus vti liceat eo victu. Postremo considerare debetis horam opportunam cibandi. Et de ratione victus hæc dicta sint satis.
F

APHORISMVS XX.

Quæ iudicantur, & iudicata sunt integre, neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue irritamentis, sed sinere.

Scopus.

Q*Væ iudicantur, & iudicata sunt, &c.* Interpretantes hunc aphorismum, adeo inter se dissidere videntur interpretes, vt ex eorum dictis potius dissipatio aphorismi colligatur, quam vera introductio. Et propterea nos veritati tantum addicti eam proponemus introductionem, quam veram putamus; etsi apud neminem eam vidimus. Dicimus igitur, cum esset Hippocratis institutum loqui de triplici instrumento medico, cheirurgia, pharmacia, atque diæta; cumque de cheirurgia locutus fuerit tertio apho-
G rismo; & de dięta a quarto aphorismo ad decimumnonum inclusiue: nunc nihil aliud relinqui, quam vt de tertio agatur instrumento, id est, de pharmacia. Quare Hipp. de pharmacia nunc agere vult. Ad quem scopum respiciens Galenus, in primis verbis præsentis commēti, inquit, Hippocratem, perfecto sermone de diæta, nunc ad alterum caput transcendere, de pharmacia.

Artificium.

Quid autem de pharmacia in præsenti aphorismo tractat Hippocrates, & qua ratione in pharmacia progrediatur, assequi non est ita facile; quoniam mirum est eius artificium. Nam cognouit diuinissimus

hic senex, cum quis aggreditur sermonem de aliquo instrumento, primo opus esse illud adinuenire instrumentum: considerandum secundo, an debeat administrari, necne, illud instrumentum: hinc cognoscendum etiam per quæ loca: insuper, quo tempore debeat administrari illud instrumentum: & postremo in qua quantitate administrandum sit. Quæ omnia Hippocrates in pharmacia prosequitur. Primo namque, (quoniam inuentio præcedit administrationem instrumenti,) agere voluit & debuit de inuentione pharmaci: & de hac locutus fuit secundo aphorismo, vbi proposuit pharmaciam in virtute materiæ qualitate peccantis: nam vbi est materia in quali peccans, non oritur indicatio euacuandi, sed purgandi. Fieri autem hæc purgatio potest vel Debili, vel Valido auxilio: debili, si morbus debilis; valido, si morbus validus fuerit: quæ secundo aphorismo prosequitur Hippocrates. Cum igitur secundo aphorismo habeatur inuentio pharmaci, quod scilicet in morbo in quali peccante sumatur indicatio purgandi: tunc immediate quid succedit? Nihil aliud, nisi quoties habuerimus morbum a materia in quali peccante, verbi caussa, vehementem, vt oriatur indicatio purgandi: tunc non statim pharmacum exhibendum esse, sed vlterius considerandum, vtrum natura ipsa possit euadere ab hoc morbo, & possit purgare materiam in quali peccantem, nec ne? Nam si materia expurgabitur a natura perfecte, & integre, non debetis dare pharmacum: at si natura in hoc morbo vehementi, a materia in quali peccante dependente, vel non aggrediatur purgationem, vel si aggrediatur, imperfecte, & non integre id faciat: tunc debetis adiuuare naturam, & propinandum est pharmacum purgans. Cum autem, (vt hæc ad rem applicemus,) natura vt plurimum soleat excernere materiam tempore iudicationis, & crisis: hinc, ad tantum artificium respiciens Hippocrates, dicit: *Quæ iudicantur*; vt ex hoc colligeretur perpetuo obseruandum præceptum: etsi a materia peccante sumatur indicatio vacuandi pharmaco; tamen si natura purgationem aggrediatur, nihil agendum: si non aggrediatur, aliquid agendum, id est, vtendum pharmaco. Vnde facile errorem multorum colligere potestis, qui dicunt Hippocratem hic de crisi agere; quia dicit, *Quæ indicantur*. Certum quidem est hic includi crisim; eius tamen institutum de crisi non est; sed eius propositum est de pharmacia, iuxta Galenum, an scilicet debeamus vti pharmaco, nec ne; sumto fundamento a crisi. Aliud autem est, loqui de crisi; aliud, de pharmacia, sumto fundamento a crisi. Post hæc, cum habuerimus, non vtendum pharmaco, vbi purgat natura; & vtendum, vbi non purgat: tunc insuper cognoscere oportet, per quæ loca, & per quas vias fieri euacuatio debeat; & hoc sequenti aphorismo docebit Hippocrates. Neque tamen scire sufficit loca, sed opus est scire etiam tempus opportunum purgandi: quod docet vigesimosecundo aphorismo. Sed hæc non sufficiunt, verumetiam cognoscere debemus vsque ad quem terminum purgatio extendi debeat: & hoc docet vigesimotertio aphorismo. Verum, cum ex toto absolutus esset sermo de pharmacia, nempe de eius inuentione, ac recta administratione medicamenti: hinc 24. aphorismo admonitio est, ratione cuiusdam verbi, propositi 22 aphorismo: & tandem 25. aphorismo concludit absolutam iam totam medicinæ partem, quæ curatiua dicitur.

Quare scopus Hipp. in hoc aphorismo est, docere, an liceat vti pharmaco, nec ne, sumto fundamento a crisi.

Quantum autem ad diuisionem; cum hæc sit sententia sine ratione prolata, nullam admittit diuisionem.

Aphorismi sensus. Sensus autem aphorismi talis est: Quoties natura tempore iudicationis & crisis, perfecte euacuarit vniuersam materiam morbosam: tunc nihil penitus mouendum, nihil innouandum, sed ex toto est opus relinquendum naturæ. Per oppositum autem colligere oportet, si natura in morbo non euacuet materiam, vt opus erit; tunc esse adiuuandam naturam. Ex quo aphorismi sensu facile quis coniectare poterit, an liceat vti pharmaco, nec ne.

Explicatio verborum. Crisis fiens & facta: ac vtriusque cõditiones. Dicit ergo *Quæ iudicantur*. Circa hanc partem opus est (vt optime ex Galeno habere potestis,) vt intelligatis crisim, & indicationem. Potest autem crisis bifariam considerari, vel vt Fiens, vel vt Ex toto facta est. Et secundum vtrumque hunc modum intelligit crisim hic Hippocrates: nam cum dicit, *Quæ iudicantur*; insinuat crisim fientem: cum dicit, *Quæ iudicata sunt*; proponit crisim factam. Crisis autem dum fit, & dum est facta, has debet habere conditiones: vt dum fit, perfectissime fiat, ita vt eo tempore in quo fit, integra fiat; vt non sit aliquod periculum ne diminuta sit crisis, id est, vt per eam euacuetur vniuersa materia morbosa. Per Crisim ergo factam, intelligere opus est crisim absolute factam, in qua vniuersa materia sit euacuata. Quam expositionem ex Galeno habetis: nam cum verbum illud ἀρτιῇ, & ἀρτίως interpretatur, dicit, hoc verbum triplicem significationem habere posse: vt per ipsum primo intelligamus, *diebus paribus*. Qui sensus non satisfacit Galeno; quia non valet: fit crisis in diebus paribus; ergo non debemus aliqualiter mouere. In secundo significatu per hoc verbum aliqui intelligunt Nuper. Quo pacto neque intelligendus est (inquit Galenus) Hippocrates: nam licet hæc particula habeat locum de crisi facta, tamen non de crisi fienda: possumus enim dicere; *Quæ nuper indicata sunt*; sed *Quæ nuper indicantur*, nequaquam. Tertium significatum est, vt ἀρτίως exponamus integre; vt sit sensus: dum iudicatio fit, vel facta est integra, vel absoluta, neque mouere, neque nouare aliquid, &c.

Tempore crisis nihil mouendũ, Dicit *Neque mouere*: quia, quoties fit crisis, natura cum impetu hoc tempore, & impetu satis magno, mouet materiam; nam (vt patebit in definitione) in crisi impetus requiritur: ideo, cum in crisi impetus adsit, si volueritis vti medicamento mouente, tunc poteritis auocare naturam a proprio impetu critico, ratione cuius diuersionis possibile erit, vt natura, quę perfecte euacuat, impediatur, ac diuertatur, & sic fiat euacuatio mala: quia fortasse natura per loca non conuenientia euacuabit. Dum autem facta est ex toto vacuatio, neque etiam aliquid mouendum est; nam nihil aliud faciemus, quam quod naturam agitabimus.

nec nouãdum, Dicit postea, *Neque nouare*: quia dum fit crisis, vel possumus vti consuetis medicamentis, vel insuetis, &

A tis,& nouis. Consueta sunt, quibus antea fuimus vsi: insueta vero, quibus non vsi fuimus. Ideo vt moneret Hippocrates esse abstinendum a quocunque auxilio, vel consueto, vel insueto, dicit: *Nec mouere, nec nouare.*

Et addit, *siue medicamentis, siue irritamentis:* vt sit sensus: non mouere oportet, neque medicamentis, neque irritamentis; nec nouare oportet, neque medicamentis, neque irritamentis: adeo, vt hæc verba ad vtrumque referantur. Per medicamenta autem intelligere debetis ea medicamenta, quæ vim soluendi habent, quæ habent vim attrahendi proprium humorem, & educendi extra corpus. Per irritamenta autẽ intelligere oportet non ea quæ vim soluendi habent, sed leniendi, & aliquo alio pacto mouendi, vt glandes, clysteres, & quæ mouent lotium, &c. Et ob id non modo abstinendum est a rhabarbaro, a clysteribus, suppositoriisque; sed ab his, quæ euacuare per lotium possunt, ab his quæ possunt sudorem pro-
B uocare, &c.

siue purgãtibus, siue leniẽtibus:

Et, vt hoc præceptum ex toto sigillaret, dicit: *Sed sinere:* id est, sed opus ex toto naturæ permittendum est. Sed aduertatis; quod heic dicitur nihil esse agendum, intelligendum de medicamentis; quia in hoc aphor. sermo de pharmacia est: non tamen (vt optime dicit Galenus) debemus relinquere victus rationem, sed circa hanc debemus esse diligentes maxime. Et ob id ex sentẽtia Galeni, hic, & in libro Quos, & quando, &c. cum natura euacuat, vel euacuauit perfecte, nulla egemus medicina; quia medicus est minister & auxiliator naturæ; ideoque debet vti medicamentis, quoties natura eget auxilio; eget autem auxilio, vbi vel imperfecte euacuauit, vel vbi non euacuat. Sed cum perfecte agit natura, tunc totum opus ipsi relinquendum. Hæc est verborum simplex sententia.

sed naturæ omnia cõmittenda.

C Quoniam vero natura euacuare solet tempore iudicationis, seu crisis; ideo, vt ad radices vsque intelligatis hunc aphorismum, volumus differere de crisi: quod negotium difficile est, quoniam multi in hac materia a veritate deuiarunt. Nos autem in hac materia ita procedemus: primum ponemus dicta Galeni, & potissimum duas auctoritates, in quibus sermonem habet de crisi: secũdo declarabimus, quid nam voluerit Galenus, & qua ratione a se ipso non dissentiat.

De crisi quędã scitu digna.

Quo ad primum pertinet: loquebatur de crisi Galenus primo de diebus decret. capite secundo, & in hoc commento potissimum: quamuis alibi etiam sermonem habuerit de eadem. Dicit igitur Galenus in hoc commento, eam esse optimam crisim, in qua nihil deficit: nihil autem in ea deficere dicitur, quoties habet omnes numeros iudicatorios, seu criticos. Sed quot sunt numeri? A Galeno in hoc commento sex
D proponuntur: primus est, vt crisis potius fiat per euacuationem, quam per abscessum: secundus numerus est, vt euacuetur humor noxius, ac morbum faciens, ac vt integre etiam euacuetur: tertius numerus est, vt euacuatio fiat recto tramite: quartus, vt vacuatio sit facilis, id est, cum tolerantia infirmi: quinctus, vt fiat vacuatio, apparentibus signis concoctionis: sextus, vt fiat euacuatio die decretorio. Hæc habuit Galenus in hoc commento: & eadem primo de diebus decret. capite secundo: vbi etiam adiunxit, crisim posse esse imperfectam, infidam, obscuram, periculosam, sine signis, atque denique malam. Et se ipsum declarat loco citato dicens: illam esse imperfectam crisim, in qua non euacuatur ex toto humor; atque proinde eam esse crisim perfectam, in qua euacuatur humor peccans, & nihil eius relinquitur. Eam autem dicit esse infidam, atque incertam crisim, in qua est periculum recidiuæ: ergo certa erit, in qua recidiuæ non aderit periculum. Dicit etiam Galenus eam esse periculosam crisim, quæ fit cum symptomatibus periculosis: tuta proinde erit, quæ fit citra hæc periculosa symptomata. Eam dicit esse obscuram cri-
E sim, in qua neque fit euacuatio sensibilis, neque abscessus notatu dignus: quare illa euidens erit, in qua fiet euacuatio extra corpus, vel saltem abscessus. Dicit deinde esse crisim sine signis, quoties non indicatur a die aliquo decretorio: ideo si indicabitur a die indicatorio, erit crisis cum signis. Postremo illa est mala crisis, quæ desinit in perniciem ægrotantis: quare per oppositum illa bona erit, cuius terminus erit cum salute infirmi.

Optima crisis, & eius conditiones

Hæ sunt, quæ habuit Galenus locis citatis. Quæ si ita simpliciter proponerentur, nescio ego quis vestrum acquiesceret perfecte. Nam quilibet dicere posset: Cur sex tantum numeri critici proponuntur a Galeno, neque plures, neque pauciores? Præterea: qua ratione Galenus in vno loco non est diminutus; in altero vero superfluus? nam vno modo videtur loqui in hoc commento; altero, secundò de dieb. decret.
F Et ob id videndum quo artificio sit opus intelligere dicta Galeni.

Vt autem procedamus stabili & infallibili fundamento, ob id proponenda est in medium crisis definitio, & talis, ex qua non modo omnes proprietates appareant; sed statim etiam corruat vnaquæque difficultas. Sed cum crisis & bona possit & mala esse: nos, æquiuocationem fugientes, definire volumus tantum bonam crisim: cum autem bona crisis, bona sit, & optima: nos definitionem proponemus optimæ; cum rectum sit iudex sui, & obliqui. Neque aliquis miretur de eius prolixitate: nam in declaratione patebit, non prolixam, sed concisam esse. Talis ergo sit definitio: *Optima crisis est motus velox in die decretorio materiæ noxiæ vniuersæ & concoctæ, propulsæ ab internis partibus extra corpus, per ductus conuenientes, a natura expellente, vt sanitas quam primum, tuto, & ex toto restituatur.*

Definitio criseos.

G Hæc cum sit tota ac integra crisis descriptio, pro eius intelligentia, & præcipue cur tot particulis, neque pluribus, neque paucioribus oportuerit eam designare; sciendum est primum, cum crisis sit motus naturæ, eam in se includere, qua motus est, ea omnia, quæ ad motum conficiendum concurrunt. Ad motum autem, præcipue ad localem (cuiusmodi est crisis, in qua materia mouetur de loco ad locum) requiritur Tempus, in quo fit motus, requiritur etiam Mobile, terminus A quo, terminus Ad quem, Spatium, per quod, & ipsum Mouẽs. Hæc igitur omnia in crisi, vt motus est, requirũtur. Quatenus vero est

Explicatio definitionis.

 A

motus naturæ, quæ propter finem operatur, etiam finis requiritur. Et ob id, si omnia hæc in definitione
crisis includentur, erit descriptio optima, neque plura, neque pauciora requiret.

1. tempus criticæ mutationis. Primum igitur in definitione dictum fuit, quod crisis sit motus: quæ particula proponitur a Gale-
no primo de cris. & tertio de cris. in principio, vbi vult crisim esse motum. Et dictum fuit, esse motum ve-
locem, vt constaret fieri crisim breui tempore: & propterea locis citatis dicebat Galenus crisim commu-
tationem subitam. Quare hucusque habemus tantum, crisim esse motum in breui tempore: sed satis hæc
non sunt; & ideo opus fuit, vt in definitione apponeretur tempus magis determinatum: nam cum hic de
motu sit sermo; non est de motu in communi, sed de motu critico, qui a medico obseruatur; itaque vt si-
gnificaremus huiusmodi tempus mensurans motum criticum, diximus, quod sit motus velox in die de-
cretorio: quod tempus peculiare est, ac seiungit hunc motum a reliquis. Et hæc particula proposita fuit a
Galeno, tertio de cris. 3. & in hoc commento, quando proposuit sextum numerum: dicit enim necesse es- B
se vt crisis fiat die decretorio: & sibi consentiens Galenus, primo de dieb. decret. 2. dicit, eam esse crisim
bonam, quæ fiat cum signis; malam, quæ sine signis. Debet ergo fieri cum signis, id est debet indicari a die
decretorio; nam si debet fieri crisis septimo die, oportet apparere signa quarto, quia dies quartus est indi-
catorius septimi.

2. mobile. Deinde dictum fuit in definitione, *materia noxia vniuersæ, ac concoctæ, &c.* In qua parte continetur
mobile; circa quod tria notare debetis: primum, quod propelli diximus materiam noxiam; secundo, vni-
uersam; tertio, coctã. Primo diximus mobile esse materiam noxiam: quod colligitur e tertio de cris. 3. vbi
dicitur, necessarium esse vt in optima crisi euacuetur humor noxius, id est, humor qui proportione re-
spondet formæ morbi. Declarat se Galenus loco citato, quomodo humor respondeat formæ morbi: ve- C
luti (dicit) si in biliosis morbis fiant biliosæ excretiones; in pituitosis pituitosæ, &c. Imo ibidem Galenus
dicit, quod humor qui expurgatur, non solum debeat proportione respondere cum forma morbi, sed
cum annexis morbo, hoc est, temperatura, ætate patientis, tempore anni, &c. exempli caussa, si pituitosa
febris in corpore senili fuerit, frigido & humido, hyeme; dubio procul humor proportione respondens
erit pituitosus, &c. & ideo illa tunc erit optima crisis, in qua excernetur humor pituitosus: si permistus
fuerit humor, permisti humoris debet fieri eductio: & si simplex, simplicis, &c. Et ex hac particula colligi-
tis secundum numerum, propositum a Galeno in commento: qui est, quando humor noxius euacuatur:
vnde mala est crisis, quando in febre biliosa euacuatur pituita. Et huic secundo numero correspondet illa
crisis, quæ a Galeno primo de diebus decret. secundo perfecta dicitur: dicit enim illam esse imperfectam,
in qua humor euacuatur non noxius; & per consequens illam perfectam, in qua noxius euacuatur. Di-
ctum etiam fuit secundo, quod hæc materia vniuersa euacuari debeat: vt proposuit tertio de cris. 3. quini- D
mo in hoc commento, cum proponit secundum numerum esse humoris noxii excretionem, sed ex to-
to. Et hic secundus numerus coincidit cum illa crisi proposita a Galen. primo de dieb. decret. secundo;
quando dicit eam esse crisim perfectam, in qua nihil humoris noxii relinquitur: coincidit etiam cum cri-
si fida ibi proposita, in qua non est periculum recidiuæ; quia non relinquitur materia, sed ex toto vacua-
tur. Tertium quod requiritur fuit, vt hæc materia concocta educatur: & hoc voluit Galenus 3. de cris. ter-
tio: imo quarto aphoris. 22. dicebat, impossibile esse, vt per bonam crisim fiat euacuatio, quoties sunt signa
cruditatis: necessarium est igitur materiam esse concoctam. Et ad hanc veritatem alludens Galenus, pro-
ponit numerum quinctum decretorium, qui est, quando fit crisis cum signis coctionis: & coincidit hic
numerus cum ea crisi, proposita a Galeno primo de diebus decret. quando dicit, crisim bonam esse cum
signis, ad differentiam malæ crisis, quæ est sine signis. Sed notate, quamuis ibi per crisim cum signis, intel- E
ligat dies indicatorios; tamen intelligere etiam coctionem: nam dies indicatorius non indicat crisim, nisi
appareant signa coctionis.

3. terminus a quo. Postea vero in definitione crisis (quæ est motus velox, qui fit die decretorio, in quo expellitur ma-
teria noxia vniuersa, ac concocta) additum fuit, a partibus internis. Hic est terminus a quo expelli-
tur hæc materia. Nam non est bona crisis, in qua transmittitur materia ab externis partibus ad in-
ternas.

4. terminus ad quem. Pro termino autem ad quem diximus, *extra corpus*. Quoties enim fit mutatio materiæ de loco ad
locum; tunc talis mutatio potest fieri, ita, vt materia moueatur vel ad partes internas corporis; & tunc est
motus symptomaticus, non criticus: vel ad partes corporis externas, qui motus bonus est, & criticus: &
ideo diximus in definitione, *extra corpus*; nam si debet esse optima crisis, necessarium est vt euacuetur F
materia ex toto extra corpus. Hæc veritas proponitur a Galeno in hoc commento, quando proponit pri-
mum numerum decretorium: dicit enim, eam esse meliorem crisim, in qua fit potius euacuatio, quam ab-
scessus. Aduertatis hoc loco aliquos legere *euacuationem inferiorem*: quos Fuchsius reprehendit: legens,
illam esse bonam crisim & meliorem, in qua fit vacuatio, quam illam, in qua abscessus; & non, *illam bonam, in
qua fit euacuatio inferior*. Motus autem fuit duplici ratione Fuchsius: primo, quia illa particula deficit in
textu græco: tum quia Galenus non addit illam particulam 3. de cris. secundo. Secunda ratio est: quoniam
si illa esset bona crisis, in qua materia propellitur per euacuationem inferiorem, tunc sequeretur, si mate-
ria propelleretur per partes superiores, atque per vomitum, crisim optimam non esse, quod falsum est.
Propterea primus numerus decretorius est, vt fiat potius vacuatio, quam abscessus.

Crisis per abscessum non est symptomatica. Sed aduertatis ne decipiamini, vt fuit etiam deceptus Modernus, qui dicit, crisim factam per euacua- G
tionem esse bonam, & factam per abscessum, esse malam, & symptomaticam. Sed hoc falsissimum est: nam
quamuis fiat crisis per abscessum, illa tamen est bona crisis, quia definit morbus, ac tendit ad salutem: &
hoc dicitur tertio de cris. 2. vbi dicit illam esse bonam crisim, in qua vel apparet euacuatio, vel abscessus es-
fatu dignus. Et hic error est maximi momenti: nam si hæc est bona crisis, & diminute fiat, auxiliari debetis
natu-

A naturæ;si mala est,contrarium efficere debetis pro salute infirmorum.Ideo dicendum, crisim quæ fit per abscessum in parte externa,esse bonam;sed meliorem esse eam crisim quæ fit per vacuationem. Et quod hoc sit verum,videte Galenum in hoc commento: nam proponens primum numerum, non dicit illam esse optimam crisim,in qua fit vacuatio;sed esse meliorem dicit eam crisim,in qua fit vacuatio, quam in qua fit abscessus: ergo & hæc bona est. Ideo dicamus illam esse optimam crisim, in qua materia propellitur extra corpus,vel ad partes infernas,vel supernas,vel vtrasque:ad infernas, per lotium, deiectionem alui,hæmorrhoidas,& vterum in mulieribus: ad supernas, per vomitum & per fluxum sanguinis e naribus;tandem optimam esse crisim,quando fit per sudorem,quoniam fit tum per superiores,tum per inferiores partes.

B Ratione spatii per quod fit criticus motus,in definitione dictum fuit,*per ductus conuenientes.* Quomodo autem requirantur hi ductus conuenientes in crisi,declarabat Galenus tertio de crisib. cap. 3. vbi dicit;opus esse vt in bona crisi fiat euacuatio per locos conuenientes, ac proportione respondentes formæ morbi:exempli caussa,si fuerit morbus in parte hepatis concaua,debet fieri per aluum expurgatio; si in parte conuexa,per lotium,vel etiam per fluxum sanguinis e naribus dextris; si in pectore, per tracheiam:& sic de singulis dicendum,quod expulsio debeat fieri per ductus conuenientes, & morbo proportionatos.Ad hoc respiciens Galenus in commento,proponit tertium numerum decretorium; quod scilicet recto tramite procedere vacuatio debeat.An autem rectitudo fibrarum requiratur, sequenti aphorismo declarabimus.Itaque per tertium numerum criticum intelligit Galenus spatium, per quod fit crisis:& hoc spatium etiam insinuasse videtur primo de dieb.decret.secundo;vbi proponens crisim euidentem,quæ est cum euacuatio fit sensibilis,dicit,eam,si bona esse debeat,fieri a natura regulariter operante, C scilicet per ductus conuenientes. 5.spatium.

Deinde in definitione dictum fuit,*a natura expellente.* Et hic positum fuit mouens humorem noxium,quod nihil nisi natura est;neque enim in crisi vis pharmaci requiritur,sed natura, & ea quidem regulariter atque critice operans, non autem symptomatice. Et cum natura concurrere possit attrahendo, retinendo, concoquendo, & expellendo; in crisi concurrit expellendo: ideo dictum fuit, *a natura expellente.* 6 mouens.

Tandem propositus fuit finis in definitione,quando vltimo dictum est,*vt sanitas quam primum, tuto,atque ex toto restituatur.* Circa quem finem quatuor consideranda sunt. *Primum*,quia dictum fuit, *vt sanitas restituatur:* nam bona crisis illud habet,vt eius terminus sit cum facilitate; vt contra malæ crisis signum est,vt sit cum morte. D Et hoc dicit Galenus,primo de diebus decret. capite secundo: vbi asserit bonam crisim esse,quæ ad sanitatem desinit. Aduertendum autem est,nos dixisse potius, *vt sanitas restituatur*,quam *conseruetur:* quoniam modo sermo est de ægris, quorum sanitas deperdita restitui debet. *Secundo*,in caussa finali dictum fuit; *Vt sanitas quamprimum restituatur:* nam sanitas restituitur vel paullatim,vel repente:in crisi non paullatim,sed repente reparatur:& ob id tertio de cris. in principio capitis secundi dicebat,crisim esse mutationem subitam ad sanitatem:imo addebat,impossibile esse, vt tuto & ad sanitatem crisis fiat paullatim. *Tertio* circa caussam finalem diximus, *Et tuto:*nam medicus non modo debet operari,vt introducatur sanitas cito,sed tuto;quia imitatur naturam medicus, quæ hoc habet, vt in optima crisi sanitatem cito restauret.Et propterea ad hanc veritatem respiciens Galenus in commento, inter alios numeros decretorios proponit,vt cito,ac facile crisis fiat. Et primo de diebus decret. 2. tutam crisim proponens,dicebat,se intelligere crisim,quæ fit sine periculosis symptomatibus. E Sed circa hæc dicta videtur esse difficultas:nam Galenus dicebat tertio de crisi.naturalem crisim fieri cum vehementibus symptomatibus,cum difficili respiratione,dolore capitis,&c. quæ grauia ac periculosa sunt symptomata: Quomodo ergo inter se conueniunt hæc dicta?Colligitur ex Galeno tertio de cris.capite tertio,bifariam posse crisim considerari:altero modo, vt crisis fit; altero modo, vt iam facta est. Si considerabimus crisim,vt fit;sine dubio fieri non potest sine vehementibus symptomatibus; nam natura valide insurgit ad propellendas materias:& hoc modo intelligit in eodem tertio de cris.Galen.imo dicit, adeo apparere vehementia symptomata, vt inspicientes turbentur, ac maxime timeant; medici autem(inquit)generosi non debent formidare.Cum ergo proponat inscientes,& peritos medicos,& inspicientes;clarum est,vbi est crisis actu,symptomata vehementia esse:quia inscii, cum videant obiecta præsentia, nihil aliud contemplantur;optimi autem medici cum inspiciunt concoctionis signa,licet symptomata vehementia sint, F non dubitant;imo sanitatem futuram prædicere possunt;quia post crisim factam facile tolerant ægri: vt clare etiam constare potest ex eodem Galeno tertio de cris.capite tertio; nam dicit, illam esse bonam crisim,quoties post euacuationem facile tolerant infirmi, vt meliores habeant pulsus, melius sint colorati,&c.Ecce,quod hæc Galenus refert ad crisim iam factam, non autem ad præsentem. Hæc etiam sententia fuit Hippocrat. secundo aphor.decimo tertio,vbi dicit:nox præcedens accessionem grauis est,quæ subsequitur leuis, dummodo fuerit bona crisis; quia quoties mala fuerit, pessime res habet. *Tandem* dictum fuit, *& ex toto:* nam si optima fuerit crisis, vniuersa materia expelli debet: quoties enim non tota tollitur materia, non est perfecta Crisis, quia in illa non eradicatur materia, sed minuitur: illa autem est optima crisis, in qua ex toto materia, & morbus fugatur, quam definiebamus. G

Finalis caussa criseos. 1. 2. 3. 4.

Ex his igitur constat quid sit crisis:& cur Galenus sex proponat,neque plures, neque pauciores cōditiones;quia ad crisim constituendum neque plura,neque pauciora requiruntur.

Sed si hæc cognoueritis non satis vobis erit, præsertim si nullum volueritis in actu practico committere errorem. Præcipue autem vobis duo consideranda sunt:primo, quid agendum sit,quoties crisis non fit, & natura non operatur; quia certum est, cum natura operatur, nihil agendum:

deinde videndum, quoties natura aggreditur opus, ſed non aggreditur ita valide vt eſt opus, quid agendum?

Num die critico aliquid agendum, non operante natura.

Quantum ad primum: videtur eſſe aliqua difficultas: nam videtur, quoties in morbo adeſt dies decretorius, quod neceſſe ſit, vt exhibeatur pharmacum die decretorio. Et hoc colligi poteſt ex Galeno, quarto de rat.vict.76.nam ibi Galenus pharmacum exhibet non modo primo, ſecundo, & tertio die, ſed quarto, qui decretorius eſſe poteſt. Auicennas etiam tractatu de cura Febr.putrid.in generali, aſſerit: *quando natura non mouet, moue tu motu eius*; ſed hoc die decretorio natura facit; ergo, &c.

Reſponſio iunioris.

Modernus, videns hanc difficultatem imaginatus eſt, eſſe præter rationem die decretorio exhibere pharmacum. Ad auctoritatem Galeni dicit, Galenum ſermonem habere de materia furioſa, quæ quam primum ſit expellenda; ideo mirum non eſſe, ſi quarto pharmacum admittat. Sed ad Auicennam dicit, B duplicem poſſe illorum verborum eſſe lectionem: primam, *Quando natura non mouet, moue tu motu conuenienti ipſi naturæ, non hora motus eius*: Vt ſit ſenſus, quando natura non mouet motu conuenienti, (motus autem conueniens naturæ eſt, cum materia eſt concocta; quia natura regulariter operans, non expellit materiam, niſi concocta, vt 22.aphor.quarti lib.dicit Galenus) moue tu motu eius; id eſt, motu conuenienti naturæ; nimirum cum materia eſt concocta. Secundam lectionem eſſe poſſe, *Quando natura non mouet, moue tu hora eius*. Hora motus naturæ non eſt intelligenda, inquit Modernus, dies decretorius, ſed debemus intelligere concoctionem materiæ; & habet fundamentum Modernus, quia indicatio pharmaci non ſumitur a numero dierum, ſed à concoctione materiæ, vt optime Hippocrates 22.aphoriſmo dicit, *Concocta medicari, &c.*

Cõfutatio.

Sed bifariam Modernus errauit: primo circa intelligentiam auctoritatis Auicen. ſecundo circa reſolutionem. Nam admittimus, Galenum locutum fuiſſe de materia furioſa; quia ſermo eſt de humore, C qui non habet firmam aliquam ſedem, & ideo poteſt concedi pharmacum. Sed Auicennam fortaſſe non intelligit, nec ſecundum primam, nec ſecundum alteram lectionem. Primo enim, cum dicit, mouendum eſſe, non die decretorio, ſed motu conuenienti naturæ, id eſt, cum concocta eſt materia; quæro, quale ſit tempus, in quo materia eſt concocta? Abſque dubio non eſt aliud, niſi dies decretorius, in quo potiſſimum eſt abſoluta concoctio: quia natura die decretorio euacuat. Audiſtis enim e Galeno in commento, quod criſis die decretorio fiat: ideo cum medicus imitetur naturam, ſi numerum perfectæ criſis obſeruare voluerit, opus erit, vt die decretorio euacuet. Si etiam legamus ſecundo modo, *Moue tu hora motus eius*; non die decretorio, ſed hora motus eius, qua eſt materia concocta; neque hoc verum eſt: nam ſi hora motus naturæ eſt, in qua materia eſt concocta, ergo eſt dies decretorius: natura etenim non concoquit D perfecte, nec mouet, niſi die decretorio. Et verum quidem eſt, quod indicatio non deſumatur a numero dierum, ſed a concoctione materiæ: ſed hæc cum ſit concocta die decretorio; ideo non valet, quod in die decretorio non ſit mouendum, neque exhibendum pharmacum; quia die decretorio operatur natura, & proinde etiam medicus naturam ſequens. Errauit ſecundo in reſolutione: nam quoties natura non mouet, neceſſe eſt vt materia moueatur hora motus naturæ: ſi namq; medicus naturæ miniſter eſt, & adiuuat naturam, debet eam ita adiuuare, vt quod natura non operetur, ipſe faciat.

Auctoris ſententia.

Ideo ſi ad concoquendam & expellandam materiam die decretorio natura non fecerit aliquid, ipſe medicus etiam decretorio die hora motus naturæ, propinare pharmacum, & mouere debet, vt id efficiat, quod natura tunc temporis facere deberet.

Imperfectæ criſeos defectus eſt ſupplendus.

Sed quid agendum eſt, vbi natura criſim tentat, & euacuationem materiæ, attamen imperfecte, diminute, & non ex toto ipſam materiam euacuat? Galenus huic quæſito ſatisfacit, dicens: quoties criſis E deficit, ſupplere nos debere. Sed licet optime hæc dicta ſint, tamen ſunt nimis communia: ob id ad magis ſpecialia deſcendendũ. Ideo, nõ recedentes à definitione criſis, primo, quid tempus requirat in hac diminuta criſi inquiremus; hoc enim fuit primo propoſitum in definitione: ſecundo, quid requirat mobile: tertio, quid requirat terminus ad quem: quarto, quid ſpatium per quod: quincto, quid moués: ſexto, quid finis, ob quem natura vacuat per criſim.

Quo ad primum; ex parte temporis duo erant, breuitas temporis, ac dies decretorius. Videamus quid agẽdum, quoties aliquid horum defecerit: & primo, quoties fuerit defectus ex parte breuitatis. Nam videtur eſſe difficultas in Galeno, qui primo ad Glauc.14.dicit, in febre cum fluore alui, etiamſi fluxus diminutus ſit, tamen non adiuuandam naturam, augendo fluxum diminutum per euacuationem iunctam. Ergo videtur, quoties criſis paullatim fit, non ſubito, adiuuandam naturam non eſſe. Ex altera vero parte F Galenus 9. meth.c.5. expreſſe dicit, ſi quis aſſueuerit pati fluxum hæmorrhoidum, vel menſium, & accidat, vt fluxus hic diminutus ſit, ac paullatim fiat, adeo vt tota non poſſit euacuari materia; tunc adiuuandam naturam eſſe, tantum ſanguinis detrahendo, quantum ſufficere poſſe videbitur. Quare videtur ſibi pugnantia Galenus dicere.

Pro ſolutione dicerem, ſi criſis fiat paullatim, auxiliandum eſſe naturæ: & fundamentum ex Galeno hic deſumitur: nam ait, in quo natura deficit, medicus ſupplere debet: cum autẽ in criſi natura ſubito vacuare debeat, (vt ex definitione criſis planum fuit, quia erat motus vehemens, & confertim factus) ergo ſi natura tentat vacuationem per criſim, & paullatim vacuat, ei auxiliandum eſt. Cum enim confertim deberet vacuare, paullatim hoc facit: id autem cum faciat natura, nõ ex alia cauſſa id facere videtur, quam G quod debilis ſit; & ideo debemus illi auxiliari; nam periculum eſt, ne natura deficiat, & ſic materia fortiter non poſſit propelli: vnde, cum ipſa natura motum materiæ tentet, debiliſque ſit, neque poſſit tranſmittere materiam extra corpus; periculum eſt, ne materia irruat in aliquam partem principalem: & ideo in criſi adiuuanda natura, hac ratione; vt, quoties natura tentabit euacuationem, vel per hanc, vel per illam partẽ, nos ad eandem partem trahamus materiam.

Non

Non vero ita auxiliandum naturæ eſt, vt cum criſim nullo pacto aggreditur: nam cum natura non aggreditur criſim aliquo pacto, debemus dare pharmacum, & illud ſatis vehemens, vt totam poſſit expurgare materiam: at ſi aggrediatur vacuationem, potius iritamentis, quam medicamentis natura eſt adiuuanda: e.c. ſi tentabit natura euacuationem per fluxum alui, non eſt dandum rhabarbarum cum electuario de ſucco roſarum, ſed ſat erit aliquem clyſterem, vel ſuppoſitorium indere. Et hæc fuit ſententia Galen. 9. method. 5. vbi, conſiderans vacuationem naturæ, dicit, detrahendum ſanguinem, quando ſat fortaſſe natura non emiſit, ſi natura vacuationem per ſanguinem tentauerit: ſimiliter, ſi tentauerit vacuationem per aluum, auxiliandum naturæ medicamento, non tamen in tanta copia exhibendum medicamentum, vel tam valens, nec tantum ſanguinis detrahendum, ſicut ſi nullam tentaret natura euacuatio- B nem.

Sed dicet quis: ſi licet auxiliari naturę, fortaſſe magis licebit poſt criſim factã, quam in ipſa criſi; vt nimirum vacuationem quæ paullatim fit, permittamus naturæ, & exſpectemus quouſque ceſſarit natura ab euacuatione; & poſtea conſideremus, an per paullatinam illam euacuationem fuerit materia ſufficienter expurgata vel non: ſique fuerit vacuata in debita copia, etiamſi paullatim id factum ſit, nihil agamus; ſed ſi natura deſtiterit ab euacuatione paullatina, & non fuerit educta materia conueniens, adiuuemus naturam. Qui hæc ita intelligit, dubio procul Hippocratis mentem non adſequitur: nam Hippocrates dicit: *Quæ iudicantur, & iudicata ſunt integre.* Debemus enim particulam hanc, *integre,* non modo referre in criſim factam, ſed fiendam; vt ſit ſenſus: quæ iudicantur integre, & quæ iudicata ſunt integre. Præterea etiam de natura C criſis eſt, vt ſit motus ſubitus, quia aliter non eſt perfecta criſis: & ob id hæc excretio paullatim facta non eſt criſis, ideoque ſupplenda eſt: neque eſt exſpectandum, vt natura deſiſtat ab euacuatione; quia hoc poteſt eſſe detrimento, vt cum non poſſit natura vacuare, materia tranſmittatur in aliquam partem principem.

Pro intelligentia autem auctoritatis Galeni, in qua dicitur, in fluxu alui non moliendam euacuationem; ſciendum, quod aliud ſit, loqui de motu materiæ critico, aliud, de motu ſymptomatico: nam motus criticus, vel eſt perfectus, & tunc nihil agendum; vel diminutus, & tunc eſt auxiliandum naturæ; vt in hoc commen. Galen. præcipit, & 9. meth. 5. quia, vt expreſſe patet, loquitur ibi de motu critico, & a natura facto regulariter operante: ſed primo ad Glauco. 14. ſermo eſt non de motu critico, verum ſymptomatico, inſcribitur enim caput illud de febribus cum ſymptomatibus: & cũ ſymptomaticus ſit fluxus, motus nul- D lo pacto augendus eſt.

Et hinc obiter poteſtis colligere, quid agendum ſit in illis febribus malignis, in quibus maculæ apparent: nam conſiderare debetis, an motus ille ex toto ſymptomaticus ſit, necne: ſi ex toto eſt ſymptomaticus, nequaquam eſt augendus, per attractionem a centro ad circumferentiam: ſed ſi ex toto ſymptomaticus non fuerit, verum appareat motus ille per opportunam criſim, qua ſcilicet fit expulſio extra corpus; tunc ſine dubio adiuuanda eſt natura, per euacuatuationem materiæ a centro ad circumferentiam, vt natura poſſit perfecte expulſionem conſequi. Aduertendum tamen eſt, an hæ maculæ dependeant a maſſa pituitoſa, an bilioſa, an melancholica, vel potius a ſanguinea. Nam ſi dependebunt a maſſa pituitoſa, & melancholica; tunc non debetis deuenire ad cucurbitulas, ſed ad frictiones, & medicamenta, quæ habent vim laxandi cutim, vt ad medicamentum Aetii quod ex nitro fit: quia ita adiuuabitis naturam. E Quod ſi dependebunt maculæ a materia ſanguinea: ſine dubio veniendum ad cucurbitulas ſcarificatas: neq; periculum erit, vt per cucurbitulas ſcarificatas euacuetur materia tenuis; dummodo arte aliqua poſſint affigi; & dummodo etiam cum ſanguine tenui craſſus educatur: id autem fiet, facta fuſione ſanguinis: ſed ſanguinis fuſio fiet, ſi ante adminiſtrationem cucurbitularum ſpongia madefacta in aqua tepida madefecerimus locum; & tantum madefecerimus, vt non modo ſanguis tenuis, ſed craſſus madefactus ſit. Et hoc volui dixiſſe, ne decipiamini a Modernis.

Quod ſi natura die decretorio non vacuat, quid agendum? Modernus dicit, credendum totum opus naturæ, & nihil penitus eſſe agendum; at maximum eſſe periculum de recidiua. Sed reſponſio hæc ſatis eſt ſuſpecta: nam ſi Galenus dicit naturæ deficienti auxiliandum eſſe, cum itaque deficiat in ſexto numero, cumque etiam periculum ſit recidiuæ, (vt recte dicit Modernus,) cui dubium, quod naturæ au- F xiliandum? Quia cum non fiat die decretorio euacuatio, periculum eſt recidiuæ, quando natura non totam vacuat materiam: ſi ergo non totam vacuat materiam, adiuuare debemus naturam. Sed quomodo? Natura cũ euacuet vel Poſt diem decretorium, vel Ante diem decretorium: ſi ante diem decretorium, & tempus opportunum natura euacuet, id poteſt duplici potiſſimum ex cauſſa facere: vel ex quantitate materiæ, ratione cuius natura aggrauata inſurgit ad expulſionem: vel ob malam qualitatem materiæ. Si hoc fuerit ob multitudinem materiæ: tunc adiuuanda eſt natura, ne ob imbecillitatem vniuerſa materia euacuari non poſſit: & adiuuanda eſt his, in quibus eſt aliqua vis vacuandi, ac irritandi naturam, vt materia, quæ non poteſt integre vacuari, ex toto vacuetur. Si vero hoc erit ratione malæ qualitatis; non eſt procedendum irritantibus, ſed potius his, in quibus eſt vis remittendi malam qualitatem; quia mala qualitas cauſſa poteſt eſſe malæ concoctionis, multarum cruditatum, & ſic non poteſt fieri recta euacuatio, vnde G adiuuanda natura eſt. Si autem poſt diem decretorium natura materiam euacuet, id eſſe non poteſt, niſi quia debilis natura eſt: nam ſi potens fuiſſet, aggreſſa profecto ſine dubio eſſet tempore opportuno euacuationem materiæ: & ob id, cum propter debilitatem non poſſit euacuare totam materiam, auxiliandum eſt ipſi irritantibus.

Quod ſi natura deficiat ratione materiæ mobilis, tunc conſiderandum circa materiam mobilem, an euacuetur materia, quæ non eſt cocta, vel quæ non eſt peccans. Si euacuetur materia non peccans a natura, tunc opus hoc naturæ prohibendum eſt, atque diuertendum ad euacuationem humoris peccan-

tis. Sed si erret natura, ita vt, cum deberet vacuare humorem coctum, euacuet crudum; tunc dicit Modernus considerandum esse, an virtus sit valida, an debilis: si debilis debemus cohibere fluxionem: si valida, permittendum est vt fiat euacuatio, quousque ad bonam crisim deueniat. Sed hæc, quæ dicit Modernus, nullo pacto possunt consistere: nam quoties virtus est debilis, nulla euacuatio permittenda est, etiamsi moderata fuerit: quod si valida fuerit, permittenda etiam euacuatio non est, vt natura, scilicet progrediatur in vacuatione errante; quia si in præsentia validæ sint vires, dubium est, ne per euacuationem crudi humoris, & proinde etiam boni, in futurum debiles fiant vires. Et propterea sic debetis progredi in praxi: debetis considerare, quoties natura aggreditur vacuationem materiæ non coctæ; num hæc materia ex toto cruda sit, vel ex parte cruda. Si ex toto cruda, rursus considerandum, an maligna sit, vel citra malignitatem. Et quomodocunque cruda fuerit ex toto, prohibenda est symptomatica hæc fluxio; sed diffe- B renter: nam si fuerit cruda citra malignitatem, adstringentibus per se progrediendum, & his, quæ habent vim per se mitigandi; quia si hæc materia detinetur, nihil malignius acquiritur, cum postea possumus progredi concoquentibus. Si autem cum malignitate fuerit cruda hæc materia, non est procedendum stipticis, & adstringentibus, sed his, in quibus per accidens est vis cohibendi talem fluxionem: quia cum maligna sit hæc materia, procedendum est medicamentis mitigantibus hanc malignitatem: & per hanc mitigationem ac moderationem, postea hoc acquiret materia vt non ita valide postea irritare possit naturam: & sic cohibebitur per accidens fluxio illa symptomatica. Si vero vacuetur materia ex parte cruda, & ex parte cocta: tunc vel hæc euacuatio fit paullatim, permittenda est, si repente, nequaquam, sed cohibenda est his, in quibus vis adstringendi est, vt supra paullo ante dixi. C

APHORISMVS XXI.

Quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit, per loca conferentia, eo ducere conuenit.

Scopus: agere de loco per quē fieri debet vacuatio.

Q*Væ ducere oportet, &c.* Ex dictis in præcedenti aphorismo facile huius aphorismi scopus habetur. Cum enim Hippocrates præcedente aphorismo docuerit, vbi natura non vacuat, nos pharmacum debere exhibere; modo præcipit, si pharmacum dandum sit, per quæ loca debeat vacuatio fieri. Ad quem scopum respiciens Galenus in commen. dicit: quæ nam sunt illa, quæ ducere oportet? nempe, quæ neque iudicantur, neq; integre sunt indicata. Ex quibus verbis liquet, quomodo hic aphorismus cum superiori connectatur. D

Artificium connexionis huius aphorismi cum superiori.

Sed dicet quis: si constat pharmaco esse vtendum; tunc inquirendum est, quando, & in qua quantitate debeamus vti pharmaco, & vltimo, per quę loca: cur ergo de loco primum locutus est; sequēti aphorismo de tempore, & in 23. aphor. de quantitate? Sciatis Hippocratem non sine arte voluisse hunc aphorismum, qui de loco est, coniungere cum superiori: nam agere de loco per quem fieri debet purgatio, non solum est agere de loco, sed de electione medicinali, id est, de electione medicamenti, non solum vt distinguitur a cheirurgia, sed vt distinguitur etiam ab alio pharmaco. Declaro: nam vbi fit sermo de loco per quem fieri purgatio debet; talis est sermo, vt sciamus, an vacuatio per secessum, vel vomitum, vel lotium, vel sudorem, fieri debeat: nam vbi habemus esse moliendam vacuationem per secessum, tunc liquet esse vtendum pharmaco purgante per secessum: si vero vacuatio administranda est per vias lotii, tunc habe- E mus vtendum esse pharmaco diuretico: pariter vbi habemus moliendam esse vacuationem per vomitum, vomitorio est vtendum pharmaco: sic si per sudorem, vtendum pharmaco sudorem ciente. Videte igitur qua de caussa primum Hippocrates voluerit loqui de loco, per quem fieri debet vacuatio: quia nimirum simul etiam agit de electione medicamenti. Vnde Hippocrates in hoc sermone de pharmacia hoc modo progredi voluit: primo proponit pharmaciam, sumta indicatione a materia peccante determinata, qui sui vacuationem indicabat, ac etiam pharmacum requirebat, si validus morbus erat. Sed quoniam hoc sat non erat; sed opus erat cognoscere, quando esset vtendum pharmaco, & quando non: ideo hoc declarauit superiori aphorismo: nam si natura euacuat, non vtendum pharmaco, si non euacuat debite vtēdum pharmaco. Sed supponamus naturam non vacuare: quo pharmaco nobis vtendum est? num diuretico, num vomitorio, num sudorem ciente, &c? Hinc opus fuit Hippocrati prius ponere medicamen- F ti electionem, quam loqui de tempore, & quantitate medicamenti. Quare admirabilis est progressus Hippocratis: primum enim loquitur de loco per quem fieri debet vacuatio: quem vbi cognouerimus, cognoscendum etiam nobis est tempus opportunum, quo tale medicamentum exhibendum; & ideo de hoc opportuno tempore postea loquitur: & tandem de quantitate.

Scopus igitur est Hippocratis, sermonem habere de loco per quem fieri debet vacuatio. Aduertendum autem præcipue hic loqui Hippocratem de euacuatione: dico autem, *præcipue*, quia obiter & secundario, quid sibi velit deriuatio, & reuulsio, declarat. Agens autem de loco per quem fieri vacuatio debet, & proinde de electione medicamenti, agit de eo dogmatice, in virtute humoris noxii, indicantis locū hunc, & in virtute loci affecti coindicantis. Et hæc de intentione huius aphorismi.

Quantum ad diuisionem, non admittit diuisionem: est enim sententia sine ratione prolata. G

Sensus aphorismi.

Sed talis ex hoc aphorismo potest haberi sensus. Ad eligendum locum accommodatum euacuationi, vbi euacuare licet, quando scilicet natura perfecte non euacuat; opus est respicere ad naturam tum humoris morbifici, tum loci affecti; vt fiat postea euacuatio ad ea loca conferentia, per quæ maxime natura vergit tum humoris morbifici, tum loci affecti. Fundamentum sumitur e Galeno in commento: quia opus est medico imitari naturam regulariter operantem: & ideo quoniam natura, cum regulariter operatur, per loca conferentia vacuat: ergo & medicus per eam viam moliri vacuationem debet.

Quod

A Quod si fuerit impetus humoris ad loca non conferentia, non est imitanda natura; quia tunc irregulariter operatur; sed est distrahenda hæc vacuatio, & vel transferenda, vel diuertẽda. Vnde colligitur, quamuis natura irregulariter operetur, non propterea vtendum esse adstringentibus, sed diuertendam esse naturam, transponendo per loca vicina, vel diuertendo per loca remotiora.

Explicatio verborum.

Quo sensu aphorismo cognito, veniamus nunc ad verborum ponderationem. Dicit Hippocrates, *Quæ ducere oportet, &c.* Galenus quærit, quæ sint hæc, quæ ducere oporteat. Et dicit esse ea, quæ neque iudicantur, neque iudicata sunt integre. Vnde videre est, quomodo connectatur hic aphorismus cum superiori: quæ iudicantur, atq; iudicata sunt, &c. non mouere, &c. sed totum opus naturæ permittere oportet: contra vero ea euacuare debemus, quæ a natura non recte euacuantur. B

Ducendum est

quo natura vergit

Postea subdit: *Quo maxime natura vergit.* In quibus duo ponderanda sunt: alterum, quid per *naturam* voluerit; reliquum, quid per verbum illud, *maxime.* Quantum ad primum; (vt recte exposuit Galenus in commen.) per naturam oportet intelligere naturam humoris peccãtis, ita vt eo ducere oporteat, quo vergit natura humoris peccantis; & præcipue vbi vergit per loca conferentia. Possumus etiam per naturam intelligere naturam loci affecti: vt scilicet per ea loca ducere oporteat, ad quæ vergit maxime loci patientis inclinatio, id est, ad quæ maiorem inclinationem videbitur habere natura loci patientis.

Videns Montanus hanc expositionem Galeni, dicit verum esse, quod per naturam debeamus intelligere, tum naturam humoris peccantis, tum naturam loci affecti: sed præter hæc etiam addit, per naturam debere intelligi facultatem expultricem, quia vacuatio potissimum fiat a facultate expultrice: & ideo dicit Galenum fuisse diminutum. C Sed ego non Galenum diminutum, verum potius Montanum superfluum fuisse, contendo. Vtque facile possitis tueri Galenum, sciatis, per naturam hic nihil aliud intelligi, nisi id ad quod respexit Hippocrates: qui sine dubio respexit hic ad naturam expellentem, & non simpliciter expellentem, sed vel bene, vel male; vel regulariter, vel irregulariter; vt, si natura haberet inclinationem regularem, eam imitaremur; contra si irregularem, non imitaremur, sed distraheremus potius naturam diuertendo, ac reuellendo. Cum igitur Hippocrates consideret naturam regulariter, & irregulariter operantem; in quo hæc consistit? Non in alio, nisi quod tunc dicitur regulariter expellere, cum expellit, prout requirit natura & humoris noxii, & loci affecti: irregulariter autem, quoties aliter expellit, quam humoris peccantis, & loci natura exigit. D Quare cum Hippocrates consideret naturam humoris peccantis, & loci affecti: quid est hoc considerare aliud, quam naturam expellentem non simpliciter, sed vel regulariter, vel irregulariter? Bene ergo dixit Galenus, & superfluus fuit Montanus.

maxime.

Maxime. A nullo ponderatur hæc particula: non tamen sine arte ab Hippocrate adiungitur: nihil enim ab eo sine maximo dictum fuit artificio. Dicit igitur, *maxime,* ob hanc caussam: quoniam respexit ad humores, & ad locum affectum: & interdum natura humoris vergit ad loca conferentia tantum, interdum natura loci tantum; interdum natura vtriusque, ita vt tum natura humoris, tum natura loci vergat ad loca conferentia. Et ob id Hippocrates, alludens ad hoc, vt vna humor noxius cum loco affecto vergat ad loca conferentia, dicit, *Maxime:* quando enim tum natura loci, tum etiam natura humoris vergit ad loca conferentia, habemus loca, per quæ debet fieri vacuatio, non modo ratione humoris peccantis indicantis, sed ratione loci affecti coindicantis. E Quoties enim indicantia & coindicantia in vnum concurrunt, tunc indicatum quam maxime est administrandum: & ob id 16. aphorismo huius primi dicit Hippocrates, victum humidum febricitantibus omnibus conuenire, maxime vero pueris: quoniam pueris conuenit, tum ratione febris indicantis, tum ratione ętatis coindicantis; & ideo dicit, maxime pueris conuenire.

per locum conuenientem.

Per loca conferentia. Duo hic declaranda sunt: primum, quid per conferentia loca intelligendum: deinde, quomodo ad loca conferentia referatur tum natura loci affecti, tum natura humoris, & similiter reliqua coindicantia.

Quo ad primum, *per conferentia loca* nihil aliud intelligimus, nisi loca ea, per quæ si fiat euacuatio, confert. Ex qua facili istius vocis ponderatione clarissime potestis colligere errorem quorundam Modernorum, F ac vanitatem, qui distinguunt hæc loca in conferentia & consentientia: nam si sunt conuenientia, seu consentientia, etiam conferentia sunt: vbi autem euacuatio fit per loca consentientia, ibi etiam euacuatio confert. Quare distinctio hæc vana est, & inutilis. Attamen nos etiam distinctione opus esse dicimus pro intellectione horum locorum: nam cum euacuatio sit vel vniuersalis, id est, totius corporis, vel particularis, & alicuius particulę determinatæ; hinc loca accommodata sunt & deseruiunt vacuationi vniuersali, vel vacuationi particulari. Loca autem hæc partim inter se conueniunt, partim dissidẽt; vt ex Gal. in com. patet. Conuenientia quidem hæc est; quoniam hæc omnia loca cõferentia debent habere has tres conditionales, vt sint ignobilia, aperta, atq; incolumia: vnde per oppositum conferentia non erunt, quando erunt nobilia, occlusa, ac ægra. Dissident autẽ inter se hæc loca, quatenus loca destinata vacuationi particulari aliquid vltra adductas cõditiones exigunt; G nam opus est vt preter conditiones propositas hęc loca particulari vacuationi destinata, vel sint proxima, vel e directo posita, vel consentiẽtia: quo fit, vt loca non conferentia sint distantia, ex obliquo posita, & nullum habentia consensum.

Loca euacuationis vniuersalis &

Declaro. Primum, loca vacuationi vniuersali destinata debent esse ignobilia, vt intestina, per quæ purgatur vniuersum corpus, cutis, vesica, ventriculus, venæ narium, & hæmorrhoidum, ac venæ vteri in mulieribus, nam per has expurgatur vniuersum corpus. Deinde loca destinata vacuationi vniuersali debent esse aperta: vnde fit vt ventriculus, licet non sit pars ita nobilis, vt tres, vel quatuor illæ, nec ita ignobilis, vt reliquæ partes corporis, quia in eo fit concoctio; tamen ea de caussa ventriculus est acommodatus

vacuationi vniuerſali, quia habet ampla foramina, nam euacuationes maxime fiunt per œſophagum. Vnde ſi fiat euacuatio per cor, vel per abdomen, mala erit euacuatio. Tertio membra deſeruientia huic vniuerſali euacuationi eſſe debent incolumia: vnde ſi læſa ſunt inteſtina, non eſt euacuandum corpus per inteſtina, ſed per lotiū; vt, ſi eſt vlcus, vel aliud quid præter naturam in eis, per veſicam expurgare debemus: quia euacuatio non debet fieri per partem læſam. A

Quod ſi conſideremus loca deſtinata particulari euacuationi, hæc primo debent eſſe ignobilia: nam iecur per regiones cordis expurgari non debet. Secundo debent eſſe loca aperta: & ideo iecur per veſicam potius, quam per abdomen euacuari debet. Requiritur vltimo, vt particula, per quam euacuatio particularis fit, ſit illæſa: vnde ſi volumus expurgare iecur, & vlcus ſit in veſica, non debemus per veſicam expurgare, ſed per inteſtina, & interiora. B

Deinde conſiderantes rationem peculiarem horum locorum, per quæ fit vacuatio particularis, dicebamus, quod debeat fieri vacuatio per loca proxima: vnde, quoties fit abſceſſus ad inguina, facilius hepar expurgatur, quam ſi ſit in axillis. Secunda conditio erat, vt pars, per quam fit euacuatio particularis, ſit e directo poſita, & recto tramite partē affectam reſpiciat: hinc iecur melius euacuatur per narem dextram quam per ſiniſtram. Deniq; requiritur conſenſus: quoniam quoties euacuatur pars particularis, debet euacuari per partes conſentientes: vt, ſi eſt vitium in parte concaua hepatis, facienda erit vacuatio per inteſtina, quia cum eis eſt conſenſus. Ex his ergo patet, quid per loca conferentia intelligat Hippocrates.

Quæ tum indicent, tū coindicent loca conferentia Indicantia.

Reliquum eſt, vt declaremus quænam illa ſint, quæ loca conferentia indicant, vel coindicant. Itaq; vt hoc arte aliqua conſequi poſſitis, (eſt enim hoc quæſitum maxime neceſſarium,) ob id ſciendum, hæc indicantia ſumi a rebus Præter naturam, Secundum naturam, & Non naturalibus: vt indicantia vere ſint res præter naturam; coindicantia vero res naturales, & non naturales. C

Loquamur igitur primo de rebus præter naturam, indicantib. loca per quæ fieri debet purgatio. Et hæ res in triplici ſunt differentia: vel enim ſunt Cauſſæ morbi, vel ipſimet Morbi, vel Symptomata: a quibus omnibus loca conferentia indicantur.

1. cauſſæ.

Quantum ad cauſſam, id eſt, materiam ſeu humorem purgandum; circa hunc conſiderare oportet tum Subſtantiam, tum Quantitatem. Ratione ſubſtantiæ conſiderare debemus, tum Formam, tum Materiam. Conſiderantes humoris purgandi formam, nihil aliud conſideramus, quam propriam huius & illius humoris naturam; quid ſ. huius vel illius humoris natura indicet, ratione loci, per quem debet purgatio fieri. Habemus autem ex Gal. in lib. quos & quando purgare, &c. humores (ſanguine excepto,) poſſe per plures regiones euacuari, per inferiores, & per ſuperiores, per vomitū, per ſeceſſum, & per lotium, per ſudores, &c. excepta bile atra, quæ non debet per partes ſuperiores expurgari, ſed per partes inferiores, vt Gale. præcipit loco citato; nam atræ bilis vomitus eſt lethalis. Sed quid voluerit Galenus per atram bilem, recte intelligatis: quia accipit ipſe atram bilem, vt diſtinguitur a melancholia naturali: ob id ergo, cū ſit humor peſſimus, non eſt per partes ſuperiores, ſed inferiores expurgādus: humor autē naturalis melancholicus nō modo purgari debet per partes inferiores, ſed ſuperiores, vt colligitur ex Gal. 1. ad Glau. de quartana, vbi dicit, quartanas aliquando ex toto abſcindi & eradicari per vomitum. Hoc eſt igitur, quod requirit forma humoris peccantis. D

Quod ſi conſiderauerimus ſubſtantiam humorum penes materiam, hoc nihil aliud erit conſiderare, quam conſiderare humores vel tenuiores, vel craſſiores: craſſiores indicant expurgationem per partes inferiores; tenues vero, quia leues, per partes ſuperiores: & ob id bilis, quia tenuis & leuis, facilius expurgatur per partes ſuperiores; contra pituita. E

Si poſtea conſiderauerimus humores ratione quantitatis: ſi humores ſint in multa copia, euacuandi ſunt non per vnam regionem, ſed per plures: ſi in pauca copia ſunt, ſat eſt vt per vnicam regionē expurgetur: vt Galenus docuit 7. meth. vlt. E. C. ſi materia purganda in parte hepatis concaua ſit pauca, ſufficit vt per lotium tantum expurgetur, ſi vero multa fuerit, poterit per lotium, & per aluum expurgari.

2. morbi.

Quantum ad morbum attinet, cum Gal. in eodem libello quos & quando, &c. cōſiderandus eſt morbus tum ratione Totius, tum ratione Partis morbi. Ratione totius morbi, ex ſentētia Gal. 11. meth. 9. & 10. c. ſi fuerit febris putrida, tūc hęc febris putrida, in quantum putrida, indicare poterit humoris euacuationem, vel per lotium, vel per vomitum, vel per deiectionem, vel per ſudorem, &c. Quod ſi cōſiderauerimus putridam febrem in ſpecie non in genere; tunc, ſi fuerit ſynochus, ſolet per fluxum ſanguinis narium terminari; ſi bilioſa, vel per ſudorem, vel per vomitū; ſi pituitoſa chronica, a craſſis, & frigidis humoribus dependens, ſolet terminari per abſceſſus, & proinde potius per euacuationem inferiorū, quam ſuperiorum partium. Quod ſi morbos particulares ſpectauerimus, e Gal. in lib. quos, & quādo, &c. ſi fuerit anaſarca, indicat expurgationem per omnes partes, per vomitum, ſeceſſum, lotium, ſudorem, imo etiam per os, & nares: nam ita indicat hic morbus, cum in eo totum corpus ſit refertum copioſa materia. Quod ſi partem morbi ſpectabitis, tunc conſiderare poteſtis acceſſiones, quæ aliud indicant in principio, aliud in fine: nam in principio indicant euacuationem per vomitum, in fine per ſeceſſum. Vnde ſi vultis naturæ opitulari, in acceſſionum principio ad vomitum accedetis, in fine ad euacuationem per inteſtina. F

3. ſymptomata.

Vbi vero conſiderare voluerimus ſymptomata, ex ſententia Galeni, & Hippoc. 4. aphor. 18. & 17. ſi ſymptomata E. C. fuerint dolores, & hi dolores fuerint ſupra præcordia, per partes ſuperiores debet fieri euacuatio: vbi vero fuerint infra præcordia, ſeu circa partes inferiores, debet fieri vacuatio per partes inferiores. Recte autem dicitur *euacuatio*: nam loquimur de euacuatione hic, non de diuerſione, in qua oppoſitum eſſet dicendum. Hæc igitur indicant loca, per quæ fieri vacuatio debet. G

Coindicantia.
1. res naturales.

Coindicant hæc loca res Naturales, & Non naturales. Per res naturales intelligimus habitum corporis, temperaturam, ætatem, proprietatem indiuidualem, conſuetudinem, & locum affectum.

Quo ad habitum; ex ſententia Hipp. 4. aph. 6. corpora gracilia, (dummodo prona ſint ad vomitum,) per

A per vomitum potius expurganda:cõtra vero corpora pinguia,vel mediocriter carnoſa,per inferiores par-
tes.Sed recte intelligatis,quid voluerit per gracilitatem;ne forte intelligatis id,quod dicit Hipp.2.aph.35.
vbi ait,in quouis morbo melius eſſe,vt partes inferiores,per quas fit euacuatio,ſint craſſiores,quam graci-
liores.Dubitat Gal.quare ſic dixerit,cum & in gracilib. vacuationes per ſuperiores partes ſint periculoſæ.
Reſpondet Gal.hoc ideo dixiſſe Hipp.quia clarum ſit, ſi non conueniat euacuatio per partes inferiores,
multo minus per partes ſuperiores.Corpora gracilia dixi recte eſſe intelligenda;nam aph.ſect.2 loquun-
tur de gracilibus tabidis & areſactis,in quib.nullo modo cõuenit euacuatio.At 4.aph.cit. per gracilia non
intelligit Hip.tabida corpora,ſed quæ diſtinguuntur cõtra carnoſa;& hæc ſunt corpora bilioſa,quæ, cum
tenuis ſit bilis,facile per vomitũ euacuantur.Corpora mediocriter carnoſa,& pinguia,non per vomitum,
B ſed per inferiores partes ſunt expurganda:quia abundant multis craſſis humoribus.

Si vero temperaturam conſideremus,facile eſt dicere,temperaturam calidam & ſiccam,cum bilioſis
abundet ſuccis,expurgandam per ſuperiora:temperaturam frigidam & humidam,cum craſſis & pituito-
ſis,per inferiora.

Quantum ad conſuetudinem,id agendum cui aſſuetus eſt patiens.

Et de proprietate indiuiduali idem aſſerendum:nam ſi quis E. C.a proprietate habeat,vt non poſſit
ferre vomitum,ei dandum eſt per ſeceſſum purgans medicamentum.

Quantum ad locum affectum;paullo ante diximus, quod locus conferens debeat eſſe e directo po-
ſitus,proximus,atque conſentiens cum parte euacuanda.Quid igitur indicat partem proximam e directo
poſitam,ac conſentientem? Dico hanc indicari a ſitu partium,figura,atque conformatione earum, vt ex
C Gal. patet 7.meth. vlt.

Vnde,quantum ad vicinitatem partium attinet,hæc habetur a ſitu:namq; opus eſt,ſi vultis euacua-
re iecur,vt ſemper eligatis partem collocatam in vicinia iecoris:vt E.C.ſolet caput euacuari per propria e-
munctoria,cor per axillas,iecur per inguina,& ſic etiam de reliquis.

Quantum ad partem,quæ e directo eſſe debet,hæc etiam indicatur a ſitu:quia ſicuti iecur in dextra
parte ſitum eſt,ſic conueniens expurgatio ſit per dextram narem.Et hoc eſt,quod dicebat Gal.euacuatio-
nem debere fieri per rectum tramitem,vt ſeruetur rectitudo ſitus,non fibrarum.Hæc veritas fuit propo-
ſita a Montano,qui dicit,hanc euacuationem non eſſe per rectitudinem fibrarum, ſed ſitus:nam ideo fi-
bræ rectitudinem habent,vt attrahant:at ſi euacuatio fieret per rectitudinem fibrarum,tunc neceſſarium
D eſſet,vt locus,qui aperitur ſectione venæ,haberet fibras in ea parte rectæ operationem obeuntes,& ſic at-
trahentes:quia aliter non poteſt fieri vacuatio,niſi fibræ concurrant;concurrunt autem attrahendo: ſed
falſiſſimum eſt fibras rectas ſui attractione tunc temporis concurrere;nam fibræ recte concurrunt ad at-
tractionem vtiliũ,non inutilium;nam fibræ rectæ ſunt a natura conſtitutæ,vt attraherent alimentum pro
conſeruatione partis.Nec eſt quod aliquis forte eſſe aſſerat,attractionem concurrere in operatione phar-
maci.Nam dubium non eſt,cum exhibetur pharmacum beneficio cuius fit euacuatio,quod fiat etiam at-
tractio:verum a fibris non fit,ſed a pharmaco,electiue ac per propriam formam trahente determinatum
humorem.Et propterea recte dicit Montanus, requiri rectitudinem nõ fibrarum,ſed ſitus. Sed ſcio Mo-
dernum addidiſſe Montano aliquid:nanq; in hac fuit opinione: ſed dicit hanc attractionem facilius fieri
per rectitudinem fibrarum,quam ſi obliquæ fuerint fibræ:nam per rectitudinem fibrarũ materiam magis
E ſequacem eſſe,ac facilius fluere, quam per obliquas.Sed additio hæc nullius eſt momenti,& eſt falſa: quia
euacuatio per fibras rectas non eſt facilior,quam per fibras obliquas: & nulla eſt differentia in euacuatio-
ne,ſiue ſint rectæ,ſiue obliquæ fibræ,dummodo ſit rectus ſitus;quia hæ fibræ nihil faciunt,nec cõcurrunt
retinendo ſanguinem,vel materiam noxiam:& ideo fibræ obliquæ non remorantur euacuationem,quẽ-
admodum fibræ rectæ non cõcurrunt accelerando, quia non cõcurrunt attrahendo.Propterea dicimus,
ſiue euacuatio fiat per fibras rectas,ſiue per obliquas,nihil eſſe ad rem.

Tertia conſiderandum erat,quomodo hæc vacuatio fieret per locos conſentientes, qui indicantur
a ſitu & conformatione partium,vt optime dicit Gale.7.meth. vlt. E. C. ventriculus ita eſt conformatus,
vt euacuetur per vomitum,& per ſeceſſum;iecur,vt vacuetur per lotium,& per inteſtina;pulmones,vt e-
uacuẽtur per tracheam;cerebrum,vt euacuetur per os,per nares,imo etiam per aures. Sed aduertatis tum
F circa nares,tum circa aures; circa nares,quia per illas partes potius fit vacuatio vniuerſalis, quam capitis;
non enim per pinnas narium fit euacuatio cerebri, ſed hæc potius eſt euacuatio vniuerſalis: fit autem ce-
rebri purgatio per cauitatem illam,per quam exolatur ſuperfluitas illa cerebralis.Quantum autem ad au-
res;ſciendum,aures non eſſe deſtinatas vacuationi cerebri principaliter, ſed ſecundario: nam principali-
ter pro auditu factæ ſunt aures. Omitto euacuationem,quæ fit per ſuturas:quia loquimur de vacuatione
ſenſibili,non de inſenſibili.

Quantum ad res non naturales attinet,ſolummodo videlicet ad aerem,dicebat Hipp.4.aphor. 4.æ- Res non na-
ſtate per ſuperiora,hyeme vero,per inferiora purgabis.Auctor vero de ſalub.diæt.cap.25. ſiue ſit Polybus turales.
ſiue quiuis alius,oppoſitum dicit,æſtate per inferiora, hyeme vero per ſuperiora purgandum:& addit ra-
tionem: quoniam hyeme multiplicatur pituita, quæ facilius per vomitum educitur, cum vigeat in ven-
triculo; æſtate vero multiplicatur bilis,quæ viget in iecore, in parte infra ventriculum. Et fuit tanti mo-
G menti hæc ratio, vt Montanus dixerit,ſibi magis ſatisfacere Polybi opinionem, quam Hippocr. Dico ta-
men ego in praxi ſequendum eſſe Hippocratem, vt hyeme per inferiora æſtate per ſuperiora ſit purgan-
dum: quia tempore æſtatis viget bilis,quæ non ratione loci in quo generatur, ſed ratione tenuitatis, ha-
bet raptum ad partes ſuperiores, & ideo euacuatio fieri debet per partes ſuperiores: hyeme vero cum
multiplicetur pituita,hæc ob ſui craſſitiem deſcendit,atque habet raptum ad partes inferiores,& propter-
ea tempore hyemis vacuandum eſt per partes inferiores. In praxi autem videtis, aliquando magis poſſe

loca in quibus generantur humores, interdum magis posse grauitatem & leuitatem. Si magis potest locus, tunc sine dubio cum Polybo procedendum; & pituita per superiorem locum, bilis per inferiorem est euacuanda: vbi autem magis potest grauitas, & leuitas; quia bilis leuior est, ideo per superiora expurganda; quia pituita crassior, & grauior, per inferiora. Sed dicet quis: quomodo cognosci potest, an magis possit grauitas & leuitas humorum, an locus? Hoc docet Hippocrates 4. aphor. 18. vbi dicit: si dolores supra præcordia erunt, per superiora fiat vacuatio; si infra præcordia, per inferiora. Vnde, si obseruabitis symptomata bilis esse circa partes inferiores, vt circa inguina, vel genua, &c. sciatis magis posse locum in quo generatur humor, id est, locum inferiorem, quam leuitatem humoris: si vero obseruabitis symptomata bilis magis esse circa partes superiores, tunc magis poterit leuitas bilis, quam locus in quo generatur. Et sic verum dicit cum Hippocrates, tum Polybus. A B

Concludimus igitur, quod eo ducere oportet, quo natura vergit per loca conferentia. Quod si autem natura non vacuat per loca conferentia, adiuuanda non est, sed diuertenda potius.

APHORISMVS XXII.

Concocta medicari & mouere, non cruda, neque in principiis, dummodo materia non turgeat; plurimum autem non turget.

Scopus: docere, quo tempore pharmacum exhibendum.

COncocta medicari, &c. Institutum Hippocratis in præsenti aphorismo facile est ex dictis a nobis in præcedentibus colligere. Nam cum hucusque statuerit Hippocrates, quoties natura non euacuat vt opus est, tunc oportere vt medicus pharmacum exhibeat; ac deinceps ostenderit per quæ loca fieri vacuatio debeat: nunc docere vult, quonam tempore tale pharmacum sit exhibendum; & hoc docet in virtute materię morbosæ indicantis. Cōsiderat autē materiam morbosam non modo coctam, sed crudam, & eam considerat non modo mobilem, sed quietam. Patet igitur in hoc aph. magnam partem contineri artis curatiuæ. Vnde cum Galenus cognosceret huius aphorismi dignitatem, dicit, etiamsi in multis codicib. non reperiatur, tamen esse Hippocratis, quoniam maximi sit momenti. C

Diuisio.

Diuiditur autem præsens aphorismus in sententiam, & quoddam notandum additum sententiæ. Et hæc fuit diuisio Gal. Nam dicit, illa verba, *Plurimum vero non turget*, addita fuisse ab Hipp. sermoni, id est, sententiæ. Potest etiam sententia diuidi in duas partes: in prima enim parte proponit materiam coctam, in secunda crudam, & crudam non modo permanentem, sed turgentem etiam.

Sensus.

Ex aphorismo autem talis elici potest sensus: Operæ pretium est, vt medicus, quoties natura non euacuat, purget materiam concoctam, tum pharmaco soluente, tum aliis medicamentis: quod si materia cruda fuerit, non concocta; tunc neq; purganda, neque mouenda, dummodo talis materia furiosa non sit: aduertendum autem, vtplurimum talem materiam furiosam non esse. D

Explicatio verborum.

Concocta medicari. Quoniā ex recta intellectione huius verbi apparebit rectus modus adm inistrandi syrupos concoquentes humores; propterea omni diligentia declarandum est. Non possumus autē quid per concocta Hipp. voluerit intelligere; nisi quid concoctio sit, percipiamus prius.

Aduertendum igitur est ex Arist. 4. meteor. quatuor esse gradus seu species concoctionis: duo gradus celebrantur a natura, nimirum Concoctio, atq; Maturatio; duo ab arte, ad similitudinē naturæ, Elixatio, & Assatio. Quæ omnia pro recta intelligentia huius particulæ cognoscere oportet.

1 Cōcoctio, speciatim dicta.

Quoad concoctionem, tum ex Arist. tum ex Gal. 2. de rat. vict. 44. 2. de fac. nat. 4. & 3. eiusdem 7. & 1. epid. sect. 2. com. 44. & alibi passim habemus, quod concoctio nihil aliud sit, quam *perfectio alimenti familiaris oppositi, a calore tum naturali, tum proprio, vt partes animatæ nutriantur.* E

Primo dicimus concoctionem esse *perfectionem*: nam, vt fuit sententia Arist. passim, sicut potentia imperfectionem arguit, sic actus perfectionem: vnde fit, vt id quod est in potentia, ad actum deducatur; vt id quod imperfectum est, perfectionem acquirat. Vnde sequitur, quod concoctio sit perfectio: quia in concoctione, quod in potētia est, vertitur in substantiam nutriti: vnde fit mutatio non modo in qualitate, sed in substantia; vt ex primo epid. locó citato colligitur.

Subiūgimus in definitione, *alimenti familiaris oppositi.* Dixerat enim Arist. concoctionem definiens, esse ex oppositis passiuis: quia non potest fieri concoctio, nisi sit aliquid quod deducatur de potentia ad actum: hoc autem non potest esse quodcunque, sed determinatum; quia non quodlibet fit ex quolibet, sed determinatum ex determinato. Et propterea necessarium est, vt nutrimētum habeat proportionem cum nutribili corpore. Propterea diximus, *alimenti familiaris*, vt dicebat Gal. 5. de simp. med. fac. c. 6. cōcoctionem fieri ex alimento familiari. Dixit Arist. *ex oppositis passiuis*, & merito: quia quod in substantiam nutriti debet verti, potentia est simile, actu dissimile & oppositum. Concoctio igitur fit ex passiuis, sed oppositis. F

Addimus in definitione, *a calore, tum naturali, tum proprio:* in qua parte est satis reconditus sensus Arist. Nos autem prolixiorem sermonem de hac materia philosophis derelinquentes, paucis sentētiam nostram proponemus: ex qua non modo patebit definitio concoctionis, sed euidentissime etiam constabit definitio putredinis. In memoriam igitur reuocandum est, quod supra diximus, calorem vnicum reperiri nempe elementarem: calor enim in corpore humano existens vnus tantum est substantia, ratione autem est multiplex; videlicet ratione diuersorum regulantium hunc calorem: vnde si consideremus calorem elementarem, quatenus regulatur a natura, & ab anima vegetatiua, per potentiam cōgeniētem, dicitur naturalis, non igneus, quia non agit in virtute ignis, sed est instrumentum naturæ, & animæ vegetantis. Dicitur etiam hic calor elementaris proprius, vt est propria temperatura huius & illius partis: nam temperatura particulæ nihil aliud est, quam calor insitus in ea parte, qui proprius vocatur calor. G

Quo ita constituto, sciendum, ad efficiendam putredinem necessarium esse, vt fiat dissipatio tū temperaturæ, tū formæ substantialis misti: nam putredo est q̄dam corruptio: vbi autē corruptio est, non modo destruitur

A destruitur qualitas, sed forma etiam de prædicamento substantiæ consumitur, atque deperditur, & mutatur. Vt ergo in putrefactione fit dissipatio non modo temperaturæ, id est, qualitatis, sed formæ substantialis, vt hinc fiat destructio caloris tum proprii, tum naturalis: (nam secundum Philosophum, putrefactio, est corruptio proprii & naturalis caloris:) sic si debet fieri perfecta concoctio, vt id quod est in potentia ad actum substantiæ deducatur; necesse est, vt ad hanc concoctionem perfectam concurrat, tum calor naturalis, tum proprius, id est, necessarium est, vt concurrat, tum forma de prædicamento substantiæ, tum etiam forma de prædicamento qualitatis, id est, temperatura. Et ob id, ad hæc duo respiciens Aristot. qui nunquam est vsus synonymis, & præcipue in definitionibus, dicit, concoctionem fieri a calore naturali, &
B proprio. Ad quam veritatem respiciens Galenus l. 3. de sympt. caussis, c. 2. dicit, ex sanguine pituitoso fieri carnem pituitosam: nam aliud est dicere esse carnem, aliud esse carnem pituitosam; quia cum dicimus esse carnem, respicimus ad formam; cum dicimus carnem pituitosam respicimus ad temperaturam. Et ob id ad concoctionem, tum forma de prædicamento substantiæ concurrit, tum forma de prædicamento qualitatis, temperatura scilicet.

Sed cur Arist. proponens definitionem putredinis, dicit, putredinem esse corruptionem proprii & naturalis caloris, vbi primo proponit calorem proprium, secundo naturalem: in definitione autẽ concoctionis oppositum facit: nam in ea etiam hos duos calores proponit, sed primo calorem naturalem, secundo proprium? Hæc est maxima difficultas: & non credendum est temere sic & sine caussa Arist. hęc proposuisse: namque primo proposuit calorem proprium, secundo naturalem, quia putredo est corruptio, &
C in corruptione primo euanescunt & corrumpuntur accidentia, vltimo forma de prædicamento substantiæ. Ad quem progressum respiciens Arist. dicit, putredinem esse corruptionem proprii caloris, alludens ad accidentia, & naturalis, respiciens formam substantiæ, quæ vltimus est terminus corruptionis. Et, loquens de concoctione, in qua concurrit tum substantia seu natura, tum temperatura; primo loco constituit caussam efficientem principalem, deinde secundariam; & ob id primo ponit calorem naturalem, secundo proprium. Proponens autem definitionem cruditatis, dicit, cruditatem esse imperfectionem, quę fiat a calore proprio, & diminuto: non dicit, tum a calore proprio, tum naturali diminuto: quia in cruditate calor est proprius tantum, nõ autem naturalis: nam cruditas nõ fit a calore naturali: cum enim calor naturalis sit substantia, nõ suscipit ergo magis nec minus; quia in instanti consistit forma, quod instans cum deperditur, destruitur forma. Ad hoc ergo respiciens Arist. (quoniam loquebatur de cruditate, in qua serua-
D tur forma substantialis, diminuitur autem temperatura) dicit, cruditatem fieri a calore proprio, id est, tẽperamento diminuto; quia vbi ille calor diminutus est, nequit cõcoctionem facere, sed facit cruditatem.

Sed dicet quis: nonne fit concoctio a calore externo? Nam 5. aphor. 22. dicit Galenus, concoctionem etiam a calore extrinseco fieri. Aduertendum, concoctionem fieri a calore externo mediate, quatenus calor naturalis adiuuatur ab externo in concoctione, vt 3. de ratione vict. 29. dicit Galenus. Sed cum adiuuetur calor naturalis ab externo: non a quocunque externo adiuuatur, ex 2. de facult. natur. 4. nam non a calore externo excedente, & igneo: quia ab eo non fiunt concoctiones, sed exustiones potius, & assationes: & propterea a calore externo adiuuatur, sed temperato cum humido suaui. Idcirco Galen. in lib. de const. art. medic. 19. ca. concoctionem fieri dicebat a calore, a moderata frictione, a cibis & potionibus calefacientibus, sed moderate. Quare statuendum, fieri concoctionem a calore naturali, & proprio, qui potest
E adiuuari ab externo, sed moderato.

Additum postea fuit, *vt partes naturales, seu animatæ nutriantur*: & merito, quia pars, quæ animata non est, nutriri non potest, vt fuit Galeni sententia locis citatis.

Ceterum Modernus dicit, concoctionem non fieri tantum a calore naturali; sed etiam a temperatura, & proprietate indiuiduali: & hoc experientia constare, cum reperiantur quidam adeo caseum abhorrentes, vt impossibile sit eos caseum concoquere: leones item calidiores muribus, tamen non possint conficere argentum seu aurum, vt mures: cum etiam aliqui reperti sint, qui veneno nutriti fuerint, vt venenum conuersum sit in substantiã nutribilis corporis. Ideo dicit esse necessarium, præter calorem naturalem proponere temperaturam, & proprietatem indiuidualem. In Recentiorem.

Dico nullius esse momenti difficultates has, & facile tolli posse ex definitione proposita: nam illa est bona definitio, quæ tollit omnes difficultates. Cum enim diximus a calore proprio fieri concoctionem,
F nõnne temperaturam adiunximus? Cumque etiam Galenus dicit, aliud esse carnem, aliud esse carnem pituitosam, nonne per hoc verbum temperaturam apponit? Et ideo non erat imaginanda temperatura, vt quid nouum, siquidem ad calorem proprium reducitur.

Proprietates etiam indiuiduales complectitur Aristoteles sub calore naturali. Nam proponens hunc, nihil aliud intelligit quam calorem, vt regulatur a forma de prædicamento substantiæ. Cum autem multi sint gradus formarum, qui nos vtplurimum latent: hinc fit, vt operationes prodeũtes a forma (quia formæ occultæ sunt) dicamus fieri a proprietate occulta; intelligentes fieri a tota forma substantiali, quæ occulta est. Ideo proponens Galenus calorem naturalem, qui aliquando potest esse forma occulta, proposuit etiam proprietates indiuiduales.

Cur autẽ multi caseum abhorreant, nulla alia caussa esse potest, nisi cõtrarietas & summa inimicitia in-
G ter formam huius hominis & casei; ob q̃ a calore non potest mutari nec verti in substantiã nutribilis corporis caseus: vnde horum aliqui, statim ac degustarũt caseum, ob hanc antipatheiã, in grauissima incidunt symptomata. Quod mures cõcoquant argentum, leones nõ; eadem est ratio: nam inter formã muris & argentum amicitia est, vnde ratione affinitatis argentũ potest in substantiã muris verti. Nihil ergo aliud est proprietas indiuidualis, nisi calor naturalis vt a forma regulatur: ideo in definitione diximus, ꝙ cõcoctio sit perfectio familiaris alimẽti. Cũ proponunt tandẽ aliquos veneno vesci; accidere poterit ob amicitiam inter

formam illius hominis &formam veneni,vt veneno nutriatur:poteſt etiam id reduci ad conſuetudinem; A quia prima vice homo maxime læditur ex eſu illius veneni. Quare per calorem naturalem intelligens Ariſtot.proprietates indiuiduales;diminutus profecto non erit.Et hæc de concoctione.

2.Maturatio. Quantum ad maturationem:maturatio nihil aliud eſt, quam *perfectio & concoctio ſucci in fructibus, a calore tum naturali,tum proprio,vt ſimiles fructus efficere poſſint.* Quæ definitio maiori ex parte patebit ex his,quæ in definitione concoctionis dicta ſunt.Solum relinquitur manifeſtandum,an a calido fiat maturatio, vt concoctio: namque maturationem fieri a calore non excedenti, ſed temperato, illud indicat; quoniam ſi calor exceſſerit(Gal.2.de facul.nat.c.4.& Ariſt.4.meteor.teſtantibus)non concoctio fiet,ſed aſſatio;cum in maturatione procedat concoctio incraſſando,vt in proprie dicta concoctione.

Sed difficultas eſt,an maturatio fiat a calore ita valido,vt proprie dicta concoctio. Reſpondet Mo- B dernus,fieri a calore imbecilliori,quoniam fiat concoctio:nullum tamen proponit fundamentum: Nos vero id afferre poſſumus,ex 5.de ſimp.med.facul.c.6.vbi Gal.proponit in corpore humano ſeu cuiuslibet animalis alterationes tres:vnam,in qua calor naturalis ex toto victor erat,& ſic fiebat perfecta concoctio: alterã,in qua ex toto calor naturalis ſuperabatur & tũc generabatur putredo: poſtremã vero a calore,neq; ex toto ſuperãte,neq; ex toto ſuperato:&hęc dicitur maturatio.Nos autẽ diſtinctione eſſe opus aſſerimus: nam bifariã poteſt ſumi maturatio,vel proprie,vel improprie. Si ꝓprie ſumatur,dicimus fieri ab ita valido calore, vt concoctio,ſed potente quidẽ,& valido in ſuo genere:idq; conſtat ex Ariſt. 4. meteor. dicente ꝙ fiat immaturitas,quoniã calor deficit:ergo maturatio fiet, quia calor non deficit,& propterea calor eſt validus in ſuo genere:nam ad concoctionem alicuius fructus, vt pomi,calor validus eſt in ſuo genere,id eſt, C quantũ requiritur ad concoctionem pomi:clare enim conſtat,maiorem eſſe calorem in animali,quam in pomo.Si vero conſideretur maturatio improprie, quæ dicitur ſecundum metaphoram, hæc eſt maturatio,quæ in fructibus eſt,& ad hanc efficiendam,inquiunt Ariſtot.&Galenus,concurrere poteſt interdum validus,interdum debilis calor.Validus quod concurrat,ſic poteſt perſuaderi. Sit in aliquo corpore pituita cruda,& hoc accipiat panem:dubium non eſt,quod panis optime concoquetur,& vertetur in ſubſtantiam nutribilis,vnde clarum eſt calorem eſſe validum: pituita autem non concoquetur, ſed maturabitur id eſt,accipiet eum ornatum,quem accipere poteſt:& ob id,ſi non concoquetur materia, hoc non erit ratione caloris,quia calor validus eſt,ſed ratione materiæ pituitoſæ,quæ cruda eſt, & non poteſt concoqui, ſed ſaltem maturari. Sic dicebat Galenus 3.de ſympt. cauſſis c.2. ſi vites de vna regione in aliam tranſplantentur,facere vinum maxime diuerſum,non alia cauſſa,quam ex diuerſitate naturæ alimenti. Et ob id di- D cimus,loquentes de maturatione improprie accepta,quod fiat tum à calore valido, tum imbecilli:a valido:nam interdum calor licet validus ſit,non tamen poteſt conſequi vltimum finem, ob reſiſtentiam paſſi,in aliquibus vero eſt oppoſitum,nam quamuis alimentum ſit optimum,tamen non poteſt fieri concoctio,ſed maturatio,ob debilitatem caloris, vt in vlceribus: cum enim in aliqua parte ſit ſuppuratio, illa maturatio eſt,non concoctio,& ſit,quoniam calor in ea parte infirmus eſt, & naturalis, & proprius,vnde licet alimentum ad partem optimum accedat,tamen regulari non poteſt ob imbecillitatem caloris. Propterea concludimus, maturationem proprie dictam fieri a calore potenti in ſuo genere, improprie vero dictam ab imbecilli calore, qui aliquando eſt imbecillis ex parte ſui, interdum eſt imbecillis ex parte alimenti & materiæ.

3.Elixatio. Sequuntur Aſſatio,& Elixatio:quæ ſunt concoctiones ab arte factæ,ad ſimilitudinem naturæ. Eli- E xatio *eſt concoctio,facta a calore humido.* In qua quidem definitione finis non ponitur: quia elixationis non eſt vnus finis,ſed fit ob eſum,potionem,&c. Fit autem a calore humido,id eſt, miti & temperato,vt ob id interdum elixatio non fiat,ſed cruditas, vbi vel præualet frigiditas, vel nimia humiditas in materia elixanda,vt eam calor vincere non poſſit.

4.Aſſatio. Aſſatio *eſt concoctio ſucci,a calore tum alieno,tum ſicco.* Neque in hac etiam finis ponitur,quia vnicus non eſt.Fit autem a calore alieno, id eſt, externo, & a calore ſicco,id eſt,igneo Aſſatio autem & elixatio fiunt ab arte,ita nimirum fit elixatio ab arte,vt concoctio cibi in ventriculo, & ſicut aſſatio fit ab arte, ita fit aſſatio chymi in iecore.Aduertendum autem,aſſationem differre ab exuſtione,& torrefactione: quia, quamuis aſſatio à calore igneo fit,non tamen ita,vt torrefactio,& proinde quæ aſſantur æqualiter coquũ- F tur,quæ torrefiunt,nequaquam,ob vim caloris admodum inſignem.

Concoctio hoc loco eſt maturatio materiæ morbificæ. Vt ergo hæc propoſito noſtro applicemus, cum Hippocrates dicit, *Concocta medicari*: ſciendum, ſermonem eſſe de ea concoctione, quæ à natura fit; & excludi elixationem, atque aſſationem, nec non propriam concoctionem,quia concoctio eſt, cum id quod concoquitur, vertitur in ſubſtantiam nutriti, Hippocrates autem ſermonem habet de his quæ vacuari a natura poſſunt; non de his quæ poſſunt verti in ſubſtantiam nutribilis,ideo concoctionem non intelligit Hippocrates:neque etiam intelligit maturationem proprie dictam, quia in maturatione in fructibus fit ea concoctio, vt ſemen fiat,ex quo poſtea aliud ſemen ſimile generari poſſit: Hippocrates autem non loquitur de ea concoctione, per quam ſimile fieri poſſit. Ideoque nec concoctionem intelligit,nec aſſationem,nec elixationem, neque tandem maturationem proprie dictam,ſed maturationem ſecundum metaphoram, & improprie dictam: quia accipit maturationem excrementorum,& materiæ. Dicitur autem maturatio a medicis ſecundum metapho- G ram;quia,vt in vera & proprie dicta maturatione natura ſeparat aliena, & allicit vtilia, ſic in maturatione humorum fit ſeparatio boni a malo. In hac maturatione materia craſceſcit: quia quælibet concoctio & maturatio procedit incraſſando.Dicit autem Hippocrates,πέπονα,id eſt,matura, ad differentiam concoctionis,vtque ſignificaret maturationem improprie dictam.

Præparatio humorum. Sed quæritur hoc loco,vtrum materia,quæ,vt commodius expelli poſſit, eſt maturanda, ad maturationem opus tantum habeat cauſſa naturali, an aliquid aliud requirat:nam ſi a cauſſa naturali tantum fit,

A fit, medicus nihil debet agere: si vero alio opus fuerit, medicus aliud efficere debet. Secundo quæritur, vbi humor est redditus maturus, vtrumne post maturationem debeat aliquid medicus efficere? Sciendum est, quod ante, & post maturationem necessarium sit, aliquid efficere medicum: nempe instituere præparationem, vt recta sit maturatio. Duplex vero est præparatio: prior altera, reliqua posterior: illa ante, hæc post maturationem. Per præparationem priorem intelligimus humoris maturandi alterationem, attenuationem, & abstersionem. Necessitas autem hæc facile patere potest: quia si consideremus materiam maturandam, hæc vt expurgari queat, præparatione opus habet, quæ consistit in attenuatione humorum crassorum: propterea ratione ipsorum crassorum humorum est consideranda præparatio prior. Per præparationem vero posteriorem intelligimus præparationem illorum humorum, qui iam sunt maturi redditi, ad faciliorem expurgationem. Expellentur autem ac expurgabuntur facilius hoc pacto: si attenuentur, qui crassi fuerint, ac visciditas remittatur, & si viæ quæ occlusæ fuerint aperiantur. Hinc Galenus lib. quos & quando purgare, &c. dicebat, si quis velit dare pharmacum, non habita consideratione materiæ pu[illegible]ndæ, tunc maxime difficilem, ac incommodam succedere purgationem, vt cum syncope, malo pulsu, nausea, &c. Quam veritatem proposuit Galenus ad mentem Hippocratis 2. aphor. nono, dicenti: vbi corpora purgare volueris, ea prius fluida facito. Loquitur autem ibi non de qualibet præparatione, sed de posteriori, quæ fit post maturationem, atque consistit in apertione viarum, ac in detersione: dicit enim Galenus ibi in comment. præparandum esse humorem, si crassus vel viscidus fuerit: non dicit si tenuis: quia tenuis quam maxime est aptus vt educatur. Quare consistit hæc præparatio in attenuatione, detersione, ac viarum apertione. Fit autem hæc præparatio multo calidioribus medicamentis, quam maturatio: quia maturatio fit a calore temperato, ac naturali. Fit etiam hæc posterior præparatio a calore magis intenso, quam prior præparatio. Et hinc considerate, an sine horum cognitione possibile sit dare syrupos: nam in hac præparatione secunda opus est dare syrupos magis calidos, quam in prima: quia in præparatione priori periculum est, ne ob insignem calorem non modo fiat præparatio humoris, sed distributio, quæ non est facienda ante, sed post maturationem: vbi ergo imminet tempus purgandi, licet syrupos magis calidos exhibere: quod colligitur ex Galen. 1. aphoris. 24. vbi in præparatione materiæ iam euacuandæ præcipit vt exhibeatur mulsa, in qua vel thymus, vel origanum, vel aliud quid simile sit incoctum, quorum caliditas primum gradum excedit. Vnde in hoc deceptus est Altimarus: qui videns Galenum vti calidioribus medicamentis, vbi exhibendum est pharmacum, dicebat Galenum & ceteros medicos id ideo facere, vt caloris natiui, qui materiam expurgare debet, qualitas augeretur. Sed falsissimum hoc est: quia calidioribus medicamentis calorem natiuum non augeremus, sed potius imminueremus: namque calor natiuus consistit in quadam temperie; in quem agens calor medicamenti, quanto magis agit, tanto magis introducitur calor adscititius; & quanto magis augetur calor adscititius, tanto magis imminuitur calor natiuus: hic autem imminutus non potest tanta vi expulsionem facere; dicit enim Galen. 1. aphoris. 15. calorem naturalem validum non modo validius expellere, sed validius etiam attrahere, quam adscititium. Ideo non vtimur calidioribus medicamentis, vt adiuuemus calorem natiuum, sed vt his medicamentis calefiat, & præparetur materia vacuanda, id est, vt attenuetur, magisque fluxilis reddatur, vtque viæ obstructæ deobstruantur. Sed quo ordine debemus progredi? Eo profecto, quo natura: nam primo concoquit natura, deinde distribuit, & propterea primo de facult. alimentorum Galenus cibariis admiscet allia, quibus insignis est vis calefaciendi, vt faciant rectam distributionem. Nam differentia est inter cibaria: quædam enim temperata sunt in calore, & hæc ad iuuandum concoctionem exhibentur; quædam sunt calidiora, quibus vtimur, vt non modo per ea concoctio fiat, sed distributio: vnde medicus primo debet vti temperatis, vbi autem matura est reddita materia, tunc debet vti his, in quibus est vis distribuendi, id est, calidioribus.

Quo ad tempus quo prima præparatio fieri debet; possumus vti his medicamentis, & tempore maturationis, & ante etiam maturationem: ita enim procedentes imitabimur naturam, quæ ante concoctionem, & in concoctione parti præparat materiam. Nam antequam fiat concoctio in ventriculo, natura prius præparat cibaria in ore per masticationem, quæ præparatio & masticatio præcedit concoctionem in ventriculo. Neque præcedit modo concoctionem præparatio, sed etiam fit eo tempore, quo concoctio, vbi namque in ventriculum recepta sunt cibaria, vis ventriculi comminuit cibaria crassiora, vt ex hac massa heterogenea, aliquas partes, in quas agit, reducere possit ad formam chyli: vnde si caro deuoretur, & non fuerit comminuta per masticationem, comminuitur vi ventriculi; hæc autem non concoctio est, sed præparatio: nam concoctio procedit incrassando, cum hæc autem fit comminutio, non concoctio erit, sed præparatio: nam præparatio procedit attenuando. Similiter itaque medicus naturam imitari debet præparantem: idque facere poterit, syrupis attenuantibus, abstergentibus, & calefacientibus: hisque debet vti, & ante maturationem, & tempore maturationis.

Aduertendum autem, a principio non vtendum præparatoriis syrupis abstergentibus, qui habent vim vehementer calefaciendi, vt quarto de tuend. valet. capit. 4. nec his qui habent vim insignem attenuandi, ac detergendi: & rationem reddit Galenus: si enim a principio his insigniter calefacientibus vti vellemus, non tantum febris augeretur, sed etiam materia attenuata, quæ cruda est, posset in partes longinquiores deuenire, & sic magnas excitare obstructiones. Quare syrupi abstergentes, quibus vtimur ante maturationem, non habeant insignem caliditatem.

Sed circa hanc præparationem est quæstio soluenda, num materia crassa sit attenuanda, & non etiam tenuis incrassanda? Quoniam autem hoc quæsitum maximi est momenti: ideo maxima diligentia est soluendum. Dicimus autem, humores crassos esse attenuandos;

ante, & post maturationem.

Tempus vtendi præparantibus.

Num tenuis materia incrassantibus præparanda.

tenues vero non esse incrassandos. Fundamentum ex Galeno colligimus, ex 3. prognost. nostrum enim A propositum est humores præparare, vt præparationis beneficio possint facilius educi: illi autem humores sunt promtiores eductioni, qui tenues sunt; crassi vero cum difficultate educuntur: ergo isti præparandi sunt; illi minime. Si enim tenues humores vellemus præparare incrassantibus, eos ex obedientibus redderemus inobedientes.

Aduertendum tamen, interdum materiam satis feruentem, vt biliosam, præparatione egere, quia nimio suo feruore resistit: & tunc pro præparatione vtimur refrigerantibus, quæ vim habent incrassandi. His tamen non vtimur vt vim incrassandi habent, sed refrigerandi, ac contemperandi vim materiæ morbificæ; vnde ratione contemperationis, non crassefactionis, his vtimur, vt scilicet minuamus feruorem materiæ. Sic etiam aduertendum, quoties maturamus materiam peccantem, licet maturatio procedat incrassando; nos tamen non maturare vt crasse faciamus; quia nolumus, vt materia quæ est eductioni apta, inepta reddatur eductioni, sed volumus facere, vt materia accipiat ornatum quendam, quem potest accipere: quia tamen in sequestratione bonæ materiæ a mala, & in acquisitione huius ornamenti, accidit, vt materia crassescat; ideo diximus, materiam crassam fieri, non principaliter, sed secundario. Hinc Auicennas fortasse dicit, loquens de curat. feb. putridarum in communi, materiam crassam, esse attenuandam, tenuem incrassandam: nam confundit fortasse præparationem, quæ vim habet attenuandi, cum maturatione, quæ habet vim incrassandi. Cur autem hæc confundat Auicennas, paulo post dicam. Constat igitur ex his, materiam crassam esse attenuandam, sed tenuem non incrassandam. B

Locus Galeni obscurus.

Verum difficultas est in duabus Galeni auctoritatibus. Prima exstat primo de tuend. val. 14. vbi C dicit Galenus, bile peccante opus esse victu attenuante: ergo, vbi materia fuerit tenuis, etiam attenuantibus videtur opus. Respondetur & facile, quamuis bilis suapte natura sit tenuis, eam tamen interdum esse crassam, & ideo attenuandam; cum quælibet materia crassa attenuanda sit. Præterea dicendum, ibi Galenum respicere quammaxime ad vias obstructas, quæ attenuantibus exobstrui debent.

Alius difficilis Galeni locus.

Secunda auctoritas satis est difficilis: nam libro de const. art. med. 19. inquit Galenus, humores crassos attenuandos, tenues incrassandos. Nec est vt aliquis dicat, Galenum confundere præparationem cum maturatione: quia seipsum exponit: nam cum dicit, humores crassos attenuandos; subdit, & vtrosque pariter concoquendos: ergo non confundit maturationem cum præparatione. Et credo hanc fuisse occasionem, quod etiam Auicennas dixerit tenues humores incrassandos, crassos attenuandos. Pro solutione aduertendum, humoris peccantis maturationem bifariam considerari posse; vno modo, vt D humores ita recedunt a natura vera humorum, vt amplius non possint redire ad naturalem statum, neque verti in substantiam nutribilis: altero modo vt peccant, sed ita tamen, vt possint redire ad naturalem statum, ac verti in substantiam nutribilis. Si primo modo considerentur humores: tunc cum non possint verti in substantiam nutriti, necessarium est vt maturentur, quo postea maturati expelli possint: & ideo sunt maturandi ratione expulsionis: & tales humores, ita considerati, si fuerint crassi, sunt attenuandi: non autem tenues incrassandi. Et sic intelligendus est in præsenti aphorismo Hippocrates, quia hic sermo est de humoribus, qui non possunt verti in substantiam nutriti. Si autem fuerint humores, qui reduci possint in naturalem statum, ac in substantiam nutribilis; si tenues fuerint, incrassandi: quia si recedunt a naturali statu per tenuitatem, cui dubium quod ad ipsum redire non possint, nisi incrassentur? ideoque præparatio in incrassatione consistit. Si autem crassiores fuerint quam par est, præparatio E consistit in attenuatione. Sed hæc præparatio humorum ea de caussa fit, vt humores concoquantur, ac concocti possint redire ad naturalem statum, ac verti in substantiam nutriti. Et hoc dicit Galenus libro de constit. art. medicinalis capite nono: dicit enim ibi, humores quam maxime a natura recedentes, qui nulla ratione in pristinum statum reduci possint, esse educendos; adhibita tamen distinctione, an peccatum sit ex parte qualitatis, an quantitatis: nam si peccatum sit in quantitate, secandam venam, si in qualitate, pharmaco vtendum. Postea subdit: si humores a naturali statu recedant, si tenues, esse incrassandos; si crassi, attenuandos. Et ibi loquitur de humore peccante, qui potest redire ad naturalem statum.

Præparationis humorum summa capita.

Ideo concludentes dicimus, cum hic sit sermo de humoribus qui maturari debent, vt concoquantur, opus esse remouere omnia impedimenta, quæ possunt impedire, ne materiæ ad maturationem de- F uenire possint; ideoque considerandi humores purgandi, tum ratione Substantiæ, tum ratione Qualitatis. Ratione substantiæ possumus considerare Formam, & Materiam. Forma potest esse humori impedimento, quoties humor habet prauam & malignam naturam: & tunc ad introducendum formam benignam opus est maturatione metaphorica dicta. Materia impedimento esse potest, quoties vel crassior fuerit, vel viscidior, quam conueniat: nam ex sententia Galeni tertio prognost. vigesimotertio, potissimum illi humores sunt ad expurgandum apti, qui tenues sunt: & ideo conuenit præparatio, quæ consistit in attenuatione crassorum humorum. Materia etiam viscida est impedimento, ne materia transeat ad suppurationem: & ideo præparatio materiæ viscidæ est facienda, quæ consistit tantum in attenuatione, non in crassefactione. Si vero ratione qualitatis consideremus materiam, tunc præparatio consistit in alteratione: si materia sit calida, in refrigeratione; si frigida, in calefactione, vnde optime faciunt G medici etiam empirici, qui in materia calida refrigerantibus, in frigida & pituitosa calefacientibus vtuntur.

Num præparatio instituenda vehementer calidis, an temperatis.

Quæritur autem num præparatio fieri debeat a calore potenti, vel a calore temperato, qui proportione respondeat calori naturali? Si respiciamus ad Galenum, quincto aphorismorum 70. dicentis quod etiam concoctio fiat a calore febrili. Vnde Montanus dicit, calorem febrilem instar balnei opitulari calori naturali. Sed hoc falsissimum est. Nam si vultis cognoscere, an pro præparatione vtendum sit calidis tem-

temperate, an calidis vehementer, recurratis ad praxim: conducit enim calor febrilis ad præparationem, non conducit vt calor naturalis balnei, qui opem fert calori natiuo: imo calor externus & febrilis aduersantur calori natiuo: verum calor externus adiumēto est ad præparationem, naturalis ad maturationem, vt enim maturatio fit a calore naturali temperato: sic præparatio fit a calore intenso, & præcipue vbi materia frigida est. Aduertendum autem, in febre, a materia crassa, sed calida dependente, qualis est causus nothus, ad materiam præparandum, non vtendum calefacientibus, quia materia biliosa est, sed temperatis attenuantibus, & abstergentibus, quæ habeant substantiam tenuem: nam sic & præparatur materia & adimitur fomentum febri.

B Subiungit Hippocrates, *Medicari.* Quamuis autem medicamenta sint multiplicia, Præparantia, Lenientia, Corroborantia, atque Purgantia, hic tamen intelligit medicationem quæ fit purgantibus ac solutiuis, vt in commento notauit Galenus.

Continuatur explicatio verborum aphorismi.

Et mouere. Per hoc verbum Hippocrates intelligit medicamentum habens vim ciendi vrinam, sudorem, lotium, & quomodolibet aliter mouendi materiam coctam; neque modo hoc, sed etiam intelligit vim habens præparandi præparatione posteriori, scilicet attenuandi, detergendi, &c. quæ præparatio debet fieri post maturationem: nam ante maturationem periculosa est, ne scilicet distributio fiat materiæ crudæ. Cocta igitur materia est purganda, non modo per aluum, sed per lotium, sudorem, &c. ac mouenda, id est, præparanda, &c. Nam in superioribus aphorismis dicit, materiam esse euacuandam per loca conuenientia: & nunc hoc declarat, quod materia debeat euacuari concocta, per secessum, lotium, &c.

C *Non cruda.* Hic inquiendum est, quid per non cruda intelligat Hippocrat. quia multæ tollentur difficultates. Sicut autem concocta materia purganda, & mouenda erat: sic cruda neque mouenda, neque purganda. Per crudam autem materiam intelligit Hippocrates materiam malam cum bona permistam, quæ non est consecuta decentem ornatum, nec decentem formam, quam habere debebat. Hæc materia duplex est: altera quæ negat actum, & aptitudinem: altera, quæ negat actum tantum, non autem aptitudinem. Quæ vtrumque negat, est illa materia, quæ non modo in præsentia cruda est, sed neque concoqui potest, nec ad maturationem perduci. Altera autem cruda tantum dicitur, quæ potest maturari. Hippocrates autem hic non de ea, quæ vtrumque negat, intelligit; sed de ea, quæ negat tantum actum, non aptitudinem: nam si illa concoqui nullo pacto potest, ergo non poterit habere locum; cum cruda sint mouenda, si matura facta fuerint. Quod si tamen fuerit venenum in corpore, quamprimum est expellendum:
D neque tollitur veritas Hippocratis, quod concocta sint purganda, non cruda; licet venenum crudum sit: nam loquitur Hippocrates de ea materia cruda, quæ maturari potest: venenum autem & actum & potentiam concoctionis excludit; & ideo quamprimum est expellendum. Pariter si fuerit febris extreme maligna, vt omnino materia putrida sit, atque ad extremam deuenerit putredinem: cum nullo pacto possit maturari in hac sanguis, ideo quamprimum est veniendum ad expurgationem. Et hæc fuit sententia Galeni, vndecimo method. octauo, vbi dicit, sanguinem infectum putredine, vel ita affici, vt nullo modo restitui possit; vel ita, vt ad benignum statum possit reuerti: si primum accidat, opus esse euacuare locum deiectione. Neque quis dubitet, sanguinem posse deiectione purgari: quia vbi sanguis ad eam corruptionem deuenerit, necessarium est, vt vergat vel ad naturam bilis, vel ad naturam melancholiæ, ratione partium tenuium, & crassarum: & ideo potest pharmaco electiue ducente expurgari. Dicit autem Galenus,
E quamprimum esse euacuandum locum: nam illud efficere debemus, quod obseruamus fieri in his, quæ exterius corrumpuntur: cum enim portio alicuius rei corrumpitur, consueuit vnusquisque partem corruptam amputare; reliquamque frigidiori aeri admouere, ne corrupta pars alteram inficiat: sic & in corpore humano humor corruptus, qui nullo modo ad benignum statum deduci potest, quamprimum est educendus. Vnde cum dicit Hippocrates, quod non liceat cruda mouere, neque purgare; non intelligit ea quæ tum actum, tum aptitudinem excludunt; sed quæ tantum actum negant: nam cruda ipsa, (vt dicit Galenus) euacuanda non sunt, sed exspectandum est donec concoquantur.

Aduertendum autem quod alii aliter legant hac verba. Nam quidam sic legunt: *Concocta medicari, & mouere,* (vt hic sit comma.) *non autem cruda*, vt sit sensus; cruda neque mouenda, neque purganda sunt. Altera est lectio Modernorum: *Concocta medicari*; (vt sit hic comma.) *mouere non cruda*,

Variæ lectiones.

F vt sit sensus, opus est purgare, quæ ex toto cocta sunt, ea autem, quæ sunt non cruda, id est, partim cocta, partim cruda, sunt minoranda: & consequenter quæ ex toto cruda sunt, neque purganda sunt, neque mouenda, dummodo materia non turgeat. Dicunt autem hoc colligi ex Galeno, quarto de ratione vict. trigesimooctauo. Sed hæc explicatio nullo modo potest consistere. Primo enim ex Galeno colligi hoc, falsum est: quia ne verbum quidem ibi exstat, vnde colligi possit isthæc expositio. Præterea ostendo non posse concedi hanc expositionem: nam ita sequeretur, quod liceat minuere materiam partim coctam, partim crudam: quod si esset, tunc liceret in augmento dare pharmacum, non in principio; quoniam principium ex toto crudam habet materiam: quod falsissimum est; quoniam non licet in augmento dare pharmacum. Insuper isti per *mouere* intelligunt minuere materiam: cum tamen Galenus seipsum explicet in commento, quod per *mouere* intelligat tum euacuare per lotium, sudorem, &c.
G tum attenuare materiam, vt præparata postea possit facilius expelli. Amplius si ita legatur, necessarium est Hippocratem sibimet contradicere in eodem aphorismo: nam dicit, *concocta medicari, & mouere*, at secundum hos licet mouere materiam partim coctam, partim crudam: subdit, *mouere non cruda, neque in principiis*: secundum istos licet materiam nō crudam euacuare, & mouere; & tamen hæc non est in principiis: ergo non licet materiam crudam mouere. Quare euidentissima est contradictio. Concocta igitur materia est euacuanda, & mouenda, materia cōcocta partim, & partim cruda, nō est mouenda, nec purganda.

Subdit Hippocrates. *Neq; in principiis.* Interpretes hoc pertranseunt, neque ponderant:& miror A
cur id faciant.Credo tamen Hippocratem hoc voluisse inferre,materiam crudam neque vacuandam,ne-
que mouendam, neque etiam in principiis:nam si id quod magis videtur faciendum non fit, ergo nec id
quod minus:sed magis videtur,in principiis esse mouendam materiam; & tamen dicit Hipp. in principiis
non esse mouendam:ergo nullo tempore materia mouenda est.De statu autem sermo esse nõ debet: quia
vbi salubris fuerit,materia cocta est:& tunc vel naturæ relinquenda,vel a medico mouenda.

Furiosa materia.

*Dummodo materia non turgeat.*Excipitur materia furiosa. Hic pro intellectione sciendum,quod sit
materia furiosa:quia ex eius cognitione patebit,cur liceat hanc materiam euacuare. Dicta igitur est ma-
teria furiosa,adserente Galeno,quarto aphorismorum primo, sumta appellatione ab animalibus ad coi-
tum proritatis:nam quemadmodum hæc animalia huc,atq; illuc mouentur, locoque stare nequeunt; sic B
& hæc materia hacque illacque vagatur.

Est autem materia furiosa *humor oberrans in corpore, propter propulsum, factum ab expultrice facul-
tate irritata.* Dicitur primo,quod sit *humor oberrans in corpore:* nam non potest esse materia furiosa, nisi
mobilis fuerit:imo,non modo mobilis debet esse materia, sed debet agitari per internas partes corporis,
vt optime scribit Galenus,octauo de compos.med.secundum loc.capite tertio. Sed non ex se hæc mate-
ria mouetur,neque propellitur a facultate expultrice;sed ab ea a materia irritata. Nam secundum Gale-
num quarto aphorismorum vigesimoprimo, materia bifariam potest a facultate expultrice expelli: vno
modo vi naturæ;altero modo vi naturæ irritatæ a materia. Materia autem furiosa propellitur ab expul-
trice,irritata ab acrimonia materiæ furiosæ: imo tanta est malignitas materiæ furiosæ, vt cum in aliqua C
parte reperiatur materia furiosa,hæc pars non retineat illam materiam, quia nimis irritatur, vt tandem
periculum sit,ne infixa maneat membro principali.

Pars furiosa.

Obseruandum vero aduersus quosdam Modernos, qui satis furiose redarguunt Galenum, dicen-
tes eum errasse,quoniam non materia furiosa sit,sed pars ipsa corporis,materiam continens:pariter enim
animalia dici furiosa,non materiam,quę est in animalibus.Adducunt auctoritatem Hipp.3.de fract.6.vbi
expresse dicit,partem furere,non materiam.His equidem respondens,dico cum Galeno materiam fure-
re:& cum Hippocrate partem etiam id facere.Materiam quidem ea ratione,quoniam potest tanta esse vis
materiæ,vt quamcunq; partem irritet ad expulsionem:partem autem furere, quæ acutioris est sensus. In
morbis igitur modo materia furiosa dici potest,modo pars furens: vnde Galenus optime dicit,vocãs ma-
teriã furiosam:& Hippocrates,diuersimode loquens,recte etiam dicit,partem furentem nuncupans.Sed D
hoc in loco & sect.4.aphorismorũ,furiosam materiam,nõ partem,intelligit;quia sermo est de his medi-
camentis,quæ non ad partem furentem,sed materiam furiosam diriguntur, id est, sermo est de his medi-
camentis,quæ non respiciunt locum affectum,sed materiam purgandam.At Hippocrates 3.de fract. par-
tem euacuandam respexit,non materiam peccantem: & ideo vocat partem furiosam: ac præcipit ne illi
adiungimus medicamenta alterantia,quia noceant magis,quam iuuent. Quare Hippoc.verum dicit,&
Gal.etiam:ac superbe nimis reprehenditur a Modernis.

Qualitates materiæ furiosæ.

Porro materia furiosa est mobilis incerto motu;quia non ad determinatas partes mouetur: &, quo
ad primas qualitates,est calida:quo ad secundas, tenuis, quia mobilis non potest esse crassa:& præterea se-
cundum Galenum quarto aphorismorum primo, materia furiosa leui aliquo indiget pharmaco, crassa
vero non leui auxilio habet opus, sed vehementi. Neque facit in contrarium quod a Modernis adduci- E
tur,in febribus pestilentibus materiam furiosam esse, & tamen crassam: cum in ea sint exustiones, & vbi
exustiones ibi crassescat materia. Nec repugnant nobis loca ab illis adducta ex Galeno, & Hippocrates
qui primo epid.sect.tertia,particula vigesimasexta, proponunt casum de Critone,in quo materia furiosa
erat crassa.Sed huic obiectioni facile est respondere: quia febris pestilens, in qua sunt exustiones, habet
partes & crassiores,& tenuiores: nam calidi est attrahere, & partes crassiores derelinquere: partes vero
crassiores non faciunt materiam furiosam,sed tenuiores,& ideo materia furiosa calida est,& tenuis.

Materia furiosa etiam potest esse sanguinea.

Potest autem sanguis furere:quod probatur ex Hippocrate in eo casu de Critone: quia, inquit,in eo
apparuisse pustulas nigras a sanguine dependentes. Quin etiam auctor quarti de ratione vict.quadrage-
simosexto,dicit has febres protrahi,& abscessus habere, si aurium ac ceruicis infernæ partes frigidæ fue-
rint:quod si frigidæ non fuerint,alias mutationes habere, nimirum fluxum sanguinis e naribus, aut ven- F
tris turbationem,&c.Ergo materia sanguinea furiosa esse potest,& raptum habere.Confirmatur idem ex
Galeno in allegato epidemiorum loco, qui dicit, Hippocratem non misisse sanguinem in turgescentia
materiæ sanguineæ,sed adhibuisse purgans, quia non accesserit a principio:nam si accessisset, euacuasse
sanguinem.

Cur autem expurganda sit hæc materia turgens, fundamentum est,quia medicus semper debet ha-
bere oculos ad introductionem sanitatis:ideoque studere debet, vt omnia quæ adhibentur magis iuuent
quam noceant.In materia autem furiosa magis iuuatur æger ex purgatione,quam retẽtione:quia pericu-
lum est,ne materia retenta in partem mobilem decumbat.Talis præterea purgatio facile fit,Galeno teste
in commento,tum ex parte materiæ,tum ex parte naturæ expultricis.Ex parte materiæ:quia materia mo-
bilis est,tenuis, acris, ac calida,& ideo facile expurgatur. Ex parte autem naturæ: quia, vt sentit Gale- G
nus quarto aphorismorum primo,cum materia sit furiosa, assiduo excitat facultatem expultricem: & ob
id facile tunc temporis expurgari potest materia. Ideo, cum materia furiosa est,facile attrahitur ab ele-
ctiue attrahente pharmaco.

*Vt plurimum autem non turget:*nam,vt adnotauit Galenus in commento,rarissime contingit vt ma-
teria turgeat.

Occurrit autem heic quæstio, ad praxim maxime conducens, de Minoratione materiæ morbificæ:
nam

A num videlicet in morbo admittente curationem liceat a principio materiam crudam pharmaco electiue ducente minorare. In qua quæſtione enodanda primo proponemus, quam veriorem exiſtimemus ſententiam: deinde tum rationes, tum auctoritaaes, quæ in oppoſitum adduci poſſint, ſoluemus.

Num minorans locum habeat morbi initio, cruda exſiſtente materia.

Quo itaque ad primum, rata habeatur hæc concluſio: In morbo admittente curationem, id eſt, ſalubri, materia cruda, quæ tamen furioſa non ſit, nequaquam pharmaco electiue ducente purganda, nec minoranda. Fundamentum eſt: quia ſi exhibetur medicamentum minorans, id eſt, quod habet vim electiue ducendi, ac expurgandi materiam, ex parte tamen, non ex toto; tunc tale pharmacum erit forte, & debile: forte, quia habet vim electiue educendi, debile, quia in parua copia exhibetur. Vbi ergo tale pharmacum exhibebitur, vel Attrahet ad ſe humorem determinatum, vel Non attrahet. Si non attrahet, fruſtra cruciabitis ægrotantem. Si attrahet; tum per attractionem vel Fiet euacuatio, vel Non. Si attrahetur humor, & non euacuabitur, fruſtra agitabitis humorem in corpore exſiſtentem, ſine euacuatione. Si vero pharmacum attrahet, & euacuabit, vel euacuabit Totam materiam peccantem; & hoc dici non poteſt, quia de minorante pharmaco nunc loquimur, non de eradicante, vel euacuabit Partem materiæ. Et tunc vel euacuabit partem materiæ Craſſam, vel Tenuem: non craſſam, quia, vbi humor habet duas partes & craſſas, & tenues; tenues facilius attrahuntur. Fiet ergo tantum purgatio humoris tenuis; quam ſequuntur plurima nocumenta, propoſita a Galeno quarto aphoriſmorum vigeſimoſecundo, & ſecundo aphoriſmorum nono: nam materia craſſa ac cruda agitabitur, neque tamen poterit expurgari; materia autem hæc agitata magnas producet obſtructiones; quæ obſtructiones, ac agitationes facient, vt materia mala magis commiſceatur cum bona. Præterea, ſi relinquatur pars craſſa tantum & euacuetur tenuior, tunc maiori difficultate natura humoris partem rebellem ſuperabit. Ideo, ſi minorantes materiam non alio fundamento id faciunt, niſi quoniam imaginantur partem derelictam facilius poſſe ſuperari: ergo, cum craſſior materia difficilius expurgari poſſit, quam miſta cum tenui; ob id minuenda materia non eſt.

Negatio quæſtionis ſecundum auctorem.
Ratio negationis.

Præter rationes etiam eſt auctoritas: & prima præſentis eſt aphoriſmi, quæ adeo clara eſt, vt non potuerim non mirari aduerſarios, de re aperta litem mouentes. Hippocrates enim expreſſe dicit: *Concocta medicari, non cruda, neq; in principiis*, (id eſt, nullo tempore,) *niſi materia turgeat*. Non habuit aliam exceptionem, niſi materiæ turgentis. Sed aduerſarii & hanc, & ſimiles auctoritates videntes, excogitarunt quandam diſtinctionem, qua huic, & aliis auctoritatibus ſimilibus ſatisfacere ſe poſſe credunt. Nam D dicit Conciliator differentia 161. purgationem aliam eſſe Minoratiuam, aliam Eradicatiuam. Aſſerunt autem, Hippocratem in hoc aphoriſmo ſermonem habere de purgatione eradicatiua, non minoratiua: & crudam materiam non eradicandam, ſed minorandam. Confirmant id ex Galeno, ſecundo aphoriſmorum vigeſimonono. Sed concedimus ipſis diſtinctionem: eamque magis cum Galeno confirmamus, e primo aphoriſmorum vigeſimotertio. Licet autem concedatur diſtinctio, non ob id tamen tollitur difficultas: nam ex ſententia Galeni excluditur purgatio tum eradicatiua, tum minoratiua, quia dicit, *concocta medicari, & mouere*: & per *mouere* intelligit commotionem materiæ, quocunque auxilio factam, ſiue diuretico, ſiue ſudorem prouocante. &c. Vnde ſi his vti non licet, neque etiam licebit vti pharmaco, vel eradicante, vel minorante: quia non poteſt vllum pharmacum, quodcunque ſit, niſi vi attrahere hos humores, & agitare. Ideo Hippocrates non modo eradicatiuam excludit vacuationem, ſed & mino- E ratiuam.

Teſtimonia, pro negatione.

Præterea auctoritas Hipp. quarto de rat. vict. 43. eſt, quam ibidem confirmat Galenus: ſi in principiis vrinæ craſſæ & nebuloſæ apparuerint, licet purgare; ſi autem tenues fuerint, nequaquam: nam ſemper tenuitas cruditatem ſignificat, nebuloſitas autem concoctionem; Et proinde ex ſententia Hippoc. non licet niſi coctam materiam purgare. Dicit autem, *in principiis, vbi vrinæ nebuloſæ*: & per principium intelligit tres primos dies, in quibus poſſunt apparere ſigna concoctionis.

Amplius quadrageſimoquarto eiuſdem dicit Hippoc. quod a principio liceat vti clyſtere, non autem pharmaco: idque confirmat Galenus in commento. Ex quo loco patet, excludi pharmacum minoratiuum: nam hic excluditur pharmacum euacuans, ne impediatur concoctio. Si autem impeditur concoctio, ſignum eſt, ſermonem eſſe de medicamento, quod non ex toto euacuat materiam: quia ſi ex toto F euacuaret materiam, non haberet locum concoctio: nam concoctio eſt, vbi eſt materia; vbi autem ex toto expurgatur, non habet locum concoctio.

Rurſus Galenus primo, epidemiorum ſect. ſecunda, commento trigeſimoſeptimo dicit, eo tempore, quo peſtis graſſabatur, omnes mortuos, quoniam a principio fiebant vacuationes: quæ euacuationes cum malæ eſſent, male terminabantur febres: nam cruda exſiſtente materia non poterat bona fieri vacuatio. Si ergo a natura facta vacuatio (cruda exſiſtente materia) nocet: multo ergo magis nocebit arte facta vacuatio.

Præterea idem Galenus ſecundo aphoriſmorum 9. teſtatur, expurgationem ante cōcoctionem materiæ eſſe malam: quia ſequantur colliquationes, mali pulſus, inquietudines, & peſſima etiam ſymptomata, ſiue adſit febris, ſiue non adſit: quia vbi materia eſt cruda, bonum eſt permiſtum cum malo: attamen ma- G ius eſt detrimentum in febre, quam in aliis morbis.

Galenus etiam quarto aphoriſmorum vigeſimoſecundo (vbi Hippocrates dicebat: In morbis quibuſuis incipientibus, ſi atra bilis ſupra infra ve exierit malum:) ait, malum eſſe ſignum, ſiue atra bilis, ſiue quilibet alius humor fluat: nam vbi, inquit, materia cruda eſt, impoſſibile eſt aliquid recte euacuari. Vbi notate verbum illud, *aliquid*, vt ex hoc cognoſcatis, ſermonem non fieri a Galeno de vacuatione eradicante, ſed minorante potius: quia dicit, impoſſibile eſt, aliquid, id eſt, ne minimum quidem materiæ crudæ ſalubriter euacuari. Et hanc ſententiam etiam habet idem Galenus in libello, quos & quando eua-

cuare,&c. Quare non poteſt materia cruda qualitercunque euacuari, niſi turgeat. Poſſem & alias addu- A
cere auctoritates:ſed hæ nunc ſufficiant.

Affirmatio quæſtionis ſecundum alios nonnullos. Rationes affirmantium: quæ ſimul confutantur.

Contra aduerſarii dicunt, eſſe neceſſarium, vt materia aliquando in principio, licet non turgeat,
minoretur, non autem vt eradicetur. Probant hoc: nam ſi materia fuerit copioſa, hanc materiam
virtus regulare non poteſt, ideoque ne ſuccumbat, opus eſt materiam minorare, vt poſtea fortior fiat
natura.

Quæ ratio eſt nullius momenti: nam ſi cruda eſt materia, falſum eſt naturam ſuccumbere: quod o-
ſtendo ex Galeno,& Auicenna,qui a Galeno in hac parte nõ diſſentit. Nam exſiſtente hac materia, con-
ſiderare oportet,an adeo ſit cruda,vt non poſſit ad maturationem perduci: & hic eſt deſperata ſanitas; &
propterea deſiſtendum eſt a pharmacis,nec licet vti pharmacis minorantibus. Hæc fuit ſententia Gale- B
ni,duodecimo method.3.vbi,proponens febrem ſyncopalem humoroſam,dicit, ſi ſit inſignis cruditas,vt
ſucci concoqui nequeant;tunc eſſe deſperatam ſanitatem: ſi autem in hac febre ſit materia copioſa, quæ
ad maturationem perduci poſſit,non eſſe purgandam, ſed concoquendam materiam,etiamſi virtus de-
bilis fuerit.Si ergo virtus debilis non ſuccumbebat materiæ multæ,nec licebat dare pharmacum:quid igi-
tur dicendum eſt,cum materia non eſt tanta,& cum virtus valida eſt.

Sed vt hæc clarius intelligatis, ſciendum,morbum dependentem a materia cruda,vel Breuem eſſe,
vel Longum.Si eſt breuis, nihil opus eſt materiam crudam euacuari; quia non eſt credendum tam bre-
ui tempore naturam ſuccumbere.Si autem morbus fuerit chronicus,conſiderandum,an natura ſuccum-
bat nec ne.Si ita in praxi progrediamur,vt ſcilicet partem materiæ concoquamus, & eam coctam vacue- C
mus;poſtea aggrediamur coctionem alterius materiæ,quæ derelicta eſt, & eam quoque coctam euacue-
mus:& ſic tertio quartoque per vices ſemper coquendo & vacuando pergamus:recte expurgabimus:nam
dubio procul natura non ſuccumbet: ſuccumbet vero, ſi vellemus totam materiam concoquere,ac vni-
uerſam ſimul expurgare.Facile autem per vices concoctio & vacuatio inſtitui poteſt: nam materia copio-
ſa heterogenea eſt,aliqua eius portio facilius coquitur,alia non ita facile concoqui poteſt:præterea alia eſt
in vaſis magnis,alia in vaſis longinquis,quæ non ita facile concoqui poteſt: & ideo pars vna euacuari po-
teſt,quæ concocta eſt;aliqua dimitti,vt concoquatur. Quodque hoc pacto ſit procedendum in chroni-
cis,facile ex Galeno colligi poteſt,qui primo ad Glauconem 11.dicit,ſi coctionis ſigna apparuerint, pur-
gandum,ſemel vel ſæpius,ſi fuerit neceſſarium: per quæ verba nihil aliud inferre voluit Galenus, quam
per vices inſtituendam concoctionem,& per vices vtendum pharmaco electiue ducente.

Huius ſententiæ fuit etiam Auicennas. Quamuis temere Auicenniſtæ fere omnes ſtatuant, mate- D
riam eſſe minorandam, ex mente eius. Sed hoc nunquam dicit Auicennas. Immo capite de curatione
feb.putr in communi, inquit: Et non euacues materiam indigeſtam, niſi propter neceſſitatem, id eſt,
quando materia maligna copioſa exſtiterit.Ita enim oportet interpretari Auicennam, vt Galenus expo-
ſuit Hippocratem,dicentem, Concocta medicari, dummodo materia nõ turgeat:nam huc reſpexit Aui-
cennas. Neque obſtare debet quod idem Auicennas tract. de putr.feb. capite de cur.quotid.dicit,ſi non
diligere exſpectationem digeſtionis;quaſi voluerit,vtendum eſſe pharmaco ante concoctionem: neque
id,quod etiam dicit, ſi materia ſit multa, præparandam materiam, & aperiendos meatus, vt poſt a tota
materia poſſit purgari,ante ſcilicet omnimodam maturationem. Verum(quod ipſi credunt)non dicit,
eſſe minorandam materiam: ſed ita eſt intelligendus Auicennas, quod in quotidiana febre, id eſt, chro- E
nico morbo, non ſit exſpectanda integra digeſtio, vt vniuerſa ſimul materia vacuetur: ſed, cum Gale-
no de art.cur.ad Glauconem capite de curatione quartanæ, non ſemel, ſed ſæpe purgare liceat; neque
exſpectanda ſit integra digeſtio,& vniuerſalis maturatio, ſed per vices materia concoquenda, & expur-
ganda.

Hæc ergo prima eſt aduerſariorum ratio. Altera talis eſt.Si licet,imo neceſſarium eſt,purgare mate-
riam furioſam, quia periculum imminet,ne in partem aliquam principalem deueniat: multo magis vti
oportet pharmaco purgante, vbi materia habet actu raptum ad partem principalem, vt in paraphreni-
tide,in qua materia habet actu raptum ad cerebrum:& ita de reliquis materiebus, quæ habent raptum ad
partem principalem. Sed vbi materia furioſa eſt, licet dare pharmacum. Ergo etiam vbi habet raptum
actu ad partem præcipuam. F

Negatur conſequentia: nam vbi eſt materia furioſa, vt optime ſcribit Galenus quarto aphoriſmo-
rum 1.egemus tunc temporis aliquo leniente auxilio,manũ præbente: cum enim materia turgens tenuis
ſit,mobiliſque,vt huc atque illuc moueatur; nec reperiatur in corpore particula aliqua,quæ attrahat ma-
teriam furioſam;facile purgari poterit. Vbi autem materia habet raptum ad partem principalem: pars
ipſa vel ratione doloris,vel ratione caliditatis,attrahit materiam illam; vnde materia iſta non eſt ita obe-
diens vacuationi,vt furioſa: nam ſi datur pharmacum,attrahit materiam morbificam,tum pars illa,dolo-
re vel calore affecta,tum medicamentum purgans:ideoque vehemens eſt pugna. Quare maxima eſt dif-
ferentia inter materiam furioſam, quæ nondum inclinationem habet in partem præcipuam, & inter
materiam,quæ actu habet raptum. Sed quid eſt agendum?Num eſt permittendum,vt figatur materia in
partem principalem? Nequaquam: ſed ſi opportunum fuerit, poteſtis vti ſectione venæ: ſin minus,le- G
nientibus,manna,caſſia,&c. atque etiam his, quæ diuertere poſſunt,vt frictionibus, clyſteribus glandi-
bus,&c. non autem medicamentis minorantibus, ac electiue ducentibus: quia magis poteſt pars attra-
hens, quam vis medicamenti.

Tertia eſt ratio aduerſariorum: In febribus peſtilentibus, quamprimum fit euacuatio: ergo licet
dare pharmacum cruda adhuc exſiſtente materia. Nam in febribus peſtilentibus licet materia maligna
ſit,nõ tamen eſt furioſa:quia materia non dicitur furioſa,niſi huc atque illuc feratur.At maligna materia
quam-

quamprimum est euacuanda, vt confirmari potest ex Galeno, quincto method. duodecimo, & primo de differ. febr. capite quarto: vbi habet Galenus, correptos febre pestilenti euasisse, excreta materia per vomitum, & secessum, a principio. Ergo a principio fiebat vacuatio salubris: ideoque potest medicus a principio vacuare, etiamsi materia cruda sit.

Modernus, accipiens a Triuerio respondet, materiam venenosam expugnandam esse antidotis, nec danda medicamenta purgantia. Quæ solutio est falsa: nam euidenter aduersatur Galeno 11. method. quincto; vbi habet, materiam malignam, quæ non possit ad benignum statum reduci, statim purgandam esse per omnes vias, vt per lotium, sudores, deiectiones, &c. Et libro de constit. art. med. 19. dicit, materiam venenosam opus habere alterantibus, & vacuantibus. Propterea alio modo argumento satisfaciamus, dicentes, materiam venenosam, quamprimum esse purgandam, vt partes nondum infectæ non inficiantur. Nec argumentum aliquid facit: nam quamuis vacuetur materia venenosa cruda; illa tamen est materia cruda, de qua non loquitur Hippocrat. in aphorismo, quia Hippocrat. de illa materia cruda loquitur, quæ actum tantum excludit, non aptitudinem, at hæc materia cruda tum actum, tum aptitudinem excludit.

Præter has rationes, auctoritates innumeræ ab eis adducuntur: nos tamen aliquas saltem proponemus, & difficiliores, ex quarum solutione reliquæ facile dissolui poterint. Prima auctoritas est secundo aphorismorum vigesimonono: vbi dicit Hippocrates, *incoantibus morbis, si quid videtur mouendum, moue*, & Galenus in commento ait, in principiis morbi vtendum esse validis auxiliis, sectione venæ sæpius, nonnunquam vero & purgatione. Quare in principio pharmaco minorante est vtendum.

Testimonia, ab affirmantibus adducta: quæ explicantur.

Ad hoc duplex potest esse respondendi modus. Alter, Galenum sermonem habere de materia furiosa: quia dicit, nonnunquam purgandum: non enim semper illabitur materia furiosa. Sed instarent aduersarii, ibi Galenum non loqui de materia furiosa, cum dicat, quamprimum esse euacuandum, vt melius agat natura in residuum: at materiam furiosam concoqui non posse, nec habere residuum; quia quamprimum tota sit euacuanda: propterea ibi Galenum de materia furiosa non loqui. Dicimus, in morbo a materia furiosa dependente exhibendum esse pharmacum, vt vacuetur materia furiosa. Quoniam vero non est dicendum, morbum tantum dependere a materia furiosa; sed partim a materia furiosa, partim ab ea quæ in corpore fixa est: ob id, si est exhibitum pharmacum, & hæc materia furiosa explosa est, cessat mobilitas & furiositas materię; quia cum in maiori quanto sit maior virtus, & in minori minor; hinc est, quod materia illa quæ remanet minorem habeat malignitatem, & furiosa non sit; & ideo debet concoqui, vt postea natura fortior sit ad purgationem.

Secundus est modus respondendi, vt admittamus Galenum ibi non loqui de materia furiosa. Sed aduertendum, interdum in principiis morborum materiam in corpore exsistẽtem reperiri tum crudam, tum coctam. Quo respiciens Hippocrates, quarto de ratione victus quadragesimotertio, dicit, aliquando in principiis morb. apparere vrinas crassas, ac nebulosas: nam in corpore reperitur materia cocta, & cruda: & morbus a materia cocta nõ dependet, quoniam materia cocta non facit morbum, sed sola cruda materia. Vnde non credatis, morbum in corpore fieri a quolibet humore in corpore exsistente; sed ab hoc, & non ab illo. Et ob id obseruabitis aliquando in principiis morborum signa concoctionis, vt primo die: secundo autem & tertio non videbitis hæc signa concoctionis: non quod morbus a materia cruda non fiat; sed quia in corpore, quando inuadit morbus, est materia cocta, ideo in lotio apparent signa concoctionis. Hæc autem materia, si ita cocta est, vt tamen verti non possit in substantiam nutriti, purganda est: nam si relinquatur in corpore, non poterit cõseruari, sed erit caussa putredinis, vel putrescet ipsa, & sic augebit morbum. Si ergo in principio appareant cõcoctionis signa, & postea delitescant; curetis, vt hæc materia euacuetur: quia non permiscebitur cum cruda, & sic non augebit morbum. Vnde dicit Hippoc. incoantibus morbis, si quid videtur mouendum, moue, id est, si materia furiosa exstiterit, vel si materia aliqua concocta fuerit, ipsam euacua.

Secunda auctoritas est Hippoc. de ratione vict. vndecimo: Si dolores, inquit, sedare volueris, dabis helleborum, &c. Neque dici potest eum loqui de materia furiosa: quia dicit, si partes infernas dolor infestat: ergo non loquitur de materia furiosa & tamen a principio exhibet pharmacum.

Multi multa dicunt. Triuerius, quem sequuntur nonnulli, dicit, Hippocratem vti pharmaco, non ratione euacuationis, sed ratione reuulsionis, vt propterea Hippocrates in hoc vigesimosecundo aphorismo loquatur de euacuatione, non autem de reuulsione. Sed solutio hæc nullius est momenti. Nam vbi exhibetur pharmacum, siue sit simplex euacuatio, siue per locum oppositum; si supponamus hanc materiam crudam, supponimus nihil aliud, quam bonam materiam mistam cum mala: & ideo pharmacum nullo pacto exhibendum est; quia fient mali pulsus, inquietudines, syncopę, & alia perniciosa symptomata: cum materia non obediat vacuationi, quemadmodum materia furiosa, quæ ob id facile purgari potest, & debet. Cum igitur hæc materia non facile vacuetur, non debet dicere Triuerius ratione reuulsionis esse exhibendum pharmacum vi attrahens humorem. Præterea hæc solutio euidenter destruit sententiam Hippocratis: vbi dicit, dolore adscendente, secandam esse venam; descendente, exhibendum pharmacum. Sed quæ reuulsio est ista? Debebat dare pharmacum adscendente dolore, vt fieret recta reuulsio. Præterea, dolore adscendente materia est tenuior, quam dolore descendente, in quo est materia crassa, & grauis; & tamen materia descendente dat pharmacum: non ergo id fit gratia reuulsionis. Quare solutio hæc non potest consistere.

Quid ergo dicendum? Dicerem ego, non loqui de materia furiosa ibi Hippocratem: sed ideo tunc exhibere pharmacum electiue educens, quia in inflammatione possibile est, vt a principio concocta sit materia. Nec videatur hoc paradoxum: nam illud semper verissimum est, morbum a materia cruda depẽ-

dere. Sed aduertendum, materiam, quæ eſt in corpore, ratione cuius debet fieri inflammatio, poſſe bi- A
fariam conſiderari: vno modo, quatenus influxit ad locum inflammatum: & vt ſic eſt cruda, & eſt prin-
cipium inflammationis, & debet deduci ad ſuppurationem: altero modo conſiderari poteſt materia pro-
ut nondum in partem affectam fluxit, ſed exſiſtit adhuc in venis & corpore. Nam ſit corpus aliquod ſa-
num, in quo nulla ſit cruditas, & fiat in aliqua eius parte contuſio; ſine dubio fiet inflammatio: inflam-
matio autem fit ex materia cruda. Hæc materia in venis adhuc exſiſtens, dum eſt in fluxu, eſt concocta, &
ſic poteſt fieri morbus a materia concocta; ſed ad locum inflammatum delapſa eadem materia fit cruda,
ita vt ſuppuratione opus habeat. Si ergo, tali exſiſtente materia, fiat aliqua inflammatio, & exhibeatur
pharmacum a principio; tunc non expurgatur materia cruda, ſed cocta: quia poteſt eſſe materia cocta in
toto, quæ ad partem poſtea deueniens incrudeſcat. Dubitare autem poſſet aliquis, cur Galenus eo in loco B
aduerſetur Hippocrati: nam cum dicit Hippocrates, dolore deſcendente vtendum eſſe pharmaco, Gale-
nus dicit, rectius eſſe vtendum ſectione venæ. Non eſt dicendum, (vt nonnulli) Galenum contradicere
illi auctori. Nam cum Hippoc. dicat, dolore deſcendente, vtendum pharmaco; Galenus monet, vt opti-
mus interpres, aduertendum eſſe, cum dolor deſcendit, an adſit febris ingens, nec ne: & ſi ingens adſit fe-
bris, pharmacum exhibendum non eſſe; eo quod poſſibile ſit, vt pharmaco vel non fiat vacuatio, vel fiat
in maiori quam opus ſit, copia, maximo ægri detrimento. Si autem aperuerimus venam, non quidem
tantum ex ea iuuamenti habebimus, quantum ex pharmaco: ſed tamen non ita periculoſa erit ſectio ve-
næ, vt pharmacum. Quid autem voluerit Galenus per hæc, valde difficile eſt videre. Sed meo iudicio, cum
ſermo eſſet de pleuritide, quæ depẽdet a ſanguine in quanto & quali peccante; ibi ſermo ſit de ea pleuriti- C
de, in qua procedit Hipp. cum fomentis, cura tentatiua; quia in ea non fit inflammatio a plethora exquiſi-
ta: dum enim ſit pleuritis a maxima copia ſanguinis, quis ignorat hanc inflammationem fomentis ſedari
non poſſe? Sed ita clarum non eſt, vtrum dolor pleuriticus a plethora notha dependens id eſt, a materia in
quanto & quali peccante, poſſit per fomenta ſedari. Loquitur ergo Hipp. de pleuritide a plethora notha:
& ideo procedit cura tentatiua, per fomenta: quia non licet vacuare materiam, niſi dolor mitigetur: dolor
autem mitigari non niſi per fomenta poteſt. Vbi autem dolorem mitigare non poterimus fomentis: tunc
dolore adſcendente ſecanda eſt vena; deſcendente vtendum eſt pharmaco: non faciendo euacuationem
per locos remotos: quia ſi per locos remotos hanc faceremus euacuationem, tũc poſſibile eſſet, maiorem
eſſe vim loci affecti in attrahendo, quam vim medicamenti quo vtimur in parte longinqua. Ob id obſer-
uandum eſt in praxi, ſi E. C fuerit dolor inſignis in hepate, non euacuandum per loca diſtantia, ſed vici-
na, diuertendo tantum. Huc ergo reſpiciens Galenus, dixit, dolore deſcendente cum Hipp. pharmaco eſſe D
vtendum; quia ſimul & ſemel fiat euacuatio, & doloris ſedatio, vnde maximum iuuamentum ægro ſucce-
dat: ſed ſi aperiatur vena cubiti, dicit hanc vacuationem eſſe per magis remota loca, & ideo minus com-
modi præſtare. Quod autem Galenus & Hippocrates de hac vacuatione loquantur, cuius beneficio non
modo deriuatio, ſed euacuatio fieri poſſit, clarum eſt: quia præcipiunt, vt vacuatio fiat vſque ad mutatio-
nem ſanguinis.

Propterea concludentes dicimus, ſi in corpore adſit inflammatio, coniectandum eſſe an in corpore
ſit materia furioſa: ſi enim adſit, ea ſtatim pharmaco eſt educenda: ſi non adſit, ſecanda eſt vena. Quod ſi
fuerit inflammatio a ſanguine dependens, vel hic in quanto peccabit, & tunc ſtatim erit ſecanda vena: vel
in quanto, & quali ſimul, & tunc poterimus vti euacuatione tum per pharmacum, tum per ſectionem ve-
næ; quia dependet a plethora notha, & a cacochymia notha. Quod ſi fuerit talis inflammatio in parte ſu- E
periori, ſecanda eſt vena, & etiam dandum eſt phamacum: nam ſimul & vacuabimus, & dolorem mitiga-
bimus. Si autem dolor deſcẽdat, conſiderandum an adſit febris ingens, vel non: ſi adſit, non eſt cum Hip-
pocrate helleborum dandum, nec medicamenta ex colocynthide, &c. quoniam Galenus conſiderauit
hanc inflammationem non a bile, ſed a ſanguine bilioſo, vel melancholico, vel pituitoſo dependere. ideo-
que ſecari venam iubet: at ſi conſideraſſet a bile vel pituita eam dependere, non ſecuiſſet venam, ſed phar-
macum exhibuiſſet. Si autem ingens non adſit febris, medicamentum purgans dandum eſt tuto, tum ſe-
cundum Galenum, tum ſecundum Hippocratem.

Alia eſt auctoritas 4. de ratione vict. 64. vbi habet auctor ille, qui eo in loco probatur a Galeno, circa
diem quinctum licere ſcammonio corpus mediocriter purgare, vbi venter murmurauerit. Ergo ibi vti-
tur ſcammonio, medicamento electiue trahente, ante concoctionem: dicit enim Galenus ſermonem eſſe F
de his morbis, in quibus materia non poteſt eſſe concocta ante diem quinctum.

Reſpondendum, ibi Hippocratem ſermonem habere de materia furioſa: nam ibi habet ſermonem
de purgatione eorum corporum, de quibus ſexageſimatertia particula eſt locutus: vbi proponuntur æ-
gritudines quæ modo circa pedes & crura, modo circa genua, modo circa fauces moleſtabant, & inter-
dum ſuffocabant ægrum. Ergo loquitur de materia, quæ modo in vnam, modo in alteram partem ſer-
pebat, id eſt, de materia furioſa; & ideo recte poterat præcipere, vt ante quinctum diem fieret purgatio.
Sed difficultas in hoc conſiſtit, quod dicit ſcammonio vtendum, ſi venter murmurauerit; ſi vero non
murmurauerit, a medicamentis abſtinendum. Vnde videtur, eſſe ſermonem de materia furioſa; & ſic cõ-
cedenda minorantia: nam ſi ſermo ſit de materia furioſa, ſequitur, quod ad materiam furioſam requira- G
tur illa conditio, vt ſit murmur in ventre. Et tanta fuit hæc difficultas, vt quidam dixerint Hippocratem
ibi loqui de materia furioſa, improprie accepta. Sed ſi hæc materia nunc ad hanc, nunc ad illã partẽ vergit:
ergo exquiſitiſſime furioſa eſt, & non improprie. Vnde ego hunc in modum eſſe intelligendam illam au-
ctoritatẽ opinor, vt ſit ſermo de materia furioſa in illis morbis, de quib. ſexageſimatertia particula egit, vbi
ꝓponit materiã furioſam ſanguineam, & bilioſam: ſanguineã, vbi ait, interdũ ſanguinem e narib. fluere: in
bilioſam, dicit, apparere deiectiones bilioſas. Cũ hanc ergo propoſuiſſet materiã furioſam, ſubiungit par-
ticu-

A ticula 64.materiam furentem bilioſam eſſe ſcammonio purgandam, in ſanguinea a medicamentis abſti-
nendum,& ſecandam venam. Quodque hoc voluerit Hippocrates,clarum eſt:quia dicit,ante quinctum,
ſi venter murmurauerit,& deiectiones bilioſæ fuerint,purgandum. Per hæc enim nihil aliud intelligere
Hippocrates voluit,quam materiam furentem bilioſam : perinde ac ſi dixiſſet; in morbis pendentibus a
materia bilioſa furente ante quinctum diem ſcammonio vtendum. Vnde non facit contra nos auctori-
tas,nec eſt ponenda illa diſtinctio de materia furioſa.

Alia eſt auctoritas Galen.in lib. quos & quando,&c.vbi dicit,tempus purgandi oſtendere humores
peccantes:nam ſi humores fuerint craſſi,& viſcidi;vt pituita,& atra bilis,concoctio eſt exſpectanda, ſi te-
B nues,& ſeroſi,inter initia erunt vacuandi:tenues autem humores non eſt dubium eſſe crudos.

Dicunt nō nulli,hoc loco per tenues,& aquoſos humores intelligendos eſſe ichores ſeroſos,qui non
ſint concoquendi,ſed quamprimum vacuandi:non ergo eſſe ſermonem de humoribus,ſed de ichoribus,
propterea hos a principio euacuandos. Sed hæc expoſitio conſiſtere non poteſt, & duplex eſt error. Pri-
mus: Galenum hic per humores tenues & ſeroſos intelligere ichores : nam intelligit humores bilioſos.
Reliquus error eſt;in ichoribus non eſſe exſpectandam concoctionem. Primum errorem oſtendo:nam
dicit Galen.non licet euacuare humores craſſos & tenaces, vt melancholiam, & pituitam, ſed humores
tenues. Si ergo in prima parte de humoribus, etiam in ſecunda: ideoque per humores tenues bilem in-
telligit. Nec valet,intelligendos eſſe ichores,non humores; eo quod dicat tenues, & ſeroſos,ac per ſero-
ſos excludi bilem:nam ſimiliter dicerem, Galenum habere, humores craſſos & tenaces eſſe concoquen-
dos,ergo humores,qui craſſi tantum ſunt,non tenaces, non eſſe concoquendos, cum ſimul vtrumque
C iungat Galenus:hoc tamen non valet,quia humores craſſi,licet non ſint tenaces,concoquendi ſunt. Se-
cundus error eſt;quod ichores non admittant concoctionem. Dicebat enim Galenus 2.de ratione vict.
44.ichores interdum eſſe crudos, interdum coctos: ergo ſi crudi ſunt, ſunt concoquendi,non quidem
vt nutriant,ſed vt expurgentur. Verum dixerunt aliqui,ibi Galenum loqui de materia furioſa. Sed hæc
nimis voluntaria reſponſio eſt: quia de craſſitie & ſubtilitate materiæ loquitur Galenus, non de materia
furioſa,vel non furioſa.

Alii dixere,librum illum non eſſe Galeni; in quorum numero ego ſum: quia fere plurima in eo li-
bro reperiuntur,quæ alibi ſunt propoſita. Licet vero Galeni non ſit, eſt tamen cuiuſdam eruditi viri: &
ob id pro reſponſione dicerem,illum auctorem non reſpexiſſe ad veram concoctionem, ſed ad præpara-
D tionem potius: nam ſæpe etiam Galenus per concoctionem præparationem intelligit, vt quincto apho-
riſ.70.vbi dicebat,calorem febrilem cōcoquere pituitam:quod falſum eſt, quia concoctio fit a calore na-
turali,non febrili:& ideo per concoctionem intelligit præparationem. Talis ergo eſt ſenſus iam citati lo-
ci:ſi craſſi & tenaces ſint humores,debent præparari;quia præparatio cōſiſtit in attenuatione craſſitiei, &
deterſione viſciditatis:ſi autem tenues fuerint humores, non habent opus præparatione, quia iam præ-
parati ſunt,& propterea licet quamplurimum huiuſmodi humores expurgare,id eſt,quamprimum cocti
ſunt,nimirum inter initia. Per principium autem non intelligit principium,vt a reliquis morbi tempori-
bus diſtinguitur,ſed tres primos dies,in quibus,ſi humores ſeroſi,& bilioſi fuerint,non egemus præpara-
tione,ratione ipſorum,ſed ratione viarū:cum autem craſſi fuerint humores,egemus præparatione, tum
ratione humorum,tum viarum. Quare non aduerſatur Hippocrati hæc auctoritas.

E Eſt alia auctoritas Galeni,primo de compoſitione medic.ſecundum loca, cap.2.& alibi:nam is ado-
leſcentem quendam,alopecia detentum, curauit, prima ſtatim viſitatione exhibito medicamento ex co-
locynthide, nulla alia facta concoctione: & hac purgatione ſanatus fuit adoleſcens, ſine aliqua appoſi-
tione medicamentorum localium.

Pro intellectione harum,& ſimilium auctoritatum,dicendum,materiam, quæ in corpore eſt,bifa-
riam poſſe conſiderari:vno modo,vt eſt in toto concocta, & in parte cruda; reliquo vero modo,vt eſt in
parte cōcocta,& in toto cruda. Materiam in toto crudam,ac in parte coctam,proponit 1.epid.ſect 2.com.
84.Gal.vbi cum Hipp.propoſuiſſet eos infirmos,in quibus apparuerūt parotides,quæ ad ſuppurationem
deuenere,qui mortui ſunt:Galenus vult reddere rationē huius, quod præter rationem videtur,quia cum
ſigna concoctionis apparent,incolumes ægri ſunt,cum concoctio ſalubritatem ac ſecuritatem indicet,&
F ideo dicit Galenus in iis morbis, quia materia actu faciens parotides concocta erat, materia vero in toto
corpore exſiſtens cruda,aliquos mortuos fuiſſe : ſicuti videmus etiam aliquos in declinatione variolarum
mori,quia materia cruda eſt in toto corpore. Sed videri poſſet abſurdum,materiam in toto eſſe crudam,ac
concoctam in parte : quia in vaſis magnis magis viget calor, quam in aliis partibus, vnde potius oppoſi-
tum deberet fieri. Sed notandum hoc fieri poſſe:nam materia in toto exſiſtens,poteſt differre ab ea quę in
parte eſt,duplici differentia: primum enim poteſt eſſe materia in toto copioſiſſima, in parte modica:de-
inde vbi materia expellitur a toto ad partem,credendum eſt expelli illam materiam,quæ magis concocta
eſt;& ideo in venis magnis poteſt eſſe materia cruda, quæ permiſta ſit cum bona: & hinc,cum in parte ſit
cocta materia,in toto cruda,facilius ſuperatur materia pauca & ſemicocta,quam multa & cruda. Altero
modo poteſt eſſe materia in toto cocta, & in parte cruda: qualis erat materia, de qua Galenus loquitur
G quarto method.quarto. Sed videtur impoſſibile, materiam eſſe coctam in toto,& non coctam in parte.
Nos vero aſſerimus, hoc duplicem ob cauſſam fieri poſſe: nam quoties materia tranſmittitur a toto ad
partem, poſſibile eſt partem eſſe imbecillem : ſecundo poſſibile eſt vt in partem illam alliciatur materia
multo copioſior,quam conueniat illi particulæ; vnde oritur cruditas in illa parte, licet in toto ſit conco-
ctio. Sicuti enim quando vel ad aliquod membrum peruenit maior copia alimenti, quam debet, vel pars
illa eſt imbecillis, alimentum illud incrudeſcere neceſſum eſt; ita & materia eſſe poteſt in parte cruda,
in toto cocta; vel ob imbecillitatem, vel ob nimiam copiam. Et ob id primo de compoſitione medica-

mentorum ſecundum loca, loquens Galenus de adoleſcente illo boni habitus, in quo calor vigebat, dicit, cum praua aliqua non potuiſſent regulari a calore natiuo, tranſmiſſa fuiſſe ad caput, quod eſt pars imbecillis, & excitatam fuiſſe alopeciam: hincque vſus pharmaco eſt Galenus, quia materia in toto concocta erat: quæ vbi vacuata fuit, poſtea, inſtituta optima virtus ratione, potuit reliquum quod in capite erat natura expurgare; quia per caput ſolet ſatis bona materiæ copia purgari. A

Vltima vero eſt auctoritas ex tertio epidemiorum, ſectione 3. commento ſeptuageſimoſexto: vbi dicit, in vehementibus doloribus, ſi non poſſint dolores ſedari, quamprimum pharmaco vtendum eſſe electiue ducente. Quam auctoritatem cum vidiſſet Donatus Antonius Altimarus, dicit, quod liceat ob dolores a principio vti pharmaco electiue ducente, de Galeni ſententia primo aphoriſmorum vigeſimotertio, vbi ait, in maximis doloribus nullum præſtantius remedium eſſe, quam euacuare vſque ad leipothymiam; adhibita diſtinctione, num id ſectione venæ, an pharmaco ſit faciendum. B

Sed dicerem ego, nulla ex parte dilacerans ſententiam Hippocratis, nequaquam deueniendum ad medicamentum electiue trahens, niſi materia concocta ſit, dummodo non turgeat. Vnde pro auctoritate propoſita ſciendum, ſi ſit dolor in corpore vehemens, qui non poſſit fomentis ſedari: tunc eſſe conſiderandum, an materia excitans dolorem ſit ſanguinea, vel a natura ſanguinis recedens. Si materia eſt ſanguinea, apertum eſt iter operandi. Si autem eſt recedens a natura ſanguinis: conſiderandum eſt, an cocta ſit, vel cruda. Si cocta, eſt purgandum. Si autem cruda, conſiderandum an hæc materia cruda reperiatur in primis viis, & inteſtinis, ac ventriculo; an potius in venis magnis, & remotis. Si eſt in primis viis, quamprimum eſt vacuanda hæc materia: ſed lenientibus medicamentis, non ſoluentibus, nec electiue ducentibus: quia materia iam eſt attracta, & ſufficiunt lenientia pro euacuatione. Sed ſi fuerit materia in locis longinquis, neque tunc vtendum pharmaco electiue ducente: quia non habemus naturam adiuuantem, ſed contra potius operantem; nam in parte dolore affecta fit attractio, quæ eſt contraria pharmaco attrahenti. Auctoritas autem Galeni ſano eſt modo intelligenda, id eſt, ſeruatis ſeruandis: & ſemper debemus oculos dirigere ad principalem ſcopum auctoris. Dicit autem ibi Galenus, nullum præſtantius eſſe remedium in doloribus a ſanguine, quam ſecare venam, & mittere ſanguinem vſque ad animi defectum. Supponamus modo, aliquem affectum dolore ingenti ex ſanguine: valet ne illatio: hic laborat dolore ingenti ex ſanguine: ergo ſecanda vena? Non profecto: nam poteſt eſſe taliter affectus ſenex, & puer, quibus nullo pacto ſecanda vena eſt. Quod ſi fuerit dolor pendens a materia recedente a natura ſanguinis, & fomentis non ſedetur hic dolor; debemus purgare: ſed ſeruata regula Hippocratis, vt non niſi cocta ducamus: nam ſi voluerimus, materia exſiſtente cruda, expurgare corpus, moleſtia afficiemus, ac erimus magis detrimenti, quam auxilii cauſſa. C D

Ideo manet huc vſque regula Hippocratis vera, quod ſolum liceat purgare materiam coctam, crudam autem neque purgare liceat, neque etiam in principiis, niſi turgeat.

APHORISMVS XXIII.

Deiectiones nõ multitudine ſunt æſtimandæ, ſed ſi talia deiiciantur, qualia conueniunt, & ægri facile tolerant. Atque vbi vſque ad animi defectum expedit ducere, faciendum; ſi æger poſſit tolerare. E

D*Eiectiones non multitudine, &c.* Hoc aphoriſmo fortaſſe non reperitur alius difficilior: ideo omni diligentia eſt explicandus.

Scopus. Quantum ad ſcopum aphoriſmi, clarum eſſe debet, inſtitutum eſſe Hippocratis, ſermonem habere de Quantitate vacuationis: nam vult Hippocrates docere, vſque ad quam quantitatem ſit purgandus humor peccans: quia de hac quantitate, vt dicit Galenus, hucuſque non eſt habitus ſermo. Verum poſſet quis ambigere, cum Galenus dixerit in ſuperioribus aphoriſmis, Hippocratem ſecundo egiſſe aphoriſmo de qualitate humoris, tertio de quantitate: cur hic dicat, hucuſque non eſſe de quantitate actum? Sciendum igitur, Hippocratem ſecundo aphoriſmo ſermonem habuiſſe de humore in quali peccante; tertio, de humore non in quali, ſed in quanto peccante: quia ſecundo, de cacochymia exquiſita, tertio, de plethora itidem exquiſita voluit loqui: at hoc aphoriſmo ſermo eſt de quantitate purgandi humoris, qui in quali peccat. Secundo igitur aphoriſmo locutus eſt de inuentione huius auxilii, nimirum medicamenti purgantis; vigeſimoſecundo locutus eſt de tempore, quo vti debemus hoc inſtrumento: at in hoc aphoriſmo vult loqui de quantitate illius auxilii. Quare diuerſa eſt hæc quantitas ab ea, de qua egit tertio aphoriſmo. Fundamentum huius inſtituti cum Galeno tale eſſe poteſt: quia non ſufficit ſcire, eſſe vtendum pharmaco, & quo tempore, & per quæ loca ſit vacuandum: ſed etiam opus eſt ſcire, qua quantitate debeat fieri talis vacuatio: nam ratione multæ materiæ copioſa conuenit vacuatio, ratione modicæ materiæ, modica vacuatio. F

Artificium. Verum licet habeatis Hippocratis inſtitutum, tamen non habetis qua arte Hippocrates proponat quantitatem humoris purgandi. Ideo Galenus, vt oſtenderet Hippocratem de more dogmatice proceſſiſſe, id eſt, in virtute indicantium, & coindicantium; dicit, Hippocratem non modo reſpicere ad qualitatem humoris peccantis, ſed ad duo, nimirum ad qualitatem, & ad virium tolerantiam, vt innueret Galenus, Hippocratem agere de quantitate purgandi humoris, ſumta indicatione a qualitate peccantis humoris, & coindicatione a virium tolerantia. G

Sed

Sed hic oritur maxima difficultas: num quantitatem vacuationis debeat indicare qualitas humoris
peccantis, vel eius quantitas: nam qualitas videtur tantum indicare esse purgandum, vt ex Galeno & Hip-
pocrate colligitur, in secundo aphorismo; quantitas autem quantitatem indicare debet, expresse dicente
Galeno in commento, quod modica materia modicam vacuationem; multa multam vacuationem in-
dicet. Multi multa dicunt: nos autem tantum veritatem proponemus. Cuius veritatis fundamentum
potissimum desumitur ex dictis Montani, quamuis nemo fuerit, qui hanc veritatem proposuerit ad men-
tem Montani. Fundamentum autem tale est. Sermo de quantitate purgationis potest esse duplex : vel e-
nim consideramus quantitatem Ante purgationem, vel Tempore purgationis. Si consideremus quan-
titatem ante purgationem, nemini dubium, quod hæc quantitas indicetur a quantitate humoris: quia si
B modicus est humor, modica debet esse euacuatio, &c. Si autem consideremus quantitatem vacuatio-
nis, ratione purgationis quæ actu fit, hæc non sumitur a quantitate, sed a qualitate humoris peccantis, vt
permittatur, catenus progredi purgationem, quatenus perdurat humor noxius; &, si non amplius pur-
getur humor noxius, supprimatur vacuatio. Quod pariter habetur ex tolerantia virium: si enim non
fuerit virium tolerantia, statim vacuatio prohibenda. Si ergo sermo sit de quantitate vacuationis eo tem-
pore quo fit, talis non a quantitate, sed a qualitate humoris peccantis, & a virium tolerantia, sumitur. Et de
hac loquens Hippocrates, dicit, quod ea, quæ eiiciuntur, non ratione multitudinis sint metienda, sed si ta-
lia deiiciantur, qualia debent deiici; & si vires tolerent.

Quare, artificiosissime progrediens Hippocrates, considerauit in vacuatione, non modo quæ ante Connexus cum superioribus.
purgationem sint facienda, sed quæ etiam tempore purgationis. Quemadmodum enim supra in sectio-
C ne venæ non modo proposuit quantitatem sanguinis ante sectionem venæ, sed etiam tempore ipsius se-
ctionis; & ob id tertio aphorismo non modo proposuit cheirurgiam, sed admonuit etiam vacuandum es-
se sanguinem in multa copia, propter plethoram illam exquisitam: ita etiam de humore in quali peccan-
te dicendum. In venæsectione nimirum quantitas vacuationis ante vacuationem, sumitur a quantitate
sanguinis; sic quantitas humoris purgandi ante purgationem, sumitur a quantitate humoris peccantis;
sed tempore euacuationis, a qualitate; de qua nunc hoc in loco loquitur Hippocrates. Maximo igitur ar-
tificio procedens Hippocrates, cũ primo sit consideranda quantitas ante vacuationem, deinde tẽpore va-
cuationis; ideo tertio aphorismo cum proposuisset quantitatem humoris purgandi ante vacuationem,
hic proponere voluit quantitatem eiusdem in ipsa vacuatione.

D Maxima autem necessitas horum est tum in sectione venæ, tum in pharmacia. Nam primo ad Glau-
conem capite de cur. quartanæ, considerans Galenus, quousque debeat progredi vacuatio tempore va-
cuationis, dicit, si sanguis sit crassus & niger, permittendum esse, vt fluat; si autem tenuis fuerit & flauus,
seu ruber, supprimendam esse vacuationem, quia non euacuetur illa materia, quæ debeat vacuari. Ideo
dat præceptum hic Hippocrates, tempore vacuationis modo continuandam esse euacuationem, modo
non.

Canon etiam hic in pharmaco obseruandus. Galenus enim quarto aphorismorum decimoquin-
to, & Hippocrates, dum exhibent helleborum eo fine vt operationem faciat, iniungunt corpori motum:
volentes autem cohibere vires eius, dum cernunt non euacuari humorem qui debet euacuari, pręcipiunt
quietem. Et Mesueus in re medica præstantissimus, principio sui canonis, vbi de ὑπερκαθάρσει loquitur, do-
E cet, qua ratione sit progrediendum, quando dantur medicamenta, quę non expurgant humores quos de-
bent expurgare.

Quare institutum Hippocratis est, agere de quantitate purgationis, sumta indicatione a qualitate
humoris peccantis, & coindicatione a virium tolerantia. E quo scopo colligi potest, ita connecti hos a-
phorismos, vt firmius connecti non possint. Quispiam enim rationem requiret, cum Hippocratis sco-
pus sit, agere de modo administrandi pharmacum, qui his capitibus absoluatur. Vbi agendum, Quando,
& Quantum, cur prius docuerit Vbi agendum, secundo Quando, tertio Quantum. Cui respondemus,
eum aliter progredi non potuisse: nam incepit ab Vbi agendum; quoniam agens de locis, per quæ debet
fieri purgatio, vna etiam proposuit, an debeamus dare medicamentum educens per secessum, vel vomi-
tum, vel per vrinam, &c. Quare cum primo debeamus scire, an hoc vel illo medicamento sit vtendum;
F deinde quando, & quantum ex hoc medicamento sit vtendum: ob id Hippocrates de locis, per quæ debet
fieri vacuatio, locutus est prius, & de tempore, ac de quanto loqui postea voluit. Sed cur prius de tempore
quam de quando? Quia considerauit Hippocrates, quoties est vtendum hoc vel illo pharmaco, prius esse
cognoscendum, quo tempore sit exhibendum pharmacum; deinde in qua quantitate sit exhibendum (de
quantitate loquimur, quæ fit tempore purgationis,) & ideo ante quantitatem de tempore loqui voluit.
Hæc de instituto præsentis aphorismi.

Quo ad diuisionem: hæc est difficillima, & maximi momenti: quoniam ex diuisione postea patebit Diuisio aphorismi secundum recentiorẽ.
intelligentia aphorismi. Modernus voluit hunc aphorismum esse partem enthymematis: quia habet sen-
tentiam, & rationem propositam, ibi: *vsque ad animi defectum.* Et propterea voluit ex diuisione Moder-
nus talem haurire sensum. Si, quod minus videtur faciendum, facit medicus; ergo multo magis debet fa-
cere id, quod magis videtur faciendum. Sed minus videtur æger vacuãdus vsq; ad animi defectum: quam
G vsque ad virium tolerantiam, & tamen interdum vacuatur vsque ad animi defectum: ergo multo magis
debet vacuare medicus, vsque ad virium tolerantiam.

Sed in his dictis tot sunt errata, quot verba. Nam quando dicit, hanc sententiam esse partem en-
thymematis, hic falsitas est satis euidens: nam vbi est pars enthymematis, habetur ratio seiuncta, vel
anteposita, vel postposita: & ratio solet seiungi per particulas denotantes caussam, vt Quoniam, E-
nim, Quare, &c. Sed Hippocrates dicit: *Atque vbi ad animi defectum;* Particula autem hæc, Atque si-

gnificat potius aliquod corollarium, quod ex prædictis infertur, quam quod ſignificet rationem. Præterea ſenſus eius admitti non poteſt. Nam ſecũdum eum voluiſſet Hippocrates, meliorem eſſe vacuationem vſque ad virium tolerantiam, quam quæ vltra virium tolerantiam, eſt. Verum nemo eſt qui ignoret, non debere fieri vacuationem vltra virium tolerantiam: & iſte tamen vult non modo id dicere Hippocratem, ſed probare. Quod non eſt dicendum de tanto viro. Planum vero eſſe poteſt, non eſſe ad hoc adductam probationem Hippocratis: nam Hippocrates videtur ex probatione innuere vacuationem vſque ad animi defectum videri vltra virium tolerantiam, non tamen eſſe. Ergo id quod ſecũdum hanc expoſitionem infertur, falſiſſimum eſt: nam vacuatio vſque ad animi defectum nõ eſt vltra virium tolerantiam, ſed cum tolerantia virium: & ideo nõ poteſt hoc in probationem ſumere Hippocrates. Ob id Moderni dictum conſiſtere non poteſt.

Diuiſio ſecundum auctorem. Nos autem dicimus, in hac parte eſſe duos aphoriſmos, qui inuicem connectuntur: quorum vterq; eſt ſententia ſine prolata ratione. Differentia autem eſt; quia primus aphoriſmus eſt principaliter ab Hippocrate propoſitus; quia loquitur in eo de quantitate purgationis humoris in quali peccantis: loquitur enim hic de pharmacia, non de cheirurgia, atque diæta: & cum in prima parte de purgatione loquatur, ideo principaliter propoſitus eſt ille ſermo. Secundus vero aphoriſmus, eſt ſecundario propoſitus, id eſt, per viam corollarii; & ideo dicit. *Atque*; vt denotet eſſe ſecundario propoſitum aphoriſmum: quia ibi ſermo eſt de cheirurgia: nam cum in præſenti inſtitutus ſit ſermo de pharmacia, ſi de cheirurgia loquitur, ſecundario id facit, & per viam ſequelæ.

Senſus. Ex his facile eſt haurire ſenſum aphoriſmi: qui talis eſt. In purgatione non debemus excrementa cõſiderare penes multitudinem, ſed opus eſt animum vertere ad qualitatem humoris; vt ſcilicet eo vſq; producatur vacuatio, quouſque purgabuntur humores noxii, morbum efficientes, & quouſque vires infirmi purgationem tolerant. Ex his per viam corollarii ſequitur, in morbis, in quibus licet euacuare ſanguinem vſque ad animi defectum, illud fieri debere ad virium tolerantiam.

Explicatio primæ partis aphoriſmi. Dicit autem Hippocrates: *Deiectiones non multitudine, &c.* Deiectiones proprie dicuntur, quæ per aluum emittuntur: quę cum non expurgantur a natura, neceſſarium eſt eas ducere beneficio medicamenti electiue trahentis.

Dicit, *Non multitudine ſunt æſtimandæ, ſed ſi talia deiiciantur, qualia conueniunt, & ægri facile tolerãt*; id eſt, quando fit vacuatio non debemus conſiderare an multa vel pauca deiiciantur, ſed num illi expurgentur humores, qui cauſſæ erant morbi: tunc enim bona erit vacuatio.

Poſtea proponit Hippocrates coindicantia, id eſt, virium tolerantiam. Aduertendum vero cibum & ſomnum eſſe conſideranda poſt euacuationem: nam poſt purgationem ægri ſunt cibandi, poſt cibationem autem dormire debent. Vnde ſi conſequatur ſomnus, tunc eſt indiciũ optimæ purgationis, non quæ fit, ſed eius quæ facta eſt. Quod ſi vigiliæ ſequantur, vel ſomnus moleſtus, indicant, purgationem factam malam potius quam bonam eſſe. Proponit ergo Hippocrates quantitatem purgationis, in virtute humorum qualitate peccantium, indicantium, & virium coindicantium.

Secundæ partis aphoriſmi explicatio. *Atque vbi vſque ad animi defectum*, &c. His verbis includitur ſecundus aphoriſmus huius partis, in quo Hippocrates per viam corollarii proponit quantitatem vacuationis in ſectione venæ. Ad quem ſcopum reſpiciens Philotheus, dicit, Hippocratem tranſire a purgatione ad euacuationem. Per quæ verba ſignificare voluit Philotheus, Hippocratem nunc velle loqui per corollarium, & ſecundaria intentione de vacuatione materiæ ſanguineæ, quæ fit ſectione venæ.

Pro expoſitione autem huius partis duo Galenus declarat: primo, quid ſit intelligendum per animi defectum, deinde in quibus caſibus, & in quibus affectibus præter naturam conueniat vacuatio vſque ad animi defectum. *Leipothymia quid, & eius cauſſa.* Quantum ad primum attinet, per defectum animi non intelligit ſyncopem, ſed leipothymiam. Differentia enim eſt inter ſyncopem, & leipothymiam: quia in ſyncope vires non diminuũtur, ſed auferuntur; in leipothymia non auferuntur, ſed diminuuntur. Propterea falſo aſſerunt recentiores, in defectu animi auferri tum ſenſum, tum motum: hæc enim auferuntur nõ in leipothymia, ſed in ſyncope. Leipothymia autem via eſt ad ſyncopem: quæ fieri diuerſas ob cauſſas poteſt in ſectione venæ. Fit autem, refugiente cum impetu calore ad partes internas, tempore ſectionis venæ: vel quia hi, quibus aperitur vena timent: vel quia orificium ſupernum ventriculi male afficitur; ſiue ſuccus eo ante defluxerit, ſiue confluat tẽpore ſectionis venæ: vel ob ſanguinis inſpectionem, vt ſi ſteterint, vel ſederint infirmi, & ideo Galenus monuit, dum aperitur vena, decumbendum infirmis, ne vel ſtantes vel ſedentes videant fluentem humorem: vel etiam poteſt accidere animi defectus ob multam copiam ſanguinis, qui euacuatur. Cum ergo multis modis in ſectione venę accidere poſſit animi defectus; hic de eo, qui per euacuationem fit, tãtum loquitur Hippocrates: nam terminus vacuationis conſtituit animi defectum, id eſt, leipothymiam, vltra quam tranſeundum non eſt.

Signa animi defectus ſuperuenturi phlebotomię. Sed quomodo cognoſcere poſſumus leipothymiam, vt ea cognita repente poſſimus prohibere fluxum ſanguinis? Dicit Modernus, hoc poſſe cognoſci ex mutatione tum in pulſu, tum in colore ſanguinis qui extrahitur. Ex mutatione in pulſu; vt, vbi ex magno fit paruus, ex æquali inæqualis, &c. ex veloci tardus, &c. Ex mutatione autem in colore ſanguinis, quoties mutatur color ſanguinis. Monet autem Modernus hoc habere veritatẽ, quoties aperitur vena proxima loco affecto: in remota enim nõ eſſe exſpectandam mutationem ſanguinis. Sed hæc, quæ dicit Modernus partim vera, partim falſa ſunt. Nam quæ de pulſu dicuntur admitti poſſunt. Quod autem ſit exſpectanda mutatio in colore, ſi pars propinqua fuerit, non ita verum eſt. Declarauimus enim in diſcurſu de ſectione venæ, exſpectandam eſſe mutationem ſanguinis, vbi vires admittunt: ſiue pars affecta remota, ſiue proxima fuerit, ſiue etiam nulla pars determinata ſit affecta. Nam vbi eſt aliqua pars determinata affecta, & ſecanda eſt vena proxima loco affecto; debet

exſpectari

A exſpectari mutatio coloris in ſanguine ex bono ad malum, vt ſcilicet ex claro niger fiat ſanguis: ita quippe ſecundo de ratione victus decimo Hippocrates mittit ſanguinem in pleuritide vſque ad mutationem. Vbi vero non eſt pars determinata affecta, debet exſpectari vſque ad mutationem ſanguinis, vt poſt malum bonus appareat ſanguis; cum autem incipit apparere bonus ſanguis, ſtatim ſedanda eſt vacuatio. Vnde non valet quod dicitur a Moderno, ratione vacuationis e proxima vena. Præterea eſt alius error: quia mutatio ſanguinis non eſt idem cum leipothymia: nam ſi fuerit corpus aliquod robuſtum, fieri poteſt vacuatio vſque ad mutationem ſanguinis, non ſuperueniente leipothymia: in corpore autem debili etiam ante mutationem ſanguinis leipothymia fieri poteſt. Ideo non deuenietis in cognitionem leipothymiæ ex mutatione ſanguinis; ſed ex mutatione in pulſu, & ex mutatione coloris, non in ſanguine, ſed in
B facie ægrotantis palleſcente; & ex mutatione caloris cutis: nam partes extimæ frigidæ fiunt ob reuocationem caloris; inſuper ex relatione infirmorum, quia aſſerunt ſe percipere veluti obtenebrationem oculorum; in leipothymia enim loquuntur ægrotantes, in syncope vero minime.

Qui affectus requirant venæſectionem ad leipothymiam.

Conuenit autem vacuatio vſque ad animi defectum in tribus caſibus: ſcilicet in ardentiſſimis febribus, in vehementiſſimis inflammationibus, & in maximis doloribus. Montanus (vt adderet aliquid Galeno) dicit, dari quartum caſum, nimirum febrem ſynochum. Quæ additio, (vt opinor) nullius eſt momenti. Nam cum Galenus proponit febres ardentiſſimas, nihil aliud proponit niſi ſynochos: nam in his, vt dicit nono & decimo methodi, vſque ad animi defectum licet ſanguinem vacuare: & ſecundo de differ. febr. ſecundo, ac ſecundo de criſ. ſexto ſynochos, febres de genere ardentium facit: Quare cum dicat hic, euacuationem vſque ad animi defectum conuenire ardentiſſimis febribus, nulli dubium quod
C intelligat ſynochos: ideo additio Montani falſa. Neque per febres ardentiſſimas poteſt quis intelligere exquiſite ardentes, id eſt, bilioſas: nam in febre bilioſa, & ardente exquiſita, nequaquam licet ſanguinem mittere: nam periculum eſt cum Auicenna, in cura putred. in communi, in cap. de phlebot. & cum Gale. 1. de tuend. 4. ne incurremus in cholericorum ebullitionem: hoc autem in periculum nos incurremus, ſi incidamus venam in ardente exquiſita. Ideo ſynochum febrem intelligit Galenus hic per ardentem: quia ſynochus febris pendet a quatuor ichoribus proportione reſpondentibus maſſæ humorali, non in quali, ſed in quanto peccanti: vt proinde corpus ſit plethoricum: teſte Galeno, nono methodi tertio. Ideo apparet tres eſſe caſus, in quibus conuenit ſectio venæ vſque ad leipothymiam; nec eſſe quartum caſum addendum.

D Sed quæritur, cur in his tribus caſibus conueniat ſectio venæ vſque ad animi deliquium? Galenus, nulla ex parte diminutus, voluit in commento cauſſam proponere quoad febrem ardentem; non autem quoad dolorem, & inflammationem. Nec propterea fuit diminutus: nam in ſermone aphoriſtico voluit habere ſermonem cum aphoriſmis correſpondentem; vt ſcilicet ex vno intelligantur reliqua. Vnde ſi intelligamus, cur in febre ardente conueniat vſque ad animi deliquium ſectio venæ; idem etiam nobis dicendum erit in dolore, & inflammatione. In febre itaque ardente conuenit miſſio ſanguinis vſque ad animi defectum, tum ratione febris, tum ratione cauſſæ febris. Ratione quidem febris: nam cum febris ſit affectus calidiſſimus, ei conuenit hæc euacuatio; quia habet vim inſigniter refrigerandi, ac euentandi vniuerſum corpus. Ratione etiam cauſſæ, ſeu materiæ: quia euacuatur materia illa, & maſſa humoralis in venis magnis exſiſtens: quæ niſi vacuaretur, fieret putredo, & ſynochus peſtilens.

E Ex quibus ſi deſcendamus ad inflammationem vehementem, dicimus in ea hanc vſque ad animi defectum conuenire vacuationem, & ratione affectus, & ratione materiæ. Ratione affectus: quia inflammatio eſt affectus calidus, & per ſectionem venæ refrigeratur corpus. Ratione materiæ; ſiue conſideremus materiam ratione copiæ, ſiue ratione motus, quatenus fluit hæc materia, vel a parte ad locum inflammatum, vel a toto ad eundem locum: ſi enim penes ſui copiam perpendantur, cum ingens ſit inflammatio, & proinde ab inſigni materia fiat, ideo inſignis ei conuenit vacuatio: ratione etiam fluxionis; quia opus eſt refrenare hunc motum, & ideo conuenit venæſectio ad animi vſque defectum: quia eſt in cauſſa, vt humores quieſcant: ideoque optimi practicantes in fluxu ſanguinis ſolent deducere homines ad animi deliquium.

F Quantum autem ad dolorem attinet, conuenit hæc vacuatio, & ratione doloris, ſeu ſymptomatis, & ratione materiæ facientis dolorem. Ratione materiæ: quę ſi copioſa eſt materia, copioſa eſt opus vacuatione: conuenit etiam ratione motus materiæ fluentis hæc vacuatio. Conuenit tandem ratione doloris, quatenus ſymptoma eſt, quoniam per euacuationem ad animi defectum vſq; facultas ſenſitiua quodammodo ſopitur, & dormiens redditur.

Auerrois error damnantis venæſectionẽ ad leipothymiam.

Cum ergo tot beneficia conferat vſque ad leipothymiam exinanitio; patet, Auerrois argumenta nullius eſſe momenti, quando ſeptimo collectaneorum octauo arguit, naturam non euacuare vſque ad animi defectum, ergo nec medicum debere euacuare ad animi defectum. Decipitur Auerroes, quia natura interdum euacuat vſque ad animi defectum cum integra ſalute infirmi; non dico vſque ad ſyncopem: & ideo tempore optimæ criſis fiunt animi defectus, quæ aſtantibus videntur eſſe ſatis ſæua ſymptomata; medicus autem cum hæc videt, lætatur, & tutam ac citam ſalutem prognoſticatur. Neque etiam valet,
G quod ſecundo loco dicitur ab Auerroe, ſcopum medici eſſe, euacuare malum ſanguinem; ergo non eſſe euacuandam vſque ad animi defectum; quia ſic non modo malus ſanguis, ſed bonus etiam euacuetur. In hoc etiam fuit deceptus Auerroes. Quia principalis ſcopus medici eſt, morbum profligare. Quando autem morbus inſigniter eſt calidus ac a maxima materię copia dependens, vt per eam maior quotidie morbus fiat, nihil obſtat, quin fiat euacuatio, etiamſi vna cum mala materia etiam bona euacuetur, dummodo morbus tollatur, ac vires tolerent, & æger ſufficere poſſit.

Nec ẽt valet ꝙ tertio dicit Auerroes; non eſſe admittendã hanc vacuationẽ, quia, ſi fuerit putrida febris,

in qua humores vel putridi ſint, vel ad putredinẽ tendant; cũ putredo fiat, quia calor naturalis diminuitur, & augetur extraneus; ideo ſi tanta fiat vacuatio, calorem naturalem diminui, & materiam, quæ relinquitur, facilius putreſcere. Errat vero & heic Auerroes: nam quoties in his affectibus tanta fit vacuatio, non alia de cauſſa fit, niſi vt calorem extraneum & igneum euentemus; &, ſi poſſibile ſit, exſtirpemus ac eradicemus vt fuit eradicatus a Galeno, nono methodi quarto, vt nonnulli dicerent Galenum trucidaſſe febrem. Et ideo dicimus, per ſectionem venæ non diminui, ſed augeri calorem natiuum: quoniam diminuitur calor extraneus; ad cuius diminutionem ſequitur vigor caloris naturalis, & fortitudo. Propterea, vbi humores ſunt in via ad putredinem, per hanc ſectionem præſeruantur a putredine: vt fecit Galenus loco citato; vbi, cum adeſſet febris ſynochus putrida, hac ſectione præſeruauit a ſynocho peſtilenti. Quare conſtat conuenire ſectionem venæ vſque ad animi defectum.

Num etiam purgatio ad animi defectum conueniat.

Sed dubium eſt de purgatione, an conueniat vſque ad animi defectum. Et naſcitur difficultas ex Galeno, qui in hoc commento dicit, in maximis doloribus, &c conuenire euacuationem vſque ad animi defectum adhibita diſtinctione, an id conueniat facere ſectione venæ, an pharmaco. Quare videtur inſinuare purgationem ad animi vſque defectum.

Dicendum cum Montano, & aliis, nequaquam licere purgare pharmaco vſque ad animi defectum: quia quamuis per pharmacum purgemus humores a natura ſanguinis recedentes; tamen eſt maius periculum in purgatione, quam in ſectione: quia in noſtro arbitrio eſt ſupprimere ſectionem venæ, quando volumus; non ita in purgatione. Ad Galenum autem ſatis difficile eſt reſpondere. Nos tamen dicimus, Galenum eſſe huncin modum intelligendum, quod in maximis doloribus non inueniat præſtantius remedium, quam euacuationem vſque ad animi defectum; ſed adhibita diſtinctione. Et cur? Non alia de cauſſa, niſi (vt ſe ipſum interpretatur quarto de tuenda quarto:) quia conſiderandum, an dolor a ſanguine pendeat, nec ne: ſi a ſanguine, ſecanda eſt vena vſque ad animi defectum. Hinc ſi quis a pari vellet inferre, dolore pendente ab alio humore, purgandum eſſe vſque ad animi defectum; neganda conſequentia: & cauſſa negationis poteſt eſſe duplex. Prima: quia apud Galenum nunquam fuit obſeruatum, exhibitum fuiſſe pharmacum, ex quo ſecuta fuerit purgatio vſq; ad animi defectum; ſed fuit obſeruatũ miſſum fuiſſe ſanguinem vſque ad animi defectum, vt nono meth. quarto. Secunda ratio eſt: quia dicit Galenus, ſe nullum præſtantius adinueniſſe remedium in maximis doloribus, quam euacuare vſq; ad animi defectũ, adhibita tamen diſtinctione, num liceat vacuare ſectione venæ, vel pharmaco; quemadmodum docuerit in libro de curandi rat. per ſang. miſ. Ergo liber ille debet dirimere hanc difficultatem, & præcipue caput decimumſextum, in quo loquitur de vacuatione vſque ad animi defectum: ſed nec ibi, nec alibi loquitur de vacuatione vſque ad animi defectum per pharmacum, ſed proponit eam per ſectionem venæ; & pręcipue quia Hippocrates in hac ſecunda parte huius aphoriſmi loquitur de euacuatione proprie dicta, id eſt, per ſectionem venæ, at in prima agit de purgatione.

Indicantia & coindicãtia phlebotomiam ad animi defectum.

Quare in caſibus enarratis conuenit vacuatio vſq; ad animi defectum: nam ratione morbi, eſt morbus vehemens: ratione materiæ, eſt materia ſanguinea maxima copia peccans; ideoque vacuandus eſt ſanguis in maxima copia, valido auxilio: quoniam extremis morbis extrema conueniunt remedia. Coindicant hanc ſectionem venæ, primum ætas florens: & in his morbis eſt ætas florens in ſuo vigore, vt optime dicit Galenus, nono methodi 3. vbi dicit, febres ſynochos non poſſe corripere ſenes, ſed eos qui ſint in maximo ætatis flore. Præter ætatem coindicant etiam vires; non ſimpliciter vires, ſed vires robuſtæ omnibus modis, ratione ſolidorum, carnoſi generis, ac ſpirituum.

Senſus genuinus aphoriſmi.

Patet igitur aphoriſmus, purgationem eo vſque eſſe faciendam, quouſque humores noxii vacuentur: in his vero affectibus, in quibus conueniat venęſectio, vacuandum eſſe vſq; ad animi defectum, dummodo æger ſufficere poſſit. Hoc videtur voluiſſe Hippocr. Quod ſi loquamur de purgatione; purgatio non conuenit ad animi defectum, ſed vſque quo humores noxii expurgentur. At ſi loquamur de veneſectione, hæc conuenit ad animi defectum, dũmodo vires tolerent, & æger poſſit ſufficere. Et hoc eſt, quod dixit Galenus, in maximis doloribus conuenire euacuationem vſque ad animi defectum: ſed cum diſtinctione, vtrum ſcilicet in doloribus ſedandis ſit opus ſectione venæ, an pharmaco: quaſi dicat; id, quod dixit Hippocrates in textu, eget diſtinctione: nam ſi loquamur de ſectione venæ, conuenit miſſio ſanguinis vſque ad animi defectum; ſi vero de purgatione per pharmacum, non licet hanc fieri vſque ad animi defectum.

APHORISMVS XXIV.

In acutis paſſionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus vti oportet: & hoc cum præmeditatione faciendum.

Scopus.

IN *Acutis paſſionibus, &c.* Cum Hippocrates abſoluiſſet ſermonem de inuentione, & recta adminiſtratione pharmacię, & nihil reliaqueretur aliud, niſi vt epilogaret: antequam concludat, in præſenti aphoriſmo ponderat id, quod propoſuit vigeſimoſecundo aphoriſmo de materia morbiſica turgente. Cum enim ibi dixiſſet, vt plurimum non turgere: nunc propoſitum eius eſt, declarare, in quibus morbis materia turgeat, & in quibus non. Et hoc potius hic voluit facere, quam immediate poſt vigeſimumſecundum: quia volens agere de loco, & tẽpore opportuno, ac quantitate vacuationis, non debebat intermiſcere pręſentem aphoriſmum: & ideo voluit agere de eo poſt ſermonem de pharmaciæ adminiſtrandæ modo. Hũc autem eſſe ſcopum Hippocratis, poteſt ex Galeno in commento perſuaderi: namque inquit: cum dixiſſet Hippocrates materiam raro turgere, nunc hoc vult declarare; quoniam ait, in morbis acutis tantum turgere materiam, & in his etiam raro.

Diuiditur

Diuisio.

Diuiditur hæc pars in duos aphorismos, seu sentētias; quarum vtraq; est sine ratione prolata. In prima proponit, quod dictum est; neque tantum proponit; sed tangit præceptum quoddam, in arte medica obseruandum. In secunda declarat, qua ratione sit illud præceptum obseruandum.

Sensus.

Sensus autem aphorismi talis est: Materia non turget in morbis chronicis, sed in acutis passionibus, & in his raro tamen: & tunc licet a principio vti medicamentis purgantibus: & vbi licet his vti, hoc cū pręmeditatione est faciendum.

Textus explicatio.

Sed accedamus ad verborum expositionem. Dicit Hippocrates: *In acutis passionibus, &c.* Quam particulam Galenus exponens, dicit, non licere materiam crudam purgare in morbis chronicis, sed exspectandam concoctionem; in acutis autem licere id facere, sed raro; quia raro in accessionibus materia tur- B get. Raro autem debemus vti his; quoniam (vt dicit Galenus) si materia furiosa non sit, & velimus vti medicamento purgante, tunc periculum est, ne, ob nimium calorem pharmaci, maximum fiat nocumētum: quod maxime accidere solet, vbi morbus acutus habet febrem coniunctam, quæ passio calida & sicca est, ideoque ratione pharmaci exacerbatur. Neque quis admiretur quod diximus in morbo acuto febrem habere locum: quia hic non est sermo de quolibet morbo acuto, sed de eo, in quo potest habere locum materia furiosa; hæc autem materia calida & mobilis suapte natura est: vnde non potest producere talis materia morbum acutum, nisi habuerit febrem coniunctam. Hinc licet apoplexia acutus sit morbus, tamen quia a frigida materia pendet, propterea nullam febrem accendit.

Hæc pro expositione contextus: in quo non opus est declarare, quod per acutas accessiones intelli- C gamus tum acutos morbos, tum peracutos: quia alibi declaratum est.

Aduertendum autem est, vt dicit Philotheus, per passionem proprie intelligere debere morbum, id est, dispositionem in facto esse, non in fieri.

Notandum etiam est, cum dicit; *Et in principiis*: intelligi tres primos dies.

Purgantibus: intelligit medicamenta electiue ducentia.

Addit in secunda parte Hippocrates: *Et hoc cum præmeditatione.* Quæ verba diligenter ponderanda sunt: quandoquidem non pauci in eorum intellectione decepti fuere. Dicit ergo Galenus in commento, cum Hipp. vbi in acutis passionibus materia turget, quod rarum est; tūc inter initia materiam purgandam esse; sed tamen cum præmeditatione id faciendum esse. Per quam particulam, *Præmeditatione*, siue intelligat Hippocrates antequam pharmacum exhibeatur: siue an natura possit expurgare materiam, nec ne, vt D ob id medicus debeat exspectare naturam purgātem: siue demum intelligat, an debeat medicus interturbare crisim, an potius dare pharmacum: vtcumq; voluerit Hipp. per hæc nihil aliud voluit innuere, quam quod maxime sit verenda purgatio, & præcipue in illis acutis morbis, qui pendent a materia frigida. Vnde quam maxime temerarii sunt illi, qui volunt vti minorantibus.

Materia turgente, quando pharmacū exhibendū.

Sed dicet quis: si materia turgente exhibendum est pharmacum cum pręmeditatione: quid nam cōsiderare debet medicus? Hoc inspicere debet, vt pharmacum exhibeat cum vtilitate infirmi, id est, vt maius iuuamentum possit sequi ratione pharmaci, quam detrimentum. Pręcognoscet autem hoc; si considerabit an corpus sit paratum ad pharmacum assumendum, an omnifariam indispositum. Nam hæc pręparatio, & indispositio facit, vt morbo acuto exsistente, ac dependente a materia furiosa, aliquando quamprimum liceat dare pharmacum; interdum sit opus differre exhibitionem pharmaci; interdum nullo pa- E cto sit exhibendum pharmacum. Et ideo non valet illatio: est materia furiosa; ergo exhibendum pharmacum: nam interdum corpus est bene dispositum, interdum indispositum; & hoc vel reddi potest dispositum, vel non potest reddi dispositum.

Declaro cum Galeno: qui in commen. omnia tangit. Illud corpus dicitur dispositum in quo non præcessit maxima cruditas ratione ciborum, quodque non habet hypochondria admodum tensa, inflata; & deniq; id corpus, in quo non est aliqua materia viscosa, obstruens partes. Sed aduertendum, ne, cū Galenus proponit materiam viscosam, credatis forsitan hanc posse esse furiosam; quia materia furiosa tenuis est & calida: at in eo corpore, in quo est materia furiosa, potest etiā esse materia viscida; sed illa furiosa non est. Vnde dicebat Hippocrates secunda sect. aphor. corpora cum quis purgare voluerit, ea præparare oportet, præparatione illa nimirū, quæ dirigatur ad obstructiones, factas a materia viscida, quæ furiosa F non est. Ideo corpus est indispositum, si in eo talis adsit materia. Quod si nullum horū in eo corpore adsit, potest quamprimum dari pharmacum: nam sine dubio habebitur maior vtilitas ex euacuatione, quam ex calore pharmaci nocumentum. Sed exhibitionem pharmaci remoratur interdum corpus indispositum, ita tamen, vt medicus possit habere occasionem reddendi corpus paratum; & ideo debet esse occasio exhibendi medicamentum, in quo decoquatur vel hyssopus, vel origanam, vel quid simile, quod habeat vim extenuandi, ac incidendi crassos humores, non furentes; quia furentes crassi esse non possunt; sed tamen possunt coniungi cum crassis, ratione quorum prohibetur medicus, ne faciat tutam purgationem materiæ noxiæ. Quod si corpus sit omnifariam indispositum; vti si fuerit inflammatio in corpore, vel in intestinis; tunc sine dubio, etiamsi materia turgeat, pharmacum exhibendum non est.

Contra recentiorem.

Modernus hoc loco, declarans quid voluerit Hippocrates, cum dicit, *Et cum præmeditatione*, ait, esse G distinguendum de acuto morbo, an febris sit, nec ne: &, si adsit febris, distinguendum, an maius possit esse iuuamentum, quam nocumentum ex pharmaco, vel e contra: nam si maius sit iuuamentum, concedendū esse pharmacum; si contra, negandum. Si vero sit morbus sine febre; tunc vel esse paratum corpus, & esse ei pharmacum propinandum; vel indispositum, & non esse pharmacum propinandum.

Quæ dicta vera esse non possunt. Et primus error in hoc consistit, quod dicit, aduertendum, an febris sit coniuncta morbo, vel non. Ista distinctio non est ad propositum: nam non potest dari morbus,

de quo loquitur hic Hippocrates,qui ſine febre ſit:ſemper enim cum morbo acuto, (non dico in genere, A
ſed de eo acuto,de quo hic ſermo eſt,in quo eſt materia furioſa)adeſt febris:& impoſſibile eſt,in eo febrem
non adeſſe. Cum poſtea addit;ſi corpus fuerit ſine febre,vel eſſe paratum,vel non paratum:etiam hic eſt
falſitas.Quia,quando dicit ſine febre,imaginatur quoddam impoſſibile Modernus.

Ideo dicendum cum Galeno, præmeditandum eſſe, an quamprimum liceat dare pharmacum, vbi
corpus eſt diſpoſitum.Et vbi indiſpoſitum eſt,conſiderare etiam oportet,an poſſit diſponi,vel non poſſit.
Nam ſi ſit diſpoſitum omnifariam;debemus quamprimum dare pharmacum:ſi omnifariam indiſpoſitũ,
nullo pacto dandum pharmacum:ſi indiſpoſitum, ſed quod poſſit diſponi ; opus eſt remorari,quoad re-
cte fuerit diſpoſitum.

Correctio pharmaci, materia furioſa exiſtente.

Modernus ẽt Auerroem reprehendit,qui 7.collect.c.9.ait,exhibitum pharmacũ,materia furioſa ex- B
ſiſtente,ratione caliditatis nocere:& ideo ad hoc nocumentum impediendum cum medicamentis ſoluẽ-
tibus admiſcenda refrigerantia, quæ contemperent acrimoniam medicamenti ſoluentis.Modernus ſatis
audacter eſſe in errore Auerroem affirmat; putans,ſi cõmiſceantur frigida cũ calidis , tũc impediri actio-
nem medicamenti ſoluentis;cum medicamentum habeat vim attrahendi non ratione caloris, ſed a tota
forma,caliditas autem concurrat vt cauſſa ſecundaria , & quanto calidius ſit medicamentum, tanto vali-
dius attrahat humorem illum:proinde non eſſe cõmiſcenda calida medicamenta cum frigidis , ne eorum
actio interturbetur;ſed commiſcenda medicamenta calida cum odoratis, (vt dicit Hippocrates 2. de rat.
vict. 11.)vt corroborentur viſcera,cerebrum,cor,hepar,ventriculus,&c.ne lædantur a malignitate phar-
maci ſoluentis.

Sed Auerroes recte,meo iudicio,dicit,&recte etiam Galenus,& Hippocrates:ac deceptus eſt Moder- C
nus. Nam cum exhibetur medicamentum ſoluẽs corpori,hoc poteſt nocere corpori,vel ratione ſuæ for-
mæ,vel ratione temperamenti calidi,& præcipue,quia ſupponimus hic corpus febre correptum.Ideo du-
plex neceſſitas oritur corrigendi medicamenti:altera,vt corrigatur eius forma,& natura venefica,vel ſal-
tem,vt muniantur viſcera corporis,ne ita facile lædantur a malignitate medicamenti. Et ad hanc mali-
gnitatem remouendum reſpicientes Galenus & Hippocrates,odoratis vſi ſunt , quibus remouetur mali-
gnitas , neq; aliquod infertur impedimentum operationi pharmaci:imo ſi aliquantulum impediatur vis
medicamenti,melius eſt id habere ſine nocumento,quam totam eius operationem cum nocumento. Vbi
autem pharmacum volumus corrigere ratione temperamenti calidi,opus eſt commiſcere frigida. Vnde
communiter omnes practicantes rhabarbarum infundere ſolent in decoctione florum & fructuum, a- D
cetoſæ,endiuiæ,&c.Meſues etiam,in re medica celeberrimus, nonne cõmiſcet ſcammonium cum cydo-
nio,quod frigidum eſt?Et ob id recte dicit Auerroes,quod ad remouendam caliditatem medicamenti o-
pus ſit admiſcere frigida medicamenta,quæ non impediant actionem medicamẽti,ſed remittant: ex qua
remiſſione maius naſcitur iuuamentum,quam nocumentum:quia cum remittitur inſignis eius vis,ſequi-
tur operatio pharmaci ſine detrimento infirmi. Vnde quanto maligniora fuerint pharmaca electiue du-
centia,tanto in maiori doſi ſunt exhibenda remittentia malignitatem eorum:& hinc maiorem quantita-
tem corrigentium apponimus in ſcammonio,colocynthide,&c.quam in leuioribus.

APHORISMVS XXV.

Si talia purgentur,qualia purgari oportet,confert,& facile ferunt:ſi contra,difficulter.

Scopus & ſenſus.

DIcit Galenus in comm.eandem ſententiam nunc repetere Hippocratem,quam habuerit ſupra nimi- E
rum ſecundo aphoriſmo:vbi proponit pharmacum in virtute indicantium & coindicantium. Dicit
tamen Galenus,non piguiſſe Hippocratem rurſus eundem ſermonem repetere, vt totum de pharmacia
abſolueret ſermonem,& ſic etiam de cheirurgia,& diæta.Aphoriſmus ergo hic primæ ſectionis eſt epilo-
gus perinde ac ſi diceret Hippocrates:Hæc dicta ſint de pharmacia,& de omnibus inſtrumentis medicis,
ad partem curatiuam attinentibus.

F I N I S.

HIERO-

HIERONYMI CAPIVACCI PRACTICA MEDICINA,

SEV METHODVS COGNOSCENDORVM ET curandorum omnium humani corporis affectuum: libris septem interstincta.

C

PRIMVS LIBER PRACTICÆ MEDICINÆ:

DE CAPITIS, ET PARTIVM HVIC ANNEXARVM AFFECTIBVS.

CAPVT I.

D

De ratione ordinis, qui in tradendis morbis particularibus a Practicis obseruari solet.



MORBORVM cognitionem curationemque tractantes Medici, primum definitionem proponunt & nominis, & rei: deinde differentias: tum signa: post indicationes, seu præsidia: hinc prognostica: tandem præsidiorum materias. Huius inuestigare caussam decet tum ordinis, tum numeri: quod sic faciemus. Finis medici est, sanitatem præsentem conseruare, & amissam recuperare: restituitur vero sanitas per morbi remotionem. Quare & Finis cognoscendus est, & Instrumeuta quibus finem illum consequi liceat. Ratione *finis* cognoscenda est Essentia morbi, & Accidentia. Essentia morbi, est Generica, & Specifica: nam indiuidualis in scholis doceri nequit, sed exercitatione circa ægrotantes addiscitur Generica essentia, est Nominalis, & Realis. Nominalis essentia vt E constet; agendum de voce seu appellatione propria, vt tollatur æquiuocatio. Hinc realis indaganda essentia: per definitionem. Tum specifica essentia explicanda: ideoque differentiæ proponendæ, per quas species constituuntur. Accidentia, quæ morbi essentiam committantur, sunt signa. Et hæc ratione finis cognoscenda sunt.

Methodus explicãdo rũ affectuũ præter naturam resolutoria.

Instrumenta, quibus finem consequimur, sunt materiæ iuuantes, seu caussæ salubres, reparantes sanitatem. In his instrumentis tria consideranda sunt. Primo, quænam illa sint instrumenta, seu materię auxiliorum indicatorum a suis indicantibus: ideo de indicationibus agendum. Deinde circa instrumenta perpendendum, vtrum sint ex vsu futura, ne frustra administrentur: quare prognostica proponẽda. Tertio, certa instrumentorum administratio tradenda: ac proinde discurrendum circa Quantum, Quomodo, Quando, & Vbi. Apparet vero hunc ordinem esse analyticum, qui scilicet a finis cognitione ad instru- F menta progrediatur: Cuius explanare caussas erat propositum.

CAPVT II.

Enumeratio Capitis affectuum externorum: & primum de Capillorum defectu: nimirum areis, defluuio capillorum, caluitio, tardoque pilorum ortu.

VItia alia dicuntur ratione Sanitatis, alia ratione Pulcritudinis naturalis. Vitia ratione sanitatis læsæ, sunt affectus præter naturam partium viuentium, lædentes operationes: & sunt morbi, proprie ita dicti. Vitia autem ratione pulcritudinis naturalis, sunt affectus partium non viuentium, non lædentes operationes, sed pulcritudinem naturalem: ideoque morbi sunt, sed non proprii ac simpliciter, verum in G parte exornatoria: (quam ita Galenus vocat cap.2.lib.1.κ.τόπ.) seu in parte, quæ agit de decoratione. Facultas autem Comtoria, quæ versatur circa pulcritudinem, non naturalem, seu fucatam, non est pars artis medicæ. Oportet tamen medicum & hanc artem callere, propter fœminas regias, vt Galenus ait, quibus obedire oportet; ea tamen ratione, vt dum exercemus artem istam, hoc faciamus citra detrimentum sanitatis.

Exornatoria pars medicinæ

Comtoria facultas.

Externi capitis affectus præcipui.

Nos autem in præsentia agemus de affectibus partium capitis non viuentium, vsum tamen præstantium: & proinde ratione Capillorum loquemur de horum defectu, id est, de alopecia, de ophiasi, de defluuio capillorum, de caluitio: item de capillorum excessu: tandem de vitiato capillorum colore, id est, de canitie. Ratione Cutis loquemur de furfuribus, seu de porrigine: de pediculis: de vlceribus, siue sint achores, siue faui. A

DE DEFECTV CAPILLORVM.

Nomen.

SVb capillorum defectu comprehendimus areas, id est, alopeciam & ophiasin: item defluuium capillorum, caluitium, tardum pilorum ortum: nam quidam annum etiam agentes vigesimum quartum pilos in mento desiderant.

Definitio.

Defectus autem capillorum est affectio, qua cutis capitis glabra redditur. Affectio dicitur nō morbus, c.1.l.1.κ.τόπ. quia est symptoma, quod non necessario in morbum refertur. Licet enim aliquando pili deficiant ob morbum, vt in lue Gallica; possunt tamen etiam citra morbum deficere, dum alimenti est vitium: (sic etiam mala coctio dari potest, quę in morbum non refertur.) In affectione, de qua loquimur, nō læditur actio, sed decorus adspectus. Et dicitur affectio qua cutis capitis glabra redditur: sicut contra, in excessu capillorum, cutis capitis hirsuta & hispida redditur. B

Deficientiũ pilorũ caussæ.

Porro ad generationē & conseruationem pilorũ tria requiruntur: cutis, cui capillorũ radices inhærent: materia ipsa: & calor agens. Cutis requiritur, quæ nec sit humidior, nec siccior, nec densior, nec laxior; sed in horũ medio sita.

I. Cutis vitia.

Quod si vitiũ sit cutis, pili deficiũt: &, si cōsistat in nimia humiditate, vel laxitate, est defectus, qui dicitur *Defluuiũ capillorũ*. Si cutis siccior & aridior sit, fit defectus qui *Caluities* vocatur. Hoc habetur e Galeno, aph. 28. sect. 6. aph. 69. sect. 5. vbi Hip. dicit, eunuchos non caluescere: nam propter C testiũ abscissionem similes redduntur fœminis, quæ ob nimiam humiditatem non possunt caluescere.

II. Materiæ vitia.

Materiæ vitium est Defectus, vel Corruptio. Si materia deficiat, fit defectus capillorum, qui modo *caluitium*, modo *defluuium capillorum* dicitur: defluuium, quando per vniuersam capitis cutim adest materiæ defectus: caluitium, quando defectus est potissimũ in sincipite. Si materia corrumpitur, radices pilorum necessario cadunt. Hæc materia corrupta, si aliquas tantum capitis partes occupat, fit defectus capillorũ qui est cum areis, & tunc est *alopecia*, aut *ophiasis*: si omnes partes indifferenter occupat, fit defectus, qui *defluuiũ capillorũ* dicitur. Quidā asserunt alopeciam, & ophiasin fieri a materiæ defectu. Sed longe falluntur: primò enim adest materia, sed corrupta. Deinde in iis, qui lue Venerea laborant ob materiam corruptam omnes capilli defluunt. Tertio hoc aduersatur auctoribus: nam præter Alexādrum, & Auicennā, Galenus aph. 11. sect. 5. dicit, in tabidis fieri defluuiũ capillorum, ob materiæ vel defectum, vel prauitatem. D Et aph. 34. sect. 6. aperte dicit, sicut alopecia & ophiasis fiũt a prauis succis, ita & defluuium capillorum ab iisdem oriri. Nec illi se tueri possunt Galeni auctoritate, dum c.2.l.1. κ.τόπ. ait, defluuium capillorum fieri ob defectum materię: sic enim ait Galenus: est autem alia pilorum affectio, quę defluuium capillorum dicitur. Per aliam, intelligit diuersam ab ea affectione, de qua c. 1. egit. locutus autem est ibi de defectu capillorum ob prauos succos: ergo hic loquitur de alia affectione, quæ fit ob defectum materiæ. Non igitur valet illorum consequentia; quoddam defluuium capillorum fit ab alimenti defectu; ergo omne defluuiũ capillorum fit a defectu alimenti. Quare concludendũ, tum ophiasin & alopeciam, tum etiam quandoq; defluuium capillorum, fieri a materia corrupta. Materia hæc corrupta, seu prauus succus, est bilis, pituita salsa, vel atra bilis. Auicennas etiam proponit sanguinem corruptum: nec tamen dissentit a Græcis: nam per sanguinem corruptum, intelligit ita corruptum, vt nō seruet amplius naturam & formam sanguinis; E si enim forma sanguinis persisteret, non possent abradi radices capillorum. Quod si ergo corruptio accidat secundum partem tenuem, degenerat in bilem: si secundum partem crassam, degenerat in atram bilē: & sic cum Græcis sentit. Caussæ, propter quas generantur hi succi, aliæ sunt Internæ, alia Externæ. Internę sunt vel ratione Totius, vel ratione Partis. Ratione totius, quando corpus est cacochymum, id est, totum refertum prauis succis, qui facile capiti communicantur. Concurrunt vitia alicuius partis, vt cerebri, ventriculi, iecoris, & lienis, itemq; vteri: & dum hæ partes afficiuntur intemperie, vel obstructione, facile praui humores generantur, qui in caput delati, pilorum radices depascunt, præcipue dum iecur lue gallica laborat. Caussæ externæ non necessario occurrentes, sunt percussiones capitis, quibus caput ita debile redditur, vt alimentum delatum non possit regere: & sic corruptum alimentum deinde depascit radices capillorum. Caussæ necessario occurrentes, sunt res non naturales: vnde adulescens ille boni habitus, alope- F cia tamen affectus fuit, quia in esu fungorum deliquerat: c.1.l.1.κ.τόπ.

III. Caloris vitia.

Tandem ad pilos producendum, requiritur calor agens validus, cōiunctam potius habens siccitatē, quam humiditatē. Vnde corpora calida & sicca magis sunt pilosa: calore enim diminuto, pili deficiunt: defectus autem hic caloris aliquando est cum intemperie in passiuis, scilicet cum humiditate, vel siccitate.

Differētia.

Si ergo vitiũ est vel Cutis, vel Materiæ, vel Caloris agentis, prodit defectus pilorum; vt quandoq; fit Area, quandoq; Defluuium capillorum, interdum Caluitium, aliquādo Tardus pilorum ortus. Areæ vel fiunt secundum formam Rotundam, & dicitur alopecia, quia vulpes sępe hac affectione laborat: vel secundum formam Oblongam, & dicitur ophiasis, quia serpens hac sæpe afficitur; Arabibus tyria dicitur, quia serpentes his vocantur tyræ. In ophiasi non est æqualitas, sicut in alopecia: vnde Auenzoar c. 4. tractatu G l.1. quærit, cur in ophiasi non cadant pili æqualiter secundum rectum & rotundum, sed secundũ oblongũ & obliquum. Caussam esse dicit, quia ophiasis pendet a materia acri & tenui, quæ non est vndique æqualis, sed inæqualis, ita vt alia sit tenuior, alia crassior. Dat exemplum: si aqua pura, inquit, in terram decidat, parat sibi iter rectum: quod si quis super aquam proiiciat terram, vel lutum, aqua non amplius facit iter rectum, sed obliquum. Sic in ophiasi est inæqualitas arearum, quia materia est inæqualis.

In de-

Signa.

In defluuio capillorum pili deficiunt indifferenter, secūdum omnes partes cutis capitis. Areæ oculis patent. Si caluitium est; pili deficiunt in syncipite. Si fuerit tardus ortus pilorum; cognoscitur, quod nō adsunt pili ea quantitate, quæ requiritur pro ratione ætatis. Cognito capillorum defluuio; aduertendum, an sit ratione Cutis, an ratione Materiæ. Si ratione cutis; hæc est rarior, humidior, densior vel siccior. Si rarior & humidior, cognoscitur, quia præcesserunt caussæ humectantes & rarefacientes cutim, itē frequens vsus balnei aquæ dulcis, seu lotio frequens capitis cū aqua dulci tepida: adest mollities cutis & capillorū: & ab humectantibus ac rarefacientibus maxime læditur æger. Quod si cutis sit densa & sicca, præcessere cōtraria: oppositorū enim eadem doctrina. Si fiat ob materię vitiū, materia vel deficit, vel corrupta est. Si deficiat materia, necessario præcessit aliqua immodica euacuatio alicuius humoris, pręcipue vero sanguinis: pręcessit coitus immodicus, vel morbus diuturnus; vnde conualescentes interdū depilantur, ob defectum materiæ: & tunc ægri non percipiunt vllā acrimoniam, vel pruritum, quia materia non est corrupta. At, si materia fuerit corrupta, non præcesserunt proposita: percipiunt ægri pruritū: adsunt morbi qui possunt hoc præstare, verbi gratia, si morbo gallico, aut alicui morbo qui cessauit citra euacuationem, succedat capillorū defluuium, nemini dubium esse potest, hoc defluuiū pendere a praua illa materia, quæ morbū excitauit. Hoc declaro ex aph. 34. sect. 6. vbi Galenus dicit, non esse appellandū caluitiū, sed defluuiū capillorum: dum enim sunt varices, & nulla apparet sequēs euacuatio, & sequitur defluuiū capillorum; certe hoc dependet ab illa materia, quæ producebat varices. Sic cognoscuntur areę, quę necessario pendent a prauis succis. Hic autem succus, num sit bilis, pituita, vel atra bilis, facile cognoscitur. Nam l. 1. κ. τόπ. si cutis fuerit albicans, vitiū pendet a pituita: si pallida, a bile: si nigra, a melancholia. Addit Galenus c. 18. l. 14. meth. prægressam viuendi rationē. Si quis enim fuerit vsus biliosis cibis, a bile pendebit, &c. Et ne erremus in hoc signo, ratione coloris cutis, monet Auicennas, vt fricemus aliquantū cutim capitis, quia per frictionē materia illa corrupta petit superficiem cutis. Sed modica sit frictio, non violenta; alias etiā sanguis attrahitur, & cutis fit rubicunda. Alexander addit, cognosci hæc vitia e colore capillorū, non defluxorū: (quia hi non adsunt:) sed illorū qui adsunt: (non omnium, quia quidam non sunt vitiati, alias & hi defluerent:) & sunt in confinio areæ, qui aliquo modo contaminati sunt. Tardus pilorū ortus facile cognoscitur; fit enim ob vitium agentis caloris, aut ob vitiū cutis. Si sit vitiū caloris; cognoscitur, quia corpus est frigidū, languidū. Si autem corpus fuerit robustum & calidum, vitium in cutem referri debet. Vtrum porro cutis sit humidior & laxior, vel siccior & densior, id supra tradidimus.

Indicationes.

Si cutis fuerit siccior, humectanda: si humidior, exsiccanda: si densior, rarefacienda: si rarior, dēsanda. Quoad materiā, si hæc deficiat, est addendum. Si corrupta sit; vel vndique corrupta est, vel imminet vt corrūpatur. Si est corrupta, tunc est cruda, vel cocta. Si cruda, est coquēda: si cocta, euacuanda. Si imminet vt materia corrumpatur; imminet vel ratione totius, vel ratione partis. Si ratione totius, totū est corroborandum: si ratione partis, pars est corroboranda. Exempli gratia, si hoc immineat ratione caliditatis iecoris, corroboratio consistit in iecoris refrigeratione. Si sit ob malam proprietatem iecoris, vt in lue gallica; corroboratio est in depulsu malę proprietatis iecoris. Denique si sit vitium ratione debilitatis caloris, corroboratio consistit in augendo calorem.

Dubitatio.

Principium alopeciæ non est alopecia.

Hic autē dubitatio quædam tollenda: cur Galenus c. 1. l. 1. κ. τόπ. dicat, principium alopeciæ non esse alopeciam: &, cur reprimentia conueniant, non in alopecia, sed in principio alopecię? Quoad primum: res quæ fiunt, sunt similares, aut dissimilares. c. 2. l. 1. loc. aff. Similaris rei principium, habet eādem essentiā cum similari re perfecta: sic intemperies, cum sit quiddam similare, fit vt principiū intemperiei sit intemperies. At rei dissimilaris principiū, non habet eandem naturam cum re perfecta: vt, principium domus, non est domus, quia hæc est quid dissimilare. Alopecia igitur est vitium, quod necessario formam aliquam requirit, necessario est area: & quia est aliquid dissimilare, ideo principium alopecię non est alopecia. Quoad secundum: in principio alopeciæ materia est in fluxu, nondum firmata & impacta, quia nondum pilorū radices sunt deuastatæ: ob id, cum materia sit in fluxu, licet reprimere. At, cum adest alopecia, iam radices capillorum sunt corruptæ, quod significat materiā fluxisse & esse firmatam, quę nō cedit reprimentibus. Et sic patet, cur in principio alopeciæ conueniant reprimentia, non autem in alopecia ipsa.

In principio alopeciæ locum habet repercussio.

Prognostica.

Areæ curari possunt: quia succus vitiosus, & materia in cute impacta; potest eradicari. Sed notandū, hæc vitia quandoq; facilius & citius remoueri, quandoq; difficilius & serius: pro discrimine & progressu arearum. Alopecia enim facilius euellitur, quā ophiasis, secundū Auicennā, & Alexandrū, quia in ophiasi non modo abraduntur pilorū radices, sed etiā abraditur cuticula: & ita ophiasis est affectus sæuior. Celsus & Auenzoar dicunt ophiasin facilius curari. Pro quorū salute dicendū, eos loqui de ophiasi, non absolute, sed quatenus est affectus puerilis: & quia pueri facilius sanantur, hi auctores: (respicientes ad hāc facilitatē curationis, quæ habetur ratione ætatis:) dixerunt, ophiasin facilius curari, scilicet in pueris, quā alopeciam in iuuene adulto. Sed ceteris paribus, ophiasis difficilis curatur. Augetur etiā & minuitur curandi difficultas pro arearū progressu: recentes enim areæ facilius tolluntur: sic alopecia recens facile tollitur, antiqua difficulter, vel nunquā. Præterea, si per modicam frictionē cutis capitis, mutetur color cutis; cito & facile vitiū illud depellitur: at, si per modicā vel mediocrē frictionem non mutetur color cutis, vel vix mutetur; vitiū illud non nisi difficulter, & longo temporis spatio tolli poterit: si medio modo se habeat, medio etiā tempore tolletur. Quoad defluuiū capillorum, hoc fit, vel ratione cutis, vel ratione materiæ. Si ratione cutis; si sit laxior, vel humidior, possunt indicationes expleri. Si deficiat materia, possumus addere. Si materia corrupta sit, idem est dicendum, quod diximus de areis. Si defluuium capillorum fit e morbo gallico, non possumus curationem polliceri, nisi præuideamus, num possit auferri morbus gallicus. In caluitio nō possumus audacter curationem polliceri: est enim insanabile, aph. 34. sect. 6. si fiat ratione ætatis; quia ætate ita siccatur cutis, vt non possit laxari, nec possit restitui humiditas. Auicennas dicit, caluitium: (quod scilicet

accidit ante debitum tempus:) posse remoueri, & retardari. Quoad tardum pilorum ortum: si in caussa sit vitium agentis, vt si corpus est frigidum; possumus calefacere & curare. Si fiat vitio cutis, si hæc sit laxior & humidior, possumus promittere salutem, quia possumus densare & siccare: si vero cutis sit densior & siccior, non possumus ita polliceri salutem: vnde quidam calidi temperamenti extremam attigerunt senectutem sine pilis in mento. A

Dictorum affectuum curatio.

Arearum curatio.

QVoad areas: & primum quoad cheirurgiam, hæc respicit Totum, vel Caput. Cheirurgia merito totius, consistit in venæsectione, quæ locum non habet, nisi peccet sanguis, id est, nisi redundet. Euacuatio sanguinis potest fieri duplici præsidio; vel debili, vt frictionibus; vel valido, vt sectione venę. Si morbus est debilis, vtendum auxilio debili: valido, si validus. At areæ nõ sunt morbus validus; imo ne morbus quidem, nisi in parte exornatoria: ergo non videntur egere sectione venæ. Dico in venæsectione considerandam esse, non tantum vehementiam morbi pręsentem, sed etiam imminentẽ. In areis imminet vehemens morbus, cuius ratione vacuandus est sanguis valido auxilio. Nam in areis vtendum est topicis remediis calefacientibus, discutientibus, & attrahentibus a centro ad circumferentiam. Si his medicamẽtis vteremur sine euacuatione sanguinis, sed caput sanguis attraheretur, & attractus posset caussa esse phlegmones cerebri, vel meningum. Quare, ratione huius maximi morbi imminentis, dum sanguis redundat, vena secanda. Galenus in cura alopeciæ, c.1.l.1.κ.τόπ. non meminit venæsectionis, quia ibi non tradit curationẽ morborum, sed rationem componendorum medicamentorum, desumtis indicationibus a locis affectis. Ideo non loquitur de omnibus indicationibus, seu instrumentis. Circa quantitatẽ. Non est vacuandus sanguis in multa copia: dum enim adest area, impossibile est, vt corpus sit exquisite plethoricum; quia area pendet a cacochymia, non tamen exquisite, id est, non adest sanguinis redundantia, sed notha cacochymia: non excedamus igitur ℥vj, vel viij. Quo tempore? Lenita aluo. Quæ venæ secandæ? Variæ, pro varia dispositione ægri. Si enim affectio pendebit e iecore, aperietur basilica dextri brachii: si a liene, basilica sinistri: si ex hæmorrhoidibus, his applicabuntur hirudines: si e mensibus suppressis, saphena secabitur. Quod si ætas, timiditas, aut vires debiles non possunt ferre sectionem venæ, accedendum ad auxilia quæ gerunt vicem sectionis venæ, ad cucurbitulas videlicet, quæ modo dorso, modo popliti, modo cubito sunt applicandæ pro varia ægri dispositione. Cheirurgia vero, quæ respicit caput, duplex est, & proponitur ab Auicẽna: alia euacuat caput, alia potius euacuat materiam exsistentem in cute capitis. Pro euacuatione capitis, dicit Auicennas, caput esse fricandum; & si per frictionem illam insigniter rubicundum fiat caput, ita vt turgidæ conspiciantur venæ circa frontem & tempora; tunc secandam esse venam frontis; vt postea capiti tuto remedia queant applicari: Quod si non appareat illa rubedo, desistendum a sectione illarum venarum. Notandum tamen, prius secandam esse venam cubiti, deinde venam frontis. Cheirurgia, qua euacuatur materia exsistens in cute capitis, proponitur ab Alexandro & Auicenna: & est hæc. Si area sit contumax, cutis capitis scarificanda est: sic enim euacuantur serosæ illæ materiæ, quæ abradunt radices capillorum. Prius tamen totum euacuari debet, pharmaco, aut venæ incisione, ne attrahatur materia.

Obiectio soluitur. B

Venęsectio.

C

Cucurbitulæ.

Sectio venę frontis. D

Scarificatio cutis capitis.

Medicamẽta communia.

De lenientibus, præparantibus, purgantibus, & totum, & caput, dicemus infra c.8. de dolore capitis. Auicennas monet, si infans areis corripiatur, sufficere abstinentiam: non danda pharmaca. Si puer fuerit decem annorum, possumus dare *pilularum cochiarum* ℈j. si fuerit in ætate pubere, adscendimus ad ʒſ.

Topica.

Quoad localia, secundũ Gal. c.1.l.1.κ.τόπ. conueniunt attenuantia, discutientia, & gignentia bonum alimentũ. Debent ergo calida esse, & tenuiũ partiũ: quare vitentur adstringentia. Auicennas, ob materiæ confluxũ ad caput, pmiscet aliqua corroborantia, quæ non sunt valde stiptica, *vt ol. ros. compl.* Ego tantum tres formulas proponã, debilẽ, mediocrẽ, validam: quibus vtendum, put areæ facile vel difficulter cedunt. Debile medicamentum hoc est: *℞ cineris amygd. amar. persicorum, radicũ cannarum, abrotani, thuris in aceto macerati, ana ʒiſ. ol. amygd. amar. adipis anseris ana ʒiſ. Misce, fiat linimentũ.* Mediocre: *℞ puls. staphidisag. in aceto acerrimo macerata ʒiſ. spumæ maris, seu alcyonii. sulphuris ignẽ non experti, sem. erucæ, vtriusq; veratri ana ʒj. ol. de kerua, fellis taurini, resinæ terebinth. ana ʒj. Misſ pro linimento. Resina pini est in cõmuni vsu: multo tamen valentior est resina terebintha, quæ est magis tenuium partiũ.* Validissimum: *℞ euphorbii, sinapis, piperis albi, nasturtii ana ℈j. adipis vrsi. si haberi possit, sin minus, adipis anseris syluestris ʒiſ. stercoris capræ combusti ʒij. succi cepæ ʒiij. ol. laurini, vel costini ʒvj. Misſ. pro linimento.* Si malum vrget, Auicennas adscendit ad cantharides, *quæ possunt macerari in aceto, vel in decocto staphidis agriæ.* Possumus, vsu postulante, vti *cantharidibus, cum pice liquida.* Auicennas etiã vtitur *lacte tithymali.* Prout enim magis vel minus contumax est affectus, p eo magis, vel minus valentibus est vtendũ. Hinc Galenus, c.1.l.1.κ.τόπ. & c.18.l.14. meth. monet, vt quandoque incipiamus a valentioribus, non semper a debilioribus: si enim malum rebelle, non est æger debilibus frustra cruciandus. Num autem malum rebelle sit, cognoscitur hoc modo. Antequã adhibeantur medicamenta pposita, fricanda cutis est panno aspero, vel radice bryoniæ, vel foliis ficuũ, vel, si homines delicati hanc frictionẽ non ferant, caput fouendũ spongia, in tepida imbuta; vt his rationibus laxentur pori cutis, quo medicamenta penetrare & operari queant. Quoad vtendi tempus: post euacuationem totius, & capitis, abradendi pili, idque sæpius, quoties nimirũ renascuntur: deinde pscriptis medicamentis fricanda est cutis: tum medicamẽta pposita adhibenda. Vt autẽ in alopecia & ophiasi sciamus, an vtendũ sit leuioribus vel fortioribus, fricãda est cutis: si enim per frictionẽ moderatã mutetur, vt calida reddatur, & secũdum colorẽ fiat rubicunda, vel citrina; tunc debemus applicare medicamẽta debilia; quia hinc cognoscimus, affectionẽ esse debilẽ, non contumacẽ: si vero per frictiones insignes nõ mutetur cutis, vel vix mutetur; debemus auspicari a valentioribus; quia indiciũ est admodũ rebellis affectionis. Deinde sciendũ, num in medicamentis, quæ primum applicauimus, sit insistendum, an vero transeundum ad alia, vel debiliora, vel ca-

E

F

G

A vel validiora. Si ergo post remotionem medicamentorum, cutis facta sit calidior ad tactum, item rubicũdior, & humidior, &, si adsit indicium aliquod exulcerationis, tunc descendendum ad debiliora; alias fierent vlcera & inflammationes in capite: si non fiat mutatio proposita, adscendendum ad validiora. Hinc monet Galenus, c. 18. l. 14. meth. vt non semel, sed bis, & sæpius quotidie aduertamus, quomodo se habeat cutis, post remotionem medicamentorum. Si enim leuis sit mutatio, debemus in illis progredi: si nulla sit mutatio, adscendendum ad validiora: si multa sit mutatio, descendendum ad debilia, & partes oblinendæ *adipe anserino, & gallinæ*; mitigant enim feruorem & acrimoniam, introductam a validis medicamentis, & simul attenuant: non autem vtendum anodynis crassefacientibus, quia adstringunt.

Quoad diætam: in areis aer erit calidus, vt succi adhærentes radicibus capillorum euocentur a cẽtro ad circumferentiam. Auicennas præcipit, vt pileus conficiatur e pellibus, vt fiat sudor, & per sudorem e- B uacuatio: quod potissimum hyeme fieri debet. Galenus dicit, æstate adhibenda esse medicamenta sub radiis solaribus, quia aer ille adiuuat: hyeme vtendum his medicamentis in balneis, vel in hypocaustis. Sit ergo semper aer calidus. Cibi sint boni succi: quantitate, mediocres. A vino abstinendum, quia hoc caput petit. Quod si consuetudo vinum poscat, id erit pauciferum & subadstringens. Victus in areis.

Curatio Defluuii capillorum.

Capillorum defluuium pendet a vitio Materiæ, vel Cutis. Vitium materiæ est Corruptio, vel Defectus. Defluuium capillorũ.

Si praua sit materia, iisdem occurrendum, quibus vsi sumus in curatione arearum. Quod si peculiaris aliqua sit deprauatio succorum, vt in morbo gallico; non vtendum propositis medicamentis, sed adhibẽ- Si a praua materia C da ea, quæ priuatim luem gallicam respiciunt. Si ergo in morbo gallico pili defluant; non debemus curare, vt pili detineantur, quod quidam faciunt, admotis adstringentibus, ladano, oleo mastichino, rosis, myrto; Defluuium in lue venerea. hæc enim in caussa sunt, vt morbus gallicus sæuissimus fiat, quia succus vitiosus, impactus radicibus capillorum, adhuc magis figitur, & lues illa in corpus retrocedit. Quare post euacuationem totius & capitis, cũ bibunt decoctum guaiaci, luna augescente, capilli abradendi, & his euulsis, quotidie caput sequenti vnguine vngendum, ter, quater, & quinquies: renascũtur enim pili celerrime, & admodum firmi. ℞ *pul. corticis guaiaci, abrotani combusti, vel rad. cannæ, ana ℥ſ. decocti guaiaci, quo pro syrupo æger vtitur ℥ ij. olei caryophyllorum vnguentariorum ℥ j. ol. amygd. ℥ ſ. vini albi montani subdulcis ℥ iſ. Misc. fiat decoctio in duplici vaso, per 12. vel 14. horas: seruetur ad vsum.*

Si pendeat defluuium ab inopia materiæ: secundum Alexandrum & Galenum, vtendũ medicamẽ- Si ab inopia materiæ. D tis quæ habent vim attrahendi materiam; item attractam conseruandi, non absumendi; tertio quæ habẽt vim, vt materia attracta in cute detineatur & hæreat, non defluat. Quare debent esse calida, vt attrahant: item humida, ne absumant, quia siccitas consumeret: item adstringentia, ac densantia, vt materia hæreat, non defluat. Alexander ergo caput fouet aqua tepida, quæ calfacit, & humectat: & inungit caput *hydrelæo*, ad materiam attrahendum & conseruandum: præterea vtitur aliquo condensante, *vt oleo rosato, mastichino, myrtino, vino stiptico, & admiscet ladanum.* Sic his adstringentibus vtitur: quibus tamen minime debemus vti in defluuio capillorum e praua materia oborto. Quoad quantitatem: pro ℥j. calefacientis & humectantis, misceri debet ʒj. condensantis & adstringentis: verbi gratia, pro ℥j. hydrelæi, imponatur ʒj. ladani, vel alterius adstringentis. Victus his respondeat. Aer temperatus. Cibus mediocris, optime nutriẽs, humectans, quia materia deficit. Vinum vinosum desiccat: quare mediocre id esto.

E Si defluuium capillorum fiat vitio cutis: fit, quia cutis est rarior, vel densior. Si sit rarior, vtendũ condensantibus & adstringẽtibus: ideo Auicennas probat *baccas & folia myrti, cortices nucum vstos, gallas immaturas cum vino stiptico, myrobalanos chebulas, emblicas. Vti etiam possumus oleo lentiscino & myrtino.* Alexander caput fouet frigida, vt densetur cutis. Aer sit frigidus: cibus crassefaciens, vt caro bubula, pedes vituli: vinum granatorum restringentium. Si a cutis raritate.

Si defluuium fiat ob densitatem cutis: contrariis occurrendum. Ideo Auicẽnas vtitur attenuantibus validis, vt *cinere ranarum, sinapi, calamintha, ruta, euphorbio: abluit caput aqua alterata alcyonio, aqua salita.* Aer sit calidus: victus extenuans; condiantur cibi cinnamomo, feniculo & calefacientibus. Potus sit vini vinosi, tenuis, & antiqui, quoniam extenuare volumus: vel aquæ alteratæ cinamomo, feniculo, &c. Si a cute densa.

Curatio Caluitii.

F Si fiat ratione defectus, occurrendum *oleo amyg. & hydrelæo.* Auicennas infantes suscipit curãdos, & qui non deuenerunt ad senectutem: de senibus enim actum est, quia materia in illis non potest refici. Caluitium.

Si fiat ratione densitatis cutis, conueniunt extenuantia, quæ proposita sunt in areis.

Curatio Tardi pilorum ortus.

Si fiat ratione caloris agentis, vtendum calorificis: verbi gratia, expurgato corpore exhibendæ sunt *aquæ Aponenses*, & medicamenta calefacientia; vt corpus quod est frigidum, calidum reddatur. Optimæ etiam sunt confectiones calefacientes. Si fiat ob vitium cutis: si cutis sit humidior, rarior, siccior; e propositis patet quid sit agendum. Si non oriantur pili, vt oriri deberent, ob densitatem cutis; difficillime tollitur affectio. Tunc ergo Auicennas accipit *cantharides, ablatis alis & pedibus, exsiccat in vmbra: deinde conte-* G *rit & decoquit in ol. amygd. vel viol. vel in oleo communi:* his mentum inungit, quia hoc modo fiunt crustæ, quibus decidentibus nascuntur pili. Mentum etiam iungi debet *melle anacardino. Vngula etiam asini combusta & trita, permiscenda oleo sesamino; & pars vngenda. Sic oua formicarum, permiscenda oleo de been; & pars eo vngenda. Possumus etiam accipere auellanarum nucleos, contritosque miscere cum oleo raphani. Vngatur etiam mentum cinere abrotani, & oleo antiquissimo. Præstantiss. est secretum, aqua e fauo mellis destilla-* Tardus ortus pilorũ.

*ta:*si enim vngatur ea mentum in vitio ob cutis densitatem, mirabiliter pili erumpunt: sumatur mel sicuti A extrahitur, vna cum cera & apibus, id est, fauus mellis, & totum destilletur.

Capvt III.

De Excessu capillorum.

Nomen.

PEr excessum capillorum intelligimus tum nimiam pilorum longitudinem, tum duritiem pilorum nimiam: quidam enim pilos ita duros habent, vt videantur pili suum: c.3.l.1.κ.τόπ. Si pili sunt prolixiores, impediunt, quo minus partibus medicamenta admoueri queant: vnde hi demẽdi. Durities vero pilorum tum indecoros reddit homines, tum infensa & molesta est.

Remouentia pilos.

Sed primo loquemur de primo excessu; proponentes remouentia pilos, & prohibentia nouam generationem pilorum. Remouentia pilos sunt duplicia, alia dicuntur Psilothra, quæ a pilis cutẽ denudant; B non tamen inde pilorum radices absumuntur, sed cutis tantũ redditur depilis: alia sunt, quorum vis intro magis penetrat, ita vt radices pilorum tollantur: & hæc dicuntur Exstirpantia pilos. Psilothra pertinent ad partem exornatoriam: exstirpantia ad facultatẽ comtoriam. Psilothra sunt calida, & habent vim abradendi. At ne exulceretur cutis, mitiora miscenda sunt validioribus. Galenus ergo probat *pumicem vstũ. Præstantissimum est medicamentum, quod recipit calcem viuã & auripigmentũ, commista cum amylo, cum farina hordei, cum succo ptissanæ. Aetius permiscet cum succo oryzæ, & contundit omnia, ad inhibendum exulcerationem, in mortario plumbeo.* Æqua erit portio calcis & auripigmenti, si volumus medicamentum non multũ validum: at, si volumus validius, imponemus auripigmentũ maiori copia: verbi gratia. *℞ auripigmenti ℥ ij. calcis viuæ ℥ j ptissanæ colatæ q.s. misce, & agitando in mortario plumbeo fiat linimentum.* Auicennas monet, si forsan institutũ nostrũ sit, tollere pilos, vt pili qui renascuntur sint molles, non duri, & teneriores, non asperi; C in psilothro imponendos cineres vitis, verbi gratia, & ℥ iij. & locum diligẽter esse fricandum post remotionem medicamenti; deliniendum etiã locum *cum farina hordei, fabarũ, & seminum melonũ:* vt sic pili nascantur molles & tenues. Auicẽnas etiã, si imminet excoriatio: (quod e dolore cognoscitur) auellit medicamentum: & si leuis est excoriatio, *lentes excorticatas tritas cum aq. ros. miscet cum modico ol. ros. compl.* & oblinit locũ. Si excoriatio sit magis insignis, confugiendũ ad medicamentum validius, *ad vnguentũ rosatum, & infrigidans Galeni, sed sine aceto.* Ratione mali odoris, Auic. miscet odorata: hinc probat *cretam permiscis aromatibus, vt caryophyllis, cinamom. mace: si homines ditiores fuerint, addetur aliq̃d moschi, vel ambræ.*

Exstirpãtia pilos.

Quoad medicamenta penitus exstirpantia: proponit Galenus *leporem marinum, qui ignotus est nobis: item hepar thynni putrefactum, qui magnus est piscis, & haberi potest: probat cedriam, sandaracham, vrticam marinam, lacrymam hederæ, bryoniæ, vitis albæ.* Hinc Aetius dicit, si pubes puerorũ inungatur lacryma vitis D albæ, tardissime nasci pilos in pube. Eandem vim habet *suctus exsudans e viridibus sarmentis, dum ad ignem comburuntur.* His pili tolluntur.

Prohibẽtia pilorum incremẽtum.

Prohibentia, ne pili tam facile pullulent, habent vim densandi cutem: pili enim per apertos poros egrediuntur. Oportet etiam, vt habeant vim propellendi materias ad partes internas; ideo debent esse frigida & reprimentia. Hinc Auicennas probat *succum hyoscyami, mandragoræ: adscẽdit ad opium, permistum cum aceto: vtitur cinere ranarum lacustrium, quem permiscet cum mucilagine psyllii, cum hyoscyamo.* Sed aduertendum, ne mulieres vtantur istis, tempore purgationis menstruorum, vel imminentibus menstruis: maxime enim hoc obesset.

Pili crassi vt reddantur tenues.

Quoad pilos duriores, vt reddantur molliores & tenues: oportet vti iis, quæ habent vim detersoriam, & ex Aetio sunt tenuium partium. Galenus probat *farinam hordei, fabarum, erui seu orobi, aristolochias, vtrumque veratrum, cinerem sepiarum, & animalium quæ ostrealia sunt*, in quibus est vis attenuandi & E detergendi, absque erosione. Et hæc possent misceri cum *succo ptissanæ*, id est, cum aliquo detergente, & attenuante. Si volumus odorata reddere, miscemus *melissam, schenanthum, moschum, &c.*

Capvt IV.

De Vitiato colore capillorum.

Tinctura capillorum caute vtendum.
Canitiei caussa.

DE tinctura capillorum agentes, paucis prosequemur Canitiem, quia est vitium turpe, præcipue in fœminis. Sed e pilorum tinctura, fœminæ interdum labuntur in apoplexiam, epilepsiam, veternum, catochum, in destillationes periculosas, in mortem: c.3.l.1.κ.τόπ. Quare his prudenter vtendum. Canities fit ex humore pituitoso, lento, viscido, qui languide a calore propellitur. c.5.l.2. de temperament. Quare hæc F pituita est serum pituitæ, id est, corruptio quædam, contracta e pituita, quæ temporis progressu putrescit. Tempora potissimum canescunt, quia ibi est musculus carnosus & humidus. Canities ergo, secundum Galenum, indicat temperiem frigidam & humidam. Adest putredo, e materia humida, diu detenta, & non transpirata.

Ad canitiẽ imminentem.

Quoad imminentem igitur canitiem, cum fiat propter imbecillitatem caloris, & ratione illius materiæ pituitosæ putrescentis; oritur indicatio, vt pituita collecta & putrescens euacuetur; prohibeaturque ne amplius gignatur, coaceruetur & putrescat. Et hinc recte Auicennas occurrit medicamentis purgantibus totum & caput, vt pituitam euacuet: de quibus paullo post agemus, c.8 de dolore capitis. Ad prohibendum autem, ne materia pituitosa generetur, oportet siccare, calfacere, roborare caput & vẽtriculum: quod fit *magnis antidotis:* de quibus c. de dolore capitis. Ne vero hæc materia colligatur, cum id fiat ob cu- G tis densitatem; oritur indicatio aperiendi poros cutis, vt exhalet materia. Debemus ergo vti oleis calidis, ab Auicenna propositis, vt *oleo de been, de costo, oleo quod fit e medulla colocynthidis, oleo e sinapi, e caryophyllis vnguent. cuius frequenti vsu homines a canitie præseruantur.*

Tingentia pilos.

Dum autẽ pili iam cani facti sunt, vtendũ tingentibus pilos. Quæ tingunt pilos nigro colore, nõ debent

A bent esse stiptica, aut permiscenda iis, quæ sunt tenuium partium, ne stiptica noceant. Galenus & Auicen. multa proponunt. Ad nigros capillos sequens medicamẽtum expertum est, & per mensem nigros seruat, sine detrimento: ℞ *gallarum immatur. ℥iiij. (optimæ sunt, quæ ex Istria deferuntur.) decoquantur in sartagine cum ol. communi, iandiu, donec fere omnes gallæ disruptæ sint, tum imponantur super pannum lineum, qui ligno incumbat, & sic detineantur per noctem, post contusæ in mortario confecto e cupro, redigantur in puluerem, & exsiccentur. Addantur deinde squamæ æris ℥j. alcannæ, id est, foliorum ligustri in puluerem redactorum ℥ij. caryophyllorum puluerisatorum ʒij. Hic puluis proiiciatur in vas figulinum non magnum, quale Patauii solido emitur, & vas repleatur vino aromatico, vel montano generoso. Post addantur, aluminis rochæ ʒij. corticum granatorum, corticum nucum viridium ana ʒiß. rorismarini, saluiæ ana Manip. ß. Omnia misceantur, & decoquantur ad consummationem medietatis vini.* Quod si ergo tingere volumus capillos, oportet accipere vi-

Denigratio capillorũ.

B ni & pulueris eam quantitatem, quę sufficiens esse videtur pro illa vice: misceri autem puluis cum vino debet, vt ea oriatur consistentia, quæ in ptissana colata requiritur. Capillis oblitis, locus inuoluatur panno lineo, & maneat inuolutus per 2 vel 3. horas: dein tollantur petiæ istæ lineæ, & abluatur locus æquali portione aquæ & lixiuii, ita vt caput mundum reddatur. Et, si forte post ablutionem aliquid medicamenti remancat, vel in barba, vel in capite; sumatur pannus, immersus aquæ, quæ sit referta copioso sapone, & eo optime fricetur, ac detergatur caput, & vndique exsiccetur. Detersa autem materia medicamenti, caput siccandum: postea inungendum oleo caryophyllorum vnguentariorum. Durat hæc tinctura donec augentur pili; interdum mensem integrum. Sed faciendum est luna decrescente, vt diutius detineatur. Et notandum, quod illæ petiæ seruari possunt, ad eundem vsum, pro aliis vicibus.

Sequenti medicamento pili redduntur nitidissimi, fului, & splendentes: ℞ *rad. cannarum faui mellis,*

C *ana* ℔ *ij. lupinorum in succo herbæ lanariæ maceratorum ℥iß. fol. ligustri ℥j. fl. verbasci albi maceratorum in aceto ℥vj. macis ʒij. salis communis ʒiß. croci ʒj. Misc. & destillentur omnia in alembico vitreo*: & sub radiis solaribus inungantur radices capillorum. Vel *fauus mellis destilletur*, & primo aqua exibit, deinde oleum: quod oleum erit admirabile, ad reddendum capillos nitidos & splendentes.

Vt capilli fiant, fului, nitidi.

Faciei cutis splendens & nitida reddetur hoc medicamento: ℞ *aq. cochlearum, limoniorum. florum fabarum, polygonati, siue sigilli Salomonis, maluarum (intelligo semper flores) ana* ℔ *j. Misc.* & hęc aqua erit optima. Verum, vt sit magis efficax simplicia proposita imponantur *in aqua polygonati*, & destillentur in alembico vitreo: & erit aqua ad faciei nitorem comparandum valde idonea, si moderate facies inungatur.

Facies vt nitida fiat.

CAPVT V.

De Tineis, seu de Achoribus, & Fauis.

D HACTENVS de capillorum vitiis: sequuntur affectus ad Cutem capitis pertinentes, vt sunt Tinea, Porrigo, & Pedicularis morbus.

Transitio.

Tinea dicitur a similitudine illius vermis, qui abradit vestes. Dicitur etiam vlcusculum capitis. Est ergo tinea vlcusculum capitis, cutim depascens. c. 8. l. 1. κ. τόπ. Vlcus est soluta vnitas, cum deperditione cutis capitis, a mordente succo excitata. Dicitur, cum deperditione cutis, ad differentiam vulneris.

Definitio.

Fit a mordaci succo: qui talis est vel natura, vt bilis ichor; vel talis est ratione putredinis, vt alii humores, & præcipue salsa pituita: nec tantum a salsa pituita fit tinea, sed ab aliis etiam, cum Alexandro. Caussæ huius succi mordacis vel sunt Internæ, vt mala viscerum dispositio: vel Externæ, vt mala diæta, esus ciborum acrium & salsorum.

Caussa.

E Tineæ sex species sunt. 1. Psydracia, in quibus cutis secundum superficiem exulceratur, nec admodum eius mutatur color. 2. Exanthemata, id est, efflorationes, quæ ad cranium penetrant, cutim mutant in colore, & eam reddunt asperiorem: Alexander dicit, ea esse subrubicunda & aspera. 3. Exulceratio papillaris; quæ sunt vlcuscula magis penetrantia, in quib. fit attractio materiei, & tumor quidam instar papillæ. 4. Ficus; qñ magis mordax est succus, fit dolor, & maior materiæ attractio; oritur tumor instar papillæ ficus. c. 2. l. 2. met. 5. Si adhuc maior est acrimonia succi, non tantũ fit tumor, sed foramina quædam exigua, e quib. tenuis materia prodit, qui dicitur ichor: vnde hæc affectio vocatur achor. c. 8. l. 1. κ. τόπ. Arabes vocãt saphatinã Auicennas ait saphati esse pustulam humidam, a qua ichor emanat: item, esse exulcerationem, habẽtem foramina plura exigua, e quibus aqua emanat, in qua est nonnihil visciditatis. Postremo si adhuc magis vigeat vis succi abradentis, maxima fiunt foramina, e quibus emanat materia instar mellis; vnde fauus dicitur, & meliceris. Hæ sunt differentiæ tineæ: quæ omnes in hoc conueniunt, quod ratione putredinis

Differẽtiæ. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

F sunt contagiosæ. II. A loco affecto sumuntur differentiæ; prout Magis vel Minus penetrant. III. Ab efficientibus caussis; vt prodeunt ab Ichore, Pituita salsa, Flaua bile, vel Melancholia.

Tinea omnis est contagiosa.

Cognoscitur hæc affectio, quia homines ratione pruritus coguntur locum scalpere. Apparet etiam indicium in cute. Succedit dolor, tumor, apparent foramina. Quæ autem sit differentia huius affectionis, facile cognoscitur e materia ipsarum declarata. An vero prodeat magis ab hoc quam alio succo, docet Alexander, dicens: si exiens est tenue & pallidum, erit humor biliosus; si viscidum, pituitosus; si exiguum, & vix exit, indicium est succi melancholici. Cognoscimus etiam e signis indicantib. hunc vel illum humorẽ.

Signa.

Cum soluta sit vnitas, oritur indicatio vniendi. Vnionem autem impediunt, dolor, inflammatio, & succus deprauatus: ratione doloris, oritur indicatio mitigandi; ratione phlegmones, oritur indicatio remouendi: (de speciebus inflammationis agemus cap. 9. vbi de phrenitide) ratione succorum, si sunt fixi &

Indicationes.

G impacti, discutiendum & abstergendum, pręcipue si crassi sunt; si sunt in fluxu, est repercutiendum; si sunt fluxuri, est diuertendum, & toti corpori prouidendum.

Hi scopi absolui possunt, quia est vlcusculum: si tamen affectio sit inueterata, difficilis est curationis.

Prognostica.

Gal. in achorib. proponit discutientia: quæ Leuiora sunt, aut Fortiora illa conueniunt, si affectus est in superficie; hæc, si in profundo. Cum cutis bonũ alimentum attrahere non possit, conueniunt reprimẽ-

Topica. 1. 2.

tia, quoties habemus materiam, quæ in fluxũ eſt, citra corporis repletionem. Diſcutientia & reprimentia conueniunt ſimul, quoties habemus materiam impactã, & imminet malum aliquod, vt inflammatio. Sed abſtinendum a frigidioribus, & ab obturantibus, & ab ingratis: vnde Archigenes male proponit ſemperuiuum, quod nimis refrigerat; ceruſſam, quæ obturat; vrinam tauri, quæ ingratum facit medicamentum.

Materiæ auxiliorũ. Reprimentia ſecundum Galenum ſunt, *bacca myrti, cortex pini, rubus canis, ſycomorus, oleum myrtinum, de rubo canis, de ſycomoro: oleum oblinit & diſcutit, myrtus reprimit. Conueniunt etiam lentiſcus, fructus & radix cyperi, cupreſſi, lentis.* Diſcutientia alia leuiora, *vt hordeum, oleum vetus, betæ folium & radix, bryonia, ſpuma argenti, cadmia, manna thuris, lupini, conchæ vſtæ.* Fortiſſima ſunt, *ſal, fex vſta, chalcitis, calx viua, fel potiſſ. calidorum & ſiccorum animalium, vnde fel ſuillum omnium eſt moderatiſſimum, quia humidum. Addit etiam Galenus ſulphur, rad. cucum. ſylueſtris, rad. aſparagorum, rad. lilii, rad. veratri vtriuſque folia fici, ſuccum ireos, ſuccum ſcillæ decoctæ in fornace, medicamentum e charta combuſta, quamuis veram chartam non habeamus. Excipi hæc poſſunt oleo veteri, oleo lucernæ, oleo amygd. amarum, melle, vino, & aceto: non tamen indiſcriminatim. Excipienda ſunt melle & oleo, cum diſcutere volumus. Vino excipimus, acri quidem, ſi volumus diſcutere, auſtero, ſi volumus reprimere. Aceto excipimus, ſiue repellamus, ſiue diſcutiamus, eſt enim tenuis ſubſtantiæ, & habet partem calidam, ac frigidam.* B

Formulæ. Ex his formulæ præſtituentur: vt in achoribus incipientibus ratione materiæ in fluxu: *℞ baccarum myrti, rubi canini, ſycomori ana ℥ij. vini auſteri ℔ ij. fiat decoctio ad tertias.* Diſcutiens leue: *℞ hordei integri, rad. betæ, bryoniæ ana Man. ſ. olei veteris. ℔ ſ. vini acris ℥iij. fiat decoctio ad tertias: Deinde facta expreſſione adde pulueris cadmiæ, lithargyri, lupinorum ana ʒj. cochlearum vſtarum ʒj. Miſc.* Reprimens ſimul & diſcutiens: *℞. fol. lentiſci P. j. fructuum cyperi, cupreſſi, lentiſci ana ʒſ. aceti mediocris ℔ ſ. Miſc. & fiat infuſio in aceto feruente per 24. horas: dein facta expreſſione, adde olei myrtini, ol. roſ. compl. ana ℥j. Miſc.* Validum medicamentum, quo tinea quæcunque eradicatur, multis ſecretum: C *℞ rad. cucum. agreſt. vtriuſque helleb. aſparagorum ana ℥j. macerentur omnia in aceto acerrimo feruenti per 24. horas: dein facta expreſſione adde ſuccorum ireos, ſcillæ decoctæ in fornace, ſulphuris ignem non experti, calcis viuæ ana ʒiij. ol. laurini ℥j. reſinæ terebinth. ʒij. Miſc fiat vnguentum.* Quoad vtendi modum, actu calida admoueantur. Tempus applicandi eſt poſt corporis purgationem.

Purgatio & phlebotomia. Notandum circa pharmacum, & venæ ſectionem in his morbis: hæc duo valida auxilia eſſe, quæ in morbis tantum vehementibus conueniant, apho. 29. ſect. 2. in his tamen vlcuſculis vtendum iiſdem eſſe, non ratione morbi præſentis, quia hic eſt leuis, ſed ratione morbi imminentis: cum enim debeamus vti localibus medicamentis calidis, periculum eſt, ne ratione caliditatis attrahatur materia in caput, & fiat inflammatio, &c. D

CAPVT VI.

De porrigine, ſeu furfuribus.

Nomen. FVRFVRES ita dicuntur, quia e capite decidit materia quædam, quæ ſimilis eſt furfuribus. Porrigo autem dicitur, quaſi prurigo, quia in hoc affectu homines infeſtantur pruritu quodam.

Definitio. Eſt autem porrigo ſolutio vnitatis in ſuperficie cutis capitis, a materia furfurea pendens. Hæc definitio tradita eſt per cauſſam effectiuam, non per cauſſam formalem: quia porrigo eſt triſtis ſenſus pruriginoſus, ideo ad dolorem refertur: vnde quæ cauſſa formalis eſt doloris, ea etiam cauſſa formalis eſt porriginis. Solutio ergo vnitatis eſt cauſſa efficiens, a qua pendet hic ſenſus triſtis pruriginoſus; ita vt ſolutio vnitatis ſit cauſſa immediata ſenſus pruriginoſi. Hæc ſolutio vnitatis reſidet in ſuperficie cutis capitis. Idem dicit Auicennas; in affectu furfuraceo adeſſe leuem excoriationem in ſuperiori cutis ſuperficie. Poſtremo E diximus, pendens a materia furfuracea. Diximus, pendens; non producta. Nam effectus a cauſſa ſua dupliciter producitur: primo, vt non dependeat in eſſe & conſeruari a ſuo producente; vnde fit, vt remoto efficiente, permaneat effectus. Secundo producitur effectus a ſuo producente, ea ratione, vt quamprimũ tollitur producens, ilico euaneſcat effectus; quoniam effectus in eſſe, & conſeruari pendet a ſuo producente. In propoſita ergo finitione diximus, pendens: quia ſolutio vnitatis, quæ eſt cauſſa affectus furfuracei, in eſſe & conſeruari pendet a materia furfuracea: vnde materia hac ablata, ilico ceſſat ſolutio vnitatis. Hinc colligitur illam ſolutionem vnitatis non eſſe morbum, ſed affectionem: quia de ratione huius affectionis eſt, vt ad remotionem cauſſæ remoueatur etiam ipſa affectio. At ſecus eſt loquendum de ipſo morbo: quia morbus neceſſario habet permanentiam. Hinc colligitur, materiam hanc furfuraceam ſibi vendicare locum cauſſæ efficientis, & quandoque locum exeuntis mutati, quando extra caput egreditur, quia F egreditur id, quod non deberet egredi: habet autem locum efficientis, quatenus eſt cauſſa ſoluens continuum.

Cauſſæ. Porro hæc materia furfuracea producitur e corruptis ichoribus: per hos autem ichores intelligo tenuem portionem excrementitiam ſucci alimentalis, quæ tenuis portio eſt vehiculum ſucci alimentalis. Et hæc portio eſt ea, quæ conceſſit in tenue excrementum tertiæ concoctionis. Cum ergo ichor ſit tenuis portio excrementitia ſucci alimentalis; neceſſario ichor proportionem habet cum ſucco alimentali. Hinc fit, vt ſanguis ichorem habeat mitem; bilis & melancholia immitem; quia tales ſunt eorum ſucci. Porrigo igitur fit a corruptis ichoribus ſanguinis, bilis, flauę, pituitæ, melancholiæ. Et hoc accidit, aut vitio capitis, aut vitio Partium ſubiectarum, aut vitio Totius. Vitio capitis; vbi caput calidius & humidius eſt; vel, vbi G calidius & ſiccius. Auicennas dicit, hunc affectum fieri a nuda ſiccitate: nos ichores neceſſarios eſſe dici-

Auicennæ cõciliatio. mus. Sed Auicennas ſic eſt intelligendus, vt voluerit ratione ſiccitatis nudæ ichores adeo excreſcere, vt in materiam furfuraceam abeant: loquitur de cauſſa efficiente ichores ſimiles furfuribus, non quid hic affectus prodeat e ſiccitate tantum. Concurrunt præterea vitia partium, vbi iecur eſt calidum, ventriculus frigidus; vbi deprauati ſunt ſucci, vbi præceſſit mala viuendi ratio.

Porrigo

Differētia.

Porrigo excitatur ab ichore vel pituitoſo, vel melancholico, vel bilioſo, vel ſanguineo. Et vitiatur hic ichor vel in capite, vel in aliis corporis partibus.

Signa.

Facile cognoſcitur hæc affectio e furfuribus decidentibus: conqueruntur homines de ſenſu triſti pruriginoſo. Differentiæ facile cognoſcuntur: quia, e Celſo, ſi malum pendet ab ichore pituitoſo, materia furfuracea decidens, aliqua e parte madida erit: ſi ex ichore bilioſo & melancholico, ſiccitas apparebit. Et, ſi e bile, citrinus erit color; ſi e melancholia, niger. Vtrum autem hæc materia ſit genita vitio capitis, vel partium infernarum: recurrendum ad ſigna, indicantia intemperiem capitis & aliarum partium.

Indicationes.

Cum affectus hic originem ducat e materia furfuracea, illa depellenda eſt. Cum autem gignatur vitio ichoris, oportet perpēdere, an ichores geniti ſint, an vero metus ſit ne gignantur. Si geniti ſunt; vel fluxerunt ad caput, vel ſunt in fluxu. Si fluxerunt, oritur indicatio euacuandi eos. Si ſunt in fluxu, oritur indicatio reprimendi. Si metuitur ne gignantur; periculum illud imminet, vel propter vitium capitis, vel aliarum partium. Si vitio capitis, caput eſt corroborandum: ſi calidius & humidius, refrigerandum & ſiccandum: ſi frigidius, calefaciendum, &c. Si procedat vitio aliarum partium, illarum vitiis occurrendum.

Prognoſticum.

Hæ indicationes facile abſolui poſſunt: nec opus eſt, vt in prognoſtico tempus teramus.

Curatio.

Quoad cheirurgiam: ſanguis vacuandus ſi in toto redundet ſanguis. Et quia hic affectus leuis eſt, nec morbus dici poteſt, ideo hac ratione leui præſidio ſanguis demendus. Cum autem ratione topicorū, quæ calida ſunt, periculum inflammationis capitis, ideoque morbus magnus immineat, vtendum valido auxilio: & proinde, ſi velimus cito curare, & totum corpus ſit refertum ſanguine, vena ſecanda eſt, vt ſanguis cito remoueatur: at, ſi velimus longo tempore furfures remouere, poſſumus vti debili auxilio, vt inedia, frictione, balneo, quæ ſanguinem longo tempore euacuant.

Topica.

Medicamenta e c. 6. l. 1. κ. τόπ. debent eſſe detergentia, attenuantia, adſtringentia. Abſtergentia, ratione materiæ impactæ: attenuantia, vt materia, quæ reſolui debet, attrahatur a centro ad circumferentiā: at ratione ichorum qui ſunt in fluxu, ne tam facile ſuſcipiantur, oportet vti reprimentibus, vt ichores fluentes recedant; & adſtringentibus, vt partes corroborentur, ne ita facile ſuſcipiant. Hinc Archigenes probat medicamentum, confectum *ex atramento ſutorio, id eſt, chalchantho*: in hoc enim ſunt partes nitroſæ, quæ detergunt; item calidæ ac tenues, quæ diſcutiunt, & robur addunt. Sed hoc medicamentum nimis vehemens eſt. Quare ita in curatione progrediendum. Expurgato corpore & capite, abluatur caput *mediocri lixinio, & addantur lixinio furfures, fumaria, beta, radices oxylapathi*; & ita abluatur caput: ablutum & ſiccatum caput, oblinatur *farina fabarum, lupinorum, orobi, & addatur aliquid ſalis mineralis, & ſubigatur cum aceto, & cum oleo amygdal. amararum*. Et hoc medicamentum detineatur in capite, per 2. 3. vel 4. horas, vel per totam noctem. Rurſus deinde abluatur caput, vrgente neceſſitate, *lixinio valentiore: vnde lixinio addatur ſtaphiſagria, medulla colocynthidis, agaricus, rad. cucum. agreſtis, & ita abluatur caput*. Si his non tollatur malum, deueniendum ad medicamentum validiſſimum Auicennæ, quod efficitur ex æquali portione *chalchāthi, ſalis mineralis, & ſulphuris ignem non experti, & hæc cum ladano permiſcentur, diſſoluto in oleo maſtichino*, ratione corroborationis. Terram Cimoliam non propono, quia nos ea caremus. Sed medicamentis propoſitis addere poſſumus *terram illam, quæ proxima eſt thermis Aponenſibus, vel aliis thermis ſulphureis, quæ terra redolet naturam ſulphuris*.

CAPVT VII.

De Phtheiriaſi, ſeu morbo pediculari.

Definitio.

HIc affectus eſt ſolutio vnitatis in profundo cutis capitis, a pediculo dependens. Dicitur ſolutio vnitatis: quia, qui patiuntur hunc affectum, prurigine & dolore afficiuntur; & vbi dolor, ibi neceſſario ſolutio vnitatis. Hæc vnitatis ſolutio, ad differentiam porriginis, eſt in profundo cutis capitis. ca. 7. li. 1. κ. τόπ. Hæc ſolutio vnitatis dependet a pediculo: vnde ablato pediculo, non eſt amplius affectus: ideo hæc affectio non eſt morbus. Et pediculus non eſt morbus, ſed cauſſa efficiens morbi, quatenus efficit ſolutionem vnitatis, a qua pendet triſtis ille ſenſus, qui eſt cauſſa doloris.

De ortu, cauſſiſque pediculorū

Eſt autem pediculus quoddam animal, toto genere præter naturam, quia maxime infeſtum eſt naturę humanæ: vnde homines interdum moriuntur ex hoc affectu. Generatur in cutis profundo: quia in ſuperficie, & parte exteriore cutis non ita viget calor, vt poſſit animal procreare. Gignitur e ſuccis modice calidis, & modice putreſcentibus. Sunt modice calidi ſucci: nam calidiores ad tantam deueniunt amaritudinem, vel acrimoniam, vt non ſint apti ad vitam ſuſcipiendum. Sunt ēt putreſcentes modice: nam vbi putredo eſt inſignis, materia non poteſt vitam ſuſcipere, ſed fit ophiaſis, aut alopecia. Porro hæc materia modice calida, modiceque putrida; ſunt reliquiæ tertiæ coctionis, & proinde reliquiæ materiæ ſanguineæ, pituitoſæ, melancholicæ; raro autem materię bilioſæ, propter amaritudinem bilis; quamuis materia bilioſa permiſta eſſe poteſt cum reliquiis aliorū humorum. Cauſſæ ſunt Internæ, & Externæ. Internæ dyſcraſia capitis calida & humida, item humida tantū: denſitas cutis capitis, ratione cuius materia detinetur, & non poteſt euaporare: intemperies etiam calida & humida cerebri: & intemperantiæ aliorum viſcerū, pręcipue intemperantiæ in humido: vnde in pueris, fœminis, eunuchis, vigent pediculi, propter eorum humiditatem. Cauſſæ externæ non neceſſario occurrentes ſunt, commercium cum pediculoſis, vt in præliis & nauibus. Cauſſæ neceſſario occurrentes ſunt, aer frigidus, & præcipue vbi occurrit capiti rariori, quia ratione raritatis repletur caput, frigiditas denſat, & etiam eſt in cauſſa, vt materia detenta aliquantulum putreſcat, & ita fiat idonea ad vitam ſuſcipiendum. Præterea ſunt cibi praui, vt eſus fungorum, ficuum, &c. Intermiſſio ſolitæ lotionis capitis: euacuatio ſolita ſuppreſſa, vt ſuppreſſa cauteria; vel remiſſæ purgationes, quæ quotannis fieri ſolent. Eſt ēt exercitium a cibo, vnde caput crudis vaporib. repletur, & potiſſimū poſt coitū ſolent pediculi multiplicari, ſecundū Auicennam, quia præter illud exercitium, adeſt vapor ille

ſpermaticus, qui conducit ad multiplicandos pediculos. Hoc animal producitur a virtute calidi viuidi, vnde concurrit etiam ſol: ſicut enim ſol & homo generant hominem; ita ſol & aliquid proportionatum pediculis, generant pediculos. A

Differentiæ. Oritur pediculus e ſanguine, pituita, vel melancholia, &c.

Signa. Facile cognoſcitur ex egreſſu, e colore, & progreſſa diæta.

Indicationes. Geniti pediculi, ſunt interficiendi. Si reſpiciamus ad nondum genitos, occurrendum cauſſis: & ideo conſiderare oportet ſuccum vitioſum, qui vel actu reperitur in cute capitis, vel imminet vt reperiatur. Si actu adeſt, oritur indicatio euacuandi. Si imminet, vel eſt ratione capitis, vel aliarum partium. Si ratione capitis; ſi eſt humidius, eſt ſiccandum; ſi frigidius, calfaciendum, &c. Si vitio totius, vel aliarum partium; illis vitiis eſt occurrendum.

Prognoſtica. Si pediculi orti ſunt a commercio, & affectus nouus eſt, facile curatur: contra, ſi inueteratus, & ſi ortum ducit e cacochymia. B Hinc Sylla Dictator ex hoc affectu mortuus eſt: nam adeſt aſſidua illa afflictio, adeſt cacochymia in corpore: vigiliis continuis, propter illam afflictionem, intēditur cacochymia; & huius ratione vires diſſoluuntur. Malignitas huius affectus, ſecundum Auicennam, elucet ex inappetentia; dum emaciantur homines, & color corporis vitiatur, dum abraduntur venæ.

Localia. Medicamenta eſſe debent interficientia pediculos, & diſſoluentia pediculorum materiam, e qua illi generantur. Interficientia pediculos, debent eſſe frigida, quia pediculi calido fouentur; debent eſſe ſicca, quia humido aluntur; debent eſſe amara, quia dulcibus oblectantur. Ratione materiæ, quæ nutrit pediculos, debent medicamenta eſſe calida, & diſcutientia, exſtirpantia, & euocantia a centro ad circumferentiam illos ichores ſemicorruptos, qui generant pediculos. Inde debent eſſe medicamenta inuicem C permiſta, quæ habeant contrarias vires. Plurima Galenus proponit c.7.l.1. κ.τόπ. potiſſ. *ſtaphidem agriam, quæ pedicularis herba dicitur: ſemina huius herbæ macerantur aceto acerrimo. Proponit etiam ſandaracham, auripigmentum (ſandaracha eſt auripigmentum magis coctum:)* Hæc applicanda ſunt, ſi pediculi ſint ſub axillis, & circa pubem, & infernas partes.

Cautio. At ſi ſint in mento & capillis circa caput, non debemus his vti, quia ſunt depilatoria; ſed aliis tum vti poſſumus; vt ſunt, *radix oxylapathi, radix betæ, quæ ratione nitroſitatis confert, alumen rotundum, ſal minerale, muria, aqua marina, fel tauri, oleum amygd. amar. abrotanum, abſinthium, braſſica, folia perſicariæ, & alia amara.* Delicatioribus ita præſcribatur: ℞ *rad. oxylapathi ℥j. olei amygd. amararum ℥ij. decoquantur in ſ.q. aceti.* Validius: ℞ *aluminis rotundi ʒiſs. rad. betæ ℥ſs. fellis taurini ʒiij. ol. amyg. amar. ℥j. Miſc. fiat linimentum.* Hoc approbatum in vſu eſt: ℞ *ſem. ſtaphidis agriæ ʒij infunde in aceti acerrimi. ℥iſ. per noctem; deinde colentur, & locus inungatur.* Eſt in vſu etiam *hydrargyrum cum* D *pomo cocto*; quod vnica vice depellit pediculos.

Capvt XIX.

De differentiis interiorum capitis affectuum, & primum de Capitis dolore.

Tranſitio. Explicatis affectibus capitis externis: ad Internos deinceps nos vertemus: vt ſunt, dolor capitis, phrenitis, lethargus, melancholia, mania, læſa memoria, vertigo, catochus, incubus, epilepſia, apoplexia, carus, ſtupor, tremor, paralyſis, conuulſio, ſomnus immoderatus, vigiliæ ſuperfluæ, deſtillatio. Hæc vitia omnia pertinent ad functionem animalem, vnica deſtillatione excepta.

Collatio affectuum capitis internorum. Porro, quoniam actio animalis pertinet ad facultatem vel Cognoſcentem, vel Mouentem; & ſi ad cognoſcentem, vel Non principalem, id eſt, ad tactricem; vel Principalem, id eſt, imaginatricem, rationatricem, & memoratricem: E ſolent dum igitur, prædicta vitia, vel vnam lædere actionem, vel plures, vel omnes; item, interdum cum inflammatione, interdum citra inflammationem; præterea, aliquando cum anguſtia, aliquando citra anguſtiam. Verbi gratia, dolor capitis ad tactum pertinet; mania ad principem facultatem; tremor ad motum voluntarium; ſtupor ad ſenſum & motum; apoplexia & ſoporoſi affectus ad omnes functiones; phrenitis & lethargus vitia ſunt inflammatoria; epilepſia & melancholia carent inflammatione: tandem mania & melancholia ſunt vitia citra anguſtiam; vertigo & epilepſia cum anguſtia.

De dolore Capitis: primumque de definitione, & cauſſis.

Nomen. Intelligimvs hic dolorem, quo homo ſecundum caput in tactu ſenſus cruciatur.

Doloris generatio. Definitio autem vt pateat, primum oportet proponere modum, ſecundum quem generatur dolor. F Vt enim dolor excitetur, neceſſarium eſt qualitatem tactilem primam, vel ſecundam, occurrere corpori neruoſo, inque id ea violentia agere, vt ſoluat continuum. Hæc ſolutio continui, quoniam agit, non quando facta eſt, ſed dum fit; ideo ſub ratione motus euadit ſenſus obiectum commune, non proprium, ſed improportionatum; & ita agit in corpus neruoſum, vt huius tum perceptio, tum affectio, corrumpatur: vnde obiectum improportionatum in inſtanti impertitum cerebro, a ſenſorio interno iudicatur diſproportionatum, & diuerſum ab obiecto iucūdo. Deprauata ergo eſt ſenſus interni actio; & hinc, ad differentiam voluptatis malæ, vis appetens: vnde emergit dolor, ceu affectio appetitus, contraria voluptati.

Definitio κεφαλαλγίας. Hæc igitur doloris capitis eſto definitio: quod ſit ſenſatio corrupta, partium neruoſarum capitis, dependens a ſolutione vnitatis.

Finis, quādo ponendus in definitionibus. Pauca hic de definitionibus medicis dicenda. Definitum igitur, ſi eſt ſecundum naturam, in huius G definitione finis proponi poteſt; qui habet rationem boni: at ſi definitum eſt præter naturam, finalis cauſſa, non proponitur; vnde & in cephalalgia definienda finis eſt omiſſus.

Quando cauſſa efficiens locū habeat in definitione. Præterea in definienda ſubſtantia & accidente, duplex eſt diſcrimen: nam ſubſtantia per ſolam formā & materiam, ſine cauſſa efficiente definitur; accidens vero etiam per cauſſam efficientē definiri oportet, ſi modo intellectus debet acquieſcere: ratio eſt, quoniam ſubſtantia conſtat e materia & forma, cumq; forma materiæ inſit ſine medio, fit, vt & eſſen-

A & eſſentia & cauſſa ſit, contra in accidente, forma ineſt ſubiecto ope cauſſæ efficientis, verbi gratia, priuatio luminis ineſt Lunæ, virtute interpoſitionis terræ inter ſolem & lunam, & hinc merito in definitione cephalalgias propoſuimus cauſſam efficientem. Alterum diſcrimen eſt, quod in definitione ſubſtantiæ genus habet rationem materiæ, differentia formæ, quia hæc rei dat eſſe, contra, in accidente forma eſt genus, materia & efficiens differentia; cum enim accidens inſit ſubiecto, ideo per ſubiectum vnum accidens ab alio diſtinguitur; & cum a cauſſa efficiente pendeat eſſentia accidentis, ideo hæc locum formæ tenet, vltimæque differentiæ.

Genus quãdo formæ, & quãdo materiæ rationem habeat.

Quoad igitur formam capitis doloris, diximus κεφαλαλγίαν eſſe ſenſationem corruptam, vt hinc intelligatur, dolorem eſſe ſymptoma, non morbum; & eſſe ſymptoma in genere læſæ actionis, ad differentiam ſymptomatum, quæ ſunt excuntia mutata, vel qualitates mutatę. Diximus etiam dolorem eſſe actio-
B nem corruptam, ad differentiam actionis imminutæ & ablatæ.

Explicatur definitio κεφαλαλγίας.

Cæterum, tria hic explicanda, primum, qua ratione dolor ſit actio, deinde quomodo ſit actio corrupta, tum quomodo actio corrupta ſit forma doloris. Quoad primum, dolor & actio eſt & paſſio: dicitur enim paſſio, ſeu affectio, primum ratione corporis neruoſi, nimirum membranarum cerebri, quæ ſuſcipiunt obiectum dolorificum, & quidem receptione violenta, cum igitur omnis ſenſatio poſita ſit in affectione ſeu receptione, etiam dolor erit affectio. Deinde etiam dolor dicitur affectio ratione appetitus ſenſitiui (non enim eſt diſcordia inter philoſophos & medicos) qui in dolore non iudicat, non agit, ſed male afficitur & patitur; quemadmodum bene afficitur in voluptate. Dolor autem eſt actio, quatenus poſitus eſt in iudicio, & quatenus pertinet ad cerebrum, organum iudicans, a quo fit iudicium; non ad corpus neruoſum, cuius ſola eſt receptio, vt in methodo anatomica docuimus. Obiici autem poteſt e cap.
C 75. artis medicæ, quod dolor omnino a læſa actione differat. Reſponſio. Galenus eo loci de actione tantum propria loquitur, vbi verum eſt, quod dolor non ſit actio propria, ſed communis tamen eſt, quod ibi non negatur; verbi gratia, delirium eſt actio propria capitis, dolor autem non eſt propria capitis actio, quia etiam ad alias partes ſpectat.

Quomodo dolor ſit actio, & paſſio.

Dicitur autem hæc actio corrupta, ſeu deprauata, non quatenus affectus dolorificus ſeu improportionatus iudicatur, is enim recte iudicatur dolorificus; ſed quatenus fit cum violentia. Ita, ſi fel admoueatur linguæ, & hæc amarum ſentiat; in hoc non eſt error; ſed quia fel agit cum violentia. Sic in cholerica paſſione, ventriculi expulſio eſt deprauata; nam fit cum violentia.

Quomodo dolor ſit actio deprauata.

Explicandum denique reſtat, quomodo ſenſatio corrupta ſit cauſſa formalis. Dicimus igitur ſecun-
D dum medicos hoc verum eſſe, qui ſunt artifices ſenſati, & reſpiciunt ad id, quod eſt in ſenſu, ſeu ad id quod indicat, cuius gratia medicamentis debent vti. Secundum philoſophos vero ſenſatio corrupta potius habet rationem cauſſæ efficientis: vnde philoſophus cap. 4. li. 10. eth. ſtatuit, dolorem eſſe affectionem, cuius affectionis cauſſa efficiens ſit ſenſatio corrupta: nam in generatione doloris (vt ſupra etiam docuimus) poſtremo occurrit affectio appetitus ſenſitiui: vnde philoſophus libro 2. de anima ait, vbi dolor & voluptas, ibi appetitus: & Hippocrates ait, qui dolent, dolorem tamen non ſentiunt, his mens ægrotat: neceſſario igitur in dolore etiam afficitur ſenſorium internum. At medici, vt ſenſati artifices, pro forma accipiunt cauſſam efficientem, præſertim ſpectantem ad receptionem obiecti dolorifici: ſi enim, verbi gratia, dolor fiat e neruo pedis puncto, aut vulnerato, medicamenta pedi applicantur, non capiti, ſeu menti. Huc reſpiciens Galen. c. 2. l. 2. de loc. affe. ait; dolorem eſſe triſtem ſenſum, ſicuti voluptas eſt ſenſus iucundus. In
E exquiſito enim dolore nulla prorſus eſt voluptas: licet ſpurius dolor voluptatis ſit particeps, non tamen eodem tempore, quemadmodum in dolore pruriginoſo, ſeu mordicante, in quo primum eſt voluptas, mox triſtis ſenſus. Hæc de cauſſa formali dicta ſint.

Quomodo doloris forma, ſit ſenſatio corrupta.

Subiectum doloris capitis, eſt corpus neruoſum, cap. 7. lib. 12. method. cap. 6 lib. 3. de Plac. ca. 5. l 7. de Plac. c. 9. l. 3. de vſu part.

Subiectum.

Huius autem doloris cauſſa dependet a ſolutione vnitatis: qua dolor in ſenſu tactus, a dolore reliquorum ſenſuum diſtinguitur: cum enim in omni ſenſu & dolor ſit & voluptas (c. 3 l. de ſymp. diff. ca. 6 li. 1. de ſymp. cauſſ.) ſolus tamen dolor in ſenſu tactus fit a ſolutione vnitatis. Per hanc etiam ſolutionem vnitatis diſtinguitur dolor a grauitate, quæ etiam eſt ſenſatio corrupta partium neruoſarum, ſed citra ſolutionem cõtinui. c. 1. l. 2 κ. τόπ. c. 5. l. 3. de loc. aff. Continui ergo ſolutio eſt cauſſa proxima doloris (quia vnius effectus
F vnica tantum eſt proxima cauſſa) vnde Hippocrates in l. de homine, vt Galenus refert c. 6. l. de rig. inquit, quando natura mutatur & corrumpitur, id eſt, vnitas ſoluitur, dolorẽ accidere. Hæc ſolutio vnitatis, quatenus cauſſa doloris dicitur, eſt obiectum tactus improportionatum, & quidem obiectum commune (nimirum motus violentus: vnde Auerroes veritate coactus, 3. coll. 1. ait, dolorem fieri cum ſolutione vnitatis, e malo motu) & per ſe ſenſibile, quod propria ratione agit in ſenſum, ad differentiam ſenſibilis per accidens: non tamen põt hoc obiectum commune agere ſine proprio obiecto, id eſt, ſine qualitate tactili, vel prima, vel ſecunda, ad differentiam proprii ſenſibilis, quod & per ſe agit, & ſine motu. Porro hæc ſolutio vnitatis eſt realis, com. 34. l. 3. de fract. quamuis modo euidens ſit, modo Ratione cõtemplabilis: de qua poſtrema & Galenus loquitur, cap. 6. li. de inæq. intemp. Hæ ambæ vnitatis ſolutiones, id eſt, tam euidens, quam ratione contemplabilis, differunt, & conueniunt. Conueniunt quidem, quod neutra eſt morbus,
G ſed tantum cauſſa; vtraq; enim eſt in fieri: ſiquidem Galenus c. 6. l. 1. de ſym. cauſſ. dicit, doloris cauſſam eſſe in fieri, non in facto eſſe: vnde dolor, ſiue capiatur vt actio, ſiue vt paſſio, fit, quia facultas, vel iudicans, vel recipiens fruſtratur ob errorem externum, id eſt, ſolutionem vnitatis, non ob morbum: ſicut in paſſione cholerica expultrix læditur ob errorem externum, id eſt, ob cauſſam morbificam. Differunt etiam prædictæ vnitatis ſolutiones, quia euidens degenerat in morbum. Solutio enim vnitatis quæ fit a gladio, & eſt in fieri, degenerat in ſolutam vnitatem, quæ in facto eſt, id eſt, in morbum, a quo tamen morbo ne-

Cauſſa efficiens.

Doloris proxima cauſſa, eſt continui ſolutio.

Solutio cõtinui duplex.

 A

quanquam fit dolor. At continui solutio rationis contemplabilis, non mutatur in morbum: vnde Gal. ait, inflammationem citra vlcus, licet cum dolore sit coniuncta, non tamen esse morbum in soluta vnitate.

Obiectum proprium, concurrens in excitando dolore.

Quoniam autem solutio vnitatis dolorem excitat, quatenus est motus violētus, id est, obiectum commune, quod sine proprio agere nequit: sciendum, necessario aliquod obiectū proprium concurrere; quod, si secundum naturam est, sensum facit; si præter naturam dolorem. In sensu igitur tactus, obiectum illud proprium concurrens cum motu, est qualitas tactilis, tum prima calor, frigus, humiditas, siccitas, tum secunda, graue, leue, durum, molle, lubricum, aridum, asperum, læue, crassum, tenue, acutum, obtusum.

Doloris caussæ, vna immediata, tres principales.

Licet ergo vna sit immediata doloris caussa, nimirum solutio continui: tres tamen sunt caussæ principales, nimirum copia, qualitas prima, qualitas secunda; a qualitate enim prima fit solutio vnitatis, ratione contemplabilis: a reliquis caussis euidens fieri potest solutio continui. Proinde, cum Galenus ait, doloris caussas esse intemperiem, & vnitatis solutionem, loquitur de caussis principalibus, non autem de immediata, quam vnionis solutionem appellauimus. c.1.l.2. de ratione vict. acut c.7.l.12. met. c.80. artis medicinalis. Præterea cum Galenus c.12.l.2. simp ait, dolorem fieri ab intemperie, vel a cacochymia, vel ab vtraque simul: non in genere ibi Galenus loquitur, sed ad mordicationem respicit, quæ producitur vel ab intemperie continentis, vt opus sit alteratione; vel ab intemperie & copia contenti, seu materiæ, vt non tantum alteratione, sed etiam vacuatione opus sit. B

Intéperies est doloris caussa, qua inæqualis.

Intemperies in genere sumta, potest esse caussa doloris, quatenus est inæqualis, id est, prout, partim est in fieri, partim in facto esse; dolor enim exsistit, dum fit mutatio, non dum est facta. Id tamen notandum, Intemperiem inæqualem hic sumi ratione partis neruosæ: nam id quod hanc inæqualem dyscrasiam producit, est intemperies in facto esse. Verbi gratia, bilis caliditas est in facto esse, sed agens in partem neruosam, afficit illam partem caliditate inæquali, vt vna portio sit magis calefacta, quā reliqua; sicut in musculi inflammatione est intemperies inæqualis. Intemperies igitur in genere est caussa doloris, quatenus inæqualis exsistit. C

Quæ intēperies dolorem excitare queat. Obiectio de humiditate.

Porro intemperies speciatim considerata, omnis potest colorem excitare, siue composita sit, siue simplex: sola humiditas excipitur c.1.l.2.κ.τόπ. adeo enim hæc agit debiliter, vt vnitatem soluere nequeat; imo humiditas potius vnitatem fouet. Obiicitur autem e c.1.l. de ratione vict. vbi ait Gale. dolorem fieri, dum pars subito alteratur & simul, id est, cum violentia; id quod ab humiditate quoq; fieri posse Galen. asserit. Respondeo, violentam alterationem a qualibet prima qualitate fieri posse, & proinde etiam ab humiditate, verum non sola, sed coniuncta, cum caliditate aut frigiditate. Eodemq; prorsus modo intelligendus est Gale. c.3.l. de inæq. intemp. vbi ait, dolorem fieri, dum alteratur & corrumpitur natura, id quod ab humiditate, quoq; fieri affirmat. Dolorem quoq; fieri ab humiditate, ait Gale. c.6.l.1. de natura hum. vbi tamen loquitur de qualitate cum substantia, quæ copia sua est caussa doloris: ait. n. dolorem fieri ab humido, dum quis nimio potu repletur. D

Calor, vt sit caussa doloris. Vt frigus. Vt siccitas.

Dolor ergo excitatur a caliditate, frigiditate, & siccitate: ab hac quidem remissus; ab illis vero, quæ maximæ sunt actiuitatis, vehementissimus, ca.1.l.2.κ.τόπ. Calor dolorem excitat, quatenus fundit & liquat, tanta violentia & immoderantia, vt soluatur continuum: frigus aūt, quatenus partem contrahit, condensat, adstringit, vt humidum exprimatur: vnde partes diuelluntur, vt fiant spatia vacua, tum quia humor exprimitur, tum quia mollis partis substantia contrahitur; vnde cum spatia fiant vacua non seruatur continuitas, dolorq; oritur. Quoad tempus, calidum citius agit, quam frigidum, quia promtius penetrat. Siccitas moderatos facit dolores, c.1.l.2.κ.τόπ. quia enim minoris est actiuitatis, minori etiam vehementia continuum soluit. Cum ergo Galenus dicit, c.7.l.12. meth. dolores vehementes fieri a sicco; non puram ibi intelligit qualitatem, sed materiam siccam. Siccitatem, ait Auicennas, per accidens efficere dolorem: calor enim & frigus, quia maximæ sunt actiuitatis, non solū continuum soluunt, sed etiam sensum prauum imprimunt: siccitas vero, quæ minoris est actiuitatis, continuum quidem soluit, sed violentum sensum non imprimit; quare per accidens, id est, per solutionem vnitatis excitat dolorem. l.1. fen. 2. doc. 2. c. 19. Et hinc Auerrhoes 3. coll. c 31. proponens dolorem, vt fit ab intemperie, tanquam a caussa essentiali, proponit calorem & frigus, non siccitatem. Hæc de qualitatibus primis. E

Cur secunda qualitas a Galeno exprimatur per vnitatis solutionē. Quando secunda qualitas faciat dolorē.

Secundam qualitatem Galenus & Auicennas exprimunt per solutionem vnitatis, non per durum, vel acutum, &c. sicut prima qualitas expressa est per cal. frigus, &c. Caussa autem huius discriminis est, quia dum dolor fit a calido vel frigido: solutio vnitatis est caussa immediata, sed non principalis: at, dum fit a secunda qualitate, solutio vnitatis est caussa & immediata & essentialis; nam euidenter soluitur vnitas, nec pars dolens afficitur a secunda qualitate, vt a prima; pars enim a caliditate dolorifica incalescit, a materia autem dura, dolorem inferente, non euadit dura. Porro non omnis secunda qualitas potest esse caussa doloris, sed illa tantum, quæ potest soluere continuum, vt durities, non mollities: hinc Galenus ait, fieri dolorem a caussa erodente, exedente, quassante, siccante, distendente, diuellente, rumpente, cap. 2. l. 1. de fac. natural. c.6.l.2. de causs. sym. c.3.l. de inæq. intemp. c.7.l.12. meth. F

Caussarum dolorificarum consideratio medica. Species caussæ doloris. Vitium speciei. 1. Substantiæ vitium.

Vt autem hæc omnia memoriæ mandari queant; caussa doloris perpendenda erit secundum Speciem, & secundum Vitium speciei. Si secundum speciem; caussa est Interna, vel Externa. Interna est contentum: & potissimū vel Vapor, vel Minera: & minera vel est Ichor, vel Humor: & humor vel Sanguis, Pituita, Bilis, vel Melancholia; adhuc humor vel Alimentalis, vel Excrementitius. Externa caussa potissimum capitur ab Assumendis, & Foris incidentib. Assumenda, sunt cibi, potiones, medicamenta, venena: Foris incidentia ēt sunt medicamenta, venena, præterea lapides, ligna, &c. Vitium speciei, quamuis esse possit secundum Substantiam, Quantitatem, Qualitatem, & Vbi: hoc tamen in loco vitium tantum petendum est a copia & qualitate. Vitium pertinens ad substantiam, non est hoc in loco perpendendum, etsi. n. materia aliqua toto sit genere præter naturam, & proinde peccet secundum substantiam, vt est virulētia gallica, & materia putrida; doloris tamē caussa est per copiam, aut qualitatem, non per substantiam, sic, verbi gratia, G

virulentia

A virulentia gallica dolorem excitat,non ratione formæ,ſed qualitate tactili ſecunda: nimirum acrimonia.
Illud interim non negamus,vitium in ſubſtantia eſſe cauſſam doloris intenſioris, verbi gratia,ſi dolor fiat
a bile, lue venerea infecta,intenſior erit dolor, quam a bile ſimplici,quia tunc caliditas,a qua fit dolor,eſt
organum formæ magnæ actiuitatis.Quoad vitium in quantitate,patet copiam eſſe doloris cauſſam: vnde 2. Quantitatis.
plenitudo quoad vaſa excitat dolorem,non quoad vires.Non autem vitium in copia eſt idem cum grauitate:nam & flatus copioſus vnitatem ſoluere poteſt,qui tamen grauitatis eſt expers. Materia ergo copioſa
ſoluit continuum,per tenſionem,vel ruptionem:ſiue ſit humor,ſiue flatus copioſus. Sed oritur dubium:
cum enim ſolutio vnitatis in dolore,ſit obiectum commune, itidemque copia & magnitudo ſint obiectū
commune;videri poſſet ex iis quę diximus,commune ſenſibile ſine proprio agere,quod eſt contra philoſophos. Reſpondemus,quod materia peccans ſecundum quantitatem,neceſſario afficiatur prima quali-
B tate, quæ ſi non eſt vitioſa, tantum fit ſenſus;ſi vitioſa, non modo fit ſenſus,ſed ſenſus triſtis. Notandum
autem materiam copioſam efficere dolorem per tenſionem & ruptionem, ſi intus ſit materia: per contu- 3. Qualitatis vitia.
ſionis modum, ſi extra ſit materia,c.2.l.14.meth. Vitium ſecundum qualitatem pertinet ad Primam & Secundam qualitatem.Ad primam,vt ſi materia eſt ſiccior:vnde Galenus c.7.li.12.meth. ait; diſtenſionem:
fieri a materia,quæ copia, aut ſiccitate diſtendit: ideoque is dolor inſignis eſt,cum fiat per diſtenſionem;
nam ſi aliter capiatur ſiccitas,remiſſum potius efficit dolorem,vt ſupra diximus.Quoad ſecundam qualitatem:ſi materia ſit intra corpus,cauſſa doloris eſt materia dura,grauis,acris;ſi autem externa eſt,etiam acuta materia. Excipitur ſcabrities,tenuitas,craſſities. Nam ſcabrities,niſi cum duritie ſit coniuncta, non
ſoluit continuum;at duritiei iuncta,acerbioris doloris eſt cauſſa;vt calculus aſperior magis cruciat.Sic tenuitas nō facit dolorem,niſi iungatur cum calore,acrimonia,vel aliis qualitatibus, quæ tunc citius & ma-
C iori agunt impetu.Sic craſſities non niſi per grauitatem agit. Si materia ſit externa,ſoluit continuum per
duritiem, grauitatem, acrimoniam (vt fieri ſolet a cauſtico medicamento) ſed præterea accedit acuties:
hinc a materia graui & dura,fit contuſio,ſeu preſſio;ab acri,eroſio;ab acuta,inciſio. Quoad motum:mo- 4 Motus.
tus eſt vitium adiuuans, non principale: verbi gratia, bilis, habens impetum in caput, eſt doloris cauſſa,
non vt mouetur,ſed vt peccat vel copia,vel qualitate.

Ex his concludendum; dolorem capitis eſſe ſenſationem corruptam partium neruoſarum capitis: κεφαλαλγίας.
quæ ſenſatio corrupta pendet a ſolutione vnitatis;cuius cauſſa efficiens peccat copia, vel qualitate: & genita eſt vel in corpore,vel extra corpus: ſi in corpore,vel extra,vel intra caput;ſiue generetur ob læſam facultatem,ſiue ob errorem externum.

D

De differentiis dolorum capitis.

HACTENVS de nomine & definitione τῆς κεφαλαλγίας:ſequuntur differentiæ.Eſt autem diſtinctio dolo- Differētia.
ris capitis ſumenda ab eſſentia;id eſt, a definitione;nimirum a Forma,a Subiecto,& Efficiente. For-
ma doloris eſt triſtis ſenſatio:a qua in genere ſumemus differentias,non doloris tantum capitis,ſed & alia- 1. Formales differentiæ, trium generum.
rum partium,e l.2.de loc.aff. Triſtis autem ſenſatio multiplex eſt,prout multiplex ſubiectum afficitur,&
vario modo cauſſa efficiens agit:ideoque neceſſario diſtinctio hæc ſumitur vel a ſubiecto,vel a cauſſa efficiente,vel ab vtroque. A ſubiecto dolor prodit Pungitiuus,Frangitiuus,Tenſitiuus,Laxatiuus,Grauati- Primo a ſubiecto, ſeu parte dolente.
uus,aliquo modo Stupidus,& Pulſatiuus.Dolor pungitiuus dicitur,quia ſentitur ſenſus punctorius:eiuſque ſubiectum proprium eſt membrana;corpus nimirum denſum & ſolidum; vt ſic cauſſa dolorifica adhæreat loco, qui minorem habet reſiſtentiam. Frangitiuus pertinet ad perioſtium, ſeu membranam oſſi 1.
E adhærentem:& hic dolor producitur a materia, quæ reſidet inter os & perioſtium, vt perioſtium rumpi, 2.
ſeu frangi videatur. Tenſiuus, tractiuus, ſeu conuulſiuus proprius eſt neruorum & tendinum: fitque a 3.
cauſſa cum replente,tum inaniente.Laxatiuus,diuulſiuus,ſeu laceratiuus,ſpectat ad carnem muſculoſam 4.
& neruoſam:& producitur a materia,carnem extendente. Grauatiuus ſpectat ad viſcera,ſenſus exquiſi- 5.
ti expertia,vt ſunt renes,lien,hepar,pulmones,cerebrum:producitur a materia, quæ replet victus ἀναίσθητον,ita vt ſoluatur vnitas membranæ ambientis illud viſcus;vnde dolor. Dolor veluti ſtupidus pertinet ad 6.
dentes, quorum ſubſtantia radios ſpiritus animalis admittit; & hic dolor fit ab acidis & adſtringentibus 7.
Pulſatiuus pertinet ad arterias, quæ pulſant; non tamen dolent: nam dolor, ſeu doloris cauſſa eſt in
partibus vicinis arteriarum, quæ pulſant vi inflammationis. Hæ ſunt formales differentiæ, a ſubiecto
F deſumtæ.

Si capiantur formales differentiæ a cauſſa efficiente: oportet cauſſam efficientem perpendere ſe- Secundo a ſpecie cauſſæ efficientis.
cundum Speciem, & ſecundum Vitium ſpeciei. Species eſt vapor,vel Minera. Si vapor, fit dolor Expers
grauitatis:ſi minera,fit dolor particeps grauitatis. Si perpendatur cauſſa efficiens ſecundum eius vitium,
quamuis ſolutio vnitatis fiat a quantitate & qualitate,non autem a motu & quiete: motus tamen & quies,
vt coniunguntur cum vitio quantitatis vel qualitatis, ſunt in cauſſa vt dolor ſecundum formam differat,
vnde differentiæ formales ſumendæ ſunt a quantitate,qualitate,& vbi. Quoad vitium ſecundum copiam, A copia.
fit dolor Extenſiuus, cum pars extenditur ſecundum profunditatem;vt veſica a lotio copioſo. Vitium in A qualitate.
qualitate,pertinet ad qualitatem primam vel ſecundam,in prima eſt vitium ſecundum caliditatem,frigus,
ſiccitatem.Si ſecundum caliditatem,fit dolor Mordicatiuus,ſed cum ſenſu caliditatis. Si ſecundum frigiditatem,oritur dolor Mordicatiuus,ſed cum ſenſu frigoris;niſi vi frigiditatis,vel cauſſæ refrigerantis,ſen-
G ſus vel imminuatur,vel auferatur:dolor enim fit,ſi cauſſa refrigerans agat in partem,ſed reſiſtētem;quod
ſi pars non reſiſtat, non fit dolor, ſed potius ſtupor, qui admodum impropriе dicitur dolor ſtupefactiuus,
cum potius ſit remedium doloris, & via ad ſenſum ablatum, id eſt,ad paralyſin:fit autem, dum frigus eſt
intenſum, & pars debilior, vt quamuis ſoluatur vnitas, obiectum tamen hoc dolorificum, & ſolutio
vnitatis ſenſorio iudicanti offerri nequeat. Si vitium eſt ſecundum ſiccitatem, fit dolor Exaſperatiuus.

Si caussa efficiens peccet secundum qualitatem secundam: hæc qualitas est durities, grauitas, acrimonia, & A acuties. Si peccatum sit secundum duritiem, fit dolor Compressiuus. Si secundum grauitatem, fit dolor cũ sensu Grauitatis: vt hic dolor differat a dolore grauatiuo, qui est proprius viscerum. Si secundum acrimoniam sit peccatum, fit dolor nomine carens, quem tamen vocare possumus Mordicatiuum, cum propensione ad scalptum. Si peccet secundũ acutiem, fit dolor cum sensu Punctionis, vel incisionis. Si vitium sit secundum motum, fit dolor Turgidus, vel Errãs, qui fit a materia errante. Quod si materia quæ mouetur, sit dura, oritur dolor Contusiuus: cuiusmodi oriri solet, dum calculus renalis mouetur in vesicam. Si vitium sit secundum quietem, fit dolor Stabilis. Hæ sunt differentiæ formales, quæ sumuntur ab efficiente.

A motu, & quiete.

Tertio a subiecto & caussa efficiente simul.

Si differentiæ formales simul capiantur & a subiecto, & a caussa efficiente: subiectum potest esse vel Totum corpus, vel pars eius aliqua. Si totum corpus, dolor erit Lassitudinalis, seu Fatigatorius: cuius species sunt, dolor Tensiuus & Inflatiuus, Vlcerosus, Extensiuus, Apostemosus seu inflammatorius. B Hæ species conueniunt, quod omnes totum corpus respiciunt: differunt autem ratione caussæ efficientis; nã dolor lassitudinalis inflatiuus, producitur a vapore, a flatu; vlcerosus, a materia acri; extensiuus, a materia copiosa; inflammatorius, a materia copia & qualitate peccante. Si subiectum non sit totum, sed pars; hæc afficitur a caussa peccante in quanto, vel quali, vel simul in quanto & quali. Si materia peccat secundũ quantitatem: fit dolor Extensiuus, qui tamen extensiuus dolor est determinatus, ad differentiam doloris lassitudinalis. Si materia peccet in quali, & quidem sit calidior: fit dolor Mordicatiuus, cum sensu acrimoniæ, seu sensu vlceroso: est autem dolor cum sensu vlceroso, si materia acris agit in periostia, vt in lue venerea; si enim ea materia in cutim agat, oritur dolor pruriginosus. Si materia sit crassa, & affligatur etiam membrana crassa, cuiusmodi est crassities intestinorum; siquidem materia cum magno impetu agat, fit dolor perforatiuus; si minori agat impetu, fit dolor acualis Auicennæ dictus. C Tandem si vitium sit & in quanto, & in quali, vt si materia copiosa & calidior: fit dolor Extensiuus inflammatorius, non lassitudinalis. Hæc de differentiis formalibus.

II. Differentiæ a subiecto.

A subiecto duobus modis accipi possunt differentiæ: primum, vt est subiectum caussæ principalis ratione partis, quæ afficitur ab obiecto tactili: secundo, vt est subiectum affectionis, quæ fit pariter ab obiecto tactili. Si primo modo: subiectum est pars tum Neruosa, tum Expers neruositatis; quemadmodum est arteria, vena, cerebrum: ideo Galen. c. 1. li. 2. κ. τόπ. proponens differentias a subiecto, proponit etiam cerebrum. Si secundo modo capiatur subiectum: pertinet solum ad partem neruosam. Et sic facile intelligi potest Galenus loco citato. Præterea dolor pertinet vel ad Totum caput, vel ad Partem, & si ad partem, vel Dextram, vel Sinistram, vel Anteriorem, vel Posteriorem; vel Externam, vel Internam. Sciendum vero, ad partem tam internam, quam externam, pertinere membranas, neruos, arterias & venas: ad exter- D nam autem cutim & carnem: ad internam, cerebri substantiam.

III. Differentiæ a caussa efficiente.

Restant differentiæ, quæ sumuntur a caussa efficiente. Cum ergo dolor fiat a solutione vnitatis, & hæc soluatur a caussa morbifica, perpendenda est hæc caussa, vel secundum speciem, vel secundum vitiũ. Secundum speciem, dolor fit a caussa Interna, vel Externa. Interna est in corpore: & est Continens, vel Contentum. Contentum est Vapor, aut Minera, vapor quilibet esse potest, minera potest esse quilibet tũ Ichor, tum Humor. Vitium caussæ, est Copia, vel Qualitas, si qualitas, est Prima, vel Secunda, si prima, intemperies Simplex, vel Composita, si secunda, est durities, grauitas, acrimonia, & acuties.

Affectiones sex, ob quas caput dolet, secundũ Galenum.

Non autem dissentit a nobis Galenus, inter initia lib. 2. κ. τόπ. vbi sex tantum differentias seu species κεφαλαλγίας proponit. Prima est simplex qualitas, sine materia, altera est humorum qualitas, tertia humorum copia, E quarta est, dum humor transitum spirituum & liquorum prohibet, quincta, cum in parte propter imbecillitatem generantur flatus, sexta est caussa externa. Et hæ differentiæ omnes propriam postulant curationem. Ratio autem horum sex ita potest elici. Dolor fit a caussa externa & interna. Caussa interna, id est, principalis, est mediata, vel immediata. Immediata est qualitas, vel quantitas. Quare hactenus duæ sunt differentiæ doloris. Qualitas porro pertinet & ad partes similares, & ad humores. Si ad partes similares, oritur prima species doloris: si ad humores, oritur secunda, proposita a Galeno, si quantitas sit caussa, oritur tertia species. Caussa mediata pertinet & ad contenta, & continentia. Si ad contenta, oritur quarta species doloris, in qua humores prohibent transitum liquorum & vaporum, vnde liquores qui nõ possunt pertransire, sunt caussæ immediatæ solutionis vnitatis, at humor prohibens transitum, est caussa mediata, sed principalis; quia vbi medicus occurrit humori impedienti transitum, tunc humores transeunt, & non retinentur, sicut etiam vapores; ideoque tunc non fit solutio vnitatis, vel dolor. F Si caussa mediata pertineat ad continentia, oritur quincta doloris species, in qua generantur flatus, ob partis, & proinde continentis imbecillitatem, vnde flatus sunt caussa proxima solutionis vnitatis; imbecillitas partis, caussa principalis, quia vbi occurrimus imbecillitati, non generatur flatus, nec soluitur vnitas, neque dolor oritur. Caussa externa, est sexta doloris species, a Galeno proposita.

De signis.

Signa.

HÆc de differentiis, sequuntur Signa. Primum ergo si in genere capiatur dolor, æger eum significat, dum de dolore cõqueritur, nisi mens ægrotet. Quoad signa differentiarũ quæ a forma sumuntur, has differentias similiter patefacit æger, conqueritur. n. modo de dolore pungitiuo, modo de frangitiuo, &c.

Signa subiecti.

Si differentiæ sumantur a subiecto, harum quædam significantur ab ægrotante, v. g. si conqueratur de G dolore, vel secundum totum caput, vel secundum partem; eamque dextram vel sinistram; anteriorem vel posteriorem. Vtrum autem affecta sit pars interna, vel externa, sic cognoscitur, e ca. 1. l. 2. κ. τόπ. Si. n. dolor accedat ad radices oculorũ, afficitur pars interna; præsertim si per contactũ non exacerbetur dolor, si contra, pars externa afficitur. Cæterum, particulæ affectæ, aliæ sunt communes parti internæ & externæ, aliæ pertinent

A pertinent ſolum ad partes vel internas, vel externas. Particulæ communes ſunt, membranæ, nerui, arteriæ,
& venæ. Membrana affecta cognoſcitur e dolore pungitiuo: neruus e tenſiuo: arteria, e pulſatiuo: venam
affici, docent plenitudinis ſigna, de quibus alias, & præterea dolor extenſiuus. Particulæ, quæ ſedes occu-
pant determinatas, ſunt, cutis, caro, & cerebri ſubſtantia. Si cutis lædatur, cognoſcitur, quia etiam leuem
contactum ægre fert patiens: præterea caloris & coloris accidit mutatio. Si caro afficiatur, cognoſcitur e
dolore laxatiuo, & præſertim e dolore, qui cruciat ſecundum frontem & tempora: nam in his partibus
caro reſidet. Cerebrum læſum eſſe cognoſcitur e dolore grauatiuo.

Sequuntur ſigna differentiarum, quæ ſumuntur a cauſſa efficiente. Cauſſa efficiens perpenditur ſe- Signa cauſſæ efficientis.
cundum ſpeciem, & ſecundum vitium ſpeciei. Quoad ſpeciem: cauſſa eſt interna, vel externa. Num exter-
na cauſſa ſit prægreſſa, facile ægri vel aſtantes referre poſſunt. Cauſſa interna, eſt continens, vel contẽtum. Cauſſa externa
B Si eſt pars continens, id eſt, ſi pars affecta eſt intemperie, cognoſcitur, quia dolor non erit cum ſenſu gra- Pars δύσκρατος.
uitatis; præterea non erit dolor errans, ſeu turgidus; aderunt etiam ſigna huius vel illius partis intemperie
affectæ. Si cõ ſit contentum, oppoſita aderunt indicantia. Contentum poteſt eſſe vapor, vel minera. Vapor Vapor.
cognoſcitur ex abſentia grauitatis, e leuitate, e dolore tenſiuo, & præterea e iuuamento dum flatus exeunt,
adhæc e tinnitu auriũ, e prægreſſis cauſſis, quæ poſſunt flatus producere. Minera cognoſcitur e grauitate, Minera.
e cauſſis quæ humores generare poſſunt, e iuuamento, quod ſequitur humoris euacuationẽ. Mineræ ſpe-
cies ſunt, ſanguis, bilis, pituita, & melancholia. Si ſanguis ſit cauſſa, indicatur e ſignis plenitudinis, e dolore 1.
tenſiuo, rubedine, calore miti, e iuuamento, quod ſequitur ſanguinis euacuationem. Bilis indicatur e do- 2.
lore mordicatiuo, e vigiliis, excremẽtis amaris reiectis per os, e pallore, e calore mordaci, e cauſſis prægreſ-
C ſis, quæ poſſunt bilem generare, tandem e iuuamento, quod ſequitur bilis euacuationem. Pituita indica- 3.
tur e dolore, cum inſigni grauitate; e ſomno, e pituitoſis excrementis, e faciei decoloratione, e calore re-
miſſo, e cauſſis prægreſſis, quæ potuerunt pituitam generare, e iuuamento quod ſequitur vacuationem
pituitæ. Melancholia cognoſcitur e dolore remiſſo, exaſperatiuo, ſtabili, citra inſignem grauitatem, e vi- 4.
giliis, e carentia excrementorum, vel ſi ſunt excrementa, ſunt ſicca, craſſa, arida, nigricantia; indicatur præ-
terea e calore remiſſo, & colore obſcuriore, e cauſſis quæ melancholiam generare potuerunt, & e iuuamẽ-
to, quod melancholiæ euacuationem ſequitur. Signa quæ indicant vitia ſpecierum, pertinent ad quanti- Quæ indicent vitia ſpecierum.
tatem, qualitatem, motum & quietem. Copia cognoſcitur e dolore extenſiuo, e cauſſis, quæ copioſam ma-
teriam generare poſſunt. Verbi gratia, e cibis pituitoſis, in magna copia aſſumtis, indicatur pituita copio- 1.
ſa, &c. Vitium in qualitate, eſt qualitas prima, vel ſecunda. Prima, eſt intemperies ſimplex, vel compoſita. 2.
D Simplex eſt caliditas, frigiditas, ſiccitas. Caliditas igitur indicatur e dolore mordicatiuo: cum ſenſu calidi-
tatis, calorifica ſunt prægreſſa, & refrigerantia iuuant. Quod ſi caliditas eſt putrefactiua, indicatur e fœtore
narium & oris, item e febre: quando autem caliditas eſt organum luis venereæ, ſigna aſſunt luis venereæ,
de quibus ſuo loco. Frigiditas indicatur e dolore mordicatiuo, cum ſenſu frigiditatis, cauſſæ refrigerãtes
ſunt prægreſſæ, frigida nocent, calida iuuant. Siccitas cognoſcitur e dolore exaſperatiuo, citra ſenſum ca-
loris vel frigoris, ſiccantia præceſſere, & humida iuuant. Compoſita qualitas, indicatur e ſignis iam propo-
ſitis, ſed complicatis. Secunda qualitas eſt durities, grauitas, acrimonia, & acuties. Durities cognoſcitur e
dolore compreſſiuo, prægreſſæ ſunt cauſſæ magna violentia reſoluentes, vel etiam prægreſſæ ſunt cauſſæ
refrigerantes & craſſefacientes; quinetiam dolor eſt cum ſenſu grauitatis, nec cedit medicamẽtis, quia eſt
durities. Acrimonia cognoſcitur e dolore mordicatiuo, cum ſenſu caliditatis; item e dolore vel vlceroſo,
vel pruriginoſo, e vigiliis, vel ex indiciis bilis. Grauitas indicatur e dolore cum ſenſu punctionis. Vitium 3.
E ſecundum motum cognoſcitur e dolore errante: vitium ſecundum quietem, e dolore ſtabili.

Iam etiam cognoſcendum eſt, num materia reperiatur in capite, vel per detentionem, vel per gene- Indicantia materiæ morbificæ generationem.
rationem: & ſi per generationem, num generetur in capite, vel extra: ſi extra, num fluat in caput per trãſ-
miſſionem, vel receptionem; item, per motum vel criticum, vel ſymptomaticum. Detentio enim cogno-
ſcitur ex excrementis, non amplius exeuntibus. Vtrum autem cauſſa detentionis ſit error externus, vel
morbus, ſic cognoſcitur: ſi enim ſit error, præceſſere, verbi gratia, copioſi cibi, potus copioſus, itẽ adſtrin- Num materia retineatur in capite per detentionem vel generationẽ.
gentia, craſſefacientia, ſiue ſint eſculenta, ſiue medicamenta. Si hæc non ſint prægreſſa, iudicare licet, de-
tentionem prodire e morbo: Et ſi morbus ſit obſtructio, cognoſcitur, quia ſubito fit detentio; ſi intempe-
ries, paulatim. Quoad generationem, cognoſcere oportet, num materia generetur in capite, vel extra ca-
F put: id quod nihil eſt aliud, quam cognoſcere, an dolor capitis ſit per eſſentiam, vel per conſenſum. Non
eſt dicendum (c. vl. l. 2. de loc. aff.) ſicuti aliqui dicunt, dolorem aſſiduum eſſe per eſſentiam; interpolatum,
per conſenſum: hoc enim eſt falſum. Etenim dolor continuus poteſt eſſe per conſenſum, ſi ſemper mate- Num caput afficiatur per ἰδιοπάθειαν, aut συμπάθειαν.
ria extra caput genita, in caput euaporet: poteſt etiam per interualla dolor affligere, etiamſi ſit per eſſen-
tiam, ſi nimirum per interualla materia generetur in capite. Quare cum Galeno alio modo dicendum, do-
lorem eſſe per eſſentiam, ſi nullum extra caput ſit vitium, & ſint indicia capitis male affecti: per conſenſum
autem, ſi nullus morbus ſit in capite, ſed extra caput, vnde & materia extra caput generatur. Porro, ſi viti-
um ſit tam in capite, quam extra caput; per conſenſum tunc erit dolor, ſi morbus extra caput primo fuerit
obortus, poſt morbus in capite: item ſi morbus extra caput ſit intenſior illo, qui eſt in capite: præterea ſi
capitis dolor ad incrementum & decrementum vitii extra caput augeatur & minuatur: ſi contra fiat, do- Materiæ attractio, vel tranſmiſſio.
G lor eſt per eſſentiam. Cum autem materia fluat in caput vel attracta, vel tranſmiſſa: hæc diſcernenda erunt.
Attractio indicatur e caliditate capitis. Suſceptio indicatur ex humiditate capitis, vel frigiditate. Rurſus
dignoſcendum, num materia fluat per motum criticum, vel ſymptomaticum. Criticus fluxus, cognoſci- Materiæ fluxus criticus vel ſymptomaticus.
tur e ſignis coctionis, e facili ægrotantis tolerantia, e dolore qui non poteſt eſſe vehemens ratione facul-
tatis. Motus ſymptomaticus cognoſcitur e ſignis contrariis, id eſt, e cruditate, e mala tolerantia, e dolore
qui poteſt eſſe vehemens, ratione facultatis.

De Scopis, seu Indicationibus.

Indicationes.

SEQVVNTVR indicationes: de quibus in genere hic agemus, quatenus cuiuslibet partis dolorem spectet. Supponemus autem præsidia, quæ requirit determinata cerebri proportio: & indicationes quæ capiuntur a virtute. Indicationes sumuntur ab essentia: doloris autem essentia est tristis sensatio, procedens a caussa morbifica, soluente continuum. Tristis sensatio, itemque caussa adiuuans, indicant remedium anodynum, quod dolorem mitigat, non autem prohibet ne reuertatur: at caussa principalis indicat remedium sanans, prohibensque dolorem redire, ca. 18. l. 5. simp. Cum autem tristis sensatio pertinere queat ad iudicium & receptionem: anodynum, caussa iudicii indicatur a vehementia sensorii iudicantis, id est, cerebri, quæ vehementia pertinet ad affectionem cerebri, productam ab obiecto tactus improportionato.

I. Anodynum præsidium. I. Anodynũ pertinẽs ad iudicium.

Cum ergo vere indicans, indicet contrarium in eodem genere, vt calidum indicat frigidum: patet quod in dolore affectio sensifica, indicat contrariam affectionem sensificam, quæ tamen vim habeat vehementiorem (cum indicatum vehementius esse debeat indicante) vt tanta in sensorio iudicante excitetur passio, quo affectio præcedens, nimirum dolorifica, remittatur. B Quod si organum iudicans ab affectione indicata magis afficitur, quam a dolorifica: etiam facultas iudicans ab eadem magis afficietur, & propterea derelinquet obiectum dolorificum, ceu id, quod minus agit in organum iudicans. Eodem enim modo fieri solet, vt fortibus imaginationibus detenti, non intueantur ea, quæ ante oculos feruntur; quia sensoriũ iudicans magis afficitur a fortibus imaginationibus, quam ab obiecto visus, vt sic obiectum visus, vincatur ab affectione organi imaginatricis. Constat igitur, quod indicans sit affectio sensifica præter naturã; eius subiectum est organum iudicans, id est, cerebrum, & producitur hæc affectio a motu dolorifico & vehementi: patet etiam, quod indicatum sit affectio sensifica, organi iudicantis, quæ vehementior sit affectione indicante, & proinde ab obiecto vehementiori producatur, quam sit obiectum dolorificum. C

Obiectum dolorificã affectionẽ obscurans, seu iudiciũ auertens. Proprium.

Potest autem hoc obiectum, quod affectionem dolorificam dissipat, tum iucundum esse, tum iniucundum: iucundum, quatenus obiectum, verbi gratia, dulce, mitigat dolorem: iniucundum, quatenus dolor vehementior minorem sedat. Porro idem obiectum potest esse Proprium, vel Commune. Proprium pertinet ad quemlibet sensum: pertinet enim, verbi gratia, ad visum, dum aspicimus obiectum aliquod vehementer vel iucundum, vel iniucundum, ad auditum, cum aliquid audimus cum voluptate, vel cum dolore, ira, timore; nempe si quis verbis indignis reprehensus turbetur & irascatur; aut si minis alicui metus iniiciatur, ad odoratum, dum olfactui offertur aliquid vehementer iucundum, vel iniucundum: ad gustum, dum quid gratum offertur, vt dulce, ad tactum, dum occurrit obiectum solummodo iucundum, quod sensorium tactus ea voluptate afficiat, vt iudicans sensorium auertatur ab obiecto dolorifico: non autem in tactu locum habet obiectum iniucundum, quia non potest in sensorio iudicante imprimi affectio, quæ sit efficacior affectione dolorifica, nisi per vnitatis solutionem, & hinc per medium obiectum commune. D Obiectum commune, licet sit magnitudo, numerus, figura, motus & quies: potiss. tamen locum habet figura & motus. Figura quidem, si per eam imprimatur vel timor, vel voluptas, sicut voluptas imprimi solet e figura rei amatæ. Motus etiam concurrit in ratione iniucundi, & tum caussa doloris a motu sedari solet.

Materia auertens iudicium in dolore.

Materia, producens in sensorio iudicante affectionem, quæ sit vehementior dolorifica, potest esse cheirurgica, medicinalis, diætetica. Cheirurgica est, dum scarificamus, dum administramus ligaturas dolorificas. Medicinalis est, dum vtimur acribus, in quibus est vis exulcerandi. Diætetica potest esse simpliciter & medicinalis: simpliciter, vt sunt cibi & potiones suaues, motus corporis mediocris, intuitus & auditio rerum iucundarum, quæ ad animi accidentia reducuntur, diætetica medicinalis, vt esculenta amara, visio & E auditio obiectorum iucundorum. Ad tale igitur anodynum respiciens Galenus, c. 7. l. 1 de tuend. val. ait, infantium dolores mitigari papilla nutricis ori indita, & motu mediocri, voce cantuque suaui.

II. Anodynũ pertinens ad receptionem. Calidum.

Anodynum, quod pertinet ad receptionem, quæ tantum fit in parte neruosa, est duplex, Calidum, & Frigidum, c. 18. l. 5. simp. Calidum reuera & proprie est anodynum, estque calidum in eo gradu, in quo est caliditas corporis patientis, quemadmodum etiam suppurans; vnde est calidum & humidum, sed non in vno tantum gradu, verum modo temperatum, modo temperato calidius, prout est corpus patientis. Est præterea hoc anodynum emplasticum & viscidum, vt poris occlusis, halituosi spiritus detineantur, conserueturq; & temperamentum corporis patientis, & substantia, quantitasque calidi innati. Indicatur hoc anodynum a calore naturali, & temperamento partis: dum enim hæc seruantur, seruatur etiam virtus robusta, vt citra noxam tristem illam sensationem possit fugare, quo mitior euadat dolor. Est ergo hoc anodynum indicatum vitale, quia indicatio fit a simili, & sic fit conseruatio. F

Frigidũ, & ὑπνωτικόν.

Frigidum anodynum, nõ reuera, sed tantum secundum dici est anodynum, quia partem quasi sensu priuat, & stupore afficit. Frigidum ergo hoc necessario indicatur a calido, quod est organum tactus: nam quo pars calidior, eo etiam sensum habet magis exquisitum. Proinde ne obiectum violentia sua afficiat partem neruosam, oportet remouere naturalem caliditatem partis neruosæ, quæ caliditas naturalis, rationem habẽs caussæ morbificæ, indicat frigidum vehemens, quod dum applicatur parti affectæ neruosæ, inhibeat receptionem obiecti disproportionati; vel etiam dum assumitur, refrigeret organum tum recipiens, tum iudicans: nam opium exhibitũ, non tantum agit in partem recipientem, sed etiam in cerebrum iudicans. Est ergo medicamentum hoc frigidum materia præsidii, indicati a calore naturali, & temperatura organi, tũ recipientis, tum iudicantis.

III Anodynum, indicatũ a caussa adiuuante.

Anodynum, quod indicatur a caussa adiuuante (ca. 18. l. 5. simp.) est calidum in primo, & tenuis substantiæ, vacuans, digerens, rarefaciens, concoquens, reddens æquabilem materiam illam, quæ reperitur in parte dolẽte, siue sit humor, siue flatus; & si humor, siue copiosus, siue acris, siue lentus, siue crassus; & si spiritus seu flatus, siue crassus, siue frigidus. Anodynum ergo calidius esse oportet temperato, & indicatur ab humore, vel vapore, qui caussæ sunt doloris non principales, sed adiuuantes: potest enim dolor fieri a sanguine, tanquã a caussa principali, interimq; etiam fieri potest, vt vapor vel humor parti dolenti adhæreat, G

quorum

A quorum vi dolor augeatur. Sedatur ergo hic dolor,dum hæ materiæ vacuantur &attemperantur,cutisq;
densitas rarefit:quod consequimur anodyno calido in primo,& tenuis substantiæ.Hæc de anodynis, quæ
dolorem mitigant: quæ tamen non sunt sanantia, quia non prohibent doloris reditum, nec diriguntur
ad caussam principalem,verbi gratia, ad sanguinem,dum hic est caussa principalis.

Præsidium sanans est,quod caussam doloris aufert,ita vt non amplius reuertatur. Indicatur autem II.
a caussa principali;quæ consideranda est secundum speciem,&secundum speciei vitium.Quoad speciem, Præsidium
caussa est Externa,vel Interna. Ab externa caussa nõ sumitur indicatio;licet capiatur indicatio ab affectu, sanãs, quod
quem caussa externa produxit,verbi gratia,in dolore a Solis ardore oritur indicatio refrigerandi partem indicatur
calefactam,&c. A caussa interna determinata sumitur indicatio(ad differentiã genericæ,& specificæ)siue a caussa
caussa interna sit continens,siue contentum, v.g. si caussa sit sanguis, sanguinis vitium est adimendum; si principali:
B pituita,pituitæ,&c. Quoad vitium speciei,ab hoc vitio generico,generica sumitur indicatio,a vitio speci- eius nimi-
fico specifica,a determinato determinata. Verbi gratia,si dolor fiat a sanguine,sanguinis vitium in genere, rum 1. spe-
vt est sanguis præter naturam, indicat remedium remouens. Si perpendamus sanguinis vitium specificũ, cie,
vt v.g. peccat in quanto;indicat remedium remouens,quod contrahitur,& fit specificum minuens ad dif-
ferentiam alterantis. Si denique perpendamus sanguinem peccantem in quantitate determinata,v.g.ad
libram;indicatur remedium determinatum,minuens ad libram. Vitium ergo speciei,vel pertinet ad caus- 2. vitio spe-
sam principalem,vel ad caussam caussæ principalis. Quantum ad caussam principalem,licet huius vitium ciei.
tantum pertineat ad copiam & qualitatem;quia tamen hæc ipsa vitia connectuntur cum substantia, mo-
tu,& quiete:ob id indicationes sumendæ sunt a quolibet vitio.Si igitur vitium sit secundum substantiam,
oritur indicatio eradicandi:si secundum copiam,minuendi:si secundum qualitatem,alterandi per cõtra-
C rium:si vitium sit secundũ motum,siquidem hic sit criticus,non est prohibendus; & propterea in febrici-
tantib.reprimentia capiti applicata nocent,vbi dolor est criticus:si autem motus nõ sit criticus, inhiben-
dus. Modus autem inhibitionis varius est; fieri enim potest, per attractionem,impulsionem,vel interce-
ptionem:si vitium sit secundum quietem,indicatur remediũ discutiens,seu minuens. Caussa autem,quæ
auctor est caussæ principalis,est membrum generans: vt,si gignit per intemperiem,oritur indicatio alte-
randi. Verbi gratia,si dolor capitis fiat a pituita genita in ventriculo frigidiore,indicatur remedium cale- Cur vacu-
faciens ventriculum. Hæc de indicationibus. Vbi notandum,Platonem & omnes medicos,recte statuere, antium nõ
non esse alterandum, nisi prius vacuatum sit corpus: licet hæc non proposuerimus, accusari non possu- sit facta
mus;quia tantum loquimur de Quid agendum,non autem de Quando agendum, mentio.

D

De Prognosticis.

VT autem sciamus,num ad præsidiorum materias descendere,debeamus cõsiderare nos oportet Pro- Prognosti
gnosticum:quod non aliunde petitur,quam e victoria vel virtutis,vel rerum præter naturam. Virtus ca.
generalem quendam discursum postulat,omnibus vitiis applicabilem,de quo alias dicemus In præsentia
autem tantum digrediemur circa res præter naturam,id est,circa tristem sensationem , & circa caussas ef-
fectrices principales:in quibus considerabimus,num sint vehementes,ratione essentiæ dignitatis, vel fa-
cultatis. Quantum igitur ad tristem sensationem in dolore capitis,nõ est insignis vehementia ratione es- 1. a dolore.
sentiæ:nec enim quisquam ob capitis dolorem mortuus est, aut seipsum interfecit,sicut euenire cõsueuit
in dolore colico,in dolore aurium,oculorum,dentium,quia capitis partes sensum obtinent minus exqui-
situm:Gal.c.1.l.2.κ.τόπ. Licet autem capitis dolor non sit vehementissimus:aliqua tamen e parte est vehe-
E mens;& propterea quo est vehementior(habet.n.latitudinem quandam)eo magis sit periculosus. Quoad
vehementiam dignitatis, dolor est vehementior, si afficiatur pars interna, quam si externa:imo interna
parte affecta,tanta est vehementia ratione dignitatis,vt immineat phrenitis,lethargus,apoplexia,cæcitas.
Quantum ad vehementiam ratione facultatis, exigua est vehementia, si ægrotantes leuiter ferant dolo-
res,nec vitia periculosa sint annexa:contra,dolor est vehemens ratione facultatis,si patiens difficulter to-
leret dolorem,si oboriatur animi deliquium,si vigiliæ sint pertinaces,si annectatur delirium.Hæc de do-
lore:sequitur caussa efficiens, in qua oportet perpendere vehementiam & secundum speciem, & secun- 2 a caussa
dum speciei vitium. Quoad speciem,caussa est externa,vel interna:de quibus non statuendum,vnam sem- efficiente.
per magis vel minus esse periculosam: Fieri enim potest,vt dolor producatur a caussa externa, qui tamen Secundum
summe sit periculosus;vt dolor a magno ictu factus,magis est periculosus,quã si fiat a pituita dulci.Quan- speciem.
doque contingit oppositum, exempli gratia, dolor factus a bile insigniter putrescente, est periculosior,
F quam si fiat a Solis ardore. Quare necessarium est,vt cuiuslibet caussæ vehementia perpendatur. Interna
igitur caussa,est intemperies,vel materia:materia est vapor,vel minera: minera est sanguis, bilis, pituita,
vel melancholia. Facilius quidem occurri potest sanguini & bili,quam pituitæ & melancholiæ,attamen, Secundum
vt vitium est vehementius,pro eo periculum intenditur. Verbi gratia, dolor qui producitur a sanguine vitium.
putrescente est periculosior, quam si fiat a pituita dulci. Breuiter ergo dicendum de vitiis cuiuslibet spe-
ciei. Et primum quoad vitium continentis,id est,partis similaris,quod vitium est qualitas, nimirum in-
temperies:hæc est Simplex,vel Composita,simplex, est calida, frigida, sicca. Si igitur in his dyscrasiis reli-
qua sint paria,calida magis est periculosa,quia frigidis tollenda est,quæ non agunt citra noxam, sicca au-
tem difficilioris est curationis, quia pertinaciter siccitas resistit humido.Si non seruetur paritas,magis pe-
riculosus est dolor,qui est vehemens,secundum essentiam,dignitatem & facultatem. Verbi gratia,si frigi-
G ditas sit in habitu,si pertineat ad cerebrum,si denique officiat coctioni ipsius cerebri.Contentorum vitiũ
pertinet ad formam,quantitatem,qualitatem, & vbi,ac proinde quo vitium est vehementius,eo dolor est
periculosior, verbi gratia, si dolor fiat a materia corrupta,venefica,admodum copiosa,acri, viscida,crassa,
impacta, item ratione dignitatis, a materia occupante cerebrum, tandem si ratione vehementiæ faculta-
tis, assint vigiliæ,immineat animi deliquium. Quoad caussam externam,similiter pro huius vehementia

statuere oportet. Exempli gratia, si dolor fiat ab insigni contusione, vt consequatur delirium, succedat A
vomitus, quia triplex adest vehementia, dolor est admodum periculosus: contra, si caussa externa sit de-
bilis, secundum propositas vehementias.

De curationis parte, quæ manus fit opera.

Venæsectio.

QVOAD materias Cheirurgicas, agendum est de venæsectione, de hirudinib. de cucurbitulis, de fri-
ctionibus, de ligaturis, de fonticulis, & vesicatoriis. VENA in eo capitis dolore secanda est, in quo san-
guis habet rationem caussæ principalis, vel sine qua non: dummodo virtus & in præsentia, & in futurũ ita
1. possit esse robusta, vt phlebotomiam perferat. Quoad rectam administrationem: si dolor sit vehemētior,
in quo sanguinis actio est summa, vnica vice tantum sanguinis emittendum, quantum sufficit, si virtus sit
robusta: si secus, partiri detractionem oportet. Hinc in dolore a sanguine, si immineat inflammatio, & vi- B
2. tium maximi momenti, & proinde sanguis sit summæ actiuitatis vnica vice sanguis euacuandus. De Mo-
do: prout sanguis est tenuior vel crassior, pro eo foramen modo angustius, modo amplius est faciendum.
3. Quando agendum: Si sanguis præsens est vehementior aliis indicantibus, est in caussa, vt ilico aperiatur
4. vena, citra moram: si contra, primum licet medicamentum exhibere, mox venam secare. Quoad vbi agē-
dum: pro sanguinis varia subsistnetia, variæ venæ secandæ. Si enim sanguis euacuandus sit in capite, venā
capitis tundenda; sique dolor occupet partem capitis posteriorem, vena frontis est aperienda, per quam
fit & euacuatio & reuulsio. Si sanguis euacuandus sit infra caput: tum sanguinis subsistentia pertinet ad
locos vel supra renes, vel infra renes: si supra, aperienda basilica; si infra, venæ crurum tũdendæ. Si sanguis
euacuandus subsistat partim in capite, partim infra caput: tunc, si magis potest sanguis in capite exsistens,
aperienda est cephalica: si magis potest sanguis extra caput, aperienda est cubiti vena media, vel cephali- C
ca (non basilica) per quas vacuatur sanguis exsistens in capite, & extra caput, quamuis per cephalicam e-
uacuetur magis caput, quam thorax. Porro sanguis infra caput, modo pertinet magis ad dextram par-
tem, modo ad sinistram: & hinc cubiti pedumque venæ secandæ, modo dextræ, modo sinistræ; dextræ, si
dolor sit in dextra parte; & similiter.

Arteriarum sectio.

Quoad sectionem arteriarum, cum non reperiantur, qui audeant secare; ne ægri prorsus deserantur,
optimum est occurrere medicamentis siccantibus & adstringentibus arterias, vt inhibeatur fluxus, de
quibus medicamentis suo loco.

Hirudines.

Hirudines sanguinem vacuant, minus vehementer, quam venæ sectio. Prout aũt actio sanguinis in-
dicantis est vehementior, pro eo etiam oportet hirudinib. vti vicibus paucioribus; nam prima statim vice
euacuabitur sanguis copiosus, si insignis erit actio. Quoad Modum, si sanguis euacuandus erit crassior, D
prius aqua tepida locus diutius foueri debet, vt sanguis fundatur, cedat, & egrediatur. Tempus vtendi est,
dum sanguis indicans, sua præsentia vincit alia indicantia. Verbi gratia, hirudines sunt applicandæ capiti,
post sectionem venæ cubiti. Quoad Vbi: pro varia subsistentia sanguinis, variis etiam locis applicandę sunt
hirudines: nimirum cruribus, hæmorrhoidibus, brachiis, post aures, temporibus, fronti, & naribus: nam
& Galenus in dolore capitis antiquo narium venas aperiebat, c. 2. l. 2. κ. τόπ.

Cucurbitulæ scarificatæ.

Cucurbitulæ scarificatæ, vel sunt materia Principalis, dum indicans non admodum est vehemens:
vel Non principalis, dum sanguis vehementer peccans est euacuandus, virtusque interim materiam prin-
cipalem, i. venæsectionem prohibet. Præterea cucurbitulæ scarificatæ sunt materia remedii anodyni ra-
tione iudicii; excitant. n. dolorem; vt sic dolor dolorem sedet. Quoad vsum: si sanguinis actio sit vehemen-
tior, applicandæ plures cucurbitulæ, & ea vice sæpius sunt repetendæ, vt sanguis insignis actiuitatis vnica E
vice euacuetur. De modo: si sanguis ægre exeat, propter crassitiem: oportet foramina esse laxiora, & scari-
ficationem profundiorem. De Quando & Vbi, idem dicendum, quod de Hirudinibus diximus.

Cucurbitulæ non scarificatæ.

Non scarificatæ cucurbitulæ, vacuant tum Sensibiliter, tum Insensibiliter. Sensibiliter, dum, verbi
gratia, post sectam venam frontis, vel post hirudines admotas, cucurbitula applicatur, sine scarificatione,
vt adiuuet venæ sectionem & hirudines, sanguinemque non egredientem educat. Sed hæc doctrina est
extra methodum medendi: nam hoc in loco indicans est venæ sectio, vt est debilis, &c. Proinde si hoc mo-
do sumatur cucurbitula; non est, cur eius vsus proponatur. Insensibiliter vacuantes cucurbitulæ non sca-
rificatæ, vires habent varias. Excitant enim dolorem, & ea ratione, sunt materia remedii anodyni, ratione
iudicii. Præterea, quatenus vel reuellendo, vel deriuando, commouent materiam morbificam, id est, va-
porem, vel mineram, sunt materia remedii non anodyni, sed indicantur a caussa principali, & sine qua
non. *Vsus* harum cucurbitularum præscribi debet e consequentibus vehementiam, tum tristis sensatio- F
nis, ratione iudicii, tum vaporis, tum mineræ; siue sint caussæ principales; vel sine quibus non: quem-
admodum dictum est de cucurbitulis scarificatis. Verbi gratia, si cucurbitula vsurpetur caussa iudicii do-
lorifici; vt dolor maioris erit actiuitatis, ita maior probatur cucurbitula; a maiore enim dolor excitatur
vehementior, qui minorem remittit. Prout etiam maior est dolor, pro eo cucurbitula maiori cum flamma
est administranda. Præterea eo tempore est applicanda, quo tristis sensatio, seu affectio illa sensifica, est ve-
hementior aliis indicantibus. Tandem cucurbitula adhibenda est parti, in qua subsistit vis, cuius caussa fit
receptio: vt propterea sit applicanda parti neruosæ.

Frictiones & ligaturæ.

Frictiones, & Ligaturæ, quamuis possint reuellere deriuareq; materiam cum principalem, tum sine
qua non: tamen quatenus hæ materiæ sunt dolorificæ, id est, vehementes, sunt materia anodyni, ratione G
iudicii: probantur ergo satis vehementes. In vsu, omnia obseruanda, quæ de cucurbitulis diximus.

Fonticuli. Videatur tractatus Capiuaccii de cauteriis, ad calcē 3. sectionis.

Fonticulus est vlcus, quod fit a caussa comburente, vel ignea, actu aut potentia: producitur que
per mediam crustam, seu escharam, qua decidente, vlcus fit cauum, cum cutis amissione, vt egrediatur
materia morbifica, quæ & suscipitur, propter imbecillitatem, & quandoque attrahitur propter dolorem,
si nimirum fonticulus est cum dolore. Est ergo fonticulus materia remedii siccantis, indicati a caussa
princi-

A principali,& ſine qua non. *De vſu.* Prout materia morbifica eſt maioris actiuitatis; ita fonticuli & maiores,& plures fieri poſſunt. *Quomodo:* vt cauſſa morbifica minus cedit;pro eo etiam fonticulus eſt efficiendus,vt non modo cutis abſumatur,ſed etiam caro:& ſic aliquando vſque ad oſſa fonticulus eſt perducendus. *Quando:* vt materia morbifica præſens vincit alia indicantia;ita eo tempore vſurpandi fonticuli. Interdum ergo diutius ſunt ſeruandi,imo quandoque toto vitæ tempore,ob præſentiam materiæ morbificæ. *Vbi:* pro varia ſubſiſtẽtia materiæ morbificæ,fonticuli ſunt inurẽdi,modo in capite, modo infra caput, & ſi infra caput,modo ſub occipitio,modo artubus. Variat tamẽ locus adminiſtrandi fonticulos in dolore capitis, ꝓut materia morbifica,vel eſt vacuanda,vel reuellẽda,vel deriuanda.Si ſimpliciter eſt materia vacuãda,adminiſtratur fonticulus ſuturæ coronali.Si materia ſit reuellenda, infigitur artubus inferioribus, id eſt,cruribus,femoribus.Si materia ſit deriuanda,id eſt,vacuãda,& reuellenda:(nã hanc eſſe deriuatio- B nis naturam,in cap.de phrenitide docebimus:)ſi quidem magis videatur vacuanda,oportet inurere locũ infra occipitium:ſin magis ſit reuellenda,inurendæ ſpatulæ;& ſi adhuc magis videatur vacuanda materia, brachium inurendum:ratio eſt; nam quo propior fonticulus eſt capiti, eo promtius materiam ſuſcipit. Porro in loco,cui applicatur fonticulus,virtus eſt perpendenda:ſi enim pars alias vulnere fuerit affecta,ſi doleat,ſi plus iuſto ſit emaciata,ſignum eſt imbecillitatis,& virtutis prohibẽtis fonticulos:ita,ſi in hydropico tumida appareant crura,non debent fonticuli applicari cruribus, quia virtus ita prohibet, vt æger moreretur,ſi applicarentur.

Veſicatorium eſt vlcus,cum amiſſione cuticulæ,productum a materia acri & mordaci, quæ cuticulam penetrat,& hanc a cute ſeparat,vt excitetur veſica, qua remota permanet vlcus:vnde pars hoc vlcere affecta,attrahit propter caliditatem & dolorem,recipitque propter imbecillitatem. Veſicatorium,igi- C tur,prout dolorificum,eſt materia anodyni,ratione iudicii:prout autem habet vim calefaciendi & exulcerandi partem,eſt materia remedii ſanantis;quia ratione caliditatis & doloris fit attractio materiæ morbificæ;ratione imbecillitatis,ſit eiuſdem receptio;veſicatorium enim partem reddit debilem. Differentia autem eſt inter veſicatorium & fonticulum: nam veſicatorium citius agit, quia citius diſſoluitur veſica, quam eſchara:& proinde dum materia morbifica euacuanda eſt maligna , quæ celerrime eſt educenda, magis probantur veſicatoria,quam fonticuli. Materiæ autem e quibus fit veſicatorium, ſunt acres: vt *cantharides,ſinapi,euphorbium,fermẽtum,acetum ſcilliticum.flammula Iouis,batrachium,ranunculus,alliũ,&c.* Verbi gratia, ℞ *canthar.præparat.* ℥iij. *ſinapi* ℥ß. *fermenti* ℥ij. *aceti ſcillitici parum.fiat paſta pro veſicatorio.* Hæc tamen pertinent ad methodum componendi,non ad medendi methodum. *De vſu.* Prout affectio organi indicantis, & actio materiæ morbificæ erit vehemens; pro eo & maiora & plura erunt adhibenda D veſicatoria. *Quomodo.* Prout maior eſt reſiſtentia & affectionis propoſitæ,& materiæ morbificæ;pro eo; vel parum detinendum eſt veſicatorium,vt ſolum abſumatur cuticula;vel diutius,vt etiam cutis abſumatur. *Quando.* Vſurpanda ſunt veſicatoria,dum indicans hoc dominatur reliquis indicantibus:imo, perſeuerante præſentia indicantis,quandoque longiori tempore ſunt ſeruanda. Solent autem conſeruari *beneficio cerati ſacri,beneficio diachylon ſimplicis,vel cum gummis;errant enim qui ſemper vtuntur cerato diapalma.* Vbi agendum ſumitur a ſubſiſtentia indicantis,quemadmodum in fonticulis dictum. Id tamẽ notandum,virtutem partis robuſtiorem requiri in fonticulis,quam in veſicatoriis. Ceterum Galenus cap.1. l.4.κ.τόπ.dum emplaſtro vtitur,pilos deradit,vel pro inunctionibus, breuiores reddit , vt medicamenta efficacius operentur. Nos tamen huius deraſionis pilorum non meminimus:quia hæc materia cheirurgica,eſt extra methodum medendi,& pertinet ad materiam ſecundam:nam pilorum remotio reſpicit me- E dicamenti applicandi imbecillitatem,non reſpicit corpus noſtrum;pili enim impediunt operationẽ medicamenti:vnde id quod indicat,non eſt in corpore,ſed eſt ceratum,&c.

Veſicatorium.
Quomodo differat veſicatorium a fonticulo.
Materia veſicatorii.
Vſus veſicatoriorum.
Deraſio pilorum.

De curatione per medicamenta.

MAteria medicinalis in capitis dolore eſt triplex. 1. Materia remedii anodyni. 2. Materia remedii ſanantis. 3. Materia remedii requiſiti a proportione cerebri. Materia igitur remedii anodyni, reſpicit, vel iudicium,vel violentam receptionem,vel cauſſam adiuuantem. Anodynum ratione iudicii eſt duplex; vel eſt enim dolorificum,vehementius affectione ſenſifica:vel dirigitur ad ſenſorium diiudicans, vt eius caliditas naturalis veluti exſtinguatur. Dolorificum eſt, ſi aliquod acre medicamentum parti applicetur, quod eam exulceret,vt *veratrum album vel nigrum,cantharides,flammula Iouis, colocynthis, euphorbium,* F *ſcammonium,ſinapi,piper,Zinziber,& alia dolorifica:* his enim dolor extra caput excitatur , vt capitis dolor mitigetur. Vnde notandum,cantharides,verbi gratia,eſſe materiam remedii indicati in methodo medẽdi,dum iis vtimur ad excitandum dolorem;ſunt enim tunc materia remedii indicati ab affectione organi iudicantis:dum autem iiſdem vtimur,ad efficiendum veſicatorium, cantharides ſunt extra methodum medendi. *Vſus* eſt euidentiſſimus e ſuperius traditis. Illud ſaltem notetur,parti exulcerandæ admouendos eſſe pulueres propoſitorum medicamentorum,ad ℈ß.& dum capitis dolor ſedatur, excitatum iam dolorem extra caput,rurſus adimendum eſſe butyro.

Medicamentum autem quod natiuum calorem ſenſorii iudicantis diſſipat, eſt ſoporiferum : vt *ſuccus lactucæ,nymphææ,ſolani,mandragoræ.capita papaueris,opium.magnæ antidoti,philonium Roman.diaſpermation,requies Nicol.pilulæ de cynogloſſa.* Opium tutius datur in medicamentis compoſitis : vis enim opii, G & fermentationis,& calidorum medicamentorum vi minuitur;vnde *miſceri cum opio debet,crocus,caſtorium,&c.* Galenus c.1.l.2.κ.τόπ. improbare videtur opiata:quia dolor capitis ſecundum eſſentiam non eſt admodum vehemens:paullo tamen poſt,in dolore a bile,probat paſtillum opiatum. Auicennas quoque cap.10.& 29.eadem probat. Reſponſio:ſi vehementia κεφαλαλγίας conſideretur ſecundum eſſentiam, non probantur opiata; at ſi capiatur ſecundum facultatẽ,dolor ita vehemẽs eſſe poteſt,vt opiatis vti cogamur:

Pharmaceia.
1 Anodynũ ratione iudicii.
Dolorificũ.
Soporifera, & opiata.
Quando vti poſſimus opiatis.

Vſus opiatorum.

ſi nimirum dolor a cauſſa calida oriatur, vnde vigiliæ exſiſtunt, quæ vehementer deiiciunt vires; vndevitendum opiatis, quæ torporem inducunt, & bilem refrigerant. De *vſu* opiatorum. Prout maior eſt actiuitas indicantis, pro eo doſis opiati augeri debet, dummodo virtus ferat: vnde in inſigni dolore, licet exhibere ℈j. vel ʒß. Philonii Rom, id quod virtus perferre ſolet in capite calido, in corpore temperamenti calidioris, in florida ætate, in dolore recenti: (nam in antiquo vires languent.) Si virtus ſit debilis, minuenda eſt doſis, vt ſufficiat exhibere a ℈ß. ad gr. xv. *Quomodo.* Opiata non debet actu frigida adminiſtrari, ſed calida vel tepida. *Quando.* Debemus autem ea vti, cum indicans ſuperat reliqua indicãtia. Poſt vſurpationem vero opiatæ, ſecundum Galenum loco citato applicari debent calorifica, vt anethum, cinnamomum, &c. quæ corrigunt nocumentum, quod ab opiato poteſt excitari. *Vbi* agendum, indicatur a ſubſiſtentia indicantis: cum ergo materia in capite ſubſiſtere queat, opiata adminiſtranda per os, applicanda naribus, B fronti, &c. Notandum tamen melius eſſe, vt opiata applicentur, quam vt exhibeantur: nam exhibita nocent hepati & ventriculo: præterea tutius applicantur fronti, quam ſuturæ coronali, vel parti capitis poſteriori, quoniam virtus talia frigida non ſuſtinet: oxyrrhodina tamen coronali ſuturæ poſſunt applicari.

2. Anodynum, ratione receptionis.

Anodynum cauſſa receptionis, eſt calidum & frigidum. De frigido nihil dicemus: quia eius materia iam eſt propoſita, nimirum ſoporifera medicamenta & opiata; quæ ratione iudicii, agunt in cerebrum iudicans; ratione receptionis, agunt in partem neruoſam, cuius vnitas ſoluitur. Porro, calidum oportet eſſe ſimile corpori affecto, & emplaſticum. Huius remedii materia proponitur cap. 8. lib. 5. ſimp. nim. *hydrelæum, farina tritici, panis e tritico modice coctus, adeps porcinus, butyrum, lac bubulum, caprillum, ouillum, amygdalæ dulces, mucilago maluæ, omenta animalium pinguium.* Vsvs. Pro maiori moleſtia receptionis, maior C doſis vſurpari debet. Verbi gratia, ℞ *panis e tritico modice cocti, & optime triti ℥j. adipis ſuilli ʒß. butyri ℥j ß. Miſ. ad ignem. Poſſumus etiam vti pane, decocto in lacte,* Si indicans ſit vehemens, medicamentum iam præſcriptum ſatis craſſum, id eſt, in magna copia adhibebitur. *Quomodo.* Eſt autem hoc medicamentum actu calidum applicandum, determinate, vt eſt pars affecta; ſic enim craſis cõſeruatur. *Quando.* Applicandum eſt hoc medicamentum, dum dominatur receptio. *Vbi.* Eſt applicandum parti, cuius vnitas ſoluitur.

3. Anodynũ ratione cauſſæ adiuuantis.

Anodynum ratione cauſſæ adiuuantis, eſt calidum in ordine primo, & tenuis ſubſtantiæ. Cuius materia eſt *oleum anethinum, c. 18. l. 5. ſimp. item chamæmelinum, oleum commune cum vino albo tenui, flores chamæmeli, vinum cum fœnugræco, oleum cum cymino, &c.* Hæ materiæ cutim rarefaciunt, & vapores, humoreſque ad ſuperficiem euocando, materiam morbificam euacuant. Vsvs: *Quantum.* Si cauſſa adiuuans ſit inſignis actiuitatis: propoſita adminiſtrentur in magna doſi. *Quomodo:* adminiſtrentur actu calida. Tempus opportunum ſit, dum cauſſa adiuuans vincit alia indicantia: dum enim vincitur ab aliis indicantibus, D non debetis hæc applicare. Verbi gratia, cum adiuuans vincitur a copioſa materia, replẽte totum corpus; primo totum eſt vacuandum, deinde anodynum vſurpandum. *Vbi:* applicandum eſt parti recipienti.

Materia remedii ſanãtis.

1. Intemperies, Calida dyſcraſia.

Dictũ hactenus de anodyno: ſequitur materia remedii ſanantis. Hæc materia reſpicit cauſſam principalem, tum internam, tum externam. Interna eſt, tum Dyſcraſia partium ſimilarium, tum Materia morbifica. Quoad dyſcraſias proponemus medicamenta, quæ ſimplices tollunt: vnde & patebunt medicamẽta, quibus compoſitę curantur. Simplex intemperies, quę dolorem facit capitis, eſt calida, frigida, vel ſicca. In calida probatur *oleum roſaceum, ſuccus mori, folia portulacæ, & potiſſ. cum flore polentæ, id eſt, cum flore farinæ, confectæ ex hordeo viridi aſſo. c. 1. l. 2. κ. τόπ. Probatur etiam ſuccus portulacæ, polygoni, pampinorum vitis, endiuiæ, item omphacium, aqua roſacea folia vitis cocta & trita, cum mulſa diluta; item ſpongia imbuta in aqua* E *ſimplici vel roſacea. Alexander, ſi calor non eſt ingens, vtitur roſaceo cum aceto; ſi ingens, addit lactucam.* Cum his frigidis, licet commiſcere calida, quæ ſint inſtar vehiculorum: nimirum, *ol. chamæmelin. & anethinum,* ſicut etiam Aetius facit: imo hæc etiam calida ſeruant calorem natiuum, ne a frigidis ſinceris lædatur: tum hæc calida, materiam adiuuantem euocant. In frigida intemperie probatur *oleum irinum, laurinum, cui*

Frigida intemperies.

propter odorem ingratũ miſcere licet macim, cinnamomum, & folia odorata. Galenus probat farinam coctam cum mulſa. ſed præterea cum vino, cum maiorana, ſerpillo, origano, calamintha: licet etiam vti cypero, cum adipe anſerino: probatur ſpongia, cum vino aromatico. Si frigida intemperies ſit in habitu; aſcendere licet ad euphorbium, *cum oleo & cera.* Hoc modo: ℞ *euphorbii ʒij. olei communis, vel anethini ℥iij. ceræ, liquefactæ in prædicto oleo ʒvj. Miſc.* Sed præterea Galenus in c. de Hemicrania, vt ſtrenuum medicamentum hoc probat: ℞ *crocomagmatis, piperis albi, ana ʒij. euphorbii. ſi recens eſt ʒß. ſi non eſt recens ʒj. ſtercoris columbini, atramenti ſcriptorii, ana ℥ß. Terantur cum aceto acerrimo, & vino generoſo:* & pars affecta primũ fricetur; deinde hoc medicamentũ applicetur. Alexander prudentiſſimus, c. 10. l. 1. monebat, vt, ſi forſan validius hoc medicamentum videretur, ei commiſceatur modicum *vel amyli, vel lactis.* Crocomagma, etſi varie paretur, hic tamen modus ſecundum Aetium eſt optimus: ℞ *croci ℈ij. myrrhæ ol. roſ. ſicc. amyli, gummi ana ℈j. terantur cum vino.* Roſæ hic permiſcentur, non vt refrigerent partem affectam, quæ antea frigida laborat intemperie; ſed vt mitigent medicamenta calidiora, & aſtrictione ſua conſeruent robur calidorum medicamẽtorum. Stercus columbinum monet Galenus capiendum eſſe, e columbis montanis: nam eſt medicamentum magis valens. Atramentum ſcriptorium, admodum turpe reddit caput: adeoque in huius medicamenti cõpoſitione omitti poteſt. Præter hæc, in dolore capitis ab intemperie frigida, probantur *aquæ ſulphureæ naturales.* At ſi harum aquarum ſit penuria, ſic poſſumus præſcribere: ℞ *ſulphuris viui ℔j. ſalis ℔ ß. maioranæ, ſerpilli, ſtœchadis, calaminthæ mon. ſaluiæ, beton. roſmar. pulegii, meliſſæ, ana M. j. aquæ communis ℔ c. fiat decoctio ad conſumt. $\frac{1}{4}$ pro ſtillicidio.* Cum hac aqua conficere poſſumus ſtillicidium per plures vices: ſecus autem fieri ſolet, dum eſt copia aquarum ſulphurearum ſponte ſcaturientium. Tandem in dolore contumaci, Rhaſis hoc vtitur medicamento: ℞ *euphorbii ſinapis, caſtorii, piperis albi ſtyracis, calamitæ, rutæ, marrubii, ana ℈j. redigantur in puluerem, & vino generoſo aſpergantur, & formentur trochiſci: & dum vſurpan-*

Efficaciſſimum medicamentum, Gal. c. 3. l. 2. κ. τόπ. Aet. c. 169. l. 2. c. 50. l. 8. at paullo aliter c. 50. l. 14.

Thermę factitiæ ſulphureæ: ad imitationẽ naturaliũ, ad caput directæ.

A *vsurpantur, excipiantur vel vino odorato, vel oleo de costo, vel simili medicamento calefaciente.* Nostris temporibus nullo alio medicamento vti solent, quam *oleo chamæmelino:* probatur etiam, tanquam strenuum, *oleum destillatum ex aniso, e feniculo, ex aromatibus, e magnis antidotis, & oleum magni Hetruriæ Ducis, quod veluti miracula facere videtur: probatur etiam oleum destillatum e guaiaco, & admirabile est oleum destillatum e sassafrasia.* In sicca intemperie vtimur *malua, althæa, amygdalis dulcibus, oleo communi, aqua tepida, lacte, medullis, pinguedinibus potiss. gallinæ.* His igitur medicamentis vtimur, ad remouendum dyscrasias, quæ dolorem excitant. Sicca intẽperies.

Vsus horum medicamentorum. *Quantum:* Quo maioris actiuitatis est intemperies; eo maior probatur dosis. *Quomodo:* In hoc conueniunt omnes dyscrasiæ, vt, quando sunt difficilis passionis, id est, quãdo sunt in habitu, indicent, medicamentum secundum eum modum esse administrãdum, quo efficacissi- Vsus.
B me agat, nimirum in modum stillicidii, in substantia solida; vnde Galenus in calida intemperie probat assiduam irrigationem cum oleis: non enim sufficit simplex inunctio. Ceterum in frigida intemperie stillicidium probatur vehementius; nam propter motum excitatur calor. Diffident autem dyscrasiæ; nam prout vario modo resistunt, pro eo etiam medicamenta vario modo sunt administranda. Quia igitur intemperies calida, melius vincitur a frigido actu; idcirco expedit vti medicamentis actu frigidis. Contra, in frigida intemperie, actu calidis: in sicca, moderate calidis. In intemperie igitur calida probatur rosaceum frigidissimum. Ne autem medicamentum a corpore calefiat, & hinc rursus corpus calefaciat, Rhases superponit pannum, infusum aqua & aceto, actu frigidis. *Quando* agendum, indicatur ab intemperie præsenti, sed vincente alia indicantia. Quod si dyscrasia vincatur a materia, exsistẽte vel in toto, vel in capite; oportet prius euacuare & totum, & caput, antequam applicentur medicamenta caussæ intemperiei. Quod etiã
C in alopecia Galenus obseruat, c. 2. l. 1. κ. τόπ. *Vbi* agendum: si dyscrasia sit extra cranium, medicamenta sunt applicanda: si in cranio, medicamenta sunt applicanda, & exhibenda per os. Applicãtur autem suturæ coronali & naribus: nam per has vias facile medicamẽtorum vis in cerebrum producitur. Ceterum quę applicantur naribus, sint suauis odoris; quæ exhibentur, suauis saporis: vt iucunda fiat curatio. Hæc de medicamentis, respicientibus intemperiem.

Sequuntur medicamenta, quæ respiciunt materiã morbificam. Hæc materia multiplex est: vel enim reperitur Extra caput, & est admodũ mediata: vel In capite & tunc est aut Intra, aut Extra cranium: si intra craniũ, dolorq; etiam cruciet intra craniũ, materia est caussa immediata; sin vero dolor cruciet extra cranium, eadem materia residens intra craniũ, est caussa mediata, immediata autẽ quæ extra craniũ subsistit. 1. Materia morbifica.
Nos confusionẽ fugientes, primũ loquemur de materia extra caput, deinde de materia exsistẽte in capite.
D Materia igitur exsistens extra caput, vel residet Citra iecur, & dicitur prima superfluitas, vel Vltra, & dicitur cacochymia. Prima superfluitas, vel est Tenuis, vt serosa & biliosa; vel Crassa, vt melancholica & pituitosa. Tenuis vacuatur, vel per Os, vel per Aluum. Per os vacuatur beneficio vomitorii, quod conficitur ex *aqua hordeacea tepida, cum iulapio acetoso simplici, vel syrupo acetoso simplici, vel etiam cum aceto.* Per aluum vacuatur, vel exhibitis per os, vel immissis per sedem. Per os: ℞ *mannæ el. syr. ros. sol. ana ℥ijß cum aqua endiuiæ, fiat potio breuis.* Vel, ℞ *floris cassiæ rec. extr. ʒx. mannæ el. ʒiij. specierum diarhodon Abb ß. ℈ M. & cũ saccharo fiat bolus.* Per sedẽ euacuãs, iniicitur clysmi modo: ℞ *cremoris hordei ℔j. sacchari rubri ℥ij. olei vel cõmunis vel violacei ℥iij. oui vitellũ, salis cõmunis ℈j. M. f. pro clystere.* Si crassa fuerit superfluitas, vomitorium erit tale: ℞ *succi raphani ℥jß. oxymellis simpl. ℥ij. iuris pinguis tepidi ℥x. Misc. pro vomitorio.* Aluum subducet hoc sequens, per os exhibitũ. ℞ *mellis ros. sol. ℥v. iuris pulli parũ fiat potio breuis.* Si patiens fonsitan non ad- Prima superfluitas. Tenuis. Crassa.
E mittet syrupũ rosaceum, nec medicamentũ in bolo, sed solũ in potione, cuperetq; mannam, hæc quia nõ euacuat superfluitates crassas, sed tenues, iccirco adiungenda sunt ea, quæ mannam adiuuant: ℞ *mannæ el. ℥iij. oxymellis simp. ℥ijß. cum iure pulli. fiat potio breuis.* Hic oxymel attenuat & abstergit materiam, quã detersam facilius manna educit. Si patiens desideret bolũ: ℞ *specierum hieræ simp. ʒiij. cum melle ros. fiant boli.* Vel: ℞ *flor. cassiæ, nouiter extractæ ℥j. mannæ el. ʒij specierum hieræ simp. ʒijß. Misce cũ saccharo, fiant boli.* Per sedem immitti potest sequens: ℞ *hieræ picræ ʒiij. mellis rosati ℥iij. olei vel communis, vel chamæmelini ℥iijß. salis communis ʒj. iuris alterati cum furfuribus ℥x. succi betæ, vel mercurialis ʒij. Misce pro clysmo.*

VSVS. *Quantum.* Prout maior est actiuitas primæ superfluitatis, pro eo etiam maior erit dosis euacuantium. Verbi gratia dare licet cassiam ad ℥j. mel ros. sol. ad ℔ß. syr. ros. sol. & mannam ad ℥v. species hieræ ad ʒiij. & vltra: vnde Galenus cap. 11. lib. 7. meth. præbebat duo magna cochlearia; sed nos possumus Vsus medicamentorũ in prima superfluitate.
F exhibere vltra duo cochlearia magna, ob penuriam bonæ aloes. Dubitari autem potest, cur Galenus cap. 1. lib. 2. κ. τόπ. statuat summam dosin specierum hieræ esse ʒj. Responsio: Galenus ibi respicit ad hieram, vt attenuat pituitam impactam in tunicis ventriculi, ideoque in minore copia sumit, vt diutius manens in ventriculo, magis attenuet; si enim in maiori dosi exhiberetur, non detineretur in ventriculo, & sic non attenuaret impactam materiam. At lib. 7. meth. Galenus proponit hieram, quatenus sensibiliter euacuat, ideoque maiorem aloes copiam sumit. *Quomodo:* Si prima superfluitas ægre patiatur, exhibeatur medicamentum in bolo; si facile, in potione. Item in difficili passione primæ superfluitatis, clysmi confici debent e copiosis electariis, & exigua portione iuris, vt sic detineantur & magis operentur. Ad vires tamen semper nos respicere oportet: quæ si non admittant medicamentum in forma pilularum, exhiberi debet in potione. Nihil nos diximus de medicamentis, quæ cum cassia miscentur, vt sunt semina anisi, Nota.
G quæ ruditer oportet esse contusa: hæc enim non pertinent ad præsens negotium, sed ad methodum componendi. *Quando:* medicamenta hæc vsurpanda sunt, dum prima superfluitas vincit alia indicantia, nimirum ante præparationem materiæ. Et cum prima superfluitas quotidie generetur, saltem alternis diebus vti oportet lenientibus, id est, clysmis, nisi sponte fluat aluus. *Vbi:* Euacuare licet per vomitum, si prima superfluitas subsistentiam habeat circa os superuum: per sedem, si subsistat circa

fundum, aut secundum tenuia intestina, vbi quidam medicamentum per os exhiberi dicunt: si materia A subsistit in crassis intestinis, per sedem oportet immittere medicamentum.

Cacochymia.

Sequuntur medicamenta, quæ respiciunt cacochymiam. Est autem cacochymia, materia biliosa, pituitosa & melancholica: ideoque primum dicendum de præparantibus, deinde de purgantibus: idq; generaliter, vt ad omnes morbos accommodari queat.

Præparãtia materiam biliosam.

Præparãtia igitur bilem, pro huius varietate varia sunt. In bile enim pallida, vtimur *syrupo ros. recent. de acetositate citri, de succo acetosæ, de cich. de end. quibus syrupis additur decoctum e cichoraceis, ex hordeo.* Si bilis sit flaua, & præsertim si vitellina; ascendere licet ad *syrupum viol. nenuph. de papau.* ob insignem huius bilis caliditatem: decocta fieri poterunt *e lactuca.* Quod si bilis sit particeps alicuius viscidit atis; permiscere licet *syrupum acetosum simpl.* Notandum vero, cum in corpore bilioso dulcia facile in bilem mutentur; syrupos præscribendos esse in parua quantitate, diluta in magna dosi: vt ℞ *Syr. de soncho, de succo acetoso, ana* ℥ß *decocti endiu. lact. hord.* ℔ ß. Si materia sit pituitosa, & quidẽ salsa: ℞ *Syr. de beton. oxym. simpl. de cich. simp. ana* ℥ß. *decoct. beton. cichor.* ℥iij. *Mis pro syrupo.* Betonica hic vtimur, propter materiã pituitosam; sed quia est salsa & calida, addimus cichoracea. Si pituita non sit salsa, sed moderate frigida, vt dulcis, & potissimum insipida: hunc syrupum possumus præscribere: ℞ *Syrup. de beton. mellis ros. col. oxymel. simp. ana* ℥vj. *decocti beton. petroselini* ℥iij. *Mis. pro syrupo.* Si pituita sit frigidior, cuiusmodi est acida: ℞ *Syr. de beton. compos. de stœch. de hyssopo, oxym. compos. ana* ℥ß. *decocti saluiæ, beton. stœch. hyssopi* ℥v. *Mis. hoc pro syr. Gratia huius pituitæ, licet etiam vti syrupo de corticibus cytri, de menta, de duab. & quinq; rad. cum decocto maioranæ, rosmar. origani, &c.* Si materia sit melancholica, sicque exusta: ℞ *Syr. viol. de succo borrag. de fum. ana* ℥ß. *decocti lupul. borag. capill. Veneris viridium* ℥iiij. *Mis. Probatur etiam syrupus de pomis simplex, de succo buglossæ, de lupulis.* Sin autem materia melancholica non sit exusta: ℞ *Syr. de corticibus citri, de fumaria ana* ℥j. *decocti melissæ, fumariæ, sem. citri* ℥iij. *Mis. pro syrupo. Vsus* præparãtium e superioribus patet: illud saltem notetur circa modum, vt caussa materiæ biliosæ exhibeantur syrupi actu frigidi, & præsertim si bilis sit calidior, vt vitellina: in reliquis licet vti syrupis actu calidis.

Præparãtia materiam pituitosam.

Præparãtia melancholiam.

Vtendi ratio.

Purgantia.

Quantum ad medicamenta, quæ cacochymiam præparatam purgant: notandũ, purgantia aliquando probari in cephalalgia a caussa primitiua. Verbi gratia, si capitis dolor fiat ob Solis ardorem, ita vt Solis ardor tantum calefaciat, purgantia non probantur, quia non adest materia purganda: si autem Solis ardor non modo calefaciat caput, verumetiam commoueat materiam, purgantia probantur, secundum Auicennam. In materia ergo biliosa, ℞ *rhab. electi* ℈iiij. *infunde s. a. in decocto end. & facta diligenti expressione adde elect. de succo ros.* ʒij. *mannæ el. syrupi ros. sol. ana* ℥j. ß. *Mis. & fiat potio breuis.* Vel, si patiens bolũ optet: ℞ *pulu. rhabarb. el.* ʒj. *elect. de succo ros.* ʒjß. *trochiscorum de violis cum scammon.* ℈j. *floris cass. nou. extr.* ℥ß. *Mis. & cum sacchato fiat bolus.* Licet etiam hoc medicamentum præscribere in dolore capitis. ℞ *Massæ pil. aur.* ℈iiij. *dacrydii* gr. iiij. *cum syrupo de soncho, fiant pillulæ n°. V.* Si materia pituitosa sit purganda: ℞ *Massæ pil. coch.* ʒjß. *mastichin.* ʒß. *cum syrupo de beton. fiant pil. V. Probatur etiam agaricus, hiera Pachii, diaphœnicum, & in contumaci dolore a pituita probantur pil. fœtidæ pilulæ de euph. trochisci alhandal.* In materia melãcholica: ℞ *Massæ pil. coch. cum helleboro præparatarum* ʒjß. *de fumaria* ʒß. *cum syrupo de pomis. fiant pilulæ n°. V. Licet etiam vti sena, polypodio, epithymo, veratro nigro: vnde probatur syrupus de polyp. de epith. de pomis comp. de fumaria comp. confectio Hamech.* Id tamen maxime notandum, e cap. 2. l. 1. κ. τόπ. in omni capitis morbo, siue a bile fiat, siue a melancholia, semper phlegmagoga esse miscenda: & ob id Galenus semper purgat *cum hiera e colocynthide, addito scammonio, propter materiam biliosam; helleboro nigro, propter melancholiam.* E *Vsus. Quantum.* Pro maiori actiuitate materiæ, vt pendet a maiori quantitate, probatur etiam maior dosis purgantium. Sed notandum, cum materia in dolore capitis expurganda sit satis distans, augendam esse dosin medicamenti, ne facultas in longo itinere hebescat. Sed hoc non pertinet ad methodum medendi, verum ad methodum componendi: quæ docet, ne medicamentorum vires in itinere frangantur, opus esse medicamento vehementiori, vel in dosi maiori. *Quomodo.* Probantur pilulæ, præsertim in materia pituitosa & melancholica, quæ non ita cedunt, sicut biliosa. *Quando:* Exhibenda sunt medicamenta, dum materia purganda vincit alia indicantia, vt si sit concocta; item si cruda, sed turgens interim, aut venefica, aut petens cerebrum, præsertim vbi imminet epilepsia, vel apoplexia, vel phrenitis. *Vbi* agendum. Substantia huius materiæ indicat, medicamenta per os esse exhibenda. Si fortasse prohibeat ventriculus; applicanda sunt medicamenta proposita vmbilico, sunt immittenda per sedẽ: vnde probantur clysmi acres, F præsertim quia hi (teste Galeno c. 1. l. 2. κ. τόπ.) vacuant, quæ sunt circa ventrem, circa mesenterium, & quæ circa sima hepatis sunt; vt sic per partem, post partem fiat vacuatio etiam a remotis. Hæc de materia, quæ extra caput consistit.

Cholagoga.

Phlegmagoga.

Melanagoga.

NB.

Vsus purgantium.

Materia morbifica consistens in capite: mediata tamen.

Materia mediata residens in capite, vel generatur In capite, vel Extra caput. Si in capite generetur, residet vel In venis, vel Extra venas. Si in venis, hæc materia vacuatur soluentibus, de quibus dictum. Si reperiatur extra cerebri venas, vacuatur præsertim per os; dein etiam per nares: hæc enim materia nihil aliud est, quam crassum excrementum, quod necessario generatur in capite, & perducitur in infundibulum, & hinc ad glandulam, vt postea per foramina, & ea quidem ampla, ad palatum pertinentia, per os expurgetur. Verum perducitur etiam aliqua portio excrementi ad carunculas mamillares, & hinc ad nares, & proinde ad narium foramina, quæ perducuntur ad internas partes ipsius palati. Vnde hæc materia modo G per os, modo per nares est euacuanda. Fit autem vacuatio capitis: (secundum Galenum, c. 2. l. 2. κ. τόπ. & c. 1. l. 6. κ. τόπ.) per medicamenta calida, tenuis substantiæ, acria, detergentia, suauis & odoris, & saporis, & quãtum fieri potest non venefica. Calida enim attrahunt materiam, in intimo capitis exsistentem: tenuia penetrant: acria per medium tactum irritant expultricem: detergentia faciunt, ne materia viscida ita hæreat; suauitas saporis & odoris, facit, vt medicamenta cum iucunditate operentur: non debẽt esse venenata hæc medica-

Qualitates eorum medicamentorũ, quibus vacuatur materia in capite exsistens.

A medicamenta, quia petunt organum olfactus, linguam, œsophagum, tracheiam, ventriculum, pulmones. Medici tamen interdum venenatis vti coguntur, dum materia ad summum vehementiæ adscendit: vtuntur enim felle, colocynthide, c. 2. l. 2 κ. τόπ. scammonio, oxymelle cum turbith, & cum scammonio, dum sc. respiciunt ad pituitam cum bile permistam, sicut Auicennas, c. 29. tract. 1. licet etiam vti hiera Archigenis cum colocynth. Verum hæc omnia probantur, non quatenus sunt venenata, sed quoniam attrahūt determinatos humores.

Quomodo medicamēta ore detēta in actum ducantur.

Dubitare autē quis posset, quomodo hæc medicamenta deducantur de potentia in actū, cū non ingrediantur ventriculū, nec longo tempore in ore detineantur, sicut alia in ventriculo? Dicendū est: medicamenta quæ agunt a ꝓprietate occulta, non egere adeo multo tempore, vt ad actū deducantur, sicuti requirunt ea, quæ manifestis agunt qualitatibus: ambra enim festucas trahit, si solū calefiat; & magnes ferrū, B si solū fricetur. Accedit etiā, quod medicamenta, quæ applicantur ori, vel naribus, minore cū difficultate materiā determinatā attrahunt, ob vicinitatē; quam ea, quæ ingrediuntur ventriculū, quippe quæ materiam magis remotā, in artubus, venisq; distantibus, hærentē, debeant attrahere. Ex his ergo patet, eos decipi, qui non probant hæc medicamenta vehementia, quod putent ea non deduci de potentia in actum. Illud tamen obseruandum, vt, quantum fieri potest, minus vehementia administrentur: nisi materia sit contumax, nimirum frigida, crassa, viscida, impacta.

Ordines medicamētorum quibus caput purgatur.

Porro horum medicamentorum, quæ purgant materiam in capite exsistentem, certi quidam sunt gradus: alia enim sunt debilia, alia mediocria, alia fortiora. Debilia sunt, *mastiche, thus, origanum, pulegium, beta, manna, oxymel simplex*. Mediocria: *hyssopus, folia & rad. capp. sal. nigella, sapa, maiorana. struthium, eruca, nasturtium, cuminum, calamintha mont. dictamnum Cret. acorus, baccæ lauri, folia lauri, piper, Zinziber,* C *pyrethrum, succus cyclaminis, succus iridis, oxymel scillinum, allium, cepa, sinapi, confectio illa, quam vulgo appellant mustardam*. Vehementia sunt: *rhab. agaricus, sena, epithym polypod.* Adhuc vehementiora sunt *scāmonium, turbith, colocynthis, tithymalus, euphor. elater, vtrumq; veratrum*. Sed quia hæc medicamenta nocere possunt, vel acrimonia, vel iniucunditate odoris & saporis, in medicamentis componendis oportet addere corrigentia: propter acrimoniam, *fœnum græcum, caricas pingues, passulas dulces, oleum viol. oleum amyg. dulcium*: propter odorem, aromata, *ambram, moschum, galliam odoratam, styracem calamitam, asam odoratam*: propter ingratum saporem miscenda sunt dulcia, *vt saccharum, mel, vinum dulce, passulæ, caricæ, & cetera*. Vsvs. *Quantum*. Summa dosis probatur, vbi summa est materiæ actiuitas. *Quomodo*. Si materia maxime resistat, forma medicamentorum erit solida, vt sunt turundæ, linimenta, & masticatoria: sin minus medicamentis liquidis vti possumus, vt sunt decocta, seu gargarismi. *Quando*. Oportet his vti, dū ma-D teria vincit alia indicantia, & non vincitur a materia exsistente in toto, vel in ventriculo. Vincit autē materia hæc expurganda materiam actu soluentem continuum. Quare caputpurgia sunt administrāda post vacuationem totius & ventriculi, nimirum ante cibum, & ante topica medicamenta. *Vbi*. Cum materia subsistat intra cranium: iure hæc medicamenta applicantur naribus & ori, nisi sit prohibens. Purgantia quidem per nares prohibentur, dum nares afficiuntur vlcere, vel aliquo tumore, dum nares obtinent venas cum orificiis laxis, vt periculum immineat hæmorrhagiæ narium: item dum vitium aliquod oculorū adest; quæ enim per nares purgant, facile oculis possunt officere. Præterea dum cerebrum, vel vertigini, vel epilepsiæ est obnoxium, fugienda sunt ea, quæ per nares purgant; sternutamēto quippe insigniter cerebrum agitatur, vt facile vertigo, aut epilepsia oriatur. Purgantia per os prohibentur, si adest vitium palati, gingiuarum, dentium, linguæ, item vitia ventriculi, tracheiæ, pulmonum, dum hæ partes facile suscipi-E unt cerebri excrementa, secundum Auic. c. 29. tract. 1.

Ratio vtēdi caputpurgiis.

Cautiones.

Formulæ Masticatoria.

Iam formulas aliquot trademus, purgantium tum per os, tum per nares. Purgantia per os, sunt masticatoria, gargarismi, & inunctiones. Masticatorium debile hoc erit: ℞ *thuris ʒj. mastiches ʒij ceræ, caricarum pinguium ana ʒjß. Mis. pro masticatorio*. Mediore erit: ℞ *sinapi, piperis albi, pyrethri, salis communis ana ʒj. cum melle, fiat masticatorium*. Vehemens erit: ℞ *euphorbii, elaterii ana ℈ß. staphisagriæ ʒß. moschi odorati gr. iij. ceræ, ladani ana ʒij. Mis. pro masticatorio*. Gargarismus debilis erit: ℞ *caricarum pinus, origani, foliorum lapathi, foliorum hederæ, fol betæ, ana P. j. aquæ communis ℔iiij. fiat decoctio ad consumtionem ¼: deinde* ℞ *prædictæ decoctionis ℔ß. oxymelit. simpl. ℥jß. Mis. pro gargarismo*. Mediocris: ℞ *cumini, calaminthæ mont. hyssopi, rad. & fol. capp. ana P. j. sinapi. piperis, pyrethri, ana ℈j. omnia rudi:er contundantur: deinde recipe aquæ saluiæ ℔iij. ß. fiat decoctio ad consumtionem partis tertiæ: deinde recipe prædictæ decoctionis ℔ß. oxymellis scillit. ℥jß.* F *Mis. pro gargarismo*. Vehemens gargarismus: ℞ *euphorb. ℈ß. colocynth. agar. ana ʒj. foliorū cucumeris agrest. P. j. aquæ calaminthæ ℔iiij. fiat decoctio ad consumtionem dimidii: deinde recipe prædicti decocti ℔ß. oxymel. scill. ʒij. Misce pro gargarismo*. Linimentum palati debile erit: ℞ *succi betæ, maluæ, lapathi, ana ℥ß. oxym. simp. ʒj. Mis. pro linimento*. Mediocre: ℞ *pulueris sinapi, nasturtii, piperis albi, ameos, ana ℈ij. macerentur in aceto acri, deinde recipe succi ireos, cyclam. bryoniæ ana ℥ß. mellis ℥j fiat linimentū. Huius classis etiam erit mustarda*. Vehemens erit linimentum: ℞ *sapon. euphorb staphisag. scammonii ana ℈j. oxymel. scillit. ℥jß. Misce. Licebit etiam theriaca & mithridatio palatum inungere.*

Gargarismi.

Linimenta.

Liquida errhina.

Purgantia per nares, sunt liquida, pulueres, turundæ. Liquida sunt administranda, vt operentur sine detrimento: æger ergo declinabit caput suum ad posteriora, & violentia aliqua liquori immittatur intra nares, interim æger os repleat aqua vel vino, maxime dum vehementiora naribus admouentur; sic enim G medicamentum non ingreditur os, quod iam repletum est, aut ingressi vires venenatæ frangentur, ne ori, subiectisque partibus obesse queat. Hæc tamen admonitio est extra methodum. Liquidum autem debile, naribus applicandum, sic potest præscribi: ℞ *succi betæ, fol. hederæ ana ℥j mannæ el. ʒjß. Mis. pro naribus*. Mediocre: ℞ *pulu. pyrethri, piperis, sinapi ana ℈ß. suc. cyclam. ireos, ana ℥jß. olei liliorum alb. cum aromat. oxymel. scillit. ana ʒvj. Misc*. Vehemens erit: ℞ *elaterii gr. vij. dacrydii ℈j. pulu. vtriusque veratri gr. xv.*

Pulueres.

Misc. His vehementioribus dolores contumacissimi superantur. Pulueres per arundinem in nares sunt A
insufflandi. Debilis hic erit: ℞ *betæ, maioran. fol. hederæ, mannæ el. ana ʒj. fiat puluis.* Mediocris: ℞ *pyrethri,*
pulu. albi sinapi, caryophyll. ana ℈j. Mis. & fiat puluis. Vehemens: ℞ *colocynth. staphisagriæ, vtriusque veratri*
ana ǵ xv. moschi ǵ. iij. Mis. & fiat puluis. Turūda debilis erit: ℞ *succi betæ, fol. hederæ ana ℈j. ceræ ʒjß. Mis. &*
fiat turunda. Mediocris: ℞ *pulu. sinapi, nasturtii, prassii, pyrethri, piperis albi ana ℈j. ladani, ceræ ana ʒij. Mis. &*
fiat turunda. Vehemens erit: ℞ *euphorbii, elaterii, colocynth. ana ℈ß. moschi ß iij. styr. calamit. ǵ. iij. ladani ʒij.*
Mis. & fiat turunda.

Materia mediata extra caput genita, in capite tamē consistens.

Hactenus de medicamentis, quæ respiciunt materiam mediatam intra cranium contentam, & quidem in capite genitam. Sequuntur ea, quæ respiciunt materiam intra cranium contentam, quæ tamen extra caput genita, in hoc confluxit. Hæc igitur materia, quæ in caput fluxit; inque venis residet, non extra venas; & præterea nondum est impacta; retrahitur vel Deriuatione, vel Repercussione (reuulsio enim spectat materiam, quæ nondum fluxit: de qua in c. de phrenitide:) B

Deriuatio. Repercussio. c.16.l.5. sim.

Deriuatio fit per nares, per os, per brachia: & vel materia cheirurgica, vel medicinali, de quibus omnibus iam dictum est. Reprimentia probantur in qualibet cephalalgia, quæ fouetur a materia fluxa, vel calida, vel frigida, c.21.l.13.meth. tam enim frigidus, quam calidus humor est repellendus, modo non moueatur motu critico, l.1.ad Glauc. Reprimentia autē debent esse frigida, & crassæ substantiæ: contraria enim sunt attrahentibus, calidis & tenuis substantiæ. Debent etiam reprimentia esse adstringentia, vt partem cui applicantur possint densare, ne propter laxitatē facile suscipiat. Porro notandum: (quod tamen ad methodum componendi pertinet:) astringentia non posse penetrare, ideoque imbecillitati eorum esse occurrendum, per ea quæ reprimentia vehunt, nec tamen eorum vim frangunt, vt sunt tenuia & frigida. C

Materia reprimentiū.

Reprimētia debilia sunt, c.1.l.2.κ. τόπ. *oleum chamamelinum: (sed confectum erit ol. ex oliuis immaturis, alias non esset reprimens.) ol. rosat. completum:* mediocria, *ol. rosat. omphacinum, aqua ros.* valentiora, *succus semperuiui, portulacæ, lactucæ, psyllii, polygoni, pampinorum vitis, vuarum immaturarum, mororum immaturorum, myrtillarum, granatorum acerb. arantiorum acerborū.* Hæc validiora probantur, dum materiæ morbificæ impetus est admodum vehemens, id est, si materia est calidior. Probantur, inquam, si modo virtus ratione qualitatis calidi innati id permittit: si enim remissa sit caliditas innati calidi, valde frigida, seu vehementer repellentia non admittuntur: & hinc Galenus probat *oleum chamameli*, si corpus non tolerat vehementer frigida; vt in fœminis, eunuchis, pueris, & in iis, qui sunt albicantis coloris. Ceterum in dolore particulari ex ebrietate, probatur *oleum ros. cum succo. hederæ, & potiss. cum succo brassicæ*, qui naturaliter ebrietati aduersatur, viniq; vapores reprimit; vnde Theophrastus memorat, si prope vitem plantetur brassica, eam a vite recedere, & remotiorem apparere. D

ὄχημα reprimentiū.

Quoad vehiculum reprimentium, Galenus *acetum* omnibus aliis anteponit, quia ob exiguum calorem, multam frigiditatem, & tenuem substantiam, incidit, discutit, reprimit. c.8.l.1.κ.τόπ. siccat etiam, c.20.l.1. simp. Dubitatur autem de aceto, quomodo in cephalalgia vsurpetur, cum tamen dolorem excitet, c.19.l.2. simp. acrimonia enim sua morsum excitat: præterea cum ea, quæ contra dolorem valeant, sint mitigantia, aut laxātia, quorum hæc sunt anodyna ratione caussæ adiuuantis, illa sunt anodyna suppurantia; acetū vero neutro modo concurrit, est enim frigidum, & non emplasticum, sed potius tenuis substantiæ. Respondeo: Si acetum sumatur vt medicamentum principale, id est, copiosum, agit cum vehementia & soluit vnitatem, dolorem que intendit. Si autem sumatur, vt medicamentum non principale, sed vt secundarium, quod sal tem deferat reprimens & principale medicamentum; tunc administratur in exigua copia, nec soluit continuū, quomodo & nos sumimus. Vt autem sciatur, qua proportione acetum sit permiscendum, oportet ad tria respicere; nimirum ad vim aceti, ad imbecillitatem reprimentis, ad permittentia ac prohibentia. Quod E vim aceti, vt acetū est acrius, ita in minori copia miscendum. Imbecillitas reprimentiū cognoscitur e materia reprimenda, & parte cui reprimens applicatur. In materia perpendimus motū & quietē: dum enim materia mouetur maiori impetu, opus est copiosiore aceto; dum quiescit in parte profundiore, similiter opus est copiosiore vehiculo: pars densior, copiosius exigit acetū. Permittentia & prohibentia, sunt res secundū & præter naturā. Secundum naturam est virtus: quæ si bona, acetū ea copia miscendū, quæ indicatur ab imbecillitate reprimentis: sin contra, in minori copia acetū est miscendum. Res præter naturā, sunt materia morbifica, vis doloris, vigiliæ. Materia morbifica, si fuerit sicca, vt biliosa, vel melancholica, prohibetur acetum copiosum, quia exsiccat. Doloris vehementia, quia anodynū indicat, prohibet acetū copiosum, quod continuū soluit. Vigiliæ si assint vehementes, prohibent acetū: ideoq; si hæ sint vehementissime, F loco aceti misceri potest acidum citri, vel limonis, vel arantiorum, ita tamen vt hi fructus sint immaturi; misceri etiam potest succus acetosæ. Proportio autē aceti ad reprimentia debet esse a suboctupla, ad subquadruplam: vt pro reprimentis ℥j. misceri debet aceti ʒj. ad minimum, vel ʒij. ad summum.

Oxyrhodinorum formulæ.

Restat vt formulas quasdam reprimentium tradamus. Sanguinē reprimit sequens: ℞ *ol. ros. omphac. ℥ij. aquæ rosat. ℥j. aceti ʒvj. Misce, & concutiantur omnia in mortario plumbeo, pro oxyrhodino.* Sequenti reprimitur bilis, si vigiliæ non sint intensæ. ℞ *olei rosati omphac. aquæ rosac. ana ℥jß. succi endiuiæ, omphacini ana ʒv. aceti ʒvj. Misce pro oxyrhodino.* Si vigiliæ sint intensiores, biliosa materia hoc medicamento est reprimenda: ℞ *ol. rosati omph. ℥j. aquæ ros. ℥jß. olei viol. ℥j. succi lact. ʒß. aceti ʒiiijß. vel aceti loco, acidi citri ʒj. Misce.* Pituitam hoc reprimit. ℞ *oleum ros. compl. ℥ij. olei chamæm. confecti cum oliuis immaturis ℥j. aceti ʒvj. Misce pro oxyrhodino.* Melancholia hoc reprimitur: ℞ *oleum ros. compl. ℥jß. chamæmel. ʒß. succi maluæ* G *℥j. aceti ʒv. Misc.*

Administratio repellentium.

Vsvs. *Quantum.* Dosis compositi (simplicium enim dosis pertinet ad artem componendi:) maior erit, pro maiori actiuitate materiæ reprimendæ: vnde dum applicatur reprimens cum linteo; exigua debet fieri expressio, si magna sit materiæ actiuitas: contra, si exigua actiuitas materiæ, pannus valenter debet exprimi. *Quomodo.* Reprimentia actu frigida sunt administrāda, nisi prohibeat vel materia repellēda, vel

A vel virtus. Materia enim repellenda, si est calida, tunc consentiunt indicationes, quoniam & vt calida, & vt repellenda, indicat frigidum; ideoque reprimens magis actu frigidum esse debet. At materia frigida, vt frigida, indicat calida; vt reprimenda, indicat frigida: ideoque cum dissentiant indicationes, reprimens actu nec calidum, nec frigidum, sed tepidum debet amministrari. c. 15. l. ad Glaucon. Si virtus constet, id est, si calor innatus capitis vigeat, si caput calidum est, reprimens actu frigidum potest amministrari: sin minus tepidum, vt eunuchis, fœminis, puerulis, senibus, in ambiente frigido. *Quando.* Reprimens est amministrandum, dum materia reprimenda alia indicantia vincit: non vero habet locum, cum materia repellenda vincitur a materia exsistente in toto, vel destillante in pulmones, præcipue si acris sit, aut maligna: tunc
B enim antequam vtamur repellentibus, vacuandum totum corpus, destillationis materia minuenda & attemperanda. Et quoniam materia repellenda, vincit materiam resoluendam: ideo primum repellentibus, deinde resoluentibus vti oportet. *Vbi.* Cum materia repellenda sit in capite: reprimens applicandum capiti. Eligenda autem est capitis pars, per quam reprimentia promtius permeent ad materiam repellēdam: vt sunt partes circa nares, & circa suturam coronalem.

Hactenus de materia Mediata. Sequuntur medicamenta, quæ respiciunt materiam Immediatam, residentem in parte neruosa. Et hæc materia, siue vapor sit, siue humor, euacuatur medicamentis superius propositis, in dyscrasia frigida. Quibus quædam adiicienda. Si ergo materia sit vapor, probatur medicamentum confectum *e feniculo, cumino, aniso, chamæmelo, anetho, dauco, betonica, &c. cuiusmodi est etiam ceratum sacrum, ceratum de betonica.* *Vsus* patet e superius propositis: quibus saltem duo addemus: primum, his actu calidis esse vtendum: alterum hæc esse vsurpanda post totius & capitis euacuationem. Si
C materia sit humorosa & impacta; dissoluenda est medicamētis propositis, q̄ calida sunt, & tenuis substantiæ, quibus etiam vti licet in phrenitide & lethargo: quamuis mitiora probentur ad bilem & sanguinem; vehementiora ad pituitam & melancholiam. Verum notandum, vt, si materia fuerit sicca, cum resoluentibus misceantur emollientia: alias materia crassa & scirrhosa euaderet, & curationem non admitteret; cuiusmodi est pituita & melancholia. Noterur etiam in compositione medicamentorum resoluentium, vt, si humor infectus fuerit lue venerea, misceantur alexipharmaca. Resoluentia sunt, & quidem mitiora, *chamæmel. anethum, beton. saluia, maioran. rosmarinus*: mediocria, *origanum, puleg. serpillum, nardus, fenic. nigella, calamintha mont. dictamnum Creticum*: fortiora, *piper, sinapi, euphorbium, scammonium, colocynthis, veratrum, radix cucum. agrestis, fimus columbinus, thapsia, &c.* Emollientia sunt: *ammoniacum, adeps anse-*
D *rinus, medulla vituli, malua, althæa, emplastrum de meliloto, diachylon*: quæ vt reddantur odorata, misceri oportet, *macem, aromata, moschum.* Inter alexipharmaca huc faciunt, *china, salsa parilla, guaiacum, sassafras.* Noterur Galenum addere *acetum*, reprimentibus, non autem resoluentibus; quia hæc tanquam, calida & tenuis substantiæ, non egent vehiculo. Facultas autem medicamentorum resoluentium excipitur *modo aqua, modo vino, modo oleo*: vnde formæ variæ horum medicamentorum solent præscribi, verbi gratia, si solidum fiat medicamentum, tunc fieri solent trochisci, pulueres, pilulæ odoratæ, linimenta, emplastra, cerata. Sed obiter animaduertenda est differentia inter iunctionem, vnguentum, linimentum, emplastrum, & ceratum: iunctio fit e solo oleo, sine odoramentis & cera: vnguentum fit ex odoratis, sed sine cera, verbi gratia, si componatur medicamentum, ex oleo lib. alb. cum aromat. & ol. chamæme. linimentum fit ex oleo & cera, vt pro olei ℥ j sufficiant ceræ ℥ ij. emplastrum recipit ceram & farinam, qualis in resoluente
E medicamento est farina orobi: ceratum fit e cera admodum copiosa, vt pro olei ℥ j. sumantur ceræ ℥ iij. iiij. vel vj. Recta administratio resoluentium, patet e propositis. *Quantum.* Magna dosis indicatur, si materia impacta sit magnæ actiuitatis. *Quomodo.* Rosoluens est administrandum actu calidū: magis quidem, si materia fuerit frigidior, & si virtus ferat: minus si materia calidior, & si æger non queat perferre vehementer actu calida. Præterea, si materia magis resistat; resoluentia debent vsurpari in forma solida, vt magis agant: si contra, in liquida. *Quando.* Resoluentibus vtendum est, quando materia impacta vincit alia indicantia: non autem iis vtendum, si materia impacta vincitur a materia redundante in toto, vel in cerebro: vnde ante resoluentia, & totum, & caput vacuari debent. *Vbi.* Cum materia impacta subsistentiam habeat in capite, huic applicandum est ceratum sacrum & exhibendum decoctum guaiaci.

Materia morbifica immediata. 1. 2. NB. Vsus resoluentium.

F Vt vero, quæ hactenus de materia morbifica dicta sunt, rectius intelligantur, subiectum σχηματισμὸν addidi.



Caussæ externæ. Aer.

Hucusque de remedio sanante, quod respicit caussam internam: sequitur remedium sanans, respiciens caussam principalem externam. Caussæ igitur externæ, vel Necessario occurrunt, vel non Necessario. Necessario, aer, potus. Ab aeris caliditate dum fit dolor; probātur refrigerantia, proposita supra in calida intemperie, sed remissiora. Si dolor fit ab aere frigidiore, probantur calida, proposita in dyscrasia frigida. Si dolor prodeat a ventis, oportet cum Auicenna considerare, num ventus sit Calidus, vt æstiuus & austrinus: vel Frigidus, vt hyemalis, & aquilonaris. Si ventus calidus, perpendendum, num introierit, vel per nares, vel per aures, vel per vtrumque: Si enim per aures ingressus fuerit, oportet in aures instillare, velo*leum chamæmelinum, vel anethinum* Hæc olea, licet ventus sit calidus, probantur tamen propter dissolutionem; vnde tepida sunt amministranda. Si per nares ventus introierit, medicamentum etiam per nares immittendum. Sed licebit etiam medicamentum applicare suturæ coronali. Et si contingat, vt imprimatur intemperies calida; licet postea refrigerantibus vti. Si dolor fiat a vento frigido: vtendum est medicamentis calefacientibus & resoluentibus propositis, modo per nares, modo per aures, prout introiuit ventus frigidus. Si ab immodico potu fiat dolor, nimirum ex ebrietate; vacuatio debet fieri, secūdum Auicēnam vel per vomitum, vel per aluum: optimumque est, vt dormiant, quia somnus sæpe e toto vapores resoluit, & dolorem tollit: sin hæc minus conducant, ad ea confugiendum, quæ possunt vini vapores reprimere, vt *oleum rosac. cum succo brassicæ*. Caussæ externæ non necessario occurientes, sunt cōtusio plaga &c. in quibus recurrendum est potius ad propria capita. Postremo breuiter quoque dicendum est de cephalalgia, quæ producitur ex odoribus. Si enim dolor capitis fiat a malis odoribus, secundum Auicennam occurrendum est contrariis, nimirum bonis: Contra, si fiat a bonis, occurrendum etiam est odoribus contrariis, non quidem fœtidis, sed in qualitate contrariis; vt si dolor fiat ab odore calido, remoueatur per rem odoratam frigidam, boni odoris, verbi gratia si dolor fiat a moscho, (sunt enim qui huius odorem ferre nequeunt) occurrendum est *violis*, *rosis*: & contra, si dolor fiat ob odorem frigidi, occurrendum calidis, vt *ambra*. Hoc licet quidam in scholis proponant, non tamen a me, vt verum fatear, admodum probatur.

Ventus. — Ebrietas. — Caussæ externæ non necessario occurrētes. — Odores.

5. Cephalica medicamēta.

Hactenus de medicamento anodyno & sanante. Sequuntur medicamenta, quæ respiciunt proportionem cerebri, quæ capitalia dicuntur. Hæc medicamenta tria in se continent: primum enim non iuuāt in omni affectu capitis: si n. verbi gratia, capitis affectus sit calidus, & medicamētum cephalicū sit calidum nocebit. Secundo, cephalica etiam possunt prodesse in vitiis aliarum partium: calida enim cephalica etiam prodesse possunt in ventriculi affectu frigido. Tertio, dicuntur cephalica, quia maiori cum vtilitate affectibus capitis administrantur. Non enim dicuntur cephalica, quod conueniant in omni affectu capitis, quia in aliquibus nocent: nec quod prosint solum in capitis affectibus. Cur autem cephalica magis iuuant caput, quam aliam partem, nulla alia ratio reddi potest, quam quod habeant proportionem, quæ eius sit naturæ, vt limitet contrahatque facultatem medicamenti, quo maioris sit actiuitatis & vtilitatis ratione capitis, quam ratione aliarum partium. Cephalica, alia sunt Calida, alia Frigida alia Temperata. Calida probantur in dolore capitis, caussa frigida, a caussa calida: temperata in omni dolore. Calida sunt, *stæchas, rosmarinus, maiorana, saluia, hyssopus, calamintha mont. magnæ antidoti*; quæ non tantum sunt capitalia, verum etiam cordialia, splenetica. Frigida sunt *rosæ, saccharum rosac. viol. santali, diarhodon Abb.* Temperata sunt potissimum *cranium humanum, quod desumetur aut ex homine viuente (nimirum vulnerato) aut e cadauere iam defuncto, item pæonia mas, non fœmina.*

Vsus cephalicorum.

Vsus. Quantum. Hoc desumitur a proportione capitis, quatenus est maioris, vel minoris actiuitatis: cum autem cerebri proportio non agat, sed limitet facultatem agendi; ob id, vt facultatis actio erit vehementior, ita capitalia in maiori dosi erunt administranda; vt pro maiori robore cerebri, seu facultatis, opus sit maiori quantitate medicamentorum. *Quomodo.* Cum proportio seruetur calidis; hæc medicamenta moderate calida sunt amministranda. *Quando.* Cum proportio præsens vincit alia indicantia, sunt vsurpanda

vsurpanda cephalica : non autem quando vincitur a materia replente vel totum, vel caput: Ante enim v-
sum capitalium, prius totum & caput vacuare oportet. *Vbi.* Cum proportio subsistentiam habeat in ce-
rebro; propterea hæc medicamenta capiti sunt applicanda, & naribus, & suturæ coronali, & per os exhi-
benda.

De Victu in cephalalgia instituendo.

De materia medicinali diximus. Restat materia diætetica: quam ita explicabimus, vt ad quodlibet Victus ratio.
capitis vitium queat accommodari. Aer, quatenus est materia alimenti, erit expers fumi, pulueris, ven-
B ti, & cuiuslibet vaporis noxii; sed purus, odoris suauis, vt probe alat spiritus. Quatenus autem aer est Aer.
materia remedii, pro varia doloris caussa varius probatur: in caussa calida, alterabitur *pomis, rosis, foliis*
vitis, aqua ros. erit etiam aer lucidus, nō obscurus: & si vigiliæ infestent, alterandus est aer *lactuca, nymphæa.*
In caussa frigida, aer alterabitur *origano, pulegio, saluia, maiorana, caryophyllis:* & si contingat somnum esse
coniunctum, debet etiam alterari *aceto acri.*

Cibus, vt est materia alimenti, erit boni succi, paucorum excrementorum, εὔπεπτος, & εὐανάδοτος, Cibus.
suauis odoris & saporis: vt carnes optimæ, pisces, panis probus, &c. Cibus autem vt est materia remedii,
vel est materia anodyni, vel sanantis. Cibus habens rationem anodyni, erit suauis, dulcis, vt patiens ob-
lectetur: vnde infantum dolores lacte mitigat Galenus cap.7.lib.1.de tu.san. Cibus, vt est materia reme-
dii sanantis, varius probatur, vt varium est vitium caussæ principalis: quod pertinet ad substantiam, quā-
C titatem, qualitatem, & vbi. Vitium secundum substantiam est, si verbi gratia, materia sit putrida; vnde pro-
batur cibus conditus *aceto, acetosa, acido citri:* & si assit virulentia venerea, licet cibum alterare *salsa, chi-*
na, potest etiam lignum guaiacum cum cibis misceri. In vitio secundum quantitatem, probatur victus mi-
nuens, vt *cremor hordei, panatella liquidior.* In vitio secundum qualitatem ita procedendum; Si vitium
in frigiditate sit positum, tunc cibus est condiendus *feniculo, melissa, pulegio, aromatibus, melle, saccha-*
ro, roremarino, probanturque calidatum condimenta, tum opsonia, Si in caliditate consistat vitium, cibi
condiendi *lactuca, acetosa, endiuia, soncho, hordeo* &c. & si forsan vigiliæ sint annexæ, præstat cibum præ-
bere ex *amygdalis, quandoque etiam danda emulsio sem. papau. albi.* Si vitium ad siccitatem pertineat; cibi
condiendi sunt *boragine, buglossa, malua, amygd. butyro, adipe etiam gallinæ aut vituli.* Si vitium sit in mate-
riæ tenuitate, condiuntur cibi *omphacio, granatis acerbis, cerasiis acerbis, cidoniis.* Si materia sit crassior, &
D quidem calida, cibi condiendi *acetosa, aceto, semin. melon.* Si materia sit crassa & frigida, cibis permiscenda
aromata. Si materia sit viscida & calida: condiatur cibus *hordeo:* si frigida, *melle, oxymelle, saccharo.* Quoad
vitium secundum vbi: si spectet ad motum, condiantur cibi incrassantibus propositis in materia tenui: si
spectet ad quietem, condiantur cibi alterantibus, propositis in crassa materia.

Recta administratio ciborum. Quantum agendum, indicatur ab indicante vt agit: indicans est virtus Vsus ciborū
ratione alimenti: affectio cerebri & tristis sensatio, est indicans ratione anodyni: materia morbifica prin-
cipalis, est indicans ratione remedii sanantis. Vnde si intensior est actio virtutis; id est, si virtus est debilis,
non fert inediam, probanturque cibi copiosi. Si dolor sit intensior, materia remedii anodyni dicitur esse
copiosior; vnde cibi condienda materia dulci, & copiosa. Præterea, si summa sit actio materiæ principalis,
verbi gratia, calidæ, cibi condiendi, exempli gratia endiuia copiosa, & sic de aliis. *Quomodo.* Si virtus debi-
E lis est & facile labitur, probantur cibi liquidi, quia facilius corpora potu, quam cibo implentur. Caussa au-
tem materiæ, si materia fuerit frigida, acta calidis vtimur. *Quando.* Cibandum, dum indicans vincit: non
autem dum vincitur, quod fit, si cibus in ventriculo exsistat: vnde hic primo concoquendus est.

Potus omnis debet esse cibi vehiculum: interdum tamen etiam est alimentum. Varius autem admi-
nistrandus est potus, prout est materia vel alimēti, vel anodyni, vel sanantis, ita tamen vt semper sit cibi ve- Potus.
hiculum. Potus, vt est alimentum, eius materia est *vinum, aqua cum saccharo, melle, carne,* (caro tamen non
debet esse copiosa, alias potius esset cibus, non cibi vehiculum, vt ius consummatum, destillatum. Potus,
vt est materia anodyni, debet esse suauis, vt *vinum dulce, aqua saccharata, mulsa.* Potus denique, vt est ma-
teria sanantis, debet varius esse: oportet enim vt respiciat vitium secundum substantiam, quantitatē, qua-
litatem, & vbi. Si enim materia est putrida: probatur *aqua cum aceto, vel cum syrupo acetoso simp. vel cum iu-*
F *lepo.* Et si coniuncta sit lues venerea, aqua alterabitur *salsa: vel vinum fiat e salsa medicatum.* Si peccatum sit
secundum quantitatem; probatur *aqua simplex,* quia non egemus potu nutriente. Si materia sit calidior;
non probatur vinum, sed *aqua vel simplex, vel alterata endiuia, aut alio refrigerante.* Si materia sit frigida,
probatur *vinum, vel aqua alterata saccharo, saluia, roremarino, vel etiam imponenda sunt aromata.* Si mate-
ria est sicca, conuenit *vinum dulce, aqua cum lacte, cum amygdalis.*

Vsus. Idem dicendum, quod de cibo: præterquam circa Quando agendum explicari oportet, quan- Recta administratio potus.
do aqua, & quando vino vtendum. De aqua. Materia morbifica non prohibet aquam, siue sit copiosa, si-
ue calida: frigida etiam & cruda materia non prohibet aquam modo calidis corrigatur: crassa item visci-
daque non prohibet aquam, dum corrigitur attenuantibus & detergentibus. Aqua vero prohibetur a
virtute, quando imbecillis est, non secundum solida, sed secundum spiritus, vt in syncope, tunc enim illi-
G co est roboranda, id quod per aquam fieri nequit, sed per vinum, quod valenter restaurat, l. de marcore.
Vinum prohibetur a materia cruda, copiosa, calida, & a materia quæ in caput mouetur: materia enim cru-
da & copiosa, agitata a vino, in caput fertur: calida vino redditur calidior: & quæ in caput habet impe-
tum, adhuc magis in caput ducitur, cum tamen sit retrahenda. Quare dum materia est concocta, dum
copia minuta, caliditasque remissa, & motus in caput refractus, cum magis possit virtus ad indicandum
vinum, quam materia morbifica ad prohibendum, ideo est exhibendum.

Reliquæ res non naturales respiciunt facultatis custodiam, potissimum coctricis, & hinc etiam ali- Ceteræ res non naturales.

rum facultatum:ideoque in his modus est seruandus. verbi gratia in cephalalgia, si magis coctio desideretur, quam distributio; somnus superabit vigiliam, repletio inanitionem, quies motum: contra, si magis exoptetur distributio. Si proba sit concoctio & distributio, omnia hæc erunt mediocria, nullum excedet. Quòd si ob malam dispositionem corporis, proportio mutetur, vt somnus plus iusto vigilias excedat: tunc somnus excedens non est amplius materia diætetica, sed facta est mutatio in caussam morbificam, vt in sermone de somno dicemus. Motus erit mediocris. Sunt etiam materiæ remedii anodyni ratione iudicii, quæ pertinent ad animi accidentia, vt visus & auditus rerum iucundarum, cap. 7. lib. 1. de tuen. san. Hæc de cap. dolore. A

CAPVT IX. B

De Phrenitide: & Primum de Definitione, & Caussis.

Transitio.

QVoniam sæpe in cephalalgia per modum attractionis caput ita repletur, vt oboriatur affectio putrida, & hinc inflammatoria, a sanguine vel calidiore, vt fiat Phrenitis, vel frigido, vt fiat Lethargus: merito iam de Phrenitide & Lethargo est dicendum.

Nomen.

Phrenitidem Auicennas vocat Sirsen calidum, id est, apostema capitis calidum, voce Persica; & Karabitum, voce Arabica, quod significat, delirium perpetuum. Nec ταυτολογεῖ Auicennas, dum proponit Sibare: per hoc enim nō intelligit Karabitum in genere, sed in specie delirium atrabilarium, quod Alexander vocat phrenitidem ferinam. Galenus φρενίτιδα vocat, 1. prorhet. 4. Loquemur autem nos de phrenitide exquisita; in qua necessario adest delirium perpetuum, & febris secundaria. Hæc ita generatur. Succus vehemententer calidus, procedens a toto, vel a parte, si vel transmissus, vel attractus caput petat, & ita per cerebrum eiusque membranas excurrat, & vt & membrana potissimum tenuis, tumore calido, cerebrum autem intemperie calida cum materia afficiatur: fit Phrenitis. Si membranæ primum afficiantur, præcedit dolor. Et cum cerebrū calido morbo afficiatur: ita labefactatur princeps cerebri facultas, vt eius actio necessario corrumpatur, hincque fiat delirium assiduum. C

Generatio phrenitidis.

Definitio.

Phrenitis ergo seu delirium phreniticum, est actio deprauata principalis cerebri, dependens ab intemperie calida cum materia, coniuncta cum tumore calido membranarum. In hac doctrina sequimur Galenum in commentar. lib. 1. prorhet. cap. 8. lib. 4. de præs. puls. cap. 7. lib. 2. de caus. symp. c. 7. lib. 3. de loc. aff. comm. 73. sect. 2. lib. 1. epid.

Forma.

Forma est functio principalis deprauata; non morbus, caussa, vel symptoma excrementorum aut affectus mutati: ideoque dum Auicennas ait, phrenitidem esse apostema calidum, tradit definitionem non per caussam formalem, sed per efficientem. Per deprauatam etiam actionem, distinguitur phrenitis, ab actione imminuta & ablata, id est, a fatuitate & amentia: cap. vlt. lib. 2. de causs. sympt. Vt phrenitis est functio deprauata principalis: distinguitur ab eo vitio, in quo læditur actio non principalis. Vbi notandum in instrumento actionem principalem, vel simpliciter, vel secundum quid esse principalem. Simpliciter principalis est vnica: nam vni instrumento tribuitur vnica actio principalis, vt cerebro ratiocinatio. Actio principalis secundum quid, dicitur principalis, ratione actionum inferiorum: vt imaginatio, non est actio cerebri principalis, ratione discursus; sed si referatur ad actiones cerebri naturales, est principalis In præsentia nos intelligimus deprauatam actionem principalem, & simpliciter, & secundum quid, id est, imaginationem, & discursum. D

Subiectum.

Subiectum phrenitidis est cerebrum. cap. vlt. lib. 2. de loc. aff. Sed notandum, cum ad facultatem cerebri principalem pertineat discursus, imaginatrix, & memoria: in phrenitide deprauari discursum & imaginationem; memoriam non deprauari, sed auferri; vnde matulam petūt, vt mingant, mingere tamen obliuiscuntur. E

Caussa efficiens, vt in finitione exprimatur.

Quæ in definitione sequuntur (nimirum dependens ab intemperie calida, &c.) spectant caussam efficientem. Dependens, dicimus: quia forma phrenitidis est actio, & quid in fieri. Addimus, ab intemperie calida, cum materia: ad differentiam lethargi, in quo cerebri morbus est tumor. Præterea dicimus, cum tumore calido membranarum, ad differentiam maniæ, & assidui delirii e septo transuerso. Nam in mania functio princeps deprauata, dependet ab intemperie calida, vel sine, vel cum materia: sed citra tumorem membranarum. Sic in delirio perpetuo e diaphragmate, non est tumor in membranis, licet cerebri functio princeps deprauetur, sed in transuerso septo est vitium. Hinc Galenus capite 14. libro quarto, de causs. puls. respiciens ad caussam, vt est tumor, ait, lethargum fieri ex affecto cerebro; phrenitidem, ex affecta pia matre, & ex affecto diaphragmate: respicit enim ad tumorem inflammatorium, qui in lethargo pertinet ad cerebrum, in phrenitide exquisita ad membranas, in spuria ad diaphragma. Quare in phrenitide legitima, subiectum caussæ formalis, est cerebrum, ratione tumoris: subiectū autem caussæ efficientis, est cerebrum, ratione intemperiei. Hæc superficietenus de caussa efficiente. F

Plenior caussæ eff. declaratio.

1. Calida intemperies cerebri.

Verum cum tota pæne curatio ex his dependeat: exactius singula erunt explicanda. In phrenitide igitur, ratione caussæ efficientis, duo sunt morbi: Calida dyscrasia cum materia: & tumor calidus membranarum. Calida est dyscrasia cum materia: nam in phrenitide non abundat humor in cerebri ventriculis, alias cerebrū afficeretur, vt pars instrumentalis: sed abundat in cerebri substantia, cum cerebrum afficiatur vt similare. c. 7. lib. 3. de loc. aff. Porro intemperies hæc est calida, quia actio deprauatur; non frigida, quia nec imminuitur, nec aboletur. Calida autem hęc intemperies, modo Humidam, modo Siccam dyscrasiam habet coniunctam: quia materia illa calida vel est Sanguis, vel sanguinis Ichor, & Bilis. Dum enim sanguis exsuperat, citra tumorem, parit intemperiem calidam & humidam: quæ, cum habeat annexam inflammationem membranarum, fit vt oriatur delirium assiduum. Et talis phrenitis est exquisita, sed non exacte: ad differentiam phrenitidis exquisitissimæ, quæ fit ab intemperie calida & sicca, de qua tex. 3. lib. 1. prorheticorum. Intemperies hæc morbosa, occupat cerebrum, vel secundum Partem, vel secundum G

Intemperies cerebri æqualis, vel inæqualis.

Totum

A Totum. Si ſecundum partem, eſt intemperies inæqualis, quæ in vna parte eſt intenſior, in alia remiſſior: ita vt etiamſi in vna parte intemperies poſſit eſſe morboſa; in alia intra ſanitatis latitudinem. Et ex hac intemperie fit phrenitis tumultuoſa. Si dyſcraſia ad totum pertingat cerebrum, eſt intemperies ęqualis, excitans phrenitidem hecticam, quæ primum eſt in habitudine, mox in habitu. Æqualis quidem fit intemperies, ſi materia morbifica occupat totum cerebrum: inæqualis, ſi partem. tit. 33. lib. 1. prorhet. Eſt etiam alia differentia dyſcraſiæ æqualis & inæqualis: nam in inæquali cerebrum non afficitur tumore, c. 8. lib. 4. de præſ. e pulſ. vt enim tumore afficiatur cerebri ſubſtantia, neceſſe eſt, vt materia morbifica prius occupet totum cerebrum. Materia ergo in phrenitide primum fluit, ſecundo hæret ſecundum partem cerebri, tertio hęret ſecundum totum cerebrum. com. 3. ſect. 2. lib. 1. epid. & tandem fit tumor etiam in ſubſtantia cerebri: B vnde Auicennas ait, phrenitidem interdum fieri ex apoſtemate cerebri; & Paullus inquit, in phrenitide cerebrum modo caliditate affici, modo inflammari. Et hæc de intemperie, ad cerebri ſubſtantiam pertinente.

Phrenitidis tumultuoſa & hectica.

Tumor membranarum in phrenitide neceſſarius eſt, cap. 14. l. 4. de cauſſ. pulſ. aphor. 73. ſect. 2. l. 1. epid. cap. vlt. l. 2. de cauſſ. ſympt. Cum autem omnis tumor ſit morbus in intemperie, non autem neceſſario in mala compoſitione: quæritur, cur in phrenitidis finitione propoſitus ſit membranarum tumor, non autem intemperies calida, cum materia tendente. Sciendum igitur inflammationem dupliciter ſumi poſſe: primum, vt eſt morbus, ſeparatus ab alio quocunque morbo: ſecundo, vt eſt tumor, ſeparatus, non ab aliis morbis, ſed ab aliis tumoribus. Primo modo, inflammatio eſt intemperies calida & humida, cum ſanguine tendente. cap. 12. & 13. l. de morb. differ. capit. 3. lib. de inæq. intemp. & hoc modo C inflammationis genus eſt intemperies: (quæ inflammatione ſemper eſt morbus:) non tumor, qui non ſemper morbus eſt, ſed interdum morbus, interdum ſymptoma, ſecundum Galenum locis citatis. Si inflammatio ſumatur ſecundo modo, pro tumore ſeparato ab aliis tumoribus, vt ſumit Galenus in l. de tumoribus præter naturam, definitur; quod ſit tumor præter naturam, cum intemperie calida, & materia ſanguinea. Per tumorem enim ceu per genus, conuenit inflammatio cum reliquis tumoribus: Additur cum intemperie calida, ad differentiam ſcirrhi, œdematis: Additur etiam cum materia ſanguinea, ad differentiam eryſipelatis & cancri. Secundum priorem modum, intemperies in inflammatione primum locum obtinet; tumor ſecundum, quia non ſemper eſt morbus. Secundum poſteriorem modum, primum locum obtinet magnitudo aucta, quia tumor eſt morbus partis inſtrumentalis, ad differentiam ſimilaris; ſecundo, eſt morbus in intemperie. Soluta vnitas excluditur in inflammatione, niſi coniungatur vlcus: vt enim D Galenus ait, ca. 11. l. de differ. morb. ſi membrum inflammetur circa vlcus, tres ſunt morbi, vnus in mala compoſitione, alter morbus calidus, tertius humidus: at ſi membrum ſit inflammatum & exulceratum, tunc ſunt quatuor morbi. Notandum quoque in inflammatione ante ſuppurationem tres ſolum eſſe morbos; ſuppuratione autem accedente, addi quartum morbum: vnde Auicennas dixit, in tumore præter intemperiem & malam compoſitionem eſſe etiam morbum in ſoluta continuitate. Cum ergo in mēbranis cerebri ſit tumor, qui neceſſario eſt morbus, propterea in definitione propoſitus eſt potius tumor, quam intemperies.

2. Tumor mēningum.

Hic autem tumor cum ſit calidus, poteſt eſſe inflammatorius, eryſipelaceus, & cancroſus. Inflammatorius fit a ſanguine feruente, qui eſt in confinio bilis flauæ, vnde excitat delirium perpetuum, inducitque E phrenitidem exquiſitam.

Inflāmatio.

Eryſipelas exquiſitum dupliciter ſumitur: vel enim ſimpliciter eſt exquiſitum, vel ſecundum quid. Exquiſitum ſimpliciter in cute tantum conſiſtit, non in partibus profundioribus, cap. 1. & 3 l. 14. metho. & producitur ab ichore ſanguinis, vel etiam a flaua bile, ſed miſta cum ſeroſitate, aut cum ichore ſanguinis. Quod fiat ab ichore ſanguinis, teſtatur Galenus capit. 1. lib. 2. ad Glaucon. vbi ait, eryſipelas fieri a ſanguine tenuiſſimo & calidiſſimo, id eſt, ex ichore ſanguinis, quem Galenus interdum vocat bilem rubram. Quod autem eryſipelas etiam fiat a bile flaua, teſtatur Galenus commen. aphor. 2. l. 1. aphoriſmorum, & cap. 5. l. 2. de diff. febri. & l. de atra bile. Sed notandum, quod Galenus locis citatis, per bilem flauam intelligat, ſeparatam a ſanguine, pituita, & melancholia, miſtam tamen cū ichore ſanguinis, vel cum ſeroſitate, non cum humore. Flaua bilis ſincera exulcerat: ideo non producit eryſipelas, ſed herpetem: neceſſe igitur eſt, vt miſceatur cum ichore ſanguinis, vel cum ſeroſitate, in producendo eryſipelate. F Hinc, cum Galenus cap. 10. lib. de tumoribus præter naturam, ait, cauſſam eryſipelatis eſſe bilem, miſtam vel ſanguini, vel aquoſo ſanguini: hic per ſanguinem non intelligit humorem ſanguineum, ſed ichorem ſanguinis: ſi enim bilis miſceatur cum ſucco ſanguineo, non ichoroſo, non ſeroſo, fit eryſipelas phlegmonodes: at ibi Galenus loquitur de eryſipelate exquiſito, quod non eſt particeps inflammationis. His cōſentit, quod ſcribit Galenus cap. vlt. l. de plen. ſolam bilem nec tumorem, nec pondus producere: nam antequam fiat tumor & ſenſus ponderis, bilis hæc exulcerat. Cum autem Galenus cap. 11. lib. de criſ. ait, bilem impermiſtam & copioſam, facere eryſipelata & herpetes, id oportet intelligere hoc modo, vt bilis ſeparata ab humoribus, miſta autem ichori ſanguinis, vel ſeroſitati, producat eryſipelas; ſeparata vero etiam ab ichore ſanguinis producat herpetes. Eodemque prorſus modo intelligendus eſt Galenus cap. 5. l. G de differ. febri. Dubitatur autem, quomodo Galenus dicat, eryſipelas indicari e colore pallido, vel flauo, vel miſto, cap. 1. & 9. lib. 4. method. Reſponſio: eryſipelas fit a flaua bile, miſta cum ſeroſitate. Hæc autem miſtio triplex eſſe poteſt: aut enim portio ſeroſa dominatur, vnde color pallidus: aut flaua bilis dominatur, vnde color flauus: aut æquales vtriuſque ſunt portiones, vnde color medius inter flauū & pallidum. Hæc de eryſipelate externo exquiſitiſſimo.

Eryſipelas externum.

Eryſipelas exquiſitum, producitur ab ichore ſanguinis, & e flaua bile, miſta vel cum ichore ſanguinis, vel cum ſeroſitate: ſicuti dictum eſt de eryſipelate externo: ſed præterea eryſipelas internum, fit etiam

Eryſipelas internum.

 A

a flaua bile, quæ ſeroſitatis expers eſt, ad differentiam externi eryſipelatis. Hinc Galenus cap. 7. l. 3. de loc. aff. ait, phrenitidem exquiſitam mitiorem fieri a bile pallida, id eſt, a bile flaua, permiſta cum ſeroſitate: vehementiorē, a bile flaua, ſeparata a ſeroſitate. Hac de cauſſa etiam vehementior phrenitis produci poteſt a bile æruginoſa, com. 10. lib. 1. prorhet. Si enim phrenitis fit ab atra bile, id eſt, a flaua præaſſata, cap. 7. lib. 3. de loc affect. multo magis fieri poteſt phrenitis a bile æruginoſa, quæ minus praua eſt, quam atra.

Cur eryſipelas externū non fiat a ſincera bile flaua.

Quæri autem poteſt, cur eryſipelas cutaneum non poſſit fieri a flaua bile ſincera, ſicut internum; ſed neceſſario permiſtum habeat ſanguinis ichorem, vel ſerum? Reſponſio. Allium appoſitum exulcerat, per os aſſumtum non exulcerat, quia partes externæ promtius patiuntur quam internæ: præterea allium appoſitum non refringitur a cibo, quemadmodum ſi aſſumitur. Similiter de flaua bile ſtatuēdum: nam cum ſincera eſt, exulcerat partes externas, non internas, quia partes externæ, vt imbecilliores, facilius patiuntur: præterea bilis ſincera, in partes externas producta, ſi ſeparata ſit a ſanguine ichoroſo & ſero, facile exulcerat, cum non aſſit, quod bilem flauam poſſit corrigere; at dum flaua bilis ad internas fluit partes, non prorſus expers eſſe poteſt ſanguinis & ſeroſitatis, & propterea ab his mitigatur acrimonia, ne exulceret, vt hinc fiat eryſipelas: licet autem miſceantur ſanguis & ſerum, hæc tamen non ſunt cauſſa principalis: quia non ſunt in magna copia. Ex his concludendum in phrenitide exquiſita, tumorem eſſe eryſipelaceū: qui produci poteſt ab ichore ſanguinis, a bile pallida, flaua, & æruginoſa. B

Cancroſus tumor.

Tandem phrenitis etiam producitur a tumore cancroſo, qui fit a flaua bile præaſſata, & in atrā verſa. cap. 10. lib. 1. prorhet. c. 7. l. 3. de loc. aff.

Cauſſa generans materiam morbificam in phrenitide.

Ex his ergo patet, quicunque tumor ſit in phrenitide, materias morbificas eſſe vehementer calidas. C Generantur hæ materiæ extra caput, non in capite, ſed hepate: idque vel ob Errorem externum, vt e medicamentis calidis, victu calido; vel Læſa hepatis facultate; quæ vel Impeditur ob anguſtiam, vel Labefactatur ob intemperiem calidiorem; ſiue ſit natiua, ſiue aſſcititia; ſiue in habitudine, ſiue in habitu. Materia autem genita in hepate, fluit ab Hepate, vel a Toto corpore, & fluit, vel Tranſmiſſa, vel Attracta. Hæc ad explicationem definitionis.

Phrenitis eſt morbus compoſitus primo totius cerebri

Porro e propoſita definitione colligitur, phrenitidem eſſe morbum compoſitum, & quidem primum: (non ex accidente:) totius inſtrumenti, id eſt, cerebri, quatenus hoc eſt compoſitum e propria ſubſtantia & membranis: eſt enim intemperies calida cerebri, eſt morbus in magnitudine, eſt intemperies calida meningum. Hæc demonſtrari poſſunt e. c. vlt. l. de morb. diff. Morbus enim, vel eſt Simplex, vel Compoſitus. Simplex eſt intemperies, aut mala compoſitio. Intemperies eſt morbus per ſe partis ſimilaris, ex accidente totius inſtrumenti, quatenus ſingulæ inſtrumenti partes intemperie laborant. Mala compoſitio eſt morbus, primo totius inſtrumenti: vnde Galen. ait, 6. l. 2. meth. ſi hepatis vena afficiatur intemperie morbum eſſe ex accidente hepatis; at ſi vena hepatis afficiatur obſtructione, morbum eſſe primo totius hepatis. Et c. vlt. l. de diff. morb. ſi membrum luxatur, & inflammatur, luxatio eſt morbus primum totius inſtrumenti, inflammatio autem, id eſt, intemperies ex accidenti eſt morbus totius inſtrumenti. Morbus compoſitus, occupat vel vnam inſtrumenti partem, vel plures. Si vnam, eſt morbus compoſitus, ex accidēte totius inſtrumenti: vt ſi oculi ſola tunica annata afficiatur inflammatione & vlcere; item ſi vena hepatis afficiatur & obſtructione & intemperie. Quod ſi morbus compoſitus occupat plures inſtrumenti partes: tunc primo, non ex accidente, eſt morbus totius inſtrumenti. Recte ergo phrenitidem diximus morbum compoſitum primo totius inſtrumenti. E

De Differentiis.

Differentiæ. 1. a forma.

Differentiæ phrenitidis, ſumuntur a Forma, Subiecto, & Efficiente. Forma eſt functio principalis deprauata. Hinc tres ſpecies oriuntur: aut enim deprauatur Imaginatio, aut Ratio, aut vtraq; actio. ca. 2. l. 4. de loc. aff. c. 3. lib. de diff. ſimp. Excluditur memoria: nam hæc imminuitur, vel auffertur, non deprauatur: læditur autem, quia in phrenitide phantaſmata plus iuſto numeroſa memoriæ offeruntur.

2. a ſubiecto

Animæ ſentientis interiores facultates ſedibus eſſe diſcluſas.

Differentiæ a ſubiecto. Cerebrum in phrenitide afficitur, ſecundum ſedem vel Anteriorem, vel Mediam, vel Vtramq;: ventriculus enim anterior eſt locus apprehenſionis interioris, poſtremus memoriæ, medius cogitationis. Nec obſtat, quod in phrenitide lædatur totum cerebrum: quatenus enim cerebrum ſecundum ſe totum afficitur, non eſt ſubiectum formæ, ſed eſt ſubiectum cauſſæ efficientis. Quare F ſtatuendum eſt cum Auic. in c. de anat. cerebri, & cum omnib. Græcis, principes cerebri facultates diuerſas ſedes obtinere: quatenus enim ſunt facultates determinatæ poſtulant ſedes donatas peculiari proportione; ſicut facultas χυλωτικὴ & αἱματοποιητικὴ. Stabilire hoc videtur Galenus comment. c. 27. l. 1. prorhet. inquiens, ſi humor in vna aliqua cerebri parte firmetur, conſequi ſymptomatis ſpeciem, quæ peculiaris & affinis ſit, tum naturæ partis, tum humori, verbi gratia, ſi humor firmetur in parte anteriore, oboritur phrenitidis ſpecies, in qua læditur imaginatio; item, ſi humor ſit ſanguineus, oritur phrenitidis ſpecies, quæ eſt cum riſu, ratione ſanguinis. Addit Galenus: dum materia transfluit in cerebro, de vna parte in aliam, ſeruari ſpeciem affectionis, id eſt, manere vitium phreniticum, ab aliis affectibus ſeparatum: non enim ita debent hæc intelligi, vt a multis eo rapiuntur, quaſi tunc ſeruentur ſpecies, ſeu differentiæ phrenitidis eædem: ſic enim Galenus ſibi ipſi contradiceret:) ſed pro parte affecta ſymptomata permutari, vt modo imaginatio, modo ratio lædatur. Aduerſarii ex hoc loco concludunt: ſi, dum materia ſedem G in cerebro mutat, eadem tamen ſpecies phrenitidis manet, permutatis ſolum ſymptomatis; facultates ſane principes non differunt loco ſubiecto. Reſponſio. Non manet eadem ſpecies phrenitidis, ſed eadem ſpecies morbi.

3. a cauſſa efficiente.

Differentiæ a cauſſa efficiente. Cauſſa efficiēs eſt vel in Cerebro, vel in Mēbranis. Cauſſa efficiēs, reſidens in cerebro, ſemper eſt intemperies calida cum materia: eaque modo Humida, modo Sicca: præterea modo

A modo Æqualis, modo Inæqualis: & si æqualis, vel in Habitudine vel in habitu. Porro, quoniam intempe-
ries est cum materia; etiam materia subdiuidi potest. Consideratur enim vel secundum Speciem, vel se-
cundum speciei Vitium. Quoad speciem: est quidem materia calida; sed hæc potest esse, vel Ichor sangui-
nis, vel Humor: si humor, Sanguis, vel Bilis: bilis, Mista, vel Sincera: mista, cum Ichore sanguinis, vel cum
Serositate: si bilis flaua est sincera, est vel Exusta, vel Non exusta: si non exusta, vocatur bilis flaua: si exusta,
hæc mutatur vel in Æruginosam, vel Atram, a qua producitur phrenitis ferina. Vitium materiæ, pertinet
ad Copiam, vel ad vbi. Ad copiam, vt vel Non tendit, vel Tendit, cum nimirum est in summa copia. At
vbi vitium pertinet, vt materia occupat cerebrum, vel secundum Partem, vel secundum Totum. Caussa
B efficiens, residens in membranis, est tumor calidus: qui est, inflammatorius, vel Erysipelaceus, vel Can-
crosus. Caussæ autem horum tumorum fuere propositæ a Galeno, l.1. prorhet. ab initio vsque ad com.33.
& comm.73. sect.2. lib.1. epid. cap.3. de different. sympt. cap.2. lib.4. de loc. aff. cap.4. lib.3. de caus. puls. cap.
14. lib.4. de caus. puls.

De Signis.

Signa phrenitidis, alia Imminentem indicant, alia Præsentem. Imminens indicatur e vigiliis, e somno Signa im-
turbulento, sermone immodico, dolore occipitis, ex vrina primũ crassa & opaca, mox tenui & diapha- minentis
na, e calore capitis, ex oculorum mutatione: conspiciuntur enim squalentes, & calor eorum mutatur. His phrenitidis.
symptomatis significatur, materiam calidam caput petere: vnde læso cerebro, oculi magna e parte spiritu
C animali destituuntur, vt proterea secundum colorem mutentur. Quod autem imminente phrenitide,
dolor occiput tenet, caussa est, quia vena circa iugulum in duos ramos diuiditur, qui per vertebras retro
ascendunt ad caput. Phrenitis præsens in genere indicatur e delirio assiduo, quod ad remissionem malo-
rum extra caput nõ remittitur, quoniam videlicet cerebrum primaria affectione laborat. Indicatur præ- Signa præ-
terea e vigiliis turbulentis, quia calor naturalis quasi inflammatus, foras mouetur. Indicatur a respiratione sentis phre-
magna & rara; nam phrenitici respirare obliuiscuntur. cap.3. l.2. de diff. respir. vnde cum per obliuionem nitidis in
rara fiat respiratio, magnitudine raritas suppletur. Potest etiam alia caussa reddi: nam quia facultas motrix genere.
a cerebro prodit, beneficio spirituum animalium; sane dum cerebrum læsum est, facultas motrix non ita
petit musculos, & hinc rara fit respiratio: cum autem propter febrem augeatur necessitas auentandi calo-
rem cordis, hinc magna fit respiratio. Et per hanc respirationem phrenitis distinguitur ab inflammatio-
D ne diaphragmatis: tunc enim respiratio modo est exigua & frequens, modo magna & angustosa. Indica-
tur etiam phrenitis e siti non multa, quamuis præsentes sint intensæ sitis caussæ: ratio est, quia mens ægro-
tat: item quia animales spiritus ob læsum cerebrum, non mittunt radios sufficientes ad os ventriculi su-
perius, ad quod sitis pertinet. Pulsus in phrenitide, est paruus, cap 14. l.4. de caus. puls. quia cor compatitur:
itemque durus, ob membranam cerebri inflammatam: item celer & creber, quia summa adest necessitas
propter febrem: nonnihil vndosus est, quia afficitur cerebrum, quod est membrum molle: interdum est
subtremulus, dum virtus languet, & syncope imminet: pulsus est præcisus, cum conuulsione quadam;
nam ob necessitatem natura nititur extendere arteriam, quæ tamen duritie sua obstat. Præsens etiam
phrenitis indicatur e febre continua, & sæpe continente: meningum enim tumor calidus est continuus:
E indicatur e continent febre, quia propter tumorem calidum meningum, sæpe putredo in magnis vasis
oritur; ideoque si phrenitis sit mitior, & fiat transmissio a venis magnis ad paruas, tunc accessiones magna
e parte sunt de tertio in tertium, com. aphor.12. sect.1. magna e parte, ait Galenus, quia interdum accessio-
nes fiunt de quarto in quartum, dum scilicet tumor est atrabilarius. Indicatur etiam præsens phrenitis, e
lingua aspera, modo nigra, modo citrina; quia vaporales linguam petentes primum absumunt humidi-
tatem linguæ extimam, vt sicca fiat, deinde etiam interiorem, vt lingua fiat aspera seu inæqualis: &, si va-
por sit simpliciter biliosus, lingua apparet citrina: si vehementer exustus & fuliginosus, nigra; quamuis et-
iam nigredo fiat a calore vehementi, qui partes diaphanas absumit.

Signa differentiarum a Forma, sunt facillima: hæ enim differentiæ cognoscuntur e modo deli- Signa diffe-
rii. cap.2. lib.4. de loc. aff. cap.3. lib. de sympt. diff. Verbi gratia, si quis phreniticus imaginetur strepi- rentiarum.
tum fieri in suo cubiculo, & iubeat expelli strepitus auctores; læsa sane est imaginatio, non ratiocinatio. 1. A forma.
F Sed hæc facilia.

Differentiæ etiam a subiecto facile cognoscuntur: si enim totum cerebrum afficiatur, vt Aetius 2. A subie-
monet, omnis cerebri actio principalis erit læsa: si sola imaginatio, læsa est pars anterior, &c. Signa caus- cto.
sæ efficientis sequuntur. Caussa efficiens spectat ad cerebrum, vel ad membranas. Quantum ad cerebrum, 3 A caussa
caussa efficiens est intemperies calida cum materia: (de materia dicendum, vbi sermo erit de caussa effi- efficiente.
ciente, residente in membranis:) ideoque circa intemperiem cognoscendum, num sit humida, an sic- Intemperiei
ca; secundo an æqualis. Intemperies calida & humida cognoscitur e signis indicantibus sanguinem: de cerebri si-
quibus infra. Præterea e delirio cum risu. Intemperies calida & sicca cognoscitur, quia symptomata gna.
sunt fortiora, nec deliria fiunt cum risu, quia ipsorum caussa est ichor sanguinis, bili admodum confinis. 1.
Si intemperies sit inæqualis, ægri exclamant, loco consistere nequeunt; vnde phrenitis hæc tumultuo-
G sa vocatur, comm.33. lib.1. prorhet. Si æqualis est intemperies, non ita patet phrenitis, sed est obscura &
blanda: vnde vocatur phrenitis hectica: quam prudens medicus cognoscet, quia prægressa est phrenitis 2.
tumultuosa, quæ postea ita delitescit, vt dormire ægri videantur, cum tamen non dormiant: præ-
terea ægri manus mouent citra impetum, ac si quid quærere aut tangere velint; nec mouent manus
citra tremorem, qui tamen tremor solum apparet medico diligenti. Horum signorum ratio est
hæc: cum enim afficiatur cerebrum, & secundum hanc intemperiem, & secundum calidum innatum, &

ſecundum ſpiritus animales;fit vt omnes facultates lædantur: vnde licet aliquid inuenire ſtudeant, quia A
tamen motrix languet, manuum motus eſt debilis, & cum tremore, & ideo cum vigilandi impotentia;
3. Pulſus eſt paruus,quia cor læditur. Dignoſcenda etiam eſt intemperies in habitudine,& in habitu:in habitudine eſt,ſi deſierunt ſymptomata phrenitidis tumultuoſa :in habitu, ſi contra: ſciendum tamen intemperiem æqualem in habitudine cito deduci in habitum.

Vitii materiæ ſigna. Ceterum intemperies cerebri coniunctam habet materiam,cuius vitium cognoſcendum eſt, quatenus pertinet ad copiam,& vbi. Quoad copiam, ſi materia ſit admodum copioſa, vt tendat; cognoſcitur, quia ſutura coronalis veluti diſrumpi videtur, oculorum venæ maxime turgent, & ſunt ſigna phrenitidis hecticæ in habitu. Quoad vbi; oportet cognoſcere materiam,vt occupat vel Totum cerebrum,vel Partem. Si pars occupatur,erunt ſigna phrenitidis tumultuoſæ:ſi totum,erunt ſigna phrenitidis hecticæ. B

Tumoris meningum ſigna. Cauſſa efficiens, pertinens ad membranas,eſt tumor inflammatorius,eryſipelaceus,cancroſus. Inflammatorius cognoſcitur e ſignis indicantibus ſanguinem,e delirio cum riſu,e rubore oculorum, e plenitudine venarum capitis, e dolore non admodum vehementi & mordaci. Eryſipelaceus, fit ab ichore ſanguinis,a bile pallida flaua,æruginoſa. Si ab ichore ſanguinis, ſigna aderunt copioſi ſanguinis in toto redundantis: & cum ichor ſanguinis accedat ad naturam bilis; indicatur e delirio ſine riſu, e deliriis moleſtis, ex oculorum rubedine tendente ad flauitiem. Si fiat a bile pallida;cognoſcitur e delirio ſine riſu, e vigiliis adhuc magis aſſiduis, ex oculorum rubedine remiſſa,& vergente ad flauitiem ſatis remiſſam, præterea e calore acri. Si fiat a flaua bile;omnia ſunt deteriora, & oculi ſunt flaui, caliditas eſt admodum acris in capite, adſunt ſigna flauæ bilis in toto exſuperantis.Si fiat a bile æruginoſa;tunc omnia ſymptomata adhuc ſunt deteriora, delirium nequaquam cum C
riſu,& ægrotantes ſunt propenſi ad percutiendum, vigiliæ ſunt pertinaciſſimæ, oculorum color flauus, cum obſcuritate, & calor acerrimus, delirium eſt ferinum, &, ſi ſunt acceſſiones,inuadunt de quarto in quartum.

De Indicationibus.

Indicationes. INdicationes ſumuntur a Virtute, & Rebus præter naturam. Virtus totius languens, indicat alimentum,cuius beneficio cuſtoditur quantitas & qualitas partium viuentium, & ſpiritus. Virtus partium capitis, capitalia requirit. Res præter naturam, pertinent vel ad Caput, vel ad ea quæ ſunt Infra caput. Quæ pertinent ad caput,ſunt Dyſcraſia cerebri calida cum materia, & Tumor calidus meningum. Omittimus cauſſas fluxionis. Si enim fluxio fiat per attractionem, & primum propter dolorem; in phrenitide non habet locum,quia mens ægrotat; ſi fiat attractio propter calorem, hic corrigitur vt intemperies calida.Si fluxio fiat per receptionem,vt per vnitatem,& humiditatem,hæc vitia coniunguntur reprimentibus & aſtringentibus, & ſiccantibus. Quare ratione capitis indicatio deſumitur, ab intemperie cal.cum materia,& a tumore calido.Quoad res præter naturam,infra caput exſiſtentes, vel ſunt Contenta,vel Continentia. Contenta, vt materiæ morbificæ:continentia,vt febris,quæ ſemper pertinet ad putredinem & quandoque eſt intemperies calida iecoris. D

Dyſcraſia calida. Ab his ergo indicationes ſunt deſumendæ.Intemperies calida indicat refrigerantia:ſi ſicca,etiam humectantia;ſi humida,ſiccantia.In omni quidem phrenitide eſt refrigerandum, magis tamen vbi dyſcraſia eſt calida & ſicca: vnde in phrenitide eryſipelacea magis refrigerandum,quam in ſanguinea.Hinc Galenus cap.8.lib.13.meth.ait, in eryſipelate magis refrigerantia,in inflammatione magis euacuãtia indicari. Notandum obiter,intemperiem, quatenus vt morboſa conſideratur,eſſe indicans curatorium:at ſi capiatur intemperies,verbi gratia,meningum,vti cauſſa eſt intemperiei cerebri,indicatio ſtatui poteſt præſeruatoria.Hæc intemperies indicat. E

Materia morbifica. Quoad materiam; tam ea quæ tumoris eſt cauſſa, quam quæ coniuncta eſt cum intemperie calida in ſubſtantia cerebri,eſt indicans curatorium:eæ enim materiæ ſunt cauſſæ continentes ex vſu: remota enim materia,quæ tumorem meningum efficit, remouetur etiam tumor:idem dicendum de materia, quæ fouet cerebri dyſcraſiam. Materiæ igitur varia ſpecies, indicat remedia determinata, verbi gratia,ſanguis,vt eſt ſpecies huius materiæ,indicat remedium,quod dirigitur ad ſanguinem, id eſt, ad hanc ſpeciem tumoris,&c. Item pro vario vitio ſpecierum, varia etiam indicantur præſidia; prout vitium eſt in ſubſtantia, quantitate,qualitate,& vbi.Si vitium eſt in ſubſtantia, id eſt, ſi materia feruens computruit, quod ſemper fit; indicatur præſidium e toto euacuans,ſeu eradicans:modo magis,modo minus,pro materiæ copia. Eradicatio enim F
materiæ in tumoribus, ſecundum Galenum cap.9.lib.13. meth.fit vel per Translationem a capite ad alias partes:vel per Expulſionem extra corpus. Translatio fit per Impulſionem, vel Attractionem. Impulſio fit,dum partes repletæ materiam expellunt,ope reprimentium. Attractio fit,dum partes ſanæ attrahunt a læſa parte,ope caloris & doloris.Expulſio extra corpus, fit per effluxus Senſibiles, vel Inſenſibiles. Effluxus ſenſibilis fit,vel per meatus capitis, tumore affectos, vel per meatus partium vicinarum,quarum, dum meatus aperiuntur, etiam aperiuntur meatus partis affectæ: & hæc vacuatio fit per modum deriuationis.Effluxus inſenſilis,fit per poros cutis capitis,quæ vacuatio dicitur reſolutio, diſcuſſio & relaxatio. Hi ergo ſunt modi eradicationis materiæ, tum fluxilis, tum impactæ : fluxilis enim cedit remediis repellentibus,attrahentibus etiam ad partes ſanas, & euacuantibus per meatus ſenſibiles; impacta tantum cedit digerentibus. G

Reprimens non eſſe indicatum. Vnde obiter contra nonnullos notandum,reprimens non eſſe indicatum, quia reſpicit materiam & fluentem,& fluxam:quæ cum duo ſint indicantia,non poſſunt vnum indicare. Quod autem reprimens dirigatur ad materiam fluentem & fluxuam,colligitur cap.17.l.14.meth. vbi aſſeritur, quod in generatione vlceris,dum materia fluit, reprimentibus in maiori copia vti debeamus,quam dum materia non fluit.Quod etiam colligitur e c.16.l.13.meth.cap.5.lib.11.meth.cap.2.lib.de tum.præter naturam. Verum dubitare quis poſſet,cur digerentia & reprimentia,non indicata, ſed modi vacuationis,ſeu eradicationis dicantur:cum tamen methodus docere videatur,materiam impactam eſſe digerẽdam, fluentem & fluxam

A fluxam, ſed nondum impactam, eſſe reprimendam: id quod methodus per indicationes docere videtur. Reſpondendum: hanc doctrinam pertinere nõ ad methodum medendi, ſed ad methodum medicamentorum, quæ nos docet, eam eſſe vim in medicamentis reprimentibus, vt vacuent materiam tam fluentem, quam fluxam, ſed nondum impactam; medicamentorum etiam methodus docet, digerentia non obtinere facultatem, vt vacuent materiam impactam. Hactenus de indicationibus, quæ ſumuntur a rebus præter naturam, in capite exſiſtentibus. Res præter naturam, quæ ſunt infra caput, ſunt Contenta, vel Continentia. Contenta vt varia ſunt ſpecie, ita etiam determinata indicant remedia. Contentorum autem vitia in phrenitide, ad quæ indicationes diriguntur, pertinent ad Formam, Quantitatem, Qualitatem, & Motum: ad formam, quia materia putreſcit: ad copiam, quia fieri vix poteſt, vt in corpore non peccet, humor

Contenta.

B vel principalis, vel non principalis: ad qualitatem, quia contenta ſunt calidiora, & adhuc calidiora redduntur, ratione febris: ad motum: nam materia infra caput exſiſtens, caput petit. Hinc oriuntur indicationes: nam materia putrida eſt eradicanda, copioſa minuenda, calidior refrigeranda, & quæ mouetur retrahenda. Retractio fit per impulſionem, vel per attractionem a capite infra caput, vel per interceptionem. Retrahens enim eſt indicatum, quod indicatur a motu vitioſo materiæ morbificæ: impulſio, attractio, interceptio, non ſunt indicata, ſed ſunt modi retractionis. Impulſio, ſeu repercuſſio, eſt modus retractionis, quo materia habens impetum in caput in phrenitide, retrahitur, vt acquirat motum deorſum: & ſic repercuſſio, ratione materiæ fluentis, eſt modus retractionis: interim tamen ratione materiæ fluxæ, eſt modus euacuationis. Attractio, eſt modus retractionis, ad partes inferiores, a capite: attractionis autem modus eſt duplex, deriuatio, & reuulſio: deriuatio dicitur, dum fit attractio ad partem loco affecto

Retractionis modi.

C vicinam: reuulſio dicitur, dum fit attractio ad partes remotas. cap. 6. & cap. 11. lib. 13. meth. & hæc reuulſio ſpectat materiam fluentem tantum, deriuatio reſpicit & fluentem proximam, & fluxam, ſed non impactam, cap. 2. lib. 2. ad Glauc. Interceptio eſt, qua materia retrahitur, ſed citra impulſionem, & citra attractionem a parte affecta: ſi enim quis, verbi gratia, frigida abluat os, fit retractio materiæ, quæ caput petit; citra tamen impulſionem & attractionem. Hæc de indicationibus Contentorum. Continentia in phrenitide ſunt partes ſimilares corporis totius, ratione febris: & præterea ratione iecinoris, eſt intemperies calidior: vnde oritur indicatio refrigerandi & humectandi totum corpus, ſicut & iecur; præterquam in phrenitide ſanguinea, in qua iecur refrigerandum & exſiccandum eſt, cum ob caliditatem & humiditatem, copioſum generet ſanguinem.

Continentia.

D

De Præſagiis.

ARs prognoſticandi in duobus poſita eſt: primum, vt prænoſcamus, an victoria ſit futura, vel e parte morbi, vel e parte virtutis: ſecundo, vt prænoſcamus, num victoria cito vel tarde ſit futura. Num victoria ſit futura e parte morbi, vel virtutis, cognoſcitur e vehementia rerum præter naturam, & virtutis. Virtus poſtulat diſcurſum generalem, de quo in præſentia non eſt agendum. In rebus præter naturam, perpendenda eſt vehementia triplex; eſſentiæ, dignitatis, & facultatis, idque & ſecundum morbum in genere, & ſecundum differentias. Num autem victoria cito vel tarde ſit futura, cognoſcere oportet e motu morbi tardo, vel veloci, in quam ſententiam Galenus c. 4. l. 3. de criſibus ait, in morbis conſiderari debere, ſpeciem, vehementiam, mores, & motum: quibus verbis auctor reſpicit, tum ad victoriam futuram, tum ad victoriæ tempus. Hanc prognoſticandi artem iam applicabimus phrenitidi.

Artis prognoſticæ duo capita. 1. 2.

E Phrenitis ergo eſt vitium admodum periculoſum, vt paſſim l. 1. prorhet. docetur, nulla enim inſignis vehementia deſideratur. Eſſentiæ enim vehementia inſignis eſt; quia eſt inſignis receſſus a naturali ſtatu, ſecundum cauſſas, morbos, & ſymptomata: Capitis intemperies calida eſt admodum vehemens, febris eſt aſſidua, cauſſa etiam huius vehementiæ eſt inſignis, materia enim eſt putrida & acris: ſymptomata quoque ſunt vehementia: nam functiones principales corrumpuntur, vigiliæ ſunt inſignes. Vehementia dignitatis a. eſt maxima: nam intemperies propria ratione eſt vehemens, ratione dignitatis; quæ vehementia intenditur, quod in phrenitide occupatur cerebrum, cruciantur membranæ, offenditur totum corpus. Vehementia tandem ratione facultatis eſt inſignis in phrenitide: nam pulſus in hac vt plurimum ſunt parui, vnde vitalis facultas debilis arguitur, c. 14. l. 4. de cauſ. pulſ. c. 14. l. 1. ad Glauc. Phrenitis ergo vt plurimum

Generale præſagium, de magnitudine huius affectus.

F eſt mortalis, non tamen perpetuo, com. 73. ſect. 2. l. 1. epid. vnde & Alexander gloriatur, ſe aliquos liberaſſe. Hæc de prognoſtico in genere.

Iam de prognoſticis differentiarum: cuius generis varia a Galeno proponuntur, l. 1. prorhet. a com. 1. vſq; ad com 33. & l. 1. epid. 2. 73 & l 3. epid. 3. 75. & aph. 72. ſect. 4. & aphor. 12. ſect 7. Verſabimur autem circa differẽtias, quæ ſumuntur a forma, & a cauſſa efficiente: differentias a ſubiecto omittemus: nam dum perpendimus vehementiam dignitatis differentiarum, quæ ſumuntur a forma & efficiente, patet etiam vehementia differentiarum a ſubiecto. In differentiis a forma inſignis eſt vehementia ſecundum eſſentiam, ſi delirium eſt multum. Inſignis etiam vehementia ratione dignitatis, ſi lædatur & imaginatio & ratio: minor eſt vehementia, ſi ſola ratio lædatur: adhuc minor, ſi ſola imaginatio: vtriſque enim læſis cerebrum afficitur ſecundum partem anteriorem & mediam, vna læſa, ſecundum vnam tantum. Omittitur vehe-

Differentiarum prognoſtica.

Prognoſtica differentiarum a forma.

G mentia facultatis, quia hæc a cauſſa efficiente potiſſimum dependet.

Quoad differentias, quæ ſumuntur a cauſſa efficiente: perpendere oportet vehementiam intemperiei & materiæ Quantum ad intemperiem: vehementia eſſentiæ eſt inſignis, quia maximus receſſus a naturali ſtatu, & intemperies in ſummo gradu, vnde aſſiduæ ſunt vigiliæ: eſt etiam vehementia ſecundum eſſentiã, dum intemperies eſt in habitu, ad differentiã intemperiei, quæ eſt in habitudine: vnde Galenus dixit, in fine l. 12. meth. dum cõuulſio ſuccedit phrenitidi exitiali, actum eſſe: hæc. n. phrenitis habet intemperiem in habitu. Ratione dignitatis vehementia eſt inſignis, dum intemperies eſt æqualis, quæ occupat

Prognoſtica differentiarum a cauſſa efficiente.

1 Ab intemperie.

omnes cerebri partes. comm.33. lib.1. prorhet. vnde si intemperies in phrenitide est æqualis & in habitu, mors est prædicenda. A Ratione facultatis vehementia est insignis, si symptomata sunt vehementiora vt si motus voluntarius fiat debilis; si phrenitici admodum debiliter se moueant; si vox amittatur; si pulsus debilis: si aluus affatim excernat. cap. 14. lib.1. ad Glaucon. (non enim sumitur prognosticum a voce amissa,&c.sed hæc tantum sunt signa, quæ patefaciunt vehementiam insignem ratione facultatis.) Quoad materiam: in hac considerantur species, & vitium. Quoad speciem: si phrenitis fiat a sanguine, vehementia erit remissa: si ab ichore, intensior: si a bile flaua, adhuc intensior: ab æruginosa, adhuc intensior, si ab atra, intensissima. cap.7.lib.3.de loc. aff. atra enim bilis maxime a naturali statu recedit: at non prorsus desperandum: nam Alexander fatetur, se liberasse phreniticum ex atra bile. Vitium materiæ pertinet ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi. B Prout igitur materia magis erit putrida, copiosa, calida, & prout ea quæ fluit, maiori cum impetu caput petit, quę autem fluxit prout magis quiescit: pro eo maior est vehementia secundum essentiam. Hinc febris, verbi gratia, in phrenitide, quo vehementior, eo vehementius materiæ vitium significat, secundum essentiam substantiæ, quantitatis, qualitatis: in febre enim vehementiore, materia magis est putrida, copiosa, calida. Adhæc si extensio obseruetur in cerebro, vt contingere solet in phrenitide hectica: insignis est recessus secundum copiam, vt phrenitis sit statuenda lethalis. Quod si materiæ vitium est vehemens secundum essentiam; ita lædi solet cerebrum, vt & ventriculus compatiatur, vomitusque fiat: qua de caussa, comm.10.lib.1.prorhet.scribitur; vomitum in phrenitide pessimum esse, si fiat citra læsionem ventriculi. Facit quoque ad essentiæ vehementiam, aphoris.72. sect.4. vrina enim alba & perspicua in phrenitide, significat magnam cruditatem, & insignem vehementiam materiæ, vt etiam facultas naturalis compatiatur: C præterea hæc vrina significat flauam bilem in caput rapi, ideoque materiam esse vehementem secundum motum. Hæc de vehementia materiæ secundum essentiam. Ratione dignitatis, insignior est materiæ vehementia, quatenus materia occupat plures capitis partes. Ratione facultatis, materiæ vehementia est maior, vt eius vis est vehementior. Si ergo rigor in phrenitide sit criticus, manifeste indicat remissiorem vehementiam ratione facultatis, vt per sudorem liberetur phreniticus, & tunc sunt signa coctionis: contra indicatur insignis vehementia facultatis, si rigor sit symptomaticus, com.13.l.1.prorhet. si etiam sudor sit frigidus, & extrema frigida, com.75.sect.5. epid. nam hæc symptomata significant vehemētiam facultatis in materia morbifica admodum insignem, quia calor vna cum spiritu cor petit, & externa derelinquit. Adest etiam insignis vehementia ratione facultatis, dum phrenitis succedit inflammationi pulmonis, comm.aphor.12.sect.7. nisi enim cerebri facultas esset imbecillis, non admitteret materiam morbificam. D Ex his ergo patet, phrenitidem vt plurimum esse lethalem, raro salubrem.

Quando salus, aut mors sit futura.

Num autem cito sit futura mors vel salus, prædici potest e motu morbi. Phrenitis enim vt plurimum velocis est motus, nec septimum pertransit, sed in sexto etiam intermittit. Quod si autem phrenitis non sit exacte exquisita; non est ita celeris motus, sed terminatur 11.12. vel etiam 20. com.75.sect.2.lib.1. epid. Maximę autem motus velocioris aut tardioris signum esse solet febris: ardens enim est signum motus velocioris; non ardens, non ita velocis.

De Curatione.

Curatio. Venæsectio commune remedium, omnium specierum φρενίτιδος, secundum Auicennā.

DE prognosticis hactenus egimus. Sequuntur remediorum materiæ. Quoad cheirurgiam, in omni phrenitide vena est secanda. cap.21.lib. 3. meth. quia in omni specie phrenitidis est vitium vehemens E in sanguinę. In sanguinea quidem phrenitidę, sanguis habet rationem caussæ principalis: in biliosa & atrabilaria, habet sanguis rationem caussæ adiuuantis, vel caussæ sine qua non: nisi enim sanguis misceretur cum bile, non fieret tumor, sed exulceratio: & sic sanguis habet rationem caussæ adiuuantis. Nec repugnat Galenus cap.2.lib.2 ad Glauc. dum ait, in erysipelate non esse secandam venam; loquitur enim de erysipelate externo: at phrenitis est erysipelas internum. Sanguis etiam interdum habet rationem caussæ sine qua non: nam interdum sanguis infra caput abundat, vt sit impedimento, quo minus capiti possimus occurrere. Quoniam ergo in phrenitide sanguinea, sanguis habet rationem caussæ principalis: merito in hac specie maior sanguinis copia est educenda, quia tunc quoque maior ipsius copia in toto abundat. Considerandum autem num virtus venæ sectionem permittat: proinde in hectica phrenitide, non est vena secanda: F in tumultuosa licet secare, nisi hæc aliis morbis successerit: nam virtus est debilis; propterea in tumultuosa incipiente, vena aperiatur. Si igitur virtus prohibeat phlebotomiam, huius loco vicaria vsurpanda, de quibus in doctrina de dolore capitis egimus. *Vsus. Quantum?* Cum summa sit sanguinis actio, sanguis vnica vice est euacuandus: vnde Auicennas ad animi defectum euacuabat, in sanguinea tantum, non in biliosa. *Quomodo?* in biliosa phrenitide, foramen angustius, in atrabilaria latius esse debet, in sanguinea mediocre, quia sanguis in tenuitate medio modo se habet. *Quando?* Si sanguis vincit alia indicantia, statim eadem hora vena secanda. cap.21.lib.13.meth. Et Rhases aperit venam, antequam symptomata phrenitidis complicentur, id est, antequam materia copiosa in caput fluat. Præterea statim vena secanda, quia cito virtus succumbit. Galenus cap.14.lib.4.de caus. puls. ait, rarissime pulsum esse magnum in phrenitide, vt plurimum paruum, scilicet respectu ad maximum, ideo statim tundenda vena. Et hinc Auicennas primum secat venam, deinde clysmo vtitur. G Ceterum, si plures in phrenitide venæ sint secandæ: primum est secanda vena, ratione sanguinis exsistentis infra caput; secundo, ratione sanguinis in capite: quamprimum vena cubiti, deinde frontis: ratio est, quia magis potest sanguis infra caput; si enim primum vena frontis secetur, sanguis infra exsistens, caput petens, magis repleret. *Vbi?* Auicennas secat cephalicam, per quam & caput & totum vacuatur, magis, quam per basilicam & communem. Monent Auicennas & Alexander si non sit possibile, habere manus phrenitici, secandam esse venam in fronte, vt sanguis e capite

Recta administratio venæsectionis.

Cautiones.

A capite vacuetur: id quod intelligendum de phrenitide biliosa & atrabilaria, in qua non est copiosus, in toto sanguis, & ægri sunt admodum inobedientes: at in sanguinea hoc præceptum nequaquam habet locum, quia sanguis copiosior facit delirium mitius, vt ægri brachia porrigant, possimusque cephalicam aperire. Addit etiam Auicennas si virtus non permittat, vt vena brachii secetur; aperiendam esse frontis venam, e qua, vtpote minore, sanguis in minore copia effluit, vnde minor iactura & dissipatio spirituum. Hoc documentum non solum in phrenitide, sed in quolibet etiam morbo longo seruandum, vt, si vires non sint admodum robustæ, tutius sit minores venas aperire. Non ergo sunt reprehendendi practici, qui in diuturnis morbis secant saluatellam.

Cucurbitulæ.

B Quod si in sanguinea phrenitide, virtus non ferat venæsectionem: oportet cucurbitulis scarificatis vti: quæ non possunt applicari dorso, ratione dispositionis febrilis; nec applicari possunt partibus inferioribus, vt natibus & cruribus, sed cubito applicari debent: ratio est, quia dum applicantur infernis partibus, vicem gerunt venæsectionis, potissimũ basilicæ; at si brachiis applicentur in summitate, vicem gerunt sectionis venæ cephalicæ: Et propterea, cum in phrenitide sit aperienda cephalica, per quã etiam caput euacuatur; ideo dum nõ possumus aperire cephalicam, cucurbitulas brachiis applicare debemus. Possunt etiam cucurbitulæ scarificatæ prodesse, propter materiã impactã. In vsu quædam notãda sunt circa tempus, & locũ: reliqua.n. patent, e doctrina de dolore capitis. Quoad tẽpus: cucurbitulæ scarificatæ, quæ administrantur ꝓpter materiam impactã, debent adhiberi post totius corporis euacuationẽ, & post euacuationẽ materiæ existentis in capite, sed nondum impactæ. Gal. enim c.21.l.13.meth. ait: in phrenitide cucurbitula

Recta administratio cucurbitularum.

C capiti admota, & scarificata, quandoq; reuocauit phreniticũ a morte. Miror equidẽ his temporib. præceptum hoc non vsurpari: ideoque hortor vos, vt vrgente necessitate, id est, in pertinaci phrenitide, hanc cucurbitulam vsurpetis, sicut & nos aliquando vsi sumus. Quoad locum, adhiberi debet suturæ coronali: oportetque magnam esse cucurbitulam.

NB.

In phrenitide probantur medicamenta, proposita in dolore capitis, ab intemperie calida cum materia: addemus saltem quædam notatu digna Circa medicamenta igitur gratia totius, id est, circa soluentia, duo sunt explicanda: primũ, an in phrenitide sint vsurpanda: deinde, quo tempore sint vsurpanda. Num vsurpanda sint, dubitatur: Auic. enim improbat soluentia medicamenta quia nimiũ calefaciunt. Et tamen idẽ Auic. proponit *scammonium*. Pro solutione dicendũ, Auicennam improbare scammoniũ, quando virtus non ferat; admittere autem si virtus possit sustinere. Vtitur autem Auic. scammonio non sincero, neque

Materia medicinalis.

Num soluentia locũ habeant in phrenitide.

D etiam misto cum aliis soluentib. sed cum lubricantibus, & his quidem frigidis: vnde probat lubricantia, quæ sanguinis feruorẽ exstinguunt, vt sunt, *serum lactis, pruna tamarindi, cassia, manna*: quæ medicamenta in sero sunt dissoluenda. Notandum igitur soluentia cum lenientib. duob. modis posse misceri: primo vt electiue educant: secundo, vt instar stimuli & calcarium, adiuuent facultatem lenientium. Si primo modo vsurpentur lenientia, oportet vt in minima dosi exhibeantur. v g. ℞ *flor. cass. nou. extr.* ℥.x *mannæ el.* ℥ *ij. dacrydii* ℈ *v.* hæc enim minima est dosis dacrydii. Si secundo modo soluentia administrentur, vt scil. adiuuent lenientia, oportet soluentia miscere infra minimã dosin, v.g. dacrydium ad ℈ iij. Pro vi igitur materiæ biliosæ, dacrydiũ misceri debet, modo in dosi minima, modo citra hanc. Et sicut Auic. miscet scammonium seu dacrydiũ: ita nos possumus miscere, *elect. de succo rosf. diaprun. solut. cum scammo. & multo magis rhab.* Quod si phrenitis sit atrabilaria, possumus miscere *senam, polypodium, epithymum, imo etiam helle-*

E *borum nigrum.* Secundo explicandum, quando soluentia sint exhibenda? Videtur Auic. & ante, & post concoctionem soluentia probare. Sed sciendum, Quando agendum sumi ab indicante præsente, vincente alia indicantia: ideoque si contingit, vt bilis admodum vehementer, & insigni impetu moueatur in caput, magis potest ad indicandum, quam cruditas ad prohibendum; imo magis potest, quam materia turgens. Quare tunc ante coctionem in phrenitide soluentia sunt exhibenda. Si autem bilis non sit tantæ vehementiæ: propinanda sunt soluentia post concoctionem.

Quando vtendũ purgantibus in phrenitide.

Hæc de medicamentis ratione totius. Quoad medicamenta ratione capitis: hæc euacuant caput per meatus vel sensibiles, vel insensibiles. Vacuantia per meatus sensibiles, id est, per os, per nares, probantur citra masticationem: nam phreniticus non obtemperat. c.21.l.13.meth. Vnde Galenus vngebat palatum, medicamentis propositis in dolore capitis. Licet etiam euacuare per nares sternutatoriis, vt autem hæc ef-

Caput per os & nares purgantia.

F ficacius operentur, ante sternutatoria parabitur euaporatio, seu suffumigium, cum *thymo, pulegio, origano, coctis in aceto*: si.n. per nares fiat euaporatio in caput, materia præparabitur, vt prompte sternutatoriis cedat.

Vacuantia per meatus insensibiles, euacuant per modũ vel repercussionis, vel digestionis, prout materia vel impacta est, vel non impacta. Quoad reprimentia, Gal. c.21.l.13.meth. probat oxyrhodinũ. Sed cum phrenitis sit multiplex: ideo in sanguinea phrenitide: ℞ *ole.rosf.completi, ole.rosati omphiac. ana* ℥ j.ß. *Misf.* Si phrenitis producatur vel a bile pallida, vel ab ichore sanguinis, ita parabitur reprimens: ℞ *ol. omphac.* ℥ ij. *ol.rosf.compl.* ℥ j. *aceti* ʒ iij. *Misf.* hic minor est quantitas ol.rosf.compl. & aceti, quia hæc phrenitis est calidior, quam superior. Si fiat a bile flaua. ℞ *ol.rosf.omphac.* ℥ iij. *aceti* ʒ ij. *Misf.* non miscetur ol.rosf.compl quoniam hæc phrenitis est calidior. Si phrenitis fiat a bile æruginosa: ℞ *ol.rosf.omphac.* ℥ ij.ß. *ol.violarum* ℥.ß. *succi lact.* ʒ *ij. acidi citri* ℥ *ß. Misf.* Postremo in calidissima phrenitide, quæ fit ab atra bile: ℞ *ol.rosf.omphac.* ℥ *ij. olei ne-*

Topica.

1. Repercutientia: vide præcedens caput.

G *naph.* ʒ *vj. succi lactuc.* ℥ *ß. accidi citri* ℥ *ß. Misf.* Quoad digerentia: primũ applicanda sunt minus vehementia, deinde ascendendum ad vehementiora. c.21.l.13 meth. Minus vehementia sunt, *ol.anethinum, chamæmelin. columbæ viuentes dissectæ omenta animalium, melilotus, mucilago sem.lini*: vehementiora sunt, *origanum, puleg. thym. ruta, mentha. stœchas, hyssopatus, castorium, synapi.* Digerens igitur mite, erit tale: ℞ *ol.chamæm. aneth. ana* ℥ *j.ß. mucilag. sem lini* ℥ *j. aceti* ℥ *iij. Misf.* Mediocre erit: ℞ *ol.rutacei, lil.alb.cum aromatibus, ana* ʒ *ij. orig puleg. stœchad. ana P.ß. vini generosi* ℥ *iij. fiat decoctio in duplici vase, ad consumt. tertiæ partis vini. deinde cola, & vtere.* Vehemens erit: ℞ *pulu. dictamni Cret. colocinth. castorii, sinap. ana* ʒ *j. olei de costo, de euphorb. ana* ℥ *ß. ol.lil.alb.cum aromatibus* ℥ *j.ß. Misc.*

2. Digerẽtia.

Vſus medicamento͞u topicorum in phrenitide.

Vſus horum medicamentorum,patet e ſermone de dol.cap.Vnum monebimus circa Quando agen- A
dum,in omni inflammatione obſeruandum.In principio enim phlegmones, probantur refrigerantia &
aſtringentia : in incremento tepida, & mediocriter aſtringentia:in ſtatu moderate cal facientia & laxan-
tia:in declinatione,calefacientia,& valenter diſcutientia.c.16.l.3. ſimp.Ratio talis eſt:Quando agendum,
ſumitur ab indi. ãte præſente,dum vincit alia indicantia. Quoniam igitur materia morbifica in principio
magis poteſt, quatenus mouetur; igitur in principio opus eſt reprimentibus:In augmento materia fluxa
vincit,quatenus fluxit, ſed nondũ impacta eſt;vnde cedit moderate reprimentibus & digerẽtibus: In ſta-
tu vincit materia impacta; igitur ſolis digerentibus tunc vtendum : In declinatione maxime impacta eſt
materia;proinde applicanda ſunt valenter diſcutientia. Sicuti igitur probantur reprimentia in principio B
& augmento,ſed valentiora in principio : ita digerentia applicabuntur in ſtatu & declinatione,ſed valen-
tiora in declinatione. Reprimentia valentiora ſunt, *oleum roſatum omphacinum, &c.* non ita potens eſt,
oleum roſatum completum. Quoad digerentia,in augmento probantur tepida,id eſt, remiſſe ſcalida,in vigo-
re,moderate calefacientia & laxantia, id eſt, quæ moderata ſint, & ſecundum caliditatem,& tenuitatem
partium:tandem in declinatione,adhibentur calefacientia,& vehementer diſcutientia, id eſt, quæ vehe-
mentia ſunt,& ſecundum caliditatem & tenuitatem. Notandum vero,in phrenitide probari admodum
valentia,& valentiora,quam indicet materia morbifica;nam materia morbifica eſt intra craniũ:vnde Ga-
len.c.18.l.11.meth.in inflammatione intra cranium probat *caſtorium*, quamuis ſit calidius, quam conue-
niat materiæ phlegmonen producenti:& hoc fit quia vis medicamenti in tranſitu frangitur.

Diæta. Aer. Cibus tenuis.

Quoad diætam, Auicennas probat aerem purum & frigidum,ſine picturis:quoniam in phrenitide C
mens & ſpiritus plus iuſto agitantur. Cibi debent eſſe contrarii materiæ morbificæ, præſertim ſecundum
vitium in quantitate & qualitate.Quoad vitium materiæ in quanto,probatur victus minuens, prout ma-
teria copioſa caput petens, maioris eſt actiuitatis : quia ergo in ſtatu phrenitidis ſumma eſt actiuitas;ideo
tunc victu tenuiſſimo vti oportet. Actiuitas e motu morbi cognoſcitur: proinde cum in phrenitide mo-
tus ſit velox,victus tenuis requiritur. Si phrenitidis terminus futurus eſt in quarto die, opus eſt victu te-
nuiſſimo:ſi quartum excedet,minus tenui vtendum.Notandum,ſi inflammatio teneat ventriculum, aut
iecur,probari victum magis tenuem, quam in inflammatione aliarum partium, & quam in phrenitide:
nam in ventriculo & iecore,alimentum pro toto corpore concoquitur, vt metus ſit,ne alimentum male

Cibus refrig.

concoctum inflammationem augeat.c.17.l.11.meth.Quoad vitium materiæ in qualitate : probatur victus
refrigerans in phrenitide,modo magis,modo minus. Vnde in phrenitide ſanguinea, cibi ſunt parandi D
cum *endiuia,acetoſa,ſem.mal.hordeo.* In bilioſa addere oportet *lactucam.* Et ſi a bile æruginoſa vel atra fiat,

Potus.

addantur in cibis, *emulſio ſeminum melon.papau.albi,nymphæa, &c.* Quoad potum in phrenitide,ſit aqua
vel ſimplex,vel hordeacea,vel alterata cum *acetoſa & endiuia.* Quoad modum, Alexander probat tepi-
dam,nõ actu frigidam potionem:quamuis enim potio actu frigida,feruorem mitigare videatur, inflam-
mationem tamen reddit crudiorem, & hac ratione magis eam accendit, vnde & febris & delirium auge-
tur. Vinum Alexander probat pauciferum,dilutum:vinum enim phreniticorum ferocitatem mitigat, &
ferinos mores ad hilaritatem transfert vinum etiam ſomnum conciliat,coctionem & diſtributionem iu-
uat, vires reficit,ſi modo recte vſurpetur. *Vſus.* Vnde cum Alex.in parua copia vino vti oportet, & tempo-
re oportuno,id eſt.dum magis vinum indicatur,quam prohibetur : indicatur autem vinum a virtute im-
becilli,cuius imbecillitatis ſignum ſunt multæ vigiliæ,cum pulſu debili,leipothymia, oris ventriculi im- E
becillitas,corporis frigiditas,vini conſuetudo. Ceterum videndum,num quod virtus poſtulat,res præter
naturam permittant:id quod faciunt,febis remiſſa,calor præcordiorum debilis, materia concocta: ideo-
que,cum materia in ſeptimo concoquatur rationabiliter, Auicennas poſt ſeptimũ, non ante, pauxillum

Ceteræ res non naturales.

vini admittit. Somnus etiam eſt conciliandus. Aluus quotidie ſit lubrica. Arceatur omnis motus,& vr-
gente neceſſitate, etiam ligetur æger, ſed citra vnitatis ſolutionem : nam hæc eſſet materia cheirurgica,
non diætetica. Quoad animi accidentia, Alexander probat ad reuocandum mentem,vt pauci amici aſſi-
deant,prudentes,gratia & venerabiles ægro.

Capvt X.

De Lethargo.

Nomen.

LEthargus conuenit cum phrenitide, quatenus eſt malum inflammatorium : conuenit etiam cum ce- F
phalalgia a pituita,quatenus producitur a ſanguine pituitoſo. Vocatur lethargus & veternus. Loqui-
mur autem de Lethargo exquiſito,in quo omnes pene animæ functiones,potiſſ.memoria, veluti aboleri

Generatio.

videntur;& ad differentiam ſpurii lethargi,malum eſt inflammatorium, ac proinde febris particeps. Vt
autem generetur lethargus,neceſſarium eſt,ſanguinem pituitoſum ita caput petere, vt cerebrum inflam-

Definitio.

metur & ſubſequatur febris, omniſq; functio animalis fere deficiat Definitur lethargus exquiſitus,quod
ſit functio deficiens principalis cerebri,dependens ab inflammatione pituitoſa. Pro cuius definitionis
intelligentia, legatur Gal.com.1.ſect.1.prorhet.com.aph.3.ſect.2.com.aph.30 ſect.3 c.5 l.3.de loc.aff.c.3.l.
de ſymp.diff.c.3.l.quod animi mores, &c. c.8.l.4.de præſag.e pulſ.c.13.& 14.l.4. de cauſ.pulſ.c.21.l.13.meth.

Forma. Subiectum.

Forma eſt functio deficiens principalis.Si enim formaliter accipiatur lethargus, eſt ſymptoma,in genere
actionis(principalis)imminutæ.Subiectum eſt cerebrum,ad differẽtiam functionum principalium alio- G
rum viſcerum:vnde admodũ imminuitur imaginatio,diſcurſus,memoria.Qua de cauſſa Galen.c 5.l.3.de
loc.aff. ait,in lethargo memoriã & rationem perire:& c.3.l.de diff.ſym.dicit,imaginationẽ veluti deficere.

Cauſſa efficiens. Inflammatio eſt in lethargo.

Cauſſa efficiens,a qua lethargus dependet, eſt inflammatio pituitoſa: qua lethargus verus a notho
diſtinguitur:qui fieri poteſt a vaporibus pituitoſis,prodeũtibus a febre pituitoſa principali, non ſympto-
matica. Præterea ſpurius lethargus fieri poteſt a pituita copioſiore, quæ vel in capite detinetur ob angu-
ſtiam,vel generatur ob frigiditatem.At exquiſitus lethargus fit ab inflammatione,quam neceſſario ſequi-
tur

A tur febris: quæ tamen non accidit in mania, in morbo bilioſo, quia in eo non fit inflammatio. Nec ſufficit ad febrim excitandam, vt materia putreſcat: nam in dolore capitis a pituita, excernitur quandoque putrida pituita, non tamen eſt febris, quia non eſt inflammatio. Adhæc lethargus ſecundum ſpeciem contrarius quodammodo eſt phrenitidi, cap.21.lib.13.method. genere ergo cum phrenitide conueniat oportet: ideoque vtrumque vitium eſt inflammatorium. Dixit autem Galenus, quodammodo hæc eſſe contraria ſecundum ſpeciem: nam vtrumque vitium eſt calidum, quia inflammatorium: at phrenitis eſt inflammatio vehementer calida; lethargus autem eſt inflammatio admodum remiſſe calida. Nec his repugnat Galenus, dum 11.ſimpl.c.de caſtorio ſcribit, in lethargo, ſi abſit febris, probari caſtorium: de notho enim lethargo ibi loquitur.
B Sed notandum, inflammationem lethargicam differre a phrenitica, & materia, & loco. Materia enim in phrenitide eſt admodum calida, in lethargo eſt exiguæ caliditatis. Et in hac materia vitiũ eſſe poteſt in ſubſtantia, quantitate, qualitate, & vbi: in ſubſtantia: nam in lethargo materia pituitoſa putreſcit: in quantitate: nam fit morbus in magnitudine aucta: in qualitate: nam ſanguis pituitoſus eſt aliquãtiſper calidus, craſſus, viſcidus: eſt etiam vitium ſecundum motum, vt fluit in caput: ſecundum quietem, vt in cerebro hæret. Loco etiam lethargus diſtat a phrenitide: in hac enim membranæ inflammantur, in lethargo cerebri ſubſtãtia c.13.& 14.l.4.de cauſ.pulſ.com.aph.30.ſect.3.com.1.l.1.prorhet. Materia quidem in cerebro reſidet, non autem in ventriculis, ſed in poris cerebri, ſecundum Auicennam. Diſcrimen lethargi & phrenitidis. 1.In materia. 2.in loco affecto.

Lethargus ergo auctore Auicenna, fit a cauſſa & Refrigerante, & Calefaciente. A refrigerante, vt dum generatur pituita; de qua cauſſa alibi diximus. A calefaciente, vt dum cauſſa agit in ſanguinẽ pituitoſum, hunc putrefaciendo.
C Cauſſa autem illa calefaciens, vel per Se calefacit, vel per Accidẽs. Per ſe, vt dum poſt generationem ſanguinis pituitoſi, calefit ſanguis, vt ſunt cæpæ. Per accidens calefacit, frigus conſtipans. Cauſſarum lethargi ſubdiuiſio.

Dubitatur autem cum in lethargo vigeat ſomnus & obliuio: quomodo ab inflãmatione fieri queat? Pro ſolutione dicendum, ſomnum fieri poſſe etiam a ſola humiditate: vnde Galenus cap.8.l.4.de præſag. & pulſ. ait, coma fieri propter humidas dyſcraſias. Neque in lethargo ſomnus eſt ita profundus, vt in comate, & caro. Quoad obliuionem, & inertiam imaginationis, ſeu diſcurſus; ſcire oportet cum Galeno in arte med. cerebrum eſſe aptum, ad actiones obeundum, dum ſubſtantiam obtinet tenuem, ac ſtabilem, quæ formas facile ſuſcipit: hæc autem in lethargo deſiderantur: nam in eo cerebrum ita ſe habet, vt ſpongia, aqua repleta; vnde inſtar ſpongiæ, in tumorem attollitur: ſicut igitur ſpongia ita repleta humiditates non ſuſcipit, ita cerebrum repletum non ſuſcipit, aut vix ſuſcipit; vt imaginatio veluti deficiat. Præterea,
D vt ſpongia repleta, non ſinit humiditatem per ſuos poros penetrare: ita ſpecies permeare non poſſunt per cerebrum, vnde diſcurſus & imaginatio læduntur. Vnde in lethargo ſomnus & obliuio oriatur.

Sed quædam loca Galeni, non omnino iam dictis conſentire videntur. Nam cap.21.l.13.meth. ait lethargum fieri ab humore frigido. Reſponſio: Loquitur ibi Galenus, in reſpectu ad phrenitidem: huius enim ratione humor in lethargo eſt frigidus, non tamen abſolute eſt frigidus: eodemq; reſpectu Auicennas ait, lethargum eſſe apoſtema frigidum, cum tamen aſſit inflammatio. Ait etiam Gal.com.aph.3.ſect.2. lethargum fieri a forti refrigeratione, coniuncta cum humiditate. Dicendum quod Galenus eo in loco reſpiciat ad lethargum nothum, nõ ad exquiſitum. Porro & hoc eſt animaduertendum, quod Auicennas dicit, medicos nominare lethargum apoſtema frigidum, ſiue ſit melancholicũ, ſiue phlegmaticum. Hinc quis colligere poſſet, lethargum fieri a melancholia, quod tamen falſum eſt. Sed Auicennas, parum curans
E voces, admittit, apoſtema melancholicum poſſe nominari lethargum. Hæc de definitione. Loca quædam Galeni explicãtur.

Differentiæ a forma nullæ ſunt, niſi ſecundum magis & minus. Differentiæ a ſubiecto nullæ ſunt; ſubiectum enim ſemper eſt cerebrum, ſecundum omnes partes: niſi quis dicat, inflammationis materiam, occupare vel Cerebrum; vel Cerebrum, & membranas. Quoad differentias a cauſſa efficiente, cum inflammatio ſemper ſit pituitoſa, differentiæ tantum ſunt ſecundum magis & minus: nam inflammationis materia eſt magis vel minus putrida, copioſa, humida, craſſa, viſcida; item, magis vel minus mouetur, magis vel minus eſt impacta, magis vel minus hæret in cerebro, aut in membranis. Differentiæ.

Lethargus imminens, indicatur e ſenſu grauitatis ſecundum caput & totum corpus, ex inertia ſecundum omnes functiones, e tremore: hæc.n. ſymptomata arguunt caput repleri ſanguine pituitoſo. Præſens autem lethargus in genere indicatur, ex actione animali principe deficiente, & potiſſ. memoria: item e ſo-
F mno præter naturam, c.10.l.3.de cauſ.pulſ. at in lethargo minus eſt profundus ſomnus, quam in caro: nam in lethargo ægri interrogati reſpondent, non autem in caro; & ratio eſt, quia in lethargo pituita putreſcit, & materia eſt particeps alicuius caliditatis. Indicatur etiam e tremore, e decubitu ſupino, cum iaceant lethargici diſtentis manibus & cruribus: indicatur ex anhelitu tardo & debili: nam facultas motrix non poteſt mouere: at anhelitus non eſt inæqualis, ſicuti in affecto diaphragmate: indicatur etiam cum Galeno c.13.l.4.de cauſ.pulſ. e pulſu magno: nam fluxio irritat facultatem, ſed hic pulſus eſt remittens, non poteſt perſeuerare in magnitudine: nam facultas frangitur: indicatur e pulſu molli, quia cerebrum eſt viſcus molle: præterea indicatur e pulſu minus veloci & frequenti, quam in peripneumonia: nam cerebrum a corde magis diſtat, quã pulmo: ſed in lethargo pulſus eſt magis imbecillis, quam in peripneumonia, quia cerebrum eſt pars magis principalis. Indicatur ab excrementis pituitoſis. Et cum Auicen. e lotio quando-
G que retento propter obliuionem, & muſculi ſphincteris imbecillitatem, ob quam imbecillitatem non fit integra vrinæ excretio. Indicatur etiam e febre, quæ inflammationem ſequitur, ideoque ſecundaria eſt, cum in caro ſit principalis. c.21.l.13.meth. c.5.l.3.de loc.aff. Signa imminentis. Præſentis, in genere.

Quoad ſigna differentiarum, & primum earum, quæ a forma ſumuntur; e vehementia & remiſſione ſymptomatum cognoſcitur lethargum magis vel minus eſſe vehementem. Differentiæ e ſubiecto, cognoſcuntur e vehementia ſymptomatum. V.g. ex obliuione magis læſa, cognoſcitis potiſſ. eſſe læſum cerebrum ſecundum partem poſteriorem. Quoad differentias quę ſumuntur ab efficiente, oportet cognoſcere ſanguinem pituitoſum, ſecundum eius vitium, & Signa differentiarum.

locum. Quoad vitium, quodcunque ſit, cognoſcitur e ſignis, traditis in ſermone de dol. cap. Quoad ſedem A ſanguinis pituitoſi, ſi occupetur tantum cerebrum, prægreſſa eſt ſola grauitas; ſi etiam pertineat ad membranas, vt monet Auicennas, præceſſit dolor punctorius.

Indicationes.

Præſidia ſumuntur ab eſſentia rei, id eſt, a forma, a ſubiecto, & efficiēte. Forma eſt functio deficiens, vt prodit a facultate veluti obdormiente; Obdormit autem facultas ob cerebri affectionem morbificam. Hinc oritur indicatio exſtinguendi vehementiam affectionis morbificæ, per aliam affectionem vehementiorem, qua imminuatur prior affectio, vt mens ſopita agat. Indicationes, quæ ſumuntur a ſubiecto, id eſt, a cerebro, patent e cephalalgia. Cauſſa efficiens eſt inflammatio pituitoſa; quid indicet inflammatio, docetur in capite de Phrenitide, quid pituita poſſit indicare & ſecundum ſpeciem, & ſecundum vitium, B in ſermone de cephalalgia docuimus.

Prognoſtica.

Lethargus eſt malum ſumme periculoſum, & quidem maiori periculo iunctum, quam inflammatio pulmonis, ca. 13 l. 4. de cauſ. pulſ. Nam quoad morbum, quia eſt tumor calidus; eſt inſignis vehementiæ eſſentiæ. Cauſſa eſt ſanguis pituitoſus, putridus, copioſus, viſcidus, craſſus, impactus; quare eſt ſumma vehementia eſſentiæ. Sicut etiam ratione ſymptomatum; nam functio principalis quaſi deficit. Si perpendamus vehementiam ratione dignitatis, ea certe ſumma eſt: primum enim eſt morbus in intemperie: quare eſt vehementia, ratione dignitatis. Adhæc detinetur cerebrum, quare augetur vehementia dignitatis: augetur etiam, quia annexa eſt febris, morbus vehemens ratione dignitatis. Nec deſideratur vehementia facultatis: nam in lethargo motus voluntarius totius corporis veluti deficit. Quamuis autem lethargus ſit vitium periculoſum; non tamen eſt prorſus mortale: vnde Hippoc. l. 2. de morbis ait; lethargum interficere in ſeptimo, & ſi hunc pertranſeat, hominem ſanitati poſſe reſtitui: ſi enim in lethargo affectio protrahitur, tunc vis mali minuitur, & virtus eſt conſtans, com. aphor. 50. ſect. 7. Proinde perpendenda eſt vehementia differentiarum. Quoad formam igitur, lethargus eſt inſignis vehementiæ ſecundum eſſentiam, ſi plane abolita ſit actio. Ratione dignitatis, maior eſt vehementia, ſi inſignior eſt noxa ſecundum omnes actiones; hoc enim ſignificabit, cerebrum eſſe vehementer læſum, ſecundum omnes partes, & propterea ſummam eſſe vehementiam ratione dignitatis. Ratione facultatis, omittitur vehementia, nam pertinet ad cauſſam efficientem. Cauſſa igitur efficiens eſt ſanguis pituitoſus: & proinde inſignior vehementia erit ratione eſſentiæ, ſi vehementior erit putredo, ſi materia erit copioſior, craſſior, viſcidior, admodum impacta. Ratione dignitatis ſumma erit vehementia, ſi magis a materia occupetur cerebrum, quam eius membranæ. Ratione facultatis, cum Auic. ſi accidentia ſint fortiora, ſudor ſit admodum copioſus, vt recedat a vehementia facultatis, ſi anhelitus ſit facilis, & ſymptomata declinent, & parotides erumpant. D

Prognoſtica e differentiis. (margin, beside "hitur, tunc vis mali minuitur")

Euentus lethargi quis ſperandus.

Quoad euentum lethargi, an ſit futurus vel cito, vel tarde; cum lethargus ſit velocis motus, ideo cum Hippoc. l. 2. de morbis, interficit in ſeptimo: & ſi protrahitur lethargus, bonus ſequitur euentus. Vnde colligitur, mortem cito contingere: ſalutem tarde: nam motus velox pendet a materia morbifica ratione dignitatis, & ideo cito interficit, quia occupatur cerebrum: non enim is motus velox prodit a vehementia eſſentiæ, & præſertim ſecundum vitium materiæ in qualitate, & vbi, quia materia ſecundum hæc vitia accepta, eſt craſſa, viſcida, hærens, ideoque tardi motus.

Curatio. Venæſectio.

Gal. c. 21 l. 13. meth. iubet ſtatim venam eſſe ſecandā, quia dum vehementer ſanguis peccat, vincit reliqua indicantia. Vſus patet ex alibi dictis. Probantur cucurbitulæ ſcarificatæ, interdum quatenus ſunt non principales, id eſt, quatenus gerunt vicem ſectionis venæ, quando ſc. virtus nō tolerat venæ ſectionē: interdū etiam ꝓbantur vt materiæ principales, cauſſa ſanguinis in capite collecti. Probantur etiā cucurbitulæ E nō ſcarificatæ, quatenus minuunt affectionē morbificā cerebri, vt facultas veluti dormiēs excitetur: & ſic cōcurrunt cucurbitulæ nō ſcarificatæ, vt materię dolorificæ. Laudantur eædē quoq;, vt euacuant per modū attractiouis, ꝓpter calorē & dolorem. *Vſus* patet e ſermone de dolorē capitis. Frictiones & ligaturę cōueniunt, quatenus dolorificæ ſunt, & materiā a capite retrahunt. Vſus patet e ſerm. de dol c. Vbi quoq; de veſicantibus & fonticulis locuti ſumus. Et quoniā in lethargo hæ materiæ ꝓbantur, quatenus ſunt dolorificæ; curandū, vt perſeueret dolor; hoc. n. ceſſante, ceſſat etiam vtilitas. Proinde ferro candente inurendū eſt caput infra occipitiū, eſchara excitata incidenda, & vi euellenda: prodeſt etiā circa periphereiam eſcharæ applicare veſicatorium, præſertim, quod conficitur ex alio craſſo contuſo & applicito, quod admodum eſt ſtrenuum & efficax veſicatorium. Hæc igitur medicus prudens cheirurgis imperabit.

Cucurbit.

Frictiones, & ligaturæ.

Pharmaceia. Clyſmi acres. Vomitoria. Solucntia.

Medicamenta probantur eadem, quę propoſita ſunt, in dol. cap. a pituita. Satis igitur ſit peculiaria quæ- F dam annotare. In euacuatione igitur totius, obſeruandum, vt pro alui lenitione vtamur clyſmis acribus, & ſimilibus ſuppoſitoriis. E quibus hæc conficiantur; ſupra eſt traditum. Addit Auic. ſi ventriculus repletus eſſe videatur, probari vomitorium ex *oxymelle ſcillit. Verbi gratia*, ℞ *oxym. ſcill.* ℥ *j. ß. ſucci raphani* ℥ *ij. iuris tepidi* ℥ *viij. M. pro vomitorio.* Quoad ea, quæ per os exhibentur, & per aluum purgant; Auic. hæc non exhibet, niſi propter morbi longitudinem, & dum febris ſua caliditate non prohibet. Per morbi longitudinem, videtur intelligere lethargum, qui ſeptimū pertranſierit, vt ſit exſpectanda ſalus, ſed, vt ſupra diximus, mors ſuccedit cito, ſalus autem longo temporis ſpatio, ꝓpter viſciditatem & craſſitiem pituitæ: & propterea non eſt præter rationem ſoluens exhibere. Præterea, ſi contingat vt ſit admodū vehemens lethargus, & totum ſit repletum; nō abs re purgantia ꝓpinat, ſi febris nō ſit admodum vehemens. Exhibet autē G *modo caſtorium cum ſcāmonio, modo ſolū caſtorium, modo hieram cum colocynthide.* Si. n. Lethargus ſit particeps tremoris, & febris fuerit remiſſa, probatur caſtorium cum ſcāmonio: ſi febris ſit intenſa, ꝓbatur caſtoriū ſine ſcāmonio: hæc deinceps, purgationis gratia, clyſmis acribus ſupplere oportet. Si lethargus tremore ſit expers, ꝓbatur hiera cū colocynth. Ratio horū: nam dū lethargus eſt particeps tremoris ſanguis pituitoſus maxime cū impetu petit caput, vt neruorū principia anguſtētur, & hinc fiat tremor. At pituita nō poteſt cū impetu caput petere, niſi habeat vehiculū, q eſt bilis: & hinc Auic. vtitur ſcāmon, vt vehiculum

Ratio medicamentorum Auicennæ.

A lum detrahat: vtitur etiam castorio, vt attenuet & abstergat materiam pituitosam, quo neruorum princi-
pia ab angustia liberentur, & hinc tollatur tremor. Si lethargus particeps sit tremoris, sed febris vehemẽs;
exhibet Auic. solum castorium: nam febris prohibet scammonium, non prohibet castorium, quia magis
potest pituita, ad indicandum attenuantia ac detergentia, quam febris ad prohibendum castorii calorem:
pituita deinde attenuata & detersa clysmis acribus vacuanda. Sed oritur dubitatio, quia Galenus lib. 11.
simpl. cap. de cast. probat castorium, si non assit febris, aut si non admodum calida: cur igitur Auicennas
idem probat in febre intensa? Dicendum, quod Galenus ibi loquatur de castorio cum pipere: at nos ca-
storium hic possumus medicamentis frigidis corrigere; vnde *loco piperis immiscere possumus cichoracea.*
B Si cum lethargo non aderat tremor, Auicen. exhibebat hieram cum colocynthide, cuius loco nos exhi-
bere possumus *pil. coch. dissolutas in decocto cichorii.* Ratio est: quia, vbi tremor non adest in lethargo, ma-
teria pituitosa sensim caput petit, ideoque sine bile est: vnde solum pituita est euacuanda, sed cito, ne figa-
tur: Et hinc Auicennas probat acres clysmos.

Sequuntur ea, quæ insensibiliter euacuant. Auicennas igitur cum Alexandro, *si febris non sit vehe-* Insensibili-
mens, probat castorium solum: cum oxymelle probat etiam castorium, si sit vehemens. Exhiberi ergo poterit ca- ter vacuan-
storium ad ʒ j. oxymel, ad ℥ ij. cum iure, alterato cum cich. & beton. ad ℥ iiij. Quæ applicantur, sic possunt præ- tia.
scribi: *℞. ol. anethini ℥ iij. vini aromatici ℥ j. nitri ʒ ij. sem. vrticæ, piperis albi, pyrethri, an. ʒ. ß. fiat inunctio:* & Totum.
hac inunctione fricetur totum corpus.

Ratione capitis, quæ sensibiliter vacuant, fuere proposita in dol. cap. a pituita. Auicennas potissi- Caput va-
C mum probat *hyssopum, calamintham, origanum, & mel scilliticum.* Sed hoc maxime in lethargo est notan- cuantia.
dum, vt amministrentur ingrata per os, & per nares, vt excitetur facultas. Potissimum probantur sternu-
tatoria, quia lethargici non masticant, auctore Galeno, in fine lib. de org. odoratus. Porro, quæ materiam
a capite vacuant insensibiliter, patent e serm. de cephalalgia. Notandum autem hoc loco cum Galeno, Reprimẽtia
ca. 21. lib. 13. meth. probari reprimentia, sed mitiora, vt sufficiat vti *oleo. ros. compl. non omphacino cum aceto:*
& Auicennas prudentissimus post duos dies miscet *castorium.* Quoad resoluentia, hic multo magis quam Resoluẽtia.
in phrenitide valida ea esse oportet. Alexander maxime probat *pilos humanos crematos & læuigatos.* Nos
hoc vti possumus resoluente: *℞. sinap. ℥ ß. piperis albi, pyrethri, nigellæ, an. ʒ j. ß. ammoniaci, opopanacis, an.*
ʒ ij. resinæ quantum sufficit. fiat dropax. Licet etiam hoc vti medicamento: *℞. castorii ʒ iij. pilorum humano-*
rum cremat. ʒ ij. succi scillæ ℥ ß. mithridatii antiqui ʒ iij. aceti scillit. ℥ ß. Misc. & applicetur hoc medicamen-
D tum capiti, fronti, & collo.

Quoad diætam, Auicennas probat aerem calidum, siccum, luminosum, id est, contrarium aeri phre- Diæta.
nitidis. Cibus sit minuens & attenuans: e quibus conficiatur, nouistis. Alexander, vbi somnus est, miscet a-
mygdalas, quib. vtitur caussa vehiculi aliorum ciborum. Potus, sit aqua hordei, cum cinnamomo: sit etiam
vinum tenue. Non autem (?) tabitur potus actu frigidus. Quoad tempus: aqua est exhibenda vsq; ad statum,
inclusiue: vinum in declinatione: ratio e dictis patet. Quoad somnum, non permittatis, vt assiduo dormiant.
Quoad inanitionem & repletionem, si contingat vt lotium retineatur: *℞. rad. raph. apii, an. ʒ. j. pariet. ma-* Ad vrinæ
lu. althææ, an. p. j. contusis adde, ol. aneth. butyri, an ℥ j. ß. ol. de scorp. ʒ. ß. Mis. & hoc medicamentum actu cali- retentionẽ.
dum applicetur pectini & perinæo. Manibus etiam, secundum Auicennam comprimere possumus vesi-
cam, & musculos abdominis. Reliqua patent. Et hæc de lethargo sufficiant.
E

CAPVT XI.

De melancholia: & primo de Definitione, atq; Caussis.

PEr delirium melancholicum, intelligimus illud vitium, in quo corrumpitur imaginatio, cum timore Nomẽ.
& mœrore. c. 7. l. 3. de loc. aff. Vnde si contingat, vt maniacus timeat & tristetur, duplex est delirium, sci-
licet maniacum, & melancholicum. Generatur autem delirium melãcholicum hoc modo. Oportet vt ca-
piti occurrat caussa morbifica, vi cuius producatur phantasma tenebricosum, quod ita afficiat cerebrum, Generatio.
saltem secundum sedem imaginatricis, & quandoque secundum sedem etiam ratiocinatricis, vt harum
facultatum functio deprauetur. Quamobrem delirium melancholicum est functio corrupta principalis, Definitio.
cum timore & mœrore, cerebri anterioris, dependens ab affectione tenebricosa. Forma, est functio cor- Forma.
F rupta principalis, cum timore & mœrore: sic enim distinguitur melancholicum delirium, ab atrabilario;
in quo functio principalis corrupta est, & cum mœrore, sed non cum timore. Subiectum est cerebrum Subiectum.
anterius; vnde necessario corrumpitur imaginatio; interdum etiam ratio, sed non perpetuo. Hinc Gale-
nus cap. vlt. lib. 2. de caus. sympt. ait, delirium melancholicum esse multarum specierum, e corruptis spe-
ciatim imaginationibus: sique malum intendatur, corrumpi etiam rationem, vt melancholici interdum
seipsos interficiant.

Caussa efficiens, est affectio tenebricosa. Hinc Galenus c. vlt. l. 2. de caus. sympt. & c. 7. lib. 3. de loc. aff. Caussa ef-
ait: sicuti externæ tenebræ pauorem inducunt; sic atræ bilis color timorem gignit, dum cerebri substan- ficiens.
tiam affectione veluti tenebricosa afficit. Porro caussa immediata affectionis tenebricosæ, est phantasma
tenebricosum; quod, ad differentiam probi phantasmatis, male afficit cerebrum. Sicuti enim in sensu ex-
G terno, obiectum improportionatum male afficit: ita in functionibus internis idem contingit. Tenebri- Tenebrico-
cosi phantasmatis caussa, est Externa, vel Interna. Externa pertinet ad immoderata animi accidentia, quæ si phanta-
ad metum & mœrorem attinent: nam ab his excitatur phantasma tenebricosum, vt homo sine caussa & smatis caus-
tristetur & timeat. Hinc Galenus ait, capite septimo, libro tertio, de loc. aff. externas tenebras omnibus sa externa.
fere hominibus pauorem inducere, nisi vel admodum audaces sint, vel docti. Et Hippocrates aphorismo
23. sectio. 6. inquit: Si metus & mœstitia longo tempore perseuerent, melancholicum esse affectum. Me-
tus autem & mœstitia diuturna duobus modis sumi possunt; primum, vt ratione horum viscera refrige-

rantur,& de his suo loco dicemus;secundo hæc sumuntur, vt procreant phantasma tenebricosum,quod A
afficit cerebrum citra præsentiam & materiæ melancholicæ,& intemperiei,verbi gratia,si melancholicus
imaginetur,se esse capite destitutum,& ratione pilei plumbei liberetur:cui dubium,esse affectum melancholicum,citra materiam,citra intemperiem?

Interna caussa tenebricosi phãtasmatis, est impuritas spiritus animalis.

Melancholica materia est impuritatis caussa.

Caussa interna immediata, est calor naturalis cerebri, prout mistum habet spiritum animalem te-
nebricosum,vi cuius omnia phantasmata tenebricosa euadunt. At spiritus animalis tenebricosus reddi-
tur propter materiam melancholicam,teste Galeno, cap.vlt.lib.de vsu respir. Ad bonam enim actionem
opus est spiritu copioso & puro:si ergo impurus sit spiritus,functio corrumpitur. Caussa autem impuri-
tatis spiritus animalis,hoc in loco, est materia melancholica, etiam secundum Alexandrum, capite deci- B
moseptimo,libro primo. Per spiritum autem hic intelligimus spiritum,pertinentem ad cerebrum ante-
rius.Neque obstat, quamuis dicat Galenus c.7 l.3.de loc.aff. spiritum animalem non reperiri in anteriori
cerebro:nam loquitur ibi de spiritu animali,vt est organum sensus & motus: secus enim statuendum est,
si spiritus animalis sumitur pro organo principum facultatum. Vnde Galenus cap.4.l.1.de caus.sympt.ait,
dum prior ventriculus repletur,intemperies accidit cerebro,& spiritui in ventriculis anterioribus. Item
cap.penultim.lib.7 de plac.ait,spiritum animalem per totum cerebrum esse diffusum. Spiritus ergo ani-
malis, pertinens ad cerebrum anterius, dum euadit tenebricosus, est in caussa corruptæ imaginationis,
cum timore & mœrore. Notandum autem cum spiritus animalis sit organum facultatis animalis; sicut
facultas animalis dupliciter se habet,ita & spiritus animalis bifariam concurrit.Declaro,propter aduersa-
rios.Facultas vel influit,vt est facultas sensitiua & motrix;vel non influit,vt facultas principalis. Influens C
eget spiritu animali,vt per ipsius vel substantiam, vel radios influens, in parte agat, vt,verbi gratia,est vis
motrix in oculis,in artubus:hic spiritus potissimum pertinet ad postremum ventriculum, diciturque pri-
mum organum sensus & motus:primum quidem organum dicitur, ratione temporis: nam facultas pri-
mo influit, deinde influxa operatur, & quidem alio instrumento præcipuo, quod est constitutio illius
partis, & calidum insitum. Facultas non influens, id est, principalis, eget spiritu animali, vt coniungi-
tur cum calido innato cerebri, & residet in poris cerebri. Quod si ergo materia melancholica petat
cerebri ventriculos,non oritur melancholia, sed necessarium est, vt materia occupet poros. Quo sen-
su Hippocrates part.7.lib.6.epid.circa finem, inquit: si melancholia repat in corpus cerebri, fieri epile-
psiam;si in mentem,oboriri melancholicum affectum:vbi per corpus cerebri intelligit totum cerebrum,
vt dissimilare:nam in epilepsia cerebrum vt dissimilare afficitur: per mentem intelligit substantiam simi- D
larem,quæ est sedes mentis.

In melancholia corrumpitur imaginatio ob errorem externum.

ἀπόδειξις.

Ex his ergo colligere possumus,in affectu melancholico corrumpi imaginationem,ob errorem ex-
ternum; nam pendet ab affectione tenebricosa cerebri; cuius caussa est phantasma tenebricosum, quod
producitur a caussa externa,vel interna, vt spiritus animalis fiat tenebricosus,quem Syluestrem vocat A-
uicennas:Horum nullum est morbus.Sed confirmari etiam potest idem,hac ratione. Si enim imaginatio
læderetur læsa facultate:id contingeret,quia facultas vel impediretur,vel labefactaretur.Non impeditur;
alias enim cerebrum afficeretur vt dissimilare;cum tamen Galenus dicat affici vt similare.c.7.lib.3.de loc.
aff. Non labefactatur; alias enim necessario cerebrum afficeretur intemperie, vi cuius imaginatio cor-
rumperetur:quod falsum est: nam si esset intemperies, vel esset calida vel frigida: non potest esse calida,
quia delirium esset maniacum,cum furore:neque potest esse frigida intemperies:nam actio non corrum- E
peretur,sed imminueretur,aut auferretur. Hic tamen quis dicere posset,ab intemperie frigida deprauari
actionem,si frigida intemperies est coniuncta cum materia.Sed κρησφύγετον hoc est:nam dum intemperies

Obiectio.

frigida coniungitur cum materia melancholica,corrumpitur imaginatio a sola materia: si enim vacuetur
materia melancholica,& relinquatur intemperies frigida:imaginatio non amplius corrumpitur, sed im-
minuitur,aut aufertur,vt non sit affectus melancholicus,sed potius fatuitas,amentia. Idem enim hoc lo-
co statuendum est, quod statui potest de ventriculo frigido, cum materia acri:nam propter materiam a-
crem corrumpitur ventriculi actio:qua materia euacuata, cum relinquatur frigida intemperies, hæc a-
ctionem imminuet,non corrumpet.Dubitare autem quis posset, e c.7.l.3.de loc.aff. vbi Galenus inquit,

Alia obiectio.

in melancholico affectu cerebrum affici vt similare:ac proinde affici intemperie,lædique facultatem.Re-
spondeo:licet multis modis intelligi queat,cerebrum affici vt similare: in nullo tamen illorum modorum
vi frigiditatis corrumpetur imaginatio.Primum enim si intelligamus cerebrum affici vt similare,id est, vt F
materia, ingreditur in substantiam similarem cerebri,non in ventriculos; tunc imaginatio corrumpitur
a materia,non ab intemperie.Secundo modo,si intelligatur,cerebrum affici vt similare,vi caliditatis,vt in
phrenitide,vi cuius caliditatis generatur materia melancholica; tunc imaginatio corrumpitur a materia,
non autem ab intemperie calida.Tertio modo,si intelligatur affici cerebrum vt similare, quatenus affici-
tur intemperie frigida:tunc intemperies hæc frigida cerebrum prehendit, vel ante delirium melancholi-
cum,vel post:si ante, tunc delirium non fit immediate propter frigiditatem cerebri, sed quatenus ob ce-
rebri frigiditatem cor in consensum trahitur, vt ob cordis vitium gignatur materia melancholica; quæ
dum cerebrum occupat, fit delirium:si intemperies frigida occurrat post melancholiam: tunc a materia
melancholica refrigeratur cerebrum,delirii autem caussa est materia, non intemperies frigida. Quare G
caussa interna immediata phantasmatis tenebricosi,est calor naturalis cerebri, vt habet mistum spiritum
animalem,tenebricosum redditum a materia melancholica.

Spiritus animalis impuritas duplex. 1 in propria substantia.

Porro spiritus animalis dupliciter redditur tenebricosus : primo secundum propriam substantiam:
secundo ob mistionem materiæ melancholicæ. Secundum propriam substantiam redditur tenebricosus
in melancholia per Essentiam,in qua læditur coctio cerebri ob errorem externum,qui est materia, e qua:
nimirum vel aer impurus, vt euenire solet in peste: vel spiritus vitalis cordis tenebricosus: spiritus enim
ani-

A animalis ex aere,& spiritu vitali generatur.Excluditur autem læsio facultatis: nam si in caput feratur spiritus vitalis bonus,quamuis cerebrum sit intemperatum; non tamen ille mutatur in animalem tenebricosum:nam si cerebrum sit calidius, fiet spiritus animalis calidior, & delirium maniacum: si autem cerebrum sit frigidius, e bono spiritu vitali generabitur animalis vel exiguus, vel frigidior, vnde functio imminuitur,vt fiat fatuitas,non autem melancholia,quoniam videlicet hic spiritus vitalis non fit tenebricosus.Licet autem e spiritu bono vitali, a capite intemperato non possit generari spiritus animalis tenebricosus:nihilominus e probo sanguine in iecore genito, a corde distemperato generari potest spiritus vitalis tenebricosus.Hoc vt intelligatur,supponendum est, maximum esse discrimen inter sanguinem & spi-
B ritum: nam spiritus est mistum a prædominio igneum, ratione vigoris; a prædominio aereum, ratione molis. Spiritus ergo ratione ignis, obtinet partes luminosas, ratione aeris diaphanas,vt spiritus quasi sit expers portionis terrestris & opacæ,quæ diaphanum terminat,ideoque sit inuisibilis: sanguis autem partes opacas obtinet,vt sit visibilis. Vnde,dum spiritus vitalis probus fertur in caput intemperatum,non fit tenebricosus, quia partes opacæ desiderantur: at dum cor intemperie affectum agit in probum sanguinem,potest hunc mutare in spiritum vitalem tenebricosum,propter partes,quas habet,opacas. Constitutum igitur sit, spiritum animalem secundum propriam substantiam tenebricosum fieri, ob errorem externum;qui est vel aer impurus, vel spiritus vitalis tenebricosus.Iam etiam intelligenda est caussa spiritus vitalis tenebricosi.Spiritus ergo vitalis tenebricosus,est opus præter naturam genitum in corde,quod se- *Spiritus vitalis quibus de caussis reddatur tenebricosus.*
quitur læsam coctionem cordis:læditur autem coctio cordis,vel læsa facultate,vel ob errorem externum,
C vel vtroque modo. Læditur facultas ob intemperiem calidam,item ob intemperiem frigidam,quæ efficacior est, si etiam sit sicca.Intemperies enim calida, dum agit in sanguinem etiam bonum,resoluit portiones diaphanas & luminosas, quæ facilius resoluuntur, vnde opacus redditur sanguis. Idem efficit intemperies frigida & sicca,exprimendo portiones diaphanas & luminosas. Diximus autem intemperiem
1. frigidam & siccam potissimum consumere partes diaphanas: nam intemperies calida reddit spiritum tenebricosum,sed feruentem,vt fiat delirium ferinum. Intemperies autem frigida & sicca,originem ducit vel a capite,vel ab alia caussa.A capite,dum caput, seu cerebrum est affectum intemperie frigida & sicca, sine materia, vi cuius cor refrigeratur, vt gignat spiritum vitalem tenebricosum; qui delatus in caput, mutatur in animalem spiritum tenebricosum;nam summus inter viscera consensus est. Hinc Auicennas dixit,melancholiam fieri ab intemperie frigida & sicca , sine materia; sed ea ratione,vt compatiatur cor,
D frigidumque & siccum euadat.Caput etiam refrigeratur & siccatur ab aere septentrionali. Refrigeratur etiam cerebrum, a solicitudine, & mœstitia cum vigiliis,cap.7.lib.3.de loc.aff.aphor.23.sect.6.dum enim cerebrum refrigeratur, etiam cor compatitur, vt spiritum vitalem gignat tenebricosum, qui in cerebro in animalem tenebricosum mutatur. Potest etiam frigiditas & siccitas fieri ex aliis caussis, vt e medica-
2. mentis applicitis, de quibus in malis cordis. Si autem spiritus in corde tenebricosus fiat ob errorem externum: hic error est præsertim sanguis melancholicus, genitus in hepate, siue gignatur læsa facultate, siue alio modo.Generatur denique spiritus vitalis tenebricosus, simul & facultate læsa,& ob errorem ex-
3. ternum:id quod euenire solet in febribus pestiferis, in febribus prope mortem: nam spiritus vitalis generatur e materia febrili,ab intemperie cordis, vt delatus in caput, mutetur in spiritum animalem, adeo syluestrem, vt patientes mortuorum recordentur, maximeque timeant & mœsti sint. Et hæc de spiritu
E animali,quatenus secundum propriam substantiam redditur tenebricosus.

Verum spiritus animalis etiam redditur tenebricosus, ob permistionem materiæ melancholicæ. Circa hanc materiam intelligere oportet, Speciem, Vitium, Caussas Generantes,& caussas Detinentes. *2 Impuritas spiritus animalis ob permistionem materiæ.*
Species materiæ,potest esse vapor melancholicus, vel Minera, seu humor. Si vapor sit;cerebrum non afficitur primaria affectione, si autem sit minera, cerebrum afficitur primaria affectione. capite septimo, libro tertio, de locis aff. Per primariam autem affectionem non intelligimus cerebrum affici per essentiam,vt quidam nugantur. Nam Galenus loco cit.in melancholia per consensum a toto, statuit cerebrum affici primaria affectione: quare per hanc intelligimus affectionem ex vsu, quæ vtile indicat. *1 Materiæ species.*
Hinc in melancholia hypochondriaca,quæ fit e flatu,satis est si occurramus mineræ: at si affectus melan-
F cholicus fit ex humore, oportet occurrere humori, non modo extra caput, verum etiam in capite existenti.Porro minera est Legitima,vel Spuria. Legitima, est humor,obtinens formam & accidentia humoris melancholici:vt,si materia sit frigida, sicca, nigra, crassa. Spuria,est humor,sola nigredine similis melancholiæ.

Vitium materiæ,pertinet ad Quantitatem, Qualitatem,& Vbi. Ad quantitatem:nam etsi melancholia in exigua copia mista sit,cum spiritu animali,tamen nocet. In qualitate etiam vitium est, quia materia præter naturam est frigida & sicca, quare non exusta, teste Galeno cap. 7. lib.3. de loc.aff.distinguiturque hæc materia a naturali,tum alimentali, tum excrementitia: nam alimentalis est expers aciditatis: excrementitia quidem est acida,cap.4 l.5.de vsu part.verum quæ est præter naturam,multo est acidior, & propterea frigidior,siccior,& crassior.Vitium quod ad vbi spectat, locum habet in melancholia per consensum,secundum motum. In melancholia per consensum materia peccat secundum motum: in quali- *2 Vitium materiæ.*
G bet autem melancholia,siue per essentiam,siue per consensum, materia melancholica peccat secundum quietem:nam præter naturam quiescit in cerebro. Quoad motum igitur,cum pateat quod nam sit mobile,digredi oportet,circa terminum a quo, & circa terminum ad quem: vnde etiam patebit spatium per quod. Terminus a quo potest esse totum,in melancholia per consensum a toto : totum autem est frigidum & siccum,frigiditate non natiua,sed ascititia. Nam cum Galeno cap.vlt.lib.2.de temperam.si quis a principiis generationis sit frigidus & siccus;hic non est melancholicus,sed pituitosus. Vnde in affectu melancholico totum corpus ante vitium melancholicum est calidum & siccum : vi autem materiæ me-

lancholicæ postea euadit totum corpus frigidum & ſiccum:nam refrigeratur & ſiccatur a materia melancholica,quæ frigida eſt & ſicca.Hinc Gal.c.59.art.med.ait,dum corpus calidũ & ſiccum, euadit frigidum & ſiccum,melancholia dominatur.Terminus a quo,in affectu melancholico, poteſt etiam eſſe corporis pars:& tunc fit melancholia Hypochondriaca,originem ducens a ventre inferiori. Quamuis autem plures partes ſint in ventre inferiori,Galenus tamen ſaltem ventriculum & lienem proponit,c.7.l.3.de loc.aff. Auicennas addit meſenterium,hepar,& vterum. Cuius diſcriminis cauſſa fuit,quod Galenus non e propoſito , ſed exempli tantum gratia ſermonem habuit de affectu melancholico; Auicennas vero e propoſito de hoc malo verba facit.Sed hic obſeruandum, quamuis in melancholia hypochondriaca materia pendeat a pluribus partibus:neceſſario tamen affici os ventriculi ſupernum.Hinc Gal.dicit,c.6.l.5.de loc. aff.ſi patiens ſit ſplenꝫticus,& accidat vt melancholia hypochondriaca afficiatur;coniiciendum eſt,quod e ſplene vitioſa ſanies,id eſt,materia melancholica vitioſa in ventriculum irruat; vt,quamuis hypochondriaca fiat a liene,accidat tamen,quia materia impertitur ventriculo,id eſt,orificio ſuperno. Hinc etiam Galenus capite ſeptimo,libro tertio,de loc.aff.aſſerit,tertiũ melancholiæ genus oriri a ventriculo:& medicos hoc tertium genus vocare melancholiam hypochondriacam. Inſignis enim eſt inter os ventriculi & cerebrum conſenſus. Dicit etiam Galen.c.vlt.l.de plenit.ſi melancholia infeſtet os ventriculi;homines fieri moroſos & triſtes. Terminus ad quem , ſemper eſt cerebrum:quod tamen diuerſimode concurrit: nam interdum Attrahit,interdum Suſcipit.Attrahit ratione doloris,& præcipue dum calidius eſt:vbi notandum,caliditatem cerebri,quæ tractionis cauſſa eſt,ſemper excedere caliditatem loci , a quo caput trahit: terminus enim ad quem , ſemper eſt calidior termino a quo: Sic caput trahere poteſt a toto,a liene; quia caput eſſe poteſt calidius liene:non autem trahit caput a corde: Vnde Auicennas loquens de melancholia a corde,non proponit caput calidum. Suſcipit etiam caput, ob frigiditatem & humiditatem:ac perinde non ſemper in melancholia caput eſt humectandum,ſed interdum etiam ſiccandum. Hinc Auicennas ait,melancholiam quandoque fieri a corde calido & capite humido.Et hæc de vitio materiæ.

3. Cauſſæ generantes melancholicam materiam ſpuriam.

Sequuntur cauſſæ generantes materiam melancholicam tum Spuriam tum Legitimam.Spuria materia tantum eſt melancholica ratione nigredinis:& generatur a cauſſa refrigerante. Vnde Auicennas & Aetius ſcribunt,quod frigiditas clarum ſanguinis calorem reddat nigrum.Sumſerunt hoc a Galeno,qui c.2.l.3.de cauſ.ſympt inquit: ſanguinem nigreſcere a frigiditate;partes enim diaphanæ & luminoſæ exprimuntur,vt ſanguis magis reddatur opacus.Hæc autem cauſſa refrigerans,ſi pertineat ad caput, fit melancholia,per eſſentiam:ad quam reſpiciens Galenus,c.7.l.3.de loc.aff. ait, melancholiam per eſſentiam fieri e ſolicitudinibus,e mœſtitia,cum vigiliis;nam ex his caput refrigerari poteſt.Si autem frigiditas ſpectet ad partes infra caput:tunc fit melancholia per conſenſum a toto,repleto ſanguine nigricante.

Melancholica materia exquiſita a quib cauſſis oriatur.

Materia melancholica exquiſita,ſecundum Galen.cap.10.lib.2.ad Glauc.c.vlt.l.2.de temperam.c.7.l 3.de loc.aff. producitur vitio vel Alimenti,vel Agentis. Alimenti vitio;vt ſi quis alatur carnibus ſuillis,braſſica, lente,pane furfuraceo,caſeo antiquo,& aliis a Galeno propoſitis, cap.7.lib.3 de loc.aff. Agentis vitio producitur: dum calor eſt intenſus,vt diſſipatis partibus tenuioribus,materia reddatur craſſa & nigra: vnde Galenus loc.cit.ait,melancholiam per morbos febriles generari. Porro hic calor intenſus, viget vel in capite,vel Extra caput.Si in capite;fit melancholia per eſſentiam : nam c.7.l.3 de loc.aff.caput ante affectum melancholicum,ſi detineatur calida aliqua diſpoſitione,vt inflammatione, phrenitide, &c. generat materiã frigidam & ſiccam;a qua poſtea ipſum quoque caput frigidum & ſiccum euadit. Caput igitur ante morbum fuit calidum:ſequente morbo fit frigidum.Si calor vigeat infra caput,poteſt eſſe membrum, generationi humorum vel Deſtinatum,vt hepar; vel Non deſtinatum , vt ventriculus ſecundum fundum,meſenterium,lien,& vterus.Si iecur generet melancholiam copioſam;hæc toti per venas impertitur: vnde fit melancholia per conſenſum a toto. Hic autem affectus potiſſimum viget in ætate declinante, in qua iecur ita calidum eſſe poteſt,vt generet melancholiam.Et in hac ætate declinante, cum in toto caliditas marceſcat:facile corpus totum a melancholia redditur frigidum & ſiccum. Secus ſtatuendum de ſenibus,propter frigiditatem hepatis;ob quam non generatur melancholia.At in ætate florente, licet maxime vigeat caliditas iecoris ; quia tamen in hac ætate, etiam totum corpus vehementer eſt calidum; non ita facile a materia melancholica frigidum & ſiccum reddi poteſt. His fundamentis adductus Galenus cap 7.lib.3. de loc.aff.ait,homines colore rufo donatos,promte incidere in intemperiem melancholicam,flauos non item:qui enim colorem habent rufum, aſſimilantur hominibus ætatis declinantis; qui flauum, hominibus florentis ætatis. Quoad reliquas partes abdominis; eæ concurrunt ſuo calore,qui intenſus eſt redditus propter obſtructionem & anguſtiam: vnde hæ partes inflammatione veluti affici videntur. cap.7.lib. 3.de loc.affect.

4. Cauſſæ detinentes materiam melancholicam.

Cauſſæ detinentes,ſecundum Galenum c.10.l.2. ad Glauc.cap.7.l.3. de loc.pertinent ad melancholiam per conſenſum a toto;quatenus vi harum cauſſarum,in venis totius corporis colligitur materia melancholica. Vnde cauſſa interna eſſe poteſt lienis vitium, vt vel non Attrahat excrementum melancholicum,vel non Suſcipiat,vel non Expellat.Non attrahit;ſi lien ſit frigidior: non ſuſcipit,ſi afficiatur lien vel tumore,vel anguſtia:non expellit,ob frigiditatem,ob anguſtiam:vt propterea in toto colligatur materia melancholica.Huius claſſis eſt menſium ſuppreſſio, ob venarum vteri anguſtiam,& præſertim in mulieribus,generantibus ſanguinem melancholicum. Cauſſæ externæ ſunt cauſſæ aſtringentes; ſiue ſint cibi, ſiue medicamenta aſtringentia,& præſertim poſt vſum ciborum melancholicorum. Præterea huc facit, conſueta vacuatio ſuppreſſa,vt hæmorrhoidum,vteri(notandum obiter:menſium ſuppreſſionem,vt refertur in ſuam cauſſam internam,verbi gratia,in anguſtiam venarum vteri, numerari inter cauſſas internas:ſi autem capiatur,vt conſueta vacuatio cohibita, recenſetur inter cauſſas externas, quæ pertinent ad inanitionem & repletionem.)

Di

De Differentiis.

IN melancholia corrumpitur imaginatio cum timore & mœrore: & corrumpitur vel Sola, vel Simul cum ratione. Galenus cap. 7. l. 3. de loc. aff. cap. vlt. l. 2. de causs. sympt. ait, delirium melancholicum multiplex esse, prout speciatim imaginatio corrumpitur: alius enim imaginatur, se esse factum testaceum, alius Atlantem non sustinere mundum. Caussa autem variæ imaginationis est affectio tenebricosa varia, vnde & phantasma tenebricosum est varium. Diuersa autem sunt phantasmata, pro varietate caussæ Externæ, & Internæ. Quoad caussam externam: vt varia fuit cuiusque vitæ conditio, ita varium producitur phantasma. Verbi gratia, si quis imaginetur se esse prophetam, ante astronomiæ studuit: si quis imaginetur B se esse regē, ante cū principib. vixit, &c. Quoad caussam internā, pro varia corporis dispositione, variæ fiūt imaginationes: V. g. si aliquis sit siccioris habitus, putabit se esse testaceum: si patiens flatus copiosos obtineat, imaginabitur se esse capite destitutum, &c. Quoad differentias a subiecto: cerebrum afficitur, vel tātum secundum Anteriorem partem, vel etiam secundum Mediam. Sumuntur etiam differentiæ ab efficiente, id est, a caussa phantasmatis. Hæc caussa est Externa, vel Interna. Externa pertinet ad Animi accidentia, & non vlterius subdiuiditur. Caussa interna est spiritus tenebricosus. Est autem spiritus tenebricosus, vel secundum Propriam substantiam, vel ob Mistionem materiæ melancholicæ. Si secundum Propriam substantiam; tunc genitus est, ex impuro vel Aere, vel Spiritu vitali. Aer non subdiuiditur. Spiritus vitalis procreatur a corde. Caussa autem cur vitiosus & impurus procreetur, est Simplex vel Composita. Simplex est Læsa facultas, vel Error externus. Composita est simul læsa facultas, C & error externus. Læsio facultatis est vel intemperies Calida, vel potissimum Frigida. Frigida producitur, vel a Frigiditate, vel a Siccitate capitis, vel Citra hæc. Error, & caussa composita, non subdiuiduntur. Si altera e parte spiritus reddatur tenebricosus, ob mistionem materiæ melancholicæ, diuisionem admittit. Et primum, quoad speciem, materia est Vapor, vel Minera. Minera est Legitima, vel Spuria. Vitium materiæ, ratione quantitatis, & qualitatis, habet differentiam secūdum Magis & Minus V. g. materia est, magis vel minus frigida, sicca, crassa. Quoad vitiū secundum vbi; ratione quietis, est differentia secundum Magis & Minus. Ratione motus, & primum caussa termini a quo mouetur materia; dicēdum, moueri vel a Toto, vnde est melancholia per consensum a toto: vel a Parte, vnde est melancholia per consensum ab hypochondriis. Et, si a parte mouetur materia, mouetur vel a Fundo ventriculi, vel a Mesenterio, vel ab Hepate, vel a Liene, vel ab Vtero. Terminus ad quem est cerebrū: quod vel Attrahit, vel Suscipit. Quo ad D caussas generantes; cum generetur materia melancholica, modo Spuria, modo Legitima, ideo & caussa generans est duplex. Caussa generans spuriam materiam, est caussa refrigerans, quæ diuisionem admittit secundum Magis & Minus: & præterea diuisioni subiicitur, vt ratione loci pertinet vel Ad caput, vel Infra caput. Caussa generans legitimam melāncholiam, subdiuiditur: est enim vel Intemperies, vel Victus melācholicus. Si intemperies est calida, differre potest secundum Magis & Minus: & præterea differre potest ratione loci: & est vel in Capite, vel in Toto, vel in Iecore, Liene, in Fūdo vētriculi, in Mesenterio &c. Caussa detinens est Interna, vel Externa. Interna est vitium Lienis, vel Venarum sedis, vel Vteri. Externa caussa est adstringens: & hæc differre potest secundum Magis & Minus; & præterea secundum speciem, vt pertinere potest ad materiam specificam, vel Medicinalem, vel Diæteticam.

Differentiæ 1. A forma.
2. A subiecto.
3. Ab efficiente.

De Signis.

E IMminens melancholia indicatur e præsentia caussarum, e vigiliis, e somno turbulento, cum tristibus imaginibus, ex inertia totius corporis & sermonis, ex oculorum lumine obtenebrato: hæc enim omnia indicant imminere phantasma tenebricosum, a quo postea cerebrum afficitur. Quoad melancholiam præsentem, cum Galeno cap. 3. l. quod animi mores, cap. vlt. l. 2. de causs. symp. cap 7. l. 3. de loc. aff. indicatur e timore & mœrore, sine caussa: nam, prout cerebrum afficitur affectione simili tenebris, ita fit timor & mœror. Producitur autem hæc affectio, non a colore nigro, vt Galeno ascribit Auerrhoes, sed a phantasmate tenebricoso, quod in cerebrum agit, vt in organum imaginatricis. Notandū Hippocratem aphor. 40. sect. 7. dixisse, si lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis stupore afficiatur, esse id melancholicum. Galenus in commento inquit, se ignorare, cur hæc sint melancholica: quoniam linguæ paralysis & stupor sunt vitia, quæ potius fiunt a pituita, quam a melancholia: Cum hoc i- F gnorarit Galenus, nos forsan magis id ignoramus. Dicendum tamen fortassis, Hippocratem per melancholiam, non intelligere eam, de qua in præsentia est sermo: sed loqui de paralysi linguæ, & de stupore alicuius partis, vt fiunt potius a melancholia, quam a pituita. Paralysis enim & stupor capiantur, vel vt simpliciter generantur, vel vt respiciunt subiectum, quod afficitur. Si capiantur primo modo, vt simpliciter generantur, paralysis & stupor potius fiunt a pituita. Si autem capiantur vt respiciunt subiectum, cum hoc possit esse vel totum, vel pars: rationabile est, totum affici a materia copiosa, partem a minus copiosa: & præterea cum melancholia sit in minori copia, quam pituita; ob id, dum afficitur vel lingua, vel alia corporis pars, ad differentiam totius; dicendum, hanc affectionem prodire a melancholia, vt a materia minus copiosa.

Signa melancholiæ imminētis.
Signa præsentis: in genere.
Difficilis Hippocratis aphorismus.

G Quoad cognitionem differentiarum, & primum ratione formæ, has manifestabit sermo ægri. Differentiæ a subiecto etiam facile cognoscuntur: nam, verbi gratia, si obseruemus solam imaginationem esse corruptam, statuendum cerebrum secundum partem tantum anteriorem esse affectum: si etiam ratio afficiatur, cerebrum etiam secundum mediam partem est affectum. Quoad differentias a caussa efficiēte: cum fiat hoc vitium ab affectione tenebricosa, cuius caussa est phantasma tenebricosum, quod producitur a caussa externa, vel interna; nam difficulter hæ distinguentur, ex origine & curatione: Ex origine, si, verbi gratia, originem duxerit ex animi accidentibus: e curatione, vt si remoueatur ex impositione

Signa differentiarum.
1. A forma, & 2. A subiectione.
3. A caussa efficiente.

Cauſſæ internæq́ ſigna.

pilei plumbei,iudicabitis malum oriri a cauſſa externa; contra, ſi ab interna. Quoad internam,cum ſit A ſpiritus tenebricoſus redditus,vel ſecundum propriam ſubſtantiam,vel miſtionem materiæ melancholicæ:iudicabitur tenebricoſus eſſe redditus, ſecundum propriam ſubſtantiam, ſi delirium ſit aſſiduum: ſi præſentes,vel prægreſſæ ſint huius cauſſæ,de quibus loco ſuo dictum eſt.Si enim fiat tenebricoſus ob permiſtionem materiæ melancholicæ; pariter cauſſæ aderunt, vel præceſſerunt.

Spiritus tenebricoſiſecūdum ſubſtantiam,ſigna.

Vnde, quoad ſpiritum tenebricoſum ſecundum ſubſtantiam,cum cauſſa ſit, vel aer,vel ſpiritus vitalis; aer facile cognoſcetur. Si nullum ſit vitium in aere, iudicandum eſt,malum prodire e ſpiritu vitali. Verum ſpiritus vitalis gignitur, vel læſa facultate,vel ob errorem externum,vel vtroque modo. Si gignatur læſa facultate; cognoſcitur e ſignis indicantibus cor vel calidius,vel frigidius;de quibus in propriis locis. At, cum frigiditas producatur vel a cerebro,vel ab alia cauſſa. Si producatur cordis frigiditas a frigido cerebro, ſigna erunt frigidi cerebri, & præceſſere cauſſæ refrigerantes, vt animi accidentia: Si vero non prodeat a capite, præceſſerunt B cauſſæ refrigerantes cor. Et ſi fiat ob errorem externum, id eſt, ob ſanguinem melancholicum, erunt ſigna hepatis calidioris, neq; ſigna erunt totius corporis frigidi & ſicci. Si generetur & læſa facultate, & ob errorem externum: cognoſcitur facilime e ſignis febris peſtilentis,& mortiferæ.

Signa tenebricoſi ſpiritus ob miſtionem melancholiæ.

Si generetur ſpiritus tenebricoſus ob miſtionem materiæ melancholicæ; cognoſcenda ſunt ſigna ſpeciei, vitii, cauſſarum generantium, & detinentium.

Species materiæ vt cognoſcatur.

Quoad ſpeciem; vapor cognoſcitur, quia ſymptomata ſunt mitiora, delirium eſt per interualla, non adeſt grauitas,& ſigna aſſunt hypochondriacæ. Si minera, ſeu humor eſt cauſa; omnia erunt grauiora. At minera, ſi ſit ſpuria;cognoſcitur e cauſſis refrigerantibus:ſi legitima;e ſignis cauſſarum calefacientium.

Vitii ſigna.

Quoad vitium: & primum in quanto; cognoſcitur materia eſſe in maiori copia, vehementia ſymptomatum,e grauitate. Vitium in qualitate, pertinet ad frigiditatem, ſiccitatem, & C craſſitiem, ſed ſecundum magis & minus:id quod cognoſcitur ex intenſione & remiſſione ſymptomatū. Quoad vbi,cum reſpiciat motum,& quietem:materia quieſcens cognoſcitur e perſeuerantia ſymptomatum. Quoad motum;& primum quantum ad terminum a quo; eſſe totum corpus cognoſcitur,e capit.7. lib.3.loc.aff.ſi corporis habitus antea fuerit calidus, nunc autem ſit frigidus & ſiccus: præterea cognoſcitur e ſuppreſſa aliqua vacuatione conſueta ſanguinis melancholici: præterea e vitio melancholico prægreſſo.

Hypochondriaca ſigna.

Partem autem eſſe terminum a quo;cognoſcitur e ſignis melancholiæ hypochondriacæ;nimirum quod prius oriuntur ſymptomata circa ventriculum, quam circa caput: adhæc, vt ventriculi ſymptomata intenduntur,ita etiam delirium melancholicum intenditur, & vt illa remittuntur, ita etiam minuitur delirium. Cum autem in hypochondriaca poſſit affici, fundus ventriculi, lien,iecur,&c. ſingula e propriis capitibus cognoſcentur. Facile etiam cognoſcitur terminus ad quem,id eſt,num caput attrahat, vel D ſuſcipiat. Si attrahit; cognoſcitur e calore & dolore. Si ſuſcipit; cognoſcitur e ſignis frigiditatis vel humiditatis cerebri:de quibus in dol.cap.

Cauſſæ generantis indicia.

Facile cognoſcitur, an cauſſa generans, ſit cauſſa melancholiæ,vel ſpuriæ,vel legitimæ,e ſignis caliditatis aut frigiditatis.

Signa detinentium cauſſarum.

Cauſſæ detinentes admodum facile cognoſcuntur e ſermone ægri,& aſſidentium. Et quotieſcunq; ſunt internæ;an pertineant, vel ad lienem, vel ad hæmorrhoidas,vel ad vterum:e propriis locis petendum.

De Indicationibus.

Indicationes

A ſubiecto.

A cauſſa efficiente.

Ab affectione tenebricoſa.

PRæſidia ſumuntur ab eſſentia: eſſentia autem pertinet ad formam,ſubiectum,& cauſſam efficientem. Forma non eſt ex vſu: nam pendet ab affectione. Quoad ſubiectum,cum ſit cerebrum & calidum innatum: oportet conſeruare & fouere proportionem cerebri, vt in ſermone de dolore cap. Quoad cauſ- E ſam efficientem; cum ſit affectio tenebricoſa, cuius cauſſa eſt phantaſma tenebricoſum, quod producitur a cauſſa externa, vel interna: ſi capiatur cauſſa efficiens, vt affectio tenebricoſa morboſa; indicat affectionem contrariam tenebricoſæ & morboſæ: vnde Paullus huc reſpiciens, dicit, mentem ad alia eſſe diuertendam. Verbi gratia, phantaſma quod imprimit in cerebro affectionem, eſt vſurpandum, vt imprimat affectionem, quæ ſit efficacior, quam tenebricoſa.Hoc remedium in affectu melancholico quandoque eſt ſanans, quandoque anodynum. Si enim affectio tenebricoſa pendeat a cauſſa externa, eſt ſanans; quia malum non amplius redit; verbi gratia, cum per pileum plumbeum,homo prorſus liberatur: At ſi melancholia producitur a cauſſa interna; erit remedium anodynum, non ſanans; nam huius beneficio, inquit Paullus, mens ad alia deducitur; at non prohibet hoc remedium mali reditum, quoniam adeſt cauſſa interna. Quare indicatio eſt haurienda a cauſſa interna, & proinde a ſpiritu animali tenebricoſo. Hic autem eſt tenebricoſus, vel ſecundum propriam ſubſtantiam, vel ob miſtionem materiæ me- F lancholicæ.

A defectu puri alimēti ſpiritus animalis.

Si ſit tenebricoſus ſecundum propriam ſubſtantiam, non videtur pertinere ad methodum medendi, & videtur eſſe indicans inutile, quia remouetur ad remotionem materiæ: ablato enim impuro aere, vel ſpiritu vitali, ilico ſpiritus animalis purus euadit: vnde in id incumbendum eſſe videtur, quo aer, ſpiritusque vitalis cito puri reddantur.

Dubium.

Quod ſi ergo, verbi gratia, ſpiritus animalis tenebricoſus fiat e prauo aere, & pro remedio vſurpetur bonus aer; certe hæc materia remedii ſupponit indicans; de quo tamen, quodnam ſit, ambigitur? Spiritus enim animalis tenebricoſus non indicat vtile; aer autem non indicat, qui eſt cauſſa externa.

λύσις.

Pro ſolutione ſcire oportet, ſpiritum tenebricoſum, ea ratione qua eſt morbificus,indicare remouens:minus genericum eſt ſpiritus vitalis,vt vel excedit, vel deficit:in præſentia, G vitium in exceſſu non eſt ex vſu:dum enim auferetur alimentum impurum,ilico ceſſat exceſſus prauitatis: quare indicans eſt vitium ſecundum defectum; defectus enim puri alimenti,indicat purum alimentum: vnde indicatio eſt a præſenti vitio,cuius eſſentia eſt defectus puri alimenti:at defectus puri alimenti, ſi eſt aeris,indicat purum alimentum aereum,ſi ſpirituum,indicat alimentum ſpiritale: vt alimentum aereum, ceu indicatum,pro materia habeat aerem bonum, qui non eſt indicans; alimentum autem ſpiritale pro materia habeat ſpiritum vitalem purum. Cum ergo opus ſit puro vel aere, vel ſpiritu: quoad aerem, huius inuentio eſt extra methodum medendi.

Ab impuritate ſpiritus vitalis.

Quoad ſpiritum vitalem, cum ſit cauſſa morbifica interna, ideo

A ideo habet rationem indicantis: ſpiritus enim vitalis purus eſt materia remedii, impurus eſt indicans. Cum Ab impuritate ſpiritus vitalis.
autem ſpiritus vitalis impurus pendeat a vitio vel Generantis, vel Materiæ, vel a vitio Vtriuſque: ob id in-
dicans vtile capi debet a vitio propoſitorum. Vitium agentis pertinet ad cor; ideoque remedia ſunt refe-
renda ad cor, quæ foueant vel proportionem cordis, vt cordialia; vel dirigantur ad cordis vitia diſſipanda.
Verbi gratia, ſi intemperies calida eſt, indicantur frigida; & ſi frigida, indicantur calida. Et ſi contingat,
vt intemperies cordis frigida, foueatur a frigiditate & ſiccitate cerebri; oritur indicatio calefaciendi & hu-
mectandi cerebrum. Materia e qua, eſt ſanguis melancholicus, genitus a iecinore calidiore: vnde oritur
indicatio vacuandi ſanguinem melancholicum, & refrigerandi iecur. Si producatur ratione vtriuſque, id
eſt, & ratione vitii agentis, & materię, opus eſt & correfrigerare & materiam febrilem euacuare. Quatenus A miſtione materię melancholicæ, cum ſpiritu animali.
B ſpiritus animalis tenebricoſus redditur, propter miſtionem materiæ melancholicæ: ſumendæ ſunt indi-
cationes a materia melancholica: & quidem a ſpecie, a vitio, a cauſſa generante, & detinente. Quoad ſpe-
ciem, ſiue ſit vapor, ſiue minera, tam ſpuria, quam legitima; prodit remedium determinatum, quod alias
docuimus. Verbi gratia, ſi melancholia copia peccet, erit minuenda materia, ſed melancholica, vnde e- 1. A ſpecie materiæ.
uadit remedium determinatum cauſſa ſpeciei. Quoad vitium quantitatis, indicatur minuens. Quoad vi-
tium qualitatis, cum ſit materia frigida, ſicca, craſſa; oritur indicatio calefaciendi, humectandi, & atte-
nuandi, Quoad vitium ſecundum vbi, & primum ratione quietis; vt materia melancholica quieſcit, eſt di- 2. A vitio materiæ.
mouenda & diſcutienda: vt autem eſt in capite, eſt diſcutienda in capite, vt ſit indicans determinatum.
Quoad motum, in hoc oportet perpendere tum fluxum, tum fluxus terminum. Fluxus, vt eſt præter na-
C turam, indicat remedium retrahens: quod contrahitur a termino morbifico motus, nimirum a termino
a quo, & ad quem. Hi autem termini poſſunt bifariam perpendi, Simul, & Seorſim. Si ſimul per-
pendantur motus vitioſus eſt, vel ab ante ad poſt, aut contra: vel a dextro ad ſiniſtrum & contra:
vel a ſupra ad infra, & contra: & propterea indicatur remedium retrahens, vel ad anteriora, vel
poſteriora; vel dextrorſum, vel ſiniſtrorſum; vel ſurſum, vel deorſum. Cum ergo in melancholi-
co affectu materię motio ſit ab inferioribus ad ſuperiora: indicatur retrahens ad inferiora. Si ſeorſim per-
pendantur termini; quantum ad terminum a quo, cum ſit infra in affectu melancholico: hic terminus vel
eſt communis, vel determinatus. Communis terminus in melancholia eſt totum: determinatus termi-
nus, in melancholia ſcilicet hypochõdriaca, ſunt hypochondria. Si ergo melancholia fiat per conſenſum
a toto, vt terminus a quo ſit communis; indicatur remedium retrahens infra, ſed ad omnes partes, non
D modo ad brachia, ſed ẽt ad crura, non modo ad dextrum latus, ſed ẽt ad ſiniſtrũ. Si autẽ terminus a quo ſit
determinatus; indicatur remediũ retrahẽs infra, ſed ad partes determinatas, v. g. cũ in melancholia hypo-
chondriaca terminus a quo ſit regio abdominis; eſt vel media, vel dextra, vel ſiniſtra: ſi media, vt ſi melan-
cholia fiat per cõſenſum a fundo ventriculi, a meſenterio, & iis partib. quę pertinent ad mediã regionẽ ab-
dominis; indicatur remedium retrahens infra abdomen, ad vtramque partem, id eſt, ad crus dextrum, &
ſiniſtrum. Si autem fiat ab hepate; tunc indicatur remedium retrahens infra iecur, ad dextrum crus. Si
fiat a liene, indicat remedium retrahens infra lienem, ad crus ſiniſtrum. Notandum harum propoſitarum
partium ſitum, non indicare retrahens, cum a ſitu non capiatur indicatio: ſed ſitum eſſe ſignum termi-
ni morbifici a quo. Secundo notandum, differentiam eſſe inter retrahens infra, ad dextrum vel ſini-
ſtrum, vt indicatur a motu, ratione vel vtriuſque termini, vel ratione ſolius termini a quo: nam pri-
E mum remedium, reſpicit vtrumque terminum indifferenter, id eſt, ad dextrum & ſiniſtrum; præterea in-
dicat remedium retrahens ad terminum oppoſitum termino a quo, verbi gratia, ſi materia fluat ad de-
xtrum, indicatur retrahens ad ſiniſtrum. At ſi remedium reſpiciat ſolum terminum a quo; remedium
non eſt indifferens, verbi gratia ſi ſurſum moueatur materia in liene, indicatur retrahens infra ad par-
tem ſiniſtram. Terminus ad quem, indicat vel vt attrahit, vel vt ſuſcipit. Si attrahat, cauſſa doloris;
indicat remedium vel ſanans, vel anodynum: Si attrahat cauſſa caloris, indicat refrigerans. Si indicat ter-
minus ad quem, vt ſuſcipit, cauſſa frigiditatis, vel humiditatis; ſemper contrarium indicat. Quodlibet
autem horum remediorum eſt retrahens, verbi gratia, ſi terminus ad quem ſit calidus, indicat frigidum
retrahens, cuius beneficio retrahitur materia, vt non amplius fluat. Cauſſæ etiam generantes ſuas habent 3. A cauſſa generante.
indicationes. Cum igitur materia melancholica ſit ſpuria, vel legitima: ſi fuerit ſpuria, oritur indicatio
F calefaciendi, modo cerebrum, modo cor, prout cauſſa generans materiam ſpuriam frigidam, pertinet ad
cor, vel ad cerebrum. Si legitima ſit materia, ſi generetur vitio agentis, ſiq; ad caput pertineat; non indi-
cat: nam cauſſa generans legitimam melancholiam in capite, eſt intemperies calida, quæ præceſſit; indica-
tio autem non ſumitur a præterito. Si pertineat ad iecur, oritur indicatio refrigerandi iecur. Et ſi mate-
riæ melancholicæ cauſſa generans, eſt calor auctus ratione anguſtiæ, quemadmodum contingere ſolet in
melancholia hypochondriaca: indicatio vtilis non ab anguſtia, ſed a materia obſtruente capitur, vt copio-
ſa materia, ſit euacuanda, viſcida detergenda, &c. Quoad victum melancholicum, ab hoc nõ ſumitur indi- 4. A cauſſa detinente.
catio: ſi enim vſurpentur cibi, qui ſunt materia alimenti indicati a virtute, malum euaneſcit. Quoad cauſ-
ſas detinẽtes, cum ſint vitia lienis, ſedis, vel vteri; ſiue ſint dyſcraſiæ, ſiue obſtructiones: deſumentur indica-
G tiones e propriis capitibus.

De Prognoſticis.

VItium hoc nõn eſt contemnendum, quia læditur actio principalis; vt propterea vitium ſit vehemens Prognoſtica
ratione dignitatis, ſaltem cauſſa melioris vitæ. Vnde cum Hippocrates ait, aph. 53. ſect. 6. deſipientiam
cum riſu eſſe bonam, cum ſtudio periculoſam: Galenus in com. addit, nullam deſipientiam eſſe ſecuram. Prognoſtica
Patet igitur non eſſe vitium deſpiciendum. Quoad vim differentiarum, & primum quoad differentias a differẽtiarũ
forma: ſi imaginatio tantũ corrumpatur; non adeo inſignis eſt vehementia: Si autem cum imaginatione A forma & ſubiecto.

A caussa efficiente.
A caussa externa.
Ab impuritate spiritus animalis secundum substantiam.

corrumpatur etiam ratio; est vitium magis vehemens ratione essentiæ & dignitatis, quia imaginatio in A
priori est cerebri parte, ratio in media. Quoad differentias a caussa efficiente: cum melancholia fiat ab af-
fectione tenebricosa, cuius caussa est φάντασμα, cuius phantasmatis caussa est Externa, vel Interna: Si caus-
sa sit externa, malum est admodum remissum: nam caussa externa est minimæ vehementiæ, ratione essen-
tiæ: vnde cum Alexandro hæc melancholia solo artificio curatur. Caussa interna est spiritus animalis te-
nebricosus: qui, si talis reddatur secundum propriam substantiam; siquidem hoc fiat ratione aeris impu-
ri, hæc melancholia facile curatur, aeris mutatione. Maior est difficultas in curatione, si fiat a spiritu vitali;
tunc enim spiritus animalis magis recedit a naturali statu, vnde maior est vehementia essentiæ: adhæc aer
solum pertinet ad cerebrum, spiritus autem vitalis & ad cor, & ad cerebrum, vnde etiam est vehementia
dignitatis. Ceterum, cum spiritus vitalis tenebricosus generet in corde varias caussas: si gignatur vitio B
agentis, tunc cor est calidum, vel frigidum; dyscrasia frigida vehementior est ratione essentiæ, quam
calida: nam frigida potest esse intensa, calida non, quia esset delirium ferinum: præterea, quoniam cor
suapte natura est calidum, fit vt frigida intemperie exsistente maior sit recessus. Frigiditas cordis produ-
ci potest, vel a frigido & sicco cerebro, vel ab alia caussa: dum paritas seruatur, vitium est peius, si fiat a
cerebro frigido & sicco; nam malum est geminatum, quia adest morbus frigidus & in corde & in cere-
bro; & præterea additur vehementia dignitatis, cum lædatur cor & cerebrum. Verum, si ante cor non
lædatur cerebrum, malum est remissius. Quod si contingat, cerebri frigiditatem esse vehementem, & in
habitu; necessario malum melancholicum vsque ad mortem comitatur: vnde est commen. aphorism. 56.
sect. 6. talis melancholia minatur stuporem, conuulsionem, cœcitatem. Si spiritus vitalis tenebricosus C
producitur ob errorem externum, nimirum vitio materiæ melancholicæ, id est, sanguinis melancholi-
ci in hepate geniti; curari potest, euacuando sanguinem, & iecur refrigerando, si huius ratione spiritus
vitalis reddatur tenebricosus. Hoc autem modo facilius fieri potest, modo difficilius, pro diuersitate
caussæ generantis, de qua paullo post. Si fiat spiritus vitalis tenebricosus, vitio & agentis, & materiæ, vt in
febribus prope mortem; patet vitium esse lethale: Sed hæc melancholia potius est secundaria, quam prin-
cipalis, nam pendet a vitio febris: est autem prorsus mortalis hæc melancholia: nam & agentis & mate-
riæ omnis vehementia est in summo; Agens enim est cordis intemperies febrilis, maxime recedens a sta-
tu naturali, vt insignis sit vehementia essentiæ: est intemperies cordis, quare summa vehementia digni-
tatis & facultatis, morsque est proxima. Materia e qua, est vapor febrilis, maxime recedens a statu natu-
rali, vnde summa vehementia secundum essentiam: nocet cordi, quare vehemens, ratione dignitatis: D

Ab impuritate spiritus animalis ob mistionem melancholiæ.

deiicit facultates, quare vehemens, ratione facultatis. Quod si spiritus animalis (non vitalis) fiat tene-
bricosus ratione permistæ materiæ; oportet perpendere in materia, vehementiam speciei, vitii, caussæ
generantis, & caussæ detinentis. Quoad speciem, vapor citius vincitur; quia minus recedit a spiritu,
quam minera. Et minera spuria facilius curatur, nam recedit solum per colorem: exquisita difficilius,
1 quia etiam recedit secundum alia vitia. Quoad vitium materiæ: ratione quantitatis, vt materia est copio-
sior, ita difficilioris est curationis, vt immineat epilepsia, stupor, cæcitas, ob copiosam materiam, comm.
2. aphor. 56. sect. 6. Ratione qualitatis, quo materia frigidior, siccior, crassior, eo erit difficilioris curatio-
nis, nam adest maior vehementia ratione essentiæ. Ratione quietis, quo materia magis quiescit, eo ma-
lum difficilioris est curationis. Ratione motus, & primum ratione fluxus, prout materia maiori cum im- E
petu mouetur in caput, malum magis redditur periculosum, nam est maior vehementia ratione essentiæ.
Quoad terminos, a quo, & ad quem: si simul perpendantur, si materia prorsus moueatur ab infra ad su-
pra, malum magis est periculosum; minus autem periculosum, si materia incipiat moueri infra: Quod
cognoscens Hippocrates, ait aphorism. 11. sect. 6. atra bile vexatis, hæmorrhoides superuenientes, bo-
num. Si termini motus seorsim perpendantur: quantum ad terminum a quo, vt pertinet ad partes ma-
gis præcipuas, ita etiam augetur periculum, ob vehementiam dignitatis: vnde malum peius est; si prode-
at a iecinore, quam si a liene, ceteris paribus. Quoad terminũ ad quem, minus periculi est, si fiat modo at-
tractionis, quam receptionis. Quoad caussas generantes, si perpendatur caussa generans, ratione materię
3. spuriæ, si fuerit frigiditas, siquidem hæc ad cor pertineat, deterior est; nam magis recedit a naturali statu &
præterea insignis est vehementia, ratione dignitatis, quia in corde. Si hæc intemperies frigida pertineat
ad cerebrum, cum Galeno capite septimo, libro tertio, de loc. aff. si recens sit, facile curatur. Ratione ex- F
quisitæ materiæ melancholicæ, si fiat vitio alimenti, facile tollitur. Si fiat vitio agentis, cum sit calor in-
tensior; difficultas curationis pendet a vehementia essentiæ, & potissimum materiæ: nam caliditas, quæ
ad caput pertinet, iam desiit ante affectum melancholicum, vt curatio dirigatur ad materiam, quæ magis
vel minus vincitur, pro ratione vehementiæ, vt dictum est. Si autem caliditas sit infra caput, ratione es-
sentiæ non est admodum vehemens, alias enim generaretur materia exusta, vnde delirium fieret ferinum;
non melancholicum. Curationis ergo difficultas posita est in materia obstruente, quæ interdum ita est
crassa & viscida, vt non possit expugnari: & vos in praxi obseruabitis, melancholiam hypochondriacam
4. quandoque non posse curari. Detinentes caussæ attinent ad lienem, hæmorrhoidas, vterum. Vnde ma-
lum difficilius; quo lien frigidior, quo lienis obstructio vehementior, quo lienis tumor maior: & G
si tumor sit scirrhus, melancholia est incurabilis: idem dicendum de hæmorrhoidibus, & de vitiis
vteri.

De Curatione.

GAlenus cap. 7. lib. 3. de loc. aff. non proponit, phlebotomiam in melancholia per essentiam, quamuis
malum sit vehemens saltem ratione dignitatis, & virtus robusta. Non autem probat, quia in hac me-
lancholia per essentiam, adest materia melancholica extrementitia, genita a procedente caliditate capitis:
ideoque

A ideoque cum alia sit a sanguine, nec sanguis in toto redundet, Galenus venam non secat. At si contingat,
melancholiam esse per essentiam in capite, & a iecinore generetur sanguis copiosus, vena erit secan-
da. Galenus ergo non admittit venæsectionem, dum respicit ad materiam, quæ est principalis, siue sit im-
mediata, siue mediata. Verum si respiciamus ad caussam sine qua non, Galenus non improbaret venæ se-
ctionem; non enim licet caput euacuare, nisi totum euacuetur. Præterea Galenus loc. cit. respicit ad me-
lancholiam recentem, quæ, vt ipse ait, leuioribus tollitur: at si producatur longius, requirit fortiora, vt to- Venæ sectio
tum sit euacuandum. In melancholia autem per consensum a toto, vena est secanda: nam e necessitate inmelācho-
in toto peccat sanguis vehemens secundum essentiam, cum caput petat; vt vena secta necessario egredia- lia per con-
tur sanguis melancholicus, non tenuis. Ideoque recte intelligendus est Galenus ca. 7. lib. 3. de loc. aff. dum sensum a
B ait, in melancholia si aperiatur vena cubiti, inspiciendum esse sanguinem, & si egrediatur sanguis tenuis, i- toto.
lico esse supprimendum; si autem crassus & melancholicus, esse permittendum vt exeat. Galenus hoc in
loco respicit ad melancholiam, quatenus fit per consensum vel a toto vel a parte: & secat venam ratione
cognitionis, vt scire queat, an sit melancholia per consensum a toto, an per consensum ab hypochondriis.
Sic venæsectio Galeno est signum: siquidem in opere de locis affectis circa signa versatur; nec ibi propo-
nitur vt materia remedii. Quod si ergo sanguis egrediatur non melancholicus: oportet iudicare, melan-
choliam non esse per consensum a toto. Recte ergo diximus in omni melancholia per consensum a toto,
in venis totius redundare sanguinem melancholicum. Hęc de venæsectione gratia melancholiæ per con-
sensum a toto. Quoad melancholiam hypochondriacam; in hac probatur venæ sectio, quia in hypochō- In melan-
driis generatur materia, cum sanguine mista: adhæc ob materiam obstruentem caliditas intenditur: insu- cholia hypo
C per, nisi sanguis euacuetur, tuto non possumus vti calidis medicamentis, ad materiam melancholicam ob- chondriaca.
struentem: adhæc, hypochondriaca affectio est veluti inflammatio, quare conuenit venæsectio, vt ex ac-
cidenti refrigeret. Licet ergo sanguinem euacuare in qualibet melancholia: sed copiosiorem in melan-
cholia per consensum a toto. Quoad rectam amministrationem: pro vehementia sanguinis, quandoque Vsus venæ
confertim licet euacuare sanguinem. Vnde Auicennas in illa melancholia, quam vocat Alchatrab, vnica sectionis.
vice sanguinem euacuat, & iubet detineri foramen apertum ad leipothymiam. Quoad modum, amplius
seu maius foramen faciendum. Quoad tempus, cum sanguis vincit alia indicantia: ideo cum Auicenna
a venæsectione est incipiendum, nisi virtus prohibeat: nam si sit debilis, reficienda virtus, mox vena se-
canda. Et, si virtus non permittat venæ sectionem, ad cucurbitulas confugiendum & ad hirudines. Quo-
D ad Vbi, hoc indicatur a subsistentia sanguinis: Si ergo sanguis in capite contineatur, vena frontis secan-
da, si in toto, vena cubiti, si intra hypochondria, venæ crurum: & in melancholia a toto, si sanguis subsi-
stat & in toto, & in capite, secanda est vena cubiti, & frontis. Ceterum in melancholia per consensum a
toto, si totum est repletum caussa hepatis, secanda vena dextri cubiti: si autem sanguis detineatur in
toto, caussa lienis; secanda vena cubiti sinistri. Et hoc monere volui, eo quod supra dixi, in me-
lancholia locum habere caussas generantes, vt est hepar, & caussas detinentes, vt est lien. In melancholia In melan-
hypochondriaca, nunquam est secanda vena brachii, licet practici hoc non obseruent: fundamentum est, cholia hy-
nam sanguis subsistit infra iecur; & præterea sanguis ille sursum mittit vapores, vt oporteat deorsum re- pochōdria-
trahere, non ad brachia. Adhæc, cum sanguis vitiosus pertineat ad hypochondria, & bonus sanguis at- ca non esse
tineat ad totum (non enim est melancholia per consensum a toto, sed per consensum ab hypochondri- secandam
is) per sectionem venæ cubiti, vacuatur sanguis bonus, & non melancholicus: & facta hac euacuatione, venam cu-
E ne detur vacuum, fit attractio ad superiora sanguinis melancholici. Hinc Galenus capite septimo, libro biti.
tertio, de loc. aff. iubebat, vt in melancholia vena cubiti secetur, & si sanguis non melancholicus egre-
diatur, ilico esse supprimendum: at in venis totius dum sanguis est melancholicus, est melancholia per
consensum a toto: dum autem in toto sanguis non est melancholicus, si est melancholia per consensum,
necessario est melancholia hypochondriaca. Quare in omni melancholia hypochondriaca hoc obseruā-
dum, dum sanguis est euacuandus, vt euacuetur per venas crurum, vel per venas hæmorrhoidū, sic enim
sanguis melancholicus euacuabitur & reuelletur ad inferiora: id quod per sectam cubiti venam nūquam
assequemur.

Quoad Hirudines, quamuis possint applicari hęmorrhoidibus in melancholia per consensum a to- Hirudines.
to: potissimum tamen probantur in hypochondriaca. Sed de his, & aliis, in sermone de dolore capitis e-
F gimus.

Medicamenta sunt Vacuantia, & Alterantia. Vacuantia, vacuant per meatus Sensibiles, vel Insensi- Pharma-
biles. Alterantia respiciunt vel Indicantia, vel Proportionem tum Cerebri, tum Cordis. Cum autem tri- cea.
plex sit melancholia; videndum, quæ medicamenta magis in vna, quam in alia specie probentur. Itaque 1.
quoad vacuantia per sensibiles meatus, & primo in melancholia per essentiam: si hæc materia genita est Vacuantia
e spiritu vitali tenebricoso; caussa sanguinis melancholici probatur medicamentum mite, vt *sena, polypo-* sensibiliter.
dium, epithymus, cum sero lactis, propter iecoris caliditatem, ob quam genita est materia melancholica. At 1. In melan-
si melancholia per essentiam facta sit ob mistionem materiæ melancholicæ, genitæ in capite: hæc melan- cholia per
cholia est vel recens, vel antiqua: Si recens; purgantia medicamenta vehementiora non probantur; ra- essentiam.
tio est, quia materia solum abundat in capite, vnde exigua est materia nec pertinaciter hæret: & Gale-
G nus capite septimo, libro tertio, de loc. affe. gloriatur, se recentem melancholiam per essentiam cu-
rasse solo balneo, & victu euchymo. Si inueterata sit, fortiora sunt vsurpanda, ait Galenus loc. cit. v-
bi per fortiora, non intelligit vehementer soluentia, sed loquitur in respectu ad balneum, & victum
euchymum; quibus medicamentum leniens est fortius. Ad hæc in ea melancholia materia est genita in
capite, vt in toto alii succi possint dominari, nimirum pituitosus & biliosus succus, qui quibus me-
dicamentis purgandi sint, in sermon. de dol. capit. diximus. Quare per fortia, intelligimus medica-

menta, quæ melancholiam in capite exſiſtentem ſtrenue poſſunt euacuare:humor enim in capite exſi- A
ſtens,maxime vacuationi reſiſtit.Sunt autem hæc medicamenta,quæ valide vacuant per os & nares,vt per
meatus ſenſibiles;& quæ vacuant per ſuturas,vt per meatus inſenſibiles: de quibus medicamentis omni-
2. In melancholia per conſenſum a toto.
bus in ſermon.de cephalalgia. Si melancholia ſit per conſenſum a toto: quoad medicamenta,quæ euacu-
ant per meatus ſenſibiles,probatur vacuantia & primas ſuperfluitates,& purgantia materiam melancho-
licam,in toto exſiſtentem:quę medicamẽta modo leuiora,modo fortiora ſunt amminiſtranda,pro vehe-
mentia materiæ.Quæ ſint hæc medicamenta,patet ex alibi dictis.

Notanda in vſu ſoluentium.
At propter iuniores quædam monere oportet. Primum ſi materia melancholica fiat vitio iecoris
calidioris,generantis melancholiam:cum ſoluentibus miſcenda ſunt frigida. Si autem melancholica ma- B
teria reperiatur in toto,cauſſa lienis detinentis,miſcenda ſunt potius calida cum ſoluentibus. Vnde Gale-
1. nus capite nono,libro decimoquarto, metho. cum epithymo miſcet *modo ſerum,modo mulſam,ſerum ra-*
tione iecinoris,mulſam ratione cauſſa detinentis,nimirum lienis. Secundo:cum vti debeamus leuioribus &
2. fortioribus ſoluentibus,& vitium quandoque ſit diuturnum:formulas quaſdam, ſeu receptas trademus:
præſertim modum explicabimus ordinandi *paſſulas*,de quo medicamento in ſermon.de dol.cap.nihil di-
Paſſulæ laxatiuæ.
ximus. Quare ℞ *fol.ſenæ* ℥ *iij epithymi minutim inciſi* ℥ *j. infundantur in infuſione ſolutiua roſarum per 24.*
horas.deinde facta diligenti expreſſione,adde paſſul.dul. ℔. *j. & fiat infuſio in prædicta infuſione,& immittan-*
tur in vas,addito ſaccharo,& ſeruentur ad vſum. Et hoc erit ſatis mite medicamentum,quo poteritis vti ab
℥ ß, ad ℥ ij. & ſi volueritis,vt efficacius operetur;addetis *mel.roſ.ſolutiuum.* Medicamentum autem Forte e-
rit: ℞ *.cort.helleb.nigri* ℈ *iiij. ſem.aniſi,citri,cinnamomi , an.* ℨ *vij. paſſul. d.* ℥ *ij.fiat infuſio in ſero lactis:dein-* C
de facta diligenti expreſſione,adde manna el. ℥ *ij. Miſ.& fiat potio breuis. Hic helleborus niger eſt baſis: ſerum,*
frigiditate ſua helleborum corrigit, & detergendo adiuuat:ſemina cum cinnamomo corrigunt vim hellebori ni-
gri deleteriam,vt ſunt medicamẽta cordialia;ſua etiam caliditate & tenuitate adiuuant:paſſulæ autem vt dul-
ces,corrigunt amaritudinem;vt habent vim lubricandi,adiuuant:manna,vt dulcis, corrigit amaritudinem;vt
3. *habet vim leniendi,adiuuat.* Tertio notandũ circa Quando,in melancholia per cõſenſum a toto,circa va-
cuantia leuiora & fortiora. Hæc melancholia correſpondet quartanæ exquiſitæ : in qua Galenus libro
primo ad Glaucon.capite proprio præcepit,primum vtendum eſſe leuioribus,mox fortioribus:nam ma-
teria melancholica in principio indicat leuiora,& prohibet fortiora, quoniam in principio eſt craſſa, &
non eſt æqualis : vnde leuiora medicamenta alliciũt portionem minus craſſam,nec agitant craſſiorem,
nam ſunt debilia : at fortiora agitant illam materiam,ideoque primum leuioribus vtendum. Prçter- D
ea medicamenta leuiora ſæpius ſunt exhibenda,fortiora raro:vnde Aetius probat *epithymum* quotidie,&
Auicennas ſingulis menſibus,non quotidie,vacuat cum fortibus:fundamentum ſumitur a virtute; quia
4. virtus non perfert fortia ita frequenter vſurpata. Notandum quarto de medicamentis lenientibus,quod
interdum ſint prætermittenda:quod præceptum colligitur a Galęno in libro de melancholia ſecundum
Ruffi ſententiam:vbi inquit,melancholicos quandoque ad ſanitatem perduci,dum dimittuntur medica-
menta;nam virtus aſſiduo vſu medicamentorum languet. Verum tum a medicamentis deſiſtendum eſt,
cum maiori difficultate ægri ea perferunt. Hoc autem tempus eſt æſtiuum,& hyemale:vnde Galenus cap.
1.lib.quos & quando,&c.ait,purgandos eſſe melancholicos,& melancholiæ obnoxios, autumno, & vere
ineunte ; ad differentiam illorum corporum,quæ ſunt obnoxia bilioſis morbis.Nam materia melancho-
lica,& ſimiliter pituitoſa,in veris initio magis poſſunt,quam materia bilioſa: etenim per hyemem humor E
genitus & collectus ita vrget, vt,niſi veris initio purgetur,procedente vere moueatur, & morbos efficiat.
At materia bilioſa,cum exigua ſit in principio veris,& copioſior vere gignetur magis,quam hyeme; cum
periculum ſit,ne agat ineunte æſtate; in fine veris eſt purganda. Verum cum Galenus loc.cit.reſpiciat ad
præſeruationem,ſi contingat vt malum melancholicum ſit admodum vehemens, vel æſtate, vel hyeme;
5. his etiam temporibus oportet purgare materiam,quia tum maxime poteſt ad indicandum. Quincto no-
tandum,materiam melancholicam interdum adeo eſſe contumacem , vt medici *antimonio* vti cogantur,
& quandoque *veratro albo.*

3. In melancholia hypochõdriaca.
Hæc dicta ſint cauſſa melancholiæ per conſenſum a toto. Quod ſi melancholia fuerit hypochon-
driaca;ſecundum Auicennam, antiqua multoties indiget vomitu, cum *veratro albo.* Ceterum, cum in
melancholia hypochondriaca etiam pituita peccet : propterea hic probantur purgantia, quæ non modo F
melancholiam,ſed etiam pituitam educunt;eaque cum leuiora,tum fortiora, quæ in dolore capitis fue-
re propoſita. Verum Auicennas in malo pertinaci probat *album veratrum* ; ſicut & Græci. Sed con-
ſulo vt ab eius vſu caueatis : nam inſigne detrimentum poteſt afferre : de quo Oribaſius diligenter & pro-
lixe.

II. Diaphoretica.
1. Debilia. Balneum.
Medicamenta vacuantia per inſenſibiles meatus,ſiue citra ſudorem , ſiue cum ſudore; ſunt debilia,
mediocria,& vehementia. Debilia etiam inter diæteticas materias recenſeri poſſunt,vacuantq; excremẽ-
ta tertiæ concoctionis:inter quæ præcipuum eſt *balneum aqua dulcis* ; quod probatur in qualibet melan-
choliæ ſpecie,at diuerſa ratione. Breuiter ergo ſciendum,balneum pertinere ad ſolium frigidæ, ad aerem,
ad ſolium calidæ. Solium frigidæ in nulla melancholia probatur:prohibetur enim a materia melancholi-
ca frigida,ab intemperie frigida nondum morboſa,& morboſa,in melancholia per eſſentiam ; hæc enim G
a ſolio frigidæ intenderentur: Nec conuenit in melancholia per conſenſum a toto, prohibet etenim fri-
giditas totius: In melancholia denique hypochondriaca,cum incipiat totum refrigerari, frigidum etiam
balneum improbatur. Præterea in affectu melancholico(:ad differentiam febris hecticę,cui ſolium frigi-
dæ conuenit:) nec febris adeſt,nec virtus debilis,cuius ratione opus videatur aqua frigida, calidum inſti-
tum vniente. Aer balnei eſt calidus,& habet vim euacuandi: vnde probatur magis in melancholia per cõ-
ſenſum a toto , minus in melancholia per eſſentiam ; adhuc minus in melancholia hypochondriaca.
Ratio

A Ratio eſt,quia in melancholia per conſenſum a toto,aer balnei vacuat materiam melancholicam in toto
exſiſtentem,in melancholia per eſſentiam,materia eſt ſolum in capite,vt vacuari poſſit ſolio calidæ, aere-
que balnei exiguo ſit opus:in melancholia hypochondriaca,cum materia reſideat in hypochondriis , aer
non ita agit in illas partes;& excrementa totius corporis,tertiæ ſcilicet concoctionis , ſolio calidæ euacu-
antur,vt non ita egeamus aere balnei.Solium calidæ,mediocriter excedentis , cum ſit inſignis caliditatis,
calefacit & euacuat:ideoque probatur in affectione melancholica,in qua agemus euacuatione.At ſolium
modo debet eſſe calidius,modo minus calidum:in melancholia per conſenſum a toto probatur calidius:
minus calidum in melancholia per eſſentiam:& in melancholia hypochondriaca ſufficit caliditas ad ex-
crementa tertiæ coctionis euocanda.Varius ergo balnei vſus eſt.Quoad quantum,cum actio ſit vehemẽ- Vſus balnei.
tior in melancholia per conſenſum a toto:ob id æger in hac melancholia diutius debet detineri , & in ae-
B re,& in ſolio,quam in reliquis melancholiæ ſpeciebus.De modo,Et aer,& ſolium calidæ , in melancholia
per conſenſum a toto,debent eſſe actu magis calida. Quoad quando:ſunt adminiſtranda balnea,dũ ma-
teria vincit alia indicantia:non autem dum vincitur a materia replente partes internas: quare eſt admini-
ſtrandum balneum poſt medicamenta vacuantia per ſenſibiles meatus.Quoad vbi agẽdum: ratione ſub-
ſiſtentiæ excrementorum tertiæ coctionis,in qualibet melancholiæ ſpecie , balneum eſt toti corpori ad-
hibendum.Et ratione materiæ melancholicæ,ſi melancholia ſit per eſſentiam in capite,balneum præſer-
tim circa caput vſurpandum:ſi melancholia ſit per conſenſum a toto,toti adhibẽdum: in hypochondria-
ca,hypochondriis;vt hypochondria foueri poſſint ſpongia,aqua calida madefacta ; at propter calidum
innatum,*aliquid maſtiches* miſcendum.Hæc ergo mitis eſt materia,vacuans per meatus inſenſibiles. Me- 2. Medio-
C diocris materia poteſt eſſe inunctio,quæ ſæpius cum balneo adminiſtratur. Vnde cum Aetio probatur cria dia-
inunctio *e nitro,& oleo non aſtringente,& proinde cõmuni,vel chamæmelino,vel anethino*; vt liceat pro qua- phoretica.
libet vnica olei,immiſceri nitri ℈j.vſque ad ℈iiij.Et probatur hæc inunctio potiſſ.in melancholia per cõ- Externa.
ſenſum a toto.Quoad vſum,quædam admonebimus,circa modum,& vbi. Quoad modum,inunctio ad-
hibeatur calide & fricando:quia frictio,vt magis poteſt exercitatione,ita eſt in cauſſa , vt melior fiat eua-
cuatio materiæ melancholicæ:vt aliqua e parte,com.aph.15.ſect.3.colligitur.Quoad Vbi, in melancholia
per eſſentiam inunctio ſecundum caput probatur:in melancholia per conſenſum a toto,toti applicanda:
in melãcholia hypochondriaca hypochondriis.Adhæc inter mediocriter vacuantia per meatus inſenſi-
biles,connumerare licet calida,infra quartum gradum,quæ ſint tenuia,& expertia formæ ſummę actiui- Interna.
tatis,vt eſt *ruta,anethum,chamæmelum.ſerpillum,puleg.cyminum,feniculum, daucus ; ius galli , ius columbæ,*
D *quorum animalium ventres ſunt replendi iam propoſitis medicamentis:Sed inter hæc licet etiam recenſere aro-*
maticum roſat.diacyminum,quæ medicamenta potiſſ.probantur in melancholia hypochondriaca,in qua
generatur materia melancholica viſceris caliditate accidentali;nam,vt ſuo loco audiuiſtis,intenditur ca-
liditas,propter obſtructionem.Quoad fortiora vacuantia per inſenſibiles meatus,Auicennas probat *ſcil-* 3. Fortiora
lam,magnas antidotos,quemadmodum etiam Galenus *theriacam* probat in quartana. Monebat Aetius, diaphore-
theriacam hyeme & vere incoante eſſe exhibendam,in affectu melancholico frigido. Valeant igitur;qui tica.
in febribus quolibet tempore,etiam æſtiuo,exhibent theriacam,& ſic ægros interficiunt. Inter fortiora
in melancholia hypochondriaca,probantur medicamenta *e chalybe,e guaiaco,e ſynapi*.Medicamentum e Vide Aetiũ
chalybe erit proponendum in malis lienis,infra c.26.l.3.Nunc notandum , *chalybis limaturam optime eſſe* c.11.l.2 itẽ
conterendam,& detinendam per plures dies in aceto:metalla enim ita fiunt tenuiora,& minus mordacia : ace- que de hac
tum autem debet eſſe antiquum & acerrimum,& confectum e vino non aſtringente. Ponatur autem hoc me- metallico-
E *dicamentum ad ignem per plures dies:ſed melius eſt vt præparetur in diebus canicularibus Sole illo feruido : &* rum elabo-
*oportet miſcere attenuantia & diſſoluentia propoſita,& cordialia cito proponenda.*Quoad *guaiacum*,cum hoc ratione le-
etiam oportet miſcere reſoluentia,cordialia,capitalia,& potiſſimum ſaſſafras. Quoad *ſinapi*; eſt medica- ge Gal c.2.
mentum rubrificans,quod conficitur ſecundum Aetium c.10.l.6.*e ſinapi & ficubus ſiccis* : & hoc medica- l.2 c.3 l.3.e
mentum applicatur parti hypochondriorum affectæ. 7.l.4. κατὰ γένη.

Alterantia,reſpiciunt Indicantia,& Proportionem.Indicantia ſunt vel Contenta,vel Continentia. III.
Cauſſa contenti,conueniunt in omni melancholia alterantia ; nam in omni melancholia adeſt materia Alterantia.
melancholica contenta:ſed in hypochondriaca,reſpicere etiam oportet ad pituitam.Quæ autem ſint al- 1.Quæ alte-
terantia pituitam & melancholiam;diximus in ſerm.de dol.cap. Verum , in iuniorum gratiam,cum ma- rant con-
teria melancholica ſit frigida,ſicca, craſſa,& quandoque dura:cauſſa calefaciendi & humectandi licet vti tenta.
F *borag.bugloſſo,liquiritia*,cauſſa attenuationis,licet vti *meliſſa,ruta,ariſtol.ſcilla*;oportet miſcere *acetum* , &
præſertim ſi pituita ſit permiſta.De aceto dubitatur,quia Auicennas ait,timorem eſſe propter malitiam:
quod etiam inſinuaſſe videtur Hippocrates,com.38.l.3.de vict.acut.Dicendum,improbari acetum ſim-
plex,quod vim habet ſiccandi,& refrigerandi:non autem improbari acetum miſtum. Vnde Aetius pro-
bat acetum acre,vinoſum,miſcenda autem ſunt calida,& ratione ſiccitatis etiam humida , vt *borag.iuſcu-*
lum:& Aetius dabat poſt cibum,nam ob cibi præſentiam non ita cito agit in ventriculum , corrigiturque
a cibo.Poſtremo in affectu melancholico,propter duritiem materiæ,probãtur,*malua,althæa paſſulæ dulc.*
amygdalæ,&c. Vſus horum ex alibi dictis patet. Reſtant ea,quæ continentia alterant: Continentia ſunt 2.Quę alte-
Totum,vel Pars.Cauſſa totius,ſolum in melancholia per conſenſum a toto refrigerato & exſiccato, pro- rant conti-
batur *balneum aquæ dulcis,citra ſudorem*;nam vbi eſt ſudor,materia medicinalis eſt vacuãs, de qua in præ- nentia.
G ſentia non loquimur.Et in adminiſtratione huius balnei,in melancholia ſcil.per conſenſum a toto , miſ-
ceatur *malua,althæa,borago,decoquantur carnes pingues*,& præterea totum corpus inungatur *ol.amygd.vel*
adipe gallinaceo,addito,cauſſa penetrationis,exiguo vino tenuis ſubſtantiæ. Cauſſa partis,id eſt , capitis,
cordis,ventriculi,iecoris,lienis,& vteri;vt partes afficiuntur morbis calidis vel frigidis , ita variis oportet
vti medicamentis:de quibus in propriis capitibus.Propter iuniores.Si,verbi gratia,pars ſit calidior,vti ll-

cet *fero caprino*, *thermis refrigerantibus*, *vt est balneum B. Mariæ virginis in agro Patauino*; *aqua refrigerans*; A
licet etiam vti conferuis refrigerantibus. Si pars sit frigidior, probatur *aqua Aponensis*, bibita ratione partis frigidę: nam fecus interficietis ægrotantes. Extra sint ol. calefacientia, conferuæ, de quib. in prop. cap.

3. Cephalica. Quoad alterantia, respicientia Proportionem: quæ respiciunt capitis proportionem, fuere proposita in

4. Cordialia lætificãtia. sermone de dolore capitis. Quæ respiciunt proportionem Cordis, proponuntur a Rhase in c. de melancholia, vbi probat *medicamentum Lætificans*, quod cum admodum sit compositũ, si quis desideret lætificans minus compositum, ita poterit præscribere: ℞ *succi melissæ, cum saccharo depurati* ℥ß. *sem. citri mundat. or. cortic. citri ana* ʒj. *croci* g̃v. *dianthos* ʒj. *cum syrupo de corticibus citri, fiat electarium: cuius dosis sit a* ʒj. *vsque ad* ℥ß. Adhuc minus compositum lætificans esse potest: ℞ *succi melissæ* ℥ß. *sem. citri* ʒjß. *conserua melissæ dianthos, ana* ʒj. *Mis. & fiat electarium. Dosis a* ʒjß. *ad* ʒvj. Adhæc licet vti *diambra*, *diamoschu*, *gallia moschata*, *magnis antidotis*. Hæc ergo sunt lætificantia calida. Lætificantia frigida sunt *acetosa*, *acidum citri*, B *caphura*, *santali*, *margaritæ*: De quibus infra c. 8. l. 2. vbi de cordis παλμῷ. In affectu ergo melancholico, pro vario corporis statu, vtendum, modo calidis, modo frigidis, modo mistis. Vsus patet ex alibi dictis.

Diæta. Materia diætetica erit eadem, quæ in dolore cap. a melancholia est præscripta. Sed primum notandum, cum melancholia sit malum diuturnum, probari victum conseruantem, non minuentem, nec augentem. Et si contingat, vt corpus euadat siccius; probatur victus augens. Secundo notandum, cum alimentis miscenda esse lætificantia: & condienda cibaria, *borragine*, *buglossa*, *& melissa etiam*, nisi calor partis prohibeat. Et in melancholia hypochondriaca probatur etiam *acetum acre*, cuius cochlear vnum dabat Aetius, post omnem cibum; hoc enim minus siccat, & attenuat, & (quod maioris est vtilitatis) reddit cibũ attenuantem, vt in hypochondriaca materia crassa obstruens vincatur. Vltimo ea probantur animi accidentia, quibus minuitur affectio tenebricosa, vnde Paullus ait, mentem ad alia esse auertendam; quod C fieri potest verbis, & proinde per medium sensum auditus; item operibus, & per medium sensum tactus; verbis, vt cantu, fabulis, operibus, vt imponendo capiti pileum grauem, vt melancholicus non amplius imaginetur, se esse sine capite, &c.

CAPVT XII.

De Mania.

Nomen. Generatio. MElancholiæ affinis est Mania, seu furor; nimirum delirium citra tumorem, cum excandescentia, vt sæpenumero assidentes percutere tentent. Generatur hoc malum, dum capiti occurrit caussa calefactiua ex vsu, citra tumorem, vt cerebrum afficiatur secundum substantiam; & ita afficiatur, vt generetur spiritus animalis non tenebricosus, sed igneus; vt phantasma igneum euadat; cerebrumque afficiat D

Definitio. veluti ignea affectione; vt corrumpatur actio cerebri principalis, nempe vel imaginatio, vel ratio, vel vtraque. Delirium igitur maniacum est functio corrupta principalis cerebri, dependens ab affectione i-

Forma. Subiectum. gnea, ex vsu affecto capite, citra tumorem. Forma & subiectum colliguntur e Galeno, cap. vlt. lib. 2. de causs. sym. dum ait, in mania deprauari principes facultates cerebri. Aetius hanc functionem dicit effeimaginationem.

Caussa efficiens. Caussa efficiens est affectio ignea: per quam mania distinguitur a delirio melancholico, in quo affectio est tenebricosa. In hunc sensum Galenus scribit, cap. penult. lib. de vsu respirat. maniam produci a spiritu igneo. Sicut enim spiritus animalis tenebricosus, producit phantasma tenebricosum, vt cerebrum afficiatur affectione tenebricosa: ita spiritus animalis igneus, producit phantasma igneum, & hinc affectionem igneam. Addimus: ex vsu affecto capite; vt hoc delirium maniacum distingueretur, a delirio maniaco, quod fit in accessionibus febrium biliosarum: nam in his febribus spiritus animales ignei euadunt, E propter vapores, qui non sunt ex vsu; vnde spõte dissipantur. At in mania, spiritus animalis redditur igneus, affecto capite ex vsu, id est, affecto capite a caussa morbifica, quæ vtile indicat, ad differentiam vaporũ. Hæc caussa morbifica duplex est: aut enim mania fit e Mordacibus succis, aut e Calida intemperie, com. aph. 53. sect. 6. cap. vlt. lib. 2. de caus. sym. Spiritus ergo animalis igneus, est opus præter naturam; quod modo fit ob errorem externum, qui est mordax succus; modo labefactata facultate cerebri, ob calidam intemperiem. Similiter functiones principales in hoc malo læduntur, modo ob errorem externum, modo ob læsam facultatem: nam cerebri calida intemperies, & generare potest spiritum igneum, & esse in caussa functionis corruptæ: vehementior tamen est, ratione læsionis functionum principum, quam ratione generationis spiritus ignei. Itaque cum duo sint ex vsu, videlicet, calida intemperies, & mordax succus: F Quoad calidam intemperiem, caussas habet, de quibus dictum in sermone de dolo. cap. Quoad succum mordacem, vt colligitur e com. aph. 56. sect. 6. hic succus est sanguineus, biliosus, atrabilarius. Sanguinem proponit Galenus, aph. 40. sect. 5. succum biliosum & atrabilarium, aph. 56. sect. 6. Hic succus gignitur in iecore, vel Læsa facultate, ob caliditatem iecoris, vel etiam propter obstructionem: sed præterea generari potest ob Errorem externum, id est, ob chylum calidiorem in ventriculo genitum, e victu calidiore. Po-

Mania non est cum tumore. stremo dictum fuit in definitione, citra tumorem: vt mania distingueretur a phrenitide: nam in phrenitide est corrupta functio principalis cerebri, dependens ab affectione ignea, affecto capite ex vsu; sed cum tensione, cum tumore. Hanc ob caussam in phrenitide necessario coniungitur febris: mania sæpe est sine febre.

Differentię. Quoad differentias, & primum a forma; dicendum, actionem læsam corruptam, esse vel Imaginationem, vel Rationem, vel Vtramque. Ratione subiecti: cerebrum afficitur, secundum partem vel Ante- G riorem, vel Mediam, vel Vtramque. Ratione caussæ efficientis: hæc est, vel Intemperies calida, vel Succus mordax: & hic succus, vel est Sanguineus, vel Biliosus, vel Atrabilarius.

Signa. Mania in genere leuissimo negotio cognoscitur: videlicet ex imaginatione corrupta, cum excandescentia, cũ procliuitate ad percutiendum. Facile etiam cognoscuntur differentiæ a forma, & subiecto, e traditis

A traditis in doctrina de phrenitide. Quoad differentias a caussa efficiente: Si caussa efficiens sit intemperies; cognoscitur e delirio perpetuo vniformi, quod simile est delirio ebriorum, secundum Galenum aph. 53. sect. 6. Si autem caussa sit succus, cognoscetur e delirio nec assiduo, nec vniformi: nam succus modo nõ fluit, modo fluit: & fluens, modo fluit in maiori copia, modo in minori; vt propterea non sit vniforme delirium. Quis autem sit succus, cognosci potest ex Aetio, & e Galeno aphor. 53. sect. 6. si en imsuccus fuerit sanguineus, cum excandescentia erit risus: si biliosus, cum excandescentia erit studium: si atrabilarius, & quidem per putrefactionem, cum excandescentia erit fletus, si per adustionem, alios æger percutit, & proprias carnes mordet, &c. Præsidia haurienda sunt e Subiecto & Caussa efficiente. Quoad subiectum, cerebri proportio cum calido innato seruanda. Caussa efficiens, est affectio ignea; & quod in cerebro est ex vsu.

Indicationes.

B Ab affectione ignea, indicatur anodynum. A caussa ex vsu, indicatur præsidium sanans. Nam ab affectione ignea, dum mens ad alia adducitur, solummodo mitigatur delirium, potestque redire: & ideo præsidium hoc non est sanans, sed anodynum. Caussa ex vsu, secundum Alexandrum, si est intemperies, indicat alterans per contrarium, id est, refrigerans: Si succus mordax; hic succus indicat & secundum speciem, & secundum vitium. Species succi triplex est: ideoque triplex prodit præsidium determinatum. Quoad vitium: si in mania succus putrescat, est eradicandus. Et quia copia peccat, est minuendus. Et quia est calidus & siccus, per contrarium est alterandus. Et quia in mania peccat, ratione motus, & quietis: ratione motus, indicat retrahens ad inferiora; & cum terminus a quo sit iecur, indicat retrahens deorsum & dextrorsum, sicut docuimus in doctrina de melancholia: ratione quietis, indicat discutiẽs; quatenus in capite, indicat discutiens materiam quiescentem in capite.

C Malum hoc periculosum est: nec enim vlla desipientia est secura. aphor. 53. sect. 6. quia semper adest vehementia, ratione essentiæ, & dignitatis. Ratione essentiæ; & ratione symptomatis, quia est functio principalis corrupta, est magnus recessus a naturali statu; & ratione caussæ; hæc enim ipsa quoque multum recedit a naturali statu. Dignitatis est vehementia; quia malum pertinet ad cerebrum. Periculum autem varium est, pro vehementia differentiarum. Vnde quoad formam, vitium hoc maniacum est magis periculosum, si duæ lædantur functiones: quia insignior est vehementia ratione dignitatis, cum cerebrum secundum duas partes afficiatur. Quoad caussam efficientem, malum peius est, si intemperies simul cum succo mordaci vigeat. At si caussa seorsim perpendatur, intemperies in habitu est pessima; nam vitium ratione essentiæ est maximum. Quoad succum; prout hic varius est, ratione speciei, & vitii: ita vario modo prognosticandum. Quantum ad speciem; mania est minus periculosa, si fiat a sanguine; magis periculosa, si fiat a bile; maxime periculosa, si ab atra bile, & præsertim si succus atrabilarius genitus est per

Prognostica in genere.

Prognostica differentiarum.

D adustionem; nam hic succus in capite exsuperans, maxime recedit a naturali statu. Quoad vitium succi; delirium maniacum est magis periculosum, dum materia morbifica magis putrescit, vel magis est copiosa, vel magis acris, vel magis cum impetu in caput mouetur: nam magis hæret & figitur: hæc enim vitia magis sunt vehementia secundum essentiam. Hippocrates aphorismo 5. sect. 7. ait: a furore difficultas intestinorum, vel hydrops, vel mentis alienatio, bonum. Difficultas enim intestinorum & hydrops, sunt signa, quæ significant materiam morbificam deorsum retrahi, nec ita esse vehementem secundum essentiam, secundum vitium in motu, quia materia retrahitur infra. Per mentis alienationem Galenus intelligit delirium, quando in furore delirium fit vehemẽtius: hoc enim est bonum signum, quod dirigitur ad materiam, vt peccat secundum quietem; significat enim materiam pertinaciter quiescentem iam incipere moueri; vt minor sit vehementia ratione essentiæ.

Explicatio aphorismi 5. sect. 7.

E Quoad materias cheirurgicas, probatur venæsectio in furore, si sanguis peccet, vel vt caussa principalis, vel vt adiuuans, vel sine qua non. Sanguis principaliter, concurrit, si mania fiat a sanguine: est caussa adiuuans, si mania fiat a materia mista cum sanguine: concurrit, vt sine qua non, si in mania sanguis abundat extra caput. Vnde Aetius ad hoc postremum respiciens, dicebat venam esse secandam, vt aliis auxiliis detur locus. Notandum, si in hoc malo sanguis peccet, verbi gratia, vsque ad libram; potius libram esse vacuandam, quam ℥xj. nam præter vitium in copia, in mania etiam adest vitiũ in caliditate: beneficio venæsectionis, principaliter euacuatur sanguinis copia; secundario feruor exstinguitur. In recta administratione, digrediemur circa Quantum, & Vbi. Quoad Quantum; cum sanguis sit summæ actiuitatis, in hoc malo: expedit vna vice euacuare, si vires tolerent. Quoad Vbi; si sanguis subsistat in toto, & in capite; cum Aetio tundenda cephalica: Si in toto saltem redundet sanguis; tunc sanguinis subsistentia sequitur vel copiã,

Curatio. Venæsectio.

F vel motum: si copiam, aperiatis venam cubiti vel communem, vel internam: si sequatur motum, aperiatis venam crurum. Si sanguis tantum reperiatur in capite; cum Aetio aperienda vena frontis; & cum Auicẽna possunt etiam aperiri venæ sub lingua. Alexander addit cucurbitulas, hirudines, puluerem acrem: vt cruentum & sanguinolentum reddatur caput. Notandum autem circa puluerem acriorem, quod numerari possit inter materias medicinales, dum puluis agit citra solutionem vnitatis: inter cheirurgicas, dum agit cum solutione vnitatis, sicut hoc in loco, dum caput reddit cruentum. Ad has tamen materias nõ est confugiendum, nisi materia pertinaciter sit impacta.

Alia præsidia cheirurgica.

Medicamenta probantur, vt in phrenitide, & vt in dolore capitis a sanguine, & a bile. Quædam tamen hic notanda. Quoad vacuantia per meatus sensibiles, probantur vehementia in mania; nam materia morbifica est vehemens; & maniacus non admittit medicamenta copiosa; & præsertim vsurpari possunt,

Pharmaceia, Vacuantia.

G cum non sit febris. Caussa igitur bilis, detur *dacrydium*: propter atram bilem, detur *veratrum nigrum*. Et quoniam maniaci non sunt obedientes, secundum Paullum exhibebuntur medicamenta *cum placentis, cum ficubus, cum passulis*; Alexander etiam dabat *cum ouis*. Medicamenta autem hæc vehementer soluentia, quamprimum sunt exhibenda; materia enim magis est potens, quam materia furiosa. Medicamenta, caput vacuantia, etiam sint fortiora: & propterea Aetius ascendebat *ad Elaterium, ad album veratrum*.

1. 2. 3.

[illegible] per inſenſibiles meatus: Alexander probat *balneum aquæ dulcis*, & iubet, vt patiens A
[illegible] in ſolio calidæ detineatur, quo vapor acris euocetur. Alterantia eadem conueniunt, quæ
in d[illegible] materia acri. Quoad continens autem, cum ſit vel totum, vel pars ratione totius, probat
Alexander vt poſt balneum totum corpus inungatur *hydrelæo, aqua, & oleo.* Ratione capitis, quod debet
refrigerari, Aetius frigida applicat capiti: Paullus admouet *oxyrrhod. ol. roſ.* Auic. ſi calori iungatur ſiccitas,
addit *lactuc. papau.* & ratione caloris naturalis cerebri, cum frigidis miſcet *chamæmelum.* Cauſſa iecoris,
probantur frigida, de quib. in mal. iecoris.

Victus ratio.

Diæta ita eſt inſtituenda, vt fuit propoſitum, in dol. cap. & phrenitide. Notandum igitur cum Aetio
in hoc malo improbari dulcia, nam bileſcunt. Auicennas improbat obſtruentia: nam materia morbifica
non eſt detinenda. Probat autem quæ mouent vrinam: vnde in mania vtendum diureticis validis, & in
magna doſi, vt materia cito euacuetur, & non cogamur frequenter vti diureticis. Quoad potum; Aetius B

Potus.

ſuadet, vt a vino penitus abſtineamus: aut ſi exhibendum ſit vinum, raro exhibeamus. Alexander vſu po-
ſtulante, modicum vini exhibet, quod caput non petat. Auicennas dicit, vinum eſſe exhibendum in de-
clinatione, ſed admiſta plurima aqua. Ratio horum omnium dictorum eſt; quia vinum dum calefacit, &
materias in caput ducit, habet rationem cauſſæ morbificæ; quatenus autem nutrit, habet ratioñe alimen-
ti; quare probatur ſolum vt materia alimenti. Vnde in mania, ſi magis poteſt virtus quam materia morbi-
fica; probatur vinum: ante declinationem magis poteſt materia; in declinatione magis poteſt virtus: vinũ
ergo in declinatione eſt exhibendum. Vigiliæ in hoc malo ſuperant: ideo ſomnus conciliandus, cibique

Somnus. Inanitio. Quies. Animi accidentia.

condiendi *papauere.* Quoad inanitionem, ſi aluus ſit ſtiptica; opus eſt vti clyſmo, ſecundum Auicennam.
Quoad motum & quietem, cum agitentur maniaci, quies debet ſuperare motum: vnde cum Paullo inter-
dum in lecto ſunt ligandi. Poſtremo, quoad animi accidentia: cum Galeno aphor. 23. ſect. 6. quia maniaci C
promtiſſime incidunt in furorem, occaſione cauſſæ externæ; ob id ſtudendum, vt vſurpentur animi acci-
dentia, quæ furorem mitigare poſſunt: & hoc tum verbis, tum operibus eſt efficiendum, & ita operibus, vt
interdum etiam verbera adhibeantur.

CAPVT XIII.

De Memoria & Ratiocinatione læſis.

Nomen.

IN eodem capite de labefactata memoria & ratione verba faciemus: nam Galenus cap. 5. lib. 3. de loc. aff.
voluit vtrumque malum a ſimili morbo proficiſci: vt, ſi vna vehementer lędatur, neceſſarium ſit vtram-
que facultatem lædi, cum vna alteri compatiatur. Quoad Nomen, læſa memoria, dicitur obliuio morbo-
ſa exquiſita: obliuio enim quid commune eſt, memoriæ & imminutæ & ablatæ. Dicitur autem morboſa, D
ad differentiam non morboſæ, de qua Galenus cap. 12. lib. art. med. loquitur, inquiens, obliuionem indi-
care humidam cerebri ſubſtãtiam. Obliuio autem morboſa fit, vitio vel Obiecti, vel Organi, id eſt, aut ob
errorem externum, aut labefactata facultate. Si ob errorem externum, eſt obliuio morboſa, ſed non ex-
quiſita, vt in phrenitide, de qua in præſentia non loquimur: Si fiat læſa facultate; hæc vel Impeditur, vel
Labefactatur: impeditur in epilepſia, apoplexia, & de hac non loquimur: ſi labefactatur, eſt obliuio mor-
boſa exquiſita, de qua nos in præſentia, & Galenus cap. 5. lib. 3. de loc. aff. Vitium ratiocinatricis, dicitur
diſcurſus morboſus, vt quid commune diminutæ & ablatæ rationis. Vnde Galenus dicit; cap. vlt. lib. 2. de
ſympt. cauſſ. cap. 5. lib. 3. de loc. aff. ſi ratio imminuatur, vitium vocatur μωρία, & μώρωσις: ſi auferatur, dici-
tur amentia, fatuitas, ſtultitia, ſtoliditas. Intelligitur autem ſtultitia morboſa exquiſita, quæ fit non impe- E
dita facultate, vt in epilepſia, ſed labefactata ob intemperiem. Eadem igitur dyſcraſia in poſteriori cerebri
parte eſt cauſſa obliuionis; in media parte eſt cauſſa diſcurſus morboſi exquiſiti. Quod ſi ergo diligenter
ſermo fiat de obliuione, nihil deſiderari poterit circa læſionem diſcurſus.

Tranſitio.

Vt autem intelligatur generatio obliuionis morboſæ exquiſitæ, primum intelligendum, quomo-
do memoria fiat ſecundum naturam: hinc enim patebit etiam, quomodo & ratio & imaginatio ſecundũ

Ad functiones principes obeundum, tria neceſſaria. Agens.

naturam obeantur. Breuiter ergo ſciendum, ad functiones principes obeundum, tria eſſe neceſſaria: vi-
delicet Agens, Inſtrumentum, & Obiectum. Agens eſt anima, & proinde ſubſtantia inuiſibilis, quæ nec
intenſioni, nec remiſſioni eſt ſubiecta; vnde ſi ſenex haberet oculum iuuenis, videret inſtar iuuenis. In a-
nima autem reperitur facultas, ad omnes animæ functiones obeundas inſtituta. Facultas vero non ope-
ratur, niſi euadat determinata; cum vnius facultatis vnica tantum ſit functio. Hinc in cerebro triplex eſt
principalis actio, quia tres ſunt in cerebro facultates determinatæ. Ceterum, cum facultas communis & F
indifferens degeneret in determinatam, ſciendum, determinari eam beneficio proportionis ſui inſtru-
menti; quæ proportio in cerebro, vt cerebrum eſt ſimilare, pendet a determinata proportione ſubſtan-
tiarum elementorum: vt autem proportio reperitur in cerebro, quatenus eſt diſſimilare, pẽdet a propor-
tione eorum, e quibus conſtituitur compoſitio, id eſt, a conformatione, magnitudine, numero, & com-

Inſtrumentum.

poſitione; vnde proprietas compoſitionis nominari poteſt. Inſtrumentum eſt cerebrum, ſed præditum &
calore innato, & cõſtitutione. Per calidum innatum, intelligimus calidum ingenitum in cerebro, ſed mi-
ſtum cum ſpiritu animali, qui ſpiritus non pertinet ad ventriculos cerebri, ſed ad propriam cerebri ſub-
ſtantiam. Per cõſtitutionem intelligimus temperiem cerebri, compoſitionem, & vnitatem. Si hæc duo in-
ſtrumenta, id eſt, calidum innatum, & conſtitutio, inuicem conferantur; tunc ratione conſeruationis fa-
cultatum, primum locum tenet calidum innatum; ratione autem functionũ, conſtitutio. Verum, quantũ G
ad conſtitutionem, cum ea triplex ſit, primũ locũ obtinet temperatura, reſpectu cõpoſitionis, & vnitatis;
vt ſi vitium ſit in intemperie, facultas labefactetur, ſin in cõpoſitione, vel vnitate, impediatur; ſi in calido
innato ſit vitiũ, lædatur actio ob errorẽ externũ. Obiectũ eſt, in q agit facultas, & a quo facultatis organũ

Obiectum.

afficitur. Hoc autẽ obiectũ cum eſſe poſſit vel corpulentũ, vel ſpiritale: in præſentia locum habet obiectũ
ſpiritale

A ſpiritale;vt ſi lædatur obiectum,lædatur actio ob errorem externum. Cum igitur, e traditis, anima agat
virtute facultatis determinati organi, & obiecti: certe anima in cerebro reſidens,memoriæ munia obire
poteſt,per facultatem memoratricem,quæ contrahitur a cerebri proportione,ſecundum partem poſte-
riorem.Hæc facultas bene agit,ſi nullum ſit vitium in calido innato,nullum in conſtitutione, nullum in
obiecto.Ceterum cum Ariſtotele libello de mem.facultas memoratrix bene agit, ſi phantaſmata recipi-
at,conſeruet,ac(dicant alii quicquid velint)iudicet.Vnde Ariſtoteles reſpiciens ad receptionem,inquit;
hebeti ingenio eſſe immemores,quorum cerebrum ita ſit craſſum,vt non permittat infigi imagines: ad
retentionem reſpiciens, dicit, cerebrum humidius nihil retinere, inſtar aquarum vehementer & cum
impetu fluentium: tandem inſinuans iudicium, (vbi reſpicit non ad facultatem,ſed ad facultatis opus)
dicit,memoriam,id eſt, memoriæ opus eſſe habitum phantaſmatis, tanquam imaginis. Quare, ſi eſt
B habitus animi; igitur eſt cognitio, igitur eſt iudicium: vnde ſubdit Philoſophus, memoriam con-
templari phantaſmatis impreſſionem. Vnde obiter colligere poteſtis, etiam imaginatricem iudicare
& contemplari: & hac de cauſſa in vertigine patientes ſe errare cognoſcunt, quia non eſt vitium ſecun-
dum iudicium:in affectu autem melancholico non cognoſcunt ſe decipi, quia in eo eſt error ſecundum
iudicium.

Facultas memoratrix citra diſcurſū recipit, cōſeruat, & iudicat.

Obiici autem ſolet e Galeno in libro de offic.med.ad artes conſtituendum, memoriam concurre-
re,vt conſeruat:ſenſum autem & mentem, inuenire & iudicare. Quare ſecundum Galenum memoria
non iudicat. Pro ſolutione ſcire oportet; dari cognitionem integram, quæ in ſuo genere ad aliud non
refertur;& hæc cognitio fit,vel ſine diſcurſu,vel cum diſcurſu:Si ſine diſcurſu, ſufficit ſenſus, vt recipit &
iudicat,vt fiat ille habitus,ſeu illa cognitio,quæ vocatur peritia:ſi autem cum diſcurſu fiat cognitio, ad e-
C dendum integram cognitionem,id eſt,ſcientiam,neceſſario etiam concurrit ratiocinatrix,nam hæc per-
fecte poteſt inuenire & iudicare,nec eius iudicium refertur in iudicium vel imaginatricis,vel memoratri-
cis;ſed contra,imaginatricis & memoratricis iudicium famulatur ratiocinatrici. Galenus igitur reſpiciēs
ad iudicium integrum,& ad integram cognitionem,proponit ſolum ſenſum & mentem. Poſſet quoque
alia eſſe dubitatio:nam Galenus c.6.l.2.de mot.muſc.ait,imaginatricem imaginari,& recordari: nihil au-
tem de memoratrice agit?Reſponſio.Anima eſt vnica ſubſtantia,quæ tamen plures habet partes;& vnica
pars plures habet facultates;vnica autem facultas,vnicam tātum habet operationem. Vnde Galenus loc.
cit.reſpiciens ad animæ partem in cerebro,hanc vocat imaginatricem,ſicut etiam lib.6.de placit.Quare i-
maginatrix accepta non pro facultate,ſed pro parte animæ,imaginatur & recordatur. Cōſtitutum igitur
D ſit,facultatem memoratricem,in cerebro poſteriori reſidentem,recipere, conſeruare, & iudicare, citra
compoſitionem & diuiſionem,id eſt,citra diſcurſum.

Obiectio ſoluitur.

Aliud dubium.

Quare ad producendum obliuionem morboſam exquiſitam,neceſſarium eſt, vt cauſſa morbifica
agat in cerebrum,ſecūdum partem poſteriorem,vt cerebrum ita afficiatur frigida intemperie, vt memo-
ria ſecundum iudicium lædatur.Obliuio igitur morboſa,eſt functio vehementer læſa principalis,cerebri
poſterioris, dependens ab intemperie frigida.Forma eſt functio læſa vehementer principalis.Galenus e-
nim c.5.l.3.de loc.aff.ait,in hoc malo memoriam vel aboleri,vel ſaltem grauiter lædi. Subiectum eſt cere-
brum poſterius,ad quod memoria attinet,vt alibi a nobis eſt demonſtratum.

Generatio huius mali. Definitio. Forma.

Subiectum.

Efficiens cauſſa,eſt frigida dyſcraſia:per quam hęc obliuio diſtinguitur,& a non morboſa,& a mor-
boſa non exquiſita,qualis eſt in epilepſia ob anguſtiam.Hinc Galenus c.5.l.3.de loc.aff.proponit frigidam
E omnino intemperiem:ratio eſt:nam receptio læditur a ſicco,retentio ab humido, iudicium a frigido; &
cum in obliuione læſio ſit ſecundum iudicium,neceſſario dependet a frigida intemperie. Hæc intempe-
ries frigida,eſt Cum materia,vel Sine materia.Sine materia,vel Simplex,vel Compoſita,id eſt, vel frigida
& ſicca;vel frigida & humida.Materia,quæ eſt cum intemperie,eſt vel Pituita,vel Melācholia.Cauſſæ au-
tem intemperierum & materierum traditæ ſunt in doctrina de dol.cap.

Cauſſa efficiens.

Quoad differentias,& primum a forma:memoria eſt Imminuta,vel Ablata. Præterea actio princi-
palis læſa,pertinet vel ad Solam memoriā, & dicitur obliuio;vel ad Memoriam ſimul cum ratione, & di-
citur ſtultitia.Differentiæ a ſubiecto:cerebrum poſterius vel Solum afficitur, vel Simul etiam mediū ce-
rebrum.Differentiæ a cauſſa efficiente:dyſcraſia frigida,vel eſt Sine materia,vel Cum materia,&c.

Differētiæ.

Obliuio in genere,vt actio animalis læſa,eſt nota,& potius rationem ſigni habet,quam ſignati,quia
offertur ſenſui,dum audimus patientem conqueri de obliuione,& de læſa memoria: Operatio læſa natu-
F ralis,ignota eſt,& cognoſcitur per excrementa;at obliuio non eſt actio naturalis læſa, ſed animalis; quæ
cum ſeipſam patefaciat,non eget ſignis.Quod autem obliuio ſit exquiſita,cognoſcitur inde quod ſenſim
inuadit,non repente,vt in epilepſia.Quoad differentias,& primum a forma:num memoria ſit imminuta,
vel ablata;manifeſtum eſt,& e verbis ægri intelligitur.Num læſa ſit,vel ſolum memoria,vel etiam ratioci-
natio;& hoc quoque verba patientis manifeſtabunt:ſi enim memoria ſolum læſa eſt,non recordatur, ſed
diſcurrit:ſi etiam ratiocinatio,non diſcurrit æger,ſed perpetuo vel affirmat,vel negat,nec verbum verbo
componit.Quoad ſubiectum,num afficiatur pars cerebri poſterior,an media quoque cognoſcitur ab o-
peratione,quæ pertinet ad differentias formales;ſi enim læſio tantum eſt in memoria,laborat pars poſte-
rior;ſi etiam in ratione & diſcurſu,media quoq; pars afficitur.Quoad differentias a cauſſa efficiente,num
G ſit intemperies ſine materia,aut cum materia,ſimplex,aut compoſita,item num materia ſit pituitoſa, aut
melancholica;horum omnium ſigna in ſermone de dol.c.tradidimus,& poſſunt etiam peti e c.5. lib.3.de
loc.affect.aliiſque locis Galeni ſæpius citatis.

Signa in genere.

Signa differentiarum.

Quoad præſidia;intemperies contrarium indicat.Materia morbifica ſecundum ſpeciem,indicat re-
media determinata,id eſt,reſpicientia vel pituitam,vel melancholiam. Quoad vitium materierum; hoc
attinet ad qualitatem,quantitatem,& vbi:(non ad ſubſtantiam)propterea oportet euacuare & calefacere

Indicationes.

vtramque materiam;pituitam ſiccare & detergere;melancholiam humectare,tandem oportet materiam A & retrahere,& diſcutere.

Prognoſtica.

Malum periculoſum eſt,nam inſignis eſt vehementia eſſentiæ & dignitatis. Vehementia autem facultatis,non neceſſario eſt in hoc malo:ideoque in eo homo non moritur, ſed malum comitatur hominem vſque ad mortem. Eſſentiæ eſt vehementia,quia eſt intemperies frigida,admodum recedens a naturali ſtatu. Vehementia dignitatis eſt,quod dyſcraſia eſt in cerebro,parte principali: Vnde,etiam ſi obliuio non ſit exquiſita,periculoſa tamē eſt ob vehementiam dignitatis;nam cum Auicenna & Aetio, minatur paralyſin,epilepſiam,apoplexiam,& quandoque etiam mortem : nam materiæ morbificæ interdum additur vehementia facultatis. Periculum augetur vel minuitur, pro vehementia differentiarum. Quoad differentias a forma:obliuio minus eſt periculoſa,dum imminuta eſt actio,quam dum ablata; propter vehementiam eſſentiæ:item minus periculoſa,ſi tantum afficiatur memoria,quam ſi etiam diſcurſus, propter vehementiam dignitatis. B Quoad differentias a cauſſa efficiente,incurabile eſt malum, ſi frigiditas ſit in habitu;& præſertim ſi coniuncta ſit ſiccitas. Præterea,minoris eſt diſcriminis,ſi procedat a pituita, quā ſi a melancholia,propter vehementiam eſſentiæ;nam dum in cerebro redundat melancholia , maior eſt receſſus a naturali ſtatu,quam dum redundat pituita.

Prognoſtica differentiarum.

Curatio. Venæſectio non probatur in obliuione exquiſita.

Quoad materiam cheirurgicam,licet affectus hic ſit vehemens,& vires ita robuſtæ,vt ſuſtineant album veratrum;a nemine tamen probatur venæſectio;quia in obliuione morboſa exquiſita ſanguinis vitium vehemens deſideratur;nec enim in hac obliuione,ſanguis habet rationem cauſſæ principalis, quia non ſit a ſanguine,ſed a pituita,&c. non concurrit etiam ſanguis vt adiuuans, nam ſyncera eſt vel pituita, vel melancholia:denique non concurrit,vt cauſſa ſine qua non;nam dum cerebrum afficitur morbo frigido,neceſſario etiam reliqua viſcera compatiuntur,vt ſanguis copioſus generari nequeat, qui curationē C impediat. At ſi obliuio ſit non exquiſita, vena ſecari poteſt;nam ſanguis poteſt habere rationem cauſſæ adiuuantis,ſi miſceatur cum pituita,aut melancholia;& talis obliuio coniuncta eſt cum riſu. Præterea in obliuione non exquiſita,ſanguis poteſt habere rationem cauſſæ ſine qua non;vtpote, ſi iecur non compatiatur.

Pharmaceia. Vacuantia. Cap.23.l. 6.

Quoad medicamenta, Auicennas probat vehementer vacuantia & alterantia: vnde Aetius confugit quandoque ad *helleborum album*,maximeque probat *hieram Rufi e colocynth. ex agarico, cum veratro nigro*,ſi coniungatur melancholia. Hieræ illius doſis eſt,cauſſa purgationis ℥ß.cauſſa diſcuſſionis flatuum ʒß.vel magnitudo fabæ.cap.115.lib.3. Admonet Aetius circa album veratrum,vt exhibeatur,dum neceſſitas vrget:non enim exſpectandum, donec morbus ad tantam vehementiam perducatur, vt non cedat.

Alterantia.

D Medicamenta alterantia,quæ etiam inſenſibiliter vacuare poſſunt ſecundum Aetium ita habent;*applicetur calamintha cocta in aceto acerrimo,cum nitro,pipere albo,caſtorio & ſinapi:intro exhibeantur, caſtorii* ʒj. *fragmenta item cornu cerui*. Auicennas probat *acorum conditum*, Probatur etiam medicamentum confectum *ex æquali portione olibani,cyperi,piperis,croci,myrrhæ;quod exhibetur ad* ʒ *j. ſingulis diebus*. Quidam etiam aſcendunt *ad confectionem anacardinam*. Sed notandum,his potiſſimum vtendum eſſe,in obliuione morboſa exquiſita exacte,quæ fit ab intemperie frigida,coniuncta cum humiditate,vel etiam cum pituita:non enim probantur,ſi ſit coniuncta ſiccitas,vel materia melancholica.

Diæta.

Extreme ſenes medicamentis curandi non ſunt,ſed ſola diæta. Aer igitur ſit luminoſus : iuſto nec frigidior,nec calidior. Cibus ſit mediocris & attenuans,quia vitium eſt diuturnum ; & ſi materia adeſt,ea eſt craſſa. Vinum ſit tenue, album , non admodum vetus. Reliqua ad viuendi rationem pertinentia ſint moderata. E Prodeſt in hoc malo ſpes;interdum & ira prodeſt, quia facultas animalis excitatur : nam per iram vitalis ſpiritus efferueſcit,qui poſtea petens caput,huic refrigerato prodeſſe poteſt. Hæc de læſa memoria & fatuitate.

CAPVT XIV.

De Vertigine.

Nomen.

QVoniam vertigo etiam pertinet ad facultates principales:ideo de hac dicendum:poſtea enim loquemur de incubo,epilepſia,apoplexia,& caro. Per vertiginem autem intelligimus illud vitium, in quo obiecta circumduci videntur:at patientes agnoſcunt falſam eſſe & viſionem,& imaginationem. Vertigo alia eſt Morboſa,alia Non morboſa.cap.8.lib.3.de loc.aff. Morboſa originem habere poteſt, vel citra externam cauſſam,vel cum parua occaſione. F Vertigo autē non morboſa eſt,cuius origo eſt occaſio inſignis. Vnde vertigo morboſa,non oritur tātum,ob vnicam,ſeu plures rotationes,ſed facile & leuiſſime:de qua morboſa nos in præſentia loquemur.

Generatio.

In hac vertigine oportet,vt cauſſa morboſa occurrat capiti,& ita agat,vt caput ſecundum ventriculos lædatur;vt vel citra externam occaſionem, vel leui occaſione,ſpiritus animalis,in ventriculis cerebri reſidens,motu morboſa afficiatur;vt cum hic motus morbificus ad circularem vergat,afficiatur cerebrum ſecundum ſedem facultatis imaginatricis;vt cerebri ſubſtantia afficiatur affectione,non tenebricoſa,vt in melancholia;non ignea,vt in mania,ſed circulari; vt hinc corrumpatur imaginatio,vt patiens imaginetur obiecta circumagi. Et cum ſpiritus animalis ita agitetur , & non diſtribuatur in oculos ſecundum naturæ leges,læditur etiam viſio. Et tandem, cum ſpiritus agitentur in G parte cerebri anteriore, vitium impertitur ventriculis etiam poſtremis, vt non prodeant in vniuerſum corpus radii ſpiritus animalis,quemadmodum opus eſſet:vnde etiam detrimētum fit ſecundum motum voluntarium.

Definitio.

Vertigo igitur eſt functio corrupta principalis,cerebri anterioris,cum læſione viſus & motus totius corporis,dependens ab affectione cerebri circulari.

Forma.

Functio corrupta dicitur,ad differentiam imminutæ & ablatæ:principalis,ad differentiam non principalis:cerebri,ad differentiā functionis principalis aliorū viſcerum

A visceruni:anterioris,ad differentiam corruptæ rationis,nā in vertigine corrumpitur imaginatio,sed præterea corrumpitur imaginatio,cum læsione visus & motus, ad differentiam delirii melancholici: dependens ab affectione circulari & morbosa, ad differentiam vertiginis non morbosæ, item ad differentiam epilepsiæ & apoplexiæ;nam in vertigine affectio hæc circularis, immediate producitur a spiritu animali, qui circumducitur præter naturam; quod locum non habet in vertigine non morbosa,neq; in epilepsia, vel apoplexia. Forma igitur vertiginis, est corrupta imaginatio, cum læsione visus & motus. Subiectum præsertim est cerebrum,secundum partem anteriorem: aliquo modo etiam oculi. Efficiens, est affectio circularis,vt producitur a spiritu animali,quatenus præter naturam circumducitur.

Subiectum. Caussa efficiens.

Hæc iam singula,plenius confirmabimus.Formalis caussa igitur pertinet ad imaginationem,visionem,& motum voluntarium.Ad imaginationem:nam,teste Galeno com.42.lib.4.de ratione victus;B vertiginosi sibi imaginantur,vel caput proprium circumduci, vel exteriora: spiritus enim animalis, vt circumducitur, producit phantasma: quod ita cerebrum afficit, vt obiecta circumduci ægri imaginentur. Ad hanc ergo imaginationem confert obiectum,quod extra circumagitur,quales sunt rotæ molendinorum:sensatum enim secundum Auicennam,efficit in organo sensitiuo formam,seu speciem sibi similem, vt reliqua etiam visibilia circumduci videantur:quemadmodum & lingua,amaritudine affecta, etiā dulcia iudicat amara. Adhæc obiectum externum, quod circumducitur, est caussa corruptæ imaginationis, quatenus vi obiecti spiritus præter naturam mouetur,capite 8.lib.3.l.aff. Quoad visionem,hæc quandoque corrumpitur,quandoque imminuitur,& quandoque repente destruitur,comm.aphor.17.sect.4.Ratio est:nam si spiritus solum afficiatur motu;tunc,si fieri potest,vt transmittatur ad oculos, non destruitur visio;si autem non transmittatur,destruitur. Quoad motum voluntarium, cum Galeno cap.8.lib.3.l.C aff. vertiginosi interdum cadunt:nam ob morbificum motum spirituum animalium,desiderantur radii, qui per totum corpus distribuantur.

Imaginatio læsa, in vertigine.

Visio læsa.

Motus voluntarius læsus.

Quoad subiectum,est cerebrum anterius potissimum:vnde Galenus c.8.l.3.l.aff.ait;in vertigine etiam per consensum,affectionem cerebro esse ascribendam: multo ergo magis in vertigine per essentiam, cerebrum subiecti habebit rationem.

Subiectum.

Caussa efficiens, est affectio illa circularis,vt producitur a spiritu animali, qui præter naturam circumducitur. Sicut enim vertigo non morbosa fit, cum quid crebro vertitur, quoniam inordinatus fit motus tum humorum,tum spirituum:ita in vertigine morbosa, malum producitur ob inordinatum motum.c.8.l.3.loc.affect. Hinc Auic.proponit,spirituum animalium motum circularem & vndosum. Vertiginis igitur caussa efficiens,est spiritus animalis,vitiosus redditus. Fundamentum colligitur ex Auicen-D na;nam ad edendum functiones sensitiuas, spiritus animalis concurrit vt instrumentum corporeum & patiens,sed primum,& dignius. Dicit Auicennas,spiritum esse instrumentum corporeum;ad differentiam facultatis animæ, quæ est organum incorporeum & spiritale: constitutio autem partis viuentis,est organum corporeum,sed materiale,non spiritale:organum autem corporeum, quod proinde est substātia,est spiritus animalis,& calidum insitum in substantia cerebri,mistum cum spiritu animali.Dixit etiam, spiritum esse organum passibile;ad differentiam facultatis,quæ non patitur,non suscipit magis & minus. Dixit quoque hunc spiritum animalem esse organum primum,& dignius: primum, ratione temporis, quia famulatur facultati,antequam transmittatur;dignius, ob præstantiam substantiæ. Spiritus animalis in ventriculis exsistens(de quo Auicennas loquitur)est primus,ratione temporis:nam phantasmata primum recipiuntur in spiritu ventriculorum,deinde in calido innato cerebri. Idem spiritus,est instrumen-E tum dignius,ob præstantiam substantiæ:nam si spiritus animalis,in ventriculis exsistens, conferatur cum temperatura,spiritus dignior est,quia temperatura saltem est qualitas:Si conferatur cum calido insito,adhuc dignior est spiritus animalis,in ventriculis residens,nam ab hoc perficitur calidum insitum. Notandum tamen, spiritum animalem in ventriculis exsistentem,esse digniorem,ratione dignitatis substantiæ, non autem ratione operationis; nam ad edendum functionem, temperatura est dignior, secundum locum tenet calidum innatum, & postremo spiritus animalis ventriculorum. Constitutum igitur sit, omnem vertiginem produci a spiritu animali, residente in ventriculis cerebri, vt hic spiritus affectus est motu vitioso,inordinato,& veluti circulari. Quamobrem vertiginis forma,vt est functio læsa,necessario fit ob errorem externum,non læsa facultate:dicunt alii quicquid velint. Neque obstat, quamuis in vertigine interdum cerebrum afficiatur morbo;hic enim morbus est caussa vitii spiritus animalis, non autem F est caussa actionis læsæ. Est autem hic error externus, animalis spiritus. Hic spiritus est opus quoddam præter naturam,quod sequitur læsam cerebri retentionem,non attractionem,non expulsionem,non alterationem. Si enim esset alteratio læsa,produceretur spiritus vel impurus,vel calidior,vel frigidior:at vitium est solum secundum motum, quare non sequitur alterationem. Neque sequitur læsam attractionem,quia hic spiritus iam est genitus,& residet in ventriculis. Tandem non sequitur expulsionem læsam; quamuis enim interdum impediatur transitus ad oculos; vertigo tamen fit, quia in ventriculis præter naturam mouetur. Sequitur ergo retentionem,dum retentrix ita est debilis,vt si quid præter naturam contingat,non possit seruare spiritum,quin præter naturam moueatur. Verum retentio læditur, vel Læsa facultate,vel ob Errorem externum. Facultas læditur,primum,vt labefactatur,cap.8.lib.3.l.aff.dum videlicet,fit vertigo propter intemperiem inæqualem,id est,secundum Auicen. dum intemperies diuersa est G a naturali temperamento, cuius origo est e caliditate, vel frigiditate; siue hæc calefacientia & refrigerantia admoueantur, siue assumantur; vt repente præter naturam, cerebrum vel calefiat,vel refrigeretur; vt motus morbificus in spiritu excitetur, citra motorem corporeum: nam cum sit intemperies contraria temperaturæ cerebri & spirituum, fit agitatio in spiritu, quemadmodum,dum aqua & ignis aggregantur. Et ideo non est dicendum, ob intemperiem inæqualem generari vapores, sed produci motum prauum

Caussa efficiens, est motus circularis spiritus animalis.

Vertigo fit tantum ob errorē externum.

In vertigine læditur retentrix cerebri.

I. Quomodo retentio lędatur læsa facultate.

1. Ob dyscrasiam.

2 Ob anguſtiam. in ſpiritu animali. Præterea læditur retentrix, vt impeditur ob ſemianguſtiam ventriculorum anteriorum A cerebri: anguſtia autem illa non eſt coaleſcentia: nam cerebrum non ſuſtinet vlcus: non eſt conſtipatio: nam intra ventriculos cerebri, non poteſt colligi caro, vel materia, quæ conſtipet: non eſt ſubſidentia, quia hæc fit a materia, praua qualitate affecta, & proinde non citra conuulſionem, vnde potius fieret epilepſia,

Cõpreſſio. quam vertigo. Quare hæc anguſtia poteſt eſſe compreſſio: vnde Paullus cap. 12. li. 3. dicit, vertiginem fieri a confracta caluaria, vt comprimantur ventriculi anteriores cerebri. Eſt autem hæc compreſſio ſemianguſtia: nam ſi integra eſſet anguſtia, eſſet caros. Et hæc compreſſio pertinet ad partem anteriorem: nam ſi

Obſtructio. fieret in parte poſteriore, accideret obſtupeſcentia, non vertigo. Præterea ſemianguſtia poteſt eſſe obſtructio: vnde Galenus cap. 8. lib. 3. loc. affect. vt & Auicen. inquiunt, fieri vertiginem propter multitudinem

Materiæ obſtruentis conſideratio. vaporis. Oportet ergo intelligere vaporis Speciem, Vitium, & Cauſſam generantem. Quoad ſpeciem, vapor eſt Sanguineus, Bilioſus, Pituitoſus, vel Melancholicus. Vitium in vertigine, pertinere poteſt ad Sub- B ſtantiam, Quantitatem, Qualitatem, & Vbi. Ad ſubſtantiam, vt ſi homo, qui vertigine afficitur, afficiatur in febre peſtilenti; vnde vapor proculdubio eſt putridus: ſimiliter, ſi prodeat a lue venerea. Pertinet ad quantitatem, quoniam vapor reſidens in ventriculis cerebri, etiam in parua copia obeſt. Pertinet vitium ad qualitatem, vt vapor eſt calidior, vel frigidior. Vaporem calidum tangit Galenus, cap. 8. lib. 3. l. aff. vbi non proponit vaporem frigidum, quia ſolum, exempli gratia, loquitur de vertigine; non e propoſito. Vaporem autem frigidum proponit, commen. 23. li. 3. aphoriſmorum. Vitium etiam ſpectat ad vbi; primum, vt vapor præter naturam quieſcit in ventriculis: deinde ſecundum motum, vt vapor mouetur, ab inferis ad caput, modo per viam criſis, modo ſine criſi, ſiue per vaſa, ſiue per alios ductus. Cauſſa generans eſt multiplex; prout varios humores, & hinc varios vapores generare poteſt. Vnde notandum cum Galeno capite 8. lib. 3. de loc. affect. ſi vapor generetur In capite, vertiginem eſſe per eſſentiam: ſi Extra caput, per C conſenſum; & tunc materia vel in Toto gignitur, vel in Parte; ſi in parte, vel in Ventriculo, vel in Inteſti-

Vapor, in melancholia & vertigine vt differat. nis, Iecore, Liene, Thorace, Vtero. Notandum autem differentiam eſſe inter vaporem melancholiæ, & vertiginis: nam vapor in melancholia non eſt ex vſu, non indicat vtile: nam a vapore in melancholia non producitur anguſtia: contra in vertigine vapor eſt ex vſu, quia cauſſa eſt morbi, nimirum obſtructionis. Cæterum, cum facultas retentrix in vertigine, impediatur ob compreſſionem & obſtructionem: compreſ-

Occaſio vertiginis. ſio non eget aliqua occaſione; & ideo ſecundum Auicennam, dum cauſſa externa percutit, ſimul fit compreſſio, & ſpiritus agitatur. Obſtructio vero poſtulat occaſionem, ſed leuem: vnde Galenus cap. 8. libr. 3. l. affect. ait, vertiginoſos e parua occaſione obtenebrari. Leuis igitur occaſio, non eſt cauſſa diſponens, ſed corpus diſpoſitum, ſeu cerebrum impellens in vertiginem, vt, verbi gratia, eſt mora ſub radiis ſolari- D

II. bus, balneum poſt repletionem, motus a cibo & corporis & animi, motus in gyrum, proſpectus ab alto,

Quomodo retentio lædatur ob errorem externum. intuitus obiectorum, quæ vel velociter, vel circulariter mouentur. Alia autem e parte retentio læditur in vertigine ob errorem externum, cap. 8 lib. 3. loc. affect. aphoriſ. 17. lib. 4 aphoriſmorum, vertigo nimirum quæ fit per conſenſum a ventriculi ore ſuperiore, demorſo ab humore. Paullus proponit inter vertiginis cauſſas, vehementes cruciatus. Auicennas dicit, vertiginem fieri ob famem, in his, qui famem facile non tolerant; vt ſecundum Auicennam, vertigo fiat, propter rem, incipientem continuari cum cerebro ſua qualitate non ſubſtantia, vt lædatur os ſuperius ventriculi, & ita lædatur, vt cerebrum compatiatur. Vnde non fit, quia per famem vapores petunt cerebrum, ſed impertitur qualitas: nam perſentitur morſus oris ventriculi, propter magnitudinem neruorum, qui a cerebro ad os ventriculi perducuntur, per quos impertitur non materia, ſed qualitas realis, quæ dolorifica eſt, & cauſſa ſymptomatis. Dum ergo qualitas do- E lorifica impertitur ſpiritui animali, vt eſt aduerſaria ſpiritui, ita agit, vt ſpiritus ſecundum naturam detineri non poſſit: Et proinde fit vertigo, citra morbum, citra anguſtiam, & ob errorem externum.

Differẽtiæ. Sequuntur differentiæ: & primum a forma, quæ poſita eſt in læſa imaginatione, viſione, & motu voluntario. Imaginatio læditur, cum Galeno commen. 42. libr. 4 de ratione vict. vt patientes imaginentur circumduci vel Caput, vel Exteriora: ſi enim ſpiritus animales agitentur ſolum in cerebro, imaginantur caput circumduci; ſi ſecundum oculos, exteriora circumagi videntur. Quoad viſionem cum Galeno loc. cit. viſio vel Non aufertur, & tunc vertigo ſeruat nomen generis; vel Aufertur, & dicitur vertigo tenebricoſa, σκότωμα: ſi enim non prohibeatur tranſitus ſpirituum animalium ad oculos, non aufertur viſio. Quoad motum voluntarium, differentia eſt ſecundum Magis & Minus; prout motus ſpirituum, magis vel minus eſt vehemens: nam in motu vehementiori, radii ſpiritus animalis minus diſtribuuntur, vt propter- F ea patientes concidant. Ratione autem cauſſæ efficientis dicendum, ſpiritum animalem præter naturam moueri, vel læſa facultate, vel ob Errorem externum. Si læſa facultate; vel Labefactata ob intemperiem inæqualem, vel Impedita, aut ob Compreſſionem, aut Obſtructionem, obſtructio autem cum fiat a vapore, differentiæ ſumendæ ſunt, a vaporis ſpecie, vitio & cauſſa generante; vt in explicatione definitionis diximus. Si ob errorem externum; hic nil aliud eſt, quam qualitas dolorifica. A ſubiecto non ſumuntur differentiæ, quia ſemper eſt idem.

Signa. Vertigo in genere, & ſecundum differentias a forma facile cognoſcitur e verbis patientis. Sufficiat ergo proponere ſigna ratione cauſſæ efficientis. Num igitur ſpiritus animalis præter naturam moueatur,

1. Læſa facultatis ſigna. vel læſa facultate, vel ob errorem externum, diſtinguitur e præſentia & abſentia, vel læſionis facultatis, vel erroris. Si fiat læſa facultate; hæc læditur ob intemperiem, compreſſionem, & obſtructionem. Intempe- G ries cum Auicen. cognoſcitur e leuitate capitis, & e prægreſſis cauſſis quæ alterare poſſunt, vel adhibitis,

Signa omniũ, quæ in materia obſtruente conſiderantur. vel aſſumtis. Compreſſio nota eſt per ſeipſum. Obſtructio cognoſcitur ex abſentia aliarum cauſſarum, & e ſignis indicantibus vaporis ſpeciem, vitium, & cauſſam generantem. Quoad ſpeciem, an vapor ſit ſang. pit. bil. &c. cognoſcitur e traditis de dol cap. Quoad vitium, & quidem in ſubſtantia; cognoſcitur, ſi febris ſit putrida, ſi aſſit lues venerea: vitium in quantitate vaporum, cognoſcitur e vehementia & remiſſione ſympto-

A Symptomatum; nam si vehementiora sint symptomata, significant maiorem copiam. Quoad vitium in qualitate: primum, vapor calidus, cognoscitur e vigiliis, sensu caliditatis, e signis mineræ calidæ. Vapor frigidus, cognoscitur e priuatione sensus caliditatis, e somno, e signis mineræ frigidæ. Quoad vitium secundum vbi; an sit vitium, vel solum in quiete, vel etiam in motu; cognoscitur e signis, indicantibus vertiginē per essentiam, & per consensum. Quoad motum oportet cognoscere modum motus, spatium & terminum a quo. Modus motus, num sit criticus, vel symptomaticus, cognoscitur in febribus, e signis cruditatis, vel coctionis. Spatium cognoscitur; quia si per venas fluit, caussa generans pertinet ad hepar; si per arterias, pertinet ad cor, & sunt signa vaporis admodum calidi. Cognoscere etiam oportet, num vapor caput petat per vasa exteriora, vel interna. Si per exteriora; vasa colli & capitis turgent; idem cognoscitur e pulsu arteriarum, & tandem ex astringentibus applicitis, si iuuant; si enim non iuuant statuendum, vaporē B per interna spatia caput petere. Quoad terminum a quo, an sit vel totum, vel pars; cognoscitur e signis indicantibus vitia vel totius, vel partis. Quoad caussam generantem; cognoscere oportet, an vapor sit genitus in capite, vel extra: & hinc an vertigo sit per essentiam, an per consensum. cap.8.lib.3.l.affe. Si vapor in capite gignatur, præcesserunt, vel etiam sunt præsentia symptomata, ad caput attinentia. Verbi gratia, dolor capitis, lęsio in sensibus externis, tinnitus aurium, &c. Si vapor generetur extra caput; symptomata pertinebunt ad locum extra caput. Verbi gratia, si generetur in ventriculo, cognoscetur e læsa ventriculi coctione, ex inappetentia, e grauitate secundum ventriculum, &c. Quoad errorem externum, cum sit qualitas dolorifica, facile cognoscetur; verbi gratia, e fame, e morsu oris ventriculi, c.8.l.3.l.aff. 4 Erroris externi signa.

Præsidia sumuntur a caussa efficiente, id est, a spiritu animali, qui præter naturam mouetur, vel læsa retentrice, vel ob errorem externum. Si lædatur facultas, & quidem ob intemperiem; indicatur alterans C per contrarium. Si morbus sit compressio; est negotium quod pertinet ad chirurgos. Si obstructio; indicatio capitur a vapore, qui cum emanet a minera; ob id indicationes sunt potiss. capiendæ a vaporis & humoris specie, vitio, & caussa generante, de quibus in cephalalgia. Si malum fiat ob errorem externum, cum sit qualitas spiritalis, quæ producitur ab affectione dolorifica, quid indicet dolorifica affectio, patet e superius traditis. Indicationes.

Vertigo est malum, proximum epilepsiæ & apoplexiæ, com.apho.17.sect.3.& proinde non est despicienda; cum in ea sit vehementia essentiæ & dignitatis; nam insignis est recessus secundum imaginationē, secundum visum, secundum motum voluntarium. Et præterea adest dignitatis vehementia, quia cerebrum afficitur. Verum discrimen occurrit pro vehementia differentiarum. Vnde si perpendantur differentiæ, quæ a forma sumuntur; vertigo est magis periculosa si caput circumduci videatur, quam si solum D exteriora. Similiter magis periculosa est vertigo, vt vehementior est læsio, & in visione, & in motu voluntario; nam sunt effectus caussæ magis vehementis. Quoad differentias a caussa efficiente; Si caussa efficiens sit morbus, & primum si intemperies inæqualis; non admodum periculosa est vertigo, quia dyscrasia inæqualis non difficulter tollitur. Si morbus sit compressio, est vertigo admodum periculosa: quod tamen periculum intenditur, prout compressio vehementior est ratione essentię, ratione dignitatis, ratione facultatis. V.g. si caussa comprimens multum angustet, erit insignis vehementia ratione essentiæ: si cōprimatur magnum capitis spatium, erit vehementia dignitatis: si compatiatur ventriculus, a percussione capitis, erit vehementia facultatis: Vnde cum triplex hæc vehementia coniungitur, vertigo est lethalis. Si morbus sit obstructio, diuersimode prognosticādum, prout obstructio est magis, vel minus vehemens. Et cum pendeat obstructio a vapore; prognosticum petendum a vehementia vaporis, secundum speciem, vitium, & E caussam generantem. Quoad speciem, si vapor sit sanguineus, est vertigo, quæ minatur delirium. Si vapor melancholicus, vertigo minatur epilepsiam: quod insinuauit Aetius, dicens, vertiginosos esse insaniæ obnoxios, si ante oculos obuersentur sanguinolenta; imminere autem epilepsiam, si purpurea appareant: Et ratio esse potest: sanguis enim fluxilis exsistens, ratione humiditatis non ita facile hærere potest parietibus ventriculorum, vt potius fiat delirium: at melancholica materia, cum sit sicca, magis hæret, magis figitur, vt possit esse caussa epilepsiæ. Quoad vitium speciei; patet, vertiginem esse magis periculosam, si vapor sit putridus, si sit admodum copiosus, si sit insignis caliditatis & frigiditatis, si velocioris motus, & præsertim si motus non sit criticus, si generetur in capite. Vnde, ceteris paribus, vertigo per essentiam magis est periculosa, quam quæ est per consensum. Prognostica.

Materiæ administrandæ sunt, vel Extra accessionem, vel In accessione. Extra accessionem, Rhases & F Auicennas venam secant. Auicennas enim ait, si vertigo fiat a sanguine, aut ab humore contento in corpore, venam esse secandam: si autem cum sanguine fuerint humores diuersi, aut vertiginis caussa humor præter sanguinem, purgationib. vtendum. Sic autem Auicen. est intelligendus: Si vertigo fiat a sanguine, id est, a vapore sanguineo, qui prodit vel ab humore sanguineo exsistente in capite, vel ab humore sanguineo exsistente in toto; vena est secanda, nā adest sanguis: at si fiat vertigo a vapore sanguineo, prodeunte a sanguine exsistēte in capite, diuersi aūt humores fuerint in toto corpore, i. si humores in toto maxime recedant a natura sanguinis: vt si vertigo fiat a vapore, prodeunte ab humore non sanguineo; vtendum est purgantibus; quia humores recedunt a natura sanguinis. Perpetuo ergo secanda vena, si sanguis abundet, vel vt caussa principalis, vel vt cā adiuuans, vel vt cā sine qua non. *Vsus. Quantum.* Quamuis pp sanguinem vehementis actiuitatis, in vertigine sanguis esset euacuandus; non tamen id, propter virtutem, aceruatim G fieri debet; nam vertiginosi e qualibet occasione concidunt: vena igitur potius in vertigine iteratis vicib. est secanda. *Quomodo.* Foramen fiet angustum, propter virtutē, ne si amplum sit, confertim spiritus egrediantur: & vena tundatur ægris decumbentibus, non sedentibus; & expedit munire caput cum oxyrrhodino. *Quando.* Caussa virtutis vena secanda extra paroxysmum. Vnde dum Aetius inquit, secandam esse venam, siue sit principium accessionis, siue post; respexit ad vertiginem, in qua accessio accessioni succedit: Curatio. Extra accessionem. Venæsectio.

in qua vertigine, propter tam frequentes accessiones, sanguis est ita vehemens, vt magis possit ad indicandum, quam virtus ad prohibendum. At si vertigo non habeat tam frequentes & continuas accessiones, A vena extra accessionem est secanda. Ubi; patet, pro varia enim subsistentia, variæ venæ sunt secandæ. Addit Galenus ca.9.li.6. de tuen.san. etiam arteriarum capitis sectionem, si vapor caput petat per arterias externas: quæ materia est remedii retrahentis, per modum interceptionis.

Pharmaceia. Quoad medicamenta. Si vertigo fiat ab intemperie calida, siue frigida, patent medicamenta, e dol. cap. Si morbus sit compressio, tollitur his, quæ traduntur in cap. de percussione capitis. Si morbus sit obstructio, cum obstructio fiat a vapore, cuius varia species, varium vitium, varia caussa generans: requiruntur diuersa medicamenta, quæ omnia sunt proposita. Satis sit hoc loco notare: si vapor ducatur per vasa exteriora, cum non ita liceat vasa dissecare, nos vti posse hoc medicamento: ℞ *boli armen. sang. Dracon. gall. immatur. corall. rub. acaciæ, balaust. hypocist. ana* ℈j. *aquæ rosac. vel plantaginis* ℥ij. *Misc.* & applicetur B hoc medicamentum actu frigidum, & seruetur etiam actu frigidum. Si tandem vertigo fiat ob errorem externum: error externus, est caussa, vel intrinseca, vt in vertigine morbosa, vel extrinseca, vt in vertigine non morbosa, quam abundantis doctrinæ gratia proponimus. Si caussa fuerit interna est caussa dolorifica, cuius medicamenta e dol. cap. Notandum autem, si forte vertigo fiat a caussa dolorifica, prodeunte ab ore ventriculi, vt e fame; cum Auic. probatur *panis buccella seu mica, infusa in succis astringentibus vt in succo granatorum acidorum, omphacio*; sic enim excrementa, quæ propter famem petunt os ventriculi, expelluntur ad fundum. Si vertigo fiat a cã dolorifica, i. ab humoribus mordacibus; exhiberi debet *syrupus ros. sol. vel cassia cum hieræ speciebus*, vt humores euacuentur: postea ad roborandum os ventriculi exhibebitur *diarrhod. Abb. diatrion. santal. ad* ʒj *sacchari ros. ad* ℥ß.

Vertigo nõ morbosa. Si error externus fuerit caussa vertiginis non morbosæ, Auicennas probat somnum, & quietem corporis ac animi: Quod si non remoueatur vertigo, dat *buccellas, in succis stipticis propositis*. Quibus verbis C Auicennas respicit ad accessionem vertiginis.

Diæta. Aer. Cibus. Aer non sit luminosus & splendens: & si vertigo prodeat ab intemperie calida, sit aer frigidus, si contra, calidus. Cibus, vt respicit motum spiritus animalis, debet esse crass. faciens, modo calefaciens, modo refrigerans. Si autem dispositio frigida fuerit, in vltima mensa exhibere licet *diacydoniten cum melle, pulu. coriandri*. Si dispositio vergat ad calidum, probantur *pyra cydonia cum sacch aro*. Si cibus respiciat caussas, ob quas mouetur spiritus animalis, vt variæ sunt caussæ, ita vt varii cibi dãdi, sicut docuimus in dol. cap. In vertigine ex affectione dolorifica, id est, e fame, probantur cibi adstringentes, propositi ratione spirituũ animalium: at notandum discrimen esse; nam cibus qui datur caussa motus, debet exhiberi in altera mensa, post alios cibos: si autem exhibetur caussa effectionis dolorificæ, exhibendus ante omnes cibos. D

Potus. Potus non sit vinum, quia in vertigine caput facile repletur. Quod si vertigo a frigiditate ortum trahat; cum Actio quidem vinum potest exhiberi, sed album, tenue, non vinosum, non valde vetus, & moderatum, id est, in moderata copia. In vertigine a caussa dolorifica, vinum probatur adstringens.

Motus. Motus fiat citra inclinationem capitis & dorsi. c.3.l.5. de tuen. san. Et quoad motum oculorum, oportet vt vertiginosi inspiciant obiecta non profunda, non quæ vehementer agitantur, aut quæ circulo mouentur, nec luminosa; nam facile agitantur spiritus.

In paroxysmo quæ vsurpanda. Accessio in vertigine sponte euanescit Quod si tamen pertinax esse videtur, probantur materiæ diuertentes, intercipientes, & roborantes spiritus. Diuertunt, suppositoria acria, ligaturæ, frictiones. Intercipiunt, vt in vertigine a fame, *mica panis*, infusa in liquore astringente. Roborantur spiritus secundum E Paullum, odoratis: vnde in vertigine a caussa calida, odorata fiant ex *aqua ros. ex aceto*, si prodeat a caussa frigida, *cum moscho, ambra, asa, odorata*, &c. Hæc ergo de vertigine.

Capvt XV.

De Incubo.

Nomen. DE incubo iam agemus, quia est malum quodammodo medium inter vertiginem & epilepsiam, estque via ad epilepsiam. Per incubum autem intelligimus illud malum, quod ἐφιάλτης dicitur, in quo patientes tempore somni imaginantur se suffocari: & dum a somno ilico excitantur, vix assurgunt, sed loquuntur, & mox recordantur affectionis, & falsam imaginationem fuisse agnoscunt.

Generatio. Quomodo generetur hoc malum, difficile est intellectu. Ego tamen dicerem incubum generari, dum vapor crassus, replet F ventriculos cerebri, & potissimum postremum, vt radii spiritus animalis non possint prodire, qui radii gratia respirationis in somno, impertiuntur musculis, respirationi destinatis; vnde fit vt læsa respiratione, tristis sensus oboriatur grauitatis & suffocationis, qui dum offertur sedi sensus communis & imaginatricis, fit vt patiens imaginetur, obiectum graue ita comprimere thoracem, vt veluti suffocari videatur.

Definitio. Forma. Subiectum. Incubus ergo est functio corrupta principalis cerebri anterioris, dependens ab affectione phantasmatis, grauitatis & præfocationis auctoris. Forma est functio corrupta principalis. Subiectum, est cerebrum anterius, quod sedes est imaginatricis.

Caussa efficiens. Caussa efficiens est affectio phantasmatis, grauitatis & suffocationis auctoris: qua delirium in incubo distinguitur ab omni delirio: a delirio quidem melancholico: nam in incubo, non est affectio tenebricosa: a maniaco, quia non est affectio ignea: a delirio in vertigine, quia non est affectio circularis; sed est af- G fectio aggrauans, comprimens. Et patientes in incubo cognoscunt falsam esse imaginationem, quia spiritus animalis non redditur impurus, sicuti in delirio melancholico. Verum cum affectio prodeat a phantasmate, vt est auctor imaginationis, grauitatis & suffocationis: explicanda est huius phantasmatis caussa.

Caussa phãtasmatis in incubo. Producitur ergo hoc phantasma ab obiecto, quod procedit e noxa, attinente ad thoracem, vt est organũ respirationis: nam cum patiens nitatur thoracem mouere caussa respirationis, & non possit; ilico thorax grauita-

A grauitatis & suffocationis sensum generat; quæ tristis sensatio dum offertur cerebro, prodit phantasma, quod, vt originē duxit a tristi sensu grauitatis & suffocationis, ita in cerebro imprimit affectionē, vt imaginatio fiat grauitatis & suffocationis. Sed forte quis quæret, quam ob caussam thoraci occurrat noxa grauitatis & suffocationis? Sciendum, caussam esse penuriam radiorum spiritus animalis, propter oppilationem cerebri, secundum Auicennā: vt remota oppilatione, homo subito liberetur. Intelligere ergo oportet, oppilationis essentiam, sedem, tēpus, & caussam efficientem. Essentia est obstructio: fit enim hoc malum a vapore crasso, intra meatus incluso: non autem est integra obstructio, alias radii prorsus detinerentur. Quoad sedem, hæc obstructio attinet ad cerebrum posterius, non ad ventriculos anteriores; nā a parte posteriori prodeunt radii spiritus animalis, caussa motus voluntarii; vt sedes & locus affectus functionis corruptæ, sit cerebri anterioris substantia, sedes autem obstructionis, sit ventriculus posterior, non sub- B stantia cerebri, nam alias læderetur memoria. Quoad tempus obstructionis, dicit Auicennas, oriri tempore somni, dum motus vigiliarum cēssat, id est, in principio somni: nam in vigiliis, vapores vel caput nō petunt, vel si caput petunt, resoluuntur: Contra in principio somni, vapores petunt capitis interna, nec resoluuntur: vnde si vapores sint copiosi & crassi, vt repleantur ventriculi, ita impediuntur radii, vt cum Aetio & Paullo, quamuis patientes surgere velint & clamare, non tamen possint: quod in somno secundum naturam non euenit; siquidem sensus in somno non prorsus otiantur. c.1.l.5. de gen. animal. Quoad caussam obstructionis, omnes dicunt communem caussam esse vaporem. Quare intelligenda est vaporis species, vitium, & caussa generans. Quoad speciem, secundum Auicennam vt plurimū est vapor crassus, sanguineus, pituitosus, aut melancholicus, quandoq; vapor alimenti cerebri. Auic. per materias sanguineas intelligit tum sanguinem crassum, tum sanguinem mutatum in semen crassum, a quo prodeunt vapores. C Per vaporem aūt alimenti intelligit excrementum tenue coctionis cerebri, quod excrementum pōt degenerare in vaporē. Quare quoad speciem attinet, est vapor sanguinis, pituitæ, melancholiæ, seminis & alimenti cerebri. Vitium spectat ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi. Vitiū in substantia excluditur; nam vapor putridus sua acrimonia non potest ita aggregari, vt cā sit incubi. Vitium in quanto locum habet: nā in incubo vapor insigni copia exuberat. Locum ēt habet vitium in qualitate, nam vapor est frigidus, crassus: vnde vapor ex alimento cerebri prodiens, secundum Auicennam incrassatur. Quoad vitiū secundū vbi; in quolibet incubo est vitium secundum quietem, nam vapor præter naturam quiescit: in aliquo aūt incubo vapor peccat etiam secundum motum, vt est vapor prodiens e suis mineris, qui in caput eleuatur & mouetur. Quoad caussam generantem, vapor in incubo vt plurimum extra caput generatur e suis mineris: quandoq; autem generatur in capite, dum frigus externum vehemens repente occurrit ca- D piti in principio somni, nam hoc frigus prohibet alimenti vaporem difflari, & impellit intus & incrassat.

Obstructio cerebri.

Vapor, obstructionis caussa.

Quoad differentias desumtas a forma: cum forma sit functio corrupta imaginatricis, phantasmatis grauis & suffocantis: differentia prodit, prout patiens imaginatur phantasma vel Variorum colorum, vel phantasma Venereum. Harum differentiarum caussa, est vis varia mineræ, vel ratione coloris, vel vt potest veneris cupiditatem promouere: A subiecto non sumuntur differentiæ. A caussa effic. sumuntur differentiæ, & potissimum a vapore, secundum speciem, vitium, & caussam generantem. Quoad speciem, vapor est vel Sanguineus, vel Pituitosus, vel Melancholicus, vel Seminalis, vel Excrementum tenue cerebri. A vitio sumuntur differentiæ, secundum quantitatem & qualitatem, secundum Magis & Minus. Quoad vbi, dicendum, peccare vaporem, vel Motu & quiete, vel Quiete tantum. A caussa generante, vt generatur vel In capite, vel Extra: & si extra, vel in Ventriculo, vel Hepate, vel Testibus. Incubus in gene- E re, & secundum differentias a forma, patet e verbis patientis. Quoad differentias, quæ sumuntur a caussa effic. oportet cognoscere vaporis speciem, vitium, & caussam generantem. Species cognoscitur e signis, indicantibus humores, seu mineras, a quibus eleuantur vapores: de quibus signis alias. Auicen. ait, dum humor caussat φάντασμα suo colore, si phantasma rubedinē præ se ferat, indicari vaporem sanguineum: si præ se ferat albedinem, indicari vaporem pituitosum: si nigredinem, melancholicum: si venerem, seminalem. Verum, cum phantasma albicans possit esse indicium, & vaporis pituitosi, & vaporis excrementi cerebri: vos suo loco distinguetis, e signis indicantibus caussas generantes. Quoad vitium & secundum quantitatem, & secundum qualitatem, vt hæc vitia differant secundum magis & minus, cognoscetis e vehementia & perseuerantia symptomatum: si symptomata erunt vehementia, vehemens etiā vitium indicatur. Quoad vbi, an vitium sit solum secundum quietem, nec ne: cognoscitur e signis indicantibus caussas generan- F tes. Vnde, quoad cognitionem caussæ generātis, cum possit generari vapor, vel in capite, vel extra: cognoscetis in capite generari, si homo dormiat in aere frigido, ita vt tempore somni aliquod refrigerans extrinsecus capiti occurrat. Sin minus, statuendum, vaporem extra caput generari. Vtrum autem generetur in ventriculo, hepate, vel testibus, e propriis capitibus petendum.

Differētiæ.

Signa.

Præsidia quæ ex vsu sunt, capiuntur a minera, & caussa generante. Quoad mineram e qua; species mineræ indicat remedium determinatum: vitium, indicat contrarium; verbi gratia si minera sit sanguis copiosus, indicatur præsidium minuens sanguinem. Caussa generans, vel generat mineram, vel vaporem refrigerat & incrassat. Caussa generans mineram, vt varia est, ita variæ sumuntur indicationes, v.g. si caussa generans pituitam sit ventriculus frigidior, oritur indicatio calefaciendi ventriculum, &c. Caussa gene- G rans, quæ vaporem refrigerat & incrassat, nil aliud indicat, quam remedium calefaciens.

Indicationes.

Malum hoc, secundum Rhasem, diligenter est tractandum, nam minatur epilepsiam, apoplexiam, melancholiam: etenim si eueniat, vt vapor hæreat in ventriculis cerebri, fit epilepsia: si vapor adeat totam cerebri substantiam, fit apoplexia: si vapor misceatur cum spiritibus animalibus, fit melancholia. Viget autem vehementia essentiæ & dignitatis, secundum caussam, morbum, & symptomata. Nam quoad caussam, vapor est copiosus, crassus, frigidus; vnde vehemens secundum essentiam. Obstructio seu morbus

Prognostica.

est insignis; quare vehemens secundum essentiam. Symptomata & ipsa vehementia; nã attinet ad imagi- A
natricem, ad respirationem. Dignitatis vehementia adest, quia morbi, caussæ & symptomata attinent ad
cerebrum, partem præstantem. Cæterum augetur periculum, pro vi differentiarum, earum potissimum,
quæ sumuntur a caussa efficiente, siquidem forma pendet ab efficiente. Vnde cum caussa efficiens sit va-
por: quoad speciem; morbus est magis periculosus, si vapor sit melancholicus, quia maior est recessus a na-
turali statu. Quoad vitium; incubus est periculosior, si vapor sit copiosior, frigidior, crassior, magis quie-
scens; vt propterea cum Paullo & Aetio, incubus sit magis periculosus, dum diuturnus est, dum frequens,
& æger stupidus permanet: nam hæc significant vaporem admodum copiosum, frigidum, crassum, & qui-
escentem. Et, vt incubus est frequens, significat caussam generantem esse magis vehementem; verbi gra-
tia si generetur a ventriculo frigido, quo frigidior erit ventriculus, eo etiam incubus erit magis periculo-
sus. Quoniam autem vapor potest esse caussa incubi, modo per essentiam, modo per consensum: vt pluri- B
mum incubus per essentiam est minus periculosus, quia producitur a frigore externo, caput refrigeran-
te: magisque recedit a naturali statu frigiditas ventriculi, quam capitis producta ab ambiente frigido, &
præsertim quia ventriculi frigiditas potest esse in habitu.

Curatio. Vena secanda est, si incubus fiat a vapore sanguineo, vt Rhases iubet. Quoad medicamenta in incu-
Medicamẽta communia, pro toto. bo per consensum, Auicennas probat medicamenta caussa totius: in incubo per essentiam, probat medi-
camenta caussa capitis: & in quolibet incubo, siue per essentiam, siue per cõsensum probat capitalia. Caus-
sa igitur totius probantur validiora: cuiusmodi sunt *pilulæ cochiæ*: & caussa melancholiæ, *cochiæ cum vera-*
tro. Auicennas propter humorem copiosum & crassum, proponit hoc medicamentum: *℞ euphorbii, in a-*
lio exemplari legitur, hellebori nigri ℨj scammomii ℈j. pulpæ colocynth. g̃. xv. seminum anisorum ℈j. Misce. C
Hoc medicamentum dirigitur ad incubum e melancholia: vnde repetit helleborum nigrũ in maiore dosi: scam-
monium additur propter bilem, quæ habet rationem vehiculi, & præterea potest crassos humores attenuare, &
expultricem sopitam excitare: colocynthis additur, quia in omni malo capitis pituita est purganda: anisum addi-
tur, vt soluentium facultas deleteria frangatur. Huius medicamenti summa dosis erit ℨj. & dabitur, si viri [sic] *sit*
Topica, pro capite. *fortis, quia est medicamentum satis potens.* Quoad medicamenta caussa capitis: in incubo per essentiam
probatur *oleum lil. alb. oleum anethinum, cum nucibus cupressi si coquantur in vino astringente, ad consum-*
tionem vini. Probantur etiam emplastra rubrificantia, quæ conficiuntur *e sinapi*. Nam olea proposita ca-
lefaciunt caput refrigeratum; & præterea virtute astrictionis repellunt vapores, qui possunt reprimi. Em-
Cephalica. plastra autem rubrificantia, capitis frigiditatem prorsus superant, & vapores, qui non cedunt reprimenti-
Aet. cap. 12. lib 6. bus medicamentis, discutiunt. Quoad medicamenta capitalia, Auicennas cum Græcis probat *nigrum pæo-* D
niæ maris fructum, si g̃ xv. trita cum aqua in potu exhibeantur per plures dies, vt cerebri proportio foueatur.
Victus. Diæta ex alibi dictis patet. Id notandum, improbari in somno decubitum supinum, nam est in caus-
sa, vt caput repleatur.

CAPVT XVI.

De Epilepsia.

Nomen. EPILEPSIA, alias dicitur, morbus sacer, Herculeus, comitialis ab Hippocrate in lib. de morb sacro, &
Galeno lib. 6. epid. circa finem. Per epilepsiam intelligimus illud malum, quo infelices correpti, etiam
stantes ilico in terram collabuntur, secundum totum corpus conuelluntur, omni sensu priuantur & o-
mni principali functione cerebri destituuntur.

Generatio. Generatur malum hoc dum caussa morbifica occurrit cerebro, vt cerebrum lædatur & secundum E
ventriculos, & secundum poros. Vnde dum læditur secundum ventriculos, id est, secundum ventriculo-
rum parietes; cerebrum contrahitur, vt quod noxium est expellat, vnde & nerui contrahuntur, & hinc
corpus musculorum, vt totum corpus conuulsione afficiatur. Dum autem cerebrum efficitur secundum
poros, omnis animalis functio aboletur, etiam extra cerebrum: nam vis animalis non influit. Sed Præter-
ea aufertur vis etiam animalis in cerebro: nam cerebrum secundum poros ita afficitur, vt spiritus animalis
mistus cum calido innato afficiatur, vt citra intemperiem functio principalis aboleatur.

Definitio. Definitio hæc esse potest: epilepsia est functio ablata principalis totius cerebri, cum amissione mo-
tus & sensus partium neruosarum, & conuulsione totius corporis, dependens a caussa morbifica, cerebrũ
secundum ventriculos & poros lædente. Colligitur hæc definitio e comm. 45. sect. 2. & aphor. 19 sect. 3. & F
lib. 3. epid. circa finem, & cap. 2. lib. 4. de loc. aff. sed potissimum e capite 7. libro 3. l. affect. nec minus ex A-
uicenna in capite proprio.

Forma. Forma completur symptomatum triplici genere: vt propterea & triplex esse debeat subiectum. Pri-
Ablatio functionis principalis. mum symptomatis genus fuit functio abolita principalis: secundum, amissio motus & sensus: tertium, cõ-
uulsio. Notandum, cur primo loco in definitione proponatur functio principalis, deinde functio ablata
motus & sensus, tertio, functio corrupta secundum motum, id est, conuulsio: & præsertim hoc est intelli-
gendum, quia Galenus capite 7. libro 3. l. affect dicit, epilepsiam esse conuulsionem. Vnde ferme omnes
moderni, vt Altimarus & alii, ducti non ratione, sed nuda Galeni auctoritate in superficie intellecta, di-
cunt epilepsiam esse conuulsionem. Sciendum ergo caussam fuisse, quoniam conuulsionis subiectum est
totum corpus, quatenus conuellitur: motus autem & sensus subiectum, sunt partes neruosæ: functionis G
autem principalis subiectum est cerebrum. Vnde, cum epilepsia sit vitium, quod principaliter attinet ad
cerebrum, non ad totum: ob id nos in definitione primum symptoma statuimus esse functionem prin-
cipalem abolitam, quia functionis principalis subiectum est cerebrum: secundo loco proposuimus mo-
tum & sensum, quia subiectum sunt partes neruosæ, quæ prodeunt a cerebro: tertio proposuimus con-
uulsionem, quoniã pertinet ad musculos, qui ad differentiã neruorũ non prodeunt a cerebro, nec a spi-
nali

A nali medulla. Hæc ergo fuit caussa, ob quam symptomata, in definitione ita disposuimus. Galenus autem capite 7. libro 3. loc. affect. ait, epilepsiam esse conuulsionem, quia capite 6. libr. ej. locutus est de conuulsione, & propterea pergens in sermone de conuulsione, dicit epilepsiam esse conuulsionem. Vnde etiam Auicennas, cum locutus esset de incubo, in quo motus totius corporis læditur, dicit, epilepsiam esse vitium, in quo prohibentur membra animata a sensu & motu. Nos autem respicientes ad formam, vt attinet ad subiectum principale, primo loco proposuimus functionem principalem, cuius subiectum est totum cerebrum, vt aboleatur omnis functio principalis: vt conuulsio epileptica distinguatur a tetano, & reliquis conuulsionibus, in quibus principalis functio non deperditur. Deinde dictum est, cum amissione motus & sensus, partium neruosarum. Vnde cum Auicenna in epilepsia prohibentur membra animata neruosa a motu & sensu, vt motus voluntarius auferatur. Si aboletur sensus: ergo multo magis

Sensus & motus amissio.

B motus voluntarius. Nam sensus caussa receptionis in patiendo constituitur; motus autem voluntarius est prorsus actiuus. Notandum, nos intelligere motum voluntarium esse ablatum, vt procedit a facultate, quæ non influit. Et tandem diximus: cum conuulsione totius corporis, e capite septimo, libro tertio. l. affect. Propterea sciendum, quantum attinet ad conuulsionem, hanc esse motum prauum non ablatum, retractionis partium, dependentem a musculis præter naturam contractis: nam in spasmo retrahitur pars, id est, totum membrum, vt spasmus sit affectio præter naturam membri; cum etiam in motu secundum naturam membrum patiatur. Verum, vt conuulsio est motus prauus, & hinc dependet a musculis violenter retractis: secundum hanc rationem non est functio abolita, sed praua & corrupta. Et propterea scire oportet, si verbi gratia brachium conuellatur, quod ossa patiantur, musculi vero agant, e commen. aphorismo. 42. sectio. 2. At in conuulsione musculi concurrunt præter naturam, citra influxum facultatis, quia facultas non influit. Vnde in epilepsia motus voluntarius est ablatus ratione facultatis; corruptus caussa musculorum. Verum omnia dependent a caussa morbifica; cerebrum secundum ventriculos & poros lædente. Postremo, cerebrum affici secundum ventriculos & poros, colligitur e capite secundo libri quarti de locis affectis; vbi ait, in epilepsia cerebrum affici magis secundum ventriculos, quam secundum corpus: contra, in apoplexia cerebrum magis affici secundum corpus. Per corpus autem Galenus intelligit cerebrum, vt instrumentale, non vt similare; quare secundum poros, non secundum temperiem: nam epilepsia cito fit, & cito desinit. Per ventriculos intelligit Galenus omnes ventriculos, vnde capite secundo, libro quarto loc. affect. ait; vt in caro cerebrum magis afficitur secundum partes anteriores; ita in apoplexia & epilepsia, affici secundum vtramque partem, quamuis cum Auicenna primum lædantur partes anteriores.

Motus corruptus, seu conuulsio.

C

Subiectum.

D Sciatis autem, quod quamuis epilepsiæ caussa sit multiplex; & quælibet earum sit caussa conuulsionis secundum ventriculos cerebri; non tamen esse conuulsionem legitimam, id est, solius morbi: cum hæc conuulsio neque ex inanitione fit, neque e repletione. Non est ex inanitione: nam cum Galeno capite septimo, libro tertio. l. affect. epilepsia cito fit, & cito desinit. Vnde notandum, Galeni syllogismum hunc fuisse: conuulsio quæ cito fit, & cito desinit, non fit ex inanitione: At conuulsio epileptica cito fit, & cito desinit. Ergo non est ex inanitione. Decipiuntur igitur, qui putant hoc loco maiorem propositionem esse; quod cito fit, & cito desinit, non refertur in intemperiem; nam maior est hęc; conuulsio, quæ cito fit & cito desinit, non est ex inanitione. Hanc probat Galenus, nam inquit, vt vel cerebrum, vel tenuis eius membrana ad ariditatem corio similem perueniat, hoc nequaquam cito fieri potest: at epilepsia cito fit, & cito desinit: Ergo non est ex inanitione. Verum quamuis maior a Galeno proposita, capite septimo, lib. 7. loc. affect. non sit; quod cito fit, & cito desinit, non refertur in intemperiem;

Epilepsia non est cõuulsio legitima.

1. Ratio.

E tamen hæc maior proponitur a Galeno capite vltim. lib. 2. de causs. symp. siquidem ait, epilepsiam & apoplexiam cito generari & discuti, quod in corporum dyscrasia non potest accidere. Vt hæc sit vera propositio cum Galeno; quod cito fit, & cito desinit, non referri in intemperiem. Quod dictum ita intelligendum, vt Galenus per intemperiem intelligat intemperiem ex vsu, e qua sumitur indicatio vtilis. Hoc verum esse, colligitur, quia ipsam comparat succo pituitoso, collecto in ventriculis cerebri, qui succus ita est ex vsu, vt hoc euacuato ilico cesset malum. Vt verum sit, quod cito fit, & cito desinit, non referri in intemperiem ex vsu. Vt secus sit statuendum, de intemperie non ex vsu. Dyscrasia ex vsu, est intemperies in febre hectica, non ex vsu, in ephemera, vt ephemera cito fiat, & cito desinat: quod non esset statuendum, si esset intemperies ex vsu. Sed ad rem redeamus. Probauimus hucusque in epilepsia, conuulsionem non esse ex inanitione; iam docebimus eam etiam non esse ex repletione: nam conuulsio e repletione est

F motus prauus, cuius caussa est solum materia morbifica, non facultas: at in epilepsia, etiam per essentiam, facultas concurrit: qua de caussa Galenus ca. 7. lib. 3 loc. affect. ait, in epilepsia cerebrum seipsum quatere, vt expellat noxia: & ca. vlt. libr. 1. de symp. causs. ait, in epilepsia conuulsionem esse motum vitiosum cerebri: vnde patet concurrere expultricem facultatem cerebri. Præterea & aliud est argumentum, quo conuulsio legitima excluditur, ab epilepsia: Nam conuulsio epileptica pertinet ad cerebrum: at, secundum Galenum com. 1. lib. 5. aphor. conuulsio legitima fit vel inanitis, vel repletis corporibus neruosis, a quibus motus voluntarius perficitur. Vnde consequens est, cum cerebrum nec sit neruosum, nec perficiat motum voluntarium; ob id conuulsionis legitimæ subiectum esse non posse. Dictum autem fuit, epilepsiam non esse conuulsionem legitimam, vt pertinet ad cerebrum: nam cum Galeno cap. 7. lib. 3. de loc. affect. in epilepsia præter spuriam conuulsionem potest interdum coniungi legitima conuulsio e repletione, quemad-

2. Ratio.

G modum colligitur e lib. 6. epid. circa finem, vtpote si irrigentur neruorum exortus. Itaque in epilepsia, vt læditur cerebrum secundum ventriculos, conuulsio necessario est spuria, vt sit motus prauus solius expultricis: nam caussa morbifica ita parietibus ventriculorum cerebri adhæret, vt e ca. 7. lib. 3. loc. affect. cerebrum contrahatur, quo noxam expellat. Vnde & Auicennas ait, cerebrum in epilepsia expellere id, quod nocet; Quemadmodum ventriculus expellit in singultu. Singultus autem e lib. 2. de causs. sym. est motus

Conuulsio in epilepsia est spuria, ratione cerebri.

ſolius expultricis. Quare conuulſio epileptica erit motus prauus expultricis cerebri, irritatæ a cauſſa mor- A bifica: ſicuti enim in ſingultu impacta eſt materia in ore ventriculi; ita etiam in epilepſia impacta eſt parietibus ventriculorum cerebri. Et hinc eſt, quod dicit Galenus ca.2.l.5.loc.aff. epilepſiam mediam eſſe inter carum & apoplexiam: nam in caro, cum obſtructio ſit integra, materia occupat ventriculos cerebri, non impacta eſt, vt in epilepſia, & in ſingultu.

Cauſſa efficiens: primum interna, ſeu principalis.

Cauſſa epilepſiæ per eſſentiam, eſt vapor.

Hactenus patet, epilepſiam produci a cauſſa morbifica, vt eſt cauſſa conuulſionis, quæ eſt motus ſolius expultricis: reſtat modo inquirendum, quænam ſit cauſſa mouens. Vt autem pateat, quæ ſit cauſſa interna & principalis, ſtatuendum cum Galeno ca.7.lib.3.loc.aff. epilepſiam fieri, vel per Eſſentiam, vel per Conſenſum ab ore ventriculi, aut ab aliis partibus. Primum digrediemur circa epilepſiam per eſſentiam: ſecundo circa epilepſiam per conſenſum ab ore ventriculi; tertio ab aliis partibus. Quantum ad epilepſiā per eſſentiam; cauſſa eſt Vapor, non minera. Ratio eſt: nam, vt teſtatur Auerrhoes (: quamuis impuden- B ter in medicos inuehatur:) ſi cauſſa epilepſiæ per eſſentiam eſſet minera frigida, ſeu humor craſſus, viſcidus, hærens in ventriculis cerebri; nequaquam fieri poſſet, vt epilepſia tam cito fieret, & tam cito euaneſceret. Argumentum Auerrhois inſtar eſt ἀποδείξεως, vt puto. Adhæc e Galeno ca.7.l.3.loc.aff. in epilepſia cauſſa eſt quandoque pituita, quandoque melancholia; quę melancholia, quia non generatur in capite, nō poteſt eſſe cauſſa epilepſiæ per eſſentiam. Veriſſimum enim eſt in epilepſia per eſſentiam materiam generari in capite. Quare epilepſiæ cauſſa immediata eſt vapor. Vnde Auicennas ait, epilepſiam fieri a materia, a minera; ſed addit, vt ab hac materia procedit vapor. Vt, quamuis melancholia non generetur in capite, generari tamen poſſit in capite vapor; vt ſit epilepſia per eſſentiam. Cum ergo cauſſa ſit vapor; neceſſarium eſt intelligere & vaporis ſpeciem, & vitium, & cauſſam generantem.

Vaporis conſideratio, quatenus cauſſa eſt epilepſiæ.

Quoad ſpeciem, cum Auicen. vt plurimum eſt vapor pituitoſus, quandoq; melancholicus, quandoq; ſanguineus: cuius tamen vaporis C ſanguinei minera, eſt ſanguis vergens vel ad pituitoſum ſanguinem, vel ad melancholicum. Quoad Vitiū, Vapor in epilepſia per eſſentiam, peccat copia, qualitate, & quiete. Copia; nam ſecus vapor non læderet cerebrum & ſecundum ventriculos, & ſecundum poros. Peccat qualitate; vt eſt frigidus, craſſus: vnde cum ſit proportio inter vaporem & mineram, rationabiliter dixit Galenus ca.7.l.3.loc.aff. epilepſiam per eſſentiam, ſemper fieri a craſſo humore, quatenus ſcilicet ab hoc eleuatur vapor: & hic vapor neceſſe eſt vt ſit frigidus: nam vapor calidus non poſſet ea copia aggregari, vt eſſet epilepſiæ cauſſa. Quiete peccat; nam præter naturam in capite detinetur. Quoad cauſſam generantem, eſt calor debilis, pertinens ad cerebrum: quare tum intemperies frigida, tum calidum innatum imbecille, vi quorum præſertim generatur pituita. Et hinc corpora obnoxia ſunt epilepſiæ, in quibus potiſſ. pituita viget: tum quoad ætates, tum D quoad ſexum. Quoad ætates, cum Paullo, epilepſiæ obnoxii ſunt ſenes, & pueri paruuli. Senes, quia frigidi & ſicci: in frigido autem & ſicco intemperamento multiplicatur pituita: & potiſſ. ſunt ſenes non vſq; adeo decrepiti: nam in decrepitis fit potius apoplexia; niſi contingat, vt in decrepita ætate homines ſint robuſti, ſeu minus imbecilles, qui ſolent obnoxii eſſe epilepſiæ. Pueri ſunt obnoxii: nam & humidi ſunt, & alimento humido vtuntur. Vnde quemadmodum admonet Hippocrates in l.de morb ſacro, ſi fœtus in vtero vel non purgetur, vel diminute; in cerebro colligitur pituita: quæ dum fœtus in lucem editur, niſi vel per vlcera, vel per ſaliuam expurgetur, cauſſare ſolet epilepſiam. Galen. addit, comm.aph.29 ſect.3. iuuenes etiam ſubiectos eſſe epilepſiæ; verum non vi ætatis, ſed ob errores frequentes & vehementes, qui in iuuenili ætate committuntur. Quoad ſexum, Celſus ait, mares frequentius corripi epilepſia: nam fœminæ quamuis frigidioris ſint craſeos, tamen & minus delinquunt, in viuendi ratione; &, ſi delinquant, E beneficio purgationis menſtruæ non ita facile corripiuntur. Eſt porro hoc loco explicandum, quæ ſit vis tum vaporis, tum mineræ, a quibus prodit epilepſia. Quoad vaporem, vt adhæret parietibus ventriculorum cerebri, cauſſat cōuulſionem: vnde quamprimum tranſponuntur vapores, id eſt, a parietibus ad cauitatem, ilico ceſſat conuulſio, & patientes immoti iacent. Vt autem vapor lædit cerebrum ſecundum poros; eſt in cauſſa ablatæ functionis & principalis, & ſenſus motuſque voluntarii. Neque obſtat, quod dicit Galenus comm.aph.45.ſect.2. apoplexiam fieri ob immodicam priuationem virtutis motiuæ, epilepſiam autem propter motum vitioſum: hoc non obſtat; nam motus vitioſus intelligendus eſt, non vt procedit a facultate, quia non influit; ſed vt procedit a muſculis præter naturam contractis. Humor autem eſt in cauſſa obſtructionis, ſiquidem cum Galeno ca.7.lib.3.loc.aff. in epilepſia cerebri ventriculi obſtruuntur: ſed cum Auicenna obſtructio non eſt integra; nam non fieret conuulſio; quemadmodum etiam non fit F in apoplexia & caro.

Cauſſa epilepſiæ per conſenſum.

Verum ſi epilepſia fiat per conſenſum ab ore ventriculi & aliis partibus; notandum fieri epilepſiam per conſenſum non modo ab ore ventriculi, & a parte externa, verumetiam ab alia parte interna, & a toto corpore. Nec propterea improbandus Galenus: quia non loquitur de epilepſia e propoſito, ſed reſpicit ſolum ad cognationem locorum affectorum Auicen. autem e propoſito loquitur: vnde omnes epilepſiæ ſpecies proponit. Ob id in epilepſia per conſenſum breuiter intelligere oportet cauſſæ ſpeciem, vitium, & cauſſam generantem.

1. Species. Subſtantia vaporoſa & Qualitas.

Quoad ſpeciem, c.7 lib.3.l.affect.c.6.l.5.l.aff. cauſſa hæc eſt vel Vaporoſa ſubſtantia vel Qualitas. Quoad vaporoſam ſubſtantiam, ea eſt multiplex, vt minera eſt multiplex: eſt enim chylus morbificus, e lacte productus in pueris; item eſt ſuccus pituitoſus, bilioſus, melancholicus, ſanguineus, vt eſſe poſſit & ſanguis non menſtruus & menſtruus: eſt etiam ſemen: vermis quoque defunctus; nam viuens morſu, non autem vapore in cauſſa eſt. Quoad qualitatem; hæc ſpecie duplex eſt, nimirum ſpiritalis, G vt dolorifica; Materialis, vt venefica. Vitium & vaporis & qualitatis ſequitur.

2. Vitium; primum vaporis.

Vitium vaporis pertinet ad ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, & motum; non dico vbi, ſed motum. Auicennas proponit malitiam ſubſtantiæ, id eſt, vitium in ſubſtantia, cuiuſmodi eſt vapor putridus, prodiens e ſuccis putreſcentibus, id eſt, chylo vel lacte putreſcente, e verme mortuo: proponit ēt vaporem lædentem quantitate & copia,

A pia, verbi gratia, dum vapor prodit a pituita non admodum frigida, ſed a ſubdulci: tertio proponit qua-
litatem euidentem, dum ait in epilepſia vapores agere congelatione, frigiditate: quarto proponit vitium
ſecundum qualitatem reconditã, inquiens, vaporem magis agere venenoſitate, verbi gratia, qualitate eui-
dente agit vapor frigidior, prodiens a pituita acida; & vapor calidior, procedens a bile acriore; venefica
qualitate agit vapor procedens ab excremento venefico: proponit denique vitium ſecundum motum, in-
quiens, epilepſiam fieri a vapore, qui in caput mouetur. Et cum in hoc vitioſo motu mobile pateat, ſat
digredi circa terminum a quo, ſpatium per quod, & terminum ad quem. Terminus a quo, ſecundum A-
uicen. eſt Totum, & Pars Totum Galenus non ignorat, licet non proponat, cap. 7. l. 3. l. aff. Ait enim Gale-
nus, comm. 27. l. 4. de ratione vict. fieri epilepſiam, dum ſpiritus non poteſt pertranſire meatus, ob ſangui-
nem venas ſupramodum opplentem: & dum hoc contingit (vt addit Auicen.) vapor quandoq; attingit ad
B digitos pedis, quandoque ad digitos manus: cum enim ſanguis venas ita replet, vt ſpiritus penetrare non
permittat, fit vt veluti in mortuo corpore concreſcat ſanguis; &, cum Auic. a ſanguine abſcindatur calor
natiuus; vt ita corrumpatur ſanguis, vt prodeat vapor vel qualitas venefica; cuius vis dum perducitur in
cerebri ventriculos, fiat epilepſia. Hæc igitur epilepſia fit a vapore ſanguineo, prodeunte a toto corpore,
a venis totius; vt propterea ſit epilepſia etiam per conſenſum a toto. Quoad epilepſiam, quæ fit per cõſen-
ſum a parte: hæc pars eſt Externa, vel Interna. Si externa, neceſſario eſt pars neruoſa, vt iure attineat ad o-
mnes artus ſupernos & infernos. Si interna, ſecundum Auicen. eſt ſtomachus, meſenterium, ſplen, teſtes,
vterus. Quoad ſpatium per quod; Auic proponit vaſa, id eſt, venas & arterias: proponit ſpatia inſenſibilia,
proponit neruos. Sed ſciendum, moueri vaporem per neruorum circumferentiam. Terminus ad quem,
eſt cerebrum: præſertim quia ſuſcipit, ob imbecillitatem, vel Proportionis, vel Conſtitutionis. Proportio
C eſt contracta a parentibus, vel in conceptione, vel in formatione. Conſtitutio autem eſt intemperies ce-
rebri frigida, vel humida, itemque raritas. Verum vt raritas eſt effectus vitioſæ formatricis; ita intempe-
ries poteſt eſſe quandoque natiua, quandoque aſcititia. Quoad vitium qualitatis; ad ſubſtantiam & quan- Vitium qualitatis.
titatem non attinet, quia ſermo eſt de qualitate: eius ergo vitium pertinet ſolum ad qualitatem, & ad mo-
tum, ſed metaphoricum (id eſt, quia corpus proprie mouetur, non qualitas) ideoque Auicennas reſpi-
ciens ad hunc motum, inquit, ad cerebrum eleuari qualitatem puram, ſine ſubſtantia. Quod ſi igitur qua-
litas eſt ſpiritalis, vitium eſt, quia hæc qualitas eſt dolorifica; ſi materialis, quia venefica. Quoad dolorifi-
cam qualitatem; hæc lædit os ſuperius ventriculi: ratio eſt, e cap. 6. li. 5. loc. aff. nam ventriculi os ſupernum
ob ἐναισθησίαν in conſenſum ducit cerebrum. Vnde Grammaticus ille, cogitans, vel inediam ſuſtinens, &c.
D epilepſia corripiebatur. Cauſſa horum eſt: quia ob immodicam cogitationem, & iram compatitur ventri-
culus: & per inediam proprie afficitur ventriculus: vt in ventriculi affectione quomodocunque afficia-
tur, ſucci praui, excrementitii & acres (: ſi quando hos in corpore abundare contingat:) petant os ventri-
culi, & ſoluant continuum, vt cerebrum in conſenſum ducatur. Quoad qualitatem materialem, hæc
eſt venefica: quemadmodum tradit Galenus cap. 7. lib. 3. loc. affect. Neque obſtat, quamuis adoleſcens il-
le ſenſu frigiditatis perſentiret: nam frigiditas erat affectus a veneno procedens. Quoad vitium ſecun-
dum motum metaphoricum; ſufficiat perpendere terminum a quo, & ſpiritum. Terminus a quo, pri-
mum qualitatis dolorificæ, eſt os ventriculi ſuperius, ob ſenſum exquiſitum: qualitas enim dolorifica a-
liarum partium, non eſt æque potens ad efficiendum epilepſiam. Qualitatis autem veneficæ terminus a
quo, cap. 7. lib. 3. loc. aff. eſt pars neruoſa; ad differentiam vaporis venefici, qui poteſt etiam prodire a par-
te non neruoſa. Qualitatis igitur veneficæ terminus a quo, eſt pars neruoſa, & præſertim externa: vnde, cũ
E Galeno, in adoleſcente e tibia oriebatur: ſed attinere etiam poteſt ad omnes artus. Spatium per quod, &
qualitatis ſpiritalis, & veneficæ, eſt idem; nimirum neruus, per quem fit aſcenſus, & motus ille metaphori-
cus; vt cum Galeno alteratis per continuitatem partibus, qualitas ſine ſubſtantia cerebro impertiatur. At
ſolum nerui per continuitatem alterantur: vt propterea terminus a quo ſit pars neruoſa; ſpatium ſit ner-
uus. Cauſſa autem quæ generat vaporem; cum fiat, quoniam facultas non poteſt mineram regere; pro- 3. Cauſſa generans.
pterea oportet intelligere, quis ſit mineræ auctor. Minera autem cum ſit vel Non venefica, vel Venefica:
quoad non veneficam; patet quis huius ſit auctor, ex alibi propoſitis. Verbi gratia, pituita generatur vel a
ventriculo frigidiori, vel e cibis pituitoſis, & ſic de reliquis. Verum, ſi minera ſit venefica, cum Galeno, ca.
vlt. lib. 2. de differ. feb. & lib. 6. loc. affect. circa finem, non generatur a facultate partis: verbi gratia, ſemen
F veneficum non generatur a facultate teſtium, quo fit, vt venena quandoque ſola vacuatione ſuperentur,
citra alterationem partium. Quare minera euadit venefica, quoniam vel ſuapte natura eſt praua, vel qui
ob longam detentionem prauitatem conſequitur. Quia enim hæc minera praua eſt excrementitia, parti
non amica, expultrici non cedit, & derelicta eſt ab alteratrice, vt in alimentum mutari nequeat: non po-
teſt in eodem conſiſtere, ſed ſemper deterior redditur, præſertim cum ſui præſentia reddat calidum inſi-
tum imbecillum. Etenim ſi venenum ſit calidum; minuit ſubſtantiam calidi innati, & complexionem
reddit igneam, eſtque in cauſſa vt calidum moueatur, & feratur ad circumferentiam. Si autem materia
praua ſit frigida; efficit intemperamentum frigidum, & motum calidi innati ad circumferentiam quaſi
aufert. Cum ergo calidum innatum ob præſentiam materiæ prauioris, patiatur ſecundum quantitatem,
qualitatem & motum: fit vt venenum, quo diutius detinetur, eo peius euadat, eoque copioſius: humores
G enim vitioſi, ſua alteratione vicinos inficiunt, & in ſuam naturam mutant: quod ſi verum eſt de ſuccis vi-
tioſis, multo magis de veneno, vtpote ſucco vitioſiſſimo, capite 99. art. med. Videre hoc eſt in veneno
canino: nam vbi homines ſunt demorſi a cane rabido, primis diebus & menſibus ab omni labe immunes
eſſe videntur; ſed poſtea cum venenum caninum ſeipſum multiplicat, ſymptomata illa erumpunt. Sequi-
tur cauſſa generans Qualitatem dolorificam, vel veneficam. Doloris cauſſa eſt, quæ in orificio ventriculi
vnitatem ſoluit. Veneficæ qualitatis cauſſa Interna, vel Externa eſt. Interna, modo eſt propoſita. Externa

est;veluti dum animal veneficum pungit,vt Scorpio. Hæc de caussis epilepsiæ per consensum,circa quas A notandum,in epilepsia per consensum,ventriculos cerebri non obstrui, nisi vapor peccet copia;non autem obstrui,si sola peccet qualitate:ideoque falsum esse,omnem epilepsiam fieri ab obstructione.Hæc de caussis principalibus.

Caussæ externæ epilepsiæ.

Caussæ non principales,secundum Auicennam,sunt caussæ Externæ, quæ plerunq; adiuuant principales:& sumuntur a rebus non naturalibus,vel necessario vel non necessario occurrentibus.Necessario occurrit aer:de quo loquens Hippocrates in lib.de morb.sacro dicit,aerem & in pueris,& in senibus, esse posse in caussa epilepsiæ:in pueris quidem,vt vi aeris pituita fluit in ventriculos cerebri,cum caput vel calesit,vel refrigeratur; aer enim calidus pituitam liquat; frigidus autem exprimit caussam principalem in cerebri ventriculos.Quoad senes,ait Hippocrates,hyemem his esse infensissimam,ver aliquo modo: hyems est infestissima;si enim in hyeme caput vi ignis calefiat primũ, dum deinde homo in aere frigido versatur,& post e frigiditate ad teporem accedit,seu ad aerem calidum,tunc pituita, caussa principalis epilepsiæ frigiditate exprimitur,caliditate liquatur, vt promtissime in cerebri ventriculos fluat. Verno tempore fit epilepsia,vbi caput est insolatum,inquit Hippocrates:non ita in æstate;nam in æstate non vigent repentinæ mutationes,vt in vere.Et propterea dicit Hippoc.aph 20.sect.3.vere epilepsias fieri. Et aph.4. sect 3 ait, quando eadem die aer modo est calidus, modo frigidus, exspectare oportet morbos autumnales:inter morbos autem autumnales narrat epilepsiam,apho.22.sect.3. Quoad cibum,hic secundum Auicennam est caussa mouens, id est,non principalis,quatenus est immodicus; præsertim si fiet ex apio,quod a proprietate impellit materiam ad ventriculos cerebi.Huius classis est hirci hepar comestum.Adhæc immoderata potio vini:vnde Galenus cap.2.lib.3.de temp.ait,epilepsiam fieri e vino. Item, somnus præsertim *post cibum copiosum.Euigilatio repentina.Coitus plurimus.Immoderata repletio.Alui constipatio.* C Immodicus motus a cibo. Timor,siue e tumultu,siue vocis repentinæ. Quoad caussas non necessario occurrentes,Auicennas proponit *Corium caprinum, recens excorticatum indutum:adhæc suffumigium* e cornu caprino,e myrrha, e marrubio,ex hepate hirci tosto, e lapide Gagate, e bitumine: His enim epilepsiæ caussa principalis mouetur,& impellitur in ventriculos cerebri.

Differentiæ a forma.

Differentiæ si sumantur a forma;cum forma sit functio ablata principalis, cum amissione motus & sensus,& conuulsione,differentia capitur solum ratione conuulsionis, secundum Magis & Minus: vnde *interdum conuulsio adeo est exigua, vt Auicennas vocet spasmum non sensatum.* A subiecto non sumuntur differentiæ, semper enim est idem. Caussa efficiens, vel est Principalis, vel Excitans principalem. Caussa principalis, est caussa epilepsiæ, vel per Essentiam, vel per Consensum. Quoad epilepsiam D per essentiam; differentiæ sumuntur a vapore:quare a specie,vitio & caussa generante.A specie:Vapor est Pituitosus, Melancholicus, vel Sanguineus: & si sanguineus,vergit vel ad Pituitosum,vel ad Melancholicum. Quoad vitium: quilibet vapor peccat Copia, Frigiditate, Crassitie,& Quiete; quare differentiæ sumuntur secundum Magis & Minus. Quoad caussam generantem,cum vapor generetur in capite, a calore imbecillo, e materia:differentiæ sumuntur ab Agente,& a Materia. Ab agente,vt est vel Intemperies cerebri frigida; vel Calidum innatum refrigeratum. A materia, vt est vel Pituita, vel Melancholia, vel Sanguis.

Differentiæ a caussa efficiente. Epilepsia per essentiam.

Epilepsia per consensum. 1. Ob vaporem.

Quoad caussam epilepsiæ per consensum: caussa vel est Vapor, vel Qualitas. Vapor est specie multiplex,vt minera est multiplex: vnde vapor est vel Chylosus, vel Pituitosus, vel Biliosus, vel Melancholicus,vel Sanguineus,vel Seminalis,vel Verminosus.Vaporis vitium,pertinet ad Substantiam, Quantitatem, Qualitatem,vel Euidentem,vel Reconditam.Secundum motum autem vapor cum semper peccet, a motu simpliciter accepto non sumuntur differentiæ:sed sumuntur a termino a quo, a spatio, a ter- E mino ad quem. A termino a quo,vt est Totum, vel Pars: & si pars, vel Externa, vel Interna: & si interna, vel Ventriculus,vel Mesenterium,vel Testes, Vterus,&c. Spatium, est Vena, Arteria,aut Neruus. Terminus ad quem,est caussa Proportionis,vel Constitutionis:& si caussa est constitutionis,est vel Intemperies, vel Raritas. Quoad caussam generantem,vt hic vapor prodit e varia minera, varia etiam est caussa generans: potissimum tamen caussa generans est venenositatis, vel Expers, vel Particeps.

2. Ob qualitatem.

Sed qualitas etiam caussa est epilepsiæ per consensum.Quoad speciem igitur,qualitas vel est Dolorifica, vel Venefica. Quoad vitium,differentia est secundum Magis & Minus:nam dolor semper fit a caussa dolorifica; qualitas venefica a caussa venefica.Ceterum,ratione motus metaphorici;qualitas dolorifica pro termino a quo semper habet os ventriculi;vnde non oriuntur differentiæ: qualitas venefica, pro termino a quo habet partem neruosam externam; & hæc admittit differentias, vt pertinere potest ad artus vel Infernos, vel Su- F pernos. A spatio non sumuntur differentiæ;nam semper est neruus. Caussa generans est,vel Soluens continuum,vel Venefica.

Caussæ non principales.

Postremo,quoad caussas non principales,hæ caussæ sunt externæ,& occurrunt Necessario, vel Non necessario.

Signa imminentis epilepsiæ.

Epilepsia imminens cognoscitur,ratione caussæ principalis e notha obliuione,e malis somnis & insomniis, e debili motu,quandoque e morsu linguæ, e præcedenti vertigine, e prægresso incubo: hæc enim significant caput lædi. Si coniungatur his,capitis grauitas,faciei pallor, & mutatio complexionis totius:indicia sunt,non modo imminentis epilepsiæ,sed etiam per essentiam. Oportet etiam præcognoscere epilepsiam imminentem, vi caussæ non principalis: quia dum aggressi sumus curationem epilepsiæ, oportet scire,an sit absoluta curatio,nec ne;nisi enim sit absoluta,nos oportet pergere. Cognoscitur autem e præsentia caussarum, non necessario occurrentium. Verbi gratia, si fiat suffumigium e bitumine, G & patiens non corripiatur epilepsia;iudicandum est superatam esse caussam principalem; sin minus, oppositum statuendum.

Epilepsia præsens in genere seipsam patefacit: cadit enim homo in terram & conuellitur. Differentiæ etiam a forma notissimæ sunt. Caussa autem efficiens,& primum principalis,vtrum sit caussa epilepsiæ

Num epilepsia sit per essentiam an per consensum.

A psiæ per essentiam, an per consensum, cognoscitur e symptomatis, & in paroxysmo, & extra paroxysmum, capite 7. libro 3. loc. affect. In paroxysmo, si epilepsia sit per essentiam, cognoscitur e conuulsione vehementi & longa, e spuma copiosa: si per consensum, conuulsio est debilis, vt quandoque fiat sine spasmo sensato, secundum Auicennam; præterea, spuma vel exigua, vel nulla. Caussa huius discriminis est: nam in epilepsia per essentiam caput repletur & vaporibus & humoribus. Sed cur fiat spuma, in sermone de apoplexia explicabimus. Extra paroxysmum, si epilepsia sit per essentiam, tunc ante paroxysmum fuit capitis grauitas, capitis dolor, assunt signa intemperati cerebri: Si contra, cognoscetis esse epilepsiam per consensum.

Epilepsia per essentiam.

In epilepsia per essentiam, cum huius caussa sit vapor; cognoscitur species vaporis, id est, num vapor sit pituitosus, melancholicus, vel sanguineus; e signis indicantibus mineras, de quibus in dolore cap. B Quoad vitium, cum differentia sit secundum magis & minus; cognoscetur e vehementia & debilitate symptomatum. Caussa generans, est agens, & materia e qua. Agens vtrum sit vel calidum innatum cerebri, vel intemperies; cognoscitur hoc modo. Si vitium fuerit in calido innato; minera est genita extra caput: si agens sit intemperies; minera est genita in capite. Ideoque cum in epilepsia melancholica & sanguinea, minera generetur extra caput; indicandum est inter initia vaporem generari ab imbecillo calido innato: & ratio est; quoniam ob præsentiam materiæ morbificæ magis patitur calidum innatum, quam temperies.

Si epilepsia sit pituitosa; an pituita generetur in capite, vel in ventriculo, cognoscetis e propriis capitibus. Quoad materiam e qua, quæ nam sit hæc materia, patet e signis, traditis in sermon de dol. capitis.

Epilepsia per consensum.

Quoad epilepsiam per cõsensum, cum huius caussa sit vapor, vel qualitas; hæcq; dolorifica, aut venefica: Si C nulla præcessit caussa dolorifica, nec signa sint veneni; indicandum caussam esse vaporem. At cum vapor interdum possit esse veneficus, distinguetur a sola qualitate venefica: vt, si malum procedat a parte interna, sit vapor; si a parte externa, potest esse qualitas, & vapor; at patiens referet, se sentire vel auram quandam, vel puram frigiditatem. Ceterum, si caussa epilepsiæ per consensum sit vapor; oportet cognoscere vaporis speciem, vitium & caussam generantem. Species cognoscitur e cognitione mineræ, de qua in propriis capitibus, verbi gratia, si procedat a verme, in doctrina de vermibus, &c. Quoad vitium & caussam generantem; hæc cognoscentur e signis, indicantibus vitia & caussas generantes minerarum, de quibus in dol. cap. Quoad signa qualitatis in epilepsia per consensum: & primum quoad speciem; si qualitas sit dolorifica, cognoscetis e caussis agentibus in os ventriculi, verbi gratia e fame, e morsu ventriculi a verme, sed non mortuo. Si qualitas sit venefica, signa iam proposita non aderunt. Quoad vitium in qualitate D secundum magis & minus; cognoscetis e vehementia & imbecillitate symptomatum. Ratione motus metaphorici; terminum a quo, & spatium, manifestabit patiens. Quoad caussam generantem, an generetur in ventriculo, vel in alia parte neruosa, facile etiam audietis ab ægrotante. Quoad signa caussæ nõ principalis, quæ potius est dicenda occasio quam caussa, cum sit externa; ab ægro & assidentibus declarabitur, siue necessario, siue non necessario occurrat.

Caussa non principalis.

Indicationes, in paroxysmo.

Præsidia sumuntur, caussa tum Accessionis, tum Totius epilepsiæ. Ratione accessionis, vt sciamus quid agendum sit tempore accessionis, præsidia sumuntur a sensu ablato, a conuulsione, & a caussa efficiente principali. A sensu ablato indicatur remedium dolorificum, vt pars neruosa ita afficiatur, vt obiectũ dolorificum impertiatur cerebro, vt cerebrum ad iudicandum excitetur. A conuulsione sumitur præsidium, vt cum vi cõuulsionis partes sursum trahantur, oriatur indicatio retrahendi deorsum. Quoad caus-E sam efficientem, ab hac sumitur indicatio, vt residet in capite, in qualibet epilepsiæ accessione; quandoq; autem vt impetum habet in caput, atque secundum hanc rationem fouet materiam residentem in capite. Vnde caussa materiæ residentis in capite, oritur indicatio vacuandi materiam in capite existentem. Ratione autem caussæ habentis impetum in caput, oritur indicatio retrahendi deorsum. Notandum, nos nihil dixisse de ablatione principum facultatum, nec de motu ablato, quæ tamen symptomata locum habent in accessione epilepsiæ: ratio est, quia hæ functiones ablatæ ilico resurgunt, solum detracta caussa residente in cerebro: ideoque non sunt ex vsu. Iudicium autem tangibilis qualitatis, excitatur præsidio dolorifico. Quoad indicationes hauriendas extra paroxysmum, non sumuntur a forma; nam forma non est præsens; sed sumuntur a subiecto & efficiente. A subiecto; vt cerebri calidum innatum seruetur, & proportio foueatur. Quoad caussam efficientem; & primum in epilepsia per essentiam: cum caussa sit vapor F genitus in capite, a calore imbecillo, e materia copiosa, frigida, crassa, viscida, genita vel in capite, vel extra caput: Primum ratione copiæ materiæ, oportet vacuare, sed præterea calefacere, attenuare, detergere. Ratione materiæ extra caput, oritur indicatio retrahendi. Ratione imbecillitatis caloris, oritur indicatio calefaciendi. Ratione membri generantis, oritur indicatio per contrarium alterandi, verbi gratia, si generetur pituita in ventriculo frigidiore, oritur indicatio calefaciendi ventriculum. Quoad epilepsiam per consensum; cum huius caussa efficiens sit vapor, vel qualitas: quoad vaporem; ratione motus indicat retrahens ad infra: & quoad reliqua vitia vaporis, hæc non indicant; nam dum occurrimus mineræ, vapor sponte delitescit. Vnde, quoad mineram, vt varia est species, varia indicat & ea determinata, exempli gratia si pituita sit copiosa, frigida, viscida; indicat vacuans, refrigerans, detergens, sed pituitam; & ita euadit indicatum determinatum. Similiter e varia caussa generante mineras, variæ oriuntur indicationes, G verbi gratia, si bilis generetur a iecore calidiore, iecur refrigerandum. Quoad qualitatem, si sit dolorifica, patet quid dolor indicet e sermon. de dol. capitis. Si qualitas sit venefica, postulat bezoarticum. Si qualitas procedat a bestia, postulat bezoarticum theriacale: Si non a bestia, postulat bezoarticum alexipharmacum.

Extra paroxysmum. Epilepsia per essentiam.

Epilepsia per consensum.

Prognostica.

Malum hoc in genere non est exigui momenti, nam symptomata sunt vehementia secundum essen-

Differentię a forma.

Differentię a caussa efficiente, in epilepsia per essentiam.

tiam & dignitatem: sed perpendenda est vis differentiarum. Quoad differentias a forma; epilepsia periculosior est, si functiones ablatæ, diutius ablatæ manent: præterea, si conuulsio est vehementior & diuturnior: nam hæc indicant caussæ efficientis insignem vehementiam. Quoad caussas efficientes & primo, quoad epilepsiam per essentiam, cum caussa efficiens sit vapor genitus in cerebro, e minera, exsistente in capite; perpendenda est vis vaporis, secundum speciem, vitium, & caussam generantem. Quoad speciem, vapor est pituitosus, melancholicus vel sanguineus: ceteris paribus, magis est periculosa epilepsia, si caussa sit vapor melancholicus; nam dum hic peccat in capite, est maior recessus a naturali statu, maiorq; vehementia secundũ essentiam. Ceterum, vt vapor secundum speciem differt, ita conuenit secundum vitium, & caussam generantem: quo igitur hæc erunt vehementiora, eo periculosior est epilepsia: & si hæc ad summum vehemẽtiæ attollantur, epilepsia est incurabilis. Sed propter iuniores digredimur circa epilepsiam

Epilepsia a pituita.

B per essentiam, vt fit a pituita, vel a melancholia. Quoad epilepsiam, quæ fit a pituita; vt spuma oris erit copiosior, ita periculosior est epilepsia: Indicatur enim pituita admodum copiosa. Periculosa etiam epilepsia est, si mutetur in paralysin, secundum Auicennam; indicat enim pituitam copiosam. Adhuc peior epilepsia est, si mutetur in apoplexiam: indicatur enim pituita ad summũ copiosa. Adhæc inueterata epilepsia, est incurabilis, & producitur vsque ad mortem, secundum Hippo. in l. de morb. sacro: nam in epilepsia recenti minor est vehementia secundum vitium & materiæ, & caussæ generantis: in antiqua, contra: tempus ergo hoc in loco est signum vehementiæ. Insuper cum Hippocrate eodem in loco, pueri & decrepiti vix euadunt: nam puerilis ætas indicat copiosam materiam, quæ præsertim copiosa est statuenda, si referatur in vias, quæ in puerulis sunt angustæ. Ætas senilis indicat vehementiam & ratione copiæ, & ratione frigiditis, & ratione visciditatis: ideoq; denotat insignem essentiæ vehementiam. Vnde ad ætates respiciens Hippocrates aph. 7. sect. 5. ait, quibus epilepsia occurrit ante pubertatem, mutationem accipit; quibus post 25. C annum, fere commoriuntur. Gal. in com. ait, qui vltra pubertatem procedunt, magna e parte moriuntur; vt, quo magis vltra procedunt, periculum euadat maius. Hippocrates respexit ad pituitam, vt copia peccat: Quod si vitium sit exiguum; mutatione aeris, cibi, & ætatis, liberantur, aph. 45. sect. 2. propterea quod pituita non est admodum copiosa. Hic ætas concurrit in ratione signi. Quod de ætate dictum, idem de febre statuendum. Galenus circa finem libr. 6. epid. ait; quartana laborantes, epilepsia non capiuntur; & si prius capiantur, quartana superueniente liberantur. His verbis Galenus respicit ad materiam non copiosam: nã vi quartanæ absumitur, siquidẽ vi rigoris discutitur, & vi caloris febrilis attenuatur, & hinc vacuatur.

Epilepsia a melancholia.

Quoad epilepsiam per essentiam a melancholia, similiter dicendum, verbi gratia, pro vario motu mutatur in melancholiam; vt si materia petat cerebrum secundum ventriculos, fit epilepsia; si misceatur cum spiritibus animalibus, fit melancholia. Vnde Galenus c. 7. l. 3. de loc. aff. & circa finem li. 6. epid. ait: epilepti- D cos euadere melancholicos ratione motus materiæ. His iam propositis, si addatur vehementia facultatis, epilepsia redditur magis periculosa. Vnde Galenus c. 19 li. 4. de causs. puls. ait, si modice natura infestetur; nulla fit in pulsu mutatio; si natura, siue facultas vehementer angatur; fit in pulsu mutatio. Hic pulsus est signum vehementiæ facultatis: non sumitur prognosticum a pulsu, sed a vehementia.

De epilepsia per cõsensum.

Quoad epilepsiam per consensum, huius caussa est vapor, vel qualitas. Quoad vaporem, pro varia vehementia vaporis, vario modo prognosticandum; verbi gratia, Si fiat epilepsia a toto, est vtilis & salutaris epilepsia, comm. 27. lib. 4. de ratione victus, nam in epilepsia per conuulsionem corpus incalescit, vnde sanguis digeritur, & in partes non principales expellitur, vt sanguinis vitium adimatur. Præterea epilepsia quandoque non difficulter tollitur, vt si fiat a vapore sanguinis menstrui: nam, cum Paullo & Auicenna, si mulier concipiat, dum deponit fœtum, materiam, epilepsiæ caussam vacuat. Epilepsia etiam interdum difficulter expugnatur; vt si E fiat a vermibus; nam quandoque vix hi superari possunt. Epilepsia interdum est incurabilis, vt si fiat a vapore, in cuius motu terminus ad quem sit cerebrum, per proportionem vitiosam, quæ natura est. Si caussa sit qualitas dolorifica, est curabilis, modo facile, modo difficulter, c. 6. l. 5. l. aff. Difficultas & facilitas pendent a dispositione superioris ventriculi, vt hæc est vel vehemens, vel remissa. Vnde interdum homines per solum vomitum liberantur. Ceterum animaduertatis, quandoque negotium non esse ita facile: nam Grammaticus, qui liber euaserat beneficio victus & aloes; solum vi inediæ quandoque correptus est epilepsia; vnde prorsus ille Grammaticus liberari non potuit, propter ventriculi malam dispositionem. Si caussa sit qualitas venefica, quandoque vincitur; ratio est, quia generatur in parte externa, vt mirum non sit, puerum a Galeno esse liberatum. cap. 7. libr. 3. de loc. aff. Si qualitas venefica e morsu bestiæ procedit, periculum intenditur pro vehementia qualitatis. Hæc de prognostico, ratione euentus in epilepsia.

Motus epilepsiæ velox, vel tardus.

F Vtrũ autem cito vel tarde futurus sit euentus; sumitur a motu morbi, vt est velox, vel tardus. Epilepsia statuitur tardi motus a Galeno, aphor. 7 sect. 5. & c. 4. li. 1. de cris. Statuitur autem velocis motus, & proinde vitium acutum, cap. 21. lib. 4. de causs. puls. & ab Auicenna in tractatu de horis febrium. Si enim epilepsia sumitur pro vitio, quod completur e pluribus accessionibus; si accessiones sint raræ, cum debilibus symptomatibus, epilepsia statuitur chronica: contra, acuta, si accessiones sint frequentes & vehementes, vt cum Auicenna & Paullo hæc epilepsia euentum non modo cito habeat, sed statim iugulet: nam accessionum raritas, cum imbecillitate symptomatum significat motum tardum: contra velocem indicant accessiones frequentes, & cum vehementibus symptomatis.

Curatio. In paroxysmo. Cheirurgia.

Quoad materias præsidiorum, & primum ratione accessionis, si accessio sit vehemens & diuturna; G probatur materia Cheirurgica, & Medicinalis. Quoad cheirurgicam; Aetius c. 15 li. 6. e sententia Didymi, scarificabat, seu pungebat magnum digitum pedis, & *destillantem sanguinem* labiis admouebat. Hæc materia, vt ego arbitror respicit tactum deperditum, & materiam morbificam, caput petentem: est enim materia dolorifica, ideoque fit attractio ad partem punctam: Quemadmodum etiam fieri potest virtute ferri candentis, quod infra occipitium apponitur. Admouebat autem labiis sanguinem, forte ob consensum,

A qui eſt inter labia,& os ventriculi;hinc enim tremor labii ſolet eſſe indicium futuri vomitus : vnde cum huius cauſſa afficiatur os ventriculi, vi huius poteſt etiam facultas cerebri excitari. Paullus præterea partes conuulſas in rectum dirigebat,& fricabat cum vehementia:non ergo eſt abs re, frictiones moliri cum pannis aſperis,manibus inunctis *oleo de coſto,& permiſto etiam ſinapi.* Quoad medicamenta, Paullus probabat *oleum* in gulam immiſſum cum penna,vt os ventriculi irritaretur: Et applicabat naribus *peucedanum,bitumen,picem,caſtorium.* Vnde probantur etiam *magnæ antidoti*,vt applicentur & naribus & palato. At corpus ante acceſſionem ſit vacuatum:nam ſi repletum ſit,ab his abſtinere oportet, & vtendum clyſmis acribus. Si acceſſio non cedat,cum Paullo,eſt minima ſpes ſalutis.

Medicamēta.
NB.

Iam etiam breuiter proponenda,quæ extra acceſſionem ſint vſurpanda. Galenus cap. vlt. l. de venæ ſectio.aduerſus Eraſiſtr.ſecat venam in epileptico ſanguine repleto:nam & tempus veris erat, nec corpus B exercitiis deſtinatum,nec inediam ſuſtinuerat;quare erat copioſus ſanguis. Vſus patet. Notandum tamen circa quando agendum,dixiſſe Celſum,in venæ ſectione exſpectandum eſſe diem, quo æger prolabitur. His enim verbis inſinuat ſecandam eſſe venam imminente acceſſione,vt vacuetur ſanguis,& fiat reuulſio a capite. Cucurbitulæ & fonticuli patent ex alibi dictis. Notetur tamen cum Galeno c.7.l.3.loc.aff.& cum Rhaſi,ſi epilepſiæ cauſſa ſit qualitas venefica,cucurbitulas ſcarificatas & veſicantia, etiam eſſe applicanda parti primo affectæ,e qua procedit aura,vel qualitas.

Curatio, extra paroxyſmum.
Venæſectio.

Quoad medicamenta,& primum in infantibus,cum ſit epilepſia potiſſimum per eſſentiam;nutrici danda medicamenta,quæ pituitam euacuent,attenuent & detergant:de quibus in dol.cap.a pituita. Notetur autem cum Alexandro,acria eſſe vitanda,nam menſes mouent,& lac minuunt:vt ſi verbi gratia vti velimus *roremarino,feniculo,&c.* debeamus exhibere viridia,non ſicca. Cauſſa autem corporis infantis, C Aetius probat *mel deſpumatum* ad lingendum:probat odoramenta *e ruta.* Vngit etiam caput infantis *oleo anethino,oleo irino*;& capiti admouet puluerem cōfectum *e cypero,adianto,iride*:præterea caput lauat *aqua calida* & ſordes *melle* detergit. Applicat collo *radicem pæoniæ*,vt ſtomachum tangat.

Medicamēta, ſi infans laboret.

Eodem modo in adultis vti oportet Vacuantibus,& Alterantibus. Vacuantia,vacuant Senſibiliter, aut Inſenſibiliter. Quoad vacuantia ſenſibiliter,probantur Lenientia,Purgantia totum & caput; de quibus in dol.capitis. Quoad vacuantia inſenſibiliter,quædam monebimus. Vnde ſi epilepſia ſit per eſſentiā, & potiſſimum ſi pituitoſa;cum Galeno in documento pro puero epileptico, probatur *medicamentum e ſcilla*:quare probatur *oxymel ſcilliticum,mel ſcilliticum,ſaccharum ſcilliticum. Oxymel tamen ſcilliticum, efficacius eſt melle ſcillitico:at cum Galeno eſt noxium neruis;quare tutius eſt,vti melle ſcillitico: & ſi hoc medicamentum conficiatur cum ſaccharo,minus etiam calefaciet.* Quoad vſum medicamenti e ſcilla: doſis eſt a D ℥ij.vſque ad ℥j. Quomodo:dabitur actu calidum hoc medicamentum. Tempus:per 40. dies: nam materia morbifica per tot dies ſolet eſſe præſens. Aduertendum autem tempus eſſe opportunum, niſi prohibeat vel materia in toto exſiſtens,vel cibus ventriculum replens. Rhaſis cum melle ſcillitico addit ſpecies,paratas *e pyrethro e ſtœchade,ex agarico,& aliis,&c.* quorum plurima proponuntur a Paullo, & Aetio, quæ vim habent calefaciendi, attenuandi,& hinc inſenſibiliter euacuandi. Addit Alexander *hyſſopi decoctum*,& teſtatur huius ſolius beneficio ſe pleroſque ſanaſſe:ſed præterea dat hoc decoctum modo ſyncerum,modo cum oxymelite. Quoad inſenſibiliter vacuantia in epilepſia per conſenſum : circa hæc primo notandum cum Rhaſi,probari vacuantia per modum repercuſſionis;nam probat *oxyrrhodinum*, non in epilepſia quacunque ſed in epilepſia per conſenſum a vapore calido;vt nullo pacto probetur in epilepſia per eſſentiam. Secundo notandum,Galeni auctoritate c.7.l.3.l.aff.in epilepſia per conſenſum a parte externa probari *medicamenta e thapſia,& ſinapi*;quæ ſunt applicanda parti primo affectę. Ceterum,vt in hac epilepſia fiat etiam retractio per modum interceptionis:expedit inter partem affectam,& caput,loco videlicet qui ſuperior eſt parte affecta,imponere medicamentum,*confectum e ſanguine Dracon.bolo Armen. hypociſtide.gallis immat.malicorio,&c.*

Curatio adultorum.
Vacuantia inſenſibiliter,in epilepſia per eſſentiam.
In epilepſia per conſenſum.

Quoad alterantia,probantur quæ fuere propoſita in dol. cap. Satis ſit quædam peculiaria notare. Probatur ergo *cranium humanum* pulueriſatum:maxime etiam iuuat *oleum deſtillatum ex hoc cranio.* Alexander probat *cranium aſini,& prius dat ℥iij.ſabinæ cum aqua; vt hoc medicamentum ſit vehiculum cranii.* Galenus lib.6.ſimpl.probat.*pæoniam* Alexander cap.15.lib.1.plura habet. Probant aliqui *vngulam magnæ beſtiæ,id eſt,alcis*,& portant in annulis. Optimum medicamentum,cuius beneficio cerebri proportio maxime foueri poteſt,hoc eſſe puto: *℞ pulueris radicis pæoniæ maris.ſem.nigrorum pæoniæ, pyrethri, hyſſopi, rutæ ſylueſtris,polii montani an.ʒj.ſucci rutæ,ſampſuchi, an. ℥ß. cranii humani pulueriſati, & aſinini cremati, an.ʒij.olei deſtillati e fecibus canis ʒjß.radicis eryngii melle cōditæ ℥j.theriacæ antiquæ,mithridatii antiqui an. ℥ß.conſeru.beton.roriſmar.an.℥j cum oxymelle,vel melle,vel ſaccharo ſcillitico.fiat electarium:cuius doſis ſit a ʒj.vſq. ad ℥ß. & exhibeatur poſt totius & capitis euacuationem,ieiuno ventriculo,per 50.aut 60.dies.*

Alterantia.

Victus ratio patere debet,e traditis in dol.cap. In epilepſia ergo per eſſentiā probatur victus attenuans:e principio l.de victu atten. At pueris concedendi quandoque fructus,ne clam copioſe comedant: vt docet Gal.in docum.pro puero epileptico. Alexāder *apium* vt noxium improbat: eſt autem noſtrum petroſelinum. Notandum præterea cum Auic.vt in epilepſia cœna ſit parcior prandio; nam eſt capitis vitium. Galenus in conſilio pro puero epileptico iubet oppoſitum. Ideoque ſciendum,eo tempore exſtitiſſe conſuetudinē,vt homines cubitū non irent,niſi poſt multas a cœna horas:inſuper reſpicit Gal.ad pueros, G qui interdiu dormiunt. Notandū præterea in epilepſia per eſſentiā,eſſe exſpectandā horam prandii:non autem in epilepſia per conſenſum ab ore ventriculi:in fin.l.6.de tuen.ſanit.c.9.l.de venæ ſect.aduerſ.Eraſiſt.c.6.l.5.l.aff.nam non exſpectata hora prandii,ilico poſt cibū ſemiconcoctū exhibēdus eſt cibus: vt exempli gratia cibus ſit exhibendus quarta hora diei,quamuis hora prandii ſit hora ſexta. Potus ſit compar. Gal.in doc.pro pue.epil.exhibet *oxymel aqua dilutū*;hyeme calidū,ęſtate frigidū:nā reſpicit ad epilepſiā p

Diæta.
Cibus.
Quidam a pio paluſtri hoc tribuunt, non hortenſi.

Potus. Vinum.

essentiam. Quare potus erit attenuans; hyeme actu calidus, nam hyeme calidum innatum non dissipatur, A
non mouetur ad circumferentiam, sicut in æstate. Quoad vinum in epilepsia per essentiam, Alex. & Auic.
non probant vinum, nam caput replet, præcipue si sit antiquum. Verum cum hoc vitium sit diuturnum,
& affligat vltra puerilem ætatem, potest etiam vinum concedi, sed pauciferum, subastringens, medicatum,
non antiquum, & moderata copia sumtum. Nam cum Auicenna & reliquis, tale vinum roborat, animam
dilatat, spiritus fouet; & excusat à copiosa aqua, quæ refrigerando nocet; excusat ab aqua cinnamomi, quę
in caput euaporat; excusat a mulsa, quæ in iuuenibus bilescit. Ad hæc vinum vt medicatum, materias mor-
bificas minuit, dum paratur *guaiaco, hyssopo, &c.* de quibus in dol. cap. a materia frigida. Nec nocet hoc vi-
num: nam accipitur in parua copia, vt propterea non petat caput. Quoad epilepsiam per consensum, pro-
batur vinum, nisi caussa sit calidior: vnde Galenus c. 6. l. 5. loc. aff. in epilepsia per consensum ab ore ventri- B
culi, dicit; si patiens sit sitibundus, panem esse exhibendum, cum vino diluto, albo, subastringente; nam
ventriculum roborat, & caput non petit. Probat autem in sitibundo: nam sitis est affectio dolorifica, cui

Balneum, num in epilepsia locũ habeat.

occurrendum. Quoad inanitionem; probatur vt excrementa non colligantur, in corpore. Vnde, cum per
balneum aquæ dulcis fiat inanitio excrementorum tertiæ coctionis, cum Auicenna non est malum balne-
um; & Auicennas loquitur de epilepsia per essentiam, a pituita: si ergo probatur balneum in epilepsia pi-
tuitosa, multo magis probatur in melancholica. Sed notandum ex Auicenna cap. 10. noxium esse, diu
morari in balneo, & ante concoctionem cibi: vnde cap. 11. idem Auicen. probat balneum, post solutio-
nem ventris, & euacuationem materierum cum citra hepar, tum vltra hepar; & vbi patiens quieuerit ali-
quot dies a medicamentis. Nam balneum ita amministratum vacuat excrementa tertiæ coctionis: nec pe-
riculum est vel obstructionis, vel repletionis capitis, quæ nocumenta imminent, si homo diutius moretur
in balneo; & vsurpetur balneum, ventriculo & toto repletis. Vnde Galenus cap. vlt. l. de venæ section. ad- C
uers. Erasistr. in epilepsia improbat balneum, quoniã loquitur de epilepsia, corpore exsistente repleto: in
quo corpore opus est venæ sectione, alias enim balneum non potest hoc corpus euacuare, quemadmo-
dum oportet.

Caput XVII.

De Apoplexia.

Nomen.

EPilepsiæ affinis est apoplexia aphor. 45. sect. 2. & cap. 2. lib. 4. de loc. aff. Per apoplexiam autem intelli-
gimus illud malum, in quo patiens prorsus omnibus functionibus animalibus priuatur, vt etiam re-

Generatio.

spiratio vehementer lædatur. Generatur hoc malum, dum caussa morbifica occurrens capiti, angustat
ferme e toto cerebrum, & secundum ventriculos, & secundum poros; vt cerebri spiritus insitus, & spiritus D
animalis, adeo destituantur motu ad circumferentiam, vt quilibet spiritus ad centrum ita impellatur, vt

Definitio.

functio omnis animalis, saltem quo ad sensum, aboleatur. Apoplexia ergo est functio ablata animalis ce-
rebri, & totius corporis, dependens a facultate impedita secundum totum cerebrum. Colligitur hæc de-
finitio e Galeno, aphor. 42 sect. 2. aphoris. 45. sectio. eiusdem aphoris. vlt. sectio. 3. aphoris. 56. sectio. 6. &

Forma.

potissimum capite 7. & 10. libro 3. de loc. aff. & capite 2. libro 4. de loc. aff. Forma apoplexiæ, est functio ab-
lata animalis. Vnde apoplexia formaliter, est symptoma, in functione ablata animali, & principali, & non
principali. Vnde Galenus c. 3. l. de diff. sym. respiciens ad facultates principales, ait, in apoplexia rectricis
facultatis functiones aboleri. Et aph. 42. sect. 2. dicit, in apoplexia respirationem repente lædi, & repente
sensum motumque auferri. Respiratio ad sensum quandoque deficere videtur: & inter motus voluntari-
os, sola respiratio seruatur, propter maximam eius necessitatem, ob quam natura, facultatem animalem, E

Subiectum.

seu radios spiritus animalis, in apoplexia impertitur musculis respirationis. Cerebrum & totum corpus
sunt subiectum apoplexiæ. Dum igitur proponitur cerebrum; facile colligere licet, ablatam esse functioné
naturalem principalem: dum proponitur totum corpus; facile colligitur, functionem animalem ablatam
pertinere ad sensum & motum voluntarium; vnde Galenus ait, in apoplexia totum corpus repente sensu
& motu priuari, aph. 42. sect. 2. & c. 3. de diff. sym.

Caussa efficiens est angustia; non dyscrasia.

Caussa, est facultas impedita, secundum totum cerebrum. In apoplexia enim læditur functio ani-
malis, non ob errorem externum, sed ob morbum, qui facultatem non labefactat, sed impedit. Est autem
morbus in mala compositione: vnde Auic. dicit, apoplexiam fieri propter oppilationem: & Galenus in-
quit, apoplexiam subito fieri, & subito desinere, cap. 7. lib. 3. loc. aff. cap. vlt. l. de caus. sympt. id quod euenit
ob malam compositionem. Et aphor. 42. sect. 2. apoplexiam fieri, quoniam prohibetur transitus virtutis a- F
nimalis. Quo sensu aphor. 45. sect. 2. addit, apoplexiam fieri ob omnimodam carentiam potentiæ motiuæ.

Angustia est integra, vel non.

Angustia autem est integra: vnde inquit, apoplexiam fieri a succis, qui ventriculos cerebri abunde, id est, e
toto implent. cap. 7. l. 3. loc. aff. Notandum tamen, in quadam apoplexia angustiam esse integram; in qua-
dam non integram, in qua scilicet seruatur respiratio. Diximus autem facultatem impediri secundum to-
tum cerebrum, id est, secundum partem anteriorem & posteriorem; præterea secundum ventriculos, &
secundum poros; ad differentiam cari, in quo angustia est solum secundum ventriculos. Hinc Galenus
c. 2. l. 4. l. aff. dixit, in apoplexia & epilepsia lædi cerebrum, & secundum ventriculos, & secundum corpus,
hoc est, secundum poros: differentiam autem esse, quoniam in epilepsia cerebrum magis afficitur secun-
dum ventriculos, minus secundum corpus, in apoplexia, contra. His verbis significat; in apoplexia lædi
cerebrum magis, & secundum ventres, & secundum corpus, id est, omnibus modis, quam in epilepsia: ita G
tamen, vt si in apoplexia conferamus nocumentum, & ventriculorum & pororum, maius sit nocumen-

Angustiæ caussa externa.

tum secundum poros, id est, secundum corpus, vt docetur c. 5. l. 3. l. aff. Cum igitur cerebrum lædatur se-
cundum poros, non secundum substantiam; morbus sane non est intemperies, sed mala compositio in
ventriculis & poris cerebri: quæ mala compositio est angustia. Angustia hæc secundum poros est Densi-
tas; se-

A tas;secundum ventriculos est Subsidentia, Compressio, & Obstructio. Apoplectica angustia, secundū Auicennam, fit aut propter Clausionem, aut propter Repletionem, id est, fit a caussa Externa, vel Interna. Caussa externa est ictus, percussio: vt si ventriculi cerebri ob ictum comprimantur, fit angustia, quæ dicitur compressio. Si autem ob angustiam, ob compressionem, seu ob ictum, dolor impertitur cerebro; angustia illa non est compressio, sed subsidentia. Caussa interna, est qualitas vel materia. Si apoplexia fiat a qualitate, fit propter clausionem, ratione scilicet qualitatis: si fiat a materia, fit propter repletionem. Qualitas est Spiritalis, & Materialis. Spiritalis, est qualitas dolorifica: vnde fit apoplexia propter clausionem, dū ad cerebrum peruenit, quod dolorem facit: & hæc angustia est subsidentia. Et, cū qualitas dolorifica quādoque vigeat extra caput; Auicennas c.13. dixit, apoplexiam procreari a cōmunitate alicuius membri: vnde datur apoplexia per consensum. Potest etiam qualitas dolorifica interdum primo attinere ad caput, vt in
B apoplexia ex ictu: si enim ictu comprimantur ventriculi, est compressio; sed si propter ictum fiat dolor, est subsidētia. Qualitas materialis est frigiditas fortis; qualis esse solet venefica, a qua fit angustia, quæ est subsidentia; & oritur, dum stipantur viæ cerebri, a vehementi frigiditate. Notandum, quod Auicennas dicit, apoplexiam raro fieri a caliditate; raro enim accidit, vt a calida materia fiat apoplexia, quia sæpenumero fit a pituita. Quo loco auctor, per caliditatē, non intelligit simplicē caliditatem, sed calidam materiam, id est, sanguinem. Sequitur de materia, quæ angustiæ caussa est: vnde fit apoplexia propter repletionem. Materia ergo hæc, vel est facultatis inflammatoriæ Particeps, vel Expers. Si particeps; est materia vel Admodū calida, vt in phrenitide; vel Remisse calida, vt in lethargo. Et hæc est angustia, quæ dicitur cōpressio: quia materia phrenitidis vel lethargi, comprimit ventriculos & poros cerebri. Si materia sit expers facultatis inflammatoriæ; humor est vel Calidus, vel Frigidus. Si humor calidus, est sanguis: ad quem respiciens Gale-
C nus, aph. 42. sect. 2. ait, apoplexiam fieri a dispositione simili inflammationi: nam vt interpretatur Auicennas, hæc apoplexia fit a sanguine, qui non egreditur vasa, id est, venas & arterias; tunc enim fieret inflāmatio, nec esset dispositio similis inflammationi. Dum ergo sanguis vasa non egreditur, sed ea vehementer replet; fit affectus similis inflammationi, & fit angustia, quæ est compressio: & ideo necessarium est, vt sanguis sit copiosus. Testatur etiam Galenus c.7. l. de cur. per venæsectionē, homines propter redundantem sanguinē apoplexia corripi. Si frigidus humor sit in caussa, tunc fit angustia, quæ est obstructio. Hinc Gal. ait, apoplexiam fieri a frigido crasso & lento humore, c.2. l.4. loc. aff. c.5. l. de atrabile. Et addit, aph. 56 sect. 6. fieri etiam ꝓpter humorem melancholicum. At apoplexia dubio procul sæpius fit a pituita: ideoque dicit Hip. aph. vlt. sect. 3. senes apoplexia corripi. vnde & Gal. c.2. l.2. de temp. testatur, senes facile corripi morbis frigidis, & perinde apoplexia. Quæ autem sint caussæ generantes horum humorum, patet aliunde.

Angustiæ caussa externa.

Caussa interna.

Qualitas spiritalis.

Qualitas materialis.

Materia excitans angustiam.

Materia particeps inflammationis.

Sanguis: & φλεγμονώδης διάθεσις.

Pituita & melancholia.

D Differentiæ primū sumuntur a forma, vt forma attinet ad motū voluntarium, caussa respirationis. Respiratio ergo vel ad sensum Aufertur, vel Imminuitur: & si imminuitur, vel Magis vel Minus, com. aph. 42. sect. 2. A subiecto non sumuntur differentiæ: nam in omni apoplexia ratione principum functionum, subiectum semper est cerebrum; ratione sensus & motus, totū corpus. Caussa effectrix angustiæ apoplecticæ, est Qualitas, & Substantia. Qualitas est vel Dolorifica, vel Frigiditas. Substantia, vel est Particeps inflammationis, vel Expers. Si particeps inflāmationis; materia est vel Phrenitica, vel Lethargica. Si expers; humor est vel Calidus, vt sanguis: vel Frigidus, vt pituita, aut melancholia.

Differentiæ a forma: &

A caussa efficiente.

Apoplexia imminens indicatur e dolore capitis, e dentiū stridore in somno, e motu corporis pigro, ex inflatione venarū colli, e frequenti vertigine, incubo, epilepsia, & præsertim si fuerit senex: nam hæc significant vigere in corpore, & potiss. in capite vehementiā caussæ efficientis, & summā dispositionē pati-
E entis. Præsens apoplexia in genere facile secundū Rhasin cognoscitur: homo enim quasi dormiēs iacet, & sine somno stertit, & cum pungitur, non sentit; quatenus enim iacet sine somno, patet motū esse ablatū: dum stertit, manifestum est, læsam esse respirationem: dum pungitur, & non sentit, cōstat sensum esse ablatum: aboletur etiam princeps functio: nam patiens extra paroxysmum fatetur, se non recordari. Ex his signis cognoscitur apoplexia distincta a syncope, præfocatione, caro. Distinguitur enim a syncope & præfocatione vteri; nam apoplecticus quasi dormiens iacet, & (quemadmodum dormiens) seruat colorē suum, satis diuersum a colore cadaueris: at in syncope & præfocatione, color faciei, est similis colori cadaueris. Distinguitur a caro; quia primum apoplecticus sine somno stertit; præterea cum pungitur non sentit: at in caro, quamuis homo iaceat vt dormiens, non tamen stertit, maxime in caro leuiori; & si contingat, in caro esse stertorē, non est sine somno, sed cum somno profundo: & in caro si homo pungatur, sentit; quā-
F uis enim non loquatur homo punctus, cognoscimus tamen eum sentire, quia vi punctionis mouetur. Quoad differentias, & primum a forma: respiratio modo magis, modo minus læditur, quod manifestum est, ideoque signis non est opus. Quoad caussam effic. Si, verbi gratia, qualitas sit dolorifica, cognoscitur e prægressis caussis dolorificis, vel in capite, vel infra. Vt hinc etiam pateat apoplexia, quando fit per cōsensum. Et si caussa sit frigiditas, ante accessionē est sensus frigoris in membro. Si humor fuerit; si quidē particeps sit inflāmationis, cognoscitur e febre, e signis vel phrenitidis, vel lethargi præcedētis. Si humor inflāmationis sit expers; num sit sanguis, pituita, an melancholia, cognoscitur e signis humorū, de quibus alibi.

Signa imminentis apoplexiæ.

Præsentis apoplexiæ signa, in genere.

Signa differentiarum.

Præsidia primum sumuntur a forma. Sensus ergo ablatus, indicat præsidium dolorificum. Quoad caussam eff. hæc est qualitas, vel humor: ideoque in accessione materiæ retrahere oportet, vt dictum est in sermone de epilepsia. Extra autem accessionem, suppositis indicantibus vitalibus; si caussa sit qualitas, &
G quidem dolorifica; patet quid dolor indicet e superioribus capitibus: si qualitas sit frigiditas, oritur indicatio calefaciendi: & si foueatur a veneno, requirit bezoarticum, quod alexipharmacum vocatur. Humor, apoplexiæ caussa, si particeps est inflammationis; quidnam indicet, patet e propositis e sermone de phrenitide & de lethargo. Si sit expers inflammationis, vt humor est varius specie, ita indicat præsidium determinatum: & pro vitio vario, & pro caussa generante varia, etiam præsidia varia

Indicationes.

haurienda. Verbi gratia, si apoplexia fiat a pituita copiosa, frigida, crassa, viscida, in capite residente, & genita in capite frigido humidoque; oritur indicatio vacuandi, calefaciendi, attenuandi, detergendi pituitam in capite exsistentem, calefaciendi atque exsiccandi caput, & sic de reliquis. A

Prognostica; in genere.

Apoplexia magna e parte est incurabilis, aph. 42 sect. 2. ideoque narratur inter morbos exitiales c. 10. lib. 9. meth. quia omnis ferme vehementia adest. Nam insignis est recessus a naturali statu, secundum symptomata, morbum & caussas. Secundum symptomata; nam omnis functio animalis est ablata, & respiratio insigniter est læsa, licet quandoque seruetur. Est vehementia secundum morbum; quia insignis est angustia. Est vehementia secundum caussas; quia vigent caussæ, quæ insignem angustiam promouent. Dignitatis vehementia est etiam in apoplexia; nam afficitur cerebrum, & secundum ventriculos, & secundum poros. Neque prorsus abest vehementia facultatis, cum patiens necessario iaceat. At apoplexia quandoque lethalis est, quandoque curabilis, pro vi differentiarum. B

Prognostica: differentiarum. 1. A læsa respiratione.

Quantum igitur ad differentias a forma; præsertim perpendenda est respirationis vehementia: vnde Galenus ait, apoplexiam vt plurimum esse incurabilem, propter respirationis læsionem, aph. 42 sect. 2. nam respiratione vehementer læsa, significatur vehementer lædi cerebrum, cap. 7. lib. 3. loc. aff. Hinc quatuor constituuntur differentiæ læsæ respirationis, aphor. 42. sect. 2. Aut enim respiratio ordinem seruat & apoplexia est debilis, id est, minus vehemens; aut respiratio est, inæqualis, inordinata, intermittens, & sic apoplexia vehementior; aut respiratio est magna & violenta, vnde apoplexia adhuc fortior; aut denique respiratio ad sensum aufertur, & est apoplexia fortissima. Galenus ergo aphorism o 42. sect 2 respiciens ad vehementiam harum differentiarum, statuit apoplexiam debilem, non solui facile, id est, leuioribus medicamentis; vnde vt plurimum in paralysin terminatur, cap 2 lib. 4 loc. aff. statuit etiam apoplexiam fortem, id est, in qua respiratio est inordinata, esse incurabilem. C

Si respiratio inordinata; vt plurimum incurabilis est apoplexia.

Quod si ergo apoplexia curari nequit, si inordinata sit respiratio, multo minus curabitur si sit deperdita. Porro apoplexiam cum respiratione inordinata, vt plurimum esse incurabilem constat ex aphor. 51. sect. 6. vbi sermo fit de apoplexia, in qua est respiratio cum stertore, id est, de apoplexia forti. Stertor autem interdum est intensus, interdum remissus: vnde significat apoplexiam fortem, sed modo magis, modo minus fortem; Rhasis vocat ægritudinem leuiorem, si homo parum stertcrit. Stertorem autem esse comitem fortis apoplexiæ, inde facile colligi potest: quoniam stertor fit, musculis gutturis ad exspirationem concurrentibus: dum ergo stertor fit, signum est respirationis admodum difficilis, & potissimum signum imbecillitatis musculorum faucium: Nam in stertore sonus ille editur, quoniam spiritus, seu aer, diu in gutture moratur nec expelli potest, citra magnum musculorum conatum, vt in hunc spiritum musculi agant, dum extrema adest necessitas, quæ viget in apoplexia forti, in qua radii spiritus animalis, vix ad thoracis musculos permeant. Verum, licet stertor pertineat ad fortem apoplexiam; non tamen omnis apoplexia in qua est stertor, est statuenda incurabilis. Apoplectici enim stertentes, intra septem dies moriuntur, nisi febris apprehendat, aphor. 51. sect. 6. Quare, cum Hippocrate, apoplexia fortis, insolubilis quidem est, sed vt plurimum: nam hic mos loquendi fuit Hippocratis, vt in commen. aphorit. 43. sect. 2. notat Galenus. Concludimus igitur apoplexiam fortem, in qua respiratio est inordinata, & cum stertore, vt plurimum esse incurabilem. D

Apoplexia cũ respiratione ablata, est incurabilis.

Quod si vero in apoplexia respiratio auferatur; insinuare videtur Hippocrates, aphoris. 52. sect. 2. nunquam homines posse liberari: ratio patet e iam dictis. Dubitatur autem contra: quia fœminæ præfocatæ non respirant, & tamen reuiuiscunt. Item Auicennas ait; si contingat, vt in apoplexia respiratio auferatur, fieri posse vt homo restituatur. Responsio. Mulier præfocata viuere potest sine respiratione; nam in hoc vitio totum fœminæ corpus ita refrigeratur, vt sufficiat sola transpiratio. Quantum autem ad Auicennæ dictum; sciendum est, apoplexiam fieri vel a materia, vel a qualitate. Si fit a materia, & adimatur respiratio, apoplexia semper est incurabilis; quia tunc corpus non est refrigeratum, vt sola transpiratio sufficere queat: & huc respicit Hippocrates. At si apoplexia fiat a qualitate, quamuis adimatur respiratio, non tamen necessario est incurabilis; nam pro vitæ conseruatione sufficit transpiratio, nimirum, si oriatur a qualitate frigida: tunc enim calidum innatum, secundum Auicennam, non vehementi eget euentatione, & expulsione: ideoque in tali apoplexia tardanda est sepultura, non minus 72. horis. Hęc de prognostico differentiarum a forma. E

2. a caussa effic. A qualitate.

Quoad caussam efficientem; cum hæc sit qualitas, vel substantia: si fuerit qualitas, verbi gratia, dolorifica, pro vehementia caussę soluentis continuum, intenditur periculum: vt si percutiatur alicui caput, vt in terram cadat, & euomat, subsequaturque apoplexia; hæc magis est periculosa: at si non fiat vomitus, minus est periculosa; quia vomitus est signũ vehementiæ caussæ morbificæ. Si apoplexia fiat a qualitate frigida, quo frigiditas intensior, & venenositatis magis particeps, ita apoplexia in suo genere magis erit periculosa: non tamen prorsus est lethalis, quamuis respiratio aboleatur; nisi coniungatur vehementia facultatis, præsertim vitalis: hinc Auicennas ait, in apoplexia e frigiditate, cum respiratione ablata, hominem sanari; sed addit, si pulsus non cadat. F

A materia, quæ particeps est inflammationis. A sanguine. A melancholia. A pituita, & huius vitiis. Vitia pituitæ vt cognoscãtur.

Quod si apoplexiæ caussa sit materia, si fuerit particeps inflammationis, est prauissima, nam summa est vehementia ratione essentiæ; quia in phrenitide & lethargo, materia, quæ caussa est apoplexiæ, est putrida, & admodum copiosa, vt comprimat. Et additur in hac apoplexia vehementia facultatis, nam omnis facultas languet, vi præcedentis inflammationis, siue phreniticæ, siue lethargicæ, vt prorsus de salute sit desperandum. Secus autem prædicendũ, si materia non sit particeps inflammationis. Vnde, si caussa fuerit sanguis, est curabilis: nam sanguis sola copia peccat, & in vasis detinetur. A materia melancholica raro fit apoplexia, sed si fiat, est admodum periculosa; quia in hac materia maximus est recessus a naturali statu, pręsertim cum in cerebro ita copiosa resideat, vt efficiat apoplexiam. Si pituita fuerit in caussa: prout vitium pituitæ magis est vehemens; pro eo etiam apoplexia vehementior; ideoque apoplexia pituitosa est periculosior, quo pituita est magis copiosa, magis frigida, crassa, viscida. Quoniam autem apoplexia pituitosa frequentius contingit: circa eius prognosticum necesse est, vt cognoscamus vitia pituitæ, eorumque vitiorum vehemen- G

A hementiam.Non ergo abs re erit,proponere ſigna,deſumta a febre,ab oris ſpuma,a temperatura corpo-
ris,& ab ætate.Quoad febrem,dicit Hippocrates,aph. 51. ſect. 6. apoplecticos ſtertentes intra ſeptem dies A febri.
mori,niſi febris apprehenderit:nam febris vim habet calefaciendi,extenuandi,& diſſipandi materiam pi-
tuitoſam,dummodo pituita non ſit admodũ copioſa.Hæc ergo febris eſt indicium pituitæ, non admodũ
vehementis:Vnde,ſi non vincatur pituita a febre,ſignum eſt ſummæ vehemẽtiæ,& perinde futuræ mor-
tis.Spuma oris,eſt ſignum pituitæ vehementiſſimæ:vnde Rhaſis dicit,ſi ſpuma in ore apparuerit,non eſſe A ſpuma.
medendum.Vt autem pateat ratio huius dicti,oportet intelligere differẽtiam inter ſpumam apoplectici,
& epileptici.Sciendum igitur,cum Galeno,aph. 42.& 45.ſect.2.ſpumam generari e materia humida & ſpi-
ritali:agens autem eſſe,vel motum,vel calorem,vel vtrumque.Vnde,quoad ſpumam epilepſię;huius ma-
teria humida eſt ſaliua oris;materia ſpiritalis eſt vapor,qui e pulmone effertur;agens autem motus vehe-
B mens.In apoplexia autem ſpumæ materia humida , eſt propria pulmonis humiditas ,non ſaliua; materia
ſpiritalis eſt fuligo a corde prodiens;cauſſa efficiens,eſt cordis caliditas,& motus violentus ſpiritus , & ve-
hementiſſimus pulmonis conatus,vt pulmones veluti cõprimantur.Quare in apoplexia , dum ſpuma ge-
neratur,comprimuntur pulmones,vt calor cordis priuetur euentatione,& fuliginum expulſione,& hinc
ſequatur mors.Verum,cum ſpuma fiat,quoniam ſumma cum violentia pituita lædit cerebrum:ideo ſpu- A craſi.
ma eſt ſignum ſummæ vehementię pituitæ.Quoad temperaturam;Auicennas ait,apoplexiam in corpore
calido & ſicco eſſe prauam:in tali enim corpore non generatur pituita,niſi a cauſſa vehementi:quare cra-
ſis calida & ſicca;eſt ſignum vehementiæ pituitæ.Quoad ætatem;cum Paullo , apoplexia in iuuenibus eſt Ab ætate.
periculoſior,& præſertim æſtate:nam ætas iuuenilis & æſtas,ad ſimilitudinem craſeos calidæ & ſiccæ, ſunt
ſigna vehementiæ pituitæ.Hæc de prognoſtico,quantum attinet ad futurum euentum ſimpliciter.Num
C autem euentus cito vel tarde ſit exſpectandus;dicendum,eum cito eſſe exſpectandum. Et ob id Rhaſis, Apoplexia eſt morbus acutus.
reſpiciens ad apoplexiam pituitoſam,ait,eum vel cito interficere , vel degenerare in paralyſin:nam apo-
plexia,teſte Galeno aph 42. ſect. 2.eſt vitium acutiſſimum,& velocis motus:ratio eſt , quia partes principes
non poſſunt perferre paſſiones fortes,& ſimul diuturnas.

Quoad materias,& primum ratione acceſſionis:venæſectio probatur in apoplexia ſanguinea , & in Curatio in paroxyſmo.
pituitoſa quoque ſecundum Auicennam,ſi aſſint ſigna ſanguinis:ibi enim ſanguis habet rationem cauſſę 1. Cheirurgia.
principalis;hic,ſine qua non.Sic in apoplexia a qualitate dolorifica,vi percuſſionis & doloris fluit ſanguis,
ideoque peccat,& habet rationem cauſſę adiuuantis:vnde & in hac apoplexia vena eſt ſecanda.Nec virtus Venęſectio.
in apoplexia prohibet venæſectionem,quia non reſoluitur virtus,ſecundum ſpiritus,ſed opprimitur ſal-
tem;& virtus ſecundum ſolida atque carnes non deficit.Quare in apoplexia ſecanda vena , ſi ſanguis pec-
D cet:vbi notandum,vt,prout ſanguis peccans erit,magis vel minus copioſus;ita etiam magis vel minus e-
uacuetur.Et quoniam ſanguis potiſſ.excedit in apoplexia ſanguinea,ſecundum Auic. multum ſanguinis
vacuare oportet:ſecus in pituitoſa,in qua ſanguis non habet rationem cauſſæ principalis. Quoad *vſum:*
Quantum. Rhaſis ter & quater ſecat venam:neque obſtat,quamuis ſanguis ſit ſummæ actiuitatis, vt pro-
pterea potius vnica vice & confertim euacuandus eſſe videatur:nam cum Aetio per iteratam venęſectio-
nem mouetur materia,nec virtus ita diſſoluitur:addimus nos,iterata venæſectione,etiam confertim ſan-
guinem euacuari,nam exiguum eſt ſpatium inter vnã & alteram detractionẽ. Modus ex alibi dictis patet.
Quando: Rhaſis venam ſecat ilico.Auicennas eam aperit hora acceſſionis;& iubet etiã in apoplexia pitui-
toſa eſſe ſecandam venam ante acres clyſteres;quia ſanguis tẽpore acceſſionis vincit alia indicantia,vt,niſi
ſubito vacuetur,homo moriatur:nec virtus prohibet,nam in acceſſione potius ſuffocatur. Sed quæ vena
E prius,quæ poſterius tundenda?Rhaſis primo ſecat venas medias,ſecundo remotas a capite , tertio proxi-
mas:reſpicit enim ad apoplexiam,in qua ſanguis abundat,& in toto,& in capite:propter ſanguinẽ igitur,
qui ſimul replet totum & caput,primum ſecanda vena media,id eſt,cephalica, quia ille ſanguis vincit alia
indicantia;niſi enim ſubito minuatur ſanguis in capite exſiſtens,homo moritur;niſi etiam ſubito minua-
tur ſanguis in toto exſiſtẽs,hic per capitis venam apertam in caput trahetur, vt homo ſimiliter moriatur.
Secundo loco,ſecantur venæ remotæ:nam magis poteſt ſanguis in toto peccans,quam in capite: peccans
enim in toto,habet impetum in caput,qui impetus augeretur,ſi primum vena capitis ſecaretur.Quare vl-
timo loco vena proxima ſecanda,ſiue ſit vena narium,ſiue frontis,ſiue colli. Tempore igitur acceſſionis,
ſpatio 12 horarum,tres venæ aperientur.Quoad *vbi:* Auicennas ſecat venas colli,cephalicam, pedũ & na-
F rium;quia reſpicit ad varias ſubſiſtentias. Præterea Auicennas inter materias cheirurgicas addit ferrum Ferrum candens.
candens;quod prodeſt vt materia dolorifica,ſenſum ablatũ reuocans:Confert etiam , vt materia quæ at-
trahit,ratione doloris & caloris.Ad hoc ferrũ candens probatur in apoplexia pituitoſa,non in ſanguinea:
& admoueri poteſt ſuturæ coronali,& infra occipitiũ.Rhaſis probat & ſartaginẽ ferream calefactã , mul-
toties prope caput appoſitam,vt capilli vrãtur.Adhæc probatur cucurbitula magna cum inſigni flamma; Cucurbitula.
& citra ſcarificationem,& cum ſcarificatione. Probantur ligaturæ & frictiones dolorificæ : quæ admini- Ligaturæ.
ſtrentur manibus inunctis *caſtorio,euphorbio,ſinapi,aqua etiam ardente.* Frictiones.

Si apoplexia prodeat a qualitate , ſiue fiat e percuſſione , ſiue alio modo; Auicennas nos remittit ad 2 Pharmaceia.
propria capita.

Si apoplexia fuerit ſanguinea,ſed citra inflammationem(:nam ſi adeſt inflammatio,confugiendum Apoplexia ſanguinea.
G ad ſermon.de phrenit.& lethargo:)probantur medicamenta retrahentia,per modum Reuulſionis & Re- Reuelletia.
percuſſionis.Reuulſionis gratia,probantur clyſmi acres;quoniam & in ſanguinea apoplexia viget pitui-
ta;præſertim cum vi clyſterum etiam ſanguis retrahatur. Quoad vſum : probantur hi clyſteres poſt ve- Qua ratione clyſmis acribus vti queamus in apoplexia.
nam ſectam;nam magis poteſt ſanguis. Sed obiiciat quis : in apoplexiæ acceſſione ſenſus tactus eſt ab-
latus : Ergo clyſmi acres non poſſunt expultricem irritare. Reſpondeo : probari clyſmos tempore
acceſſionis: nam attrahunt ad inteſtina, & ratione caloris, quia ſunt calidi;& ratione ſimilitudinis , quia

verbi gratia componuntur e colocynthide,quæ ſimilitudine pituitam attrahit,& ne detur vacuum. Vn- A
de,vt facultas alteratrix in inteſtinis operetur,clyſmi diu ſunt detinendi:& ob id iubebat Rhaſis, repetē-
dos eſſe clyſteres.Quoad expulſionem:hæc fit ab expultrice,adiuta a motrice.Expultrici auxiliātur nerui,
per ſenſum tactus,cauſſa commodioris vitæ,c.9.lib.5.vſ.part.Ceterum,cum expultrix ſit neceſſaria cauſſa
vitæ,ideo aſſiduo agit,dum ſuperuacaneum quiddam eſt præſens,& agit etiam citra ſenſum tactus;ideo i-
pſum quoque cerebrum,expers ſenſus,expellit.Quare,vt ſimpliciter expultrix excitetur, ſufficit præſen-
tia ſuperuacanei;quemadmodum etiam plantæ ſuperuacanea expellunt citra ſenſum tactus:at cauſſa vitę
commodioris,neceſſarium eſt,vt ſit ſenſus tactus.Motrix quoque facultas ad expulſionē concurrit:ideo-
que,cum motus voluntarius ſit ablatus,iubet Aetius,abdominis muſculos eſſe fricandos,& comprimen-
dos.Sic ergo reuulſionis gratia clyſmis Auicennas vtitur.Gratia repercuſſionis Auicennas probat odora- B
Repercutientia. menta,non calefacientia,ſed roborantia,id eſt,leuiter aſtringentia, verbi gratia ſi odoramenta fiant *e po-*
mis,ex aceto,ex aqua roſacea. Rhaſis probat *oxyrrhodinum,confectum ex ol.roſ.completo,& aceto.* Sed notā-
dum hæc reprimentia probari,in acceſſione apoplexiæ ſanguineæ,non pituitoſæ.
Apoplexia pituitoſa. Quantum autem ad acceſſionem apoplexiæ pituitoſæ;Auicennas probat vacuantia per meatus ſen-
ſibiles & inſenſibiles.Quoad vacuantia per ſenſibiles meatus,& primum ratione totius corporis; primo
vtitur clyſmis acrioribus:ſecundo medicamentis,quæ per os exhibita aluūm ſoluunt:tertio, vomitoriis.
Ratio eſt:ſi quis enim ante clyſmos vti voluerit purgantibus per os exhibitis ; materia copioſa non cedet
purgantibus.Si quis vtatur vomitoriis ante purgantia per aluum;cum totum corpus & caput ſint reple-
Clyſmi acres. ta;caput vomitorio medicamento magis replebitur. Quantum igitur ad clyſmos acres, probantur qui
fuere ꝓpoſiti,in dol.cap.a pituita,verbi gratia. ℞ *colocynthidis,albi veratri,an.ʒj.ariſtol.rot.centaur.min.cy-* C
clamin.an. P.ß. aquæ ℔.*iij fiat decoctio ſufficiens: &* ℞. *prædicti decocti* ℔.j.*olei rutacei* ℥j ß.*ſalis communis*
Purgantia. ℈*iiij.Miſ.& ſine oui vitello fiat clyſter.* Quoad vſum:cum Rhaſi licet vti & bis,& ter. Purgantia, quæ per os
aſſumuntur,ſunt *pilulæ fœtidæ,pil.cochiæ,etiam cum helleboro,* præſertim ſi apoplexia ſit melancholica.Sed
quoniam pilulæ in acceſſione non poſſunt deuorari,ideo ſunt diſſoluendæ. Quoad quando: exhibendæ
Vomitoria. ſunt tempore acceſſionis;nam magis poteſt materia, quæ caput petit,quam poſſit cruditas:additque Ae-
Vacuantia per os & nares. tius;Apoplexiam nos cogere,vt temere omnia tentemus,quia mors imminet.Quoad vomitoria, Auicē-
nas *exhibet* ʒ*ij.olei de Kerua,& exhibet cum ſucco raphani.* Recte etiam ab omnibus probantur vacuantia
per os & nares,quæ debent eſſe valentia & amara;de quibus in dol.cap.Vacuantia per inſenſibiles meatus,
Διαφορητικοί. debent eſſe vehementia,propoſita in dol. cap. Vnde recte Auicennas vtitur *oleo rutaceo , cum pyrethro &*
caſtorio:vtitur oleo antiquo cum cucumere agreſti,cum ſcilla:aſcendit ad euphorbium & ſinapi. Poſſumus et- D
iam aſcendere ad magnas antidotos. Auicennas applicat capiti,& principio ſpinalis medullæ. Sed magnæ
antidoti etiam intra os immitti poſſunt. Studendum autem ſecundum Rhaſin, vt medicamenta in ven-
triculum deſcendant;quare miſcenda ſunt dulcia:& exhibenda medicamenta liquida : & debent imponi
in vaſe obtinente canalem perforatum,vt ad œſophagum perueniant;nam hoc modo ægris inuitis medi-
camenta in ventriculum deſcendunt.
Diæta. Quoad diætam. Aer in ſanguinea apoplexia ſit temperatus:in pituitoſa & melancholica parum ver-
gat ad calidum:nam aer frigidior,prohibet diſſolutionem materiæ;calidior liquat.Cibus ſit tenuiſſimus.
Cauendum a vino:vnde in apoplexia ſanguinea , probatur *aqua hord. cum exiguo ſaccharo:* in pituitoſa,
mulſa cum hyſſ.ſaluia,pulegio: in melancholica, *mulſa cum meliſſa, & boragine.* E
Materiæ adminiſtrandæ extra acceſſionem,patent e capite de cephalalgia.

CAPVT XVIII.

De Somno præter naturam;ſeu Comate , proprie ita dicto; vel Caro, communiter ſumto.

Tranſitio. ABſoluta apoplexia,dicendum eſt de ſomno præter naturam,de vigiliis,de catocho,ſtupore,tremore,
paralyſi,& conuulſione:vt ſunt vitia ad animalem facultatem attinentia. Primum autem dicendum
de ſomno & vigilia,quia magis ſpectant ad cerebrum;cum reliqui affectus magis ad neruos pertineant.Et
Nomen. prius de ſomno agendum,quam de vigilia;quia ſomnus magis affinis eſt apoplexiæ.Somnus ergo præter
naturam,alias dicitur ſubeth , coma , cataphora ſomnolenta, & communiter carus. Per hunc ſomnum
præter naturam intelligimus ſomnum profundum,citra inflammationem cerebri , ad differentiam ſo- F
mni in lethargo;& citra anguſtiam morbificam , ad differentiam ſomni in apoplexia, & caro exquiſito.
Hic autem notandum,carum dupliciter ſumi;Communiter,& Proprie.Si communiter accipiatur;coin-
cidit cum comate,cum ſomno profundo,e commen.28.ſect. 2. lib. 1. prorhet. Si proprie ſumatur;eſt ſo-
mnus profundus, in quo aufertur ſenſus & motus, vt ibidem teſtatur Galenus. Nos ergo in præſentia
Digreſſio de ſomno phyſiologica. per ſomnum profundum intelligimus affectum,diſtinctum a ſomno lethargi , apoplexiæ,& cari,proprie
accepti.
Vt autem intelligatur generatio ſomni præter naturam,prius digredi oportet circa ſomnum ſecū-
Forma ſomni. dum naturam.Sciendum igitur ſomnum & vigiliam,eſſe quidem proprietates,quæ communiter ad cor-
pus & animam pertinent,magis tamen ad corpus. Somnus igitur eſt proprietas,corpori & animæ com-
Somnus eſt affectio partis ſenſitiuæ. munis,ſenſuum opera conſequens. Quare ſomnus eſt proprietas,ſeu affectio partis, vt pars eſt ſenſitiua; G
quatenus nimirum eo tempore ab opere deſiſtit,poſt ſomnū tamen rurſus ſentire & operari poteſt:vnde
ſomnus ſecundū naturā eſt,vt ita dicam,experrectilis.Cum autē ſomnus ſecundū naturā ſit affectio: quæ-
Copula,ſeu immobilitas. nam eſt hæc affectio?Reſpondet philoſophus in l.de ſomno & vigilia,eſſe copulā, ſeu immobilitatē partis
ſenſitiuæ.Forma ergo ſomni ſecundū naturā eſt copula:ſubiectum eſt pars ſenſitiua. Cum enim ſomnus
non ſit actio,ſed affectio:(nam ſubiectum patitur)affectio hęc pertinet potius,ad quietē,quam ad motū,
cum

A cum actiones intermittantur,ca.9.lib.3.de cauſſ.pulſ.iure ergo philoſophus ſtatuit,hanc affectionem eſſe
copulam,ſeu immobilitatem. Subiectum eſt pars ſenſitiua,quæ primum (:vt quod:)concurrit ad obeun- Subiectum
dum functiones,quarum in ſomno eſt intermiſſio. Vnde cum in ſomno intermittantur principes fun- ſomni eſt
ctiones,nimirum ſenſus,& motus voluntarius;ſomnus debet eſſe affectio illius partis, quæ harū functio- cerebrum.
num eſt principium:hoc autem principium eſt ipſum cerebrum, quippe quod eſt ſedes facultatis cōmu-
niſſimæ,quatenus hæc ad animalem contrahitur.Hinc Auicēnas dicit;ſomnum eſſe cerebri affectionem;
quā inſtrumenta actiones animales intermittunt,reſpiratione excepta. Neque obſtat, quamuis Philoſo-
phus ſtatuat, functionum animalium originem eſſe cor: nam Philoſophus reſpicit ad principium facul-
tatis communiſſimæ,vt alibi docuimus. Non negaſſet tamen Ariſtoteles,facultatem communiſſimam, a
B corde prodeuntem,contrahi in cerebro,vt euadat animalis:vt cerebrum ſecundum hanc rationem ſit ſo-
mni ſubiectum. Vnde & Auerrhoes c.41.lib.3.collectaneorum ſtatuit,cor eſſe radicem ſomni, cerebrum Cor eſt ſo-
autem eſſe primum inſtrumentum:nam cerebrum,ait,eſt frigidiſſimum membrorum principalium.Cor mni radix:
radix ſomni dicitur,prout eſt ſedes facultatis communiſſimæ: cerebrum autem concurrit vt primum in- cerebrū, eſt
ſtrumētū,id eſt, vt in cerebro facultas communiſſima euadit animalis;nam propterea cerebrum eſt frigi primum in-
dius,vt ſpiritum vitalem attemperet,& immutet in animalem.Porro efficiens cauſſa ſomni,ſecundum A- ſtrumētum.
riſtotelem,Galenum,& Auicennam,eſt reciprocatio ſpirituum & caloris ad interiora:ideoq; Auicennas, Efficiens
definiens ſomnum effectiue,dicit:quod ſomnus ſecundum naturam ſit reditus ſpiritus animalis ad cere- cauſſa ſo-
brum,cum profundatione ſpiritus vitalis ad cor.Cum ſpiritu autem vitali etiam calor intro repit, ac pro mni,vapor
fundatur;vnde dormientes intus ſunt calidiores,quam extra;ſecus autem in vigiliis:aphor.1.ſect.2.Quare cōdenſatus
C cauſſa efficiens ſomni ſecundum naturam,eſt reciprocatio ſpiritus & caloris. Cum autem ſomnus ſit affe- anguſtans.
ctio,& proinde quid in fieri: ita pendet a reciprocatione,vt reciprocatio vicem gerat cauſſæ formalis, ſe-
cūdum Auerrhoem. Ceterum intelligere oportet,a quo fiat hæc reciprocatio?Ariſtoteles inquit,eam fie-
ri ab agente ſecundum naturam; ad differentiam ſomni præter naturam:ſicut contra,teſte Galeno,cā. 10.
lib.3.cauſſ.pulſ. ſomnus præter naturam fit a cauſſa violenta. Fit autem ſomnus a natura, quando ſe con-
uertit ad alimentum. Vnde,ſi ſomnus durat poſt ſuccos confectos,eſt morbificus ſomnus, & via ad mor-
tem.Quomodo autem fit hæc reciprocatio a natura?Secundum Ariſtotelem fit vi vaporis(:hæc eſt cauſſa Quomodo
communis:)qui prodit ex alimento,cerebrumque petit.Prodit autem vapor ex alimento vel colliquato, fiat recipro-
quando ſomnus fit poſt cibum,vel poſt vigilias,citra corporis laborem,quamuis homo non comedat poſt catio ſpiri-
vigilias:nam vt aſſiduo nutritur corpus,ita aſſiduo ex alimento fit euaporatio in caput:vnde Galenus ait, tuum & ca-
D cap.vlt.l.de vtil.reſpir.euaporationem fieri e ſanguine,ex alimento,in cerebrum. At vapor prodiens ex a- loris.
limento in caput,non eſt cauſſa reciprocationis ſpirituum,niſi condenſetur, ob frigiditatem cerebri; ſic
enim condenſatus, prohibet egreſſum ſpirituum & radiorum, & proinde influxum facultatis animalis.
Durat igitur ſomnus,quandiu durat vapor condenſatus anguſtans. Cauſſa finalis ſomni,ſecundum Ari- Finis ſomni
ſtotelem duplex eſt:præcipua eſt munus vigiliarum: homo enim dormit,vt commode per vigilias propria
munia obeat,id eſt,munia,quæ attinent ad facultatem animalem, non autem ad naturalem: nam facultas
naturalis non ceſſat ab opere ſuo vnquam,quia dum operatur,parat ſibi alimentum,quo fouetur; contra
facultas animalis,quoniam actione propria non fouetur,propterea actionem ſuam quandoque intermit-
tit.Cauſſa finalis ſecundaria,eſt propria requies facultatis animalis:& hic finis ſecundarius ad præcipuum
E refertur;nam facultas quieſcit vt operetur.Ex his ergo,quæ hactenus dicta ſunt,poſſumus colligere τῇ ἀ- Definitiò
ναλύσει definitionem ſomni ſecundum naturam,quod ſit copula cerebri, dependens a retractione natu- ſomni ſecū-
rali ſpiritus animalis,vt homo functiones animales obire poſſit. Porro ſomnus hic naturalis,ſecūdum A- dū naturam
uicennam,vel Abſolute eſt naturalis,vel Non abſolute. Abſolute naturalis eſt,qui fit poſt vigilias, a cibo, Diuiſio ſo-
vt ſpiritus in vigiliis diſſipatus reſtituatur:huiuſque reciprocatio fit a vapore,ex alimento non colliquato. mni natu-
Somnus naturalis non abſolute, quem Auicennas vocat ſomnum non naturalem,fit poſt inſignem labo- ralis.
rem, vt ſpiritus plus iuſto diſſipatus reparetur: & in hoc ſomno fit reciprocatio a vapore alimenti colli-
quati.

His explicatis,quantum ad generationem ſomni præter naturam:ſciendum,ſomnum præter natu- Generatiò
ram fieri,dum cerebro occurrit cauſſa morbifica, ita agens, vt ſpiritus animalis præter naturam retraha- ſomni præ-
F tur in cerebrum,vt cerebrum ita afficiatur,vt difficulter homo expergiſcatur.Dependet autem a recipro- ter naturā.
catione præter naturam ſpiritus animalis. Quare Somnus præter naturam eſt copula morbifica cerebri,
dependens a reciprocatione præter naturam ſpiritus animalis. Forma ſomni præter naturam, eſt copula, Definitiò.
qua veluti ligatur ſubiectum,nimirum cerebrum. Forma.

Cauſſa efficiens,eſt reciprocatio præter naturam ſpiritus animalis.Porro,cauſſa,a qua fit reciproca- Subiectum.
tio hæc præter naturam,eſt vel Intemperies,vel Materia:c.10.lib.3.de cauſſ.pulſ.ca.8.lib.4.de præſag. pulſ. Cauſſa effi-
cap.5.lib.3.de loc.aff.cap.2.lib.4.loc.aff.com.28.ſect.2.lib.1.prorhet. & Auicennas cap.de ſubeth. Quoad ciens.
intemperiem,eſt intemperies cerebri vel frigida,vel humida,vel frigida & humida. At potior intemperi- Dyſcraſia.
es eſt frigida:nam frigiditas ſtrenue condenſat vaporē alimenti:humiditas autem vaporem condenſatum
a naturali frigiditate,conſeruat.Quæ autem cauſſæ ſint intemperierum,patet alibi.Quoad materiam; eſt Materia.
G vapor,qui copia,& motu peccat:copia obſtruit,motu fertur in caput. Vnde Aetius dicit,Coma, id eſt,ſo-
mnum præter naturam fieri,e vapore calido,& humido. Vt comatis cauſſa immediata,prohibens ſpiritu- Coma fit a
um egreſſum,non ſit vapor,peccans vel qualitate tantū,vel qualitate & copia:nec poſſit eſſe humor, pec- vapore, ſola
cans vel qualitate,vel copia,vel ſimul & copia & qualitate. Declaro. Si enim vapor peccet ſola qualitate, copia pec-
nimirum frigiditate, cauſſa eſt comatis, ſed mediata,quatenus cerebrum refrigerat,quod refrigeratum cante.
deinde vapores denſat.Si vapor peccet copia & qualitate;copia ſane obſtruet, ſed non erit coma, verum
caros exquiſitus. Si humor ſola copia peccet,pariter fiet caros exquiſitus, non coma,de quo nunc loqui-

mur. Si humor peccet sola qualitate, erit caussa comatis, sed mediata quatenus sua qualitate frigida cerebrum refrigerat. Si peccet humor & copia & qualitate, fiet caros exquisitus. Constitutum igitur sit, coma fieri a vapore, sola copia peccante. Hic vapor, secundum Auicennam prodit modo a Toto, modo a Parte. A toto, etiam cum Aetio, vt in febribus e vaporibus calidis & humidis. A parte, vt a ventriculo, per crapulas & ebrietates: & cum Auicenna prodire etiam potest, a pulmone, & aliis partibus. A

Differentiæ. Quoad differentias, ratione formæ: Si copula cerebri sit remissior, fit somnus preter naturam, quem vocant Coma, seu cataphoram: si copula sit intensior, fit somnus præter naturam quem vocant Coma somnolentum, seu cataphoram somnolentam: & si adhuc sit copula intensior, fit somnus præter naturam quem vocant carum. A subiecto non sumuntur differentiæ: nam semper est cerebrum. Ratione caussæ effectricis: Reciprocatio spiritus animalis fit, vel ab Intemperie, quæ est aut Frigida, aut Humida, aut Frigida & Humida: vel a Vapore copioso obstruente; qui, vt peccat secundum motum, prodit vel a Toto, vel a Parte. B

Signa. Hoc malum in genere est notum; nam æger expergiscitur quidem sed difficulter. Quoad differentias: coma cognoscitur cum Rhasi, quia patiens quasi dormiens iacet, sentit, mouetur, oculos vt plurimum clausos habet; at vi clamoris oculos aperit, sed statim claudit; in summa, ingens ad somnum est inclinatio, vt patiens nisi excitetur, dormiat. Coma somnolentum cognoscitur, secundum Galenum in libro de comate; quia ægri dormiunt diu & profunde, non loquuntur, difficulter sentiunt: & hæc cataphora somnolenta propria est lethargicorum. Caussa efficiens, si sit intemperies, ægri non loquuntur: si vapor cum Aetio, peregrina loquuntur, ac veluti delirant.

Præsidia. Indicationes ex vsu sunt; vt si somnus fiat ab intemperie, oriatur indicatio alterandi per cõtrarium: si caussa sit vapor, est vacuandus & retrahendus; occurrendumque caussæ generanti, vt alibi diximus. C

Prognostica Vitium hoc despiciendum non est: nam somnus profundus potest mutari in coma somnolentum, in carum, in apoplexiam. Sed periculum pro vi differentiarum intenditur, verbi gratia, coma est minus periculosum, comate somnolento; cum in hoc maior sit vehementia ratione essentiæ. Caussa efficiens potest esse intemperies, & vapor: quæ autem horum sit vehementia, patet e sermone de dolore capitis.

Curatio. Quæ materiæ sint administrandæ, constat e dolore capitis. Breuiter saltem quædam monebimus. Materia igitur cheirurgica probatur dolorifica: vt ligaturæ, frictiones, ferrum candens, præsertim in comate somnolento. Medicamenta probantur, quæ agunt in sensorium tactus, & in organum facultatis expultricis: vt sunt clysmi acres, suppositoria acria, sternutatoria. Si opus sit vt *oxyrhodino*, conficiatur *ex aceto copioso, & oleo exiguo. nam oleum, secundum Auicennam, dormire facit.* Aer sit luminosus. D

Diæta. Cibus, *mulsa cum aceto.* Et in hoc malo probantur animi accidentia, quæ possunt animam agitare, vt tristitia, ira, &c.

Capvt XIX.

De caro exquisito, seu proprie ita dicto.

Nomen. PEr carum intelligimus exquisitum: nothus enim coincidit cum comate, de quo sumus locuti: intelligimus ergo carum exquisitum, cum Galen. capite secundo, libro quarto, de loc. affect. & com. 21. lib. 2. de artic. in quo malo homo neque sentit, neque mouetur, non intelligit, non recordatur; respiratio non aufertur, sed quandoque læditur. E

Generatio. Generatur hoc malum, dum caussa angustat ventriculos cerebri, vt ea fiat reciprocatio spiritus animalis, vt omnis functio animalis aboleatur, excepto tactu, & respiratione, vt tactus imminuatur, & respiratio quandoque lædatur. **Definitio.** Caros igitur est functio ablata animalis, (respiratione excepta,) cerebri & totius corporis, dependens a facultate impedita, secundum cerebri ventriculos. **Forma.** Forma, est functio ablata animalis, respiratione excepta: vt caros distinguatur ab epilepsia, in qua est conuulsio: & distinguatur ab aliqua apoplexia, in qua respiratio aufertur. cap. 1. lib. 4. loc. aff. At notandum circa tactum, & respirationem. Circa tactum: statuit enim Galenus loc. cit. in caro hominem non sentire. Aetius autem inquit, in caro hominem, dum pungitur, sentire. Responsio. Tactus dupliciter potest considerari: quatenus scilicet in sensu tactus occurrit obiectum proportionatum, vel improportionatum. Si occurrat obiectum proportionatum, homo detentus caro non sentit, cum Galeno: si improportionatum, sentit, cum Aetio. F Quoad respirationem, Galenus cap. 2. libr. 4. l. affe. dicit, in caro non lædi respirationem: vbi per carum intelligit carum remissiorem: nam in vehementiori læditur respiratio, capite primo, libro quinto. loc affect. **Subiectum.** Subiectum, est cerebrum, caussa functionum principalium; est quoque totum, caussa motus; nam homo iacet, nec potest surgere.

Caussa efficiens. Caussa efficiens est facultas impedita secundum ventriculos cerebri: qua caros distinguitur ab apoplexia, in qua facultas impeditur etiam secundum poros. Cum igitur in caro impediatur facultas secundum ventriculos, morbus in hoc vitio est angustia ventriculorum cerebri. Per ventriculos, Galenus cap. 2. lib. 4. l. affect. intelligit, non modo anteriores, sed etiam potissimum medium; ait enim carum fieri, dum cranium comprimit ventriculos, & potissimum medium. **Angustiæ caussa.** Angustia in caro, est compressio, Subsidentia & Obstructio. G

1. Compressio fieri potest a caussa Externa, & Interna. Externa, est caussa percutiens, capite secundo, libro quarto loc. affect. Interna est affectus similis inflammationi, vt colligitur ex aphorism. 42. sectio. 2 ad similitudinem apoplexiæ. Subsidentia quoque produci potest a caussa externa, & interna.

2. Subsidentia enim fit a qualitate dolorifica, vel a frigiditate. Si fiat a qualitate dolorifica, vt voluit Galenus capite secundo, libro quarto. loc. affect. si dolor fieri potest a caussa externa, vt ab ictu: vel ab interna, vt si aliqua corporis pars vi caussæ internæ doleat, vt fiat caros per consensum, quemadmodum

modum & apoplexia fieri ſolet. Si fuerit qualitas frigida, fieri poteſt a cauſſa vel extra caput refrigerante, vel a frigiditate genita in aliqua corporis parte, & proinde a cauſſa interna. Obſtructionis cauſſa eſt Vapor vel Minera. Vapor copioſus requiritur: vnde Paullus voluit in augmento & vigore acceſſionũ febrilium fieri carum. Minera, eſt pituita copioſa, frigida, humida, obſtruens quidem ventriculos cerebri, ſed non hærens in parietibus ventriculorum, quemadmodum in epilepſia & apoplexia. 3.

Differentię.

Quoad differentias, a forma: In caro reſpiratio vel eſt Inculpata, vel Culpata. A ſubiecto non ſumũtur differentiæ, quia idem. A cauſſa efficiente, anguſtia eſt, vel Compreſſio, vel Subſidẽtia, vel Obſtructio.

Signa.

Quoad ſigna. Aetius ſtatuit, carum diſtinctum cognoſci ab apoplexia: nam dum patiens pungitur,
B ſentit, & corpus retrahit. Quoad ſigna differentiarum, & primum ratione formæ: reſpiratio an ſit inculpata, nec ne, per ſe patet. Quoad cauſſam efficientem, & primum ſi fuerit compreſſio, cognoſcitur e cauſſis comprimentibus, vt ex ictu, e ſignis copioſi ſanguinis. Subſidentia ſimiliter cognoſcitur e cognitione cauſſarum. Cauſſæ externæ, manifeſtæ reddũtur ab aſſidentibus. Cauſſa interna, an prodeat ab aliqua parte; patiens manifeſtabit ſe perſenſiſſe dolorem, vel frigiditatem in aliqua parte: vnde aſſidentes referent, patientem ante paroxyſmum eſſe conqueſtum de dolore alicuius partis. Obſtructio, num fiat a vapore, an a pituita, patet e dolore capitis.

Præſidium.

Quid indicet quælibet anguſtia; patet e ſermone de apoplexia.

Prognoſtica

Malum hoc ſemper magni eſt momenti, com. 28. ſect. 2. l. 2. prorh. nam ſymptomatum adeſt inſignis vehementia ratione eſſentiæ, quia functio animalis eſt abolita: adeſt vehementia dignitatis, nam & ſym-
C ptomata, & cauſſæ pertinent ad cerebrum. Varie autem prognoſticandum, pro vi differentiarum. Ratione formæ, caros magis eſt periculoſus, ſi lædatur reſpiratio. Ratione cauſſæ efficientis, ſi fuerit compreſſio ex ictu, eſt vitium ferme incurabile. Si cõpreſſio fiat a ſanguine, curari poteſt; quia ſanguis ſola copia peccat, & in propriis vaſis detinetur. Si anguſtia fuerit ſubſidentia; augetur & minuitur periculum, vt in ſermone de apoplexia diximus. Si anguſtia fuerit obſtructio, eſt malum curabile: poteſt enim ſuperari & vapor, & minera. Vnde plerique gloriantur, ſe curaſſe apoplexiam, cum tamen carus fuerit. Euentus cito expectandus eſt: carus enim eſt vitium velocis motus.

Curatio.

Materiæ patent, e traditis in ſerm. de Apoplexia, & de dolore capitis.

D

CAPVT XX.

De Vigilia morboſa.

Nomen.

SOmno præter naturam opponitur illud vitium, quod Auicennas Zaara vocat, id eſt, morboſam vigiliam.

Generatio vigilię ſecũdum natũram.

Huius generatio vt pateat, intelligenda eſt eſſentia vigiliæ ſecundum naturam. Vigilia igitur ſecundum naturam, cum philoſopho, eſt affectio cerebri, ſicut & ſomnus: differentia autem eſt, quia in ſomno affectio eſt copula, in vigilia, affectio eſt relaxatio. Sicut igitur copula pendet a reciprocatione ſpiritus animalis: ita relaxatio pendet a naturali effuſione ſpiritus, ad inſtrumenta ſenſus & motus. Præterea, vt reciprocatio fit ab alimenti vapore condenſato a cerebri frigiditate, ſecundum naturam, & conſeruato à moderata humiditate: ita in vigiliis ſpiritus effuſio fit, dum vapor condenſatus eſt reſolutus, vt ſpiritus animalis per radios inſtrumentis motus & ſenſus impertiatur, vt homo his vti valeat. Vigilia ergo ſecũdum naturam eſt relaxatio cerebri, dependens a naturali effuſione ſpiritus animalis, gratia obeundarum ope-
E rationum.

Generatio vigiliæ præter naturã.

Hinc facile colligi poteſt, vigiliam præter naturam fieri, quotieſcunque cerebro occurrit cauſſa morbifica, cuius vi alimenti vapor, vel in cerebrum non fertur; vel ſi deferatur, nec condenſatur, nec conſeruatur, ſed potius rarefit & abſumitur. vt importuna fiat egreſſio ſpiritus animalis.

Definitio.
Forma.
Subiectum.

Vigilia ergo morboſa, eſt relaxatio cerebri, dependens ab effuſione præter naturam ſpiritus animalis. Forma eſt relaxatio. Subiectum eſt cerebrum.

Cauſſa efficiens.

Cauſſa efficiens, eſt effuſio ſpiritus animalis præter naturam. Vnde Gal. c. 10. l. 3. de cauſſ. pulſ. ait, in vigiliis morbificis calorem naturalem foras moueri immodice: ſicut enim ſpiritus animalis præter naturam egreditur, ita calidum innatum immodice præter naturam mouetur ad circũferentiam. Spiritus autem animalis egreditur propter cauſſam morbificam, quæ multiplex eſſe poteſt. Ideoque cum vigilia fiat, quoniam in cerebro deſideratur alimenti vapor condenſatus: ſciendum, quod cerebrum hoc vapore pri-
F uetur propter duas cauſſas: prima cauſſa morbifica eſt, quæ prohibet alimenti vaporẽ in caput deferri: altera eſt, quando cauſſa morbifica vaporẽ in caput delatum, nõ denſat, nec cõſeruat. Declaro, diſcurrẽdo per cauſſas & internas & externas.

Cauſſa interna.
1. Qualitas.

Cauſſa interna eſt Qualitas & Materia. Qualitas eſt Materialis, vel Spiritalis. Materialis proponitur a Gal. c. 5. l. 3. l. aff. vbi vult, vigiliarum cauſſam eſſe intẽperiem cerebri ſine materia: quæ intemperies, vel eſt calida, vel ſicca, vel calida & ſicca: ſed caliditas obtinet potiores partes, nam eſt maioris actiuitatis, vnde rarefacit & abſumit vaporem, nec permittit, vt in caput deferatur: ſiccitas vero ſolum abſumit.

Quomodo qualitas dolorifica excitet vigilias.

Qualitas ſpiritalis, eſt qualitas dolorifica. At quomodo hæc qualitas vigiliarum eſt cauſſa? Sciendum dolorem duo efficere: primum enim ſoluit vnitatem, vt obiectum improportionatum in inſtanti agat in cerebrum, & cerebrum hoc obiectum vt dolorificum iudicet. Secũdo cauſſa dolorifica quali-
G tatem noxiam introducit, quam inſinuauit Gal. aph. 50. ſect. 6. dum ait in magnis doloribus ad ventriculum fluere bilioſas ſuperfluitates; vt ſi dolor vigeat in inteſtinis, qualitas dolorifica impertiatur ori ventriculi: quemadmodum & vulnus capitis eſt cauſſa vomitus, caput enim ventriculo communicat paſſionem, quæ paſſio nihil aliud eſt, quam qualitas ſpiritalis. Adhæc, c. 6. l. 5. loc. aff. Gal. dicit, ſyncopen fieri vitio ſtomachi, ob proprietatem doloris, id eſt, ob qualitatem dolorificam, quæ longe alia eſt ab intemperie. Si ergo cauſſa dolorifica tribuat cerebro qualitatem dolorificam, eſt cauſſa vigiliarum; nõ tamen ſemper; nam quandoque eſt cauſſa reciprocationis caloris, vt fiat carus. Si cauſſa dolorifica tribuat ſolum obiectum improportionatum, tunc cauſſa eſt, non ſomni, ſed vigiliarum: non enim permittit alimenti vaporem in ca-

1. Materia. put ferri: quia materia, propter dolorem, fluit in partem, quæ primo afficitur, cap. 3. & 5. l. 13. meth. Hæc de A qualitate. Quoad materiam, oportet intelligere speciem, vitium, & caussam generantem. Species: est Vapor, vel Minera. Vaporis species tot sunt, quot sunt species mineræ. Minera igitur est vel Sanguis, vel Bilis, vel Pituita, vel Melancholia. Quod vitium, est materia putrida, calida, sicca: putrida & calida, prohibet cõdensari vaporẽ alimenti: materia sicca alimenti vaporẽ absumit. Sanguis cõcurrit vt putridus, & calidus: bilis, vt calida, sicca: pituita, vt salsa, & ꝓinde vt putrida calida: melãcholia, si sit exusta, vt calida sicca, si nõ exusta, vt sicca. Caussa generans q̃ nã sit, alibi diximus.

Caussę externæ. Caussæ externæ vigiliarũ, secundum Auic. possunt esse aer luminosus, secundum Paullum inedia, & cibus nimis copiosus, qui dum ob copiam non coquitur, facit, vt desideretur alimenti vapor: præterea est cibus pariens insomnia vt fabæ: adhæc sunt cogitationes, mœrores, strepitus, & reliqui animi motus immodici; propterea quod magis possunt ad efficiendum e- B gressum spiritus animalis, quam possit alimenti vapor ad reciprocationem spirituum.

Differentię. Differentiæ non sumuntur a forma, nisi vt relaxatio est Intensior, vel Remissior: Neque a subiecto. Sed ab efficiente: vt caussa est Interna, vel Externa. Interna, est Qualitas, vel Materia.

Signa. Patet autem hoc vitium in genere, & secundum differentias a forma; num scilicet relaxatio sit magis vel minus intensa. Num caussa efficiens sit interna, vel externa, facile cognoscitur. Si autem caussa interna sit; quænam hæc sit caussa, patet e traditis in sermone de dol. cap.

Indicationes. Si vigilia fiat ob vaporem non condensatum, idque ob intemperiem; oritur indicatio alterandi per contrarium; quare modo refrigerãdum, modo humectandum. Si hoc fiat a materia; quid indicet materiæ species, vitium, caussa generans, etiam patet. Si fiat vigilia, quoniam vapor condensatus absumitur, a siccitate; oritur indicatio humectandi. Si vigilia fiat, quoniam vapor alimenti in caput non trahitur; & si id C fiat, quoniam retrahitur a dolore; patet, quid dolor indicet: Si autem fiat, quoniam vapor alimenti simpliciter deficit; indicatur præsidium generans vaporem alimentalem.

Prognostica in genere. Vigilia est vitium vehemens ratione dignitatis, quia pertinet ad cerebrum: & si vigilia producatur, accedit vehementia facultatis: vnde vigiliæ homines reddunt graciles, c. 12. l. 3. de tuen. sanit. aph. 20. sect. 4. l. 6. epid. corpus enim dissoluitur: tum caliditas euaporans secum ducit non exiguas particulas corporeæ substantiæ c. 6. l. 7. meth. com. vlt. l. 1. de ratione vict. Vnde rationaliter dicitur, quę vigiliæ vires lædant, c. 1. & 5. lib. 12. meth. Et additur aphor. 18. sect. 7. vigiliis succedere vel conuulsionem, vel desipientiam: conuulsio quidem succedit ex inanitione, nam vigiliæ vacuando siccant: desipientia succedit, quia in vigiliis sanguis redditur biliosus. Verum periculum intenditur pro vi differentiarum. Primum ergo ratione formæ, vt relaxatio est intensior, ita vigiliæ magis sunt periculosæ: & addit Auicennas, si tussis subsequatur, D homo moritur; nam tussis est signum vehementissimæ vigiliæ, quę sua vehementia ita siccat & exasperat

Prognostica in specie. laryngem, vt tussis oriatur. Ratione caussæ efficientis; si prodeat a caussa externa, minus est periculosa, & satis remissa vigilia. Si caussa sit interna; est qualitas, vel materia. Qualitas est intemperies, vel dolor. Intemperies si sit in habitu; est incurabilis, quemadmodum siccitas in sene. Si caussa sit dolor; pro vi doloris varie prognosticandum. Si vigilia ratione materiæ fiat in phrenitide, in febribus, prognosticum est petẽdum e vehementia morborum. Si in caussa fuerit materia simpliciter, siue sit materia biliosa, siue melancholica, siue salsa pituita, prognosticum est sumendum a vehementia materiæ, vt alias docuimus.

Euentus. Vtrum autẽ euentus cito vel tarde sit futurus, cognoscitur e motu caussæ: verbi gratia, caussę phrenitidis sunt velocis motus, pituita salsa, melancholia, tardi motus. At quamuis longa sit vigilia, non tamen est assidua, E sed habet interualla: nam secus patiens obiret.

Curatio. Venæsectio. Quoad materias Venæsectio non probatur, nisi vigilia comitetur morbum, cuius caussa vena sit secanda; vt in phrenitide, in febribus.

Pharmaceia. 1. Intemperies. Quoad medicamenta: vigilia, cum procedat vel ab intemperie, vel a dolore, vel a materia: si ab intemperie, si quidem hæc sit calida, secundum Auic. probantur *rasura cucurbitæ, mucilago psyllii, virga pastoris, semperuiuum, lactuca, mandragora, capita papaueris.* Si intemperies sit sicca, vti licet *oleo amygd. dul. lacte, butyro.* Verum siccitati si coniuncta sit frigiditas, prædictis addantur *chamæmelum, fœnumgræcum, melil. malua, althæa,* Si siccitati sit coniuncta caliditas; prædictis addantur frigida iam superius proposita.

2. Dolor. Si vigiliæ caussa sit dolor; secundum Auicennam, cura erit doloris mitigatio de qua alibi.

3. Materia. Si caussa sit materia; si materia agat per mediam phrenitidem, patet quibus medicamentis sit vtendum. Si agat materia citra mediam phrenitidem, cum esse possit, vel pituita, vel melancholia, vel bilis: F si fuerit pituita salsa; Auicennas probat *ol. amygd. dulcium, oleum commune, & decoctum in duplici vase, cum aqua hordei, & cum vino albo subdulci, cum pauco chamæmelo, meliloto & serpillo*: respicit enim ad pituitam salsam, quæ viscida est & crassa, vt detergentibus & attenuantibus opus sit. Si materia sit melancholica, cũ sit frigida & sicca, oportet calida miscere humidis: vt sunt *malua, althæa, oleum amygdal. adeps gallinæ, &c.* Si materia fuerit biliosa, vti licet, *violis, lactuca, cucurbita, nymphæa, mãdragora, foliis & capitibus papaueris. hyoscyamo, diacodeio, philonio Romano, syrupo de papau. requie Nicolai, pilulis de cynoglossa.* His tamen frigidis calida sunt miscenda, & quædam etiam corrigentia, quę dent penetrationem. Aetius proponit odoramenta *e papauere, & mandragora, cum vino. Vsus* patet: monere tamen quædam licet, circa quando & vbi. *Quando.* Cum Paullo, oportet hæc administrare, si adest febris, in declinatione accessionis: adhæc primo ea sunt applicanda, deinde exhibenda. *Vbi:* cum bilis subsistentiam habeat & in toto, & in capite, medica- G menta & per os exhibenda, & capiti applicanda, nimirum, suturę coronali, temporibus, naribus; at opium non applicetur suturæ.

Diæta. Quoad diætã, probatur aer obscurus, & alteratus medicamẽtis soporiferis, *id est, lactuca, papauere, &c.* Probatur puluinar, si cõficiatur *e capitibus papaueris, e radice papaueris nigri, &c.* Cibus sit varius, pro caussę varietate: & cum Paullo miscenda sunt soporifera, dum vigilia vrget. Paullus probat validum exercitium, a quo scilicet fit insignis colliquatio alimenti; vnde ex hoc vapor copiosus petit caput, & somnum excitat.

CA-

CAPVT XXI.

De Comate vigili.

PEr Coma vigil,intelligimus malum,miſtum e ſomno & vigilia præter naturam. Generatur hoc ma- Nomen.
lum,dum cauſſa contraria agit in cerebrum,vt cerebrum aſſiciatur modo copula , modo relaxatione. Generatio.
Coma vigil igitur eſt affectio miſta e copula &relaxatione cerebri,dependens a quiete & motu prçter na-
turam ſpiritus animalis.Forma eſt,quid miſtum e copula & relaxatione:e copula,vt eſt coma;e relaxatione Forma.
vt eſt vigil.Subiectum eſt cerebrum.Cauſſa efficiens,eſt ſpiritus animalis,quies ſeu reciprocatio,& motus, Cauſſa efficiens.
ſiue egreſſus. Quæ cauſſæ ſint reciprocationis & egreſſus ſpirituum , patet e ſuperius propoſitis. Quoad
B differentias,& primum a forma: vel Copula vincit,vel Relaxatio:vnde cum Galeno in l.de comate, datur Differentię.
cataphora vigil pigra,dum copula vincit;datur cataphora vigil non pigra,dum relaxatio vincit. Ratione
cauſſæ efficientis dicendum;materiam vel eſſe Participem inflammationis , vnde prodit cataphora vigil
phrenitica; vel expertem inflammationis,vnde producitur, cataphora vigil non phrenitica a Galeno di-
cta. In genere hoc malum patet:nam cum Gal.loc.cit.æger vigilat,nec tamen ſurgere poteſt. Quoad dif- Signa.
ferentias ratione formæ: cataphora vigil non pigra,cognoſcitur e motu facili corporis & copioſo : pigra
contra.Ratione cauſſę efficientis;cataphora vigil phrenitica,cognoſcitur e delirio;non phrenitica,ex ab-
ſentia delirii,niſi hæc cataphora fiat e vino;ſi autem fiat e vino,cognoſcitur inde,quod febris non adeſt,&
præceſſit potio vini copioſi. Indicationes,prognoſticum,materiæ;patet e traditis de ſimplici tum ſomno, Præſidia.
C tum vigilia.

CAPVT XXII.

De Catocho exquiſito.

HActenus dictum eſt de vitiis,attinentibus ad corpus & ventriculos cerebri. Iam dicendum de malis Tranſitio.
neruorum : nimirum,de catocho,tremore, ſtupore,paralyſi,& conuulſione. Et primum de catocho
dicendum; quia in hoc vitio cerebrum per eſſentiam afficitur. Per catochum intelligimus malum , quod Nomen.
vocant catalepſin , detentionem,congelationem. Non explico cauſſam harum vocum : videte Altima-
rum. Intelligimus autem catochum exquiſitum,in quo patientes ſeruant eundem ſitum,quem antea ob-
tinebant; præterea audiunt, vident,imaginantur , recordantur ; ſed immoti inſtar ſtatuæ manent , ſenſu-
D que tactus orbantur,cap.16.lib.4.de cauſſ.pulſ. Excluditur ergo catochus nothus,quem interdum Gale- NB.
nus coma vigil vocat:vt cap.21.lib.13. meth.cap.2.lib.4. de loc.aff.cap.3. l.de diff.ſymp. Quibus locis non-
nulli , putantes Galenum loqui de catocho exquiſito,vehementer ſunt allucinati. Catochus exquiſi- Generatio.
tus generatur,dum a cerebro frigido & ſicco,e materia melancholica producitur vapor frigidus & ſiccus,
vtilico expellatur in neruos,vnde nerui motiui,qui aliis duriores ſunt,a vapore frigido & ſicco afficiun-
tur,& ſecundum partem internam cōdenſantur,vt radios ſpiritus animalis non admittant ; ideoque mo-
tus voluntarius vna cum tactu deperditur:afficiuntur etiam nerui ſecundum partem externam,ſecūdum
quam ita refrigerantur,vt rigidi, ſeu tenſi permaneant,vnde homo ceu ſtatua redditur immobilis. Qua- Definitio.
re catochus exquiſitus eſt motus ablatus , cum abolitione receptionis obiecti tangibilis totius corporis,
dependens a denſitate , cum frigiditate & ſiccitate neruorum motiuorum.Hæc definitio colligitur e Ga-
E leno,com.56.ſect.2.l.1. prorhet. non autem ex aliis locis,nam cap.3.lib.de diff. ſympt.& alibi,reſpicit Ga-
lenus ad catochum ſpurium. Forma huius mali eſt motus ablatus , cum abolitione receptionis obiecti Forma.
tangibilis ; patientes enim immoti manent. Vnde catochus diſtinguitur a tetano, & a catocho notho. A
tetano; nam in hoc eſt motus corruptus, quia omnes muſculi mouentur ad ſuum principium.Diſtingui-
tur a catocho notho,quem etiam coma vigil nuncupant;quia in hoc,ſecundum Aetium,patientes quan-
doque mouent manus ad caput,quod nequaquam fit in exquiſito.Quoad ſenſum tactus:ait Galenus,ho-
mines in catocho tangibilia non percipere. In definitione diximus , abolitam eſſe receptionem obiecti
tangibilis;non autem functionem tactus eſſe ablatam;vt conſtaret , vitium hoc non eſſe poſitum in iudi-
cio,ſed in receptione : iudicium enim in ſenſu tactus attinet ad cerebrum , quod non eſt læſum ; receptio
F autem pertinet ad neruos,qui ſunt læſi. Subiectum huius accidentis eſt totum corpus: patientes enim Subiectum
manent immoti ſecundum omnes partes.

Cauſſa efficiens,eſt denſitas,cum frigiditate & ſiccitate neruorum motiuorum. Vt hæc intelligan- Cauſſa efficiens.
tur;ſupponendum,neruos conſtare e portione interna cerebrali,ſeu medullari , & externa , ſeu membra-
nea. Quemadmodum igitur nerui in paralyſi afficiuntur ſecundum internas partes, in conuulſione ſe-
cundum externas,ita in catocho ſecundum vtraſq; afficiuntur: vt propter denſitatem ſpirituum anima-
lium radii non tranſeant,propter frigiditatem & ſiccitatem nerui rigidi euadant. Diximus autem in fini-
tione neruos motiuos affici , quoniam hi , vt duriores, facilius a frigido & ſicco indureſcunt. Quia ergo
nerui molles non afficiuntur,ideo patientes cum Galeno audiunt, vident,ſed oculi tamen non mouentur:
& quia noxa non attinet ad cerebrum;recordantur & imaginantur.Ceterū cognoſcere oportet,ob quam Cauſſa catochi eſt vapor.
cauſſam nerui ita afficiantur. Paulus proponit materiam frigidam & ſiccam,id eſt, melancholicam , quæ
G materia melancholica eſt vapor; cum hoc malum cito fiat & cito deſinat, vt quatuor vicibus, aut pluribus
quoq;eodē die reuertat:neq; vacuatio aliqua ſenſibilis apparet;quia ſcilicet eſt vapor.Hic vapor copia ſua
poteſt dēſare,& frigiditate atque ſiccitate veluti congelare. Materia e qua hic vapor generatur,eſt humor
melancholicus,id eſt,frigidus & ſiccus. Agens cauſſa,quæ hunc vaporem producit,interdum eſt calor im-
becillis infra caput,dum videlicet vapor generatur e melancholia,infra caput collecta:ſemper autē agens
eſt calor debilis capitis,& eſt capitis intemperies frigida,& ſicca,ſecundum Galenum aph.3.ſect.2 quæ in-
temperies vaporem frigidum & ſiccum,prodeuntem a loco extra caput,frigidiorem & ſicciorem reddit.

In catocho ergo exquisito materia est melancholica: vnde, dum Aetius ait, catóchum fieri a sanguine, loquitur de catocho notho.

Differentię.

A forma sumuntur tantum differentiæ secundum Magis & Minus. A subiecto non sumuntur differentiæ: nam semper est totum. Ab efficiente: Vapor generatur In capite, vel Extra.

Signa.

Catochus in genere patet. Differentiæ a forma secundum magis & minus, cognoscuntur e diuturnitate & frequentia accessionum. Quoad caussam efficientem; num vapor generetur in capite, vel extra; cognoscitur e traditis in serm. de dol. cap.

Præsidia.

A vapore sumuntur hę indicationes: vapor dissoluendus est, & retrahendus, si habet impetum in caput. A materia e qua, cum sit humor melancholicus frigidus & siccus; quid indicet, patet. Ratione agentis; B cerebrum est calefaciendum & humectandum.

Prognostica

c.4 l.6.

Hoc malum, quantum attinet ad accessionem, cito & facile superatur: nam vaporis vehementia ratione essentiæ est remissa: nec adest insignis vehementia ratione dignitatis, quia vapor afficit neruos, non cerebrum: & ob id dicit Galenus com. 56. sect. 2. l. 1 prorhet. adulescentem illum euasisse. Sed notandum; cum Aetius inquit, catochum esse periculosiorem lethargo; quod respiciat ad catochum nothum, ad vitium mistum ex inflammatione phrenitica & lethargica; addit enim aquam frigidam esse noxiam, quod augeat inflammationem. Maior est difficultas in præseruatione: quia cerebrum est frigidum & siccum: vt assit vehementia essentiæ & dignitatis.

Curatio.

Materiæ extra accessionem vsurpandæ, patent e dol. cap. a materia melancholica. In accessione id solum notetur, Rhasin probare *oleum sesaminum, quod est calidum & siccũ in secundo, & addit duodecimam* C *euphorbii partem*; quia videlicet, respicit ad discussionem vaporum in accessione. Nam extra accessionem oportet calefacere, & humectare.

Capvt XXIII.

De Tremore.

Nomen.

Tremor solum pertinet ad motum, ad differentiam torporis, seu stuporis: ideo primo de Tremore dicendum. Per tremorem autem intelligimus morbosum; malum scilicet, in quo totum mobile sursum & deorsum mouetur, cap. 2. lib. 2. de causs. sympt. & in l. de tremore, & aphor. 4. sect. 1. lib. epid. Generatur hoc malum, dum caussa morbifica occurrit corpori; vi cuius radii spirituum animalium ita deficiunt, vt, dum facultas motrix, voluntati obtemperans, ad mouendum insurgit, & membrum quidem attollit, sed non detinet, quin membrum, siue mobile, suo pondere deorsum tendat. Quare tremor morbosus, est motus prauus a sursum, assiduus, totius mobilis neruosi, dependens a facultate motrice, mouere tentante, præter naturam onerata. Forma est motus prauus a sursum ad deorsum: nam c. 2. lib. 2. de causs. sympt. vult Galenus, tremorem esse motum prauum, ad differentiam imminuti, qui imminutus plerunque est in stupore. Præterea, vt tremor est motus prauus; distinguitur a paralysi, in qua motus est ablatus. Dicimus; a sursum ad deorsum; vt tremor distinguatur a conuulsione, in qua est quidem motus prauus, sed membrum retrahitur. Notandum autem quod dicimus, a sursum ad deorsum; non, sursum deorsum; oportet enim exquisitissime loqui in definitione: ratio autem est; quia mobile, quatenus sursum mouetur a virtute, potius diminute mouetur, quam corrupte: at motus deorsum prauus est: nam mobile deorsum mouetur, cum non deberet moueri; & hic motus dependet a pondere, seu onere, inuita virtute. Addimus in finitione, caussa formæ; quod sit assiduus motus: ad differentiam torporis, qui sane etiam est motus prauus, qui fit a virtute sursum, a pondere deorsum; sed quia torpor est leuis paralysis membri, ideo membrum ægre sursum mouetur, vt statim decidat, vnde fit huiusmodi motus per interualla, vt per quoddam interuallum post decidentiam, sursum attollatur membrum: contra in tremore hic motus est assiduus. cap. 1. lib. 2. de causs. sympt. cap. 5. lib. de tremor. Et hinc quoque Auicennas ait, tremorem fieri a motu lacertorum secundum continuitatem. Subiectum est mobile totum neruosum. Mobile dicimus; ad exprimendum subiectum commune omni speciei tremoris: tremor enim interdum pertinet ad totum corpus, interdũ ad partem: dum ergo dicimus mobile; potest hoc mobile esse vel totum, vel pars. Addimus, totum, scilicet mobile; ad differentiam palpitationis, in qua non mouetur totum membrum, ca. 5. lib. de palpit. Addimus, neruosum; vt constet, neruum esse præcipuam partem subiecti tremoris: vnde Galenus cap. 3. lib. 4. diff. puls. ait, tremorem spectare ad solos neruos; intelligens partem principalem.

Generatio.

Definitio.

Forma.

Subiectum.

Caussa efficiens.

Efficiciens caussa, est facultas motrix, mouere tentans, pręter naturam onerata. Quatenus enim tremor dependet a facultate motrice, distinguitur a palpitatione, & legitima conuulsione: vnde Galenus c. 3. & 4. lib. de trem. ait, tremorem esse symptoma motricis imbecillis, quæ tentat mouere membrum. Dicimus oneratam esse facultatem, ad differentiam rigoris, cuius caussa est sola expultrix; tremoris autẽ caussa est, & facultas motrix, & mobilis membri pondus, & pondus quidem præcipuum sibi vendicat locum: vnde Galenus, respiciens ad hoc pondus, ad hoc inuoluntarium agens. ca. 6. lib. de tremor. inquit, tremorem esse motum inuoluntarium; quod si absolute intelligatur, est falsum. Addimus facultatem motricem oneratam esse præter naturam; ad differentiam tremoris non morbosi; vt si fiat tremor ob onus iusto grauius, quod baiulis contingit; vel ob timorem. Cum igitur in tremore concurrat onus præter naturam, explicandum est, ob quam caussam mobile euadat ponderosum. Sciẽdum igitur in tremore motum deprauari, vel Læsa facultate, vel ob Errorem externum, cap. 2. lib. 2. de causs. sympt. ca. 3. & 5. lib. de trem. Læditur facultas ob morbum; qui morbus est densitas in poris neruorum, vt radii spirituum animalium saltem exigui permeent; vnde facultas motrix strenue membrum mouere nequit. Densitas hæc, vel est Semidensitas,

Caussa motus deprauati in tremore.

1. Læsa facultas, ob densitatem.

A tas,vel Integra densitas: hæc secundum omnes partes mobilis, illa secundum aliquas:nam vtroque mo-
do radii deficiunt. Vnde Galenus insinuans integram densitatem,inquit,tremorem fieri,dum humores
prorsus obstruunt,id est,dum integra est densitas. Quod si igitur integra fieret densitas secundum omnes
partes,esset paralysis. At tremor fit,dum integra densitas est secundum aliquas tantum partes,ita vt reli-
quæ fibræ non densentur. Ceterum densitas & integra,& non integra, producitur a succo crasso,viscido, Caussa densitatis.
impacto;ad differentiam torporis,in quo humor non est penitus impactus; ideoque motus fit,qualis est
in incipiente paralysi,teste Galeno loc.cit. Succus ille crassus ac viscidus, est succus melancholicus, & vt
plurimum pituitosus. Cum ergo tremor fiat, læsa facultate ob densitatem;merito Auicennas dixit,tre- 2. Error externus.
morem esse morbum instrumentalem. At si fiat tremor ob errorem externum; hic error pertinet vel ad
B Virtutem,vel ad Mobile,vel ad Vtramque. Ad virtutem pertinet error, dum vitium est secundum radios Vitium radiorũ fluentium, & fluxorum.
spiritus animalis,quatenus hi nequeunt facultatem influxam seruare robustã:dum igitur error spectat ad
solam virtutem,vitium est in radiis fluentibus ad mobile. Dum error spectat simul ad virtutem & mobile,
vitium est in radiis fluxis. Quoad errorem igitur caussa virtutis:hic error positus est in defectu radiorum
spirituum, vt vitium radiorum,sequatur vitium spirituum. Vitium autem in spiritu est,quoniam spiri-
tus vel Non generatur, vel si generatur Resoluitur. Non generatur, vitio vel Materiæ e qua,vel vitio
Agentis. Vitium agentis est; dum cerebrum iusto est frigidius, vt contingit in decrepitis:& huc perti-
nent caussæ, quæ cerebrum plus iusto possunt refrigerare. Vitium materiæ e qua, est inopia alimen-
ti; ideoque tremor oritur post morbos, vi quorum facultas nequit alimentum idoneum conficere: i-
C dem euenire potest ob immodicas euacuationes, cum sensibiles, tum insensibiles, vt non infimum lo-
cum obtineat euacuatio,quæ fit per coitum. Spiritus autem geniti resoluuntur in deliquiis animi. Er- Põdus mobilis.
ror pertinens ad mobile, est pondus mobilis: quemadmodum contigit illi ancillæ, cui in puerperio
sanguis non fluxit:& Auicennas merito etiam proponit potum copiosum. Error simul pertinens & ad Agens in mobile cum violentia.
virtutem, & ad mobile, est id quod agit in mobile cum violentia; siue sit Deleterium, vt punctio ani-
malis venenati: siue Non deleterium:& hoc siue sit Qualitas, siue Materia. Qualitas (secundum Auic.)
est caliditas adurens, agens cum impetu: & frigiditas vehemens, vi cuius homines interdum quasi semi-
mortui & trementes euadunt, dum iter faciunt per loca frigidiora. Quoad materiam, tremor fit ab hu-
more, vehementi qualitate prædito, cuiusmodi est bilis: vnde Galenus aphor.26.sect.6.dicit,in febribus
ardentibus fieri tremores, quoniam biliosi humores ad neruos transfluunt. Hæ ergo caussæ habent ra-
D tionem erroris:respectu quidem virtutis,quatenus aduersantur radiis:respectu mobilis,quatenus lædunt
calidum innatum.

Ratione formæ,discrimen tantum est secundum Magis & Minus. Ratione subiecti, tremore af- Differentiæ.
ficitur, vel Totum corpus, vel corporis Pars. Notandum autem cum Auicenna, si tremor fiat in vtra-
que manu,non necessario tremorem esse in pedibus; contra, si tremor sit in pedibus, necessario etiam
esse in brachiis. Hic Auicennas sermonem habet de tremore, cuius caussa potest esse communis ma-
nibus & pedibus; eamque caussam affert triplicem. Prima caussa est, dum a capite fluit materia, natu-
ra conatur seruare spinalem medullam, vt materia morbifica fluat in ramos proximos, manuum scili-
cet & brachiorum,ad differentiam pedum. Secunda caussa: si fluat materia in principium spinalis me-
dullæ, natura facilius expellit materiam ad proximas partes, nimirum ad brachia & manus. Tertia
E caussa est: quia facultas motrix in pedibus, non eget tam copiosis radiis spiritus animalis, vt manus:
& hoc factum est propter maximam necessitatem pedum, qui totum corpus sustinere debent. Ce-
terum; cum facultas non suscipiat magis & minus: validæ virtutis in pedibus caussa est, tum neruo-
rum durities quæ maior est in pedibus, quam in manibus: (quo enim nerui magis recedunt a cerebro,
eo duriores,euadunt) tum calidum innatum neruorum pedum, quod efficacius & robustius est,
quam in manibus: & Auicennas hoc calidum innatum pedum, vocat spiritum motiuum, vt pro-
pter spiritum motiuum robustiorem in pedibus, non sit opus radiis ita copiosis, quemadmodum in
manibus. Quoad differentias, quæ sumuntur a caussa efficiente Tremor fit Læsa facultate, aut ob
Errorem externum. Si fiat læsa facultate, fit ob densitatem, prodeuntem a materia, vel Pituitosa,vel
F Melancholica. Error externus pertinet, vel ad Virtutem, vel ad Mobile, vel ad Vtrumque. Si ad vir-
tutem: quatenus Spiritus vel Non generatur, vel Resoluitur. Si ad mobile, est materia onerans. Si ad
vtrumque, est quod violenter agit:& hoc Deleterium,vel Non deleterium: Si non deleterium: est Qua-
litas,vel Materia.

Tremor in genere oculis conspicitur, vt etiam differentiæ a forma, & subiecto. Quoad caussam
efficientem. Si fiat tremor læsa facultate; cognoscitur ex absentia erroris externi: item e præcedenti Signa. 1.
destillatione vel abolita, vel imminuta, citra aliam euacuationem. Vtrum autem materia sit pituito-
sa, vel melancholica: cognoscitur e signis traditis in dol. capitis. Si fiat tremor ob errorem externum: 2.
primum si hic attineat ad virtutem, quoniam spiritus non generantur vitio agentis: cognoscitur e si-
gnis, indicantibus cerebrum frigidius, & hinc ex ætate senili: Si non generentur spiritus vitio materiæ e
qua;cognoscitur e signis inopiæ alimenti,vt e morbis prægressis,e vacuationibus. Si spiritus resoluantur:
G cognoscitur ex animi deliquio. Si error attineat ad mobile; cognoscitur e repletione cibi vel potus: præ-
terea e suppressa aliqua euacuatione, vt contigit illi ancillæ puerperæ. Si error spectet ad vtrumque:
cognoscitur e punctione animalis venefici: ex insigni calore vel frigore occurrente, vel etiam e febre
ardente infestante, &c.

Indicationes. Galenus cap.5 lib.de tremor.recte eos reprehendit, qui in omni tremore vtuntur calorificis: nam interdum etiam refrigerandum eſt. Vnde ab eſſentia ſumendæ ſunt indicationes: eſſentia autem tremoris poſita eſt, in forma, ſubiecto, & efficiente. A forma non ſumuntur indicationes, quia forma non indicat vtile. A ſubiecto. A ſubiecto ſumuntur indicationes, quatenus mobile neruoſum requirit præſidium, proportionem ſeruans, in omni affectu neruorum. A cauſſa efficiente. Quoad cauſſam efficientem; hæc eſt morbus, vel error externus. 1. Morbus eſt denſitas, procedens a materia: indicatio ex vſu, non ſumitur a denſitate, ſed a materia: materia ergo quatenus ſecundum ſpeciem eſt pituitoſa, vel melancholica; indicat præſidia vacuantia determinata: quatenus ſecundum vitium, eſt copioſa, frigida, craſſa, viſcida, quieſcens, & quatenus interdum mouetur, ac generatur vel in capite, vel in ventriculo, vt materia pituitoſa, vel in hepate, vt melancholica; patet quid hæc vitia indicent. Si cauſſa efficiens ſit error externus: ſi pertineat ad virtutem, & hoc fiat, quoniam ſpiritus non generantur ob frigiditatem cerebri; oportet cerebrum calefacere: Si ſpiritus non generentur ob inopiam alimenti; indicatur alimentum augens. Si error pertineat ad mobile; cum ſit materia copioſa, indicat vacuans. Si error ad vtrumque attineat: ſiquidem cauſſa ſit venefica, requirit bezoarticum: ſi calida, frigidum; ſi frigida, calidum; ſi materia febrilis, hæc euacuanda & attemperanda.

Prognoſtica. Tremor deſpiciendus non eſt, cum mutetur in paralyſin. Multiplex autem tremoris euentus ſumi poteſt a vi differentiarum. Ratione formæ, vt motus prauus eſt vehementior, ita etiam tremor eſt vehementior. Quoad ſubiectum: tremor in toto peior eſt, quam in parte: ſi in parte, tremor periculoſior eſt, pro partis dignitate: ratio horum eſt, quia maior eſt vehementia dignitatis. Auicennas addit, tremorem in ſiniſtra parte eſſe magis periculoſum: quod non ſit propter vehementiam eſſentię, ſed quia pars ſiniſtra affecta, ſignificat nobis vehementiam ratione facultatis: nam calidum innatum (quod eſt facultatis inſtrumentum) ſiniſtræ partis facilius cedit & ſuccumbit. Quoad differentias ratione cauſſæ efficientis, ſi eſt morbus, vix curatur: nam morbus eſt denſitas, producta a materia, quæ ſumme vehemens eſt ſecundum eſſentiam: vnde ſæpenumero hic tremor comitatur homines vſque ad mortem. Si cauſſa efficiens ſit error externus, ſi hic error pertineat ad virtutem, vt ſpiritus animales non generentur, ſi in cauſſa eſt cerebri frigiditas, vt in ſenibus, non recipit curationem: quia adeſt vehementia, & ratione eſſentiæ, cum ſit inſignis frigiditas, & ratione dignitatis, cum hæc frigiditas occupet cerebrum. Si hoc fiat ob inopiam alimenti; pro varia vehementia varie prognoſticandum, verbi gratia, ſi inopia ſit alimenti ob ieiunium, ob coitum, &c. his remotis aderit alimenti copia. Si ſpiritus reſoluantur, vario modo prognoſticandum, pro vehementia deliquii animi, & cauſſarum deliquii: & de his in propriis capitibus dicendum. Si error ſpectet ad ponderoſum mobile, materia ponderoſa euacuata, tremor euaneſcit, cap.5.lib.de tremor. Si error pertineat ad vtrumque, ſi cauſſa ſit venefica, pro vi veneni prognoſticandum. Si cauſſa non ſit venefica, ſi fuerit qualitas; tremor facile ſuperatur: Si fuerit materia; cum Gal.aph.26.ſect.6.in tremore, qui occurrit in febre ardente, vacuata materia, etiam tremor euaneſcit.

Curatio. Venæſectio. In tremore probatur venæſectio, dum ſanguis peccat in ratione cauſſæ principalis, c.5.l.de trem.c.5.lib.de venæſectione aduerſus Eraſiſt. vnde Hippocrat. in puerpera venam ſecuit, quia ſanguis erat ſuppreſſus, & habebat rationem cauſſæ principalis. Non autem ſecanda eſt vena, ſi ſanguis habeat rationem cauſſæ ſine qua non: ratio eſt: quia in tremore (cum non fiat hic motus prauus, niſi quando homines tentant ſe mouere) corpus potius quieſcit, & per quietem refrigeratur tum corpus, tum calidum innatum: vnde, ſi euacuetur ſanguis, qui habet rationem cauſſæ ſine qua non, maior noxa, quam emolumentum ſequitur, quoniam per venæſectionem ex accidenti refrigeratur corpus. Sed notandum, vt, quando ſanguis habet rationem cauſſæ, ſine qua non poſſumus curare tremorem, venæſectio ſuppleatur cucurbitulis, & potiſſimum cibi parcitate, vt ſanguis imminutus non amplius curationem impediat. Animaduertendum quoque, ſi cum tremore forte coniungatur vitium, requirens venæſectionem, cauendum eſſe a venæſectione quantum fieri poteſt; dico quantum fieri poteſt; nam ſi quis tremore affectus corripetur pleuritide, angina, &c. cui dubiũ venam eſſe ſecandam? ſed non ratione tremoris. Quoad vſum: Quantum, ſeu quid agendum ſpecificum: ſanguis non eſt euacuandus in multa copia; imminuta enim copia tremor tollitur: quod ſi autem tremor non ceſſet, ſanguis minuatur ſaltem cibi parcitate: & niſi ceſſet tremor, venæſectio potius repetenda eſt, quam vt liceat vnica vice ſanguinem copioſum euacuare. Quoad Vbi: Hipp. in fœmina, cui ſuppreſſa erat purgatio puerperii, aperiebat venam tali, id eſt, ſaphenam. At, ſi ſanguis redundet in toto, ſecanda vena brachii. Cucurbitulæ. Auicennas & Paullus, probant cucurbitulas, cum magna flamma admotas, & ſcarificatas, appoſitas parti affectæ, ſed poſt totius & capitis euacuationem. Probantur autem hæ cucurbitulæ non in quocunque tremore, ſed ſolum in eo, qui fit a materia denſante, vt materia illa euacuetur. Sunt autem applicandæ variis partibus, prout variæ partes ſunt affectæ, verbi gratia, ſi vitiũ ſit in principio ſpinalis medullæ; applicandæ ſunt ceruici; Paullus applicabat vertebris vſq; ad lumbos.

Pharmaceia. Medicamenta reſpiciunt vel ſubiectum, id eſt, proportionem neruorum, vel cauſſam efficientem. Medicamẽta neruorum. Quæ neruorum proportionem reſpiciunt, in omni neruorum malo poſſunt vſurpari: vnde probatur *caſtorium, niſi aliquod in corpore calidum prohibeat: probantur magnæ antidoti: Auicennas commendat cerebrum leporis aſſum, braſſicam, althæam.* Hæc medicamẽta miſceri poſſunt aliis, quæ reſpiciunt cauſſam efficientẽ.

1. Si tremor fiat a denſitate. Interna. Ratione ergo cauſſæ efficientis: ſi fiat tremor a denſitate, ſeu materia denſante; primum vacuandum eſt totum, & caput, medicamentis quæ in tremore vehementia eſſe debent: deinde aſcendendum ad alia; vnde Auicennas probat *caſtorium, cum melle ſcillitico, cum ruta, cum ſcolopendrio: additq; Auicennas ſemina maluarum, propter emollitionem: probat etiam ſuccum eupatorii, vna cum cerebro leporis aſſo: probantur etiam alia calefacientia.* Hęc amminiſtranda ſunt actu calida. Auicennas etiam probat *iura animalium pinguium, vt caſtratorum pinguium, agni pinguis:* de quibus etiam loquitur in ſerm. de paralyſi. Paullus aſcendit ad rubrificantia. Nos addere poſſumus, *decoctum guaiaci, ſaſſafras,* &alia de quibus diximus in dol. cap. a materia pitui-

A pituitosa,& melancholica. Ex eodem loco & vsus patet: hic tamen quædam monebimus. In tremore igitur tale medicamentum componi potest: ℞. *puluer. rutæ, scolopendrii, cerebri leporis assi an.* ʒ j. ß. (*:hæc medicamenta attenuant ac detergunt materiam, fouentq; neruorum proportionem:*) *seminum maluæ, althææ an.* ʒ j. *succi eupatorii depurati cum saccharo* ℥ ß. *succi brassicæ* ℥ ß. *mithridatii antiqui* ℈ iiij. *mellis scillitici* ℥ ij. *dianthos* ℥ iij. *Misc. & seruetur hoc medicamentum in vase vitreo, & vas vitreum detineatur per aliquot dies in aere calido.* Hoc medicamentum e toto potest expugnare materiam, densitatis caussam, & neruos roborare. Dosis sit a ℥ ß. vsque ad ℥ ij si hoc medicamentum exhibeatur ante decoctum guaiaci, vel sassafras: nam in tremore oportet quandoque hoc decoctum exhibere per 40. dies ante syrupum. Quod si non exhibeatur decoctum guaiaci, vel sassafras, & solummodo detur medicamentum propositum, dosis eius esse
B debet a ℥ j. ad ℥ ß. Hoc medicamentum tantæ est vtilitatis, vt & materiæ morbificæ vires dissipet; & expultrix vehementer insurgat ad expugnandum materiam. Quoad vsum: dosis modo maior erit, modo minor, pro actiuitate materiæ. Præterea hoc medicamentum est exhibendum post purgationem totius, & per plures dies, si materia præsens sit per plures dies. Et est exhibendum per os, vt ipsius vis ad neruos perducatur. Extra quoque medicamenta sunt applicanda, vt *oleum de costo, de castorio, vulpinum, & alia:* vt ad sinapismos ascendere liceat. Probantur quoque emollientia, vt *ius carnium pinguium, & potissimum ius tauri pinguioris, cum radice cucumeris agrestis, cum malua, althæa.* Et hæc medicamenta sunt applicanda parti primo affectę. Caussa resolutionis, probantur etiam *balnea salita, vt aqua marina item balnea sulphurea.* Caussa remollitionis, probatur *balneum aquæ dulcis, sed cum iuribus pinguioribus.* Hæc ergo medica- Externa.
C menta sunt vsurpanda, dum tremor fit læsa facultate, ob morbum.

At si tremor fiat ob errorem externum: si error attineat ad virtutem, vt spiritus non generentur, ob cerebri frigiditatem, cum Auicenna singulis 10. diebus oportet exhibere *pil. cochias:* exhibet etiam ʒ ij. *stœchados*, ad calefaciendum cerebrum: probantur etiam ea, quæ proposuimus in dol. cap. ab intemperie frigida, cum pituita. Si non generentur spiritus ob inopiam alimenti, tunc cibis occurrendum, cap. 5. 2. Si tremor fiat ab errore externo.
lib. de tremor. non tamen desistendum a medicamentis, quæ occurrere possunt vitiis, vi quorum deficit 2.
alimentum, verbi gratia, si deficiat alimentum, ob immoderatum fluxum sanguinis, occurrendum medicamentis, quæ fluxum sistunt. Si spiritus resoluantur, vt in deliquiis cardiacis, in leipothymia; calorifica extreme sunt noxia, & potius probantur frigida, de quibus in serm. de cardiaca. Si error attineat ad mo- 3.
4.
bile, verbi gratia, si fiat tremor e copioso vino; cum Auicenna probatur *oleum paratum e cucumere asinino, e cannabe, ex handacocha, id est, trifolio communi.* Si error pertineat ad virtutem & mobile; si caussa sit ve- 5.
D nefica; confugiendum ad doctrinam de venenis. Si caussa sit vehementer refrigerans, verbi gratia, potus 6.
frigidioris aquæ; cum Rhasi probatur *balneum*, ea ratione amministratum, vt homo sudet; & deinde oportet vt in Sole moretur, vel saltem ingrediatur *balneum sulphureum, vel marinum, & inungatur oleo de costo.* Si materia sit calidior; caput inungendum est *oleo communi & refrigerante, vt violaceo*, quo caput ri- 7.
gandum. Hæc medicamenta applicanda non tantum capiti, sed etiam a prima vertebra vsque ad lumbos. Probatur medicamentum, paratum e *cruda farina hordeacea, quæ sit oleo & aqua diluta.* Et quia hic tremor fieri solet in febribus; dum febris remittit, Paullus vngit corpus *oleo veteri:* & si febris perdurat, vtitur *balneo cum oleo, aut hydrelæo, cum frictione molli.* Diæta patet.

E

Capvt XXIV.

De Torpore, seu stupore.

Tremori quodammodo similis est torpor. Loquimur autem hic de torpore in genere, qui prædicatur de quacunque torporis specie: intelligimus enim illud malum, in quo necessario tactus imminuitur, interdum & motus voluntarius violatur: dum enim vitium est in tactu, non necessario etiam est in motu, cap. 5. lib. 1. de symptom. caus. In sensu enim tantum est vitium, si afficiantur nerui sensitiui. Quod si motus voluntarius solum vitietur, nisi admodum insignis sit læsio, tunc est noxa in neruis motiuis. Cum ergo detur torpor, in quo vitium tantum est in tactu, sine vitio motus, detur etiam torpor, in quo est vitium solum in motu, sine vitio in tactu: nos per torporem intelligimus illud malum, in quo vitium ne- Nomen.
F cessario est secundum tactum, vt tactus locum obtineat principalem: nec præter rationem: nam omnes nerui sunt sensitiui, non omnes motiui, ac proinde sensus tactus principem locum sibi vendicat. Torpor sic acceptus, generatur, dum corpori neruoso occurrit caussa morbifica, vi cuius necessario afficitur corpus neruosum, propter imminutam receptionem obiecti tactus, & quandoque etiam ita afficitur, vt motus quoque lædatur. Cum autem vitium in motu non habeat locum in quolibet torpore, in definitione omittendum. Torpor igitur exquisitus & genericus, est receptio imminuta obiecti tangibilis nerui sensitiui, dependens a frustratione tactus. Generatio. Definitio.

Forma torporis est receptio imminuta obiecti tangibilis. Dicitur receptio, ad differentiam iudicii: nisi enim error fieret in receptione, non esset error in iudicio. Dicitur receptio imminuta, ad differentiam receptionis corruptæ, quæ fit in dolore, & ad differentiam receptionis ablatæ, quæ locum habet Formæ.
G in paralysi. Additur, obiecti tangibilis, ad differentiam obiecti visibilis; si quidē & visio imminuta potest statui stupor oculi; at nō est stupor exquisitus, de quo loquimur, ad tactum pertinens. Sed dubitatur: nam Galen. c. 2. l. 2. loc. aff. ait, stuporem esse insignem refrigerationem. Responsio: Galenus ibi respicit ad stuporem, vt effectiue consideratur: nos autem in præsentia eum sumimus formaliter. Quare stupor exquisitus semper est receptio imminuta obiecti tangibilis. Sed quandoque fieri potest, vt stupor habeat annexum vitium in motu; quemadmodum accipitur a Galeno cap. 1. lib. 1. de sym. causs. vbi ait, torporem esse compositum e difficultate sensus & motus, vt a paralysi non genere differat, cum & hæc pertineat ad

ſenſum, motumque voluntarium, ſed magnitudine, quia paralyſis producitur a cauſſis validioribus. Sed A notandum, ſi in ſtupore ſenſus imminuatur, & coniunctum ſit vitium in motu; motum eſſe prauum, ſeu corruptum, præſertim vt membrum decidit, quemadmodum euidenter ſcribit Galen. cap. 2. lib. 2. de cauſ. ſymp. Differt autem torpor a tremore: quia in torpore, dum cadit membrum, non ilico ſurſum attollitur, ſed interiecto euidenti interuallo: & ratio eſt, quia virtus imbecillior eſt in torpore, quàm in tremore: vnde torpor eſt incipiens paralyſis.

Subiectum.

Subiectum torporis, eſt neruus, quatenus eſt ſenſitiuus: & proinde neruus mollis, qui eſt ſenſitiuus; & durus, quatenus, poteſt eſſe ſenſitiuus. In omni ergo torpore, ſubiectum eſt neruus, vt ſenſitiuus; in aliquo torpore, eſt neruus, vt motiuus. Hinc Galenus ait, torporis cauſſam contentiuam eſſe in neruo, ca. 5. B l. 1. de ſymp. cauſ. Sed oritur dubium, e c. 2. l. 2. loc. aff. vbi Galenus confutat Archigenem, dicentem, quod ſtupidus dolor pertineat ad neruos: ſtupor enim, ait Galenus, eſt indicium diſpoſitionis, id eſt, frigiditatis, non autem loci; nam ſtupor non modo ad neruos pertinet, ſed etiam ad venas, arterias, carnes, &c. Reſponſio. Stupor dupliciter ſumi poteſt: primo, vt ſenſibiliter non apparet, & ſic ſtuporis ſubiectum poteſt eſſe pars alia a parte neruoſa; ſed hic non eſt ſtupor exquiſitus: ſecundo, vt ſenſibiliter apparet, & ſic reſidet in tali ſubiecto, quod ſuos affectus poteſt ſentire, & pro voluntatis imperio moueri poteſt; & hoc ſubiectum eſt neruus.

Cauſſa efficiens. 1. Anguſtia.

Tandem in definitione diximus, dependens a fruſtratione tactus: nam modo fruſtratur ſolum tactus; modo cum facultate tactrice fruſtratur etiam facultas motrix. Quare intelligendæ ſunt cauſſæ, ob quas hæ facultates fruſtrantur. Fruſtrantur igitur, vel ob Morbum, vel ob Errorem externum. Si ob morbum; eſt affectus, qui cum Galen. c. 5 l. 1. de ſymp. cauſ. eſt ſtuporis cauſſa continens; in quo ſtupore facultas C læditur, & proinde ob morbum: vt iure Galenus proponat ſtuporem ſuccedentem repletioni. At morbus talis eſt, vi cuius a cerebro ad neruos virtus tranſmitti prohibetur: quare hic morbus neceſſario eſt nerui anguſtia; vnde hunc ſtuporem Auicenas nominat morbum inſtrumentalem. Ceterum hæc anguſtia non eſt integra: eſt tamen intenſior, quam in tremore; vnde torpor leuis paralyſis dicitur, c. 2. l. 2. de cauſ. ſymp. Anguſtia hęc, cum Galen. c. 5. l. 1. de ſymp. cauſ. in neruo meatus habente, id eſt, in neruo optico, eſt obſtructio & compreſſio: in neruo autem non habente meatus, eſt conſtipatio, ſubſidentia (quæ denſitas dicitur, c. 2. l. 2. de cauſ. ſymp.) & compreſſio. De vitiis nerui optici, in affectibus oculorum loquemur.

Conſtipatio.

Quoad anguſtiam nerui meatibus deſtituti; conſtipatio eſt, dum neruus craſſeſcit, duriorque euadit, vt pori occludantur, & impediatur tranſitus facultatis, id eſt, radiorum ſpirituum animalium. Nerui autem craſſiores & duriores euadunt, propter ſuccum glutinoſum & craſſum: Qui ſuccus eſt vel alimentalis, vel excrementitius. Alimentalis, ſi nerui alimentum ſit craſſius & viſcidius. Succus autem eſt excrementitius, ſi D torpor fiat e ſuppreſſa aliqua euacuatione: vnde Galenus ait, torporem fieri ab humore excrementitio, cap. 2. lib. 2. de cauſ. ſympt.

Subſidētia.

Subſidentia fit a frigore violento; &, ſecundum Auicennam, a ſiccitate, & humiditate; a ſiccitate, quatenus per hanc neruorum fibræ & membranæ, id eſt, partes extrinſecæ colliguntur & vniuntur: ab humiditate, quatenus nerui remolliuntur, vt claudantur pori.

Cōpreſſio.

Compreſſio morboſa (ad differentiam compreſſionis non morboſæ, quæ, verbi gratia, fieri poteſt a ligamentis:) fit a cauſſa, reſidente quidem extra neruum, ſed in corpore, vt, a tumore vel inflammatorio, vel non inflammatorio.

2. Error externus. Vitium ſpirituum.

Quod ſi facultas fruſtretur ob errorem externū: hic error attinet, vel ad Virtutem, vel ad Membrum. Si ad virtutem; idem eſt dicendum, quod in tremore: Nam ſpiritus vel nō gignuntur, vel reſoluuntur: E non gignuntur vitio agentis, ſi caput ſit frigidius, vt in ſenioribus; non generantur, vitio materiæ, dum deficit alimentum, ob cauſſas vacuantes. Si reſoluuntur ſpiritus: fit ſtupor, dum proxima eſt syncope, & dum mors eſt propinqua.

Vitium calidi innati.

Si error pertineat ad membrum, cum Auicenna, pertinet ad calidum innatum membri, quatenus calidum innatum patitur ſecundum complexionem, ſecundum ſubſtantiam, ſeu quantitatem. Secundum complexionem patitur a cauſſis refrigerantibus, vt ab opiatis, ſcorpione aquatico, torpedine piſce. c. 8. l. 5. de vſu part. cap. 2. l. 2. loc. aff. hæ enim cauſſæ ſpiritum ſeu calidum inſitum refrigerant. Vnde notandum, cauſſam refrigerantem dupliciter agere poſſe: primo, vt denſat, vnde ſtupor fit læſa facultate, ob morbum: ſecundo, vt minuit, ſeu remittit caliditatem caloris innati & tunc fit ſtupor ob errorem externum, non læſa facultate. Patitur autem calidum innatum ſecundum quantitatem, dum eius ſubſtantia, vi caliditatis vehementis diſſoluitur, vt contingere poteſt in balneis calidioribus, in febribus ardentibus. F Hæ ergo ſunt ſtuporis cauſſæ: & formæ eædem, quæ in tremore, vt differentia tantum ſit ſecundum magis & minus.

Differentię.

Quoad differentias a forma: Receptio imminuta obiecti tangibilis, vel Simplex eſt, vel etiam Coniuncta cum læſione motus. Ratione ſubiecti: ſumuntur differentiæ & a neruo, & a nerui ſede. A neruo: nam hic vel tantum eſt Senſitiuus: vel & Senſitiuus, & motiuus. A ſede nerui: nam neruus pertinet vel ad Totum, vel ad partem. Quoad cauſſam efficientem: ſtupor fit Læſa facultate, aut ob Errorem externum: Si læſa facultate: ſi propter Conſtipationem, Denſitatem, vel Compreſſionem. Si ob errorem externum, pertinet ad Virtutem, vel ad Membrum.

Signa.

Stupor in genere patet e verbis ægrotantis: nam æger fatetur ſe tactilia ægre percipere: &, ſi moueri cogatur, dolere, ſi quieſcat, non dolere, cap. 2. l. 2. loc. aff. Cauſſa autem cur per motum dolor excitetur, G per quietem, nullus: eſt: quia cum in ſtupore ſenſus ſit imminutus, facultas non inſurgit ad expellendum excrementa tertiæ coctionis: dum autem homo mouetur, hæc excrementa agitantur, vnde expultrix cum impetu inſurgit ad expellendum: & quoniam hæc excrementa tertiæ coctionis vi mouentur, ſoluunt continuum, vnde dolor fit: in quiete autem non ſoluitur continuum, ideoque non fit dolor.

Signa differentiarum.

Sed hæc quæſtio ſatis eſt difficilis. Differentiæ ratione formæ: num læſio ſit tantum in tactu, an vero etiam in motu: manifeſtæ fient ab ægris. Ratione ſubiecti: ſi differentiæ ſumantur a neruo: an læſus ſit neruus ſenſitiuus, an motiuus;

A motiuus;æger patefaciet. Si ſumantur differentiæ a ſede nerui;an afficiatur patiens ſecundum totum, vel
ſecundum partem;cognoſcetur e ſymptomatis,totum vel partem affligentibus. Ratione cauſſæ efficien-
tis;idem dicendum,quod de tremore.

Quoad præſidia:conueniunt cum tremore:cura enim ſtuporis & tremoris eadem.

Vitium hoc deſpiciendum non eſt: ſi enim protrahatur,degenerat in apoplexiam, epilepſiam, ſpa- Indicationes.
ſmum, & potiſſ.paralyſin, cum ſit leuis paralyſis. Augetur vero periculum,pro vehementia differentia- Prognoſtica.
rum. Quoad formam:ſtupor periculoſior,ſi noxa eſt,& in ſenſu, & in motu;& præſertim ſi noxa ſit vehe-
mens,& perdurans. Ratione ſubiecti,vt ſignificat vehementiam dignitatis; ſtupor eſt periculoſior,quo
B plures partes occupantur;& quo viciniores ſunt cerebro. Ratione cauſſæ efficientis idem dicendũ,quod
de tremore. Sed notandum cum Auic.ſi ſtupor ſit in toto,hominem mori vna die. Non loquitur hic Aui-
cennas de quolibet ſtupore:nam paralyſis ad totum pertinens, non perimit hominem vna die, licet mul-
to ſit vehementior,quam ſtupor: loquitur autem de ſtupore, procedente ex inſigni ſpirituum reſolutio-
ne;vnde Auicennas dicit,hunc eſſe ſtuporem,qui euenit prope mortem: in hoc enim ſtupore nulla pror-
ſus deſideratur vehementia. Secundo, Auicennas dicit; torporem a ſiccitate difficilime curari, quia adeſt
inſignis vehementia ratione eſſentiæ.

Materiæ eædem locum hic habent, quæ in tremore; vnde nec a Paullo, neque ab Aetio propo- Curatio.
nuntur.

C

Capvt XXV.

De Paralyſi.

QVoniam torpor eſt leuis paralyſis, ideo iam de paralyſi dicemus. Per paralyſin, ſeu reſolutionem, Nomen.
intelligimus exquiſitam:vitium ſcilicet in quo aufertur motus voluntarius: quamuis interdum au-
feratur ſolum motus,interdum cum motu etiam ſenſus:ea tamen ratione, vt non lædatur facultas princi-
palis,nec omnes corporis partes reſoluantur,quoniam non eſſet paralyſis,ſed apoplexia. Generatur pa- Generatio.
ralyſis, dum corpori occurrit aliquid præter naturam, vi cuius muſculus orbatur facultate motrice, vt
prorſus mouendi munere priuetur;vnde membrum concidere neceſſe eſt. Paralyſis ergo eſt motus abla-
tus muſculi,dependens a fruſtratione facultatis motricis. Definitio hæc explicatur cum Auicen.in prop. Definitio.
cap.&cum Galeno cap.6.& vlt.l.1.loc.aff.c.vlt.l.3.de l.aff.c.3.& 4.l.4.aff c.5.l.1.de cauſ.ſymp.c.2.l.2.de cauſ.
D ſymp.c.5.l.de atra bile. Forma eſt motus ablatus: ad differentiam ſtuporis,in quo imminuitur,videlicet,
ſecundum motum ſurſum:& ad differentiam tremoris atque conuulſionis, in quibus vitiis motus depra- Forma.
uatur. Sed in paralyſi motus ablatus interdum eſt ſolus,interdum coniunctus eſt ſenſus ablatus.c.vlt.lib.3.
de loc.aff. Subiectum eſt muſculus,qui eſt organum motus voluntarii: non autem ſubiectum eſt corpus Subiectum.
vniuerſum,ſic enim eſſet apoplexia.

Cauſſa efficiens eſt fruſtratio facultatis motricis: qua diſtinguitur motus ablatus in paralyſi,a motu Cauſſa efficiens.
ablato diuerſo a paralyſi. Nam,ſecundum Galen.c.2.l.2.de cauſ.ſym.quies eſt triplex:vna eſt,quæ fit a ſola
potentia,dum videlicet brachium ſublatum immotum ſeruatur,vnde hic eſt motus tenſiuus,qui fit a ſola
potentia,& hæc quies non habet locum in paralyſi:altera quies nec procedit a potentia, nec a cauſſa mor-
bifica,dum ſcilicet ſanum brachium ſuper ſolidum aliquod reclinatur, vt quieſcat: in qua quiete facultas
E non fruſtratur, ſed potius ſecundum naturam otio fruitur, ideoque nec hæc quies in paralyſi locum ha-
bet:tertia quies proficiſcitur a cauſſa morbifica, vi cuius facultas motrix otiari cogitur, quemadmodum
in paralyſi. Intelligendum igitur, qua ratione muſculi fruſtrentur facultate motrice. Dicimus ergo fru-
ſtrari facultatem,quoniam vel Læditur,vel Error aliquis externus occurrit. Facultas læditur: dum in mu- Fruſtratio facultatis motricis.
ſculo motui deſtinato,& motu priuato,adeſt morbus. Error autem externus locum habet: dum vitium
eſt extra muſculum,ſiue illud vitium ſit morbus,ſiue non ſit morbus. Quare in paralyſi,muſculus motui
deſtinatus priuatur vi animali,quoniam hæc vel a cerebro in muſculum influens,non ſuſcipitur,vel quo-
niam non influit. Non ſuſcipitur a muſculo:ob intemperiem muſculi vel frigidam, vel frigidam & humi- 1 Si facultas influens nõ ſuſcipiatur.
dam:non autem fit paralyſis (ſecundum Auicen.) ob intemperiem calidam,nec ob intemperiem ſiccam,
alias etiam corpora,hectica febre correpta,paralyſi afficerentur:quod tamen non accidit. Ratio eſt, quia
F calidum non aduerſatur radiis ſpirituum animalium,nec aduerſatur calido inſito ipſius muſculi: contra,
frigidum inimicum eſt & radiis & calido inſito. Non ergo intemperies calida, ſed frigida poteſt eſſe cauſſa
paralyſis. Et potuit hoc Auicen.accepiſſe a Galeno, qui c.6.l.1.de loc.aff.admittit,paralyſin in quibuſdam
fieri corporibus,quæ reſident ſuper lapides frigidos,vel diu verſantur in aqua frigida, vt hinc muſculi re-
frigerentur,& non poſſint facultatem admittere. Notandum autem hanc frigiditatem pertinere ad mu-
ſculos;ſed potiſſ.ſecundũ portiones neruoſas. Præterea hæc cauſſa refrigerans,eſt vehemens,longe diuer-
ſa,a frigiditate & humiditate hypoſarcæ,in qua nec afficiuntur nerui,neq; vſque adeo vehemens eſt frigi-
ditas;vnde nec paralyſis fieri poteſt. Et cum hæc intẽperies pertineat ad muſculos, ſecundũ partes neruo-
ſas: hæc intemperies non habet locum in ductibus, ſeu viis,per quas facultas influit, quia per ductus ſo-
lum influit facultas animalis cum radiis:at muſculi multifariam concurrunt: nam facultas per muſculo-
rum neruos influit & ſuſcipitur:præterea a muſculis fit motus,ſeu actio:ob id non in ductibus, ſed in mu-
G ſculis dyſcraſia frigida eſt cauſſa paralyſis. Porro,ſi fiat paralyſis, quoniam facultas a capite ad ſubiectas
partes non influit:tunc non influit,vel quia tranſmittitur quidem,ſed prohibetur tranſitus:vel quia non
tranſmittitur. Tranſitus prohibetur ob morbum vel nerui,vel ſpinalis medullæ:& ſi nerui,vel in muſculo,
vel extra muſculum:inter morbos tamen in neruis, & in ſpinali medulla, exiguum eſt diſcrimen:quod ſi 2 Si facultatis tranſitus prohibeatur.
enim nerui muſculorum reſoluantur;eſt paralyſis per eſſentiam: ſi reſoluantur nerui extra muſculos, vel
ſpinalis medulla,eſt paralyſis per cõſenſum. Sufficiat ergo hoc loco ſimul recenſere morbos,tum nerui in

Solutio vnitatis. Angustia. musculis,& extra,tum spinalis medullæ.Morbus ergo est,vel soluta Vnitas,vel Angustia.Soluta vnitas est A
caussa paralysis;quia vis animalis,secundum naturæ leges,influit,per neruos continuos:hinc Gal.c.vlt.l.3.
loc aff.ait,paralysin interdum fieri propter spinæ incisionem. Angustia est morbus pororum:nimir.constrũctio seu repletio,id est,compressio;deinde constipatio,quæ improprie vocari potest obstructio:denique densitas:nam eædem sunt caussæ stuporis & paralysis,magnitudine tantum differentes,c.5 l.1.de caus.sym.c.2.l.2.de caus.sym.Cum ergo eædem sint caussæ;breuiter quædam monebimus,circa compressioné,
I. constipationem,& angustiam compositam e compressione atque constipatione. Compressio fit e luxatióne vertebrarum:non tamen qualibet luxatio vertebrarum spinæ est caussa paralysis,cap.3.l.4.l.aff.nam primum oportet,vt luxatio affatim & repente fiat,non sensim , alias non excitat paralysin:præterea si luxatio fiat secundum rectitudinem,non fit paralysis;si in obliquum, siquidem luxatio fiat in vertebris ceruicis,fit paralysis;sin fiat secundum lumborum partes,non fit paralysis; ratio est, quoniam in lumbis totus neruus,prodit e vertebra superiori; in ceruice autem e loco medio inter vertebram superiorem & in- B
II. feriorem,vt necessario in ceruice neruus comprimatur,præsertim si subsequatur inflammatio.Constipatio fit,quoniam nerui replentur,a succo crasso,vel Alimentali,vel Excrementitio.Quoad excrementa,Auic.insinuans differentiam inter conuulsionem & paralysin,statuit, materiam excrementitiam morbificam in spasmo occupare neruos,secundum partes externas, seu membranosas, a meningibus prodeuntes;in paralysi autem occupare neruorum partes internas,seu medullares, prodeuntes a cerebri substan-
III. tia. Angustia,mista e compressione & constipatione, prodit a tumore: nam tumoris materia , vt pene-
3 Si facultas non transmittatur. trat , habet vim constipandi; vt comprimit,habet vim comprimendi.Si denique fiat paralysis,quoniam C
vis non transmittitur;est paralysis,quæ succedit inflammationi vulnerum musculorum temporalium:fit autem quoniam vis animalis confluit in partem inflammatam,vt pars illęsa paralysi afficiatur.Omitto cerebri morbos:nam si vi horum morborum non transmitteretur facultas,fieret potius apoplexia.

Differentię. Quoad differentias a forma;vel Motus solus est ablatus, vel Simul etiam sensus. Ratione subiecti: paralysis attinet vel ad Dextram partem , vel ad Sinistram,vel ad Vtramque: Et hinc,ad Caput,vel Infra: Et si infra,ad artus Supernos,vel Infernos. Quoad caussam efficientem:in paralysi virtus vel non Influit, vel non Suscipitur:si non influat,vel non Transmittitur,vel Retrocedit,vt in inflammatione, quæ subsequitur vulnus musculorum temporalium.

Signa. Paralysis in genere patet, vt etiam secundum differentias a forma,& subiecto. Differentiæ a caussa
1. efficiente,patent e traditis in serm. de torpore.Breuiter tamen sciendum : si paralysis fiat,quoniam facul- D
tas non suscipitur ob frigiditatem,cognoscitur e caussis pręgressis refrigerantibus.V.g. si fuerint applicita
2. opiata,si homo sederit super lapidem frigidum,vel etiam diu in aqua frigida fuerit commoratus.Si fiat paralysis,quoniam virtus non influit;si fiat ob partium morbos;cognoscere oportet morbos,& morborum sedem. Morbus autem est soluta vnitas, vel angustia. Soluta vnitas facile cognoscitur:nam prægressa est caussa incidens,vt post incisionem statim subsecuta sit paralysis.Angustia,densitas, compressio,constipatio,mistusque affectus e compressióne & constipatione, facile cognoscuntur e traditis de torpore; verbi gratia,densitas cognoscitur e prægressa caussa refrigerante;compressio, ex ictu,e luxatione;constipatio,e præcedente victu crassiore,è suppressa aliqua euacuatione; affectus mistus e compressione & constipatione,cognoscitur e signis,indicantibus tumores.Morbi sedem quod attinet, num sedes sit musculus,an vero sedes sit extra musculum ,cognoscitur e c.6.l.1.l.aff. V.g.si malum sit in musculo,vt in musculis manius, E
cognoscitur e pręgressa percussione,vel frigiditate secundum manum;& pręterea e macie secundum manum,quia ratione quietis,quæ est in paralysi,pars emaciatur: cognoscitur etiam,si iuuant ea,quæ parti resolutæ,id est,manibus applicantur. Quod si contra eueniat: iudicandum est,mali radicem esse extra partem affectam,extra musculũ : Vtrum autem mali sedes attineat vel ad neruos,vel ad spinalem medullam;
3. cognoscitur e cap.3.lib.4.loc.aff.ad quam rem opus est tenere originem neruorum,tum a cerebro, tum a spina.Postremo,si fiat paralysis, quoniam facultas retrocedit;cognoscitur e prægresso vulnere musculorum temporalium,præsertim dum inflammatio subsequitur.

Indicationes. Præsidia sumuntur,sicut etiam in tremore,a subiecto,& caussa efficiente. Ratione subiecti,seruanda est corporis neruosi proportio. Ratione caussæ efficientis, patet, si fiat, verbi gratia,ob frigiditatem, F
membrum esse calefaciendum:si fiat, quia vis non influit, propter solutam vnitatem,oritur indicatio vniendi:si propter densitatem,calefaciendi:quia densitas non est ex vsu, sed caussa densitatis, nimirum frigiditas.Si morbus sit compressio,si a luxatione,vel a tumore; his occurrendum; vnde,verbi gratia,oritur indicatio,os reponendi in propriam sedem,& sic de reliquis.Si morbus sit constipatio, si fiat ab alimento crasso,oportet attenuare,si ab excremento,oportet excrementum euacuare.Si morbus sit mistum quid e constipatione & compressione,indicatio sumenda est a tumore.Si denique paralysis fiat, quia facultas retro cedit,occurrendum vulneri musculorum temporalium.

Prognostica in genere. Licet paralysis hominem non occidit, ita tamen ad functiones ineptum reddit, vt eum mori satius esset,c.vlt.l.3.loc.aff non ergo negligenda.Varie autem prognosticandum,pro vi differentiarum. Paralysis in genere maxime est periculosa,si præter essentię vehementiã,coniungitur etiam vehementia facultatis,verbi gratia,si membrum resolutum,magnitudinem,& colorem naturalem seruat, non est vehemen- G
tia facultatis:contra,si non seruat:& præsertim (quemadmodum Auic.notat)si lateris resoluti oculus im-
Prognostica differentiarum. minuatur:hæc enim indicant facultatis imbecillitatem , vt membrum non possit nutriri:& oculus imminutus indicat etiam spiritus animalis defectum quare est insignis vehementia ratione facultatis. Quoad
I. differentias a forma:paralysis minus est periculosa,si solum lædatur motus , vel sensus:magis,si in vtroque
II. sit noxa.Quoad subiectum,paralysis est peior,in qua plures musculi corripiuntur:est enim signum vehe-
III. mentiæ secundum essentiam,& formæ, & efficientis. Quoad differentias a caussa effic. si fiat paralysis, quo-

A quoniam non ſuſcipitur facultas,ob muſculum frigiditate affectum;hæc eſt curabilis: vnde piſcator ille, 1.
c.4.l.3.de loc.aff.celeriter ſanatus eſt.Si paralyſis fiat,quoniam prohibetur tranſitus facultatis animalis: ſi 2.
morbus ſit ſoluta vnitas; eſt paralyſis incurabilis, quia neruus ſectus coaleſcere nequit.aphor.19.ſect.6.&
propterea in talibus paralyticis curatio non aggredienda.Si anguſtia ſit denſitas;& hęc paralyſis facile cu-
ratur:nam eſt affectus frigidus,qui a calido poteſt vinci. Si anguſtia ſit compreſſio,ſi ſimplex ſit compreſ-
ſio,ſiquidem pendeat a luxatione vertebrarum:cum Auic.vt plurimum eſt lethalis: nam nerui inſigniter
contunduntur atque atteruntur: & præterea luxatas vertebras, ad priſtinam ſedem reuocare,eſt admo-
dum arduum. Si compreſſio fit ex ictu, ſecundum Auic.ſi nerui vehementer conterantur;malum eſt in-
curabile:ſi non vehementer atterantur;eſt curabile: Signum autem eſt neruos vehementer atteri, ſi poſt
B ictum ilico oriatur paralyſis:ſi non ilico oriatur paralyſis poſt ictum, non vehementer conteruntur ner-
ui,ſed fit potius paralyſis,ratione phlegmones quæ ictui ſuccedit. Si autem anguſtia ſit conſtipatio,ſi fiat
ab alimento craſſo;vix curari poteſt,vt etiam,ſi fiat ab excremento viſcido, c.4.l.4.loc.aff. Si anguſtia ſit
vitium, miſtũ e compreſſione & conſtipatione; cum cauſſa ſit tumor vel inflammatorius vel non inflam-
matorius;vterque tumor vinci poteſt:at facilius tumor inflammatorius: vnde Galenus, reſpiciens ad tu-
morem inflammatorium,c.6.l.1.loc.aff. ait, paralyſin ex inflammatione ſpinæ curari 7.diebus:reſpiciens
autem ad tumorem non inflammatorium,qui ad ſcirrhoſum vergit, c.4.l.4.loc.aff.gloriatur ſe hominem
perfecte ſanaſſe, qui afficiebatur paralyſi ob tumorem non inflammatorium. Si fiat paralyſis, quoniam 3.
virtus retrocedit; hæc vt plurimum eſt lethalis:nam vulnera, & inflammationes muſculorum tempora-
lium,ita ſe habent, vt nulla prorſus deſideretur vehementia.
C Quoad materiam cheirurgicam:quædam notanda circa venæſectionem, cucurbitulas,fonticulos. Curatio.
Quoad venæſectionem:in paralyſi ſecanda vena,ſi ſanguis vehementer peccet. Peccat autem ſanguis in Venæſectio.
paralyſi,ſub ratione cauſſæ principalis,ſi paralyſis fiat ab inflammatione,cum hæc a ſanguine fiat. Peccat
etiam ſanguis quandoque,vt cauſſa ſine qua non poteſt fieri curatio, per alia remedia,vt ſi ſit ſanguis co-
pioſus. At notandum,nõ eſſe in paralyſi vacuandum ſanguinem ea copia,qua peccat,verbi gratia, ſi pec-
cet ad ℔.j ſatis eſt vacuare ad ℥ viij.Ratio eſt:quia,ſecundum Aetium,partes reſolutæ,cauſſa quietis refri-
gerantur,vt non ſint magis refrigerandæ,per copioſam ſanguinis euacuationem. Quoad vſum: dicemus
quædam,circa Quando, & Vbi. Quoad quando:Auicennas & Alexander ſecant venam ante alias mate-
rias;nam ſanguis vincit alia indicantia: ideoque in paralyſi, ſecundum Aetium, a venæſectione ordien-
D dum.Quoad Vbi:Aetius monet,detrahendum eſſe ſanguinem a parte ſana:nam in hac ſanguis redundat,
& virtus partis ſanæ permittit.Quoad cucurbitulas:Auicennas probat & ſcarificatas,& non ſcarificatas, vt Cucurbi-
ſcil.fiat vacuatio ſenſibilis,& inſenſibilis.Scarificatæ probantur;ſi paralyſis materia ſit copioſa,non impa- tulæ.
cta,non ſcarificatæ;ſi ſit impacta.Quoad vſum. Quando:Si cucurbitulis vtamur cauſſa materiæ exſiſten-
tis in loco affecto,oportet his vti poſt venæſectionem;nam fluxa materia, vincitur a materia exſiſtente in
toto.Vbi.Auicennas applicat cucurbitulas ſuper capita muſculorum. Si pars non admittat cucurbitulas;
ſecundum Aetium hæ applicari poterunt partibus vicinis. Quoad cauteria: Aetius vrit circa cauitatem Cauteria.
occipitii,in ſutura coronali,& circa ſuturam coronalem ad latera:& inquit beneficio vlcerum fluentium,
hominem ſanitatem recuperare. Conueniunt autem cauteria, non in omni paralyſi,ſed in ea,quæ pro-
ducitur a pituita,genita in capite, & quæ producitur a ſpinali medulla. Si ergo materia morbifica ſubſi-
E ſtentiam habet in principio ſpinæ,& in capite; Aetius vlcera excitat, & in occipitio, & ſutura coronali.
Vnde ſi conſtipatio pertineat ad os ſacrum:etiam hæc pars inurenda eſt,
Medicamenta alia ſunt Vacuantia,alia Alterantia.Vacuantia vacuant Senſibiliter,vel Inſenſibiliter. Medica-
Alterantia reſpiciunt vel morbum vel proportionem neruorum. Quoad vacuantia,& primum per mea- menta.
tus ſenſibiles:in paralyſi frequentiore,quæ producitur a conſtipatione, ob pituitam: Auicennas cap.1.de 1. Vacuantia
neruorum malis, probat purgantia vehementia: quia materia morbifica eſt craſſa & viſcida, nec virtus ſenſibiliter.
permittens deſideratur, cum nerui non ſint partes principales. Probat igitur *pilulas de euphorb.* Rhaſis
probat *pilulas fœtidas.* Alexander probat *hieras magnas, recipientes colocynthidem.* Quoad *pilulas fœtidas,* Pilulæ fœ-
componuntur e medicamentis purgantibus in ſecundo,tertio, quarto,gradu: in ſecundo quidem gradu tidæ.
purgat *centaurium minus*:in tertio,*hiera,ſagapenum,opopanax,colocynthis*, quæ purgat in tertia manſione
F tertii:in quarto purgat *euphorbium,elaterium.* Cum his purgantibus, in harum pilularum compoſitione,
miſcentur copioſiora adiuuantia,quam corrigentia:vnde hoc medicamentum eſt purgans in tertio, cir-
ca tertiam manſionem.Eſt autem pilularum fœtidarum doſis minima,℈ ij.vel ʒ ß.ſumma ℈ viij.vel ʒ ij.ß.
quæ ſumma doſis,eſt pars decima totius compoſiti medicamenti.Sed dubitatur: nam ſi pilulæ fœtidæ ex-
hibeantur in ſumma doſi, nimirum ad ʒ ij. ß.tunc euphorbium exhibebitur vnica vice ad g̃ xv.cum tamẽ
ſumma eius doſis non excedere debeat g̃ xij. Reſponſio. Pharmaca purgantia ſi ſola exhibeantur, non
debent ſummam doſin tranſcendere.Quod ſi autem pharmacum ſoluens cum aliis exhibeatur,ſiquidem
non fiat fermentatio;ne tunc quidem purgans vltra ſummam ſuam doſin exhibendum. Si autem fiat fer-
mentatio,licet ſummam doſin tranſcendere,quia fermentatione vis purgantium refringitur. Quare pi-
lulæ fœtidæ,niſi ſint fermentatæ, non ſunt in hac doſi exhibendæ. *Hiera Alexandri, componitur ex aloe,* Hiera Ale-
G *agar.polypodio,opopanace,ſagapeno,veratro,colocynthide,ſcammonio:*miſcetque Alexander, accommodata xandri cap.
tum adiuuantia,tum corrigentia.Dubitatur autem de ſcammonio.Nam Alexander monet,dum exhibe- 16.l.1.
tur medicamentum purgans, nihil eſſe miſcendum loco ſtimuli, qualis ſtimulus eſt ſcammonium: nam
purgans,propter ſcammonium, ſeu ſtimulum, redditur inutile: dum enim volumus purgare pituitam,
vel melancholiam,quæ materiæ cum difficultate purgantur; non prodeſt medicamentum purgans cito
ad ventrem deferri,ſed expedit,vt diu moretur in ventriculo,vt efficacius agat,& melius vis purgantis di-
ſtribuatur. Hoc pernoſcens etiam Auicennas, iubet vt poſt hieram non bibatur aqua,vel propinetur ali-

quod dilutum; quo scilicet hiera in stomacho moretur. Qua ergo ratione Alexander, in compositione il- A
lius medicamenti, ad purgandum pituitam, immiscuit scammonium? Responsio. Si fiat fermentatio, po-
test scammonium misceri cum medicamentis: & sic Alexander hic miscuit. Si autem non fiat fermenta-
tio medicamenti, si exhibeatur ad materiam frigidam purgandum; cum Alexandro nil est miscendum,
quod stimuli habeat rationem, neque scammonium, neque aliud. Si autem medicamentum purgans non
fermentatum exhibeatur, ad purgandum materiam calidam vel biliosam, licet miscere aliquid loco sti-
muli: cum enim purgans sit calidum, prodest vt diu non moretur in ventriculo & corpore: dum enim
materia calida est purganda, probabile est, corpus etiam esse calidum; ideoque hoc non est reddendum
calidius, ob moram longam purgantis. Hinc Hippocrates com. 12. lib. 2. de ratione victus. quia vitium erat
febrile & calidum, post purgans ilico exhibet *ptisanam*, vt medicamentum non diu moretur, sed statim B
Vsus. descendat. Quoad vsum, digrediamur tantum circa Quantum, & Quando. Quoad quantum: Rhasis
Caute tanta dosi vtendum. exhibet pilulas fœtidas ad ℥ ij. ß. quæ summa est dosis, potestque imminui, pro actiuitate caussæ. Quo-
ad quando agendum, Auicennas ait, fortiora medicamenta esse exhibenda, solum post quartum, se-
ptimum, vel decimumquartum diem: quia ante quartum diem, magis potest cruditas, ad prohiben-
dum purgans. Nec obstat, quamuis dicat Rhasis, curam esse incipiendam a pilulis fœtidis: nam Rha-
sis comparat materiam non crudam, cum morbifica, sed materiam exsistentem in toto, ad differentiam
materiæ exsistentis in parte; quia dubio procul incoandum est a purgatione totius, sed, vt diximus, post
quartum; propterea quod procedente malo, materia morbifica magis potest ad indicandum, quam cru-
ditas ad prohibendum. Notandum etiam circa quando agendum: Rhasin pilulas exhibere pluribus
diebus: nam dabat singulis tribus diebus, tribus vicibus: deinde ante quartam vicem, quiescebat per ali- C
quot dies: ratio est, quia respiciebat ad vim materiæ indicantis, & virtutis permittentis: quia enim mate-
ria diu est præsens; ob id pluribus vicibus purgans est propinandum: caussa autem virtutis, per interualla,
quia melius fert virtus.

Vacuantia insensibiliter. Medicamenta vacuantia insensibiliter, cum Auicenna, debent esse fortia & pinguia: Fortia hoc est
vehementer calida, & admodum tenuis substantiæ; & ratio est, quoniam nerui & spinalis medulla pro-
fundas sedes obtinent. Debent esse pinguia, vt horum ope medicamenta fortia diutius hæreant, nec eo-
rum vis euanescat; & præterea pinguia hæc medicamenta prohibent generationem scirrhi. Ceterum,
quoniam medicamenta vehementer resoluentia, minuunt substantiam calidi innati; Auicennas cum
calidis in paralysi miscet frigida, quæ calidi insiti dissipationem prohibent: Auicennas igitur cum calidis D
miscet *semen endiuiæ*: & Galenus c. 12. l. 7. κατὰ γένη, miscet *oleum myrtinum*. Notandum autem vt refrige-
rantia, quæ cum calidis miscentur, sint moderata, non autem vehementia, vt est *opium*. Sed dubitatur, quia
Galenus cap. 5. lib. 6. κατὰ γένη, ad paralysin componit medicamentum *ex opio & hyoscyamo*, quæ vehemen-
ter sunt frigida. Responsio. Frigida cum calidis bifariam possunt misceri; nimirum vt agunt vel in cor-
pus, vel in medicamentum calidū: si miscentur frigida medicamenta, vt agant in corpus, non debent ve-
hementer esse frigida, quia neruis aduersantur: si autem misceantur frigida, vt agant in medicamenta, &
quidem in calida, non est inconueniens, frigidiora misceri, vt opium; sed tunc est necessaria fermentatio,
per quam frigida ita infringuntur, vt corrigant & conseruent calida, nec corpus refrigerent, sicut ante
fermentationem, quemadmodum videmus refrigerare theriacam recentem. His ita constitutis, patet,
cur Arabes & Græci vtantur medicamentis calidis, mistis cum emollientibus & refrigerantibus. Vnde
in paralysi probatur medicamentum filii Zachariæ, laudatum a Mesue, quod ℞ *costi* ℨ j. *euphorbii, piperis* E
an. ℨ j. *cum triente, castorii* ℨ ß. *olei de costo* ℔. ß. *fiat decoctio in duplici vase. Et si medicamentum valentius de-*
Cap 18. l. 3. *sideretur, addere licet* ℨ iij. *vini generosi, vt cyprii, & fiat decoctio ad consumtionem vini.* Verum ne diffluat
medicamentum, cum Paullo miscenda est, pro ℨ j. huius medicamenti, ceræ in vino lotæ ℨ j. Mesues et-
iam ad paralysin e densitate, probat *medicamentum confectum e vulpe.* Quare probatur *oleum vulpinum:*
& licet etiam replere ventrem vulpis, æquali portione saluiæ, artemisiæ, origani, baccarum lauri, rutæ, & potissi-
mum radicibus cucumeris agrestis: & coquatur vulpes, vel cum aqua marina, vel cum aqua sulphurea, vel et-
iam cum vino, ad consumtionem vulpis, vt fiat exacta decoctio. Et applicetur decoctio, applicetur item vulpes
loco affecto. Auicennas probat *thermas resoluentes: vt liceat vti & aquis, & lutis, & stufis.* Probatur etiam in
hac paralysi vapor, seu suffumigium *e pyrite, siue molari lapide, cum aceto medicato cum propositis medica-* F
Vsus resoluentium. *mentis.* Quoad vsum. Quantum: In hac paralysi probatur summa dosis medicamentorum; nam mate-
ria morbifica est frigida, crassa, viscida, impacta, ideoque tantæ est actiuitatis, vt non cedat medicamen-
tis, nisi vehementer agant, id est, nisi dentur in dosi summa; ita vt etiam quandoque ratione summæ do-
sis possit febris excitari: nam, secundum Auicennam paralytici a febre iuuantur: vnde Rhasis *confectio-*
nem anacardinam, calidam in tertio gradu, exhibet ad ℨ ij. nostris temporibus aliquot grana dare solemus.
Quomodo. Oportet hæc medicamenta administrare eo modo, vt valide agant: quare Mesues iubet, vt in
sicco balneo fiat frictio partium, *cum costo, cum aniso, dauco, vrtica, cum oleo confecto e sinapi, e scammonio,*
agarico, turbith, & colocynthide. Quando: Auicennas circa rubrificantia admonet, ne tanto tempore deti-
neantur, vt locus exulceretur. Sed hinc quis inferre posset: Si locus non est exulcerandus. Ergo non pro-
bantur vesicatoria, & cauteria: quod tamen est falsum? Responsio. Si rubrificantia applicentur magnæ G
parti corporis, vt toti cruri; non debent detineri, donec exulcerent: nam virtus partis prohibet, dum vi-
delicet, pars, densitate affecta, est satis vasta & magna: tunc ergo tandiu detinenda medicamenta, donec
pars rubicunda euadat; & dum pars rubicunda reddita comprimitur digitis, si rubicunda permaneat et-
iam post compressionem, ilico auferatur medicamentum, quia imminet exulceratio. At si medica-
menta applicantur exiguæ parti corporis, vt ossi sacro: tunc licet exulcerare. Quoad Vbi agendum:
resoluentia sunt exhibenda per os, & applicanda. Quæ exhibentur, respiciunt materiam vbique
sub-

A subsistentem: hæc enim penetrant ad omnes corporis partes. Quæ applicantur, respiciunt materiam subsistentem in determinata parte. Notetur autem vt intus solum iucunda vsurpentur: quia oris & ventriculi virtus non permittit ingrata, quæ tamen interdum extra vsurpari queunt.

Alterantia respiciunt morbos, & neruorum proportionem. Quoad morbos; si est frigiditas, cum Galeno c.4.l.4. loc. aff. probantur calorifica: vt maxime probetur *mora in vino alterato cum calefacientibus medicamentis propositis.* 2. Alterantia.

Medicamenta quæ respiciunt proportionem neruorum, sunt proposita in cap. de tremore. Maxime probatur *acorus conditus saccharo, vel melle: item castorium, cerebrum leporis assum, grana pini magna, id est, matura.* Et hæc sunt alterantia, quæ calefaciendo magis iuuant, ratione neruorum, quam ratione Appropriata neruis.
B aliarum partium.

Quoad diætam, aer sit calidus & siccus ratione materiæ. Cibus autem sit attenuans, minuens, caussa materiæ: at caussa virtutis, cibus sit mediocris: caussa proportionis neruorum, cibus debet confici, e seruantibus proportionem. Quare in paralysi probantur cibi optimi succi, conditi calefacientibus & siccantibus. Vnde recte Rhasis exhibet, *ius ciceris, cum oleo & sinapi.* Et Mesues dat *cappares, conditas aromatibus.* Abstinendum autem *ab aceto*, quod nimia violentia agit in neruos. Quoad victum imminuentem; hic admodum erit minuens: vnde Auicennas exhibet *aquam hordei*, non pro potu, sed pro cibo, *aquam mellis, carnes leues auium.* Ratione virtutis, cibus erit mediocris; vt *perdices, columbi, pulli gallinacei* moderata copia assumti. Quoad cibum, qui seruat neruorum proportionem; Auicennas exhibet *nucleos pineos*, sed C in secunda mensa, ideoque amministrandi sunt pro opsonio in parua quantitate, & non pro condimento. Vnde errant, qui in paralysi admittunt magnam quantitatem pinearum; quia bonum quidem & copiosum succum gignunt, sed crassum, & difficile coquuntur: & proinde si pineæ vere pro cibo exhibeantur, victus non est tenuis, non mediocris, sed plenus, & crassefaciens, qui in paralysi maxime est noxius. Præterea, pro opsonio probatur *acorus conditus saccharo, vel melle: item eryngii radices, similiter condita.* Quoad vsum. Quando cibandum. In paralysi e pituita, materia morbifica primis diebus vincit virtutem; & post quatuordecim dies materia vincitur a virtute: nam primis diebus materia est copiosior, nondum euacuata, virtus robusta, non defatigata a medicamento; contra post quatuordecim dies: propterea ante decimumquartum diem, probatur victus minuens & tenuis; post decimumquartum diem probatur victus conseruans. Quoad potum, Auicennas probat magis *aquam*, in paralysi e pituita: nam vinum defert Potus.
D materias in neruos: & in paralyticis, vtpote frigiditate affectis, vinum facile acescit: acida vero neruis inimica. Rhasis ergo probat *mulsam, non admodum aquosam:* Mesues parat *cum saluia & maiorana.* Verum in morbo longo, & potissimum caussa ventriculi, licet etiam secundum Auicennam *vinum* concedere, sed antiquum, quia hoc non ita facile acescit. Probatur etiam medicatum, cum calidis, propositis in dol. cap. a pituita. Quoad vsum vini: quantum: in parua quantitate vinum est exhibendum; sic enim nec ita facile acescit, nec defert materias in neruos. Quomodo: potus in paralysi non sit actu admodum frigidus: nam frigida nocent neruis, & secundum eorum temperiem, & secundum eorum calidum insitum. Quoad quando: vinum non est exhibendum ante quatuordecim dies, sed post.

Caput XXVI.

De Conuulsione.

E PEr conuulsionem, seu spasmum cum Galeno cap. vlt. lib. de palpit. intelligimus prauum motum, quo membra ita afficiuntur, vt musculi ad propria principia vi contrahantur. Differt ergo spasmus a spasmate: nam spasma est malum, in quo nerui partes citra incisionem, experiuntur vnitatis solutionem, cap. 2. lib. 2. meth. cap. 1. lib. 3. meth. cap. 1. lib. 6. meth. spasmus autem est motus prauus membri. Porro loquimur hic & de notha, & de exquisita conuulsione: quia ambæ genere conueniunt. Generatur autem conuulsio, dum caussa morbifica occurrit neruo, cuius vi, nobis inuitis, musculi ad proprium principium retrahuntur: vt ad musculi retractionem, etiam membrum retrahatur, & motu conuulsiuo afficiatur. Conuulsio igitur est motus prauus retractionis mobilis, dependens a musculis contractis præter naturam a neruis. cap. 1. & 2. lib. 2. de caus. sympt. cap. 8 lib. 1. de motu muscul. Forma est motus prauus retractionis, Nomen. Generatio. Definitio. Forma.
F cap. 1. lib. 2. de caus. sympt. quo conuulsio distinguitur a paralysi, in qua non est motus prauus, sed ablatus. Additur retractionis, ad differentiam tremoris, in quo motus est sursum ad deorsum; at in conuulsione est motus prauus, sed retractionis. Ratione mobilis, hic motus est affectio: ratione agentis, est actio, animalis quidem in legitima cõuulsione, naturalis in spuria. Subiectum est mobile, seu id, quod motu voluntario mouetur, quod a musculo mouetur: & sic distinguitur hic motus prauus retractionis, a motu prauo retractionis in singultu, qui attinet ad ventriculum, qui non est organum motus voluntarii. Subiectum.

Caussa efficiens, sunt musculi præter naturam contracti a neruis: nam conuulsio est motus inuoluntarius, in quo musculi ad suum principium retrahuntur, aph. 39. sect. 6. Nam musculi in spasmo non extenduntur, nõ transferuntur, non tensi manent: sed contrahuntur, c. 8. l. 1. de mot. musc. Additur, præter naturam; ad differentiam contractionis musculorum secundum naturam, c. 6. l. 3. loc. aff. c. 1. l. 2. de symptom. caus. Sed cum musculi retrahantur interdum a neruis, interdum a ligamentis: in spasmo a neruis contra- Caussa efficiens.
G huntur: at si membra a ligamentis contrahantur, manent contracta, non conuelluntur.

Ceterum, nerui functio læditur, vel Læsa facultate, vel ob Errorem externum: Læsa quidem facultate, in spasmo legitimo; ob errorem externum in notho. Caussa affectionis nerui.

Quoad læsionem facultatis; ad hanc respiciens Hippocrates, aphor. 39. sect. 6. ait: conuulsionem fieri vel ex inanitione, vel e repletione: nam in vtraque conuulsione neruus morbo afficitur: quem Auicennas statuit esse morbum in magnitudine imminuta secundum longitudinem neruorum, quia nerui bre- 1. Læsa facultas.

tiores redduntur. Sed imminuta hæc magnitudo ſecundum longitudinem, coniunctam habet magnitudinem ſecundum latitudinem; vel auctam, & tum eſt conuulſio e repletione, vel imminutam, & eſt cõuulſio ex inanitione. A

Conuulſio e repletione. Species.

Quoad conuulſionem e repletione, huius cauſſa eſt materia: cuius ſpecies eſt humor, non vapor, c. vlt. lib. de palp. vapor enim muſculos implet, non neruos, c. 2. l. 2. de cauſ. ſympt. Hic humor eſt ſanguis, pituita, vel melancholia: bilis namque excluditur a ſpaſmo e repletione orto: antequam enim excitet magnitudinem in neruo, expellitur ab expultrice: hinc Galenus c. vlt. l. 12. meth. ait, conuulſionem fieri, vel ex inanitione, vel e repletione, vel a mordaci, id eſt, a bilioſo humore, bilis ergo a materia replente diſtinguitur.

1. Sanguis autem eſt cauſſa ſpaſmi, dum facit inflammationem: vnde Galenus cap. 2. l. 2. de cauſ. ſymp. B
ait, ſpaſmum e repletione fieri ex inflammatione, & idem dicit cap. 1. lib. 1. de mot. muſcul. Porro phlegmone in parte neruoſa, eſt cauſſa ſpaſmi, vel illius partis inflammatæ, vel totius corporis. Si inflammatio ſit cauſſa ſpaſmi partis inflammatæ, tunc eſt conuulſio e repletione, de qua loquimur: ſi autem ſit cauſſa conuulſionis totius corporis, eſt conuulſio, quæ non fit e repletione, ſed ob errorem externum; vnde Galenus comment. 34. lib. 3. prognoſt. ait, conuulſionem fieri ex inflammatione partis neruoſæ, dum pars
2. neruoſa originem, id eſt, cerebrum in conſenſum ducit. A pituita frequentius fit ſpaſmus, quam ab aliis humoribus; nerui enim alimento pituitoſo nutriuntur: at ſi hoc non vincatur, abundat excrementum
Vitium. 3. pituitoſum, quod ſpaſmi cauſſa eſſe poteſt. com. aph. 26. ſect. 2. Melancholia rarius ſpaſmi eſt cauſſa. Quoad vitium materiæ, hoc pertinet ad ſubſtantiam, dum conuulſio fit ab inflammatione, in qua ſanguis putreſcit: ad copiam: nam morbus eſt in magnitudine; ſucci enim copioſi anguſtant corpora neruoſa, ca. vlt. C
lib. de palpit. ad qualitatem, ratione pituitæ & melancholiæ, quæ ſunt materiæ frigidæ, viſcidæ, craſſæ: vnde Galenus aphor. 70. ſect. 5. ait, conuulſionem fieri e lentis humoribus: vitium ſpectat ad quietem, cum ſucci quieſcant præter naturam in neruis, non enim parum impacta eſt materia in neruis, aphor. 70. ſect. 5. & coarctatur hæc materia ſecundum partes neruorum externas, quæ conficiuntur e membranis: hinc, quia materia conuulſionis eſt admodum craſſa, & magis impacta, quam in paralyſi, recte iubet Rhaſis, in ſpaſmo corpus magis eſſe inungendum, & magis fricandum oleo de coſto, quam in paralyſi. Cauſſæ generantes has materias, patent ex alibi dictis.

Conuulſio ex inanitione.

In conuulſione ex inanitione nerui exſiccantur. Neruorum ſiccitas in hac conuulſione, pertinet vel ad Solidam ſubſtantiam nerui, vel ad Roridam humiditatem.

Exſiccatio ſolidæ neruorum ſubſtantiæ.

Si abſumatur ſolida nerui ſubſtantia: conuulſio hæc producitur a cauſſa vehementer & cum impetu ſiccante: vnde Galen. aphor. 1. ſect. 5. ait, ab helleboro albo conuulſionem fieri ex inanitione, dum ſubſtantia nerui violenter & cum impetu ſiccatur. Hectica febre correpti, non conuelluntur: quia hæc corpora ſenſim, citra impetum, exſiccantur. Proinde ſi repentina fiat exſiccatio, idem contingit neruis, quod chordis vehementer ſiccatis, c. 6. l. 3. loc. aff. Cauſſa autem hæc, vehementer, & cum impetu ſiccans, eſt vacuans Senſibiliter, vel Inſenſibiliter. Senſibiliter, vt dum fit conuulſio a veratro vehementer ſoluente. aphor. 1. ſect. 5. cuiuſmodi etiam eſt conuulſio, quæ fieri ſolet per immoderata profluuia muliebria. aph. 56. ſect. 5. Inſenſibiliter euacuans cauſſa, eſt, tum Siccans, tum Simul & ſiccans, & calefaciens. Siccans, vt ſi conuulſio fiat a vigiliis, aph 18. ſect. 7. Siccans cauſſa & calefaciens ſimul, eſt tum Morbus, tum Cauſſa. Morbus, vt phrenitis, vt febris: phrenitidem propoſuit Galenus, c. vlt. l. de palp. c. vlt. l. 12. meth. febrem propoſuit, cap. vlt. l. de palp. aph. 13. ſect. 7. cap. 2. l. 2. de cauſ. ſympt. Oportet autem vt febris ſit vehemens, & cum violentia ſiccans. Præter morbum poteſt etiam eſſe cauſſa, ex aphor. 13. ſect. 7. vt ſi fiat conuulſio ob feruorem ambientis, ob cauteria, ob eſcharas, ſeu cruſtas, quæ vi ignis excitantur. E

Exſiccatio roridæ humiditatis.

Quod ſi in ſpaſmo ex inanitione, minuatur rorida humiditas nerui; hic ſpaſmus ſiccus dicitur ab Auicenna, & producitur a frigiditate, id eſt, ab opiatis, vel opio, congelante roridam humiditatem. De hac conuulſionis ſpecie, nec Altimarus, nec alii quicquam. Accepit autem Auicennas a Galeno, c. vlt. l. 12. meth. vbi ait, conuulſionem fieri ex ingenti frigore, quod efficit quippiam veluti gelu.

II. Error externus.

Quoad conuulſionem, quæ fit ob errorem externum: hanc Auicennas vocat, ſpaſmum non proportionatum ad materiam; ſcilicet in qua; hoc eſt, ad ſubiectum: inter hunc enim ſpaſmum, & ſubiectum non eſt proportio: nam ſpaſmus eſt motus voluntarius: ſubiectum autem eſt mobile neruoſum, quod in conuulſione ſpuria ſubiectum eſt, non facultatis motricis, ſed expultricis; ſpaſmus enim non proportionatus fit a cauſſa, quam nerui refugiunt, & expellunt: pertinet ergo ad facultatem expultricem. Hæc cauſſa, ſecundum Auicen. ſpecie eſt multiplex: poteſt eſſe Subſtantia, poteſt eſſe Qualitas. Subſtantia eſt Vapor, vel Minera. Qualitas eſt Materialis, vel Spiritalis. Materialis, eſt Venefica, vel Non venefica. F

1. Vapor.

Vaporem quidem proponit Gal. c. 2. l. 2. de cauſ. ſympt. vbi vult, conuulſionem fieri a flatu implente muſculos, non neruos: Vapor autem vt plurimum eſt frigidus; ideoque producit conuulſionem ſatis leuem, quam Auic. vocat ſaltum: vulgo dicunt crampe.

2. Humor acris.

Minera eſt humor calidus, mordax, & perinde irritans expultricem: quam cauſſam propoſuit Gal. c. vlt. l. 12. meth. dum inquit, conuulſionem fieri e tenui & erodente humore, afficiente neruos, id eſt, ex humore bilioſo.

3. Frigus.

Qualitas materialis non venefica, eſt frigiditas vehemens, congelans neruum: & hæc frigiditas impertitur neruis a cauſſa Interna, vel Externa. Ad internam cauſſam reſpiciens Galenus ait, comm. 27. lib. 4. de ratione vict. conuulſionem totius corporis fieri, ob copioſum ſanguinem, venas replentem, vt ſpiritus non poſſit penetrare; vnde ſanguis, veluti in corpore mortuo concreſcit, & frigidus euadit, quæ frigiditas neruis impertitur, & conuulſionem efficit. Ad cauſſam externam reſpiciens Galen. c. 5. l. 9. meth. ait; conuulſionem fieri ob frigidæ potionem immodicam, & importunam. G

Cauſſa refrigerans, quomodo ſpaſmum efficiat.

Notandum autem cauſſam refrigerantem tripliciter concurrere poſſe, ad efficiendum ſpaſmum. Primo, vt agens in neruos prohibet excretionem excrementorum: vnde cum excrementa non vacuantur, fit conuulſio e repletione, de qua ſupra diximus: & huc referri debet, quod Galenus ait, com. aphor. 13. ſect. 6. frigus neruorum corpora reddere difficilia ad difflandum, ideoque neruos repleri.

Secun-

A Secundo modo concurrit frigiditas, vt agit in roridam neruorum humiditatem, illam veluti congelando & inspissando: hinc, quoniam imminuitur rorida humiditas, fit conuulsio e siccitate, quam tetigit Galenus c. vlt. l. 12. meth. Tertio modo concurrit frigiditas, quatenus ceu hostis agit in calidum neruorum insitum, vt nerui expultrix ad expellendum insurgat: hinc fit conuulsio e sanguine frigidiore, vel e frigidæ potu, com. 27. l. 4. de vict. c. 8. & l. 9. meth. & hæc est conuulsio, de qua nunc loquimur. Qualitas materialis venefica, produci potest, a caussa Interna, vel Externa. Ab interna, vt a vermibus defunctis: sicut etiam venenum intus genitum, potest esse caussa epilepsiæ, & perinde multo magis spasmi caussa esse potest. Ab externa caussa producitur, vt si conuulsio fiat a morsu scorpii; quam speciem tetigit Galenus com. 1. sect. 5. B aphorismorum, vbi inquit, spasmum fieri propter hellebori albi efficaciam, quæ humiditates ex neruis ad se trahit: hæc ergo vis veratri est venefica. Qualitas spiritalis, est qualitas dolorifica: & hinc oritur conuulsio, quæ fit ab ore ventriculi, c. vlt. l. 12. meth. com. aph. 1. sect. 5. vt est conuulsio quæ fit ab albo veratro; non eo modo, quem iam proposuimus, sed dum vi hellebori excitatur vomitus, in quo os ventriculi veluti laceratur. Similis etiam conuulsio fieri potest, dum os ventriculi mordetur a materia mordaci; vt contingit illi adolescenti, qui æruginem euomuit. Quamobrem colligendum e com. aphor. 1. sect. 5. veratrum multifariam cõcurrere ad efficiendum spasmum. Primum enim caussa est legitimi spasmi, ex inanitione, dum neruos euacuat. Deinde etiam est caussa conuulsionis ex inanitione, dum vi sua in distributione vehementer neruos siccat. Tertio est caussa conuulsionis citra inanitionem, per qualitatem veneficam, dum trahit tanta cum violentia, vt afficiat neruos, vt hi ad expellendum insurgant. Tandem veratrum concurrit ad C spasmum efficiendum, per qualitatem dolorificam; dum videlicet agit in neruos, per medium os ventriculi superius.

4. Venenũ.

5. Dolor.

Ex helleboro spasmus.

Conuulsionis differentiæ non sumuntur a forma, nisi secundum Magis & Minus, vt motus est magis vel minus prauus. Ratione subiecti, mobile est Totum, vel Pars, com. 27. l. 4. de vict. comm. 34. l. 3. prognost. Ceterum, pro partium varietate, conuulsio variis nominibus donatur. Verbi gratia, cum Galeno c. 2. l. 2. de symp. caus. si conuellantur musculi mandibulares, vocatur τρισμὸς, id est, inuita dentium concussio seu stridor: Si conuellantur oculorum musculi, dicitur Strabismus: si musculi oris dicitur spasmus cynicus: & cum Galeno cap. vlt. lib. de palp. si spinales musculi, mouentes caput, omnes conuellantur, conuulsio dicitur tetanus: si conuellantur musculi, mouentes caput ad anteriora, vocatur emprosthotonus: si mouentes ad posteriora, opisthotonus. Quoad caussam efficientem: nerui functio læditur, vel Læsa fa- D cultate, vel ob Errorem externum. Si læsa facultate, est spasmus legitimus: & hic vel e Repletione, vel ex Inanitione. Si e repletione; huius caussa est Sanguis, Pituita, vel Melancholia. Si ex inanitione; imminuitur vel Nerui solida substantia, vel Humiditas rorida. Si conuulsio fiat ob errorem externum: error externus est Substantia, vel Qualitas. Substantia, est Vapor, vel Minera; sed hæc minera est acris. Qualitas, est Materialis, vel Spiritalis.

Differentiæ.

A subiecto.

A caussa efficiente.

Sed oritur dubium: nam Hippocrates vbique tantum proponit conuulsionis duas species, vnam e repletione, alteram ex inanitione. Et Galenus ca. 3. l. 8. κ. τόπ. ait, se in conuulsione non inuenisse tres species, at in singultu se vidisse tres species. Contra, cap. vlt. l. 12. meth. scribit aperte, dari spasmum, qui nec ex inanitione, nec e repletione oriatur. Responsio. Galenus lib. 8. κ. τόπ. respicit ad legitimum spasmum, & singultum: at lib. 12. meth. & alibi, respicit ad spasmum etiam nothum, qui fieri potest citra repletionem & E inanitionem: & tunc neruus non concurrit, vt organum facultatis animalis, sed vt organum facultatis expultricis, in spasmo autem exquisito, qui fit ex inanitione & repletione, neruus concurrit vt organum facultatis animalis. Verum alia in singultu est ratio: siue enim fiat ex inanitione, siue repletione, siue citra has caussas; semper ventriculus concurrit vt organum facultatis naturalis: & propterea omnes tres singultus species, sunt exquisitæ: quia singultus exquisitus requirit subiectum, quod sit organum facultatis naturalis, non autem animalis, quemadmodum in spasmo ex inanitione & repletione.

Num duæ tantum species spasmi, ex inanitione, & repletione.

Spasmus in genere patet: sicut etiam differentiæ a forma, & subiecto. Quoad caussam efficientem, si fiat conuulsio læsa facultate, cognoscitur, quia motus prauus est euidentior. Si fiat ob errorem externum, erit minus euidens: præterea cognoscitur e caussis prægressis, de quibus suo loco. An autem spasmus fiat F ex inanitione, vel repletione; facile cognoscitur, e cap. 6. l. 3. l. aff. si enim conuulsio fiat a labore, vigiliis, fame, febre ardente, phrenitide; iudicandum, quod fiat ex inanitione. Si contra, homo sit plenus, otiosus, suppressa sit aliqua euacuatio, & subsequatur conuulsio; iudicandum, quod fiat e repletione: præterea cum Gal. aph. 26. sect. 2. si conuulsio ilico fiat, iudicandum fieri e repletione: addit Auicennas, si pars conuulsa, velociter absumat humidum, quod ipsi applicatur, esse conuulsionem ex inanitione, si contra, e repletione: nisi caussa spasmi e repletione, sit phlegmone; huius enim vi humidum quod applicatur, facile exsiccatur. Quibus autem signis cognoscantur caussæ conuulsionis e repletione; patet ex alibi dictis. In spasmo ex inanitione, cognoscere oportet, num inanitio pertineat ad solidam nerui substantiam, an ad roridam humiditatem. Si ergo, verbi gratia, præcessit vehemens frigus; iudicandum, inanitionem attinere ad humiditatem roridam: si prægressa sit caussa vacuans, vel sensibiliter, vel insensibiliter; iudicandum inanitionem ad solidam neruorum substantiam spectare. At, si conuulsio fiat ab errore externo; an sit vapor, an materia acris, an qualitas vel frigida, vel venefica, vel dolorifica; patet e traditis in dol. cap. & potiss. G in sermone de epilepsia.

Signa.

Suppositis præsidiis, quæ respiciunt neruorum proportionem, cum Galeno c. vlt. l. 12. meth. sumendæ sunt indicationes a Forma, & a Caussa efficiente. A forma, vt est retractio præter naturam, & perinde doloris caussa: hæc indicat remedium, extendens membrum conuulsum. Quoad caussam efficientem, hæc est morbus, vel error externus. Si fuerit morbus, siquidem fuerit conuulsio e repletione, cuius caussa sit inflammatio; quid indicet inflammatio, patet. Si morbus sit magnitudo, producta a melancholia, vel

Indicationes.

pituita,quid indicent hæ materiæ ſecundum ſpeciem,ſecundum vitium,ſecundum cauſſam generantem, etiam patet.Si conuulſio fiat ex inanitione;ſi abſumatur humiditas ſolidæ ſubſtantiæ,oritur indicatio humectandi. Si vitium pertineat ad roridam humiditatem, oritur indicatio calefaciendi, quia fit a frigore. Quoad errorem externum,ſiue ſit vapor,ſiue minera,ſiue qualitas materialis,aut ſpiritalis;quid indicent, docuimus in ſermone de epilepſia.

Prognoſtica.
Ꝑ. a forma.

Conuulſio interdum eſt vtilis,interdum periculoſa,quandoque mortalis.Quoad differentias a forma;prout motus eſt magis deprauatus,prout retractio eſt intenſior,quo diutius durat;eo periculoſior eſt conuulſio:quia eſt vehementia eſſentiæ. Quoad vehementiam dignitatis, vt plures afficiuntur partes,& quo viciniores ſunt cerebro;eo conuulſio periculoſior: vnde tetanus periculoſior eſt emproſthotono, & opiſthotono,quia plures muſculi in tetano occupantur: vnde Gal.com.aph.6.ſect.5.ait,qui tetano capiuntur,quatuor diebus mori poſſe:nam malum eſt geminatum,dum plures occupãtur partes:quod ſi homo perduret vltra quartum,& non moriatur,ſignum eſt,vehementiam eſſentiæ eſſe minorem. Quod ſi in tetano addatur vehementia facultatis, malum prorſus eſt lethale. Vehementiam autem facultatis indicat locus affectus,verbi gratia,ſi cõuulſio afficiat muſculos,pinnas narium mouentes: ſignificatur vehementia facultatis, quia adeſt inſignis imbecillitas, ſi enim per nares feratur multus ſpiritus, vt fiat conuulſio, mors eſt propinqua,com.60.l.2.de ratione vict.nam conuulſio vehemens ratione eſſentiæ, eſt coniuncta

Ꝑ. a cauſſis in genere.

cum vehementia facultatis,cum virium imbecillitate.Quoad vehementiam ratione cauſſæ efficientis;in genere,quælibet cauſſa,vt vehementior eſt ſecundum eſſentiam,dignitatem,& facultatem; ita etiam ſtatuendum eſt magis periculoſam eſſe conuulſionem. Vnde Paulus ait,ſi labia,palpebræ,aut lingua contrahantur:conuulſionem eſſe admodum periculoſam:nam hæc indicant vehementiam ratione eſſentiæ, vt materia morbifica ſecundum eſſentiam ſit adeo potens,vt poſſit has partes,cerebro proximas,afficere:indicant etiam vehemẽtiam dignitatis,quatenus ſignificant cauſſæ originem eſſe in cerebro,vel in ore ventriculi.

Spaſmus a repletione.

At ſi ſeorſim perpendatur vehementia cauſſarum ſpaſmi: primum, ſi conuulſio fiat e repletione; curari poteſt,c.vlt.l.12.meth.ſiue fiat hæc cõuulſio citra inflammationem,ſiue cum inflammatione. Nam ſi fiat citra inflammationem,e pituita,vel melancholia: hæ materiæ vinci poſſunt: quandoque enim a febre ſuperantur:vnde febris ſuperueniens conuulſioni eſt ſalutaris,aph.26.ſect.2.& aph.57.ſect.4.vt febris habeat rationem ſigni,indicantis vehementiam non ad ſummum inſignem. Sed & ætas ſignum eſſe poteſt materiæ morbificæ magis vel minus impactæ:vnde Galenus ait,com.34.l.3.progn.pueros facile a ſpaſmo liberari.Si conuulſio fiat ex inflammatione,vinci poteſt,e c.vlt.l.de palp.niſi ſit inflammatio, quæ ſequatur vulnus lethale: tunc enim quælibet vehementia adeſt.

Spaſmus ab inanitione.

Quoad conuulſionem ex inanitione,ſi fiat quoniam abſumitur ſolida nerui ſubſtantia; cum Galen. c.vlt.l. de palp.eſt mortalis:nam abſumitur ſubſtantia calidi innati, quæ ſeminalis eſt,vt breui tempore nequaquam poſſit reparari: hinc Galenus ait, c. vlt.l.12.meth.ſi conuulſio fiat e ſiccitate,eſſe inſanabilem:dum ſcilicet ſiccitas eſt perfecta,id eſt,dum ſolida ſubſtantia ſiccatur,non ſecundum carnem,adipem,vel humiditatem roridam, ſed ſecundum ſubſtantiam fibroſam,& membranoſam,c.5.l.7.meth. vt antequam fiat conſumtio humiditatis fibroſæ & membranoſæ,homo moriatur. Quod ſi non ad ſummum perducatur ſiccitas: deſperandum non eſt prorſus,c. vlt.l.12.meth.niſi ſuccedat hæc conuulſio vel febri,vel phrenitidi; quia tunc ſumma eſt vehementia ſiccitatis,difficilime curari,& vt plurimum incurabilem eſſe:quemadmodum teſtatur Galenus aphor.26.ſect. 2.& aphor.57.ſect.4.& aphor.70.ſect.5.& aphor.13. & 18.ſect.7. Si autem conuulſio fiat ex imminutione roridæ humiditatis;curabilis eſt:propterea quod humiditas congelata vincitur a caliditate. Et propterea Galen.c.vlt.l.12.meth. hunc ſpaſmum curari poſſe ait.

Spaſmus ob errorem externum.

Si conuulſio fiat ob errorem externum: ſi quidem ſit ſubſtantia,& primum ſi ſit vapor:hæc conuulſio,ſecundum Auicennam,curatur cito,hora vna:ſi ſcilicet flatus prodeat a pituita;at ſi vapor prodeat a materia venefica, conuulſio poteſt eſſe admodum periculoſa.Si error ſit materia mordax;conuulſio eſt curabilis,cap.vlt.l.12.meth. nam poteſt vacuari illa materia, qua vacuata ceſſat conuulſio.Si error ſit qualitas,& quidem materialis,non venefica,vt frigiditas;conuulſio eſt curabilis;& quandoque etiam ſalutaris,com.27.l.4.de vict.nam in hac agitatur corpus,& per agitationem incaleſcit,vt ſanguinis vitium,id eſt,frigiditas tollatur.Si qualitas ſit venefica; eſt conuulſio periculoſa,quia ſumma eſt eſſentiæ vehementia,vt colligitur,e com.1.ſect.5.aphoriſmorum. Si qualitas ſit dolorifica:pro varia vehementia cauſſæ dolorificæ,varie prognoſticandum. Verbi gratia,ſi fiat conuulſio ab ore ventriculi,vt afficitur a bile,cum Galeno c.vlt.l.12.meth.& aphor.1.ſect.5.bile vacuata,ceſſat conuulſio. At conuulſio notha, quæ interdum degenerat in exquiſitam, vt eſt conuulſio,quæ fit ab helleboro, moleſtante os ventriculi,hæc eſt periculoſa;ſed euadit lethalis, vbi præter cauſſam dolorificam ſubſequitur vacuatio inſignis.Si fiat conuulſio e cauſſa dolorifica partis inflammatæ propter vulnus: cum Galeno aphor.2.ſect.5.hæc conuulſio,quamuis ſpuria,vt fit a dolore,eſt ferme lethalis. Vnde pro varia affectione partis primario affectæ,vario modo eſt prognoſticandum.

Curatio.
Venæſectio.

Si ſanguis in ſpaſmo peccet;vena ſecanda,com.28.l.4.de vict. Quare vena eſt ſecanda,ſi ſanguis habeat rationem cauſſæ principalis,vt in conuulſione ex inflammatione;Item in conuulſione, quæ fit a copioſo,ac veluti congelato ſanguine:Eſt etiam ſecanda vena, dum ſanguis habet rationem cauſſæ ſine qua non,vt in conuulſione e pituita,quæ tamen conuulſio occupat corpus ſanguine repletum. Vena ergo nõ eſt ſecanda in ſpaſmo ex inanitione: nam ſanguis potius deficit. Notandum autem circa quid agendum ſpecificum in ſanguinis euacuatione: ſi ſanguis peccet ad ℔.j. tantũ detrahendas eſſe ℥ viij. propter dolorem enim & motum virtus diſſoluitur. Vs vs. *Quantum*.Cauſſa virtutis,vacuandus eſt ſanguis per plures vices. *Quando*.Statim vena eſt ſecanda:nam adeſt indicans,& virtus in principio non prohibet; quemadmodum procedente conuulſione prohibere poſſet: hinc Galenus com.28.l.4.de vict.venam tunditante

fomenta,

A fomenta, quamuis auctor ille primo vtatur fomentis; Galenus tamen auctorem nõ sequitur, sed methodum: nouit enim sanguinem in spasmo magis posse copia, quam frigiditate; quare primum secat venam, deinde vtitur calidis fomentis. Antequam autem secunda vice secet venam, vtitur fomentis; nam tunc sanguis minus potest copia; quam frigiditate; cum prima vice sanguis fuerit imminutus. Cucurbitulę scarificatæ probantur Aetio & Auicennæ, quia vacuant: non scarificatæ non probantur, quia attrahunt, & non vacuant. Quoad *Vbi*: si sanguis in toto exsuperet; cucurbitulæ applicandæ sunt dorso & cruribus: si redundet sanguis in parte determinata; vt varia est pars, ita variis locis cucurbitulæ sunt applicandæ. Ægineta, si crura erant contracta, applicabat postremis vertebris: si manus erant conuulsę, applicabat septimę vertebræ: si conuulsio attinebat ad labia, vel palpebras, applicabat cucurbitulas occipiti, & primis duabus

B vertebris: si aderat tetanus, applicabat ceruici secundum vtramque partem, & pectori qua cornosius est, & præcordiis, & regioni renum. Omitto in præsentia circa cheirurgiam, nerui incisionem, quam probat Galenus capit. prim. libr. prim. de motu muscul. nam hæc doctrina spectat ad sermonem de vulneribus.

Cucurbitulæ.

Paullus cap. 19. & 20. l. 3.

Actuar. c 1. l. 3 de meth. med.

Pharmaceia.

Quoad medicamenta, multa supponentes: si conuulsio fiat ex inanitione propriæ humiditatis; Rhasis, Paullus, Auicennas probant *aquam dulcem, oleum commune, lac, vt ex his fiat balneum.* Et si conuulsio fiat a caussa simul siccante, & calfaciente; Auicen. miscet propositis, *oleum ros. complet. aquam ros.* vt alimentum detineatur, ratione leuis astrictionis, & vt fiat aliqua refrigeratio: & si caussa sit vehementer calefaciens; Auicennas ascendit etiam *ad hordeum fractum sine cortice, nam cortex siccat: addit violas, nymphæam, cucurbitas, melones, lactucam, & ex his parat balneum.* Vsvs. *Quomodo.* Balneum debet esse actu vel

C temperatum, vel tepidum; nam calidum siccaret. *Vbi.* Medicamenta modo toti, modo parti applicanda; prout siccitas vel est in toto, vel in parte. Si autem cõuulsio fiat ex inanitione roridæ humiditatis; probantur calefacientia: vt est balneum e vino, vel ex aqua alterata cum calidis, de quibus alias. Si conuulsio fiat e repletione; & primum si fiat ab inflammatione, curatur medicamentis, quibus occurrere licet inflammationi, de quibus suo loco. Si spasmus fiat citra inflammationem; occurrendum medicamentis, quæ in paralysi sunt præscripta, de quibus supra. Sed iuniores notent, primum circa vacuantia per meatus sensibiles; Auicennam probare vehementia, non mediocria & caussa vacuationis totius, & caussa capitis: de quibus dictum in dol. cap. a pituita, & a melancholia. Quoad vacuantia per insensibiles meatus, Rhasis probat valentiora, quam in paralysi, id est, magis calefacientia, & tenuis substantiæ, de quibus etiam diximus.

A repletione.

D Secundum Aetium probatur *seseli, id est siler montanum, cum aceto mulso, aut posca:* non enim est pręter rationem, miscere acetum pro vehiculo, quamuis eo pro medicamento principali non debeamus vti. Quantum ad ea medicamenta, quæ applicantur: notandum, Auicennam mirifice commendare, si applicemus *renem tritum cum sua pinguedine, & ideo probatur ren arietis, castratorum, capræ, agni, hœdi, vel etiam vituli, bouis, & potissimum tauri:* ren autem est detinendus donec exsiccetur, vel etiam fœteat, & mox alius ren admouendus. Addit Auicennas, membra conuulsa inuoluenda esse *lana, quæ madida humidaque oleo est seruanda.* Præterea Auicennas probat *aquam alteratam copioso anetho, in qua decoquatur canis, aut vulpes, vsque ad dissolutionem:* & hoc decocto æger semel aut bis est profundendus. Hippocrates aphorismo 25. sectio. 5. in hoc spasmo probat *frigidam*, si copiose effundatur; calefacit enim per accidens, quatenus huius vi calor concentratur & vnitur. At secundum Auicennam, frigida non vtendum, nisi virtus sit ro-

E busta, secundum totum corpus, & secundum partem; vnde patiens erit iuuenis, carnosus, expers vlceris; præterea frigida locum habet, si assit ambiens, vi cuius calor insitus extra immodice moueatur; tunc enim ope frigidæ ab hoc motu liberatur, ideoque hæc materia in aere calido, non in frigido administranda; calidum enim innatum non potest ferre concentrationem & aeris, & frigiditatis aquæ. Addit Auicennas puerulis calidiora non esse admouenda: vt liceat hoc medicamento vti pro pueris: ℞. *rad. lilii* ℥ *j.* ß. *anisorum* ℥ ß. *croci* ℈ ß. *mellis quantum sufficit. Misce.* Iubet etiam Auicennas assiduo puerorum membra esse deponenda *in aquam alteratam chamæmelo, fœnograco, meliloto. Et ex his olea etiam pro pueris possunt parari.* Rhasis iubet corpora conuulsa esse inungenda *oleo de costo*; & valentius ac diutius fricanda, quam in paralysi; nam materia magis est impacta. Si conuulsio fiat ob errorem externum; pro vario errore, varia medicamenta administranda, verbi gratia, si error sit flatus, probantur discutientia flatus, de quibus in dol.

F cap. a flatu, & sic de reliquis.

Ab errore externo.

Quoad diætam: notandum in spasmo ex inanitione cum Rhasi & Gręcis probari sorbitionem *ex alica, & farre, & hordeo, e lacte amygdalino, & potissimum ex aqua carnis destillata, vel agni, vel hœdi.* Et, si siccitas foueatur a caliditate, addatis *lactucam, semina melonum, cucurbitas.* Si non assit caliditas, potestis miscere cum aqua carnis *vinum medicatum.* Lactuca enim reddit aquam carnis refrigerantem: vinum, eam reddit calefacientem & citius alentem: vnde patet, aquam carnis destillatam, si sola exhibeatur, esse cibum nec calefacientem, nec refrigerantem. Quoad potum: Si conuulsio sit e cõgelata rorida humiditate; probatur *vinum.* Si conuulsio sit e repletione; Paullus probat victum tenuem, extenuantem. Vnde Auicennæ probatur *panis cum melle, & aqua ciceris.* Et, si virtus sit debilis, secundum Auicennam est exhibenda *caro auicularum.* Vnde obiter colligendum, carnem magis nutrire, quam nutriat panis. Potus cum Paullo sit *mulsa*; & cum Auicenna concedi etiam potest *vinum antiquum* in parua copia; at post totius & capi-

G tis euacuationem.

Diæta.

Capvt XXVII.

De Spasmo cynico.

Svccedit vitium, quod componitur e paralysi & conuulsione: facileque cognitis simplicibus cognosci poterit. Vocatur autem spasmus cynicus, tortura oris, conuulsio canina, risus Sardonius. Per spasmum autem cynicum intelligimus vitiũ, in quo facies figuram naturalem nõ seruat. Generatur hoc malũ dum

Nomen.

Generatio. Definitio. Forma. Subiectum.

capiti occurrit cauſſa, vi cuius muſculi faciei ita læduntur ſecundum motum, vt figura faciei vitioſa redda- A
tur. Spaſmus ergo cynicus eſt figura præter naturam faciei, depēdens a motu præter naturam ſuorum mu-
ſculorum. Forma, eſt figura præter naturam, nam figura deformis euadit. Subiectum, eſt facies, id eſt, ca-
pitis pars anterior, a capillis ad mentum: vnde intelligimus non tantum os, ſed etiam maxillas, genas, o-
culos, frontem. Porro vitioſa figura attinet modo ad dextram partem, modo ad ſiniſtram: & modo ad o-
mnes partes, modo ad aliquas; vnde os interdum eſt immune; vocatur tamen tortura oris, quia vt plurimū
oris figura vitiatur, & quia os præcipua eſt pars faciei.

Cauſſa efficiens.

Dependet autem oris tortura, a motu præter naturam muſculorum faciei. Ideoq; ſtatuendum hoc
vitium formaliter acceptum, eſſe ſymptoma: pendet enim a motu præter naturam, ab actione læſa: hic B
quippe tortuoſa oris figura eſt ſymptoma, nimirum qualitas mutata, quæ, vt opus, ſequitur actionem læ-
ſam, id eſt, motum præter naturam muſculorum faciei. At figura vitioſa, ſi conſideretur vt morbus, non
pendet a læſa functione, ſed potius eſt cauſſa læſæ functionis. Dum igitur Auicennas inquit, torturam o-
ris eſſe morbum inſtrumentalem faciei, reſpexit ad cauſſam effectricem principalem, qui eſt morbus in
mala compoſitione; ſicut in paralyſi & ſpaſmo. Quia autem nos tradimus definitionem per cauſſam for-
malem; neceſſario dicimus, torturam oris eſſe figuram vitioſam faciei, dependentem a motu prętēr natu-
ram muſculorum. Ceterum hoc loco per motum præter naturam, intelligimus motum ablatum, ſi viti-
um fiat a paralyſi; motum autem corruptum, ſi a cōuulſione. Per muſculos faciei, intelligimus muſculos,
qui mouent maxillas inferiores, alas naſi, labia, & buccas, cap. 13. lib. 9. de vſu part. Quamuis autem ho-
rum muſculorum maior pars neruos ſuſcipiat a tertio pari cerebri: nihilominus propoſiti muſculi priua- C
tim ita ſe habent, vt muſculi oculorum neruos ſumant a ſecundo pari cerebri: muſculi maxillarum, ala-
rum naſi, & labiorum, a tertio pari cerebri: muſculoſa autem latitudo, a qua buccæ mouentur, maxima
e parte ſuſcipit neruos, a ſecundo pari ſpinæ, nonnullos etiam a tertio pari ſpinæ, & ſecundum regionem
altiſſimam a quinto pari cerebri, c. 7. lib. 9. de vſu p. c. 2. lib. 4. de loc. aff. & in lib. de neruorum diſſectione.

Motus præter naturā. Muſculi faciei.

Cauſſa motus præter naturam.

Motus autem horum muſculorum præter naturam, fit propter cauſſas vel paralyſis, vel conuulſio-
nis: de quibus dictum. At notandum, e capite 2. lib. 4. l. aff. & cap. 7. lib. de cauſſ. morb. ſi oris tortura fiat e
paralyſi, muſculos læſos eſſe in parte non contracta: verbi gratia, ſi ſint reſoluti dextræ partis muſculi, tunc
non operātur; operantur autem muſculi ſiniſtræ partis, dum ſcilicet ad ſuam originem retrahuntur; dum
autem contracti ſunt, non diſtenduntur amplius, quoniam a ſeipſis diſtendi non poſſunt, nec diſtendi
poſſunt a muſculis dextræ partis, quia hi ſunt reſoluti: & ob id muſculi partis non læſæ retracti perma- D
nent; ſecumque partis læſæ muſculos contrahunt, & contractos ſeruant. Contra, ſi fiat oris tortura e
conuulſione, muſculi læſi ſunt in parte contracta: verbi gratia, ſi dextræ partis muſculi conuellantur, mu-
ſculos ſiniſtræ partis non læſos ad ſe trahunt. Secundo notandum e capite ſecundo libri quarti de loc. aff.
in hoc malo muſculos non fungi ſuo munere, quoniam noxa eſt vel In muſculis, vel Extra muſculos: ſi ex-
tra muſculos, vel in Neruis, vel in eorum Principiis: ſi in neruorum principiis, vel in Spinali medulla ſe-
cundum primas ceruicis vertebras, vel in Cerebro, ſed ſecundum dimidium cerebri.

Differentię.

A forma non ſumuntur differentiæ, niſi ſecundum Magis & Minus: prout figura eſt magis vel mi-
nus deformis. Quoad ſubiectum: figura vitioſa pertinet, vel ad Dextram faciei partem, vel ad Siniſtram.
Quoad cauſſam efficientem, ſumuntur differentię & a cauſſa efficiente, & a ſede cauſſę efficientis. A cauſ-
ſa efficiente; vt eſt vel Paralyſis, vel Conuulſio. A ſede, vt eſt vel Muſculus, vel Neruus: & ſi neruus, vel ſe- E
cundum Progreſſum, vel ſecundum Principium: & ſi ſecundum principium, vel ſecundum Spinam, vel
ſecundum Cerebrum.

Signa.

Tortura oris imminens, ſecundum Auicennam cognoſcitur e faciei dolore, e ſtupore, e palpita-
tione. Præſens in genere non eget ſignis. Quoad differentias, quæ ſumuntur a forma & ſubiecto; ſunt
manifeſtæ. Quoad cauſſam efficientem, oportet cognoſcere Cauſſam, & Sedem Cauſſæ. Quantum ad
cauſſam: ſi fiat e paralyſi; cognoſcitur, quia pars contorta rectificatur per retractionem: Si cauſſa ſit con-
uulſio, rectificatur per extenſionem: vt in paralyſi pars læſa non ſit contracta, in ſpaſmo ſit contracta.
Addit Auicennas torturam e paralyſi, indicari e faciei motu imbecillo, e ſenſu obtuſo, & ex eo, quod ho-
mo non ſentit extenſionem: & præterea cognoſcitur, quia palpebra inferior delabitur. Si fiat e conuul-
ſione; cum Auicenna vt plurimum adeſt dolor, ſenſus non eſt obtuſus, durities adeſt in muſculis, cutis F
tenditur, & cutis magis elongatur a parte colli, & maiori cum difficultate fit reditus ad naturalem ſtatum.
Quoad ſedem cauſſæ: ſi ſedes ſit muſculus, figura vitioſa occupat ſolum partem faciei. Si autem ſedes ſit
extra muſculum, ſi ſedes ſit neruus, & quidem ſecundum progreſſum, noxa erit ſolum in facie: ſi ſecun-
dum principium, etiam noxa erit vltra faciem; verbi gratia ſi cerebrum ſit affectum ſecundum dimidium,
noxa erit ſecundum dimidium faciei, & dimidium totius corporis. Si ſedes ſit ſpinalis medulla, læſio erit
ſecundum buccas, & partes infra ſpinam. Ceterum, ſi noxa ſit ſecundum progreſſum neruorum, ſi attine-
at ad ſecundum par neruorum cerebri, indicatur a vitioſa figura oculi; ſi pertineat ad tertium par neruo-
rum cerebri, indicatur e figura vitioſa, occupante dimidium faciei ſecundum omnes partes: ſi attineat ad
quinctum par, cognoſcitur e leui noxa buccarum; ſi ſpectet ad ſecundum & tertium par ſpinæ, & quidem G
ceruicis, cognoſcitur ex inſigni noxa buccarum.

Indicationes propoſitæ ſunt in paralyſi & conuulſione.

Prognoſtica.

Malum hoc non eſt negligendum: nam minatur paralyſin etiam extra faciem, minatur epilepſiam,
apoplexiam, quia cauſſa morbifica lædit partes cerebro vicinas. Quoad differentias: Figura magis defor-
mis, eſt periculoſior: quia maior receſſus a naturali ſtatu. Ratione dignitatis; vt occupat plures partes, ita
magis periculoſa. Ratione cauſſæ efficientis; cum fiat a paralyſi, vel ſpaſmo: hæc ſuperius ſunt propoſita:
Auicennas addit: ſi oris tortura vltra 6. menſes producatur, vix curari: nam mali cauſſa eſt admodum ve-
hemens

A hemens secundum essentiam:perdurante enim oris tortura,materia euadit magis viscida,crassa,impacta, & proinde maxime recedens a naturali statu.

Auicennas,Paullus,Aetius,probant ligaturam,qua facies reducatur ad formam naturalem.Hoc autem intelligendum est de malo,si fiat e paralysi,non autem si e spasmo: nam in paralysi pars est relaxata,in spasmo contracta. Iidem venam secant,dum assunt sanguinis notæ:& quidem sub lingua. Cucurbitulas etiam scarificatas primis vertebris applicant. Hoc præceptum locum habet,si oris tortura fiat a paralysi, aut a spasmo e repletione.Supponunt autem hi auctores,si sanguis in toto redundet,primū cubiti venam esse aperiendam. Cheirurgia.

B Quoad medicamenta:probantur vehementia,purgantia totum,si opus sit,totumque sit repletum: ratio est, quia hoc malum cito,quantum fieri potest,expugnandū;si enim diu perdurat,nōn curatur. Notandum autem cum Auicenna non esse festinanter gargarismis vtendum ; nam attrahunt ad partes affectas:vt his vti liceat post sternutatoria. Quoad digerentia,Auicennas probat, *carnem elixam animalium syluestrium,verbi gratia leporis,vulpis,lupi,cerui,apri.* has Auicennas applicat parti affectæ, & sedi mali, & vertebris colli. Rhasis probat *nucem moschatam* in ore detentam, caussa resolutionis materiæ. Auicennas probat *masticatorium ex acoro,pyrethro, nuce moschata:* monetque vt detineatur in parte affecta. Rhasis quotidie ante cibum vtebatur hoc gargarismo: ℞. *sinapi* ℥ *iij mulsæ* ℔ *j. ß. fiat decoctio ad consumtionem tertiæ: deinde adde syr. acetosi, vel oxym. simp.* ℥ *ij. Misc. pro gargarismo.* Auicennas & Rhasis aerem probant obscurum. Cibus conuenit,vt in paralysi,& spasmo. Pro potu. Auicennas probat *aquam mellis.* Quoad motum,iubet Auicennas vt patiens non moueatur, vsque ad quartum, vel septimum: dum exercitio vti C potest:nam ante corpus est euacuandum:dum autem corpus repletum est, per motum ad caput fluit materia. Tandem probatur,vt patiens intueatur specula e chalybe, semperque studeat faciem ad naturalem statum perducere. Pharmacea.

CAPVT XXIIX.

De Catarrho.

HActenus de vitiis attinentibus ad cerebrum, quatenus est organum functionum animalium: iam dicendum de vitiis attinentibus ad cerebrum, vt est instrumentum functionis naturalis: propterea dicendum est de catarrho,multorum vitiorum fonte. Per catarrhum autem seu fluxionem, vel destillationem,intelligimus in genere omnem fluxum materiæ excremētitiæ a cerebro,extra cerebrum, ad quamcunque partem fluat, siue detineatur, siue egrediatur. Non enim hic sumimus catarrhum, quemadmodum sumit Galenus cap. 4.lib.3.de sym.causs. pro catarrhi specie,in qua materia fluit in os:sed loquimur de catarrho in genere. Catarrhus ita acceptus generatur;cum cerebro præter naturam occurrit aliquid, vi cuius frustratur facultas naturalis cerebri,vt cerebri excrementum crassum morbificum euadat, & ita e cerebro egrediatur,vt corpus lædat. Catarrhus ergo est excrementum crassum,affligens corpus,procedēs a frustratione alteratricis cerebri. Colligitur hæc definitio e cap.2.lib.de organ.odor.cap.9.lib.6.de tuend. sanit.cap.4.lib.3.de sympt.causs.& ex Hippoc.lib.de glandibus. Transitio. Nomen. D Generatio. Definitio.

Forma est excrementum crassum,affligens. Paullus ait, catarrhum esse descensum præter naturam humoris excrementitii e capite in subiectas partes. Auicennas etiam statuit,catarrhum esse cursum materiæ a cerebro. His nos non aduersamur:etenim hi respexerunt ad explicationem vocis,ad definitionem notionalem,non ad essentialem:catarrhi enim vox significat fluxum.Porro a definitione notionali facile possumus essentialem colligere, secundum doctrinam pathologicam,quam tradidit Galenus cap.vlt.lib. de differ. sympt. capit. 4. lib. 3. de causs. sympt. Cum enim vox catarrhi, significet fluxum præter naturam materiæ a capite: catarrhus necessario est quid præter naturam. Genus ergo catarrhi, vel est Caussa, vel Morbus, vel Symptoma. Si symptoma: vel actio læsa, vel qualitas mutata, vel excrementum mutatum. Cum igitur in catarrho fluat materia præter naturam: patet catarrhi genus in definitione essentiali, esse excrementum mutatum. Recte igitur in finitione diximus, catarrhum esse excrementum crassum, affligens. Diximus excrementum, ad differentiam alimēnti. Diximus crassum: nam in qualibet coctione duo excrementa segregantur ab alimento : nempe tenue, & crassum : in cerebro, tenue excrementum est vapor, qui in sublime elatus per caluariæ suturas excernitur: crassum,est mucus pituitosus, materia illa mucosa, quæ per membranam perforatam egreditur, & perducitur ad nares, & potissimum ad os. Excrementum in catarrho necessario est crassum: nam si quandoque tenue sit, semper tamen mistum est cum crasso. Diximus affligens; ad differentiam excrementi crassi non lædentis. E Forma. Excrementum. Crassum. F Affligens.

Hoc excrementum,quatenus habet vim affligendi & lædendi, parit febres catarrhales,intemperantias,malas compositiones,solutam vnitatem. Intelligere ergo oportet huius excrementi speciem, & vitium. Quoad speciem:est substantia mucosa, vel Sincera,& vocatur mucus pituitosus; vel Permista,idq; aut cum Sanguine,& dicitur mucus sanguinolentus,cruentus,aut cum Bile,& est mucus biliosus;aut cū Melancholia, & est mucus melancholicus. Quoad vitium : hoc excrementum, secundum Galenum capit. G vltim. lib. de differen. sympt. a naturali statu discedit, vel Tota substantia, vel Quantitate, vel Qualitate: & dum Galenus proponit excrementum vt præter naturam excernitur, innuitur vitium secundum Motum: vt proponit excrementum,quod præter naturam detinetur,innuit vitiū secundū Quietē: non ergo Galenus omittit vitium secundū vbi. Quoad vitiū in substantia: est excrementum cerebri, quod est præter naturam,non ratione loci, sed secundum substantiam toto genere, verbi gratia excrementum putridum,veneficum,venereum. Quoad vitium in quantitate: excrementum vel Abūdat, vel Deficit. Quoad qualitatem: pertinere potest ad Primam, vel Secundam. Ad primam: vt excrementū est vel calidius, vel Noxæ excrementi crassi cerebri. Species excrementi mucosi. Vitium excrementi. 1 Substantiæ vitium. 2. Quantit. 3 Qualit.

frigidius. Ad secundam:& vel ad modum substantiæ, vt est crassum, aut tenue, aut viscidum; vel ad propria A
4 Motus. Terminus a quo: nimirũ cerebrum.
sensuum obiecta, nimirum ad calorem, odorem, saporem. Ad calorem, dum excrementum hoc mucosum
ab albo recedit, vt est excrementum rubicundum, flauum, viride, nigrum. Ad odorem, dum male olet. Ad
saporem, si est dulce, amarum, acre, salsum, acidum. Quoad motum: in hoc oportet perpendere terminum
à quo, spatium, & terminum ad quem. Terminus a quo est cerebrum, capit. 9. lib. 6. de tuend. sanit. com. aphor. 13. sect. 3. Oportet autem scire, qua ratione cerebrum habeat rationem termini a quo. Cum Galeno igitur cap. 4. lib. 3. de sympt. causs. oportet perpendere excernendi modum, qui duplex est: fit enim vel per Transmissionem, vel per Attractionem. Transmissionis modus, attinet ad terminum a quo, & ad terminum ad quem: modus attractionis, saltem ad terminum ad quem. Quantum igitur ad terminum a quo cerebrum, vt a se propellit excrementum concurrit dupliciter: primum, vt iusto euadit robustius, vt in B
hoc retentrix cedere cogitur: secundo, vt expultrix ab excremento impellitur. Robustior euadit expultrix; dum subito, vi externi frigoris, partes cerebri densantur, dum capite repleto, subsequitur aeris frigiditas, & ea vehemens, vt materia exprimatur infra: commen. aphorism. 1 . sectio. tert. vt catarrhus fiat grauior, si aer est frigidus & siccus, quam si frigidus & humidus: aer enim frigidus & siccus, in caussa est, vt violenta magis fiat expressio. Impellitur autem expultrix ab excremento, dum peccat copia, vel
Spatium.
qualitate, vel copia & qualitate simul: copiosum enim excrementum suo onere afficit expultricem; & si colliquetur, qualitate etiam afficit. Spatium per quod, cum Hippocrate lib. de gland. est multiplex. Estque vel Secundum, vel Præter naturam. Si secundum naturam; spatium pertinet ad Nares, &c. Si præter naturam; est Amplum, vel Angustum: amplum est Oesophagus, Tracheia: angustum attinet vel ad C
Vacuitates, seu inania inter membrum & membrum, vel ad Organa: & si ad organa, vel Naturæ, vel
Terminus ad quem.
Animæ: naturæ organa, sunt Venæ & Arteriæ, animæ, sunt Spinalis medulla & Nerui. Terminus ad quem, est Totum, vel Pars. Si totum, fit febris catarrhalis: si pars, potest esse quælibet pars extra cerebrum. Et hæc pars attinet ad Artus, vel ad Ventres: ad artus, verbi gratia, dum fiunt dolores articulares catarrhales: ad ventres, & vel ad Abdomen, Thoracem, Caput. Ad abdomen; verbi gratia, si fiat dolor colicus catarrhalis vel fluxus alui catarrhalis, vel gonorrhoea catarrhalis. Ad thoraaem, vt est tumor catarrhalis in pleura, in pulmone, vt dum materia destillat in pulmones, & tunc Galenus catarrhum nomine generis appellat destillationem commen. aphorism. 12. section. 1. Si fluat materia ad caput, id est, ad partes capitis extra cerebrum; fluit vel ad Oculos, Nares, Aures, Os, aliasue capitis partes, verbi gratia, si materia fluat ad oculos, fit epiphora catarrhalis: si fluat in nares, vocatur coryza seu grauedo, capite quarto libri tert. de sympt. causs. commen. 49. libr. 2. prognost. si in os, nomine generis dicitur ca- D
tarrhus: si in fauces, dicitur raucedo, si in gargareonem, dicitur σαφύλη, seu acinus: si in glandulas oris, vocant ἀντιάδας & παρίσθμια. Sed oportet intelligere; qua ratione hæc omnia dicantur terminus ad quem. Quod si ergo fluxio fiat per modum transmissionis: tunc pars est terminus ad quem, quatenus Suscipit: suscipit autem vitio temperiei, vel compositionis. Temperiei; dum hæc est vel Frigida, vel Humida, vel Frigida & humida: compositionis vitio suscipit pars; dum composita est e vasis amplioribus, vel est confecta e substantia rariore. Si fluxio fiat per modum attractionis; tunc caussa termini ad quem est Dolor,
5. Quies.
vel Calor, sed intensior quam in termino a quo. Quoad vitium ratione quietis: quies est præter naturam; nam mucus pituitosus secundum naturam in cerebro reperitur, quare extra cerebrum præter naturam, nisi tempore opportuno per nares, & potissimum per os egrediatur. Si ergo hoc excrementum in par- E
tem aliquam decumbat, & ibi quiescat; sane hæc quies est morbifica. Quamobrem, si excrementum effluat, est symptoma in genere excrementi mutati: dum autem quiescit in termino ad quem, euadit caussa morbifica. Hæc de forma.

Subiectum.
Subiectum catarrhi est corpus, vt enim materia præter naturam quiescit in corpore, necessario lædit corpus, verbi gratia in febre catarrhali subiectum est totum corpus.

Caussa efficiens.
Caussa efficiens, est frustratio alteratricis cerebri; ad differentiam frustrationis alteratricis aliarum partium. Intelligendum ergo qua ratione cerebri alteratrix frustetur. Galenus ca. 4. lib. 3. de sympt. causs. præterait: omnia symptomata prodire ex intemperie partium similarium, & instrumentorum morbis: præterea materiæ quantitate, & qualitate. Quod idem est, ac si dixisset, omnia symptomata fieri vel læsa facultate, vel ob errorem externum: quemadmodum ait, cap. 1. lib. 3. de sympt. causs. Sicuti ergo diarrhoea est passio, F
quæ fit e coctione læsa in ventriculo; ita catarrhus fit e mala coctione cerebro. Et, sicuti ventriculi coctio læditur, vel læsa facultate, vel ob errorem externum: ita etiam statuendum de cerebri coctione. Galenus loc. cit. respiciens ad facultatem læsam labefactatam, proponit dyscrasias: respiciens ad facultatem læsam impeditam, proponit morbos instrumentorum: respiciens tandem ad errorem externum, proponit materiæ quantitatem, & qualitatem. Hoc igitur loco explicandum, quæ intemperies sit catharrhi caussa, quę compositio, quæ materiæ quantitas, & qualitas.

2. Dyscrasia.
Quoad intemperiem: catarrhus produci potest ab intemperie Calida, & a Frigida. Frequentius fit à frigida: vnde exquisitissimus catarrhus fit a frigiditate: nam cerebri temperies naturalis vergit ad frigiditatem, id est, ad remissum calorem. Vnde Galenus respiciens ad catarrhum qui frequẽtius occurrit, id est, ad exquisitissimum; hunc inter frigida vitia connumerat, c. vlt. l. 2. de temperam. c. 5. l. 1. de tuend. san. aph. G
vlt. sect. 3. Verum & a calida intemperie fit catarrhus, com. aph. 12. sect 3. vnde Galenus ca. 9. l. 6. de tuend. san. illos redarguit, qui semper in omni catarrho capiti calida applicabant, credentes catarrhum tantum fieri ab intemperie frigida. Quantum igitur ad intemperiem frigidam: cum Galeno aph. 12. sect. 3. potest
Frigida.
esse Remissa, vel Intensa. Remissa producit excrementum pituitosum vel subdulce, vel insipidum: intensa, acidum. Præterea intemperies frigida, potest esse coniuncta modo cum humida, modo cum sicca. Intemperiem frigidam & humidam proposuit Galenus, c. vlt. l. 2. de temp. frigidam & siccam aph. vlt. sect. 3.

Frigiditas

A Frigiditas autem dupliciter concurrere poteſt,ad producendum excrementum catarrhale;primum vt a-
git in alimentum, & hoc non poteſt vincere; vnde generatur excrementum pituitoſum, ſatis copioſum:
ſecundo,vt vapores excrementitios a corpore elatos nec reſoluit,nec permittit vt egrediantur per ſuturas
vnde condenſantur,& miſti cum cerebri excremento craſſo deſcendunt; quemadmodum innuit philo-
ſophus,circa finem,l.de ſomno & vig.& c.7.l.de part.animalium. Quoad intemperiem calidam: hæc po-
teſt eſſe calida,calida & humida,calida & ſicca. Concurrit autem vt potiſſ. calida intemperies generat ex-
crementum cerebri ſalſum;& potiſſ.id producitur ab intemperie calida & ſicca. Oritur autem dubium,
quia Galenus in arte med.c.de ſignis cerebri,ait:cerebrum calidum & ſiccum ſuperfluitatibus carere: id-
B eo intemperies calida & ſicca non eſt cauſſa catarrhi. Reſponſio.Galenus loc. cit.reſpicit ad cerebrũ con-
ſtitutum intra latitudinem ſanitatis:nunc autem loquimur de intemperie morboſa, qua fit attractio co-
pioſioris materiæ.Hinc Auicennas in curatione catarrhi quandoque vtitur frigidis & humidis.Intempe-
ries calida habet vim colliquandi, vt excrementum calidius & tenuius reddatur; præſertim ſub mora ſo-
lis,ſi patiens olfaciat aromata,quæ præſertim reddunt caput calidius,ſi patiens ſit natura rarioris habitus,
vel etiam ſi rariorem habitum aſſequatur vi balnei,vel exercitii,vel aliorum.Quoad cõpoſitionem:cauſſa 2. Anguſtia.
catarrrhi eſt anguſtia,c.1.l.9.de vſ.p.caput enim veluti tectũ eſt, domui calidæ ſuperpoſitũ,vt recipiat ex-
crementa,quæ ſi detineantur ob anguſtiam,fit catarrhus. Error externus, eſt quantitas & qualitas mate- 3.Error externus.
riæ extra cerebrum genitæ. Vitium quidem eſt ſecundum copiam,dum capiti a iecore, vel a vẽtriculo im-
pertitur impurum alimentum copioſius;vt, cum non regatur a cerebro,nec vincatur, euadat materia ca-
C tarrhi.Qualitate peccat materia,vt eſt calida vel frigida. Calida,vt pituita ſalſa,bilioſa:& huius generatio
pendet a iecore calidiore,vel obſtructo,vel non obſtructo;item ex aſſumtis calidioribus:ad hęc e toto,fe-
bre correpto.Materia frigida præſertim eſt pituita,quæ eſt genita vitio vel ventriculi, vel propter aſſumta
frigida:poteſt etiam eſſe materia melancholica,ſed raro;nam materia melancholica in exigua copia gene-
ratur,eſtque craſſa,vt non ita facile caput petat. Vnde Auicennas dicit,ſecundum mentem Hippocra-
tis,aph.4 2.ſect.2.l.6.epid.catarrho obnoxios vt plurimum tumore lienis non affici:Galenus in comm.ra-
tionem addens,ait hoc propterea euenire,quia vno membro detento,reliqua ſana ſeruantur. Addit A-
uicennas,fortaſſis cauſſam eſſe,quod qui eſt obnoxius catarrho,eſt particeps humorum tenuium: dũ au-
tem adeſt lienis tumor,humores ſunt craſſi,& vix fluxiles.

Cum ergo catarrhus ſit excrementum craſſum lædens: Si excrementum perpendatur ratione ſpe- Differentiæ.
D ciei:catarrhus eſt Pituitoſus,Sanguineus,Bilioſus,vel Melancholicus. Ratione vitii;excrementum peccat
ſecundum Subſtantiam,Quantitatem,Qualitatem,vel Vbi.Ratione ſubiecti,in catarrho læditur vel To-
tum,vel Pars,& ſi pars,hæc multiplex eſſe poteſt,vt diximus.Ratione efficientis;cerebri alteratrix fruſtra-
tur vel Læſa facultate,vel ob Errorem externum. Læditur facultas, quoniam vel Labefactatur ab ob in-
temperiem,vel impeditur ob anguſtiam.Fruſtratur ob errorem;qui eſt materia peccans Copia, vel Qua-
litate,cuius multiplex eſt ſpecies & cauſſa generans.

Catarrhus in genere notus eſt e verbis patientis. Quoad differentias,& primum a forma; a ſpecie; Signa.
num ſit pituita,ſanguis,&c.ſi egrediatur excrementum,oculis conſpicitur;ſi non egrediatur, ſpecies co- Speciei.
gnoſci poterit e traditis in ſerm.de dol.capitis.Quoad vitium excrementi:& primum ſecundum ſubſtan- Signa vitiorum.
tiam;cognoſcitur ex iniucundo ſapore,& iniucundo odore,& ſic catarrhus putridus cognoſcitur:venefi-
E cus cognoſcitur e ſignis veneni:venereus, e ſignis luis Venereæ. Quoad vitium ſecundum quantitatem: 1.Subſtantiæ.
maior quantitas cognoſcitur e ſymptomatum maiori vehementia.Quoad vitium ſecundum qualitatem:
& primum quoad qualitatem primam; calidus catarrhus cum Rhaſi cognoſcitur e pruritu narium, e 2.Quantitatis.
pruritu palati, e ſternutamento; &, cum Auicenna, e ſenſu caliditatis:& præterea e colore excrementi 3.Qualitatis.
rubicundo,cirrino,viridi,& rubedine oculorum,e calidis nocentibus,& frigidis iuuantibus. Frigidus ca-
tarrhus ex oppoſitis cognoſcitur. Quoad vitium penes ſecundas qualitates:an excrementum ſit craſſum,
an viſcidum,an tenue, an huius vel illius coloris,odoris, ſaporis;hæ omnes differentiæ notæ fiunt medi-
co per viſcum, & auditum e verbis patientis. Quoad vitium ſecundum motum; ratione termini a quo: ſi 4 Motus, ſigna.
capitis expultrix iuſto ſit robuſtior reddita;cognoſcitur, ſi capiti repleto cauſſa externa cum impetu refri-
gerans occurrerit: Hæc cauſſa ſi deſideretur, iudicandum expultricem excitari a materia. Copia autem Terminus a quo.
F & qualitas huius materiæ quibus ſignis cognoſcantur, patet ex alibi traditis. Quoad ſpatium per quod, Spatii ſigna.
ſi materia fluat per nares, vel per os: patet. Si fluat per œſophagum; indicatur ex inappetentia,e nauſea,
e vomitu, e læſa coctione ventriculi, & e malis ventris inferioris. Si fluat materia per tracheiam,cogno-
ſcitur e ſcreatu, e tuſſi,& difficili reſpiratione. Si fluat materia per vacuitates, per inania ſpatia membro-
rum; patiens cõqueretur de ſenſu materiæ deſcendentis,ac citra dolorem inſignem, præterea e vitiis non
neruorum, ſed partium carnoſarum. Si fluat per materia per neruos; cognoſcitur e dolore, e neruorum
vitiis,vtpote tremore,torpore,paralyſi conuulſione. Si deſtillet materia per venas, cognoſcitur e tumore
inflammatio partium, e cachexia, e hypoſarca, e febre latica, id eſt, catarrhali, e lotio non ſpumoſo,ſed
in quo apparet ſpuma, vt ſpuma habeat rationem contenti: nam dum materia fluit per venas, ver-
titur in vaporem, qui miſtus cum materia humida, per motum & calorem, eſt in cauſſa ſpumæ. Si mate-
G ria fluat per arterias; cognoſcitur e pulſu molli, inæquali; modo frequenti, modo raro; vt materia ca-
tarrhalis modo eſt frigida, modo calida: ad hæc cognoſcitur e motu prauo cordis, e leipothymia, e ſyn-
cope. Quoad terminum ad quem; an ſit totum vel pars; patet e noxis vel totius,vel partis.Vtrum autem Terminus ad quem.
terminus ad quem concurrat, vel vt ſuſcipit, vel vt attrahit; non difficulter patebit:nam ſi manus, verbi 5 Quietis ſigna.
gratia,antequam afficiatur tumore catarrhali,vel doleat,vel calidior ſit reddita; patet manum eſſe termi-
num ad quem, vt attrahit: ſi hæc deſiderentur; vt ſuſcipit: præſertim ſi manus ſit vel frigida, vel humi- Differentiæ a ſubiecto & cauſſa efficiente.
da, vel obtineat vaſa latiora, vel rarioris ſit habitus. Quoad vitium ſecundum quietem: vt materia magis
vel minus hæret,cognoſcitur,vt magis vel minus reſiſtit medicamentis.Quoad differentias a ſubiecto: an

ſit totum,vel pars;patet e traditis. Quoad cauſſam efficientem: vtrum catarrhus fiat læſa facultate,aut ob A
errorem externum;cognoſcitur inde,quod læſio facultatis indicatur e morbis capitis, de quibus ſuo lo-
co.Error externus indicatur e ſignis ſignificantibus materiam caput petentem, vt vel copia, vel qualitatē
peccat:de quibus in dolore capitis diximus.

Indicationes. Præſidia cum Galeno cap.14.l.5.meth. ſumuntur a forma,ſubiecto,& cauſſa efficiente. Quoad for-
mam;cum ſit craſſum excrementum,varium,& ſpecie & vitio;ſpecies indicat præſidium determinatum;
Forma. verbi gratia,ſi pituita putreſcat,oritur indicatio nō ſimpliciter eradicandi,ſed eradicandi pituitam. Quo-
Species. ad vitium excrementi catarrhalis perpendemus vitium quod vtile indicat.Ratione ſubſtantiæ; indicatur
Vitium. eradicans: ratione quantitatis, imminuens: ratione qualitatis; per contrarium alterans. Ad hæc reſpici- B
ens Auicennas,ait,æquabilem reddendam eſſe materiam. Quoad vitium ratione motus: perpendere o-
Motus. portet tum motum, tum terminos motus. Motus vt eſt præter naturam, indicat remedium remouens
hunc motum præter naturam: & huius gratia Auicennas proponit ſectionem curſus; per quam non in-
telligit interceptionem,quia hæc non eſt præſidium,ſed intelligit prohibitionem curſus in genere: nam
interceptio eſt modus prohibitionis curſus,non remedium.Si perpendatur motus ratione terminorum;
& primum, ſi vterque terminus perpendatur; ea ratione curſus prohibetur, vt cum in catarrho materia
moueatur vel ad partem ſiniſtram,vel ad partem dextram; indicetur remedium retrahens, vel ad partem
ſiniſtram,vel dextram,ſiue hoc fiat per modum reuulſionis, deriuationis vel interceptionis: Vnde Aui-
cennas cauſſa vtriuſq; termini, proponit motum materiæ ad aliam partem,nimirum, non tantum ad de-
xtrum vel ſiniſtrum,ſed etiam ad dextrum vel brachium, vel crus: vnde colligitur non ſuperuacaneum C
Terminus a quo. fuiſſe Auicennam.Si perpendatur motus ratione termini a quo;in catarrho a capite fluit materia,vel ſur-
ſum,vt quando cutis capitis tumore afficitur;vel deorſum:hinc indicatur retrahens ad ſuperiora vel infe-
riora: Auicen.huius indicationis cauſſa proponit motum materiæ ad aliam partem. Ratione termini ad
Terminus ad quem. quem,quatenus attrahit,ratione doloris;indicatur remedium doloris vel anodynum,vel ſanans,vel vtrū-
que,quatenus attrahit ratione caliditatis;indicatur frigidum. Si terminus ad quem ſuſcipiat,& quidē ob
frigiditatem; indicatur calidum: ſi ob humiditatem, ſiccum: ſi ob laxitatem, condenſans. Auicennas ad
hæc præſidia reſpiciens,ratione termini ad quem, proponit anteceſſionem prohibitionis eius, quod ti-
metur generari ex eo: nam dum occurrimus termino ad quem,antequam vel ſuſcipiat, vel attrahat; hæc
eſt prohibitio anteceſſionis eius,quod timetur generari e vitio termini ad quē.Quoad vitiū ratione quie-
Quies. tis; indicatur diſcutiens:& ſi materia quieſcat,verbi gratia,in manu, indicatur remedium diſcutiens ma- D
teriam in manu. Et hoc præſidium non proponitur ab Auicenna:quia dirigitur ad catarrhi effectum, de
qua in propriis capitibus dicēdum.Verbi gratia,ſi materia quieſcat in pede,pertinet ad ſermonem de po-
2. Subiectū. dagra. Quoad ſubiectum,ſiue ſit totum,ſiue ſit pars:de his dicendum in ſermone proprio,de vitiis totius,
Cauſſa efficiens. de vitiis partium. Tandem,quoad cauſſam efficientem:ſi ſit morbus,ſiquidem ſit intemperies; per cōtra-
rium oportet alterare: Si anguſtia,materia anguſtans expugnanda. Si cauſſa efficiēs eſt error externus pro
varietate ſpeciei,vitii,cauſſæ generantis,variant indicationes:de quibus in dol.cap.

Prognoſtica Catarrhus contemnendus non eſt:quia vt plurimum eſt admodum vehemens ſecūdum eſſentiam,
quia ferme omnium morborum eſt ſoboles: vnde Galenus ait,c.8.l.1.de tuend.ſanit. vi catarrhi totū lan-
guere. Præterea additur vehementia dignitatis;cum cerebrum ſit terminus a quo. Quædam tamen catar-
Prognoſtica differentiarum. rhi ſpecies eſt vtilis. Quantum igitur ad differentias a forma:ſi perpendatur vis excrementi,& primum ſe- E
cundum ſpeciem,catarrhus eſt magis periculoſus,ſi atrabilarius, minus ſi bilioſus, minus ſi ſanguineus,
minus ſi pituitoſus;eſt enim minor receſſus a naturali ſtatu. Quoad vitium excrementi:ſi vitium ſit ſecū-
Species excrementi. dum ſubſtantiam;tunc inſignis eſt vehementia ſecundum eſſentiam,& propterea catarrhus admodū pe-
Vitium ſubſtantiæ. riculoſus. Si vitium attineat ad quantitatem, vt excrementum in maiori copia hæret, ita catarrhus magis
periculoſus:& ſi caput doleat,ſignum eſt copioſæ materiæ:vnde Auicennas dicit,dolorem capitis,cōiun-
Quātitatis. ctum cum catarrho,fluxionem augere:quia ratione doloris ſit attractio:ideo ſi catarrhus eſt cum dolore
capitis,magis eſt periculoſus.Si vitium attineat ad qualitatem, catarrhus eſt periculoſior, ſi excremētum
Qualitatis. ſit calidum, craſſum viſcidum, ingrati ſaporis, ingrati odoris, & vt magis recedit ab albo colore. Si viti-
Termini a quo. um attineat ad vbi, ratione motus, ratione termini a quo, periculoſior eſt catarrhus, vt cerebrum maio-
ri cum impetu expellit,commen.aphoriſmorum 12.ſect. 3. Ratione ſpatii, per quod,ceteris partibus,ca- F
Spatii. tarrhus minus eſt vehemens, ſi materia fluat per nares:vnde Hippocrates ait,aphor.42,ſect.2.l.6.epid.vbi
eſt lienis tumor,non eſſe grauedinem,& contra:quibus verbis Hippocratis non reſpicit ad catarrhum in
genere, ſed ad catarrhum in ſpecie, in quo ſcilicet materia per nares purgatur:non enim proponit catar-
rhum, ſed grauedinem: & ob id (: quod Galeni pace dixerim:) non eſt reprehendendus Rufus & Sabi-
nus,dicentes,cum ſanguis per grauedinem expurgatur,nihil in lienem deſcendere. Si materia deſtillet per
nares,non ita defluit in lienem. Hæc cauſſa eſt priuata,non prorſus contemnenda. Quamuis non ſit reii-
cienda Galeni ratio,& communis & priuata:communis,quod raro duo membra corporis ęque ſint debi-
lia,ideoque materia morbifica decumbat ſolum in partem magis debilem:priuata,quod grauedo quæ ſit a
pituita, per nares egrediente,fit e pituita tenui,& aquoſa;lienis autem tumor e materia craſſa & melācho- G
lica.Sed ad rem. Catarrhus minus eſt vehemens, ſi materia fluat per nares,magis vehemens,ſi per os;pe-
riculoſior,ſi per œſophagū;adhuc periculoſior,ſi per tracheiam;nā minatur phthiſin:ſi fluat materia per
vacuitates mēbrorū,minus periculoſus eſt catarrhus,magis periculoſus,ſi per neruos:nec minus pericu-
loſus,ſi per venas,nā minatur febres,atrophiam;peſſimus eſt catarrhus,ſi materia fluat per arterias, cauſſa
enim cordis imminet ſyncope.Ratione termini ad quem, primum ſcire oportet, vt terminus ad quem eſt
Termini ad quem. præſtantior,ita catarrhū eſſe magis periculoſum,maxima enim dignitatis adeſt vehementia: vnde Celſus
ait,ſi nares habeāt rationē termini ad quē,catarrhus eſt leuis,ſi fauces, eſt peior,ſi pulmones,eſt peſſimus;
imminet

A imminet enim tabes ſecundum Hippocratem l.de gland. Minus periculoſus, eſt catarrhus; ſi terminus ad
quem attrahat; magis periculoſis, ſi ſuſcipiat; & ſi ſuſcipiat ob imbecillitatem natiuam, eſt incurabilis,
quemadmodum eſt podagra catarrhalis hæreditaria. Si perpendatur vitium ratione quietis: vt excremen- Quietis.
tum catarrhale magis hæret, ita catarrhus magis eſt periculoſus. Si reſpiciamus ad cauſſam efficientem: Prognoſtica efficiētis.
magis periculoſus eſt catarrhus, ſi fiat læſa facultate; & magis ſi fiat labefactata; & deterior, ſi labefactata ſit
ob intemperiem calidiorem: nam generatur excrementum magis vehemens ſecundum eſſentiam. Si ſit
frigida intemperies, & ea in habitu; catarrhus eſt incurabilis: vnde Hippocrates ait, aph. 40. ſect. 2. deſtilla-
tiones in valde ſenibus non ſuperari, non concoqui. Si fiat ob errorem externum; pro vehementia mate-
riæ, peccantis vel qualitate, vel copia; vario modo prognoſticandum: inſignis enim eſt vehementia, ſi, ver-
bi gratia, materia copioſa, & qualitate peccans extra cerebrum generetur, admodum læſa facultate alicu-
B ius viſceris; verbi gratia, ſi fiat catarrhus affecto ventriculo intemperie in habitu, vix curari poteſt; & ſic de
reliquis.

Quoad materiam cheirurgicam: probatur venæſectio, ſi ſanguis vehementer peccet. In catarrho Curatio. Venæſectio.
ſanguis peccare non poteſt ſub ratione cauſſæ principalis, quia non fluit ſincerus; ſed vt cauſſa adiuuans,
vel vt cauſſa ſine qua non. Concurrit vt adiuuans; dum catarrho ſanguis miſcetur cum excremento cere-
bri: vt propterea ſtatuendum ſit hunc catarrhum eſſe calidum, ob ſanguinis permiſtionem. Concurrere
etiam poteſt ſanguis, vt cauſſa ſine qua non, dum in toto abundat; veluti, cum Meſue, dum corpus eſt cali-
dum, & ſanguineum, & catarrhus eſt calidus: dum enim corpus eſt calidum & ſanguineum, catarrhus fit
vel a pituita ſalſa, vel a pituita cum bile, vel a pituita cum ſanguine; & quomodocunque fiat, ſemper cata-
rhus eſt calidus. Vena ergo tantum eſt ſecanda in catarrho calido, vt ſtatuit Meſues, dum ſanguis habet ra-
C tionem cauſſæ adiuuantis, vel ſine qua non. Vnde Rhaſis probat venæſectionem in catarrho cum pruritu
narium & palati; id eſt, in catarrho calido. In frigido catarrho igitur non eſt vena ſecanda, quia ſanguis nō
habet rationem cauſſæ principalis, nec adiuuantis, nec ſine qua nō: dum enim catarrhus eſt frigidus, cor-
pus eſt frigidum: quare partes obtinent ſanguinem exiguum, vt propterea ſanguis non poſſit habere ra-
tionem cauſſæ ſine qua non, ſed potius habeat rationem materiæ remedii iuuantis; quemadmodum etiā
febris, ſecundum Auic. habet rationem materiæ remedii in catarrho frigido. In frigido ergo catarrho ve-
næſectio nocet: primum enim vacuatur ſanguis, & materia iuuans: deinde per accidens refrigeratur cor-
pus. Porro in catarrho calido, vehemens ſanguinis vitium indicatur; ſi afficiatur pars magni momenti, ſi
febris ſit annexa. Nec tantum ſecanda eſt vena, vbi corpus eſt ſanguineum, ſed etiam dum deſcendit ad o-
culos, ad fauces, ad pulmones; & præſertim ſi febris ſit annexa: hæc enim ſignificant vehemens ſanguinis
D peccatum, dum catarrhus eſt calidus: ſi autem catarrhus ſit frigidus, licet febris aſſit, vena non eſt ſecanda,
quia febris eſt materia iuuans. Cum ergo in catarrho calido ſit ſecanda vena, id notandum, vt non copio-
ſius educatur ſanguis, nec ea copia, qua peccat: vnde venæſectio parca erit, ſecundum Auicennam: & ratio
eſt, quia in catarrho ſanguis non peccat vt cauſſa principalis: relinquēda igitur eſt aliqua ſanguinis copia,
vt virtus poſſit ſuperare cauſſam principalem, & poſſit etiam perferre medicamenta, quibus vti oportet ad
cauſſam principalem. Quoad vſum venæſectionis: duo circa Quando monebimus. Primum ſciendum, ꝙ Vſus venæſectionis.
Gal. c. 14. l. 5. meth. reſpiciat ad catarrhum ſalſum. Si ergo patiens ſit ſanguine refertus; in eo catarrho ſan-
guis habet rationem cauſſæ ſine qua non, & vincit alia indicantia, præſertim ſi corpus ſit robuſtum: & tūc ἡ ἐπίκρασις.
vena eſt ſecanda. At ſi in catarrho ſalſo, patiens eſt exigui ſanguinis, ſanguis non habet rationem cauſſæ ſi-
ne qua non; ideoque non ſtatim in principio eſt ſecanda vena. Dum enim ſanguis eſt exiguus, & copia ad-
E eſt vitioſorum ſuccorum; ſane virtus robuſta eſſe nequit. Cum autem neceſſarium ſit vti purgantibus, ꝓ-
pter ſuccos vitioſos, quibus purgantibus virtus redditur debilior; propterea ſecundum Gal. cibis reficien-
dus eſt æger: & ſi per hanc refectionem gignatur ſanguis, ea copia, vt habeat rationem cauſſæ ſine qua nō;
ob id Gal. loc. cit. poſt purgationem vacuat ſanguinem; ſed reficit vires; & roborata virtute rurſus purgat;
deinde rurſus reficit; & ſi res ſuadet, id eſt, ſi per refectionem a cibis, ſanguis eſt genitus, vt habeat rationē
cauſſæ ſine qua non, rurſus ſanguinem mittit. Secundo, notandum cum Rhaſi, ſecandam eſſe venam in
catarrho, ſi poſt appoſitum pannulum calidum capiti, paſſio nec tollitur, nec imminuitur. Hic Rhaſis re-
ſpicit ad catarrhum calidum, in quo materia propellitur a capite refrigerato, a cauſſa externa refrigerāte:
nam cognouit Rhaſis, in principio capitis frigiditatem quandoque vincere ſanguinem, quādoque a ſan-
guine vinci. Vincit quidem capitis frigiditas ſanguinem, ſi frigiditas ſit remiſſa, vt cedat pannis calidis: nā
F a pannis calidis, breui tempore vſurpatis, non calefit caput, vt ſanguis trahatur, ſed ſolum frigiditas tolli-
tur, & ſuperata frigiditate, malum ſuperatur, hoc eſt, expreſſio materiæ catarrhalis ceſſat. Frigiditas au-
tem capitis vincitur a ſanguine, ſi frigiditas ſit ita impreſſa, vt pannis calidis non cedat, vnde cum Rhaſi,
paſſio nec adimitur, nec minuitur: ideoque neceſſarium eſt ea adhibere medicamenta, quæ magis calefa-
ciant, quam panni calidi, & tunc ſi ſanguis abundaret, traheretur in caput: cum ergo ſanguis magis poſſit,
quam capitis frigiditas, primum erit ſecanda vena. De cucurbitulis notandum circa *vbi*. Auicennas in de- Cucurbitulæ.
ſtillatione ad pectus, non applicat cucurbitulas dorſo, ne materia attrahatur ad pectus, & ſic materiæ mo-
tus vitioſus augeatur: ſed applicat ſupra nucham, circa occipitium, vt fiat retractio per modum interce-
ptionis. Quoad cauteria: ſciendum cum Auicenna, in catarrho frigido vlcus eſſe excitandum in ſutura Cauteria.
coronali, dum ſcilicet non adeſt prohibens, vt eſt materia copioſa, quæ generatur ob alicuius membri
G imbecillitatem: vt ſi, verbi gratia, a ventriculo imbecillo materia copioſa feratur in caput, imbecillius
ventriculo exſiſtens, ſi tunc in ſutura coronali fieret inuſtio, totum corpus per locum affectum euacua-
retur, quod eſt inconueniens. Expedit ergo tunc, cauſſa capitis vlcus excitare, vel infra occipitium, vel in
brachio, & cauſſa ventriculi in cruribus. Si autem catarrhus ſit calidus: probatur vlcus in ſutura coronali:
nam quamuis materia calida facilius euacuetur quam frigida: tamen cum eam habeat ſubſiſtentiam, vt

per futuram coronalem retrahatur sursum, ne in pulmones descendat: ideo in sutura coronali vlcus exci- A
tandum. Cauterium ergo in catarrho frigido, est materia remedii vacuantis, indicati a materia frigida, co-
pia peccante: in calido autem catarrho, est materia remedii tum vacuantis, tum retrahentis, & hinc indi-
cati a materia peccante copia & motu.

Pharmaceia. Medicamenta respiciunt Totum corpus, Caput, & Partes quæ afficiuntur in catarrho. Medicaméta
quæ respiciunt totum, & caput, proposuimus in dol. c. At medicamenta respicientia partes, quæ in catar-
rho afficiuntur, sunt proponenda in propriis capitibus. Verbi gratia, si materia fluat ad pulmones; in vitiis
pulmonum de his dicendum. Quare propter iuniores satis sit quædam notare, circa purgantia totum, cir-
ca alterantia caput, & circa intercipientia.

1 Purgantia totum. Quantum attinet ad totum: purgantia solum probantur, dum præsens est materia purganda: vnde
Galenus commen. 85. lib. 4. de vict. (dum auctor ille probat *helleborum* in catarrho) monet, non omnibus B
veratrum esse dandum, nec in omni catarrho; vt interdum soli capiti sit prouidendum, dum scilicet in to-
to materia non peccat.

2. Alterãtia. Secundo notandum circa alterantia, & vna insensibiliter euacuãtia: Alexandrum, cap. de sputo san-
guin. redarguere Galenum, c. 14. l. 5. meth. in catarrho falso applicantem medicamentum coronali suturæ,
confectum e *thapsia & fimo columbino:* at Alexander in catarrho calido non probat calida, sed frigida! Re-
sponsio. Calefacientia sunt materiæ vacuantes, retrahentes, & calefacientes. Galenus his vtitur, vt vacu-
ãtibus insensibiliter, & potissimum vt retrahant materiam; non autem vt calefaciant, id est, vtitur his
propter materiam morbificam, non propter dyscrasiam calidam; nam materia falsa peccat copia, & mo-
tu, vt petit pulmones; est ergo minuenda & sursum trahenda, quod consequimur beneficio *thapsiæ & fimi*
columbini. Galenus ergo, non loquitur de alterantibus, quia respicit ad indicationes, quæ sumuntur a ma- C
teria genita, non autem ad eas, quæ sumuntur a caussa generante. Contra autem c. 9. lib. 6. de tuend. sanit.
Galenus respiciens non ad materiam, sed ad capitis intemperiem, in catarrho calido probat frigida: de
quibus diximus in dol. cap.

Stillicidiũ frigidum. Tertio notandum in catarrho calido, circa modum administrandi materias refrigerantes; Aetium
probare *stillicidium frigidum* ab alto supra caput, dummodo æger non sit thoracis debilis. At Mesues &
Auicennas admonent, in catarrho calido actu frigida, raro esse applicanda: cum enim modus agendi indi-
cetur ab indicante, vt facile vel difficulter patitur; si accidat, capitis caliditatem esse intensam, vt non faci-
le cedat, probantur medicamenta actu frigida, dummodo non sit prohibens præsens. In catarrho igitur
calido, materia morbifica in thoracem vel actu fluit, vel imminet ne fluat. Si actu fluat: prohibens præsens
est materia, vt peccat secundum motum; & propterea prohibet medicamẽtum actu frigidum: nam huius D
vi augeretur vitium materiæ in motu, siquidem materia actu fluens in pulmones, per medicamẽtum actu
frigidum magis flueret. Si autem immineat, ne materia fluat; tunc materiæ motus nõ prohibet, quoniam
non est præsens. Quare quod prohibet, cum necessario sit præsens, est thoracis imbecillitas. Et ob id Acti-
us probat stillicidium actu frigidum; nisi thorax facile offendatur, id est, dum thorax ita est imbecillis, vt
promte suscipiat, nec expellat, id est, dum thorax est vel humidior, vel laxior.

3. Intercipientia. Quarto notandum circa intercipientia. Secundum Auicennam & Galenum capite trigesimopri-
mo, libro tertio, de aliment. non licet vti *papauere*, dum materia iam destillauit in pectus; sed eo vti licet,
antequam destillet: nam Quando agendum, indicatur ab indicante præsenti, vt vincit alia indicantia. Vn-
de materia fluens, indicat retrahens; materia fluxa indicat expectorans, euacuans. At fluxa materia magis
potest quam fluens; nam materia in pulmones fluxa magis nocet, vt propterea vti liceat medicamẽto po- E
tius euacuante: medicamentum autem retrahens per modum interceptionis, vt *papauer*, materiam flu-
xam reddit magis rebellem euacuationi. Quare vtendum est materia intercipiente, antequam fluat.
Cum ergo per somnum materia fluat, & vigiliæ tempore materia fluxa expurgetur: practici *diacodeio &*
aliis intercipientibus post cœnam vtuntur, hora autem vigiliarum, expectorantibus. Sed de his in malis pul-
monum.

Diæta. Aer. Cibus. Quoad Diætam: & primum quoad aerem; Auicennas suadet in omni catarrho cauendum esse ab
aere frigido, & præcipue postquam corpus aeri calido fuit expositum: quoniam materia morbifica vi ae-
ris frigidi propellitur ad subiectas partes, vnde augetur catarrhus. Cibus copiosus in catarrho improba-
tur: & hinc Auicennas imperat, vt ægri famem & sitim sustineant. Celsus, ad specialia magis descendens, F
admonet assueto cibo partem dimidiam esse adimendam: quod si patiens non obediat, vomitus erit in-
stituendus: cibus etenim copiosus excrementum catarrhale auget. Et cum somni tempore a copioso ali-
mento prodeant vapores copiosi in caput; cum Mesue probatur cœna parcior prandio; nisi sit patiens,
qui per quatuor horas a cœna cubitum eat, & nisi patiens consueuerit vberius cœnare. Cur autem Gale-
nus in consil. pro puero epileptico probet cœnam prandio largiorem; diximus in sermon. de epilepsia.

Potus. Quoad potum: in catarrho calido Rhasis probibet *vinum:* calefacit enim & defert materiam in caput.
Et si calori nexa sit humiditas, adhuc magis improbatur vinum; nam caput vt calidum attrahit, vt humi-
dum suscipit. At, si temperamentum sit calidum & siccum, Galenus capite vndecimo, libro primo, de
tuend. sanit. vinum admittit: vinum enim habet vim humectandi, & attemperandi bilem, & per lotium,
& per sudorem euacuandi. Sed, cum Galeno capite sexto, libro nono, de plac. Hippocrat. vinum erit in G
parua copia, & subdulce. In catarrho frigido, Auicennas non exhibet vinum, nisi aliquid vrgeat: &

Somnus. exhibet vinum mediocre, post maturationem catarrhi; nam vinum materiam defert in caput. Somnum
& vigiliam, radicem esse curationis catarrhi, dicit Auicennas. Prodest igitur vt homo vigilet, quantum
fieri potest: nec dormiat interdiu, nec repleto ventriculo: decubitus non sit supinus. Quibus verbis Aui-
cennas proponit, Quantum, Quomodo, & Quando. Quantum: cum somnus & vigilia sint materiæ, quæ
admi-

A amminiſtrantur cauſſa virtutis coctricis & expultricis;& cum in catarrho magis requiratur expulſio, quã
coctio;(nam magis in catarrho egemus euacuatione,quam repletione:)propterea in catarrho neceſſari-
um eſt,vt vigilia ſomnum excedat;cum per ſomnum fiat coctio & repletio,per vigilias diſtributio & ina-
nitio:vt vigilia in catarrho ſit materia iuuans,ſomnus ſit cauſſa morbifica. Quoad modum;quamuis ra-
tione virtutis coquentis parum referat,an homo iaceat ſupinus vel pronus, vel ad latera, capite eleuato,
vel depreſſo,tamen ratione materiæ catarrhalis plurimum refert: Decubitus enim ſupinus prohibetur a
materia,vt caput petit,nam renes incaleſcunt,incaleſcit vena caua,vt vapores copioſi petant caput: Pro-
batur igitur decubitus ad latera.Quoad decubitum,vt ſit capite eleuato,vel depreſſo:ſcire oportet, quẽ-
admodum materia fluens a capite in thoracem,prohibet decubitum capite eleuato,nam ſic facile deſcẽ-
dit materia:ita ſi materia in pulmones fluxit,prohibetur decubitus capite depreſſo;nam hoc decubitu fit
B difficilis reſpiratio,vt repletis bronchiis homo non reſpiret,niſi recta ceruice,vt in orthopnœa. Quoad
Quando agendum:primum probatur ſomnus nocturnus:nam virtus naturalis nocte concoquit, inter-
diu diſtribuit,& ratione conſuetudinis,& ratione aeris:ratione conſuetudinis, nam vt homines conſue-
uere noctu dormire,ita & concoquere;vt ſi mutetur conſuetudo,virtus fatigetur: ratione aeris, nam aer
nocturnus magis fauet motui ad centrum, & ob id coctioni; contra diurnus magis fauet motui ad cir-
cumferentiam,& proinde diſtributioni. Balneum aquæ dulcis Auicennas probat, in catarrho calido & Balneum.
frigido. Quoad vſum: & quidem Quando: monet, ſi catarrhus ſit præſens, & ſit frigidus, non probari
balneum, ante maturationem;in catarrho autem calido probari:nam materia craſſa, viſcida, frigida non
cedit balneo; materia autem calida cedit.Si catarrhus imminet,Auicennas prohibet balneum, quia mo-
uet materiam.Id autem ſeruandum in catarrho,dum vſurpatur balneum,vt homo ſudet: non debet am-
C miniſtrari,vt in febre hectica,ſed oportet ſudare;nam vi balnei,materia vitioſa euacuatur, & retrahitur
ad ambitum totius:expedit etiam,vt corpus non ſit admodum repletum,nam balneum obeſſet.

CAPVT XXIX.

De Sternutamento.

STernutamentum eſt vitium,quod attinet ad expultricem cerebri. Per ſternutamentum autem intel- Nomen.
ligimus illud vitium,in quo eſt motus cum ſtrepitu, cum motione capitis, vt potiſſimum materia ex-
purgetur per nares. Generatur hoc malum,vt colligitur e cap.3.& 4.lib.2.de cauſſ.ſympt. dum cauſſa ve- Generatio.
hementer,& cum violentia agit in nares,vt ad narium affectionem afficiatur cerebrum, vt cerebri ex-
D pultrix cum impetu ad expellendum inſurgat, vt vehementer concutiatur. Verum, cum expulſio ſit
mollienda per nares, ſeu per meatus non ſubſidentes; cum ſola virtus expellere nequeat,niſi ſpiritus ve-
hementer impellantur;in hac vehementi impulſione,cum ſit colliſio,fit etiam ſonitus, vt impellatur aer
ſeu ſpiritus ope muſculorum,vt propterea opus fuerit facultate motrice.Sternutamentum igitur eſt mo- Definitio.
tus prauus cum ſono cerebri, dependens ab eius expultrice,ſtimulata a naſo,& adiuta a motrice capitis &
thoracis.cap.1.3.4.5.lib.2.de cauſſ.ſymptom.aphoriſ.39.ſect 6 aphoriſ.51.ſect. 7. Forma ſternutamenti eſt Forma.
motus prauus cum ſono:eſt enim ſternutamentum,motus violentus,aphoriſ. 39. ſect. 6. & ob id pro ge-
nere habet motum prauum,cap.1.lib.2.de cauſſ.ſymptom. Vnde,quamuis ſternutamentum non videatur
eſſe præter naturam;eſt tamen e genere ſymptomatum,quoniam eſt motus violentus, & vehementioris
impetus,quam ſit tuſſis.cap.3.4 5.lib.eiuſdem.Nec obſtat,quamuis ſternutamentum interdum iuuat:nam
E & febris quandoque vtilis eſt;præter naturam tamen exſiſtit.At in ſternutamento hic motus inſtar tuſſis
habet ſtrepitum:vnde Galenus c.3.lib. 2.de cauſ.ſympt.ait:ſternutamentum genere conuenire cum tuſſi,
ratione ſcilicet ſonitus,vnde etiam Hippocrates aphor.51.ſect.7.ſonitum proponit. Subiectum eſt cere- Subiectum.
brum:vnde Auicennas ait:ſternutamẽtum eſſe motum proprium cerebri:motus hic, vt attinet ad caput,
eſt paſſio;vt ad cerebrum,actio. Hinc Galenus ait,c.4.l.2. de cauſ. ſympt. in ſternutamento cauſſam mor-
bificam naturam excitare ad actionem.

Hic motus eſt actio expultricis cerebri:vnde gratia cauſſæ efficientis, in definitione diximus; de- Cauſſa efficiens.
pendens a cerebri expultrice,ſtimulata a naſo,adiuta a motrice capitis & thoracis. His verbis triplex con-
tinetur cauſſa efficiens:prima ſpectans ad Cerebrum;ſecunda ad Nares;tertia ad Caput & thoracem. Ef-
ficiens cauſſa,quæ pertinet ad cerebrum,eſt expultrix:nam ſternutamentum,ad ſimilitudinem ſingultus, 1. Expultrix cerebri.
F fit ab expultrice,cap.2.lib.2.de cauſſ.ſymptom.vnde & Auicennas dicit,ſternutamentum eſſe motum ce-
rebri,ad expellendum nocumentum.Quoad nares:ſternutamentum fit,ſi nares irritentur. cap.5. lib. 2.de
cauſſ.ſymptom.aphor.51.ſect.7.cap. 4.& 5.lib.2.de cauſſ.ſymptom.Primo quidem irritantur nares,ſecun- 2. Narium irritatio.
do cerebrum:vt ſi ſternutamentum fiat etiam a cauſſa interna,id eſt,a materia exſiſtente in capite, opus
fit,vt materia ſecundum aliquam ſui partem in nares feratur:vnde in phreniticis non eſt ſternutatio ne-
ceſſaria,quamuis in phreniticis caput ſit repletum materia acri & mordaciſſima. Porro nares afficiuntur
& ſtimulantur a cauſſa Interna,vel Externa. Vnde cum Galeno aphor.51.ſect.7.falſum eſt, omne ſternu-
tamentum fieri e capite,id eſt,a cauſſa interna, cum etiam fiat ab externa, verbi gratia dum nares pennis
irritantur.Internam igitur cauſſam propoſuit Hippocrates aphor.51.ſect.7.dum ait, ſternutamentũ fieri Interna cauſſa ſtimulans.
e capite,calefacto cerebro,aut humectato eo quod in capite eſt inani. Quæ dicta noluit intelligere Gale-
G nus,& ideo redarguit Hippoc.Loquitur ergo Hipp.de ſternutamento quod fit a cauſſa interna; ad diffe-
rentiam eius,quod fit a cauſſa externa. Vnde,ſicuti ſternutamentum a cauſſa externa, fit citra vitium ca-
pitis,ſi ſaltem irritentur nares,verbi gratia pennis:ita ſternutamentum,procedens ab interna cauſſa, fit a Explicatio aphor. 51. ſect. 7.
capite male affecto.Hippocrates ergo reſpiciens ad cauſſam internam,proponit ſternutamentum e capi-
te:& ſtatuit fieri calefacto cerebro,aut humectato eo quod in capite eſt inani. Declaro. Cerebri caliditas

bifariam concurrere poteſt:primo,vt caput calidum generat materiam mordacem,cuius portio,dum petit nares,fit irritatio ad ſternutamentum:deinde concurrit calidum cerebrum,ſicut in com. inquit Galenus,dum vi caliditatis ita attenuatur humor,vt deſcendat in nares, ſiue hic humor reperiatur in ventriculis,ſiue in ſpatio,quod cerebrum ambit exterius.At,quoad ſternutamentum vt fit inani in cerebro humectato;Galenus contra Hip.dicit,hoc eſſe ſuperfluum ad generationem ſternutamenti:nam, ait Galenus,ſi humor in capite abundet,non facit ſternutamentum,niſi in ventum conuertatur:vnde multi, inquit idem,reperiuntur homines,qui copioſum humorem per nares excernunt, non tamen omnes ſternutant,ſed hi tantum quibus mordax humiditas a capite fluit.Dicendum pro Hippocrate: dum Hippocrates proponit inane capitis humectatum;intelligit repletionem illius ſpatii interni, a materia mordaci ac tenui,quæ genita eſt extra caput;ad differentiam ſternutamenti,quod fit a capite calefacto: hæc autem materia eſt vel bilioſa,vel ſalſa,genita in ventre inferiori,quæ petit capitis inania,& hinc nares;vt inde fiat ſternutamentum citra capitis caliditatem.Sternutamenti ergo cauſſa interna eſt materia mordax, a caliditate capitis vel genita,vel attenuata:& præterea alia e parte,cauſſa interna eſt materia acris, alibi genita, & in caput fluxa. Hinc facile colligitur in ſternutamento cerebri expultricem fruſtrari ob errorem externum,qui eſt materia mordax.

Externa cauſſa irritans.

Quoad cauſſam externam,cauſſa eſt primo agens in nares,vel ſoluens continuum,vt penna.aphor 51.ſect.7.& c.5.l.2.de cauſſ.ſympt.vel ſimul etiam calefaciens,vt aromata,quæ palato & naribus applicantur.

3 Motrix capitis, & thoracis.

Poſtremo in definitione diximus:adiuta a matrice capitis & thoracis.Hoc colligitur e c.4.l.2.de cauſſ.ſympt.vbi vult Galenus ad ſternutamentum concitandum,caput concurrere, & per ſe,id eſt,per muſculos capitis;& per neruos pectoris,ac proinde per muſculos pectoris. Vnde Hippocrates aphor.51.ſect.7.ſtatuit,aerem ſonantem non modo prodire e capite,ſed etiam ab infra,& proinde e thorace.Quare,cum Auicenna concurrit motrix capitis, ad omne ſternutamentum; & motrix thoracis ad perfectum ſternutamentum.

Differentiæ.

A forma non ſumuntur differentiæ,niſi ſecundum Magis & Minus:vt in ſternutamēto motus prauus cum ſonitu,eſt vel magis,vel minus prauus. A ſubiecto non ſumuntur differentiæ:quia ſemper eſt cerebrum. Quoad cauſſam efficientem:præcipuæ differentiæ ſumuntur a cauſſa irritante expultricem cerebri:vt hæc cauſſa varia eſt,ſecundum Speciem,ſecundū Affectum(non dico vitium)& ſecundū Cauſſam generantem. Quoad ſpeciem;cauſſa eſt Interna,vel Externa.Interna,vel Vapor,vel Mordax minera. Externa,vel Soluens continuum,vel etiam Calefaciens. Quoad affectum:ita afficitur cauſſa irritans, vt ſit vel Salutaris,vel Morbifica (propterea, quatenus ſalutaris eſt, non conſideramus vitium, ſed affectum: quia enim eſt ſalutaris,non eſt vitioſa.)Salutaris eſt,dum agit tēpeſtiue:morbifica,ſi intempeſtiue.Si tempeſtiue agat,non eſt ſternutamentum prorſus præter naturam: vnde Galenus dicit, cap. vlt. lib. de diff. ſympt.ſanguinis deiectionem,quamuis ſit ſymptoma toto genere præter naturam,non tamen eſſe præter naturam,ſi tempeſtiue fiat.In ſternutamento autem differentia eſt inter cauſſas internas & externas:nam cauſſa externa concurrit,modo vt ſalutaris, modo vt morbifica; ſed non vt affecta ſecundum propriam eſſentiam,verum ſaltem vt bene vel male vſurpatur:ſi enim decenter vſupetur, eſt materia remedii; ſin minus,eſt cauſſa morbifica,verbi gatia,ſi quis,toto repleto,applicet naribus piper; piper erit cauſſa externa,ſed morbifica,quia male vſurpatur.At cauſſa interna concurrit,modo vt ſalutaris,modo vt morbifica, vt bene vel male afficitur:non ratione vſus,ſicut cauſſa externa,ſed ſecundum propriam eſſentiam. Quoad cauſſam producentem:producitur cauſſa interna vel In capite,vel Extra caput:vt diximus.

Signa.

Sternutamentum in genere facile cognoſcitur:ſicut etiam differentiæ a forma. Quoad differentias cauſſæ efficientis;an cauſſa ſit externa, vel interna; cognoſcitur ex ægro & aſſidentibus, verbi gratia ſi ſit præſentia aromatum,facile dici poteſt,malum prodire ab externa cauſſa. Vtrum autem interna cauſſa ſit vapor vel minera: conſtat e ſerm.de dol.cap. Sternutamentum ſi fiat, propterea,quod materia ſit male diſpoſita,cognoſcitur;ſi verbi gratia ſternutamentum fiat in principio catarrhi,ſi fiat toto corpore repleto,ſi patiens difficulter toleret.Si contra,indicium eſt materiæ bene affectæ,& tempeſtiue agentis.Vtrum materia genita ſit in capite,vel extra;cognoſcitur e traditis in ſerm.de dol.cap.

Indicationes.

Forma in ſternutamento vtile nō indicat.Subiectū,id eſt,cerebrū,quid indicet,patet. Quoad cauſſam efficientē;cum indicatio ſumatur a cauſſa interna: quid indicet ſpecies internæ cauſſæ,ſiue ſit vapor, ſiue minera;patet e traditis in dol.c.Quoad ſpeciei affectū;ſi cauſſa eſt bene affecta,vt irritet tempeſtiue;ſi perfecte agit,nil agendū:ſi imperfecte,adiuuanda.Cum autē imperfecte irritat & agit,quoniā remiſſæ eſt caliditatis,indicat calidū,vt pfecte irritet.Si materia ſit male affecta,vt irritet intēpeſtiue; ſi hoc fiat ratione copiæ,minuenda materia;ſi ratione caliditatis,oportet refrigerare.Si fiat a capite calefacto, pariter oritur indicatio refrigerandi.Si fiat ab inani capitis repleto,oritur indicatio vacuandi: Et materia, quæ in caput fluit,eſt retrahenda:Et,ſi verbi gratia generet in iecore calidiori,oritur indicatio refrigerādi iecur.

Prognoſtica.

Sternutamentum,vt ſignum,eſt bonum:ſignificat enim virtutem robuſtam: vnde Auicennas ait, morti proximum non poſſe ſternutare,propter virtutis imbecillitatem:vt,ſi homo e medicamentis ſternutatoriis non ſternutet,cum Auicenna non ſit ſperandum de ſalute. Quod ſi vero ſternutamentum ſumatur vt habet rationem cauſſæ:modo eſt vtile,modo non vtile:vtile,dum materia eſt bene affecta; nam, ſecundum Auicēnam caput humidius exſiccat,ſuperuacua expellit,capitis grauitatem ſedat: iuuat etiam ad partum edendum,ad ſecundas excludendum.Non autem ſternutamentum eſt vtile,ſi fiat intempeſtiue:vnde Auicennas dicit,malum eſſe in principio catarrhi,nam caput replet:nocet etiam ſternutamentū febricitantibus,dum aſſiduum eſt:nam deiicit vires:non eſt etiam vtile,dum ſanguinis fluxum per nares promouet:nocet quoque ſi in pectore materia cruda & copioſa reſideat.Ceterum,quamuis noceat: poſſumus tamen ſalutem polliceri;nam poſſibile eſt caput euacuare,mordacem materiam attemperare, caput calefactum refrigerare,& caput ac totum euacuare.

Quoad

Quoad materias: sufficiat proponere medicamenta, quæ vel cohibent sternutamentum intempe- Curatio.
stiuum; vel tempestiuum imminutum adiuuāt. Quoad prohibentia, Auicennas probat *oleum rosat. oleum* 1.
de salicibus. Caput fouet Auicennas *aqua moderate calida*. Probantur odoramenta *e pomis erosis*: nisi sit pa-
tiens, qui a proprietate rosas ferre non potest. Probantur denuo odoramenta e refrigerantibus, *vt violis*.
Auicennas pro infantibus probat, *succum fluentem e renibus integris assis: oportet autem sumere succum, an-*
tequam renes e toto coquantur: & potest sumi hic succus, e renib. vituli, agni, vel arietis. Si sternutamentum fi- Oribas. cap.
at a flatu: cum Græcis probatur *oleum nardinum: probatur medicamentum confectū ex aniso & nigella*: nam 48 l. de cura
hæc dissoluunt flatus: vnde cessat sternutamentum. Addit Aetius, secundum Apollonii sententiam, opti- loc. affec.
mum esse, vt *ciconiæ pennæ* in cubiculo detineantur: vt impossibile sit, pueros sternutare, his præsentibus: Paull. c. 49. l. 2.
quod si verum est, a proprietate id efficiunt. Quoad medicamenta adiuuantia sternutamentum: Auicen- Cap 98. li. 6. c. 2.
B nas probat inter leuiora *apiū & aristolochiam*: fortiora sunt, *albus helleborus, piper*, & alia proposita in dol.
Diæta his correspondere debet.

CAPVT XXX.

De Affectione hydrocephala.

VItium hoc a cerebri excremento pendet. Per hydrocephalam affectionem, seu capitis hydropem, in- Nomen.
telligimus illud malum, in quo caput ita repletur excremento aquoso, vt in tumorem attollatur.
Generatur hoc malum, quoniam excrementum aquosum, in capite exsistens, ob vasorum, vel anapede- Generatio.
sin, vel anastomosin, vel diæresin, e vasis egreditur, & in capitis capacitatibus ita colligitur, vt tumorem
pariat. Quare hydrocephala affectio est tumor capitis, procedens ab excremento aquoso. Colligitur hæc
C definitio ex Aetio, cap. 1. lib. 6. Forma huius accidentis est tumor, & proinde magnitudo aucta: quæ si Definitio. Forma.
exigua sit, est symptoma; si ingens, morbus. Subiectum est caput; ad differentiam tumoris aliarum Subiectum.
partium.

Excrementum aquosum est caussa efficiens, sed continens ex vsu: nam hoc excremento posito po- Caussa efficiens.
nitur tumor; & remoto, saltem quoad sensum remouetur. Porro intelligere oportet excrementi aquosi
speciem, vitium, & caussam generantem. Quoad speciem; excrementum aquosum vel Syncerum est, vel 1. Species.
Mistum cum alia materia. Syncerum, est excrementum tenue chylosεως, quæ fit in vētriculo, quod excre-
mentum in iecur distribuitur, & hinc in totum, & hinc in caput; cum hoc excrementum sit sanguinis ve-
hiculum. Mistum cum alia materia, est excrementum serosum, mistum vel cum Cerebri excremento cras-
D so, vel cum Sanguine (: vt testatur Aetius:) Proinde cum alia materia semper coniungitur excrementū se-
rosum: nam si humor extra capitis vasa elabitur; multo magis serum egreditur, quia tenuius. Vitium per- 2. Vitium.
tinere potest ad Substantiam, Quantitatem, Qualitatem, & Vbi. Ad substantiam; post collectionem ma-
teriæ semper; ante collectionem nonnunquam: nam dum materia est collecta, necessario putrescit; ante-
quam colligatur, esse potest non putrida; at quandoque ante collectionem, capite male affecto, potest esse
putrida. Quoad quantitatem: peccat copia, quoniam est caussa tumoris. Qualitas materiæ collectæ, sem-
per est vitiosa, nimirum viscida & lenta: sed antequam colligatur, interdum potest esse vitiosa, interdū nō:
quemadmodum de vitio substantiæ diximus. Quoad vbi: secundum motum semper est vitii particeps, vt
mouetur e vasis extra vasa. Secundum sedem semper est vitiosa, nam quiescit in morbifica sede, quæ sedes
est in capite, & quidem vel Extra cranium, vel Intra. Si extra cranium, quiescit in spatio, vel Inter cranium
& pericranium, vel Inter pericranium & cutim: potest etiam attinere ad Alias partes, vt ad musculos tem-
E porales. Si materia intra cranium resideat: vel residet Inter cranium & membranas, vel Inter membranas
& cerebrum; non tamen in ventriculis, quia fieret epilepsia, apoplexia, carus, aut quid simile. Quoad caus-
sam, & potissimum vitii præcipui, hoc est, secundum motum; cum Aetio materia mouetur, quoniam in
vasis contineri nequit, ob caussam vel Obscuram, vel Euidētem. Ob obscurā, vt dum fit vasorum apertio,
vel secundum tunicas, vel secundum orificia: si secundum tunicas, fit diapedesis, ob humiditatem, vel te-
nuitatem tunicarum vasorum: si secundum orificia, fit anastomosis, quę producitur a materia copiosa, vel
acri, vel quæ cum impetu mouetur. Si caussa sit euidens, est διαίρεσις, quæ fit a plaga, ab ictu: vt frequenter
fieri solet in infantibus, dum obstetrices imperitæ manu duriori partium efficiunt attritionem & disru-
ptionem. Quoad caussam generantem; in hydrocephalo aliquo desideratur, verbi gratia, dum fit a caussa 3 Caussa
euidente; locum autem habet in hydrocephalo, in quo materia genita est, antequam vasa egrediatur. Et generans.
F generatur vel Læsa facultate, vel ob Errorem externum. Læsa facultate; ob intemperiem frigidam, vel ce-
rebri, vel hepatis, vel ventriculi. Ob errorem externum; si excremētum aquosum sit copiosius, vel ob im-
modicum potum, vel ob cibos aquosiores.

Quoad differentias a forma. In hydrocephalo, tumor nonnunquam est Symptoma, nonnunquam Differētiæ.
Morbus. Subiectum semper est caput; sed magis secundum vnam partem, quam secundum aliam. Ratio-
ne caussæ efficientis, sumi possunt differentiæ ab excremento aquoso, vt differt specie, vitio, caussa gene-
rante; quemadmodum diximus.

Malū hoc facilime cognoscitur: nam tumor persentitur in parte, in qua est collectio, & sentitur tu- Signa.
mor mollis, cedens ad digitorum contactum; præcipue, vt Paullus monet, si tumor sit inter cranium &
G cutim: alias enim minus mollis persentitur ob partes interpositas. Facile etiam differētiæ a forma cogno-
scuntur; num tumor sit magnus, vel paruus. Quoad subiectum; qua in parte tumor reperiatur, oculis cō-
spicitur. Ratione caussæ efficientis: excrementum potest esse Syncerum vel Mistum. Syncerum esse, & so-
lum, cognoscitur; si caput nec sit intemperatum, nec a caussa externa attritum vel percussum. Quod si in-
dicia sint capitis frigidioris, humidioris; iudicandum, cum excremento seroso, mistum esse cerebri excre-
mentum. Et, si a caussa externa caput sit attritum, statuendum, cum seroso excremento sanguinem esse

permiſtum. Facile etiam cognoſcitur excrementi vitium. Si enim ſit in ſubſtantia; cognoſcitur e fœtore. A Si in quantitate; e magnitudine tumoris: nam ſecũdum Aetium, interdum tam copioſa eſt materia, vt ſuturæ cranii rumpi videantur. Vitium in qualitate, cognoſcitur e capitis intemperantia: intenſum enim eſt vitium, ſi dyſcraſia intenſa. Vitium in motu cognoſcitur e mali origine: ſi enim, verbi gratia, vitiũ repente ſit obortum, ſignum eſt vehementis dyſcraſiæ. Materia quieſcẽs cognoſcitur; nam vbi quieſcit, ibi tumor ſentitur: & vt materia magis quieſcit circa extimas partes, ita etiam cum Paullo erit magis euidens, & magis mollis. At ſi materia ſit collecta intra cranium; indicatur e grauitate capitis, e vertigine, e ſenſibus obtuſis, e lacrymis; nec perſentitur tumor, niſi patiens ſit infans, propter oſſis mollitiem. Quoad cognitionẽ cauſſæ vitii; ſi fuerit διαίρεσις, indicatur e prægreſſa cauſſa ſoluente continuum, vt etiam ſit prægreſſus dolor. Si fuerit diapedeſis, aut anaſtomoſis, cognoſcitur inde, quod cauſſæ euidentes non præceſſerunt: & in diapedeſi tumor eſt minor, quam in anaſtomoſi, quia per tunicas rarefactas materia exigua egreditur, ſecus per aperta orificia. B Ratione cauſſæ generantis: vtrum ſpecies humoris genita ſit, vel læſa facultate, vel ob errorem externum; cognoſcitur ex alibi propoſitis.

Indicationes. Præſidia quæ ſunt ex vſu, ſumuntur a cauſſa tumoris, id eſt, a ſpecie materiæ, a vitio, a vitii cauſſa & a cauſſa generante ſpeciẽ. A ſpecie: ſi materia aquoſa; hæc euacuanda: ſi miſta cũ ſanguine; etiã ſanguis euacuandus. Quoad vitia: materia putreſcens eradicanda; non putrida etiam eradicanda; nã cum ſit extra ſedem propriam, niſi eradicaretur, corrumperetur. Copia minuenda, tanta quanta peccat. Qualitatis vitio non eſt occurrendum: nam dum materia eradicatur, qualitas euaneſcit. Quoad vitii cauſſam; ſi fuerit diapedeſis, vaſorum tunicæ denſandæ: ſi anaſtomoſis, vaſorum ora occludenda: ſi diæreſis, oritur indicatio vniendi. Quoad cauſſam generantem ſpeciem; vt morbus huius vel illius viſceris eſt in cauſſa generationis C materiæ, ita huic morbo occurrendum.

Prognoſtica. In genere periculum ex hoc malo imminens decerni nequit. Potiſſimum periculum pendet a vehementia dignitatis, vt ſi materia quieſcat in parte externa, malum vincatur: ſi intra cranium, cum Paullo eſt vitium incurabile; potiſſ. ſi materia colligatur intra meninges & cerebrum: nulla enim pene inſignis vehementia deſideratur. At cum Aetio, ſi forte non coniungatur vehementia facultatis, licet curationem tentare, ſed cum prædictione.

Curatio. Quoad materias cheirurgicas: hę probantur, dum materia ita copioſa eſt, vt reſolui non poſſit, vt nõ cedat medicamentis. Quomodo autem *ferro* ſit occurrendum, luculentiſſ. docet Aetius. Si materia nõ ſit tam copioſa, vt medicamentis ceſſura videatur; Auicennas probat *cochleas integras, quæ bulliant in decocto artemiſiæ, ſtœchados, calaminthæ mont. vel cucumeris aſinini, vel iberidis, vel ebuli: poſt cochleæ ita decoctæ, contuſæ & calidæ, capiti deraſo applicentur. Oportet autem vt detineantur, quouſque ſponte decidant.* D

CAPVT XXXI.

De Oculorum affectibus.

Tranſitio. AD oculorum mala iam nos conferemus; nam oculus, & ſecundum tunicas, & ſecundum neruos a cerebro oritur, & præterea gratia melioris vitæ cerebro præ reliquis ſenſoriis magis inſeruit. Cum autẽ oculus ſit organum, e pluribus ſimilaribus partibus conflatum, ſane oculus obnoxius eſt morbis in intemperie, mala compoſitione, & ſoluta vnitate. Hæc autem vitia ita ſe habent, vt nomen adipiſcantur, prout pertinent ad Cauſſam læſæ viſionis, vel ad Læſam viſionem. Enumeratio affectuũ oculorum. Quatenus ſpectant ad cauſſam læſæ viſionis, hæc vitia reſpiciunt oculum, vel ſecũdum Partem, vel ſecundum Totum. Si ſecundum partem; attinẽt vel ad Vnam partem, vel ad Plures. Si ad vnam partem; ſpectant vel ad Tunicas, vel ad Angulos. Si ad tunicas; E eſt vel Annata, vel Cornea, vel Rhagoeides ſeu vuea. Si malum attineat ad annatam, eſt Ophthalmia. Si ad corneam, dicendum de veſica, vlcere, ruptura, hypopyo. Si ſpectat ad rhagoeidem, agendum de mydriaſi, de conſtrictione pupillę, de ſuffuſione. Si malum pertineat ad plures tunicas, dicendum de ſugillatione, de vngue, de albugine. Si malum pertineat ad angulos, dicendum de epiphora, de rhocade, de encanthide, de ægilope, de anchilope. Si malum attineat ad totum oculum, agendum eſt de atrophia, de prominentia oculi, de ſtrabiſmo. Si reſpiciamus ad viſionem læſam; huius cauſſa agendum de lęſa viſione, & ablata, & imminuta, & corrupta, modo magis interdiu, modo magis noctu, vnde de nyctalope dicendum.

De Ophthalmia.

Nomen. GAlenus c.2.l.4.κ.τόπ. ait, lippitudines eſſe malum admodum frequens, quare de hoc modo diligenter dicendum. Dicitur ophthalmia a loco affecto, c.2.l.2.meth. Latini vocant lippitudinem, reſpicientes F ad excrementa lacrymis ſimilia. Per lippitudinem autem intelligimus tum notham, tum exquiſitam, & exquiſitam tum remiſſam, tum intenſam. Sicut enim febris notha, febris tamen genere continetur, ita & de lippitudine ſtatuendum. Spuria lippitudo vocatur τάραξις, ſeu conturbatio, ſeu vacillatio. Exquiſita, ſed remiſſa generis nomen retinet: exquiſita magna, vt nigrum oculi ab albo cooperiatur, dicitur chemoſis, Generatio. Auicennę vardenegi. Generatur, dum materia morbifica ita agit in tunicam annatam, vt eam in tumorem Definitio. attollat. Lippitudo ergo eſt tumor tunicæ annatæ oculi, procedens a materia morbifica. Forma. Forma huius vitii eſt tumor: qui in lippitudine notha eſt ſymptoma; in exquiſita eſt morbus compoſitus, cum eſſe poſſit inflammatio. At ſi inflammatio ſolum occupet annatam, vt eſt morbus compoſitus, eſt morbus, qui ex accidente viſus actionem impedit: nam eſt morbus per ſe tunicæ annatæ, & per accidens totius oculi, c.1.l.1. de ſympt. cauſſ. At ſi inflammatio non ſolum detineat annatam, ſed ita increſcat, vt nigrum oculi contegatur, G quemadmodum in lippitudine, quæ vocatur chemoſis: tunc eſt morbus, qui prima ratione viſionis actionem impedit: nam eſt morbus compoſitus, & ita compoſitus, vt plures occupet inſtrumenti partes; vt propterea ſit morbus primum totius inſtrumenti, a quo prima ratione perfecta actio celebratur. Subiectum. Subiectum eſt annata oculi, c.1.l.2.ad Glauc.c.2.l.4.κ.τόπ.

Cauſſa

Caussa efficiens. Caussa efficiens est materia morbifica. Huius autem materię species, e c. vlt. l. 13. meth. potest esse tum Minera, tum Vapor. Minera esse potest Sanguis, Bilis, Melancholia, Pituita. Si tumor fiat a sanguine vel bile; est lippitudo exquisita exacte. Si a melancholia, vel a flatibus; est lippitudo exquisita, non exacte. Si fiat e pituita; hæc pituita est vel Non lacrymalis, vel Lacrymalis. Si non lacrymalis; fit lippitudo exquisita, sed non exacte: si lacrymalis, id est, illa pituita, quæ in lacrymas solet commutari; fit lippitudo spuria, quæ τάραξις dicitur. Vitium materiæ morbificæ, potest attinere ad substantiam; si tumor fiat a materia putrida, a materia venerea. Ad copiam; nisi enim materia esset copiosa; tumorem non pareret. Vitium etiam pertinet ad qualitatem; ad caliditatem, si lippitudo fiat a materia acri; ad frigiditatem, si fiat vel a crassis humoribus, vel a flatibus. Spectat ad quietem; cum materia præter naturam quiescat in annata. Ad motum spectat; cum sit fluxus præter naturam. Huius motus terminus a quo, quandoque est Totum; quandoq; Pars: B & si pars, quandoque Ventriculus, quandoque Iecur, quandoque Lien, nonnunquam Vterus, sed præsertim Cerebrum, c. vlt. l. 13. meth. Spatium, sunt vasa, id est, Venæ & Arteriæ, eæque Reconditæ, aut Euidentes. Addit Auicen, materiam a cerebro descendere, per viam membranarum; vel Extra cranium, vel Intra. Terminus ad quem, est annata tunica: quæ Suscipit propter humiditatem, raritatem: Attrahit propter dolorem vel calorem. Caussa generans tum mineræ, tum vaporis, patet ex alibi dictis.

Differētiæ. Quoad differentias a forma. Tumor vel est Σύμπτωμα, vt in ophthalmia spuria: vel Morbus, vt in exquisita. Ratione subiecti, afficitur annata, vel secundum Vnum oculum, aut Dextrum, aut Sinistrum; vel secundum vtrumq;. Et afficitur annata vel Sola, vnde est lippitudo: vel simul cum Vicinis partib. vnde est chemosis. Ratione caussæ efficientis, sumuntur differentiæ a Specie, vitio, & Caussa generāte: vt diximus.

De arte signorum. Antequam proponamus signa lippitudinis; primum in genere de signorum fontibus agemus. C Aristot. ait c. 25. l. 2. rhet. enthymema fieri posse, tum ex aliis, tum quandoque e signo. Enthymema constat e propositione & conclusione. Signum est propositio, c. 27. l. 2. priorum analyt. Forma ergo signi, id est, propositio, subiectum habet animam: propositio enim non est ens extra animā, sed in anima. Caussa efficiens propositionis, non est sensus, vt apud empeiricos, sed intellectus: est autem intellectus, qui sensib. etiam vtitur, quia nihil potest esse in intellectu, quin prius fuerit in sensu: vt necessario ad signi productionem concurrat intellectus, non sine obiectis sensuum exteriorum. Intellectus autem non operatur citra vtilitatem, sed concurrit ea ratione, vt id quod est ignotum, id est, signatum, cognoscatur a posteriori, nimirū, via demonstrationis, vel ab effectu, vel a caussa, sed non immediata & prima. Hæc, nimirum, caussa & effectus, ita se habent ad signatum; vt si necessaria sint, signum dicatur τεκμήριον, seu argumentum: si non sint necessaria, nomine generis signum nuncupetur. Signum medicum quid sit? Signum ergo medicum est propositio, producta ab in- D tellectu, non sine obiectis sensibilibus, ostendens a posteriori ignotū in arte medica. Hinc sequitur, quod omne signum petendum sit, ab eo quod vel præcedit, vel sequitur signatum: quare vel a Caussa, vel ab Effectu. 1. Caussa. Caussa est Interna, vel Externa. Interna est caussa efficiens, per modum vel Productionis, vel Consecutionis. Caussa interna per modum productionis, est vel præter naturam, vel secundum naturam. Præter naturam, vt species caussæ morbificæ, id est, sanguinis, pituitæ, &c. & morbi: quos fontes tetigere Hippocrates & Gale. aph. 12. sect. 1. Caussa autem secundum naturam est, vt ibidem proponit Galenus, temperatura, ætas, consuetudo: & huc etiam pertinet signum, propositum ca. 8. art. med. quod sumitur ab his, quæ insunt, secundum essentiæ rationem, vt est temperies & compositio: signatum, eo in cap. est constitutio, cuius caussa est intemperies & compositio: quod si bona sit temperies, bona compositio; sunt caussæ bonę constitutionis. Caussa interna concurrens per modum consecutionis, tangitur a Gale. c. 14. l. 9. meth. & est E corporis temperies, quæ fuit antequam homo febricitaret: vt ex hac temperie, per modum consecutionis, prodeat febris recessus in tali gradu. Caussa aūt externa est, verbi gratia, aer calidior præcedens febrem; cibi biliosi, præcedentes febrem biliosam. Et hæc est caussa externa præter naturam. Caussa externa naturalis, est veluti constitutio parentum, ratione filii. 2. Effectus. Quoad effectum, cum Galeno ca. 8. & 10. art. med. effectus produci potest ab agente vel Interno, vel Externo. Si producatur ab agente interno, est effectus in corpore, cuius corporis signatum est cognoscendum. Effectus autem vel est Primarius, vel Secundarius. Primarius est, qui tempore postponitur signato, & a signato producitur, vt, verbi gratia, est morbus frigidus ventriculi, si conferatur cum diminuta coctione, nam tempore præcedit, & est caussa coctionis diminutæ: quemadmodum etiam macies in febribus hectica. Effectus autem secundarius est, quem tempore præcedit signatum & signatū non est ipsius caussa. V. g. signatum sit temperies sanitatis instrumenti, signum erit F magnitudo, erit figura: & hi effectus tempore posteriores sunt ipsa temperie, non tamē sunt effectus temperaturæ, sed formatricis. Hinc recte Gale. ait, c. 9. l. 1. de vs. p. effectus alteratricis sequi temperiem; formatricis autem effectus accidere temperaturæ, quia non sunt effectus producti. Effectus qui producitur ab agente externo, proponitur cap. 10. art. med. vbi dicitur, quod aliud sit præter omnia proposita, nimirum alteratio (id est, effectus:) quæ fit ab extrinsecus occurrentibus: reliqua autem proposita, erant effectus agentis interni: & hæc alteratio oritur a iuuantibus, a lædentibus; vt signum sit effectus, quatenus est alteratio caussæ externæ. In vniuersum ergo signorum fontes rediguntur vel ad caussam, vel ad effectum; siue signatum sit præteritum, siue præsens, siue futurum; siue signum sit pathognomonicum, siue assidens, siue mox apparens, siue alio modo occurrat.

Oculi sani temperaturam quæ signa indicent, secundum Auicennam. G Auicennas in crasi oculorum ab his fontibus signa petit. Nam quoad effectum caussæ internæ, signa petit ab excremento, ab actione, a qualitate. Quoad actionem, signa sumit ab actione propria & communi. Propria actio est visio: si ergo bona sit visio, indicat oculi temperaturā fortem, id est, in habitu, & æqualem, secundum omnes oculi partes. Si debilis sit visio, indicat defectum, sed intra latitudinem sanitatis, in complexione, & compositione. Bona autem visio est, dum homo & procul, & prope videt, exacte, etiam obiectum minimū, nec a forti visibili læditur. Debilis contra. Actio communis, est animalis, vel naturalis.

Animalis;vt eſt oculi motus:qui ſi facile fiat,indicat oculi temperiem calidam,aut ſiccam:ſi difficulter fiat A
motus, indicat frigidam & humidam. Actio naturalis manifeſtatur ex excrementis, vt e copioſis excre-
mentis,verbi gratia,indicatur temperies humida. Quoad qualitatem;cum Auicenna,procedit,cauſſa,vel
totius oculi vel partiū.Si cauſſa totius oculi;reſpicere oportet ad qualitatem, vt eſt obiectum ſenſuum ex-
ternorum,vel Proprium,vel Commune.Proprium,ratione tactus & viſus.Ratione tactus e caliditate in-
dicatur temperies calida,e frigiditate frigida,e duritie ſicca,e mollitie humida. Ratione viſus,e colore ru-
bicundo,citrino,indicatur temperies calida;e colore plumbeo,frigida.Quoad obiectum commune,per-
tinet ad figuram,ad magnitudinem. Figura bona,ſignificat fortitudinē in creatione,& hinc temperiem.
Magnitudo proportionata,indicat bonam temperiem. Si reſpiciamus ad qualitatem,ratione partium o-
culi: cum Auicenna, e venis magnis indicatur temperies calida:e venis plenis, indicatur humida, e venis B
exiguis,indicatur frigida: e venis vacuis,indicatur ſicca. Tandem,quoad effectum ratione cauſſæ exter-
næ;ſi alteratio facta a calidis,iuuat;indicatur frigida intemperies,& contra. Vt hinc manifeſtum ſit,oculi
natiuam temperiem indicari cum Auicen. a neceſſario conſequentibus,& nequaquam ab eſſentialiter in-
hærentibus.Nam e c.8.art.med.eſſentialiter inhærens,diſtinguitur a neceſſario conſequentibus,vt ſigna,
quæ ſecundum ſubſtantiæ rationem inſunt,non ſint vſurpanda in cognitione temperaturæ: nam ſigna-
tum eſt temperatura, & temperatura eſt, quod ſecundum eſſentiæ rationem ineſt:Quare idem eſſet ſignū
& ſignatum. Vt ſigna,quæ inſunt ſecundum ſubſtantiæ rationem, cum ſint temperatura, & compoſitio,
ſolum locum habeant,dum ſignatum eſt conſtitutio, prodiens e temperatura & compoſitione;ſiue con-
ſtitutio attineat ad totum corpus, ſiue ad partem & inſtrumentum; ſiue conſtitutio ſit bona,ſiue ſit mala;
& præterea, ſiue conſtitutio ſit in latitudine ſanitatis, ſiue extra latitudinem. Semper ergo ſigna tantum C
ſumenda ſunt a cauſſa & effectu.

Signa lippitudinis in genere.

Iam loquemur de ſignis indicantibus lippitudinem. Ophthalmia ergo in genere indicatur e necceſ-
ſario conſequentibus,id eſt,actione,excremento,& qualitate.Actione;vt indicatur e dolore;nam oculus
vt exquiſiti ſenſus facile dolet. Indicatur ex excremento, vt in lippitudine excrementum emanat ob ra-
ritatem tunicæ. Indicatur e qualitate,hoc eſt,e magnitudine aucta,quia adeſt tumor; e rubedine oculi,nā

Signa differentiarū. A forma. A ſubiecto. A cauſſa effic.

portio etiam exigua ſanguinis,albam tunicam reddit rubicundam. Quoad ſigna differentiarum, & pri-
mum ratione formæ:tumorem eſſe ſymptoma,& hinc eſſe ταραξιν,id eſt,ſpuriam lippitudinem cognoſci-
tur e ſymptomatum remiſſione,& e prægreſſis cauſſis externis.Si contra;iudicandum,tumorem eſſe mor-
bum.Ratione ſubiecti,differentiæ patent;an nimirum,ſubiectum ſit vel vnus oculus,vel vterque: ſimili-
ter etiam patet,an tumor cooperiat pupillam,id eſt,num ſit chemoſis. Differentiæ ratione cauſſæ effici- D
entis,ſumuntur a materiæ ſpecie,vitio,& cauſſa generante. Quoad ſpeciem,cum ſit ſanguis,bilis,pituita,
melancholia,flatus: Sanguis cognoſcitur e dolore extenſiuo,ex excrementis,quæ plurima non egrediun-
tur tempore ſomni:præterea ex excrementis non admodum mordacibus, e rubedine admodum euiden-
ti (:rubedo eſt ſignū ophthalmiæ in genere:magna rubedo eſt ſignum ophthalmiæ a ſanguine:) præter-
ea ſanguis indicatur e pulſatione temporum, & e cauſſis prægreſſis,vi quarum poteſt ſanguis generari, de
quibus in dol.cap. Bilem eſſe in cauſſa ophthalmiæ, cognoſcitur e dolore inſigni: præterea e ſenſu mor-
dacitatis,vt veluti oculus exulceretur;e ſenſu caliditatis;præterea e lacrymis tenuibus mordacibus, quan-
doque vlcerantibus,citrinis: adhæc e rubedine,ſed miſta cum flauitie.Pituita indicatur e ſenſu grauitatis,
cum remiſſo calore,ex excrementis tepidis,vix mordentibus,niſi ſalſa ſit pituita;e viſcidis excrementis,vt
fiat agglutinatio in ſomno; præterea e rubedine miſta cum albedine. Melancholia indicatur e grauatiuo E
dolore,ſed remiſſo,citra ſenſum caliditatis,niſi ſit atra bilis; ex excrementis craſſis, ad nigrum vergenti-
bus;e rubedine obſcura,id eſt,declinante ad nigrum. Flatuoſa materia cognoſcitur e dolore extenſiuo,ſi-
ne grauitate;ex abſentia lacrymarum, e rubore exiguo,quatenus vi doloris trahitur ſanguis. Quoad co-
gnitionem vitii: materia ſecundum ſubſtantiam peccans,& proinde putrida,cognoſcitur e tumore ca-
lido inflammatorio, vt vehementia ſint ſymptomata. Quantitas maior cognoſcitur e maiori tumore:
minor, e minori. Quoad qualitatem:quæ ſigna indicant bilem vel ſanguinem,indicant caliditatem:quæ
ſigna manifeſtam pituitam vel melancholiam,indicant frigiditatem;niſi pituita ſit ſalſa, vel melancholia
exuſta.Quoad vitium ſecundum,vbi materia magis quieſcens cognoſcitur,ſi medicamentis non cedit.Vi-
tium ſecundum motum,hac ratione cognoſcitur:vt fluxus velocior indicetur a ſymptomatis,prout cele-
riter oborſuntur. Quoad terminum a quo; an ſit totum, vel pars,cognoſcitur e ſignis,indicantibus vitia F
vel totius,vel partis. Quoad ſpatium; ſi euidens fuerit,cognoſcitur e vaſorum externorum amplitudine,
e pulſu,e frontis extenſione,e rubedine,e tumore palpebrarum: ſi contra, iudicandum erit ſpatium eſſe
reconditum. Quoad terminum ad quem;num oculus habeat rationem termini ad quem,vel vt ſuſcipit,
vel vt attrahit,euidentiſſime patet e ſuperius traditis.

Indicationes.

Cum lippitudo ſit tumor annatæ oculi,procedens a materia morbifica:a tumore, vt eſt magnitudo
aucta,non poteſt ſumi indicatio vtilis. Ratione ſubiecti,in omni oculorum vitio,quod indicat, eſt calidū
oculi innatum,vt eſt particeps ſpiritus animalis,reſidens in humore cryſtallino: & hoc calidum indicat a-
limentum,ea copia & qualitate, vt oculi calidum conſeruetur. Sed præterea oculi proportio requirit re-
medium,fouens oculi proportionem. Ratione cauſſæ efficientis,vt hæc eſt multiplex ſpecie,vitio & cauſ- G
ſa generante;ita variæ hauriri poſſunt indicationes:quæ omnes patent e ſuperius traditis.

Prognoſtica.

Lippitudo in genere eſt malum curabile,niſi error committatur:cap. 2. lib.4.κ.τόπ.cap.2 lib.3.meth.
cap.vlt.lib.13. meth.At pro vehementia differentiarum prognoſticum variat.Vnde ratione formæ;lippi-
tudo facilius tollitur,ſi tumor ſit ſymptoma:nam vehementia eſt remiſſa & ratione eſſentiæ,& ratione di-
gnitatis,quia non cooperitur pupilla. Si tumor ſit morbus, difficilius tollitur, & præſertim ſi fuerit che-
moſis:nam adeſt vehementia inſignis & eſſentiæ, & dignitatis, quandoquidem & magnus eſt tumor, &
pupil-

A pupillam tegit. Ratione caussæ efficientis: prognosticum potissimum petendum ex specie, & vitio. Quoad speciem: Si materia fuerit flatus; facilius cedit, quam minera. Si perpendamus vitium; lippitudo est difficilioris curationis, prout materia est magis putrida, magis copiosa, calida, abradens: quamuis materia etiam frigidior & crassior difficulter superetur, ob vehementiam essentiæ. Quoad vitium secundum Vbi: Hippocrates respiciens ad motum, aphor. 17. sect. 6. ait: lippientem alui profluuio corripi, bonum: nam vitium in motu non est vehemens, cum materia moueatur ad aluum. Auicennas addit, respiciens ad motum & quietem in regione meridionali, lippitudinem facile curari, propter raritatem pororum, & solutionem naturæ ipsorum ægrotantium; contra in regione frigida: Regio videlicet signum est, vitii magis vel minus vehementis secundum essentiam materiæ morbificæ; nam in calida regione, materia morbifica non ita B quiescit, propter poros latos; nec ita materia petit oculum cum moueatur ad aluum: Regio ergo calida, ceu caussa latitudinis pororum, & lubricitatis, est signum a caussa sumtum. Quoad spatium, Galenus capite vlt. lib. 13. meth. ait; malum facilius adimi, si materia fluat per spatia externa; hæc enim minoris sunt dignitatis. Vtrum autem euentus lippitudinis futurus sit cito vel tarde, Auicennas declarat, inquiens lippitudinem esse velocis motus, si lacrymæ magis currant, & sint mordaces; nam indicant velociorem motum materiæ. Contra statuendum si lacrymæ ægre fluant: nam indicant materiæ motum tardiorem. Et hæc de prognostico. Ad materias progrediemur. Euentus ophthalmiæ.

Quoad cheirurgiam: Vena secanda est, dum sanguinis vitium est vehemens; quod vitium vehemens indicatur a lippitudine vehementi. Hinc Rhasis iubet venam esse secandam, nisi lippitudo sit leuis. Est ergo vena potius secanda in exquisita lippitudine, quam in ταράξει, seu leui lippitudine: leuis enim C lippitudo designat sanguinis vitium debile. Porro, dum vehemens est sanguinis vitium: sanguis habet rationem vel caussæ principalis, vel adiuuantis, vel sine qua non. Sanguis quidem caussæ principalis habet rationem, in lippitudine sanguinea: adiuuantis in biliosa, si cum bile sanguis est missus: habet rationem caussæ sine qua non, in omni specie lippitudinis. Cum autem in euacuatione respicere oporteat, ad speciem humorum: recte iubet Galenus in oculorum dolore, redundante sanguine, venam esse secandam: infestante malitia, id est, cacochymia, esse purgandum: commentario aphorismi 31. sectionis sextæ, & capite vltimo libri decimitertii methodi. Rhasis, ad quid agendum specificum respiciens; addit: quo fortior lippitudo fuerit, eo plus sanguinis esse detrahendum: nam fortior lippitudo, est signum copiosioris sanguinis. Quoad vsum: Auicennas dicit, si lippitudo sit admodum vehemens, esse euacuandum sanguinem, vsque ad timorem leipothymiæ; nam sanguinis euacuatio plurima, id est, vnica vice vsurpata, D sanat spatio vnius horæ: ratio Auicennæ est: dum enim vehemens est lippitudo, insignis est sanguinis actio, a qua sumitur quantum agendum. Liceat etiam monere circa vbi: Aetium secare venas supernas, id est, cephalicam. Auicennas inquit, secandam esse cephalicam in omni specie lippitudinis. Rhasis addit, secandam esse cephalicam in manu vel brachio partis oppositæ oculo infirmo: nam Vbi agendum indicatur a sanguine, vt in aliquo loco subsistit: in hoc malo sanguinis subsistentia capitur, vt sequitur sanguinem, qui vel sua copia affligit oculum, vel motu potest affligere. Si ergo perpendatur sanguinis subsistentia, vt copia sua oculum affligit; vena eiusdem lateris secanda: &, si virtus robusta sit, secanda vena brachii; si non admodum robusta, secanda est vena manus. Si autem subsistentia sequatur sanguinem, vt suo motu potest oculum affligere; cum Rhasi vena oppositi lateris secanda; nam quo a longinquioribus fit euacuatio, eo reuulsio etiam est melior: vt liceat etiam quandoque venas infernas E aperire.

Auicennas præter propositas materias cheirurgicas, probat etiam ventosam infra occiput: siquidem est materia strenue retrahens ab oculis. Cucurbit.

Dum fluit materia per arterias externas, Galenus probat sectionem arteriarum, ca. vlt. lib. 13. meth. Præterea probantur etiam frictiones, & ligaturæ. Arteriotomia. Frictiones: Ligaturæ.

Auicennas laudat cauterium in sutura coronali, in lippitudine quæ fit a catarrho contumaci. Cauterium

Quoad medicamenta: in opthalmia probantur, & Anodyna propter dolorem, & Sanantia. Anodyna, quæ ratione Iudicii sunt administranda; patent e sermone de dolore capitis. Anodyna autem caussa Receptionis, sunt Calida, vel Frigida. Medicamenta sanantia, respiciunt vel Materiam morbificam, vel Oculi proportionem. Et si respiciunt materiam; respiciunt materiam vel Extra oculum, vel In oculo. Et F si extra oculum; vel in Toto, vel in Capite. De his ergo medicamentis dicendum. Pharmaceia.

Anodyna frigida sunt, *succus lactucæ, solani, pomorum mandragoræ: sed medicamentum etiam confici potest e seminibus & capitibus papaueris, item ex opio. Vnde Rhasis probat collyrium vel Sief album, quod præter cerussam, sarcocollam, tragacantham, recipit etiam opium.* Monet autem Galenus capite secundo libri tertii methodi, & capite vltimo libri duodecimi methodi, vt in grauissimis doloribus, non autem semper, stupefacientibus vtamur, hoc est, opium recipientibus: nam hæc medicamenta nimis nocent oculis vt quandoque visio ita lædatur, vt nunquam redeat ad statum naturalem. Quare collyrium ex opio probatur solum dum magna necessitas vrget, hoc est, dum dolor est acerbissimus, & potissimum si est vehemens ratione facultatis, id est, dum imminet syncope, & hinc mors. Quamobrem Auicennas, non in qualibet lippitudine, sed in ea, quæ fit a materia tenui & corrodente, medicamentum G opiatum probat: in hac enim opiatum potius est remedium sanans, quam anodynum; nam sanat materiam, id est, remouet vitium materiæ, vt dolor non reuertatur, quoniam corrigit materiæ tenuitatem & acrimoniam: vt non solum conferat mitigando dolorem, sed ita agendo in materiam, vt materia morbifica non possit amplius soluere continuum, caussaque doloris esse. Improbantur ergo medicamenta opiata, si dolor fiat a flatu. Verum, quoniam medicamentum opiatum agit, non tantum in materiam morbificam, sed etiam in oculi calidum innatum, & intemperiem: ne his noxa accidat, secundum Anodyna. 1.

Auicennam probatur cum medicamento opiato, *aqua cum saccharo, aqua cum melle*, vt oculus non lædatur: & Galenus huius rei gratia ascendit *ad collyrium e cinnamomo*. Quoad rectam opiatorum amministrationem: & primum, quoad Quantum agendum; non probatur magna dosis, verbi gratia. *℞. sief albi, cum opio ʒß. lactis muliebris, aquæ saccharatæ an. ʒ vj. Misce.* Quoad modum: opiatum applicetur actu tepidũ. Quoad Quando agendum: vsurpetur dum dolor vincit alia indicantia: quare raro. Quoad Vbi agendum: applicetur temporibus, fronti, prope oculos, &, vrgente necessitate, intra oculum. Galenus cap. vlt. lib. 12. meth. proponens *medicamentum e castorio, & e succo papaueris*, hoc medicamentum instillat in aures: ratio est; nam huius medicamenti vis perducitur non ad oculos, quia nullæ sunt viæ, sed ad cerebrum, vnde fit somnus; & tunc cerebrum propter somnum, vt organum facultatis iudicantis, redditur ineptum ad iudicandum obiectum dolorificum, ad tempus, id est, tempore somni. B

Quoad anodyna non opiata, cum Galeno c. vlt. li. 13. meth. probatur *album oui: sed probare etiam licet ouorum vitellos. ouum etiam integrum, concussum cum aqua rosacea. Probatur etiam pomum decoctum cũ saccharo. Potissimum probatur ca. 2. li. 4. κ. τόπ. lac recenter expressum ex vberibus iuuenculæ, & temperatæ, & bene nutritæ. Probatur etiam farina hordei, cum oleo rosaceo, & luteis ouorum. Alexander loco farinæ hordeacea, vtebatur mica panis, cum rosaceo, & ouo.* Sed notandum, oleum esse oculis inimicum; nam dum oleum est particeps excrementi serosi, non est expers mordacitatis: & ob id cum Galeno ca. 18. li. 2. simpl. oportet vt oleum sit dulce, candidum, & hinc separatum a sero, a portione mordaci: sic enim non erit oculo infensum, & præsertim, si permistum adhibetur. Verum, cum lac oportunum sit medicamentum; notandum cum Auicenna, non dimittendum esse lac instillatum in oculum longo tempore; sed remouendum, & omni hora renouandum. Hoc dictum non pertinet ad methodum medendi, ratione primæ materiæ, C id est, corporis humani; nam hoc fit, quoniam lac diu retentum in oculo corrumpitur; hoc ergo pendet e natura lactis, quatenus facile putrescit. Et hinc Auicennas addit, non esse necessarium, vt album oui renouetur; nam si per horam dimittatur, non nocet: oui ergo album hac in parte præstantius est lacte, quamuis lac magis abstergat. Et propterea hæc Auicennæ dicta non pertinent ad Quando agendum. Quoad modum anodynorum: anodynum debet esse emplasticum, in lippitudine ex inflammatione; & in vigore debet esse tepidum; in principio ad teporem aliquem accedere debet: & ratio est, quia in principio adest dolor, & materia per modum repercussionis est retrahenda: in statu est quidem dolor, sed materia est vacuanda per resolutionem.

Quoad anodynum, quod est calidum in primo, & tenuis substantiæ: cum Galeno ca. 1. li. 4. κ. τόπ. est *spongia, infusa in decocto meliloti, in decocto fœnugræci.* Et notandum, e ca. vlt. lib. 13. meth. in vsu cuiuslibet D anodyni, & cuiuslibet medicamenti ocularis, superiorem oculi genam, blandissime attollendam: & mox medicamentum infundendum.

Vacuantia totum, & caput.

Medicamenta sanantia, respiciunt Materiam, vel Proportionem. Ratione materiæ; & quidem exsistentis extra oculum; & primum in toto corpore; probantur lenientia, præparantia, purgantia, varia, pro varietate succorum: de quibus capite de cephalalgia. Id solum monere sufficiat; in lippitudine non esse negligenda vacuantia totum corpus: nam oculorum dolores soluuntur epoto medicamento soluente, aph. 31. sect. 6. & præterea Hippocrates ait, aph. 17. sect. 6. lippientem alui profluuio corripi, bonum: quod naturæ exemplum medicus imitari debet, secundum Galenum in comm. Quoad medicamenta ratione capitis; Auicennas probat euacuationem capitis, & per os, & per nares: probat autem medicamenta, quæ extrahunt partem materiæ, non totam, nec trahunt materiam ad oculum: vt probentur mitiora caput euacuantia, de quibus capite octauo primi huius libri egimus. E

Topica. Extergentia.

Medicamenta ratione materiæ in oculo sunt duplicia: prout materia morbifica residet, vel Extra tunicam adnatam, vel In adnata. Si materia resideat extra adnatam; cum Auicenna oportet oculos assiduo mundificare a lacrymis, a lacte instillato, &c. huius gratia oculus abluendus est *cum albo oui conquassato cum aqua hordei, vel sacchari, nec non rosacea.* Addit Auicennas, contactum esse debere cum facilitate. Ratio est: primum enim mundus est seruandus oculus; nam materia morbifica hærens, dolorem intendit, & medicamentorum operationem prohibet sua præsentia: secundo, probatur tactus facilis, propter virtutem, quæ dissoluitur ratione tactus difficilis, quo dolor excitatur, calor intenditur, & materia attrahitur. Ratione materiæ morbificæ in adnata; scire oportet, huius vitium attinere ad Copiam, vel ad Vbi. Si ad copiam; probantur medicamenta vacuantia, per modum repercussionis & resolutionis. Si peccatum sit se- F cundum vbi, vt vitium attinet ad motum, probantur medicamenta retrahentia, per modum repercussionis, & interceptionis. Si vitium spectet ad quietem, probantur medicamenta vacuantia per modum resolutionis. Quare proponemus medicamenta Intercipientia, Reprimentia & Resoluentia.

Intercipientia.

Intercipientia cum Galeno ca. vlt. lib. 13. meth. probantur, dum materia fluit per vasa externa: cuiusmodi est *medicamentum quod conficitur e rosis, hypocistide. gallis immat. malicorio, sanguine dracon. bolo Armena, santalis, an part. aqual. & hoc medicamentum excipi potest succo coriandri, endiuiæ, vel aqua rosacea: vt, si materia sit frigidior, excipiatur medicamentum intercipiens succo coriandri, vel vino adstringente: & præterea si materia est frigida, addere licet crocum, salem, nucem cupressi: si materia sit calida, excipiendum medicamentum intercipiens aqua rosacea, vel etiam aqua plantaginis.* Circa vsum sufficiat admonere cum Auicenna, medicamentum hoc intercipiens non esse applicandum oculis, sed vasis, per quæ materia fluit. G Rhasis applicat fronti & palpebris. Diligenter cauendum, ne hoc medicamentum oculum ingrediatur, nocet enim nimia adstrictione.

Reprimentia.

Reprimentia & resoluentia in hoc conueniunt, quod intra oculos sunt immittenda. Quoniam aũt oculus promtissime patitur, ad differentiam aliarum partium, quæ inflammatione laborant; oportet hæc medicamenta aliquid peculiare obtinere; nimirum vt non sint acria, non amara, non salsa, non acida, neq; aspera,

A aſpera, capite ſecundo, libro quarto. *κ.τόπ.* capite vltimo, libro decimotertio, method. capite ſecundo,
libro ſecundo, ad Glaucon. ne talia medicamenta violenter in oculos agendo noxam inferant. Probatur
ergo medicamentum, quod ſit expers mordacitatis, mediocriter craſſum, lentum, læue, hoc eſt, æquale:
expers enim mordacitatis & æquale, agit citra violentiam; craſſum vero & lentum, non ſolum citra vio-
lentiam agit, ſed præterea etiam diu manet in oculo; vt per moram ſtrenue agat in materiam morbifi-
cam, nec frequenter medicus cogatur renouare medicamentum, & hinc palpebras genaſque attollere.
In ocularibus igitur medicamentis, mordacitas, & aſperitas corrigenda. Mordacitas pendet, vel e cali-
ditate, quemadmodum in medicamentis acribus, amaris, & ſalſis; vel e frigiditate, vt in acidis. Si pendeat
e caliditate, medicamenta infundenda bis & ſæpius, *in aqua roſacea, in aqua endiuiæ, in aqua hordeacea,*
in lacte. Si mordacitas pendeat e frigiditate; corrigenda eſt *decocto vel paſſularum, vel caricarum, vel fœ-*
B *nugræci, vel meliloti; vel etiam cum vino ſubdulci.* Quoad aſperitatem; cum Auicen. medicamenta ſunt
conterenda, vt læuia & æqualia reddantur. Expedit etiam medicamenta diligenter abluere: vnde *fœnu-*
græcum abluendum eſt, vt puluis, ſi quis adeſt, beneficio ablutionis amoueatur. Quod ſi ergo contingat,
vt medicamentum in puluerem tenuiſſimum redactum, ab oculo non perferri queat; puluis etiam te-
nuiſſimus incluſus panno lineo, immittatur in dilutum, ſiue ſit aqua roſacea, ſiue decoctum fœnugræ-
ci, vt medicamentum inſtilletur in oculum, per expreſſionem panni linei: ita enim citra omne incom-
modum aget. Sed medicamenta non tantum ante ipſorum vſum corrigenda ſunt, vt diximus: verum
etiam in ipſo vſu & adminiſtratione. Quæ autem corrigunt, præſertim ſunt liquida, quibus collyria ex-
cipiuntur, *vt eſt aqua roſacea, album oui, lac, &c.* Pro ſingulis collyrii drachmis, excipiens liquidum
ſit ab ʒß. ad ℥j. & ſi oculus ſit exquiſitioris ſenſus, aſcendatis etiam ad ℥ij. Hinc Galenus capite ſecun-
C do, libro quarto, *κ. τόπ.* iubet, vt in medicamentis, in quibus valide aſtringentia dominantur, pluri-
mum albuminis oui, cum pauciſſimo collyrio miſceatur. Si aſtringens medicamentum non ſit ita vali-
dum, ſi collyrium non ſit ita aſtringens: eſt miſcendum cum liquore in minori copia: ratio eſt: quo e-
nim collyrium magis efficax eſt ad excitandum dolorem, eo corrigens indicat validius, & proinde in
maiori copia, cum in hac ſit maior virtus. Ceterum, quoad reprimentia, cauendum eſt a vehementio-
ribus, vt eſt *acacia, omphacium, balauſt. gallæ immat.* &c. capite ſecundo libri quarti *κατὰ τόπους*: hæc enim
exaſperant, denſantque membra, & prohibent reſolutionem materiæ; & ſic in cauſſa ſunt, vt dolor inten-
datur. Quod ſi tamen oculi aciem diſperſam exacuere & vnire voluerimus, parum quid miſcere oportet
aſtringentium vehementium, quoniam oculi ſubſtantiam cogunt & aſtringunt. Dum ergo in lippitu-
dine ſcopus eſt ſolum reprimendi; leuia ſaltem & mediocria aſtringentia probantur, nequaquam vehe-
D mentia. Hinc Auicennas in principio improbat vehementer ſtiptica, quia tunc temporis ocularia diri-
genda ſunt ad materiam copioſam & craſſam, non ad vniendum aciem oculi diſperſam, ſpiritusque ani-
males diſſipatos, aut ad calidum innatum cryſtallini vniendum: nam materia copioſa & craſſa in princi-
pio magis poteſt ad prohibendum vehementer adſtringentia, quam oculi acies ad eadem indicandum:
contra, procedente malo, dum materia morbifica minuitur, & acies oculi diſperſa magis magiſ-
que diſpergitur; tunc vehementer aſtringentibus vti poſſumus, nimirum poſt principium. Por-
ro commodiſſima ſunt mediocriter aſtringentia, ſecundum Galenum loco citato, niſi in oph-
thalmia materia ſit admodum craſſa & frigida, ſiue humor ſit, ſiue vapor, vt reprimentibus non cedat,
capite vltimo, libro decimotertio, method. Galenus igitur loco citato probauit, *roſarum folia, flores,*
ſuccum, vt liceat vti aqua roſacea, aſcendit ad hypocyſtidem, ad pompholygem, ſpodium, amylum, plumbum
E *vſtum, & lotum, ceruſſam lotam: & hæc excipi poſſunt aqua pluuiali, albo oui, aqua roſacea.* Quoad vſum:
& primum quoad Quantum, hæc poterit eſſe formula: ℞. *florum roſarum ʒj. tutiæ lotæ. ſpodii loti, ceruſ-*
ſæ lotæ, amyli, tragacanthæ an. ℈j. contundantur & fiat collyrium: cuius vſus ratione quantitatis erit: ℞. *præ-*
dicti collyrii ʒ ß. *aquæ roſaceæ ℥ vj Miſce.* Prima recepta pertinet ad artem componendorum medica-
mentorum: ſecunda ad methodum medendi, vt dirigitur ad Quantum agendum. Quoad modum: re-
primentia actu frigida applicanda; at frigiditas non admodum erit intenſa, nec oculus ligandus, alias re-
primentia per oculi contactum calefiunt, & oculũ recalfaciunt. Expedit ergo panno lineo tenui, made-
facto in aqua roſacea, fouere oculum; ita enim reprimens efficacius aget. Quoad quando agendum: re-
primentia ſunt vſurpanda; dum materia morbifica reprimenda non ſuperatur ab aliis indicantibus. Vin-
citur autem materia reprimenda, a materia replente & totum & caput. capite primo, libro quarto, *κ. τόπ.*
F & ſic recte non admittuntur vel reprimentia, vel anodyna, dum corpus eſt repletum, aphoriſ. 31. ſectio.
ſexta. Non igitur licet vti collyriis reprimentibus, ſecundum Auicennam, niſi poſt tres dies. Materia au-
tem reprimenda, dum facta eſt euacuatio & totius & capitis, vincit alia indicantia: quatenus videlicet ma-
teria vel fluit, vel, ſi fluxit, non eſt impacta: vnde inter initia ſolis reprimentibus vti licet; in augmento de-
bent eſſe miſta cum reſoluentibus, cap. 2. libr. 4. *κ.τόπ.* verbi gratia. ℞. *florum roſarum, ſpodii lotii, ceruſſæ* Reſoluen-
lotæ, an. ℈j. hæc ſunt reprimentia: deinde adde ſpicæ, croci, myrrhæ, thuris, an. ℈ v. fiat collyrium ſiccum. ℞. tia.
huius collyrii ℈j. vitellos ouorum num. ij. aquæ roſaceæ ʒß. vini ſtiptici ʒij. Miſce. Et hoc medicamentum, vt
recipit reprimentia in maiori doſi, quam reſoluentia; ita magis probatur in initio incrementi, quam ver-
ſus ſtatum. Quod ſi malum magis accedit ad ſtatum; reſoluentium doſis eſt augenda. Vnde Galenus cap.
G vltim. libr. 13 method. inter reſoluentia probat *fomentum, confectum ex aqua dulci, moderate calida; probat*
decoctum fœnugræci; nam cum Galeno capite primo, libro quarto. *κ.τόπ.* diſcutit moderate, calfacit ſine
morſu, quia ſuccum habet viſcidum, vt oui albumen. Probatur etiam *fomentum e mylio, e thure, e caſto-*
rio, ſpica, croco, e fellibus animalium, e feniculo, ex euphragia, & aliis, propoſitis a Galeno. Notandum autem
hæc non eſſe excipienda aqua roſacea, nec albo oui ſed lacte, quod virtute ſeri, ſine morſu vim habet detergendi.
Sed medicamenta reſoluentia excipi poſſunt etiam luteis ouorum, aqua feniculi, euphragiæ, rutæ, & ſimilium.

Horum autem vsus, quoad *Quantum* agendum, idem esse debet, qui fuit propositus de reprimentibus. A
Quomodo. Admouentur resoluentia, vt tepida, vel calida: non actu frigida, vt reprimentia. *Quando*. Administranda sunt post vacuationem totius & capitis: ca. vltim. l. 13. meth. Auicennas, cum proposuisset vaporem esse administrandum cum tepidis medicamentis; addit, sufficere quandoque bis vti, aut semel, & quandoque esse necessarium, vt iteretur medicamentum, secundum fortitudinem & debilitatem lippitudinis: ratio est: nam indicans, vincens alia indicantia, quo diutius vincit, eo etiam diutius est vsurpandum medicamentum; at indicans diu vincit, dum fortis est lippitudo: Ergo in forti lippitudine repetendum est medicamentum.

Sequuntur medicamenta, quæ respiciunt id quod est secundum naturam in oculo. Hæc ergo vel respiciunt oculi proportionem, & probantur in ophthalmia, siue oculi a principio generationis bene, siue B
male sint constituti: vel respiciunt Calidum innatum, cum spiritu animali, & probantur in ophthalmia, quando oculi a principiis generationis obtinent calidum dissipabile, verbi gratia, dum sunt prominentes.

Appropriata oculis.

Proportionem respiciunt secundum Mesuem, & Auicennam, *nux moschata cum melle, myrobolani chebulæ, melle vel saccharo conditæ, mel, feniculum: vnde Auicennas inquit, collyrium ex aqua feniculi omni hora esse mirabile: laudatur etiam chelidonia, euphragia, verbenaca recta, ruta, antimonium, tutia nutrita in aqua feniculi, in aqua maioranæ: probatur etiam collyrium e granatis dulcibus & non dulcibus.* Horum medicamentorum vsus, patet e superius propositis: nam si his medicamentis vtamur, vt reprimentibus, vsus reprimentium seruandus: si vt resoluentibus, vsus resoluentium seruandus.

Ad dissipationem calidi innati oculorum.

Medicamenta, quæ respiciunt dissipationem calidi innati, cum Galeno c. 2. l. 4. κ. τόπ. sunt adstringentia, *vt acacia, omphacium, balaustium, gallæ immaturæ*: hæc enim vniendo & adstringendo, aciem oculi exacuunt & intendunt. Hinc Auic. probat *collyrium e granatis non dulcibus, seu astringentibus*: at monet Galenus, vt his astringentib. nec sinceris, C
nec copiosis vtamur, sed parum ex his miscere possumus. Quod si ergo contingat in oculo imbecillo non esse materiam; licet vti solo collyrio, e granatis acerbis, cũ aqua rosacea: si autem adest materia morbifica, oportet quædam permiscere. Vsus patet e propositis: sufficiat quædam admonere circa modum, & quando. Quoad modum agendi: si hæc roborantia calidum innatum; misceantur cum resoluentibus, sunt administranda actu calida; si sincera, actu frigida: ratio est; quoniam, dum sinceris vtimur, non adest materia resoluens, quæ prohibeat. Expedit autem secundum Auicen. in cuiuslibet medicamenti vsu submergere oculum in medicamentum liquidum, & oculus, tunc est aperiendus: probatur ergo vas vitreum, vel argenteum, confectum ad portionem magnitudinis oculi, quod vas est replendum liquore, & in hoc est detinendus oculus. Quoad quando agendum: Si hæc medicamenta vsurpentur mista cum medicamentis materiæ morbificæ, non licet his vti in principio: si autem solis vtamur, licet vti eo tempore, quo oculus est D
immunis a materia morbifica: nam non adest materia, quæ prohibeat.

Diæta.

Aer non probatur lucidus, sed purus, expers fumi, vaporis acris, pulueris. Probatur cibus boni succi, qui non mittat vapores in caput, qui sit attenuans, vt dissipet & attenuet materiam; qui sit minuens, si assit materia morbifica: vnde Galenus probat cibi parcitatem, id est, cibum minuentem, c. 2. l. 4. κ. τόπ. Hinc Auicennas improbat *caules, lentes, lac*; nam hi cibi euaporant in caput: improbantur *aromata, agrumina*, nã caput petunt. Improbantur calidiora in lippitudine ex inflammatione: vnde Rhasis in hac neque dulcia admittit, quia bilescunt. Auicennas etiã prohibet copiam salis, vt propterea sint vitandi cibi crassi, vt sunt *carnes salitæ, cibi qui conficiuntur e posca.* Cum probentur cibi attenuantes, possunt cibi condiri his quæ oculi proportionem respiciunt; vt sunt *nux moschata, euphragia, feniculum*: quibus vti possumus pro condimento & pro opsonio. Cibaria autem condiantur calidis, nisi caliditas corporis prohibeat: vt improbe- E
tur in lippitudine ex inflammatione. Tandem, cum probetur minuens victus; secundum Rhasin, est abstinendum a carnibus. Quoad potum: Rhasis improbat *vinum*, nam calefacit, & petit caput. *Aqua* etiam in magna copia improbatur, c. 6. l. 4. κ. τόπ. quia cibi vehiculum est, & materias in caput ducit. Vinum aliquando probatur; nam dolores oculorum soluuntur vini potione, aph. 31. sect. 6. Proinde secundum Galen. in comm. in oculi dolore vinum conuenit, dum in oculorum venulis sanguis crassus continetur, sine corporis repletione: nam hoc vinum materiam resoluit. Alias aqua detur. Somnus & vigilia erunt moderata. Æger super oculum infirmum non dormiat, nec capite eleuato; & puluinar non sit e plumis, quia phlegmone augetur. Aluus seruetur lubrica: nam alui profluuium in lippitudine bonum. Probatur etiam vacuatio excrementorum tertiæ coctionis: vnde aph. 31. sect. 6 c. vlt. l. 13 method. probatur balneum aquæ F
dulcis, at toto purgato, & concocta inflammatione, quare in declinatione. Quoad motum & quietem ratione totius corporis, si respiciamus ad lippitudinem imminentem: e c 3. l. 5. de tuen. san. probatur frequẽs ambulatio, cursus mediocris, gestatio in vehiculo, probantur omnia citra fatigationem, & capite dorsoq; non inclinatis. Si autem respicimus ad lippitudinem præsentem, cum Galen. cap. 2. lib. 4. κ. τόπ. exercitio vti licet, post mitigationem doloris, & ante balneum: vt probetur mediocris quædam ambulatio. Ratione motus oculi, cum Auicenna motus superfluus nocet; vt immoderatus risus, fletus, aspectus obiectorum paruorum, alborum, splendentium; nam oculi a luce offenduntur, quia spiritus dissipantur, ca 3. l. 10. de vs part. Vnde Auic. suspendebat pannum nigrum ante oculos, in ægritudine, & viridem in dispositione sanitatis, vt spiritus seruarentur. G

CAPVT XXXII.

De Vesica, seu Pustula cornea.

Nomen. ἀπὸ τοῦ φλύζειν, id est, bullire, seu bullas facere.

HVCVSQVE de affectu adnatæ tunicæ: sequuntur corneæ; quorum primus Vesica est. Celsus malum hoc vocat pustulam: Græci phlyctænam. Auicennas vocat vesicas: nam cornea instar vesicæ extuberat, cum repleatur materia aquosa. Generatur hoc malum: quoniam materia serosa, petens oculos, replet corneam inter corticem & corticem, seu inter tunicam & tunicam, vt cornea in tumorem attollatur. Vt

corneæ

A corneæ vesica, seu pustula, sit tumor corneæ, procedens a materia aquosa. Vnde forma huius vitii est tu- cap. 28. li. 5. Cels.
mor: Quare magnitudo aucta: quæ est modo symptoma, modo morbus. Est morbus, dum tumor per- Definitio.
ducitur ad corneam, vt cornea præest foramini rhagoeidis. Nam cum Auicenna hic tumor nocet visui:
ideo est morbus. Subiectum est cornea. Auicennas dicebat, corneam repleri secundum partem modo
profundam, modo superficiariam. Caussa efficiens fuit materia serosa: quæ procedit e cerebri excremen-
to, mutato in aquosum. Huius excrementi vitium est in substantia; si materia aquosa putrescat. Est vi-
tium semper in quanto; nam semper copia peccat, quia tumoris est caussa. Vitium est in qualitate; cum
quandoque hæc materia sit calida & acris. Est vitium secundum vbi, secundum motum; quia habet im-
petum in oculum. Secundum quietem; vt præter naturam inter tunicas corneæ quiescit. Caussa generans
patet ex alibi dictis.

B Hinc facile ratione formæ colligitur, quod tumor sit vel Symptoma vel morbus. Ratione subiecti: Differẽtiæ.
cornea afficitur secundum tunicas vel Internas, vel Externas. Ratione caussæ efficientis; materia est Pu-
trida, vel Non putrida: vel Magis vel Minus copiosa: vel Acris, vel Acredinis expers: vel Magis vel Minus
mouetur: vel Magis vel Minus est impacta.

Hoc vitium in genere vos cognoscetis ex extensione corneæ: & præsertim extensionem hanc de- Signa.
prehendetis, si æger supinus iacet (:notate hoc:) vt diligenter vterque oculus sit inspiciendus. Differen-
tias ratione formæ cognoscetis; Nam si tumor sit insignis, vt occupet corneam secundum regionem quæ
antestat crystallino; facile est iudicare, tumorem esse morbum: sin minus, esse symptoma. Ratione subie-
cti; an cornea afficiatur secundum regionem attinentem ad crystallinum, oculis facile conspiciemus, si-
ne signis aliis. Vtrum autem cornea afficiatur secundum tunicas externas, vel profundas: signa traden-
C tes Aetius & Auicennas, sic distinguunt: si materia sit inter tunicam primam & secundam, pustula appa-
ret nigra: si inter tertiam & quartã, alba. Cuius discriminis alia ratio proponitur ab Auicenna, alia ab Ae-
tio. Auicennæ caussa fuit: nam dum pustula pertinet ad superficiem, non prohibet visionem ab intuitu
rhagoeidis: si autem pustula sit profunda, prohibet. Vnde cum superficialis pustula non prohibeat intui-
tum vueæ, hæc vuea vt est nigricans, ita est in caussa, vt pustula nigricans appareat. At pustula profunda,
non prohibet intuitum rhagoeidis, vt firmetur visio in pustula: vnde pustula alba apparet: nam produci-
tur a materia alba; si exquisita sit pustula seu vesica: nam spuria fieri potest a liquore, seu materia serosa,
sanguini permista. Secundum Aetium vero, si pustula sit in superficie, nigra ea apparet; nam naturalis pu- cap. 29. li. 7.
stulæ color est niger (:quia respicit ad pustulam, quæ cum serositate sanguinem habet permistum:) At si
D profunda sit pustula, albicans apparet: nam habet superiacentem corneam albam. Quoniam vero inter-
dum ob tunicæ corneæ erosionem vuea procidit, & superficialis pustulæ speciem exhibet: monet idem
auctor exactius hæc esse distinguenda: quoniam varia est curatio. Cognoscitur igitur pustula in superfi-
cie: nam vndique est subnigra. Quod si prolapsa fuerit vuea; cognoscetis, quia non erit locus vndique
subniger, sicut in pustula, sed color erit inæqualis: nam circa fundum prolapsæ rhagoeidis albedo appare-
bit, propter corneæ albedinem. Adhæc cognoscetis prolapsam vueam, e mutatione pupillæ, quæ parua fit,
vel variatur secundum figuram: nam in prolapsu rhagoeidis, pupillæ figura rotunda non seruatur; quæ
manet, si pustula fuerit superficiaria. Ratione caussæ efficientis; quæ sint signa speciei, vitii, caussæ gene-
rantis; patet ex alibi dictis.

Quoad præsidia: materia in vesica collecta, tota vacuanda. Præsidia.

E Quoad prognosticum; curatio est facilis; curatio est difficilis; & quandoque mutatur in vitium incu- Prognosti-
rabile: quod discrimen pendet e vi differentiarum. Vnde ratione formæ: difficilioris erit curationis, si tu- ca.
mor sit morbus propter vehementiam essentiæ & dignitatis. Adest vehementia essentiæ; nam vbi tumor
est morbus, est maior recessus a naturali statu. Vehementia quoque est ratione dignitatis: nam dum tu-
mor est morbus, respicit regionem crystallini. Pustula profundior, cum sit vehementior ratione di-
gnitatis, cum Auicenna est deterior: & præsertim quia cum Aetio periculum imminet, ne cornea in
profundo rumpatur, & hinc vuea concidat, & effluant humores. Ratione caussæ efficientis: pericu-
losius est malum, si materia sit putrida, si copiosior, si acrior, si cum impetu oculos petat. Vt, si contin-
gat eum esse impetum, vt rumpatur cornea, mutari solet in vitium incurabile, præsertim si fiat ruptio in
partes internas.

F Quoad materias: sufficiat proponere, quæ corneæ sunt adhibenda. Vnde quoad materiam cheirur-
gicam; dicebat Auicennas; si vesica sit magna, ferro curanda: nam vitium est vehemens: indicat ergo re- Curatio.
medium vacuans vehemens; cuius materia est potius ferrum, quam medicamentum. Nam nisi cito eua- 1.
cuetur materia, periculum imminet disruptionis corneæ ad sedem profundam. Quoad medicamenta: 2.
probantur acria, si parua sit vesica: sint autem & medicamenta vehementer siccantia: vt conficiendum sit
collyrium e terra Samia torrefacta, e tucia, e cadmia, antimonio, scoria æris, & his ablutis: & gummi addatur, &
omnia terantur in aqua pluuiali, & paretur collyrium, quod excipiatur aqua fœnugræci. Animaduertatis Aui-
cennam adere opium: quia componit medicamentum, quod diu est seruandum, vt propter fermentatio-
nem opium obesse nequeat: at si recenti sit vtendum; opium non est miscendum. Propter iuniores *℞ tu-*
G *tiæ, cadmiæ, scoriæ æris, lotarum, ana ℥ß. gummi ℥j. terantur in aqua euphragiæ, & fiat collyrium. ℞ prædicti*
collyrii ℥ß. aquæ fœnugræci ℥vj. Misc. Sed notandum Aetium probare etiam astringentia: quoniam non
respicit ad vesicam exquisitam, sed ad tumorem aquosum, qui sit particeps inflammationis. Hoc verum
esse, inde scitur, quia addit: mitigata inflammatione, opus esse vti myrrha, croco, nardo,
& proinde discutientibus, non astringentibus. Hoc debetis notare,
ne in curatione erretis.

CAPVT XXXIII.

De Vlcere corneæ.

Nomen. Generatio. Definitio.

QVOAD vlcus corneæ;huius nomen patet. Generatur dum corneæ occurrit caussa morbifica,quæ in
corneæ substantiam per modum vel abrasionis,vel simul etiam erosionis ita agit, vt corneæ substan-
tia absumatur & vnitas soluatur. Huius vlceris definitio est:quod sit soluta vnitas, cum magnitudine im-
minuta corneæ,producta a caussa mordaci.Colligitur hæc definitio e c.2.l.13.meth.ca.1.l.4. meth. e cap 1.
lib.6.method. & e cap.1. libr.1. de loc. affect. Quoad formam : fuit soluta vnitas,cum imminuta substan-
tia;vt vlcus sit affectus mistus e soluta vnitate,&magnitudine imminuta;ad differentiã simplicis vulneris.
Subiectum fuit cornea;quæ vlceratur,modo magis,modo minus: Et proinde modo in superficie, modo
in profundo. Caussa efficiens fuit caussa mordax : quæ esse potest & interna & externa. Interna,est succus B
mordax, tum secundum propriam naturam;vt bilis flaua, bilis atra, a qua producitur vlcus cancrosum:
tum ratione putredinis;vt quilibet succus, dum putrescit. Addebat Auicennas; huiuscemodi materiam
vel aliunde confluere;vel esse reliquias lippitudinis,vel pustulæ seu vesicæ.Caussa autem externa sunt me-
dicamenta acria:& cum Auicenna esse potest ictus percussio.

Differẽtiæ.

Differentiæ diligenter propter iuniores sunt tradendæ : vt sciant capere differentias: non modo in
vlcere corneæ,sed etiam in vlcere cuiuslibet partis.Sciendum igitur e c.vlt.lib.3.meth differentias non es-
se capiendas a coniunctis;vt si quis dicat vlcus esse inflammationis vel expers, vel particeps : nam ex his,
ait Galenus,non constituuntur differentiæ. Et ratio est:quia quodlibet seorsim consistit,vlcus per se con-
sistit;inflammatio per se consistit. Quare differentiæ capiendæ sunt,vel ab vlceris materia;& hæ sunt ma-
xime propriæ:vel ab aliquo etiam sunt capiendæ,quod est extra vlcus, quod tamen habet rationem caus- C
sæ sine qua non; & hæ sunt differentiæ,non tamen ita propriæ,vt priores. Vnde quoad proprias:capiun-
tur ab vlceris figura, & magnitudine. A figura:vt vlcus est vel Obliquum,vel Rectum,vel Retortum,vel
Quolibet alio modo figuratum. A magnitudine etiam capiuntur differentiæ : & primum a longitudine;
vt vlcus est vel Longum,vel Breue.A latitudine;vlcus est Latum,vel Arctum seu angustum. A profundi-
tate seu altitudine;vlcus est Superficiale,vel Profundum;seu est Æquale,vel Inæquale. Si corneæ vlcus sit

Paullus ca. 22. lib.3.

angustum & profundum;Græci vocant βόθειον,id est,fossulam; Auicennas vocat aulunum. Si vlcus sit la-
tum & minus profundum;Paullus vocat κοίλωμα;ab Auicenna vocatur luluma,id est,vngula. Quoad dif-
ferentias non proprias:capiuntur a tempore,a conspectu, generationis ratione,& locis in quibus. Decla-
ro. A tempore; vlcus est Recens,vel Antiquum. Ab aspectu;est Euidens,aut Reconditum. A ratione ge-
nerationis;vt facta est soluta vnitas,vel secundum Totum,vel secundum Partem. Quamuis hæc differen-
tia pertineat potius ad vulnus.Si differentiæ capiantur a loco, a subiecto,hoc est a cornea: cum Auicenna D
sunt quinque species vlceris,quarum tres attinent ad superficiem,duæ ad profundum.Nec obstat,quam-
uis Auicennas proponat septem species; nam duæ pertinent ad caussam efficientem;non autem ad subie-
ctum,de quo iam loquimur. Itaque quoad vlcus partium externarum; si pertineat ad primam tunicam
corneæ,secundum nigrum oculi,vocatur alchasi,si ad secundam membranam,dicitur Nubes;chateman;
nam instar nubis visionem turbat:si pertineat ad coronam,vbi est nigredo,dicitur vlcus coronale, Paullo
dicitur argemon : si autem vlcus spectet ad profundiores partes, spectat ad tertiam tunicam,& dicitur lu-
luma, id est,vngula,a Paullo κοίλωμα: vel ad quartam,& vocatur aulunum,Paullo fossula. Ratione autem
caussæ efficientis,patet vlcus fieri a caussa Externa,vel Interna. Et si interna:hæc differt vel specie,vel vi-
tio,vel caussa generante. In præsentia duo notanda:primum caussam morbificam,id est, materiam agere
& vlcerando,& quandoque inducendo intemperiem calidam. Secundo notandum;si vlcus fiat à materia E
exusta,si attineat vlcus ad superficiem,vocari ab Auicenna adustiuum lanosum:si attineat ad profundum,
vocari adustiuum crustosum.

Signa.

Vlcus non difficulter cognoscitur,e dolore pulsante. Et si fuerit in cornea,ad differentiam vlceris
tunicæ annatæ,conspicitur veluti punctum album : at si vlcus sit in tunica annata, punctum non albicans
apparet,sed rubicundum:nam dum cornea vlcere afficitur, albedo apparet propter albedinem saniei: &
dum vi vlceris cornea priuatur diaphaneitate,album præ se fert colorem : nam διαφανὲς, dum terminatur,
album conspicitur.At si vlceretur tunica annata, vlceris sedes rubicunda conspicitur: nam hæc tunica est
multis venis referta,vt fluat sanguis,quia quãuis exiguus sit,in minima copia,euidens tamen rubedo con-
spicitur, quoniam in albo corpore exigua rubedo est euidens. Sed præterea vlcus indicatur e prægressis F
caussis vlceris. Facile etiam cognoscetis differentias,quæ capiuntur a forma. Nam quæ sit vlceris figura,
quæ magnitudo;visui patet. Ratione subiecti:si cornea afficiatur secundum primam tunicam;indicatur
ex asperitate,& læsa visione,quæ fieri videtur veluti per fumum. Si attineat ad secundam tunicam cogno-
scetis e læsa visione,in qua veluti per nubem intuitus fieri videtur.Si sit species coronalis vocata;cum Aui-
cenna cognoscetis,quia pertinebit ad regionem pupillæ. Si fuerit in cornea;ex albedine. Si pertineat ad
annatam,est permista rubedo. Si pertineat ad profundum tunicæ; vix lumen possunt ferre.

Indicationes vlcerũ generales.
I.
A reb. præter naturã.

Sequitur pro curatione vlceris corneæ,vt de indicationib.agamus:circa quas hoc loco ita versabimur,
vt inde quisq; facile assequatur,quid agendũ in omni vlcere.Itaq; cũ vlcus sit soluta vnitas,cũ magnitudi-
ne imminuta partis viuẽtis,producta a materia corrodẽte:ob id indicationes sunt hauriendæ, a reb.præter G
naturam,& a reb.secundum naturã.Quoad res præter naturã:cum Gal.l.3.meth.c.vlt.vlcus indicat agglu-
tinationem, i. vnionem,vt vulneris labia coniungatur. At cum vlcus sit soluta vnitas, cum magnitudine
imminuta(:in vlcere.n.caro est imminuta:)carnis defectus indicat præsidium carnem generans. Et si im-

Vlceris cura, quatenus a natura peragitur.

minuta sit substantia cutis:cutis defectus indicat præsidium, cutim generans, id est, cicatricem inducens.
Vt in vlcere scopi tres sint:scilicet carnis generatio,agglutinatio,& cicatrisatio. Verum cum Galeno li. 3.
meth.intelligere est operæpretium,qua arte caro generetur,qua arte fiat agglutinatio,& cicatrisatio.Itaq;
sciendum

A ſciendum cum Galeno c.7.l.3.meth. impletionem cauitatis,id eſt,generationem carnis,agglutinationem & cicatriſationem,eſſe naturæ opera;medici vero officium eſſe,vt docetur cap 6.l.3.meth. remouere impedimenta: nam ſecus non eſt poſſibile illos ſcopos aſſequi. Quantum igitur attinet ad impedimentum: hoc eſt vel Læſio facultatis,vel Error externus. Huius numeri hæc eſt ratio:quoniam malum & vitioſum opus procedit vel a læſa facultate, vel ab errore externo: vt cum hæc impedimenta habeant rationem cauſſæ; ideo dictum fuerit a Galeno cap.3 l.4.meth. has indicationes eſſe præſeruatorias,quia a cauſſa capiuntur.Habent autem hæc impedimenta (:vt admonet Gal.c.1.l.4.meth.)vel rationem efficientis cauſſæ,cuiuſmodi ſunt ſubiectæ carnis affectus:vel cauſſæ ſine qua non,quemadmodum eſt pilus,arena, & ſimilia,quæ in vlceribus aliquando reperiuntur.Hæc ergo impedimenta cum attineant vel ad læſam facultatem,vel ad errorem externum:quod illa attinet, quæ ſpectant ad læſionem facultatis;vt iubet Gale.c.7. B l.3.meth.ſi in parte vlcerata fuerit intemperies,indicat alterans per contrarium: Si morbus ſit tumor,tumoris materia(:quia tumor non indicat:) vacuans poſcit: &,ſi caro excreta & aucta habeat rationem tumoris morbifici eſt diſſipanda.Quoad errorem externum; hic vt rationem habet impedimenti eſt Communis,vel Proprius.Communis eſt,qui reſpicit generationem carnis,agglutinationem, cicatriſationem. Proprius eſt,qui vnum tantum reſpicit e trib. prædictis. Quoad communem errorem,eſt Materia fluens & Cauſſa morbifica, quæ alia eſt a conſtitutione partis,ab intemperie,a morbo:& reſidet hæc cauſſa morbifica in parte vlcerata. Quoad materiam fluentem in partem vlceratam:ab hac varia indicantur præſidia: vt materia fluens varia eſt ſecundum ſpeciem, ſecundum vitium, ſecundum cauſſam generantem. Propter iuniores; ſpecies ſit materiæ fluentis, vel Sanguis, vel Alius humor: ab his humoribus determinatæ hauriuntur indicationes. Et pariter ſunt hauriendæ indicationes a vitio ſecundum ſubſtantiam,qualita- C tem,quantitatem,& vbi,& præcipue ſecundum motum. Et ſimiliter ratione cauſſæ generantis,varia ſunt haurienda præſidia: vt alterare oporteat modo iecur, modo ventriculum, modo alia viſcera,de quorum indicationib. in propriis capitibus. Quoad errorem communem, vt eſt cauſſa morbifica reſidens in parte vlcerata; hæc multiplex eſſe poteſt,vt pilus, ſordes, materia putrida,caro contuſa,caro excreſcens, ſed non ad eam magnitudinem vt ſit morbus, quia eſſet læſio facultatis:huius claſſis eſt dolor in parte vlcerata,& ſimilia,quæ ſui præſentia prohibent carnis generationem,agglutinationem,& cicatriſationem. Quæ ſane cauſſæ in genere indicant ablationem; in ſpecie,indicant ablationem ſpecificam: vt pilus, indicat, quod pilus ſit auferendus. Quoad errorem proprium: primum ſi reſpiciat carnis generationem; Cum Galen.capite tertio,lib.3.method. etiam præſente proba facultate, & probo ſanguine;cum e neceſſitate D generetur duplex excrementum, vtrumque habet rationem erroris proprii,ratione generationis: vnde excrementum tenue,vt humidum,indicat ſiccans;excrementum autem craſſum, vt replet, indicat vacuans. At, cum euacuationem turbent medicamenta aſtringentia; minime hæc in carnis generatione ſunt adminiſtranda. Hinc Galenus magis ad ſpecifica deſcendit capite 3. lib. 3. method. vbi probat præſidium ſiccans & detergens primi ordinis: nam remedium ſiccans vltra primum ordinem, vt ſanguinem fluentem poteſt abſumere,ita carnis generationem impedit: indicat igitur ſiccum, ſed non vltra primum gradum. At Galenus admonebat vlcus humidius indicare ſiccius; corporis autem temperiem, quo humidior fuerit, tanto medicamentum minus ſiccum poſtulare: vt ſi vlcus ſit pariter humidum in ægris diuerſis, in ſicciori temperamento opus ſit ſicciori medicamento, in temperamento humidiori, minus ſicco. Cuius veritatis fundamentum deſumitur e capite primo, lib.5. method. vbi docet,ea quæ ſunt præter naturam,indicare contrarium;quæ ſecundum naturam,ſimile;vt pars vlcerata ſiccior ſit magis ſiccanda,mi- E nus ſicca,minus ſiccanda. Ex his conſtat, in vtraque ſanitatis intemperie probari ſiccum; & hoc ſiccum præſidium non indicari ab intemperie ſanitatis: nam humida humidum indicat, non ſiccum; ſed ab humido excremento indicari; permitti vero a temperie ſicca,non ab humida, verbi gratia, ſi ab excremento vlceris humido indicatur ſiccum in primo gradu in tertia manſione; cauſſa temperaturæ humidæ prohibetur: vt opus ſit vti medicamento ſicco in primo gradu,ſed non in tertia manſione,verum in prima. Vnde cum Galeno capite tertio,libro tertio method. cum medicamentorum ſiccantium alia magis ſiccent,alia minus:quale nam conueniat,iudicandum partim ex vlcerum diuerſitate; (vt ſunt, vlcus vel minus vel magis humidum)partim ex ægri temperatura: vt vlceris excrementum concurrat vt indicans, ægri temperies concurrat velut permittens,aut velut prohibens. Quoad errorem proprium ratione agglutinationis: cum Galen.capite primo,lib.5. method. probatur magis ſiccans,quam in generatione car- F nis,& ſiccans citra deterſionem, & leuiter aſtringens. Fundamentum eſt: quia hic error ad agglutinationem ſpectans,eſt duplex: alter eſt cum Galeno capite 5. lib.3. method. ſanguis fluens optimus:nam in agglutinatione oportet exſiccare quod affluit, etſi ſit optimus ſanguis. Alter autem error eſt carnis genitæ raritas; quæ indicat aſtringens: at cum minus poſſit raritas ad prohibendum agglutinationem,quam ad cicatriſationem: ob id, vt in agglutinatione probatur ſiccius medicamentum,quam in generatione carnis:ita in agglutinatione probatur minus aſtringens,quam in cicatriſatione. Vt in agglutinatione,deſcendo ad remedia determinatiſſima,locum habeat præſidium ſiccum in ſecundo gradu, & aſtringens in primo. Quoad errorem reſpicientem cicatriſationem;pariter cum Galeno ca.5. lib 3. meth. intelligendum: vlcus ad cicatricem perduci generando cutem, quæ e ſubiecta carne creatur; cutem vero non poſſe exquiſitam regenerari, quia ſeminalis eſt;ideoque generandum aliquid ſimile cuti:vnde cum cutis carne ſit G ſiccior & denſior; ob id caro,vt humidior cute,indicat ſiccans;vt rarior,indicat aſtringens. Hæc igitur caro non modo indicat ſiccans & aſtringens,ſed multo magis quam in agglutinatione: nam cauſſa cicatriſationis ſiccandus eſt humor, qui etiam in carne continetur,vt hæc euadat denſior. Quare in cicatriſatione indicatur remedium ſiccans in tertio, aſtringens in ſecundo. At ſi inuicem conferantur ſiccantia, & cauſſa cicatriſationis, & cauſſa,non agglutinationis,ſed conſumtionis carnis excretæ;cum Galeno cap.6.

Impedimẽtorum ſublatio.

Impedimẽta, ratione læſæ facultatis.

Impedimẽta,ratione erroris externi.

1. Ob materiam fluentem.

2. Ob cauſſam morbificam, in parte vlcerata.

3. Ob excrementa,quæ in carnis generatione proueniunt.

4 Ob ſanguinis boni affluxum, carniſque genitæ raritatem.

5. Ob carnis humiditatem, & raritatem.

lib.3.meth.ſicciora probantur cauſſa carnis excretæ, quam cauſſa cicatriſationis. His ita explicatis, patet A cur Galenus cap.5.lib.4. method.ſecundum mentem Hippocratis lib.de vlc.dixerit, vlcus eſſe humidum, ſanum autem ſiccum; nec vlcera madefacienda niſi vino, cum vltimus finis ſit ſiccatio. Humidum enim eſt vlcus, hoc eſt, vlcus tandiu perſeuerat, quouſque durat humiditas morbifica; & ſanum eſt ſiccum, hoc

II. Indicationes a rebus ſecundum naturam, in vlcerata parte.

eſt, dum morbifica humiditas eſt conſumta, quæ ſcilicet attinet ad generationem carnis, ad agglutinationem & cicatriſationem. Notandum quoque quod Galenus cap.5.lib.4.metho.dixit, vlcus, qua vlcus mediocriter ſiccans indicare: vlcus enim qua vlcus, id eſt, quatenus eſt ſoluta vnitas, indicat agglutinans, quod cum Galeno cap.1.lib.5.method.eſt ſiccans in medio conſtitutum inter ſiccans ratione generationis carnis, & ratione cicatriſationis. Id autem quod in vlcere eſt ſecundum naturam; quamuis indicationes capi poſſint a temperatura & calido inſito partis vlceratæ; tamen potiſſimum capiuntur a calido innato. Ratio eſt; quoniam temperies conſeruatur, niſi vſurpentur medicamenta deſtruentia temperaturam. B At calidum innatum, cum aſſiduo diſſipetur, indicat conſeruans: & cum in calido innato ſeruanda ſit quātitas, & hinc ſubſtantia & qualitas; ideo a calido indicatur calidum, quod Hippoc.aphor.22.ſect.5.calidum ſuppuratorium vocat, cuius beneficio conſeruatur ſubſtantia & qualitas calidi innati, vnde pars vlcerata optimum generat pus, quod maximum eſt ſecuritatis indicium: nam (vt ait Galenus in commen.lib.cit.) nihil mali aduenire vlceri poteſt, ſi bonum pus generetur. Hoc autem calidum ſuppuratorium, oportet vt non modo ſit calidum (nam calidum, vt calidum ſecundum naturam ſimile indicat) ſed præterea ſufficit, vt ſit calidum in primo gradu non vltra. Vnde Hippocrates proponit calidum, quod cutem emollit, dolorem ſedat, tenuiſque eſt ſubſtantiæ: ſiquidem cum Hippoc.& Gal.cutem extenuat, diſcutit, & vacuat. Sed oppoſitum videtur propoſitum eſſe a Gale.qui l.5.ſimpl.ait, ſuppuratorium eſſe viſcidæ ſubſtantiæ, vt C poros claudat, ne calor diſſipetur. Itaque pro reſolutione: calidum ſuppuratorium, quod indicatur a calido, eſt duplex: vtrumque moderate calidum, vt non excedat primum gradum; at alterum tenue, alterum viſcidum. Id quod eſt tenuis ſubſtantiæ, cum Gale.aphor.22.ſect.5. prohibetur a fluxione & a putredine: nam fluxio augetur a calido, maxime ſi hoc tenuis ſit ſubſtantiæ: putredo etiam a calido augetur. Vnde dicebat Hippoc.loc.cit. calidum ſuppuratorium eſſe bonum, ſed non in omni vlcere, quia nec in putrido, nec in eo quod eſt cum fluxione. Præterea ſuppuratorium tenuis ſubſtantiæ prohibetur etiam a carne contuſa: nam (ca.5.l.4.meth. & ſecundum Hippoc. lib.de vlceribus) ſi caro ſit contuſa, oportet celerrime ſuppurare: at hoc præſtari non poteſt ſuppuratorio tenuis ſubſtantiæ, ſed opus eſt ſuppuratorio viſcido. Vnde ἐμπυητικὸν viſcidum tantum in vlcere probatur, ſi eſt cum carne contuſa: quia hoc calidum eſt & humidum: in vlcere autem ſemper oportet exſiccare, niſi caro ſit contuſa; ſiquidem ſiccare oportet cauſſa & D generationis carnis, & glutinationis, & cicatriſationis: vt propterea recte Gal.c.7.l.1. κ.τόπ. dixerit, nullum humectans eſſe commodum vlceribus. Sed ſtatim quis quæret; cur calidum innatum conſeruetur ſuppuratorio tenuis ſubſtantiæ, niſi caro ſit contuſa. Dicendum, cauſſam eſſe, propterea quod calidum innatum adiutum a ſuppuratorio tenui agit in bonum ſanguinem, cuius portio mutatur in ſubſtantiam calidi inſiti; vt propterea conſeruetur, nec egeat viſcido ſuppuratorio: At dum calidum inſitum agit in carnem contuſam, quoniam hæc vniuerſa vertitur in pus: vt in hac actione non reparetur ſubſtantia calidi innati; ideo diſſiparetur & hæc ſubſtantia, niſi ſuppuratorium eſſet viſcidum. Et hæc de indicationibus & vlceris corneæ, & omnium vlcerum.

Prognoſticum.

Quoad prognoſticum. Oculi vlcus eſt vitium non contemnendum: quia enim abſumitur pars ſeminalis, non reparatur exacte; ideoque oboritur cicatrix, vt cornea amittat diaphaneitatem, hincque læda- E tur viſio. Sed pro varia vehementia differentiarum, vario modo eſt prognoſticandum. Statuendum igitur vlcus magnum eſſe magis periculoſum: nam adeſt vehementia ratione eſſentiæ. Rhaſis dicebat vlcus corneæ, magis eſſe periculoſum vlcere annatæ: nam adeſt maior vehemētia dignitatis. Si vlcus ſit cancroſum; eſt incurabile, vnde deſtruitur viſio, in hoc enim vlcere nulla deſideratur vehementia. Et notandum cum Galeno cap.2.lib.1. de ſympt.cauſſ. in ſoluta vnitate corneæ, periculum cæcitatis imminere: quia humor albugineus effluit. Dicebat autem Galenus loc.cit.hoc euenire vt plurimum: & propterea teſtatur puerum viſum recuperaſſe. Recte intelligendus Galenus. Nam loquitur de puero, qui fuit affectus vulnere, vt aliter de vlcere ſit ſtatuendum, in hoc enim eſt deperdita portio corneæ: vt nequaquam ſalutem polliceri debeatis.

Curatio.

Dum igitur curationem hoc vlcus admittit; quantum attinet ad materias cheirurgicas, patet ratio- F
1. nabiliter Rhaſim, & Auicennam probare phlebotomiam, cucurbitulas, dum ſanguis peccat: neq; impro-
2. bantur fonticuli, dum vlcus fouetur ab excremento fluente ad oculum. Quoad topica; Galenus cap.2.l.4. κ.τόπ. probat *tutiam lotam, collyrium e thure, myrrha, croco, metallicis medicamentis lotis*. Animaduertere autem oportet; ſi coniunctus ſit dolor, addendum medicamentis propoſitis *oui candidum, ſuccum mandragoræ. Rhaſis vtebatur Sief albo cum lacte: ſi dolor aderat.* Si contingat vt vi vlceris rhagoeides procidat; *collyrio e tutia addere licet aſtringentia: vt liceat vti aqua roſacea, ſanguine drac. Vnde Rhaſis huc reſpiciens, probat collyrium, recipiens ſtibium; quod cum Galeno lib.9.ſimpl.ſiccat & aſtringit, & propterea cum Dioſcoride vlcera mundificat & cicatriſat.* Si eueniat vt vlcus ſit ſordidum, Galen.loc.cit.addit *collyrium e vino, croco, ſale, cadmia, melle, & aliis propoſitis in cap.7. Auicennas probat ſyrupum de melle, cum aqua fœnugraci. At ſi oculus fuerit exquiſitioris ſenſus; mellis loco præſtat vti ſaccharo, ad detergendum.* Ad efficiendum cicatricem; probatur *ſief propoſitum a Rhaſi.* Et ſi vlcus ægre ducatur ad cicatricem, poteſtis cum Galeno cap.7.libr.4. G κ.τόπ. vti hoc medicamento. ℞. *æris vſti* ℈ *ij. myrrhæ* ℈ *j. piperis* gr. *vij. miſyos aſſati* ℈ *j. croci* ℈ ß. *vini generoſi* ℥ *iij. vini paſſi cretici* ℥ *j.* ß. *arida terantur, & infundantur in vino; & dum vinum erit imbibitum, oportet affundere paſſum; & deinde medicamentum concutiendum in vaſe æreo; & lento igne coquendum, ac ſeruandum in pixide ærea.* Diæta patet.

CAPVT

CAPVT XXXIV.

De Ruptura corneæ.

RVPTVRA corneæ, Rhexis, περίπτωσις, est illud malum, in quo corneæ vnitas ita diuiditur, vt vuea procidat. Vt si respiciamus ad solutam vnitatem corneæ, vocetur ruptio ῥῆξις: sin ad procidentiam rhagoidis, περίπτωσις ῥαγοειδοῦς χιτῶνος, & hoc ad differentiam procidentiæ totius oculi. Nomen. Generatur hoc malum, dum caussa morbifica occurrens corneæ, ita soluit corneæ vnitatem, vt rhagoeides non possit sedem suam seruare, sed necessario procidat. Vt περίπτωσις sit situs præter naturam rhagoeidis, procedens a soluta vnitate corneæ. Definitio. Cum Auicenna & Paullo forma huius vitii est situs præter naturam. Subiectum est rhagoeides: nam quia hæc procidens situm secundum naturam non seruat; iccirco huius mali est subiectum.

B Caussa efficiens est soluta vnitas corneæ. Soluitur autem vnitas corneæ a caussa Interna, vt a præcedenti vlcere; vel ab Externa, vt a percussione, a caussa incidente corneam.

Quoad differentias: capiuntur a forma & efficiente, non a subiecto: nam situs præter naturam subiectum semper est vuea; solutæ vnitatis subiectum semper est cornea. Differentiæ. Differentiæ ratione formæ, e Paullo & Auicenna: Situs rhagoeidis est vel Magis, vel Minus vitiosus. Hinc si rhagoeidis procidat exigua portio, oritur illud vitium, quod vocant μυοκέφαλον, id est, caput muscæ; Arabes vocant affectionem formicalem. Si procidat maior portio rhagoeidis, fit σταφύλωμα, id est vuacatio: nam quod egreditur habet formam vuæ. Si portio plurima procidat, fit μῆλον, id est, malum. Et si accidat, vt vna cum vuea procidat etiam cornea, Auicennas vocat orbicularem affectionem. Ratione caussæ efficientis: si malum fiat a soluta vnitate corneæ; tunc vel Contrahitur callositas, vel Non contrahitur. Et si adsit callositas, fit ἧλος, id est, clauus.

C Præterea, malum est a caussa Externa, vel Interna.

Signa. Hoc vitium in genere patet. Secundum differentias a forma; non est opus signis. Ratione caussæ efficientis: si fuerit soluta vnitas; an callum contraxerit, inde patet: quoniam secundum circumferentiam rhagoeidis apparet albedo corneæ, quæ callum contraxit. Signa. Vtrum autem soluta vnitas fiat a caussa interna, vel externa; patet ex alibi dictis.

Præsidia. Ratione situs præter naturam; rhagoeidis situs restituendus: & caussa solutæ vnitatis, indicatur vnitio. Indicationes.

Vitium hoc secundum Auicennam & Græcos non facile curatur: nam difficultas inde colligi potest, quia arduum est intropellere rhagoeidem, & corneæ solutam vnitatem remouere. Prognostica. At augetur difficultas, pro vi differentiarum. Ratione formæ est minus periculum in formicali: maius in staphylomate:

D incurabile vitium est μῆλον: in hoc enim insignis est vehementia essentiæ. Ratione caussæ efficientis: dum reliqua sunt paria, periculum intenditur, si soluatur vnitas a caussa vlcerante; vt minus sit periculum si soluatur a caussa incidente: dum enim soluitur a caussa vlcerante, est maior recessus, quia adest defectus secundum substantiam corneæ. Et si callus sit contractus, incurabile est malum: ob summam vehementiam essentiæ.

Quoad remediorum materias: Caussa proptoseos clauatis, quæ non cedit medicamentis, probatur a Paullo, Aetio, Celso, materia cheirurgica, ratione deformitatis minuendæ: vt confugiendum sit ad ferrum. Curatio. Auicennas vero ait, quosdam propter pulcritudinem eminentiam abscindere: ipse tamen iudicat rectius esse, vt ad ferrum non confugiamus, quoniam forte effunditur materia, & mutatur ad oculum sanum. Quare in hac controuersia id in praxi seruandum: vt si oculus sanus sit imbecillis, & exquisiti sensus,

E tutius sit a ferro recedere. Medicamenta probantur astringentia. Vnde Auicennas proponit *medicamenta confecta ex aqua, aceto, vino astringente: in quibus vel macerentur, vel bulliant rosæ, vel folia oliuæ, polygoni, rubi. Licet etiam terere gallas immaturas, terram sigill. cerussam, & similia. Vnde etiam probatur succus foliorum oliuæ, succus virgæ pastoris, succus polygoni.* Auicennas inter valentiora probat *collyrium ex cineribus, quibus æs purgatur: & similiter probat collyrium e croco, amylo, tragacantha, cum albo oui.* Et hoc notandum, si immineat inflammatio, medicamenta non esse excipienda *vino*: si vero dolor vrgeat, vel immineat, non esse excipienda *aceto*.

CAPVT XXXV.

De Puris collectione.

F PER collectionem puris, seu ὑπόπυον, cum Galeno capite vltimo, libro 14. method. intelligimus illud vitium, in quo pus colligitur in oculo, & præsertim inter corneam & crystallinum. Nomen, Aliud vitium est ὑπώπιον, de quo paul lo post, c. 39. Generatur hoc vitium, dum tumoris materia in pus mutatur, vt oculus afficiatur tumore sub cornea, vt læditur visio. Quare Hypopion est tumor sub cornea, procedens a materia purulenta. Forma est tumor. Subiectum est oculi regio, sub cornea: Definitio. Et cum Auicenna sedes potest esse duplex: propinqua, dum pus colligitur inter corneam & rhagoeidem; profunda, dum inter rhagoeidem & crystallinum pus colligitur. Caussa efficiens est materia purulenta: quæ procedit e tumore, qui degenerat in abscessum; siue sit tumor corneæ, siue rhagoeidis.

Differentiæ a forma. Tumor est Maior, vel Minor. A subiecto: materia purulenta resideat, vel inter Corneam & rhagoeidem: vel inter Rhagoeidem & crystallinum. Differentiæ. Ratione caussæ efficientis dicendum,

G abscessum pertinere vel ad Corneam, vel ad Rhagoeidem.

Malum hoc in genere patet. In conspectu etiam sunt differentiæ a forma sumtæ: nam oculis intuemur, an tumor magnus sit vel paruus. Signa. Ratione differentiarum a subiecto sumtarum; si pus resideat inter corneam & rhagoeidem; pus exactius conspicitur, & affectus oculus sano oculo eminentior apparet. Quantum attinet ad caussam effectricem; num sit pus, ita cognoscetis: nam si caput, vel oculus concutiatur, mouebitur materia purulenta; & præterea pus esse cognoscetis e præcedente abscessu.

Indicationes. Præſidia.c.vlt.l.14.meth. Pus vacuandum. At iuniores recte intelligant Galenum. Tribus modis A
fieri poteſt puris vacuatio:primum vt pus ſimul multum & totum vacuetur:ſecundo,vt paullatim euacue-
tur:tertia,vt transferatur ſeu tranſponatur in partem ignobilem. Vnde obiter colligatis,tranſponens non
eſſe indicatum,ſed modum euacuationis:ac propterea extra methodum.

Prognoſtica. Secundum Galenum cap.vlt.l.14.meth.vitium hoc eſt curabile;quoad puris euacuationem;Nam ſi
forte coniungatur vlcus,aut inflammatio,confugiendum ad propria capita. At,vlcere & inflammatione
abſentibus;pus vacuari poteſt.

Curatio. Cap.28.li.7. Materia cheirurgica loc. citato eſt duplex. Altera;ſectio corneæ circa iridem:de qua monet Aetius,
acum oblique eſſe immittendam;& deinde poſt euacuationem puris oui candidum inſtillandum; mox
integrum ouum cum vino mulſo conquaſſatum,oculo imponendũ. Altera materia cheirurgica eſt tranſ-
poſitio:oportet enim collocare ægros in ſella rectos,& caput concutere,vt pus deſcendat in partem igno- B
bilem. Medicamenta loc.cit.improbantur valide ſiccantia:nam ea violentia cogunt materiam,vt euadat
irreſolubilis. Et e c.2.l.4 κ.τόπ.vitanda ſunt reprimentia,aſtringentia:quoniam pus vacuatur per modum
reſolutionis ſeu digeſtionis:vt probentur *collyria e melle,myrrha,croco,fellibus, cum ſucco fœnugraci,fuma-
riæ,feniculi & ſimilium*,de quibus dicendum in ſermone de ſuffuſione.

Caput XXXVI.

De Dilatatione pupillæ.

Nomen. HACTENVS de annatæ & corneæ tunicæ affectibus:ſequuntur vitia magis ſpectantia ad rhagoeidem:
vnde primo agendum de Mydriaſi. Per hanc (quam Auicen.vocat alint:far, Latini dilatationem pu-
pillæ) intelligimus vitium, in quo cum Paullo, Aetio, Rhaſi, rhagoeidis foramen ita amplificatur,vt ci-
tra mutationem coloris in pupilla lædatur viſio. Generatur hoc malum, dum oculo occurrit cauſſa mor- C
Definitio. Forma. bifica: cuius vi foramen rhagoeidis præter naturam amplum euadit,vt viſio lædatur. Mydriaſis ergo eſt
amplitudo præter naturam foraminis rhagoeidis,producta a cauſſa morbifica. Forma huius vitii,eſt am-
plitudo præter naturam,vt lædatur viſio: vt hoc vitium formaliter ſit conformatio morboſa, vt pertinet
ad orificia: & eſt conformatio in orificio quidem, ſed ampliore non anguſtiore reddito. Hanc confor-
mationem eſſe morboſam,teſtatur Galenus cap.2.lib.1.de ſympto.cauſſ.& ratio in promtu eſt, nam dum
pupilla amplior redditur, ſpatium non impletur ſpiritu animali,prout opus erat:vt hinc viſio lædatur. Vt
e ſententia Græcorum & Arabum,patientes procul exacte non conſpiciant, & obiecta iis minora quam
ſunt appareant. Non exacte procul conſpiciunt;quoniam vbi ſpiritus animalis eſt diſperſus,radios pro-
cul non poteſt emittere. Cur autem obiecta minora appareant,hoc ſcire eſt difficile,& ob id multi multa
dicunt. Sed breuitatis gratia, vt hæc veritas cognoſcatur;primum ſcire oportet cur oculis etiam ſanis ex- D
ſiſtentibus,obiecta minora appareant? Cauſſa igitur eſt,quoniam oculus ſecundum cryſtallinum, & ſpi-
ritus animales, magis & ſecundum omnes partes afficitur ab obiecto proximo: vt obiectum proximum
magnum,quantum eſt, iudicetur ab oculo. At, ſi remotum ſit obiectum,nec ſtrenue nec efficaciter, nec
ſecundum omnes partes agit in cryſtallinum & ſpiritus: vt, cum minus afficiatur cryſtallinus, minus
afficiatur ſpiritus; obiectum diſtans ab oculo iudicetur minus.Idem ergo contingit oculo,dum foramen
rhagoeidis amplius euadit:vt,cum ſpiritus animales diſſipentur,non vniantur,& ob id non afficiantur ab
Subiectum. Cauſſa efficiens. obiecto;quemadmodum cum vniuntur;quia tunc defectus eſt in receptione, eſt etiam defectus in iudi-
cio:& propterea obiecta minora apparent Subiectum huius mali eſt vuea, vt eſt donata foramine.cap.2.
lib.1.de ſympt.cauſſ.Efficiens cauſſa morbifica eſt vel Natiua, vel Aſcititia. Natiua prodit e prima forma-
tione: aſcititia poſt. Cuius cauſſa eſt vel Interna,vel Externa. Si interna,eſt tenſio rhagoeidis: tenditur E
autem vel Propria ratione,vel ex Accidente.Propria ratione;vt afficitur vel vt Similaris,vel vt Pars inſtru-
menti. Si afficitur vt ſimilaris pars,afficitur ſicca intemperie, ſed citra conſumtionem albuginei: humor
enim albugineus ſi minuatur,fit potius anguſtia pupillæ,non dilatatio.Quod ſi rhagoeides vt pars inſtru-
menti afficiatur;tumore afficitur. Tenditur ex accidente;dum rhagoeides a ſubiectis humoribus ad vtris
ſimilitudinem repletur. Cauſſa externa eſt ictus. Notandum autem cauſſam percutientem concurrere
vel mediate, dum ſcilicet vi percuſſionis rhagoeidis copioſa materia repletur: immediate autem dum vi
percuſſionis tunica laceratur,vt foramen amplius euadat.

Differentiæ. Differentiæ a forma capiuntur ſecundum Magis & Minus A ſubiecto non ſumuntur differentiæ:
ſemper enim eſt vuea. Ratione cauſſæ efficientis;dicendum produci a cauſſa Interna,vel Externa: Natiua F
vel Aſcititia.

Signa. Hoc vitium in genere & ratione formæ patet;vt non ſit opus ſignis.Ratione cauſſæ efficientis,cauſ-
ſa externa patet. Interna & natiua inde patet,quoniam vitium fuit a principiis generationis.Aſcititia co-
gnoſcitur:nam tunica ſi tenditur propria ratione;præcedunt cauſſæ ſiccantes,adeſt tumor: ſi hæc deſide-
rentur;iudicandum rhagoeidem ex accidente tendi.

Præſidia. In genere hoc malum indicat remedium foramen anguſtans.Et ſi non foueatur ab aliqua cauſſa,ni-
hil aliud agendum: vt in mydriaſi natiua, & in ea quæ oritur e lacerata rhagoeide. At ſi a cauſſa foueatur,
vt in mydriaſi aſcititia a cauſſa interna;ſi vuea tendatur propria ratione, ſi ratione ſiccitatis, oritur indi-
catio humectandi; ſi ratione tumoris, huius materia vacuanda. Si ex accidente tendatur, ſubiecti humo- G
res euacuandi.

Prognoſtica. In genere: cauſſa viſionis læſæ malum hoc non exigui eſt momenti.Vnde Galenus cap.2.l.1.de ſym.
cauſſ. ait,nullam amplitudinem,ſiue natiuam,ſiue aſcititiam eſſe bonam. Verum pro differentiarum ra-
tione,vario modo prognoſticandum.Ratione formæ;periculoſius eſt malum,ſi foramen eſt amplius:vn-
de Auicennas ait,ſi dilatatio ſequatur itidem,non remanere viſui aliquid de quo ſit curandum:nam ſum-
ma eſt eſſentiæ vehementia. Ratione cauſſæ efficientis:ſi malum fiat ab interna cauſſa, ſi hæc natiua ſit;
cum

A cum Auic.vitium est incurabile:nam vitia formatricis adeo sunt vehementia,vt nequeant expugnari. Si
autem caussa sit asscititia,cum Aetio malum etiam ęgre curabile est:nam rhagoeides , vt est corpus mē-
branosum,semel tensum,ita induratur,vt non facile ad statum naturalem redeat. Et si tendatur vi siccita-
tis,cum Galeno c.2.l.1.de sym.caus.difficulter sanatur.Secus si fiat a tumore.Et addit Galenus;si tendatur
ratione inflammationis,ratione scirrhi,ratione abscessus,peritum medicū non magno negotio hoc ma-
lum posse superare. Quod sane difficulter intelligi potest: vnde multi interpretes codicem deprauatum
dixerunt.Ita igitur intelligendus Galenus;Rhagoeidis tumor bifariam accipi potest: primo modo vt tu-
mor;vnde si est scirrhus,nequaquam facile curatur,imo curari nequit.Secundo modo tumor accipi po-
test,vt est in caussa amplitudinis foraminis,& secundum hanc rationem non est difficile hoc malum ex-
pugnare,cum satis sit tumorem minuere;quo imminuto,licet non sit prorsus exstirpatus,tensio etiam mi-
B nuitur,vt non lædatur visio.Si autem altera e parte tendatur vuea ex accidente;pro copia humoris replē-
tis,vario modo prognosticandum:& ob id Rhasis dicebat;si post capitis dolorem foramen dilatetur vsque
ad albedinem,parua est spes in cura,ob immodicam materiæ copiam,ob essentiæ vehementiam. Si my-
driasis fiat a caussa extrinseca,e percussione;cum Auicenna est incurabilis.Sed dubitari potest:nam Rha-
sis ait,si pupilla post percussionem dilatetur,non esse timendum,eo quod sanari queat:præterea ipsa quo-
que Auicennas curationem aggreditur.Dicendum pro resolutione:si e percussione vuea laceretur;malū
est incurabile:Si autem contingat,vt vi percussionis non laceretur,sed tumor saltem in ea excitetur,a quo
dilatatio foraminis prodeat;curabile hoc est malum.

Materiæ.Sufficiet medicamenta proponere,caussa vitii curabilis.Si ergo fiat vi siccitatis; cum Aui- Curatio.
cenna probantur humectantia:quemadmodum etiam probantur inícciore crystallino:vnde de his eo in
C loco.Scire autem oportet optimum medicamentum esse *lac iuuenculæ optime nutritæ:in cuius penuria sub-*
stituatur lac recens caprillum,vel etiam vaccinum:& lac imponatur vasi,in quo detineatur oculus. Si malū
fiat ratione tumoris;probantur,quę fuere proposita in lippitudine.Si e materia replente fiat malum;pro-
bantur resoluentia,& tunicam rhagoeidem leuiter astringentia:vt iure Aetius improbet vehementer re-
frigerantia & vehementer astringētia.Quare cum Auicenna & Aetio,probatur *aqua marina , posca aquo-*
*sa,collyrium e tutia.fellibus,&c.*vt absumatur materia replens.Quantum attinet ad astringentia;Aetius hęc
vocat subastringentia,id est,leuiter astringentia *vt est collyrium e rosis,croco,cortice thuris;&,quod plurimū*
*est,ascendit ad acaciam.*Si malum fiat a caussa percutiente,sed non lacerante;huius caussa Auicennas pro-
bat *emplastrum e farina fabarum excorticatarū,e farina hordeacea,cum aqua foliorum salicis , aut aqua endi-*
*uiæ,aut pauco vino,sed astringente.*Et caussa materiæ fluxæ,dum materia nō amplius fluit, Auicennas pro-
D bat *turturis vel columbi sanguinem in oculum instillatum: & deinde ascendit ad collyria resoluentia e myrrha*
& fellibus,vt materiam dissipet.

Capvt XXXVII.

De Constrictione pupillæ.

PEr φθίσιν seu tabem pupillæ,intelligimus illud malum,in quo præter naturam minuitur foramen rha- Nomen.
goeidis:vnde Auicennas vocat constrictionem pupillæ.Porro hæc tabes pupillæ distinguitur ab atro-
phia:nam atrophia attinet ad imminutionem,seu decrementum omnium partium oculi:at φθίσις,spectat
ad imminutionem saltem foraminis,vt docet Galenus c.5.l.10.de vs.part.Generatur malum hoc,dum oc-
currit caussa morbifica,cuius vi rhagoeidis foramen præter naturam angustum redditur,vt lædatur visio.
E Pupillæ ergo constrictio est angustia præter naturam foraminis rhagoeidis , producta a caussa morbifica.
Forma huius vitii,est angustia præter naturam,vt lædatur visio. Vt hoc vitium formaliter sit conforma- Definitio.
tio morbosa,prout spectat ad orificium.Subiectum est vuea,vt prædita est foramine. Ratione caussæ effi-
cientis dictum fuit produci hoc malum a caussa morbifica,quæ(cap.2.lib.1.de sym.causs.)est caussa , cuius
vi rhagoeides laxatur,non tenditur.Laxatur autem vel Propria ratione,vel ex Accidente. Propria ratio-
ne,vt tunica afficitur intemperie humida:ex accidente , cum concidit. Concidit autem dum humor al-
bugineus deficit.Deficit autem humor albugineus,vel ob solutam vnitatem tunicarum , vel ob alimènti
inopiam.

Differentiæ a forma,sumuntur secundum magis & minus:vt foramen cōstringitur secundū Magis Differētiæ.
& Minus.A subiecto non sumuntur differentiæ:semper enim idem est. Ratione caussæ efficientis dicen-
F dum,laxari rhagoeidem,vel Per se,vel ex Accidente.

Hoc malum in genere,& secundum differentias a forma non eget signis. Quoad differētias ratione Signa.
efficientis:si vuea laxetur ob intemperiem humidam;indicatur e visione obtusa,vt patiēs proxima exacte
non conspiciat:indicatur etiam ex oculi humiditate:& e caussis prægressis humectantibus.Si autem laxe-
tur e defectu albuginei;cognoscetis,quia patiens melius videbit in obscuro,seu aere non ita lucido: &, cū
Paullo,obiecta maiora indicabuntur,quam sint.Caussa autem visionis minus malæ in obscuro,est, quo-
niam ob defectum albuginei,lumen promtius occurrit crystallino,qui humor(c.3.l.10.de vs.part.)offen-
ditur a luce.Obiecta etiam maiora apparent:nam dum deficit albugineus,crystallinus superficiem planam
prorsus non seruat,vt inæqualitatem aliquam assequatur,vt quemadmodum in speculo concauo res visæ
maiores apparent,ita etiam hoc contingit in defectu albuginei.Vtrum autem albugineus deficiat,vi, vel
G solutæ vnitatis , vel inopia alimenti ; cognoscetis e prægresso vel vulnere , vel vlcere , vel ex alimenti de-
fectu.

Præsidia capiuntur a materia efficiente:quæ si fuerit rhagoeidis humiditas,indicat siccans. Si fuerit Indicatio-
albuginei defectus;indicat præsidium generans albugineum.Et si defectus foueatur a soluta vnitate ; pa- nes.
tet quid indicet soluta vnitas e doctrina vlcerum.

Prognostica. Quoad prædictiones.c.2.l.1. de sym.cauſ. Anguſtia morbifica eſt deterior dilatatione, ob defectum A albuginei. At pro vi cauſſæ efficientis augetur & minuitur in curatione difficultas. Vnde ſi malum fiat ob humiditatem; eſt minoris diſcriminis: ſi ob defectum albuginei, incurabile eſt malum; præſertim ſi defectus albuginei ſit inſignis; ægrius enim eſt humectare, quam ſiccare.

Curatio. Materiæ præſidiorum. Tantum proponemus topica. Si vitium ſit ob rhagoeidis humiditatem; probantur ſiccantia: vt eſt *collyrium e tutia, felle, ruta, euphragia, &c.* Auicen. hoc collyrium maxime probabat: *℞ floris æris, ammoniaci an.℈j. croci ʒß. aloes ℈iiij. moſchi.℈ß.* (*:Sed ſi æger erit pauper hic omittetur:*) *excipiatur hoc medicamentum aqua feniculi, vel euphragiæ.* Si malum prodeat e defectu albuginei; probantur humectantia, de quibus dicendum in ſermone de ſicciore cryſtallino. In præſentia patere debet maxime probari *lac, & aquam dulcem.* Sed hæc admoueantur fronti & capiti: & quidem actu calida, vt caput attrahat alimentum a iecinore. Notandum autem Paullum oculis applicare medicamentum rarefaciens, acre: B Et ratio fuit: nam per rarefactionem ſuſcipitur alimentum ab oculo; per acrimoniam attrahitur. Probabat igitur Paullus *medicamentum confectum ex ammoniaco, croco, ærugine, tritis in aqua: vt propterea neque linctus oculi ſit improbandus.* At his vtendum cum prudentia, id eſt, vſque ad oculi calorem, & leuem rubedinem: vltra enim, ſi quis progrediatur, alimentum attractu diſſipabitur.

Capvt XXXVIII.

De Suffuſione.

Nomen. PEr ὑπόχυμα, ſeu, ὑπόχυσιν, id eſt, ſuffuſionem, ſeu aquam, vel cataractam, cap. 6. lib. 7. de plac. intelligimus illud malum, in quo foramen rhagoeidis obſtruitur, vt oculi lumen cum externo aere, oculum C ambiente, copulari nequeat. At cum ſuffuſio ſit vel Exquiſita, vel Notha: in præſentia exquiſitam intelligimus, quoniam notha poteſt pertinere ad partes extra oculum. Verum ita loquemur de ſuffuſione exquiſita, vt nil deſiderari poſſit, etiam cauſſa nothæ. Generatur hoc malum, dum excrementum humoroſum occupat oculum, vt rhagoeidis foramen ita obſtruatur vt viſio lædatur. **Definitio.** Proinde ſuffuſio legitima eſt obſtructio foraminis rhagoeidis, procedens ab humore excrementitio. **Forma.** Forma eſt obſtructio: vt etiam teſtatur Galen. cap 6. lib. 7. plac. Et propterea Auicennas ſtatuit ſuffuſionem eſſe ęgritudinem oppilatiuam. Sed notandum, Galenum cap. 8. lib. de diff. morb. ſtatuere ſuffuſionem eſſe morbum in numero: vbi reſpicit ad ſuffuſionem completam, in qua materia morbifica eſt ita cõcreta, vt videatur veluti membrana, vt hinc particula addita videatur. At ſi capiatur ſuffuſio, vt foramen redditur vitioſum; morbus eſt obſtructio. Quare cum ſolum ſuffuſio perfecta ſit morbus in numero; quælibet autem ſuffuſio ſiue perfecta ſiue D imperfecta, ſit morbus in via: huius ratione in finitione propoſita eſt obſtructio. **Subiectum.** Subiectum eſt vuea, foramine prædita: vt Galenus loc. cit. fatetur.

Cauſſa efficiens. Cauſſa efficiens eſt humor excrementitius; Auicennas vocat humiditatem extraneam: vt ſuffuſio exquiſita diſtinguatur a notha; notha enim fieri poteſt, vel a vapore, vel ab humore; & præterea ab humore non extraneo. **Spuria ſuffuſio.** Declaro: fit ſuffuſio ſpuria a vapore, cum fiat a ventriculo, cum fiat a capite. A ventriculo cap 2. lib. 4. de loc. aff. & cap 2. lib. 1. de ſympt. cauſſ. ſi enim vapor crudus a ventriculo ſurſum feratur, fiunt ſymptomata ſimilia ſuffuſioni, non exquiſitæ ſuffuſiones, ſed ſpuriæ. A capite etiam ſuffuſio fieri poteſt, quemadmodum Galenus dixit cap. 2. lib. 4. de loc. aff. dum inquit, in phrenitide ſuccum климатioſum in cerebro abundare, qui ſuccus bilioſus torrefit, & ex torrefacto hoc ſucco, prodit fumus, qui in oculos delatus, ſymptomata ſuffuſioni ſimilia parit: vt propterea ſit ſpuria ſuffuſio. Præterea quoad ſuffuſionem ſpuriam, E vt fit ab humore; hæc etiam proponitur cap. 2. lib. 1. de ſympt. cauſſ. Fit autem ſi humor albugineus ita vehementer craſſeſcat, vt prohibeat viſionem: veluti contingere ſolet in ſuffuſione legitima: vt ſuffuſio procedens a craſſiore albugineo, ſit ſpuria, & minime deponenda. **Exquiſita ſuffuſio.** Cum autem legitima ſuffuſio procedat ab humore extraneo: indagare oportet huius humoris extranei ſpeciem, vitium, & cauſſam generantem. Species eſt humor pituitoſus: qui licet non ſemper ſit albus, ſed quandoque citrinus, quandoque niger; principalis tamen cauſſa eſt pituita: vt pituita ſit ſpecies humoris; bilis autem & melancholia dum concurrunt, rationem habent cauſſæ adiuuantis. Quoad vitium: pertinet ad quantitatem: vnde dicebat Auicennas, materiam hanc excrementitiam ita copioſam eſſe, vt poſſit anguſtare totum foramen. Pertinet vitium ad qualitatem; vt materia eſt vel Tenuis, vel Craſſa: vnde cum Paullo quandoque ita craſſeſcit, vt F membranam repræſentet. Sed præterea hæc materia vel eſt Fluxilis, vel Non fluxilis: vnde Galen. cap. vlt. lib. 14. meth. dicebat, ſuffuſionem fieri, quandoque ex humore ſeroſo & fluxili, qui punctione euacuatur (:non fit depoſitio, ſed ſenſibilis euacuatio:) Adhæc vitium eſſe ſolet in colore: vt materia eſt vel aerea, vel gypſea, vel citrina, vel nigricans, vel cineritii coloris, vel coloris albi, qui vergit vel ad colorem margaritarum, vel ad colorem aureum, vel ad glaucum, id eſt, viridem: quamuis ſuffuſio ſit vitium diuerſum a glaucomate; vt ſtatuit Galenus cap. 6. lib. 10. de vſu partium. Vitium etiam attinet ad quietem, dum materia præter naturam quieſcit: & cum Galeno cap. 1. & 4. lib. 10. de vſu part. quieſcit inter cryſtallinum & corneam, vt quieſcat modo Inter albugineum & rhagoeidem, modo Inter rhagoeidem & corneam. Quoad vitium ſecundum motum; ratione materiæ fluxæ; dum materia eſt tenuis, & nondum firmata. Ratione non fluxæ materiæ; dum mouetur a termino a quo, ad terminum ad quem, per ſuum ſpatiũ. Terminus a quo, G eſſe poteſt Extra oculum, & In oculo. Extra oculum; dum materia procedit vel a Toto, vel a Parte. In oculo, terminus a quo eſt oculus, ſecundum tunicas, vt tumor tunicæ degenerat in ſuffuſionem. Spatium autem eſt, vt materia fluit per venas, per meatus etiam inſenſibiles: vt, dum lippitudo mutatur in ſuffuſionem: nam materia mouetur per poros tunicarũ. Terminus ad quem, patet e modo dictis de quiete. Quoad cauſſam generantem: ratione agentis cum Auicenna eſſe poteſt ventriculus, & cerebrum: ratione materiæ

A teriæ ex qua; victus pituitoſus. Verum cum materia pituitoſa non generetur concreta; concreſcit quate-
nus diu manet in oculo,& potiſſimum(c.2.l.3.meth.)ex vſu opiatorum.

Differentię ratione formæ. Obſtructio eſt vel Integra, vel Non integra. Ratione ſubiecti; ſemper eſt Differētiæ.
rhagoeides, ſecundum foramen ſuum. Ratione cauſſæ efficientis; ſunt capiendæ differentiæ a materia, vt
differre poteſt,& Vitio,& Cauſſa generante, vt modo dictum fuit.

Suffuſio in genere cognoſcitur e læſa viſione, addebat Aetius cum aliqua impuritate pupillæ. Suf- Signa.
fuſio autem exquiſita, diſtincta cognoſcitur a ſpuria: nam ſi a vapore notha fiat ſuffuſio,& prodeat a ven- Cataractæ
triculo, cum Galeno cap.2.l.4.de loc.aff. inprimis vterque oculus æqualiter afficietur: contra in legitima. ſpuriæ in-
Secundo, ſi prodeat a ventriculo, ſi ſymptomata etiam per menſes aliquot perdurent, pupilla tamen non dicia.
conſpicitur tenebricoſa: contra in legitima. Præterea, ſi prodeat a ventriculo, ſymptomata viſionis inter-
B mittunt: contra in legitima ſunt perpetua. Inſuper ſi fiat a ventriculo, ſi contingat, vt fiat perfecta conco-
ctio in ventriculo, ſymptomata ſuffuſionis non apparent, at apparent, dum male habet ventriculus: vt ad
augmentum & decrementum vitiorum ventriculi, augeantur & minuantur ſymptomata ſuffuſionis:
contra in legitima. Quoad ſpuriam ſuffuſionem, vt prodit a vapore capitis, cognoſcetis hanc e ſignis
phrenitidis. Quoad ſpuriam, vt procedit a craſſitie albuginei, hæc maxima cum difficultate diſtincta co-
gnoſcitur:& neceſſaria eſt hæc cognitio: quia ſi ſit notha, non licet deponere, in vanum cruciantur pati-
entes. Cognoſcetur igitur e noxa æquali in viſione:& ratio eſt, quia æqualiter vi craſſi alimenti afficitur
albugineus, non magis ſecundum vnam partem, quam ſecundum aliam. Adhæc, cum albugineus nõ mo-
ueatur,& ſuffuſionis exquiſitæ materia quandoque moueatur: dum afficitur albugineus, nec culices, nec
muſcæ volitantes apparent, quemadmodum in legitima. Quoad differentias:& primum ratione formæ, Signa ex-
C an obſtructio ſit integra, vel non: cognoſcetis e ſignis indicantibus materiæ vitium ſecundum quietem, quiſitæ ſuf-
de quibus infra. Ratione cauſſæ efficientis, cum ſit materia: ſi fuerit pituita, quæ annexam habeat bilem, fuſionis.
cognoſcetis e colore citrino: ſi annexa ſit melancholia, e colore nigricante. Quoad vitium: copioſiorem
materiam cognoſcetis, e vehementia ſymptomatum: vnde turbulentia vehemens, indicat materiam co-
pioſam. Quoad qualitatis vitium: craſſiorem eſſe cognoſcetis, e viſione magis imminuta. Fluidam eſſe co-
gnoſcetis, ſi moueatur ex oculi concuſſione. Quoad colorem: color non eget ſigno, ipſe enim ſignum eſt,
verbi gratia, color aereus ſignificat materiam fluidam: gypſeus, materiam craſſam non fluidam: citrinus,
pituitam cum bile: nigricans, cum melancholia: cineritius, pituitam priuatam aquoſitate: vergens ad mar-
garitalem, pituitam quæ ſit particeps diaphaneitatis, propter portiones aqueas & aereas: vergens ad aure-
um, materiam pituitoſam, vt eſt particeps portionis igneæ, eiuſque claræ: vergens ad glaucum, portionem
D igneam, non ita puram. Ratione quietis: cum Auicenna, ſi quieſcat ſecundum totam regionem pupillæ,
denotabitur e læſa viſione, ſecundum totum obiectum: ſi quieſcat ſecundum partem, viſus exacta cõpre-
hendet, vel medietatem, vel partem obiecti, ſcilicet, vt ait Auicennas, propter ſitum: vt, ſi materia reſideat
in pupilla verſus tempora, ſi patiens quid aſpiciat e regione temporum, obiectum exacte non conſpiciet;
ſi e regione narium, exacte intuebitur obiectum. Si vitium hæreat in media regione pupillæ, obiectũ per-
foratum apparebit. Vtrum enim materia reſideat, vel inter albugineum & rhagoeidem, vel inter rhagoei-
dem & corneam; difficulter cognoſcitur. At iudicandum eſt, materiam reſidere inter rhagoeidem & cor-
neam: primum, ſi pupilla obtenebrata euidentius conſpiciatur. Secundo, ſi a principio non apparuerunt
culices volitãtes. Contra, ſi colligatur materia intra albugineum & rhagoeidem; oppoſita apparebunt:&
ratio eſt; quia dum materia reſidet inter corneam & rhagoeidem, non poteſt ita moueri, vt culices obſer-
E uari videantur:& quia materia magis proxima eſt oculis medicorum; ideo etiam obtenebratio pupillæ e-
uidentius conſpicitur. Quoad vitium ſecundum motum: ratione materiæ fluxæ, ſi moueatur materia, co-
gnoſcetis e viſione obiectorum, quæ mobilia eſſe videntur. Ratione materiæ non fluxæ:& primum ratio-
ne termini a quo; an ſit totum vel pars, cognoſcetis e propriis ſignis. Si autẽ ſit oculus, cognoſcetis e vitio
præcedenti. Verbi gratia, ſi prægreſſa eſt lippitudo. Spatium autem & terminus ad quem, patent e multoti-
es propoſitis:& ſimiliter cauſſa generans.

Quoad præſidia: cum Galeno cap. vlt. lib. 13. meth. cauſſa contentiua ex vſu, eſt materia pituitoſa: Indicatio-
hæc igitur remouenda, vt non amplius obſtruat. At cum plures ſint vacuandi modi; nimirum vacuatio nes.
ſenſibilis,& inſenſibilis:& ſi inſenſibilis; per modum repercuſſionis, vel digeſtionis, vel tranſpoſitionis: in
F ſuffuſione ſenſibilis vacuatio excluditur; nam ſuffuſionis materia non eſt fluxilis, niſi fiat e ſeroſo humo-
re, quia in hoc conuenit vacuatio ſenſibilis. Excluditur repercuſſio: nam materia nõ cedit reprimentibus.
Relinquitur ergo vacuatio per reſolutionem & tranſpoſitionem. At cum materia reſoluenda (quia frigi-
da eſt & craſſa) non admittat reſoluentia: ideo calefacienda & attenuanda:& ne impediat tranſpoſitionem
tenuitas, ideo eſt craſſefacienda.

Suffuſio modo facilius, modo difficilius ſuperatur, pro differentiarum vehementia. Et potiſſimum, Prognoſti-
pro vehemẽtia eſſentiæ materiæ morbificæ ſecundum tenuitatem, craſſitiem,& quietem. Nam dum ma- ca.
teria eſt tenuis, poteſt euacuari: non autem craſſa. Et ob id c.vlt.l.4. meth. Galenus ait, Suffuſionem inci-
pientem digeri poſſe: vbi autem diu conſtiterit, non poſſe digeri; quia materia eſt craſſior. Ceterum dum
materia eſt craſſa, & non cedit reſoluentibus, vt vacuanda ſit per modum tranſpoſitionis; ſcire oportet,
G quandoque tranſponi poſſe, quandoque non poſſe. Hoc pendet e vitio ſecundum craſſitiem, & ſecun-
dum quietem. Declaro: Quoad craſſitiem; ſi patiens nec lumen cernat, quamuis clauſo altero oculo pu-
pilla dilatetur, tum adeſt craſſities, quæ non poteſt tranſponi. Quoad quietem: ſi materia quieſcat inter al-
bugineum & rhagoeidem, poteſt tranſponi; ſi autem reſideat inter rhagoeidem & corneam, non permit-
tatis vt cheirurgi tranſponant, nec enim tranſponi poteſt.

Curatio. Venęsectio.

Materia cheirurgica. Venæ sectio probatur caussa sanguinis, vt hic concurrit tanquam caussa sine A qua non. Nam si materia suffusionis est resoluenda; calida applicanda, vnde sanguis attrahitur. Si materia est transponenda, dum materia transponenda est crassefacienda; tum improbatur phlebotomia, hęc enim rarefacit, vt cum Auicenna noceat. At dum materia crassa est effecta, vt transponi possit, probatur venę sectio, ne vi punctionis sanguis affluat. Vsus sectionis venæ patet ex alibi propositis.

Seto.

Circa autem setaceum, quod applicatur infra occipitium, notandum; probari in suffusione incipiente, & dum institutum est deponere: nam vi setacei oculus liberatur a noua fluxione.

Punctio.

Quantum attinet ad punctionem, ratione cuius fit depositio; hanc prohibet immoderata vel crassities, vel tenuitas; item neruorum opticorum, & crystallini vitia, quorum vitiorum vi patiens neque lumen intueri potest. Quare dum sunt vitia in crystallino, & æger lumen intueri non potest; non est deponenda suffusio: nam quamuis materia optime deponatur, B homo tamen visum non recuperat. Vnde hæc vitia prohibent punctionem ex accidente.

Medicamenta, ratione totius.

Medicamenta Communia sunt & Propria. De communibus notandum; si institutum sit, materiam suffusionis caussam, insensibiliter vacuare; opus esse vt medicamentis euacuantibus totum, euacuantibus caput, & præparantibus, quæ omnia vim attenuandi habeant, vtamur: si autem institutum sit materiam præparare, non vt insensibiliter vacuetur, sed vt deponatur; oportet præparare cum crassefacientibus, *verbi gratia cum decocto ex alica, meliloto, pineis, oryza, &c.* nisi visceris alicuius obstructio prohibeat. At si scopus sit materiam transponere; probantur medicamenta inhibentia inflammationem, quę excitari posset propter punctionem, a materia affluente; Vnde cum fluat materia, vt calida, vt tenuis; ideo probatur refrigerantia & euacuantia succos biliosos: quem in finem optimi practici exhibent *potius cichoracea, quam eufragiam, potius rhabarbarum quam agaricum.*

Medicamenta, ratione materiæ in oculo, vacuandæ insensibiliter. Interna. Externa.

Quoad medicamenta caussa materiæ exsistentis in oculo: si materia est vacuanda insensibiliter probantur calefacientia, & attenuantia, sed citra violentiam; Miscen- C da etiam emollientia. Vnde cum hæc medicamenta & possint assumi, & possint applicari: quantum ad assumenda, probatur *decoctum e guaiaco, e salsa, e sassafras, ex eufragia, feniculo, verbenaca recta; & addatis radices althææ (emollitionis gratia.) E quibus etiam medicamentis possunt pilulæ parari, exhibendæ ante decoctum.* Quoad applicanda: Galenus in fine lib. 4. κ. τόπ. probat *fel cum succo marrubii, & melle: probat myrrham & piper in æquali portione, cum melle. Probatur succus feniculi, fel taurinum cum melle: applicatio item croci & piperis, in æquali dosi, cum felle taurino. Notandum vero differentias esse inter genera fellis: minus enim acre est fel piscium, magis acre vituli, deinde bouis, deinde tauri: vt acrius sit fel animalium e rapina viuentium. Et propterea Rhasis conficit collyrium e diuersis fellibus. Parari etiam possunt ex aromatibus.* Quod si oculus permittat; potestis cum Rhasi ascendere ad collyrium *e sagapeno, euphorbio, colocynth. cum succo feniculi. Insuper ex his & similibus per destillationem parantur olea, quæ efficacissima sunt: & vos his vti debetis.* At no- D tandum Auicennam cap. de cura visus debilis, cum calidioribus miscere stiptica, *vt aquam ros.* quæ hoc in loco est materia remedii, indicati a calido innato, vt eius substantia dissipatur vi medicamentorum calidorum, quæ & attrahunt, & possunt excitare dolorem. Omitto linctum oculi; & insufflationem in oculũ; & alia: nam de his dicemus in sermone de albugine.

Incrassatio materiæ, quę deponi debet.

Quo autem ad medicamenta caussa materiæ vt est deponenda: hæc est crassefacienda, vt possit deponi. Intrinsecus ergo probantur potius alimentalia, quæ præbent alimentum crassum: & oculo applicanda medicamenta cõfecta *e succo alicæ, oryzæ, e pineis, cum decocto fœnugræci, cum aqua ros. & modico croci, caussa penetrationis.*

Victus ratio.

Diæta debet esse compar. Quare, si institutum sit materiam insensibiliter euacuare; diæta sit attenu- E ans: vnde cibi condiantur *aromatibus, feniculo: & puluis conficiatur e feniculo, eufragia, cum sacchare & cinnamomo:* Et patiens in prandio & in cœna, loco aromatum hoc puluere vtatur. Si autem materia sit crassefacienda, vt deponatur; probatur crassefaciens, & proinde paratus *e farre, alica, oryza, e pedibus vitulinis, e caseo recenti, e pineis, ex omphacio, &c.* Si autem punctio sit vsurpanda; probantur cibi, prohibentes inflammationem: vt cibaria sint condienda refrigerantibus, sit abstinendum a vino, & præsertim per 5. vel 6. dies, post administratam punctionem.

Capvt XXXIX.

De Sugillatione oculorum.

Nomen.

Qvoniam de affectibus oculorum egimus, qui potissimum spectant ad tunicam vel annatam, vel cor- F neam, vel rhagoeidem: restat vt ea quoque persequamur vitia, quæ ad plures tunicas pertinent. Horum primum est Sugillatio, ὑπόσφαλμα, ὑπώπιον, seu ὑπόχυσις αἱματώδης, id est, suffusio sanguinis, quæ ab Auicenna vocatur Altarfati, ab aliis macula oculi. Per eam nos intelligimus malum, in quo cornea cum annata tunica ita afficitur, vt obiecta colorem ad rubeum vergentem præ se ferant. Generatur, dum venulis tum annatæ, tum corneæ occurrit caussa, cuius vi sanguis egrediens, ita corneam tingit, vt rubicunda videatur.

Definitio.

Vnde sugillatio est color præter naturam corneæ, procedens a sanguine effuso e venulis tunicarum oculi. Forma est color præter naturam: nam visio læditur. Non proponitur in definitione, color rubeus: nam hic colligitur e caussa efficiente, id est, sanguine: neque conuenit definitiones prolixas efficere. For- G ma ergo est symptoma attinens ad qualitatem visibilem, vt læditur visio ob errorem externum: pręsertim quia sanguis non est caussa tumoris, nisi sugillatio degeneret in lippitudinem. Subiectum est cornea: nam caussa læsæ visionis est color corneæ, non annatæ.

Caussa efficiens.

Caussa efficiens est sanguis effusus e venulis tunicarum oculi. Vnde Galenus capite primo, libro quinto. κ. τόπ. ait, sugillationem esse e genere effusionum: nam sanguis extra venas effunditur: Et Aetius

proponit

A proponit oculorum tunicas; nam venæ pertinent etiam ad corneam, ſaltem ſecundũ partem ſpectantem ad iridem. At cum ſanguis egrediatur per anaſtomoſin, diapedeſin, & diæreſin, ſecundum Auicennam, cũ cauſſa huius mali ſit, vel Interna, vel Externa: quoad internam, eſt ſanguis, qui peccat copia, vel caliditate. Si copia; fit effuſio per διαίρεσιν, vena enim rumpitur: Si caliditate; fit effuſio per ἀναστόμωσιν: vnde Galenus loco cit. ait, raphanum mordendo venarum oſcula aperire, vbi tangit anaſtomoſin. Cauſſa autem extrinſeca, ſi concurrat, vt contundit; fit effuſio per diapedeſin: ſi vt rumpit; per diæreſin: & ſi immodice agat, ita vt immodice agitetur ſanguis; per anaſtomoſin.

Vnde ex his ratione formæ dicendum, colorem eſſe, vel rubicundum, vel liueſcentem, vel nigricantem: nam illico poſt effuſionem rubicundus apparet, mox concreſcens liueſcit, & tandem denigratur. Nõ B capiuntur differentiæ a ſubiecto: nam ſemper eſt cornea. Quoad differentias ab efficiente cauſſa eſt Interna, vel Externa.

Differẽtiæ.

Hoc malum in genere, & ratione differentiarum a forma patet. Ratione efficientis, an cauſſa ſit interna vel externa; audietis e patiente. Et ſi interna; ſigna ſunt ſanguinis vel copioſi, vel calidi, verbi gratia ſi copioſus ſit ſanguis, color erit exacte rubeus: ſi peccet caliditate, verget ad citrinum, & patiens ſentiet caliditatem.

Signa.

Præſidia porro cõſiderantibus duo ſunt perpendenda: quorum alterum eſt, Sanguis effuſus: alterũ, Venarum vitium. Ratione ſanguinis: cum ſanguis effuſus totus ſit morbus; vacuandus. Ratione vitii venarum; indicatur remedium aſtringens: quod in diapedeſi debet eſſe denſans; in anaſtomoſi occludens orificia; in diæreſi agglutinans.

Indicationes.

Eſt autem de Galeni ſententia loc. cit. hoc malum curabile: nam vaſorũ vitia ſunt exigua: & ſanguis C effuſus antequam concreſcat, facile vacuatur: ſecus ſi coeat & craſſeſcat, magis enim a naturali recedit.

Prognoſtica.

Vnde cum in curando liceat vti & diſcutientibus & aſtringentibus: notandum circa Quando agendum, cum Galeno loc. cit. quantum ad aſtringentia, hæc probari dum adeſt præſentia indicantis aſtringens: & ob id Galenus in principio parum aſtringentium ammiſcebat, ne ſanguis efflueret: dum autem vena in ſuam naturam redierat, probabat Galenus ſola diſcutientia. Diſcutientia autem cum ſint & imbecillia & valentia: Galenus loc. cit. inter initia probabat imbecillia; fortia in antiqua ſugillatione: nam in principio ſanguis effuſus facile diſſoluitur, quia nondum in grumum eſt conuerſus. Notandum vero circa validiora, ne hæc euadant cauſſæ morbificæ, quoniam acriora poſſunt aperire orificia venarum, ita vt effundatur ſanguis per anaſtomoſin. His perceptis, facile intelligitur, *cur Galenus c. 1. l. 5. κ. τόπ. foueat oculum decocto fœnugræci, & meliloti, deinde vtatur collyrio e roſis, & excipiat primum aqua, deinde decocto* D *meliloti & fœnugræci; nam beneficio aquæ inhibetur inflammatio; virtute autem meliloti & fœnugræci diſcutitur ſanguis effluxus.* Et ſuperato vitio venarum, id eſt, aſtrictis venis, *probat Galenus fomentum e ſolo fœnugræco: & probat ſpongiam infuſam in melle; item collyrium e myrrha, cum decocto fœnugræci.* Apparet igitur cur Galenus primum vtatur leuiter diſcutientibus cum aſtringentibus: mox ſinceris diſcutientibus & validis. Et eandem veritatem cognoſcens Galenus c. 8. l. 4. κ. τόπ. probat *ſanguinem columborum inſtillatum e teneris pennis; nam leuiter diſcutit, & nonnihil aſtringit. Probat etiam inter initia oui album.* Rhaſis dolore perſeuerante probat *oui album, cum roſaceo, inter initia.* At poſtea Galenus accedit ad *luteum ſeu vitellum oui, cum vino; ad melilotum cum vino; ad folia roſarum cum vino:* quæ omnia leuiter diſcutiunt & aſtringunt. Dum autem ſugillatio producitur; aſcendit Galenus ad *thus, bitumen, comam hyſſopi, nitrum, myrrham, &c.* Vnde Auicennas in contumaciſſima ſugillatione aſcendit ad *medicamentum confectum ex vna parte ſinapis, &* E *duabus caricarum.* Antiqui enim confugiebant ad valentiſſima medicamenta, & ſic curabant.

Curatio, per aſtringentia, & diſcutiẽtia.

CAPVT XL.

De Vngue oculi.

PEr πτερύγιον, ſeu vnguem, ſeu vngulam cum Auicenna, intelligimus malum, in quo tunica annata tegitur a ſubſtantia carnea, vt lædatur viſio. Et quamuis ferme omnes ſatis leuiter in hoc malo explicando procedant: nos tamen hoc negotium accurate, ſed breuiter perſcrutabimur. Generatur, dum vegetali facultati, ad oculorum angulos attinenti, luxuriandi datur occaſio, vt e ſanguine generet carnem, & ita carnem augeat, vt non modo annatæ tunicæ adhæreat, verum etiam corneæ, vt e directo cornea reſpicit cryſtallinum, vt lædatur viſio. Vnguis igitur eſt numerus præter naturam auctus oculi, procedens a carne ad- F hęrente tunicis oculorum externis. Forma huius vitii eſt numerus prę̨ter naturam auctus. Vnde Galenus in fine l. 14. meth. iure dixit, pterygion viſui officere: Sicuti etiam ſtatuit c. 2. l. 1. de ſympt. cauſ. Vnde dicebat Auicennas, vngulam eſſe additionem coniunctiuæ. Subiectum eſt oculus: quoniam cum Galeno c. 2. l. 1. de ſym. cau. in pterygio pupilla non ex accidente, ſed primaria ratione obtenebratur, vt per ſe ſit morbus totius oculi, ex accidẽte membranarum. Vt per pterygion intelligere oporteat morboſum, in quo auctus eſt numerus, vt attinet ad plures partes.

Nota, πύ-σιν de qua c. 35. egimus, etiã vocari vnguem: at multum ab hoc diſtat affectu.
Definitio.
Forma.
Subiectum.

Cauſſa efficiens eſt caro adhærens tunicis externis oculi. Inprimis hoc malum procedit a carne. Et a carne procedens, conſtat eſſe morbum in numero, ſed non toto genere præter naturam, ad differentiam calculi, & ad ſimilitudinem ſexti digiti in manu, vt docuit Galenus in fine lib. 14. meth. At hæc ſubſtantia non eſt ſeminalis, ſed ſanguinea, nimirum ſubſtantia carnea, quæ poteſt eſſe particeps venarum, vt venæ G ſunt germina venarum annatæ tunicæ. Vnde, dum Paullus ait, pterygion eſſe neruoſam excreſcentiam, ita loquitur, quoniam illa caro eſt admodum ſimilis ſubſtantiæ membraneæ. Et ob id Rhaſis ille doctiſſimus ait, in vngue eſſe ſubſtantiã panniculo ſimilẽ. Vnde & Aetius ſatis proprie loquens, inquit: pterygion fieri carne creſcente. Et hinc malum hoc diſtinguitur a Sebel Arabum, de quo Græci non fuere locuti: & fortaſſe cauſſa fuit, quia eodẽ modo curatur vt vnguis. Diſtinguitur igitur a Sebel: nã Sebel eſt morbus in

Cauſſa efficiens.
Sebel quid?

numero,procedens à ſubſtantia venoſa;(non carnoſa)vt Rhaſis dixerit,eſſe veluti panniculum; contextum e venis rubeis,craſſis,id eſt,repletis:vbi enim venæ ſunt rubeæ & craſſæ, ſunt repletæ. Auicennas ait has venas ita contextas,conſpici etiam in ſuperficie corneæ:nam aliter viſio non læderetur. Incrementũ autem venæ ſuſcipiunt,quia tunicæ annatæ venæ extenduntur;nam cum hæ venæ ſint tenues;emanat fumus viſionem lædens:& ſecundum Auicennam prodit hic fumus e venis repletis , a materia fluente , per vaſa,vel intra cranium,vel extra. Verum cum in pterygio mali cauſſa præcipua ſit ſubſtantia carnoſa; duo ſunt conſideranda;ſcilicet agens,& materia e qua generatur caro. Agens eſt alteratrix,per vim auctricem, reſidentem in carne pingui,pertinente ad angulos oculorum,& frequentius ad interiores angulos: vt dixerit Aetius raro prodire a paruis angulis,etſi interdum etiam poſſit incipere,a palpebra & ſuperna & inferna. Ceterum vt deſcendamus ad hic & nunc;vbicunque incipit agere alteratrix,reſidet in carne ; vt alteratrix per auctricem,virtute temperaturæ & calidi innati carnis,carnem augeat:vt cum Aetio ita augeat,vt quandoque extẽdatur ad vſque nigrum oculi. Verum alteratrici facultati datur occaſio, vt vltra terminum naturalem carnem extendat,cum Aetio:quoniam vi vel lippitudinis,vel aſſiduæ fluxionis, caro aſſecuta eſt ſcabritiem,ſeu inæqualitatem ; vnde dum natura ſeu alteratrix ſcabroſam carnem æqualem reddere nititur,augmentum morbificum parit. Quoad materiam e qua;principalis,eſt ſanguis. Nam caro & pinguis,& non pinguis,e ſanguine generatur. At cum ſanguine miſceri poteſt materia excrementitia: vt hinc pterygion generetur,modo durum,modo molle,variorum colorum;prout materia,alia a ſanguine, concurrit,vt adiuuans;quia ſanguis eſt principalis.

Differẽtiæ. Differentiæ potiſſimum a carne ſunt deſumendæ. Oportet igitur perpendere , cum Auicenna & Aetio,cauſſam Generantem carnem,& Carnem genitam. Cauſſa generans pertinet ad Angulos, vel ad Palpebras. A carnis genitæ vitio capiuntur differentiæ. Si enim vitium attineat ad ſubſtantiam; dicendum carnem eſſe vel Putridam,vt eſt cancroſa;vel Non putridam. Quoad vitium ratione quantitatis; caro eſt Longa vel Breuis; Anguſta vel Lata; Tenuis vel Craſſa: Sic enim omnes quantitatis dimenſiones conſideramus. Vitium in qualitate;caro eſt Dura vel Mollis: Alba,aut Rubeſcẽs,aut Citrina, aut Nigricãs. Quietis vitium:caro eſt Magis vel Minus hærens.

Signa. Malum hoc eſt vſque adeo euidens,vt non egeat ſignis. Scire autem oportet cum Aetio , pterygion cancroſum cognoſci,e carne craſſa,dura, euerſa , eminente , nigricante : & tempora per conſenſum afficiente.

Indicationes. Porro cum Galeno c.vlt.l.14.meth.caro hæc morboſa indicat remedium remouẽs carnem. At cum vacuationis modi ſint plures,vt euacuatio eſſe poſſit vel Inſenſibilis, vel Sẽſibilis:ſi caro ſit parua, & mollis;medicamentis inſenſibiliter vacuantibus occurrendum. Si vero ſit magna & dura;materia ſenſibiliter vacuante eſt occurrendum,id eſt,materia cheirurgica. Sed hoc eſt extra methodum:nam e medendi methodo indicatur remedium carnem adimens : e methodo medicamentorum ſcimus medicamenta poſſe adimere carnem exiguam & mollem,non magnam & duram:e methodo materiæ cheirurgicæ docemur, ferrum carnẽ & magnã & duram poſſe vincere:e methodo pathologica addiſcimus in carne eſſe eam vim, vt exigua & mollis cedat vacuationi inſenſibili;non autem magna & dura.

Prognoſtica. Hoc malum in genere,cauſſa viſionis,eſt vitium non deſpiciendum:ſed vario modo prognoſticandum,pro vario carnis vitio. Quod ſi ergo caro ſit putrida & cancroſa;cum Aetio malũ eſt incurabile: Nã cancer habet radices,quæ non poſſunt euelli:vnde adeſt inſignis vehementia. Si autem caro ſit copioſior; difficilius vincitur. Et cum Aetio facilius curatur albicans;difficilius rubea vel citrina; in quibus videlicet periculum imminet , ne e medicamentis fiat inflammatio ; difficilioris eſt curationis,ſi nigra;nam cauſſa melancholiæ eſt dura. Adhæc vt magis hæret,ita etiam difficilius curatur. Aetius addebat,pterygion interdum vtile eſſe,dum ſcilicet ſuffuſio eſt in principio:nam materia mutatur in vnguem:vnde aiebat Aetius,pterygia,in quibus ſunt principia ſuffuſionis,non eſſe curanda.

Curatio poſt manualem operationẽ. Cap.60.l.7. De materia cheirurgica ratione oculi Aetius ita clare loquitur , vt non egeat explicatione. At poſt cheirurgiam,hoc eſt,poſt carnis detractionem cum ferro,probantur medicamenta,quæ prohibent tunicam annatam palpebris adhærere;probãtur quæ poſſunt prohibere inflammationem; & quæ portionem a ferro relictam exſtirpant. Vnde ad prohibendum cõiunctionem cum palpebris, Aetius probat *muriam acrem,aquam ſalitam,quæ infundit in oculum: Auicennas probat cyminum maſticatum cum ſale; iubetq; ægrũ frequenter oculos mouere,niſi dolor prohibeat.* Ad inflammationem arcendum,Auicẽnas applicat *lanam ouo imbutam.* Tandem ad carnem derelictam eradicandum,proponit *collyria acria,poſt tres dies;ne fiat inflammatio. Collyria acria quæ ſint,alias audiuiſtis. Et cum Galeno c.2.l.4.κ.τόπ.aſcendẽdum ad collyrium ex æquali portione atramenti ſutorii,id eſt,chalcanthi,& ſalis ammoniaci,& dimidia parte gummi;quæ excipienda aceto. Vos confugere poteſtis ad oleum ex chalcantho,ſed lacte correctum.*

CAPVT XLI.

De Albugine.

Nomen. PEr albuginem,ſeu λεύκωμα,intelligimus albuginem exquiſitam,ac proinde vitium in quo vi cicatricis, præſertim corneæ,læditur viſio:& hoc malum etiam dicitur Cicairix. Generatur dum poſt vlcus corneæ fit cicatrix,vt cornea & craſſa & denſa ita reddatur , vt tranſitus turbetur tum ſpiritus animalis,tum

Definitio. ſpeciei viſibilis,vt lædatur viſio. Quare albugo nil aliud eſt, quam denſitas cum craſſitie morboſa corneæ,

Forma. producta a cauſſa cicatriſante. Forma eſt denſitas cum craſſitudine morboſa:nam vbi cicatrix,ibi denſitas & craſſities,ſecundum Aetium:qui,dum ait,craſſam cicatricem non eſſe curandam;reſpexit ad ſummam craſſitiem. Vnde cum forma poſita ſit in denſitate & craſſitie ; albugo erit morbus in via,vt pori corneæ denſiores redduntur:& erit morbus in magnitudine aucta,non ſecundum longitudinem,& latitudinem, ſed

A ſed profunditatem ratione craſſitiei. Subiectum eſt cornea. Nam ſi afficiatur tunica annata, non autem Subiectum.
cornea, non læditur viſio. Efficiens eſt cauſſa cicatriſans: vt hæc albugo diſtinguatur ab albugine producta Efficiens.
a ſcirrho corneæ, ſeu pituita imbibita in cornea.
Differentiæ a forma, ſecundum Magis & Minus: albugo eſt magis vel minus dura: Vnde Aetius du- Differentiæ
riorem vocat calloſam. Item, alia magis, alia minus craſſa: vnde Auicennas minus craſſam vocat nebulam,
magis craſſam nomine generis vocat albuginem. Quod ſubiectum attinet; cum Paullo albugo reſidet in
cornea, vel ſecundum Superficiem, & a Paullo vocatur cicatrix & nubecula: vel ſecundum Profundum, &
ab eo dicitur albugo. Ratione cauſſæ efficientis dicendum, cauſſam cicatriſantem eſſe Remiſſiorem, aut
Intenſiorem.
B Malum hoc in genere patet oculis. Verum ob ſimilitudinem, quam habet albugo exquiſita, cum al- Signa.
bugine quæ fit a ſcirrho; ita diſtinguetur. Si enim vlcus ſit prægreſſum, eſt legitima albugo. Signa differen-
tiarum. & primo, ratione formæ. Minus craſſa, cognoſcitur e colore ſubalbo, qualis in nebulis cōſpicitur.
Craſſior, cognoſcitur e colore magis albicante, & viſione magis læſa. Ratione differentiarum a ſubiecto,
cum Aetio, ſuperficialis cognoſcitur e colore albicante: profunda, e nigricante. Et ratio eſt: nam profun-
da, magis eſt vicina rhagoeidi, vt vicinitatis cauſſa, dum aliqua fit viſio rhagoeidis, color appareat nigricās.
Adhæc ſuperficiaria cognoſcitur ex inæqualitate corneæ: vnde oportet ægrum ſupinum collocare, & di-
ligenter intueri oculos, an appareat aliqua inæqualitas. Cauſſa efficiens patet e relatione ægri, an nimirum
fuerit cauſſa cicatriſans intenſa, vel remiſſa.
C Præſidia non capiuntur a cauſſa efficiente; cauſſa enim cicatriſans abeſt: capienda igitur a præſenti, Indicatio-
nimirum ab effectu cauſſæ cicatriſantis. Effectus eſt exſiccatio corneæ, pororum denſitas, corneæ craſſiti- nes.
es: quare oportet humectare, aperire, attenuare.
Vitium hoc vix prorſus auferri poteſt; ſiue ſit exquiſita albugo, ſiue notha. In illa enim corneę ſub- Prognoſti-
ſtantia eſt mutata in cicatricem, vt plurimum conſequamur, ſi minuatur cicatrix, quo minimum viſioni ca.
officiat. In notha, ſi ſcirrho ſit, arduum eſt ſuperare ſcirrhum: ſi a pituita imbibita, vinci quidem poteſt, ſi
materia non ſit vehementer impacta. Et addamus, ſi cornea afficiatur morphæa, nil aliud polliceri licet,
quam coloris mutationem per tincturam. Ceterum ad exquiſitam, quod attinet, prognoſticum variat,
pro vi differentiarum: dura enim peior eſt, ſi ſumma durities, incurabilis eſt: vnde Aetius inquit, non opus
eſſe cicatricem calloſam curare: & Rhaſis ait, in pueris albuginem eſſe mitiorem; quia in adultis eſt ſiccior;
D non autem quia in infantibus cornea poſſit regenerari, vt quidam ſcripſerūt: nam idem ob hanc cauſſam
in adultis cicatricem non curari ſtatuit, niſi tenuiſſima ſit: vt curatio non pendeat e generatione corneæ.
Præterea, albugo craſſior eſt deterior; magis enim recedit a naturali ſtatu. Vt, ſi albugo ſit & dura & craſ-
ſa, non liceat curam aggredi, ſecundum Aetium. Item: profunda eſt peior: nam vehementior ratione di-
gnitatis: nec medicamenta tam facile poſſunt malum attingere. Ceterum, ne fruſtra fiat deſcenſus ad ma-
terias præſidiorum; perpendere etiam oportet mala, quæ ſimul lædunt cum albugine: vnde Aetius inquit,
ſi fuerit ſuffuſio, aut glaucedo; vanum eſſe cicatricem abſumere.
Medicamenta topica pertinent vel ad artem curatricem, vel ad artem exornatoriam, veluti albugi- Curatio.
nem tingentia. Quæ prioris ſunt generis, alia humectant cicatricem, vt facilius attenuetur; alia attenuant.
At cum Aetio excorantia ſeu exulcerantia, vitanda; cicatriſant enim & cicatricem reddunt craſſiorem. V-
E ſurpanda igitur medicamenta, quę probantur ſiue ſit ſuffuſio, ſiue albugo, tum legitima, tum ſpuria. Hinc Humectan-
Rhaſis probat *vaporem aquæ dulcis calidæ, vſque ad oculorum rubedinem.* Vos vti poteritis hoc medicamē- tia, & atte-
to: *℞ foliorum maluæ, rad. alth. fœnugræci ſeminis ana P. j. aquæ ℔ ij. fiat decoctio. pro vapore.* Deinde facta nuantia ci-
hac euaporatione, vtendum hoc medicamento: *℞ thuris igniti, & mox in decocto fœnugræci exſtincti ʒ j.* catricem.
croci ℈ j. muſcilaginis fœnugræci ʒ v. Miſce pro collyrio. Eiuſdem fere claſſis hoc eſt: *℞ pompholygis lotæ ℈ j.*
mirrhæ ℈ ß. croci g. v. muſcilaginis fœnugræci ʒ iij. Miſc. Validius erit medicamentum, *ſi conficiatur e fellibus,*
& præſertim e felle galli antiqui, vel animalium e rapina viuentium: Et ſi correctione opus erit, *addatis mu-*
ſcilaginem fœnugræci. Efficax eſt medicamentum ab Auic. propoſitum. *Verbi gratia, ℞ alcyonii loti, ſarco-*
collæ lotæ, ana ʒ ß. ſacchari candi ʒ ij. fiat puluis, & excipiatur de cocto fœnugræci. Adhæc *℞ uccorum depura-*
F *torū feniculi, rutæ, anagallidis, chelidoniæ mai. an. ʒ ß. tutiæ, ſquamæ æris, aloes ana ℈ ß. mellis roſ. muſcilag. fœ-*
nugræci ana ʒ j. Et ſi deſideretis validius hoc medicamentum *pro qualibet collyrii drachma addatis guttam*
olei deſtillati, vel e cinnamomo, vel e feniculo. Si plura deſideretis, videatis Galenum c. 7. & vlt. l. 4. κ. τόπ. Rha-
ſis proponit vnum medicamentum, quod alia ſuperat, vt etiam cicatricem brutorum: *℞ chelidoniæ, feni-*
culi ana ʒ x. aquæ ℔ iiij. fiat decoctio ad conſumtionem trium partium, deinde cola: poſtea adde vitri non perfe-
cte decocti, alcyonii, ſtercoris ſtellionis, ſalis mineralis, ſacchari albi, ana ʒ j. Hæ ſpecies infundantur in prædicto
decocto, mox ſiccentur, rurſus infundantur, & ſiccentur, vt poſtea in oculum poſſint immitti. Et notetis, quam-
uis e propoſitis medicamentis quædam habeant vim aſtringendi, probantur tamen in albugine cōtuma-
ci: nam aſtringentia ob craſſam ſubſtantiam; ſunt in cauſſa, vt medicamenta diu perſiſtant, & hinc magis
agant. Et notetis, ſi forte ſit albugo nō exquiſita, ſiue ex ſcirrho, ſiue e pituita imbibita, ſiue etiam ſit inci-
piens ſuffuſio: admirabile eſſe medicamentum, *ſi perforetur arundo feniculi in horto a nodo ad nodum, & fo-*
G *ramen repleatur ſale minerali & ſaccharo, & deinde cera occludatur, & per noctem detineatur, & mane extra-*
hatur liquor; vt liceat huius liquoris guttam in oculum immittere. Et ſi legitima ſit albugo; *addatis puluerem*
gallarum immaturarum ad ſaccharum & ſalem, in arundinem. Et ſi albugo ſit notha; *addatis euphragiam.*
Similiter probatur *arundo ebuli:* & fiet efficacius medicamentum: præſertim ſi foramen repleatur *colocyn-*
thide. Probatur etiam *liquor e pane ſalito, cum marathro & colocynthide: & vocant aquam panis.* Poſtremo
admirabile eſt hoc medicamentum: *℞ frumenti viridis ℔ j ß. ſeminum fenic. ℔ ß. ſalis mineralis ʒ iij. folio-*
rum rutæ, euſragiæ, fenic. chelidon. ſaluiæ, marrubii, cucumeris agreſtis, ſalicis, ana M. ß. ſem. fœnugræci, rutæ, a-

 A

na ℥ iij. cinnamomi, caryophyllorum ana ℥ j. ß. croci ℈ ij. colocyntid. ℥ ij. Incidantur herbæ, contundantur semina,
& infundantur in vino aromatico, ea quantitate, vt supernatet, & immittantur omnia in vas æreum, foramine
occluso, & vas exponatur Soli per triginta dies, & frequenter misceatur: deinde fiat destillatio, & seruetur ad v-
sum. Hæc gratia curationis.

[Albuginem tingentia.] Quoniam vero nonnunquam reperiuntur fœminæ albugine detentæ; necessarium est cōfugere ad
artem exornatoriam, vt albugo tingatur: iccirco probatur *caro mali punicæ dulcis*, quæ conterenda est, &
modica aqua instillanda in oculum: & huiuscemodi etiam aqua albugo est fricanda. Deinde accipiatis *suc-*
cum hyoscyami, & illinatis albuginem per 15. dies. Hoc enim est medicamentum, quod & tingit albuginem,
& dissipare etiam potest. B

Caput XLII.

De Epiphora.

[Nomen.] Expeditis vitiis attinentibus ad tunicas: dicendum de malis angulorum. Sunt autem epiphora, rhoeas,
encanthis, & ægilops. Epiphoram Auiennas vocat lacrymam; Celsus pituitæ cursum: per eam vero
intelligimus malum, in quo assiduo pituita destillat in oculos, vt cum Auic. & Rhasi, oculi aquosa humidi-
tate perpetuo sint repleti: vt intelligere hic oporteat lacrymam morbosam, non voluntariam. Genera-
[Definitio.] tur, dum (: cum sit species catarrhi:) cerebro occurrit caussa præter naturam, vi cuius frustratur vis na-
turalis cerebri, vt a cerebro excrementum aquosum fluat præter naturam in oculos. Epiphora igitur est
[Forma.] excrementum serosum, affligens oculum, procedens a frustratione alteratricis cerebri. Forma huius vi-
tii est excrementum serosum affligens. Quod cognoscens Auicennas, dicebat, oculos in hoc malo sem- C
per humidos esse humiditate aquosa. Additum fluit, affligens, id est, lædens oculos: nam modo hoc excre-
mentum nocet angulis, modo visionem turbat: & hac ratione epiphora seu lacryma morbosa, distingui-
tur a lacryma voluntaria; in qua excrementum serosum; sed sincerum, & citra oculi noxam, per oculos e-
greditur. Verbi gratia, in mœstitia per modum compressionis; in lætitia per modum dilatationis, sicuti
etiam vi iræ perseuerantis. Vnde, vt epiphoræ forma pateat, explicare oportet serosi humoris speciem &
[Excremēti serosi consideratio.] vitium: nam caussa generans patebit in caussa efficiente. Quoad speciem igitur, est materia serosa: quare
excrementum tenue, quod generatur in ventriculo: est & excrementum, quod defertur in caput, vt esset a-
limenti vehiculum; & sicuti in caput defertur alimentum copiosum, ita etiam opus fuit copioso sero. Vn-
de in epiphora excrementum serosum est materia principalis & necessaria. Est materia principalis: quo-
niam cum serositate misceri potest materia non principalis, vt materia biliosa, pituitosa; sed in exigua co- D
pia. Miscetur autem quandoque materia principalis, at non necessario: dum cum serositate miscetur ex-
crementum pituitosum, sed copiosum: vt materia principalis in hac epiphora sit mistū e sero & pituita: ac
pituita, q̃uis sit caussa principalis, tamen non est caussa necessaria: quoniam excremētum serosum locum
habet in omni epiphora; non autem pituita. Species igitur est vel Serum, vel serum cum pituita Mistum.
Quoad vitium, attinere potest ad Substantiam, Quantitatem, Qualitatem, & Vbi. Ad substantiam; si ma-
teria putrescat, vt in epiphora salsa, in epiphora e lue venerea. Ad quantitatem vitium attinet; vt copia ex-
cedit. Ad qualitatem; vt materia est vel calida, vel frigida, vel liquida, compacta, viscida, salsa, acris, vel ha-
rum qualitatum expers: Præterea esse potest albicans, vel flauescens. Quantum attinet ad quietem; quie-
scit vel non quiescit in oculo: & ideo Auicennas ait, quandoque currere lacrymas. Quoad vitium in motu;
ratione termini a quo, quamuis possit procedere & a Toto, & a Parte; terminus tamen principalis est ce- E
rebrum, & iccirco ait Auic. principium epiphoræ esse cerebrum. Cerebrum autem euadit terminus a quo;
vt materiam vel Non detinet, vel Expellit. Non detinet; dum vi Frigiditatis exprimitur, dum vi Calidita-
tis colliquatur. Expellit autem, dum expultrix facultas, vi vel Copiæ vel Qualitatis ad expellendum insur-
git. Spatiū in motu, potest esse Externum dum materia fluit per venas extra cranium: potest esse spatium
Internum, si fluat materia non per neruos opticos, sed per vasa intra cranium. Terminus ad quē est oculus
secundum angulos: vt vel Suscipit, vel Attrahit: Suscipit ob imbecillitatem; quæ pendet ab intemperie, si
oculus sit humidior; pendet a mala compositione in via, si oculi substantia sit rarior; pendet a morbo in
numero, si caro lacrymalis desideretur. Quæ sane caussæ iam propositæ, ante ortum sunt caussæ imbecil-
litatis natiuæ: post ortum sunt caussæ imbecillitatis ascititiæ. Oculus autem attrahit, vi vel Doloris, vel
[Subiectum.] Caloris. Subiectum est oculus: in epiphora enim læditur oculus. Vt autem iuniores addiscant terminos F
huius artis, sciant: si oculus consideretur, vt vel suscipit, vel attrahit, habere rationem termini ad quem: si
autem consideretur vt læditur, habere rationem non termini ad quem, sed subiecti: & propterea non su-
mus superflui in sermone nostro. Caussa efficiens est frustratio alteratricis cerebri: principium enim epi-
[Caussa efficiens.] phoræ secundum Auicennam est cerebrum. Qua ratione autem alteratrix frustretur; dictum est cap. 27.
in serm de catarrho.

[Differentiæ.] Differentiæ a forma: Excrementum serosum est Sincerum, vel Mistum: vel hoc, vel Illo modo pec-
cans. A subiecto: oculus læditur, vel secundum se Totus, vel secundum Angulos. A caussa efficiente pro-
dit malum a cerebro, vi vel Morbi, vel Erroris externi, vt in catarrho.

[Signa.] Epiphora in genere patet. Ratione formæ: excrementi species, & excrementi vitia sunt notissima e
traditis in sermone de catarrho. Ratione subiecti: vtrum oculus afficiatur vel secundum se totus, vel secū- G
dum angulos, oculis facilime conspicietur. Ratione caussæ efficientis repetenda erunt signa, e doctrina
de catarrho.

[Indicationes.] Multis suppositis, indicatis in sermone de catarrho, cum Galeno c. vlt. l. 13. meth. in epiphora excre-
mentum secundum speciem indicat remedium determinatum, secundum vitium, indicat contrarium. Et
similiter ratione caussę efficientis; si fuerit intemperies capitis, indicat alterans contrarium: vt in sermone
de catarrho dictum.

Hoc

Prognostica.

Hoc vitium non prorsus est incurabile. Vnde Galenus ait, cap. vlt. lib. 13. meth. diuturnas etiam fluxiones fuisse curatas, oculis dimissis. At pro vi differentiarum, epiphora est incurabilis, curabilis, facile vel difficulter. Vnde, si perpendantur differentiæ ratione formæ, ratione speciei; difficilius malum vincitur, si excrementum sit mistum ex seroso & pituitoso, quia magis recedit a naturali statu. Si vitium perpendamus; malum est magis perniciosum, si excremẽtum est putridum, copiosum, si viscidum, calidum, salsum, si hæret: & peius etiam est, si caput concurrit vt terminus a quo, si materiam non detinet, veluti contingere solet, dum homo est morti vicinus. Præterea est difficilioris curationis, si materia fluat per vasa recondita: vt testatur Galenus cap. vltim. lib. 13. meth. Difficilius etiam curatur, si oculus suscipiat, quam si attrahat: & si suscipiat ob imbecillitatem natiuam, malum est incurabile; præsertim si imbecillitas B pendeat e defectu carnis lacrymalis: nam hac deficiente, etiam post ortum, malum incurabile est. Ratione caussæ efficientis; si contingat, vt cerebri intemperies sit in habitu, non debetis polliceri perfectam curationem.

Curatio. Venæsectio. Topica. 1. Intercipientia.

Materiæ. Notandum circa cheirurgiam, e cap. 8. lib. 4. κ. τόπ. si augescat fluxio, accedatque dolor, venam esse secandam. Sic Galenus intelligendus, quod venæsectio dirigatur ad sanguinem, quatenus vi doloris fluit, vt immineat inflammatio: ideo venæsectio a Galeno proposita est materia remedii reuulsorii; præsertim cum ibi loquatur de epiphora in corpore quod eget purgantibus, id est, cacochymo. Medicamenta Galenus loco citato applicat vel fronti & temporibus, vel oculis. Quoad priora: potissimum ea probantur, si materia fluat per vasa externa: quoniam materiam morbificam, per modum interceptionis retrahunt. C In epiphora calida, licebit vti hoc medicamento: *℞. ros. rubrarum, myrtillorum ana ℨ j. boli Armenæ, sang. Dracon. ana ℨ ij. hypocyst. succi plantag. ana ℨ ij. ß. gallarum immat. ℨ. j excipiantur oui albo, & penetrationis gratia, exiguo aceto. Et in hac epiphora calida non applicetis hoc medicamentum cum panno rubro, sed lineo panno, tenui, infuso in aqua rosacea.* Et si epiphora sit frigida: probatur *lana infusa in vino astringente;* item hoc probatur medicamentum: *℞ Gallarum immat. nucum cupressi, sang. Draconis, ana ℨ j. croci hortensis ℈ j. excipiantur vel tragacantha, vel resina: & panno laneo, prope oculos admoueantur.*

2. Adstringẽtia, & citra morsum siccantia.

Medicamẽta autem quæ ipsi oculo sunt applicanda; proponuntur a Galeno capit. 8. libr. 4. κ. τόπ. Quare in epiphora calida, & in frigida, probantur adstringentia, præsertim inter initia: probantur siccantia, quoniam absumunt materiam, sed ea sint citra morsum: & interdum refrigerantia, si materia sit acris. Vnde in epiphora calida probatur *pannus lineus tenuis, madefactus albo oui, vel aqua rosacea, vel vino granatorum.* Si morsus D vrgeat, si impetus vrgeat; *decoquatis melilotum, & capita papaueris in aqua rosacea.* Et dum remissus est feruor, sed præ se ferat pruritum; Auicennas probat *puluerem, prodeũtem e fricatione myrobalanorum cum aqua ros.* Si epiphora sit frigida, probatur *tutia infusa in decocto meliloti, vel in vino passo, deinde in aqua cupressi, & postea in aqua maioranæ, vel prassi, præsertim feniculi, & eufragiæ: quibus addatis myrrham, crocum, aloem. Et potissimum probatur aqua virgæ aureæ, in qua thus exstinguatur ignitum.* Et tandem in contumaci epiphora cum Gal. c. 7. l. 4. κ. τόπ. *℞ cadmiæ ℨ j. fructus ericæ ℨ j. æris vsti & loti ℨ ij. myrrhæ ℨ ß acaciæ ℨiij. gũmi ℨ ß. & seruetur ad vsum. Et si hoc medicamentum diu, id est, vltra annum est seruandum, addatur ℨ j. opii.*

CAPVT XLIII.

De Rhoeade.

Nomen.

E RHoeas vel Rhyas, cum quandoque oriatur vi epiphoræ; iam de ea dicendum est. Per rhoeadem autem, quam Auicen. vocat diminutionem carnis lacrymalis, intelligimus illud vitium, in quo deficit oculi caro, quæ cum Galen. c. 11. l. 10. de vsu part. residet in angulo maiore, vbi foramen est ad nares peruium, quod foramen hæc caruncula claudit, ne excrementa per oculorum angulos euacuentur; & hinc assiduo lacrymari videamur. Generatur, dum occurrit oculo caussa morbifica, vi cuius caruncula lacrymalis ita afficitur, vt eius substantia deficiat.

Definitio. Forma.

Vt rhoeas sit quantitas deficiens anguli maioris, procedens a caruncula lacrymali, secundum quantitatem deficientem. Colligitur hæc finitio ex Auicen. & Galeno c. 16. l. 14. meth. med. Forma est quantitas deficiens: per quantitatem intelligimus Continuam & Discretam: continuam, dum fit imminutio carnis: discretam, dum prorsus deficit: vt primum vitium sit magnitudo imminuta; alterum numerus deficiens.

Subiectum. Caussa efficiens.

Subiectum est oculus, secundum angulum maiorem. F Caussa efficiens, est caruncula lacrymalis, vt deficit secundum quantitatem, vel secundum Partem, vel secundum se Totam. E sententia autem Græcorum & Arabum, hæc caruncula afficitur vel A primo ortu, vel Post: & si post, afficitur vel a caussa Interna, vt a succis acribus, quemadmodum in epiphora; vel ab Externa, vt a medicamentis acrioribus, a ferro incidente, dum in cura pterygii vel ęgilopis, errores a cheirurgis committuntur.

Differentiæ.

Differentiæ a forma: vitium est in quantitate deficiente vel Continua, vel Discreta. A subiecto: malum est in oculo vel Dextro, vel Sinistro, vel Vtroque. Ab efficiente; caussa est vel Natiua, vel Adscititia.

Signa.

Est autem Vitium hoc prorsus notum, & secundum genus, & secundum differentias: non ergo opus est signis.

Indicationes.

G Quoad præsidia; c. 16. l. 14. meth. Caro deperdita indicat præsidium, regenerans; imminuta, augens carnem.

Prognostica.

Si caro prorsus sit deperdita, vitium est incurabile: nam hæc caro est spermatica, nec potest regenerari. Si autem sit imminuta: curationem admittit: cum foramen occludi possit. Ad notandum (: vt distinguamur ab empeiricis:) cũ hęc carũcula sit neruosa & carnea, & proinde sit pars partim seminalis, partim sanguinea, secundum partem sanguineam incrementum eam admittere, non autem secundum partem seminalem: Quamuis liceat aliquantisper, similem efficere carnem, vt præstet eundem vsum, hoc est, vt foramen occludat, perinde ac si similis generetur.

Curatio. Materiæ, Gal.c.6.l.14.meth. videtur proponere duplicis claſſis medicamenta: primum mediocriter A aſtringentia: deinde ea *quæ e glaucio parantur, & e croco, & quæ nardina vocantur, & e vino confecta.* Vnde dum portio ſanguinea regeneratur, probantur mediocriter aſtringentia: dum genita eſt, vt reddatur ſimilis carni neruoſæ ac ſeminali, probantur magis aſtringentia, vt collyria nardina, quæ conficiuntur e gallis immaturis, & aliis valide aſtringentibus; hinc Paullus etiam probat alumen cum vino. Quare pro generatione carnis probatur *vinum cum roſis & exiguo croco*: pro carne genita, vt reddatur compacta, id eſt, ſimilis ſeminali, probatur *vinum aſtringens, cum gallis, aloe, & exiguo alumine.* Vt in hoc malo primum ſit vtendum agglutinantibus, mox cicatriſantibus. Vnde notetur differentiam eſſe inter generantia carnem in vlceribus, & inter generantia carnem lacrymalem: nam in vlcere probantur ſiccantia, detergentia, citra aſtrictionem, ne craſſum excrementum cohibeatur: at in generatione carnis lacrymalis, cum debeat generari caro ſanguinea, ſimilis neruoſæ, opus eſt magis ſiccantibus, quam ea ſunt quæ conueniunt in generatione carnis in vlcere. Hæc magis ſiccantia, itu abſumunt excremēta, vt medicamenta aſtringētia nullam inferre noxam queant. B

Capvt XLIV.

De Encanthide.

Nomen. RHoeadi opponitur Encanthis: Auicennas vocat additionem carnis lacrymalis. Per hanc intelligimus illud vitium, in quo caro lacrymalis ſuſcipit incrementum, vt quandoque palpebræ diduci nequeant. Generatur, dum alteratrici carnis occurrit cauſſa, vi cuius alteratrix e ſanguine portionem carnis ſanguineam maiorem reddit, quam deceat. Definitio. Forma. Vt encanthis ſit magnitudo aucta carnis lacrymalis, dependens a C portione ſanguinea aucta præter naturam. Forma huius vitii eſt magnitudo aucta; quæ quandoque eſt morboſa, ſi cum Auicenna lædatur viſio. Subiectum. Subiectum proximum, eſt caro lacrymalis; hæc enim iuſto maior redditur. Remotum ſubiectum eſt oculus, ſecundum Angulum maiorem, vt hic angulus ſedes eſt carnis. Vnde ſi lædatur viſio, ſtatui ſubiectum poteſt non modo angulus, verumetiam oculus. Cauſſa efficiens. Cauſſa efficiens eſt portio ſanguinea præter naturam aucta. Vnde cum caro augeatur ſecundum propriam ſubſtantiam ſanguineam, vt non gignatur noua caro, quemadmodum in pterygio: ideo πτερύγιον eſt morbus in numero; encanthis autem eſt morbus non in numero, ſed in magnitudine aucta. Cauſſa autem eſt ſanguis fluens in maiori copia in venas, ſed circa violentiam. Nam ſi violenter flueret, fieret inflammatio, non encanthis. Fluit autem potiſſimum per modum tranſmiſſionis, vt hepar mittit ſanguinem copioſiorem; quamuis etiam concurrere poſſit attractio, ratione immoderatæ caliditatis ipſius oculi: vt euenire poteſt cauſſa D dulcis aquæ tepidæ, ſi huius vſus ſit immoderatus.

Differentię. Differentiæ a forma. Magnitudo aucta eſt Morbus, vel Symptoma. A ſubiecto: afficitur angulus maior oculi Dextri, vel Siniſtri, vel Vtriuſque. Ab efficiente: caro eſt aucta vel Magis, vel Minus.

Signa. Eſt autem hoc vitium omnino notum; nec ſignis eget.

Præſidia. Cum Paullo portio ſanguinea aucta, minuenda.

Prognoſtica. Curabile eſt hoc malum: nam caro adimi poteſt.

Curatio. 1. Inciſio. Materiæ. Auic. probat materiam incidētem, & cheirurgicam. At monet, vt non radicitus incidatur, ſed ſolum pars aucta: nam alias fieret rhoeas. Expedit autem ad inciſionem confugere, ſi non exigua eſt carnis excreſcentia: nam oculus melius ſuſtinet inciſionem, quam medicamenta cōſumentia carnem frequenter applicata, quia excitant dolorem. 2. Cathæretica medicamenta. Expedit autem poſt inciſionem *oui album diligenter agitatum* E *aqua roſ. oculo applicare*, vt prohibeatur inflammatio. At quoad medicamenta, quę loco ferri carnem abſumunt, ad quæ eſt confugiendū, ſi patientes ferrū nolunt admittere, inſtar fœminarum: Paullus probat ſeptica, & cauſtica. Septica ſunt quę exedunt, ſeu abradunt, vt proin carnē abſumant: vt ſunt c.15. lib.5. ſimpl. *auripigmentum, quod arſenicum dicitur, ſandaracha, dryopteris, pityocampe, aconitum*: quæ omnia ſine dolore poſſunt carnē, ſed tenellā ac mollē, eliquare. Si autē caro aucta ſit durior; ꝓbantur cauſtica, quę ſecundū Gal. loco citato, ſunt calida & craſſæ ſubſtantię, vt ad ſimilitudinem ignis pariant eſcharam, vt ſunt *chalcitis, miſy, melanteria, chalcanthum: vt probetur oleum e chalcantho; ſed roſacea correctum.*

Capvt XLV.

De Ægilope, & Anchilope.

Nomen. PEr tumorem magni anguli, intelligimus vitium, quod vocat Auic. apoſtema lacrymalium: qui tumor, F pro vario ſtatu, vocatur modo anchilops modo ægilops. Auic. interdum vocat Garab, quando tumor nimirum degenerat in fiſtulam, non ſemper. Generatur, dum materia iuxta magnum angulum ita affligit, vt tumor oboriatur. Definitio. Ægilops igitur eſt tuberculum iuxta magnum angulum oculi, procedens a materia morbifica. Forma. Forma eſt tuberculum, ſecundum Galenum capit. 2. lib. 5. κ. τόπ. Vnde Auicennas ait, quamuis quandoque emineat, quandoque extra non appareat; intus tamen adeſſe tumorem. Subiectum. Subiectum attinet ad partem magno angulo proximam, ſecundum Aetium; & Galenus loc. cit. dicit, tuberculum reſidere inter os naſi, & magnum oculi angulum. Cauſſa efficiens. Cauſſa efficiens eſt materia morbifica: quæ eſt ſuccus vel Alimentalis, vel Excrementitius. Alimentalis, vt ſanguis; ſiue ſit blioſus, ſiue pituitoſus, ſiue melancholicus. Nec præter rationem: quia hoc malum quandoque eſt inflammatorium; & ob id Aetius dicit, incipiente inflammatione, repellentia probari; & Galenus ait, nonnūquam degenerare in abſceſſum. G Poteſt ergo eſſe tumor inflammatorius ſeu tumor procedens a ſucco alimentario. Notetur cum Paullo abſceſſum capi bifariam: primo, vt nondum in vlcus erupit, & vocatur tunc anchilops, Auicennas vocat akilus; Cap.87.li.7 ſecundo, vt iam ruptus eſt abſceſſus, & dicitur ægilops. Cauſſa etiam eſſe poteſt ſuccus excrementitius, quemadmodum colligere licet ex Aetio, dum materia colligitur in magno angulo oculi, humor ſcilicet, lentus, melleus, aut pultaceus, plerumque tunica ſeu folliculo contentus; & hoc vitium etiam anchi-

A anchilops vocatur, quia est tumor non disruptus. Vnde colligere licet e Galeno cap.12.lib.14.meth. hunc tumorem prodeuntem a succo excrementitio, esse de genere vel meliceridis, cum pendet a succo melleo, vel de genere esse atheromatis, cum pendet ab humore pultaceo. Non proponit Aetius succum similem sæuo, a quo fit steatoma: nam dum proponit meliceridem & atheroma; insinuat etiam steatoma.

Differentiæ a forma: Tuberculum est Maius, vel Minus: item vel Coniunctam habet solutam vnitatem, vt in ægilope; vel Non habet solutam vnitatem, vt in anchilope. A subiecto: pars afficitur secũdum Superficiem, vel Profundum. A caussa efficiente materia, est vel Alimentalis, vel Excrementitia. Differentiæ.

B In genere vitium hoc, cum Auicenna est euidens saltem tactui, si non visui: nam vt plurimum conspicitur eminẽtia, vel saltem percipitur in compressione, vt etiam in compressione fiat dolor. Quoad differentias ratione formæ, & subiecti; hæ patent. Ratione caussæ efficientis cognoscere oportet, vtrum tumor sit vel inflammatorius, vel non inflammatorius. Si sit inflammatorius; cognoscitur e dolore, calore, colore mutato, & immobilitate: contra autem si non sit particeps inflãmationis; vnde Auicennas ait, hunc tumorem, scilicet sine inflammatione, tactu moueri. Quoad tumorem non inflammatorium; cognoscetis esse meliceridem, e minori duritie; atheroma, e maiori duritie, & si summa sit durities, indicium est steatomatis. Signa.

Indicationes capiuntur a materia tumoris, & ab vlcere, si vlcus subsequatur. Quid materia tumoris, quidque vlcus indicet; suis locis intellexistis. Præsidia.

C Vitium hoc e cap.2.lib.5. κ. τόπ. est ægre curabile: est enim vehemens ratione essentiæ & dignitatis; vt, si negligatur, coniungatur etiam vehementia facultatis. Declaro: est vehemens secundum essentiam, nam tumoris materia satis a natura recedit, quamuis magis recedat in tumore non inflammatorio, vt maxime recedat in steatomate. Adhæc vehementia essentiæ perpenditur, dum id quod est præter naturam, non solum multiplex est, sed etiam contrarium. Nam, quæ sunt præter naturam, quo sunt plura, eo vehementius agunt aduersus naturam. Quare perpendere quæ sunt præter naturam ratione numeri, est considerare in prognostico vehementiam essentiæ. Præterea quæ sunt præter naturam, dum sunt contraria, vi medicamentorum euadunt vehementiora: nam si malum sit & calidum & frigidum, vt locum habeant contrariæ indicationes, curatio redditur difficilior: quia medicamenta calida augent morbum calidum, ac morbus calidus vel vehemens euadit, vel perseuerat secundum essentiam. Vnde vt applicemus D prognosticum nostro proposito; si præter tumorem fuerit vlcus, curatio redditur difficilior: quia quę sunt præter naturam, sunt plura. In tumore inflammatorio adest contrarietas, quæ est caussa difficilis curationis: quoniam quæ materiam discutiunt sunt calida, vnde augent inflammationem. Quoad vehemẽtiam dignitatis, ea etiam in hoc malo adest: nam afficitur locus ita oculo vicinus, vt oculus ipse facile lædatur, qui est membrum nobile caussa vitæ & commodioris & melioris: & ratio est, quia (vt ait Galenus loc. cit.) medicamenta debent administrari liquida, quæ influunt in oculum, vt oculus lædatur. Adhæc oportet vt medicamenta hæreant, vnde est necessarium ligare oculum, vsque ad mali curationem, quam tot diebus perferre est impossibile. Qua de caussa, ita referente Galeno, Apollonius medicamẽta non scripsit, & Archigenes potissimum vtitur materia cheirurgia; quoniam materia cheirurgica nõ attingit oculũ quemadmodum medicamenta. Verum, vt in aliis affectibus, ita & hic prognosticum variat, ratione differen- E tiarum. Ratione enim formæ, difficilioris est curationis, si cum magnitudine, sit coniuncta soluta vnitas: difficilioris etiam curationis est, si tumor occupet partes profundas. Ratione caussæ efficientis si fuerit inflammatio, & immineat abscessus, & hinc vlcus; fit vt ægilops sit difficilioris curationis: vnde Auicen. ait: si ruptio fiat ad interiora, malum reddi magis difficile, vt immineat ossium corruptio. Vt ex his colligere liceat, ægilopem difficilius curari, quam anchilopem. At si tumor non sit inflammatorius: quamuis tumoris materia non exulceret; tamen adeo recedit a naturali statu, vt non cedat vllis medicamentis, sed solum materiæ cheirurgicæ. Prognostica

Materiæ. Cheirurgica materia in ægilope & anchilope probari potest. In ægilope, si os sit corruptũ; si malum in fistulam degenerarit: vnde Aetius probat cauterium ignitum. In anchilope, Aetius probat superficiem esse secandam, vt folliculus continens materiam adimatur, cum nequaquam cedat medicamẽ- F tis. Topica vsurpanda sunt, vel simul cum materia cheirurgica, vel sola. Quoad priora, Auicen. dum administratur cauterium ignitum, oculo applicat *spongiam frigida infusam, nam inhibetur inflammatio. Addit Aetius lenticulam decoctam cum melle.* & remota crusta, probat *alumen cum resina terebinthina. Et Paullus applicabat passulas, cum liquida terebinthina in modum emplastri.* Et si quis desiderat cicatricem non in decoram, & præsertim dum fœminæ afficiuntur, potest vti cum Auicen. *foliis rutæ cum aqua granatorũ, quæ e sententia Auicen. conferunt a proprietate. Paullus addebat ad pulcram cicatricem efficiendam, rutam satiuam cũ lixiuio tritam, & decoctam: lixiuium autem conficiatur e cinere & calce.* Quoad topica, q̃ sola administrãtur; probantur in tumore inflammatorio: vnde dum perducitur ad supputationem, cum Auic. oportet vti *pane permisto cum lacte muliebri. Et validius reddetur medicamentum addito croco, cum aqua erucæ, vel myrrha, cum felle vaccino.* Et dum facta est disruptio, probatur *erui farina, cum melle, aloe, myrrha. Atque* G *Paullus probat cochleas tritas cum testis: & licet addere aloem & myrrham:* quod medicamẽtum etiam suppurationem promouere potest. Curatio.

Capvt XLVI.

De Atrophia oculi.

Explicatis malis, quæ pertinent ad partes oculi: dicendum de vitiis ad totum oculum attinẽtibus. Quare de atrophia, prominentia oculi, de strabositate. Itaque per ἀτροφίαν intelligimus oculi malum, quod Nomen.

Auicennas vocat profunditatem pupillæ. Celſus vocat oculum imminutum. Et ob id intelligimus illud A
vitium, in quo totus oculus minor euadit, ad differentiam phthiſis, in qua oculus minor euadit, ſolum ſe-
cundum pupillam. Generatur, dum oculo occurrit cauſſa, vi cuius oculus ſecundum omnes partes ita pri-
Definitio. Forma. uatur alimento, vt partes omnes imminuantur. Vt ἀτροφία ſit magnitudo imminuta præter naturam toti-
us oculi, procedens ab alimenti penuria. Forma eſt magnitudo imminuta prȩter naturam. Siquidem cum
Aetio oculus paullatim fit minor: vnde excauatur: Aliquando obſcurior euadit: Et præterea viſum impe-
dit: ita enim locutus eſt Aetius. Quoniam vt oculus imminuitur, ita etiam cauatur: contra accidit, dum au-
Subiectum. getur. Præterea, vt ſpiritus animales deficiũt; ita & obſcurus euadit oculus, & viſio læditur, præſertim quia
Cauſſa efficiens. calidum innatum deficit, nec ſeruatur temperies. Subiectũ eſt totus oculus, ad differentiam φθίσεως. Cauſſa B
efficiens eſt alimenti penuria. Cum Auicẽna autem deficit alimentum, quoniam vel Abſumitur, vel Non
attrahitur ab oculo. Abſumitur in febribus, & præſertim coniunctis cum vigiliis; item in vacuationibus
vehementibus; in animi affectibus; & Aetius etiam addebat, abſumi in vehemẽti capitis dolore, dum cra-
nium perforatur. Nam vi horum vitiorum, fit diſſolutio ſanguinis & ſpiritus. Alia autem e parte alimen-
tum deficit, quia non attrahitur, ob frigus vehemens oculo occurrens.

Differentiȩ. Differentiæ a forma capiuntur ſecundum Magis & Minus. A ſubiecto non capiuntur: ſemper enim
eſt idem. A cauſſa efficiente alimentum deficit, quia vel Abſumitur, vel Non attrahitur.

Signa. Patet vitium in genere; & ratione differentiarum a forma. Ratione differentiarum cauſſæ: facile eſt
cognoſcere, an alimentum deficiat, quia abſumatur a febribus, & aliis cauſſis propoſitis: vt etiam facile co-
gnoſcitur ſi deficiat, quoniam non attrahitur; cognóſcitur enim e frigiditate præcedente. C

Indicationes. Alimentum deficiens, indicat præſidium augens alimentum. Et ſi cauſſa aſſit conſumens, huic oc-
currendum. Et ſic de reliquis.

Prognoſtica Malum ægre curatur: licet periculum pro vi differentiarum augeatur. Vnde malum eſt magis peri-
culoſum, ſi minor ſit oculus. Et præterea augetur periculum, vt cauſſæ ſunt vehementiores.

Curatio. Materiæ. Aetius probat *ſpongiam ex aqua calida expreſſam. Probatur etiam lac tepidum infuſum in o-
culum. Expedit etiam caput aqua calida perfundere, & prohibere collyria.* Sed dubitatio eſt, quia Paullus ap-
plicat oculo medicamentum acre, confectum *ex ærugine*: vt hoc ſit collyrium vehemens. Reſpõdendum,
Aetium tradere curam ſolius ἀτροφίας, vt proinde etiam cornea ſit exſiccata: cuius ratione prorſus ſit deſi-
ſtendum a collyriis. At Paullus in eodẽ capite loquitur & de atrophia, & præterea de phthiſi; in qua cum
cornea non ſit exſiccata, ideo probat acria, vt attrahatur alimentum; vt dictum eſt ſupra capite 36. de D
phthiſi oculi.

CAPVT XLVII.

De Expreſſione oculi.

Nomen. PEr ἐκπιεσμὸν, ſeu oculi expreſſionem, quam Auicennas vocat exitum oculi, intelligimus illud malum,
in quo ita exprimitur oculus, vt prominens appareat. Generatur, dum oculo occurrit cauſſa, vi cuius
ſeptimus muſculus reſidens in baſi oculi, & circumdans neruum opticum, non poteſt oculum firmare,
Definitio. vnde procidit, & hinc extra propriam ſedem permanet. Ἐκπιεσμὸς igitur eſt ſitus præter naturam oculi,
procedens a muſculo, non potente oculum firmare. Forma eſt ſitus præter naturam: nam ſedem occupat
externam. Et ſi lædatur viſio, eſt morbus in ſitu: ſi non lȩdatur, eſt ſymptoma in qualitate mutata, id eſt, in E
magnitudine aucta, vt prominens oculus maior apparet oculo profundo. Subiectum eſt oculus. Cauſſa
Cauſſa efficiens. efficiens eſt vitium pertinens ad muſculum, vt non poteſt oculum firmare. Et cum Galeno cap. 8. lib. 10. de
vſu part. eſt ſeptimus muſculus: quamuis cap. 2. lib. 4. de loc. aff. hic muſculus, in tres etiam poſſit diuidi. At
vtcunque dicamus; dum læditur hic muſculus, oculus procidit. Dicebat autem Auicennas muſculum affi-
ci, vel Propria ratione, vel Ex accidenti. Propria ratione; dum paralyſi afficitur, vt Galenus fatetur cap. 2.
lib. 4. loc aff. Ex accidenti; dum oculus vel ponderoſior euadit, vel violentia aliqua exprimitur extra. Pon-
deroſior euadit, e fluxione copioſa, vt voluit etiam Aetius. Vi autem exprimitur, ſecundum Aetium, in his
qui ſtrangulantur in certaminibus, in difficili partu: Auicennas addit vomitum violentum, vociferatio-
nem, &c. vi quorum omnium oculus exprimitur.

Differentiȩ. Differentiæ a forma: Situs eſt Morbus, vel Symptoma. A ſubiecto non capiuntur differentiæ. Ab ef- F
ficiente dicendum, muſculum non firmare oculum vt læditur, vel Propria ratione, vel Ex accidente.

Signa. In genere malum patet. Quoad differentias, ratione formæ: ſi Situs ſit morbus; cognoſcitur e lȩſa vi-
ſione. Ratione cauſſæ efficientis ſi muſculus lædatur ratione propria; cognoſcitur inde quod pupilla ean-
dem ſeruat magnitudinem; nam oculus non repletur, nec ſentitur a patiente tenſio vehemens. Si ex acci-
dente lædatur; ſi hoc fiat quia oculus euadit ponderoſior; cognoſcetis ex aucta pupilla. Si fiat ex cauſſa ex-
primente, cognoſcetis e cauſſis prægreſſis, iam propoſitis.

Indicationes. Præſidia capiuntur a forma, & a cauſſa efficiente interna. Ratione formæ; indicatur præſidium redi-
gens oculum in propriam ſedem. Ab efficiente, ſi ſit paralyſis materiæ, hæc vacuanda: ſi ſit materia ponde-
rans, hæc vacuanda: ſi ſit materia vi oculum exprimens, & hæc vacuanda. Si eſt dolor in partu, doloris prȩ-
ſidia haurienda. G

Prognoſtica. Vitium hoc vt plurimum curabile eſt. Ratione enim formæ cum Auicenna, ſi leuis ſit egreſſio ocu-
li, facilis erit cura, ſi contra, non leuis. Ratione cauſſæ efficiẽtis ſi fiat vi paralyſis, cura eſt ſatis difficilis, vt e
doctrina de paralyſi intelligitur. Si fiat ob oculi repletionem, vel coarctationem; eſt vitiũ curabile, quam-
uis modo facilius, modo difficilius curetur, pro vehementia cauſſarum intenſiore & remiſſiore.

Curatio. Materiæ: Multis ſuppoſitis ac notis, Aetius & Paullus poſt totius euacuationem, probant, & rationa-
biliter, cucurbitã, quæ occipitio eſt applicanda, vt intro trahatur oculus. Topica duplicia ſunt: & reſpiciunt
vel

A vel cauſſam ſitus, vel ſitum. Quæ reſpiciunt cauſſam ſitus; calida & tenuis ſubſtantiæ ſunt, vnde cauſſa paralyſis Auicennas probat odoramenta & ſuffumigia cognita & propoſita in paralyſi: vt liceat vti *medicamento confecto e cinnamomo, pipere, caryophyllis, &c.* Et cauſſa materiæ ponderantis, conſimilibus eſt progrediendum, vt *medicamento confecto e fenic. anagall. ruta, &c.* Quæ ſitum reſpiciunt, cum Aetio debent vim habere comprimendi. Et propterea Auicennas probat *collyrium e ſumach: item emplaſtrum e farina fabacea, cum roſis, thure, & albo oui.*

Capvt XLIIX.

De Strabiſmo.

B Strabiſmus, ſtraboſitas Auicennæ, malum eſt, in quo vtriuſque oculi non poteſt eſſe vnus aſpectus. Nomen.
Generatur, dum cauſſa occurrit muſculis oculum mouentibus, vt munere ſuo fungi non poſſint, vt fruſtretur facultas viſoria, & ita fruſtretur, vt non fiat vtriuſque oculi vnus aſpectus, ſed viſio inæqualis fiat. Strabiſmus igitur eſt viſio inæqualis oculorum, dependens a motu præter naturam muſculorum Definitio.
motiuorum. Forma eſt viſio inæqualis: cum Paullo enim ſtrabones ſecundum rectum non intuentur; quare inæquabiliter. Subiectum non eſt oculus, ſed ſunt ambo oculi, quoniam ad rectum intuitum concurrunt ambo oculi.

Cauſſa efficiens eſt motus præter naturam muſculorum motiuorum: nam facultas non fruſtratur, Cauſſa efficiens.
niſi quia muſculis occurrit cauſſa præter naturam, ratione cuius fit, vt functio muſculorum lædatur, vt
C vel Minuatur, vel Auferatur, vel Corrumpatur. In definitione autem propoſiti ſunt muſculi, ſed motiui, quoniam cum Galeno cap. 8. l. 10. de vſu part. vt ſeptimus muſculus firmat oculum, ita ſex alii muſculi mouent oculum, vt propterea ſeptimus muſculus oculum firmans, ab hac finitione excludatur; præſertim quia dum ſeptimus muſculus paralyſi afficitur, concidit oculus. Itaque cum malum pendeat a vitio muſculorum: cum Auicenna, neruorum muſculorum affectus eſt vel Natiuus, vel Aſſcititius. Si natiuus; huius cauſſa oculi affecti motus imminuitur, ad differentiam non læſi oculi: & hic affectus attinet ad imbecillitatem calidi natiui: nam cum Galeno & Hippocrate aph. 43. ſect. 7. mulier amphidexia non fit; quoniam in fœmina neruorum robur deſideratur: nam in fœmina calidum innatum nec eſt ita robuſtum, nec ſimilarium partium ea eſt caliditas, vt in maribus. Vnde in præſentia a ſimili eſt dicendum, fieri poſſe, vt vnius oculi muſculi imbecilliores, alterius validiores generentur: quare fit viſio inæqualis. Affectus aſ-
D ſcititius cauſſam habet muſculos vel paralyſi, vel conuulſione correptos.

Differentiæ a forma: Viſio inæqualis eſt vel ad Vnam, vel ad Aliam partem. A ſubiecto non capiun- Differentiæ.
tur differentiæ, quoniam viſio inæqualis ſpectat ad vtrumque oculum. A cauſſa efficiente affectus eſt Natiuus, vel Aſſcititius.

In genere, & ratione differentiarum a forma, malum patet. Differentiæ a cauſſa efficiente. Si affectus Signa.
ſit natiuus: cognoſcitur, quia a principio ortus viſio fuit inæqualis: contra, ſi aſſcititius. Et ſi aſſcititius: vtrum cauſſa ſit paralyſis, vel conuulſio: petendum eſt e propriis capitibus.

Indicationes capiuntur a vitio muſculorum. Si ergo vitium ſit natiuum: indicat præſidium efficiens Præſidia.
calidum innatum robuſtum, id eſt, calefaciens & nutriens: Calefaciens ratione qualitatis calidi innati: nutriens ratione ſubſtantiæ calidi innati. Si aſſcititium ſit vitium: locum habent indicationes paralyſis &
E conuulſionis.

Cum Auicenna, ſi hoc vitium fuerit natiuum, eſt incurabile niſi ſit admodum recens: quod intelli- Prognoſtic.
gere non eſt admodum facile: nam quamuis recens ſit affectus, cum tamen ſit natiuus, non videtur curationem admittere. Sciendum igitur, licet vitium ſit natiuum, ſi tamen ſit admodum recens, non eſſe de ſalute deſperandum. Nam ſicut manus ſiniſtra interdum per exercitationem fungi poteſt munere dextræ manus: ita imbecillitas natiua poteſt corrigi, vt malum tollatur. Si malum ſit aſſcititium; idem eſt dicendum, quod in prognoſtico paralyſeos & conuulſionis dictum fuit.

Materiæ. Si vitium eſt natiuum; æquandæ ſunt cunæ, & ponenda candela accenſa in parte oppoſita Curatio.
ſtraboſitati. Probat etiam Auicennas filum appenſum rubrum, cum re rubra, vtpote cum corallis, in parte oppoſita; vt infans aſſiduo aſpiciat eam partem. Nam hoc exercitium (vt ait Auic. qui omnia cognouit)
F confert in æquando oculos. Et vt intelligatis cauſſam, hæc eſt: quoniam ſicuti manus ſiniſtra ope exercitii quodammodo euadit dextra, id eſt, huius obit munia: ita laboris ſeu exercitii virtute calidum innatum muſculorum robur acquirit, vt hi muſculi æque moueant, ac muſculi alterius oculi. Vnde ad præſeruandos infantes a ſtraboſitate iubet Paulus vt lucerna ponatur e regione oculorum, non ad latera, ſed directo, ſic enim muſculi æqualiter agunt & ſe exercent: contra, ſi a latere ponatur. Si affectus ſit aſſcititius, probantur medicamenta propoſita in paralyſi & conuulſione.

Capvt XLIX.

De Læſa viſione.

Affectus oculorum foris apparentes, qui cauſſa ſunt læſæ viſionis, hucuſque explicauimus: Sequitur, Nomen.
de viſione læſa, citra morbum euidentem. Quoad nomen igitur; per malum propoſitum intelligimus
G illud vitium, in quo læditur viſio citra morbum oculi apparentem; hoc eſt, citra malam compoſitionem, tumores, ſolutam vnitatem, vlcus: vt non excludatur vitioſus color: nam non eſt morbus. Vnde Paullus reſpiciens ad quandam ſpeciem huius læſæ viſionis, ait: viſus obſcuritas fit ſine manifeſte oculi affectu.

Generantur dum corpori, ſiue extra oculum, ſiue in oculo, occurrit cauſſa, vi cuius citra euiden- Generatio.
tem morbum fruſtratur facultas viſiua, vt lædatur viſio. Læſa igitur viſio, eſt functio præter naturam ocu- Definitio.
li, dependens a fruſtratione viſus citra morbum oculi euidenten. Forma eſt functio præter naturam; Forma.

vnde formaliter hoc vitium est symptoma, attinens ad actionem. Additum est præter naturam; in genere, vt ex hoc pateret, functionem omnibus modis posse lædi, id est, imminui, auferri, corrumpi. Subiectum est oculus, vt contrahatur functio præter naturam, vt sit functio oculi. Notetur: cum in oculo multiplex functio locum habere possit: contrahitur hæc functio virtute caussæ efficientis; vbi dicitur, dependens a frustratione visus, vt necessarium sit colligere, hanc functionem esse visionem læsam. Nam visio est actio, quæ pertinet ad facultatem visoriam. Additum fuit; citra morbum euidentem: ad differentiam *læsæ visionis, cum morbis euidentibus, de quibus supra actum est.* A

Subiectum.

Caussa læsæ visionis.

In præsentia igitur explicanda est caussa, ob quam frustratur facultas visoria. Hanc caussam vt intelligatis, legite Galenum c.2.l.1.de sympt.caus.& cap.2.l.4.de loc.aff. Sciendum ergo cum facultas animalis contrahatur, vt reddatur visoria in crystallino: sequi, frustrari hanc facultatem determinatam, quoniam vel Læditur vel occurrit Error externus. Quotiescunque læditur, ob morbum crystallini: quotiescunque frustratur, ob errorem; *qui error est vitium vltra morbos crystallini, quodcunque sit illud vitium, siue morbus, siue non.* Quoad morbum crystallini, id est, morbum non euidentem; cum Galeno locis citatis potest esse quælibet Intéperies, & quædam Cõpositio. Declaro. Intemperies potest esse octuplex. Notandum, circa passiuas intéperantias, (id est, quæ attinent ad qualitates passiuas) ab his intemperantiis produci glaucoma, seu glaucedinem, quam viriditatem Auicennas vocat. Et hoc loco sciant iuniores, per oculum glaucum intelligi oculum, dum euadit particeps coloris misti e viridi & albo, veluti est color maris, cœli, vnde etiam cæsius hic color dicitur. Color autem glaucus quandoque est expers, quandoque est particeps splendoris. Particeps est, verbi gratia, in oculis noctuæ, felis: vnde hoc vitium quandoque vocatur Glaucopis, ab oculis noctuarum. Huius vitii e Paullo, Aetio, Auicenna, colligi possunt quinque species: prima attinet ad rhagoeidem, vt fit a natiua humiditate copiosa: secunda fit a siccitate rhagoeidis, vt in senibus, in quibus multiplicatur quidem humiditas extranea, sed resoluitur innata: tertia est glaucedo, quæ fit e prægressa suffusione, humore iuxta pupillam concreto, quæ species ad differentiam glaucedinis rhagoeidis visum impedit: quarta est, dum humor crystallinus prę nimia humiditate glaucus euadit: quinta pertinet ad crystallinum, & est morbosa, & splẽdoris expers, & fit ab intemperie sicca crystallini. Quod si contingat oculum siccari propter penuriam humoris albuginei: cum patiens exactius videat in tenebris, quam interdiu, vitium vocatur ab Auicẽna algiehar, a Græcis μύωπις. Ex his colligere licet glaucedinem produci etiam posse ab humiditate, & siccitate crystallini; quemadmodum ab Auicenna traditum est: nec præter rationem. Fundamentum igitur est; quoniam calor viridis copiosiores partes habet opacas, contra color albus copiosiores habet diaphanas: at calor glaucus vt mistus e viridi & albo, medio modo se habet. Nam propter copiosam humiditatem, portio diaphana euadit opaca, cum præ nimia humiditate non fiat dissolutio, vt hinc calor euadat glaucus, & si albus color suscipiat aliquam viriditatem. Fit etiam calor albus glaucus, ratione siccitatis; & dupliciter: primum, dum ratione siccitatis humiditas resoluitur, vt color viridis obscurus degeneret in glaucum, id est, in viridem clarum. Secundo hoc fieri potest, vt color albus degeneret in glaucum, id est, mistum ex albo & viridi, vi siccitatis, qua consumuntur partes diaphanæ, vt opacæ permaneant dominantes, quemadmodum contingit in glaucedine exquisita. B C D

I.
Morbus crystallini.
Intemperies crystallini.

Raritas crystallini.
Situs crystallini.

Quoad malam compositionem: perpendere oportet crystallini Raritatem & Situm. Quoad raritatem, & eam morbificam, hoc vitium Aetius c.44.l.17. vocat oculi debilitatem. Verum hæc est immodica crystallini raritas potius natiua. Quoad situm, cum Galeno c.12.l.10.de vsu part. locum habet, vt crystallinus sursum vel deorsum vergit, vt cum obiectum duplex appareat: propterea quod conorum axes in duplici firmantur plano. nam rhagoeidis pars, a qua deflectit crystallinus, crystallinum secat in duas partes. Hic autem situs est vel morbosus, vel non morbosus. Situs non morbosus (c.12.l.10.de vsu part.) est, dum alterius oculi pupilla manu comprimitur. Morbosus, qui producitur a caussa morbifica. Et hic duplex esse potest; nimirum vel non ex vsu, hoc est, non indicans vtile, vt hunc situm logicum etiam appellare liceat, vel ex vsu. Situs morbosus, sed non ex vsu, proponitur cap.2.l.4.de loc.aff. si nimirum hoc malum fiat a musculis: siquidem remoto vitio musculorum, crystallinus ilico situm recuperat. Situs autem morbosus, & ex vsu est: si fiat vel ob ictum oculi, vel ob immoderatam fluxionem. Quo autem ad errorem externum; hic vel In oculo est, vel Extra. Si in oculo, pertinere potest ad Corneam, ad Humorem albugineum, & ad Spiritus animales. Et cum pertinere possit ad corneam: omissis morbis euidentibus, de quibus dictum est, cum Galeno c.2.l.de sym.caus. cornea affici potest Crassitie, Humiditate, Colore. Quoad crassitiem & humiditatem: si vi horum vitiorum afficiatur cornea; malum vocatur Caligo. Vnde quoad crassitiem, cum Galeno c.5.l.10.de vsu part. hæc accidit senibus, in quibus in decrepita ætate cornea rugosa redditur, cornea euadit duplicata, rugis super rugas incidentibus. Humiditas locũ habet, dum cornea afficitur humida intẽperie. Coloris caussa producitur παρόρασις, seu alucinatio. Auic. vocat imaginationem. Vnde, vt euidens reddatur doctrina παροράσεως; sciendum fieri & ob colorem corneæ vitiatum, & citra colorem corneæ. Ob colorem corneæ, vt in præsentia intelligimus; dum afficitur cornea ab humore, qui contingere potest, vt in ictero contingit, in quo radii transeuntes per corneam citrinam, sunt in caussa, vt omnia obiecta citrina appareant. Παρόρασις autem fit citra vitium coloris corneæ, etiam cum Galeno c.2.l.1.de sympt. caus. ob vitium coloris albuginei. Sed præterea & tertia παροράσεως, species additur: quæ est, dum oculis clausis in obscuro obiecta variorum colorum conspici videntur. Et præterea vt hoc intelligatur, scire oportet, colorem, vt est visus obiectum, dupliciter considerari posse: primo modo, vt color fit e mistione elementorum, dum terra concurrit vt portio opaca; aqua & aer, vt portio diaphana; ignis, vt luminosa: Et hic color solum extra oculos conspicitur. Secundo modo fit color e varia mistione lucis & tenebrarum, & huiuscemodi color etiam intra oculum generari potest, ac conspici, vt colligitur e contex. 23. lib. 1. prog nost. Galeni, quemadmodum euenire potest in phrenitide; in qua vapores torrefacti habent rationem tene- E F

II.
Error externus, in oculo.

1. Corneæ crassities & humiditas.

Color corneæ.

A tenebrarum;ſpiritus autem & cryſtallini ſplendor,habent rationem luminis. Hæc de cornea: Porro,vt e 2 Albuginei humoris vitia.
cap.2.lib.1.de ſympt.cauſſis colligitur, humoris albuginei vitium attinet ad Quantitatem & Qualitatem. Ad quantitatem, vt modo Augetur, modo Minuitur: ſed horum vitiorum doctrina patet e traditis de Mydriaſi,& de Conſtrictione pupillæ. Quoad qualitatem;eſt albuginei Craſſities & Color. Craſſities perpendenda eſt,ſecundum gradum, ſitum, & cauſſam efficientem. Secundum gradum, vt humor albugineus eſt vel Magis vel Minus craſſus:ſi remiſſa ſit craſſities dicitur,ἀμβλυωπία,id eſt,viſio obſcura:ſi intenſa,prodit *ἀμαύρωσις,id eſt, viſus deſtructio.* Quoad ſitum ſeu ſubiectum craſſitiei: craſſities pertinet ad albugineum,vel ſecundum Totum,vel ſecundum Partem: & ſi ſecundum partem,vel ſecundum Circumferentiam,vel ſecundum Centrum. Si craſſities perpendatur ratione cauſſæ efficientis, hæc craſſities
B producitur vel ex Alimento,vel ex Excremento:& ſi ab excremento, vel ab Humore, vel a Vapore: & ſi ab humore,ab humore vel magis vel minus craſſo:& ſi a vapore,peccante vel Copia,vel Motu. Color albuginei varius eſſe poteſt. *Et hæc de vitiis attinentibus ad humorem albugineum.* Quantum attinet vitia 3 Spirituũ vitia.
ſpirituum: ſecundum Galenum cap.2.l.1.de ſymp.cauſ. cum ad viſionem efficiendum opus ſit ſpiritu animali copioſo & puro:iccirco vitium attinet ad Quantitatem & Qualitatem. Quoad quantitatem:deficit Pænuria.
ſpiritus animalis,vel e Toto, *vnde fit Cæcitas, vel ſecundum Partem, vnde Imminuitur viſio.* Verum vtrumque vitium fit ab eadem cauſſa genere, differente ſolum ſecundum magis & minus, vt ſufficiat dicere ſolum de cauſſis priuationis ſpiritus. *Oculus ergo animali ſpiritu priuatur,quoniam ſpiritus in oculum non influit.* Non influit,quoniam vel Retrahitur,vel eius fluxus Impeditur. Retrahitur ſcilicet in cerebrum,dum exiguus eſt ſpiritus, qui non ſufficit & pro cerebro,& pro oculo. Sunt autem exigui ſpiri-
C tus,dum vel Reſoluuntur,vt in euacuationibus immodicis:vel Non generantur, vt in morituris, quemadmodum Galen.ait cap.2.lib.4.loc.aff.vnde Hippocrates aph. 24.ſect.1.lib.6. epid. obſcurationem in ægrotantibus malum eſſe ait. Si autem ſpiritus fluxus impediatur; hoc fit propter anguſtiam vel Ventriculorum cerebri, vel Opticorum. Ob anguſtiam ventriculorum cerebri, vt in caro,epilepſia,apoplexia: Opticorum autem vt in vertigine tenebricoſa,& citra vertiginem:vbi,ſi anguſtia ſit integra in opticis, fit ἀμαύρωσις,modernis gutta ſerena;ſi non ſit integra,dicitur ἀμβλυωπία. Quoad vitium ſpiritus ſecundum Impuritas ſpirituum.
qualitatem,cap.2.lib.1.de ſympt.eſt ſpiritus veluti nebuloſus,humidus,turbidus. Cauſſa eſt,immoderata humiditas, vel alimenti, vel cerebri; quamuis etiam concurrat intemperies frigida & ſicca cerebri,ad generandum impuros ſpiritus, quemadmodum in decrepitis. Ceterum vitium ſpiritus animalis eſt vel ſimplex vel miſtum:ſimplex eſt,dum ſpiritus ſolum vel eſt exiguus, vel humidus: miſtum,dum ſpiritus ſi-
D mul eſt & exiguus & humidus. Quod ſi ergo ſpiritus ſit exiguus & purus; cum Galeno, loc.cit.proxima homo exacte videt,remota neutiquam:& hoc vitium dicitur μυωπία,luſcioſitas. Si autem ſpiritus ſit ſimul copioſus & humidus;homo videt,non tamen exacte nec diſtincte, & peius videt in obſcuro; vnde vocatur hoc vitium nyctalops, hoc eſt, nocturna cæcitas. Si ſpiritus ſit ſimul exiguus & humidus;homo nec exacte,nec procul videt,vt accedat hoc vitium ad nocturnam cæcitatem,quoniam radii ſunt & exigui, & impuri:vnde cauſſa exiguitatis non procul diffunduntur, cauſſa impuritatis homo non poteſt exacte videre. Quoad vitia capitis:pertinent hæc vel ad Opticos, vel ad Cerebrum. Hæc vitia Galenus cap.2.l.1.de III.
ſymp.c.vocat morbos facultatis,quamuis habeant rationem erroris externi, ſi conferantur cum morbis Error externus, extra oculos.
cryſtallini. Verum quoad opticos:viſio læditur aliqua e parte,ob immodicam humiditatem,cuius cauſſa ſpiritus impuritatem contrahere poſſunt:ſed potiſſimum opticorum vitium,pertinet ad malam compo-
E ſitionem & ſolutam vnitatem. Mala compoſitio,eſt anguſtia: quæ ſi integra ſit,vitium vocatur ἀμαύρωσις, obſcuratio:vnde Auicenn.ait,obſcurationem eſſe obturationem nerui viſiui, ſi non ſit integra anguſtia, vocatur amblyopia. Notandum vero opticorum anguſtiam attinere vel ad horum neruorum ſubſtantiam,vel ad meatum. Si ad ſubſtantiam; fit anguſtia, quæ eſt pororum denſitas,& fieri poteſt modo a frigore, modo a materia implente poros, vt dictum eſt de paralyſi, vt condenſentur pori,& meatus optici apertus permaneat,vt tranſeat ſpiritus animalis, non facultas, hæc enim non permeat per foramen, ſed per propriam neruorum ſubſtantiam. Si autem anguſtia ſpectat ad foramen optici:anguſtia eſt obſtructio,quæ fit a pituita; poteſt quoque eſſe compreſſio, quæ fieri ſolet e compreſſione ſeu innixu adiacentium,ſiue e tumore vel inflammatorio,vel non inflammatorio,vt in doctrina paralyſis dictum eſt. Quo-
F ad ſolutam vnitatem;eſt euidens,quando ob vulnera nerui optici inciduntur. Quoad cerebri vitia: eſſe 2.
poteſt intemperies,quæ eſt cauſſa ſpiritus vel exigui, vel impuri:eſſe poteſt anguſtia,quæ prohibet tranſitum facultatis & ſpirituum,vt in caro,&c.in phrenitide etiam, vt monuit Galenus c.2.l.4.loc.aff. Quoad 3.
vitia infra caput:vitium pertinere poteſt,vel ad Totum corpus,vel ad aliquam Partem. Ad totum,veluti cum Auicenna in acceſſionibus febrium:ad partem,vtpote ad ventriculum;quando ſcilicet,oculis a ventriculo vapores impertiuntur,c.2.l.1.de ſymp.cauſ.& c.2.l.4.de loc.aff.

Quoad differentias. A forma: viſio eſt vel Imminuta,vel Ablata,vel Corrupta. A ſubiecto non ca- Differentiæ.
piuntur differentiæ. A cauſſa efficiente cauſſa eſt Morbus,vel Error externus,vt iam traditum eſt.

Hoc vitium in genere & ratione formæ patet. At quantum ad cauſſam efficientem attinet; cum eſſe Signa.
poſſit vel morbus cryſtallini,vel error externus; Si fuerit morbus cryſtallini, & primum, ſi intemperies; Cryſtallini affectus.
indicabitur e ſplendore imminuto: & ſi intemperies ſit calida, lædetur a calidis, iuuabitur a frigidis:con-
G tra,in frigida intemperie. Si dyſcraſia ſicca ſit;cognoſcetur ex oculi ariditate: ſi humida,e lippitudine ſu- 1.
perflua. Sed præterea dyſcraſiam ſiccam & humidam cognoſcimus e colore glauco. At ſi glaucedo fiat e ſiccitate; patientes vix ferunt lumen,ita vt melius videant in obſcuro:contra, ſi glaucedo fiat ex humiditate. Quoad cryſtallini morbum, dum eſt mala compoſitio: ſi fuerit immoderata raritas; cum Actio II.
cognoſcitur,quia patiens obiectũ nec album,nec ſplendidum poteſt perferre: & præterea e leui occaſione oculum claudit, & lacrymatur, & præſertim inter legendum. Situs autem vitioſus cognoſcitur e læſa III.

visione, in qua quodlibet obiectum apparet geminatum. Et si contingat, vt ictus non sit prægressus, nec A
Corneæ vitia. signa sint epiphoræ; iudicandum, hoc malum prodire vitio musculorum. Quoad errorem externum: &
primum, si pertineat ad corneam: cum vitium sit crassities, humiditas, color: crassities cognoscetur ex eo,
quod cornea rugosa conspicietur & inæqualis, quemadmodum in senibus: humiditas e læsa visione indi-
cabitur, in qua homo veluti per nebulam seu fumum conspicere videtur: color cognoscetur & e læsa vi-
sione, quia omnia obiecta colore infecta apparebunt; & præterea hic ipse color est potius signum, quam
Albuginei vitia. signatum, cum in oculos incurrat. Quoad vitium albuginei posthabito vitio in quantitate (de quo in
sermone de mydriasi & constrictione pupillæ dictum est) cum attinet ad crassitiem, & colorem: crassities
1. cum differat secundum gradum, secundum sedem, & caussam efficientem; Quantum ad gradum atti-
2. net, crassities intensior indicabitur e visione magis læsa, & pupillæ obscuritate intensiore reddita. Quo- B
ad sedem: si crassities attineat ad totum albugineum; indicabitur e læsa visione, in qua æquale obiectum
secundum omnes partes apparebit æquale; at si ad partem albuginei attineat; si contingat, vt crassities
occupet albugineum secundum rectum, obiectum quod conspicietur, linea recta refertum esse videbi-
tur; si secundum obliquum, obliqua. Si contingat, vt crassities attineat ad circumferentiam; tunc obie-
cta plura simul non possunt conspici. Si autem crassities occupet centrum; omnia obiecta perforata in
3. medio apparebunt. Quoad caussam efficientem, si crassities fiat ex alimento: indicabitur ex æquali læsio-
ne, & prægresso alimento crassiore. Si fiat ex excremento; indicabitur ex inæquali læsione albuginei. Et
si excrementum sit humorosum; indicabitur e læsa visione, in qua obiecta vitio stabili referta conspicien-
4. tur: si e vapore; apparebunt culices, muscæ volitantes. Si vitium ad colorem attineat: color facile conspici-
Spirituum vitia. tur, non tamen tam facile in albugineo, ac in cornea. Quoad vitia spiritus: si spiritus e toto deficiat, indica- C
bitur e visione ablata: si secundum partem, ex imminuta; vt patiens remota non possit videre exacte. Et
si deficiat, quoniam retrahitur: indicabitur ex immodicis vacuationibus, ex imbecillitate virium, cuius-
modi prope mortem esse solet. Si fluxus impediatur: cum possit impediri ex angustia vel ventriculorum
cerebri, vel opticorum: de his suo loco dicemus. Si ad qualitatem attineat vitium spirituum, cognosce-
tur e læsa visione, in qua homo non videt exacte, quamuis procul videat. Et si spiritus fuerit tum exiguus,
Opticorum vitia. tum impurus; indicabitur e læsa visione, in qua homo nec exacte, nec procul potest conspicere. Vitia ner-
uorum opticorum quod attinet: angustia cap. 2. lib. 4. loc. aff. cognoscitur e læsa visione, non apparente
aliquo vitio in oculo: & si integra sit angustia, indicabitur ex ablata visione; si imminuta angustia, ex im-
minuta visione, vt homo procul non videat. Et si angustia attineat ad nerui substantiam, quod aliquan- D
do obseruaui: indicatur e visione ablata, in qua dilatatur pupilla vnius oculi, si alter claudatur. At si angu-
stia ad foramen attineat, cum Galeno cap. 2. lib. 4. loc. aff. si angustia fuerit integra secundum vnum ocu-
lum, vt homo prorsus non videat, poterit tamen dilatari pupilla alterius oculi, sed non dilatabitur pupil-
la oculi læsi. Si oculus afficiatur inflammatione; cognoscitur e rubedine oculorum, e pulsatione, e calore:
& si tumor non fuerit inflammatorius, e grauitate: Et si hæc non appareant, angustiam ex obstructione
fieri coniectandum est: Et, si soluatur vnitas, e vulnere.

Indicationes. Indicationes, hauriendæ pro curatione læsæ visionis, ferme innumeræ sunt: patent autem e supe-
rius propositis: nam, verbi gratia, si lædatur visio ob intemperiem crystallini, alterandum per contra-
rium, &c.

Prognost. Non est autem vitium hoc negligendum, caussa vitæ & commodioris & melioris. Verum modo fa- E
cile, modo difficulter, modo omnino non succurri potest. Ratione igitur formæ, dum omnia sunt paria:
difficilius remouetur hoc malum, si ablata sit visio. Ratione caussæ efficientis, si morbus sit intemperies,
difficilioris curationis, si in habitu: Augetur difficultas, si intemperies declinet ad siccum, vt in glaucedi-
ne: & propterea dicit Galenus capite decimosexto, libro decimo, de vsu particul. glaucedinem potissi-
mum parere cæcitatem. Paullus respiciens ad exactam curationem glaucedinis, ait, omnia glaucomata
non curari: ratio esse potuit, quia si fiat glaucedo, glauca reddita rhagoeide, vel a principio generationis,
vel in senili ætate: patet has duas species glaucedinis esse incurabiles: si fiat glaucedo ab humore conge-
lato, hæc etiam species cum Aetio est incurabilis: si oriatur ab humiditate natiua crystallini, etiam incu-
rabilis; non enim vinci potest copia humiditatis crystallini: Si fuerit glaucedinis quincta illa species, quæ
exquisita est, & fit ratione siccitatis; hæc etiam est incurabilis, nisi siccitas sit admodum debilis, quemad- F
modum cum Aetio in incipiente glaucedine: vt, si aliquantisper sit progressa, actum sit. Ita ergo intelli-
gendus est Paullus. Si autem morbus crystallini sit raritas, potest remitti: vnde curationem Aetius ag-
greditur. Si vitium fuerit situs, vt si situs vitiosus fuerit; pro varia caussa varie prognosticandum. Verbi
gratia, si fiat musculorum vitio, vt sunt affecti vel paralysi, vel conuulsione: confugiendum ad propria ca-
pita: & sic de reliquis. Quoad errorem externum, si pertineat ad corneam: in genere, si corneæ vitium sit
magnum (cap. 2. lib. 1. sympt. caus.) visio in totum impeditur. Et, si rugosa sit reddita cornea, sicuti in se-
nibus; vitium est incurabile. Si vitium sit humiditas: potest vinci. Vincitur etiam si vitium in colore sit
positum: quia materia coloris potest euacuari. Quoad albugineum, si huius vitium fuerit crassities; va-
rie prognosticandum, pro gradu & efficiente caussa crassitiei. Quo enim maior crassities, eo cura diffi-
cilior, vt si auferatur visio, incurabile sit vitium. Adhæc si crassities fiat ex alimento crasso, vix curabilis; & G
& si protrahatur, non potest vinci. Si vero fiat ex excremento: si fuerit humor, curatio est difficilis, &
quandoque impossibilis, nimirum, si humor fuerit copiosus, crassus, viscidus, impactus. Si excrementum
fuerit vapor, curabile vitium. Similiter si vitium in colore sit positum. Quamuis maior sit difficultas in
vincendo colore albuginei, quam corneæ: cum albugineus in loco sit profundiore. Quoad vitium spiri-
tuum: si spiritus deficient e retractione, quoniam spiritus non generantur; malum incurabile: nam ho-
mines morti iam sunt proximi. Si autem spiritus deficiant quia resoluuntur propter vacuationes im-
moderatas

A moderatas; prognosticum varium est, pro vehementia illarum euacuationum. Si spirituum transitus prohibeatur, vel ob angustiam opticorum, vel ventriculorum cerebri: propria capita consulenda. Si vitium pertineat ad qualitatem: si spiritus sit humidior, ob humiditatem vel cerebri, vel alimenti; curabile est vitium: nisi coniuncta sit siccitas ipsius cerebri, vt in ætate decrepita, quia malum tunc incurabile. Quoad vitia opticorum si vitium sit humiditas; curari potest. Si fuerit angustia, & hæc ad substantiam neruorum pertineat; non est malum incurabile. Et similiter, si ad foramen optici, quod tamen vitium difficulter expugnatur, & incurabile est, nisi cito occurramus. Si vitium sit soluta vnitas, actum est. Quoad vitia cerebri, totius corporis, ventriculi: horum vitiorum prognostica e propriis capitibus sumenda.

B Quoad materias. Primum caussa crystallini notandum: si fuerit intemperies calida: probari *oculorum ablutionem cum frigida, cum aqua rosarum.* Si fuerit dyscrasia frigida: *abluendi sunt oculi aqua feniculi, euphragiæ, vino vel sincero, vel medicato cum propositis.* Si humida fuerit intemperies: Rhasis probat *puluerem e tutia lota & siccata: & abluit oculos aqua feniculi: addit etiam aromata, collyria e fellibus, & similia, in doctrina suffusionis tradita.* Si intemperies sicca sit: Rhasis caput perfundit *tepida:* naribus, auribus applicat humectantia, vt *oleum amygd.* totumque corpus fouet, *balneo aquæ dulcis:* iuuat *lac* oculo instillatum. Quoad raritatem crystallini: huius caussa Aetius cap. 44. præter materias diuertentes, vt sunt frictiones, &c. probat, vt caput *frigida* perfundatur, & si opus est, applicentur oculis frigida astringentia, vt *aqua ros. cum sumach.* Quoad situm crystallini vitiosum: materiæ sunt petendæ e traditis de paralysi, de conuulsione, C de sugillatione, de epiphora. Quoad corneam: & primum ratione crassitiei; oculus est fouendus *lacte, vino dulci, decocto fœnugræci, meliloti, feniculi viridis, (propter siccitatem, quæ in senili viget ætate.)* Ratione humiditatis probantur, quæ etiam conueniunt in humidiore crystallino. Ratione coloris vsurpantur discutientia, quæ conueniunt in suffusione; *vt est vinum cum euphragia.* Quoad vitium spirituum: ratione quantitatis, si deficiant, quoniam vel non generantur, vel resoluuntur; occurrendum potius alimentis, vt *pane cum vino aromatico, aqua carnis, &c.* Si deficiant spiritus, quoniam prohibetur transitus ob angustiam vel ventriculorum cerebri, vel opticorum: probantur paullo post sequentia. Ratione impuritatis laudantur quæ generant purum sanguinem: quare sint *bona cibaria: & oculo applicetur vinum cum feniculo, &c.* Quoad vitia opticorum: ratione humiditatis, conducunt siccantia, quæ etiam fuere probata in humidiore crystallino. Ratione angustiæ opticorum: si malũ sit a sanguine; cum Aetio vena secanda: & quam D primum fieri potest occipitio cucurbitula applicanda: & si non sit larga sanguinis copia, primum est aperienda vena capitis: mox cucurbita occipiti est affigenda: & præterea totum corpus purgandum: deinde cum Paullo vomitus cum violentia prouocandus: item sternutamentum vehemens excitandum: non alia de caussa, nisi vt materia angustans commoueatur, nec figatur: quia actum est, vbi figitur. Vnde in praxi vos hortor ita progredi, *vt eadem hora, qua acceditis, iubeatis immitti acrem clysterem: deinde si sanguis est copiosus, aperiatur cephalica: eadem die post vij. horas exhibeatis pilul. fœtidas, vel cochias ad ℥ ij.ß. Deinde caput vacuetur: & secetur vena frontis: postea venæ angulorum: applicetur cucurbita occipitio: & ilico etiam vsurpetur setaceum: & fiat vacuatio per os, per nares, confestim, validis medicamentis. Et deinde cum Paullo & Aetio caput perfundendum aqua salsa actu calida. Licet etiam ascendere ad sinapismum. Oculus foueatur spongia, infusa in aqua marina ac salsa. Probantur etiam collyria, de quibus in doctrina suffusionis & albuginis* E *dictum est. Et præterea statim exhibeatur decoctum e guaiaco, id est, attenuans: & hoc exhibeatur, vt potissimum patientes sudent secundum caput: quod non est faciendum in reliquis malis oculorum.* Quoad vitia cerebri, totius corporis, & ventriculi: propria capita consulantur. Hæc igitur de læsa visione, & de præcipuis oculorum malis dicta sufficiant.

Curatio.

Ordo medicamentorum adhibendorũ in gutta serena.

CAPVT L.

De Læso auditu.

LOquimur hic de qualibet auditus læsione: siue deprauetur, siue imminuatur, siue auferatur. Generatur hoc malum, quoties organo auditus aliquid præter naturam occurrit, vt vel non fiat receptio F speciei auditus, vel non fiat iudicium. Nam ad auditum efficiendum necessarium est, vt e collisione corporum durorum ita percutiatur aer, vt excitetur sonus, qui postea per medium aerem debet agere in sensorium, & hoc mouere, vt, postquam mouerit sensorium, & postquam fuerit acceptũ a facultate auditrice, iudicetur. Quare læsus auditus est functio præter naturam auris, dependens a frustratione auditus, cap. 3. lib. 4. loc. affect. cap. 3. lib. 1. de caus. sympt. lib. de organ. odoratus, cap. 1. lib. 3. κ.τόπ. Forma est functio læsa: quæ vel Corrupta est, vt in sibilo & tinnitu: vel Diminuta, vt in subsurditie, & in surdastris: vel Ablata, vt in surditate. Subiectum sunt aures: per quas intelligimus, & partem Principalem, quæ est neruus, ortus e quincto pari neruorum cerebri, *(non secundum omnes sui partes, sed tantum secundum illam portionem, quæ pertinet ad principium labyrinthi, quod est prope cerebrum, non prope aures externas, in qua parte neruus est dilatatus: neruus ergo expansus est præcipua pars auris, correspondens crystallino in oculo)* & partes Non principales, vt est membrana, quæ est in principio tympani: item ossa, quæ constituunt meatum au- G ditorium osseum, & cartilago, e qua conficitur meatus auditorius externus, qui cartilagineus dicitur. Non propono illa tria ossicula, quia ad rem nostram non pertinent: errant enim valde qui credunt, auditum lædi ob vitia ossiculorum: ignorantque anatomen.

Nomen.

Generatio.

Definitio.

Forma.

Subiectum.

Caussa efficiens, est frustratio facultatis auditricis. Frustratur vel ob Morbos, vel ob Errores externos. Morbus est constitutio præter naturam alicuius organi: & quod est præter hanc constitutionem, habet rationem erroris externi.

Caussa efficiens.

I. Quibus morbis lædatur auditus.

Quantum ad morbos: hi possunt perpendi, vel ratione facultatis Communis, vel ratione facultatis A Determinatæ. Quantum ad morbos, ratione quorum non potest facultas communis operari, sed frustratur: hi morbi pertinent vel ad Cerebrum, vel ad Neruum quincti paris: hic autem per neruum quincti paris, non intelligo neruum, secundum portionem expansam, quæ locus est facultatis determinatæ; iam enim loquor de facultate communi, quæ nondum est determinata, nondum est reddita auditoria: & ob id per neruum intelligo, vt incipit a cerebro, & ductum habet.

Morbi cerebri.

Quantum igitur ad cerebrum: potissimum cerebri morbus est in via, in angustia; vt in apoplexia, epilepsia, &c. in quibus affectibus homo non audit, ratione facultatis communis, quæ impeditur ob morbum cerebri. Interdum, sed raro, contingit ob morbum frigidum; sed oportet, vt intemperies admodum sit frigida: nam secus non erit in caussa læsi auditus. B Notandum, ob angustiam cerebri, ita lædi auditum, vt auferatur: ob intemperiem vero non auferri, sed tantum imminui.

Densitas nerui auditorii.

Quoad neruum; secundum partem iam propositam, huius morbus est densitas: quia hic non habet foramen, vt opticus, sed habet substantiam raram: ideoque si afficiatur secundum raritatem, fiatque neruus iusto densior, tunc læditur auditus. Densitas hæc, est Remissa, vel Insignis; Integra, vel Non. Si est integra; non potest permeare facultas: vnde homines surdi euadunt, secundum illam aurem, quæ est e regione illius nerui; quoniam scilicet ob densitatem, facultas animalis non distribuitur in neruum expansum. Si densitas non sit perfecta & integra; non prohibetur facultatis transitus, & proinde non aufertur auditus, sed tantum imminuitur; non ob vitium nerui expansi, quem supponimus esse bene constitutum, sed ob densitatem secundum progressum illius nerui. Animalis enim spiritus est organum motus, & sensus, & proinde etiam auditus; nam sine auxilio spiritus animalis, facultas nequaquam C exactissime potest operari. Spiritus autem animalis, non ea ratione concurrit ad auditum (sicut plerique falso imaginantur) quemadmodum concurrit ad visum. Nam ad visionem efficiendam necesse est, vt spiritus animalis secundum propriam substantiam producatur in oculos; vnde nerui optici natura perforati sunt: at in auditu, spiritus animalis non secundum propriam substantiam perducitur in aures: sed in cerebro exsistens prope principium quincti paris neruorum cerebri, solis instar suos emittit radios, qui viuificant facultatem auditricem. Vnde, si neruus densior est redditus, sed non integre; difficulter & in parua copia huiusmodi radii auribus impertiuntur, ideoque auditus fit imminutus. Caussæ obstructionis cerebri, & densitatis nerui, sæpe sunt propositæ: sed potissima caussa, est pituita.

Morbi totius auris.

Sequuntur morbi, pertinentes ad facultatem determinatam: Supponendi autem hoc loco sunt morbi noti, totius auris, vt dyscrasiæ, tumores inflamatorii, & non inflammatorii, item solutæ vnitates; quæ vitia, vt in qualibet parte, ita etiam in auribus locum habent. D

Morbi nerui expansi.

Dicemus ergo de morbis pertinentibus ad auris partes. Principalis pars est neruus expansus: cuius morbus potest esse intemperies, & potissimum frigida, facta a caussis refrigerantibus: nam propter hanc frigiditatem, facultas non potest iudicare, vt par est; vnde auditus imminuitur. Potest etiam esse morbus in mala compositione, in densitate, in tumore: vnde species debite suscipi non potest, ideoque non fit receptio, & per consequens etiam iudicium non fit, quia iudicium necessario supponit receptionem Si igitur densitas sit integra, aufertur auditus: si non integra, imminuitur. Partes non principales sunt, myringa, quæ est membranula, ita a barbaris dicta, ossa, cartilagines: mitto tria officula, quia cum moueantur a musculo, hic potius est instrumentum naturæ, quemadmodum etiam musculi abdominis: nec enim hæc officula conducunt, vt melius fiat actio, sed tantum ad tutelam, seu custodiam, vt in anatomicis demonstrabimus.

Morbi myringæ.

Quantum igitur ad myringam; huius morbi sunt in E mala compositione, & potissimum est densitas præter naturam, quæ est in caussa, vt species soni non possit distribui intra aures: vnde aboletur receptio, si densitas sit integra: imminuitur, si non integra. Oritur autem densitas, cum ob copiam humiditatis, seu pituitosi humoris; tum propter cicatricem, quæ interdum sequitur vlcera.

Morbi meatus ossei. Morbi meatus cartilaginei.

Sequuntur ossa, quæ constituunt meatum auditorium intimum: hic meatus ea ratione afficitur, quatenus repletur humoribus, qui a cerebro ad aures fluunt. Cartilago, efformans meatum auditorium externum, afficitur: quoties hic meatus repletur, vel a materia interna, quæ a capite confluit, vel ab externa, quoties caro plus iusto excrescit post vlcus: potest etiam repleri a quocunque tumore; item repleri potest, vt ego vidi, si quis imprudenter immittat gossipium intra aures, & ibi detineat, vt per diuturnam retentionem, concurrente aliqua humiditate, ad summam duritiem perducatur.

II. Quomodo auditus lædatur ob errorem externum. 1. Ob humorem, vel vaporem.

Præterea auditus læditur, ob Humorem, ob Vaporem, ob Aerem externum, & ob Aerem seu ca- F lidum ingenitum. Quantum ad humorem, & ad vaporem: si contingat, vt meatus non angustetur; tunc huiusmodi humor, vel vapor, potest permisceri cum calido ingenito auris: e qua permistione calidum ingenitum necessario euadit impurum, vt imminuatur auditus, sed ob errorem externum. Insuper, vapor dum exitum quærit, solet esse in caussa tinnitus & sibili, non quatenus permistus est calido ingenito (nam calidum innatum, seu complantatum, insertum in neruo expanso, est illud quod recipit speciem: sensibile autem positum supra sensorium, nõ efficere caussat sensationem) sed quatenus cum impetu mouetur in spatio, quod est inter neruũ expansum, & fenestram tympani. Dum enim vapor hic quærit exitũ, vel sponte, vel impulsus: mouetur cum impetu, a principio meatus, id est, a neruo expanso, ad finem meatus, id est, ad fenestram tympani: in hoc spatio non est aer ingenitus, sed externus, & propterea dum iste vapor cum impetu motum habet in illam fenestram: percutitur ab osse, ratione cuius percussionis fit G sonus, & sibilus. Dum igitur humor & vapor inuicem miscentur, in meatibus illis auditoriis, osseis: vapor quærit exitum circa partes illas osseas, quæ pertingunt ad aerem externum, id est, circa illas fenestras tympani, & proinde percutitur ab ossibus, vnde sonus editur: cum enim hic locus aliqua e parte distet a neruo expanso, a præcipuo organo auditus, hinc fit, vt hic sonus seu strepitus sentiatur, quia tunc sensibile non est positum supra sensorium.

Aer

A Aer etiam extrinsecus solet caussa esse tinnitus & sibili. Nam vt fiat auditus, necesse est aerem externum ingredi aures, non per myringam, per meatum cartilagineum, sed per os, per nares, ad quas partes pertingunt meatus auditorii. Et hoc est, quod optime dixit Philosophus, meatus auditorios pertingere ad aerem externum, vt hunc suscipiant. Porro aer hic externus, necessario ingreditur aures, vt coniungatur cum calido innato nerui expansi: nam, sicuti in oculis cum calido innato crystallini coniungitur spiritus animalis; vnde visionis organum luminosum & igneum vocatur, & tenuissimum, dum sermo est de calido innato crystallini, non simpliciter de crystallino: eodem modo neruus expansus, habet suum calidum ingenitum, quod debet esse aereum, vel aeris particeps; alias enim non posset affici, seu pati a sono, cuius subiectum est aer: vnde, vt hoc organum recipiat sonum, vt postea fiat iudicium: necessarium fuit, B vt calidum ingenitum esset aereum, non luminosum. Et, sicut calidum innatum oculi conseruatur beneficio spiritus animalis, qui defluit a cerebro: ita calidum ingenitum aurium, cum sit aereum, & aer non producatur in cerebro, sed si aer iste externus: ideo necessarium fuit, vt meatus auditorii connexum haberent cum aere, vt aerem susciperent. Verum, quia aer, ingrediens meatum auditorium, non potest commutari in aerem ingenitum, nisi beneficio facultatis alteratricis, exsistentis in neruo expanso si contingat, vt neruus expansus sit intemperatus; tunc non potest aerem externum susceptum, mutare in substantiam calidi sui ingeniti: & hic aer, dum conuerti nequit in calidum ingenitum, non potest ibi quiescere, sed commouetur & agitatur in meatu illo osseo, siue in labyrintho, siue in cochlea: ac proinde fit sonus, quia aer percutitur ab ossibus: percipitur autem hic sonus, seu strepitus, quia locus ille aliquantum remotus est a neruo expanso. Talis autem sibilus seu tinnitus est perpetuus, quia caussa est perpetua: per- C seuerat enim intemperies, & assiduo aer ingreditur. Intemperies hæc plerunque est frigida: sed interdum etiam calidior esse potest. *2. Ob aerem externum.*

Denique læditur auditus ob vitium aeris ingeniti. Hac autem ratione auditus imminui, & obtusus fieri potest: non autem potest fieri sibilus. Fit autem auditus obtusus, dum aer hic ingenitus, siue calidum ingenitum redditur vitiosum & impurum: Sicuti enim puritas organi est caussa bonæ receptionis, & exacti iudicii; ita impuritas sensorii est caussa obtusi & diminuti auditus. Cur autem ob calidum innatum vitiosum, non possit fieri sibilus; caussa hæc est. Licet enim aer iste ingenitus moueatur; (nam calidum innatum mouetur) non tamen ita mouetur, vt deserat neruum expansum, vt mutet locum; & ideo dicitur complantatus aer: motus autem eius est, quoniam sursum & deorsum mouetur, in D eadem tamen parte, in eodem neruo expanso: quod cum ita sit, non potest esse caussa sibili; quia sensibile positum supra sensorium, non caussat producere sensationem. Redditur autem impurum hoc calidum ingenitum, & ab Extrinseco, scilicet ab impuro aere; & ab Intrinseco, quoties alimentum impurum suggeritur neruo expanso. *3. Ob aerem innatum.*

Differentiæ a forma: Auditus vel est Corruptus, vt est sibilus; vel Diminutus, vel Ablatus. A subiecto: afficitur auris vel Tota, vel secundum Partem: &, si secundum partem, vel Principalem, vel Non principalem. Ab efficiente: auditus læditur, vel ob Morbum, vel ob Errorem externum. *Differentiæ.*

Malum in genere patet; sicut & differentiæ a forma: quia æger conqueritur de auditu deprauato, imminuto, aut ablato. Quoad differentias a subiecto; facile cognoscitur an auris sit læsa, vel cerebrum: & quæ auris pars: nam si, verbi gratia, affectus sit in meatu externo; obseruabitur angustia, caruncula, cum E instrumento auriculari, nec potest tangi myringa. *Signa.*

Quoad caussam efficientem: primum, si fiat malum ob morbum cerebri; cognoscetur e signis apoplexiæ, epilepsiæ; de quibus suo loco. Si morbus sit angustia, seu densitas, secundum quinctum par neruorum; cognoscetur, quia non erunt signa apoplexiæ, epilepsiæ, & vitium subito inuadit. Et prout angustia vel est integra, vel non integra; pro eo auditus modo aufertur, modo imminuitur, sed citra sibilum; nam ob angustiam huius quincti paris, auditus non deprauatur. Si morbus fuerit in neruo expanso; cognoscetur, quia præter id quod non sunt signa vitiati cerebri, læsio tantum est in sensorio auditus, non autem in visu, olfactu, vel alio aliquo sensorio: præterea, extra nihil mali apparet. Et quia huiusmodi neruus expansus potest lædi, & ob intemperiem, & ob densitatem: intemperies cognoscetur, quia malum fit paullatim, angustia cognoscetur, quod cito fit hoc malum, & præsertim solet contingere, quo- F ties cohibita est aliqua consueta cerebri euacuatio. Morbi myringæ cognoscuntur; quia obseruatur fluxio ad illam partem: præterea æger fuit expositus aeri frigidiori nudis auribus. Si vitium myringæ fiat ex vlcere; facile cognoscitur, quando post vlcus excitatur cicatrix adeo densa, vt auditus auferatur: quod etiam contingere potest ob alias caussas, vt ob fluxionem. Quare maxima diligentia est opus, vt cognoscatur an auditus sit ablatus, ob morbum myringæ, vel potius nerui expansi: quod sic cognoscitur. Sumatur ferrum longitudine cubiti; & vna extremitas imponatur supra dentes, altera autem extremitas imponatur, verbi gratia, supra chordas citharæ: & quispiam ferro commoueat chordas citharæ: tunc, si æger sentit sonum citharæ, surditas dependet a morbo myringæ: si non sentit, surditas dependet a morbo nerui expansi, vt prorsus exstincta sit vis facultatis. Nam auditus fit, quoties sonus, excitatus a percussione aeris inter duo dura corpora, recipitur in aere, tanquam in subiecto, & per medium aerem perducitur ad sensorium auditus, nimirum ad neruum expansum. Dupliciter autem potest per- G duci: primum, per meatum cartilagineum, per aures externas, & tunc oportet speciem soni permeare per myringam; ideoque si myringa densior est reddita, species permeare nequit, neque cum aere interno in tympano vniri potest, ac proinde non fit auditus. Secundo species soni perducitur ad neruum expansum, non per aures externas, sed per os, in quo sunt meatus quidam, pertingentes ad meatus osseos auditorios, per quos, propter conseruationem calidi ingeniti semper ingreditur aer, & sic fieri potest, vt sonus percipiatur. Quare si morbus sit in myringa, non in neruo expanso; ferro dentibus patientis appo- *Signa caussæ efficientis. Cerebri morbi. Nerui angustia. Vitiũ nerui expansi. Myringæ morbi.*

Meatuum vitia.

ſito, & percuſſa cithara; patiens ſentiet ſtrepitum & ſonitum illum. Sequuntur ſigna indicantia anguſtiam ſecundum meatus. Si ergo anguſtia fuerit in meatu cartilagineo, ſeu externo; ſtylo ſeu ſpecillo facile deprehendetur, & manus impedimentum ſentiet. Secus enim ſi anguſtia ſit ſecundum meatus oſſeos, ſeu internos. Porro hic meatus redditur anguſtus, vel ſecundum Labyrinthum, vel ſecundum Tympanum. Si anguſtia tantum ſit ſecundum tympanum; æger perſentiet ſonum, ſi dentibus ferrum apponatur: ſi in labyrintho, non ſentiet; nam ſpecies, ſiue ingrediantur per meatum cartilagineum, ſiue per os, neceſſe eſt, vt permeent per feneſtram illam, quæ pertinet ad labyrinthum. Diſtinguitur etiam anguſtia hæc ab intemperie; quoniam hoc malum cito fit. Quoad ſigna errorum externorum: ſi humor ſit in cauſſa, vt vel aer, vel vapor plus iuſto moueatur, vt non habeat liberum motum ac tranſitum; cognoſcetur, quod aderit ſibilus & tinnitus, quo affligente, ægrotantes dicent, ſe perſentire ſtrepitum veluti currentis aquæ, propterea quod ratione vaporis, vt habet permiſtum humorem, non poteſt fieri ſonus exactus. Si error pertineat ad vapores ſinceros, ita vt nulla permiſta ſit humiditas, quæ obliniat meatus oſſeos, aderit ſibilus, inſtar ſoni campanæ: quia concuſſio illa fit ab oſſibus, non madefactis ab humore. Si cauſſa læſi auditus eſt in aere externo: cognoſcitur e tinnitu, quia aer non poteſt regi a calido ingenito, ideoque percutitur ab oſſibus, vnde fit ſonitus: eſt autem hic tinnitus perpetuus, quia perpetuo aer ingreditur, agitatur, concutitur. Denique vitium eſſe in calido ingenito, ſeu implantato, cognoſcitur e diminuto auditu: nam dum hoc calidum, quod eſt organum facultatis, redditur impurum, neceſſe eſt, etiam auditum fieri impurum ſeu obtuſum: nec aderunt ſigna indicantia intemperiem, vel cerebri, vel nerui, vel alterius partis, de quibus ſuo loco. A B

Errorum externorũ ſigna.

Indicationes.

Poſthabitis indicationibus inutilibus; conſiderabimus tantum morbos qui ex vſu ſunt. Obſtructio, C anguſtia, ſunt morbi logici, non ex vſu, nihil enim indicant, ſed cauſſa tantum ipſorum indicat. Quare morbi, in præſentia, ſunt morbi ex intemperie, & præſertim intemperies nerui expanſi, qui præcipua eſt auris pars: quare ſi intemperies eſt calida, indicat frigidum; ſi frigida, calidum. Præterea id quod ex vſu indicat, eſt humor, & vapor: quæ materiæ indicant euacuantia, & diſcutientia: vnde & alterare, & euacuare potiſſimum oportet.

Prognoſt.

Quoad differentias formales: primo intuitu videtur peior affectio, dum auditus eſt ablatus, quod tamen non eſt dicendum. Nam quamuis, dum cetera ſunt paria, peior affectio eſt ablatus auditus, quam corruptus, aut deprauatus: interdum tamen ſurditas remouetur, & auditus recuperatur, tinnitus autem exſtirpari nequit. Propterea perpendere oportet, & locos affectos, & cauſſas efficientes. Quantum ad locos affectos, & cauſſas efficientes. Quantum ad locos affectos: quo partes profundiores ſunt offenſæ, ceteris paribus, eo curatio redditur difficilior, medicamenta enim efficacius agunt in partes proximas, & externas, quam in remotas & intimas. Quantum ad cauſſas efficientes: Si morbus occupet neruum, vt a cerebro fertur in meatum auditorium, curatio eſt difficilis. Imo hoc malum magis eſt contumax, quam anguſtia opticorum, quia hic neruus non afficitur anguſtia, ſed potius denſitate, & permeat per meatus anguſtos oſſeos, vt neque vis Diaboli illuc poſſit perduci, dum malum eſt aliquantiſper progreſſum. Et hoc ideo moneo, ne ſuſcipiatis curationem, ſi malum ſit in neruo expanſo, & ablatus ſit auditus ob malum nerui expanſi, & vitium aliquouſque ſit progreſſum. Et maior eſt difficultas, vbi adeſt denſitas: tum difficilius ſit, euacuare, quam alterare. Si malum pertineat ad myringam, & morbus ſit denſitas e cicatrice, vlcus ſubſequente, tunc, ſi auditus ſit ablatus, actum eſt, euidens enim ſignum eſt, denſitatem nequaquam medicamentis ceſſuram: ſi imminutus tantum ſit auditus, & malum recens, cicatrix illa non eſt vſque adeo denſa, & poſſumus aliquid polliceri. Si vero anguſtia ſit ſecundum meatus: ſiquidem ſecundum meatum cartilagineum, malum tolli poteſt, & quandoque facile tollitur, quia eſt externum, vt meatum expurgare poſſimus. Maior eſt difficultas, ſi anguſtia ſit in tympano: attamen aliqua ſanationis ſpes relinquitur. Quod ſi anguſtia ſit in labyrintho, & malum ſit pregreſſum, vt auditus auferatur, impoſſibilis eſt curatio, quoniam nimis eſt reconditus labyrinthus, & oſſeus quoque: proinde tunc non debetis curandos ſuſcipere ægrotantes. Quoad errores externos: Si humor eſt cauſſa læſi auditus, ſpes reſtat, quia humor euacuari poteſt. Sic etiam ſi vapor ſit, diſcuti poteſt. Si aer ſit in cauſſa, quia perpetuus eſt ſibilus, ſatis difficile eſt hoc malum tollere, quia prodit, ob inſignem & confirmatam dyſcraſiam nerui expanſi, proinde primo quoque tempore occurrendum, antequam malum inualeſcat. D E

Curatio. Cheirurgia.

De materia cheirurgica, non eſt quod multa dicamus. Nam ſi in corpore redundabit ſanguis, erit F euacuandus, quia habet rationem cauſſæ ſine qua non. Idem de cucurbitulis ſtatuendum. Nec eſt præter rationem vti fonticulis, præſertim vt homines, quæ male habent ſecundum vnam aurem, præſeruentur, ne etiam ſecundum alteram lædantur: vnde in auditu etiam ablato, in qua nulla eſt ſpes ſalutis, poſſumus vti fonticulis, vt illæſam aurem, ſanam conſeruemus. Ad eandem intentionem probatur ſetaceum: ideoque ſi inter initia ad ſetaceum deueniatur, poteſt aliqua ſanationis ſpes eſſe. Veſicatoriis quoque & auerſionem & deriuationem moliri poſſumus.

Pharmaceia.

Quoad medicamenta, non proponemus ea, quæ reſpiciunt totum, vel caput, de his enim alias ſæpe. Id ſolum notandum, in morbis frigidis aurium, opus eſſe vehementer purgantibus, vt ſunt *pilulæ cochiæ, euphorb. licet etiam aſcendere ad antimonium: optimum eſt permiſcere pilulas Arabicas.* Ratione capitis, pro- G ſunt maſticatoria, & vehemẽtiſſima ſternutatoria, vt cum impetu excutiatur materia, quæ pertinet ad aures. Topica debent eſſe frigida, vel calida: frigida in intemperie calida, & cõtra: præterea ob diſcuſſionem humorum & vaporum calida conueniunt. Frigida ſunt, *lactucæ, violæ, nenuphar, & ſi calor ſit intenſus, pauer: his tamen ſemper miſcenda ſunt calefacientia, anethum, thus, fœnugræcum, chamæmelum, &c.* Nam hæc & vehicula ſunt frigidorum, & præterea conſeruant calidum innatum ipſius auris. Sed vitia ſæpius ſunt frigida, ideoque calefacientia locum habent: ſæpe etiam euocandi ſunt ac diſcutiendi vapores: & præ-

Localia. Frigida.

Calida.

præterea licet vti, verbi gratia, *cepa, cocta sub cineribus, allio, aromatis, oleis destillatis: nam auris sustinet ve-
hementissima siccantia: & propterea licet etiam ascendere ad castorium, ad crocum, cum aceto scillitico, ad a-
mygdalas amaras, aristol. rutam, iridem, ameos, cuminũ, daucũ, cyclaminum, euphorbium, tandem ad vtrumq;
veratrum, ad colocynthidem.* Inter initia autem potissimum permisceri debent emollientia; vt est *radix al-
thææ, rad. cucumeris agrestis, ammoniacum, adeps anseris, anguilla.* Quod si forsitan ob calidiora medica- — Modus ad-
menta excitetur inflammatio: imponatur *vnguentum rosaceum.* Hæc medicamenta varie possunt admi- — ministrãdi:
nistrari: potissimum in modum Vaporis, in modum Sacculi, in modum Tentæ. Vaporis specie sic vsur- — Vapor.
pentur: ℞ *colocynthi.* ℥ ß. *vtriusque veratri* ℥ *iij. euphorb.* ʒ *j.* ß. *cinnamomi, caryophyll. ana.* ʒ *j. Contundenda* — Sacculus.
cõtundantur, incidenda incidantur crasso modo, & infundatur in vino, verbi gratia, in vini ℔. *ij. aquæ arden-*
B *tis* ℥ ß. *Misce pro vapore.* Vinum hoc calefiat in aliquo vase, & vapor admittatur per arundinem, cuius vna
extremitas in vas, alterum in meatum cartilagineum auris læsæ pertingat. Si homo bene habeat secun-
dum alteram aurem, hæc, ne recipiat vaporem, munienda est, madefaciendo eam vino rubro, & aqua rosa-
cea, mistis; ne fiat inflammatio, vel attractio: nam suffumigium posset aurem sanam calefacere. Sacculus:
℞ *colocynth. vtriusq; veratri, ana.* ℥ ß. *cyclamini* ℥ *iij. cepæ* ℥ ß. *fiat sacculus*, & calidus applicetur. Prodest et-
iam mox applicare *panem, recens e furno extractum: & præsertim si sit medicatus, confectus cum propriis me-
dicamentis.* Tenta etiam remedium est efficacissimum: ℞ *colocynth. veratri albi ana.* ℈ *j. euphorbii* ℈ ß. *fiat* — Turunda.
tenta, id est, turunda excepta, vel melle, vel succo cepæ, vel succo raphani. Hic autem consideranda patientis
natura: nam si facile toleret, tenta confici potest *cum succo cepæ*: sin minus, *cum melle*: si adhuc delicatior
C fuerit, *cum carne caricarum.* Sic enim medicamentis datur consistentia: & formantur instar turundæ; quæ
modo maior, modo minor erit, pro ratione auris affectæ. Tenta detineatur per 2.3.4. vel etiam 5. dies: nam
colocynthis, quæ proprietate ducit pituitam, mora hac ita deducitur a potentia ad actum, vt fiat pituitæ
attractio; mora etiam diuturna, pituita attenuatur ac detergetur, vt attenuata ac detersa proprietate co-
locynthidis mirifice attrahatur.

CAPVT LI.

De læso Olfactu.

IN genere hic loquimur de læso odoratu: siue deprauetur siue imminuatur, aut auferatur. Producitur — Nomen.
hoc malum, quoties in organo odoratus aliqua e parte fit recessus a naturali statu. Ideoque tenendum, — Generatio.
D quomodo fiat olfactus secundum naturam. Oportet igitur, vt ab obiecto corpore vapor procedat; qui
nares ingreditur, si corpus odorabile proximum est; si vero remotum, tunc a corpore odorabili prodit
vapor, qui in aere exsistens speciem parit, vt species per medium aerem deferatur in nares. Sunt enim ani-
malia, quæ per plura miliaria persentiunt odores corporum; vbi dici nequit, vapores multiplicari per tan-
tum spatium. Porro species petit nares, per foramina ossis ethmocidis, & per foramina membranæ cere-
bri, ac suscipitur in carunculis mamillaribus, in substantia vaporosa carunculарum mamillarum, quæ ni-
hil aliud sunt, quam portiones ventriculorum anteriorum cerebri: quare in substantia vaporosa species
suscipitur, & in l gitima substantia illarum carunculарum fit iudicium. Hinc colligitur, lædi olfactũ, quo-
ties aliquid morbificum occurrit, vel naribus externis, vel ossibus, vel membranis, vel cerebro, secundum
extremitates dictas, vt sic species vel non recipiatur, vel non iudicetur, vt decet. Quamobrem Læsus olfa- — Definitio.
ctus est functio præter naturam narium, dependens a frustratione olfactus, c.3 & 4. l.1. de caus. symp. c. vlt.
E l.3. loc. aff. c.3. l.3. κ. τόπ. Forma, est functio præter naturam, Corrupta, Imminuta, vel Ablata. Subiectum — Forma.
sunt nares: per quas intelligimus quodlibet olfactus organum. — Subiectum.
Caussa efficiens frustrationis olfactus, est vel Læsa facultas, vel Error externus. Lęditur facultas ani-
malis; eaque vel Communis, vel Determinata. Communis læditur a morbis cerebri; scilicet Intemperie — Cerebri
& Angustia. Intemperies potissimum est frigidior & humidior, maxime anteriorum cerebri ventriculo- — morbi.
rum. Angustia est, vt in apoplexia, epilepsia. Facultas determinata læditur morbo organi vel Principalis,
vel Non principalis. Organum principale, sunt carunculæ mamillares: quæ affici possunt, intemperie — Organi ol-
& angustia: nam insignis dyscrasia potest esse caussa læsi olfactus, præsertim secundum iudicium: angustia — factus mor-
autem est caussa, vt lædatur olfactus, quia species vel non, vel vix suscipiuntur, ob malam compositionem. — bi.
F In his etiam carunculis, est morbus quidam natiuus, nimirum vitiosa proportio illarum caruncularum,
qua homines non possunt ferre odores iucundos, sed magis delectantur ingratis (sicut quidam ratione
ventriculi abhorrent a caseo, vt vomant, si exhibeatur) & hic morbus est reconditus, nec curatur per in-
dicationes. Morbus organi non principalis, est angustia in foraminibus membranæ, quæ instar cribri per-
forata est: item angustia in osse ethmoeide: præterea, angustia in externis naribus, quæ in catarrho, s[e]u
grauedine solet affligere; item in inflammatione; in cancro: in excrescentia carnis: in tumore carnoso, qui
fit a succo crasso & viscido, qui, si intra nares detineatur, sarcoma dicitur, si exstat extra nares, polypus:
tandem externarum narium morbus est vlcus, quod dicitur ozæna, in quo potissimum deprauatur olfa-
ctus. Error externus, cuius ratione facultas frustratur; primum potest esse vapor putridus, scaturiens a na- — Error ex-
ribus, a cerebro, dentibus, gingiuis, ventriculo, & aliis partibus: vnde olfactus deprauatur, & iniucundus — ternus.
G euadit (sicut etiam deprauatur actio sensus tactus, in dolore:) Error etiam externus, potest esse humor, nõ
quocunque modo, sed impactus in principali organo, in carunculis mamillaribus; qui humor caussa est
actionis deprauatæ, vt fœtida placeant: sicuti contingit in ventriculo, dum pica adest.
Differentiæ a forma patent, vt etiam a subiecto, nares enim afficiuntur. Quoad efficientem: olfa- — Differentiæ.
ctus læditur Læsa facultate, vel ob Errorem externum. Et, si læsa facultate, vel ob morbum Cerebri, vel
Principalis organi, vel Membranæ, Ossis ethmoeidis, Narium externarum. Error externus, vel est Vapor
putridus, vel Humor biliosus.

Signa. Malum in genere notum est: sicut etiam differentiæ formales; num scilicet olfactus sit imminutus,
1. ablatus, vel corruptus. Locus in genere patet. Quoad differentias a caussa efficiente: & primum, quoad
2. morbum cerebri; hic cognoscitur, quia non tantum noxa est in olfactu, sed etiam in aliis sensibus. Morbus organi principalis cognoscitur; quia est læsio in solo olfactu; item materia fluit per nares, quia non est angustia in foraminibus, sed in carunculis mamillaribus: præterea non adest raritas, quæ adest dum est angustia in spongoeide. Quod si cognouimus noxam esse in organo principali: distinguendum, an sit intemperies, vel alius morbus. Si sit intemperies, fit paullatim: si obstructio, ilico: si inflammatio, dolor præcessit, inflammato enim organo hoc principali, fieri non potest, quin & membranæ compatiantur: si malum organi principalis sit proportio; cognoscitur, quia odor aliis indiuiduis iucundus, huic erit ingratus: & hoc B
3. semper fit, quia vitium est natiuum. Si malum fuerit in membrana; respiratio aliqua e parte est difficilis; quia illius membranę foramina conferunt ad respirationem: neque adest raritas, quia locus ille satis est reconditus. Si in ethmoeide sit angustia, non fluit materia per nares, respiratio læditur, adest raritas, & intra nares nihil mali cernitur. At si malum sit in externis naribus; grauedinem oculis conspicietis: similiter si
4. adest cancer, ozæna, vlcus. Quoad errorem externum: Vapor cognoscitur, quia olfactus est deprauatus, conqueritur patiens de ingrato odore. A qua autem parte producatur vapor, cognoscitur e propriis signis. Humor est in caussa, dum est impactus: vnde interdum omnia fœtida apparent, interdum, quæ boni sunt odoris displicent, & magis placent iniucunda: at hoc non semper fit, quia hoc malum non est natiuum, nec proportio mala est, sed vitium est in errore externo, nimirum, in humore morbifico, qui aut est putridus, aut non. Si putridus, omnia fœtida apparent: si non putridus, apparent alia symptomata. C

Indicationes. Indicationes sumuntur a caussa efficiente. Morbi cerebri quid indicent, patet. Quoad morbos caruncularum mamillarium: intemperies indicat alterans per contrarium: angustia quid indicet, patet: proportio similiter patet. Angustia membranæ, & ethmoeidis, cum pendeat a crassa & viscida materia; indicat attenuans, detergens. Quoad morbos externarum narium: quid grauedo aut inflammatio indicent, suo dictum loco. Si cancer est: nulla spes reliqua. Vbi polypus, sarcoma: indicatur attenuatio & [illegible]. Ozæna, seu vlcus fœtidum, quid indicet, suo loco diximus. Quoad errorem: vapor indicat dissoluens: humor, attenuans, ac detergens, quia viscidus.

Prognost. Quoad differentias formales: cæteris paribus, malum difficilius curatur, si olfactus est ablatus: facilius, si imminutus, aut corruptus. Quoad caussam efficientem: morbi cerebri, an possint curari, nec ne, suo loco dictum. Quoad morbos organi principalis: intemperies in habitu, vix potest amoueri, & præsertim D dũ est caussa ablati olfactus. Dum angustia est antiqua, curare impossibile est: nam si pendet a materia pertinaciter impacta in carunculis mamillaribus, locis abditis; non est possibile remouere materiam. Secus autem si antiqua non fuerit. Proportio, quia est vitium natiuum, tolli nequit: fieri tamen posse, vt symptoma illud remoueretur, manente morbo interim, si suppeteret materia præsidii admodum efficax: sæpe enim actus secundus remouetur, manente primo. Angustia membranarum & ossium, satis difficulter tollitur: vbi tamen malum est recens, non desperandum. Quoad morbos narium externarum: grauedo potest remoueri, sicut & inflammatio, polypus, sarcoma, ozæna: cancer tolli nequit. Quoad errorem externum: vapores excuti, humores dissolui facile possunt: sed maiori difficultate superantur humores.

Curatio. Quoad materias præsidiorum: non loquemur de remediis totius capitis, nec de morborum cerebri cura, neque de intemperie. Si angustia fuerit: materias auxiliorum quęretis, in angustia opticorum. Ratione proportionis, non suppetit materia similis: sed consulo, vt, nisi aliquid prohibeat, frequenter administretis *magnas antidotos* per os. Et, si quid prohibeat, veluti iecoris caliditas, permisceatis aquam aliquam refrigerantem. Præterea licet vti iis, quæ sunt iucundi odoris Si vitium fuerit in ethmoide: vtendum propositis in angustia opticorum. Possunt etiam intra nares imponi, *castorium, succus cyclamini, colocynthis, veratrũ vtrumq; licet etiam ascendere ad euphorbium, elaterium*. Et permiscenda sunt iucunda, vt, *aromata, moschus, asa dulcis*. Vti his possumus in modum vaporis, & in modum liquoris: Diligentiã autem adhibebit minister, qui in nares instillat succos, cum pulueribus; ne portio horum medicamentorum, quę ingrata sunt, per foramina palati in os perueniat, ideoque æger aquam ore detineat, vt, si medicamentum in os ingrediatur, non ita facile lædat. Quoad vitia narium externarum. Quantum ad grauedinem, medicaméta patent e catarrho: in præsentia tantum loquemur de polypo, & ozænis. Quoad polypum, vsurpanda est materia cheirurgica, potissimum gratia totius: deinde post totius expurgationem, tumor ille ferro absumendus, nisi cancrosus sit polypus. Hoc malum enim vel non, vel difficulter & longo temporis spatio remouetur. Quoad medicamenta: Galen. c. 3. l. 3. simp. probat *nasturtium, album veratrum, lotionem cum vino odorato*. Hoc etiam in polypo & sarcomate, est efficax: ℞ *aluminis scissi, myrrhæ, sandarachæ, ana* ℈ j. *gallarum, atramenti sutorii vsti* ℈ ß. *fiat puluis, qui imponatur super polypum*. Aliud: ℞ *misyos assati* ℈ j *pulueris sacchari* ℈ ß. *Misc. & applicetur*. Quando ægri nolunt admittere vehemẽtia, Galenus probat medicamentum: *e granatis recentibus contusis, ita vt moderate coquatur id quod exprimitur: deinde permittere oportet vt siccetur: postea redigatur in puluerẽ, & applicetur: potest excipi cum melle, vt medicamentum detineatur. quantum fieri potest*. Si mollior sit polypus, fiat medicamentum *e granatis austeris*: si durus, *ex acidis*. Si his non cedat malum, deueniendum *ad caustica*. Si fuerit ozæna, quandoque in ozæna est crusta, quę primo est auferenda: vnde applicetur *adeps anseris, butyrum, vnguentum rosaceum, oleum cum cera & adipe gallinæ: Maxime etiam prodest vapor aquæ calidæ moderate*: vt horum beneficio crusta reddatur mollis, & facile possit remoueri. Et cum facta fuerit emollitio, probatur sternutatio, quia tunc crusta expellitur. Crusta remota; oportet vlcera, quia sordida sunt, mundare. Si sordities est remissa; vti possumus *saccharo, melle, pulu. rosarum, pul. scabiosæ, CC. nec improbatur vnguẽtum de cerussa* præsertim si suspicio sit alicuius inflammationis. Si maior fuerit sordities; tunc confugiendum ad ea, quæ magis siccant, & mundificant. Sed aduertendum, an hæc

Ad obstructionem ethmoeidis.

Ad polypũ.

Ad ozænã.

E F G

A an hæc vlcera, & ita ſordida, ſint corroſiua, nec ne? Si corroſiua fuerint, ſiccantibus vtendum, & adſtringentibus, vt eſt *ſuccus rubi cum alumine*. Si ſit corroſio vehemens; eſchara eſt excitanda, deinde adimenda. Excitatur cauſticis. Quibus tollatur, diximus. Et, ſi patiens eſt fortis; oportet eſcharam efficere cum ferro candente. Eſchara ablata; vtendum mundificatiuis, vt *veratro, præſertim albo, naſturtio, calamintha cum melle, ſulphure cum aceto: in vſu eſt oleum ſulphuris, e chalcantho: poſſumus vti vnguento Ægyptiaco, & paſtillis illis ſiccantibus, Andronii, Paſionis, & Polyidæ.* Quoad errorem externum: hic eſt Vapor vel Humor. Si vapor ſit extra nares: occurrendum illis partibus, a quibus promanat, vt ſi procedat ab ore, gingiuis, &c. his proſpiciendum medicamentis propriis. Si vapor reperiatur in naribus: euaporatio facta cure-
B tur diſcutientibus medicamentis, & quæ ſimul ſunt iucundi odoris: V.g. *ex aniſo, dauco, feniculo, cum vino odorato:* vapor enim e tali prodiens vino, reliquos vapores poteſt diſcutere. Quoad humores impactos in caruncul is mamillaribus; horum cauſſa vtendum illis, quæ habent vim attenuandi, quæ ſunt calida & tenuis ſubſtantiæ: de quibus diximus in cura anguſtiæ neruorum opticorum.

CAPVT LII.

De Narium hæmorrhagia.

HÆmorrhagia narium, eſt exiens mutatum ſanguinolentum narium, cap. vlt. l. de diff. ſymp. cap. 2. lib. 3. de cauſ. ſymp. tex. aliquot. lib. 3. prorhet. Dicitur exiens ſanguinolentum; ad differentiam aliorum mutatorum, quæ per nares poſſunt egredi. Cum autem ſanguis per nares non egrediatur ſecundum naturam; fit vt hoc exiens, toto genere ſit præter naturam. Quod ſi tamen fluxus narium ſit criticus, & tem-
C peſtiue fiat; non eſt toto genere præter naturam, imo ſecundum naturam: at fluxus ſymptomaticus per nares, toto genere præter naturam eſt, & ratione materiæ fluentis, & ratione temporis. Dicitur, exiens mutatum narium; ad differentiam egredientis per alias vias. Sanguis autem, qui per cauitatem naris egreditur, interdum fluit a venis arteriiſque cerebri, e quibus deſcendens egreditur; interdum a vaſis narium fluit, quæ a palato prodeunt, & ad nares perreptant. Definitio. Hæmorrhagia critica, & ſymptomatica.

Porro hoc exiens mutatum eſt ſymptoma, quod inſequitur aliud ſymptoma, & neceſſario ſequitur actionem læſam, nimirum læſam retentionem; ſi enim in venis retineretur ſanguis, non efflueret. Actio autem cum lædatur, vel læſa facultate, vel ob errorem externum: ſtatuimus in hæmorrhagia narium, actionem lædi, non ob errorem externum, ſed Læſa facultate. Quoniam vero facultas vaſorum læſa eſt; Cauſſæ.
D neceſſario morbus erit in vaſis. Et hic morbus ſecundum Galenum, eſt Διαίρεσις, Διαπήδησις, vel Αναςόμωσις. Διαίρεσις eſt ſoluta vaſorum vnitas: quæ producitur vel ab Interna cauſſa, vt a ſanguine copioſo, frangente venas, a ſanguine calido & mordaci, a ſanguine flatuoſo & rumpente: vel a cauſſa Externa, vt a contundente, ab incidente: vnde poſt plagas fluxus ſanguis ſequitur. Διαπήδησις eſt morbus non in ſoluta vnitate, ſed in mala compoſitione, & conformatione, nimirum, raritas ſecundum vaſorum ſubſtantiam: dum enim tunicæ venarum & arteriarum, propriam ſeruant denſitatem, ſanguis continetur: vbi autem iuſto humidiores & rariores euadunt tunicæ, ſanguis egreditur. Fit hic morbus a ſanguine tenui & aquoſo. Αναςόμωσις eſt immodica apertio orificiorum vaſorum: eſtque morbus in mala compoſitione, ſeu conformatione, nimirum, in via; ac producitur vel a cauſſa Interna, vt a ſanguine, vel copia, vel caliditate nimia expultricem irritante; vnde facultas inſurgens, tanto ſanguinem impetu propellit, vt vaſorum orifi- cap. 2. lib. 5. meth.
E cia recludantur: vel a cauſſa oritur Externa, quæ vim habet relaxandi, vt balneum aquæ dulcis.

Differentiæ a forma: Fluxus narium eſt Criticus, vel Symptomaticus. A loco: progreditur e vaſis Cerebri, vel Narium: vaſa, ſunt Venæ, vel Arteriæ. A cauſſa efficiente: egreditur ob Diæreſin, Diapedeſin, Anaſtomoſin. Differentiæ.

In genere hæmorrhagia facile cognoſcitur. Quoad differentias a forma: ſi fluxus eſt criticus; ſalutaris eſt: nam ſymptomata, quæ ante fluxum homines exercebant, euaneſcunt, & fluxus facile fertur: at ſi eſt ſymptomaticus: interdum fluxus ægre ſuſtinetur, & pulſus euadit languidior. Differentiæ a loco: Si egreditur a venis narium, ægri moleſtiam quandam in naribus ſentiunt; præterea hic fluxus facile cedit medicamentis, quia locus eſt proximus: adhæc cauſſæ prægreſſæ, offendunt potius nares, quam caput. Si egre- Signa.
F ditur e venis cerebri; fit contra: maxima enim cum difficultate coercetur fluxus, quia locus eſt reconditus: cauſſæ morbificæ occupant potius caput, quam nares. Vtrum fluat a vena, an vero ab arteria, facile cognoſcitur: ſi enim ab arteria; ſanguis eſt admodum calidus, flauus, tenuis, & magno cum impetu egreditur: contra, ſi e vena; erit rubicundior, nigricans. Quoad cauſſam efficientem: an ſit ſoluta vnitas, raritas, apertio orificiorum; facile cognoſcitur: vbi enim eſt raritas, multa copia non egreditur. Num ſit reclusio orificiorum, an ſoluta vnitas, cognoſcitur e prægreſſis cauſſis, quas prius attulimus, quæ poſſunt vel continuum ſoluere, vel orificia aperire, de quibus etiam in doctrina de dolore capitis: vbi quoque propoſuimus cauſſas, producentes ſanguinem calidum, aut flatulentum, &c.

Si fluxus eſt criticus, nequaquam eſt coercendus, niſi ſit immodicus; tum enim eadem indicat, quæ ſymptomaticus. Hic ergo indicat, quod ſit coercendus. Si fiat a ſoluta vnitate; poſcit remedium vniens, glutinans: ſi a raritate, condenſans: ſi ab immodica apertione, aſtringens. Sed cauſſæ etiam vtile indicant, Indicationes.
G potiſſimum ſanguis; qui, vt copioſus, indicat minuens, vt calidus, refrigerans, vt tenuis, craſſefaciens, vt flatulentus, diſcutiens, vt impetum habet, reuellens. Vt autem a variis cauſſis producitur, varia indicat, verbi gratia, ſi fiat a iecore calidiore, indicatur remedium refrigerans iecur, &c.

Quoad prognoſtica: potiſſimum quoad fluxum ſymptomaticum, hic modo magis, modo minus periculoſus eſt, & ratione loci, & ratione cauſſæ efficientis: ratione loci; ſi procedat a vaſis cerebri, periculoſior eſt, quam ſi a vaſis narium: & ſi ab arteria, quam ſi a vena. Ratione cauſſæ efficientis: facile ſedatur, ſi fiat ob raritatem: non ita facile, ſi ob recluſionem: ægerrime, ſi ob ſolutam vnitatem. Vnde quo ſan- Prognoſt.

guis fuerit copioſior, calidior, tenuior, maiori cum impetu agitatus; eo malum eſt contumacius. A

Venæſectio. Quoad materias chirurgicas, probatur venæſectio: ſic enim minuitur ſanguis, refrigeratur vniuerſum corpus, & proinde nimius ſanguinis feruor adimitur: & cum venæſectio ſit materia remedii reuulſorii, huius beneficio compeſcimus impetum ſanguinis. De vſu. Si ſumma eſt vehementia, expedit confertim ſanguinem vacuare, vſque ad animi deliquium: ſin minus, repetitis vicibus, vſu ita poſcente, ſanguis detrahi poteſt. De loco: aperienda vena cubiti dextri, ſi ſanguis egreditur e nare dextra; ſiniſtri, ſi e nare ſiniſtra. Cucurbitulæ. Galenus cucurbitulas applicat, e directo naris affectæ, modo ſiniſtro hypochondrio, modo dextro. Non dicemus de frictionibus, ligaturis dolorificis; quibus vtendum, ceu materia reuellente.

Medicamẽta generalia. Materiæ medicinales multæ poſſunt proponi. Lenientia, præparantia, purgantia, alterantia, ex alibi B traditis conſtant: nam ſi malum ſit a ſanguine feruente, qui generatur a iocinore calidiore: vtemur *ſerolactis, aquis Beatæ Virginis, aquis Veronenſibus*, & ſimilibus refrigerantibus.

Medicamẽta ſpecialia. Δυνάμεις ἄῤῥητοι. Sed ratione loci affecti probantur, quæ habent vim refrigerandi, & conſtringendi. Quædam etiam occulta iuuant qualitate: vt, *ſuccus ſtercoris recentis aſini, intra nares impoſitus: puluis cochlearum vſtarum, cuius drachmis ſingulis, commiſceantur ſingulæ unciæ cretæ, addaturq; acetum roſaceum: & hoc medicamentum fronti applicatum, mirifice iuuat. Laudantur etiam iaſpis, & mentha de collo ſuſpenſa. Rhaſes probat baſilicum cum caphura: licet enim ocimum proprietate occulta iuuet, quia tamen calidum eſt, nocere poteſt, vnde caphura ei miſcetur: id quod in aliis etiam huius generis faciendum. Prodeſt puluis e ſanguine draconis, acacia, hypociſtide, & aliis id genus, permiſtis, cum omphacio, cum ſucco cydoniorũ, &c. quæ poſſunt intra nares imponi.*

Num vinũ conueniat. De potu. Abſtinendum a *vino*: niſi virtus magis poſſit ad indicandum: quia vinum calfacit, & petit C caput, vnde fluxus narium augetur: Virtus tamen imbecilla, requirit propter ſpiritus, dum ſyncope imminet, aut leipothymia. Vinum ergo detur oligophorum, & in pauca quantitate, permiſtum cum frigida, & actu propinetur frigidum: ſic enim ſuccurremus, virtuti languenti, nec fluxum ſanguinis multum intendemus.

CAPVT LIII.

De Affectibus dentium.

Dentium affectus. DEntes conſideramus, vel quatenus Generantur, vel quatenus Geniti ſunt. cap. 8. & 9. l. 5. κ. τόπ. Dum oriuntur infantibus difficulter & cum dolore producuntur: ideo agendum de difficili dentium ortu. Dum geniti ſunt, aut Actu læduntur, aut Ne lædantur metus eſt. Si periculum læſionis imminet: huius D ratione agendum de præſeruatione dentium. Si actu dentes afficiuntur, vel Dolent, vel Perforantur, vel Mouentur, vel Perferre nihil queunt, vel Colore aliquo vitioſo afficiuntur.

I. De dentitione ſeu ortu dentium difficili.

Cauſſæ. ORitur hoc vitium ob craſſitiem gingiuarum, & earum viſciditatem. Ideo gingiuæ ſunt emolliendæ & extenuandæ; dolorque, qui acerbus eſſe ſolet, mitigandus.

Curatio. Oblinendæ ſunt gingiuæ *lacte aſinino, vel canino*, quod a proprietate iuuare creditur. Gal. l. 5. κ. τόπ. præterea ſecundum Auicennam prodeſt litus *ex oleo liliorum, & amygdalarum dulcium, ſi nonnihil cyperi addatur, nimirum ſemiſcrupulus ad oleorum vnciam.* Vrgente dolore, Auicennas aſcendebat etiam *ad ſuccum ſolani.* Verum non eſt vtendum hiſce valentioribus, niſi dolores ſint maximi. Tutiora poſſunt comparari auxilia ad dolorem ſimul & craſſitiem; ſi gingiuæ infantis oblinantur *butyro recenti, loto e decocto la-* E *ctucæ.* Galenus remedium commendat appropriatum, *corticem cochleæ de collo ſuſpenſum:* ego vero dentes eo tangi ſeu gingiuas maluerim.

II. De præſeruandis a noxa dentibus.

PRæſeruandi ſunt dentes, vt permaneant temperati, ſtabiles, & mundi. Vnde cauendum a maſticatione durorum, vt oſſium: a nimium vel frigidorum, vel calidorum contactu: maxime cauendum, ne quis poſt vſum frigidorum, ilico vtatur calidis, vel contra; cum natura non ferat has repentinas mutationes.

Remedia. Galenus pro præſeruatione dentium probat, *vt decoquamus radicem tithymali in vino, vſq; ad conſumtionem vini dimidii, & eo decocto ſemel in menſe inungamus.* A corroſione præſeruantur, ſi perfricentur *alumine & myrrha:* quod ſi hoc medicamentum nimis videatur aſtringens, melle excipiatur, verbi gratia, ℞. F *iam dictorum* ʒ ß. *mellis* ℥ ß. Præterea Galenus, ad reddendum dentes nitidos, odoratoſque, & ad præſeruandum a dolore, & eroſione, a motu; dicit, bonum eſſe medicamentum *ex hyſſopo, tragacantha, & ſphondylio: hæc trita, excipiantur melle & ſale, cum pauco pipere pulueriſato: & fricentur dentes.* Aetius medicamentum proponit, cuius vſus per 7. dies a dolore præſeruat dentes: ℞. *ſucci racemorum vitis albæ* ℔. j. ß. *corticum rad. mori* ℥ j. ß. *coquantur ad conſumtionem medietatis ſucci: & hoc medicamento abluantur dentes, ante prandium, & ante cœnam, per dies ſeptem continuos.* Auicennas etiam fricabat dentes *melle, ſaccharo, ſale:* *tum os vino abluebat.* Denique remedium hoc prophylacticum eſt facilimum: *ſemper dentes a ſumto cibo ſale fricentur, & os vino abluatur.*

III. De dolore dentium.

De ſenſu dentium. DEntes pulſante dolore afficiuntur, vt Gal. l. 5. κ. τόπ. cap. proprio, ait: ad radicem enim dentium neruus G inſeritur, a tertio pari neruorum cerebri: vnde dentes in radice dolent, non in ſuperiori parte, quod apparet, dum dentes lima abradimus citra dolorem. Pulſans fit dolor, ratione affectus inflammatorii: poteſt autem dens tali affectu corripi, quoniam augetur, vt recte Aetius explicat. Dum enim neruus, denti inſertus, proprium alimentum allicit, huiuſque portionem in propriam ſubſtantiã conuertit: quod reſtat, & nõ poteſt in ſubſtantiã conuerti, reſidet in cauitatib. dentiũ; & quia eſt excrementũ nerui vtile, ideo nõ putre-

A putrescit, sed augetur dens, & quia augetur, inflammatorio quasi affectu afficitur, & sic dolore pulsante. Porro dolor dentis, est tristis sensatio, dependens a solutione continui dentis. Excluditur hac definitione dolor gingiuarum, & nerui: quamuis ex hoc loco, omnium horum dolorum curatio, manifesta esse queat. — *Definitio.*

Dolor dentium, dependet a soluta vnitate interna. Soluitur vnitas ab Intemperie, & Materia. Intemperies potest esse quęcunque, tum Simplex, tum composita: frigiditate tamen potissimum dentes afficiuntur, quæ neruis, ossibus, dentibus inimica est, aphoris. 18. sectio. 5. Materia, soluens vnitatem, est Corpulenta, vel Vaporosa. Corpulenta, est Excrementitia, & Alimentalis. Excrementitia potest esse materia B quæcunque, & Putrida, & Non putrida, & interdum etiam Vermes prodeunt a materia putrida. Alimentalis materia, est excrementum illud vtile nerui, e quo dens veluti inflammatione afficitur; hęc tamen non est vera inflammatio. At gingiuæ vere possunt inflammari, & dum inflammantur, affectio dicitur ἐπουλὶς; quod si gingiuarum etiam caro augeatur, huiusq; ratione dolores fiant, affectio dicitur παρουλὶς. Materia vaporosa & flatulenta interdum vrget in radice dentium: aliquando vapores a ventriculo prodeuntes dẽtes petunt; & hi acidiores esse solent. Quantum ad externas caussas, solet fieri dolor dentium ex acidis, vt ex acido lacte, e sorbitionibus, & esculentis acidis, atque acerbis; quia hæc acerba tanquam comprimunt, & sic continuum soluunt. — *Caussę efficientes odontalgiæ.*

Dolor dentium modo est grauatiuus, modo constrictiuus, interdum exasperatiuus, quandoq; mordicatiuus, aliquando pulsans, nonnunquam stupidus, qui αἱμωδία dicitur, estque dolor, dentibus proprius. Aliud enim est, si stupore dentes afficiãtur, qui dolor stupefactiuus dicitur, non stupidus: fit autem hic do- C lor, ob caussas refrigerantes, non soluentes continuum, sed tollentes sensum: item cum neruus dentis est obstructus, aufertur sensus, & non est dolor, sed stupor, qui via est ad paralysin: hic dolor stupefactiuus, vel est in dente, vel in neruo, vel in gingiuis: & nascitur a caussa interna, vel externa. — *Differentię doloris dẽtium.*

Signa generalia notissima sunt: æger enim de dentis dolore conqueritur. Quoad signa differentiarum a forma; num dolor sit stupidus, vel mordicans, ęger referet. Quoad differentias a loco affecto: poterit cognoscere, an sit dolor in gingiuis, vel in corpore dentis, vel in neruo substrato: si in gingiuis, aderunt signa inflammatæ gingiuæ, color gingiuarum erit mutatus, & dum gingiuæ digitis comprimuntur, dolor reddetur intẽsior; dolor medicamentis cedet, quia doloris caussa est in superficie. Si vero dolor sit in neruo, vel in dente, contra fiet; nam compressis gingiuis, dolor non augebitur. Vtrum vero sit in D dente, an in neruo; distinguendum. Si in dente, dolor non ita profundus ab ægro percipietur; potest aliqua esse mutatio in dentis colore; patiens dicet, dolorem molestare tantum secundũ longitudinem dentis. Si in neruo, dolor sentietur profundus, & non molestabit secundum longitudinem, sed distentetur potius secundum gingiuas, sicut neruus extenditur vnde potius secũdum latitudinem dolor percipietur. — *Signa.*

Quoad cognitionem caussarum efficientium; vtrum fiat a caussa interna vel externa; ægri referent, num præcesserit caussa externa, nec ne. Si caussa sit interna, signa intemperiei, e doctrina de capitis dolore, petantur. Signa materiæ: vt sanguinis, dolor grauatiuus, & sapor subdulcis: pituitæ, dolor extensiuus, & vel salsus, vel insipidus: melancholiæ, dolor obstructiuus, & sapor acidus: bilis, dolor mordax, & sapor amarus. Si oriatur a materia alimentali dentis; erit dolor pulsans, color dentis ad liuorem verget, non in superficie tantum, sed in toto dente, ideo oportet limula aliquantisper dentem cõterere, quod fit sine dolore: quando vero color dentis in superficie mutatur, dum dentes sunt immundi, id non fit ratione alimenti, sed ob E alias caussas, post tradendas. — *Signa caussarum.*

Dolor indicat mitigantia dolorem. Caussa, si sit intemperies; alteranda per contrarium. Si materia; tũ, si hæc est impacta; erit discutienda, & eradicanda: si non impacta, reprimenda & reuellenda: habita tamen totius primo ratione. — *Indicationes.*

Dolor dentium intensissimus est, & maioris momenti, quam dolor capitis: lib. 1. κ. τόπ. quod verum est, ratione symptomatum: at ratione caussarũ, dolor capitis multo est periculosior, & multo maioris momenti, præcipue si est intra cranium; caussa enim propior est cerebro, & multa mala minatur cæcitatem, apoplexiam, epilepsiam, &c. — *Prognostica.*

Cheirurgia refertur vel ad sanguinem in corpore exsistentem, vel ad dentem. Sanguis enim quando doloris caussa est; euacuandus venit, vt in dolore ac inflammatione gingiuarum. Addit Rhasis in do- F lore per consensum, a parte sanguine repleta, venam esse secandam. Pro reuulsione secanda est vena cubiti. Hirudines admouere possumus venis gingiuarum. Secundum Auicennam, cucurbitulam scarificatam applicare licet. Quantum ad cheirurgiam, quæ dirigitur ad dentem, ait Galenus, si dolor est in profundo, perforari posse dentem acu ignita: vbi tamen cauendum, ne reliqui dentes & gingiuæ afficiantur, ideo pasta, vel cera dentes sunt obliniendi. Si cetera non conueniunt; dens extrahendus, si dolor est in dẽte, non in neruo, aut gingiuis: debet autem extrahi, si est perforatus, vel mobilis; alias minime, quia febres & inflammationes fieri possunt. — *Curatio.*

Medicamenta quod attinet: pro euacuatione capitis, non vtendum masticatoriis, sed apophlegmatismis, vacuantibus pituitam. Galenus lib. 10. meth. iubet masticare staphisagriam, sed tamen masticato- G ria non conueniunt, quia non debemus euacuare caput per locum affectum: proinde Galenus isthoc masticatorio non vtitur, pro capitis euacuatione, sed pro euacuatione materię, quæ dolorem in dente producere caussat, quæ materia fluxa est: ea propter enim vult nos dolente dente vti debere masticatorio. — *Apophlegmatismi, cuius gratiã hinc in vsum veniãt.*

Localia, quædam respiciunt Dolorem, quædam Caussas doloris. Dolor remouetur, interdum medicamentis citra extractionem dentis, interdum dens extrahitur medicamentis, de quibus suo loco. Medicamenta, quæ referuntur ad dolorem, sunt mitigantia dolorem: e quibus mitiora primum vsurpanda, vt *decoctum violarum*, *decoctum seminum & florum lactucæ, florum nymphææ*, postea descendendum ad — *Topica. 1. Ad dolorem Anodyna.*

valentiora,*ad mandragoram,ad emulsionem ſeminum papaueris albi,ad ſolatrum*; (quo ſemper ſine delectu
vtebatur Archigenes; quamobrem recte a Galeno reprehenditur.) Etſi dolor ſit internus, ratione pene-
trationis,*addatis aliquid aceti:*ſi autem in gingiuis ſit dolor,*non vtendum aceto,ſed lacte, & præcipue aſinino.*
Vſu poſcente,ſi videlicet ſyncope ob dolorem immineat; *opio vtendum*, vt quando dolor profundus eſt,
ſumatur opii ℈j.croci ℈j.addatur modicum ſapæ;& dolore ſopito *ilico os abluatur decocto ſaluiæ,roriſmar.ma-*
2. Ad cauſſam doloris Gingiuarũ inflammatio. *ioran:hyſſopi:poſſunt etiam hæc in vino decoqui,vt ſic noxa,ab opio impreſſa,adimatur.* In gingiuis exſiſtente
dolore,ad cauſſam tollendum leuioribus vti poſſumus:validioribus,ſi dolor ſit in neruo & dente. Ad tol-
lendum autem dolorem gingiuarum,progredimur cum reprimentibus & diſcutientibus. Reprimentia,
ſi validiora ſint,faciunt in gingiuis quid ſimile contuſioni;quia intus comprimunt. Diſcutientia, ſi vali- B
diora ſint,inducunt quid ſimili abraſioni;quia abradunt gingiuas. Proinde non validioribus,ſed leuio-
ribus in gingiuarum dolore vtendum;quia gingiua eſt proxima. Hinc Galenus proponit *oleum lentiſci-
num,quod fieri debet e ſucco expreſſo e fructibus lentiſci. Oleum hoc actu calidum admoueatur, nam moderate
reprimit & diſcutit. Inter initia poſſumus miſcere aliquid olei roſacei. Tum progrediemur cum decocto melilo-
ti, poſtea fœnugræci,maluæ,caricarum, præcipue pinguium, quibus in ſtatu vtendum : poſt addenda quæ magis
diſcutiunt, vt decoctum e malua,maiorana,roremarino. Acetum vitetur in cura gingiuarum, ſecundum Ae-*
Gingiuæ ſanguinolentæ. *tium: aut ſit paucum,non admodum acre, miſtum cum aliis medicamentis.*Si dolor eſſet in gingiuis,vt hę fie-
rent cruentæ;Galenus ſumit *duas partes aloes,vnam aluminis,myrrhæ tantũdem, & hunc puluerem gingiuis
adhibet:ceſſante autem fluxu ſanguinis,gingiuas melle abluit.*
Αἱμωδία. Si dolor dentium ſit ſtupidus:*fricentur dentes portulaca, & hæc maſticetur; nam cum ille dolor fiat ab* C
*acidis exaſperãtibus,per lentorem portulacæ tollitur.Si acida exaſperãtia ſint friabilia,tũ non poſſumus vti por-
tulaca,verum oleo communi,butyro,pinguedine aliqua,vt anatis, item lacte aſinino,quod optimum eſt,ob craſ-
ſitiem:poſſumus etiam dentes ſale fricare, & tepida poſt abluere.*
Dolor e caliditate. Dolore non exſiſtente ſtupido; ſi fiat ob caliditatem,occurremus refrigerantibus, quæ fuere pro-
poſita: *acetum eſt optimum,item decoctum violarum,lactucæ,hordei,acetoſæ,&c.* Quidam tantum ſentiunt
calorem,vt ipſis dens comburi videatur;quod Aetius ſic curauit:*ſumſit niuem,miſcuit cum melle & oleoro-
ſaceo & tepidum hoc,non actu frigidum,dentibus admouit. Ad eandem intentionem, Auicennas imponit ſuc-*
Dolor e frigore. *cos propoſitos:& caput inungit oleo roſaceo & aceto, vt ſic refrigerato capite, poſtea etiam dentes per conſenſum
refrigerentur.* In dyſcraſia frigida,vtendum contrariis,ſuperius propoſitis: præcipue confert *fomentum e
ſale & milio. Aetius etiam abluit os cum decocto e pyrethro,e roremarino, nigella, calamintha montana,dicta-* D
mno Cret. & aliis. Decoctio fiet in aceto: fieri etiam poteſt in vino, quod calefacit. Vt autem prohibeatur ex-
ulceratio,quam calida hæc facere poſſunt, Galenus vtitur *ſucco roſarum, & permiſcet aliquid lactis,præci-
pue aſinini.* Auicennas probat,ſi dente dolente maſticetur *pyrethrum, luteum oui aſſati, panis calidus ſtatim
ac e furno extrahitur,vnde etiam huius panis euaporatio in dentes prodeſt. Conducunt fomenta e ſale & milio
frixis, & orobo,quæ extrinſecus applicabuntur.* Galenus & Auicennas hoc medicamentum vſurpant: *Mu-
nitis aliis dentibus cera, aut paſta, ſumatur ramuſculus ſchœnanthi, qui igniatur, item pyrethrum in oleo fer-
uentiſſimo excalfactum, admotoque ſpecillo tangatur dens: huius medicamenti, vt cauſſa ſit recondita, iuuat
tamen.*
Dolor e ſiccitate. Si dolor fiat a ſicca intemperie,conferunt humectantia: vt *butyrum, adeps gallinaceus, quibus dentes*
inungantur:os colluatur lacte aſinino,decocto maluæ,fœnugræci,caricarum pinguium. Aſtringentia lædunt vn- E
de a medicamento e moris facto plurimos noxam percepiſſe Aetius ſcribit.
Dolor a materia. Si dolor cauſſatur a materia; conueniunt Reprimentia & Diſcutientia. Reprimentia,ratione mate-
riæ nondum impactæ:vt *decoctum e gallis immaturis,e roſis,e floribus malorum granatorum,ex horum corti-
ce, & hæc decoquantur vel cum poſca,vel cum vino aſtringente,prodeſt item diamorum.* Diſcutientia reſpici-
unt materiam iam impactam;ſuntque calida:quæ in frigida dyſcraſia propoſuimus. Notandum vero,ſit-
ne materia hæc corrupta,an vero alimentaria.Si corrupta & putrida,interdum generantur vermes:ideo-
que occurrendum *ſuffumigio ex allio,porro,ſcordio,radice cucum.agr.colocynthide:magis cõfert vti ſuffumi-
gio,quam his admotis os abluere,quia admodum eſſent ingrata.* Si materia eſt alimẽtalis, vt in dolore pulſan-
te;Galenus probat *nucleum perſicorum, & permiſcet cum myrrha,cum ariſtolochia,puluere iridis, & aliis quæ
ſiccando copioſum alimentum abſumunt* F
Vſus propoſitorum medicamẽtorum. Hæc de remediis:pauca iam de vſu.In affectu frigido,medicamenta ſunt adhibenda calida,in calido
tepida;vitentur enim actu frigida:diſcutientia ſint calida,repercutientia tepida.Vtẽdum his medicamen-
tis & ante prandium,& ante cœnam,4.horis poſt prandium,& quidem pluribus vicibus.
Iuuãtia per ἰδιοσυγκρασίαν. Sunt quædam medicamenta,occulta proprietate agentia,vt *cornu cerui vſtum & tritum: dens canis
mortui,ſi comburatur in furno, & vſtus cum paſta miſceatur:ſenecta ſerpentis,combuſta, trita, cum melle per-
miſta,dentibuſque adhibita:ranunculus admotus brachio e directo dentis dolentis, confert ratione reuulſionis,
quia exulcerat & veſicam excitat.*
Medicamẽta dentem extrahentia. Poſtremo dentis dolor tollitur medicamentis quæ dentem extrahunt: vnde Galenus *pyrethrum
per 40. dies macerat in aceto acerrimo: ſi moram ferre non queamus, pyrethrum aceto incoquatur acerrimo,ad
conſumtionem trium quinctarum, vt ſi ſumantur ℥ x decoquantur ad conſumtionem ℥ vj. ſupra dentem dolen-* G
*tem ponatur. Eodem modo vtitur ſucco tithymali. Aetius vermes terreſtres ſiccat,comburit & aſpergit: & dein-
de limula dentis aliquam portionem tollit: ſed ego magis confiderem in pyrethro.*Licet autem hæc medicamen-
ta non e toto dentem euellant: in cauſſa tamen ſunt, vt facile dein extrahi queat.Diæta medicamentis re-
ſpondere debet.

IV. De perforatione dentium.

A Perforantur dentes a succo erodente. Vitium est manifestum. Indicantur vnientia solutam continuitatem,& exstirpātia illum succum vitiosum. Solutam quidem vnitatem tollere non possumus, at prohibere possumus ne maior fiat. Ergo quoad cheirurgiam, licet accipere ferrum ignitum, & in foramen dentis perforati immittere;quia sic vlceratio non procedit vlterius; prius tamen aliis dentibus prospiciemus,eos pasta vel cera muniendo:vrgente necessitate demum ad hęc confugiendum.Deinde medicamēta debent esse discutientia,& astringentia. Curatio.

V. De mobilitate dentium.

B Mobilitas dentium,oritur secundum Galenum,a caussa Interna, vel Externa. Interna est defectus alimenti,vt in senibus,quod etiam fieri potest in conualescentibus,& in his qui inedia vtuntur:deficiēte enim alimento,dentes minuuntur,& locelli fiunt ampliores. Idem fit ob nimiam humiditatem nerui, qui substernitur radicibus dentium. Fit etiam ob succos & humores abradentes, vt in morbo Gallico. Item ob diminutionem gingiuarum;vel quia abraduntur gingiuæ,vel quia cruentæ fiunt. Externa caussa, est ictus,plaga,&c. Caussa.

Indicatio oritur reficiendi, si est defectus alimenti: siccandi, si neruus humidior: & sic de aliis caussis:præcipue tamen notandum,astringendas esse gingiuas iis: quæ ad firmitatem dentium conducunt. Indicationes.

Hæ indicationes omnes possunt absolui,excepta in senibus alimenti refectione.

Quoad cheirurgiam:si dens mouetur ratione ictus,sicque accidat,vt nimis promineat;limula tolletur prominentia;postea occurretur astringentibus,& reprimentibus,*e rosis,e malicorio*. Si caussa mobili- Prognostica
C tatis sit interna,vt defectus alimenti in senibus & aliis ætatibus;conueniunt tum cibi,tum astringentia. Si neruus humidior;prosunt siccantia:vt *pompholyx,puluis ireos,myrrha,&c.*Si in caussa sint succi vitiosi:cōueniunt discutientia,proposita prius. Si fiat ob imminutas gingiuas,in dolore gingiuarum medicamenta tradidimus.Circa victū notandum,vt homines comedāt liquida non masticent,sed potius sorbeant:quia dentes mobiles difficulter masticant. Curatio.

VI. De hebetudine dentium.

Hebetudo dentium,est affectio manifesta,c.8.l.5.κ. τόπ. in ea nec frigida:nec calida homines ferre possunt. Fit interdū a calore,plurimum tamē a frigore,interdum ob exquisitum sensum:si postremum, Caussæ & signa.
D nec calida,nec frigida ferre queunt:si frigus assit remissum,non possunt ferre frigida, quia frigida intemperies a frigidis læditur: si vero intensus sit vel calor,vel frigus, tunc patiens nec calida, nec frigida potest ferre.Et hoc experimento probatur:Sint enim duo,quorum alter habeat manum frigidissimam,alter frigidam tantum:vterque eodem modo,eodemque tempore, admoueat manum igni, is qui manum habet moderate frigidam,non sentiet dolorem,sed iuuabitur;at qui manum habet valde frigidam sentiet maximum dolorem:nec enim ferre potest contrarium propter summam resistentiam maximæ frigiditatis.

Quoad curam,si fiat a calore,refrigerandum:si a frigore,calfaciendum:si ob sensum exquisitum,refrigerandum & crassefaciendum;nam refrigerantia,sensum minuunt seu obtundunt, incrassantia tollūt tenuitatem,& raritatem dentis,quæ ἀναισθησίας caussa est.Quod si exquisitus hic sensus insit a principiis generationis; difficulter tollitur. Indicationes. Prognostica.

E Galenus & Auicennas, in frigore *vtuntur oleo parato e synapi*:in calore *vtuntur portulaca, caphura. Sed notandum,in sensu exquisito,cum caphura & succo lactucæ misceri debere adstringentia.* Medicamenta.

De nigrore dentium.

Per nigrorem intelligimus colorem nigrum,non liuidum,qui fit ob copiam alimēti in dolore pullante.Nigredo dentium oritur ob succos vitiosos,qui in superficie hærent.

Tollitur autem *puluere cornu ceruini, aristolochiæ, & ossium sepiæ, quo multoties fricandi dentes:deinde lima abradendi,deniq; abluendi vino odorato. Ita & dentes redduntur nitidi,& oris halitus commendatur.*

CAPVT LIV.

De Faucium affectu, qui Angina dicitur.

F Agemus hoc capite de exquisita angina:de qua etiam Galenus loquitur;c.1.lib.4.de loc. aff. Ideoque considerabimus anginam,tanquam affectum inflammatorium.Ac proinde,si vel ad asperam arteriam,vel ad œsophagum descendat catarrhus,seu materia pituitosa: angina illud vitium statui non debet. Veruntamen de exquisita angina ita loquemur,vt,quid notha,seu spuria sit,inde quoque elucescat. Nomen.

Ad generationem exquisitæ anginæ,necessarium est,vt sanguis in fauces cōfluat,& ita suscipiatur,vt meatus ad fauces pertinentes comprimantur,adeo vt hinc difficilis fiat tum respiratio,tum deglutitio. Generatio.

Quare angina exquisita,est compressio faucium,procedēs ab inflammatione.c.5.l.4.de loc.aff. com. 18.lib.3.prognost.com.10.l.4.de vict.aph.34.sect.4.aph.21.16.sect.3.aph.53 sect.2.l.1.prorrhet.c.20.l.4.de causs.puls.com.30.l.4.de rat.vict. Definitio.

G Forma est compressio,quæ est species angustiæ:nam angustia prædicatur de subsidentia,de coalescētia,de constipatione,de obstructione,& de compressione: quæ differentia hic explicanda non est,sed supponenda;proponitur a Galeno in l.de diff.morb.Loco igitur formæ statuimus compressionem: ratio patebit e caussa efficiente. Quamuis hæc definitio non prorsus est formalis:nam in angina necessario læditur respiratio:vt angina formaliter potius sit symptoma,quam morbus,seu compressio. Nos autem curationis gratia tradidimus per morbum,per caussam efficientem,sed non admodum remotam.Ideoque hęc definitio est caussalis,non formalis. Forma.

A

Locus affectus. Subiectum, ſunt fauces: per quas intelligimus illam capitis partem, quę cōſtituta eſt e gula, & larynge, id eſt, principio tracheiæ arteriæ: ſiquidem in angina vt plurimum vtraq; pars afficitur, licet modo hęc magis, modo illa.

Cauſſa efficiens. Cauſſa efficiens, eſt inflammatio: qua angina exquiſita, a notha diſtinguitur: quemadmodum per ſubiectum, diſtinguitur angina ab inflammatione glandularum iuxta linguam. Per hanc etiam cauſſam, diſtinguitur ab œdemate, & ſcirrho; qui tumores ſi quandoq; fauces occupent, non eſt angina exquiſita, ſed notha. Præterea, ex hac cauſſa illud etiam colligitur, anginæ anguſtiam eſſe compreſſionem, non obſtructionem: nam dum inflammatione afficiuntur muſculi, ſpectantes ad fauces; eſt neceſſarium, vt meatus ad fauces pertinentes anguſtentur: vnde hæc anguſtia eſt compreſſio, quia fit ab inflammatione. Huc ergo reſpiciens Galen. com. 20. l. 4. de ratione vict. ait, anginam eſſe inflammationem, vt inflammatio ſit B anginæ genus: nam indicatio ex vſu, non ſumitur ab anguſtia, vel compreſſione, ſed ab inflammatione. Et hinc patet anginam, procedentem a luxatione vertebrarum colli, non eſſe legitimam: niſi forte ad luxationem vertebrarum ſubſequatur inflammatio. Porro, cum inflammatio fit tumor ſanguineus: per ſanguinem poſſumus intelligere, & bilioſum, & pituitoſum, & melancholicum. Exquiſitiſſima tamen angina eſt, quæ fit a ſanguine feruente & bilioſo. Cauſſa generans ſanguinis bilioſi, eſt hepar calidius. Cauſſæ fluxionis ſanguinis explicatę ſunt in phrenitide: fluit enim ſanguis quandoque per modum Attractionis, veluti ſi fauces plus iuſto calefiant, aut dolore afficiantur; quandoque fit fluxio per Tranſmiſſionem, ſi fauces ſint imbecilles, laxæ, aptæ ad ſuſcipiendum.

Differentię. A forma non ſumuntur differentiæ, niſi ſecundum Magis & Minus: quia omnis angina exquiſita eſt C compreſſio. A ſubiecto ſumuntur differentiæ, notatu dignæ, quæ maxime conferunt ad prognoſticum, & curationem, de quibus Gal. loquitur, com. 18. l. 3. prognoſt. c. 5. l. 4. de l. aff. aph. 34. ſect. 4. Subiectum, ſunt fauces; quæ pertinēt ad guttur, & ad œſophagum ſeu gulam. Fauces ergo interdum magis ſunt inflammatæ ſecundum Guttur, interdum ſecundum Oeſophagum. Si inflammatio magis afficit guttur; pertinet ad partes gutturis, vel Internas, vel Externas. Si ad internas, verbi gratia, quando afficiuntur illi muſculi, qui laryngem mouent, ad vocem efficiendam, fit Cynanche. Si inflammatio occupat potius externos gutturis muſculos, fit Paracynanche, quæ via eſt ad cynanchen, quia inflammatio muſculorum externorum, niſi diligens medicus proſpiciat, progreditur ad muſculos etiam internos. Si inflammatio magis afficiat gulam, inflammari poſſunt muſculi Interni, vel Externi. Si interni, dicitur Synanche. Si externi, vocatur Paraſynanche. Quoad cauſſam efficientem, cum ſit inflammatio, poteſt hæc inflammatio eſſe tumor vel Bilioſus, vel Pituitoſus, vel Melancholicus. Angina quidem, quæ fit a pituita, eſt notha: ſed quæ fit a ſangui- D ne pituitoſo, eſt exquiſita, verum non exacte. Quomodo autem detur vitium, exacte vel nō exacte exquiſitum, in doctrina de febribus dicemus. Sumuntur etiam differentiæ, vt ſanguis in angina efficienda fluit, per modum vel Attractionis, vel Tranſmiſſionis.

Signa. Vitium hoc in genere facile cognoſcitur: quia ægrotantes euidenter conqueruntur de anguſtia circa fauces, vnde impeditur & deglutitio & reſpiratio: præterea hæc anguſtia non eſt ſine dolore. In œdemate, & proinde in angina notha, eſt anguſtia, ſed ſine dolore; quia hæc materia non habet illum impetū, vt ſoluat continuum. Sed in exquiſita angina, quomodocunque ſanguis fluat, ſiue per attractionem, ſiue per tranſmiſſionem, eo fluit impetu, vt ſoluat continuum, & dolorem excitet: quia ſanguinea materia eſt calida. Præterea in angina exquiſita neceſſario eſt febris. & quidem continua: ſi autem ſit notha, non ne- E ceſſario eſt febris. Formales differentiæ facile cognoſcūtur, num compreſſio ſit inſignis, vel remiſſa: prout ſcilicet ægri magis vel minus conqueruntur de anguſtia. Quoad differentias a ſubiecto: ſi ſit cynanche; vbi ſcilicet affecti ſunt muſculi interni; cognoſcitur, quia adeſt orthopnœa, non poſſunt ſpirare, niſi recta ceruice, quoniam difficilima eſt reſpiratio: dolor eſt admodum acerbus: præterea in partibus externis non cernitur aliqua mutatio in colore, quia malum eſt intus. In paracynanche, dolor non eſt ita acerbus; neç reſpiratio ita difficilis, vt in cynanche: præterea circa ceruicem apparet aliquis tumor: compreſſa ceruice, dolor exacerbatur, quia inflammati ſunt muſculi externi. Synanche cognoſcitur; quia adhuc minor eſt reſpirationis difficultas, quam in paracynanche: ſed deglutitio maxime difficilis fiet, vt vix poſſit aqua permeare. In paraſynanche deglutitio quidem erit difficilis; ſed multo minori difficultate fiet reſpiratio: præterea rubedo apparebit in ceruice: præſentietur dolor, loco contrectato, quia inflammatio extra vergit. Quoad cauſſas efficientes: facile cognoſcetur, an ſit ſanguis bilioſus, an pituitoſus, an melan- F cholicus, e propriis ſignis: verbi gratia, ſi ſit ſanguis bilioſus; dolor erit admodum intenſus, ſenſus caliditatis vehementiſſimus, febris inſignis, ardentiſſima, &c. Facile etiam cognoſcetur, num fluat per modum attractionis, vel tranſmiſſionis; vt in doctrina de phrenitide diximus. Verbi gratia, ſi ante anginam prægreſſus eſt in ceruice dolor, vel aliquis calor; iudicandum eſt, fluxam eſſe materiam, per modum attractionis: ſin minus, per modum tranſmiſſionis.

Indicationes. Indicationes deſumendæ ab his quæ ſunt ex vſu: quare pro vario ſanguinis peccato, variæ haurienda ſunt indicationes: verbi gratia, bilioſus ſanguis & calidus, indicat refrigerantia. Præterea in phrenitide diximus de reprimentibus & aliis. Nec hic repetenda ſunt fruſtra.

Prognoſtica. Malum hoc periculo non caret; quia afficitur locus deglutitioni deſtinatus, & ſpiritui: præterea eſt G annexa febris cōtinua, quæ maxime calori innato aduerſatur, vt omnes actiones naturales lædantur. Quare ſi mitior occurrat angina, non parui ea eſt facienda: quia niſi medicus diligenter progrediatur, lethalis euadere poteſt. Quoad differentias: varie prognoſticandum. Quoad compreſſionem: quo compreſſio eſt vehementior, eo magis timere oportet. Similiter cynanche eſt peſſimus affectus, vt ante quartum interficiat, quandoque eodem die: ſecundum Galenum, com. 16. 17. 18. l. 3. prognoſt. & vt dicam, quod ſentio, ferme omnes moriuntur. Minus eſt periculum in paracynanche, quia afficiuntur muſculi externi; vnde hæc ad ſa-

com. aph. 12 ſect. 1.

A ad ſeptimum protrahitur:interim tamen & ipſa ſatis eſt periculoſa. Synanche adhuc minus eſt periculo-
ſa, quam paracynanche; quia reſpiratio minus læditur, licet in ſynanche maxime lædatur deglutitio, vt
nec aqua permeare poſſit:at ſine cibo aliquantiſper manere poſſunt homines, ſine reſpiratione non poſ-
ſunt:& hoc eo magis, quod in angina maxima eſt reſpirationis neceſſitas, cum propter febrem augeatur
neceſſitas euentandi calorem cordis. Omnium minime periculoſa eſt paraſynanche; quia parum læditur
reſpiratio & deglutitio;eſt quidem læſa deglutitio,ſed non eſt ablata;nam potio poteſt permeare. Quoad
cauſſam efficientem: ſi fiat a ſanguine melancholico,ſeu atrabilario;actum eſt. Si a ſanguine pituitoſo;
poteſt quidem tolli,ſed eſt diuturnior. Tandem,notandum:ſi in angina tanta ſit reſpirandi difficultas, vt
B per os ſpuma erumpat;nunquam curationem eſſe aggrediendam,ſed cito futuram mortem prædicendã:
ſignum enim hoc lethale eſt. Hæc ſpuma eiuſdem eſt naturæ,& eaſdem habet cauſſas, quas etiam habet
ſpuma in apoplexia.

Venæſectio conuenit;quia ſanguis habet rationem cauſſæ principalis: nam inflammatio eſt affectus Cheirurgia
ſanguineus: attamen, prout magis vel minus ſanguinea eſt inflammatio,pro eo etiam ſanguis in maiori
vel minori quantitate eſt educendus. Celerrime autem in angina ad venæſectionem confugiendum, dũ-
modo aſſunt permittentia:nam in hoc morbo ſanguinis præſentiam cõſequitur inſignis vehementia ſan-
guinis;læditur enim reſpiratio:ſine qua vita conſiſtere nequit. Quoad vbi agendum:in angina ſanguis re-
dundare ſolet in toto,in capite,& in faucibus:quare ratione ſanguinis in toto exſiſtentis, ſecanda eſt vena
cubiti,& magis quidem cubiti,quam pedis;quia per venam cubiti non modo vacuatur ſanguis in toto ex-
C ſiſtens,ſed aliqua etiam fit deriuatio a faucibus:vt expediat etiam ſecare venam magis proximam, ſcilicet
cephalicam,quoniam etiam ad caput reſpicimus. Deinde propter ſanguinem,ſubſiſtentem in capite, ex-
pedit ſecare venam capitis,& applicare hirudines poſt aures. Poſt accedendum ad locos magis proximos,
& aperiendæ venæ narium. Tandem aperiendæ venæ ſub lingua. Non tamen in quolibet ægro ita proce-
dendum;ſed pro neceſſitate. Nam ſi per venæſectionem inſigniter minuatur malum,non debetis crucia-
re ægrotantes:vbi autem malum eſt cõtumax,dicto modo procedẽdum. His adminiſtratis,ſi malum ver-
gere videtur ad externas partes,adiuuanda eſt materia,& ceruici cucurbitulæ ſcarificatæ applicandæ: quã-
do enim reliquæ ſanguinis euacuationes ſunt adminiſtratæ, maxime confert mouere ſanguinem ad cir-
cumferentiam:vnde Galenus dixit,aphoriſm.37. ſect. 6. bonum eſſe,ſi tumor extra appareat: Et ſic ma-
teria ad circumferentiam attrahenda. Ego in hoc caſu nihil dico de ſectione illius partis, quia his
D temporibus deſiderantur, qui ſciant operari. De cucurbitulis, quibus vti licet loco venæſectionis,alias
diximus.

Medicamenta reſpiciunt totum & fauces. Totum reſpicientia ſunt, quæ vacuant humorem in cor- Pharmacia.
pore peccantem,ſiue ſit pituita,ſiue bilis, ſiue melancholia. Et in hoc malo oportet feſtinare; quia ſum-
ma eſt vehementia humoris, impetum ad fauces habentis;vnde læditur reſpiratio, & mors imminet. Mea
igitur ſententia,magis poteſt hæc materia,quatenus auget tumorem faucium, quam poſſit materia furio-
ſa. Materia enim furioſa,eam ob cauſſam vacuanda eſt ante coctionem; quia periculum eſt, ne petat par-
tem principalem,& ſic mortem inferat. Sic & in angina imminet mors, quia læditur reſpiratio. Quare
in praxi obſeruandum, vt electiue educentia, ilico poſt ſanguinis euacuationem propinentur, non ante.
Verum,quando cynanche eſt cum ſynanche,id eſt, quando tumor detinet fauces,& ſecundum guttur, &
E ſecundum gulam,vt difficilis admodum ſit reſpiratio & deglutitio: tunc non eſt dandum pharmacum,ſed
clyſteribus acrioribus vtendum: verbi gratia in angina bilioſa hoc modo. *℞. decocti maluarum, centaurii
minoris,&c.* ℔. *j. elect. de ſucco roſ. (nam ſcammonium recipit)* ℨ *iij. mellis roſ.* ℥ *ij. ol. communis* ℥ *iiij. ſalis cõ-
munis* ℨ ß. *Miſ. pro clyſmo.* Multo acrior debet clyſter,ſi angina ſit pituitoſa. Si tantum cynanche infeſtet,
vt difficilima quidem ſit reſpiratio,ſed deglutitio non ſit ablata; detur pharmacum in potu, non in bolo,
verbi gratia in angina bilioſa hoc modo. *℞. rhab. el.* ℈ *iiij. fiat infuſio in decocto fructuum, & facta diligenti
expreſſione adde mannæ opt.* ℥ *iij. Miſ. fiat potio breuis.* Poſt hanc portionem detur *ſeri lactis caprini a* ℔. *j. ad*
℔. *ij. Potione equidem vacuatur bilis:vt autem vacuatio fiat citra inſignem caliditatem corporis,quia adeſt fe-
bris, exhibetur ſerum lactis. Nec præter rationem eſt in tali angina, etiam ſequenti die ſerum ad* ℔. *iij. vel iiij.
exhibere.*

F Quoad topica: inter initia licet vti reprimentibus,ne inflammatio augeatur:& propterea *ſuccus mo-* Localia.
rorum maxime probatur,vnde diamoron in vſu eſt. Et poſſumus ſuccum mororum, vel etiam diamoron diſſol- Reprimentia.
*uere cum aqua roſacea,plantaginis,cum aqua potulacæ. Deinde vero poteſtis addere nonnihil ſapæ, vt mitigetur
etiam dolor:poſtea nonnihil ſacchari ad detenſionem: & præterea poteſtis adſcendere ad vſum mellis. Et maxime
ſolet conferre medicamentum illud e nucibus: & poteſtis inter initia miſcere ſuccum malorum granatorum, cy-
doniorum.* Vrgente neceſſitate,quando obſeruatur inſignis fluxus,non ſolum *ad rhu opſoniorum, ompha-
cium,ſed etiam ad balauſtium,malicorium,ad hypociſtidem,acaciam aſcendendum.* Sed his nõ vtendũ ſince-
ris:permiſceri debent *glycyrrhiza,iuiubæ,paſſulæ,caricæ,&c.* Notandum,in angina quandoq; dolorem eſ-
ſe acerbiſſimũ,cuius ratione maxima poteſt fieri attractio: propterea ad hũc mitigandũ,medicamentum
non tantum fieri debet *e iuiubis, fœnugræco, paſſulis,ſapa, &c. ſed aſcendendum etiam eſt ad ſerum lactis, &
G vrgente neceſſitate, ad ipſum lac. Sed ægrotantes hæc non deglutiant,verum in ore detineant, & exſpuant. Adde-
re etiam licet ſemina papaueris albi, quorum* ℥ ß. *miſcenda cum ſero, vel etiam cum lacte.* Et his potiſſimum
vti licet in angina bilioſa. Si autem ſit pituitoſa;locum non habent hæc vehementer repellentia:verũ *dia-
moro poſſumus addere decoctum e nucibus cupreſſi.* Et poſtea oportet ſenſim aſcendere ad reſoluentia; qui-
bus vti licet in quacunque angina. Nam ſicut Galenus, cap.20. lib. 13. meth. in diſſolutione materiæ iiſ- Reſoluentia.
dem vtitur medicamentis,tam in phrenitide,quam in lethargo:ita nos in qualibet angina,iiſdem vti poſ-
ſumus reſoluentibus. Quare ægri in ore detineant medicamentũ,confectũ *e caricis, e fœnugræco, e mulſa cũ*

origano, cum hyssopo, thymo, calamintha montana, pulegio, &c. his enim vti licet, pro resolutione materiæ. Præ- A
terea extrinsecus ad ceruicem medicamentis vtendum, non quidem reprimentibus, nam interficeretur æger; sed hoc, vel simili, tuto inter initia vti possumus: *℞ flor. cassiæ nuper extr. ℥ iij. sapæ ℥ ß. caricarum ℥ ij. ol. amygd. dul ℥ j. Mis. & applicetur: dolorem enim mitigat citra repercussionem. Ad idem propositum possumus applicare panem, decoctum cum lacte: & possumus addere oui vitellum: ita enim dolor mitigabitur.* Procedente malo, oportet etiam ad discutientia ascendere: & si dolor vrgeat, hoc modo medicamenta miscere possumus: *℞. sapæ (ratione doloris) floris cassiæ nuper extr. an. ℥ iij. nidi hirundin. ℥ vj. (ratione resolutionis: solet esse admirabile medicamentum) Mis. fiat emplastrum, & applicetur.* Procedente malo, non contenti sitis solo nido hirundinis: sed cum eo misceatis resoluentia, quæ fuere proposita, *vt sunt ruta, pulegium, &c. Maxime probatur cinis cochlearum, cancrorum. Sumantur horum cinerum ℥ ij. nidi hirundinis ℥ vj. ace-* B
ti, vel mellis scillitici ℥ ß. & cum oleo resolutiuo fiat medicamentum. Probatur etiam ceratum sacrum, cerinũ, & similia resoluentia. Vrgente necessitate, opus est confugere ad sinapismos, quibus materia vocetur ad partes externas.

Instrumentum ad faciliorem deglutitionẽ cõparatum.

Quoad victum. Cum ægri deglutire nequeunt, cannula immittenda intra gulam, vt fiat cibariorum deglutitio. Sed quando adest inflammatio in illa parte; nimis irritatur. Propterea consulo, vt non, nisi maxima necessitas vrgeat, ad cannulam hanc confugiatis. Probo magis, vt paretur aliquod instrumentum, ad modum fistulæ, quod imponatur prope œsophagum: & præterea assit vesica, munda, repleta potione nutriente, & hæc vesica sit apposita fistulæ, vt in clysmis fieri solet: post impetu quodam vesica comprimatur, vt etiam cum impetu potio illa deducatur ad œsophagum. Quosdam desperatos, ob famem e deglutitione ablata, fistulæ huius beneficio restitutos vidi.

FINIS LIBRI PRIMI.

PRA-

B

PRACTICÆ MEDICINÆ Liber Secundus;

DE THORACIS, ET PARTIVM EO CONTENTARVM AFFECTIBVS.

C

CAPVT I.

De Tussi morbosa.

IN morbis tractandis ordine resolutiuo vti solemus: nam gratia finis versamur circa nomen, essentiam, species & signa: gratia autem principiorum, quibus finem assequi licet, agimus de indicationibus, prognostico, & de materiis præsidiorum. Quātum ergo ad vitia attinet ventris medii, seu thoracis; agemus de Tussi morbosa, de Asthmate, de Pleuritide, Empyemate, Peripneumonia, Sanguinis sputo, Phthisi,
D Palpitatione cordis, & Syncope.

[Methodus explicādorum affectuum: de qua & supra, c.1.l.1.]

Tussis a Græcis βήξ dicitur. Estque alia Morbosa, quæ procedit a caussa aduersaria expultrici: alia Non morbosa, quæ fit concurrente sola voluntate, citra expultricis molestiam. Nos in præsentia de morbosa dicemus: in qua euidenter admodum & efficaciter fit strepitus; ad differentiam illius accidentis, quod præcedit tussim, & κέρχνος dicitur: quod vitium respondet nauseæ, quæ vomitus est πρόδρομος c.4.l.2. de caus. sym. Κέρχνος enim est leuis impetus tussiendi, & differt a tussi secundum minus. Sic ergo de tussi loquemur, vt etiam pateat quid sit agendum circa κέρχνον.

[Nomen.]

Sed priusquam tradatur definitio; cognoscendum est, primo, quæ sit morbi natura: secundo quomodo fiat tussis morbosa. Quoad primum, vt sciatur quænam sit morbi essentia: oportet intelligere, quonam modo fiat operatio secundum naturam; & quomodo ratione morbi lædatur operatio. Quare dico, ad edendum operationem, potissimum tria, & ea quidem necessario, concurrere: vnum est, quod præci-
E puum locum sibi vendicat, & præcipuus operationis est auctor; nimirū Facultas, quæ concurrit, vt QVO. Alterum est Suppositum, quod concurrit vt QVOD: quo sensu Philosophus dixit, non pupillam videre, non visum, sed oculum totum. Tertium est id, quod gratia operationis concurrit, vt CVM QVO, id est, vt instrumentum, (non vt principale agens, quod est anima) vt instrumentum præcipuum (ad differentiam non præcipui) quod nihil aliud est, quam constitutio, (ad differentiam calidi innati.) Hinc sequitur, vt dum bene habent hæc tria, bona fiat operatio, neque sit operatio læsa propter morbum: contra, vt actio euadat morbosa, necesse est, vt hæc tria male habeant. Primum quidem, quoad facultatem; necessariū est,
si debeat lædi. vt frustretur: ita tamen vt hæc frustratio necessario pendeat a vitio & suppositi & instrumēti; ad differentiam frustrationis facultatis, dependentis ab errore externo; quia tunc nō est morbus. Quare facultas frustratur & læditur, (quamuis proprie loquendo, facultas lædi nequeat, quia non suscipit magis
F & minus) dum eius frustratio non dependet ab errore externo, sed a vitio suppositi, & instrumenti, id est, constitutionis. Vt morbus, formaliter acceptus, sit læsio facultatis, seu impotentia facultatis ad agendum: & hac ratione formaliter omnis morbus est in secunda specie qualitatis. Quoad suppositū, quod concurrit, vt QVOD; necessarium est, vt male afficiatur: nam suppositum bene affectum, bene operatur, vbi est intra limites sanitatis. Quare, cum sanitati opponatur ægritudo, est necessarium, vt male sit dispositum. Ergo ratione suppositi, omnis morbus est dispositio præter naturam. Et hoc modo omnis morbus est in prima specie qualitatis. Quoad instrumentum, quo mediante agit suppositum, aut suppositi facultas; cum hoc instrumentum sit suppositi constitutio: sicuti, dum constitutio est secundum naturam, bona editur operatio: ita, dum est præter naturam, læditur operatio. Quare ratione instrumenti, præcipui, omnis morbus est constitutio præter naturam. Sed hoc loco notandum, constitutionem esse genus quoddam subal-
G ternum. Generis autem subalterni natura, cum seruetur in natura suorum analogatorum; fit vt constitutio, quæ consistit in temperie, pertineat ad qualitatem; quę in compositione, ad magnitudinem, ad numerum; & secundum hanc rationem constitutio dirigitur ad prædicamentum quantitatis. Sicut ergo omnis morbus, ratione facultatis & suppositi est in prædicamento qualitatis: ita ratione instrumenti, id est, constitutionis, modo est in qualitatis categoria, modo in aliis. Hinc fit, vt varie morbus definiri queat. Nā ra-

[De morbi natura, in genere.]
[Operationis tres caussæ.]
[Operatio tribus læditur.]
[1.]
[2.]
[3.]

Morbus varie definiri potest pro varia consideratione laesae operationis.

tione facultatis, morbus est læsio facultatis: ratione suppositi, morbus est dispositio præter naturam: ratione instrumenti, morbus est constitutio præter naturam. Notandum autem hæc tria ita se habere; vt læsio facultatis, & dispositio præter naturam, pendeant a constitutione præter naturam; non cõtra: & propterea tantum cõstitutionem, non læsionem facultatis, non dispositionem præter naturam esse morbum, ex vsu indicantem vtile. Non tamen hoc est statuendum de omni cõstitutione præter naturam: nam obstructio, verbi gratia est constitutio præter naturam non tamen ex vsu; quia sublata obstructionis caussa, ilico obstructio tollitur. Et hoc significauit Gal. c. 1. l. 1. de loc. aff. inquiens, dari morbos vsque adeo solutu faciles, vt quamprimum tollitur caussa efficiens, ilico euanescat morbus. Hinc facile colligitur, constitutionẽ esse caussam continentem (de qua tot nugas proferunt multi) & læsionis facultatis, & dispositionis præter naturam. Quamobrem, necessario morbus fit, quoniam facultas læditur: læditur autem facultas, quia suppositum male disponitur: Suppositum autem male disponitur seu afficitur, quoniam eius organum læditur, B quoniam redditur præter naturam suppositi constitutió. Morbus ergo formaliter est læsio facultatis. Si definiatur effectiue, & primum non ex vsu, id est, vt non indicet vtile; est dispositio præter naturam. Quod si definiatur effectiue: sed ex vsu; est constitutio præter naturam.

Τὸ συνεκτικὸν αἴτιον.

Generatio tussis.

Quomodo porro efficiatur tussis, colligitur e Galeno c. 7. l. 4. meth. c. 5. & 4. l. 2. de sym. caus. Cũ igitur tussis significet strepitum quendam, formatum in larynge, ob aerem percussum a larynge, beneficio musculorum: sciendum est, hunc nõ esse quemlibet aerem, sed eum, qui a pulmone in laryngem effertur, & vi violentia quadã impellitur: impellitur autem ab expultrice pulmonis, vt pulmo est destinatus & attractioni & emissioni aeris. Quare dum pulmo virtute sua expultrice aerẽ expellit, duo requiruntur: scilicet musculi, & id quod irritat expultricem. Musculi quidem necessarii sunt; quia pulmo ad tussim efficiẽdam impellit aerem per arterias, per tracheiã, quæ cum sit cartilaginea non potest ita constringi, vt noxa per arteriã C vehementer commotum expellatur: ideoque hæc agitatio sine musculis fieri nequit. Sed oportet etiã esse irritans, seu molestans; quod agit in pulmones, præsertim secundum asperas arterias, & potissimũ secundum asperarum arteriarum membranas, quatenus hæ membranæ sunt sensus participes. Fit ergo tussis, quoniam aer, vi efflatus, impellitur a pulmonis expultrice, irritata, & adiuta a musculis.

Definitio formalis.

Quare tussis formaliter ita definiri potest: quod sit vox, dependens a larynge, aerem vi efflatum percutiente. Nam vox, vt sonus, est motus aeris percussi: ideoque sonus in larynge, est motus aeris, sed vi impulsi, seu efflati. Quare forma in hac definitione, est vox, seu sonus, seu motus. Subiectum, est aer, vi efflatus. Caussa efficiens, est larynx percutiens. Verum hæc formalis definitio potius pertinet ad philosophos, nec est ex vsu, id est, non indicat vtile. Propterea tussis effectiue ita est definienda: quod sit efflatio violenta D tracheiæ pulmonis, dependẽs ab expultrice, adiuta a voluntate, & irritata; vt irritãs expellatur. Porro caussa finalis hic apponitur; quia, licet agamus de tussi morbosa præter naturam, accidit tamen interdũ vt hæc sit vtilis. Idem enim statuit Galenus c. 3. l. 5 loc. aff. vbi ait, tussim esse accidens naturale, non quod sit secũdum naturam, sed quod sit symptoma spectans ad facultatem naturalem: nam per tussim expelluntur quæ sunt infesta: sicuti etiam expelluntur per sternutamentum, per singultum, per nauseam. Et huc etiam quadrat, quod c. 17. lib. 2. simpl. dicitur; tussim esse passionem ingenitam caussa salutis, vt quæ guttur infestant, expellantur. Gratia ergo huius vtilitatis proposuimus caussam finalem. Ceterum, in finitione etiam diximus, tussim esse efflationem violentam. Sic cap. 3. lib. 2. de sympt. caus. tussis dicitur, exitus aeris incitatus: & cap. 4. lib. eiusd. dicitur vehementissima efflatio. Et com. 12. sectio. 1. lib. 1. epid. dicitur, tussim fieri a spiritu concitato, vehementer impulso. Sed cum efflatio sit symptoma, & quidem actio; necesse est, vt pertineat E ad aliquod membrum: quare in definitione diximus; tracheiæ, seu asperæ arteriæ. Addimus, pulmonis: nam Galenus cap. 5. lib. 2. de sympt. causs. ait, musculos vehementer se iniicere pulmoni, vt multam, celerem, seu vehementem moueant efflationem. Et cap. 10. lib. 2. de crisibus dicitur, pleuram, quæ vicina est pulmoni, huic communicare affectionem, vt fiat tussis. Patet igitur tussim pertinere ad pulmones: non tamen ad quasuis eius partes, sed ad asperas arterias. Hinc Galenus aphor. 46. sect. 6. dixit: si tubercula in pectore, in pulmone exsistentia, nihil emittunt, fieri difficilem respirationem: si autem hæc tubercula aliquid emittant ad asperas arterias, tunc fieri tussim. Et cap. 8. lib. 7. de vsu part. ait: si sanguis effundatur ex arteriis læuibus in asperas, fieri tussim. Hoc modo etiam alia Galeni loca intelligenda sunt. Dum enim c. vlt. l. 4. loc. aff. dicit, in hepatis inflammatione tussim fieri: sciendũ, tussim excitari tunc, quando ab hepate caliditas, vel vapor impetitur pulmoni. Sic c. 5. l. 4. loc. aff. dicitur; sanguinẽ, guttur irritantẽ efficere caussare F tussim: scilicet quatenus per medium guttur pulmo afficitur. His & Auicennas assentitur, inquiens, tussi expelli nocumenta a pulmone: & addit; præter pulmonem alia etiam esse membra, sed cõmunicantia pulmoni, cum tussis fieri nequeat, nisi vitium communicetur pulmoni: quare concludit, tussim fieri affecto pulmone, vel primario, vel per consensum.

Forma.

Subiectum.

Definitio effectiua.

Finis.

Caussæ: 1. expellẽtes, seu mouentes. Facultas expultrix.

Sequitur in definitione: dependens ab expultrice. Nam statuimus, in tussi efflationem illam violentam esse actionem facultatis expultricis. Vnde Galenus comm. n. vlt. lib. 3 de iis, quæ in officin. med. ait; tussim esse motum præter naturam facultatis naturalis; ad differentiam vitalis: & quidem, expultricis pulmonis & pectoris. Addit cap. 4. lib. 2. de caussis sympt. hanc facultatem expultricem esse vnam e facultatibus naturalibus. Et cap. 6. dicit, expultricem, ob vehementem motum se concitare in tussi vehementer; ita vt tussis sit motus quidam expultricis, sed validus. Sic etiam Auicen. ait, tussim esse e motibus, quibus natura G expellit, quod contristat. Postea in definitione diximus: adiuta a voluntate. Nam Galenus c. 4. lib. 2. de sym. caus. statuit, musculos pectoris concurrere ad tussim, dum contrahunt pulmones. Et l. 5. de loc. aff. ait: tussim excitari a validissima & celerrima thoracis constrictione. Et c. 8. l. 4. de loc. aff. ait: sine vehementi thoracis constrictione, tussim effatu dignam non fieri. Et com. 45. lib. 2. progn. ait, tussis caussam principalem esse duplicem; vnam esse id, quod habet initium motionis; significans facultatem voluntarie motricem, quæ

Musculi pectoris.

A quæ vna est e principalibus caussis, siquidem per violentam thoracis constrictionem, spiritus foras pellitur, & secum materiam educit. Ergo prima caussa e principalibus, est facultas mouens, nō spiritus, vt male quidam in margine notant, qui profitentur Græcas literas, interim tamen Galenum tantum in superficie intelligunt. Notandum, quod Auicennas dicit, facultatem hanc motricem, spectare ad musculos pectoris, & ad septum transuersum. De musculis pectus contrahentibus, difficultas non est: sed de septo.

Num diaphragma ad tussim faciat.

Hoc ergo, licet non contrahat pectus, sed tantum dilatet; attamen conducit ad tussim: quia dum fit dilatatio, attrahitur & inspiratur copiosus aer, per septum; qui sic copiosus attractus, mox per contractionem copiosus etiam excernitur; & sic in caussa est, vt tussis vehemens fiat. Qua de re legatis etiam interpretes Auicennæ. Ceterum thoracis musculi, alii sunt superiores, alii intercostales. E superioribus concurrunt quinctus & sextus musculus.

Quinam musculi ad tussim concurrant.

B Ex intercostalibus, qui pertinent ad costas exquisitas; exteriores musculi non concurrunt ad tussim, sed interiores: at exteriores, qui spectant ad costas nothas, auctores sunt contractionis, & proinde tussis. Addit Galenus cap.15.lib.5.de vs.part.musculos abdominis; qui & ipsi sunt auctores motus voluntarii. Præterea diximus, irritata: nam expultrix non sponte concurrit, sed irritata.

2. Caussę irritantes.

Vnde Galenus cap.4.lib.2.de symp.causs.ait; tussim esse motum facultatis naturalis, quæ cogitur a caussa morbifica. Quod etiam proponit cap.3.& 6.l.eiusd. Et comment.43.lib.2.progn.ait; principalem caussam esse materiæ vitium, quod irritat expultricem. Postremo diximus: *vt irritans expellatur.* Hinc enim distinguitur morbosa tussis, a non morbosa. Vnde Galenus cap.4 lib.2.de symp.caus.ait: in tussi propelli materiam, vias obstruentem: idemque ait, com.3.sect 5.lib.6.epid.aph.2.sect.4.cap.7.lib.2.simpl.medicament. Porro caussa irritans, secundum Auicennam, est Interna, vel Externa. Interna est vel Cōiuncta, id est, immediata, vel Antecedens, id est, mediata. Coniuncta caussa, secundum Auicennam est effectus caussæ corporeæ,

C id est, effectus materiæ morbificæ: qui effectus, vel est Intemperies, vel Solutio vnitatis, vel Compositio morbosa.

Dyscrasia.

Intemperies, est calida, vel frigida, vel humida, vel sicca; vel sine materia, vel cum materia, & potest esse cum qualibet materia sanguinea, biliosa pituitosa, & melancholica. Hic Auicennas non proponit materiam purulentam: quia cognouit, propositas materias posse in pus mutari. Deinde notandum, quod Auicennas statuat, intemperiem humidam sine materia, caussam tussis esse posse. Licet enim non soluat continuum; quia tamen morbosa est, & proinde infensa, potest caussa esse, non quidem doloris, quia nondum fit solutio vnitatis, sed alicuius tristis sensationis: quemadmodum etiam contingit, vt ratione grauitatis, materiæ aggrauantis, fiat sensus grauitatis, non dolor; quia materia aggrauat & contristat, citra solutionem vnitatis. Eodem etiam modo, humida intemperies sine materia, quatenus noxa, potest esse caussa tristis sensationis, vt expultrix insurgat ad expellendum, sed citra solutionem vnitatis. Postremo notan-

D dum, per intemperiem, esse intelligendam intemperiem inæqualem; vt proponit Galenus c.4.l.2. de sym. caus.& cap.8.l.4.loc.aff. Vt plurimum autem caussa tussis, est intemperies frigida: vnde Galenus ait, c.13.l.5.meth. tussim fieri, refrigeratis instrumentis spiritus: & recte quidem: nam cap.4.lib.2.de sympt.causs.ait, si soli musculi afficiantur, non fieri tussim, sed eam affectionem, quę dicitur κέρχνος. Sed notandum, si tussis fiat ab intemperie sine materia, eam vocari tussim siccam, seu aridam, sicut etiam nuncupat Galenus com.12.sect.1.l.2.epid.& aph.54.sect.4.

Tussis sicca.

Dicitur autem tussis sicca, quia nullum adest sputum, nulla exspuitur materia. Et hæc de intemperie. Præterea Auicennas inter caussas proximas recenset solutam vnionē; quam vocat resolutionem singularis, vt contingit in phthisi. & hæc soluta vnitas est materiæ mordacis, de qua agemus in doctrina de phthisi.

Soluta vnitas.

Tandem inter caussas proximas, proponitur mala compositio: ad quā respiciens Auicennas, dicit, tussim fieri propter Apostema, id est, tumores, & Oppilationes, quæ omnia

Mala compositio.

E sunt vitia in mala compositione. Vnde etiam Galenus comment.24.sectio.2.lib. 6.epid.ait; tussim malignam fieri ex humore, defluente a capite; ex vlcere viscerum spirabilium, ex abscessibus, ex empyemate, & frequenter ex obstructione & asperitate, quæ asperitas pertinet ad malam compositionem. Cum igitur frequenter tussis fiat propter obstructionem, seu asperitatem: hinc Galenus obstructionem potissimum proposuit, cap.septimo, lib.quarto, method.& cap.4.lib.2.de symptom.causs. dum ait, per tussim expelli eas materias, quæ vias obstruunt. Asperitatem proponit Galenus cap.4.lib.2.de symptom.causs. cap.7.lib.de morborum different.comment.12.sectio.1.lib.1.epidem.aphor.54.sect.4. Hæc de caussa intrinseca proxima.

Antecedentes caussæ.

Quoad caussas antecedentes: Auicennas proponit Repletionem, & Antecessionem caussarum corporearum, ad caussas coniunctas. Per repletionem intelligit materiam in corpore exsistentem, non

F in thorace, nam hæc esset proxima materia: materia autem corpus replens, multiplex esse potest; nimirum pituitosa, melancholica, & quælibet materia. Per antecessionem corporearum caussarum, intelligit caussas, & Generantes materias, & Tribuentes impetum ipsi materiæ. Caussæ generantes sunt, verbi gratia, calidius hepar, vt generat bilem: sic enim caliditas hepatis est caussa præcedens caussas corporeas, generans caussas corporeas. Sic ratione frigiditatis capitis; generatur materia pituitosa, quæ caussa est tussis; vnde Galenus ait, senes tussi corripi, qui caput habent frigidum. aphorism. vltim. sectio.3. cap. 2. libro 2. de temperamen. Caussæ autem antecedentes, non generantes, sed impetum, seu motum tribuentes, sunt caussæ quæ efficiunt, vt materia fluat in thoracem, vel a Toto corpore, vel ab aliqua Parte, vt plurimum enim procedit a capite. Porro hic fluxus fit, vel per Transmissionem, vel per Attractionem. Caussæ impetum tribuentes per transmissionem, pendent, & a parte Transmittente, & a Suscipiente. A trans-

G mittente, quatenus est robusta: a suscipiente, vt est imbecillis, frigida, humida, laxa. Fluxus autem fit per attractionem, quoties pars quæ attrahit, nimirum pectus, vel Dolore vel Calore afficitur. Hæc de caussis internis.

Externæ caussæ.

Quoad externas, seu primitiuas; hę, secundum Auicennam lędunt, vel in Complexione, vel in Formis: in complexione, quatenus alterant: in formis, quoties sunt in caussa malæ compositionis, seu angu-

ſtiæ. Vt plurimum autem tuſſis fit propter aerem ambientem: propterea Hippocrates, com. 24. ſect. 2. lib. 6. A
epid. ait; tuſſim aridam, & parum irritantem fieri ex aere: vt, ſi homines loquantur, aut os hiet, tunc potiſſi-
mum fiat tuſſis; quando autem non loquuntur, non fiat tuſſis: nam ore aperto, aer frigidus attrahitur, qui
moleſtans cauſſa eſt tuſſis. Sic etiam Galenus aph. 15. ſect. 3. ait, dominante vento frigido, tuſſim fieri. Sed fit
etiam tuſſis ex alia cauſſa refrigerante, nimirum e niue & glacie, quę pectori ſunt inimica, aph. 24. ſect. 5. Et
addit Galenus cap. 9. l. 10. meth. quandoque medicamentum frigidum, thoraci admotum, tuſſim excitare.
Auicennas addit fumum, puluerem, cibos acidos, ponticos, portionem cibi vel potus, quæ tempore ma-
ſticationis, aut potionis, ob hominum negligentiam, dum ſimul loqui & edere volunt, deſcēdit in trache-
iam. Et hæc de definitionis explicatione.

Differētiæ. Sequuntur differentiæ: & primum a forma: cum enim tuſſis ſit efflatio, hæc efflatio Magis vel Minus
eſt vehemens. Subiectum eſt pulmo; qui afficitur ſecundū aſperas arterias, eaſque vel Omnes, vel Aliquas; B
& ſi ſecundum aliquas, vel ſecundū Dextram partem, vel ſecundum Siniſtram. Ratione cauſſæ efficientis,
cum ea ſit facultas expultrix, vt irritatur ab aliqua cauſſa morbifica: dicendum, hanc cauſſam eſſe Internā,
vel Externam: internam, eſſe Proximam, vel Remotam: externam, vel Neceſſario, vel Non neceſſario oc-
currentem. Non facimus mentionem iſtarum differentiarū tuſſis, quibus dicitur Arida, vel Humida; nam
hæ ſunt differentiæ accidentales, quæ non pendent a definitione. Arida eſt tuſſis, in qua nihil exſpuitur,
com. 17. ſect. 2. l. 6. epid. & com. 12. ſect. 1. l. 1. epid. quod fit, vel quia non adeſt materia; vel quia materia quæ
adeſt, excerni non poteſt, propter viſciditatem, craſſitiem, aut tenuitatem.

Signa. Tuſſis in genere facile cognoſcitur, e ſtrepitu illo euidenti. Quoad differentias, primo deſumtas a
1. forma; vt tuſſis eſt efflatio vel magis, vel minus violenta; hæc facile cognoſcitur, ex ægri relatione, qui ma-
2. gis minusve violentam eſſe tuſſim ait. Quoad differentias a ſubiecto: ſi pulmo ſecundum aſperas arterias C
omnes afficiatur, tuſſis eſt admodum acerba, & omnis decubitus eſt moleſtus: ſi autem lædatur pulmo ſe-
cundum partem, tunc percipitur noxa in parte dextra vel ſiniſtra, & patientes cōqueruntur magis de vna
3. parte, quam de alia. Quoad cauſſam efficientem tuſſis: num ſit interna, vel externa, referet patiens; qui etiā
poterit narrare, quænam ſit cauſſa: verbi gratia, quod tuſſi fuerit correptus, poſt admotum thoraci medi-
camentum frigidum. Si vero patiens affirmet, nullam eſſe prægreſſam cauſſam externam: colligitur, tuſ-
ſim prodiri a cauſſa interna. Et hæc eſt immediata, vel mediata. Immediata eſt intemperies, mala compo-
ſitio, ſolutæ vnitas. Intemperies eſſe cognoſcitur, quando nullum adeſt ſignum, vel malæ compoſitionis,
vel ſolutæ vnitatis: de quibus ſignis in ſuis capitibus. Si igitur nullum ſit ſignum aliorum morborum, &
indiciū ſit intemperiei: cognoſcitur dyſcraſiam eſſe ſine materia, ſi tuſſis prorſus ſit arida: nam licet in-
terdum etiam in dyſcraſia cum materia nihil excerni queat, vt & tunc arida ſit tuſſis; nihilominus hęc tuſ- D
ſis non eſt prorſus arida, ſed dum perſeuerat, neceſſarium eſt, vt aliqua portio materiæ amittat viſcidita-
tem aut craſſitiem, & ſic aliquid excernatur. Et cum intemperies poſſit eſſe calida, frigida, humida, & ſic-
ca: calida, cognoſcitur e ſenſu caloris in thorace ſeu pectore; item e ſiti, non qualibet, ſed quæ frigida in-
ſpiratione ſedatur, non exſpiratione (*omnis quidem ſitis pertinet ad os ventriculi: ſed cauſſa principalis ſitis,*
interdum eſt in ore ventriculi, & tum ſedatur potione; interdum reſidet in pulmone, intemperie calida affectos,
quæ communicatur ori ventriculi, vnde etiam ſitis fit, quæ inſpiratione aeris frigidi ſedatur; & hæc eſt illa ſitis
pulmonis, quæ calidam intemperiem pulmonum indicat:) indicatur etiam e rubedine faciei; dum enim pul-
mo eſt iuſto calidior, fit euaporatio in faciem; præterea indicatur e pulſu magno, dilatantur enim arteriæ;
dum pulmones ſunt calidiores & latiores, vnde magni pulſus; indicatur denique e cauſſis prægreſſis, ver-
bi gratia, ſi prægreſſæ ſunt cauſſæ calefacientes: ſed cognoſcitur etiam e iuuantibus, quia calida nocent, E
frigida iuuant. Frigida intemperies ex oppoſitis facile cognoſci poterit: quia oppoſitorum eadem doctri-
na. Signa ergo erunt, quod homines non ſentient caliditatem in pectore: nec ſitis erit intenſa; nam ratio-
ne tuſſis commouentur pulmones, & agitati incaleſcunt, vt fiat quidem ſitis, ſed admodum exigua. Reli-
qua ſigna patent, &c. Sicca intemperies inde cognoſcitur, quod augetur motu, fame, & aliis cauſſis ſiccan-
tibus. Humida cognoſcitur e cauſſis oppoſitis, & præſertim e ſi prægreſſæ ſint cauſſæ humectantes. Com-
poſitæ intemperies, e ſignis complicatis cognoſcuntur. Quoad cognitionem materiæ: morbifica materia
indicatur e ſputo: nam ſi fuerit dyſcraſia ſine materia, nullum eſt ſputum. Species autem materiæ, cogno-
ſcitur e ſputo determinato. Verbi gratia, ſi per tuſſim excernatur pituitoſa materia, iudicabitis tuſſim ori-
ginem ducere a pituita. Quoad malam compoſitionem, hæc eſt, aſperitas, obſtructio, tumor. Aſperitas
cognoſcitur e tuſſi ſine ſputo; præterea e cauſſis prægreſſis, quæ habent vim exaſperandi de quibus ſuo lo- F
co dictum. Obſtructio cognoſcitur e difficultate ſpirandi: præterea e prægreſſis cauſſis, quæ obſtruere
poſſunt, verbi gratia, e victu craſſefaciente. Tumor cognoſcitur e propriis capitibus; verbi gratia, ſi fiat
tuſſis ob tumorem pleuræ, e capite proprio cognoſcetur. Soluta vnitas vt ſit cognoſcenda, petatur e cap.
de phthiſi. Quoad cauſſas internas mediatas: hæ ſunt vel repletio, vel anteceſſio cauſſarū, &c. Repletio co-
gnoſcitur e propriis ſignis, indicātibus plenitudinem; de quibus in proprio capite. Quoad anteceſſionem
cauſſarum, hæ ſunt vel generantes, vel tribuentes impetum. Generantes cognoſcūtur e ſuis ſignis; de qui-
bus in propriis locis. Verbi gratia, ſi gignatur pituita a cerebro frigidiori, erunt ſigna cerebri frigidi. Quo-
ad cauſſas tribuentes impetum: cum hic impetus, ſeu fluxus fiat vel per tranſmiſſionem, vel attractionem:
cognoſcitur fieri per attractionem, vbi in thorace erit dolor, vel calor. Si hæc non aſſunt; indicium eſt ma- G
teriam fluere per modum tranſmiſſionis.

Indicationes. Quoad indicationes, cum tuſſis ſit efflatio violenta pulmonis, dependens ab expultrice irritata: Ef-
flatio ſeu cauſſa formalis non indicat, non eſt ex vſu, quia dependet a cauſſa efficiente. Subiectum eſt
pulmo, qui ſecundum ſuam proportionem requirit ſimile, quod pneumonicum dicere liceat. Effectrix
cauſſa eſt expultrix irritata. Cauſſa igitur expultricem irritans, cum ſit interna, vel externa, interna,
proxima,

A proxima, vel remota; proxima, morbus, & primum morbus in intemperie: oritur ergo indicatio alterandi per contrarium, &, si intemperies habeat materiam morbificam annexam, materia suas habet indicationes; prout ea materia est mistum præter naturam, lædens pulmones, quemadmodum in methodo medendi fusius declarauimus. Præterea morbus, vt immediata caussa, est mala compositio; nimirum asperitas, quæ indicat læuigans: item obstructio, quæ ipsa non indicat vtile; sed obstructionis caussa, siue materia; quæ copiosa, indicat imminuens, crassa attenuans, viscida detergens. Morbus etiam est tumor, ratione malæ compositionis. De remotis indicationibus, in propriis agemus capitibus. Verbi gratia, de Pleuritide. Quoad solutam vnitatem: de huius indicationibus dicendum capite de Phthisi. Caussa interna non proxima, est repletio, vel antecessio caussæ. Repletio indicat vacuans; idque variũ, pro repletionis diuersitate. Verbi gratia, si repletio sit sanguinea, indicat sanguinem vacuans, &c. Quoad antecessionem caussa-B rum: hæ caussæ sunt vel generantes, vel tribuentes impetum. Caussæ generantes contrarium indicant, exempli gratia, si caussa seu materia tussis generetur a frigidiori cerebro; oritur indicatio calefaciendi. Si sint caussæ tribuentes impetum; verbi gratia, si tussis fiat per modum transmissionis, cum pulmo recipiat ob imbecillitatem, humiditatem, laxitatem, oritur indicatio densandi, &c. Si per modum attractionis; si ratione caloris, oportet refrigerare; dolores lenire. Si denique caussa sit extrinseca; non indicat, nisi sit præsens, & intra corpus: & prout ea caussa varia est, pro eo varia indicat, exempli gratia, si tracheiam ingrediatur mica panis, est vacuanda, &c.

Prognostica.

In genere autem hic nihil prædici potest: modo enim tussis periculosa, modo non. Ratione differẽtiarum formalium: vt efflatio in tussi est magis vel minus violenta; ita magis vel minus intenditur periculum: vnde Auicennas ait, tussim vehementem, perducere ad sputum sanguinis. Quoad differentias a sub-C iecto: prout pulmo secundum plures partes est male affectus; pro eo periculum augetur. Quoad differentias a caussa efficiente: pro malignitate, vi ac potentia caussæ irritantis, augetur periculum. Vnde Galenus, com. 18. sect. 3. l. 6. epid. ait, periculosam esse tussim, si humor a capite destillans, fuerit tenuis, acris; siue fiat excretio, siue non; si enim non fiat, putrescit materia, & pulmones erodit: si autem fiat excretio materiæ tenuis & acris, fit tussis admodum violenta, vi cuius caput repletur, & rursus materia destillat, facitque vt vas aliquod frangatur. Contra vero tussis periculosa non est, si fiat ex intemperie, ex asperitate, e qualitate ambientis. Et hinc c. 9. l. 10. meth. Galenus ait, si tussis fiat e medicamento refrigerante, thoraci apposito; si auferatur medicamentum frigidum; tussim sedari. Et c. 4. l. 2. de sym. caus. ait; hanc tussim tolli per spiritus cohibitionem facile, nisi forte valida sit intemperies. Non tamen prorsus despicienda tussis, quæ fit ex in-D temperie: nam cum Galeno c. 13. l. 5. meth. adulescens quidam, ob frigiditatem, sanguinem exspuit ad dimidiam heminam.

Curatio.

Materiæ cheirurgicæ, respiciunt vel sanguinem, vt Venæsectio; vel quamlibet materiam, vt Fonticuli. Cum ergo tussis fiat a varia caussa, quælibet materia potest administrari, de quibus in propriis capitibus: verbi gratia, si tussis fiat vi pleuritidis, de venæsectione in eo loco diligenter loquemur. De fonticulis, si fiat e destillatione, egimus supra, c. 27. l. 1. de catarrho. Circa sanguinem id monuisse sat sit; venam in omni morbo secandam esse, si sanguis peccet, vel vt caussa principalis, vel sine qua non; idque tum habere locum, si sanguinis peccatum sit vehemens, secundum formam, qualitatem, vel motum: vbi tamen necessarium etiam est, vt vires permittant.

Medicamẽta. Intercipientia.

Medicamenta respiciunt Totum, vel Partem affectam, scilicet thoracem. Quæ totum respiciunt, pertinent ad discursum generalem. Medicamenta thoracis sunt, Intercipientia, Vacuantia, Alterantia. E De intercipientibus Gal. cap. 4. lib. 7. κ. τόπ. Talia sunt *sacchar. viol. bolus Arm. santali, cydonia, tragacantha, corallia, terra Samia, balaustia, hypocistis, amylum, hyoscyamus albus, succus acaciæ, succus symphyti, plantaginis, papauer, Galen. etiam opium addit; quod fermentatum esse oporteret, sed nemo vestrum propinet.* Hæc medicamentum intercipientia probantur in tussi a materia calida; cuiusmodi est biliosa materia, item pituitosa salsa; præterea si tussis materia sit tenuis. At si materia sit frigida, propositis adiiciantur *myrrha, mastiche, thus. Notandum circa papauer, quod etiam probatur cap. 31. lib. 1. de alim. ex eo confici Diacodeiωn, de quo cap. 2. lib. 7. κ. τόπ. Capita scilicet papaueris macerantur ex aqua per diem naturalem; lento igne coquuntur donec flauescant: deinde succus exprimitur, post additur mellis dimidium, & decoquitur ad mellis Attici consistẽtiam. Sed aduertendum aquam debere esse puram, non destillatam, quæ fluxerit per canalem plumbeum, posset enim esse caussa dysenteriæ. Potestis etiam loco mellis accipere saccharum, & medicamentum conficere in forma* F *solida, in rotulis. Interdum loco mellis sapa sumi potest, præsertim si fluxus sit violentus.* Huius medicamenti beneficio somnus conciliatur, & materia fluens intercipitur. Quoad rectam eius administrationem, *dosis* sit moderata, duo cochlearia satis magna: quæ dosis augeri vel minui potest, pro copia & qualitate destillationis, & ratione corporis patientis: nam frigidioribus, senibus, & hyeme, dosis sit minor; calidioribus, maior. Quia ergo quantum agendum sumitur ab actione indicantis: ideo Galenus respicit ad actiuitatem materiæ indicantis, cuius summa actio, tanquam a signo significatur a copia & qualitate materiæ. Ibidem Galenus, respiciens ad permittẽtem virtutem, proponit temperaturam, ætatem, anni tempus: dum enim, verbi gratia, materia est copiosior, calidior, tenuior, est maioris actiuitatis, quæ significatur a copia, qualitate: & hæc indicat quantum agendum. Virtus autem robusta permittit, quæ signis his deprehenditur, nimirum temperatura calida ætate florente, ambiente calido. Quod si horum opposita affuerint, medica-G mentum in minori dosi administrandum, quia est minor actiuitas, & virtus imbecillior. Quoad *modum*, possumus vti in forma mollis electarii, seu opiatæ, & in rotulis, pro patientis placito. Quoad *quando* agendum: Auicennas in cap. de catarrho monet, intercipiens medicamentum non esse exhibendum, quando materia est in pectore: nam, cum quando agendum indicetur a præsentia indicantis, quamuis assit indicans, materia scilicet fluens, attamen si contingat vt materia sit fluxa in pectus, hæc materia prohibet in-

tercipiens. Errant igitur medici, qui assiduo intercipientibus vtuntur. Quoad *vbi* agendum, cum materia habeat consistentiam in ore, medicamenta ori sunt applicanda. A

Expectorantia.

Sequuntur ea, quæ vacuant materiam in pectore contentam: *℞. syr. de prassio, oxymelitis scillit. ana ʒj. piperis albi g̃x. pinearum, penidiorum ana ʒß. Misc. fiat eclegma.* Hæc medicamenta necessaria sunt, quia alias materia in pectore consistens sensibiliter euacuari nequit, cap. 32. lib. 3. de offic. med. Explicanda autem horum medicamentorum facultas. Tussim excitant mordentia & pinguia. cap. 16. lib. 2. simplic. nam tussis fit, dum in gutture, seu principio tracheiæ est inæqualitas (per viam enim æqualem aer sine tussi fertur (quam viæ inæqualitatem mordacia inducunt exasperando, pinguia illinendo & replendo. cap. 17. lib. 2. simplic. Inter leuiter mordacia numeratur *melicratum oxymeli:* melicratum probatur in materia crassa; oxymeli in viscida, quia hoc maiorem habet vim detersoriam, commen. 2. lib. 3. de ratione vict. (*Hippocrates commen. 10. lib. 3. de ratione vict. ait, melicratum pulmonem mollire, sputum mediocriter educere, tussim mitigare, habere vim attenuandi; quamuis plus quam mediocriter sputum viscidum faciat: at si melicratum sputum faceret viscidum, obesset? Galenus ait, Hippocratem per emphasin locutum esse: cum enim melicratum non valenter attenuet; si contingat materiam esse admodum crassam & viscidam, cum hanc nequeat vincere & attenuare, relinquit viscidam, non facit viscidam.*) Sed ad rem: in crassa materia probatur melicratum, in viscida oxymeli. Ratio petitur e commen. 2. lib. 3. de vict. acut. vbi Galenus dicit, humores per tussim vacuandos debere esse consistentes moderate; tenuiores enim & fluidiores effugiunt aerem, & ab eo impelli non possunt; viscidiores autem nimis hærent; & crassiores iusto non cedunt. Quare crassiores sunt attenuandi, medicamentis moderate humidis, vt melicrato, quod moderate attenuat. Viscidiores humores expectorandi sunt: id quod fit, non iis quę humida tantum sunt, sed insuper etiam detersoriis, vt est oxymeli. Idem testatur Galenus cap. 8. lib. 4. loc. aff. Hinc Auicennas probat *syrupum de hyssopo, vbi opus est abstersione.* Et C Galenus cap. 1. lib. 7. κ.τόπ. hæc medicamenta in tres classes diuidit: alia enim læuigant asperitates, & illita inæqualitatem promouent, sicque tussis sunt caussa: vt, quæ conficiuntur *e passo, e gummis, tragacantha, glycyrrhiza, amylo, pineis, penidiis, syrupo violaceo, saccharo candido, &c.* Alia contraria his sunt, nimirum mordacia; quæ probantur, si materia euacuanda sit copiosa, crassa, viscida: talia conficiuntur *e pipere, cassia lignea, cinnamomo galbano, resina terebinth. vnde Galenus cap. 8 lib. 2. de antid. ex his conficit medicamentum, quod vocat Athanasiam, efficacissimum: hoc modo. ℞ piperis albi g̃xl. costi, meu, asari, agarici, scordii, dauci Cretici, petroselini an. ʒß. croci, myrrhæ, an. ʒj. cinamomi, cassiæ ligneæ, fl. iunci odorati an. ʒjß. mellis, quantum sufficit, Dosis, auellana.* Tertio sunt alia medicamenta media, quæ leuiter, citra acrimoniam, detergent: & probantur in tussi, quæ fit a materia non admodum copiosa, nec viscida. Fiunt *e succo ptisanæ, ex amygdalis dulcibus, fabis elixis, &c. cuiusmodi etiam potest esse buglossa, est enim calida & humida, coctaque cum melicrato conuenit in tussi cum asperitate, lib. 6 simpl. cap. de buglossa. Huius classis etiam est caro dactylorum.* Hæc & similia maxime conueniunt in tussi ex asperitate, quæ scilicet habent aliquam humiditatem, & non mordent, cap. 95. art. med. Iam formulam proponemus: *℞. piperis albi g̃x. syrupi de prassio, oxymelitis scilliti ci an. ʒj. penid. pinearum an ʒß. Misc. pro lambitiuo. Ratio est: quia cito, tuto, iucunde curandum. Vt cito curetur, materiæ morbificæ opponenda sunt contraria: Supponentes ergo materiam euacuandam esse pituitosam, frigidam, crassam, viscidam; proponimus piper, quod calefacit & attenuat; item syrupum de prassio, cum oxymelite scill. quæ calefaciunt, attenuant, detergent. Hæc tria, quia sunt materiæ contrariæ indicanti, constituunt basin huius medicamenti. Vt autem tuta sit euacuatio, oportet permiscere penidia, pineas, quæ obtundunt reliquorum acrimoniam, qua alias guttur abradi posset. Medicamenta basis sunt in maiori copia: nec enim oportet e toto vim basis vincere sed solum contemperare. Tandem, vt euacuatio fiat cum facilitate & iucunditate; medicamentum* E *hoc est confectum e dulcibus & iucundis pineis & penidiis.* Sed notandum, in tussi a pituita frigida, crassa & viscida, non semper propositum medicamentum idem esse administrandum, & eodem modo; sed vario modo esse componendum. Quare diligenter aduertendum, quæ sit actiuitas materiæ euacuandæ, & partium, in quas medicamentum inducitur. Quo enim materia fuerit frigidior, copiosior, crassior, viscidior; eo maiorem materiæ actionem significat: & propterea basin e summa dosi medicamentorum conficere debemus. Quoad partem; pars est os & guttur: os, quo magis abhorret ab amaris, eo maior dosis esse debet dulcium, nisi forte patiens habeat aluum fluidam, infestetur vermibus, &c. tunc enim a dulcibus abstinendam. Quoad guttur; si fuerit aridius, & satis laxum; vt possit exulcerari; minuenda est dosis acrium medicamentorum. *Vsus* remedii huius: Si materiæ euacuandæ summa fuerit actiuitas, verbi gratia, summa dosis erit ʒj. Quoad *modum*. si materia vacuanda fuerit admodum contumax, insignis resistentiæ, difficilis passionis: debetis exhibere medicamentum minus fluidum: si contra, magis fluidum, vnde lambitiuum cum F diluto permisceri potest. *Tempus* est, vbi adest materia, & nihil prohibet, id est, vbi totum est vacuatum, & ventriculus non est replctus.

Pneumonica.

Tandem κατ' ἰδιοσυγκρασίαν hoc in affectu nonnulla prodesse creduntur, quod occulta quadam vi pulmones mirifice roborent: huius generis est *fere omnis pulmo, præcipue tamen vulpis. Hinc laudatur eclegma e vulpis pulmone. Et quidem e pulmonibus vulpis, vituli, & castrati, additis saluia, hyssopo, capillis Veneris, radicibus ari & glycyrrhiza, &c. liquorem vitreis organis eliciunt: huiusque ʒiiij. cum saccharo crystallino albo propinant.*

CAPVT II. G

De Respiratione deprauata.

Nomen. Definitio.

DEprauata respiratio pertinet ad vitia pulmonis: & intelligimus respirationẽ crebriorem. Hæc autem est motus deprauatus pulmonis, dependens ab angustia bronchiorum. Pro intellectu huius definitionis quædam de respiratione secundum naturam dicemus.

Respiratio

Respiratio secundum naturam, est motus eleuationis & depreſſionis pulmonum, procedens a tho- Reſpiratio
race, cauſſa vitæ. Vnde Galenus capite tertio, libro ſeptimo, de adminiſtra. anatom. dicit, reſpirationis ſe- ſecundum
cundum naturam principalia organa eſſe tria; ſcilicet pulmonem, thoracem, & cor: pulmo eſt organum naturam.
principale, vt dilatatur & comprimitur, vt afficitur & patitur, non vt agit: ergo in reſpiratione inter mem-
bra quæ afficiuntur, pulmo principalem tenet locum. Thorax, eſt principium ſeu organum reſpiratio-
nis, in ratione agentis: habetque ſe thorax ad reſpirationem, vt oculus ad viſionem; ſicuti enim viſio eſt
præcipua oculi actio, ita reſpiratio eſt præcipua functio thoracis. Ergo thorax eſt præcipuum organum
in ratione agentis, vt agit per muſculos, & potiſſimum per ſeptum tranſuerſum: vt iure voluntaria ſit re-
ſpiratio, quæ ita ad thoracem pertinet, ſicut ambulatio ad crura, capite nono, libro primo, de difficili re-
ſpiratione. Cor etiam præcipuum eſt organum reſpirationis, non quod afficiatur, nec in ratione agentis,
B ſed in ratione finis; nam reſpiratio propterea fit, vt cordis calor refrigeratione & ventilatione ſeruetur,
capite nono, libro ſeptimo, de vſu part. Cum igitur in reſpiratione pulmo principaliter afficiatur; tho-
rax principaliter agat; & cor ſit organum, ſeu membrum, propter quod pulmo afficitur a thorace: Se-
quitur, quod crebra reſpiratio morboſa præter naturam, ſit motus præter naturam pulmonis, depen-
dens ab anguſtia bronchiorum. Formalis cauſſa eſt motus prauus, corruptus, præter naturam: qui mo- Forma.
tus eſt affectio, ratione pulmonis; actio autem ratione thoracis. Subiectum eſt pulmo, qui in reſpira-
tione naturali recte afficitur, recte comprimitur & dilatatur; in reſpiratione autem præter naturam, male Subiectum.
afficitur.

Effectrix cauſſa eſt anguſtia bronchiorum pulmonis. cap. 10. li. 1. de difficili reſpirat. (reſpiratio cre- Cauſſa ef-
bra, quæ per curſum fieri ſolet, non eſt præter naturam, ſed quæ fit ob anguſtiam bronchiorum.) Porro ficiens.
C anguſtia eſt genus quoddam, quod prædicatur de Coaleſcentia, Subſidentia, compreſſione, Conſtipatio-
ne, & Obſtructione. c. 7. lib. de diff. morb. & de cauſſ. morb. Coaleſcentia ab hoc negotio excluditur, quia Coaleſcen-
ſequitur vlcus partium: dum autem pulmones exulcerantur, moriuntur potius homines, fitque potius tia.
phthiſis, quam vitium de quo iam loquimur. Subſidentia potiſſimum fit a cauſſis aſtringentibus & refri- Subſiden-
gerantibus: cauſſæ autem hæ refrigerantes & aſtringentes, rationabiliter potius ſunt excludendæ, quia tia.
aſperæ pulmonis arteriæ, cum donatæ ſint ſubſtantia dura, cartilaginea, non poſſunt ſubſidere, vel per a-
ſtringentia, vel per refrigerantia. Subſidentia autem, vt monet Auicennas, quandoq;, ſed raro fieri poteſt
ob ariditatem, arefactionem. Auicennas etiam proponit reſpirationem morboſam fieri poſſe a cauſſa re-
frigerante: ſed non ea ratione, quod ob frigiditatem bronchia ſubſideant; verum quia ob hanc generatur
& colligitur materia pituitoſa, craſſa, quæ poſtea difficilem reddit reſpirationem. Compreſſio hic locum Compreſ-
D habet, quæ fit a materia, quæ eſt extra bronchia, videlicet circa vertebras thoracis, vt contingere ſolet in ſio.
gibboſitate, commen. aphor. 46. ſect. 6. item a materia exſiſtente in pulmone, ſed extra aſperas arterias, vt-
pote ſi materia repleat pulmonis arterias non aſperas, ſed leues, cap. 11. lib. 1. de differ. reſp. qualis reſpiratio
morboſa corripuit Medicum illum Antipatrum, cap. vlt. lib. 4. loc. aff. Hæc materia, compreſſionis cauſſa,
eſſe poteſt & Vapor, & Minera: Vapor, copioſus & craſſus: Minera, potiſſimum pituita: item tuberculum,
tumor, qui in thorace exſiſtens comprimit bronchia. Conſtipatio etiam locum habet, & proponitur, c. 11. Conſtipa-
lib. 1. de differ. reſp. producitur a tuberculo crudo exſiſtente intra bronchia: nam ſi extra, fit compreſſio. tio.
Obſtructio etiam cauſſa eſſe poteſt crebrioris reſpirationis: fit a materia copioſa, vel craſſa, vel viſcida: po- Obſtructio.
teſtque eſſe Vapor & Minera, verbi gratia pituita, quæ ſit intra bronchia, non extra, libr. 4. de rat. vict. Et
hæc ea eſt ſpecies difficilis reſpirationis, quæ vt plurimum accidit. Hæc autem materia vel in pulmone ge-
E neratur, ob intemperiem pulmonum, præſertim frigidam, vel quandoque gulæ, com. 26. ſect. 3. aph. inter-
dum a capite fluit, vel ab aliis etiam partibus, vel a toto: & hæc fluxio fit vel tranſmiſſa, vel attracta. Tranſ-
miſſa, & proinde recepta ob imbecillitatem pulmonum, ob frigiditatem, humiditatem, laxitatem; quem-
admodum attrahi ſolet, vel ratione doloris, vel caloris.

Motus hic deprauatus differentias admittit ſecundum Magis & Minus, prout eſt magis vel minus Differētiæ.
frequens. Si enim eſt minus frequens, minus denſus, vocatur Difficilis anhelatio ſeu reſpiratio: ſi magis
denſus, dicitur Aſthma; & omnes aſthmatici nuncupantur, com. aphor. 46. ſect. 6. ſi maxime ſit frequens,
vocatur Orthopnœa, comm. 21. lib. 4. de rat. vict. quia ægrotantes non poſſunt reſpirare, niſi recta ceruice.
Ratione ſubiecti, id eſt, bronchiorum, vel afficiuntur Omnia pulmonis bronchia, vel Quædam: & ſi quæ-
dam, vel Dextra, vel Siniſtra. Ratione cauſſæ efficientis; hoc malum fit ab anguſtia, quæ eſt Subſidentia,
F Compreſſio, Conſtipatio, vel obſtructio.

In genere frequens reſpiratio facile cognoſcitur: diſtinguendum tamen eſt e c. 4. & 7. lib. 4. de loc. aff. Signa.
num fiat ratione ardoris, vel imbecillitatis, vel potius ratione anguſtiæ. Si ob ardorem; cognoſcitur, quia
reſpiratio eſt maior & frequentior, cum caliditate; apparet thoracis calor & faciei rubedo; quia dum pul-
mones incaleſcunt, & thorax feruet, fit euaporatio in caput, vt facies rubeat. Si ob imbecillitatem; non aſ-
ſunt ſigna ardoris, deſiderantur ſigna anguſtiæ; narium pinnę euidentiſſime contrahuntur, & thorax col-
labitur. Si ob anguſtiam; cognoſcitur, quia totus thorax celeriter & frequenter dilatatur, nec aſſunt im-
becillitatis ſigna. Et ex his facile cognoſcuntur differentiæ formales, an reſpiratio ſit magis vel minus fre-
quens: nam ſi fuerit difficilima reſpiratio, coguntur ſedere, quando ſcilicet eſt orthopnœa; quod non
contingit, vbi eſt valde frequens. Subiectum etiam, ſeu locus affectus facile cognoſcitur: nam ſi affecta
G ſint omnia bronchia, ſæuiſſima eſt læſio; ſi non omnia, mitior eſt affectio. Vtrum affecta ſint bronchia de-
xtra, vel ſiniſtra; cognoſcitur e vario decubitu, prout magis patiuntur ſi in vno latere decumbant, quam
in altero, vt de tuſſi diximus. Quoad cauſſam efficientem; ſi fuerit ſubſidentia; indicatur e pulſu duro;
præterea adeſt ſitus, lingua eſt aſpera, prægreſſæ ſunt cauſſæ exſiccantes. Compreſſio cognoſcitur, quia
difficilior erit inſpiratio, quam exſpiratio: quia compreſſio fit a materia extra meatus. Cum autem com-

pressio fiat a materia, cognoscere etiam oportet, quæ sit hæc materia, & quis locus materiæ. Materia potest esse vapor, vel minera. Si vapor, non aderit sensus grauitatis; contra, si minera. Quoad locum in quo detinetur materia, compressionis caussa: si materia residcat in læuibus arteriis, atque ita fiat compressio asperarum arteriarum, secundum Galenum c. vlt. lib. 4. loc. affect. cognoscitur ex inæqualitate pulsus, contra, si fuerit extra læues arterias. Quoad constipationem, quæ producitur a tuberculo; cognoscitur, quia difficilis est respiratio, sed citra stertorem, quia non adest materia, quæ petat laryngem, quæ sit in caussa, vt non fiat sonus acutus; sed potius fit difficilis respiratio, citra hunc stertorem: & difficilis hæc respiratio fit sensim, quoniam tuberculum paullatim generatur; estque difficilis illa respiratio assidua, quia semper est præsens tuberculi materia. Obstructio cognoscitur, quia est difficilis respiratio, sed cum stertore: nam materia sui humiditate (vt de voce diximus) est in caussa, vt aer pertingens ad laryngem non efficiat vocem sonoram, sed potius cum stertore & inæqualitate: præterea cognoscitur, quia fit subito, & desinit difficilis respiratio per excretionem materiæ. Quæ autem materia sit, cognoscitur e propriis signis: verbi gratia si sit pituita, excernetur pituita: si pus, hoc excernetur.

A

B

Indicationes.

Præsidia sumuntur ab essentia indicantis: ideoque confugiendum ad cap. 6. lib. 7 κ. τόπ. Forma nihil vtile indicat. Subiectum est pulmo, qui requirit potius, quam indicat: quia eius proportio latet. Quoad caussam efficientem; angustia non est ex vsu: species etiam angustiæ non sunt ex vsu, quia licet morbi sint, remota tamen caussa ilico euanescunt, libro primo, de loc. affect. Quare caussæ angustiæ sunt ex vsu. Subsidentiæ ergo caussa, cum sit siccitas, indicat humidum. Compressionis caussa, si fuerit vapor, indicat discutiens, siue vacuans per insensibiles meatus: si minera, hæc varias habet indicationes, pro vario peccato: vt, verbi gratia sit vacuanda, detergenda, attenuanda; respiciendo ad copiam, crassitiem, visciditatem. Stipationis caussa, nimirum tuberculum crudum, est concoquendum, attenuandum, materia vacuanda, vt loc. cit. Galenus docet. Si obstructio sit; cum huius caussa sit materia copiosa, crassa, vel viscida; patet quid indicet hæc materia.

C

Prognostica.

Malum in genere graue est, quia respicit vitam; cum ademta respiratione fere de vita actum sit. Quoad differentias formales; maius est periculum, quo respiratio difficilior: vnde orthopnœa periculosior est asthmate, cæteris paribus. Quoad differentias a subiecto; grauius est malum, si totus pulmo afficiatur. Quoad differentias a caussa efficiente: si fuerit subsidentia, malum est periculosissimum: quia partem impense exsiccatam humectare, difficile est. Compressio, si fiat e vapore, minus periculosa: si e minera, vt pituita, difficilius superatur. Si fuerit caussa tuberculum, adhuc est peius: vnde Hippocrates aphoris. 46. sectio sexta dicit; qui gibbi ex asthmate fiunt ante pubertatem, moriuntur: nam tubercula augentur, & thorax augustatur, vnde sequitur suffocatio. Quo ergo tubercula maiora, eo maius periculum. Idem de constipatione dicendum: difficilis enim respiratio a cõstipatione orta, admodum periculosa est, quia fit e tuberculo. Ceterum, tuberculum minus durum, est magis periculosum; propterea; quod deducitur ad suppurationem, vnde fit phthisis. Quoad obstructionem; si fiat e vapore, vitium minus periculosum: si e pituita, magis periculosum: si e pure, vt in empyemate, malum periculosissimũ. Postremo maxime augetur periculum, si vires sint imbecilliores, quales esse solent potissimum in extremo, comment. aphor. 40. sect. 2.

D

Curatio extra accessionem. Venæsectio.

Materiæ referuntur ad Totum, ad Pectus, & ad Paroxysmum. Ad totum refertur potissimum materia cheirurgica. Ergo, quoad venæ sectionem: si vrgeat necessitas, secundum Paullum, vena secetur, & sanguis detrahatur, quantum vires permittunt. Fiat autem hoc antequam medicamenta thoraci applicētur ratione pituitæ: alias sanguis in thoracem attrahetur. Auicennas dicit in asthmate a vapore fumoso, & ab humore in sinistro cordis ventriculo, conferre sectionem basilicæ venæ sinistri bracchii. Hic respicit Auicennas ad feruentem sanguinem, in sinistro cordis ventriculo; quia in hoc magis feruet. Quod si alia sanguinis sit subsistentia; vt si asthma foueatur a suppressione hæmorrhoidum; hæ aperiendæ, non basilica.

E

Vstio, ad materiam quæ pertinaciter bronchiis adhæret. Cap. 57. li. 8.

Præterea in asthmate inueterato, quod aliis remediis non cedit, probatur vstio, secundum collum, pectus, dorsum (nisi enim ad vstionem deueniatur, moriuntur) circa medium vertebrarum, & circa medium costarum. Sint autem vstiones mediocriter latæ: & mediæ inter superficiem & profundum: sinendumque vt vlcera vstione excitata diu fluant. Aetius ita administrat: Quoad quantitatem; vstiones sint satis latæ, mediocriter profundæ, pro actiuitate materiæ; ideoque cum materia sit insignis actiuitatis, vstio non debet esse angusta, sed lata. Quoad modum; fieri debent ferro, modo magis, modo minus candente, prout maior vel minor est materiæ resistentia. Quoad tempus; oportet his vti, dum adest præsentia indicantis, quod nimirum tunc temporis maxime possit & vrgeat. Ad vstiones igitur deueniendum, si materia morbifica non cedit aliis remediis: & oportet vlcuscula diu fluere, & diu esse præsentia, prout materia morbifica sua præsentia magis perseuerat. Quoad vbi; vstiones sunt efficiendæ in collo & thorace; ibi enim materia habet subsistentiam, & per illam regionem est ductus asperæ arteriæ. Sunt autem efficiendæ vstiones in spatiis intermediis vertebrarum & costarum: nam ossa prohibent exitum materiæ. Quod si materia fluens, quæ hoc malum fouet, prodeat a capite: non est imitandus Aetius; sed vstio facienda in sutura coronali; quia materia non fluxa, sed fluens, & etiam fluxura ibi iam habet subsistentiam, & vacuatur vstione in capite excitata. Ita si malum foueatur a materia, quæ procedat a toto: tunc vstiones & bracchiis, & cruribus adhibendæ.

F

G

Pharmaceia totum respiciens. Cathartica valentissima.

Medicamenta, quæ totum respiciunt, requirunt discursum generalem, siue sint lenientia, siue præparantia, siue purgantia. Id notandum; in hoc malo fortissima medicamenta conuenire, quia peccatum materiæ est vehementissimum, & materia diu perseuerat. Hinc Paullus validissimis purgat, & continuam satis instituit purgationem; & probat etiam *colocynthidem*; Rhasis *elaterium* (non mirum est quod iam pauci curantur: quia saltem damus parum agarici.) Elaterium ergo non tantum in hydrope dandum, sed

etiam

etiam in asthmate & orthopnœa, cum fiunt a crassa materia. Galenus etiam cap vlt. lib. 7. κ.τόπ. probat vehementissima. Possumus ita præscribere, cum Galeno: *℞. sinapis ʒ j. salis communis ʒ ß. elaterii g xv: terantur cum aqua, & fiant pastilli; alternis diebus exhibeantur. Conficit autem Galenus octo pastillos: vt in quolibet pastillo sint g ij. elaterii, nec tamen integra duo. Vt autem tuta sit curatio, ante horum pastillorum administrationem præmitti debent clysteres; & post pastillos, mulsæ ℥ vj. exhiberi debent.* Communiter practicantes nostro tempore, exhibent pilulas singulis 30. diebus, sed neminem curant. Galeni ergo imitatione, si malum contumax sit, suadeo, vt, si non alternis diebus, saltem singulis quatuor vel quinque diebus exhibeatis vnum propositorum pastillorum. Nam *ratione sinapis attenuatur pituita: ratione salis fit detersio viscidæ pituitæ: ratione elaterii euacuatur. Mulsa autem superbibitur, vt huius beneficio elaterium citius descendat, habet enim vim quandam veneficam, & naturæ nostræ aduersam, cum in parua copia sumtum valenter purget: ideoque diu in corpore morari non debet.* Sic Auicennas, hac ductus ratione, post colocynthidem exhibet mulsam: exhibet autem colocynthidem, modo in maiori copia, modo in minori; prout est maior actiuitas pituitæ: si dat in minori quantitate, exhibet mulsæ ℥ iij. & post tres horas, ab exhibita colocynthide, quia exigua colocynthis non potest ita obesse: si dat in maiori quantitate, exhibet mulsam copiosam, nimirum ℔ ß. & citius, id est, non post tres horas, sed post horam, ne copiosior colocynthis diu in corpore manens, obsit. Hic colocynthis est indicans, relata ad mulsam: (alias colocynthis, vt materia remedii, est indicatum, seu requisitum a pituita) indicatum autem est detergens: quia enim colocynthis viscidam habet naturam, quæ facile hæret; ob id indicat detergens, cuius materia est mulsa. Quoad vsum: *quantum*, sumitur ab actione colocynthidis; ideo copiosior colocynthis, cum sit maioris actiuitatis, maiorem dosin mulsæ indicat: *quando*, sumitur a præsentia indicantis, sed vehementis: copiosior ergo colocynthis, quia magis vrget, & magis est velox, ergo etiam citius mulsa exhibenda, vt non sint exspectandæ tres horæ, sed liceat propinare in parua copia statim post exhibitam colocynthidem.

Discutientia vapore.

Sequuntur medicamenta quæ respiciunt materiam morbificam, in pectore contentam: quæ est Vapor, vel Minera. Si vapor: vti possumus *oleo de spica, laurino, rutaceo, anethino, chamæmelino: item maiorana, aniso, cymino: probantur etiam diacyminum, magnæ antidoti.* Vsvs. Quoad *Quantum. ℞. ol. de spica, rutacei, anethini, chamæmelini ana ℥ ß. pulu. anisorum, cymini, fenic. ana ℈ ß. ceræ lotæ vino aromatico ʒ j ß. Misce ad ignem, fiat linimentum.* Modus varius esse potest: vt iniunctio, fomentum, emplastrum, ceratum, sacculus; pro passione seu resistentia materiæ morbificæ: Si enim vapor discutiendus fuerit frigidus, admodũ crassus, potius vtendum emplastris, vel ceratis, quam simplici inunctione. Tempus: post totius euacuationem: materia enim totum replens, habet rationem prohibentis.

Pituitam educentia.

Si minera caussa est asthmatis; videndum num sit Pituita, vel Tumor similis abscessui. Si ergo fuerit pituita (: vt plerunque:) crassa & viscida, e ca. vlt. l. 7. κ.τόπ. probantur attenuantia & detergentia, sed citra insignem caliditatem: fugienda frigida astringentia, nam prohibent potius dissolutionem pituitæ. Auicennas etiam improbat diuretica fortia; nam hæc extrahunt subtile: & propterea opus est aliqua humiditate, vt pituita crassa educatur: quale est *decoctum fœnigraci, cum ficubus, melle copioso, & passulis: loco mellis vti licet, sacchare, vel penidiis, granis pini, dactylis, liquiritia, &c. quæ sunt permiscenda dum acribus detergentibus.* Tale ergo cum Galeno erit medicamentum: *℞. succi scillæ crudæ, mellis ana ℥ iij. fiat decoctio, adde pruna, ad expectorandum materiam: detur ʒ j.* Vel tale fiat: *℞. passul abiectis acinis, fœnigraci loti ana ℥ ß. aquæ ℔ j. fiat decoctio, donec passula, & fœnumgræcum dissoluantur: deinde adde anisorum, sulphuris viui ana ʒ j. ammoniaci, castorii, melanthii ana ʒ ij. aqua diluantur, & fiant catapotia, & exhibeantur cum ℥ vj. mulsæ calidæ, vini melliti.* Vel tale paretur: *℞. sulphuris viui, seminis rutæ syluest. ana ʒ j. aristolochiæ rotundæ, absinthii, ammoniaci, abrotani, ana ℥ ß. terantur cum aceto, & fiant pastilli, a ℈ j. ad ʒ j ß. Galenus dat tres pastillos pondere ℈ j. & mane, & sero. Nostro tempore hoc non fit: ideo non curamus. Enula probatur lib. 6. simpl. cap. propr. primo decoquitur sub cineribus, deinde cum melle fit lambitiuum. Dioscorides maxime probat in potione botryn. & est valde efficax, ad dissipandum materiam in thorace contentam. Auicennas probat ius galli decrepiti, de quo diligenter loquitur Mesue: venter galli medicamentis conuenientibus implendus.* Quoad medicamenta admouenda: *℞. caricas N. vij. farinæ lolii, mellis ana ℥ j. ceræ ℥ ß. Misce ad ignem, applicetur thoraci.* Quod si materia sit summæ resistentiæ; medicamentis eo modo vtendum, vt maxime penetrent; id quod fit specie vaporis, fumi, suffumigii, hoc modo: *℞. styracis, abrotani, terebinthinæ, sandarachæ, synapis, cardamomi, ana part. æq. cum aqua fiant pastilli: & Auicennas excipit adipe vaccino; mollientia sc. miscens cum acrib. & detergentibus.*

Tuberculum.

Quoad tuberculum, cuius ratione fit asthma, seu difficilis respiratio: probat Gale. attenuantia & siccantia, l. 7. κ.τόπ. vt sunt *macis, nux moschata, piper, caryophylli, cinamom. zingiber: possumus addere galliam moschatam, & excipere syrupo de corticibus citri.* Extra applicandum medicamentum, ad siccandum tuberculum. Verbi gratia, *℞. resinæ pini siccæ ℥ j. iridis ℥ j ß. salis ærug. ammoniaci, ana ʒ j. rad. cucum. sylu. centaurii min. ana ʒ j. olei communis, aceti, ana ʒ ij. Metalla cum aceto dissoluantur, herbæ contundantur, & cribro excutiantur, liquabilia liquentur, colentur, omnibusque vnitis, fiat emplast.*

Subsidentia.

Si asthma fiat propter subsidentiam; non vtendum est attenuantibus, vel detergentibus, sed contrariis, nimirum humectantibus: quorum materia est *lac asininum, secundum Auicennam; item caprinum: licet etiam vti penidiis cum lacte, hordeo, amygdalis, dactylis pinguibus, &c.*

Appropriata.

Præterea in hoc malo probantur quæ a proprietate possunt prodesse, & sunt ea, quæ respiciunt proportionem pulmonis, vt *pulmo vulpis, pulmo erinacei syluestris: siccatorum dosis est ℥ ij. vnde probatur lohoch de pulmone vulpis.*

Diæta.

Variat diæta pro caussarum varietate: verbi gratia, in asthmate a subsidentia, victus debet esse hu-

A mectans:ſi fiat ab obſtructione,attenuans. Vinum ſit medicatum,*e botry potiſſimum,vt Paullus probat:item e guaiaco,& pectoralibus medicamentis,ſuo loco propoſitis. Poterit vinum hoc tempore vindemiæ parari.*

Curatio in paroxyſmo. Hæc extra paroxyſmum agenda ſunt Quod ſi eſſetis præſentes tempore paroxyſmi:iubeatis,vt æger ſedeat bronchiis dilatatis,& pectus ſit nudum ſine indumētis,aer frigidus,vel per ſe, vel ventilatus flabellis;quia cum exiguus aer eo tempore inſpiretur,oportet id ſupplere frigiditate,alias æger ſuffocaretur. Eo tempore pectori applicanda ſunt laxantia temperata, vt *oleum amyg. decoctum maluæ, pinguedines gallinæ, ſuis, vituli, &c.* Probantur etiam diuerſiones,cum frictionibus, ligaturis, balanis, & ſi poſſibile eſt cū clyſmis acrioribus. Paullus cognoſcens ſummam vim huius paroxyſmi,dat in potu ℥iij.*aphronitri,cum mulſa* ℔ß. quia imminet ſuffocatio. Auicennas exhibet *centaurium maius,& contundit:poſtremo vrgente neceſſitate,exhibet* ʒß.*ſalis,quia mors imminet,&* ℥ij.*naſturtii,cum mulſæ* ℥v. Si vſus poſtulare videatur, his vti B poteſtis:ſic enim vacuatur & diſſoluitur materia pituitoſa,quæ eſt cauſſa paroxyſmi. Et hoc tempore, nimirum,in paroxyſmo victus debet eſſe tenuiſſimus. Hæc de reſpiratione difficili.

CAPVT III.

De Dolore thoracis.

Nomen. Subiectum. PROPONIMVS dolorem thoracis; reſpicientes ad pleuritidem & exquiſitam & notham. Dolor ergo thoracis eſt ſenſatio corrupta organi tactus thoracis, dependens a ſolutione vnitatis. Ad dolorem efficiendum neceſſarium eſt, vt qualitas tangibilis vel prima, vel ſecunda, occurrat corpori ſenſitiuo, vt violentia quadam agat, & ſic continuum ſoluat: quæ ſolutio eſt obiectum ſenſus (: non proprium, ſed commune, id eſt, motus, productus a qualitate tangibili:) improportionatum: vnde ita agit,vt producatur C ſenſatio violenta, & corrupta, non imminuta, vel ablata: & hinc obiectum hoc improportionatum, impertitur ſenſui communi; qui hoc obiectum improportionatum iudicat & cognoſcit vt iniucundum; & vt iniucundum offertur ſenſitiuo appetitui, vt fugam arripiat, fiatque dolor, qui voluptati eſt contrarius.

Forma. Forma ergo doloris thoracis,eſt ſenſatio corrupta. Ideoque hoc vitium non eſt morbus,non cauſſa morbi,ſed ſymptoma;nimirum actio corrupta. Medicus confundit actionem & paſſionem;quia eſt artifex ſenſitiuus:idemque motus etiam apud Philoſophos,dicitur actio,ratione agentis;paſſio,ratione patientis. Eſt autem hæc actio corrupta, non quidem quod aliter fiat,quam debeat,ſed quia fit cum violentia:nam obiectum dolorificum,quatenus vt dolorificum ſentitur,non eſt deceptio, ſed quia fit cum violentia. Notandum autem ſenſionem triſtem, ſeu d prauatam, eſſe cauſſam formalem ſecundum Medicos, non proprie: ſi enim proprie loqui velimus, eſt affectio præter naturam,quæ tanquam ab efficiente D efficitur a ſenſatione corrupta;nam quod afficitur, eſt appetitus ſenſitiuus,& ſenſorium externum. Appetitus hoc modo afficitur; obiectum commune, tanquam improportionatum offertur; vnde Philoſophus text.20.l.2.de anima,dicit,vbi dolor & voluptas,ibi appetitus:quod accepit ab Hippoc.aph.7.ſect.2. vbi inquit:ὁκόσοι πονέοντές τι τοῦ σώματος, τὰ πολλὰ τῶν πόνων οὐκ αἰσθάνονται. τουτέοισιν ἡ γνώμη νοσέει. Ecce dolor refertur in ſenſum internum. Quare ſecundum Philoſophos,doloris forma eſt affectio ſenſus interni: apud medicos autem ſenſatos, forma doloris ſtatui poteſt ſenſatio corrupta ſenſorii externi; quatenus in ſenſorium externum referuntur præſidia, de quibus non philoſophus, ſed medicus loquitur, vt docet Gale.cap.7.lib.12.meth.

Subiectum. Subiectum doloris,eſt organum tactus thoracis: per organum autem tactus intelligimus partem E quæ ita afficitur & cruciatur a qualitatibus tangibilibus,vt afficiatur ſenſus communis. Quare hoc ſenſorium externum tactus,neceſſario eſt pars neruoſa, cap.6.l.3.de Plac.cap.5.li.7.de Plac.c.9.l.3. de vſ.part. Vt autem dolorem hunc ab aliis doloribus diſtinguamus;addimus,thoracis:per thoracem intelligimus partes neruoſas thoracis,membranas,muſculos:excluduntur cum Auicenna,cor,pulmones,oſſa. Porro partes illæ neruoſæ ſunt organum tactus,ſolum ratione receptionis, non ratione iudicii:nec enim caro, nec cutis,nec nerui ſentiunt,ratione iudicii.

Cauſſa efficiens omnis doloris. ſupra c.8 l.1. Efficiens cauſſa eſt ſolutio vnitatis. Hac dolor a grauitate diſtinguitur,quæ triſtis ſenſus eſt, ſed fit a materia copioſa,ponderoſa,citra ſolutionem vnitatis,l. 2.l.aff. Per ſolutionem autem vnitatis intelligimus motum quendam violentum,aliquid quod eſt in fieri,& proinde obiectum commune, & quod per ſe eſt ſenſibile,quod tamen(:ad proprii ſenſibilis differentiam:) non agit ſine proprio,non ſine qualitate tan- F gibili. Et hæc ſolutio vnitatis,vt colligitur e com. 24. li.3.de fract. eſt realis,ita tamen vt ſit modo euidens, ſi modo ratione contemplabilis;verbi gratia,in vulnere,eſt euidens vnitatis ſolutio:in inflammatione,ſi ratione ſanguinis ſoluatur vnitas, fieri poteſt vt illa ſoluta vnitas non ſit euidens, ad ſenſum, ſed tamen realis,ac ratione contemplabilis. Notandum autem nullam ſolutionem vnitatis eſſe morbum; quia morbus eſt in facto eſſe,ſolutio vnitatis in fieri. Hinc Galenus cap. 2. lib.de differen.morborum, inquit; ſi membrum ſit inflammatum, citra exulcerationem, non eſſe morbum in ſoluta vnitate. Porro ſolutionis vnitatis cauſſa eſt qualitas tangibilis, & Prima, & Secunda. Quoad primam qualitatem,eſt intemperies inæqualis,intemperies in fieri,non in facto eſſe: & poteſt eſſe omnis intemperies, tam Simplex,quam Compoſita,humida tantum excepta:ratio eſt, quia humida non poteſt ſoluere continuum. Qualitas ſecunda tangibilis,proponitur a Galeno,cap.7 l.12. meth. eaque rumpendo,frangendo,incidendo,vel erodendo G vnitatem ſoluit:quare hæc ſecūda qualitas eſt quiddam durum,graue,craſſum,tenue: ruptio fit a graui & craſſo:contuſio, ad , & graui:inciſio a tenui,ſed citra caliditatem:eroſio,a tenui cum caliditate. Quare ſolutio vnitatis fit a qualitate tangibili,quatenus ea eſt cauſſa vel Interna,vel Externa. Nam quoad primā qualitatem,interna eſt Continens, vel Contentum. Continens:vt intemperies partis, vnde intemperies vnius partis agit in aliam partem,& eius vnitatem ſoluit. Poteſt eſſe contentum: vt materia ſeu humor in corpore

A corpore exsistens, qui alterando soluit continuum, verbi gratia, sanguis, calefaciendo. Externa autem caussa, quæ pariter alterando agit: vt, verbi gratia, si dolor fiat ratione medicamenti calidioris applicati. Similiter secunda qualitas tangibilis, potest esse caussa Interna & Externa: Interna, vel Vapor, vel Minera; vt vel contundendo, vel rumpendo, vel frangendo, vel abradendo potest continuum soluere; quod etiam efficere potest distendendo, sicuti potissimum contingit in pleuritide. Et hæc de caussis solutæ vnitatis, internis, & externis.

Iam tractabimus caussas doloris pleuritici, e c.15.l.de constit.art.ca.10.l.2.de crisibus, com.aphor.33. sect.6.c.9.l.2.de loc. aff. Pleuritidis ergo caussa est sanguis: quia omnis inflammatio necessario est affectus sanguineus. At hic sanguis multiplex esse potest: nimirum succus sanguineus, calidus & humidus; biliosus; pituitosus; & melancholicus. Potissimum tamen in pleuritide est sanguis tenuis & biliosus: quia pleura B eam obtinet densitatem, vt difficulter suscipiat sanguinem crassum, pituitosum, melancholicum. Caussæ generantes sanguinem patent: verbi gratia, iecur calidius, generat sanguinem biliosum. Item caussæ, sanguini genito impetum tribuentes, patent: harum enim vi sanguis, qui caussa est pleuritidis, vel attrahitur, vel suscipitur: attrahitur, ratione doloris, & caloris; vnde interdum contingit inter initia dolorem esse in pleura, qui nondum sit pleuritis, seu inflammatio; sed postea, dolore perseuerante, fit attractio sanguinis, & hinc inflammatio. Suscipitur sanguis ob imbecillitatem pleuræ, ob laxitatem, vt in iis fit, qui singulis annis pleuritide corripi solent. Hæc de definitione. Caussæ pleuritidis.

Quoad differentias formales, multiplex potest esse species, prout tristis sensatio varia esse potest: vt in dolore cap. ostendimus. In pleuritide tristis sensatio potissimum est pungitiua, quia membrana afficitur. Differētia. Quoad subiectum: hoc est Membrana, vel Musculus: membrana, Interna, vel Externa: musculus, vel Dia- C phragma, vel Intercostales; & hi vel Interiores, vel Exteriores. Quoad caussam efficientem; dolor lateris prodit a qualitate tangibili vel Prima, vel Secunda; Interna vel Externa.

In genere dolor facile cognoscitur, patiens enim de dolore circa pleuram conqueritur. Differentias Signa. a forma manifestat etiam patiens: dum conqueritur de dolore pungitiuo, vel de alio. Quoad differentias a subiecto: cognoscendum, an crucietur thorax, vel secundum totum, vel secundum partem: & si secundū partem, num secundum dextram, sinistram, anteriorem, posteriorem, superiorem, inferiorem: quod patiens declarabit. Membranæ affectæ esse cognoscuntur, e dolore pungitiuo; musculi e dolore laxatiuo, & si dolor erit inflammatorius, etiam e dolore pulsante. Deinde cognoscere oportet, quænam membrana sit affecta; quis musculus læsus. Membranæ aliæ sunt Externæ, vt periostium, quod est extra pleuram, & costas intus & extra ambit; dicitur autē externa membrana, quia supra pleuram est: aliæ membranæ sunt D Internæ, vt pleura, & mediastinum. Periostium affectum esse cognoscitur; quando æger, dum decumbit in dolentem partem magis cruciatur, verbi gratia, si conqueratur de dolore in dextra parte, decumbens super dextram partem magis dolebit; quia per hunc decubitum comprimitur periostium. Practici vulgares errant, dū statuunt, si æger super parte affecta decumbēs peius habet, dolorē esse in parte externa ipsius pleuræ: nam hæc membrana est satis tenuis; vt, si inflammetur secundum partem internam, necessario ēt pars externa afficiatur: quare Gal. per externam pleuram intelligit periostium, non veram pleuram. Et sic læsum esse periostium cognoscitur. Cum aūt periostium circumdet costas, secundum partem internam & externam: cognoscitur inflammationem esse potissimum secundum partem externam, quando digitorū pressu dolor exacerbatur. Quod si pleura sit læsa; cognoscitur, quia decubitus super latus dolens minus est molestus: contra, per decubitum in latere opposito, pleura extenditur, & tensa dolet acerbius. Mediastinū E læsum esse cognoscitur; quia dolor affligit per medium pectus, vsque ad infimam partem thoracis: si vero succingens costas membrana afficiatur; dolor potius est ad latera. Quoad musculos: si afficiatur Septum; dolor erit circa nothas costas & augebitur inspiratione, cui diaphragma destinatum est. Si reliqui musculi afficiantur, facile cognoscetur: dolor enim augebitur ad compressionem thoracis, modo magis, modo minus, prout musculi intercostales vel interiores, vel exteriores afficientur, verbi gratia, si exteriores afficiuntur: per leuem compressionem exacerbatur dolor. Quoad caussas efficientes: cognoscendum, an fiat solutio vnitatis, vel a qualitate, vel a materia: & si a qualitate, num a prima, vel secunda. Quoad primā: cognoscitur, quia dolor est stabilis, non errans, sine grauitate. Et hæc prima qualitas, cum multiplex esse possit; si fuerit caliditas; cognoscitur e dolore insigni, cum sensu caliditatis: caussæ calidæ præcesserunt: calida nocent: frigida iuuant. Si frigiditas; cognoscitur ex oppositis. Si siccitas; cognoscitur e dolore re- F misso, citra sensum vel caliditatis, vel frigiditatis: caussæ exsiccantes sunt prægressæ: exsiccantia nocent, humida iuuant. Quoad materiam, vel secundam qualitatem tangibilem: hæc materia potest esse Vapor, vel Minera. Si vapor; cognoscitur e dolore errante: Si flatus exsistat satis crassus, vt dolor sit summus; patebit e dolore, qui erit citra omnem grauitatem: & cognoscitur præterea a iuuantibus, quia iuuant discutientia. Si est minera; dolor est stabilis, & cum grauitate. Præterea, cum minera esse possit vel cum, vel sine putredine: si non est putrida, non aderit febris: si putrida, contra; tumque illa erunt signa pleuritidis, de quibus Galenus capite 15. de const. art. capite 10. lib.2. de crisi. cap. 8. lib. 4. de causs. puls. nimirum dolor pungens, difficilis respiratio, tussis, pulsus serratus, febris continua. Dolor quidem est pungens; eo quod membrana est inflammata. Respiratio est difficilis, frequens, crebra: nam ob materiam, inflammationis caussam, non potest dilatari pleura, vnde hic defectus frequentia suppletur, ideoque est difficultas: nam frequentia in- G tenditur, quia augetur necessitas, ratione febris. Adest tussis; quia pulmo compatitur. Pulsus est durus; quia pleura afficitur, quæ est corpus densum: & pulsus euadit serratus, quia pleura ob sui resistentiam inæqualiter a materia obsidetur: fit velox & frequens, ob caliditatem febrilem. Febris est continua: nam fuligines assiduo cor petunt, a pleura inflammata. Quænam autem sit materia pleuritidis, cognoscitur ex Auicenna & Galeno, com. aph. 33. sect. 6. nam si sputum sit rubicundum, caussa est sanguis: si flauum, bilis: si

nigricans,melancholia: ſi albicans,pituita. Sed quoniam in pleuritide,frequenter materia a capite deſtil- A
lat,ſputum albicans non poteſt humorem detegere:iccirco aduertendum,num iuncta ſit deſtillatio. Sic
etiam ſputum nigricans interdum non eſt ſignum melancholiæ, ſed pleuritidis lethalis: præſertim ſi
inter initia præceſſit ſputum rubicundum, flauum;quod poſtea nigricans ſequitur. Si pleuritis ſit ſicca,
ſine ſputo, cognoſcitur materia, e ſignis, indicantibus dominium, vel ſanguinis, vel alterius humoris
in toto corpore.

Indicationes.

Præſidia ſumuntur a forma,ſubiecto,& cauſſa efficiente. Forma eſt triſtis ſenſatio:quæ ſumitur ra-
tione & iudicii,& receptionis. Si ratione iudicii;indicatur remedium,mentem ad alia auertens: nam for-
tibus detenti imaginationibus, delata ſub oculos non vident: & digladiatores interdum vulnerantur, vt
non ſentiant,quia imaginationem alio habent conuerſam. Receptio non pertinet ad mentem, ſeu ſen-
ſum interiorem,ſed ad organum;huius ratione indicatur anodynum;quod triplex proponitur.capite 18. B
lib.5. ſimpl. digerens,ſuppurans, & ſtupefaciens. Hæc tria ſunt indicata: ergo neceſſario tria indicantia:
quia vnum non niſi vnum indicat. In triſti ergo ſenſatione,quæ non ad iudicium,ſed ad receptionem re-
fertur,conſideramus vel ipſam receptionem, vel opus quod neceſſario ſequitur receptionem. Si conſi-
deramus ipſam receptionem,ad hanc concurrit facultas & organum: ſi enim,verbi gratia, manus percu-
tiatur,non poſſet excitari dolor, vel receptio dolorifica, niſi facultas a cerebro ad manum tranſmittere-
tur.Concurrit ergo ad receptionem facultas & organum. Facultas nihil indicat,quia non patitur. Orga-
num,quia patitur,indicat. Porro organum producitur a facultate generatrice (:vt in anatomicis docui-
mus:) quæ agit per potentiam vel alteratricem,vel formatricem. Quoad alteratricem;organum ad reci-
piendum aptum efficitur ab alteratrice calidum.Hæc ergo temperatura calida,quæ in triſti ſenſatione ha- C
bet rationem cauſſæ morbificæ,indicat contrarium,nimirum frigidum narcoticum:calidum quippe or-
ganum,indicat frigidum. Gale.inquit,hoc impropriiſſime eſſe anodynum: aduerſatur enim temperatu-
ræ, ſeu calido innato, id eſt,iis quæ ſecundum naturam ſe habent. Deinde generatrix per potentiam for-
matricem,organum ſenſus tactus facit rarum: vbi enim nerui ſunt molliores,ſenſus eſt magis exquiſitus,
vt in orificio ſuperiori ventriculi:quia vbi maior raritas,ibi ſpiritus animalis promtius mittit ſuos radios,
quorum beneficio facultas ſenſitiua eſt magis apta ad recipiendum. Organum ergo, vt rarum, habet ra-
tionem cauſſæ morbificæ,in triſti ſenſatione:ideoque indicat emplaſticum,vel ſuppurans, quatenus hoc
denſare poteſt. Et hoc proprie eſt anodynum; eſt enim moderate calidum, nec aduerſatur calido innato:
non tamen eſt propriiſſime anodynum,quia, licet denſans non aduerſetur organo, vt eſt particeps calidi
innati;aduerſatur tamen organo in eo quod hoc debet eſſe rarum;nam denſitate organi raritas imminui- D
tur,vt radii ſpirituum animalium non ita promte tranſmittantur. Tertio & vltimo,ſi conſideretur triſtis
ſenſatio, & quidem receptio, ratione operis;indicatur leuiter digerens,quod calidum eſt in primo, & te-
nuis ſubſtantiæ. Hoc opus eſt materia, quæ dolorem ſequitur, ſeu quæ a dolore attrahitur; non materia
quæ præcedit dolorem (: hæc enim eſt cauſſa efficiens:) ſed quæ ante dolorem non fuit, & opus eſt triſtis
ſenſationis: in dolore enim dum facultas expultrix ad expellendum inſurgit: tunc concurrit in partem
dolentem aliquid ſanguinis & ſpiritus,vt pars dolens aliquo modo repleatur:vt docet Galenus cap.3.li.13.
methodi.Et hæc materia, quæ ſequitur dolorem & receptionem, eſt illa quæ indicat digerens. Hoc indi-
catum,ſecundum Galenum,eſt propriiſſime anodynum:cum enim ſit calidum,non aduerſatur tempera-
turæ organi,ſeu calido innato: & cum ſit tenuis ſubſtantiæ,non aduerſatur raritati. Quare triſtis ſenſatio
indicat Auertens mentem ad alia, Frigidum: Denſans,moderate Diſcutiens. Subiectum, ſeu thorax quid
indicet, patet:& forſitan pleuritis poteſt requirere ſecundum ſui proportionem remedium pleuriticum, E
quod quidam pro ſecreto habent. Quoad cauſſam efficientem: ſolutio vnitatis non indicat vtile: qua-
litas autem tangibilis indicat, vt eſt cauſſa ſolutionis vnitatis & proinde doloris. Prima qualitas, indi-
cat alterans per contrarium, verbi gratia, caliditas refrigerans. Secunda qualitas eſt materia, nimirum
Vapor,vel Mnera:vapor indicat diſcutiens;minera ſenſibiliter euacuans,verbi gratia, ſanguinea ſangui-
nem vacuans. Ceterum, cum hæ materiæ ſint miſtum præter naturam,lædens hominem ſecundum tho-
racem:hinc variæ ſumuntur indicationes. Cum enim ſit miſtum præter naturam; peccare poteſt ſecun-
dum formam,qualitatem,& quantitatem. Vitium ſecundum formam poteſt eſſe duplex: vel enim mate-
ria eſt putrida,& indicat eradicans;vel non eſt putrida,habet tamen formam & naturam aduerſariam cor-
pori noſtro, vt materia venefica, virulentia Gallica; & hæc non indicat, quia non eſt eſſentia, ſed requi-
rit alexipharmacum. Peccatum ſecundum quantitatem indicat minuens.Secundum qualitatem vitium, F
indicat alterans per contrarium, calidum indicat frigidum. Peccatum ſecundum qualitatem motiuam,
indicat reuulſorium,deriuatorium,reprimens. Peccatum in quiete,indicat diſcutiens. Si ſumatur mate-
ria,vt lædit;ſi vehementer lædit,indicat remedium vehemens ſeu validum;vt lædit thoracem, indicat re-
medium vacuans per tuſſim.

Prognoſtica.

In genere de periculo nihil ſtatui poteſt: quidam enim dolor eſt periculoſus, quidam vacat pericu-
lo. Quoad differentias igitur formales, vt triſtis ſenſatio eſt magis vel minus vehemens;ita etiam intendi-
tur diſcrimen. Quoad differentias e ſubiecto,ceteris paribus; dolor magis eſt periculoſus,ſi occupat par-
tes internas. Quoad differentias a cauſſa efficiente; ſufficiat vim materiæ perpendere:nam ſi,verbi gratia,
fiat dolor in thorace,vel e vulnere,vel e contuſione; non pertinet ad vos,ſed ad cheirurgos de prognoſti-
co loqui. Materia poteſt eſſe vapor, vel minera. Si minera; ceteris paribus, dolor magis eſt periculoſus G
quia facilius vapor expugnari poteſt. Quoad mineram, de ea ſaltem materia loquemur, quæ poteſt eſſe
cauſſa pleuritidis: & cum fiat pleuritis a ſanguine; oportet ſanguinis vim, ſeu vehementiam perpendere.
Sanguis ergo, cauſſa pleuritidis, eſt miſtum præter naturam, pleuram lædens. Quatenus ſanguis eſt mi-
ſtum,oportet conſiderare,an ſanguis ſit purus,an potius billioſus, pituitoſus,melancholicus.cap.15. lib. de
conſtit.

A constit.art.& cap.10.lib.12. de crisibus.Si sanguis sit vel purus,vel biliosus;pleuritis erit minus periculosa:
si melancholicus,summe periculosa:non ita si pituitosus,quamuis sit diuturnior,quam si in caussa sit san-
guis biliosus,aut purus.Si perpendamus vim sanguinis,vt est præter naturam:peccatum est secundum for-
mam,quantitatem,qualitatem. Quoad peccatum secundum formam;si sanguis fuerit summæ actiuita-
tis,est pleuritis periculosa,verbi gratia sanguis in pleuritide est summæ actiuitatis, dum pleuriticus labo-
rat morbo Gallico:iccirco summum est prædicendum periculum.Quod si sanguis,qui caussa est pleuriti-
dis,sit summe putridus;pariter pleuritis est admodum periculosa,& ferme lethalis. Quoad vitium in quã-
titate:quo sanguis copiosior,eo malum magis periculosum.Quoad qualitatem,sanguis calidior,& tenuis,
citius potest vinci:at viscidior,crassior tardius. Quoad peccatum sanguinis in quiete:quo magis parti ad-
hæret sanguis,eo periculosior pleuritis,soletque in empyema degenerare.Quoad motum materiæ;pleu-
B ritis periculosior,si motio fiat per modum transmissionis,quam per modum attractionis. Vnde Hippo-
crates aphor.11.sect.7.a pleuritide peripneumonia,malum: nam dum materia mouetur intro, ad pulmo-
nes,malum; si extra,est potius bonum. Si denique consideremus sanguinem, vt lædit: quo vehementius
lædit,eo periculosior pleuritis. Hinc Galenus cap.5.lib.4.de præsag. e puls.dicit: si pulsus sit maxime du-
rus,euidenter serratus, paruus, creberrimus; lethalis est pleuritis: quia hi motus nobis significant vehe-
mentissimam læsionem sanguinis.Si perpendamus sanguinem,vt lędit pleuram:si verbi gratia lædat pleu-
ram secundum partem sinistram,est pleuritis deterior,propter sinistrum cordis ventriculum.

Quoad materias,primum de cheirurgicis loquemur. Dicit autem Auicen.inflammationi thoracis
communiter conuenire venæ sectionem. At vero Hippocrat.commen.11 lib.2.de rat.vict.acut.ait,dolo-
re ascendente esse secandam venam;descendente,esse vtendum pharmaco. Hoc loco ergo duplex est in-
C dicatum; scilicet remedium vehemens, vacuans sanguinem,cuius materia est venæ sectio; & remedium
vehemens,vacuans humorem alium a sanguine,cuius materia est niger helleborus,peplus. Si duplex in-
dicatum,ergo duplex indicans,alterum,sanguis;alterum,succus non sanguineus. Hippoc.autem ad hæc
duo indicantia respicere, inde probari potest; quia loco citato non loquitur de omni pleuritide,sed de ea
quæ fit a sanguine,misto cum alio succo: nam a principio illius secundi libri de rat. vict. vsque ad 11. & 12.
contextum,loquitur de illa pleuritide, in qua licet fomenta tentare, quibus dolor sedetur; & si fomentis
dolor non minui,sed intendi videatur,confugit ad venæ sectionem,& ad pharmacum. Quod si pleuritis,
de qua loquitur Hippocrates,esset pleuritis a solo sanguine facta,citra permistionem:non institueret cu-
ram tentatiuam;nec enim ita fuit ignarus,vt non cognosceret affectum exquisite sanguineum. Patet igi-
D tur,ratione huius curæ tentatiuæ,proponere Hippoc eam pleuritidem,quæ fit a sanguine,permisto cum
alio succo:ideo duplex indicans,sanguis,& succus ab hoc diuersus.Cur autem Hippoc. dolore ascenden-
te sanguinem vacuat;descendente purgat? Respicit ad citam celeremque doloris remotionem:agit enim
de insigni dolore, quem fomentis mitigare non potuit, imo qui inde auctus est. In remouendo hoc do-
lore, respicit ad essentiam indicantis; quæ petenda est a motu materiæ peccantis, prout scilicet inclina-
tionem & impetum habet sursum,vel deorsum.Quare in pleuritide,quæ fit a sanguine permisto cum aliis
succis,si dolor vehemens sit,qui fomentis non cedat;mitigandus est euacuatione materiæ fluxæ;quod fit,
dolor ascendente per venæ sectionem,descendente per pharmacum.Permittens supposuit Hippocrates:
at Galenus vt interpres,id proponit: Si enim febris sit vehemens,quamuis minus vtile sit dolore descen-
dente venam secare, est tamen tutius: magis quidem vtile est pharmaco vti, quia pharmaco euacuatur
E materia, quæ est caussa doloris, non item per venæ sectionem,scilicet dolore descendente: tutius tamen
est secare venam,quando febris est intensa;tunc enim virtus non potest sustinere caliditatem pharmaci,&
febris. Et hæc de illo Hippocratis loco.

Curatio.
Venæ sectio,dolore adscendente; pharmacum, descẽdente, conuenit.
Vide etiam commen.in aph.2.sect.1.
Hier. Capiuacc.

Licet autem pleuritis sit inflammatio,& affectus sanguineus,sanguinis vacuationem indicans: non
tamen semper secanda est vena,quamuis virtus sit robusta,exempli gratia in pleuritide cum sputo sangui-
nolento: vnde Hip.circa finem sect.3.l.6.epid.non mittit sanguinem in pleuritide, in qua sanguis exspui-
tur:Gale.rationẽ affert,quia inflammatio est mitis.Quidam hac decepti auctoritate,nunquam secant ve-
nam,si sputum sit sanguineum. Sed nos ad methodum & fundamenta reuocantes omnia,distinguere de-
bemus,dum sanguis exspuitur,num sanguinis peccatum sit vehemens,nec ne.Si non est vehemens, mitis
est inflammatio;qualis ea fuit,quæ ab Hipp.proponitur:dum scilicet sanguis qui fluit,egreditur,non reti-
netur,ideoq; sensibiliter dolor imminuitur;e quibus mitis cognoscitur inflammatio;ideoq; tunc non est
F secanda vena;quia sanguis in hac miti inflammatione a materia euacuatur per tussim.Si peccatũ sanguinis
sit vehemens,inflammatio non est mitis:dum scil.æger exspuit sanguinem,sed in parua copia, & dolor nõ
minuitur,sed intenditur potius; quia scil. maior est portio sanguinis fluentis, quam eius qui excernitur:
proinde vena secanda,cum vitium sanguinis sit vehemens. Patet ergo,an in pleuritide venã secare liceat.

Si sputum sanguineũ, num secanda vena.
Vallesius aliter interpretatur,in suis commentariis.

Circa *quid agendum* specificum;notandum,vacuari debere sanguinem ad ℔j. si ad ℔j peccat. Sed
hoc est peculiare in pleuritide,sanguinem statui peccantem,qui non modo fluit,verum etiam fluxit:nam
sanguis fluxus est in caussa doloris,quem per venæ sectionem volumus imminuere: vnde merito Hippo-
crates t.10.l.2.de vict. rat.permittit egredi sanguinem,vsq; ad eius mutationem;quia hæc nobis significat
mutari sanguinem etiam fluxum,qui actu caussat efficere dolorem. Vsus venæ sectionis. *Quantum agen-*
G *dum*,sumitur ab actione sanguinis. Si ergo summa sit sanguinis actio,verbi gratia si dolor sit vehementis-
simus, ratione copiosi sanguinis:vnica vice & confertim sanguis vacuandus. Supponere autem oportet
virtutem robustam: si enim debilis sit;vel repetenda venæ sectio,vel cucurbitulis scarificatis complere o-
portet. *Modus agendi* desumitur a passione sanguinis,vt facilius,vel difficilius egreditur. Quare in pleu-
ritide a sanguine bilioso,foramen faciendum est angustum;amplum,si fiat a sanguine melancholico;me-
dio modo,si a pituitoso,vel puro. Quoad *quando agendum*: oportet intelligere, quæ vena sit primum se-

canda, & quo tempore vena ſecanda. Cum autem quando agendum, ſumatur a præſentia indicantis, & abſentia prohibentis; ſtatim ab initio, quamprimum indicantis ſanguinis præſentia adeſt, & nihil prohibet vena tundenda. Nec obſtat, quod Hippocrates venam Anaxioni die octauo aperuit: nam, vt Galenus notat, a principio non fuit vocatus, alias etiam a principio venam ſecuiſſet; quia indicans adeſt, & nihil prohibet, præſertim virtus inter initia non prohibet, quia fortis eſt. A

Num fomentis ante venæ ſectionem vti liceat.

Dubitatur, num liceat venam ſecare poſt fomenta, mitigantia dolorem? Nam Hippocrates lib. 2. de vict. rat. inter initia inquit, dolorem lateris tentandum eſſe fomentis ſedare. Quæ auctoritas male intellecta, multis eſt exitio. Si enim ſummo mane ad pleuriticum accedatis; nec venam aperiatis, ſed applicetis fomenta: fieri poteſt, vt maior copia ſanguinis attrahatur; at poſtea circa veſperam, propter inuaſionem febris, non licet venam ſecare, & ſequentem tamen diem exſpectare eſt lethale, quia nimium augetur inflammatio. Loquitur ergo Hippocrates de vera pleuritide; non de dolore qui fit a flatu: nam præter id, B quod ſignis Hippocrates flatus cognoſcere potuit: ſi flatus non cedat fomentis, quomodo Hippocrates eſſet arbitratus eum ceſſurum venæ ſectioni? Loquitur ergo de pleuritide, & dolore inflammatorio, de pleuritide exquiſita, quæ fit a ſanguine: in qua ſi non iuuent fomenta, iuuet remedium ſanguinem vacuans. Non autem loquitur Hippocrates de qualibet pleuritide ſanguinea; nec enim in omni ſanguinea progredi poſſumus cura tentatiua. Quod ſi ergo pleuritis fiat a ſanguine, ſed exiguo & in parua copia; nec manifeſtum ſit, an in corpore ſit copioſa materia, ob humorum retroceſſum: licet tentare fomentis, num doloris cauſſa diſſolui queat: & cum in corpore non ſubſit humor, non ſit attractio nouæ materiæ, ideoque remouetur pleuritis, & curatur affectus inflammatorius citra venæ ſectionem: neque enim vena ſecanda eſt, niſi ſanguis affectus ſit vitio vehementi. Sed ſi contingat, vt in hac cura tentatiua, poſt applicatum fomentum non leniatur dolor, ſed intendatur; cum hæc intenſio ſignificet corporis repletionem, C & vitium ſanguinis vehemens: tunc vena ſecanda eſt, monente Hippocrate. Quod ſi offeratur corpus quadratum, plethoricum, quod pleuritide laboret: fomentis locus non eſt, ſed ante fomenta vena eſt ſecanda.

Auicennæ ſententia enarratur.

Aliud etiam oritur dubium: quia Auicennas quarta, primi, ca. 20. de phleboto dicit: cum euacuare volueris, prius ſeda dolorem: ergo videtur primum dolor fomentis ſedandus, deinde vena ſecanda. Galenus com. aph. 2 . ſect. 1. dicit: in vehementiſſimis doloribus, maximum eſſe remedium ad leipothymiam vſq; vacuare. Galenus igitur ſtatim euacuat, nec prius fomentis vtitur. Quare confugiemus ad methodũ, pro lite hac dirimenda. Verſamur circa quando agendum, quod ſumitur a præſentia indicantis, & abſentia prohibentis; ita vt magis poſſit indicans, quam prohibens. Hic ergo perpendere debemus vehementiam doloris, qui ſedari debet; & vehementiam ſanguinis, qui euacuari debet: &, ſi magis poſſit dolor, prius fomentis vtendum: ſi magis ſanguis, vena ilico ſecanda. Quod ſi igitur vena aperienda ſit remota a loco dolente: primum dolor ſedari debet, poſt tundenda vena: quia magis poteſt dolor, quã ſanguis ille remotus, D qui dolorem vel nullo modo, vel tarde auferre poteſt: ideoq; ſententia Auicennæ hæc eſt: Cum a longinquo vacuare voles, prius dolorem ſeda. At ſi vena ſecanda eſt proxima; magis poteſt ſanguis, quam dolor; & per venam proximam apertam vacuatur ſanguis, qui actu cauſat producere dolorem; ideo in doloribus vehementiſſimis Gelenus, reſpiciens ad venam proximam, ante fomenta venam ſecabat. Ergo, ſi ſanguinis aſſit vehementia, ſemper ante fomenta vena eſt diuidenda.

Quæ vena aperienda: &, ſi plures, quo ordine.

Quoniam vero plures interdum venæ ſunt ſecandæ: videndum quæ primo, quæ ſecundo incidenda. Auicennas in thoracis inflammatione, primum ſecat ſaphenã oppoſiti lateris: deinde venam brachii oppoſiti: tertio venam bracchii eiuſdem lateris. Hic ergo proponitur & Vbi, & Quando agendum. Quoad *vbi agendum*; reſpicit Auicennas ad triplicem ſubſiſtentiam ſanguinis; ideo enim tres venas ſecat. Nam ſi E materia fluxa, quæ conſiſtentiam habet in pectore, ſit exigua: ſufficit interdum ſecare tantum ſaphenam, vt euacuetur materia in toto exſiſtens, & ad locum diſtantem fiat reuulſio. Si autem maior ſit copia materiæ fluxæ, oportet ſecare venam eiuſdem lateris. Tres denique venas ſecat Auicennas, quando triplex eſt ſanguinis ſubſiſtẽtia: accidit enim interdum, vt corpus vniuerſum ſanguine ſit repletum: quare, cum ſanguis habeat ſubſiſtentiam circa partes infernas, infra iecur; merito probatur ſectio ſaphenæ: & cũ ſanguis etiam habeat ſubſiſtentiam ſupra iecur, ſecundum partem & dextram, & ſiniſtram; recte ſecatur vena vtriuſq; brachii. Hæc ergo ratio eſt, cur triplex tundenda vena. Quoad *quando agendum*: Auicennas primo ſecat ſaphenam, deinde venã brachii oppoſiti; tertio eiuſdem lateris: non quod ſemper ita ſit agendum, ſed tum, quando adeſt præſentia indicantiũ, & nihil prohibet. Si ergo materia fluxa, pleuritidis cauſſa, ſit exigua; quæ autem fluit & fluxura eſt, ſit copioſa: tunc adeſt præſentia ſanguinis indicantis: ſed magis põt materia fluxura, quam fluxa, quia dolor eſt exiguus, qui nobis patefacit, nõ eſſe admodum vehementem vim ſanguinis fluxi. Quia ergo quando agendũ, indicatur a præſentia eius, cuius vis eſt vehementior; materiæ aũt fluxuræ, non fluxæ, hoc in caſu, vis eſt vehementior: ideo Auic. ſecare debuit alias venas, quam eiuſdem lateris. Ceterum, dum perpendimus materiam fluxurã; hæc vacuari põt per venam brachii oppoſiti, & per ſaphenam. Auicennas ſaphenam ſecat: quia magis poteſt materia, quæ eſt circa artus in febribus; quo magis enim a longinquis attrahes, tanto magis reuelles; efficacior enim reuulſio, quæ fit a longinquioribus partibus: ideoq; interdum ſufficit remouere ſanguinis impetum, per ſolam ſectam ſaphenam. Non ergo voluit Auic. ſemper tres venas eſſe ſecandas: quia & vna interdum ſufficit, aliquando duæ, &c. Si in dolor ſit exiguus, & corpus replẽtũ ſatis; primo ſaphena ſcindenda: a cuius ſectione dolor vel minuitur, vel nõ. G Si minuitur; iudicare poſſumus, per ſaphenæ ſectionẽ, ſufficientem factam eſſe reuulſionẽ, vt alia venæ ſectione opus non ſit. At ſi dolor perſeueret; cogimur ſecare venã oppoſiti lateris, vt ab alio latere fiat reuulſio: nam exſiſtente perſeuerantia doloris, ſed exigui magis põt vehementia ſanguinis fluxuri, quam fluxi, quia dolor exiguus: quare ſecũdo loco vena brachii oppoſiti ſecanda. Et ſi ab huius ſectione dolor euaneſcit, nec vehemẽtia intẽditur, nihil aliud agendũ. Quod ſi perſeueret, tertiam venã aperire cogimur. Nec

huic

A huic ſententiæ Gale.aduerſatur: licet dicat, ſectionem venæ ab oppoſito latere, vel nihil, vel tarde iuuare. Cum enim Gale.agat de quando agendum; reſpicit ad præſentiam vehementis indicantis. Id eoq; ſi dolor ſit vehemens, qui, verbi gratia fomentis non cedat, ſed augeatur, vel etiam ante fomēta vehemens ſit dolor: hic ſignificat, ſanguinem fluxum eſſe vehementem, maximeque poſſe ad indicandum: ideo quamprimum vena eiuſdem lateris aperienda; quia per ſaphenam, vel oppoſitum latus, ſanguis fluxus non ita poteſt euacuari: & cum ſanguis fluxus ſit in cauſſa doloris vehementis, cum non euacuetur per venæ ſectionem oppoſiti lateris, remanet dolor; quare remedium nullum: & dolor permanet diutius, quam par ſit; quare tardum remedium. Cum autem ad curandum medici plærunque vocentur, quando malum quodammodo progreſſum eſt, & dolor eſt vehemens: certe tunc vena eiuſdem lateris aperienda eſt.

B Quoad Cucurbitulas ſcarificatas; quandoq; conueniunt loco ſectionis venæ, cum virtus debilis eſt, quæ venæ ſectionem tolerare nequit: vel etiam ſi vires mediocres ſint, ſi tamen vniuerſum ſanguinē peccantem per venam ſectam educere non licet, poſt venæ ſectionem id ſupplendum eſt cucurbitulis ſcarificatis. Quoad locum: Aetius applicat thoraci. Vbi notandum: quatenus cucurbitulæ ſunt vicariæ venæ ſectionis, eas nequaquam applicandas eſſe loco affecto (ſicut etiam de venæ ſectione diximus) ſed eo modo adminiſtrandas, vt fiat reuulſio, & deriuatio, quę eſt miſtum quiddam ex euacuatione, & reuulſione. Iccirco cucurbitulæ, venæ ſectionis loco adhibitæ, applicari debent vel infra thoracem, vel in brachiis; nequaquam dorſo, loco affecto. Quatenus autem cucurbitulæ propria ratione conſiderantur, vt auxilium topicum; reſpiciunt materiam fluxam, & euacuationem non totius corporis, ſed repletionis determinatæ: & quia hic ſanguis fluxus ſubſiſtentiam habet in thorace; pro euacuatione determinata cum Aetio cucurbitulæ applicandæ ſunt thoraci. Vtimur cucurbitulis loco venæ ſectionis, in principio: contra, cucurbitu- C lis gratia repletionis determinatæ, non vtimur inter initia, ſed poſt euacuationem totius.

Cucurbitulæ ſcarificatæ.

Medicamenta in pleuritide reſpiciunt Dolorem, vel Pleuram, vel Cauſſam efficientem. Dolorem reſpiciunt anodyna: quæ vel propriiſſime ita dicuntur, vel proprie, vel improprie. Propriiſſime anodyna ſunt, quæ moderate diſcutiunt, calida ſunt in primo, & tenuium partium: vt *oleum anethinum, chamæmelinum, fœnumgræcum.* Quoad vſum: ℞ *ol. anethini, chamæmel. an.* ʒß. *pulu. tenuiſſ. anethi* ℈j. *Miſce.* Applicetur moderate calidum, nam materia morbifica diſcutienda id indicat, quæ calido cedit, frigido non cedit: erit aūt moderate calidum, quia affectus inflammatorius valde calidum prohibet. Vtendum hoc medicamento, quando dolor eſt vehemēs, & nihil prohibet, prohibet aūt materia replens totum: quare prius aut vena ſecanda, aut ſaltem aluus mollienda, antequam hæc medicamenta applicentur. Locus patet: ſi enim pleuritis ſit in dextro latere: illa ſubſiſtentia indicat parti dextræ eſſe adhibendum anodynum. Sequuntur ano- D dyna proprie ita dicta, nimirum denſantia, quæ humida ſunt, vt *malua, althæa, lac, butyrum, amyg. dulces, aqua temperata moderatæ caliditatis, hydrelæum, farina triticea, panis triticeus mediocriter coctus, adeps gallinaceus, ſuillus.* Hippocrates fomentis ante venæ ſectionem vtitur, vt inde cognoſcat, an materia copioſa ſubſit in corpore. Nos autem loquimur de fomentis, quibus poſt venæ ſectionem vti licet, ratione doloris vehemētis, quæ ſunt humectantia, denſantia, emplaſtica, ſuppurantia (applicentur vt libet.) Quoad vſum. ℞ *panis triticei, decocti in lacte* ℥ij. *Vtere. Præterea.* ℞ *malu. alth. an. M.ß. aquæ* ℔ij. *fiat decoctio ad conſumt. tertiæ partis, pro fomento. Poſſumus eodem modo pinguedines applicare.* Quoad modum: his tepidis vtendum, & fomētis & inunctionibus. Sumantur veſicæ, & dimidia parte repleantur propoſitis medicamentis. Admirabile eſt, ſi hæc medicamenta parentur cum omento verbi gratia. ℞ *omentum vel caſtrati, vel vituli, vel ſuis, caleſiat moderate cum oleo amygd. dulc. cum oleo ſeſamino, & ſimilibus.* Tempus patet, nimirum poſt E venæ ſectionem, & poſtquam corpus bene expurgatum eſt. Quoad vbi: his anodynis denſantib. non tantum vtendum applicando, ſed etiam exhibendo. Nam vbi agendum indicatur a ſubſiſtentia indicantis. Si ergo pleuritis ſit interna, intra coſtas: medicamenta applicata, non ita facile poſſunt permeare, dolor eſt acerbus, qui non ceſſit venæ ſectioni, cuius inſignis doloris ratione virium lapſus imminet, & membranarum corruptio: ideo cogimur iudicare, ſanguinis ſubſiſtentiam eſſe in parte interna: & tunc hæc anodyna (quod pauci ſciunt) exhibenda ſunt. Conſulo igitur, vt vrgente neceſſitate, exhibeatis *ol. amygd. dulc. recens expreſſi* ℥viij. *Ne autem ratione olei inflammatio interna augeatur; permiſcenda eſt bona quantitas aquæ hordei: ſic enim dolor mitigatur, nec feruor intenditur.* Et tutius eſt his vti, quam illis medicamentis, quæ ſunt frigida, & improprie anodyna dicuntur. Gale. t.33. lib. 1. de rat. vict. *opiata in pleuritide improbat; nec enim ſanant, ſed ſenſum tollunt, & ſunt in cauſſa, vt reſpiratio admodum difficilis euadat.* Auicennas in dolore admo- F dum intenſo, qui digerentibus nō cedit, vtitur frigidis, potiſſimum ſi vigiliæ infeſtant: exhibet *ſemina papau. albi, cum ſaccharo, quod deterget hoc modo.* ℞ *emulſ. ſem. pap.* ℥iij. *ſacchari* ʒj. *addantur duo vel tria cochlearia ptiſanæ hordeaceæ colatæ.* Medicamenta hæc non exhibeantur actu frigida, quia virtus prohibet cauſſa reſpirationis; licet frigida magis obtunderent doloris cauſſam. Quoad quando: exhibeantur ſi eſt dolor vehementiſſimus, qui vigiliarum ſit cauſſa. Quoad vbi: hæc extra applicari non debent, maxime enim læderetur reſpiratio; ſed intro per os tantum danda ſunt.

I. Anodyna.

Diſcutientia.

Denſantia.

Frigida, ſeu opiata.

Sequuntur medicamenta, ſubiectum, ſeu pleuram reſpicientia: talia ſunt *dens apri, flores rubri papaueris, quorum magna copia eſt tempore meſſis:* ego non raro ſum vſus, dolor enim ſedatur, & pleura roboratur, vt materiam expellat morbificam. Quoad vſum: ℞ *dentis apri* ℈j. *flor. papau. rubri* ℈ij. *addatur ſyr. de liquirit. vel de capill. Ven.* ℥ß. *Miſ.* Quoad modum, poteſt eſſe lambitiuum, vel electarium. Efficax hoc eſt G electarium: ℞ *pulu. dentis apri* ʒß. *ſem. rubri papau.* ʒjß. *conſeruæ e flor. maluarum* ℥jß. *cum ſyrupo fiat electarium, cuius doſis a* ʒj. *ad* ℥ß. exhibeatur per vnam, vel duas horas ante omnem cibum. Sæpe detur: quia mitigatur dolor, euacuatur materia, fouetur pleuræ proportio.

II. Appropriata.

Quoad materiam medicinalem, quæ cauſſam efficientem reſpicit potiſſimum in pleuritide: hæc medicamenta referuntur ad materiam, vel exſiſtentem in Toto, vel in Thorace. Quæ totū reſpiciunt, poſtu-

III. Cauſſam reſpicientia.

Quando purgandũ in pleuritide.

lant diſcurſum generalem. Vnum notandum, circa *quando* purgandum. Hippocrates dolore deſcendente, inter initia pharmacum propinat, vt peplum helleborum. Vult ergo in principio eſſe exhibendum: ſicut enim dolore aſcendente vena ſecanda eſt inter initia; ita deſcendente, purgandum inter initia, niſi febris prohibeat. Dolore quidem aſcendente pharmacum ſoluens in declinatione propinandum; nam in principio ſecatur vena; in declinatione autem cum materia ſit concocta, nec aſſit cruditas, nec febris vehemens, adeſt indicans, & nihil prohibet. At ſi dolor deſcendat, pharmacum modo in principio, modo in declinatione exhibendum; prout adeſt indicans, & non adeſt prohibens. Si igitur in principio aſſit indicans, & non aſſit prohibens: tunc in principio ſoluens erit exhibendum. Non adeſt prohibens, ſi febris ſit remiſſa: tunc enim magis poteſt materia morbifica ad indicandum, quam febris ad prohibendum. Iccirco Galenus ait: ſi febris ſit vehemens, non eſſe purgandum; ſi non ſit vehemens, etiam exhibendam eſſe colocynthidem. Sed dubitatur, quomodo dolore deſcendente, in principio, materia, quæ adhuc cruda eſt, magis poſſit ad indicandum, quam vel febris, vel materiæ cruditas, ad prohibendum? Non poteſt reſponderi, materiam illam turgere: ea enim turget & furioſa dicitur, quæ huc illuc agitatur, vt ignoretur in quod viſcus ruere poſſit, metuſque ſit, ne petat partem aliquam principem: at materia in pleuritide habet raptum ad partem ignobilem, & ad partem quam medicus cognoſcit. Quare dicendum, hanc materiam morbificam eſſe crudam; & habere impetum deorſum, ad partem inferiorem pleuræ: hancque materiam, vt habet impetum deorſum in pleuram, magis poſſe ad indicandum pharmacum, quam cruditas ad prohibendum. Ratio eſt, quia Hippocrates loquitur de pleuritide, in qua eſt dolor vehemens; non de omni, ſed in qua dolor fomentis non cedit. Dum igitur augetur dolor ob impetum materiæ; occurrendum eſt, ne ob materiæ impetum, maxima excitetur inflammatio. At fomentis occurrere non poſſumus. Ergo ſoluente pharmaco materia hæc euacuanda: ideo materia magis indicat, quam cruditas prohibeat, quamque febris remiſſa prohibeat: præſertim quia hæc materia, quatenus impetum habet deorſum, facile redditur obediens pharmaco deorſum trahenti. Si febris ſit intenſa, Auicennas noctu purgat: nos vel die, vel noctu, prout adeſt indicans, & abeſt prohibens. Si enim pleuriticus noctu peius habeat, interdiu purgamus; quia morbi vehementia noctu prohibet. Auicennas autem ita loquitur, vt ſignificet, dolore deſcendente, cum ſumma vehementia materiæ, impetum deorſum habentis ſtatim inter initia pharmacum eſſe exhibendum, ita vt etiam noctu demus, ſi circa veſperam vocemur, diem ſequentem non exſpectantes. Quod ſi autem febris fuerit vehemens, ſecundum Galenum vena ſecanda, etiam dolore deſcendente: & eodem die vti poſſumus medicamento inferius vacuante, ſed leniente: Verbi gratia, mane ſecetis venam, circa veſperam exhibeatis leniens.

Diſcutientia vaporem.
Repellẽtia materiam fluentem.

Quoad materiam fluentem, in thorace contentam: ſi ſit Vapor, non eſt verus dolor pleuriticus: & tunc vti licet *anetho, chamæmelo, feniculo, cumino, dauco, aniſo, petroſelino, aromatibus, & aliis*; quæ ſua caliditate non nocent, quia affectus non eſt inflammatorius. Si autem materia fluens fuerit minera: repellentib. & aſtringentibus parce vtendum, c.17.l.11.meth. impediunt enim thoracis dilatationem. Sufficit ergo *oleũ roſaceum potius completum, quam omphacinũ, cum aceto. Et, ſi materia ſit bilioſa, addatur oleum violaceum, vel potius aqua violarum: ſi pituitoſa, oleum chamæmelinum, maſtichinum.* Vſus ſit pro diſcrimine indicantium, verbi gratia, ſi materia ſit bilioſa, & proinde huius ſit maior actio quam pituitæ; poteſtis oleum roſ. completum in maiori quantitate præſcribere, quam in pleuritide a ſanguine pituitoſo. Quoad modum: cum Galeno ca. 15. li. 1. ad Glaucon. in calida fluxione vtendum eſt oxyrrhodino, actu frigido; in frigida, tepido; quod in genere de inflammatione dictum, in pleuritide locum non habet, nunquam enim in hac actu frigidum eſſe debet medicamentum, quamuis in fluxione bilioſa minus calidum eſſe debeat. Quoad *quando:* vtendum his medicamentis, dum adeſt præſentia indicantis: nimirum in principio, dum materia fluit, & non eſt impacta. Oportet autem abeſſe prohibens. Prohibet in principio materia exſiſtens in toto & thorace. In toto, dum eſt admodum copioſa: quare in primis vena ſecanda, antequam vtamur reprimentibus. Per materiam in thorace exſiſtentem, intelligo materiam, quæ eſt in aliquo viſcere thoracis, & mouetur in thorace exſiſtens, vel a corde, vel a pulmone ad pleuram: verbi gratia, quando peripneumonia mutatur in pleuritidem: in hoc caſu reprimentibus æger necaretur, quia impetus eſt a parte nobili ad ignobilem: & reprimentia præterea prohibentur a virtute debili cordis, pulmonis, quatenus hæc viſcera propter imbecillitatem facile ſuſcipiunt. Quamobrem, ſi adeſt tuſſis, quæ tamen non ſit ratione pleuritidis; ſi adeſt peripneumonia; ſi homines ſunt obnoxii palpitationi cordis: ſignificatur harum partium imbecillitas: ideoque tunc nullo pacto reprimentibus vtendum. Quoad vbi: patet, quod parti dolenti ſint adhibenda medicamenta.

Expectorantia.

Si materia iam fluxa ſit, at nondum impacta: ſi fuerit ſanguis, præſertim feruens ac bilioſus: exhiberi debent, *ſyrupus violaceus, iuiubinus, de capillis Vener. item iuiubæ, ſebeſten, amylum, ſaccharum candum, amygdalæ, ſemina frigida mai. & minora.* Si ſanguis non ſit ita feruens, his adiungemus *ſyrupum acetoſum ſimplicem.* Si ſanguis ſit pituitoſus; addemus *oxymeli ſimplex, ſyrupum liquiritiæ, ſyrupum de farfara, loch de pino, loch de pulmone vulpis: & parabimus eclegma, e melle, e mulſa:* nam ratione ſanguinis pituitoſi opus eſt detergentibus. Si ſanguis fuerit melancholicus; aduertendum, an ſanguis ille ſit exuſtus, nec ne. Si exuſtus fuerit; addatis *ſyrupum de pomis ſimpl. ſyrupum violarum, mucilagines ſeminis althææ, maluarum; addatis paſſulas, caricas.* Si non fuerit exuſtus; ſatis erit, vti medicamentis, quibus etiam vtimur ratione pituitæ, id eſt attenuantibus, ratione craſſitiei. Hæc igitur ſunt medicamenta, quibus vtimur pro euacuanda materia, in thorace & pectore exſiſtente. De *Vſu.* Doſis augetur vel minuitur, pro varia ratione indicantis: nimirum pro copia, caliditate, craſſitie, tenuitate, viſciditate. Ratione ergo bilis, quæ calida ac tenuis eſt, & proinde ſummæ actionis, ita præſcribemus: ℞. *ſyrupum viol.* ℥ j ß. *ſacchari candi violacei* ℥ ß, *emulſ. ſemin. melon. cucurb. ana* ℥ iij. *Miſ. fiat lambitiuum.* Si ſanguis fuerit pituitoſus, craſſus, viſcidus;

Cum aceto paratorum vſus vitetur, vbi neruoſum genus imbecillum eſt, in pueris, macilentis, hyſtericis, &c.

A viscidus; ità præscribatur: *℞. oxymelit. simpl. ℥ j ß. syrupi de farfara ℥ ß. penidiorum ʒ iij. Misc. & fiat lam-*
bitiuum. Quoad modum; lambitiuum potest esse magis vel minus liquidum. Minus liquidum conuenit,
dum maior est resistentia, difficilior passio; vt si sanguis sit pituitosus & melancholicus: contra, si biliosus.
Quoad quando agendum: his medicamentis vtendum, dum adest indicans, & nihil prohibet. Indicans
adest, dum materia morbifica egreditur pleuram: hoc enim tempore materia mouetur in pulmones, &
per tussim ope eclegmatum excernitur: non debet manere in thorace, quia oritur empyema: lambitiuis
igitur vtendum, quando materia egreditur pleuram; ergo quamprimum: nam in pleuritide inflammatio-
nis materia etiam inter initia resudat, sicut in ophthalmia. Quare inter initia eclegmatis vtendum, nisi as-
sit prohibens. Prohibet autem primum materia exsistens in toto. Male igitur quidam practici in prima Error quo-
visitatione præscribunt lambitiua (:sunt quasi fœminæ, isti Medici:) nam materia in toto exsistens prohi- rundam.
B bet: eclegma enim exhibitum est in caussa tussis; tussi autem agitantur pulmones, thorax, & pleura: ideo-
que si corpus sit repletum, maius fit nocumentum, ratione attractionis nouæ materiæ, quam iuuamen-
tum. Quare & post venæsectionem & post leniens, lambitiua demum præscribi debent: potestque & san-
guis vacuari, & leniens exhiberi, eodem die; nec enim cunctandum. Prohibetur etiam lambitiuum, a ma-
teria, quæ euidenter replet ventriculum, & præsertim a materia cibali. Hinc boni practici lambitiua exhi-
bent ante cibum; & minimum per duas horas post cibum. Vbi agendum, patet: materiæ enim subsisten-
tia indicat, medicamentum per os esse exhibendum.

Tandem opus est medicamentis, quæ mineram seu materiam impactam vacuent; non potest autem Resoluētia
vacuari, nisi mutetur in vaporem. Quare hæc medicamenta debent esse calida, tenuis substantiæ: hæc sunt materiam
mitia, mediocria, vehementia: quibus vtendum, prout materia postulabit. Inter mitia recensere licet, impactam.
C quæ proponuntur ab Hippocrate & Galeno, libro secundo, de rat. vict. nim. *spongia madefacta in aqua ca-*
lida, furfures, milium, althæa, chamæmelum. fœnumgræcum. Mediocre medicamentum, secundum Hippo-
cratem, & Galenum, loc. cit. confici potest *ex orobo: item ex anetho, hyssopo, origano.* Vehementius medica-
mentum conficitur *e sale, dictamno Cretico, halcyonio, iberide & sinapi.* Quoad *quantum* agendum, ita præ-
scribi potest: *℞. furfurum M. ß. orobi, milii, ana ℥ j. Misce fiat sacculus & applicetur.* Quoad modum:
hæc medicamenta actu calida administrentur, modo magis, modo minus, pro resistentia. Forma potest
esse inunctio, fomentum, ceratum, sacculus, vesica. Quoad quando agendum: his vtendum, dum adest
materia impacta, nec aliquid prohibeat. Prohibeat autem materia exsistens in toto: licet enim ab initio
quædam fiat resolutio, & medicamentum iuuare videatur, postea tamen nocet, quia pars laxior redditur,
& fluxio augetur: quare totum ante omnia euacuandum, capite 2. lib. 2. ad Glaucon. Præterea prohibet
D materia in thorace seu pectore exsistens, sed nondum impacta: hæc ergo linctuum ope primum vacuan-
da est; deinde accedendum ad materiam impactam. Vbi agendum patet: possumus enim resoluentibus
vti & intus, & extra. Intus ea administrari debent, quæ sunt iucunda: nam virtus oris & palati prohibet
iniucunda.

Diæta, pro caussæ varietate variat. In biliosa pleuritide victus magis debet esse refrigerans, quam in Victus.
pituitosa. Victus autem in hoc affectu inflammatorio non erit plenus, nam interficerentur ægri; sed te-
nuis: Dabitur ergo *ptisana colata, & parata potius sine carne: Licet exhibere panem, vel in aqua, vel in iure di-*
lutissimo. Licet exhibere mulsam, & eam potius aquosam. Nam beneficio huius victus; materia ex accidenti
euacuatur: & virtus robusta solet permittere. De *vsu* ciborum. Quoad quantum agendum; pro actione
materiæ morbificæ, & actione virtutis, oportet augere, & imminuere quantitatem. In pleuritide summa
E est actio materiæ, si copiosa est materia: quo ergo materia copiosior, eo minus cibi alimentalis exhiben-
dum. Virtutis autem actio summa est, si debilis est virtus: nam virtus robusta est despicienda: quare virtu-
te robusta exsistente, cibus admodum exiguus est exhibendus. Quoad modum: sit liquidior cibus, si ma-
ior resistentia materiæ. Quoad quando agendum: Hippocrates cap. 44. lib. 1. de rat. vict. proponit ptisa-
nam, melicratum, & aquam, victum scilicet admodum tenuem, vsq; ad nonum diem. Male ergo faciunt,
qui illico deueniunt ad cibum plenum. Addit Galenus commen. 23. lib. 1. de rat. vict. si os madefiat, & spu-
tum a pulmone prodeat; bonum esse, sorbitionem exhibere, & sorbitionis quantitatem augere. Et in
commen. 25. ait; quod, quo plus expurgatur materiæ; eo plus cibi sit offerendum, vsque ad iudicationem.
Et comm. 22. dicit: antequam appareat sputum, sorbitionem esse exhibendam exiguam. Et comm. 25. di-
cit: mane sorbitionem esse exhibendam; vesperi autem cibum; sorbitio est victus magis tenuis; cibus, mi-
F nus tenuis. Hæc ad methodum reuocanda. Dum est sputum, dum os madefit; virtus magis potest ad indi-
candum alimentum, quam materia morbifica ad prohibendum. Contra, dum non est sputum; materia
morbifica magis potest ad prohibendum alimentum, quam virtus ad indicandum. Ratio: dum enim spu-
tum adest, fit euacuatio materiæ morbificæ: & eo tempore, præter id, quod minuitur materia morbifica,
sputum etiam vacuatur per tussim, vt pulmones laborent; vbi autem labor, ibi non prodest fames. Præter-
ea Galenus in cœna exhibet cibum minus tenuem; non quod hoc semper obseruandum sit: sed quod eo
tempore consuetudo esset, vt liberalius cœnarent, quam pranderent. Respicit ergo Galenus ad consue-
tudinem; quæ non est indicans; sed signum manifestans nobis virtutem, quæ magis eo tempore cibum
potest regere. Quoad potum: Hippocrates comm. 40. lib. 3. de rat. vict. improbat *aquam crudam, quia non* Potus.
permeat. Coquenda igitur, & alteranda attenuantibus, aceto, hordeo, & similibus. Admittitur etiam *vinum*
G *aquosum exiguum. Et commen. 2. atque 4. lib. 3. de rat. vict. videtur probare vinum dulce, sed non admodum*
crassum. Hinc quidam satis sunt in vino præbendo audaces. Igitur quoad vsum, & quando agendum: a-
qua est exhibenda tempore cibi, vt sit cibi vehiculum: & virtus non prohibet, plerunque in declinatione.
Vinum etiam exhibendum tempore cibi, vt vehiculum: prohibet autem inflammatio: quare quandiu illa
adest, non debet vinum exhiberi, comm. 2. lib. 3. de rat. vict. com. 21. l. eiusd. magis enim nutrit vna potio

mellis,quam duæ potiones vini aquosi.Quare præſente febre,& exſiſtente inflammatione,non debet vi- A
num dari,ſed potio iam propoſita.

C A P V T IV.

De Empyemate.

Nomen. PER empyema intelligimus illud vitium, in quo thorax repletur materia purulenta,cap.2.lib.2.meth.
cap.8.lib.5.method.cap.9.lib.4. de cauſſ. pulſ.commen.aphor.27.ſect.6. Generatur hoc malum,quo-
Definitio. niam pus præter naturam replet cauitatem thoracis. Empyema ergo eſt conſtipatio cauitatis thoracis,
prodiens a pure. Forma huius vitii eſt conſtipatio : quare anguſtia determinata, id eſt, diſtincta ab ob-
ſtructione, & reliquis anguſtiæ ſpeciebus. Subiectum eſt thorax, vt obtinet cauitatem : nam ſi perpenda- B
tur thorax non ſecundum cauitatem, ſed potius quantitatem ; empyema poteſt ſtatui morbus in magni-
tudine aucta.

Cauſſæ. Cauſſa efficiens eſt materia purulenta: ad differentiam humoris & aquoſitatis. Diſcurremus ergo
circa pus:de quo Galenus agit,c 3.6.8 & 9.l.5. ſimp. & com.aph.47.ſect.2. & c.5.l.4.meth.& c.16.l.11.meth.
Per pus intelligimus contentum, non continens; & proinde miſtum a toto genere præter naturam: eſt
enim opus prorſus inutile & ſuperuacaneum; vt ratione agentis aliqua e parte ſit naturale, quatenus ad
huius generationem concurrit,non modo calor præter naturam,ſed etiam calor naturalis.Eſt autem pus
opus, quod ſequitur thoracis vel expulſionem,vel coctionem: Expulſionem, dum aliunde fluit, & non
generatur in thorace: cum videlicet, propter copiam, & propterea ob errorem externum expulſio lædi-
tur, vt expultrix non poſſit expellere; ſicut contingit poſt anginam,poſt peripneumoniam, poſt pleuriti- C
dem; quando hæ inflammationes ad ſuppurationem deducuntur. Pus ſequitur coctionem; quoties ge-
neratur in cauitate thoracis. Vnde empyema,non ſemper ſequitur inflammationem;ſed quandoque ge-
neratur materia purulenta in cauitate thoracis, vt in deſtillatione a capite, vt colligitur e Galeno & Hip-
pocrate,aphoriſ.30.& 38.ſect.7.in qua coctione & generatione puris,quandoque læditur facultas,ob tho-
racis intemperiem,productam a materia deſtillante: ſed quandoque id fit, & potiſſimum ob errorem ex-
ternum.Error externus eſt materia deſtillans: quæ,cum ſit excrementitia, non poteſt verti in alimentum,
ſed mutatur in pus,quod tamen non legitimum eſt, ſed ſpurium; quemadmodum exquiſitum eſt pus,
quod prodit a loco inflammato.

Differentiæ. Quoad differentias a forma:conſtipatio eſt Maior vel Minor. Quoad ſubiectum: thorax repletur,
vel ſecundum omnem cauitatem; vel ſecundum Partem,eamq; Dextram, vel Siniſtram, Quoad cauſſam D
efficientem:pus generatur vel Extra,vel Intra cauitatem.

Signa. Signa Galenus tradit c.7.& 8.lib.4.de loc.aff.& l 2.prognoſt.comm.60.& ſeqq. In genere empyema
cognoſcitur e ſenſu grauitatis,in profundo thoracis; e fluctuatione; e difficili reſpiratione, & cum aliquo
fœtore; e tuſſi,quæ primo eſt ſicca,mox cum materia purulenta; e macie; & ſi progreditur, ſubſequitur
hectica febris; a pure enim putridi vapores eleuantur,qui cor petunt,eiuſq; ſolidam ſubſtantiam ponunt
in calefacto eſſe. Quoad ſigna differentiarum a forma:cognoſcitur maior & minor conſtipatio, & vehe-
mentia & remiſſione ſymptomatum.Quoad differentias a ſubiecto:ſi pus,verbi gratia,ſit in cauitate dex-
tra,patiens melius decumbet in dextra parte. Et,cum Auicenna,ſi applicabitis linteum madefactum tho-
raci,ſecundum vtramque partem,& dextram,& ſiniſtram;citius id exſiccabitur ſecundum partem,in qua
eſt materia purulenta. Quoad differentias a cauſſa efficiente:Si empyema ſuccedit anginæ,peripneumo-
niæ,pleuritidi;facile cognoſcitur pus eſſe legitimum,& extra genitum:ſi autem ſuccedat deſtillationi,op- E
poſitum ſtatuendum.

Indicationes. A forma non ſumuntur indicationes ex vſu. A ſubiecto non ſumitur indicatio, niſi vt roborentur
thoracis viſcera.A cauſſa efficiente,id eſt a pure ſumuntur indicationes;quatenus eſt miſtum a toto gene-
re præter naturam,lædens thoracem. Vt miſtum præter naturam,oritur indicatio eradicandi,quia a toto
genere eſt præter naturam.Si viſcidum;oritur indicatio detergendi:ſi acre;attemperandi. Vt lædit vehe-
menter;indicat remedium vehemens: ad quam vehementiam reſpiciens Galenus dicit interdum narco-
ticis eſſe opus. Vt lædit thoracem;indicatur remedium tuſſiculare,id eſt,vacuans per tuſſim.

Prognoſtica. Vitium in genere periculoſum eſt: dum enim materia a toto genere præter naturam in cauitate tho-
racis adeſt;niſi euacuetur ſpatio 40.dierum,actum eſt. Quoad differentias formales;malum eſt periculo-
ſius,ſi conſtipatio eſt maior. Quoad ſubiectum; malum periculoſius eſt,ſi tota cauitas afficiatur,quam ſi F
ſecundum partem fiat repletio:ſi repleta eſt ſiniſtra cauitas,periculoſius eſt vitium, ratione ſiniſtri ventri-
culi cordis. Quoad cauſſam efficientem; malum eſt periculoſius,vt pus eſt magis putridum,vt eſt copio-
ſius,vt acrius & viſcidius Hinc Hippoc.aph.44.ſect.7.dicit;ſi effluat pus album ægros periculum euadere.
Adhæc malum eſt peius,vt pus magis hæret:vt vehementius lędit;vt extra thoracem generatur.Si empye-
ma ſuccedat anginæ,peripneumoniæ,pleuritidi;peius eſt,quam ſi ſequatur deſtillationem.

Quoad præſidiorum materias; patent e pleuritide:notanda quædam proponemus, circa ſectionem
Venæſectio. venæ,& ſectionem thoracis.Auicennas venam ſecat.Galenus autem c.7.l.4.de loc.aff.ait,eos qui empye-
mate laborant, vires habere imbecilliores: quare non videtur adeſſe virtus permittens venæſectionem?
Pro reſolutione ſciendum: ſi empyema fiat e deſtillatione, virtutem poſſe eſſe robuſtam. Deinde ſi fiat
empyema ex inflammatione, id bifariam accidere poteſt: primum, ſi fiat ruptio inflammationis ante G
maturationem, antequam ſanguis e toto in pus conuertatur; & tunc adhuc eſt ſanguis, & propterea
ſanguis eſt euacuandus: & virtus poteſt eſſe robuſta,quia malum non eſt admodum progreſſum,cum ſan-
guis nondum ſit in pus conuerſus. Et de hoc empyemate loquitur Auicennas: ideoque dicit;ſi apoſtema
rumpatur ante maturationem, erumpit ſanguis; quare neceſſaria eſt venæſectio. Sed ſi ruptio fiat poſt
matura-

A maturationem, tunc non adest sanguis, sed pus: ergo non est sanguis vacuandus: & virtus tunc est debilis. Et ad hoc empyema respicit Galenus. Sectio thoracis est materia vehementis remedii, vacuantis pus. Vnde Auicennas ait; si materia purulenta sit copiosa, vt non possit 40. diebus euacuari, thoracem esse perforandum. Et Galenus com. aph. 27. sect. 6. probat thoracis vstionem, perforationem, dum est pus plurimũ, vt euacuari non posse videatur. Dum ergo pus affectum est vitio vehementi, neque debilibus auxiliis cedit, oportet ad vstionem cõfugere: nisi enim fiat euacuatio spatio 40. dierum, nulla est spes salutis. Quoad vsum: & primo, quoad *quantum agendum:* si fuerit summa actio puris; confertim pus est euacuandum: sed quia virtus est debilis, sensim id, & pluribus vicibus præstare oportet, vnde Hippocrates cognoscens viriũ infirmitatem, dicit; qui suppurati sunt, siue vrantur, siue secentur, si pus vniuersum fluxerit, omnes moriuntur. aph. 27. sect. 6. Quoad *modum:* si vehemens puris est resistentia, licet vti ferro candente: &, si virtus B sit debilis, foramen non sit admodum amplum: amplius, si non ita debilis. Quoad *quando agendum:* sectio vel vstio instituenda, quando adest præsentia indicantis, id est, quando nõ potest pus expurgari spatio 40. dierum. Quoad *vbi agendum:* pro varia subsistẽtia thorax aperiri debet, modo in dextra, modo in sinistra parte. At ossa prohibent: iccirco perforatio est facienda inter costas. Virtus etiam medullæ spinalis & viscerum prohibet: vnde perforatio facienda est, inferne sursum numerando, in costis legitimis, inter tertiam & quartam, vel quartam & quinctam; ratione viscerũ: præterea perforatio debet esse remota a spinali medulla, per tres digitos, citra extremitatem costarum. Hæc de cheirurgia.

Thoracis perforatio.

Medicamenta communia supponimus. Ergo proponemus tantum medicamenta respicientia pus in thorace exsistens. Pus ante 40. diem est vacuandum: ne cogamur ad perforationem cõfugere. Animaduertendum igitur, num pus moueatur, vel quiescat. Si moueatur; quandoque mouetur ad vnam partem, C quandoque ad aliam. Si moueatur, verbi gratia ad aluum: exhibeatur *manna, mel violatum solut. tandem agaricus: probatur etiam clysmi e melle rosac. & ptisana; mel enim rosaceum detergit, ptisana detergit, & acrimoniam puris attemperat, ne intestina abradantur.* Si ad renes impetum habeat: exhibenda diuretica, *reterach, petrosel. asparagi, feniculum, & alia diuretica valentia: quibus mitiora permisceantur, ratione acrimoniæ puris, vt sunt syrup. de capillis Ven. semina frigida.* Si pus impetum habeat simul & ad renes, & ad aluum: maxime probatur *ius galli, mediocriter antiqui, cum melle rosato, vt fiat euacuatio per aluum, & cum diureticis, vt fiat euacuatio per renes.* Si ad pulmones impetum habeat: oportet vti *loch de pulmone vulpis, oxymelite simpl. & scillitico, potest aliquid mannæ addi; & ratione acrimoniæ puris aliquid syrupi violati, nõnihil liquiritiæ.* Si motum habeat ad cutim: post perforationem maxime probatur *mulsa, modo magis, modo minus diluta, pro viscíditate & acrimonia puris.* Si denique conquiescat materia purulẽta, id est, non habeat impetum: applicari D debent *althæa, ol. lil. alb. cerine, emplastrum sacrum, & similia, quæ possunt materiam impactam attenuare & dissoluere.* Quod si ob puris acrimoniam dolor sit intensissimus, Auicennas stupefacientibus vtitur, sed cum moderatione, ne respiratio reddatur difficilis. Possumus ergo vti *seminibus pap. albi, non vltra ℥ij. vel iiij. idque in dolore vehementi.*

Expurgãtia pus e cauitate thoracis.

Narcotica.

Diæta ad proportionem respondebit. Quare si pus impetum habeat ad aluum; cum cibis *beta miscenda, & alia lubricantia possumus etiam cibariis addere, mel, caricas, passulas, vt aluus fiat lubrica.* Si ad renes impetum habeat; cibis permiscenda *semina melonum, petroselinum.* Et sic de aliis. Potus similiter præstituendus: &, nisi sit febris, vinum exhibere licet.

Diæta.

CAPVT V.

E

De Peripneumonia.

PEripneumonia pœne vt pleuritis curatur: quare de ea pauca. Intelligimus autem inflammationem pulmonis, cap. 2. lib. 2. ad Glauc. Generatur hoc vitium, quia sanguis fluit in pulmones, & ita agit in pulmones, vt calefiant, & tumeant. Peripneumonia ergo est tumor calidus pulmonis, procedẽs a sanguine. Forma est tumor calidus: vnde pulmones in peripneumonia afficiuntur duplici morbo; in aucta magnitudine, quia est tumor; & in intemperie, quia est tumor calidus. Subiectum est pulmo; non pleura, vt in pleuritide. Caussa efficiens est sanguis, quia affectus est inflammatorius. cap. 2. lib. 4. de præsag. pulſ. cap. 9. lib. 2. loc. aff. Vt plurimum peripneumonia fit a sanguine pituitoso, quamuis possit etiam alius esse sanguis: sicut pleuritis promtius fit a sanguine bilioso, cap. 10. lib. 2 de cris. cap. 12. lib. 4. de caus. pulſ. pulmo enim laxus est & bilem susceptam non facile detinere potest; pituitam autem vtpote viscidam, facilius. F Ceterum, cum sanguis, peripneumoniæ caussa, sit mistum præter naturam, lędens pulmones: quatenus est mistum; potest esse quilibet sanguis, sed præcipue pituitosus. Quatenus pręter naturam; peccatum sanguinis esse potest secundum formam, si sit putridus; secundum quantitatem, si copia peccat; secundum qualitatem & primam, & secundam, tum alteratricem, tum motricem; sicut declarauimus in pleuritide. Vt autem hic sanguis lædit; lædit potius vehementer. Vt lædit pulmones; eos vel Totos, vel secundum Partem lædit.

Nomen. Definitio.

Caussa efficiens.

Quoad differentias a forma: vt peripneumonia est tumor calidus, differentia est secundum Magis, vel Minus. A subiecto: pulmo Totus, vel secundum Partem afficitur. Ab efficiente: sanguis est Purus, vel Permistus: Item, sanguis vel Attrahitur a pulmone, vel Transmittitur in pulmonem; & vel a Toto, vel a Parte.

Differẽtiæ.

G

In genere peripneumonia indicatur e respiratione, dolore, tussi, pulsu vitioso, febre assidua, & colore maxillarum mutato. cap. 9. lib. 2. loc. affect. cap. 7. lib. 4. de loc. aff. cap. 2. lib 4. de præsag e pulſ. cap. 12. lib. 4. de causſ. pulsuum. Respiratio difficilior est, quam in pleuritide; nam maior est necessitas euentandi caloris. Dolor, ad differentiam pleuritidis, est grauatiuus, & satis remissus, non cum sensu punctionis. Ideo estote diligentes: nam interdum medici vocant peripneumoniam, pleuritidem obscuram, & interdum

Signa.

putant esse flatus:vnde ægri vinum bibũt,& moriuntur;sicut accidit Fallopio. Tussis molestior est, quam A
in pleuritide;quia primario afficitur pulmo;in pleuritide per consensum. Pulsus est mollis,velox, creber,
inæqualis;qui quandoque magnus videtur,nam vehementer percutitur arteria;sed est tamen languidus,
quia vis seu facultas frangitur. Facies denique est rubicunda,ob euaporationem sanguinis in caput. Quo-
ad differentias a forma:symptomata vehementiora,indicant affectionem vehementiorem. Quoad diffe-
rentias a subiecto;si afficiatur totus pulmo;dolor ille grauatiuus,omnes partes thoracis occupabit. Quo-
ad differentias a caussa efficiente:quis nam sit sanguis peccans,cognoscetur e traditis in pleuritide.

Indicationes. Quoad præsidia,secundum Auicennam & Rhasim,eadem est cura peripneumonię & pleuritidis:vt
differentia tantum sit ratione subiecti. Hic ergo indicatio oritur corroborandi pulmones.

Prognostica. Malum autem hoc maxime est periculosum: cum enim sanguis vehementer lædat & summæ sita-
ctiuitatis,ac resistentiæ;si contingat virtutem esse debilem; vitium prorsus est lethale, solis Sacerdotibus B
relinquendum.cap.quinto,lib.10.method. Quoad differentias formales: vt tumor est maior, ita peius vi-
tium. A subiecto: maximum periculum, si totus pulmo afficiatur. Ab efficiente: vehementia sanguinis
ponderanda,vt in pleuritide:vbi notandum,peripneumoniam a sanguine bilioso,quæ raro fit, esse peri-
culosissimam;solet enim interdum fieri,ob bilis copiam,& crassitiem,& ob pulmonis imbecillitatem:quę
pessima sunt.

Curatio. Quoad materiam cheirurgicam: Rhasis in principio basilicam secat:deinde curat malum: vt pleuri-
1. tidem. Vnica enim basilica in peripneumonia est secanda,& quidem statim;nam sanguis est aff ctus vitio
vehementi,& vehementer lædit pulmones:præterea virtus in peripneumonia, quamuis robusta, cita ta-
men succumbit;contra,in pleuritide. Quoad quando:adest indicans,sanguis vehementer lædens,& im- C
minet virtutis lapsus:ergo quamprimum vena secanda. Quoad vbi:sanguis subsistentiam habet circa pul-
2. mones:ergo basilica aperienda. Medicamenta conueniunt, quæ in pleuritide:differentia est secundũ ma-
gis & minus:nam sanguis magis lędit in peripneumonia,quam in pleuritide:quare omnia sunt vehemen-
tiora. Præterea discrimen est in loco affecto:in pleuritide læditur pleura;in peripneumonia,pulmo. Ideoq;
3. medicamentis miscenda sunt, quæ pulmonem respiciunt, vt sunt *pulmonaria, pulmo vulpis pulm ... iatur*.
Reliqua petenda e cap.de pleuritide,& de tussi. Idem de diæta iudicium:præcipue in peripneumonia a *vi-
no* abstinẽdum,magis enim nocet,quam in pleuritide,quia est inflammatio visceris intimioris, quod ma-
lam suam affectionem cordi communicat.

CAPVT VI.

De Sputo sanguinis. D

Nomen. SPutum sanguinolentum,est malum frequens,quod multos iugulat ob medicorum inertiam: ideo de
hoc malo diligenter tractabimus. Potest autem dupliciter sumi sputum sanguinolentum: non princi-
paliter,cum succedit inflammationi,verbi gratia quando in pleuritide sputum cruentũ eiicitur;& de hoc
non loquimur. Secundo igitur modo per sputum sanguinolentum intelligimus sanguinem, per os egre-
dientem, & immediate prodeuntem e vasis sanguinem detinentibus: ad differentiam sputi cruenti non
Generatio. principalis,quod fit,dum sanguis non immediate e vasis exit,sed e capacitate membri. Generatur malum
hoc,dum caussa aliqua præter naturam occurrit vasis sanguinem continentibus,ita ea afficiens, vt facul-
tas retentrix vasorum non possit sanguinem retinere,vnde per os egreditur.

Definitio. Hoc ergo sputum cruentum,est exiens sanguis oris,procedens a læsa retentione vasorum sanguinẽ E
Forma. continentium. Forma est exiens sanguis,cap.vlt.lib.de diff.sympt.cap.vlt.lib.3.de sympto.caus.cap.2.lib.5.
method. Est exiens mutatum:non morbus,non caussa,sed symptoma; non actio læsa, non qualitas, sed
exiens;& cum exiens mutatum possit esse varium,hic est sanguinolentum: vbi per sanguinem intelligi-
Subiectum. mus & venalem,& arterialem,ad differentiam alterius materiæ,quæ potest egredi. Subiectum, per quod
egreditur,est os:ad differentiam sanguinis egredientis per nares,vel per alias partes. Hoc exiens a toto ge-
nere est præter naturam,ratione loci,quia sanguis per os egreditur;ad differentiam sanguinis per vterum
exeuntis:is enim locus a natura destinatus est sanguini exeunti,ideoque illa excretio non est præter natu-
ram ratione loci. Non tamen sputum sanguineum toto genere præter naturã est,omnibus modis, & sim-
pliciter:quia interdum egreditur sanguis non putridus;interdum critice per os egreditur:dicitur ergo to-
to genere præter naturam,ratione loci.

Caussa efficiens. Caussa efficiens,est læsa retentrix vasorum sanguinis. Quare duo explicanda: primo, quæ nam sit F
caussa læsæ retentionis:secundo,quæ sit caussa ob quam vasa,sanguinem detinentia,afficiatur. Caussa er-
1. go læsæ retentionis est id,a quo pendet exiens hoc mutatum:quod cum sit symptoma secundum,necessa-
rio dependet a primo(*primum symptoma,est actio læsa,quæ immediate morbum sequitur: secundum est tum
qualitas mutata,tum exiens;quæ a primo dependent.*) Primum symptoma est actio: quæ multiplex esse po-
test:attractio,retentio,concoctio,expulsio. In definitione proposuimus retentionem,non alias actiones;
nam hæc vasa a natura genita sunt ad sanguinem detinendum;ideoque si contingat vt horum vasorũ læ-
datur retentio,egreditur sanguis. Læditur autem retentio,non ob errorem externum,sed læsa retentrice,
2. eo modo,quo facultas lædi potest,id est,quatenus vas,sanguinem continens, quod est sedes facultatis re-
Ἀναστόμωσις. tentricis,afficitur aliquo morbo. Nam in sputo sanguineo,necesse est vas affici aliquo morbo. His mor- G
bus quandoque est mala compositio,nõnunquam soluta vnitas. Mala compositio est duplex: primum A-
nastomosis,id est,apertio immodica præter naturam orificiorum vasorum: qui morbus pertinet ad con-
formationem,vt consistit in meatu. Anastomoseos huius caussa interna,est sanguis copiosus & calidior,
qui sui copia & caliditate quandoque præter naturam orificia vasorum aperit. Externa caussa esse potest
Διαπήδησις. balneum aquæ dulcis,item aloe,&c. Alter morbus pertinens ad malam compositionem,est Diapedesis,id
est,rari-

A est,raritas præter naturam meatuum,qui pertinent ad tunicas vasorum. Huius morbi caussa potissimum
esse solet sanguis tenuior,serosior.Hi duo morbi sunt malæ compositionis, vt expresse Galenus in lib.de
diff.morb.asserit.Interim tamen Galenus c.1.l.3.meth.videtur anastomosin & diapedesin referre ad solu-
tam vnitatem:vbi sciendum,hos ipsos morbos non quidem esse in soluta vnitate,sed posse esse caussas so-
lutæ vnitatis:hæc enim fieri potest,ex immodica apertione,& raritate;cum non infrequens sit, vnũ mor-
bum sequi alium. Tandem est alius morbus,soluta vnitas:a Galeno loc.cit.dicitur διαίρεσις,id est, dissolu- Διαίρεσις.
tio.Huius solutæ vnitatis caussa interna,potest esse sanguis copiosus & flatulentus, qui facit solutam vni-
tatem non quamlibet,sed ruptionem:fieri item potest soluta vnitas a sanguine acri,qui abradendo efficit
solutam vnitatem:vnde hæc soluta vnitas non est simplex,sed necessario habet aliquid permistum,scilicet
deperditionem substantiæ partis:& hæc caussa potissimum est pituita salsa. Caussa extrinseca,potest esse
B quælibet primitiua,quæ cum impetu agit;siue sit,verbi gratia põdus onerosum,siue vox immoderata,vel
quælibet alia externa caussa,quæ aut contundendo,aut incidendo,potest vasorum vnitatem soluere. Per
vasa autem continentia sanguinem,intelligimus vasa pertinẽtia ad pulmonem,ad guttur,ad os,ad caput,
ad ventriculum,ad hepar,ad lienem,ad vterum.Anastomosi magis obnoxia sunt vasa calidiora & humi-
diora,quæ promtissime afficiuntur & reserantur.Diapedesi obnoxia sunt tenuiora.Quoad diæresin;si va-
sa fuerint tenuia & mollia,promtissime abraduntur,& franguntur a caussa extrinseca: si crassa & dura fa-
cilius dissoluuntur ab interna caussa,verbi gratia sanguine replente,flatulento : nam vasa dura quia non
possunt extendi,rumpuntur.

Quatenus sanguis exiens est mistũ:potest esse Syncerus sanguis,vel Permistus cum aliis humoribus. Differẽtiæ.
Vt autem est præter naturam,secundum formam vel est Putridus,vel Non:secundum quantitatem,Ma-
C gis vel Minus copiosus:secundum qualitatem,Primam quidem,calidus est vel frigidus ; secundum quali-
tatem Secundam;est huius vel illius coloris,odoris,saporis,&c.Præterea perpendere oportet motum: vbi
respiciendum ad modum,& ad terminum a quo.Ad modum,vt egreditur Critice,vel Symptomatice:itẽ,
cum Spuitione,cum Screatu,cum Tussi,cum Vomitu. Quoad terminum a quo;differentiæ oriuntur,vt
prodit sanguis a Vena,vel ab Arteria;& vel pulmonis,pectoris,gutturis,oris,capitis,vẽtriculi, iecoris,lie-
nis,vteri.Quoad differẽtias a caussa symptomatis:fit exitus sanguinis,vel ob Malam compositionem , vel
ob Solutam vnitatem:si ob malam compositionem,vel Anastomosin,vel Diapedesin : si ob solutam vni-
tatem,vel Simplicem,vel cum Deperditione partis,vt quando fit ex abrasione.

In genere vitium hoc est manifestum.Quoad differentias symptomatis huius,vt est mistũ;num san- Signa.
guis per os egrediens sincerus sit,an permistus cum alia materia;oculis conspicitur. Quatenus autem est
D prȩter naturam,& primo secundum formam:an sanguis sit putridus,nec ne;odor indicat,& sapor:de quo
conqueretur ægrotans.Quoad vitium secundum qualitates primas & secundas: sanguinis sputum in ge-
nere seipsum manifestat,an calidum,crassum,magis vel minus rubicundum,huius vel illius odoris; quæ
vel ex ægri relatione,vel aspectu, manifesta fiunt, verbi gratia si calidum erit, ægrotus dicet,se persentire
sensum caliditatis:crassities & color oculis cognoscuntur.Quoad modum sanguinis egredientis : cogno-
scendum,an exeat vel per simplicem exspuitionem,vel per screatum,vel per tussim,vel per vomitum. An
vero exeat per viam crisis,vel non;cognoscitur e tolerantia ægri:nam si exiens est criticum,ægri facile to-
lerant:& si quandoque contingat in febribus putridis,in ardentibus,signa erunt coctionis:si contra , erit
symptomaticum exiens.Circa terminum a quo,cognoscendum, an egrediatur a vena, vel arteria, capite
secundo,libro de atrabil. si ab arteria prodeat,sanguis est admodum calidus,satis tenuis,potius flauus,quã
E rubicundus,& saltu quodam impetuoso exit:contra,si a vena.Deinde etiam cognoscendum , a qua parte
sanguis prodeat.Si ergo egrediatur e pulmonum vasis,nõ nisi per tussim excerni potest;nullus dolor erit, A qua parte sanguis prodeat.
quia pulmo sensu caret,& præsertim eo sensu,ob quem dolor oboriri potest.Si a pectore prodeat,egredi-
tur quidem cum tussi,sed potest esse dolor,quia pectus seu thorax non caret sensu tactus.Potest etiam fie-
ri,vt prodeat a capite,& tussi excernatur,sine dolore:hinc si cõtingat,vt sanguis in capite existens, descẽ-
dat in pulmones,& hinc per tussim,ac sine dolore per os egrediatur;aderunt signa capitis male affecti. Si
autem prodeat a pulmone,non assunt signa malarum aliarum partium.Et præterea accidere potest, vt si-
mul cum sanguine egrediatur pulmonis substantia ; & tunc sanguis procul dubio a pulmone prodit: sed
hoc rarissimum est.Oportet autem diligenter obseruare,quæ per tussim excernuntur : nam interdum pi-
tuita crassa & viscida tussi eiicitur, habens sanguinem permistum : vt aliqui interdum suspicentur,sub-
F stantiam illam albicantem esse substantiam pulmonis:at hoc falsissimum est;nam in pulmonis substantia
non est visciditas. Præterea, cum hoc sit rarissimum, cognoscitur sanguis prodire a pulmone,quoties est
spumosus:nam a capite spumans esse non potest.Sed dubitatur, cur non sanguis etiam a capite in pectus
descendens spumosus fiat?nam spuma fit e materia humida & vaporosa,concurrente,vel calore , vel mo-
tu,vel vtrisque. Si ergo sanguis a capite in pectus destillet ; adest materia humida , scilicet sanguinea,&
materia vaporosa,scilicet aer, qui assiduo inspiratur , & exspiratur ; adest etiam motus , nam sanguis a ca-
pite in pectus descendit,& a pectore in os ascendit,ideoque adest motus:in eo etiam loco calor est : præ-
terea dum sanguis tussi expellitur , necessario generatur spuma. Sed respondendum ; spumosum san-
guinem,differre a sanguine cum spuma. Sanguis spumosus est, qui secundum omnes sui partes & inter-
nas,& externas,est refertus spuma : & hic solum a pulmone prodit.Sed si spuma sit in sanguinis superficie,
G hic a capite procedit,& potius dicitur cum spuma , quam spumosus. Quare sanguinem sputo reiectum,
diligenter virgulto agitatum lustrare debetis. Si a pectore prodeat sanguis , non est spumosus, ob ratio-
nem dictam:non copiosus,non admodum feruens:at qui a pulmone,est feruens:præterea sanguis erit ni-
gricans(qualis a pulmone non prodit)& quandoque grumosus,quia egreditur venas pectoris,& per mo-
ram aliquãtulam grumescit:possunt etiam apparere noxæ circa thoracẽ,verbi gratia si prægressa sit aliqua

cauſſa percutiens thoracem,& ſubſecutum ſit ſputum ſanguinolentum. Si prodeat a gutture; egreditur A
cum ſcreatu:adeſt quoque tuſſis,ſed exigua.Si ab ore;egreditur ſimplici exſpuitione.Si a capite, frequens
eſt ſcreatus,titillatio quædam eſt in gutture:ſanguis eſt cum ſpuma,non ſpumoſus: Actius addit, præce-
dere dolorem capitis,grauitatem & calorem capitis,vertiginem,ebrietatem,plagam capitis. Si prodeat a
ventriculo,ſanguis eſt exiguus,nam paruæ ſunt ventriculi venæ: egreditur cum vomitu: miſtus eſt cum
pituita, nam hæc in ventriculo generatur.Si prodit a iecore,vel liene,cum vomitu excernitur, quia pri-
mum petit ventriculum, ſed eſt copioſus: & quidem,ſi e liene, nigricans eſt,poſſuntque adeſſe lienis vi-
tia:contra,ſi a iecore.Si prodeat ab vtero,varius eſt ſanguis,prout varia eſt materia illa menſtrualis; aſſunt

Cauſſarum ſigna.

indicia affecti vteri;eſt tempus,quo alias fluere menſes conſueuerunt,iam tamen ſuppreſſi ſunt, vnde tale
ſputum ſuccedit. Quoad ſigna cauſſarum:anaſtomoſis cognoſcitur,quia egreditur ſine dolore: præceſ-
ſerunt,vel aſſunt cauſſæ,quæ poſſunt anaſtomoſin efficere, verbi gratia ſi ſanguis in corpore ſit copioſus, B
calidus; ſi prægreſſus vſus immoderatus balnei aquæ dulcis. Diapedeſis cognoſcitur, quia eſt ſine dolo-
re,& ſanguis neceſſario exiguus,tenuis,ſeroſus. Diæreſis cognoſcitur,quia dolor eſſe poteſt præſens,qui
fit,non ratione corporis proprii vel venæ,vel arteriæ,(vt in methodo anatomica docuimus) ſed propter
partes vicinas, & potiſſimum propter externas membranas, quæ neruoſæ ſunt:cognoſcitur etiam,quia
per initia ſanguis exiguus egreditur; at quia diæreſis indies augetur, copioſior etiam tum exit ſanguis,
& confertim, cum impetu. Si forte diæreſis producatur a cauſſa abradente, verbi gratia ſi cauſſa abra-
dens ſit ſalſa pituita, adeſt catarrhus ſalſus a capite in pectus, cui ſuccedit ſputum ſanguinolentum;tunc
enim ſuſpicio eſſe poteſt,diæreſin a cauſſa abradente eſſe excitatam. Si fiat diæreſis a cauſſa frangente, ab
incidente,pungente,& ſimilibus,citra abraſionem;iudicandum diæreſin eſſe ſimplicem,non cum deper- C
ditione ſubſtantiæ.

Indicationes.

Cum autem exiens ſanguinolentum oris, procedat a læſa retentione: ob id oculi dirigendi ſunt ad
Sanguinem,& ad læſam Retentionem:c.5.13.14.l.5.meth.c.4.l.7. κ.τόπ.Sanguis pro vario peccato varia in-
dicat:copioſus,imminutionem;calidus,refrigerationem;tenuis,incraſſationem: ratione motus, oportet
reuellere,intercipere.Et cum ſanguis vehementer lædat,opus eſt vehementi remedio. Retentio, vel re-
tentrix læſa,nihil ex vſu indicat.Anaſtomoſis autem indicat aſtringentia:diapedeſis,condenſantia:diære-
ſis,vnientia,& agglutinantia;quandoque autem dum ſcilicet in diæreſi adeſt etiam deperditio ſubſtantiæ
partis,quando fit propter abraſionem,tunc præter vniens,opus eſt etiam ſarcotico,regenerante quod eſt
deperditum.

Prognoſtica.

Ceterum ſanguis per os egrediens,qualiſcunque fuerit,malus:aphor.25.ſectio.4.Auicennas ait,non
omne ſputum ſanguinis eſſe timoroſum,ſed quoddã eſſe cum ſanitate: vbi ſcilicet intelligit ſputum cru- D
entum non principale,quod apparet in inflammationibus; in pleuritide enim, verbi gratia ſi adeſt ſpu-
tum ſanguineum,eſt potius bonum,& ſignificat ruptionem apoſtematum. Galenus autem loquitur de
ſputo ſanguinis principali: de quo & nos agimus. Hoc in genere non vacat periculo:quod tamen pro vi
differentiarum variat.Nam quoad ſanguinem,malum eſt periculoſius,ſi ſanguis ſit putridus, copioſus,

Huic medicus ita occurrat, ne ſubſequatur inflammatio.

calidus,tenuis,flauus,ſalſus,ſpumoſus,cum tuſſi.Ratione loci:vitium eſt periculoſius, ſi ab arteria, quam
ſi a vena,c.7.l.5.meth.Periculoſum eſt hoc malum,ſi a pulmone:nam ſi ſubſequatur inflammatio, in totũ
ægrotantes non poſſunt ſanari,c.14.lib.5.meth.Minus periculoſum,ſi ex aliis partibus; vnde Hippocrates
aph.37.ſect.7.ait,qui euomunt ſanguinem,ſed ſine febre,malum eſt non admodum periculoſum.Diape-
deſis minus periculoſa:magis anaſtomoſis:maxime diæreſis,& potiſſimũ,ſi fiat ex eroſione. Præterea Ga-
lenus c.14.l.5.meth.ait;inciſionem & fractionem poſſe curari:at ſi fiat diæreſis a cauſſa abradente, impoſ- E
ſibile eſſe,vt in totum ſanetur:vt fuſius explicabimus in ſerm.de phthiſi.

Curatio. Venæſectio.

Quoad materiam cheirurgicam:venæſectio conuenit,quia adeſt indicans, nimirum ſanguinis pec-
catum vehemens;non tamen ſemper omnibus modis,ſed quandoque copia,interdum ſolo motu ſeu im-
petu,ad vaſa vel huius vel illius partis. Interdum autem virtus prohibet, vt in muliere illa Romana,quæ
per quatriduum ieiunarat,c.13.l.5.meth.Si igitur permittat virtus,ſemper vena aperienda. *Vſus*.Auicen-
nas in plethora aperit ſaphenam,poſtea baſilicam.Sanguis enim in illa repletione habet ſubſiſtentiam ſu-
pra & infra iecur.Quoad *quando agendum*,primum tundit ſaphenam:nam in ſputo ſanguinis opus eſt re-
uellere,& reuulſio potentior eſt,ad magis longinqua facta:propterea vena remota primum aperitur,de-
inde proxima.Addit Auicennas in ſputo ſanguinis e catarrho non valde linioſo,opus eſſe ſtatim phlebo-
tomate. Hic proponitur quid agendum, & quando. Quid agendum;dum ait,eſſe venam ſecandam,in F
ſputo ſanguinis non valde bilioſo,ad differentiam valde bilioſi;nam in catarrho valde bilioſo, non eſt ſe-
canda vena,ſed oportet purgare;iuxta Hippocratis ſententiam;ſi talia purgantur,qualia,&c.Quoad *quã-
do*;dicit,ſtatim:nam adeſt indicans:vnde ſi nihil prohibeat,quamprimum eſt ſecanda vena. Addit Auicẽ-
nas,in ſputo ſanguinis a pulmone;ſecandam eſſe baſilicam partis ſolutæ vnitatis; & phlebotomiam fieri
debere ſubtilem,ac interpolatam tribus horis,pro conſeruatione virtutis.Hinc etiam Galenus,cap.8.lib.
5.meth.in ſputo ſanguinis a fractura vaſorum pulmonis,quamprimum incidit venam internam, & bis,
terve vacuat,cauſſa reuulſionis:poſteriori etiam die venam ſecat,ſi fortis fuerit virtus. Ex his verbis colli-
gitur quantum agendum,quando, & vbi. Quoad *quantum agendum*; Auicennas proponit phleboto-
miam ſubtilem,per quam non intelligit foramen paruum:hoc enim a tenuitate & craſſitie ſanguinis in- G
dicatur;ſed intelligit venæſectionem talem,in qua,licet ſanguis copia peccet, verbi gratia, ad ℔ij.tamen
non educitur vna vice ad ℔ij.ſed in parua copia,& vicibus pluribus.Cauſſa huius præcepti eſt:quia in ſpu-
to ſanguinis,neceſſario ſemper ſanguis peccat ſecundum motum,& interdum ſecundum copiam. Ergo
ſemper indicatur remedium reuulſorium; & interdum vacuans. Sanguis ratione copiæ magis poteſt;
ratione motus, minus: nam ſanguis copioſus & præſens actu operatur; ratione motus operatur tan-
tum

A tum sanguis proximus vasi affecto, non remotus. Cum ergo non ita vigeat sanguinis vehementia, ratio-
ne motus: iccirco Auicennas sanguinem educit in parua copia, & vicibus supplet. Protinus autem secat
venam, quia sanguis vehementer peccat, & adest præsentia sanguinis vehementer peccantis. Si contin-
gat, vt perseueret hoc vitium vehemens: etiam sequenti die adest præsentia, ideoque vena tunc etiam a-
perienda. Quoad *vbi*: vena cubiti interna, eiusdem lateris aperienda; prout vas pulmonis afficitur secun-
dum partem dextram, vel sinistram. Hinc Galenus commen. aphoris. 32. sectio. quinto, in vomitu sangui-
nis ob suppressionem mensium, secat saphenam; quia respicit ad subsistentiam, quæ sequitur essentiam
indicantis, id est, impetum sanguinis. Quoad reliquam materiam cheirurgicam, Galenus in fine libr. 1.
ad Glaucon. si sanguis a liene prodeat, cucurbitulam magnam sinistro hypochondrio adhibet: si a iecore, Cucurbitula magna.
dextro.

B Galenus cap. 14. lib. 5. meth. in sputo sanguinis imminente, e catarrho, quamprimum probat medi-
camentum *ex aloe, e scammonio, e colocynthide, ex agarico, e bdellio, & gummi Arabico*: vt plura excrementa Medicamẽta, ratione totius.
possint euacuari. Sed cum aloe aperiat venarum orificia: ergo nescio, an in sputo sanguinis liceat vti tali re-
medio. Et augetur difficultas, quia Galenus hæc medicamenta quamprimum exhibet, etiam ante coctio- Expurgãtia materiam acrem.
nem; non tantum aloem, sed etiam colocynthidem, medicamenta vehementissima. Sed methodus Gale-
num tuetur: non enim de sputo sanguinis præsenti loquitur; sed de imminenti, non e qualibet caussa, non
ex anastomosi, non e copia sanguinis, sed e catarrho, in quo ob materiam acrem imminet sputum sangui-
nolentum ex abrasione: materia enim catarrhalis est acris, peccat in qualitate: ergo non imminet apertio,
sed abrasio. Proinde medicamentum ex aloe confici potest, quia non est apertio actu, sed est periculũ ab-
rasionis. Ob eandem caussam ante coctionem exhibet medicamentum electiue purgans, in principio,
C cruda adhuc exsistente materia: adest enim indicans, quod magis potest quam prohibens. Indicãs est suc-
cus vitiosus, qui potest esse in caussa abrasionis, & sputi cruenti, & tunc malum esset insanabile: ergo mate-
ria, quæ potest esse in caussa mali insanabilis, vehemens est, & multum potest; & quidem magis quam fu-
riosa. Nã furiosa huc & illuc mouetur, vt periculũ sit: ne petat partem principalẽ, q̃ si petat, actũ est: inter-
dũ autem non petit partem principalem, quod si fit, non est periculũ mortis. Sed materia hæc catarrhalis,
quoties excitat sputum sanguinis, excitat vitiũ necessario mortale. Cum igitur materia furiosa magis pos-
sit ad indicandum, quam eius cruditas ad prohibendum: multo magis coctio negligenda est in sputo san-
guinis e mordacibus succis, præsertim dum imminet abrasio. Quamobrem in sputo sanguinis præsenti, &
imminenti, quamprimum, non exspectata concoctione, pharmacum soluens est propinandum: quia ma-
teria catarrhalis, quæ abradit, vel abradere potest, magis potest ad indicandum, quam cruditas ad prohi-
D bendum.

Sequuntur medicamenta magis determinata. Hæc respiciũt, vel materiam catarrhalem, vel sangui-
nem. Materia catarrhalis perpenditur, vel vt fluit, vel vt fluxit. Si fluit, cum Galeno c. 13. lib. 5. meth. oportet Intercipiẽtia, & incrassantia materiam catarrhalẽ fluentem.
vti *theriaca, sed recenti, verbi gratia, quatuor mensium: quod si recentis copia non sit, vtamur Mithridatio re-
centi: si nec hoc præsto sit, vtamur requie Nicolai, Philonio Rom. quæ tamen duo non debent ita recentia esse, sed
vnius anni.* His enim vtimur ratione materiæ fluentis; & iam supponimus totum esse vacuatum. Dum igi-
tur corpore vacuato materia adhuc fluit; oportet intercipere, crassefacere, medicamẽtis propositis. Si ob
defectum theriacæ & Mithridatii, cogamur vti Philonio; non sincero vti debemus, sed permiscebimus
saccharum rosaceum, vt maior sit dosis sacchari ros. Quod si tantus non sit impetus materiæ fluentis: possu-
mus vti *saccharo rosaceo, vel eiusdem anni, vel etiam antiquo, cum bolo Armeno.* Vsvs. Quoad *quantum a-*
E *gendum*, ita præscribatur: ℞. *theriacæ recentis ℨj fiant boli.* Vel: ℞. *Philonii Rom. saltem vnius anni ℈j. saccha-
ri rosati ℨij. Misce.* Sequens magis tutum est, & frequentius potest exhiberi: ℞. *sacchari antiqui rosati ℥j. bo-
li Arm. ℈ij. Misce: exhibeatur hoc duabus vicibus.* Quidam imprudentes Medici describunt electaria adeo
crassa & dura, vt sint instar lapidis: & hi a pharmacopolis deridentur. Ideo si ob summam materiæ indi-
cantis actionem, cogamur vti bolo Armena in magna copia, & permisceatur saccharum rosaceum; de-
bemus etiam addere aliquod medicamentum liquidius, vt electarium possit deuorari. Si igitur scopus sit
incrassandi, vt materia fluens intercipiatur: permisceri possumus *syrupum de rosis siccis, vel syrupum myrti-
num.* Porro Galenus theriacam, gratia interceptionis, exhibet post clysteres acutos: quia alias materia in
toto exsistens prohibet: quare prius vacuanda: & cum non semper medicamenta per os exhiberi queant,
sed administrandi clysteres acuti: & post clysmos vti oportet intercipientibus. Præterea Galenus exhibet
F theriacam (quod etiam in reliquis intercipientibus obseruandum) non modo post acres clysteres; sed et-
iam post ligaturas artuum: reuellebat enim materiam ad partes longinquas viliores. Post, capiti *stercus co-
lumbinum* applicabat, volens inprimis diuertere materiam, quæ est in capite, & ab hoc fluxura erat. Non
autem oportet statim confugere ad theriacam: ideo Galenus exhibebat theriacam, quando ægrotantes
debebant dormire: ratio est, quia tempore somni adest materia descendens: ergo est præsens fluens; neque
adest prohibens, quia iam erat facta euacuatio, reuulsio. Hæc de materia vt fluit.

Si respiciamus ad materiam, fluxam in pulmones: hæc vel est materia catarrhalis, vel sanguis. Si ma-
teria catarrhalis sit fluxa, oportet vti *melle cocto, saccharo, melle rosaceo aliqua e parte cocto*; quia hæc euacu- Euacuantia materiam catarrhalẽ fluxam.
ant, & detergunt, & mitia sunt; nam in sputo sanguinis periculum est, ne vehementer expectorantia in-
tendant anastomosin, diapedesin, diæresin: quare *non vtimur melle crudo, sed cocto & rosaceo.* Aliquando
G materia catarrhalis satis est contumax, vt cogamur confugere ad valentiora, *ad syrupum de farfara, de hys-
sopo, ad loch de pulmone vulpis*: de quibus in sermone de tussi. Vsvs *quando agendum.* Galenus cap. 13. lib. 5.
method. post secundum diem vtitur mitioribus, & valentioribus quincto die: nam primis diebus adest
præsentia indicantis: secundo die adest indicans, scilicet materia iam fluxa, sed adest etiam prohibens, id
est, morbus vasis, scilicet anastomosis, diapedesis, & diæresis; qui morbi egent quiete, cum per motum,

& per tuſſim augeantur: ideoque non oportet tam citò ad vehementiora accedere, & tutius eſt mitioribus illis vti. A

Sanguinem fluxum & concretum diſſoluētia, & euacuantia.

Quod ſi materia fluxa, ſit ſanguis fluxus: ſi forte ſit principium concretionis in principio, ſecundum Auicennam, exhibendum eſt *acetum cum aqua, id eſt, poſca.* Si forte tuſſis exacerbetur, ab aceto abſtinendum, aut non niſi exiguo vtendum. Vnde Galenus, cap. 8. l. 5. meth. poſt ſectam venam, tribus vicibus, poſt ligaturas, poſt frictiones, ratione ſanguinis fluxi dat poſcam dilutam, id eſt, aquam copioſam; cum aceto exiguo; & exhibet tepidam, bis & ter, ternis horis. Hic quid agendum, capitur a ſanguine concreto & fluxo; qui indicat diſſoluens; cuius materia eſt poſca diluta. Quoniam vero hęc excitat tuſſim, quæ vaſis morbum, nimirum anaſtomoſin, diapedeſin, & diæreſin, augere poteſt; ideo ſi tuſſis moleſtet, cum Auicenna prorſus eſt abſtinendum ab aceto; & loco poſcæ tutius eſt vti mulſa. Quoad modum: Galenus dat poſcam tepidam, non calidam, non frigidam: ſanguis enim grumoſus ſua paſſione & reſiſtentia, indicat medicamētum actu calidum, quia frigidum non diſſoluit: cum autem caliditas intenſa prohibeatur a morbo vaſis (calidum enim auget anaſtomoſin, diapedeſin, diæreſin:) igitur Galenus vſus eſt poſca tepida. Quoad *quādo agendum:* Galenus vtitur in principio; quia tum adeſt indicans, ſanguis grumoſus: ſed quia prohibet materiæ copia; ideo prius euacuat, imminuit: & quia prohibet materię impetus; ideo primum reuellit, & poſtea vtitur poſca. Non autem vtitur poſca aſſiduo, ſed vicibus interpolatis: quia aſſiduum vſum prohibet morbus vaſis; nam tuſſis augeretur. B

Adſtringentia.

Iam vero morborum medicamenta ſunt tractanda. Apertio flagitat aſtringentia: fractio, agglutinantia: eroſio, agglutinantia, & renutrientia. Inter aſtringentia debilia numerantur, *roſæ, terra ſigillata, manna thuris, cortex ve thuris, cortex pini, fructus ſpinæ Ægyptiacæ, lapis hæmatites.* Vehementiora ſunt; *balauſtium, hypociſtis, rhus opſoniorum, omphacium, gallæ immaturæ, malicorium, præſtantiſſimum conficitur medicamentum ex hyoſcyamo.* Vehiculum aptum eligendum eſt, his medicamentis aſtringentibus, c. 4. l. 7. κ.τόπ. Si ergo ſanguis prodeat ab hepate, permiſceatur *agrimonia, pentaphyllum, filix mas.* Si a liene: *ceterach, tamariſcus.* Si a capite: *betonica.* Si a pectore, *ammi, aniſum, ſpica, farfara, ſaccharo & melle etiam vti licet.* Nec propterea mirandum, quod Galenus cum aſtringentibus miſcet ammi, aniſum, ſpicam, quæ vim habent aperiendi; vtitur enim his gratia vehiculi. Notandum; ſi materias vehiculorum in ſubſtantia permiſcemus, vt aniſum, ſpicam, &c. pro ℥j. aſtringētium, ſufficere ℈ij. vehiculi, vt ſeruetur duo decupla proportio. *Vſus.* Quoad *quantum:* e dictis formulas concinnare facilimum eſt. Modus ex alibi traditis patet. Notetis circa *quando* agendum: prius occurrendum eſſe copiæ & motui ſanguinis, cap. 6. lib. 5. method. nec ilico aſtringendum, ſed poſt reuulſionem, & euacuationem totius. Idem dicendum de agglutinantibus: prę- C

Agglutinantia.

ter enim aſtringentia, addenda ſunt emplaſtica, viſcida: vnde probatur *conſolida tragacantha, plantago, albumen oui.* Vſus. Circa *quando,* monet Galenus cap. 8. lib. 5. method. his vtendum eſſe poſt totius euacuationem. Ceterum, ſi malum ſit ex eroſione, Auicennas probat vſum *thuris, myrti, ſanguinem Dracon. plantaginem, ſemen portulacæ.* Galenus cap. 6. lib. 5. method. ait; ſi eroſio ſit exigua, exhibendos *paſtillos Andronis, Polyidæ, paſtillos e charta combuſta; qui habent vim abſumendi materiam fluxam, & purulentam. cap. 1. libro 3. κ.τόπ. & conficiuntur e vehementiſſimis medicamentis, tum ex aliis, tum e chalcantho.* Vnde aliqui habent pro ſecreto in ſputo ſanguinis, *oleum deſtillatum e chalcantho, cuius guttam j. aut ſummum guttas ij. exhibent, cum aqua plantaginis.* Si ergo ex eroſione ſanguis paullatim exit. ſtatuit Galenus hos paſtillos eſſe exhibendos. Si autem ſanguinis fluxus ſit profuſior & copioſus, oportet vti vehementer aſtringentibus; deinde his aſtringentibus oportet permiſcere dictos paſtillos; & tandem oportet exhibere ſolos paſtillos, ſed diſſolutos *cum ſucco, vel decocto e rubo, e myrto, e lentiſco, e cotoneo, & meſpilis.* Et ante horum adminiſtrationem inprimis toti eſt præuidendum. Sic ergo Galenus verſatur circa *quando* agendum: primo occurrit toti: deinde exhibet ſola aſtringentia, poſt miſcet paſtillos, denique ſolos dat paſtillos. Quando agēdum, ſumitur a præſentia indicantis vehementioris: iccirco Galenus inter initia toti proſpicit: adeſt enim indicans, ſanguis replens totum, fluens in locum affectum: opus eſt ergo remedio & minuente ſanguinem, & reuellente. Et hoc eſt venæſectio; qua primum vtendum eſt, quia magis poteſt ſanguis, quam reliqua indicantia, quam morbi vaſorum; quia licet non ſemper habeat rationem cauſſæ principalis, habet tamen rationem cauſſæ ſine qua non. Præterea, ſi inuicem conferamus paſtillos, & medicamenta aſtringentia: ſi ſanguis paullatim fluat, oportet prius vti paſtillis, quam aſtringentibus. Sermo enim hic eſt, de ſputo ſanguinis ex eroſione, vbi eſt ſoluta vnitas, cum deperditione ſubſtantiæ partis. Ratione deperditæ ſubſtantiæ, oportet vti medicamento exſiccante, abſumente purulentam materiam, quę generatur in abraſione, quæ impedit nutritionem, incarnationem: indicatur ergo ſiccans, cuius materia eſt paſtillus. Subito deuenit Galenus ad paſtillos ita vehementes: quia vbi malum progreditur, actum eſt. Medici noſtri his nunquam vtuntur: dant ſaccharum roſatum, bolum Armen. aquam roſarum: & omnes ægri moriuntur: quoniam niſi fiat exſiccatio ex integro, non eſt poſſibile tolli ſolutam vnitatem. Vrget igitur maxime purulenta materia, quæ ſiccans indicat: propterea ſolis paſtillis vtebatur Galenus. Soluta vnitas indicat vniens, ſeu aſtringens vehementer. Si igitur ſanguis fluat paullatim; magis poteſt quod indicat ſiccans, quam quod indicat aſtringens: quia vbi ſanguis paullatim fluit, ſoluta vnitas eſt exigua: quare nō multum poteſt: magis igitur poteſt quod indicat ſiccans: Sufficit ergo ſolis vti paſtillis. At ſi ſanguis in magna copia fluat, & vitium producatur ex eroſione (de quo iam loquimur) primo oportet vti ſolis aſtringentibus, quoniam magis poteſt ſoluta vnitas, quam purulenta materia: ſoluta enim vnitas magna eſt, cuius ſignum eſt magna ſanguinis perfuſio, ideo maximum imminet periculum: & proinde niſi ilico occurramus vehementer aſtringentibus, tanta poteſt fieri perfuſio ſanguinis, vt homo ilico moriatur. Vbi imminet mors, ibi indicans eſt vehemens. Ideo Galenus primo vtitur ſolis aſtringentibus: ſecundo vtitur vehementer aſtringentibus & paſtillis; quia vtrumque indicans eſt ęque vehemens, eſt prę́ſens vtrumque; nam D E F G

co tem-

A eo tempore æqualiter poteſt materia abradens,& ſoluta vnitas:ideo cum aſtringentibus permiſcentur paſtilli ſiccantes. Tandem vtitur ſolis paſtillis:quia eo tempore ita imminuta eſt ſoluta vnitas,virtute aſtringentium,vt occurrendum ſaltem ſit materiæ abradenti,propterea vtitur ſolis paſtillis, non deſpiciens tamen ſolutam vnitatem:Excipit enim paſtillos aliquo ſucco aſtringente, Verbi gratia: *℞. paſtilli ℥ j. ſucci plantaginis, vel roſarum, vel ſimilis* ℈ ß. Circa quando agendum, notandum in aſtringentibus(:ſi ea conſeramus,non cum ſiccantibus,ſed cum aſtringentibus:) eſſe incipiendum ab imbecillioribus,cap.15. libr. 5. meth. vbi ſcilicet periculum vitæ non imminet:a vehementioribus contra,ſi imminet vitæ periculũ, tum enim malum eſt vehemens; poteſt eſſe in cauſſa mortis, vel phthiſis, quare ſtatim vtendum validioribus. At ſi non adeſt hoc diſcrimen, præſens quidem eſt id, quod indicat aſtringens; ſed hoc indicans nõ eſt ita
B vehemens:quare neque licet vti vehementi medicamento.

Victus. Diæta erit refrigerans,craſſefaciens.Potio,ſecundum Auicennam, ſit *aqua pluuialis, cum bolo, cum roſis, aqua chalybeata:* hæc enim ſtiptica ſunt. Vinum non conuenit. At ſi leipothymia & ſyncope oriantur,probatur *vinum*,ſed quod proſit ratione virtutis,non noceat,ratione rerum præter naturam: quare ſit pauciferum,in copia exigua,chalybeatum,actu frigidum:ita enim conſulemus viribus, fluenti ſanguini,& morbis vaſorum.

CAPVT VII.

De Phthiſi.

C Nomen. PEr Phthiſin intelligimus non omnem tabem, ſeu omnem corporis conſumtionem, ſed illam tantum maciem,cuius cauſſa eſt vlcus pulmonis.com.aph.16.ſect.3.comm.aph.8.ſect 4.com.aph.16.ſect.7.Sed ita de phthiſi loquemur,vt appareat etiam cognitio & cura,cuiuſlibet maciei. Generatio. Generatur hoc malũ, dum cauſſa morbifica occurrit pulmoni,& ita in eum agit,vt pulmo afficiatur vlcere, & vt vi vlceris generetur ſanies,materia purulenta,a qua neceſſario emanat vapor ſanioſus & putridus, qui ita in cor agit, vt ſolida cordis ſubſtantia afficiatur morbo calido,vt hinc calor influens a corde in totum, euadat igneus & præter naturam,totique corpori communicetur,vt totum corpus corripiatur hectica febre,& hinc e neceſſitate ſubſequatur macies.

Definitio. Phthiſis ergo eſt magnitudo immunita,cum caliditate & ſiccitate totius,producta ab vlcere pulmonis,c.1.lib.2.de præſag.e pulſ.c.9.lib.6.de tuend.ſan.lib.5.meth.medendi comm. 17.ſect. 1.lib. 1.epid.com.
D aph.16.ſect.3.com.aph.9.ſect.5.com. aph.16.ſectio.7.

Forma. Forma eſt magnitudo imminuta,cum caliditate &ſiccitate.Magnitudo imminuta,primum eſt ſymptoma, deinde morbus: dum enim in corpore ſit macies, imminuitur magnitudo, & inter initia habet tantum rationem ſymptomatis,quia propter hanc nondum læditur actio: ſed malo præcedente, ita imminuitur, vt non ſit amplius ſymptoma, ſed morbus,actionem lædens. Diximus, cum caliditate & ſiccitate: vbi intelligimus morbum, non ſymptoma. Galenus nuncupat febrem paruam, id eſt, febrem hecticam. Diſtinguitur ergo hæc tabes ab illa macie, quæ ſit e ſenio, a macie, quæ ſit ob intemperiem frigidam & ſiccam. Hinc etiam neceſſario ſequitur, cum totum afficiatur hac febre hectica, facultatem naturalem labefactari, ob morbum calidum & ſiccum partium ſimilarium: vnde,cum hæc alteratrix non poſſit concoquere alimentum, non nutritur corpus, & præterea ſubſtantia genita abſumitur a cali-
E ditate & ſiccitate. Quia igitur bona ſubſtantia non regeneratur, & genita abſumitur, ſiue ſit pinguedo ſiue caro, neceſſario ſequitur macies.Subiectum eſt totum corpus: ad differentiam maciei alicuius partis.

Cauſſa efficiens. Cauſſa efficiens eſt vlcus pulmonis: hinc enim phthiſis hæc diſtinguitur a quacunque alia tabe. Vlcus autem pulmonis poteſt eſſe in cauſſa maciei totius:quia ab huius ſanie prodit fuligo,quæ ita afficit cor incalefaciendo, vt fiat febris, vt caro genita abſumatur,nec alia generari poſſit. Cauſſa vlceris pulmonis. Cum autem vlcus (: cap. 1.lib. 4. meth.:) ſit ſoluta vnitas, cum magnitudine imminuta partis vlceratæ: cauſſa eius non poteſt eſſe quæcunque,ſed materia abradens. cap. 1. libro 1.de loc.affect.Hæc materia vim habet abradendi,vel Propria ratione, vel ex Accidente: propria ratione, cum ſua natura poteſt abradere, citra putredinem:vt bilis, quæ mordax eſt, item pituita ſalſa: ex accidenti poteſt abradere materia,ratione putredinis,vnde ma-
F teria acris euadit, nimirum,quilibet humor putreſcens. Quando igitur Galenus dicit, vlcus fieri vel propter cacochymiam, vel propter putredinem: per cacochymiam inſinuat materiam propria ratione abradentem: per corruptelam autem ſeu putredinem, materiam ex accidenti abradentem. Materia exulcerans, vel aliunde fluit, vel nõ. Sed notandum cum Galeno comment. 17. ſectio, prima, libro primo, epid. materiam quæ poteſt eſſe in cauſſa vlceris pulmonis, vel Aliunde fluere, vel Non. Aliunde non fluit, verbi gratia, dum vas pulmonis rumpitur, & ſanguis in pulmone putreſcit, qui poſtea putridus exulcerat: idem fieri poteſt, ſi vlcus fiat e peripneumonia. Aliunde fluit, verbi gratia ſi fluat ex inflammatione vicinarum partium ;& potiſſimum hoc fit, dum materia deſtillat a capite comm.aphor.13. ſectio.3.Præcipue hoc malum naſcitur ab anno 18. ad 35, quia in hac ætate, & multi errores in victu committuntur,& vaſe promte poſſunt abradi, commen. aphoriſ. 29. ſectio. 3. Quæ vero ſint cauſſæ generantes has materias catarrhales, a capite prodeuntes, ſatis diximus ca.
G de catarrho.

Differentiæ. Quoad formam:cum ſit magnitudo imminuta cum febre:ſecundum Magis & Minus eſt differentia.Quoad ſubiectum:pulmo abraditur,vel ſecundum Vaſa,vel ſecundum Subſtantiam:&,vel ſecundum Dextram,vel Siniſtram partem. Quoad cauſſam efficientem materia abradit vel Propria ratione, vel ob Putredinem.Item,prodit vel Ex affecto pulmone;vel Aliunde fluit.

Signa in genere. Malum hoc non difficulter cognoſcitur.cap.5.lib.1.loc.affe.cap.vlt.lib.4.de loc.aff.cap. 11.lib. 4. de cauſſ.pulſ. Nam quoad actionem læſam,adeſt tuſſis vehemens:pulmonis enim exulceratio eſt malum in-

figne,maxime irritatur expultrix.Tuſſis eſt ſine dolore:quia in pulmone, non eſt tantus ſenſus, vt dolor A
poſſit oboriri:&,ſi aliquis reperitur ſenſus,id fit potius ratione membranarum. Præterea hoc malũ,quo-
ad actionem læſam,cognoſcitur e pulſu febrili & hectico:eſt autem pulſus hecticus,ſed cum quadam mol-
litie,quę mollities non obſeruatur in febre hectica,vbi pulmo non eſt exulceratus:mollities enim pulmo-
nis eſt in cauſſa.Cognoſcitur etiam e reiectis,ſeu excũtibus:nam materia purulenta tuſſi excernitur,quod
ſputum purulentum,in aquam proiectum,deſcendit;& prunis impoſitum fœtet;ideoque percõtandi et-
iam ſunt aſſiſtentes,num ſentiant ægri exſpuitionem fœtidam,præter conſuetudinem. Interdum accidit,
vt ſputum deſcendat,& fœteat,nec tamen ſit pus:fieri enim poteſt,vt a capite pituita deſtillet in pulmones
& putreſcat:quæ ratione putredinis,fœtet;& quia grauis eſt,poteſt deſcendere. Vnde memini videre me B
nonnunquam ſputum male olens,& fundum petens,ſine febre, ac proinde ſine vlcere & phthiſi: vidi et-
iam tale ſputum cum febre,ſed ſine phthiſi;nam ægri ſanitati ſunt reſtituti.Quare diligenter ligno aliquo
explorandum,num ſit pus,vel pituita,nam pituita eſt viſcida,quæ non facile continuitatem e toto deper-
dit,quia non eſt lentum,vt pituita:Cognoſcitur etiam phthiſis ratione qualitatis mutatæ:nam calor in to-
to eſt mordax,præſertim in thorace:quia adeſt febris hectica,& fomes eſt in thorace. Cognoſcitur etiam
e macie. Vbi vlcus eſt in pulmone,ſemper perſeuerat macies,& indies augetur. Si igitur interdum appa-
reat macies, quæ aliquo modo minuatur, & regeneretur aliquo modo caro; non eſt phthiſis: vbi enim
phthiſis, vbi vlcus pulmonis, & proinde febris,& macies. Hoc dico, quia interdum deſtillationes in pe-
ctus delapſæ,præſertim in iuuenibus,ſuppurantur,ſeu deducuntur ad quandam conſiſtentiam,puri ſimi-
lem: vnde ratione putredinis ſiũt febres, ſequitur macies, citra phthiſin. Cognoſcitur etiam e colore C
plumbeo circa faciem: præterquam quod a cibo facies rubicunda euadit: cum enim totum corpus male
habeat, non generatur bonum nutrimentum,vnde color plumbeus: ſed a cibo, cum fiat euaporatio in
Signa diffe- caput, hinc fit rubedo in facie, circa genas, quia a pulmone in faciem mittuntur vapores. Differentiæ a
rentiarum. forma facile cognoſcuntur, an ſcilicet magnitudo ſit magis vel minus imminuta: an caliditas in toto, ſit
magis vel minus intenſa. Hæc cognoſcuntur ex intenſione,& remiſſione ſymptomatum. Quoad diffe-
rentias a ſubiecto: ſi vlcus ſit ſecundum propriam pulmonis ſubſtantiam: cognoſcitur, quia quandoque
exſpuentur carunculæ,cum tuſſi, nimirum propria ſubſtantia pulmonum: & vel non egreditur ſanguis,
vel admodum paucus. At ſi malum ſit ſecundum vaſa,ſi afficiatur tracheia exiguus etiam erit ſanguis: ſed
apparebunt reiecta bronchia,ſcilicet portio aliqua membranæ. Si vlcus fiat ſecundum venas, vel arterias;
egredictur ſanguis in magna quantitate. Quoad differentias a ſubiecto;prout afficitur pulmo ſecundum D
partem dextram,vel ſiniſtram:erunt querelæ circa illam partem.Quoad differentias a cauſſa efficiente. Si
materia abradat propria ratione;cognoſcitur,quia ſputum eſt ſalſum,amarũ:ſin minus, ſignum eſt,mate-
riam abradere non propria ratione,ſed ex accidente. Num autem materia prodeat ex ipſo pulmone,an a-
liunde fluat,ita cognoſcitur.Si enim,verbi gratia,pręcedat fractura vaſis in pulmone,vel ſi fiat a peripneu-
monia;cognoſcitur,non eſſe fluxionem ex aliis partibus.Si vero aliunde fluat,cognoſcitur;quia vel ſucce-
dit inflammationi vicinarum partium,vel deſtillationi.

Cum phthiſis ſit magnitudo imminuta,cum febre,producta ab vlcere pulmonis:indicatio ſumi de-
Indicatio- bet,a magnitudine imminuta,a febre,ab vlcere,& a pulmone.Magnitudo imminuta, indicat auctionem;
nes. eſſe ſcilicet regenerandam ſubſtantiam deperditam in toto.Ratione febris,oportet refrigerare, & hume-
ctare. Vlcus;vt eſt ſoluta vnitas,indicat agglutinans (*cicatrizans locum habet in vlceribus externis, in qui-* E
bus cutis eſt deperdita,ideo oportet ſubſtantiam carneam conuertere in cutim:quod non eſt faciendum in inter-
nis.) Quatenus autem in vlcere deperdita eſt ſubſtantia, indicatur regenerans id quod deperditum eſt.
Porro non medicamentum, ſed natura agglutinat, & regenerat, medicamenta ſolum auferunt impedi-
menta, quæ obſtant facultati,quo minus poſſit,vel regenerare carnem, vel agglutinare. Talia autem im-
pedimẽta in phthiſi ſunt, tũ morbus vi cuius facultas naturalis læditur,tum aliquis error externus. Quare
indicationes ſumendæ ſunt a morbo,& errore externo. Quoad morbum,cum in phthiſi neceſſario ſit fe-
bris,quæ eſt morbus totius: igitur eſt etiam morbus calidus pulmonis: præſertim quia in vlcere etiam gi-
gnitur ſanies calida,cuius etiam cauſſa incaleſcunt pulmones. Quare pulmonis intemperies calida, vt po-
te quæ cauſſa eſt,quo minus recte facultas agere poſſit;indicat refrigerans. Error externus poteſt eſſe cõ-
munis,& proprius.Communis dicitur,qui pertinet tum ad renutritionem, tum ad agglutinationem. Et F
hic nihil aliud eſt , quam ſuccus peccans & extra pulmonem, & fluxus etiam , verbi gratia ſalſa pituita.
Hic ſuccus,prout varie peccat,pro eo variæ ſunt indicationes:de quibus ſæpe alias. Error externus pro-
prius reſpicit vel ſolam renutritionem,vel agglutinationem. Si reſpiciat tantum renutritionem, indicat
ſiccans,detergens:propter duplex excrementum, tenue, humidumque, quod ſiccans poſcit; & craſſum,
quod indicat detergens.Si reſpiciat agglutinationem,indicans eſt humiditas alimẽtalis,ſeu naturalis,quę
non conſeruationem,ſed deſtructionem potius indicat:quia habet rationem cauſſæ morbificæ, ſine qua
non.Hæc humiditas alimentalis in præſentia poteſt eſſe duplex:appoſita,& non appoſita. Appoſita indi-
cat ſiccans,vt abſumatur & diſſipetur:non appoſita indicat repellens.In agglutinatione igitur et abſumẽdæ
ſunt materiæ alimẽtales;ſecus enim nunquam fieri põt agglutinatio,propter impedimentũ. Pulmo denique
requirit,quæ ſibi ſunt familiaria. G

Prognoſti- His ſcopis ſatisfacere tum difficile eſt,tum vero impoſſibile.capit.quinto, libro quarto, de loc.affe.
ca. cap. 8.11.14.lib.5.meth. Nam ſi indicationes inter ſe conferantur;febris indicat humectans,vlcus ſiccans.
Præterea ſi ſeorſim indicationes perpendamus:cauſſa febris,ſatis difficile eſt ſcopos explere:nam eſt mor-
bus in habitu:licet enim hectica febris inter initia ſit in habitudine.promte tamen in habitum degenerat.
Augetur difficultas in remotione febris, quia fouetur ab vlcere; quo non ſublato,febris tolli nequit.
Præterea ſumma eſt difficultas in regeneratione , & agglutinatione , tum ob pulmonis morbum,
tum

A tum ob errorem externum. Ob morbum pulmonis, quia oporteret morbum pulmonis calidum auferre. Quoad errorem externum; si respiciamus ad communem regenerationi & agglutinationi; non admodum difficile est sanguinem euacuare: maior difficultas est in remotione cacochymiæ: & hanc ob caussam insanabile est vlcus, quod fit ex erosione vitiosi succi. Difficultas etiam est ratione erroris externi proprii, caussa regenerationis materiæ deperditæ: nam deficit materia alimentalis, deficit materia seminalis. Præterea necessario excrementa abundant: quia in regeneratione carnis, necessario duplex generatur excrementum, quod cum per tussim debeat euacuari, lacerantur pulmones, & illo motu etiam inflammantur. Si respiciamus ad errorem externum proprium caussa agglutinationis: licet humiditas alimentalis, & B apposita, & non apposita, possit absumi; nihilominus non potest esse agglutinatio stabilis, quia cauitas in vlcere pulmonis non potest repleri: ergo post agglutinationem relinquitur fistula callosa, quæ de eo facilius disrumpitur, quo cauitas amplior relicta est. Ex his colligitur, quamprimum esse agglutinandum: nam ab initio cauitas minor est, ideoque non tam facile disrumpitur; hominesque diutius possunt viuere.

Fortibus, secundum Auicennam, vena aperiri potest. Fonticulis etiam vti licet, in fluxu a capite: nam dum vlcus pulmonis fouetur a destillatione e capite, indicatur fonticulus, remedium reuellens; nec adest prohibens; præsertim quando vlcus est exiguum, malum recens: præmitti tamen prius debet euacuatio totius. Alexāder ait, in vlcere antiquo, & in phthisi progressa, non esse fonticulis & cauteriis ægros afflictos magis cruciandos. Si malum sit admodum vehemens; cauterium affigendum est in sutura coronali, vt fiat reuulsio. Et si destillatio foueatur ab infernis partibus, a iecore; cauteria etiam in cruribus excitentur. C Non sunt hæc differenda, vt multi iam solent: postea enim nihil tale est faciendum. In copiosa destillatione, non tantum dictis partibus cauteria affigenda; sed etiam infra occipitium. Quamprimum igitur occurrendum: postea enim vbi affectus est calidus in pulmone, & imminuta est fluxio: cauterium occludi potest. — Curatio. Cheirurgia.

Medicamenta respiciunt totum, febrem, regenerationem eius quod deperditum est in vlcere pulmonis, agglutinationem, & proinde excitationem calli, tandem ipsos pulmones. Quæ totum respiciunt, valde sunt necessaria: hoc tempore non recte administrantur, propterea pauci curantur. Fui his diebus Venetiis, & ægro præscripsi ℥ j. oxymelitis, & ℥ j. mellis rosati, vt detergeretur pituita in ventriculo existens, quæ erat in caussa multarum noxarum. Pharmacopola errore misit ℥ x. & æger accepit ℥ viij. ß. medicamenti ex oxymelite simpl. & rosato. Id medicamentum vehementer agens in pituitam, aliquam moD lestiam excitauit; sed postea ita descendit in intestina pituita, & ita fuit excreta, vt omnia symptomata mitigarentur. Quare oportet medicos esse audaces nonnunquam. Auicennas etiam in phthisi caussa totius exhibet *pilulas cochias*: communes practici non exhibent, & male faciunt. Fluxioni enim statim occurrendum est; nam bene sperandum vbi non magna cauitas est in vlcere: fit autem magna, vbi malum producitur; id quod fit ob materiam in pulmones influentem. Quare hæc materia est euacuanda. Post vnam igitur alui lenitionem, post duos vel tres syrupos, quamprimum cum Auicenna exhibendæ sunt cochiæ, vt totum expurgetur, & caput euacuetur: & sic fluxioni occurratur. Quod de cochiis dico; idem intelligendum de aliis soluentibus fortibus: nam vitium succi peccantis est vehemens, & habet rationem caussæ sine qua non: ergo validum purgans dabitur, potissimum quia virtus permittit, quæ id procedente maE lo prohibet. Nam inter initia, licet sit febris hectica, est in habitudine, non in habitu: & dum est in habitudine, virtus in febre hectica adhuc nihil est perpessa. c. 9. lib. 1. de diff. feb. — Pharmaceia. 1. Toti, vt prospiciendum.

Febris poscit refrigerantia: de quibus alibi. Notandum circa vsum *lactis*, ad refrigerationem, & humectationem. Lac ab Auicenna in phthisi probatur: nam ratione *butyri* potest humectare, æquare succos acres, & etiam substantifice humectare: ratione *seri* deterget: ratione *partis caseosæ* agglutinat. Tempore quo agglutinare volumus, lac non est exhibendum: sua enim humiditate prohibet calli generationem, & facit vt non ita absumi queant humiditates alimentales. Quare licet vti lacte; sed ante tempus agglutinationis, ad detersionem. Et quo magis progreditur materia; lac exhibendum, quod minus deterget, minus humectat: quale esset *lac astringens, chalybeatum*. Sed de lacte fusius, agemus in doctrina de febribus hecticis. c. 28. lib. 6. — 2. Ad febrim. Lac.

F Medicamenta carnem regenerantia, sunt ea quæ vlcus mundificant: nec enim caro generari potest, nisi fiat mundificatio. Quia igitur duplex gignitur excrementum; Auicennas probat *mulsam, aquam cum saccharo*: & si adsit copia puris, vtitur etiam expectorantibus, vt *syrupo de hyssopo, de liquiritia*: de quibus cap. de tussi. — 3. Mundificantia vlcus.

Caussa agglutinationis, Auicennas probat *saccharum rosatum vnius anni, cum bolo Armena, cum terra Lemnia, cum pulmone vulpis*. Licet etiam ad validiora ascendere; ad *theriacam, Mithridatium, diacyminũ*, vt absumatur humiditas alimentalis; licet adsit febris hectica. Sic præscribi potest: *℞. terræ Lemn. ℥ ij. amyli, boli Armen. ros. rub. an. ℥ ß. carabe gran. myrti, an. ℥ vj. cancrorũ adustorum, sem. portulacæ, an. ℥ xv. corall. rub. tragacanthæ, spodii, semin. granat. syluestr. an. ℥ v. succi resiccati fœniculi, succi liquirit, an. ℥. vij. cum succo portulac. & aqua ros. fiant pastilli: dosis ℥ j. per multos dies.* Medicamentum hoc agglutinat, inducit callum: G quia non modo potest humiditates excrementitias absumere, sed etiam alimentales. Huius fere generis quædam proponuntur a Galeno cap. 2. lib. 7. κ.τόπ. Pro vehiculo *mel potest misceri: quo medicamenta ad vlcus pulmonis deducuntur*. cap. 7. lib. 4. meth. Ex his colligitur, ascendendum esse ad vehementer siccantia, quia alias non inducitur callus. Quare ad *pastillos Andronios in phthisi confugiendum*. Hodie non vtuntur: ideo homines non curantur. Quidam empeirici, curant phthisicos ad tempus, his medicamentis callum inducentes, qui non ita cito rumpitur, si exigua est cauitas, & si cito occurritur. Aliqui habent pro secreto (& ego suadeo vt exhibeatis, in initio ad guttas ij, vel tres) *oleum e chalcantho, cum aqua rosacea vel cum* — 4. Agglutinantia.

ſucco plantaginis, & modico ſaccharo, ratione penetrationis. His pro agglutinatione, & calli excitatione vtendum. *Vſus.* Quoad *quantum agendum:* Auicennas exhibet ſaccharum roſatum in magna copia, quia ſumma eſt actio indicantis. Quoad *quando:* Auicennas exhibet ſaccharum roſ. omni hora, ſemper enim adeſt præſentia indicantis; quare etiam tempore cibi, & ante, & poſt cibum, vt cibus ſit agglutinans. Hoc obſeruandum omnino eſt: licet hodie non obſeruetur. Quoad tempus: ad fortiora quamprimum eſt confugiendum: vnde ſi in phthiſi exhibendum ſit oleum e vitriolo, & ſaccharum roſaceum; primo oleum e vitriolo exhibendum: nam inter initia adeſt præſentia indicantis vehementiſſimi, quia indies augetur macies; præterea inter initia virtus non ita prohibet, ſicut procedente malo; nam tandem hectica in habitudine, transfertur in habitum, macies indies intenditur: vt virtus ſiccantia medicamenta & fortiora, melius permittat inter initia. B

§. Appropriata pulmoni. Cauſſa pulmonis proſunt, *pulmo vulpis, cancri combuſti, pulmonaria, cornu cerui.* Hęc virtutem & proportionem pulmonis ſeruant, & quædam etiam, vt ceruinum cornu, vim exſiccandi habent.

Diæta. Victus ſiccans eſſe debet. cap. 5. lib. 5. meth capit. 2. lib. 7. κ.τόπ. nec ſemper oportet vti benedicta illa ptiſana. Aer ergo ſit exſiccans, ſiue natura, ſiue arte: & dum per inſpirationem attrahitur, habeat vim ſiccandi pulmones vlceratos. Similiter cibi ſunt parandi cum ſiccantibus. Quoad potum; Auicennas non prohibet *vinum album pauciferum, in principio,* id eſt, antequam ſuccedat vel febris, vel inflammatio. Nam in ſputo ſanguinis, quod minatur pulmonis vlcus, antequam fiat febris, & potiſſimum in habitu, antequam fiat inflammatio, licet vinum exhibere. At dum febris, vel inflammatio eſt excitata; Auicennas probat potius *aquam pluuialem, aquam aſtringentem.* Tempore igitur agglutinationis nequaquam vti licet C vino; quia tum adeſt febris. Et optimum eſt etiam inter initia abſtinere vino. Et forte Auicennas inter initia *vinum exhibet album & tenue, vt mũdificet pectus, ratione tenuitatis vini, præterea, vt vires robuſtas reddat:* nam malo procedente, prorſus a vino deſiſtendum; ideo, vt virtus diuturnitati morbi poſſit ſufficere, ab initio vinum propinat. Sic enim Hippocrates iubet, inter initia magis conſulendum viribus, diæta & potu quam in ſtatu. Et hoc potiſſimum in vlcere pulmonis faciendum: in hoc enim febris ſubſequitur & euadit in habitu, vt e toto vinum prohibeatur. Quare potius vtendum *aqua chalybeata, aqua correcta cum ſucco granat. cum rhu opſon. cum myrtis,* vt exſiccentur humiditates alimentales, & fiat agglutinatio & callus: callus enim quamprimum id fieri poteſt, excitari debet, eoque omne fere eſt dirigendum conſilium.

CAPVT VIII. D

De Cordis palpitatione.

CORdis propria & præcipua functio eſt generare calorem naturalem: eſt enim cor fons vitæ, & proinde cauſſa illius caloris, qui eſt nexus animę cum corpore: ad hanc caloris generationem neceſſarius eſt cordis motus, qui cum in palpitatione deprauetur, medicus hunc ſtudio ſummo conſeruare conabitur. Huius vitii natura recte intellecta; patebit etiam, quid in aliis cordis vitiis ſit agendum: nam ad hoc malum procreandum concurrunt dyſcraſiæ & materiæ morbificæ, quæ ad alia etiam cordis vitia ſolent momentum afferre. Nomen. Palpitationem cordis, Auicennas cordis tremorem vocat: vbi tremor non proprie accipitur; nam proprie ſpectat ad inſtrumentũ, motui voluntario deſtinatum. Intelligimus autem omnem cordis motum deprauatum; ad differentiam imminuti, vt fit in leipothymia; & ad differentiam ablati, E ſaltem quoad ſenſum, vt in ſyncope. Licet autem de motu deprauato agamus: hinc tamen etiam patebit, Generatio. quis ſit motus imminutus & ablatus, quomodo etiam his occurrendum. Fit hoc malum, dum cauſſa morbifica cordi occurrens, ita agit, vt vis pulſifica, deſtinata motui cordis, ita fruſtretur, vt cor motu prauo afficiatur, & præter naturæ leges eleuetur, ac deprimatur. Definitio. Cordis ergo palpitatio eſt motus prauus cordis, dependens a fruſtratione facultatis pulſificæ: Seu, eſt eleuatio & depreſſio praua cordis, dependens a fruſtratione motricis cordis. Forma. Forma eſt motus prauus: ad differentiam imminuti, & ablati ad ſenſum. Sed cum in legitima cordis palpitatione, motus ſit tardus & rarus: videri potius imminutus poſſet, quam deprauatus? Reſponſio: licet motus tunc ſit tardus & rarus: nihilominus cor magis dilatatur, quam pro naturæ lege: & hęc violenta dilatatio eſt in cauſſa motus deprauati: ſic etiam præter naturam deprimitur magis, quam ſit opus. Cum igitur ſit exceſſus & violentia in eleuatione ac depreſſione: ideo motus hic eſt deprauatus. F Verum, quia ſermo eſt, non ſolum de legitima palpitatione, ſed etiam de notha, id eſt, de quolibet prauo cordis motu: hic motus bifariam contingit. Primum, vt cor mouetur inſtar vtrium, dum oleo, vel alia materia replentur & inaniuntur: & hic motus cordi occurrens, eſt motus cordis prauus, ſed a toto genere præter naturam. Alio modo præter naturam cor poteſt moueri, ad ſimilitudinem follium fabrorum, dum replentur quatenus attrahunt, & hic motus eſt quidem præter naturam, ſed non toto genere. Subiectum. Subiectum eſt cor, ad differentiam palpitationis aliarum partium. Cor autem ſubiectum idoneum eſt palpitationis, quia habet cauitates, & meatus.

Cauſſa efficiens. Cauſſa efficiens, eſt fruſtratio facultatis pulſificæ. Hac particula cordis palpitatio differt a motu prauo voluntario, qui in conuulſionibus oriri ſolet. Facultas pulſifica, non eſt motrix voluntaria, ſed naturalis, quæ vitam reſpicit, non meliorem vitam, & quidẽ eſt facultas naturalis tũ attractrix, tũ expultrix. Hæc G duplex facultas in palpitatione fruſtratur. In legitima quidem palpitatione, in qua cor mouetur inſtar vtrium, attractrix cordis ita fruſtratur, vt nullo modo concurrat: ſicut etiam in conuulſione legitima facultas animalis non concurrit: ideoque legitima palpitatio eſt motus ſolius morbi, nimirum rei præter naturam: nec enim attractrix concurrit; quemadmodum etiam dum vtres replentur, non concurrit attractio vtrium. At in palpitatione notha, in qua cor mouetur ad ſimilitudinem follium; attractrix quidem fruſtratur, quia non operatur vt decet, ſed tamen ipſa cõcurrit, licet præter naturam, ſicuti dũ replẽtur folles materia

A materia attracta: Quare spuria palpitatio non est motus solius morbi. Expultrix concurrit in legitima & notha palpitatione. Nam in legitima palpitatione, dum cor secundum sui cauitates instar vtrium repletur a materia morbifica; nisi cordis facultas expultrix ad expellendum concurreret, sane animal moreretur. Quare palpitatio cordis ratione attractionis, est motus solius morbi, in legitima palpitatione: nequaquã autem ratione expultricis. Quamobrem in qualibet palpitatione expultrix concurrit. Sed notandum, attractricem alio modo frustrari, quam frustratur expultrix. Attractrix frustatur ob errorem externum in legitima palpitatione: in notha interdum ob morbum. In legitima, attractrix semper frustratur ob errorem externum, non ob morbum: nam quoties fit palpitatio ad similitudinem vtrium, citra morbum concurrit materia replens morbifica. At in notha palpitatione cõcurrit morbus, qui põt esse intẽperies, mala B compositio, soluta vnitas. Intemperies potest esse calida (:loquimur de notha palpitatione:) potest esse inflammatio, erysipelas: ratione quorum morborum ita afficitur cor, vt moueatur motu præter naturam, qui motus non est tardus, nec rarus, sicut in legitima palpitatione, sed frequens, velox, com. aph. 65. sect. 4. & vocatur καρδιωγμὸς, morsus cordis. Præterea potest esse mala compositio, tumor, angustia. Tumor potest esse calidus, frigidus. Calidus non potest ad augmentum perduci, sine morte patientis. Angustia etiam locum habet: vnde Auicennas dicit, fieri tumorem, quia clauditur cursus sanguinis, vel spiritus; vnde necessario vis pulsifica cor præter naturam eleuare nititur. Est etiam soluta vnitas, sicut solet contingere in cordis vulnere. Sed monet Galenus capit. secundo, libro quinto, de loc. affect. si contingat vulnus in cordis substantia, fieri motum cordis prauum, si autem in cauitatibus, non fieri motum cordis, sed homines ilico mori. C Postremo, præter morbos est error externus; qui potest esse Humor quilibet, cor occupans (:in notha palpitatione:) potest esse Vapor quilibet, excepto crasso; quia palpitatio quæ fit a vapore crasso, est legitima. Concurrunt etiam caussæ externæ, vt caussa venefica, animi accidentia immoderata; in animi enim motibus cor palpitat, sed est palpitatio obscura. c. 3. l. 6. de plac. cap. 1. l. 8. de plac. cap. 10. l. 4. de diff. puls. Caussa efficiens palpitationem legitimam, nihil est aliud quam flatus, seu materia flatulenta frigida; quæ materia generatur ab agente frigido, ab intemperie frigida, siue sit in corde, siue extra cor. Vnde Galenus c. 5. l. de palpit. respiciens ad legitimam palpitationem, inquit; omnem palpitationem esse effectum frigiditatis. Hinc quidam male inferunt, palpitationem esse symptoma, quod pendeat a morbo frigido: nam palpitatio pendet a flatu, qui generatur a frigido.

Differentiæ. Quoad formam; cum palpitatio sit motus prauus, compositus ex eleuatione & depressione; est similis eleuationi & depressioni, vel Vtrium, vel Follium fabrorum. D Quoad subiectum: Cor afficitur, vel secundum Cauitates, seu ventriculos, vel secundum Vasa, id est, venas & arterias: item, afficitur vel secundum Dextram, vel Sinistram partem. Quoad caussam efficiẽtem: in palpitatione est vel Morbus, vel Caussa: morbus est intemperies, tumor, angustia, vulnus, soluta vnitas. Caussa est Interna, vel Externa: interna est Humor, vel Vapor: externæ, possunt esse venena, animi accidentia: ita tamen, vt legitima palpitatio (:quemadmodum diximus:) fiat tantum e flatu copioso frigido, crasso.

Signa. Palpitatio in genere cognoscitur, si tangamus patientem & secundum carpum, & secũdum pectus. In carpo cognoscitur e vehementi pulsus mutatione: in pectore quia motus erit præter naturam. Aduertendum autem hunc motum esse internum; non in partibus externis; quia tunc potius est aneurisma, id est motus pertinens ad arterias extra cor. Quoad differentias formales: Si motus sit similis motui vtrium E (vt in legitima palpitatione, quæ rarissima est, & curationem ferme non admittit) est motus tardus, & rarus. Si motus sit similis motui follium fabrorum, vt in palpitatione notha: motus est velox & frequens. Quoad differentias a subiecto: num malum sit in dextra, vel sinistra parte; &, an afficiantur vasa cordis, an potius ventriculi: hoc cognoscere est admodum difficile, & fortasse impossibile: &, si aliqua cõiectura hoc licet assequi, hoc est: si contingat, malum esse circa ventriculos, difficilima est tolerantia. Sed non multum refert hoc cognoscere. Quoad caussam efficientem. Intemperies calida cognoscitur e motu frequenti, veloci, e calida spiratione, e siti, e caussis etiam prægressis, quæ poterant calefacere. Tumor cognoscitur; quia motus est satis magnus, frequens, velox, inæqualis, inordinatus, respiratio difficilima, adest febris, leipothymia, syncope; & antequam tumor inflammationis deducatur ad augmentum, homo moritur; vt moriatur, antequam pulsus fiat durus. Angustia pariter cognoscitur e motu veloci, frequenti, respira- F tione difficili, prægressæ sunt caussæ obstruentes. Vulnus seipsum manifestat. Caussa externa cognoscitur e relatione astantium; si, verbi gratia, prægressa sunt animi accidentia immoderata; si suspicio est de veneno. Contra, si hæc non præcesserunt, caussa erit interna. Si fuerit humor, quicunque sit, semper pulsus est frequens, & velox. Quis autem sit humor, e propriis capitibus discendum, e signorum arte. Si vapor calidus & tenuis, est motus frequens, & velox: Si frigidus & crassus, vt in palpitatione legitima; motus est tardus & rarus.

Indicationes. A forma, seu prauo motu, non sumitur vtilis indicatio. A subiecto corde, sumitur indicatio vitalis. Cor, proportionatum aliquid requirit per suam proportionem. Adhæc per suum calidum innatum indicat vt conseruetur, ratione quantitatis alimentum; ratione qualitatis, calidum simile. Quoad caussam efficientem: morbus calidus, indicat frigidum. Tumor & angustia, non indicant vtile: materia autem quæ a- G ctu facit tumore & angustiam, indicat sui euacuationem. Soluta vnitas, dimittenda sacerdotibus. Humor & vapor, pro vitii varietate, varia indicant. Caussa externa non indicat; vel indicat sui eradicationem, v.g. venenum extra corpus genitum, habet rationem caussæ externæ; intra corpus autem assumtum, subit naturam caussæ internæ. Quid autem exacte venenum indicet, suo loco dicetur: inf. nim. c. 4. l. 7. Iam supponatur, veneni curationem nos consequi posse, non tantum experientia, sed etiam methodo & ratione.

Prognostica. Palpitatio in genere despicienda non est: quia permutari potest ad syncopen, & ad mortem. Vehemens autem hoc vitium est ratione dignitatis, quia læditur motus cordis. Sed speculum variat, pro vi diffe-

rentiarum. Nam quoad differentias formales: Si motus fit instar vtrium; palpitatio est periculosissima. A
[illegible]or 42. [illegible]2. Vnde Gal.c.2.l.5.de loc.aff.ait: Qui sæpe & breui interuallo fuere correpti palpitatione, omnes ante senectutem moriuntur. Loquitur hic Gal. de palpitatione legitima, quæ vehemens est ratione caussæ, & ratione virtutis; non ratione morbi, quia legitima fit tantum ob errorem externum. Caussa est flatus copiosus, frigidus, crassus, occupans cauitates cordis. Est ergo in hac caussa vehementia dignitatis; quia occupat cor: est vehementia essentiæ; quia flatus copiosus, frigidus, crassus, ideoque longo tempore durans: adest vehemētia facultatis, quia in legitima palpitatione malum nō perfertur a facultate, vnde subsequitur pulsus debilis, leipothymia, interdum syncope (*morbus mali moris, seu malignus, habet vehementiam facultatis, non quartam & nonam quandam vehementiam.*) Quare cum in palpitatione legitima flatus vehementia B
sit insignis; & virtus etiam ita debilis, vt non possit non admittere flatus: merito Gal. dixit, hos ante senectutem mori. Quoad subiectum; ceteris paribus, palpitatio magis est periculosa, dum cor offenditur secūdum sinistram partem, quam dextram: est enim maior vehementia ratione facultatis: item palpitatio periculosior, si cor læditur secūdum cauitatem, quam si secūdum venas, vel arterias. Quoad caussam efficiētē: Si palpitatio fiat a cordis caliditate in habitudine; vix adimi potest: in habitudine est maior spes salutis, ratione vehemētiæ facultatis. Si tumor fit in caussa, vitiū mortale, c.2.l.5.loc.aff. quia adest vehemētia triplex, & virtus est debilis. Si angustia sit caussa, malum difficulter tollitur, non tamen est mortale. Si vulnus, actum est. Quoad materiam: si materia est in caussa illius motus, qui fit instar vtriū; curationem perfectam non admittit, vt homines e toto possint liberari: quia hæc materia, id est, flatus copiosus, frigidus, crassus, habet triplicem vehementiam. Si caussa sit venenum, siue extra, siue intra corpus genitum: vix tolli vitium potest, quoniam habet triplicem vehementiam. Si fiat ratione timoris, iræ, &c. curari potest, quia non ad- C
est summa illa vehementia.

Curatio. Quoad materiam cheirurgicam: proponemus tantum notatu digniora. Venæsectio probatur, redūdāte sanguine, c.5.l. de palp. loquitur autem ibi Galenus de palpitatione legitima, a flatu copioso, frigido, crasso: in qua peccat sanguis non vt caussa principalis, sed vt sine qua non: si ergo sanguis tunc redundet, vacuandus; alias flatus discutientibus vti non poterimus, quia cor calidis illis potius replebitur, quam euacuabitur. Auicennas, si palpitatio fiat a sanguine melancholico, venam secat: quia sanguis in vitio hoc vehemētissimo, habet rationem caussæ principalis, vel sine qua non. *Vsus.* Auicennas ilico secat venam; nam adest præsentia vehementis indicantis & nihil prohibet: & hoc faciendum est, actu etiam existente palpitatione: nam interdum durat accessio, & perducit ad leipothymiam, ad syncopem, ad mortem, vt necessarium sit exonerare naturam, præsertim quia virtus non prohibet. nec enim resoluitur virtus, sed potius D
suffocatur. In præseruatione, tempus veris eligendum, ca.2.l.5.loc.aff. tunc enim adest sanguinis abundantia, & tunc imminet, ne materia repat in cor, virtusque tunc est robusta. Vbi agendum patet. De cucurbitulis, hirudinibus, cauteriis, gratia præseruationis, sæpe alias diximus.

Pharmaceia. Cor alterantia. Medicamenta totum respicientia, aliunde patent. Iam alterantia saltem proponemus: quorum nōnulla sunt temperata, quædam frigida, alia calidiora. Auicennas inter temperata cordialia recēset, *aurum, argentum, buglossam, hyacinthum, quinquefolium, adiantum.* Inter frigida numerat, *acetum, acidum citri, margaritas, corallia, carabe, caphuram, santalos, rosas, spodium, terram sigillatam poma, violas.* Inter calida proponit *doronicum, zedoariam, moschum, ambram, sericum crudum, crocum, been vtrumque, caryophyllos, lignum aloes, melissam, cardamomum, cubebas, folia & semina citri, folium, enulam, calaminthum montanam, dictamnum Creticum, aromata. Galenus maxime commēdat castorium, c.2.l.5.loc.aff c.5.l.de palpit. Possumus* E
nos addere, magnas antidotos, diambram, diamoschum, galliam moschatam, electarium calidum lætificās Rhasis. Addit Galenus loc.cit. pyrethrum, euphorbium, sulphur, thermas nitrosas, & salsas. In omnibus malis cordis, secundum Auicennam, fugienda sunt vehementer calefacientia, vehementer refrigerantia, & vehementer astringentia: nam a calidioribus virtutis substantia dissoluitur: a frigidioribus, qualitas refrigeratur; astringentia cohibent excrementa, quę in nutrimenti cōfectione generantur; nec enim faciunt vt nimis concentretur calor, quemadmodum plurimi dicūt, quia virtus nihil aliud in se claudit; quam bonam quantitatē & qualitatem sui subiecti, suæ substantiæ; ita vt astringēs nō immediate respiciat virtutē. Porro addit Auicennas: in cordis intemperie frigida, audacter vti licere calidis; in calida autem non ita audacter frigidis vtendum, quia hæc opitulantur quidem ramo, id est, corpori cordis, dyscrasia calida laboranti, sed F
officiunt radici, id est, calido innato, quod est vinculum corporis cum anima, quia enim hoc est primum, quod post conceptionem gignitur (vt in tractatu nostro de fœtus formatione ostendimus:) ideo radix iure dicitur. Quare non video, cur quidam temperiem cordis a calido innato non distinguunt. Nam in frigida cordis intemperie calidis occurrimus, quibus non cogimur frigida miscere; quia calida hæc medicamenta citra frigidorum permistionem non nocent cordi, quia hoc est redditum frigidius, neq; nocent calido innato, quia est quasi simile quiddam. At in calida intemperie, frigidis occurrimus; quibus tamen calida etiam miscere cogimur, propter calidum innatum, & præterea etiam gratia vehiculi.

Vsus medicamentorum, patet ex alibi dictis. Propter iuniores, si palpitatio fiat a caussa potissimum frigida: *℞. cinnamom. agallochi, serici crudi, calaminthæ mont. ana ℈ ij. (hæc sunt instar basis) moschi, ambræ, galliæ moschatæ, ana gr. v. (pro adiuuante: quamuis etiam possint rationem basis habere) diambræ ʒ [illegible] cum syrupo de corticibus citri, fiat electarium. Dosis a ʒ ij. ad ℥ j.* Posset addi aliquid leuiter astringens, vt est *puluis ma-* G
stiches: nam dum viscus frigidum calefacere tantum volumus, possumus calidis vti sine astringentibus: at si volumus frigidam materiam euacuare, crassam & copiosam materiam difflare, omnib. modis astringentia permiscenda sunt. Quare in cordis palpitatione, si institutum est cor frigidum calefacere, possumus ab adstringentibus abstinere: nam vbi adest intemperies frigida, non imminet dissipatio. At si propositum nostrum est materiam morbificā dissoluere; admiscenda sunt moderate astringentia, quod obseruatur in

tumoribus

tumoribus ventriculi,iecoris,& ſimilium partium:licet enim virtus ipſa indicet ſolum,rationem quantitatis & qualitatis;dum tamen calidis vtimur,ad materiam morbicam diſſoluendum;periculum eſt, ne etiam diſſoluatur ſubſtantia calidi innati:propterea in hoc caſu aſtringentia permiſcemus.

CAPVT IX.

De virium diſſolutione,id eſt,de Leipothymia,& Syncope.

Nomen. Generatio. Definitio. Forma. Subiectum.

PEr virium diſſolutionem intelligimus & leipothymiam,ſeu animi deliquium,& ſyncopen.comment. aph.41.ſect.2.& c.14.lib.1.ad Glauc. Generatur hoc malum,dum corpori aliquid præter naturam occurrit,vi cuius ſumma cum violentia ſpiritus vitalis in corde aggrauatur, vnde cordis virtus imminuitur, B & debilitatur. Virium ergo diſſolutio eſt virtus debilis cordis, dependens a fruſtratione motricis cordis. Forma eſt virtus debilis,id eſt,motus præter naturam,non deprauatus,ſed debilis, id eſt, nonnihil imminutus,nonnihil etiam ablatus quoad ſenſum: quia ſi omnino tolleretur, non eſſet virium diſſolutio, ſed mors:eſt igitur virtus debilis. Subiectum eſt cor: quod læditur & ſecundum attractionem,& ſecundum expulſionem.

Cauſſa efficiens.

Efficiens cauſſa eſt fruſtratio motricis.cap.5.6.7.lib.12.meth.cap.14.lib 1.ad Glauc. cap 2. lib.5. loc. affect.comment.48.lib.2.de rat vict. Quidam volunt, palpitationem pertinere ad vim pulſificam, ſeu motricem cordis: ſyncopen ad facultatem cordis vitalem. At hæc ridicula ſunt: nam in ſyncope quiuis cernit, minui & auferri pulſum; quæ ſane ſpectant ad vim pulſificam, ad vim motricem cordis: hæc vis C pulſifica,eſt attractrix,& expultrix. Vitalis autem facultas nihil aliud eſt, quam alteratrix facultas cordis: ſicut enim coctrix,ſeu alteratrix ventriculi vocatur χυλωτικὴ;coctrix iecoris,αἱματοποιητικὴ, id eſt, ſanguificatrix;ita coctrix,ſeu alteratrix cordis vocatur vitalis. Cæterum,fruſtratur facultas motrix cordis ob errorem externum(non læditur,ſed fruſtratur.)Quamuis enim in ſyncope cor afficiatur morbo: hic morbus tamen non eſt læſio huius facultatis,ſed aliarum. Error autem hic externus nihil aliud eſt,quam vitalis ſpiritus præter naturam cum violentia aggregatus in corde. Hinc Auicennas dicit, ſyncopen fieri propter cõgregationem caloris & ſpiritus in corde,vt reliquæ corporis partes ſint orbatæ ſpiritu, vt mortuæ videantur. Ergo error externus eſt cauſſa morbifica, nimirum,ſpiritus vitalis,ſumma cum violentia in corde aggregatus.Et hoc contingit huic ſpiritui, quia læditur retentio cordis. Læditur autem retentio cordis,vel Propria ratione,vel ex Accidenti. Propria ratione,quando læditur retentio citra expulſionem:ex accidenti,quando læditur propter expulſionem. D Si retentio lædatur citra expulſionem;ſpiritus aggregatur propter cauſſam reſoluentem: dum enim cauſſa reſoluens agit, niſi id quod reſiduum eſt, in corde aggregaretur,ilico moreretur animal.Si retentio lædatur vitio expulſionis; tunc aggregatur ſpiritus propter cauſſam non reſoluentem,ſed contrariam, id eſt, ſuffocantem. Quare virium diſſolutio fit vel per Reſolutionem,vel per Suffocationem. Reſolutio fit,dum læditur retentio,citra vitium expulſionis. Reſolutio ſpirituum. Hæc retentio læditur, vel læſa facultate, vel ob Errorem externum. Læditur facultas retentrix ob morbum cordis (hic tamen morbus non eſt in cauſſa immediata) & quidem ob morbum in via ampliore,non anguſtiore; cuius cauſſa eſſe poteſt immoderata caliditas, coniuncta cum humiditate. Error autem externus, eſt ſpiritus vitalis exiguus; item eiuſdem tenuitas immoderata; iuſto enim tenuior facile reſoluitur.Porro ſpiritus exiguus eſt per Se, vel per Accidens. Per ſe eſt exiguus,cum non generatur copioſus. E Non autem generatur copioſus, vel Læſa alteratrice, vel ob Errorem externum. Læditur alteratrix, ſeu coctrix, vel vitalis facultas ob morbum, & potiſſimum ob intemperiem frigidam & ſiccam:& hic morbus eſt cauſſa ſyncopes mediata, quia generat exiguum ſpiritum, qui facile reſoluitur. Error externus eſt ſuccus crudus, qui non eſt aptus, vt mutetur in copioſum ſpiritum vitalem, quamuis cor optime ſit temperatum. Huius ordinis etiam eſt inedia: nam etſi optime cor ſit conſtitutum; in inedia tamen non poteſt copioſus ſpiritus vitalis generari. Per accidens autem ſpiritus eſt exiguus, quando generatur quidem, ſed non detinetur in corpore: quod fit ob calorem inſignem, immoderatas vigilias, inanitiones,motus immoderatos,&c. his enim ſpiritus, etiam in magna copia generatus, minuitur & euacuatur.

Suffocatio ſpirituum; & caloris.

Deinde fit diſſolutio virium per Suffocationem: vnde vel Læditur facultas, vel occurrit aliquis Error externus. F Læditur ob morbum in via,in anguſtia;quę fieri poteſt a materia copioſa,vel craſſa;Interna, vel Externa. Cauſſa interna,eſt ſuccus prauus,corruptus;qualis eſſe ſolet,in ſuppreſſione menſium, puerperii:poteſt etiam ſuccus eſſe veneficus,vt in febribus peſtilentibus,in retentione ſeminis. Cauſſa externa eſt aer prauus,peſtilens;cibi ſimiles;potiones;& animi pathemata,vt timor.

Differentię.

Quoad formam:motus debilis, vel Imminutus eſt, vt in leipothymia; vel Ablatus,id eſt,inſigniter debilitatus,aut ad ſenſum ſaltem ablatus,vt in ſyncope. Quoad ſubiectum:læditur cor,ſecundum partem Dextram,vel ſiniſtram. Quoad cauſſam efficientem; hæc eſt Reſoluens,vel Suffocans;quarum differentiæ e dictis patent.

Signa.

In genere hoc malum cognoſcitur,quia pulſus euadit paruus, debilis, ſecundum omnes dimenſiones:ad differentiam pulſus læſi in palpitatione. Deinde cognoſcitur e facie pallore ſuffuſa,quia ſpiritus,& cum ſpiritu ſanguis reuocatur ad cor:vnde ob eandem cauſſam externa frigent. G Cognoſcitur etiam e ſudore,& humiditate rorida,ac præſertim circa frontem,quia aliqua e parte compatitur cerebrum:erumpit autem illa humiditas rorida;quia partes,calore deſtitutæ, nequeunt ſubſtantificam humiditatem detinere:& frigida erumpit hæc humiditas rorida;quia exit per poros cutis frigidæ:frigida autem eſt cutis ob reuocationem caloris.

Differentiæ formales,facile patent:nam ſi fuerit ſyncope; omnia ſymptomata ſunt vehementiora; quam in leipothymia:præterea ſyncope indicatur ex amiſſione vocis, nec poſſunt loqui; quod non con-

tingit in leipothymia. Ægri autem dum ad ſe redeunt, recordantur caſus: ad differentiam epilepticorum, A
qui non recordantur; quia in ſyncope magis læditur cor; in epilepſia magis cerebrum.
Differentiæ a ſubiecto ita cognoſcuntur: ſi enim ſymptomata magis vrgent ſecundum partem ſini-
ſtram: indicium eſt potius cor affici ſecundum partem ſiniſtram: & contra. Quoad differenrias a cauſſa ef-
ficiente; facile reſoluentes cauſſæ a ſuffocantibus diſtingui poſſunt. Verbi gratia, ſi homo afficiatur macie,
ſi præcedat inſignis vacuatio, immoderatus corporis motus, lætitia effuſa, cibi parcitas, inedia; fieri ſolet
virium diſſolutio a cauſſa reſoluente. Si contra cohibeatur aliqua euacuatio ſolita, homo plus iuſto com-
edat & bibat, timore corruptus ſit, ſtatuendum, virium diſſolutionem fieri a cauſſa ſuffocante.
Indicationes. Vitales indicationes ſumuntur a ſubiecto, & cauſſa efficiente. A ſubiecto, vt dictum eſt cap. de pal- B
pit. cordis. A cauſſa efficiente: Si ſit cauſſa reſoluens; ſi immoderata apertio, indicat occludens, aſtringens:
Si immodica euacuatio, quæ fit ob immodicum impetum materiæ; motus ille cohibendus, & quandoque
etiam reuellendus: eſt enim reuellendus cauſſa curationis: nam ſi, verbi gratia, fiat ſyncope, ob immodera-
tum ſudorem, ſecundum totum corpus licet aſtringere, non licet reuellere: at ſi fiat ſyncope e reſolutio-
ne, ob fluxum ſanguinis narium, licet reuellere ad infernas partes. Si vero reſolutio fiat, quia non gignun-
tur ſpiritus, ob intemperiem cordis frigidam; indicatur calefaciens: & ſic de reliquis. Quod ſi cum frigi-
ditate eſt coniuncta ſiccitas; ſimul humectandum. Si malum fiat a cauſſa ſuffocante; obſtructio non indi-
cat: materia autem obſtructionis, copioſa, craſſa, viſcida, indicat minuens, attenuans, detergens. Si ma-
lum fiat non propter morbum, ſed ob errorem externum; hic error pertinet ad cauſſam externam, vel in-
ternam. Externa nõ indicat. Interna cauſſa eſt materia, quæ poteſt eſſe toto genere præter naturam, ideo- C
que eradicanda: poteſt eſſe copioſa, vnde minuenda.
Prognoſt. Vitium hoc periculoſiſſimum via eſt ad mortem: afficitur enim pars quæ gratia vitæ pręcipuum lo-
cum obtinet. Quoad differentias: Syncope periculoſior eſt quam leipothymia. Periculoſius etiam ma-
lum, ſi pars ſiniſtra afficitur. Quoad cauſſam effectricem; ceteris paribus, periculoſius malum, ſi fit a cauſ-
ſa reſoluente, quam ſuffocante. Dixi, ceteris paribus: nam ſi ſuffocatio fiat a cauſſa peſtilente, venefica:
certe malum eſt quaſi lethale.
Curatio. Phlebotomia. Præſeruatio ſpectat ad hunc, vel illum morbum: ideoque hac dimiſſa, de curatione mali præſentis
agemus. Quæritur autem primum, an actu exſiſtente ſyncope, vena ſit ſecanda, nec ne? Hoc videtur col-
ligi poſſe e Gal. com. 24. 82. 111. lib. 4. de rat. vict. probatur enim venæſectio in pulſus carentia. Et ratio eſt;
quia in ſyncope triplex eſt ſanguinis peccatum inſigne, indicans venæſectionem, ſcilicet in forma, in D
quantitate, & motu. In forma, quando ſanguis ita prauus redditur, vt non ſit aptus ad nutriẽdum; cum ſit
putre factus, cum ſit in via ad putredinem: & icc irco euacuandus eſt. Peccatum in quantitate eſt, cum ſan-
guis probus peccat ſecundum copiam, vt in habitu athletico, quemadmodum Hippocrates dicit aphor. 3.
ſect. 1. & cum hoc vitium ſit vehemens, egemus materia vacuante vehementi. Tertium peccatum eſt ra-
tione motus: quia fieri poteſt, vt ſanguis probus copia non excedat, nec ſigna aſſint plenitudinis; ſed pec-
cet tamen ſecundum motum, vt immineat aliqua inflammatio, verbi gratia, ſi aliquis, probum habens
ſanguinem, nec copia excedentem, cadat ab alto, vel percutiatur: ratione illius ictus fieri poteſt, vt ſanguis
motum præter naturam acquirat, cui motui, tanquam vitio, occurrendum ſit, euacuando ſimul & reuel-
lendo. In ſyncope igitur locum habere poteſt triplex hoc peccatum: poteſt enim ſyncope fieri a ſanguine
prauo & inepto nutritioni: poteſt fieri a ſanguine copioſiori, vt in plethora: poteſt fieri a ſanguine peccã- E
te ſecundum motum, verbi gratia, dum fit ſuppreſſio menſium, vt hic ſanguis impetum ad cor habeat:
item, ſi fiat ſyncope ex immoderato fluxu ſanguinis narium: nam & tunc ſanguis in motu peccat. His po-
ſitis, dicimus, *in ſyncope actu exſiſtente, non eſſe ſecandam venam: niſi peccatum ſanguinis ſit ſecundum copiam.*
Quare vena ſecari poteſt, ſi vitium ſanguinis ſit ſimul in quanto & forma: item, ſi ſimul in quanto & mo-
tu: at ſi in forma tantum, vel in motu tantum; venam aperire maxima eſto religio. Fundamentum ſumi-
tur e vi indicantis ſanguinis, & e vi virtutis. Nam ad venæſectionem non tantum indicans, ſed etiam vir-
tus robuſta permittens requiritur. Si ergo in ſyncope actu exſiſtente conſideremus vim ſanguinis indi-
cantis: certe ſumma eius vis eſt, quando vel ſola copia peccat, vel ſimul cum copia & in forma, & in motu:
imminet enim præſentaneum ſuffocationis periculum, ob immodicam copiam: ſicut etiam ignis ab im- F
modica lignorum copia ſuffocatur. Præterea adeſt etiam permittens, id eſt, virtus: quando ſcilicet patiens
non eſt priuatus carne, & virtus robuſta eſt ſecundum ſolida, ſecundum carnoſum genus. Dubium igi-
tur tantum eſt de virtute ſecundum ſpiritus. Virtus igitur ſecundum ſpiritus dupliciter poteſt eſſe debi-
lis: vel quia reſoluitur, & hæc imbecillitas prohibet venæſectionem, vel quia ſuffocatur, quæ non prohi-
bet venæſectionem, ſed permittit; niſi enim ilico copia tollatur, derepente ſuffocantur ſpiritus, & æger
moritur. Ideo Galenus locis citatis, in pulſus carentia ſecat venam. *Vſus.* Quoad *quantum:* non confertim
euacuandum, in multa copia: virtus enim permittit quidem venæſectionem, non tamen concepit vacua-
tionem copioſam. Quoad *tempus:* vena ſecanda eſt, actu exſiſtente ſyncope, quia adeſt præſentia indican-
tis ſanguinis, & virtutis permittentis. Quoad *vbi:* vena varia eſt ſecanda, pro varia ſubſiſtentia ſanguinis,
verbi gratia, ſi corpus ſit plethoricum, vt ſanguis in toto exſiſtat; cum ſanguinis fons ſit hepar, licet baſili-
cam aperire. Si fiat ſyncope e ſuppreſſione menſium, puerperii, & ſanguis ſit copioſior; aperienda eſt ve- G
na inferna: quia eſt materia & vacuans ſanguinem, & ſimul impetum ſanguinis reuellens. Peccatum ſan-
Ligaturæ, frictiones. guinis in ſolo motu coerceri poteſt ligaturis, cucurbitulis: Sic etiam peccatum ſanguinis in ſola forma,
aliis præſidiis tolli poteſt. Frictiones, ligaturæ, euulſio pilorum capitis & barbæ, poſſunt cum vtilitate ad-
miniſtrari, in ſyncope a ſuffocatione. Si autem e reſolutione fiat ſyncope; licet interdum etiam vti ligaturis
& frictionibus, non indifferenter, ſed ſecundum partes remotas contrarias, verbi gratia, *ſi fiat ſyncope ob*
immoderatum fluorem alui, oportet fricare & ligare brachia: ſi ob narium hæmorrhagiam, crura liganda
ſunt, & fricanda.

Quoad

A Quoad medicamenta, quibus egemus actu exsistente syncope. Si fiat e resolutione, oportet vti frigidis, vt sunt *aqua frigida, rosacea, acetũ, &c. quæ fronti, & faciei applicanda.* Si fiat syncope e suffocatione, calidis vtendum: vnde expedit fricare partes, & palatum etiam *mithridatica confectione, & theriaca, aliisque non modo calidis, sed etiam ingratis, & iniucundis, vt virtus suffocata expergiscatur. Conducit etiam magnopere nasturtium, nigella, diasinapi, &c. quæ intra nares immittenda, vt excitetur sternutamentum, vi cuius virtus suffocata excitetur.* Notandum; si in syncope, forte e suffocatione, hæc sternutamenta administrentur, & homo non sternutet, (non exsistente vitio in naribus, vel carunculis mamillaribus) actum esse: ideoque discedat medicus. Medicamenta excitantia eos qui an moliquantur.

B Quoad diætam: aer probatur purus, vt materia alimenti spiritus: probatur etiam aer vt materia remedii. Et in syncope e resolutione probatur aer frigidus. In syncope autem e suffocatione, non probatur aer calidus, sed potius moderate frigidus, cap. 14. l. 1. ad Glauc. ratio est: quamuis enim virtus suffocetur, & fiat concentratio spirituum: attamen probari aer calidus non potest, quia in syncope e suffocatione adest magna necessitas euentandi calorem, ne suffocetur: ideoque potius opus est inspiratione aeris frigidi: quod etiam obseruatur in asthmate, in difficili respiratione, quamuis hæc fiant a materia frigida & pituitosa, aere tamen egemus frigido, propter necessitatem euentandi caloris. Quoad cibum. Non possunt masticare. Si ergo fuerit syncope e resolutione: probatur *potio ex aqua carnis, e capi destillato: & ad celerem penetrationem, cum aqua carnis etiam vinum miscendum: vnde probatur vinum aromaticum.* His tamen non in omni syncope vtendum: nam si fuerit e suffocatione, & præsertim e copioso sanguine: a vino abstinendum. Victus. Aer. Cibus.

C Nec obstat Galeni dictum, c. 4. 5. l. 12. meth. omnibus, qui actu detinentur syncope, vinum esse exhibendum: non enim absolute intelligit omnes, sed omnes de quibus ibi loquitur: loquitur autem ibi de syncope, quæ non fit a copioso sangine, sed a succis biliosis, pituitosis: & proinde idem Galenus cap. 14. l. 1. ad Glac. non omnibus vinum exhibet.

FINIS LIBRI SECVNDI.

 A

PRACTICÆ MEDICINÆ Liber Tertius; B

DE PARTIVM, IMO VENTRE CONTENTARVM AFFECTIBVS. C

Caput I.

De Læsa deglutitione: quæ œsophagi est affectio.

Transitio.

NSTRVMENTA corporis humani pertinent vel ad Ventres, vel ad Artus. Si ad ventres; vel ad Caput, vel Thoracem, vel Abdomen. Cum igitur hactenus capitis & thoracis affectus præcipuos mediocri diligentia simus prosecuti: deinceps mala ad ABDOMEN spectantia proponere instituimus.

Quid agendum hoc libro. & quo ordine.

Sciendum vero abdomen caussa tum vitæ, tum commodioris vitæ in se continere Hepar; & huius caussa Vētriculum, Intestina, Vesicam felleam, Lienem, Re- D
nes, Vesicam vrinariam: gratia autem speciei Genitalia vocata organa, tam virilia in maribus, quam in fœminis muliebria. Nos igitur circa omnium harum partium vitia digrediemur: nec citra diligētiam: siquidem in quolibet vitio versabimur circa nomen, definitionem, differentias, signa, præsidia, prognosticum, & præsidiorum materias, & assiduo conabimur doctrinam historicam euitare, & scientificam amplecti: maxime vero dum sermo fit de præsidiorum materiis: nostrum institutum erit, non simpliciter tradere receptas, (quod pertinet ad empeiricos) sed tradere artem, formulas seu receptas præscribendi. Verum, quanquam abdominis pars præcipua sit iecur, nihilominus nos primum de ventriculi malis dicemus: & ratio est, propterea quod ventriculus est instrumentum, cui primo quæ assumuntur occurrunt: primum enim virtus ventriculi aliquantisper vincens cibaria & potio- E
nes, in caussa est, vt quæ ingeruntur, deinceps apprime vincantur ab hepate. Ceterum hoc loco per ventriculum intelligimus totum viscus, duabus constans partibus; nimirum meatu quem transeunt, quæ assumuntur; deinde vtre in quem suscipiuntur: iccirco ne vitium in defectu a nobis committatur; per ventriculum intelligemus non modo suscipientem partem, nempe ventriculi corpus, quod ventriculum vocant; sed etiam partem quæ eorum quæ ingeruntur est ductus, quam partem œsophagum vocare consueuerunt. Quamobrem agendum nobis erit de vitiis tum Oesophagi, tum Corporis ventriculi: & primum œsophagi; quia quod assumitur, primum œsophagum, postea ventriculum adit.

Affectus œsophagi.

Quantum igitur ad vitia œsophagi: secundum Auicennam membrum hoc obnoxium est cuilibet vitiorum generi: siquidem intemperie, mala compositione, & soluta vnitate corripi potest. At cum omnia
hæc mala, vt insinuare videtur Auicennas, consentientia esse videantur, prout vni officiunt deglutitioni; F
propter quam œsophagus est creatus: ob id de læsa deglutitione sermo instituendus: nam læsæ deglutitionis doctrina recte concepta, nihil quod ad œsophagi mala intelligendum necessarium vel vtile esse videatur, desiderari poterit.

Nomen.

Quoad nomen, ἔτυμον relinquo Grammaticis: per læsam autem deglutitionem intelligimus illud vitium, in quo homo præter leges naturæ, cum aliquid per os ingeritur, ita afficitur, vt quod assumitur, nequaquam secundum naturæ statuta ab ore in ventriculum descendere valeat, vt propterea læsam deglutitionem audire oporteat genericam.

Generatio.

Huius mali, vt definitio promtius elucescat, primum (vt moris nostri est) læsæ deglutitionis generatio explicanda: & facilioris doctrinæ gratia quemodo

Vt fiat deglutitio secundum naturam.

deglutitio secundum naturam celebretur, ostendendum. Sciendum ergo cum Galeno c.8.l.4. de vsu part. cap.11. lib.5. de vsu part. cap.5. lib.6. de vsu part. & cap. 8. lib.3. de facult. naturalibus, & cap.5. lib.5. de loc
affect. a quo accepit Auicennas prima, primi, cap. vlt. & lib.3. fen.13. cap.1. ad deglutitionem secundum na- G
turam celebrandum, necessario concurrere facultatem, tum naturalem, tum voluntariem motricem. Quo ad naturalem: scire oportet, esse attractricem & expultricem. Quantum ad attractricem; potissimum spectat ad œsophagum, aliquo autem modo ad ventriculum. Ad œsophagum attinet, vt per rectas fibras, in œsophagi tunica interna insertas, cibum ad œsophagi initium expressum, in partes penitiores attrahit. Spectat etiam ad ventriculum, vt per rectas fibras fit attractio. Hinc fit, deglutitionem optimam expleri, si appetentia ciborum deglutitionem præcedat; nam dum vigilat appetentia ventriculi, non dormitat attractrix,

A tractrix,vt propterea deglutitio ægre perficiatur, niſi appetitus pereat: quod euenit in aſſumtione vel ci-
borum,vel medicamentorum iniucundorum. Quo autem ad expultricem: eſt hæc œſophagi facultas,quę
ope fibrarum tranſuerſarum,tunicæ externæ adhærentium, cibos in œſophagum attractos,in ventricu-
lum protrudit. Quoad facultatem motricem: duplex eſt,altera laryngem ſurſum trahit, reliqua autem ci-
bum ad œſophagi initium exprimit. Facultas autem motrix, quæ laryngem ſurſum pellit,attinere poteſt
ad hyoeidis oſſis muſculos,qui laryngem ſurſum in tantum eleuant,quantum gula deorſum trahitur. Ex-
pedit autem laryngem aſcendere: nam ſecus, cum larynx tota ſit cartilaginea,cibi deſcenſum inhiberet.
Nec vero ſurſum larynx eleuata eandem ſedem ſeruat: verum (cap.8.l.3. de facult.natural.) completa de-
glutitione,luculenter deſcendere cernitur. Id autem aſſequitur per rectas fibras, inſertas internæ tunicæ
B ventriculi: quæ ſane tunica,cum intus inueſtiat tum gulam,tum os, tum præterea intrinſecus ſecundum
ſummitatem arteriæ ſeu laryngis extendatur;fit,vt dum gula a ventriculo deorſum trahitur, ſimul etiam
ſumma arteria trahatur,& proinde larynx deſcendat. Motrix autem quæ cibum ad œſophagi initium ex-
primit,attinet ad faucium muſculos:qui dum ad ſuum principium trahuntur, cibum in œſophagum de-
pellunt. His ſic conſtitutis,patet,cibum aſſumtum deſcendere & tractu & pulſu. Vt cum Auicen. deglu-
titio ſecundum naturam bifariam perpendi poſſit:altero modo, vt incipit deglutitio,altero vt perficitur.
Vt incipit, fit ope attractricis œſophagi, & virtute muſculorum, vt autem perficitur,fit virtute expultri-
cis œſophagi,& virtute attractricis oris ventriculi. Hæc Galen. cognoſcens, iure cap.5.l.5.de loc.aff. dicit,
gulæ duplicem eſſe vſum:nam in deglutitione gula concurrit dupliciter; primum inſtar viæ, vt degluti-
tionis auctor eſt facultas tum muſculorum,tum ventriculi: concurrit deinde in ratione organi operan-
C tis,vt deglutitionis eſt opifex gulæ facultas,ſiue attractrix, ſiue expultrix. His explicatis facile colligitur, Vt fiat de-
deglutitionem naturæ leges egredi,dum aliquid occurrit præter naturam,turbans vel gulam, vel vicinos glutitio
muſculos,vel ventriculum,vt gula,quemadmodum decet,vel non attrahat,vel non expellat. Et ſi muſcu- præter na-
lorum vicinorum motus lædatur, vel ventriculi attractio infeſtetur, dubio procul quoque deglutitio turam.
præter naturam oboritur. Quare deglutitio læſa eſt functio præter naturam gulæ,dependens a fruſtratio- Definitio.
ne facultatis deglutricis. Definitum eſt accidens præter naturam: neceſſe eſt ergo vt pateat eius eſſentia
per formam,ſubiectum,& cauſſam efficientem. Quoad formam,dixi eſſe functionem præter naturam, Forma.
vt deglutitio morboſa diſtingueretur a naturali: Et,vt præter naturam,proponitur forma generica, com-
plectens deglutitionem Ablatam,Imminutam,& Corruptam. Subiectum eſt gula, vt diſtinguatur hæc Subiectum.
D functio præter naturam,a functione præter naturam cuiuslibet alterius inſtrumenti.
Cauſſa efficiens eſt fruſtratio facultatis deglutricis, vt diſtinguatur definitum a functione gulæ fru- Cauſſa effi-
ſtrata,vt nutritur. Vnde explicare oportet,quam ob cauſſam facultas deglutitrix fruſtretur. Sciendum, ciens.
fruſtrationem hanc pendere vel e læſione facultatis,vel ab Errore externo. Quoad læſionem facultatis, Læſa facul-
locum hæc habet,dum gula afficitur morbo,vi cuius deglutitrix facultas vel Labefactatur, vel Impeditur, tas.
vel Vtrumq; patitur. Error autẽ externus,attinet ad omnẽ gulæ noxam, quæ eſt extra conſtitutionẽ gulæ,
id eſt,extra intemperiem,extra malam cõpoſitionem,extra ſolutã vnitatem. Id ergo omne, quod eſt extra cõ-
ſtitutionẽ,habet rationẽ erroris externi, ſiue ſit vicinarum partiũ morbus,ſiue nullus ſit morbus partiũ.
Declaro cum Gal.& Auic.cap.proprio. Primũ ergo quoad læſionem facultatis,vt morbus eſt multiplex,
ita multiplex eſt facultatis lęſio. Hinc cum morbus eſſe poſſit,tum ſimplicis,tum miſtę potentiæ,ſi ſit ſim-
E plicis potentiæ,facultas vel labefactatur,vel impeditur. Si autem ſit morbus miſtæ potentiæ,ſimul facul-
tas & labefactatur & impeditur. Quoad morbũ ſimplicis potentiæ,vi cuius facultas ſolum labefactatur,
eſt,verbi gratia,intemperies quælibet ſecundũ Auic. potiſſimum tamen intemperies frigida, humida, ſic-
ca,vt contingit in febribus:etenim ſi interna gulæ tunica corripiatur intemperie,labefactatur facultas at-
tractrix,ſi externa,labefactatur expultrix: ſi vtraq; tunica morbo corripiatur, etiã vtraq; facultas labefa-
ctatur. Quoad morbũ ſimplicis potẽtiæ,vi cuius facultas impeditur,eſt morbus in Mala cõpoſitione, & in
Soluta vnitate: propter malam cõpoſitionem,via ſeu ductus anguſtatur, propter ſolutam vnitatem via reddi-
tur inæqualis. Mala cõpoſitio eſt anguſtia,h.e. Obſtructio, Cõſtipatio, Coaleſcentia,& Cõpreſſio. Obſtru-
ctio fit a materia ſimpliciter replente œſophagũ,quæ materia multiplex eſſe poteſt, vt materia deſtillans a
F capite,item ſecundũ Auic. vermes numeroſi:vnde obſtructionis materia concurrit, quatenus peccat,vel
copia,vel craſſitie,vel viſciditate & lentore. Conſtipatio fit dũ naſcitur caro poſt vlcus œſophagi,quando
ad agglutinationẽ perducitur,tunc.n.caro ita poteſt cõcreſcere, vt cõſtipetur œſophagus.c.2.l.3.de ſymp.
cauſ. Coaleſcentia fit cũ poſt vlceris œſophagi agglutinationẽ,citra carnis excreſcentiã,anguſtus redditur
œſophagus,cuius anguſtiæ cauſſa immediata,non eſt caro,vt in conſtipatione,ſed cicatrix. Cõpreſſionis
cauſſa eſt, quod extrinſecus cõprimit gulam,ſiue ſit tumor partium vicinarũ,vel non inflammatorius,vel in-
flãmatorius,vt in angina,ſiue etiam cum Auicenna ſit vicinarum vertebrarum luxatio ad interiora. Solu-
ta vnitas,eſt vlcus:de cauſſis autem vlceris,dicemus in ſermone de vlcere ventriculi. Quoad morbum mi-
ſtæ potentię,qui deglutitricẽ facultatem tum labefactat,tum impedit,hic morbus eſt gulæ tumor,ſiue fri-
gidus, ſiue calidus: per intemperiem enim morboſam labefactatur facultas: per magnitudinem auctam
impeditur. Hæc de morbis. Quoad errorem externum;hic poteſt eſſe cauſſa Externa,vel Interna. Cauſſa Error ex-
G interna,cum Auicenna,eſt vitium partium vel Vicinarum,vel Non vicinarum. Vitium partium vicina- ternus.
rum,attinet vel ad Muſculos vicinos,vel ad Vẽtriculum. Ad muſculos,vt afficiuntur vel Paralyſi, vel Cõ-
uulſione,vel Tumore. (*Sed duo hic notanda primo. Si hæc mala dirigantur ad deglutitionem,vt prodit a fa-
cultate animali,eſſe vitia,propter quæ læditur facultas animalis: Si autem dirigãtur ad deglutitione,vt prodit a
facultate naturali, has cauſſas eſſe errores externos,nõ morbos. Secundo notandũ: ſi muſculi afficiantur tumore,
vt vi huius tumoris ſolum lædatur motus muſculorum,eſſe vitiũ,quod attinet ad errorem externũ: at ſi vi tumo-
ris,non modo lædatur motus muſculorum,verũ etiam gula anguſtetur & comprimatur: tũc etiam lædi faculta-*

tem, & proinde habere rationem morbi.) Porro error externus ſpectat ad ventriculum, ſi citra noxam œſophagi ventriculus afficiatur in appetentia, vt non attrahat cibum. Ad partes non vicinas ſpectat error, dum læditur deglutitio ob debilitatem virtutis, vt in fine morborum acutorum contingit; in his enim omnium partium calor languet. Error externus, prout ſpectat ad cauſſas externas, eſt vitium in his quæ ingeruntur, vt dum ingeruntur craſſiora, male maſticata, & dum confertim ingeruntur.

Differentiæ.

Differentiæ a forma: Deglutitio vel Aufertur, vel Male fit: ſi male fit, Imminuitur, aut Deprauatur. Differentiæ a ſubiecto: Afficitur gula, ſecundum partem Internam, vel Externam: ſecundum Supernam, vel Infernam. Differentiæ a cauſſa effectrice: Deglutitio læditur, vel Leſa facultate, vel ob Errorem externum: horum ſubdiuiſio e traditis patet.

Signa.

Deglutitio in genere, & ſecundum differentias a forma, non eget ſignis: æger enim conqueritur de d glutitione, & de hac vel ablata, vel imminuta, vel corrupta; quæ corrupta deglutitio fit vel cum dolore, vel cum prauo motu. Quoad differentias, ratione ſubiecti: Si gula ſit affecta ſecundum partem ſupernam; tumor quandoque oculis conſpicitur: & ilico aſſumto cibo deglutitionis impedimentum ſentitur. Si pars inferna ſit affecta; cibi aliquantiſper libere deſcendunt, ſed mox in tranſitu iter turbatur. Vtrũ autem gula afficiatur ſecundum tunicam externam, vel internam, patebit e cognitione differẽtiarum, quæ ſumuntur a cauſſa efficiente. Quoad differentias a cauſſa efficiente: hæc eſt Morbus, aut Error externus. Si morbus, & primum ſi ſit intemperies; ex eo deprehenditur, quia cibus difficulter deſcendit, ſine ſenſu anguſtiæ. Et ſi ob intemperiem labefactetur attractrix; cognoſcetur inde, quod cibus tum liquidus, tum ſolidus deſcendet, ſed ægre. Si labefactetur expultrix; cognoſcetur, quod cibus liquidus deſcendet, nõ autem ſolidus. Si dyſcraſia ad calidum declinet, indicabitur e ſenſu caliditatis, & cauſſis calidis prægreſſis: cõtra, ſi ad frigidum. Si vergeat ad humidum, cognoſcetur ex oris humiditate, e priuatione ſitis, e prægreſſis cauſſis humectantibus: contra, ſi ad ſiccum. Si morbus ſit anguſtia; indicabitur e cibo, ægre deſcendente, ſed cum ſenſu anguſtiæ. Et ſi anguſtia fuerit obſtructio; indicabitur e difficili & inæquali deglutitione, ſiue dolore: vtrum autem obſtructionis cauſſa ſit vel materia deſtillans, vel vermis; cognoſcetur e propriis capitibus. Si anguſtia ſit conſtipatio; indicabitur e difficili & inæquali deglutitione citra dolorem, citra ſitim, citra febrem: & præterea vlcus eſt prægreſſum. Si cauſſa ſit coaleſcentia; indicatur e ſignis vlceris (coaleſcentia enim vlcus ſequitur) ſed minor erit difficultas in deglutitione, quam dum fit a tumore carnoſo; quoniam a cicatrice producitur exigua anguſtia. Et ſi anguſtia ſit compreſſio, ſi fiat a tumore partium vicinarum; ſigna erunt tumoris, vt in angina: ſi ſit vertebrarum luxatio; indicabitur e prægreſſa cauſſa luxationis, & intendetur deglutitionis noxa in ſupino decubitu. Si cauſſa ſit vlcus: indicabitur e dolore, qui tempore deglutitionis intendetur: item e ſiti, e puris excretione, e prægreſſis cauſſis vlcerantibus. Si cauſſa ſit tumor gulæ; indicabitur e difficili & inæquali deglutitione: & ſi tumor fuerit frigidus, non aderit ſenſus caliditatis, non febris, non ſitis, non dolor: Si tumor ſit calidus, contra. Sequitur cognitio erroris externi. Hic eſt cauſſa interna, vel externa. Si interna: & primum ſi vitium ſit ſecundum muſculos oſſis hyoeidis: cibus protruditur ope muſculorum faucium, & quidem intra œſophagum: ſed cibus ſolidus vix deſcendit, cum prohibeatur a tracheiæ ſubſtantia cartilaginea, quæ ſurſum non attollitur, propter vitium muſculorum hyoeidis. Si vitium ſit ſecundum muſculos faucium, indicatur inde, quod cibus non truditur intra gulam, vnde vel non deſcendit, vel vix deſcendit. Et ſi muſculi afficiantur paralyſi: deglutitur ſolum cibus liquidus: idque fit, vel quoniam muſculi hyoeidis laryngem ſurſum non trahunt, vel quoniam muſculi faucium cibum deorſum non pellunt. Si vero muſculi afficiantur conuulſione: & quidem ſi faucium muſculi conuellantur, vt vi retrahantur ad ſuum principium; fiet vt cibi in gulam impellantur, nobiſque inuitis cibi deſcendant: Si muſculi hyoeidis conuellantur; ſurſum trahunt laryngem, & hinc ſurſum pellunt cibum, & præſertim cibum liquidum: ſolidus enim cibus pondere ſuo deſcendit, nec ita facile cedit motui conuulſiuo, quemadmodum liquidus. Si error attineat ad ventriculum; indicabitur ex appetentia. Si error ſpectet ad partes remotas: indicabitur e morbis, qui vires diſſipare potuerunt. Si tandem error attineat ad cauſſas externas, æger & aſſidentes referre poterunt.

Margin notes beside the preceding paragraph: **Differentiarum a ſubiecto.** — **Diff a cauſſa efficiẽte. Dyſcraſiæ.** — **Anguſtiæ.** — **Vlceris. Tumoris.** — **Erroris externi ſigna.**

Indicationes.

Præſidia ſumuntur ab eſſentia indicantis: eſſentia autem deglutitionis poſita eſt in forma, ſubiecto, & cauſſa efficiente: ſufficit tamen præſidia ex vſu ſolum capere a cauſſa efficiente. Si igitur fiat deglutitio læſa facultate: & primum, ſi morbus ſit intemperies: indicat alterans per contrarium: magis autem particularia, in ſermone de intemperie vẽtriculi perſequemur. Si morbus ſit anguſtia; indicatio capitur a cauſſa continente ex vſu, non ab anguſtia. Si igitur anguſtia ſit obſtructio; materia obſtructionis erit vacuanda; ſi anguſtia ſit conſtipatio: caro excreta abſumenda: Si anguſtia ſit coaleſcentia: cicatrix atterenda, ſiue conſumenda: Si anguſtia ſit compreſſio, & quidem ſi compreſſionis cauſſa ſit tumor: materia tumoris vacuanda. (non conſideramus in tumore magnitudinem auctam, quia eſt morbus, non ex vſu.) Si compreſſio fiat ob vertebrarum luxationem: ſitus vertebris reſtituendus. Si morbus ſit vel vlcus, vel tumor: indicationes tradentur in ſermonibus de vlcere ventriculi & de tumore ventriculi. Si deglutitio lædatur ob errorem externum: hic eſt cauſſa interna vel externa. Si interna, & ſi attineat ad muſculos, ſiue afficiantur paralyſi, ſiue conuulſione, ſiue tumore: indicationes petantur e propriis capitibus. Si error ad ventriculum attineat: huius indicationes explicabuntur in ſerm. de læſa appet ntiæ. Si error attineat ad partes remotas, id eſt, ad cor, & ad cerebrum: de his ſuis dicemus locis. Tandem, ſi error ſit cauſſa externa: ab hac non ſumitur indicatio.

Prognoſt.

Vitium præſens negligendum non eſt, cum citra deglutitionem homo diu viuere nequeat. At vis differentiarum vt varia eſt, ita varium minatur periculum. Si ergo reliqua ſunt paria; ratione formæ deglutitio eſt periculoſior, ſi ſit ablata. Ratione cauſſæ efficientis, pro varia vehementia, vario modo prognoſticandum: non tamen proponemus hic vehementiam cauſſæ efficientis; cum illa prognoſtica plurimorum

A morum vitiorum,oportunius locis propriis explicentur. Breuiter tamen ſciendum: ſi mali cauſſa ſit in-
temperies,curari poſſe : at ægrius ſi dyſcraſia ſit in habitu,& ſi ſit ſicca;nam maior eſt receſſus. Si morbus
ſit anguſtia, nulla eſt anguſtia quæ ob vehementiam eſſentiæ deterior ſit, quam compreſſio a luxatione
vertebrarum:vnde Auicennas huius curam, ceu deploratæ,non proponit.Materia obſtructionis,conſti-
pationis,& propoſitorum tumorum,ſaltem ſecundum aliquam partem vinci poteſt, quod dico propter
tumorem carnoſum conſtipantem,& potiſſ.propter cicatricem,quæ eſt cauſſa coaleſcentiæ.Si vehemen-
tia dignitatis perpendatur;vt cauſſa cruciat magis prope ventriculum, malum eſt magis periculoſum. Si
denique cauſſa efficiens ſit error;pro diuerſa vehementia erroris,varie prognoſticandum:quod e propo-
B ſitis facile colligi poteſt

Circa materias præſidiorum breues erimus: e propriis enim capitibus peti poſſunt. Quoad mate-
riam igitur cheirurgicam : ſi deglutitio auferatur, & malum medicamentis non cedat,oportet candelam Curatio.
ceream in gulam immittere: & huius beneficio plerique ſanitati ſunt reſtituti. Aetius ait,ſi malum fiat e Cheirurgia.
paralyſi,cucurbitulas mento eſſe affigendas.

Quoad medicamenta,quinque ſunt notanda:tria quidem ſunt communia:quartum reſpicit intem- Pharma-
periem humidam:quinctum inflammationem.I.Exhibenda ſunt medicamēta craſſa & viſcida : & ſi opus ceia.
eſt attenuatione ac deterſione, miſcenda ſunt craſſa & viſcida, vt diutius hæreant, & operentur: opera- 1.Canon.
tio enim fit in tempore;& per contactum,v.g.dum cauſſa deglutitionis,quæ producitur a materia viſcida,
vtimur *melle,vel ſaccharo:miſcere oportet farinam amyli,album oui,tragacantham, quæ baſin corrigunt,ſicut*
C *albuminis oui viſciditas ſacchari vim fluidam corrigit,interim tamen ſaccharum minus detergere facit*.Quod
ſi medicamenta,quę cum detergentibus & attenuantibus miſcentur,habent etiam vim deterſoriam;non
corrigunt tantum,ſed etiam adiuuant baſin. Sed hæc non pertinent ad methodum medendi, verum ad
methodum ſimplicium & compoſitorum : ad methodum quidem ſimplicium, dum dicimus craſſa & vi-
ſcida eſſe eligenda;ad compoſitorum methodum,vbi de medicamentorum miſtione agimus.Et hoc pri-
mum eſt documentum,quod Auic.proponit in cap.de cura vlcerum gulæ.II.documentū:Medicamenta 2.Canon.
ea arte ſunt adminiſtranda,vt pallatim bibantur: hic enim *agendi modus* indicatur a reſiſtentia indicantis:
gulæ vitium non cedit medicamentis,niſi ab his tangatur: propterea ſenſim oportet medicamentum de-
ſcendere.Reſiſtentiæ autem ſignum hic eſt pars affecta,nimirum gula, ſecundum ſuam compoſitionem;
ideoque compoſitio eſt ſignum.III.Medicamenta ſunt applicanda ſuper dorſum inter duas ſpatulas: nam 3. Canon.
D *Vbi agendum* indicatur a ſubſiſtentia vitii:ſubſiſtit autem in gula,quę poſt tracheiam deſcendit inter duas cap.17.l.13.
ſpatulas:& hinc gulæ ſitus,eſt ſignum ſubſiſtentiæ,a qua Vbi agendum indicatur.Si ergo accidat,vt in de- meth. med.
glutitione muſculi paralyſi afficiātur,cum Aetio acria, id eſt, reſoluentia applicanda ſunt parti iuxta ton-
ſillas.IV. Si deglutitio fiat ob humiditatem : probantur medicamenta ſtiptica & calefacientia:hæc vt ſer- 4.Canon:
uent calidum innatum,quod ab humore obruitur;illa vt ſiccent;qualia ſtiptica ſunt *roſa,balauſtia,&c.*ca- ad humidi-
lida ſunt,*aniſum,been vtrumq;,ſpica, myrrha,&c.* Quandoque cum ſtipticis frigidis miſcenda ſunt calida tatem:
fortia,quæ non tantum reſpiciunt calidum innatum,ſed corrigunt ſtiptica,ne frigiditate noceant. In hac
miſcella Auic.maxime probat *aniuden,quem puto eſſe ſuccum odoratum laſerpitii, vulgo benzoin dicitur.* V. 5.Canon:ad
Dum gula inflammatio afficitur;probantur medicamenta tum applicanda,tum aſſumenda. Applicanda phlegmo-
ſunt medicamenta dorſo inter ſpatulas:& primum reprimentia compoſita ex odoriferis,&fructibus pro nem.
E poſitis in curatione apoſtematum ventriculi;cuiuſmodi eſt medicamentum hoc: *℞ ol.roſ.completi ℥j.olei* 1.
cydoniorum ℥ ß. (hæc conſtituunt baſin) aceti ʒ iij. (penetratione baſin adiuuat:) ceræ lotæ in aqua roſac.ʒ ij.ß.
(diuturniore mora facit vt medicamentum in agendo ſit efficacius) Miſce,& fiat linimentum. Deinde Auic.
accedit ad medicamenta reprimentia,& digerentia. Vnde reprimentibus iam propoſitis addit *ammonia-*
cum,bdellium,ficus,adipes,vt fiat digeſtio. Tertio neglectis reprimentibus, aſcendit ad reſoluentia: vnde
conficit medicamentum *e granis lauri,e pyrethro:ex iride,ariſtolochia,& ſimilibus digerentibus.* Tandem ſi
inflammatio gulæ, ad ſuppurationem mutetur (quod declarabimus in ſermone de tumore ventriculi.)
probat Auic.*medicamentum confectum e ſinapi,e gummi,e ruta ſylueſtri: & aſcendere licet ad fimum colum-*
binum,vt abſceſſus diſrumpatur. Quoad ea quæ aſſumuntur,propter inflammationem, probat Auicennas 2.
medicamentum confectum e lente,e ſpodio,e mucilagine pſyllii,e ſemine portulacæ,& aqua cucurbitæ: quod me-
F *dicamentum reprimendi vim habet.* Deinde his reprimentibus addit reſoluentia, vt ſunt *aqua feniculi,fi-*
cus,dactyli, lac amygdalinum. Poſt reprimentibus dimiſſis, probat *farinam orobi & ciceris.* Tandem ſi ru-
ptione opus ſit(niſi enim abſceſſus diſrumpatur,homo moritur)laudat *ſorbitionem cōfectam e radice lilii*
cœleſtis,ex amygdalis amaris, & praſſio,additq; ficus,cum exiguo ſinapi: vt hoc medicamento fiat ruptio, & ho-
mo deglutire queat. Diæta his proportione reſpondebit:de qua tamen in ventriculi dyſcraſiis.

CAPVT II.

De differentiis affectuum ventriculi: & primum de Dyſcraſia.

HActenus de œſophagi malis:nunc dicendum de vitiis Corporis ventriculi. Plura autem ſunt ventri- Ventriculi
culi vitia:tum quia ventriculus eſt inſtrumentum,e pluribus partibus ſimilaribus compoſitum : tum affectuum
quia eſt inſtrumentum functionum & animæ, & naturæ, non tantum communium, ſed etiam propria- enumera-
G rum.Si ſumatur ventriculus,vt eſt organum e partibus ſimilaribus compoſitum; vitia eius ſunt morbi, & tio.
a morbis nomen aſſumunt:ſi vero conſideretur ventriculus, vt eſt organum functionum; vitia eius ſunt
ſymptomata,& a ſymptomatis nomen accipiunt.Dicendum igitur nobis eſt,& de Morbis, & de Sympto-
matis. Quorum omnium numerus arte eſt eliciendus,hoc modo. Ventriculus primum conſideratur vt Morbi ven-
inſtrumentum,e ſimilaribus compoſitum. Similarium partium morbus eſt Intemperies. Si ventriculus triculi.
ſumatur, vt eſt quid diſſimilare & compoſitum : eius vitium eſt Mala compoſitio, potiſſ.in magnitudine

vel imminuta,vt Paruitas ventriculi;vel aucta,vt Tumor ventriculi. Vitia autem ventriculi partibus simi- A
Sympto-mata ventriculi. laribus & dissimilaribus communia,sunt Vlcera. Hæc de morbis. Symptomata respiciunt ventriculum,
vt est plurium functionum organum. Functiones sunt Communes & Propriæ. Cõmunis functio potiss.
attinet ad tactum:vnde dicendum de Dolore,seu Cardialgia. Propriæ actiones ventriculi,sunt Attractio,
Alteratio,Expulsio,Retentio:hæ actiones dicuntur propriæ,quatenus referuntur ad cibum & potum,in
quæ agit ventriculus,vt fiat chylus:quatenus autem hæ actiones respiciunt alimentum, quo ventriculus
alitur,sunt potius functiones communes,sicut ipsa nutritio est communis actio. Quamuis autem insti-
tutum nostrum sit versari circa has actiones,quatenus propriæ sunt:ita tamen digredimur, vt nihil desi-
derari possit circa communes functiones. Quantum igitur ad attractionem; hæc postulat naturalem ap-
petentiam:nam appetentia præter naturam nocet attractioni;ideo dicendum de Appetentia læsa. Et cum B
appetentiæ obiectum sit duplex,nempe Cibus,& Potus:gratia cibi,dicemus de Fame morbosa:gratia po-
tus,de Siti morbosa. Ratione famis morbosæ, patere poterit essentia & curatio, Diminutæ appetentiæ,
Fastidii ciborum, Destructionis appetitus, Famis vaccinæ, Appetitus canini,& Picæ,seu malaciæ. Eodem-
que modo de qualibet siti morbosa dicendum. Quoad alterationem,quæ secunda est ventriculi actio;hu-
ius caussa dicendum de Concoctione ventriculi morbosa. Quoad expulsionem;loquemur de Singultu,
de Vomitu,de Cholera. Quoad retentionem,esset dicendum de Lienteria & Cœliaca: de quibus tamen
commodius in malis intestinorum,vbi de alui fluxu loquemur.

Vitia igitur ventriculi quæ explicabimus, hæc sunt: dyscrasia,paruitas, tumor, vlcus,cardialgia,fa-
mes,sitis,læsa chylificatio,singultus,vomitus,& cholera. C

De intemperie ventriculi:& primum de Definitione & Caussis.

Nomen. PEr intemperiem, malam complexionem, δυσκρασίαν, intelligimus morbosam intemperiem,ad diffe-
rentiam intemperici sanitatis. Gal.c.2.l.4.meth. morbosam hanc intemperiem vocat imbecillitatem.
Generatio. Generatur hæc intemperies(vt insinuat Galen.c.3.l.7.meth.)dum ventriculo caussa alterans occurrit,ita
agens in ventriculi temperamentum,vt hoc degeneret in intemperiem,atque ita recedat a naturali statu,
Definitio. vt ventriculi actio lædatur. Proinde ventriculi intemperies morbosa, est morbus partium similarium
Forma. ventriculi,procedens a caussa alterante. Forma est morbus,genus proximum intemperiei: per quam for-
mam definitum distinguitur,& a temperie,& ab intemperie sanitatis; quia dicimus intemperiem,de qua
Subiectum. loquimur,esse morbum. Subiectum sunt partes similares ventriculi:quo subiecto definitum distinguitur
a mala compositione,quæ & ipsa morbus est, sed non partium similarium, verum dissimilarium. Addi- D
mus; Ventriculi,vt definitum distinguatur ab intemperie aliarum partium similarium.

Caussa efficiens. Caussa efficiens, est caussa alterans: qua definitum distinguitur ab vlcere ventriculi: quod licet sit
morbus partium similarium ventriculi,non tamen fit a caussa alterante,sed a caussa soluente continuum.
Ratio huius caussæ efficientis hæc est:quod complexionalis qualitas, e mutua actione & passione prima-
rum qualitatum emergit: vt complexio vnica sit qualitas secunda, in qua tamen viget potentia modo v-
nius qualitatis,modo duarum. Cum ergo intemperies fiat e mutatione naturalis temperamenti:a caussa
alterante eam fieri necesse est.c.3.7.meth. Gal.c.8.l.2. de fac.natural.ait, intemperiem non esse morbum,
sed caussam primorum morborum: crasis enim est præcipuum organum facultatis naturalis, in primis
corporibus,id est,in partibus similaribus;quæ si vitiosa reddatur,& in intemperiem mutetur,oritur læsio
facultatis partium similarium,cuius læsionis caussa contentiua est intemperies: nam actio læsa,immedia-
te pendet a læsione facultatis,& hæc proxime pendet ab intemperie morbosa. Porro caussa hæc alterans E
Species. multiplex est,secundum Speciem,secundum Vitium, & secundum Caussam generantem. Quoad spe-
ciem:caussa alterans est Interna,vel Externa. Interna est Continens,vel Cõtentum. Continens est mem-
brum vicinum ventriculo,vt omentum, hepar, lien: si enim vi lienis,ita refrigeretur hepar,vt oboriatur
hydrops; mirum esse non debet,si etiam a membris vicinis ventriculus possit alterari. Contentum po-
test esse quilibet Humor,& Flatus,c.11.l.4.meth. Externa caussa occurrit Necessario, vel Non necessario.
Necessario,vt sex res non naturales,potissimum cibus & potus, quæ integris facultatibus in ventriculum
Vitia. agunt. Non necessario occurrunt medicamenta Assumta & Applicata. Quoad vitia specierum;licet va-
ria sint,necessario tamen in proposito morbo attinent ad qualitatem primam. Materia enim morbifica
ventriculum reddit intemperatum,quatenus vim habet calefaciendi,refrigerandi, humectandi, siccan-
di, vel coniunctim hæc faciendi. cap.11.lib.7.meth. Horum autem vitiorum discrimen dependet tum e F
vario vitio humorum,tum e diuersitate ipsius ventriculi, id est,e varia dispositione ventriculi. Declaro:
E vitio materiæ:nam si,verbi gratia,humor sit pituita,pituita est frigida & humida; quod si tamen fiat,vt
pituita plurimum excedat per frigidum, parum per humidum; erit in caussa frigidæ intemperiei, non
humidæ: at si vehementer excedat, & secundum frigiditatem, & secundum humiditatem; caussa erit
dyscrasiæ compositæ,nimirum, frigidæ & humidæ. Quoad dispositionem ventriculi,hæc quoque con-
currit: nam si ventriculus sit calidus & humidus secundum naturam; vi pituitæ frigidæ & humidæ, fieri
potest sola intemperies humida:in habentibus enim symbolum facilis est transitus: vnde cum ventricu-
li tunicæ obtineant exiguam caliditatem, & assiduo in ventriculo generetur succus pituitosus, fieri po-
Caussa generans. test vt ventriculus facilius & frequentius corripiatur intemperie frigida,& humida. Caussa generans,per- G
pendenda est potiss.ratione contenti,id est,humoris,siue materiæ. Contentum generatur In ventriculo,
vel Extra ventriculum:nam pituita non tantum in ventriculo generatur,sed etiam in capite,e quo destil-
lare potest in ventriculum. Sed præterea generatur humor in iecore. Gignitur humor,vel læsa facultate,
Calidæ dyscrasiæ caussæ. vel ob errorem externum. Sed de humorum generatione alias. Iam proponemus caussas magis speciales,
intemperiei Calidæ,Frigidæ,Siccæ,Humidæ. Quantũ ad caussas intẽperiei calidæ; secundum Gal.c.2.l.de
caus.morb.hę sunt vel Internę,vt materia biliosa,materia putrida,materia sanguinea; vel Externę,vt calidi
cibi,

A cibi,potio calida,medicamenta calida, & exhibita,& applicata. Quoad caussas intemperiei frigidæ:secun- Frigidæ intemperiei caussæ.
dum cap.3.l.de caus.morb.interna caussa potest esse Continens, & Contentum. Continens concurrit,vel
Immediate,vel per Medium:Immediate,vt pars vicina frigida reddita,nimirum iecur,lien,omētum, dia-
phragma,abdominis musculi:additur etiam ventriculi siccitas, c.7.l.7.meth. quia dum siccitas perdurat,
succedit frigiditas:nam deficiente nutrimento,quod fit e succo calido, rationabile est partem reddi frigi-
dam. Caussa continens,mediate concurrens, est hepar,non vt frigidum,sed vt calidum:quia,vt calidum,
consumit pinguedinem,& potissimum omenti,vt hinc ventriculus refrigeretur. Caussa interna,vt habet
rationem cōtenti,est materia melancholica, materia pituitosa,materia flatulenta:nam hæ materię sua fri-
B gidítate,reddere possunt ventriculum frigidum. Externa caussa esse potest, frigidus cibus,frigidus potus,
frigida medicamenta,& potissimum solent esse opiata admodum frigida. Quoad intemperiem siccam,vt Siccæ intemperiei caussæ.
huius caussæ intelligantur, oportet scire, quod humiditates pertineant ad partem viuentem, non enim
oritur intemperies sicca,nisi humiditas absumatur. Sciendum ergo e c.5.& 6.l.7.meth.c.11.lib.10.meth in
parte viuente quinque esse humiditates: prima continetur in venis & arteriis exilibus partis viuentis: &
hæc humiditas est sanguis veluti dealbatus,qui dum vasa egreditur,mutatur in alias humiditates:Reliquæ
autem humiditates extra vasa continentur;quarum vna est elementalis, tres autem sunt vitæ seu animæ.
Elementalis humiditas est caussa,vt mistum vnitatem seruet:hac enim humiditate deficiente, mistum in
cinerem dissoluitur. Tres reliquæ humiditates sunt,quarū ope partes vita fruuntur;ad quod prçstandum,
concurrunt vel mediate,vel immediate. Mediate concurrit humiditas, quæ continetur extra vasa,in ani-
C malis partibus,ad similitudinem roris dispersa;vnde humiditas rorida dicitur: hæc generatur ex humidi-
tate vascula egrediente;& in alias mutatur humiditates,ope quarum partes immediate vita fruuntur. Hu-
miditas autem quæ immediate vitam respicit,est duplex:quia & partes viuentes sunt duplices,alię sangui-
neæ,vt partes carnosæ & pingues;aliæ spermaticæ,vt partes neruosæ,fibrosę,membraneæ,&c.sic etiam al-
tera humiditas est Sanguinea,altera Seminalis;vtraque conseruatur ope humiditatis roridæ; & quidem e
portione puriore, humiditas seminalis. Et quoniam hæ humiditates potissimum pertinent ad substan-
tiam calidi insiti partium sanguinearum & spermaticarum, propterea diximus eas vitam immediate ser-
uare. Quamuis igitur quælibet pars viuens quinque obtineat humiditates;nihilominus intemperies sic-
ca tantum est triplex:nim.dum absumitur humiditas rorida,sanguinea,seminalis. Elementaris enim per-
manet etiam post mortem:quoniam sola putredine,vel combustione dissipatur. Humiditas etiam vaso-
D rum exilium excluditur: nam vascula non sunt de essentia partis, sed sunt organa communia: vnde hanc
humiditatem ab aliis diuersam esse, Galenus scripsit,cap.6.l.7.meth. Siccus ergo est morbus,si absumitur
humiditas rorida:siccior,si sanguinea:ad summum siccus,si seminalis. Huc Galenus respiciens, c.11.lib.10.
meth.inquit:caussam siccantem primum agere in roridam humiditatem, secundo in sanguineam,tertio
in seminalem. Porro iam explicanda est caussa consumens has humiditates. Dicimus ergo cum Galeno
c.4.l.de morb.caus.& c.6.l 7.meth.morbum siccum oboriri, dum sanguis deficit: vnde caussa absumens
sanguinem,est caussa siccans. Hæc caussa est Interna,vel Externa. Interna,est Continens,& Contentum.
Continens,verbi gratia,hepar,dum calore suo immodico sanguinem consumit. Contentum, verbi gra-
tia,materia biliosa,materia melancholica,dum vi siccitatis, & bilis etiam vi caliditatis,dissoluunt humidi-
tatem,sicut melancholia frigore suo eandem potest exprimere: melancholia item exusta,calida instar bi-
E lis,calore humiditatem dissipat. Caussa externa est diæta siccans, vt cibi conditi aromatibus,cibi saliti,a-
grumina,(id est,cepæ,porrum,&c.)vinum generosum antiquum,paucitas cibi & potus. Huius classis est
euacuatio,præsertim per vomitum. Adhæc,motus corporis & animi immoderatus. Item, medicamenta
purgantia,aquæ thermales: denique omnia medicamenta calefacientia & exsiccantia. Quoad intempe- Humidæ intemper. caussæ.
riem humidam:primum scire oportet,quot modis morbus humidus oboriatur. Fit ergo morbus humi-
dus,ob humiditatum exsuperantiam:sicut ob harum penuriam,siccitas. Exsuperantia alia est secundum
Quantitatem,alia secundum Qualitatem. Secundum quantitatem,dum humiditatis substantia augetur
secundum copiam. Secundum qualitatem,dum humiditatis substantia humidior redditur. Vnde,si con-
tingat alimentalem humiditatem deficere secundum copiam, & excedere secundum humiditatem: pa-
F tiens erit affectus morbo & sicco,& humido: sicco,vt humiditas deficit; humido, vt humiditas qualitate
humidiore afficitur:& sic idem membrum,secundum eandem partem & eodem tempore, corripi potest
morbo & sicco, & humido: Nec tamen eodem tempore assunt contraria:nam,cum morbus siccus fiat e
penuria alimenti,huic opponitur copia:at morbus humidus, fit a materia humidiore, vnde penuriæ op-
ponitur abundantia, non humiditas: ideoque, si morbus humidus fiat a copia alimenti, hic non potest
coniungi cum morbo sicco; quia copiæ opponitur inopia & penuria. Ex his patet,humidum esse mor-
bum,dum & humiditatis substantia redditur copiosa,& dum redditur humidior. Caussa humiditatis co-
piosioris,e cap.5.lib.de caus.morb.est sanguis,copia peccans. Caussæ sanguinis copiosioris mediatæ sunt,
a quibus sanguis potest multiplicari. Caussa porro,quæ substantiam humiditatis reddit humidiorem,vel
est Interna, vt pituita humidior, sanguis humidior, qui præsertim in hydrope hyposarca vigere solet:vel
Externa,vt cibi humidiores,fructus,potus aquæ, medicamenta humectantia. Hæc de caussis dyscrasiæ
G simplicis:e quibus etiam compositæ possunt intelligi.

De Differentiis.

IAm de differentiis agemus. Forma intemperiei est,quod lædat operationem:vnde perpendi debet, Vis Differentiæ a forma,
lædendi,& Terminus,ad quem nisi perueniat intemperies,non læditur actio. Formales ergo differen-
tiæ sumi debent,& a vi seu facultate,& a termino. Facultas sumitur, vel vt Agit, & agendo est in caussa,vt 1.
læsa facultate lædatur actio:vel vt Imprimitur vis,in parte similari. Si primo modo vis capiatur; tunc, si vis

ſimplex,etiam intemperies eſt Simplex:ſi compoſita,Compoſita.Simplex intemperies,eſt Calida, Frigi- A
da,Humida,vel Sicca,Compoſita intemperies,perpenditur ſecundum vires Diuerſas,aut Contrarias. Si
ſecundum diuerſas;eſt intemperies,vel calida & humida,vel calida & ſicca;vel frigida & humida,vel frigi-
da & ſicca.Si perpendatur ſecundum vires contrarias;tunc intemperies eſt vel calida & frigida, vel humi-
da & ſicca. Notandum autem eſt, primum de intemperie calida & frigida, quod ſit inæqualis,cum non
omnes particulæ in hac intemperie æqualiter afficiantur,e cap.1.lib.de inæqual.intemper.ſæpe enim ven-
triculus,verbi gratia,ſecundum os ſuperius afficitur intemperie calida,ob vapores bilioſos; at ſecundum
fundum,frigida,ob pituitam:vnde intemperies hæc compoſita, frigida & calida, ad diuerſas pertinet in-
ſtrumenti partes.Secundo notandum circa intemperiem compoſitam,humidam & ſiccam; eam attinere B
poſſe ad eandem particulam eiuſdem inſtrumenti, quoniam non producitur a contrariis cauſſis: cum
morbus ſiccus fiat ob penuriam humiditatum:humidus autem ob præſentiam agendis qualitate humida.
Hæc,ſi facultas ſumittur,vt Agit.Si vero ſumatur, vt vis intemperiei Imprimitur in parte ſimilari: patet
cum Gal. c.vel 5.l.de cauſ.morb.partes alterari,vel ſolis qualitatibus,affluente materia: vnde intemperies
2. dicitur,vel Cum materia,vel Sine materia.Si ſumantur differentiæ a termino intẽperiei: hic terminus eſt
vel Abſolutus,vel Reſpectiuus.Si ſit abſolutus;intemperies eſt vel in Habitudine,vel in Habitu. Quæ eſt
in habitudine,poteſt eſſe inæqualis:quæ in habitu,æqualis. Si terminus ſit reſpectiuus;perpenditur,qua-
tenus refertur ad terminum temperamẽti naturalis:vnde dyſcraſia a naturali craſi recedit,vel per Vnum,

Contra Michaelem Gauaſſetiũ, cap.10.l.de reb.præter natur.

vel per plures gradus.Sed ambigitur hoc loco,de diuiſione dyſcraſiæ in materialem & immaterialem.Hæ
enim differentiæ quibuſdam videntur eſſentiales,e c.5.l.diff.morb.in quo Galen.tradit morborum diffe- C
rentias eſſentiales. Aliis autem hæ differentiæ non videntur eſſentiales: nam Galen. cap.vlt.l.3.meth.iu-
bet, non eſſe ſumendas differentias ab his, quæ per ſe conſiſtere poſſunt; quia ſunt potius affectus com-
poſiti,vt vlcus cum inflammatione:vnde non eſſent differentiæ vlceris eſſentiales, aliud eſſe cum inflam-
matione,aliud ſine inflammatione:Eodem modo & intemperies, & materia,ſeorſim conſiſtere poſſe vi-
dentur, verbi gratia, ſi ſit frigida intemperies,cum materia pituitoſa,fieri poteſt,vt remoueatur materia
pituitoſa,& remaneat intemperies. Reſpondemus: differentias prædictas eſſe eſſentiales,pertinentes ad
morbum partium ſimilarium:nam in parte ſimilari,a Gal.c.5.l.de morb.diff.duæ conſtituuntur differen-
tiæ morborum, quatenus ſcilicet pars afficitur intemperie vel cum materia, vel ſine materia:vbi Galen.e
propoſito loquitur de differentiis eſſentialibus. Sic etiam c.12.l.eiuſd. loquens Gal.de compoſitis morbis
partium ſimilarium, proponit 4. dyſcraſias compoſitas ſine materia, & totidem cum materia. Quod ſi D
pars ſimilaris afficiatur intemperie,cum tumore, aſſitque pituita,ſic tamen vt pars corripiatur intempe-
rie,non ratione pituitæ,ſed ſine materia:præterea ſi alia ſit intemperies,cum materia,ſiue tumore, ita ta-
men, vt non producatur huius ratione morbus: (poteſt enim magnitudo quædam eſſe non morboſa,
cap. 12. libr. de differ. morb.) certe maximum erit diſcrimen inter dyſcraſiam hanc cum materia, & il-
lam ſine materia. Sed obiectionibus etiam propoſitis ſatis faciemus. Sciendum igitur,materiam fluen-
tem dupliciter poſſe accipi:primo modo,vt materiæ qualitas alia eſt ab intemperie, verbi gratia,ſi intem-
peries ſit frigida & humida,materia autem calida & ſicca; & hoc modo materia non eſt de eſſentia intem-
periei.Secundo modo accipi poteſt materia,vt eſt eiuſdem qualitatis cum intemperie,verbi gratia,dyſcra-
ſia frigida & humida,cum pituita frigida & humida:& hoc modo materia poteſt eſſe de eſſentia dyſcraſiæ.
Notandum autem hoc loco eſt,quomodo materia ſit de eſſentia intemperiei: maxime, cum morbus ſit E
accidens,materia autem ſubſtantia:non ſcilicet quod ſit forma, quia morbi forma eſt accidens; ſed quod
gerat vicem formæ,quatenus eſt cauſſa contentiua ex vſu. Licet autem hæc materia ſit cauſſa contentiua
ex vſu:non tamen ea poſita,vel remota,ponitur etiam vel remouetur intemperies; poteſt enim pituita in
dyſcraſia cum materia remoueri,manente intemperie frigida & humida. Sed materia dicitur cauſſa con-
tentiua, quatenus concurrit ad conſtitutionem ſpeciei morbi: ad ſimilitudinem ſanguinis in inflamma-
tione,& bilis in febre bilioſa:nam,vt abſente ſanguine, inflammationis ſpecies deſideratur; & non præ-
ſente materia bilioſa,ſpecies bilioſæ febris non adeſt,ſic non præſente materia, aboletur ſpecies intempe-
riei cum materia:Et proinde materia ita coniungitur cum intemperie, vt vtrumque per ſe conſiſtere ne-
queat.Recte ergo a nobis ſtatutum eſt,citatam differentiam eſſentialem eſſe,vt ſpecies hæc, nimirum in-

Differentiæ a ſubiecto.

temperies cum materia, diſtinguatur ab alia ſpecie, nimirum ab intemperie ſine materia. Quoad diffe- F
rentias ratione ſubiecti: & primum quoad intemperiem ſine materia: dicendum,ventriculum affici,vel
ſecundum Totum,vel ſecundum Partem.Si ſecundum partem,vel Supernam,vel Infernam. Cauſſa au-
tem materiei dicendum, ventriculum lædi a materia, vt reſidet vel in Cauitate,vel in Tunicis ventriculi.

Differentiæ ab efficiente.

Quoad differentias ratione cauſæ efficientis;e ſuperioribus facile colligi poteſt, quoad ſpeciem,cauſſam
eſſe Internam,vel Externam:quoad Internam, habere rationem, vel Continentis, vel Contenti: quoad
Externam,occurrere vel Neceſſario,vel Non neceſſario.Quoad vitium; poſitum eſt in qualitate Simpli-
ci,vel Compoſita. Quoad cauſſam generantem,præſertim attinentem ad contentum; dicendum,quod
hoc generetur vel In ventriculo,vel Extra:& hoc vel Læſa facultate,vel ob Errorem externum.

De Signis. G

Signa intemperiei in genere.

NVnc vt cognoſci debeat intemperies,tradendum. Intemperies igitur in genere, vt eſt intemperies
ventriculi;cognoſcitur cum Auicenna,ſi concoctio non ſit bona,nec tamen in ventriculo fuerit tu-
mor,vel vlcus,neque corruptio in cibo:tunc enim dyſcraſia ventriculum eſſe correptum, iudicare opor-

Signa differentiarum a forma.

tet.Vnde Galenus ait,ventriculum eſſe intemperatum,ſi male concoquit, cap.vlt.lib.2.de temper. Quo-
ad ſigna differentiarum, & primo earum quæ ſumuntur a forma: quatenus. 1. intemperies eſt Simplex,
vel Cõpoſita.2.vt eſt ſine,vel cum materia.3.vt eſt in habitudine,vel habitu.4.vt eſt vel in primo gradu,vel
in alio.

A in alio. Num sit dyscrasia simplex, vel composita; cognoscitur e signis simplicibus, vel compositis, verbi gratia, cum Galeno cap. 8. lib. 7. meth. si noceant tantum calida, indicatur intemperies calida tantum: si etiam austera noceant, indicatur etiam sicca intemperies. Sufficiet ergo proponere signa dyscrasiæ simplicis.

Signa calidæ intemperiei.

Igitur quoad Calidam intemperiem: cum Auicenna cognoscitur ex effectu, & caussa. Ab effectu, vt producitur ab agente interno, vel externo. Ab interno: & primum indicatur ab actione, hoc est, e siti, e fame imminuta, e sensu caliditatis, e praua cibi concoctione, nisi prorsus deiiciatur virtus. Notandum coctionem prauam non esse signum propria ratione, sed virtute exeuntium, vt praua coctio secundum hanc rationem sit signatum, exiens autem signum. Dum ergo praua fit coctio, exeuntia sunt signa intemperiei calidæ, si egrediatur ructus nidorulentus, cap. 1. lib. 3. de caus. sympt. si saliua lutosa, id est, lenta B & viscida: nam calore absumuntur partes, quæ sunt fluxiles, non viscidæ: præterea, si qualitas mutata, id est, si caliditas ad tactum appareat, circa ventriculi regionem: item, si assit extuberantia venarum: nam sanguis in venis abundat, quia cum prauus generetur, ob intemperiem calidiorem, natura ab eo abhorrens ipsum non attrahit. Indicatur etiam calida intemperies, ab effectu agentis externi, dum scilicet frigida iuuant, calida nocent. Indicatur etiam a caussa, vt prægressa est caussa calefaciens, verbi gratia, ex assumtis aromatibus, & similibus.

Frigidæ signa.

Frigida intemperies e contrariis indicatur: nimirum e siti imminuta, e fame intensa, e sensu frigiditatis, e coctione vel ablata, vel imminuta, vel corrupta: quomodo autem cognoscatur læsa coctio, dicemus in sermone de læsa coctione ventriculi: corrupta a frigida dyscrasia coctio, e c. 1. l. 3. de caus. sympt. indicatur e ructu acido, non nidorulento, præsertim, si cibi ingerantur, vel frigidi, vel temperati: indicatur etiam C e tepore ad tactum: item, ex alteratione noxia frigidorum: e prægressa caussa refrigerante.

Siccę signa.

Intemperies sicca, indicatur e siti, e fame cibi liquidi & elixi, non assati: dyscrasia enim morbosa differt a non morbosa, quod hæc similia, illa contraria appetat, c. 63. art. med. Indicatur etiam e sensu tensionis, quem ægrotantes referent: indicabitur e coctione imminuta; vbi enim siccitas, ibi deficit calidum innatum: indicabitur e magnitudine abdominis imminuta, ex alteratione siccantium molesta, & alteratione humectantium iucunda, tandem e prægressa caussa exsiccante.

Humidæ signa.

Humida intemperies cognoscitur e siti imminuta, e fame exigua, & e fame cibi siccioris, siue assi. At si excessus sit in humiditate secũdum quantitatem, (morbus enim humidus duplex a nobis supra est propositus) indicatur ex appetentia imminuta, sed citra nauseam: Signa vix aderunt coctionis læsæ, quia est excessus secundum quantitatem: indicabitur etiam e magnitudine abdominis aucta, sed citra tumorem: D indicabitur ex alteratione molesta cibi copiosi, quia morbus pendet a copia: indicabitur ex vtilitate pauci cibi: & e præcedenti victu copioso. Si in morbo humido excessus sit secundum qualitatem: indicabitur e nausea, e saliua copiosa, e mollitie abdominis, e carnis magnitudine imminuta: præterea ex alteratione noxia humectantium, & prægressis caussis humectantibus.

Hæc de signis intemperiei simplicis: & proinde etiam compositæ.

Num intẽperies sit Cum, an Sine materia.

Secundo loco cognoscendum est: num sit intemperies Cum materia, vel Sine materia. Dyscrasia sine materia est iudicanda, secundum Auicennam, si desiderentur signa materiæ morbificæ: cum materia, si assint. De signis autem indicantibus materias, mox suo loco agemus.

Num intemperies sit in habitu, vel habitudine.

Tertio cognoscere oportet, num intemperies sit in habitu, vel habitudine. Intemperies in habitu E cognoscitur, si symptomata sint vniformia, si alteratio vix sit sensibilis. Intemperies autem in habitudine, cognoscitur e symptomatis, quæ modo intenduntur, modo remittuntur; non enim sunt vniformia: & patiens dum iuuatur, euidenter iuuamentum persentit.

Signa graduum intẽperiei.

Quarto oportet cognoscere, num intemperies sit in primo gradu, vel in aliis gradibus. Si ergo symptomata sint remissiora, indicant malum esse in primo gradu: si intensiora, in aliis gradibus, verbi gratia, e siti, aliqua e parte aucta, indicatur dyscrasia calida in primo gradu: ex intensiori autem siti, indicabitur intemperies calida intensior, in secundo gradu, &c.

Signa differentiarum a subiecto.

Quoad differentias a subiecto: primum, an intemperies lædat ventriculi partem supernam, vel infernam; cognoscitur e symptomatis determinatis, verbi gratia, e læsa appetentia, indicatur intemperies in parte superna, vt etiam e singultu: contra e symptomatis attinentibus ad læsam coctionem, indicatur F dyscrasia secundum partem internam. Et quia intemperies quandoque est coniuncta cum materia: an materia lædat ventriculum, vel secundum cauitatem, vel secundum tunicas, ita cognoscetur: si enim læda tur secundum cauitatem; indicabitur e fluctuatione, e nausea, ad quam sequitur vel vomitus, vel alui deiectio. Si materia lædat secundum tunicas; indicabitur e nausea, sed cui non succedat vomitus, & præterea indicari potest e singultu.

Signa differentiarum a caussa efficiente.

Quoad differentias ratione caussę efficientis; sufficit versari circa cognitionem speciei: nam ceterorum cognitio pertinet potius ad propria capita. Igitur quoad speciem: an sit caussa interna, vel externa, cognoscitur e relatione ægrorum & assidentium. Interna potest esse Continens, vel Contentum. Quoad continens: an sit iecur, lien, omentum, diaphragma, musculi abdominis: cognoscetur e propriis capitibus.

Sanguinis signa.

Si caussa interna sit contentum, est vel sanguis, vel bilis, vel melancholia, vel pituita, vel vapor. Sanguis in- G dicatur e præcedente appetentia, quæ mox est imminuta: præterea e sputo dulci, e vomitu sanguinis, e miti caliditate, e magnitudine abdominis, e venis sanguine repletis, e tolerãtia vacuationis sanguinis, e caussis aptis ad generationem sanguinis, vt sunt temperatura calida, & humida, ætas adulescentiæ: pręterea indicatur e victu sanguineo, id est, ex aere verno, e cibis boni & copiosi succi, e simili potu, e somno, e vacuatione sanguinis suppressa, e quiete & animi & corporis non admodum excedente.

Signa bilis.

Bilis indicatur e siti, e sputo amaro, e vomitu bilioso, & reliquis excretionibus biliosis: præterea e mordaci caliditate, ilico erumpente, ex abdominis gracilitate, e tolerantia vacuationis bilis, & e caussis bilis, vt sunt, calidum & siccum

iecur,iuuentus,parentes biliosi:indicatur etiam e vacuatione biliosa cohibita, & præterea e motu immo-
Melancholiæ signa. derato corporis & animi,& proinde ex ira.Melancholia indicatur e fame intensa,e sputo acido,& reliquis
excretionibus melancholicis, & proinde nigricantibus: indicantur etiam e frigiditate secundum abdo-
men,e gracilitate,e tolerantia vacuationis melancholiæ:e prægressis melancholiæ caussis, ex iisdem quo-
que præsentibus,vt iecur calidum & siccum, quod caussa est generationis; nam vt detineatur melancho-
lia,in caussa est obstructio & tumor lienis:indicatur etiam ex ætate consistente, ex aere autumnali, e cibis
Pituitæ signa. melancholicis,vino nigro crasso,e vigiliis,e vacuatione melancholiæ intermissa,e mœrore & timore. Pi-
tuita indicatur e siti imminuta, nisi salsa sit pituita: indicatur præterea ex inappentia,e sputo pituitoso,&
reliquis excretionibus pituitæ: item ex abdominis tepore & mollitie, e tolerantia vacutionis pituitæ: e B
caussis,vt temperatura frigida ventriculi, temperatura frigida cerebri:item e senio,e parentibus pituito-
sis,ex aere frigido & humido,e cibis pituitosis,e simili potu,e somno, ex impedita, seu intermissa pituitæ
Flatus signa. euacuatione;ex immodica quiete corporis & animi. Flatus, seu vapor indicatur e sensu extensionis citra
grauitatem,e dolore errante,e flatibus erumpentibus,ex abdominis tepore,magnitudine,duritie,sed non
permanente: nam flatus erumpit:præterea ex vtili flatuum eruptione, ex aere frigido,e cibis flatulentis,e
potu flatulento,e flatuum eruptione cohibita.

De Præsidiis, seu Indicationibus.

Indicationes. HIs cognitis,ad præsidia accedendum: quæ sumuntur ab essentia illius, in quod diriguntur præsidia.
Essentia autem huius mali in eo consistit,quod sit morbus partium similarium ventriculi,productus C
a caussa alterante. Præsidia ergo desumenda erunt, ab intemperie morbosa, a partibus similaribus ven-
A forma, seu intemperie. triculi,& a caussa alterante.Morbus,seu forma huius affectus, nimirum intemperies; indicat alterans per
contrarium,capite 1.libro 8.κ.τόπ.capite 4.libro 2.method.cap.3.lib.7.method. At contrahitur morbus
per differentias. Differentiæ primum sumuntur a forma: & quidem vel a potentia, vel a termino dyscra-
1. siæ. Si a potentia;vel vt Agit, vel vt Imprimitur. Quatenus agit intemperies:si simplex sit,indicat alte-
rans contrarium simplex:si composita,compositum.Notandum circa siccam intemperiem,e cap.6.lib.7.
meth.siccitatem curari, si meatus contracti dilatentur; ac quod in vicinas particulas est compulsum, re-
trahatur;& similaris partis propria humiditas, nutrimento humectante resarciatur. Hæc verba duplici-
ter possunt intelligi:primo,vt hæc sint indicata, vt scilicet meatus contractus,indicet remedium dilatans, D
vt humiditas alimentalis,compulsa in vicinas particulas,indicet retrahens, vt alimentum similaris parti-
culæ deficiens,indicet reparans alimentum. Hæc expositio mihi non satis facit: tum quia per numerum
tot indicationum prolixior redditur methodus medendi: tum potissimum quoniam remedia & dilatan-
tia & retrahentia,non sunt remedia specifica,contenta sub generico humectante: qui enim veram profi-
tentur methodum, oportet vt progrediantur a generico ad specificum, ita vt specificum contineatur
sub generico.Secundo ergo modo explicandus mihi videtur Galenus:nempe a morbo sicco indicari hu-
mectans:modos autem humectationis pertinere non ad methodum medendi, sed ad materias; quæ plu-
res esse possunt;cum aliæ materiæ partem exsiccatam humectent dilatando,aliæ retrahendo, aliæ replen-
2. do.Sumitur etiam indicatio ab intemperie,quatenus imprimitur in parte similari. Et tunc intemperies,
vel est Sine materia,vel Cum materia. Si sine materia; indicatur solum alterans per contrarium. Si cum
materia; indicatur remedium per contrarium alterans, sed coniunctum cum remedio remouente ma- E
teriam: vt remedium genericum sit per contrarium alterans: sub quo continetur duplex remedium mi-
nus genericum, videlicet, vel solum alterans, vel simul remouens materiam. Remedium solum alterans,
non admittit subdiuisionem. Circa remedium alterans simul & remouens materiam, duo sunt notanda:
primum,hoc esse indicatum curatorium;quia etiam remedium genericum est curatorium; cum sumatur
a materia,a qua constituitur species intemperiei cum materia. Secundo notandum, varium esse hoc re-
medium,& pro varia specie,& pro vario vitio materiæ. Si enim, verbi gratia,intemperies sit frigida,cum
materia pituitosa: indicat remedium calefaciens, coniunctum cum remedio remouente materiam pi-
tuitosam. Ita pro varietate vitii materiæ, indicatur alterans, coniunctum cum remedio,verbi gratia,pi-
3. tuitam copiosam vacuante, frigidam calefaciente, viscidam detergente, &c. Si differentiæ sumantur a F
termino,& primum a termino absoluto; dyscrasia est vel in habitu,vel in habitudine. Si in habitudine;
indicat remedium per contrarium alterans,breuiori tempore. Si in habitu; indicat remedium per con-
trarium alterans, longiori tempore, cum in diuturniore morbo efficacior facta sit alteratio. Verbi gra-
tia,si dyscrasia sit frigida in primo gradu, sed in habitudine: indicat calidum in primo, sed breuiori tem-
4. pore calefaciens.Si differentiæ sumantur a termino respectiuo;intemperies est in gradu primo, vel in aliis
gradibus:& proinde indicatur alterans per contrarium,in primo,vel in aliis gradibus.

Indic.a subiecto. Quoad indicationes a subiecto:præsidia sumi debent a partibus similaribus ventriculi. Et hæc præ-
sidia sunt vitalia, quia diriguntur ad custodiam vitæ ventriculi. Cum autem ventriculi vita,sit operatio
animæ ventriculi;& facultas animæ ita contrahatur, vt euadat χυλωτικὴ, id est,mutatrix cibi in chylum:&
hæc facultas contrahatur beneficio proportionis partium similarium ventriculi: tandemque hæc facul- G
tas cõtracta agat,mediantibus instrumentis,nempe constitutione & calido innato:ideoque præsidia sunt
I. desumenda,a proportione,a constitutione,& a calido insito.Proportio ventriculi,quia recondita est,non
II. indicat,sed requirit remedium simili proportione donatum,quod stomachicum vocari potest. Consti-
tutio,est crasis,compositio,& vnitas. Crasis indicat similia, in omni vitio ventriculi;nisi intemperies sit
morbosa,de qua nunc loquimur: tunc enim non sumitur indicatio, quia crasis non adest: omnis autem
indicatio sumitur a præsenti. A compositione & vnitate, in intemperie non sumuntur indicationes: si
enim

A enim partis viuentis seruetur quantitas & qualitas, seruatur etiam compositio & vnitas. Calidum insitum III.
indicat præsidium, quod seruet substantiam & qualitatem caldi insiti: vnde indicat præsidium, tum ali-
mentale, ratione substantiæ, tum moderate calidum, ratione qualitatis conseruandæ. Hæc de præsidiis,
quæ sumuntur a parte, nimirum a ventriculo. Non fecimus mentionem astringentiũ, & eorum quæ sen- Adstringẽtia, a quo
sum ventriculi exquisitum obtundunt. Nam quantum ad astringentia, hæc non indicantur a ventriculo: indicentur.
licet enim Gal. in morbis partium principum, dum indicatio est laxandi & digerẽdi, misceat astringentia:
hæc tamen non pertinent ad methodum medendi, sed ad methodum componendi: laxantia enim medi-
camenta, quæ indicantur a materia euacuanda, quoniam dissipant calidum insitum, ideo astringentibus
sunt corrigenda. Proinde astringens est indicatum non a ventriculo, sed a medicamento relaxante. Quo- Obtundentia τῶν αἰσθησιῶν.
B ad ea, quæ obtundunt sensum exquisitum: id quod indicat, & prohibet, non est sensus exquisitus, sed cali-
dum insitum, cuius substantia dissipatur violentia doloris, maxime si pars sit sensus exquisiti. Sicut ergo
calidum insitum, indicat suæ substantiæ conseruationem, ita etiam prohibet omnia, quæ eandem substan-
tiam possunt dissipare, vt sunt medicamenta strenue detergentia, & medicamẽta dolorifica. Quod autem
hæc possint calidum innatum dissoluere nos cognoscimus e sensu exquisito: qui signi, non indicantis ha-
bet rationem.

Caussa efficiens multiplex est secundũ speciem, vitiũ, & caussam generantem. Secundũ speciẽ, caussa Indicatio a caussa efficiente.
Externa, vel Interna. Ab externa nulla sumitur indicatio. Ab interna, sumitur indicatio determinata: ver-
bi gratia, si malũ fiat a vitio frigido; indicatur calidum. Sed si species pituita, indicatur remediũ calefaciens
pituitam: & sic de ceteris. Quoad vitium: hoc in malo præsenti potissimum ptinet ad primam qualitatem:
C vt si, verbi gratia, caussa alterans sit refrigerans, oriatur indicatio calefaciẽdi. Ceterum, si vitium, & præser-
tim ratione cõtenti, annexum est, cum alio vitio, alia ẽt prodeunt præsidia: Vnde, si v.g. materia putrescat,
est eradicanda: si copiosa, minuenda: si crassa, attenuanda: si tenuis, crassefacienda: si viscida, detergenda: si
præter naturam moueatur, retrahenda. Notandum circa peccatum in quiete: Si seruanda esse cõtrarietas,
quies indicaret præsidium mouens. At mea sentẽtia, vitium in quiete non est indicans ex vsu: tum, ꝙ quies
est motus priuatio; tum quod quies pendet e materiæ copia, frigiditate, crassitie, & visciditate, quæ vitia in
caussa sunt materiæ quiescentis, vt impediatur expultrix, quo minus materiam expellere, & hinc mouere
valeat. Vtiles ergo indicationes sumuntur e copia, frigiditate, crassitie, & viscid itate: non autem e quiete.
Tandem ratione caussæ generantis, perpendenda est caussa contenti: nam pro varia caussa, varii sunt sco-
D pi hauriendi: v.g. si bilis generetur ab hepate calidiore, hepar refrigerandum est: & sic de reliquis.

De Præsagiis.

VEntriculi intemperies in genere, malum est non exigui momenti: nam omnis vehementia dignitatis Prognostica in genere.
adest. Dignitatis autem vehementia est duplex: vna ratione præcipui organi facultatis operantis: al-
tera, ratione loci, in quo celebratur functio. Vtraq; est in ventriculi dyscrasia. Nam vehementiam ratione
organi proponit Gal. c. 12. l. 7. meth. dum asserit, morbum in intemperie esse digniorem, quoniam & ma-
teriæ dignitas est alia a temperie, & temperies est dignior aliis instrumentis, nimirum, compositione & v-
nitate. Vehementiam ratione loci, tangit Gal. c. vlt. l. 7. meth. dum dicit, ventriculi opus omnibus particu-
lis esse pernecessarium, ad portionem iecoris.

Discrimen tamen pendet a vi differentiarum, ratione Formæ, & ratione Caussæ efficientis. Forma Prognostica differentiarum a forma.
est simplex, vel composita: sine materia, vel cum materia: in habitu, vel habitudine: in hoc vel in illo gradu,
E respicitq; ventriculum, ratione vel loci, vel proportionis. Primum, si capiatur vt Simplex: est Calida, frigi-
da, humida, vel sicca. Gal. c. 5. l. 7. meth. confert dyscrasias, primum actiuas cum passiuis, deinde actiuas in- Intẽperies simplex.
uicem: tertio passiuas inuicem. Sumit autem hoc in loco Galenus prognosticum a vehementia essentię in-
temperiei, ratione resistentiæ, quatenus contraria est, non virtuti, sed materiæ præsidiorum (:omne enim
vitium opponitur inimico suo, nimirum virtuti, & materiæ præsidiorũ:) vnde hoc in loco dyscrasia vehe-
mens, statuitur, q̃ vehementer opponitur materiæ præsidiorum, & huic vehementer resistit, minus autem
vehemẽs dyscrasia, q̃ facilius cedit medicamentis. Primum ergo Gal. cõfert actiuas cum passiuis, statuens,
facilius, & breuiori tẽpore curari actiuas, longiori passiuas: morbi. n. calidi & frigidi, corriguntur qualita-
tib. q̃ maximæ sunt actiuitatis; calidi a frigido, *& contra: morbi autem humidi & sicci, corriguntur a mate-*
F *ria debili, &* magis materiali, id est, exiguæ actiuitatis. Proinde secundum vehementiam essentiæ, morbi
calidi, & frigidi sunt remissiores; *humidi & sicci, intensiores, id est, vehementiores. Secundo Gal. inuicem*
confert actiuas, intemperiem nim. calidam & frigidam; quæ conueniunt, quoniam pari quodammodo
tempore remouentur, quia vehementia, relata ad materias præsidiorum, par esse videtur, cũ medicamen-
tum tam calidum, q̃ frigidum, sit insignis actiuitatis, vt ferme eodem tempore frigidum medicamentum
corrigat morbum calidum; & medicamentum calidum, morbum frigidum. Addit autem Gal. *quodãmo-*
do: quia calor efficacior est ad agendum, quam frigus; non tamen multo est efficacior; maxime, quia mem-
brum morbo frigido affectũ densius euadit, nec ita admittit medicamentũ calidũ. Addit Gal. intẽperiem
calidam & frigidam discrepare in eo; ꝙ tutius sit calefacere, q̃ refrigerare. Tertio Gal. inuicem confert
passiuas, nim. dyscrasiam humidam & siccam: quæ dissentiunt, ꝙ sicca longiori tempore vincitur & remo-
G uetur, humida breuiori: quia in morbo humido vehementia essentiæ, relata ad materias, est remissior, in
morbo sicco intensior: humidus q̃ppe morbus refertur in materiam siccam, q̃ materia potest humiditatẽ
cõsumere: at morbus siccus opponitur materiæ humectanti, quæ e c. 7. l. 7. meth. non sola humectare po-
test, sed necessariũ est cõcurrere partem sicco morbo affectam, vt materiam humectantem alliciat, attra-
hat, apponat, agglutinet, & assimilet; q̃ functiones admodum ægre fiunt. Addit Gal. dyscrasiam humidam
& siccã, in eo cõuenire, ꝙ æque tutum est, humectare, & siccare. Cęterũ, cum Gal. adiungit; tutius esse, oc-
currere calidis, q̃ frigidis: & æque tutum esse, morbũ humidũ, & morbum siccũ vincere: notãdũ, hæc non

pertinere ad artem prognosticandi, sed ad materierum doctrinam, qua docemur medicamenta calida tutius agere in morbum frigidum, quam frigida agant in morbum calidum: vnde securitas in calefaciendo & refrigerando est impar; nisi enim corpora vicina parti læsa valida sint, timor est ne a refrigerantibus lædantur, quam noxam calidum medicamentum non infert. Præterea e doctrina materierum discimus, in vsu siccantium & humectantium medicamentorum, parem esse securitatem, quia vtraq; sunt exiguę actiuitatis, vt propterea membrum, parti læsæ vicinum non lædatur. Hinc, cum intẽperies humida, vincatur a materia sicca, quæ sola agit ad differentiam humectantis; & citra periculum, ad differentiam frigidi, propterea Gal. statuit c.9.l.7.meth. intemperiem humidam omnium facilime curari. Hęc de prognostico, ratione dyscrasiæ simplicis. Quoad dyscrasiam cõpositam; hæc ægrius curatur, quam simplex: nam in cõposita; vehementia essentiæ est intẽsior, quia malum est geminatum: magis enim possunt duo inimici, quam vnus. At si inuicem cõparentur dyscrasiæ compositæ; omnium grauissima est frigida & sicca, & iccirco ad corrigendum difficilima, e c 7, lib.7.meth. quibus verbis Gal. respicit ad vehementiam essentiæ, collatam & ad vires, & ad materias: ad vires, dum ait, omnium esse grauissimam; nam vita & virtus in calido & humido consistunt, quibus morbus frigidus & siccus e diametro repugnat: respicit Gal. ad materias, dum addit, morbum frigidum & siccum ad corrigendum esse difficilimum; ratio patet: nam, cũ opus sit materia tum calefaciente, tum humectante; medicamentum vehementer calefaciens, etiam siccat, vt siccando noceat; medicamentum autem humectans, siccitatem non corrigit, nisi (vt audiuistis) beneficio eius quod nutritur, id quod debile est, cum sit frigidum & siccum. Ceterum, si compositio in intemperiebus attineat ad qualitates contrarias; verbi gratia, dum adest morbus calidus & frigidus, humidus & siccus: viget vehemẽtia essentiæ, relata ad vires & materias: ad vires, nam malum duplicatum est: ad materias, nam quæ materia corrigit vnam dyscrasiam, auget contrariam. Si consideremus intemperiem Sine materia & Cum materia: difficilius curatur intemperies cum materia; nam duo sunt inimici. Quod si materia cum intemperie coniuncta similis sit, facilius curatur, & contra: c.10.l.6. de tuen. val. quod prognosticũ pendet e vehementia essentiæ, relatæ ad materias: nam si inuicem consentiant intemperies & materia, idem medicamentum vtrumq; corrigit; secus, si dissentiant. v.g. si materia sit frigida in calido ventriculo. In hac autem discrepãtia materiæ & dyscrasiæ, peius est, succum frigidum esse in ventriculo calido; quam succum calidum in vẽtriculo frigido: nam medicamentum vacuans etiam calefacit, vt ventriculi frigiditatem corrigat, caliditatem augeat. Porro, intemperies in habitu, difficilioris est curationis, quam quæ in habitudine: sumto scilicet fundamento a vehementia essentiæ, relatæ non ad vires, sed ad materias: nam intemperies tam in habitu, quam in habitudine, potest esse calida in primo, in eadem parte, & potest esse caussa leipothymiæ: vt vtriusq; dyscrasiæ æqualis sit vehementia, & essentiæ, & dignitatis, & facultatis. Discrimen in eo est, quod morbus in habitu minus cedit medicamentis, & hæc est vehementia essentiæ relatæ ad materias. Si intemperies sit in hoc vel illo gradu, difficilioris est curationis, quæ per plures gradus recessit: nam vehementia essentiæ ad vires relata, est intensior: vnde cum Galeno, loco citato, intemperies sicca in vltimo gradu est incurabilis, ad quem si nondum peruenerit, curari potest.

Intemperies cõposita. — *Intẽperies cum & sine materia.* — *Intẽperies χυλικὴ & ἀχυλική.* — *Graduum consideratio.*

Prognostica differentiarum a subiecto.

Tandem, intemperies respicit ventriculum ratione loci, vel proportionis. Ratione situs, vel loci; vẽtriculus turbari potest, secundum partem supernam vel infernam. Et quidem, malum magis est periculosum, si afficiat ventriculum secundum partem supernam c.6.l.5.de loc.aff. Sed dubitatio oritur: nam ventriculus videtur obtinere vim digniorem & præstantiorem secundum partem infernam, quia præcipua ventriculi actio, nim. concoctio in fundo ventriculi perficitur? Statuendum igitur ventriculi dyscrasiam esse vehementiorem ratione dignitatis, in fundo ventriculi: at intemperiem partis superioris magis esse periculosam, propter vehementiam facultatis: nam ob ἀναισθησίαν oris ventriculi, facile cordis facultas collabitur, vt fiat syncope. Vnde obiter notandum, vehementiam dignitatis, superari a vehementia facultatis. Intenditur quoque periculum, dum os supernum afficitur, quatenus obtinet compositionem, secundum quam ipsius vitia cor in consensum trahunt, ratione situs vicini; & cerebrum quoq; per neruos, vt augeatur dignitatis vehementia. Quoad intemperiem, vt respicit ventriculum, ratione proportionis, difficilis redditur curatio, si proportio ventriculi est imbecillis: nam duplex est malũ, verbi gratia, si quis habeat proportionem, vt non admittat vacuantia, quibus tamen opus est, propter intemperiem cum materia: sane difficilior redditur curatio. Hæc de prognostico differentiarum a Forma.

Prognostica differentiarum a caussa efficiente.

Sequuntur prognostica differentiarum a caussa efficiente. Quia vero prognosticum est sumendum a vehementia eorum, in quæ pręsidiorum materiæ diriguntur: ob id capiendum est prognosticum a vehementia caussarum efficientium; non omnium, sed præsentium & internarum. Caussa interna est Continens, vel Contentum: a quorum vehementia petendum prognosticum. Quoad speciem igitur caussę efficientis: dum cetera sunt paria, difficilius occurrere possumus continentibus quam contentis: nam continentia non possunt eradicari, quamuis periculum intendatur: contenta possunt eradicari, & promtius flatus. Notandum quod vehementia, quæ sumitur a specie caussæ efficientis, statui possit vehemẽtia & dignitatis, & essentiæ; sed diuersa ratione: dignitatis quidem, si inuicem conferantur continentia & cõtenta; nam continentia sunt digniora: & inter contenta, humores sunt digniores, flatus ignobiliores. Hęc vehementia proponitur a Gale. c.12.l.7.meth. nam dum comparat succos vitiosos, & ventriculi intemperiem: dicit intemperiem esse vehemẽtiorem dignitate, quia scilicet etiam temperies dignior est succis: quare & vitiosa continentia sunt digniora contentis; nam continentia vitæ munia obeunt, & obtinent organum actionis præcipuum, nempe temperiem: humores autem non viuunt: ideo sunt ignobiliores; & licet actionem conferant, hoc tamen fit secundario, quatenus in ratione obiecti concurrunt. Flatus nec viuũt, nec habent rationẽ obiecti: ideo ignobiliores. Quod si inuicem conferamus Cõtinentia & Contenta, cõtinentia sunt digniora, & proinde in caussa difficilioris curationis, quo digniori functioni sunt destinata: quare

A quare maior dignitatis vehementia attinet ad iecur, minor ad lienem, adhuc minor ad omentum. Quoad
contenta; maior est dignitas ſucci alimentalis, minor excrementitii, adhuc minor vaporis. Hæc de vehe-
mentia dignitatis ratione ſpeciei. Additur vehementia eſſentię, quatenus refertur non ad vires, ſed ad pręſ-
ſidiorum materias. Et hanc inſinuauit Galen. c.5.l.7.meth. vt ſupra citauimus. Quoad prognoſticum ra-
tione vitii ſpeciei; patet pro varia vehementia vitii, varia modo eſſe prognoſticandum: vt, ſi vehementia
ſit in ſummo, malum ſit incurabile: verbi gratia, ſi frigidioris vētriculi cauſſa ſit omenti frigiditas in ſum-
mo, & in habitu, malum eſt incurabile: & præſertim ſi hæc frigiditas attineat ad hepar. Idem ſtatuēdum eſt
de cauſſa generante, verbi gratia, ſi frigiditas ventriculi prodeat a pituita, quæ generatur a capite, affecto
B ſumma frigiditate, & in habitu; malum eſt incurabile: & ſic de reliquis.

De materia Cheirurgica.

QVoad materias; & primum Cheirurgicas: ſuppoſitis fonticulis, & aliis, de quibus alias dictum, breui-
ter de venæſectione loquemur. Itaq; in ventriculi intemperie vena eſt ſecanda, dum ſanguis eſt præ- Curatio
ſens, & virio inſigni affectus; in ratione cauſſæ vel principalis, vel adiuuantis, vel ſine qua non: & dum vir- phleboto-
tus robuſta permittit: ſecus nequaquam. Cum autem dyſcraſia ſit cum materia, vel ſine materia, ſi ſit ſine mia.
materia, vena ſecari poteſt in intemperiē calida; frigida, humida; non in ſicca. Ratio eſt: Quantum enim ad
calidam intemperiem, Auicēnas cap.18. inquit, ſtomachum igneum, poſſe eſſe in cauſſa generationis ſan- tract. 1. fen.
guinis vitioſi, vt a membris non alliciatur, vnde venæ replentur: hic ergo ſanguis vitioſus per venæſectio- 13. lib. 3.
nem eſt euacuandus. Notandum, ſanguinem in calida intemperie ſine materia, non poſſe eſſe cauſſam
C principalem, vel adiuuantem: eſt enim intemperies ſine materia; vt ſanguis nec ſit cauſſa principalis: nec
adiuuans; maxime, quia reſidet in locis, admodum remotis a ventriculo. Sed neque habet rationem cauſ-
ſæ ſine qua non: nam cum ſanguis reſideat in venis remotis a ventriculo, & extimis, vt venæ tumidæ con-
ſpiciantur, ſi vſurpentur cauſſa calidioris ventriculi medicamenta refrigerantia, non eſt periculum, vt ſan-
guis fluat in ventriculum: & ideo curatio per ſanguinem non impeditur. Cum ergo in calida intemperie
ſine materia, ſanguis, nec habeat rationem cauſſæ principalis, nec adiuuantis, nec ſine qua non: dubitatur,
qua ratione vena ſecetur? Pro reſolutione dicēdum; ſanguinem euacuari, quoniam habet rationem cauſ-
ſæ principalis, ſed non vt refertur ad intemperiem ventriculi, verum vt eſt, vel eſſe poteſt cauſſa & princi-
palis & adiuuans aliorum morborum: vtpote, dum præſentia ſua eſt in cauſſa, vt corpus nō nutriatur, im-
D mineatque febris putrida; nam ſanguis vitioſus facile putreſcit. Quoad intemperiem frigidam, in hac po-
teſt ſecari vena, quia ſanguis peccare poteſt in ratione cauſſę ſine qua non: nam in intemperie frigida, dum
medicamenta calida applicantur ventriculo, ſanguis in corpore abundans fluere poteſt in ventriculum, vt
fiat tumor: & hoc monuit Galenus c.11.l.7.meth. At notandum ſanguinem redundare, ſi vētriculi intem-
peries fuerit remiſſa, & in habitudine: nam ſi intenſa ſit, vel in habitu, non generatur chylus, qui poſſit in
copioſum ſanguinem mutari. Vnde Auicennas cap.19. loquens de ſignis complexionis frigidæ ventriculi
inquit: Si corpus egeat phlebotomia, a qua non ſit excuſatio, hanc nocere: his verbis inſinuauit, ſi homo
frigidiorem obtinens ventriculum egeat phlebotomia, videlicet ratione alterius affectionis, verbi gratia,
ſi angina afficiatur, vt non ſit excuſatio a phlebotomia, hęc nocet, ratione frigiditatis ventriculi, quia ma-
lum intēditur, cum venæſectio ex accidente refrigeret. Quoad *humidam* intemperiem, ſi fiat copioſa hu-
E miditate probatur venæſectio; nam ſanguis redundans, mutatur in copioſam humiditatem: vnde ſan-
guis habet rationem cauſſæ principalis, eſtque detrahendus, vt imminuatur humiditas. Si humiditas fiat
æqualitate; non ſecanda vena, quia habet rationem cauſſæ ſine qua non: nam dum vtimur ſiccis: & aſtrin-
gentibus, fluxio non imminet. *In ſicca intemperie*, quia ſanguis deficit; patet in hac venam non eſſe ſecan-
dam. Et tandem, quoad intemperiem cum materia, ſi materia ſit ſanguinea; vena ſecanda, quia tunc ſan-
guis habet rationem cauſſæ principalis. Si autem materia alia ſit a ſanguine; vena ſecari poteſt, ſi ſanguis
habeat rationem cauſſæ adiuuantis vel ſine qua non, ratione intemperiei, vel ſi habeat rationem cauſſæ
principalis, merito alterius morbi, vt ſupra dictum. *Vſus* patet ex alibi dictis: pręſertim, quia in ſermone de
ventriculi, maxime inflammatorio, de recta adminiſtratione venæſectionis loquemur.

De medicamentis.

F DE materia Cheirurgica hactenus: iam de Medicinali. Materia medicinalis dirigitur vel ad Materiam Pharma-
morbificam, vel ad Intemperiem, vel ad Proportionem ventriculi. Medicamenta quæ reſpiciunt ma- ceia.
teriam, diriguntur ad intemperiem, vel in Genere, vel in Specie. Per intemperiem in genere, intelligimus
intemperiem, & ſine materia, & cum materia: per intemperiem in ſpecie, intelligimus intemperiem cum
materia. Medicamenta, quę diriguntur ad materiam morbificam intemperiei in genere, reſpiciunt mate-
riam, quæ vel Cedit medicamentis, vel non cedit. Si primo modo; ſunt medicamenta Vacuantia ſenſibili-
ter: quæ, ſi dirigantur ad primas ſuperfluitates, vocantur *Lenientia*: ſi ad cacochymiam, dicuntur *Purgan-
tia*. Si medicamenta ſecundo modo referantur ad materiam, quę non cedat vacuantibus; dicuntur *Præpa-
rantia*, quæ præparant materiam, vt cedat vacuantibus. Medicamenta, quæ reſpiciunt materiam morbifi-
G cam intemperiei in ſpecie, id eſt, materiam impactam, qua conſtituitur ſpecies intemperiei; hæc vocantur
Reſoluentia, id eſt, vacuantia inſenſibiliter. Quoad medicamenta, quæ dirigūtur ad intemperiem; ſunt me-
dicamenta *Alterantia per contrarium*. Medicamenta denique reſpicientia proportionem, ſunt *Alterantia
per ſimilia*, id eſt, ſtomachica medicamenta. Patet ergo, qua ratione dicendum ſit de medicamentis Leni-
entibus, præparantibus, purgantibus, reſoluentibus, alterantibus per contrarium, & ſtomachicis.
Quoad Lenientia; omiſſis Vomitoriis & Clyſmis, de quibus alio egimus loco magis opportuno, nim. I. Lenientia
c.7.l. . & cap. 17.19.l.6. dicemus de lenientibus, quæ per os exhibentur cauſſa primarum ſuperfluitatum

Pituita in ventriculo calido.

Superfluitates ſunt Frigidæ, vel Calidæ. Si frigidæ, id eſt, pituitoſæ: animaduertere oportet, num materia A illa pituitoſa, detineatur in ventriculo calidiore, vel frigidiore. c. 10. l. 6. de tuen. ſan. Si in ventriculo calido ſit pituita, ſiue ſit tenuis, ſiue craſſa, ſiue viſcida; ſiue in cauitate reſideat, ſiue aliquantiſper ſit impacta, vti licet *caſſia, ſyrupo roſat. ſolut. manna, melle violaceo ſolut. & vt plurimum aſcendere licet ad mel. roſ. ſolut.* Sed, cum hæc materia reperiatur in ventriculo calido; oportet hæc medicamenta diſſoluere *cum decocto endiuiæ, acetoſæ. Verbi gratia ℞ flor. caſſiæ recens extr. ℥ j. ß. mannæ el. ℥ ij. cum ſaccharo fiat bolus. Notandum, non cum caſſia non miſcere ſemina aniſorum, quæ calida ſunt, quoniam ſupponimus ventriculum eſſe calidum.* Si malles potionem: *℞. mellis roſ. ſol. ℥ ij. mellis viol. ſol. ℥ iiij. decocti acetoſæ parum, fiat potio breuis. Hic baſis eſt mel viol. ſol. quia opus eſt euacuare pituitam, ſed quia pituita reperitur in ventriculo calido, ideo vtimur melle, ſed violaceo: & quoniam mel violaceum, non eſt vſq; adeo potens, præſertim dum pituita eſt viſcida, ideo in ra-* B *tione adiuuantis medicamenti addimus, mel roſ. ſolutiuum, quod efficacius eſt melle violaceo ſolutiuo. Verũ, cum in vtroq; medicamento reperiatur mel, quod calore ſuo ventriculo calidiori poſſet obeſſe: ideo in ratione corrigentis baſin, nos diſſoluimus hoc medicamentum cum decocto refrigerante.* Ceterum notare oportet circa *hieram*, eam in calidiore ventriculo obeſſe: quamuis, dum adeſt pituita admodum copioſa, admodum craſſa & viſcida, tunicïſque adhęrens, exhiberi queat, ſed vel cum caſſia, vt calor remittatur; vel poſt hieram ilico propinandum aliquod decoctum refrigerans, *vt aqua hordeacea, aut ſerum lactis ad ℥ vj. vel viij.* hæc enim nõ tantum refrigerant, ſed etiam abſtergũt.

Hierapicra

Pituita in ventriculo frigido.

Si pituita reperiatur in ventriculo frigidiore: & quidem ſi tenuis ſit pituita; probatur *manna, cum melle roſ. ſol. verbi gratia; ℞. mellis roſ. ſol. ℥ iij. mannæ el. ℥ ij. cum decocto menthæ, fiat potio breuis.* Si pituita ſit craſſa, viſcida, ſi in cauitate; licet exhibere *mel. roſ. ſol. ſed licet etiam dare hieram,* quæ materiam craſſam attenuat fluxilemque reddit. In potione medicamentum præſcribetur ſine C hiera, propter amaritudinem, hoc modo. *℞. mellis roſ. ſol. ℥ v. oxymelit. ſimp. ℥ j. ß. cum decocto betonicæ, fiat potio breuis.* Si placeat exhibere hieram, & mel. roſ. id fiet hoc modo. *℞. ſpecierum hieræ ʒ iij cum melle roſ. ſol. fiant boli. Deinde, ℞ mellis roſ. ſol. ℥ iij. decocti aniſorum parum, fiat potio breuis. Primum exhibebitur bolus, deinde potio.* Si materia pituitoſa ſit impacta, vt non cedat hieræ, ſed medicamentis egeat præparantibus, quæ diutius morantur in ventriculo, quam euacuantia: huiuſmodi non eſt hiera, ſi exhibeatur vt medicamentum leniens. Sunt practici nonnulli, qui nunquam hieram exhibẽt, niſi prius aliquod attenuans propinent: in quo recte faciunt, dum materia pituitoſa in tunicis reſidet, & impacta eſt; tunc enim non ilico eſt exhibenda hiera in ratione lenientis: errant vero dum idem obſeruant, materia reſidente in cauitate; nam hieræ facultas eſt, attenuare & educere pituitam, in cauitate reſidentem.

Alucinatio quorũdam.

Bilis in ventriculo calido.

Si ſuperfluitas ſit bilioſa: Et primum, ſi in ventriculo calidiore ſit bilis tenuis; vtemur *manna, ſyrupo* D *roſ. ſyr. viol. ſol. tamarindis, cum decocto refrigerante. verbi gratia ℞ ſyr. viol. ſol. mannæ el. an. ℥ ij. decocti hordei, cum ℥ iij. pulpæ tamarindorum, parum: fiat potio breuis.* Si bilioſa ſuperfluitas ſit craſſa, probatur *caſſia*: nam bilis cedit caſſiæ, dũ modo reſideat in cauitate ventriculi: ſi enim in tunicis ſit firmata, poſtulat præparantia, de quibus ſuo loco. Si bilis ſit in ventriculo frigidiori; licet vti *manna, ſyrupo roſ. ſol. diſſolutis in decocto calefaciente, vt betonica:* poſſumus etiam vti medicamentis a Gal. c. 10. l. 6. de tuen. valetud. cap. 11. l. 7. meth. med. propoſitis nimirum *mulſa, in aqua coctum ſit abſinthium,* hoc enim medicamẽtum ſuccum bilioſum tenuem in ventriculo contentum, deorſum propellit. Si bilis fuerit craſſior; probatur *hiera*, quæ craſſam bilem, tunicis adhærentem, attenuat; nam bilis facilius cedit, quam pituita: præterea hiera eſt medicamẽtum euacuans, & frigidum ventriculum calefaciens: vt iure dixerit Auic. non eſſe vtilius medicamentum in ventriculi morbis, qui a materia prodeunt, quam eſt hiera. Additq; Auic. *hieram cum decocto abſinthii* E *eſſe vltimum medicamentum.* Quibus verbis reſpicit ad vacuationem bilis: nam e c. 10. l. 6. de tuen. ſan. ſi pituita in ventriculo detineatur, abſinthii potio eſt aduerſiſſima, quia abſinthium aſtrictione ſua pituitam ventriculo magis affigit.

Bilis in frigido ventriculo.

Hieræ compoſitio, & doſis.

Cum ergo hiera adeo nobile ſit medicamentum, quædam circa eam notanda: Componitur hiera *ex aloe, cinnamomo, xylobalſamo, aſaro, ſpica, croco, & maſtiche:* ſecundum Gal. c. 11. l. 7. meth. c. 10. l. 6. de tuen. ſan. c. 1. l. 2. κ. τόπ. Conficitur quidem ex aloe lota, ſi volumus magis roborare, & minus euacuare: vel ex aloe nõ lota, ſi minus roborare, magis purgare volumus: nam per lotionem portiones tenues vacuantes abſumuntur, & partes terreſtres remanent. Sed cum hiera ſit medicamentũ, non aſtringens, ſed ſenſibiliter euacuans: ſit p̃terea calefaciens, attenuans, & hinc inſcribit̃ euacuans: ſcire oportet, cũ F baſis huius medicamẽti ſit aloe; ſi inſtitutum eſt magis ſenſibiliter euacuare, oportet vt medicamentũ cõficiatur e baſi in multa doſi: ſi contra, in minori doſi: maior doſis erit aloes ʒ cxx. reliquorum ʒ vj. minor doſis erit, aloes ʒ lxxx. reliquorum ʒ vj. Et ſi cõtingat, vt patiens dolori capitis ſit obnoxius; doſis croci eſt minuenda. Sicut ergo diſcrimen eſt in compoſitione huius medicamenti, ita eſt diuerſitas in doſi: vnde Gal. c. 11. l. 7. meth. ſtatuit hieræ ſummam doſin eſſe ℥ ß. minimam ʒ j. At c. 1. l. 2. κ. τόπ. ſtatuit ſummam doſin hieræ eſſe ʒ j. minimam ʒ ß. Ratio eſt: nam dum animus eſt vacuare ſenſibiliter, opus eſt medicamento in maiori doſi: & ſic intelligendus eſt Gale. c. 11 l. 7. meth. dum autem calefacere volumus & attenuare; oportet medicamentum exhibere in minore doſi; nam medicamentum alterans, vt poſſit attenuare & alterare materiã, eſt neceſſarium, vt diutius in ventriculo permaneat, & propterea in minore copia exhibẽdum; nam ſi in magna offeratur, cito impetum habebit ad aluum, præſertim ſi baſis medicamẽti ſit in magna copia, verbi gratia ſi hiera componatur ex aloes ʒ cxx. non poteſt diu in ventriculo permanere, ad differentiam hieræ, vt componitur e ʒ lxxx. aloes. Cum ergo in præſentia ſermo ſit de hiera, vt medicamẽto G leniente, oportet vt componatur ex aloe vel non lota, vel vix lota: & oportet vt recipiat aloes ʒ cxx. & doſis ſit a ʒ j. vſque ad ℥ ß.

Vide ſupra cap. 8. lib. 1.

Vtendi ratio.

Vſus lenientium quamuis pateat ex alibi dictis, notandum tamen circa *quantum agendum*, cum indicetur a prima ſuperfluitate, ratione actiuitatis: ſi ſuperfluitas fuerit pituitoſa & copioſa, & admodum frigida, & proinde ſummæ actiuitatis, ad ſummam doſin oportet aſcendere. *Quoad modum agendi*, cum ſumatur a ſuperfluitate, vt reſiſtit; ſi verbi gratia ſuperfluitas ſit pituita frigida, craſſa, viſcida,

A scida,& hinc contumax;oportet exhibere medicamentum leniens in forma solida: nam diutius moratur in ventriculo,& hinc magis agit. Potissimum probatur leniens solidum, si amarum fuerit:nam medicamentum amarum liquidum,non ita permittit virtus oris. Circa *Quando agendum*,cum capiatur ab indicante præsenti,vincente alia indicantia:quia hoc sæpe euenit,ideo sæpe leniens exhibendum.*Vbi agẽdum* sumitur a subsistentia superfluitatis in ventriculo:vnde leniens per os est exhibendum.

II. Præparantia.

Quoad præparantia:hæc cum Gal.c.11.l.7.meth.c.10.l.6.de tuen.san.probantur caussa materiæ existentis vel in Ventriculo,vel in Reliquo corpore.Si resideat in ventriculo,& materia sit crassa, viscida,tunicis impacta,non cedit medicamentis,nisi attenuetur & detergeatur. Illa materia est Frigida, vel Calida.

Frigidę materiæ præparatio.

B Quoad frigidam : & primum si resideat in ventriculo calidiore,probantur attenuantia & detergentia,sed citra calorem,vt *oxymeli simplex*·& si ventriculi caliditas sit intensior, probatur *syrupus acetosus simplex* : si caliditas sit remissior,licet vti *syrupo de betonica,melle ros.* Sed hæc sunt triuialia: magis recondita sunt proponenda,quibus non citra vtilitatem vsi sumus. Vnde,si materia sit frigida in calido ventriculo : ℞. *pulu. quinque folii,rad.filicis maris,pulu.liquiritiæ,capillorum Ven.specierum diarhod.Abb.an.*℈ ß.*sacchari optimi* ℥iij.*cum aqua acetosæ,fiãt rotulæ.Dosis huius medicamenti sit a* ʒj *ad* ℥ ß. *& est efficax medicamentum ad attenuandum materiam,citra caliditatem ventriculi,& magis agit quam syrupi.* Si vẽtriculus sit frigidior,cum Gal.loc.cit.probatur *diatrionpiper.diacalamintha:licet etiam vti oxymelite scillitico,melle scillitico:sunt enim medicamenta satis efficacia,ad pituitam attenuandũ & detergendũ,in ventriculo frigido.*Licet ẽt vti hoc medicamento:℞.*pulu.saluiæ,maioran.calaminthæ mont.cinamomi,macis an* ℈ß.*sacchari optimi* ℥iiij.*cum aqua cinnamomi.fiant rotulæ:eritq; medicamentum iucundum & efficacissimum,dosis a* ʒj.*ad* ℥ß.Probantur etiam

Calidæ materiæ præparatio.

C medicamenta,quę vacuant insensibiliter:de quib.infra. Quod si materia sit Calida:& primum si ventriculus etiam sit calidior;vtemur *syrupo acetoso simplici,de succo acetoso,de acido citri bene maturi:& magis proderit medicamentum ex his succis confectum,si conficiatur sine saccharo,vel cum exiguo admodum saccharo:nam dulcia in membro calidiore bilescunt:vnde probatur succus acetosæ,cum succo acido citri, & exiguo aceto.* Et si optetur medicamentum non ita fluidum,licet addere puluerem:*verbi gratia* ℞. *pulueris foliorum acetosæ, radicis quinque folii an.*℈j.*cum succo acetosæ vel citri,fiant pilulæ v. & exhibeantur.* Si materia sit biliosa,& hæreat in ventriculo frigidiore;probatur *oxymeli,cum syrupo acetoso simplici:licet etiam simul propositos pulueres exhibere,cum oxymelite simplici.* At si materia morbifica sit extra ventriculum;cum generetur, in iecinore:de hac suo loco dicendum.

Ratio vtendi.

D Quoad vsum pręparantium:admonebimus quędam circa Quomodo,& Quando agendum.*Modus* sumitur ab indicante,prout facile vel difficulter patitur a contrario.Si ergo materia morbifica ęgre patiatur;medicamentum vsurpandum secundum talem modum, vt efficaciter agat:at eo effi acius agit, quo diutius moratur;id quod assequitur per formam solidam:Proinde præparantia(quod pertinet ad methodum componendi medicamenta)debent esse potius solidioris consistentiæ,vt pilulę,boli rotulæ,si materia præparanda sit crassior ac viscidior,siue in ventriculo sit,siue vltra.Quoniam autem solidũ,non potest agere in materiam remotam:ideo indicat adiuuans,id est,deducens in locum distantem:vnde cum solidis medicamentis miscenda sunt liquida,tanquam vehiculum. Hac ratione practici præparant materiam in ventriculo exsistentem,exhibendo medicamenta,sine dilutis;quibus optimi practici vtuntur,dum materia est vltra ventriculum.Quoad *Quando agendum:*hoc sumitur ab indicante pręsente,vincente alia indicantia.

E Cum igitur in ventriculo frigido referto pituita,longo tempore perseuerat indicans; ob id diu, & proinde quotidie medicamentis vti licet,si virtus permittat. Permittit autem virtus frequẽtem vsum medicamentorum calidorum,citra iniucunditatem agentium;vt est diatrionpiper, diacalaminthes, quibus quotidie vti possumus:cõtra,hiera,propter amaritudinem,non possumus assiduo vti,c.10.l.6.de tuen.san. Non tamen nimis raro hiera vti debemus,sed frequenter,dum in ventriculo frigido & humido materia est impacta:præsertim si hiera componatur e ʒ lxxx.aloes,non autem e ʒ cxx. Præcipiendũ ergo est pharmacopœis,vt habeant species hieræ duobus modis compositas.Dum enim præparare volumus;efficacissima est hiera e ʒ lxxx.si eius ℈ ij.vel ʒ j.sumatur,& cum saccharo,vel melle bolus conficiatur, & frequẽter exhibeatur. Medicamentum enim hoc præparans erit saluberrimum. Iam quoque agendum est de Pur- III. Pur-
gantibus,quæ respiciunt cacochymiam,id est,prauos succos in corpore exsistentes:de quibus egimus c.7. gantia.

F lib.1.& c.19.lib.6.vnde circa vsum horum medicamentorum præsentia tria monere satis fuerit.Primo studendum,vt mitiora purgantia exhibeantur:vitenturq; *confecta e scammonio,helleboro,& colocynthide* : nisi forsitan cum intemperie ventriculi sit coniunctum aliquod vitium summi momenti.v.g.apoplexia,aut epilepsia;quæ cogunt nos ad vehementiora confugere;id quod tutius facere possumus,si intẽperies sit frigida & humida.Nisi igitur cogat malum maioris momenti, non licet ascendere *vltra agaricum, rhabarb. senam,polypodium,epithymum.*Secundo notandum , cum soluentibus esse miscenda medicamenta stomachica,quæ proportionem vẽtriculi fouent,de quibus suo loco.Hæc autem potissimum probantur, si non 2.
tantum corrigant soluentia,sed etiam intemperiem,verbi gratia;si in morbo calidiore ventriculi, cũ soluentibus misceamus *acetosam,acidum citri,violas:*in frigida autem intemperie licet miscere *saluiam,mentham,aromata,vinum aromaticum.*v.g.in calidiori intemperie *recipe rhabarb.el.*ʒj.*infundatur in sufficienti decocto acetosæ,& endiuiæ:& facta diligenti expressione,adde syrupi violacei,solidæ mannæ el.ana* ℥ ij.*Misce,&*

G *fiat potio breuis,qua expurgabitur biliosa materia,citra detrimentum ventriculi calidioris.* Si ventriculus sit frigidior,& velimus exhibere rhabarbaram,ita præscribendum:℞*rhabarb.el.*ʒj.*vini aromatici* ℈ ij:*fiat infusio in sufficienti quantitate decocti saluiæ & menthæ : & facta diligenti expressione, adde mellis rosati solutiui, mannæ el.ana* ℥ ij.*Misce & fiat potio breuis.* Tertio notandum,vt non adscendamus ad summam dosin;pro- 3.
pter virtutem imbecillam in ventriculo,quia hic intemperie laborat.

Sequuntur medicamenta Resoluentia,quibus vtimur propter materiam impactã in vẽtriculo.Hęc IV. Resol-
medicamenta sunt calida,& tenuis substantiæ:nimirum *aromata,vinum aromaticũ,saluia,calamintha mõ*- uentia.

A *tana,eryngium,ammi.feniculum,botrys,maiorana, oxymeli ſcillit.mel ſcilliticum, ſed poſſumus etiam ſcillam conficere cum ſaccharo,loco mellis,cum corpora ſunt delicatiora:vti etiam licet ſale theriacali:nam vehementer diſcutit.vti licet radice anthoræ,magnis antidotis,ſed antiquis: præterea vti poſſumus diatrionpip. diacalamintha,diagalanga,licet etiam aſcendere ad confectionem anacardinam: efficaciſſimum etiam medicamentum eſt hiera,confectum cum ℥ lxxx.aloes,non cum ʒ cxx.Jtem vti poſſumus guaiaco, ſaſſafras, quæ & Indica ſaſſifragia dicitur.ſalſa,china.* Sed notandum, cum hæc medicamenta calefaciant & ſiccent, differentiam eſſe ſecundum magis & minus:nam in vẽtriculo frigidiore,referto pituita,probantur valentiora: ſi autem ventriculus afficiatur intemperie calida,cauſſa bilis,debilioribus vti oportet. Verbi gratia, ſi vẽtriculus ſit frigidus,& pituita repletus,poſſumus exhibere *ſaſſafras cum vino: Auicennas aſcendit etiam ad rubrificantia.* In calidiore ventriculo,propter bilem,vti licet *china,ſine vino;& cum carne,niſi coniuncta ſit ſiccitas.* Sed de B reſoluentibus vberius loquemur in ſermone de tumore ventriculi. At hoc loco intelligere oportet,an cũ reſoluentibus ſint miſcenda aſtringentia? Auicennas capit.14. in cura generali malorum ventriculi, inquit:non euacues medicamenta reſoluentia a ſtipticis & aſtringentibus,vt conſeruetur virtus. Cum reſoluentibus ergo miſcet aſtringentia. At idem Auicennas capit.33. inquit: Si humor ſit frigidus & humidus, oportet vti reſoluentibus, nec miſcenda ſunt ſtiptica;error enim is eſt maximus, ſiue ſint cibi, ſiue medicamenta. Pro reſolutione ſcire oportet,ſermonem eſſe de vacuantibus ventriculum, vel Senſibiliter vel Inſenſibiliter. Medicamenta quæ ſenſibiliter euacuant,ſunt calida ſicca,& impetu quodam agunt; vnde neceſſario diſſolueretur ſubſtantia calidi innati, niſi miſcerentur aſtringentia. Medicamenta autem inſenſibiliter euacuantia,ſunt,quæ diriguntur ad humorem imbibitum in tunicis: hic humor, vel eſt particeps caliditatis,vt bilis; vel ſiccitatis, vt melancholia; vel expers eſt & caloris & ſiccitatis, vt pituita,q̃ ge- C neratur in ventriculo frigidiore. Si humor particeps fuerit caliditatis,cum abſumatur ſubſtantia calidi innati, a caliditate humoris: propterea cum reſoluentibus ſunt miſcenda aſtringentia: quia calidum innatum ſuſtinere non poteſt diſſipationem,quæ fit & ab humore calido, & a medicamento calido. Si humor fuerit particeps ſiccitatis,vt melancholia;cum vi ſiccitatis abſumatur calidũ innatum, ob id miſcenda etiam ſunt aſtringentia cum reſoluentibus:quia calidum innatum diſſiparetur & ab humore ſicco,& a calido medicamento. Si humor impactus ſit particeps frigiditatis & humiditatis; cum a frigido humore non diſſipetur ſubſtantia calidi innati, ſed potius vi humiditatis ſuffocetur, & vi frigiditatis remittatur calor inſiti calidi,ob id medicamenta reſoluentia non ſunt corrigenda aſtringentibus: Vnde Auicennas, ſi humor eſt frigidus & humidus,non miſcet aſtringentia. Non ergo perpetuo improbantur aſtringentia,ſed D vbi reſoluenda eſt pituita.

Stiptica quando ſint miſcenda reſoluentibus.

V. Alterantia per contrarium. Calida intemperies.

Dicendum modo de Alterantibus per contrarium. Si ergo ſimplex ſit intemperies:& primum, ſi intemperies calida,probatur *medicamẽtum confectum e roſis,violis,cichorio,endiuia,ſoncho,acetoſa, hordeo, acido citri,cydoniis,lactuca,aceto,caphura.* Si inſignis ſit calor,aſcendamus ad *papauer, ad aquam frigidam.* Sed notandum,cum frigidis calida eſſe miſcenda,ita tamen vt frigida ſint copioſiora. Vnde medicamenta exhibeantur in conſeruis,iubeatis vt non imponatur ſaccharum in quantitate conſueta, ſed in minori, ideoque ſaccharum roſaceum ita præſcribendum, vt conficiatur cum minori copia ſacchari, propterea quod dulcia bileſcunt. Si autem medicamenta hæc frigida applicentur, cum frigidis oportet miſcere *maſtichem,*quamuis intemperies ſit calida:verbi gratia, ℞ *olei violati ℥ j.ſucci lactucæ ℥ ß. olei maſtichini ℥ ß. ceræ lotæ in aceto ʒ j.ß. Miſce & fiat linimentum.* Calida cum frigidis miſcenda ſunt: quia frigida proſunt E quidem,vt tollunt morbum calidum,ſed nocent vt minuunt caliditatem calidi innati. Notandum circa vſum iſtorum medicamentorum,Auicennam in capite de cura intemperiei calidioris dixiſſe;cum emplaſtras ſtomachum frigidis medicamentis,caue ne ſeptum attingas:vnde expedit medicamentum applicare inferius, circa vmbilicum. Et ſi contingat vt medicamentum ſit iuſto frigidius, adhuc magis nocebit. Deſumſit hoc a Galeno capit. octauo, libro ſeptimo, method. vbi ſcribitur, frigida præcordiis applicata,æſtum ventriculi remittere,ſed lædi reſpirationem,propter diaphragma. Huic ergo nocumento oportet calidis occurrere:nam ratione caliditatis ventriculi opus eſt frigidis; ſed ratione reſpirationis opus eſt calidis:& ideo monet Galenus,vt poſt vſum calidorum redeamus ad frigida, quæ tamen nõ præcordiis,ſed verſus vmbilicum ſunt applicanda. Et ob id cum Gal.c.8.lib.7.meth.in inſigni caliditate,ſi vicina corpora ventriculo non ſint robuſta,tutius eſt progredi mitioribus, & iis longiori tempore. Quod F etiam obſeruandum eſt in his quæ aſſumuntur:ſi enim in intemperie calidiore vẽtriculi velimus exhibere aquam frigidam:animaduertere oportet,num ęger ſit robuſtus vel imbecillis ſecundum gulam:ſi enim ſit imbecillis,nequaquam frigida eſt exhibenda;vt monuit Galenus loco citato.

Frigida intemperies. 1.canon.

Quoad intemperiem frigidam;cum probentur medicamenta calidiora, duo circa hæc ſunt notanda. Primum, vt non ſint vehementer calefacientia:hæc enim,quatenus habent vim exſiccandi, poſſunt obeſſe,& morbum ſiccum inducere;loquimur enim hic de intẽperie frigida ſimplici,& ſupponimus temperiem in paſſiuis qualitatibus. Quare in frigida intemperie ſimplici, probatur *conſerua e betonica, conſerua e ſaluia,e rore marino:probatur aromaticum roſatum:probantur aquæ Mutinenſes, D.Petri: non probantur aquæ Aponenſes,quia iuſto ſunt calidiores,& ſiccant. Probatur etiam oleum maſtichinum,chamæmelinum, cum parua quantitate olei de ſpica.* Auicennas,cognoſcens in hac intemperie calidiore poſſe nocere ſiccando, G miſcet *adipem gallinæ, vt medicamentorum vim ſiccantem corrigat.* Quare & vos ſi vti volueritis calidioribus, poteritis adminiſtrare *cum omento,vel vituli,vel caſtrati. Probare etiam poſſumus Zingiber,ſed conditum cum ſaccharo: licet etiam exhibere diatrionpip. ſed cum vino: nam, mel, ſaccharum, vinum, ſubſtantifice humectant: vt propterea etiam probetur piper, ſed cum cibis, qui noxam ſiccitatis tollunt. Exhibere etiam licet calidiora, ſed cum iure, ob eandem cauſſam.* Secundo notandum eſt, vt medicus cum calefacientibus miſceat aſtringentia ne diſſoluatur ſubſtantia calidi innati. Ob id Auicennas probat,

2.canon.

vt cum decocto spicæ misceatur aliquid mastiches: nam beneficio mastiches prohibemus dissolutionem calidi insiti. Potest igitur probari huiusmodi medicamentum: *℞. olei nardini ℥j. ceræ ℥ß. Cera autem liquetur in oleo nardino: & postquàm medicamentum hoc est refrigeratum, adde mastiches ʒij. Misce. Basis est oleum nardinum, vt habet vim calefaciendi: cera habet rationem adiuuantis, quatenus est in caussa, vt diutius permaneat medicamentum, & magis efficaciter agat: additur mastiche, vt habet rationem corrigentis; corrigit enim oleum nardinum, ne dissoluat substantiam calidi innati.* Sed præterea hoc locum habet. *℞ olei de spica ℔.iij. mastichini ℔j. olei amygd. dulc. ℔ß. vini generosi ℔.j. schœnanthi, spicæ, nucis moschatæ, macis ana ʒij. mastiches ʒj. menthæ viridis M.ß. maluarum p.j. Contundenda contundantur crasso modo: & fiat infusio per diem naturalem, & fiat decoctio in duplici vase, ad consumtionem vini: deinde colentur pro stillicidio.* Possumus etiam vti hoc oleo, maximo cum fructu, in ratione fomenti, cum omento: optimum enim est medicamentum, cum sit compositum e calidis, & e corrigentibus; nimirum humectantibus & astringentibus. Quoad vsum horum medicamentorum, sufficit quippiam monere circa *Vbi agendum:* id est, circa ea, quæ extrinsecus admouentur. Sciendum igitur discrimen esse inter calida & frigida: nam frigida prohibentur a virtute: id est, a septo transuerso, seu a calido insito septi: calida autem non prohibentur: vnde Galenus c.5.l.7. meth. dixit, tutius esse calefacere quam refrigerare. Ceterum si contingat, vt pars vicina sit calido morbo affecta: tutius est applicare calida versus vmbilicum, & regionem sinistram; quia in dextra regione caliditas iecoris potest prohibere.

Cautio in applicandis calidis.

Humida dyscrasia.

Quoad humidam intemperiem: huius caussa probantur medicamenta siccantia; sed citra caliditatẽ & frigiditatem; quia hic agimus de dyscrasia tantum humida: ideoque si medicamenta exsiccantia sint frigida, oportet ea calidis corrigere; & si calida, frigidis corrigenda. Probatur ergo medicamentum confectũ ex resiccantibus calidis & frigidis inuicem mistis: inde enim resultat medicamentum siccans, citra calorẽ & frigus. Vsurpari potest medicamentum, quod conficitur *e rosis, coralliis, santalis, e bolo Arm. ex omphacio, quinquefolio, sumach.* Hæc sunt siccantia frigida. Calida sunt, *nux cupressi, mastiche, agrimon. beton.* Ex his confectum medicamentum, siccabit citra caliditatem & frigiditatem. Notandum, cum e propositis medicamentis alia sint astringentia, vt *rosæ, corallium, omphacium, &c.* alia aperientia, vt *quinquefolium, betonica, agrimonia:* si contingat, vt aluus sit lubrica, nec patiens sit correptus aliqua obstructione; probari adstringentia: si autem aluus sit stiptica, & patiens sit correptus obstructione aliqua, vel obnoxius sit obstructioni; præferri aperientia. Vnde Paullus c.37.l.3. probat in hac intemperie *acetum scilliticum, ius oliuæ sale conditum.*

Cautio.

Quoad vsum medicamentorum vt applicantur, notare oportet, si ad caliditatem vergant siccãtia, vel etiam sint temperata in actiuis, & sint non adstringentia; ventriculo possunt applicari, vt etiam septum attingant. At si medicamenta exsiccantia sint frigidiora, vel astringentia, non debent septo applicari; nam læditur respiratio. Vbi agendum indicatur quidem ab intemperie humida, vt lædit ventriculũ: sed prohibetur a virtute septi; quæ tamen septi virtus non prohibet adstringentia, ratione quantitatis, vel qualitatis; nec septi virtus indicat quod est contrarium adstringenti: vnde fit, vt non liceat adstringentia applicare, quia euadunt caussæ morbificæ, quatenus lædunt respirationem.

Sicca intẽperies.

Si intemperies sit sicca, & simplex; remissa est: nam intemperies sicca intensa, coniunctam habet aliam qualitatem. Probãtur igitur caussa siccæ dyscrasiæ *materiæ alimentales,* de quibus suo loco: nam intemperies sicca, fit a penuria alimenti. Notandum tamen, non esse contemnenda medicamenta humectantia: quamuis enim hæc non repleant, vt alimenta; meatus tamen contractos dilatant, & alimẽtum impulsum in vicinas partes reuellunt: quemadmodum est *malua, althæa, borago, buglossa, poma, passulæ dulces, adeps vituli, gallinæ, omenta, lac, aqua dulcis, vinum dulce.* Quæ medicamenta, extra vsurpata, humectant, non solũ dilatando meatus contractos, sed etiam retrahendo alimentum. Sed præterea quæ assumuntur in ratione alimenti, replent, verbi gratia, *poma, borago, buglossa, amygdalæ, lac, vinum.* Sed notandum, vt iis quæ applicantur, misceantur adstringentia: proposita enim medicamenta, vt habent vim laxandi, ita calidi innati substantiam dissipant: vt prosit addere *mastichen.* Quare in sicco ventriculo hoc medicamentum possumus præscribere *℞ ol amygd. dulc. ℔.iiij. ol. mastichin. ℔.j. vini dulcis, non generosi, ℔ j. foliorum malu. borag. bugloss. ana P.j. passularum dulcium ℥j. mastiches ʒiiij. Mis. pro stillicidio, contusis contundendis. Hoc oleo poteritis etiam omentum calefacere, & applicare.*

Calida & humida dyscrasia.

Hactenus de medicamentis, quæ alterant simplicem intemperiem: sequuntur ea, quæ dyscrasiam compositam alterant. Et primum, si intemperies fuerit calida & humida: notãdum e c.9.l.7. meth. humiditatem vinci a caliditate: ideoque, cum caliditas attrahat, & ventriculus humidior suscipiat, imminere inflammationem. Quare si intemperies calida sit intensa, probatur potio frigidæ: nam quamuis etiam frigida humectet; tamen relicta humiditas non minatur insignem noxam, & facile cedit siccantibus. Ceterum probatur etiam mistum medicamentum, confectum e refrigerantibus & siccantibus, quæ medicamenta, quia seorsim sunt proposita, in morbo tum calido, tum humido; ideo iam non repetenda sunt.

Cal. & sicca dyscrasia.

Quoad intemperiem calidam & siccam: cum Galeno cap.8. & 9.l. 7. meth. & cum Auicen. respicere oportet ad gradum caliditatis & siccitatis, vt pateat, num liceat vti vehementer refrigerantibus, potissimũ aqua frigida. Vnde quoad intemperiem calidam; si fuerit remissa, non vltra primum gradum; probantur moderate frigida, non autem probatur frigidæ potus. Si contra caliditas sit intensa, in secundo vel tertio gradu, probatur potus frigidæ, nisi virtus prohibeat. Virtutis autem statum patefacit siccitas: hæc enim si remissa sit, significat virtutem, tolerantem frigidæ potum: vnde Auicennas ait, hominem quandoque sanari integre potu frigidæ, dum non est siccitas superflua. Quod si intensa sit siccitas, denotat, quod virtus frigidam perferre nequeat: vnde Galenus cap.9. lib. 7. method. ait, dum cum siccitate est coniunctus calor, refrigerantia non esse adeo secura; nam vbi siccitas in ventriculo intensa est, totum etiam corpus siccum redditur: tunc igitur aqua copiosa, vi sua permeat in partes, in quibus penuria est roridæ humiditatis,

carnis,adipis:ideoque ea violentia tangit calidum inſitum, vt hoc neceſſario ſecundum caliditatem patiatur:quod non euenit,ſi coniuncta ſit humiditas. Ceterum, ſi non vti liceat aqua frigida;cum Gal. non vti oportet minus frigidis, vt tutius, quamuis longiori tempore,homo ſanitati reſtituatur:vnde probatur medicamentum confectum *e violis,lactuca,amygdalis,pomis, floribus maluarum, &c.* Ventriculo igitur hoc medicamentum applicari poterit: *Recipe ol.violacei ℔.iij.olei amygd.dulc.roſacei complett ana ℔.i.vini dulcis,aquæ vel communis,vel roſaceæ, ana ℔. ß. foliorum lactucæ, maluarum, violarum ana P. 1. maſtiches ℥iii.Miſ.& fiat infuſio, &c.& pro ſtillicidio,& pro fomento,cum omento. Probatur etiam omentum in hac intemperie madefactum lacte.* Quoniam autem ſermo eſt de ſiccitate,in qua totum corpus ſiccatur; probatur etiam *balneum cum inunctione:balneum conficitur ex aqua dulci, moderate calida, vt non excitet ſudorem:inunctio conficitur ex oleo amygdalino,& exiguo tum oleo violaceo,tum vino ſubdulci.* Ratio horum medicamentorum hæc eſt:propoſitum nobis eſt,corpus ſiccatum ſubſtantifice humectare,id quod fit opea B limenti:balneum & inunctio,non quidem ſunt alimenta;ſed tamen ita concurrunt, vt corpus alimento in iecinore genito,repleatur:non enim poſſet totum corpus alimento repleri,niſi attraheret alimentum, ſuſciperet,apponeret,agglutinaret,& aſſimilaret.Balneum igitur meatus,ſiccitate contractos, dilatat, vt libere alimentum fluat;id quod balneum præſtat moderata ſua caliditate & humiditate: præterea balnei caliditate attrahitur alimentum,& hinc retrahitur,quod in vicinas partes vi ſiccitatis eſt compulſum:inſuper calore balnei fouetur qualitas,id eſt,caliditas calidi innati, vt fiat aſſimilatio:denique propter humiditatem balnei,alimentum ſuſcipitur.Inunctio,quatenus conficitur ex oleo,id eſt,e lenta materia;facit vt alimentum attractum non euaporet,ſed detineatur,apponatur,agglutinetur:quatenus autem conficitur ex oleo amygd.& e vino;calefaciendo cõſeruat calidum inſitum vt fiat aſſimilatio. Additur autem oleum violaceum exiguum:nam huius virtute alimentum detinetur:& in præſentia ſermo eſt de morbo calido; C vt oleum violaceum frigiditate ſua proſit:ſi enim ſiccitati non ſit annexa caliditas, ſed frigiditas: expedit abſtinere ab oleo violaceo.

Frig. & humida dyſcraſia.

Quoad intemperiem frigidam & humidam:probantur vehementer calefacientia; vt fuerunt reſoluentia,propoſita cauſſa pituitæ,verbi gratia,*aromata,guaiacum,ſaſſafras,vinum generoſum,angelica odorata,&c.In præſentia addere licet Aponenſes aquas,quia ſermo eſt,de intemperie frigida & humida.Probantur etiam olea deſtillata ex aniſo,feniculo, aromatibus; cum quibus oleis deſtillatis poſſumus conficere rotulas:pro ℥i. ſacchari,ſufficit vt imponãtur guttæ ij.vel iii.olei deſtillati.* Cum autem hoc vitium ſit admodum frequens, proponam optimum ſtillicidium,quod,meo iudicio,longe eſt efficacius, quam ſtillicidium aquarũ Aponenſium. *℞ ol.de ſpica ℔iii.de abſinthio ℔ii.olei de coſto ℔i.vini vel Cyprii,vel ad ſummum generoſi ℔i aquæ* D *vitæ ℥iiii.cinamomi,macis,nucis moſchatæ,Zingiberis,caryophyllorum ana ℥i.ß.ſaſſafras ℥i menthæ,maioranæ, origani,meliſſæ,calaminthæ mont.ana P.ß ſeminis feniculi,cymini,aniſorum,dauci,ammios,ana ℥ii.ß. Miſ pro ſtillicidio.Licet etiã hoc oleo veſicas bubulas ſemi replere,& applicare ventriculo.Licet quoq; hoc oleo decoquere ouorũ vitellos,& applicare ventriculo.Vnde etiã laudatur ceratum ex aromatibus,& cera lota in aqua vitæ.*

Frig. & ſicca dyſcraſia.

Verum ſi dyſcraſia frigida non fuerit cõiuncta cum humiditate,ſed cum ſiccitate;ſi frigiditas ſit remiſſa;probatur *conſerua e floribus maluarum,e floribus borag.bugloſſ.& addatis quinctam partem conſeruæ e beton.vel ſextam partem conſeruæ e floribus roriſmarini.* Et foueatur ventriculus extra eodem fomento quod fuit propoſitum in ſicco ventriculo:ſed in præſentia,quia coniuncta eſt frigiditas, *vinum debet eſſe magis copioſum,& magis vinoſum:& ſimiliter oleum maſtichinũ:& præterea addere poteſtis meliſſam viride.* Quod ſi contingat, vt aer ſit frigidior,cum Galeno c.7.l.7.meth.oportet vti *lana medicamento hoc imbuta:* nam E aer frigidus in ratione cauſſæ,eſt ſignum frigiditatis magis contumacis. Et quia totum exſiccatur,oportet *balneum nonnihil calidius eſſe,quam in ſimplici ſiccitate:addanturque maluæ flores chamameli.* Fiat inunctio ſecundum totum cũm *oleo amygdalino.chamamelino,& cum vino non ita exiguo, vt in ſimplici ſiccitate.* Si annexa ſit intenſa frigiditas;probatur *conſerua meliſſa,cum melle.* Et extra,augẽda eſt doſis *maſtiches, vini & meliſſæ viridis.* Quamuis autem aer non ſit frigidior, licet tamen vti *lana medicamento propoſito imbuta: licet etiam vti omento.Balneum calidius eſſe oportet:ita tamen vt non prouocetur ſudor.In inunctione augeatur copia vini & olei chamamelini.* Galenus c.7 meth *lib.7.*in dyſcraſia ſicca cum intenſa frigiditate, peculiare proponit medicamentum:*pix enim arida,liquanda cum oleo amygdalino exiguo: & hoc medicamentum actu calidum vſurpandum.*

Cal. & frig. dyſcraſia.

In calida ſimul & frigida intemperie;intra oportet adminiſtrare temperata: nam & calida & frigida obeſſent.Conficiendum ergo medicamentum *e borag.bugloſſ.endiu.cichorio,violis,roſis, quibus addantur* F *betonica,abſinthium,ſaluia,exiguum cinamomum.* Hęc medicamenta exacte ſunt miſcenda, vt reſultet mistum temperatum:id quod conſequimur per decoctionem & potiſs.per fermentationem,id eſt,ſi diu permiſta maneant,antequam adminiſtrentur;& ſub radiis ſolaribus detineantur,vel in hypocauſto. Formula hæc erit: *℞.conſeruarum borag.cichor.roſaceæ,e betonica,roremarino,ana ℥j.pulueris cinamomi ℨj.cum ſyrupo de acido citri.& de corticibus citri.fiat electarium:cuius doſis a ℨij ad ℥j.* Medicamenta quæ extra adminiſtrantur,fundo debent applicari,verſus vmbilicum:debent etiam ſupra admoueri,in fine pectoris. Verum oportet vt diuerſa ſint medicamenta: calida enim ea parte ventriculo ſunt applicanda, vbi viget intemperies frigida,& frigida,vbi viget calida intemperies.Si intemperies calida detineat os ventriculi; & ſeptum ſit imbecillum:eſſent quidem medicamenta frigida ſupra,id eſt circa finem pectoris applicanda; G non tamen id licet,propter ſepti imbecillitatem: ideoque præcipiendum ægro, vt in ore detineat Frigida medicamenta,quale eſt,*aqua hordei,cum emulſione ſeminum melonum;* nam ob continuitatem tunicæ,hęc frigiditas communicatur ori ventriculi,& non læditur diaphragma.

Hum. & ſicc. dyſcraſia.

In humida & ſicca ſimul intemperie;propter ſiccitatem probantur *alimenta*, de quibus cito agemus: propter humidam dyſcraſiam, probantur ſiccantia, ſuperius propoſita, in intemperie ſicca; ne tamen

A tamen his morbus ſiccus augeatur, verbi gratia exhibendus eſt *puluis quinquefolii, cum iure, ſaccharo, vel melle:* nam quinquefolium, vt exſiccans, occurrit morbo humido; medicamentum autem illud, quatenus eſt alimentale, ratione iuris, ſacchari, vel mellis, occurrit morbo ſicco. Et hæc dicta ſint de alterantibus per contrarium.

VI. Stomachica [illegible]

Proponenda denique ſunt ſtomachica, id eſt, quæ fouent proportionem vẽtriculi. Auicennas ergo probat *pelles intrinſecas ventris gallinacei:* quamuis parui faciat hoc medicamentum Galenus. l. 11. ſimp. eſt tamen medicamentum quod obeſſe non poteſt. Probat etiam Auicennas *corallium in potu, ad* ℈ß. *& propterea etiam corallium de collo ſuſpendit.* Notandum autem cum Galeno c. 24. l. 5. ſimpl. medicamenta proprietate operantia, non iuuare in omni morbo illius partis, ſed interdum qualitate euidenti nocere poſſe: proinde qualitates illæ noxiæ corrigi debent. Ita in ventriculo frigido & ſicco, ſi exhibeatur corallium, quod
B & ipſum frigidum ſiccumque exſiſtit, nocebit, niſi a medicamẽto calido atque humido corrigatur. Meſues probat *chebulas & emblicas: ſed cum myrobolani ſint frigidæ & ſiccæ, in morbo frigido & ſicco vel non debent adminiſtrari; vel corrigi debent melle aut ſaccharo, quæ ſunt materiæ calefacientes & alimentales.* Præcipuum locum inter medicamenta a proprietate conferentia, obtinent *magnæ antidoti, quæ componuntur e multis medicamentis ſtomachicis:* verum quoniam euidenter calefaciunt & ſiccant, in morbo calido & ſicco nocent; in frigido & humido omnibus reliquis ſunt anteponendæ: vnde in tali morbo quidam pro ſecreto habent: ℞. *miuæ aromaticæ* ℥j. *theriacæ antiquæ* ʒj. *vini aromatici cum mentha præparati* ℥jß. *Miſc.* Hæc de medicamentis.

De victus ratione.

Diæta.

C RESTAT tandem, vt de materia etiam diætetica loquamur. De aere egimus in malis capitis & thoracis. In cibo & potu primum communia quædam afferemus: deinde in ſpecie de diæta in intemperie & ſine materia, & cum materia, loquemur. Communia quædam Auicennas proponit, de quantitate & qualitate.

Copia ciborũ vitanda. Naturæ aduerſa itemque relaxãtia, fugiẽda

Quoad quantitatem, ait: ciborum immodicam copiam eſſe inimicam ventriculo: & hinc corpus hominis guloſi non augetur, quia cibus iuſto copioſior digeri nequit. Quoad qualitatem, & primo reconditam; inquit Auicennas, quæ diſplicent eſſe fugienda, quoniam ſunt noxia ventriculo, & ipſius proportioni aduerſantur. Quoad qualitatem euidentem; ait ea quæ ſtiptica non ſunt, ventriculo nocere, vt *lac, medullæ, cerebellum, acetoſa, grana pini: hæc enim habent vim laxandi, quamuis grana pini etiam propter craſſitiem & viſciditatem noceant, cum ſint difficilis coctionis: valeant igitur qui tam libenter concedunt nucleos pineos.* Laxantia autem nocent, quia diſſoluunt calidum innatum ventriculi, quo tamen maxime eſt opus, ad chylũ
D elaborandum. In ſicco tamen ventriculo, in quo meatus contracti ſunt, tuto vſurpantur, quę meatus contractos laxant vt lac: nec enim diſſolutionis calidi innati metus eſt.

Diæta in dyſcraſia ſine materia. Frigida.

Sed ad magis ſpecialia deſcendemus. Quoad intemperiem ſine materia & primo frigidam; probatur cibus facilis coctionis & facilis diſtributionis, & exigui excrementi. Cibus cõdiendus eſt calidis & iucundis; nim. *aromatibus, roremarino, ſaluia, feniculo, petroſelino, meliſſa, mentha, &c.* Pro potu ſit *vinum quod accedat ad vinoſum, non recens: & ſit vel ſincerum vel medicatum cum abſintho, ſaluia, guaiaco, &c.* Si patiens nõ bibat vinum, probatur *aqua, ſed iam prædictis calidis alterata.* Potus nõ exhibebitur vehementer actu frigidus: quia intemperies frigida eſt.

Calida.

In Calida intemperie probantur cibi conditi *hordeo, cucurbita, emulſione ſeminum melonum, lactuca, ſoncho, endiuia, &c.* Potus ſit *aqua aut vinum pauciferum.* Potio euidenter actu frigida concedi poteſt.

Humida.

In Humida intemperie probatur cibus ex *auiculis montanis, e perdicibus, turtu-*
E *ribus, pullis gallinaceis ſed aſſis.* Condiantur cibi *aceto, ſale, coriandro, aromatibus,* ſed in parua copia, ne oriatur morbus calidus.

Sicca.

In Sicca dyſcraſia, Galenus c. 6. l. 7. meth. probat *lac humanum, non improbat aſininum.* At ne aceſcat in ventriculo, miſceatur *mel vel ſaccharum,* ſed in parua copia; dum in actiuis non eſt exceſſus. Sed de lacte opportunius infra c. 28. l. 6. de febre hectica. Addit Galenus, ſi æger non delectetur lacte, poſſe exhiberi *cremorem ptiſanæ, vel alicæ. Probatur etiam vſus recentium ouorum. Item panis purus, non furfuraceus, coctus in furno, vt æqualiter coquatur; fermentatus, vt facile coquatur in ventriculo & diſtribuatur. Probatur etiam panis ſalitus in ſicco ventriculo, vt diſtribuatur, & ſic occurrat ſiccitati totius corporis. Hinc ſale condiendi ſunt cibi viſcidi, vt cochleæ, teſtudines, alica: non autem ptiſana, & reliqua cibaria, quæ facile diſtribuuntur.* Et in praxi notandum eſt, vt dum ſiccitas in ventriculo tantum exſiſtit, totum vero corpus nondum eſt reſiccatum; *vt a ſale abſtineamus, nec demus panem ſalitum,* quia hic tantum probatur ratione ſic-
F citatis totius corporis. Probat etiam Galenus *piſces ſaxatiles, decoctos cum iure albo, id eſt aqua, oleo exiguo, porro & anetho:* ratio eſt, vt velox fiat diſtributio. Notandum tamen, ſi patiens nõ egeat anetho, ab hoc abſtinendum eſſe, nam ſi Galenus abſtinet a lacte, dum ęger non delectatur lacte, multo magis debemus nos abſtinere ab anetho. Probat etiam Galenus *alas & teſtes gallinaceorum, qui ad vberiorem humectationem lacte ſint nutriti. Probantur carnes molles:* nam duriores ſunt difficilis coctionis & diſtributionis: vnde non probatur *ſuilla caro,* quamuis maxime nutriat, quoniam facultas nõ poteſt coquere. In ſicco ventriculo prodeſt, vt ter in die naturali homo cibetur. Potus non debet eſſe *vinum adſtringens:* nam omnia auſtera ſunt contraria ſiccitati. c. 6. l. 7. meth. quia humiditatem alimentalem abſumunt, imbibunt, & exprimunt in ſinum ventriculi, truduntque ad vicina membra. Idem tamen Galenus eodem in loco, probat vinum adſtringens?

Galenus cõciliatur.

G Dicendum pro reſolutione: in ſicco ventriculo probari vinũ aquoſum, quod pauci caloris particeps mitius agit in calidum innatum, nec hoc diſſoluit, ſed ſecundum ſubſtantiam & qualitatem conſeruat: quod ab aqua fieri nequit, vnde non aqua, ſed vinum aquoſum probatur. Cum autem hoc vinum ſit tenuis ſubſtantiæ, ſicut facile deſcendit in ventriculum, ita etiam facile rurſus egrederetur, cibumque, cuius eſt vehiculum, incoctum ſecum duceret: oportet ergo leuiter eſſe adſtringens, vt cibus in ventriculo detentus concoquatur. Neque ob leuem adſtrictionem ſiccitatis imminet periculum: quia hoc vinum nõ

ita est adstringens, vt humiditates alimentales ebibat, absumat, vel exprimat in cauitatem vẽtriculi, partesve vicinas; quemadmodum est vinum austerum, de quo loquitur Galenus in principio capitis. Vinum generosum, cum admodum sit calidum, ferit vires imbecilles: nam calidum innatũ, quod in vẽtriculo sicco non fouetur ab humiditate alimentali, quæ resiccata est, facile a vino meraco dissoluitur. Quare in sicco ventriculo licet vti *vino aquoso adstringente, sed leuiter*: atque ita nulla est discordia in dictis Galeni.

[...]ser composita.
Calida humida.

Hæc de cibo & potu, ratione simplicis dyscrasiæ. Quoad intemperiem compositam: in calida & humida intemperie, cibi sunt condiendi frigidis & siccantibus; quæ non debent esse adstringentia, si patiens secundum abdomen afficiatur obstructionibus, vel sit obnoxius obstructionibus: ideoque cibi tunc cõdiendi *endiuia, soncho, aceto, succo citri, limonis; sed isti fructus sint optime maturi, ne adstringant; licet etiam condire succo aurantii non acerbi.* At si obstructionis non sit metus, cõdiantur cibi adstringentibus; vt *granatis acerbis, omphacio, mitia cydoniorum simplici, succo citri, limonis, sed hi fructus sint immaturi; licet etiam cibos condire aurantiis acerbis, cerasis acerbis* Notandum tamen; vt adstringentia moderate vsurpentur ne fiat obstructio. Potus sit *vinum pauciferum*, modo magis, modo minus adstringens. Probatur etiam *aqua similiter alterata.* Quoad intemperiem Calidam & siccam: e Galeno c. 6. 7. & 8. l. 7. meth. si siccitati iunctus sit calor remissus, probatur *lac*, vt in intemperie sicca tantum: discrimen solum est, vt ratione caliditatis annexæ *mel, quod lacti miscetur, minuatur, vt gustu vix percipiatur: vel tutius loco mellis saccharo vti possumus, verbigratia, in lactis* ℔ß. *imponere possumus sacchari* ℥ij, *vel iulapii violacei* ℥ß. Quoad reliquos cibos, probantur iam propositi, in intemperie sicca tantum, relictis tamen cõdimentis calidis. Potus erit *vinum*, sed magis aquosum, quam in intemperie sicca tantum. Potio non sit admodum actu frigida, nisi aer sit calidior, qui feruore suo morbum calidum magis ad patiendum difficilem reddat. Si cum siccitate coniunctus sit calor intensus, licet sitis vrgeat, lac tamen, quia siticulosis est noxiũ (aph. 64. sect. 5.) in hac dyscrasia non proponitur a Galeno, c. 8. l. 7. meth. nisi caliditas refringatur: lac enim ob feruorem ventriculi insignẽ corrumpitur. Cibi ergo probantur confecti ex *hordeo, lactuca, melonibus, cucurbita, anguria, &c.* Potus sit *vel vinum, sed admodum aquosum, vel aqua siue simplex, siue hordeacea: optimus potus est si fiat e destillato iure longo pulli, cum succo anguriæ:* qui potus maxime cõuenit, in ventriculo admodum calido & sicco.

Frig. sicca.

Quoad intemperiem Frigidam & siccam; in hac quoque animaduertere oportet, num siccitati annexa sit frigiditas remissa, vel intensa. Si remissa: probatur *lac cum melle copiosiore quam in temperie sicca tantum: verbi gratia, in lactis* ℔. ß. *miscere possumus mellis* ℥j. ß. *vsque ad* ℥ij. Cibi condiendi sunt *melle & saccharo copiosore.* Probantur etiam cibi magis actu calidi. Potus sit *vinum minus aquosum, & plurium annorum, quam in dyscrasia sicca tantum.* Si cum siccitate coniuncta sit frigiditas intẽsa, *cum lacte mel adhuc copiosius miscebitur: vt liceat etiam mel solum exhibere*; si enim decoctum sit & despumatum, ferme totum mutatur in alimentum. Cibi condiendi *melle & saccharo*, in magna copia, vt cibi magis calefaciant. Potus sit *vinum calidius, magis generosum & antiquum, quam in sicca intemperie tantum. Si patiens vinum non bibat: detur ius cum melle vel saccharo, vel etiam mulsa detur sed meracior, cum aliqua portione cinamomi.*

Frig. humida.
Cal. frigida.

In Frigida & humida intemperie, probantur cibi, qui fuere propositi in intemperie frigida. Condiendi sunt cibi calidioribus, vt aromatibus & aliis. Idem de potu dicendum. Quoad intemperiem Calidam & frigidam; sicut medicamenta temperata probauimus; ita etiam victus temperatus probatur. Cibi ergo condiendi sunt, condimentis tum calidis tum frigidis: nam ita cibus erit temperatus. *Vinum sit mediocre, non vinosum, nec aquosum: vel etiam vti licet aqua seu iure, quæ tamen debent alterari hordeo & cinamomo.*

Hum. sicca.

Quoad intemperiem Humidam & siccam; probantur materiæ alimentales, quemadmodum fuere propositæ, in temperie sicca tantum. At ratione humiditatis abstinendum ab humidioribus. Probantur igitur *auiculæ montanæ, columbæ turriales. Cibi sint assi: conditi exiguo aceto.* Potus sit *vinum medicatum, cum quinquefolio, vel capillo Veneris, in quibus est aliqua vis siccandi.*

Dyscrasia cũ materia.

In intemperie cum materia, varia ratio victus est, pro vario vitio ipsius materiæ, secundum quantitatẽ & qualitatẽ. Ratione quantitatis; probatur victus minuens, cuius beneficio materia morbifica insensibiliter euacuatur. Vnde cibus dabitur in exigua copia, nisi quid prohibeat: prohibet autem virtus, si scilicet materia morbifica non nisi longo tẽpore absumi potest; veluti si pituita sit copiosa, crassa, viscida, frigida. Vitiũ in qualitate materiæ, est primũ in prima qualitate: vt si materia morbifica sit calidior, probetur victus frigidior; de quo in intẽperie calida diximus: si contra materia sit frigidior, probetur cibus calidus. Et sic de reliquis. Si vitiũ sit in qualitate secunda: si materia adhæreat, quoniã est crassa & viscida; probatur victus attenuans (victus tenuis dirigitur ad quantitatẽ materiæ: victus attenuãs, ad qualitatẽ secundã) nimirũ calidus & tenuis substantiæ: at varius, ꝑ discrimine materiæ, & pro statu virtutis. Si ergo materia fuerit crassior; probatur victus magis attenuans, vt in dyscrasia frigida & humida, cũ materia pituitosa: quẽ victũ permittit & materiæ frigiditas & virtus. Si permittentia non assint, mitioribus est occurrẽdum: non autem permittit intemperies calida; nam calidũ a calido augetur: nec permittit virtus in sicco morbo; quæ enim sunt calida & tenuis substantiæ, dissoluunt calidũ innatum, quod est exiguũ in sicca intemperie. Tunc ergo cibi condiendi sunt attenuantibus citra caliditatem, vt *quinquefolio, feniculo viridi, radicibus petroselini, non seminibus; & ab aromatibus est desistendum.* Hæc de cibo & potu.

Alui beneficium.
Vomitus.

Reliqua patẽt. Sufficit cum Auicenna notare, quoad inanitionem, vt aluus seruetur lubrica, vt homo fugiat Venerem. Quoad motum, vt caueat patiens secundum ventriculum a vomitu laborioso: nam per motum hunc violentum, dissoluitur substantia calidi insiti.

CAPVT III.

De Paruitate ventriculi.

Transitio.

EXPLICATIS vitiis pertinentibus ad ventriculum, vt ventriculus est constitutus e partibus similaribus: modo agemus de vitiis attinentibus ad ventriculum, vt est instrumentum, & quid diffi-

A dissimilare. Hæc vitia sunt Paruitas & Tumor. Primum igitur de paruitate dicemus, propterea quod est vitium natiuum. Per paruitatem autem ventriculi intelligimus vitium in respectu ad reliqua membra, ad totum corpus: non enim intelligimus paruitatem simpliciter, sed in respectu ad alia membra, vt si ventriculus sit paruus, iecur autem magnum, totum corpus magnum. Hoc vitium generatur, dum parentibus occurrit aliquod noxium, vi cuius emittitur semen ita deficiens, vt generetur calidum insitum ita vitiosum, vt facultas generatrix ita frustretur, vt procreetur ventriculus plus quam decet minor. Est igitur vẽtriculi paruitas magnitudo imminuta ventriculi, producta a frustratione generatricis. Forma est magnitudo imminuta: quæ, vt est magis vel minus imminuta, & proinde vt magis vel minus proportione caret, ad magnitudinem reliquorum organorum; ita magnitudo hæc imminuta locum sibi vẽdicat modo symptomatis, modo morbi symptomatis, in qualitate mutata, id est, in magnitudine diminuta, quæ cum parũ
B deficiat a proportione reliquorum instrumentorum, non est caussa læsæ actionis: non igitur morbus est, sed symptoma. Paruitas autem ventriculi habet rationem morbi, dum multum recedit a magnitudine reliquorum instrumentorum, ita vt lædatur actio, & per consequens sit morbus. Subiectum est ventriculus ad differentiam paruitatis aliorum instrumentorum.

(Nomen.) (Definitio.)

Caussa efficiens, est frustratio facultatis generatricis: vt hæc paruitas natiua, de qua loquimur, distingueretur a paruitate ascititia, quę euenire posset in macie ventriculi. Et propterea intelligendum, qua ratione frustretur generatrix: quod difficilimum est. Quare sciendum, e traditis a nobis in doctrina de formatione fœtus; frustrari generatricem, vt residet in vtero, id est, in calido primigenio exsistẽte in vtero: vt vitium attineat ad calidum insitum, non autem ad vterum, sicuti quidam credunt. Si enim eueniat vt vterus sit paruus: in caussa erit parui tum ventriculi, tum reliquorum instrumentorum: in præsentia autẽ est
C sermo de paruitate solius ventriculi. Vnde, vt veritas satis recondita elucescat, confugiendum ad Galenũ, c.11.l.de arte med. vbi statuit, paruum caput necessario esse malum: caput autẽ magnum, esse modo bonũ, modo malum; bonum, si producatur ab insita virtute robusta, quę copiosam & optimam materiam efformare possit, vt caput sit tum magnum, tum bene formatum: caput autem magnum est malum, si prodeat non a robore facultatis, sed solum a copia materiæ; tuncque producitur caput magnum, sed non cõcinne formatum. Ex his verbis colligendum, virtutem procreantem instrumẽta, esse insitam; & modo robustã, modo imbecillam: & præterea agere virtutem procreantem instrumenta in materiam modo bonã, modo malam. Vnde hoc loco duo sunt intelligenda: primum, quid sit hæc insita virtus, vt etiam constet, quod sit eius subiectum: deinde, quidnam intelligere oporteat per materiam vel bonam vel malam, e qua organa formantur. Et hæc duo breuiter explicabimus. Quoad primum, per insitam virtutem intelligimus facul-
D tatem generatricem a parentibus tributam: cuius subiectum fuit semen eiaculatum; deinde subiectũ fuit semen cum sanguine, in calidum primigenium conuersum: vt propterea facultas generatrix resideat in calido primigenio. Ad quod respiciens Galenus in com. aduersus Lycum, ait, animalia sortiri primam generationem e calido innato. Proponit primam generationem, ad differentiam secundæ: siquidem animalia in secunda generatione sortiuntur partes solidas & viuentes; in prima autem generatione calidũ insitum. Amplius cum facultas generatrix resideat in calido insito; est modo robusta, modo debilis: non propria ratione, quia non suscipit magis & minus; sed hoc fit, prout calidum primigenium est, modo robustũ, modo debile: vt calidum insitum secundum quantitatem & qualitatem quandoque bene habeat, quãdoque male: vnde si contingat vt calidum insitum sit copiosum & bene temperatum; est sedes & organũ generatricis robustæ: si contra, debilis virtutis. Ceterum, cum calidum insitum generetur e parentũ semine:
E vt varium emittitur semen, ita fit varium calidum insitum. Sciendum autem varium profundi semen, nõ modo pro discrimine parentum, vt parentes probum vel improbum semen tribuunt, in diuersis cõgressibus; verum etiam discrimen esse in semine, quod vnico congressu emittitur. Nam in eodem coitu præstantius est semen, quod primo effunditur, quia magis est in testibus elaboratum & est magis spiritu vitali plenum: ideoque in tertia & posterioribus eiaculationibus emittitur semen minus elaboratum; & in superfluo coitu emittitur etiam semen cruẽtum, crudum & incoctum. Quare si eueniat, vt seminis portio melior attineat ad hepar, minus proba ad ventriculum; fiet, vt fœtus melius formetur secũdum hepar, quam secundum ventriculum: *vt hinc ventriculus fieri possit paruus. Verum id quoque sciendum*, semen eiaculatum esse quoddam mistum e spiritu vitali, & humore, humorem autem probum prodire a parente qui optimum sanguinem generat, & qui testes habet robustos: spiritum probũ emanare, tum ab optimo cor-
F de, tum ab aliis partibus. Iccirco necesse est semen in quantitate & qualitate esse optimum: ita tamen vt semen capiat quantitatem ab humore, qualitatem a spiritu. Vitalis autem spiritus a corde prodiens primum reliquis impertitur partibus, mox ab his procedẽs, progreditur in humiditatem seminalem tempore coitus: quo fit, vt cum ad generatricem attineat simile generare, si contingat, vt spiritus prodeant a parente donato magnis oculis, fœtus similis producatur; & similiter si prodeat a ventriculo paruo, fiat ventriculus paruus. Quare constitutum sit, per calidum insitum esse intelligẽdum calidum primigenium: per insitam vero virtutem, a Galeno propositam, intelligere oportere facultatem generatricem; cuius subiectum est calidum: quod si bene habet secundum quantitatem & qualitatem, est sedes virtutis robustæ; si contra, debilis: tandem materiam e qua, esse sanguinem maternum. Hinc liquet, si virtus sit robusta in calido insito; & sanguis maternus bene habeat secundum quantitatem, & secundum qualitatẽ; produci optima instru-
G menta: si autem cõtingat, vt vitium sit in virtute insita, hoc est, e parte calidi insiti, & probitas in sanguine materno: vt dum *pater est male constitutus, mulier autem probe habet*: tunc organa procreantur vitiosa, & præsertim male figurata & intemperata: etenim imbecilla virtus, ratione calidi insiti vitiosi, materiã etiam optimam vincere non potest. Si autem vitium sit in sanguine, non in virtute: si sanguis deficiat; organa creabuntur exigua sed bene figurata. Si autem sanguis abundet; producentur organa magna, at male

(Caussa efficiens. Frustratio generatricis, vitio calidi insiti seminalis, & materni sanguinis.)

figurata. Si ſanguis vitioſus ſit ratione qualitatis; generantur organa intemperata. Si denique vitium ſit & A in virtute, & in ſanguine: ſi ſanguis deficiat; organa producentur exigua, & male figurata: Si abundet ſanguis; organa creabuntur tum magna, tum monſtroſa. Ex his igitur colligendum, vētriculum iuſto minorem creari, ſi calidum inſitum ſit particeps facultatis generatricis, impertitæ a ſpiritu, prodeunte a parente, donato paruo ventriculo. Interim tamen non ſemper pater paruum obtinet ventriculum; ſed fit etiam paruus ventriculus, ſi calidum inſitum, vt attinet ad ventriculum, ſit imbecillum: vt quamuis ſanguis maternus ſit copioſus, exiguus tamen a calido imbecillo attrahatur. Quod ſi abſolute ſanguis maternus deficiat; paruitas oritur non modo ſecundum ventriculum, ſed etiam ſecundum omnes partes. Ex his colligere licet, imminutam magnitudinem natiuam accidere ventriculo, dum fruſtratur facultas generatrix vitio vel calidi innati, vel vitio ſimul Sanguinis materni.

Differētiæ. Ceterum ventriculi paruitas modo Magis, modo Minus eſt diſproportionata. Proditque hoc vitiū, B quoad differentias, a cauſſa efficiente, vel ſolum a Calido inſito; vel a Calido inſito, & a ſanguine materno.

Signa. Galenus cap. 71. art. med. admonet quandoque ventriculum eſſe adeo eminentem, id eſt, vergentem ad exteriora, vt tangentes facile magnitudinem & paruitatem ventriculi agnoſcant: vt propterea paruus ventriculus ita conſtitutus non egeat ſignis. Si autem ventriculus ſitum obtineat profundiorem; cum Auicenna ventriculi paruitas indicatur e difficili tolerantia cibi copioſi, vt patientes repleantur ante ſaturitatem cibi.

Præſidia. Quoad indicationes: attinent hæ ad præſeruationem: nam paruitas ventriculi eſt effectus generatricis, e materno ſanguine; quorum nullum eſt præſens: indicatio autē ſumitur a præſenti. Quare in pręſentia ſcopi debent eſſe præſeruatorii: vt homo præſeruetur a malis, quæ vi paruitatis vētriculi occurrere poſſint. At cum hæc mala prodeant a vitiis, attinentibus ad opera, id eſt, a vitioſis operibus parui ventriculi: ſcien- C dum hoc opus eſſe vel alimentale, vel excrementitium. Opus alimentale eſt chylus quantitate deficiēs, qui non ſufficit pro alendo corpore: vnde ἀτροφία imminet. Quare huiuſcemodi opus ita deficiens, indicat remedium, producens chylum copioſum, vt ſufficiat pro corporis nutritione. Opus excremētitium eſt prima ſuperfluitas, quæ, vt noxia, indicat remedium expellens, ſeu euacuans.

Prognoſtica. Licet nulla ſit ſpes ampliandi ventriculum; quia deſideratur tum agens, tum materia e qua: non tamen eſt impoſſibile ſcopos præſeruatorios explere. Verum facilius eſt, primas ſuperfluitates vacuare: minus facile, procurare, vt chylus generetur ita copioſus, vt ſufficiat pro totius corporis nutritione, difficultas autem varia offertur, pro ratione paruitatis ventriculi, & temperamenti, & totius corporis. Nam difficultas magis magiſque augetur, quo vētriculus erit minor, in reſpectu ad totum corpus: nam opus eſt copioſo alimento, quod ventriculus paruus non poteſt coquere. Difficultas augetur, ſi annectatur intempe- D ries: nam ventriculus dyſcratus adhuc ægrius concoquit. Et difficultas etiam intenditur, ſi totum corpus fuerit calidum & ſiccum: hoc eſt, abſumens copioſum alimentum: & ſi etiam totum corpus fuerit rari habitus, nam fit diſſolutio.

Curatio. Quoad materias præſidiorum, & primum cheirurgicas: in defectu chyli deficit ſanguis: quare nō ſecanda vena. At ratione excrementi, & præſertim, ſi aluus non ſit lubrica, probantur fonticuli.

Quoad medicamenta: probantur lenientia propoſita in ſerm. de intemper. ventriculi, & roborātia. Auicennas probat vomitum bis in menſe, ſi homo facile euomat. Quare oportet leuioribus vomitoriis vti: vt *oxymelite ſimpl. in iure tepido.*

Diæta. Quoad diætam: cum Auic. probantur cibi copioſi alimenti, & exigui excrementi. Sed hi cibi debent eſſe copia exigui, propter ventriculi paruitatem: ſed pluribus exhiberi debet vicibus in die: nam cauſſa nu- E tritionis opus eſt copioſo alimento; quod ventriculus nequit capere, cum ſit paruus: ideo pluribus vicibus cibi euchymi, & multum nutrientes ſunt offerendi.

CAPVT IV.

De Tumore ventriculi.

VEntriculus cum non modo corripiatur magnitudine imminuta, verum etiam aucta: & magnitudo aucta poſſit eſſe & natiua, & aſſcititia: de natiua non eſt dicendum; præſertim cum huius natura pateat e ſuperius propoſitis, & præterea magnus ventriculus ſit in cauſſa potius boni quam mali operis Propterea dicendum eſt de magnitudine aucta aſſcititia, quæ vocatur Tumor: qui cum ſit malum & frequens, F & periculoſum; ideo diligenter de eo dicendum. Et quidem in præſentia diligentiores erimus: ita in tumoribus aliarum partium breuiſſimi erimus. **Nomen.** Quoad nomen: cum Galeno, libro de tumor. præter naturam, capite primo, ſcire oportet, tumorem bifariam accipi poſſe: primum, vt attinet ad quantitatem primam; deinde vt ſpectat ad quantitatem non primam. Declaro. Per primam quantitatem intelligimus tumorem prodeuntem a materia, ſola peccante copia, vt hæc materia, verbi gratia, eſt bona vel caro, vel pinguedo: per non primam quantitatem intelligere oportet vitium, ſeu tumorem, qui ſpectat ad materiam, peccantem non modo ſecundum quantitatem, verum etiam ſecundum qualitatem; vt verbi gratia eſt tumor qui fit a bile copioſa, vnde fit a bile & copioſa, & calida, ſiccaque; ac proinde a materia, & copia, & qualitate peccante. In præſentia igitur per tumorem intelligimus ſpectantem ad quantitatem non primam. Vt inſtitutum ſit, dicere de ventriculo non carnoſiore, non obeſiore; ſed correpto inflammatione, G eryſipelate, œdemate, ſcirrho, cancro, carbunculo, abſceſſu, & inflatione. Et fortaſſe quædam intelligētis, rara, & a nobis diligenter meditata. Verum cum tumor ſic acceptus cum Galeno, poſſit eſſe tum morbus, tum ſymptoma: in præſentia per tumorem intelligimus morboſum. Adhæc cum vi tumoris morboſi lædatur actio ventriculi, & vt ventriculus eſt inſtrumentum, & vt obtinet partes ſimilares: nunc principaliter ſermo erit de tumore ventriculi, vt eſt inſtrumentum: ſecundario vero, vt ventriculus obtinet partes

A partes similares. Verbi gratia: cum inflammatio sit morbus in compositione & intemperie: principaliter respicimus ad inflammationem, vt est morbus in compositione. Tumor igitur hunc in modum acceptus, sic generatur: dum nimirum ventriculo occurrit materia peccans & copia, & qualitate, vt ventriculus & augeatur, & alteretur, atque ad eam perducatur magnitudinem & intemperiem, vt ratione vtriusque lædatur actio. Quare ventriculi tumor est magnitudo aucta, cum intemperie, lædens operationem ventriculi, procedens a materia, copia, & qualitate peccante. In qua definitione forma est magnitudo aucta cum intemperie, lædens operationes: nam tumor morbosus, est morbus compositus e magnitudine aucta & intemperie: vnde proponitur a nobis tum magnitudo, tum intemperies eo excessu, vt lædatur actio; & propterea magnitudo aucta sit morbus, & intemperies sit morbus. Vnde Galenus capite primo libro tertio de causs. symptom. ait; ventriculi actionem lædi ob morbus partium dis- B similarium, hoc est, ob inflammationem, ob erysipelas, & hinc ob magnitudinem auctam, seu tumorem: quo loci Galenus proponit ventriculum, vt est quid dissimilare. Idem Galenus respiciens ad intemperiem capite secundo, libro de tumor. præter natur. statuit, in inflammatione partem non modo augeri secundum quantitatem, sed etiam alterari secundum qualitatem. Quare tumor erit morbus, in mala compositione, & in intemperie: siquidem dum humor peccat & copia, & qualitate; ita qualitate alterat, vt citius noceat qualitate, quam copia: verbi gratia, si sanguis fluat in ventriculum, primum est caussa morbi in intemperie; secundo est caussa morbi in mala compositione: & propterea dicit Galenus capite duodecimo, libro de differ. morb. inflammationem necessario esse morbum in intemperie, non necessario in mala compositione. Subiectum est ventriculus: vt distinguatur tumor, de quo iam loquimur, a tumore aliorum instrumentorum. Et cum ventriculus vix afficiatur tumore secundum se totum; di- C citur subiectum tumoris secundum sedem vel Internam, vel Externam; vel Dextram, vel Sinistram; vel infernam, vel Supernam. Quamuis intemperies, ad differentiam magnitudinis auctæ, vt plurimum totum ventriculum afficiat.

Generatio. *Definitio.* *Forma.* *Subiectum.*

Caussa autem tumoris est materia, copia & qualitate peccans: ad differentiam tumoris, qui produci potest vel a carne, vel a pinguedine; quæ materiæ, sola copia peccant. In hac materia perpendi debet Species, Vitium, & Caussa generans. Quoad speciem: est Vapor, vel Minera. Vaporis ratione fit tumor, quem Auicennas vocat inflationem, potestque etiam dici tympanites ventriculi, Paulus vocat flatum ventriculi, Aetius nominat inflationem. Minera, est Sanguis, Bilis, Pituita, Melancholia, & Pus. Quoad materiam sanguineam: esse potest vel Sanguis, vel Ichor sanguinis. Si fuerit sanguis: fit tumor, qui vo- D catur inflammatio, in qua inflammatione capite secundo, lib. de tumor. præter natur. sanguis non modo fluit, sed fluxus detinetur, & sic tumorem procreat: & ob id Galenus ait, capite duodecimo, libro secundo cris. sanguinem in loco impactum, putrescere, & hinc creare inflammationem. Si autem fuerit ichor sanguinis, fit tumor, qui dicitur erysipelas. Concurrit autem sanguinis ichor, modo Sincerus, modo Mistus cum flaua bile: vnde Galenus respiciens ad Sincerum sanguinis ichorem, cap. 1. lib. 2. ad Glauc. dicit, e sanguine feruescente & tenuissimo, fieri erysipelas: vbi per sanguinem tenuissimum intelligit ichorem sanguinis, qui etiam rubra bilis dicitur. Respiciens autem Galenus ad ichorem sanguineum, mistum cum bile flaua, cap. 10. lib. de tum. præter nat. inquit, erysipelas fieri a bile, mista cum sanguine: vbi per sanguinem necessario intelligit ichorem: nam bilis mista cum humore sanguineo, producere caussat non erysipelas, sed erysipelas phlegmonodes. Biliosa vero materia est, quæ producere caussat erysipelas, cap. 1. l. 14. meth. aph. 2. sect. 1. & c. 5. l. 2. de diff. feb. Notandũ autem cum erysipelas sit vel Internum, vel Externum: Inter- E num fieri posse a bile, tum sincera, tum mista: externum autem solum produci posse a bile flaua mista, vel cum ichore sanguinis, vel cum serositate, vt sit bilis, quam vocant pallidam. Confirmatur hoc Galeni testimonio. Nam primum respiciens ad internum erysipelas capite septimo, libro tertio loc. affect. statuit phrenitidem, & hinc erysipelas internum fieri non solum a pallida bile, verum etiam a flaua. Et comm. 10. lib. 1. prorhet. voluit fieri phrenitidem a bile etiam æruginosa: etenim, si phrenitis fit ab atra bile, multo magis fieri potest a bile æruginosa. Quod vero attinet ad erysipelas externum, Galenus capite decimo, lib. de tum. præter nat. inquit, erysipelas fieri a bile mista, vel cum sanguine, vel cum aquosa sanie; vt si bilis sit sincera, non mista, cum Galeno loco citato, sit caussa vlceris, non tumoris. Quare cum in præsentia sit sermo de tumore ventriculi, & proinde de tumore interno: statuendum fuerit, bilem concurrere posse & sinceram & mistam: Si sincera sit bilis, est flaua bilis, vel etiam supra flauam, sed infra atram: mista bi- F lis est, vel cum ichore sanguinis, vel cum serositate. Hæc de materia biliosa. Quoad materiam pituitosam: Galenus ad hanc respiciens, capite decimo, lib. de tum. præter naturam, statuit, vi pituitæ procreari posse tumorem duplicem, hoc est, œdema, & scirrhum. Hi autem tumores inuicem conueniunt, vt sunt pituitosi; differunt autem pro vario vitio pituitæ: infra discriminis caussa patebit, cum de vitio speciei loquemur; nunc enim versamur circa speciem materiæ, non circa vitium. Quoad melancholiam: ab hac fit scirrhus, cancer, carbunculus: qui tumores, cum prodeant e vario melancholiæ vitio, de hoc suo loco dicemus. Quoad materiam purulentam; hæc est in caussa abscessus. Hæ ergo sunt species materiæ, a qua producuntur tumores. Vnde, si species sint simplices, tumores fiunt simplices & exquisiti: si autem species inuicem misceantur, fiunt tumores misti & nothi, verbi gratia, si tumor fiat a solo sanguine, fit inflammatio: si misceatur cum sanguine bilis, fit inflammatio erysipelatodes; si pituita fit inflammatio œdematosa, G vel etiam scirrhosa; si melancholia, fit inflammatio scirrhosa, cancrosa, vel etiam particeps carbunculi. Hæc de specie materiæ morbificæ.

Caussa efficiens. *I. Species caussæ efficientis.* *Sanguis.* *Ichor sanguinis.* *Bilis flaua.* *Vide supra, cap. 9. lib. 1.* *Pituita.* *Melancholia.*

Quantum ad vitium speciei; hoc est in substantia, quantitate, qualitate, & vbi. Quoad *substantiam*: cum hoc vitium positum sit in putredine; locum habet in inflammatione, in erysipelate, in cancro, carbunculo, & abscessu: nam in inflãmatione, vt dicitur c. 2. l. de tum. præter nat. sanguis in loco perspiratione

2. Vitium caussa tumoris. *Substantiæ vitium.*

priuato ita detinetur, vt putrefcat: quare eft peccatum in fubftantia: in eryfipelate etiam bilis ita putrefcit, A
vt fit in cauffa putridæ febris: idem eft dicendum de cancro, & de carbunculo: quamuis materia morbifica
minus putr..cat in cancro non exulcerato, magis in exulcerato cancro, adhuc magis in carbunculo: in ab-
fceffu etiam patet, pus effe materiam putridam, id eft, peccantem fecundum formam. Vt colligere liceat,
tumorem flatulentum, œdema & fcirrhum non prodire a materia putrida, nifi fit falfa pituita, quæ poteft
Quantitatis vitium. effe putrida; fed tunc fit œdema nothum, vt fit veluti eryfipelas nothum: quemadmodum & caufus no-
thus fit e pituita falfa. Quoad vitium fecundum *quantitatem*; hoc vitium eft commune omni fpeciei; nam
Qualitatis vitium. tumor eft magnitudo lædens operationes, quare fit a copiofa materia. Quoad vitium fecundum *qualita-
tem:* hoc vitium perpendendum eft & in genere, & in fpecie. Si in genere; in nulla fpecie materiæ defide-
1. ratur: & ratio eft; quoniam ventriculi tumor annexam habet intemperiem. Si fermo fiat de vitio fecun-
dum qualitatem in fpecie: varium eft vitium, pro varietate fpeciei: vnde quoad *flatum*, vitium eft fecundũ B
frigiditatem & craffitiem: fi enim vapor fit calidus vel tenuis, non poteft colligi ea copia, vt fit cauffa tu-
2. moris: vnde inflatio eft tumor cum morbo frigido. Quoad *materiam fanguineam*; cum fit vel fanguis, vel
fanguinis ichor: fi fuerit fanguis; vitium pofitum eft in caliditate & humiditate: verum, cum Galeno ca. 2.
l. de. tum. præter nat. calidior euadit fanguis: vt propterea e c. 12. de morbo. differ. inflammatio fit morbus
calidus & humidus. Si autem materia fanguinea fit ichor; vitium ftatui debet, in infigni caliditate & te-
nuitate, vt accedat ad naturam bilis: vt propterea non modo calefaciat, fed etiam ficcet. Hinc Galenus c. 1.
l. 2. ad Glauc. ait, e fanguine efferuefcente & tenuiff. fieri eryfipelas, quod eft tumor calidus & ficcus. Quo-
3. ad *bilem*; huius vitium pofitum eft in calore & ficcitate: vt propterea tumor biliofus fit tumor calidus &
ficcus. Quoad *pituitam*; effe poteft falfedinis vel expers, vel particeps. Si fit expers falfedinis; eft pituita fri- C
gida, humida; modo tenuis modo craffa. Vnde cum Galeno ca. 1. l. de tum. præter naturam fi tenuis fit pi-
tuita, fit œdema; fi craffa, fit fcirrhus. Hinc œdema eft tumor frigidus & humidus: fcirrhus autem eft tu-
mor frigidus & humidus, fed qui accedit ad ficcum, vt colligitur e cap. 7. & 9. lib. 5. fimpl. Si pituita fit falfa;
vitium confiftit in calido & ficco: vt propterea fiat tumor calidus & ficcus. Quoad *melancholiam*; cum Ga-
leno c. 2. l. de tum. prçter naturam; & c. 4. l. de atra bile; fi melancholia fit expers exuftionis, quæ vocatur ni-
gra bilis; ab hac fit tumor fcirrhofus, frigidus, ficcus, & durus. Verum, cum durities multiplex effe poffit:
operæ pretium eft, vt intelligatur, quot modis tumor durus produci poffit. Sciendum igitur cum Galeno
ca. 4. l. 5. fimpl. duritiem fieri, dum corpus vel ficcefcit, vel concrefcit, vel nimium repletur: vt cauffæ ad du-
ritiem concurrentes effe poffint vel fimplices, vel coniunctæ. Quoad ficcitatem; ficcatur corpus validis
exercitiis, fole ardente, inedia, febre ardente: & ficcari etiam poteft corpus a ficcantibus medicamentis, ci-
tra refrigerationem. Quoad concretionem, feu congelationem, congelatur corpus a vehementi frigore. D
Frigoris autem cauffa multiplex effe poteft; vna a foris incidentibus, vt eft aer, aqua frigida, medicamen-
ta refrigerantia, quibus quandoq; aliqui medici abutuntur in eryfipelate: fecunda cauffa eft dyfcrafia fri-
gida partis: tertia eft humor fluens frigidus. Quoad repletionẽ; corpus repletur a copiofo humore: Quod
fi cauffæ duritiei inuicem coniungantur, mifta fit durities, verbi gratia, durities fit per exficcationem &
congelationem, fi quis laboret in frigore; eft enim cauffa ficcans, & cauffa refrigerans: durities autẽ fit per
repletionem & cõgelationem, fi tumor fiat ab influxu materiæ frigidæ: nam a materia fluente, ratione co-
piæ, fit repletio; ratione frigiditatis fit cõgelatio: Si fiat durities per ficcationem, congelationẽ, & repletio-
nem, eft tumor, qui producitur a materia copiofa, frigida, & ficca, ficut contingit in fcirrho. Si vero mate-
ria melancholica fit particeps exuftionis; vocatur atra bilis: & huius vitium pofitum eft in calore, ficcitate E
& craffitie: vnde fit tumor qui annexum habet morbum calidum & ficcum. Ceterum admonet Gale. c. 13.
l. de tum. p. nat. fi contingat, vt hæc materia, feu atra bilis, non ferueat, tumorem fieri cancrofum. Additq;
c. 8. fi non ferueat, & fit minus acris; vel calida, fieri cancrum non exulceratum: fi acrior euadat, produci
cancrum exulceratum; & fi efferuefcat, fieri carbunculum. Si autem materia fuerit *purulenta*; fit abfceffus:
Motus & quietis vitia. & cum omne pus fit calidum, abfceffus eft tumor, qui habet coniunctum morbum calidum. Si vitiũ per-
pendatur fecundum *vbi*: quoad quietem, femper materia præter naturam quiefcit. Quoad motum, hoc
vitium locum habet in tumore, quando materia generatur extra ventriculum: quod vitium defideratur in
tumore flatulento, fi flatus generetur in ventriculo: defideratur etiam in tumore pituitofo, fi pituita ge-
neretur in ventriculo: præterea & in abfceffu hoc vitium defideratur, fi pus generetur in ventriculo: ete-
nim fi pus gignatur extra ventriculum, & fluat in ventriculum, abfceffus non producitur, fed alia mala o- F
riuntur. Et propterea cum motus fit perpendendus in tumore, qui producitur a materia, quæ extra ven-
triculum generatur: in motu cum fint quatuor, mobile, terminus a quo, fpatium per quod, & terminus ad
quem. Quoad mobile, patet quod nam fit, ex iis quæ de fpecie diximus. Terminus a quo, poteft effe modo
totum corpus, modo pars. Totum, fi materia in toto corpore colligatur, fiue fit fanguis, fiue alius humor.
Poteft effe pars. v. g. iecur, ratione fanguinis & bilis, & fi fuerit melancholia, lien, iecur, fi pituita, cerebrum.
Siue autem fit totum fiue pars corporis, vtrumque concurrit in ratione termini a quo, vt ventriculum fu-
peret, penes tranfmiffionem, & terminus a quo fuperetur a ventriculo, penes attractionem. Spatium per
quod, funt vafa, & potiff. venæ. Terminus ad quem, eft ventriculus, vt vel attrahit, vel fufcipit. Attrahit vi
caloris vel doloris: fufcipit ob intemperiem vel frigidam, vel humidam, vel frigidam & humidam, fufcipit G
etiam ob raritatem: vt ventriculus ob mollitiem & raritatem facile fufcipiat: vbi notandum, raritatem ef-
fe vitium natiuum, intemperiem effe vitium tum natiuum, tum affcititium. Hæc de vitio fpeciei.

3. Cauffa generans materiam tumoris.

Cauffa generans materiam morbificam, dirigitur ad flatum, fanguinem, bilem, pituitam, melan-
cholíam, & pus. Quoad *flatum*, cum Aetio, Paullo, Auicenna, cum flatus pro fui generatione requirat ma-
teriam e qua, & agens, vitium attinere poteft, modo ad agens, modo ad materiam e qua, modo ad vtrum-
1. que. Ad agens, dum ventriculi caliditas fpectat vel ad calidum innatum imbecillum, vel ad intemperiem
ventri-

A ventriculi:vt quamuis cibus non offeratur flatulentus,tamen ob imbecillitatem caliditatis ventriculi,ver-
tatur in flatum. Attinet autem vitium ad materiam,dum ventriculus repletur vel humore pituitoſo, vel
ſimilib. cibis,id eſt, vt ait Auicenn.ſi cibus ſit, in quo viget humiditas extranea:etenim,dum etiam eſt ca-
lidus ventriculus, non poteſt extraneam illam humiditatem reſoluere, & propterea in flatum mutatur.
Vnde ſi ventriculus ſit refertus materia flatulenta;ſi in hanc agat frigidus ventriculus, cum Paullo & Ae-
tio ita agit,vt nullum vaporem efficiat,ob imbecillitatem; nam frigidus ventriculus nec poteſt attenuare,
nec conſumere, nec cibum diſſoluere. Si autem in materiam flatulentam agat ventriculus non frigidus,
ſed vehementer calidus:generatur flatus nebuloſus, verum in pauca quantitate,vt per vnum vel alterum
auctum euacuetur. Quare flatus generatur e materia flatulenta, ab inſigni caliditate: at non eſt ita copio-
ſus,vt poſſit eſſe in cauſſa tumoris.Ceterum cum Auic. inflatio fieri etiam poteſt a materia melancholica:
B ſed tunc eſt tumor flatulentus coniunctus cum ſiccitate. Pertinet denique vitium ſimul ad agens, & ad
materiam e qua:dum calor eſt debilis,&materia eſt flatulenta.Quoad *materiam ſanguineam*;cum eſſe poſ- 2.
ſit,vel ſanguis, vel ichor ſanguinis:quoad ſanguinem; patet, copioſum ſanguinem generari ex alimento
bono,& copioſi ſucci,a iecore calido & humido. Quoad ichorem; huius materia e qua,eſt ſanguis:agens,
calor intenſior partis,in qua reperitur ſanguis. Et ob id ſcribit Galenus cap.2. l. de tum.præter natur. ſa-
niem tenuiorem ſanguinis,id eſt,ichorem ſanguinis,in inflammatione, generari e ſanguine vi caliditatis
inflammatoriæ, & proinde intenſæ. Quoad *bilem*; patet eam generari e cibis bilioſis,ab hepate calido & 3.
& ſicco. Quoad *pituitam*; & primum non ſalſam;hæc generatur e materia frigida & humida,id eſt,e por- 4.
tione cibi frigida & humida;a frigido ventriculo,atque etiam a cerebro. At ſi pituita ſit ſalſa,cum ſit cali-
da;ſciendum,quod generetur ab agente tum putredinali, tum non putredinali. Et ob id ſciendum cum
C Philoſopho,cauſſam immediatam ſalſedinis eſſe vaporem calidum exuſtum, miſtum cum materia aquea.
Hic vapor calidus neceſſario generatur a cauſſa calefaciente:at cauſſa hæc eſt putredinalis,dum verbi gra-
tia,pituita ob putredinem fit ſalſa:namque calor putrefaciens,agens in pituitam, producit vaporem exu-
ſtum; qui vt permiſcetur cum portione aquea, eſt in cauſſa ſalſedinis. Calor autem eſt non putredinalis,
veluti cum pituita fit ſalſa, ob miſtionem ſalſæ ſeroſæ humiditatis, quæ ſeroſa humiditas reddita eſt ſalſa,
quia a calore inſigni,portio ſeroſæ humiditatis eſt conuerſa in vaporem exuſtum, qui miſtus cum aquoſa
humiditate hanc ſalſam reddit:vt ſi deinde hæc humiditas ſeroſa ſalſa,miſceatur cum pituita non ſalſa,pi-
tuita hæc euadit ſalſa:veluti,ſi miſceatur aqua ſalita, cum iure dulci,ius euadit ſalſum. Quoad *melancho-* 5.
liam, ex alibi dictis patet generari a caliditate hepatis: quamuis atra bilis generetur a caliditate intenſiori. 6.
Quoad *materiam purulentam*;cum Galeno comm. vlt.li.1.prognoſt. huius generationis gratia ſupponere
D oportet,requiri materiam e qua,& agens.Materia e qua,eſt ſanguis,diſperſus per exiguas partes in loco in-
flammato: vt cum hic ſanguis ſit extra venas;non mutetur in ſubſtantiam partis: vnde eſt materia, e qua
generatur pus: quare eſt materia prorſus nec benigna, nec maligna. Agens eſt calor partis inflammatæ:&
eſt particeps gradus tum caloris naturalis tum caloris præter naturam: vt beneficio gradus naturalis, ſan-
guis coquatur;vi autem gradus caloris præter naturam, putreſcat: vt pus ſit quiddam miſtum,e ſanguine
partim concocto, partim putrefacto. Hinc pus optimum obtinet partes concoctas plurimas, putrefa-
ctas paucas: contra autem ſe habet, pus peſſimum: ſicuti mediocre pus, medio modo. Vnde cum por-
tio concocta ſit albicans, ad ſimilitudinem partis, ſit æqualis, ſit læuis; portio autem putrefacta ſit fœ-
tida: facile colligere licet,optimum pus eſſe candidum,æquale,læue, & minime fœtidum, ſeu exigui fœ-
toris,vt fiat ab ingenito calido,ſed non plane vincente, propter calorem putredinalem,& materiam non
E prorſus benignam.

Si tumor ventriculi perpendatur ſecundum formam:cum ſit magnitudo aucta,cum intemperie,læ- Differētiæ.
dens operationes;cum magnitudo aucta ſit morbus,lædens operationes: differentia eſt ſecundum Magis 1.
& Minus. At tumor,vt habet iunctam intemperiem,diuiſioni ſubiicitur:nam intemperies vel eſt Frigida,
vt in tumore flatulento;vel Calida & humida,vt in inflammatione; vel Calida & ſicca,vt in eryſipelate,in
cancro, in carbunculo; vel Frigida & humida,vt in œdemate; vel Frigida & ſicca, vt in ſcirrho; vel Cali-
da,vt in abſceſſu. Hi autem tumores ita ſe habent, vt detineant ventriculum vel ſecundum Totum, vel II.
ſecundum Partem: & ſi ſecundum partem,vel Internam, vel Externam; Dextram vel Siniſtram; Super-
nam,vel Infernam;Poſteriorem,vel Anteriorem. Tandem ita ſe habet hic tumor, vt ratione efficientis III.
ſecundum ſpeciem fiat,vel a Vapore,vel a Minera.Si a minera,a materia vel Sanguinea, vel Bilioſa, vel Pi-
F tuitoſa,vel Melancholica, vel Purulenta. Et ratione vitii materiæ; dicendum, ratione ſubſtantiæ; mate-
riam vel eſſe Putridam,vel Non putridam.Ratione quantitatis,in copia Maiori,vel Minori.Ratione qua-
litatis primæ, materiam eſſe Calidam, vel Frigidam: & ſi calida fuerit,eſſe vel Calidam & humidam, vel
Calidam & ſiccam: & ſi fuerit frigida,eſſe vel Frigidam & humidam,vel Frigidam & ſiccam. Ratione ſe-
cundæ qualitatis, ſtatuendum, eſſe vel Craſſam vel Tenuem. Ratione qui[illegible]tis,dicendum,Magis vel Mi-
nus quieſcere.Ratione motus;vt mouetur a termino a quo; mouetur vel a Toto,vel a Parte:ratione ter-
mini ad quem;vt ventriculus vel Attrahit,vel Suſcipit. Et poſtremo,ratione cauſſæ generantis,dicendum;
vt materia morbifica eſt varia, ita diuerſam eſſe cauſſam generantem, prout vitium dependet e Parte vel
Materiæ,vel Agentis,vel Vtriuſque.

Facilime ſenſus tenſionis manifeſtat ventriculi tumorem in genere: quamuis vix percipiatur in œ- Signa.
G demate.Verum cum tumor poſſit eſſe modo maior,modo minor: cognoſcetis, e vehementia & remiſſio- 1. Differentiarum a forma.
ne ſymptomatum.V.g.ſi remiſſa ſint ſymptomata,tumor indicatur paruus.Vtrum aūt cum magnitudine
morboſa ſit coniunctus morbus vel calidus,vel frigidus, vel etiam alius morbus: cognoſcitur potiſſimum
e cognitione differentiarum,quæ capiuntur a cauſſa efficiente:verbi gratia,dum cognoſcimus tumorem
fieri a ſanguine;patet etiam cum magnitudine coniunctum eſſe morbum calidum & humidum.

2. Differentiarum a subiecto.

Verum si afficiatur totus ventriculus; sensus vel dolorificus, vel grauitatis, cruciabit secundum o- A
mnes partes: vt quomodocunq; decumbat æger, noxam percipiat. At si tumor fuerit in parte, & quidem
interna; cognoscitur e dolore, si asperior euadet, dum cibus ingeritur, & dum cib. concoquitur. Ratio est:
quia dum cibus assumitur, per fibras rectas attrahitur, vt eo tempore tunica interna agitetur: cũ ergo do-
lor per quietem mitescat, per motum exacerbetur; & cum laboret tunica interna ventriculi in descensu
cibi; ideo hoc tempore dolor intenditur. Et similiter dum cibus concoquitur, cum cibus internam tuni-
cam tangat, sua copia, & quandoq; etiam qualitate est in caussa, vt tumor validius soluat continuũ. Si au-
tem afficiatur ventriculus secundum partem externam; cognoscitur, si post cibi concoctionem dolor au-
getur; & ratio est; quia post cibi concoctionem cibus ventriculum egreditur, vnde descendit in intestina,
in mesenteriũ, vt in his partibus aliquantisper cibus concoctus detineatur: vnde dum cibus egreditur vẽ-
triculum, cum expellatur per fibras transuersas, quæ sunt insertæ in tunica externa; dolor in hoc egressu B
augetur: dum autem cibus in intestinis detinetur, & in mesenterio, similiter intenditur dolor, quia cibus
ventriculum secundum tunicam externam comprimit: sed præterea & vapor, si acris sit, si post cibum cõ-
coctum petat ventriculum; est etiam in caussa, vt dolor augeatur. Si autem tumor occupet ventriculum
secundum partem dextram, vel sinistram: cognoscitur facilime e sede doloris Similiter, si afficiatur vẽtri-
culus, secundum partem infernam vel supernam. Et, cæteris paribus, si tumor est in parte superna, dolor
est acerbior: quia pars superior, est exquisitioris sensus. Præterea cum affici possit ventriculus, secundum
partem anteriorem, vel posteriorem; tumorem esse in parte anteriore, tactu deprehendi potest, vt signis
non sit opus: si tumor sit in parte posteriori; si malum in posteriori parte pertineat potius ad externam tu-
nicam, cognoscitur, quia æger peius habet, dum supinus decumbit: si autem tumor in parte posteriori C
spectet potius ad internas partes, cognoscitur quia æger peius habet, dum pronus decumbit, quia mole-
stior est ille decubitus, per quam pars affecta magis comprimitur.

3. Differentiarum a causs. effic. Speciei signa.

Quoad differentias, quæ sumuntur a caussa efficiente: oportet cognoscere caussæ morficæ speciem,
vitium & caussam generantem. Quoad speciem, cum sit materia flatulenta, sanguinea, biliosa, pituitosa,
melancholica, & purulenta: Flatulenta indicatur e dolore extensiuo, citra sensum grauitatis; & prætercã
tangenti apparet ventriculus instar tympani; ventriculus item calidus ad tactum non deprehenditur; nec
febris necessario subsequitur; adhæc iuuant, quæ discutiunt flatus; & caussæ sunt prægressæ, a quibus pos-
sunt flatus generari. Vtrum autem materia sit, vel sanguinea, vel biliosa, vel pituitosa, vel melancholica:
cognoscitur e signis, de quibus diximus in sermone de intemperie ventriculi cum materia. Sequuntur si-
gna indicantia materiam purulentam, vt sunt prægressa inflammatio, in qua, cum symptomata remitti D

Vitii signa.

deberent, intenduntur potius; quoniam scilicet sanguis non resoluitur, sed mutatur in pus; in puris autem
generatione dolores & febres, & proinde symptomata augentur. Quoad vitii cognitionem: & primum
vitii in substantia: Si materia, verbi gratia, est putrida; indicatur e febre, & reliquis signis, indicantibus vi-
tium quod est in caliditate, de quibus suo loco. Si vitium sit in quanto; prout maius est vel minus vitium,
ita indicatur e vehementia & remissione symptomatum: vt euidens sit, quo vehementiora sunt sympto-
mata, eo materiam magis in quanto peccare. Quoad vitium in qualitate; & primum, cum possit esse ma-
teria calida vel frigida, tenuis, vel crassa: quoad materiam caliditate peccantem cum Auicenna hæc cogno-
scitur ex insigni dolore: vbi enim insignis est caliditas, cum violentia soluitur vnitas: indicatur etiam ex
inappetentia, ex siti; & in præsentia supponatis caussam & inappetentiæ & sitis, nam de his in propriis ca-
pitibus agemus: præterea indicatur materia calida e sensu caliditatis secundum regionem ventriculi: insu- E
per e febre. Verum, cum dentur gradus in caliditate: caliditas minus intensa indicabitur e symptomatis
mitioribus; intensior contra ex intensioribus: vt, cum mitior sit caliditas in sanguine, intensior in ichore
sanguinis, intensior in biliosa materia, adhuc intensior & contumacior in atra bile, & intensissima sit cali-
ditas in atra bile efferuescente; ex his qui prudens medicus erit, cognoscet, & inflammationem, & reliquos
tumores calidos. Si enim sit inflammatio; mitior est caliditas, quam in reliquis tumoribus calidis. Cogno-
scitur etiam materia calida peccans e febre. Et quia ratione materiæ calidæ in consensum sæpe ducitur ce-
rebrum; cognoscitur e delirio. Quoad salsam pituitam; hæc non attingit bilis, vel atræ bilis caliditatis gra-
dum, quia non est ita calida salsa pituita: vnde fit, vt symptomata eius sint mitiora. Materia frigida, indica-
tur ex appetentia, e carentia sitis: præterea e sensu frigiditatis secundum regionem ventriculi: ex absen-
tia febris: & e prægressis caussis, quæ possunt materias frigidas generare. Vtrum autem materia sit tenuis F
vel crassa; hæc vitia potissimum perpenduntur gratia pituitæ: siquidem pituita esse potest tum tenuis, tum
crassa: nam sanguis mediocritatem seruat; ichor & biliosa materia, sunt materiæ tenues: melancholia est
materia crassa. Itaque pituita, cum possit esse modo tenuis, modo crassa: tenuis indicabitur e mollitie
secundum ventriculum: crassa cognoscetur e duritie: & hinc cognoscere licet, an sit vel œdema, vel scir-
rhus; cum œdema fiat a materia tenui, scirrhus a materia crassa. Quoad vitium secundum motum: &
primum, ratione termini a quo; cum esse possit vel totum, vel pars: totum cognoscitur ex aliqua cohi-
bita euacuatione, ope cuius totum prius euacuabatur, verbi gratia, si aliquis sit consuetus vacuare san-
guinem per nares, & supprimatur hæc vacuatio, & subsequatur inflammatio: statuendum est moueri a
toto. Pars autem in ratione termini a quo, indicabitur e signis indicantibus huius vel illius partis vi-
tium, verbi gratia, si tumor oriatur post capitis grauitatem, post suppressam capitis vacuationem, vel G

Signa caussæ generantis.

per os, vel per nares; iudicandum est, terminum a quo esse cerebrum: & sic de reliquis. Quoad caussam
generantem: cum caussa concurrens ad generationem; sit materia e qua, & sit agens: Si vitium attineat
ad materiam e qua; indicabitur e victu præcedenti: verbi gratia, e cibis prægressis flatulentis, indicatur
tumorem flatulentum generari a materia e qua. Si vitium pertineat ad agens; cognoscitur a mala disposi-
tione alicuius partis: verbi gratia, si ventriculi tumor sequatur frigiditatem & humiditatem cerebri, fa-
cile po-

A cile poteritis iudicare, vitium non pertinere ad materiam e qua, sed ad agens, id est, ad intemperiem frigidam & humidam cerebri. Quod si contingat vt fiat tumor, postea quam prægressus est victus malus, & sint signa imbecillitatis alicuius partis; dubio procul statuendum, vitium attinere non modo ad materiam e qua, sed etiam ad agens. Et quod dictum est de cerebro, deque ventriculo; dicendum est de qualibet alia parte: verbi gratia, si sint signa calidioris iecinoris, & sit, v. g. erysipelas; facile iudicare poteritis, caussam generantem attinere ad iecur, ad hoc determinatum agens. Quod si patiens, præter iecoris caliditatem sit vsus cibis biliosis; etiam leui negotio cognoscetis, vitium ratione generantis, pertinere ad vtrumque.

Præsidia non sumuntur a forma, quatenus hæc constituitur in magnitudine aucta, quæ non indicat vtile: Sed intemperies indicat per contrarium alterans. Quoad subiectum: cum sit ventriculus; quid indi- B cet, & quid requirat, proposuimus in sermone de intemperie ventriculi. Materia autem morbifica indicat. Si enim perpendatur species, nihil aliud indicat, quam remedium determinatum: verbi gratia, si materia sit sanguis, & ratione quantitatis opus sit euacuare, ratione caliditatis, refrigerare; habetis remedium vacuans, remedium refrigerans: sed neutrum est determinatum: euadit autem determinatum ratione speciei; quia ratione sanguinis, remedium vacuans determinatur ad sanguinem; refrigerans determinatur ad sanguinem. Quoad materiæ morbificæ vitium; si ad substantiam spectet; indicat eradicans: huiusmodi est materia flatulenta, putrida, & purulenta. Si vitium in quantitate; oritur indicatio minuendi. Modi autem minutionis plures esse possunt: fit enim minutio sensibiliter, vel insensibiliter. Insensibilis minutio fit per modum repercussionis, resolutionis, vel exsiccationis; quemadmodum locum habet in œdemate, teste Galeno capite tertio, libro secundo ad Glauc. Si vitium pertineat ad qualitatem; hoc vitium C perpendendum est secundum qualitatem primam, vel secundam. Quoad qualitatem primam; oportet per contrarium alterare: verbi gratia, in tumore a flatu, oportet calefacere: in inflammatione refrigerare: in œdemate ac scirrho calefacere. Quoad secundam qualitatem; materia crassa attenuanda, tenuis, si fluxa est, non debet incrassari. Quæri autem potest, quid statuendum sit de duritie, & indicationibus ratione scirrhi? Sciendum igitur cum Galeno capite quarto, libro 5. simpl. cum tumor durus fiat a materia dura, propterea indicari præsidium emolliens: at cum hoc præsidium emolliens sit nimis genericum; ideo subdit Galenus, cum vna non sit induratorum essentia, sed triplex, ob id non vnicam esse medelam. Cum autem induratorum triplex natura in eo posita sit, quod materia morbifica peccat copia, frigiditate, & siccitate: ideo oportet caussa tumoris duri euacuare, calefacere, humectare: vt hæc sint præsidia emollientia. Quamuis Galenus dicat loc. citat. a medicis proprie vocari præsidium emolliens, quod dirigitur ad duri- D tiem, quæ fit a frigiditate: &, si fiat durities a siccitate, nuncupari humectans: si a copia, vacuans; non autem emolliens. Sed de nominibus nihil erimus solliciti. Ad rem. In scirrho ratione materiæ duræ, oportet emollire; quare euacuare, calefacere, humectare. Quoad vitium, attinens ad vbi: hoc pertinet ad quietem, & motum. Ratione quietis, nihil ex vsu indicari potest. Quoad motum; indicatur remedium retrahens ad partes alias, a ventriculo. Quoad caussam generantem: variæ sunt hauriendæ indicationes, vt varia esse potest caussa generans: verbi gratia si caussa generans sit immoderata iecoris caliditas; oritur indicatio refrigerandi, &c.

Ceterum quædam monebimus circa caussam generantem purulentam materiam in abscessibus. Hæc ergo postulat præsidium in inflammatione, si metuitur ne hæc degeneret in abscessum: nam si fiat in- E flammatio, quæ citra abscessum possit terminari; non est cogitandum de præsidio respiciente caussam generantem pus. Si igitur inflammatio in pus & in abscessum mutetur: studendum est vnice vt sanguis in bonum pus mutetur. Licet enim suppuratio non sit vera concoctio; propterea quod pus etiam optimum nec indiuiduum, nec speciem seruat: est tamen puris generatio maturitas quædam putrescentis sanguinis, & hinc quoque concoctio, sed metaphorica; in qua portio benigna requiritur sanguinis, quantum fieri potest, & requiritur etiam calor naturalis. Cum igitur expediat, vt pus generetur, sed bonum, quantum fieri potest: iccirco ad duo respicere oportet: nimirum ad sanguinem, vt habet rationem materiæ e qua; & ad calorem naturalem, vt habet rationem agentis. Quoad sanguinem, cum a benignitate recedat, vt putrescit; & quanto magis putrescit, tanto magis recedat a naturali statu: iccirco ne putrescat, oritur indicatio refrigerandi & siccandi: cum putredo vigeat, vi caliditatis & humiditatis. Ceterum cum sanguis putrescens quandoque ad frigidum vergere possit; ideo oritur indicatio calefaciendi. Si contingat, vt sit cras- F sior; oritur indicatio attenuandi: si tenuior; incrassandi, vt bonum generetur pus. Quoad agens: cum sit calor naturalis, qui turbatur & offenditur in suppuratione a calore extraneo: ideo in puris generatione indicationes sunt capiendæ, a calore tum extraneo, tum naturali. Vnde ratione caloris extranei, oritur indicatio refrigerandi: ratione autem caloris naturalis, hic seruandus est, secundum substantiam, seu quantitatem & qualitatem. Et cum caloris naturalis substantia sit vaporosa, qualitas sit caliditas: ratione substantiæ indicatur præsidium vaporosum; ratione caliditatis indicatur præsidium calidum, in eodem caliditatis gradu, in quo est pars, in qua debet fieri suppuratio. Et quia hæc dicta sunt magni momenti; non fuerit præter rationem, vtrumque dictum probare Galeni testimonio. Et primum, quoad præsidium vaporosum; hoc insinuauit Galenus c. 4. l. 5. simpl. (*vbi mirari subit, quomodo hæc Galeni loca intelligant, qui statuunt non esse differentiam inter calidum insitum, & temperiem.* Galenus ait, cataplasma e triticea farina G confectum in natura temperata calorem non alterare, sed tantum in substantiam agere: vnde ca. 5. subdit, catellos, ventriculo impositos, calorem secundum substantiam & copiam augere, non secundum qualitatem: vt capite 7. concludat, medicamentum pus mouens, ad differentiam emollientis, quantitatem potius, quam qualitatem augere: & propterea medicamentum pus mouens, quantitate potius quam qualitate agere. Et fundamentum est: nam calidum innatum secundum substantiam assiduo dissipatur; per-

Indicationes. I. II. III.

Indicatio a specie.

Indicationes a vitio.

Indicationes a caussa generante.

De præsidio ad abscessum: & vnde Suppurantia indicentur.

manet autem idem caliditatis gradus, nisi aliquod extrinsecus occurrat: vnde pus mouens, cum sit calidũ in eodem gradu, in quo est calor; caloris qualitas non mutatur: & cum idem seruetur caliditatis gradus; calor naturalis secundum qualitatem non patitur. Hinc medicamentum pus mouens, quamuis tenuitate sua calefaciat; non dicitur tamen agere, quia non mutat caliditatem caloris naturalis, sed eam seruat. Verum cum pus mouens sit calidum & humidum, & proinde obtineat subsistentiam, quæ promte enaporat: ideo medicamentum suppurans habet substantiam vaporosam similem substantiæ calidi innati: vt propterea substantia calidi innati augeatur a vapore, seu a substantia vaporosa, prodeunte a suppurantib. Proinde cum calidum mutetur secundum substantiam, & augeatur beneficio suppurantium: secundum hanc rationem patitur calidum innatum secundum substantiam, id est, secundum quantitatem: ideoque sicuti calidum innatum secundum substantiam absumitur, ita operæ pretium est vt reparetur. Et, cum hęc sit vis medicamenti suppurantis, vt augeat caloris quantitatem, non qualitatem; iure Gal. dixit, suppurans agere non qualitate, sed quantitate. Ex his igitur colligi potest, satis differre suppuratorium ab emolliente. Sed Gal. c. 2. l. 5. simpl. ait, pus mouens esse calidum & humidum: & hac ratione fieri, vt corporis humiditas secundum substantiam consumatur, vt astrictione sit opus: & concludit Galenus, medicamenta suppurantia, nec substantiam absumere, nec augere. Propterea, cum e Galeno suppurantia modo augeant substantiam calidi innati, modo imminuant, modo nec augeant, nec imminuant: ideo vt intelligatis Gal. sciendum, humiditatem in corpore exsistentem bifariam considerari posse: altero modo, vt pertinet ad partes similares, siue sit humiditas rorida, siue sit humiditas apposita: deinde consideratur humiditas, vt pertinet non ad partes viuentes, sed ad calidum insitum: (*calidum insitum aliud est a temperamento: crasis enim pertinet ad partes similares, seu viuentes: calidum innatum est quid extra partes viuentes: ideoque calidum insitum obtinet humiditatem, quæ est alia ab humiditate partium viuentium.*) His cognitis, satisfacientes difficultati, dicimus: si primo modo sumatur humiditas, vt pertinet ad partes similares; hæc non augetur a suppurantibus: Si autem secundo modo sumatur humiditas, scilicet vt attinet ad calidum innatum; secundum hanc rationem pus mouens potest augere substantiam calidi innati: & ita est intelligendus Galenus capite quincto. Hæc solutio est Galeni capite quarto, libro quincto, simplic. vbi ait, pus mouens naturales partis humiditates, nec augere, nec minuere: sed augere naturalis caloris humiditatem, non partis. Hactenus igitur locuti sumus de præsidio vaporoso. Quoad præsidium calefaciens; indicatur hoc a calido insito: quod vt seruetur, suppurans postulat in eodem caliditatis gradu, in quo est calidum innatum: Hæc veritas confirmatur Galeni testimonio: ait enim capite secundo, libr. 5. simpl. pus mouens esse calidum & humidum, vt caliditatem producat similem corpori. Et addit capite quincto, pus mouens, obtinere crasin æqualem: vt vim habeat potius conseruandi, quam alterandi partes, in quibus fit suppuratio: vt in suppuratione augeatur humiditas, & calor conseruetur. Ceterum animaduertere oportet, non adesse materiam; quæ possit & substantiam augere, atque etiam calorem conseruare, nisi omnia assint, quæ adiumentum præstent: vt si verbi gratia sanguis, qui debet mutari in pus, iusto sit humidior, & caro sit contusa. Propterea in phlegmone, dum animus est pus generare; ratione sanguinis, si contingat vt sit vitiosus, per contrarium corrigendus, calor extraneus remittendus, & refrigerandus: opus etiam est augere substantiam caloris naturalis, & seruare temperiem. Sed dubitatio oritur: siquidem quispiam suspicari posset, nos fuisse diminutos. Nam Galenus capite 8. lib. 5. simpl. ait, medicamentum suppuratorium opus esse, vt sit emplasticum, viscidum: & rationem reddit, inquiens: cum pori nostri corporis debeant occludi, vt halituosus spiritus includatur; opus esse, vt pus mouens sit viscidum. Nihil autem nos de viscididate diximus? Respõsio facilis est: etenim verũ est, ad suppurationem celebrandum opus esse præsidio, donato caliditate simili, cum caliditate corporis, & vaporosa substantia, & præterea opus esse, vt sit emplasticum: Verum hoc præsidium ita se habet, vt ea ratione qua proponitur calidum, dirigatur in qualitatem caloris, id est, indicatur a qualitate caloris: vt vaporosum, dirigatur in substantiam caloris, id est, indicatur a substantia caloris. At viscidum, non dirigitur in calidum innatum: quia si dirigetur, doctrina nostra fuisset diminuta: dirigitur ergo in medicamentum pus mouens, quod est calidum, humidum, vaporosum; & propterea, vt est tenue, cum huius caussa vim habeat nocendi, eget correctione, & proinde mistione viscidi medicamenti: nisi contingat, vt medicamentum pus mouens sit etiam viscidum, quemadmodum est triticea farina: at si verbi gratia vsurpetur aqua dulcis; optimum est permiscere oleum, vt corrigatur aquæ tenuitas, & medicamentum fiat calidum, vaporosum, & emplasticum. Verum cum hæc doctrina pertineat ad methodum medicamentorum: ideo de præsidio hoc emplastico rationabiliter in sermone de indicationibus nihil a nobis dictum fuit.

Prognostica, in genere.

Tumor ventriculi est malum insignis momenti: nam necessario adest vehementia & essentiæ, & dignitatis. Essentiæ quidem adest vehementia; nam dum tumor lædit operationes, vt non habeat rationem symptomatis, sed morbi; dubio procul est magnus recessus a naturali statu: quare insignis vehementia essentiæ. Et præterea intenditur vehementia essentiæ; quoniam in ventriculi tumore, de quo loquimur, quæ sunt præter naturam, sunt plura: siquidem annexa est intemperies; est enim morbus in magnitudine aucta, cum intemperie. Dignitatis adest vehementia: nam afficitur ventriculus, qui ducere potest in consensum præcipua viscera: & cum Gal. c. 17. li. 11. meth. instar hepatis alimentum concoquit pro toto corpore: vt in tumore tum iecoris, tum ventriculi, opus sit tenuiori cibo, quam in aliis tumoribus. Vnde Galen. ca. 5. l. 10. meth. loquens de ventriculi inflammatione, ait: vitium esse mortiferum, his patientibus, qui imbecillas obtinent vires: nam inflammatio prohibet alimentum, quo tamen eget virtus debilis. Adhæc vehementia dignitatis intenditur, cum hoc vitium spectet ad intemperiem: quoniam cũ Gal. c. 12. l. 7. meth. etiam temperies dignitatem sibi vehementem vendicat. Concludendum ergo tumorem ventriculi non exigui esse momenti. Sed pro vi differentiarum periculum intenditur. Quoad differentias ratione formę,

cum

Prognoſtica differentiarum a forma.

A cum ſit magnitudo aucta cum intemperie: quoad vehementiam eſſentiæ, ratione magnitudinis auctæ, vt magnitudo eſt vel magis, vel minus aucta, ita intenditur & minuitur periculum. Ratione autem intemperiei; quid poſſit intemperies, diximus in ſerm. de intemperie ventriculi. Quoad vehementiam dignitatis; eſt ſumma vehementia, ſi afficiatur totus ventriculus: remiſſior vehemẽtia, ſi afficiatur ſecundum partem. Et quoad partem; eſt remiſſior dignitatis vehementia, ſi afficiatur ventriculus ſecundum partem externã. Quoad internam; remiſſior eſt vehementia dignitatis ſi afficiatur ventriculus ſecundum partem infer nã nam minus imminet vehementia facultatis. Quoad differentias quæ ſumuntur ab efficiente, primum varia eſt vis, pro varietate ſpeciei, pro diſcrimine vitii, pro diuerſitate cauſſæ generantis. Declaro, ſed poſthabita vehementia dignitatis; idem enim dicendum eſſet, quod modo eſt propoſitum. Quoad ſpeciem: cũ ſit flatus, ſanguis, bilis, pituita, melancholia, & pus: notandum, flatum magis recedere a naturali ſtatu quã

Prognoſt. differentiarum a ſubiecto.

Prognoſt. differentiarum a cauſſa efficiente.

Prognoſtica ſpeciei.

B recedat ſanguis; minus tamen periculoſum eſſe tumorem flatulentum, quam ſit tumor inflammatorius: ratio eſt; quia licet vehementia eſſentiæ ſit intenſior in flatu, quam in ſanguine, vt hæ materiæ ſecundum ſpeciem perpenduntur: tamen ſi inuicem conferantur penes vitia, cum ſanguinis vitium ſit vehementius vitio flatus, propterea ſtatuendum, tumorem flatulentum eſſe minus periculoſum. Quoad mineram; malum eſt mitius, ſi fiat a ſanguine, quam ſi fiat vel ab ichore ſanguinis, vel a bile, ſiue flaua, ſiue atra. Vt, ſi ſeruetur paritas, minoris diſcriminis ſit inflammatio, quam eryſipelas, cancer, carbunculus: nam horum tumorum materiæ magis recedunt, quam recedat ſanguis. Si autem materia ſit vel pituitoſa, vel melancholica; ſunt materiæ quæ ſecundum ſpeciem magis recedunt a natura, quam ſanguis: natura enim poſita eſt in calido & humido; qualis eſt ſanguis; pituita autem eſt frigida & humida; melancholia frigida & ſicca: interim tamen inflammatio eſt magis periculoſa œdemate & ſcirrho: nam ſanguis eſt maioris actiuitatis, vt

C immineat vehementia facultatis. Quare vehementia eſſentiæ, prodiens a materia ſpecifica, prout recedit a naturali ſtatu; & præterea vehementia facultatis, prodiens a cauſſa ſpecifica; ita ſe habent, vt neceſſarium ſit ſtatuere, maius eſſe diſcrimen, dum adeſt maior actiuitas: & hinc fit, œdema & ſcirrhum, cum pendeant a ſpecie magis recedente a naturali ſtatu, ſed exiguæ actiuitatis, tumores eſſe minus periculoſos, quamuis longiori tempore poſſint expugnari. Si inuicem conferantur pituita & melancholia, ſtatuendum eſt, melancholiam magis recedere a natura, nec minoris eſſe actiuitatis: & proinde ſcirrhum eſſe magis periculoſum œdemate. Tandem ſi materia ſit purulenta: huius vehementia, ſi dirigatur ad ſpeciem, eſt ſatis inſignis: ſiquidem pus etiam optimum eſt a toto genere præter naturam, & propterea minatur vehementiam facultatis: nec præter rationem, quoniam eſt malum, quod ſequitur inflammationem, vi cuius facultas reddita eſt debilis: & præterea non eſt materia purulenta exiguæ actiuitatis, cum producat vlcus. Quod ſi

Prognoſtica vitii.

D perpendatur materiæ vitium, & primo ſecundum ſubſtantiam: ſi materia ſit putrida, malum eſt magis periculoſum: nam magis recedit a natura: & propterea quo putredo eſt inſignior, eo etiam tumor eſt periculoſior. Iccirco recte ſtatui poteſt, inflammationem, eryſipelas, cancrum, carbunculum, abſceſſum eſſe vitia admodum periculoſa: atque prout hæc mala pendent a materia inſigniter putreſcente, fit etiam, vt magis hi tumores periculoſi euadant; quoniam vehementiæ inſigni eſſentiæ additur vehementia facultatis. Secundum quantitatem vitium quo maius eſt, ita etiam augetur periculum: vnde Galenus capite nono, lib. de tumor. præter naturam dicit; dum magna eſt inflammatio, imminere gangrænam, & hinc ſphacelum, & mortem: & ratio eſt; quoniam in gangræna membrum corrumpitur ſolum ſecundum partem, in ſphacelo ſecundum totum. Notandum autem oriri hæc incommoda, cum Galeno capite nono, libro ſecundo, ad Glaucon. propterea quod gangræna fit e magna inflammatione, & hinc e copioſo admodum

E ſanguine, vnde ſanguis ita abundat, vt arteriæ ex anguſtia loci non poſſint attolli: quo fit vt adimatur tranſpiratio: ademta autem tranſpiratione calor inſitus ſuffocatur, & materia inflammationis malignior euadit, hincque vis impertitur cordi, & ſequitur mors. Si prognoſticum capiatur a materia, vt peccat ſecundum qualitatem; primum, quoad caliditatem & frigiditatem, ſtatuendum eſt, vitium eſſe magis periculoſum ſecundum caliditatem, quam ſecundum frigiditatem: ratio eſt: nam vbi viget caliditas, eſt contrarietas inter indicationes; quæ contrarietas non adeſt, dum materia peccat frigiditate: & propterea dum viget caliditas, vehementia eſſentiæ eſt inſignior. Hoc confirmatur: nam dum materia caliditate peccat, reſoluentia materiam, vt calida caliditatem intendunt: in tumore autem frigido, reſoluentia, quatenus calida, frigiditatem remittunt. Et ſi inuicem conferantur tumores calidi; quo materia erit calidior, malum erit magis periculoſum: vnde eryſipelas eſt malum magis periculoſum, quam inflammatio; quoniam

F in eryſipelate caliditas eſt intenſior. Idem eſt ſtatuendum de materia frigida. Quoad materiam, vt eſt vel craſſa, vel tenuis; craſſa eſt periculoſior: vnde ſcirrhus eſt vitium periculoſius, quam œdema: & propterea carbunculus, cum producatur a materia & vehementer calida, & craſſa; ob id hominem citius interficit, quam cancer. Quoad vitium ſecundum quietem; ſicuti materia magis quieſcit, ita vitium eſt magis periculoſum: vnde flatus facilius ſuperatur, difficilius tumor œdematoſus, adhuc difficilius tumor ſcirrhoſus; quoniam in ſcirrho materia pertinaciſſime quieſcit. Quoad motum; pro varietate & termini a quo, & termini ad quem, varie prognoſticandum. Ergo, ſi moueatur materia a termino a quo principali, vt a cerebro, & eo ipſo vehementer affecto; & ventriculus in ratione termini ad quem, potius ſuſcipiat, quã attrahat; malũ erit periculoſius: ſi contra, minus periculoſum. Quoad cauſſam generantem; ſi vitium attineat ſolum ad materiam e qua; tumor facile ſuperari poteſt. Excipitur autem abſceſſus. Hac enim ra-

Prognoſtica cauſſa generantis.

G tione in tumore flatulento, ſi fiat e cibis flatulentis; in eryſipelate, ſi bilis fiat e cibis bilioſis; bona eſt ſalutis ſpes: at ſi in abſceſſu ſanguis ſit vehementer putrefactus; tunc, quamuis vitium ſit ſolum ratione materiæ, tamen vitium eſt periculoſum: quoniam e ſanguine vehementer putrefacto, generatur pus, quod peſſimum eſt: & propterea vehementia adeſt ſecundum eſſentiam. Quoad agens: cum ſit dyſcraſia partis, & præterea ſit etiam partis calor naturalis; dubio procul periculoſior eſt tumor, ſi intemperies eſt admo-

dum intensa, & calor naturalis imbecillis: siquidem adest admodum insignis vehementia essentiæ: contra A statuendum, si intemperies sit remissior; si calor naturalis minus imbecillis.

Euentus qualis & quādo spectandus.

Ratione euentus; quomodo futurus sit ad bonum, vel malum, diximus: vtrum autem cito vel tarde sit futurus; huius cognitio desumitur a materia, & intemperie. Quoad materiam; sicuti materia modo velocius, modo tardius mouetur; ita etiam indicat de euentu. Quare in tumore frigido tardus euentus, quoniam materia tarde mouetur: quemadmodum in œdemate, in scirrho, ad differentiam inflammationis, & erysipelatis. Quoad intemperiem; prout intemperies est maioris resistentiæ: ita est in caussa tardioris euentus: quemadmodum est intemperies in habitu, ad differentiam intemperiei in habitudine.

De Curatione. B

Cheirurgia. Sanguinis vacuatio.

QVOAD materiam cheirurgicam; hæc dirigi potest, vel ad Sanguinem, vel ad Alias materias. Si dirigatur ad sanguinem; patet probari venæ sectionem, hirudines, cucurbitulas: quotiescunque vitium est in sanguine. Quare cum in tumore calido vix fieri possit; vt non peccet sanguis: iccirco in tumoribus calidis, propositas materias vsurpabimus. Excipitur tumor calidus purulentus. Nam cum hic tumor purulentus, id est, abscessus, sequatur inflammationem; & rationi consonum sit, venam fuisse sectam, caussa inflammationis: & vires esse debiles: non præter rationem est desistendum a vacuantibus sanguinem in abscessu. Ceterum, quoad tumores frigidos, id est, inflammationem, œdema, & scirrhum: in his cum generetur chylus pituitosus, vi cuius fit, sanguinem potius deficere: propterea in tumoribus frigidis non est sanguis vacuandus. Hæc de cheirurgia, vt respicit sanguinem: vsus ex alibi propositis patet.

Aliorum humorum vacuatio. Pus vt educendum.

Quoad cheirurgiam, vt respicit alias materias a sanguine: materiæ hæ morbificæ vel fluunt, vel sunt Fluxæ. Si fluant; C probantur fonticuli, & potissimum in tumoribus frigidis. Si autem materiæ sint fluxæ; materia cheirurgica probatur in abscessu, & in tumore flatulento. Declaro: quoad abscessum, quandoque ad ferrum confugiendum: non tamen in omni abscessu. Vnde Galenus ait, cap. 5. lib. 13. method. Si pus notabile in suppurante particula sit contentum, non expedit, quod nonnulli faciunt, protinus incidere; sed digerentibus est procedendum. At si contingat puris copiam non posse superari a medicamentis, oportet secare: nam oportet pus egredi, quod digestioni non cedit. Dicit autem Galenus loc. cit. secandum esse, vbi pus notatur editissimum; nam ibi cutis est tenuissima: & probat Galenus sectionem non magnam, quæ myrti folia imitetur: in qua incisione, cum longitudo sit maior latitudine, obiter admonet Galenus in abscessu inguinum longitudinem per transuersum esse ducendam, non autem per membri rectitudinem. E quibus verbis colligendum: primum, cum pus vacuari possit, & insensibiliter, & sensibiliter; tutius esse insensibiliter euacuare: D Verum, si puris copia vrgeat, necessarium esse sensibiliter euacuare. Secundo colligendum; cum materia quæ euacuatur sensibiliter, sit tum medicamentis, tum materia cheirurgica sensibiliter vacuanda: quoad medicamenta, deinceps proponenda, hæc probantur, dum abscessus attinet ad partem internam. Quoad ferrum; ad hoc confugiendum, dum abscessus extra vergit: incisioque vtilis est eo loci, vbi pus est magis imminens; ibi enim tenuior cutis est. His verbis Galenus respicit ad *vbi agendum*, ratione ferri: nam cum vbi agendum indicetur a subsistentia secundum regionem ventriculi; quemadmodum sectio ratione materiæ morbificæ opportunior est in regione attinente ad ventriculum; expedit tamen caussa virtutis, non indifferenter secare, sed incidere partem, cuius sectionem melius sustinet virtus: hæc autem pars est tenuior quam cognoscimus ex eminentia puris. Præterea notandum, cum Galenus dixit, probari sectionem ad similitudinem foliorum myrti: proponere Galenum sectionis *modum*, E qui est extra methodum medendi & attinet ad doctrinam materiæ cheirurgicæ. Et ideo extra methodum medendi datur non tantum methodus medicamentorum, & alimentorum, sed etiam materiæ cheirurgicæ.

Flatuum vacuatio.

Ratione flatulenti tumoris; si dolor vrgeat, (cap. 6. lib. 2. ad Glauc.) magna cucurbitula, cum copiosa flamma applicanda, vbi est flatus.

Pharmaceia: ad materiam tumoris.

Non loquar de communibus medicamentis: de his enim dixi in cephalalgia, & dyscrasia ventriculi: & quæ desiderantur, proponentur in doctrina de febribus. In præsentia autem oportet respicere ad medicamenta, quæ diriguntur ad materiam tumoris. Et in genere ratione cuiusque materiæ debent esse medicamenta euacuantia: caussa abscessus etiam pus mouentia. Et præterea si perpendamus medicamenta caussa abscessus; sunt vacuantia insensibiliter: dum materiam vel intro pellunt, vel foras euacuant, vel F siccando absumunt. De his ergo dicendum: vt constet in quibus tumoribus hæc medicamenta sint vsurpanda; & quæ magis in vno, quam in alio.

1. Reprimentia.

Reprimentia dimittenda sunt in tumore flatulento, in œdemate, in scirrho, in abscessu: nam horum tumorum materiæ, reprimentibus non cedunt, sed vi reprimentium magis contumaces euadunt. Probantur autem in inflammatione, in erysipelate, cancro, carbunculo. Verum in tumore calidiore reprimentia sint magis efficacia.

Cautio, de reprimentib. vitriolatis & acribus.

Atque in omni tumore notandum, e cap. 20. lib. 13. method. dum medicamenta exhibentur, *abstinendum esse a chalcantho, misy, sory, &c.* quibus vis corrumpens est mista. Exhibet autem hæc Galenus capite sexto, libro 5. method. nam in sputo sanguinis ex erosione probat pastillos Andronios, qui conficiuntur e chalcantho. Sciendum chalcanthum, & alia id genus medicamenta, bifariam accipi posse: vel vt adstringunt, vel vt siccant. Si capiantur ea ratione, qua adstringunt, & habent vim reprimendi; non sunt medicamenta hæc e chalcantho exhibenda: G ratio est, quia non caremus medicamentis aliis, quæ sunt amica naturæ, quæ reprimere & ipsa valeant ad similitudinem chalcanthi: verbi graria, balaustium, hypocistis, quæ non minus astringunt, quam chalcanthum, & propterea non debemus vti chalcantho, cum alia sint medicamenta tutiora, æque adstringentia. Si sumantur vitriolata, vt habent vim siccandi: his medicamentis quandoque vti cogimur; dum scilicet celerrime est exsiccandum, quemadmodum in profusione sanguinis, e materia erodente: nam si

ilico

A ilico occurramus, nisi quamprimum materia illa abradens absumatur & exsiccetur, nulla relinquitur salutis spes: & potissimum medicamento e chalcantho vti cogimur; quoniam desiderantur alia medicamẽta amica, quæ ita siccent, quemadmodum pastilli e chalcantho confecti. Sed ad rem redeamus: cum in tumore ventriculi opus sit vti reprimentibus, modo intensioribus, modo remissioribus, vt tumoris materia, est vel magis, vel minus calida: primum, si tumoris materia ab insigni feruore recedat, id est, si non sit admodum calida, probatur medicamentum confectum *e mentha, mastiche, absinthio, & miua cydoniorũ simplici.* Si calidior sit materia; probatur medicamentum confectum *e rosis, santalis, e caphura, e cydoniis, e myrto, granatis, & succo immaturo vel limonis, vel citri, atque omphacio.* Quoad rectam horum medicamentorum administrationem; inprimis quoad *quantum agendum:* cum reprimentia possint esse vel minus, B vel magis frigida; præterea possint administrari & intus, & extra: quoad minus frigida, & quæ potius assumuntur, seu intus administrantur, hoc præscribi potest: ℞ *pulueris menthæ, mastiches, absinthii pontici ana ℈ xv. cum miua cydoniorum simplici, fiant pilulæ, N.v. & omnes exhibeantur.* Si autem medicamentum est applicandum, hoc modo præscribetur: ℞. *olei rosat. completi, mastichini, de absinthio ana ℥ß. pulueris mastichis, nucum cupressi, specierum diarhod. Abb. ℈ vij. ceræ lotæ in vino tenui ℥ ij. Misce, fiat linimentum, Animaduertetis in hoc medicamento reprimente imponi ceram, lotam, non vino crasso, sed tenui, vt sit vehiculum reprimentium.* Quoad reprimentia frigidiora, & primum si exhibeantur: ℞. *pulueris rosarum rub. corallorum rubrorum, santalorum rub. ana ℈ß. caphuræ ℈ v. cum omphacio, vel vino granatorum, vel succo cydoniorum, fiant pilulæ, N.v.* Si autem medicamentum est applicandum: ℞. *carnis cydoniorum, sub cineribus decoctæ, carnis pirorum immaturorum similiter decoctæ ana ℥ß. succi passularum immaturarum ßiij. granati integri & contusi ℥ ij. pulueris rosf. rub. santalorum, corticis cucurbitæ, portulacæ ana ℈. vij. olei* C *cydoniorum, myrtini ana ℥ vj. olei mastichini ℥ß. farinæ hordeaceæ ℥ j. fiat emplastrum.* Quoad *modum;* in tumore calidiori, reprimentia actu frigida, sed moderate, exhibeantur & moderate calida admoueantur. In tumore autem minus calido, actu calida sunt vsurpanda reprimentia; at minus calida sunt exhibenda, magis actu calida dum applicantur. Ratio est: quoniam tumoris materia calidior, valentius fluit & mouetur, ideoque ægrius cedit reprimentibus; vnde quæ actu frigida sunt, cum efficacius reprimant, in calidiori materia potissimum probantur. Verum actu frigida vehementer, prohibet calor ventriculi; siquidem ventriculi calor similia postulat: & multo magis actu frigida, prohibentur, a partis externæ calore; nam hic est imbecillior calore ventriculi: accedit, medicamenta quæ applicantur actu frigida, vim suam reprimentem non posse communicare materiæ lædenti ventriculum, quemadmodum efficere possunt, D quæ exhibentur intro: & ob id reprimentia actu frigida possunt exhiberi, non debent autem applicari. Quoad *quando angendum:* reprimentia administranda, dum materia morbifica reprimenda præsens, vincit alia indicantia; quare sunt administranda; & post totius euacuationem, & dum materia fluit, vel iamiam est fluxa, & nondum est impacta. Et ob id reprimentia probantur in principio & augmento; & valentiora in principio: non probantur in statu, neque in declinatione; nam impacta materia reprimentibus non cedit. Nec improbandi sunt medici, qui & in statu, & in declinatione vtuntur oleo mastichino, vel de absinthio: nam hi prudentes medici his medicamentis non vtuntur tanquam reprimentibus, sed gratia caloris naturalis, ne dissoluatur: ideoque hæc astringentia miscent, ad corrigendum resoluentia.

Quoad *Resoluentia*, e c.4.l.2. ad Glauc. sunt duplicia; nimirum vel debilia, & vocantur Emollientia: 2. Emollientia, seu resoluentia imbecilliora.
E vel validiora, & nomine generis dicuntur Resoluentia. Quoad emollientia, de his dicit Galenus; emollientia vocari, quæ calorem habent tepidum, non vehementem, & humiditatem nec multam, nec omnino minimam: etenim, vbi minima est humiditas, medicamenta plus quam oportet siccant; vbi autem copiosior est humiditas, medicamenta nihil omnino resoluunt. Emollientia igitur habent vim resoluendi: dicant alii quicquid velint. Et Galenus capite secundo, libro quincto simp. ait, emollientia esse calida & humida; ea ratione, vt sint calidiora pus mouentibus, & ob id intensiorem accendant caliditatem, quam sit in corpore patiente, vt resoluant, hincque resolutio fiat vi caliditatis, cui humiditas non suffragatur, quoniam humiditas est admodum exigua; sed nec humiditas refragatur, quoniam admodum copiosa non est. Quare emollientia, cum vim obtineant resoluentem, & dum fit resolutio, fiat exsiccatio: rationabiliter Galenus capite sexto, libro quincto simp. statuit emollientia calefacere & exsiccare: calefaciunt quidem, F nam sunt calidiora corpore patiente: siccant quoniam vi caliditatis, insensibiliter per halitum digerunt. Quanquam autem emollientia, & pus mouentia excedunt caliditate, & calidiora sunt corpore patiente, tamen non sunt magnopere calida: & hinc capite sexto, libro 5. simpl. & capite quarto, libro 2. ad Glauc. Galenus ait; emollientia præter id, quod sensim per halitum digerunt, materiam concretam, seu congelatam fundere; vt materia quid simile patiatur, illis, quæ sub Sole funduntur. Et propterea cum emollientia nonnihil sint calidiora passo, & præterea aliquantisper humida; fit vt hæc medicamenta prorsus aduersentur, duritiei: nam, cum durities fiat a concretione, a repletione, & a siccitate; & hæc omnia concurrant in scirrho: medicamenta emollientia, per calorem occurrunt concretioni: per calorem intensiorem caliditate corporis, occurrunt repletioni, vt insensibiliter minuantur: & tandem emollientia, quatenus humiditatem continent, occurrunt siccitati: & propterea materia morbifica siccior, sicuti ope humiditatis G attemperatur, ita a caliditate promtius funditur & digeritur. Cum ergo hæc sit emollientium natura; iure Galenus cap. 4. lib. 2. ad Glauc. pro exemplo proponit *medullas, adipes, & capite 7. libr. 5. simp. proponit bdellium, styracem galbanum, ammoniacum, sed probatur etiam malua, althæa, & hæc simplicia secundum radices, secundum folia, flores, & mucilaginem: addatis passulas dulces (non acerbas) fœnumgræcum, melilotum.* Materia remollientiũ.
Inter composita, *emplastrum de meliloto, diachylon simplex, diachylon cum gummis.* Vnde pro iunioribus si medicamenta exhibeantur: ℞. *ammoniaci ℥ß. cum mucilagine althææ, fiant pil. iij. quibus deuoratis, exhi-* Vsus emollientium.

A *[illegible] ℥ j. passularum, cum decocto rad. althaeae ad ℥ j.* Acceptis pilulis pro emollitione: hoc ilico medicamentum exhibeatur: *℞. caricas N. iij. passularum dulc. ℥ j. rad. alth. ℥ ij. aquae communis ℔ j. fiat decoctio ad consumtionem vnius tertiae. ℞. praedictae decoctionis ℥ ij. fiat potio.* Si autem extra sint applicanda emollientia: *℞. medullae vitulinae, adipis anserini, ana ℥ ß. ammoniaci, bdellii, ana ℥ j. mucilaginis althaeae, seminum lini, ana ℥ ij. olei amygd. dulc. ℥ j. & pro relaxantium correctione mastiches ℥ ß. Misce.* Haec de *quantum agendo*, ratione emollientium. Quoad *modum*: emollientia actu calida sunt administranda: nã agunt caliditate, & praeterea materia emollienda ope caliditatis funditur: adhaec materia vacuanda magis cedit actu calidis. Quoad *tempus*: vtendum emollientibus, dum materia dura praesens vincit alia indicantia, id est, dum durities pendet a concretione & siccitate; siquidem, si pendeat solum a repletione, prout materia replens vincit, pro eo licet vti potius vehementer resoluentibus, quam emollientibus. Haec dicta sint de emollientibus, id est, de debiliter resoluentibus. B

3 Resoluentia valide.

Materiae resoluētium.

Quoad *valide resoluentia*; haec sunt calida & sicca, tenuium partium, & probantur in tumore tum calido, tum frigido: & ob id Galenus c. 21. lib. 13. meth. eadem probat, & in phrenitide, id est, in tumore calido, & in lethargo. De quibus resoluentibus diximus in dyscrasia frigida ventriculi cum materia. Sed propter iuniores notandum; probari medicamētum, *si conficiatur e schoenantho, calamintha, maiorana, serpillo, melissa, aromatibus, guaiaco, sassafras*: & inter composita probatur *diatrionpipereωn, diacyminum, diagalanga: probantur etiam trochisci de rhabarb. magnae antidoti: item olea & cerata ex his confecta. Hinc Galenus capite 6. libr. 2. ad Glauc. in tumore flatulento probat medicamentum confectum ex oleo, in quo ebullierint medicamenta calida, & tenuis substantiae: quemadmodum est cyminum, semen apii, marathri, dauci, & similium.* Et si contingat, vt frigidior sit ventriculus, licet addere *rutam, grana lauri, oleum laurinum, item vinum generosum, in quo fieri debet decoctio in duplici vase, ad consumtionem vini.* C

Vsus resoluentium.

Auicennas ad resoluendum materiam in potu exhibebat *castorium, cum oleo antiquo, & aceto scillitico.* Vt mirandum non sit, si nos hoc tempore non exstirpemus tumores ventriculi, quia solum mitioribus vtimur. Vnde propter iuniores: *℞. castorii ℈ ij. olei antiqui, aceti scillitici ana ℥ j. Misce, & fiat potio. Aetius dicit, aristolochiam longam & rotundam ad ℥ j. exhibendam. Dat etiam decoctum calaminthae, aut polii scilicet montani, cum exiguo melle. & paucissimo pipere, tenuissime trito. Probat etiam Aetius ouillum talum, vstum bibitum. Idem ad extra probat vesicam bubulam, aqua & oleo semiplenam; sed loco aquae, etiam vino vti licet. Et vrgente necessitate, ascendit etiam ad cataplasma e sinapi.* Haec de resoluentibus: quorum vsus patet e traditis de intemperie ventriculi.

In oedemate adstringentia miscenda resoluentib.

At notandum, pituitam, oedematis ca[illegible]ssam, quid peculiare postulare. Nam expedit, cum medicamentis calidis & siccis, tenuisque substantiae, miscere adstringentia: quod Galenus tradit cap. 3. lib. 2. ad Glauc. statuens, in oedemate curationis intentionem esse mistam; cum expediat aliquid substantiae dissoluere, & D aliquid congregare, & restingere: nec praeter rationem; siquidem e cap. 6. lib. 7. meth. austera medicamenta humiditatem absumunt, dum partim ebibunt, partim in sinum ventris per exiguos meatus humiditatem exprimunt, partim ad continentes partes trudunt: Et propterea haec sunt medicamenta quae euacuant, seu consumunt; sed exsiccando, non autem quod euocent materiam ad circumferentiam: vt componantur haec medicamenta *ex aceto, sale, cinere; ideoque probatur lixiuium cum alumine.* Haec de medicamentis caussa cuiuslibet tumoris: excepto tamen abscessu.

4. Suppurantia.

Quoad medicamenta igitur, quibus vti licet gratia abscessus; scire oportet haec esse pus Mouentia, & pus Euacuantia. Quoad pus mouentia; sunt quae fouent calidum innatum, quod pus optimum generat; & praesertim si foueatur. Quare probantur medicamenta calida, humida, vaporosa, viscida: & cum Gale. capite octauo, libro quincto simp. non mordacia, seu acria, quae vim habent liquandi, attrahendi, & non E adhaerent parti: Oportet autem vt medicamentum pus mouens parti adhaereat. Quare e cap. 4. lib. 5. simp. probatur *farina triticea, quae e capite 8. libro 5 simp. debet esse pura, sine furfuribus*; siquidem est calida, humida, emplastica, mordacitatis expers: probatur item medicamentum confectum *e caricis pinguioribus, e dactylis pinguibus, ex amygdalis dulcibus, althaea, malua, oleo communi, adipe suillo, vel gallinaceo.* Quibus medicamentis quandoque addenda sunt frigida, quandoque calida: frigida quidem, ratione calidioris sanguinis, vel calidioris ventriculi; item, si a calore extraneo turbetur calor naturalis: calida vero ratione frigiditatis vel sanguinis, vel ventriculi. Quoad frigida igitur; erunt veluti *decoctum cydoniorum, violarum, cum exiguo lacte vel asinino, vel caprillo; & si horum copia non adest, licet vti lacte vaccino.* Calida sunt veluti medicamentum confectum *e granis pini, cum exiguo orobo: licet etiam vti radicibus petroselini, sed viridibus; quia loquimur non de resoluentibus, sed de pus mouentibus. Praeterea probatur medicamentum confectum e sapa. Adhaec probantur semina lini, radices cucumeris agrestis, farina orobi, oleum anethinum, liliorum alborum, diachylon cum gummis.* Haec de pus mouentibus. F

Materiae suppurantes.

Vsus τῶν ἐκπυϊσκόντων.

Quorum vsus hic esse potest; si pus mouentia exhibeantur: *℞. caricarum, dactylorum ana ℥ ß. lactis amygdalini ℥ j. sapae ℥ ß. Misce. Et huius medicamenti dosis sit a ℥ ij. ad ℥ j.* Si autem pus mouens est extra administrandum: *℞. adipis suilli, rad. althaeae sub cineribus decoctae ana ℥ ß. olei amygd. dul. ℥ j. farinae triticeae purae ℥ vj. & fiat emplastrum. Modus* horum medicamentorum est, vt medicamentum pus mouens nunquam actu frigidum administretur. Et *tempus* opportunum est, dum sanguis, qui in pus mutari debet, vincit alia indicantia: & patet vincere alia indicantia, dum ea est copia, vt non possit resolui. Et *locus* etiam patet: nam, cum & calor naturalis, & sanguis in pus mutandus, subsistentiam habeant secundum ventriculum: & per os, & extra hoc medicamentum est administrandum: quamuis liberalius modo intro, modo extra; prout sanguis attinere videtur ad partes vel G intimas, vel extimas.

5. Euacuantia pus sensibiliter.

Cum autem medicamentis quoque pus sit vacuandum: non improbantur proposita resoluentia. Sed oportet etiam quandoque confugere ad medicamenta vacuantia sensibiliter: quae habent vim attenuandi, laxandi, & soluendi continuitatem parietum abscessus; vt hinc pus facile egrediatur: veluti

est me-

A est medicamentum confectum *e decocto caricarum, passularum, glycyrrhizæ, maluarum, addita mulsa, cum pipere, & radice ireos.* Et vrgente necessitate, ascendendum *ad synapi, cum sale;* quo assumto medicamento agitandus est ventriculus vomitu, tussi, sternutamento, vt fiat disruptio. Et si contingat, vt post ruptionem pus non euacuetur; estote diligentes, & exhibeatis *mel rosatum solut.* Et deinde fiat agglutinatio: sed de agglutinantibus sequenti capite. Notandum, vt exhibeantur medicamenta in summa dosi, quoniam vehemens est puris actiuitas: & exhibeatis actu calida, non frigida. Et præterea, quamprimum exhibeatis: nam periculum est in mora. Et expedit tum exhibere, tum quandoque applicare. commen. 48. li. 1. prognost. & c. 7. l. 2. ad Glauc. Diæta patet, ex alibi dictis. Vsus.

B

CAPVT X.

De Vlcere ventriculi.

PER ventriculi vlcus, intelligimus solutam vnitatem, distinctam a vulnere: nam de vlcere, non de vulnere loqui instituimus. Nomen. Generatur ventriculi vlcus, dum caussa morbifica agit in ventriculum; & ita agit, vt ventriculi substantia per modum modo abrasionis, modo vna erosionis, absumatur, & vnitas soluatur. Generatio. Atque ob id vlcus ventriculi est soluta vnitas, cum magnitudine imminuta ventriculi, producta a caussa mordaci. Definitio. Hæc finitio colligitur e Galeno passim, & libr. 3. 4. & 5. methodi: quemadmodum alibi fusius declarauimus, in sermone de vlcere corneæ. Quare Forma est soluta vnitas, cum imminuta substantia: Forma. hincque vlcus est affectus mistus e soluta vnitate, & magnitudine imminuta. Subiectum est ventriculus: Subiectum. quo distinguitur vlcus ventriculi, ab vlcere aliarum partium. Caussa efficiens, est caussa mordax; Caussa efficiens. ad differentiam vulneris: de cuius specie & vitio saltem dicemus; nam ex alibi traditis patet caussa generans.

C Quoad speciem; caussa est Interna vel Externa. Interna esse potest quilibet succus, & cum Auicenna etiã materia catarrhalis, & atra bilis; vnde prodit vlcus cancrosum. Externa caussa potest esse Necessario occurrens, vt agrumina, id est, allium, cepæ, &c. vel Non necessario occurrens, veluti medicamentum corrodens, venenum corrodens. Quoad vitium; quamuis pertinere possit ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi: tamen communiter & necessario spectat ad caliditatem, cuius caussa fit exulceratio: quod cognoscens Auicennas, inquit, vlcus fieri propter acuitatem humorum; additque, multoties etiam fieri e catarrho mordicante, recipiente putredinem. Notandum Auicennam rationabiliter addere putredinem: nam succus mordax esse potest vel propria ratione, vt bilis flaua, bilis atra; vel succus mordax esse potest ratione putredinis, non propria ratione, veluti in pituita, & materia catarrhali. Statutum ergo sit vitium commune in caliditate situm esse. Quantitatis vitium est copia: vnde Galenus cap. 3. l. 3. de temp. ait,

D agrumina cutim exulcerare, nam sincera applicantur; & præterea cutis calor cedit, non resistit: non ita exulcerantur partes internæ ab agruminibus, quoniam calor magis resistit, & præterea cum copioso cibo miscentur agrumina: quare opus est ad vlcerandum copia insigni.

Differentiæ quæ ad vlcus externum attinent, iam a nobis omittantur: agimus enim de interno. Differentiæ. Ratione ergo formæ; soluta vnitas, cum magnitudine imminuta, dyscrasiæ calidioris vel est Expers, vel Particeps: & intemperies, est vel in Habitudine, vel in Habitu; vt vlcus cacoethes prodeat. Ratione subiecti: vlcus vel est in ventriculi parte Superiori vel Inferiori. Quoad caussam efficientem, vlcus producitur a caussa Interna vel Externa.

Secundum Auicennam ventriculi vlcus indicatur e dolore pungitiuo, vlceroso, præsertim dum in ventriculum aliquod insuaue descendit; Signa. quo fit vt quiete dolor mitior euadat. Indicatur etiam ex inappe-

E tentia, e siti, e ructu fœtido, (quia vbi vlcus, ibi pus) e vomitu saniei, & e caussis prægressis vlceris. Ceterum cum vlcus possit corripere vicinas partes, id est, vel gulam, vel superna intestina; hæc ita distinguentur: si enim in gula sit vlcus; indicabitur e dolore in posteriori parte inter spatulas; item e dolore cruciante a collo seu ceruice, vsque ad pectoris initium, & præsertim intendetur dolor tempore deglutitionis. Si autem attineat vlcus ad intestina, indicabitur e dolore affligente circa vmbilicum, & infra, & dolor acerbior euadet tempore expulsionis. Si autem vlcus sit in ventriculo, indicabitur e dolore vigente in regione ventriculi, & augebitur dolor, dum cibus ingreditur ventriculum, dum etiam concoquitur, & præterea dum transmittitur in intestina: nam hoc tempore mouetur ventriculus. Quoad signa differentiarum, & primum ratione formæ: si coniuncta sit intemperies calida, cognoscetur e signis. Quoad differentias ratione subiecti, hæ differentiæ patent e traditis de tumore ventriculi. Et similiter patent differentiæ, quę sumun-

F tur a caussa efficiente.

Quoad præsidia: & primum si sumantur a rebus præter naturam: soluta vnitas, indicat vnientia: caussa magnitudinis imminutæ, oritur indicatio regenerandæ carnis. Indicationes. Cum igitur opus sit præsidio & vniente, & carnem generante, cum sint præsentia impedimenta, hæc remouenda. Impedimenta autem sunt, vel Morbus, vel Caussa. Si ergo morbus sit vel calida intemperies, vel tumor: quid indicent hi morbi, suis locis dictum. Si autem quod impedit est caussa, hæc caussa vel est Communis, vel Propria. Si caussa sit communis, est tum Materia fluens, tum Alia caussa a constitutione morbi. Quare ratione materiæ fluentis, variæ oriuntur indicationes, pro varietate fluentis materiæ, & secundum speciem, & secundum vitium, & secundum caussam generantem: quemadmodum alibi exacte docuimus. Ratione autem caussæ morbificæ, diuersæ a morbo, siue sit dolor, siue pituita, siue sordes: his, contrariis occurrendum. Si autem caussa

G impediens sit propria: primum si propria sit, vt respicit generationem carnis, hæc caussa impediens, nihil aliud est, quam duplex excrementum, nempe tenue, & crassum. Et hoc loco no[illegible]dum, vtrumque excrementum, cum sit toto genere præter naturam, indicare præsidium e toto eradica[illegible]. Verum ratione excrementi tenuis, vacuare oportet per modum siccationis: ratione autem crassi, per modum detersionis. Si autem caussa impediens propria dirigatur ad agglutinationem, cum id quod impedit, sit sanguis etiam

optimus fluens, & præterea raritas carnis; ob id oritur indicatio absumendi sanguinis, per modum exsic- A
cationis; & oritur indicatio carnem raram leuiter densandi. Alia autem e parte, ratione rerum secundum naturam, in vlcere oritur calidum suppuratorium, id est, indicatur calidum, simile caliditati caloris naturalis: sed hoc calidum suppuratorium tenue indicatur; cum in vlcere ventriculi non sit caro contusa.

Prognostica, in genere. Ventriculi vlcus est malum grauissimum, & ferme lethale, ob vehementiam dignitatis: corripit enim hoc vlcus ventriculum, nimirum viscus spermaticum, quod chylificationi destinatum est, & ἀδιάπλον. Cũ igitur ventriculus sit membrum spermaticum; dum consumitur, exacte non potest refici. Quatenus autem ventriculus, est chylosi destinatus; oportet ventriculum admittere cibum & potum: & hinc curatio redditur difficilior, tum quia virtus laborat caussa cibi, ad concoquendum cibum; tum quia cibi & potiones vim medicamentorum refringunt; & præterea dum cibi & potus descendunt, secum ducunt medica- B
menta, quæ cum hærere nequeant, parum agunt. Et tandem curatio est difficilior, ob sensum exquisitum: huius enim vi in consensum ducitur cor; patitur cerebrum; nec detergentia valida possunt administrari; propterea quod dolor sit intensus, hincque principes partes ita compatiuntur, vt subsequatur vehementia facultatis.

Prognost. differentiarum. Sed pro vi differentiarum, discrimen etiam est varium. Nam ratione formæ; cum sit soluta vnitas, cum magnitudine imminuta, quandoque coniuncta cum intemperie; ratione essentiæ insignior
1. est vehementia, si soluta vnitas est maior, & si magis est imminuta substantia; magisque intenditur periculum, si annexa sit intemperies quoniam insignis est recessus a naturali statu. Quo fit, vt, si intemperies sit in habitu, vitium sit mortale: nam intemperies in habitu, est in caussa vehementiæ essentiæ adeo insignis, vt non possit exstirpari: & propterea, (quod in externis patet partibus) cancer est periculosior carbunculo; hic enim suppurari potest, ille non potest; quamuis in carbunculo atra bilis sit efferuescens: & ratio est, C
2. quia in carbunculo intemperies est in habitudine, in cancro est in habitu. Præterea si vlceris sedes perpendatur; periculosius erit vlcus, si afficiat partes superiores, siquidem subsequitur syncope, tabes: ratio est;
3. quoniam intenditur vehementia dignitatis & facultatis. Quoad differentias ratione caussæ efficientis; vlcus ventriculi erit periculosius, si fiat a materia vehementer putrida, a materia copiosiori, acriori: veluti si fiat vlcus a virulentia venerea copiosa, atrabilaria: & ob id Galenus cap. 5. lib. de atra bile testatur, vlcus ab atra bile esse incurabile.

Curatio. Quoad præsidiorum materias. Primum si sanguis copia sua impediat vlceris repletionem; vena secanda, si virtus permittat. At virtus non permittit, si vlcus est progressum. Præterea dum vlcus progreditur, deficit sanguis.

Pharmaceia. Quoad medicamenta; sufficiat hæc proponere, caussa Generationis carnis, & Agglutinationis. D
Caussa generationis carnis, probantur medicamenta vacuantia excrementa, per modum Detersionis, & Exsiccationis: quæ cum Galeno cap. 7. lib. 4. meth. non debent esse mordacia: nam prohibentur mordacia a ventriculi virtute, cuius virtutis signum est sensus exquisitus.

Detergentia. Verum expedit, vt validiora administrentur; pro excrementorum copia, & lentore. Contra si res habuerit, id est, si excrementa non sint ita copiosa, nec ita lenta; probantur debiliora, & præsertim in ventriculo æstuante. Quare probatur *aqua saccharata, aqua hordeacea, cum seminibus melonum, probatur serum lactis vel sincerum, vel cum lacte, probatur aqua B. Virginis, aqua Veronensis.* Expedit quandoq; in his medicamentis immiscere *mannam, vel syr. ros. sol. quoniam opus est vt detersum excrementum euacuetur, non vomitu, sed vel per aluum, vel per renes.* Si autem excrementum fuerit viscidius, quemadmodum esse potest in ventriculo non æstuante; probatur *mel* E
non coctum, probatur mulsa non aquosa, probatur ius cicerum, cum melle, & succo passul. Probatur etiam aqua tegulæ quæ reperitur in agro D. Petri, cum melle ros. solut. Et si excremẽtum in vlcere fuerit putrilaginosum; cum Auicenna potestis ascendere etiam *ad hieram: sed deinde exhibeatis vel serum, vel aquam hordei.*

Exsiccantia. Quoad vacuantia per modum siccationis, quibus vtimur gratia excrementi tenuis; probantur *tragacantha, thus, mastiche, sarcocolla, cornu cerui, cum aqua hordei, vel cum sero.*

Agglutinantia. Quoad agglutinantia; cum Galeno cap. 7. lib. 4. meth. vti licet *hypociſtide, balaustiis, gallis immat. malicorio, succo plantag. &c.* Notandum in calidiore ventriculo hæc medicamenta esse administranda, *cum aqua vel plantag. vel rosacea.* Si autem frigidior sit ventriculus, exhibeatis *cum decocto menthæ, cum vino austero: abstineatis a melle, quoniam abstergit.* Neque obstat; quamuis Gal. loc. cit. proponat mel, simul cum glutinantibus: Gale. enim miscet mel, in ratione vehiculi, quoniam respicit ad vlcera remota; nos autem in præsentia loquimur de vlcere ventriculi; & propterea non est opus melle, ceu vehiculo. Quinimo in F
praxi obseruetis, vt medicamentum diu maneat in ventriculo: ideoque non probatur dilutum admodum copiosum. Et præterea proderit admouere medicamentum *e pice nauali, addita mastiche, bolo Arm. sang. drac. & similibus astringentibus.* Quod cognoscens Aetius, applicabat *ceratum ex oleo aut melino, aut rosaceo, cum aliqua portione thuris.* Diæta erit compar.

CAPVT VI.

De Cardialgia.

Nomen. PER dolorem oris superni ventriculi intelligimus illud malum, quod vocant Cardialgiam, id est, cordis dolorem. Vnde Galenus capite secundo, libr. 2. method. ait, esse vitium, quod nomen capit a symptomate & loco affecto, id est, corde: at per cor, non intelligit Galenus quod clauditur a thorace; sed intelligit G
os ventriculi supernum, quod teste Galeno cap. 1. lib. 8. κ. τόπ. vocabant cor medici antiqui. Vnde ex eodem Galeno, aphorism. 65. sectio. quarta, cum cardialgia capiatur pro crebro & veloci cordis motu, & capiatur pro affectu oris ventriculi: in præsentia accipitur pro affectu oris ventriculi. At non accipitur pro omni dolore ventriculi: siquidem e cap. 8. lib. 2. de Plac. medici non omnem oris ventriculi dolorem, vocant

A vocat cordis dolorem, seu cardialgiam; sed illum tantum dolorem, in quo acrimonia humorum mordet: & propterea subdit Galenus morsum fieri in angore, dum morsiunculæ euidenter in ore ventriculi creantur. Quare colligendam, morsiunculas, seu morsum, quandoque esse euidentem, quandoque non ita euidentem. Si euidens sit; est cardialgia admodum exquisita: si non ita euidens, est cardialgia exquisita, sed non exactè. In præsentia autem de vtraque sermo est. Et ob id Galenus com.30.l.3.prog.ait: medicos morsum oris ventriculi vocare cardiogmum, & cardialgiam. Vnde Galenus com.30.sect.1.l.1.prorh.per cardiogmum intelligit cordis, seu stomachi morsum. Ideoque notandum, cum tres sint voces; nimirum cardialgia, cardiogmus, & cardiaca: cardialgiam esse nomen generis: cardiogmum, speciei, in qua specie est euidens morsus: cardiacam esse nomen speciei, in qua malum producitur a caussa venefica. Cardialgia in genere producitur, dum caussa morbifica agit in os ventriculi, & ea violentia agit, vt soluat continuum, & B producat qualitatem dolorificam, spiritalem, infensam calido insito ventriculi; hincq; fiat tristis sensatio; vi cuius compatiatur cor; vt hinc fiat mutatio in pulsu; hincque cor afficiatur vel leipothymia, vel syncope. Et propterea cardialgia est sensatio corrupta oris superni ventriculi, dependens a solutione vnitatis, cũ qualitate dolorifica, vehementer infesta, seu noxia. *Generatio.* *Definitio.*

Forma est sensatio corrupta: quod cognoscens Galenus cap.7.lib.1.de sympt.causs.ait, cardialgiam esse symptoma e tactorio genere. Vnde notandum, e cap.8.lib.2.de plac.tristem sensationem quandoque esse euidentem, quandoque non: vnde ægrotantes de dolore quandoque conqueruntur, quandoque non, & communiter vocant angorem. Verum siue euidens, siue non euidens sit tristis sensatio; attinet ad tactum. *Forma.*

C Subiectum est os supernum ventriculi, quod tactus est organum, seu subiectum. Quod hoc sit verũ, ait Galenus cap.9.lib.5.de vsu part. proponens sensoria tactus; tactus sensorium esse internas manus partes, & os ventriculi. Quæ sit horum verborum ratio, intelligetis e clarissimis anatomicis. Sensus enim tactus potissimum viget in his duabus partibus; sed differenter: viget in internis partibus manus potissimũ gratia melioris vitæ: quia nihil potest esse in intellectu, nisi prius fuerit in sensu. Proponit autem Gal. os ventriculi, respiciens ad commodiorem vitam: propterea quod in ore vẽtriculi, beneficio huius tactus, fit appetitus cibi & potus; quæ conducunt ad commodiorem vitam. Gal.c.1.l.8.κ.τόπ.& c.8.l.2.de plac.& c.7.l.1.de sympt.causs.statuit cardialgiam esse symptoma, quod attinet ad os ventriculi. Notandum autem, per os ventriculi in hoc affectu opus esse intelligere partes viuentes, neruosas, & substãtiam calidi insiti; quod calidum insitum potissimum afficitur in angore, non in dolore: & hinc qualitas spiritalis molesta impertitur portioni neruosæ; vnde fit tristis sensatio, quam vocant cruciatum, seu angorem. *Subiectum.*

D Dependet hoc vitium a solutione vnitatis, cum qualitate dolorifica vehementer infesta: nam doloris caussa immediata est solutio vnitatis, quatenus est obiectum improportionatum tactus, & proinde est obiectum commune, hoc est motus: vt docuimus cap.7.lib.1.de dol.capitis. Addimus cum soluta vnitate coniuncta esse qualitatem dolorificam vehementer infestam: per quam particulam distinguitur cardialgia a doloribus, in quibus non viget hæc qualitas dolorifica, vi cuius qualitatis imminet leipothymia & syncope. Vnde cum dolore non annectitur angor; quemadmodum cum cardialgia angor coniungitur. Hinc Galenus cap.7.lib.1.de symptom.causs.ait, cardialgiam esse symptoma satis infestum: quia respexit ad qualitatem illam infestam, vnde quandoque nascitur syncope cardiaca. Sed iam explicandum, qua de caussa oriatur solutio hæc vnitatis, cum qualitate ita infesta. Prodit ergo hoc malum semper ab Agente, seu vitio agentis; nonnunquam etiam e parte Patientis. Et hinc si paritas seruetur in agente, & discrimen E fit in passo; in cardialgia non est exigua differentia: verbi gratia si malum producatur ab humore prauo erodente, & os ventriculi non sit exquisiti sensus; malum erit mitius: si ἐυαίσθητον; deterius; quia producitur qualitas dolorifica vehementer noxia. Et propterea Alexander cap.9.lib.7.scribit: in cardialgia a virulento humore si os ventriculi sit exquisiti sensus, hunc patientem statim mori: nam qualitatis noxiæ auctor est, tum humor virulentus prauus, tum exquisitus sensus. Ceterum, cum præter ἐυαισθησίαν, cardialgiæ etiam caussa sit, quæ ita continuum soluit, vt spiritalis qualitas emergat infesta; iure hæc caussa explicanda. Caussa igitur est Interna, vel Externa. Interna potest esse Vapor, & Minera. Minera potest esse Viuens, vt vermis; vel Vitæ expers; & tunc potest esse Ichor, vel Humor, & potissimum humor biliosus. Externa caussa esse potest medicamentum acre, venenum. Et huiusmodi caussæ agunt, prout vitium obtinent, secundum Formam, vel secundum Qualitatem, vel Vtroque modo. Secundum formam; dum caussa est F toto genere præter naturam. Secundum qualitatem; dum caussa est calida, acris, mordax. Vtroque modo, dum caussa est & toto genere præter naturam, & simul mordax. Notandum, si caussa sit toto genere præter naturam, hunc affectum a medicis vocari cardiacum: si vitium sit in euidenti acrimonia, vocari cardiogmum: si non sit in ita euidenti acrimonia, dici cardialgiam. Sed breuiter circa vitia singularum specierum digrediemur. Quoad caussam igitur internam, & primum quoad vaporem, toto genere hic præter naturam est, veluti vapor prodiens a verme. Minera vitæ particeps, toto genere præter naturam, est vermis vita præditus: vermes enim ad similitudinem perniciosorum humorum lædere solent, ideoque Alexander statuit cardiacum affectum fieri a lumbricis. Vermes autem agunt vel vapore, vnde fit angor: vel punctione, vnde fit dolor. Si minera sit vitæ expers, potest esse ichor, quem proponit Galenus, comment.38.sectio.3.lib.1.prorhet.inquiens, cardialgiam fieri, dum copia sanguinis in venis aceruata, G tenue serum, id est ichor, os petit. Quoad humorem, si sit venificus, patet hunc esse toto genere præter naturam. Sed potest etiam esse calidior mordax. Galenus igitur respiciens ad vitia toto genere præter naturam, cap.2.lib.5.de loc.aff.ait, in cardialgia affici os ventriculi, a venenoso humore: respiciens autem ad mordacitatem, cap.7.lib.1.de sympt.causs.ait, cardialgiam produci a succis mordacibus, id quod etiam docet.cap.14.lib.1.ad Glaucon. Et cap.8.lib.secundo, de plac.insinuans, exquisitam exactè cardialgiam *Caussa efficiens.* *Exquisitus oris ventriculi sensus.* *Caussa soluens continuum.* *Species huius caussæ.* *Vitium caussæ.*

produci a ſucco mordaci;aſſerit,cardialgiam tãtum appellari,cum acrimonia humorum mordet. Et cum bilis ſit humor mordax; Auicẽnas l.4.fen.1.tract.2.c.21.inquit,in febribus dolorem ſtomachi procreari ex effuſione bilis ad ſtomachum. Et Galenus aph.65.ſect.4.ait,cardialgiam fieri a flaua bile,ebulliente in tunicis ventriculi. Vnde colligi poteſt,humoris peccantis vitium ſecundum quietem,in hoc poſitum eſſe,vt in tunicis ventriculi occludatur & quieſcat:quod etiam ſcribitur c.24.l.2.de aliment.& com.30.ſect.1.prorhet.& apud Hippocratem com.30.l.3.prognoſt. Vnde non mirandum,ſi Hippocrates com.24.l.2.de ratione vict.ſtatuit,cardialgiam fieri ex inedia:per hanc enim venter bile repletur;vnde morſu & contriſtatione afficitur ventriculus hincque victus diſſoluitur. Hic Galenus per morſum intelligit dolorem , vt ab humore ſoluatur vnitas:per contriſtationem,intelligit qualitatem dolorificam. Eadem de cauſſa Galenus c.8.l.2.de plac.ait,morſum ventriculi fieri non ſolum dolore correptis,ſed etiam e fame; præſertim ſi coniuncta ſint vehementia exercitia:ventriculus enim bile repletur. Cauſſæ externæ ſunt venena, & medicamenta acria. A B

Differẽtiæ.

Quoad differentias;& primum a forma:in cardialgia ſenſatio corrupta eſt Euidens, vel Non euidẽs. Euidens dicitur morſus;non euidens,angor;c.1.l.8.κ.τόπ. Angor ſemper adeſt;interdum & morſus; c.8.l.2.de plac. Ideoque in cardialgia eſt angor vel ſolus,vel ſimul cum triſti ſenſatione euidenti. Cauſſa eſt;cum enim ſemper in cardialgia diſſoluatur ſubſtantia calidi inſiti,ideo ſemper eſt angor; & quia interdum ſoluitur vnitas partium viuentium,fit triſtis ſenſatio euidẽns. Ratione ſubiecti;in hoc malo ſemper afficitur os ventriculi:verum in morſu ſoluitur vnitas partis viuentis;in angore ſoluitur vnitas calidi inſiti:& propterea dicendum,in cardialgia ſolui vnitatem,vel,ſolius calidi innati , vel ſimul etiam partium neruoſarum & viuentium. Quoad cauſſam efficientem & primum , ſi ſecundum ſpeciem perpendatur ; dicendum , cardialgiam fieri a cauſſa Interna, vel Externa. Si ab interna, vel a Vapore, vel a Verme, vel ab Ichore, vel ab Humore, & præſertim bilioſo. Externa cauſſa , eſt Medicamentum acre,vel Venenum. Si cauſſa efficiens perpendatur ſolum ſecundum vitium;eſt vel Toto genere præter naturam , vel Calida & Acris. C

Signa in genere.

Niſi patientis mens ægrotet,ipſemet hoc malum indicabit. Sed cognoſcitur etiam e pulſu frequẽti, paruo;quia cor compatitur:item,e corporis inquietudine:non enim poteſt æger in vna lecti parte ſe continere; cum enim in cardialgia homo euadat debilis,muſculi nec breuem tenſionem efficere poſſunt,vt a patiente perferatur;nec præterea mediam figuram inter flexam & extenſam homo tolerare poteſt: vnde, licet æger impotens ſit ad motum,alias tamen alio partes proiicit,deſiderans conſequi figuram dolore carentem;quam cum inuenire nequeat,tandem fit inquietudo,quoniam patiens triſti ſenſatione afficitur; vnde quaſi onus quoddam excutere cupiens,alias aliam figuram appetit , ideoque patiens ſemper eſt in motu,c.vlt.l.1.de motu muſcul. Indicatur etiam hoc malum e frigiditate extremorum : quoniam calor & ſpiritus intro trahuntur.c.5.l.de trem. Item indicatur e ſudore circa faciem,& circa pectus;ratio eſt, quoniam in hoc malo ita compatitur caput & cor,vt facultas retentrix alimentalem humiditatem non poſſit retinere:ac proinde ſudor non tantum indicat cardialgiam,ſed eam inſignem. D

Signa differentiarum.

Differentiæ quæ ſumũtur a forma,ita ſunt cognoſcendæ,vt inquiramus,an cum angore connexa ſit triſtis ſenſatio euidens , nec ne: ſed has differentias æger manifeſtabit. Quoad differentias ratione ſubiecti ; manifeſtantur a differentiis formalibus:nam ſolus angor,indicat ſolutam vnitatem calidi inſiti;ſi coniungatur euidens dolor,indicat ſolutionem vnitatis in parte viuente. Quoad differentias ratione efficientis,an cauſſa ſit interna, vel externa;æger & aſſidentes patefacient. Sed quoad internam cauſſam;ſi fuerit vapor,indicatur e ſolo angore. Si autem annexus ſit dolor euidens,indicatur minera. At minera,ſi fuerit vermis,ſigna erunt vermium. Si fuerit ichor,cum Galeno com.38.ſect.3.l.1.prorhet.indicatur e coniuncto lumborum dolore: ſiquidem plurima abundantiæ portio,ad infernas partes repens,eſt in cauſſa,vt,ſi hæc materia detineatur,(cum cõſueuerit defluere per hæmorrhoides) ſi non euacuetur,lumborum dolor producatur. Si autem fuerit bilis;indicatur ex amaritudine oris,e vomitu bilis,e febre bilioſa,& reliquis bilis indiciis. Vtrum autem cauſſa ſit venefica,vel ſolum acris;ita ſcitur:ſi eſt venefica,etiam citra ὀυσαισθησίαν ventriculi,facile ſequitur leipothymia,& ſyncope,fit extremorum frigiditas;contra,ſi materia non ſit venefica. E

Indicationes.

Quoad præſidia:ſecundum Galenum cap.1.l.8.κ.τόπ.& cap.14.l.1.ad Glauc. ſumuntur a triſti ſenſatione,ab ore ventriculi,& a cauſſa ſoluente continuum. Vnde a triſti ſenſatione indicatur anodynum, præſertim ſi triſtis ſenſatio fuerit euidens. Quid per anodynum veniat intelligendum diximus in dolore cap. Quoad os ventriculi;ratione proportionis,requirit remedium fouens proportionem ; ratione calidi inſiti,cum moueatur præter naturam ad circumferentiam,indicatur præſidium impellẽs calidum inſitũ ad centrum. Quoad cauſſam ſoluentem continuum;ſecundum ſpeciem,indicat determinata. Secundum vitium,ſi a toto genere præter naturam,indicat eradicans:& ſi venefica,alexipharmacum:ſi acris, indicat refrigerans. Quibus præſidiis habitis,facile auctores intelligentur. Quoad anodynum igitur;hoc inſinuauit Auicennas,lib.3 fen.13. tr. 1. cap. 34. vbi in ventriculo ſenſus exquiſiti,probat narcotica cum facilitate. Quoad præſidia oris ventriculi,ratione calidi inſiti ad hoc præſidium reſpexit Alexander cap.10.lib.7.vbi probat,quæ particulas reſolutas poſſunt confirmare,hoc eſt impellere ad centrum,calidum inſitum. Et Galenus cap. 1. lib. 8. κ. τόπ. in morſu oris ventriculi , & in anxietate ſeu angore , probat communiter adſtringentia:hæc enim motum immodicum calidi inſiti ad circumferentiam compeſcunt. Præſidia cauſſæ ſoluentis continuum tangit Galenus,cap.primo,lib.octauo,κ.τόπ.dum ait ; pleriſque miſceri calefacientia & ſiccantia. Vnde cap.24.lib.2.aliment.probatur in cardialgia,polenta, ſeu farina ex hordeo viridi aſſato,cum ſucco punicorum. Et cap.14.libr.primo,ad Glaucum,probantur vacuantia per aluum: ibi enim reſpicit Galenus ad cauſſam ſoluentem continuum,quæ cauſſa vt plurimum eſt minera, & ob id vt plurimum cum adſtringentibus miſcenda vacuantia, & præſertim inſenſibiliter vacuantia. Notandum autem F G

cum

A cum materia morbifica possit vacuari sensibiliter & insensibiliter in cardialgia; Galenus vtramque vacuationem proposuit. Insensibilem probat; per modum resolutionis, per modum siccationis, per modum repercussionis, & reuulsionis. Resolutionem & exsiccationem, insinuat c.1.l. 8. κ. τόπ. vbi probat calefacientia & siccantia. Calefacientia vacuant per modum resolutionis: siccantia, per modum siccationis. Respiciens ad siccationem & repercussionem c.24.l.2.alim. probat polentam cum succo punicorum; polenta enim humorem siccat: quare euacuat per modum siccationis: succus autem punicorum euacuat per modum repercussionis Neque Galenus neglexit reuulsionem: nam c. 14.l.1. ad Glauc. proponit vacuantia per aluum. Quoad sensibiliter vacuantia, per vomitum, & per aluum; hæc proponit Galenus c.14.l.1.ad Glauc. Et iccirco materia residens in cauitate ventriculi, vacuanda sensibiliter: quiescens in tunicis, vacuanda insensibiliter.

B Cum Hippocrate & Galeno com.74.sect.2.lib.1.epid. cardialgia est symptoma semper prauum, nedum in principio. Per hæc verba insinuat Galenus, esse symptoma, quod molestat in angore, peius in principio: nam materia est magis copiosa, nec a medicamentis correcta. Atque Hippo. vna cum Gal. aph. 65.sect.4.ait: cordis, id est, stomachi morsum esse malum: licet deterius sit malum, quod pertinet ad morsum veri cordis; quoniam cor est dignius ore vētriculi. Rationabiliter autem cardialgia est periculi plena: nam omnis ferme viget vehementia. Quælibet enim cardialgia fit a caussa admodū infensa, & hinc multū recedente a statu naturali: quare adest insignis vehementia essentiæ. Additur vehementia dignitatis: nam afficitur os ventriculi, ita vt cor consentiat. Et si cōtingat, vt os ventriculi sit exquisitioris sensus; coniungitur vehementia facultatis: vnde cum Alex. homo statim interit. Adhæc cum immineat, vel actu sit leipothymia; adest vehementia facultatis: vnde Galen.c.5.l.de trem. ait, in deliquiis ventriculi robur solui: hinc

Prognostica in genere.

C tremor; hinc calor mouetur ad extra, & vires dissipantur per sudores. Vnde ait Galenus, hos calefacere; esse errorem maximum: cum oporteat potius refrigerare & astringere. Sed dubitatur? nam Galenus c. 5. l. 2. de caus. symp. ait: per dolorem animam contra moueri, ac moueatur e gaudio; hincque similia maximo timori produci symptomata: nam vi doloris color corporis euanescit, homines refrigerantur, & quandoquem oriuntur; sicuti euenit his qui timent. Si ergo dolor, instar timoris est in caussa motus ad centrum: quomodo in cardialgia est motus ad circumferentiam? Responsio. Si dolor sumatur vt tristis sensatio; motus fit ad centrum: at si sumatur ratione qualitatis dolorificę, & caussæ mordacis continuum soluentis; est motus ad circumferentiam. Quare statuendum, cardialgiam in genere esse malum periculosum: Verum, periculum intenditur pro vi differentiarum. Ratione enim formæ; si cum angore iungatur dolor euidens, malum est periculosius: quia, quod est pręter naturam, est magis numerosum. Vnde Gal.c.1.l.5.loc.

Prognost. differentiarum.

D aff. ait; nonnullos in syncope e stomacho mori. Ratione caussæ eff. patet, si paritas seruetur, deteriorē esse cardialgiam, si fiat a minera, quam si a vapore. Et si fiat a caussa venefica, peius est malū, quam si fiat a caussa acri, non venefica. Et propterea Alexander respiciens ad prauitatem caussæ, ait, cardiacum affectum, prodeuntem a verme, esse mortalem.

Auic.l.4.fen.1.tr.2.c.30. improbat venæsectionem. Galenus, autem cap.14.l.1.ad Glauc. dum ratione alterius affectus vena est secanda, iubet, vt primum cardialgiæ vehementia refringatur: quoniam vt plurimum cardialgia non fit a sanguine, & virtus languet. Dictum autem est vt plurimum non fieri a sanguine: quoniam secundum Gal. com.58.sect.3.l.1. prorhet. cardialgia quandoque fit e sanguinis ichore; dum scilicet in venis aceruatur sanguis, qui per hæmorrhoidas vacuari consueuit. Non ergo est pręter rationem, in hac cardialgia hæmorrhoides aperire.

Curatio. Phlebotomia.

E Quoad Medicamenta; probantur Vacuantia Sensibiliter, & Insensibiliter; prætereа Firmantia calidi impetum ad extra: & Alexipharmaca. Quoad sensibiliter vacuantia; Galenus c.14.l.1.ad Glauc. ait, si cōtingat e vitiosis humoribus fieri cardialgiam; hos humores *aquæ moderatæ calidæ, aut hydrelæi potu per vomitum esse euacuandos*: hæc enim medicamenta attemperant vitiosos humores. Sed necessarium est excitare vomitum, si contingat vt patiens difficulter euomat: curandum est, ait Galenus; omnibus modis, vt æger euomat. Et propterea os ventriculi, manus & pedes debent calefieri: sique his remediis vomitus non fiat, procurandus est *digitis, & pennis oleo intinctis*, vt irritetur expultrix. Et si eueniat, homines horum ope non euomere: *rursus oleum calidum est exhibendum*: hoc enim oleum sæpius solet vomitum prouocare, & ventrem molliorem facere. Euacuatio autem, quæ per aluum fit, solet esse vtilis: vnde, inquit Galenus, nisi sponte accidat, *glandibus* vtendum. Et propterea etiam Auicennas ait, vomitum iuuare; & clysmum leuē

Pharmaceia. Vomitu & aluo purgantia.

F conuenire. Alexander c.10.l.7. vacuans & confirmans ventriculum, probat medicamentum quod vocat Gyy: & optimum est, vt exhibeatis ægrotantibus: præscribetur ergo hoc modo: ℞. *aceti ℥vj ß. corticum radicum fenic. ℥ij. aloes hepaticæ ℥vj. mellis optimi, seu Attici ℥iiij ß. fiat eclegma. Atque Alexander exhibet cochlearia ij. aut iij. hoc est. ℥vj. aut ℥viij.* At animaduertendum ne fit febris: tunc enim non conuenit. Et ob id Galenus c.14.l.1.ad Glauc. non proponit hieram: quoniam loquitur de symptomatibus seu cardialgia cum febre: ideoque non est discordia inter Alexandrum & Galenum. Ceterum Gal. ad vacuādum bilem, probat *comam absinthii in melicrato decoctam & potam*. Quod medicamentum non est medicamentū simpliciter vacuans, quemadmodum oleum, verum etiam astringens: nam absinthium ponticum astringendo roborat. Hæc de vacuantibus sensibiliter.

G Quoad vacuantia insensibiliter; quæ euacuant per modum resolutionis, oportet vt sint calida: quæ euacuant per modum Siccationis, debent esse sicca: quæ euacuant per modū Repercussionis, oportet vt sint astringentia. Quo fit, vt *medicamentum confectum e melicrato & absinthio*, omnes facultates obtineat. Et in hoc admirari oportet summam diligentiam Galeni. In melle enim est vis detergendi, & resoluendi, ratione caliditatis: in absinthio, per eius caliditatem, est vis resoluendi; per siccitatem, siccandi; per astrictionem habet vim repellendi, & præterea cōpescendi motum immoderatum calidi insiti. Non ergo illi

Insensibiliter vacuantia.

sunt improbandi, qui vtuntur *seminibus citri*: hæc enim semina præter vim alexipharmacam, permo- A
dum resolutionis etiam vacuant. Sic etiam in cardialgia probantur *rad. & sem. feniculi, melissæ, & similia*
resoluentia.

Motum caloris firmantia.

Quoad firmantia calidi insiti impetum, & proinde astringentia: ad hæc respiciens Galenus cap. 14.
lib. 1. ad Glauc. ait, membra esse roboranda, & Admotis, & Assumtis: veluti inter ea, quæ assumuntur, est
potio absinthii. Alexander probat succum granatorum, & grana etiam. Auicennas exhibet parum syrupi de
malis cydoniis, cum syrupo acetoso, vel omphacio. Et propterea etiam vti licet rhu opsoniorum, & vino cydonio-
rum, quod est in communi vsu. Hæc ergo probantur inter astringentia. Ex his potest fieri medicamentum,
quod applicitum roboret: verbi gratia, ℞. *oua integra num. iij. oleorum mastich. de absinth. cydoniorum ana*
℥ j. fiat decoctio in sartagine, & in fine adde pulueris specierum diarhod. Abbatis, aromatici rosati, coralliorum,
ana ℈ ß Misce, & fiant placenta. Probatur etiam fomentum e vino rubro, alterato cum rosis, absinthio, masti- B
che, &c.

Alexipharmaca.

Quoad alexipharmaca; probantur *semina citri, semina acetosæ, quæ præter vim bezoarticam non cale-*
faciunt, vnde & in febri his vti licet; & quod maius est, manifeste astringunt, roborant. Licet etiam vti corallis,
santalis, margaritis, hyacintho, foliis auri, bolo Arm. terra sigill. efficacissimum est medicamentum, lapis bezoar,
præsertim orientalis. Et, nisi febris prohibeat, primum locum sibi vendicant magnæ antidoti. Ratio est, quia ma-
gnæ antidoti, vt medicamenta calida vacuant per modum resolutionis; vt sicca, per modum siccationis; vt
recipiunt astringentia, per modum repercussionis; & præterea per vim constringentem calidi insiti disso-
lutionem prohibent; atque virtute proportionis mirabilis habent vim alexipharmacam, & omniũ parti-
um, corporis, atque hinc oris ventriculi, & cordis proportionem fouere possunt. Vnde non mirandum, si
auctor ille, qui edidit librum de Theriaca ad Pamphilianum, & ad Pison. c. 15. fateatur, theriacã tamquam C
ad vitam reuocasse cardiacos.

Adstringẽtibus semper vtendum: vacuãtibus, cum syncope abest.

Ceterum, cum in cardialgia probentur vacuantia & adstringentia: dubitatio oritur circa *Quando*
agendum: nam Galenus c. 14. l. 1. ad Glauc. monet in principio non esse vtendũ adstringentibus, sed quan-
do partes alui sunt expurgatæ: dum enim humor detinetur, non licet astringere, sed calefacere, hoc est, va-
cuationem sensibilem adiuuare, vel per vomitum, vel per aluum. At contra idem Galenus c. 1. l. 8. *κ. τόπ.* iu-
bet in morsu seu angore communiter probari adstringentia; plerisque autem opus esse miscere calefaci-
entia & siccantia. Hinc igitur plerumque miscet calefacientia & siccantia: semper autem vtitur astringen-
tibus. Ita etiam Alexander primo omnium vtitur astringentibus; mox vacuantibus; quemadmodum erat
medicamentum ex aloe. Responsio. Quando agendum capitur ab indicante præsente, sed vincẽte alia in-
dicantia: ideoque cum indicans sit motus immoderatus calidi insiti, & materia morbifica; si magis potest D
motus importunus calidi insiti, vsurpanda sunt adstringentia; dum autem minus potest, sunt administrã-
da vacuantia. Quare dum syncope vel adest, vel imminet, tunc magis potest motus calidi insiti, quam ma-
teria morbifica: si autem contra nec præsens sit syncope, nec vsque adeo immineat, tunc magis potest ma-
teria morbifica, quam motus calidi insiti. Ob id dum Galenus loc. citat. l. 1. ad Glauc. probat vacuantia; re-
spicit ad cardialgiam, in qua syncope non adest. Et dum l. 8. *κ. τόπ.* probat in morsu & angore adstringẽtia,
insinuat, in qualibet cardialgia probari adstringentia: quoniam in omni cardialgia viget motus importu-
nus calidi innati. At Galenus non dicit, his adstringentibus omni tempore esse vtendum: supponit enim
administranda esse adstringentia in omni cardialgia; sed tempore opportuno. Nec Alexander improbã-
dus, qui primum vtitur adstringentibus: respicit enim ad cardialgiam, in qua magis potest motus calidi in-
siti: nam agit de cardialgia, in qua imminet syncope. Atque hinc Alex. dum conquiescebat affectus, id est, E
dum refrigerabatur motus calidi innati, vt syncope non immineret, vtebatur vacuantibus.

Victus ratio.

Sequitur Diæta. Si adest sudor; Celsus ad hunc prohibendum probat aerem non calidum, cum fe-
nestris patẽtibus. Quod si talis sit cardialgia, in qua extrema frigent: prodest, extrema inungere, manibus-
que excalfactis partes fricare & fouere. Præterea Celsus ad reficiendos spiritus, naribus admouet *rosas &*
vinum: vnde probari possunt odoramenta, quæ fiunt *ex aceto, rosis, pomis aurantiis, citro & violis*: aer enim
ita alteratus spiritus reficit. Cibus sit medicinalis, non facilis corruptionis, qui saltem per aliquam siccita-
tem, seu per modum siccationis absumat. Quare probantur cibi astringentes, non admodum facilis co-
ctionis, & exsiccãtes. Hinc Galenus c. 24. l. 2. alim. edoctus ab Hippocrate l. 2. epid. sect. 2. circa principium,
exhibet *polentam succo punici aspersam*, semel in die: nam succus mali punici, moderatur motum calidi in-
nati, ne nimis ad circumferentiam feratur; reprimit etiam materiam: polenta vero datur, quia non facile F
corrumpitur ab æstuante ventriculo; & facultate siccandi, materiam morbificam absumit. Notandum,
quod Galenus hoc solo cibo solum semel in die vtatur: id quod locum habet in ea cardialgia, qua mulier
illa torquebatur, cuius caussa erat humor vitiosus & copiosus, quo ventriculi os ita replebatur, vt nausea-
bunda esset mulier, ideoque potius euacuatione, quam repletione erat opus. Si vero cardialgia teneat cor-
pus, quod inediam non ferat; cibus & bis & ter in die est exhibendus. Auicennas c. 30. si oriatur syncope,
ante vel prope paroxismum, exhibet *frustum panis, cum aqua granatorum, vel cum aqua agrestæ*: & si subse-
quatur syncope, dat etiam *panem cum vino antiquo, sed in parua copia, nimirum ad ℥iij. Præterea probatur*
cremor hordei infrigidatus, cum granis granatorum, & iure: exhibetur actu frigidus, ne ita facile vincatur a
calido igneo, in ventriculo exsistente, & per consequens corrumpatur: cuius rei gratia idem etiam cremor G
munitur granatis. Consummatissimus Alexander, probat cibos difficilis coctionis, quia hi difficulter cor-
rumpuntur: vt *mala mediocriter astringentia, pyra, persica, vuam austeram*: & si æger sit valde calidus, & hu-
mores sint nimium rodẽtes, exhibet *panem etiam cum frigida*. His autem cibis Alexander vtitur inter ini-
tia: reliquo autem tempore paullatim exhibet, quæ ægre coquuntur, & acres succos attemperare possunt;
vt est *vuluula, id est, vterus, & omasum, id est, pingue intestinum: admittit buccinas, cochleas, cancros, ventri-*
culos

calos anserum, malum citrium sine cortice, nam in cortice est vis calefaciendi. Monet autem Alexander, cito esse occurrendum cibo. Et Celsus addit, si vires sint debiles, cibum esse exhibendum non multum, sed sępe; sic enim nutrit, nec onerat. Vnde probatur *destillatum caponis, vituli, & potissimum pedum vitulorum, item destillatum e cochleis*: oportet enim viscidum esse, ne corrumpatur. Quoad potum: Celsus *vinũ* fugit, nisi sit sitis & virtus concidat: ideoque si æger in tuto est, curãdum, ne ad imbecillitatem redeat, idq; cibis validis, remoto vino: at si metus sit, ægrum deficere posse, probantur cibaria in vinum intincta, vinum autem debet esse austerum & mediocre. Quod si æger cibum assumere nequeat: vinum exhiberi potest, sed actu frigidum, & in mediocri copia: idem etiam facere licet, si cibi euomantur. Addit Celsus, in aluũ quãdoque iniiciendum esse *ptisanæ cremorem, vel etiam alicæ*: hęc enim infusa vires tuentur: vaporibus enim a
B cremore prodeuntibus, reparatur substantia vaporosa calidi insiti, quamuis non fiat nutritio partis viuẽtis. Quoad inanitionem & repletionem, cum in cardialgia quandoque noceat inanitio per sudorem, iure Celsus corpus aspergit pulueribus astringentibus, vt *myrti, rubi, vel etiam arida fece vini austeri*: & vrgente necessitate oblinit corpus *gypso*, ad inhibendum sudorem. Vnde mirandum non est, si hoc tempore cardialgia affecti moriuntur, quia medici permittunt sudare.

CAPVT VII.

De Fame morbosa.

PEr famem morbosam intelligimus famem præter naturam, id est, læsam appetentiam attinentem ad cibum, ad differentiam sitis. Hæc autem vel Aufertur, vel Imminuitur, vel Corrumpitur. Generatio famis morbosæ, patebit e generatione famis secundum naturam. Primum supponendum, appetitum vel
C esse mortalem, vt est naturalis & animalis; vel immortalem, vt est rationalis & voluntas. Appetitus naturalis, excitatur a penuria similis; animalis, a bono apparente; naturalis a bono vero. Porro naturalis appetitus confert ad vitam, ad vitam commodiorem, & ad meliorem vitam. Declaro. Appetitus naturalis, id est, vis concupiscibilis, quatenus respicit vitam, non est facultas simpliciter naturalis; seu simpliciter necessaria ad vitam; (*nam facultates simpliciter ad vitam necessariæ sunt solum quatuor, attractrix, retentrix, alteratrix, & expultrix; quarum nulla est facultas concupiscibilis*) sed est facultas, cuius caussa melius celebratur operatio necessaria ad vitam, nimirum attractio: hinc fit, vt facultas concupiscibilis quodammodo statui possit attractionis principium; dum enim adest appetentia, fit attractio; dum nõ adest, fit potius expulsio. Hic appetitus inest omnibus animalis partibus, quæ conuenientem omnes qualitatem desiderant, c. 6. l. 3. fac. natur. inest etiam plantis, c. vlt. l. 6. de plac. ideoque eum non influentem, sed insitum esse oportet. Si
D capiatur facultas concupiscibilis, quatenus respicit commodiorem vitam; huius principiũ est hepar. c. 18. l. 6. vs. par. c. vlt. l. 6. de plac. ideoque laborante iecinoris facultate, perit cibi & potus appetitus. com. 13. sect. 3. l. 3. epid. Hinc liquet, quod concupiscibilis caussa vitæ, dirigatur ad id quod est simile cuilibet parti: caussa autem commodioris vitæ, pro conseruando indiuiduo, referatur ad cibũ; pro specie seruanda ad Venerẽ. Et propterea facultas hæc concupiscibilis non est insita, sed influit ab hepate in os ventriculi, vt homo cibum, potumque appetat; & in pudenda, ad Veneris desiderium. Si denique capiatur concupiscibilis caussa melioris vitæ; est saneiam proposita concupiscibilis. Verum cum Gal. c. 3. l. 7. de plac. accipitur hæc facultas concupiscibilis, prout vincitur & regitur a facultate irascibili & rationali, vnde homo secundum iustitiam viuit. Animalis, seu sentiens appetitus, residet in cerebro, tanquam in fonte; & influit præcipue in pudenda, & in os ventriculi. Vnde apparet vim appetentem diuersam esse a facultate tactrice: quamuis vtraque
E facultas a cerebro, per neruos sexti paris in os ventriculi influat: per eundem enim neruum influit & motus & sensus; quare & tactus & animalis appetẽtia. Sicuti enim eadem lingua particeps est gustus & tactus: ita idem ventriculi os, eadem temperie & proportione est donatum, vt per eosdem neruos, vtramque vim admittat. Ex his facile patere potest modus, quo fit fames & sitis.

Iam vero explicandum est, quomodo fames dicatur appetitus calidi & sicci; sitis frigidi & humidi. Per siccum igitur intelligere oportet solidum; per humidum liquidum: vnde secundum Hipp. facilius est impleri potu quam cibo; hoc est, liquido, quam solido. Hic duplex appetitus, solidi scilicet & liquidi, ideo est necessarius, quia solido, id est, cibo, seu alimento, solidæ corporis partes nutriuntur; liquido autem solidum alimentum defertur. Vnde, si exacte loqui volumus, fames erit appetitus alimenti; sitis erit appetitus vehiculi alimenti. Quo autẽ intelligatur, cur fames sit appetitus calidi, & sitis frigidi: supponendũ est e c. 6. l. de rigore, ad calidũ innatũ attinere substantiam, qualitatẽ, & motũ, tum ad centrũ, tum ad circumfe- Quomodo fames sit appetitus calidi & sicci: sitis, frigidi & humidi. Arist. tex. 28 l. 2 de anima.
F rentiam. Penes hæc igitur calidũ innatũ læditur: secundum substantiã quidem, si deficiat alimentũ: secundum qualitatẽ, id est, caliditatem, si aliquod frigidũ occurrit, vt exstinguatur, instar flammæ, quæ ab aqua exstinguitur; secundũ motũ ad centrum, si grauatur a copia; secundũ motum ad circumferentiã, si ab immodico calore dissoluatur, sicut exigua flamma a maiori dissipatur. Notandũ obiter, vitium in motu esse caussam noxæ caloris natiui secundũ substantiã: nam dum calor a copia grauatur, substantia euadit impura; dum a calore afficitur, & extra mouetur, substantia minuitur. Quare cũ expediat per famẽ & sitim, non modo corpus nutrire, uerũ etiam calidũ insitũ custodire, per calidũ seruatur motus caloris, ne plus iusto concentretur; per frigidũ autẽ custoditur calor, ne plus quam decet extraferatur: vnde calidũ ad famẽ attinet, frigidũ ad sitim. Nam in fame locũ habet alimentũ siccum, id est, solidum, in quo, dum agit calidũ, ita
G cõcentratur, vt suffocari posset, nisi ope calidi extra ad circumferentiã eius motus seruaretur. At in siti locum habet humidũ, id est, liquidũ, nempe cibi vehiculum; quia calor innatus extra, & ad circumferentiam mouetur, idque eo magis, quo cibus est calidior, & ambiens aer calidior. Vt ergo hic caloris ad extra motus cõpescatur, opus est frigido: vnde post cibos calidiores, & tempore æstiuo, potus etiam frigidior desideratur. Sitis ergo est appetitus frigidi & humidi: licet enim sitientes plerumq; magis appetant vinum, quam aquam: vtrumq; tamen cibi est vehiculũ, & actu frigidum offertur: vini autem desiderium potius accidit

Nomen.

Appetitus quotuplex.

ratione gustus & voluptatis; vnde Aristoteles dicit com.28.lib.2.de anima, saporem esse cibi & potus con- A
dimentum.

Generatio famis naturalis.

Porro, vt intelligatur, quomodo fiat fames secundum naturam: sciendum est e c.7.l.1. de symp. caus.
in fame quinque esse motus: primus, est inanitio totius corporis: secundus, est appetentia membrorũ na-
turalis alimenti & potionis: tertius est ventris suctio: quartus, est sensus suctionis: quintus, pertinet ad ap-
petentiam animalem. Tres priores motus sunt naturales, seu spectant ad functionem naturalem; reliqui
duo ad animalem: vnde a Galeno fames & sitis recensentur modo inter naturæ functiones, vt c.4. lib.de
1. diff.symp. modo inter animales actiones, vt cap.7.l.1.de symp.caus. Totius corporis inanitio fit, quoniam
2. corpus assiduo consumitur: vnde & necessaria est instauratio seu refectio. Cõcupiscentia naturalis fit, cõ-
currente facultate concupiscibili insita, vt partes inanitæ repleantur: cibo enim restituitur, quicquid sic- B
3. cioris substantiæ effluxit; potione autẽ quicquid humiditatis effluxit. c.2.l.1.de tuen.san. Ventris suctus at-
tinet ad ventriculi venas, quæ inanitæ concurrunt attractrice vi, vnde attrahunt ab ore ventriculi, vi cu-
ius attractionis os ventriculi supernum afficitur motu, qui motus intenditur a melancholia, quæ ventri-
culum contrahit & mouet, c.4.l.5. vs.part. Vbi tamen notandum, si cum motu coniungatur frigiditas, fieri
famem; si caliditas, oriri sitim; quia appetitus non est rei præsentis, sed absentis: hinc melancholia agens in
ventriculũ, quia frigida est, caussat efficere famẽ; contra, bilis calida, in caussa est sitis: vnde in ventriculo
suctionis producitur motus, & obiectum cõmune, quod coniunctum habet proprium obiectum, nimi-
4. rum in fame frigidum, in siti calidum. Sensus suctionis & receptio obiecti fit ab attractione venarum
ventriculi, & caussa agente in os ventriculi sui, vel caliditate, vel frigiditate. Hæc receptio fit in ore ventri-
culi, quatenus ventriculi os est organum tactus, beneficio neruorum, quos a cerebro suscipit: insigniter C
autem os ventriculi afficitur, tum ob neruorum mollitiem & magnitudinem, tum ob vim concupiscibi-
lem a iecore impertitam. Quare os ventriculi, quatenus organum tactus est, afficitur a proprio obiecto;
nim.a calido in siti, a frigido in fame: afficitur item a communi obiecto, nim.a motu. Appetentia anima-
lis fit in ore ventriculi, quatenus hanc suscipit a cerebro per neruos; vnde Auicennas dicit, Ventriculum
suscipere neruos a cerebro, vt acquirat sensum, per quem percipiat famem; hoc est acquirat appetitum
sensitiuum, cuius vi animal ad cibum & potum se conuertat. Ceterum, vis appetens non insita est ventri-
culo, sed influit a cerebro, dum impellitur & excitatur ab obiectis sensuum externorum; primum qui-
dem ac principaliter a tactu, secundario ab obiectis aliorum sensuum: vnde Aristoteles lib.2. de anima
dicit, tactum esse sensum alimenti; ceteros autem sensus per accidens concurrere: nam secundum Philo-
sophum, alimur e calido, frigido, humido & sicco, quæ sunt obiecta tactus; reliqui vero sensus per acci- D
dens concurrunt; nihil enim ad alimentum conducit color, sonus, odor; & si odorata nutriunt, hoc fit,
quatenus sunt calida, vel frigida, vel humida, vel sicca, non autem vt odorata. Sic & sapor concurrit vt
condimentum, non vt alimentum. Adhæc vis animalis in cerebro residens, etiam principaliter excitatur
ab obiecto tactus; ex accidenti ab obiecto reliquorum sensuum: quoniam tactus obiectum primum affi-
cit os ventriculi, prout est organum tactus; obiecta autem reliquorum sensuum non agunt in os ventri-
culi, sed in propria organa, & propterea mediantibus vel oculis, vel auribus, vel naribus, vel lingua: vnde
ita afficitur cerebrum, vt animalis appetentia excitetur & excitata influat in os ventriculi, & tandem de-
siderium replendi emergat. Ex his igitur colligi potest, ingerendorum appetentiam secundum naturam
fieri; primo, dum membra inaniuntur; secundo, dum inanita attrahunt a venis ventris; tertio, dum venæ
inanitæ attrahendo ventriculi os agitant; quarto, dum ventriculi os afficitur, vt affectionem cerebro im- E
pertiatur; quincto, dum in os ventriculi influit animalis concupiscentia, necessario impulsa ab obie-
cto tactus oris ventriculi, ex accidenti autem ab obiecto reliquorum sensuum. Vnde obiectum ta-
ctus est essentialis caussa famis & sitis, obiecta reliquorum sensuum, sunt caussa vt melius fiat & fames &
sitis: verbi gratia, si quis post inediam famescat, & vel optima inspiciat cibaria, vel de his sermo fiat, vel ol-
faciat, vel gustet, augebitur cibi cupiditas, quia facultas sentiens vna impellitur ab obiecto & tactus, & a-
liorum sensuum.

Fames naturalis quid sit?

Hinc fames naturalis ita definiri potest: quod sit appetitus secundum naturam oris ventriculi, pro-
cedens ab eius motu, dependente a penuria alimenti, gratia instaurationis animalis. Forma, in hac finitio-
ne, est appetitus secundum naturam, ad differentiam famis morbosæ. Subiectum est os ventriculi super-
num. Caussa efficiens est motus, quo afficitur os ventriculi ob penuriam alimenti, ad differentiam sitis in F
qua scilicet adest non alimenti penuria: sed vehiculi alimenti. Finalis caussa est animalis refectio & instau-
ratio.

Famis morbosæ generatio. Definitio. Forma.

Quare fames morbosa generatur, dum corpori occurrit aliquid præter naturam, vi cuius facultates
aliquæ appetitioni cibi destinatæ, ita suo munere frustrantur, vt functio appetentiæ animalis oris ventri-
culi vsque adeo lædatur, vt præter naturam euadat. Proinde fames morbosa est concupiscentia animalis
præter naturam oris ventriculi, dependens a frustratione concupiscibilis cibo destinatæ. Forma est con-
cupiscentia animalis præter naturam, ad differentiam concupiscibilis naturalis (vnde colligitur famẽ esse
symptoma ad actiones attinens.) Est autem præter naturam, ad differentiam concupiscibilis secundũ na-
turam, & proinde ad differentiam famis secundum naturam. Hæc igitur concupiscẽtia animalis, pertinet
ad caussam formalem: nam quamuis in fame læsio esse possit secundum concupiscentiam naturalem, ea G
tamen habet rationem caussæ efficientis, non formalis. Subiectum Galenus proponit c.1.l.8.κ.τόπ. vbi fa-
mem recenset inter symptomata oris ventriculi.

Subiect.

Caussa efficiens.

Caussa efficiens in finitione proponitur, his verbis: dependens a frustratione concupiscibilis, cibo
destinatæ: Dicimus cibo destinatæ ad differentiam sitis morbosæ, quæ pendet a frustratione concupisci-
bilis potui dicatæ. Hic explicanda caussa, ob quam concupiscentia animalis frustratur: frustratur autem
vel

A vel Propria ratione, vel ex Accidenti. Propria ratione; dum vitium eſt in quincto motu: ex accidenti, dum læſio eſt in reliquis quatuor motibus; nempe in ſenſu ſuctionis, in ſuctu, in vacuatorum appetentia naturali, & totius corporis inanitione. De horum motuum vitiis dicemus. Animalis igitur appetentia fruſtrari poteſt, quatenus pertinet vel ad Cerebrum (antequam ſcilicet in os ventriculi influxerit.) vel ad Os ventriculi prout ab hoc ſuſcipitur. Si primo modo ſumitur, vt ad cerebrum attinet; functio huius facultatis concupiſcibilis læditur, vel Læſa facultate, vel ob Errorem externum. Læditur facultas ob morbos vel cerebri, vel Neruorum ſexti paris. Ob morbos cerebri; veluti in apoplexia, epilepſia, caro, & aliis cerebri morbis; vi quorum prohibetur fluxus facultatis concupiſcibilis a cerebro in os ventriculi. Læditur au- B tem facultas ob morbos neruorum ſexti paris; quando huiuſmodi nerui afficiuntur potiſſimum denſitate, cuius cauſſa eſſe ſolet tum quælibet materia Denſans, tum Refrigerans. Sed de malis cerebri & neruorum alibi. Ceterũ hæc vitia ita ſe habent, vt dum Integra eſt anguſtia, fames auferatur: ſi Non integra, fames minuatur. Quod ſi concupiſcibilis actio lædatur ob errorem externum; hic error eſt, vel vitioſa cerebri proportio, vel Obiectum improportionatum. Vitioſa proportio viget in his, qui etiam fameſcunt, dum intuentur murem, vel dum de mure fit ſermo: nam quamuis fameſcant, ilico tamen fames prorſus aboletur: vnde huiuſmodi homines & nauſea & quandoque vomitu afficiuntur. Obiectum improportionatum principaliter attinet ad ſenſum Internum, vel Externum. Ad internum; veluti dum immoderata animi accidentia occurrunt: idem enim his euenit, quod iis, qui fortibus imaginationibus detinentur, qui ob oculos poſita non cernunt, nec aſpiciunt, vt phreniticis quandoque accidit: ſi enim magis poteſt obiectum morbificum, quam obiectum impellens facultatem concupiſcibilem ad cibum; neceſſario C fames vel minuitur, vel aufertur: contra, ſi obiectum ſit potens ad impellendum concupiſcentiam, fames intenditur, vnde patiens, vt phreniticus violentia quadam cibum petit. Si obiectum improportionatum ſpectet ad ſenſum externum; attinet vel ad Viſum, vel ad Auditum, vel ad Olfactum, vel ad Guſtum, (de tactu dicemus in ſuctionis ſenſu; attinet enim ad os ventriculi.) Viſus obiectum concurrit ad deſtruendum appetitum, dum vim interiorem auertit ad excitandum animalem appetentiam: verbi gratia ſi in menſa aliquis videat manum humanam coctam, vel euomentem aliquem, licet fameſcat, ilico tamen deſtruitur appetitus. Quoad auditum; fames aufertur, ſi quis comedens audiat loquentem de rebus tetris & iniucundis. Olfactus aufert famem, ſi deuorentur fœtida; ſi etiam offeratur aliquis cibus, qui obtineat odorem proportioni organi olfactus aduerſarium, veluti accidit, dum aliquis caſeum comedit, & eius odorem percipiens vel eum non admittit, vel reuomit. Quoad guſtum; deſtruitur appetitus, dum D iniucunda aſſumuntur: & hæc vel ſimpliciter ſunt ingrata, vel vni certo indiuiduo ſunt iniucunda, aliis autem grata: & tunc vitium pendet a vitioſa proportione linguæ illius indiuidui; veluti ſi aliquis caſei ſaporem prorſus reſpuat. Hæc igitur ſunt vitia animalis concupiſcentiæ, vt attinet ad cerebrum. Si vitia concupiſcibilis animalis perpendantur, vt ſpectat ad os ventriculi, id eſt quatenus facultas a cerebro ori ventriculi eſt impertita: tunc huius facultatis functio læditur, vel Læſa facultate, vel ob Errorem externum. Læditur facultas, dum os ventriculi afficitur, vel Intemperie, vel Mala compoſitione, vel Soluta vnitate: de quibus morbis iam ſupra egimus. Si lædatur ob errorem externum, hic error poſitus eſt in proportione culpata oris ventriculi; veluti dum homines inſcii caſeum in ferculis aſſumunt; vnde fit, vt quãuis nec odorem, nec ſaporem caſei percipiant, nauſea tamen fiat, ac deſtruatur appetitus. Notandum au- E tem hoc loco, proportionem oris ventriculi a naturali deflectere & recedere; quoniam vel Deficit, vel Excedit. Si deficiat; ſunt homines, qui vix appetunt: ſi excedat; ſunt homines, qui nimis appetunt, vt dum comedunt ac bibunt, magis edere ac bibere cupiant. Verum cum appetentiam animalem adiuuet naturalis concupiſcentia prodiens ab hepate; in ratione erroris externi concurrit cum Auicenna debilitas hepatis. Hæc ſunt vitia concupiſcentiæ naturalis.

I. Appetitus animalis vitia.

Vitia cõcupiſcentię animalis, reſidentis in cerebro.

Appetitus animalis vitia, vt ſpectat ad orificium ventriculi.

Sequuntur vitia attinentia ad ſenſum ſuctionis; qui motus ſpectat ad facultatem tactricem. Hæc igitur facultas (cum inſtar concupiſcibilis animalis cerebro ori ventriculi communicetur) fruſtrari poteſt, vt attinet vel ad Cerebrum, vel ad Os ventriculi. Quatenus ad Cerebrum attinet; lædi poteſt ob morbos cerebri, & neruorum ſexti paris, vt modo diximus, de concupiſcentia animali. Si occurrat error externus, occurrit dum in ore ventriculi ſuctio recipitur; non autem ratione iudicii, quia hoc fit in cerebro, F non in ore ventriculi. Itaque error externus eſſe poteſt cerebri proportio, vel quia vis ſentiens & iudicans tangibilis diſtrahitur ab obiectis aliorum ſenſuum, quatenus hæc obiecta ſunt efficaciora, ſicut diximus de concupiſcentia animali. At differentia eſt inter concupiſcentiam animalem & tactum: quoniam ratione concupiſcentię animalis, obiecta agunt indifferenter in vim ſentientem; ratione autem tactus obiecta determinate agũt in facultatem iudicantem obiecta tangibilia, veluti dũ a viuo verme os ventriculi pungitur: nam in ore ventriculi fit affectio, vi cuius ita afficitur cerebrum, vt facultas ſentiens diſtrahatur a iudicio ſuctionis, quæ ſuctio fit ab alia cauſſa agente in os ventriculi: & huius ordinis ſunt vapores vermium defunctorum, materiæ veneficæ, & putridæ: nam vi harum cauſſarum magis afficitur os ventriculi, vt eſt organum tactus, quam a ſuctione. Si ſuctionis ſenſus attineat ad os ventriculi, qua recipit obiecta tangibilia; receptio hæc læditur vel Læſa facultate, vel ob Errorem externum. Læditur facultas ob morbos oris G ventriculi, qui iam propoſiti ſunt, vi quorum fit fames morboſa; nam licet fiat ſuctio, ea tamen non ſentitur, vt decet, vnde, ſi prorſus non ſentiatur ſuctio, aufertur actio; ſi vix ſentiatur, id eſt cum difficultate, imminuitur; ſi plus ſentiatur, corrumpitur. Declaro. Et primo ſi perpendatur intemperies, Galenus com. aph. 20. ſectio 2. & comm. 11. ſectio 1. l. 3. epid. dicit: ſi intemperies ſumma fuerit, ſenſus ſuctionis non fit: nam vt inquit Auicennas, virtus perit, quoniam organum ob ſummam intemperiem prorſus ineptum redditur. Hæc ſumma intemperies, eſt Frigida, vel Calida. Si frigida, fit fames vaccina ſeu magna, quæ eſt affectus frigidus, coniunctus cum ſiccitate, c. 7. l. 3. de ſym. cauſſ. At ſi alia e parte ſit ſumma caliditas, etiam

II. Senſus ſuctionis vitia.

1. ratione cerebri.

2. ratione oris ventriculi.

cum ſiccitate coniuncta; non fit ſitis, quoniam ſuctio non recipitur. Si autem intemperies non ſit ſumma; a qualibet intemperie, excepta humida, ſuctionis receptio intenditur & augetur. Ceterum diſcrimen eſt inter tactum, & animalem appetentiam: nam animalis appetentia, quacunque dominante intemperie, indifferenter ſe habet ad cibum & potum; tactus non indifferenter. Ratio huius diſcriminis eſt: quia appetentia animalis ab alia facultate naturali impellitur, nempe a ſenſu interiori; tactus minime, cum ab obiecto recepto, vt offertur ſenſorio iudicanti, ſenſus interior potius impellatur, non impellat, hincque in fame procedat obiecti tangibilis receptio, in cerebro iudicium, & mox ſequatur impulſio, prodiens a facultate ſentiente, in concupiſcibilem animalem: vnde concupiſcibilis animalis impulſa deſcendit in os ventriculi, & fit fames. Itaque cum tactus ad differentiam concupiſcibilis non indifferenter ſe habeat ad cibum & potum; fit, vt ſi ventriculi os, tanquam organum ſuctionis ſenſus, afficiatur intemperie frigida, intendatur fames, & minuatur ſitis: ſi afficiatur intemperie calida, minuatur fames, intendatur ſitis: ſi afficiatur intemperie ſicca, augeatur & fames, & ſitis: ſi humida, fames minuatur, ſed magis ſitis. Ratio eſt: nam cum appetitus cibi & potus fiat, quoniam afficitur os ventriculi ſuctione; ſuctio autem ſimilis eſt ſolutioni vnitatis, & ſolutio vnitatis fiat a calido, frigido, ſicco, nō ab humido: fit vt ab humido non excitetur appetitus, ſed potius minuatur; licet magis minuatur ſitis, quam fames: nam pręter id, quod non fit ſuctio ab humido, adeſt præſentia humiditatis; ſitis autem fit ob humidi penuriam. Quo autem ad caliditatem, frigiditatem, ſiccitatem; quamuis a qualibet fiat ſuctio: tamen, cum fames ſit appetitus calidi, ſitis autem frigidi: ob id, dum caliditas mouet tactum, per hunc ſenſus interior impellit appetētiam animalem in frigidum, dum enim viget caliditas, adeſt penuria frigidi, vnde minuitur cupiditas calidi, & augetur oriturque frigidi appetitus, hincque fames minuitur, & ſitis augetur. Contra autem accidit, ſi frigiditas agat in tactū: fames enim intenditur, & ſitis minuitur. Quoad cauſſam ſiccantem: vel eſt intemperies ſicca Coniuncta cum actiuis, vel eſt Sola. Si coniuncta, quoniam iuuat & intendit ſuctionem, ideo auget ſitim, ſi caliditati iungatur; & famem, ſi frigiditati com. 19. ſe. 4. aphor. & cap. 30. lib. 1. ſimp. Si autem ſola ſit ſiccitas, in penuria alimenti augetur fames, in penuria vehiculi alimenti, augetur ſitis. Hæc de intemperie. Quoad malam compoſitionem, concurrit, quatenus anguſtat neruos oris ventriculi: quo fit, vt os ventriculi non afficiatur a ſuctione: ob anguſtiam enim tactrix facultas influens a cerebro, nō ſuſcipitur in ore vētriculi. Quoad ſolutam vnitatem, eſt in cauſſa deiectæ appetentiæ; propterea quod os vētriculi magis afficitur a morbo in ſoluta vnitate, quam a ſuctione: vnde, licet vtrumque obiectum offeratur ſenſorio tactus, tamen iudicium dirigitur potius ad obiectum, quod promouetur vi ſolutę vnitatis, quam ſuctionis; quia obiectum efficacius & potentius, ſenſum iudicantem ad ſe allicit, vt reliquorum obiectorum iudicium nō exerceat. Quoad errorem externum; hic attinet tum ad Proportionem oris ventriculi, tum ad Cauſſas, quæ ventriculi ſenſum vel exquiſitum, vel obtuſum reddunt. Si exquiſitus reddatur, intenditur appetitus: ſi contra, minuitur. Quoad proportionem, hæc ſpectat ad os ventriculi, quatenus eſt organon tactus; & iccirco pro varia proportione vario modo afficitur: & hinc in aliquo indiuiduo ſuctio remiſſa magis afficit os ventriculi, quam in alio indiuiduo ſuctio intenſa; cuiuſmodi viget in his, qui famem vel ſitim nequaquam perferre poſſunt. Quo vero ad reliquas cauſſas; præſertim ſunt veneficæ, & vehementer refrigerantes, vi quarum licet fiat ſuctio, non tamen ſentitur. Vnde non eſt mirandum, ſi opiata appetitum deſtruant: ſi etiam Galenus dixerit com. ap. 21. ſect. 2. ab aere frigidiore primum tactum excitari, mox exſtingui, hincq; os vētriculi a ſuctione non affici.

III. Suctionis. vitia. Læſa ſuctio, ratione cauſſæ in ventriculi orificio. Si autem perpendamus ſuctionis vitia, ita ſe habent; aut enim non fit ſuctio, vnde appetitus aufertur: aut debiliter fit ſuctio, vnde appetitus minuitur: vel ſuctio iuſto fit intenſior, vnde appetitus deprauatur. Et ob id, cum ſuctio ſit motus oris ventriculi, dependens a cauſſa agitante os ventriculi: læditur hæc ſuctio, dum cauſſa viget vel In ore ventriculi, vel Infra: vnde primum afficiuntur venæ ventriculi, mox afficitur os ventriculi. Quo igitur ad cauſſam immediate agentem in os ventriculi: huius perpenda & Species, & Vitium. Quoad ſpeciem, cum Galeno cap. 7. l. 1. de ſym. cauſſ. & c. 9. l. 6. de tuend. ſan. comm. aph. 21. ſect. 2. & comm. 1. l. 4. de ratione vict. cauſſa eſt Interna, vel Externa. Interna, Vapor, & Minera. Si minera; poteſt eſſe Sanies, prodiens vel ex vlcere, vel ex abſceſſu: poteſt etiam eſſe Humor. Externa cauſſa, poteſt eſſe medicamentum, venenum, aer, cibus, potus, com. 34. l. 2. de victus ratione. & com. 1. l. 4. de rat. vict. & com. apho. 19. ſect. 4. & c. 27. l. 3. alim. Vitium attinere poteſt ad Subſtantiam, Quantitatem, Qualitatem, & Vbi. Ad ſubſtantiam, vt eſt ſuccus vitioſus, qui eſt in cauſſa picæ. At potiſſimum locum habet vitium in quanto, & in quali: nam vitium ſecundum vbi, cōmune eſt & quanto & quali: niſi enim cauſſa moueatur in os ventriculi, & ibi quieſcat; copia vel qualitate non aget, cum per cōtactum actio fiat. Ceterum, cum cauſſa lædat vel Copia, vel Qualitate: quoad Copiam, huius cauſſa ſuctio aufertur, vel ſaltem minuitur, dum vel excedit, vel deficit: nam ſi excedat, ſiue cauſſa ſit interna, ſiue externa, tum copia replet os ventriculi, & impedit, quo minus corrugari & agitari poſſit, quamuis a venis ventriculi fiat attractio: vnde pituita copioſa, reſidens in ore ventriculi, impediens ſuctionem, eſt cauſſa inappetentiæ. Et pariter, quoad cauſſas externas, vt ait Galenus capit. 17. libro tertio de aliment. pingues & lenti cibi ita celeriter implent, vt appetitus euertatur. Quoad vitium in qualitate, concurrit materia, quatenus agit Caliditate, Frigiditate, Siccitate, Humiditate. At eſt diſcrimen: nam materia concurrens humiditate, eſt in cauſſa vt minuatur ſuctio: qua autem concurrit reliquis qualitatibus, cauſſa eſt ſuctionis intenſioris, nam ſuctus affinis eſt ſolutioni vnitatis; quæ a qualibet cauſſa fieri poteſt, excepta humiditate, Quare, vi materia humidioris, minuitur deſiderium cibi & potus; vi autem reliquarum qualitatum, intenditur appetitus, circa cibum quidem, ſi materia eſt frigida; circa potum, ſi calida, ſi ſicca: nam dum frigiditas ſuctionem parit, ita afficitur os ventriculi, vt obiectum offeratur ſenſui interiori, qui ſenſus, cum agnoſcat præſentiam eſſe frigidi, facultatem appetentem impellit ad appetitum illius

A illius,cuius est penuria. Idem de reliquis caussis, in os ventriculi agentibus, statuendum. Sed notandum, cum intēditur fames vel sitis; desiderium esse vel boni, vel mali, tum cibi, tum potus. Desiderium est boni, quando quis appetit bonas carnes, bonum vinum: malum desiderium est, si appetat carbones, aquam turbulentam, vrinam. Huius discriminis caussa colligitur e Galen. in arte med. capite de signis ventriculi; dum dicit, intemperantias morbosas a naturalibus differre: nam intemperantiæ naturales, similia appetunt; morbosæ contraria. Vnde ventriculus secundum naturam calidus, in penuria cibi appetit cibum calidum: frigidus autem natura ventriculus, appetit frigidum. Contra ventriculus præter naturam calidus, appetit cibum frigidum. Hæc differentia inde pendet: dum enim ventriculus secundum naturam est constitutus, eget conseruantibus, quæ similia sunt, vnde dum fit suctio, ita afficitur sensus interior, vt cō-
B cupiscentiam animalem impellat in penuria cibi, ad desiderium cibi, & in penuria cibi, in ventriculo secundum naturam calido, impellat ad desiderium cibi calidi; propterea quod, sensui interiori offertur suctio cum sensu caliditatis naturalis conseruandæ, vnde concupiscentia animalis, impellitur ad desiderium similis. Si vētriculus sit præter naturam calidus, sensui interiori offertur suctio, cum sensu caliditatis morbosæ, non conseruandæ, sed destruendæ: vnde cōcupiscentia animalis impellitur ad desiderium non similis, sed contrarii, nim. frigidi, vt morbus calidus dissipetur ac vincatur; & præsertim quia concupiscentia animalis, influxa in os ventriculi, fouetur a cōcupiscentia naturali, a iecinore prodeunte, quippe quæ semper appetit quod conseruat, ac veluti fugit, quod est inimicum: ideo cum in ventriculo, calido morbo affecto, caliditas sit inimica & contraria, propterea fit appetitus contrarii. Sed explicandum etiam est, cur in
C ventriculo male affecto appetitus sit intensus ad contrarium, quod modo bonum est, vt quando quis appetit capones; modo malum, vt quando carbones appetit. Dicēdum, discrimen prodire a caussa morbosa, quæ suctionis auctor est; quæ caussa vel minoris, vel maioris est actiuitatis. Minoris est actiuitatis; quotiescunque minus recedit a naturali statu, nec pertinaciter adhæret ori ventriculi. Maioris est actiuitatis; dum caussa magis recedit a naturali statu, & hinc est a toto genere præter naturam, & præterea magis impertitur ori ventriculi: impertitur autem non secundum fibras, nam fieret singultus; sed secundum portiones membranosas, quemadmodum euenire solet prægnantibus, præsertim ad secundum vel tertium mensem: nam prægnantes hoc tempore scatent succis vitiosis secundum ventriculum. Verum & in viris similes succi redundare possunt, præsertim in scabiosis, in elephanticis. Itaque succi, qua sunt præter naturam, sunt in caussa appetitus contrarii, quatenus sunt exiguæ actiuitatis, sunt in caussa appetitus quidem
D contrarii, sed boni: Si succi sint præter naturam, sunt in caussa appetitus præter naturam, & quatenus sunt insignis actiuitatis, sunt in caussa appetitus contrarii, non boni, idest non alimentalis, sed medicinalis. Ratio est, quia prauus succus potius a medicamento, quam ab alimento corrigitur. v.g. calx est efficacior ad absumēdum materiam impactam, quam panis bis coctus: vrina etiam magis strenue absumit succum vitiosum, quam aqua: nam alimentum magis a corpore patitur, quam agat; medicamentū magis agit, quam patiatur. Succus igitur prauus est caussa cupiditatis succi praui, & proinde sibi similis. Vnde Gal. c. 7. l. 1. de sym. causs. ait, vitiosum succum excitare appetentiam, naturalis affectus similitudine; quemadmodū enim naturalis affectus efficit appetitum similis, hoc est & naturalis, & boni; ita succus vitiosus excitat appetitū similis, hoc est vitiosi, praui, nim. efficacis actiuitatis: quamuis discrimen sit: nam quod desideratur ob affectum secundum naturam, naturale est, & conseruat affectum naturalem: quod autem desideratur caussa
E succi vitiosi, est quidem simile: nam est vitiosum & prauum, non est autem alimentale, sed destruit succum vitiosum, quia omne morbosum refertur in sui destructionem.

Vnde desiderium boni, maliue cibi & potus.

Vētriculus male affectus cōtrarium appetit.

Alia ex parte læditur suctio, ratione caussæ, quæ viget infra os ventriculi, vtpote in venis ventriculi, & fundo vētriculi. Cum ergo suctio secundum naturam fiat, dum ventriculi venæ naturaliter trahunt ab ore ventriculi: sequitur, suctionem leges naturæ egredi, dum venæ vel non attrahunt, vnde fit inappetentia; vel imminute attrahunt, vnde fit imminuta appetentia; vel plus iusto attrahunt, vnde oritur fames canina. Ceterum, dum venæ repletæ sunt, vis attractrix, & naturalis concupiscentia cessat a suo munere, dum sunt inanitæ, attrahunt, & naturaliter appetunt: ideo dicendū de caussis tum Replentibus, quæ caussæ sunt inappetentiæ, tum Vacuantibus, quæ caussæ sunt famis, & faciunt vt lædatur attractio & concupiscibilis naturalis venarum, quæ ab ore ventriculi attrahunt. Quoad caussas replentes; e capit. 7. lib. 1. de symtom.
F causs. attractio venarum læditur, vel ob Morbum venarum, vel ob Errorem externum. Venarum morbi sunt tumores, obstructiones, a materia replente prodeūtes, sed principem locum obtinet caliditas, quippe quæ succos fundendo implet, cum hi fusi, locum maiorem occupent. Error externus esse potest materia replens ventriculum, potissimum secundum fundum, & præsertim esse solet succus crudus collectus, cuius classis etiam sunt succi excrementitii, qui interdum propter famem in ventriculum confluunt, dum enim diu fames vrget, ventriculus succos vitiosos allicit, qui replentes, attractionem impediunt, ita vt fames tunc in inappetentiam degeneret. Inanientes caussæ sunt venarum frigiditas, quę exprimendo vacuat: item calor corporis robustus absumens, vnde qui plurimum habent calidi, plurimum absumunt, attrahunt, & denique valenter appetunt. Inanitionis etiam caussa est, retentricis imbecillitas, siue simpliciter, siue in respectu ad expultricem, quemadmodum contingit in immoderatis euacuationibus. Huius ordi-
G nis est etiam vermis alimentum consumens.

Suctio læsa, ratione caussæ in venis & fundo ventriculi.

Tandem si respicimus ad totius corporis inanitionem, dum hæc imminuitur, fit inappetentia, dum augetur, fit fames. Immodica euacuatio & absolute talis est, & in respectu ad assumta alimenta: & fit, tum per sensibilem vacuationem, tū per cibi parcitatem. Imminuta autem inanitio fit, dum quod effluit, modicum est: hoc autem est vel simpliciter modicum, sicuti in corpore densioris cutis, vel est modicum respectu illius quod ingeritur, quod experiuntur homines in delitiis vitam agentes, qui die noctuque potant & otiantur.

IV. Vitia inanitionis totius corporis.

Differentiæ. Quoad differentias a forma: Concupiſcentia animalis redditur præter naturam, quatenus vel Non fit, vel Male fit. Si non fit; Adeſt naturæ fames, vel non adeſt: ſi adeſt, fit fames vaccina, ſeu magna, in qua, licet inter initia vigeat appetentia animalis, ilico tamen aufertur, & adeſt fames naturæ, videlicet inſignis indigentia alimenti. Si autem non adeſt fames naturæ; fit fames, quæ dicitur Inappetentia, ſeu cibi faſtidium, id eſt, ἀνορεξία. Si animalis concupiſcentia male fiat; tunc vel Imminuitur, & fit Fames imminuta, vel Corrumpitur, & tunc intenſum eſt deſiderium, vel ſimpliciter cibi, & fit fames canina, vel praui cibi, & dicitur κίττα, pica, ſeu malacia. A ſubiecto non ſumuntur differentiæ, cum malum ſolum ad os ventriculi pertineat. Ratione cauſſæ efficientis, cum malum pendeat a fruſtratione concupiſcibilis cibo deſtinatæ; dicendum, fruſtrari vel Propria ratione, vel ex Accidenti. Harum cauſſarum ſubdiuiſio patet e ſupra dictis. A B

Signa. Cognitio famis morboſæ in genere, patebit ex ægro: ſicuti etiam differentiæ a forma: dicit enim æger, vel nihil ſe appetere, vel vix appetere, vel plus quam deceat. Quoad differentias ratione cauſſæ efficientis; cum malum fiat, quoniam fruſtratur concupiſcibilis animalis, vel propria ratione, vel ex accidenti: hoc cognoſcitur, e præſentia, & abſentia ſignorum læſionis, vel propria ratione, vel ex accidẽti: de quibus ſignis ſeorſim dicendum.

Signa diff. a cauſſ. efficiente. 1. Itaque ſi fruſtretur propria ratione, cum cauſſa morbifica attineat vel ad Cerebrum, vel ad Os ventriculi: ſi ſpectet ad Cerebrum; ſi læſio fiat ob morbos cerebri, ſigna erũt morborum, de quibus in propriis capitibus. Si lædatur ob errorem externum: ſi error externus ſit cerebri proportio, cognoſcetis inde, quod læditur appetitus, quamprimum obiectũ vel viſui offeratur, vel de eo fiat ſermo, v.g. de mure. Si error ſit obiectum improportionatum, ſi attineat ad ſenſum interiorem; deprehendetis ex immoderatis animi accidentibus, e delirio. Si error attineat ad ſenſus externos, cognoſcetis ex obiectis ſenſuum externorum, v.g. ſi ilico poſt intuitum manus humanæ decoctæ, concidat appetitus, facile eſt cognoſcere, mali cauſſam eſſe obiectum viſus; & ſic de reliquis. Si autem fruſtratio concupiſcibilis pertineat ad os ventriculi: ſi læſio fiat propter morbos oris ventriculi; ſigna erunt morborum, de quibus ſupra. Si lędatur ob errorem externum: ſi error ſit mala ventriculi proportio; cognoſcetis, ſi malum oboriatur poſt aliquod aſſumtum, inſcio ęgro: ad hæc cognoſcetis e defectu, vel exceſſu ferme perpetuo appetentiæ, citra cauſſam euidentem. Mali autem cauſſam eſſe iecinoris debilitatem, cognoſcetis e ſignis indicantibus vitia hepatis, de quibus ſuo loco. C

2. Si fruſtretur concupiſcibilis ex accidenti: & primum, ſi vitium ſit in ſenſu ſuctionis; ſi vitium attineat, vel ad cerebrum, vel ad neruos; ſigna petenda e propriis capp. Si vero mali cauſſa ſit error externus: ſi error fuerit vitioſa proportio; indicabitur, ſi præter noxas vel ventriculi, vel aliarum partium, homo plus iuſto vel appetat, vel a cibo abhorreat id enim fit, quoniam in cerebro eſt proportio, vi cuius facultas ſentiens, vel eſt pigra, vel nimis vigilans ad excitandũ animalem appetentiam. Obiectum autem diſtrahens facultatem, cognoſcetur, quoniam occurrit obiectum, quod eſt efficacius ſuctione; veluti ſi pungatur ventriculus. Si autem vitium attineat ad os ventriculi, ſi cauſſa ſint morbi, ſigna erũt morborum oris ventriculi, de quibus diximus. Si error externus ſit proportio, cognoſcetur ex eo, quod non plus iuſto famem vel ferre, vel non ferre poſſunt. Si error ſint venena, vel opiata; horum ſigna aderunt. D

3. Si deinde mali cauſſa ſit vitium in ſuctione, nõ in ſenſu ſuctionis: ſi vigeat in ore ventriculi, oportet cognoſcere ſpeciem & vitiũ huius cauſſæ. Si cauſſa ſit interna, cognoſcetis, quia nulla externa cauſſa eſt prægreſſa. Vtrum autem interna cauſſa ſit vapor, vel minera, & quæ minera, cognoſcetis e ſignis, traditis in malis ventriculi. Externæ cauſſæ cognoſcuntur e patiente & aſſidentibus. Quoad cauſſam vitii: omiſſo vitio in quanto, & vbi, quoniam in his tantum eſt differentia ſecundum magis & minus, vnde diſcrimen cognoſcitur ex intenſione & remiſſione ſymptomatum, ſi vitium ſit in ſubſtantia, indicabitur e deſiderio praui cibi, vt carbonis. Si vitium ſit in qualitate; caliditas cognoſcetur e diminuta appetentia, frigiditas e fame aucta, ſiccitas ſimiliter e fame aucta, & præſertim ſi annexa ſit frigiditas: nam ſi cum ſiccitate coniungatur caliditas, indicabitur e ſiti aucta: humiditas ex imminuta appetentia cognoſcetur. Si autem fruſtretur cõcupiſcibilis vitio appetentiæ naturalis venarum ventriculi: ſi malũ pendeat a cauſſa replente, ſi hæc cauſſa replens ſit morbus, hoc eſt, intẽperies calida, tumor, obſtructio: cognitio, patet e traditis ſignis morborũ ventriculi. Si autem cauſſa ſit error externus, cum ſit materia replens ventriculum, ſi materia ſit paullatim collecta, cognoſcetur e fame, quæ ſenſim imminuta eſt. Si autem hoc factum ſit vi prolixioris famis pręcedentis, vt non paullatim ſit collecta materia, ſed violentia quadam attracta, cognoſcetis e fame prægreſſa, e ieiunio. Si cauſſæ ſint inanientes, ſi fuerit frigiditas, patebit e ſignis indicantibus frigiditatem ventriculi ſecũdum fundum, de quibus dictum eſt. Si calor robuſtus cõſumat, cognoſcetur e tẽperatura calida principalium viſcerum, e carnoſo habitu, ex ætate florente. Si cauſſa inaniens ſit imbecillitas retentricis, cognoſcetis e fluxu ventris. Si vermis ſit abſumens, ſigna erunt vermium, de quibus infra. Tandem ſi appetentiæ vitium ſit poſitum in inanitione totius corporis: excedens inanitio indicabitur ex inedia, exercitio intenſo, & ſimilibus: deficiens inanitio contra indicabitur e cutis denſitate, & cum Auicenna ex otio. E F

Indicationes. A forma nihil ex vſu indicatur. Cauſſa ſubiecti, oportet ſeruare calidum inſitum oris vẽtriculi, & oportet fouere proportionem. Ratione efficientis, cum efficiens ſit vel morbus, vel error externus. Si morbus, quid indicent morbi, tum ventriculi, tum aliarum partium, petendum e propriis locis. Si cauſſa ſit error externus, ſi cauſſa interna, ſi ad ventriculum attineat, quid indicet, dictum fuit: ſi autem ad alias partes ſuis etiam locis dicetur. Si cauſſa ſit externa, hæc non indicat. G

Prognoſt. Fames morboſa in genere eſt vitium non deſpiciendũ, quoniam aduerſatur inſtaurationi animalis, vnde eſt vehementia eſſentiæ: & attinet ad os ventriculi, quare vehementia dignitatis. Verum diſcrimen eſt pro vi differentiarum. Vnde ratione formæ, cum fames vel auferatur, vel minuatur, vel corrũpatur: ſi paritas ſeruetur, periculoſius eſt vitium, ſi auferatur fames: ideoque Hipp. aph. 6. ſect. 7. ait, inappetentiam, eſſe

A esse malum,& præsertim in morbis diuturnis;nam patitur homo secundum totum corpus,secundum vētriculum,secundum caput:secundum totum quidem, quoniam non nutritur; secundum ventriculum & caput,quoniam facultas sentiens suo munere destituitur,desinit,&ad interitū properat:quo fit,vt dum inappetentia protrahitur,consequatur vehemētia facultatis;siquidem cum Hipp.aph.59.sect.7. fames corpora siccat;& siccare est deducere ad mortem.Sed notandum,cum fames sit quadruplex;Inappetētia, Fames canina,Pica,&Fames vaccina.Si fuerit inappetentia;si patiens copioso alimento non egeat, periculo vacat;veluti in principiis morborum materialium.Atsi patiens alimento egeat,veluti in morbis diuturnis in pueris,in euacuationib.immoderatis;tunc malum non est exigui periculi:nam virtus cōcidit,vnde adest vehementia facultatis:
B quod potissimum euenit,dum prorsus aboletur appetētia ; nam admodum recedit a naturali statu,& multo magis,quam imminuta appetentia. Si fuerit fames canina;si fuerit cū desiderio boni cibi,inter initia vinci potest;at dum producitur,periculo non vacat,& cum Auicēna,degenerat in famem vaccinam:quo enim fames canina diutius durat,eo fit vehementior,& quandoq; coniungitur vehementia facultatis,hincq; oriuntur syncopæ,& homines moriuntur:nam in fame canina cibus ingeritur supra cibum incoctum,cibus ēt euomitur,vnde corpus non alitur,& vis ventriculi hebescit, ideoque fit fames naturæ.In pica,cum sit desiderium praui cibi,vitium est curabile,quoniam pendet a succo vitioso,qui vacuari potest:& ob id Gal.c.7.lib.1.de sympt.causs.ait,prægnantes hoc malo sollicitari,quandiu succi in vētriculo vigent.Sed notandum,malum esse mitius,quo desiderium fuerit cibi minus praui; quia tunc malum producitur a materia minus recedente a naturali statu;& propterea est vehementia essentiæ non admodum intensa.
C Vaccina fames est admodum periculosa:nam cito annectitur vehementia facultatis,quia cum Aetio animi deliquia oboriūtur.Ceterum,si prognosticum capiatur a vi caussarum efficientium;pro vehementia caussarum augetur & minuitur periculum.Quæ autem sit vis caussæ,hoc est & morborum,& erroris externi;patet ex iis quæ dicta sunt in malis ventriculi. Hoc loco quædam notanda, circa intemperiem,& circa proportionem.Circa intemperiem statuit Auicennas,cum inappetentiæ caussa efficiens esse possit caliditas & frigiditas;vitium esse deterius si producatur a frigiditate;nam a caliditate appetitus minus intenditur,a frigiditate magis;& propterea si accidat,vt vi frigiditatis destruatur appetitus, hoc sit ob insignem frigiditatem.Quare cum inappetentiæ caussa esse possit tum frigiditas,tum caliditas:cum frigiditas magis recedat a naturali statu,& hinc sit vehementior secundū essentiam;ob id frigiditas est caussa deterioris inappetentiæ.Circa proportionem scire oportet,quemadmodum proportio est natiua, introducta a principiis generationis,& immutabilis:at fieri potest, vt facultas a proportione contracta, quan-
D doque a secundo actu,id est,ab operatione deficiat;sicuti etiam magnes deficere solet ab attractione ferri,secundo actu,e contactu adamantis:ita colligere etiam licet,famem morbosam,a proportione prodeūtem,corrigi posse,non destructa proportione:nam stante vita,necessario permanet proportio;at proportio ita potest affici,vt cum non conseruetur facultas,facultatis actio,& hinc actus secundus pereat.

De materiis breuiter dicemus.Quid enim postulent morbi ventriculi,cerebri & neruorum;dictum est suis locis.Seorsim autem circa quamlibet famem digrediemur. Quo igitur ad inappetentiam attinet: cum Aetio,Paullo,Alexandro,& Auicenna,cum malum fiat potissimum,quoniam ventriculus vel repletur,vel intemperatus redditur:quantum attinet ad repletionem ventriculi;probantur vomitoria, si ęger ad vomitum sit procliuis:sin minus,probantur vacuantia per aluum. Vnde pro vomitorio *aquam copio-*

Curatio. Ἡ ἀνορεξία. Ad repletionem ventriculi.

E *sam vtpote ad* ℔ *j.ß.& tepidam,frequenter exhibebimus.*Alexander improbat *mulsam,*vt quæ intemperiem latentem corpori insinuet:quod proposuit Alexander, quoniam vomitorio vtitur caussa bilis, & iccirco mulsa improbatur,quia potest calefacere,& in bilioso corpore in bilem mutari. Id quod intelligēdum de mulsa meraciore,quæ multam mellis copiam recipit. Paullus enim probat mulsam, scilicet dilutissimam, cum copiosissima aqua.Sed quia vomitoria nocent iis qui difficulter euomunt:(ventriculus enim vellicatur,distenditur,& hinc appetitus magis subuertitur) ob id studendum,vt quantum fieri potest, vomitus facile fiat:ad quod consequendum cibis humectantibus & potionibus occurrendum;sic namq; recremēta humorosa supernatant,hincq; facile educuntur per vomitum.Et ob id etiam Paullus *ante tepidam exhibet vel ptisanæ cremorem,vel ouorū lutea.*At si prorsus difficulter vomat patiens,probatur potius *aloe.quam scammonium:hoc enim stomachum offendit,& propterea vel non exhibendum,vel in parua copia, & malis co-*
F *toneis castigatum,vnde exhiberi potest Diacydonites,confectum cum exiguo scammonio,seu diacrydio.* Quod si Paullus,cū reliquis,admittit scāmoniū,nobis tē licebit vti *rhabarbaro.*Caussa vero cur Gręci scāmonio, sint vsi,& cur nos rhabarbarū admittamus,est,quoniā expedit quam celerrime bilē vacuare:nā expedit appetitū reuocari. Verū cū medicamenta facilius per aluū euacuent,cū Paullo copiosa & tēpata alimenta prius exhibenda : quare per duos vel tres dies exhibere licet *ouorum vitellos, in iure conquassatos: licet ēt exhibere cremorem ptisanæ,& similia.*Verum si humores vacuādi sint crassi & viscidi: exhiberi poteritis *specierum hieræ* ℥ *ß.cum melle rosato solutiuo* Et vt humores cedant,cum Aetio probatur *oxymeli,item cibi parati cum aqua salita,& proinde sal,cappares,oliuæ,& similia attenuantia,& incidentia.*Optimum in hoc malo est medicamentum,si exhibeatur *mellis ros.sol.*℥ *v.cum oxym.simpl.*℥ *ij.*Si autem ventriculus sit intemperatus; si intemperies calida,Auic.probat *frigidæ potum,*sed ea quantitate,qua calidum innatum non exstinguatur:
G vnde exhibere licet a ℔ j. ß. ad ℔ ij.& potius repetere. Alexander probat *quæ cum aceto parantur. Quare exhibere licet poscam,id est,aquam cum aceto, lactucam,endiuiam,aceto conditas,vt refrigeretur ventriculus. Paullus exhibet panem posca imbutum,& opsonium e lacte & aceto paratum,potest etiam confici cibus e portulaca cum aceto* (: per opsonium intelligimus cibum ab aliis separatum,veluti est salsa,quæ conficitur e petroselino,ex amygdalis, & aliis id genus.) Auicen.etiam extrinsecus probat medicamentum confectum *ex oleo rosaceo, carne cydoniorum,rosis, cum exiguo mastiches: verbi gratia* ℞. *carnis cydon. decoctæ sub cineribus* ℥ *j. olei ros. complet.* ℥ *j. ß. pulu.rosar.* ℥ *j. ß. mastiches* ℈ *ß. Misce, & fiat emplastrum. Mastiche mi-*

Ad intemperiem ventriculi. Calidam.

Frigidam. *ſcetur ad corrigenda medicamenta frigida, & vt ſeruetur calidum innatum.* Si autem intemperies fuerit fri- A
gida; Auicen. proponit *decoctum piperis, cinnamom. diatrionpiper. diacalaminth. mithridatium.* Alexander
probat *theriacam, decoctum rutæ, aniſorum, probat allia, ius columbæ, & vuarum paſſarum:* vuæ enim paſſæ
ſtomacho ſunt gratæ, contemperant ſuccos malignos, & crudos cōcoquunt, & nutriunt. Alexander cum
Paullo probat *vinum vetus, & conditum, id eſt, calidis alteratum*, de quibus in ſermone de frigido ventri-
culo. Extra autem probat medicamentum, confectum *ex oleo de ſpica, de abſinth. maſtichino, additis maſti-
che, xyloaloe, gallia moſchata, maci, & aliis ab Auicen. propoſitis.* Verum admonet Paullus, ſi forte contingat,
vt ſit patiens qui ſimulet inappetentiam, quoniam deſiderat ſibi concedi inutilia; tunc oportet patientes
grauiter reprehendere, vt vtiles cibos admittant. Si non obediant, & hinc cōtabeſcant; expedit cibum pa-
rum deteriorem exhibere. Cibaria autem cum Paullo ita paranda ſunt in hoc malo, vt facile deuorentur: B
quæ non multa egent maſticatione, iniucunditatem afferunt, & appetentiam euertunt.

Ἡ κυνορεξία, ἢ κυνώδης ὄρεξις. Ad frigidā dyſcraſiam, materiam acidam, & ſenſum ſuctionis.

Fames canina ſequitur. Hæc ſi fiat citra inanitionem; cum ſuctio in hac intendatur, vi vel frigidæ in-
temperiei, vel materiæ acidæ: e dictis patet, quæ medicamenta conueniant. Id ſolum cum Aetio notandū:
probari cibaria, quę & ſenſum ſuctionis obtundunt, ſeu compeſcunt; & materiam morbificam attenuant,
ac incidunt, vt facile poſſit euacuari. Ad ſenſum ſuctionis obtundendum; Gal. com. aph. 21. ſect. 2. probat
lenta, & pinguia; nam hæc replent os ventriculi, vt a ſuctione non ita afficiatur. Aetius probat iniucunda,
& quæ in magna copia accepta parce nutriunt. Hinc conueniunt *pultes, placentæ cum melle copioſo, aut oleo
plurimo aut adipe anſerino, gallinaceo, ſuillo, item malua, cerebella. Præterea lac, vel ſolum, vel cum melle: itē oryza
cum lacte: & amygdalæ, nuces pineæ.* Abſtinendum ab acidis & aſtringentibus: nam hęc ſuctionem inten- C
dunt. Quoad incidentia & attenuantia; probantur cibi conditi *allio, porro, thymo, ſatureia, origano, &c.* (vn-
de non eſt mirum, cum ita varia ſint vſurpanda, quod patientes ſæpe non reſtituuntur ſanitati.) *Probatur
etiam vinum alteratum calaminth. ſaluia, guaiaco, ſaſſafras, &c. Vinum autem ſit tenue, fuluum, odoratum,
non valde vetuſtum:* & dabitur tum ieiuno, tum poſt ſumtum cibum, in magna copia, id eſt, ſecundum Ae-
tium, quantum homo bibere poteſt; quoniam hoc vinum vētriculum calefacit, humores acidos deſtruit:
ideoque ſolum vinum quandoq; ſufficit, ad perfectam curationem, q̃ in ſententiam Hipp. aph. 21. ſect. 2.
ait, famem vini potione ſolui: vbi per famem intelligitur canina (teſte Gal. in com.) facta vel ab intempe-
rie frigida, vel ab humore acido: & gloriatur Gal. ſe multos, indeſinenter fameſcentes, ſanaſſe vino abun-
Ad inanitionem. danter exhibito. Quod ſi fiat fames canina vi inanitionis, medicamenta & cibi probātur, quæ a dictis plu-
rimum diſtant. Aloe tunc infenſiſſima eſt, vt ēt incidentia & tenuantia. Probantur autem denſantia cutim, D
vt medicamentum confectum *ex oleo omphacino, cum myrto, aut roſis, ad lentum ignem decoctis.* Licet etiam
vrgente neceſſitate, immiſcere, *alumen ſciſſile, prius in aceto tritum: pro ſingulis ſcilicet olei omphacini vnciis,
miſceri poterunt ſinguli ſcrupuli aluminis.* Cibos Aetius probat ſtabiles, id eſt, qui ægre corrumpantur, *vt co-
chleæ ſunt, & omne penus oſtreorum. Probat etiam carnem ſuum ætate florentium, & potiſſimum probat ventres
& vuluas ſuum: & in ſumma probat cibos tardæ coctionis, & tardæ diſtributionis: vnde & oua indurata, aut in
ſartagine frixa, imo panem non fermentatum. Vinum, in fame canina ex inanitione potius lædit, teſte Galeno:
quare exhibenda aqua, vel vinum aſtringens.* Notādum cum Aetio, circa quantum agendum, in cibis craſ-
ſefacientibus, & medicamentis aſtringentibus, quæ extra applicantur; vt, quantum acceſſio imminuitur,
tantum etiam minui debere cibos craſſos, & medicamenta aſtringentia; ne aliud grauius ſuboriatur ma-
lum, dum crudis craſſiſque ſuccis corpus repletur.

Μαλακία, ἢ κίττα.

Quoad Picam: in hac oportet ſuccum in ore ventriculi impactum diſcutere; & in cauitate exiſten- E
tem euacuare, & ventriculum roborare ne ſuſcipiat. Quoad vacuantia igitur; niſi vomitus ſit admodum
Vacuantia. difficilis, probatur *ius pulli tepidum, cum ſyrupo acetoſo ſimplici, vel etiam cum oxymelite: & vſu poſtulante,
ad ſuccum raphani aſcendere licet*, præſertim ſi vtero non gerat: hæc enim mitius tractanda, ne fiat abortus.
Et ob id Aetius exhibet *aquam tepidam*, præcipue ſi fœmina ventriculum habeat repletum humore acri,
acido, aut ſalſo. Si patiens maxima difficultate vomat; probantur *ſpecies hieræ, mel. roſ. cum oxymelite*: ſi vte-
ro gerat, hieræ ſpecies non conueniunt, quia menſes prouocant. Si lutum appetat patiens; ſecūdum Auic.
Diſcutiētia. exhibeatur *aqua, cum vomitoriis, ad ℔ j. ß. & in ea diſſoluatur lutum mundum ad ℥ j.* Quoad diſcutiētia ſuc-
cos impactos in ore ventriculi; probatur *diatrionpiper. diacalaminthes, & potiſſimum licet conficere pilulas e
quinque granis ammios, macis. ſaſſafras, & Zinziberis fiant pil. num. vij. cum oxymelite ſcillit.* hoc medicamen- F
Roborātia. tum ſumma vehementia diſcutit ſuccos. *Probatur etiam oxymeli ſcilliticum.* Quoad roborantia os ventri-
culi, Aetius probat *ſuccum mali punici dulcis, cum mentha ſicca, ſed aſperſa cremore portulacæ, vel inſperſa de-
cocto polygoni: quæ habent vim aſtringendi. Probantur & alia aſtringentia, vt eſt confectio e ſantalis, & diacy-
donites cum ſaccharo.* Extrinſecus probatur cataplaſma confectum *e roſis, gallis immaturis, malycorio, myrtis
cotoneis, quæ baſeos erunt loco: addenda quæ tenuis ſint ſubſtantiæ, pro vehiculo: itē quæ corrigant frigida, ne cali-
dum inſitum lædatur: pro correctione frigidorum, addatur maſtiche & abſinthium: pro vehiculo, miſceatur feni-
culum, cyminum, aromata: baſis autem in maiori erit quantitate, verbi gratia, ℞ roſarum, gallarum immatura-
rum, malicorio, myrtillorum an. ʒ j. carnis cydon. decocta ſub cineribus ℥ ß. maſtiches, abſinth. an. ℈ ß. fenic. cymi-
ni, cinnamom. an. ℥ v. Miſce & fiat cataplaſma.*

Cibus proportione reſpondebit. Victus mediocris erit, niſi ſit prægnans: tunc enim ſuaſu Aetii, ci- G
Diæta. bum oportet exhibere in minori copia, ſi ſcilicet prægnans ſit, in qua multus ſanguis collectus ſit. Si pati-
ens cibos reſpuat; occurrendum variis & iucundis opſoniis. Si terram patiens appetat; prodeſt ex-
hibere *amylum recens* (ſecundum Aetium) vice terræ. A dulcib. opſoniis abſtinendum, quia ventriculi
os laxant. Et, ſi patiens delectetur dulcibus, miſcenda aſtringentia: vnde opſonium fieri poſſet *e ſaccharo,
cum ſucco cydoniorum.* Ad minuendum ſenſum ſuctionis in pica, p̄bantur *pedes, roſtra, ventricul. porcorū.*
Verū ante cibū, dum inſtitutū eſt ſuccos diſcutere, Aetius exhibet *oliuas ſale conditas, vel v. vel vij. amygda-
las amaras.*

A *las amaras.* Dum propoſitum eſt ventriculum firmum reddere, exhiberi poteſt, *vel polenta, vel panis, cum ſucco cydoniorum, aut punicorum madefactus. Poſt cibum Aetius probat paſſulas.* Et, ſi periculum eſt vomitus, *probat poma granata, pira.* Pro potu probat *vinum fuluum, odoratum, antiquum, & pro robore ventriculi ſubaſtringens.*

Vaccina fames, vel Exquiſita eſt, vel Notha, ſeu ſpuria. Exquiſita eſt, quæ fit a frigiditate agente in os ventriculi; vnde primo intenditur animalis appetentia, mox aufertur, & relinquitur fames naturæ. Βούλιμος. Notha fit (ſecundum Alexandrum) ab immodico calore ag.nte in os ventriculi: vnde calidum innatum ita diſſoluitur, vt niſi æger cibum aſſumat, animo deficiat. In malo igitur vtroque adeſt alimenti penuria: B ideoque alimentis occurrendum, in exquiſita calefacientibus, in ſpuria refrigerantibus. Quoad medicamenta famis vaccinæ exquiſitæ: probantur medicamenta propoſita in temperie frigidi ventriculi, verbi gratia, vti licet *dianthos, conſerua e betonica.* In fame autem vaccina ſpuria, probantur propoſita in calidiori ventriculi intemperie, vt eſt, verbi gratia, *ſaccharum roſatum, conſerua ex acido citri, &c.* At cum Alexandro notandum, *ab opio cauendum eſſe, licet intenſus ſit feruor. Vrgente tamen neceſſitate, probantur magnæ antidoti, ſed recentes. Item Philon. Roman. hæc enim opium recipiunt; ſed plurimis calidis miſtum. Expedit autem his miſcere conſeruas calefacientes, vt eſt dianthon. Proinde Alexander opium ſincerum prohibet quod nonnulli cum frigida exhibebant.* Quoad ea quæ admouentur in fame vaccina notha; probatur *emplaſtrum e carne cydoniorum, additis oleo roſ. cum roſis, & exiguo maſtiches.* Quoad diætam: primum in vaccina fame exquiſita, probatur aer alteratus, *ambra, moſcho, cinamom. aniſo, maci, &c. licet etiam odorari carnem aſſatam:* C ita enim aer aptus redditur, ad reficiendos ſpiritus. Probatur *odor vini aromatici cum aceto.* Præterea in penuria materierum, cum Galeno lib. de med. facile parabil. cap. 15. licet etiam ad olfaciendum porrigere *acetum, fructus odoratos, & terram aceto madefactam.* Cibi ſint euchymi & eupepti. *Vinum probatur vinoſum.* Si fames vaccina ſit notha; probatur aer frigidus: quare odoramenta fiant *ex aqua roſacea, roſis, aceto, pomis, violis, caphura, &c.* Cibos Alexander probat qui ægre coquuntur, *vt oryzam,* & alia ſuperius dicta. Alterandi cibi ſunt in hac fame notha, *endiuia, lactuca, portulaca. Vinum erit pauciferum, & ſubadſtringens.*

Medicamenta. Diæta.

CAPVT VIII.

De Siti morboſa.

D PEr hanc intelligimus ſitim corruptam, hoc eſt, intenſiorem redditam, ſiue ſit immoderatæ potionis, ſiue potionis prauæ. Nomen. Excludimus ſitim ablatam, & imminutam: harum enim doctrina patet e traditis de fame morboſa. Proinde corrupta ſitis generatur, cum corpori aliquid præter naturam occurrit, vi cuius os vētriculi afficitur, vt hæc affectio impertiatur ſenſui interiori, & hinc impellatur animalis appetentia, vt ea lege influat in os ventriculi, vt deſiderium potus præter naturam intendatur. Generatio. Sitis ergo corrupta, eſt concupiſcentia animalis deprauata oris ventriculi, dependens a fruſtratione concupiſcibilis potui deſtinatæ. Definitio. Forma huius vitii eſt concupiſcentia animalis (de qua ſupra) deprauata: ad differentiam & ſitis ſecundum naturam, & præter naturam, ſed ablatæ & imminutæ. Forma. Subiectum eſt os ventriculi. Subiectum.

Ratione efficientis, diximus, quod dependeat a fruſtratione concupiſcibilis potui deſtinatæ: ad differentiam famis. Cauſſa efficiens. Iam ergo proponendæ ſunt cauſſæ, ob quas hæc facultas fruſtratur. Galen. c. 30. l. 1. ſimpl. ait, ſitim fieri, partim humoris inopia, partim caloris copia. E Dum enim vehiculi eſt inopia, inſurgit appetitus huius humiditatis, huius liquidi. Præterea dum adeſt calor immoderatus, eſt priuatio frigidi; vnde plus iuſto calidum inſitum extra mouetur: quare excitatur appetitus frigidi, vt retundatur caloris motus ad extra, & prohibeatur diſſolutio. Cum igitur humoris inopia fiat appetitus humidi, caloris inopia, appetitus frigidi; nihil aliud fit, quam ſitis. Immediata quidem ſitis cauſſa vnica eſt, cum vnus affectus non poſſit habere duplicem cauſſam; ſed mediata, eſt multiplex, quæ tamen ad duos principes fontes reducitur; nimirum ad duplex vitium humiditatis roridæ oris ventriculi: quorum vnum attinet ad quantitatem imminutam, dum humiditas deficit; alterum ad qualitatem, dum humiditas non deficit, ſed efferueſcit. Porro indagandæ ſunt cauſſæ, ob quas rorida humiditas, & deficit & efferueſcit. Deficit, cum Auic. Alex. & reliquis, propter cauſſam Internā, vel Externam. Defectus humiditatis roridæ. Interna cauſſa, eſt morbus ſiccus oris ventriculi, & humor ſiccans, & renum diabetica affectio. com. aph. 19. ſect. 4. F Externa cauſſa non neceſſario occurrens, eſt veluti medicamentũ ſoluens, nimium purgans; medicamentũ etiam aſtringens & exprimens humiditatē; item venena exſiccantia. Cauſſa externa neceſſario occurrens, eſt veluti cibus ſtipticus, conſumens humiditatem: item defectus potionis, com. aph. 27. ſect. 5. item immoderata inanitio, vigiliæ, timores, mœrores, dum excedunt. Efferueſcit rorida humiditas, ob cauſſam Internam, vel Externam. Efferueſcētia humiditatis roridæ. I. Interna, eſt cauſſa calefaciens; quæ vel ſimplex eſt Qualitas, vel Humor calidus. c. 30. l. 1. ſimpl. Simplex caliditas detinēs os ventriculi, vel eſt cauſſa Præcipua, vel Sine qua non. Cauſſa præcipua, ſeu principalis, eſt intēperies ventriculi calidior, quæ ſuborta ſit citra vitium caliditatis alterius partis. com. aph. 19. ſect. 4. Caliditas autem ſine qua non, eſt caliditas affligens os ventriculi, ſed impertita ori ventriculi vel a Toto, vel a Parte. com. 1. l. 4. de ratione victus. Si caliditas ſit in toto, vel in febre ardenti, ſitim omnino parit e neceſſitate. Si fuerit caliditas in parte; ſitis nō oboritur, niſi pars primo affecta proxima ſit ventriculo, aptaq; ſit ad producendū ſitim: G primum locum cum Galeno, tenet os ventriculi; ſecundum, ventriculi corpus; tertium, œſophagus: quartum, pulmones: quinctum, ieiunum inteſtinum. Ratio eſt: nam os ventriculi eſt pars, ſine cuius affectione non fit ſitis: reliquæ partes ſitim cōmittunt, quatenus in conſenſum ducunt os ventriculi, h. e. vbi impertiuntur veluti caliditatē ori ventriculi. Dum Gal. pulmonē proponit, nō excludit cor, quatenus cor eſt viſcus in thorace contentũ: vnde Auic. ſtatuit, ſitim fieri a corde, & a pulmone, dum hæc viſcera incaleſcunt. Præterea, cũ ſitis fiat a ieiunio inteſtino: iure Auic. ait, etiā fieri ab hepate. Quin etiā, cum Auic. a cerebro,

ſi inſignem contraxerit feruorem,caliditas impertiri poteſt ori ventriculi;indeque ſitis excitari. Auicen. A
non fuit ſuperfluus,nec Galen.diminutus:hic enim per motum exempli loquitur; ille e propoſito. Hæc
II. de ſimplici caliditate,quæ eſt in cauſſa ſitis.Quoad materiam:poteſt eſſe Vapor,vel Minera. Vapor eſt febrilis,item ſalſus vapor, prodiens a materia aquoſa in hydrope aſcite: vnde Auic.ait,ſitim fieri in hydrope,quoniam prohibetur tranſitus humiditatis,quæ membra humectare debebat:dum ait,membra priuari humiditate,intelligit ſitim naturæ,non animæ,ratione ventriculi, intelligit ſitim animæ; nam materia aquoſa,ſeu potulenta, ſi detineatur, ſalſa euadit,& hinc mittit in os ventriculi vapores ſalſos, & calidos, vnde fit ſitis. Quemadmodum etiam vermis mortuus vapore calido poteſt ſitim parere. Quoad humorem ſeu mineram,præſertim eſt materia bilioſa,item ſalſa pituita. At humoris vitium, quandoque eſt a toto genere præter naturam;veluti ſi quis appetit vrinam, c.7.l.1.de ſym.cauſ.ſed hic humor vergit ad calidum,ad differentiam humoris,qui picæ eſt cauſſa.Ceterum & vitium in ſubſtantia eſſe poteſt, dum humor putreſcit.Sed perpetuo vitium ſitum eſt in caliditate,qua afficitur bilis amara, pituita dulcis, pituita potiſſimum ſalſa.Cauſſa externa non neceſſario occurrens, eſt medicamentum calidum, vel acre,vel ſalſum.com. aphor.19 ſect.4 præterea & medicamentum purgans,qua euacuat,& humiditatem abſumit(ſi enim concurrat vt calidum,humiditatem accendit.)Huius ordinis eſt venenum calidum. Efficax admodum cauſſa ſitis eſt viperarum punctio,quoniam emittitur virulentia,cuius forma eſt tantæ actiuitatis, vt ſui calore,ceu organo,vehementer accendat oris humiditatem,& vehementer ſiccet,ac abſumat. Secundum Auicennam igitur,vinum viperinum,ceu veneficum,ſitim parit. Cauſſa autem externa neceſſario occurrens,eſt aer æſtiuus, præſertim ſi eo tempore fiat iter. Concurrit etiam cibus vel copioſus vel calidus,vel craſſus,vel lentus. Copioſus quidem cibus, cauſſa eſt ſitis;nam huius gratia laborat calor ventri- C
culi,vnde efferueſcit humiditas,præcipue quia cibus copioſus non facile deſcendit, vnde vicinus manens ori ventriculi,ſuo vapore humiditatem accendit.Quo fit,hanc ſitim ſomno ſedari:quippe qui eſt in cauſſa,vt calor vniatur,& non ita laboret. Somnus etiam prodeſt cum Galeno, com.aph.27.ſect.5.quoniam eſt in cauſſa,vt deſcendat id quod facit ſitim. Calidus deinde cibus in cauſſa eſt ſitis, quoniam humiditatem accendit:vnde ſeſamum,& eryſimon,vt calida ſunt,faciunt ſitim.c.30.l.1.alim.quemadmodum etiam cibi aromatibus conditi,& cum Auic.piſces ſaliti. Cibus denique craſſus & lentus poteſt eſſe in cauſſa ſitis,inſtar cibi copioſi;quoniam calor laborat,& in attenuatione,& in deterſione. Præterea cauſſa ſitis eſt potio calida,vt vinum, aqua ſalſa.com.35.l.2.de ratione vict.& com.1.l.4.de rat.vict.& com.aph.27.ſect.5.
Auicennas addit ſomnum,tanquam cauſſam ſitis,ſi ſcilicet fiat ſuper cibum calidum: nam in cauſſa eſt,vt D
vapor calidus petat os ventriculi.Auicennas etiam addit motum vehementem & linguæ,& totius corporis:& tandem iram:nam huius cauſſa humiditas oris ventriculi accenditur.

Differentię. Quoad differentias,ratione formæ;concupiſcibilis intenſior,eſt vel ſimpliciter Potus, vel Potionis prauę.A ſubiecto non ſumuntur differentię.Ratione efficientis;ſuctio eſt immodica,quoniam oris ventriculi humiditas,vel Deficit,vel Feruet.Atque vtcunque ſe habeat;defectus & feruoris cauſſa eſt, vel Interna,vel Externa.

Signa. Sitis in genere ab ægro fit euidens:ſicut etiam differentiæ a forma. Ratione cauſſæ efficientis;cum oris ventriculi humiditas vel deficiat,vel accendatur:cum Auicenna deprehendetur, e ſignis præſentibus vel inopiæ humiditatis, vel excedentis caliditatis. Quoad cauſſas inopiæ humiditatis,& proinde quoad cauſſas ſiccantes:ſi cauſſa ſiccans ſit intemperies ventriculi: ſigna patent e proprio loco. Et ſimiliter ſi in E
cauſſa fuerit humor ſiccans.Si cauſſa ſit, morbus renum;ſunt ſigna diabeticæ affectionis. Si cauſſa ſit accendens humiditatem oris ventriculi;vtrum ſit vel caliditas, vel humor calidus; cognoſcetur e traditis de intemperie ventriculi calida, vel ſine materia,vel cum materia. Vtrum autem caliditas ſit vel principalis, vel ſine qua non:deprehendetis e ſignis,vel indicantibus,vel non indicantibus vitium extra ventriculum, verbi gratia,e febre cognoſcetis, caliditatem eſſe ſine qua non,& a toto prodire. Si in iecinore fuerit inflammatio;pariter cognoſcetis ex hac inflammatione,caliditatem eſſe ſine qua non,& prodire ab hepate. Et ſic de reliquis.Num cauſſa ſit vapor,vel humor; cognoſcetis e traditis in ſermone de intemperie ventriculi;vbi tradita ſunt ſigna cuiuslibet & vaporis,& humoris.

Indicationes. Secundum Gal.c.30.l.1.ſimp.ſi ſitis fiat ex humoris inopia;humectare oportet:ſi e caloris abundan- F
tia;ſi ſimplex ſit caliditas,oritur indicatio refrigerandi:ſi humor,vacuandi.

Prognoſt. Non autem eſt contemnendum hoc vitium:quia, vt & fames, nocet refectioni coporis. Si autem perpendamus differentias: ratione formæ;ſitis eſt magis periculoſa, ſi fuerit deſiderium prauæ potionis. Ratione cauſſæ efficientis:ſi cauſſa efficiens ſit vehementior;malum non tantum periculoſum eſt,ſed interdum etiam lethale:& propterea Galenus cap.7.l.1.de cauſſis ſympt.ait, obiiſſe quoſdam,qui pertinaciter ſitim ſuſtinere voluerunt:& nonnullos obiiſſe,qui malignam aquam immoderate biberant:præterea, qui viperam comederat, & qui vinum viperinum biberat: obiit etiam ex inopia & feruore humiditatis, qui vinum vetus ad ebrietatem hauſerat.Vbi notandum,ſitim non fuiſſe mortis cauſſam, ſed fuiſſe occaſionem,vt homo impatiens vinum biberet immodice,quod vinum deinde mortis fuit cauſſa: ſicut etiam contingit ei,qui ardenti correptus febri,immodice frigidam bibit. Sed ad rem: Cauſſa admodum vehe- G
mens eſt in cauſſa mortis:nam inſigniter afficitur os ventriculi,vt emergat qualitas ſpiritalis ita infenſa,vt cordis calor euertatur,& homo pereat.

Curatio. Aceti vſus. In hoc malo pro diuerſitate cauſſarum variis vti oportet præſidiorum materiis: ca 30.l.1.ſimp. Nam in ſiti a ſiccitate,omne *acetum* improbatur.In ſiti a caliditate & ſiccitate, probatur *acetum, ſed aqua miſtum*.Tandem in ſiti,a pituita ſalſa,probatur acetum ſimplex.Acetum enim ſtrenue refrigerat, & humectare non poteſt,expedite permeat,incidit;quare in ſiti e ſiccitate improbatur, cum exſiccet:in ſiti e caliditate & ſiccitate,probatur,ſed aqua miſtum:nam acetum refrigerat,aqua permiſta humectat: probatur

deni-

A denique acetum simplex in siti, cuius caussa est salsa pituita, quoniam refrigerat salsam calidamque pituitam: præterea pituitæ humiditatem siccat, crassitiem incidit. *Vacuantia* probantur in siti, quæ fit a materia. Proinde cum Alexandro, si patiens facile euomat; si peccet bilis; probatur *aqua hordeacea tepida, & simplex aqua tepida.* Auicennas dicit, aquam frigidam sitim augere, & tepidam minuere: quoniam vi aquæ frigidæ bilis, quæ est in caussa sitis, magis detinetur, & virtute tepidę euacuatur. Si pituita salsa sitis fit caussa, probatur *aqua hordeacea, cum oxymelite.* Et si æger difficulter vomat; probantur varia per aluum lenientia: de quibus alibi diximus. Quoad *alterantia:* probantur, quæ fauces possunt alterare: ea enim alteratio ori ventriculi impertitur. Quare cum Galeno, com. aph. 54. sect. 4. dicendum, febre ardenti correptos, non sitire, si a tussi sicca leuiter irritentur; quoniam per tussim oris partes humectantur. Iure B igitur Auicennas probat *frigidam*, administratam super linguam. Confert in ore detinere *nucleos prunorum, folia lactucæ, immersa in frigida: probantur caules lactucæ. Et cum Aetio probatur liquiritia. Uti etiam licet cremore pampinorum vitis, succo portulacæ, succo cucumeris: probantur etiam grana punicorum, arantii, probantur limones frusta melonum quæ sunt prope corticem, anguriæ, cucumeres.* Possumus hoc medicamento vti: ℞ *sem. num cucumeris hortensis, melonum, amygdal. dulcium, diacodeion in forma solida, cum sacharo, ana ʒ j. cum albumine ouorum, fiant pilulæ.* Et, si malum non cedat; hæc medicamenta non tantum in ore sunt detinenda, sed etiam deuoranda.

Vacuantia.

Refrigerantia, & humectantia.

Ceterum, si eueniat, vt immoderatus sit vini appetitus, vt propterea homo ebrius euadat; bifariam possumus occurrere: primum, remediis, quorum beneficio homo a copioso vino abstinet: deinde medicamentis, quorum beneficio homo citra ebrietatem bibat, quantum libuerit. Quoad primum, potius ali- C mentis quam medicamentis occurri potest: ideo in doctrina de diæta simul hæc persequemur. Auicennas igitur in siti prodeunte a pulmone probat aeris frigidi attractionem: quare vrgente feruore pulmonis, expedit prope os detinere vas frigida repletum. Cibus (nisi sitis prodeat a salsa pituita) probatur refrigerans & humectans. Vnde Galenus cap. 4. lib 3. de temperam. probat *lactucam:* & cap. 9. lib. 1. de alimen. & cap. 5. lib. de ptisana, probat *ptisanam hordeaceam.* In summa probantur cibi propositi in calidiore & sicciore ventriculo. Si autem sitis prodeat a salso humore; cum Alexandro ad detersionem probantur *cibi salsi, vt cappares, salsamenta, pisces saliti:* c. 6. l. 7. Quoad potum, si sitis procedat ex inopia alimenti; *vinum* exhibendum, quale sine noxa bibere consueuerunt. Si sitis prodeat e caliditate; *aqua* exhibenda. comm. aphor 27. sect. 5. Si e bile fiat sitis; probatur *aqua.* Si e salsa pituita; *cum aqua oportet miscere acetum.* Tan- D dem si immodicum sit desiderium vini: & primum, vt patiens ab hoc appetitu vindicetur, probatur *vinum detentum in vase, in quo, patiente inscio, immissa sit vel anguilla, vel lacerta viua, vel testudo lacustris, vel semina caulium Probatur etiam vinum medicatum, cum myrto, vel granatis.* Ceterum Auicennas circa vsum potus probat, vt non bibatur aqua plurima subito: vnde Philosophus probl. 57. sect. 1. ad exstinguendum sitim laudat potum exiguum, sed frequenter exhibitum. Probat quidem paruam dosin: nam licet possit esse indicans summæ actiuitatis, tamen virtus prohibet: quoniam aqua copiosa mortificat calidum insitum, secundum Auicennam: verum gratia sitis atque etiam virtutis, oportet frequenter exhibere. Et si contingat, vt indicans sit admodum vehemens; potio exhibenda est etiam tempore noctis, com. aphor. 27. sect 5. quod non faciendum, si modica sit sitis, quoniam sitis non valde intensa per somnum corrigitur. Si sitis fiat e caliditate; secundum Aetium, probantur vigiliæ, quoniam refrigerant: & propterea so- E mnus (vt supra dixi) super cibum calidum, sitim excitat. At si fiat sitis a siccitate; cum Aetio & Auicenna probatur somnus. Et similiter si fiat ex humore: nam per somnum coquitur humor & descendit. In siti e siccitate: quia labor siccat, improbantur tum corporis, tum animi motus, secundum Hippocratem. text. 31. lib. de sal. diæt.

Diæta, in siti tenenda.

Vt vini oriatur fastidium.

Plura, de diæta.

Quod si patiens summe vinum appetat, ac facile inebrietur: occurrendum præsidiis & assumtis, & applicitis. Quoad assumta: antequam homo vinum bibere incipiat, oportet *vt hauriat duo vel tria cochlearia olei communis simplicis, extracti ex immaturis oliuis, & oportet addere sem. caulium* ℈ j. *oleum quidem supernatando prohibet ascensum vini vaporum: & quia factum est ex oliuis immaturis, propellit etiam vapores vini ad partes infernas, præsertim si misceatur puluis caulium:* summa enim est inimicitia inter caules, & vi- F tem: nam si brassica prope vitem plantetur, discedere ab inuicem hæc duo videntur. Quoad ea quæ admouentur; roborandum est caput, & abluendum *e lixiuio, & aqua alterata cum brassicis.* Videatur Galenus, cap. 1. lib. 2. κ. τόπ.

Ad auertendum ebrietatem.

CAPVT IX.

De læsa chylificatione.

DVplex in ventriculo celebratur coctio, vna cibi, altera chyli: nam ope alteratricis cibus primum mutatur in chylum: mox chyli portio ope eiusdem alteratricis in substantiam conuertitur ventriculi. Nos in præsentia versabimur circa concoctionem, vt ad cibum refertur, cuius opus est chylus: mutationem autem cibi in chylum, vocamus chylificationem. cap. 1. lib. 3 de symptom. caus. Per chylum vero non oportet intelligere cremorem ptisanæ, substantiam albam, aut lac; sed cibum, mutatum in quandam sub- G stantiam, quæ conuenientem assequitur qualitatem, vt in iecinore in sanguinem conuerti possit. Quoniam ergo impossibile est, vt error, qui in prima coctione committitur, corrigatur in secunda coctione: sequitur, quod per chylum non debemus intelligere substantiam simpliciter liquidam, & albam: sed eam, quæ obtinet conuenientem qualitatem, quam acquirit ab alteratrice ventriculi. Quod si enim e bruto sanguis extrahatur, sanguis est, sed nō est sanguis, qui in humano iecore in sanguinem fit cōuersus: ideo in sanguinem in humano iecinore debet conuerti. Dicemus ergo de læsa chylificatione, & quidem in genere, hoc est, quatenus Aufertur, Imminuitur, & Corrumpitur. Malum hoc ita sumtū, hoc modo generatur:

Nomen.

Generatio.

oportet ventriculo aliquid occurrere præter naturam; vi cuius chylificatio (vel propria ratione, vel fru- A
ſtratione reliquarum facultatum, famulantium chylificationi) ita fruſtretur; vt mutatio cibi in chylum
Definitio. præter naturam efficiatur. Vnde ſic poteſt definiri: Læſa chylificatio eſt functio præter naturam ventri-
Forma. culi, dependens a fruſtratione chylificatricis. Forma, eſt functio præter naturam, quare quid genericum,
quod prædicatur de chylificatione ablata, imminuta, & corrupta. Nam cum Galeno c.4. lib. de diff. ſymp.
in coctione triplex eſt vitium, nempe cruditas, concoquendi tarditas, & prauitas. Cruditas, ſeu ἀπεψία di-
citur, ſi nulla omnino alteratio fiat, cap.1.l.3. de ſymp. cauſ. Si autem cibus alteretur, non tamen ſicut opor-
tet, cruditas a Galeno adhuc vocatur, at non vt prius. Et propterea dum nulla fit alteratio, vocari poteſt
cruditas ſimpliciter: dum fit aliqua alteratio, ſed non vt fieri debet, fit cruditas ſecundum quid, quia in
hac non priuatur, ſed deprauatur. Ceterum, hæc alteratio deprauata duplex eſſe poteſt: nam vel alteratio B
tarde fit, & cibi nondum conuenientem mutationem ſuſceperunt: & vocatur βραδυπεψία, ſeu tarda co-
ctio: vel fit alteratio, vt cibus corrumpatur omnino, vnde cum Galeno naturalem gratiam cibus prorſus
recipere nequit: & hæc proprium nomen non habet, ſed licet nobis διαφθορὰν, id eſt, chylificationem cor-
ruptam nominare. Notandum igitur differentiam eſſe, inter imminutam & corruptam coctionem: nam
in diminuta, cibus naturalem gratiam ſuſcipit, ſed tempore longiori: in corrupta nequaquam cibus ſuſci-
pit naturalem gratiam. Et propterea dum dicit Galenus, in tarda coctione cibum nondum conuenien-
tem mutationem ſuſcipere: nihil aliud vult, quam cibum, qui nondum cõuenientem mutationem ſuſce-
pit dicenti tempore, tandem tarde mutationem decentem accepturum. At dum Aetius dicit, interdum
contingere (ſcilicet in bradypepſia) vt cibus nunquam propriam mutationem accipiat; intelligit, ſecun- C
dum aliquam cibi partem: nam ſi cibus ſecundum omnes partes propriam tranſmutationem non ſuſci-
peret; ſecundum nullam partem nutriret: ideoque in tarda coctione fieret atrophia, non gracilitas, quæ
Subiectum. non penetrat vltra pinguedinem & carnem, ſicut macies: quod tamen citato Galeni loco aduerſatur. Sub-
iectum eſt ventriculus; per quod diſtinguitur a fruſtratione læſa aliarum partium: intelligere autem opor-
tet ventriculum præſertim ſecundum fundum. Vnde Auicennas dicit, nocumenta digeſtionis ſequi no-
cumenta in inferiori ſtomacho.

Cauſſa efficiens. Efficiens cauſſa, his verbis deſcribitur: dependens a fruſtratione chylificatricis: qua particula, diſtin-
Chylificæ guitur læſa chylificatio, a læſa ventriculi attractione, retentione, & expulſione, cap.1. lib.3. de ſymp. cauſ.
facultatis Fruſtratur autem chylificatrix, vel Propria ratione, vel ex Accidenti. Hoc vt intelligatur, ſupponendum e
fruſtratio. cap.8. & 11. lib.3. de facult. natural. ventriculum, inſtar cuiuslibet partis, quatuor facultatibus eſſe dona- D
tum; nempe alteratrice, attractice, retentrice, & expultrice: quæ facultates, præter communes functiones,
quas gratia nutritionis obeunt, id etiam in gratiam totius corporis præſtant. Vnde alteratrix cibum mu-
tat in chylum: attractrix rectis fibris contractis, cibum attrahit: retentrix fibris obliquis cibum attractum
vndique amplexatur, & donec in chylum mutetur, continet: expultrix denique fibris tranſuerſis tum
Fruſtratio quodlibet excrementum, tum chyli portionem ſuperuacaneam expellit. Chylificatio igitur propria ra-
χυλώσεως tione dicitur fruſtrari, dum deficit a ſuo munere, citra fruſtrationem reliquarum facultatum. Cum Ga-
propria ra- leno igitur, cap.1. lib.3. de ſymp. cauſ. chylificatrix propria ratione fruſtratur, vel quia Læditur, vel quia ali-
tione. quis Error externus occurrit. Læditur facultas ob morbos ventriculi. Vnde, ſi morbi ſint in intemperie,
1. Ob mor- Labefactatur facultas: ſi in mala compoſitione, Impeditur. Et de his morbis ſuo loco diximus. Galenus
bos ventri- ait, facultatem labefactari, ob intemperies quaſdam actiuarum qualitatum: quaſdam dicit, intelligens in- E
culi. temperiem ægritudinis, ad differentiam intemperantiarum ſanitatis: proponit autem tantum actiuas
qualitates, quia reſpicit ad intemperantias, vt ſunt cauſſa ablatæ actionis breui tempore, id eſt, vt ſunt ma-
gnæ actiuitatis: quod fit a calido, & frigido, non ab humido & ſicco. Quod ſi ab humido auferatur actio,
hoc fit per mediam hydropem: &, ſi per ſiccitatem auferatur actio, hoc fit interuentu ſenii, vel maraſmi.
Notandum per quamlibet valde intenſam intemperiem auferri coctionem, ſeu actionem: ita tamen, vt
citius & magis lædant qualitates actiuæ; & inter actiuas cum Auicenna magis lædat intemperies frigida,
2. Ob erro- quia magis nocet calido inſito. Hæc de cauſſis, ob quas læditur chylificatrix propria ratione. Dubitatur
rem exter- autem num etiam lædi poſſit ob errorem externum. Nam Galenus. cap. vlt. l.1. de loc. aff. ait, naturæ actio-
num. nem ſemper lædi affecto organo: ſi ergo ſemper afficitur organum; ſemper læditur actio vi morbi, non F
autem propter errorem externum. Reſponſio. Organi affectio non ſemper eſt morbus, ſed interdum
eſt error externus, vi cuius afficitur organum, eſt quidem organum naturæ, ad differentiam organi ani-
mæ, id eſt, facultatis animalis: & recte quidem: nam animalis facultas influit, naturalis eſt inſita: vnde error
Error ex- qui afficit organum naturæ, eſt etiam error ex vſu, id eſt, indicans vtile. Sed ad rem. Si chylificatrix fruſtre-
ternus tri- tur propria ratione, ob errorem externum: Galenus cap.1. lib.3. de ſympt. cauſ. ſtatuit errorem externum
plex. triplicem eſſe, nempe attinentem ad Ventris excrementum, ad Cibum, ad Tempus ſomni. Ratio nume-
ri hæc eſt. Error externus rationem habet cauſſæ morbificæ: & hæc Interna eſt, vel Externa. Si interna, eſt
excrementum in ventriculo detentum. Si externa, hæc eſt Principalis, vel Secundaria: principalis eſt ci-
bus; ſecundaria, eſt ſomnus exiguus. Cibus quidem eſt cauſſa præcipua: nam ad coctionem celebrandum
duo potiſſimum concurrunt, nimirum agens & paſſum: agens eſt ventriculus, paſſum eſt cibus. Et pro-
pterea dicit Auicennas cibi coctionem lædi, quatenus vitium eſt, vel in receptore cibi, id eſt, in ventricu- G
lo, vel in cibo. Somnum autem exiguum eſſe errorem in ratione cauſſæ non principalis, inde facile colli-
gitur; quoniam, licet nullum ſit vitium, vel in ventriculo, vel in cibo: tamen, ſi error committatur in ſo-
mno, vt ſomnus iuſto breuior ſit, læditur actio. Quare Auicennas ſumma diligentia reſpiciens ad cauſſas
non principales; inquit, coctionem lædi, vt vitium eſt in rebus accidentibus, ſuperuenientibus poſt aſ-
ſumtum cibum, quemadmodum eſt ſomnus exiguus. Quare Galenus per vitium in tempore ſomni, inſi-
nuauit omnes cauſſas, externas, ſed non principales: nam in eodem capite proponit etiam vitæ rationem,
in cœ-

A in censu erroris externi, quia proponit equitationem, piscationem, ambulationem, nauigationem, Venerem, balneum, &c. Itaque cum error externus sit triplex, nimirum excrementum, cibus, & ea quæ extrinsecus superueniunt: quantum attinet ad excrementum: potest esse Vapor, sed potissimum Humor: hicque humor esse potest Pituitosus, Biliosus, Melancholicus. Excrementi autem vitium multiplex esse potest, nempe Putridum, vt quilibet humor: præterea Frigidum, vt excrementum pituitosum, & melancholicum: Calidum, vt bilis, pituita salsa, bilis atra exusta. Præterea vitium esse potest in excremento quatenus Moram trahit in ventriculo; & quatenus Aliunde fluit: oportet autem fluere, secundum Auicennam a capite, ab hepate, splene, & aliis partibus: siquidem & generatur quandoque in ventriculo, quandoque extra.

1. Excrementum in ventriculo.

B Ceterum, Galenus cap. 1. lib. 3. de symp. caus. ait, si excrementum sit calidum, chylificationem corrumpi, in qua corruptione cibus mutatur in chylum nidorulentum: hoc autem excrementum calidum & nidorulentum varii potest esse nidoris; modo enim tanquam virus, modo lutum, modo crudos pisces, modo indicibilem putredinem olet. Si autem excrementum sit frigidum, si cibis permisceatur: corruptio fit acida; de qua locutus est Galenus cap. 4. lib. 5. de vsu part. Quod si excrementum frigidum non permisceatur cibo; tunc coctio imminuitur. Auicennas ait, coctionem cibosque corrumpi, quia cibi vel acquirunt qualitatem, non proportionatam ad aliquam qualitatem consuetam, vel putrescunt cibi, vel aduruntur, vel acescunt. Quibus hoc vult: Si excrementum toto genere sit præter naturam, quamuis non putridum, cibos affici qualitate insueta: si autem excrementum putrescat, cibum putrescere: si excrementum sit calidum, cibos aduri, & nidore affici: si frigidum sit excrementum, cibos acescere. Hæc de excremento.

2. Cibus.

C Quoad cibum, hic bifariam accipitur: primum, vt est materia alimentalis: deinde, quatenus vsurpatur & administratur. Si capiatur vt materia alimentalis: perpendi potest, vel secundum vitium, vel secundum caussam efficientem. Vitium attinet ad substantiam, vel ad qualitatem. Si perpendatur secundum caussam: tunc vitium pendet vel a natura, vel ab arte. Denique si accipiatur cibus, vt vsurpatur: vitium pertinet ad quantum agendum, quomodo agendum, & quando agendum. Declaro. Vitium ad substantiam spectat, dum cibi sunt vel putridi, vel sua forma aduersarii, qui coctionem corrumpunt, & secundum Auicennam a proprietate appetentiam euertunt. In qualitate prima vitium est, dum cibi sunt vel calidiores, vel frigidiores: in secunda qualitate, dum cibus est vel tenuior, ac facile corruptibilis; vel crassior, & grauis, diuque manens in ventriculo, &, si non coquatur, remanet vel crudus, vel imminute coctus. Si vitium attineat ad caussam efficientem: si caussa sit natura, est cibus natura prauus, vt fungi. Si caussa sit

1. 2. 3. 4.

D ars; dirigitur ars vel ad vnum cibum, vel ad plures. Si ad vnum cibum ars dirigatur: est veluti, frumentum boni succi, quod vitium contrahit ob malam artem, si nimirum diu seruetur, vt ab auaris fieri solet, vel si in loco humidiore seruetur, vt corrumpatur. Ita si ouum boni succi, per coctionem durius euadat. Artificium dirigitur ad plures cibos; vt sunt cibi qui conficiuntur e pasta & lacte, quemadmodum sunt tortæ. Tandem, si capiatur cibus vt vsurpatur: quoad quantum agendum; si vitium sit in excessu, cibus non vincitur, non coquitur, vnde crudus permanet: si in defectu, veluti exuritur, vnde fit corruptio nidorulenta. Quoad modum: cibus nocet, dum iusto vel calidior, vel frigidior vsurpatur. Quoad tempus seu quando agendum, bifariam perpenditur: primum, vt cibus exhibetur horis diuersis, interuallo scilicet quinque, vel sex, vel plurium, aut pauciorum horarum, & si committatur error, vocatur a Galeno intempestiuitas. Deinde perpenditur tempus, quatenus cibus eadem hora offertur: dum in eodem prandio, vel in eadem cœna plures exhibentur cibi, vnus prius, alter posterius: & si cōtingat error, a Galeno dicitur, incongruus

5. 6. 7.

E ordo. In vtroque vitium est, quando cibus exhibetur, præsente aliquo quod prohibet, id est, quod vincit indicantia alimentum. Si enim diuersis horis exhibeatur cibus: id quod prohibet, seu vincit, est materia exsistens vel in ventriculo, vel infra ventriculum, in ventriculo, dum hic repletus est vel cibo, vel excremento; Auicennas vocat, repletionem in stomacho, dum cibus supra cibum incoctum ingeritur; innuens repletionem a cibo: præterea, remanentiam alterius, diuersi scilicet a cibo, innuens repletionem ventriculi ab excremento. Materia infra ventriculum exsistens etiam prohibet, quo minus recte fiat coctio, ideoque vtile est, primum materiam exercitiis distribuere, mox cibum exhibere. Vnde Auicennas dixit, errorem externum consistere in tempore cibandi, si assumatur cibus post expulsionem cibi primi, id est, cibi in chylum conuersi, ante exercitium consuetum. Quoad cibos qui eadem hora exhibentur; id quod

F prohibet, est cibus prius assumtus. Cum enim cibus sit vel tardæ, vel velocis digestionis; item, vel astringens, vel aperiens, si prius assumatur cibus tardæ digestionis, sui præsentia prohibet cibum velocis digestionis: alias enim fieret supernatatio & corruptio. Sic cibus stipticus prius sumtus, prohibet cibum aperientem: nisi (monente Auicenna) præmittatur cibus stipticus ad cohibendum aluum. Sequitur caussa externa secundaria, seu superueniens ventriculo, vi cuius venter non concoquit, nec concoquere tentat. Hæc autem caussa est primum aer, peccans vel substantia, vel immodico calore aut frigore: quibus omnibus coctio læditur. Huc facit, potus copiosus, potus deficiens, somnus exiguus, vigiliæ: nam cibus eget somno gratia concoctionis. Addit etiam Auicennas importunum & vehementem motum tum corporis, tum animi. Læditur etiam coctio, si ilico post cibum quis venere vtatur, balneo, equitatione, cursu, &c. Sic chylificatrix propria ratione læditur.

3. Extrinsecus superuenientia.

G Sequuntur caussæ, ob quas chylificatrix ex accidenti læditur seu potius frustratur: quæ diriguntur ad Attractionem, Retentionem, & Expulsionem. Attractio, cum Galeno cap. 2. l. 3. de sympt. caus. læditur; quoniam vel Aufertur, & dicitur paralysis ventriculi: vel Imminuitur, dum vix & longo tempore fit attractio, & dicitur stupor, vel Corrumpitur, dum fit cum malo ventriculi motu, nempe cum palpitatione, vel singultu, vel concussione, vel veluti tremore. Læditur igitur attractio vel Læsa facultate, vel ob Errorem externum. Facultas læditur ob morbos, de quibus supra diximus: præsertim autē ob intemperiem frigidam, humidam, quamuis a qualibet morbosa intemperie lædatur. Porro, vt intelligatur, quid statuen-

Frustratio χυλώσεως ex accidente.
1. Attractio læsa.

dum ſit de qualibet intemperie, facultatem lædente:ſciendum (cum Galeno ca.3.l.3.de ſymp.cauſ.& cum A
Auicenna prima,primi, cap. proprio de virtutibus naturalibus) caliditatem omnibus facultatibus eſſe
communem: humiditatem autem iuuare concoctionem, præſertim ſecundum nutritionem, & potiſſi-
mum ſecundum incrementum:ſiccitatem autem reliquis tribus opitulari. At in concoctione ſeu altera-
tione,intenſior requiritur caliditas,quam humiditas;ne tamen ita ſit intenſa,vt colliquet: hinc fit ventri-
culum iuuari a caliditate vicinarum partium,vt omenti, &c. Remiſſiori caliditate opus eſt in attractio-
ne: adhuc remiſſiori,in expulſione: maxime remiſſa, in retentione. Hinc fit, retentricem & expultri-
cem a frigiditate,ſed per accidens,iuuari. Siccitas a concoctione excluditur:magis viget in retentrice;mi-
nus in attractice; adhuc minus in expultrice: & ratio eſt, quoniam attractrix ſiccum requirit, quatenus B
apponit;præſertim autem attractrix quæ operatur ſine fibris; nam quæ fibris euidentibus operatur, non
apponit,& proinde ita ſicco non eget.Sic retentrix etiam aſtringendo ſiccum poſtulat. Quod ſi inuicem
conferamus caliditatem cum ſiccitate:in retentrice, magis adiuuat ſiccitas, quam caliditas; contra in at-
tractrice:expultrix autem magis eget caliditate,quam ſiccitate, quoniam ad motum confert caliditas, ad
quietem ſiccitas:in retentrice autem tempus motus eſt breue,tempus quietis longum ; cõtra in attractri-
ce,tempus motus longum,quietis breue: in expultrice nulla quies eſt, ſed tantum motus, in quo tamen
motu cum fiat quædam denſitas ad exprimendum accommodata,ſiccitas auxiliatur. Vnde colligendum,
coctricem iuuari præſertim a calido natiuo, & proinde a calido cum humido: reliquas autem facultates
adiuuari a calido naturali aſſcititio Ideoque cum in pueritia vigeat calor natiuus; merito in pueris magis
viget coctio,quam reliquæ functiones:& propterea pueri parum plerunque valent ſecundum retentio- C
nem,quia retentrix præ ceteris ſiccum magis poſtulat. Facile hinc patet, attracticem præſertim lædi ab
intemperie frigida,ab intemperie humida. Et,ſi intemperies ſit remiſſa, & in habitudine;ventriculus in-
cipit relaxari,vnde ægre fit attractio:ſi autem intemperies ſit intenſa, vel in habitu;tunc iam relaxatus eſt
ventriculus,ita vt cibum trahere prorſus non valeat. Si autem lædatur attractio ob errorem externum:e
cap.2.lib 3. de ſymp. cauſ. ſi error ſit cauſſa interna; eſt materia quæ citra medium morbum ventriculum
exercet,ſiue hæc materia pariat ſingultum,ſiue concuſſionem, ſiue veluti tremorem,ſiue palpitationem.
Si cauſſa ſit externa;eſt materia vel medicinalis, vel cibalis, quæ præ nimia humiditate rectas fibras laxat,
2. Retentio læſa.
vel aliquem e propoſitis motibus molitur, quoniam hi motus fieri etiam poſſunt a cauſſa externa. In re-
tentione bona,cibi vndique a ventriculo tangi debent,& tandiu detineri,donec concoquantur. Hæc læ-
ditur tripliciter:primum enim Aufertur, dum cibus ne exiguo quidem tempore detinetur, vt in liente- D
ria:ſecundo Imminuitur,dum ſecundum aliquam tantum partem cibus tangitur a ventriculo; vel ſaltem
ante conſummatam coctionem egreditur; vel etiam dum ambo hæc concurrunt: tertio Corrumpitur:
dum ciborum fit amplexus,cum aliquo e propoſitis motibus. Porro ſi facultas hæc lædatur;læſio pendet
a ventriculi morbis,qui præſertim ventriculum affligunt ſecundum fibras obliquas: morbi autem ſunt,
intemperies,mala compoſitio,& ſoluta vnitas: de quibus ſupra. Intemperies frigida & humida retentri-
cem lædunt penes detentionem: caliditas & ſiccitas ventriculum offendunt, penes amplexum; ſiccitas
enim facit,vt cibus a ventriculo non tangatur. Quoad malam compoſitionem; læditur retentrix a ma-
gnitudine imminuta natiua, vnde non concoquitur cibus idoneus, ſufficiens ad nutritionem totius,
quoniam ventriculus non poteſt continere tantum cibi,quantum oportet. Quoad ſolutam vnitatem: E
retentrix impeditur potius a vulnere,quam ab vlcere: quoniam ob vulnus cibus non detinetur:propter
vlcus autem dum pars vlcerata irritatur a cibis, expultrix inſurgit; quare non eſt vitium in retentione,
ſicut in vulnere.Si autem retentrix fruſtretur ob errorem externum: ſi error externus ſit cauſſa interna;
eſt excrementum vel flatulentum, vel aquoſum, vel copioſum, vel humidum:at potiſſimum ab excre-
mento flatulento & aquoſo retentrix fruſtratur ſecundum amplexum. Addit Auicennas vitioſos humo-
res,& potiſſimum mordaces. Si error externus ſit cauſſa extrinſeca; hæc cauſſa eſt cibus flatulentus, co-
pioſus, humidus, & cum Auicenna etiam calidus, cibus grauis. Huius claſſis etiam eſt potio immodi-
ca,quæ vera eſt fluctuationis cauſſa,ſecundum Galenum. Auicennas addit potionem calidam, vnde fit
patientes iuuari potu frigido. Potio quidem copioſa facit, vt ventriculus non amplexetur cibos: calida
3 Expulſio læſa.
autem potio facit,vt eos non detineat ventriculos. Expulſio naturalis fit, e cap.7.lib.4.vſu part.dum o- F
mnes ventriculi partes aſtringuntur, & ſolum orificium infernum recluditur: vnde chylus in deſcenſu
ad inteſtina,alio modo deſcendit virtute expultricis, ventriculo ſcilicet ſecundum omnes partes conſtri-
cto; alio modo deſcendit læſa retentrice,laxato nimirum ventriculo ſecundum omnes partes. Hinc ſe-
quitur,expulſionem naturæ limites egredi;dum vel Aufertur,veluti in intenſo voluulo, in quo vitio ma-
teria fecalis ſeu ſtercoroſa ita tranſmittitur ab inteſtinis, vt ventriculus hanc prorſus admittat, eamque
nequeat infra expellere.Expulſio autem Imminuitur, quemadmodum in remiſſo voluulo. Vel Depra-
uatur expulſio,ſicuti in palpitatione, ſingultu, vibrato motu, veluti tremore,nauſea, vomitu, & chole-
ra:de quibus infra.Læditur expultrix, Læſa facultate,vel ob Errorem externum. Facultas læditur ob ven-
triculi morbos;præſertim dum occupant fibras tranſuerſas. Morbi autem ſunt, intemperies,mala com-
poſitio & ſoluta vnitas. Ab omni intemperie læditur expultrix:ſed potiſſimum a frigida,ab humida, a fri- G
gida & humida. Nam quamuis intenſior requiratur calor in coctione & attractione, quam in expulſione:
tamen in expulſione caliditas ſiccitatem vincit: vnde potiſſimum ab inſigni frigiditate expultricis fun-
ctio aufertur;a remiſſiori imminuitur. Si morbus ſit calidus; tunc actio corrumpitur, & intempeſtiue fit
expulſio. Malæ compoſitionis cauſſa eſt anguſtia, ſecundum os infernum ventriculi, e capite 2. libro 3. de
ſymptom.cauſ.quod in quibuſdam voluuli ſpeciebus euenit, in quibus os infernum vel e toto, vel ſecun-
dum partem occluditur. Hic Galenus quaſdam ſpecies voluuli proponit, quia voluulus etiam fit ob an-
guſtiam inteſtinorum.Anguſtia autem eſt obſtructio,quæ fit a materia copioſa,craſſa, viſcida:ſed anguſtia
etiam

A etiam esse potest constipatio & compressio, productæ a tumore vel constipante, vel comprimente. Quo-ad errorem externum, in ratione caussæ internæ: potest esse materia, id est, vapor & minera: & peccans secundum formam, siue materia sit putrida, siue non putrida: & peccans etiam secundum quantitatem, vt copiosior materia, vel secundum qualitatem. At materia calida, instar materiæ a toto genere præter naturam, & copiosæ; est caussa expulsionis deprauatæ: contra, materia frigida, est caussa imminutæ expulsionis. Concurrit etiam error, in ratione caussæ externæ, verbi gratia, medicamentum purgans est caussa expulsionis corruptæ: opiata, sunt caussæ expulsionis imminutæ.

Differentiç

Quoad differentias: ratione formæ, Chylificatio vel Non fit, & dicitur cruditas; vel Male fit, tuncque aut Tarde, & dicitur tarda coctio: aut Corrupte, & dici potest chylificatio corrupta, quæ est vel Acida, vel B Nidorulenta. Ratione efficientis; chylificatio frustratur, vel Propria ratione, vel ex Accidenti.

Signa differentiarum a forma.

In genere hoc malum ab ægro patefit: & præterea cognoscitur e mutatis excrementis. Quoad differentias formales: num chylificatio sit ablata, imminuta, vel corrupta: cognoscetur e c.4.l.de diff.symp. Ablata enim coctio indicatur: si cibi ingesti nullam suscipiũt mutationem, vnde etiam oua integra deiiciuntur. Imminuta coctio cognoscitur e cibis, qui longo tempore concoquuntur. Corrupta deprehenditur e ructibus: at corruptio acida, indicatur e ructibus acidis: nidorosa, e nidorulentis. Sed notandum, ructus indicare coctionem corruptam, si procedant potius e chylo, quam e cibo: dum nimirum post cibum concoctum perseuerant ructus acidi.

Signa differentiarum ab efficiẽte. Coctricis læsæ per se signa.

Quoad differentias efficientis: & primum, si frustretur chylificatrix primaria ratione: tunc læditur chylificatio, quamuis cibus facile descendat in ventriculũ, & decenti tempore detineatur, v.g. si quis cum C appetitu capiat oua, & decenter detineat, tamen excernat, quemadmodum accepit: iudicandũ, chylificationem ꝓpria ratione frustrari: si contra, secundario. Verum, cum frustretur chylificatrix, quoniã vel læditur, vel occurrit error externus: si signa erunt morborum: iudicandũ facultatem lædi: sin minus: iudicãdum frustrari chylificatricem ob errorem externum, v.g. si post assumta oua copiosa & frixa, coctio corrumpatur; facile patet, frustrari facultatem ob errorem externum: qui error quandoq; est caussa interna, veluti est materia in ventriculo. Quare cognoscendum est, num malum procedat vel læsa facultate, vel ratione huius materiæ, seu erroris. Gal.c.4.l.1.de loc.aff. ad hoc cognoscendum, iubebat panẽ offerri, si corruptio erat nidorulenta: mel autem si corruptio erat acida: quibus assumtis, ait Galenus, si, quod egreditur, & præcipue per vomitum, fuerit Syncerum, sine mistione humoris vel calidi, vel frigidi; iudicandum est fa-D cultatem lædi: Si autem sit humor permistus: indicatur læsam esse coctionem ob errorem externum. Et cum illa materia, habent rationem erroris externi, egrediatur quidem, si in cauitate ventriculi resideat: nõ autem egrediatur, si in tunicis sit impacta: ob id statuendum, coctionem (si humor permistus non egrediatur) potius lædi vi materiæ, quam morbi, si appetentiæ symptomata magis sint contumacia: exempli gratia, si materia calida fuerit, sitis erit magis contumax: si frigida, fames insignior erit: quæ symptomata mitiora erunt, simplex si fuerit intemperies. Cum autem chylificatio frustretur, vel ob morbum, vel ob errorem externum: quæ sint signa tum morbi, tum errorum, alibi dictum est.

Signa læsæ tractricis.

Si frustretur chylificatio secundario: primum, si frustretur vitio attractricis: indicabitur e cibo, qui descendit vel citra delectamentũ, vel cum difficultate; vel etiam quia ventriculus secundum os supernum aliquo motu prauo afficitur. Si autem vitium attineat ad retentricem: & primum, si vitium sit in *complexu*

Signum retentricis læsæ.

E *cibi*, e c.4.l.3.fac.natur. complexus ablatus & imminutus: indicatur e flatu, & fluctuatione cum sonitu, seu strepitu: nam flatus occupat spatium inter cibum, & ventriculum, & sic prohibet cõplexum, sic etiam materia aquosa fluctuans, est in caussa, vt cibus non possit a ventriculo tangi: quia aquosa materia spatium in ventriculo occupat: & ꝓpterea e solo flatu indicatur complexus imminutus: e sola fluctuatione cum sonitu, indicatur complexus ablatus; e flatu autem vna cum sonitu, indicatur complexus imminutus, dummodo non ingerantur cibi flatulenti: nam si assumantur, indicatur complexus ablatus: quia dum gignitur flatus, vitiumq; fuerit potius caussa ventriculi, quam cibi, facultas nõ ita languet, cum flatus fiant quidem a calore imbecillo, nõ tamen ita summe imbecillo. Tandem complexus corruptus, indicatur e prauis motibus, si hi fiant tempore complexus. Quo autem ad *detentionem*, e c.4.l.de sym.diff. detentio ablata indicatur e leienteria, in qua cibi non mutati egrediuntur: at ilico egrediuntur, ad differentiam læsæ coctionis F ꝓpria ratione: & præterea egrediuntur citra morsum, ad differentiam leienteriæ, quæ fit vitio expultricis. Detentio imminuta indicatur e cœliaca affectione, (de qua suo loco) si nihil sit in intestinis, quod ciborũ semicoctorum exitum ꝓhibeat: nam si tale fuerit: indicatur imminuta detentio, e cibi corruptione, quoniam cibi semicocti facile corrumpuntur, vnde per aluũ descendentes fœtidi sentiuntur: cum fœtore autem erit mordicatio, si cibi sint acres; erit inflatio, si assumti cibi sint flatulenti: vtrumq; experientur ægri, si cibi fuerint tum acres, tum flatulenti: neutrum autem sentient ęgrotantes, si cibi probi sint accepti: tunc enim solum corrumpuntur, & fiunt graueolẽtes: quia ob diminutũ detentionem semicocti descendunt.

Signa læsæ expultricis.

Tandem deprauata indicatur detentio e prauis motibus si fiant tempore detentionis. Expulsio e c.4.l.de diff sym. & c.2.l.3.de sym.caus. si sit ablata, indicatur ex ileo, seu voluulo, in quo nihil a vẽtriculo in intestina impellitur. Diminuta indicatur expulsio, e tarda excretione. Deprauata, e prauis motibus quæ fiunt tẽ-G pore expulsionis: sed præterea e fluxu alui, cum morsu: ex intempestiua & veloci excretione. Hęc de signis.

Indicationes.

Quoad præsidia: patent. Nam chylificatio, siue lædatur primario, siue secundario: siue læsa facultate, siue ob errorem externum: quid hæc indicent, dictum fuit in prioribus affectibns ventriculi. Notandum autem excrementorum alui deiectionem præcipuum esse cruditatis remedium.

Præsagia.

Quoad prognosticum: patet hoc e traditis de intemperie ventriculi, & reliquis ventriculi morbis. Notandum tamen in genere, malum esse non negligendum: vnde mater ęgritudinum Auicennę dicitur: quia est vitium vehemens ratione dignitatis, cuius caussa morbi innumeri oriri queunt: nisi enim medi-

cus ſit diligens, æger maxima incurrit mala. Verum pro vi differentiarum, periculum eſt varium. Nam quoad differentias a forma; cum Galeno c.1.l.3.de ſymp.cauſ.chylificatio ablata, minatur atrophiam: imminuta, gracilitatem: corrupta, eryſipelata, cancros, vlcera ſerpentia, &c. præſertim ſi corruptio fuerit nidorulenta: nam ſi acida extiterit, minatur hydropem, & cum Auicenna minatur recidiuã. Ratione cauſſæ efficientis, admonet Gal.loc.cit.in errore externo vehementiam eſſe remiſſiorem: vnde dicit, ſymptoma, quod e cibis oritur, facile corrigi, quod autem fit e virtutis collapſu, id eſt, ex intemperie, & præſertim in habitu, eſſe malum, quod in leienteriam, & in hydropem finitur. Addit Auicennas; ſi coctio lædatura materia, facile curari: & ſi accidat, aut propter malitiam complexionis, aut debilitatem virtutis, ægre curari. Per virtutis debilitatem, non intelligit effectum morboſæ complexionis: nam iam dixit, malum ægre curari, propter malitiam complexionis: intelligit igitur imbecillitatem calidi innati. Errant igitur, qui intemperiem cum calido innato confundunt.

Curatio. Ratio decubitus tempore ſomni.

Materiæ præſidiorum patent e vitiis ventriculi. Sufficit ex Auicenna, vnum monere, circa decubitum tempore ſomni, qui erit ſupra latus ſiniſtrum: ita enim iecur ventriculum comprehendit, ſuoque calore fouet. Decubitus autem ſuper dextrum latus, deſcenſui cibi fauet: nam ventriculus in parte dextra infernum obtinet orificium, per quod chylus a ventriculo in inteſtina deſcendit. Et ob id Auicennas in curatione cibi ſupernatantis, & tarde deſcendentis, probat tempore ſomni decubitum in dextro latere. E quibus obiter colligatis, ſalutare eſſe in priori ſomno decumbere ſuper latus ſiniſtrum, in poſteriore tempore ſuper dextrum.

CAPVT X.

De Singultu.

Nomen. Generatio.

PEr Singultum intelligimus quemcunque ſingultum, & hinc omnem ventriculi motum, in quo ventriculus quaſi conuulſionem pati videtur. Generatur hoc malum, dum noxium occurrit ventriculo, præſertim ſecundum omnes fibras: vnde expultrix inſurgit ad noxium expellendum, ea violentia, vt dum nititur expellere, fibræ ita afficiantur, vt ventriculus veluti conuulſione affici videatur: & proinde ita prauus oboriatur motus, vt viciſſim fiat tenſio, ac dilatatio.

Definitio. Forma.

Quare ſingultus eſt motus prauus tenſionis & dilatationis ventriculi, dependens ab expultrice præter naturam impulſa a cauſſa agente in fibras. Forma ſingultus, eſt motus prauus tenſionis, & dilatationis. Sic enim cap.1.lib.2.de cauſ. ſympt. Galenus ait: motum prauum eſſe genus commune conuulſionis, tremoris, rigoris ſeu motus vibrantis, palpitationis, vomitus, & ſingultus. Quare per hanc particulam ſingultus diſtinguitur a vitiis, in quibus functio vel aufertur, vel imminuitur: quia ſingultus eſt motus prauus. Hic motus prauus, eſt cum tenſione & dilatatione: eſt enim veluti conuulſiuus: nam in ſingultu fit contractio, ſicuti in conuulſione; & ſtomachus ſic afficitur in ſingultu, ſicuti muſculus in conuulſione, comment.aphoriſ.3.ſect.7.quia nimirum in ſingultu ventriculus contrahitur. Galenus proponit motum veluti conuulſiuum: nam conuulſio pertinet ad organum animæ; ſingultus ad naturæ organum: ideoque comment.aphoriſ.39.ſectio.6.ſingultus proprie non eſt conuulſio, ſed quidam motus, cum vomitu genere conueniens: nam & ſingultus & vomitus, ſunt vitia ad naturæ organa ſpectantia. Ceterum, ſingultus eſt motus vehementior vomitu: nam in vomitu natura euidenter expellit, quæ ſolum in ventriculi ſpatio latiori continentur: in ſingultu autem ea expelluntur, quæ reſident in loco penitiore: vnde ſingultus non parum aſſimilatur motui conuulſiuo. Hinc Auicennas ſtatuit, ſingultum eſſe motum compoſitum inſtar ſpaſmi, vt ſcilicet ſit contractio & dilatatio, ſeu flexio, & extenſio, vel motus cum tenſione dilatatiua, vt videlicet quadam viciſſitudine fit tenſio, & dilatatio. Tenditur ventriculus (ſecundum Auicennam) dum vel fugit quod nocet, aut præparatur ad motum fortis expulſionis, atque ita dilatatur: dum enim expellit ventriculus, ita ſe habet, vt arcus ſagittas proiiciens.

Dubium ſoluitur.

At cur Galenus comm.aphoriſ.39 ſect.6.ait, ſingultum eſſe motum, vomitu vehementiorem: contra Auicen.inquit, ſingultum eſſe motum debiliorem vomitu? Reſponſio. Singultus & vomitus bifariam poſſunt accipi: primum, vt vtrumque vitium eſt motus ratione ſubiecti, & proinde paſſio: ſecundo hæc vitia capi poſſunt in ratione cauſſæ efficientis, & tunc hi motus non ſunt paſſiones, ſed actiones. Si ſumantur pro paſſionibus; ſingultus eſt motus vehementior vomitu, quoniam ventriculus in ſingultu magis patitur: nam læditur a materia impacta; in vomitu afficitur a materia, reſidente in cauitate. Si hi motus capiantur pro actionibus; vomitus eſt motus vehementior ſingultu: nam per vomitum fit vacuatio ſenſibilis, ſecus per ſingultum.

Subiectum.

Subiectum huius affectus eſt ventriculus, ad differentiam conuulſionis, cuius ſubiectum eſt organum facultatis animalis motricis, nimirum muſculus. Ventriculus autem e cap.2.lib.3.de ſympt.cauſ.nec ſecundum os, nec ſecundum ſe totum, eſt muſculus: quare ventriculus eſt ſubiectum ſingultus, quatenus eſt facultatis naturalis organum. Per ventriculum autem intelligimus & corpus ventriculi, & œſophagum: nam in ſingultu ventriculus quandoque afficitur magis in vna parte, quandoque magis in alia: modo ſcilicet ſecundum ſe totum, modo ſecundum gulam, modo ſecundum os ſuperius, com.aph.3.ſect.7. quod orificium ſupernum c.6.l.5.loc.aff.ſolum proponitur ſingultus ſubiectum, non ſane, quod id tantum ſingultus ſubiectum ſit, ſed quod ibi verba fiant de vitiis oris ventriculi, & præterea hæc eſt pars, qua affecta magis afficitur ventriculus. Auicennas etiam dicit, ſingultus motum attinere, aut ad totum ventriculum, aut ad meri, id eſt, œſophagum.

Cauſſa efficiens.

Ratione cauſſæ efficientis, diximus: dependens ab expultrice præter naturam, impulſa a cauſſa agente in fibras. Singultus eſt motus ſolius expultricis, c.1.l.2.de cauſ.ſym.ad differentiam conuulſionis & palpitationis, quæ vitia ſunt motus ſolius morbi: item ad differentiam tremoris, qui eſt motus & morbi & naturæ. Nec obſtat, licet Galenus dicat, c.2.l.3.de ſym.cauſ. ſingultum eſſe commune ſymptoma expultricis,

A cis, & retentricis: nam singultus capitur, vel pro effectu, seu symptomate, & sic est symptoma solius expultricis; vel sumitur pro caussa efficiente, & sic est commune symptoma tum retentricis, tum expultricis: nam si singultus fiat ab expultrice, irritata a caussa morbifica, dum chylus expellitur a ventriculo; singultus est caussa læsę expulsionis: at si fiat singultus eo tempore, quo retentrix cibum detinet: singultus est caussa læsæ retentionis: ita, si fiat singultus eo tempore, quo facultas attractrix cibum attrahit; singultus est prauus motus attractricis, & propterea singultus est caussa prauæ attractionis. Galenus, dum singultum sumit pro caussa efficiente, ait, eum esse symptoma cõmune expultricis & retentricis, nec attractricis meminit: quia scilicet nõdum de attractrice erat locutus. Proinde postea verba faciens de attractione, statuit **B** attractricem praue attrahere, propter prauos motus; de quibus sæpe dixisse se ait, nimirum in sermone de læsa retentione, de lęsa expulsione; vbi inter reliquos motus etiam singultum proposuit. Quare singultus, vt est prauus motus, potest etiam esse caussa læsæ attractionis. Constitutum igitur sit, singultum esse motum solius expultricis, quemadmodum in finitione diximus. Hinc singultus distinguitur a reliquis motibus, vim ventriculo inferentibus, & præsertim a conuulsione, palpitatione, & tremore; quatenus singultus est motus solius naturæ, hoc est, expultricis. Ceterum, cum præter hos motus fit veluti tremor, fit nausea, fit vomitus, fit motus vibrans: distinguendi sunt hi motus a singultu. Ventriculi veluti tremor (nec enim vero tremore ventriculus afficitur) e c.2.l.3. de sym. caus. dicitur ille motus, in quo, sicut in legitimo tremore, facultas motrix nititur membrum sursum attollere, membrum autem suo pondere non cedit: sic etiam vis ventriculi studet, ventriculi corpus cum cibo coniungere, ac veluti attollere, at ventriculus **C** sui grauitate reluctatur. At quoniam in hoc motu non concurrit vis animalis, quemadmodum concurrit in legitimo tremore, sed concurrit facultas naturalis; ob id dicitur veluti tremor, qui ratione ponderosi ventriculi statui potest motus morbi: ratione autem naturæ concurrentis, censeri potest naturæ motus, hoc est, retentricis, & expultricis; nam retentrix propter ciborum amplexum, ventriculum quodammodo attollit; expultrix autem præter os infernum, totum ventriculum astringit, & proinde veluti attollit. Excipitur concoctrix: quæ citra motum euidentem agit. Excluditur attractrix; dum enim hæc fibris vtitur rectis, ventriculus deorsum potius trahitur, quam quod sursum impellatur. Singultus ergo est motus solius expultricis: veluti tremor, est motus mistus morbi, & retentricis, atque expultricis. Nausea, vomitus, & motus vibrans, sunt etiam motus solius expultricis, quemadmodum singultus: nam in nausea expultrix noxia expellere contendit: in vomitu natura expellit sensibiliter, motus denique vibrans, qui **D** etiam concussio dici potest, & rigor, fit a sola expultrice: quemadmodum enim in febribus fit rigor, quia expellitur materia per totum corpus, ita in motu vibrante secundum totum ventriculum, irritatur expultrix, quemadmodum in nausea expultrix irritatur solũ secundum supernam partem: præterea in nausea expultrix irritatur a materia impacta; cõtra in motu vibrante irritatur a materia quæ mouetur, nec citra impetum. Cum igitur nausea, vomitus, motus vibrans, sint motus solius expultricis, quemadmodum singultus: diximus in definitione, ad distinctionem, singultum dependere ab expultrice, impulsa a caussa præter naturam, in fibras agente. Nam in singultu expultrix præter naturam contrahit ventriculi fibras: primum enim rectas fibras & obliquas contrahit; quæ tamen secundum naturam cõtrahuntur ab alia facultate, rectæ scilicet ab attractrice, obliquæ a retentrice: fit etiam contractio pręter naturam, dum expultrix transuersas contrahit ad superiora, cum naturaliter contrahantur ad inferiora, quia chylus expellitur per os infernum. **E** Quia igitur in singultu, præter naturam contrahunt fibræ, modo rectæ, modo obliquæ, modo transuersæ; iure varius ac multiformis oritur singultus. Et cum hæc contractio sit morbifica, quoniam caussa morbifica potissimum agit in ventriculum secundum fibras; ob id singultus distinguitur a nausea, vomitu, & motu vibrante: nam in nausea expultrix impellitur a causa agente in portionem ventriculi membraneam, & materia seu caussa in ea impacta est: in vomitu impellitur a caussa agente in portionem membraneam, sed hæc materia residet in cauitate, non est impacta: in vibrante motu impellitur a caussa agente in portionem membraneam, sed quæ per ventriculi corpus impetu mouetur, at in singultu expultrix præter naturam impellitur a caussa agente in fibras.

Distinctio singultus ab aliis motibus.

Quasi tremor.

Nausea vomitus, vibratio.

Caussa igitur cuiuslibet singultus immediata est expultrix, præter naturam fibras contrahens, impulsa a caussa morbifica agẽte in fibras. Iam exponendæ sunt caussæ, ob quas facultas expultrix frustratur, **F** id autẽ fit, vel quia Læditur, vel quia Error aliquis externus occurrit. Læditur expultrix a caussa vel Quantitate, vel Qualitate peccante. com. aph. 13. & 39. sect. 6. Caussa quantitate peccans est Inaniens, vel Replens: vnde emergit singultus vel ex inanitione, vel e repletione, & vterq; fit ratione morbi, si enim fiat ex inanitione, fibræ afficiuntur morbo in magnitudine imminuta, secundum breuitatem, & nullo modo aucta, si e repletione, fibræ afficiuntur morbo in magnitudine aucta secundum latitudinem, imminuta secundum longitudinem. Hinc, cum fibræ promtius repleantur, quam inaniantur: fit, vt singultus a repletione frequentius oriatur: ex inanitione autem adeo raro, vt quodammodo anceps sit, an detur, com. aph. 13. sect. 6. Et ob id Gal. c.3. l.8. κ. τόπ. dicit, an singultus fiat ad similitudinem conuulsionis ob nimiam vacuationem, dignum esse cõsideratione: innuens, singultum ex inanitione raro oboriri. Et Alex. c.13. l.7. ait, singultum ex inanitione raro contingere. Porro singultus ex inanitione, cum Alexandro, Auicenna, & reliquis, fit a caussa vacuante vel Sensibiliter, vnde fit in dysentericis, & quomodocunq; plus iusto sensibiliter vacua-**G** tis: vel fit a caussa vacuante Insensibiliter, veluti ob immoderatam famem, ieiunium, ob febres, quæ habent vim siccandi: nam singultus ex inanitione, nõ fit simpliciter e febre intensa, sed perseuerante, ideoq; Auic. ait, fieri in postremo seu vltimo febrium ardentium: & Rhasis addit, fieri post febrem. Singultus e repletione, producitur a materia replente, sed ea lege, vt fiat tumor, vi cuius fibrę secundum latitudinem augeantur. Quæ autem tumoris sint caussæ, suo loco diximus. Et hęc de singultus caussis, quantitate peccantibus, vi quarum expultrix læditur: vnde morbi oriuntur per se totius ventriculi, & ex accidenti fibrarum.

Subdiuisio caussæ.

Morbus in imminuta vel aucta magnitudine.

Dyſcraſia calida & frigida.

Si lædatur expultrix a cauſſa qualitate agente, ventriculus afficitur vi vel Frigiditatis, vel Caliditatis. A
Si afficiatur vi frigiditatis: capitur frigiditas, vt ſimplex frigiditas, quæ, vt contraria, immediate agit in or-
ganum expultricis: nam, ſecundum Auicennam, frigiditas ſingultus cauſſa eſt tribus modis: vno modo,
mediate, duobus immediate. Mediate concurrit frigiditas; dum vi frigiditatis, alimenti portio excremen-
titia, quæ deberet difflari, detinetur: nam frigiditas corpora, & potiſſimum neruoſa, ad difflandum diffi-
cilia reddit. comment. aphor. 13. ſectio. 6. & hinc excrementitia portio, quæ non difflatur, immediate con-
currit; frigiditas autem mediate. Concurrit etiam immediate frigiditas, cum Auicenna, prout frigiditas
eſt, vel cum materia, vel ſine materia. In præſentia ergo cum ſermo ſit de ſimplici qualitate, intelligere
oportet frigiditatem ſine materia. Patet autem eam immediate concurrere, ſiue ſit ſine materia ſiue cum
materia. Si autem qualitas vergat ad calidum: hæc accipitur, vt contraria, immediate agens in ventricu- B
lum: ſiquidem & caliditas tribus modis poteſt eſſe ſingultus cauſſa, vno mediate, duobus immediate. Me-
diate concurrit caliditas, ſecundum Auicennam, dum ab ea caliditate producitur vapor, qui non diſſol-
uitur: vnde cauſſa immediata ſingultus eſt vapor, mediata caliditas. Immediate concurrit caliditas, vel
cum materia, vel ſine materia. In præſentia accipitur ſine materia. Hæc autem caliditas vigere ſolet in fe-
bri ardente, non vt ſiccat; (nam ſuo loco de febre ſiccante diximus) nec conſideratur hoc loco febris ar-
dens, vt mittit vapores febriles; ſed vt ſimplex caliditas ventriculo impertitur: nam febris eſt intemperies
calida omnium partium ſimilarium corporis.

Hactenus conſtitutum ſit, ſingultum fieri læſa expultrice, & proinde ob morbum, vel in mala com-
poſitione, id eſt, in magnitudine imminuta vel aucta; vel in intemperie calida aut frigida.

Error externus.

Si autem alia e parte expultrix fruſtretur ob errorem externum: ſciendum cum Galen. com. aph. 1. C
ſect. 5. & com. aph. 13 & 39. ſect. 6. & com. aph. 10. & 17. ſect. 7. & com. 69. l. 4. de ratione vict. & potiſſimum
c. 3. l. 8. κ. τόπ. errorem eſſe cauſſam Internam, & Externam. Interna, eſt Qualitas, vel Materia. Materia, eſt

Qualitas ſpiritalis.

Vapor, vel Minera. Minera, vel eſt vitæ Particeps, vt vermis; vel Expers vitæ, vt Humor vel Ichor. Quan-
tum ad qualitatem attinet: qualitas eſt ſpiritalis, & proinde a toto genere præter naturam: quo reſpiciens
Aetius, ait, ſingultum fieri in tetanis, in animi deliquiis, in altiori ſopore: in tetanis, vt arbitror, quia quali-
tas ſpiritalis ventriculo impertitur a neruis, non vapor, non aliqua materia: in animi deliquiis impertitur

Vapor.

a corde: in ſopore profundiore, a cerebro. Et hinc etiam Auicen. ſcribit, ſingultum fieri in capitis percuſ-
ſione, quia tunc ſpiritalis qualitas a cerebro communicatur ventriculo. Materia autem cum poſſit eſſe
vapor: eſt vapor a toto genere præter naturam; veluti ſunt vapores prodeuntes a vermibus, item a fecibus, D
veluti in voluulo exitiali, quemadmodum fatetur Galenus com. aphor. 10. ſect. 7 Huius ordinis eſt vapor
putridus, prodiens a materia putreſcente. Vnde mirum non eſt, ſi ſingultus fiant in febribus peſtilentibus.
Præterea vapor copia peccare poteſt: & iccirco dicit Auicennas ſingultum fieri a vapore, qui producitur a
calore, ſed non poteſt diſſolui; quare copia peccat. Peccare etiam poteſt qualitate, & præſertim calidita-
te: ſicuti eſt vapor febrilis: qui, licet prodeat a materia febrili, nempe putreſcente, tamen agit potius ratio-
ne caliditatis, quam putredinis: & ob id Auicennas ait, ſingultum fieri per communitatem, ſeu conſen-

Lumbrici.

ſum a toto. Aetius addit, ſingultum fieri a vapore febrili, præſertim dum corripitur inflammatione, vel
ventriculus, vel aliquod viſcus: nam vapor e loco inflammato petit ventriculi fibras. Si cauſſa ſingultus ſit
minera, & quidem ſi ſit vitæ particeps; eſt vermis: qui in præſentia (ne fiat confuſio) ſtatuitur cauſſa ſin-

Humor, & ichor: horumque vitium in copia, & qualitate.

gultus, non vapore, ſed morſu. Si minera vitæ ſit expers; poteſt eſſe quilibet ſuccus, ſiue ſit humor, ſiue
ichor, dummodo hæc materia ſit præter naturam, ſiue venefica, ſiue putrida, & hinc a toto genere præter E
naturam: ſiue etiam copia peccet. Ad quem ſingultum Galen. reſpiciens c. 3. l. 8. κ. τόπ. ait, ſingultum fieri
propter frigiditatem, & repletionem: vbi Galenus per frigiditatem inſinuat, ſingultus cauſſam immedia-
tam eſſe materiam copioſam; nam a frigiditate prohibetur difflatio: per repletionem autem intelligit ma-
teriam copia peccantem, etiamſi vi frigiditatis non prohibeatur difflatio. Vnde Galen. ſeipſum expli-
cans, com. aph. 14. ſect. 6. ait, frigiditatem, inhibentem difflationem, eſſe in cauſſa repletionis. Et ob id et-
iam Aetius in ſingultu e frigiditate, non tantum vtitur calefacientibus, ſed etiam vacuantibus, quia reſpi-
cit ad copiam. Auicennas etiam hanc cauſſam proponens, dicit, ſingultum fieri a re nocente, ſui grauitate:
quare copia. Et Alexander proponit excrementa grauantia, & copioſa. Vt manifeſtum ſit, ſingultum fie-
ri a copioſa materia: id quod bifariam fieri poteſt: primum, quatenus copia materiæ fit tumor, ideoque fit F
ſingultus, in quo fruſtratur facultas, quia vi morbi læditur: deinde fit ſingultus, quatenus vi copioſæ ma-
teriæ grauantis, citra tumorem, fit ſingultus, & proinde ob errorem externum. In minera eſt vitium etiam
in qualitate: proinde Galenus cap. 3. lib. 8. κ. τόπ. ait, ſingultum fieri ob mordaces humores: & præterea ob
humores medicamentaria qualitate præditos: quibus verbis Galenus ſignificat, humores mordaces ge-
nitos, vi cauſſæ internæ, & vi cauſſæ externæ. Generantur quidem mordaces humores a cauſſa interna,
dum vi caloris, vel inflammationis, vel febris generantur: at a cauſſa externa generantur, ſi acre vſurpetur
medicamentum, quod ſuccos, antea etiam non acres, ſua qualitate medicamentaria, id eſt, acrimonia affi-
ciat. Et quamuis ſingultus fieri poſſit a quolibet ſucco mordaci, & hinc a pituita ſalſa: tamen frequentius
fit a ſucco bilioſo: nam hic ſuccus ſuapte natura eſt calidus & ſiccus. Vnde, dum vi cauſſæ morbificæ eius

Cauſſæ externæ.

calor intenditur, & petit ventriculum: fit ſingultus, ideoque Gal. com. aph. 17. ſect. 7. ait, ſingultum e bile, G
fieri a cauſſa calida, a flaua bile, quæ etiam copioſa generatur vi inflammationis iecinoris. Si autem error
ſit cauſſa externa: cum Auicenna eſt venenum, ac potiſſimum acre, item piper, allium, lac corruptum, &
ſimilia quæ ſingultum excitant, dum ingeſta partes penitiores, id eſt, fibras adeunt, vnde expultrix non ſi-
ne violentia irritatur. Hinc Gal. com. aph. 39 ſect. 6. dicit, ſingultum fieri, ſi quis acre aliquid deglutiat, vt
piper, vel per ſe ſolum, vel cum melle, mox vinum bibat, aqua calida temperatum: quoniam calida potio
piper deuehit ad interiora, ad fibras.

Quoad

Differentiæ.

Quoad differentias ratione formæ: cum singultus sit motus prauus tensionis, & dilatationis: dicendum, motum hunc vergere, vel ad Rectum, vel ad Obliquum, vel ad Transuersum, prout variæ fibræ afficiuntur. Ratione subiecti dicendum; singultum attinere vel ad ventriculi Corpus, vel ad eius Os, vel ad Gulam. Ratione caussæ efficientis, dicendum; expultricem frustrari, vel quia Læditur, vel quia Error externus occurrit. At notandum, Galen. c. 3. l. 8. κ. τόπ. dicere, differentiam esse inter conulsionem & singultum: nam legitima conuulsio, est duplicis tantum speciei, nempe ex inanitione, & repletione: legitimus autem singultus triplici specie donatur: fundamentum est: quia legitimæ conuulsionis subiectum, est organum animæ, seu facultas animalis: singultus autem exquisiti subiectum, est organum naturæ: ideo conuulsio si fiat ab expultrice, est conuulsio spuria; contra singultus ab expultrice est legitimus.

Signa.

Singultus in genere seipsum prodit, quoniam est auditus obiectum. Differentias a forma æger patefacit; num scilicet ventriculus trahatur magis secundum rectum, vel obliquum, vel transuersum. Sic etiam æger manifestabit differentias a subiecto; ostendet enim sedem affectam. Et præterea si gula afficiatur: indicabitur e difficili deglutitione, e propulsione cibi in os, præsertim si fiat retractio fibrarum rectarum ad superiora. Si afficiatur os ventriculi; acerbum erit vitium: vnde vix fit sine angore, sine leipothymia. Si malum infra cruciat; nec angor, nec leipothymia aderit. Ratione caussæ efficientis: cum singultus fiat, vel læsa facultate, vel ob errorem externum: distinguetis e signis, quatenus vel assunt, vel absunt, aut læsæ facultatis, aut erroris externi. Vnde, cum singultus ortus e læsione facultatis, prodeat vi morbi, qui est vel mala compositio, vel intemperies: quoad malam compositionem, & primum in magnitudine imminuta: indicabitur e prægressis caussis inanientibus, verbi gratia, e præcedenti fluxu, e ieiunio, e febre ardenti, &c. Magnitudo aucta indicabitur e prægressis caussis replentibus: de quibus supra diximus. Si morbus sit intemperies frigida aut calida: harum signa patent ex intemperie ventriculi. Si singultus fiat ob errorem externum, cum hic error sit caussa interna, vel externa: num externa sit prægressa, & quænam: patefaciet æger, & assidentes. Si sit caussa interna, si qualitas spiritalis: indicabitur a præsentibus affectibus, à quibus hæc qualitas procreatur, verbi gratia, si in tetano oriatur singultus: iudicandum, singultus caussam esse qualitatem spiritalem. Si caussa interna sit materia, siue vapor, siue minera: patet ex alibi traditis.

Indicationes. 1.

Præsidia sumuntur ab essentia, quæ attinent ad formam, subiectum, & caussam effectricem. Forma est motus prauus, & proinde symptoma, a quo non sumitur indicatio, nisi habeat rationem caussæ, id est, nisi sit admodum vehemens. Cum Galeno igitur capite 1. libro 12. method. symptoma indicat remedium sedens, id est, mitigans, non sanans. Quare in præsentia indicatur remedium sedans singultum. Sed hoc autem genericum est remedium: quare specificum est inueniendum. Cum igitur singultus vehemens, pendeat ab insigni caliditate oris ventriculi, quæ viget in ventriculo sensus exquisiti, vt testatur Alexandro: & præterea viget in singultu a materia mordaci: propterea remedium sedans singultum, frigidum esse oportet vehementer, vt oris ventriculi caliditas insignis vincatur: vnde & stupefaciens indicatur, quod Aetius probat in singultu a caussa mordaci. Quoad subiectum: cum sit ventriculus: quemadmodum in quolibet ventriculi vitio, eius calidum insitum seruandum, & proportio fouenda, secundum partes carnosas, & secundum membranas: ita priuatim in singultu oportet fibrarum proportionem seruare: & iccirco Alexander proponit medicamenta, a proprietate singultum expugnantia. Effectrix caussa, quia multiplex est: indicat etiam remedium contrarium multiplex. Si fiat ex inanitione: indicatur remedium replens: si e repletione: vacuans. Si e qualitate spiritali: indicatur remedium materiale, quo præsente qualitas spiritalis non agat: vnde, sicuti radii solares, præsente nube, suo munere fungi nequeunt: ita qualitas spiritalis, præsente aliqua materia, agere nequit. Aetius igitur respiciens ad qualitatis spiritalis dissipationem, assiduo bibendam exhibet, aut mulsam, aut aquam puram, moderate calidam.

Præsagia.

Singultus in genere, nec malus est, nec bonus: quia quidam singultus est incurabilis, quidam vix curatur, quidam facile curatur: aliquis est vtilis. Et ob id Auicennas dicit, in signis crisis, singultum quandoque esse bonum, quandoque malum. Quare vis differentiarum perpendenda. Ratione formæ igitur singultus est admodum periculosus, si triplex vehementia insignis assit: nimirum quoad vehementiam essentiæ, si in singultu fuerit insignis tum tensio, tum dilatatio: quoad vehementiam dignitatis, si afficiatur os ventriculi, si omnes fibræ afficiantur: quoad vehementiam facultatis, si immineat leipothymia. Ratione caussæ efficientis: cum hæc sit morbus, vel error externus: si morbus, si fuerit singultus ex inanitione: cum Galeno commenta. 69. libro quarto, de ratione victus fere curam non recipit: nam admodum recedit a vita, quæ in humido posita est. In hunc sensum Auicennas ait, si singultus fiat a siccitate, est timorosus: si tamen siccitas non sit confirmata, humidis curari potest. Alexander etiam dicit, hunc singultum esse periculosum: at se nouisse quendam, frigida seruatum. Si singultus fiat e repletione: vinci potest, siccantibus & abstergentibus. commentar. 69. libro quarto, de ratione victus. nec enim vitium in materia ita vehemens est secundum essentiam, vt vacuantibus non cedat: nam etiam sternutamento euacuatur. commentar. aphoris. 13. sectio. 6. & proinde a singultu habito, sternutatio superueniens bonum: nam vt sternutatio materiam vincit, ita est signum vehementiæ non insignis materiæ morbificæ. Si singultus caussa sit morbus calidus, vel frigidus: patet quid sit prædicendum de his morbis. Quoad errorem externum; si sit qualitas spiritalis: singultus est lethalis: nam est effectus caussæ admodum vehementis, & multum recedentis a naturali statu. Proinde Aetius ait, si singultus eueniat in altiori sopore, aut animi deliquiis, aut tetano: mortem non longe abesse: singultus enim signum est summæ vehementiæ soporis, animi deliquii, & tetani. Si caussa, seu error externus sit materia morbifica; hæc vinci potest, nisi pendeat a caussa nimis vehementi. Propterea dicit Galenus comment. 69. lib. 4. de ratione vict. singultum a mordaci humore procedentem, vacuatione sanari. Additum autem fuit, si in-

gultum prodeuntem a materia, expugnari poſſe; niſi materiæ opifex ſit nimis vehemens; vtpote ſi qua A fuerit inflammatio. Et ob id Hippocrates aphoriſ.3.ſect.7.dicit, a vomitu ſingultum,& oculorum rubo-rem,malum:nam ſi poſt vomitum perſeueret ſingultus, & ſingultus vi vomitus non adimatur; indicium erit inflammationis vel cerebri,vel ventriculi,& præſertim,ſi oculorum rubor coniungatur. Si ergo ſin-gultus materia fouetur ab inflammatione viſcerum;ſingultus maxime eſt periculoſus: quia eius cauſſa,id eſt,materia,pendet ab efficiente admodum vehementi,nimirum a viſcerum inflammatione. Auicennas etiam ait,quando vomitus non ſedat ſingultum,& rubor eſt in oculo,eſt malum:innuens, vomitum eſſe ſignum inſignis vehementiæ cauſſæ ſingultus. Si error ſit cauſſa externa; pro varia vi vario modo prædi-cendum,verbi gratia,ſingultus erit periculoſus,ſi fiat a veneno: facile ſuperabitur, ſi a pipere. Et Aetius B iubet,in lethali ſingultu præclara remedia non eſſe vſurpanda.

Curatio. Cheirurgia.

Quoad materiam cheirurgicam:cum non liceat venam ſecare,niſi ſanguis peccet, ob id Auicennas in ſingultu,cuius cauſſa eſt inflammatio,venam ſecat:nam inflammatio eſt malum ſanguineum. Et hinc Alexander venam ſecat,tantum in ſingultu ex inflammatione:niſi vires diſſuadeant, quæ maxime in ſin-gultu concidunt, quoniam ſingultus violentia promte calidum inſitum diſſoluitur. Auicennas probat cucurbitulas ſine ſcariſicatione,quæ inſenſibiliter vacuant materiam,morbificam, quæ viget in ſingultu e repletione:eas autem admouet ventriculo,ventri inferiori,& in medio ſpatularum, præſertim dum ſin-gultus œſophagum exercet;nam iuxta dorſum œſophagus poſt tracheiam aſcendit.

Pharmaceia.

Medicamenta triplicia ſunt: quædam enim reſpiciunt ſingultum, quatenus eſt ſymptoma vehe-mens,id eſt,quatenus rationem habet cauſſæ; & hæc ſunt ſedantia ſingultum: quædam autem reſpiciunt fibrarum proportionem: quædam denique ſingulis cauſſis aduerſantur. Quoad medicamenta ſedantia C

Singultum ſedantia.

ſingultum; Aetius probat refrigerantia:vnde vti licet *ſucco lactucæ,diacodeion,nymphæa,lacte papaueris al-bi: & Auicennas ad philonium Rom. aſcendit:quod medicamentum probatur non tantum vt ſtupefaciens, ſed etiam vt roborans,reſoluens, & expellens: philonium enim quatenus frigida recipit, ſtupefacit: quatenus non permittit calidum inſitum diſſolui, habet vim roborandi, nempe ope moderatæ aſtringentium & refrigeran-tium:qua vero recipit calida & tenuis ſubſtantiæ, reſoluit: qua ſuſcipit,quæ poſſunt iuuare a proprietate,eſt in cauſſa vt facultas expultrix noxia expellat.* Ceterum quamuis in ſingultu vehementiori probentur ſtupe-facientia:tamen cauſſa virtutis oris ventriculi non facile tolerantur: vnde & corrigenda ſunt,& non niſi in parua copia danda,nec debemus excedere philonii ℈ j.

Naturalia appropriata.

Materiæ,quæ reſpiciunt proportionem fibrarum,proponuntur ab Alexandro:inquit enim,ſi mul-D tis arte tentatis æger non iuuetur,etiam ad naturalia confugiendum. Inter reliqua proponuntur *feſtucæ aut lapilli, & terra ſublati, ſi capiti ſingultientis imponantur,ipſo ignorante.* Proponuntur etiam a proprieta-te conferentia,in potu,*apium,aſarum,daucus, caſtorium*: quibus tamen non in omni ſingultu vtendum; quia in ſingultu ex inanitione,ſuo calore & ſiccitate magis obeſſent. Et iccirco Auicennas prudenter ait; in ſingultu a materia frigida,*caſtorium mirabilem obtinere proprietatem,datum ad ℈ j.*

Ad cauſſas ſingultus.

Sequuntur medicamenta reſpicientia cauſſam efficientem. Si ergo ſingultus ſit ex inanitione,cum Alexandro probatur *aqua temperata:vnde etiam teſtatur quendam frigida ſorbitione fuiſſe ſeruatum. Pro-bat etiam aquam hordeaceam,cum lacte amygdalino.* Quod ſi ſingultus fiat ex inanitione, citra cauſſam calefacientem, vtpote ex immodica euacuatione; probatur *aqua temperata*: at ſi ſingultus fiat ex inani-tione, vi cauſſæ calefacientis; probatur *frigida. Auicennas exhibet lac recenter mulctum, ſuccum citrullo-* E *rum, aquam cucurbitæ: & alia refrigerentia ac humectantia.* Verum cum his vti liceat & intus & extra: quæ intus vſurpantur, cum Alexandro creberrime ſunt exhibenda, & cum Rhaſi, paullatim: ratio eſt, quia medicamentum ſic adminiſtratum,diutius contingit ventriculum,& efficacius operatur. Quæ ex-tra applicantur, cum Rhaſi ſunt applicanda vertebris ceruicis, vt *oleum amygdalinum, ſed cum frictione penetrabili.* Si ſingultus prodeat e repletione; cum Auicenna probantur medicamenta vacuantia ſen-ſibiliter,& inſenſibiliter. Senſibiliter; per vomitum, per aluum: vnde præter vomitoria laudantur *ſpe-cies hieræ.* Inſenſibiliter vacuantia, vel propria ratione, vel per medium motum materiam vacuare poſſunt. Quæ propria ratione vacuant, ſunt calida, tenuis ſubſtantiæ: ideoque materiam euacuant per modum reſolutionis & deterſionis, vt eſt *ſuccus laſerpitii, oxymeli, daucus, cyminum cum melle.com.69.lib. 4.de rat.vict.hæc medicamenta decoqui poſſunt cum melle, ad conſiſtentiam eclegmatis. Probatur etiam ca-* F *ſtorium e poſca, acetum mulſum, acetum ſcilliticum. Auicennas probat zingiber decoctum in aqua cum pe-nidiis: item probat magnas antidotos, ad diſſoluendum materiam. Alexander applicat ventriculo oleum,in quo decoquit caſtorium, ſtyracem & maſtichem: & inter coquendum, oleum ruta agitat: ideoque licet etiam decoquere in duplici vaſe cum vino, ad conſumtionem vini.* Auicennas etiam aſcendit ad rubrificantia. Et propterea in ſingultu etiam ſtillicidio vti licet. Medicamenta per medium motum vacuantia, ſunt quæ ſternutationem promouent: a ſternutatione enim ſingultus remouetur. aphoriſ. 13. ſect. 6. Huius ordinis cum Auicenna eſt, repentina aſperſio frigidæ ſuper faciem: nam mouet cum labore, ſeu medio motu. Vnde notetis,frigidam habere vim diſcutiendi,ſed per medium motum. Sin autem ſingultus fiat e morbis frigidis,ſiue etiam e calidis: confugiendum ad morbos calidos & frigidos ventriculi. Si ſingul-tus fiat a materia:quæcunque ſit materia;patet etiam, quibus medicamentis ſit vtendum. Si fiat ſingul-G tus ex excrementis rodentibus & corruptis:probantur medicamenta detergentia,attemperantia, vt quæ ex *hordeo* parantur. Addit Alexander hos non eſſe purgandos, ſcilicet ſoluentibus: nam lenientibus vti licet,vt *manna,ſyr.viol.ſol.caſſia.*

Victus ratio.

Diæta varia inſtituenda,pro varietate cauſſæ,verbi gratia,ſi ſingultus fiat e frigiditate, probatur aer calidus.Quoad cibũ:ſi ſingultus fiat ex inanitione;probatur *lac, & carnes bonæ, ſed copia exigua.* Si ſingul-tus fiat e repletione;cum Auicenna probatur victus attenuãs,& ieiunium.Idem de potu dicendũ. Quoad

motum

A motum & quietem: quies corporis & animi probatur in ſingultu ex inanitione: contra in ſingultu a repletione probatur motus, & quidem motus cum labore, vt eſt vociferatio. Alexander probat aurium & oris occluſionem; nam cum Auicenna hinc vnitur & augetur caliditas, vnde impetum acquirit ad exeundum verſus poros, & quærit attractionem aeris, vnde humor mouetur. Et propterea in hoc ſingultu cum Auicenna confert ira, timor, gaudium; ſed oportet vt repente eueniant: ſic enim non ſunt contraria, ſed conueniunt in motu.

CAPVT XI.

De Vomitu, & Nauſea.

B SEquitur, vt de Vomitu dicamus; ita tamen vt nauſea etiam pateat. Per vomitum autem intelligimus vitium, in quo materia ſenſibiliter per os a ventriculo intempeſtiue expellitur. Nomen. Generatur vomitus cum Galeno cap. 4. lib. 3. vſu part. & cap. 2. lib. 3. de cauſſ. ſympt. capit. 3. lib. 2. de cauſſ. ſympt. dum ventriculo occurrit cauſſa, ita eum infeſtans, vt eius expultrix ad expellendum inſurgat, ſed intempeſtiue; quo fit, vt os ventriculi recludatur, & tunicæ prius diſtentæ contrahantur, & ope fibrarum tranſuerſarum ſurſum per œſophagum, & demum per os materia ſenſibiliter expellatur. Generatio. Quare vomitus nil aliud eſt, quam motus prauus ventriculi, dependens ab expultrice, expellente materiam per os ſenſibiliter. Definitio. Forma eſt motus prauus: c. 3. li. 2. de cauſſ. ſym. ad differentiam motus ſecundum naturam, & proinde vomitus tempeſtiui: item ad differentiam motus præter naturam, qui eſt ablatus, vel imminutus. Forma. Vomitus ergo formaliter eſt actio læſa, quæ fit cum motu euidenti: ad differentiam læſę actionis, quę fit citra motum euidentem.
C Subiectum eſt ventriculus: ad differentiarum functionum cum motu aliarum partium. Subiectum.

Ratione cauſſæ efficientis, diximus: dependens ab expultrice, expellente materiam per os ſenſibiliter. Diximus, dependens ab expultrice: quoniam actio cum motu ventriculi poteſt eſſe attractio, retentio, expulſio: at cum aliquid euomitur, eſt actio expultricis. Cauſſa efficiens. Expellitur autem materia per os, ſeu viam oris; ad differentiam expulſionis per aluum. Idque fit ſenſibiliter, ad differentiam nauſeæ: nam expultrix in vomitu agit in materiam reſidentem in cauitate, & præſertim ſupernatantem, com. aph. 39. ſect. 6 & cap. 3. lib. 2. de cauſſ. ſympt. At in nauſea expultrix agit in materiam impactam, vnde fit vacuatio inſenſibilis. Diagnoſis affectuum cognatorũ. Differt autem nauſea a ſubuerſione: nam ventriculi ſubuerſio fit, dum appetentia ventriculi læſa eſt ratione cibi, ideoque ſubuerſio non fit, niſi cibo aſſumto: nauſea autem fit ſine cibi aſſumtione; ſecundum Actuum. Porro quæritur, cum vomitus ſit actio, an poſſit referri in exiens mutatum? Vomitus a quo ſymptomatum genere.
D Vbi ſciendum, vomitum dupliciter accipi poſſe; nimirum vt vomitus in aliud refertur, quod ſit vel ſymptoma, vel efficiens. Si capiatur vomitus, vt refertur in aliud ſymptoma: poteſt recenſeri inter exeuntia; nam eſt exiens, quod refertur in læſionem expultricis. Quare ſecundum hanc rationem, vomitus formaliter eſt exiens mutatum: effectiue, eſt expulſio læſa: cum enim vomitus ſit exiens, ſequitur læſam eſſe expulſionem. Et hoc modo ſumitur a Galeno, capit. vltim. lib. de diff. ſympt. nam ibi Galenus loquitur de ſymptomatis, quæ conſiſtunt in exeunte mutato. Si ſumatur vomitus vt ſymptoma, quod non refertur in aliud ſymptoma, ſed in cauſſam: formaliter eſt actio læſa; nam actionis læſio immediate refertur non in ſymptoma, ſed in cauſſam efficientem, quæ eſt facultas fruſtrata, vel ob morbum, vel ob errorem externum. Et hoc modo ſumit Galenus, capite tertio, libro 2. de cauſſ. ſympt. nam ibi loquitur de motibus ſeu actionibus prauis.
E Nobis placuit ſumere ſecundo modo: quatenus eſt ſymptoma, quod refertur in cauſſam efficientem: ratio eſt; quia vomitus ſecundo hoc modo acceptus, magis genere cõuenit cum ſingultu, nauſea, & reliquis malis, quæ motum illegitimum pro communi genere habent. Deinde etiam quæritur: cum vomitus ſit motus prauus, an poſſit eſſe ſecundum naturam? Quomodo vomitus ſit opus naturæ: & quomodo præter naturã. Dicimus in vomitu perpendendum eſſe, vel locum per quem excernitur materia, vel agens, quod ad expellendum concurrit. Si perpendatur locus per quem materia excernitur; ſtatuendum, vomitum eſſe a toto genere præter naturam, non quidem abſolute, ſed ratione loci, per quem excernitur materia; nam a natura non eſt creatum os ventriculi, vt per illud materia euacuetur. 1. Ratione loci. Et ſecundum hunc modum Galenus loquitur, cap. vlt. lib. de diff. ſymp. ſtatuens ſanguinis profuſiones & vomitiones toto genere eſſe præter naturam; ad differentiam vacuationis, quæ fit per aluũ, veſicam, vterum; quę membra, ad differentiam ventriculi, deſtinata ſunt ad excretionem; vnde excretio ſan-
F guinis per vterum, non eſt a toto genere præter naturam. Si autem perpendatur in vomitu agens, quod ad excernendum concurrit; capitur vel ſecundum ſpeciem, vel ſecundũ actionem. 2 Ratione ſpeciei agentis. Si ſecundum ſpeciem; e c. 1. li. 2. de cauſſ. ſym. eſt ſpeciei vel vnius, vel duplicis. Vnius eſt ſpeciei, dum ſolum eſt vel ſecũdum naturam, vel pręter naturam. Duplicis ſpeciei eſt, dum vnum eſt ſecundum naturam, aliud præter naturam. Si ergo agens ſit duplicis ſpeciei; motus ſtatuitur miſtus, vt ſit opus & morbi & facultatis, veluti topor. Sin agẽs ſit vnus ſpeciei; ſit motus qui comitatur morboſos affectus, quemadmodum palpitatio & conuulſio: vnde hic motus ſtatuitur a toto genere præter naturam. Quod ſi agens vnius ſit ſpeciei, & fiat motus ſolius facultatis; ſtatuitur opus ſolius naturæ, vt ſternutatio, tuſſis, ſingultus, vomitus. Gal. quidem vomitum, gratia exempli, non proponit c. 1. lib. 2. de cauſ. ſym. ſed tamen c. 3 lib. eiuſd. proponit, dũ ait; vomitũ eſſe expultricis actionẽ: vnde vomitus tuſſi aſſimilatur, quatenus vterq; motus ſolius eſt expultricis. Et ob id, ſecũdum hanc rationem, vomitus ſtatui poteſt motus, a toto genere ſecundum naturam.
G Si autem capiatur agens ſecundum actionem: perpendimus vel modum ſecundũ quem fit actio; vel tempus in quo fit actio. Si perpendamus modum ſecundum quem fit actio; hic duplex eſt, e c. 1. lib. 2. de cauſſ. ſym. prout expultrix impellitur a cauſſa vel morboſa, vel non morboſa. 3. Ratione modi actionis. Vnde ſicuti excretio, quæ per aluum fit, poteſt eſſe motus ſolius naturæ, nec irritatæ a cauſſa morbifica, quoniam hæc eſt vacuatio, quæ fit per locũ vacuationi a natura deſtinatũ, & proinde hic motus non eſt ſymptoma, quia actio ſecũdũ naturã obitur: ita contra in vomitu fit excretio ꝑ locũ inanitioni nõ deſtinatũ, & fit quidẽ expulſio a natura, ſed quatenus a cã morboſa

violenter agitatur. Et propterea, quemadmodum ſingultus eſt motus ſolius naturę, a cauſſa morboſa violenter coactæ, & proinde eſt motus prauus: ita etiam vomitus eſt motus prauus, & proinde ſymptoma; quia eſt opus naturæ, ſed coactæ. c. 3. l. 2. de cauſſ. ſympt. Si denique perpendamus tempus in quo fit actio: fit vel tempeſtiue, vel intempeſtiue: c. vlt. l. de diff. ſymp. Tempeſtiue fit, cum expellitur quod cõtriſtat: intẽpeſtiue ſi aliorũ fiat euacuatio, non moleſtãtium. Quare ſi vomitus tempeſtiue fiat, quamuis ſit toto genere pręter naturam, quatenus fit per os ventriculi; nondum tamen præter naturam eſt, quia fit cum prouidentia de animalis ſalute, & virtutis robore. Vnde com. aph. 2. ſect. 1. dicitur, in vomitibus ſpontaneis; ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & facile ferunt ægrotantes; vacuantur enim quæ corpus infeſtant: ideo ſi vacuentur non moleſtantia, grauiter ferunt ęgri, quia educitur materia non morboſa, cuius pręſentia cuſtodiebatur virtus. Quare ſi tempeſtiue fiat vomitus, eſt opus naturæ: ſi intempeſtiue, eſt ſymptoma. Verum dum eſt naturæ opus, nulla actio læditur, vt in ſudore, alui deiectione, vrina: hæ enim vacuationes, etſi multo ampliores ægris occurrant, quam pro naturæ modo; non tamen inter ſymptomata recenſentur, ſed inter naturæ opera, dum fiunt, non ſolum nulla actione lęſa, ſed etiam cum virtutis robore, & prouidentia animalis ſalutis. Quare cum vomitus tempeſtiue factus ſit opus naturæ, non læſa aliqua actione: nos hic loquimur tantum de vomitu intempeſtiuo, qui eſt prauus motus, & ſymptoma, & ratione loci toto genere præter naturam.

4 Ratione temporis, quo fit actio.

Iam dicendum, quęnam cauſſa expultricem ad vomitum incitet: id autem facit tantum error externus. Hic error quatuor modis conſiderari poteſt: ſecundum ſpeciem, vitium, cauſſam generantem, & modum quo concurrit ad facultatem irritandum. Quoad ſpeciem; materia eſt cauſſa Interna, vel Externa. Interna, vel eſt Vitæ particeps, vt vermis: vel Expers, & aut materia Alimentalis, aut Excrementitia. Si alimẽtalis; ſuccus vel Chyloſus, vel Sanguineus. Si chyloſus; vel Coctus, vel Crudus, & hinc particeps vel Pituitę, vel Succi crudi. Si ſanguineus; vel eſt Syncerus, vel Particeps ſucci alimentalis, ſiue pituitoſi, ſiue bilioſi, ſiue melancholici. Materia excrementitia, vel eſt Non prima, vel Prima. Non prima eſt, quæ fit ex alia excrementitia: prima, quæ non fit e priori. Non prima, vt vermis defunctus; hic enim generatur e putri materia. Prima attinet ad coctionem vel Primam, vel Sequentes. Si ad primam; eſt materia Fecalis, vel Seroſa. Si ad ſequentes coctiones; pertinet vel ad Secundam, vel ad Tertiam. Si ad ſecundam, excrementum eſt vel Bilioſum, vel Melancholicum. Si ad tertiam, materia excrementitia eſt vel Sanies, vel Mucus cerebri. Externa cauſſa, concurrit Neceſſario, vel Non neceſſario. Non neceſſario occurrens, poteſt eſſe venenum medicamentum. Neceſſario, cibus, potus. Quoad vitium: ſi attineat ad ſubſtantiam; eſt materia vel Simpliciter toto genere præter naturam, vt vermis viuens, venenũ: vel eſt toto genere præter naturam, non ſimpliciter, ſed ratione Putredinis, vt eſt vermis mortuus, & quęlibet materia putrida. Si vitium ad quantitatem ſpectet; eſt quælibet materia copia grauans.

Cauſſæ efficientis ſubdiuiſio.

1. A ſpecie.

2. A vitio.

Si ad qualitatem, eſt materia calida, ſiue ſit bilis, ſiue pituita ſalſa. Si vitium attineat ad *Vbi*: ſi ad quietem; vitium in hoc poſitum eſt, vt materia reſidet in cauitate ventriculi, ſupra fundum, & ſupernatat. Si ad motum ſpectet vitium: terminus ad quem, eſt Vẽtriculus; terminus a quo, vel Totum, vel Pars; vt ſæpe diximus. Sed notandum, quomodo in diſſectione cerebri, bilis vomitum ſuperuenire dicat Hipp. aphor. 50. ſect. 6. Galenus ait, id fieri, quoniam cerebrum præciſum, citiſſime ſuam paſſionem ventriculo communicat, id eſt, qualitatem ſpiritalem, vi cuius partes proximę ipſi ventriculo, & proinde iecur, ſuperfluitates, præſertim tenues & bilioſas, & ſeroſas, dimittunt in ventriculum: vt hic motus materierum a iecore in vẽtriculum fiat per modum tranſmiſſionis, cum ventriculus imbecillis euaſerit, vi qualitatis ſpiritalis; & ita imbecillis, vt vicinas ſuperfluitates admittat, quæ deinde ſuperfluitates, dum irritant expultricem, per vomitum educuntur. Cauſſa generans varia eſt, pro diſcrimine materiæ: vt alibi diximus. Poſtremo, ſi capiatur materia penes modum, quo irritat expultricem: concurrit vel Propria ratione, vel ex Accidenti. Propria ratione, dum materia morbifica, ſuapte natura, id eſt, vi proprii vitii agere poteſt. Ex accidenti autem dum vitium attinet non ad materiam, ſed ad ventriculum: quod vitium poſitum eſt, vel in morbis, vel in deſtructione appetentiæ cibi. Si in morbis eſt ſitum, morbus eſt vel Intemperies, vel Mala compoſitio, vel Soluta vnitas. In intemperie, verbi gratia, ſi ventriculus ſit frigidior, cibus etiam exiguus euadet copioſus: ſi ventriculus calidior ſit, cibus etiam non mordax irritare poterit. Mala compoſitio, eſt, verbi gratia, anguſtia in orificio inferno ventriculi: vnde materia non poteſt infra expelli, ideoque irritat expultricem ad ſuperiora. Soluta vnio, eſt vlcus, vi cuius a cibo etiam probo facultas irritatur. Si vitium ſit poſitum in deſtructione appetitus cibi; fit vomitus ex imaginatione obiecti iniucundi, vtpote ſi quis aliquem vomentem intueatur, ilico poteſt euomere cibum etiam probum: nam ita afficitur imaginatricis organũ, & dum impellitur animalis appetentia, hæc ita influit in os ventriculi, & hoc ita afficit, vt diſſipetur cibi appetentia, & cibi attractio, vnde potio expultrix irritatur a cibo bono.

Cerebro vulnerato bilis vomitus ſuperuenit.

3 A cauſſa generante.

4. A modo irritationis

A forma non ſumuntur vomitus differentiæ, niſi ſecundum magis & minus, prout eſt Magis aut Minus prauus: & hinc vomitus ſtatuitur Magis aut Minus vehemens. Ob id, ratione differentiarum a forma, non licet dicere, vomitũ eſſe vel criticũ, vel ſymptomaticum: nam vomitus criticus fit tẽpeſtiue, & eſt naturæ opus, non ſymptoma, de quo hic loquimur: quare non eſt motus prauus, niſi ſit vomitus criticus imminutus. A ſubiecto non ſumuntur differentiæ: nam ſubiectum eſt ventriculus. Cauſſa efficiens eſt error externus: cuius variæ ſunt differentiæ, ſecundum ſpeciem, vitium, cauſſam generantem, & modũ quo cõcurrit ad irritandum expultricem: de quibus ſupra. Id notetur, ſi vomitus fiat ab errore, in ratione cauſſæ internæ; vocari vomitum ſpontinum.

Differẽtiæ.

Vomitus in genere eſt manifeſtus. Sed morbificus vomitus diſtinguendus eſt ab eo, qui eſt naturæ opus. Si igitur conferat, & leuiter ferant patientes; eſt vomitus ſecundum naturam: ſi contra præter naturam: de quo nos iam loquimur. comm. aphor. 2. ſect. 1. Differentiæ a forma patent. Sic etiam differentiæ

Signa.

A tiæ a cauſſa efficiente patere poſſunt ex alibi traditis. In præſentia ſufficiant ſigna materiæ morbificæ irri-
tantis propria ratione, & ex accidenti. Igitur ſi materia propria ratione lædat; cognoſcitur inde, quod
materia quæ euomitur, eſt vitioſa: ſi ex accidenti; indicatur e materia egrediente inculpata. Vtrum au-
tem ventriculi vitium poſitum ſit, vel in intemperie, vel in mala compoſitione, vel ſoluta vnitate; ſuis tra-
ditum eſt locis.

Quoad præſidia: cum vomitus ſit motus prauus, procedens a materia irritante expultricem: præſi- Indicationes.
dia potiſſ. ſunt capienda a materia irritante, quoniam hac ſuperata ilico ceſſat vomitus, interdum tamen
etiam a vomitu, quatenus prauus eſt, præſidia haurire cogimur. Quo igitur ad materiam; cum perpenda-
B tur ſecundum ſpeciem, vitium, cauſſam generantem, modum quod ad irritandum concurrit: quoad ſpe-
ciem; indicantur præſidia determinata. Quoad vitium; varia indicantur præſidia, de quibus alibi. Nunc
duo notanda, ratione vitii ſecundum vbi. Primum eſt Alexandri, qui c. 1. l. 7. ait: ſi crudi humores ſolũ re-
dundent in ventriculo, & non e toto corpore confluant, ęgrotantes medicamentis ſollicitandos non eſſe:
ſi autem humores e toto corpore confluant in ventriculum; probari interdum ſanguinis miſſionem, in-
terdum purgationem, interdum vtrumque. Per crudos humores in toto ventriculo redundantes, intelli-
git Alexander portiones cibi frigidas & craſſas, qui non potuerunt in chylum conuerti: vnde hi crudi ſuc-
ci nõ egent euacuatione, ſed potius alteratione, vt concoquantur, & in alimentum mutentur: & ob id A-
lexander ſolo victu hos crudos humores mutat. Cum igitur ſucci crudi peccare poſſint copia & neceſſario
ſint frigidi, craſſique: ob id opus eſt euacuatione calefactione & attenuatione: quorum præſidiorum ma-
C teriæ cum Alexandro, attinere debent potius ad victum, quam ad materiam cheirurgicam, aut medicina-
lem: nam per victum tenuem humoris copia minuitur; per victũ calidum, vincitur frigiditas, & ob id ſucci
crudi ita diſponũtur, vt a calore naturali coquantur. Quoad humores, q. cõfluũt e toto corpore in ventri-
culum, cum peccent copia & motu; ſunt minuendi, & retrahendi: quia vitium vehemens eſt, poſtulatur et-
iam vehemens præſidium; cuius materia cauſſa ſanguinis eſt venæſectio, cauſſa reliquorum humorũ me-
dicamentum purgans: ideoque iure cum Alexandro maioribus vtendum remediis. Alterum, quod notan-
dum diximus, ſpectat ad vomitum criticum imminutum; vbi quæritur, a quo indicetur remedium adiu-
uans. Hoc vt intelligatur, primo ſciendum, differentiam eſſe inter vomitum ſymptomaticum & criticum:
ille enim fit intempeſtiue, ideoque eſt prauus, & ſymptoma: hic autem fit tempeſtiue, & eſt vel integer, in
quo tota materia vacuatur, ideoque ab eo nulla debet ſumi indicatio, vel eſt imminutus, in quo non tota
D vacuatur materia, qui, licet fiat tempeſtiue, tamen nec ita vehemẽs, nec perſeuerans eſt, quemadmodum
requirit materia morboſa: proinde vomitus criticus imminutus non eſt opus naturæ, ſed ſymptoma, ni-
mirum actio læſa imminuta. Cauſſa huius vomitus eſt materia, cuius vitium poſitum eſt in motu, quia mi-
nus vacuatur, quam decet: & proinde hic motus imminutus adiuuandus. Denique, cum interdum cõtin-
gat, vt antequam materia e toto vincatur, vires patientis collabantur: fit, vt etiam a vomitu, quatenus eſt
ſymptoma, indicatio hauriatur: quoniam eſt ſymptoma habens rationem cauſſæ, id eſt, lædens vires. Cum
igitur vomitus formaliter acceptus ſit motus prauus, in quo neceſſario aperitur os ſupernum ventriculi;
propterea indicatur remedium occludens os ventriculi, videlicet aſtringens. Vnde Galenus, com. aph. 37.
ſect. 7. vomitum ſanguinis curat aſtringentibus & refrigerantibus; aſtringentia reſpiciunt apertionem o-
rificii, & in vomitu ſanguineo, diapedeſin, anaſtomoſin, vel diæreſin venarum, a quibus erumpit ſanguis:
E refrigerantia diriguntur ad ſanguinis caliditatem, cuius cauſſa ſanguis facile fluit.

Quoad vomitum in genere, nihil certi poteſt ſtatui circa euentum. Quoad differentias ratione for- Prognoſt.
mæ: ſi vomitus ſit criticus diminutus; facile adiuuari poteſt. Si autem vomitus ſit ſymptomaticus; quo eſt
vehementior, eo periculoſior. Ratione efficientis: cum cauſſa efficiens ſit multiplex, ex alibi dictis patet
quid minetur: verbi gratia, quoad ſpeciem; vomitus eſt peior, ſi atra bilis; mitior, ſi pituita: nam atra bilis
magis recedit a naturali ſtatu. Quoad vitium, peior eſt vomitus, ſi fiat a pituita putrida, quam ſi a copioſa:
nam materia putrida eſt magis inimica. Quoad cauſſam generantem; vomitus eſt magis periculoſus, ſi
fiat a materia genita potius vi morbi, quam erroris externi: verbi gratia, cum Galeno comment. 39. ſect. 1.
progn. bilis porracea eſt in cauſſa vomitus minus periculoſi, ſi generetur in ventriculo ex oleribus, quam
ſi generetur ratione morbi in venis: nam ſi bilis generetur ob errorem externum, non eſt ita praua, & v-
F nus tantum eſt inimicus, at ſi generetur ob morbos in venis, eſt peior, & duplex eſt hoſtis. Quoad mo-
tum, ſecundum quem cauſſa concurrit ad irritandum expultricem, periculum eſt maius, dũ pendet a ma-
teria propria ratione agente, & præterea ex eo, vi cuius materia etiam proba vomitum efficit: verbi gra-
tia, ſi vomitus fiat a pituita copioſa, vel cibo copioſo, vomitus erit minus periculoſus: magis periculoſus
ſi fiat a bono cibo, ſed vi vlceris: nam vlcus magis recedit a naturali ſtatu, quam vel pituita copioſa, vel ci-
bus copioſus. Sed oportet etiam ad artem prognoſticandi dirigere Hippocratis aphoriſmum 37. ſection. Explicatur
7. vbi inquit: quicunque euomunt ſanguinem, ſi ſine febre, ſalutare; ſi cum febre, malum. Hic ſtatuitur aph 37 ſect.
ſanguinis vomitus cum febre eſſe magis periculoſus. Licet enim non ſit diſcrimen in ſpecie: nam in vtro- 7. de vomitu-um, & ſi-
que vomitu, & ſine febre, & cum febre, euomitur ſanguis: differentia tamen eſt in ſanguinis vitio, & nu- ne febre.
mero rerum præter naturam. Quo enim ad vitium, ſanguis eſt calidior in vomitu cum febre, quare ma-
G gis recedit a naturali ſtatu, & proinde vehementior eſt ſecundum eſſentiam. Quo vero ad numerum, in
vomitu ſine febre, naturæ inimicus eſt ſanguis peccans, & venarum vitium, id eſt, diapedeſis, anaſto-
moſis, vel diæreſis: in vomitu autem cum febre, etiam præter propoſita vitia eſt inflammatio, & febris Alius Hipp.
ſequens inflammationem. Ergo ſanguinis vomitus cum febre, malum. Redigemus etiam ad progno- locus enar-
ſticum, context. 38. l. 2. prognoſt. vbi Hippocrates ait, Vomitus eſt vtilis, ſi fiat a pituita, ac bile, ſi ma- ratur: de co-
xime permiſceantur, & præſertim ſi materia non fuerit valde craſſa, neque multa; ſynceræ enim vomi- lore mate-
tiones deteriores ſunt. Reſpicit Hippocrates ad vehementiam materiæ penes cauſſam generantem. riæ vomitu reiectæ.

Quod artificium cognoscens Galenus, ait in commento; humorem biliosum sincerum multam indicare A
caliditatem, generantem scilicet bilem: contra, pituitam sinceram, indicare frigiditatem vehementem,
generantem pituitam. Hoc confirmatur ab Hippocrate, context. 39. vbi ait, varios colores, id est, porra-
ceum, liuidum, aut nigrum, esse malum: quod verum est, quatenus hi colores indicant caussas generan-
tes admodum vehementes. Cum ergo Hippocrates respexerit ad vehementiam caussæ generantis; recte
statuit, vomitum materiæ mistæ, e bile pituita, esse vtilem, id est, minus malum; materiæ autem sinceræ esse
deteriorem: ratio est, quia, sicut mista materia generatur ab intemperie remissiore, ita & vomitus mistæ
materiæ minus est malus. At vomitus materiæ sinceræ est deterior: nam bilis sincera, id est, summe flaua,
& vitellina, indicat insignem caliditatem; pituita sincera, & acida, insignem frigiditatem, scilicet gene- B
rantem. Ceterum, materia sincera est signum maioris vehementiæ, non tantum vt est sincera, sed etiam
vt est crassior: nam cum Galeno sincerus humor crassior exsistit, pituita quidem propter frigiditatem,
astringentem quasi concreta; bilis autem propter caliditatem euaporantem tanquam assata. Vnde colli-
gitur, materiam etiam copiosam esse indicium caussæ generantis vehementioris. Et hinc Hippocrates lo-
cis cit: iure statuit, vomitum materiæ vitiosæ, affectæ prauo odore, malo colore, esse malum; quia indi-
cat caussam generantem vehementer peccantem. Materia enim fœtida & putrida indicat agens, in quo
calor præter naturam dominatur. Materia prauo colore infecta etiam est mala: quia praui colores signi-
ficant caussam generantem admodum vehementem: nam porraceus color, vi caliditatis morbosæ geni-
tus, indicat insignem caliditatem in venis: materia liuida & nigra, differunt secundum magis & minus,
quare niger color indicat peiorem caussam generantem. Sufficiat iam circa nigrum tantum colorem di- C
gredi. Nigra igitur redditur materia, vel ob mistionem nigræ materiæ, vel citra mistionem. Si reddatur
nigra ob mistionem materiæ; cum Galeno, context. 22. libr. 2. prognost. dum excretio ab atra bile tingi-
tur, oportet vt materia nigra sit copiosa, nec modice mista: nam secus exeuntia essent liuida, non nigra.
Materia autem nigra potest esse atra bilis, vel melancholia: peior est excretio atræ bilis, quia magis recedit.
Si autem vomitus fiat materiæ nigræ citra mistionem alterius materiæ; hic color indicat caussam generá-
tem, admodum vehementer vel refrigérantem, vel calefacientem. Et hinc Galenus context. 29. l. 2. pro-
gnost. ait, nigredinem fieri ob vehementiam frigiditatis, vel caliditatis. Ob frigus quidem; dum sanguis
congestus in globos nigrescit: frigore enim sanguinis partes diaphanæ exprimuntur. Ob calorem, dum
sanguis contrahit nigredinem, si veluti comburatur: calor enim insignis portiones diaphanas dissoluit.
Partibus igitur diaphanis dissipatis, dominantur opacæ, & hinc materia nigra euadit. Constitutum igi- D
tur sit, materiam quæ euomitur, ratione praui coloris indicare vehementiam essentiæ caussæ generantis:
vt hinc periculosus sit vomitus. Iccirco Hippocrates text. 40. libro secundo, prognostic. ait: si ho-
mo omnes vomat colores, exitiale. Nam dum plures sunt colores, plures sunt sinceræ materiæ, quæ se
inuicem quidem contingunt, sed non sunt exacte mistæ, quemadmodum requirit vomitus materiæ non
sinceræ: plures autem illæ sinceræ materiæ, nil aliud indicant, quam in corpore multas haberi difficiles af-
fectiones: nam cum caussa generans sit vehemens, & propria ratione, & vt numerosior, iure hic vomitus
Hippocrati est exitialis.

Curatio. Cheirurgica. Alexander in vomitu procedente a toto, probat venæsectionem, si sanguis abundat. Auicennas se-
cat venam, si patiens sit repletus sanguine; & primo secat basilicam: nam sanguis subsistentiam habet in
iecinore, estque copiosus, & vires inter initia sunt robustæ. Mox, si reliquiæ sanguinis supersunt, secat E
venas pedum: quia sanguis non est ita copiosus, nec ita potens, virtus etiam non est ita firma, vt primo té-
pore. Denique, si adhuc assint sanguinis reliquiæ, & virtus sectionem venæ non possit perferre; Auicen-
nas cucurbitulas cum scarificatione cruribus applicat. Paullus cucurbitulam cum magna flamma admo-
uet circa vmbilicum: & addit violentas frictiones, vehementes ligaturas secundum crura; ad materiam re-
trahendum.

Pharmaceia. Vomitoria. Medicamenta, quibus vomitui occurrendum, respiciunt vomitum vel Imminutum, vel Superflu-
um. Ad imminutum vomitum probantur medicamenta, quæ sensibiliter per vomitum euacuant. Vnde
Auicennas decima tertia, tertii, tract. 5. cap. 12. inquit, vomitum vomitu abscindi: quod in vomitu super-
fluo locum non habet, in quo timorosum est fluxu fluxum curare, quarta, primi, cap. tertio. Itaque in vo-
mitu imminuto, cum Galeno, cap. 11. lib. 7. meth. si materia sit pituitosa, crassa, viscida, probatur hoc me- F
dicamentum: *℞. succi raphani ℥ vj. oxymelitis simplicis ℥ j ß. iuris pulli tepidi ℔ j. Misce pro vomitorio.* Si
materia sit minus crassa, minus viscida: Galenus exhibet *mulsam cum aceto in cremore ptisanæ, verbi gratia,*
℞. mulsæ ℥ ij. aceti ℥ ß. cremoris ptisanæ hordeaceæ ℥ viij. Misce pro vomitorio. Si autem materia sit biliosa;
possumus exhibere *℥ x. aquæ tepidæ, vel simplicis, vel hordeaceæ, cum ℥ j. syrupi acetosi simplicis.* Quod si ad-
modum acris & mordax sit biliosa materia, *loco aquæ tepidæ vti possumus iure pingui.* Si autem materia sit
melancholica, dummodo non sit atrabilaria; probatur *mulsa, cum succo raphani in iure.* Si autem vomitus
fuerit materiæ sanguineæ, non probatur vomitorium, nisi sanguis sit vel concretus, vel immineat, ne
concrescat: tunc enim probatur *mulsa calida (non tepida) ad ℥ vij. cum syrupo acetoso, ad ℥ j ß. cum melle*
ad ℥ ß. & hoc si immineat sanguinis concretio Quod si iam cõcretus sit sanguis, probatur *mulsa ad ℥ vj. cum*
decocto vel matricariæ, vel thymi, vel etiam ebuli, vrgente necessitate, ad concretionem dissoluendum, dosis deco- G
cti erit ad ℥ iiij. His medicamentis si non cedat malum, quia de vita patientis agitur, propinare cogimur a-
quam cineris seu lixiuium, ad ℥ v. cum lacte ficuum, ad quantitatem ℥ j. cum bdellio, & opoponace, ad dosin ℈ ij.
Auicennas probat ℥ ij. coaguli leporis, & aquæ menthæ ℥ ij. cum salis contriti ℥ ij. Improbatur autem vomito-
rium in vomitu sanguinis, dum menses sunt suppressi: nam non decet sanguinem menstruum per os eua-
cuare: attamen, cum exitiale sit, hunc sanguinem menstruum in corpore detineri; occurrendum potius
materia cheirurgica, de qua suo loco.

In vomitu

Cohibẽtia vomitum.

1. Reuellentia, ſenſibiliter, & inſenſibiliter.

A In vomitu ſuperfluo probantur medicamenta Reuellentia, & Adſtringentia. Reuellentia ſunt vacuantia Senſibiliter, vel Inſenſibiliter. Senſibiliter vacuantia, ſunt medicamenta per clyſteres infuſa: nam medicamentum per os exhibitum, potius egreditur per vomitum: quare non reuellit, non retrahit, ideoque potius nocet. Auicennas probat clyſmos acutos; quos ait, multoties vomitum abſcindere. Reuellentia inſenſibiliter vacuantia, ſunt calida medicamenta, & tenuis ſubſtantiæ. Quare cum Auicenna mirabile in ſedando vomitu calefacere extremitates. Nec ſibi contradicit Auicennas, dum decimatertia, tertii, &c. ſcribit, infrigidationem extremitatum ſedare vomitum velocem calidum: reſpicit enim ad vomitum, qui habet rationem cauſſæ, vt eſt vomitus, in quo velociter mouetur materia calida: extremitates nãque refrigeratæ, frigiditatem impertiuntur ori ventriculi, quod inde aſtringitur, & vomitus ſedatur. B Hic igitur refrigeratio extremorum dirigitur ad vomitum, non ad materiam. Contra, extremorum calefactio non reſpicit vomitum, ſed materiam vomitus, quam ad inferiores partes retrahit: ideoq; Auicennas proponit medicamenta vehementer calida, ita vt etiam ad rubrificantia aſcendat, & ad exulcerantia, quæ ſępius cruribus applicat. reuulſionis gratia.

2. Adſtringentia, in materia frigida.

Adſtringentia vomitum reſpiciunt, quatenus eſt ſymptoma, habens rationem cauſſæ. Cum autem vomitus fiat a materia frigida, vel calida: Si materia ſit frigida; & primum ſi ſit materia melancholica; cum Auicenna quantũ fieri poteſt abſtinendum ab aſtringentibus, hæc enim materiam melancholicam craſſiorem reddunt. Vnde & in vomitu a pituitoſa materia adſtringentibus mitioribus vtendum; & proinde iis medicamentis, quæ parum etiam attenuare valent. Quare in vomitu a materia frigida, probatur *diacydonites cum melle: probatur ſaccharum roſaceum etiam vnius anni, ſed cum maſtiche, mentha, thure: pro ſingulis* C *vnciis ſacchari roſacei, ſufficit miſcere* ℈ *j. propoſitorum medicamentorum: & hæc vncia in duas doſes diuidatur.* Extra autem probatur *oleum de abſinthio, de mentha. maſtichinum, verbi gratia ad* ℥ ß *cum puluere maſtiches, menthæ, abſinthii, & gallarum immaturarum ad* ℈ *v. pro ſingulo medicamento: & addantur* ℥ *ij. ceræ elotæ cum vino aſtringente, fiat linimentum. Probatur etiam panis torrefactus, madefactus vino maluatico, cum puluere nucum cupreſſi.*

Adſtringẽtia in calida materia.

In vomitu a materia calida, probantur adſtringentia valentiora, id eſt, frigida, craſſa: quoniam oportet os ventriculi occludere, & calidam materiam attemperare, tenuemque craſſefacere. Quare probatur *ſyrupus de granatis, ſyr. de ribes, de cydoniis, roſatus e ſiccis roſis, myrtinus: & hi ſyrupi exhibendi, vel cum aqua plantaginis, vel cum chalybeata. Probatur etiam ſaccharum roſaceum vetus, diacydonites, ſed non cum melle, vt prius, ſed cum ſaccharo. Probatur diacornu, quod eſt medicamentum mirabile.* D Si vomitus adeo ſit vehemens, vt cum Auicenna deficiat curatio: adſcendendum *ad ſemen lactucæ, deinde ad ſemen papaueris, præterea ad corticem papaueris nigri, &, vrgente neceſſitate ad corticem radicis mandragoræ, & tandem ad philoniũ Rom. & proinde ad recipientia opium: vnde Auic. probat trochiſcos Amaricos nuncupatos, qui conficiuntur e ſeminibus aniſorum, apii, ex abſinthio, cinamomo, opio, & caſtorio.* Opium eſt baſis, cuius virtute potiſſimum ſedatur vomitus: abſinthium ſua vi aſtringente opium adiuuat: caſtorium eſt alexipharmacum opii; cuius tum odor, tum ſapor corrigitur aniſo, cinamomo, & reliquis iucundis, quæ etiam vt calida, opii frigiditatem corrigunt. Extrinſecus probatur medicamentum *ex oleo roſaceo, melino, myrtino, cum exiguo maſtichino, additis pulueribus coralliorum, ſantalorum, malicorii, cum cera.* Formula patet e ſupra dictis. *Probatur etiam panis torrefactus, madefactus aqua roſacea, vel vino aſtringente, additis pulueribus modo dictis.* Addit Auicennas extremorum refrigerationem: quemadmodum ſi manus pedeſq; in frigidam immergantur.

Gal cap. 3. lib 8. κ. τόπ.

Victus ratio.

Aqua carnis, vires inſtaurans.

E Diæta varia eſt, pro varia vomitus cauſſa. Secundum Auicennam igitur in vomitu e cibi corruptione, probantur cibi, ſuauis odoris & ſaporis: qui calidi ſint in corruptione acida; frigidi, in nidoroſa. Tandem addit Auicennas in vomitu contumaci, in quo virium lapſus imminet, eſſe exhibendam *aquam carnis, e pullis, & extremitatibus hœdorum & caſtratorum: quæ aqua ſic conficitur. Pulli, & extremitates hœdorum atque caſtratorum in aqua elixantur: deinde aqua illa abiicitur: mox rurſus decoquuntur carnes in alia aqua, quouſque diſſoluantur: deinde carnes teruntur in mortario, & hinc aqua exprimitur: cui deinde ſunt miſcenda vel ſemina, vel aromata, modo calida, modo frigida pro mali conditione.* Hic aquam carnis parandi modus tunc probatur, cum vires collabuntur ob immodicam vacuationem; in qua opus eſt alimento velociter nutriente, neque ita diſſipabili. Hac de cauſſa Auicennas accipit cum carne pulli etiam animalium extremitates, quæ viſcidum & firmum præbent alimentum. F Et eandem ob cauſſam, primum pullos elixat, mox aquam abiicit; quoniam per primam elixationem portiones tenues, & facile diſſipabiles euaporant, & diſſoluuntur: remanent autem portiones magis firmæ & ſolidiores, quibus cauſſa fluxus egemus. Quod ſi autem vires concidant citra fluxum; ſatius eſt in aqua carnis paranda, tenues etiam portiones ſeruare: neque carnibus pullorum, animalium extremitates tunc ſunt addendæ, nam potius obeſſent. Ceterum, cum aqua carnis ab Auicenna propoſita, in virium lapſu vi vomitus, ſtabile alimentum præbeat, verum non celeriter nutriat: iccirco prudentiſſimus Auicennas cum aqua carnis dat *parum vini, quoniam vinum omnium celerrime nutrit.* Auicennas etiam addit, pallatim cibum eſſe exhibendum, ne motus motui addatur. Vnde cum quies proſit, ſtatuit Auicẽnas curæ radicem eſſe ſomnum. Et hæc de Vomitu.

G

Capvt XII.

De Cholera.

PEr choleram, ſeu Barbarorum choliricam, intelligimus illud vitium, in quo patiens ſecundum ventriculum ita turbatur, vt materia & per os, & per ſedem euacuetur. Vnde ſermo noſter dirigitur, ad

Generatio. gitur, ad choleram exquiſitam & notham; humidam, & aridam. Generatur cholera, dum materia mor-
bifica agit in ventriculum, non ſecundum vnicam tantum partem , ſed e capite ſecundo, libro tertio,
Definitio. de ſymptom. cauſſ. ſecundum totum ventriculum, id eſt, ſecundum partem ſupernam & infernam: hinc-
Forma. que expultrix adeo irritatur, vt materia & per os, & per aluum expellatur. Cholera igitur eſt motus prauus
ventriculi, dependens ab expultrice, expellente materiam per vtrumque os. Forma eſt motus prauus. ca-
pite ſecundo, libro tertio, de ſymptom. cauſſ. qui motus prauus eſt expulſio, & hinc functio deprauata,
quam Alexander vocat immoderatam perturbationem. Auicennas dicit, choleram eſſe motum materiæ
morbificæ: nam loquitur de fluxu, & accipit hoc vitium in ratione exeuntis mutati: Galenus autem in ra-
Subiectum. tione læſæ actionis: Quare non ſibi repugnant. Subiectum eſt ventriculus totus, ſecundum partem ſupe- B
riorem & inferiorem.

Cauſſa effi- ciens. Ratione cauſſæ efficientis, diximus: dependens ab expultrice, expellente materiam per vtrumque
os. Vnde cholera diſtinguitur ab eo vitio, quod quidam choleram eſſe credunt, cum tamen non ſit; vt
monet Galenus tex. 103. libro quarto, de ratione victus, loquens enim de arida cholera inquit: Cum ſpi-
ritus vitii cauſſa interdum retineantur, interdum exeant; ſi ſpiritus retineantur, non gignitur cholera:
probabilius enim eſt choleram vocare, dum ſpiritus & vapores egrediuntur, non autem dum retinentur.
Hactenus ergo patet, choleram pendere ab expultrice, expellente materiam per vtrumque os. Iam in-
Materia ir- quirendum, quam ob cauſſam expultrix ad expellendum inſurgat. Cum igitur expultrix concurrat vt
ritans ex- cauſſa præter naturam: dicendum in qualibet cholera eam fruſtrari ob errorem externum, non læſa fa-
pultricem. cultate: nam immediata cauſſa eſt materia, ita aduerſaria ventriculo, vt expultrix ſumma violentia inſur- C
gat ad expellendum. Hinc Galenus capite ſecundo, libro tertio, de cauſſ. ſymptom. ſcribit, in cholera ven-
triculum expellere quod offendit. Id igitur quod offendit, conſiderandum eſt, ſecundum ſpeciem, vitium
& cauſſam generantem.

1. Species materiæ. Quoad ſpeciem, eſt cauſſa Interna, vel Externa. Interna e con. 103. libro quarto, de ratione victus.
poteſt eſſe Vapor, vel Minera: vapor eſt cauſſa choleræ ſiccæ: minera poteſt eſſe cauſſa choleræ tum ſiccæ,
tum humidæ; humidæ quidem, ſi materia morbifica per os & aluum euacuetur, copia effatu digna: ſiccæ,
ſi cauſſa ſit materia bilioſa (ſecundum Alexandrum) verum materia in parua copia egreditur; vnde, niſi
flatus vel vapores agrediantur, vitium dignum non eſt nomine choleræ. Quantum ad mineram; poteſt
eſſe Chylus, vel Humor: & humor, vel Pituitoſus, ſeu aquoſus, vel Bilioſus, non tantũ bilis flaua, ſed cum
Auicenna etiam æruginoſa; quare eſſe poteſt etiam porracea, & vitellina. Cauſſa externa, non neceſſa- D
rio occurrens, ſunt medicamẽta acria, venena. Externa cauſſa, neceſſario occurrens, attinere poteſt ad ci-
bum, ad potum: vt eſt cibus facilis corruptionis, vt lac: item e capite 4, libro 2. aliment. pepones, dum pro-
be non coquuntur: ſimiliter fungi, ſi non vincantur. capite 4. lib. de cibis bon. & mod. ſucci: item potio pu-
trida vel vini, vel aquæ.

2. Vitium materiæ. Quoad vitium ſpeciei: & primum quoad vapores; hi ſunt acres: tex. 103. libr. 4. de ratio vict. vi enim
acrimoniæ corpora neruoſa mordentur. Quoad mineram; eſſe poteſt quilibet ſuccus, ſiue ſit chylus, ſi-
ue humor, dum hic ſuccus eſt putridus, & proinde toto genere præter naturam. Verum in cholera ex-
acte exquiſita, vt vult Galenus loco citato eſt materia acris; nam habet modum generationis commu-
nem cuilibet choleræ: ſicuti enim cholera humida, fit ex acri humore; ita cholera ſicca, fit ex acri vapo- E
re. Diximus autem choleram exquiſitiſſimam fieri a minera acri; quoniam cum Aetio fit cholera e cru-
ditate, non modo nidoroſa, ſed etiam acida: at magis exquiſita cholera prodit e corruptione nidoroſa.
Quoad cauſſas externas, ſi fuerit venenum; patet vitium eſſe ſecundum ſubſtantiam; ſed poteſt annecti
acrimonia. Si autem ſit medicamentum, eſt calidum: quare acre. Et idem dicendum eſt de cibis ac potio-
nibus.

3 Cauſſa generans. Quoad cauſſam generantem; & primum quantum attinet ad vaporem, cum ſit vapor acris; gene-
ratur rationabiliter e minera acri, ſed viſcida; vt minera hæc nequeat expelli, quia ſi expelleretur, non
eſſet cholera ſicca. Quoad mineram; potiſſimum generatur tripliciter: nempe, vitio vel eorum quæ
ingeruntur, vel ventriculi, vel iecinoris. Generatur minera vitio eorum quæ ingeruntur, dum (cum
Galeno loco citato) cholera fit ex acri humore, qui e comeſtorum corruptione prodiit, veluti eſt chole- F
ra, cum Alexandro, quæ fit ob frigida applicata, aut ab aqua frigida, ſiue admota, ſiue bibita. Aui-
cennas, dum quaſi interpretatur Alexandrum, inquit, choleram fieri e potu frigidæ in ieiu-
nio, ſequente cibo craſſo: nam dum poſt ieiunium ingeritur cibus craſſus & difficilis coctionis; vi ieiu-
nii iuſto citius attrahitur chylus, & proinde crudus, præſertim cum a cauſſa refrigerante, vel aſſumta, vel
admota, reddatur ventriculus ad cibum craſſum concoquendum imbecillior. At in hac cholera, cum Ae-
tio, vomitus acidus oboritur. Materia etiam gignitur vitio ventriculi: & cum Alexandro proprie chole-
ra nuncupatur.

Cum Auicenna, magis fit æſtate & autumno, propter debilitatem digeſtionis; quia tunc calor im-
becillior eſt: minoratur autem hyeme & vere; quia tunc firmior eſt calor. Tandem generatur minera vi- G
tio iecinoris & venarum: nam calore hepatis & venarum, ſuccus bilioſus generatur: ideoque mirum non
eſt, febricitantes quandoque cholera corripi. Alexander inquit, hanc eſſe choleram e bile prodeuntem.
Et Hippocrates aphoriſm. 30. ſectio. tertia, ait, poſt iuuenilem ætatem vigere choleram, quæ ſcilicet
fit a bile, tunc temporis collecta; licet enim eadem in iuuentute generetur; non tamen ita colligitur, ſed
expellitur.

In

Differentiæ.

In forma, differentia est secundum magis & minus, quatenus motus est Magis vel Minus prauus. A subiecto non sumuntur differentiæ: nisi dicamus, ventriculum magis affici, vel Supra, vel Infra. Ratione efficientis, caussa est Interna, vel Externa.

Signa.

Hic affectus in genere indicatur e nausea, siti, e tristi sensatione secundum totum ventriculum & intestina, ex angore, quia vehementer afficitur os ventriculi. Præterea compatiente corde, indicatur e pulsu læso: & compatientibus neruis, cum Aetio indicatur e contractione musculorum manuum, & pedum. Tandem indicatur e materia, supra & infra erumpente. Differentias a forma æger patefaciet: num scilicet motus sit magis vel minus prauus.

Quoad differentias a subiecto: si magis afficiatur ventriculus secundũ partes supernas, symptomata magis cruciabunt supra: si magis secundum partes infernas, contra.

B Quoad differentias ratione efficientis: primum an choleræ caussa sit interna, vel externa, cognoscitur ex ægro & assidentibus; dum externam caussam vel prægressam, vel non prægressam dicunt. Si sit caussa interna: si vapor; dicet æger se percipere vaporem acrem exeuntem. Si sit minera; oculis materia conspicietur: ita vt species materiæ etiam visu deprehendatur. Quæ autem sit caussa generans, patet ex alibi dictis.

Indicationes.

Quoad præsidia: cum cholera sit motus paruus ventriculi, dependens ab expultrice materiam expellente & supra, & infra: a motu prauo, vt est symptoma, habens rationem caussæ, cum plus iusto vtrumque ventriculi os relaxetur, oritur indicatio astringendi. Deinde, vt hic motus pendet ab expultrice, quæ irritatur a materia, cum haurienda sint præsidia a specie materiæ, a vitio, & a caussa generante: Quoad speciem; determinata indicantur præsidia; vnde si bilis peccet, medicamenta dirigenda sunt in bilem; si cibus, in cibum, secundum Alexandrum. C Pro varietate vitiorum; varia indicantur contraria remedia. Vnde, secundum Alexandrum ratione copiosæ materiæ, opus est vacuare; caussa bilis calidioris, opus est refrigerare, &c. Similiter patet varias caussas generantes, varia postulare præsidia: vnde, secundum Alexandrum in cholera prodeunte ab imbecillitate stomachi, roborandus est ventriculus, eiusque intemperies remouenda.

Prognostica.

Cholera in genere est malum periculosissimum; nulla enim deest vehementia. Quatenus enim omnis cholera est motus admodum prauus; adest insignis recessus, & proinde insignis vehementia essentię. Et quatenus cholera pendet a materia admodum molesta expultrici; augetur vehementia essentiæ. Præterea quatenus malum attinet ad totum ventriculum; adest vehementia dignitatis. Quatenus autem lęditur pulsus, & vel imminet, vel superuenit syncope; vehementia adest facultatis. Hinc, secundum Alexandrum D cholera est acutissimus affectus, qui syncopen insignem, & hinc immodicam virium resolutionem inducit. Verum pro varia vi differentiarum, intẽditur, & minuitur periculum. Vnde cholera magis est periculosa, si motus sit magis prauus, si magis vigeat secundum os supernum, si caussa magis recedat a naturali statu; verbi gratia deterior est cholera, si fiat a bile æruginosa, quam si a flaua. Idem de externis caussis statuendum. Hinc Galenus cap. 4. lib. de cib. bon. & mod. succi, ait, a boletis deuoratis neminem obiisse; vi autem ceterorum fungorum alios mortuos esse, alios proxime ad mortem accessisse. Quamuis autẽ cholera periculosissimum sit malum, quod celerem necem minatur: cum Rhasi tamen non prorsus est desperandum. Et cum Alexandro celerrime est occurrendum: nam etiam leuis mora tabem committit, & periculum affert.

Curatio. Cheirurgia.

Quoad materias igitur cheirurgicas; Rhases probat artuum ligaturas, tanquam materias remedii E reuellentis. Ligandi autem & fricandi sunt artus, modo superni, modo inferni, modo vtrique; prout substantia sequitur materiam, quæ impetum ad os vel aluum habet, modo inæqualem, modo æqualem. Si enim æqualis sit impetus; frictiones & ligaturæ probantur secundum omnes artus, id est, manus & pedes: si impetus sit inæqualis; & si vehementior ad os, oportet ligare artus infernos; si ad aluum, supernos. Rhases præterea ad inhibendum vehementiorem impetum, magnam cucurbitam stomacho adhibet, sine scarificatione; quæ tamen in arida cholera non probatur, sed in humida, in qua neque cibus detinetur.

Pharmaceia. Vacuantia.

Medicamenta probantur Vacuantia & Adstringentia. Vacuantia probantur in cholera sicca, vt vaporum minera euacuetur. Probantur etiam in humida cholera cum Alexandro, si fiat e cibis corruptis; si etiam fiat a bile, in qua nil mentione dignum erumpit. Vacuantia autem hæc frigida sint oportet; quia F feruens est materia morbifica. Quare Alexander cum reliquis probat *mulsam, sed dilutam: & si æger non libenter mulsam admittat, iubet aquam tepidam liberaliter esse bibendam. Probatur etiam serum lactis caprini, vel vaccini; sed sine seminibus melonum: cum non sit institutum per lotium vacuare, quia corrupta materia non debet per medium iecur permeare. Cum lactis autem sero, gratia vomitus, misceri debet oleum, vel butyrũ: gratia deiectionis per aluum, misceri possunt manna, syr. ros. solut. tamarindi. Non improbãtur aquæ Veronenses, vel B. Virginis. Probantur item clysteres e cremore hordei, e sero lactis, addito saccharo cum oui vitello, sed sine sale.* Quoad *vsum*, notandum circa exhibitionem aquę, quatenus est materia remedii vacuantis per vomitum; Rhasin exhibere aquam copiosam, moderate calidam, sæpe, & quamprimum. Ratio est: quoad *quantum agendum*; probat aquam copiosam; quia pauca non potest vacuare: & præterea, quia summa est actio materiæ morbificæ, cum naturam cogat ad expellendum per vtrumque os. G Quoad *modum*; probat aquã moderate calidam, id est, tepidam: hac enim acris materia attemperatur, & ventriculi orificia laxantur, vnde materia promtius euacuatur. Quoad *tempus*; propinat aquam quamprimum; nam materia morbifica pręsens vincit alia indicantia; vnde Alexander iubet, choleram celerrime esse curandam. Sæpe autem exhibetur aqua; quia perseuerat materia præsens, vincens alia indicantia. Quoad *vbi*; aqua vsurpatur per os; quia materia morbifica residet in ventriculo.

Adstringentia.

Adstringentia medicamenta Exhibenda sunt & Applicanda. Rhasis exhibet *trochiscos de olibano* A *cum aqua & niue, & rob seu succo granatorum: exhibetque semel, ac iterum. Componuntur hi trochisci, e mastiche, olibano, cubebis, cardamomo, gallia moschata, caryophyllis, & caphura: quæ omnia medicamenta sunt calida, excepta caphura.* Rob autem granatorum, sic conficitur: *Succus granatorum acetosorum in vas mittitur, in quo detinetur, donec pars crassior resideat: deinde purior portio accipitur, & decoquitur ad iulepi consistentiã: deinde in eum adhuc calentem imponuntur stipites menthæ viridis, qui eo vsque detinentur, donec succus refrigeretur.* Basis in trochiscis est thus: in rob granatorum basis est succus granatorum. Basis autem medicamenti compositi e trochiscis, rob granatorum, aqua, & niue; sunt trochisci: nam institutum est tuto adstringere, & citra detrimentum calidi insiti. Cum igitur adstringentia frigida, nimium cogãt calidum innatum: ob id medicamentum recipit adstringentia calida, vt est thus, & reliqua. Verum pro adiuuante, gratia adstrictionis, additur caphura, quæ sui frigiditate occludit orificium ventriculi. Et ob id etiam ad- B ditur rob de granatis, cum niue, seu aqua gelida. Quoniam igitur cholera est vitium calidum: iccirco pastilli ex olibano, compositi e plurimis calidis, non exhibentur synceri, sed cum succo granatorum, id est, cum medicamento frigido & adstringente. *Vsus* hic esse potest: *℞. trochisc. de olib. ℥j. rob. de granatis ℥vj. aquæ gelidæ ℥ß. Misce.* Quoad *modum*; exhibeatur hoc medicamentum actu frigidum, quoniam validius adstringit. Quoad *tempus*; exhibet Rhasis hoc medicamentum, dum apertio orificiorum vincit alia indicantia: nimirum dum vomitus, vel ventris deiectio vehementer fiunt, & symptomata terrefacientia superueniunt. His medicamentis astringentibus addere possumus ea, quæ in doctrina de vomitu proposuimus: & quæ proponemus in sermone de fluxu alui. Addit Rhases, si in cholera admodum insignis sit vacuatio; pedes & crura madefieri debere aqua gelida: &, malo vrgẽte, pedes, cruraque, in propositam aquã immitti debere: nam artubus refrigeratis, frigiditas ventriculo impertitur, vnde clauduntur orificia, & C fluxus sistitur.

Victus ratio.

Quoad diætam: probatur aer, reficiens spiritus, qui in cholera dissipantur: quare, cum Rhasi, pulli sunt assandi, & ante nares scindendi. Quoad cibum; si ægritudo quieuerit, & vacuatio non amplius perseueret; secundum Rhasin probantur alimenta leuia, id est, facilis coctionis. Si autem vacuatio perseueret in cholera, vt syncope vel immineat, vel etiam assit: si immineat, exhibet Rhasis *panem, infusum in succo granatorum, cum vino*; & monet idem auctor, ægros esse cogendos ad comedendum; & si euomant, iterum atque iterum dandos cibos; nam virtus vincit alia indicantia: & potissimum ad *vinum* confugiendum, si superueniat syncope. Hinc Alexander ait: si vomitus perseueret, probari *menthæ decoctum*, quod stomacho gratum est, & naturaliter ad hunc affectum accommodatum, cui tamen vinum misceri debet: notat enim Alexander se multos nouisse, qui e sola vini potione, præter spem mortis periculum euase- D rint. Ad corpus facilius nutriendum probatur a Rhasi, balneum aquæ dulcis, per horam: nam facile attrahitur alimentum. Et si contingat conuulsionem oboriri: balneo aquæ dulcis addi debet aliquod pingue, vt est *butyrum, oleum: iuuat etiam mirifice balneum e solo oleo.* Hæc de ventriculi malis.

Capvt XIII.

De natura, vsu, vitiisque præcipuis Intestinorum: & primum de Dolore intestinorum Colico, atque Iliaco: simul etiam de Aluo præter naturam cohibita.

Transitio.

De ventriculi malis hucusque diximus. Quia autem intestina proxima sunt ventriculo, & ab eius orificio inferiori oriuntur: de intestinorum malis iam agemus. Primum autem vitiorum numerum in- E dagabimus: quod vt recte fieri queat, de intestinorum natura quædam præmittemus.

De natura & vsu intestinorum.

Intestina igitur sunt instrumentum, confectum e tribus tunicis, fibris transuersis & rectis, pinguedine, & organis communibus. Quamuis autem intestinum, vnum sit corpus continuum: ita tamen formatum est, vt secundum partem, attinentem ad ventriculum, sit magis tenue; secundum partem qua sedem spectat, minus sit tenue. Vtrumque autem & tenue, & non tenue intestinum, in tria diuiditur. Intestinum igitur, quatenus est vnum corpus, exsistit caussa communis vtilitatis: quatenus autem partes habet, discrimen aliquod est in vsu & functionibus. Hoc vt intelligatur, sciendum: intestina conferre, caussa materiæ & alimentalis, & excrementitiæ.

Chyli distributio, & plenior elaboratio, ope intestinorum.

Materia alimentalis, est chylus: qui, dum in ventriculo est assecutus suam perfectionem, intestinis eget, vt ductibus, per quos, tanquam per viam, hepar petat. Si contingat, chylum secundum aliquam partem non esse adeptum perfectionem: intestina chylum imperfectum perficiunt. Hinc Galenus F cap.8.lib.4.de vs.part.ait; intestina esse organa distributionis: & cap.17.lib.4.de vs.part.in intestinis cibum mutari in chylum: & cap.12.lib.5.de vs.part.ait, intestina esse coctionis organa, non tantum distributionis. Cum ergo intestinum, gratia alimenti, sit organum distributionis, & coctionis: quantum attinet ad distributionem, sciendum cum Galeno c.17.l.4.vsu part. in intestinis chylum perfici, & fieri fecum excretionẽ, vt bona fiat distributio. Conferunt autem intestina ad distributionem, e c.3.l.6.loc.aff. quatenus sunt ductus: nam ventriculus chylum in ieiunum intestinum per duodenum transmittit, & iecur a ventriculo trahit. Vnde intestina non agunt, non attrahunt a ventriculo. Nec obstat, quod intestina fibras rectas habent: nam hæ tantum sunt ad tutelam transuersarum. c. 17.l.4. vs.p. Proinde chyli distributio est actio ratione ventriculi expellentis, & hepatis attrahentis: vsus autem pertinet ad intestina, non actio. Porro, se- G cundum Auicennam, omnia intestina concurrunt ad digestionem, id est, ad chyli distributionem; recipiunt enim venas hepatis seu ramos mesaraicarũ; plures quidẽ intestinũ ieiunum, pauciores reliqua: proinde chyli distributio magis viget in tenuibus intestinis, quam in crassis, cap.17.& 18.l.4.de vsu part. Quoad concoctionem; si perpendamus chyli imperfecti coctionem; cum intestinorum tunica interna similitudinem habeat cum interna ventriculi tunica: recte intestinum statuitur organum coctionis. cap.12.lib.5. vsu part.

A vſu part. At cum calor magis vigeat in tenuibus inteſtinis, ob id tenuia inteſtina potiſſimum alimentum coquunt.cap.18.lib.4.de vſu partium. Hæc de materia alimentali. Excrementum, in quod agit inteſtinum, eſt excrementum mutationis cibi in chylum, & non eſt quodlibet excrementum: quoniam in ventriculo, præter chylum triplex generatur excrementum; ſicuti etiam in venarum coctione triplex reperitur excrementum; nempe biliofum, melancholicum, & ſeroſum, cap.2.l.3.de ſym.cauſ. Nec obſtat, quod paſſim Galenus dicit, in qualibet coctione duplex tantum generari excrementum, nimirum tenue, & craſſum. Excrementum enim bifariam ſumitur. Primum, vt prorſus eſt inutile, & nullo modo in ſanguinem verti poteſt: ſicuti accipit Galenus c.1.l.6.de tuen.ſan. inquiens; excrementum vocari ciborum ſubſtantiã, quæ in nutrimentum non abit: vt eſt excrementum ſeroſum, ſeu humidum; & fecale, ſeu ſiccum. Deinde ſumitur excrementum, vt ſecundum aliquam ſui partem eſt vtile, vt in ſanguinem mutari poſſit: ſicut ſumi-

Recrementorum ex[illegible], & vermium generatio in [illegible]bus.

B tur a Philoſopho, c.18.l.1.de gen.animal. dum ait, pituitam eſſe vtile excrementum primi alimenti, id eſt, chyli, quod in ſanguinem mutari poteſt: vnde & Gal.c.8.l. de atra bile ait; pituitam quæ in ventriculo generatur e cibis pituitoſis, in hepate mutari in ſanguinem, ſcilicet ſecundum portionem alimentalem; nam portio excrementitia, depulſa ad inteſtina, cum nequeat acquirere formam fecis, alba cum fecibus egreditur. His ſic poſitis: verum eſt, in qualibet coctione duo tantum eſſe excrementa, ſed inutilia. Et propterea non eſt inconueniens tertium excrementum generari, quod in ſanguinem poſſit mutari. Quo autẽ ad Galenum c.2.l.3.de cauſ.ſym. dum proponit tria excrementa, quorum nullum in ſanguinem mutari poteſt: id hoc modo accipiendum. In ſanguificatione duplex tantum producitur excrementum; bilioſum ſcilicet & melancholicum: Galenus proponit etiam tertium, nimirum excrementum ſeroſum, & prorſus inutile ad alendum; quod, licet in venis non generetur (eſt enim tenue chylificationis excrementum in

C ventriculo genitum.) reperitur tamen in venis, & in generatione ſanguinis; quia hoc excremento opus fuit, vt vehiculo chyli. Perpetuum igitur eſt, in omni coctione duo tantum inutilia generari excrementa. Cum ergo conſtet triplex excrementum in ventriculo generari; ſeroſum, fecale, & pituitoſum; quæ ſingula vna cum chylo in inteſtina mittuntur; iam explicandum eſt, quidnam circa hæc tria excrementa agãt inteſtina. Quoad excrementum ſeroſum; in hoc non agunt inteſtina, ſed concurrunt, vt ductus: fit enim diſtributio ſeroſi excrementi, vt ſit portionis alimentalis vehiculum. Quoad excrementum fecale, & pituitoſum; inteſtina bifariam concurrunt: nimirum quatenus agentia, & quatenus rationem habent loci agentis. Qua enim ſunt agentia, reſpiciunt feces: quatenus ſunt locus agentis, reſpiciunt vermes. Declaro magis. Quoad fecale excrementum; inteſtina concurrunt ad fecum expulſionem; expulſio eſt actio. Ideo Galenus c.17.l.4.vſ.part. ait, omne inteſtinum vnam ſpeciem motus habere, hoc eſt, expulſionem; & pro-

D pterea inteſtina obtinere villos tranſuerſos; id quod etiam aſſeritur c.3.& 4.l.3.de ſym.cauſ. Differentia tamen eſt inter inteſtina: nam tenuia magis reſpiciunt chyli diſtributionẽ; craſſa magis expulſionem fecũ; c.15.l.4.vſu part. Hinc Philoſophus ait, inteſtina eſſe conceptaculum excrementi ſicci, c.penult.l.3.de partib. anim. Nec ad detentionem fecum opus fuit fibris obliquis: quia ſpiræ, ſeu circumuolutiones ſufficiunt. Et dum Gal.c.7.l.3 fac.natur. inquit, in tenuibus inteſtinis ſtercus generari; ſignificauit excrementum chylificationis craſſum, ſeparari a chylo, & a ſero; quod tamen integre demum fit in craſſis inteſtinis. Principaliter ergo productio fecum, attinet ad tenuia inteſtina, integra autem creatio ad craſſa: quemadmodũ etiã fatetur Hip.l.de carnibus. Quare conſtitutum ſit, inteſtinum eſſe organum expulſionis fecum, & hinc pituitoſi excrementi. Quoad inteſtina vt vermes reſpiciunt: ſupponendum in præſentia, vermes generari in inteſtinis, e materia putrida, exſiſtente in inteſtinis; agens autem non eſſe calorem inteſtinalem, ſed ca-

E lorem inſitum materiæ putreſcentis. Quare inteſtina concurrunt vt ſedes, in qua e putreſcente materia vermes generantur. E dictis igitur conſtat, inteſtinum eſſe organum diſtributionis, concoctionis, expulſionis, & ſedes generationis vermium.

Auicennas circa ſingula inteſtina digreditur, ſcribens; duodenum genitum eſſe ad expellendũ feces a ſtomacho: non enim hæc expulſio de chylo accipi poteſt, qui expellitur a ventriculo, & attrahitur a iecinore. Ieiunum, ait, expellere infra, præſertim quia bilis e veſicula fellis prodiens, mouet expultricem, cum mordicatione. In ileo autem inteſtino dicit morari cibum: vbi chyli portio imperfecta perficitur, & feces ſegregantur a chylo, & expelluntur. Cæcum ſtatuit recipere a ſupra, & expellere infra, vt etiam ſit fecũ locus, in quo detinentur: & addit, in ruptura inguinis facilius deſcendere, quia non admodum coniunctum eſt cum meſenterio. In Colo ait, eſſe aggregationem fecum, expreſſionem, & gradationem ad expellẽdas

Vſus inteſtinorũ ſecundum Auicennam.

F feces, poſt complementum reſidui e cibo. Denique ad rectũ inteſtinum refert expulſionem fecũ ad extra.

His ita explicatis: conſtat, inteſtinum eſſe inſtrumentum animæ, ratione nerui, & inſtrumentũ naturæ, ratione reliquarum partium. Quatenus igitur inteſtinum eſt animæ inſtrumentum, eſt obnoxium DOLORI. Quatenus autem eſt organum naturæ, cum inteſtinum ſit deſtinatum coctioni chyli, non perfecte elaborati in ventriculo, & diſtributioni chyli, & expulſioni, tum fecalis excrementi, tum pituitoſi: quatenus inteſtinum eſt organum deſtinatum coctioni, & expulſioni, eſt promta ſedes VERMIVM; quoniam dum chylus non perficitur, dum excrementa non expelluntur, putreſcunt, indeque vermes oriuntur: tandem, quatenus inteſtinum accommodatũ eſt diſtributioni chyli, & excretioni excrementorũ, facile corripitur ALVI FLVXV, & STIPTICITATE. Cum autem ſtipticitas cruciet patientes in dolore præ-

Vitia inteſtinorum præcipua.

G ſertim iliaco, & colico: ob id, breuitatis cauſſa, de hac ſtipticitate in ſermone de dolore inteſtinorum agemus. Propterea concludendum, inteſtinorum vitia diſcutienda eſſe, Dolorem, Vermes, Fluxum alui,

De Dolore inteſtinorum.

PEr dolorem hic intelligimus omnem inteſtinorum dolorem. Generatur, ſi qualitas tangibilis ea violentia agat in inteſtina, vt fiat ſolutio continui; quæ ſolutio continui in ratione motus violenti, & pro-

Nomen. Generatio.

inde obiecti communis improportionati, ea vi agit in inteſtina, quatenus ſunt corpora neruoſa, vt cor- A
rupta fiat tum affectio, tum receptio; quæ in inſtanti impertiuntur cerebro, & ſenſui interno, a quo ſen-
Definitio. ſu interno iudicatur iniucundum; vnde ſenſus interni actio eſt triſtis: & hinc ad differentiam voluptatis
Forma. male afficitur vis appetens, hincque fit dolor, id eſt, affectio voluptati contraria. Dolor igitur inteſtino-
rum eſt ſenſatio corrupta inteſtinorum, dependens a ſolutione vnitatis. Forma eſt ſenſatio corrupta, quę,
ſi capiatur vt eius ſubiectum eſt inteſtinum; potius eſt affectio, quam actio; actio enim ad cerebrum atti-
net, quatenus iudicat, vt in doctrina de dolore capitis docuimus. Hæc autem affectio, ad inteſtina attinẽs,
Subiectum. eſt corrupta, quia fit cum violentia. Subiectum huius mali eſt inteſtinum: quo hic dolor diſtinguitur a do-
lore aliarum partium. Inteſtinum autem eſt ſubiectum doloris, quoniam neruos recipit, a ſexto pari cere-
bri: & proinde omne inteſtinum dolori eſt obnoxium; potiſſimum tamen Colum, eo quod longum eſt &
anfractuoſum, & cum Alexandro craſſum ac denſum; vnde cauſſa dolorifica moram in eo trahit, ac con- B
tinuum ſoluit.

Cauſſa effic. Ratione efficientis; diximus, dependere a ſolutione vnitatis, quo hic dolor contrahitur ad ſenſum
tactus; cum in omni ſenſu dolor fiat, citra ſolutionem vnitatis, tactu excepto. Et hinc etiam diſtinguitur
Subdiuiſio. hic dolor a grauitate; quæ eſt ſenſatio corrupta, prodiens a materia ponderoſa, ſed citra vnitatis ſolutionẽ.
Porro in cauſſa vnitatem ſoluente, conſideratur ſpecies, vitium, cauſſæ generantes ſpecierũ, & cauſſæ eaſ-
1. Species dem detinentes. Quoad ſpeciem; cauſſa eſt Interna vel Externa. Interna eſt materia, vitæ vel Particeps, vel
cauſſæ. Expers. Particeps; vt vermis: vnde Auicennas dicit, colicum dolorem fieri, dum plurimi vermes congre-
gantur. Si cauſſa ſit vitæ expers, eſt Vapor, vel Minera. Vapor præſertim eſt Pituitoſus, licet etiam Bilioſus
eſſe poſſit. Minera eſt vel Alimentalis, vel Excrementitia. Alimentalis, eſt Sanguis. Excrementitia ſpectat
ad coctionem Primam, vel Secundam, vel Tertiam. Ad primam ſpectat materia vel Pituitoſa, vel Fecalis. C
Ad ſecundam id eſt, iecinoris coctionem ſpectat materia vel Bilioſa, vel Melancholica. Ad tertiã ſpectat,
Sanies, Calculus. Cauſſa externa neceſſario occurrens, eſt Cibus vel Potus: Non neceſſario occurrẽs, me-
dicamenta, venena, ferrum, lapis, ligna, & ſimilia; quæ ſoluendo continuum, vel abradunt, vel frangũt, vel
contundunt, vel incidunt; quæ potiſſimum referenda ſunt ad Aſſumenda, & Foris incidentia.

2. Vitium ſpeciei. Vitium ſpeciei multiplex eſſe poteſt: quælibet tamen cauſſa concurrit ſoluendo continuũ, vel Co-
Cõmunia pia, vel Qualitate: verbi gratia, lapis, vt toto genere præter naturam, non ſoluit continuum, ſed ratione
quædam. duritiei, ſeu ratione qualitatis. Ita virulentia venerea, materia putrida, ſoluit continuum, ratione qualita-
tis, vt calida, vt acris. Sed explicanda ſunt ſingula vitia, vtpote a quibus vtiles indicationes ſumuntur. Bre-
uiter ergo digrediendum circa propoſitas cauſſas. Et primum ſupponendum: cõmune eſſe cuilibet cauſſę,
quãtum attinet ad *vbi*, materiam præter naturam quieſcere in inteſtinis, ſiquidem actio fit per contactũ, D
Deinde, quoad motum, ſeu vitium in motu, ſciendum, ſi cauſſæ gignantur in inteſtinis, vitium quidẽ eſſe
ſecundum motum, ſed in ratione cauſſæ adiuuãtis. Et ob id Gal c.5.l.2.loc.aff. dicit, materiam quæ moue-
tur, dolorem parere vehementiorem, quam quieſcentem. At principaliter concurrit materia morbifica,
vt agit vel Copia, vel Qualitate. Quod ſi cauſſæ non gignantur in inteſtinis; annectitur etiam vitiũ ſecun-
Lumbrici. dum motum, quatenus materia mouetur, vel Attracta, vel Tranſmiſſa. His ſuppoſitis: quoad vermes; vitiũ
eſt in ſubſtantia; cum vermes ſint toto genere præter naturam. Spectat etiam ad quantitatem; nam cum
Auicenna plures congregantur. Pertinet ad qualitatem ſecundam; dum vermes mordent, inſtar materiæ
Vapor. acutæ, quæ ſoluit continuum. Quoad vaporem: vitium eſt in ſubſtantia; dum vapores prodeunt e putri
materia. In quãtitate; dum vapores ſunt copioſi. In qualitate, dum ſunt calidi, frigidi, vel craſſi: vnde dolor
Minera in colicus præſertim fit a vapore copioſo, frigido, craſſo. Quoad mineram: primo ſciẽdum, commune eſſe vi- E
genere. tium ſecundum ſubſtantiam, materiæ & alimentali, & excrementitiæ, dum hæ materiæ putreſcunt: vnde
Auicennas ait, oboriri dolores colicos, iliacos, per ægritudines peſtilentes, qui proinde contagioſi ſunt.
Sanguis. Ceterum, ſi ſeorſum perpendatur minera: & primum, ſi fuerit alimentalis; ſi ſanguis; ſanguinis vitium eſt
toto genere præter naturã, dum venas egreditur, & decumbit in inteſtina, & cõcreſcit, vnde poſtea copia
& frigiditate ſoluit continuum. Sanguis etiam concurrit, quatenus inflammationis inteſtinorum eſt au-
ctor. Quare, vt putreſcit, eſt vitium ſecundum formam: eſt autem cauſſa doloris, quatenus copia & calidi-
Excremẽta. tate ſoluit continuum. Quoad materias excrementitias, ſi ſint primæ coctionis, vt materia pituitoſa, & fe-
calis: pituitoſa eſſe poteſt putrida, copioſa, frigida, craſſa, lenta, veluti pituita acida, & vitrea: poteſt eſſe cali-
da, vt ſalſa pituita. Materia autem fecalis peccat ſecundum ſubſtantiam, ſi putreſcat: ac præſertim peccat F
copia & duritie: quo fit, vt dolor potiſſimũ fiat e fecibus copioſis, ſiccis & duris, licet etiam interdum ex a-
crimonia fecum fiat. Quoad excrementa ſecundæ coctionis, cum ſit materia bilioſa & melancholica: Bilis
peccare poteſt, vt putrida, copioſa, calidior. Melancholia autẽ peccat frigiditate, niſi vel putreſcat, vel exu-
ratur: tunc enim caliditate ſoluit continuum. Quoad excrementa tertiæ coctionis, cum ſit hoc excremen-
tum vel ſanies, vel calculus: Saniei vitia attinent ad ſubſtantiam: pertinere etiam poſſunt ad copiam: it ne-
ceſſario ſanies vi caloris ſoluit continuum. Calculus toto genere eſt præter naturam: ſoluit autem conti-
nuum copia, & præſertim duritie. Ex his facile intelliguntur vitia cauſſæ externæ: quorum tamen vitiorũ
cognitione non valde eſt opus, cum a cauſſa externa non ſumatur indicatio.

3. Cauſſa Quoad cauſſas generantes propoſitas ſpecies: Vermis generatur e materia putreſcente in inteſtinis,
generantes. a calido inſito materiæ putreſcentis. Vapor generatur e minera, potiſſimum pituitoſa, e calido inteſtino- G
rum imbecillo: vnde minera mutatur in vaporem, quem calor imbecillis diſſoluere nõ poteſt. Sanguis eſt
cauſſa doloris, dum vel grumeſcit, vel inflammationem excitat: concreſcit autem, quoniam deeſt cauſſa
præſeruans ſanguinem a concretione, nimirum vena quæ concurrit vt locus conſeruans locatum, & ſpi-
ritus vitalis, quæ duo deſiderantur, dum ſanguis venas egreditur, & in inteſtinis colligitur. Dum autẽ ſan-
guis inflãmationis eſt auctor, cum peccet copia & caliditate: copioſi ſanguinis cauſſa attinet ad inteſtina,
vt præter

A vt præter naturam vel suscipiunt, vel attrahunt. Calidioris autem sanguinis caussa, est caliditas exsistens in
parte inflammata. Pituita generatur e cibis pituitosis, a ventriculi calore debili. Feces generantur e cibo-
rum portione terrestri, a calore ventriculi: & segregantur a portione chyli, & seri, in intestinis: vnde quo
copiosior est cibi portio terrestris, eo etiam feces copiosiores generantur: & quo diutius detinentur feces,
eo duriores euadunt. Bilis & melancholia generantur e portione excrementitia, non cibi, sed chyli, a calo-
re iecoris: vnde portio tenuior mutatur in bilem, crassior in melancholiam. Sanies generatur e sanguine
semimalo; a calore tum naturali, tum præter naturam. Calculus raro generatur in intestinis: vnde id Gale-
nus nec vidit, nec audiuit. c. 2. l. 6. loc. aff. Ego tamen testor me vidisse calculum ad magnitudinem oui gal-
linacei, excretum a patiente, obnoxio dolori colico, & qui solum aquam potauerat; fuitque hic Excellen-
tissimus Frisimelica, qui aliquando grauissime afflictus, excreuit hunc calculum. Generatur autem calcu-
B lus e crassa & viscida materia, a calore vel intensiori, & celeriter agente, vel remissiori, & longiori tempore
operãte. Cum igitur in intestinis vigere possit materia, quæ diutius detineatur; ea in hac mora verti potest
in lapidem; præsertim, si intestinorum calor intendatur, vel obstructionis, vel inflammationis vi, vel deni-
que medicamenti calidioris. Hæc de caussis generantibus.

Quoad caussas detinentes: hæc locum habent in dolore Colico, & Iliaco. In colico enim dolore diffi- Caussæ de-
cilis fecum est excretio. In iliaco autem dolore, secundum Galenum, com. aph. 44. sect. 6. nihil exit inferi- tinentes.
us, neque ex acerrimo clystere: vnde etiam aph. 10. sect. 7. ait, in ileo nihil ad inferiora descendere: hoc au-
tem fit, quia expultrix non potest se exonerare, propter angustiam partium infernarum: vnde cogitur na-
tura violenter ad superiora materias extrudere. Et ob id e c. 2. l. 3. de caus. symp. dolor iliacus fit e priuatio-
ne expultricis. Cum ergo materia detineatur propter angustiam: hæc esse potest Obstructio, Constipatio,
C Compressio, & Subsidentia. Excipitur autem illa angustia, quam vocant coalescentiam: nam tanta est in-
testinorum amplitudo, vt, dum in vlcere fit agglutinatio, non possit ea fieri coalescentia, vi cuius materia
intus detineatur. Obstructio igitur fit a crasso flatu: fieri etiam potest a quolibet humore, a sanie copiosa, Obstructio.
& proinde potius a sanie abscessus, quam a sanie vlceris: verum promtius fit obstructio a copioso flatu &
crassa tum pituita, tum melancholia: vix autem fit a bile, vel grumoso sanguine, vel sanie. Sicut enim fla-
tus, & materia pituitosa ac melancholica, sunt materiæ quæ paullatim colligi possunt, & ea copia cumula-
ri, vt obstruant: ita sanguis extra venas egressus, bilis, sanies, sunt materiæ adeo infensæ, vt nequaquam ea
copia aceruentur, vt coli obstructionem faciant; nisi forte, quod raro fit, hæ materiæ confertim, nõ paul-
latim vnica vice ad intestina confluant. Quare notandum, in dolore intestinorum interdum eandem ma-
teriam, tum angustiam, tum dolorem committere; interdum vero aliam materiam dolorem parere, aliam
D obstructionem. Dum enim copiosus est flatus, soluit continuum, & obstruit: dum autem flatus nõ est co-
piosus, dolorem efficit flatus occlusus; quod autem obstruit, non est flatus, sed est pituita, vel quid aliud a
flatu. Constipatio fit ex inflammatione, e vermibus, e calculo, e fecibus. Fit ex inflammatione non quali-
bet, sed ea quæ occupat propriam intestinorum substantiam, & vsque adeo internam occupat sedẽ, vt oc- Cõstipatio.
cludatur intestinum: quare insignis est inflammatio, cuius caussæ propositæ sunt in ventriculi inflamma-
tione. E vermibus fit constipatio, dum cum Auicenna plures congregantur: de caussis vermium suo loco.
E calculo oritur constipatio, si magnus fuerit. Oritur etiam e fecibus copiosis, & aridis: vnde aluus consti-
patur. *Hic autem commode proponemus caussas aluum constipantes.* Feces secundum naturam excernuntur,
dum ex intestinis tempestiue expelluntur ab expultrice. Aluus igitur astricta est, dum feces præter naturã Caussæ al-
detinentur in intestinis. Et hæc detẽtio sequitur læsam expulsionem, quoniam expultrix frustratur. Fru- uum con-
E stratur autẽ, vel quia ad expellendũ non impellitur; vel quamuis impellatur, expellere tamẽ nequit. Quo- stipantes.
ad primum, cum expultrix irritetur a sensu tactus; non irritatur, dum vitium est in tactu. Vnde tactus læ-
ditur, vel Læsa facultate, vel ob Errorem externum. Læditur facultas sentiens; vel Communis, vel Deter-
minata. Communis; ob morbos cerebri, vel ductuum, id est, neruorum. Determinata; præsertim secundũ
receptionem, dum intestinorum nerui densitate afficiuntur; siue densitas fiat a materia, siue a frigiditate,
cuius auctor est medicamentum stupefaciens. Tactus autem receptio læditur ob errorem externum; dum
bilis non fluit a iecinore ad intestina, quemadmodũ cõtingere solet in icteritia citrina; dum etiã homines
vtuntur cibo pauco, siquidem generantur feces exiguæ, non irritantes. Sin autẽ expultrix intestinorũ ir-
ritetur, & tamen expellere nequeat: tunc expulsio læditur, vel Læsia facultate, vel ob Errorem externum.
F Læditur facultas, & primo labefactatur, ob vitiosas intestinorũ intemperantias: quæ octo esse possunt, cũ
Aetio, quatuor simplices, totidem cõpositæ, quas ad eam magnitudinẽ perduci oportet, vt expultrix im-
becilla reddatur. Impeditur autẽ facultas ob intestinorum angustiam, tum eam, de qua diximus, tũ de qua
dicemus: nam verbi gratia, sicut obstructio flatus detinet, ita etiã potest detinere feces: similiter cõpressio,
sicut flatus detinet, ita etiam feces potest detinere. Hinc Aetius dicit, feces cohiberi, propter inflãmatio-
nem partium, recto intestino vicinarum; veluti propter inflammationem vesicæ, & vteri. Si autem expul-
trix non possit expellere ob errorẽ externum: pendet a caussa Interna, vel Externa. Interna sunt feces, quæ
vel Syncerae sunt, vel Mistæ cum alia materia. Si capiãtur feces vt syncerae; vitiũ contrahunt penes copiam,
qualitatem & motum. Penes copiam; si iusto sint copiosiores; quę procreantur e cibis copiosioribus. Vitiũ
est in qualitate; dum feces siccæ & aridæ euadunt: id quod fit ob caussas Internas vel Externas. Internæ caussæ
sunt, habitus totius corporis rarus, e calida intemperie; vnde humiditates totum petunt, & feces remanẽt
G siccæ: adhæc vis immoderata attractricis membrorum, veluti euenire solet in conualescentibus, in quibus
plurima fit distributio humiditatis in corpus: febris etiam ea est vis, vt humiditates absumat: adhæc con-
iungitur hepatis, mesaraicarum, & vicinarum partiũ immoderata caliditas, vi cuius fecalis humiditas euo-
catur: pręterea huius ordinis est intestinorum siccitas, siccans feces. Externæ caussæ debent sumi, ab Assu-
mendis, Foris incidentibus, Faciendis, & Vacuandis. Ab assumendis, dum feces siccantur a medicamentis

ſiccis exhibitis, a cibis ſolidis, ſiccantibus, aſſis; a potu exiguo, & ſiccante. Foris incidentia ſunt, medicamenta ſicca applicita, aer calidus, vt æſtiuus & fornacis. Facienda ſunt, immoderatus motus corporis vel animi. Ea quæ vacuantur, ſunt copioſæ vacuationes per lotium, per ſudorem: vi enim horum exſiccantur feces. Tandem vitium in fecibus penes motum eſt, dum præter naturam aſcendunt: quod fit, dum homo ad excernendum feces impellitur, diutius tamen excretionem cohibet, & ob id, dum infra eſſent depellédæ, ſurſum præter naturam mouentur: vnde aluus fit ſtiptica. Miſtæ feces, vel cum Pituita, vel cum Flatu ſunt miſtæ. Si cum pituita; ſui lentore ſunt in cauſſa, vt non expellantur: cauſſæ harum fecum, ſunt medicamenta viſcida, cibi lenti, vt eſt caſeus. Si cum flatu ſint miſtæ, vi flatus ſuſpenduntur feces, vnde deorſum expelli nequeunt: cauſſa autẽ ſunt cibi flatulenti, vt legumina. Hæc de errore externo, qui pendet a cauſſa interna. Si error externus (ob quem facultas expultrix non poteſt feces expellere) capiatur a cauſſa externa: ſpectare poteſt ad Aſſumenda vel Admouenda. Aſſumenda ſunt medicamenta aſtringentia, exhibiti cibi aſtringentes, & præſertim cum Aetio, aſſumti ante dulcia & pinguia. Admouenda ſunt, veluti dum aſtringentia abdomini applicantur. Et hæc de conſtipatione. Compreſſio fit e vicinorum membrorum tumore, vel inflammatorio vel non inflammatorio, vi cuius comprimuntur inteſtina; veluti eſt tumor vel partis ſimæ iecoris, vel lienis, renum, veſicæ, vteri. Vnde notandum, vicinas partes, tumore affectas, bifariam concurrere: primo, quatenus comprimendo ſunt in cauſſa detentionis fecum, a quibus fit conſtipatio: & de his ſupra locuti ſumus. Deinde quatenus tumor comprimens eſt cauſſa detentionis materiæ diuerſæ a fecibus, a qua materia ſoluitur vnitas: & hoc modo in præſentia intelligimus. Subſidentia oritur, dum inteſtina naturalem mutant ſitum. Fit autem ob flatus inteſtina contorquentes, vel quia ligamenta diſrumpuntur, vel peritonæum ſoluitur: vnde inteſtina modo in ſcrotum, modo inter peritonæum & abdomen, & præſertim in inguina dilabuntur. Ligamentorum autem & peritonæi ruptio fit, vel e flatu impetente, vel caſu ab alto in ventrem, vel alio ictu, vel vulnere, & ſimilibus, quorum vi propoſitæ partes diſſoluuntur, vnde inteſtina ſubſident, & materiæ detinentur. Hæc de cauſſis cuiuslibet doloris inteſtinorum.

Subſidẽtia.

Nũ in craſſis an tenuibus inteſtinis atrociores ſint dolores.

Sed priuſquam ad differentias accedamus, loca quædam difficilia explicabimus. Galen. igitur c.5.l.2. loc.aff ait, vehementiores dolores eſſe in tenuibus inteſtinis. Et ibidem tamen, vt etiam c.2.l.5.loc.aff. ſcribit, vehementiorem eſſe dolorem in craſſis inteſtinis, ob craſſam ſubſtantiam; non ita vehementem in tenuibus, propter raram ſubſtantiam; vel etiam in craſſis inteſtinis leuiorem eſſe dolorem, ſi cauſſa ſit leuior. Reſponſio. Dolor inteſtinorum penes cauſſam efficientem bifariam ſumi poteſt: primo, vt fit a materia frigida & craſſa, veluti a pituita, vel a flatu craſſo: deinde vt fit ab aliis cauſſis, veluti ab inflammatione, ab aridis fecibus. Si primo modo dolor accipiatur, ſtatuendum dolores colicos, & proinde dolores craſſorum inteſtinorum vehementiores eſſe doloribus iliacis: vnde Gal.c.5.l.2.loc.aff. proponit illos dolores colicos, quos præcedit cruditas, & flatus: & ſubdit, ex huiuſmodi doloribus, ſcilicet prodeuntibus a pituita & flatu, vehementiores fieri in craſſis inteſtinis, mitiores in tenuibus. Hinc Gal.c.2.l.6.loc.aff. ait, probabile eſſe, frigidos, craſſos, & viſcidos humores, aut flatus, dolores parere vehementiſſimos in craſſis inteſtinis, ob ſubſtantiam craſſam & denſam: ſecus autem eſſe ſtatuendum de tenuibus inteſtinis, quorũ tunicę ſunt rarę, vnde non tam diu cauſſas morbificas detinent: Quod ſi dolores fiant ab inflammatione, ab aridis fecibus; ſtatuendum, vehementiſſimos dolores oboriri in tenuibus inteſtinis; quoniam doloris cauſſa, ſiue ſit inflammatio, ſiue ſtercus, diu moram trahere poteſt, etiam in tenuibus inteſtinis; quę cum ſint exquiſitioris ſenſus, quam craſſa inteſtina, hinc acerbius cruciantur. Et ob id Gal.c.2.l.6.loc.aff. cum propoſuiſſet dolores prodeuntes e flatibus & pituita; ſubdit, interdum alios eſſe dolores, id eſt, prodeuntes ab aliis cauſſis efficientibus, qui vehementiſſimi ſunt, & in ſublimioribus inteſtinis eueniunt; vt qui ab inflammatione, vel aridis fecibus producuntur. Secundo notandum, quomodo Auic. ſtatuat, dolores iliacos ab iiſdem produci cauſſis, a quibus colici? Id autem hoc modo intelligendũ. Cum ſermo fiat de dolore, quatenus eſt vel intenſior, vel remiſſior, in ileo, & colo: quoad intenſiorẽ dolorẽ; ſi fiat e pituita & flatu, attinet ad craſſa inteſtina: ſi ab inflammatione, vel a fecibus, pertinet ad ileo. Quoad remiſſiorem dolorem; ſi fiat ab inflãmatione, ſpectat ad craſſa inteſtina: ſi e craſſis humoribus, ad ileon. Tertio notandum, Hippocratẽ dixiſſe, aph.44.ſect.6. Quibus e ſtillicidio vrinæ ileos ſuperuenerit, in ſeptẽ diebus pereunt; niſi febre ſuperueniente ſatis vrina fluxerit. Galenus in com. ait, hanc Hippocratis ſententiam aduerſari & experientiæ, & rationi. Experientiæ: dum teſtatur Galenus, ſe pleroſq; vidiſſe, qui mingere non poterant, nec paucos mortuos eſſe, quibus ſupra modum extenſa erat veſica: nullũ tamen ileoſum euaſiſſe. Aduerſatur autem rationi: nam cũ in tumore vteri in prægnante non ꝓducatur ileos; multo minus excitabitur ob tumorẽ veſicæ: quoniã veſica ſuo tumore rectũ tantum inteſtinum poteſt cõprimere: vteri autẽ tumor poteſt etiã comprimere ſuperna inteſtina, cũ ad ꝑcordia extendatur. Sed ego ſentio ita intelligendum eſſe Hip. Per vrinæ ſtillicidium non intelligitur ſtillicidiũ prodiens ab inflammatione veſicæ, ſed a pituita frigida: nã auxilio eſt febris, quæ ſane non iuuat ratione inflãmationis, ſed ratione pituitæ. Per iliacũ autẽ intelligit Hip. ileon, cuius cauſſa eſt pituita. His poſitis, addimus, non eſſe impoſſibile, vt quis primũ patiaꝰ vrinæ ſtillicidiũ, mox dolorẽ iliacum: quoniã euenire poteſt, vt aliquod ſit indiuiduũ adeo refertũ pituita, vt repletio fiat, & ſecundum veſicã, & ſecundum inteſtina. Vnde nõ dicit Hippocrates, ſtillicidio vrinæ ſemper ſuccedere ileon: ſed, *quibus, &c.* inſinuans hæc vitia non corripere quoſcunq;, ſed aliquos tantum, id eſt, pituita refertos ſecundum veſicam & inteſtina: quoniam ob repletionem veſicæ fit ſtillicidium, & comprimitur aliquantiſper rectum inteſtinum: ob repletionẽ autem inteſtinorum, pituita ſui copia replet; ſui frigiditate ſenſum reddit obtuſum; ſui viſciditate non permittit feces deſcendere. Vnde ileos non fit e tumore, ſed e pituita. Et homo perit, niſi beneficio febris vacuetur pituita per lotium: cum enim homo non poſſit ſuſtinere & ſtillicidium, & ileon; dum immunis euadit a ſtillicidio, ſperandum deinde eſt, ileum poſſe ſuperari.

Quomodo colica & iliaca ab iiſdẽ cauſſis oriantur.

Explicatio aphoriſmi difficilis, de ileo, ſt. an guriæ ſuperueniẽte.

Diffe-

Differentiæ 1.

Differentiæ quæ a forma ſumuntur, reſpiciunt vel ſubiectum, vel cauſſam efficientem, vel vtrumq;. Differentia reſpiciens ſubiectum, eſt dolor Pungitiuus; hic enim proprius eſt membranarum; inteſtinum autem eſt corpus membranoſum. Differentiæ quæ reſpiciunt cauſſam efficientẽ, reſpiciunt vel Speciem, vel Vitium ſpeciei. Si ſpeciem, cum ſpecies ſit Vapor, aut Minera; ſi vapor, eſt dolor expers grauitatis: ſi minera; eſt dolor particeps grauitatis. Si aũt perpendamus vitium, hoc eſt vel Simplex, vel Compoſitũ. Si vitium eſt ſimplex; & primum, ſi in quantitate; dolor eſt extenſiuus, a materia copioſa; in quo dolore inteſtina ſecundum profunditatem extenduntur, ad differentiam doloris tenſiui, neruorum proprii, in quo eſt tenſio ſecundum longitudinẽ, non ſecundum profunditatem Si aũt vitium ſit in qualitate, cum ſit qualitas, vel caliditas, vel frigiditas, vel ſiccitas (excipitur.n. humiditas, a qua non fit dolor) ſi vitium in caliditate ſit poſitum: dolor prodit mordicatiuus, cum ſenſu caliditatis. Si vitiũ ſit frigiditas; dolor eſt mordicatiuus, cum ſenſu frigiditatis. Fit aũt hic dolor, dum inteſtinorum caliditas reſiſtit cauſſæ refrigeranti, nam ſecus non fieret dolor, ſed potius tolleretur ſenſus. Si vitium ſit ſiccitas; fit dolor exaſperatiuus. Si deinde vitium attineat ad motum; dolor fit turgens, ſeu errans. Si ad quietem, erit dolor ſtabilis. Si cauſſæ vitium ſit mixtum: v.g. ſi ſpectet ad qualitatem, veluti eſt durities, & ad motum; dolor fit cõtuſiuus, cuiuſ nodi eſt dolor qui ſit a calculo qui cum impetu mouetur. Si autem vitium pertineat ad qualitatem ſimul & quietem; dolor ſit compreſſiuus. Si deinde dolor reſpiciat ſubiectum, atq; efficientis vitium oritur dolor modo perforatiuus, modo acualis. Nam dolor perforatiuus attinet ad membrum membraneum & craſſum, quemadmodum eſt colon, in quod agit materia craſſa, & impetu agens. Acualis dolor idem ſubiectum poſtulat: at differt ratione efficientis, quia cauſſa efficiens eſt minus craſſa, & minori cum impetu agens. Notandũ vero hanc actionem vt vel maiori, vel minori cum impetu efficitur, attinere ad materiæ vitium, quandoque in qualitate, quandoq; in motu. In qualitate, vt materia eſt magis vel minus frigida. Vnde cum materia admodum frigida ſit vitrea, ſui craſſitie & viſciditate quieſcens: doloris perforatiui auctor eſſe poteſt; veluti, dum pituita ea eſt, qualis a Galeno locis propoſitis exprimitur, quo dolore etiam Galenus fuit correptus. Quandoque etiam vitium attinet ad motum; veluti dum pituita mutatur in flatum, qui ſi intenſe moueatur, dolorem parit perforatiuum, ſi remiſſius moueatur, acualem. Quoad differentias, quæ capiuntur ratione ſubiecti: dolor afficit inteſtina vel Omnia, vel Aliqua, & hæc vel Superna, vel Inferna. Differentiæ ratione cauſſæ efficientis, ſumuntur a Specie, a Vitio, a Cauſſa generante, a Cauſſa detinente, ſeu colligente. Quoad ſpeciem: cauſſa eſt Interna, vel Externa. Quoad vitium, hoc eſt, Principale, vel Adiuuans. Principale, eſt in Quanto, vel Quali. Adiuuans in Motu, vel Quiete. Cauſſa generans, eſt Morbus, vel Error externus. Cauſſa colligens, cum ſit Anguſtia, pendet a cauſſa reſidente vel In inteſtinis, vel Extra inteſtina. Si intra; eſt Obſtructio, vel Conſtipatio. Si extra; eſt Compreſſio, vel Subſidentia.

2.

3.

Signa.

Diagnoſis colici & nephritici doloris.

Malum hoc in genere indicatur e dolore abdominis, ſecundum regionem inteſtinorum. Dolor aũt cum Auic. ſemper eſt pungitiuus. Verum cum inteſtina ſedem habeant proximam renib. & præſertim colon: ideo tradenda ſunt ſigna, diſtinguentia dolorẽ colicum a renali. Etenim, quamuis cum Gal. c. 2. l. 6. lo. aff. nil obſit, etiamſi inter initia ignoremus, an dolor ſit inteſtinalis, vel renalis; propterea quod in vtroque dolore anodynis occurrimus: attamen progrediente malo expedit ſcire, an dolor ſit inteſtinalis, vel renalis; quoniam diuerſis occurrendum remediis. Signa igitur e c. 2 & 3. l. 6. loc. aff. capiuntur & a communibus vtriq; dolori, & a propriis. Communia ſunt, dolor abdominis, vomitus, nauſea, alui ſtipatio, dolor dorſi, crurũ tremor, & impotentia flectendi corpus. Quoad dolorẽ pertinentem ad abdomen, affectis inteſtinis dolor eſt pungitiuus: læſis renib. dolor eſt grauatiuus; quoniam tactus viget in inteſtinis ſecũdum propriã membranam, in renib. aũt ſecundum membranam ambientem: vnde, ſi inteſtina dolore afficiantur, intẽſior eſt dolor; remiſſior, ſi renes. Indicatur ẽt dolor inteſtinorũ e dolore amplum ſpatium occupante: contra, renalis indicatur e dolore, locum anguſtum cruciante: rõ eſt, quia renes occupant anguſtam ſedẽ, inteſtina amplam. Adhæc dolor colicus, quamuis incipiat mõ a dextris, modo a ſiniſtris, quemadmodum renalis: tamen colicus dolor dum incipit a dextra parte, affligit regionem infra renem dextrum, atq; per inferiorem ventriculi ſedem, in dextra parte aſcendit in ſedem, cui ſiniſter ren ſubiacet: vnde cum Galeno dolor colicus interdum locum renibus eminentiorem affligit. Si aũt colicus dolor a læuo latere incipiat; progreditur verſus abdomen & pectinem: quo fit, vt partes magis anteriores, quam poſteriores petat. Cõtra renalis, ſi accidat vt lapis deſcendat, primum partes detinet ſupernas, mox infernas inuadit, & circa poſteriores potius partes, quam anteriores vergit. Deinde diſtinguuntur hi dolores, quoniam dolor colicus repente inuadit, quia breui tempore anguſtatur inteſtinum: renalis autem dolor non repente, ſed longo inuadit tempore, nam lapis non cito creatur: Et ſi aliquando renalis dolor cito intendatur ac repente, hoc non euenit inter initia, ſed poſt lapidis generationem, dum moueri incipit. Præterea renalis dolor inanitionis tempore magis cruciat, colicus miteſcit, ciboque aſſumto intẽditur, ratio eſt, quia repletionis tempore, ventriculus repletus, colon comprimit, dum aũt ventriculus eſt vacuus, compreſſio deſinit: in dolore aũt renali, cibus in ventriculo exiſtens, non comprimit renes, ſicuti quando deſcendit, & ab aſſumto cibo dolor renalis miteſcit, quoniam cibi portio tenuior & aquoſior, dum petit renes, vim obtinet anodynam. Indicatur etiam dolor colicus e dolore qui poteſt eſſe errans: at renalis indicatur e permanente dolore. Atque dum obſeruatur motus, percipitur ſecundum vreterum progreſſum, dum per hæc vaſa lapis in veſicam prolabitur. Quoad reliqua cõmunia ſymptomata, ſufficiat in iis vehementiam & tempus perpendere. Quoad vehementiam, in dolore colico, vehementiora ſunt, vomitus, nauſea, alui ſtipatio: cõtra in renali dolore, vehementiora ſunt dorſi & crurum tremor, & flectendi corporis impotentia: ratio eſt, quia inteſtina magis conſentiunt cum ventriculo, renes autem cum dorſo & cruribus. Quoad tempus: in colico dolore quæ magis affligunt ẽt citius inuadunt: atque ad eundem modum in dolore renali. Et propterea in dolore colico citius orit vomitus, quã in renali dolore; & tardius in dolore colico inuadit dolor

Communia ſigna vtrique dolori.

Propria ſigna vtriuſque doloris.

dorſi:contra in dolore renali,citius oritur dolor dorſi,quam vomitus. Tandem etiam diſtinguuntur pro- A
priis indiciis. Dolor renalis indicatur ex excretione arenularum,vel calculi e lotio mutato, e ſtupore fe-
moris: quæ ſigna ſi non aſſint,indicatur dolor colicus. His addi poteſt alteratio, quam pariunt iuuantia,
vel lædentia : nam ſi conquieſcat patiens per vomitum,vel deiectionem alui;dolor colicus indicatur: Sin
quieſcat patiens per mictionem calculi,arenularum,vel craſſi lotii ; indicatur dolor renalis. His igitur ſi-
gnis renalis dolor a colico diſtinguitur.

Signa diff. a forma & ſubiecto.

Differentias a forma patefacit æger,dicens cruciari ſe dolore extenſiuo vel alio. Quoad differentias
a ſubiecto:Si omnia inteſtina afficiantur;dolor affligit totum abdomen:contra, ſi non omnia;& quidem,
ſi malum ſit in ſupernis inteſtinis, e c.2 l.6.loc.aff. magis ſuperatur a potionibus,quam a clyſteribus ; con-

Iliaci doloris ſigna.

tra ſi ſit in infernis.Ceterum,cum dolor attinens ad ſuperna,præſertim ſit iliacus,ad inferna colicus:quo-
ad Iliacum dolorem; e cap. 2.lib.6 loc.affect.& comm.6.ſect.2.lib.3.epid.indicatur e dolore aliquantiſper B
ad præcordia aſcendente : & cum Aetio , e difficili exſpiratione , quæ interdum fœtet ; non quod vapores
putridi prodeunt e pulmone;ſed quoniam putridi vapores prodeuntes a ventriculo, miſcentur cum aere
qui exſpiratur. Indicatur etiam hic dolor e nauſea;quia vapor hæret in tunicis ventriculi. Item e vomitu,
ita vt ægri neque potum continere queant : nam ſecundum Aetium,dum malum intenditur,omnia ſur-
ſum feruntur,ideoque fit vomitus,non tantum cibi,potus,bilis,pituitæ,ſed interdum etiam ſtercoris;qua
etiam de cauſſa ructus ſunt fœtidi. Hic autem notandum,omnia indicia ad fœtorem attinentia,eſſe indi-
cia ilei inſalubris : deinde materiam fœtentem eſſe poſſe tum vaporem, tum mineram. Indicatur etiam
dolor iliacus ex integra alui ſtipatione:vnde Gale.com.aphor.44.ſect.6.& com.aphoriſ.10.ſect.7.ait; hoc
competere omni & ſoli exquiſito dolori iliaco,ad differentiam doloris colici , & iliaci non exquiſiti: nam
in dolore colico exquiſito ſufficit difficilis excretio;in iliaco exquiſito, neceſſaria eſt integra ſtipatio.Pro- C
inde Auicennas reſpiciens ad dolorem iliacum exquiſitum;dicit in ileo podicem ita aſtringi, vt neq; ſpe-

Quomodo crudę ac tenues deiectiones in ileo.

cilli extremum ſuſcipere poſſit;quæ integra ſtipatio locum non habet in dolore iliaco non exquiſito. Sed
oritur dubium:nam Hippoc.comm.6. ſect.2.l.5. epid. proponit, mulierem iliaco dolore affectam, in qua
deiectiones erant crudæ & tenues;& tamen dolor iliacus erat exitialis & exquiſitus.Sciendum ergo Hip-
pocr. proponere dolorem iliacum,prodeuntem ex inflammatione: vnde quemadmodum in inflamma-
tione oculorum effluit materia tenuis ; ita etiam in inflammatione inteſtinorum : vnde non deſcendunt

Quænam inteſtini pars afficiatur.

feces,non deſcendunt inteſtinorum excrementa,ſed deſcendit inflammationis materia tenuis.Ceterum,
cum dolor iliacus occupet vel totum inteſtinum,vel partem : ſi totum inteſtinum detineatur, indicatur e
dolore cruciante circa vtrumque ileum, præterea circa medium ventrem,circa vmbilicum, vt omnes hæ
partes doleant:Si autem dolor cruciet inteſtinum ileum ſecundum partem;ſi inteſtinum afficiatur ſecun- D
dum mediam regionem , indicatur e dolore in ileo ſiniſtro; ſi ſecundum principium , indicatur e dolore
circa iecur; ſi ſecundum finem , indicatur e dolore circa ilium dextrum, propter humiliorem ſedem renis

Colici doloris ſigna.

dextri. Quoad dolorem Colicum ; cum colon afficiatur modo totum , modo ſecundum partem : ſi to-
tum affligatur , indicatur e dolore cruciante circa vtrumque ilium , & infra vmbilicum , & ſupra verſus
ventriculi fundum : Si afficiatur ſecundum partem , & quidem mediam , indicatur e dolore in ilio ſini-
ſtro ; ſi ſecundum principium , in ilio dextro ; ſi ſecundum finem , indicatur e dolore non aſcendente ad
vmbilicum,ſed prope.

Signa diff. a cauſ.effic. Signa ſpeciei.

Sequuntur ſigna indicantia differentias,quæ ſumuntur a cauſſa efficiente. Quoad ſpeciem;an cauſ-
ſa ſit interna vel externa:patet ex alibi dictis. Quoad cauſſas internas : ſi fuerint vermes;aſſunt horum ſi- E
gna. Si ſpecies ſit *vapor*;indicatur e dolore ſine grauitate,e dolore extenſiuo,propter copioſos flatus,e do-
lore errante,non ſtabili , e rugitibus copioſis, e fecibus bubulis ſimilibus,quæ ob copioſos flatus aquæ ſu-
pernatant:indicatur etiam e prægreſſis cauſſis,quæ potuerunt generare flatus : præterea ex vtili alteratio-
ne,quam æger percipit , dum flatus erumpunt. Quoad *ſanguinem ſi grumeſcat*, indicatur e dolore cum
ſenſu grauitatis,e dolore extenſiuo,ratione copiæ; præterea e refrigeratione totius corporis ; item e præ-
greſſis cauſſis violentis,vi quarum ſanguis venas egredi potuit:tandem indicatur e commodo & vtilitate,
quam ſentit patiens, dum fit ſanguinis grumoſi deiectio. Si *ſanguis ſit inflammationis auctor*, indicatur e
dolore cum ſenſu grauitatis & caliditatis,e dolore extenſiuo,e dolore permanente, e febre, & reliquis in-
flammationis ſignis. Quoad *pituitam*,indicatur e dolore cum ſenſu grauitatis, e dolore extenſiuo, e mor-
dicatiuo,ſed cum ſenſu frigiditatis,niſi ſalſa ſit pituita,indicatur etiam e dolore permanente,niſi miſti ſint F
flatus:tunc enim etiam indicatur e fecibus bubulis ſimilibus : & Auicenn. monet,in dolore colico,magis
ſuſpenſas eſſe feces, vbi magis dominantur flatus : indicatur etiam e prægreſſis cauſſis generantibus pitui-
tam;& ex vtilitate,dum excernitur pituita.Quoad *feces*,indicatur e dolore grauatiuo,extenſiuo,citra ſen-
ſum caliditatis,vel frigiditatis:præterea e cupiditate excernendi,e dolore exaſperatiuo,propter ſiccitatem
fecum, e dolore compreſſiuo , propter duritiem,e dolore quieſcente,& e deiectione fecis duræ,quibuſdã
mucilaginibus obuolutæ:nam dum feces diu morantur in inteſtinis , pituita adhæret: præterea indicatur
e prægreſſis cauſſis,vel generantibus,vel colligentibus feces: nec non e commoditate percepta,dum feces
deiiciuntur. Quoad *bilem*,indicatur e dolore,cum exiguo ſenſu grauitatis , bilis enim ob tenuitatem non
ita eſt ponderoſa:indicatur e dolore non admodum extenſiuo, quoniam admodum copioſa bilis nõ col-
ligitur:indicatur e dolore mordicatiuo,cum inſigni ſenſu caliditatis,ita vt interiora , ſecundum Alexan. G
vri videantur,& præterea indicatur e ſiti inexſtinguibili,e bilioſa deiectione,e febre bilioſa , e cauſſis præ-
greſſis generantibus bilem, e iuuamento vacuationis bilis, & refrigerationis. Quoad *melancholiam*, indi-
catur e dolore cum exiguo ſenſu grauitatis,nec admodum extenſiuo:nam melancholia non eſt ita copio-
ſa,vt pituita:indicatur etiam e dolore mordicatiuo,cum ſenſu frigiditatis,niſi melancholia ſit exuſta : in-
dicatur e dolore compreſſiuo , propter duritiem : e dolore quieſcente, e ructibus acidis, e nigris deiectis,
e cauſſis

A e caussis prægressis, quæ possunt producere melancholiam, e communi vacuatione melancholiæ, quæ
prodest. Quoad *saniem*; indicatur e dolore, cum sensu grauitatis, e dolore extensiuo, siquidem in abscessibus
sanies copia viget: indicatur e dolore mordicatiuo, cum sensu caliditatis, e purulentis deiectionibus,
e prægressis caussis abscessus, ex emolumento vacuationis saniei. Quoad *calculum*; indicatur e dolore,
cum insigni sensu grauitatis, & admodum extensiuo, e dolore experte morsus, & sine sensu vel caliditatis,
vel frigiditatis: indicatur e dolore contusiuo, si moueatur calculus; e dolore compressiuo, si quiescat: e
prægressis caussis generantibus calculum: postremo e iuuamento deiectionis calculi. Et præterea, si contingat,
vt antea quoque patiens liber euaserit a dolore per calculi excretionem; & nunc simili dolore crucietur:
coniiciendum, hunc etiam dolorem prodire e calculo. Et hoc consequimur virtute non signi, sed
B exempli. Hæc de signis specierum. Sequuntur signa, quæ indicant vitia. Vitia principaliter spectant ad quantitatem — Signa vitii.
& qualitatem; & vt adiuuantia, spectant ad substantiam, & vbi. Quoad vitium secundum formam;
cum sit materia venerea, vel quælibet putrida materia: venerea indicatur e propriis signis: putrida
indicatur e dolore mordicatiuo, cum sensu caliditatis, quia putrida materia est calida: indicatur etiam
e fœtida excretione, e febre. Quoad vitium in quantitate; indicatur e dolore extensiuo. Vitium in qualitate:
si sit secundum caliditatem; indicatur e dolore mordicatiuo, cum sensu caliditatis: si qualitas sit frigida;
indicatur e dolore mordicatiuo, cum sensu frigiditatis. Vitium in siccitate, indicatur e dolore exasperatiuo.
Vitium in motu, indicatur e dolore errante: in quiete, e dolore stabili. Si vitium sit mistum, sitque
indifferens ratione subiecti, vt detineatur pars membranea & crassa; si contingat, vt vitium sit maioris
actiuitatis, indicatur e dolore perforatiuo: si minoris actiuitatis, indicatur e dolore acuali. Quoad cognitionem — Signa caussæ generantis, & detinentis.
caussæ generantis; hæc cognitio petenda est e propriis capitibus. Quoad cognitionem caussa-
C rum detinentium; cum hæ caussæ pertineant ad angustiam, quatenus est vel obstructio, vel constipatio,
vel compressio, vel subsidentia: quoad obstructionem, patet e signis caussæ obstruentis: & idem de reliquis
dicendum. Caussæ autem hæ manifestari debent in propriis locis.

Quoad præsidia: cum hoc vitium sit sensatio corrupta intestinorum, dependens a caussa soluente — Indicationes.
continuum: quantum attinet ad sensationem corruptam; dum habet rationem caussæ, indicat anodynũ.
Quoad intestina; horum proportio postulat remedium fouens proportionem. Quoad caussam soluentem
continuum; in genere indicat remedium non anodynum, sed sanans. Et cum caussa interna sit multiplex,
secundum speciem, vitium, caussam generantem, & detinentem: hæc omnia indicant contraria
præsidia: de quibus sæpe diximus.

Quoad prognosticum: hoc malum in genere non est despiciendum; quia omnis vehementiæ parti- — Præsagia.
D ceps esse potest: & primum vehementiæ essentiæ; nam dolor, quatenus est sensatio corrupta, admodum recedit
a naturali statu, nimirum a sensu iucundo. Adest vehementia dignitatis; quoniam afficiuntur intestina,
quæ, vt sensum exquisitum habentia, principes partes in consensum trahunt. Facultatis etiam ve- — Progn. diff. a forma, & subiecto.
hementia vel adest, vel imminet; quia cum Gal. c. 14. l. 1. ad Glaucon. omnis dolor vires exsoluit. Ceterum,
suppositis rebus secundum naturam: quoad differentias formales; ratione vehementiæ essentiæ, dolor vehementior
est periculosior. Ratione dignitatis; dolor magis periculosus, si afficiantur tenuia intestina;
tunc enim malum est acutissimum; & proinde periculosum; com. 6. sect. 2. li. 3. epid. vnde iliaci vix possunt
conualescere: cap. 2. l. 6. loc, aff. Porro cum præcipui intestinorum dolores, sint Iliacus, & Colicus: circa hos
digrediemur. Iliacus ergo dolor magis est periculosus, si totum intestinum afficiatur: minus periculosus, si
intestinum secundum partem lædatur: & adhuc minus periculosus, si intestinum secundum partem in-
E fernam crucietur: quoniam dolor, quo partes occupat vel plures, vel superiores, eo vehementior est ratione
dignitatis. Colicus etiam dolor non vacat periculo, propter sensum exquisitum; vnde & homines animi
deliquio fatigati obeunt, & manus sibi violentas inferunt. cap. 1. li. 2. κ.τόπ. Quod si dolor vrgeat secundum
vmbilicum; est minus periculosus: nam ibi est pars inferior, & minoris dignitatis, in quam partem
etiam clysteres strenue agunt. Si dolor afficiat partem sinistram, magis est periculosus; nam dignitatis vehementia
intenditur. Et adhuc periculosior est dolor, si dextra quoque pars afficiatur: maximum enim
adest discrimen, si totum intestinum afficiatur. Quoad vehementiam facultatis, quo tristis sensatio erit
vehementior, eo dolor erit periculosior. Hinc Galenus com. 48. l. 2. de rat. vict. ait, ob dolores sæpe pulsus
deficere, & oboriri animi deliquium. Prauus igitur est dolor iliacus & colicus, dum coniungitur vehemẽtia
F facultatis, vt dum animi deliquia, & syncopæ oboriuntur. Vehementia etiam facultatis indicatur a perpetua
extremorum frigiditate, vnde Galenus comm. 6. sect. 2. lib. 3. epid. ait: iliacam ad perniciem tendere,
dum perpetua est extremorum frigiditas. Frigiditas autem est signum vehementiæ, non modo facultatis,
(quia vires læduntur) sed etiam essentiæ, quia plurimus est recessus a naturali statu. Si perpendatur vis dif- — Progn. diff. a caussa efficiente.
ferentiarum ratione caussæ efficientis, eadem est ratio & in forma, & in caussa efficiente, merito vehementiæ
& dignitatis, & facultatis, vt sufficiat digredi circa vehementiam essentiæ. Itaque cum caussa efficiens
perpendatur secundum speciem, vitium, caussam generantem & detinentem: cum reliqua pateant, sufficit
quædam breuiter admonere. Hippocrates ergo aph. 44. sect 6 ait: quibus e stillicidio vrinæ ileos superuenerit,
in septem diebus pereunt, nisi febre superueniente copiosa vrina fluxerit. Hippocrates hoc loco
prognosticum capit a vehementia essentiæ, vt pertinet ad vehementiam duplicis caussæ, i. caussæ doloris
G iliaci, & caussæ stillicidii: vnde si febris superueniat, & vrina fluat, vrinæ fluxus cum febre, est signum vehementiæ
materiæ secundum essentiam, sed non admodum insignis, cum vincatur a febre, & patiens restituatur:
nã cum antea duo essent mala, vnicum tantum per manet, cum iam superatum sit stillicidium. Galenus
addit, in iliaca vomitum stercoris esse exitialem. Hoc prognosticum pendet a vehementia essentiæ
speciei, & a vitio speciei, a specie; quoniam dum per os excernitur materia fecalis, excernitur materia, quæ
summe recedit a naturali statu: a vitio speciei etiam pendet prognosticum, nimirum a motu fecum; nam

feces mouentur ad ſuperiora, & propterea vitium eſt vehementiſſimum. Auicennas ſequentia ſymptomata lethalia eſſe dicit, dum fœtorem præ ſe ferunt; ea autem ſunt, ſtercoris vomitus, ſudor, anhelitus, ructus, flatus per ſedem erumpentes: fœtor enim minatur periculum, quia indicat inſigne vitium ſecundum ſubſtantiam. Primum autem proponit ſtercoris vomitum, quia ſtercus ſecundum omnes ſui partes petit os; ideoque vapor minus eſt malus: deinde proponit ſudorem, qui indicat copioſos eſſe vapores, habentes impetum ad omnes corporis partes: reliqua, quæ proponit, ſunt ſigna vaporis minus copioſi, quia vapor vnicam tantum partem petit: tertio ergo ſequitur anhelitus, qui ſignum eſt grauis vitii, præſertim ſi vapor petat pulmones: quarto eſt ructus fœtidus, qui minus eſt periculoſus, quia eſt ſignum vaporis, qui in os mouetur: quincto ſunt flatus per ſedem exeuntes, qui potius ſunt ſignum ſalutare, ſeu motus ſalutaris; adeſt enim materia, quæ mouetur ad infernas partes; attamen malum ſignum eſt, quatenus ſignificat materiam eſſe putridam. Hippo. etiam aph. 10. ſect. 7. ait: ob ileo vomitus, ſingultus, deſipientia, vel conuulſio, malum. Sumitur hoc prognoſticum a vehementia eſſentiæ materiæ fecalis, ſecundum quãtitatem, & motum: quorum vitiorum ſigna ſunt ſymptomata ab Hippocr. propoſita: nam, vt Galen. in com. inquit, hæc ſymptomata fiunt ab inteſtinis a ſe expellere ſtercus appetentib. Ad copiam quidem attinet vitium, quatenus inteſtina appetunt expellere feces, diu moleſtantes, qua temporis diuturnitate ſtercus copioſum eſt aggregatum, quod licet non moueatur, ita tamen afficit inteſtina, vt qualitas ſpiritalis impertiatur ventriculo, vnde vomitus fit, non fecum, ſed materiæ exſiſtentis in ventriculo. Deinde vitium attinet ad motũ: nam, cum Galeno, ſtercus aſcendit, vnde læditur ventriculus; ideoque fit ſingultus, & compatiente neruorum principio, fieri poteſt deſipientia & conuulſio. Galenus com. 6. ſect. 2. lib. 1. epid. cum Hippocrate ſtatuit, in ileo maligno eſſe extremorum frigiditatem: de qua dictum eſt ſupra. Ibidem ait, dolorem eſſe periculoſum, quoties vrinæ ſunt prauæ. Praua vrina eſt ſignum vehementiæ cauſſæ ſecundum eſſentiam; nimirum & fecum, & tumoris inflammatorii, cuius vi feces detinentur; idque duobus modis: primo, quatenus recedunt a naturali ſtatu, vt ducunt in conſenſum genus venoſum, vnde vrina eſt praua: ſecundo, quatenus vitium duplicatur, eſt inſignis vehementiæ; inteſtinorum enim vitium intenſum, coniungitur cum vitio venarum: vnde Galenus ait, ſi vrina ſit bona, paruam ſalutis ſpem ab ea peti poſſe; ſi autem praua ſit, non parum facere ad malum; nam quando malum inteſtinorum habet cõiunctam prauam vrinam, non eſt ſimplex affectio. Aetius ait; ileon eſſe malum pueris familiare; at naturalis humiditatis beneficio pueros euadere: ſenibus non admodum accidere: ſi tamen corripiantur, fere nunquam euadere. Prognoſtici huius hæc eſt ſententia. Ætas puerilis eſt ſignum virtutis robuſtæ, præſertim ſecundum calidum inſitum: vnde naturalis humiditatis beneficio pueri euadunt: oppoſitum de ſenibus eſt ſtatuendum. Præterea puerilis ætas eſt ſignum vehementiæ eſſentiæ remiſſioris cauſſæ morbificæ; vt materia nec ſit ita copioſa, nec arida, vt in ſenili ætate: ſi igitur pueri frequenter afficiuntur, id fit ob inteſtinorum paruitatem, quæ proinde ab exigua materia anguſtari poſſunt. Quoad prognoſticum, ratione cauſſæ detinentis: quoad obſtructionem; poteſt expugnari: nam pituita & copioſa, & frigida, & craſſa, & lenta, vinci poteſt. Conſtipatio ægrius ſuperatur: etenim cauſſa eſt inſignioris vehementiæ, quam cauſſa obſtructionis: ſiue conſtipatio fiat a verme, ſiue ab arido ſtercore, ſiue a calculo: multo deterior eſt conſtipatio, ſi fiat ab inflammatione; vnde Paulus dicit, colicam inflammatoriam, inter omnes eſſe grauiſſimam; nam minatur ileum, quoniam ſanguis magis poteſt, vt ſit vehementia ſecundum eſſentiam, admodum inſignis, penes copiam, & potiſſimum quietem, cum ſanguis in inflammatione ſit vehementer impactus. Quoad compreſſionem huius cauſſa cum ſint tumores partium vicinarum; pro varietate tumorum, vario modo prognoſticandum: de quibus in propriis capitibus. Quoad ſubſidentiam; pariter pro varia cauſſa; varie prognoſticandum.

De Curatione.

Curatio. Cheirurgia.

SEQVVNTVR præſidiorum materiæ: & primum cheirurgicæ. Auicennas cum Græcis ſtatuit in dolore inteſtinali ſecandam eſſe venam, ſi ſanguis vehementer peccet; in ratione cauſſæ vel principalis, quemadmodum in dolore prodeunte ab inflammatione: vel in ratione cauſſæ ſine qua non, vt in dolore a flatu, a pituita, ſed in corpore ſanguine repleto. Propterea cum dolor iliacus frequenter fiat ab inflammatione, & frequentius quam dolor colicus: recte magis frequenter ſecatur vena in dolore iliaco. Quoad vſum, & primum quoad *Quando:* Rhaſis inter initia ſecat venam: Aetius, antequam topica vſurpentur: Auicennas, ſi ſecanda ſit baſilica & ſaphena; primum baſilicam, mox ſaphenam aperit. Cum enim quando agendum ſumatur ab indicante præſente, vincente alia indicantia; inter initia vena eſt ſecanda: quia ſanguis ita vincit, vt nihil prohibeat. Et, ante topica vena eſt ſecanda: nam ſanguis ita vincit, vt dum eſt præſens, topica prohibeat: quia ſanguis, vi localium, flueret in inteſtina. Tandem, ſi vena & cubiti & pedis ſit ſecanda; illa primum tundenda: quia magis poteſt ſanguis ſubſiſtens ſupra iecur, quam infra. Quoad *Vbi* agendum: omnes venam cubiti ſecant: Auicennas baſilicam. Alexander tali venam tundit: ſi dolor fiat ab inflammatione, ita adaucta vt vrinam ſupprimat, aut ſi ſanguis etiam ad veſicam pertingat. Hæc enim loca oſtendit varia ſanguinis ſubſiſtentia: vnde, cum ſanguis ſubſiſtat in iecore, & venis inteſtinorum; ſecanda baſilica: modo dextra, modo ſiniſtra, prout dolor ſolicitat regionem dextram, vel ſiniſtram: Et, cum ſanguis fluat in veſicæ vaſa, hincque infra iecur; vena pedis ſecanda.

Cucurbitulæ.

Cucurbitulæ ſcarificatæ probantur loco venæſectionis, dum prohibetur venæſectio. Eædem quoque probantur, quatenus propria ratione agunt, & non vicem gerunt venæſectionis, veluti in dolore ab inflammatione: ſed hæ cucurbitulæ propria ratione agentes, vſurpantur poſt totius euacuationem, & applicantur parti inflammatæ; ad differentiam cucurbitularum, quæ vicem gerunt venæſectionis; nam ſanguis in parte inflammata ſubſiſtit. Cucurbitulæ etiam non ſcarificatæ probantur: vnde Galenus cap. vlt. l. 12. meth. probat cucurbitulam maximam: & Paulus adminiſtrat cum flamma copioſa, poſt totius euacuationem: applicat autem abdomini,

A mini, potissimum secundum vmbilici regionem. Hic igitur a Galeno & Paullo, proponitur necessitas, & vsus. Quoad necessitatem; cucurbitula est materia remedii vehementer discutientis flatus; nam etiam citra excalfactionem partis vehementer trahit, cap.6.l.13.metho. ideoque in dolore colico e flatu, est veluti incantamentum, ca.vlt.l.12.meth. Quoad vsum: probatur cucurbitula quam maxima; nam summa est flatus actio: deinde probatur cum flamma copiosa, id est, vehementer agens; nam flatus copiosus & crassus est difficilis passionis: tertio, probatur post totius euacuationem; nam materia replens prohibet: tandem applicatur abdomini, & potissimum vmbilico, nam flatus subsistentiam habet in abdomine, & præsertim secundum vmbilicum: & quia in his locis non adest ventriculus, lien, aut iecur, ideo hæc viscera non prohibent applicationem cucurbitulæ.

B Tandem laudantur etiam cheirurgicæ materiæ, quæ sunt materia anodyni, ratione iudicii; ita agentes, vt sensorium iudicans afficiatur caussa dolorifica vincente: vincitur autem ab affectione dolorifica intensiori, quia dolor remissus a vehementiori exstinguitur. Tales autem sunt frictiones vehementes & dolorificæ, similes ligaturæ, cucurbitulæ cum dolore applicatæ, parti non dolenti. Hæ materiæ cheirurgicæ, quatenus dolorem excitant, sunt materiæ anodyni, ratione iudicii: quatenus autem retrahunt ab intestinis, sunt materiæ sanantes; quoniam caussam doloris principalem respiciunt. Frict. ligaturæ, &c.

Materia medicinalis est triplex; scilicet materia Anodyni, materia remedii Sanantis, & materia Proportionis. Pharmaceia.

Quoad materiam anodyni: Anodynum quadruplex est, vt in doctrina de capitis dolore monstrauimus: vnum ratione iudicii, alterum ratione caussæ adiuuantis, tertium & quartum, ratione receptionis. I. Anodyna
C Quoad anodynum ratione iudicii; cum pertineat ad materiam cheirurgicam, medicinalem, & diætetica͂; de materia cheirurgica dictum est; de diætetica dicetur suo loco. Ergo, quoad medicinalem materiam; probatur medicamentum, vi cuius excitetur dolor admodum intensus, in parte diuersa ab intestinis: verbigratia, si patiens gestet vesicantia, vel fonticulos; tunc locis exulceratis applicanda sunt acria medicamenta, vt *helleborus niger & albus, euphorbium, sinapi, &c.* Quoad materiam remedii anodyni, ratione caussæ adiuuantis; cum Galeno c.18.l.5.simp. probatur *oleum anethinum, chamæmelinum; item commune, in quo ebullierint anethum, chamæmelum, & cyminum in parua copia; licet etiam addere vinum album tenue.* Ratio horum medicamentorum est, quoniam cutim rarefaciunt, & ad circumferentiam trahunt humores ac vapores. Quoad vsum horum medicamentorum sufficiat modum agendi explanare. Proinde hæc medicamenta actu calida admoueantur: ea tamen lege, vt medicamentum actu calidum exsistens, primum ca- 2
D liditatis gradum non excedat; nam si excedat, est materia remedii, non anodyni, sed sanantis. Quoad anodynum ratione receptionis, hoc duplex est, nempe materia calida instar corporis patientis, & materia lenta, instar suppurantis: nec non materia frigida. Medicamentum calidum, e capite 7. & 8.lib.5.simp. est *hydrelæum, farina triticea, panis triticeus, sed modice coctus, adeps suillus, butyrum, lac bubulum, lac ouillum, amygdalinum, mucilagines maluæ & althææ, omenta animalium, aqua dulcis moderate calida.* Alexander anodynis humidis miscet modo frigida, modo calida; vt eodem tempore occurrat & dolori, & caussæ doloris. Proinde, si dolor colicus fit e frigido humore; probat *balneum aquæ dulcis,* quod dolorem quidem mitigat, sed non curat. Si dolor fiat a caussa calida, vti possumus, vel synceris anodynis, vel miscere possumus frigida; vt sunt *violæ, hordeum, &c.* & hoc medicamentum ita mistum, est tu͂ anodynum, tum sanans. Si dolor fiat a caussa frigida; addi possunt *anethum, melilotus, fœnumgræcum, chamæmelum, oleum amygda-*
E *larum, amar.* quod & ipsum est medicamentum & anodynum, & sanans. Vsus. Quoad *quantum:* medicamenta proposita in summa dosi sunt vsurpanda, si summa sit actio indicantis: vnde quandoque licet exhibere *oleum amygdalinum, vsque ad* ℔ *j.* Quoad *modum:* si difficillima sit passio indicantis; administrandum est medicamentum vt efficacissime agat: veluti dum vesicæ medicamentis implentur, secundum Aetium. Redditur autem strenuum valde medicamentum, si in modum stillicidii admoueatur: & præsertim, cum Auicenna, si liquore seu decocto conueniente repleatur vas, in cuius fundo plura sint foramina; deinde vas illud eleuetur a patiente, ad longitudinem staturæ humanæ, & liquor dimittatur supra ventrem, sic enim stillæ frequentes destillantes efficacissime operantur: probari autem potest vasculum, quod est in communi vsu, pro irrigandis; & hoc medicamentum Auicennas ait esse vehementis iuuamenti. In quolibet autem dolore, siue fiat a caussa frigida, siue a calida, obseruandum, vt anodynum
F vsurpetur actu calidum, non frigidum: verum in dolore a caussa calida, caliditas erit moderata, id est, tepor potius, quam caliditas, in dolore a caussa frigida, caliditas teporem excedet. Licet enim doloris calidi resistentia ab anodyno actu frigido magis vincatur: id tamen prohibet, primum materia doloris, quæ indicat vacuans per modum attractionis: deinde prohibet intestinorum calor insitus, qui calida indicat. Quare cu͂ difficilior sit passio materiæ frigidæ, quam calidæ; ob id anodynum actu magis calidum administrandum, in dolore a caussa frigida. Quoad *tempus:* his vtendum, dum dolor vincit materiam replentem: at materia replens vincit, præsertim si anodynum applicetur, secus si exhibeatur: nam dum applicatur anodynum calidum, materia in toto exsistens fluit in partem dolentem: at si exhibeatur, si anodynum sit destitutum vi vacuante, pote͂ esse in caussa, vt materia fluat: si vero facultatem habeat euacuandi, si materia replens totum sit sanguis, primum sanguis vacuandus; si materia replens sit alia a sanguine, quamprimum vtendum hoc
G anodyno exhibito: ℞ *ol. amygd. dul.* ℥ *vj. olei amygd. amar.* ℥ *ij. mellis ros. sol.* ℥ *j* ß. si modo dolor fiat a materia frigida: nam si fiat a calida materia; exhibeatur *oleum amygdalinum, cum manna vel syrupo violaceo solutiuo.* Quoad *Vbi* agendum, cu͂ intestina afficiantur, propterea quod receptio subsistentiam habet in intestinis: recte medicame͂ta & abdomini possunt applicari, & per os exhiberi; vtputa dum oleum propinatur, quod in iliacis mirabile esse Galenus ait, in l. de medi. facile parabil. ita vt homo, etiamsi fere stranguletur, huius

tamen medicamenti beneficio seruari queat. Sed notandum, in quolibet dolore intestinorum, anodynum A
posse applicari abdomini, & regioni dolenti. At si dolor occupet tenuia intestina, anodynum probatur
per os; si crassa, per sedem. Frigida medicamenta, ratione receptionis, sunt *lactuca, nymphaea, succus solani,*
mandragora, hyoscyamus, capita papaueris, semina papaueris, opium, philonium Rom. requies Nicolai, pilulæ de
cynoglossa, magna antidoti recentes. Locum autem habēt opiata, dum vehemens est dolor, maximaque vr-
get necessitas: ca. vlt. l. 12. meth. Vrget autem necessitas, dum dolor colicus fit, vel a succo calido, vel a frigi-
do & crasso, sed cui vapor est mistus; & præterea dum adest febris: Ratio Galeni est; quia in dolore a succo
calido, magis potest dolor, quam caussa doloris; nam dolor pendens a materia calida, vehementissimus est:
materia autem calida est tenuis, est etiam calida: vnde, cūm stupefacientia sint frigida & sicca; primo sen-
sui torporem inferunt; secundo, humorum acrium tenuitatem cogunt & crassefaciunt; tertio, materiæ
caliditatem exstinguunt. In dolore a succo frigido & crasso, cum flatu atque febre, etiam magis potest do- B
lor, quam caussa: quia a flatu fit dolor intensissimus; vnde magis potest, quam materia frigida, præsertim si
febris sit annexa. Contra statuendum est de dolore a succo frigido, vel sine flatu, vel cum flatu, sed citra fe-
brim: nam vbi non est flatus, ibi nec dolor tam atrox esse potest: si autem sit flatus, & febris absit, cui non
corrigatur opiatum a febre, ob id ab opiato desistendum. Et hæc Galenus de dolore colico prodidit. At,
si dolor sit iliacus, a flatu, etiam sine febre; cum Rhasi probatur opiatum, vt philonium, &c. si vehemens
sit dolor, vt syncope immineat: plurimum enim potest dolor, quia adest vehementia essentiæ; item digni-
tatis, quia dolor est non in colo, sed in ileo; præterea additur vehementia facultatis, quia syncope immi-
net: & potissimum augeri potest dolor, quia flatus summa cum violentia distendunt. Verum non proba-
tur quodlibet opiatum, sed philonium, quod recipit medicamenta calida, & flatus discutientia. Vnde sci-
endum, etiam in dolore a caussa calida, & in dolore a caussa frigida cum flatu & febre, probari quidem C
opiata, sed non syncera: nam licet magis possit vis doloris, quam caussæ, & caloris insiti: attamen dolor
non potest tantum, vt caussam morbificam, & calidum insitum, prorsus despicere liceat; præsertim, cum
intestinorum temperamentum non sit admodum calidum, nec intestinorum calidum insitum sit admo-

Quando narcotica miscere liceat purgantibus.

dum robustum. Quare opiatis calida misceri possunt. Rhasis autem opiatis etiam interdum addit soluen-
tia; vt *scammonium.* Vbi notandum, non esse miscenda opiata cum soluentibus, si principale institutum sit
ventrem soluere; opiata enim vim soluentium turbant, & actionem impediunt. Interdum tamen cum o-
piatis licet miscere soluentia; dum scopus est vehementiam doloris compescere, & materiam in intestinis
exsistentem euacuare: & præterea soluentia efficiunt, vt opiata breuiori tempore retineantur, & minus re-
frigerent. Rhasis miscet scammonium, quod acrimonia sua irritat expultricem, vt materia proxima ex-
pellatur. Hæc de opiatorū necessitate. Quoad *vsum* opiatorum, & primum, quoad *quantum:* si summa sit D
actio doloris; summa dosis probatur: vnde philon. datur ad ʒj. & Rhasis suum philonium, quod Roma-
no mitius est, exhibet ad ʒ j ß. Quoad *modum:* opiata non actu frigida sunt admouenda; nam partis affe-
ctæ calor prohibet. Quoad *quando:* opiata sunt vsurpanda, dum dolor vincit alia indicantia, id est, si sit in-
tensissimus cap. 1. & 7. lib. 12. method. & si assit metus syncopes. Quoad *vbi agendum:* Aetius & Auicennas
exhibent per os, & immittunt per sedem: at virtus melius sustinet immissa per sedem, quam exhibita. Sed
caussa subsistentiæ indicantis, in dolore iliaco, pręstat per os exhibere; in colico per sedem immittere. Hæc
de materia medicinali remedii anodyni.

II. Sanans remedium. Ad colicam flatulentā. Interna remedia.

Quoad materiam medicinalem remedii sanantis; digrediemur circa dolorem e Vapore, e Pituita,
e Bile, ex Inflammatione, & e Febribus. Quoad dolorem a vapore prodeuntem, quem Auicennas vocat E
Colicam ventosam; & primum, quoad ea quæ exhibentur: Auicennas probat *medicamentum confectum*
e semine carui, rutæ, in decocto anisorum, feniculi, cymini, dauci, &c. Vel decoquantur hæc in vino generoso, aut
in mulsa meraciori. Rhasis probat confectionem e baccis lauri, exhibitam cum vino generoso, vel cum aqua al-
terata aniso similibusque: & hoc medicamentum omnibus anteponit. Mesues, ceu admirabile, laudat oleum
de kerua, quod efficacissime flatus discutit. His addi possunt, diacyminum, diacalamintha, diagalanga, magna
antidoti, sed antiqua, sassafras, anthora guaiacum, ius galli repleti cum discutientibus flatus. Admirabilia sunt,
quæ potissimum apud Germanos reperiuntur, olea destillata e feniculo, & aromatibus. Hæc sunt discutientia
flatus. Quoad vsum, & primum, quoad *quantum:* Rasis in dolore vehementiori exhibet confectionem e
baccis lauri ʒ j. Auicennas exhibet olei de kerua, primum ℥ iij. deinde singulis diebus addit ℈ ij. & g̃ v. &
ascendit ad ℥ x ß. hincque singulis diebus adimit ℈ ij. & g̃ v. donec dosis descendat ad ℥ iij. Quare in eo- F
dem dolore exhibet dosin maximam, infimam, & mediocrem. Ratio autem hæc est. In dolore colico e fla-
tu, summa est actio flatus: quare ascendendum fuit ad summam dosin. At quia vapor, ob crassitiem, perse-
uerat, vt necesse sit medicamentum longiori tempore vsurpare; proinde licet a flatu summæ actiuitatis,
summa dosis medicamenti indicetur; virtus tamen eam non permittit; ideoq; medicamentum et in me-
diocri & infima dosi exhibendum. Et quia virtus facilius fert summam dosin, dum sensim assuescit: ob id
Auicennas ab infima dosi, ad summam, per mediocrem sensim progreditur: & dum factus est ascensus ad
summam dosin, cum imminuta sit actiuitas flatus, & vires sint defatigatæ; recte dosis minuitur: & cū sub-
inde magis minuatur vaporis actio, eodē etiam modo dosis minui debet, donec superetur vapor, vt actio
sit infima, & proinde minima dosis sufficiat. *Modus* autem est cum Rhasi, vt medicamentum exhibeatur
actu calidum: nam vapor crassus, quatenus ægre discutitur, indicat efficax discutiens, id est, medicamen- G
tum actu calidum. Quoad *quando.* Rhasis exhibet discutientia flatus multis vicibus Auic. exhibet oleum

Aluo subiicienda.

de kerua, vsq; ad 22. dies: quoniam indicans perseuerat. Si autem medicamenta per sedem immittantur;
probātur proposita medicamenta: sed licet etiam addere iniucunda, quia virtus intestinorum ea permit-
tit, virtus autem oris non permittit; talia sunt, *oleum anethinum, ol. de castorio, &c.* Auicennas habet clys-
mum efficacissimum, ad flatus expugnandum: ℞. *succi rutæ* ℔ *iij. & in huius penuria ruta copiosa decoquatur*
in aqua

A *in aqua ℔ xij. ad consumtionem trium partium; deinde ♃. vel succi rutæ, vel decocti prædicti ℔ iij. hyssopi, rutæ, origani, anethi, chamæmeli, calaminthæ montanæ an. P. j. seminum lini, fœnigræci, petroselini, feniculi, dauci, an. ʒ ij. fiat decoctio ad consumtionem duarum partium. Deinde ♃. prædicti decocti ℔ j. olei chamæmelini completi ℔ ß. fiat decoctio ad consumtionem decocti, adde castorii ʒ j. opopanacis ʒ ij. adipis anatis ʒ j. (ad emolliendum feces) Misc. pro clystere.* Dosis huius clysmi ascendit ad ℥ vij. & ʒ iij. non vltra, & aliquando solum immittuntur ℥ v. Nam hic Auicennas respicit ad dolorem vehementiorem, prodeuntem e flatu summæ actiuitatis: ideoq; requiritur medicamentum strenue agens in flatus; vt est clysmus, constans medicamentis vehementibus, copiosis. Summa dosis est ℥ vij. & ʒ iij. quia hoc est totum medicamentum. Vnde colligitur contra aliquos practicos, clysteres esse efficacissimos, etiamsi ad libras non immittantur: modo componantur e medicamentis & copiosis, & vehementibus. Ex his etiam patet, quæ abdomini sint appli- (Applicanda.)
B canda: ea enim sunt proposita. Circa *modum* tantum notandum; efficacissimum esse medicamentum, si proposita semina flatus discutientia, immittantur in vas cinere calente repletum. Et hæc de Colica flatulenta.

Colica phlegmatica.

1. Lenientia.

Si dolor colicus fiat a pituita: inter Vacuantia sensibiliter, probantur Lenientia, & Soluentia. Quoad lenientia; probatur *melrosatum solutiuum: Auicennas probat hieram, sed admonet agaricum non esse miscendum,* ne scilicet excitetur vomitus, qui in dolore colico, cum alui suppressione, non est tutus; nec licet vti agarico, quia trahit materiam ad locum læsum. Circa vsum, & primo circa *quando*, notandum; quamprimum vtendum esse lenientibus; nam materia morbifica vincit alia indicantia, nisi quandoque materia morbifica vincatur a vehementiori dolore, vbi anodynis vtendum; quamuis etiam lenientia anodynis misceri queant, vt si exhibeantur species hieræ, mox oleum amygdalinum. Quoad *vbi agendum*, vsurpan-
C da sunt lenientia, & per os, & per sedem, pro materiæ subsistētia: in iliaca per os, in colica per sedem. Quoad soluentia: probatur *agaricus, & potissimum diaturbith,* quoniam non ita imminet vomitus e diaturbith, sicuti ex agarico. Rhasis probat *medicamentum e turbith, zingibere, & saccharo: & ascendit ad euphorbium, ad colocynthidem. Aetius vtitur colocynthide, per noctem infusa in vino generoso: id quod aliqui pro secreto habent. Præterea in dolore iliaco Aetius ascendit ad elaterium, cum terebinthina: hinc verbi gratia vti licet, elaterii ℈ iij. cum terebinthina ʒ j. Rhasis probat pilulas, quas vocat* * *iliacas.* Dubitatur autem circa medicamentum Rhasis, quod vocat *medicamentum de gallia:* nam præter aromata recipit scammonium, quod bilem attrahit; & recipit succum cydoniorum, qui refrigerat & astringit, in dolore a pituita. Arculanus soluens hanc difficultatem, ait, in codice aliquid desiderari, vnde addit, turbith ʒ xxviij. Hæc solutio nimis est puerilis. Sciendum igitur Rhasin sermonem habere de ileo, prodeunte a caussa frigida, cum alui stipatione &
D nausea: vnde sermonem habet de ileo vehementissimo, in quo vi stipationis, & nauseæ imminet vomitus fecum. Conficit igitur Rhasis medicamentum ex aromatibus, vt frigida materia attemperetur, attenueturque; & vt aromatum familiaritate, & suaui odore nausea compescatur. Insuper vero, vt materia descendat (non ascendat) miscet tum mastichem, tū succum cydoniorum. Scammonium aūt miscet ad ℈ vj. vt cum acre sit medicamentum, & bilem alliciat, & sua acrimonia expultricem irritet; quatenus aūt bilem attrahit, est in caussa, vt bilis attracta ipsa quoq; irritet expultricem. Quoad *vsum* soluentium; notandū circa *quando*; cum capiatur ab indicante vincente alia indicantia: dum dolor ita est vehemens, vt nisi materia expellatur, subsequatur fecis vomitus; soluentib. vtendum: nam talis materia; quæ minatur vomitum fecum, magis pōt, quam materia furiosa, seu turgens; quæ cum vincat cruditatis vehementiam, multo magis materia minans vomitum fecum, cruditatem superabit. Accedit, materiam non esse in venis mistam
E cum bonis succis, nam reperitur in intestinis. Verum, si cacochymia vigeat in toto; non licet ante coctionem soluens exhibere. Quare Auicennas monet, ne ilico vtamur clysteribus acutis. Sequitur vt de Alterantibus agamus: quæ etiam insensibiliter vacuare possunt. De his Galenus cap. vlt. lib. 12. method. præcipit, cauendum a vehementer calefacientibus, nisi etiam vehementer digerant: nam frigidos, crassos, & lentos succos liquant, & mutant in flatus; vnde dolor intenditur. Ea autem calefacientia improbantur a Galeno, quæ sunt crassæ substantiæ, non quæ tenuis: quamuis potissimum ea probentur, quæ sint tenuis substantiæ, & non vehementer calida, quæ incidunt simul & coquunt pituitam, nec vertunt in flatum. Interim tamen etiam, sed minus, probantur, quæ sunt tenuia & vehementis caliditatis: succos enim liquāt quidem & in flatus mutant; verum quia tenuia sunt, flatus discutiunt: vnde dolor quidem intenditur, sed
F non perseuerat. Cum ergo probentur, quæ valenter calefaciunt, hoc est, quæ ascendunt vltra secundum caliditatis gradum; & probentur quæ infra subsistunt: iure Alexander lib. 10. probat *succum foliorum rhamni, cum vij. vel viij. granis piperis, & duobus cochlearibus mellis.* Quamuis autem e lib. 8. simplic. rhamni succus sit frigidus, vel in fine primi, vel in principio secundi: eo tamen Alexander vtitur, quia est attenuans in secundo gradu: nec frigiditate obest, quoniam ob mel & piper, medicamentum euadit tenue, & moderatæ caliditatis. Aetius probat *radices verbenacæ rectæ, tenuiter contusas, & decoquit in aqua, ad consumtionem duarum partium.* Auicennas mirabile medicamentnm conficit, *ex æquali portione castorii, piperis, anisi, ad ʒ j ß.* Galenus cap. 4. lib. 9. κ.τόπ. probat *cinerem cornu cerui iuuenis, cum pipere albo, & myrrha: pro cornu ʒ j. accipi possunt reliquorum ℈ ij.* Notandum autem circa *quando agendum*, dum hoc medicamentum, & similia in modum fomenti vsurpantur; dixisse Alexandrum, nisi dolor ope fomentorum mitescat,
G non opus esse diu calefacere, neque ad vehementiora esse confugiendum, quoniam materia copiosa prohibet: quare materia prima vacuanda, mox fomentis, quod residuum est, dissoluendum. Quantum deniq; ad vacuantia & insensibiliter & sensibiliter; probatur *ius galli antiqui, cum calorificis propositis alterati, sed additis soluentibus, vt est turbith, cum carthamo, seu cnico. Huius classis est oleum e seminibus lini, & amygdalarum amararum, addito nitro, & melle ros. sol. Alexander in potu probat aquas sulphureas & bituminosas, & exhibet dolore actu exsistente. At expedit simul exhibere mel ros. solut.*

2. Purgantia.

* De his vide raras obseruationes Dodonæi. cap. 36.

3. Discutientia.

4. Discutientia simul & vacuantia.

[illegible] a bi-[illegible] Si dolor fiat a bile; Galenus cap.7.lib.12. metho.in quolibet dolore probat Refrigerantia & hume-
ctantia;in aliquo autem dolore (scilicet a bile) probat Vacuantia bilem, videlicet dum bilis retinetur: in
aliquo autem dolore probat Adstringentia, scilicet dum aluus est liquidior. Cognoscenda igitur sunt me-
1. dicamenta refrigerantia & humectantia; vacuantia bilem; & adstringentia. Quoad refrigerantia & hu-
mectantia; probatur *medicamentum compositum e violis, pomis, lactuca, nymphæa; conficiatur autem vel sine*
saccharo, vel cũ exiguo saccharo. Præsertim autem probatur frigidæ potus, nisi aliquid prohibeat: hoc enim glo-
riatur Alexander e toto se dolorem biliosum sanasse; quia vi huius vincitur & materia morbifica, & caussa
2. generans. Quoad vacuantia, c.7.l.12.meth probatur *hiera, qua Alexander tantum vtitur, si bilis solum in in-*
testinis vigeat; nam si aliunde fluat, addit scammonium. Dubitare autem quis posset, cur probetur hiera, me-
dicamentum calidum, præsertim cum vis vacuatoria attineat solum ad aloen? quare tutius videretur, vti B
vel sola aloe, vel simul cum refrigerantibus? Pro resolutione dicendum; si contingat bilem pertinaciter
hærere in intestinis, probari hieram: & huc Alexander & Galenus respexerunt: Alexander enim propo-
nit bilem tunicis affixam. Quod si bilis non admodum hæreat, *aloe sine aromatibus probatur, &, secun-*
dum Auicennam misceri debet cum prunis. Vnde probantur etiam tamarindi, manna, syr. ros. sol. quæ in
aqua hordei sunt dissoluenda. Si bilis aliunde confluat, *loco scammonii rhabarbaro vtendum.* Et si eueniat bi-
lem esse affixam, vt hiera sit opus, ne vi calidorum lædatur patiens, *vel hiera est exhibenda cum aliquo refri-*
3. *gerante, vel post hieram exhibendum apozema refrigerans, vt est aqua hordei, vel cichorii.* Deniq; quoad ad-
stringentia; hæc probantur, dum aluus est liquidior, & imminet dysenteria. Galenus c.7 l.12 meth. probat
halicam, coctam in aqua, immistis granis mali punici: probatur etiam cremor rhois opsoniorum, probantur au-
steri fructus. De aliis adstringentibus in fluxu alui dicendum.

Colica ab inflammatione. Si dolor intestinorum prodeat ab inflammatione, probantur medicamenta Vacuantia, & Refrige- C
rantia, præsertim si inflammatio sit feruidior. Quoad euacuantia, probantur & quæ exhibentur, & quæ
1. immittuntur. Quoad exhibenda, Auicennas inter lenientia probat *medicamentum, confectum e cassia, se-*
bisten, syrupo violaceo solutiuo, & tamarindinis, dissolutis cum decocto vel hordei, vel endiuiæ. Et, si bilis exsu-
peret; Auicennas ascendit *ad scammonium, sed tempore opportuno, apparentibus signis coctionis: at tutius est*
rhabarbaro vti, cum cassia. Per sedem probantur *infusa e cassia, oleo violato, cremore hordei, lacte, & sero:*
hæc enim medicamenta & vacuant, & refrigerant. Quantum ad refrigerantia, & primum, quoad ea quæ
assumuntur, Auicennas probat *citrulos, aquam citrulorum, mucilaginem seminum psyllii,* & quæ in dolo-
re colico, a bile citra inflammationem fuere proposita: excipitur autem frigidæ potio, quoniam internis
inflammationibus nocet. Quoad ea quæ admouentur, eadem probantur quæ dicta sunt in ventriculi in- D
flammatione.

Colica, ab [illegible] fecibus [illegible]. Quoad dolorem a fecibus prodeuntem, probantur Emollientia, & calida atque acria expultricem
Irritantia. Quoad assumenda, probatur *ius galli decrepiti, & oportet vt decoquatur, secundum Auicennam,*
addito sale, anetho, polypodio, & quandoque cum carthamo; Alexander vinum addit, vt medicamentum eua-
dat iucundius. Probat Auicennas ius spinachiorum, prunorum. Alexander ascendit ad pilulas de euphor-
bio, & de plumbo, nam in plumbo est pondus, vnde descendit, & secum ducit feces. Et in hoc malo ferme le-
thali, quia imminet vomitus stercoris, quidam sunt, nec improbandi, qui vtuntur *argento viuo, seu*
Mercurio per os, quia descendit. Quare in malo hoc contumaci est etiam confugiendum ad elaterium, ad
antimonium, ad nucleos pineos purgantes: sunt enim efficacissima soluentia, & liberant homines a morte vi-
cina. Quoad ea, quæ infunduntur per sedem, probat Auicennas *clysteres confectos e maluis, althæa, fœnu-* E
græco, furfuribus, caricis, & ex his paratur decoctum, cui additur saccharum rubrum, oleum amygdali-
num, butyrum, pinguedines, item ad irritandum expultricem, sal & colocynthis. Et si feces vehementer re-
sistant, probatur clyster administratus secundum modum ab Alexandro propositum, nisi assit inflam-
matio. Quoad ea quæ applicantur: circa vmbilicum applicabuntur *butyrum, oleum amygdalinum, adi-*
pes, fel bouis, elaterium, vnguentum Agrippæ, vnguentum de cyclamino. Et hæc de materia medicinali
sanante.

III Appropriata. Quoad materiam remedii, respicientis proportionem intestinorum: e capite quarto libri 9. κ. τόπ.
probatur *cochlea cruda, trita cum duobus cyathis, id est. ℥ xxvj. vel vini, vel aquæ. Probantur interanea gal-*
linarum, trita, reposita in vas fictile. Ventriculum quidem gallinarum aliquando parui facit Galenus, non o-
mnia intestina: & adspernari videtur in malis ventriculi, non intestinorum: vnde hoc medicamentum non est F
contemnendum. Galenus præterea libro decimo simplicium, capite de stercore, in dolore colico sine in-
flammatione probat *stercus lupinum, & exhibet cum sale & pipere, sed in colica frigida: nam in calida debet*
exhiberi cum aqua, vtputa ad ℨ j. Auicennas probat intestinum lupinum: quia potest esse aliqua proportio in-
ter intestinum, & intestinum. Dioscorides probat alaudam assam comestam. Auicennas in potu probat cornu
cerui vstum, quod etiam medicamentum proponitur capite quarto, libro nono. κ. τόπ. Reliqua apud Actium &
Alexandrum videnda.

Diæta. Cibus. Sequitur materia diætetica: Quoad cibum, de hoc dicendum vt respicit vitium, in Quanto, & in
Quali. Primum ergo, vt respicit vitium in quanto, ad minuendum materiam, cum Alexandro abstinen-
dum a *carnibus*, si vires permittant: siquidem, vt monet Auicennas, vel ob doloris vehementiam, vel ob
vacuationem, virtus quandoque ita languet, vt expediat exhibere *aquam carnis, ouorum vitellos, panem in* G
iure, & vinum. Secundo, si capiatur victus, vt dirigitur ad vitium in qualitate, cum dolor fiat a caussa
modo frigida, modo calida: si a frigida, e capite vltimo, libro duodecimo, method. probatur *allium,*
nam flatus discutit, & sitim non infert, vt sit rusticorum theriaca. Dioscorides ait, allium sitim parere:
est enim calidum & siccum in quarto, e libro octauo, simplicium. At sciendum, allium ad differentiam
ceparum sitim non excitare, quia cepa e libro septimo, simplicium, non modo est calida & sicca
in quarto

A in quarto gradu, verum etiam eſt craſſæ ſubſtantiæ. Quare cum Galenus loco citato loquatur de dolore colico, prodeunte e craſſa & viſcida pituita: cepa, dum agit in pituitam, ob propriam craſſitiem non diſſipatur; ſed agit in tunicas ventriculi, & ſitim excitat. At allium, cum ſit tenuis ſubſtantiæ, agens in pituitam, ob ſuæ ſubſtantiæ tenuitatem diſſipatur; quare non agit in tunicas, & propterea ſitim non excitat. Vnde ſi allium ingeratur in nudum ventriculum, non refertum pituita, ſitim promouebit. Et hinc Galenus capite vltimo, libro ſecundo, aliment. probat allium in corporibus non bilioſis, ſed pituitoſis: Quare in colica frigida probatur allium crudum, in robuſtis corporibus; in reliquis coctum. Alexander probat *vſum porrorum in magna copia: item apium, aſparagum, ſuccum amygdalarum cum melle, & pipere: quibus etiam condienda eſt ptiſana*, vt ſic vim refrigerandi amittat (hic obiter notandum, ne in febribus ita alteretur ptiſana, vt vim refrigerandi amittat.) Auicennas cibos condit aromatibus. Poſtremo, quoad
B dolorem a cauſſa calida; Alexander probat *ptiſanam, ſi citra miſtionem porri aut ſalis exhibeatur, quoniam ſine ſale refrigerat, & bilem abſtergit. Probat etiam ouorum lutea: vnde obiter colligitur, ea refrigerare, & proinde in febribus exhiberi poſſe, contra aliquos. Probantur olera, vt lactuca, poma. Cucurbita improbatur: nam ſecundum Alexandrum vi quadam naturali colo aduerſatur. Probantur piſces duræ carnis, oſtra, cochleæ marinæ, pedes bubuli, ventriculi ſuum, &c.*

Potus.

Quoad potum: in colica frigida Alexander probat *vinum album, tenue, non aſtringens, & generoſum:* vnde capite vltimo, libro 12. method. Galenus ait, agricolam e meraciori vino bene habuiſſe. Alexander probat *vinum medicatum, ſiue aniſatum, ſiue apiatum*. Quod ſi patiens vinum non admittat, Auicennas probat *ſyrupum de melle, cum ſpeciebus*. Probatur etiam tunc potus a Rhaſi propoſitus: verbi gratia, *ſi quis capiat mellis ℔ j. aquæ ℔ vj. & decoquat ad ſpiſſitudinem iulepi: deinde cuilibet libræ addat*
C *piperis pulueriſati ℥ ij. in panno ligati: poſt, refrigerato ſyrupo fiat expreſſio*. Aetius probat potum exiguum, licet homo ſitiat; nam copioſa humiditas fauet pituitæ. Auicennas ad mitigandam ſitim, probat *iulepum cum potu miſtum*, nam ratione dulcedinis, potus magis penetrat. Et tandem in dolore a cauſſa calida, Alexander probat *aquam*, etiam extra acceſſionem. Et præſertim abſtinendum a vino, in colica ex inflammatione.

CAPVT XIV.

De Vermibus inteſtinorum.

Nomen. Generatio. Definitio. Forma.

QVEMADMODVM Galenus cap. 7. lib. 1. κ. τόπ. a pediculis morbum pedicularem vocat: ita nos a vermibus vermicularem appellabimus. Cum autem vermis attinere poſſit ad plures corporis partes:
D nunc intelligimus, quatenus ſpectat ad inteſtina. Generatur hoc malum, dum in inteſtinis creantur vermes, qui ita inteſtina afficiunt, vt corripiant morbo in numero aucto. Quare morbus vermicularis inteſtinorum, eſt numerus præter naturam auctus, prodiens a verme. Forma eſt numerus auctus: nam in hoc morbo eſt generatio ſubſtantiæ, quæ antea non erat. cap. 8. lib. de morb. diff. & cap. penult. lib. 14. meth. Numerus auctus eſt morbus, quatenus eſt conſtitutio præter naturam, lædens operationes: nam huius ſuppoſitum vſq; adeo male afficitur, vt facultas ad agendũ impotens reddatur: omnis quippe morbus eſt læſio facultatis, quæ pendet a mala ſuppoſiti diſpoſitione, & quæ dependet a mala conſtitutione corporis patientis. Subiectum in hac finitione, eſt inteſtinum: ad differentiam morbi vermicularis aliarum partium. c. vlt. l. 14. meth.

Subiectum.

Cauſſa efficiens.

Cauſſa efficiens eſt vermis: qua cauſſa numerus auctus præter naturam inteſtinorum, ab alio eorum
E numero diſtinguitur. Porro, cum vermis (e fine l. 14 meth.) ſit ſubſtantia, toto genere præter naturam; ea autem, quæ præter naturam ſunt, poſſint eſſe vel cauſſæ, vel morbi, vel ſymptomata: ſtatuimus, vermes eſſe cauſſam, & ſymptomata. Nam vermis habet rationem cauſſæ efficientis, ſed contentiuæ, & ex vſu, quatenus concurrit ad conſtitutionem ſpeciei morbi: ideoq; eſt cauſſa efficiens, quæ gerit vicem formæ. Declaro. Et primum, ſi vermis capiatur, vt cauſſa contentiua ex vſu, qua poſita, ponitur & ipſa conſtitutio præter naturam, & qua remota, remouetur: ſecundum hanc rationem vermis eſt ſemper morbi in numero cauſſa, quia aſſiduo adeſt ſubſtantia, quæ ante non fuit: interdum vermis etiam cauſſa eſt anguſtiæ & conſtipationis, cum copia excedit, & replet. Et ſecundum hos modos vermis eſt cauſſa contentiua ex vſu: nam præſente ferme, neceſſario eſt numerus auctus; eo abſente, imminutus: id quod etiam ſtatuendum eſt de verme præſenti copioſo & replente, vbi tunc adeſt conſtipatio; eo autem abſente, abeſt. Si autem capiatur
F cauſſa contentiua, vt concurrit ad conſtituendam ſpeciem morbi; vermis concurrit ad conſtituendam ſpeciem morbi vermicularis, quemadmodum ſanguis concurrit ad conſtituendam inflammationem: ſicuti enim hæc ſine ſanguine eſſe non poteſt; ita nec morbus vermicularis ſine verme. Ceterum vermis ẽt rationem habet ſymptomatis, quatenus eſt excrementum mutatum; nam ſi egrediatur, egreditur quod non deberet ſecundum naturam egredi: ſi detineatur, detinetur, quod ſecundum naturæ leges non erat detinendum. Iam etiam circa vermium cauſſas digrediemur. Loquemur autem de verme viuente: cuius doctrina explicata, patet etiam de mortuo quid ſit ſtatuendum. Generatur autem vermis in inteſtinis, dum in his colligitur pituita, quæ calido prædita putreſcit: vnde, dum calor pituitæ robuſtus agit in pituitam putreſcentem, ſole concurrente, procreatur animal vermiculare.

Cauſſarum vermium plenior conſideratio.

Vermis, quid.

Quare vermis eſt animal vermiculare, toto genere præter naturam, in inteſtinis genitum, e pituita
G putreſcente, a calido pituitæ robuſto. Dicimus eſſe vermiculare toto genere præter naturam: vt pateat natura vermis; ſiue refertur ad naturam in communi, ſiue ad naturam humanam. Nam, vt refertur ad naturam in communi: non eſt elementum, non miſtum, ſed animal; & ſecundum Auicennam, non eſt animal muſcale, ſed vermiculare; quod idem poteſt in hac definitione, ac rationale in definitione hominis; denotat enim formam vermis, quæ quia latet, ita eſt circumſcribenda. Si autem vermis referatur

ad naturam humanam; est toto genere præter naturam: nam generatur substantia, quæ non deberet generari. Notandum cum Auicenna, si conferatur vermis cum materia adeo putrida, vt vermis ex ea generari nequeat; vermem minus obesse, quam materiam putridam: ideoque melius esse, vt e materia fiat vermis, quam vt materia remaneat secundum se pura, id est, insigniter putrefacta. Deinde diximus: in intestinis genitum: ad differentiam vermium, qui extra intestina generantur, vt in auribus, & aliis partibus. Vermes lati solum in intestinis generantur, e cap. 19. lib. 5. de trist. animal. Cum autem sermo etiam fiat de verme lædente ventriculum, quæritur, an in ventriculo generentur vermes? Respondet Aristoteles c. 3. lib. 4. meteor. vermes non fieri in cibi coctione, sed in segregata putrefactione in inferiore ventre, qui tamen aliquando sursum ascendunt. Galenus comment. aphor. 26. sect. 3. tradit, ascarides generari in extremo recti intestini; latos autem vermes generari in omnibus intestinis; rotundos magis in superioribus generari: nec vllam facit ventriculi mentionem. Ratio autem hæc est: Vermes fiunt concurrente materia humida, & viscida: humida, vt putrescat; viscida, vt obtineat calorem robustum: quæ cum desiderentur in ventriculo, non autem in intestinis; iure vermes non in ventriculo, sed in intestinis procreantur. Desiderari autem hæc in ventriculo, non in intestinis, patet: nam pituita in ventriculo est mista cum cibo, cum chylo, cum excremento & tenui, & crasso, ac residet in loco amplo: vnde, licet pituita putrescat in ventriculo, non tamen est particeps caloris idonei ad generationem vermium, tum quia ob mistionem aliarum materierum, & maxime excrementi serosi, non potest obtinere lentorem, vt calor robustus seruetur; tum etiam, quia ob loci amplitudinem pituitæ calor dissipatur. Contra, in intestinis pituita est secreta ab alia materia, & detinetur in loco minus amplo: vnde, quatenus est separata, non adest materia, quæ eius lentorem refringat; quare calor potens seruatur, maxime quia in intestinis minor est capacitas, & quia etiam spiræ reperiuntur, quæ caloris robori suffragantur. Materia vermium e qua, est pituita putrescens: vnde Galenus comment. aphorism. 26. sectio. tertia ait, vermes fieri e putredine: & Aristoteles capite tertio, libro quarto meteor. ait, vermes fieri in segregatione putrefacta. Aetius dicit, in principio accessionum generari vermes; respicit enim ad substantiam e subiacente corruptione, id est, ad materiam quæ incipit putrescere; quare in principio morborum non fiunt vermes, nisi prius materia incipiat putrescere: deinde addit Aetius, vermes generari in vigore, respiciens ad substantiam, quæ putrescit ob malitiam morbi, vi cuius, vt calidi alieni, allicitur calor e materia, vt putrescat: tandem subdit, in declinatione vermes accipere substantiam e permutatione omnium in melius, id est, e materia minus putrescente, quam in statu. Vnde recte scribit Auicennas, satius esse, vt materia suscipiat formam vermis, quam vt remaneat vehementer putrida. Verum in putredine est latitudo: vnde secundum Auicennam, vel est putredo remissa, & tunc fiunt vermes rotundi; vel est vehemens, & fiunt ascarides; nam calor putredinalis magis viget in infernis intestinis; vel est in medio constituta, & fiunt vermes lati. Porro, materia putrescens e qua vermis generatur, est pituita: quæ ob humiditatem, & visciditatem ad vermis generationem est idonea, Hic Paullus dicit, vermium omnium originem prodire e cruda & crassa pituita; putredini accommodata, id est, humida. Auicennas ait, vermium materiam esse phlegma, quod in intestinis calefit, & putrescit. Notandum autem phlegma in intestinis collectum, esse vermium materiam dupliciter: primo, vt seruat formam phlegmatis; secundo, vt degenerat in pus pituitosum, veluti in vlceribus: vnde si sanies in vlcere non sit pituitosa, non generatur vermis. E melancholia, bile, sanguine, non fit vermis. Melancholia enim est frigida & sicca: quare longinqua a proportione vitæ: nec adest calor potens in melancholia ad generandum vermem. Bilis autem ita est calida, vt ex ea non gignatur animal humidum, seu vermis humidus, ob contrarias complexiones: cum enim vermis sit moderate calidus, & magis humidus; a vehementi caliditate bilis ita consumitur humiditas, quæ etiam in bile est exigua, vt non possit vermis generari. Sed nec e sanguine generatur vermis: quia sanguini custodia est attributa, cum omnia membra vehementer sanguine egeant: præterea sanguis proportione respondet carni, ossi, id est, partibus viuentibus, quibus animal secundum naturam est donatum; non autem vermi: insuper sanguis ad differentiam pituitæ, non est materia quæ funditur ad intestina, & in eis remanet. Quibus verbis innuit Auicennas, sanguinem non facile putrescere, cum a natura custodiatur: &, si putrescat, non esse materiam idoneam, ad formam vermis suscipiendam, cum sit materia, mutari idonea in carnem & ossa, quorum natura est admodum diuersa a verme; nam vermis collatus ad naturam humanam, est toto genere præter naturam: adhæc sanguis non mutatur in vermem, quoniam non effunditur ad intestina; & si fundatur, non remanet; & si remaneat, grumescit, vnde ita refrigeratur, vt si subsequatur putredo, non sit particeps caloris, qui vermis opifex esse queat. Nec obstat, quamuis conspiciatur vermis quandoque rubeus, quandoque flauus, interdum niger: nam id euenit, vel quoniam aliqua portio horum succorum cum pituita miscetur, vel quia a verme aliqua fit suctio. Nec obstat, quod Paullus dicit, interdum bilem vna cum lumbricis egredi: nam id fit, quoniam bilis petit vel ventriculum, vel intestina. Tandem in definitione diximus: a calore pituitæ robusto: hæc enim est caussa efficiens proxima; nam remota est Sol. Proxima hæc caussa proponitur ab Aristotele lib. 4. mete. ca. de putredine, vbi statuit, generari bestias, quoniam naturalis calor rei putrescentis, idemque discretus ab ambiente, facultatem habet cogendi ea, quæ sunt excreta ab ambiente. Quare vermis fit, dum fit putredo a calore insito rei seu pituitæ putrescentis. Oportet autem calorem esse robustum: nam secus ab alieno calore ita dissiparetur, vt materia tota putresceret, nec in vermem mutari posset. Auicenn. hac de caussa dicit, vermem fieri a factore potenti. Et Gale. com. aphoris. 26. sect. 3. dicit, solam putredinem non sufficere ad vermium generationem, verum calorem plurimum requiri. Hinc cum Hippoc. pueri adultores corripiuntur vermibus, nam in valde tenellis, non generatur pituita ita viscida, vt sit particeps caloris ita intensi, vt generet animal. Hæc de definitione.

Locus generationis vermium: & num etiã in ventriculo gignãtur.

Materia e qua, lumbricorum.

Caussa effi. proxima.

Differẽtiæ.

Quoad differentias: cum hoc malum sit numerus auctus præter naturam intestinorum, procedens a verme:

A B C D E F G

A a verme: Ratione formæ dicendum, numerum auctum esse vel Solum, vel cum Constipatione. Ratione subiecti dicendum, morbo corripi intestina vel Superiora, vel Infima, vel Media. Ratione efficientis, sumendæ sunt differentiæ a verme. At cum vermis sit animal vermiculare, in intestinis genitum e pituita putrescente, a calore pituitæ robusto: ratione formæ, cum Aristotele cap. 9. li. 5. de hist. animal. & Galeno commen. aphoris. 26. sectio. 3. tres sunt lumbricorum species: alii enim sunt Teretes, qui sunt longi, rotundi, graciles, & a nonnullis vocantur serpentes: alii sunt Lati; qui cucurbitini vocantur: nam assimilantur seminibus cucurbitæ: & Galenus hunc vermem cap. 17. l. 14. meth. vocat ceriam: nam fasciam longam & latam præ se fert: alii denique sunt Parui, qui ascarides dicuntur, id est, escam rodentes. Auicennas quatuor species videtur recensere, attamen has tres solum proponit: nam per vermes rotundos & longos, intelligit primam speciem: per rotundos & breues, intelligit ascarides: per latos, siue sint longi, siue breues,
B intelligit secundam speciem; nam vermes lati & longi nil aliud sunt, quam connexus plurium vermium latorum, sed breuium. Ratione loci, in quo vermes generantur, ita sunt sumendæ differentiæ; cum locus ille sit intestinum; secundum Auicennam, longi & rotundi generantur in superioribus intestinis, & quandoque vltra cubiti longitudinem producuntur: vermes lati generantur potissimum in mediis intestinis, id est, in colo, & cæco; quamuis interdum gignantur in omnibus intestinis, vt extendantur ad ventriculum & sedem; vnde quandoque, vt quidam referunt, longitudine æquant 30. pedes. Ascarides generantur in recto intestino, & magni non euadunt, quia vna cum fecibus excernuntur. Ratione materiæ e qua; cum sit pituita putrida, a chylo separata; cum Auicenna tripliciter se habet: vnde, si exigua sit tum putredo, tum segregatio, vermes fiunt longi & rotundi; & hæc pituita viget in primis intestinis, in quibus pituita minus secreta est a chylo; & viget calor, vnde non admodum praua euadit pituita. Si autem summa
C sit putredo materiæ pituitosæ & segregatio, generantur ascarides; & propterea ascarides cum Auicenna generantur e deteriori materia, quæ in recto intestino exuberare solet. Si autem pituita medio modo se habeat, procreantur lati: & ob dicit Auicennas, materiam latorum esse vehementius putrescentem, materia longorum; hæc autem pituita redundat in mediis intestinis, & vsque adeo adhæret intestinorum tunicis, vt vermis veluti e tunicis enatus videatur. Hinc Paulus & Aetius dicebant, latos lumbricos esse quasi mutationem annatæ membranæ in vermem: dicunt *quasi*: nam vermis non fit e membranis, sed e pituita, & e viscositatibus, secundum Auicennam, fixis in superficie intestinorum, vt membrana in vermem mutari videatur. Tandem ratione caussæ efficientis; cum sit calor potens; ab hoc non sumuntur differentiæ, nisi secundum magis & minus: vnde calor magis potens, generat vermem magis viuidum; minus potens, minus viuacem.
D

Cum autem morbus vermicularis, tanquam a caussa continente prodeat a verme: sufficiet de signis vermium dicere. In genere vermis indicatur ex effectu & caussis. Ex effectu, id est, e læsa functione, excunte mutato, & qualitate mutata. E functione: & primum e rixa, id est, temeratio delirio: præterea ex horribilitate locutionis, ex emissione linguæ, e voce aliquando intercepta, ex insigni intestinorum dolore, eoq; perforatiuo, e conuulsiuo motu; e scalptu narium, e dentium stridore in somno, e siti, ex ira aduersus expergefacientes, e pulsu imbecillo, e motu cordis prauo, vt cor veluti palpitare videatur. Quoad exiens mutatum; indicatur vermis e saliuæ expulsu in nocte, vnde os est humidum, e vomitu pituitæ non citra fœtorem, præterea e vermibus excretis, ex egestione alui sæpe liquida. Quoad qualitatem mutatam; indicatur vermis e ventris tumore, hydropico simili, e labiis per noctem humidioribus, per diem siccis, ex oris fœtore (: vnde etiam fœminæ agnoscunt vermes:) præterea e mutato oculorum colore. Quoad caussas; indi-
E catur vermis, e prægressis caussis, quæ vermium opifices esse possunt. Horum signorum caussæ facile patent ex Auicenna, præsertim cum omnia signa pendeant a vi vermium putrilaginosa, quæ in consensum ducit cor, cerebrum, & ventriculum. Signa in genere.

Quoad signa differentiarum: ratione formæ, cum sint vermes longi, lati, & ascarides: longi indicantur e dolore prope fundum ventriculi, ac si patiens mordeatur; indicantur etiam e noxa attinente ad ventriculum, verbi gratia, e nausea, siti, cibi inappetentia, singultu, & difficultate deglutiendi. Lati indicantur e fame; nam alimentum absumunt, vnde tempore famis, symptomata intenduntur; indicantur etiam e deiectione simili seminum cucurbitæ. Ascarides indicantur e pruritu ani, vnde patiens ratione pruritus se vehementer scalpit, & vi pruritus quandoque syncope oboritur. Quoad reliquas differentias; circa has non est laborandum: nam si capiantur a loco, in quo generantur vermes, dum cognoscimus vermes esse
F rotundos, cognoscimus etiam generari in superioribus intestinis, &c. Ita si differentiæ sumantur a materia e qua: dum patet vermes esse rotundos, constat etiam generari e materia, minus & separata, & putrida, &c. Si capiantur differentiæ ab efficiente, cum differentia sit solum secundum magis & minus: quemadmodum vermis procreatur a calore magis vel minus potente, ita cognoscimus has differentias e verme, vt est vel magis, vel minus viuidus: vnde magis viuax, magis mordet, & si, dum excernitur, magis mouetur, est etiam magis viuax. Medicus ergo vermes excretos inspiciat. Signa differentiarum.

Quoad præsidia: indicans ex vsu est vermis. Cum autem vermis sit animal genitum e pituita putrescente: ob id indicationes sunt sumendæ a verme, tum quatenus est animal, tum quatenus fit e pituita putrescente. Ideoque perpendenda species, vitium, & caussa generans. Quoad speciem, hæc duplex est: nempe animal & pituita: a quibus prodeunt præsidia determinata, quæ diriguntur vel ad vermem, vel ad pitui- I.
G tam. Quoad vitium ratione vermis, quatenus est animal, vitium spectat ad substantiam, quantitatem, qualitatem & motum. Ad substantiam pertinet, quatenus vermis est substantia tum animata, tum in toto genere præter naturam. Quatenus est substantia animata & vita prædita, indicat remedium exanimans & mortiferum: vnde, cum vita seruetur ope substantiæ dulcis, & destituatur vi amaritudinis: iure Galenus libro 6. simp. capite de brassica, statuit, enecantia vermes esse amara: vt enim dulcia vertuntur in substan- Indicationes. II.

tiam vermium, vnde vermes ſeruantur; ita amara, cum inepta ſint pro vermium nutritione, vermes ene-
cant. Nec præter rationem vermis, quatenus ſubſtantia animata, indicat mortiferum: nam vermis mor-
tuus facilius expellitur, ſiquidem viuens, vicinas inteſtinorum partes apprehendit; mortuus autem cum
fecibus vacuatur. Si deinde vermis capiatur, vt ſubſtantia toto genere præter naturam indicat, eradicans.
Vitium quantitatis hoc loco perpendendum non eſt; cum remedium eradicans omnem quantitatem
diſſipat. Quoad vitium in qualitate; cum vermis ſit calidus & humidus, indicat refrigerans & ſiccans.
Quoad motum, hic duplex eſt: alter, vt vermis petit ventriculum, & hinc ſurſum mouetur; vnde indicat
retrahens infra, ſiue retractionis cauſſa ſit, vt vermis fugiat, veluti dum amara ſupra vſurpantur; ſiue illa
cauſſa ſit, vt vermis non fugiat, ſed alliciatur, veluti dum dulcia infra vſurpantur. Alter motus eſt, dum
vermes fugiunt amara, vi quorum expedit, vt vermes interficiantur. Quare, cum vermis moueatur B
procul ab amaris, indicat attrahens ad amara, hoc autem eſt dulce. Quantum ad pituitæ vitium; vt pu-
III. trida, indicat eradicans: &, ſi eradicari nequeat, vt copioſa, indicat minuens; vt humida, ſiccans; vt vi-
ſcida, detergens; vt mouetur ad inteſtina, retrahens. Ratione cauſſæ generantis; ſufficit perpendere præ-
ſidia, cauſſa pituitæ: nam niſi generetur pituita, vermis non poteſt generari. Vnde ſi, verbi gratia, pituita
generetur ob ventriculi mala, ob ventriculi, ſcilicet intemperiem; huic contrariis occurrendum, vt ſuo
loco docuimus.

Prognoſtica in genere. Morbus hic non exigui eſt momenti, cum vigeat inſignis vehementia eſſentiæ: eſt enim maximus
receſſus a naturali ſtatu, tum ratione vermium, qui toto genere ſunt præter naturam; tum ratione mate-
riæ e qua, cum ſit materia putrida. Quare ob inſignem vehementiam eſſentiæ, non raro præter vehemen-
tiam dignitatis, ſubſequitur vehementia facultatis, vt patientes periclitentur. Vnde Paullus dicit, pleroſ- C
que, nulla lumbricorum cura habita, a vermibus fuiſſe exeſos, & conuulſos obiiſſe.

Prognoſtica differentiarum. Ceterum hæc mala intenduntur & remittuntur pro varia vehementia differentiarum, & patientis
robore, ac imbecillitate. Cum autem huius viſii differentiæ capiantur a vermis forma, & materia pituito-
ſa: expedit perpendere vim ſpeciei, vitii & cauſſæ generantis. Vnde quoad vermem; & primum quoad ſpe-
1. ciem, cum ſint tres ſpecies; Auicennas ſtatuit minus prauos eſſe aſcarides; deteriores eſſe teretes; deterri-
mos eſſe latos & longos; nam ſi lati ſint & breues, his peiores ſunt teretes. Ratio Auicennæ eſt: quia, licet
aſcaridum materia ſit magis putrida, tamen minus periculum imminet, quatenus aſcarides & parui ſunt,
& cum fecibus promte expelluntur, & præterea a viſceribus magis diſtant: nam, vt ſunt parui, ſignificant
vitium in genere exiguum; vt cum fecibus facile expelluntur, ſignificant vitium in quiete remiſſum, vt
diſtant a viſceribus, colligere licet, vehementiam dignitatis non eſſe inſignem. Quod ſi vero contingat, D
vt aſcarides ſint magni, & diu detineantur: omnia ſecundum Auicennam, ſunt intenſiſſima, ſucceduntq;
ſyncopæ & mortes. Dum enim aſcarides vaſtiores euadunt, inſigne eſt vitium in quantitate: quatenus
autem diu detinentur, eſt vitium vehemens in quiete: & vt ſyncopas pariunt, eſt inſignis vehementia fa-
cultatis. Lati vermes ſi etiam ſint longi, ſunt deteriores longis & rotundis: quamuis enim in rotundis
magis poſſit vehementia dignitatis quatenus generantur in ſupernis inteſtinis; tamen in latis & longis
materiæ vitium in forma eſt vehementius: & ſimiliter ſecundum quantitatem, & viſciditatem: & præter-
ea, vt pertinaciter quieſcunt: & tandem adeſt dignitas vehementiæ, cum lati attinere poſſint etiam ad ſu-
2. perna inteſtina. Secus ſtatuendum, ſi lati ſint teretes. Et hactenus de prognoſtico a ſpecie. Quoad vi-
tium ſpeciei; primum, ſi capiatur ſecundum ſubſtantiam, quatenus vermis eſt ſubſtantia animata; re-
ferri poteſt ad alium vermem, vel animatum, vel defunctum. Si referatur ad animatum; cum Aetio ver- E
mes rubri, ſunt peiores albis, quoniam rubri aluntur ſanguine, & hinc probum alimentum conſumunt:
contra, albi nutriuntur pituita: & ob id in rubris locum habet vehementia inſignior eſſentiæ, cum ma-
gis aduerſentur naturæ vermes rubri, quam albi. Si autem vermis referatur ad mortuum; cum Aetio vi-
uentes ſunt defunctis deteriores: contra, cum Auicenna, defuncti ſunt peiores viuentibus. Aetius reſpe-
xit ad vehementiam eſſentiæ; ratione reſiſtentiæ, aduerſus non virtutem, ſed medicamenta euacuantia:
nam ægrius excernuntur vermes viuentes, vnde expedit illos interficere: quare vermis viuens, eſt ſignum
vehementiæ inſignioris ratione reſiſtentiæ. At Auicennas reſpexit ad vehementiam eſſentiæ, aduerſus
virtutem, ratione materiæ e qua: nam quo magis putreſcit materia; eo breuioris vitæ creantur vermes.
Vnde vermis defunctus eſt ſignum inſignis vehementiæ eſſentiæ, materiæ putreſcentis, in corpore ex-
ſuperantis. Quoad vitium ſecundum quantitatem: patet, vermes maiores, & numeroſiores, deteriores F
eſſe paruis, paucioribus: etenim, dum vermis eſt maior, vel numeroſior, maior eſt receſſus a naturali ſta-
tu, & propterea inſignior eſt vehementia eſſentiæ: quæ referri poteſt in virtutem, vt, magis lædit; & in
medicamenta, vt magis reſiſtit. Quoad vitium ſecundum qualitatem; vermis calidior eſt peior; nam eſt
magis viuax, & hinc magis recedens a naturali ſtatu: vnde adeſt vehementia eſſentiæ ratione virtutis, vt
magis læditur; præſertim vt patiens magis mordetur. Et præterea adeſt vehementia eſſentiæ ratione
præſidiorum; cum facile non cedant interficientibus medicamentis: quia ſcilicet vermes ſunt magis vi-
uaces. Quoad vitium in quiete; vermis eſt deterior, quo magis detinetur. Vnde dicit Auicennas, aſca-
rides, ſi diu detineantur, eſſe periculoſos. Quoad vitium ſecundum motum; perpendere oportet tem-
pus, & terminum ad quem. Quoad tempus; cum Auicenna & Græcis ſatius eſt, vt vermes generentur
circa declinationem morborum, quam circa vel initia, vel vigorem: nam dum vermis inter initia egredi- G
tur; ſignificat inſignem putredinem, vi cuius natura intempeſtiue ad expellendum impellitur. Dum ve-
ro vermis in vigore egreditur; ſignificat immodicam malitiam, vnde totis viribus natura nititur vermem
expellere. At ſi circa declinationem, ſignificat mutationem in melius. E dictis igitur colligendum, ver-
mem inter initia egredientem, eſſe ſignum vehementiæ inſignis eſſentiæ materiæ morbificæ: dum autem
egreditur in vigore, eſſe ſignum inſignis vehementiæ, & eſſentiæ, & facultatis: dum in declinatione egre-
ditur,

A ditur, esse signum remissæ vehementiæ, tum essentiæ, tum facultatis. Quoad terminum ad quem: cum
Galeno com.18.lib.2 prognost. melius est, vt vermes deorsum pellantur, quam vt sursum ascendant. Vn-
de pessimum, si moliantur ad peritonæum vermes: & si, vt Paullus notat, ex inguinibus erumpant. Quoad Cap.57.li.4.
vitium speciei, vt dirigitur ad materiam e qua; patet malum esse periculosius, vt pituita hæret magis vel
putrida, vel copiosa, vel viscida, vel quiescens: siquidem tunc essentiæ vehementia est insignior. Quoad 2.
caussam generantem; perpendenda hæc est caussa potissimum pituitæ: vnde vario modo prognosticandũ,
pro vario ventriculi conditione, vt alibi diximus. Verum addendum: propositas vehementias intendi, si
cum vermibus annectatur vel febris, vel alui profluuium. Nam multiplex malum peius est quam simplex.
Præterea, quoad febrem; febris primum vermium alimentum absumit, vnde vermis magis affligitur: secun-
do, cum calor febrilis vermem infestet; vermis redditur magis infensus. Tertio, febris, vt postulat frigida,
B prohibet calida, non permittit amara; quare est in caussa vt vermis non pereat, & hinc perseueret vehe-
mentia vermium, penes vitium secundum substantiam. Quarto, si febris sit putrida, cum vigeat putredo,
exsuperat materia, e qua vermis producitur. Quare febris est signum multiplicis vehementiæ essentiæ in-
signis, & vermis, & materiæ e qua. Quoad alui profluuium; cum Auicenna satius est, si vermes vna cum fe-
cibus exeant, quam si alui fluxus sit coniunctus; nam feces citra spirituum iacturam excernuntur; alui au-
tem fluxus languorem inducit, præsertim si fuerit fluxus alui sanguineus. Quare alui profluuium est signũ
insignis vehementiæ facultatis. Tandem vehementia quælibet insignis indicatur, & potissimum faculta-
tis, si anhelitus sit frequens, frigidus, intumescat corpus; & præsertim si oculi immoti conspiciantur, prof-
lus desperandum est, quia summa est facultatis vehementia.

Quoad præsidiorum materias: in hoc malo, venæ sectio non probatur; nam per venam sectam nec Curatio. Chairurgia.
C vermes, nec materia e qua, id est, pituita, euacuatur. At si forte cum hoc malo sit annexũ malũ sanguineũ;
probatur venæ sectio. Quod si aliquis obnoxius vermibus sit, propter copiosam pituitam, quæ in ventri-
culo generatur: probari possunt fonticuli in cruribus, ad præseruandum.

Quoad medicamenta; hæc diriguntur vel ad Patientem non lactentem, vel ad Infantem exsugentẽ Pharmaceia. Phlegmagoga.
lac. Quoad patientem non lactentẽ; materia medicinalis est duplex: alia respicit Materiam e qua, alia Ver-
mes. Respicientia materiam e qua, diriguntur ad Pituitam; & vel ad Vitia pituitæ, vel ad Caussam generã-
tem: de quibus in sermone de intemperie ventriculi diximus. Nunc sufficiat admonere; si pituita tantum
resideat in primis ductibus, præsertim probari *species hiera*: Si autem etiam in toto abundet, probari *agari-
cum, non rhabarbarum (quod plerique vsurpant) licet enim hoc amarore suo prosit ad enecandos vermes; nocet
tamen, vt allicit non pituitam, sed bilem; inde enim relinquitur pituita*, qua dominante, sopores, epilepsiæ, a-
D poplexiæ, & mortes succedunt. Quare pro pituita in toto exsuperante probatur agaricus: nam huius vi e-
ducitur pituita, & cum Mesue egreditur etiam vermis: siquidem amaritudine agarici vermes pereunt; &
ob vim soluentem, vna cum pituita egrediuntur. De vsu autem agarici in sermone de affectibus ventricu-
li diximus.

Medicamenta, quę vermes respiciunt, sunt Interficientia, Allicientia, Eradicantia. Interficientia seu 1 Necantia lumbricos.
enecantia vermes; enecant vel Citra adstrictionem, vel Cum astrictione. Si citra adstrictionem; sunt Cali-
da, aut Frigida. Si cum adstrictione; adstringunt vel Leuiter, vel Insigniter. Calidis vtendum, si febris non
inhibeat: frigidis autem, si febris vrgeat. Non adstringentia vsurpanda, si aluus non sit lubrica; probantur
adstringentia si aluus fluat: &, si moderate fluat, leuiter adstringentia probantur; sin autem larga sit flu-
xio, adscendendum ad magis adstringentia. Calida interficientia citra adstrictionem, diriguntur vel ad
E Omnes vermes, vel potius ad Vnicam speciem. Quoad priora, quæ respiciunt vermes indifferenter; Aui-
cennas cum reliquis probat *abrotanum, costum amarum, citri semina & cortices, persicariam, persici folia,
persicorum nucleos, scordium, magnas antidotos, sed antiquas.* Teretes vermes magis respiciunt, *absinthium
vulgare, santonium, cuius semina sacchari condita sunt in communi vsu; hoc autem medicamentum & inter-
ficit vermes, ratione amaritudinis seminum, & eosdem allicit, ratione sacchari. Vti etiam possumus lupinis ama-
ris, centaurio minori, ruta, hyssopo, iua, nasturtio, prassio, thymo, cymino, heliotropio minori. Democritus maximè
probat stercus muris puluerisatum.* Latos magis iugulant, *anchusa, lauri bacca, cardamomum, nigella trita
cum sale, filix mas & fœmina; quamuis filix fœmina in fœminis sit suspecta, quoniam e sententia Dioscoridis est
caussa sterilitatis.* Ascarides ab iisdem necantur, a quibus lati.

F Frigida enecantia sunt, *acetum, hordeum, sed cum cortice, cornu cerui, lactuca agrestis, succus citri, li-
monis, arantii medii saporis, sed sumantur hi succi e fructibus maturis: nam immaturi astringunt: probatur
oxymeli, syrupus acetos. simplic. Aetius probat vermes terrenos siccatos, numero vij. cum sapa, aut cum
mulsa. Probatur etiam radix graminis, quæ in communi est vsu; nam e libro sexto simplicium, hæc radix
est frigida, sicca, subdulcis, subacris, subacerba*: qua frigida & sicca, aduersatur vermi calido & humi-
do: quatenus est subdulcis, allicit vermes, ne fugiant ab interficientibus: quatenus est subacris, ver-
mium humiditatem absumit: quatenus est subacerba, diu moratur; vnde efficaciter agit in vermes;
nec aluum reddit stipticam, cum leuis sit astrictionis, præsertim cum sit subdulcis, subacris. *Probatur
etiam oleum: vnde cibi oleo potius sunt condiendi, quam butyro: contra clysteres parandi*: nam butyrum allicit
vermes, ab oleo fugiunt: etenim, sicuti butyrum est acrimoniæ expers, ita oleum, e capite 18 libro 2. sim-
G plic. nisi beneficio artis candidum reddatur, non est expers mordacitatis, siquidem mordax est portio
olei serosa.

Quoad interficientia quæ vna adstringunt, & primum quæ leuiter adstringunt, sunt *rosa, cichorium,
mastiche, cortex radicis mori, & cum Aetio absinthium, portulaca, myrtus, sumach, plantago, &c.* Hæc
de interficientibus. In quorum vsu notandum, quod vermes necantia non debeant balani forma

administrari, nisi in ascaridibus. Præterea, si superiora intestina afficiantur, & vermes ad ventriculum ad- A scendant; clysteres allicientes parari debent: si descendant, & affectio spectet ad intestina crassa; clysmis amaris vtendum, qui vermes attingere possunt; non autem glandibus amaris, quæ non vltra rectum intestinum possunt ascendere: ideoque in vermibus longis & rotundis locum habent balani allicientes: nam interficientes, quia non statim possunt vermes attingere, & in eos agere; faciunt vt sursum repant: quod in enematibus non metuendum, quæ contactu statim necant.

2. Allicientia. Quoad Allicientia; hæc locum habent, dum vermes viuunt: & plerunque interficientibus misceri solent. Accedunt autem ad calidum & humidum; & sunt pinguia; vt *saccharum, mel, faui mellis, lac butyrũ, adipes, sapa, medullæ expertes acrimoniæ*. Porro, quoad vbi agendum; dum vermes in ventriculo subsistunt, allicientia non sunt per os exhibenda, sed per sedem, ne vermes ascendant. Glandes hoc in casu non debet oleo inungi, quod inimicum est vermibus, nec eos prolectare potest. Si vermes in ventriculo subsistentes B ad os habeant impetum, & homo facile euomat; allicientia in ore sunt detinenda, non deuoranda, vt *saccharum, & os sæpe lacte colluendum*, vt alliciantur.

3. Expellentia. Expellentia & eradicantia, vt plurimum sunt amara; vt *aloe, eaque non lota, si robustus sit patiens: vnde maxime probantur species hieræ, item pilula Rufi, & agaricus, carthamus, iris, decoctum ebuli, epithymi; ascendere etiam licet ad veratrum nigrum & colocynthidem. Paullus etiam euphorbium & scammonium exhibet: ideoq; nec rhabarbarum improbandum videtur*. Sed notandum: scammonium & rhabarbarum, vt bilem allicientia, improbari in vermibus, quemadmodum supra diximus: probari autem, quatenus amarore vermes interficiunt, acrimonia absumunt vermium humiditatem, & expultricẽ irritãt. Quare si bilis in toto reperiatur, & vermes subsistant in primis viis; hæc medicamenta probantur, vel citra minimam dosin, vel ad summum in minima dosi: quoniam enim non vacuare bilem, sed amarore vermes necare est animus; C iccirco subsistimus infra minimam dosin, qua non allicitur bilis, sed vermes iugulantur. *His addi possunt fella. Cum Aetio probatur oleum omphacinum, ad ℥j ß*. Quoad *vsum*: licet summa sit actio vermium; non tamen simpliciter summa dosis soluentium exhiberi debet, & præsertim bilem ducentium: vnde rhabarbari summa dosis erit ℥j. scammonii g̃v. Præterea quoad *vbi*; iniucũda, vt fel, possunt vmbilico aptari. Interficientia supra vmbilicum applicari debent, ne ascendant vermes, dum fugiunt medicamenta: at euacuantia ipsi vmbilico sunt imponenda. Circa ascarides notandum, quoad *vbi* agendũ; posse per inferius amara administrari. Vnde Aetius quandoque ascendit ad *pastillos Andronios*, qui vehementer siccant, & materiam vermium, nimirum pituitam, siccando absumunt.

Cholagoga quatenus vsurpanda.

De Victus ratione.

D

Diæta. QVoad Diætam: notandum, an assit febris, & alui profluuium, necne. Si enim non assint; cum Auicenna probantur cibi calefacientes & siccantes, attenuantes, detergentes, expertes pinguedinis & dulcedinis, & potius acres, vel acidi: hi enim cibi calefaciendo & siccando prohibent pituitæ generationem; siccanda aduersantur humiditati vermium; attenuando crassam pituitam attenuant; detergendo viscidam dissipant, & vermes hærentes mouent: quatenus autem cibus est expers dulcedinis & pinguedinis, adimitur vermibus alimentum. Vnde Aetius probat *allium: Auicennas probat ius cicerum, folia caulium, olivas salitas, nuces siccas, amygdalas, persica, feniculum sale & aceto conditum, cappares, carnes salitas, carnes columbi siluestris*. Victus tenuis improbatur: alias enim vermes magis rodunt intestina & ventriculum: ideo parum cibi, at sæpe exhibendum. Potus proportione respondebit. Quod si patiens febriciret; probantur *cibi parati ex hordeo, & cũ Aetio e ptisana, decocta cũ plurimo oleo omphacino*. Cibi condiantur *aceto, acido citri, &c.* E Si annexus sit fluor alui; cum Auicenna cibi condiantur *rhoe opsoniorum, seu sumach, succo granatorum, omphacio, aceto ros. & simil bus*. Si aluus sit nimis auara; cum Aetio probatur *halica, cum decocto sebesten, ptisana cum copioso oleo omphacino*. Et his vtendum, si patiens non sit lactens.

De Lumbricis puerorum.

Cura infantum. SI autem patiens sit infans lactens: diriguntur materiæ ad Nutricem, & Infantem. Ratione nutricis cõueniunt iam proposita medicamenta. Ratione infantis probatur *fel tauri, vel aliorum animalium, probatur aloe, farina lupinorum, mel*: Et hæc sunt applicanda vmbilico. Expedit etiam *allium admouere prope os infantis. Aetius probat salis granum in ore detentum, vt liquefiat, & deglutiatur; nam vi acredinis, vermes statim subsident. Probantur glandes e melle*. Si pruritus vrgeat, cum Aetio ignitis lapidibus anus fouenda, quia F pueri non possunt perferre pruritum. Incantamenta omitto; non enim ad rationalem medicũ pertinent: & si quis scire cupiat, videat Sauonarolam in sermone de vermibus.

Hæc dicta sint de morbo vermiculari intestinorum.

CAPVT XV.

De Alui seu intestinorum fluxu, in genere.

Nomen. INtestina sunt instrumenta, per quæ egrediuntur excrementa crassa primæ coctionis, dum homo secũdum naturam est constitutus. Quod si materia per hos ductus non secundum naturam egrediatur: oboritur illud vitium, quod vocant alui profluuium: quando scilicet per aluum egreditur materia, quæ non G

Generatio. deberet egredi. Generatur hoc vitium, dum intestinis occurrit caussa morbifica, cuius vi læditur ipsorum

Definitio. retentio. Profluuium igitur alui, est exiens mutatum materiæ morbificæ; dependens a læsa retentione in-

Forma. testinorum. Forma est exiens; ad differentiam excrementi quod detinetur, vt contingit in alui stipticitate. Exiens mutatum dicitur; ad differentiam excrementi secundum naturam. Materiæ morbificæ; ad differentiam simpliciter fecum, quæ sunt excrementa secundum naturam.

A Hæc materia morbifica,quæ egreditur, neceſſario eſt minera ; ad differentiam vaporis:nam ſi ſoli Materia morbifica
flatus erumpant,non eſt alui fluxus.Porro hęc materia morbifica,eſt cibus,com.13.l.2.prognoſt.c.11.l.1 de quotuplex.
criſ.Cibus autem bifariam perpenditur:primum , vt Non eſt mutatus ; ſecundo vt eſt Mutatus in ventri-
culo.Si egrediatur cibus non mutatus;fit fluxus Leientericus,Cœliacus:vt differentia ſit ſolum ſecundũ
magis & minus. Si autem cibus ſit mutatus;mutatio conſideratur ſecundum triplices coctiones. Quoad
mutationem primæ coctionis:hæc materia eſt vel Alimentalis, in quam mutatur cibus in prima coctio-
ne:vel Excrementitia. Si alimentalis;fit fluxus Chyloſus, quia chylus egreditur. Materia excrementitia
primæ coctionis,eſt excrementum ſtercoroſum,craſſum:vnde appellant fluxum Stercoralem. Si conſi-
deremus hanc materiam,ſcilicet cibum,vt mutationem ſuſcipit in ſecunda coctione:vel eſt materia Ali-
mentalis,vel Excrementitia.Si alimentalis;eſt ſanguis;quare fit profluuium ſanguinis,quod largiori vo-
B ce dicitur Dyſenteria.Si materia fuerit excrementitia;quandoque eſt Humor,quandoque Ichor.Per hu-
morem intelligimus excrementum Bilioſum,Melancholicum:per ichores,quemlibet ſuccum alimenta-
lem:& dicitur hic fluxus Diarrhoea,communi voce profluuium. Si conſideretur mutatio in tertia co-
ctione;eſt materia vel Alimentalis,vel Excrementitia.Per alimentalem intelligimus materiam pinguem,
pinguedinem,humiditates alimentales:vnde fit fluxus,qui dicitur Colliquatiuus. Si vero materia ſit ex-
crementitia,non poteſt eſſe niſi præter naturam:& ſolet in ea copia generari ; vt, ſi defluat per inteſtina,
excitetur profluuium alui.Hæc materia duplex eſt:alia pertinet ad ſolum Cerebrum : alia poteſt ſpectare
ad Alias etiam partes.Ad cerebrum pertinet;quando excrementum tertiæ coctionis ipſius cerebri, quod
vocant pituitam ſeu mucum,demittitur ad inteſtina:& appellatur profluuium Cerebrale,catarrhale. Ad
alias partes ſpectare poteſt excrementum,ſed potius internas;quando in harum partium abſceſſibus ge-
C neratur copioſum pus,quod ad inteſtina fluit:& dicitur fluxus Purulentus. Sed accidit etiam interdum,
vt per aluum reiiciantur calculi, vermes : quos tamen nos non propoſuimus ; quia in fluxu alui præcipuas
materias attulimus,cum quibus accidit quandoque,vt vermes & calculi ſint coniuncti. Hæc de materia
morbifica:& quotuplex ea ſit Iam explicandum eſt,quot modis materia morbifica peccet. Peccat autem Vitia materiæ morbificæ.
in Subſtantia,Quantitate,Qualitate,& Vbi:c.2.& 6.l.8.de placitis.In ſubſtantia;ſi exiens corrumpatur,&
acquirat formam toto genere præter naturam,quandoque remiſſæ,quandoque inſignis actiuitatis:verbi
gratia,ſi in febri peſtilenti fiat fluxus materiæ peſtilentialis:hæc enim materia ſuſcepit mutationem ſecũ-
dum ſubſtantiam,& formam accepit maximæ actiuitatis:dantur enim gradus:ad quod interdum reſpici-
ens Galenus,dicit;febres peſtilentes ab aliis differre,ſecundum excellentiam putredinis. Vitium in quan-
titate eſt;quando materia,collata cum iis,quæ per os aſſumta ſunt,quantitate excedit. Vitium in qualita-
D te,eſt in Prima,vel Secunda:in prima;vt ſi fiat fluxus materiæ calidioris,vel frigidioris:in ſecunda;vt ſi fiat
fluxus materiæ immutatæ ſecundum colorem,odorem,vel conſiſtentiam.Tandem ſi motum perpendi-
mus localem,ſeu lationem;quoties in fluxu materia pręter naturam mouetur,dicitur peccatum in motu;
vt ſit fluxus Symptomaticus.Addimus in definitione:profluuium alui;ad differentiam profluuii aliarum
partium.

Vltimo dicimus:dependens a læſa retentione. Sermonem enim in præſentia habemus de ſympto- Cauſſa efficiens.
mate ſecundo;ad differentiam primi,id eſt,læſæ actionis(*primum dicitur ſymptoma, quod immediate mor-
bum ſequitur:ſecundum,quod ſequitur primum;vt hoc loco exiens mutatum.cap.2.lib.3.de cauſ.ſympto.*) Re-
tentio autem quia prorſus eſt in fieri,vt omnis actio,nihil indicat:ideoque cauſſæ læſionis afferendæ. Re- Fruſtratio retentricis 1 primario.
tentio læditur,quãdo eius facultas fruſtratur.Fruſtratur autem primario facultas retentrix inteſtinorum,
E vel Læſa facultate,vel ob Errorem externum.Læſio facultatis fit ob morbum,qui pertinet ad inteſtina:&
vel occupat inteſtinorũ Tunicas,vel Vaſa.Si tunicas;eſt intemperies inſigniter humida:vnde potiſſimum
cõtingere ſolet cœliaca.Si ad vaſa ſpectat:eſt morbus vel in Compoſitione,vel in Soluta vnitate.Si in ma-
la compoſitione:pertinet ad Poros vaſorum,& eſt diapedeſis;vt fiat fluxus ſanguinis per aluum , per dia-
pedeſin:vel occupat Orificia vaſorum;& tunc fit profluuium ſanguinolentum,per anaſtomoſin.Si in ſo-
luta vnitate;fit fluxus ſanguinolentus διαιρέσει.Error externus,eſt materia immodica,quæ non poteſt a re- 2. ex accidente.
tentrice detineri. Si facultas inteſtinorum retentrix ſecundario fruſtretur:id accidit,quia fruſtratur vel
Expultrix inteſtinorum,vel Motrix,deſtinata a natura propter alui excrementa detinendum. Expultrix
quandoque læditur ob Vlcus,vt fit in dyſenteria;quandoque ob Inflammationem. Quibus vitiis exſiſtẽ-
tibus,materia irritat expultricem;non quia habet vim mordendi; nec quod ſui copia extendat ; ſed pon-
F dere;vt colligitur e c.13.l.3.facult.natural.vbi Galenus vult expultricem inſurgere ad expellendum , non
modo ratione morſus,vel copiæ,ſed etiam ratione ponderis.Per pondus intelligit materiam,quæ propria
ratione ob ſui copiam,non deberet quidem aggrauare,ſed aggrauat tamen,quia relata ad vires ſit ponde-
roſa:vt contingere ſolet,quando inteſtina ſunt affecta vlcere,vel inflammatione. Præter morbos expul-
tricis poteſt eſſe error externus:vt materia copioſa,mordax.Cauſſa denique lædens eſt motrix pertinens
ad ani muſculum,cuius officium eſt partem occludere,vt non aſſiduo excrementa reiiciantur & expellã-
tur:hic muſculus ſi paralyſi afficiatur,oboritur fluxus alui:& hac ratione retentrix inteſtinorum nõ pro-
pria ratione,ſed ex accidenti fruſtratur.

Cum ſermo fiat,de profluuio alui in genere:differentia debet capi a materia quæ fluit,a loco , vnde Differẽtiæ.
fluit,& a cauſſa efficiẽte. A materia fluente tot ſumi poſſunt differẽtiæ, quot ſpecies & vitia materiæ mor-
G bificæ ſupra ſunt propoſita. Quoad locum,vnde fluit:materia fluit vel a Toto , vel a Parte:ſi a parte,vel ab
Hac,vel ab Illa:& ab inteſtinis vel Supernis,vel Infernis. Quoad cauſſas efficiẽtes profluuium alui fit,quã-
do fruſtratur retentrix,vel Propria ratione,vel ex Accidenti.

Vitium hoc in genere patet. Quoad differentias,primo quæ a materia capiuntur : materia quæ e- Signa differentiarũ a materia.
greditur, oculis ſubiicitur; an ſit cibus qualis aſſumtus eſt , an chylus , an feces , & quæcunque alia

materia. Quoad vitium:peccatum in ſubſtantia, id eſt, corruptio, cognoſcitur e fœtore, ſupra naturalem A fœtorem;e morſu:vbi enim corruptio & putredo,ibi calor extraneus,& materia mordax. Vitium in quãtitate cognoſcitur,ſi exeuntia ſunt in maiori quantitate,quam conueniat pro ratione aſſumtorum. Vitiũ in qualitate cognoſcitur;verbi gratia,ſi materia peccet ſecundum caliditatem,ęgri teſtabuntur in exitu ſe ſentire materiam calentem;& præterea indicatur ex acrimonia:ſi materia peccet ſecundum frigiditatem, contra. Vitium in qualitate ſecunda facile patet;mutatio ſcilicet ſecundum conſiſtentiam , colorem , &c. Quoad vitium in motu locali;cognoſcitur profluuium non criticum,ſed potius ſymptomaticum, e mala tolerantia patientis;& quia in lotio coctionis indicia deſiderantur. Quoad differentias termini a quo:materia fluit a toto,ſi prægreſſa ſit totius corporis repletio:verbi gratia,ſi quis conſueuerit pati fluxũ ſanguinis per hæmorrhoides ; & hæc excretio poſt ſupprimatur, & ſequatur profluuium ſanguinis, præſertim B melancholici:ſignum eſt materiam collectam in toto eſſe,& a toto fluere. Idem de parte ſtatuendum:materiam ſcilicet potius ab hac parte,quam ab alia prodire,ob diſpoſitionem partis , &c. verbi gratia, ſi quis copioſiſſimam habeat euacuationem per os,& per nares excremẽti pituitoſi cerebri ; & cohibita hac euacuatione ſuccedat profluuium alui pituitoſæ materiæ;tunc cognoſcitur prodire a cerebro. Et ſic de reliquis. Cauſſa efficiens cognoſcitur e propriis vitiis:verbi gratia,ſi erunt ſigna humiditatis immodicæ;iudicandum eſt labefactatam retentricem facultatem. Cognoſcitur autem humiditas , quia celerrime & citra morſum euacuantur,quæ ingeruntur. Si morbus pertinens ad retentionem ſit diapedeſis, vel anaſtomoſis,vel diæreſis;egreditur ſanguis:de quibus in ſermone de ſputo ſanguinis,c.6.l.2. Si hoc malum fiat vitio expultricis;aderit inflammatio,vlcus. Signa autem ſunt,inteſtina his vitiis detineri ; dolor , febris, &c. de quibus cap. de Dyſenteria. Si vitium ſpectet ad facultatem motricem;aderunt ſigna paralyſis illius muſculi:de quibus alias:item inuitis ægrotantibus,& citra morſum egredietur materia. C

Signa differ. a cauſſa efficiẽte.

Indicationes.

Indicationes vtiles,capiuntur ab Exeunte,& Efficiente. Ab exeunte,primo a peccato exeuntis materiæ:vt ſi vitium in ſubſtantia,eradicandum:in qualitate,alterandum contrariis:in quantitate , minuendum:in motu,retrahendum. Ratione efficientis: ſi capiantur indicationes a morbis, quorum vi facultas fruſtratur;retentricis morbus,ſcilicet immodica humiditas,indicat ſiccum. Quoad morbum ſecundum vaſa;diapedeſis indicat denſum;anaſtomoſis,aſtringens;diæreſis,agglutinans. Quoad morbos expultricis:ſi fuerit vlcus,patet indicatio:ſi inflammatio,itidem indicatio patet,e doctrina de tumore ventriculi. De paralyſi muſculi alias.

Prognoſtica.

In genere de periculo nihil certi poteſt ſtatui. Quoad differentias igitur formales;cum propoſita ſit
materia,eius tum ſpecies perpendi debet,tum vitium. Quoad ſpeciem:ſi eſt fluxus cibi non mutati;eſt ad-
1. modum periculoſum,quia materia eſt vehemens ratione dignitatis, ſcilicet ventriculi ; quia læſa eſt actio D
principalis,nimirum coctio ventriculi. Adeſt etiam vehementia eſſentiæ,quia eſt inſignis receſſus ab ex-
cremento naturali. Adeſt vehementia facultatis corpus regentis ; quia vbi cibus egreditur, quemadmo-
dum aſſumitur, virtus ferre non poteſt. Ideo fluxus cibalis maxime eſt periculoſus,& lethalis; ſi ſcilicet vi-
res infirmæ ſint, & fluxus diu duret. Fecum fluxus , non eſt admodum periculoſus: quia in hac materia
non eſt triplex illa vehementia. Similiter etiam diſcurrendum circa materiam exeuntem , quæ generatur
in ſecunda,& tertia coctione. Notandum ; ceteris paribus alui profluuium ſemper magis eſſe periculo-
ſum,quoties egreditur materia alimentalis,quam ſi excrementitia : vnde fluxus ſanguinis periculoſus eſt;
maxime autem colliquatiuus. Quoad materiæ vitium:ſi eſt in forma , dum ſcilicet exiens eſt corruptum;
profluuium ſatis eſt periculoſum:præſertim quia adeſt vehementia facultatis:nam omnis materia corru- E
pta,eſt maligna,mali moris,quæ duo pertinent ad vehementiam facultatis:ceterum intenditur hoc peri-
culum,prout forma eſt maioris actiuitatis. Si vitium in quanto:malum periculoſius , ſi in maiori copia e-
greditur:quia vbi maior copia materiæ,ibi maior receſſus a naturali ſtatu,maior vehementia eſſentiæ, &
facultatis. Si vitium in qualitate:fluxus periculoſior,ob vehementiam eſſentiæ, qui magis a naturæ modo
recedit:verbi gratia,fluxus atræ bilis peſſimus,quia peccatum in qualitate eſt inſigne. Vitium in motu eo
periculoſius,quo maior impetus:tunc enim maior vehementia eſſentiæ. Quoad ſubiectum:profluuium
eſt magis periculoſum,ſi inteſtina ſuperna afficiantur,quam ſi inferna : quia maior dignitatis vehemen-
2. tia. Quoad efficientes:ſi perpendamus morbos,vt vehementiores ſunt,ita fluxus periculoſior. Si humida
3. intemperies,non eſt ita deſperandum:licet augeatur periculum,ſi hæc fuerit in habitu : quia adeſt vehe-
mentia eſſentiæ. Si in cauſſa ſit diapedeſis, vel anaſtomoſis,eſt leuis vehementia:multo peius eſt alui pro- F
fluuium,ſi ſit diæreſis. Quoad expultricem , ſi morbus ſit inflammatio, pro vehementiori vel remiſſiori
inflammatione varie prognoſticandum. Similiter dicendum de vlcere : quemadmodum diximus de tumore,& vlcere ventriculi. De motrice, ſeu paralyſi alias. (*In prognoſticando reſpicimus ad vehementiam rerum præter naturam, & ad virtutem. Vehementia facultatis,non pertinet ad vires , ſed ad res præter naturam. Quando enim conſideramus vires,tum conſideramus res ſecundum naturam ; prout ſcilicet virtus eſt robuſta, vel imbecillis. Declaro:Si materia ſit mordax,cuius ratione dolor excitetur, & alui profluuium : hoc non pertinet ad res ſecundum naturam,ſed præter naturam:quia perpendimus materiam,quæ ita eſt mali moris , vt non regatur. Amplius vero in eodem ſubiecto propoſito,dum ratione materiæ illius mordacis , excitatur animi deliquium,conſideramus;an patiens ſit iuuenis, vel ſenex,boni habitus,an mali,carnoſus,an emaciatus : & hoc eſt reſpicere ad vires.*) In alui profluuio ſi vires ſint imbecilliores,eſt periculoſum. Ideo Hippocrates aphor. 12. ſection. 5. in tabidis fluxum eſſe lethalem dixit, quia in his virtus debilis. Et Galenus cap.5. lib. 2. ad G Glaucon. qui ſcirrho hepatis tenentur,ſi corripiantur alui profluuio,ait eſſe lethale , quia vires ſuccumbunt. Ita ceteris paribus,magis periculoſum eſt profluuium in ſenili ætate,& in puerili , quam in florente, quia vires citius collabuntur. Idem iudicium eſt de temperatura & habitu,quatenus ſunt ſigna virtutis debilis,vel robuſtæ.

Quoad

Quoad venæsectionem; hæc non conuenit, nisi sanguis peccet. Sanguis autem in alui profluuio tantum peccare potest, vt habet rationem caussæ principalis; non vt habet rationem caussæ sine qua nõ; quia si posset sic peccare, esset etiam euacuandus. Declaro: Sanguis habet rationem caussæ principalis in profluuio sanguinis: quare aperienda vena, vt sanguis, qui præter naturam in intestina habet impetum, retrahatur: nisi enim fiat retractio, periculum est, ne vires omnino collabantur. Ita etiam sanguis habet rationem caussæ principalis, in profluuio alui, quæ fit ob inflammationem intestinorum: quia inflammatio fit a sanguine, tanquam a caussa principali. In reliquis fluxibus, non potest sanguis habere rationem caussæ sine qua non; multo minus caussæ principalis: nam si fluxus sit materiæ biliosæ, vel pituitosæ; possumus his caussis occurrere citra euacuationem sanguinis; hic enim veluti frenũ est, moderans succos calidos & frigidos. Curatio. Venæsectio.

B In nonnullis quidem affectibus vena secatur, gratia sanguinis; qui habet rationem caussæ sine qua non: verbi gratia, in frigida dyscrasia ventriculi hoc facimus, propter sequẽtem curationem: oportet enim ventriculo applicare medicamenta calida, quæ attraherent a toto in ventriculum, si sanguis adesset; ideoque hic haberet rationem caussæ sine qua non. At in profluuio alui non applicamus attrahentia, nec calida, nec relaxantia; sed frigida potius astringentia. Et ob id semper ad fundamenta oportet respicere. Altimarus probat venæsectionem, sed non explicat, num semper, nec ne. Si sanguis peccet ratione qualitatis: sat est refrigerare, non euacuare: si ratione tenuitatis; crassefacere. Quandoque est vitium ratione quantitatis: ideoque minuere licet sanguinem per venæsectionem. Sed semper in quolibet fluxu alui, qui fit a sanguine principaliter concurrente, vitium est in motu; ideoque vtendum venæsectione: cuius beneficio non solum minuimus sanguinem, si copia peccet; sed etiam retrahimus ab intestinis. Quare si vires sint

C robustæ, vena secanda; sin minus, ad cucurbitulas confugiendum. Venæsectio & cucurbitulæ, sunt materiæ remedia vacuantis sanguinem; ideoque non indicantur in methodo medendi, sed extra methodum. In profluuio igitur alui, cum sanguis peccet, interdum ratione copiæ; semper autem ratione motus; prout vehementius est peccatum, prout virtus robustior; ita etiam magis audacter vtemur venæsectione. Si non sit tanta vehementia, si vires dissuadeant; vtemur potius cucurbitulis. *Vsus.* Dum vena est secanda, nõ fiet euacuatio in magna copia: sed potius reuulsionis gratia pluribus vicibus est quid detrahendum. Quoad *quando*: oportet maxime festinare, eadem hora: quia in profluuio alui, a sanguine, principaliter indicante, adest præsentia sanguinis peccantis, & virtus non prohibet: sed in progressu facile prohibere potest, quia in fluxu alui, virtus non potest robusta manere: Quare etiam noctu, eadem hora qua cœperit fluxus, secari debet vena superior; quia vtimur venæsectione reuellendi caussa. Sed cum profluuium alui a sanguine

D duplex sit; vel citra inflammationem intestinorum, vel cum ea: Si citra, satius est pertundere cephalicam, tanquam remotiorem: si adsit inflammatio, potius basilica scindenda. Probantur etiam cucurbitulæ scarificatæ, & non scarificatæ. Scarificatæ; quando non possumus venam secare: & hæ applicandæ sunt potius superioribus partibus; si non sit coniuncta febris, thoraci, dorso; si febris cõiuncta sit, applicabuntur brachiis, & ibi ad libitum extrahi sanguis potest. Nõ scarificatæ cucurbitulæ diuersis obtinent facultates, pro variis locis: Si applicentur supernis partibus, vel dorso, vel brachiis, vim habent reuellendi: & his vti licet, non [illegible] in fluxu alui sanguineo, sed in quolibet fluxu, reuulsionis gratia. Si autem cucurbitula non scarificata applicetur abdomini; non permittit materiam fluxam egredi, vt Auicennas notat. Notandum ne sit affectus inflammatorius: neve sit corpus repletum. Quod de cucurbitulis non scarificatis, partibus supernis applicandis diximus, idem quoque de frictionibus & ligaturis statuendum, ad retrahendum, scilicet materiæ impetum. Cucurbitulæ.

E Quoad medicamenta: materia corrupta, eradicanda: copiosa, minuenda: mala qualitate affecta, alteranda, nimirum, tenuis incrassanda, impetum faciens retrahenda, reuellenda, deriuanda. Id quod vim habet eradicandi, potest etiam minuere, reuellere: verbi gratia dum euacuatio fit sensibiliter per vomitum, per aluum, per lotium, & quandoque per sudorem. Quare in alui profluuio vti possumus *tamarindis, prunis, myrobalanis citrinis, cepulis, emplicis, nigris*; dum institutum est, humores minuere per aluum: permisceri autem debent *rosæ, santala*: quia in profluuio alui, cuiuscunque sit materiæ, necessario fit aliqua calidi innati dissolutio; præsertim dum euacuantia adhibemus. Ideo non improbandus *syrupus ros. solutiuus, qui dissoluitur in decoctione endiu. cum santalis. Probatur rheum, cum santalis, rosis. Probatur aqua B. Virginis.* Et in fluxibus materiæ calidioris, *aquæ B. Virginis Veronenses, sunt optimæ*; quia minuunt materiam morbificam, contemperant succos acres, & (quod maximum est) non permittunt substantiam calidi innati dissi-

F pari. Si forte sit profluuium pituitosæ & salsæ materiæ; cum periculum immineat dysenteriæ, cum materia mordicare incipiens hæreat in intestinorum partibus; maxime probo vsum *aquarum Tectutii in agro Pistoriensi: exhibeatur huius aquæ* ℔ij. *vel* ℔iij. *per quatuor horas ante prandium.* Nec erit præter rationem, si ante cibum exhibeatis aliquid, quod vim habeat corroborandi intestina, nimirum aliqua adstringentia, vt *quæ parantur e rosis.* Materiæ propositæ sic possunt præscribi. *Recipe pulpæ tamarind. diapruni non solut. ana* ℥ß. *puluer. ros.* ℈j. *cum succo ros. fiant boli.* Vel, *Recipe rhei immaturi* ʒj. *sacchari rosati* ʒiij *fiat bolus.* In fluxu bilioso hoc medicamento vtuntur; sed rheo immaturo, cum saccharo rosato; ne substantia calidi innati dissoluatur. Administrantur talia in forma consistenti; licet & liquida non improbetur. Quoad *tempus*: debetis quamprimum exhibere: quia adest præsentia indicantis: & in profluuio alui periculum est, ne dissoluantur vires. Quoad *vbi agendum*: interdum per os, interdum per sedem sunt immittenda; ratio-

G ne diuersæ subsistentiæ: si enim intestina superna sint affecta, non est ita tutum per os exhibere soluentia. Pharmaceia. I. Vacuantia per aluum.

Quoad alterantia; oportet variis vti, prout multiplex esse potest materia. In præsentia notetur, si peccatum sit secundum substantiam prodesse *sarsap*[illegible] *chinam, & antidotos recentes, dum homo correptus est lue Gallica, & adest alui profluuium*: tunc enim non desistendum a salsa, quia malum pendet a virulentia II. Alterantia.

Gallica. Secundo notandum, vt cum medicamentis respicientibus varias materias, misceantur leuiter adstringentia; vt *ros. cichor. absinth. agrimonia, &c.* quia in fluxu alui necessario deperditur substantia calidi innati. Quare, si ratione materiæ morbificæ cogamur vti attenuantibus, laxantibus, hæc maxime nocent nisi leuiter adstringentia misceantur. Tertio notandum, vt caueatis a dulcibus: hæc enim quia calida & humida, reddunt materiam fluxilem & laxam: potissimum ergo nocent, quando fluxus fit a calida materia, in corpore calido. Quarto notandum; si alui profluuium tussim iunctam habeat; abstinendum esse ab astringentibus: si tussis non assit, omnia leuiter adstringentia locum habere. Verumtamen, cum medicamenta adstringant, vel per crassam, vel per viscidam substantiam: dum adest tussis, admittuntur adstringentia, quæ viscidam habent substantiam; vt est *tragacantha, farina amyli, symphytum, plantago.* Quincto notandum, ne vtamur iis quæ recipiunt *acetum:* & potissimum ab acri & copioso aceto est abstinendum. Formula huiusmodi sit: *Recipe succi sonchi depurati ℥ij. pulueris salsæ ℥j. tragacanthæ ʒß. sp. e santalis ʒß. Misce, & fiant boli.* Hoc medicamentum virulentiam gallicam, seu profluuium inde dependens, alterat: quia autem sonchus, & salsa parilla aperiunt atque laxant; pro corrigenda basi, & potissimum salsa, permiscemus ʒß. vel spec. santal. vel tragacanthæ. Quoad *vsum*, monet Auicēnas, liquida nocere: potius formam consistentem prodesse.

III. Diuertētia. Vomitoria. Medicamenta, quæ respiciunt vitium materiæ secundum motum, quæ scilicet habent vim retrahendi, sunt medicamenta diuertentia, quæ scilicet per vomitum euacuant: quibus vti licet, si ventriculus non sit debilis. Vomitoria sunt præparanda *cum iuribus pinguibus, cum succo raphani.* Non licet vti valentioribus. Cauendum ab *oleo:* ne nimium relaxetur ventriculus. **Sudorifera.** Possunt etiam diuertentia esse medicamenta, quæ per sudorem euacuant. Extra licet vti *balneo moderate calido.* Licet inungere ventriculum *cum oleo anethino, chamæmelino.* Totum inungere licet, excepto abdomine: propter laxantia enim, intestina plus iusto reciperent superfluitates. Si corpus febre affectum non sit, Auicennas ad sudorem prouocandum etiam probat *vinum aquosum*; non pro potu, nec pro vehiculo cibi, sed pro medicamento euacuante per sudorem. **Diuretica.** Præterea medicamenta retrahentia possunt etiam esse deriuantia, id est, diuretica: vt sunt *serum, mel cydoniorum, lupuli, asparagi.* Non igitur præter rationem est, cum alterantibus misceri diuretica.

IV. Incrassantia. Oportet etiam vti medicamentis, materiam fluxilem, crassam reddentibus. Hæc sunt adstringentia, modo validiora, modo debiliora, pro tenuitate materiæ, & dissolutione calidi innati. Valentiora sunt, e cap. 5. lib. 5. method. *balaustia, hypocistis, rhus opsoniorum, acatia, malicorium, mespila, gallæ.* Debilia; *manna thuris, cortex pini, terra sigillata.* In profluuio alui admodum pertinaci, medicamentum efficacissimum ad incrassandum proponitur ab Auicenna: & est *caseus antiquus salitus; qui sæpe lauari & decoqui debet, vt prorsus euadat salis expers. Dosis ℥j. cum succo cydoniorum.* Aetius & alii ad sistendum aluum probant *coagulum equi, & aliorum animalium: quod sane ita administrari oportet, vt e toto sal amoueatur.* Formula sit talis: *Recipe pulu. gallarum immat. rhois opsoniorum, myrtillorum ana ℈j. cum succo cydoniorum, fiant pilulæ & exhibeantur.* Extra hoc modo: *Recipe carnis cydoniorum ℥ij pulu. ros. spodii, boli Arm. ana ℈j. ol. cydon. myrtini. ana ℥vj. ceræ lotæ cum vino austero ℥ij. Misce, fiat linimentum.* Circa *quando agendum*, Auicennas ait: si fuerit alui fluor materiæ putris, & vires non sint debiles; non vtendum esse adstringentibus; quia talis materia eradicanda est: cogimur tamen interdum admiscere adstringentia, gratia calidi innati. **Opiata.** Quoad opiatum; hoc est materia remedii, indicati a caussa morbifica, vt peccat vel caliditate, vel tenuitatea tamen ratione, vt vtrumque vitium secundum essentiam sit vehementissimum: vbi enim talis est materia, infestant longæ vigiliæ, adest dolor. Opiata autem sunt, *Philonium Roman. requies Nicol. pilulæ de cynoglosso, antidoti recentes, &c.* quæ Auicennas probat, quia materiam tenuem crassefaciunt, vigilias mitigant, sensum obtundunt. Sed hæc solent debiles vires exstinguere: faceturque Auicennas, se quendam vidisse defunctum e suppositorio opiato. Proinde permittens adesse oportet, nimirum vires robustas: nam si calidum innatum secundum qualitatem fiat debile, exstinguetur ab opiato. *Vsus.* Summa dosis opiatorū erit ʒj. *Tempus:* cum adest pręsentia indicantis, id est, materia iam proposita; & virtus permittit. Quare non exspectandum est, vt materia morbifica, quę est vehemens secundum propriam essentiam, acquirat vehementiam ratione facultatis, vt fiat animi deliquium: ideo nō est differenda administratio opiatorū. Quoad. *Vbi*, possunt administrari per os, & per sedem.

Diæta. Diæta medicamentis respondebit. Auicennas improbat dulcia, falsa, acria: & cum cibis miscet moderate adstringentia, magis vel minus, prout necessitas postulare videtur.

CAPVT XVI.

De Leienteria.

Nomen. QVamuis plures sint species alui fluxus: de duabus tamen solum agam: quibus recte intellectis, iter ad reliquas curandum patebit facilimum. Per leienteriam intelligimus omnem fluxum, in quo id quod assumendo ingreditur, citra mutationem expellitur; siue hic fluxus procedat ex intestinis tantum; siue etiam simul e ventriculo. **Generatio.** Generatur hoc malum, dum aliquid præter naturam occurrit intestinis, ita vt retentio auferatur: vnde quod ingreditur intestina, affatim; & non mutatum exit. **Definitio.** Lienteria ergo est fluxus alui esculentorum non mutatorum; dependens a retentrice abolita intestinorum. Genus est fluxus alui: quod contrahitur per differentiam: propterea diximus; esculentorum non mutatorum. Per esculenta nō mutata, cum Galeno com. aph. 1. sect. 6. intelligimus cibum: vt si quis comedat carnem vitulinam, eandemqui nondum in chylum mutatam deiiciat. Præterea per esculenta non mutata, intelligimus etiam chylum. Si enim non intestina solum lædantur, sed etiam ventriculus; cibus egreditur: at si lædantur sola intestina; egreditur chylus, sed permanens non secretus a fecibus.

Postremo

Postremo diximus: dependens a retentione abolita intestinorum: quod colligitur e capit. 2.l.6. loc.
affe.com.aph.22.sect.3.com.aphor.12.sect.4.comm.aphor. 1.sect.6.& cap. 11.l.1.de cris.cap.2.l.3.de sympt. Caussa efficiens.
causs. In qualibet leienteria frustratur facultas retentrix:& vel Primario,id est propria ratione; vel Secundario,propter vitium expultricis. Retentrix vel Labefactatur, vel Impeditur. Labefactatur ab intemperie frigida & humida,vel sine materia,vel cum materia pituitosa, frigida: & hæc est exquisitissima leienteria. Addit Auicennas interdum præcedere intemperiem calidam, cuius ratione retentrix mortificatur; quando nimir.ob vehementiam caliditatis dissipatur substantia calidi innati, & hinc succedit frigiditas. Quæ autem sint caussæ intemperiei frigidæ & humidæ, item pituitæ acidæ, diximus capit.de intemperie
B ventriculi. Impeditur retentrix, secundum Aetium, quandó intestina afficiuntur cicatrice, quæ solet succedere dysenteriæ. Et in hoc malo chylus tantum eiicitur; non autem cibus nondum mutatus. Hæc potius notha est leienteria. Galenus comm.aphor.1.sect.6. non reprehendit antiquos, qui hanc leienteriam proponebant; sed eos, qui credebant hanc solam esse caussam leienteriæ. Egreditur ergo chylus, cum non possit permeare ob densitatem cicatricis: & talis exit, qualis in intestina ingreditur. Expultrix facultas læditur ab vlcere: dum enim materia petit partem exulceratam, irritat expultricem, quæ insurgens ita agit, vt retentrix secundario lædatur. De caussis vlceris, in vlcere ventriculi diximus. Quoad alteratricem, hæc labefactatur ex accidenti: nam cibus exit incoctus, quia non retinetur, sed cito deiicitur: si enim retineretur, etiam concoqueretur.

Differentiæ sumuntur potissimum a materia, quæ egreditur, & a caussa efficiente. Materia est Ci- Differentię
C bus, vel Chylus. Efficiens, est retentrix frustrata, vel Primario, vel Secundario. Si primario; vel læditur ob intemperiem frigidam & humidam; vel impeditur ob cicatricem & densitatem. Secũdario, ob vitium expultricis, id est, ob vlcus.

Læuor intestinorum in genere facile cognoscitur, ex egressu veloci esculentorum non mutatorum. Signa.
Oculis etiam conspicitur materia: cum cibus vel chylus egrediatur. Quoad differentias a caussa efficiente. Si retentrix labefactetur, egreditur cibus; si impediatur, chylus; & prægressa est dysenteria, cicatrix. Si vitium sit in expultrice, signa sunt vlceris.

Porro, supponentes indicationes generales, de quibus in alui profluuio diximus, tantum specificas proponemus. Igitur, quoad vitium retentricis, si labefactatur ob intemperiem frigidam & humidam: oritur indicatio calefaciendi & exsiccandi. Si annexa sit pituitosa materia; patet quid indicet. Si retentrix im- Indicationes.
D peditur ob cicatricem, & densitatem, oritur indicatio rarefaciendi, &, si coniuncta sit durities, emolliendi. Quoad vitium expultricis; locum habent vlceris indicationes: de quibus ca. de vlcere ventriculi diximus, & infra etiam dicemus.

Hic fluxus in genere admodum est periculosus, ratione dignitatis: præterquam enim quod læditur Prognost.
retentio, etiam concoctio ex accidenti læditur. Est insignis vehementia essentiæ; nam exiens plurimum recedit a naturali statu; cum enim feces egredi deberent, egreditur cibus, vel chylus. Sæpe etiam adest vehementia facultatis: nã vires ferre non possunt egressum cibi vel chyli, vnde mala tolerantia, & leipothymia facile sequuntur. Quoad differentias a materia: Leienteria est periculosior, si egreditur cibus, minus, si chylus: dum enim cibus egreditur, vehementia dignitatis est intensior, quia læditur ventriculus, non tãtum intestina. Et est etiam maior vehementia essentiæ: nam ab excretionibus secundũ naturam magis re-
E cedit cibus non mutatus, quam chylus. Quoad caussam efficientem, leienteria admodum periculosa est, si retentrix propria ratione lædatur. Cum autem retentrix possit labefactari, & impediri: si impediatur; malum fere incurabile, quia cicatricis dẽsitas non potest e toto amoueri. Licet vero ratione cicatricis hic fluxus e toto sit incurabilis: nihil ominus tamen homo ita affectus, diutius viuere potest; quam si retẽtrix labefactata sit in caussa mali: nisi enim breui & primo tempore curetur, fieri non potest, vt homo diu viuat; quia, dum cibus non mutatus egreditur, succedit atrophia. Si impediatur; chylus nõ totus egreditur, quia cicatrix non occupat tota intestina: vnde chylus permeare potest per illa loca, quæ cicatrice non sunt obducta.

Vena in hoc malo secanda non est, quia potius defectus est sanguinis. Notandum circa communia
medicamenta, ratione retentricis; si verbi gratia, leienteria fiat ab intemperie, sed cum materia, hæc eua- Curatio. Lenientia.
F cuanda est: non enim semper astringendum est, sed considerandæ caussæ. Exhiberi ergo potest *mel rosa. solutiuum, & potissimum hiera. verbi gratia, ℞ sp. hiera ℥ ij. pul. absinthii ℈ ß. cum melle rosa. solut. fiant boli.* Cum autem leienteria fieri possit, ob vitium vel expultricis: quibus medicamentis potissimum communibus, vtendum sit, dum læditur retentrix; iam docuimus. Si autem fiat vitio expultricis; nimirum ob vlcus: vtendum *syrupo rosa. solutiuo, vel manna cum sero chalybeato.* Quoad præparantia; si retentrix lædatur, materiæ exhibendæ sunt *cum saluia, mentha, cum diatrionpipereon*; ratione pituitosæ materiæ. Contra, si oriatur vi- Præparãtia.
tio expultricis, dandum *decoctum e soncho, hepatica, hordeo:* ideoque frigidis hic vtendum, sicuti caussa retentricis, calidis. Ob id diligenter oportet cognoscere veras caussas malorum. Notandum autem in leien- Purgantia.
teria, & cœliaca affectione (: tantum enim differunt secundum minus:) non vtendũ esse vehementer purgantibus: quare non licet vltra proposita ascendere. Quæ autem medicamenta materias per lotium eua- Medicamẽta specialia.
G cuent, in generali fluxus doctrina proposuimus.

Quoad leienteriam ob vitium retentricis, retentio vel labefactatur, vel impeditur. Labefactatur ob intemperiem frigidam & humidam: quare occurrendum calefacientibus & siccantibus: de quibus egimus in sermone de ventriculi dyscrasia frigida & humida. At si impediatur ob cicatricem, cum Aetio vtendum Cicatricem attenuãtia.
acribus, valde attenuantibus: verbi gratia: *℞ oxymeli scill. mellis rosa. ana ℥ ß. spec. diatrionpiper. ℨ j. conseruæ e flor. malu. ℥ iij. succi cidoniorum ℥ ij. Misce, pro aliquot vicibus.* Oxymeli hic ponitur, vt cicatricis densitas attenuetur. Mel rosatum idem præstat, sed minus efficaciter: & præterea beneficio rosarum est in caussa,

A vt non ita fluat medicamentum. Adduntur ſpecies diatrionpipereon, ad efficaciorem operationem & rarefactionem. Conſerua e floribus maluæ additur, gratia emollitionis. Tandē adiungitur cydoniorum ſuccus, vt medicamentum moram trahat, & ratione moræ fiat actio. Quia autem interdum contingit, vt cicatrice hac exſiſtente, corpus ita ſit conſtitutū, vt calida ferre nequeat: propterea hæc corrigenda ſunt cum aliquo refrigerante, quod interim attenuandi ac detergendi vim habeat: vt eſt *hordeum, cremor hordei*. Vel iam propoſita medicamēta propinate; & poſtea aliquid hordei exhibete. Si leiēteria fiat vitio expultricis: medicamenta peti poſſunt e c. de vlcere ventriculi: item e c. ſequenti de Dyſenteria.

Diæta proportione reſpondeat. Et proinde ſi labefactata ſit retentio; occurrendum cibis calefaciētibus & ſiccantibus. Si autem fiat leienteria ratione cicatricis; oportet vti cibis extenuantibus, rarefacientibus: vnde Aetius probat cibos acres, & cum aromatibus. Si fiat ratione vlceris, ratione expultricis: cum B vlcus fiat a materia calida & mordaci; cibis frigidis occurrendum.

Capvt XVII.

De Fluxu alui ſanguinolento.

Nomen. PEr fluxum alui ſanguinolentum, cum Galeno c. 4 lib. 3. de cauſſ. ſymptomat. intelligimus omnem alui fluxum, in quo ſanguis egreditur: nimirum, fluxum Hepaticum, Dyſenteriam, Teneſmum; dummodo ſanguis per aluum egrediatur. Generatio. Generatur, dum aliquid morbificum & præter naturam occurrit venis inteſtinorum; cuius cauſſa ſanguis ibi non retinetur, ſed per aluum egreditur. Definitio. Vitium igitur hoc eſt fluxus alui ſanguineus, dependens a læſa retentione venarum inteſtinorum. Genus eſt alui fluxus: quod contra- C hitur per vocabulum ſanguinis; ad differētiam aliorum alui fluxuum. Per ſanguinem autem intelligimus & purum, & miſtum, etiam cum reliquis ſuccis excrementitiis.

Cauſſa efficiens. Addimus; dependens a læſa retentione venarum inteſtinorum; ad differentiam hæmorrhoidū. Læditur autem retentrix ob morbum, vel in Mala compoſitione, vel in Soluta vnitate. Mala compoſitio eſt diapedeſis, id eſt, immodica raritas tunicarum venarum in inteſtinis: item anaſtomoſis, id eſt, immodica apertio orificiorum venarum. Soluta vnitas dicitur diæreſis, quando vnitas venarum in inteſtinis ſoluitur, c. vlt. lib. 5 loc. aff. cap. vlt. lib. 3. de cauſſ. ſymptom. cap. 2. lib. 5. meth. Diapedeſis. Sanguinis ſeroſi & ichoroſi diſtinctio. In diapedeſi egreditur ſanguis ſeroſus; qui ob tenuitatem facile egreditur. Per ſanguinem autem ſeroſum, non intelligimus ichoroſum: ſanguis enim ſeroſus eſt potius frigidus; & eſt verus ſanguis, permiſtus cum ſeroſitate, id eſt, cum excremento tenui, quod generatur in coctione prima, ſeu ventriculi. Sanguis autem ichoroſus eſt qui ob cauſſam D aliquam calefacientem vertitur in ichorem: ita vt portio illa ichoroſa ſit feruens, calida; ea quæ fit terty ſip lata, febris ſynochus, vel cum, vel ſine putredine. In præſentia igitur per ſanguinem ſeroſum, intelligimus frigidum, aquoſum, vergentem ad aliquam albedinem, vt ſimilis ſit loturæ carnis animalis recens mactati. Et generatur a iecore frigidiore: quod ſua frigiditate non poteſt ſegregare ſerum a vero ſanguine. Anaſtomoſis. In anaſtomoſi egreditur ſanguis vel copioſus, vel acris atque mordax: talis enim ſanguis orificia venarum reſerare poteſt. Copioſus ſanguis generatur a iecore calido & humido, e bonis & copioſis cibis: vel colligitur, ſuppreſſa aliqua conſueta vacuatione, quemadmodum etiam colligi poteſt, quoties artuum aliquis eſt abſceſſus. Et hunc fluxum vocant cruentam dyſenteriam. Acris ſanguis generatur a iecore calido vehementer, ita vt in paſſiuis potius annexa ſit ſiccitas, quam humiditas. Hæc autem caliditas E vel eſt propria, vel ex accidenti. Propria; dum iecur a principio generationis redditum eſt calidius; vel etiam dum effectum eſt calidius, ſed citra obſtructionem. Ex accidenti; quoties iecur calidius redditum eſt, propter obſtructiones: vnde calor iecoris intenditur; generatur ſanguis mordax; & impeditur etiam tranſitus ſanguinis per venam cauam, qui propterea truditur ad venas inteſtinorum, earumque orificia recludit. Diæreſis. Quoad diæreſin; ſoluta vnitas poteſt fieri, ratione vulneris, ruptionis, contuſionis. Sed hæc ad cheirurgos pertinent. Nos in præſentia diæreſin perpendimus, vt fit per modum abraſionis, quemadmodum in exulceratione. Hæc exulceratio vocatur Dyſenteria inteſtinalis: & ſi occupet rectum inteſtinum, dicitur Teneſmus, vbi non tantum ſanguis egreditur, ſed adeſt etiam fere aſſidua excernendi cupiditas, eaque ſæpe inanis. Cauſſa eſt materia mordax: vt capit. de vlcere ventriculi diximus. Hæc autem materia, vt traditur comm. aphor. 26. ſect. 4. abradit, primo pinguedinem, deinde ſuperficiem in- F ternam inteſtinorum; tandem veram inteſtinorū ſubſtantiam. Species huius materiæ colligi poſſunt e cōmentar. aphoriſm. 26. ſectio. 3. & com. aph. 6. ſect. 4. Sunt autem bilis, flaua ſcilicet & atra: ideoque etiam bilis media inter flauam & atram; item pituita ſalſa; ſanguis acris; & ſanies. Et, ſi teneſmus a flatu oriatur; eſt nothus teneſmus.

Differentiæ. Fluxus ſanguinolenti differentiæ ſumuntur a Sanguine, a Loco, & ab Efficiente. Sanguis vel eſt Purus, vel Permiſtus: vel peccat Copia, vel Qualitate: Si qualitate, eſt tenuis, vel acris. Quoad locum: prodit a venis inteſtinorum Supernorum, vel Infernorum. Cauſſa efficiens eſt vel Mala compoſitio, nimirum diapedeſis, aut anaſtomoſis, vel Soluta vnitas, ſeu diæreſis.

Signa. Diagnoſis ab hæmorrhoidibus. In genere hoc malum facile cognoſcitur. Sed oportet diſtinguere fluxum hunc ſanguinolentum, ab hæmorrhoidibus. Si igitur fluxus ſit hæmorrhoidalis, egreditur ſanguis ſyncerus: adeſtque tenſio, & G tumor aliquis circa venas: quandoque etiam orificia illarum venarum recluſa eſſe apparent. His abſentibus, iudicandum eſt, ſanguinem effluere a propriis inteſtinorum venis. Quoad differentias, quæ a ſanguine ſumuntur; Si ſanguis copia tantum peccet; egreditur ruber; & ilico concreſcit: & egreditur ſine dolore, quia non eſt mordax. Si autem fuerit ſeroſus; egreditur ſatis tenuis, non rubicundus, ſed leuiter admodum rubeus, inſtar loturæ carnium animalium recens mactatorum: non concreſcit, ob permiſtū ſerum: & egreditur ſine dolore, quia nōdū eſt particeps acrimoniæ; eſtq; potius frigidus, quam

A quam calidus. Si egreditur ſanguis acris; cognoſcitur e flauitie; & quia cum aliquo dolore egreditur, ha-
bet enim vim mordicandi. Quoad differentias a loco; e cap.2.lib.6.de loc.aff.cognoſcitur, ſanguinem e- 2.
rumpere a partibus ſuperioribus, ſi miſtus appareat cum excrementis: in eo enim tranſitu fit miſtio: præ-
terea pinguedo vel nulla excernitur, vel admodum exigua: ad hæc clyſteres non iuuant. Si horum oppoſi-
ta aſſint: dicendum, ſanguinem effluere e venis inferiorum inteſtinorum. Quoad differentias efficientis; 3.
Si cauſſa eſt diapedeſis: ſanguis exit ſeroſus, vel aquoſus, ſine dolore. Si anaſtomoſis: egreditur ſanguis co-
pioſus, rubore infectus, aliquando acris, cum mordacitate aliqua. Diæreſis cognoſcitur e dolore, quia ſol-
uitur vnitas: adhæc quia egreditur aliqua ſanies, in dyſenteria enim ſanies generatur. Ceterum, cum diæ-
B reſeos, & proinde dyſenteriæ cauſſa poſſit eſſe multiplex; nimirum bilis flaua, atra, ſalſa pituita, ſanguis a-
cris, & ſanies in abſceſſu genita: hæ materiæ cognoſcuntur e fluxibus prægreſſis: verbi gratia; ſi fluxus bilis
flauæ prægreſſus ſit, & ſubſecuta dyſenteria, facilis tunc eſt coniectura, hanc dyſenteriam originem duce-
re e flaua bile. Idem de reliquis eſt iudicium. Potiſſimum ſaniem in cauſſa eſſe deprehenditur, ſi prægreſ-
ſus eſt abſceſſus.

Præſidia ſumuntur a Morbis, a Cauſſis, & a Virtute. Quoad morbos: diapedeſis indicat denſans: a- Indicatio-
naſtomoſis, anguſtans: diæreſis, vniens. Quoad cauſſas: Diapedeſis producitur a ſanguine ſeroſo, qua- nes.
re hic inaniendus, deriuandus ad renes: cum per renes portio illa ſeroſa potiſſimum ſit euacuanda. Ad-
hæc, cum hic ſanguis generetur a iecore potiſſimum frigido: oportet iecur calefacere. Anaſtomoſeos
cauſſa eſt ſanguis, vel copioſus, qui indicat minuens; vel acris, qui indicat attemperans. Et cum gigna-
C tur a iecore calidiori, indicatur refrigerans. Diæreſeos cauſſa eſt ſuccus abradens: qui euacuandus: ſan-
guis fluens arcendus, ſiue per reuulſionem, ſiue per deriuationem. Reliquæ diæreſeos & vlcerum indi-
cationes accuratius pertractantur cap. de vlcere ventriculi. Quandoque in diæreſi, & proinde in dyſente-
ria coniunctus eſt dolor, qui indicat calidum, vel tenuis ſubſtantiæ, vel viſcidæ; aut frigidum: de quibus a-
libi copioſe diximus. Virtus indicat alimentum.

In genere de periculo nihil certi ſtatui poteſt: fluxus enim alui ſanguinolentus interdum rariſſime Prognoſt.
remouetur: interdum remouetur a ſola natura, ſine medicamentis; vt teſtatur Galenus capit.2.lib.1.loc.
aff. Quoad ſanguinem, qui egreditur; Si, verbi gratia, ſanguis peccat copia, fluxus eſt minus periculoſus:
nam minor adeſt vehementia, & ſecundum eſſentiam, & ſecundum facultatem. Si ſanguis ſeroſus exeat; 1.
fluxus magis eſt periculoſus: quia intenſior eſt vehementia eſſentiæ, & facultatis: vehementia quidem
D eſſentiæ maior, quia ſanguis ſeroſus magis recedit a naturali ſtatu, quam ſanguis ſola copia peccans. Ad-
eſt vehementia ratione facultatis; quia dum ſanguis alimentalis generatur ſeroſus, virtus non ſuſtinet ſan-
guinis euacuationem, quia eſt exiguus. Intenditur etiam periculum, quia generatur ſanguis ſeroſus
ob intemperiem frigidam iecoris. Si acris egrediatur ſanguis; fluxus periculoſior eſt, quam dum
egreditur copioſus; Sed minus idem eſt periculoſus, quam dum egreditur ſeroſus; ratio pen-
det a vehementia eſſentiæ; non enim debet ſanguis acris eſſe, ideoque magis a natura recedit, quam
copioſus, minus quam ſeroſus. Præterea maior eſt receſſus, ſi iecur eſt frigidius, vt dum ſanguis ſeroſus e- 2.
xit; quam ſi calidius, vt dum acris exit. Quoad differentias a loco: reliquis paribus, fluxus eſt magis pericu-
loſus, ſi materia prodeat a venis inteſtinorum ſuperiorum: nam e parte rerum præter naturam, maior eſt
vehementia ratione dignitatis, & facultatis: ratione dignitatis, quia ſuperiora inteſtina ſunt digniora, vt-
E pote quæ diſtributioni chyli ſunt deſtinata: ratione facultatis, nam dum fluxus eſt in tenuibus inteſtinis, 3.
dolores ſunt vehementiores, quia non ita facile ſuſtinentur; idque præſertim ob conſenſum, quem cum
principibus partibus obtinent maiorem, quam craſſa. Quoad differentias ab efficiente, ceteris paribus,
facilius tollitur diapedeſis; difficilius anaſtomoſis; adhuc difficilius diæreſis, quia hic eſt vlcus, quod ſi ma-
gnum fiat, etiam lethale eſt malum, comment. aphoriſm.26.ſect.4. Notandum autem in vlcere inteſtino- 4.
rum augeri & minui periculum pro vehementia cauſſæ abradentis, vt diximus de vlcere ventriculi: Si e-
nim fiat ab atra bile, actum eſt; ſi eſt cancroſum, lethale: nam ſumma eſt vehementia eſſentiæ; & ſic de reli-
quis. Virtus quo debilior, eo malum periculoſius. Vnde ad vires reſpiciens Galenus comment. aphor.43.
ſect.6. ait; ſi lienoſi afficiantur dyſenteria longa, ſubſequi aut hydropem, aut leiēteriam, aut mortem; quia
virtus eſt debilis. Hinc etiam comm. aph. 23 ſect. 7. ait: a deiectione ſyncera difficultas inteſtinorum, ma-
F lum: nam & cauſſa prauus, & virtus debilis. Item com. aph.3. ſect.6. ait; in longis difficultatib. inteſtinorum
inediæ e faſtidio, malum; & cum febre, peius: hæc enim ſignificant virtutem debilem.

Quoad materiam cheirurgicam; dum ſanguis vehementer peccat, & vires permittunt, vena ſecan- Curatio.
da eſt. Hinc Alexander in dyſenteria, ſi ſit inflammatio cum dolore, ſi corpus iuuenile, boni temperamen- Venæſectio.
ti, & vires permittant, ſique malum oriatur a primitiua cauſſa; venam brachii ſecat, & ſanguinem euacu-
at ad ℔ ij. Nam ſi hæ conditiones in vnum non concurrant: cum eodem Alexandro, potius per vices, &
copia exigua ſanguis euacuandus. Aetius etiam interdum venam ſecat: & quidem plus mittit ſanguinis,
ſi maxima inflammatio; & præſertim ſi cohibita ſit conſueta euacuatio. Porro cum fluxus pendeat vel a
diapedeſi, vel anaſtomoſi, vel diæreſi: oportet ſcire quid agendum in quolibet vitio, circa vacuationem
ſanguinis. In diapedeſi, vena ſecari non debet: quia ſanguis bonus eſt exiguus: adeſt ſanguis ſeroſus,
G qui potius diureticis vacuandus eſt, non per venæ ſectionem. Præterea, vbi ſanguis generatur ſero-
ſus, iecur eſt frigidum: non ergo magis debet refrigerari per venæſectionem. In anaſtomoſi, ſi ſanguis
ſit copioſus, venæſectione detrahi debet, & in magna copia: ſin acris ſit ſanguis, poteſt etiam ſecari
vena, ſed non in tanta copia; ſic enim primo euacuabitur ſanguis acris, ſecundo ex accidenti refrigera-
bitur iecur calidius. Quoad diæreſin; ſecanda eſt vena, ſi diæreſis originem ducat a ſanguine mordaci,
& præterea ſi annexa ſit inflammatio, cum hæc proprie fiat a ſanguine. Quoad *tempus*: ſtatim in prima
viſitatione vena ſecari debet, quia in fluxu vires cito poſſunt reddi debiles. Quoad *vbi*, probatur potiſſi-

A

mum, vt cubiti vena ſecetur; quia non modo fit ſanguinis euacuatio, ſed etiam reuulſio: & ſic occurrimus non tantum ſanguini copioſo, acri, ſed etiam ſanguini, qui præter leges naturæ mouetur. Cucurbitulæ, & alia, alibi dicta ſunt.

Pharmaceia.
Ad diapedeſin medicamenta.

Quoad medicamenta: in Diapedeſi oportet vti diureticis, & calidis: diureticis, propter ſanguinem ſeroſum; calidis, propter frigiditatem hepatis. Quare medicamenta parentur e *ceterach, aſparago, origano, feniculo, cum iure cicerum, hoc modo.* ♃ *pul. ceterach, aſparagi, origani, feniculi, ana* ℈ *vij. iuris cicerum* ℥ *viij. Miſce.* Cauſſa iecoris refrigerati vtendum *cyphoide, magnis antidotis, trochiſcis de abſinthio, eupatorio: maxime probatur decoctum ſaſſafras.* Cauſſa loci affecti, ad partem denſandum, vti poſſumus *clyſtere confecto e vino auſtero, cum verbaſco, & nucibus cupreſſi.* Quibus etiam extrinſecus fomenti forma vtendum.

B

Ad anaſtomoſin.

In anaſtomoſi vtendum medicamentis, quæ reſpiciunt ſanguinis caliditatem & motum. Quare in hoc caſu (non in omni fluxu) vtendum *aquis Beatæ Virginis:* quæ ægrum interficerent, ſi fluxus prodiret a ſanguine ſeroſo, per diapedeſin. Vti etiam poſſumus *ſero lactis chalybeato, cum ſemine melonum.* Vel, ♃ *ſucci endiuiæ depurati* ℥ ß. *pul. roſ.* ℈ *ij. corall. rub.* ℈ *xv. miſce, pro vna vice.* Gratia inteſtinorum, vtendum *clyſtere compoſito ex aqua Beatæ Virginis, vel e ſero chalybeato, cum vino auſtero, additis roſis, & ſucco plantaginis. Verbi gratia.* ♃ *puluer. roſati* ʒ *j. ſucci plantaginis* ℥ *vj. aquæ Beatæ Virginis, vini auſteri ana* ℥ *v. miſce pro clyſmo.* Vino hic vtimur ratione moderatæ alicuius caliditatis, ad conſeruandum calidum innatum: eſt tamen auſterum, quia etiam oportet occurrere anaſtomoſi.

Ad diæreſin

Quoad diæreſin: vtendum medicamentis, quę reſpiciunt Succum mordacem, exulcerantem: & quę diriguntur ad Vlcus, & ad Dolorem: nam in dyſenteria quandoque dolor acerbiſſimus patientes cruciat. C

I.
Vacuantia.

Quoad ſuccum igitur mordentem, ſi hic fuerit bilis flaua, oportet hanc vacuare: quare probatur *ſyrupus roſ. ſol. tamarindi, potiſſimum cum caſſia, pruna Damaſcena (: quæ Alexander probat: ſerum lactis chalybeatum.* His flaua bilis euacuatur, nec augetur mordacitas, nec diæreſis curationi officit. Si fuerit pituita ſalſa, exhibeantur *myrobal. Kebulæ, cum melle roſato ſoluto.* Sed quia pituita ſalſa eſt mordax: debetis hęc medicamenta diſſoluere, vel *cum ſero, vel cum hordeo,* cum detergentibus, & potiſſimum etiam refrigerantibus. Si materia fuerit atra bilis, probantur *myrobal. nigræ, ſyrup. violæ. ſolut. cum ſero, ratione caliditatis.* Si autem vlcus fiat cancroſum, hæc cum prædictione exhibebuntur: eſt enim lethale, & curari non poteſt. Si materia mordax ſit ſanies, vt in abſceſſibus: probatur *mel roſatum ſolutũ, mel viol. ſolut. cum ſero lactis.* Quoad *vſum:* hæc euacuantia quamprimum ſunt exhibenda: niſi enim hę materiæ mordaces euacuentur, prohibent vlceris agglutinationem. D

II.
Ad vlcus.
1. Mundificantia vlcus.

Porro, ratione vlceris, medicamenta eſſe debent Mundificantia, Implentia, Agglutinantia. Mundificantia leuiora ſunt. *furfures, hordeum, lupini, fumaria, mel crudum mel roſatum, mulſa, orobus. parietaria, amygdalæ amaræ, ſerum lactis, aqua Beatæ Virginis:* Vehementiora ſunt, *praſſium. gentiana, aqua oliuarum ſalitarum, aqua piſcium ſalitorum: quidam addunt vrinam.* Vehementiſſima ſunt, quæ proponuntur a Galeno c. 5. l. 9. κ. τόπ. *charta combuſta, calx viua (: non exſtincta:) cadmia, ſandaracha, ſquama æris, ſulphur, æs vſtum: & inter compoſita, trochiſci de charta combuſta.* In dyſenteria igitur his vti poſſumus, pro vlcerum diſcrimine: debilioribus, in minori vlcere; vehementioribus in grauiori. Paſtilli modo citati, ita fiunt: *Recipe chartæ combuſtæ* ʒ *x. ſandarachæ, auripigmenti, ſquamæ æris, aluminis ſciſſi, calcis viuæ, omphacii, ana* ʒ *v. croci, opii ana* ℥ *ij. conterenda conterantur, cum vino myrtino, fiant paſtilli.* Hæc fortia corriguntur: & ne vlcus fiat corroſiuum ob acria medicamenta, miſcetur omphacium, quod prohibet vlteriorem corroſionem. E Præterea Galenus calcem exſtinguit, cum ſucco plantaginis, ob eandem intentionem. Conficit medicamentum cum vino myrtino adſtringente, & prohibente corroſionem. Interdum loco vini, vtitur decocto roſarum. Reſpiciens ad dolorem, qui in dyſenteria eſſe ſolet, quia ab acribus medicamentis exacerbari poſſet, ideo permiſcet opium: pro cuius correctione crocum addit. Quoad *vſum:* fortioribus in pauca quantitate vtendum. *Modus & tempus* patent. Quoad *locum:* pro ſubſtantia mali in inteſtinis tenuibus, vel craſſis, vti debemus medicamentis: obſeruantes, vt fortiora non per os exhibeantur, ſed tantum per inferiora.

2. implentia

Implentia cauitatẽ ſunt, *ſarcocolla, maſtiche, bolus Armena, cortex thuris, cũ vino ſtiptico.* Quib. ſupra & infra, vti licet: ſi infra; addere poſſumus *conſolidã. ſine tutiam.* Nec eſt abs re, hæc medicamenta diluere cũ *cremore vel alicæ, vel cochlearum, vel teſtudinum.*

3. agglutinantia.

Agglutinantia proponuntur a Galeno c. 7. l. 4. meth. & c. de vlcere ventriculi. F Hæc vim habent ſiccandi, aſtringendi: vt, *balauſtia, gallæ, malicorium, rhus opſon. roſæ, cum decocto cydoniorum, myrtyllorum, rubi:* & niſi inflammationis ſit ſuſpicio, *cum vino etiam auſtero. Recipe baccarum myrti* ʒ *j. mala cotonea mediocria numero ij. aquæ* ℔ *v. ſcobis, ſeu limaturæ corticis vel loti arboris, vel pini* ℥ *ij. ß fiat decoctio ad tertias.* Cum Aetio licet hoc medicamento vti etiam in potu: exhibet, quantum homo bibere poteſt. Sed licet etiam infundere per clyſterem.

III.
Ad dolorẽ.

Cauſſa doloris licet vti anodynis: quæ triplicia ſunt, propriiſſima, propria, & impropria. In dyſenteria propriiſſimis vti non poſſumus, quia & calida ſunt in primo, & tenuis ſubſtantiæ, ideoque vim habent laxandi: in fluxu autem laxare non licet. Probantur igitur anodyna propria, & impropria: hæc frigida ſunt; illa ſubſtantiæ viſcidæ. Propria ſunt *ſeuum caprinum, quod eſt magis ſtipticum quam hircinum, licet hircinum magis reſoluat.* Probatur etiam *adeps ſuillus,* qui vtrumque ſeuum ſuperat in mitigando dolore: quia autem non habet vim ſtipticam, non licet eo ſyncero vti, ſed aliquid adſtringens, & magis condenſans permiſcendum. G

Anodyna digerentia.

Ad quod fundamentum reſpiciens Auicennas, vtitur *butyro, ſed cum ſanguine draconis.* Gal. c. 1. l. 12. meth. probat *ſuccũ tragi, & ſeuũ hircinũ: ceratũ roſatũ, mitigat dolorem, roborat: præterea addi poteſt cremor hordei,* vt medicamẽtũ aliqua e parte accedat & im͞pprie anodynũ, ratione alicuius ſed exiguæ frigiditatis. Probãt *cremor alicæ, ius arietis, ius caſtrati.* Ad mitigãdũ dolorẽ p̄ſtantiſſimũ eſt, ꝙ cõficit̃ *e iure inteſtinorũ brutorũ. Sicut ẽt probatur ius cõfectũ e teſtudinib. ex anguillis, e cochleis. Omitto*

caſtra-

A *caſtratorum animalium optimum eſt.* Pro clyſtere ita ordinabitur: *Recipe ſeui hircini ℥ ij. ouum integrum, iu-
ris inteſtinalis ℥ vij. miſce pro clyſmo.* Sal non imponendus. Non iniiciatur clyſter admodum calidus. Poſ-
ſumus etiam inunctione vti: *Recipe butyri ℥ ß. ſeui hircini ℥ vj. ſanguinis dracon. ℈ j. olei maſtichini, cydon.
ana ℥ ß. Miſce, & fiat inunctio.* Fomentum: *Recipe decocti tragi, hordei, alicæ, ana ℥ ij. olei maſtichi. ℥ j. myrti-
ni ℥ ß. fiat optima conquaſſatio, & pannus infuſus applicetur abdomini.* Quoad improprie anodyna, proba- Anodyna
tur *mandragora, hyoſciamus, papaueris ſemina, capita, & opium ipſum.* Sed notandum, circa *quando agen-* frigida.
dum, non vtendum eſſe his medicamentis, potiſſimum quæ opium recipiunt, niſi dolor ſit vehementiſ-
ſimus, & vires poſſint ſuſtinere; interdum enim ne ſuppoſitoria quidem ex opio ferre poſſunt. Poſt vſum
B horum, *vt Philonii, vel ſimilium, inteſtina abluenda ſunt cum vino,* vt corrigatur detrimẽtum, & frigiditas,
quæ ab opiatis induci ſolet.

Quantum ad dolorem in teneſmo, potiſſimum probantur ſuppoſitoria. In dyſenteria autem omni- Ad dolorẽ
no ſtudendum, vt homines præſeruentur a teneſmo: nam in deſcenſu materiæ acris vix fieri poteſt, vt in teneſmo.
non ſubſequatur teneſmus. Ideo fiat *ſuppoſitorium e ſeuo hircino.* Potiſſimum autem iuuat, ſi vel paretur in-
ſeſſus vel fiat euaporatio *e decocto florum verbaſci, cum butyro, cum caulibus.* Vrgente dolore, addantur et-
iam *capita papaueris. V. G. Recipe flores caulium, flores verbaſci, ana M. j. capita papau. albi. numero viij. bu-
tyri ℥ iij. aquæ ℔. vj. fiat decoctio ad quartam partem, & fiat euaporatio.* Poteſt etiam adminiſtrari fomen-
tum. *℞. chamæmeli, tapſi barbati ana M. j. flo. calendulæ M ß. fiat ſacculus, qui calefiat ex aqua feruente,
vel e vino optimo, ſi cauſſa ſit frigida, ſedique admoueatur.* Præterea in cauſſa frigida, *lignum nucis aut cupreſ-
C ſi bene calidum podici applicetur:* quod ſane opem ferre ſolet haud mediocrem. Si dolor & egerendi cona-
tus vehemens ſit, ac ſuperioribus nihil cedat, *balanis e ſeuo aut pinguedine, cum cera, miſcenda ſunt narcoti-
ca, vt philion, athanaſia, &c.*

Diæta varia eſſe debet, pro diſcrimine cauſſarum: reſpondebitque medicamentis, verbi gratia ſi fiat Victus ra-
fluxus ob diapedeſin, *vinum* eſt exhibendum, ſi ob diæreſin, nequaquam, cum ſit dyſenteria, feruor & in- tio.
flammatio in inteſtinis.

CAPVT XIIX.

De Hepatis affectibus: & primum de Hydrope.

D SAnguificatio reſpicit vitam, non meliorem vitam. Sanguificatricis autem facultatis inſtrumentum le- Iecinoris
gitimum, eſt ſola iecoris conſtitutio. Ideoque vitia illa excutiemus, vi quorum male habet iecur ſecun- affectus
dum conſtitutionem. Per conſtitutionem intelligimus temperamentum iecoris, & compoſitionem. Non præcipui.
loquor de calore innato, ſeu de ſpiritu innato (: ſunt hæc duo ſynonyma:) quia hic ſpiritus non eſt verum
inſtrumentum huius facultatis; quamuis ſæpe Galenus dixerit, ſpiritum ſeu calorem innatum eſſe ani-
mam, aut primum animæ inſtrumentum. Ratione temperamenti iecoris, agemus de Hydrope: ratione
compoſitionis, de obſtructione: ex his reliqua vitia facile patebunt.

Hydrops ita nominatur, quia neceſſario in hoc malo peccat materia ſeroſa, aquoſa, in omni hydro- Nomen.
pis ſpecie. Generatur hoc malum dum iecori aliquid præter naturam occurrit, vi cuius ita læditur ſan- Generatio.
guificatio, vt producatur materia, quæ ſit opus quoddam præter naturam: quæ, dum propellitur in ca-
uitatem abdominis, ſui præſentia ita replet cauitatem, vt abdomen augeatur. Hydrops igitur nihil aliud
E eſt, quam tumor inferioris ventris, procedens a ſeroſitate. Forma eſt tumor: qui in hydrope quando- Definitio.
que eſt morbus, quandoque ſymptoma. Si enim magnitudo hæc aucta, eſt cauſſa læſæ operationis; eſt Forma.
morbus: ſin minus, ſymptoma, quando ſcilicet tumor in abdomine paruus eſt, vt non lædatur actio ab-
dominis, ſed & muſculi abdominis, & reliquæ partes, ſuo officio fungantur. Quod ſi tum forte aliqua a-
ctio lædatur, eſt ex alia cauſſa. Subiectum proprium eſt venter inferior, ad differentiam partium aliarum, Subiectum.
& hydropis capitis, ſeu ventris ſupremi, & hydropis thoracis. Per ventrem inferiorem, intelligimus vni-
uerſum abdomen.

Efficiens cauſſa, eſt ſeroſa & aquoſa materia: ſicut enim nomen huius vitii indicat, neceſſe eſt, vt Cauſſa effi-
magnitudo fiat a materia aquoſa. Ceterum hæc materia aquoſa non ſemper ſuperat; nec fieri poteſt vt ſit ciens eſt ma
ſyncera: habet enim materiam flatulentam & pituitoſam congenitam. Diſcrimen autem eſt, quia quan- teria ſeroſa.
F doque materia aquoſa prædominatur, quandoque flatulenta, quandoque pituitoſa: prima ſpecies voca-
tur Aſcites; ſecunda Tympanites; tertia Anaſarca. Hæc materia, ſecundum Galenum capit. 2. l. 3. de ſympt.
cauſſ. eſt prauũ opus, inſequens læſam ſanguificationem. Quamuis enim iecur materiam puram gignat:
nihilominus ſæpe fit, vt ob ſuum robur & præſtantiam opus genitum in ſe non contineat, ſed expellat.
Expellit autem in hydrope in abdominis cauitatem, & ſpatium illud potiſſimum quod eſt inter perito- Fruſtratio
næum & inteſtina; non ad cauitatem inteſtinorum, ſic enim non fieret tumor, ſed materia per aluum e- ſanguifica-
grederetur. Læditur autem iecoris ſanguificatio, quia eius facultas fruſtratur, vel Læſa facultate, vel ob tricis.
Errorem externum: interdum, quia ab obſtructione impeditur: potiſſimum autem quia labefactatur fa-
cultas ob intemperiem, quæ eſt morbus, habens rationem cauſſæ efficientis tumorem, ſed remotæ, non
G proximæ. Labefactatur autem facultas ſanguificatrix, quia ſubſtantia propria intemperie afficitur. Per
propriam ſubſtantiam intelligo id, quod paſſim Galenus vocauit proprietatem ſubſtantiæ, capit. octauo, Dyſcraſia
l. tertia. de ſymptom cauſſa, quia ſanguificatrix pro proprio domicilio habet hanc proprietatem iecoris. frigida ie-
Subſtantiam appello propriam, quia ita eſt peculiaris iecoris, vt in reliquo corpore nulla ſit ſubſtantia, coris.
quæ ſimilis ſit ſubſtantiæ iecoris: quemadmodum enim domicilium facultatis viſiuæ eſt humor cryſtalli-
nus: ita facultatis ſanguificatricis ſedes eſt propria iecoris ſubſtantia. Quod ſi quis dicat vniuerſum ie-
cur eſſe domicilium ſanguificationis; ne is male dicit; quia ſanguificatio fit a propria iecoris ſubſtantia, &

A a toto iecore, vt vtrumque ad hanc actionem concurrat: quemadmodum & Philosophus dicit, non pupillam videre, sed oculum totum: actio enim est suppositorum; & ideo dico, vtrumque concurrere, tum propriam substantiam, tum iecur totum; vt *Quod*, concurrit substantia iecoris propria, tanquam quid præcipuum, ad edendum sanguificationem, non tamen perfectam: at vero totum iecur concurrit, vt *Quid*, non ad incoandum, sed ad perficiendum αἱμάτωσιν. In proposito malo labefactatur facultas, quia redditur intemperata propria iecoris substantia; cum hæc sit illud præcipuum, quod concurrit vt agens, sed per temperiem, tanquam proprium instrumentum. Hæc autem intemperies frigida tantum esse potest, non calida: nam flatus, aquositas, & pituita, sunt opera frigida; quæ, ceu effectus, testantur suorum principiorum naturam. Effectus sunt frigidi: ergo etiam calor est imbecillis, & intemperies frigida. cap. 3. l. 5. de loc. affect. Flatus etiam generari posse ab intemperie calidiore, non negamus: sed hoc non fit læsa facultate, B verum ob errorem externum. Hæc intemperies frigida solet esse humida; interdum est sicca, vt in ætate senili. Et hæc intemperies, quandoque habet congenitum iecoris tumorem frigidum, scirrhosum: imo necessario perseuerante hepatis scirrho, hydrops succedit. Porro intemperies frigida, modo intensior est, modo remissior. Semper generatur materia serosa: quia non potest esse hydrops, nisi sit aqua: verum si intensa est iecoris frigida dyscrasia, generatur aquosa materia exsuperans, vnde ascites fit: si remissior fuerit frigiditas, materia pituitosa & flatulenta dominantur. Hæc vero frigiditas interdum primam originem habet in iecore; interdum primo alias partes occupat, moxque iecori postea impertitur: verbi gratia, primo excitatur intemperies frigida in iecore, ob potum frigidiorem, hinc plus iusto refrigeratur iecur. Ob immodicum etiam sanguinis fluxum, iecur refrigeratur. Præterea interdum ob immodicam iecoris C caliditatem hydrops succedit, vt in præseruatione tunc egeamus frigidis (: nam in cura calefaciendum, quia hydropis materia fit a iecoris frigiditate.) Potest autem iecoris frigiditas etiam a caussa calida produci; quia cum violentia dissipatur calidum innatum iecoris, vt frigidum euadat. Insuper frigiditas hæc aliquando in aliis partibus primo oritur: verbi gratia, quando hydrops fiat a scirrhoso liene: tunc enim non fit, quia materia producitur a liene; sed a frigiditate iecoris, quæ caussata fuit a frigiditate lienis. Quod de liene dico, idem de reliquis partibus intelligendum, mesenterio, omento, ventriculo, diaphragmate. Generatur autem materia ob errorem externum, quoties noxia materia subministratur hepati: siue ventriculus ob intemperiem hanc materiam gignat; siue error in cibis & potu committatur.

Error externus.

Differentiæ

Quoad formam: tumor vel est Morbus, vel Symptoma: item vitium hoc in magnitudine, interdum D Annexam habet intemperiem frigidam, interdum Non. A subiecto non sumuntur differentiæ, quia abdomen vnicum est subiectum. Quoad caussam efficientem, alia Proxima est, alia Remota. Proxima est tumoris materia quæ dominatur, seu exsuperat: estque Vapor, vel Minera. Si vapor, hydrops Tympanias. Si minera, est materia vel pituitosa, & dicitur Anasarca: vel aquosa, & dicitur Ascites. Caussa remota est, ob quam hæ materiæ generantur: cuius differentias proposuimus.

Signa.

Hoc malum in genere facile cognoscitur: quia oculis & manibus ventrem præter naturam tumidiorem (: ad differentiam grauidarum:) cognoscimus. Quoad differentias formales: si tumor sit morbus, læduntur functiones non tantum iecoris, sed etiam musculorum abdominis, & septi transuersi: contra, si symptoma. Præterea, an cum magnitudine aucta iungatur morbosa intemperies; cognoscitur, quia abdominis partes non nutriuntur ob intemperiem. Quoad caussam efficientem, & primum quoad proxi- E mam; e c. 3 l. 4 de dignoscend. puls. sic cognoscitur: tangi debet abdomen, pulsari, & commoueri: nam si fuerit anasarca, ad tactum & compressum excitabitur fouea, quæ pituitæ est indicium. Si pulsu exaudiatur sonus, instar tympani, significatur flatus, & tympanites. Si cõmoueatur æger de latere in latus, & murmur, strepitus, ac veluti fluctuatio quædam aquæ secundum abdomen audiatur; est ascites. Interdum hydropes permisti sunt: verbi gratia, si in compressione obseruetur fouea, cum duritie, & pulsu sonitus non audiatur, erit tympanites: nam quia in hoc hydrope permistus est flatus, item aqua copiosa; hæc aqua prohibet, quo minus sonitus e copioso flatu audiatur: & hoc cognoscitur e duritie, quæ tactu obseruatur, indicat enim flatus copiam. Quod si ascites solus sit; nec sonitus percipitur, nec durities. Quoad caussas remotas; si materia gignatur, læsa facultate ob intemperiem iecoris frigidam, prægressæ sunt caussæ, quæ iecur potuerunt refrigerare: vt immodicus frigidæ potus, immoderatum sanguinis profluuium, tumor fri- F gidus vicinarum partium, &c. Verbi gratia, si quis patiatur tumorem lienis, & hydropicus euadat, facile caussa cognoscitur. Quod si hæc abfuerint, & vitia potius ad ventriculum pertineant: dicemus, materiam genitam esse ob errorem externum.

Indicationes.

Tumor momentaneam habet permanentiam, & remota caussa cedit: proinde non indicat vtile. Morbus indicat vtile: ideo si adest frigiditas abdominis, indiget calefactione. Vtiles igitur indicationes desumuntur a caussa efficiente. Hæc duplex est: alia proxima, alia remota. Quoad proximam: materia vaporosa, indicat vacuans per insensibiles meatus; sicut etiam minera, quatenus in vaporem conuertitur. Minera autem per se considerata, vapori contradistincta, indicat vacuans per meatus sensibiles, ideoq; euacuanda, siue sit pituita, siue aqua. Quoad caussam remotam; hæc est vel materia genita (: *nam indicatio sumitur a præsenti, ideoque non a materia generanda:*) vel caussa generans. Genita materia est, quæ nondum G producit tumorem, & nondum collecta est in cauitate (: alias enim esset proxima materia: & hæc non tantum indicat euacuans, vt materia, quæ in cauitatem fluxit, & proxima dicitur; sed etiam ratione motus & fluxionis indicat vacuans reuulsorium, deriuatorium. Caussa generans hanc materiam, est iecoris dyscrasia: quæ indicat alterans per contrarium. Quoad caussam caussæ: si morbus sit vel in liene, vel in aliis partibus vicinis, quid indicent harum partium morbi, e propriis capitibus petendum. Vitales indicationes desumuntur a subiecto; non tamen ab abdomine, quia non est pars præcipua,

Indicatio a

quæ

ſubiecto cauſſæ generantis.

quæ eam obtineat præſtantiam, vt ab ea indicationes vitales haurire cogamur: vnde interdum neglecta abdominis virtute, abdomen pertunditur. Per ſubiectum igitur hoc in loco, non intelligimus ſubiectum morbi, ſed cauſſæ morbificæ, cauſſæ generantis: quod ſubiectum eſt hepar, interdum lien, interdum ventriculus. Sed ſufficiat ſolum verſari circa iecur: quod ſane, ad ſimilitudinem ventriculi, per ſuum calidum innatum indicat moderate calefaciens, nutriens: & per proportionem ſubſtantiæ ſuæ propriæ requirit Hepaticum auxilium, quod foueat & roboret propriam iecoris ſubſtantiam.

Prognoſt.

Malum hoc ab initio non eſt incurabile: com.III.l.5. de vict.ac. Augetur periculum pro vi differentiarum, vt interdum ſpes omnis aboleatur. Quoad formam: deterior eſt hydrops, ſi tumor morbus eſt; ſi annexa intemperies frigida morboſa. Quoad differentias a ſubiecto (non morbi, quia hoc ſubiectum idem ſemper eſt) cauſſarum efficientium primarum; tympanias difficilius curatur, quam aſcites. Quoad differentias a cauſſa efficiente: ſi cauſſa proxima ſit materia flatulenta, difficulter vacuari poteſt, quia per meatus inſenſibiles educenda, vt autem reſidet in cauitate interna peritonæi, ægerrime euacuatur: quo reſpiciens Aetius, dicit: tympaniam difficilius curari. Si reſpicias ad cauſſam remotam, generantem has materias; cum materia aquoſa fiat a iecore frigido magis intenſe quam flatus & pituita: ob id dixit Auicennas, aſcitem difficilius curari. Non ergo pugnat cum Aetio, qui reſpexit ad proximam cauſſam. Præterea pro diſcrimine cauſſæ remotæ, varie etiam prædicendum. Si iecoris frigiditas ſit coniuncta ſcirrho: mors prædicenda. Et ſi fiat e ſcirrho lienis, qui ſit incurabilis; etiam impoſſibile eſt, iecoris frigiditatem, quæ fouetur a ſcirrho lienis, e toto ſuperare. Sed differentia eſt: quia ſi ſcirrhus in iecore eſt, citius perimit. Si contingat, verbi gratia, vt fiat per morbum acutum: (nam huic interdum hydrops ſuccedit, com.I.l.2. prognoſt.) vt plurimum lethalis eſt hydrops; quia in iecore eſt inſignis noxa, & virtus eſt debilis, ob morbum acutum præcedentem.

Curatio. Venæſectio.

Secanda eſt vena, dum in corpore hydropico peccat ſanguis, & virtus permittit. Virtus poteſt eſſe robuſta in quacunque hydropis ſpecie, etiam in aſcite; vnde Auicennas in aſcite abdomen perforat, cum virtus eſt valde fortis. Sanguis peccat, ſi fiat hydrops e ſuppreſſione ſanguinis menſtrui, hæmorrhoidum. com.III.l.4. de vict.acut. & hic hydrops non eſt tympanias, non aſcites, ſed hypoſarca: imo ſi eſſet aſcites, non prohiberetur venæſectio, ſi ſanguis peccaret ob ſuppreſſam aliquam euacuationem. Errant igitur qui ad ſolam auctoritatem reſpiciunt Galeni, dicentis, non eſſe ſecandam venam in hydrope, niſi ſit hypoſarca, & fiat e ſanguinis ſuppreſſione. Hinc Auicennas, ad methodum reſpiciens, dicit in aſcite ſecandam eſſe venam, dum hydropicus conqueritur de dolore lateris: ſignificans, ſi hydropicus afficiatur etiam inflammatione, pleuritide, angina, &c. venam eſſe ſecandam, cum in his malis peccatum ſanguinis ſit vehemens. Præterea in hydrope veſicatoria probantur; quæ poſſunt abdomini & cruribus opportuno tempore applicari. Probantur & fonticuli, niſi aliquid prohibeat in aſcite: prohibet autem quandoque virtus, pertinens ad crura; quia cruribus ſunt adminiſtrandi, vt colligitur e com. apho.8. ſect.6. Si enim in hydrope crura ſint tumefacta: virtus crurum prohibet exulcerationem fonticulorum: cum periculum ſit, ne vlcera putrilaginoſa, & gangrenoſa euadant. Si ergo tumida ſint crura, locum non habent fonticuli: ſi nondum ſint tumida; optimum eſt vlcera excitare fonticulis. Præterea in aſcite probatur punctio ſecundum vmbilicum, & ſcrotum, vbi hæ partes tumidiores apparent, ob aquæ præſentiam. Prodeſt etiam punctio ſecundum talum. c.3.l.9.κ.τόπ. Probatur ſetaceum circa ſcrotum, ſi pars illa eſt aqua repleta. Tandem ad abdominis perforationem confugiendum, dum ſumma eſt vis materiæ aquoſæ, vt mitioribus euacuari nequeat. Summa vehementia cognoſcitur; quando breui tempore copioſa aqua generatur. Euacuatio in hac materia, non fiat confertim, quia virtus non poteſt ſuſtinere. *Tempus*, eſt præſentia indicantis, ſi nihil prohibet. Quando ergo copioſa eſt materia, & virtus fortis; non debemus exſpectare dum patientes proximi ſint morti. Quoad *Vbi*: perforatio facienda in abdominis parte dextra, ſi lien eſt affectus; in ſiniſtra, ſi iecur; per tres digitos ſub vmbilico verſus latera. Indicatur hoc a ſubſiſtentia aquæ. Aqua indifferenter ſubſiſtit in qualibet parte ventris inferioris: nec tamen quælibet abdominis pars indifferenter aperitur: quia affectus ſecundum aliquas partes prohibet, ſecundum aliquas permittit. Dum enim affectio eſt in liene, oportet vt æger decumbat in parte ſiniſtra: & hic decubitus eſt magis commodus, ratione huius ægri: quod ſi ergo foramen in hac parte fieret, vix poſſet præcaueri, ne aqua aſſiduo egrederetur. Eadem ratio eſt de iecore. Cucubitulis etiam, & aliis cheirurgicis materiis vti licet: magna potiſſimum cucurbitula, cum multa flamma, abdomini in tympanite admoueri poteſt.

Veſicatoria, & fonticuli. *Punctio.* *παρακέντησις.* *Cucurbitula.*

Medicamenta. Vacuantia materiam remotam.

Præſuppoſitis medicamentis communibus, de appropriatis loquemur: ea ſunt Euacuantia, Alterantia, & Corroborantia. Vacuantia vacuant vel per διαφόρησιν, vel per Senſibiles meatus. Senſibiliter vacuantia, alia reſpiciunt cauſſam remotam tumoris, alia proximam. Materia remota, eſt aqua, vel pituita. Aqua euacuari poteſt per aluum, & per lotium. Per aluum euacuatur materia aquoſa *ſucco iridis ſucco ſoldanellæ, ſucco ebuli, & ſambuci.* Reſpicimus hic ad materiam, quæ nondum in abdominis cauitate eſt collecta, ſed colligi poteſt. ideoque cum adhuc ſit in venis & ductibus, non egemus remediis vehementiſſimis, nec ad elaterium aſcendendum. Pituitoſa materia euacuatur *agarico, carthamo*: non licet vti colocynthide. De rhabarbaro nihil dicimus, quia in hydrope eſt inſtar peſtis: cum non bilis, ſed pituita ſit euacuanda. Vtendum igitur agarico: non vehementioribus: quia reſpicimus ad pituitam, quæ reſidet circa iecur, & partes vicinas. *Vſus. Quantum*: ſucci propoſiti exhiberi poſſunt a ℥ ij. ad ℥ vj. Et his vtendum, toto ferme morbi proceſſu, non tantum ante vehementiora, ſed & poſt, prout aderit præſentia huius materiæ, quæ regeneratur, & nondum eſt perducta ad locum, vt tumorem efficiat. Licet etiam gratia huius materiæ vti diureticis proprie dictis. Quoad *modum*: potius adminiſtrentur in puluere: quia omnis materia humida, ſua humiditate actuali nocet.

Quæ cauſſam proximã tumoris ſenſibiliter vacuant: debent eſſe efficaciſſima. Ratione aquæ igitur pro-

Vacuantia materiam proximam.

bamus *elaterium, antimonium:* quia hæc materia reperitur in illa cauitate abdominis, quæ eſt inter peritonæum & inteſtina, vbi non ſunt meatus: vnde neceſſarium eſt, vt medicamentum ſumma violentia attrahat materiam illam aquoſam: ideo licet vti *elaterio ad ℥ij. iij. iiij. & vltra, cum pilulis alephanginis, pro correctione elaterii.* Ratione pituitæ, adſcendendum *ad trochiſcos alhandal, qui conficiuntur e colocynthide: probantur pilulæ fœtidæ, de euphorbio. Vſus: quando:* His vtendum poſt mitiora: primum enim mitioribus vtendum, deinde valentioribus, & rurſus validioribus, pro præſentia materiæ vel proximæ, vel remotæ. Quoad euacuantia inſenſibiliter; probatur *medicamentum e cochleis, Aetii: medicamentum ex artemiſia, decocta in vino generoſo, & dictamno Cretico. Emplaſtra e baccis lauri maxime probantur. Si mittatur homo in aceruum frumenti, ſub radiis ſolaribus: eſt mirabile. Sudorifera probantur, & præſertim nouum illud inſtrumentum ligneum, quod ad exigendos ſudores, in morbo potiſſimum Gallico, iam vſurpari ſolet. Probatur emplaſtrum confectum ex albo veratro: vnguentum Aggrippæ.*

Alterantia, & roborantia.

Roborantia ſint calida, vt *decoctum guaiaci, ſaſſafras: item hepar lupi valde commendatur.* In viuendi ratione, ab omni humido abſtinendum.

Capvt XIX.

Plenior affectuum iecoris explicatio: & primum de vitiis ad hepar, vt membrum ſimilare, ſpectantibus.

Morbi iecur infeſtantes.

IEcur poteſt conſiderari, vt membrum ſimilare & diſſimilare: ideoque variis morbis affici poteſt, cap. 6. lib. 8. κ. τόπ. c. 7. l. 5. loc. aff. Ratione partium ſimilarium affici poteſt iecur Intemperie; item Imbecillitate, quam vocant hepaticam affectionem; preterea Cachexia & Hydrope. Ratione partium diſſimilarium affici poteſt iecur Obſtructione. Quod ſi conſideretur iecur ſimul & vt ſimilare, & vt diſſimilere; afficitur Inflammatione, Scirrho, Vlcere. Inflammatio, quatenus eſt intemperies, pertinet ad partes ſimilares, quatenus tumor, ſeu magnitudo aucta, ad diſſimilares pertinet. Idem dicendum de tumore ſcirrhoſo. Vlcus eſt ſoluta vnitas, quæ in partibus ſimilaribus & diſſimilaribus locum habet. Si iecur conſideretur ratione ſuæ proprietatis, vt pars determinata: poteſt detineri morbo Gallico, de quo nos infra operis huius libro qincto agemus.

De iecoris Intemperie, Imbecillitate, Cachexia, & Hydrope: primo quidem de Definitionibus, & Cauſſis.

Dyſcraſiæ nomen.

PEr intemperiem intelligimus morboſam: quia verſamur in parte curatrice, non in parte tuendæ ſanitatis. Galenus enim cap. 4. lib. 2. temper. aliam facit intemperiem ſanitatis, cuius ratione membrum eſt vel neutrum, vel in ſalubre, perſiſtit tamen intra latitudinem ſanitatis. Alia intemperies eſt ægritudinis, cuius ratione membrum egreditur limites ſanitatis, & non eſt amplius neutrum, ſed ægrum. *Eſt autem intemperies, temperamentum naturale immutatum, lædens operationes iecoris.* Eſt craſis naturalis immutata: quia dum fit intemperies, fit morbus, qui procedit ex immutatione naturalis temperamenti. Eſt autem temperies mutata: & propterea morbus non eſt in fieri, ſed in facto eſſe: morbus non conſiſtit in mutatione, ſed in mutato eſſe. Quæ autem ſint cauſſæ, ob quas naturale temperamentum immutatur; diximus cap. de intemperie ventriculi, verbi gratia, cibus calidior, medicamentum calidius; hæc enim vt ventriculum calidiorem reddere poſſunt, ita etiam iecur. Quod de cauſſa calefaciente dicimus; idem de refrigerante, & reliquis dicendum. Facultas iecoris attractrix & alteratrix potiſſimum læduntur ob intemperiem frigidam: retentrix ob dyſcraſiam humidam: expultrix ob ſiccam. cap. 2. l. 3. de ſymp, cauſ. Hinc colligendum, ſi iecur afficiatur intemperie frigida; ſuccedere hepatis imbecillitatem, cachexiam, & hydropem, quando enim non eſt admodum intenſa intemperies, fit iecoris imbecillitas, ſi intenſior, fit cachexia, ſi adhuc magis intendatur, fit hyprops.

Dyſcraſia iecoris quid?

Imbecillitas hepatis.

Imbecillitas iecoris vocatur affectus hepaticus, per quem interdum Galenus videtur intelligere frigidam intemperiem. At lib. 8. κ. τόπ. imbecillitatem iecoris etiam ex aliis intemperantiis oriri, ſtatuit; cum dicit, pleraſque hepatis affectiones, initium ducere ab illis deiectionibus, in quibus excreta ſimilia ſunt loturæ carnis animalis recens mactati. Verum quidem eſt: quod illæ deiectiones non perſeuerant, dum malum progreditur, ſed mutantur, pro diſcrimine intemperiei: vnde optime locutus eſt Galenus, quando dixit, initium capere a deiectionibus. Inter initia ſunt illæ deiectiones; mutantur autem malo progrediente, vt infra in ſignis trademus. Et forſan Altimarus hoc non vidit, Exquiſita imbecillitas & proprie dicta, refertur ad intemperiem frigidam; ratione cuius attractrix iecoris non attrahit, vt deberet; & ſanguificatrix diminute ſanguificat; vnde imminuitur functio attractricis & alteratricis, ratione frigiditatis. De cauſſis autem intemperiei frigidæ, locuti ſumus cap. de intemperiei ventriculi.

Cachexia.

Quod ſi frigida iecoris intemperies magis confirmetur; introducitur Cachexia, id eſt, malus habitus totius corporis: quod vitium eſt via ad hydropem, ſicut imbecillitas ad cachexiam. Fit cachexia (quicquid dicat Altimarus) quando non fit bona nutritio, ob tertiam coctionem læſam. Læditur autem coctio hæc tertia, (ſicut etiam coctio ventriculi, c. 1. l. 3. de ſympt. cauſ.) non tantum ob intemperiem partium, vt Altimarus velle videtur; ſed etiam ob errorem externum, id eſt, ob vitium alimenti: maxime cum vitium primæ coctionis non poſſit corrigi in ſecunda; nec ſecundæ vitium in tertia. Læditur ergo coctio illa tertia, ob noxium alimentum, id eſt, ob vitioſum & improbum ſanguinem, qui generatur ratione intemperiei iecoris frigidæ. Hæc autem eſt Exquiſita Cachexia. Notha enim ſecundum Auicennam fieri poteſt, etiam ob vitium pulmonis: quando aqua in pulmone colligitur. Quare *Cachexia eſt deformitas totius procedens ab intemperie frigida iecoris.* Hinc colligitur, malum hoc eſſe ſymptoma, conſiſtens in qualitate mutata: quæ qualitas mutata refertur in frigidã intemperiem iecoris, tanquam in morbum præcipuum.

Si in-

A Si intemperies magis magisque confirmetur, cachexia degenerat in hydropem, seu aquam inter cutem. Hoc malum fieri nequit, nisi iecur afficiatur frigida intemperie. Temperamentum enim iecoris mutatur in frigidius, vt alimentum non conuertatur in probum sanguinem, sed vel in aquositatem, vel in sanguinem pituitosum, vel in flatus. Et hic est hydrops exquisitus, in quo iecur per essentiam afficitur; ad differentiam Nothi hydropis. Gal. c. 7. l. 5. de loc. aff. dicit, in hydrope affici iecur, interdum primario, interdum secundario. Quod male quidam interpretantur; interdum per essentiam, interdum per consensum. Si enim in omni hydrope iecur afficitur dyscrasia frigida; quomodo potest affici per consensum? Quare statuendum, iecur semper per essentiam affici: frigidam tamen hanc dyscrasiam aliquando in iecur primo introduci, interdum primo in alias partes, & ab his postea in iecur, verbi gratia, si quis post ieiunium bibat aquam frigidissimam & copiosam: verisimile est, hinc iecur primo refrigerari, ob quam refrigerationem non fiat bona sanguificatio. Interdum autem ab aliis partibus frigiditas iecori impertitur. ca. 5. l. 2. ad Glauc. vt, si ob scirrhum lienis hydrops oriatur: cum enim ratione tumoris lien reddatur frigidus, hanc suam frigiditatem iecori communicat, vt iecur afficiatur frigido morbo. *Hydrops ergo est tumor ventris productus ab intemperie frigida iecoris.* Tumor interdum est morbus, si ad insignem perducatur magnitudinem, vt functionem lædat, interdum est symptoma, cum non lædit functionem, vt explicatur cap. 12. l. de diff. morb. Quare Galenus ad varia respiciens, varie loquitur: nec ob id sibi contradicit, vt Argenterius existimat; nam in lib. de tumoribus præter naturam, circa finem, connumerat hydropem inter tumores, quatenus est morbus. Ad l. de diff. symp. c. 4. vult, hydropem esse symptoma, & quidem in genere functionis læsæ. At obiicitur: si tumor est symptoma; non tamen est læsa actio, sed qualitas mutata? C Respondendum Galenum loco citato, hydropem considerare vt symptoma est, non ventris inferioris, sed iecoris: iecoris morbus est frigida dyscrasia; symptoma vero est læsa sanguificatio. Dicitur tumor ventris inferioris, ad differentiam hydropis, qui fit e pulmone, & est tumor in ventre medio. Hic tumor ventris inferioris, producitur a frigida intemperie iecoris, ad differentiam hydropis nothi. Porro frigida iecoris intemperies in hydrope semper adest, secundum Auicennam; quia calor iecoris imminuitur, tum quia resoluitur, tum quia interdum extinguitur: nam calor iecoris naturalis interdum repente imminuitur, interdum autem longiori temporis spatio remittitur. Et hoc Auicennas desumsit e Gal. com. 1. l. 2. prognost. & cap. 7. l. 5. loc. aff. c. 5 l. 2. ad Glauc. & com. aph. 22. sect. 3. Addit Galenus, intemperiem hanc frigidam, esse vel Cum tumore iecoris, vel Citra tumorem. Dum est citra tumorem: hoc fit, vel ratione D caussæ Calefacientis, & proinde dissoluentis calorem naturalem: sicut minor flamma a maiori dissipatur, vt etiam insinuat Alexander) vel ratione caussæ Refrigerantis. Quæ autem sit caussa calefaciens, quæ refrigerans: dictum est in ventriculi intemperie, verbi gratia, immodicus vsus medicamētorum calefacientium, vsus frigidorum, copia frigidæ. Admonet Gal. imminui calorem iecoris, quia caussæ calorem imminuentes, agunt in iecur, vel Immediate, vel per Medium. Immediate, dum, verbi gratia, e potione frigidæ iecur refrigeratur (hic in curatione respiciendum ad iecur, non ad aliam partem.) Interdum caussæ agunt per medium; quod vel est Totum corpus, vel aliqua corporis Pars. Totum corpus multis de caussis refrigerari potest: interdum propter febres, quæ calorem dissoluunt; interdum ob immodicas euacuationes, quæ corpus refrigerant: idem accidit ob suppressam vacuationem consuetam, vel mensium, vel hæmorrhoidum: sic enim totum refrigeratur, & frigiditas iecori impertitur. Pars autem refrigerata iecori impertitur frigiditatem, vel per simam partem, vt refrigeratus ventriculus, refrigerata intestina, mesenterium E refrigeratū, lien vitio frigido laborans: vel pars iecori frigiditatem cōmunicat, per vias spectantes ad partem gibbam, vt sunt partes spiritales, nimirum pulmo; item renes & vterus. Hæ sunt caussæ hydropis.

Sed pro recta hydropis curatione, paullo altius caussas eius rimari oportet. Hydrops omnis fit a iecoris frigiditate: com. aphor. 11. sect. 4. attamen discrimen est: nam, si intensior sit frigiditas, oritur Ascites, quia aqua producitur, seu aquositas, & sanguis serosus: si frigiditas remissior, producitur vel sanguis pituitosus, vnde Hyposarca, vel flatus, vnde Tympanias. Loquemur ergo de caussis materiæ aquosæ, pituitosæ, & flatulentæ.

Materia aquosa, secundum Auicennam, est caussa coniuncta ascitis, seu tumoris abdominis (non intemperiei frigidæ, cuius est effectus.) Hæc materia aquosa frigida est & humida, quia producitur ab in- F temperie, non calida, sed frigida: effectus autem sapiunt naturam suarum caussarum: item oritur e potione frigidæ, ex vsu cucumeris, anguriæ, melonum. Hæc aqua dum egreditur per abdomen, aut per alias vias, fœtet, nec videtur putredinis expers: vnde qui ascite laborant, interdum magna siti afficiuntur; vapores enim ab aquosa materia prodeuntes, calidi, siccique, petunt os ventriculi. Frigida quidem hæc est materia, quia producitur a frigido: sed postquam genita est, cum sit excrementitia, & resideat in loco, qui familiaris & naturalis nō est aquositati; putrescit, & ratione putredinis calorē acquirit: vnde sitis, & reliqua fiunt. Hæc materia aquosa, est portio cibi & potus: quos dum natura conficere non potest, producit sanguinem aquosum: interdum & lotium ipsum permiscetur: nam ascite laborantes, exiguum reddunt lotium. Residet hæc materia inter Zirbum & Siphac, id est, inter omētum & intestina, vt pertingat etiam ad diaphragma. Sed dubitatur, cur hæc materia in corpore colligatur? & cur potius in proposito loco, quam G in aliis? item per quas vias in hanc abdominis capacitatem deferatur. Secundum Auicennam, colligitur hæc materia in corpore, vel ratione Facultatis, vel ratione Materiæ, vel ratione Viarum. Ratione facultatis, vel Segregantis iecoris, vel Attrahentis renum. Dum enim iecur est robustum, & optima fit sanguificatio: fit etiam segregatio & expulsio excrementorum, & proinde serositatis: quæ omnia fiunt a valido iecore. Sin accidat, vt iecur frigidius euadat; non potest propria munia obire, non recte sanguificat, non segregat: & hic est exquisitissimus hydrops, quia fit vitio iecoris. Si autem renes consideremus, dum sunt robusti, valide attrahunt: dum imbecilles sunt, & præsertim dum frigidi, non attrahunt, &

Hydrops.

Definitio hydropis.

Frigida iecoris intemperies: & huius caussæ.

Caussæ triū hydropis specierum.

Ascitis caussæ.

Quibus de caussis materia aquosa in corpore colligatur.

proinde serositas colligitur. Et hic est hydrops spurius: præsertim si cum frigiditate renum, non fuerit A coniuncta frigiditas iecoris. Vitio autem materiæ hoc fit; quoties materia vel plurima est (vt Auicennas inquit) vel non bene digesta. Plurima est, cum aliqui frigida copiosissima vtuntur. Et animaduertendum; si accidat, vt simpliciter retineatur potio, & venter intumescat, hic est hydrops spurius, qui facile tollitur: Si vero non modo detineatur potio, sed etiam refrigeretur iecur; tunc hydrops est legitimus. Materia autem non bene digesta est, dum non bene concoquitur a iecore: & hic est hydrops exquisitus. Ratione viarum fit hydrops, quoties viæ angustantur, & potissimum viæ ad renes pertingentes. Angustantur autem vel ratione materiæ copiosæ, crassæ, vel viscidæ, interdum ratione calculi, ratione apostematis, inflammationis. Hæ caussæ sunt, per quas materia in corpore retinetur. Sed cur potissimum residet in cauitate B abdominis? Auicennas dicit hoc fieri, ob imbecillitatem partium, ob propinquitatem, & ob minus incommodum. Ob imbecillitatem partis: quia partes debiles facile suscipiunt: illa autem pars laxa est & debilis. Accedit propinquitas: est enim cauitas illa maxime proxima parti affectæ: quia iecur in ventre inferiori residet. Denique minus detrimentum est: nam copiosa aqua diu potest in illa cauitate detineri, citra ægri interitum, & citra dolorem.

Cur materia potissimum in abdomine coaceruetur.

Quibus viis materia aquosa in abdomen confluat.

Sed per quas vias hæc aquositas defertur? Plures sunt modi propositi ab Auicennas. Primus esse potest, quem proponit Galen. com. 55. sect. 7. vbi vult, iecur interdum scatere quibusdam pustulis, seu vesicis, aqua repletis, quæ postea, dum disrumpuntur, sunt in caussa, vt necessario illa aquositas in abdominis cauitatem dilabatur. Interdum citra has vesicas materia in iecore residet, & in cauitatem fluit. Interdum fluit per venas mesaraicas. Interdum per vmbilicales venas, quæ disrumpuntur. Interdum hic fluxus fit, si vas aliquod vrinarium disrumpatur: tunc enim serosa materia confluit in cauitatem abdominis. Et hic est C exquisitus hydrops, in quo materia gignitur a frigiditate iecoris: & nisi ab hac gignatur, non est exquisitus hydrops, per quascunque vias materia fluat.

Hyposarcæ caussæ.

Quod de aqua & ascite iam diximus; idem dicendum de sanguine pituitoso, de hydrope hyposarca: qui, si exquisitus esse debet, necessarium est, vt sanguis pituitosus gignatur a iecoris frigiditate. Hinc Auic. dicit, in hyposarca tertiam coctionem lædi, ita vt materia alimentalis partibus adhærere nequeat; vnde partes tument, & fit tumor œdematosus. Hæc coctio læditur, vel vitio Partis, vel vitio Materiæ. Ratione partium corporis; cum refrigeratæ sunt, vt contingere solet iis, qui degunt in locis humidis, palustribus, in carceribus humidioribus: ob has enim caussas extimæ partes corporis, ita refrigerantur, & languent, vt, licet ad partes optimum deferatur alimentum, non tamen mutari possit, nec regi a partibus tumenti- D bus. Et hic hyposarca nothus est, quia non fit vitio iecoris. Vnde hyposarca interdum non admodum difficulter curatur; si scil. non sit exquisitus. Interdum coctio tertia læditur vitio materiæ. Hæc materia, quæ efficere caussat tumorem totius, interdum est materia non pituitosa, sed liquefacta; quemadmodũ accidit in febribus. Quando igitur colliquamenta fiunt & angustia est in viis renum: nõ est impossibile materiam liquefactam, protrudi ad externas corporis partes: quæ cum non possit in substantiam partium conuerti, intumescunt partes. Sed hic spurius est hydrops, imo neque hydropis nomen meretur: cum potius fiat ratione caussæ cal facientis. Interdum est materia pituitosa, quæ ad partes defertur: ideoque cum vitiosum alimentum affluat, læditur coctio, non vitio partium, sed vitio ipsius materiæ. Hæc autem materia triplicem habere potest generationis modum. Primum enim hæc materia pituitosa produci potest, ob victum pituitosum: & hic non est hydrops legitimus. Deinde hæc materia fieri potest ob errorem ventriculi, ob dyscrasiam ipsius: & frequenter solet contingere eiusmodi hydrops, sed non est exquisitus, cum non fiat E vitio hepatis, sed ventriculi. Tertio fieri potest a frigiditate, & diminuto calore hepatis: & hic est hydrops anasarca exquisitissimus.

Tympaniæ caussa.

Idem prorsus dicendum de materia flatulenta, quæ tympanitis est caussa Hæc materia flatulenta producitur, vel ratione Materiæ, vel ratione Agentis, secundum Auic. quod a Gal. desumsisse videtur, qui c. 7. l. 14. meth. vult, materiam flatulentam generari, interdum a calore diminuto, interdum a calore auctiore reddito: nec enim flatus tantum producuntur a frigida intemperie. Quod si materia flatulenta producatur ab intensiori calore; hoc necessario fit ob materiæ vitium, quæ suapte natura est flatulenta, vt sunt legumina: Et hic hydrops non est exquisitus, cum non fiat ob iecoris frigiditatẽ. Si flatus fiant vitio agentis: in tympania multiplex potest esse agens: nimirum intestina frigida, ventriculus frigidus: interdum cõ- F tingere potest, vt iecoris intemperies potius calida sit, quam frigida, inter initia, quando fit vitio ventriculi, non iecoris. At si fiat iecoris vitio, est exquisitissimus hydrops. Sed oritur dubitatio: nam com. aph. 11. sect. 4. dicitur, ascitem produci ab intemperie frigidiori; hyposarcam & tympaniam, a remissiori. Hinc ergo sequi videretur: quod, sicut iecur primo remisse, deinde intense frigidum fit, ita etiam patiens primo hyposarca, vel tympania, postmodum ascite, apprehendi debeat? Cui tamen experientia repugnat; cum multi ab initio statim ascite, eoque legitimo, corripiantur? Responsio: Caussæ refrigerantes interdum adeo sunt potentes, vt breuissimo temporis spatio inducant dyscrasiam intense frigidam: vnde quamprimum fit, ascites. Præterea notandum, has materias in hydrope plerunque esse permistas, vt interdum tumor abdominis producatur e materia pituitosa, & aquosa, & flatulenta. Frigida enim intemperies, siue intensa sit, siue remissa, has materias potest producere: idq; ob diuersitatem materiæ & ciborum, non G ratione agentis: sic cibi quædam partes sunt aquosæ; aliæ quæ facile in pituitam vertuntur, nonnullæ quæ in flatum. Idem in sanis quoque conspicimus: iecur enim sanum, vnica constans temperie, per eam e variis ciborum partibus, non tantum sanguinem generat, sed etiam alios succos alimentales.

Dubium.

De Differentiis.

Differentiæ.

INtemperies, vel est Sine materia, vel Cum materia. Quæ sine materia, est Simplex vel Composita, vt diximus cap. de intemperie ventriculi. Si cum materia: hæc est sanguinea, pituitosa, biliosa, melancholica, flatu-

A flatulenta. Cum autem intemperies frigida occurat: si remissa fuerit, oritur Imbecillitas dicta: si intensior, Cachexia: si adhuc intensior, Hydrops: Et, si ratione dyscrasiæ frigidæ intensioris, producatur pituita, fit Anasarca; si flatus, Tympanias, si aqua, cum summa est intemperies, fit Ascites.

De Signis.

Dyscrasiæ iecoris signa.

AD iecoris dyscrasias cognoscendum, oportet excrementa inspicere, c.7.l.5.loc.aff. Si enim hæc vitiosa sint, & nullus error cōmissus in cibis, ratione vel quantitatis, vel qualitatis, vel ordinis: statuendum, esse vitium aliquod internum, id est, intemperiem alicuius partis, potissimum ventriculi, vel iecoris: id quod e corporis colore internosci potest: si enim nulla in corporis colore appareat mutatio, intemperies B est ventriculi; si color mutetur, iecur intemperatum est. Nos ad hoc signum a colore sumtum (cui multum Galenus tribuit, vt etiam Auicennas, cap. proprio) alia addere possumus. Dum enim ventriculus læditur, nō modo excrementa sunt mutata, sed etiam aliquid chyli excernitur. Quæ autem sit intemperies, num calida, frigida, humida, sicca; cognosci potest e cap. de intemp. ventriculi: & ex iis, quę proponit Galenus c.6.l.8.κ.τόπ. Verbi gratia, si calidior fuerit intemperies, aderit cibi inappetentia, potionis appetentia, id est, sitis: pulsus frequens, velox: deiectiones biliosæ. Et quia intemperatum est iecur, interdum etiam aliquid sanguinis egreditur, vt quidam dysenteriam esse suspicentur, sicut Galenus dicit, cum tamen non sit: vomitus biliosus, interdum bilis æruginosæ, secundum Alexandrum, lotium flauum: caliditas mordax, præsertim secundum plantas pedum, & volas manuum: scabrities linguæ: corpus emaciatum. His addi possunt caussæ calefacientes prægressæ: item quod ægri calidis læduntur, iuuantur frigidis. Si dyscrasia, C frigida: erit potius cibi appetentia, nulla sitis, pulsus tardus, rarus; excrementa pituitosa, &c. Si humida intemperies; nulla sitis, pulsus mollis, excrementa humidiora: lotium spissum, crassum, secundum Auicennam, neque corpora gracilia: præcessere caussæ humectantes, iuuantur siccis, læduntur humidis. In sicca intemperie, omnia sunt opposita. Quod de intemperie simplici diximus: item de composita statuendum, signis coniunctis. Si intemperies annexam habeat materiam: num hæc materia sit sanguis, bilis, pituita, melancholia, flatus: cognosci potest ex iis, quæ diximus cap. de intemp. ventriculi.

Imbecillitatis hepatis signa.

Hepatica affectio, cognoscitur ex excrementis. cap.7.lib.5.loc.aff. cap.6.l.8.κ.τόπ. Non sufficit, eam indicari e subrubicundis excrementis, quæ similia sunt loturæ carnis, &c. sed cum imbecillitas hepatis multiplex sit; distincte cognoscendum, quænam facultas potissimum lædatur. Si enim læsa fuerit attractrix: deiectiones erunt liquidæ, chylosæ, quia chylus non attrahitur. Si alteratrix, id est, sanguificatrix; D tunc apparebunt deiectiones illæ, similes loturæ carnis. Si retentrix fuerit debilis; non tantum hæ deiectiones apparebunt, similes loturæ carnis, sed etiam frequens erit deiectio, quia retentrix læsa, non retinet, vt opus est: hoc non fit dum alteratrix læditur. Si expultrix læditur: potius est alui stipticitas, & exiguæ deiectionis.

Cachexiæ signa.

Malus habitus facilime cognoscitur: totius enim corporis habitus subtumidus veluti est. Sed distinguendum, an hoc vitium productum sit, vel ratione partium externam corporis, vel ratione materiæ. Si vitio partium; præcesserunt caussæ, quæ potuerunt partes labefactare, refrigerare, humectare, verbi gratia, si quis decubuerit in carceribus subterraneis, in locis frigidis & humidis. Si nihil tale præcesserit; iudicandum, cachexiam ortam esse, ratione materiæ, seu praui alimenti ad partes delati. Vtrū autem alimentum hoc vitiosum sit redditum, vel ob errorem externum in cibis, vel ob vitium ventriculi, vel ob vitium E iecoris; e propriis capitibus cognoscendum: si præcessit praua viuendi ratio; si sunt indicia læsi ventriculi: his nō apparentibus, indicatur hepatis intemperies. Cachexia autem triplex est: nam est via ad hydropem, vel ascitem, vel hyposarcam, vel tympaniam. Si via fuerit ad tympaniam; flatus dominantur, sunt querelæ de flatibus: vnde tympanites imminet. Si hyposarca immineat; in toto corpore apparet veluti flauities quædam & extumescentia, initium œdematosi tumoris, qui sane non apparet in cachexia tendente ad ascitem, vel tympaniam. Si ascites immineat; lotium sensibiliter imminui conspicitur.

Hydropis signa.

Hydrops facile cognoscitur e tumore ventris inferioris, qui effatu dignus est: adest sitis, difficultas anhelitus, &c. Præterea e comm.3.lib.2.prognost. adest tumor pedum, in omni specie hydropis, magis tamen in vna, quam in altera. Quoad signa differentiarum: num hydrops originem duxerit a caussa vel ca- F lefaciente, vel refrigerante; cognoscitur ex iis quæ fuere prægressa. An hydrops subsistat, vel cum tumore scirrhoso iecoris, vel citra: cognoscitur ex indiciis tumoris scirrhosi; de quibus proprio capite. Præterea oportet distinguere, an caussa hydropem faciens, agat in iecur vel per aliquod medium, vel immediate: Si enim nullum fuerit vitium in toto, si nulla etiam sit noxa in parte corporis; certe hydrops ortus est a caussa, quæ sine medio iecur reddidit intemperatum, verbi gratia, si hydrops frigidæ potum secutus est: cui dubium est, sine medio eum esse caussatum? Quod si, verbi gratia, præcesserit scirrhus lienis; patet quod ex hoc duxerit originem. Si solita vacuatio sit suppressa; facile est cōcludere, e toto originem duxisse, & a toto iecur fuisse affectum. Quoad species hydropis: e cap.3.lib.4. de dignosc. puls. oportet abdomen tangere, percutere, & ad latera conuoluere. Compresso enim abdomine, si fouea inducatur, tanquam in pasta; est anasarca, tumor œdematosus, pituitosus. Si pulsu sonitus audiatur, vel etiā durities per- G cipiatur; est tympanites: percussio enim & collisio flatuum, edit strepitum. Sed præterea etiam duritiem considerare oportet: si enim percusso abdomine hydropici, non audiatur sonitus, interim autem sit durities; etiam tunc est tympanias: nam durities illa non potest fieri a pituita, nec ab aqua, sed a flatu. E duritie ergo infertur tympanites, licet non sit sonitus: sed is non est verus tympanites, sed permistus cum ascite. vnde cum venter sit repletus flatu, & aqua; ratione flatus fit durities; aqua autem impedit, quo minus sonitus possit audiri. Si deuoluto ægro de latere in latus audiatur fluctuatio: cognoscitur aquositas, & ascites. Cognito ascite, quæritur an aqua genita sit vitio vel virtutis, vel materiæ, vel viarum. Si

vitio virtutis;vel iecoris non ſegregantis,vel renum, non attrahentium. Cognoſcitur autem e ſignis indicantibus intemperiem frigidam iecoris: de quibus diximus: e ſignis indicantibus intemperiem frigidam renum:de quibus capite proprio.Si fuerit ratione materiæ: vel eſt copioſa, vel non bene digeſta. Si copioſa:præceſſit frigidæ potus immodicus.Si non bene digeſta:aſſunt ſigna cruditatis, excrementa cruda,vt ſupra diximus.Si ratione viarum:cognoſcitur, quia eſt anguſtia, vel in renibus, vel in vicinis partibus. Et de obſtructione renum, dicendum in proprio cap.Idem dicendum de hypoſarca: oportet enim cognoſcere,an productus ſit,vel vitio partium,vel materiæ: idque e cauſſis prægreſſis. Materia ſua habet ſigna indicantia. A

De Indicationibus. B

Dyſcraſia quid indicet.

IN intemperie,oritur indicatio alterandi per contrarium. cap.3.libr.2.meth. cap.3.lib.7.method.&pro ſpecie dyſcraſiæ,diuerſa oritur indicatio alterandi, ſiue ſimplex fuerit intemperies, ſiue compoſita. Si materia ſit coniuncta: præter alterationem, oritur indicatio euacuandi: euacuatio autem pro materiæ varietate variat, verbi gratia, ſi dyſcraſia eſt cum materia ſanguinea, oritur indicatio euacuandi ſanguinem,&c.

Imbecillitatis indicationes. Cachexiæ indicationes.

Imbecillitas pendet e frigidiore iecoris intemperie:ergo oritur indicatio calefaciendi.

Quoad cachexiam;indicationes hauriendæ ſunt a partibus extimis;a materia quæ decumbit in partes extimas;atque a iecore,hanc materiam producente. Si conſideremus extimas partes, quæ veluti ſubtumidæ apparent:conſiderari oportet imbecillitatem partium,quæ poteſt eſſe natiua,& aſſcititia. Natiua C non indicat,dependet enim e lege naturæ,quia a natura factum eſt, vt in corpore aliquæ partes eſſent robuſtiores,tranſmittentes;aliquæ imbecilliores,vt ſunt partes externæ: vnde partes extimæ non ſunt corroborandæ,quia remearet materia in viſcera,in partes principes, quæ a natura redditæ ſunt robuſtiores. Imbecillitas partium aſcititia originem ducit ex erroribus, qui committuntur circa habitationem in locis frigidis,& ſubterraneis humidioribus:vnde hæc imbecillitas conſiſtit in intemperie frigida & humida partim.Ratione ergo huius imbecillitatis aſcititiæ oritur indicatio roborandi,partes externas calefaciendi & ſiccandi,vt beneficio huius roboris poſſit alimentum a toto regi.Si conſideremus materiam, quæ eſt in cauſſa cachexiæ,oritur indicatio euacuandi,quæcunque ſit illa materia,quia noxia eſt.Si conſideremus partem generantem,eſt iecur frigidum:quare oritur indicatio roborandi,id eſt,calefaciendi iecur; prius tamen totius habita prouidentia.

Hydropis indicationes.

In curatione autem hydropis,Galenus tres intentiones proponit, circa finem l.2.ad Glauc.Primo, D vt ſanemus durum tumorem viſceris. Secundo, vt admoueamus, quæ poſſunt humiditatem exſiccare. Tertio,vt in potu præbeamus præſidia,quæ vrinam ciere poſſunt. Hæc dicta ad rei naturam reuocanda. Hydrops igitur eſt tumor ventris infimi,productus a frigida hepatis intemperie. Reſpiciendum ergo ad tumorem,& ad cauſſam tumoris. A tumore oritur indicatio euacuandi materiam, e qua tumor producitur,ſiue ſit aqua,ſiue flatus,ſiue pituita,&c. Et hoc eſt,quod Galenus dicit, applicanda eſſe medicamenta humores diſſipantia,id eſt,quæ eradicant humorem abdominis. Quoad cauſſam: hæc duplex eſt:materia, quæ nondum fluxit in ventrem,licet genita ſit,fluere tamen poteſt:altera cauſſa,eſt frigida iecoris intemperies.Materia genita,quæ nondum fluxit in cauitatem ventris inferioris; indicat reuellentia, & potiſſimum deriuantia materiam per lotium, ſi materia talis ſit, quæ facile poſſit per illas vias deduci: ſi alia eſt, E per aluum.Hinc Galenus,ratione aquoſitatis,in potu offert diuretica, vt fiat deriuatio materiæ ad renes, & vias lotii. Vitium iecoris eſt cauſſa,vi cuius poteſt noua noxia materia generari: ratione huius vitii oritur indicatio roborandi iecur:ſi tantum eſt frigida intemperies,oritur indicatio calefaciendi: At ſi iecur, non tantum afficitur frigida intemperie,ſed etiam tumore ſcirrhoſo, & proinde afficitur mala compoſitione:oritur,indicatio,non tantum calefaciendi;ſed etiam,ratione duri tumoris, molliendi & diſcutiendi:vnde Galenus proponit ſanantia durum viſceris tumorem,reſpiciens ad vitium iecoris, ad cauſſam generantem nouam materiam. Tres igitur præcipuos ſcopos Galen.propoſuit: diſcuſſionem tumoris;reuulſionem materiæ,& roborationem iecoris.

De Prognoſticis.

Dyſcraſia.

IEcoris intemperies vitium eſt non contemnendum: quia viſcus læſum eſt præcipuum, quod natura, F quantum poteſt,tueri conatur:ideo dum intemperatum euadit,vitium non caret periculo. Diſcrimen variat,pro ſpecie dyſcraſiæ,vt diximus cap.de intemp. ventriculi. Dyſcraſia in actiuis facilius corrigitur, quam quæ in paſſiuis eſt,&c.

Imbecillitas.

Imbecillitas vitium peius eſt,quam ſimplex intemperantia:nam dyſcraſia in imbecillitate eſt intenſior;cum ſit malum,quod hydropem minatur,niſi celerrime occurramus,c.6.l.8.κ. τόπ.Si tamen diligentia adhibeatur,curari poteſt.

Cachexia.

Maior difficultas eſt in cachexia,quæ hydropi propior eſt,quam imbecillitas. Attamen & hæc curari poteſt;dummodo, vt Auicennas monet, non prodeat ex hydrope pulmonis, quæ notha eſt cachexia: item ſi non prodeat e morbis acutis,quia hæc maxime eſt periculoſa.

Hydrops.

Galenus com.III.lib.4.de vict.acut. eos erraſſe monſtrat, qui tympaniam ſolum curari poſſe crediderant:nam etiam aſcites,& hypoſarca interdum curantur. Hydrops ergo interdum lethalis eſt;interdum G curatur,modo facilius,modo magis difficulter,pro diſcrimine cauſſarum & ſymptomatum, verbi gratia, ſi hydrops fiat poſt morbum acutum,eſt lethalis, com.1.& 3. lib.2. prognoſt.quia vires redditæ ſunt imbecilles,& iecur eſt refrigeratum.Attamen Hippocrates aphoriſ.5.ſect.7.ait:a furore hydrops,bonum. Furor autem connumeratur in morbis acutis:& ſic hydrops morbis acutis ſuccedens, videretur bonus pronuntiari?

A nuntiari? Responsio. Hydrops a furore bonus est, non absolute, sed secundum quid: non ratione furoris, qui dum perseuerat, celerrime homines pereunt: Si ergo hydrops succedat, succedit vitio acuto, ideoque malus est, & incurabilis: dicitur autem bonus secundum quid, quia hydropici diutius viuere possunt: nam homines celerius pereunt ratione furoris. Præterea Hippocrates ait, aphor. 43. sect. 6. si lienosis succedat intestinorum difficultas, & hæc protrahatur in hydropem; moriuntur: quia validissimæ caussæ præcessere: primum enim præcessit tumor lienis, ratione cuius potest refrigerari iecur, & debile reddere totum corpus: succedit dysenteria, quæ, ratione tum euacuationis, tum doloris, vires potest labefactare ac dissoluere: vnde si postea succedit hydrops, necessario homines pereunt. Galenus cap. 5. lib. 2. ad Glauc. ait, tumorem hepatis scirrhosum ab initio sanari posse; antiquum esse incurabilem, vnde patientes hydropici B fiunt, & necessario moriuntur, quidam tardius, quidam citius: citissime quidem illi, in quibus alui fluxus coniungitur: vires enim valde dissipantur, dum iecur patitur scirrhum, & hydropem, aluique fluxus accedit. Hippocrates tamen aphor. 29. sect. 7. inquit, ventris fluxum fortem esse bonum: vbi loquitur de hyposarca (non de hydrope in genere) qui non fit ob tumorem scirrhosum lienis: & præterea si euacuatur materia, quæ euacuari debet: Nos autem supra loquebamur de alui fluxu, qui coniunctum habet hydropem, scirrhumque lienis, vnde vires prosternuntur. Addit Auicennas, hydropem e liene procedentem esse minus prauum, quam qui e iecore primario oritur; lien enim non est membrum principale, vt iecur. Hæc sunt prognostica ratione caussarum. Quoad symptomata, Auicennas dicit, pessimum esse hydropem, dum ea quæ excernuntur admodum fœtida sunt: indicant enim corruptionem, & summam virium C imbecillitatem. Pessimus etiam hydrops est, dum quasi portiones quædam carneæ aluo reiiciuntur: indicant enim iecoris corruptionem, & citam mortem afferunt. Prauus est hydrops, quando in alui deiectionibus aliquid sanguinolentum conspicitur: tunc enim non euacuatur materia, quæ hydropis caussa est, sed sanguis, qui non deberet vacuari. Sumuntur etiam prognostica a lotio: Quanto enim lotium magis est exiguum, tanto deterior hydrops, quia significatur materiam in ventrem decumbere. Eo etiam peior hydrops, quo magis coloratum est lotium: non enim tingitur ob iecoris caliditatem, sed ob partes sanguinis: neque ratione frigiditatis portio serosa a sanguine segregatur. Lotium igitur coloratum est prauum signum: & interdum summe tinctum apparet, frigido interim exsistente iecore. Pessimum etiam est signum, dum adest anhelitus difficultas, dum tussis molesta est; tales enim morti sunt proximi. Quoad differentias hydropis: secundum Auicennam, ascites maxime periculosus: & quidam dari potest hyposarca, D leuior ceteris speciebus, vt in medio tympanias collocatus videatur. Aetius autem dicit, tympaniam esse peiorem ascite, vt etiam Altimarus. Auicennas fundamentum sumsit, e com. aphor. 11. sect. 4. vbi Galenus inquit, aquositatem, quæ viget in ascite, produci ab intemperie frigidiore, quam sit frigiditas, producens flatus & tympaniam. Si ergo in ascite iecur redditur frigidius, quam in tympania: ascites videtur magis lethalis. Et minime periculosus anasarca videtur: quia materia pituitosa fit ab intemperie minus frigida, quam sit frigiditas producens vel aquam, vel flatum. Auicennas igitur respexit ad caussam, quæ producit materiam. At Aetius respexit ad materiam, quæ tumorem producere caussatur: facilius enim remouetur aquositas, quam flatus: nimirum per punctionem abdominis, qua flatus vacuari nequit.

Quænam hydropis species periculosior.

De Curatione.

E IN dyscrasia iecoris, si sanguis redundat, est euacuandus, & quidem valido auxilio, quia vehemens affectus. Vnde potissimum venæsectio conuenit in calida intemperie, in qua sanguis redundare potest. Et sic tum sanguis vacuatur, tum iecur refrigeratur.

Venæsectio in dyscrasia hepatis.

In iecoris imbecillitate generatur improbus sanguis, qui euacuandus est: &, si eum natura euacuat, medicus non debet euacuare: si autem natura non euacuat, arte sanguis educendus. Hinc Galen. cap. 6. lib. 8. κ.τόπ. non proponit venæsectionem: quia (vt ibidem inquit, & cap. 2. lib. 3. de sympt. caus. & cap. 7. l. 5 de loc. aff.) loquitur de iecoris imbecillitate, in qua euacuatur materia similis loturæ carnis recens mactatæ, id est, in qua egreditur sanguis ille crudus, qui gignitur ob imbecillitatem iecoris: cum ergo in hac imbecillitate assint excrementa cruenta, non egemus euacuatione quæ fit arte. Quod si materia & sanguis ille in corpore detineatur, ob suppressionem hæmorrhoidum, aut mensium: tum sane, quia sanguis re-F dundat, isque malum fouet, & a natura non vacuatur: artis ope est subtrahendus, & quidem venæsectione, vtpote valido auxilio, quia iecoris imbecillitas est affectus insignis & validus: dummodo ætas, & vires permittant. Ætas potest permittere. Sed etiam vires possunt permittere: nam si aliquando in hydrope virtus ita valida est, vt venæsectionem permittat; multo magis in hepatis imbecillitate: quia in hydrope ob intensiorem intemperiem, vires magis sunt prostratæ: præterea e com. 111. lib. 4. de rat. vict. in hyposarca licet venam secare: ergo, multo magis in iecoris imbecillitate. Et hoc est, quod præcepit Auicennas: non enim in qualibet iecoris imbecillitate venam aperit, sed in ea, cuius caussa est suppressio hæmorrhoidum, vel mensium, vt periculum sit exstinctionis caloris, nisi sanguis euacuetur. Altimarus non meminit venæsectionis: forsan quia Galenus c. 6. l. 8. κ.τόπ. non proponit venæsectionem in cura imbecillitatis iecoris. Capite enim nono eiusdem lib. proponit quidem venæsectionem, sed ibi non loquitur de imbecillita-G te iecoris, sed de alio affectu, nimirum, de tumore. Quomodo autem Galenus non admittat venæsectionem, & quomodo Auicennas eandem admittat, e iam dictis patet. Mensibus autem suppressis, potissimum aperiendæ sunt venæ inferiores. Hirudines hæmorrhoidibus affigendæ. Et, si vires non vsque adeo constant, loco sectionis venæ crura scarificanda: cucurbitulæ applicandæ sunt cruribus, popliti, & supra malleolos. Quod si iecoris imbecillitas contumax sit, vt iecur non exacte possit corroborari: ad præseruandum potius, ne incidant ægri in cachexiam, vel hydropem, probantur fonticuli & cauteria, quæ cruribus, sunt administranda.

Num in iecoris imbecillitate venam secare liceat.

A

Venæsectio in cachexia.

De cachexia idem dicendum, quod de imbecillitate. Auicennas enim venam aperit, dum oritur e retentione sanguinis. Et quia in hydrope aliquando venæsectio conuenit; multo magis in cachexia, in qua vires non sunt ita languidæ. Præsertim autem confugiendum ad emissaria, vt præseruentur homines ab hydrope.

Num in hydrope vena secanda.

Quoad hydropem: Altimarus saltem verba Galeni proponit, & nil aliud. Galenus com. III. l. 4. vict. ac. ait in hyposarca venam posse aperiri, dummodo oriatur e suppressis mensibus, vel hæmorrhoidibus, vel ex alia caussa, quæ plethorica sit: ascitem autem vel tympanitem, neminem ausum fuisse per venam sectam curare. Ergo e Galeni sententia venæsectio competit tantum in hyposarca, & quidem in illo solo, qui oritur a sanguine retento. Auicennas autem venæsectionem approbare videtur, etiam in ascite & (B) tympanite: nam in cap. de ascite inquit: si hydrops sit ascites, & homo correptus sit pleuritide, quamprimum esse secandam venam: deinde curandum esse hydropem. Et in hyposarca dicit, aperiendam esse venam, & magis in hoc, quam in reliquis. Quare in reliquis etiam admittit venæsectionem. In tympanite ait, venesectionem locum habere, quamuis raro. Hic ad vera fundamenta confugiendum. Nunquam secanda vena, nisi assit indicatio euacuandi sanguinis: nisi sit peccatum sanguinis. Peccatum igitur sanguinis hoc in loco duobus modis perpendere oportet: Primo, vt hydropem fouet, vt est origo hydropis. Secundo, vt fouet non hydropem, sed alium morbum, qui cum hydrope coniungitur. Si primo modo consideramus sanguinem, quatenus hydropem fouet: redundat sanguis tantum in hyposarca: dum enim malum diu progreditur, & fit ascites, ac tympanites; magis atque magis refrigeratur iecur, vt non possit esse illa sanguinis copia, quæ tantum redundat in anasarca. Propterea si obruatur calor, sicque iecur refri- (C) geretur ob retentum sanguinem vel mensium, vel hæmorrhoidum, vel alium; tunc sanguis originem & fomentum præbet hydropi anasarcæ: &, nisi occurramus, vsque adeo suffocabitur calor, vt non modo fit anasarca, sed etiam fiat ascites, ac tympanites. Oritur igitur indicatio euacuandi sanguinem: & quidem valido auxilio, quia validum vitium. Et hoc ipsum Galenus proponit, com III. lib. 4. de vict. acut. vbi venam secat in anasarca; respiciens ad sanguinem qui fouet hydropem, qualis redundat tantum in anasarca. Si autem consideremus sanguinem, quatenus fouet morbum cum hydrope coniunctum, siue cum anasarca, siue cum ascite, siue cum tympanite: necesse est sanguinem euacuare. Ponatur enim quis ascite correptus, (est enim hic sæuior hydrops) & simul etiam anginam patiatur: si venam aperiamus, iecur magis refrigerabitur, & augebitur hydrops: si non aperiamus venam, ilico homo strangulabitur. Quare necessarium est venam aperire, vt imminenti morti occurramus. Et hoc significauit Auicennas: nam cap. de (D) ascite, proponit tales hydropicos, qui conqueruntur de dolore catarrhali ex inflammatione: ideoque ait, propter morbum coniunctum quamprimum venam secandam, postea hydropem curandum esse. Quare Auicennas hoc loco venæsectionem non dirigit ad hydropem: quia præcipit, vt post venæsectionem curetur hydrops. Si ergo aperienda est vena, ratione anasarcæ: secentur venæ infernæ, hæmorrhoides aperiantur hirudinibus, & secentur, quæ propositæ sunt in iecoris imbecillitate. Quod si aperiuntur venæ non ratione hydropis, sed ob vitium coniunctum cum hydrope, si, verbi gratia, fuerit angina, cephalica tundenda (nec enim respicimus ad sanguinem fouentem hydropem, sed morbos iunctos hydropi) vel aliæ secandæ venæ, pro diuersitate morborum, cum hydrope coniunctorum.

Quæ vena secanda.

Sed præterea in hydrope aliquando confugiendum est ad cucurbitulas, ad vesicatoria, ad cauteria, ad punctiones, ad setaceum, & perforationem abdominis. Cucurbitulæ non scarificatæ, secundum Rha- (E) sim, & magnæ, & cum copiosa flamma, abdomini applicantur in tympania, post totius purgationem: flatus enim discutiunt valentissime.

Cucurbitulæ.

Vesicatoria.

Vesicatoriis potissimum in ascite vtendum: quamuis & in anasarca non improbentur: possunt enim serositates educere. Possunt affigi variis partibus, videlicet cruribus, imo etiam abdomini. Vnde non tantum vno licet vti vesicatorio, vt in febribus pestilentibus, sed pluribus, pro rei necessitate: ideoque in vtroque crure duo fieri possunt, in abdomine 4. est enim affectus rebellis, & omnia tentanda, antequam ad perforationem deueniamus. Vesicatoria fieri possunt *e batrachio, vel flammula Iouis, ex allio, e lepidio, potissimum e cantharidibus.* Nec formidandæ sunt cantharides, quod noxam inferant vesicæ: si enim extrinsecus vsurpentur, leuis est noxa, quæ facile corrigi potest. Cantharides etiam semper præsto sunt. Ita præscribatur: ℞. *pulu. cantharidum præparatarum* ℥ ß. *(non ordino pro duobus vel tribus vesicato-* (F) *riis, vt in febribus pestilentibus, sed pro viij. & decem) pulueris sinapis* ℥ ß. *fermenti* ʒ. *vj. (alii solent accipere* ℥ *j. &* ℥ *j. ß. at sufficiunt* ʒ *vj. imo iiij.) aceti scillitici parum, fiat pasta.* Acetum scilliticum non est in caussa, vt cantharides non operentur; ego enim sæpius vsus sum: si non imponatur, neque tum erit malum. Aduertendum autem quia hydrops est morbus diuturnus; & vesicatoria operantur solum per 3. 4. aut 6. dies: quid postea sit agendum. Nam dum vesicæ disrumpuntur, aqua egreditur: & dum postea imponimus folia hederæ, vel vitis, cum butyro; purgatio plerumque succedit per 3. vel 4. dies, non vltra: at in hydrope aliquando vacuationem produci oportet per 20. 30. aut plures dies. Et hoc etiam obseruandum est in febre pestilenti. Quidam denuo vesicatoria solent applicare. Sed si admoueantur iisdem partibus, quibus prima vice applicata fuerunt; excitantur dolores acerbissimi, & vires resoluuntur. Quare vel il- (G) lis partibus non affigenda: vel (quod melius est) illis partibus applicandum *emplastrum sacrum, quod diactamnum vocatur*, quoniam ingreditur dictamnum creticum: hoc enim medicamentum vim habet euacuandi a centro ad circumferentiam. Et (quod obiter dico) si in ascite applicetur toti ventri: optime facit.

Cauteria.

Cauteria in hydrope locum non habent, si tumida sunt crura: vlcera enim in hydropicis difficulter curantur: aphoris. 8. sectio. 6. quia exsiccationem postulant, cum interim hydropica corpora humidiora sint. Præterea calor in hydropicis languet, vt periculum sit, ne vlcera cancrosa euadant. In vesicatoriis autem

A autem alia ratio est, quæ potius excoriationes sunt, & tantum partes superficiarias corrumpunt; caute-
ria autem altum subeunt. Ego vidi, tumore pedum præsente, & adscendente, supra genu factum esse cau-
terium, indeque obortam gangrænam, & miserum obiisse. Quod si crura nondum sint tumida, nondum
labefactata; possumus cauteriis vti: sic enim homines præseruantur, & mitior hydrops tollitur, & forsan
etiam sæuior. Auicennas capite de ascite proponit cauteria: prius tamen abdomen perforat: & sic procul
dubio cauteriis vtitur ratione præseruationis, non ratione curationis. Quare in ascite, si tumidi sunt pe-
des; locum non habent cauteria. Si non sunt tumidi; possumus iis vti, & ante perforationem, & post eam.
Ante perforationem: cum crura non sunt tumefacta: his enim id interdum efficimus, vt perforatione
non sit opus. Post perforationem vtimur cauteriis, vt homines præseruemus, ne rursus incidant in hy-
B dropem. Quod si enim contingat, vt aliquis hydropicus citra perforationem sanetur: si videatur pericu-
lum imminere, ne rursus fiat hydrops, (quod periculum in ætate declinante imminet) optimum etiam
est post remotum hydropem cauteriis vti.

Per punctiones & scarificationes, quæ talis applicantur, aqua copiosa effluit, per locos decentes: ca-
pite tertio, libro nono κ.τόπ. Sed in ascite non tantum expedit perforare partes inferiores; verum etiam — Punctiones.
secundum Aetium acubus interdum pungere licet scrotum, quia in hydrope aqua in scrotum descendit:
& experientia optimum hoc fuisse remedium comprobauit.

Setaceum fit ferro candente, quo perforatur cutis scroti, dum materia descendit in scrotum. Possu- — Setaceum.
mus igitur punctionibus, vel setaceo vti: prout ægri magis vnum auxilium, quam aliud admittunt.

C Abdominis perforatio est maximum præsidium: quo vtendum, quando præsentes sunt scopi & in- — Perforatio
dicantes, & permittentes. Indicantes scopi sumuntur e rebus præter naturam: quæ sunt hydrops, & ma — abdominis.
teria aquosa. In solo ascite licet perforare: in reliquis speciebus non. Quod si autem hydrops ascites fue- — Indicantia, &
rit lethalis, verbi gratia, si originem duxerit e scirrho; si subsecutus fuerit morbos acutos, &c. aut si alia
signa lethalia affuerint: non est ad hoc præsidium confugiendum. Quoad materiam aquosam, in abdo-
minis interstitio collectam: aduertendum, num tumor sit amplus, nec ne: si magnus, indicat perforatio-
nem: si paruus, nequaquam. Deinde, si non modo sit magnus tumor, sed etiam celerrime ad hanc ma-
gnitudinem peruenerit: etiam hoc velox incrementum indicat perforationem. Tertio: si, exhibitis hy-
dragogis, aquositas euacuatur, nec tamen tumor imminuitur, sed vel in eodem consistit, vel etiam auge-
tur (quia maior est portio materiæ quæ regeneratur, quam quæ euacuatur) ex hoc etiam indicatur per-
D foratio cutis. Ratio autem cur modo dicta indicent perforationem, hæc est: dum enim hæc conspiciun-
tur; indicant tantam esse hydropis vehementiam, vt non sit cessurus reliquis præsidiis, sed tantum maxi-
mo huic præsidio, nimirum perforationi abdominis. Scopi permittentes & prohibentes, sumuntur e re- — Permittentia παραχέντησιν.
bus secundum naturam, & non naturalibus. Auicennas non perforat abdomen, nisi corpus fuerit valde
forte, id est, quod post perforationem possit mediocre perferre exercitium, & minorationem cibi: tale
autem corpus est, quod non est gracile, in quo non est macies, præsertim circa femora & vmbilicum.
Dum ergo acceditis ad patientes, non exspectetis donec fiant debiles; quia frustra postmodum hoc au-
xilio vtemini. Quare corporis macies prohibet. Requiritur etiam ætas florens, media inter puerilem &
senilem. Quoad res non naturales: aer debet esse temperatus, non calidior, nec frigidior: tempore igitur
hyemis, aer alterandus. *De tempore*. Dicit Auicennas: non audeas perforare abdomen, quandiu possibi- — Ratio vtendi.
E lis est alia cura. Hoc Moderni ita explicant; omnia prius esse tentanda, quam ferrum. At maximus hic est
error: nam Auicennas etiam post perforationem aliis auxiliis vtitur. Quare id vult docere Auicennas:
non esse ascendendum ad perforationem abdominis, nisi præcognoscamus, malum aliis leuioribus præ-
sidiis tolli non posse. Dum ergo videmus tumorem celerrime increscere, & alia proposita: ilico est con-
fugiendum ad hoc remedium: Quod si enim omnia prius voluerimus tentare; procul dubio gracilis red-
detur patiens, & virtus prohibebit. Si igitur præcognoscamus malum tanti esse vigoris, quod omnibus
resistat auxiliis, præterquam perforationi: audacter ad hanc confugiendum est, non tamen citra prædi-
ctionem: necessariis enim indicandum, malum esse periculosum, & vnicam spem salutis restare, quæ in
hoc posita sit auxilio. Hora eligenda est, in qua cibus non replet ventriculum. *Quomodo* vero auxilium
hoc administrandum sit Albucasis docet, & cheirurgi norunt. *De loco*. Perforatio fieri debet per tres di-
F gitos infra vmbicilicum, potius versus latera. Ratio est: quoniam ibi non sunt tot partes neruosæ, tot ten-
dines, vt in media parte. Vt autem sciatur: num perforatio fieri debeat in parte sinistra, vel dextra: aduer-
tendum: num hydrops originem duxerit e tumore lienis, vel iecoris: an vero nullus sit tumor; quia etiam
citra tumorem hydrops fieri potest. Si tumor sit lienis, perforanda pars dextra: si iecoris, sinistra. Memini
perforatum esse quendam Hebræum, qui spatio 24. horarum obiit: quia nocte sequenti (in die enim fa-
cta est perforatio) efflaxit copiosissima aqua, ita vt pauimentum conclauis aquositate illa permadesceret:
quod factum est, quia noctu patiens decubuit super latus perforatum: vnde tota nocte egressa est aqua,
& tandem sequenti die ipsa anima. Quare si tumor est in liene, perforandum latus dextrum: tunc enim
patientes minori molestia decumbunt in latus sinistrum, quia non ita suspensum est viscus eo decubitu:
ideoque si tum etiam latus sinistrum esset perforatum, facile noctu aqua in maxima copia egrederetur:
G quod non fit, si latus dextrum est perforatum. Si iecoris sit tumor, pars sinistra perforanda: ob dictam ra-
tionem. Si hydrops sit citra tumorem iecoris, vel lienis; oportet ægros interrogare, in quo latere melius
& frequentius dormire soleant: nam eius oppositum erit perforandum. Extrahenda porro est per fora- — Quantum
men non vniuersa aquositas, sed maxima eius portio: quia quod reliquum erit aquæ, ceteris præsidiis po- — extrahendum.
terit eradicari. Id autem non confertim, sed sensim faciendum. Male igitur quidam singulis vicibus ad 3.
vel 4. libras aquæ educunt: dicentes, nisi in magna copia aqua educatur, tunc maiorem esse portionem
eius quæ regeneratur, quam quæ euacuatur. Maximus hic est error: nam singulis diebus aqua educi debet,

non ad libras, sed in parua copia: & exhibenda sunt ea, quæ iecur corroborant, ne gignat adeo copiosam A aquositatem: tunc enim minor erit portio quæ regeneratur, quam quæ vacuatur. Pauca ergo aqua, & ea sensim vacuanda. Quod etiam Hippocrates affirmat, aphor. 27. sect. 6. dum suppurati, inquit, & hydropici, vruntur vel secantur; si pus, vel aqua vniuersim effluxerit, moriuntur: quia (vt Galenus addit) imminuuntur vires, ob spirituum exitum: & viscera etiam ventris inferioris (quæ antea ratione aquositatis tumida erant, nec in deorsum tendebant) post aquam confertim euacuatam collabuntur, & secum ducunt superna viscera, quæ laxiora fiunt, vnde vires concidunt. Quare poteritis euacuare ad ℥ v. vj. aut viij. singulis vicibus, modo magis, modo minus, pro virium tolerantia. Quare suasu Auicennæ tangatis pulsum, & semper manum arteriæ admotam teneatis: & dum incipit virtus vel parumper debilitari, desistendum B ilico: nec exspectanda euidens imbecillitas.

Medicamenta. De medicamentis communibus, nimirum de lenientibus, præparantibus, purgantibus, & corroborantibus, sæpe diximus. Auicennas in hydrope vomitoriis vtitur: quia his fit reuulsio ad superiores partes, ne materia decumbat in cauitatem. Priuata medicamenta alia sunt Euacuantia, alia Alterantia: & per alterantia intelligimus non tantum calfacientia, sed etiam refrigerantia, humectantia & exsiccantia: quia loquimur de intemperie iecoris qualibet. Euacuantia respiciunt potissimum hydropem, eiusque materiam, vel Fluxam in cauitatem, vel Fluxuram. Materia fluxura euacuanda est interdum per vomitum, interdum per secessum, interdum (& potissimum) per lotium, interdum per sudorem. De vo-

Diuretica. mitoriis alias diximus: iam tantum particularia præsidia proponemus. Per lotium euacuantia sunt diuretica; quæ (quicquid alii dicant) diriguntur tantum ad materiam, quæ potest decumbere in cauitatem: non C ad materiam quæ iam est collecta: hæc enim per lotium euacuari nullo modo potest: &, licet hoc fieri posset, non tamen deberet fieri: nam materia in cauitate residens, si per lotium euacuanda esset, oporteret vt rursus ingrederetur iecur, at non est committendum, vt materia noxia membrum nobile ingrediatur. Diuretica igitur non vacuant aquam fluxam, sed eam quæ fluere potest; & sic ne fluat prohibent. Hinc Galenus diuretica in potu addit, libro secundo, ad Glaucon. in fine: quæ multa sunt, & proponuntur a Galeno capite tertio, libro nono. κ. τόπ. item ab Auicenna, Aetio, & aliis. Præstantissima autem sunt, quæ conficiuntur *e radice filicis, ex asparagis, e spica nardi, e feniculo, petroselino, dictamno Cretico, calaminthâ montana, pulegio, cinamomo, maci, caryophyllis, nuce moschata, e speciebus dialaccæ, e speciebus diacurcumæ, diacymini, diacalaminthæ.* Cum intensioribus autem mitiora sunt permiscenda: nimirum *capillus Veneris, ceterach, liquiritia, ius cicerum, & alia* quæ possunt calidiora illa attemperare. Sed non dari debent copio- D sa diluta (qualia propinantur si non adest hydrops) nō igitur excedent liquore ℥ iiij. vel vj. & expedit propositis medicamentis vti in puluere. Poterimus ergo exhibere, verbi gratia, *specierum diacurcumæ, vel diacalaminthæ ℈ j. & cum syrupo de corticibus citri conficere pilulam: post quam deuoratam propinabimus iuris cicerum ℥ iij, vel vj.*

Cantharides, diureticum vehementissimum, in ischuria hydropicorum. Interdum hydropici patiuntur lotii suppressionem: vnde non tantum augetur aquositas in abdomine, sed etiam imminet mors repentina. Quare in promtu habere oportet remedium aliquod potens, vt est vsus *cantharidum*, quæ maxime in ascite per os exhibendæ. Sed has Dioscorides cap. 1. l. 6. vesicæ ceu venenum aduersari dicit, eamque exulcerare. Nec est, vt quis dicat, Dioscoridem aliud sensisse, dum lib. 2. cantharidibus ad hydropem vtitur: ibi enim e mente aliorum loquitur. Galenus cap. 6. l. 2. de antidot. alicubi E quo modo videtur improbare vsum cantharidum, cum Asclepiade. Auicennas cap. de hydrope, scribit, quosdam fuisse, qui exhibuerint cantharides; seque eum putare errorem maximum. Hippocrates contra cantharides in potu probare videtur, com. 124. lib. 4. vict. acut. & Galenus admittit in comment. itemque lib. 11 simplic. & cap. 22. lib 3. simpl. Quare sciendum, exhiberi posse cantharides, quibusdam seruatis conditionibus. Primum, si in hydrope (& etiam in aliis casibus) lotium ita sit suppressum, vt non cedat aliis auxiliis: quia ergo mors imminet, cogimur ad validissima confugere. Et hoc faciendum est, quando lotium est suppressum, non vitio vesicæ, (sic enim possemus occurrere syringa ipsi angustiæ) sed ob vitium renum, quod in hydrope solet contingere. Præterea notandum, vt cantharides propinentur integræ capite sexto, libro secundo, de antidot. Dum enim extrinsecus cantharides applicamus, ad vesicas excitandum, vtimur solo ventre, reiectis alis & pedibus: hæc enim in caussa sunt, vt venter non possit ita valide F operari: nec periculum est vt partes extimæ lædantur, solo ventre applicato. At si intro exhibentur cantharides, ad duo oportet respicere: primum, vt operentur, & lotium prouocent, cuius gratia ventrem exhibemus: deinde, ne inferant insigne detrimentum, cuius gratia permiscemus alas & pedes, quæ partes in caussa sunt, ne venter ita noceat vesicæ. Quinetiam eæ seruandæ sunt conditiones, quas proponit Galenus capite vigesimotertio, libro tertio, simplicium, vt exhibeantur in parua copia, & permistæ cum aliis medicamentis, potissimum cum iis, quæ in caussa sunt, ne vesica plurimum patiatur. Quare poteritis exhibere *cantharidem vnam integram, cum ℈ j. vel pulu. rutæ, vel spicæ, vel cum aliquo consimili. Et superbibendum detur aliquid pingue, vt iuris pulli pinguis ℥ iiij. vel vj.* vt colligitur e comm. 124. lib. 4. vict. Hoc modo vtiliter & tuto dantur cantharides, in hydrope, & aliis lotii suppressionibus. Ego ab omnibus desertos, cantharidum vsu restitutos vidi.

Alia diuretica. Auicennas *vrinam* in potu exhibet, vt etiam Galenus capite tertio libri noni κ. τόπ. attamen libro G decimo simplicium ait, esse auxilium ingratum & abominabile. Conuenit quidem, quia calfacit, detergit, aperit, quæ omnia prosunt hydropi. At si patiens non libenter admittat, non debemus ea vti: quia non desunt alia medicamenta. Quod si sponte quis expetat, dari debet. Præterea Aetius monet, in ascite ferme toto curationis tempore exhibenda esse diuretica: quia in ascite assiduo generatur aquositas; ideoque ea assiduo est deriuanda ad vias lotii. Fiat ergo ius superius propositum a Galeno: sic enim frequenti diureticorum vsu, & diminuimus materiam, & calefacimus.

Per

Hydrotica.

A Per ſudorem etiam euacuandum, quod faciunt eadem propoſita diuretica: in rerum autem affectibus declarabimus, quæ magis prouocent lotium, quæ magis ſudorem. Quare iiſdem vtendum, quæ fuere propoſita, exceptis cantharidibus. Commendatur etiam *guaiaci & ſaſſafraſiæ decoctum*. Præterea excitandus eſt ſudor medicamentis, quæ extrinſecus admouentur, & potiſſimum *balneis ſiccis*, quæ conficiuntur ex herbis calfacientibus, & aqua calida: vix enim homines reſtitui poſſunt, niſi ſudent.

Hydragoga.

Eſt etiam aquoſitas ſenſibiliter vacuanda per ſeceſſum. Medicamenta quæ hoc præſtant, vel reſpiciunt materiam nondum delapſam in cauitatem abdominis; (de cuius materiæ euacuatione in præſentia loquimur) vel eam, quæ iam decubuit in cauitatem. Vtrobique medicamenta conueniunt quæ ſunt B hydragoga: at ratione aquæ collectæ, exhibenda ſunt robuſtiſſima; ratione aquæ nondum delapſæ, mitiora, quia hæc materia eſt fluxilis, tenuis, ac facile attrahitur, præſertim quia aſſunt ductus, per quos facile attrahitur. At materia aquoſa, quæ in cauitatem abdominis fluxit, non reperitur in iecore, neque in venis, ſed extra eas. Vnde, licet tenuis ſit: difficilius tamen elicitur, quam materia craſſa, viſcida, pituitoſa & melancholica, eo quod hæc materia craſſa, melancholica, quæ euacuatur per ſeceſſum, reperitur in venis: at materia aquoſa eſt extra venas, ideoque non ſunt ductus commodi, per quos ad inteſtina deueniat. Quare vtendum eſt remediis valentiſſimis, quæ deleteria ſunt, & ad grana tantum exhibentur.

Ad aquam in venis adhuc hærentem.

Quoad materiam, quæ nondum defluxit, poſſumus vti *ſucco iridis, radice iridis, a* ℥ *ij. vſque ad vj.* & proponuntur a Dioſcoride, Auicenna, Aetio, & Galeno capite 3. libro 9. κ.τόπ. In eadem quantitate prodeſt *ſuccus qui extrahitur e ſecundo cortice ſambuci: item ſuccus qui extrahitur e radice ebuli. Poſſunt hæc medi-* C *camenta exhiberi, cum mulſæ* ℥ *iij. vel iiij. Poteſt exhiberi puluis, cum mulſa. Poſſunt decoqui folia in iure pulli, vel columbi: & exhiberi folia braſſicæ marinæ.*

Ad aquas in cauitatem delapſas.

Materia quæ in cauitatem fluxit, non poteſt euacuari ſuperioribus medicamentis, niſi exhibeantur in maxima quantitate. Quæ autem vere id præſtant, ſunt vehementiſſima: eaque vacuant vel ſenſibiliter, vel inſenſibiliter. Senſibiliter vacuant, *ſuccus tithymalorum, grana cataputiæ, antimonium præparatum. Ego elaterio vtor: incipio a* ℥̄ *j.ß. quia eſt validiſſimum medicamentum, & poſtea exhibeo* ℥̄ *ij. iij. ad v. ſed ſenſim: nec augenda doſis, niſi materia euacuanda poſtulet, & vires tolerent.* Formula: *℞. elaterii* ℥̄ *j. pilul. alephang.* ℈ *j. cum ſucco iridis, fiant pilulæ.* Quidam hydropici non poſſunt admittere elaterium, ſed in ſyncopen labuntur: ideo his non eſt dandum. Quidam facile ferunt. Qui elaterium non poſſunt admittere, ii neque *antimonium* ferunt, quod vehemens eſt, & admodum periculoſum: idem de ſucco tithymali ſtatuendum. Ego tunc imitor Aetium: *Sumo radi-* D *cem cucumeris agreſtis, & inciſam redigo in puluerem, cuius pulueris* ʒ *j. immitto in vinum generoſum, vt maluaticum, ad* ℥ *xij. vel xiiij. macero per triduum: & exhibeo vinum hoc cum puluere, tribus vicibus, per tres dies continuos: poſtea intermitto per 3. vel 4. dies: & rurſus exhibeo per triduum: rurſus intermitto, & rurſus exhibeo.* Sic enim tumor citra ægri moleſtiam minuitur: radix enim illa vino corrigitur, quod etiam corroborat ventriculum & iecur. Compoſita medicamenta huius generis, ſunt *pilulæ de ſagapeno, fœtidæ, de euphorbio, de elaterio: eſt etiam medicamentum illud, quod alkalkangi vocant, & recipit propoſita medicamenta.* Ego magis probo elaterium, vel puluerem radicis. Elaterium autem non vna tantum vice exhibendum, ſed ſingulis hebdomadibus ſemel, per vices v. aut vij. vt pluribus vicibus aqua euacuetur. Proſunt etiam ea quæ extrinſecus applicantur, c. 3. l. 9. κ τόπ. Vnde Meſue laudat *vnguentum factum ex artanita, ſeu cyclam. vnguentum Agrippæ, & proponit medicamentum, factum ex elaterio.*

E

CAPVT XX.

De obſtructione hepatis.

OBſtructio Auicennæ dicitur mater ægritudinum iecoris: & eſt ſpecies anguſtiæ, cap. 8. libr. de diff. morb.

Generatio.

Generatur autem dum humor iecoris meatus ita replet, vt fiat morboſa obſtructio, vi cuius neceſſario lædatur operatio totius hepatis.

Definitio.

Quare iecoris obſtructio, eſt anguſtia morboſa iecoris, producta ab humore, replente meatus iecoris.

Forma.

Forma eſt anguſtia, ad differentiam ampliationis & dilatationis meatuum. Eſt autem anguſtia morboſa, ad quam immediate ſequitur læſio actionum: non autem illa anguſtia, quæ intra ſanitatis latitudinem conſiſtit. Subiectum, eſt iecur. Licet enim cauſſa obſtructionis primo agat in meatus iecoris, non tamen hi tantum afficiuntur morbo, ſed totum iecur, c. 6 l. 2. meth. F Obſtructio poteſt eſſe morbus vaſorum ex accidente; prout accidit, vaſa eſſe particulas iecoris, ceu membri inſtrumentalis Hic autem morbus per ſe ſtatuitur tantum totius iecoris, quoniam actio quæ læditur, eſt actio totius hepatis, quam obit iecur, vt eſt membrum diſſimilare. Quare anguſtiæ morboſæ ſubiectum eſt iecur.

Cauſſa efficiens.

Cauſſa efficiens, eſt humor. Si enim meatus repleantur ab alia materia, vt a calculo, quod interdum in ictero accidit; tunc illa anguſtia non eſt obſtructio, ſed conſtipatio. Hic autem humor, modo eſt Syncerus, modo Permiſtus cum flatu. Dicimus, humorem replere meatus, ad differentiam compreſſionis, quæ fit a materia extrinſecus detenta, quæ comprimendo anguſtat: & ad differentiam ſubſidentiæ, quæ fit citra humorem replentem: & ad differentiam coaleſcentiæ, cuius cauſſa eſt cicatrix. Porro obſtructio non eſt ex vſu, & permanentiam habet momentaneam; nam remota cauſſa, ſponte euaneſcit, cap. 1. lib. 1. loc. G affect. Ideo natura humoris, a qua vtiles indicationes ſumuntur, accurate cognoſcenda. Hic ergo humor, quatenus eſt miſtum, & ſubſtantia interdum Pura eſt minera, interdum Permiſtum habet vaporem, ſeu flatum. Quoad quantitatem, obſtructio fit, non tantum a materia quæ toto genere eſt præter naturam, & putrida, vt eſt ſanguis corruptus, ſed etiam a materia, ſola copia peccante. Eſt etiam peccatum aliquando in qualitate ſecunda: ſi materia eſt craſſa, vt melancholia, pituita, ſanguis; aut viſcida, vt pituita. Hæ materiæ generantur In iecore, vel Aliunde confluunt. Generantur autem in iecore, vel Læſa facul-

tate, vel ob Errorem externum. Læditur facultas ob morbos, potissimum ob dyscrasias. Error externus A
est, dum iecori bene constituto, offertur vitiosus chylus, siue producatur vitio ventriculi, siue ob erro-
rem externum. Interdum materia non generatur in iecori, sed confluit vel a Toto, vel a Parte, a capite, a
ventriculo, a liene, ab vtero. Et hic confluxus fit, vel per modum Attractionis, dum iecur est calidius, aut
dolore afficitur: vel per modum Transmissionis, dum iecur imbecillum est redditum, & ad fluxiones sus-
cipiendas maxime idoneum.

Differentiæ. Ratione formæ differentia tantum est secundum Magis & Minus. Sed notandum cum obstructio-
ne aliquando coniungi posse intemperiem, vt duplex sit morbus, & tunc etiam a forma sumi possunt
differentiæ. Si ex intemperie ita lædatur actio, vt generetur humor vitiosus, qui est caussa obstructionis: B
tunc intemperies illa non est recensenda inter morbos, sed inter caussam efficientem, quatenus generat
humorem obstruentem. Quod si intemperies illa talem succum non gignat; non tamen ex hoc propriæ
differentiæ sunt hauriendæ: nisi dicamus, obstructionem esse coniunctam cum alio morbo, sicut etiam
cum obstructione febris esse potest. Quare veræ differentiæ sumuntur a subiecto, & caussa efficiente.
Quoad subiectum: obstructio occupat iecur secundum partem Simam, vel Gibbam. Ratione caussæ ef-
ficientis: sumuntur differentiæ, vel ab humore, de quibus supra dictum: vel a meatibus iecoris, id est, a
subiecto, non morbi, sed humoris, id est, caussæ efficientis. Hic ergo meatus sunt venæ partis Gibbæ, vel
Simæ: Præterea vel pertingunt ad Vesicam felleam, vnde fit icterus citrinus: vel ad Lienem, vnde icterus
niger: vel ad Reliquas partes simas iecoris, vnde fit simpliciter obstructio iecoris.

Signa generalia. Vbi obstructio est morbosa (secundum Auicennam cap. proprio, & Galenum cap. 2. lib. de cib. bon. C
& mal. succ.) ægri grauitatem quandam persentiunt secundum iecoris regionem. Et quia impedita facul-
tas non exacte sanguificat: cognoscitur e mutatis excrementis, potissimum e lotio exiguo, quia obstru-
ctio transitum impedit. Sic etiam cognoscitur ex aliqua mutatione coloris corporis totius, faciei, &c. pal-
lor enim quidam notatur, quia non generatur sanguis ille floridus, quemadmodum antea.

I Signa differentiarum. Quoad differentias formales, quæ improprie sunt differentiæ: cognoscitur obstructio maior vel
minor, e conditione symptomatum: nam quo sunt vehementiora, eo maior obstructio. Quoad differen-
II. tias a loco affecto, e cap. 7. libro 5. loc. affect. cognoscuntur: nam si, verbi gratia, in parte gibba fuerit ob-
structio, fieri potest, vt, dum tanguntur hypochondria, abdomen secundum illam regionem resistat:
atque hinc etiam fit, vt partes ad thoracem spectantes magis lædantur: &, cum septum transuersum com-
primatur, aliqua oritur respirandi difficultas: & talis patiens maxime conqueritur, se non posse scalas D
ascendere, vt antea: & ob leuem etiam motum corporis percipit in anhelando difficultatem, quia iecur
secundum partem conuexam est affectum, quæ maiorem habet consensum cum partibus thoracis. Si
vero secundum simam iecur affectum fuerit; tactu nihil percipitur, quia illa pars est satis remota: nec ita
patientes conqueruntur de impotentia ad motum, nec de difficultate anhelitus. Magis autem in con-
sensum ducitur ventriculus: vnde inappetentiæ oboriuntur. Hinc etiam facile sitis excitatur. Et fieri po-
test, vt alui excrementa non sint vere sanguinolenta: liquida esse possunt, quia chylus non permeat: sed
cum chylus in iecur perduci nequeat, quia obstructum est, alui excrementa apparent, vel non sanguino-
lenta, vel si sanguinolenta conspiciuntur, sunt sanguinolenta non vere & proprie, sed instar loturæ car-
nis nuper mactatæ, vt nonnihil cruoris in iis conspiciatur, quia chylus, quamuis non potest e toto in san-
III. guinem mutari, tamen rudem aliquam acquirit mutationem. Quoad differentias a caussa efficiente. E
IV. Differentiæ erant duplices; vel ratione materiæ humoris, vel ratione subiecti humoris. Quoad differen-
tias ratione humoris; an id corpus quod obstruit, sit vel sanguis, vel pituita, vel bilis, & qua ratione signa-
tur; & quo modo confluat; alterius est loci, vbi traduntur signa huius vel illius humoris dominantis, & si-
gna indicantia caussas generantes. Quoad differentias, ratione subiecti, non morbi, sed caussæ efficientis:
si materia obstruens occupabit meatus, pertinentes ad vesicam felleam; calor aderit citrinus, & aderunt
reliqua signa citrinæ icteritiæ. Si vero obstruantur viæ respicientes lienem: cognoscetur e corporis colo-
re nigro, & signis icteritiæ nigræ. Si vero materia occupat reliquas partes; non erunt indicia icteritiæ, sed
erunt excrementa mutata sanguinolenta, & non sanguinolenta: vt, si fiat obstructio viæ in gibbo ieco-
ris, erunt sanguinolenta, quia in parte sima non obstructa generatur sanguis, qui tamen non potest di-
stribui, ob vias obstructas, spectantes ad partem gibbam: retrocedit ergo cum extrementis per al- F
uum effluens, & alui excrementa reddit sanguinolenta: quod non apparet, si reliquæ viæ fuerint ob-
structæ.

Præsidia. Vtiles indicationes sunt Vitales & Præseruatoriæ. Quoad vitalem; hæc indicat conseruans: Indicatio
enim vitalis, tantum sumitur a virtute, cuius essentia pertinet ad calorem innatum iecoris, qui nihil aliud
indicat, quam calidum moderate, & astringens moderate. Medicamentum autem hepaticum, sumitur
etiam a virtute iecoris, sed ab essentia ignota, ideo non indicatur, sed requiritur tantum. Hæc igitur essen-
tia nobis ignota, nihil aliud est, quam sedes & domicilium virtutis; nimirum, proportio quædam deter-
minata & ignota, peculiaris iecori. Proportio hæc requirit remedium simile: quia inter proportiones da-
tur similitudo & dissimilitudo: verbi gratia, inter proportionem magnetis & ferri, datur similitudo. Dif-
ferentia autem est inter proportiones: quia vna est maioris actiuitatis, alia minoris: hinc facultas illa, quæ G
limitatur a proportione magis efficaci, habet rationem patientis: exempli gratia, maxima dissimilitudo est
inter proportionem magnetis & adamantis: sed proportio adamantis est efficacior: & ideo quamprimum
fricamus magnetem, ilico desistit a proprio munere: vnde necesse est repetere medicamenta, quæ viui-
ficant hanc proportionem a proprietate.

Indicationes. Indicationes præseruatoriæ desumuntur a materia, & a caussa generante materiam: verbi gratia, si
obstructio fiat a materia copiosa, indicat minuens: si a crassa, attenuans: si a viscida, detergens. Et merito

caussæ

A caussæ generantis, si materia viscida pituitosa generetur a ventriculo frigido; oritur indicatio ca'efacien-
di.

Prognost.

Obstructio est vitium magni momenti: quia læditur sanguificatio ad vitam necessaria. com. penult.
lib. 1. de salub. diæta. Et, vbi adest obstructio, est initium & fundamentum omnium morborum. Variat
periculum, pro vi differentiarum. Quoad formales differentias, quantumuis improprias; prout obstru-
ctio maior vel minor est, ita maius vel minus est periculum. Quoad differentias a subiecto; ceteris pari-
bus, maius est periculum, si iecur afficitur secundum partem gibbam, quam secundum simam: ratio est,
nam ea pars magis remota est, & promtius cor trahit in consensum. Quoad differentias a caussis efficien-
B tibus; deterior est obstructio, si fiat a minera tantum, quam si a minera & vapore simul seu flatu: facilius e-
nim vacuatur flatus. Satis etiam periculosa est illa obstructio, quę fit a materia toto genere pręter naturam
a materia putrida; & tunc cum obstructione plerumque febris iungitur, vnde vires bifariam patiuntur,
tum ratione morbi iecoris, tum ratione febris. Minus periculosa est obstructio facta a materia quæ pec-
cat sola quantitate, quam quæ fit a materia crassa & viscida: nam facilius materia copiosa minuitur, quam
crassa attenuatur. Intenditur etiam vel minuitur periculum, prout materia fuerit magis vel minus crassa
& viscida: vnde, si fiat a materia melancholica, quæ est crassissima, vt sępe durities contrahatur; fieri vix po-
test, vt homo sanitati restituatur. Quod dictum est de materia, idem intelligendum de caussa generante,
prout magis vel minus efficax fuerit.

Curatio. Phlebotomia.

Venæsectio locum habet, si adest indicans, nimirum sanguis, & vis eius vehemens. Hinc Auicen-
C nas dicit, in iecoris obstructione esse secandam venam, quando sit antiqua. Quod non superficialiter
intelligendum: nam si semper exspectare vellemus, donec antiqua fieret obstructio, hæc certe ita auge-
retur, vt valde esset periculosa. Item si fiat obstructio a materia pituitosa, viscida, crassa; si hæc antique-
tur, non est vena secanda, quia non peccat sanguis: & secundum Galenum capite 14. libro vndecimo,
method. per venæsectionem non remouetur obstructio, quæ producitur a crassa & viscida materia; id-
que eo minus, quo magis est antiqua. Auicennas ergo per obstructionem antiquam insinuat vehemens
in sanguine peccatum. Ideoque si obstructio fiat a sanguine, non cedente leuioribus præsidiorum mate-
riis, vena est secanda. Quoad *vbi agendum*; sanguis habet eam subsistentiam, vt commode euacuetur per
venam basilicam. Si autem obstructio oriatur a suppressis mensibus; tunc sanguis eam habet subsistenti-
am, vt promte euacuetur per saphenam: præsertim quia sanguis peccat secundum motum, dum impe-
D tum habet ab vtero in iecur, ab infra ad supra; vt deorsum reuelli expediat, & proinde venæ infernæ se-
candæ.

Fonticuli.

Probantur etiam fonticuli secundum crura, præsertim in obstructione, quæ non fit a sanguine, sed
a crassa viscida materia, quæ aliquando ita est rebellis, potissimum si coniuncta est frigida intemperies ie-
coris vel ventriculi, vt fonticulis vti cogamur, quo materia noua; quæ regeneratur, non fluat ad venas, sed
potius ad crura reuellatur.

Φαρμακεία. Vacuantia.

Medicamenta alia communia, alia determinata. Communia sunt, quibus etiam in aliis morbis est
locus: & sunt quæ determinatos humores possunt euacuare. Vnde, *si pituita peccet, vtendum agarico; si
melancholia, epithymo sena polypodio; si bilis flaua, rhabarbaro.* Circa hæc medicamenta notandum: a ple-
risque errores committi, potissimum in vsu *rhabarbari*: opinantur enim nos in qualibet iecoris obstru-

Error quorundam in vsu rhabarbari.

E ctione tuto vti posse rhabarbaro. Si namque a bile fiat obstructio, probatur rhabarbarum: si a pituita, vel
melancholia, nequaquam: præsertim quia pituita est tenuis. Quod si peccet pituita crassa, vel melan-
cholia, nocebit vsus rhabarbari: euacuat enim bilem, quæ sui præsentia habet rationem materiæ sanantis,
cum sua caliditate remittat frigus pituitæ, & melancholiæ; attenuet etiam, atque aliquo modo deter-
geat. Est etiam alius error circa rhabarbari vsum. Cum enim hic morbus diuturnus sit, præcipiunt
Medici, vt æger frequenter, id est, singulis vel alternis diebus, masticet rhabarbarum, & deuoret. At
hoc pessimum est consilium: vacuatur enim bilis, quæ non peccat, & proinde non est euacuanda: &
intenditur quoque obstructio, quia rhabarbarum non administratur in infusione, sed in substantia,
quæ ob crassitiem in caussa est, vt obstructio augeatur. Errant etiam, quia exhibent rhabarbarum
masticandum cum passulis, vt iniucunditas tollatur: sed hac ratione rhabarbari substantia perducitur
F ad iecur, ad locum obstructum: dulcia enim sunt vehiculorum aliorum: vnde vasa illa magis obstruun-
tur. Quare non indifferenter vtendum rhabarbaro: sed pro materiæ diuersitate remediis diuersis v-
tendum.

Vitalia remedia, respicientia tum proportionem, tum cal. innatum iecoris.

In obstructione, vt etiam in hydrope, opus est vti vitalibus: vt est *hepar lupi, cyphoeides Galeni cap.
7. libro 8. κατὰ τόπ. magnæ antidoti, absinthium, mentha*: & hæc sunt calefacientia. Refrigerantia sunt, *ro-
sæ, vel saccharum rosatum, cichoracea, vt endiuia, cichorium, sonchus.* Hæ sunt materiæ medicamenti vi-
talis: quædam tamen sunt hepatica, quædam non. Vitalia sunt, sed non hepatica, quæ non respiciunt
proportionem iecoris, sed manifestis qualitatibus respiciunt calidum eius innatum, quod indicat mo-
derate astringens. Hac de caussa Auicennas in obstructione hepatis, vtitur attenuantibus & detergenti-
bus, vt remoueatur peccatum materiæ, vt crassa scilicet attenuetur, & viscida detergeatur: quare hæc
G sunt præseruatoria. His autem permiscet astringentia, vt seruetur iecoris calidum innatum: talia sunt
rosæ, cichoracea, absinthium, non ratione omnium facultatum, sed ratione facultatis astrictoriæ.
Quare absinthium, verbi gratia, est materia remedii vitalis, & præseruatorii: vitalis, vt habet vim astrin-
gendi & minuendi calorem naturalem: præseruatorii, vt habet vim detergendi. Hæc igitur quæ respici-
unt calorem, sunt quidem vitalia; quia conseruant calorem, sed non sunt hepatica, nisi improprie, cuius-
modi est *agrimonia, &c.* Hepaticum ergo est *hepar lupi*.

Obstructio cum dyscrasia calida.

Si obstructio hepatis coniunctam habeat intemperiem calidam; respiciendo ad materias vitales, sic

possumus præscribere: *Recipe trochiscorum cyphoeidis ʒ ij. ß. hepatis lupi ℥ ß. pulueris agrimoniæ ʒ iij. conser-* A
uæ cich. rosarum. ana ℥ j. ß. cum syrupo de succo sonchi, fiat electarium. Cuius dosis a ʒ ij. ad ℥ j. Ratio huius me-
dicamenti. Institutum est conseruare iecoris facultatem, conseruando scilicet eius calorem innatum, per
illud, quod habet similitudinem cum proportione iecoris: propositum etiam est, remouere dyscrasiam
calidam iecoris. Trochisci igitur cyphoeidis, respiciunt proportionem iecoris, & parum calefaciunt: cu-
ius gratia adduntur refrigerantia. Iecur lupi est basis, & est materia remedii vitalis; præcipui enim caussa
est corroborationis hepatis: quemadmodum propria caro iecoris est præcipua caussa sanguificationis: id-
eo immiscetur hoc medicamentum in magna satis quantitate, ad ℥ ß. & præsertim quia per primas quali-
tates non potest nocere. Puluis agrimoniæ miscetur, vt iuuet attenuando, & per moderatam caliditatem
hepatis calorem conseruet: non autem obest calore suo, quia non pertransit primum gradum. Miscetur B
conserua rosarum & cichorii, vt remittatur calida iecoris intẽperies: deinde vt ob leuem vim astrictoriam,
iecoris calor vniatur: tertio, quia dulcia iecori amica sunt, hæc medicamenta vehiculum sunt reliquorum,
& sunt in caussa, vt medicamentum citius perducatur ad iecur. Additur syrupus de succo sonchi, vt medi-
camentum acquirat eam consistentiam, quæ oblectat ægros.

Obstructio cum intemperie frigida.

Si iecoris obstructio coniunctam habeat frigiditatem; medicamentum tale erit: *Recipe hepatis lu-
pi ℥ ß. mithridatii antiqui ʒ ij. pulueris absinthii ʒ ij. conseruæ ex absinthio, e foliis agrimoniæ viridis ana ℥ j.
ß. cum syrupo de corticibus citri, fiat electarium, cuius dosis a ʒ ij. ad ℥ j.* Hepar lupi, in hoc medicamento,
tota substantia prodest: & cum in actiuis sit temperatum, nec calore, nec frigore potest obesse. Mithri-
datium proportionem habet similem proportioni iecoris: & præterea calefacit. Absinthium per leuem
astrictionem conseruat hepatis calidum innatum: & ob caliditatem, remittit frigidam intemperiem. C
Conseruæ remittunt intemperiem. Et quatenus tum ipsæ conseruæ, tum syrupus de corticibus citri,
constant saccharo, faciunt vt medicamentum facile attrahatur a iecore, & retineatur ab eius retentrice,
quæ iucunda & suauia retinet. His medicamentis roborandum est hepar, & secundum calidum innatum,

Vtendi rat.

& secundum proportionem. Quoad vtendi rationem: circa *quomodo agendum* notetur, vt medicamen-
tum aliqua ex parte sit liquidum; quia ea est passio principaliter indicantis, nimirum caliditatis iecoris,
& proportionis requirentis. Si enim iusto liquidius sit medicamentum, præterlabitur, & ita non supera-
tur passio indicantis, sed potius resistit, non cedit. Nec medicamenta actu frigida administrentur: quia
calidum innatum, prohibet actu frigidum. Et, si hepar obstructum sit frigidius, medicamentum magis
actu calidum propinabitur. *Tempus vtendi* est, quando adest præsentia indicantis; & nihil prohibet. Sem-
per adest præsentia indicantis; quia perpetuo adest calidum hepatis in actu, semper adest proportio. Ve- D
runtamen non semper licet vti hoc medicamento, quia potest aliquid adesse, quod sit efficacius ad prohi-
bendum, quam virtus ad indicandum: id autem est materia replens totum, & potissimum proximos du-
ctus, ventriculum, venas meseraicas. Talis ergo materia habet rationem caussæ, sine qua non: si enim
præsente hac materia exhibeantur proposita medicamenta, sequitur insigne detrimentum, quia hæc
materia vna deducitur in iecur, & obstructio augetur. *Vbi.* Medicamenta intus & extra vsurpari possunt:
magis tamen probo vt exhibeantur, præsertim medicamenta quæ tota forma agunt, quæ respiciunt
proportionem; ad differentiam illorum, quæ respiciunt calidum innatum, quæ sunt moderate calida &
astringentia.

Ratio est, quia vbi agendum sumitur a subsistentia principaliter indicantis. Quare ratione pro-
portionis iecoris, potius exhibenda sunt medicamenta, quam applicanda. Et hinc etiam astrin- E
gentia, quæ respiciunt calorem innatum, tutius exhibentur, quam applicantur: nam absinthi-
um, verbi gratia, assumtum, roborat aliqua e parte, astringit, euacuat; quod non facit appli-
citum.

Ἐκφρακτικά, seu infarctu liberantia.

Præseruatoria remedia diriguntur ad materiam, quæ est caussa obstructionis. Vnde semper admi-
scenda sunt attenuantia, detergentia, moderate tamen calida, in omnibus compositionibus. Interdum
in receptis permiscenda sunt calefacientia, refrigerantia; aliquando emollientia, semper moderate a-
stringentia. Moderate astringentes materias proposuimus, vbi egimus de materiis vitalibus. Materiæ
attenuantes sunt, *securidacæ folia & semen; mirabiliter enim attenuant, & exobstruunt; chelidonium ma-
ius, id est, fumaria, non autem herba denticularis, qua non vtendum, pentaphyllum validissime attenuat,
citra caliditatem, tormentilla attenuat, & nonnihil astringit. filix mas valde probatur, item betonica, agri-* F

Alucinatio quorũdam.

monia, absinthium. Vulgares practici, respicientes ad verba Galeni, non ad sensum, in obstructione he-
patis vtuntur *absinthio & eupatorio*; in obstructione lienis, *ceterach & capparibus.* At interdum in hepa-
tis etiam obstructione, potius vtendum est ceterach & capparibus, quam absinthio & eupatorio. Ratio
sumitur a recta indicantium cognitione: nam hæc medicamenta sunt materia remedii non vitalis, sed
præseruatorii, id est, sunt materia remedii: non requisiti, sed indicati: igitur ab essentia nota indicantis.
Remedium igitur attenuans, indicatur a materia crassa: hæc si vehemens sit, indicat medicamentum ve-
hemens attenuans: si debilis attenuans debile. Aduertatur autem, dum materia crassa obstruens statui-
tur vehemens; non statui vehementem ratione actiuitatis, quia actiuitas non dependet a craſſitie, sed po-
tius a resistentia. In obstructione igitur, materia crassa, prout vel magis vel minus est crassa; ita etiam in- G
dicat remedium magis vel minus attenuans, magis vel minus vehemens. Et quia cognouit Galenus, ce-
teris paribus; obstruentem materiam esse crassiorem in liene, quam in iecore: ideo statuit in lienis ob-
structione opus esse capparibus, aspleno, quæ vehementer attenuant. At si materia iecur obstruens ad-
modum sit crassa (: nam interdum lapidescit: ob vehementem resistentiam expedit ad vehementissima
ascendere, ad ceterach, ad cappares. Si cum obstructione iuncta sit intemperies frigida; possumus addere
hyssopum, feniculum, prassium, quod aliqui pro secreto habent. Si iuncta sit caliditas cum superius propositis
miscenda

A miscenda *cichoracea, hepatica, acetosa*. Si materia aliqua e parte duritiem contraxerit, permiscenda sunt,
malua, althæa, amygdalæ dulces, liquiritia, passulæ dulces, caricæ, mel, saccharum. Dulcibus tantum ratione
vehiculi vti debemus, id est, in parua copia: alias vertuntur in bilem. Quoad *vsum* propositorum medica-
mentorum: si iecur obstructum sit a materia satis crassa, quę non e toto indurucrit, & sit iuncta frigiditas; Vtendi ratio.
vtendum hoc medicamento, quod attenuat, detergit, & remouet obstructionis caussam, & frigiditatem
coniunctam. *Recipe pulu. securidacæ ℥ j. trochisc. de eupatorio ʒ vj. pulu. fumariæ ℥ ß. mithridatii antiqui ʒ ij.
hepatis lupi ʒ ij. ß. conseruæ e foliis viridibus agrimoniæ ℥ iij. cum syr. de absinthio fiat electarium, cuius dosis a ʒ
ij. ad ʒ j.* Hoc medicamentum constat non tantum ex attenuantibus & detergentibus, verum etiam e vi-
talibus, quæ respiciunt calidum innatum iecoris, & eius proportionem: sed in minori quantitate posita
B sunt vitalia, in maiori præseruatoria: nam imposuimus ℥ j. securidacæ, quia institutum est potissimum op-
pugnare materiam, obstruētem, non neglecta tamen proportione, & calido innato. Quoad *quando*: pro-
hibere potest vsum huius medicamenti, materia replens ventriculum, primas vias, & totum corpus. Prius
ergo totum euacuari debet. Sed oportet hoc medicamentum exhibere per plures dies: ideoque in magna
quantitate præscripsimus, quæ excedit ℥ vij. vel viij. dum enim perseuerat indicans, materia frigida, longo
tēpore perseuerandū est in vsu huius medicamenti, & cōsimilis. Hoc medicamentū per os exhibendum.
Possunt etiam extrinsecus applicari medicamenta, quæ ex oleis & similibus medicamentis conficiuntur.

Victus respondeat. Si ergo fiat obstructio a materia sola copia peccante: ꝓbatur victus t[illegible]nuis (, non Diæta.
dico attenuans:) vt copiosa materia minuatur. Si fiat obstructio a materia viscida, crassa; obestet victus
C tenuis: ideo probatur victus medius inter plenum & tenuem. Hic autem victus mediocris debet esse at-
tenuans. Dulcibus vtendum, non vt cibis, sed vt condimentis, id est, in parua quantitate. Galenus impro-
bat *vina dulcia*. Exhiberi potest *aqua, cum exiguo vel mellis, vel sacchari*. Vbi vinum conced[illegible] potest dabi-
tur *vinum tenuis substantiæ, & admiscebitur parua portio vini dulcis, ratione condimenti*.

CAPVT XXI.

De Ictero, seu Aurigine.

PEr icteritiam intelligo flauam & nigram. Generatur, dum bilis excrementitia ita detinetur inter par-
tes corporis cutaneas, vt color a naturali statu mutetur, & euadat præter naturam. Icterus ergo est co- Generatio. Definitio.
lor præter naturam in cute totius corporis, procedens a bile excrementitia. Forma, est color præter natu-
D ram, id est, symptoma, nim. qualitas mutata visibilis: multiplex autem est hic color, prout huius caussa est
multiplex. Subiectum est cutis tota; ad differentiam cutis secundum partem aliquam: vnde v.g. in erysipe-
late mutatur color cutis, sed in illa tantum parte, in qua est erysipelas.

Efficiens, est bilis excrementitia, ad differentiam alimentalis, & aliorum succorum: nam in anasar-
ca mutatur color totius corporis, vt quandoque color roseus albus euadat, ratione pituitæ Bilis porro est Caussa efficiens.
Flaua, vel Atra; seu melancholica: item, est vel Toto genere præter naturam vel Non: toto genere præter
naturam est putrida, qualis in febribus esse solet (. Auicennas negare videtur, icteritiam dari in febribus:
sed loquitur de icteritia principali, quæ non fit in febre: at icteritia non principalis fit ratione febris, quia
sequitur eam.) Cum igitur loquamur de qualibet icteritia, iure diximus hanc biliosam materiam posse
esse putridam, cuiusmodi redundat in putridis febribus. Ceterū, hæc materia non potest esse caussa icteri,
E nisi cutem occupet, & eius colorem mutet. Biliosa materia bifariam in cute reperitur: primo, quia talis in
cute Generatur, deinde, quia Fluit in cutem. Generatur in cute, si sit iusto calidior: tunc enim alimētum
etiam probum, in cutem delatum, mutatur in bilem. Fluit autem materia, potius transmissa, quam attra-
cta; quia iecoris partes solent esse calidiores, q̃ cutis: vt attractio a cute, tanq̃ minus calido, fieri nequeat.
Quod si tamen cutis sit calidior, adiuuatur fluxio. Materia ergo hæc trāsmittitur ab hepate: q[illegible]a eius expul-
trix insurgit ad expellendū vel ratione Copiæ, vel Qualitatis. Copiosa est materia duob. modis: vel quia in
magna copia Gignitur, vel quia tantū Colligitur, & non euacuatur, sicut opus esset. Si primo modo hoc
fiat, id cōtingit, vel Læsa facultate iecoris ob tēperiem calidiorē; vel ob Errorē externū, cibos & potus in
magna copia assumtos, qui facile in bilē mutantur. Si altero modo bilis sit copiosa; hoc fit vitio Iecoris, vel
Aliarū partiū, ꝑ quas deberet euacuari. Si vitio iecoris, fit ratione obstructionis, vi cuius nō pōt ita expel-
F li, vt par erat: vnde collecta materia adeo stimulat & grauat, vt ad partes cutaneas expellatur. Vitio aliarū
partiū; vt Lienis, & Vesicę fellcę. Lienis vitio; dū nō Attrahit, vel nō Suscipit. Nō attrahit, ratione frigidi-
tatis. Nō suscipit, quoties afficitur vel obstructione, vel tumore. Ratione fellex vesicæ fit; quia vel nō At-
trahit, vel non Suscipit; vel ratione angustiæ, vel tumoris: & angustia quandoq; in vesica fellea est consti-
patio, producta a lapidibus: nam vidi aliquot ictericos, quorum cadauerib. apertis, in vesica fellis copiosi
lapilli sunt inuenti. Postremo, ratione qualitatis insurgit ad expellendum. Et hæc qualitas vel est Venefi-
ca, vel Non. Non est, sicut in febribus putridis, in quibus materia eam acquirit acrimoniam, vt expultrix
ad expellendum insurgat. Hæc expulsio potest esse Critica, vel Symptomatica. Qualitas venefica est quā-
do aliquis mordetur a vipera, secundum Auicen. & Galenum: c.7.l.5.loc.aff. viperæ enim morsus ita affi-
cit sanguinem, vt vertatur in bilem excrementitiam veneficam, vt expultrix iecoris eam expellat ad cu-
G tim. Quomodo autem ab vno morsu viperæ sanguis iecoris mutetur in biliosum hoc excrementum; non Quomodo e morsu viperæ homo fiat aurigi-nosus.
ita facile intelligitur. Ego sentio, post morsum materiam veneficam per solutam vnitatem corpus ingre-
di; nō tamen agere in partes cutaneas: quia non est verisimile, veneficam illam materiam vi sua primum
petere omnes partes extrinsecas, sed solum illam quæ mordetur. Non autem vna corporis pars prius, alia
posterius colore illo bilis afficitur, sed omnes simul: quia bilis hæc excrementitia procedit a quodam fon-
te, qui eam per proprios canales transmittit ad omnes corporis partes, eodem tempore: vnde etiam eo-
dem fere tempore mutatio apparet secundum vniuersam cutim. Hic autem fons est iecur: nec enim cor

eſſe poteſt, alias ſæuiora fierent ſymptomata. In morſu ergo viperæ magis videtur affici corpus ſecundum partes venoſas: & hinc vis venefica primum impertitur iecori & priuſquam cordi. Neque hoc aduerſatur naturæ veneni, quod eſt corruptiuum cordis & confertim: non eſt corrumpens, ſed corruptiuum; niſi enim occurramus, habet facultatem, qua poteſt corrumpere cor, & interficere hominem. Non tamē hinc concluditur, venenum ante cor non poſſe alias partes primum offendere: nam cantharides primū offendunt veſicam, lepus marinus pulmones, & poſtea cor: ſic venenū in morſu viperæ, prius petit hepar, quam cor. Dum autem petit iecur, fit vt ſanguis in excremētitiam bilem mutetur, & acquirat prauum colorem, vnde poſtea mutatur color totius cutis. Hæc autem actio fit a veneno, a proportione maioris inæqualitis, vt magis poſſit venenum, quam ſanguis, aut iecur in facultate alteratrice. Venenum igitur per ſuam facultatem quæ eſt maximæ actiuitatis, ope ſuæ proportionis, quæ eſt non organum, ſed locus cōſeruans & domicilium facultatis venæficæ, ſummæ eſt actiuitatis. Et, cum diſſimilitudo ſit, inter proportionem veneni & ſanguinis, & hepatis; fit vt facultas veneni maioris ſit actiuitatis, cauſſa proportionis, facultas hepatis, minoris; ſanguinis, adhuc minoris: & cum nō poſſit ſanguis reſiſtere ſaltem ſecūdum aliquam ſui partem; ita vincitur a veneno, vt corrumpatur, & fiat toto genere præter naturam, & color mutetur. Hepatis autem facultas, cum ſit minoris actiuitatis, quam veneni; cedit facultati veneni; ſed non ita ſicut ſanguis, quia magis reſiſtit (: nam minoris actiuitatis eſt ſanguis, quam hepar) vnde hepar non ita corrumpitur a veneno vt ſanguis. Hinc fit, vt licet aliqua e parte patiatur iecur, non tamen corrūpatur: ratione paſſionis fit, vt adimatur actus facultatis alteratricis, vt non poſſit alterare & vincere, non poſſit regere ſanguinē, ſicut opus eſſet. Hinc igitur ſequitur, vt, ſumma ſit vis veneni, ſanguis per propriam vim non poſſit reſiſtere, & quodammodo relinquatur a iecore, ac neceſſario corrūpatur, & ita corruptus ad partes cutaneas tranſmittatur. Tanta autem eſt veneni violentia; vt niſi medicus quam celerrime occurrat, venenum, vt eſt corruptiuum cordis, ita actu etiam corrumpat. Hoc verum eſſe, oſtēdit curatio; ſecundum illud Hippocratis. Auicennas enim reſpiciens ad vim veneni, dicit adiuuandā naturam bezoartico, quod poteſt ſuperare venenum. Nam venenum eam habet potentiam, vt ſuperet naturam humanam. c. 4. l. 3. de temper. Et hinc Auerrhoes collect. 3. dicit, venenum per accidens curari a medicamento bezoartico; quia medicamentum non agit in venenum, alias per ſe fieret curatio, non per accidens, ſed agit in corpus humanum, & ita agit, vt cum natura non poſſit vincere venenum, aſſequatur eam virtutem beneficio bezoartici, quæ eſt ſupra humanam, ratione cuius, ita roboratur, vt vincat venenum. Quod cognoſcens Auicennas dicit, bezoarticum medicamentum eſſe in cauſſa, vt venenum vincatur, quia conſeruat & auget ſanitatem & virtutem in ſpiritu. Sanitas conſiſtit in temperie, compoſitione, & vnitate, Bezoarticum nihil præſtat ratione horum trium. Sic etiam venenum in icteritia dum agit in hepar, nō mutat temperiem: nam ſi mutaretur temperies, ea non ita cito reſtitueretur ſanitati. Per ſanitatem autem Auicennas intelligit bonam affectionem facultatis. Declaro. Corpus ſanum donatum eſt facultate, quæ ita afficitur, vt bonas edat operationes: ſi enim fuerit morbus, ſi lædatur temperies facultatis; affectio non eſt amplius ſecūdum naturam, ſed præter naturam, vt merito ſequantur actiones læſæ: vt ſecundum hanc rationem morbus ſit læſio, ſit affectio præter naturam facultatis, ſicuti ſanitas eſt affectio ſecundum naturam facultatis. Nec ſecundum hunc modum poſſumus intelligere ſanitatem ab Auicenna propoſitam: quia, licet hæc ſanitas non ſit temperies, non compoſitio, non vnitas; tamen ab his dependet, vt illa habeant rationem cauſſæ continentis, quia poſita intemperie, ponitur mala affectio, & remota, remouetur: ſimiliter, poſita temperie, compoſitione, & vnitate, ſequitur ſanitas, bona affectio facultatis. Vnde non poſſumus intelligere ſecundum hunc modum, quia nec venenum mutat temperiem, nec bezoarticum mutat temperiem. Quod dico de intemperie, idem dicendum de compoſitione & vnitate. Præter hæc tria igitur neceſſario requiritur proportio, quę eſt domicilium facultatis, vt facultas maioris & minoris actiuitatis reddatur, non modo beneficio conſtitutionis & ſpiritus, verum etiam virtute ſui domicilii, ſiue proportionis, in qua eſt virtus conſeruatiua locati. Quare ſimilitudo eſt inter proportionem bezoartici & corporis viuentis: & proportio bezoartici eſt in cauſſa, vt ſeruetur facultas maioris actiuitatis, beneficio cuius ita roboratur facultas corporis humani, vt acquirat poteſtatem ſuper humanam, quia ſecus non poſſent vinci venena. Acquirit autem ſuperiorem virtutem, & viuificatur atque augetur ſanitas; quia facultatis effectio redditur magis robuſta ob bezoarticum, quod habet proportionem ſimilem, cuius bęneficio facultas fit robuſtior. Hinc in ictero venenum non agit in conſtitutionem, ſed in proportionem: ſicut etiam adamas agit in magnetem, & ſui præſentia cauſſa eſt, ob proportionis diuerſitatem, vt tollatur actus facultatis, vt facultas non poſſit agere. Hoc igitur modo agit venenum in iecur, vt facultas eius non poſſit regere ſanguinem. De ſpiritu eadem eſt ratio. Si bezoarticum auget ſanitatem in parte viuente, & virtutem in ſpiritu: neceſſe eſt, vt venenum aduerſetur ſpiritui: nam morbum oſtendit cura. Et cum bezoarticum ſit amicum omnibus corporis partibus, & conſeruet virtutem in ſpiritu innato; neceſſe eſt, vt in omnibus partibus reperiatur ſpiritus. Quare morſu viperæ venenum petit hepar, & ſanguis acquirit colorem præter naturam, & tranſmittitur ad cutem, vnde huius color mutatur.

Differentię — Quoad differentias a forma: icteritia eſt Nigra, vel Citrina. Quoad efficientem: icterus prodit a bile Flaua, vel Atra, quæ perpetuo toto genere eſt præter naturam. Sciendum autem materiam præter naturam bifariam accipi poſſe. Primo modo, vt prorſus, & ſecundum propriam eſſentiam tranſgreditur limites naturæ; ſicut eſt materia putrida. Deinde ratione loci, in quo reperitur: quando ſcilicet ille locus non eſt deſtinatus huic materiæ a natura; ſicut contingit materiæ, a qua cauſſatur icterus. Præterea ab efficiente ſumuntur differentiæ; prout hæc materia Generatur in cute, vel aliunde Confluit. Et, ſi aliunde; bifariam fit, quia tranſmittitur vel ratione Copię, vel Qualitatis. Si ratione copiæ; vel quia Generatur, vel Coaceruatur. Qualitas tandem eſt Euidens; aut Recondita.

Icterus

A Icterus in genere facile patet: præſertim ſi aſpiciatur album oculi, quod facile inficitur. Mira natu- Signa.
ræ eſt prouidentia, quod in ictero aliquando cornea tota afficitur colore citrino, præterquam ſecundum
regionem quę ante cryſtallinum locatur. Hinc ſæpe icterici inſpicientes parietem album, album iudicāt:
interdum quodlibet obiectum citrinum eſſe putant. Quoad differentias formales; facile conſpicitur, an
color ſit citrinus, an niger, vel tendens ad nigrum, qualis eſt viridis. Quoad differentias ab efficiente; faci-
le cognoſcitur e colore, num ſit flaua, vel atra bilis. Num autem hæc materia ſit putrida, vel non; cogno-
ſcitur e febre putrida adiuncta. Præterea cognoſcendum an fluat, nec ne: nam ſi non fluat materia a ieco-
re ad cutem; paullatim fit hic morbus, totum corpus tactui ſe offert calidum, pulſant vehementer arteriæ
B ob caliditatem, & non mutantur excrementa. Si autem fluat; malum breui tempore ortum eſt. Sed no-
tandum, tametſi tranſmittatur materia a centro ad ſuperficiem; non tamen fieri rigorem, vt in febribus:
quia in febribus materia tranſmittitur ſummo cum impetu, in ictero ſenſim. Porro materia tranſmittitur
quia peccatum eſt vel in copia, vel qualitate. Copia duobus modis poteſt contingere; & quia generatur,
& quia colligitur. Generatur ob vitium calidius hepatis; ſeu, ob vitium in cibo. Si e cibo; cognoſcitur ex
ægro. Si ob vitium iecoris calidioris; tum lotium maxime erit coloratum: &, ſi immittatur pannus lineus,
tingetur colore citrino, vel nigro: alui autem deiectio non erit albicās, ſed colorata, quia non adeſt angu-
ſtia aliqua, vi cuius colligatur excrementum, & impediatur tranſitus bilis ad inteſtina. Vtrum autem viti-
um hepatis calidum, ſit intemperies, vel inflammatio, vel eryſipelas: cognoſcitur e propriis capitibus. Si
altero modo producatur icterus a bile, non vt copia peccat, ſed quia colligitur; hoc fit, quando bilis in de-
C centi copia generatur, & non euacuatur, ſed ob cumulationem ita fit copioſa. Si fiat vitio lienis, vel ieco-
ris, vel veſicæ felleæ; ſic diſtinguēdum. Nam ſi vitio hepatis; erunt ſigna obſtructionis. Si vitio lienis; præ-
ter id quod nigra erit icteritia, aderunt ſigna indicantia vitia lienis: vt, ſi colligatur excrementum melan-
cholicum, quia non attrahitur a liene, ob eius frigiditatem; cognoſcetur e ſignis propriis frigidi lienis; &
tactu nullus percipietur in liene tumor. Si colligatur excrementum melancholicum, quia lien non ſuſci-
pit: percipietur tenſio, & quandoque tumor, ac durities in liene, pro diuerſa mala diſpoſitione lienis. Si
colligatur vitio veſicæ fellis; cognoſcetur e colore citrino; deinde quia feces non ſunt citrinæ, ſed albicā-
tes. Si vero fiat ratione qualitatis; præter id quod ægri acrimoniam perſentient, aderit etiam febris. Sed
aduertēdum in febribus hunc materiæ fluxum aliquando criticum, aliquando ſymptomaticum eſſe. Cri-
ticus eſt; quādo prægreſſa ſunt coctionis ſigna, æger facile perfert, febris minuitur. Si ſymptomaticus; op-
D poſita fiunt. Si deniq; materia fuerit venefica; cognoſcitur e ſignis veneni, ſed potiſſimū color ad viridem
vergit, mutatur pulſus; nam licet venenum non ſtatim petat cor, breui tamen tempore fertur in cor.

Præſidia tantum ſumuntur ab efficiente: a calore enim non ſumitur indicatio: neque icterus niger Indicatio-
albo remedio, tanquam contrario curari poteſt. Bilis ergo excrementitia, vt toto genere præter naturam nes.
eſt, indicat eradicans: verum vt hæc materia eradicetur, ratione cutis indicatur laxans, rarefaciens. Indi-
cationes in hoc malo non ſumuntur a ſubiecto: ideo, dum rarefaciens medicamentum indicatur a denſi-
tate cutis, cutis non eſt ſubiectum icteri, ſed habet rationem efficientis, ſine qua non. Non poteſt euacu-
ari bilis, quia cutis ſua denſitate prohibet. Præterea, cum hæc materia generetur in cute, vel aliunde con-
fluat: vt generatur in cute, & producitur a cute calidiori; cutis indicat refrigerans. Si autem fluit; ſi perpē-
damus motum, ſi eſt criticus, eſt adiuuandus: ſi autem ſymptomaticus, quia eſt ad locos decētes, nimirum
E ad partes cutaneas & ignobiles, neque tum eſt inhibendus. Quare indicatio ſumitur a materia, prout vel
grauat, vel irritat facultatem, id eſt, prout peccat vel copia, vel qualitate. Si copia; reſpiciēdum ad cauſſam,
ratione cuius adeſt bilis copioſa. Duplex eſt cauſſa, alia generans, alia colligens. Generans, cum ſit vitium
calidum hepatis; indicat remedium refrigerans. Si colligens ſit cauſſa; colligitur vitio obſtructionis ieco-
ris, vel lienis, vel veſicæ felleæ: vnde pro diſcrimine vitiorum variæ ſumi debent indicationes: verbi gra-
tia, ſi colligatur ob frigiditatem lienis, oritur indicatio calefaciendi: ſi ob tumorem ſcirrhoſum, refrige-
randum, attenuandum, emolliendum. Si vero vitium ſit in qualitate; ſi qualitas eſt euidens, indicatur at-
temperans: ſi venefica, recondita; non indicat, quia non eſt nota eius eſſentia in veneno, ſed potius requi-
rit bezoarticum.

Vitium hoc non eſt contemnendū: nam quamuis prima facie ad decorationem pertinere videatur, Prognoſt.
F nihilominus dū protrahitur, pertinet ad artem curandi, quia egreditur latitudinē ſanitatis. Diſtinguitur
ergo curatio ratione differentiarū. Quoad formales; ceteris parib. ægrius remouetur icterus niger, quam
citrinus. Quoad efficientē: ſi ab atra bile procedit, difficilius curatur, q̄ ſi a flaua. Pręterea periculoſior erit,
ſi a materia putrida, ſi a venefica; & præſertim niſi illico occurramus. Quoad materiā; hæc ſumitur vt fluit,
vel non fluit. Si accipiatur vt fluit; poſſumus ſalutem polliceri, quia totum calidius redditum, poteſt refri-
gerari. Si vero alia e parte icterus fiat, vt materia quæ fluit, fluat tranſmiſſa vel ob copiam, vel malam qua-
litatem: ſi ob copiam, vel quia generatur, vel quia colligitur: ſi generatur copioſa bilis ob errorem exter-
num; poſſumus audacter ſalutem polliceri, vt cito etiam remoueatur. Si autem gignatur læſa facultate ie-
coris; varium erit prognoſticum: vt quandoque etiam impoſſibile ſit icterum remouere: verbi gratia ſi
generetur copioſa bilis ob inflammationem, vel eryſipelas, potiſſimum hepatis, vix fieri poteſt, vt homo
G reſtituatur. Si autem ob ſimplicem intemperiem calidiorem; non erit curatio difficilis. Sin autem copio-
ſa ſit materia, quia colligitur propter obſtructionem vel lienis, vel hepatis, vel veſicæ felleæ: prout mala e-
rit diſpoſitio huius vel illius partis, ita prognoſticandum: verbi gratia, ſi fiat ob ſcirrhum lienis, nemo ſa-
lutem promittet: ſi cōtingat ob conſtipationem veſicæ felleæ, quę producatur a calculis generatis in veſi-
ca fellis; quis ſalutem polliceretur? Quoad malam qualitatem; hæc eſt putrida, vel venefica: ſi putrida, vt in
febribus, ſitque hic motus criticus; optime ſperandum; contra ſi ſymptomaticus: vt colligitur com. aph.
64. ſect. 4. Si materia fuerit venefica, cito euaneſcit, ſi celerrime occurramus. cap. 7. l. 5. loc. aff.

Curatio. Phlebotomia.

Vena ſecundum Græcos,ſecanda eſt,ſi ſimilitudo ſit ſanguinis, ſi dolor in iecore vel liene. Arabes A probant venæſectionem,vbi venæ ſunt repletæ. Non igitur in omni ictere vena ſecanda, dum ſanguis redundat,ſed vbi peccatum ſanguinis eſt vehemens.Licet autem icterus fiat a bile excrementitia;ſanguis tamen in eo duobus modis peccare poteſt: vel vt habet rationem cauſſæ ſine qua non;quia in ictero non poſſumus occurrere materiæ fluxæ, neque fluxuræ,neque etiam generanti, niſi prius euacuetur ſanguis: vel,vt habet rationem cauſſæ principalis; quoties imminet, vt ob hepatis caliditatem ſanguis conuertatur in bilem excrementitiam. Sanguis autem eſt vacuandus non cõfertim,ſed paulatim,& per vices: nam ob bilem redundantem,& quæ miſcetur cum ſanguine,fit,vt partes non bene alantur, ſed vires euadant debiliores.Ilico autem vena ſecanda,quia inter initia adeſt indicans,nec adeſt prohibens. Locus varius eligendus,pro varia ſanguinis ſubſiſtentia.Galenus c.1.l.9.κατ.τόπ.ſecabat venam ſub lingua,reſpiciens ad B ſanguinem ſubſiſtentem in capite.Auicennas cucurbitulam ſcarificatam applicabat lieni; vt huius beneficio attraheretur excrementum melancholicum a liene:& propter frigiditatem lienis, applicari poteſt cum magna flamma,vt fiat valida attractio.

Vacuantia.

Vomitoriis vtendum,quia & euacuatur corpus a materia,& fit reuulſio.Pro vomitorio licet vti *decocto maluæ,cum ſucco raphani,cum agarico etiam non præparato,cum oxymelite.* Licet etiam vti ſoluẽtibus aluum:& licet aſcendere ad vehementiora,cap.vlt.lib.5.loc.aff.verbi gratia,*dacrydium, helleborum nigrũ, item ad colocynthidem*, ratione pituitæ;quia in ictero quandoque fiunt obſtructiones e copioſa,& contumaci pituita,vt neceſſarium ſit ad valentiora confugere,vt ad *troch.alhandal.*ſed virium habeatur ratio.

Ad materiã fluxuram.

Quoad peculiaria medicamenta,alia diriguntur ad materiam fluxam,alia ad fluxuram. Quoad fluxuram;reſpiciunt cauſſam vel generantem, vel colligentem. Quoad generantem; eſſe poteſt immodica C iecoris caliditas:vnde Rhaſis probat *ſuccum endiuiæ,ſolatri,cum aqua hordei* (aduertendum, non ſemper opus eſſe calidis attenuantibus) *vtebatur etiam trochiſcis de caphura, cum ſucco granatorum*: item frigidis aſtringentibus,quia iecur ob caliditatem generat bilem. Vtebatur ſucco granatorum,vt materia remedii vitalis, vt imminueretur caliditas hepatis. Quod de frigidis dictum,de aliis etiam intelligendum. Si materia colligantur;confugiendum ad ea,quæ remouent cauſſas,ob quas materia colligitur. Cauſſæ ſunt innumeræ;de quibus propriis capitibus. Sed quia obſtructio ſolet eſſe frequens cauſſa, & ſecũdum veſicam felleam,& ſecundum iecur atque lienem:exempli gratia vnum medicamentum proponemus, cui in obſtructione contumaci locus eſt:

Infuſio limaturæ chalybis.

℞ *limaturæ chalybis (in diebus canicularibus optime præparatæ ex aceto acerrimo,in quo ſint decoctæ rad.althææ)* ℔ *j. pul. anchuſæ,cornu cerui,agrimon.ceterach,fumar.parietar.ana* ℥ *ij.cinnamomi* ℥ *j.vini* ℔*.xij.Vinum autem ſit modo magis,modo minus generoſum,pro diſpoſitione corporis:* D *fiat infuſio,& detineatur ſub radiis ſolaribus.8.dies.Doſis ſit ab* ℥ *j.ad* ℔ ß.

Euacuantia materiam e cute.

Ratione materiæ fluxæ oportet vti *balneo aquæ dulcis alterato, maluis,maiorana, anetho, &c.* quorum beneficio cutis laxetur,aperiantur pori,attenuetur materia, atque ita in cute exſiſtens euacuetur:ad quod apprime conducit ſudatorium,quod hoc tempore in vſu eſt,pro faciliori ſudore eorum,qui morbo gallico laborant.

CAPVT XXII.

De Scirrho iecoris.

Nomen.

SCirrhus iecoris,eſt morbus compoſitus: & interdum ſuccedit inflammationi. Intelligimus autem hic p ſcirrhum, tum exquiſitum,tum nõ exquiſitum,id eſt,& ſenſus expertem,& participem.c.16.lib.14. E method.

Definitio.

Iecoris ergo ſcirrhus eſt tumor præter naturam, frigidus, durus, & corpulentus.Dicitur tumor præter naturam,& proinde morbus in magnitudine. Hic autem tumor eſt frigidus,com.21.l.4. de rat. vict.cap.4.lib.2.ad Glauc.cap.6,lib.14.method. cap.8.lib.8.κατὰ τόπ. Nam cum hic tumor fiat a frigida materia, tumor etiam,ſeu effectus erit frigidus. Hinc colligitur, quod ſit morbus, non tantum in aucta magnitudine,ſed etiam in intemperie frigida. Et ſic ſcirrhus diſtinguitur ab omni tumore præter naturam calido,nimirum ab inflammatione,eryſipelate,cancro. Dicitur etiam tumor durus,commen.21.lib. 4.vict.ac capit.8.libr.8.κατὰ τόπ. capit.4.lib.2. ad Glauc. vbi ad curandum ſcirrhum probantur emollientia. Et ſic diſtinguitur a tumore œdematoſo. Poſtremo dicitur tumor corpulentus, apud Galenum locis citatis,vbi vult,ſcirrhum cauſſari a materia viſcida,craſſa,corpulenta:ad differentiam tumoris flatulenti, F ſeu vaporoſi.

Cauſſa efficiens.

Quoad cauſſas ſcirrhi internas:fit e materia vel glutinoſa vel craſſa, vel ſimul & glutinoſa & craſſa: nam materia ſcirrhi peccat vel ratione craſſitiei, vel viſciditatis, vel ratione vtriuſque. Quare ſcirrhus fieri poteſt, non tantum e materia melancholica, ſed etiam e materia pituitoſa: nam melancholia craſſa eſt, non viſcida: pituita autem viſcida eſt, & interdum craſſa. Nam Galenus capit 4. libr.2.de differen.febr. loquens de febre putrida, pituitoſa vult non totam materiam pituitoſam exuri, ſed ratione viſciditatis nonnihil relinqui: at materia melancholica in febre quartana inſtar oſſis comburitur, quia ſicca eſt,non viſcida. Quare cum fiat ſcirrhus e viſcida materia; dicendum, non tantum fieri e melancholia, ſed etiam e pituita. Sed dubitatur: nam Galenus capit.4.libro ſecundo, ad Glaucon. & capite quarto, libro 14. method. ait, ſcirrhum ſuccedere inflammationi, & comitari eryſipelas: Quomodo igitur fit e melan- G cholia, e pituita? Reſponſio. Inflammatio degenerat in ſcirrhum, quando ſanguis craſſeſcit, & acquirit naturam melancholiæ. Succedit etiam ſcirrhus eryſipelati,non omni,ſed quando Medici præter modum & importune refrigerantibus vtuntur:nam pars adeo redditur debilis, vt non tantum humores collecti craſſeſcant,verum etiam proprium alimentum non poſſit regi,ſed euadat viſcidum & craſſum; vnde ſcirrhus. Præterea ſunt cauſſæ externæ,quæ proponuntur cap.vlt.libr.de cib.bon.& mod.ſuc.& cap.4. libr. 2. ad Glauc. vt ſunt cibi craſſi & viſcidi, victus craſſifaciens, vinum craſſum. Præterea fieri poteſt

A caussis non necessario occurrentibus, hoc est, ex errore medicorum, dum nesciunt recte tractare vel inflammationem, vel erysipelas.

Quoad differentias a loco affecto: iecur scirrho afficitur secundum partem Simam, vel Gibbam. c. 7. Differẽtiæ.
l. 5. loc. aff. A materia, hæc est viscida, vel crassa, id est, Pituitosa, vel Melancholica.

Scirrhus iecoris in genere, cognoscitur e sensu grauitatis, etiam si scirrhus exquisitus sit: pressu enim Signa.
dolor sentitur, quia vicinæ partes sensitiuæ ob tumorem iecoris comprimuntur, & earum vnitas soluitur.
Ægri melius decumbunt in latere dextro, quam sinistro: nam si in sinistro decumbant, tunc latus scirrho
detentum comprimit ventriculum, vnde fit dolor veluti contusiuus, ratione ponderis. Sensus grauitatis
ob membranam inuestientem maxime adest, si scirrhus non est exquisitus: si exquisitus, non item, licet ob
compressionem partes vicinæ doleant. Sed non tantum respiciendum ad dolorem, num assit, nec ne: verũ
B ad diuturnitatem & contumaciam affectus. Si enim non cedit remediis iudicandum, esse exquisitum scirrhum;
& hic non est suscipiendus, quia non potest curari: at non exquisitus cedit remediis. Adest autem
sensus grauitatis sine febre, ad differẽtiam inflammationis: nam scirrhus est tumor frigidus: inflammationem
iecoris necessario comitatur febris; scirrhum non necessario, sed contingenter. Insuper scirrhus hepatis
cognoscitur e pulsu euidenter duriore, quia tumor hic multo durior est, quam tumor inflammationis.
c. 4. l. 1. de præsag. puls. c. 9. l. 4. de præsag. puls. Secundum Auicennam quoque cognoscitur e lotio diminuto.
E qualitate etiam mutata, visibili, & tangibili: e visibili; corpora emaciata conspiciuntur, quia
non recte fit sanguificatio, neque etiam distributio: præterea color corporis mutatur, quod peculiare est,
in affectibus iecoris & lienis. E tangibili; quia in regione iecoris tumor durus percipitur, præsertim si inflammatio
fuerit in parte gibba, c. 7. l. 5. loc. aff. Aduertendum autem hunc tumorem durũ euidentius per-
C cipi, quando patiens vel rectus manet, vel etiam decumbit in parte sinistra, quia magis descendit tumor
ille infra costas, vnde magis conspicuus apparet. Notat Galenus hoc esse verũ, nisi succedat hydrops: tunc
enim venter aqua repletur, quæ impedimento est, quo minus tactu durum tumorẽ persentire queamus.
Quoad differẽtias: num sit in parte gibba, vel sima; cognoscitur e c. de inflam. iecoris. De signis etiam materiæ
pituitosæ & melancholicæ, suo loco.

Cum scirrhus sit tumor frigidus præter naturam, vt necessario iecur afficiatur imbecillitate, & mor- Indicationes.
bo in magnitudine aucta: quoad imbecillitatem oritur indicatio corroborandi. Cum vero hæc imbecillitas
prodeat e frigida intemperie; corroboratio erit calefactio iecoris. Ratione magitudinis, ratione materiæ,
oritur indicatio remouendi materiam; quæ tamen indicatio non est vtilis, cum non præscribat remedium.
Cum vero hæc materia interdum sit viscida, interdum crassa, interdum viscida & crassa, semper
D autem dura: propterea oritur indicatio interdum abstergendi, aliquando attenuandi; interdum simul abstergendi
& attenuandi, semper autem emolliendi; totius habita ratione. c. 8. l. 8. *κ. τόπ.* c. 4. l. 2. ad Glauc. c.
4. l. 14. meth. c. 6. l. 5. de simp. med.

Hos scopos interdum absoluere possumus, interdum nequaquam. Scirrhus enim inter initia non Prognostica.
exquisitus sanari potest; exquisitus nunquam, c. 4. l. 2. ad Glauc. adest enim frigida illa intemperies, & adest
durities, quæ nullis mollientibus cedit. In scirrho ergo exquisito, si concurrat fluxus ventris, celeriter moriuntur:
si non iungatur ille fluxus, aliquandiu perdurant. Quare scirrhus iecoris ab initio est periculosus,
& difficulter curatur: antiquus autem curari nullo modo potest.

Vena secanda non est, quia imminet hydrops; materia enim non est sanguinea, sed pituitosa, me- Curatio. Materiæ cheirurgicæ.
lancholica, crassa, viscida: venæsectio refrigeraret iecur, antea frigidum. Secundum Auicennam & Acti-
E um vti possumus cucurbitulis scarificatis, quæ iecoris regioni applicentur. Licet etiam illis partibus applicare
vesicatoria, caustica medicamenta, cum Actio, de quibus alias; & vlcera diutius sunt aperta detinenda.
Prius autem totum expurgandum. Expedit etiam gratia reuulsionis cauteria affigere cruribus, dum
crura non sunt tumida.

Sequuntur medicamenta. Suppositis præparantibus & lenientibus; abstinendum a soluentibus va- Vacuantia totum corpus.
lentissimis, propter iecoris infirmitatem. Debilioribus ergo secundum Auicennam vtendum, quæ euacuant
pituitã, melancholiam. Si malum non cedit leuioribus; cogimur ad fortiora ascendere. Quare Galenus
c. 15. l. 13. meth. vtitur *clystere acerrimo, e centaurio min. & colocynthide. Auicennas ad helleb. alõn ascendit,
qui valentissime per vomitum vacuat.* Extremis morbis, extrema opponenda remedia.

F Topica sunt emollientia, digerentia, attenuantia, corroborantia: c. 4. l. 2. ad Glau. c. 8. l. 8. *κ. τόπ.* Vti er- Localia.
go possumus *medulla ceruina, medulla vituli, adipe gallinæ, vituli, anseris, bdellio, ammoniaco, thymiamate;
item rad. althææ, maluarum, cucumeris agrestis.* Hæc digerunt & emolliunt. Oportet etiam addere attenuantia:
vt sunt *myrrha, calamintha, origanum, serpillum, aromata.* Corroborantia sunt *absinthium, myrobalani,
mastiche.* Quãdo ergo vti volumus *emplastro, vel melle, misceatur oleum mastichinum, oleum de absinthio,*
vt non tantum emolliamus & digeramus, sed etiam corroboremus. Optimum est, si pars affecta oblinatur
luto D. Bartholomæi, quia in eo est maxima vis emolliendi. Prǫterea permisceatur *lutum D. Bartholomæi, cũ
luto D. Helenæ, vel D. Petri, quæ in collibus Euganeis exstant, prope Patauium.* Sequens remedium, corpore
expurgato, mirabiliter emollit, digerit, roborat, quod expertum est sæpe: ℞ *pulpæ colocynth partes iiij. radicis
cucum. agrestis partem j. & modicum absinthii: includantur sacculo, qui assiduo detineatur in loco læso.*

G Quoad interna: Actius pro dissoluendo tumore scirrhoso iecoris, maxime probat *anagallidis suc- Interna resoluentia & attenuãtia.
cum ad ℥j. vel ℈iiij. possumus etiam puluerem anagallidis exhibere. Dat cum mulsa: & si febres non erant vehementes,
dabat cum oxymelite. Probat etiam, tanquam efficacissimum medicamentum, quod componitur e sabinæ
puluere, & e fece arida vini, id est e fece quæ reperitur in fundo dolii, præsertim in quo detentum fuit vinũ dulce:
datque ad quantitatem cochlearis, ad quantitatem drachmæ.* Hoc se restituisse dicit, scirrhum, vbi hydrops
imminuit. Probat etiam medicamentum, quod parari potest *ex æquali portione fœnugræci, costi, petroselini,*

Aetius c. 11. l. 10 Lud. Mercat. c. 6. & 18 l. 2 de aff. mulier.

eupatorii: dat ʒj. Vehementissimum pharmacum, secundum Aetium, est *ammoniacum, cuius ʒj. cum mastiches g. anis viij. exhiberi intro poterit.* Sed duo sunt medicamenta, quibus felicissime vti possumus: nimirum, *decoctum sarsæ pariglię, quod parabitur cum medicamentis iecur respicientibus: verbi gratia, cum agrimon. petrosel. rad. althææ, ratione emollitionis.* Alterum auxilium est *vsus chalybis, cuius limatura in substantia exhibetur:* modum autem præparandi & vtendi, paullo post, cap. 25. & 26. de lienis scirrho agentes docebimus.

Victus mediocris erit & attenuans: vt dicit Galenus, ab initio lib. de atten. vict. eo enim vitia diuturna eradicantur. Hunc etiam probat Aetius. Potus erit similis. Interdum in cibis possumus concedere *amygdalas, pistacia,* secundum Aetium. Æger in latere dextro decumbat; secundum Auicennam, nam hic decubitus conducit ad dissoluendum tumorem scirrhosum iecoris. B

CAPVT XXIII.

De Vlcere iecoris.

Definitio. HOc vitium Aetius nuncupat colliquamentum: quia emaciatur & veluti liquatur totum corpus. Est autem vlcus iecoris, nil aliud, quam soluta vnitas iecoris, ex erosione producta. Potissimum succedit inflammationi, quæ ad suppurationem producitur. Potest etiam fieri citra inflammationem prægressam, ex acribus succis. Interdum vidi iecor vlceratum, ratione affectus gallici morbi, ratione mordacitatis materiæ.

Differentię. Quoad differentias: affici potest iecur secundum partem Simam, vel Gibbam. Ab effectrice caussa: succedit Inflammationi, vel Non.

Signa. Cognoscitur vitium hoc ex exeunte mutato, dum est purulẽtum: & interdum adest aliquid sanguinis, aliquid materiæ cruentæ. Hinc medici interdum decipiuntur, arbitrantes esse dysenteriam, quando materia saniosa, & sanguinea egreditur; ob cuius acredinem aliquis in intestinis persentitur dolor. Sed inde discernitur; quia sensus quidam grauitatis & punctionis etiam persentitur in regione iecoris, ob consensum membranæ. Et præsertim hæ deiectiones apparent, dum vlcus est in parte sima: nam si gibba pars fuerit exulcerata, indicia vlceris potius petenda sunt e lotio, quod erit purulentum, nec tamen aderunt signa vlceris vesicæ, neque vlceris renum. Quoad differentias ab efficiẽte: si præcessit inflammatio quæ suppurata fuit; euidens est, hoc vlcus succedere inflammationi, & fieri ratione materiæ purulentæ. Si nõ præcessit inflammatio; originem duxit e succis acribus, vt dictum fuit in sermone de vlcere ventriculi. Indicationes petendæ ex eodem loco. C

Præsagia. Vitium, secundum Aetium, est periculosissimum: ægri enim emaciantur. Est vitium incurabile; salutem polliceri non possumus: nam est vlcerata pars præcipua, quæ deperdita non potest regenerari, cum qua consentiunt partes principales; vnde fere omnes moriuntur. D

Curatio. Vena secanda non est, quia vires non possunt perferre, etiamsi sanguis redundauerit: Si enim vlcus succedat inflammationi, vires iam per præcedentem inflammationem sunt languidæ. Si autem vlcus non producatur ex inflammatione, sed ortum ducat ex acri materia; hęc peccat in qualitate: vnde a natura sanguinis recedit, vt potius purgandum sit, quam vena secanda. Medicamenta & Diæta, petenda e c. de vlcere ventriculi. Aetius recurrit ad præsidia, quibus vtimur in vlcere pulmonis, renum, vesicę. Vnde pro mũdificatione vlceris, licet vti *sero lactis caprini, cum mulsa, vel cum sacharo, &c.* Priuatim autem hoc est obseruandum, vt hepatica medicamenta permisceantur. Propterea Aetius permiscet *Cypheos medicamẽtum:* de quibus supra, c. 17. & 20. E

Historia curati vlceris iecoris. (*Patauii quidam deplorato iecoris vlcere laborauit, homo robustus alias, & nauticis laboribus addictus. Huic Medicus tum temporis Venetus clarissimus, H. S. præter reliquorum Medicorum consilia, curauit abdominis partem in regione iecoris nouacula aperiri, vt plurimum puris per vulnus efflueret. Vnde postmodum bene curato vulnere homo superstes mansit: & triennio post, saltauit ac laborauit, nihil sentiens incommodi.*)

CAPVT XXIV.

De Inflammatione iecoris.

Definitio. VItium hoc est tumor præter naturam sanguineus iecoris. Occupat autem iecur, & quatenus similare, & quatenus dissimilare. Vt similare; quia necessario adest intemperies calida. Vt dissimilare; quia adest tumor, morbus in magnitudine. F

Subiectum. Subiectum est iecur. cap. 7. lib. 5. de loc. aff. vbi per iecur intelligimus carnem iecoris: nam materia sanguinea ingreditur porositates iecoris, & ita iecoris substantia tumida euadit. Et quamuis in hoc malo iecur interdum magis affligatur secundum partem simam, interdum vero magis secundum partem gibbam: attamen iecur secundum partem vtramque afficitur: dum enim pars sima inflammatur, etiam gibba fit particeps inflammationis, & contra; ob partium connexum.

Caussa efficiens. Materia non tantum est syncerus sanguis, sed etiam pituitosus & melancholicus. Quæ materia sanguinea confluit in porositates iecoris, vel per modum Attractionis, ob dolorem, aut calorem; vel per modum Transmissionis, dum materia ad iecur transmittitur a Toto, vel Parte. Iecur autem suscipit ob imbecillitatem ascititiam (natura enim iecur, vt partem principem, robustam condidit) obortam ob noxas, quas iecur perpessum est.

Differẽtiæ. Differentiæ possunt sumi e loco affecto, & materia. Iecur enim afficitur magis, vel secũdum partem Simam, vel Gibbam. Materia est Sanguis, vel Pituita, vel humor Biliosus, vel Melancholicus. G

Signa. Signa triplicia proponemus. Primum indicantia inflammationem iecoris. Deinde, discernentia inflammationem iecoris, ab inflammationibus partium vicinarum, id est, membranæ succingentis iecur, mesenterii, musculorum abdominis, qui in parte dextra resident, & notharum costarum partis dextræ: vnde

A vnde multi fuere decepti, credentes esse pleuritidem, cum tamen esset iecoris inflammatio. Tertio afferemus signa differentiarum. *De signis primi generis.* Inflammatio iecoris cognoscitur secundum Galenum cap.7.lib.5.loc.aff.cap.4.8.& 9.lib.2.loc.aff.cap.7.lib.4.caus. puls. primum e sensu grauitatis in regione iecoris, & dextri hypochondrii: & interdum accidere ait Galenus, vt costæ in consensum ducantur: nam in quibusdam iecur annectitur costis per membranas aliquas, in quibus necessarium est, vt grauitatis sensus etiam costis communicetur; non autem in illis, in quibus membranæ hæ desiderantur: in plerisque tamen reperiuntur illi nerui. Quare Galenus ait, id *interdum* accidere. Sed quia etiam in obstructione & scirrho iecoris est sensus grauitatis, sciendum, in inflammatione, cum sensu grauitatis coniunctam esse febrem, quæ ilico cum sensu grauitatis oboritur: in obstructione autem & scirrho, licet aliquando accidat febrem

I. Signa inflāmationis iecoris, in genere.
1. Sensus grauitatis.
2. Febris.

B coniungi; præcessit tamen febrem sensus grauitatis. Et, si accidat (quod nō est impossibile) vt eodem tempore in obstructione appareat grauitatis sensus, & febris oriatur; cognoscetis per alia signa. Notandum dum Alexander dicit, febrem consequi tantum magnam inflammationem; eum non de omni febre loqui, sed de ardenti: alias in omni inflammatione, etiam exigua, necessario est febris. Præterea cognoscitur hoc vitium, quoniam grauitatis sensus affligit patientem, siue decumbat in latere dextro, siue sinistro: minus autem affligitur, dum supinus decumbit: ratio est, dum enim æger in dextro latere decumbit, opprimitur iecur a pondere ventriculi, & intestinorum; dum decumbit in latere sinistro, tenditur iecur inflammatum, vnde consentit membrana, atque lien, & grauitatis sensus magis augetur. Hæc non fiunt, dum homo supinus iacet. Cognoscitur etiam e pulsu, cap.7.lib 4.causs.puls. Pulsus enim fit celerior, frequentior, inæqualis; item, durus, serratus, & vibrans. Ratio. Cum enim inflammationis ratione, quatenus est

3. Molestia decubitus in latera.
4 Pulsus.

C affectus calidus, augeatur necessitas euentandi calorem cordis; hinc fit celerior & frequentior pulsus: cui frequentiæ inæqualitas succedit. Deinde quia non modo est affectus calidus, sed etiam est morbus in magnitudine (tumor enim est) hinc fit durities in pulsu, ratione arteriarum quæ tenduntur. Et, cum non æqualis fiat tensio; hinc arteriæ corpus inæqualiter dilatatur, & pulsus non tantum est durus, sed etiam serratus. Et cum tendantur arteriæ ratione tumoris; id etiam accidit, vt vis pulsifica agens in arteriam, arteriæ corpus habeat non ita cedens, sed resistens; vnde fit pulsus vibrans. Sed dubitatur, si pulsus serratus indicat inflammationem iecoris; quomodo alias Galenus dixerit, eum esse perpetuum indicium pleuritidis? Responsio. Pulsus inflammationem duobus modis perpendi potest: vel ratione inflammationis, vel ratione loci inflammati. Si consideretur pulsus ratione inflammationis; quatenus inflammatio est tumor, cum tendantur arteriæ, est pulsus durus, serratus. Et hoc modo intelligere oportet Galenum, vbi voluit,

Galeni loca concilian-tur.

D pulsum esse durum & serrinum in inflammatione iecoris. Si consideretur pulsus ratione partis inflammatæ; si pars fuerit humida, laxa; si conferamus pulsum membri laxi, quando hoc membrum non est inflammatum, ad seipsum quando est inflammatum; pulsus membri laxi non inflammati erit mollis; pulsus autem membri laxi inflammati, erit durus, ratione inflammationis. Sed si conferamus pulsum membri laxi inflammati, cum pulsu membri duri inflammati; pulsus membri laxi inflammati, in relatione ad pulsum membri duri inflammati, erit mollis. Propterea Galenus, loquens de inflammatione pulmonis, inquit, esse pulsum mollem, non quod in inflammatione sit pulsus mollis, sed in relatione ad pulsum, qui reperitur in inflammatione membri duri. Quare dum inflammatur membrana succingens costas, cum sit corpus multum membranosum, quod maxime tenditur ratione inflammationis; hac de caussa Galenus dixit, pulsum serrinum esse proprium pleuritidis; quia est maxime euidens, ratione loci affecti inflammati. Quare Galenus sibi non contradicit, Ideoque, cum Galenus cap.8.lib.8.κ. τόπ. dicat, iecur esse mem-

E brum compagis humidioris; propterea in inflammatione iecoris non potest esse pulsus serrinus, si conferatur iecur ad membrum durum; potest autem esse, si conferatur iecur ad seipsum non inflammatum. E tali igitur pulsu cognoscitur iecoris inflammatio, & præsertim e pulsu febrili & duriori. Præterea secundum Galenum capite 7. libro quinto, loc.affect. cognoscitur, ex inapp[e]tentia, e cibi fastidio. E siti, quæ admodum molesta est. Indicatur etiam ex alui excrementis cohibitis, nisi cum iecoris inflammatione sit coniuncta hepatica affectio, quæ debilitas iecoris nuncupatur, in qua deiectiones similes sunt loturæ carnis. Dubitatur autem quomodo cum inflammatione iecoris possit coniungi hepatica affectio; quæ prodit ex intemperie frigida iecoris. Responsio. Non est impossibile, vt hepatica affectio prodeat ex intemperie calida: sicut enim fit ratione frigiditatis, quando iecur non potest alimentum exacte separare; ita etiam fieri potest ratione intemperiei calidæ, cuius ratione alimentum iusto citius attrahitur a

5. Ἀνορεξία.
6. Sitis.
7. Aluus dura.

F ventriculo ad iecur; & cum chylus crudus attrahatur, non potest e toto vinci: vnde possunt fieri [deie]ctiones illæ. Aluus igitur stiptica est, nisi sit coniuncta hepatica affectio. Indicatur etiam e lotio non copioso, secundum Auicennam, quoniam aquositates absumuntur. Et est lotium coloratum, ratione feruoris sanguinis, vel bilis. Præterea indicari potest, e vomitu bilis flauæ vitellinæ, & interdum æruginosæ; nam non est impossibile, vt in iecoris inflammatione huiusmodi materiæ generentur. Insuper significatur e mordaci calore totius corporis, ratione febris quæ adest; quamuis interdum, dum inflammatio est maligna, extrema refrigerentur. Mutatur etiam color totius. Et, lingua apparet rubicunda, deinde nigra.

8. Lotium.
9. Vomitus.
10. Calor totius.
11. Color totius.
12 Linguæ color.

Sequuntur signa, distinguentia iecoris inflammationem, ab inflammationibus partium proximarum; nimirum membranæ iecoris, mesenterii, musculorum abdominis, & pleuræ, prout adhæret nothis

II. Signa diagnostica.

G costis dextræ partis. Inflammatio membranæ hepar inuestientis, secundum Auicennam, & Aetium, non difficulter distinguetur; ob dolorem insignem, qui non est in iecoris inflammatione; cum membrana iecur circumdans sit sensitiua, ad differentiam substantiæ iecoris. Præterea pulsus erunt duriores: & febris erit admodum intensa; præsertim quia inflammatio occupans membranam potius producitur a sanguine tenui, bilioso, feruido, quam a sanguine [melancholico], & crasso. Quod si inflammatio occuparit me-

Inflāmatio tunicæ iecoris.
Mesenterii inflāmatio.

senterium, e cap.7.lib.5 loc.affect.cognoscetur; quia præter id quod non erit facta mutatio in colore totius corporis, (non enim mutatur color ob inflammationem mesenterii, vt inflammato iecore) symptomata erunt remissiora; quia non inflammatur pars principalis. Præterea in excrementis alui primum apparebit quædam tenuis sanies; dein procedente inflammatione, cum magis materia concoquetur, cum excrementis exibit materia quædam ad similitudinem puris, magis concocta: rationem reddit Galenus loco citato: nam dum inflammata est pars, quæ habet tegumẽtum a substantia aliqua tenui, etiam in initio inflammationis aliquid resudat; vt in ophthalmia obseruatur; quod tamen crudum est, quia inter initia morbi: at vero quod postea egreditur est magis concoctum. Si inflammati sint musculi abdominis partis dextræ; ita distinguetur: non enim erit color totius mutatus. Præterea si inflammatio occupauerit partem gibbam iecoris, tactu obseruabitur tumor rotundus, instar figuræ iecoris: contra sensim delitescet, si in musculis fuerit inflammatio. Insuper iecore inflammato, facile distinguetis, pertractantes cutim abdominis, non enim consentit cutis: contra; si inflammentur musculi, præcipue externi: imo, interdum apparebit cutis rubicunda, dum externi musculi sunt inflammati.

Musculorum abdominis inflammatio.

Pleuritis dextra ad costas spurias.

Si pleuram teneat inflammatio, prout spectat ad nothas costas dextri lateris; distinguetur e dolore, tussi, pulsu, colore corporis. c.9.lib. 2. loc. affect. E dolore; quia grauiter ægri læduntur, siue in latere dextro, siue in sinistro decumbant: faciliusque decumbant supini inflammato iecore: non ita cruciantur symptomatis, vt grauitate, difficultate anhelitus, &c. Hoc non apparet, dum inflammatio est in pleura: nam prout inflammatio detinet vel internam, vel externam partem, ita etiam exacerbatur dolor, dum decumbit vel in parte dextra, vel in parte sinistra, vt cap. de pleuritide diximus: præterea potius est dolor pungitiuus, quam sensus grauitatis. E tussi etiam distinguuntur. In iecoris enim inflammatione tussis semper acida est, sine sputo, quia nulla materia corpulenta defluit ad pulmones: fit tamen tussis, non quod comprimantur pulmones; sed quia caliditas insignis impertitur pulmoni, vnde excitatur tussis, quæ tamen acida est: In pleuritide est cum sputo; si non inter initia, saltem procedente malo. Item, in pleuritide pulsus est durus, serrinus; in iecoris inflammatione mollis, si conferatur cum pulsu inflammationis pleuræ, vt supra diximus. Præterea distinguuntur ratione coloris in toto corpore; qui mutatur in intemperie iecoris; non mutatur in pleura inflammata.

III Differentiarum signa.

Quoad signa differentiarum: differentiæ sumuntur a loco affecto, & materia inflammationis. Quoad locum affectum; e capite septimo, libro tertio, loc. affect. si fuerit inflammatio in parte gibba, tumor tactu apparebit, dummodo magna sit inflammatio; & nisi incumbentes musculi sint impedimento; impediunt autem quando corpus non est gracile, sed carnosum & pingue: & propterea tunc necessarium est ad alia signa confugere. Possumus ergo distinguere e symptomatis: si enim symptomata, pertinentia ad partes thoracis, fuerint grauiora, quam symptomata quæ spectant ad intestina, ad ventriculum; dicendum, inflammationem occupare partem gibbam. Si opposito modo se habeant symptomata, vt grauiora sint, quæ spectant ad ventriculum; statuendum iecur esse inflammatum magis secundum partem simam.

Differentiæ desumtæ a materia, an sit sanguis, an pituita, an bilis, an succus melancholicus; cognoscentur ex alibi propositis. In præsentia hoc admonere liceat; e c.7. li.5. loc.aff. Si verbi gratia inflammatio oriatur e sanguine bilioso, vt sit erysipelas, vel particeps erysipelatis; sæuissima erunt symptomata, febris ardens: remissior autem erit febris, si fuerit succus pituitosus & melancholicus. Ex accessionibus etiã materia inflammationis deprehendi potest, si diligentia adhibeatur. Licet enim febris sit continua: attamen ægri interdum alternis diebus affliguntur, interdum singulis, interdum de quarto in quartum.

Indicationes.

Præsidia petantur e cap. de inflammatione ventriculi. Breuiter tamen sciendum, e cap.8.lib. 13. method. indicationes ratione inflammationis vel esse Curatrices, vel Præseruatrices. Curatrices sunt refrigeratio & euacuatio: quia in inflammatione est morbus in intemperie calida, vnde refrigerandum; est in materia & magnitudine, vnde euacuandum. Dyscrasia calida, & magnitudo aucta sunt duo morbi; quia offendunt actiones similarem & dissimilarem. Intentiones autem præseruatrices, virtute quarum prohibere oportet, ne augeatur phlegmone; hæ diriguntur in materiam vel Fluentem, vel Fluxuram. Ratione fluentis, oritur indicatio reprimendi: ratione fluxuræ in genere oritur indicatio reuellendi; in specie autem, si fluxura sit materia per modum attractionis, oritur indicatio mitigandi dolorem, si id fiat ratione doloris; oritur indicatio refrigerandi, si attractio fiat ratione caloris. Si fluxio fiat per modum transmissionis; roborandum est iecur, ne suscipiat: & mandanti etiam parti occurrendum, ne generet; prius tamen totius habenda ratio.

Prognostica.

Periculosus & lethalis est hic affectus: est enim intemperies, magnitudo aucta, detinetur pars præcipua, imminet hydrops, secundum Auicennam, & atrophia, e lib. de puls. ad tyrones: nam in hepatis phlegmone, iecur læditur, & ratione generationis sanguinis, & ratione distributionis. Verum vt periculi diuersitas deprehendatur, oportet considerare differentias, & ea quæ consequuntur inflammationem iecoris. Si consideremus differẽtias, & primum desumtas a loco affecto; dicit Auicennas deteriorem esse inflammationem, dum occupat partem gibbam, quam quando detinet partem simam: ratio est, quia partes thoracis, & proinde nobiliores magis patiuntur dum inflammatur iecur secundum partem gibbam, ad differentiam inflammationis detinentis partem simam. Galenus c.7. l.5. loc.aff. testatur grauiora esse symptomata, dum iecur secundum partem simam inflammatur: vbi non aduersatur Auicennæ; non enim loquitur de omnibus symptomatis, sed spectantibus ad ventriculum, vt sunt sitis, inappetentia, nausea, & reliqua ventriculi symptomata, quæ magis molesta sunt. Sed non propterea illa inflammatio magis est periculosa: vnde etiam subdit Galenus, inflammata parte conuexa, tusses magis molestare. Constitutum igitur sit, deteriorem esse inflammationem partis gibbæ. Quoad differentias a materia: non est ita periculosa inflam-

A inflammatio, quæ fit e ſanguine: perículoſior eſt, quæ fit e ſucco bilioſo; quia eryſipelas adeſt, & febris ardens, minaturque tabem, in lib. aduerſus Iulian. in aphoriſmos. Nec periculo vacant illæ inflammationes, quæ fiunt e ſucco melancholico; facile enim degenerant in ſcirrhum, vbi res deſperata. Si conſideremus ea quæ conſequuntur: Singultus in iecoris inflammatione, malum: aphor. 17. ſect. 7. rationem reddit Galenus tum alibi, tum in com. niſi enim vehemens ſit inflammatio, non ita afficitur ventriculus, vt fiat ſingultus: quare ſi adeſt ſingultus, praua eſt inflammatio. Similiter dum annectitur febris ardens, minatur tabem. Et, ſecundum Auicennam, dum coniungitur alui fluxus, homines moriuntur: & per alui fluxũ, intelligimus fluxum ſymptomaticum, qui non fit cum tolerantia virium, vnde cum vires languidæ ſint, neceſſario moriuntur ægri. Galenus enim c. 5. l. 10. meth, ait in inflammatione iecoris vnicam eſſe ſpem ſalutis, nempe virium robur: vnde viribus languentibus ægri ſuccumbunt.

B Vena ſecanda eſt; quia affectus ſanguineus. Quamprimum autem vena tundenda, ſecundum Auicennam; & quidem ante reprimentia; nam ſecus facile fiet ſcirrhus, & maxime intendetur inflammatio, ſi diſcutientia adhibeantur. Aetius ait, ſecandam eſſe venam primo die, itemque ſecundo, & ſeptimo, dum dolor moleſtat; innuens, primo die venam aperiendam; &, ſi augeatur inflammatio, ſi intendatur grauitatis ſenſus, dummodo ſint permittentia, etiam ſeptimo venam ſecari poſſe. Vacuãdus autem eſt ſanguis nõ iteratis vicibus, ſed confertim: nam in maximis inflammationibus nullum maius eſt præſidium, quã euacuare vſque ad animi defectum. aphor. 23. ſect. 1. Secanda autem baſilica dextri lateris; c. 11. l. 13. meth. quod etiam voluit Ariſtoteles c. 4. l. 7. de hiſt. animal. Si hæc vena lateat; aliæ venæ brachii tundãtur. Quod ſi ſuppreſſi ſint menſes; aperiatis venas infernas. Si virtus non eſſet ita valida vt ferat venæ ſectionem; applicabuntur cucurbitulæ ſcarificatæ cruribus: reuellunt enim a capite (lib. de hirudine) multo magis a iecore, C præſertim inter initia. Secus autem dicendum de cucurbitulis, quæ applicantur parti affectæ, ratione euacuationis materiæ fluxæ: & impactæ; ſuntque præſidium topicum.

Curatio. Cheirurgica.

Medicamenta alia Communia, alia Propria. Communia ſunt lenientia, preparantia, purgantia. Circa Lenientia notãdum, interdum his vtendum per ſuperius, interdum tantum clyſmis vtendum. Si enim inflammatio partem gibbam occupat; licet vti lenientibus per ſuperius: nam quamuis horum vis & poteſtas producatur non tantum ad tenuia inteſtina, verum etiam ad meſaraicas, & ad portas iecoris; tamen locus inflammationis non irritatur, quia eſt in parte ſuperiori gibba. Quare poteritis exhibere *mel roſatum ſolutiuum, mannam; nec ſpernendi tamarindi*, vt ſimul educãtur ſuperfluitates, & mitigetur feruor inflammationis. At ſi inflammatio fuerit in parte ſima; non debent exhiberi lenientia per ſuperius, quia afficiuntur venæ meſaraicæ, maxime afficitur ventriculus, vitium eſt in parte proxima, in parte ſima, quæ agi- D tatur a lenientibus: propterea clyſmi ſufficiunt, qui mediocres eſſe debent; in inflammatione pituitoſa, *e maluis & furfuribus, vel alio ſimili*: ſi inflammatio fuerit feruidior, ſit *ptiſana hordeacea colata, decoctum hordei, ſint refrigerantia, item oleum violaceum, cui addetur aliquid olei roſati completi*, ad corroborandas partes vicinas, partes iecoris.

Pharmaceia. Communia medicamenta: 1. Lenientia.

In Præparantibus notandum; ſi Inflammatio feruidior; vtendum refrigerantibus, *cichoraceis, hepatica, &c.* ſi non eſt ita feruens; vtendum *agrimonia, betonica, &c.* Potius autem conueniunt decocta, quam ſyrupi; &, ſi ſyrupi exhibeantur, ita temperabuntur, vt miſtum non ſit dulce: Alexander enim ſuadet, vt in iecoris inflammatione maxime vitemus dulcia. Aut ergo non exhibeantur ſyrupi, aut exhibeantur ſine dulcibus.

2. Præparantia.

In Purgantibus animaduertendum, quænam iecoris pars ſit inflammata. Si enim pars gibba in- E flammatur, non ſunt exhibenda ſoluentia, ſecundum Auicennam, ſed euacuantia per lotium. At, ſi pars ſima eſt inflammata, vtendum euacuantibus per aluum. Si enim ſecus fecerimus, reddetur natura imbecillis, irritabitur præter rationem inflammatio. Et hoc ſumſiſſe potuit Auicennas a Galeno capite decimoquinto, libro decimotertio, method. vbi vult, partem ſimam eſſe purgandam per aluum, gibbam per lotium. Quare, ſi pars gibba eſt inflammata, debemus exhibere lenientia, de quibus ſuperius locuti ſumus, non autem ſoluentia; quia materia illa euacuanda eſt per lotium: niſi fortaſſe natura tentaret euacuationem per aluum, & diminute: vnde, apparentibus ſignis cõcoctionis, poteritis naturam adiuuare. Si inflammata fuerit pars ſima, probat Galenus capite decimoquarto, decimoquinto, & decimoſexto, libro decimotertio, method. *carthamum ſeu cnicum, vrticam, radicem polypodii. poſſumus miſcere aliquid epithymi: & vrgente neceſſitate inquit Galenus ſe exhibuiſſe veratrum nigrum, cum ptiſana hordeacea colata. Nos ex-* F *hibere poſſumus rhabarbarum, ſi redundarit bilis, agaricum, ſi inflammatio ſit pituitoſa. ſi melancholica, ſenam, epithymum, polypodium, nigrum veratrum.* Vnde in praxi notandum, ad valentiora aſcendendum eſſe, non in inflammatione bilioſa, ſed præſertim in melancholica, quia hæc poteſt degenerare in morbũ incurabilẽ, nimirũ in ſcirrhũ. Quod ſi materia cauſſans ꝓducere inflammationẽ reſideat in parte gibba; occurrendum, ſecundum Galenum, *diureticis, apio, petroſelino, betonica, dauco, aſaro, aſparagis, &c. de quibus in renum affectibus.* Exhibenda autem ſunt hæc medicamenta, quando concocta eſt materia, non ante: nam (libro decimotertio, method.) qui inter initia purgare volunt, inflammationes reddunt pertinaciſſimas. Quare ſoluentia exhibeantur concocta materia, ſiue per ſuperius exhibeantur, ſiue per inferius infundantur.

3. Purgantia.

Priuata medicamenta ſequuntur, dum inflammatio occupat partem ſimam. Hæc referũtur ad Ma- G teriam, & ad Iecur. Et ſunt Reprimentia, ac Reſoluentia. Reprimentia conueniunt & ratione materiæ, & ratione loci affecti; capite decimoquinto, & decimoſexto, libro decimotertio, method. Materia enim feruens refrigeratur ope reprimentium; fluxa autem, ſed nondum impacta, retrocedit, vnde non augetur inflammatio. Conducunt etiam ratione loci affecti: iecur etenim inflammatum & calefactum exigit refrigerantia, qualia ſunt reprimentia. Præterea iecur poſtulat roborantia, quibus tonus ipſius ſeruetur,

Topica, ad inflammationem cõcauæ iecoris partis. Reprimentia.

qualia sunt astringentia, & reprimentia. Reprimentia autem vel vere talia sunt, id est, frigida, vel calida. Frigida sunt, *oleum rosatum omphacinum, oleum cydon. myrtinum, succus cydon. succus vitis, omphacium, sumach, acetum, santali, diatrionsantal. vnguentum santalinum, vnguentum Mes.* Et quæ reprimunt citra refrigerationem: vt *nuces cupressi, nuces quercus, mastiche, oleum mastichinum, & oleum absinthii acerbum maxime confert in affectibus hepatis.* Hæc ergo reprimunt, tum refrigerando, tum citra refrigerationem: illis vtendum in phlegmone feruente & biliosa; his, in pituitosa & melancholica, ne fiat scirrhus. Quoad *modum:* non debent actu frigida applicari iecori. cap. 12. lib. 13. method. nisi esset erysipelas, & insignis feruor, vt monet Auicennas: tunc enim inter initia id fieri posset. Quoties tamen non est feruor suminus, oportet moderate calida applicare. Neque synceris vtendum reprimentibus, nisi fuerit erysipelas; quia non est periculum, vt fiat scirrhus. Secus autem dum inflammatio est pituitosa, vel melancholica. Quare cum reprimentibus miscenda etiam sunt aperientia, & propterea tutius est, vti reprimentibus calidis, quam frigidis. Ratio autem quare attenuantia sint miscenda; sumi potest a cap. 15. lib. 13. method. primum ratione materiæ, quæ non tantum fluida est, sed etiam fluxa, vnde & sensus grauitatis adest: egemus ergo non tantum reprimentibus sed etiam attenuantibus, seu laxantibus. Deinde ratione loci affecti, nimirum iecoris; in quo tum substantia perpendi debet, tum situs. Quoad substantiam; iecur non est donatum substantia laxa & molli, vt cerebrum & pulmo: quare syncera reprimentia non ita possunt penetrare per crassam iecoris substantiam. Quoad situm iecoris; hoc viscus potius interna sede, quam externa est collocatum: ideo medicamenta non ita facile possunt perduci in locum profundiorem, & propterea egemus aperientibus; vnde *absinthium* est optimum præsidium; nam ratione partis amaræ est tenuis substantiæ, estque vehiculum partis crassæ, partis astringentis, ac reprimentis. Hinc Galenus *absinthium in oleo decoquit vase duplici; & carnem cydon. decoquit in aqua, possumus etiam in vino decoquere: facta decoctione absinthii & cydon. accipit oleum, quod iam susceperat vim absinthii, & vinum quod susceperat cydonii facultatem, quandoque etiam addit carnem cydon. omniaque simul mista decoquit: postea accipit pulu. myrobalan. verbi gratia in inflammatione pituitosa pulu. myrobal. chebul. & pulu. rad. ireos, vt non tantum reprimat, sed etiam attenuet. pro singulis vnciis olei & aquæ, sumatur vtriusque pulueris ʒß. Tandem miscet Galenus aliquid ceræ, verbi gratia ʒij.* Quoad *quando:* vtendum reprimentibus, non modo in primo, sed omni tempore, non quia assiduo materia fluat, sed ratione loci affecti iecoris. Quoad *locum:* medicamenta hæc applicanda regioni iecoris: non autem intro danda, qui habent vim astringendi. *Forma* potest esse vnctionis, linimenti, emplastri, cerati.

Digerentia. Resoluentia quoque non erunt syncera, sed permista cum reprimentibus: vnde vti possumus calefacientibus & siccantibus, quæ proposuimus cap. de intemper. ventriculi: vt sunt, *oleum vetus, oleum irin. decoctum calaminthæ, hyssopi, pulegii, &c.* Notandum autem, & præsertim in inflammatione melancholica, vt permisceantur emollientia, ne fiat scirrhus: vt sunt *adipes, medullæ,* de quibus cap. de scirrho.

Suppuratio phlegmones. Licet vero summo sit studio cauendum, ne phlegmone iecoris in suppurationem terminetur; cum inde vlcus relinquatur fere immedicabile: attamen si e febris & doloris intensione suppurari materiam cognoscimus; hac quoque in parte natura deserenda non est, sed emollientibus & maturantibus iuuanda: *verbi gratia, ℞ rad. alth. fol. maluæ, fl. chamæmeli, an. M. j. farinæ hordei tantundem, sem. lini ℥ß. bulliant: dein pistentur: & add. pingued. gallinæ, quantum sufficit pro cataplasmate.* Addi etiam possunt *caricæ, fœnumgræcum, oleum amygdal. vitelli ouorum, crocus, &c. itemque ad visceris tonum coma absinthii.* Hinc abscessus rumpendus est, vlcusque tergendum ac glutinandum: quemadmodum cap. 4. & cap. 23. huius libri docuimus.

Diæta. Victus quo tenuior, eo citius remouetur in phlegmone: virium tamen habenda ratio. Improbantur *allium, malum punicum;* nam abstinendum est a cibo viscido astringente, crasso, ne superfluitates in iecore detineantur, dum meatus angustantur a viscidis, vt ab allio; & ab astringentibus, vt est malum punicum. Abstinendum etiam ab aperientibus, quæ acria sunt, qui irritãt partem inflammatam. Vitanda etiam aperientia dulcia; vt *manna, syrupi;* quia iecur intumescit, nisi permisceantur amara, vel acida. Quare caueri dũ ab vsu aromatum, & acrium. Oportet autem vti detergentibus & aperiẽtibus citra acrimoniam, citra dulcedinem: vnde Galenus probat *ptisanam colatam.* Sed quia non omnes possunt perferre ptisanam, præcipit Alexander, vt exhibeamus *panem tritum, vel etiam pisces,* præsertim dum inflammatio est feruidior, biliosa: cibis etiam miscet *amygdalas,* quæ non sunt valde dulces, & habent vim aliquam attenuandi, aperiendi. Cibi condiendi *aceto, acetosa, endiuia,* quia aperiunt & refrigerãt: &, si insignis est inflammatio, licet

Potus. ascendere ad *lactucam.* A *vino* abstinendum. cap. vlt. lib. 4. meth. Conuenit *aqua hordei: item aqua alterata cum modico carnis: vbi virtus est debilis; sit ius longum, & alteratum endiuia, hepatica. Optima autem est aqua*

Codex Auicennæ restituitur. *hordei, quia refrigerat, abstergit, & propterea minuit obstructiones.* Auicẽnas aquam hordei in inflammatione iecoris suspectam esse dicit. Sed puto codicem esse corruptum, & pro aqua hordei, legendum esse mulsam: quod transcripsisse videtur a Galeno, præsertim c. 14. l. 13. meth.

Ad hepatis conuexi phlegmonem. Si autem gibba iecoris pars sit inflammata; statim in prima visitatione, si aluus nõ fluat, & sit inflammatio e sanguine, conuenit talis clyster: *℞. aqu. hord. mulsæ ana ℔ß. ol. viol. rosati completi ana ℥j. cassiæ extractæ ℥ß. oui vitellum, misce pro clysmo.* Et eadem visitatione iubeatis, vt aperiatur vena basilica dextri brachii, & sanguis emittatur pro virium tolerantia. Instituatur victus tenuis, vt est *ptisana, aqua hordei.* Ordinetur syrupus, quem bis in die accipiat. Et expedit, vt die sequente exhibeamus lenitiuum; quia non sufficit clysmus: sermo enim est de inflammatione partis gibbæ. Syrupus sit: *℞. syrupum ros. sol. ℥iß. mannæ el. ℥jß. decocti tamarind quantum sufficit. fiat potio breuis.* Facta euacuatione per clysmum, per venæ sectionẽ, per lenitiuum: reprimens fiat; *℞ ol. ros. completi, cydon. ana ℥vj. de absinth. ℥ij. pulu. santal. ℈ij. ceræ ℥ß. Misce pro linimento, quod applicetur regioni iecoris.*

CAPVT

CAPVT XXV.

De affectibus Lienis, in genere: & ſpeciatim de Duro ſplenis tumore.

AVICENNAS, Paullus, Aetius, ſcribunt, curationem vitiorum lienis admodum affinem eſſe curationi vitiorum iecoris. Diſcrimen tamen eſt in parte Pathologica, Semeiotica, & curatiua. Quoad pathologicam partem: lien magis obnoxius eſt morbis frigidis, iecur calidis: & proinde lien non ita facile afficitur inflammatione, minus eryſipelate, quam hepar; frequentius autem ſcirrho, quia allicit ſanguinem craſſum & melancholicum, qui frigidus eſt: vnde lien ob leuem cauſſam refrigeratur, & tumore ſcirrhoſo afficitur. Lien a natura conſtitutus eſt, vt mundificet ſanguinem a craſſo, & melancholico excremento; vnde lien optime conſtitutus tum cenſetur, cùm temperatus eſt, & liber ab obſtructionibus, vt B poſſit attrahere, & concoquere craſſum ſanguinem, huncq; in alimentum conuertere, & quod reliquum eſt expellere per venas in ventriculum, vt fames excitetur; poſtea hoc excrementum in naturaliter habentibus per inteſtina ſecedit. Quod ſi autem lien male affectus ſit, colligitur ſuccus melancholicus in corpore, qui non expurgatus facit nigrum icterum.

Iecinoris & ſplenis affectuum diſcrimen.
1. Differentia ratione morborũ, & cauſſarum morbificarum.

Quoad partem Semeioticam; in hac perpenduntur ſigna Diagnoſtica, & Prognoſtica. Quoad ea quæ præſentia indicant, e li. 5. de loc. aff. diſcrimen eſt: quia, ſicut affecto iecore, ſymptomata potius occupant partem dextram; ita affecto liene, ſiniſtram. Inſuper, quemadmodum in malis iecoris color dum mutatur, fit citrinus: ita in malis lienis fit nigricans, quia abundat ſanguis niger. Quoad prognoſtica; diſcrimẽ proponitur ab Aetio: Ceteris paribus malum hepatis eſt grauius malo lienis: quia iecur eſt pars præſtantior. Vnde ſi inflammatur vtrumq; viſcus; inflammatio in hepate eſt periculoſior, quam in liene. Quamuis C enim ex Hippocrate morbi magis ſint periculoſi, qui non ſunt proportionati cum parte affecta: præſtantia tamen iecoris plus poteſt, quam diſpoſitio in liene.

2. Signorũ ratione, differentia.

Quoad partem curatiuam; & quidem cheirurgiam: differentia eſt penes modum & locum. Quoad modum; in venæſectione amplius erit foramen, dum lien afficitur, quam dum hepar. Quoad locum; in malis iecoris tunditur baſilica dextra: in vitiis lienis aperitur baſilica ſiniſtri lateris; aut communis, ſi hæc non appareat; aut cephalica; aut, ſi & hæc lateat, vel etiam, ſi virtus non ſit admodum robuſta, ſaluatella ſiniſtra, inter quartum & quintum digitum; ſecundum Alexandrum, Paullum, Auicennam & Galenum, cap. 2. lib. 9. κ. τόπ. Quoad materiam medicinalem: diſcrimen eſt ſecundum vim medicamentorum: nam e cap. 17. lib. 13. meth. & c. 5 l. 2. ad Glauc. cauſſa lienis oportet vti vehementioribus, ſiue ſint alterantia, ſiue euacuantia. Ratio ſumitur e partis dignitate & ſede: quia hepar eſt viſcus magis excellens; ideo non fert adeo D fortia: & ſedes iecoris eſt in loco magis propinquo, lien in remotiore. Vtendum etiam vehementioribus gratia materiæ; quæ eſt frigida, craſſa, terreſtris, contumax. Cum ergo in malis lienis vti oporteat vehementioribus, quę vires non ferunt; occurrendum eſt mitioribus, ſed in maiori quantitate. Inſuper cum Auicenna miſceatis *acetum*, vt ſit aliorum vehiculum. Quoad modum euacuandi; e Galeno, differentia eſt, quia iecur poteſt euacuari his, quæ euacuant per aluum, & per lotium; lien per aluum ſolum, quia non eſt via, per quam poſſit expurgari per veſicam. Nec tamen propterea in malis lienis prohibentur diuretica. Galenus enim reſpicit ad materiam coniunctam, fluxam, & exſiſtentem in liene: vnde cauſſa materiæ antecedentis, ne fluat in lienem, & tumor eius augeatur, optimum eſt vti diureticis. Vltima differentia eſt ratione præſidii vitalis: in malis hepatis, vtendum hepaticis: in lienis, ſplenicis, qualia ſunt ſecundum Auicennam, *ammoniacum, allium ſylueſtre, ſecundum Aetium quoque lien noctuæ. Cappares & aſplenium* E *non ſunt ſplenica; nec abſinthium & agrimonia ſunt hepatica: ſed differunt, quod alia ſunt vehementiora, alia remiſſiora.*

Curationis diſcrimen.
I.
II.
III.
IV.
V.

His igitur obſeruatis; cognita iecoris affectuum natura, de ſplenis etiam vitiis facile ſtatui poterit. Quare & nos hoc loco, breuitati conſulentes, ſolum Splenis ſcirrhum, quo frequentius corripi ſolet, tractabimus.

De Scirrho lienis.

QVOAD materiam cheirurgicam; Galen. ca. 2. l. 9. κ. τόπ. iubet, vt aperiatur vena poſt aurem ſiniſtram & extrahatur ſanguis ad ℥ ij. vel iij quo oblinatur tumor. Fatetur Galen. hoc eſſe ſummum præſidium, agens a proprietate potius contraria, quam ſimili: ipſe vocat naturalem contrarietatem: nã inimicitia eſt inter ſanguinem extractum, & materiam tumoris. Circa materiam cheirurgicam Aetius aſcendit ad veF ſicatoria, ad cauteria: & vlcera diutius aperta detinet, vt materia egrediente per locos exulceratos tandem deſinat tumor. Quare in tumore contumaci ad hæc accedendum: prius tamen totum expurgari debet, & materia tumoris, quantum fieri poteſt, remolliri, nam mollior reddita promtius cedit.

Curatio Cheirurgia.

Quoad materiam medicinalem: oportet ea vti intus & extra. Intrinſecus cum Aetio & Auicenna vtendum ℥ ij. *lienis equi puluerisſati, & allii ſylueſtris: & bibatur poſt puluerem oxymelitis* ℔ ß. *vt puluis deducatur ad lienem, materia attenuatur & detergeatur. Allium contundatur, extrahatur ſuccus, & reſiccatus in puluerem redigatur: huius pulueris recipe* ℈ j. *ammoniaci diſſoluti in aceto* ℥ ß. *(acetum ſit in quo ſint maceratæ rad. ſcillæ; vel ſit acetum ſcilliticum.) pulu. lienis equi, vel aſini* ℈ ij. *cum oxymelite ſcillitico parentur pilulæ, vel boli.* Dentur. Et hæc eſt vnica doſis. Datur per quatuor vel quinq; horas ante cibum: & ilico proG pinatur oxymelitis ℔ß. Si quis non poteſt perferre oxymeli ſyncerum, detur dilutum: *Verbi gratia*, ℞. *oxymelitis* ℥ *iij. decocti ſcillæ, tamariſci, ſeminum ſecuridacæ* ℥ *iiij.* Detur per plures vices. Non improbo *decoctum ſarſæparillæ: redditur efficacius, ſi in eo decoquantur ſcilla, & tamariſcus:* cauſſa emollitionis, poteſt etiam decoqui *radix althææ*: & vt fiat efficacius, poteſt in facta decoctione quater & ſæpius exſtingui *chalybs ignitus.* Hoc decoctum ſalſæ chalybeatum detur mane & ſero per quatuor dies: & ante decoctum dentur ℈ ij. vel iij. vel pulueris, & duæ tres pilulæ ſuperius deſcriptæ. Idem ſeruetur in exhibendis his pilulis,

Interna attenuantia & emollientia.

quod diximus in lue Venerea. Dabitis ante cibum syrupum. Cibus sit medicinalis, contrarius humori A
scirrhi. Probatur *vinum chalybeatum*, quod est valde efficax, non tantum ad absumendum tumorem lie-
nis, sed etiam ad eradicandum materiam; quæ caussa est obstructionis in quacunq; parte ventris inferio-
Limatura chalybis. ris. Hoc tantum discrimen notari debet: Si materia est in iecore, sunt adhibenda hepatica: si in liene, sple-
nica: si in vtero, vterina. Vnde in tumore scirrhoso lienis sic præscribatur: ♃. *limaturæ chalybis* ℔ j. (*in die-
bus canicularibus sub radiis Solis hæc limatura infundatur per tres aut plures dies in aceto acerrimo, in quo sint
maceratæ rad. althææ.*) *pulu. ceterach, securidacæ, tamarisci, cort. rad. capp. ana* ℥ ij. *cariophyll.* ʒ j. *lienis equi, vel
asini* ℥ iij. *vini generosi* ℔ xij. *fiat infusio per dies octo vel decem, & in tempore calido detineatur vas sub radiis
solaribus; in frigido, in hypocausto: & vas vitreum sæpe commoueatur in die: & post diem decimum hoc vinum
detur. Dosis ab* ℥ ij. *ad* ℥ viij. *seruatis seruandis*, de quibus alias. Dabitur enim per quinque horas ante pran-
dium in lecto, & decumbat æger in latere sinistro; dormiat, si potest; deinde surgat, ambulet, si potest, per B
stadium, & vltra in illis diebus aluus fluat sponte, vel arte.

Emollientia externa. Oportet etiam præsidiis extrinsecus emollientibus vti. Fomentum prodest *e maluis, althæa, rad. cucu-
meris syluestris. Medicamentum etiam e medullis, adipibus, e quibus diachylon conficitur.* Efficaciora quæ-
dam proponam. Aetius sumit *lapidem molarem, vel pyritem, redigit in laminã, vel puluerem. Si in laminam
redigatur, oportet eam calefacere ope vaporum prodeuntium e feruente aceto scillitico. Præstat etiam applicare
puluerem.* Medicamento hoc vti licet, post emollitionem aliquam: ♃. *succi fol. helleb. alb.* ℥ j. *pulu. lapidis
pyritis, vel molaris* ʒ ß. *succi cucum. agrestis* ʒ iij. *ammoniaci dissoluti in aceto (in quo sit macerata medulla colo-
cynth.)* ʒ iij. *ol. de capp. amygd. amar. ana* ʒ ß. *ceræ lotæ in decocto colocynthidis, vel albi veratri* ℥ j. *Misc. & ap-
plicetur.* Possumus etiam accipere partes æquales *succi allii syluestris, & succi albi veratri, cum oleis amygd.* C
dulc. & amararum.

Diæta. Victus sit compar: nimirum medicinalis, qui materiam illam absumat. Ante pilulas igitur proposi-
tas probatur *potus chalybeatus: chalybs in aqua exstinguatur, non in vino, quia amarescit, & dein aqua cum
vino miscenda.* Et quia non semper licet dare aquam, sed vinum syncerum; possumus vti *vino medicato
e ceterach, tamarisco. Addi potest aqua fortior facta chalybe ignito & exstincto.*

CAPVT XXVI.

De Scirrho lienis dilucida magis commentatio.

Definitio. GENERATVR hoc malum, dum lien afficitur intemperie frigida, & in tumorem attollitur. cap. 6. & 9
l. 14. meth. Scirrhus enim lienis est tumor frigidus lienis, productus ab humore indurato. Non recte
definitur tumor durus: est enim accidens præter naturam, & potius morbus, quam caussa, aut symptoma. D
Cum ergo sit morbus, erit in magnitudine aucta, & in frigida intemperie. Quia vbi est scirrhus, etiam non
exquisitus; fieri non potest, vt pars affecta non laboret morbo frigido. Euenire autem potest, vt magni-
tudo sit parum aucta, & habeat potius rationem qualitatis mutatæ, quam morbi. Recte igitur diximus es-
se tumorem frigidum: quia in omni scirrho, necessario est tumor, & frigida dyscrasia. Formalis igitur
Caussa efficiens. caussa claudit in se duplicem morbum. Efficiens caussa est humor durus; ad differentiam flatus: nam ab
hoc etiam duri tumores fiunt, vt in tympanite. Non sufficit, vt humor sit frigidus viscidus; sed etiam o-
portet, vt sit durus. (*ratione duritiei oritur indicatio emolliendi, quæ non est curatiua, sed præseruatiua; quia
respicit caussam efficientem, nimirum humorem durum: quia autem scirrhum definiunt tumorem durum, vt
durities habet rationem formæ; coguntur fateri emollitionem esse indicationem curatiuam: & sic omnia confun-
dunt.*) Caussa igitur efficiens est humor durus: vt distinguatur ab œdemate, & quocunque tumore non E
scirrhoso. Talis humor potest esse Pituita & Melancholia: libro 8. κ.τόπ. capite 4. libro 2. ad Glauc. cap. 4.
libro 14. method. Reliqui humores, vt Sanguis, & potissimum Flaua bilis, licet tenues sint, nihilominus
habent partes crassas. Vnde etiam inflammatio, & interdum erysipelas, degenerant in scirrhum, quando,
scilicet humorum tenuiores portiones ab imperitis medicis dissoluuntur, vnde remanent crassæ, quæ in-
duratæ scirrhum faciunt.

Differentiæ. A forma non sumuntur differentiæ, nisi secundum magis & minus: vt scirrhus maximus possit
exquisitus censeri. Nisi forte quis dicat, eum esse morbum frigidum, & sic esse Magis vel Minus frigi-
dum. Ratione tumoris, hic est Morbus, vel Qualitas mutata. Neque a subiecto sumuntur differentiæ:
nisi dicamus, lienem affici vel magis, vel minus, secundum partem vnam, quam alteram. Ab efficiente su-
muntur differentiæ: humor enim durus plurimum est Melancholicus, interdum etiam Pituitosus, raro F
Sanguis, vel Bilis.

Signa. Ad tactum sentitur durities: & mutatur color secundum faciem. An sit exquisitus cognoscitur; quia
dum digitis premitur, ægri non sentiunt dolorem. Facile etiam cognoscitur efficiens: verbi gratia, si ery-
sipelas est prægressum, vel inflammatio; rationabile est, vel e sanguine, vel e bile crassiore promotum
fuisse scirrhum, Sin minus; sunt signa pituitæ, vel melancholiæ dominantis; neque prægressum est erysi-
pelas, vel inflammatio.

Præsidia. Indicatio tantum est calefaciendi: quia a forma sumitur indicatio curatiua: morbus est frigidus, ergo
indicantur calefacientia. A morbo in magnitudine aucta non sumitur indicatio, quia hic morbus est ra-
tione contemplabilis. A subiecto oritur indicatio vitalis: ratione caloris enim oritur indicatio modera- G
te tum calefaciendi, tum astringendi. Ab efficiente sumitur indicatio præseruatoria; & cum hæc materia
sit humor durus, emolliendum: &, quia materia dura, potest esse crassa, viscida, ideo detergendum, inci-
dendum. Auferenda autem sunt impedimenta, quæ in caussa sunt, vt non possint scopi propositi impleri:
ideo toti prospiciendum.

Prognostica. Hisce scopis satisfacere arduum est: scirrhus enim est affectus contumax, & ratione loci affecti, &
ratione

A ratione materiæ. Quoad differentias formales; si scirrhus ita sit frigidus, vt sit exquisitus, non potest homo prorsus liberari. Quoad locum affectum; prout viæ magis vel minus obsidentur, vel secundum superficiem, vel secundum partes profundas; ita etiam maior & minor erit difficultas in cura. Ratione efficientis peior scirrhus est a melancholia, quam a pituita: & quo durior fuerit, eo cura difficilior. Licet autem scirrhus sit exquisitus; is tamen ita quoque imminui potest, vt homo diu possit viuere: dum scilicet ita occurrimus, vt iecur non trahatur in consensum; si enim iecur refrigeretur, actum est; nam necessario subsequitur hydrops, deinde mors: vnde scirrhus hepatis citius interficitur, quam lienis.

Vena secanda est si sanguis redundet; &, si virtus sit robusta. Quare inter initia scirrhi sanguis mittendus; tunc enim duo propositi scopi adesse possunt: non autem quando est progressus, quia hydrops sequeretur. Secanda autem basilica sinistra: &, si virtus non sit admodum constans, saluatella sinistra; vel B aperiendæ hæmorrhoides. — Curatio. Venæsectio.

Vesicatoria probantur in scirrho contumaci, quatuor, vel quinque, & satis vehementia: hoc modo. *℞ pulu. canthar. ʒ v. pulu. euphorbii, verat. nigri, veratri albi, ana ℈ ij. fermenti ℥ iij. aceti scill. parum. fiant pasta pro vesicatoriis (cum in febrib. malignis vtimur vesicatoriis, sufficiant medicamenta vesicantia; quia postea fit attractio ratione doloris, & caloris; atque receptio, ratione imbecillitatis. At in scirrho lienis miscemus medicamenta, quæ attrahant non solum qualitate manifesta, sed etiam recondita: nam euphorbium attrahit pituitam, helleborus niger melancholiam, albus melancholiam & pituitam: vnde prout scirrhus est melancholicus, vel pituitosus, vel mistus, diuersa medicamenta imponenda: plerunque tamen fit a succo melancholico, permisto cum pituitoso.)* Applicanda vesicatoria, *quando* adest præsentia indicantis, nimirum materia scirrhi: & quando nil prohibet, vt est corporis repletio, & immoderata materiæ durities: vnde totum corpus prius purgan- C dum, & materia emollienda; post applicanda vesicatoria. Tamdiu vesicatoriis vtendum, quamdiu adest præsentia indicantis, nisi aliud prohibeat. Virtus non permittit vt diutius seruentur, quam decem, aut quindecim dies: tunc enim claudantur, & post factam considerationem quiescant ægri per quindecim aut viginti dies, & postea rursus applicentur, quia non excitabitur tantus dolor. *Vbi agendum* sumitur a subsistentia materiæ in liene: applicanda igitur abdomini sinistro, circa lienis sedem. — Vesicatoria.

Sed ob scirrhi contumaciam, etiam ad cauteria ascendendum, quæ sunt efficacissimum remedium: alias hydrops sequitur; non enim sufficit *ol. de capparibus, nec diachylon in aceto maceratum*, quibus vulgo vtuntur, citra emolumentum. Aetius & alii in affectibus iecoris ad cauteria ascendunt: ergo hæc lien, vt membrũ minus præstans, multo magis sustinet. Cauteria autem dupliciter vti possumus: primum, ratione D materiæ, quæ nondũ efficere caussat, nec fouet scirrhũ; & tunc fonticuli excitabuntur in cruribus, potissimum in sinistro: Secundo, ratione materiæ, quæ actu efficere caussat scirrhum; de quibus nos potissimũ loquimur. Cauteria ergo pro magnitudine tumoris, plura, vel pauciora inurentur. Et hæc proprie dicuntur cauteria, quorum beneficio fit euacuatio, non reuulsio: vnde crurum vlcera, non sunt proprie cauteria. Vrentur autem quando adest præsentia indicantis, id est, quando malum aliis medicamentis & vesicatoriis non cedit. Cauteria autem diutius aperta teneri possunt quam vesicatoria. Et fiant ferro candenti, vel caustico. Applicentur regioni lienis. In vlcus immittatur pila *ex ambra, cinere; potissimum e radice vel medulla arundinis, aut ebuli, & imponatur frequenter puluis veratri nigri, si æger potest perferre, item veratri albi.* Porro non confugiendum ad vesicatoria & cauteria, propter molestiam, nisi quando aliter fieri non potest. — Cauteria.

Sequuntur peculiaria medicamenta, respicientia materiam a qua scirrhus producitur. Vti possu- E mus purgantibus vehementibus: caussa pituitæ *medicamentis e colocynthide confectis*; caussa melancholiæ, *iis quæ fiunt ex helleb. nigro.* Verum supposita totius purgatione, quoad peculiaria medicamenta, *puluis lienis asini satis efficax est ad absumendum materiam scirrhi, si intro assumatur a ʒ ß. ad ʒ ii. & vt perducatur ad lienem, addantur ℥ iiii. vel vi. vini albi, tenuis substantiæ, generosi*; nisi febris prohibeat; sic enim prius occurrendum esset febri lib. 9 κατὰ τ. *Primis diebus macerentur radices althææ, & capparum, cum febris ceterach.* Eodem modo vti possumus *puluere hepatis lupi, cinere vespertilionum ad ʒ ii. cum aceto mulso, vel cum aceto scillitico.* Et, cum liceat per plures dies exhibere; *vel in aceto, vel mulsa* macerentur medicamenta iam proposita. Obseruetur etiam, sicut in lue Venerea, vt singulis decem diebus aliquod medicamentum electiue ducens, vel pituitam, vel melancholiam, prout in corpore redundabit, exhibeatur. Præstabit etiam, vt alternis diebus administrentur *clysteres ex albo veratro:* horum enim beneficio, materia, quæ aliqua F e parte funditur, attrahitur ad intestina. Dabuntur etiam *pulueres è prassio, tamarisco: magis proderunt, si cum vino chalybeato exhibeantur.* Antiqui hoc proponunt efficacissimum, quod tamen nunc non est in vsu. *Recipe semin. erucæ ʒ ß. piperis, ammoniaci, spicæ, scolopendr. ana ʒ ii. arida cribrentur, ammoniacum autem dissoluatur in aceto scillitico: fiant pilulæ, quarum dosis a ʒ ß ad ʒ ii. & exhibeantur cum ℥ v. aceti vel mulsæ.* Aetius probat admirabile, quod nos hoc modo poterimus præscribere. *Recipe rad. capparum, tamarisci, limaturæ chalybis præparat. ana ʒ vi. ammoniaci ʒ i. semin. securidacæ ʒ ß. stœchad. absinthii ana ʒ iii. scolopendr. ʒ x. fiant pilulæ dosis a ℈ i. ad ℈ iiii.* Est efficax propter chalybem: vt sufficiant ℈ iiij nec licet ascendere ad ʒ j. *Exhibeatur cum ℔ ß. vel aceti, vel vini fortissimi.* Medicamentum omnium efficacissimum, in scirrho valde contumaci. *Recipe limaturæ chalybis ℔ j. maceretur in aceto acerrimo (in quo maceratæ sint radices althææ, asparagi) & ponatur sub radiis solaribus: aceto postea reiecto ex-* G *siccetur limatura, & redigatur in puluerem tenuissimum: huius ergo chalybis, ita præparati, ℞. ℔ pulu. securidacæ, guaiaci, sarsæ, ceterach, tamarisci, rad.* [illegible] *ana ℥ ii. vini, vel aceti, vel poscæ, ℔ xii. Imponatur hæc omnia in vase vitreo,* [illegible] *solares, vel in hypocausto & frequenter in die concutiatur, vt fiat optima* [illegible] *dies. Dosis ab ℥ ij. ad ℥* viij. pro materia & magnitudine scirrhi: virium tamen ratione a [illegible] minima dosi, & sensim per mediocrẽ ad

— Limatura chalybis. — Medicamenta interna, extenuantia splenem.

ſummam aſcendendum. Actu calidum,non frigidum exhibeatur;quia ſic indicat paſſio materiæ reſiſten- A
tis. Bibat autem patiens hoc medicamentum decumbens in lecto per horam, in latere ſiniſtro: deinde
ſurgat, ambulet, & ſe exerceat ad ſudorem. Poſt integram corporis purgationem aſſumat, per quinque
horas ante prandium;& per plures dies;donec omne illud vitium abſumatur. Tota quantitas ſit ℔ xij. vi-
ni:quia adeſt præſentia virium,& nihil prohibet.

Externa, emollientia, & extenuantia.

Extrinſecus probantur emollientia, quæ conficiuntur *ex ammoniaco,bdellio,apidibus,medullis. Vn-
de exſtat diachylon ſimplex,cum gummis: emplaſtrum de meliloto efficaciſſimum eſt. Lutum D. Bartholomæi
efficaciſſimum eſt.* Hinc aſcendendum ad extenuantia, vt ſunt *ſtœchas,cappares,tamariſci,naſturtium, myr-
rha:*item ad fortiora, *vt ſunt ſinapi,colocynthis,veratrum album & nigrum. Licet vti luto D Petri,D.Hele-
næ,quia magis reſoluunt,quam emolliunt.Vti etiam poſſumus ſacro cerato. Habemus etiam emplaſtrum ceri-
ne vocatum.Maxime probatur ſuffumigium e lapide molari,vel pyrite:vel ſuper lapidem ignitum proiiciatur* B
*acetum,in quo macerata ſint prædicta emollientia:& cum reſoluere volumus, in aceto maceranda ſunt diſcu-
tientia propoſita,potiſſimum dictamnus.* Ceterum,cum lien debeat ſuccum melancholicum attrahere,con-
coquere, expellere; opus eſt vt eius calor conſeruetur; qui ab emollientibus & reſoluentibus diſſipatur:
quare his permiſcenda ſunt leuiter aſtringentia,vt *ol.maſtichinum,abſinthium.* cap.2.lib.9.κ.τόπ Galenus
tali vtitur medicamento: ℞. *myrrhæ,mannæ thuris an.* ℥ *iij.ſinapi,naſturtii an.* ℥ *ij.aceti ſcillit. quantum ſuf-
ficit. Sinapi & naſturtium contundantur & cribentur:manna thuris, & myrrha diſſoluantur in aceto, & redi-
gantur ad formam emplaſtri.* Hoc efficaciter ſcirrhum lienis diſſoluit.

Diæta.

Victus debet eſſe mediocris,& moderate attenuans.Fiat *vinum medicatum* tempore vindemiæ,cum
propoſitis medicamentis,& præſertim cum *ceterach,tamariſco.* Quidam habent pro ſecreto,*ſi vinum con-* C
ſeruetur in vaſe confecto e tamariſco:&,ſi patiens bibat e cyatho,qui confectus ſit e tamariſco.

CAPVT XXVII.

De Renum affectibus: & primum de Diabete.

Renes quibus teneantur affectibus.

RENES, quia ſunt partes inſtrumentariæ,obnoxii ſunt morbis in intemperie, in mala compoſitione,
& ſoluta vnitate. Nos igitur tractabimus de Diabete,Calculo renali,& Vlcere. Quibus cognitis o-
mnia alia renum vitia, facile curari poterunt. De diabete, quia rariſſimus eſt affectus, breuiter & confuſe

Nomen.

Galenus loquitur, libro ſexto, de loc. affect. capite vltimo, libro de different. ſymptomat. capite duode-
cimo, libro primo, de criſibus. Per diabetem autem intelligimus illud vitium, quo homines plurimum
mingunt: redduntque lotium confertim & copioſum, vt biberunt: hocque malum dum progreditur;
homines contabeſcunt. Intelligimus autem hic tam exquiſitum, de quo Galenus locis citatis,(cuius au- D

Generatio

ctoritate Medici decepti, ſæpe ægros interficiunt) quam ſpurium. Generatur hoc malum, dum aliquid
morbificum occurrit corpori,cuius ratione intus ita lædantur renes,vt ſicut lotium confluit in renes, ita

Definitio. Forma.

etiam egrediatur, & hinc mictio fiat copioſa. Diabetes igitur eſt exiens ſeroſum renum,dependens a læſa
actione renum. Forma eſt exiens:ergo ſymptoma ſecundum. Hoc autem exiens eſt materia ſeroſa,aquo-
ſa; ad differentiam aliorum exeuntium,ſiue ſit pus,ſiue ſanguis,ſiue aliud quippiam. Quod autem in dia-
bete egreditur eſt lotium;vnde Auicennas dicit,illos mingere ſicut bibunt.

Subiectum.

Subiectum ſunt renes, ad differentiam veſicæ; quemadmodum optime declarat Galenus locis ci-
tatis, potiſſimum capite tertio, libro ſexto de loc. affect. vbi euidenter aſſerit,quamuis copioſum lotium
poſſit conſpici,non modo in diabete,ſed etiam aliis affectibus:in diabete tamen neceſſario vitium eſſe ſe- E
cundum renes.

Cauſſa efficiens.

Addimus: dependens a læſa retentione renum. Cum enim exiens mutatum ſit ſymptoma ſecun-
dum:neceſſario in primum refertur, quod eſt actio læſa, Læſa autem hic eſt non expulſio, ſed retentio.
Porro retentio læditur, vel Læſa facultate retentrice renum; vel ob errorem externum. Dicimus reten-
tionem lædi, læſa retentrice:propria enim ratione,& immediate, nulla alia facultas læditur. Nec obſtat,
quod Galenus dicit crudum, & nequaquam coctum lotium emitti: hoc enim primaria ratione non
ſpectat ad coctricem,ſeu alteratricem; quæ coqueret ſane, ſi detineretur; quia autem non detinetur, id-
eo non alteratur: vitium igitur in retentione eſt. Læditur autem retentrix ob malam compoſitionem, vt
optime proponit Auicennas;inquiens,hoc malum fieri,quando meatus, ſeu orificia nimis ſunt aperta:vt
morbus immediatus, ratione cuius læditur retentio, ſit morbus in mala compoſitione. Et hinc Alexan- F
der dixit,opus eſſe adſtringentibus; quia cognouit malum eſſe in immoderata apertione. Cauſſa immo-
deratæ huius recluſionis, eſt Interna, vel Externa. Interna, eſt Humor, vel Serum. De humore loquens
Aetius, dicit; diabetem fieri ab humoribus imbibitis in renibus;ab humoribus acribus,mordacibus, ſal-
ſis; qui ob acrimoniam abradere poſſunt, & recludere orificia vaſorum. Altera cauſſa interna eſt ſerum,
ſeu lotium, quod aperit orificia, tum quatenus impetu ad renes fluit,tum quatenus eſt copioſum. Fluit
autem lotium, ſeu ſerum, vel quia Attrahitur, vel quia Tranſmittitur. Attractionem Galenus tetigit
locis citatis; tranſmiſſionis autem non meminit, ne vno quidem verbo: vnde Medici his adducti au-
ctoritatibus crediderunt,nullum diabetem fieri per modum tranſmiſſionis: quod tamen eſt falſiſſimum.
Si lotium fluat,quia attrahitur ab immodica renum caliditate; eſt diabetes exquiſitus, in quo refrigerare
oportet. At vero etiam per modum tranſmiſſionis ſerum poteſt fluere; vbi potius calefacere oportet; & G

Cap.2. li.3.

hic Diabetes nothus eſt. Hanc ſpeciem cognouit Aretæus;qui dixit, diabetem aliquando fieri in morbis
acutis,quando cum impetu materia aquoſa fluit ad renes.Et hanc fluxionem etiam cognouit Auicennas;
dum voluit, quandoque in diabete renes eſſe frigidiores:quando igitur renes ſunt frigidi,tunc impoſſibi-
le eſt fluxionem fieri per modum attractionis, ſed fit per modum tranſmiſſionis, vt pars robuſta tranſ-
mittat ad debilem. Porro lotium aperit etiam orificia,ratione copiæ. Quare videndum,quibus de cauſſis
lotium

A lotium fiat copiosum. Fit igitur copiosum, quando generatur a iecore calidiore: vbi enim iecur calidius est, facile plus iusto funditur sanguis; quemadmodum fieri solet a diureticis calidis & siccis. Quod si contingat in toto etiam corpore immoderatam caliditatem exsuperare; adhuc copiosius lotium gignitur. Præterea multum fit serum, ob copiam potus: plurimum autem bibunt homines, interdum ob sitim, interdum ob prauam consuetudinem. Caussa externa, quæ potest orificia vasorum relaxare, possunt esse Assumta, vel Applicata. Assumta; vt immodicus vsus diureticorum, vt diasatyrionis, quo iam homines vtuntur, vt sint ad Venerem efficaces, sed postea mingunt. Applicata possunt esse, dum renibus applicantur iusto calidiora, & potissimum quæ laxant; vt immodicus vsus balnei aquæ dulcis; & immoderata applicatio relaxantium.

Differentia.

Quoad formam, & locum affectum; differentia tantum est secundum Magis & Minus. Quoad caus- B sam efficientem hæc est Interna, vel Externa. Interna, Humor, vel Lotium. Lotium, quatenus vel Impetu fluit, vel Copiosum est. Impetu fluens, vel Attractum, vt in legitimo diabete; vel Transmissum, vt in spurio. Copiosum lotium generatur, vel a Caliditate iecoris, aut totius; vel ratione Copiosi potus. Caussa externa, vel Assumta est, vel Applicata.

Signa in genere.

Malo hoc imminente, secundum Auicennam, & Græcos, exsiccatur os & labia: lotium præter consuetudinem in maiori copia emittitur. Et quo magis progreditur malum, eo euidentius cognoscitur. Nã patientes emaciantur, & tandem tabidi euadunt: quia dum lotium per corpus non perducitur, sed ilico per vesicam excernitur, deficit τὸ τῆς τροφῆς ὄχημα.

Signa differentiarum.

Quoad differentias: Num apertio orificiorum excitata sit à caussa interna, vel Externa; cognoscitur ex ægro & assidentibus: verbi gratia, fatebuntur se vsos esse diureticis, balneo aquæ dulcis, longo tem- C pore, & præsertim secundum renes: tunc enim statuendum, malum a caussa externa esse ortum: Sin minus hæc affuerint; ab interna. Cum autem caussa interna sit humor, vel lotium: si humor imbibitus sit & impactus; patientes circa renes grauitatem percipiunt, & tristem sensum, qui oritur a salsedine & acrimonia humorum. Si caussa fuerit lotium; nulla aderit grauitas: nam sicut lotium fluit, ita egreditur, non retinetur, nec facit grauitatem. Ceterum, cum serum sit in caussa, ratione tum impetus, tum copiæ: Quoad impetum; cognoscendum est, an materia serosa fluat attracta, an potius transmissa. Si fluat per attractionem; ægri sentiunt caliditatem circa renum regionem, conqueruntur de feruore renum: calida applicata nocent, frigida iuuant, & hoc malum potissimum corripit iuuenes calidi temperamenti, & qui calidos habent renes. Si fluat transmissa; non aderit incendium in renibus: fierique potest, vt post morbos acutos hoc malum fuerit subsecutum, transmissa scilicet ad renes materia: præterea, frigida nocent, calida D iuuant: obseruaturque hoc malum, in temperamentis frigidis, in senibus, & ætate decrepitis. Lotium autem copiosum, si generetur e copiosa potione, cognoscitur ex ægro: si ob immodicam sitim bibere cogantur, idem ex ægro intelligitur. Quod si homines copiosa potione non vtantur, & tamen copiosum lotium gignatur: iudicandum est huius caussam esse internam: quæ, si fuerit iecoris im̃moderata caliditas, cognoscetur hæc e propriis signis: si autem totius corporis immodica sit caliditas, etiam hæc propriis indicabitur signis.

Indicationes.

Præsidia in hoc malo tantum sumuntur ab efficiente: possuntque esse tum curatoria, tum præseruatoria: licet alias a caussa efficiente tantum præseruatoriæ sumantur indicationes. Quare sciendum, caussam efficientem diabetis duplicem esse: aliam proximam, aliam remotam. Proxima est immodica apertio orificiorum: quæ, licet statuatur caussa efficiens diabetis, est tamen morbus, quem immediate se- E quitur læsa retentio: oritur ergo indicatio adstringendi, secundum Alexandrum. Remotior caussa, seu materia, quæ vere est effectrix, est humor vel lotiũ. Humor indicat sui euacuationem. Lotium fluit vel attractum, vel transmissum. Quatenus ergo impetum habet in renes; indicat sui reuulsionem, deriuationem: quatenus attrahitur; oportet refrigerare, secundum Alexandrum, cum attractio illa fiat ab immodico renum colore. Si lotium fluit transmissum; oportet potius calefacere, quia pars suscipit ob imbecillitatem. Si sumatur lotium, quatenus copiosum est: si gignatur ob caliditatem totius vel hepatis; oritur indicatio refrigerandi totum & iecur. Sin homo ob sitim plurimum bibere cogatur; siti occurrendum. A caussa externa, non sumitur indicatio.

Prognostica.

Malum hoc periculosum est; nisi enim occurratur, celeriter homines tabe moriuntur. Inter initia leui negotio expugnari potest: in progressu a. vt plurimũ redditur inexpugnabile, quia vires fiunt langui- F dæ. Sed pro differentiarum ratione, variat periculum: v.g. si immodica apertio originem traxerit a caussa externa, leuiori negotio tollitur, quam si ab interna: nec enim ita facile humores interni impacti euacuari possunt. Item si lotium profluat attractum, facilius curatur, quam transmissum; præsertim quia hoc malũ, transmisso sc. lotio, senes corripit. Non est impossibilis curatio, si copiosum gignatur lotium ob caliditatem iecoris, aut totius; hæc enim remitti potest: item si fiat ob sitim, confugiendum ad caput de siti.

Curatio. Venæ sectio.

Auicennas & Græci inter initia moderate sanguinem detrahunt: si malum sit inueteratum, nequaquam. Sanguis in hoc malo peccare potest potissimum vt caussa sine qua non: nec enim renibus occurrere possumus, priusquam totum sit euacuatũ. Non ergo in omni diabete sanguis mittendus, sed quando sanguis peccat, toto sc. repleto. Monet aũt Auicennas, sanguinem moderate esse detrahendum, licet fieri pos- G sit, vt in magna copia peccet: nam vires magnam vacuationem non permittunt; quia ob defectũ vehiculi alimenti, corpus non nutritur, vt debebat, vnde necessario vires debilitantur: & quamuis ab initio forsan nondum debilitatæ sint; medicus tamen in venæ sectione non modo præsentes, sed ẽt futuras vires respicere debet. Si malum inueteratum est, nullo pacto vena secanda; non quod malum inueteratum hoc prohibeat; sed quia vires debilitatæ prohibent, quarum signum est malum inueteratum.

Medicamenta.

Græci adhibent *cassiam cum tamarindis: v.g. ℞ fl. cass. recens extr. ℥vij. pulpæ tamarind ℥v. misc. fiat*

1. Lenientia. *bolus*. Notandum non imponi magnam quantitatem tamarindorum; quia institutū est aluum lenire, & A mitigare impetum materiæ biliosæ. Quare male nonnulli plurimos pulueres miscent, *liquiritiæ, sem. melon. anisi &c.* sic enim medicamentum fieret diureticum, a quo inter initia cauendum. Auicennas hoc medicamentum quidem proponit & præterea clysmos moderate refrigerantes, *ex hordeo, lacte, & sero lactis, viol. fol viol. mal. & similibus*: his tamen non semper vtendum est. Imo probatur interdum maxime vsus huius medicamenti: *℞. mel. ros. sol. ℥ v. iuris pulli parum, misce. fiat potio.* Si patiens nolit potionem: potestis exhibere *cassiam cum myrobal. chebul. emblic.* vt proxima pituita euacuetur. Quod ex de caussa admoneo: nam si fuerit exquisitus diabetes, in quo lotium fluat attractum; cum iecur sit feruidum; oportet vti lenientibus supra propositis. Sed si fuerit nothus, in quo fluit lotium potiss. transmissum, cum ætati senili plurimum accidat, cauendum a refrigerantibus. Quod de lenientibus dixi, idem de reliquis intelligi volo.

2. Præparantia. In diabete ergo exquisito, refrigerantia ita præscribantur: *℞. fol. cich. endiu. hepaticæ, ana P. ß. aquæ hord. ℔ ß. fiat decoctio ad consumt. quintæ partis: huius decocti: ℞. ℥ iiij. (accipio in magna copia, ratione sitis.) syrupi ros. ℥ ß. misce pro potu.* In diabete autem notho, cum in ventriculo, & reliquis partibus exsuperet pituita, vt in senili ætate, præsertim decrepita: vtendum est *melle, non syrupo rosato; non aqua hordei, sed potius confecta e mentha: verbi gratia, Recipe mellis ros. oxymel. simp. ana ʒ vj cum aquis vel decoctis appropriatis. fiat potus.* B

3. Vacuantia. Quoad euacuantia: euacuandum per aluum, vomitum, lotium, sudorem. Per aluum, in exquisito diabete, hoc modo, *℞ pulu. rhet. ℈ iiij. pulp. tamarind. fl. cassiæ ana ʒ iij. cum saccharo fiat bolus.* In pituitosa materia euacuanda: *℞. agar. trochiscati ℈ iiij. pul. myrob. cheb. embl. ana ℈ ij. cum melle ros. fiant pil. vel bolus.* Quoad euacuantia per vomitum, in exquisito diabete expedit *copiosam frigidam præbere, ad ℔ iij.* post hanc exhibitam illico excitare expultricem ad vomitum, *penna oleo intincta, vel simili.* Aduertendum illico opus esse post exhibitam frigidam incitare expultricem; nam secus aqua descenderet ad renes, & non prouocaretur C vomitus: hic autem iuuat, tum gratia reuulsionis, tum quia sitim mitigat. In diabete non exquisito, exhibeantur *oxymelitis simp. ℥ ij. cum iuris pulli tepidi ℥ ix.* Sudor prouocari potest, nō his quæ assumuntur, quia materia adduceretur in renes, sed his quæ applicantur: vtpote instrumento quod est in communi vsu, in curatione luis Gallicæ: eo autem tempore, quo hoc instrumento vtimur (de diabete renes hoc intelligatur, non de aliis affectibus.) renes inungemus, in diabete exquisito, *vnguento rosaceo*; in spurio, *oleo mastichino, cum puluere nucum cupressi.* Euacuantibus per lotium vtimur in hoc affectu, non propter euacuationem totius, sed & renes repleti euacuentur: non enim his vtimur, si renes non sunt repleti. In diabete exquisito, hoc vtendum: *℞. emuls. semp. melon. cucurb. citruli, anguriæ, ana ʒ vj seri lactis optime depurati ℔ iiij. misce.* In diabete notho: *℞. fol. ceterach. rad. asparagi ana P. ß. iuris cicerum rub. ℔ j ß. fiat decoctio ad consumtionem tertiæ partis: post expressionem, ℞. huius decocti ℥ x. pulu. ceterach. ℈ j. misce.* D

4. Alterantia. Quoad alterantia: in diabete exquisito frigida conueniunt. Possumus ergo exhibere *aquas B. Virginis, aquas Veronenses, ad ℔. vj. viij vel x. item serum lactis ad ℔ iij. vel v. Licet exhibere saccharum violatum, cum fl. nymph. &c.* Renibus applicari possunt, *infrigidans Galeni, ol. viol. & expertus sum, mirum in modum prodesse. Applicatio fol. magnorum nymphææ prodest, quæ (vt frigida sint) sæpe renouabuntur; vel folia ipsa refrigeranda sunt cum spongia, in aqua frigida madefacta.* In diabete non exquisito vti possumus *conserua e betonica, vt perducatur ad renes, conserua dianthos, licetque ad magnas antidotos ascendere. Applicare licet oleum mastichin. de spica. Foueri possunt renes spongia e vino madefacta.* Vt hinc appareat maximum esse discrimen inter nothum & exquisitum diabetem.

5. Adstringentia. Tandem adstringentia proponenda sunt, quibus in omni diabete locus datur, quatenus fit ab immodica meatuum apertione. In exquisito igitur diabete *℞. troch. de spod. de balaust. ana ℈ j. sacchari ros. antiqui ℥ ij. pulu. ceterach, vt sit vehiculum, ℈ ß. cum omphacio fiat electar. Dosis sit ℥ ß.* Vrgente necessitate, quia E interdum imminet syncope licet ascēdere *ad theriacam recentem, ad Philon. Rom.* nam secus obirent. Extrinsecus applicare potestis *ol. ros. non modo completum, sed etiam omphacinum: v. g. ℞. ol. omphacini ros. ℥ j. pulu. balaust. gall. immatur. cort. gran. ana ℈ j. ceræ ʒ j. misce.* In spurio diabete, adstringentia erunt moderatiora: *℞. pulu. mastich. boli Arm. ana ℈ i. sacchari confecti e mentha ℥ i. & gratia vehiculi, conseruæ betonicæ ℥ ß. cum syrupo de mentha, fiat electar. cuius dosis a ʒ ii. ad iii. vel iiii.* prout indicantis actio erit vehemens. Extrinsecus applicandum *oleum mastichinum, cum pulu. cupressi.* Et in ingenti necessitate, ascendatis *ad vnguentum Comitissæ, & vnguentum de corticibus castanearum, & dissoluatis cum oleo mastichino.*

Capvt XXVIII. F

De Calculo renum.

Generatio. Calculus renalis, seu potius vitium calculosum renale dicitur, ad differentiam vitii calculosi vesicę. Generatur hoc vitium, dum calculus in renibus genitus, ita lędit renes, vt non possint amplius recte operari: vnde vi calculi geniti, renes morbo afficiuntur.

Definitio. Quare hoc vitium calculosum nihil aliud est, quam morbus renum, procedens a calculo, in renibus genito.

Forma. Forma huius vitii, nimirum calculi est morbus, vbi intelligimus & solutam vnitatem, & malam compositionem; & hanc quatenus pertinet ad numerum, & ad malam conformationem; quæ, cum in se claudat superficiem, figuram, meatus, cauitates; præsertim intelligimus vitium in meatibus. Quare hoc vitium calculosum potest esse morbus in soluta vnitate, item in numero, item in via, in angustia.

Subiectum. Subiectum, sunt renes; non calculus; quia morbi subiectum semper est pars viua.

Caussa efficiens. Caussa effectrix est calculus. Porro calculum tres illos morbos excitare posse, demonstrandum G est. Morbum igitur in via lapis potest producere: si enim sanguis, v. g. ob sui copiam & crassitiem potest in caussa esse obstructionis; certe & calculus renum meatus angustare & constipare potest. Præterea, quatenus calculus adhæret renibus, est morbus in numero, toto genere præter naturam; sicut in manu sex digitos habente, est etiam morbus in numero, non tamen toto genere præter naturam (*hic manus est subiectū morbi*

A *morbi:morbus eſt accidens,nimirum numerus:cauſſa efficiens,eſt ſubſtantia nim.ſextus digitus; nec enim quiſquam ſanus digitum morbũ eſſe dixerit,licet Fernelius & Argenterius Gale.hoc aſcribunt,quod digitus ſit morbus;cum tamen hoc ne ſomniauerit quidem Gal.)* Quare dum calculus eſt in renibus,eſt morbus in numero,
quia renes morbo afficiuntur:ſicut enim calculus obſtruens eſt in cauſſa,vt renes afficiãtur morbo in via;
ita etiam calculus renes numero præter naturam afficiens,eſt in cauſſa, vt renes afficiantur morbo in numero. Sed dicet aliquis:cur ſanguis,qui in phlegmone cauſſa eſt auctæ magnitudinis,nõ etiã eſt in cauſſa numeri aucti?ſicut enim calculus parti adhæret,vt aliquid præter naturã, ac ſuperfluum; ita etiam ſanguis parti adhæret inflammatæ : id quod etiam de pituita,& alio humore dici poſſet? Attamen Galenus in his nõ ſtatuit morbum in numero:ſed tantum ratione ſexti digiti,ratione calculi & lumbricorum, ratione membranæ in ſuffuſione? Reſpondendum : partem viuentem affici morbo in numero,quando parti *Dubium ſoluitur.*
B viuenti adhæret materia,quæ non amplius eſt humor;veluti eſt ſextus digitus,mẽbrana,calculus,vermes, imo etiam pus; nam exſiſtente pure in aliqua parte,pars iſta detinetur morbo in numero. Hoc autem non eſt dicendum de ſanguine,& aliis humoribus:qui in cauſſa quidem eſſe poſſunt auctæ magnitudinis, non autem aucti numeri;cum partis rationem ſubire nequeant. Conſtitutum igitur ſit,calculum in rene exſiſtentem, eſſe cauſſam efficientem morbi:qui morbus varius eſt, modo anguſtia , modo numerus auctus, modo ſoluta vnitas:prout calculus vario modo renes afficit. Morbus in via, & numero, eſt ratione contemplabilis:at morbus in ſoluta vnitate,eſt ex vſu;in illis ſaltem ad calculum reſpiciendum eſt:in hoc,non tantum ad calculum,ſed etiam ad ſolutam vnitatem.

Quare cum ſibi præcipuum locum vendicet calculus, vt cauſſa efficiens: diligenter eius natura eſt attendenda, e Galeno cap.17.lib. 3. fac.alim.c.2.l de cib.bon. & mod.ſucci c.4.li. 14. meth.com.15.ſect. 3. *De calculi natura.*
C lib.6.epid. Cum autem calculus ſit ſubſtantia,dicendum de ipſius materia & cauſſa generante. Materia lapidis eſt pituita;quæ ſola ob ſuam humiditatem & viſcoſitatem in cauſſa eſſe poteſt, vt partes vniantur, & vnitæ in calculum degenerent. Hæc pituita vel Sola eſt,vel cum alia materia Commiſta; quæ quandoque eſt pus viſcidum ; licet poſſet etiam alia materia eſſe : vnde Galenus locis citatis proponit ſanguinem melancholicum,flauum, rufum. Cauſſa hanc materiam generans, (nondum dico de cauſſa generante lapidem:) multiplex eſſe poteſt,& in pluribus corporis partibus reſidere,in hepate,renibus,ventriculo; modo in pluribus,modo in paucioribus partibus. Declaro. Reſidet in renibus;cum verbi gratia renum inflammatio degenerat in pus,in abſceſſum. Quandoque cauſſa generans reſidet in iecore; vt dum calculus fit e materia ſanguinea,biliosa,melancholica: & potiſſimum hoc fit in iecore; vel læſa facultate,vel ob errorem externum:læditur facultas,ob intemperiem calidam:errores autem externi deſumendi ſunt e ma- *Materia.* *Cauſſa generans materiam lapidis.*
D la victus ratione. In ventriculo reſidet cauſſa generans pituitam : quæ & ipſa generatur læſa facultate ob intemperiem frigidam;vel ob errorem externum. Quæ omnes materiæ genitæ fluunt in renes;quandoq; Attractæ,ob renum caliditatem;quandoque Tranſmiſſæ ob renum frigiditatem. Cauſſa generans calculum nihil aliud eſt,quam calor.ca.17.l.3. de fac. alimentorum,vbi proponitur calor.intenſus & ardens:ſed poteſt etiam eſſe calor non admodum ardens,vt proponitur com.aph.vltim.ſect.3. Calor vehemens & ardens præcipuus reſidet in renibus;non principalis autem,& quandoque famulans in iecore. Calor iecoris intenſus,ſubminiſtrat & diſponit materiam,vt poſtea in renibus facile mutetur in lapidem:vt calor renum ſit principalis,qui vltimam formam dat materiæ. Quare calculus generatur a caliditate renum,quãnis hęc caliditas non ſit adeo intenſa,ſicut contingit in ſenibus,in quib.calor licet non ſit adeo vehemens, producit tamen calculum,ſed hoc fit longo tempore,ad differentiam calculi, quia calore intenſo cito ge- *Cauſſa generans calculũ ipſum.*
E neratur, eo quod ſumma vi partes tenues abſumuntur, vt remaneant craſſæ, ac cito materia lapideſcat. Fernelius addit calculoſam conſtitutionem;inſinuans præter calorem aliam eſſe cauſſam,quod tamen eſt falſum. Sane reperiuntur quædam indiuidua, admodum obnoxia renali calculo; licet nec ventriculum habeant admodum frigidum, nec renes admodum calidos : vt fatendum ſit, renes horum indiuiduorum ita eſſe conſtitutos,ſecundum proportionem,quæ eſt domicilium facultatis alteratricis (hæc enim in loco eſt) vt facultas alteratrix,mediante calore renum,quo ceu inſtrumẽto vtitur, calculos gignat,& ad hos gignendum ſit efficaciſſima. Deceptus ergo eſt Fernelius, credens proportionem eſſe cauſſam efficientem:hæc enim proportio, tantum eſt domicilium facultatis alteratricis , quæ calore , ceu organo lapides gignit. Quare inter cauſſas inſtrumentales,præter propoſitas,nullas alias referre licet. *Contra Fernelium.*

Quoad differentias a forma: morbus calculoſus vel eſt in Anguſtia, vel in Numero,vel in Soluta v- *Differentiæ.*
F nitate. Quoad ſubiectum:vitium eſt in Vtroque rene,vel Altero tantum. Ratione efficientis;differentiæ ſumuntur a calculo,& a cauſſis calculi. A calculo;vt eſt Paruus,vel Magnus, Vnus,vel Multiplex,Læuis ſeu æqualis,vel Aſper ſeu inæqualis. Quoad cauſſam,hæc eſt Materia vel Generans. Materia vel eſt Sola Pituita,vel pituita Permiſta cum alia materia,quæ eſt vel pus,vel alius humor. Cauſſa generans hanc materiam, vel eſt Ventriculus frigidus, vel Hepar calidius, vel etiam Renes inflammatione affecti, vt materiam purulentam gignant. Cauſſa generans calculum,eſt cauſſa vel Subminiſtrans,vt immodica iecoris caliditas, vel Principalis,vt renum caliditas, ſiue intenſa,ſiue remiſſa,ſiue organum ſit debile,ſiue robuſtum.

In genere hoc malum cognoſcitur, e com.5. ſectio.1.li.6.epid.e dolore grauatiuo in regione renum. Quod ſi dolor interdum non tantum grauatiuus ſit, ſed etiam intenſus, ac pungens ; non pertinet ad generalia calculi ſigna,ſed eſt ſignum certæ alicuius differentiæ. Augetur dolor(ſecundum Galenum) poſt *Signa in genere.*
G cibum,vbi deſcendit intra ventriculum,quia comprimuntur renes. Imminuitur dolor,poſt deiectionem alui,quia non fit illa compreſſio. Præterea ſtupor ſentitur circa femora & crura. Lotium primo redditur craſſum,deinde,cum retinetur materia,redditur aquoſum ac tenue,quandoq; minguntur arenulę,quandoque etiam calculi. Ideoque hoc lotio apparente,facile diſtinguitur dolor renũ,a dolore colico.ca.2.l.6. loc.aff. Quoad differentias formales:ſi adeſt anguſtia,non ita copioſum redditur lotium:ſi morbus in nu-

 A

mero,& in ſoluta vnitate;acerbiſſimus eſt dolor,& cum lotio nonnihil ſanguinis egreditur. An alter ren, an vterque affectus ſit:cognoſcitur e ſede doloris.

Signa differentiarum. Quoad differentias ab efficiente, magnus calculus cognoſcitur e vehementia doloris,qui indies intenditur,cum augeatur calculus;dolor acerbiſſimus eſt;vixque poteſt fieri,quin ſoluatur vnitas. Non egredietur ſanguis,ſi lapis non fuerit aſper. Materia e qua,facile cognoſcitur:verbi gratia,pituita permiſta cum pure, cognoſcitur; quia eſt prægreſſa inflammatio, quæ perducta eſt ad ſuppuratione͂. Si permiſtus fuerit ſanguis cognoſcitur e dominio ſanguinis,vel huius,vel illius:& præſertim e colore arenularum,ſi eiiciantur;qui modo cinereus eſt,modo rubicundus,modo flauus. A qua cauſſa gignatur hæc materia;cognoſcitur e ſignis indicantibus,vel caliditatem hepatis, vel frigiditatem ventriculi. Facile etiam cognoſcitur cauſſa, a qua generatur calculus,an ſit calor renum intenſus,vel remiſſus: aderunt ſigna caliditatis in regione renum. Vtrum autem calor renum ſit organum facultatis,quæ fouetur a proportione natiua, a domicilio natiuo; cognoſcitur inde, quod patientes ob leuiſſimam cauſſam generant calculos. B

Indicationes, in calculo iam genito. Quoad præſidia Hippoc.Inquit:quieſcere non conducit,ſed exerceri,non repleri. Iuuenes veratro purgare,poplitem incidere,per vrinas vacuare,attenuare,ac mollire. Non facit mentionem refrigerationis renum;nec remotionis cauſſarum,producentium calculos. Quare ſciendum, Hippo. his verbis reſpexiſſe ad indicationes & remedia,cauſſa calculi geniti;non autem cauſſa calculi,vt poteſt generari Nos reſpicere oportet ad calculum,vtroq; modo acceptum. Quoad calculum genitum ; conſiderauit Hippoc. cum eſſe toto genere præter naturam,ideoque euacuandum. Et quia in renibus reperitur,non poteſt eradicari,niſi per ea,quæ renes euacuant:ideo dicit, vrinaria euacuare. Porro in corpore patiente nonnulla reperiuntur,quæ hanc calculi eradicationem impediunt;quorum alia ad totum corpus, alia ad renes pertinent. Hippoc.ad hæc ambo reſpexit. Impedimentum totius eſt repletio:cui niſi occurramus,calculum C euacuare non poſſumus. Repletio fit,vel a ſanguine:vel ab alio ſucco. Quoad ſanguinem; Hipp. poplitem incidit. Quoad ſuccum recedentem a natura ſanguinis;dicit,iuuenes purgare veratro:& quia hæc materia euacuanda cruda eſt,dicit eſſe concoquendum : additq; non oportere repleri,nec quieſcere,ſed exerceri;vt ſcil. hoc modo crudi humores (quemadmodum Gale.in comm. monet) ad maturationem & coctionem perducantur. Impedimentum ad renes pertinens,duplex eſt;materiæ craſſities;& viarum anguſtia:ideo Hippocrates attenuat,& emollit.

Ind. ad præcauendum calculi generatione͂. Quod ſi calculus in renibus genitus non ſit,ſed immineat,ne gignatur:indicationes ſumendæ ſunt,a materia,a cauſſa generante tum materiam,tum calculum. Ratione materiæ e qua;ſi verbi gratia fuerit pituita,hæc euacuanda,ac diuertenda,ne fluat in renes:idemque de omni alia materia ſtatuendum. Cauſſa generans materiam,ſi verbi gratia, fuerit iecur calidius,refrigerandum:ſi ventriculus frigidior,generans pituitam,calefaciendum;& ſic de reliquis. Cauſſa generans calcu- D lum,eſt calor renum : qui vel eſt organum ſimpliciter facultatis,tunc oritur indicatio refrigerandi;vel eſt organum facultatis ſummæ actiuitatis, hæc autem ſummæ eſt actiuitatis ratione ſui domicilii, ſuæ proportionis,quæ non indicat,ſed requirit tantum præſidium renale.

Prognoſtica. In genere malum hoc eſt ſatis infenſum,quia dolorificum ; poſtea malum eſt vehemens ſaltem ratione reſiſtentiæ. Quod ſi calculus renalis diu perduret;vitium fit incurabile,& comitatur vſq; ad morte͂. Periculum tamen variat,pro vi differentiaru͂,& pro vi ac diſpoſitione corporis affecti,verbi gratia,ſi corpus affectum vires habeat imbecilles;vitium magis eſt perioculoſum,ſicut in corporibus gracilibus. Quoad differentias formales ; ſi morbus fuerit in anguſtia , vel numero ; prognoſticum ſumitur ab efficiente cauſſa,non a morbo,qui non eſt ex vſu. Quod ſi fuerit ſoluta vnitas:morbus curatu eſt difficilimus. Ratione ſubiecti;multo peius eſt,ſi ambo renes afficiantur. Ratione cauſſæ efficientis;malum peius, ſi calcu- E lus maior,aſperior,oblongus peior,quam rotundus:ſic enim & maiore͂ infert dolorem, & difficilius euacuatur. Ratione materiæ e qua;ſi hæc fuerit viſcidior,copioſior;difficilior eſt remotio. Quoad cauſſam; quæ materiam generat,ſiue ſit calor iecoris;ſiue frigus ventriculi;recurrendum ad propria capita:eo ſuppoſito,ſi intemperies non in habitudine ſit,ſed in habitu,fieri vix poſſe,vt homines a calculo præſeruentur. Quoad cauſſam,quæ calculum generat:ſi ſimpliciter fuerit caliditas partis;aliquo modo ſalutem polliceri poteſtis:at ſi calor renum ſit in habitu (quod maius eſt) ſi ſit organum facultatis ſummæ actiuitatis; vix fieri poteſt,vt e toto præſeruentur;veluti contingit illis ægris, qui a calculoſis orti ſunt parentibus : id tamen his præſtari poteſt,ne tam frequenter, neque ita vehementer a calculo lædantur.

Curatio. Venæ ſectio. Si ſanguis ſit copioſus; eſt emittendus.com.5.ſect.1.li.6. epid. Sanguis hic aliquando habet rationem F cauſſæ principalis,aliquando,ſine qua non. Cauſſæ principalis rationem habet,quando verbi gratia calculus vel producitur,vel produci poteſt,ob inflammationem renum,aut ſi fiat,vel fieri queat e pituita,vna cum ſanguine. Quod ſi ſanguis his modis non concurrat,interim tamen copioſus ſit, habet rationem cauſſæ ſine qua non: quia nec calculus, nec pituitoſa materia euacuari poteſt , niſi ſanguis copioſior exſiſtens fuerit eductus. Quia ergo ſanguis in hoc malo eſt vehemens,remedio etiam vehementi opus eſt,nimirum venæſectione. Verum non oportet ſanguinem vacuare in ea copia,in qua peccat, v.g. ſi peccet ratione copiæ ad ℔.j.non debet ℔.j.educi,licet ſanguis ita indicet:virtus enim hanc quantitatem prohibet, quia dum adeſt calculus,dolor affligit,& calculus ſuapte natura eſt malum diuturnum. Cur vero Galenus tantum emittit,quantum peccat? Quia nimirum reſpicit ad calculum,nondum actu genitum:tunc enim poteſt ſanguis vacuari ea copia,quæ indicatur,quia virtus non prohibet. De *vſu* Hippocrates aperit venam poplitis, Galenus vel hanc ipſam,vel eam , quæ ad malleolos decurrit.c.11.li.3.method. Sed tamen in G praxi etiam cubiti venas aperiri oportet. Vbi agendum enim ſumitur a ſanguinis ſubſiſtentia: & quia ſanguis quandoque ſubſiſtit in partibus iecoris,neceſſe eſt aperire venas cubiti:ſi autem ſubſiſtat circa renes, & infernas partes, vena poplitis,vel malleolorum tundenda.

Cucurbitulæ. Cucurbitulæ etiam no͂ ſcarificatæ locum habent, quæ(quatenus tantum ad calculum reſpicimus)primu͂ applicandæ renibus,ſenſim poſtea deorſum progre-

A progrediendo ad inguina, vt sic calculus in vesicam descendat: & hoc indicat subsistentia calculi, præsertim, quatenus obtinet prædictam positionem.

Trallianus probat *myrtum*, gratia euacuationis calculi: dubitatur tamen, qua ratione tuto vti queamus medicamento hoc adstringente, ad expellendum calculum? (*Myrtus non legitur in quibusdam Tralliani codicibus. Hic facultatib. constat contrariis: non solum enim adstringit, sed etiam acrimoniam aliquam habet admistam. c. 18. l. 2. de alim. facult. propter partes quasdam tenues & calidas: vt Galenus in fine lib. 7. de simpl. medicam. fac. asserit. Et hinc Dioscorides vrinam cire myrtum prodidit memoriæ, c. 128. l. 1. de mat. med. vt etiam Auicennas c. 446. tractat. 2. li. 2. & Aetius cap. 152. lib. 3. Interim notandum, adstringentia contra calculum & vrinæ difficultates adhiberi, tum coniuncta diureticis, vt hæc in renibus eo diutius detineantur; tum per se aliquando sola, vt renibus debilibus robur addatur: huius generis sunt spongiolæ seu pilulæ, quæ virgis rosæ caninæ* B *adnascuntur, glandes, lentiscus, rubus, &c. quæ lotio promouendo apta esse monet Dioscorides.*)

Pharmaceia.

Sed vt methodice progrediamur; materiæ medicinales respicere debent, materiam e qua fit calculus; calculum ipsum; intemperaturas; proportionem. De remediis, quibus vtendum gratia materiæ, e qua, sæpe dictum est, siue vacuent pituitam, siue alios humores: id tantum notetur, si calculus sit genitus, vehementiora esse adhibenda; si nondum genitus, mediocria. Quare suppositis lenientibus, præparantibus & purgantibus; loquemur de iis, quibus vtimur gratia calculi iam geniti.

1. Ad materiam calculi.

Post generalia igitur euacuantia, probantur medicamenta lapidem comminuentia; euacuantia lapidem cõminutum: item deferentia has materias remediorum: remoranti, quæ sunt in cã, vt medicamenta frangentia diu in renibus morentur; lapidis enim confractio est motus, seu actio, quæ non fit in instanti: probantur etiam oblinentia, vt lapis iam confractus leuiori negotio per vias transire queat: tandem prosunt C dissoluentia flatus, quia dũ calculus est genitus, sæpe oboriuntur flatus, qui nisi dissoluãtur, dolor geminatur a lapide, & a flatu. Comminuunt, secundum Græcos manifesta qualitate, *ciceres, extractum e ciceribus viridibus; vel, si desint virides, vti possumus exsiccatis, coctis, & postea cõtusis vt extrahatur succus, & est efficax ad frangendum calculum renum (fateor enim me nescire, quæ calculum in vesica frangere queant) Probantur polytrichum, capillus Veneris, acetum sc. quod est efficacissimum, asparagi radices & semina, in id autem syluestris asparagi sunt efficaciores; betonica, seme althææ, cappares: & admirabile est medicamentum, quod conficitur e granis ficuum: licet ẽt vti semin. graminis, sed sem. ficuum est efficacius. Probatur lapis Iudaicus, cortex lauri, cardamo. pulegium, fructus paliuri saxifragia valde laudatur, sed vereor vt legitima habeatur. Prodest vitrum combustum, ol. amygd. amar. & consulo, vt vrgente necessitate exhibeatur hoc oleum, quia non tantum lapidem frangit, sed ẽt oblinit, laxat, & aperit vias. Probatur oleum abietinum. Terebinthinæ plurimum tribuo,* D *maxime Cypriæ. Extremitates polii montani, quibusdam pro secreto sunt, fueruntq́; ex Istria adnectæ, quib. ego renales calculos euacuaui, interdum integros, interdum confractos. Radicib. ononidis feliciter vsus sum: quæ nonnullis secretæ sunt.* Comminuentia lapides tota forma, describuntur ab Aetio, & reliquis. *Probatur ergo lapis qui reperitur in spongia, lapis ẽt vesicæ in puluere exhibitus, cinis scorpionum, cinis scarabæorum, cinis testarũ ouorum, & præsertim eorum, e quib. sunt exclusi pulli, cinis lumbricorum terrestrium, & leporis decollati, cicadæ aridæ tritæ, sang. hirci, si optime sit confectus, sang. galli decrepiti, eode modo confectis, vt hircinus. Aliqui pro secreto habent, ossa capitis lucii piscis puluerisata, dentes apri, puluerem e stercore murium.* Inter composita, *est ole. de ciccrib. de cicadis, de lepore combusto: licetq́; etiam parare magnas antidotos.* Quæ autem possunt euacuare lapidem iam confractum, sunt diuretica, vt *apium, petrosel. fenic.* Sequuntur ea, quæ efficiunt, vt medicamenta diutius persistant in renibus, vt *polypod. nuc. pineæ, spongiolæ, & capitula syluest. ros. myrtus.* vnde E Alex. composuit medicamentum e myrto. Oblinentia sunt *passulæ, amygd. dulces, althæa.* Inter dissoluentia flatus, probantur diuretica proposita, quæ cum calida sint, tenuisque substantiæ, possunt flatus discutere: vnde reliquis medicamentis permisceri possunt, *semina apii, anethi, dauci, foeniculi.*

2. Remedia ad calculum [illegible]

Frangentia.

Terebinthina insignes habet vires leniendi & detergendi partes vrinarias; omnium pene & veterum & recentiorum suffragio: maxime G. Fallopii, Io. Cratonis & Fr. Vallériolæ.

Diuretica.

Detinẽtia.

Oblinentia.

Carminantia.

Alexander c. 4. l. 9. composuit medicamentum, quod vocauit manum Dei, ob præstantiam in lapide frangendo: fit *e myrrha, myrto &c.* Efficax hoc est: *℞. pulu. betonicæ, sem. ficuum. cinerum scarab. cicadarũ, leporis combusti ana ʒ j. hæc sunt basis: adde, pulueris sanguinis hirci, qui etiam concurrit ad basin; deinde pulueris rosar. rubr. ana ʒ j. (rosæ faciunt, vt basis diutius in renibus moretur.) sem. althææ ʒ i ß. obliniunt: conseru. de beton. ʒ j. cum aceto scillitico fiat electarium. Dosis a ʒ ij. ad ʒ ß.* Quoties post huius vsum apozema exhibetur, est efficacissimum. Si e toto renalem calculum velis comminuere, & expellere: oportet medicamentum exhibere in portione, & in magna quantitate, cuius beneficio confectum medicamentum ad renes perducitur, F lapidemq; euacuat. Hoc autem medicamentum est conficiendum e decocto cicerum: *℞. decocti cicerum rub. ℔ i ß. in quo macera per horas 4. vel 5. ononidis ʒ vj. & polii montani P. ß. & post infusionem, oportet fieri decoctionem ad tertiam partem, vt ℔ j. maneat;* exhibeatur illico post exhibitum medicamentum, a nobis modo propositum, detur actu calidum. *Tempus:* quando adest præsentia indicantis, & nihil prohibet: quod prohibet, est materia replens totum: vnde necesse est primum vacuare validis purgantibus, de quibus diximus. Item, quod prohibet, est viarum angustia: quare ante hæc medicamenta extrinsecus vtẽdum est iis vnctionibus, quæ vias laxant & molliunt; *e maluis, alth. ol. amygd. scorpion. butyro: optimum etiam est sedere in balneo aquæ dulcis, alterato cum malua, althæa.* Quoniam autem non ita cito calculus frangi potest: ideo non sufficit hoc medicamentum vna vice, & die exhibere, sed pluries: spatio enim quinque, sex, aut septem dierum lapis frangitur, & comminutæ partes singulis diebus excernuntur. Quod si medicamen- G tum in promtu non sit; e tempore hoc paretur: *℞. sang. hirci ʒ j. pulu. ceter. ℈ ß. cum syrup. cap. ven. vel rosſ. (propter moram & permanentiam) fiant boli, vel pilulæ.*

Vtendi ratio.

Laxantia ductus vrinæ.

Quoad caussam generantem materiam, e qua fit lapis; est ventriculi frigiditas, iecoris caliditas: de quibus loco proprio. Quoad caussam generantem calculum: ratione intemperiei calidæ renum, vel iecoris, probatur refrigerans, vt *serum lactis caprini, aquæ refrigerantes.*

3. Alterantia.

4. Renum proportione spectantia. Renum proportionem respiciunt, *magnæ antidoti: quidam pro secreto habent renes suillos exficcatos, & in puluerem redactos: licet ergo exhibere ʒj. huius pulueris, cum ℈ß. theriaca, & fiat bolus cum syrupo capill. Veneris.* A

Abstinendum in victu ab his quæ conficiuntur *e pasta & lacte*. Quoad inanitionem; saluberrimum est, vt corpus mundum seruetur; & potissimum vt fiat euacuatio per vomitum, vt assuescant ægri ad vomitum; sic enim non aggregatur materia, e qua lapides generantur.

Capvt XXIX.

De Vlcere renum.

Definitio. VLcvs renale nihil aliud est, quam vnitas soluta, cum deperdita substantia renum, producta a materia corrodente. Forma est soluta vnitas, cum diminuta substantia; ad differentiam vulneris, in quo sæpe B tantum est soluta vnitas, li. 4. meth. ab initio. Subiectum sunt renes. Caussa efficiens. Efficiens est materia abradens; ad differentiam vulneris compositi, in quo & vnitas soluta est, & ablata portio substantiæ: sed vulneris caussa incidens est, vlceris abradens: commentar. aphoris. 75. sect. 4. cap. 2. lib. 6. loc. affe. E quibus locis etiam colligitur, quod hæc materia possit esse sanguis, pituita, bilis vtraque, & materia purulenta. Sanguis esse non potest, nisi habeat vim corrodendi, ideoque non est sanguis quocunque modo acceptus, sed vt reperitur extra venas & arterias: dum enim sanguis vasa egreditur, & retinetur in renibus, ita acris euadit, vt abradat. Exit autem extra vasa sanguis, vel per diapedesin, quod contingit, dum sanguis iusto est tenuior; vel per anastomosin, siue fiat a copia sanguinis, siue ab impetente, id est, a sanguine, qui magno impetu mouetur, siue etiam ab acriori sanguine: vel per diæresin, quæ fit potissimum a calculo: potest quidem fieri ob alias caussas quæ abradunt, sed etiam fieri potest a calculo renali, non sane (vt quidam putant:) quod calculus immediata sit vlceris caussa, nec enim mordax est calculus; sed quia contundit, & ob inæqualitatem vnitatem soluit; dum autem soluit vnitatem vasorum, egreditur sanguis, qui postea putrescens, & euadens mordax, vlceris caussa est immediata. Idem dicendum de pituita salsa, de bile flaua, de atra, sed adusta, quæ caussa est vlceris cancrosi & atrabilarii, quod raro contingit. Fit etiam vlcus a materia purulenta, quæ interdum generatur in renibus; interdum extra eos, supra renes, non infra. Dico autem supra: nam cum inflammatio alicuius partis degenerat in abscessum; quoties abscessus disrumpitur, ad inducendum vlcus necessarium est, vt abscessus fit in superiori parte, vt per hunc situm materia purulenta in renes descendat; & nisi expurgetur materia purulenta; necessario fit vlcus renum. Et quod dictum est de inflammatione partium supernarum, idem dicendum de inflammatione renum. C

Differentiæ. Vlcus porro renum a forma dicitur Magnum, vel Paruum. A subiecto, afficitur ren vel Vterque, vel Alteruter: item, vel secundum Superficiem, vel secundum Profundum. Caussa efficiens est Sanguis, Pituita, Bilis flaua, Bilis atra, vel Purulenta materia. D

Signa. Vlcus renum, vt in genere sit cognoscendum, docetur cap. 3. l. 6. loc. aff. & com. 75. 76. sect. 4. aphor. Primum indicatur e pure, quod per plures dies mingitur: nã si per pauciores dies excernatur, fieri potest, vt procedat ab abscessu, citra renum exulcerationem. Indicatur e dolore circa lumbos. Item, si cum pure excernantur arenulæ, & portio renum, sed hoc rarissimum est: &, si cum pure egrediantur carunculæ veluti capilli: præterea indicatur e pure, non admodum fœtente, quia in renibus est calor, qui magis aptus est ad incrassandum succos, quam calor vesicæ: item, pus est satis permistum cum lotio, ob longitudinem viæ, secus autem apparet in vlcere vesicæ: præterea facilis fit mictio, quæ non ita facilis est in vlcere vesicæ. Nõ indicatur a febre: quia febris non necessario comitatur vlcus renum: cum pus non detineatur sed euacuetur. Quoad differentias formales: an vlcus magnum sit, vel paruum, cognoscitur e copia puris e vehementia & debilitate symptomatum. Num vterque ren affectus sit, vel vnus tantum; facile patiens ostendet. Vtrum autem vlcus sit, vel secundum superficiem, vel secundum profundum, ita cognoscitur: quia si secundum partes profundas; copiosum erit pus, & sanguis cum pure egredietur. Quoad caussas efficientes, an sit sanguis, an pituita, an bilis flaua, vel atra; cognoscitur e propriis signis. Si autem fuerit pus; cognoscitur e signis indicantibus progressam inflammationem, progressum abscessum. E

Indicationes. In vlcere oritur duplex indicatio: vniendi nimirum & regenerandi carnes. Hæc autem præstari nequeunt, nisi remoueantur impedimenta; quæ sunt, mala renum constitutio, & externus error. Impedimenta, quæ pertinent ad constitutionem renum, sunt vel intemperies, & oritur indicatio per contrarium alterandi, vel tumor, & oritur indicatio materiam tumoris euacuandi. Quoad errorem externum, vel est Communis, vel Proprius. Communis est, qui communiter impedire potest & vnionem, & regenerationẽ carnis: estque nihil aliud quam sanguis peccans; si ergo hic peccet copia, est imminuendus; si motu, reuellendus; si qualitate, alterandus. Error proprius est, qui respicit priuatam regenerationem carnis: estque excrementum, quod in generatione carnis prouenit; & hoc cum duplex sit, tenue indicat moderate siccans; sed crassum detergens. Error proprius in agglutinatione, & vnione, non est sanguis, non excrementum, sed materia alimentalis, & humiditas rorida, quin imo etiam apposita, quæ sui præsentia impedit vnionem; atque ob id non modo indicat siccans remedium, sed magis siccans. F

Prognostica. Vlcus renum in genere satis est periculosum: com. aph. 6. sect. 6. nam pars vlcere affecta quiescere deberet; renes vero assiduo operãtur. Augetur periculum; præterquam. n. quod renes assiduo trahunt materiam serosam, accedit ẽt quod illa materia sit acris, vt potius faciat ad vlceris incrementũ, quam decremẽtum. Admonet aũt Gal. magis periculosum esse vlcus vesicæ; quia ægrius agglutinari põt, propter substantiam membraneam. Quoad differentias formales; quo maius vlcus, eo periculosius. Item magis est periculosum si vterq; ren afficiatur: & quidem si secundum partes magis profundas. Quoad caussam efficientem; pro varia vi caussarum, varie prædicendum. Si est ab atra bile, actũ, est quia vlcus est cancrosum. Secus. statuen- G

A ſtatuendum,ſi minus prauæ fuerint materiæ. Reſpiciendum etiam ad vires:ſi infirmæ ſint, vt in gracili-
bus, in ſenili ætate;ſpes ſalutis eſt exigua.

Cheirurgica prætermittam:quia de communi euacuatione ſæpe dixi. Lenientia, præparantia,& pur- Curatio.
gantia etiam ſupponenda ſunt. Peculiaria autem ſunt Euacuantia,& Agglutinantia. In vlcere igitur renũ, Detergentia renes.
poſt corporis expurgationem,illico confugiendum ad medicamenta quæ poſſunt renes mundare,ab ex-
cremento tum tenui,tum craſſo Maxime probatur *aqua ſaccharata:*& ſi contingat,vt corpus perferat ca-
lida medicamenta,*loco aquæ ſaccharatæ, vti poſſumus mulſa terebinthina.* Si vlcus fiat a pituita ſalſa ratione
viſciditatis vti poſſumus valido medicamento detergente,quia vlcus cito ſanandum:nam ſecus incurabi-
le euadit. *Si ſaccharum non ſufficit;exhibeatis mulſam;* quod ſi caliditas,vel renum,vel corporis prohibeat;
B non propterea abſtinendum eſt a mulſa,ſed tunc poteſtis vti *mulſa pro ratione magis diluta:ſi enim caliditas
non prohibeat,imponatis mel in maiori quantitate;ſi prohibeat,in minori;& addatis ſemina melonum; hoc mo-
do: Recipe mulſæ aquoſæ ℔ i.emulſ.ſem.melon.℥iii. Si caliditas non prohibeat, poteſtis vti mulſa meraciori: &
addatis ceterach,& aſcendatis ad ſeniculum,*& cito expurgetis renes Ideo etiam probamus *ſerum lactis:de-
tur ad ℔ iii. & vt ſit efficacius, addantur emulſ.ſem.melon ℥ ii.ſi nonnihil mellis addideritis,erit efficacius. Sic
etiam terebinthina liquore conuenienti nouies vel decies lauari debet, vt acrimoniam deponat.*

Quando vlcus eſt mundum redditum, feſtinare oportet ad agglutinantia: quæ conficiuntur *ex amy-* Conſolidantia vlcus.
*lo,tragacantha bolo Arm. & in hoc caſu maxime probatur terra ſigillata: præterea medicamenta ſunt conficien-
da ex acacia,e ſucco barbæ hircinæ,ſanguine draconis.* Sed notandum,quia error in hac cura eſt cauſſa mor-
tis;vt illico poſt mundificationem,hoc,vel ſimile,conficiatur: *℞.tragacanthæ, boli Arm.terræ ſigill. farinæ
amyli,ana ℥ i. cum ſyrupo cap. Ven. ſeu cum emulſ.ſem.melon.fiat paſta Doſis a ʒ i.ad ʒ ii.* & poſt deuoratum
C hoc medicamentum illico exhibeantur, *aqua hordei ℥ vi.aut ℥ viii cum emulſ.ſem.melon, ℥ ii.* vt hoc ſci.me-
dicamentum ſit vehiculum agglutinantis. Et vbi exhibueritis quotidie per vj.aut viij.dies continuos; cõ-
ficiatis aliud medicamentum,quod ſit magis ſiccans,& magis vniens. *℞.tragacanth. terræ ſig: ſang. dracon.
ana ʒ i.acaciæ ℈ i.cum emulſ.ſem. melon. fiat paſta. doſis ʒ i. cum aliquo diuretico.* Vt autem medicamenta Externa.
agglutinantia efficacius agant;prodeſt vt commorentur in renibus: ad quod aſſequendum præſtat, ſi re-
nibus applicentur,quę habent vim nonnihil adſtringendi & ſiccandi,veluti eſt *emplaſtrum confectum e ro-
ſis,e myrto,cydoniis,e lentibus,ſanguine dracon.bolo. Arm.maſtich. &c.*

Cibi erunt detergentes.& mundificantes: vnde parentur *ex hordeo ſem.melon.e ciceribus, &c.* Tem- Diæta.
pore autem agglutinationis condiendi cibi *conſolida,oryza: vti poſſumus pedibus vitulinis, & aliis id genus,*
D in quibus eſt vis agglutinandi, & adſtringendi.

CAPVT XXX.

De affectibus Veſicæ vrinariæ: ac primum de Mictione Imminuta,& Ablata.

OPVS veſicæ eſt mictio:quæ functio,etſi ſit voluntaria,non tamen primum eſt voluntaria:nam mem- Mictio nõ fit actio voluntaria.
brum vt agens (.non vt afficitur.) non modo eſt membrum voluntarium,ſed etiam naturale. Reſpi-
ratio eſt functio e toto voluntaria: etſi enim concurrat pulmo, qui eſt naturæ inſtrumentum; pulmo ta-
men non concurrit vt agens,ſed vt paſſum. Veſica autem ad mictionem concurrit vt agens,quæ non affi-
citur,ſed operatur. Ideo de hac fruſtratione propria agemus. Mictio fit hoc modo:Lotium primum ſen- Mictio naturalis vt fiat.
ſim propellitur a renibus in vaſa vrinaria, a quibus veſica trahit lotium fibris rectis. At quando Galenus
ait,veſicam non trahere lotium,ita eſt intelligendus;quod veſica non attrahat a renibus, ſed renes pro-
E pellant in veſicam per vaſa vrinaria,& ex his vaſis veſica trahat per fibras. Detinetur autem lotium in ve-
ſica, ne continuo homines mingere cogantur: detinetur autem tempore decenti,per fibras obliquas, &
per muſculum qui ceruicem adſtringit:poſtea naturaliter expellitur,ab expultrice veſicæ,per fibras tranſ-
uerſas;cui expulſioni opem fert muſculus ceruicis,dum nõ conſtringitur,ſed potius laxatur: opem etiam Differentię mictionis præter naturam.
ferunt abdominis muſculi ſimul cum ſepto tranſuerſo. Porro præter naturam fit mictio,quando receſſus
eſt a mictione naturali:qui eſſe ſolet,cum mictio Aufertur, Imminuitur,vel Deprauatur. Cum aufertur,
fit lotii ſuppreſſio, ἰσχουρία: ſi imminuitur,& cum difficultate egreditur in parua copia, δυσουρία: ſi deprauatur,
fit lotii incontinentia,ardor lotii, στραγγουρία,ſtillicidium cum ardore,dolore: vtræque autem hæ noxæ
referuntur ad mictionem vel diminutam,vel deprauatam.

F

De Iſchuria.

ISchuria eſt functio ablata veſicæ dependens a fruſtratione expultricis lotii. In præſentia cauſſas mictio- Cauſſæ mictionis ablatæ.
nis imminutæ, prætermittam; ſunt enim eædem cum cauſſis ablatæ; ſed differunt ſecundum magis &
minus. Cauſſæ ablatæ mictionis, proponuntur a Galeno cap.1.l.1. de loc.aff.c.2 l.3. de cauſſ.ſympt.c.4.l.6.
loc.affe. ſermo autem eſt,non tantum de actione læſa,de primo ſymptomate; ſed etiam de excunte,quia
detinetur,quod egredi deberet. Aufertur autem mictio,vel Læſa facultate,expultrice,vel ob Errorem ex-
ternum. Læditur facultas,vel quia labefactatur,vel quia Impeditur. Per læſam facultatem intelligimus
morbum,vel in veſica,vel in muſculis ceruicis ipſius veſicæ. Quoad veſicam;læditur expultrix,vel quia la- Facultas veſicæ labefactata.
befactatur,vel quia impeditur. *Intelligimus hic expultricem,quæ lotium expellit;non quæ propellit excremen-
ta tertiæ coctionis,tum tenuia,tum craſſa,quæ ſunt excrementa nutritionis veſicæ.*) Labefactatur ob quamlibet
G intemperiem inſignem,& potiſſimum humidiorem,ac frigidiorem;cuius cauſſæ poſſunt eſſe opiata,& a-
lia refrigerantia:nam dum fit mictio ſecundum naturam,oportet vt veſicæ corpus contrahatur per tranſ-
uerſas fibras, alias non fit mictio. Detinetur igitur lotium,ſi contingat vt ea ſit conſtitutio in veſica,vt nõ
poſſit conſtringi: & hoc interdum fit ob errorem externum,tum ratione lotii copioſi,vti illis accidit,qui
cum magnatibus conuerſantur;qui licet mingendi appetitus adſit,detinent tamen lotium;& hoc in tan-

Facultas veſicæ impedita. ta copia augetur, vt veſica non poſſit amplius contrahi: Fit etiam hoc interdum ob frigidam intẽperiem coniunctam cum humiditate, ſiue ſiccitate; quæ in cauſſa ſunt, vt veſicæ corpus cõſtringi nequeat. Expultrix vero non labefactatur, ſed impeditur ob morbum in mala compoſitione, nimirum in magnitudine aucta, & potiſſimum in anguſtia ceruicis, ſeu colli veſicæ. Dum veſica inflammatur, lotium ſupprimitur impedita facultate: fit autem in veſica phlegmone, ſicut in aliis partibus. Eſt etiam vitium in anguſtia: quæ varia eſſe poteſt, ſicut varia eſſe poteſt materia, quæ anguſtum reddit meatũ ceruicis veſicæ; poteſt eſſe ſanguis concretus, pus craſſum, calculus renum, vel veſicæ, caro tuberculum carnoſum; quod vitium accidit poſt gonorrhœam, poſt vlcus: dum enim vlcus perducitur ad cicatricem, ſolet nutrimentum ſuſcipere, & ita caro aucta, ſolet foramen obturare: poteſt cauſſa eſſe tuberculum inflammatorium, quod facile perducitur ad ſuppurationem: poteſt eſſe tuberculum pituitoſum, quod non ita facile cedit ſuppurantibus: fieri etiam poteſt, vt anguſtia procedat a materia pituitoſa, craſſa. His de cauſſis anguſtus redditur meatus potiſſimum ob conſtipationem & obſtructionem; interdum etiam ob compreſſionem, cum ratione humoris exſiſtentis in ceruice, meatus ille internus comprimitur. Inſuper læditur etiam facultas muſculi ceruicis: & læditur hæc, quando muſculus affligitur morbo, vt dum afficitur conuulſione, propter phlegmonem, aut repletionem; item dum afficitur tumore; & proinde morbo aucto in magnitudine; interdum in immodica ſiccitate; & ratione huius conuulſionis ita conſtringitur, vt non poſſit relaxari. Præterea cõcurrit error externus: qui petendus eſt de cauſſis modo Internis, modo Externis. Internæ cauſſæ poſſunt eſſe inflammatio, tumor in partibus vicinis, vt in recto inteſtino: & huius ratione ita comprimitur ceruix veſicæ, vt non fiat mictio, propter anguſtiam. Idem fit, ſi renes laborent morbo in mala compoſitione, vt non poſſit tranſire lotium: & hæc dicitur lotii ſuppreſſio non exquiſita, ſed notha; quia non eſt morbus in veſica, ſed renibus. Sic etiam ſi vas vrinale rumpatur, vrina non deſcendit. Internis cauſſis etiam materia morbi annumeratur, vt dum lotium copioſum eſt in cauſſa ablatæ mictionis; quia ita extenditur veſica, vt non poſſit conſtringi. Colligitur aũt lotium copioſum in veſica, quia patiens non ſentit veſicam repleri, eo quod ſenſus tactus in veſica otiatur: otiatur aũt vis ſenſifica, quia vel non ſuſcipitur, vel non tranſmittitur. Non ſuſcipitur, dum noxa eſt in neruis veſicæ, vt non poſſint vim animalem ſuſcipere: Non tranſmittitur, cum eſt vitium in ſupernis partibus nerui; vel potius homo aliis negotiis eſt occupatus. Error e cauſſa externa ſumi poteſt; dum homo plus iuſto bibit, & copioſum generat lotium; quod vbi detinetur eſt in cauſſa vt veſica non contrahatur.

A

B

Facultas muſculi ceruicis labefactata.

Error externus.

C

Signa. Mictio aufertur vel imminuitur: quod patiens facile manifeſtabit. Num autem auferatur læſa facultate, vel ob errorem externum: diſtinguitur e ſignis indicantibus morbos vel veſicæ, vel muſculi: nam hiſce aliquo morbo correptis, erit mictio ablata læſa facultate. Morbus autem veſicæ & muſculi, ita diſtinguetur. Si eſt in veſica; poteſt eſſe intemperies, & mala compoſitio. Si fuerit intemperies; eſt in cauſſa, vt expultrix non poſſit contrahere corpus veſicæ: ideoque oportet vt manibus contrahatis veſicam, & cum ex hac compreſſa redditur lotium, dicendum, eſſe labefactatam expultricem; ſin minus, impeditam; vt ſi fuerit anguſtia in ceruice, nimirum conſtipatio, vel compreſſio, e calculo, vel ex alia materia. Si morbus fuerit in muſculis ceruicis; licet comprimatur veſica, non tamen fiet mictio. Præterea etiam cognoſcitur læſa facultas, ſi non aſſint indicia erroris externi. Porro impeditur facultas vel Veſicæ, vel Muſculi. Si muſculi; erunt indicia conuulſionis: ſi ſigna hæc non ſunt, dicendum, impeditam eſſe facultatem veſicæ expultricem. Cum vero a morbis multis poſſit impediri; e propriis indiciis morbi cognoſcentur: verbi gratia, ſi fuerit calculus: ſentient ægri moleſtiam, dolorem circa pubem, & potiſſimum dum equitant, dum per loca inæqualia ambulant: ratione etiam triſtis ſenſus, qui excitatur a calculo, ægri, præſertim pueri, frequenter ſcalpunt pudenda, potiſſimum in peritonæo, cap. primo, libro primo de loc. affect. præterea ſunt ſigna calculi, & præceſſit mictio arenularum. Si vero fuerit inflammatio, perſentiunt ardorem in toto veſicæ corpore, comitatur febris, ita vt hæc inflammatio ſit magni momenti. Si materia fuerit carnoſa, prægreſſa ſunt vlceris ſigna, præceſſit gonorrhœa. Si fuerit ſanguinis grumus, præceſſit ſanguinis mictio, huic ſi lotio ſuppreſſio ſuccedat, probabile eſt anguſtiam prodire a ſanguine grumoſo: inſuper ſunt animi deliquia, & refrigerantur extrema, quæ fiunt, dum ſanguis grumoſus detinetur. Si obſtructio fiat ab alia materia, vt pituitoſa, purulenta, ſunt propria indicia: a materia purulenta, verbi gratia, ſi præceſſit abſceſſus circa renes: vnde, ſi pus cum lotio egrediatur, & poſtea mictio auferatur, ſignum eſt, mictionem auferri a craſſo illo pure. Si præceſſit externa cauſſa, cognoſcitur ex ægri & aſtantium relatu: ſin minus, cauſſa eſt interna. Ceterum in ſuppreſſione lotii error externus, dum ſumitur a cauſſa interna, nimirum a vitio renum in anguſtia, ita cognoſcitur: loca affecta oportet tangere, num tumor ſit circa regionem veſicæ, qui adeſt, dum veſica eſt repleta: præterea interrogandi ægri, an aſſit voluntas mingendi, ſi enim vitium ſit in renibus, vt lotium non pertranſeat, non adeſt voluntas mingendi, & ita citra rationem eſt, vti ſyringe.

D

E

F

Indicationes. A functione læſa non ſumuntur præſidia. Quare ſi lotium ſupprimatur labefactata facultate, oportet veſicam calefacere, ſi ob frigidam intemperiem labefactatur. Impeditur facultas, ob morbos veſicæ, & muſculi. Morbi veſicæ non ſunt ex vſu; ideoque ad materias reſpiciendum eſt. Si materia eſt calculus, euacuandus: ſi caro, tollenda: ſi pituita, tollenda. Si muſculus conuulſione afficitur, ſi ex inanitione, humectandum, ſi e repletione, euacuandum: Si fiat ab errore externo, ſiue ſumatur a cauſſa interna, ſiue externa, quia cauſſa eſt ex vſu, dummodo ſit præſens & perſeueret, eſt remouenda.

G

Prognoſtica. His ſcopis interdum facile, quandoque difficulter, aliquando etiam nullo modo poſſumus ſatisfacere. Si enim ablata ſit mictio, labefactata facultate ob intemperiem frigidam, facile poteſt veſica comprimi, vt reddatur lotiũ: & hæc frigida intemperies poteſt tolli a calore, idque non difficulter omnino. Facile etiam malum tollitur, ſi ab errore externo oriatur: ſi enim verbi gratia collecta ſit vrina ob negotium,

mani-

A manibus compreſſa veſica, liberat. At periculoſum eſt malum, ſi fiat ratione inflammationis, ratione tumoris carnoſi, ratione grumoſi ſanguinis: prout enim materia eſt magis rebellis, ita augetur difficultas: vt actum fere ſit in conuulſione ex inanitione, quæ febribus ardentibus ſolet ſuccedere: nam iſti e lotii ſuppreſſione celerrime moriuntur.

In hoc malo confugiendum ad venæſectionem, ad ſyringem. Venæ ſectio locum habet; ſi ſanguis peccet; vt in inflammatione ceruicis veſicæ: hic quidam decepti, dum putant eſſe affectum inteſtinorum, vtuntur clyſmis carminatiuis. Circa ſyringem notandum: Si ſuppreſſio lotii fiat renum vitio, vt vrina non deſcendat; fruſtra vtimur ſyringe. Si in veſica lotium detinetur; neque tum ſemper ea vtendum: & præſertim dum ſupprimitur ob inflammationem, quia ſoluitur vnitas; non enim poteſt ſyrinx immitti, niſi dilatetur ceruix, quia tumor intus impedit. Si non affuerit inflammatio; optimum erit ad ſyringem confu-B gere: & poſſumus etiam eius loco immittere candelam paruam, oblitam ol. communi, vel amygdalino. Si læditur mictio ob calculum veſicæ; opus eſt perforare ceruicem, & lapidem extrahere; quod tuto & feliciter fit a medicis prudentibus: adeſt enim præſentia indicantis, & nil prohibet. Hæc perforatio interdum eſt neceſſaria, dum lotium ſupprimitur à concreto ſanguine; non ſemper tamen, ſed cum ſanguis retinetur, & non cedit aliis remediis; prius tamen alia auxilia tentanda. — Curatio.

Medicamenta varia eſſe poſſunt, pro varietate cauſſæ: nos circa præcipuas cauſſas digrediemur. Si ergo auferatur mictio a calculo; iam diximus de remediis calculi. Si fuerit grumus ſanguinis; neceſſe eſt ad valentiora confugere: vnde detur *decoctum nymph. origani, & addatis ℥ij. oxymelitis ſcillitici.* Si his non reſoluatur ſanguinis grumus; confugiendum *ad lixiuium, in potu dando ℥vj. vel vij. & ſyrupi cap. Ven. ℥j. vel* C *℥j emulſ. ſem. melon. & ʒj. calcis viuæ*, vt vult Aetius. Vrgente neceſſitate non improbantur *cantharides*; nõ eſt abs re, vti extrinſecus, & immittere per ſyringem. Vel medicamenta parentur *ex aqua maris, & muria, de lixiuio acerrimo, & calce*: ſatius eſt iis vti extrinſecus, deinde intrinſecus. Vti etiam poſſumus nonnullis, quæ occulta qualitate iuuant: vt eſt *veſica danulæ puluериſata, a ʒj. ad ij. cum aliquo diuretico. Commendatur etiam puluis cancrorum fluuiatilium, & marinorum in eadem quantitate.* — Medicamenta. Ad grumos ſanguinis.

CAPVT XXXI.

Iterum de Suppreſſione ſeu retentione lotii paullo luculentius agitur.

SVppreſſio vrinæ fit, Læſa facultate expultrice, aut ob Errorem externum. Si læſa facultate; vel Labefactatur, vel Impeditur. Si impeditur; eſt Compreſſio, Conſtipatio, Subſidentia, vel Obſtructio. Com-D preſſio eſt, dum foramen colli veſicæ ita anguſtatur, vt expultrix lotium expellere nequeat. Hæc compreſſio fit a tumore ſiue calido, ſiue frigido, vicinarum partium, nimirum inteſtini recti, & in mulieribus vteri. Conſtipatio fit a multis cauſſis: a tumore, non partium vicinarum, ſed qui occupat collum veſicæ, ſiue ſit tumor inflammatorius, ſiue frigidus: fit etiam conſtipatio a calculo in renibus, aut veſica genito, qui protruſus ad orificium ceruicis veſicæ, meatum ita occludit, vt lotium ſupprimatur: præterea fit a tuberculo (*tumor eſt morbus in magnitudine aucta ſecundum propriam ſubſtantiam ceruicis veſicæ: tuberculum autem eſt paruus tumor, qui non obſidet ſubſtantiam ceruicis, ſed meatum, cuius parietibus adhæret:*) tuberculũ autem triplex eſſe poteſt, nimirum carnoſum, quod fit poſt vlcus, & præſertim poſt vlcus, quod ſequitur gonorrhœam: item calloſum, quod fit ſenſim e craſſa & lenta materia: item phlegmonoſum, de quo com. aphor. 82. ſect. 4. cuius cauſſa eſt materia ſanguinea. Subſidentia fit, quando aliqua cum violentia ſubſidet E meatus ceruicis: id quod fit ab immodica ſiccitate, vt aliquando in febribus ardentibus: poteſt etiam fieri propter conuulſionem, vt Galenus ſtatuit, commenta. 17. ſect. 3. l. 1. proth. Obſtructio fit ab humore (: anguſtia enim a pure facta, potius eſt conſtipatio, quam obſtructio ſi exacte loqui volumus.) Humor hic eſt ſanguis, vel Pituita. Sanguis; quoties grumeſcit; alias enim ſi fluit, non retinetur, neque obſtruit. Eſt præterea pituita lenta & craſſa. Labefactatur facultas ob intemperiem potiſſimum frigidam, cuius ratione veſica cõſtringi nequit. Fruſtratur etiam facultas expultrix ob errorem externum; qui nihil aliud eſt, quam lotium copioſum; cum ſcilicet veſica adeo repletur lotio, vt expultrix nequeat cõtrahere veſicam, quamuis nullum ſit vitium in muſculis; vel ceruice. Et ideo lotium hoc copioſum, vt cauſſa immediata fruſtrationis facultatis, cum non ſit morbus, eſt error externus. Repletur autem veſica lotio copioſo, nobis vel Inuitis, vel Volentibus. Inuitis quidẽ nobis; dum vis animalis ſenſifica, vel non Suſcipitur, vel nõ Tranſ-F mittitur, vt in veſica non ſit ſenſus præſentis lotii (*Miror Altimarum, & alios, qui putant, facultatem contractricem, differre ab expultrice.*) Non ſuſcipitur facultas animalis, dum in neruis ad veſicam pertinentibus eſt anguſtia: cum ergo facultas non ſentiat lotium, hoc nobis inuitis multiplicatur. Hæc autem poteſt vocari paralyſis veſicæ (*eſt alia etiam paralyſis in veſica, ſpectans ad ceruicis muſculum: cum huius motus i[...] aufertur, vt non fiat ſuppreſſio, ſed incontinentia lotii: at de hac paralyſi iam non loquimur, ſed de illa, quæ ſpectat ad neruos veſicæ, quorum beneficio veſica, naturaliter habens ſe repleri lotio ſentit, & ad expellendum inſurgit.*) Non tranſmittitur ſenſus ad veſicam, in deliriis, phrenitide, lethargo. Interdum lotium aggregatur, nobis volentibus: ſtimulamur enim ad miſtionem, ſed mingere nolumus, quia negotiis ſumus occupati. — 1. Anguſtia. 2. Intemperies. 3. Vrina nimis replens veſicam.

Differentiæ non ſumuntur a forma, neque a materia. Quoad cauſſam efficiẽtem; lotii ſuppreſſio fit, vel Læſa facultate, vel ob Errorem externum. Læſa facultas, Labefactatur vel Impeditur. Impeditur ob compreſſionem, conſtipationem, ſubſidentiam, vel obſtructionem. Error externus, eſt lotium copioſum, G quod aceruatur nobis inuitis, vel volentibus. — Differẽtiæ.

In genere hoc malum facile cognoſcitur; quia homines mingere nequeunt. Diſtinguendum autem eſt, cum ſupprimatur lotium, ob læſam veſicam, vel quia malum ſit in renibus: altera enim propria ſuppreſſio eſt, altera impropria. Suppreſſio propria eſt, quando adeſt deſiderium mingendi: præterea circa veſicæ regionem eſt dolor ac tenſio. Hæc non aſſunt, ſi malum pertinet ad renes: tunc enim lotium in- — Signa.

vesicam non fluit. Quoad differentias a caussa efficiente. Si labefactatur facultas; signa assunt frigiditatis, A praecessere caussae refrigerantes, verbi gratia, dum medici ad vesicae inflammationem curandum vsi sunt nimis refrigerantibus: cognoscitur etiam, quia hoc symptoma fit paullatim, & non subito: paullatim enim fit intemperies: praeterea cognoscitur, quia, si vesica manibus comprimatur, patiens mingit. Si facultas impediatur ob angustiam: angustia in genere indicatur inde; quod, licet manibus vesica comprimatur, homo tamen non mingit. In specie, compressio noscitur e signis indicantibus tumorem vicinarum partium, nimirum vteri, intestini recti. Constipationis caussa varia est: si, verbi gratia, fuerit lapis, vrina repente supprimitur; & ratio est, quia calculus potest repente impetum habere in ceruicis meatum: praeterea, si homo commoueatur, si supinus decumbat, mingit; quia fieri potest, vt lapis descendat, & relinquat meatum ceruicis: item in pudendis aegri sentiunt pruritum, vt frequenter scalpant pudenda: fieri etiam B potest, vt praegressa sint calculi renalis indicia, & descenderit calculus a renibus per vasa vrinaria in vesicã, neque extra vesicam egressus sit calculus: pathognomonicum & perpetuum signum calculi in vesica est ardor lotii, semper enim mingunt cum dolore. Si interdum contingat, vt sit suspicio vel salsae pituitae, vel lotii acrioris, vt ardor vrinae ex hic caussis prodire videatur: possumus distinguere ex arenulis, seu calculis alias excretis; & tandem beneficio syringis. Si constipatio fiat a tumore; tactu sentitur renitentia: &, cum tumor possit esse calidus, vel frigidus: calidus tumor & inflammatio cognoscitur e vehementi dolore, e sensu caliditatis, e febri: frigidus, contra. Tuberculum cognoscitur immissione candelae: nec enim tactu hoc deprehenditur, cum sit intra meatum; sed candelae immissione euidens impedimentum sentitur. Tuberculum autem carnosum esse iudicabitur, si praecesserit gonorrhoea, ad quam vlcus sit subsecutũ. Callosum cognoscitur e duritie, quae in candelae immissione sentitur; assunt signa pituitae; praecessit non suppressio lotii, sed difficultas mingendi. Phlegmonosum cognoscitur e dolore, & calore. Constipatio a pure C fieri cognoscitur, quia post abscessum ex aliqua parte egressum est pus: vnde si succedat lotii suppressio, iudicandum e retento pure produci. Subsidentiam fieri e siccitate, cognoscitur, e febri ardente, & siccitate totius. Si fiat e conuulsione, hanc oculis potestis percipere. Obstructio, si fiat a sanguine; cognoscitur, quia sanguis praecessit in lotio; & cum retinetur sanguis, quia grumescit, non modo supprimitur lotium, sed etiam pulsus fit debilis, fit syncope, vt totum corpus refrigeretur, quia sanguis extra proprium locum exsistens, non modo vertitur in grumum, sed etiam quodammodo materiam veneficam acquirit. Si obstructio fiat a pituita; cognoscitur, quia ante suppressionẽ egressa est materia pituitosa, quae postea detinetur, & efficere caussat obstructionem. Error externus cognoscitur, quia malum subito fit: &, si vesica manibus comprimatur, haec compressio iuuat. Vtrum autem lotium copiosum sit collectum, nobis inuitis, aut volentibus; facile cognoscitur. D

Indicationes.

Praesidia sumuntur ab efficiente caussa suppressionis: possuntque esse curatiua, & praeseruatiua. Si efficiens est morbus, sunt curatiua; sin minus, praeseruatiua, quae tamen in arte curatrice, ratione finis vniuersalis, possunt nuncupari curatoria. Si ergo facultas labefactatur ob intemperiem frigidam; oritur indicatio calefaciendi. Si impediatur facultas ob angustiam, siue sit compressio, constipatio, &c. nulla sumitur indicatio curatiua ex vsu, sed omnis est praeseruatoria, quae sumitur a caussa angustiae: verbi gratia, si angustia fiat ob sanguinis grumum, indicatur eradicans, dissoluens. Quoad errorem externum; si fiat nobis inuitis; excitanda est virtus sensifica, quae sopita est; euacuanda materia, quae replet neruos, &c.

Prognostica.

Suppressio lotii in genere est vitium periculosum, nisi enim occurramus, fiunt dolores, cõuulsiones, tremores, desipientiae; quia partes principes in consensum trahuntur, & cito etiam aegri moriuntur. Quoad differentias: Si facultas labefactatur; tollitur quidem suppressio lotii, per vesicae compressionẽ, sed non E tollitur caussa: quia calefacienda est frigida vesica; quod consequi possumus, sed non ita facile, praesertim si intemperies frigida fuerit in habitu. Si impediatur facultas, & primum per cõpressionem; oportet perpendere vim, & vehementiam tumorum vicinarum partium. Quoad constipationem, si fuerit tumor inflammatorius; vitium satis periculosum. Si tumor frigidus; vix adimitur longo temporis spatio. Si fuerit vesicae lapis; transponitur, sed non potest frangi, sicut calculus renalis, ideoq; ad sectionem confugiendũ. Si tuberculum fuerit, siue carnosum, siue callosum, impossibile est, integram curam explere, sed minuere tantum possumus: locus enim est reconditus, medicamenta abluuntur, caussa morbifica resistit. Si tuberculum fuerit phlegmonosum; quandoque suppuratur, & fit ruptio, vnde homines liberãtur. Si pus fuerit, potest euacuari: sed vlcus aegre consolidatur, & pro vario statu vlceris, & pro vario loco. Si fuerit subsiden- F tia, & fiat ratione siccitatis; maxime difficulter malum hoc remoueri potest. Si conuulsio ex inanitione factum est: si e repletione; difficulter curatur. Si conuulsio non proportionata ad materiam; potestis polliceri salutem, quia materia potest euacuari. Si fuerit obstructio: si a pituita; curari potest: si a sanguinis grumo; maxima est difficultas; vnde Gal. e tali caussa vnum tantum vidit curatũ, c.3.l.6.l.aff. nam sequitur maior putredo, & tandem mors; ideoque in hac suppressione maxime festinandũ. Quoad errorem externũ: Si lotium colligatur copiosum nobis inuitis, in paralysi neruorum; malũ est incurabile, quia locus nimis profundus. Si fiat e phrenitide & lethargo; videatur ꝓpria cap. Si nobis volentibus, facile & spõte curatur.

Curatio. Cheirurgia.

Quoad materias praesidiorum: probatur venae sectio, si sanguis peccet, vel vt caussa principalis, vt in phlegmone ceruicis vesicae; vel vt caussa sine qua non, habens rationem impedimenti, vt si sit copiosus in toto, impetu commotus, in forma peccans. Notetur circa *quando*: Si sanguis habet rationem caussae prin- G cipalis; vena secanda actu exsistẽte symptomate, id est, lotii suppressione: nam si voluerimus vti vel synanche, vel relaxantibus, vel diureticis; interficiemus aegros. Sed si sanguis habet rationẽ caussae sine qua nõ; vacuandus est extra accessionẽ. Licet etiã confugere ad sectionẽ in peritonaeo. In calculo non improbatur candela, neq; syrinx: hac tamẽ in phlegmone nõ vtendũ, quia hac praesente non possumus pertrãsire in vesicã, & augemus phlegmonẽ. Manu etiã cõprimere licet vesicam: quia, nisi sit angustia, tollctur lotii suppressio.

Medica-

Medicamenta totius ſupponam. Propria, vel reſpiciunt Cauſſas, vt vlcus, inflammationem, calculum, &c. de quibus ſuis locis: vel Symptoma, quorum vſus eſt actu exſiſtente lotii ſuppreſſione; de quibus paucula afferimus. Quare niſi ſit inflammatio, probatur *medicamentum confectum ex amomo, acoro, ammoniaco, aniſo, & aſaro, & amygdalis amaris, dauco, coſto, myrrha, rubia tinctorum, ſabina, virga aurea, quam aliqui habent pro ſecreto.* Si reliqua non conferant, licet adſcendere ad *cantharides*, quia agitur de vita: verbi gratia, ſi aliter non poſſumus, licet hoc vti medicamento: ℞ *integram cantharidem (quia alæ alexiteria ſunt ventris) pulueris veſicæ danulæ, id eſt, muſtelæ, pulueris cancrorum fluuiatilium & marinorum ana* ℈j. *cum ſyrupo cap. Ven. fiant pilulæ. Poſt pilulas exhibeatis iuris cicerum rubeorum* ℥iiij *vel v & ſucci raphani* ℥ij. Licet etiam vti compoſitis illis medicamentis; vt *elect. Iuſtino, de ciceribus.* Denique omnia lapidem frangentia vſui ſunt, actu exſiſtente ſuppreſſione; dum modo non ſit inflammatio. Probantur etiam extrinſecus applicita. Niſi ergo ſit phlegmone, hoc vtamur: ℞ *bacc. lauri* ʒß. *anethi. fol. maluæ, parietariæ, ana P. ſ. ſucci raphani, farinæ cicer. rubrorum, butyri, adipis anatis, ol. de ſcorpion. ana* ʒß. *ol. lil. alb.* ℥j *Miſce.* Hoc, & alia huius generis applicentur ſuper pinæum, & ſecundum regionem inteſtini recti. Et his partibus applicetur veſica bubula, his oleis ſemiplena. Probatur *inſeſſus in balneo aquæ dulcis, cum malua, althæa, &c. & magis prodeſt inſeſſus in oleo communi*, vt partes relaxentur, & lotium poſſit permeare. Multum poſſunt *clyſteres*; quibus ego interdum ſolis lotii ſuppreſſionem curaui, cum aliis non cederet: fiant e laxantibus, emollientibus. Potiſſimum præſtat vſus medicamentorum quæ per os aſſumuntur, tempore inſeſſionis. Ratione ſymptomatis, accipere poſſumus *cimicem viuentem*, & mittere in foramen glandis, vt his ſopita excitetur. Si horum copia non ſit; imponatis *aliquid ſalis.* Et his addatur diligens viuendi ratio: quæ potius cauſſas reſpicit, quam ſymptoma ſeu præſentem ſuppreſſionem.

Medicamenta ad ſymptoma actu affligens.

B

C

CAPVT XXXII.

De Mictione deprauata.

Deprauata mictio dicitur Stranguria, & vrinæ ſtillicidium. Fit vel Læſa facultate, vel ob Errorem externum. Læditur facultas, ob morbum Veſicæ, vel Muſculi. Veſicæ morbus primum eſt vlcus: tunc enim non detinetur lotium, ſed fit mictio cum difficultate, & ardore. Deinde alius veſicæ morbus eſt, qui inducitur a calculo, non quidem anguſtante meatum ceruicis, ſic enim potius eſſet conſtipatio, & mictio ablata, vel imminuta; ſed quatenus eſt morbus in numero: hic enim numerus auctus ſui præſentia eſt in cauſſa, vt cum difficultate & dolore fiat mictio, ac potiſſimum ægri torquetur circa finem mictionis. Muſculi morbus eſt paralyſis: vnde muſculo laxato, præter voluntatem lotium egreditur. Inſuper hæc actio læditur ob errorem externum: qui eſt deſumendus e cauſſis Internis & Externis. Internæ, ſunt mala, non veſicæ, non muſculi, ſed vicinarum partium: vt ſi fuerit tumor, inflammatio, non in parte inferiori, ſed ſupra veſicam, ſemper comprimitur veſicæ corpus, vt deprauata fiat mictio: quod vtero gerentibus contingit. Adhæc occurrit materia acris, & lotium acre, permiſtum cum acri materia, cum ſalſa pituita, cum ſanie, cum materia billioſa: nam dum iuſto acrior redditur vrina, cogitur homo iuſto frequentius mingere, & ideo deprauatur mictio. E cauſſis externis poteſt error deſumi, quatenus redditur lotium acre: nam mordax fit lotium, modo ob feruorem iecoris, renum; modo ob prauum victum & potum, vſumque frequentem ciborum & potuum acrium.

Cauſſæ.

D

Num autem mictio deprauata procedat a læſa facultate, & ob errorem externum; ſic cognoſcitur: Si enim lædatur facultas; adeſt vel vlcus in veſica, vel paralyſis. Si ſit vlcus; lotium redditur cum dolore, perſentitur acrimonia, mordacitas, & interdum egreditur ſanies, quæ ab vlcere procedit. Si fiat a paralyſi; fit mictio ſine dolore, citra voluntatem. Si fiat ob errorem externum: ſi cauſſa ſit interna; erunt ſigna caliditatis hepatis & renum, ſalſæ pituitæ, bilis, neque in viuendi ratione error eſt commiſſus. Quod ſi poſt agrumina copioſa, poſt aromata fiat ardor vrinæ, & mictio corrumpatur; procul dubio corrumpitur ob errorem externum, qui fit a cauſſa externa.

Signa.

E

Præſidia ſumuntur a cauſſis lædentibus facultatem, & ab errore externo: verbi gratia, in vlcere ſunt indicationes vlceris, de quibus cap. de vlcere ventriculi. Error externus, qui præſens eſt, remouendus.

Indicationes.

Conſideranda autem hic eſt vis cauſſarum & morborum: verbi gratia, ſi ob lotium acre deprauatur mictio, quod ſit tale redditum a cauſſa primitiua; facile tollitur vitium: difficilius autem ſi a caliditate renum & iecoris: & adhuc difficilius ſi ex vlcere; nec tamen credendum, veſicæ vlcus omnino non poſſe curari; nam ſi diligentes eritis, antequam figat radices, non erit impoſſibile. Eſt etiam magna difficultas, vbi paralyſis eſt in cauſſa, quia eſt vitium ſatis rebelle. lib. 1. de locis affect. Et ſic diſcurrendum per morbos & cauſſas.

Prognoſtica.

F

Medicamentis variis vtendum, pro differentia cauſſarum: verbi gratia, ſi fiat a paralyſi, calorificis vtendum. Si ex vlcere; vtendum iis, de quibus in vlcere ventriculi eſt dictum. Differentia tamen eſt, quia in vlcere veſicæ, medicamenta immittere poſſumus per ſyringem. Debent autem parari *e ſero lactis cum ſaccharo*, & primo detergentia, deinde ſiccantia moderate. Medicamentum paretur *e ſarcocolla, e thure, e tragacantha.* De agglutinantibus alibi egimus. Gal. l. 4. meth. proponit medicamenta, quæ competunt parti vlceratæ. Porro in mictione deprauata, & potiſſimum in lotii incontinentia, ſecundum Auic. & Paul. vti poſſumus quibuſdam a proprietate iuuantibus; vt eſt *puluis paratus a gutture gallinæ, puluis e veſica ſuilla, & quidam hoc pro ſecreto habent, potiſſimum in pueris, qui non poſſunt retinere lotium. Eſt & puluis teſticuli leporis, cerebri eiuſdem: quibus vti licet a* ʒj. *ad* ʒiij. *Et vt hæ materiæ in veſicam perducantur, miſcenda ſunt diuretica.*

Curatio.

Appropriata.

G

CAPVT XXXIII.

De partium Genitalium vitiis: & primum de Gonorrhoea.

Membra generationi deſtinata, affici ſolent gonorrhoea. c. vlt. lib. 6. loc. affect. cap. 10. lib. 14. de vſ. part. cap. 4. lib. 5. de cauſſ. ſympt. Eſt autem hoc vitium in quo fluit ſemen. Huius ergo ſeminis fluxus, eſt

Definitio.

exiens mutatum ſeminis,aſſiduo per colem egredientis.Eſt autem exiens mutatum,non toto genere præ- A
ter naturam,ratione materiæ exeuntis;quia per colem ſecundum naturæ leges ſolet egredi ſemen.Eſt au-
Caussæ. tem præter naturam,quia intempeſtiue egreditur,nobis inuitis aſſiduo. Hoc ſymptoma ſecundum, re-
fertur in actionem læſam retentricem,quæ pertinet ad vaſa ſpermatica: nam ſi intus præter naturam ſe-
I. men detineretur,non fieret gonorrhoea.Hæc autem actio læditur vel Læſa facultate,vel ob Errorem ex-
ternum.Læditur facultas retentrix vaſorum ſeminalium,quia vel Labefactatur, vel Impeditur. Labefa-
ctatur ob intemperiem quamlibet inſignem,& potiſſimum humidiorem,vi cuius ita laxantur vaſa, vt ſe-
minalis materia non detineatur.Hæc autem humida intemperies,poteſt eſſe vel ſimplex,vel coniuncta cũ
calida. Impeditur facultas,ob malam compoſitionem;ob immodicam apertionem vaſorum;ſiue fiat ex
immodico coitu,ſiue ab immodico exercitio & motu.Læditur vero ob errorem externum,ob vitium ſe-
II. minis:quod ſane vitium,vel eſt in Quantitate,vel Qualitate. In quanto;cum eſt copioſum,ſiue ex inter- B
miſſa Venere,ſiue e copioſis cibis.Peccatum eſt in qualitate vel Manifeſta,vel Recondita. Si in manifeſta;
vel Prima,vel Secunda In prima;cum ſemen eſt calidius,mordax:ſiue tale ſit a iecore calidiore,ſiue ab aſ-
ſumtis acribus & calidis.In ſecunda qualitate eſt etiam vitium;dum ſemẽ eſt redditum vel tenuius,vel pu-
tridum Redditur tenuius;quia non concoquitur,ſed crudum permanet,ſiue e frigiditate vaſorum, ſiue
iecoris & ventriculi,ſiue e frigidis aſſumtis:nam dum crudum permanet,eſt etiam fluxile,& liquidum, vt
non detineri poſſit.Peccatum in ſecunda qualitate,potius comitante formam,quam materiam, eſt, dum
ſemen putreſcit;quod fit,quando concurrente extraneo calore a natura non poteſt regi. Qualitas recon-
dita eſt,dum ſemen afficitur virulentia gallica,quæ expultricem irritat,vt non poſſit detineri:poteſt etiam
ea virulentia eſſe,qualis viget in leproſis,& elephanticis.

Differẽtiæ. Actio hic læditur,vel Læſa facultate,vel ob Errorem externum.Et,dum ſemẽ egreditur, modo exit C
pene Flaccido exſiſtente,modo Extenſo.Nec hoc aduerſatur Galeno. Dum enim hoc vitium ſyncerum
eſt,ſemen exit pene flaccido exſiſtente:at ſi gonorrhoea cõiunctum habeat aliud vitium , vt priapiſmum,
egreditur ſemen pene extenſo.

Signa. Facilime vitium hoc in genere cognoſcitur,quia aſſiduo ſemen egreditur.Quoad differentias: La-
befactata facultas cognoſcitur e ſignis ſuperfluæ humiditatis,e prægreſſis cauſſis humectantibus, vt ſunt,
potus frigidæ,balnea aquæ dulcis.Et,ſi coniuncta ſit frigiditas;adeſt ſenſus frigidi,nulla adeſt mordacitas:
ſecus,ſi aſſit caliditas.Impedita facultas cognoſcitur,quia prægreſſa eſt immodica Venus & intempeſtiua;
præceſſit immodicum exercitium;nec ſunt indicia culpata ſeminis.Si lædatur actio ob errorem externũ;
oppoſita erunt ſigna.Et primo,ſi ſemen copioſum ſit in cauſſa,exit ſemen non infectum, non iuſto liqui-
dius,non mali odoris,non vitioſi coloris,ſine acrimonia.Si vitium ſit in qualitate manifeſta: & quidem in D
prima,dum calidius eſt;non exit citra dolorem,eſt citrinum & bilioſum,aſſunt indicia bilioſi ventriculi &
iecoris,præceſſit vſus calidorum.Si qualitas ſecũda eſt tenuitas;exit aquoſum,ſine ſenſu caliditatis; aſſunt
indicia cruditatis in iecore,teſtibus,& ventriculo.Si ſit putridum;cognoſcitur e fœtore,ex indiciis putre-
dinis,& cum morſu egreditur.Si eſt qualitas recondita;ſunt ſigna luis Venereæ, lepræ,elephantiaſeos.

Indicatio-nes. Si hoc malum fiat labefactata facultate;oportet exſiccare,modo calefacere,modo refrigerare.Si im-
pedita;oportet occurrere recluſis meatibus,eſt aſtringendum.Si ob errorem externum;ſi ſemẽ ſit copio-
ſum,oportet minuere:ſi calidius,refrigerare:ſi tenuius,craſſefacere:ſi putridum, refrigerare & ſiccare. Si
recondita ſit qualitas;dentur alexipharmaca,aduerſantia illi virulentiæ.

Prognoſtica. In genere hoc malum non eſt contemnendum:aduerſatur enim indiuiduo, quia æger contabeſcit; E
& ſpeciei conſeruationi,quia hæc corpora infœcunda euadunt. Quoad differentias:Si malum procedat a
labefactata facultate;tolli poteſt exſiccando,& refrigerando.Si fiat impedita facultate ; illa apertio curari
poteſt aſtringentibus.Si fiat ob errorem externum;facile occurrimus ſeminis copiæ:& poſſumus calidius
refrigerare:difficilius eſt malum,ſi ſemen tenuius ſit & crudum;tunc enim tanta eſt imbecillitas partium,
vt difficulter poſſimus partem intemperatam ad naturalem craſin reducere. Difficulter etiam putredini,
& virulento ſemini poſſumus occurrere;præſertim ſi virulentia gallica ſit,vel elephantica.

Curatio. Si ſanguis redundat;vena ſecanda:ſed parce demendus ſanguis,quia in hoc malo egreditur ſemen,
quod eſt reliquum vltimi alimenti.
1. Remediorum materiæ variæ ſunt,pro cauſſarum varietate.Dum enim labefactatur facultas ob hu-
miditatem,ſi coniuncta ſit caliditas;oportet vti refrigerantibus & ſiccantibus,& vna aſtringentibus, tum
intus,tũ extra:*Verbi gratia,℞.ſacchari antiqui roſ.℥j.coral.alb.ʒß.ſantal.citrin.ʒß.cydon. ʒß. Detur du.b.* F
*vicib.*Regio inter teſtes & anum inungatur *ol.roſ.compl.omphacino,myrtino:pro ſingulis olei vnciis, addatis*
ʒß.pulueris refrigerantis & exſiccantis,vt balauſt.malicorii:& pro qualibet vncia olei,addatis ceræ ℥j.vel ℥ij.
2. *ad conſiſtentiam.*Si cum humiditate ſit coniuncta frigiditas;occurrendum eſt calidis & ſiccis:parentur igi-
3. tur medicamenta *e maſtiche,nuce cupreſſi,e mentha,thure,vino aſtringente.*Horum vſus, intus & extra. Si
lædatur actio impedita facultate,ob immodicam vaſorum apertionem;propoſitis vti licet;non ea tamen
4. ratione,qua refrigerant & exſiccant,ſed potius vt aſtringunt.Si vero ob errorem externum lædatur actio:
ſi vitium ſeminis ſit in quanto;oportet iis vti,quæ copioſo ſemini aduerſantur:vnde conficiatur medica-
mentum *e ſemine cannabis ſylueſtris,e ſemine filicis,lactuca,foliorum nymphaæ,ſemin.& fol.calaminthæ.peri-*
*clymeni:*ſed horum ſeminum ſit moderatus vſus,quia non ſolum imminuunt ſemen, ſed etiam reddunt G
5. infœcundum.Si vero peccatum ſit in qualitate euidenti,vel prima,vel ſecunda:ſi in prima,hoc fit dum ſe-
men eſt calidius:vnde vtendum refrigerantibus,intus & extra:paretur ergo medicamentum, non tãtum
*e roſis,& cichoraceis,ſed etiam e lactuca,*e refrigerantibus potiſſimum hepar & renes:vnde quidam vtuntur
*medicamento parato ex aqua roſacea,ſucco limonis,& albumine oui.*In gonorrhœa calida licet etiã vti *aquis,*
quæ ſunt ſubſalſæ,vt B.Virginis,& Tectutii,nam refrigerant.Nec improbandus vſus ſeri lactis caprini. Extra
etiam

A etiam refrigerantia sunt adhibenda renibus:possumus igitur inungere *vnguento ros. Mes. refrigerante Ga-
leni.* Licet applicare folia frigida viridia *nymphaæ*:& in hac gonorrhœa (non in omni) confert gestare *la-
minam plumbeam, perforatam tamen.* Si vitium sit in qualitate secunda, hæc respicit vel materiam, vel for-
mam:materiam,dum semen est tenue;formam,dum est putridum. Tenue,frigidum & crudum,produci- 6.
tur ob frigiditatem,ratione cuius non potest corrigi:ob id,si dentur refrigerantia,licet crassefaciant,ma-
gis tamen lædunt:Si dentur astringentia,interficiunt. Oportet ergo vti calorificis,corroborantibus calo-
rem;vt calor maxime redditus robustus,concoquat semen,quod concoctum redditur crassum. Vnde in
hac gonorrhœa calorificis vtendum,intus,& extra:talia sunt *aquæ Aponenses, & alia remedia.* Si semen sit 7.
putridum, non est astringendum, quod alii faciunt:non vtendum aqua ros. cum albo oui,sed refrigeran-
B tibus & exsiccantibus citra astrictionem:vnde medicamentum parabitur *ex aqua acetosa, succo limonis, &
succo acidi citri immaturi*;vt siccando, refrigerando, & aperiendo occurratur putredini:conueniunt ea,
quæ febribus putridis(putredo per euentationem minuitur:astringentibus augetur) Si virulentum fue-
rit semen;oportet alexipharmacis occurrere,tum communibus,quibus vtimur in omni materia virulē-
ta & deleteria,vt sunt *magnæ antidoti*;tum determinatis,verbi gratia si virulentia sit elephantica , præstat
vsus *salis theriacalis, intus; & extra, vsus olei viperini.*

Capvt XXXIV.

De Impotentia coeundi.

HOc vitium est læsa facultas,quæ pertinet ad membra destinata generationi. Actio hæc varie lædi po- Coitus na-
test:&,vt læsionis modi intelligantur,oportet videre,quomodo secundum naturam fiat coitus. Se- turalis.
C cundum Galenum ad coitum duo sunt necessaria:colis erectio,& seminis eiaculatio. Ad erectionem tria Erectio
sunt necessaria:spiritus,sanguis,& instrumētum motui voluntario destinatum,musculi scilicet colis. Hęc colis.
autem tria ita se habere debent. Spiritus vitalis oportet vt sit copiosus,non crassus. Quidam obiiciunt : in
coitu non tantum colis erigitur,sed ita erectus permanet:Ergo hoc fit ob crassum spiritum. Errant : nam
hoc fit ob copiam;quia continuo suggeritur copiosus spiritus,& purus. Sanguis & ipse est necessarius, vt
huius opera nutriatur & foueatur colis,& nō gracilescat,si solum spiritum copiosum & purum suscipiat.
Spiritus procedit ex arteriis:sanguis e venis. Oportet etiam vt musculi recte sint cōstituti: qui vim anima-
lem susceptam,ita foueant ac retineant,vt optima organa animalis facultatis. Ad seminis eiaculationem
tria sunt necessaria:primo,vt bonum semen generetur:secundo,vt hoc genitum transmittatur ad penem, Seminis
in illas vesiculas,& ibi detineatur:tertio oportet vt ingrediatur meatum vrinarium , & per illū expellatur eiaculatio.
in vterum. Quare,quoad seminis generationem;vt optimum in testibus generetur,oportet vt produca-
D tur ex optimo sanguine;& vasa seminalia sint aperta,vt per ea sanguis in testes deferatur,& in his acquira-
tur optima proportio,& temperatura decens. Vt autem semen genitum deferatur in vesiculas dictas, ppē
penem;oportet,vt semē genitum non sit crassius,& viæ sint apertæ. Tandem,vt fiat eiaculatio; oportet vt
meatus colis sint reclusi,& meatus vrinarius apertus,colis musculi optime constituti, quia hi etiam tum
ad erectionem,tum ad eiaculationem concurrunt.

Ex his est concludendum:impotentiam coeundi noxam esse,vel secundum Erectionem,vel secun- Caussæ im-
dum Eiaculationem. Erectio lædi potest,vel Læsa facultate,vel ob Errorem externum. Læditur facultas, potentiæ
quoties morbus est in Cole,vel in Musculis. Morbus in cole est intemperies,& potissimū frigida;item fri- τοῦ ἀφροδι-
gida & sicca,vt in senili ætate,& in athletis,in quibus partes istæ afficiuntur intemperie frigida, ob immo- σιασμοῦ. 1.
E dicum otium. In musculis vitium est,cum afficiuntur paralysi. Error externus est caussa ablatæ erectionis,
dum est defectus vel secundum Spiritum,vel secundum Sanguinem. Spiritus autem variis modis solent 2.
deficere:& potissimum,quia vel non generantur,vel non deferuntur. Non generantur , dum corpus est
frigidum,potissimum vero cor;vnde qui cor frigidum habent,non sunt apti huic negotio. Si non defe-
runtur;hoc potest esse,quia aliquis meatus occlusus est;vel quia spiritus in alias partes auocantur,vt acci-
dit illis,qui præ nimio timore afficiuntur,& moriūtur. Vnde etiamsi corpus sit refertum spiritu vitali co-
pioso;si afficiantur timore,facile est,vt spiritus non deferatur in colem,sed in alias partes remotas , vt etiā
ob immodicam lætitiam fieri solet. Insuper est vitium in sanguine,dum non gignitur, quantum opus est,
in frigido corpore,in ætate senili. Ratione etiam imaginationis nimis agitantur & commouentur spiri-
tus,vt in penem non confluant:& ob id impotentia oritur. Eiaculatio etiam læditur vel Lęsa facultate,vel
F ob Errorem externum. Læditur facultas ob morbum,non solum colis,sed etiam testium,& meatuum ꝓ-
deuntium a testibus in colē,quia omnes istæ partes conducunt ad eiaculationē;in qua est necessaria gene-
ratio seminis,& eius transmissio. Vnde,quoad testes,non generatur semen læsa facultate,id est,otiante ꝓ-
portione,vt in pueris:sed hæc non est impotentia præter naturā,sed e naturæ legibus,quia hæc proportio
non viget,nisi in florente ætate. Quare potissima caussa est intemperies;& potest esse quælibet. Eiaculatio
igitur seminis lędi potest vel læsa facultate,vel ob errorem externū. Lęditur facultas,cum morbus detinet
vel vasa,vel testes;quæ vasa a testibus in colem deferuntur,vel in musculos. Et esse possunt morbi in inte-
perie & mala cōpositione,& potissimum in via:sic intemperies frigidior est in caussa , vt semen non eruatur,
tatur,quia non generatur. Si penis afficiatur angustia,mala compositione;functio læditur, læsa facultate,
seu potius impedita. Error externus petendus est ex improbo sanguine, cuius vitio non potest probum
G semen generari:de cuius sanguinis caussis alias diximus siue simpliciter deficiat,siue sit vitiosus.

Impotentia igitur coeundi;est actio ablata colis,famulantis generationi,nō citra violentiā oborta.

Coeundi difficultas,seu impotētia oritur,vel læsa Erectione virgæ,vel ablata seminis Eiaculatione. Definitio.
Et vtraque functio lædi potest Læsa facultate,vel ob Errorem externum. Differētiæ.

In genere hoc vitiū facile cognoscitur e relatu patientis,e facie:vbi barbam albicantē cōspicitis,im-
potentes dixeritis. Quoad differentias:an fiat , quia non erigitur colis, vel quia non fit eiaculatio; patiens Signa.

dicet.Si contingat hoc vitium,quia non erigitur colis;diſtinguendum,an hoc fiat læſa facultate,vel ober- A
rorem externum:ſi enim,verbi gratia,colis ſatis flaccidus,frigidus,& exſanguis cōſpiciatur; proculdubio
hoc fit læſa facultate.Si contra,vitium eſt in toto,ſecundum iecur & cor.Eodem modo,ſi ablata ſit eiacu-
latio ſeminis,propter facultatem,vel errorem externum;cognoſcitur,quia aderunt ſigna morborū, ade-
rit indicium teſtium frigidorum,anguſtiæ:vt,ſi poſt gonorrhoeam fiat vlcus in cole,& vlcus deducatur ad
cicatricem,deinde impediatur eiaculatio;non ſit hoc ob aliam cauſſam, quam quod propter cicatricem
pori colis fuere occluſi:& ſic de reliquis.Contra vero ſi vitium fuerit in errore externo:verbi gratia ſi pa-
tiens fuerit frigidi ventriculi,ſi emaciatus,vt non gignatur ſemen:tunc enim impeditur ſeminis eiacula-
tio ob errorem externum.

Indicationes. Scopi ſumuntur a morbis ex vſu,& ab erroribus externis:verbi gratia ſi malum oriatur ob frigidam B
intemperiem colis;calefaciendum,&c.

Prognoſtica. Prout autem malorum vis magis & minus vehemens fuerit,ita vario modo prædicēdum: verbi gra-
tia,ſi malum fit ob frigiditatem colis,teſtium;non eſt deſperandum de curatione. Si procedat a cicatrice;
actum eſt.Et ſic per cauſſas diſcurrendum.

Curatio. Adhibenda ea ſunt,quæ a proprietate conferunt,id eſt,quæ ſpiritus viuificant, & ſemen producunt
copioſum:vt ſecundum Auicennam *venter & cauda ſcinci pudendum aridum cerui,radix orchios,id eſt,te-
ſticuli maioris canis,& alia ſimilia.*

Venęſectio. Vena non audacter ſecetur:quia copia ſpirituum maxima in coitu egemus,ideoque etiam ſanguine
copioſo.Ratione igitur huius affectus non eſt ſecanda vena;licet quandoque ratione alterius affectus ſe-
cari poſſit,veluti ſi fiat coeundi impotentia ab obſtructione;occurrendum eſt de obſtruentibus,& calefa- C
cientibus:vbi,ſi totum ſanguine refertum ſit,ſanguis primo eſt euacuandus valido auxilio, quia morbus
magnus imminet,quia ratione medicamentorum calidorum,quæ deberent exhiberi, imminet inflam-
matio,aut febris:ideo tunc ſecanda eſt vena.

Medicamenta. Quoad medicamenta,peculiaria tantum proponemus:cauſſarum ſeruato ordine.Impotentia coe-
undi fit,vel quia virga non erigitur,vel quia ſemen non eiaculatur in vterum.Virga non erigitur, ratione
vel ſpirituum,vel colis,vel muſculorum.Quoad ſpiritus;deficiunt vel ſimpliciter, vel ſecundum quid. Si
ſimplex ſit defectus,ſunt reparandi:vbi vtendum duplicibus remediis,ſecundum Galenum c. vlt. l. 6.loc.
aff.primo reſtituentibus & reparantibus ſpiritus,deinde producentibus flatus,ratione quorum fieri poſ-
ſit erectio.Generantia ſpiritus,ſunt tum cibi,tum medicamēta corroborantia & calefacientia cor:de qui-
bus in affectibus cordis.Speciatim vero hic notandum,vt ſint odorata ; qualia ſunt *diamoſchu, dianthon.* D
Extrinſecus etiam præter inunctiones ab aliis propoſitas ratione coitus,confici poteſt *ſacculus e ſerico, in
quo ponatur goſſypium,cui inuolutum ſit aliquid moſchi,ambra,Zibethi.*Hoc auxilium cor reddit calidum,&
reſpicit ſpiritus.Flatus producentia proponuntur a Galeno l.7.ſimp.quæ ſunt calida & humida: vt *maior
radix teſticuli canis,minor enim eſt acida,gracilis,ac deſtituitur humiditate flatulenta;contra maior,ſeu infe-
rior plena eſt illa humiditate.Huius generis ſunt fabæ,ciceres,ſemina erucæ,vrticæ,rapi,paſtinacæ,cerebellū paſ-
ſeris,virga cerui arida,radix enulæ,bacca hederæ:inter compoſita diaſatyrion.* Quidam,vt Macarobus,pro ſe-
creto habent *cepas frixas cum butyro.*Sed ab his abſtinendum,quātum fieri poteſt,quia ſunt in cauſſa peſ-
ſimi odoris,& malæ reſpirationis.Si ſit vitium ſpirituum ſecundum quid:hoc erit,vel ratione viarum,vel
ratione motus ſpiritus.Si ratione viarum,vel erunt obſtructæ,vel nimis latæ.Si obſtructæ; erit occurren-
dum deobſtruentibus:vnde conducit *diaſatyrion,& propoſita medicamenta,quæ exhibentur cum galanga,&* E
*aliis deobſtruentibus.Ius cicerum maxime confert.*Si apertæ nimis erunt viæ;vtendum *teſticulo canino,cere-
bello paſſeris:ſed his vtendum cum aſtringentibus,cum ſucco roſ.cydoniorum.*Extrinſecus foueri debent par-
tes *infrigidante Galeni,aqua roſacea.*Si autem defectus ſit ſpirituum ſecundum quid ratione motus:Si ſpi-
ritus dilatentur;præcipiatis,vt ante coitum abluatur os *aqua roſ.*& cordis regio madefiat ex *aqua roſ.*vt fi-
at refrigeratio,& concentratio ſpirituum,ne dilatentur.Si defectus ſit ſpirituum,quia cōcentrantur,no-
mine timoris,aut curæ:remoueatur omnis timor,& cura.Si vitium ſit ratione ſanguinis : hoc erit in ſub-
ſtantia,quantitate,vel qualitate.Quoad ſubſtantiæ vitium:ſi ſanguis ſit putridus,& corpus cacochymum;
epicraſi vtendum:& tunc abſtinendum a coitu,vt ſanguis corrigatur,& ſemen generetur. Quoad vitium
quantitatis:Si defectus ſit ſanguinis ſimpliciter;vtendum cibis,de quibus poſtea.Si fuerit defectus ſecun-
dum quid;vel eſt ratione viarum,vel ratione attractricis colis. Si ſit ratione viarum obſtructarum;vten- F
dum deobſtruentibus,valentioribus,quam ſupra ad arteriarum obſtructiones vſi fuimus; & quandoque
aſcendendum *ad caſtorium,& magnas confectiones.*Si vitium ſit ratione attractricis colis,quæ languida eſt
ac debilis;cum Aetio calefaciendum,humectandum:vnde vſus eſſe poteſt *olei caryophyllorum, cui addan-
tur oleum recens amygd. adeps ſuillus recens, ambra pro odore: & inungatur colis.* Si vitium ſit in muſculis;
vtendum medicamentis reſpicientibus paralyſin, vt materia diſcutiatur. Et hæc medicamenta non ſo-
lum adminiſtranda ſunt peni, ſed etiam perinæo, & circa os ſacrum; quia nerui & viæ ab illis partibus
proueniunt. Conueniunt autem *ſtillicidia aquæ Aponenſis* circa illud os ſacrum:quia excalfaciunt, & de-
obſtruunt.

Si vitium ſit,quia ſemen non eiaculatur;vt ſemen emittatur, primum requiritur, vt generetur:ad
quod hæc tria ſunt neceſſaria;materia,viæ,agens.Quoad materiam;debet eſſe ſanguis bonus,qui genera- G
tur ratione ciborum.Si igitur producatur ſanguis frigidior;calefaciendum hepar,& ventriculus. Si in viis
ſit vitium,quia obſtruuntur; deobſtruendum. Quoad vitium agentis:ſi defectus ſit natiuus; aut nil,aut
parum effici poteſt:& tunc eſt potius calefaciendum.Si vitium ſit aſcititium;pro diuerſitate affectuum in
illis partibus,diuerſis eſt vtendum præſidiis.Si ſit ſcirrhus,emollientibus agendum. Si egrediatur ſemen,
ſed non deferatur ad penem ; calfacientibus opus eſt. Aetius teſtatur quendam noctu eieciſſe ſemen,
non

A non autem in coitu:ratio;quia ſemen erat craſſum,& e parte frigidum : vnde noctu, cum calor vigeat in interioribus,aperta ſunt vaſa ſeminaria, & eiectum ſemen : tempore autem coitus, cum externæ partes ſint calidiores,internæ frigidiores, vaſa, ratione frigiditatis aperiri non potuerunt,nec ſemen eiaculari. Hunc ſe curaſſe Aetius gloriatur calefacientibus,& cum caſtorio. Si oriatur vitium,quia ſemen peruenit ad fiſtulam,cum hoc fiat ob cicatricem;ſi dura eſt cicatrix,& inueterata,nihil agendum : ſi recens, intromittatur *candela cerea,oblita cum medulla ceruina, vel bouis,cum adipe,addaturque moſchus, ambra, &c.* Si vitium ſit in languida expultrice;ſi obſtructi ſunt nerui;conueniunt deobſtruentia, vt in paralyſi. Si autem fiat ratione paralyſeos illorum muſculorum;conueniunt ea quæ tollunt paralyſin.

Diæta.

B Cibus & potus medicamẽtis reſpondeant. Quare ſi defectus eſt ſanguinis & ſpirituum;proſunt ea, quæ gignunt ſanguinem copioſum,& ſpiritus; *vt caro pullorum,caponum,phaſianorum, oua ſorbilia, teſtes gallorum.* Si flatus ſunt gignendi: prodeſt *cibus cum iure cicerum,cum eruca,cum ſeminibus paſtinacæ,rapæ, cum hormino.* Si opus ſit ſemine magis acri,ad facultatem quaſi ſopitam irritandum ; *ſunt piſces oſtreacei, legumina.* Cibi etiam aromatibus condiendi. Vnde monachi hoc habent pro ſecreto : *accipiunt columbos & decoquunt cum macere,ſic etiam capones decoquunt , vt cum his ſint magis ſtrenui ad coitum. Habetis carduos artiſchoccos appellatos,quos poteſtis edere cum modico piperis albi,& modico ſalis.* Cum ſemen frigidum eſt,& expultrix debilis;quærendi ſunt cibi varii,pro diuerſitate cauſſarum. Condiantur cibi *modo melle, modo lacte,modo butyro:* vnde conferunt *oua frixa , cum butyro,cepa frixa cum ſaccharo, & etiam cum vino.* Cõpoſitio ſequẽns optima eſt;eo tamen obſeruato,vt fiat varia decoctio,cum variis,pro diuerſitate cauſſarum : ℞ *pinearum,amygd dul. piſtaceorum an.* ℥ *j. dactylorum ping. caſtanearum, auellan. an.* ℥ *ß. teſticuli* C *maioris canini,id eſt,radicis maioris orchios,cerebri paſſerum, an.* ℥ *ij. caudæ ſcinci* ℥ *ij. ß. ſem. aniſi, feniculi, urticæ:erucæ,paſtinacæ,an.* ʒ *ß. Decoquantur omnia,vel in lacte,vel in vino dulci,ſeu antiquo,ſeu muſto , præcipue cum flatus multiplicare volumus,vel decoctio fiat cum melle, & ſaccharo: in fine decoctionis adde piperis albi,zingiberis,galangæ,an.* ℥ *j. moſchi* ʒ *ß. Miſce, & fiat confectio: qua poteſtis vti tribus, vel quatuor diebus ante coitum, ad quantitatem* ℥ *ß. vel* ℥ *j. non modo ſemel,ſed vel bis in die.* Potus reſpondeat. *Vinum* optimum ſit,cum eſt defectus ſpirituum vel ſanguinis. *Muſtum* flatus multiplicat. Quoad animi accidentia;fugiantur triſtitia:adſint ſpectacula,colloquia,lectiones rerum Venerearum.

Potus.

Capvt XXXV.

De Priapiſmo, vel Satyriaſi.

Nomen.

D PRiapiſmus eſt colis affectus,admodum periculoſus,& moleſtus,cap.vlt.lib.6.de loc.affect.cap.2. lib.2. meth.cap.4.lib.3.de ſymptom.cauſſ.Per priapiſmum autem Galenus intelligit affectum,in quo penis præter volũtatem erectus permanet. Paullus ait,in hoc affectu virgam pati tenſionem inuitam,citra palpitationem:ſi autem cum tenſione adſit etiam palpitatio,tunc vocat Satyriaſin Sed apud Galenum , ſiue ſit palpitatio,ſiue non,modo penis tenſio ſit inuita,dicitur Priapiſmus,vel Satyriaſis. Quidam definiunt, quod ſit erectio virgę inuita: quæ nominis ſaltem declaratio eſt,non definitio,ac ſi diceremus,indumentum eſſe veſtimentum. Priapiſmus igitur eſt actio deprauata facultatis motricis inuitæ colis, dependens a tumore permanente vaporoſo. Forma eſt actio deprauata: quia fit erectio, quæ fieri non deberet: eſtque inuita, & præter voluntatem. Cum autem omne ſymptoma referatur in morbum : hoc refertur in tumorem permanentem colis: per quam particulam diſtinguitur ab eo tumore penis,qui eſt affectus in cõ- E poſitione,in magnitudine aucta,quæ fit tempore coitus:talis enim tumor & erectio non permanet , ſed perit poſt coitum.

Definitio.

Cauſſa efficiens. Arteriarum vitium.

Hic autem tumor non eſt inflammatorius,nec ſcirrhoſus,ſed flatulentus,& vaporoſus,qui pendet a materia vaporoſa. Vapor hic duplex eſſe poteſt : vel Spirituoſus & viuificus, vel Flatulentus,qui in neruo colis detinetur. Crebrius fit priapiſmus a ſpiritu,quam a flatu cap.vltim.lib.6.loc. affect. Fit autem tum a ſpiritu,tum a flatu,ratione horum vel Copiæ,vel Qualitatis. Fit enim Priapiſmus,quando arteriæ ad colem deuenientes,ſecundum ſua orificia aperiuntur,vnde maxima copia ſpiritus procumbit in neruum fiſtularem colis. Ad hanc igitur nimiam apertionem orificiorum,ceu ad vitium principale,reſpiciens Gal. refert priapiſmum in morbum arteriarum. Nos autem ad tumorem eum referimus,reſpicientes ad vitiũ F proximum. Si ergo copioſiores ſunt ſpiritus & ſemen , vt plus iuſto aperiantur orificia arteriarum ; intumeſcit penis: quod accidit iis,qui ſoliti ſunt vti Venere , & poſtea intermiſerunt. Ideo in athletis non eſt periculum de priapiſmo, licet habeant robuſtum corpus ; nec enim generant ſemen copioſum, licet abſtineant a Venere. Sic igitur Priapiſmus a ſpiritibus fit, ratione copiæ. Accidit etiam hoc ratione qualitatis, cum ſemen redditum eſt acre ; vt ratione acrimoniæ & tenuitatis , aperiantur orificia arteriarum, quib. apertis, ſpiritus in illas pariter cõfluunt , & efficere cauſſant priapiſmũ: quod illis accidit,qui patiuntur gonorrhœam, e ſemine acriori,& qui vtuntur acri victus ratione. Fit etiam hoc vitium ratione flatuum aperientium orificia arteriarum & venarum: quibus apertis,erumpunt ſpiritus,vna cũ flatu,vt fiat Priapiſmus. Et hoc dicit Galenus accidiſſe illi,qui non conſuetus erat ſe cingere , & deinde ſe cinxit ; in eo enim flatus multiplicati ſunt,ob aperta arteriarum orificia. Ob has cauſſas tumor fit in priapiſmo ratione G ſpirituum.

Colis vitiũ.

Fit etiam a flatibus,qui generantur in ipſo neruo fiſtulari, & dupliciter generari poſſunt: primo ratione imbecillitatis colis;ſecundo ratione materiæ. Ratione imbecillitatis generantur;cum partis illius calor redditur debilior. Ratione materiæ,ſi ab aucto penis calore attrahatur materia cruda & frigida,quæ neque a fortiori partis calore elaborari poſſit. Vnde flatus non tantum generantur a calore debili, ſed etiam fortiori, quia materia mala reſiſtit calori. Hinc colligit Auicennas hoc vitium fieri in iunioribus, non pueris,nec ſenibus, quando delinquunt in victus ratione:ob id ratione alimenti non poſſunt vndi-

quaque boni flatus generari; ratione autem caloris fortis poteſt fieri tenſio ob nimiam laxitatem partis: A
in ſenibus autem fieri nequit, ob frigiditatem magnam.

Dubia quędam.

Sed oritur dubitatio: cum priapiſmus ſit erectio penis inuita: quomodo Galenus capite vltimo libri ſexti de loc. affect. dixerit, priapiſmum fieri e concepta libidine? Notandum deſiderium libidinis poſſe eſſe nobis Volentibus, & nobis Inuitis. In priapiſmo ergo eſt erectio virgæ, ſine deſiderio libidinis, vel cum deſiderio, nobis tamen inuitis. Dubitatur etiam; quare Galenus dicat priapiſmum eſſe ſymptoma. capite 4. libr. 3. de cauſſ. ſymptomat. capite vltimo lib. 6. loc. affect. contra autem, eſſe tumorem & morbum, cap. 7. & 8. lib. 14. method. Hæc enim contradictio eſſe videtur? Reſponſio. Si priapiſmus conſideretur formaliter, eſt ſymptoma: ſi effectiue, eſt morbus, quatenus hoc ſymptoma dependet a tumore, vt a cauſſa efficiente. Galenus ergo cap. 4. lib. 3. de cauſſ. ſymp. dicit, priapiſmum eſſe ſymptoma, quia loquitur de cauſſis ſymptomatum: at l. 14. meth. conſiderat priapiſmum, vt morbum, quia ibi docet indicationes & artem curatiuam, nullæ autem indicationes proprie ſumuntur a ſymptomate. Alia difficultas eſt: nam c. vlt. l. 6. loc. aff. inquit Galenus, ſe vnum vidiſſe, qui ſit paſſus priapiſmum e flatibus: duos tamen curauit. Reſponſio. Flatus poſſunt dupliciter generari, vel vitio agentis, ob debilem calorem colis; vel vitio materiæ flatulentæ. Si conſiderentur flatus, quatenus producuntur vitio agentis; hic priapiſmus rariſſime fieri poteſt; quia partes cum ſunt frigidæ, non ita facile poſſunt tendi. Si vero flatus generentur ratione materiæ; priapiſmus frequenter fieri poteſt: de quo Galenus loquitur, duos ſe curaſſe dicens.

Differentię

Priapiſmus fit vitio vel Arteriarum, vel Colis. Si vitio arteriarum: fit a ſpiritu, quia orificia vaſorum aperiuntur, ob ſemen vel copioſum, vel acre, vel flatulentum. Si vitio colis fiat; fit ratione flatuum, qui generantur, aut ratione Partis, ob debilem calorem, aut ratione Materiæ. Hinc Paullus dicit, priapiſmum eſſe vitium neceſſario compoſitum, quia ſemper inflatio eſt adiuncta. Præterea eſt vitium vehemens ſecundum quid, non ſimpliciter; ratione partis, habentis conſenſum cum principibus partibus: eſt vitium acutum, & diuturnum, vnde Paullus cucurbitulas admouendas eſſe dicit: non autem eſt diuturnum e propria natura; ſed cum adeſt inflatio; vnde diuturnitas eſt ratione inflationis, non ratione priapiſmi. Præterea eſt vitium particulare & determinatum, ſi conſideretur ratione ſymptomatis: eſt enim actio deprauata colis. erectio inuita: at ſi conſideretur ratione morbi, id eſt, tumoris, non eſt vitium determinatũ, ſed indeterminatum, quia etiam poteſt alias partes occupare.

Signa.

Priapiſmus in genere facile cognoſcitur; quia colis rigidus permanet, citra deſiderium libidinis, neque tumor ita deliteſcit, eſt enim rubicundior. Differentiæ diſtinguentur e c. vlt. l. 6 de loc. affect. Si nulla ſit palpitatio in cole, & maxime lædatur a medicamentis calidis; dicendum, eſſe priapiſmum e vapore confluente. Contra, ſi pendeat a materia flatulenta, quæ genita ſit in cole; aderit palpitatio, & iuuabitur calidis, flatuſque diſſoluentibus. Quod ſi cognoſcatur priapiſmus factus eſſe, ex affluente materia vaporoſa: confluit hæc materia, quia orificia arteriarum aperiuntur, vel ob ſeminis copiam, vel ob eiuſdem acrimoniam, vel ob flatus impetu quodam in illas partes erumpentes. Si ſit e copia ſeminis; præceſſit abſtinentia a coitu; præceſſere cauſſæ & cibi ſemen generantes. Si ſit e ſeminis acrimonia; præceſſere indicia ſeminis acrioris, cibi acres, conditi aromatibus, & quibus ſanguis fuit redditus acrior, & ſic etiam ſemen; prætereą eſt feruor in renibus. Si fiat e flatibus; cognoſcitur, quia homines præter conſuetudinem cincti fuerũt, cuius ligaturæ cauſſa flatus fuerunt detenti; poſtea ſoluto ligamento cum impetu prorumpunt in illas partes, e quo impetu aperiuntur orificia arteriarum, vt flatus illi deueniant in partes colis, & tenſionem faciant. Si vitium pendeat e materia flatulenta, quæ genita fuit in pene; cognoſcitur e palpitatione. Si flatus generatus ſit ob partis debilitatem, nimirum ob colis intemperiem, ſeu calorem debilem, tunc præceſſit pigritia ad coitum. Si autem malum ſit e vitio materiæ, adeſt potius caliditas in pene, ita vt ratione inſignis caloris facta fuerit attractio materiæ, quæ cruda eſt & mala e propria natura, vt neque ab inſigni calore poſſit elaborari.

Alii exiſtimant, cinctura comprimente lumbos cæ fieri.

Indicationes.

Priapiſmus dependet a tumore vaporoſo, cuius ratione periculum inflammationis imminet; ad quam prohibendam, oritur indicatio refrigerandi colem. Quoad vaporem, non conſiderata inflammatione: perpendi debet vapor qui actu eſt in cole, & qui non eſt actu in cole. Ratione vaporis, actu exiſtentis in cole, adeſt indicatio illum abſumendi, & diſſoluendi. Quoad prohibitionem, ne rurſus vapor in cole reperiatur, nullæ ſunt indicationes: quia (vt diximus:) hic vapor vel affluit, vel in cole generatur. Affluit, ob apertionem orificiorum vaſorum, prouidendum igitur, ne orificia magis aperiantur: cum autem apertio procedat a copioſo ſemine; ſemen copioſum genitum, vacuandum per coitum; & ne amplius gignatur in tanta copia, occurrendum cibis, non generantibus ſemen copioſum. Si pendeat a ſemine acri; temporaneum. Si a minimo impetu ſpirituum & flatuum, ille impetus eſt tollendus: ideo partes cinctę & ligatæ ſunt diſſoluendæ. Si generatur flatus in cole, ratione agentis id eſt, caloris debilis; eſt indicatio calefaciendi. Si ratione materiæ, quia tunc concurrit calor auctior; refrigerandum: ratione autem materiæ crudæ, craſſæ, frigidæ; calefaciendum, extenuandum, incidendum.

Prognoſt.

An autem his poſſimus ſatisfacere, colligitur e Galeno, cap. vltim. lib. 6. loc. affect. cap. 7. lib. 14. meth. Licet enim hoc vitium curationem admittat, non tamen eſt ſine periculo. Hinc Aetius inquit eſſe malum maxime periculoſum, cum procedat e copioſo ſemine, quia quandoque fiunt conuulſiones inſignes & ſyncope, refrigerationes partium, tandemque mors.

Curatio. Venæſectio

Ad imminentem phlegmonem arcendum, probatur venæſectio: omnes ſecant venam cubiti non inferiorem. In hoc enim affectu capimus indicationem venæſectionis potius a repletione totius, quam partis affectæ; quia in priapiſmo illo, qui eſt ſine inflammatione, oritur hoc vitiũ a materia vaporoſa, quæ non euacuatur per venæſectionem: ideo venæſectio reſpicit euacuationem totius: vnde eligendus locus, per quem cõmode totum vacuari poteſt: hic autem locus eſt ſuperior, ideoque commode vena cubiti ſecari

A cari potest. Accedit q hoc etiã fit ratione multitudinis sanguinis, pẽdentis a iecore: vnde per venas superiores reuellitur sanguis, & inflammatio imminens tollitur. Si esset inflammatio in pudendo; conueniret venæsectio inferior. Interdum conuenit cucurbitula scarificata, coli admota, non ratione priapismi, sed ratione inflammationis, quæ aliquando priapismo est coniuncta. In tali igitur casu, in declinatione, toto expurgato, potest admoueri cucurbitula: sed est remedium admodum molestum: ideo melius erit vti aliis. Cucurbitula.

Quoad medicamenta communia: improbatur vsus soluẽtium, cum horum ratione fluxiones caussentur, ad partes coli vicinas. c. 9. l. 9. κ. τόπ. c. 8. l. 14. meth. Et sic multo magis improbantur diuretica. Vomitoria maxime conueniunt. In iis autem qui non facile vomunt, vti possumus soluentibus, sed ea sunt leuiora; vt *mel. ros. sol. syr. ros. sol. sena, ad melancholiam, rheũ, ad bilẽ, agaricus, ad pituitam.* Quoad peculiaria: Galen. proponit refrigerantia, calefacientia, & attenuantia. Quidam autem dicunt, non ita libere calidis esse vtendum, quod vim habeant aperiendi orificia arteriarum, vt malum augeatur. Nos pro Galeni defensione dicimus; vtendum esse calidis, sed frigidis admistis. Præterea concedo, si priapismus fiat a vapore confluente, quod non conueniant: attamen non improbantur in priapismo, qui fit e vapore, genito in parte, ratione materiæ; quæ tamen medicamenta calida sint moderate. Si igitur priapismus fiat ratione vaporis confluentis; vtendum refrigerantibus, vt est *oleum omphacinum, & ratione penetrationis additur aliquid aceti, vel aliquid succi polygoni.* His refrigerantibus possumus inhibere phlegmonem, & impetum spirituum, & claudere orificia arteriarum. Sed præter hæc respiciendum ad caussas seminis copiosi, ad acrimoniam seminis, ad impetum spirituum. Vnde Paullus ait, priapismi curam coincidere cum cura gonorrhoeæ: quia ratione seminis copiosi, vtendum est propositis in gonorrhoea e copioso semine. Idem dicendum de acri semine. Ratione spirituum, impetum facientium, oportet resoluere: & pręcipue curare, vt cincturæ laxentur. Ratione vaporis iam influxi in penem, vtendum resoluẽtibus temperatis, quę non excedant primum caliditatis gradum: vnde prodest *fomentum e chamæmelo, sem. lini, foliis maluæ, meliloti.* Flatus proprie dicti, indigerent valentioribus: sed ad spiritus, qui non sunt veri flatus, his propositis vtendum. Si materia genita sit in cole, & quidem vitio agentis; tunc vtendum calefacientibus, excepto principio; occurrendum temperatis, vt *ol ros. completo*, quo inhibeatur inflammatio. Deinde cum calidis & extenuantibus progrediendum: tunc enim non est periculum, vt aperiant magis orificia vasorum, quia in hoc priapismo non sunt aperta: vnde vtendum *oleis chamæmeli, rutæ, lil. alborum, cum aromatibus: & fomentis e chamæmelo, e foliis & baccis lauri, e feniculo, aniso.* Si autem ratione materiæ flatus oriatur in pene: medicamentis totũ respicientibus occurrendum, ne materia gignatur. Ratione materiæ impactæ, vtẽdum calefacientibus, & extenuantibus. Et quia temperies partis calidior est, ideo vtendum moderate refrigerantibus: & in hoc casu vtendum moderatis, vt *fomento e chamæmelo, e malua.* Si maxime vrgeat caliditas partium: moderate refrigerantia adhibenda, secundum Galenum, vt *ol. ros. completum*, nec ascendendum ad lactucam. Medicamentis etiam remisse calefacientibus, extenuanda est ac dissoluenda materia, quia tunc non adest periculum inflammationis: temperatis igitur vtendum, & sensim ad validiora ascendendum, vt *ad rutam, anisum, feniculum.* Hæc sunt medicamenta extrinseca. Intrinsecus conueniunt, proposita in gonorrhoea.

(Marginal notes: Medicamenta. Vacuantia. — B — Alterantia. — C — cap. 57. lib. 3 — D)

E Victus sit tenuis, quia morbus acutus. Modo sit calefaciens & extenuans; modo refrigerans & crassefaciens. Refrigerans quidem, si priapismus sit e spiritu cõfluente, vbi orificia claudenda: item cum pendet a semine acriori. Calefaciens autem, cum pendet a flatu, genito in cole, ob frigiditatem, cum debilitate colis. Tali victu vtendum quamprimum, & post purgationem corporis. De potu idem dicendum: qui modo sit refrigerans & crassefaciens, vt *potus vini austeri*: modo calefaciens, & extenuans, vt *vinum dulce.* Hoc accipiatur de declinatione; nam inter initia a vino abstinendum, cum immineat inflammatio. Diæta.

F I N I S.

PRACTICÆ MEDICINÆ
Liber Quartus.
DE VTERI AFFECTIBVS, SEV, MORBIS MVLIEBRIBVS.

CAPVT PRIMVM.
Vitiorum matricis enumeratio: & primum de Mensibus præter naturam cohibitis.

Diuisio partium corporis humani.

ARTES corporis humani, aliæ conferunt ad conseruationẽ Indiuidui, aliç ad conseruationem Speciei. Quæ ad indiuidui conseruationem conferunt, aliæ conferunt ad Vitam, aliæ ad Bene viuere. Quæ ad vitam, sunt cerebrum, Cor & Iecur. Quæ ad bene viuere, sunt Oculi, Aures, Nares. Quæ ad conseruationem speciei conferunt, sunt Testes & Pudenda: in fœminis est Matrix, seu vterus. Galenus ab init. lib. 14. de vsu part.

Vterus quibus affectibus prehẽdatur.

In præsentia nos de vteri vitiis agemus. Accipitur autem vterus duobus modis: primo, vt est pars viuens, conueniens cum aliis partibus viuentibus: secundo, vt est pars viuens, sed destinata. Si primo modo accipiatur vterus, capitur vt instrumẽtum alicuius facultatis: nam secus non potest esse pars viuens. Vt autem vterus est organum facultatis, potest esse organum similare, vel dissimilare. Quare vterus obnoxius est morbo in intemperie, in soluta vnitate, & in mala compositione: quatenus scilicet consideratur, vt pars viuens, sed indifferens. Si autem secundo modo accipiatur vt pars determinata; secundum hanc rationem respicit conseruationem speciei, non autem indiuidui. Et hoc modo vterus destinatus est purgationi menstruæ, conceptioni, atque partui. Quare loquemur de læsa purgatione, de læsa conceptione, & de læsa parturitione. Quod si vteri functiones lædantur; hoc fit Læsa facultate, vel ob Errorẽ externum. Læsa facultate, propter morbos. Vnde si dixerim de his læsis actionibus, necessarium etiam erit, vt dicam de omnibus morbis vteri. Nam quantum læsam vteri purgationem menstruam attinet: hæc purgatio læditur, vel quia Aufertur, vel quia Imminuitur, vel quia Corrumpitur. Si aufertur; huius ratione dicendum est de suppressis mensibus. Si imminuitur; dicendum de imminutis mensibus. Si deprauatur; bifariam hoc contingit: primo, quia sanguis egreditur: secundo, quia alia materia a sanguine egreditur. Si primo modo; corrumpitur purgatio, vel ratione copiæ, vel ratione modi exeundi. Si ratione copiæ; huius caussa dicemus de profluuio mensium. Si peccatum est penes modum; huius gratia loquemur de stillicidio mẽsium. Si autem corrumpitur purgatio, quia egreditur alia materia a sanguine; agendum erit de coloribus mensium; id est, de profluuio albo vterino. Et hæc vitia sunt læsæ purgationis. Conceptio, vel Aufertur, vel Imminuitur, vel Corrumpitur. Caussa ablatæ conceptionis, loquemur de sterilitate. Caussa imminutæ conceptionis, agemus de tarda & rara conceptione. Merito deprauatæ conceptionis, loquemur de fœtu imbecilli, de mola, de monstro. Parturitio potest Auferri, Imminui aut Corrumpi. Gratia ablatæ parturitionis, loquemur de abortu: Caussa imminutæ, loquemur de tarda parturitione: Caussa corruptæ, de difficultate partus, cum fœtus aliquando editur mortuus, dolore acerbissimo; vel secundinæ relinquuntur. Et hi sunt particulares vteri affectus; quatenus matrix speciei conseruationem spectat: Si vero consideretur ratione indiuidui; communia vitia sunt præfocatio, inflammatio, vlcus, &c. De quibus ordine deinceps loquemur.

Purgationis mẽstruæ vitia. *Cõceptionis vitia.* *Parturitionis vitia.* *Cõmunia.*

De Suppressis mensibus, id est, de Purgatione ablata.

Nomen.

SVppressorum mensium caussa vehementior est; imminutorum minus vehemens. Quare suppressio & imminutio differunt tantum secundum magis & minus. Voco potius menses suppressos, quam suppressionem mensium. Suppressio enim est actio læsa, at menses suppressi, sunt excrementum mutatum. Rectius vitium hoc donatur nomine excrementi, quam actionis: quia excrementum refertur in actionem, & eam sequitur, non contra. Menses ergo præter naturam suppressi nihil aliud sunt, quam excrementum sanguinolentum, cohibitum præter naturam vteri, dependens ab expulsione ablata.

Definitio.

Forma

A Forma, est excrementum sanguinolentum præter naturam cohibitum. Dicitur excrementum; quia in præsentia formaliter sermo est de symptomate; quod non est actio læsa, non qualitas mutata. Est autem symptoma secundum, quod sequitur primum, nimirum actionem læsam. Vnde actio læsa habet rationem caussæ efficiẽtis; symptoma habet rationem effectus, seu operis. Hoc autem opus potest esse duplex: Vel enim egreditur, quod non deberet egredi, & est exiẽs; vel non egreditur, quod deberet egredi, & non est exiens, sed excrementum. Quapropter in definitione dixi esse excrementum, ad differentiam exeuntis. Hoc autem excrementum est sanguinolentũ; ad differentiam alterius excrementi, quod non est sanguinolentum. Dixi præter naturam: ad differentiam excrementi sanguinolenti, quod non egreditur quidem, non est tamen vitiosum, non est symptoma, quia prẹter naturam non detinetur, veluti sanguis men-
B struus, qui non effluit, tempore gestationis fœtus; tempore etiam, quo mulieres lac exhibent: hic, licet detineatur, non est tamen præter naturam, nec est vitium, de quo loquimur. Dixi, præter naturam cohibitum: in hoc enim malo sanguis non semper detinetur in vtero: quandoque in vtero, quandoque in reliquo corpore: quandoque fluit ad vterum, quandoque non: Et, si fluit, quandoque transmittitur in alias partes. Dum ergo dicimus excrementum cohibitum; hæc vox est generica, cuilibet suppressioni sanguinis præter naturam conueniens, siue reperiatur in venis vteri, siue non reperiatur. Vnde ex his facile colligi potest, excrementum sanguinis præter naturam cohibitum, nihil aliud esse, quam corpus quoddam, quod recedit a sanguine menstruo secundum naturam se habente. Tenenda igitur est natura sanguinis menstrui secundum naturam.

Excrementum.

Sanguinolentum.

Præter naturam.

Sanguis menstruus secundum naturam. quid.

Quare sanguis menstruus est excrementum sanguineum, genitum a calore fœminæ, propter spe-
C ciei conseruationem. Dicitur excrementum: quia hic sanguis nec quantitate, nec qualitate prodest fœminæ: nec enim eo nutritur. l. de atra bile. Est ergo quid superuacaneum: vtile tamen, gratia speciei: quia secundum Auicennam tres sunt partes huius sanguinis, duæ benignæ, vna maligna. Altera benigna conuertitur in alimentum fœtus; altera in lac mutatur: maligna detinetur in vtero, ad tempus vsque partus. Caussa efficiens, est calor fœminæ, remissior quam calor maris. c. 5. l. 2. de sem. c. 6. l. 14. de vs. part. Fœmina enim omnis natura frigidior est mare bene constituto: vnde fœmina non potest esse amphidexia, quod cõtingit in corpore robusto, calidiore, cuiusmodi non potest esse fœmina. com. aph. 43. sect. 7. Cur autem calor fœminæ, & non maris, aptus esse possit ad generationem sanguinis menstrui, patet e Galeno, loco citato, & c. 2. l. 3. de causs. puls. nam ad generandum sanguinem excrementitium superfluum, opus est quidem calore generante, non autem dissipante ac dissoluente: talis est remissior, seu mitior; intensus quippe
D dissipat. Quare statutum sit generari hunc sanguinem a calore fœminæ, id est, debiliori. Neque obstat, licet Hippocr. l. de morb. mul. videatur asserere fœminam esse calidiorem mare: vnde & Galen. l. 3. de causs. puls. dicit, fœminis pulsus esse frequentiores. Dicit Hippocrates, fœminas esse calidiores, quia sanguinem habent calidiorem; & esse calidiores viris, quia habent sanguinem calidiorem viris: ita vt sanguis non pẽdeat a caliditate fœminæ: sed contra caliditas fœminæ pendeat a caliditate sanguinis: nec enim dicit Hippocrates; fœminam ideo habere sanguinem calidiorem, quia fœmina est calidior: insinuat enim caliditatem non natiuam, sed ascititiam, pendentem a sanguine calidiore excrementitio ac superfluo. Quia igitur sanguis fœminæ est calidior, & hic magis redundat in fœmina, quã in masculo; iccirco, quoad ascititiam caliditatem fœmina est calidior mare: licet hic calidior sit illa, quoad caliditatem natiuam. Et hac etiam de caussa, pulsus fœminis est frequentior. Caussa finalis generationis sanguinis menstrui, est conser-
E uatio speciei: nam, secundum Auic. aliqua portio sanguinis, vertitur in alimentum fœtus, aliqua portio in lac pro cõseruatione infantis; vnde sanguis iste aliquando per plures menses detinetur in corpore fœminæ, propter conseruationem speciei. Et hoc proposuit Hippocrates, & Gal. aph. 60. sect. 5. c. 5. li. 2. de sem. c. 8. l. 14. vs. p. nisi enim sanguis hic in corpore detineatur tempore gestationis fœtus, impossibile est, fœtũ esse sanum: itemque, nisi detineatur eo tempore, quo fœminæ lactant, infantes maximam faciunt iacturam. Sicut autem hic sanguis confert ad speciei conseruationem: ita est in caussa maximi detrimenti indiuidui fœminæ: quæ sæpius periclitatur, nisi debito tempore sanguis hic collectus egrediatur per vterum: ab ætatis anno 13. vsque ad 50. singulis mensibus, excepto tempore imprægnationis & suctionis lactis. Cur autem hoc tempore effluat, ratio est: quia saluberrimum est, eo tempore hunc sanguinem effluere, quo generatur: non autem generatur ante annum decimumtertium, neque etiam post quinquagesi-
F mum: id quod verum est ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Ante decimum tertium annum non egreditur sanguis, quia venæ sunt angustiores, quæ procedente ætate dilatantur: vt Hippocrates ait, l. de genitura. At vero simpliciter ita acceptum, mihi non satisfacit. Si enim hęc venarum angustia est vnica & sola caussa, quod menses non fluunt, & non potius absentia sanguinis superflui ante decimumtertium annum: cur non puellæ tum temporis maxima incommoda patiuntur? Ratio est euidens, eaq; eadem in qualibet ætate: dum enim adest aliquid superfluum, si diu detineatur, detrimentum affert. Quare dicendum, in hac ætate sanguinem per vterum non excerni, quia non generatur superfluus: ob immodicam enim huius ætatis humiditatem calor hebescit, & non fit vsque adeo aptus ad sanguinem superfluum generandum. Accedit etiam quod fœminæ in hac ætate egent copioso sanguine, non ratione nutritionis, sed ob augmẽtum. Prę-
G terea in hac ætate puellæ in assiduo versantur motu, vt ob vehemens exercitium sanguis genitus dissoluatur. Hæc ergo quia ita se habent, necessario etiam euenit, vt venæ sint angustæ, exiles, & inanitæ, non turgescentes, nec refertæ sanguine, vt postea. Post quinquagesimum annum non fluunt menses: quia tũc calor ita languet, vt cruditates vigeant, & propterea sanguis exsuperare nequeat. lib. 14. vsu part. In mediis ætatibus copiosior generatur sanguis, vnde venæ sunt amplæ: & propterea expedit pro salute fœminæ, vt hoc tempore effluat. Cur autem singulis mensibus effluit hic sanguis? vt Hippocr. ait libr. septim. & octim. partu. Quia non conueniebat assiduo fluere, sed per interualla mediocria. Licet enim sanguis ille se-

Quomodo fœmina dicatur calidior mare.

Vsus menstrui sanguinis.

Cur mẽses effluant ab an. 13. ad 50. c. 1 & 5. lib. 7 histor. animal c. 20 li. 1. de gen. animal.

Cur singulis mẽsibus sanguis hic effluat.

cundum aliquas portiones ſit benignus, ſecundum aliquas tamen eſt ſatis noxius:ideoque diu detineri A
non poteſt,citra noxam fœminæ. Cum ergo fœmina ſtatui quodammodo poſſit paruus mundus; non
fuit abs re,vt ſecundum motus Lunæ,& proinde quolibet menſe ſanguis hic egrederetur. Egreditur au-
tem ſecundum leges naturæ in debita quantitate,& per aliquot dies. Debita menſura,ex Hippocrate,eſt
quantitas ℔j.ß. dies ſunt tres:quamuis fœminæ etiam ſanæ, per pauciores interdum dies purgentur : id
quod contingit pro copia & qualitate ſanguinis : prout enim ſanguis eſt copioſior, ita etiam in maiori
quantitate effluit, & per plures dies: ſic calidior,tenuior,paucioribus diebus effluit;contra frigidior,craſ-
ſior.

Quantum egrediatur ſanguinis menſtrui & quandiu.

Suppreſſi menſes pręter naturā.

Ex his colligitur,tunc menſes eſſe præter naturam ſuppreſſos,quando in fœmina ſanguis non fluit,
ſed detinetur ab anno decimotertio ad quinquageſimum,dummodo non ſit vtero gerens , dummodo B
non lactet infantem.His non exſiſtentibus,ſi ſanguis non effluat;morbificũ eſt,& præter naturam.Qua-
re in definitione,ratione cauſſæ formalis,recte diximus; menſium ſuppreſſionem violentam eſſe excre-
mentum ſanguinis cohibitum præter naturam.

Subiectum.

Subiectum eſt vterus:vnde diximus,eſſe excrementum vteri;ad differentiam ſanguinis,qui per ali-
os ductus effluit,per os,per nares.

Cauſſa efficiens menſium ſuppreſſionem eſt ablata expulſio

Lęſio facultatis expultricis,ob vterimorbos

Quoad cauſſam efficientem,diximus,dependere ab expulſione ablata. Malum hoc, eſt ſymptoma
ſecundum,nimirum excrementum,quod ſequitur primum,nimirũ actionem læſam,id eſt, expulſionem
ablatam. Dum enim menſes ſecundum naturam ſe habent,egreditur hoc excrementum, & proinde ab
expultrice expellitur:contra,ſi præter naturam ſe habent menſes,& cohibeantur,neceſſarium eſt, expul-
tricem fruſtrari,ita vt actio auferatur,quia in præſentia loquimur de mẽſibus e toto ſuppreſſis. Porro læ- C
ditur actio,id eſt,aufertur expulſio,quia fruſtratur expultrix. Fruſtratur expultrix, vel Læſa facultate, vel
ob Errorem externum.Læſio facultatis nil aliud eſt,quam morbus: de quibus morbis loquitur Galenus
com.aph 28.& 57.ſect.5.c.4.l.3.de ſym.cauſſ. Morbi vteri,alii proprii ſunt, qui pro ſubiecto per ſe habent
corpus vteri:alii non Proprii,qui occupant ligamenta,ceruicem vteri,venas & vaſa, quæ potiſſimum ad
collum vteri pertinent.Notandum autem nos in præſentia loqui de qualibet ſuppreſſione menſium vio-
lenta,præter naturam.Multis enim modis fieri poteſt,vt ſanguis non erumpat. Primo,ſi fluit quidem in
vteri regionem,ſed ob impedimentum in vtero,non egreditur,ſed retinetur. Secundo,ſi ſanguis a toto
quidem tranſmittitur in vterum,ſed is ab vtero non recipitur, verum tranſmittitur in alias partes; vnde
egreditur nõ per vterum,ſed interdum per nares,interdum per os,interdum per alias vias. Tertio, ſi non D
fluit,nec tranſmittitur in vterum. De his ergo omnibus menſium ſuppreſſionibus loquemur in genere,
non tantum cauſſa ſanitatis fœminæ,ſed etiam cauſſa conſeruationis ſpeciei : dum enim ſanguis in vterũ
fluit,ſed non euacuatur,eſt in cauſſa,vt morbo corripiatur fœmina:dum vero ſanguis non egreditur per
vterum,ſed per os,vel nares,vel etiam ſi omnino non fluit, licet hoc non afferat fœminæ detrimentum,

Retentio ſanguinis qui in vterum iam influxit.

nocet tamen conſeruationi ſpeciei,quia turbatur conceptio.His ita cõſtitutis,morbus,qui cauſſa eſt ſup-
preſſionis menſium interdum eſt mala compoſitio,vt excludatur ſoluta vnitas,& intemperies; interdum
eſt intemperies.Si enim menſes ſupprimantur,quia ſanguis recipitur quidem in vtero,ſed propter impe-
dimentum non poteſt effluere:tunc locum habet tantum mala compoſitio.Si autem menſes ſuppriman-
tur,quia ſanguis in alias partes tranſmittitur,excipitur quidem ſoluta vnitas,ſed non intemperies: nam ſi
menſes ſupprimantur,quia ſanguis fluens in vterum propter impedimentũ aliquod non egreditur, hoc E
non poteſt prouenire a ſoluta vnitate,quia ſoluta vnitas eſt potius in cauſſa,vt magis effluat ſanguis.Ne-
que etiam intemperies eſt proponenda;nulla enim dyſcraſia immediate,id eſt,citra alium morbum, po-
teſt eſſe in cauſſa,vt ſanguis detineatur.Intemperies autem poteſt eſſe cauſſa alterius morbi , qui morbus
nihil aliud eſt,q̃ mala cõpoſitio,morbus in via,qui in genere poteſt vocari anguſtia.Hęc anguſtia, quate-
nus pertinet ad poros vteri, vocatur denſitas:vt ptinet ad orificia vaſorũ vteri, retinet nomen generis &

Denſitas vteri.

dicitur anguſtia. Dẽſitas fit a frigido : cum frigido autem interdũ iungitur ſiccitas, interdum humiditas,
aliquando neutrum. Denſus fit vterus,ſi cum frigido vel neutrum iungatur,vel humiditas : Durus fit ſi
annectitur ſiccitas. Denſitas eſt morbus in via:durities non eſt morbus,ſed ſymptoma,qualitas mutata,
producta non ab intemperie propoſita tantum , ſed etiam a materia frigida pituitoſa , a materia melan-
cholica.Præterea producitur dẽſitas a cã externa maxime a frigidis medicamentis applicatis, a frigidiore F
aere,dũ pręſertim vterus frigido aeri occurrit tẽpore menſiũ,tẽpore partus:hoc.n.tẽpore vterus facilime

Anguſtia.

patitur. Anguſtia, q̃ cauſſa eſt ſuppreſſorũ menſiũ,multiplex eſt poteſt:nimirũ obſtructio , coaleſcentia,
cõſtipatio,cõpreſſio,& ſubſidẽtia. Obſtructio producitur a materia craſſa,copioſa,viſcida. Coaleſcẽtia fit
poſt vteri vlcera,q̃.dũ ad cicatricẽ perducuntur,fit vt vaſa coaleſcant.Cõſtipatio fieri ſolet ob carnem an-
natam,ob pelliculam ab Aetio propoſitam,q̃ vteri os claudit.Cõpreſſio fieri poteſt a tumorib. vicinarum
partiũ, & ab omento pinguiori reddito.Subſidẽtia euenit,quoties vterus loco mouetur,ſiue diſtorquea-
tur ad latera,ſiue occultetur ſub rectũ inteſtinũ.Hi ſunt morbi,ob quos ſupprimuntur menſes,eo ꝙ ſan-

Si ſanguis ad alias partes propellatur ab vtero.

guis influxus detinetur in vtero,& non poteſt expelli. Sequuntur morbi, vi quorum ſanguis per vterum
non egreditur,non quia detinetur in vtero,ſed quia ab vtero in alias regiones expellitur: vnde interdum
contingit ſputum ſanguinis,interdum fluxus narium,interdum quippiam aliud. Proinde e Galeno c. 4. G
lib.3.de ſympt.cauſſ.& com.aphor. 57.ſect. 5. hic morbus nihil aliud eſt, quam robur vaſorum vteri. Hoc
autem robur,eſt morbus,quia ratione huius læditur expultrix: ergo eſt noxium robur. Hic autem mor-
bus nil aliud eſt, quam intemperies calida & ſicca : quia dum frigida & humida matrix euadit, redditur
impotens ad expellendum ; potens autem & robuſta euadit pars per caliditatem & ſiccitatem. Hoc ro-

Error externus.

bur,hic morbus calidus & ſiccus vteri,eſt naturalis,vel aſcititius. Hæc de læſione facultatis. Error exter-
nus nihil aliud eſt quam ſanguis. Huius vitium varium.In quantitate enim vel Deficit,vel Exſuperat.
Deficit.

A Deficit propter febres, & diuturnos morbos, propter inediam, insignes motus, exercitia insignia: vnde, quia menses non erumpunt, fœmina concipere nequit. Exsuperat sanguis ob copiosos cibos, ob otium, & reliquas caussas, quæ possunt plethoram gignere. In qualitate peccat sanguis, dum est frigidior, viscidior, crassior. Secundum motum peccat sanguis, dum impetum habet non in vterum, sed in alias partes.

Differentiæ.

Differentiæ sumuntur a Forma, & caussa Efficiente. Idem enim semper est subiectum, seu locus affectus, id est, vterus. In definitione diximus, menses suppressos esse sanguineum excrementum, cohibitum præter naturam. Cohibitum est, vel quia Non detinetur in vtero, vel quia Detinetur. Quoad caussam efficientem: expultrix frustratur vel Læsa facultate, vel ob Errorem externum. Et, si læsa facultate: ob B morbum, qui est vel densitas, vel obstructio, vel coalescentia, vel constipatio, vel compressio, vel subsidentia: vel morbus calidus, vel frigidus. Si ob errorem externum; hic est sanguis, qui peccat qualitate, quantitate, vel motu.

Signa.

Signa differentiarũ a forma.

Vitium hoc in genere facile cognoscitur: dum scilicet intra decimumtertium & quinquagesimum annum, menses non apparent: nec conceptionis assunt indicia. Quoad differentias a forma: intelligendum, num sanguis cohibeatur, vel quia retinetur, vel quia non retinetur. Si non retineatur, non est dolor in vtero, non sunt symptomata vterum affligentia: sed potius adest vel fluxus sanguinis narium, vel sputum sanguinis: vnde non apparent menses, quia sanguis cohibetur: ita tamen vt non retineatur in vtero. Si in vtero retineatur, ex Hippoc. de morb. mul. & l. de natura pueri, indicatur e dolore in imo ventre, e dolore in lumbis: ratio est, quia sanguis hic retentus continuum soluit, & proinde dolorem efficit. Vnde C ex Hippoc. l. cap. non fit dolor, quamuis tempore gestationis fœtus & imprægnationis sanguis detineatur in vtero: quoniam sanguis, qui tempore gestationis fœtus in vtero detinetur, non soluit continuum: dum autem præter naturam supprimuntur menses, sanguis soluit continuum. Ratio est: nam tempore, quo fœtus in vtero detinetur, & tempore quo fœtus lactatur, sanguis confluit in vterum citra impetum, quia assiduo fluit, singulis horis, sed paullatim, ac sensim, citra violentiam: vnde continuum non soluitur. At, dum supprimuntur menses præter naturam non influit assiduo, sed in corpore generatur, aceruatur, & tempore mensium a natura confertim & cum impetu in vterum impellitur, vt ob hanc violentiam soluatur vnitas, & tunc oboriatur dolor. Præterea indicatur e febre, ex horrore: dum enim sanguis præter naturam detinetur, excrementitius est, non regitur, sed putrescit, com. aphor. 61. sect. 5. vnde oboriuntur febres, & quandoque a natura ad extimas & sensitiuas partes materia protruditur, vt subsequantur horro- D res: quæ sane non eueniunt, dum sanguis non retinetur, & per os, naresue effluit. Indicatur etiam e delirio, vt Hippoc. tradit lib. de morb. mul. nam dum sanguis præter naturam detinetur, fiunt euaporationes in caput: vnde deliria, eaque diuersa, pro discrimine sanguinis qui detinetur: talis enim vapor, qualis minera. Indicatur etiam e lacte: si enim mulier, quæ nec peperit, nec vtero gerit, lac habet, indicium est mensium suppressorum: aph. 39. sect. 5. Generatur autem lac in mensium suppressione, quia sanguis fluens in vterum, cum non possit expelli, in vtero detinetur, & secundũ aliquam sui partem potest d duci in mammas, per venas mammarias, communes vtero cum mammis. Quod si sanguis etiam fluat ad mammas, per venas proprias mammarum, non per communes: conuertitur in alimentum mammarum, vel, si exsuperet, non mutatur in lac, sed oboritur tumor, inflammatio. Generatur autem lac in mammis a proprietate mammarum, e sanguine aliquãtisper elaborato in venis vteri & mammarum communibus: nam in his E venis (ad differentiam propriarum venarum) est proprietas, beneficio cuius sanguis potest a mammis in lac conuerti. Sicut enim chylus præparatur in venis mesaraicis: & spiritus animalis in plexu retiformi: ita lac in venis mammariis. Quare si non sint signa gestationis vteri, & mulier non peperit: tunc lactis præsentia indicat mensium suppressionem. Quoad sanguinem, vt detinetur propter morbos; & proinde, quoad cognitionem differentiarum, quæ capiuntur a caussa efficiente: primum cognoscere oportet, an frustretur expultrix læsa facultate, vel ob errorem externum: id quod cognoscitur e præsentia, vel absentia vnius aut alterius, verbi gratia, si fuerint signa erroris externi, non fit a morbo: contra, si non sint erroris externi indicia. Oportet autem scire signa cuiuslibet caussæ efficientis. Dẽsitas cognoscitur, quia prægressæ sunt caussæ refrigerantes, exposita fuit mulier frigidiori aeri. Obstructio cognoscitur e signis indicantibus sanguinem crassum, viscidum. Coalescentia deprehenditur, quia necessario prægressum est vl- F cus. Compressio cognoscitur, quia vel assunt tumores vicinarum partium (quorum propria sunt signa) vel omentum est redditum pinguius, vt in admodum obesis. Constipationem obstetrices cognoscunt, siue sit caruncula, siue pelliculæ. Subsidentia facile cognoscitur: siue enim ad latera, siue sub intestinum rectum reuoluatur vterus, præter id quod fœminæ præsentiunt, obstetrices etiam facile obseruant. Quoad robur, id est, morbum calidum & siccum: cognoscitur, quia fœminæ quodammodo sunt viriles, habẽt vocem grauiorem, sunt calidiores, hirsutæ, caliditas circa vterum persentitur, pars illa facile excandescit. Errorem etiam externum facile possumus cognoscere; siue sanguis peccet copia, siue qualitate, siue motu. Si enim copia peccet, v.g. si deficiat: mulier est emaciata, prægressi sunt, vel etiam assunt morbi, vt febris quartana: vi quorum morborum sanguis necessario deficit. Contraria apparent, si sanguis exsuperet. De qualitate, dictum alias. Quoad motum, an confluat in hanc vel illam partem, noscitur e signis propriis.

Signa differentiarũ a caussa efficiente.

Morborũ signa.

Indicationes.

Morbi quid indicent.

G Præsidia vtilia sumuntur a caussa efficiente, & a loco affecto. Caussa efficiens est frustratio expultricis; quæ potest frustrari ob morbum, & ob errorem externum. Morbus multiplex esse potest, nimirũ densitas, obstructio, coalescentia, constipatio, compressio, subsidentia, & robur. Densitas, cum quodammodo pendeat a caussa refrigerante, ob id indicat præsidium calefaciens. Et, si cum densitate coniuncta sit durities; erit indicatio non modo calefaciendi, sed etiam humectandi, emolliendi. Obstructio nõ indicat vtile: vtilis autem indicatio sumitur a caussa, id est, a materia, quæ vt copiosa, indicat imminuens, vt crassa, attenuans, vt viscida, detergens. Coalescentia nihil aliud indicat, quam remediũ siccans, dissipans illã cicatri-

cem. Conſtipatio, cum fiat vel a carne, vel a pellicula; indicat remedium exſtirpans carnem, pelliculam ſeu A
membranam. Compreſſio ſi fiat a tumore: quid indicet tumor patet e doctrina de tumore ventriculi: Si
fuerit pinguedo; indicat exſiccans. Subſidentia indicat remedium, quod reſtituat vterum in propriam ſe-

Error externus quid indicet.

dem. Robur in viragine, indicat humectans & relaxans. Error externus eſt ſanguis: hic copia peccans, ſi
exſuperat, indicat minuens; ſi deficiat, addens. Si peccat qualitate; ſanguis frigidior indicat calefaciens:

Locus affectus quid indicet.

craſſior attenuans, &c. Si peccat motu: indicat reuellens, retrahens ad partes inferiores. Quoad locum af-
fectum: præſidia ſumuntur a proportione vteri, a calore vteri, & quandoque a ſenſu vteri. Proportio ſer-
uanda eſt, pro conſeruatione partim indiuidui, ſcilicet fœminæ: partim, & potiſſimum ſpeciei: vnde re-
quiritur interdum præſidium, quod a proprietate, & qualitate recondita ſuffragatur vtero. A calore in-
dicatur remedium calorificum, conſeruans calidum. Calor quidem conſeruatur a calido, & ab aſtringen- B
te, cuius vi calor non diſſoluitur, ſed vnitur: ventriculi calor, indicat remedium aſtringens: at calor vteri,
potius calidum indicat, quia purgatio, ſeu fluxus ſanguinis menſtrui aſtringentibus prohiberetur. Sen-
ſus vteri interdum exquiſitus eſt, vt non poſſit perferre medicamenta acria: & ſic vterus indicat mitigans.
Hoc mitigans remedium, eſt præſeruatorium: vterinum & calorificum, ſunt remedia vitalia.

Prognoſt.

Prognoſt. differentiarum a forma.

Malum hoc in genere non eſt deſpiciendum: nam quamuis interdum non obſit fœminæ, detri-
mentum tamen affert conſeruationi ſpeciei, quia turbatur conceptio. Quoad formam; hæc eſt excre-
mentum ſanguineum præter naturam cohibitum: idque vel quia non detinetur in vero, vel quia detine-
tur. Malignius autem & periculoſius eſt illud excrementum, quod retinetur in puerperio, tempote fœ-
tus, vt ait Gal. con. 73. ſect. 3. l. 3. epid. ratio eſt: quia tempore geſtationis vteri, benignior portio ſanguinis
vertitur in alimentum fœtus, aliqua portio etiam benigna demittitur in mammas, & conuertitur in lac: C
peſſima illa portio remanet in vtero, & relinquitur, vt tempore partus expurgetur. Si ergo detineatur;
peſſima eſt retentio, & pene deleteria; quæ retenta purgatio ſæpius fœminas interficit. Menſtrua autem
purgatio minoris eſt diſcriminis, ſi cohibetur quidem, ſed non ſuſcipitur. Et hoc proponit Hippoc. aph.
33. ſect. 5. inquiens, in ſuppreſſione mēſium, fluxum ſanguinis narium bonum eſſe: ratio eſt, quia ſanguis,
quamuis non egrediatur per vterum, non retinetur tamen in vtero, ſed per nares egreditur: & id non ſim-
pliciter eſt bonum, ſed ratione fœminæ: non autem ratione conceptionis; quia niſi recte fluant menſes,
aboletur conceptio. At ſi ſanguis ſupprimatur, ita vt in vtero ſuſcipiatur: tunc hæc ſuppreſſio eſt multo
peior, quam dum ſupprimitur, non tamen ſuſcipitur. Si enim ſanguis intus retentus ſupprimitur, peius
eſt; quoniam ſuccedunt vitia, vel ſecundum vterum, vel ſecundum totum corpus, vel ſecundum viſcera.
Declaro, ex aph. 57. ſect. 5. & ca. 5. l. 6. loc. aff. Dum ſupprimuntur menſes, & materia detinetur: progreſſu D
temporis materia tumorem efficit, vt & circa ilia tumores obſeruentur, quia detinetur materia. Totum
etiam quandoque afficitur, cum Galen. com. 1. ſect. 1. l. 6. Epid. ca. 9. l. 4. de præſag. e pulſ. nam vi huius ſup-
preſſionis corpora febre afficiuntur: quandoque etiam hydrope, morbo valde periculoſo. Præterea et-
iam viſcera afficiuntur, dum detinetur hic ſanguis, ſi enim petat mammas, ſuccedit furor, & læditur pars
princeps, nimirum cerebrum, aph. 40. ſect. 5. quod non ſemper, ſed quandoque contingit; imo raro id ac-
cidit, ſecundum Gal. in com. quia ſanguis ſuppreſſus eſt admodū feruens, vt nō poſſit regi a calore mam-
marum, & non poſſit in lac conuerti; quo fit, vt ſanguis hic feruens euaporet in caput & furorem efficiat.
Ex his conſtat quid prædicendum ſit merito differentiarum, quæ capiuntur a forma. Conſiderari etiam
debet ſubiectum, vterus. Si enim fœmina non peperit, deterior eſt menſium ſuppreſſio, quam ſi peperit. l. E
1. de morb. mul. nam vterus in fœmina quæ nondum peperit, non eſt ita ſolitus impleri; quare, ſi repleatur
ob ſanguinem menſtruum, eo magis affligitur. Contra, ſi mulier peperit, quia ſolitus eſt vterus impleri,
non ita afficitur. Quare, quod proponitur ab Hippoc. de prognoſtico, referendum eſt ad vterum, ad lo-

Prognoſt. differentiarum ab efficiente cauſſa.

cum affectum. Cauſſa efficiens, eſt morbus, vel error externus. Ceteris paribus, deterior eſt affectio, ſi fiat
ratione morbi; ſed non ſemper: nam ſi v.g. contingat vt ſupprimantur menſes ob defectum ſanguinis,
qui deficiat ob febrem hecticam, ob phthiſin; nulla eſt ſpes ſalutis, quamuis hæc ſuppreſſio fiat ob erro-
rem externum. Quoad morbos: hi poſſunt eſſe natiui, vel aſcititii, c. vlt. l. 3. ſympt. cauſ. Ceteris paribus, pe-
ior eſt ſuppreſſio, quæ procedit a morbo natiuo. Sed præterea cum morbus poſſit eſſe multiplex: quoad
denſitatem, non eſt impoſſibile hanc remouere, licet enim calefacere: verum difficilius euadit negotium,
ſi cum denſitate coniuncta eſt durities. Quoad obſtructionem, facilius remouetur malum, ſi fiat a mate- F
ria copioſa, quam ſi a craſſa, aut viſcida. Quoad coaleſcentiam, impoſſibilis eſt curatio: non poſſunt deleri
cicatrices. Quoad conſtipationem; curari poteſt: nam & caro adiecta, & pellicula poteſt abſcindi. Quoad
compreſſionem; ſi fiat a tumore; pro diſcrimine tumoris varium eſt prognoſticum, vt diximus in doctri-
na de tumore ventriculi. Si procedat a pinguedine; poteſtis præſentem pinguedinem facile abſumere.
Sed ſi a principiis generationis ortum habuerit pinguedo; ſæpe huiuſmodi fœminæ ſteriles permanent,
quia menſes ſupprimuntur. Quoad ſubſidentiam, poteſt vterus in priſtinam ſedem reduci: niſi for-
te malum originem ducat a fractis vinculis, quia tunc actum eſt. Si fuerit robur: curari poteſt: quia
non eſt impoſſibile refrigerare & humectare, & imminuere robur illud conceptioni infenſum. Hip-
pocrat. lib. 1. de morb. mul. ait, ſi menſium ſuppreſſio perſeueret per ſex menſes, & non remoueatur ante
ſextum menſem; non eſſe poſſibile, vt fœminæ reſtituantur. Sed refragatur experientia, & Gal. com. 29. G
ſect. 3. l. 6. epid. Reſponſio: Hippocrates loquitur de fœmina quæ patitur delirium, anxietates, obmute-
ſcentiam, aut defectum inſignem, ſitim, & alia id genus ſæua ſymptomata: fieri enim tunc non poteſt, vt
malum hoc vltra ſex menſes producatur, quia nō poſſunt adeo ſæua ſymptomata tolerari. Si autem men-
ſes ſupprimantur, neque hæc ſymptomata fiant, menſium ſuppreſſio, perdurans vltra ſex menſes, poteſt
tamē amoueri. Quod de morbo dictū eſt, idem de errore externo dicendū. ſi enim v.g. menſes ſupriman-
tur ob copioſum ſanguinē, non eſt difficile, maior eſt difficultas ob defectū, ob qualitatem, ob impetum.

Gale-

Curatio. Venæſectio. Galenus loc. citato gloriatur ſe curaſſe mulierem illam venæſectione: cui, licet emaciatæ, venæ tamen fuerunt repletæ: ideo Gal. venam ſecuit, & ſanguinem eduxit vltra ℔.iij. nam dum hoc malum nõ fit e defectu ſanguinis, ſed ex redundantia, vena eſt ſecanda, quia ſanguis in hoc caſu habet rationem vehementis: nam licet quandoque nõ noceat mulieri, habet tamen rationem vehementis, quia prohibet conceptionem. *Vſus. Quoad quantum agendum*: ſi redundet ſanguis ad ℔.iij. eſt etiam rationi conſentaneum, vt in hac quantitate educatur. Sed Gal. l. c. euacuat ſanguinem ſecundum hanc rationem, vt tribus vicib. ſanguinem educat: prima vice ℔ j.ß. ſecunda ℔ j. tertia ℥ viij. Hic Gal. inſinuat rectam adminiſtrationem ſectionis venæ, penes quantitatem: vult enim Gal. ſecandam eſſe venam non vnica vice, ſed plurib. quia **B** ſanguis ille in fœmina redundans, non erat ſummæ actionis, quia actu non efficiebat morbum, ſed poterat efficere, & præſertim in fœmina emaciata, in qua vires quidem erant validæ ſecundum ſolida, non tamen ſecundum carnoſum genus. Tutius ergo erat vacuationem partiri, & ratione virtutis, & potiſſimum ratione ſanguinis, quia actio non erat ſumma. *Quomodo.* Foramen non fiat anguſtum, quia ſanguis menſtruus eſt craſſus, vt difficulter egrediatur per foramen anguſtum. Et hoc de modo. *Quoad tempus*: in ſuppreſſione menſium, Medici fere omnes hoc obſeruant, vt venam aperiant prope tempus menſium, per 3. aut 4. dies ante tempus mẽſium. Galenus interdum venam aperit indifferenter quolibet tempore, interdum per 3. aut 4. dies ante menſes. c. 11. & 18. l. de cura. per venæſectionem. Medici etiam per 10. aut 15. dies ante tempus menſium ſecant venam brachii. Quare ſciendum, quando agendum ſumi a præſentia indicantis, id eſt, a ſanguine. In ſuppreſſione menſiũ adeſt præſentia indicantis, & prope tempus menſium, & **C** procul ab eo. Dum menſes ſupprimuntur; ſanguis in corpore redundat omni tempore. Cur igitur vena inferior ſecatur prope tempus menſiũ; vena ſuperior alio tempore? Reſp. Sanguis in hoc malo dupliciter a medicis perpenditur: primo, vt quieſcit: ſecundo, vt mouetur. Quieſcit, procul a tempore ſtatuto mẽſium: mouetur autem prope tempus menſiũ. Licet igitur ſemper aſſit pręſentia ſanguinis: tamen ſanguinis pręſentia, vt conſequitur ſanguinis eſſentiã vt mouetur; hæc præſentia nõ eſt ſemper, ſed locum habet prope tempus menſiũ, quia eo tempore mouetur ſanguis: at ſanguinis præſentia, vt conſequitur eſſentiam ſanguinis quieſcentis: hæc præſentia locum habet, non in imminentib. menſibus, ſed procul a tempore menſium. Galenus ergo reſpiciens ad præſentiam motus, id eſt, ad ſanguinem, quatenus mouetur; ſecat venam per 3. aut 4. dies ante tempus menſium, quia tunc ſanguis agitari incipit: &, ſi negligentia, vel inſcitia medici non fuerit vena ſecta per 3. aut 4. dies ante menſes, licet etiam eo tempore, quo menſes incipiunt, **D** venam ſecare: potius tamen ſecundum Galenum, ante menſiũ tempus vena aperienda. Gal. etiam c. 5. l. 9. meth. eo tempore quo menſes diminute fluunt, venam aperit: quia tum adeſt præſentia ſanguinis, vt mouetur. Nec ꝓpterea improbandi ſunt practicãtes, dum venas alio etiam tempore aperiunt: quia adeſt pręſentia ſanguinis quieſcentis. *Quoad vbi agendũ.* Gal. c. 11. l. 13. meth. & c. 11. ac 18. l. de cur. per venęſectionem probat ſectionem venæ infernæ. Aetius ſecat venam nõ modo pedis, ſed etiam brachii. Vbi agendum, indicatur a ſubſiſtentia ſanguinis, quæ duplex eſt in ſuppreſſione menſium: alia conſequitur eſſentiam ſanguinis vt mouetur, alia vt quieſcit. Si reſpiciamus ad ſubſiſtentiã ſanguinis qui mouetur: venæ infernæ ſecãdæ ſunt: & huc auctores illi reſpexerunt: ſecant enim venam vel tempore menſiũ, vel ꝓpe menſes: vnde patet eos tũc loqui de venæſectione, vt reſpicit ſanguinem qui mouetur. Si vero reſpiciamus ad ſanguinis ſubſiſtentiã, vt cõſequitur ſanguinẽ quieſcentẽ, ſanguis quieſcit ſupra iecur in toto corpore, ideoq; ad va- **E** cuandũ ſanguinem ſuperfluũ quieſcentẽ, vena brachii ſecanda, per q̃ promte & facile ſanguis euacuatur.

Cucurbitulæ primũ ſcarificatæ. Quoad Cucurbitulas, & primum ſcarificatas, Galen. c. 18. l. de cur. per venæſectionem, inquit, aduertendum eſſe, an mulieres ſint vel nigræ, & graciles, vel albæ & carnoſæ. Si enim nigræ ſint & graciles, venem eſſe ſecandam, ſi albæ & carnoſæ, cucurbitulas ſcarificatas eſſe applicandas. Venæſectio eſt materia remedii vehementis, vacuantis ſanguinem quemcunque, id eſt, craſſum & tenuem. Cucurbitulæ autem ſcarificatę ſunt materia remedii debilis, vacuantis ſanguinẽ potiſſimum tenuem. His ita poſitis, ſi fœmina nigra & gracilis patiatur menſium ſuppreſſionẽ, probatur venæſectio, & interdum cucurbitulæ ſcarificatæ: ſi autem fœmina alba & carnoſa, non probatur venæſectio, ſed ſolum cucurbitulæ ſcarificatæ. In nigra enim fœmina redundat ſanguis craſſus, qui poteſt per venam ſectam euacuari: adeſt indicatio, nihil eſt ꝙ prohibet: vnde Galenus recte probat venæſectionẽ. Si tamen cõtingat nigram fœminam eſſe debilem, vt **F** venæſectio ob virtutis imbecillitatem ꝓhibeatur; licet cucurbitulas ſcarificatas applicare. Neque hoc aduerſatur Galeno: is enim in nigra ꝓbat venæſectionem ſeruatis ſeruandis, id eſt dum non aſſunt ꝓhibentia, nimirum virtutis debilitas. Si ſanguis ſupprimitur in fœminis albis, indicat ſui vacuationem: virtus etiam poteſt eſſe robuſta: nec. n. fœmina alba ſemper eſt ita debilis, vt prohibeat venæſectionem, præſertim quia fœmina alba, aliis morbis laborans, ſuſtinet venæſectionem brachii, in qua virtus magis robuſta requiritur, q̃ in ſectione venæ pedum. Quod ſi ergo virtus poteſt eſſe robuſta, cur Galen. venæſectionẽ improbat? Hoc propoſuit Galenus quia cognouit adeſſe indicans, ſed præterea etiam adeſſe ꝓhibens, ꝙ eſt, nõ quidem virtus totius, quæ robuſta eſſe poteſt, ſed exilitas venarum: in alba. n. fœmina, venæ ſunt anguſtæ, latentes & ꝓfundæ, præſertim ſecundum crura: vnde vena aperiri non poteſt. Sic etiam Gale. loquens de ſectione venarũ cubiti, in affectib. iecoris, dicit ſecandam eſſe baſilicã, dummodo appareat, at ſi nõ ap- **G** pareat, ſecandã eſſe mediam. Sic etiã cum in fœmina alba & carnoſa vena ſit anguſta & recondita; iure cucurbitulę potius applicantur. Quoad *modũ* adminiſtrationis: Si mulier nigra & gracilis, in qua venæ appareant, ſit imbecillis, vt ꝓhibeatur venæſectio: huius loco cucurbitę ſcarificatę adhibẽdæ: & cũ in ea fœmina exſuperet ſanguis craſſus, cuius paſſio eſt difficilis, & ſumma reſiſtentia: ab hac difficili paſſione indicatũ modus, beneficio cuius craſſus etiã ſanguis egrediatur: ꝙ cõſequi poſſumus, ſi ante appoſitionẽ cucurbitulę fomẽtis per tẽpus aliꝗ partem foueamus, ſpõgia madefacta in aqua calida moderate, & expreſſa: ſic. n. *Cucurbitulæ ſiccæ.* funditũ ſanguis, vt facilius egrediatur. Cucurbitulę nõ ſcarificatæ in ſuppreſſione menſiũ ꝓponũtur a Gal.

c.19.l.13.meth.vbi ait,cucurbitulas non ſcarificatas,eſſe applicandas cum magna flamma pubi & inguini- A
bus, poſt corporis inanitionem. Proponit Galenus rectam adminiſtrationem harum cucurbitularum,
penes *quantum, quando & vbi.* Ob difficilem enim paſſionem ſanguinis ſuppreſſi,applicantur cum co-
pioſa flamma.Et quidem poſt corporis inanitionem;quia materia replens totum, ſui præſentia prohibet
adminiſtrationem cucurbitularum. Locus indicatur a ſanguinis ſubſiſtentia:ideoque,ſiue in alias partes
ſanguis moueatur,ſiue in vterum impetum habeat,ſed imbecillum : inguinibus ac pubi applicandæ ſunt
cucurbitulæ,tanquam materia remedii vel adiuuantis,vel reuellentis:adiuuantis, dum ſanguis in vterum
fluit,ſed motus eſt imbecillus,qui adiuuandus eſt:reuellentis, cum tempore menſium ſanguis non fertur
ad vterum,ſed in ſuperiores partes mouetur.

Hæmorrhoides. Quoad hæmorrhoides:oportet cognoſcere,num liceat applicare hirudines hæmorrhoidibus. Hi- B
rudines igitur appoſitæ hæmorrhoidibus,ſunt materia remedii deriuatorii,id eſt,euacuantis ſanguinem,
qui reſidet circa vteri regionem : non tamen hic ſanguis eſt impactus, alias materiæ deriuanti non cede-
ret.Hæc ergo cum ſit natura hirudinum:dubitatur num earum tutus ſit vſus. Galen.enim c.8.lib.de præ-
cognit.vbi proponit hiſtoriam vxoris Boethi,quæ muliebre profluuium patiebatur, probat materias de-
riuantes,euacuationem per lotium,per ſedem,& proponit etiam euacuationem per hæmorrhoides. Hic
loquitur Galen.non de profluuio ſanguinis menſtrui,ſed de profluuio muliebri, id eſt, humoris non ſan-
guinei. Quare in menſium ſuppreſſione non poteſt probari materia deriuans: magis enim menſes ſup-
primerentur:ſi enim materia deriuans remoratur fluxum menſium, ergo non conuenit in ſuppreſſione.
At Hippoc.aph.33.ſect.5.ait in ſuppreſſione menſium,ſi ſanguis fluat e naribus,bonum:& Galen.in com. C
ait,non tantum bonum eſſe ſanguinis euacuationem per nares, ſed etiam per aluum, & proinde per hæ-
morrhoides.Ergo hirudines probari videntur. Ego huius ſum ſententiæ, dum menſes ſunt ſuppreſſi,&
præſertim eo tempore quo menſes fluere deberent, nequaquam hirudinibus dari locum; potius enim
per deriuationem prohiberetur fluxus, quam adiuuaretur. Notandum igitur,ſi reſpiciamus ad conce-
ptionem & conſeruationem ſpeciei,ad quam ordinatus menſium fluxus requiritur: non probari hirudi-
nes.Et huc reſpexit Galenus:volens enim vxorem Boethi fœcundam reddere,vſus eſt remediis deriuan-
tibus,ad adimendum illud muliebre profluuium, quod erat in cauſſa ſterilitatis. Si reſpiciamus ſalutem
fœminæ,non conceptionem:expedit vt applicentur hirudines, vt ſanguis euacuetur; ſicut enim prodeſt
fœminæ,vt ſanguis educatur per nares,ita etiam prodeſt, vt per hæmorrhoides euacuetur, ſi per vterum
fieri nequeat.

Medicamenta. Sequitur materia medicinalis:quæ reſpicit Locum affectum,& Cauſſam efficientem. De medica- D
mentis locum affectum reſpicientibus,agemus in ſermone de læſa conceptione.Cauſſa efficiens,eſt Mor-
bus,vel Error externus. Non agemus hic de medicamentis remouentibus morbos: ſiue enim ſit intem-
peries,ſiue tumor,&c. medicamenta peti poſſunt e doctrina affectuum ventriculi. Error autem exter-
nus, licet multiplex eſſe queat, nos tamen loquemur de medicamentis quæ reſpiciunt ſanguinem, vt
eſt craſſior,viſcidior,immobilis, & ſic loquemur de medicamentis prouocantibus menſes. Quia autem
nõ tuto licet vti prouocantibus menſes,niſi corpus expurgetur; ob id quædam monebimus circa lenien-
tia & purgantia.De præparantibus enim ſæpe alias dictum fuit.

I. Lenientia. Quoad lenientia,Gal.c.18.l. de euacuatione per venæſectionem, & c.3.l.8.κ.τόπ.potiſſimum probat
ſpecies hieræ ſimplicis : quia non modo habent vim leniendi aluum, expurgandi primas ſuperfluitates,ra- E
tione aloes,ſed etiam prouocandi menſes, ratione aromatum. Quare interdum exhibitione ſpecierum
hieræ & aluus lubrica redditur,& ſanguis etiam per vterum effluit.Quoad *quando agendum*, Galenus ex-
hibet hieram ilico poſt balneum,& eo tempore, quo fœminæ virtute balnei caliditatem percipiunt. Ne
tamen fœmina ſit repleta:quia tunc vi balnei vteri partes laxæ euadent, vteruſque replebitur,& ſuccedet
inflammatio. Hieræ igitur ſpecies eo tempore probantur, quo adeſt præſentia indicantis,& nil prohibet:
ſanguis ſuppreſſus,indicat:repletio totius prohibet.Quare totum prius expurgandum. Ergo inter initia
ad leniendam aluum detur hiera,prætermiſſo balneo:corpore autem expurgato, licet vti ſpeciebus hieræ
ilico poſt balneum.

II. Purgantia. Quoad ſoluentia:practici proponunt *magnas hieras,vt Hermetis, Archigenis, Logadii,Ruſi*:quibus
tamen non indifferenter vtendum.Si enim in corpore fœminæ exſuperat non tantum pituita, ſed etiam F
bilis flaua,vel atra,licet vti omnibus hieris propoſitis,excepta hiera Ruſi, præſertim ſola,quæ probatur in
ſucco pituitoſo: priores enim hieræ non modo recipiunt *colocynthidem, ſed etiam veratrum nigrum, &
ſcammonium*,& propterea his vtendum, dum omnes ſucci exſuperant: efficaciſſima eſt hiera Hermetis,
quæ colocynthidem,helleborum,& ſcammonium in maiori quantitate ſuſcipit.Hiera Ruſi,ſeu diacolo-
cynthidos,probatur dum ſola pituita exſuperat.Quoad *rectam adminiſtrationem*, & primum quoad *quã-
tum agendum*,ſumma doſis,ſecundum Aet.cap.111.l.3.eſt ℥ ß.minima ℥ j.Paullus c. 71.l.3. monet ſummam
doſin eſſe ʒ ij.minimam ℥ j.ß. Vt autem pateat,quinam auctor ſit imitandus:ſciendũ medicamentorũ do-
ſin eſſe ſummam,mediam,& minimam,pro varia conditione actionis principaliter indicantis,id eſt,ſucci
peccantis: ſumma enim actio indicat ſummam doſin. Sed hoc modo non dirimitur lis inter Paullum &
Aetium.Quare tutius imitari poſſumus Paullum:cum hæc medicamenta ſolutiua ſint violenta. Quod ſi G
Aetii partes tueri placeat;dicendum,ſermonem de hieris magnis duplicem eſſe poſſe: loquimur enim de
pharmacis aut fermentatis,aut non fermentatis. Per fermentationem medicamenta ſecundum ſuas vi-
res nõ parum refringuntur:ideoque Aetius reſpicit ad hieras fermentatas, quarum vires refractæ ſunt,vt
ſumma doſis eſſe queat ℥ ß.Paullus autem reſpicit ad hieras recens cõfectas,in quibus cum medicamenta
proprias vires ſeruant,tutius ſumma doſis ſtatuitur ʒ ij.Hoc verum eſſe,teſtatur theriaca, quæ recens ſtu-
pefacit,antiqua vigilias excitat, ob opium fermentatione refractum. Quoad *quando agendum*, Hippo-
crates

Ipſe quoq; Paullus hierarum doſin perfectam ſtatuit ℥ ß. cap.8.l.6.

A crates purgans mulieres menſium ſuppreſſionem patientes, monet aduertendum eſſe, an purgatio fiat
per vomitum, vel per aluum. Si fiat per vomitum, ante pharmacum non adhibet vtero fomentum: ſi per
aluum, antequam pharmacum propinet, fomentum vtero adhibet. Dum enim per vomitum euacuatio
eſt inſtituenda, materia mouetur ſurſum, & fomentum quod vtero admouetur, eſt in cauſſa, vt materia
deorſum impetum habeat: fomentum enim vt habet vim laxandi, ſui præſentia prohibet, quo minus vti
liceat vomitorio. Quare recte ſtatuit Hippoc. dum exhibetur vomitorium, nequaquam fomentum eſſe
adhibendum. Dum autem per aluum vacuare volumus, adeſt præſentia indicantis, materia noxia, quæ
deorſum mouetur; quem motum etiam adiuuat fomentum, quatenus in cauſſa eſt, vt materia deorſum
B moueatur, quemadmodum etiam pharmacum: vnde natura non defatigatur duplici & contrario motu.
Sed quare Hippocrates primo vtitur fomento, deinde pharmaco purgante? quia fomento vterus laxus
redditur, quæ laxitas eſt in cauſſa, vt etiam materia purganda fundatur, non ita hæreat, & ob id facilius a
pharmaco attrahatur. Et quia hieras magnas non modo ingrediuntur ſoluentia, ſed etiam aromata; ſit vt
non modo fiat purgatio per aluum, ſed quandoque etiam menſes prouocentur: & præſertim ſi adhibea-
tur fomentum laxans vterum.

Sequuntur medicamenta prouocantia menſes, & ea quæ ſunt vehicula. Menſes ducentia, ſunt te- III. Ducentia menſes.
nuis ſubſtantiæ: eaque vel Calida, quæ validiora ſunt, vel Frigida, quæ imbecilliora. Frigidis interdum
propter febres, vel alios affectus calidos eſt vtendum, vt ſunt *capilli Veneris, virides tamen, polytrichum,*
& potiſſimum radices oxalidis ſylueſtris: nam domeſtica oxalidis radices menſes cient debiliter. Calida pro-
C bat Hippocrates in libro de ſuperfœtatio. quorum alia ſunt vehementiſſima, alia minus vehementia.
Vehementiſſima extremis morbis competunt, vt *aluum Ægyptiacum, cantharides, colocynthis, elaterium,*
flos æris, lac ficus, tithymalus, album veratrum, euphorbium. Hoc tempore morbi non curantur, quia me-
dici ſunt nimis timidi, nec vſurpant præterquam pulegium & capillum Veneris. Minus fortia ab eodem
Hippocrate probantur, libr. ſecundo de morb. mul. vt *myrrha (vnde Rhaſes probat trochiſcos de myrrha)*
item piper, ſal, xiphium & gladiolus, cuius ſuccus mirabilis eſt, & ſatis vehemens, non vehementiſſimus. In
libro autem de ſuperfœtatione pariter inter minus fortia ab Hippocrate probatur *radix ari, artemiſia,*
bulbus ciclaminis, cuius & radice & foliis vti licet: item cardamomum, caſtorium, nitrum, peplus, ſcilla: vn-
de trochiſci e ſcilla a pleriſque laudantur: item ſtapiſagria, thapſia. Galenus capit. decimooctauo libro de
curatione per venæſectionem, ſimiliter inter minus fortia probat *ſabinam, dictamnum Creticum. Aetius*
D *addit thlaſpi, nigellam, feniculum, daucum, petroſelinum.* Mediocria ſunt ſecundum Hippocratem, *ſemen*
anethi, cupreſſus: non autem exhibeantur baccæ cupreſſi. Galenus loco citato probat *calaminthami, pule-*
gium, apium, petroſelinum. Huius ſunt farinæ cappares, chamædrys, betonica, rubia, ſcordium, aſarum, pæo-
nia, baccæ fraxini: probatur etiam rectus vſus foliorum & radicum mercurialis, quod mirabile eſt medica-
mentum.

Vehiculi rationem habent dulcia & odorata. Inter dulcia vtendum *ſaccharo, melle, vino dulci, liqui-* Rubia adſtringit:
ritia, paſſulis, malua, & althæa. Odoratis etiam vterus delectatur: vnde practici miſcent *ambram, moſchum,* quod iuniores ob-
galliam moſchatam, & aromata: nam aromata tum ratione ſuauis odoris, ſunt vehiculum reliquorum, tum ſeruarunt
propria ratione menſes poſſunt prouocare ob caliditatem & tenuem ſubſtantiam. medici.

Hactenus de medicamentis cientibus menſes: dicendum de recta eorum adminiſtratione. Quoad
E *quantum agendum:* pro varia actione principaliter indicantis ſanguinis ſuppreſſi, varia doſis probatur. Ὀχήματα
Si enim ſumma ſit actio, medicamenta in ſumma doſi ſunt adminiſtranda: vnde Rhaſis præſcribit: *Reci-* eorum quæ
pe trochiſc. de myrrha ℈ *iiij. decocti ſeminum iuniperi* ℥ *viij. fiat potio.* Hæc eſt ſumma doſis: noſtro enim tem- mẽſes pro-
pore trochiſci dantur ad ℈ ß. vel ad ℈ j. vnde vitia non curantur. Quod ſi *decoctum e ſeminibus iuniperi pa-* mouent.
retur cum melle, vel ſaccharo, adhuc efficacius erit medicamentum, quia minus difficulter permeabit ad Recta ad-
vias vteri. Hippocrates in libro de ſuperfœtatione probat hoc medicamentum: *Recipe tædæ minutim con-* miniſtratio
ciſæ, quæ pinguis ſit: nam quo pinguior, eo melior, ℥ *j. ſem. apii, cumini Æthiop. an.* ℥ *ß. thuris* ℥ *ij. coquantur e vi-* eorum quæ
no oderato dulci. Doſis ſit moderata. Galenus lib. 2. de antidot. præſcribit: ℞ *dictamni Cretici* ʒ *j. polii montani* menſes ducunt.
ʒ *j. ß. piperis longi* ℥ *ij. rutæ ſylueſtris* ℥ *iij. ſcordii* ʒ *j. ß. fiat puluis tenuiſſimus:* ℞ *pulueris huius* ʒ *j. mulſi* ℥ *viij.*
fiat potio. Et hæc etiam eſt magna doſis. Merito autem proponitur vinum mulſum, quia ratione dulcedi-
F nis facile permeat ad vias vteri. Non propono libros de medicinis facile parabilibus, quia ſunt ſuſpecti,
licet quædam in iis reperiantur efficaciſſima remedia. *Modus agendi* varius probatur, pro varia con-
ditione paſſionis ſanguinis ſuppreſſi. Galenus capit. 18. libr. de curat. per venæſectionem, probat vt me-
dicamenta redigantur in puluerem tenuiſſimum: ſic enim adminiſtrata medicamenta efficacius agunt
in ſanguinem, vt ſanguis non ita reſiſtat, ſed magis cedat. Galenus etiam commentar. aphoriſ. 36 ſectio. 5.
& alibi probat, linimenta, fomenta, peſſaria, & ſuffumigia. Præ omnibus autem modis probantur ſuf-
fumigia, aphoriſmo. 28. ſection. quinta: ſic enim medicamentum efficaciſſime agit, & ipſe etiam ſuffi-
tus aromatum muliebria ducit, & maxime confert, dum modo non aſſit grauitas capitis: hebeſcit enim
vis medicamentorum in tranſitu, dum exhibentur forma pulueris, potionis, pilularum, boli, antequam
perducantur in vterum, quod non fit, ſi modo ſuffumigii adminiſtrantur. Præterea hæc medicamen-
G ta, quæ in potu vel bolo exhibentur, cum ſint calida (nam menſes ducentia ſunt calida) ſæpe tranſitu ſuo
lædunt iecur calidius, ideoque tutius magis conuenit ſuffumigium: quia ſæpe menſes ſupprimuntur ob
ſanguinis craſſitiem, qui craſſus ſanguis generatur in iecore calido. Anteponitur etiam hic modus reli-
quis, ſecundum Galenum: quia reperiuntur quædam fœminæ, quæ non permittunt clyſteres, peſſa-
ria, admittunt autem ſuffumigia. Suffumigium etiam magis penetrat. Eſt ergo hic modus vtiliſſimus,
& nihil eſt quod prohibeat, præterquam capitis imbecillitas: ſunt enim fœminæ, quibus cerebrum
facile turbatur ab aromatibus. In adminiſtrando autem ſuffumigio duo notanda, ſecundum Galenum:

primo,vt cingantur fœminæ:deinde, vt fumus per cannulam aſcendat in ceruicem vteri : ita enim ſuffu- A
migium non facile petit caput. Quoad *quando agendum*, ſecundum Hippocratem, menſes ducentia ſunt
adminiſtranda poſt corporis purgationem:materia enim totum replens,prohibet; quia euocans menſes
vel non poſſet permeare; vel, ſi poſſet permeare,ſecum duceret materiam totum replentem,cum detri-
mento fœminæ. Et debent hæc medicamenta adminiſtrari per plures dies, ante prandium per quinque
horas,& ilico poſt balneum. Per plures dies exhibet Hippocrates: quia ſanguis ſuppreſſus ob craſſitiem &
viſciditatem ita eſt contumax, vt diu ſit præſens:quare,cum per plures dies perſeueret præſentia ſangui-
nis,per plures etiam dies medicamenta ſunt adminiſtranda. Exhibet etiam Hippocrates per quinque ho-
ras ante prandium,quia cibi præſentia prohibet:mortiferum enim eſt menſes ducentia,& quidem valida,
exhibere,niſi ventriculus cibis ſit vacuus,vel cibus exacte ſit concoctus;alias enim chylus crudus, vi me- B
dicamentorum menſes ducentium,traherctur in venas, in iecur,in vterum; vnde menſes magis ſuppri-
merentur. Ilico a balneo Galenus adminiſtrat, quia ilico a balneo non adeſt præſentia prohibentis (nam
ſuppono balneum adminiſtrari poſt purgationem totius, ieiuno & vacuo ventriculo) & adeſt permit-
tens, quod coindicat hoc medicamentum, nimirum laxitas vteri; quia laxus vterus facile admittit hæc
medicamenta:laxatque cutem vi balnei. Hippocrates autem incipit a leuioribus, & poſtea fortibus vti-
tur:deinde rurſus leuioribus,& mox fortioribus,&c.quæ viciſſitudine quadam continuat. Reſpicit enim
ad ſanguinem ſuppreſſum vehementem: & proinde ad indicantia & remedia vehementia. Nam ſi ma-
lum eſſet debile,non liceret vti vehementioribus, ſed debilioribus tantum: quia debet eſſe proportio in-
ter medicamenta & affectus præter naturam. Vtitur autem permutatis vicibus,primum debilibus,deinde
fortibus, &c. quia reſpicit non modo ad præſentiam indicantis,ſed etiam ad præſentiam prohibentis,ad C
virtutem,quæ interdum prohibet,interdum permittit. Dum medicamenta fortia ſunt adhibenda, natu-
ra,ſeu virtus ea non facile ſuſtinet, niſi aliquantiſper aſſueſcat: quare primum mitiora ſunt exhibenda:&
progreſſu temporis fortiora,dum non amplius adeſt prohibens: tunc enim adeſt præſentia indicantis ve-
hementiſſimi,& virtus aſſueta permittit. Poſt fortia Hippocr. rurſus vtitur debilibus: quod bifariam fieri
poteſt,primo,vt in debilibus iſtis permaneamus vſque ad remotionem mali:deinde,vt iis non inſiſtamus
vſque ad finem mali,ſed aliquo tempore leuibus vtamur,poſtea rurſus fortioribus. Et hic vterque modus
in praxi obſeruandus eſt:non tamen indifferenter. Si enim contingat, vt poſt fortia medicamenta maxi-
me imminuatur vehementia affectus morbifici, & ſanguis debilis reddatur: tunc ſufficit poſt fortia vti
debilibus,ad finem mali:quia adeſt præſentia indicantis debilis,non vehementis. At ſi contingat, vt poſt
fortia ſanguis adhuc vehementiam conſeruet,neceſſarium eſt viciſſim vti debilibus & fortibus: debilibus D
quidem vtendum,quia virtus non permittit aſſiduum vſum vehementium: poteſt enim eum aliquandiu
perferre,ſed non longo tempore. Quare gratia virtutis prohibentis non poſſumus perſeuerare in vehe-
mentibus;ſed cogimur vti debilibus. Quia autem perſeuerat vehementia indicantis:dum natura aliquod
robur accepit, rurſus, ſecundum Hippocratem,fortibus vti licet,quia non adeſt præſentia prohibentis.
Quoad *vbi agendum*. Hæc medicamenta poſſunt per os exhiberi, & extra applicari circa regionem vteri,
pro indicantis ſubſiſtentia. Medicamenta fortiſſima, vt *euphorbium, elaterium, ſquama æris, ſuccus tithy-
mali*, non ſunt exhibenda,ſed applicanda. Licet enim vbi agendum indicetur a ſubſiſtentia ſanguinis, vir-
tus tamen quandoque permittit,quandoque prohibet. Virtus oris ventriculi, & partium infernarum
prohibet,vt nequaquam hæc ſint per os exhibenda:virtus autem vteri,& præſertim ſecundum partes cu-
taneas,permittit. Odorata vtero applicanda, non naribus,quia hoc indicantis ſubſiſtentia requirit:ſan- E
guis enim,qui inclinationem habet ad partes infernas, indicat remedium adiuuans, non reuellens:dul-
cia ergo,quia attrahunt ad inferas partes,iccirco partibus infernis applicanda ſunt,non naribus.

Diæta. Victu attenuante Galenus pleroſque liberauit.com.aph.36.ſect.5.quod accipiendum, non de qua-
libet ſuppreſſione menſium,ſed de illa,quæ fit a craſſo & viſcido ſanguine. Quiſnam ſit hic victus,alias di-
ctum eſt. Iam notandum circa condimenta: quamuis in *aceto* vis ſit attenuandi, id tamen vitandum eſſe,
quantum fieri poteſt,quia infenſum eſt partibus neruoſis,& vtero,com.39.l.3.vict.ac. Quare cibi vel non
condiendi ſunt aceto, vel exiguo,nec admodum potenti. Condiendi autem ſunt cibi dulcibus,quorum
virtute ciborum facultas facile perducitur ad vterum. Sed dulcibus his tantum vtendum vt condimentis,
& vehiculis,non vt cibo,id eſt in parua copia:nam fœminæ quæ hoc malum patiuntur,frequenter obno- F
xiæ ſunt iecoris,lienis,& viſcerum obſtructionibus,quæ a dulcibus copioſis magis obſtruuntur, & in tu-
morem attolluntur. Quoad *quando agendum*: Galenus c.18.l.de cur. per venæſectionem, probat victum
attenuantem,per 8.vel 9.dies ante tempus ſtatutum menſium. Indicans enim, nimirum ſanguis præter
naturam cohibitus per 8. vel 9. dies ante ſtatutum tempus menſium, indicat propellendum eſſe ſangui-
nem ad vterum, vt egrediatur. (*Indicans hoc loco non eſt virtus, quæ indifferenter præſens eſt, & his diebus, &
aliis, ſed ſanguis ſuppreſſus*) Vnde hoc tempore ſanguis adeſt, qui impetum habet in vterum,qui impetus
naturalis eſt, ſed imminutus, & proinde adiuuandus: quare indicat remedium adiuuans hunc motum,
cuius materia eſt victus attenuans,quo vtendum hoc tempore,quia adeſt præſentia ſanguinis, qui impe-
tum habet in vterum,ſed diminutum. G

Caput II.

De Immoderato ſanguinis per vterum profluuio.

Generatio. AD generationem huius vitii neceſſarium eſt, vt aliquod noxium occurrat venis vteri; vi cuius vteri
Definitio. venæ non poſſint ſanguinem continere,vnde per vterum effluit in maiori copia,quam decet. Pro-
fluuium ergo ſanguinis immoderatum,eſt exiens ſanguinolentum immoderatum vteri,dependens a læ-
ſa retentione venarum vteri. Forma eſt exiens ſanguinolentum immoderatum. Exiens dicitur:ad diffe-
ren-

A rentiam excrementi quod detinetur:ſanguinolentum dicitur;ad differentiam exeuntis,quod nõ eſt ſanguis,vt fit in profluuio vterino & muliebri,vbi egreditur materia a ſanguine diuerſa. Dicitur immoderatum;quia ſanguis egreditur in maiori quantitate, quam decet: ad differentiam profluuii ſaguinis ſecundum naturam,in quo eſt exiens ſanguinolentum,ſed moderatum: item hoc dicitur ad differentiam profluuii præter naturam, vt eſt ſtillicidium menſium, & ſtillicidium ſanguinis per vterum; egreditur enim exiens ſanguinolentum,ſed in minima copia.

Cauſſa efficiens,eſt læſa retentio vaſorum vteri.Quamuis autem per terminos formæ & ſubiecti,definitum ſatis limitatum videtur:cauſſam tamen efficientem etiam apponi neceſſarium fuit, qua ſcil.malum hoc diſtinguitur ab eo fluxu ſanguinolento & immoderato per vterum,qui interdum fit, dum mẽſes B ſuppreſſi ſunt vel imminuti per duos aut tres menſes,& poſtea quarto menſe,v.g. præter conſuetũ naturę ordinem ſanguis per vterum effluit in maxima quantitate,id eſt,in maiori,quam deceat pro cõſuetudine mulieris,vt ſi v.g.ſolita ſit fœmina ſingulo menſe euacuare ſanguinem ad ℔ j:ß.euacuet ad ℔ iiij. Hoc ſane eſt exiens ſanguinolẽtum immoderatum vteri,ſed aliam habet efficientem cauſſam,nim.robuſtam expultricem venarum vteri,cui,ſecundum naturæ leges,cedit retentrix.At noſtri mali propoſiti cauſſa efficiens,eſt læſa retentio.Læditur autem retentio neceſſario ob lęſionem facultatis,id eſt,ob morbos,nõ ob errorem externum.c.vlt.l.de diff.ſym.c.2.l.3.de cauſ.ſymp.c.2.l.5.meth.ſicut etiam docuimus in fluxu ſanguis narium,& de ſputo ſang.Morbus eſt triplex,diapedeſis,anaſtomoſis,diæreſis;& ꝓinde in via,in meatu,in ſoluta vnitate.Fiunt autem hi morbi quandoq; ob noxas præcipuas vteri,quandoq; ob vitium,ꝙ principaliter pertinet,vel ad totum corpus,vel ad ſanguinem:vnde merito dicit Galen.profluuium hoc fieri vel C vitio Vteri,vel Totius,vel Sanguinis:com.aph.57.ſect.5.quia non reſpicit ad vitia communia immediata, ſed ad vitia principalia,ad vitium in ꝙ medicus conſilium dirigere debet. Quoad vitia vteri,potiſſ.locum habet anaſtomoſis,& diæreſis. Anaſtomoſis,id eſt recluſio orificiorum venarum fit ob immoderatũ vſum balnei relaxantis, ob fomentum relaxans vtero adhibitum; quandoq; etiam ob immoderatum coitum. Diæreſis & ſoluta vnitas, vt monet Hipp.l.2.de mor.mul.fieri ſolet in difficultate partus:nam vaſa quandoq; diſrumpuntur,quandoq; etiam in partu aliquid noxium relinquitur in vtero,ꝙ putreſcens, acre & mordicans euadit,vt ſolutam vnitatem,imo vlcus efficiat:vnde,ſi venæ abradantur,hoc malum producitur.Quoad vitia totius:vi malorum totius,vterus ſecundum venas affici poteſt quolibet morbo,e propoſitis,ſc.anaſtomoſi,diæreſi,diapedeſi,id eſt,immodica laxitate & raritate tunicarum venarum. Nam dum totum afficitur,vt prauo ſanguine repleatur(ꝙ potiſſ.fit,vbi fœmina male habet ſecundum ventriculum, D vbi iecur languet)fieri poteſt,vt in toto colligatur vitioſus ſanguis,qui,cum a toto detineri nequeat,protruditur ad vteri vaſa:vnde,ſi tenuis eſt,fit diapedeſis; ſi copioſus & impetuoſus, fit anaſtomoſis:ſi acris & & mordax,diæreſis. Quoad vitium ſanguinis;pariter a ſanguine vitioſo,citra totius languorem,omnes hi morbi oriri poſſunt.Si enim ſanguis fuerit tenuior,per diapedeſin effluit:ſi copioſus,per anaſtomoſin:ſin acris,ſalſus,mordax,per diæreſin,quia ab hoc ſanguine vnitas ſoluitur.

Cauſſa efficiens.

Læſio retentricis vteri.

3.

Quoad differentias,quæ ſumuntur a forma: exiens hoc ſanguinis varium eſſe poteſt,prout varium eſt,quod egreditur. Varium autem eſſe ſolet,præſertim in ratione miſti,& proinde ſecundũ Subſtantiam, & Qualitatem.Secundum Subſtantiam,ſeu formam,vel eſt Putridum,vel Non putridum. Secundũ qualitatem:hęc eſt Recondita,vel Euidens:& ſecundum euidentem,exiens hoc vel eſt calidum,vel frigidum: vel tenuius,vel craſſius:vel huius,vel illius odoris,coloris.A ſubiecto nõ ſumuntur differentiæ:nam idem E eſt locus affectus: niſi quis forte dicat,venas vteri affectas eſſe,vel dextras,vel ſiniſtras. A cauſſa efficiente: malum hoc fit ob noxam vel Vteri,vel Totius,vel Sanguinis.

Differentiæ.

Malum hoc in genere facile cognoſcitur:quia oculis ſanguis egrediens cõſpicitur,& quidem in magna copia.Porro ſecundum Galen.c.5.l.6.loc.aff.profluuium ſanguinis copioſi, interdum eſt noxium,de quo nos hic loquimur:interdum ſalutare,quod fit a robuſta expultrice. Diſtinguũtur autem mala e tolerantia fœminæ:quæ cognoſcitur,tum e Galeno l.c.tum e mutatione coloris fœminæ, qui fœdus eſt:item e tumore pedum,vnde & hydrops imminet,item e læſione appetitus,e læſa coctione.Hippoc.l.2.de mor. mul.addit,nos hoc malum cognoſcere e colore exeuntis rubro: ad differẽtiam profluuii muliebris, quod non eſt rubicundum,ſed alterius coloris. Et quia in profluuio muliebri interdum materia egreditur co-F lore rubicundo donata:nam ſanguis vteri rubicundus eſt:ideo Hippocra. addit, præter rubrum colorem neceſſario materiam egredientem grumeſcere:ichor autem non grumeſcit. Quoad differentias formales:ex odore ſanguis putridus a non putrido diſtinguitur:aliæ qualitates e colore percipiuntur. Differentias a loco mulier ſignificabit:num ſcilicet malũ ſit in parte dextra,vel ſiniſtra. Quoad differentias a cauſſa efficiente:oportet cognoſcere,an ſit diapedeſis,anaſtomoſis,vel diæreſis. Diapedeſis cognoſcitur,quia ſanguis fluit citra dolorem,& eſt tenuis,aquoſus,vt vix concreſcat, præterea in exigua quantitate egreditur,ſed per plures dies:vnde hac ratione profluuium eſt immoderatum, quia copioſus ſanguis egreditur: cuius ſignum eſt,quod fœminæ non perferunt. Anaſtomoſis cognoſcitur, quia ſanguis egreditur ſine dolore,confertim,& ſanguis exiens euidenter concreſcit. Diæreſis cognoſcitur,quia ſanguis cum dolore effluit,ſuntq; ſigna euidentia ſolutæ vnitatis. Verum cum ſanguis effluat propter morbos,propter læſionem retentricis,dictumque ſit, hæc mala fieri ob præcipuum vitium vel vteri,vel totius,vel ſanguinis:hæc G vitia principalia ita cognoſcentur. Si enim præcipuum vitium ad vterũ pertineat:id cognoſcetur,v.g.ex ictu,e plaga ſecundum vterum,e fomentis relaxantib.vtero adhibitis, & reliquis cauſſis prægreſſis,iam ꝓpoſitis. Si vero princeps malum ſpectet ad totum: id cognoſcetur e malo colore totius,& inappetentia,e læſis coctionib. Notandum autem hæc ſigna quandoq; indicare hoc profluuium in genere:quandoque vero indicare profluuium,vt fit vitio totius.Si primo modo,color fœdus totius, & reliqua propoſita vitia nõ præceſſerunt,ſed fuerunt ſubſecuta, v.g.color fœdus totius corporis ſubſequitur ꝓfluuium ſanguinis

Signa,in genere.

Signa differentiarum.

immoderatum,vt hydrops etiam immineat. Sed ſi hæc ſigna præcedant profluuium hoc immoderatum: A
tunc ſunt indicia huius ꝓfluuii non in genere,ſed vt ſit vitio totius. Si deniq; malum præcipuũ referatur in ſanguinẽ:cognoſcetur ſanguis vel copioſior,vel tenuior,vel etiã acrior,e propriis ſignis:de quib.alias.

Indicationes. Præſidia ſumuntur a Virtute,& a Cauſſa efficiente. Quid enim locus affectus,ſeu vterus indicet,dicemus in læſa conceptione. Quoad virtutem;ſermo eſt in præſentia de profluuio immoderato,quod neceſſario eſt contra tolerantiam virtutis,quia calor diſſoluitur. Profluuium ergo hoc, vt immoderatum, ratione virtutis,ratione caloris qui diſſipatur,indicat remedium concentrans, adſtringens, cuius beneficio vniatur calor,qui plus iuſto diſſoluitur.Præſidia etiam haurienda ſunt a morbo:idque dupliciter:primo,vt eſt talis morbus,& vt potiſſ.ſit a tali cauſſa: vnde diapedeſis, indicat condenſans; anaſtomoſis,adſtringens, obſerans: diæreſis,ſi ſimplex,agglutinans;ſi miſta,id eſt,ſi cauitatẽ habet annexam, indicat remedium nutriens. B Quatenus a.hæc mala fiunt vel ab vtero,vel a toto, vel a ſanguine;aliæ oriuntur indicationes. Vitium vteri variũ,varia indicat. v.g.ſi morbi hi procedant a materia putreſcente,exſiſtente in vtero:hæc materia eradicanda.Si fiat vitio totius:oritur indicatio roborandi ventriculum, iecur: horũ viſcerum intemperiẽ corrigendo per contrarium.Si fiat vitio ſanguinis:varia eſt indicatio:ſi enim tenuis ſit ſanguis,indicatur craſſefaciens:ſi acrior,attemperans: Si peccat ſecundum motum ſeu impetum; motus ſimpliciter indicat remedium,beneficio cuius quieſcat.Impetus a.ad vterum indicat reuellẽs. Nihil dico de ſanguine copioſo:quia cum profluuium ſit ſuperfluum, non adeſt copia,ſed potius penuria ſanguinis.

Prognoſt. Malum hoc in genere non eſt deſpiciendum:quia noxam affert & ſpeciei,& indiuiduo.Speciei:quia turbat conceptionem,dum eam prohibet,vel,ſi forte fœmina cõceperit,ſolet eſſe in cauſſa abortus. Nocet etiam indiuiduo fœminæ,ſecundum Hippoc.aph.57.ſect.5.& Galenum c.9.l.4. de præſag.pul. C fœminæ enim cachexia afficiuntur,hydrope,patiuntur animi defectus,conuulſiones. Si animi defectus fiat in profluuio ſanguinis immoderato,eſt ſymptoma admodum infenſum fœminę.Si autem eueniat fœminis, vt contingere ſolet,præ timore nimio,non debemus vſque adeo exhorreſcere:modo non fiat ob longam euacuationem. Conuulſio etiam peſſima eſt,vt colligitur e com.aph.56.ſect.5.vbi ait:dum conuulſiones fiunt,quando pars neruoſa afficitur,has cõuulſiones non eſſe vſq; adeo lethales, quia cerebrum facile cõpatitur:at,ſi pars affecta non ſit neruoſa,& vi huius ſuccedat conuulſio,peſſima hæc eſt, quia cerebrũ ducitur in conſenſum cum parte non neruoſa,ob vehementiam affectuum.Quia igitur vterus nõ eſt membrum neruoſum,ſed membraneum;fit,vt dum vtero affecto ſubſequuntur cõuulſiones, hæ ſint lethales. Quoad differentias formales,vitium eſt maioris periculi, ſi ꝙ egreditur eſt putridum, virulentum,acre. Quoad differentias a loco affecto,maius adeſt periculum,ſi vterus ſecundum omnes partes afficiatur. D Ab efficiente;maius eſt periculum,ſi fiat ob diæreſin:minus,ſi ob diapedeſin.Cum autẽ hæc mala fiant quandoq; ob vitiũ vteri,quandoque totius,quandoque ſanguinis:facile eſt perpendere vim horum vitiorum; de quibus alias diximus.

Curatio. Phlebot. Rhaſis venam ſecat:itemq; Aetius.Rhaſis reſpicit ad ꝓfluuium immoderatum, vt ſanguis copia nõ peccet. Et proinde in ſermone de indicationib.nihil diximus de imminutione ſanguinis. Venæſectio eſt materia remedii vehementis,ſed reuulſorii,indicati a ſanguine, peccante non qualitate,ſed impetu: & ita impetu,vt vitium hoc ſit vehemens,cuius gratia neceſſe ſit confugere ad materiam remedii vacuantis reuulſorii vehementis:quod nil aliud eſt,q̃ venæſectio. *Quoad vſum:circa quando* duo ſunt obſeruanda. Primum,ꝙ Rhaſis venam ſecat non vno die,ſed plurib. Hic non loquitur de quantitate diſcreta,quia nõ reſpicit ad ſanguinem vt copia peccat, ſed vt peccat motu. E Quatenus ergo peccat ſecundum motum: eius præſentia(quæ indicat quando agendum) eſt perpendenda: quæ cum perſeueret plures dies,ꝓpterea etiam Rhaſis per plures dies venã ſecat.Secundo notãdum, ꝙ Rhaſis ait,per hebdomadã vtendum eſſe adſtringentib.& tunc,ſi ꝓfluuium creſcat,non eſſe ſecandã venam:at,ſi non creſcat,ſecandã eſſe venã.Rhaſis ergo primum vtitur adſtringentib.poſtea venã ſecat. Aetius contra, primum ſecat venã, poſtea vtitur adſtringentib.nam ſi primo adſtringentia vſurpentur,noxa creatur fœminæ, vt hydrops & alia mala immineant.Reſp. Vterq; auctor reſpexit ad præſentiã indicantis. Rhaſis quidẽ reſpexit ad ꝓfluuium immoderatum ſanguinis,in quo ſanguis in maiori copia,q̃ decet,eſt egreſſus,vt in ſanguine peccatum ſit ſolum ſecundũ motum,non a.ſecundum qualitatẽ:in quo malo adeſt p̃ſentia caloris indicantis,qui calor diſſoluit: vt neceſſarium ſit vti adſtringentib. beneficio quorum non modo occurrimus calori, ſed etiã motui ſanguinis,quia adſtringentia poſſunt cõpeſcere impetum ſanguinis. F Quare perſeuerante hac præſentia indicantis,licet ꝓgredi medicamentis adſtringentib.His ſi nõ cedat ſanguis ſuo impetu:hic impetus,hoc peccatum in motu eſt vſq; adeo vehemens,vt indicet remedium reuulſorium vehemẽs, cuius materia eſt venæſectio.Rhaſis igitur,dum adeſt hæc p̃ſentia indicantis, & malum non cedit adſtringentib. eo tempore ꝓbat venæſectionem.Aetius vero reſpexit ad ſuperfluum ſanguinis,ꝙ non modo immoderatum eſt, ſed immoderatum euadere põt.Quod ſane imminet ratione & impetus,& copiæ ſanguinis. Ideoque merito copiæ non eſſet tutum, imo maxime periculoſum, ante venæſectionẽ adſtringere:quia peccatum in copia magis poteſt ad indicandum euacuationem,q̃ calor ad adſtringendum.In praxi ergo ꝓcedendum. Si obſeruetur ſanguinis egreſſus in maiori copia,q̃ decet:imitandus eſt Rhaſis:at, ſi immineat immoderatũ ꝓfluuium(ꝙ cognoſcitur,quia ſuperiorum ſimile quippiã contingit)ſequẽdus eſt Aetius, quia copioſus G ſanguis non eſt adſtringentibus in corpore detinendus. Quoad *locum*:ſecandæ ſunt venæ cubiti:quia talis eſt ſubſiſtentia indicantis,& præſertim vt ſubſequitur motum ſanguinis.

Cucurbitulæ. Quoad Cucurbitulas:Hippoc.has applicat non modo ſpatulis,ſed etiam cruribus.Aetius etiam ſcapulis.Cucurbitulæ ſcarificatæ,in hoc malo,ſunt materia remedii indicati a ſanguine,vt peccat,non copia, ſed motu potius. Quare ſunt materia remedii & reuulſorii, & deriuatorii. Cucurbitulæ,vt reuellentes ſunt applicandæ ſcapulis:ſic.n.ſanguis deſcendens ſurſum trahitur. Cucurbitulæ a.vt deriuãtes applicãdæ ſunt

A sunt cruribus:nam caua vena descendit in lumbos, & in duos ramos diuiditur, qui per crura descendunt,
a quibus quædam venæ deducuntur in vterum:ideoque per has fit deriuatio. Auic. hac in parte imitatus
est Gal.qui c. 8.l. de præcogn. in profluuio muliebri(non sanguinis)probat euacuationem per lotiũ,per
sedem,& proinde probat remediũ deriuatorium.Cucurbitulæ non scarificatæ probantur magnæ,& cum
flamma copiosa admotæ mammis.l.2.de morb.mul.aph.5c.sect.5.c.19. l.13. meth. quia huiusmodi cucur-
bitulæ sunt materia remedii reuulsorii,indicati a sanguine,vt impetum habet in vterum. Recte a. modo
iam declarato administrantur. Nam cum summa sit actio sanguinis,qui impetum habet in vterum:iccir-
co magnæ probantur cucurbitulæ.Et,cum summa sit resistentia;probantur cum magna flamma.Præter-
ea probantur ea ratione,vt modo applicentur vni parti,modo alteri,prout præsentia sanguinis magis im-
B petum habet secundum vnam partem,quam secundũ alteram.Tandem applicantur mammis, vel potius
sub mammis,merito subsistentiæ sanguinis,vt peccat secundum motum : siquidem cõmunes sunt hæ ve-
næ & mammis,& vtero: vnde sanguinem promte ad superiores partes trahunt, vt ita coerceatur motus
sanguinis ad vterum factus.Sed prohibere solet virtus respirationi destinata.Quare,si eueniat,vt dum ap-
plicantur hæ cucurbitulæ,lædatur respiratio,(vt monet Galenus)non sunt his partibus applicandæ. Sed
hoc loco occurrit difficultas,quia superius dictum est, e mente Hippoc. & aliorum, probari in hoc malo
cucurbitulas,quæ scarificatæ cruribus applicantur.Cur ergo cucurbitulæ non scarificatæ,cruribus,& ipsę
applicantur?Responsio.Quia scarificatæ non modo attrahunt sanguinem per modum deriuationis, sed
etiam euacuant. Cucurbitulæ a.non scarificatæ attrahunt, non euacuant,& propterea non applicantur
crurib.Ligaturæ sunt materia reuulsorii præsidii.Quoad *vbi*:Gal.c.14.l.1.ad Glauc.in hoc malo iubet esse Ligatura.
C ligandos artus supernos brachii:faciendasque plures &fortes ligaturas,quia summa est resistentia sangui-
nis.Plures probat,vt significet,quando,administrantur ligaturæ, nõ esse partes ligatas detinendas per ho-
ram:alias mortuæ q.euaderent:ideo per vices ligare & soluere oportet. Sic ergo Gal.brachiorũ ligaturas
probat.Hipp.vero l.2.de morb.quem secuti sunt Auic.Paullus,Aetius probat ligaturas & secundum bra-
chium,& secundum crura supra genua.Cur igitur Gal.tantum applicat partib.supernis,Hipp.supernis &
infernis?Resp.Vbi agendum indicatur a subsistentia principaliter indicantis, id est, sanguinis,motu pec-
cantis. Huius a.duplex esse potest subsistentia, altera supra vterum quæ consequitur sanguinem,vt mo-
uetur a supra ad infra,id est,ad vterum:merito cuius ꝓbantur *ligaturæ in brachii, vt sanguis* qui mouetur
in vterũ,ad superna retrahatur.Altera subsistentia est infra vterum,quæ consequitur essentiam indicantis
sanguinem pariter vt peccat secundum motum,qui est a partib.infernis,ad partes supernas, id est,a femo-
D ribus ad vterum:& tunc ligatura supra genu est administranda,vt retrahatur sanguis ascendens,vt per has
ligaturas descendat:sicuti potiss.dum fœminæ sanguine reperiuntur refertæ secundum femur. Concor-
dia a.Gal.& Hippoc.facile patebit e quæstione sequenti,de *quando agendum*. Galen.igitur applicat liga-
turas brachio,eo tempore quo his solis vtitur ligaturis.Hippoc.eodem tempore & hora vtitur ligaturis &
secundum brachia,& secundum coxas. Horum ratio talis est:Quando agendum sumitur a præsentia in-
dicantis:dum sanguis mouetur a supra ad infra,habet impetum ad vterum; reuellẽdum ergo nisi aliquid
prohibeat,hoc est,tempus opportunum.Hippoc.a.& ipse respexit ad indicantia quando agendum. Vn-
de,dum adest hoc profluuium,adest impetus sanguinis ad vterum,id est,a supra ad infra. Sed dum ligatu-
ræ administrantur,id fieri solet,vt sanguis existens infra vterum,impetum habeat ad vterum, moueatur
E ab infra ad supra: & propterea Hippocrates non ligat coxas tantum,(nec enim posset defendi) sed ligat
coxas eo tempore,quo etiam ligat brachia,vt beneficio duplicis ligaturæ eodem tempore cohibeat vtrũ-
que motum ad vterum,siue sit a supra ad infra,siue ab infra ad supra.In praxi ergo obseruandum, vt dum
ligantur coxæ supra genua, primum ligentur partes supernę,deinde infernæ;& primum etiam dissoluan-
tur ligaturæ coxarum, posteriori tempore ligaturæ brachiorum. Oportet autem vt ligaturæ secundum
brachia sint fortiores ligaturis partium infernarum.Et e dictis ratio est in promtu: primum enim sunt li-
gandi artus superni,quia nisi ligentur,non adest præsentia indicantis ligaturas partium infernarum. Et
ob eandem rationem primum etiam dissoluere oportet ligaturas partium infernarum. Et quia efficacior
est impetus a supra ad infra,q̃ ab infra ad supra,ideo ligaturæ partium superiorum debent esse fortiores.
Quoad materias medicinales;nihil dicemus de respicientibus totum. Loquemur tantum de mate- Pharmacia.
F ria medicinali gratia sanguinis,morborum vteri,& virtutis. De his medicamentis breuiter agemus,quia
omnia similem vim & facultatem habent. Quantum ad sanguinem; is peccat in hoc malo sui tenuitate,
acrimonia,impetu.Vnde in hoc malo vtendum fomentis refrigerantib. crassefacientibus,& proinde ad-
stringentib. Merito autem morborum vteri,cum vteri viæ sint plus iusto peruię;pariter probantur medi-
camenta crassefacientia,refrigerantia,& proinde adstringentia. Gratia virtutis,vt dissipatur calor,ege-
mus crassefacientibus & adstringentibus. Quare agendum de medicamentis frigidis & adstringentibus.
Hæc autem duplicia sunt:alia quidem crassefacientia citra stupefactionem:alia crassefaciẽtia & simul stu- Medicamenta adstringentia.
pefacientia. Crassefacientia citra stupefactionem, possunt esse materia remedii indicati a sanguine,& a
morbo,& a virtute. At crassefacientia cum stupefactione,nequaquam possunt esse materia remedii indi- 1. Adstringentia & incrassantia simpliciter.
cati a virtute,quoniam virtus potius prohibet, cum debilis est. Crassefaciẽtia citra stupefactionem,cras
G sefaciunt & astringunt,vel sine lentore,vel cum lentore.Quę crassefaciunt citra lentorem,ꝓbantur præ-
sertim in anastomosi:quæ cum lentore,in diæresi. Quoad priora,Hippoc.l.2.de morb.mul. probat *coral-
lium,cornu cerui,santalos,gallas immaturas rosas,myrtum mespila, sorba,malicorium,mora immatura*, &
omnia acerba. Quæ crassefaciunt vna cum lentore,sunt *symphytum,tragacantha, carabe,trochisci de cara-
be sine opio,bolus Arm.plantago, albumen oui,pedes vitulini, farina citra fermentum.* Quoad *vsum*,& primo
quoad dosin;probatur dosis modo minor,modo maior:pro actione morbi principaliter indicantis. Quo
ad *modum*:vti licet quandoque forma linimenti,quandoque forma insessus,pulu.boli,potionis. Quoad

quando: sunt administranda, dum adest præsentia indicantis, & nihil prohibet: prohibet autem materia A
obstruens viscera, & præsertim dum hæc medicamenta per os exhibentur. *Vbi.* Possunt autem hæc medi-
camenta exhiberi, & applicari. Quoad ea quæ exhibentur: Hippoc. l. 2. de morb. mul. exhibet ℥ j. *mororum*
rubi siccatorum, cum ℥ *j. pastæ, id est farinæ sine fermento.* Et dum Hippocratis propsitum erat adhuc magis
crassefacere, adscendebat ad maiorem dosin, respiciens ad maiorem vehementiam actionis sanguinis.
Vnde morbo imminente permiscebat ℥ *ij. pastæ, & exhibebat cum vino nigro adstringente, nisi esset febris:*
quia vbi febris, loco vini aqua vti oportet. Præterea Hippoc, exhibebat malum punicum decoctũ cum vino pro-
posito cum non erat febris. Probatur etiam inter alia semen pomi granati contritum, & exhibebat cum polenta,
id est, cum farina confecta e viridi hordeo assato. Vrgente necessitate, idem Hippoc. exhibebat ℥ *j. stercoris* B
muli, quod comburebat & conterebat, exhibebatq; cum vino astringente. Sic probabat spongiam, eamq; contri-
tam cum vino exhibebat, (hoc fœminæ habent pro secreto) Licet etiam exhibere *saccharum rosaceum an-*
tiquum, diacydonium, diamorum a ℥ *ij. ad* ℥ ß. Gal. hoc exhibet. ℞ *corall. balaust. an.* g̃. *x. gummi* ℈ ß. *excipia-*
tur albo oui, & exhibeantur cum aqua & vini ℥ *vij.* Auicen. hoc probat: ℞ *mummiæ, terræ sigillat. boli Arm.*
orientalis, gallarum immaturarum. sang. drac. galliæ moschatæ, aluminis an. ℈ ß. *caphuræ* g̃. *ij. Soluantur syrupo*
myrtino. Gallia vtitur tanquam vehiculo, est enim calida sicca, tenuis substantiæ; nec cohibet menses, sed
potius prouocat: &, si conferatur cum basi medicamenti, quæ constituitur e crassefacientibus & adstrin-
gentibus, in ea est proportione, quæ seruanda est in recta medicamentorum compositione. Dubitatur
autem cur alumen proponatur? Per alumen igitur non intelligitur crudum alumen, sed combustũ, quod
sæpe etiam exstinctum sit in lacte chalybeato, vel in sero lactis chalybeato: beneficio enim huius præpa- C
rationis non est amplius mordax & abradens, sed habet vim adstringendi citra omne detrimentũ. Quoad

Externa.

externa: Hipp. l. 2. de morb. mul. potissimum probat *poscam cum foliis rosarum: huius loco etiam vti possumus*
vino astringente. Practici applicant vnguentum Hippocratis dictum, vnguentum Comitissæ, vnguentum de ca-
staneis. Possunt autem externa medicamenta administrari forma inunctionis, fomẽti. Pectini etiam actu
frigida applicari possunt, ea tamen frigiditate, vt fœmina horrore non afficiatur: qui modus indicatur a
passione indicantis, nimirum sanguinis fluentis: qui cum vehementer resistat, efficacius requirit medica-

a Adstringentia narcotica.

mentum, quale est, si actu frigidum applicetur. Sed præterea probantur adstringentia, quæ habent vim
stupefaciendi, quæ conficiuntur *ex opio: vnde probantur trochisci de Carabe cum opio, & magis probantur*
descripti a Rhase, quam a Mesue, quia illi recipiunt opium in minori quantitate. Hæc exhibentur. Hippocrates
etiam applicat medicamentum confectum ex hyoscyamo & cicuta. Hæc materiæ indicantur a sanguine, sed D
non facile permittuntur a virtute vteri: nam calor vteri indicat calidum, vt periculum sit, ne plus iusto he-
bescat, propter frigidiora medicamenta. Quare miscenda sunt, quæ ob crassitudinem substantiæ astrin-
gunt: ob caliditatem autem calorem seruant, ne ita a stupefacientibus lædatur, vt est *mastiche, mentha,*
bacca cupressi, &c.

Diæta.

Victum crassefacientem probat Hipp. qui indicatur a sanguine tenuiore, & plus iusto fluxili. Probat
autem *cibum assum, & panem assatum sub cineribus.* Hic modus agendi, indicatur a sanguinis passione, vt
scil. cibus crassefaciẽs magis crassefiat. In lue Gallica exhibetur panis assatus, ea ratione, vt virulentia galli-

Panis assus in mo bo Gallico.

ca valenter siccetur. Neq; obstat, quod habet aliquam vim crassefaciendi. Licet. n. in lue non sit vtendum
crassefacientib. sed attenuantib. & euacuantibus materiam per sudorem, per insensibilẽ transpirationem:
vtimur tamen pane proposito caussa vehementis exsiccationis; & impedimento, scil. crassitici, occurrimus E
decocto guaiaci, sarsæ parillæ, &c. quibus materia satis attenuatur, euocatur ac dissipatur.

CAPVT III.

De Stillicidio mensium.

Nomen.

PEr mẽsium stillicidium intelligimus fluxum sanguinis, dum fit stillatim, & e necessitate cum dolore, vt
monet Aetius. Doloris. n. caussa peculiare caput huic malo donatur; alias sufficerent ea quæ proposita

Generatio.

fuere in sermone de suppressione & profluuio mensiũ. Generatur hoc malum, dum sanguis cum impetu
fluit in vterum, & eo cum impetu, vt soluat continuum, & hinc dolor excitetur, & stillatim egrediatur san-

Definitio.

guis: quia sanguis suo impetu ita agit in vterum, vt necessario expultrix proprio munere frustretur. Quare
stillicidium mensium est exiens sanguinolentum stillatitiũ vteri, dependens a frustratione expultricis ve-
narum vteri. Dicitur exiens: ad differentiam excrementi, quod detinetur. Sanguinolentum, ad differentiam F
exeuntis, quod non est sanguis. Stillatitium: ad differentiam exeuntis sanguinei, quod non stillatim egre-
ditur, sed in magna copia.

Caussa efficiens.

Quoad caussam efficientem: diximus, dependere a frustratione expultricis vasorum vteri, vt hoc ma-
lum distingueretur a profluuio mensium, quod fit per diapedesin: hoc enim fit, dum sanguis stillatim &
sensim egreditur, sed sine dolore, ob frustrationem retentricis. Inquirenda igitur est caussa, ob quam ex-
pultrix frustratur. Aetius cap. proprio inquit, quandoq; esse caussas specie diuersas, id est, angustiam multi-
plicem, virium debilitatem, sanguinis multitudinem, sanguinem pituitosum, & sanguinem feculentum.
Huius numeri ratio talis est. Expultrix frustratur, vel quia Læditur facultas, vel ob Errorem externũ. Læ-
sio facultatis est morb. Facultas autem læditur, si vel Labefactatur, vel Impeditur. Labefactatur ob quam-
libet intemperiem immodicam. Nam quoad calidam; secundum Auicen. licet expulsio fiat a calido per se, G
quemadmodũ a frigido per accidens: verumtamen intensior requiritur caliditas in cõcoctione, q̃ expul-
sione, vt immoderata caliditas expultricẽ possit labefactare. Sed præterea intẽperies frigida põt esse in caussa:
nam licet frigiditas adiuuet expulsionẽ, hoc tamen fit secundario & per accidens, vt potius cõferat ad red-
dendũ idoneũ mistũ, q̃ ad viuificandũ facultatẽ: vnde intẽperies frigida facultatẽ labefactare potest. Præ-
terea cũ expulsio fiat potius a sicco, q̃ humido, gratia humiditatis intẽperies potest expultricẽ labefactare.
Sicca etiã in caussa esse põt. nam licet a sicco fiat expulsio: siccitas tamẽ magis fauet retentrici: vnde siccitas
valen-

A valentior poteſt facultatem expultricem labefactare. Conſtat ergo labefactari expultricem ob intemperiem. Ad quæ vitia reſpiciens Aetius, propoſuit debilitatem virium. Si vero expultrix impediatur; impeditur ob morbum in mala compoſitione, ob anguſtiam; quæ eſſe poteſt coaleſcentia, conſtipatio, compreſſio, ſubſidentia, & obſtructio: has omnes inſinuans Aetius, proponit anguſtiam multiplicem. Porro fruſtratur expultrix ob errorem externum: qui nil aliud eſt, quam ſanguis: qui peccat vel Copia, vel Qualitate. Quoad copiam, Aetius proponit ſanguinis multitudinem. Sanguis qualitate peccans, poteſt eſſe viſcidus, vel craſſus: ille pituitoſus, hic feculentus.

Sufficit autem differentias ſumere ab efficiente cauſſa. Fit ergo hoc malum, quia vel Læditur facultas, vel aliquis Error committitur. Læditur facultas, vel quia Labefactatur, vel Impeditur. Error adeſt, quia B ſanguis peccat Copia vel Qualitate. Differentiæ.

Malum hoc in genere facile cognoſcitur: ſtillatim enim egreditur ſanguis, & cum dolore. De ſignis differentiarum in ſuppreſſione menſium diximus. Signa.

Quoad præſidia: ſufficit hæc haurire a dolore: reliqua enim tradita ſunt in menſium ſuppreſſione & profluuio. Quare præſidia ſunt ſumenda a dolore, & a cauſſis doloris: de quibus alibi diximus. Indicationes.

Idem de prognoſtico ſtatuendum, quod in menſibus ſuppreſſis dictum eſt: oportet enim perpendere vim morborum & ſanguinis. Prognoſt.

Aetius proponit materias, quæ potiſſimum reſpicunt dolorem. Vnde quoad materiam cheirurgicam, hanc proponit ratione cauſſæ doloris, quia per materiam cheirurgicam remouetur dolor, ob remotionem cauſſæ. Aetius ergo proponit ſectionem venæ, cucurbitulas ſcarificatas, & non ſcarificatas, hiru- Curatio.
C dines & ligaturas. Quoad venæſectionem, ait: ſi dolor perſeueret poſt fomenta, ſecandam eſſe cubiti venam, & ſanguinem pro virium ratione detrahendum: deinde rurſus fomenta eſſe iteranda. His verbis Aetius proponit, tum neceſſitatem venæſectionis, tum rectam adminiſtrationem. Quoad neceſſitatem venæſectionis: proponit venæſectionem, reſpiciens, non modo ad remedium genericum, ſed etiam ſpecificum. Quoad remedium genericū; id quod indicat remedium vehemens, vacuans ſanguinem, nihil aliud eſt, quam ſanguis, vi vehementi affectus; quam vehementiam exprimens Aetius inquit, ſi poſt fomenta dolor non minuatur, venam eſſe ſecandam: hinc enim euidens fit, ſanguinem eſſe vehementem, qui non cedit fomentis. Remedium ſpecificum inſinuat, dum ait, ſanguinem eſſe vacuandum, pro virium ratione. Hoc in loco nō reſpicit ad vſum, id eſt, ad quantum agendum, ſed ad remedium ſpecificum: ſicut enim ſanguis vt vehemens, indicat vehemens remedium; ita ſanguis, vt copioſus, indicat remedium vacuans D ſanguinem in magna copia. Hoc in loco iubet Aetius, ſanguinem eſſe vacuandum in ea quantitate, quæ requiritur pro virium ratione: hoc enim remedium ſpecificum indicatur a copia ſanguinis: coindicatur & permittitur a viribus. In aliquibus morbis magis poteſt ſanguinis copia, quam virtus: in quibuſdam cōtra. Prudentiſſimus Aetius cognoſcens in ſtillicidio menſium circa quantitatem ſanguinis euacuandi, magis ad vires quam ad copiam ſanguinis eſſe reſpiciendum, quia in hoc malo ſanguis ſtillatim egreditur: ob id dixit, ſanguinem eſſe vacuandum, pro ratione virium, Præterea proponit rectam adminiſtrationem, & præſertim quando & vbi agendum: quia reliqua nota ſunt. *Quando?* Iubet eſſe ſecandam venam poſt fomenta. vnde proponit fomenta ſectioni venæ; & rurſus poſt venam ſectam vtitur fomentis. Nam quando agendum, ſumitur a præſentia indicantis. Nōne ante fomenta aderat præſentia ſanguinis? Si poſt fomenta adeſt præſentia ſanguinis: multo magis ante fomenta? Imitatus eſt Aetius Senem, qui lib. 2. de rat. vict. E ait, in pleuritide dolorem fomentis eſſe ſedandum: &, ſi non cedat fomentis, venam eſſe ſecandam: vtebatur enim fomentis, vt cognoſceret an materia eſſet copioſa, necne; & proinde, an indicans eſſet vehemēs, necne. Sic Aetius, vt cognoſcat, an ſanguis, cauſſa doloris ſtillicidii, ſit vehemens, necne; vtitur fomentis: & vbi per fomenta cognoſcit, ſanguinem eſſe vehementem, dum ſcilicet non cedit fomentis, ſtatim ad venæſectionem confugit: & poſt venam ſectam, cum refracta eſt vehementia indicantis, fomentis vtitur. Quoad *vbi*; ſecat venam cubiti: talis enim eſt ſanguinis ſubſiſtentia, qui conſequitur impetum ſanguinis a ſupra ad infra. Phlebot.

Cucurbitulas etiam probat Aetius, ſi malum non cedit fomentis: quarum tres aut quatuor, citra ſcarificationem, pectini & inguinibus applicat: &, ſi dolor perſeueret, etiam cum ſcarificatione, ita vt immoderata ſanguinis quantitas euacuetur. His verbis proponit auctor cucurbitularum neceſſitatem & vſum. F Quoad neceſſitatem; duo proponit: primum, cum dicit, cucurbitulas eſſe recenſendas inter validiora auxilia: cognouit enim cucurbitulas eſſe materias remedii & diſcutientis, & deriuantis; & proinde euacuantis tum ſenſibiliter, tum inſenſibiliter. Cucurbitulæ enim ſcarificatæ ſenſibiliter euacuant. Cum ergo malum non cedit fomentis; patet doloris cauſſam ita eſſe vehementem, vt ad validiora ſit accedendum; non quidem validiora, ratione venæſectionis, ſed ratione fomentorum. Alterum circa neceſſitatem tangit Aetius, dum ait; immoderatam ſanguinis quantitatem eſſe euacuandam, quia in hoc malo licet non euacuetur ſanguis in multa copia, ex aliqua tamen parte euacuatur, vt ſufficiat moderata ſanguinis euacuatio: & ob id per cucurbitulas ſanguis detrahendus non ad libras, ſed ad vncias. Quoad *vſum*: & primum *quantum agendum*: applicandæ ſunt modo tres modo quatuor cucurbitulæ: prout enim maior eſt ſanguinis actio: pro eo pluribus vel paucioribus cucurbitulis vtendum. Quoad *modum*: applicandæ ſunt G interdum cum, interdum ſine ſcarificatione; prout varia eſt paſſio ſanguinis: ſi enim ſanguis facile cedat, probantur non ſcarificatæ: ſi maior ſit reſiſtentia ſanguinis, probantur ſcarificatæ. Eo autem tempore probantur quo adeſt præſentia indicantis, quam præſentiam ſignificant fomenta, dum his ſanguis non cedit. In praxi notandum, ante fomenta quandoque adeſſe præſentiam indicantis; cum inſignis eſt dolor. Tutius autem eſt primum vti fomentis, deinde cucurbitulis. Licet vero ante fomenta aſſit præſentia ſanguinis; quia tamen per cucurbitulas euacuatur ſanguis potius tenuis, quam craſſus; dum ſanguis craſ- Cucurbitulæ.

sus est, sua crassitie prohibet vsum cucurbitularum: ad crassum enim sanguinem fundendum & attenuandum, (A) expedit vti fomentis: post quem vsum adest præsentia sanguinis, neque crassities amplius prohibet, quia non adest. Quoad *vbi:* applicat pectini & inguinibus, propter subsistentiam sanguinis, dolorem in vtero excitantis.

Hirudines. Post cucurbitulas, ait Aetius, hirudines pectini & inguinibus esse applicandas; quia æque iuuant ad attrahendum, atque cucurbitulæ. His verbis Aetius proponit hirudinum necessitatem, & potissimum quando agendum. Necessitatem: cum inquit, æque iuuare ad attrahendum, ac cucurbitulas: dum enim sanguis sui vehementia perseuerat, ad excitandum dolorem, est necessarium etiam confugere ad hirudines, quæ æque trahunt ac cucurbitulæ, non simpliciter, sed dum adhibentur post cucurbitulas scarificatas. (B) Hoc ergo in praxi obseruandum, vt post applicationem cucurbitularum scarificatarum, non rursus applicentur cucurbitulæ, ne intensior dolor excitetur. Vt autem sanguis euacuetur, optimum est, vt hirudines applicentur aliquibus foraminibus: ita enim copiosus sanguis egredietur sine dolore, qui metuendus esset, si rursus applicarentur cucurbitulæ. Pauci hoc obseruant, quia pauci intelligunt Aetium. Quoad *quando agendum:* applicandæ sunt hirudines post cucurbitulas: quia post eas adest præsentia indicantis; & nihil prohibet.

Ligaturæ. Postremo probat Aetius, vt fasciis ligentur extremitates infernæ, & supernæ: nam harum beneficio coercetur impetus sanguinis in vterum, siue motus sit a supra ad infra, siue contra.

φαρμακεία. Medicamenta proponit Aetius, quæ referuntur ad dolorem, tum quatenus symptoma est, tum quatenus a sanguine, tanquam a caussa, excitatur. Quoad priora medicamenta, a dolore indicatur frigidum (C) & humidum. Sed de materia frigida & stupefaciente nihil meminit Aetius, quia non probatur: in mensium profluuio probatur, quia in stillicidio materia non euacuatur vt opus est: vnde opiatis non est vtendum. *Anodyna humectantia.* Sat ergo fuit Aetio, proponere medicamenta humectantia, beneficio quorum mitigatur dolor. Vnde potissimum probat *lanam succidam, cum vino & oleo rosaceo. Probat vesicam semiplenam medicamentis humectantibus, verbi gratia, oleo sesamino, amygd. dul. lil. alb. decocto maluæ, alth. fœnigraci, meliloti, &c. Sic probatur vsus butyri, medullarum, adipis, potissimum vitulini, gallinacei, suilli: quorum beneficio hebescit aliqua e parte calor & acuties.* Quæ caussam doloris respiciunt, sunt resoluentia: vnde Aetius propositis medicamentis addit *rutam, artemisiam, matricariam, semen lini, anethi: addit etiam terebinthinam oleo liquatam.* Et vrgente necessitate ascendit ad *encathismata, ad epithemata, ad sinapismes, vt sinapi & euphorbio etiam vtatur, ad caussam doloris eradicandum.* Et hæc applicat partibus propositis. Præterea probat *medicamentum e pyrethro, & staphide agria confectum,* in quibus est vis calefaciendi, attenuandi, exsiccandi, & dissoluendi. (D) Sufficiat monere circa *modum.* Aetius inquit, *balnea naturalia calida esse applicanda, & aquam marinam frigidam esse adhibendam.* Modus indicatur a passione indicantis. Cognouit Aetius, talem esse *Resoluentia.* passionem sanguinis, vt difficulter cedat, resoluentibus. Quare balnea sulphurea, vt efficacius agant, actu calida sunt administranda. Ex altera parte, passio doloris indicat sui resistentia, vt actu frigidum medicamentum administretur. Non igitur mirum est, si Aetius ad vtriusque indicantis passionem respiciens modo actu calida, modo actu frigida administrat.

Victus. Quoad diætam: cauendum est ab acribus & flatulentis: acria enim dolorem exacerbant: & flatulenta, & proinde crassa atque viscida, sunt in caussa, vt cum maiori difficultate sanguis egrediatur. Quorum vtrumque cauendum in hoc morbo. (E)

CAPVT IV.

De Profluuio albo.

Nomen. Vitium hoc dicitur profluuium album, muliebre, vterinum. Hippoc. aph. 36. sect. 5. appellat menses decolores: quia menses colorati, sunt menses rubri; hi autem fluores non seruant colorem decentem. Et Galen. c. vlt. lib. 3. de sympt. caus. sub eodem nomine profluuii albi claudit & profluuium muliebre, & *Generatio.* profluuium vterinum. De omnibus igitur his malis hoc in capite dicendum. Generatur hoc malum, quando materia morbifica excrementitia in venis vteri exsistens, ita irritat expultricem, vt hæc materia *Definitio.* per vterum egrediatur. Malum ergo hoc est exiens excrementitium venarum vteri, procedens a frustratione expultricis vteri. Exiens dicitur; ad differentiam excrementi quod non excernitur, sed retinetur. (F) Excrementitium; ad differentiam sanguinis, qui est exiens alimentale, quod dum in corpore retinetur, potest in alimentum conuerti. Secus autem statuendum est de exeunte in profluuio albo, quod est exiens excrementitium. Hoc exiens cum Gal. c. 5. l. 6. loc. aff. non modo potest esse humor, sed etiam ichor. Humor scilicet pituitosus, biliosus, melancholicus, & atrabilaris. Sanguis autem non proponitur: quia in hoc malo primaria ratione non egreditur, licet quandoque per viam consecutionis aliqua portio egredi possit. Quoad ichorem: potest esse quilibet ichor: nam Gal. l. cit. proponit ichorem aquosum, subpallidum, & rubrum: aquosus est ichor pituitæ; subpallidus, humoris melancholici: ruber, sanguinis & bilis, quia ichor *Subiectum.* bilis subruber est. Constitutum ergo sit, hoc exiens excrementitium esse & humorem, & ichorem. Subiectum, sunt venæ vteri: ad differentiam aliorum vasorum, verbi gratia, ad differentiã vasorum seminalium, vt distinguatur hoc vitium a gonorrhoea. Præterea per venas distinguimus hæc mala a meatu vesicæ, vt (G) hoc malum distinguatur a profluuio lotii, arenularum. Diximus vteri, vt hoc exiens distingueretur ab exeunte per venas, non vteri, sed aliarum partium.

Caussa efficiens. Quoad caussam efficientem; diximus: procedens a frustratione expultricis. Vt per hanc particulam distingueretur hoc malum a profluuio sanguinis: qui, licet ratione fœtus posset habere rationem alimenti, non excrementi: ratione tamen fœminæ rationem habet excrementi, vt sit exiens excrementitium venarum vteri: sed hoc non procedit a frustratione facultatis expultricis, verum a retentricis frustratione.

At

A At exiens in albo profluuio,procedit a frustratione expultricis.Inquirendum ergo,quam ob caussam frustretur facultas expultrix. Dicimus eam frustrari non læsa facultate,id est, non ob morbum, vt colligitur ex Hippo.l.1.de morb.mul.& e c.5.l.6.loc.aff.vbi inquit profluuium muliebre fieri,vtero nequaquam affecto.Si vterus non afficitur;certe locum non habet læsio facultatis,sed solum error externus.Nec obstat, licet idem Gal.loc.citato dicat,in profluuio vterino affici vterũ:nam morbus,quo vterus afficitur in profluuio vterino,non est morbus pertinens ad expultricem,sed ad alteratricem. Constitutum ergo sit,fieri ob errorem externum:qui nil aliud est quam materia excrementitia,a nobis proposita. Hæc materia, vt colligitur e c.5.l.6.loc.aff.& c.vlt.l.3.de causs.sym.generatur quandoque In vtero, quandoque Extra vterum.

B In vtero,in profluuio vterino,quia frustratur concoctrix,quandoq; ob morbum,id est, intēperiem frigidam,quæ etiam humiditatem coniunctam potest habere;quandoque ob errorem externum, id est, ob sanguinem crudum,qui detinetur in acetabulis vteri,id est,in orificiis venarum vteri;vt sanguis sic pituitosus & crudus redditus,sui copia aggrauet expultricē,& ita egrediat.Extra vterũ generatur ad eundē modũ,vel Læsa facultate;vel ob errorē externũ.Læsa facultate,ob morbũ quandoq; ipsius capitis;vt interdũ fiat ꝓfluuiũ albũ a capite refrigerato,humectato:quandoq; ob morbũ ventriculi frigidũ & siccũ,& præsertim in profluuio pituitoso:quandoq; ob morbum iecoris, cũ iecur afficitur morbo calidiore,vt sanguis biliosus,melancholicus,& similes ichores producantur. Sed præterea hi succi,hæc excrementa possunt generari,ob frustrationem alteratricis,propter errorem externum,id est,ob prauam viuendi rationem;quæ,prout varia est,ita solet esse caussa,vt varii succi generentur:v.g. si diæta fuerit pituitosa,mulier

C vsa fuerit cibis pituitosis,potu aquæ;sanguis iure producitur pituitosus.Sic si vescatur cibis calidioribus, bibat vinum meracius,generantur succi acriores,biliosi,atrabilarii.

Quoad differentias formales: Cum hoc malum sit exiens excrementitium; differentiæ sunt penes Essentiam,& penes Vitium.Penes essentiam,vt sit Humor,vel Ichor.Si humor,vel pituita, vel bilis flaua, vel atra. Peccatũ est in qualitate,quātitate vel motu.In p̄sentia admonere sufficiat penes motũ, ex aph.36. sect.5.hoc excremētum,vt assiduo mouetur,facere profluuium perpetuũ;vt per interualla mouetur,facere profluuium per interualla:& hoc est vitium,quod vocant mēses decolores,modo anticipantes, modo postponentes. Quoad differentias a subiecto:venæ vteri vel sunt Corporis vteri,vel Ceruicis vteri. Quoad caussam efficientem,ab hac prodeunt differentiæ illæ,qua dicitur profluuium Muliebre, vel Vterinũ: muliebre id dicitur,in quo excrementum generatur extra vterum: vterinum, in quo excrementum generatur in vtero. *Differentiæ*

D Distinguitur hoc profluuium, a mensium profluuio immoderato,his tribus; nimirum substantia, colore & motu illius quod egreditur. Quoad substantiam,in profluuio sanguinis excrementum substantiam habet,quæ concrescit:at in malo nostro proposito,id quod effluit,non concrescit. Quoad colorem; is exacte rubicundus est in profluuio,de quo supra diximus:in loco autē malo color non est rubor, vnde profluuium album vocatur.Et,si contingat,cum excrementis egredi aliquam sanguinis portionem,non tamen color erit ruber:vnde Hipp.vocat menses decolores,quia hoc excrementum destituitur illo rubicundo colore. Quoad motum;profluuium sanguinis menstrui non est ita perpetuum, quemadmodũ ꝓfluuium muliebre,quod per annos etiam aliquot continuo durat;insuper menses decolores,non seruant certas periodos,sed incertas. Ex his malum hoc in genere cognoscitur. Quoad signa differentiarum formalium;oportet perpendere materiam penes speciem,& vitiũ. Species est ichor, vel humor: cuius dignotio traditur l.1.de morb.mul.nam si v.g. sit ichor;cognoscitur materiam egredi tenuem,& veluti aqueam si substantia spectetur:si humor exiens obtinet substātiam crassiorem,instar mellis. Species ichoris ita deprehēditur:si pituitosus sit, erit excrementum albicans,si melancholicus,subpallidum; si biliosus, subrubrum, flauescens cum materia q̃ egreditur apparebit,si sit ichor sanguinis,colorem rubicundum referet, nullus tamen grumus apparebit,non concrescet,quia non est sanguis,sed eius ichor. Si fuerit humor; oculis cōspicietis quis nam sit:& signa aderunt huius vel illius prædominantis. Sed notandũ, ꝙ aliquando vna cum humorib.aliqua portio sanguinis egreditur,q̃ ita humorum colorē turbat, vt primo intuitu nō ita euidenter liceat peccantem humorem cognoscere. Attamen secundum Hipp. l.1. de morb.mul. & secundum Aetium,hi succi deprehendentur,si panni infecti seruentur per diem, deinde vero simplici lotione abluantur,postea in vmbra siccentur:nam lotura sanguinis portio abluitur, & humor derelinquitur,qui vario modo pannum tingit,vt modo albicans conspiciatur,ratione pituitæ,modo citrinus,ratione bilis,modo nigricans,ob melancholiam. Quoad differentias a subiecto;num egrediatur materia ꝑ venas corporis vteri,vel potius ceruicis,ita distinguetur:dũ materia egreditur per venas ceruicis, non solet esse admodũ copiosa,quemadmodum dũ effluit per venas vteri,quia copiosiores sunt:secundo,dum materia egreditur per venas vteri,post conceptum,tempore gestationis vteri,profluuium cessat;at si materia fluat per venas ceruicis vteri,etiam post conceptum,tempore gestationis vteri, profluuium illud perseuerat. Quoad differentias caussæ efficientis;oportet cognoscere,an excrementum gignatur vel in vtero, vel extra,i.an profluuiũ sit muliebre,an potius vterinum. Distinguentur,primum ratione copiæ,nam dũ materia generatur extra vterũ,copiosa est,& copia ēt in profluuio muliebri excernitur:si gignatur in vtero,non est admodũ copiosa,licet ex Hipp. sententia assiduo putrida materia descendat. Secundo distingui poterunt e signis indicantibus vitia vel totius, vel alicuius partis non ignobilis, vt iecoris, ventriculi, cerebri:si enim assint signa indicantia vitia partium extra vterum, dicendum, materiam generari extra vterum: si contra vterus perpessus sit aliquam contusionem vel corruptionem, statuendum potius materiam generari in vtero,profluuium esse vterinum. Tertio internosci poterunt per colorem:nam si materia gignatur in vtero,color materiæ erit albus:si extra vterum,non erit ita albus:ratio est,quia cũ materia confluat in vterum per venas supra vterũ,vix fieri potest,ob sanguinis præsentiam,quin illius excrementi

Signa in genere.

E *Signa differentiarum a forma.*

F *Signa differentiarum a subiecto.*

Signa diff. a causs. efficiente.

G

color nonnihil mutetur. Quarto distinguentur: nam si profluuium fuerit muliebre, id est, materia gigna- A
tur extra vterum, post fluxum mensium secundum naturam, profluuium muliebre minuetur, quia hoc
excrementum tempore statuto vna cum sanguine menstruo est euacuatum, vt cum cessauerint menses,
non videatur esse profluuium adeo copiosum, quemadmodum ante mēses: oppositum est, si profluuium
fuerit vterinum, si materia gignatur in vtero: nam cum hęc materia resideat in orificiis venarum, hęc ni-
hil aliud est, quam succus quidam pituitosus, & proinde viscidus: vnde tempore mensium humores visci-
di a sanguine menstruo agitantur, sed propter visciditatem non ita facile effluunt. Dum vero menses ces-
sant, materia hæc iam commota, & aliqua e parte extersa ab expultrice expellitur, vt merito post menses
hoc profluuium augeatur.

Indicationes. Quoad præsidia: suppositis vitalibus, ea sumenda sunt ex indicantibus ex vsu, & proinde ab excre- B
mento. Galenus c.8. li. de præcognit. loquitur tantum de profluuio muliebri, quo cruciebatur vxor Boe-
thi. Nos ea ad omne profluuium, tum muliebre, tum vterinum, transferre possumus. Sunt ergo desumen-
da præsidia ab excremento, vt perpendi potest penes qualitatem, copiam, motum, atque vt ab agente
morbifico producitur. Penes copiam; indicatur minuēs, vacuans: quod præsidium etiam cognouit Hip-
poc. aph.36 sect.5. vbi ait; vbi fœminæ patiuntur menses decolores, purgatione indigent. Merito qualita-
tis; alterans per contrarium. Caussa motus, indicatur deriuans, reuellens: & proinde indicatur remedium
euacuans per lotium, per sedem, merito pręsidii deriuantis: gratia autem reuellentis, indicatur remedium
euacuans per sudorem, indicatur vomitorium. Gal. non meminit vomitorii; quia non respicit ad quodli-
bet profluuium, sed ad indiuiduum, mulierem quæ habet ventriculum imbecillem, vnde non potest vo- C
mitoriis vti. Ea autem ratione qua excrementum producitur; pro vario generante, varie oriuntur præsi-
dia: verbi gratia, si producatur excrementum a cerebro frigido & humido, oritur indicatio calefaciēdi &
siccandi cerebrum: si a calido iecore, refrigerandi.

Prognost. Scopi propositi maiori e parte possunt expleri: nec tamen vitium contemnendum est, quia obest
conceptioni: & si quandoque cōcipiat mulier, potest euenire facile vt fiat abortus. Pro discrimine tamen
differentiarum malum est magis vel minus periculosum. Hippoc. aph.36. sect.5. insinuare videtur, deteri-
us esse hoc malum, si portiones alimentales in excrementa mutentur, & effluant.

Curatio. Venęsectio. Vena secanda nō est in profluuio muliebri: sed potest secari in profluuio vterino: quia in profluuio
muliebri extra vterum in toto corpore redundat succus vitiosus, recedens a natura sanguinis; vt locum
habeat purgatio. At in profluuio vteri, caussa mali est excrementitia, maxime recedens a natura sangui- D
nis. Sed fieri potest, vt, licet hoc excrementum redundet in vtero, nihilominus in toto corpore redundet
sanguis; & cum hic habeat rationem caussæ sine qua non, & proinde sit vehemens, fit, vt venæsectio ad-
ministrari possit.

Materiæ medicinales. Medicamenta sunt triplicia: Vacuantia; Alterantia partes, quæ succos improbos producunt; Cor-
roborantia virtutem, quæ sunt astringentia. Vacuantia, vacuant materiam exsistentem Extra vterum, vel
I. Vacuantia. Intra. Priora euacuant per aluum, per lotium, per cutim, per vomitum. Quoad vacuantia per aluū. Gale.
cap.8. lib. de præcogn. probat medicamenta quæ vacuant aquam. Nec tamen conceditur vsus *elaterii*, q
1. Vacuātia per aluum. strenue aquositatem educit; nam fœmina mollissimum & laxum habet ventriculum, qui vsum elaterii
ferre nequit. Quod si occurrat mulier robustum habens ventriculum, nec tamen huic esset exhibendum
elaterium; supposito, quod profluuium procedat ab ichore pituitoso: vti enim possumus medicamento E
hydragogo, sed non vehementissimo, quale est elaterium, quia hæc materia aquosa non residet in cauita-
te abdominis, e qua in aluum non sunt manifesti ductus, vt in hydrope, sed in venis; nam per venas afflu-
it, non in cauitatem abdominis, sed in venas vteri, vnde promte vacuari potest. Præterea quia materia est
tenuis & fluxilis, facile potest educi. Vnde laudantur *ebulus, brassica syluestris, soldanella*, quibus materia
peccans per lotium & aluum euacuatur.

2. Diuretica Probantur etiam quæ per lotium euacuant, deriuando; vt *apium, asarum, aqua incocta, & exhibita*,
quibus abluuntur renes, & vesica. Hæc tamen, si alio modo administrentur, menses cient: nimirum si ex-
hibeantur cum dulcibus, *melle & saccharo*, quorum virtute ad vterum deducuntur: qua de caussa Galen.
cap.3. lib.8. κάτα τόπ. ad prouocandos menses probat *hieram, sed cum mulsa*, cuius dulcedine medicamen-
tum pro vehiculo vtitur. Notandum tamen, *apium, & asarum*, non exhibenda esse in quolibet profluuio F
muliebri decolori: sed etiam alia multum diuersa, pro varia fœminæ constitutione. Si enim malum oria-
tur ob redundantem succum non aquosum, sed pituitosum; exhibebitur, *agaricus, non succus ireos*: si ob
succum biliosum; dabitur *rhabarbarum*. Idem statuendum de diureticis. Galenus enim in vxore Boethi
probat *apium & asarum*, vere diuretica, id est, calida, sicca, & tenuis substantiæ; quia illa fœmina habebat
ventriculum imbecillum, & totum corpus erat frigidum, ac humidum. At si biliosa sit fœmina in qua ex-
superent succi acres; vti possumus diureticis improprie dictis, id est, quæ non ob caliditatem, sed ob sub-
stantiæ tenuitatem potius lotium promouent, vt sunt *semina frigida maiora & minora*.

3. Vacuātia per cutem. Quoad ea quæ per cutem euacuant, Galenus loco citato, inquit, se iussisse, vt fœmina quæ patieba-
tur profluuium muliebre aquosum, primo fricaretur mollissimo linteo, deinde asperrimo. Vtitur ergo
primum frictione molli, deinde aspera: post hanc vngit corpus solo melle multum cocto, & frigido actu, G
ea frigiditate, quam præ se fert aqua fontis æstiuo tempore. Hic duo sunt declaranda. Primum necessitas
propositarum materierum. Deinde modus; & præsertim penes id quod adhibet mel coctum, & actu fri-
gidum. Quoad primum: Frictio mollis, est materia remedii euacuantis per cutim, qua pori aperiuntur:
frictio aspera, est materia remedii alterantis, siccantis totum corpus, quod in illa fœmina erat iusto hu-
midius: mollis enim frictio cutim rarefacit; dura, asperaque cogit & siccat, libr. 2. de tuend. valetud. Pro-
bat deinde mel syncerum, tanquam materiam remedii alterantis, id est, calefacientis & siccantis totum
corpus

A corpus illius fœminæ, quæ erat frigida & humida:& recte probat citra picem & resinam; hæc enim calidiora noxam inferre possunt, humiditatem prædominantem liquando, quæ postea maiore impetu in vterum fluere posset. Hac ergo de caussa Galenus mel solũ probat. Quoad rectam administrationem mellis; probat Galenus mel multum coctum, & frigidum actu ea frigiditate, quæ est in aqua fontis æstiuo tẽpore. Modus indicatur a passione indicantis. Institutum Galeni erat, corpus humidius siccare; ita vt indicabat nimia mollities, nimia humiditas. Quare cum difficulter illa fœmina pateretur, cum summæ esset resistentiæ; medicamentum siccans ita erat administrandum, vt vehementer exsiccaret. Mel autem quo magis coquitur, eo magis crassescit, & proinde eo magis cogit, siccat: vt recte probetur mel multum coctum. Probatur autem potius actu frigidum, quam calidum: quia sic indicat passio humiditatis, nimirum
B prompta liquatio, quam ex vsu arenæ Galenus cognouerat. Si ergo mel administretur actu frigidum, prohibetur liquatio: quæ etiam ob asperas frictiones imminebat. Quare artificiose Galenus est progressus: vt merito dignus fuerit quadringentis aureis.

Quoad euacuantia per vomitum; hæc non proponuntur à Galeno loco citato: quia mulier imbecillum habebat vẽtriculum & totum corpus: non autem decet per partem imbecillam vacuare. Si fœminæ sint, quæ facile vomant, ita vt vẽtriculus vomitoria perferat; danda sunt vomitoria, quia euacuant per modum reuulsionis.

4. Vomitoria.

Quoad rectam administrationem vacuantium medicamentorum; Galenus loco citato probat, vt primo die exhibeatur medicamentum purgans aquam; secundo die, diureticum; tertio die rursus aquam ducens, sed in minori dosi, quam primo die; deinde a quarto die, ad decimumquintum exhibet diuretica
C interdum autem interponit, quæ per aluum euacuant. Vnde his diebus quotidie per horam ante prandium & ante cœnam fricat corpus primum syndone molli, deinde aspera; & postremo melle vngit. Quare hinc colligitur, Galenum primo euacuare per aluum, secundo per lotium, tertio per cutim, deinde permutatis vicibus modo hoc, modo illo vacuationis genere vti. His verbis insinuat Galenus *quando agendum*. Cognouit in illa fœmina magis posse præsentiam materiæ aquosæ, quæ debebat per aluum euacuari; & proinde primo vtitur medicamentis aquam euacuantibus. Secundo cognouit magis posse præsentiam materiæ, quæ circa iecur residet in venis emulgentibus circa renes: quam potest præsentia materiæ, quæ ad totam cutim spectat: & ob id ante euacuantia per cutim, probat diuretica. Tertio die rursus exhibet medicamentum aquam ducens: quia cum non liceat primo die totam materiam per aluum vacuare,
D repetenda fuit euacuatio, in minori tamen dosi die tertio, in maiori die primo; ratio est, quia primo die vt maior erat copia materiæ, ita actio erat vehementior, quæ proinde maiorem dosin indicabat. Quarto die Galenus per cutim euacuat, deinde etiam totum roborat, quia magis potest pręsentia materię, quam pręsentia imbecillitatis: quare primum vtitur frictione molli, deinde aspera, postremo inũctione. His autem vtitur ante prandium, & ante cœnam: quia cibus sui præsentia prohibet. A quarto denique vsq; ad quintumdecimum per vices modo vno, modo altero vtitur medicamento; prout adest præsentia vel huius, vel illius indicantis.

Vsus vacuantium.

Tandem quoad euacuantia, probantur ea quę vacuant materiam in vtero exsistentem. Vnde Hippocrates lib. de morb. mul. in profluuio vteri muliebri, ad euacuandam materiam in vtero, probat vt lauetur vterus *succo ficuum immaturam & syluestrium. Probat etiam medicamentum paratum e sicca resina,*
E *e foliis tamarisci, e semine lini, quæ in vino indebat, & cum adipe anserino per clysterem infundebat: quo medicamento administrato, Hippocrates vterum aceto colluebat. Auicennas probat clysteres confectos e decocto ireos, & brassicæ. Et pessaria etiam parari possunt, e medulla cucumeris syluestris, & aliis.* de quibus in suppressis mensibus egimus, quæ vim habent attenuandi, & detergendi.

5. Vacuãtia in vtero cõtentam materiam.

Probantur etiam medicamenta quæ respiciunt caussam, a qua generantur succi propositi excrementitii: de quibus alibi. Prout enim varium est producens, pro eo variis vtendum medicamentis: vt, si a ventriculo frigido & humido producatur; probantur calefacientia & exsiccantia, *aqua sulphurea, guaiaci decoctum*, & quæ sunt proposita in malis ventriculi. Si producens sit iecur calidum; probantur frigida, *aquæ refrigerantes, aquæ B. Virginis.*

II. Medicamẽta respiciẽtia caussam generãtem succos.

Postremo probantur adstringentia, quibus virtus vteri roboratur. Vnde ab Auicenna & Paulo pro-
F bantur medicamenta, quæ etiam cõferunt in profluuio sanguinis immoderato. Hippocrates probat medicamentum confectum *e rosis, myrto, rubo*. Et propter calorem vteri, qui calida indicat, probat medicamentum confectum *e mastiche, mẽtha, thure, foliis cupressi, foliis viridibus oliuæ, & hæc administrat, vel cum cera, vel cum farina lentium, vel etiam cum vino acerbo*. Præterea Hippocrates vrgente necessitate adscendit ad medicamentum, quod fit *vel ex aqua, vel e vino astringente, alterato cum balaustiis, gallis, malicorio, myrto:* & ratione caloris vteri, *iuncum odoratum* addit: quia non est tutum frigidis vti synceris. Aetius in hoc malo probat medicamentum, quod, ceu medicina delectabilis, Aspasia vulgo dicitur, estque in communi vsu apud meretrices: si enim fœmina sese abluat frequenter hoc medicamento, veluti virgo videtur: *Sumuntur gallæ immaturæ, per octiduum in aqua macerantur: deinde in hanc aquam lana immittitur, & ea non exprimitur, sed siccatur, & frequenter applicatur.* Circa *vbi agendum*, notare oportet, medicamentis
G adstringentibus non vtendum esse per os, ne in visceribus obstructiones excitentur: vel saltem desistendum a vehementer adstringentibus. Hippocrates autem hæc applicat pectini; quia principale indicans in vtero subsistentiam habet. Quoad *quando agendum*; in hoc morbo, siue sit profluuium vteri, siue muliebre, hæc non adhibenda sunt eo tempore, quo secundum naturæ leges menses effluunt: quia sanguis mẽstruus, vt mouetur & egreditur per vterum, sui præsentia prohibet administrationem horum adstringẽtium.

III. Corroborantia vterum.

Diæta medicamentis respondeat Hip. l. 2. de morb. mul. probat, *lac bubulũ, copiosum, recens emulctũ*, Victus.

Qui tamen cibus non indifferenter eſt exhibendus. Si enim fœmina ob profluuium reddita ſit emaciata, A
hic probatur, quia non modo aliqua e parte craſſefacit, ſed etiam vehementer nutrit, & præſertim ſi multa copia exhibetur. Quod ſi emaciata nõ ſit, & præſertim ſi obſtructiones aſſint; ab vſu lactis abſtinendũ.

Capvt V.

De vitiis circa Conceptionem: & primum de Sterilitate: ad quam rectius intelligendum fœcunditatis natura prius explicatur.

Tranſitio.

ABſolutis vitiis, pertinentibus ad Purgationem menſium: dicendum modo de vitiis, quæ pertinere videntur ad Conceptionem. Quæ cum multifariam lædi poſſit, de quolibet vitio dicendum: & præ- B
cipue de Sterilitate, de Monſtro, de Mola. Sed quoniam rectum eſt index ſuimet & obliqui: neceſſum eſt, vt primum digrediamur circa conceptionem ſecundum naturam. Vbi tria explicabimus: primo modum ſecundum quem ſit conceptio: deinde eſſentiam conceptionis: tertio, ſigna, quibus diſtinguimus fœminas fœcundas a ſterilibus.

Modus cõceptionis ſecundum naturam.

Ad conceptionem celebrandum neceſſarium eſt, vt mas cũ fœmina, non citra oblectationem, coniungatur, vt ab vtroque fiat eiaculatio ſeminis fœcundi, partim quidem in vterum, partim in vteri ceruicem: ea tamen ratione, vt, quę ſeminis portio coniicitur in ceruicem, ab vteri attractrice in vterum attrahatur, a retentrice ita retineatur, vt os vteri claudatur, & his peractis exacte vtrumque ſemen miſceatur, & beneficio facultatis, ſeu proprietatis conceptricis vteri, vis illa in ſemine exſiſtens, quodammodo ſopita, excitetur, vt exporrecta fœtum formet, & efficiat.

Eſſentia cõceptionis: quæ definitione explicatur.

Quoad eſſentiam: Conceptio ſecundum naturam nihil aliud eſt, quam alteratio ſeminis fœcundi, C
procedens ab alteratione vteri, propter ſpeciei conſeruationem. Quoad formam, dicitur alteratio ſecundum naturam: quatenus enim a facultate prodit, non eſt opus, ſed actio; quæ non eſt animalis, non vitalis, ſed naturalis, quatenus actio naturalis poteſt eſſe attractio, retentio, expulſio. Hac ergo alteratione actio eſt diſtincta a reliquis functionibus. Subiectum eſt ſemen fœcundum, nimirum id quod alteratur: quo hæc alteratio diſtinguitur ab illa quæ eſt ſanguinis, alimenti. Cauſſa efficiens eſt alteratio vteri ad differentiam alterationis quæ fit ab alteratrice aliarum partium, verbi gratia, teſtium. Et quia alteratrix vteri duplex eſt, priuata & communis, vt pateret, hoc in loco concurrere, non priuatam, ſed communem, additum eſt, propter ſpeciei conſeruationem: nam priuata alteratrix, agens in alimentum, ita alterat alimentum, vt nutriatur & conſeruetur vterus, vt conſeruetur fœmina. At alteratrix dum agit propter cõ- D
ſeruationem ſpeciei; illa quidem a Medicis poteſt nũcupari conceptrix, quæ excitat viuificam facultatem, in ſomine ſopitam, beneficio proportionis vteri, quam ſibi præſcribit ac limitat hæc proprietas, facultas hæc conceptrix: ſicut ſanguificatrix ad ſanguificandum concurrit beneficio proportionis iecoris, quam ſibi præſcribit & limitat ſanguificatrix, opem tamen ferente calido.

Sed pro exacta explicatione definitionis, duo a nobis tradenda ſunt: primum, quid ſit ſemen fœcũdum: deinde, quæ eius ſit vis, ſeu quomodo fœtus formetur. Semen ergo nihil aliud eſt, quam miſtum ex

Semen fœcundũ quid & quibus conſtet partibus. Vide ſupra tractatum H. Capiuaccii, de fœtus formatione

excremento vtili, & ſpiritu, procedens a mare & fœmina, in vtero permiſtum. Semen fœcundum eſt miſtum; quia eius ſubſtantia non eſt ſimplex, ſed miſta e ſpiritu, & excremento vitali vtili. Spiritum proponit Philoſophus cap. lib. 2. de gen. animal. vbi vult, in ſemine eſſe ſpiritum, qui ſemen fœcundum faciat, & proportione reſpondeat, τῷ τῶν ἄςρων ςοιχείῳ: eius enim calor non abſumit, ſed potius generat & conſer- E
uat. Hoc etiam fatetur Galenus capit. 4. & 8. libr. 1. de ſemin. & Hippocrates lib. de genitura, quod ſemen fœcundum plenum ſit ſpiritu, & potiſſimum vitali: vnde fit, vt illi qui nimium Veneri indulgent, peius habeant e minima ſeminis emiſſione, quam e copioſo ſanguinis fluxu, ſeu per os, ſeu per nares; non alia de cauſſa, quam quod cum ſeminis emiſſione ſpiritus vitalis diſſipatur. Altera ſeminis portio eſt excrementum vtile: per quod intelligimus cum Philoſopho reliquias vltimi alimenti, id eſt; ſanguinis. Nam primum alimentum eſt cibus, ſecundum chylus, tertium & vltimum ſanguis. Errant igitur, qui per vltimum alimentum intelligunt humiditates alimentales: ſiue enim vltimum alimentum ſtatuatur humiditas rorida, ſiue appoſita ſiue agglutinata, hæ humiditates non poſſunt amplius regredi tempore coitus; id quod multo minus de aſſimilata cogitandum eſt, quia in vaſis ſeminariis circa principia euidenter cõſpicitur ſanguis, qui poſtea in ſemen mutatur; vnde in coitu immoderato etiam ſanguis eiaculatur. Per F
excrementum ergo vtile intelligimus ſanguinem; qui habet rationem excrementi, id eſt, ſuperuacanei. Cum autem ſemen conſtitutum ſit e ſpiritu & ſanguine; & proinde e materia vaporoſa, & corpulenta humida: neceſſario ſequitur, ſemen eſſe ſpumoſum, vt teſtatur Galenus capite quinto, libro primo, de ſemin. capite nono, libro decimoquarto, vſu partium: aſſunt enim cauſſæ ſpumæ, nimirum materia va-

A ſexu vtroq; ſemen emitti.

poroſa & humida, calor & motus. Procedit ſemen a mare & fœmina, mediate vel immediate: immediate, quando a teſtibus procedit; mediate, quando ab aliis partibus. Neceſſarium autem fuit, ſemen tum a mare, tum a fœmina prodire: ſemen enim fœcundum debet eſſe calidum, quam caliditatem ſemini non poteſt tribuere calor fœminæ, qui debilis eſt, propter conſeruationem & augmentum fœtus, vt ſcilicet fœmina copioſiorem ſanguinem produceret, quem procul dubio calor fœminæ auctior aſſumeret. Interim tamen muliebre ſemen, ad calorem illum ſpermatis maris contemperandum, requiritur; G
vt nimirum copulato & prorſus confuſo vtroque ſemine, κρᾶσις σύμμετρος, & conueniens generationi

Semen vnde decidatur.

moderatio oboriatur. Procedit autem ſemen (teſte Hippocrate libro de genitur. & Galeno capite quarto & quinto, libro ſecundo de ſem.) a toto corpore, & a præcipuis partibus: mutilati enim liberos non mutilatos procreant. Ratione vtilis excrementi, ſemen procedit a toto: ratione ſpiritus a principalibus partibus, maxime a corde. Nam quoad ſanguinem, vt habet rationem vtilis excrementi, procedit ab vna tantum parte, aut a paucioribus; partes illæ ſummum detrimentum percipiunt,

quia

A quia ſanguine nimis priuantur: at, minus incommodum ſentiunt, dum ſanguis non ab vna tantum parte, ſed a toto procedit. Huc reſpiciens Hippocrates dicit, ſemen prodire a toto, ab omnibus partibus,& ab omni humore,id eſt, a ſanguine, in toto corpore contento. Quoad ſpiritum; non erat opus, vt a toto procederet, ſed tantum a principalibus partibus. Nam vim eam accipit ſpiritus in virtute principum partium; vt licet ſanguis procedat a corpore mutilato, nihilominus liberi procreentur integri, quia in ſpiritu, vt procedit a principe parte, eſt vis, qua integre poteſt fœtus produci. Conſtat ergo qua ratione ſemen mediate procedat a mare & fœmina. Immediate a teſtibus oritur, capite decimoquarto, decimoquinto & penultim. libro primo, de ſemin. capite quarto, libro ſecundo, de ſemin. nam ſemen vltimam

Elaboratio ſeminis in teſtibus.

B perfectionem a teſtibus acquirit: quia in vaſis ſeminariis aliqua vis eſt generandi ſemen; non tamen fœcundum generatur, niſi vltimam perfectionem acquirat in ſubſtantia teſtium. Vnde Galenus dicit, ſi quis ſumma cum dexteritate nequaquam lædens vaſa ſeminaria, nec ſuperiorem membranam, retrahat teſtes, gigni ſemen, ſed non fœcundum: nam proprietas ſeminalis non modo in teſtibus reſidet, ſed in omni parte corporis ſpermatica: differentia autem eſt, quia in teſtibus eſt vis ſummæ actiuitatis, in reliquis partibus minoris actiuitatis. In reliquis autem partibus generari ſemen facile e Galeno probatur: ſeminales enim partes e ſemine aluntur & conſeruantur, quod ſemen non in teſtibus generatur (:alias toti tranſmitteretur ſemen a teſtibus:) ſed in ſingulis corporis partibus, in quibus tamen vis gignendi ſemen remiſſa eſt, vt tantum ſeminis generetur, quantum ſufficit ad conſeruationem illius partis indiuiduæ. Hinc recte Galenus ait, deperditam ſubſtantiam arteriæ non poſſe reparari; at ſubſtantiam

C deperditæ venæ, (quamuis & hæc ſit pars ſpermatica:) interdum reparari poſſe: ratio eſt, quia arteria tunicas ſextuplo craſſiores habet, ad cuius reſtaurationem copioſo ſemine opus eſt, quod non poteſt generare vis illa ſeminalis arteriæ. Vena autem tunicam habet tenuem, quæ non eget adeo copioſo ſanguine: vnde ſi patiens ſit robuſtus, valido calore donatus, qualis eſt calor natiuus qui vrget in pueris; fieri poteſt, vt portio deperdita reparetur. In teſtibus autem ſumma vis eſt generandi ſeminis; quam cognouit Hippocrates text. vigeſimoſeptimo, ſectione quarta, libro ſexto, epidem. & Galenus capite penultimo, libro primo, de ſemi. In paraſtatis quidem etiam ſemen gignitur, ſed id fœcundum non eſt, niſi cõmiſceatur cum ſemine, quod generatur in legitima teſtium ſubſtantia: ſicuti etiam ſemen fœminæ fœcundum non eſt, niſi cum virili miſceatur. Summa autem vi teſtes donati ſunt, non præter rationem: nam ad conceptionem opus eſt ſemine copioſo, craſſo, lento & albicante, vt tota interior vteri ſuperficies ob-

D linatur, capite quarto, libro ſecundo, de ſemin. quare ad generandum ſemen copioſum, craſſum, lẽtum, neceſſarium fuit, vt ſumma vis ineſſet teſtibus. Deinde, quia ſemen fit e ſanguine, e materia rubra, quę neceſſario alba debet euadere; neceſſe eſt, vt ſtrenue ſanguis concoquatur, quod fieri non poteſt, niſi virtus teſtium ſit robuſtiſſima. Licet autem ſumma ſit vis in teſtibus; non eſt tamen adeo inſignis vt ſemper producat ſemen æque fœcundum, vt colligitur e capite tertio, libro ſecundo, de ſemine, ideo in ſecunda eiaculatione & reliquis, minus fœcundum generatur, & ſemper minus lentum, & magis tenue. Conſtat ergo ſemen fœcundum eſſe miſtum e ſpiritu & excremento vtili, procedens a mare & fœmina.

Poſtremo diximus, ſemen maris & fœminæ exacte in vtero miſceri; quia reſpiciunt vnum finem, nimirum generationem vel maris, vel fœminæ. capite 11, libro 14. vſ. par. commen. 11. lib. 1. de natur. hum.

Confuſio ſeminis vtriuſque.

E cap. 4. lib. 2.

Porro ad conceptionem recte celebrandam, requiruntur quædam cõmunia mari & fœminæ, quędam priuata, quæ fœminam potiſſimum reſpiciunt. Communia ſunt, Generatio ſeminis, Eiaculatio ſeminis & Voluptas. Priuata, quæ tantum fœminæ competunt, ſunt ſeminis Attractio & Retentio. Ad generationem ſeminis opus eſt determinata complexione, & ætate vtriuſque. Quoad complexionem, cum Gal. aph. 63. ſectio. 5. locum habet temperies, vbi viget calor, id eſt, inſtrumentum generationis ſeminis & ſanguinis: vnde corpora temperata, vel parum recedentia, vt calida & humida, maxime referta ſunt ſanguine & ſemine. At intemperies intenſa, & potiſſimum ſimilis in vtroque ſexu, in cauſſa eſt vt auferantur actiones. Remiſſa intẽperies poteſt ſemen generare, pręſertim ſi ſit diſſimilis, ideſt, ſi fœmina ſit frigidior, mas iuſto calidior, vel contra: nam in hac commutatione fit ſeminis miſtio ea ratione, vt alterum ſemen

Generatio ſeminis.

F remittat vitium alterius. Quoad ætatem; mulier ſit ætatis florentis, cap. 2. lib. 2. de ſan. tuen. cap. 4. lib. 14. de vſ. part. quia in priori ætate, vbi corpora maxime augentur, eſt defectus ſeminis, alimenti: in poſtremis ætatibus deſideratur agens, calor, qui poteſt ſemen fœcundum reddere. Plato in lib. de rep. ſuadet, vt mas cum fœmina coniungatur ab anno trigeſimo ad quadrageſimum.

Eiaculatio ſeminis.

Quoad ſeminis eiaculationem; ſciendum, quomodo fiat, & quo tempore. De primo, Galenus com. aph. 63. ſect. 5. dicit, non eiaculari ſemen quia a ſpiritu propellatur, ſed potius quia comprimatur tenſione vaſorum. Non propellitur a ſpiritu, quia hic ita permiſtus eſt cum materia ſeminali, vt & ipſe ſpiritus egeat propulſione. Spiritus ergo non propellit, ſed vna cum excremento propellitur: quia totum illud miſtum eliditur, & exprimitur: nam tenſione vaſorum fit hæc eiaculatio & a mare, & a fœmina. A mare, ea ratione & modo, vt compellatur in ceruicem vteri: vnde maris virga eſſe debet recta, & longitudinis de-

G centis. Fœmina autem eiaculatur ſemen, non modo in ceruicem, ſed etiam in fundum vteri, per apices, id eſt, per cornua vteri. cap. 13. lib. de ſectione vteri. Quo fit, vt tempore imprægnationis ſemen illud quod eiaculatur in ceruicem, egrediatur, niſi fiat ſuperfœtatio: quod autem eiaculatur per cornua in fundum vteri, reſidet vſque ad tempus partus, circa tunicam inteſtinalem, vel allantoidem dictam. Quoad tempus eiaculationis, e Galeno, capite ſeptimo, libro primo, de ſemin. probatur eiaculatio quæ fit eodem tempore; ita enim fit exacta miſtio, & ſemen vnum ab altero fouetur. Oritur autem difficultas, quia Hippocrates libr. de natur. pueri, videtur aſſerere, tempus eiaculationis eſſe vel incipientibus,

vel cessantibus mensibus, non autem tempore mensium: rationem insinuasse videtur Galenus c.vlt. l.de diff. vuluæ: nam dum menses fluunt, facile fieri potest, vt sanguine menstruo semen contaminetur. At videtur eadem esse ratio, dum menses incipiunt fluere, quia tunc natura insurgit ad expellēdum in vterum sanguinem, tempore vnius mensis collectum: quod si tum fiat seminis eiaculatio, obruitur a sanguine. Crediderim ergo Hippocratē ita esse intelligendum, conceptioni fœminam non esse idoneam, nisi menses fluere incipiant: nam cui menses nunquam fluxere, concipere nequit, quia non potest semen adhærere. Quare exspectandum, donec in fœmina appareant menses: & si inceperunt, & ea etiam vice rursus cessarunt, vti licet coniunctione, gratia conceptionis: tunc enim ratione inæqualitatis, quæ in orificiis vasorum reperitur, ilico post menses, semen facilius adhæret. Quoad voluptatem, ad hanc efficiendum concurrit materia serosa: capite nono, libro 14. vsu part. & præter hanc concurrit etiam humor, qui est similis spermati; qui generatur in illis locis prope collum ceruicis, quos parastatas vocant; vt hæ partes sensu exquisito donatæ, ob summam cognationem, insigni voluptate afficiantur: at, si contingat, has materias, ob caussas morbificas, plus iusto acriores euadere, soluitur vnitas, & dolor sequitur. Aduertendum tamen, talem materiam, quæ est similis spermati, in fœminis fœcundam non esse; vt merito in coitu eiaculetur in ceruicem, & non ingrediatur vterum, quia non attrahitur ab vteri attractione: in viris vero, qui calidiores sunt, hæc materia seminalis, cum reliquis permista, reddit semen fœcundum. Hac ergo de caussa dixit Hippocrates, l. de genit. voluptatem insigniorem esse in mare; licet fœmina duplici ratione afficiatur voluptate, quatenus semen tum eiaculatur, tum suscipit. Hæc de communibus mari & fœminæ.

Voluptas in vsu venereo

Spermatis attractio & retentio.

Priuata, erant attractio, & retentio seminis. Ratione attractionis; expedit vt os vteri recludatur, & vterus sit bene constitutus. Quoad retentionem, oportet vt semen detineatur in vtero, & hæreat: capit. 3. lib. 14. vs. p. & l. de superfœt. Quare expedit, vt virtus retentrix sit robusta, vt os vteri claudatur. Et necessarium est, vt sit prægressa euacuatio menstruorum, vt semen adhæreat, & contineatur. Ex his patet, quid sit semen fœcundum.

Potentia seminis.

Quoad vim huius seminis; Galenus cap. 10. lib. 1. de sem. ait: Semen fœcundum esse principium vegetabile, quod beneficio conceptionis deducitur de potentia in actum: quod vegetabile principium e semine, tanquam e materia determinata, venas, arterias, neruos, & reliquas corporis partes efficit. Quare hic cognoscendum, primo quomodo ad hæc est efficiendū vt cōcurrat semen fœcundum. Secundo quomodo formet. Tertio, quomodo fœtum conseruet & augeat. Quarto, quæ sit caussa similitudinis & dissimilitudinis inter liberos & parentes. E sententia Hippocratis, ita referente Galeno cap. 1. lib. 1. de semin. concurrit semen, & vt agens, & vt passum, seu materia e qua fit fœtus. Spiritus seminis, cui vis est summa, rationem habet agentis. Altera autem seminis pars, nimirum excrementum vtile, habet rationem materiæ. Nec aduersatur Galen. dum c. 2. l. 1. de sem. ait, sanguinem menstruum esse materiam, semen esse agens: ibi enim vult, semen magis obtinere rationem agentis, menstruum materiæ. Præterea semen fœminæ hoc inprimis præstat, vt vniuersum vterum madefaciat: non enim potest tanta esse copia seminis maris, vt vndique corpus vteri contingat. cap. 7. lib. 1. de sem. cap. 1. & 4. lib. 2. de sem. cap. 11. lib. 14. vs. part. Semen item fœminæ est id, e quo producitur allantoides tunica. Postremo semen fœminæ est alimētum seminis virilis.

Quomodo semen sit caussa conformationis.

Fœtus formatio.

Secundo explicandum, quomodo formetur fœtus. In semine, vt subiecto, residet principium vegetabile, quod est facultatis naturalis, non vitalis, non animalis. cap. 10. libro 1. de sem. Hoc tamen vegetabile principium, non est temperamentum: quia qualitates sunt organa, hoc autem vegetabile principium est quid superius, cap. vlt lib. 2. de temperam. Non voluit Galenus, vt quidam imaginantur, hoc principium esse diuinum: Si enim est vegetabile, est etiam mortale & corruptibile: non ergo diuinum. Statuit tamen esse supra cal. frig. &c. quia hæc sunt organa, illud autem habet rationem agentis principalis, quod sane merito anteponendum est organo, licet vtraque ad effectum producendum concurrant. Statuendum ergo formari fœtum, quia in semine residet hoc principium vegetabile. Vnde sciendum hoc loco, e qua materia hoc vegetale principium, quod semini est tributum, mediantibus spiritibus producat fœtum. Dicendum cum Hippocrate ab initio libri de natura fœtus, produci e semine viri & fœminæ, & e puriore portione sanguinis menstrui: ratio est, quia hæ omnes materiæ e spiritu & humore constant, vt beneficio vtriusque fiat, vt principium vegetale ex his formet fœtum. Sed aduertendum, non indifferenter iis materiis vti principium vegetale: primum enim generantur inuolucra, deinde producitur fœtus. Inuolucra tria sunt: primum est χωρίον, quod generatur e parte impuriore seminis viri & fœminæ, & est illud inuolucrum, in quod pertingunt vasa imbecilliora. Alterum est membrana allantoides, quæ producitur e fœminæ, capit. 6. & 10. l. 1. de sem. capit. 4. libr. 2. de sem. Tertium dicitur ἄμνιον, quod producitur e semine adhuc magis impuro: & cum membrana hæc proxima sit fœtui, dicitur ab aliquibus indusium; & generatur in omnibus (*: nam inter capacitatem amnii & allantoidis colligitur humiditas, vsque ad tempus partus; cuius contactu fœtus læderetur, nisi hæc interueniret membrana:*) non in quibusdam tantum, vt obstetrices statuunt: interdum simul cum chorio egreditur: interdum autem chorion ita adhæret vtero, vt cum fœtu tantum egrediatur membrana amnios. Quoad formationem fœtus sciendum e Galeno capit. 8. lib. 1. de sem. iecur generari e sanguine venoso, cor ex arteriali, cerebrum e solo semine. Vbi Galen. ita intelligendus est; cerebrum gigni e solo semine, reliqua autem principalia viscera, non e solo semine, sed etiam e sanguine vel venoso, vel arterioso. Non autem omnes partes fœtus simul generantur; sed prius id, quod melius est ratione fœtus: vt primum iecur, deinde cor, post cerebrum: fœtus enim primo eget nutritione, postremo motu. Eodem tempore viscera præcipua generari incipiunt; sed vnum prius perficitur altero. Vnde quatuor tempora fœtus licet concipere, e capit. 9. libr. 1. de semin.

In Ferneliū.

cap. 3. l. 2. de facult. nat.

Primum

A Primum eſt, dum adhuc apparet ſemen & genitura dicitur: ſecundum, dum conſpicitur ſubſtantia car-
nea: tertium, quando abſoluta ſunt tria viſcera, nondum tamen perfecti artus, & adhuc dicitur fœtus:
quartum, quando artus ſunt abſoluti, & Hippocrati dicitur infans. Tempus fœtus (ex Hippocrate lib. de
ſeptimeſtri partu) longiſſimum eſt dierum quadraginta duorum: poteſt autem eſſe minus longum, quia
mas perficitur ſpatio triginta dierum, fœmina vt plurimum ſpatio quadraginta duorum dierum: & hoc
probat Hippo. l. de nat. pueri: ſumta ratione e genitura, a purgatione, & abortu. A genitura; quia ſemẽ fœ-
minæ eſt minus calidum, & magis humidum; vt ob id non tam cito poſſit concreſcere, & ratione remiſſio-
ris caloris, non ita cito poſſit efformari. A purgatione; quia experientia ſæpe eſt comprobatum, dum fœ-
mina parit marem, purgari in triginta diebus; dum autem fœmina naſcitur, purgationem durare ad 42.
B dies. Abortus hoc etiam manifeſtum facit: quia ſi eſt fœminæ abortus, non eſt fœmina perfecta, niſi poſt
36. dies, circa diem 42. ſi autem fiat abortus maris, & fiat poſt triginta dies, obſeruabitur fœtus perfectus.
Tempus autem infantis, cum Hippocrate lib. de nat. pueri tale eſt: ſi fuerit mas, mouetur menſe tertio; ſi
fœmina, quarto: mas enim fit e ſanguine calidiori, & proinde principium eſt efficacius, & reddit infantẽ
idoneum ad ſuſcipiendum motum in breuiori tempore. Hinc etiam colligi poteſt, cur fœtus quandoque
vnicus ſit, quandoque multiplex. Si enim ſemen ſit continuum, non diuiſum, vnus eſt fœtus; ſi diuidatur,
multiplex eſſe poteſt. In brutis autem potiſſ. diuiditur; quia matrix brutorum, cellulas habet euidenter ſe-
paratas: in fœmina autem huiuſmodi celluli, non conſpiciuntur; apparent ſolum duo obtuſi anguli, vnde
interdum ſeparatur ſemen, vt multipliciter fœtus. Multiplices autem fœtus interdum iiſdem inuolucris
teguntur, interdum ſeparatis: iiſdem, ſi idem fuerit ſexus, quia tunc maxima eſt ſimilitudo in ſemine, ra-
C tione cuius fit, vt idem inuolucrum ſufficiat: contra fit, ſi diſſimilitudo ſit in ſexu, vt cum mas & fœmina
producuntur.

Tertio, propoſitum eſt loqui de alimẽto fœtus: quod eſt ſanguis, & lac. Sanguinem propoſuit Hip-
pocrates l. de nat. pueri, & Galenus c. 6. l. 1. de ſem. eſt enim purior & inculpata portio ſanguinis menſtrui,
qui gratia nutritionis fœtus confluit in vterum, ſed non eo modo, quo ſanguis menſtruus tempore men-
ſtruorum: tunc enim confluit potiſſimum per modum tranſmiſſionis, vt expultrix inſurgat ad expellen-
dum, nec attractrix aliqua e parte concurrat: at dum nutritur fœtus, aſſiduo confluit, & potiſſimum attra-
ctus confluit a facultate attractrice fœtus. Subiectum huius facultatis attractricis eſt ſemẽ; quod Galenus
dicit nutriri, non tamen eſt vera nutritio. Statutum ergo ſit, fœtum ſanguine nutriri. Sed præterea nu-
tritur lacte, c. 4. l. 14. de vſu part. com. aph. 37. ſect. 5. nam interdum fœtus tam copioſo eget alimẽto, vt ſan-
D guis non ſufficiat, præſertim quia fœtus nutritur ſanguine dulciſſimo & puriſſimo: vnde cum ſanguis de-
ficiat, merito tanquam ſimili nutritur lacte. Et hoc præcipue fit menſibus poſtremis, quibus fœtus eſt ma-
gnus, & copioſo eget alimento.

De conſeruatione ſeu alimento fœtus.

Poſtremo, propoſuimus explicare cauſſam ſimilitudinis & diſſimilitudinis. Similitudo conſideratur
ſecundum ſpeciem, ſexum, & effigiem: c. 2. & 5. lib. 2. de ſem. Quoad ſimilitudinem ſpeciei; cum fœtus fiat e
ſemine maris & fœminæ, & ſanguine menſtruo; ſpirituſque concurrat, & ſpiritus potiſſimum pendeat e
ſubſtantia materiæ, & hæc dominetur in fœmina (nam præter ſemen adeſt ſanguis menſtruus) fit rationa-
biliter, vt fœtus ſequatur ſecundum ſpeciem fœminam: vnde ex oue & hirco, naſcitur ouis: e capra & arie-
te, caper. 1.

Quibus de cauſſis nati parentibus ſimiles vel diſſimiles ſint.

Sexus, ſequitur ſemen robuſtum, ſecundum Hippocratem lib. de genitura. Si vir non admodum ro- 2.
E buſtus, rem habeat cum fœmina non robuſta, generabitur fœmina: ſi autem cum fœmina robuſta, licet
maris ſemen non ſit robuſtum, ita tamen ſemen fœminæ aget in ſemen maris, vt ex hoc ſemine produca-
tur mas. Sic eadem fœmina cum vno viro producit marem, cum alio fœminam; prout mas habet ſemen
magis vel minus robuſtum. Si ergo ſemen emittitur robuſtum & calidum, ſiue maris, ſiue fœminæ, gene-
ratur mas; ſi non robuſtum, fœmina. Hinc mas producitur, dum fit conceptio in dextra matrice, & dum
mas eſt robuſtior ſecundum dextrum teſtem. Et hæc omnia oriuntur ex vnica cauſſa, quia in parte dextra
eſt maior caliditas, & producitur ſemen robuſtius. In dextro enim latere poſitum eſt iecur, & propterea in
illa parte venæ laxiores & completiores deducuntur. Sic etiam ſemen maris robuſtius & calidius, procedit
a teſte dextro. Hippocrates lib. de ſuperfœt. Galenus cap. 5. l. 2. de ſem. Hinc ſecundum Hippocratem, mas
concipitur, ſi teſticulus ſiniſter ſtringatur arcte, quantum citra dolorem fieri poteſt, vt cum impetu pro-
F deat ſemen a dextro teſte.

Cur autem gemelli modo ſint mares, modo fœminę, modo mas & fœmina; nulla alia eſt ratio, quam
ſemen: ſi enim ſemen maris & fœminæ ſit robuſtum, vterque fœtus erit maſculus: ſi amborum ſemen ſit
imbecillum, vterque erit fœmina. Si autem maris ſemen ſit robuſtum, fœminæ imbecillum; euenire po-
teſt, vt ſemen imbecillum, vincatur a robuſto ſemine maris, & ita vterq; fœtus erit maſculus. Si ſemen ma-
ris ſit imbecillum, & fœminæ robuſtum, & ſemen maris vincatur a ſemine fœminæ; rurſus vterque fœtus
erit maſculus. Si robuſtum ſemen vincatur ab imbecillo alterius; (quia interdum robur eſt exiguum, im-
becillitas autem intenſa) tunc vterque fœtus erit fœmina. Quod ſi maris ſemen ſit varium, vt aliqua por-
tio ſit ſumme robuſta, aliqua imbecilla; ſiquidem ſemen in prima eiaculatione eſt robuſtius; fieri ſolet, vt
merito portionis robuſtioris generetur mas; merito imbecillioris, fœmina: vnde alter gemellorũ eſt mas,
G alter fœmina. Aliquando in poſtrema eiaculatione adeo imbecillum eſt ſemen, vt fœmina concipiat fœ-
tum duplicem, quorum alter mas eſt, alter monſtroſus, & quandoque etiam mola: & hinc teſtata eſt expe-
rientia, fœminam peperiſſe ſimul & fœtum integrum, & monſtrum; & quãdoque poſt fœtum integrum,
in vtero manſiſſe molam. Hos iis euenire ſolet, qui plus iuſto Veneri indulgent.

Quoad ſimilitudinem effigiei; explicandum, primo, cur infans interdum magis ſit ſimilis matri, in- 3.
terdum patri. Secundo, cur ſecundum aliquas partes infans ſit ſimilis patri, ſecundum aliquas matri,

Tertio, cur infans quandoque sit maxime dissimilis. Quoad primũ; huius caussa recenseri videtur ab Hippocrate, in lib. de aere & aquis: vbi caussam transfert in vim seminis, & vim menstruorum, quatenus in his est spiritus, qui a toto procedit. Si ergo semen fœminæ sit robustius, fœtus magis similis est matri: si cõtra, patri. Et licet plerunque semen maris sit efficacius; nihilominus præter semen fœminæ, adest etiam vis in sanguine menstruo: vnde si contingat fœminam esse robustam, & refertam sanguine probo spiritali, fit vt fœtus maxime assimiletur matri. Quoad secundũ; cur fœtus secundum aliquas partes magis sit similis patri, secundum aliquas matri: in caussa est vis seminis secundum partem spiritalem. Hippocrates lib. de genitur. c. 1. l. 2. de sem. Cum ergo semẽ procedat a toto, ab hac vel illa parte, vt a capite, a thorace, &c. si fœmina sit robustior mare, secundum caput, mas autem sit melius constitutus secundũ thoracem, quã fœmina; infans secundum caput magis assimilatur matri, secundum thoracem magis patri assimilatur: ratio, quia semen a fœmina procedens, procedit a capite robusto, & proinde a portione seminis, in qua est vis efficacior, quam in portione seminis maris. Quoad postremum; sciendum; cur fœtus dissimilis gignatur. Caussa autem refertur in vim seminis, vt procedit a capite forti, & fixę imaginationi destinato: nam ob vigentem imaginationẽ tanta vis semini tribuitur, vt concipiatur fœtus, qui præ se ferat figuram illius imaginationis. Est autem duplex imaginatio: altera, concurrit tempore coitus, altera post coitum. Tempore coitus est vis seminis, vt procedit a capite: post coitum, locum habet, nõ in patre, sed in matre tantũ, quoties mater obiectum aliquod concipit, vt caussa illius fortis imaginationis vis tribuatur, non semini, sed sanguini menstruo, & potissimum primis diebus. A B

Signa fœcunditatis. 1. In fœmina.

His explicatis, cognoscendum est, num fœmina sit fœcunda, vel sterilis. Secundum Hippocratem l. de superfœt. & aph. 59. & 62. sect. 5. primum fœminam lauare oportet, post menstruas purgationes, & galbanum igne coctum vtero applicare, & fœminæ ventri alligare; deinde post 6. aut 8. horas, oportet experiri, an in vertice fœminæ appareat odor galbani, nec ne: si appareat, fœmina est fœcunda. Idem explorabat Hippocrates suffumigiis e myrrha, aromatis; fœminam ita ligabat, vt non posset per infernas partes suffumigium euaporare: & si ad os odor perducebatur, dicebat, fœminam esse fœcundam; sin minus, sterilem: nam dum odor galbani perducitur ad caput, signũ est, vterum non esse dyscratum, nec obstructum, nec durum. C

2. In mare.

Num mas fœcundus sit; ex vrina & semine cognoscitur. In vrina maris, secundum Auicennam, hordeum est macerandum, deinde hordeum illud sepeliendum; & si germinet, indicium est fœcundi maris. Probat etiam, vt in vrinam immittatur sulfur viuum, & vrina aliquandiu seruetur: si enim putrescente vrina generentur vermis, statuendum est virum illum esse fœcundum; sin minus, sterilem. Addit etiam Auicennas, præcipiendum esse, vt mas mingat super lactucam, quæ si non exarescat, indicat marem fœcundũ. Quoad semen, cum Auicenna & Aristotele cap. 6. l. 3. de gen. anim. si maris semen proiiciatur in aquam, & descendat; mas fœcundus est: quia semen crassum & ponderosum, bonum. D

Num quis aptus sit ad procreationem maris, vel fœminę.

Num autem aptitudo sit ad procreandum mares, vel fœminas, ita cognoscitur, e com. 27. sect. 4. l. 6. epid. nam in mare, in ætate adolescentiæ dexter testiculus prius turget, & mamma in fœminis: dextra enim pars, vt robustior & calidior, maxime confert ad generandum marem: præterea qui sunt calido temperamento; potius mares procreant.

Factæ conceptionis signa.

Cognoscitur autem fœminam concepisse, e c. 2. l. 1. de sem. & c. 3. l. 3. facult. nat. quia fœmina in coitu quodammodo persentit vterum conuelli & retrahi; quia fit attractio, & retentio seminis: nec enim fieri potest conceptio, nisi attrahatur & retineatur semen. Mas etiam conceptionem aliqua e parte, sed raro, potest animaduertere: sentit enim mas in coitu, pudendum ab vtero retrahi, ac si a cucurbitula retraheretur. Obstetrices os sentiunt clausum, citra tamen duritiem; vbi enim durities, occlusio est morbosa. Præterea aph. 41. sect. 5. si post assumtam mulsam, fœmina in ventre tormina sentiat, facta est conceptio: quia ob vterum clausum flatus, qui excitantur a mulsa, non habent liberum exitum. Impragnatio etiã cognoscitur ex angustia oris vteri (aphor. 54. sect. 5.) quæ etiam perseuerat; nam si non duret, fit abortus. Præterea indicatur e vertigine, dolore lumborum, e cibi fastidio, e nausea, vomitu, pica, e vitiis noxisque ventriculi, quia hic compatitur in gestatione vteri: deinde e suppressione mensium; vnde adest corporis grauitas, lãguor, desidia: quæ tamen symptomata apparent citra horrorem & febrem apho. 61. sect. 5. c. 7. l. 1. de symp. caus. c. 5. l. 6 loc. aff. Interdum tamen & prægnantibus menses fluunt; aliquando etiam albicantes menses: quia materia hæc egreditur per venas nõ vteri, sed ceruicis vteri, & maxima cum vtilitate fœtus. Ex Hipp. l. de nat. pueri, indicatur fœtus in vtero, e motu quem fœminæ in vtero sentiunt, citra dolorem, quia non fit a flatu. Præterea vbera intumescunt, quia lacte replentur. Item, cum Hipp. lib. de superfœt. indicatur ex oculis albidis: quia dum fœtus est in vtero, sanguis copiosus, & spiritus copiosus confluunt in vterum, vt reliquæ partes non ita spiritu abundent. Addit Auicennas, vrinam; quæ in principio decolorata est, in vltimis mensibus coloratiorem fieri: in postremis enim mensibus ob magnitudinem fœtus comprimũtur vasa, viscera, plus iusto vnitur calor, & ita lotium magis coloratum euadit. E F

Signa sexũ indicantia.

Quoad signa sexum indicantia. Hippocrat. ad distinguendum fœtum masculinum a fœminino, lib. de superfœt. dicit; masculinum indicari, si mammia dextra magis turgeat, & prius turgescere incipiat, quam sinistra: significatur enim fœtum residere in vteri dextro. Præterea mutatio percipitur in oculis: si enim a statu naturali maior sit facta mutatio in dextro; indicatur masculus. Sic & e calore: e comm. 11. aph. 42. sect. 5. si fœmina gerat masculum, magis est colorata: quia virtute caliditatis maris, totum fœminę corpus magis incalescit, & bene coloratũ euadit: hilarior quoque est mulier, & ad omnia magis prompta: dum progredi incipit, dextrum pedem proponit: pulsus dextræ manus validior: Quod si tamen fœmina in victu delinquat; potius decolorata euadit. Indicatur etiam masculus e motu validiore. Hoc tamen signum G

fallax

A fallax eſt,ſi fœtus maſculus ſit imbecillis;nam tunc cum impetu moueri non poteſt:ſigna autem tunc aſ-
ſunt fœtus imbecilli;de quibus ſuo loco.Potiſſimum autem fœminæ obſeruabunt motum in dextra par-
te.Indicatur etiam a lacte,ſecundum Hipp.l.de ſteril.ſi enim lac proiectum ſupra folia condenſetur, ma-
ſculum indicat,quia vegetum calorem ſignificat.

Oportet etiam cognoſcere an in vtero fœtus ſit vnus,vel multiplex. Gemelli aſſunt, ſi venter præ- Signa numeri fœtus.
ter conſuetudinem intumuerit.Solet etiam accidere,vt mulier duos fœtus gerens, vnum pariat; &,niſi
obſtetrix ſit diligens,alter fœtus relinquatur in vtero:tuncque periculum eſt,ne mulier pereat. Hinc igi-
tur iubet Auicennas,vt inſpiciatur prioris infantis vmbilicus:& ſi appareat ruga,vel nodus, ſtatuendum,
adhuc alium fœtum reſtare in vtero.Si gemelli aſſint,qui eodem tempore concepti ſint;eodem etiam tē-
B pore pariuntur. Cognoſcuntur eodem tempore eſſe concepti, ſi os vteri prorſus fuerit clauſum: nam in
ſuperfœtatione non exacte clauditur.Hoc etiam deprehenditur,quia poſt primam conceptionem, non
fuere ſigna nouæ conceptionis.

De Sterilitate.

ERgo quoad conceptionem morboſam;primum agendum de conceptione ablata,quæ Sterilitas dici- Generatio.
tur.Generatur,quia aliquid morbificum occurrit vtero,vi cuius ita fruſtratur conceptrix, vt prorſus
aboleatur conceptio. Hoc ergo malum nil aliud eſt,quam functio ablata vteri,dependens a fruſtratione Definitio.
conceptricis.Forma eſt functio ablata;nimirum ſymptoma,quod neque eſt effectus,neq; opus, ſed actio
ablata.Cauſſa efficiens,eſt fruſtratio conceptricis.Fruſtratur facultas,vel quia læditur,vel ob Errorem ex- Cauſſa efficiens.
C ternum.Læditur neceſſario ob morbum vteri:quia hæc facultas pro ſubiecto habet partem viuētem,ni-
mirum vterum.Facultas læditur,quia Labefactatur,vel Impeditur,c.1.l.3.de ſymp. cauſ. Labefactatur ob
intemperiem:impeditur ob malam compoſitionem,& ſolutam vnitatem.

Intemperies poteſt eſſe quælibet,ſi ſit inſignis:aph.62.ſect.5.Frigida intemperies bifariam concur- Dyſcraſia.]
rere ſolet,primo immediate,& hinc ſtatui poteſt morbus:ſecundo mediate,id eſt, per medium morbum
in mala compoſitione,vt aliqua e parte intemperies frigida habeat locum cauſſæ morbificę.Declaro.Fri-
gida intemperies eſt cauſſa immediata ſterilitatis,dum ita agit in ſemen,vt,cum in conceptione cōceptrix
vis in ſemine exiſtens excolatur;contra frigiditate vis ſeminis magis ſopiatur,& etiam exſtinguatur.Me-
diate autem concurrit,dum ob intemperiem frigidam vteri corpus denſum euadit. Calida intemperies
ſemen torrefacit & exurit;vt vis in ſemine exſiſtens diſſipetur.Humida intemperies vim ſeminis obruit:
D vnde ob inſignem humiditatem retentrix læditur,vt ſemen non contineatur.Sicca intemperies abſumit
pabulum caloris,qui eſt inſtrumentum conceptricis:vnde,diſſipato pabulo,calor diſſoluitur,& cōceptrix
otiatur.Hæ intemperantiæ ſunt in cauſſa ſterilitatis,dum ſunt intenſæ: & interdum ſunt Natiuæ; inter-
dum Adſcititiæ.

Quoad malam compoſitionem,hæc eſt mala conformatio,magnitudo vitioſa, vitioſus ſitus. Mala Mala compoſitio.
conformatio,eſt ſuperficies vteri læuis,non aſpera;& hæc vel natiua,vel aſcititia:natiua,quando fœminæ
tempore etiam ſtatuto non fruuntur menſtrua purgatione; vnde,cum non aperiantur orificia vaſorum, 1.
vterus ſecundum internam ſuperficiem eſt adeo læuis,vt non poſſit ſemen continere, & proinde nō fieri
poſſit conceptus.Aſcititia fieri ſolet poſt vlcera,quæ ad cicatricem perducuntur. Sed hæc læuitas,non ita
poteſt cauſſa eſſe ſterilitatis,vt prior;quia non pertinet ad totum vterum, ſed ad vnicam tantum partem
E exiguam,quia vlcus vteri magnum curationem non admittit.Præterea,quoad conformationem;eſt viti-
um in meatibus:nimirum vel immodica apertio,nam dum os vteri nimis eſt recluſum , ſemen contineri
nequit;ſecundum Hippocratem lib.de genit.vel anguſtia ,& potiſſimum compreſſio; quandoque etiam
conſtipatio.Compreſſio recenſetur ab Hippocrate lib.de ſuperfœt.& lib.de natur.mul.& aphor.46. ſect.
5.& fit ob immodicam pinguedinem omenti.Conſtipatio eſt,quando membrana annaſcitur ori.Præter-
ea morbus eſt in meatibus,non modo oris vteri,ſed etiam vaſorum vteri,quę vel ſeminis ſunt,vel alimen-
ti,id eſt,ſanguinis.Si fuerint vaſa ſeminis,quandoque nimirum recluduntur,vt fieri ſolet in gonorrhœa,
vt ab immodico fluxu ſeminis virile ſemen corrumpatur,nec poſſit hærere. Vitium eſt etiam, ſi hæc vaſa
nimium occludantur;quia attractrix vteri , non poteſt ſemen muliebre attrahere, ob anguſtiam & con-
ſtrictionem illorum vaſorum.Quoad vaſa alimenti,pariter vel recluduntur,vel anguſtantur.Si recludan-
F tur,conceptio aboletur:quia ob aſſiduum influxum ſanguinis,ſemen hærere non poteſt. Quod ſi nimis
anguſtentur,neque tunc poteſt hærere;quia deſiderantur cotyledones.

Quoad magnitudinem;eſt morbus in magnitudine potius aucta,vt eſt tumor quilibet vterum oc- 2.
cupans,ſiue ſit inflammatio,ſiue eryſipelas,ſiue carbunculus,cancer,œdema,ſcirrhus, ſiue etiam tumor
flatulentus,ſiue aquoſus,vt contingit in hydrope vteri:de quibus in malis ventriculi diximus.Hi tumores
vel occupant Sedem vteri,vel Ceruicem:&,ſi fundus ſit affectus,ſemen non detinetur,ſed effluit:ſi occu-
petur vterus ſecundum ceruicem,ſemen non attrahitur.Notandum autem circa flatulentum tumorem
& aquoſum;falſum eſſe,horum tumorum,vel materierum,a quibus hi tumores producūtur,vnicam eſſe
ſedem:nam quandoque materia in vtero colligitur;quandoque in veſicis, quæ præter naturam in vtero
generantur(quia ſi in iecore generantur,multo magis in vtero:vt Aetius nō ſit reprehendendus)& quā-
G doque hæ materiæ colliguntur inter vteri tunicas;vt colligere licet ex Hippocrate, in lib. de nat.mul.in-
terdum etiam hæ materiæ in vteri capacitate continentur,ore vteri occluſo.

Præterea eſt vitium in vitioſo ſitu , cum Hippocrate in lib. de ſteril. qui ſitus poteſt eſſe vitioſus & 3.
Surſum,& Deorſum.Deorſum,quando fit procidentia vteri,ſecundum Dextram vel Siniſtram partem.
Cauſſam ſitus vitioſi,& præſertim ſurſum,Galenus cap.5.lib.6.loc.affect.dicit,eſſe repletionem,& proin-
de tenſionem ligamentorum,vt in ſuppreſſione menſium. Fernelius voluit cauſſam eſſe laxitatem liga-

mentorum, non tensionem: dum enim ligamenta laxantur, vterus liberum habet motum, & proinde noxia fugit, iucunda persequitur. Hæc erroris plena sunt: nam dum fœminæ patiuntur vteri procidentiam, & adscensum; situs stabilis est, qui mutari non potest, siue iucunda, siue iniucunda adhibeantur, nisi præsidia habeant vim euacuandi. Aduersatur etiam Hippocrati; qui voluit in adscensu vteri conceptionem aboleri, quod vterus non possit moueri, ita vt nequeat semen attrahere. Id quidem verum est, quandoque fieri posse, vt vterus modo in vnam partem, modo in aliam moueatur. Sed hic situs non est stabilis, quia non pendet a repletione ligamentorum. Statuendum ergo cum Galeno, si tendantur ligamenta, sursum attolli vterum: vt, si æqualiter repleantur, attollatur sursum vterus, nec magis ad dextram, quam sinistram vergat: at, si repleantur vincula dextræ partis, vterus situm habet in dextra parte, & in eam mouetur. Et hoc vitium ab Hippocrate vocatur distorsio vteri, quando magis declinat ad alterutrum latus. Vteri situs deorsum vocatur descensus vteri: &, si maxime descendat, vocatur prolapsus, procidentia. Hoc vitium fit laxatis ligamentis; minus in descensu, magis in procidentia, vt euenire solet in difficili partu.

Vlcus. Impeditur etiam facultas ratione vlceris, vi cuius semen nequaquam detineri potest, vt proinde aboleatur conceptio.

Error externus. Alia vero e parte frustratur conceptrix ob errorem externum: qui potissimum petendus est a semine; quia conceptio secundum naturam celebratur, cum conceptrix agit in semen fœcundum. Quare error externus est desumendus a vitioso semine. In semine oportet perpendere & Generationem, & Eiaculationem.

1. Quoad generationem seminis; vitium est ratione caussæ quandoque Internæ, quandoque Externæ. Interna, est mala totius corporis dispositio: vnde hydropicæ vix possunt concipere. Quoad externam caussam; Hippocrates in lib. de genitur. proponit sectionem arteriarum post aures; tunc enim cerebrum copioso spiritu priuatur, quo fit vt a cerebro non demittatur semen fœcundum, quod tamen, ratione spiritus agentis, necessario procedere debet a partibus principibus, & proinde a cerebro. Præterea inter externas caussas recensere licet ebrietatem: nam copiosi spiritus petunt potius caput, quam internas partes.

2. Quoad eiaculationem seminis; vitium est penes caussas Externas, & Internas. Internæ, sunt vitia, quæ pertinent ad testes, & potissimum maris, & ad penem maris, & ad vasa seminaria maris & fœminæ. Vitium testium proponit Hippocrates aphorism. 63. sectio. 5. Galenus eum aphorismum Hippocrate indignum arbitratur. Sed non intellexit. Cum enim in aphorismo 62. Hippocrates proposuisset caussas sterilitatis e parte fœminæ, quæ spectabant ad dyscrasias vteri: in 63. inquit, similiter in maribus; innuens, sicut vteri dyscrasia est in caussa sterilitatis, ita dyscrasias testium maris esse caussas sterilitatis: proponit enim quatuor dyscrasias, primo humidam, non totius hominis (in hoc enim fuit deceptus Galenus) sed testium maris. Si enim in 62. aphorismo locutus est de intemperie non totius fœminæ: sed tantum vteri; fuit pariter necessarium, vt in hoc aphorismo loqueretur de intemperie non totius maris, sed tantum testiculorum. Respiciens ad humidam intemperiem, ait, sterilitatem fieri, quoniam propter corporis testium raritatem spiritus extra fertur, vt semen non transmittatur ad os vteri. Quoad siccam intemperiem, ait, aboleri conceptionem, quia propter spissitudinem humoris non exit foras. Ob testium frigidam intemperiem, semen non incalescit, sed torpidum euadit, vnde ad os vteri transmitti nequit, sed colligitur in testibus. Ob caliditatem semen plus iusto torretur, cogitur & crassescit, vt nequeat eiaculari. Quoad vasa seminaria, vitium est in angustia, vi cuius semen non potest eiaculari. Hæc autem angustia, siue sit obstructio, siue compressio, occupat vasa, non prope vterum, non vt inseruntur in vterum: quia angustia in vasis vbi vtero inseruntur, est morbus vteri, de quo diximus antea. Quoad vitia penis; est angustia, vi cuius impeditur seminis eiaculatio: est quandoque longitudo immodica, vi cuius diutius moratur semen, antequam in vterum transmittatur. Hanc eandem noxam patitur semen, propter obliquitatem penis. Ob breuitatem etiam immodicam, non potest semen eiaculari, vt decet. Quoad externas caussas; error est in tempore eiaculationis: nam nisi eiaculatio vtriusque ferme fiat eodem tempore, non fit conceptio. Et hoc obseruant perfidi homines, qui concumbentes nolunt conceptionem fieri. Error etiam potest fieri ab externa caussa, vt ab odio: hoc enim si adest, vix fieri potest conceptio.

Differẽtiæ. Quoad differentias a caussa efficiente. Fit sterilitas & aufertur conceptio, vel Læsa facultate, vel ob Errorem externum. Si læsa facultate; vel Labefactata ob intemperiem vteri, vel Impedita ob malam compositionem, vel ob solutam vnitatem. Si autem ob errorem externum; hic desumendus est e seminis vel Generatione, vel Eiaculatione.

Signa. Signa morborum vteri, intemperierum, tumoris, peti possunt e malis ventriculi. Malum autem hoc in genere non difficile noscitur, e signis conceptionis, antea traditis. Cum Hippocrate aph. 59. & 62. sect. 5. facile cognoscuntur intemperantiæ vteri, præsertim e suffumigiis aromatum.

Indicationes. In præsentia sufficit præsidia proponere, quæ respiciunt vterum, secundum eius proportionem, quæ requirit vterinum remedium. Calor vteri, indicat calorificum, vniens & conseruans calorem vteri. Præseruatoria autem respiciunt non proportionem & calorem vteri, sed sensum vteri exquisitum; hic indicat obtundens sensum: quia non dirigitur ad conseruationẽ, veluti vitale, sed ad destructionem. De Præsidiis quæ sumuntur a morbo, id est, a dyscrasia, mala compositione, vlcere, item a semine; alias suo loco agitur.

Prognostica. Vitium hoc non est contemnendum, quia agitur de speciei discrimine. Pro vi morborum & caussarum, quandoque bene sperandum est; aliquando prorsus desperandum. Et hoc loco digrediẽdum esset circa vim intemperierum, circa vim tumoris & solutæ vnitatis. Quorum prognostica e malis ventriculi petenda.

Hippo-

A Hippocrates in lib.de superfœt.probat in fœminis venæsectionem, bis in anno, secundum manus Curatio. Venæsectio.
& pedes:nam respexit ad principale indicans,ad fœminas quæ non concipiunt, quia sanguis in corpore exsuperat.Cum ergo malum perseueret;expedit bis in anno venam secare.Et cum redundet in toto corpore,nec impetum habeat in vterum;recte probatur sectio venarum brachii, & pedum. Vnde vulgares errant,qui asserunt fœminas steriles euadere,si iis vena pedis pertundatur.Quod est cõtra Hippocratem, rationem,& experientiam.

Vnicum proponam medicamentum,quod ex iis componitur,quæ proportionem & calorem vteri respiciunt: *℞.rad.maioris testiculi,id est,satyrii,dentis apri,testiculorum vulpis,apri,matricis suillæ fœcundæ, coaguli leporis, ana ℥j.macerentur in lacte mulieris fœcundæ: sileris, hormini, erysimi, erucæ,saluiæ,pastinacæ* Roborans vterum.
B *syluestris,ana ℥ij.(Et hæc basin constituunt.) Adiuuantia addantur; bac. iuniperi,xyloal.galliæ moschatæ, cyperi,caryophyll.ana ʒß.succi seu liquoris nucis muschatæ ℥ij. (huius ratione medicamentum facile perducitur in vterum.) Conserua e floribus citri ℥iiij. Cum syrupo de corticibus citri,fiat electarium,cuius dosis a ʒj. ad ʒß.*

CAPVT VI.

De Monstro.

FOrmatrix,dum fœtum formare nititur, dupliciter errat: vel enim formatio deprauatur,& fit Monstrum;vel aufertur,& fit Mola.Monstrum autem hic dicimus,quod raro accidit, & recedit ab affectibus consuetis,non ad bonum,sed ad malum,turpe,deforme.Generatur, quia aliquid noxium vtero occurrit,vi cuius necessarium est,vt actio formatricis deprauetur.Monstrum ergo est animal in vtero geni- Nomen. Generatio Definitio.
C tum,a deprauata formatrice.Animal dicitur;ad differentiam molæ,quæ non viuit vita animalis. In vtero ad differentiam animalium,quæ in aliis partibus generantur. A deprauata formatrice; ad differentiam animalis non monstrosi; ad differentiam fœtus probi & inculpati. Monstrum enim est opus quoddam contra naturam: quare necesse est, vt consequatur aliquam actionem læsam,quæ nihil aliud esse potest, quam formatio deprauata.Læditur actio,quia facultas læditur.Hoc ergo loco formatrix frustratur. Facultas frustrari potest Læsa facultate,vel ob Errorem externum.De hoc autem diu anceps fui:nam vbi læsæ facultatis, ibi necessario morbus:& vbi morbus,ibi necessario subiectum pars viuens, quia morbus & sanitas sunt passiones corporis viuentis. Facultas formatrix, non videtur pro subiecto habere vterum; quia hic est subiectum conceptricis:Si autem formatricis subiectum sit semen,cum sanguine menstruo; hæc,quia contenta sunt,non viuunt,& propterea non possunt esse subiectum morbi. Quare,si formatrix Caussa efficiens. ἀπορία, de subiecto formatricis.
D frustretur,statuendum frustrari tantum ob errorem externum? Pro veritate dicimus, formatricis subiectum inter initia,& potissimum ante sextum diem,non esse viuens:vnde Hippocrates genituram appellat,non fœtum:post hos dies,licet fœtus non sit formatus,quia non perficitur ante triginta dies, imo fœmina nõ nisi post triginta sex dies formatur:igitur post sextum diem,cum fœtus incipiat viuere vita plantæ,est subiectum formatricis,est subiectum viuens.

Et secundum hanc rationem statuere licet,formatricem lædi vel frustrari ob morbum,qui est morbus fœtus,non vteri;& quidem fœtus,vt viuit vita plantæ,non animalis. Sed cognoscendum est, quod vitium esse possit in facultate formatrice.Quidam igitur voluerunt,monstrum esse erratum non ratione agentis vniuersalis,sed particularis;vt proinde aliqui dixerint,vitium esse & errorem ratione materiæ, vt refert Philosophus text.octuagesimo secundo,lib.2.physicæ acroaseos,& c.4.l.4.de gen.anim.quidam di- Formatrix læditur ob ineptam materiæ διάθεσιν.
E xerunt monstrum esse errorem naturæ ; quemadmodum enim errores fiunt in arte,ita etiam in natura. Galenus c.9.l.de caus.morb.c.2.l.2.de diebus decret. videtur asserere,monstrum esse errorem naturę.Ego statuo agens nec vniuersale,nec particulare errare posse:& proinde monstrum non esse errorem naturæ siue vniuersalis,siue particularis.Proprium vegetabile,vis formatrix in semine residẽs,quæ est agens particulare,dirigitur ab agente vniuersali,ab intelligentia non errante:& cum hæc vis formatrix agat in materiam,secundum dispositionem materiæ;necessarium est,vt opus & effectum producat,ita vt nequaquã aberret;imo aberraret,si,agens in materiam certo modo dispositam, efformaret quid præter dispositionem illius materiæ.Sed hoc efficere non potest:igitur natura nec vniuersalis,nec particularis potest aberrare.Sed cur ab Aristotele & Medicis monstrum statuitur inter errores externos? Per errores, intelligunt effectus noxios.

F Porro monstrositas & praua efformatio potest esse duplex;primo,secundum speciem; deinde secũdum compositionem tantum. Secundum speciem; quando fœminæ concipiunt animalia bruta, & serpentes quandoque pariunt. Vnde hæc conformatio diuersa est ab illa,in qua editur fœtus humanus, sed qui caput habet vitulinum;quod caput,vt colligitur e Philosopho,non est caput vituli,sed humanum, licet figuram habeat vituli. Sed quandoque, vt dixi, generantur animalia, quæ prorsus & vere sunt extra speciem humanam. Datur etiam aliud monstrum,in quo non est dissimilitudo secundum speciem; dum scilicet fœtus humanus est,sed solum secundum compositionem. Quoad caussas monstri: Monstrum secundum speciem semper fit ob errorem externum,nõ ob morbum.Cum autem error externus capiatur a semine,a sanguine,& vtero:vitium potissimum petẽdum est a semine:quod vitium duplex est; primum, Monstrum duplex. Monstrum secundum speciem.
G quando fœminæ attrahunt semen bestiarum:sed quandoque etiam fieri potest e vi seminis,quę imprimitur ob fortem imaginationem;interdum enim tantũ potest imaginatio,qua parentes bestias concipiunt, vt semini per spiritus tanta fiat impressio,vt bestiæ formentur.In eadem autem specie, quandoque potest frustrari facultas ob morbum post primos dies,ob intemperiem,& præsertim frigidam;nam cum vis formatrix egeat calore robusto ad formandum fœtum;si fœtus nondum efformatus iusto sit frigidior,facile formatur fœtus monstrosus.

Monstrum secundum compositionem. Quoad monstrum secundum compositionem;fieri solet monstrum,quia error est in compositio- A
ne,id est,in conformatione,magnitudine,numero, situ. Quoad malam conformationem; quandoque
inæquales sunt partes,quia semen est iusto crassius,est intemperatum:quo fit,vt etiam ob intemperiem &
inæqualitatem male figuretur fœtus.Et hoc testatur Galenus c.14.15.art.med:vbi vult rationi consonum
I. esse,figuram ob materiæ vitium,& ob potentiæ imbecillitatem,vitiari:non quod hoc accidat errore for-
matricis;sed per potentiæ imbecillitatem insinuauit calorem debilem. Cum Hippocrate etiam in lib.de
genit.figura quandoque,sed rarissime vitiari potest,caussa vteri:quando vterus inæqualis est,& potissimũ
secundum substantiam.Fit etiam error quandoque in magnitudine aucta,quandoque imminuta:aucta,
cum materia sanguinis est iusto copiosior,& præsertim,si cum copia est connexa praua materiæ qualitas.
II. Fit error in magnitudine imminuta,e defectu seminis,sanguinis,e parte vteri:sed hoc rarissimũ est, quia
vterus est extensibilis.Aduertendum autem,vel totum fœtum esse paruum,si simpliciter deficiat sanguis, B
vel magis secundum vnum membrum,prout semen procedit a parte imbecilli:vt reperiantur fœtus, qui
III. exiguas habent partes,veluti parentes.Præterea est vitium in numero deficiente & excedente: Deficien-
te;dum est error in sanguine;nam vbi hæ materiæ deficiunt,fieri potest,vt fœtus fiat aliqua parte orbatus.
Notandum cum Hippocrate in lib.de semestri partu,nasci pueros aliqua parte orbatos, sed propter ab-
scessum,qui fœtum afficit octauo mense,sed non est vitium formationis : vis enim formatrix perdurat ad
IV. quadragesimum secundum diem.Postremum vitium circa monstrum est vitiosus situs.Quandoque enim
fit,vt iecur locetur in parte sinistra,lien in dextra.Philosophus caussam reddens,c.4.l.4.de gen.anim.dicit,
non aliam esse caussam,nisi quia cum impetu materia ad indecentes locos defertur:vt,si portio sanguinis,
e qua confici debet iecur,propellatur in sinistram partem,fit monstrum,in quo est vitium secundũ situm. C

Differẽtiæ. Differentiæ sumi possunt a forma,& caussa efficiente.A forma;vt animal hoc mõstrosum vitiosum
est redditum secundum malam compositionem,id est,secundum conformationem,magnitudinem, nu-
merum,& situm.Quoad caussam efficientem.Formatrix frustratur vel læsa facultate,id est,ob vitium san-
guinis,vel seminis,vel quandoque etiam vteri.

Signa. Monstrum in genere oculis conspicitur:vt & differentiæ a forma.Efficientis caussæ differentiæ,co-
gnoscuntur e signis indicantibus vitia parentum,vel e parte seminis,vel e parte sanguinis menstrui, vel e
parte vteri.

Indicationes. Quoad præsidia:in monstro genito vitium tollendum est:verbi gratia,sextus digitus.Deinde prohi-
bendum est,ne monstrum generetur:quod consequimur,adimendo vitia e parte vel seminis, vel sangui-
nis,vel vteri:verbi gratia,si immineat monstri generatio a frigidiori semine,orietur indicatio calefaciẽdi D
corpus,vt gignatur semen non ita frigidum,&c.

Prognostica. Vtrumque autem præstare est possibile,& quandoque impossibile. Quantum ad inhibitionem ge-
nerationis noui monstri;si immineat ex imaginatione parentum,e mala viuendi ratione,possumus polli-
ceri inhibitionem.Si autem immineat ob intemperies antiquas parentum, ob prauitatem vteri, & inæ-
qualitatem substantiæ vteri;impossibile est,vt aliquid boni polliceamur. Pariter, quoad monstrum iam
genitum;si sextus digitus sit,facile potest amputari.Si mala conceptio secundum neruos opticos, secun-
dum meatum auditoriũ,vt infantes nascantur surdi,cæci;actum est.Ex his facile potestis colligere,quan-
doque scopos facile posse absolui,quandoque nequaquam.

Curatio. Materiæ sunt variæ:caussa sexti digiti confugiendum ad materiam cheirurgicam.Ad inhibitionem
generationis noui monstri,si imminet e mala viuendi ratione,bona victus ratio constituenda. Et sic de E
reliquis.

CAPVT VII.

De Mola.

Nomen. PEr Molam exquisitam intelligimus carnem quandam rudem,informem,quæ est vita prædita,ad diffe-
rentiam tumoris durioris vteri,quem aliqui medici, sed improprie,nuncupant molam. Generatur,
Generatio. quando aliquid morbificum vtero occurrit,vi cuius,quod concipitur,formari nequaquam potest,vt ido-
Definitio. neum sit ad formam animalis suscipiendum.Mola igitur est caro præter naturam in vtero genita, proce-
Caussa efficiens. dens a formatione ablata.Est caro præter naturam,quia officit,licet vita sit prædita.cap.13.l.14.meth. Dixi- F
mus,in vtero:ad differentiam carnis,quæ potest in aliis corporis partibus generari.Tandem diximus,pro-
cedere a formatione ablata,ad differentiam molæ nothæ,id est,tumoris duri,quem Aetius vocat molam,
qui non procedit a formatione ablata.Porro formatio hæc aboletur,secũdum Hippocratem lib. de mor-
bis mul.ob crassam genituram:non enim mola gignitur citra permistionem seminis maris, cap.7.l.14.vs.
part. Quod si quandoque virgines pariant molam; non est mola exquisita. Quare genitura crassa est in
caussa:nam huius ratione ea fit conceptio,vt vis formatrix,principium illud vegetale,quodammodo ob-
ruatur,vt non possit formare.Hoc etiam Aristoteles lib.4.de genit.animal.proponit;vbi vult molæ caus-
sam esse humorem concoctu difficilem:qui nihil aliud est, quam crassus succus,vel humor. Auicennas
proponit multitudinem materiæ, a qua scilicet vegetale principium obruitur. Præterea addit in caussa
molæ esse coitum,in quo matrix comprehendit aquam mulieris,& extendit eam cum nutrimento, & pro- G
pter defectum virtutis masculi non fit conceptio, vt fœtus formari possit. Per quæ verba voluit signifi-
care,defectum non tantum e parte sanguinis menstrui,sed etiam e parte seminis:dixit enim fieri propter
defectum virtutis masculi,id est,seminis maris. Mola ergo est morbus in numero aucto, quod vitium fit
ratione formatricis ablatæ : frustratur autem formatrix ob errorem externum,id est,ob vitium Seminis,
vel Sanguinis.

Diffe-

A Differentiæ ſumendæ ſunt à Loco,& Cauſſa efficiente. A loco;vt reſidet in vtero,ſecundum Vnam, Differentiæ.
vel Alteram partem. Ab efficiente;vt fit vitio Seminis vel Sanguinis,maris aut fœminæ.
Mola in genere indicatur, cum Hippocr. de morb. mul. e tumore ventris inferioris,qui minor eſt, Signa.
quam in muliere vterum gerente,ſed tumor producitur ad eam magnitudinem, ad quam producitur,dũ 1.
mulier fœtum gerit,vſque ad octauum menſem. Licet ergo tumor ſit minor,eſt tamen cum maiore ſenſu
grauitatis,quam quando fœminæ fœtum gerunt:quia fœtus ratione portionis ſeroſæ,in qua innatat,non
eſt ita ponderoſus,vt mola:præſertim,quia mola eſt ſubſtantia ſatis craſſa,dura,& grauis. Præterea indica- 2.
tur, quia non adeſt in ventre conſpicuus motus: infans enim moueri incipit,mas tertio,fœmella quarto
menſe;quo exacto,ſi venter intumeſcat,& motus non perſentiatur,coniiciendum eſt,adeſſe molam. Hoc
etiam cognoſcitur,ſi,dum mulieres mouentur de latere in latus, ſentiunt, propter deſcenſum materiam 3.
B illam moueri;ſed citra motum ſui corporis nullum animaduertunt motum. Addit Hippocrates, mam- 4.
mas tumidas euadere,ſed lac non adeſſe:dum enim mola adeſt,ita refrigeratur vterus,vt vbera in conſen-
ſum trahantur,vt nequaquam poſſint ſanguinem in lac conuertere: & hoc eſt euidentiſſimum ſignũ mo-
læ. Præterea etiam cognoſcitur, quia procedente tempore fœminæ ſentiunt aliquem dolorem in imo 5.
ventre,quem non ſentiunt,dum vtero gerunt. Quoad ſigna differentiarum:num pars vteri dextra vel ſi-
niſtra ſit affecta;indicabit noxa,quæ in vna magis quam altera parte ſentietur. Vtrum fiat vitio patris,vel
matris;cognoſcitur e ſignis indicantibus vitia patris,vel matris.

Mola,vt ſubſtantia toto genere præter naturam, indicat eradicans.c.13.l.14.meth. Sed quia non cedit Indicatio-
remedio eradicanti ob duritiem,& craſſitiem,indicat molliens,& attenuans. Et quia his tuto vti non poſ- nes.
C ſumus,niſi totius rationem habuerimus;iccirco toti proſpiciendum.

Secundum Philoſophum c.7.l.4.gen.animal.& Hippoc.l.1.de morb.mul. interdum durat quinque Prognoſti-
aut plures annos:ſæpe autem quatuor menſes;Et potiſſimum bene eſt ſperandum, ſi non vnica eſt mola, ca.
ſed plures: nam,ſi vnica;magis hæret,& ad maiorem magnitudinem perducitur, ita vt, ſecundum Paul-
lum, periculum immineat hydropis. Secundum Hippocratem, ſi mola eſt antiqua; curatio non niſi cum
prædictione ſuſcipienda.

Quoad materias: Auicennas ſecat venam cubiti & pedis,quia ſcilicet ſanguis redundat in fœmina, Curatio.
& habet vrgentis rationem:nam cum oporteat admodum calidis vti, poſſit fieri ad vterum attractio a to- Cheirurgica.
to,vnde in vtero excitaretur inflammatio. Per venæſectionem etiam adimitur alimentum molæ, quæ ſan-
guine nutritur. Et cum per phlebotomiam moueatur mola,non ita reſiſtit expultrici. Secantur autem
venę ſupernæ & infernæ,propter ſanguinis ſubſiſtentiam ſupra & infra vterum. Hippocrates l.1.de morb.
D mul. probat cucurbitam ſcarificatam,applicatam vtero,ad laterum mollitudinem, & probat detractionẽ
copioſi ſanguinis; quia reſpicit ſanguinem circa vterum exſiſtentem, qui aſſiduo attrahitur a mola pro
nutritione:quo fit,vt cum copioſus ſanguis attrahatur,copioſus ſit euacuandus: & præſertim quia medi-
ci eſt inſtitutum ne mola nutriatur,ſed priuetur ſanguine. Applicat vtero ad laterum mollitudinem,pro-
pter ſanguinis ſubſiſtentiam circa vterum.

Præſuppoſitis medicamentis totum reſpicientibus,deſcendemus ad priuata:quibus non vtendum,ſi Medica-
aſſit prohibens,id eſt,materia replens totum. Mollentia ergo,verbi gratia,fomenti forma parentur *ex al-* menta.
thea, malua, e rad.cucum.agreſtis, e pinguedinibus, adipibus. Hoc tempore expedit etiam detinere *empla-* Mollientia.
ſtrum diachylon cum gummis,de meliloto, quæ pectini,perinæo,& poſteriori etiam parti applicentur. Pro-
bantur etiam attenuantia:quæ ob caliditatem, & tenuem ſubſtantiam,tum materiam craſſam attenuant, Attenuantia,&expul-
E tum expultricem irritant ad expellendum. Vnde ab Hippocrate lib. 1. de morb. mul. ſimiliter probantur tricem irri-
& aſſumta & applicata. Exhibebitur ergo *dictamnus Creticus,& caſtorium cum vino: Verbi gratia,* ℞. *caſto-* tantia,id
rii ℥ß. *dictamni Cretici* ℈ß. *cum vino odorato dulci exhibeantur*, vt vis medicamentorum promtius perdu- eſt,menſes
catur ad vterum. Aetius etiam probat *odoramentum e ruta & aceto*. Auicennas probat quæ abortum effi- ducentia.
ciunt:vnde licet applicare *fel bouinum,cum filice fœmina.* Hippocrates lib.1.de morb.mul.probat *clyſmum*
ex acribus,id eſt,ex iis quæ poſſunt menſes prouocare. Quare cum Hippocrate lib.2. de morb.mul.ablue-
re licet vterum,& in eum infundere *muriam cum ſucco gladioli & aceto.* Et, vt vnico verbo dicam,confe-
runt quæ fuere propoſita in ſuppreſſione menſium.

CAPVT VIII.

F

De Abortu: vbi etiam de Partu ſecundum naturam agitur.

SEQVVNTVR vitia quæ pertinent ad læſam parturitionem;vt Abortus, & Partus difficultas. Vt autem
hæc intelligantur,dicendum de partu ſecundum naturam. Partus eſt expulſio infantis in caput,tempe- Partus de-
ſtiue procedens ab expulſione vteri,concurrentibus infante & matre, cum vtriuſque ſalute, propter ſpe- finitio.
ciei conſeruationem. Diximus, eſſe expulſionem infantis in caput,cum Hippocrate in lib de nat.pueri, Forma.
& de ſeptimeſtri partu,ſiquidem dum infans egreditur ſecundum caput, nullum patitur detrimentum in
reliquis corporis partibus. Non ergo eſt naturalis partus, ſi egrediatur non ſecundum caput,ſed ſecun-
dum brachia, pedes,vel alias partes. Diximus tempeſtiue:tempus enim partus eſt vt plurimum a ſeptimo Tempus.
menſe ad vndecimum capite ſeptimo,libro ſeptimo de nat.animal. Sæpe autem decipiuntur mulieres(ait
Ariſtot.)quia fieri poteſt,vt vterus repleatur flatu,& ſupprimantur menſes tantum, nec tamen mulier ſit
G prægnans:& poſt hoc tempus euenire poteſt,vt erumpãt menſes,& mulier cum viro coniungatur,& con-
cipiat:vt tempus conceptionis ſit hoc poſtremum, non prius. Licet autem opportunum tempus ſit a ſe-
ptimo ad vndecimum,ſæpius tamen fœminæ pariunt nono menſe,minus frequenter ſeptimo, rarius de-
cimo,rariſſime vndecimo. Excluditur octauus menſis: quia fœtus octimeſtris non viuit. Quamuis ſecun-
dum Ariſtot.cap. 4. lib. 7. de nat.animal.fœtus octimeſtris quandoque ſit vitalis,præſertim in Æthiopia,

Fœminæ cur nõ semper eodem tempore pariant.

& potissimum in fœminis fœcundis. Explicandum autem cur fœmina diuersis temporibus pariat. Et primum videtur contradictio esse in verbis Aristotelis: nam cap. 10. l. 4. de gen. animal. ait, equæ fœminæ non idem esse tempus pariendi, sed interdum citius, interdum serius parere. At lib. 7. de hist. animal. statuit, soli fœminæ humanæ contingere, vt diuerso tempore pariat, non autem brutis. Ita est intelligendus Philosophus: vt, si sermo sit de eadem vnaque fœmina e qua, semper eodem mense pariat: at, si de pluribus equabus loquamur, vna equa vno mense parit, alia alio. Cur autem bruta vno mense pariunt, homo diuersis? Statuendum cum Philosopho c. 10. l. 4. de nat. animal. debitam magnitudinem esse in caussa, vt fiat parturitio; quæ debita magnitudo citius producitur in fœtu masculino, quã fœminino, beneficio caloris: quod habetur etiam c. 4. l. 7. de nat. animal. Magnitudinem autem staturam esse caussam parturitionis, inde colligitur; quia dum fœtus est adeptus decentem magnitudinem, vt illius beneficio possit propria munia obire, non amplius vtero includi debet: & proinde egreditur. Præterea cum Hippocrate in lib. de natur. pueri, cum fœtus est assecutus debitam magnitudinem, eget copioso alimento, vt conseruetur; at cum deficit alimentum, calcitrat, & disruptis inuolucris egreditur. Quia ergo determinata hæc magnitudo fœtus, in brutis eodem tempore producitur; in homine, non eodem tempore; fit vt sola bruta eodem tempore pariant. Cur autem decens illa magnitudo in brutis solis eodem tempore acquiratur, in caussa est similis viuendi ratio: homo enim maximam in viuendi ratione dissimilitudinem committit: ideo mulieres diuerso tempore pariunt.

Octimestris partus non est vitalis.

Quæritur etiam, cur octimestris fœtus non sit vitalis? Non potest caussa transferri in solum motum, quod fœtus mense octauo moueatur: nam si septimo est parturitio, sexto est motus: si decimo, mense nono est motus. Quare potius cum Hippocrate lib. de septimest. partu statuendum, caussam esse, quia octauus mensis efficit vnum e quadragenariis. Tria enim sunt quadragenaria, in quibus vitæ periculum subit fœtus. Primum est primo mense, vnde tunc facile fit abortus: Alterum octauo mense: Tertium, post partum. Cum igitur in octauo mense sit secundum quadragenarium, & proinde sit tempus, quod discrimen fœtui afferre potest, & eo tempore fœtus laboret; si tunc fœtus egrediatur, vitalis esse nõ potest, quia non potest pati periculum secundi quadragenarii, & etiam tertii. Nec Aristoteles medicis repugnat: non enim dicit octimestrem partum simpliciter esse vitalem, sed tantum in fœcundis, quæ concipiunt fœtus robustissimos, qui possunt perferre violentiam vtriusque quadragenarii.

Caussa efficiens partus.

Diximus postea in finitione partus; quod fiat ab expultrice vteri. Galenus enim cap. 3. lib. 3. de facult. natural. inquit, os matricis aperiri, vt etiam ait, c. 9. lib. de diss. vuluæ, & cap. 7. lib. 15. vsu part. Concurrit autem infans, & mater: infans, calcitrando, & disrumpendo inuolucra, secundum Hippocratem li. de natur. puer. & comm. 1. sect. 1. lib. 6. epid. Quoad matrem; non tantum concurrit vteri expultrix, sed etiam mulier voluntarie concurrit per musculos abdominis, ca. 3. lib 3. facult. natural. Hinc obstetrices fœminas parturientes hortantur ad expellendum fœtum.

Caussa finalis.

Diximus, cum vtriusque salute: nam secus non esset paruus secundum naturam. Et quoad matrem, partus est cum eius salute, si bene purgetur, ea tamen ratione, vt multo copiosior sit purgatio primis diebus: vt, si partus est maris, sufficiat purgatio, a 20. die, vsque ad 30. si ergo eritis apud has fœminas, post 30. diem, si peperit marem, non debetis tentare purgationem, quia iam purgata est. At si partus fuerit fœminæ, purgatio fit à 25. die, ad 42. Quo vero ad salutem pueri; cum Hippo. lib. de octim. partu, fit partus cum salute pueri, dum partus est facilis: periculum enim imminet ne pereat, si partus sit difficilis, quia infans extra vterum mutat aerem, alimentum, excrementum, indumentum, vmbilicum: nam intra vterum omnes partes erant occlusæ præter vmbilicum, contra post partum occlusus est tantum vmbilicus.

De Abortu.

Nomen.

PARTVS qui non fit secundum naturam, est Abortus, vel Difficilis partus. Per abortum cum Hippocrate lib. 1. de morb. mul. intelligimus illud vitium, in quo perditur fœtus; siue egrediatur, siue in vtero detineatur.

Definitio.

Generatur dum aliquid morbificum occurrit vtero, vi cuius expultrix ad expellendum insurgit. Abortus ergo est partus præter naturam fœtus immaturi, procedens ab expulsione vteri læsa. Dicitur, partus præter naturam, quia potest esse hæc actio læsa, & actio præter naturam, vel ablata, vel corrupta. Ablata; dum fœtus perditur, & in vtero detinetur, vt non possit excludi: vnde medici quandoque coguntur deuenire ad ferrum. Corrumpitur autem, quoties excluditur fœtus immaturus: ad differentiam partus difficilis, in quo tempestiue excluditur fœtus maturus & perfectus.

Caussa efficiens.

Caussa efficiens est læsa expultrix vteri: nam in abortu expultrix irritatur, cap. 12. lib, 3. facult. natural. Læditur autem expulsio, primum ob molem fœtus, secundo ob pondus, tertio ob morsum. Moles immodica, ita grauat expultricem, vt ad expellendum insurgat: sic etiam pondus: licet enim fœtus non sit affecutus insignem molem, potest tamen esse ponderosus ratione virtutis, & ob id aggrauare expultricem. Morsus etiam ob mordacitatem & acrimoniam potest expultricem irritare. Porro caussa abortus est vel in Fœmina, vel in Vtero, vel in Fœtu. Quoad fœminam aliæ caussæ sunt Internæ, aliæ Externæ. Internæ sunt morbi: nam dum fœmina vtero gerens morbis corripitur, facile in consensum trahitur vterus, & expultrix ad expellendum irritatur. vt com. 7. sect. 2. lib. 3. epid. Hi autem morbi plures esse possunt, secundum Galenum comm. aph. 55. sect. 5. vt febris, pro cuius vi, magis vel minus abortus periculum impendet. Præterea, ex aphor. 27. sect. 7. tenesmus solet esse caussa abortus: nam vi doloris in recto intestino, & vi inanis illius cupiditatis excernendi, maxime compatitur vterus. Sic conuulsio est caussa abortus; quia irritatur & totum corpus, & vterus com. 30. sect. 3. lib. 1. epid. Quoad caussas externas: est aer hyemis australis pluuiosæ, ver siccum & aquilonium; tunc enim facile fit abortus: aph. 12. sect. 3. nam per præcedentem aeris constitutionem laxatur & repletur vterus; & si succedat constitutio sicca & frigida, vix fieri potest, vt non fiat expressio fœtus, & proinde abortus. Auicen. addit aerem balnei. Gale. aphor. 44. sect. 5. proponit cibi parcitatem & prauitatem: dum enim fœtus ali-

A tus alimento destituitur, perditur; & ob prauum alimentum, male nutritur, vnde redundant praua excrementa, quorum vi fit morsus. Idem dicendum de motu immodico, de superflua inanitione: nam immoderata euacuatio est caussa abortus. aphor. 31. & 34. sect. 5. & proinde etiam profluuium sanguinis, menses superflui, immodicus motus, & immoderata animi accidentia, vt ira, timor, tristitia. Tandem sunt caussæ externæ, non necessario occurrentes, venæ sectio, medicamenta male amministrata. Explicandum etiam, quomodo hoc vitium contingat ratione vteri. 2. Cum Gale. ergo, aphoris. 43. sect. 5. vteri erysipelas solet esse caussa abortus: nam in consensum ducuntur partes principes, præsertim iecur, vt gignatur vitiosus sanguis, vi cuius perditur fœtus. Sic etiam vteri inflammatio & vlcus. Item mucor acetabulorum, aphoris. 45. sect. 5. & lib. 2. de morb. mul. vnde potissimum fit abortus 2. & 3. mense: nam in primo mense non multum
B ponderat fœtus: post tertium vero mensem mucor acetabulorum absumitur, vt tunc non immineat abortus. Caussa etiam abortus esse solet immodica paruitas vteri, cum Hipp. in lib. de superfœt. nam dum vterus est iusto minor, & fœtus ad quandam magnitudinem productus est; cum nequeat amplius augeri, ob vteri paruitatem, necesse est, vt perdatur. Postremo fit etiam abortus ratione fœtus, cap. 2. 3. & 12. lib. 3. 3. facult. natural. dum semen patris vel matris vitiosum est.

Differētiæ. Quoad differentias a forma: abortus est partus præter naturam vel ablatus, quando fœtus non excluditur; vel Corruptus, quando fœtus excluditur, sed immaturus. Quoad efficientem abortus fit, vitio mulieris, Vteri, vel Fœtus.

Signa imminentis abortus. Imminens abortus cognoscitur e gracilitate matris. aph. 44. sect. 5. cum enim mater emaciata est, eget copioso alimento, vt non sufficiat alimentum pro matre & fœtu, vnde abortus imminet. Indicatur etiam
C imminens abortus e gracilitate mammarum, præsertim si gracilitas repente inuadit: aph. 37. sect. 5. ca. 8. li. 14. vs. p. Vnde Hipp. dicit, aph. 35. sect. 5. quæ corrupturæ sunt fœtus, his mammæ extenuantur: si vero rursus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit, & non corrumpent fœtum. Dum enim gracilescunt mammæ; significant defectum alimenti, vnde fœtus corrumpitur: quod si contingat, mammas rursus intumescere; cum materia morbifica deserat vterum, & petat mammas, & alias etiam corporis partes; hinc dolor occupat vel mammas, vel alias partes: materia scilicet morbifica vterum relinquente: vnde fœminæ non abortiunt.

Signa præsentis abortus. Præsens abortus cognoscitur, quia prægressa est gracilitas mammarum: & obstetrices oculis abortum conspiciunt. Oportet autem obstetrices esse diligentes: nam interdum contingit, vt fœmina vtero gerens expellat per vterum sanguinem copiosum, & imprudentes obstetrices imaginantur fœminam commisisse abortum; quod tamen falsum est: non enim factus tunc est abortus, sed imminet: & dum
D imminet, prohibere oportet; quod fit adstringentibus: si autem factus est, laxantibus occurrendum. Quare obstetrices diligenter intueri debent materiam quæ egreditur, an sit sanguis, an caro, an genitura, an fœtus: quia dum fit ablutio cum aqua; facile conspiciunt, an sit factus abortus, necne. Quoad signa differentiarum; & primum a forma: partus corruptus cognoscitur, quia fœtus immaturus egreditur: Si autem parturitio sit ablata, id est, fœtus mortuus detineatur in vtero, cognoscitur cum Aetio & Hippocrate libro de superfœt. & libro primo de morb. mul. primum e motu, quia fœminæ non percipiunt amplius motum; vel si motus aliquis est, instar lapidis mouetur, vt in mola, quatenus mulier de latere in latus se conuertit. Præterea quæ per vterum egrediuntur, impense corrupta sunt & fœtida, subsequitur febris, oculi subfusci, destituti spiritu animali, dolor adest, & in pectore persentitur frigiditas. Quoad dif-
E ferentias a caussa efficiente: siue hoc malum fiat vitio fœminæ, siue vitio vteri, siue fœtus; cognoscetur e propriis signis.

Indicationes. Quoad præsidia; aduertendum, an factus sit abortus, an potius immineat. Si factus est; fœtus detinetur, vel excluditur. Si detinetur; expellendus, tanquam aliquid toto genere præter naturam. Si expellatur; indicat remedium adiuuans, vt facile & cito expellatur. Deinde, cum immineat, ob vitium vel fœminæ, vel vteri, vel fœtus; his vitiis est occurrendum. De indicationibus horum morborum alibi.

Prognostica. Secundum Hippocratem libro primo de morb. mul. abortus peior est partu, id est, fœmina magis patitur in abortu, quam in partu, vt non raro moriatur. Et hæc fuit sententia Hippocratis comment. 7. sectio. 2. lib. 3. epid. & comment. 1. sect. 1. lib. 6. epid. ratio est, quia intempestiue ad expellendum insurgit, coacta a caussa morbifica, & sæpe deleteria. Periculum autem pro vi differentiarum variat. In maiori ergo
F discrimine versatur fœmina, dum fœtus mortuus in vtero detinetur: nisi enim a natura expellatur, vel ope prudentis medici; necessario fœmina moritur. Si excludatur; non est tantum periculum. Sic quoad differentias a caussa efficiente pro varia earum vi, vario modo prognosticandum: verbi gratia, prout febris erit deterior, ita etiam maius periculum portendet. Si fiat ob erysipelas; vix fieri potest, vt non pereat, & necessario etiam succedit abortus & mors. Si fiat ob vteri paruitatem; perditur quidem fœtus, sed mulier propterea non perit. Si fiat ob mucorem acetabulorum; neque tum fœmina perit; & hoc vitium possumus amouere.

Curatio. Phlebotomia. Quoad materias; venæ sectio quandoq; probatur: verbi gratia, si mulier sit correpta febri, merito febris sanguis vacuandus. Quandoq; etiam fieri solet vt fiat abortus, cum fœmina sanguine nimis abundat, quo fit, vt cũ impetu decumbens in vterum, sit in caussa, vt fiat abortus, vnde venæ sectio probatur. Quã-
G doque fuit secta vena cum maxima vtilitate, vt fuerit fœmina præseruata ab abortu. Expedit potissimum primis mensibus venam secare; quia adest præsentia indicantis, id est sanguinis copiosi: quo etiam tempore fœtus non eget adeo copioso alimento. Neq; primis mensib. adest prohibens, vt postremis: in his enim virtus fœtus non ita permittit, non ita coindicat. Atq; tutum est venas supernas pertundere, quia sanguis supra iecur subsistit; præsentia abortus imminet, si fiat impetus sanguinis a supra ad infra. Præterea quandoq; opus est ferro & manuali operatione ad extrahendũ fœtum mortuum, quemadmodũ docet Aetius.

Ad hæc autem confugiendum;quoties ope medicamentorum non poteſt egredi fœtus mortuus: de qui- A
bus medicamentis loquemur in partus difficultate.

Medicamenta. Ad excludendum fœtum.

Quoad medicamenta;primum animaduertere oportet,an fœtus obierit. Cum Hippocrate igitur
l.1.de morb. mul. oportet fouere vterum *oleo liliorum alborum,malua,althæa,radicibus cucumeris agreſtis,*
& addere oportet butyrum,adipes,medullas, vt e toto,quantum fieri poteſt, vterus laxetur:quia ſecundum
hunc modum facile excluditur fœtus mortuus.Sed præterea cum Hippoc. acria etiam applicare oportet,
1. propoſita in ſuppreſſione menſium. Item cum Hippocrate purgationes per os exhibendæ: vnde aſcen-
dendum eſt ad *helleborum nigrum,elaterium cum myrrha: ℞. elaterii ℥.ij.aut iij.myrrhæ ℈ ß.* Neceſſe eſt et-
iam confugere ad ſternutatoria:vt expediat naribus immittere *ſtruthium,nigellam,elatherium*:per ſternu-
tamenta enim fœtus excludi poteſt.Sed de medicamentis,quæ poſſunt fœtum mortuum expellere, dicē-
dum ſequenti capite. Si excludatur fœtus,ſed immaturus; cum Hippocrate in lib.de exſectione fœtus,ſi B
2. non ſecundum caput exeat,oportet retundere fœtum,vt in caput deſcendat.Si autem fiat excluſio;inpri-
mis animaduertere oportet, an actu excludatur,an vero ne intempeſtiue excutiatur metus ſit:dum enim
actu excluditur;cum Auicenna abſtinendum ab adſtringentibus,& oportet vti laxantibus: ne,quod fieri
non raro ſolet, relinquantur in vtero membranæ, vel excrementa praua tempore puerperii: vnde, ſi ad-
ſtringentibus vtemur, peribit ſine dubio fœmina. Ob id Auicennas improbans adſtringentia proponit

Ad prohibendum aborſum.

ſuffumigium e bdellio, hyſſopo, origano, e ſinapi: vnde & excluditur fœtus,& excrementa expurgantur feli-
ciſſime. Si fœtus non ſit mortuus, neque tamen excludatur, ſed immineat abortus, & fœtus regrediatur;
tunc eſt ſaluberrimum vti adſtringentibus:quorum beneficio efficitur ne mulier abortiat,ſed fœtum cō-
ſeruet.Et ideo cum Auicenna & reliquis probantur *trochiſci de carabe,de ſpodio,probantur ſaccharum roſa-*
tum antiquum,cum bolo Arm. & adſtringentibus,de quibus in fluxu immoderato diximus. Secretum quoq; C
mulieribus eſt Italicis ad prohibendum aborſum, grauidis *propinare in ouo ſorbili puluerem cocci infectorii,*
pauco maſtiches addito. Extra etiam obſtetrices, dum hoc periculum animaduertunt applicabunt dorſo
vnguentū e caſtaneis,vnguentum Hipp. Aliqui imaginantur(quod ego ignoro)*adamantem* geſtatum in di-
gito, præſeruare fœminas ab abortu: quemadmodum etiam Dioſcor. & Aetius dicunt,*lapidem aetitem*
idem præſtare,ſi ad ſiniſtrum brachium alligetur.Sed ego magis probo adſtringentia.

Vt tractandæ quæ abortire ſolent.

Poſtremo animaduertere oportet,dum non eſt abortus factus,ſed periculum imminet, non tamen
ita præſentaneum;num mulier vtero gerat,vel non. Si gerit;probantur moderate adſtringentia, vt robo-
rentur ligamenta. Si non gerit, & alias grauida abortiuit; optimum eſt præſeruare. Vnde prout abortus
committitur vel vitio fœminæ,vel vteri,vel fœtus,id eſt ſeminis parentum;ita occurrendum variis medi-
camentis,prout varia cauſſa eſt abortus,de quibus in proprio capite,verbi gratia, ſi mulier abortiat pro- D
pter mucorem acetabulorum, oportet, antequam vtero gerat,acetabula ſiccare,& euacuare mucoſitates
illas,de quarum euacuatione ſupra diximus.Ideo propriis capp. hæc medicamenta ſunt proponenda.

CAPVT IX.

De Pariendi difficultate.

Nomen. Generatio. Definitio. Cauſſa efficiens.

PER partus difficultatem intelligimus vitium,in quo fœtus maturus non expellitur,vt opus eſt. Gigni-
tur hoc malum,quia vtero aliquid morbificum occurrit vi cuius vteri expultrix fruſtratur. Partus er-
go difficilis,eſt partus præter naturam maturi fœtus,procedens a læſa expulſione vteri.Partus autem præ-
ter naturam dicitur tribus modis:primo, quia parturitio aufertur, id eſt, quando fœtus maturus non ex-
cluditur,ſed detinetur in vtero:ſecundo quia minuitur,quoties longiori tempore fit,quam fieri deberet: E
tertio quia deprauatur;quoties fit cum dolore iuſto acerbiore,& vtplurimum cum noxa vteri.Dictum eſt
maturi; ad differentiam abortus,in quo eſt fœtus immaturus. Procedit autem a læſa expulſione. Fruſtra-
1. tur autem expultrix,vel quia Læditur,vel ob Errorem externum. Læditur,ob morbos vteri. Error exter-
nus,eſt vitium Fœminæ,Fœtus,vel Membranarum. Quoad morbos vteri;primum eſt immodica ſiccitas,
vi cuius fœtus non poteſt facile excludi,quemadmodum opus eſſet.Præterea eſt anguſtia,id eſt,morbus in
via:tumor vteri,id eſt,morbus in magnitudine aucta:item paruitas vteri,ſecundum Auicennam Et tan-
dem poteſt eſſe vlcus,ſoluta vnitas. Ob hos igitur vteri morbos,læditur vteri expultrix, vt partus fiat cum
2. difficultate. Quoad vitia fœminæ;ea pertinent vel ad Totum corpus,vel ad Partem determinatam.Mor-
bus totius, ex aph.55. ſect.5. eſt febris;quæ ſi adeſt tempore partus,hunc reddit difficilem. Sed præterea in
cauſſa eſt habitus fœminæ obeſus.Item ætas maturior,ante decimum quartum annum:ſiquidem tunc viæ F
ſunt adeo anguſtæ, vt partus fiat difficilis. Sic etiam ſeniores, vt poſt quadrageſimum annum difficulter
pariunt,ob virium imbecillitatem,Præterea cum Hipp. li. de nat. pu.mulier partui non aſſueta,parit cum
difficultate:vt etiam mollis ac delicata, quæ noxas & dolores non facile tolerare poteſt;item quæ non fa-
cile parturire poteſt. Partes etiam,quæ vtero vicinæ ſunt,laborioſum reddunt partum;verbi gratia,ſi ve-
ſica calculo afficiatur,ſi hæmorrhoides tumeant, ſi inteſtina ſint repleta flatibus, ſi læſi ſint maſculi abdo-
3. minis. Quoad vitia fœtus, ſi moriatur, eſt cauſſa difficultatis partus:quia ad ſui exitum nil poteſt confer-
re,eo quod non viuit. Quoad fœtum viuentem;ſi perpendamus ſexum, in partu fœminæ maior eſt diffi-
cultas,quia mas robuſtior eſt fœmina. Quoad vim fœtus,ſi imbecillis fuerit,ſiue mas,ſiue fœmina, eſt in
cauſſa difficultatis partus.Secundum Hippocratem namque l.1.de morb.mul fœtus robuſtus,& proinde
valide calcitrans, facile excluditur. Quoad magnitudinem, magnus fœtus eſt cauſſa difficultatis partus, G
quia ægre excluditur. Fœtus etiam iuſto minor, quia non habet iuſtum pondus, poteſt eſſe cauſſa diffi-
cultatis partus:licet maior fœtus ſit cauſſa maioris difficultatis quam minor. Quoad fœtus quantitatem
diſcretam,ceteris paribus, fœtus duplex,id eſt gemelli,ſunt in cauſſa difficilis partus,præſertim ſi accidat,
vt vterque eodem tempore in vteri ceruicem decumbat.Quod denique ad figuram,ſi fœtus fuerit biceps,
cum

A cum difficultate excluditur. Si mala fuerit figura, vt in caput non descendat; necessario est caussa difficilis
partus. Quoad membranas inuoluentes fœtum; si crassiores fuerint, difficulter pariunt fœminæ: ob craf- 4.
sitiem enim immodicam, non facile possunt expelli. Tenuiores etiam caussa sunt difficultatis partus; quia
citius, quam par est, disrumpuntur, vt aquositas iusto citius egrediatur, quæ sui præsentia lubricando est in
caussa, vt fœtus cum facilitate egrediatur: vnde hæc postea dum effluxit, partum non potest iuuare. Hi er-
go errores desumti sunt a caussis internis. Quoad caussas externas; est aeris immoderatus excessus, inedia, 5.
timor, coitus tempore imprægnationis, vt statuit Hippocrates l. de superfœt. Et quoad caussas fortuitas;
difficilis est partus propter imperitas obstetrices, propter adstringentia quæ vtero applicantur, propter
odoramenta, quæ naribus applicantur. Ob has ergo caussas læditur expulsio vteri.

Differentiæ sumi possunt a forma & caussa efficiente. Quoad formam; actio Aufertur, quando fœ- Differentiæ.
B tus maturus moritur in vtero; vel Imminuitur, vel Deprauatur; idque Læsa facultate, aut ob Errorem ex-
ternum.

Imminens partus difficultas indicatur, si purgamenta egrediuntur ante partum: secundum Hippo. Signa.
In l. de exsectione fœtus. Præsens facile cognoscitur: nam secundum Aristotelem l. 7. de hist. animal. dolor
magis affligit circa posteriora, quam anteriora. Differentiæ e propriis indiciis facile deprehenduntur. Nã
differentias formales quod attinet; quibus signis cognoscatur fœtus mortuus in vtero, declaraui. Quoad
differentias a caussa efficiente dicendum esset de signis morborum vteri: fœminæ, & partium vteri: quæ
patent. Caussa externa per se manifesta est.

Præsidia sumuntur a caussis, ob quas frustratur expultrix: vt sunt morbi vteri, morbi totius fœminæ, Indicationes
febris, vitia vicinarum partiũ, calculus vesicæ, tumor hæmorrhoidum, & alii affectus, de quibus suis locis.
C Vitium hoc magni est momenti: nam facile accidere potest, vt huius ratione fœmina sputo sangui- Prognostica.
nis, & phthisi corripiatur, præsertim si difficultas fiat partus, & purgatio prohibeatur, si ob partus difficul-
tatem vterus inflammetur, vt dicit Hippocrates, comm. 85. sect. 3 l. 3. epid. Bene autem sperandum est, si
fœmina sternutarit. aph. 35. sect. 5. Quoad differentias formales; satis perniciosum est, si fœtus immaturus
moriatur. Circa differentias a caussa efficiente facile digredi possumus.

Quoad materiam cheirurgicam; Hippocrates l. 1. de morb. mul. si mulier erat sanguinea, secabat ve- Curatio.
nam in malleolis, quia institutum erat Hippocratis, sanguini illi copioso impetum dare in vterum, vt be- Cheirurgica.
neficio illius impetus extruderetur fœtus. Aetius fœtum mortuum ferro iubet extrahi, si scilicet non ce-
dit medicamentis, quæ ibi præscribit.

Medicamenta secundum Paullum probantur laxantia, quibus viæ aperiuntur; vt facilius egrediatur Medicamenta.
D fœtus: & ideo probat *oleum dulce calidum, oleum lil. alborum. amygd. decoctum maluæ, althææ, hydrelæum, vt*
inde fiat insessus: ita. n. facile excluditur fœtus. Sufficit nunc proponere medicamenta, quibus vtẽdum vbi 1.
mortuus est fœtus: non enim facile admittendum, vt cheirurgi ad ferrum confugiant. Hippoc. ergo lib. 1. 2.
de morb. mul. exhibet *elaterium, cum ranunculo, verbi gratia, g. ij. vel iij exhibet cantharides integras, quia*
alæ sunt alexiteria ventris, scil. * *vnam cantharidem cum castorii* ℈j. *& cymini Æthiopici* ℈ß. Et ad eandem * Imo exiguam cantharidis portionẽ: ait enim, καὶ θαψίας μικρόν.
intentionem probat per superius & inferius, quæ menses valide prouocare possunt. Sequenti medicamẽ-
to sæpe fœtus mortuus exclusus est: ℞. *pul. sabinæ, calaminthæ montanæ cinamom. dictamni Cretic. myrrhæ,*
castorii ana ℈ß. *croci g. vj. decocti cicerum rub.* ℥ *vj. syr. de capill.* ℥ *ij. Misce & fiat potio.* Tutius hoc est, quam
quod ex elaterio, vel cantharidibus constat. Si fiat partus difficultas vitio membranarum; si crassiores fiat,
iubet Aetius, vt obstetrix summa cum dexteritate membranas laceret: &, si tenuiores fuerint, iubet Gale- 3.
E nus c. 5. l. 15. vs. p. vt in vterum aliquid liquidum immittatur, cuius beneficio partes lubricæ euadunt, cum 4.
humor egressus sit, ob nimiam membranarum tenuitatem. Idem Aetius probat *albumen oui, cum decocto*
maluæ, aut fœnugræci, aut cremore ptisanæ, aut cum oleo amygdal. dulc. Secundum Auicennam a proprietate
conferunt *lapis magnes* detentus in sinistra manu. Expedit etiam suffire vterum cum *vngula asini vel equi.* 5.
Probatur etiam suffumigium paratum *cum oculis piscis saliti.* Applicant etiam *corallum* in coxa dextra: &
quandoque alligant femori lapidem *aetidem.*

CAPVT X.

De Præfocatione ab vtero.

HACTENVS de particularibus vteri affectibus diximus: restant vitia vteri communia, quæ sunt præ- Transitio.
focatio, inflammatio, vlcus. Cum autem e doctrina de affectibus ventriculi & iecoris pateat quid a-
F gendum sit in vlcere & inflammatione vteri; his omissis, tantum circa vteri præfocationem digrediemur.
Galenus capite quincto, libro sexto loc. affect. mulieres præfocatione detentas, vocat hystericas, id est, se-
cundum vterum affectas. Dicitur autem præfocatio, quia hæ mulieres strangulari & suffocari videntur. Nomen.
Communiter hoc malum definire solent, quod præfocatio vteri sit intemperies frigida vteri, dependens Definitio Altimari & aliorum.
a venenata qualitate. Verũ impossibile est, in vteri præfocatione esse intemperiem frigidam e Galeni sen-
tentia. Nam capite 7. lib. 3. de loc. affect. dicit, id quod cito fit, & cito desinit, non posse referri in intempe-
riem: hoc ea ratione dicit, vt probet epilepsiam non posse referri in intemperiem. Et hoc etiam de præfo-
catione statui potest, quæ cito fit, & cito desinit; deficit enim, & interficit aliquot horarum spatio. Præter-
ea si referretur præfocatio vteri in intemperiem vteri; certe hæc esset insignis intemperies: quia ratione
huius præfocationis totum corpus mulieris refrigeratur, ita vt mortis imaginem præbeat: quod fieri non
G posset, nisi insignis esset illa dyscrasia. Quod si hæc esset insignis dyscrasia, non posset tolli, nisi medica-
mento calida applicarentur vtero: at Galenus capi. 5. lib. 6. de loc affect. dicit, curari præfocationem vteri,
siue fiat e retento semine, siue e sanguine menstruo, nullo prorsus adhibito auxilio ratione corporis v-
teri. Ergo non potest esse intemperies vteri. Ego affectum hunc sic definiendum puto, quod præfoca- Auctoris
tio vteri, sit refrigeratio totius corporis, & vteri, dependens a veneno frigido, propter obstructionem definitio.

vaſorum, ad vterum pertinentium. Dicitur refrigeratio totius corporis; quia ita ſecundum totum refri- A
gerantur mulieres, vt mori videantur. Dicitur etiam refrigeratio vteri; quoniam frigiditas totius cor-
poris, in vteri ſtrangulatu prouenit à frigiditate vteri. Cum refrigerationem dico; nolo intemperiem; re-
frigeratio enim eſt ſymptoma & affectio; intemperies eſt morbus. Quare ego præfocationem vteri non
refero in dyſcraſiam frigidam, tanquam in morbum vteri; ſed in refrigerationem, id eſt, qualitatem mu-
tatam tangibilem, & proinde in ſymptoma. Dependet autem hæc refrigeratio à veneno frigido. Et hoc
ſymptoma refertur in morbum in mala compoſitione, in via, nimirum in obſtructionem vaſorum ad v-
Cauſſa efficiens. terum pertingentium. Hæc autem obſtructio ſecundum Galenum, fit e retento ſemine, vel ſanguine
menſtruo. Nam vidua quædam, vt Galenus refert, quæ a coitu abſtinuerat, quamuis menſes ipſi fluebãt,
incidit in vteri ſtrangulatum; a quo poſtea conualuit, vbi poſt colorifica admota partibus inferioribus, &
per contrectationem illarum partium, excretum fuit copioſum ſemen. Vnde patet, etiam e retento ſemi- B
ne fieri præfocationem. Differentia tamen eſt inter præfocationem cauſſatam e ſemine, & cauſſatam e
ſanguine menſtruo. Dum enim fit e retento ſemine, non retrahitur vterus ad latera, vel ad partes ſupe-
riores: at, dum fit e ſanguine menſtruo; retrahitur vterus vel ſurſum, vel ad latera; quia venę ad vterum de-
latæ replentur & humectantur, & proinde replentur vincula illa, quibus dorſo vterus alligatur: vnde ra-
tione huius humectationis ac repletionis illa vincula retrahuntur ac abbreuiãtur, & hinc vterus retrahi-
tur. Conſtitutum ergo ſit, præfocationem vteri fieri ex obſtructione vaſorum deuenientium ad vterum,
quæ vaſa continent ſemen & ſanguinem menſtruum: quibus retentis ſequitur refrigeratio tum vteri, tum
totius corporis, & inde hæc præfocatio.

Hippocratis loca explicantur. Sed contra ſentire videntur Hippocrates & Aetius. Nam Hippocrates libro 1. de morb. mul. dicit,
vteri præfocationem fieri, quando venæ inaniuntur, & ſiccatur vterus. Reſponſio. Vaſa vteri ſunt dupli- C
cia: alia deferunt materias ad vterum, ſemen ſcilicet & ſanguinem menſtruum: aliæ autem ſunt venæ
propriæ vteri. Præfocatio vteri fit, quia venenum frigidum generatur, propter obſtructionem vaſorum,
non vteri, ſed vaſorum ad vterum pertingentium. Dum igitur vaſa, materias deferentia ad vterum, ob-
ſtruuntur; certum eſt, quod tunc venæ vteri inaniuntur, vnde ſiccatur vterus, qui antea irrigabatur &
humectabatur ratione tum ſanguinis menſtrui, tum ſeminis. Inaniuntur autem venæ vteri, quoniam ob-
ſtruuntur vaſa deferentia materias ad vterum. Et ſic explicandus eſt citatus Hippocratis locus. Præterea
Hippocrates ibidem ait, fieri vteri præfocationem in prægnantibus e nimio labore, e cibi faſtidio: vterum
enim ratione laboris incaleſcere; & fœtum alimento priuari, propter inappetentiam. Hinc videtur vteri
præfocatio potius conſiſtere in caliditate, quam in frigiditate. Reſponſio. Hippocrates vult ſignificare,
ratione caloris & laboris vterum incaleſcere, & calefactum attrahere. Cum autem adſit cibi faſtidium, D
dum mulieres comedunt citra appetentiam; plurimæ ſuperfluitates colliguntur, & alimentum bonum eſt
paucum; iuxta illud, Quod ſapit, nutrit: hæ autem ſuperfluitates attrahuntur ab vtero, ratione caliditatis;
Aetii locus c.68.l.16. vnde vaſa replentur, quibus repletis fit obſtructio, & his obſtructis fit præfocatio. Quare præfocatio re-
fertur in obſtructionem, non autem in dyſcraſiam frigidam. Aetius etiam nobis contrarius eſſe videtur; qui
dicit, fieri præfocationem, dum vterus refrigeratur menſibus prodeuntibus. Admodum difficile eſt intel-
ligere, quid per hæc verba velit Aetius. Nam ſi ſtatuit, vteri præfocationem fieri e ſanguine mẽſtruo pro-
deunte, eo quod ratione menſium immodice prodeuntium, vterus refrigeratur: quomodo igitur fit præ-
focatio e menſtruo ſanguine retento? Reſponſio. Dum adeſt præfocatio vteri; coniungitur etiam ſynco-
pe, vel ſaltem animi defectus. Aetius ergo reſpiciens ad ſyncopen, quæ fieri poteſt ob affectũ vteri, co- E
gnouit ſyncopen non modo fieri poſſe in ſuppreſſione menſium, ſed etiam e profluuio menſium: nam ſi
fiat euacuatio ſanguinis vel per vterum, vel per aliam quamcunque partem; ſi ſit immodica, poteſt ſynco-
pen producere. Ideo dicendum, quod illa præfocatio, de qua loquitur Aetius, non eſt vera præfocatio: dũ
enim eſt vera præfocatio, & ſecundum Hippocr. l. 2. de morb. & ſecundum omnes medicos naribus odo-
rata admota, maxime nocent; fœtida autem inferioribus partibus admota obſunt. Quare in præfocatione
odorata adhibenda ſunt partibus inferioribus, fætida naribus. Ad hæc ita fieri nequeunt, in menſiũ pro-
fluuio: dum enim cum hoc eſt ſyncope, odorata naribus, fœtida imis partibus ſunt admouenda. Quare
penitus contraria eſt ratio curationis. Sermo igitur eſt de ſyncope, quæ fit, dum mulier afficitur obſtru-
ctione vaſorum, ad vterum pertingentium, quæ pendere poteſt, e retentione vel ſanguinis menſtrui, vel
ſeminis vel etiam a nimio fluxu ſanguinis menſtrui. Et ob id Aetius non loquitur de vera præfocatione v- F
teri, ſed de coniuncta cum ſyncope, quæ ab vtraque cauſſa dicta prouenire poteſt.

Differẽtiæ. Præcipua differentiæ proponuntur a Galeno cap. 5. lib. 6. loc. affect. Fit enim vteri præfocatio ob re-
tentum vel Semen, vel Sanguinem menſtruum. Quoad communes differentias: præfocatio eſt vitium ſo-
lubile: præterea eſt vitium vehemens & ſimpliciter, & ſecundum quid. Simpliciter quidem, quia eſt ma-
gnus receſſus. Secundum quid vero; quoniam eſt affectio in parte conſentiente cum partibus principi-
bus. Præterea eſt vitium chronicum, inſtar morbi comitialis; ſed ratione totius morbi. Eſt autem exacte
peracutum, ratione acceſſionis; quoniam breui ſpatio poteſt interficere. Eſt prężterea vitium commune, &
indeterminatum, quia adeſt obſtructio in illis vaſis; quæ eſt morbus indifferens, quoniam alias etiam par-
tes occupare poteſt.

Signa. Cognoſcitur autem mulier præfocata, quoniam repente & ilico affligitur, & inſigniter, quandoque
obmuteſcit, quandoque in ſyncopen labitur, quandoque leipothymia oboritur, quandoque fiunt con- G
uulſiones, quandoque epilepſia. Diſtinguendum autem, num epilepſia, vel ſyncope fiat vitio cordis, vel
cerebri, vel vteri: & iccirco recurrẽdum ad ſigna indicantia malas affectiones harum vel illarum partium.
Signa differentiarum. Dum cognouimus vteri præfocationem; oportet videre an ille ſtrangulatus proueniat e retento ſemine,
vel menſtruo. Galenus dicit, multo deteriorem eſſe eum, qui fit e retento ſemine; vnde pulſus deficit, &
inſpi-

A inſpiratio non ſolum læditur, ſed etiam aufertur, quia calor in corpore mulieris exiguus permanet, quia ſcilicet refrigeratur totum corpus, quia refrigeratur vterus, propter obſtructionem vaſorum deferentiũ ſemen ad vterum; ſemen autem illud in venenum conuertitur: quod (pro more venenorum etiam aliorum, vt ſcorpii, viperæ, &c.) ilico vim ſuam veneficam toti corpori communicat. Dum igitur fit tanta refrigeratio corporis, vt exiguus calor in eo permaneat: poteſt etiam reſpiratio auferri, manente tamen vita: remanet autem tranſpiratio, quamuis reſpiratio auferatur; illa quippe ſufficere poteſt pro vitæ ſuſtentatione in hoc caſu, quoniam corporis calor exiguus per tranſpirationem ſatis euentari poteſt, nec maiori eget ventilatione. Hinc decipiuntur practici illi, qui (vt experiantur, an mulier præfocata ſit mortua, nec ne;) ori mulieris hyſtericæ ſolent apponere flocculos lanæ, qui ſi non moueantur, dicunt eſſe mortuam:
B ſic ſpeculum ori adhibitum, ſi non inficiatur, dicunt eſſe mortuam. Et thoraci poculum aqua plenum imponunt: & ſi aqua non moueatur, mortuam dicant propter ablatam diaphragmatis actionem, quæ ad reſpirationẽ neceſſaria eſt. Sed hi decipiuntur; quia ſigna propoſita non indicant ablationẽ vitę, ſed ablatam reſpirationem, cum qua tamen vita ſtare poteſt, quoniam permanet tranſpiratio. Quare ſi præfocatio fit e retento ſemine, grauiora ſunt ſymptomata, quam vbi fit e retento ſanguine menſtruo. Aliud ſignum eſt apud Galenum & Auicennam: quando enim ſtrangulatus fit ob retentum ſanguinem menſtruum; vterus conuertitur vel ſurſum, vel ad latera id quod ſenſibiliter interdum ab obſtetricibus obſeruatur. Dum autem fit e retento ſemine, talis conuerſio non obſeruatur. Præterea ſi fiat ob ſemen retentum; indicatur ex intermiſſa ſolita Venere. Notandum autem, Galenum reprehendere illos, qui dicunt, ſtrangulatum fieri ob vteri commotionem. Ideoque Hippocrates dum libro 2. de morb. mul. atteſtatur, vterum ad præcordia aſcendere, non vult, eum vere aſcendere, ſed vim illam veneficam, & inſigniter refri-
C gerantem, communicari præcordiis, & hinc toti corpori: vnde, ſi communicatur cordi, fit ſyncope, ſi cerebro, fit epilepſia. Quod hoc verum ſit, inde patet; quia dicit, vterum deſcendere ad coxas, non ſecundum proprium corpus, ſed ſecundum vim: Sic etiam dicendum, quod ſecundum vim ad præcordia aſcendat.

In præſenti vteri ſtrangulatu, oritur indicatio exobſtruendi, & prohibendi, ne obſtructio magis augeatur: vnde oritur indicatio reuellendi. Ratione vero imminentis præfocationis, oritur indicatio euacuandi, tum ſanguinem menſtruum, tum ſemen: & oritur indicatio prohibendi, ne hæc retineantur. Et denique totius ratio habenda. Indicationes.

Affectus hic vehementiſſimus eſt, qui aliquando paucarum horarum ſpatio interficit. Optimum autem eſt, vt, ſi mulier præfocata mortua eſſe videatur, ſeruetur triduum, id eſt, horas 72. & ſi tunc corpus Prognoſtica.
D fœteat, mors cognoſcitur: ſi enim inſignis eſt affectio, interdum videntur mortuæ mulieres, & tamen reuiuiſcunt. Sæuior eſt affectio, ſi fiat a retento ſemine, quam ſi a ſanguine menſtruo: tum ob cauſſam ante dictam, tum ob anguſtiam temporis. Malum peius eſt, ſi coniuncta eſt ſyncope. Si aſſunt ſternutationes, bonum: aphoriſ. 35. ſect. 5. Quare præfocatio eſt vitium admodum periculoſum; quod tamen curationem quandoque admittit, ſi nullus committatur error: alias in principio maximus fit progreſſus, ſi negligentius tractetur.

Quoad cheirurgiam. In præfocatione actu exſiſtente, ſi fuerit e retento ſemine, non conuenit venam ſecare, quia tunc non adeſt indicatio vacuandi ſanguinem: quod etiam ſtatuit Auicennas. Si vero Curatio. Cheirurgia.
ſtrangulatus pendeat e retento ſanguine menſtruo: ſanguis euacuandus. Et, cum præfocatio ſit morbus vehemens, non ſecundum quid, ſed ſimpliciter; ideo valido auxilio ſanguis debet euacuari, ſcilicet per ve-
E næſectionem, dummodo ætas & vires permittant. De viribus dubitatur: quia in ſtrangulatu adeſt ſyncope, nimirum præceps virium lapſus. Videamus igitur, num in hoc vitio ita conſtent vires, vt admittant venæ ſectionem. Galenus ca. 3. l. 10 meth. & c. 5. li. 12. meth. ait, vires conſiſtere in ſpiritibus, carnoſo genere, & ſolidis particulis. In præfocatione vires ſunt languidæ, ratione ſpirituum; poſſunt autem validæ eſſe ratione carnoſi generis, quoniam non omnes hyſtericæ ſunt excarnes: poſſunt etiam eſſe validæ vires in ſolidis particulis. Sed obiiciat quis, Galenum ca. 5. l. b. 12. meth. dicere, vires eſſe validas in ſolidis particulis, quando ſolidæ partes ſunt bene temperatæ: at in præfocatione vteri non poſſunt eſſe bene temperatæ, quia adeſt refrigeratio in toto corpore, & proinde in ſolidis particulis. Huic dubitationi ſatisfacit Galenus cap. 2. lib. 3. de præſag. e pulſ. vbi ait, cor vel incaluiſſe, vel incaleſcere: ſi cor incaluit, languidæ ſunt vires; ſi incaleſcit, poſſunt eſſe validæ. At præfocatio vteri eſt affectio, id eſt refrigeratio; non autem eſt in-
F temperies: & ob id non eſt in facto eſſe: non ergo eſt frigiditas, ſeu frigida dyſcraſia, cuius ratione vires cõſtare nequeant in ſolidis, ſed eſt refrigeratio. Quare vires conſtant, quoad ſolidas partes & quandoque etiam, quoad carnoſum genus; quamuis deficiant ratione ſpirituum. Ideo in præfocatione a ſanguine menſtruo, vena ſecari poteſt. Hinc Galenus com. 23. & 24. li. 4. de vict. rat. ſecat venam ἐν τῇ τῶν φλεβῶν ἀπολήψει, vbi patiens obmutuit, & eſt carentia pulſus, ac proinde ſyncope; vnde in ſyncope etiam actu exſiſtente licet venam ſecare, vt c. 9. li. 2. docuimus. Auicen. reprobat phlebotomiam; ſed ibi loquitur de præfocatione e retento ſemine: probat autem in eo ſtrangulatu, in quo vterus retrahitur: ſi enim ad dextram retrahatur, ſaphenam dextram ſecat; ſi ad ſiniſtram, aperit ſaphenam ſiniſtram: ſi ſurſum retrahatur, vtramque ſaphenam tundit. Retrahitur autem vterus, ad harum aliquam poſitionem, vbi fit præfocatio ob retentionem ſanguinis menſtrui: Et, dum adeſt hæc retractio, tum actu adeſt ſyncope, & præfocatio. Quare Aui-
G cennas in præfocatione actu exſiſtente ſecat venam: Et recte: quia imminet caloris ſuffocatio, cuius præſentaneum remedium eſt venæſectio. Diebus elapſis præfui curationi mulieris, quæ in die octies correpta fuit vteri ſtrangulatu: & noluit admittere venæſectionem alter medicus, qui aderat. Inuito tamen illo medico, ſecta fuit vena: ipſa ſtatim euaſit. Quare audacter in tali caſu ad venæſectionem accedendum; alias mulieribus pereundum eſſet. Quod ſi venæſectioni aliqua de cauſſa non ſit locus, accedendum ad

A

cucurbitulas scarificatas. Auicennas capit.prop.docet, quando magis vti possimus cucurbitulis, & quando magis venæ sectione: quem hac de re consuletis.

Medicamenta generalia.

Inter initia præfocationis, optimum est vti aliquo euacuante, electiue educente; vt si vtamur suppositorio acri. Et male faciunt illi, qui statim ab initio deueniunt ad frictiones, & odoramenta, siue hæc sint odorata, siue fœtida: quoniam oportet prius totum vacuare, & potissimum vteri partes. Et, si opus sit venæsectione, ad hanc statim deueniendum, euacuato prius corpore, cum aliquo suppositorio. Deinde accedendum ad frictiones.

Specialia.

Quoad medicamenta peculiaria: in paroxysmo non possumus dare *conyzam*, *castorium*, *sulphur coctum*, & alia quæ proponuntur ab Hippocrate, libr. 2. de morb. mul. Verum quidem est, quod ad præseruationem vti liceat aperientibus, & prouocantibus menses: de quibus suo loco. Sed vbi est accessio, non est possibile ea exhibere: nam mulieres hystericæ non possunt deglutire, cum veluti mortuę iaceant. Vi ergo aperietur os, & infundetur *castorium*, quod ratione fœtoris conducit. Tempore autem præfocationis, si fit e retento semine; obstetrices sumant *bombacem, vel lanam, imbutam oleis rerum aromaticarum, vt oleo caryophyllorum, moscho, ambra, Zibetho*, eamque penitus in pudenda ponant. Quinetiam contrectando partes illas agitent, vt semen proiiciatur: vt Galenus refert ca. 5. lib. 6. loc. aff. Si mulier viro desponsata fuerit, vir penem inungat *oleis prædictis, vel Zibetho, &c.* & cum ea coeat: hac enim ratione, partib. illis commotis, mulier expergefieri potest, & semen emittere, vnde liberetur. Si præfocatio fit e retento sanguine menstruo; tempore accessionis licet vti *radice cyclaminis, & caulibus mercurialis*. In omni caussa inungentur pudenda & partes vteri, rebus odoratis: naribus vero apponentur ingrata, vt sunt *asa fœtida, galbanum, castorium*, & alia fœtida, quæ sunt in communi vsu.

B

FINIS.

PRA-

A

B

PRACTICÆ MEDICINÆ
Liber Quinctus.
DE ARTHRITIDE, ET LVE VENEREA.
PARS PRIOR:
De Articulorum doloribus.

C PER arthritidem intelligimus dolorem cuiuslibet articuli, quemlibetque dolorem ar- Nomen.
ticularem, ſecundum comm. aphoriſ. 55. ſect. 6. & dirigitur hæc vox ad cheiragram, ad
podagram, ad gonagram, ad dolorem coxendicum, & denique ad omnes articulorum
dolores. Deſumta eſt vox, ab actione lęſa, quia dolor vocatur; & a loco affecto, quia di-
citur articularis: hic autem dolor intelligitur, prout fit a materia, non a ſimplici quali-
tate. Verumtamen ita de hoc dolore loquemur, vt etiam pateat quid agendum ſit, ſi
dolor a ſimplici qualitate oriatur. Generatio huius mali, inſinuatur a Galeno comm. Generatio.
aphoriſ. 49. ſect. 6. Materia enim fluens ad articulos, neceſſe eſt, vt ligamenta repleat;
non enim fit dolor articularis, ſi ſola articulorum cauitas repleatur: neq; ſufficit, vt ſolum afficiatur περιό-
στιον: neceſſarium ergo eſt repleri ligamenta, quæ repleta, dum comprimunt tendines, & reliquas neruo-
D ſas partes vicinas, ſoluunt continuum, comprimendo, vnde dolor, oritur. Proinde dolor articularis, eſt Definitio.
triſtis ſenſatio partium neruoſarum articulorum, dependens a ſolutione vnitatis, facta a compreſſione li-
gamentorum. Cauſſa formalis eſt triſtis ſenſatio: quæ in doctrina de dolore capitis explicatur. Subiectum, Subiectum.
ſunt partes neruoſæ articulorum, id eſt, nerui, tendines, perioſtion; non ligamenta, quæ non ſentiunt,
quamuis hæc ſubiectum ſint cauſſæ efficientis. Diximus articulorum; ad differentiam aliarum partium.
Per articulum (ſecundum Gale. cap. 5. lib. 12. de vſ. p.) intelligimus oſſium compoſitionem, factam pro-
pter motum voluntarium: ad quam conſtitutionem articulorum concurrunt oſſa, cartilagines, mem-
branæ, ligamenta, tendines, nerui, caro muſculoſa, vaſa, cutis, ipſaque membrana carnoſa. At ſubiectum
huius doloris, ſunt ſolæ partes ſenſitiuæ, id eſt nerui, tendines, membranæ.

Cauſſa efficiens huius doloris, eſt ſolutio vnitatis, dependens a compreſſione ligamentorum: vt col- Cauſſa efficiens.
E ligitur e cap. 80. art. med. & capite ſecundo, libro decimo κ. τόπ. vbi communis cauſſa doloris articularis
ſtatuitur tenſio. Porro materiæ tendentis ſubiectum, ſunt ligamenta; ſi enim partes neruoſæ, id eſt nerui, Ligamenta repleri in arthritide.
tendines, replerentur, fierent conuulſiones: vnde Paullus cap. 78 lib. 3. ait, non eſſe inflammationem in-
ter internodia, ſed circa articulos, quia ibi reſident ligamenta: hoc autem non eſt perpetuum, quia inter-
dum replentur oſſium cauitates, interdum materia reſidet inter os & perioſtium. Vitium ergo hoc ad li-
gamenta pertinens, poteſt dici morbus in aucta magnitudine, tumor; item ſi oſſium cauitates replentur, Vnde fiat ligamentorum repletio.
poteſt ſtatui morbus in cauitate. Ad ligamentorum autem repletionem requiruntur tria, humoris Co-
pia, humoris Motus, & articulorum Imbecillitas; comment. aphoriſ. 28. ſect. 6. Primum ergo de humore
copioſo duo explicanda: vnum, quiſnam ſit hic humor: alterum, quæ eius cauſſa. Humor occupans arti-
culos, principalis cauſſa doloris, eſt Sanguis, vel Pituita: non bilis; hæc enim adeo mordax eſt, vt potius vl- 1. Humoris replentis ſpecies.
F cera excitet, quam tumores: non melancholia; quæ in magna copia non generatur, & præterea adeo craſſa
eſt, vt vix aliquid reperiatur quod eius vehiculum eſſe queat, vnde a ſola melancholia, vel non fit dolor ar-
ticularis, vel rariſſime. Porro ſanguis vel Syncerus eſſe poteſt, vel Permiſtus cum bile, cum pituita, cum
melancholia: vt bilis, pituita, melancholia habeant rationem humoris principalis, ſed non ſynceri, verum
permiſti, ita vt ſanguis tamẽ prædominetur. Pituita, poteſt eſſe ſyncera, vel permiſta ſanguini, bili, melan-
choliæ: ita tamẽ, vt pituita prædomineẽ. Hi ergo humores duo rationẽ habent cauſſę principalis, in dolore
articulorum. Vehiculum autem horum humorum multiplex eſſe poteſt: interdum eſt ſerum, id eſt excre- τὸ ὄχημα.
mentum tenue, primæ coctionis; interdum ichor, id eſt materia præter naturam reddita, genita e tenuio-
re parte humoris; poteſt quoq; eſſe bilis flaua. Hæ doloris ſunt cauſſæ: plurimũ quidem pituita, interdum
tamen etiam alii ſucci, vt ſanguis, a quo fit dolor articulorum inflammatorius. Cauſſa huius humoris, qui
G eſt arthritidis auctor, Generans eſt vel Colligens. Generans patet ex alibi dictis: nam quiuis humor gene-
ratur ab aliquo agente ex aliqua materia: verbi gratia, ſanguis generatur a iecore calidiore, e bono & co-
pioſo chylo: pituita a frigiditate ventriculi, e cibis pituitoſis &c. Cauſſa colligens, eſt ſuppreſſa aliqua con- Cauſſa humoris re-
ſueta vacuatio: vnde aphor. 29. ſect. 6. dicitur γυνὴ ὐ ποδαγρᾷ, ἢν μὴ τὰ καταμήνια αὐτῇ ἐκλίπῃ. Hinc etiam
ſæpe arthritis oritur, dum vacuatio per nares ſupprimitur. Hactenus de humore copioſo. Ceterum cauſ-

2. Caussa motus humorum.

A

ſæ quæ faciunt vt humor moueatur, ſunt, humoris Copia, Qualitas, Expultricis robur, Viarum amplitudo. Dum enim humor iuſto eſt copioſior, aggrauat facultatem, vt ad expellendum inſurgat. Qualitas noxia expultricem irritat. Robur etiam expultricis requiritur: niſi enim pars, in qua reperitur materia, robuſtam obtineat expultricem, non expellit, non tranſmittit, ſed potius ſuſcipit. Viarũ etiam anguſtia, tranſitum impedit. Viæ autem per quas hæc materia mouetur, ſunt vaſa, i. venæ, arteriæ, præterea ſpatia media inter cutem & carnem, vt ſtatuit Fernelius, ſed non hæc ſola, vt ipſe male arbitratur. Viæ redduntur laxiores, e balneo aquæ dulcis, c. vlt. l. 11. meth.

3. Imbecillitas articulorum.

Articulorum imbecillitas eſt Natiua, vel Aſcititia. Natiua; quæ a principio generationis adeſt, & hæc impreſſa eſt fœtui, vel tempore conceptionis, vel poſt. Tempore conceptionis; cum patiens eſt ortus e prauo ſemine parentum qui articulos habuere imbecillos. Poſt conceptionem; cum imbecillitas in vtero a matre contrahitur, quæ prauo vtitur alimento, cuius vi ligamenta euadunt laxa, frigida, humida, & proinde admodum apta ad ſuſcipiendum ſuperfluitates. Imbecillitas aſ- B ſcititia oriri poteſt a cauſſis, quæ agunt poſteaquam patiens in lucem editus eſt: & hæ ſunt Internæ cauſſæ, vel Externę. Internæ; vt humores: v. g. ſi quis copioſam gignat pituitam, vt alimentum euadat pituitoſum, hoc decumbens in articulos, poteſt oſſa & ligamenta humidiora & frigidiora reddere. Externæ cauſſæ, vel Neceſſario occurrunt, vel Non neceſſario. Neceſſario; vt viuendi ratio, cuius vi partes articulorum laxantur, refrigerantur, humectantur; vt aer frigidus, cibus pituitoſus, potus plus iuſto frigidior, vinum copioſum (nam dum nõ regitur a natura, refrigerat, & maxime articulis officit:) ſomnus immoderatus, meridianus, immoderata repletio, & potiſſimũ immoderata inanitio, vnde Venus arthritidẽ ꝓducere cauſſat; ſimiliter & quies immodica, & motus immoderatus intẽpeſtiuus, tum corporis, tũ animi: hæc omnia in cauſſa ſunt, vt partes articulorum laxæ reddantur. com. aphor. 16. 20. 22. & vlt. ſect. 3. & com. aph. 28. 29. C 30. 49. 55. ſect. 6. & c. 5. l. 1. de alim. fac. l. de cibis bon. & mal. ſucc. c. vlt. l. 11. method. c. 4. lib. 14. method. cap. penult. l. 10. κ. τόπ. Non neceſſario occurrentes cauſſæ ſunt; vt ſi quis articulis applicet refrigerantia, verſetur in locis frigidis & humidis, illegitime balneo aqua dulcis vtatur.

Differẽtiæ.

Differentiæ ſumuntur a forma, ſubiecto, & cauſſa efficiente. Forma eſt triſtis ſenſatio; quæ modo Magis, modo Minus eſt moleſta. Subiectum ſunt partes articulorum, vel Omnium, & dicitur arthritis, dolor articularis; vel Quorundam; vnde, ſi occupat articulos manuum, dicitur cheiragra: ſi pedum, podagra; ſi genu, gonagra; ſi coxas, ἰσχιὰς dicitur. Cauſſa effectrix, eſt humor Copioſus, Mobilis, & Articulorum imbecillitas. Humor, eſt Sanguis, vel Pituita: ſanguis aut ſolus, aut cũ pituita, vel bile, vel rariſſime cum melancholia: pituita vel ſyncera, vel miſta cum ſanguine, bile, aut rariſſime cum melancholia. Copia huius humoris, vel eſt Maior, vel Minor. Mobilitas: mouetur humor, vel per Tranſmiſſionem, vel per Collectionem quandoque: ſemper tamen locum habet tranſmiſſio, vt e ſuperioribus patet. Articulorum im- D becillitas, vel eſt Natiua, vel Aſcititia: natiua; tempore conceptionis, vel poſt: aſcititia, a cauſſis internis; vel externis; & his aut neceſſario, aut non neceſſario occurrentibus.

Signa generalia.

In genere arthritis patet; nam æger de dolore circa articulos conqueritur. Hic autem dolor diſtinguitur ab eo qui non fit a materia, & qui vere articularis non eſt; quia in arthritide neceſſario ſunt ſigna

Specialia.

humoris redundantis; de quibus ſuo loco. Differentiæ a forma facile patent; num dolor magis vel minus ſit intenſus. Differentiæ a ſubiecto: num afficiantur articuli omnes, vel ſaltem aliqui; demõſtrabunt ægri.

Sanguinis.

Differentiæ a cauſſa effectrice: Si eſt ſanguis ſyncerus, exſuperans, citra aliorum ammiſtionem; cognoſcitur e calore ſatis miti; non enim ita mordax eſt, vt calor bilis flauæ, aut pituitæ ſalſæ; eſt tamen ſatis copioſus, ſi conferatur cum pituita influente, in qua fere nullus apparet calor: partes ẽt tunc ſunt rubentes: tumor eſt ſatis inſignis; corpus eſt temperamenti calidioris & humidioris: habitus carnoſus: ætas florens: E tẽpus veris: patiens vſus eſt optimis & copioſis cibis: ſuppreſſa eſſe poteſt conſueta vacuatio, vt per nares, &c.

Pituitæ.

Si eſt pituita; calor eſt exiguus: color albicans: tumor mollis, pręſertim inter initia; temporis enim progreſ-

Miſtorum.

ſu, pituita in tophos degenerat: tandem pituitæ aderunt ſigna, quæ alibi traduntur. Quoad permiſtos humores: ſi ſanguis cum pituita fuerit miſtus, calor eſt mediocris, non ita intenſus: rubedo moderata, vergens ad albedinem: color ſubrubeus potius, quam rubeus: tumor mediocris: ſigna vtriuſque humoris dominantis; Verbi gratia, ſi ventriculus ſit frigidus, aut ſimul caput; & calor cum humiditate abundet in iecore, vt gignatur copioſus ſanguis. Si ſanguis ſit cum bile miſtus; calor erit intenſior, mordacior: rubedo cum flauedine quadam: & ſigna erunt vtriuſque humoris redundantis. Si ſit miſtus cum melancholia; calor erit remiſſus: rubedo modo vergens ad flauedinem, albedinem, ſed habens quandam obſcuritatem: & F ſigna aderunt vtriuſque humoris. Si pituita cum ſanguine permiſta fuerit; calor erit ſatis remiſſus: color albicans, cum exigua quadam rubedine, ſed magis ad albedinem declinabit, quia prædominatur pituita: aderunt ſigna vtriuſque humoris. Si pituita ſit cum bile; calor non erit remiſſus, quia bilis eſt acris: color

Motus.

albicans, ſed aliqua e parte palleſcens, vt eſt color paleæ: aderunt ſigna humoris vtriuſque. Idem ſtatuendum de melancholia; color enim ad nigredinem & opacitatem verget. Quoad motum: ſi humor mouetur per ſolam tranſmiſſionẽ: tum in parte ad articulos pertinente, non præceſſit aliquis dolor, vel calor, antequam articularis obortus eſt dolor. At ſi prægreſſus ſit dolor vel calor, quorum ratione fit attractio;

Imbecil. art.

facile patet, humorem fluere, non tantum per modum tranſmiſſionis, ſed etiam attractionis. De imbecillitate articulorum, num ſit natiua, an aſcititia; & illa e ſemine, an alimento matris, hæc, ſitne e cauſſis internis vel externis: facile referre poterunt ægri & aſtantes.

Indicationes.

Cum autem hoc malum ſit triſtis ſenſatio, quæ dependet a materia, replente ligamenta; neceſſario G indicationes vtiles ab his tribus tantum ſumuntur: nimirum a triſti ſenſatione, a materia, & a ligamento-

1. Vide ſupra cap 8. lib. 1. practicæ Capiu.

rum imbecillitate. Triſtis ſenſatio, indicat anodynum, quod eſt triplex; primum frigidum; deinde humidum moderate & viſcidum; tertio calidum in primo, & tenuis ſubſtantiæ; capite decimonono, libri quincti ſimplic. Hoc ſcilicet indicatur a dolore, quatenus conſideratur ratione receptionis: nam ſi iudicium ſpecte-

A spectemus,tristis sensatio indicat remedium,quod mentē ad alia auertat. Quoad materiā;ratione speciei, si sanguis sit in caussa,scopi dirigūtur ad sanguinē;si pituita,ad pituitam,&c.Ratione vitii,in qualibet materia,perpendimus copiam,motum,caussam generantem & colligentem. Copia indicat minuens.Motus ni quid obstet,indicat auertens;si nimirum sit præter naturam & inutilis: quod si dolor articulorum fiat a materia,quæ per viam crisis mouetur, vt quandoq; in febrib. putridis malignis accidit;hic motus non est inhibendus.Caussa generans indicat contrarium: v.g. si caput gignat pituitam,ob intemperiem frigidam & humidam;indicat calfaciens & siccans.Caussa colligens,indicat contrarium:verbi gratia,si menses sint suppressi,ratione materiæ obstruentis;oportet materiei occurrere,si sit crassa,attenuando, si viscida de- 3. tergendo.Ligamenta cum suscipiant,ob frigiditatem,humiditatem,laxitatem;indicant calida,sicca,densantia.De virtute indicante nihil dico:quia communis est omnium morborum.

Prognostica.

B De Arthritide in genere statui non potest,num sit facilis,vel difficilis curationis:sed differentias lustrare oportet. Alexander ait, podagram cognitam,non difficulter tolli;quod de recenti verum est.nam nodosa cognoscitur; est tamen incurabilis. A forma. Forma huius mali est tristis sensatio: ergo vbi dolor seu tristis sensatio intensior,arthritis est magis periculosa: est enim vehementia secundum essentiam, & interdum ēt ratione facultatis,cum dolor concitat animi deliquium. A subiecto. Quoad subiectū:hinc nulla oriuntur prognostica. Nam quantum ad articulum,vt est magis vel minus præstans;pertinet ad vehemētiam dignitatis,ac proinde ad differentias a caussa efficiente;quatenus ratione articuli affecti,maior vel minor est vehementia;vnde articulus solum rationē habet signi. Quoad articulum,vt est dexter,vel sinister;arthritis in parte sinistra difficilius curatur,secundum Auicennam:hoc vero non pertinet ad locum affectum,sed ad virtutem,magis in dextro,minus in sinistro robustam. Si perpendimus subiectum,quatenus nerui sunt subie- C ctum tristis sensationis;nec hoc quidem spectat ad locum affectum,sed ad virtutem robustiorem, vel imbecilliorem:nam ἐυχαιθησία est signum virtutis debilis.Deniq; subiecta materiæ replentis i.ligamenta,non ad locum affectum spectant,sed ad caussam efficientem,vt infra patebit. A caussa efficiente. Porro caussa effectrix,est humor, & articulorum imbecillitas.Humor si copiosior,crassior,viscidior,durior, ita vt tophi generentur;malū primo est difficilius,post incurabile. Humoris motus diuturnior,difficiliorem reddit curationem. Augetur difficultas, si motus non tantum fit per modum transmissionis, sed etiam per modum attractionis. Quoad caussam generantem;curatio est difficilior,si maior est vehementia essentiæ; verbi gratia,si cerebri intemperies,generans pituitam,aut ventriculi frigiditas,sit in habitu: minus est periculi, si in habitudine.Quoad caussas colligentes:curatio est difficilior,si insignis essentiæ adest vehementia:verbi gratia,si materia obstruens, si admodum copiosa,crassa,viscida, vt vacuari nequeat;sicut interdum fit in suppressis D mensibus. Quantum ad imbecillitatem articulorum;difficulter curatur natiua: item,ascititia,si frigus & humor est in habitu. A virtute. Quoad virtutem; difficilior est curatio, si patiens afficitur secundum partem sinistram,si ætas senilis,si corpus emaciatum,& exquisiti sensus: in his enim corporibus virtus est debilior. Auicennas ait,difficilem esse curationem in corpore pingui: est enim & hæc materia signum virtutis debilis:sic etiam in emaciato:at in carnoso corpore robusta est virtus.

Curatio. Venæ sectio.

Ad curationem progrediamur:& primum ad materiam cheirurgicam, Sanguis e lib.10.κ.τόπ.c.2. in arthritide vacuandus est, si rationem habet caussæ principalis,vel sine qua non. Circa *quando agendum*: Vena aperienda tempore veris:adest enim indicans & permittens. Aetius inquit statim esse secandam venam: Auicennas,non statim;ne humor commoueatur,vt fluat. Aetius scilicet respexit arthritidem imminentem:cum enim quis quotannis per interualla corripitur arthritide,verbi gratia, in fine veris; non E exspectabimus finem veris,sed statim,antequam malum accedat,venam aperiemus: adest enim indicans, sanguinis copia,quæ nisi educeretur, tempore consueto veniente,flueret,doloremque efficeret: vnde tū nihil prohibet phlebotomiam. Auicennas autem respexit ad dolorem actu præsentem,cum materia iam est in motu: adest quidem indicans, sed prohibet materia, quæ cœpit moueri: nam per venæ sectionem omnes corporis humores commouentur. Interim victus ratione & aliis, de quibus suo loco,id efficiendum (sed moderate tamen) vt ne ita fluat humor;& dum non amplius fluit,vena secanda. *Vbi agendum*: pro varia subsistentia,variæ venæ tundendæ:si ergo sanguis exsuperans exsistat in toto corpore,verbi gratia, in ischiade,possumus & infernas, & supernas venas aperire. Cucurbitulæ. Cucurbitulæ possunt administrari,ratione totius & partis. Ratione totius; pro varia subsistentia sanguinis, variis partibus possunt applicari; vt dorso, cruribus,&c. Ratione partis;cucurbitulæ scarificatæ sunt applicandæ loco affecto:verbi gratia,in F dolore coxendicum, coxendici,& cum copiosa flamma,secundum Galen.li.10.κ.τόπ.vt vacuatio fiat sanguinis iam fluxi. Venam possumus secare,& cucurbitulas administrare dorso & cruribus, ratione totius, ante exhibitionem pharmaceiæ: at materia in toto exsistens, prohibet loco affecto cucurbitas applicari. Cauteria. Cauteria non sunt locis affectis affligenda,sed robustioribus, vt per hæc loca materia peccans euacuetur. Vtendum est cauteriis corpore euacuato,antequam arthritis sit reddita tophacea; tunc enim frustra adhiberentur. Pluribus locis applicanda: verbi gratia, in coxendicis dolore,non vni parti candens ferrum applicandum,sed 4.5.6.aut 7.locis:sic enim exstirpari potest dolor arthriticus,& homines a claudicatione præseruantur: aph.60.sect.6.

Medicamenta respicientia materiam. Lenientia.

Medicamenta respicere debent Materiam, Partem & Dolorem. Materiam respicientia,sunt Lenientia,Præparantia & Euacuantia. Lenientia variant,pro ratione superfluitatis. Si enim hæc sit in ventri- G culo,conuenit leniens vomitorium;vt hoc: *℞.succi raphani ℥ij.oxymelitis simpl.℥j.ß.iuris ping. & non saliti ℥viij.Misc.pro vomitorio.* Notandum, Auicennam in arthritide non probare *acetum & oxymeli*:his tamen in vomitorio vti licet:nec enim tunc penetrat acetum, sed pituitam in ventriculo incidit, & abstergit:at in syrupo & electario prohibetur. Clysteres lenientes,fiant e leuioribus, etiam in dolore coxendicis:nam licet in hoc probentur clysmi acriores, *e centaurio minori, & colocynthide*; non tamen admitten-

A disunt inter initia, ante venæ sectionem, & leuem euacuationem: nam vi istorum, in dolore coxendico, facile ad locum affectum materia attrahitur. Per os etiam exhiberi possunt, lenientia, quæ aluum subducunt, eaque varia.

Præparantia.

Præparantia etiam pro materiæ ratione varia sunt: de quibus alibi. Id notandum; ab aceto abstinendum esse.

Vacuantia αἰσθητῶς.

Probantur vacuantia a remotis partibus, tum Sensibiliter, tum Insensibiliter. Quæ sensibiliter vacuant, sunt varia; prout materia euacuanda est, vel pituita, vel melancholia, vel bilis. Notandum vero secundum Auicennam, in arthritide phlegmatica, *præter agaricum & colocynthidem, rhabarbarum esse miscendum*: cholera enim facit currere phlegma: vnde probantur *pilulæ cochiæ*: si melancholia peccet, fiant *cochiæ cum helleboro*. Maxime etiam valent *pil. de hermodact. Mesuæ*: quadam affectæ sunt malignitate, sed oportet vt castigentur: & non tantum pituitam vacuant, sed vias etiam angustant, vt homines ab aliis paroxysmis B præseruentur. Formula talis erit: *℞. pil. de hermod. ʒ j cochiarum, mastich. ana ℈ j. cum syr. de beton. fiant pil. num. v.* Non improbantur vomitoria; vnde in pertinaci arthritide, & ischiade, *antimonio vti possumus, & clysmis acribus*. Hic tamen circa *quando agendum* obseruetur, vt hæc soluentia non exhibeantur, nisi fluxus materiæ iam cessauerit; quia soluentia humores magis exagitant.

ἀναισθήτως. Interna.

Sunt etiam vsurpanda quæ insensibiliter euacuant, tum Intus, tum Extra. Intra corpus varia dari possunt, pro vario humoris dominio: si enim humor exsuperans est calidus; exhibeatur *decoctum salsæparillæ, guaiaci, chinæ, cum cichoraceis*; quia oportet attenuare, discutere, & rarefacere, sine caliditate. Si humor sit frigidus ac pituitosus, vt plerunque; detur *decoctum guaiaci, sassafras, cum iua, stœchade, saluia, betonica: probantur antiquæ antidoti, aquæ sulphureæ*, & similia calefacientia, ac attenuantia, de quibus in lue venerea agemus, & alibi. C Alexander medicus senior, ad materiam pituitosam proponit medicamentum efficacissimum; quod vocat Diacorallium: *℞. corallii, non nostri marini, (habet enim vim adstringendi; at hic aperientibus opus est:) sed anagallidis ʒ ij. hæc insignem habet vim attenuandi & absumendi humores pituitosos, calidoque innato partium animalis est amica: adde myrrhæ ℥ iiij. quæ valde detergit, & ad remota penetrat, mensis val. de monet: caryophyl. ℥ ß. rhapontici ℥ j. quod mirabiliter detergit. folii ℥ ß. raro bonum inuenitur; ego bis tantum vidi; eius loco imponemus nardi indicæ ʒ vj. vel ℥ j. rad. pæoniæ ℥ j. aristoloch. rot. longæ, ana ℥ ij. spicæ nardi ℥ iiij fiat puluis tenuissimus: & exhibeatur ad ℈ j. summo mane, ante cibum per 6. horas, cum tepidæ ℥ v.* Medicamentum hoc calefacit, siccat, attenuat, detergit, incidit pituitam, calefacit ligamenta, propter odorata restaurat spiritus. Quia plus iusto est calidum; exhibetur cum tepida, ne nimium corpus exurat. Alexander quotidie exhibet, per centum dies, intermittit dies 30. rursum exhibet 100. dies, deinde intermittit 30. dies; postea rursus exhibet, non quotidie, sed diebus alternis per 160. dies; inde rursus tertio quoque D die, per 260. dies: donec trecentæ sexagintaquinque doses assumtæ fuerint. Hodie hoc medicamentum non est in vsu: vnde mirum non est, arthritidem curari non posse, quia antiquorum præcepta non obseruantur. Exhibetur per centum dies, quia indicans diu perseuerat: 30. diebus intermittitur, propter virtutem: postea virtute roborata, rursus exhibetur: denique ratione indicantis, & virtutis, alternis diebus exhibetur, &c. Locum saltem habet in dolore pituitoso, vetusto, & non tophaceo: vt Alexander statuit. Datur per 6. horas ante cibum; quia natura non potest eodem tempore & cibum regere, & adeo efficax medicamentum: distributio ergo huius medicamenti fit spatio horarum 6. vel 7. aut 8. si ægri ferre tandiu famem queant. Datur cum tepida; vt melius penetret. Diacorallium omnibus anteponendum est: ad eundem tamen scopum facit *terebinthina Cypria, & castorium*. Hæc de iis quæ intro dantur.

Externa. Reprimentia.

E Extrinsecus, pro vacuatione applicantur Emollientia, Digerentia, aliquando Reprimentia, sed raro. Reprimentibus non licet vti in ischiade; quia materia non cedit: in reliquis articulis, & præsertim, si fluxio sit materiæ calidæ, vti possumus, secundum Alexandrum, *medicamento e cortice malorum punicorum, e rhoe, e farina hordei, cocta in vino austero: pro singulis vnciis farinæ, imponere possumus pulueris ℈ ß.* Si materia sit frigida; addantur *folia terebinthi, cupressi*.

Emollientia.

Emollientibus potissimum vtendum in dolore antiquo; quia probabile est, materiam aliquo modo duram esse redditam. Loco igitur affecto applicare possumus, secundum Galenum, capite 2. libro 10. κ. τόπ. *ammoniacum, aceto dissolutum, cum cera; sumentur enim hæc in portione æquali, addetur vigesimaquarta croci pars; possunt etiam addi medullæ, adipes, vt patet cui vis.* Emolliens efficacissimum, quo & in arthritide, & in quolibet affectu a duriore materia vti licet, proponitur a Gal. c. 2. li. 9. κ. τόπ. Nos sic præscribemus: *℞. bdellii, adipis vitulini, ammoniaci thymiamatis, iridis ana ℥ ij. F opopanacis, galbani, thuris, flor. rorismar. styracis, an. ʒ j. piperis ℈ j. ol. iuniperini ℥ j. & ℥ ij ß. vini quantum sufficit, fiat emplastrum.* Oportet medicamenta arida contundere & cribrare: ammoniacum autem opopanacem, & thus, dissoluere in vino: huic medicamento miscentur piper, & alia attenuantia, ac digerentia, vt sint emollientium vehiculum. Ad emolliendum etiam materias duras, maxime probatur *caseus antiquus decoctus cum iure carnis suillæ salitæ: vt luta etiam sint imponenda, quale S. Bartholomæi.*

Digerentia.

Digerentia calidiora sunt emollientibus, tenuiorisque substantiæ, capite secundo, libro nono κ. τόπ. Efficax erit medicamentum, *compositum e cera, lota vino, siue decocto lauri; præterea e pipere, ex oleo antiquo*: (quod efficacissimum est: vt quandoque cognouerim pertinacissimas materias sublatas esse eo oleo, quod Brixiæ reperitur.) Probantur etiam, quæ conficiuntur *ex auripigmento, alumine scissili, calce viua, myrrha, ruta, lauro, abrotano, resina terebinthina, castorio; sulphure viuo, iberide: licet ascendere ad sinapi, & thapsiam.* Inter dige- G rentia valida sunt, *euphorbium, succus cucumeris agrestis, vtrumque veratrum, colocynthis, lac tithymalorum.* Veteres etiam ad *ferrum ignitum* ascendebant. His non vtendum, nisi post emollientia, & post exactissimam purgationem. Detineantur ad 4. aut 6. horas: ante & post prodest *vsus balneorum sulphureorum* quia sic materia illa prorsus tollitur. Laudantur etiam suffumigia. Hæc probantur ratione materiæ morbificæ.

Ratio-

II. Roborātia partem & exficcantia.

A Ratione partis, Auicennas probat *offa humana, redacta in puluerem: nos, fi non humana, faltem brutorum offa, in infigni articulorum dolore puluerifata, exhibebimus cum antidotis*; præfertim fi a pituita ortus fit dolor. Probatur etiam ad partes illas roborandum, *oleum maftichinum falitum, vinum aufterum, vinacea, quæ modice denfant.*

III. Anodyna.

Poftremo, medicamenta dolorem refpicientia, funt, *oleum anethinum, fœnumgræcum, cum melle, vino; ouum integrum cum vino, cum lacte chalybeato, cum furfuribus in lacte decoctis: oui vitellus, cum oleo rofaceo: femina pfyllii, macerata in aqua, vt euadant vifcida, quæ debent mifceri cum farina hordei: Licet vti fucco hordeaceo, feu cremore ptifanæ.* Vrgente dolore, vbi leipothymia imminet, afcendere licet *ad fuccum folani, lactucam, femperviuum, & farinam hordeaceam.* Tandem etiam exhibere poffumus *philonium, vel quid* B *proportione refpondens, vt funt magnæ antidoti, fed recentes. Opio* extrinfecus interdum vti licet, fi dolor eft intenfiffimus, & intemperies calida, & natura calidior, & dolor coxendicis: *fed opium efto exiguũ, cum croco: verbi gratia opii ℈ ij. croci ℈ iiij. cum pofca, vel farina hordeacea.*

Diæta.

Victus ad proportionem refpondere debet; alius in pituitofa materia, alius in reliquis: & pro potu, vti licet *melicrato.*

POSTERIOR QVINCTI LIBRI PARS:

C

DE MORBO GALLICO.

CAPVT I.

De Nomine, Definitione, & Cauffis Virulentiæ gallicæ, feu Luis venereæ.

Nomen.

PER Luem veneream intelligimus id *quod habet rationem cauffæ efficientis, nõ autem effectus vt febrem, &c.* In humano corpore ea primum generari nequit, fed extrinfecus accedit, & corpus hominis ingrediens, contactu id fuam in fubftantiam mutare poteft: hinc licet ab initio exigua fit; fenfim tamen, dum corpus in fuam fubftantiam vertit, augetur. Generatio.

Definitio.

Lues ergo venerea, *eft excrementum præter naturam toto genere, potens multifariam lædere hominem, genitum ex humana fubftantia, a fimili.*

Excrementum.

D Dicitur primo *excrementum*, id eft, contentum excrementitium; ad differentiam continentis, & ad differentiam contenti alimentalis: nam etiamfi interdum cõtinens, id eft, caro, vel os, &c. interdum etiam alimentum, id eft, fanguis, materia fiat luis; neceffe tamen eft, vt tunc & continens, & contentum alimentale in excrementum degeneret.

Præter naturam.

Secundo, dicitur *præter naturam*, id eft, excrementum prorfus inutile, & morbificum; ad differentiam excrementi naturalis, feu fecundum naturam.

Toto genere.

Tertio, dicitur *toto genere*, ad differentiam excrementi; quod quidem præter naturam eft, fed non toto genere, vt bilis excrementitia morbifica: at materia luis venereæ, cũ neceffario fit putrida, patet, quod toto genere fit præter naturam.

Species excrementi venerei.

Porro hæc luis materia fecundum Speciem poteft effe quodlibet excrementum in corpore homi- E nis; *nimirum fanguis, pituita, bilis vtraque, ichor, ferum, lac, femen, fanies; dum fcilicet in hanc virulentiam degenerant.* Hoc autem excrementum in omni lue neceffario præter naturam eft, fecundum hæc 4. vitia, fcilicet fecundum formam, putredinem, caliditatem, lentorem. Primum enim *forma* luis certa fui proportione aduerfaria eft humano corpori: vnde non nifi alexipharmacis deleri poteft. Hinc tamen non fequitur, quod fit morbus nouus, a proprietate occulta; omnis enim morbus, aut eft dyfcrafia, aut mala compofitio, aut foluta vnitas: interim cauffa morbi noua generari poteft, quæ tamen non nifi modo dictos morbos inducere poteft. Materia luis etiam eft *putrida:* nifi enim putredo adeffet, non effet malum contagiofum, vt paffim in problematis Ariftot. teftatur. Quod fi vapores ab hac materia putrida eleuentur, & cor petant (: quod tamen fit rariffime:) febris excitatur. Tum hæc virulentia eft *calida:* vnde in corpore exuftiones apparent: & hinc ægri dolores ac feruores fentiunt, fi materia fit copiofa. *Hoc tamen notandum, non* F *vniuerfam luis materiam effe virulentam: dum enim fiunt, verbi gratia, gummata tumoris durioris, vel e craffa pituita, vel e melancholia; portio huius materiæ virulenta, fæpenumero beneficio medicamentorum diffipatur, remanet vero frigida, quæ non eft virulenta: vnde & tumor ille non amplius eft Gallicus.* Poftremo hæc materia, neceffario aliquid *lentoris* habet: vt enim vitium fiat contagiofum, oportet validam fieri actionem & impreffionem; quæ cum iufto fiat tempore, mora opus eft, & lentore.

In materia etiã pituitofa virulẽta portio calida eft.

Effectã luis. Cauffa morbifica.

Quarto, in definitione dictum eft: *potens multifariam lædere hominem.* Vbi duo funt declaranda: primum, quotuplex fit hæc læfio: deinde, quid in homine lædatur; totumne, an pars? Lues igitur venerea, ꝓducit cauffas morbificas, morbos, & fymptomata. Quoad cauffas; dum hæc lues agit in corpus, ꝓducit materias morbificas, primũ calefaciendo, deinde putrefaciendo, tandẽ mutando id ꝙ in corpore eft, in materiã virulentã. Lues enim hæc fummæ eft actiuitatis; eiufq; actiones omnes a forma, ceu præcipuo agente, G ꝓcedunt; ꝙ tamẽ forma agit mediãtibus inftrumẽtis: fic ꝑ caliditatẽ, calefacit; fi diu actio ꝑfeueret, materia nõ modo reddit calidior, fed etiã corrũpit, & ita alterat, vt putrefcat; id ꝙ ꝓcipue fit ratione lẽtoris, cuius gratia diu agẽs virulẽtia, tandẽ cauffas morbificas, toto genere ꝑter naturã efficit. Quoad morbos; lues ꝓducit dyfcrafias, tũ cões, tũ determinatas: cõmunes, vt febres; fi enim virulentia hæc agat in fpirit⁹, eofque feruidiores reddat (: ꝙ fieri poteft:) ephemeræ oriũtur: fi fuligines emittat putridas, vt accendantur cordis

Morbi.

humores,fiunt putridæ:si caliditas impertiatur solidis, fit hectica. Hinc experientia testatur,interdum homines febre correptos,curari non potuisse,nisi beneficio alexipharmaci.Intemperiem etiam determinatam producit:si enim lues satis est feruida,inque iecore viget,calidam in hoc dyscrasiam excitat. Producit etiam morbos in mala compositione:vt obstructiones,tumores, veluti sunt bubones, gummata, verrucæ,pustulæ,&c.Bubones,sunt *tumores inflammatorii circa partes adenosas inguinum; fiunt e sanguine, sed permisto cum lue venerea.* Gummata, *sunt tumores duriores, qui fiunt a materia crassa,sed semper mista cum lue venerea:& hæc si mordacitatis expers est,gummata fiunt sine vlcere;si vero sit mordax,gummata sunt cum exesione & exulceratione,itemque ossis corrosione.* Verrucæ sunt *tumores admodum duri;fiunt e materia dura,exigua.*Pustulę *fiunt e materia tenuiore,acri & mordaci:vnde sæpe exulcerationem coniunctam habent.* Sed enim lues non modo hos in aucta magnitudine morbos producit, verum alios etiam in numero diminuto:vnde interdum accidit casus dentium; interdum aliqua pars corporis deperditur,vt nasus,&c. Denique luis vi,morbi in soluta vnitate excitantur,id est,vlcera,quæ tamen vna etiam morbi sunt in magnitudine imminuta.Si vlcus occupat penem,vocant cariem;si pedes,manus,& partes ani,vocant rhagades;in reliquis partibus simpliciter dicuntur vlcera.Symptomata a lue plurima producuntur:potissimum dolores,qui varias corporis partes occupant;tinnitus aurium admodum rebellis:gonorrhœa, cum lues agit in vasa seminaria:depilatio,seu glabrities,cum lues petit pilorum radices,id est, quando lues permiscetur fuligini,a qua fouentur & generantur pili.

Sympto-mata.

De sede luis venereæ.

Hęc de effectis luis.Sequitur vt tradamus,*quidnam in homine a lue Venerea lædatur;totumne an pars?* Dicimus ergo subiectum effectus ipsius virulentiæ, posse esse & Totum, & quamlibet corporis Partem. Nam febris,quæ luis est effectus,totius corporis vitium est,vnde & cordis:hæc enim lues summæ est actiuitatis;& contraria non vni parti,sed omnibus & toti humanæ naturæ;nō solum facultati naturali,vt quidam nugantur.*Subiectum* vero non effectus luis,sed ipsius virulentiæ,in quo propria luis substantia, seu in fomite,& principali domicilio reperitur,potest esse pars multiplex: frequentius tamen iecur affici solet,quia hoc malum plerumque oritur ob Veneris vsum,in quo,ratione motus & caloris,pori illius partis recluduntur,vt lues promtum habeat in iecur transitum.Sed hoc nō est perpetuum:lues enim etiam aliā corporis partem petere potest(*omne enim agens,in passum proximum agit*)vnde interdum cerebrum patitur,dum capitis oboriuntur dolores,dum item facultas animalis,& principalis, & nō principalis languet: interdum afficitur ventriculus,vel lien:possunt etiam reliquæ corporis partes esse putridæ, præter solum cor,quod ob calorem,densitatem,& robur,nequaquam præcipua luis sedes esse potest.

Materia luis e qua.

Quincto,in definitione dictum est:*genitum ex humana substantia.*Materia enim e qua,est substantia hominis:per quam & contenta,& continentia intelliguntur(*spiritus in lue Gallica excluduntur: quia possunt pati & alterari,non autem putrescere:vt c.39.l.6.de febribus,demonstrabimus.*)Contenta sunt succi corporis,tum alimentales,tum excrementitii,vt ichor,serum,lac,semen,&c. Continentia, sunt partes tum sanguineæ,vt carnosæ,pingues,adiposæ:tum spermaticæ,vt ossa,&c.

Caussa efficiens.

Postremo,in definitione dictum est:*genitum a simili,*id est,a lue venerea,quæ in partem vicinā, quā tangit,alterando agit:vt colligitur e c.99.art.med.Hæc ergo lues quæ rationem habet efficientis, extrinsecus accedit:non enim hæc sponte in corpore humano generari potest,vt venenum.(*nil facit ad curationem.si quis immodica diligētia,primum luis auctorem inquirere velit:idem enim esset,ac si quis quærere vellet, ouumne prius sit genitum,an gallina?*)De modis igitur,quibus hæc virulentia homini accidit,plenius disseramus.Homo nondum infectus,luem accipit,vel In vtero,vel Extra vterum.In vtero,dupliciter:vel e Semine parentum infectorum,maxime si laborent gonorrhœa Gallica;hoc enim semen degenerat in calidum innatum pessimum,vnde lues summe maligna:vel ex Alimēto,vt si mater lue sit infecta, vel post cōceptum inficiatur,sic enim sanguinem,lue infectum,fœtui subministrat.Quod si homo suscipiat virulētiam extra vterum:suscipit Per concubitum,vel Citra.E concubitu accidit vt plurimum: eo enim pori aperiuntur,partes incalescunt,& virulentia illa facile in vaporem vertitur,qui corporis partes ingreditur. Citra concubitum etiam fit;vt si puer lac sugat,e nutrice infecta:item,si puer infectus lac sugat e nutrice non infecta,eo contactu nutricem potest inficere:sic & per osculum hoc potest contingere,vnde fœmina fœminam inficere potest: per linteamina etiam sudore venereo, vel sanie infecta,lues conferri potest, si quis in iis dormiat;non enim hoc est impossibile.

CAPVT II.

De Differentiis.

Differētiæ.

QVælibet lues,homini contraria est secundum formam:alia tamen Magis,alia Minus.Interdum maius est vitium secundum formam, quam secundum caliditatem, interdum contra:præterea,interdum est minus vitium secundum putredinem, quam secundum caliditatem: interdum est intensius vitium secundum lentorem,quam secundum alias qualitates.Differentiæ ab effectis:lues potest producere, vel Caussas,vel Morbos,vel Symptomata.Caussas producit,vel solum Alterando, vel etiam Corrumpendo. Morbus,est Intemperies, Mala Compositio, vel Soluta vnitas. Symptomata est vel actio læsa,vel Exiens mutatum,vel Qualitas mutata. Ratione subiecti,afficitur vel Totum, vt in febribus; vel Pars,vt in reliquis vitiis,potissimum tamen hepar.Materia e qua,est Contentum,vel Continens.Caussa efficiens consideratur vel penes Substantiam & essentiam,vel penes Originem:quantum ad essentiam, est differentia secundum Magis & Minus; alia efficacior alia, &c. Quoad originem, extrinsecus accedit, idque vel In vtero, vel Extra vterum.

CAPVT

CAPVT III.

De Signis.

Signa luis, alia ſunt Generalia, alia Specialia. Generalia, indicant luem vel Manifeſtam, vel in corpore Latitantem. Si manifeſte agat lues; indicatur ex effectis: quæ ſunt Symptomata, & Morbi. Symptomata ſunt, dolor pruriginoſus, ob luis acrimoniam: præterea dolor vlceroſus. (*pruriginoſus ſpectat magis ad partes extimas; vlceroſus ad intimas: cum enim materia luis ſit viſcida & lenta, non ita fluxilis; plurima eius portio in partibus intimis detinetur, & dolorem vlceroſum facit.*) Indicatur etiam e dolore, qui potiſſimum circa veſperam cruciare incipit: hæc enim eſt hora, in qua moueri incipit materia melancholica, quæ ſæpenumero in lue Venerea adeſt, cum ſit materia putrida, calida, & exuſta: per noctem ergo dolor intenditur, quia humor exuſtus non ita facile tum difflatur, ob frigus noctis, poroſque clauſos; ob Lunæ etiam, quæ humoribus dominatur, operationem; tum quod natura quietior materiã tunc digerere nititur, vt Auicennas docet c.4.tract.1.fen.2.l.4. Poteſt vero & alius humor cum lue interdum permiſtus eſſe, qui de die magis affligat. Sæpe magis cruciantur partes intermediæ: nam lues promtius agit in partes carnoſas, in muſculos, quã in tendines, in ligamenta, inque partes ad articulos ſpectantes. Indicatur etiam e gonorrhoea, non tamen qualibet, (*nam quadam γονόῤῥοια citra luem Gallicam oriri poteſt.*) ſed ſatis fœtẽte, quia lues eſt putrida: color ipſius vergit ad liuiditatem, interdum ad nigredinem; nam lues eſt materia exuſta: non eſt cum tolerãtia ægrotantis; materia enim ſeminalis, quæ partium ſpermaticarum alimentum eſſe debebat, ob prauitatem egreditur; contra gonorrhoea e copioſo ſemine orta, fit cum tolerantia: maximeque lues indicatur, ſi gonorrhoeam non præceſſit coitus immoderatus, quem alias citra luis ſuſpicionem gonorrhoea ſequi poteſt. Indicatur etiam e caſu pilorum, ſiue congenitorum, ſiue poſtgenitorum, ſiue omnium: lues enim ſua malignitate & acrimonia pilorum radices abradit; permiſtaque fuliginibus, e quibus pili generantur, facit vt hæ nequaquam idoneum ſint pilorum alimentum.

Signa generalia, luis iam in corpus agẽtis.

Indicatur præterea e febre, quæ ſolet circa veſperam exacerbari: cauſſa e dictis patet. Indicatur e tumoribus, bubonibus, &c. e caſu dentium: præſertim ſi non fuerit prægreſſum venenũ, quod potuerit gingiuas abradere. Indicatur e carie, e ſciſſuris in manibus, & pedibus, & circa anũ. Præterea e prægreſſis cauſſis: verbi gratia, ſi prægreſſus ſit coitus, ſiue aliæ cauſſæ, de quibus ſupra. Indicatur etiã e iuuantibus; quando vitium, ſiue ſit febris, ſiue aliud, non cedit niſi alexipharmacis.

Quod ſi lues, in corpore latitans (*:annos enim aliquot nonnunquam delitescit:*) ob exiguam copiã non agat; cognoſci debet, & Ante curationem, & Poſt curationem. Ante curationem, prudens medicus obſeruabit, num caries ilico ſit orta poſt coitum, necne. Quibuſdam enim qui mane vtũtur venere, circa veſperam caries erumpit; & tunc coniiciendum eſt, luem adhæſiſſe peni in coitu, & hunc exulceraſſe, nõ autem penetraſſe in corpus: & hi non ſunt cruciandi decocto guaiaci. Quidam vero non ilico poſt coitum corripiuntur carie, ſed demũ poſt triginta vel quadraginta dies, & tunc ſtatuendũ eſt in corpore latitare luem, & e coitu vapores in iecur, inque partes intimas penetraſſe; deinde poſt aliquot dies, luem trãſmiſſam eſſe ad penem, & vlcuſcula excitaſſe. Poſt curationem etiam cognoſcendum eſt, num lues e toto ſit victa, necne. Iudicatur autem latitare adhuc virulẽtia, ſi caries quidem curata eſt, ſed cum difficultate; idque magis, ſi poſt vlceris curationem remaneat aliquis tumor, & durities. Præterea, ſi gonorrhoea ſit, circa immoderatum coitum; ſignum eſt, vaſa imbecillia eſſe facta, non ob nimium coitum, ſed potius ob malignitatem materiæ venereæ. Inſuper lues poſt curationẽ relicta eſſe cognoſcitur, ſi effecta, hoc eſt, morbi & ſymptomata non prorſus abolentur: item, ſi homo poſt concubitum, etiamſi coitu vtatur ſumma cum prudẽtia, vlcera tamen in pene accipiat; ſignum enim eſt relictæ luis. Idem cognoſcitur, ſi cura non fuit diligens, & ſi breuis; verbi gratia, per 15. dies, &c.

Signa generalia, morbi gallici latentis.

Num lues e toto ſit curata.

Sequuntur iam ſigna ſpecialia differentiarum. Differentiæ formales ſumuntur ab excremento lædente ſecundum magis & minus, penes formam, quantitatem, putredinem, caliditatem, lentorem: quæ omnes differentiæ cognoſcendæ ſunt. Quoad formam: cognoſcendum an ſit ſummæ actiuitatis, necne? Summæ autem eſt actiuitatis, ſi patiens infelix vnico tantum congreſſu infectionem eſt lucratus: item, ſi citra coitum: præterea, ſi cito incipit lædere; ſic enim noui quoſdam, qui poſt menſem a cõtracta lue, ſymptomatis fuere afflicti ſæuiſſimis: ſummæ etiam actiuitatis ſignum eſt, ſi non adeſt tolerantia. Exigua actiuitas contrariis arguitur. Quoad vitium ſecundum quantitatem; cognoſcitur lues vehemens, ſi totum corpus, pluresque eius partes occuparit: contra, ſi pauciores. Quoad putredinem: inſignis putredo cognoſcitur e gonorrhoea admodum fœtente, ex vlceribus fœtentibus, e putrida febre. Caliditas valde vehemẽs cognoſcitur, a doloribus acerbis, ex ardore in gonorrhoea, e pruritu, e feruore in locis affectis, ſiue ſint vlcera, ſiue alia vitia. Lentor vehementior indicatur, pro ſymptomatum perſeuerantia: licet enim ſymptomata ſint exigua, difficulter tamen cedunt, ratione lentoris.

Signa ſpecialia, Formæ.

Differentiæ ab effectis, num ſcilicet lues excitarit morbos, an ſymptomata; & quales ſint morbi, qualiave ſymptomata; cognoſcuntur e propriis ſignis: verbi gratia, ſi ſit febris, cognoſcitur e ſignis febris: ſi bubo, e ſignis bubonis, &c.

Effectorũ.

Differentiæ a ſubiecto. Subiectum, vel effectui luis, vel ipſi lui ſubiicitur. Effectui ſubiicitur totum corpus, aut pars corporis. Totum ſubiici effectui, cognoſcitur e febre, eque macie totius: partem vero e vitiis determinatis; vt, ſi gonorrhoea aſſit, cognoſcitur locus affectus. Subiectum ipſius virulentiæ, eſt pars interna vel externa. Externa, oculis conſpicitur. Interna poteſt eſſe ventriculus, iecur, lien, cerebrum, & in fœminis vterus. Si eſt ventriculus; lues forſitan ex oſculo infectæ excitata eſt, præſertim ſi ilico homo bibit, vel comedit: tunc etiam vitia luis e chylo potiſſimum emanant; & querela eſt de læſa χυλώσει, circa ventriculum. Iecur luis fomes eſſe cognoſcitur, ſi malum originem duxit e coitu; ſi bubo ſit circa inguen

Subiecti.

dextrum; si etiam reliqua symptomata magis pertinent ad dextram partem: potissimum si sanguificatio A læsa est (*quæ tunc læditur, non læsa facultate, sed ob errorem externum, id est, ob præsentiam luis: quamuis interdum etiam possit coniungi morbus iecinoris; sed hoc extra propositum:*) Si lien sit fomes, cognoscitur e lienis tumore; e bubone in inguine sinistro; reliqua etiam symptomata sinistram partem magis vexant: præterea indicatur e mali contumacia: si enim lien male habet, non potest expurgari excrementum melancholicum; quod vbi lue inficitur, ægerrime exstirpari potest. Si cerebrum luis est domicilium (quod ego aliquando obseruaui:) malum incipit e pannis infectis applicatis capiti; præterea cognoscitur e dolore, & reliquis noxis, quæ primum occupant caput; hinc e doloribus articularibus, dum potissimum hi dolores a capite prodeunt lue affecto. Vterus denique fomes luis esse cognoscitur e suppressis mensibus, vel etiam nimium fluentibus post coitum, e gonorrhoea, ex vteri doloribus, e molestia circa mammas, quæ vtero consentiunt, e carie circa pudenda. B

Signa differentiarum a materia e qua. Differentiæ a materia e qua. Hæc materia est Contentum, vel Continens. Si est contentum alimentale; cognoscitur e difficili tolerantia, quia corpus non nutritur, cum alimentum sit infectum: si autem sit excrementitium, non ita difficilis est tolerantia: quæ autem sint excrementa, id est, num sint biliosa, pituitosa, vel melancholica; cognoscitur e propriis signis: verbi gratia, si sit materia melancholica, signa aderũt dominantis melancholiæ, & malum erit contumacissimum. Quoad continentia, num sit pars carnosa, an pinguis, an seminalis, vt ossa; facile cognoscitur.

Signa caussæ efficientis. Quoad caussam efficientem; cognoscendum est, an lues originem duxerit vel in vtero, vel extra vterum: quod e relatione assidentium & patientis facile cognoscitur. Si enim infans verbi gratia, in lucem editus, corripiatur hac lue, nec aliquid extrinsecus contigerit: tunc sane in vtero contracta erit lues. Num vero orta sit e semine, an vero post conceptionem ex alimento matris; facile sciri potest: nam si parentes C fuerunt infecti lue venerea, e semine malum est contractum. Si extra vterũ; facile cognoscitur, an per coitum, an caussa lactis, an caussa nutricis, an per pannos; e relatione assidentium & ægrotorum.

Capvt IV.

De Præsidiis.

Indicationes. Etiamsi lues aliqua e parte experientia, & sine methodo curatur, plurimum tamen per indicationes, & methodum amouetur. Præsidia ergo desumenda sunt e luis essentia, nimirum ab excremento, a læsione, ab homine: non a caussa efficiente, quæ externa est: nec a materia e qua; si enim hæc iam in luem mutata est, sufficit indicationes sumere a lue genita, id est, ab excremento venereo; si vero in luem nondum D est conuersa, huic occurrimus, dum toti prouidemus: verbi gratia, si fiat ex humore, humor est euacuandus. Sufficit ergo a tribus, in definitione propositis, petere indicationes. *1. ab excremento.* Quoad excrementum; quatenus toto genere est præter naturam, indicat remedium eradicans, id est, prorsus euacuans: c. 6. l. 13. meth. Quatenus autem obtinet proportionem, quæ est domicilium formæ contrariæ, indicat alexipharmacum. Ratione putredinis; si excrementum hoc putrefactum est, ea quoque de caussa toto genere est præter naturam, & eradicans indicat: si vero tum demum putrescit, indicat refrigerans & siccans; nam calor extraneus, & humiditas, caussæ sunt putredinis. Ratione caliditatis, indicat frigidum. Quatenus lentum excrementum, indicat detergens. Hæc sunt vitia, quæ necessario insunt excremento. Interdum vero euenit, vt excrementum hoc sit crassum; vnde attenuans indicat: interdum est durum, vt in lue melancholica contingere potest; tunc indicat emolliens. *2. a læsionibus.* Quoad læsiones: variæ indicationes sumi possunt, pro varia læsione: de quibus in propriis capitibus: verbi gratia, si læsio fuerit febris; oriũtur indicationes febriles, &c. quas in E curatione harum læsionum non negligemus. *3. ab homine.* Quoad hominem; indicationes sunt sumendæ, vt homo secundum varias partes est sedes luis venereæ: interdum scilicet secundum ventriculum, quandoque secundum iecur, lienem, cerebrum, vterum. Horum igitur viscerum calidum innatum, ratione craseos, indicat calidum; ratione substantiæ, indicat alimentum. Proportio horum viscerum, requirit simile: vt hepar hepaticum, &c. Totum autem corpus humanum, ratione virtutis indicat alimentum. Ceterum, cum nõ possimus occurrere, vel virulentiæ, vel læsioni, vel homini, siue secundum totum, siue secundum partem, nisi toti sit prospectum: ideo toti occurrimus, idque varie, pro varia totius constitutione: dum enim corpora sunt impura, nec alexipharmacis, nec topicis, nec alimentis occurrendum.

Capvt V. F

De Præsagiis.

Prognostica. Doctrina prædictionum dependet a vi Rerum præter naturam, & a Virtute. Quoad res præter naturam; considerare oportet vehementiam & luis, & symptomatum. Quoad luem, sat est, si digrediamur circa vehementiam luis genitæ, non generantis: lues enim generans, est signum vehementiæ luis genitæ; vt si quis accipiat luem a vehementer infecta; tunc affectio vehemens in fœmina, est signum vehementiæ luis genitæ in homine. Quantum ergo ad vehementiam, ratione dignitatis; hæc desumitur a nobilitate partium: minor enim est vehementia, si lues obsideat lienem, intensior si ventriculum, adhuc intensior si iecur, adhuc magis, si cerebrum: & in fœminis intensior est, si vterum, quam si lienem detineat. Vehementia ratione essentiæ maior est, prout luis forma est maioris actiuitatis (: quod vt cognoscatur, docuimus:) item, prout lues magis est putrida, calida, lenta, crassa, dura: item, si excrementum prodiit a mate- G ria melancholica, vel a materia alimentali: in hac enim maior est recessus a naturali statu. Vehementia facultatis locum habet, si lues adeo sit intensa, vt oboriantur conuulsiones, leipothymiæ, pulsuum infirmitas, syncope, & proinde difficilis tolerantia: hoc potissimum fit, si virulentia sit alimentalis, & si partes sint exquisiti sensus. Quoad luis effecta; in singulis triplicem hanc vehementiam considerare oportet,

siue

A siue sint morbi,siue symptomata;vt febris,dyscrasia iecoris calida,obstructio,tumores,casus dentium, vlcera:verbi gratia,si in lue sit vlcus pulmonis,summa est vehementia ratione dignitatis,&c.

Quantum ad virtutem; bene sperandum, si ea est robusta, id est, si corpus est boni temperamenti, boni habitus, in florente ætate, & facile sustinere potest præsidiorum materias: contra, si virtus debilis.

CAPVT VI.

De Parte curationis cheirurgica.

τὰ χειρουργικά. Phlebotomia.

IN curatione luis curabilis,primum dicendum de materia cheirurgica, ratione totius. Probatur ergo
B venæ sectio,si sanguis habet rationem,vel caussæ principalis,vel caussæ sine qua non. Caussæ principalis rationem habet;dum lues generatur e sanguine; dum præterea corpus lue affectum, morbo sanguineo,vt inflammatione laborat.Rationem habet caussæ sine qua non;si hæc & reliqua mala,non sint orta e sanguine,sed ex alia materia.*Vsus*.Ea autem copia sanguinis detrahenda est,quæ peccat:& confertim, si vires permittant:citissime enim lues exstirpanda, & proinde si sanguis hoc impediat, sane confertim est euacuandus,dummodo vires non prohibeant;vel etiam ipsa lues,inguina petens.Nam experientia comprobatum est,interdum per bubones suppuratos & apertos, luem e toto esse exstirpatam, vt non opus fuerit alia medicatione.Motus ergo luis ad inguina,prohibet venæ sectionem. Hinc medicus prudens, si inguina videt intumescere,nullam euacuationem molietur;sed obseruabit, num tumor ad maturationem deueniat,necne. Si producitur ad maturationem beneficio vel naturæ, vel medicamentorum,de
C quibus suo loco;permittendum est,vt locus aperiatur. Quod si e loco aperto sanies egrediatur; summa prudentia medicus animaduertet,num hæc vacuatio per inguina,sit futura sufficiēs,necne. Sufficientem cognoscet;si malum sit recens,si non cōiuncta alia symptomata,si copiosa effluat materia.Quod si ex oppositis iudicetur vacuationem per inguina non sufficere;eodem tempore vena secanda est;nec enim lues tunc prohibet.Ne tamen materiæ impetus tollatur;id animaduertendum,vt variæ secentur venæ,pro varia subsistentia.Si enim subsistentia fuerit in capite;secanda est cephalica,modo dextra,modo sinistra,prout affectio dextram,vel sinistram partem occupare videbitur.Si in ventriculo,aut iecore;basilica dextri lateris aperienda:si in liene;basilica lateris sinistri:si in vtero;saphena tundenda. Quod si bubo sit præsens; si adest spes suppurationis,infimas venas secare oportet:si spes suppurationis nulla restet, respiciendum est ad subsistentiam circa iecur,& basilica dextra secanda.

Cauteria.

D Quoad Fonticulos,ratione totius:si lues sit contumax, nec medicamentis cedat; non improbatur vsus fonticulorum,quo lues perpetuo euacuetur.De loco:si fomes fuerit caput;excitentur vlcera in brachiis:si iecur,ventriculus,lien,vterus;in cruribus.

CAPVT VII.

De medicamentis Communibus,ratione totius.

τὰ φαρμακευτικά: primum respicientia totum. Lenientia.

MAteria medicinalis,respicit vel Totum,vel Luis virulentiam vel Effectus, id est, morbos & symptomata. Medicamenta quæ respiciunt totum,sunt Lenientia, Præparantia & Purgantia. Roborantia hic non habent locum:quia hæc respiciunt fomitem,& locum determinatum. Lenientia debent esse varia,prout varia est superfluitas. Si ergo lues est calidior & biliosa; cauendum *ab hiera*:contra si lues sit pi-
E tuitosa,si ventriculus,& primi ductus pituita repleti,licet vti *speciebus hieræ*.

Præparātia.

Præparantia quoque variant,pro varietate materiæ præparandæ:hæc tamen simul respicere debent vitia luis secundum formam,putredinem,caliditatem,lentorem,& interdum etiam duritiem: præstat enim eodem tempore ad exitum præparare materias,& virulentas,& non virulentas.Sic ergo propter formam luis,si materia præparanda sit calida;cum syrupis misceri possunt,*acetosa,vel acidum citri, vel quinquefolium,vel capillis Veneris,vel sonchus*:si materia sit frigida;potius miscenda sunt, *melissa, cortex citri, sem.citri*.Propter luis putredinem permisceri possunt,*acetosa,acidum citri,acetum,adiantum*: & hæc potissimum,si materia pręparanda fuerit calida:quod si non sit insigniter calida;siccis licet occurrere,etiamsi non sint frigida,vt est *agrimonia,ceterach*.Propter caliditatem virulētiæ,permiscere oportet *cichoracea*: quod si adhuc sit calidior,permiscere licet *violas*:si adhuc intensior calor,*lactucam & nymphæam* miscebi-
F mus.Ratione lentoris,permiscendum est *hordeum,oxymel: simplex*:si viscidior materia,licet ascendere *ad oxymeli compositum,ad hyssopum,prassium*.Hæc cum vim habeant attenuandi, etiam materiæ crassiori occurrunt.Si materia sit dura;permisceri debent,quæ cōficiuntur *e pomis,boragine,buglosso,liquiritia,althæa, malua*.Ex his variæ remediorum formulæ præscribi possunt:verbi gratia,si materia calidior sit pręparanda,& annexa sit luis durities.℞ *syr.de succo acetosæ,acetosi simpl.de liquiritia,ana* ℥ij.*aquæ hordeaceæ,alteratæ cum acetosa,endiuia,boragine,& althæa* ℥ iiij.v.vel vj.Hic decocti quantitas multum superat quantitatē syruporum,quia materia præparanda est calida:ideoque dulcia,quæ facile bitescunt & calorem concipiunt,parce miscemus.

Purgantia.

Purgantia varia esse debent,pro diuersitate succi purgandi.Quoniam ergo in lue venerea,ob caliditatē,& exustionē,potissimum vigent succi atri:maxime probantur medicamenta,confecta *e polypodio,epi-*
G *thymo,helleboro nigro:vnde practici cōmode pilulas cochias cum helleboro exhibent*.Notandū autē in lue opus esse purgatione diligenti & exacta:cum enim lues hæc per omnes regiones euacuetur;maxime, in vaporē versa,per poros cutis: sane humores in corpore existentes, & hanc luis vacuationem impedientes,diligenter sunt educendi. Bene ergo faciunt illi practici, qui etiam syrupis compositis vtuntur, & repetita purgatione: laudantur etiam illi, qui singulis decem diebus, dum patiens decocto vtitur, purgantia

exhibent. Syrupi compositi hæc potest esse formula: ℞. *syr. de fumar. compos. de polypodio ana ℥j. ß. decocti* A *boraginis, hordei, endiu. ℥iij. Misc. pro syrupo.* Si desideretur syr. comp. magis efficax; *addantur decocto, sena ℥ij.* Hi autem syrupi compositi, exhibendi sunt post primam purgationem, id est, inter primam & vltimam purgationem, vt sit interuallum 8. aut 10. dierum. Exhibeantur diebus alternis: intermediis vero diebus, propter caliditatem purgantium & luis, poteritis exhibere decocta e refrigerantibus, *e cichoraceis, & similibus.* Si enim corpus ægre ferat medicamenta calida, expedit alternis diebus vti sero lactis. Præterea eo die, quo purgans sumitur, decoctum ligni intermittendum est: ne natura eodem tempore diuersis motibus affligatur.

Capvt VIII.

De medicamentis gallico morbo Propriis; tum Alterantibus, tum Vacuantibus: & primo de eorum viribus. B

Medicamenta respicientia Luem. Alterantia & Vacuantia.

Dictum hactenus est de medicamentis totum respicientibus: sequuntur ea quæ respiciunt luem: & hęc sunt Alterantia, aut Vacuantia. Alterantia, alterant qualitate Recondita, vel Euidente. Si recondita; respiciunt luis peccatum secundum formam: si euidenti; aduersantur lui, vt peccat secundum putrediné, caliditatem, lentorem, & quandoque duritiem. Vacuantia, vacuant, vel impellendo expultricem, vel roborando expultricem, vel attrahendo, idque aut ratione caloris, aut ratione similitudinis. Quæ attrahunt ratione similitudinis, inimica sunt homini, & amica lui: ideoque iis non est vtendum, nisi summa sit necessitas: potius autem reliquis vtendum. Porro materiæ alterantes & vacuantes, sunt: *guaiacum, salsa, china, sassafras, hydrargyrum & antimonium.*

Guaiacum.

Guaiacum, secundum formam simile est naturæ humanæ: est simile faculati alteratrici, facitque vt C hæc melius agat in materias morbificas; simile etiam est facultati expultrici. Calidum & siccum est in gradu secundo: tenue est, ita tamen, vt etiam particeps sit alicuius crassitiei, ad differétiam salsæ: est etiam pingue, acre, & bene odoratum. Ex his facultates guaiaci facile colligi possunt: quia enim formam habet naturæ humanæ similem, sua alteratione ita roborat alteratricem (: non enim luem alterat:) vt alteratrix robusta reddita, adimat luis actum secundũ: vt licet non euacuetur lues, operari tamen nequeat: sicut & adamas magneti actum secundum adimit. Præterea guaiacum per formam suam, ita roborat expultricem, vt luem expellat (: guaiacum non expellit.) Tum guaiacum propter calorem, habet vim resoluendi, & imminuendi luem: per siccitatem corrigit putredinem: per tenuitatem attenuat: per pinguediné emollit, quin etiam nutrit: per amaritudinem abstergit: per acrimoniam irritat expultricem: per suauem odorem, spiritus reficit. Notandum autem corticem esse sicciorem, & magis conferre quam lignum, si lues est vehementioris putredinis: in reliquis lignum est anteponendum cortici. D

Salsa parilla.

Salsa parilla secundum formam similis est naturæ humanæ: in qualitatibus actiuis est temperata, nequaquam calida; quia nec salsa est, nec amara, nec odorata, & quod magis, nec dulcis: vt hinc pateat, si a temperie recedat, potius ad frigidum vergere: sicca autem est in fine secundi, id est, in tertia secundi gradus mansione; nam euidentissime siccat, vt ad tertium pene gradum accedere videatur. Præterea est medicamentum tenuissimum, & quidem ita tenue, vt nullius astrictionis sit particeps, ad differétiam guaiaci: habet enim omnes partes tenuissimas & vniformes. Caret pinguedine, amaritudine, acrimonia: odoris etiã expers est. Ex his facultates salsæ colligi possunt. Secundum formam, salsa postponenda est guaiaco: licet enim forma vtriusque similis sit naturę humanæ; guaiaci tamen forma maioris est actiuitatis, & facultatem naturalẽ magis roborat. Quoad temperiem; salsa in qualitatibus actiuis magis est efficax, & magis luis caliditatem castigat, quam guaiacum; imo guaiaci calor, potius auget calorem luis. Ratione siccitatis, salsa magis iuuat, quam guaiacum, quia magis corrigit luis putredinem, est enim siccior. Salsa etiã propter tenuitatem guaiaco est anteponenda: citius enim luem penetrat, vt sit vehiculum ligni: vnde quidam recte in doloribus Gallicis intensioribus, potius occurrunt salsa, quam guaiaco. Quatenus autem expers est astrictionis; nocet calido ventriculi innato, videlicet dissipando: vnde quidam nugantur salsam inimicam esse ventriculo ratione formæ. Quatenus caret pinguedine; non emollit, nec nutrit. Prout caret amaritudine & acrimonia; nec abstergit, nec irritat expultricem: vt & sic guaiaco sit postponenda. Postremo cum sit citra odorem; spiritus non recreat. E

China.

China secundum formam similis est naturæ humanæ, quamuis sit postponenda guaiaco. In actiuis qualitatibus est temperata, quia nec salsa, nec amara, nec acris; subobscura tamen dulcedine donata videtur, qua cum salsa careat, fit vt minus ad frigidum vergat china, quam salsa. Sicca est in primo: vnde corpora emaciata eam melius ferunt. Tenuis est; ita tamen, vt etiam alicuius densitatis sit particeps, ad differentiam salsæ. Est pinguis (dum bona est) citra amaritudinem, acrimoniam & odorem. Hinc ratione formæ, guaiacum est valentius alexipharmacum, quam china: salsa tamen & china, æquales esse videntur. China per temperiem in actiuis qualitatibus, corrigit luis caliditatem; minus tamen quam salsa. Per siccitatem corrigit luis putredinem; sed minus quam guaiacum, minus etiam quam salsa. Propter consistentiam minus penetrat, quam salsa; quæ tenuitate vincit reliqua omnia. Per pinguedinem magis emollit, & magis nutrit; vt hac ratione omnibus reliquis alexipharmacis anteponatur. Quatenus amaritudine, acrimonia & odore caret; postponenda est ligno. F

Sassafras.

Sassafras, secundum formam, est medicamentum simile naturæ humanæ: calidum & siccum in fine G secundi, tenue, non pingue, leuiter amarum, acrius ligno, & ligno etiam odoratius. Minus ergo roborat facultatem naturalem, quam guaiacum: quia ratione formæ amicũ quidem est naturę humanę; nõ tamen ita vt guaiacum. Per caliditatem resoluit; sed nocet augendo calorem luis. Per siccitatem strenue corrigit putredinem. Per tenuitatem attenuat, & penetrat. Cum autem pinguedine careat, non alit, nec emollit.

A Per amaritudinem detergit,ſed minus quam guaiacum.Per acrimoniam irritat expultricem.Per odorem ſpiritus reficit.Ratione ergo ſiccitatis & odoris,ligno anteponitur.

Hydrargyrum venenum eſt,& ſecundum formam humanæ naturæ aduerſatur. Secundum temperiem frigidũ eſt,non ſiccum.Id in primis explicandum,qua ratione luem veneream euacuet. Non id facit per modum attractionis:licet enim applicetur & inungatur cruribus;per os tamen fit euacuatio. Statuendum ergo quod fiat per modum impulſionis(:non enim datur tertium.) Expultricem e go partium facultatem,hydrargyro vel roborari,vel irritari neceſſe eſt;hydrargyrum autem,quia venenum eſt, non roborat,ſed irritat:ſimilia roborant,vt guaiacum,&c. Sic ergo hydrargyrũ & facultati expultrici infenſum eſt,& potiſſimum neruoſis partibus,propter temperamentum frigidum,quo facultas ipſius,ceu B inſtrumento,calidum innatum exiguum neruorum,facile oppugnare poteſt.Hinc practici in malis neruorũ,non vtuntur hydrargyro ad luem Veneris expugnandum.Hinc etiam omnes artifices,qui hydrargyrum tractant,licet natura robuſti ſint,neceſſario tamen ſecundum neruos afficiuntur, & vt plurimum poſt 3.vel 4.annos,tremoribus, & aliis neruorum noxis corripiuntur. Cum ergo hydrargyrum, expultrici potiſſimum neruorum maxime ſit infenſum,neruique a cerebro ducant originem:fit vt hydrargyrum ſua forma,mediante frigiditate,ita agat in neruos,vt & cerebrum compatiatur.Vi ſcilicet frigiditatis hydrargyri,lues ad caput ſurſum impellitur,per modum repercuſſionis;&dum ſic perducitur in caput,non in ſubſtantiam cerebri,cerebrum,ob ſuum robur, non permittit ſuſcipi frigidum: vnde expultrix cerebri(:quæ ſanitatis tempore cerebri excremẽta craſſa per os euacuat:)valde irritata ſurgit, & non ſenſim,ſed magno impetu,materiam ad fauces,ad venas linguæ,& ad gingiuas propellit, vt per os excer- C natur;vnde etiam tumor illarum partium ſequitur.

Hydrargyrũ ad luẽ contumaciſſimam efficacius eſt prædictis. Sæpe autem virtus non admittit.

Antimonium vehementer purgat,per vomitum & ſeceſſum:ſed quantum ego experientia colligere potui,rariſſime luem ſuperat.Vt,mea ſententia,ab eius vſu in lue prorſus ſit deſiſtendum.

Stibium.

Capvt IX.

De vſu Guaiaci.

POrro edocendum videtur,quomodo & Guaiacum,& Hydrargyrum,vſurpari debeant. De Guaiaco quinque dicenda: primum,quomodo cum reliquis medicamentis miſcendum: ſecundo,quæ debeat eſſe quantitas: tertio,quis modus: quarto,quando hoc medicamentum ſit exhibendum:quinto,vbi adminiſtrandum. Quæ ergo cum ligno *permiſcentur*,vel ſunt Adiuuantia,quæ faciũt,vt guaiacum cito vin- D cat luem:vel Corrigentia,quæ faciunt,vt tuto & cum iucunditate vincat.Adiuuantia,ſunt Alexipharmaca,vel Non ſunt:& vtraque reſpiciunt aut Luem,aut Subiectum luis.In lue,varia ſunt vitia. Formæ luis, ita aduerſatur ligni forma, vt ad roborandum ſimpliciter expultricem, quo luem expellat, ceteris alexipharmacis non habeat opus:nil enim maioris eſt actiuitatis,quam guaiacum.Sed quatenus euacuatio nõ fit ſimpliciter,verum ad loca determinata;varia miſceri poſſunt iuuantia prout expultrix euacuationem tentat,eaque diminuta eſt. Si enim natura tentet vacuationem diminutam per aluum;poſſunt lenientia, & leuiter ſoluentia miſceri,vt ſcilicet cum decocto exhibeantur,*mellis roſ.ſol.vel ſyr.de polypod.* ℥ *ij*.Nec eſt vt quis dicat,hunc eſſe motum contrarium: falſiſſimum enim eſt, quod nonnulli pro axiomate habent, guaiacum expellere luem per ſudorem:roborat quippe expultricem cuiuſlibet partis, & proinde etiam expultricem ventriculi,ac inteſtinorum.Quod ſi ex aluo concluſa, & ſudore, cognoſcamus expultricem E ad partes cutaneas expellere:non debemus ſoluentia cum guaiaco miſcere,ſed ſudorifera;*vt carduum benedictum*. Sic cauſſa lotii,ſunt miſcenda *ſem.melon.adiantum,capillus Veneris, ceterach, fenic. aniſum.* Et hæc de vitio luis ſecundum formam.Ratione putredinis,cum guaiaco miſceri poſſunt,*ipſius cortex,ſalſa, ſaſſafras*.Ratione caloris,lentoris,interdum etiam craſſitiei,ac duritiei,diligentes nos eſſe oportet.Ob luis calorem,miſcetur *ſalſa,& china*.Ob lentorem guaiacum non eget miſtione cæterorum;magis enim reliquis eſt amarum. Ob craſſitiem,quæ interdum adeſt,miſcentur *ſalſa & ſaſſafras*: Ob duritiem miſcetur *china*. Hæc de adiuuantibus,luem reſpicientibus. Quoad ſubiectum luis:ſi hoc ſit proximum,verbi gratia,ventriculus,aut iecur;guaiacum non eget aliis; ſed tenuitate propria,in ſuis ſedem permeare poteſt:at ſi remotum ſit ſubiectum;miſcentur *ſalſa & ſaſſafras*;vt ſi lues in capite ſedem habeat. Hæc de adiuuantibus alexipharmacis.

Vſus prędictor. medicamentorũ I. Quæ cum ligno ſint permiſcẽda Adiuuantia alexipharmaca. 1. Ratione luis. 2. Ratione ſubiecti.

F Sunt vero & alia adiuuantia,non alexipharmaca,quæ ſpectant vel Luem,vel Subiectum luis. In lue hic non conſideramus formam;quia hanc ſola alexipharmaca reſpiciũt.Propter putredinem igitur,cum alexipharmacis poſſunt miſceri *quinquefolium & adiantum* Si lues ſit calidior;miſcebimus *cichorium,endiuiam,cichoracea,ſonchum*. Si intenſa ſit viſciditas;amariora miſcenda,*vt ſcordium & praſſium*(:male fit, quod hęc non ſint apud omnes in vſu.)Ob craſſitiem miſcebitur *radix filicis maris*, quæ maxime attenuat.Ratione duritiei,cum alexiteriis decoquenda *glycyrrhiza,althæa,malua,&c. licet etiam vti ammoniaco*, quod quidem non miſcetur cum decocto,ſed permiſcetur cum guaiaco,dum in puluere datur.

Adiuuantia non alexipharmaca. 1.

Ceterum iuuantia non alexipharmaca,quæ ſubiectum luis ſpectant;pro huius varietate variant. Si enim luis ſubiectum ſit ventriculus;miſcebuntur cum alexipharmacis, *coriandrum, myrrha, abſinthium*: G Pars medendi docet, quamuis apud pleroſque non ſit in vſu. Si iecur ſit ſedes; & ſit calidius, quod ſæpe contingit; miſcebimus *cichoracea,hepaticam,aquam communem, nec improbantur aquæ deſtillatæ organis vitreis*:ſi autem frigidus ſit,vt interdum contingit(.imminet enim quandoque hydrops.)miſcebimus *agrimoniam,& loco aquæ vinum*. Quidam enim lue affecti obiere hydrope,aliiſue morbis, ob medicorum negligentiam.Si lien ſit ſedes;miſcẽtur *ceterach.phyllitis,cappares*;poſſumus etiam in lienis tumore,cũ decocto guaiaci miſcere *vini chalybeati ſemũciam*.Si cerebrum ſit ſedes;miſcebimus *betonicam,maioranam, ſtœchadem,ſaluiam,hyſſopum,odorata,vt portionem cinnamomi,& niſi quid prohibeat,etiam vinum*: nam &

2.

in oculorum dolore, secundum Hippocratem, vinum meracum prodest, quia producitur ad caput. Si v- A
terus sit sedes; miscebimus *adiantum, matricariam, artemisiam, origanum, pulegium: & nisi quid sit quod ca-
lida prohibeat, etiam myrrha vtemur, eo modo, quo supra ammoniaco.*

Corrigẽtia.

Hæc de adiuuantibus. Corrigentia respiciunt noxas, quæ e guaiaco imminent. Forma eius, cum sit
similis, non indiget aliquo corrigente. Ratione caloris, si lues sit calidior, vt si sit febris, vel calida iecoris
intemperies: miscebimus *salsam, & chinam, item aquam, cichoracea, hordeum, &c.* quæ guaiaci calorem at-
temperant. Siccitas guaiaci prodest ratione putredinis: nocere autem potest in lue melancholica, si pati-
ens sicciorem habet ventriculum, si patiens secundum totum corpus sit exsiccatus, quod non semel ob-
seruaui: corrigi ergo debet *permistione buglossi, boraginis, maluæ, potissimũ carne pulli, vituli, vel caponis.* Ra-
tione tenuitatis, & pinguedinis, non potest nocere: & proinde hac ratione non eget corrigente. Si patiens B
ipsius amaritudinem perferre nequeat: miscebuntur *passulæ, liquiritia.* Acrimonia eget corrigẽtibus: quæ
in caliditate iam proposita sunt. Ratione odoris, non eget corrigente. Et sic patet, quomodo cum guaia-
co reliqua medicamenta sint miscenda.

Formulæ. Guaiaci decoctũ cum aqua.

Porro formulæ medicamentorum contra luem, tripliciter componi possunt: cum Aqua, cum Iure,
& cum Vino. Cum aqua sim. *℞ guaiaci, seu scobis guaiaci ℔ ß. corticis guaiaci, salsæ, ana ℥ ij. chinæ ℥ j. ß. aquæ
fontis ℔ xij. fiat infusio per diem naturalem: deinde fiat decoctio, ad consumtionem dimidii pro syrupo.* Deinde
*℞ quod residuum est, e colatura primi decocti, aquæ ℔. xviij. fiat infusio per tres vel quatuor horas, & fiat deco-
ctio ad consumtionem tertiæ partis, pro potu.* Reliqua adiuuantia, vel corrigentia, si iucunda sint; simul cum
alexipharmacis decoqui possunt, antequam fiat decoctio pro potione: ita tamen, vt quæ longiorem co-
ctionem non ferre possunt, circa decoctionis finem imponantur; si contra, a principio. Hinc, cum fit de- C
cocti colatura, passulæ imponendæ sunt in petia, vt exprimendo decoctum transeat per passulas.

Cautio de ingratis, decocto permiscendis.

Si vero quæ miscentur sint ingrata; tunc duplex seruari modus potest. Primum enim si illa ingrata
sint herbæ potissimum virides, quæ corruptionis syrupi caussa esse possunt, vt *borago, bugl. melissa, endiu.*
coqui debent cum portione syrupi, non cum toto decocto. Guaiaci enim decoctum coquitur ad rema-
nentiam librarum vj. quæ in triduum sufficiunt; quo tempore facile decoctum putresceret, si herbæ viri-
1. des simul essent incoctæ. Proinde e sex libris decocti, possumus sumere ℔. j. & dũ, verbi gratia, mane hoc
decoctum calefit, vt exhibeatur, possunt herbæ imponi. Alter modus hic est: Si ingrata miscẽda, non sint
2. caussa putrefactionis decocti, veluti herbæ exsiccatæ; tunc coquatur guaiacum in ℔ xij. aquæ, ad consum-
tionem ℔ iij. vt videlicet supersint ℔ viiij. non vj. postea fiat colatura. Hinc sumatur residuum guaiaci,
salsæ, & reliquorum alexipharmacorum: atque cum aqua fiat potio. Denique accipiantur illæ ℔ viiij. D
quæ erant præparatæ pro syrupo (: non pro potu:) illisque imponantur herbæ illæ ingratæ, & fiat de-
coctio ad consumtionem tertiæ partis: tunc enim remanebunt ℔ vi. quibus vti oportet pro syrupo. Sic
ergo, dum potio medicamenta illa ingrata non suscipit, iucunda parari potest. Hæc de cocto cum a-
qua.

Decocto Guaiaci cũ Iure.

At vero cum iure sic præscribetur: *℞ guaiaci, chinæ, an. ℥ j. ß. salsæ ℥ j. aquæ ℔ vj. fiat infusio per 24. ho-
ras: deinde adde carnis pulli ℥ j. fiat decoctio ad consumt. medietatis.* Potus præscribendus, vt supra: *℞. quod re-
siduum est: aquæ ℔ x. fiat decoctio ad consumt. ℔ iij. pro potu.*

Hic notandum, & alexipharmacorum & aquæ, minorem esse quantitatem in hac recepta, quam in
præcedente; quia facile corrumpitur ratione carnis: ita vt tempore calidiore, ea saltem quantitate sit hoc
medicamentum præscribendum, quæ vnum in diem sufficiat. E

Secundo notandum, cum in carnis vsu, respiciamus ad corporis maciem; salsę (vtpote plus iusto sic-
cantis) minorem esse dosin: qua de caussa etiam guaiacũ non excedit dosin chinæ; quæ, vt pinguior, gua-
iaco hic est anteponenda.

Tertio obseruandum: cum quidam ægri non possint iure pro potu vti; carnem esse post potum de-
mum incoquendam; vt etiam prius de herbis iniucundis dictum est. Ceterum aduertere etiam oportet,
non esse faciendam decoctionem in iure: nam cum opus sit longa decoctione, syrupus, vel decoctum il-
lud, salsum euaderet.

Decoctio Guaiaci cũ vino.

Cum vino alexipharmaca ita exhiberi poterunt: *℞ guaiaci ℥ viiij. corticis ℥ iij. salsæ, sassafras an. ℥ j.
aqu. ℔ xij. post infusionem sufficientis aquæ fiat decoctio ad consumtionem duarum tertiarum, vt scilicet rema-
neãt ℔ iiij. Deinde adde vini generosi ℔ iij. & fiat leuis decoctio (vinum enim non debet diu coqui.) deinde cola* F
exprimendo pro syrupo. Pro potu: *℞. quod residuum est, decoquatur in aqua ℔ xvj. ad consumtionem dimidii:
deinde addantur vini ℔ iiij. Misceantur pro potu.*

Hæc sufficiant de mistione guaiaci, & cum alexipharmacis, & cum aliis medicamentis. Vnde etiam
patet, qua ratione salsa & china, cum reliquis misceri queant: verbi gratia, de salsa: *℞ salsæ ℔. ß. coriandri ℥
ß. aquæ ℔ x. fiat decoctio ad consumtionem dimidii, pro syrupo.* Hic coriandrum corrigit salsam; quę cũ omnis
sit expers astrictionis, ventriculo nocet.

Formula salsæ exhibendę.

II. Dosis syrupi.

Alterum, quod supra explicandum proposuimus, est de quantitate. Syrupi ergo dosis est ab ℥ iij. ad
℔. j. Errant, qui mane & sero decocti ℥ vij. exhibent: maior enim dari quantitas debet ante prandiũ, quam
ante cœnam: si mane dantur ℥ vij. ante cœnam dabuntur ℥ v. Ratio est, quia inter prandium & syrupum G
vespertinum est minus interuallum, quam inter cœnam & syrupum matutinum: verbi gratia, syrupum
exhibemus hora decima, prandium est hora decimaquarta: secundum syrupum hora vigesimaprima, cœ-
næ hora vigesimaquarta: vnde spatium est horarum decem. Dosis autem pulueris guaiaci & reliquorum,

Dosis pulueris.

est a ℈ j. ad ℈ iiij. hoc modo: *℞. pulueris guaiaci, salsæ an. ℈ ij. betonicæ ℈ j. cum syrup. de beton. fiant pilulæ: quæ
duabus vicibus exhiberi possunt.* Betonica hic imponitur: quia supponimus fomitem & subiectum luis ve-
nereæ esse caput.

Tertium

III. Modus vtendi.

A Tertium explicandorum caput, eſt de modo vtendi. Si luis paſſio requirat, vt guaiacum efficaciter agat: non modo in forma liquida, ſed etiam conſiſtente exhibere oportet: ideo ſimul pilulæ, vel electaria e guaiaco co.f.cto, exhibeantur cum decocto. Præſtat etiam tunc actu calidum exhibere decoctum: ſic enim melius prouocat ſudorem, melius penetrat, melius venas ingreditur, melius agit in facultatem alteratricem, & expultricem. Circa ſudorem notandum, vt prouocetur *vel pannis calidis, vel cucurbitis repletis aqua*, quæ ſub axillis applicentur; res certa eſt: aqua commode decoquitur cum reſiduo potionis: licet vti *tegulis, hypocauſtis vulgatis, maxime etiam probatur nouum illud inſtrumentum ligneum.* Experientia compertum habeo, melius alio modo quoſdam ſudare, quam alio: propterea varios pono modos. Quod B ſi lues ſit melancholica, & corpus aliqua e parte vergat ad ſiccitatem; præſtat ſudorem prouocare *aqua dulci*, quæ actu ſit calida. Inprimis autem tenendum; vt non ſtatim poſt aſſumtum decoctum, ſed per horam poſt, ſudor prouocetur: neceſſe enim eſt medicamentum aliquantiſper in ventriculo morari, vt deducatur ad actum. Id etiam obſeruandum, vt panni, qui inficiuntur ſudore, non ſimpliciter ſiccentur ſub radiis Solis, igniſue beneficio, ſed neceſſarium eſt lauare, vt lues illa per ſudorem extracta, e toto deleatur.

Ad ſudorē facilius proliciendum.

IV. Quando agendum.

Quarto, quoad Quando agendum; ſciendum, decoctum dari debere, dum eſt præſentia luis, & nihil prohibet. Lues præſens eſſe poteſt, per 30. 40. 60. aut plures etiam dies: ad minimum [illegible] decoctum exhiberi debet per 40. dies: Quod ſi lues perſeueret, nos etiam in decoctis perſeuerabimus: ſed poſt dies 50. ſufficit ſemel in die exhibere: poſt 60. dies, ſi ſumme pertinax ſit malum, impoſſibile eſt tamdiu C homines in cubiculis detineri: vnde ſingulo mane exhibebimus quoddam electarium, per horas 4. ante prandium. Si ergo corpus ſit calidius, vel iecoris calidioris: ℞. *ſalſæ* ℥ j. ß. *ligni guaiaci* ℥ ß. *pulu. ſonchi* ʒ vj. *hepatis lupi* ℥ j. *conſerua cichoracea* ℔ ij. ß. *cum ſyrupo de ſtœchade, fiat electarium: doſis a* ʒ ij. *ad* ℥ j. Hic ſalſa & lignum, reſpiciunt luem: ſonchus, cichorium, hepar lupi, reſpiciunt iecur calidum: hoc enim electarium potiſſimum probatur in lue venerea, cuius fomes eſt iecur. Conſerua in hoc medicamento imponitur ad ℔ ij. ß. nam pro qualibet pulueris drachma, conſeruæ vncia eſſe debet: ſunt autem ʒ xxx. ergo & vnciæ conſeruæ erunt triginta, id eſt, ℔ ij ß Si corpus ſit frigidius: ℞. *guaiaci* ℥ j. ß. *corticum ligni ſalſæ ana* ℥ ß. *pulueris agrimoniæ* ʒ vj. *hepatis lupi, mithridatii antiqui, cypheos an.* ʒ iij. *cōſerua e foliis viridibus agrimoniæ* ℔ iij. *cum ſyr. de agrimon. fiat electarium, cuius doſis ſit, vt ſupra.*

Electaria in malo cōtumaci. Electarium frigidius.

Electarium calidius.

Quæ decocti vſum prohibeāt.

Hæc de luis præſentia. Prohibere autem poſſunt vſum decocti, Materia morbifica, Cibi copia, & D Virtus. Materia enim morbifica prius eſt vacuanda, & purgandum corpus, deinde alexipharmaca danda. Quamuis autem corpus mundatum ſit: cum tamen alia ſubinde generentur excrementa; niſi liberaliter natura vacuet, nos eam iuuabimus clyſmis, imo etiam ſoluentibus, exhibendo ſingulis decem diebus aliquod ſoluens, de quo ſuo loco diximus. Deinde cibi copioſi præſentia prohibet: dādum ergo decoctum, per 4. vel ſaltem per 3. horas ante cibum. Virtus prohibet, non ratione qualitatis (: nam calidum innatum potius iuuatur a caliditate alexipharmacorum:) ſed ratione ſuæ ſubſtantiæ, quæ diſſoluitur, ſi iuſto diutius decoctum exhibeatur, ſique in aere calidiori. Falluntur ergo qui optimum exhibendi decocti tempus eſſe putant in media ætate: virtus enim nō pōt perferre diſſolutionem & aeris calidi, & guaiaci: potiſſimū quia decoctum dari non poteſt, niſi patiens ſoluentibus vtatur, quæ & ipſa calidum diſſipant. Aer frigidior, quamuis ſudorem inhibere videatur ratione qualitatis; poteſt tamen calidis corrigi, ne tanta fiat E τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ diſſolutio, quanta in æſtate: præterea ēt non ſemper ſudor ꝓuocādus in vſu ligni, ſed facultatis expultricis motus attendendus; alexipharmaca quippe omnium partium expultricem roborant. Temperatus quidem aer, ad ligni vſum, commodiſſimus eſt: minus tamen virtus æſtate, quam aliis temporibus ſuſtinere poteſt.

V. Vbi agendum.

Quincto, Vbi agendum, indicatur a luis ſubſiſtentia. Si enim lues ſit in partibus internis: per os medicamentum exhibendum: ſi in crure, cruri applicandum remedium, &c.

Hæc igitur de guaiaci vſu dicta ſufficiant.

CAPVT X.

De præparatione & vſu Argenti viui ad morbum gallicum, forma inunctionis, & ſuffitus.

Hydrargyri præpoſitio. Adiuuātia.

F SI lues iam dictis medicamentis vinci nequit, ſumma vrgente neceſſitate, ad *Hydrargyrum* confugiendum. Hoc eget adiuuante, & corrigente. Ratione formæ hydrargyrum non eget ſimili iuuante; eſt enim forma venefica, quæ non augenda: nec tamen oportet ea addere, quæ formam habent prorſus diſſimilem; hæc enim non adiuuant, ſed impediunt. Iuuantia ergo non a tota forma, ſed manifeſtis qualitatibus hydrargyrum iuuabunt: tales qualitates ſunt, tenuitas, acrimonia, amaritudo. Per tenuitatem ammiſtorum, vis hydrargyri penetrat; frigida enim opus habent penetratione. Amara iuuant, vt fiat luis deterſio. Acria irritant expultricem. Huiuſmodi ſunt *caſtorium, baccæ lauri, baccæ iuniperi, horumque olea.* Datur etiam adiuuans per craſſitiem, nimirum *cera*, quæ ſua conſiſtentia facit, ne hydrargyrum fluat, ſed magis cuti hæreat, & efficacius agat: ne tamen cera lædat, poteſt ablui *decocto baccarum lauri, vel praſſii.* Corrigentia non ſolum qualitate manifeſta, ſed etiam tota forma concurrunt: vt *ſaliua hominis* G *ieiuni, qua hydrargyrum exſtingui ſolet; præterea antidoti, theriaca & mythridatium.* Frigiditatem hydrargyri corrigunt, calida, pinguia, odorata: Hydrargyrum enim frigidum eget calidis, quæ vim reſoluendi habēt, vt magis penetret: talia ſunt, *olea e baccis lauri, & baccis iuniperi, vinū, theriaca, mithridatiū.* Pinguia miſcenda ſunt, ne e violenta hydrargyri actione, & vſu horum medicamentorum, nerui plus iſto ſiccentur, aut etiam partes motui voluntario deſtinatæ, quæ copioſo egent humore oblinente: hoc præſtat *axungia ſuilla*; præterquam quod ſua conſiſtentia facit, vt permaneat hydrargyrum. Denique odorata ſunt permiſcenda, *vt aromata, & præſertim crocus*: ſpiritus enim ratione veneni facile læduntur,

Corrigētia.

quos odore grato crocus reficit; petit etiam caput (:vnde eum in capitis dolore fugiendum suadet Galenus, cap. 1, lib. ι.κ.τόπ.) & proinde hydrargyri quoque adiuuans & vehiculum est, quod caput petere in curatione volumus. Hæc autem copia medioeri cum hydrargyro miscenda, ne eius vim exstinguant. Notandum autem medicos vti inunctione & suffumigio. Suffumigium, quia partes petit spiritales, minus est tutum: potest tamen vsurpari, si patiens sit robustus secundum thoracem, seu pulmones, & malũ sit pertinacissimum: suffumigium enim efficacius est inunctione: quia vapores per os naresque inspirati, cerebrum petunt, vt ad expulsionem insurgat. Formula inunctionis hæc esse potest: ℞. *hydrargyri saliua ieiuni extincti* ℔ ß. *axungia suilla* ℥ *iij. misce summa cum diligentia per horam: deinde adde olei laurini, de iunipero, viperini ana* ℥ *j. misce per semihoram: post, adde pulu. castorii* ℥ *iij. baccarum iuniperi, baccarum lauri, ana* ℥ *ij. Et hic puluis sensim miscendo aspergatur: dein adde croci* ℈ ß. *cera lotæ vino maluatico* ℥ *j. misce per duas horas.* Suffumigium erit huiusmodi: ℞ *hydrargyri præcipitati, sublimati, sandarachæ Græcorũ, auripigmenti, ana* ℥ *ß. baccarum lauri, baccarum iuniperi, ana* ℈ *iij. cum resina terebinthina, diluta in decocto baccarum lauri fiat pasta pro suffumigio.*

Inunctio magis tuta est suffumigio. — Inũctionis formula. — Suffumigii formula. (A, B)

Vsus hydrargyri. Quantum. Quomodo.

Hæc de hydrargyri compositione: sequitur recta eius administratio: Primum ergo, quoad *Quantum agendum*; e proposita inunctione sumenda, modo vncia vna, modo duæ, modo tres, prout actio luis est vehementior. *De modo.* Oportet hoc medicamentum actu esse calidum: debetque inunctio fieri fricando, ab inferis ad superna: sic enim per poros vis medicamenti facilius ingreditur; contraria frictione pori potius clauduntur: frictio fiet cheirothecis, non manibus nudis. Calidius autem medicamentum erit, frictioque vehementior, quo luis passio est difficilior. Vt vero penetret medicamentum, necesse est vt actu calidum seruetur: quare partibus inunctis applicabuntur petiæ lineæ, & intus immittenda stupa, cõfecta e cannabe. (C)

Quando.

Quoad *quando*: si præsens est lues, & nil prohibeat; inunctio fieri debet semel, bis, ter, &c. non tamen vltra septem vices: si enim tum nõ exspuit, nulla spes restat. Per luem præsentem intelligimus eam, quæ simul cum præsentia indicat, id est, quę nondum cedit, nec euacuatur: quod si enim quis exspuere incipiat post secundam inunctionem, sufficit ter inungere; quia illa lues etsi præsens sit, expurgatur tamen, neque noua eget inunctione.

Quid prohibet inunctionem.

Prohibere potest inunctionem, materia totum replẽs corpus, quæ facit, vt hydrargyri vis permeare nequeat; vnde in artubus manet, & interdum ad vsque medullam ossium ingreditur: prius ergo corpus purgare oportet, & efficere vt quotidie fluat aluus. Prohibet etiam materia replens ventriculum: vnde vnctio fieri debet per quatuor horas ante prandium, priore cibo bene concocto: Hinc recte practici quotidie clysmis vtuntur si æger non excernit. Prohibet denique virtus debilis, & secundum partes, & secundum totum. Secundum partes; dum, verbi gratia, adest vlcus, aut morbus aliquis in partibus oris: quod si harum partium affectus aliquis non amplius præsens sit, sed prægressus, si quidem ortum traxit e lue venerea, vt vlcus lingue, oris, labiorum, non prohibet inunctionem, quia non adest imbecillitas, quæ prohibeat: si vero quis, non detentus lue venerea, obnoxius sit anginæ, & postea lue corripiatur; nequaquam est inungendus, excitaretur enim angina. Neruorum quoque virtus inunctionem prohibet: si enim lue affecti, vel laborent, vel saltem obnoxii sint stupori, paralysi, vel doloribus articulorum (: qui tamen non sint gallici:) prohibetur inunctio: alias enim e toto vis neruorum adimeretur. Virtus totius prohibet, quando adest febris, siue sit venerea, siue non. Si patiens non febricitet, facta autem inunctione febris sequatur: non est pergendum. Macies prohibet, ceu signum virtutis debilis secundũ totum: item pulsus debilis: item, si patiens est puer, non enim ferre potest inunctionem, adestque neruorum infirmitas: senes etiam eam non queunt ferre. (D)

Vbi.

Quoad *vbi agendum*, oportet inungere artus, citra articulos, inter articulum & articulum. (E)

Quid post inunctionem faciẽdum, si euacuatio sequatur. — Artus vt roborandi.

Facta inunctione (: ne hæc noceat:) videndum, num euacuatio succedat, nec ne. Si succedat; patiẽs iubebitur *aurum detinere in ore*: hydrargyrum enim ab expultrice capitis in os protusum, auro adhæret, ob συμπάθειαν quandam, vnde oris partes non ita inficit. Præterea, quia vi huius inunctionis, totus aer cubiculi inficitur; ne hunc prauum aerem æger inspiret, odoratis corrigendus est, vt potius ad calidum vergat; partesque inunctæ tectæ, atque calidæ seruentur, quemadmodum dictum est. Dum vacuatio facta est mediocris, cognoscimus hydrargyrum penetrasse: proinde artubus occurrendum, ne partes neruosæ afficiantur: abluantur artus *vino maluatico*, vel quotidie, vel saltem alternis diebus. At si copiosior facta sit euacuatio, artus fouendi *vino, cum lacte alterato, vngendi etiam artus sunt melle, vna cum castorio, vel oleo de castorio.* Tandem absoluta purgatione, probatur *balneum secundum totum corpus, ex aqua communi, alterata cum saluia, beton. calamintha mont. iua, dictamno Cret.* erit balneum ita calidum, vt sudet æger. Si forte corpus sit siccius; vngantur artus *oleo de castorio, confecto in duplici vase, cum vino.* Consulo etiam, *vt oleo addatis magnas antidotos*, imitatione Galeni, qui post opii administrationem calidis vtitur, vt vitium, ab opio excitatum, deleat. Idem quoque de suffumigio est statuendum. Hac inunctione, quę hydrargyri nocumentum corrigit, non solum vngendi artus, secundum articulos, partesque reliquas, sed etiam spinæ medulla & vertebræ. (F)

Electarium roborans. — Oris vlcera.

Hac de caussa etiam assumendæ sunt *magnæ antidoti, cum conseruis capitalibus & foliis auri. Verbi gratia*, ℞. *mithrid. antiqui* ʒ *ij fol. auri No. vij. conserue e floribus rorismar. beton. ana* ʒ *j. cum syrupo de corticibus citri, fiat electarium: cuius dosis* ʒ *ij. vel iij.* Quod si oris partes ob vacuationem afficiantur, vt oris sequantur vlcera, tunc *e cornu cerui, scabiosa, quinquefolio, virga aurea & foliis auri paretur pulnis, qui partibus vlceratis applicetur.* Si vlcus ita aperiatur, vt sanguis copiosus effluat, e cuius effluxu immodico, periculum immineat; sumatur *puluis rosarum, cum puluere myrtillorum & sumach, aa* ℈ ß. *excipiantur succo plantaginis, & intra os immittantur.* Hæc de medicamentis, quæ administranda sunt, cũ vacuatio per os succedit. (G)

Si non sequatur eua-

Si autem non fiat euacuatio; vtendum est medicamentis, quæ hydrargyrum e corpore trahant: vnde probatur medicamentum, cuius virtute copiosus erumpat sudor: tale est *hypocaustũ, & balneũ*, ita actu calidum,

A calidum, vt sudorem prouocet. Vt autem sudor efficaciter magis proliciatur, aqua balnei alteranda est medicamentis calidis, de quibus supra, potissimum *calamintha mont. carduo sancto, dictamn. Cret* Balneum sæpius est repetendum. Qui balnea non ferunt; iis artus inungatur (: quamuis etiam post balneum probetur inunctio artuum, vertebrarum, & omnium articulorum:) *cum oleis de castorio, de costo, in duplici vase decoctis cum vino, & rebus iam propositis calidis & aromatibus, decoquantur ad vini consumtionem: post colaturam, misceatur cera lota vino maluatico generoso, addantur folia auri:* formula erit talis: ℞ *oleorum de castorio, de costo, ana ℥ iij. vini aromatici ℔ ß. dictamni Cret. calaminthæ montanæ, cardui sancti, guaiaci, ana ℥ ij. cinnamomi, macis, ana ʒ j. vrgente necessitate sinapi ℈ ij: contundenda contundantur crasso modo, & fiat infusio per duodecim horas: deinde fiat coctio in vase duplici, ad consumtionem vini: postea cola, & serua hoc oleum in vase vitreo. Deinde recipe huius olei ℥ j. ß. fol. auri No. vij. ceræ lotæ vino generoso ℥ iij. Misce ad ignem & sufficiat pro vnica vice.* Inunctio cum hoc oleo, est præstantissima, ideoq; sæpius iteranda: antequam autem fiat, partes inungendæ, potissimum articuli, foueantur *vino maluatico* calente, vt roboretur calidum innatum, iam aliqua e parte male affectum vi hydrargyri: post fotum & siccationem fiat inunctio. Hæc de materia medicinali, respiciente & Totum corpus, & Luis virulentiam.

euatio, quo modo argentum viuum e corpore prolectandum.

Inunctio præstantissima.

CAPVT XI.

De Curatione symptomaticorum luis gallicæ affectuum.

SVperest, vt dicamus de medicamentis, quæ Morbos, & Symptomata, seu effecta luis venereæ respiciunt. Inter morbos recensuimus febres, casum dentium, bubones, gummata, verrucas, pustulas, cariem, C ossium corruptionem, vlcera reliqua, rhagadas. Inter symptomata; dolores, tinnitum, gonorrhoeam, depilationem.

Medicamenta respicientia Effecta luis.

Febris ergo si non sit Gallica, vt si e guaiaci decocto subsequatur febris; primum febri occurrendum intermisso decocto; vt in febrium doctrina proposuimus. At si febris sit ob luem venefica; lues primum tollenda: tunc enim febris tolli non potest, nisi exhibeantur alexipharmaca. Hic autem cum totius, tum luis habenda est ratio. Non enim tuto lui occurrere possumus, nisi prius totum sit expurgatum, & febris remota. Ratione totius ergo primum secanda vena, nisi febris sit hectica. Ceterum, febris gratia, omnia quæ adhibentur erunt mediocria: Verbi gratia, si febris sit putrida, non vtemur *pilulis cochiis cum helleboro*, quibus vteremur, nisi coniuncta esset febris, &c. Ratione luis, alexipharmaca debent esse mitiora, dum adest febris, quæ a lue prodit, præsertim si sit hectica: in qua hectica *non improbo salsam, sed* D *magis probo chinam*, quia non ita siccat & miscere oportet *cichoracea buglossum, lactucam, & præterea carnem: non licet vti cortice, non guaiaco, non sassafras*. Existente etiam hac febre, sudorem prouoca e nō licet, quia virtus non permittit, sed requiritur *balneum* moderate calidum: licetque totum inungere, *oleis amygdal. violaceo, permista aliqua portione decocti, vel salsæ, vel chinæ, imo etiam guaiaci*, sed in pirua copia. Ratio est: nam beneficio balnei fit attractio alimenti ad partem; beneficio visciditatis fit appositio alimenti & agglutinatio; a moderate caliditate olei amygdalini, & frigiditate olei violacei, intemperies febrilis corrigit vt fiat assimilatio; vi guaiaci, medicamenta penetrant ad ossa, caliditas guaiaci luem euocat, guaiacum roborat expultricem, vt sic eodem tempore & lues & febris amoueantur. Hic occurrit dubium: cum enim alexipharmaca lui sint aduersa; si guaiacum partibus externis applicetur, videri posset, luem ad interiora retrocedere? Responsio: alexipharmaca roborant facultatem expultricem, quæ, si, verbi gratia, in capite E vlcerato existat, luem expellit per locos decentes, non intro, sed foras: vnde practici in vlceribus, & malis externis, recte cum medicamentis reliquis alexipharmaca miscent; sed rationem forsitan ignorant.

Febris.

Dubium.

Quoad casum dentium, oportet detergere materiam illam, quę in caussa est, vt gingiuæ abradantur. Maxime igitur probatur *oleum e sulphure, cum oxymelite scillitico, & puluere guaiaci:* postea etiam roborare & astringere oportet; vnde probatur *medicamentum compositum e mastiche, nucibus cupressi, gallis immaturis, puluere plantag. ros. hypocistid. probatur etiam vinum austerum, cum aqua rosac. & succo plantag. & modico vel guaiaci, vel reliquorum alexipharmacorum.*

Casus dentium.

Bubones celerrime ad suppurationem sunt producendi: si perduci nequeunt, per illam partem molienda est luis euacuatio, licet bubo non moliatur. Si ergo in inguine apparet tumor; natura iuuanda est, F applicata ventosa, cum flamma, citra scarificationem: deinde apertio procuranda *cum althæa, adipe suillo, farina hordei seu frumenti, oleis lil. alb. amygdal. dulcium: ex his fiat cataplasma: vel applicetur diachylon magnum.* Si materia suppuretur; non exspectanda est integra & absoluta suppuratio, sed apostema immaturum est aperiendum, vt quam citissime egrediatur virulentia: & facta apertione, foramen diu (: per dies quadraginta, vel etiam sexaginta:) apertum detineatur, turūda, parata *cum melle & alexipharmacis.* Quod si præsente tumore, materia admodum sit rebellis, nec suppurari incipiat; causticum applicandum: deinde, si eschara virtute *butyri* corrumpatur ac putrescat, ea amota (: vt in fonticulis fieri solet:) imponenda est *pilula, confecta e cicere, vel potius e medulla sambuci: aut conficiatur pilula e cera, non simplici sed diligenter lota in decocto guaiaci cui permista sit portio sinapi, colocynthidis, si lues videatur pituitosa; portio scammonii, si* G *biliosa, veratri, si melancholica. Non solum autem hoc decocto ceram lauare licet, sed etiam puluerem e propositis parare possumus, & cum cera hac lota conficere pilulam, quæ sane medicamentum efficacissimum.*

Bubones.

Materia gummatum est dura & crassa: eget mollientibus & attenuantibus: si ergo intro exhibētur medicamenta, cum decocto miscebimus *althæam, & salsam augebimus.* Extra applicabimus *medullas, adipes emollientes, ammoniacum, bdellium, radices althææ, radices cucumeris agrestis, sed cum alexipharmacis: probatur etiam diachylon cum gummis: probatur caseus antiquus cum axungia suilla, vt liceat etiam colocynthi-*

Gummata.

dem & veratrum imponere. Vrgente necessitate ad *præcipitatum* oportet cōfugere, & ad apertionem cum caustico locusque teneatur apertus. A

Verrucæ. Verrucæ, si ligaturam admittant, ligandæ serico: & cum per ligaturam verruca est exstirpata, radici etiam prospiciendum; vnde radix verrucæ madefacienda est *aqua alterata cum alumine & cortice guaiaci.* Si verruca sit plena, eamque habeat conformationem, vt non possit ligari; imitantes Aetium, primum admouebimus *ammoniacum cum aceto, deinde aquam ardētem, in qua macerata sint althæa,* ad emollitionem, *guaiacum, quin & (: vsu exigente:) præcipitatum, squama æris, calx exstincta cū oleo viperino: quidam addunt puluerem verrucæ pro maximo secreto; addi etiam potest sal mineralis.* Quia autem ob horum medicamentorum caliditatem, phlegmones imminet periculum; ideo ad arcendum inflammationem, circumcirca, & supra proposita medicamenta admoueatur *vnguentum de cerussa.* B

Pustulæ in ore: Pustulæ, si oris partes affligunt; illæ partes fouendæ sunt *decocto guaiaci,* quod patiens assumit: si dolor illis sit iunctus; prodest *serum lactis chalybeatum;* siccat enim, & dolorem mitigat. Si pustulæ serpant; *sero chalybeato addantur plantago, rosæ.* Si f. ruor annexus sit; *sero chalybeato addatur hordeum & lactuca.* Si

in aliis partibus. pustulæ sint putrilaginosæ; addantur *sero lactis, scabiosa, cornu cerui, alumen rocha: vt pro quauis seri vncia, misceantur scabiosæ & reliquorum, a ℥. v. ad x.* Si pustulæ in aliis sint partibus; locus affectus oblinendus est *spuma decocti e guaiaco, possumus etiam addere scabiosam & aristolochiam rotundam:* si contumaces sint pustulæ; ascendendum *ad præcipitatum:* si dolor vrget, addendum *seuum hircinum, serum lactis chalybeatum.* Verum huiusmodi pustulæ sæpe decocti solius virtute exstirpantur.

Caries. In carie, oportet siccare, *cum puluere tutiæ, cum puluere lithargyri, cum puluere cort. guaiaci. supponitur vnguentum e tutia.* Si plurimæ sint sordes, imponatur *Ægyptiacum, oleum e chalcantho, potissimum probatur præcipitatum, superponatur vnguentum de cerussa,* ne oboriatur inflammatio. Post mundificationem, sufficit *petia, madefacta in guaiaco, & vnguentum de tutia.* C

Ossis corruptio. Quoad corruptionem ossium; quamprimum ad fortiora veniendum. Si ergo os corruptum est detectum; vti oportet *oleo e sulphure, e chalcantho, ferro cādente,* si citra periculum potest administrari: ne autem oboriatur inflammatio, imponatur *vnguentum de cerussa, quod magis probo quam linimentum simplex* quia recipit *solatrū,* calido innato maxime aduersum. Vbi exstirpata est lues; oportet replere, agglutinare, cicatrice obducere.

Vlcera. Quantum ad reliqua vlcera, pari ratione curantur: id potissimum obseruādum, vt cum reliquis medicamentis iungantur alexipharmaca, quorum beneficio expultrix loci affecti roboratur, vt virulentiam expellat. D

Rhagades, seu fissuræ. Rhagades sæpe adimuntur beneficio *decocti:* si non cedant, fouendæ partes *guaiaco, scabiosa, scordio, quinquefolio:* si durities annexa est, addatur *althæa, malua, calx exstincta cum adipe gallinæ, ammoniaco.* Si admodum vehemens sit lues, vt non cedat; probatur inunctio *ex hydrargyro,* qualis proposita fuit: potest adhiberi *præcipitatum:* licet suffumigare partes affectas, volas manuum & pedum. Potestis etiam hoc vti, quod admodum est efficax: *℞. hydrargyri saliua exstincti ʒ iij. scabiosæ, scordii ana ʒ j. ceræ lotæ decocto scordii ʒ iij. misce pro linimento.*

Dolores. Quoad dolorem; ratione Luis, oportet vti alexipharmacis: in internis medicamentis, augenda est dosis *salsæ:* extra, ratione Luis, partes fouendæ *guaiaco,* quod ad roborandum expultricem efficacius est, quam salsa. Ratione Doloris, oportet occurrere dolori, & respicere tum ad caussam, tum ad dolorem, vt habet rationem symptomatis. Quoad interna igitur; *chinæ* dosis augenda: magis enim potest ad mitigandū dolorem, quam salsa & guaiacum: permiscenda etiam *althæa, malua,* quandoque ascendendum ad *Mithridatium recens, in quo sc. opii viget facultas.* Extra parti dolenti applicetur medicamentum confectum *ex anetho, malua, althæa, meliloto, fœnugræco.* Respectu doloris, non luis, probatur medicamentum, paratum *ex adipibus, e lacte cum pane: probatur etiam omentum vituli vel castrati, quod sit calefactum cum propositis medicamentis: nequaquam autem opium in partibus externis vsurpandum.* E

Tinnitus. In tinnitu aurium, corpore & capite expurgato, vtēdum *oleo destillato e guaiaco, cum adipe anserino: probatur Elixir cum oleo amygd. amar.* Vehementioribus vti oportet, quia aures sustinent medicamenta fortissima, & quia malum pertinacissimum: his ergo medicamentis per aliquot menses vtendum.

Gonorrhoea gallica. Gonorrhoea si non cedit decocto guaiaci post viginti dies; aliis vtendum. Intus, *℞. sem. lactucæ, viticis, cannabis, ana ℈ ij. pulu. salsæ ʒ j. conseruæ e nymphæa ℥ iij. e betonica ℥ j. cum syrupo de capill. Veneris fiat electarium, cuius dosis a ʒ j ad ℥ ß. ante syrupum matutinum.* Hic betonica & capil. Veneris, vsurpantur pro vehiculo reliquorum. Extra oportet peritonæo applicare medicamentum, *confectum ex oleo mastichino quod sit decoctum in vase duplici, cum vino austero, addito thure, additis nucibus cupressi, & gallis; facta decoctione, per expressionem fiat olei colatura. Ad singulas huius olei vncias, addatur ceræ ʒ j. ß. lotæ vino austero, potissimum alterato cum guaiaco.* F

Depilatio & pruritus. In depilatione, abradantur pili Luna crescēte: & nihil prorsus applicetur primis quindecim diebus, quib. decoctū bibitur, licet vrgeant ægri: sæpe enim solius decocti vi resurgunt pili. Post dies quindecim potest aliquid applicari; id tamen non sit astringens, ne lues cohibeatur. Vtemur aliquo roborante, crassæ substantiæ, sine astrictione: vnde caput abluatur *lixiuio moderato, confecto cum abrotano, cum furfuribus; potestis ascendere ad radices cannarum, eas in lixiuio decoquendo: potest etiam incoqui scabiosa. fumaria.* Si ægros exerceat pruritus, addatur *hordeum.* Si coniuncta sit ariditas, addatur *malua.* Hæc autem inunctio in depilatione probatur: *℞. olei amygd. dul. ʒ j. decocti guaiaci ℥ ij. abrotani ʒ j. thapsiæ ʒ ß. fiat decoctio in duplici vase, ad consumtionem decocti: deinde cola, & adde faui mellis ʒ ß. oui vitellum, olei e caryophyllis non destillati. ʒ j. ß. Misce.* Efficacissimum etiam est *oleum e fauo mellis, oleum e vitellis ouorum.* Semper tamen miscenda sunt alexipharmaca. Hæc de medicamentis. G

CA-

CAPVT XII.

De Victus ratione in lue venerea.

SEquitur Diæta. Aer probatur calidus, in cubiculo propter sudorem, ac διαπνοὴν ἄδηλον. Errant ergo, qui ægris permittunt, vt cubiculo egrediantur; impeditur enim transpiratio. Victus, tempore purgationis sit mediocris, & potius vergat ad pleniorem: pro statu corporis debet esse medicinalis, vt in corpore bilioso refrigerans, &c. potus *vinum aquosum*. Contra, si corpus sit frigidius, vt in senili ætate, tempore frigido, ante purgationem sit *vini potus*, victus non refrigerans. Tempore autem medicationis, quod decoctum assumitur, & quo hydrargyrum administratur, alia opus est victus ratione. Quoad decoctum: B cibus circa primos & vltimos dies, minus tenuis esse debet: nec de extremo in extremum est transeundum sine medio: tempore autē interiecto abstinere oportet a carnibus, vt si æger decoctum sumat per quadraginta dies: decem primis & postremis diebus caro conceditur, per viginti dies medios non conceditur, nisi vires sint debiles, vt in hecticis. Probantur etiam tunc *amygd. dulces, passulæ, pistacea*. *Panis interdum conuenit mediocriter coctus*: si ventriculus est debilis, si corpus obstructionibus obnoxium, si corpus emaciatum & hecticum, si lues sit melancholica. Aliquando *panis assatus, seu bis coctus* dari potest. Licet hic a Galeno vbi de alimentorum purorum facultatibus agit, cap. 2. l. 1. exigui nutrimenti, & difficilis coctionis statuatur. Vnde & a nonnullis, sed immerito, damnatur: cum hoc loco non saltem alimenti, sed etiam medicinæ gerat vicem. Proinde si ventriculus sit robustus; si non sit periculum obstructionum: si corpus nō sit emaciatum, si lues maiori e parte sit pituitosa, non modo panis bis coctus prodest, sed interdum etiam C prodest panem conficere cum aqua, alterata alexipharmacis, item dare pilulas ex alexipharmacis ilico ante cibum, vt sic alimentum e toto reddatur medicinale, & aduersarium lui venereæ. Non semper ergo reprehendi debent, qui in lue panem bis coctum, seu assatum exhibent. *Carnibus* etiam modo assis vtendum, modo elixis, his in lue melancholica, illis in pituitosa. Quoad *modum*: Cibis alterantibus, modo calidis, modo frigidis vtendum, pro varia corporis ægri constitutione. Cibus in prandio parcior, quam in cœna: ratio est, quia bis in die syrupum exhibere oportet, vnde propter maius interuallum, inter cœnam & syrupum matutinum, cibus maiori quantitate assumi potest. Potus est *secundum decoctum*, quod modo paratur cum aqua, modo cum vino, modo cum carnis iure. Hæc obseruanda, dum exhibetur decoctum.

Aer.

Cibus & potus, tempore purgationis.

Victus, tēpore quo decoctum assumitur.

D Cum hydrargyri inunctionem amministramus, eo tempore, quo homo potest masticare, dentur *carnes, panis, vinum aquosum*, non forte (vt quidam nebulones) post inunctionem enim imminet oris inflammatio. Dum vero homo masticare non potest, detur *contusum, destillatum, vitetur vinum*, quia actu est inflammatio, estque periculum, ne patientes suffocentur: dum incipiunt masticare, possumus exhibere *carnem vinum*. Quoad *somnum*, dormiant ægri per horam post assumtum syrupum, nec ilico sudent. *Aluus* fluat quotidie, ne luis impediatur expulsio. *Motus* tum corporis, tum animi, sint potius citra mediocritatem: ὅκου γὰρ λιμὸς, οὐ δεῖ πονέειν, aphor. 16. sect. 2.

Victus, tēpore vsus hydrargyri.

Somnus.

Euacuatio.

Exercitiū.

Et hæc dicta sint de luis venereæ curatione: quæ licet malum sit pertinacissimum, e toto tamen expugnari potest, si quæ attulimus studiose peragantur. Nec vos laborum ac diligentiæ pœniteat, in malo hoc frequenti & peræque lucrosissimo: dixerim quippe citra iactantiam, me e gallicæ luis curatione vltra octodecim millia coronatorum lucratum esse.

Conclusio.

FINIS.

A

B

PRACTICÆ MEDICINÆ
Liber Sextus.
DE FEBRIBVS.
Capvt I.

Prolegomena, ad febrium tractationem, ex Auicenna petitam, aditum patefacientia: quibus canonis Auicennæ, potiſsimum primæ partis libri quarti constructio, methodo reſolutoria docetur. C

Ebres morbi ſunt frequentiſſime occurrentes, non raro vehementiæ quouis genere inſignes, atque periculoſi, præterea interdum etiam cognitu difficiles. Ideo cunctas noſtras vigilias ad hanc de febribus doctrinam, ſane perarduam, conuertere decreuimus, vt innumera & cognitionis & curationis febrium arcana, quæ apud Galenum exſtant, ſingula propriis locis fideliter explanentur, & doctrina hæc recondita omnibus perſpectiſſima reddatur.

Summa præfationis capita.

Antequam autem negotium hoc aggrediamur, tria præcognoſcere oportet: primum, quemnam potiſſimum Auctorem, ceu ducem, hac in re ſequi velimus: D dein, quo ordine noſter ille Auctor febrium doctrinam diſpoſuerit: tandem quid in ſingulis febribus, & quo artificio propoſuerit.

Auctoris delectus in doctrina de febribus.

Non recedentes igitur ab Hippocrate, Ariſtotele, Galeno, & Auicenna, hunc potiſſimum Auicennam ducem eligere ſtatuimus: tum ob Græcorum & Auicennæ conſenſum, tum maxime facilioris doctrinæ gratia: ſiquidem Auicennas, viri ingenui officio fungens, nunquam Galeni ſe eſſe interpretem fateri dedignatur; nec non quæ ſparſim Galenus ſeminauit, vnum in librum, nempe in quartum ſui operis medicinalis mirifice congeſſit.

Quo vero ordine noſter Auicennas febrium doctrinam diſpoſuerit, negotium ſummi eſt momenti, & hactenus forſan a paucis enodatum: quare non citra diligentiam explicandum eſt. Id autem aſſequemur, ſi potiſſimum docebimus, quis ſit quarti libri cum traditis ante, & poſt, connexus: deinde, quæ ſit E quarto libro propoſitorum coniunctionis ratio.

Canonis medici Auicennæ ἀνάλυσις.

Quod ad primum ſpectat, Auicennas totam artem medicam quinque libris fuit complexus: &, eos legitime diſponens, librum Canonis primum inſcripſit de iudiciis vniuerſalibus in medicina: ſecundum, de medicinis ſingularibus, ſeu ſimplicibus: tertium, de ægritudinibus particularibus, appropriatis membris occultis & manifeſtis, a capite vſque ad pedes: quartum, de ægritudinibus particularibus, non appropriatis vni membro: quinctum ac poſtremum, de medicina compoſita, qui eſt antidotarium. Ceterum, vt facile eſt hos libros hac ſerie cum Auicenna diſponere: ita perarduum eſt horum librorum & numeri & connexus rationem callere. Itaque vt tanti momenti veritas, & fortaſſe non omnibus perſpecta, luce ſolari clarior deprehendatur, altius exordientes dicimus, Auicennam toto de Medicina opere duo potiſſimum nobis præbere, nempe medicæ artis tum Habitum, tum virtute habitus exercitationem. Nec ab re: F ſiquidem ille ſolus exactiſſimus euadit artifex, qui tunc ſuæ artis habitum acquirit, tum per illum exercitationi ſe tradit. Verũ cum exercitatio duplex ſit, alia nimirum quæ vſq; ad ſpeciem ſpecialiſſimã deſcendit, reliqua quæ etiã vergit ad Indiuidua: Auicennas, poſthabita hac indiuidua exercitatione, (hanc enim coram ægris conſequimur) ſumma diligentia per artis habitum etiam exercitationem omnem nos docet, quæ nimirum ſcriptis conſignari potuit, & proinde vſque ad ſpecies ſpecialiſſimas deſcendit. Cum ergo Auicennas hæc duo profiteatur, nempe artis Habitum & Exercitationem: habitum primo libro edocet, exercitationem reliquis quatuor. Hæc huius ordinis ratio eſt recondita: ſiquidem, cum exercitatio ſupponat habitum, & per habitum, comparatum in primis generibus, obeatur exercitatio, deſcendendo ad genera ſubalterna, ſpecieſque ſpecialiſſimas: ratio demonſtrat habitum præcedere, ſubſequi autem exercitationem. Non iniuria igitur in primo libro circa habitum, in reliquis circa exercitationem G verſetur.

Pars canonis, habitũ ſpectans, in primo libro.

Verum vt cuiuslibet animus acquieſcat, monſtrandum eſt, Auicennam hæc duo ſummo artificio explere. Primum ergo quod ad habitum attinet, hunc cumulatiſſime docuit Auicennas primo libro: ſiquidem cum diuidat eum in quatuor Fen, in prima verba facit de rebus ſecundum naturam: in ſecunda de rebus præter naturam primo, deinde autem de ſignis, in tertia de habitu tuendæ ſanitatis: in quarta de

curatri-

A curatrice. Cuius numeri & ordinis hæc fuit ratio. Cum enim auctore Galeno 9. de placitis quincto, apertum sit, medicum, qua medicus est, corporis sanitati consulere: idcirco in hac arte duo necessario locum sibi vendicant, nempe & Finis, & Media seu instrumenta quibus finem consequimur. Ad quæ duo respiciens Auic. in prima primæ, medicinam in Theoricam, & Practicam distribuit: quandoquidem theorica versatur circa finem, practica autem circa instrumenta quibus finem consequimur: & propterea in arte medicinali hæc media seu instrumenta caussæ vocantur salubres; etenim vel sanitatem præsentem cõseruant, vel amissam recuperant. Vnde quo ad theoricam attinet, hæc versatur circa res naturales, prȩter naturam, & omnium earum cognitionem, vt emergat pars Physiologica, Pathologica, & Semeiotica. Quo B autem ad practicam, hæc sane nihil aliud est, quam (vt Hipp. quandoq; scripsit) adiectio & ablatio; a quo nõ recedens Galenus, primo de element. quincto, ait, medicinam esse quasi generationis & interitus ministram, hoc est, adiectionis & ablationis ministram. Nec citra artificium dicit, medicinam esse quasi ministram, propterea quod natura nõ vtitur ipsamet arte medica vt ministra, sed materiebus medica arte inuentis. Ceterum medicina, quatenus adiectio & ablatio, ac proinde practica, (vt passim testatur Galenus, & præcipue primo de tuenda sanitate primo, & in arte medicinali 88.) duplex est, alia Conseruatrix sanitatis, alia Curatrix.

His hunc in modum constitutis, patet, Auicennam primo libro vniuersum habitum medicinæ tradidisse, & optimo ordine omnes partes disposuisse. Nam quo ad vniuersum habitum; cum proposuerit Physiologicam, Pathologicam, Semeioticam, methodum Tuendæ sanitatis, & Curatricem, nihil aliud C sane desiderari potest. Quo autem ad ordinem, cum primo doceat habitum theoricum, mox practicum: primo versatur circa finem, mox circa media quibus finem consequimur: & proinde (vt decet in artibus) ordinis resolutiui nunquam fuit oblitus. Hæc de habitu.

Quo autem ad exercitationem, hæc quatuor libris traditur ab Auicenna: dum nimirum secundo loquitur de medicinis simplicibus: tertio de ægritudinibus appropriatis; quarto de nõ appropriatis: quincto de medicamentis compositis. Etenim dum de his loquitur, methodum seu habitum exercet modo physiologicum, modo pathologicum, modo semeioticum, modo cõseruantem, modo curantem: Verum vt hoc est satis euidens, ita contra est admodum obscurum, intelligere, qua ratione & arte Auicennas artis habitum exerceat, primo circa simplicia, secundo circa ægritudines appropriatas, tertio circa ægritudines non apprprietas, quarro circa medicamenta composita? Igitur vt hæc veritas elucescat, supponendum D cum Galeno secundo de crisibus 9. duplicem medicis esse materiam, nempe Primam & Secundam. Prima quidem materia est, in qua aduenit finis, hoc est, sanitas, seu sanitatis præsentis conseruatio, & deperditæ reparatio. Hæc autem materia prima est hominis corpus: vtpote circa quod consideramus dispositionem & secundũ naturam, & præter naturam: vt dum exempli gratia sermo fit de febribus, quod tria prima sint febrium genera, hoc pertinet ad primam materiam. Secunda autem materia, est materia auxiliorũ, a quibus vel ex quibus fit finis, hoc est, sanitas, quæ vel præsens conseruatur, vel deperdita reparatur. Dicit autem, a quibus, respiciens materias medicinales & chirurgicas: ex quibus, oculos dirigens ad materias alimentales: etenim medicamenta agunt, alimenta patiuntur: vnde etiam addit, tractationem de medicamentis ad secundam attinere materiã. Cum ergo medicus versetur circa duplicem materiam, nempe primam & secundam: facile colligere licet, Auic. exercitationem tradere circa materiam secundam, libris se- E cundo & quincto; circa primam, tertio & quarto. Huius ordinis ratio hȩc est. Dum exercitatio traditur in secunda materia simplici, pertinet solum ad priorem medicinæ partem, hoc est, ad theoricam: dum vero hos exercet in secunda materia composita, versatur circa vltimam medicinæ partem, nempe practicam: dum autem exercetur obiter in materia prima, hæc exercitatio spectat ad medicinæ partem tum theoricam, tum practicam. Quare secundum hanc rationem Auicẽnas nos primo exercet circa habitum theoricæ, mox circa habitum theoricæ & practicæ, & tandem circa solius practicæ habitum: nec ab re: cum theorica ordine practicam præcedat.

Canonis pars, ad exercitationẽ relata.

Hæc autem dicta nequaquam a veritate dissentire, facile cõprobatur. Nam quamuis secundus liber inscribatur de medicinis simplicib. nihilominus in eo libro sermonẽ etiam habet de materia alimentali: siquidẽ loquitur de lactuca, de lacte, & aliis id genus, quæ dubio procul sunt materiæ alimentales. Quare in F secundo libro Auic. versatur circa medicamenta, & circa alimenta, proinde circa materias simplices, præditas facultatib. vel medicinalibus, vel alimentalib. vel vtrisq;. De his autem ea arte loquitur, vt potissimũ respiciat ad partem theoricam: siquidem medicamentorum & alimentorum partes facultatesue ꝓponit & vtiles & noxias: vti etiam passim Galenus, in libris de simplici medicina, & alimentorum facultatibus. Quam sane doctrinam non obscure insinuauit secundo alimentorum 9. siquidem ex eo loco colligere licet tres theoricæ partes, verbi gratia, circa materiam primam, vt puta circa venam, si dicamus eam esse cõpositam ex quadruplici substantia, nempe ex carne, humore per carnem disperso, ex semine, & membranoso tegumento, vt harum substantiarum varia sit facultas: hæc sane doctrina pertinet ad physiologiam, vt correspondere videatur anatomiæ corporis humani, vt duplex sit anatomia, altera sane circa primam materiam, hoc est, corpus humanum, de qua in libris de vsu partium, & aliis plerisque: reliqua circa mate- G riam secundam, hoc est, alimenta, & medicamenta. Si autem dicamus materiam importuno tempore collectam, & loco incommodo repositam, noxiam reddi: hoc pertinet ad pathologicam. Si dicamus materiam cognosci adstringentem ex sapore acerbo: hoc pertinet ad semeioticam. Et idem est dicendum de medicamentis. Vt tandem comprobatum sit, secundum librum Auicennam ita disposuisse, quoniam in eo artis habitum, traditum primo libro, exercet tantum in parte theorica.

Liber 2. spectat exercitationem in materia secunda simplici.

Sed hoc loco, antequam vlterius progrediamur, quosdam proponemus Galeni locos, qui aliquam ambiguitatem parere possent. Prima ergo auctoritas est tertio alimentorum 16. vbi cum loquutus esset

Locorum obscurorũ explicatio.

A de lacte, subdit: hæc de lactis facultate nouisse in præsenti opere sufficit: eius namque vtilitates, quas in morbis præstat, proprie ad medendi rationem pertinent. Hæc dicta difficultatem pariunt. Nam his Galenus significare videtur, lactis facultates, in morbis iuuantes, pertinere ad partem practicam: cum tamen alimentorum doctrina, in qua perpenduntur alimentorum vires, seu vtilitates, siue in ægris, siue in sanis, pertinere videantur ad partem heroicam, vt quoque de medicamentis statuendum. Pro solutione sciendum, vtrumque, hoc est, alimentum, & medicamentum bifariam capi posse: altero modo, vt horum vires perpenduntur citra relationem ad hoc vel illud corpus, vel sanum, vel ægrum: vt, dum simpliciter perpenditur alimentum, vt magis vel minus nutrit, vt magis vel minus aluum subducit: & secundum hanc rationem pertinet ad partem theoricam. Altero modo capitur, vt respicit hoc vel illud corpus, siue sanum, siue ægrum: si sanum, verbi gratia, dum perpendo sanitatem conseruandam, vel in puero, vel in sene, vel calido, vel frigido, vel gracili, vel obeso, vel lubrica aluo, velut stipata: & secundum hanc rationem B pertinet ad practicam, hoc est, ad methodum tuendæ sanitatis. Si autem respiciat corpus ipsum, quatenus correptum est vel tabe, vel vlcere pulmonis: secundum hanc rationem proprie pertinet ad methodum medendi. Vnde dum inquit Galenus tertio alimentorum 34. se velle proponere aquatilium facultatem, quæ pertinent ad vsum medicinæ, & per medicationem ait, se intelligere artem tuendæ sanitatis: ita audiendus est Galenus, quod ibi versetur quidem in parte aquatilium theorica, quæ referatur in artẽ tuendæ sanitatis, verbi gratia, cognoscere oportet quæ sint alimenta boni succi, caussa nutritionis: quæ lubricantia, caussa excrementorum eiiciendorum, quæ mali succi, ne morbi oboriantur, vt pateat, hanc doctrinam esse theoricam, sed quæ referatur in eam practicam, quam methodum tuendæ sanitatis vocat. C

Huic auctoritati aliam addere licet, quæ & ipsa suspicionem parit: est autem in lib. de inæquali intemperie, in fine: ibi namque cum esset loquutus de intemperie particularum, quæ tumore præter naturam sunt correptæ, ait, hæc prænouisse debere illos, qui opus de medicamentis sint percepturi, & post id, medendi methodum. Ex quibus colligere liceret, primo esse versandum circa doctrinam intemperiei inæqualis, & proinde circa partem pathologicam; deinde sequi opus de medicinis simplicibus: & postea methodum medendi. At Auicennas primo suo libro, fen quarta, proponit methodum medendi, deinde in secundo libro versatur circa simplicia medicamenta, vt cum Auicenna doctrinam simplicium præcedat methodus medendi: contra autem statuerit Galenus? Pro solutione sciendum, docentes artem medicam bifariam progredi posse; altero modo, vt seorsum docent tum habitum, tum exercitatione, reliquo modo, vt vna vtrumque tradunt. Primum sane modum est secutus Auicennas: secundum Galenus. Auicennas enim methodum medendi absoluit in vna parte libri, nempe in quarta fen primi: Galenus autem eam D libris quatuordecim comprehendit: siquidem paucis solus habitus absoluitur: contra habitus cum exercitatione longiore oratione opus habet. Quare secundum hanc rationem libri de compositione medicamentorum possint præcedere libros de methodo medendi, vt insinuat Galenus in arte medicinali vltimo. Quibus sic constitutis, cum Auicennas primo libro solum habitum tradidisset, non opus erat, vt ante methodum de simplici medicina loqueretur; de hac enim erat loquendum in exercitatione, quæ cum sequatur habitum, opus fuit vt prius proponeret rationem habitus, methodum nimirum medendi; deinde caussa exercitationis versaretur circa simplicia. At Galenus, cum vna vtrumque, nempe habitum & exercitationem tradat, & exercitatio in habitu theorico præcedat exercitationem in habitu practico, opus habuit vt libros de simplici medicina præponeret libris de methodo medendi: siquidem, vt possibile est E tradere solum habitum practicum citra simplicia medicamenta, ita impossibile est in habitu practico tradere exercitationem sine simplici medicina. Ceterum obiter animaduertendum circa exercitationem in habitu theorico, cum versari possit circa materiam, tum primam, tum secundam: rationabile esse, vt prima exercitatio fiat circa materiam primam, & proinde circa res naturales, & præter naturam, deinceps circa materiam secundam, hoc est, medicamenta, & alimenta simplicia. Nam præter alia fundamenta id vnum cõtemnendum non est, plures habitus exerceri in materia secunda, quam in materia prima: in materia enim prima in rebus naturalibus exercitatio fit in habitu physiologico, & semeiotico, in rebus præter naturam in habitu pathologico, & semeiotico: in materia autem secunda, hoc est, simplicibus, tum alimentis, tum medicamentis, in habitu physiologico, pathologico, & semeiotico. Mirandum igitur non est, Galenum statuisse, libros de simp. medic. sequi librum de inæquali intemperie, & proinde exercitatio- F nem secundum habitum, tum physiologicum, tum pathologicum materiæ primæ, hoc est, corporis humani, & sani & ægri. vnde merito dicit Gal. 3. meth. 9. præcipue dictum esse in lib. de inæquali intemperie, quæ naturalis sit intemperies, & quæ præter naturam. Hæc de secundo libro.

Lib 3 & 4. spectant exercitationem in materia prima.

Quoad tertium, & quartum librum, patet Auicennam tradere habitus exercitationem in materia prima. Et hoc manifestum est ex vtriusque libri inscriptione: tertius enim liber inscriptus est de ægritudinibus particularibus appropriatis; quartus, de ægritudinibus particularibus non appropriatis. Ita autem intelligendus Auicennas, vt per ægritudines particulares intelligat & specificas, & quæ ad specificas accedunt, ad differentiam coniunctarum, de quibus in primo libro. Nam dum traditur artis habitus, non licet descendere ad specifica: secus autem dum artifex circa exercitationem versatur. Auicennas præterea per ægritudines appropriatas intelligit vitia, ita vni parti dicata, vt non alteri, vt verbi gratia, apoplexia est G vitium caput occupans: per ægritudines non appropriatas intelligit eas, quæ determinatum membrum nequaquam sibi adscribunt veluti febris, & inflammatio, quæ statuuntur iure morbi non appropriati, sed communes. Quamuis differentia sit inter morbos communes: alii enim sunt omnibus modis communes, hoc est secundum genus & indiuiduum, vt febris, alii secundum genus tantum, qui communes per indifferentiam dicuntur, sicut inflammatio; hæc enim indifferenter, quamlibet corporis partem potest corripere; indiuidua autem inflammatio si oculum corripiat, aliam partem non obsidet: vnde si oculus, ac

iecur

A iecur inflammatione afficiantur, non eſt vnica inflammatio, ſed duæ. Ex his itaque patet Auicennam in 3. & 4. libro exercitationem tradere in materia prima, hoc eſt, in corpore humano, quatenus morbis afficitur, vt propterea opus fuerit verſari circa exercitationem omnium partium medicinæ, hoc eſt, & theoricæ, & practicæ. Quod autem primo verſatur circa ægritudines appropriatas, mox non appropriatas: alia cauſſa non fuit, quam vt facilius doceret: ſiquidem facilius eſt artis habitũ exercere circa morbos qui vnicam tantum partem affligunt, quam circa illos qui cruciant vel totum corpus, vel indifferenter varias corporis partes.

Quantum denique ad quinctum librum perſpectiſſimum eſt ex inſcriptione, Auicennam verſari circa materiã ſecundam compoſitam: cum inſcribatur, de medicinis compoſitis, in quarum ſane doctri-
B na nos tantum in artis parte vltima, nempe practica, exercet.

Lib. 5. ſpectat exercitationem in mat. 2. compoſita.

Hæc ergo dicta ſint de ordine & connexu librorum Auicennæ: beneficio cuius doctrinæ etiam patet, quomodo & hic quartus liber, cuius primam fen interpretandam ſuſcepimus, ſecundum eius principium & finem cum reliquis connectatur. Quinimo ex traditis etiam innoteſcit, lib. 4. propoſitum aliud eſſe non poſſe, quam nos exercere circa omnes artis partes, & potiſſimum curatricem, in communibus, ſeu non appropriatis morbis exemplo accepto.

Quarto ſequitur, vt modo quæ ſit coniunctio eorum quæ in hoc quarto libro traduntur, explicemus. Ex quo etiam patet huius libri diuiſio. Itaq; ſciendum, Auicennam quartum librum in ſeptem partes, fen vocatas, diſtribuere: in prima ſermo fit de febribus; in ſecunda de prognoſtico, & iudiciis criſis: in tertia de apoſtematib. & puſtulis: in quarta de ſoluta vnitate: in quincta de luxatione: in ſexta de venenis, in ſeptima
C de decoratione. Ratio autem & numeri & ordinis harũ fenalis eſt. Cum Auicennę inſtitutum eſſet in hoc libro exercitationem tradere in materia prima, ſumto exemplo a vitiis communibus hæc autem eſſent in duplici differentia, quædam, vi quorum homo ſanitatis latitudinem egreditur, quædam autem multo minus vehementia, quę ſane potius corpus indecorum quam ægrum efficiunt, ſatius fuit primo & principaliter verſari circa vitia vehementiora, mox circa remiſſiora, vt merito in ſeptima & vltima fen de decoratione pertractet. Hac nunc poſthabita; quantum attinet ad eã quæ ſunt prioris fen, in quib. exercitationẽ præbet, capto exemplo a vitiis corpus ægrum reddentib. cum hæc eſſent in duplici differentia, alia quidem omnib. modis communia, alia ſecundũ indifferentiam: prius verſatur circa vitia ſecundum omnem modum communia: mox circa reliqua, vt in prima & ſecunda fen digrediatur circa vitia omnib. modis, in tertia, quarta quincta, & ſexta, circa vitia indifferẽtia: ſiquidem non ab re dicimus, omnib. numeris com-
D mune præcedere id, quod abſolute commune nõ eſt. Ceterum, cum Auicennas in duplici fen reſpiciat ad morbos prorſus cõmunes: in quatuor ſubſequentib. ad vitia communia per indifferentiã, vt etiam magis ſpecialiter ratio & numeri & ordinis innoteſcat, ſciẽdum, quantum ad priores fen, in prima ſermonẽ eſſe de febrib. in ſecunda de prognoſt. de criſib. nam critiam iudicium pendet ex cognita natura febriũ. Ad ꝙ ẽt accedit, cum ſermo de criſi reſpiciat non modo præſentia, ſed etiam futura, quorum ſane difficilior eſt doctrina: idcirco in prima fen dictum eſſe de febrib. in ſecũda de iudiciis criſium. Quo autem ad reliquas fen quatuor, in quib. exercitatio reſpicit vitia morboſa quidem, ſed indifferentia: cum hæc vitia eſſent, vel non venefica, vel venefica: primo reſpexit ad non venefica, mox ad venefica: propterea ꝙ facilius non veneficorum doctrina comparatur, q̃ veneficorũ: ſiquidem venena ſummam cõplicationem pariunt, quo-
E niam a venenis cuiuslibet generis morbi ꝓdire poſſunt, neq; ſola methodus ea ratione ſufficit, ſed ẽt opus eſt experientia. Verum quo ad tertiam, quartam, & quinctam fen: cum in tertia fen loquatur de inflãmatione, & reliquis tumorib. in quarta de ſoluta vnitate, in quincta de luxatione: inflammatio primũ locum obtinuit, tum quia eſt affectus inſtar febris calidus, tum quoq; quia ſæpenumero eſt febris auctor, ſiquidẽ ob has cauſſas inflãmationis facilior eſt doctrina, q̃ reliquorũ: mox autẽ de reliquis tumorib. diſſerit, quia horum doctrina eſt facilior, & cum inflãmatione aliquo modo cõueniunt. At cum expendenda eſſet tum ſoluta vnitas, tum luxatio: priorem locũ ſibi vendicauit ſoluta vnitas, quę eſt affectus magis cõmunis: nam & hanc & illam corporis partem indifferenter poteſt obſidere, luxatio autem ad ſolos articulos pertinet.

Quibus ſic conſtitutis, poſthabitis reliquis fen, amplectentes ſolum primam, in qua de febribus agitur; cum iam pateat Auicennæ inſtitutum eſſe, in hac prima fen verſari circa febres: modo explicandũ eſt,
F quæ ſit huius fen diuiſio, & hinc quæ diuiſionis cauſſa. Itaque ſciendum, Auicennam in hac de febrib. doctrina, hæc, & tali ſerie docere. Primo loquitur de febre in genere, ſecundo de febrib. ephemeris, tertio dẽ putridis, quarto de hecticis, quincto de peſtilentib. ſexto de variolis, & morbillis, ſeptimo de febrib. apoſtematũ, octauo de febrib. compoſitis, nono & poſtremo de recidiua. Ceterum, quantum attinet ad priorem febrem: quoniam capi poteſt, vel pro generica, vel pro contenta ſub generica: rationabile fuit primo de febre in genere loqui: & ratio eſt, quia ignorata generis doctrina, circa minus generalia ac ſpecifica verſari eſt impoſſibile. Febris ſub generaliſſima contenta, cum capi poſſit, vt vel primo, vel ſecundo inuaſit, hoc eſt, dum liberatus a priori febre rurſus febre corripitur, quam recidiuam vocant: rationabile eſt, primo dicendum eſſe de priore febre, deinde de recidiua: iure ergo Auicennas poſtremo capite eſt locutus de recidiua. Febris prior ſeu primo inuadens, cum poſſit eſſe vel ſimplex, vel cõpoſita: & febris cõ-
G poſitæ doctrina pẽdeat a doctrina ſimpliciũ, merito igitur primo de ſimplicib. mox autẽ de cõpoſitis agit, nim. octauo ſeu penultimo loco. Quo vero ad febres ſimplices, cũ poſſint eſſe vel principales, vel nõ principales, h. e. quę alios ſequuntur morbos; dubio ꝓcul priorem locũ obtinere debuit febris principalis, huius n. doctrina eſt facilior, cum in hac ſat ſit verſari circa febrem, in nõ principali aũt opus ẽt ſit ꝓcipui vitii doctrinã non ignorare: merito ergo ſeptimo loco de febrib. apoſtematũ verba facit. Quantũ deinde ad febres ſimplices principales; cum cõtineantur in genere febrium ſubalterno vel vnico, vel multiplici, v. g. febres peſtilentes naturæ expertes ſunt tantum vel ephemera, vel putrida, vel hectica, febris autẽ peſtilens

Quarti libri canonis diuiſio.

Primæ fen libri quarti, de Febribus, partitio.

 A

esse potest sub pluribus generibus: cum facilior sit doctrina febris quæ vnicum genus claudit, ideo primo est locutus de febribus non pestilentibus, deinde de pestilentibus: & cum pestilentes quædam essent, quæ comitarentur, cum sint veluti partus febris pestilentis, primo agendum rationabiliter statuit de febre pestilenti, mox de comitantibus: quare quincto loco agit de febribus pestilentibus, sexto de variolis, & morbillis. Quantum ad febres priores simplices principales, & non pestilentes: quanquam omnes ortum nanciscantur a corde, discrimen tamen est, quod quædam oriantur a contentis, quædam a continentibus: cum autem difficilius sit occurrere continentibus quam contentis, ob id primo agendum erat de febribus, vt oriuntur a contentis, mox de prodeuntibus a contentis, quæ cum sint hecticæ febres, ideo de his post reliqua, hoc est, prodeuntes a contentis disseruit, videlicet quarto loco. Quantum denique ad febres B
ortas vitio contentorum: cum hæ essent spiritus, & humores cordis, & difficilius sit humorum quam spirituum vitium corrigere; cumque ephemeras pariant accensi spiritus, putridas humores; propterea ephemeræ erant putridis præponendæ: ideoque iure Auicennas secundum locum tribuit ephemeris, tertium putridis. Neque tamen Auicennas Galeno aduersatur, qui in libris de methodo medendi putridas hecticis postponit: siquidem ad varia respicientes varias sedes febribus tribuere potuerunt; quamuis vterque a facilioribus (vt decet) sit auspicatus. Etenim Galenus respexit ad indicantia, quæ sunt pauciora in hectica, plura autem in putrida, cum præter febrem etiam sit materia; negocium autem est facilius, vbi pauciora sint indicantia: propterea hecticas putridis præposuit. Auicennas autem oculos dirigens ad faciliorem & difficiliorem correctionem, putridis hecticas postposuit. Huius autem discriminis caussa fuit, quoniam Galenus in libris de methodo medendi vna tradit habitum, & exercitationem: Auicennas au- C
tem soli exercitationi est addictus, propterea quod habitum in primo libro docuit.

Talis ergo primæ partis libri quarti Canonis Auicennæ, qua de febribus agitur, est διάγραμμα;



D E

Generalis febrium doctrinæ capita.

His ita explicatis, cum pateat per caussam, quot sint huius primæ fen partes, febribus destinatæ: primo circa primam partem versabimur, in qua nimirum de febre in genere est sermo. Expedit autem, vt nihil circa diuisionem desideretur, primum hanc doctrinam genericam in suas partes seu capita diuidere. Itaque sciendum, Auicennam quatuor capitibus doctrinam hanc genericam docuisse: primo enim agit de essentia, & diuisione febris; secundo de corporibus præparatis ad febres; tertio de horis febrium; quarto de signis horarum, seu temporum febrium. Hæc ita historice patent, at autem scientifice etiam concipiantur, explicare oportet quæ sit & numeri & ordinis ratio. Itaque sciendum, Auicennam in hoc sermone generico respicere, quantum licuit profitenti doctrinam genericam, tum ad Quid agendum, tum ad remedii Vsum. Et cum Quid agendum præcedat Vsum, quia remediorum Vsus seu F
recta administratio supponit Quid agendum; ob id Auicennas Quid agendum remediorum Vsui anteponit: & propterea ad Quid agendum respexit in primo & secundo capitibus, ad Vsum autem in tertio & quarto: nec immerito; cum Quid agendum pendeat ab essentia absoluta indicantis: Vsus autem, & potissimum Quando agendum, essentiæ respectiuæ innitatur: patet enim absolutum prius esse respectiuo. Declaro: & primo, quo ad Quid agendum, cum sit genericum & specificum; hocque vel minus vel magis limitatum ac contractum: rationabiliter indicatur a febris essentia generica, & specifica, hacque vel minus vel magis determinata: & cum genericum præcedat specificum, & specificum minus determinatum antecedat magis determinatum; merito Auicennas primo capite loco priore absoluit essentiam genericam, deinde specificam, sed non prorsus determinatam; secundo autem capite specificam ad vnguem determinatam. Declaro magis: & primo quo ad primum caput, cum in hoc proponat febris definitionem, & diuisionem; per definitionē patet essentia generica, vt, cum sit vitium calidū, indicet Quid agendum genericum, nempe refrigerandum; per diuisionem autem innotescit essentia specifica aliquantisper G
cōtracta, vt, cum aliqua febris species sit calidior, alia minus calida, indicetur remedium non simpliciter frigidum, sed vel magis vel minus frigidum. Quo autem ad secundum caput, cum in hoc sermo fiat de præparatis ad febres, colligitur febris essentia ad summum contracta ac determinata: siquidem ex huius capitis doctrina, quantum medico humano possibile est, colligere licet & calidiores gradus, & remissiores gradus, sicque Quid agendum maxime limitatum, vt si, verbi gratia, sit febris essentia caliditas in

secun-

ſecundo gradu, in ſecunda manſione, indicabit frigidum in ſecundo in ſecunda manſione. Quo autem ad reliqua duo capita, in quibus agit de febrium horis; & primo de eſſentia, deinde de cognitione: in his reſpicit ad remediorum Vſum, & præſertim ad Quando agendum, vtpote quod vnicum, ad differentiam Quantum; Quomodo, & Vbi, neceſſario ortum habet ab indicantis eſſentia reſpectiua, hoc eſt, ab indicantibus inuicem collectis, quatenus aliud eſt magis, aliud minus vehemens; quod ſane vehementiæ diſcrimen febrium tempora ſignificat. Potuit autem Auicennas hanc veritatem accepiſſe a Galeno: ſiquidem libro de totius morbi temporibus cap. quarto ait, in ſigulis morbis generalia tempora ſenſu æſtimata diuerſorum auxiliorum vſum ſignificare. Dicit etiam libro de morborum temporibus cap. 8. propoſitum eſſe ſibi circuitum febris totiuſque morbi tempora diſtinguere, gratia vſus tempeſtiui auxiliorum: vnde liquet, tempora reſpicere auxiliorum vſum tempeſtiuum, & proinde Quando agendum.

At hoc loco occurrit difficultas, quam, antequam ad Auicennæ verba deſcendamus, diluemus. Cum enim in morbis opus ſit perpendere affectus nomen, rem, differentias, ſigna, indicationes, prognoſticum, & præſidiorum materias; quæritur, an Auicennas hæc in his quatuor capitibus expendat, nec ne? &, ſi quædam omittit, quæ ſit ratio? Itaque pro ſolutione paucis ſciendum, hæc ſane & tali ſerie in omni morbo, & proinde in omnibus febribus, eſſe cognoſcenda; (quod vt notum ſupponendum: ſiquidem ſupra cap. 1. lib. 1. practicæ, horum omnium numeri, ac ordinis cauſſam reddidimus.) Auicennam autem non quælibet ſemper proponere, ſed quædam tanquam nota ſupponere, verbi gratia, dum loquitur de febribus ephemeris, putridis, vel hecticis, definitionem omittit, hanc enim patere voluit ex definitione tradita de febribus in genere. Quare & mirum eſſe non debet, ſi in ſermone de febri in genere omnia non recenſeat: nam primo nomen vt notum ſupponit: quid rei tradit, & differentias, in primo capite. Signa ratione febris in genere patent ex tradita definitio, cum bona definitio præter alia conſequentes inſinuauerit proprietates, quæ dubio procul definitæ febris ſunt ſigna: Ad hæc ea ipſa primo libro in ſemeiotica ſunt propoſita, vbi calidi morbi recenſentur ſigna: ratione autem febris ſubalternæ & ſpecificæ ſigna patent, propoſita videlicet priuatis locis: verbi gratia, in ſermone de febribus ephemeris harum ſigna proponuntur, & ſic de aliis: ratione febris ſpecificæ & determinatæ ſigna hauriuntur ex variis corporum temperamentis, de quibus in capite de præparatis ad febrem: ratione denique eſſentiæ febris reſpectiuæ ſigna petuntur ex traditis in capitibus de horis febrium. Quod vero ad indicationes pertinet, has ſupponit, vt euidentes ex traditis in quarta primi, vbi medendi methodum explicat: nam cum ibi ſtatuerit contraria contrariis amouenda; & febris ſit morbus calidus; dubio procul indicat frigidum. Quamuis Galenus in libro de methodo medendi febris indicationes ſilentio non obuoluit; propterea quod vna artis & habitum & exercitationem profitetur: Auicennas autem vnumquodque ſeorſum expedit. Quo autem ad prognoſticon, febris in genere illud non admittit, cum febris varius poſſit eſſe euentus, qui potius ſpectat ad febres ſubalternas, & præſertim ſpecificas, quam ad febrem in genere. Quantum denique ad præſidiorum ſeu iuuantium materias, cum reſpiciant potius indicatum ſpecificum, quam genericum; rationabiliter ab Auicenna in ſermone febris generico omittuntur.

Hæc ergo dicta ſint de diuiſione prima, librorum Auicennæ; deinde quarti libri in ſuas fen, deinde primæ fen in ſuos tractatus, & tandem primi tractatus in ſua capita. Et cum nihil deſideretur quod ſpectare videatur in doctrina Auicennæ de febribus & ad inſtitutum, & ad connexum, & ad diuiſionem: reliquum eſt febrium definitionem proponere & interpretari: quod ſequenti capite præſtabimus.

CAPVT II.

De febris Nomine, Eſſentia, & hanc conſequentibus Proprietatibus, ſeu ſignis in genere: vbi quædam ea de re dubia ſoluuntur.

FEbris eſt calor extraneus accenſus in corde, & procedens ab eo mediantibus ſpiritu & ſanguine per arterias & venas in totum corpus, inflammatur in eo inflammatione, quæ nocet operationibus naturalibus, non ſicut caliditas iræ & laboris, cum non vltimatur, vel cum non peruenit ad hoc vt ſit accenſa, & noceat operationibus, &c.

Hoc eſt primum caput doctrinę de febribus, in quo Auicennæ inſtitutum eſt, febris proponere tum definitionem, tum diuiſionem, proinde pręſens caput in duas partes diuiditur: in prima Auicennas febris aſſignat definitionem, in ſecunda diuiſionem. Secunda incipit ibi: *Et ſunt quidam hominum, qui diuidunt febres.*

Quantum ad primam partem attinet, cum febris definitio ſit futura omnium dicendorum fundamentum; expedit cumulatiſſime hanc mente conſequi. Quare pro exacta eius intelligentia quatuor a nobis integerrime ſunt præſtanda. Primum quidem erit, ante oculos offerre modū generationis febris; ſecundum, ſingulas definitionis particulas enucleare; tertium, proprietates febris naturam comitantes haurire: quartum, difficultates occurrentes radicitus diſſipare, ex quarum diſſolutione, tum alia conſtabunt, tum præſertim febris definitionem ab Auicenna allatam cum Galeno conſentire. Tractanda hoc capite.

Supponentes igitur ex traditis in facultate anatomica naturalem ſtatum tum cordis, tum totius corporis: ad febrem generandam neceſſarium eſſe ſtatuimus, vt cauſſa aliqua calefaciens, vel externa, vel interna, corpori occurrat, ea lege, vt in cor ita agat, vt cor vſque adeo incendio donetur, vt in calefacto eſſe conſtituatur, ſecundum vel ſpiritus vitales, vel humores, vel ſolidam ſubſtantiam. Quamquam enim cor a natura productum eſt, vt inſtrumentum cauſſa vitæ aptum ad cuſtodiam caloris naturalis vitalis: hunc tamē cor calidius redditum iuſto calidiorem procreat: vnde calidū cordis in naturam abit igneam: & hinc qualitas quædam ignea, ac proinde morbifica, impartita ſpiritui vitali & ſanguini per venas & arterias, ea conditione ſingulis corporis particulis offertur, vt, cum hæ partes ſecundum naturam obti- Modus generationis febris.

neant & calidum natiuum insitum, & temperiem; vi caloris ignei a corde influentis, præter naturæ leges accendatur non modo insitus calor, verum etiam solidorum temperies; quæ sane ita euertitur, ita ignea euadit, vt partium solidarum actiones naturales, & potissimum coctiones, lædantur. Ex hac febrium generatione non est difficile colligere, in omni febre lædi actiones naturales, & præcipue coctiones, labefactata facultate coctrice, ob morbum calidum partium similarium totius corporis; qui sane morbus calidus, vt a caussa efficiente proxima, producitur a calore igneo, a qualitate calida & ignea, influente a corde. Ceterum, vt cor, dum bene habet, ex lege naturæ assiduo virtute expultricis caliditatem naturalem ad omnes corporis partes transmittit, vt secundum naturam influat: ita contra in febre qualitas hæc seu caliditas, morbosa reddita, vi quadam a cordis expultrice propellitur, vt qualitas hæc ignea, ad corporis partes impulsa, sit effectus, consequens cordis expulsionem deprauatam, ob præsentiam caloris ignei. Hic autem calor ita igneus, & proinde morbosus, gignitur in corde, Læsa vel labefactata cordis alteratrice, vel ob Errorem externum. Labefactatur quidem cordis alteratrix, seu coctrix, & proinde quæ calidum vitale gignit, in hectica, ob calidum morbum solidorum cordis; in reliquis autem febribus, exceptis pestilentibus, ob errorem externum: nempe in ephemeris, ob accensos spiritus: in putridis, ob calefactos humores. Excipiuntur autem febres pestilentes, quia in his, præter contentorum caliditatem morbosam, solidam quoque cordis substantiam morbus calidus corripit. Hæc de febris generatione.

Nomen febris.

Ad secundum propositum explicandum nunc accedamus: singulas definitionis particulas explanantes. Primo itaque sciendum hoc in loco duo proponi: nempe Definitum, & Definitionem. Definitum est *febris*. Circa quam vocem primo, deinde vero circa essentiam digrediemur. Galenus quidem primo methodi quincto statuit, incipiendum a rerum, non autem a nominum, differentia. Vbi notandum est, nomen perpendi ratione Generis, vel Differentiarum seu specierum: si ratione generis; nomen præcedit essentiam rei generis: & essentia rei præcedit diuisionem, verbi gratia, dum morbum in genere consideramus, oportet versari primo circa nomen morbi, secundo circa essentiam eius, tertio circa diuisionem. Si autem perpendamus nomen ratione specierum: dubio procul præcedit doctrina sui generis, & proinde diuisio generis, & ante hanc definitio, & ante hanc explicatio nominis, scilicet ipsius generis: vnde opus est primo generis nomen proponere, deinde definire, tum diuidere, postmodum expendere specierum ex generis diuisione collectarum nomina, & tandem species definire. Ratione igitur eiusdem, nomen semper præcedit essentiam rei: nempe nomen generis præcedit essentiam generis: nomen speciei præcedit essentiam speciei. Non inconuenit autem in diuersis, essentiam præcedere nomen: vtpote essentia generis præcedit nomen specierum. Quare ad rem redeuntes, cum in præsentia sermo fiat de febre in genere; primo vocem breuiter explicabimus. Quia vero teste Galeno in arte medicinali capite primo, definitio notionum constituitur ab iis, qui accidunt definito; substantialis autem ab essentia; cum febricitantes percipiant quendam feruorem, & hic caliditatis sensus accidat febri; propterea ab hoc feruoris sensu Græci vocant febrem πυρετὸν, hoc est, vitium igneum. Sed hæc sufficiant quo ad definitum.

Explicatio definitionis.

Calor febrilis est qualitas substantiæ calidi innati.

Vide supra, pag 170.

Quoad definitionem: Auicennas statuit, *febrem esse calorem extraneum, accensum in corde.* Pro quorum verborum intelligentia, primo scire oportet, quid Auicennas intelligat per calorem. Dicimus ergo perspectissimum esse debere apud omnes, Auicennam intelligere calorem ad cor spectantem. Verum (vt in doctrina anatomica fuit comprobatum) multiplex est hic calor: siquidem pertinere potest ad cordis spiritus vitales, sanguinem, solida, & calidum innatum. Patet autem ex alibi traditis, cordis calidum innatum esse quid aliud a cordis temperatura: nam calidum est substantia, nimirum corpus mixtum, ex semine genitum, a vi generatrice per alteratricem, ilico post conceptionem, (vnde primigenium dicitur) vt huius ope deinde vniuersus fœtus gignatur, & genitus conseruetur: temperatura autem non est substantia, sed qualitas secunda, prodiens ex primis qualitatibus, inuicem agentibus, & patientibus, vt euadat propria similarium constitutio; ad differentiam scilicet compositionis quæ est propria constitutio dissimilarium; & vnitatis, quæ vtrisque est communis constitutio. Hinc Galenus, sciens calidum innatum differre a temperatura, dicit decimo methodi decimo, dum in frigidum solium post balneum ingredimur, idem nobis accidere quod ferro, vbi candens iam redditum frigida mergitur: etenim tum refrigerari nos, tum roborari. Quo loco dicit *refrigerari*, respiciens ad frigidam, vt agit in calidam temperiem: dicit deinde *roborari*, oculos dirigens ad frigidam, vt agit in calidum innatum, quod ope frigidæ ita roboratur, vt non dissipetur. Addit libro de sectione venæ aduersus Erasistratum capite quincto, in affectibus frigidis per venam sectam ex calidi succi vacuatione corpus necessario refrigerari; & innatum calorem, qui per affectum antea quoque refrigeratus erat, exstingui. Quare euidenter temperaturam aliam esse a calido innato insinuat. Cum ergo calor ad cor pertinens spectare possit ad spiritus vitales, sanguinem, solida cordis, & calidum innatum: statuimus Auicennam intelligere cordis calorem, vt pertinet ad calidum innatum, nequaquam autem ad reliqua. Hoc autem sic demonstrari potest. Nam quod attinet ad spiritus & humores, hi sunt potius subiectum, per quod calor cordis toti corpori communicatur: Auicennas siquidem ait, hunc calorem procedere a corde, mediantibus spiritu, & sanguine. Quo autem ad solida, horum nequaquam temperies calida audienda: nam cum proponit calorem in corde accensum, proponit quid in facto esse, non in fieri: atque passim Galenus, & præcipue primo de differentiis febrium primo, asserit, non in omni febre cordis solida esse excalefacta, sed in aliquibus, vt ephemeris, ac putridis, incalescere. Relinquitur ergo e sufficienti partium enumeratione, hunc calorem, ab Auicenna propositum, ad vnicum cordis calidum innatum pertinere. Ex hac veritate ita stabilita colligere licet, calorem in definitione propositum non esse substantiam, sed qualitatem: siquidem calidi innati cordis substantia cor non deserit, febrilis autem calor a corde per totum corpus expanditur. Ceterum

A eum calor esse possit & prima qualitas de tertia specie qualitatis, & secunda de prima specie: quia hæc caliditas pertinet ad calidi innati substantiam, sequitur esse secundam qualitatem, hoc est, temperiem. Qua cum caliditas frigiditati dominetur. Siquidem ex Galeno libro de rigore cap. 5. calidum innatum mixtum est ex calido & frigido. Si ergo mixtum est ex calido & frigido, ergo calidum & frigidum inuicem agunt & patiuntur, in qua tamen pugna, cum vincat calidum; substantia calidi innati, & proinde materia seminalis in vterum eiaculata temperiem calidam adipiscitur. Hactenus ergo constitutum sit, Auicennam per calorem intelligere calidi innati complexionem calidam.

Calor præter naturam.

Cum vero calida complexio & proinde calidi innati calor esse possit vel Secundum naturam, vel
B Præter naturam: significat Auicennas in febri eum reddi præter naturam, adiungens *esse calorem extraneum:* nam nisi status naturalis limites excederet, non posset esse caussa febris. At cum calidi innati temperies bifariam sanitatis terminos præterire soleat, nimirum, dum qualitas, seu caliditas vel remittitur, vel intenditur: significans Auicennas hunc a naturali statu recessum esse potius per excessum caliditatis, quam per defectum, dicit esse calorem extraneum, sed accensum, vt si, verbi gratia, calidi innati temperies calida in primo sit reddita, calida in secundo. Et hic calor est quidem extraneus, at non toto genere extraneus: nam nisi præter gradum caloris additum superesset etiam gradus caloris secundum naturam, sane regere non posset natura calidum innatum, quod est animæ & corporis vinculum, quod producitur vsque ad mortem hominis. Vnde dum Galenus prima aphorismorum decimosexto ait, febrem esse mutationem natiuæ caliditatis in igneam; nil aliud significare voluit, quam febrem esse calorem, pertinentem ad substantiam calidi innati, quatenus eius complexio euadit ignea, non ita tamen, vt non
C supersit gradus aliquis caliditatis naturalis. Hanc veritatem explicans Auerroes, dicit, febrem esse calorem compositum ex calore naturali & extraneo: nec immerito statuit esse compositum: quia non sint duo calores, seu duæ qualitates, vel complexiones, sed vnica, at composita, hoc est, in qua est vis caloris tum naturalis, tum extranei, cum vnica hæc intemperies sit conflata ex gradibus caloris & naturalis & extranei.

Cap. 3. l. 3. collectam.

In corde omnis febris.

Verum cum caloris natiui substantia possit accendi in qualibet corporis parte: addidit Auicennas (*in corde*) ad differentiam scilicet calidi innati reliquarum partium. Quam veritatem ante Auicennam cum esset intuitus Galenus, primo de differentiis febrium tertio, ait, febrem esse quandam caliditatem præter naturam in corde. Vnde etiam subdit, quamuis ex solis ardore promoueatur in corpore calor pre-
D ter naturam, nondum tamen febrem esse, nisi cor vna calfiat. Atque ob id capite quarto statuit, cor potissimum esse membrum quod febrilem calorem suscipit. Huius veritatis præcipuum fundamentum est; quoniam, cum in febre calorem febrilem oporteat ab vna parte toti communicari, vt totius actiones naturales lædantur: hæc sane pars nulla alia esse potuit, quam cor: siquidem cor est id vnicum viscus, a quo calor influit in singulas corporis partes; vt huius beneficio singulæ corporis partes, & secundum propriam temperiem, & potissimum temperiem sui calidi insiti, quod innatum vocant, ita viuunt, & proinde agunt, vt cordis calore priuante, illico suis functionibus & proinde vita destituantur. Constat ergo optima ratione dictum esse ab Auicenna, febrem esse calorem extraneum, accensum in corde.

Neque hoc loco difficile est assequi, quid per cor intelligere oporteat. Nam cum per calorem intelligat, spectantem ad calidi innati substantiam, & calidum innatum, seu substantia hæc seminalis pertineat tantum ad viuentes partes: necessario per cor solidam eius substantiam intelligere oportet. Neque pro-
E pterea inferendum, omnem febrem esse hecticam: nam quamuis in omni febre accendatur temperies calidi innati, pertinentis ad solidum cordis corpus, non tamen in qualibet febre solida cordis substantia intemperie calida morbosa afficitur.

Calor cordis cōmunicatur toti.

Ceterum cum dicit Auicennas febrem esse calorem extraneum, accensum in corde: cognoscens, nondum esse absolutam definitionem, subdit: *Et procedens ab eo, mediantibus spiritu & sanguine per arterias & venas, in totum corpus:* Cuius additamenti hæc fuit necessitas. Nam cum ex Auicenna febris sit vitium non appropriatum, sed commune; & commune, non per indifferentiam instar inflammationis, sed omnibus modis: propterea vt occuparet totum corpus necessarium fuit: nec enim sat est, calorem extraneum in corde esse accensum, verum etiam requiritur vt toti corpori communicetur. Iure ergo di-
F cit, calorem febrilem procedere a corde in totum corpus. Quod etiam potuit accepisse a Galeno, dum septimo methodi quarto, & octauo, calorem febrilem a corde ad vniuersum corpus transmitti asserere non dubitauit.

Modus cōmunicationis caloris febrilis.

Hunc autem calorem febrilem a corde in totum corpus voluit Auicennas procedere, mediantibus spiritu & sanguine, per venas & arterias. Neque hunc expansionis modum citra necessitatem addit Auicennas: nam cum dupliciter calor a corde toti possit impartiri; optima ratione factum est, vt præcipuus & necessarius modus ab Auicenna proponeretur. Vnde pro hac veritate noscenda sciendum, (vt colligere licet ex Galeno, libro de caussis morborum secundo) calorem bifariam ab vno loco in aliū diffundi posse: altero modo dum per partem post partem communicatur, verbi gratia, dum in calidis morbis pars proxima principalem caliditatem assumit, & hæc deinceps sibi vicinam calfacit: reliquo autem modo,
G dum partes incalescunt, & calorem suscipunt, concurrente cordis calore, igneo reddito, & expanso, non per partem post partem, sed mediantibus cordis spiritibus & humoribus. Discrimen autem est inter hos duos modos: nam si transfundatur per partem post partem, sensim fit; contra, repente, vi caloris a corde influentis. Et propterea dicit Galenus, libro de caussis morborum secundo; dum ad principium insiti caloris, hoc est, ad cor peruenit intemperies calida, totum corpus principii affectum celeriter sentit. Quia autem febris non sensim, sed confertim inuadit, dum videlicet a corde impertita est caliditas; propterea Auicennas, ad hanc celerem expansionem respiciens, dicit, a corde procedere, spiritibus scilicet vitalibus

& humoribus mediantibus, vt ſcilicet cordis calorem ſuſcipiunt, & motu ac impetu citato deferunt in totum corpus. Hęc autem caloris febrilis ſubſtantia, nempe ſanguis & ſpiritus, cum ingenitum ac celerem motum obtineant, potiſſimum per venas & arterias, vt per ductus celeri itineri accommodatos: hos nequaquam Auicennas ſilentio inuoluere voluit. Quos non minus inſinuans Galenus primo de criſibus ſeptimo, ait, febrem eſſe paſſionem venoſi generis, hoc eſt, venarum & arteriarum. A

Hactenus ergo patet, febrem eſſe calorem igneum, procedentem a corde, mediantibus ſpiritu & ſanguine, per venas & arterias, in totum corpus.

Intemperies febrilis lædit operationes.

Deinde addit: *Et inflammatur in eo inflammatione, quæ nocet operationibus naturalibus non ſicut caliditas iræ & laboris, cum non vltimatur, ſed ita, vt ſit impreſſa, vt noceat operationibus.* Horum dictorum hæc fuit neceſſitas. Calor igneus a corde procedens, mediantibus ſpiritu & ſanguine, ad totum corpus, poteſt totum bifariam inflammatione ſeu intemperie calida afficere: altero modo, ſi vſque adeo leuis fiat impreſſio, vt nondum actiones lædantur, ſicut euenire ſolet ex ira & labore, dum vi horum incaleſcit quidem corpus, non ita tamen, vt actio offendatur: reliquo autem modo diffunditur calor igneus a corde in totum, vt ea fiat in toto offenſa, hoc eſt, intemperies calida, quam inflammationem vocat, vt operationes lædantur. Et ſecundo hoc modo intelligere Auicennam oportet, itemque Galenum, 8 meth. 1. dum igneum calorem a corde in totum corpus aiunt expandi: ratio eſt, quoniam febris eſt morbus totius; &, ſi morbus, neceſſario læduntur operationes. B

Febris non eſt cordis morbus, ſed totius.

Hinc etiam neceſſario colligere licet, febrem eſſe morbum non cordis, ſed totius corporis, & proinde morbum communem, ſeu non appropriatum, de quo eſt ſermo in quarto libro quorum vtrumque breuiter demonſtrabimus. Primum ergo non omnem febrem eſſe cordis morbum, lucidiſſime comprobatur ex Galeno, primo de differentiis feb. primo: ibi enim apertiſſime aſſerit, in febre tum ephemera, tum putrida, cordis corpus incaleſcere tantum, nondum autem eſſe calefactum. At non parum refert, ſi caleſcere dicamus, aut calefactum eſſe: morbus enim eſt in facto eſſe, non in fieri: ideoque ſi cordis corpus incaleſcat tantum, nondum ſit calefactum, nondum eſt morbus. Neque ſtatuendum, febrem eſſe morbum cordis, quamuis calefacti ſint cordis tum ſpiritus, tum humores: nam non vincuntur: morbus autem non eſt leuis diſpoſitio, ſed affectus vehemens. Idem poteſt comprobari teſtimoniis Galeni: nam libro de inæquali intemperie circa initia ſtatuit, febrem eſſe intemperiem totius. Addit libro de morborum differentiis cap. quincto, febrem eſſe caliditatem exſuperantem, quę totum animalis corpus obſidet. Dicit etiam libro de cauſſis morborum ſecundo, ſi caliditas totum animalis corpus occupet, febrem accendi. Vnde etiam ibi ſubdit, febrem eſſe totius corporis immoderatam caliditatem. Eadem veritas colligi poteſt ex libro curatiuo per venæſectionem, capite quincto: ſecundo ad Glauconem ab initio: ſecundo method. vlt. nono meth. 14, decimo meth. 10. vndecimo meth. quarto: & alibi. C D

Febris lædit actiones naturales.

Poſtremo in definitione addit Auicennas, *corpus inflammari, vt noceat operationibus naturalibus.* Nam dum morbus aliquis vel partem, vel totum corripit, neceſſario actionem, vel partis, vel totius lædit: nec indifferenter quaslibet offendit functiones, verum modo animales, modo vitales, modo naturales. Statuit ergo Auicennas lædi actiones naturales: quæ ſunt actiones communes omnibus partibus ſimilaribus, nempe attractio, retentio, expulſio, & omnium præcipua concoctio: nec ab re: quia enim intemperies eſt morbus partium ſimilarium, fit, vt, dum hæ morbo calido opprimuntur, haudquaquam decenter operationes has naturales obire valeant. Neque obſtat, quod in febribus præter actiones naturales aliæ etiam læduntur: nam primum & neceſſario ob intemperiem naturales offenduntur; ad quarum noxam deinceps reliquarum offenſæ ſubſequi poſſunt: ſiquidem temperamentum eſt præcipuum organum, actionibus naturalibus deſtinatum, reliquis autem nequaquam inutile, ſed maxime commodum. E

Hactenus ergo conſtat, ſecundum Auicennam febrem eſſe calorem præter naturam, accenſum in corde, ab hoc procedentem ad totum, & totius lædentem primum actiones naturales.

Febrium ſigna communia.

Explicata febris definitione, proprietates, febris naturam comitantes, paucis patefaciemus. Et primo, cum febris ſit calor igneus cordis, per arterias, & venas toti communicatus, hunc calorem ſequitur aliqua in reſpiratione mutatio: ſiquidem vi caloris fuliginoſa excrementa plus iuſto exſuperant, vt propter neceſſitatem euentandi caloris cordis, reſpiratio euadat frequentior; & potiſſimum, vt ait Galenus libro de marcore capite quincto, eius exſpiratio reddatur calidior. Adhæc, vt febris eſt calor igneus cordis, per arterias expanſus, pulſus inſurgit celerior: vt propterea Galenus loco præcitato, & tertio de præſagio ex pulſibus tertio, teſtatum reliquerit, plurimos medicos atque præſtantiſſimos iure ſtatuiſſe, pulſuum celeritatem febricitantibus perpetuam eſſe. Præterea, cum febris ſit calor per venas diſtributus; ſequitur etiam aliqua in lotio mutatio, vt ſaltem magis quam antea ad flauitiem vergat: aduertendum autem ne alia ratione mutetur lotium, ſiquidem euenire poteſt, vt præſente febre vigeant crudi ſucci, vel in lotii ductibus ſit aliqua noxa, vel etiam ex aſſumtis lotium mutetur. Tandem cum febris ſit calor igneus toti impreſſus, vt monet Galenus libro de marcore capite quincto: neceſſario tactui calor mordax offertur. Hæc ergo ſunt proprietates ſeu ſymptomata, febris eſſentiam comitantia, quæ pariter ſigna febris in genere eſſe poſſunt. F

G

Obiectiones quædam diluuntur.

Contra totam definitionem, ἀπορία:

ABſoluto tertio principaliter propoſito, iam ad poſtremum explicandum accedamus; quod erat, occurrentes difficultates de medio tollere: quæ, etſi poſſunt tum aduerſus totam definitionem, tum ſigillatim aduerſus quamlibet definitionis particulam. Quod ergo ad primum attinet, oritur difficultas: nam cum definitio febris, ſit definitio accidentis, proinde tradi debet per formam, ſubiectum, & efficiens: ea tamen lege, vt forma ſit loco generis, ſubiectum loco differentiæ, & ſimiliter efficiens. At

In Aui-

cur Auicennas febrem definiat per caussam efficientem loco generis.

A in Auicennæ definitione caussa efficiens ponitur loco generis: siquidem calor accensus in calido insito cordis, est caussa efficiens; calor autem accensus in toto, hoc est, in partib. similarib. totius, habet rationem formæ, vt cor sit subiectũ caussæ efficientis, partes autem similares totius sint subiectum caussæ formalis. Dicendum, Auicennam hoc loco proponere febris definitionem potius caussalem, quam formalẽ: propterea quod versatur potius circa exercitationem habitus, quam circa ipsum habitũ. Cum autem in tradẽda exercitatione magis expediat respicere ad id, quod magis ex vsu indicat remedium, id autem sit potius calor igneus in corde accensus, quam in similaribus totius corporis particulis: idcirco maluit Auicennas definitionem tradere caussalem, quam formalem. Calorem autem in corde accensum magis ex vsu in- B dicare, quam calorem in similaribus totius impressum, inde colligitur, quoniam in ephemera, refrigerato igneo cordis calore, nil est agendum, caussa caloris totius; cum ad exstirpationem caloris ignei cordis ilico euanescat, vt toti non sit occurrendum: quod etiam quandoque in putridis euenire solet.

Febris definitio formalis.

Ceterum, quamuis febris definitio ab Auicenna tradita sit caussalis, ex hac tamen facile est formalem colligere: nam vt Auicennæ est progressus ab efficiente ad formam, ita vice versa facile est a forma ad efficiens adscendere. Vnde cum ex Auicenna febris sit calor igneus cordis, expansus in totum, lædens totius operationes: e contra dicere licet, febrem esse intemperiem calidam totius corporis, lædentem actiones naturales, productam a calore igneo cordis. Hinc Galenus libro de totius morbi temporibus secundo, febrem esse morbum ex intemperie, euidenter statuit.

Cõtra partes definitionis.

Difficultates nunc tollemus, quæ definitionis particulas turbare possunt: & versantur primo circa C calorem igneum: secundo circa cor; tertio circa totum corpus: quarto circa naturales actiones. Primo ergo quantum attinet ad calorẽ igneum: cum ex traditis & cõprobatis fundamentis in explicatione definitionis pateat, omnem febrẽ esse calorem, qui est vnica qualitas, & ea secunda, nempe intẽperies calida calidi innati cordis: vt quælibet argumenta, quę in contrarium recenseri possent, sponte corruant: sat erit in præsentia in dubium reuocare, an omnis febris sit calor: &, si calor, an vnicus, vel plures? Quo ad primum; cum superius comprobatum sit, omnem febrem esse calorem igneum; sufficiat duas rationes huic veritati infensas sigillatim proponere, & diluere. Primum ergo argumentum est, quod desumitur ex Auicenna: qui capite de febre syncopali ait, in hac pulsus esse raros & tardos: qui vt sunt soboles agẽtis frigidi, ita testari videntur febrem nõ esse calorem igneum. Pro solutione dicendum, in febre syncopali duo esse, nempe febrem, & syncopem: quare pulsus etiam esse tum febris, tum syncopes, & magis syncopes quam D febris, quoniam syncope est cordis vitium, febre vehementius: quare cum pulsus rari & tardi syncopen comitentur, tales etiam in febre syncopali esse debent: & proinde cum non fiant ratione febris, ob id ratio pposita est vana. Et pro exactiore quiete dubiæ mentis, addimus, si syncope sine febre infestet, pulsus adhuc magis tardos esse ac raros, quã si syncope febrem habeat adnexam: siquidem febris, vt calor igneus, efficit, vt pulsus sint minus tardi & rari, quam syncopes natura postularet. Secũda deinde ratio esse potest: 2. in lethalibus febribus, dum ęgri iam morti sunt propinqui, frigida emittitur exspiratio: ergo cor frigidum in febre. Scio hoc loco quosdam asserere, febricitãtes morti vicinos frigidum exspirare, quoniam pulmo refrigeratus sit, qui vaporem exspirantis refrigeret. Sed satius est, vt dicamus, tunc non esse febrem, sed intemperiem febrilem, hoc est, calidum in frigidum degenerasse. Quę solutio colligi potest ex Galeno: nam secundo ad Glauconem secundo, loquens de inflãmatione, & proinde de calido morbo, inquit, non amplius has in numero inflammationum habendas, sicut neque erysipelatum, si quid iam liuidum sit. Quare E dum in febre erumpit exspiratio frigida, non est amplius febris, sed morbus calidus mutatus est in frigidum. Vnde consentiens Galenus sexto epidem. quarto, penultimo, dicit, cor prope mortem frigida affici intemperie, quamuis ex febre ardentissima moriatur. Quid clarius? Hæc de primo.

Omnis febris in caloris genere subsistit. 1.

Febris est vna calida intemperies, sed cõflata e pluribus gradibus.

Secundo dubium occurrit pariter circa calorem febrilem, an sit vnicus. Non esse autem vnicum primum quis suadere posset: propterea, quoniam calor febrilis conseruat, & destruit: secundo, medicus in parte practica huius caussa duos habet scopos, nempe conseruare & destruere. Pro solutione dicimus, febrem esse vnicum calorem, vnicam calidi natiui cordis complexionem calidam, quæ conflata est ex pluribus caliditatis gradibus, quam conueniat naturali temperamento, vt aliqui gradus sint secundum naturam, aliqui præter naturam. Vnde ad primam rationem dicimus, calorem naturalem, & præter natu- F ram, diuersas habere operationes: quoniam vnica illa complexio, per gradus naturales est organum concurrens ad functiones obeundas naturales; per gradus autem morbificos ad actiones præter naturam cõmittendas. Ad secundam pariter dicendum, duos esse medici scopos, nempe conseruare gradus naturales, & morbificos dissipare. Hæc quo ad calorem.

Num cor sit subiectũ caussę efficientis.

Quo autem ad cor, quæritur, an cor sit subiectum febris, vt habet rationem caussæ efficientis, vel formalis: & (vt puto) aduersus veritatem est argumentum, desumtum ex Galeni auctoritate, decimo methodi octauo, dum ait, aerem præcipue esse vtilem, dum quod primo afficitur est cor, quamuis conferat in reliquis febribus, & non parum: quandoquidem in his quoque necesse est, vt cor similem intemperiem recipiat, citra quam nec marasmus, nec reliquarum febrium vlla consistere potest. Pro solutione primo sciendum, si sermo fiat de calore igneo in corde accenso, & proinde de caussa efficiente, ad differentiam caloris per totum diffusi: præcipuum subiectum huius esse cor, vt primo de differentiis feb. quar- G to testatum reliquit Galenus. *At cum hic calor febrilis sit intemperies, pertinens ad calidum innatum* cordis, non autem ad solidum cordis corpus: propterea cor statui debet præcipuum febris subiectum, ratione caussæ efficientis, vt si in qualibet febre cordis actiones lædantur, id fiat ob externum errorem, hoc est, ob vitium calidi innati cordis, & proinde ob vitium quod prorsus est extra corporis cordis constitutionem. Vnde ad Galeni auctoritatem decimo methodi octauo, dum voluit cor in omni febre simili intemperie affici intemperiei febrili; dicimus, per similem intemperiem opus esse intelligere similem in

qualitate, non autem in gradu, vt nimirum calida intemperies excedat & in corde & in toto, verum ita, vt A in omni febre in toto ſit morboſa, non autem in corde. Hæc de corde.

Vtrum febris ſubiectum ſit totū corpus.

Quantum deinde ad totum corpus, difficultas diluenda proponitur, vtrum totum corpus ſit ſubiectum febris, vt febris eſt morbus: deinde an ſit totum ſubiectum febris, vt eſt morbus vel ſimplex, hoc eſt, calidus: vel compoſitus, hoc eſt, calidus & ſiccus? Quod ad primum attinet, cum in explicatione definitionis ſatis ſuperque explicatum & comprobatum ſit, omnem febrem eſſe morbum totius corporis: ſat erit in præſentia ſigillatim obiectiones tum proponere, tum diſſipare. Prima itaque ratio eſſe poteſt: ſi omnis febris eſt morbus totius; ergo partes ſimilares totius ſunt in calefacto eſſe, & nō in calefieri; proinde omnis febris hectica. Dicimus, in omni febre eſſe intemperiē calidā in facto eſſe in ſolidis totius corporis; at modo in habitu, vt in hectica ꝑgreſſa; modo in habitudine, vt in ephemera, putrida, & hectica ēt incipiente. Propterea Gal. 8. meth. 1 febrium ſtatuit alias eſſe hecticas, alias ſchetticas. B

Alia ratio ſoluitur.

Secunda ratio deſumi poteſt ex Galeno, libro de inæquali intemperie capite primo: quem locum diligenter proponemus, cum a paucis intelligatur. Inquit, ergo Galenus, in febribus putridis calefieri ſanguinem, quandoque vniuerſum, qui nimirum concepit calorem præter naturam, ex humoris putredine obortum: non tamen arteriarum, aut venarum tunicas, aut aliud vllum circumiacentium corporum prorſus iam temperamentum ſuum mutaſſe, ſed adhuc mutari atque alterari incaleſcendo, ſiue calefiendo: quod ſi longiore tempore hoc duret, arteriarum, venarum, ac circumiacētium corporum temperamentum prorſus mutari, vt non amplius partes calefiant, ſed iam ſint præter naturam calefactæ. Explicans autem quid intelligat per finem ſeu terminum mutationis, ait, eſſe cuiuſque particulæ functionis læſionem: & non exiguam eſſe latitudinem eius quod eſt prorſus ſecundum naturam, & eius quod plane eſt præter naturam, vt in hac via ſit quoddam mixtum commune, ac medium, ex contrariis vtriſque compoſitum, hoc eſt, ex affectu prorſus naturali, & prorſus præter naturam: nam, dum nondum læditur functio, ſanitatis naturam obtinet, dum autem naturale temperamentum euertitur, particeps fit ſtatus præter naturam. Ceterum, ſi accidat vt omnes ſolidæ corporis particulæ ſint excalefactæ ad abſolutionem, hoc eſt, ſi ad mutationis terminum peruenerint, tunc ait Galenus, eſſe hecticam febrem, quæ ſcilicet febris non eſt amplius in ſolis humoribus & ſpiritibus, ſed etiam in ſolidis particulis. Hæc ergo a Galeno fuere propoſita: quæ ſi in ſuperficie intelligantur, videntur inſinuare, ſolam hecticam eſſe morbum, cum in hac functio lædatur. Itaque ſciendum, Galeno ſermonem eſſe hoc in capite de inæquali intemperie in vniuerſo corpore, de intemperie inæquali febrili, vt appareat in febribus quouſque locum habeat intemperies inæqualis, & hinc pateat, quando in febribus adſit intemperies æqualis: Statuit ergo D Galenus in febribus ſpirituum ac humorum, & proinde in febribus ephemeris, & putridis eſſe intemperiem calidam inæqualem, in hecticis autem æqualem: & inquit, quamuis in febribus calefiat ſanguis vniuerſus, non tamen arterias, venas, & reliquas corporis partes temperamentum ſuum prorſus mutaſſe, ſed adhuc mutari, & incaleſcere: ac ſi longiore tempore patiatur corpus, ita tandem vinci, vt non amplius calefiat, ſed vt ſit præter naturam calefactum; & tunc eſſe intemperiem æqualem, hoc eſt, hecticam febrem, & huius mutationis terminum (ait Galenus,) eſſe læſionem functionis cuiuslibet particulæ. Per hæc verba non intelligit læſionem actionis: nam & in reliquis febribus læduntur actiones, & proinde reliquæ febres ſunt morbi: vnde capite ſeptimo eiuſdem libri ait, febres omnes præter hecticas eſſe ex genere morborum, qui inæquales ſunt intemperies. Quare dum proponit læſionem actionis, non ſimpliciter intelligit læſionem actionis, ſed læſionem actionis cuiuſque particulæ, hoc eſt, omnium particularum corporis. E Differentia ergo eſt inter reliquas febres, & hecticas: nam in hecticis, cum ſit intemperies æqualis, & proinde morboſa, occupans æqualiter omnes corporis partes, ꝑpterea læditur actio cuiuslibet partis: at in reliquis febribus, cum adſit intemperies inęqualis, in aliqua parte poteſt eſſe morboſa, in aliqua nō morboſa, vt ꝑpterea lædatur quidem in iis febribus actio, non tamen omnis actio. Reſpiciens igitur ad febres in quibus corpus afficitur inæquali intemperie, ait, antequā intemperies euadat æqualis, vniuerſam illam alterationis latitudinem eſſe viam in id, ratione cuius totum corpus, hoc eſt, ſecundum omnes partes redditur præter naturam, hoc eſt, morbo affectum: & in hac via, in qua locum habet inęqualis intemperies, corpus ita ſe habere, vt ſit quoddam mixtum & compoſitum ex affectu prorſus naturali, & præter naturam. Quod ſane non ita intelligendum, quaſi corpus ſit neutrum: quia corpus correptum febre etiam non hectica, eſt ægrum: ſed ſtatuitur mixtum, hoc eſt, particeps ſanitatis & morbi, eo quod intemperies inęqualis F exſiſtens, in aliqua parte ſit morboſa, in aliqua non morboſa: & propterea, ad differentiam intemperiei æqualis, non lædantur actiones omnium partium: nam cum inæqualis ſit intemperies, vna pars patitur ab alia: atque proinde in his febribus non hecticis fit dolor, quia ſcilicet fit actio a parte magis calida, paſſio a minus calida. At reſpiciens deinde Galenus ad febres, in quibus corpus afficitur æquali intemperie, ſeu intemperie morboſa ſecundum omnes partes, ait, cum omnes ſolidæ corporis partes excalefactæ ad abſolutionem iam ſint, tunc eſſe febrem hecticam; in qua omnes partes ſint æque percalefactæ, ac inter ſe ſimiles redditæ, vt vnicam habeant conſentientem ſeu æqualem intemperiem, hoc eſt, omnes ſint affectæ caliditate morboſa, qua læduntur, non ſimpliciter functiones, ſed functiones omnium partium. Sed cum variis modis accipi poſſit inæqualis intemperies, quæritur quænam hoc loco a Galeno capiatur? Breuiter G ergo ſciendum, inæqualem intemperiem duobus modis accipi poſſe: altero modo dum corpus pluſquam decet vna calidum efficitur, vel calidum & frigidum, vel humidum & ſiccum: & hæc dubio procul producitur a cauſſis viribus contrariis donatis, vtpote a calidis, & frigidis: pertinetque ad varias partes, vt alia ſit affecta intemperie calida, alia frigida; & de hac locutus eſt Galenus libro de cauſſis morborum cap. 6. Reliquo autem modo capitur intemperies inæqualis, dum ſimilis quidem eſt intemperies, vtpote calida, ſed intenſior in vna parte, remiſſior in altera, vt in vna parte etiam poſſit eſſe morboſa, in alia non morboſa:

A bosa: & de hac locutus est Galenus lib. de inæquali intemperie cap. 5. Quamlibet vero intemperiem insinuans lib. de inæquali intemperie octauo, ait, præter hecticas epialam & alias febres fere omnes componi ex duplici inæquali intemperie, siquidem in epiala adest tum frigus, tum calor, tum vtrumq; magis in vna parte, quam in alia; vt etiam in alia sit morbosum, in alia parte non morbosum: in reliquis autem fere omnibus febribus locum habet duplex inæqualitas; siquidem ex necessitate in omnib. est inæqualitas, opposita æqualitati hecticarum, vt plurimum autem in putridis febrib. afficere solet tum calor, tum frigus.

Hactenus ergo constitutum sit, totum corpus subiectum esse febris, qua febris est morbus.

Quare etiam explicandum, cum totum sit subiectum febris secundum rationem formalem, hoc est, vt est morbus; an ratio hæc formalis sit simplex, vel composita, & proinde an omnis febris sit morbus ca- *Num febris necessario affectus sit siccus.*
B lidus tantum, vel calidus simul & siccus. Ex vna parte probari potest Galeni testimonio, febrem omnem esse morbum calidum & siccum: nam octauo methodi vltimo, & nono methodi 14. ait, omni febri, qua febris, humectationē & refrigerationem remedia esse. Adhæc, 1. aph. 16. ait, febrem esse passionē calidam, & siccam. Et, primo de temperamentis tertio asserit, febrem esse morbum calidum & siccum. At pro veritate dicimus, febrem, in genere acceptam, non esse morbum calidum & siccum; sed necessario calidum, quandoque autem siccum. Fundamentum est demonstratiuum: quoniam morbus siccus, cum sit siccitas in facto esse, ad differentiam caliditatis, humido non ita cedit, vt calidum frigido, vt facile ac veluti sponte recedat: veluti patet febrem ephemeram spirituum feruore refracto, illico euanescere. Et propterea hanc veritatem perpendens Galenus lib. de caussis morborum secundo, febrem inter simplices morbos recēset. Ad hæc nono methodi 14. ait, eorum, quæ in simplices, id est, similares incidunt partes, vnum esse in-
C temperiem eam, quæ in calido consistit: & ibi de febre loquitur, nec siccitatis mentionem facit. Præterea, sexto de locis affectis primo, asserit, in febribus acutis iecur affici intemperie calida, & sæpe numero sicca: si ergo iecur in febribus acutis intemperie sicca sæpenumero afficitur, ergo non semper: & si non semper in acutis, ergo rarius in reliquis.

Ceterum vt intelligatur, auctoritates prius allatas huic veritati non aduersari; sciendum, febrem omnem esse vitium calidum & siccum, & secundum vtramque partem in facto esse: nam vt est facta caliditas, ita est genita aliqua siccitas; quia calor igneus, vt calefacit, etiam absumit. Ad hæc febris secundum vtramque partem est præter naturam, & proinde omnis febris, vt febris, est passio calida & sicca. Verumtamen discrimen est inter caliditatem, & siccitatem. Nam cum multo celerius effectus caliditatis quam sic-
D citatis introducatur; fit vt caliditas vitiosa sit morbus; siccitas autem quamuis sit excedens, & in facto esse, non tamen ita excedit, vt in qualibet febre sanitatis limites egrediatur, vt sit quidem intemperies, sed sanitatis. Quod cum ita sit, videndum, ne siccitas vitiosa, nondum morbosa, in morbosam abeat, non tantum ob caliditatem, sed etiam ob siccitatem. Propterea febris, vt febris, vt vitium calidum & siccum, indicat refrigerans & humectans; ea tamen lege, vt indicatum refrigerans semper sit curatorium; humectans autem modo præseruatorium, dum siccitas nondum est morbosa; modo curatorium, dum siccitas morbosa euadit. Cum ergo siccitas quandoque morbosa reddatur, fit tunc vt febris sit morbus secundum vtramque qualitatem. Et ob id dictū fuit a Galeno, primo de temperamentis tertio, febrem esse morbum calidum & siccum. Hæc de dubiis, caussa totius.

Quantum denique ad dubia, caussa actionū quæ in febre læduntur forte quis quærere posset, quæ- *Quæ totius actiones in febre lædātur.*
E nam in febre totius actiones lædantur; nempe, an propriæ, an communes? Pro solutione dicimus, in febre necessario lædi actiones communes; non autem proprias. Per actiones communes intelligimus eas, quæ obeuntur ab omnibus partibus similaribus viuentibus: sunt autem attractio, retentio, expulsio & concoctio. Et merito hæ læduntur: quoniam ad has edendum, vt principale organum, concurrit similariū temperies, quæ in febre reddita est morbosa. At quoad proprias actiones, per has intelligimus eas, quæ pertinent ad determinata instrumenta: dicuntur autem totius operationes, vt totum animal per determinata instrumenta has obit: secundum quem modū accepit Galenus libro de marcore, capite quarto, dum ait, illud animal esse perfectum, cui nulla propriarum actionum desit. Et dubio procul hæ in febre necessario non læduntur: quoniam ad has perfecte obeundum, vt organum præcipuum, concurrit corpus. Attamen cum propria actio initium habeat a parte præcipua totius instrumēti, vt per suam concurrit temperiem;
F contingit, vt in febre nonnihil detrimenti assequantur.

CAPVT III.

De caussis febrium primitiuis.

Dissolutis difficultatibus circa febris definitionem contingentibus; modo ordinis ratio expostularet, vt circa febris diuisionem cum Auicenna in secunda capitis parte versaremur. At propter iuniores libet prius febris caussas proponere; & illas potissimum, quæ cuiuslibet febris auctores esse possunt. Sunt autem primitiuæ, seu externæ, dictæ ita ad differentiam internarum, seu antecedentiū, quæ præsertim putridarum caussæ effectrices esse solent. Circa autem has primitiuas caussas ita discurremus, vt appareat, & *αἴτια προκαταρκτικά.*
G quæ sint, & quomodo ad calorē igneum, & proinde febrilē producendū cōcurrant: quo hac doctrina (ad Pathologicam partem spectante) mēte concepta, ad dignoscendū & depellendū febres promtius sit iter. Itaq; quantū ad primū attinet, sciendū, has proponi a Galeno primo de differentiis febrium secūdo. Verū cum plures proponantur, vt memoriæ mandari queant, non erit ab re methodo quadam illas recēsere. Dicimus ergo has caussas esse, vel Necessario, vel Non necessario occurrentes. Necessario occurrentes, sunt sex res nō naturales vocatæ, q̄ ita euadunt morbificæ, vt oboriatur febris: nempe aer, cibus & potus, somnus & vigilia, inanitio & repletio, motus & quies, atq; animi accidentia. Vnde respiciens ad aerē, proponit frigora, solis ardorem, æstū circa canis ortū, aerem pestilentem, & aerem laborantis febre pestilente *Necessario occurrētes caussæ.*

& phthisi. Quo loco notandum, circa aerem calidum, per hunc opus esse intelligere expositum radiis solaribus; nam secus sui caliditate non potest esse caussa febris; si quidem aer calidissimus citra præsentiam radiorum solarium frigidior est frigidissimo cerebro. Respiciens deinde cibum, proponit ratione copiæ, crapulas; ratione qualitatis, cibos prauos. Respiciens ad potum, proponit ebrietatem. Respiciens ad somnum & vigilias, proponit vigilias. Animum conuertens ad inanitionem & repletionem; caussæ repletionis ventris proponit cruditates, caussas repletionis totius, plethoram. Oculos dirigens ad motum & quietem; caussa motus recenset laborem; caussa quietis consueta exercitia dimissa. Respiciens ad animi accidentia, proponit iram & tristitiam. Tandem respiciens ad caussas primitiuas non necessario occurrentes, inquit esse & medicamenta, & plura huiusmodi alia, quæ scilicet non necessario occurrunt: insinuans, & venena, & materias cheirurgicas, instar medicamentorum præter rationem vsurpatas. Hæc de primo. A B

Non necessario occurrentes.

Secundum explicandum erat, quomodo caussæ febriles ad febrem producendum concurrant? Itaque sciendum cum Galeno, libro de caussis morborum secundo, & primo de differentiis febrium tertio, vnicum non esse modum generationis & augmentationis caloris; sicut nec ipsius ignis: sed quinque modis calorem accendi, nimirum propter moram, adhæsum rei calidæ, detentionem calidi influxus, mixtionem calidæ substantiæ, & putredinem. Ne autem hæc videantur historice fuisse proposita, explicare oportet, quæ sit horum modorum necessitas. Primo ergo cum Galeno supponendum, febrem nequaquam fieri posse nisi in corde quædam præter naturam caliditas gignatur: cuius sane duplex tantum est caussa, nempe vel Motus, vel Calor. Et ob id ait Galenus, si febris oriatur ex tristitia, gigni a solo motu, non a feruore; si autem ab ira, produci & a motu, & a feruore natiuæ caliditatis. Cum ergo calor in corde accendatur, vel propter motum, vel propter calorem: quantum ad motum, esse potest motus vel Animi, vel Corporis: animi vt ira, & tristitia; corporis, vt immoderatus labor. At differentia est inter motum animi, & corporis. Nam in motu corporis musculi & articuli motum excipiunt, & hę partes primo calefient, deinde per partem post partem impertitur caliditas cordi: at in motibus animi, motus primum pertinet ad cor, vnde incalescit, & quandoque vsque adeo incalescit, vt licet cordis motus sedetur, calor tamen permaneat præter naturam, vt hinc modo febricitet. Quo autem ad calorem, hic bifariam excitatur: primo modo, dum aliqua substantia, aliquod mixtum calidum, quod non erat in corpore, corpus ingreditur: secundo modo dum nihil quod sit calidum corpus ingreditur. Quoad primum: hunc modum proposuit, dum ait, augeri caliditatem propter mixtionem calidæ substantiæ, veluti ex cibis, potionibus alexiteriis, & venenis calidis ingestis, euenire potest. Si autem citra motum augeatur calor, & citra assumptionem substantiæ calidæ, hoc fieri potest bifariam: vno modo, quia corpus ab aliquo calido extrinsecus tangente incalescit; reliquo, citra contactum corporis calidi extrinsecus adhærentis. Si primo modo, fit caloris incrementum propter adhæsum alterius caloris, siue sit sol, siue ignis, siue calidum medicamentum, vt hæc extrinsecus ita occurrant, vt plus iusto calefaciant. Si autem calor augeatur citra motum, citra assumtionem calidæ substantiæ, & citra viciniam calidi extrinsecus occurrentis; id fit, quando in corpore reperitur substantia calida. Hæc autem dupliciter concurrere potest: altero modo, vt agit, & proinde calefacit, quoniam principaliter concurrit caussa aliqua detinens: reliquo autem, vt talis materia putrida est. Vnde ad priorem modum respiciens Galenus, ait, augeri calorem propter detentionem calidi effluxus; siue caussa hæc sit densans, siue astringens: dum nimirum constringitur terminus exterior; siue obstruitur, dum partium penitiorum meatus angustantur. Respiciens denique ad posteriorem modum, ait, fieri propter putrefactionem: veluti accidit in tumoribus calidis, in quibus materia putrescit; vbi, quamuis non occurrat caussa aliqua densans, nihilominus cordi communicatur vel simplex caliditas, vt in ephemeris; vel etiam vapor putridus, vt in putridis febribus. Hæc ergo dicta sint de caussis primitiuis febris in genere. C D E

Caussę quo modo febrē pariant.

Capvt V.

De Diuisione febrium: & primum de Differentiis principalibus.

AD secundam nunc capitis partem explicandum accedamus: in qua febris diuisio traditur: dum ait Auicennas: *Et sunt quidam hominum, qui diuidunt febres in duas diuisiones, primum scilicet in febrem ægritudinem, & febrem accidens.* Hic ergo incipit secunda pars principalis primi capitis, in qua duo facit: primo enim febrium tradit diuisionem secundum Aliorum mentem; deinde secundum mentem Propriam. Quo ad primum, rursus duo absoluit: & primo tradit diuisionem secundum aliorum mentem, deinde illam reprobat. F

Diuisio febris in ęgritudinem, & accidens: de aliorū sententia.

Inquit ergo fuisse quosdam, qui febrium diuisionem tradentes, hasque in primas differentias diuidentes, diuidebant in febrem Ægritudinem, & febrem Accidens. Per febrem ægritudinem intelligebant dum febris suam præcipuam habet originem a caussa quæ non est ęgritudo: veluti putrida febris citra inflammationem. Per febrem autem accidens, capiebat febrem, procedētem ab aliqua præcipua caussa quæ sit morbus: veluti febris pleuritica, quæ oritur, vt a præcipua caussa, a pleuræ inflammatione, quæ morbus est. G

Huic opinioni inquit Auicennas, ita posse contradici: si febris apostematis dicitur febris accidens, quoniam sequitur apostema; tunc hoc fit ob apostematis vel dolorem, vel calorem, vel putredinem. Sed horum nullum admitti potest. Nam si in caussa esset vel dolor, vel calor, ephemeræ plurimæ essent febres accidentales; siquidem plurimæ ephemeræ fiunt ex dolore & calore. Si vero hoc esset ratione putredinis, tunc caussa immediata febris non esset apostema, sed apostematis putredo; & proinde apostema esset caussa febris

A febris per accidens. Quod si ita diuidentes effugium quærant, & dicant, se per febrem accidens intelligere febrem apostematis; quia per febrem deducamur in cognitionem apostematis: tunc cogeremur asserere, febres putridas esse accidentia; propterea quod per febres putridas in cognitionem deducimur putredinis, & putrescentis humoris. Quibus sic resolutis, Auicennas huic contradictioni finem imponit: vna etiam increpans illos, qui assiduo in contradictionibus occupantur; propterea quod huiusmodi contradictiones tantum abest vt ad medicam artem comparandum conducant, vt plurimum etiam ad eam assequendum sint impedimento.

Iure ergo & nos paucis has differentias explicabimus: quas ea tantum ratione aggrediemur, quoniam hæc febris diuisio in accidens & ægritudinem tum a Galeno, tum ab Auicenna interdum admitti, B interdum improbari videtur: vnde moderni non parum impliciti videtur. Nos autem sic procedemus: primo proponemus Galeni sententiam: secundo ex eius intellectione explicabimus, quę nam fuerit Auicénæ opinio, quam nimirum cum Galeno eandem esse constabit.

Quoad primum, ex vna parte hæc diuisio admitti videtur a Galeno, multis in locis: & primo, in libro de marcore, dum ait, corde excalefacto, febrem per se accendi; aliis autem partibus excalefactis, quæ deinde cordi caliditatem extraneam transmiserint, fieri febrem accidentem. Secundo, 4. sect. aph. 66. inquit Hipp. febres solere dicere morbos febriles, quādo videlicet febres ipsæ sunt passio, & non symptoma partis alicuius, quæ aliquo dictorum affectuum laboret. Tertio, hanc diuisionem admittit, quamuis ex mente aliorum, 7. aph. 42. Quarto, hanc secundum propriam mentem proponit, primo ad Glaucon. 3. secundum mentem autem antiquorum, primo epid. tertio, quarto. Alia vero ex parte idem Galenus hanc C diuisionem improbare videtur, nempe libro de morborum differentiis quincto.

Galeni sententia de illa diuisione febrium.

Nos ergo pro solutione dicimus, febres esse, vel Principales, vel Nō principales. Per principales intelligimus, quando in corpore nullus est morbus, a quo febris originem trahat: contra per febres nō principales accipimus, quādo in corpore est aliqs morbus, a quo febris originē ducit; veluti in pleuritide, inflāmatio est febris origo. Vnde hac constituta distinctione, dicimus, Galenum admittere hanc diuisionem, vt dicatur febris principalis, & non principalis, quę tamen morbi sint, non symptomata; & hanc admittere, vt diuisionem accidētalem: nullo autem pacto admittere, dari febres quæ sint symptomata, non morbi: siquidem febris siue principalis, siue non principalis, semper est morbus, non autem symptoma. Sicut etiam nullo pacto Galenus concedit, quod hæc diuisio sit essentialis: etenim tum alibi sibi aduersaretur, D tum potissimum tertio methodi decimo, vbi habet, in methodo diuisiua opus esse cognoscere, an id quod cum morbo coniungitur sit vel differentia, vel alter affectus complicatus: nam si sit differentia, esse diuisionem essentialem; non essentialem, si affectus complicatus: & subdit, nos ita posse discernere: nam id quod consistere seorsum & per se potest, nullius vnquam alterius esse differētiam; verbi gratia, magnitudo, paruitas, æquabilitas, inæquabilitas, tempus, & figura, sunt ex numero eorum quæ aliis accidunt; vlcus vero, phlegmone, gangræna, & putredo, singula seorsum & per se consistere possunt, propterea non sunt morbi differentiæ, sed vbi adsunt, sunt affectus coniuncti. Vnde cum in febre pleuritis sit affectus per se consistens, propterea hæc diuisio nequaquam est essentialis. Hæc quo ad Galenum.

Quantum autem ad Auicennam; dico, ab eo hanc improbari diuisionem bifariam: primū quidem, si accipiatur diuisio tanquam in primas differētias; ait enim: *Et sunt quidam hominum, qui diuidunt febres* E *in duas diuisiones primas:* ecce, proponit diuisiones primas. Secundo hanc diuisionem improbat, dum per febrem accidens intelligebant antiqui symptoma, ad differentiam morbi: nam omnis febris, siue principalis, siue non principalis, est morbus; cum ob has lędantur functiones naturales. Quod si per febrem accidens intelligamus febrem non principalem, quę cum non sit inuenta per essentialem diuisionem, symptoma non statuitur: secundum hanc rationem ab Auicenna non improbatur: nam ait: *Dicimus ergo, febres apostematum, & oppilationum esse febres accidens, & alias esse febres ægritudinis.* At hic occurrit dubitatio: qua ratione febres oppilationum sint febres accidens: tunc enim omnis putrida febris esse accidentalis; si quidem ex Galeno vndecimo, methodi 9. putridæ febres ortum habent ab obstructione, quæ (vt ibidem ait Galenus, & in c. 13.) morbus est instrumentalis: Quod argumentum quidam perpendentes dixere, impossibile esse tueri Auicennam. At dicimus nos, obstructionem bifariam accipi posse: vno modo, F vt pertinet ad vasa exsistentia extra viscus; alio modo, ad vasa exsistentia intra viscus. Si primo modo; sunt febres principales, & hoc modo intelligendus Galenus: si secundo modo; sunt febres accidentales, & secundum hunc sensum audiendus Auicennas; vt si vasa exsistentia in liene, vel in hepate obstruantur, & sequatur febris, hæc erit accidentalis.

Quid Auicennas sentiat de dicta diuisione.

Auicennas porro inquit: *Dicimus propterea quod febres apostematum & oppilationum sunt febres accidentes, & aliæ febres ægritudines; tunc conueniens est vt dicamus, &c.* Auicēnas in hac parte tradit febrium diuisionem secundum mentem propriam: & duo præstat: siquidem primo proponit differentias principales; secundo non principales, ibi, (*Et diuiduntur febres alio modo, &c.* Vnde pro intellectione eorum, quæ fuere ab Auicenna proposita, aliquantisper cum Hippocrate & Galeno circa febrium diuisionem digredi licet. Quod sane negotium, vt colligere licet ex Galeno, primo ad Glauconem primo, & primo de differentiis febrium primo, tum necessarium, tum difficile est: necessarium quidem, cum febrium G speciebus ignoratis, & proinde per diuisionem non inuentis, haurire indicationes sit impossibile: difficile autem, quoniam opus est vt diuisio sit nec diminuta, nec vitiosa: quod sane assequi non est adeo facile: vt propterea, ita referente Galeno, quidam aberrarint, vel vsque ad finem, hoc est, speciem specialissimam non peruenientes; vel, dum vitiosis vterentur diuisionibus, essentialia cum accidentalibus confundentes. In hoc ergo negotio & pernecessario, & admodum arduo, primo sciendum cum Galeno locis citatis, & libro de venæ sectione capite tertio, vniuersa inueniri per rationalem viam, si primum inueniatur

Diuisiones febrium Auicennæ.

quod genericum eſt, deinde ex illius ſectione in ſpecies ad differentias, & vſque ad ſpecies vltimas inueſtigandas deſcendatur. Vocat autem rationalem viam propterea, quod diuidendo ſingula membra ratione ſunt comprobanda, vt diuiſioni inſeruiat ratio. Ideoque rationalis via ſatis differt ab experimentali: ſiquidem (vt ait Galenus) ſi quæ ſunt experientia collecta exponere velimus, ſola opus eſt ad explicationem memoria. A

Nos ergo in febrium inuentione rationali diuiſioni addicti, primum ſtatuimus cum Galeno (paſſim, & potiſſimum primo de differentiis febrium primo) differentias febrium alias eſſe Principales, alias Non principales: principales ſiquidem capiuntur a natura determinata definiti, hoc eſt, a febre, vt febris: non principales autem a natura communi pluribus definitis, hoc eſt, a febre, vt morbus. Nam quemadmodum natura (vt ita dicam) febrifica, eſt natura vni generi febrifico determinata; ita natura morbifica non modo pertinet ad febrem, ſed etiam ad alia præter naturam, quatenus cum febre conueniunt, vt ſunt morbi inſtar febrium. B

Differentię febriũ principales.

Quantum ergo attinet ad febrium differentias principales, proprias, ſeu determinatas, cum Galeno loco præcitato, capiuntur a febris eſſentia; quæ eſt calor præter naturam accenſus. Vnde differentiæ ſunt deſumendæ a calore, vt calor eſt præter naturam. Tribus autem modis hic accipi poteſt, primo quidem, vt magis vel minus accenditur: ſecundo vt in hac vel illa materia accenditur: tertio vt accenſus vario modo mouetur, ſeu alteratur, hoc eſt, facilius vel ægrius; & proinde citius vel tardius ab vna materia alteri impertitur.

Tria explicanda.

Quæ dicta vt recte intelligantur, & nullus relinquat̃ ſcrupulus in dictis Galeni, primo de differẽtiis febrium primo, tum ſecundum propriam, tum Hippocratis ſententiam, 6. epid. primo. 29. tria explicanda proponimus: primo, quæ differentiæ ex calore tribus modis accepto hauriantur: ſecundo, quæ ſit horum trium modorum neceſſitas: tertio, quomodo Hippocrates ad hos tres modos reſpiciens loco citato febrium diuiſionem integram ſit complexus. C

Febris differentiæ a calore.

Perpendentes igitur calorem ſecundum magis vel minus accenſum; dicimus, febrem eſſe Magis vel Minus vehementem. Dum autem capiuntur differentiæ a calore, vt in hac vel illa materia accẽditur; cum cordis materia, quæ non eſt ſemper accenſa, ad differentiam calidi innati perpetuo accenſi, vel Viuens, ſit vel Non viuens; viuens, vt cordis ſolida, quæ continentia vocantur; non viuens, vel cõtentum, vt humor, vel impetens, vt ſpiritus vitalis: ratione igitur continentium, dicimus febrem eſſe hecticam; ratione humorum, putridam; ratione ſpirituum, ephemeram. Cum denique capiuntur differentiæ a calore penes modum motus, vt magis vel minus promte caloris febrilis fit tranſſumtio ab vno ſubiecto in aliud ſubiectum; ſtatuimus in hectica tranſſumtione fieri facilius, difficilius in putrida, adhuc difficilius in ephemera: nec ab re: cum tenuis ſubſtantia promtius alteretur, quam craſſa; tenuior autem ſit ſpirituum ſubſtantia, craſſior humorum, adhuc craſſior ſolidorum: fit enim hinc vt corpus ſolidum facilius humorib. & ſpiritib. calorem impertiatur, quam corpus ſolidum ab humoribus & ſpiritibus recipiat. Quo loco aduertẽdum, quamuis fiat tranſſumtio caloris febrilis de vno ſubiecto ad aliud: non propterea tamen ſequi, dum verbi gratia, fit tranſſumtio caloris a ſolidis ad humores & ſpiritus, neceſſario ratione humorum fieri putridam, & ratione ſpirituum ephemeram: ſiquidem ſequeretur, febrem hecticã, aliquantiſper pdurãtem, neceſſario habere adnexam tum putridam, tum ephemeram: Galenus quippe ait, cum diſpoſitio febrilis oriatur modo ex ſolidis, modo ex humoribus, modo ex ſpiritibus; non ſubſiſtere in primo genere læſionem, ſed duo reliqua genere inuadere, & niſi febris ſoluatur, progreſſu temporis ſimiliter illa affici. At falſum eſt, hecticam etiam progreſſam neceſſario coniunctam habere putridam, & ephemeram. Quare (vt puto) hæc caloris tranſſumtio ita intelligenda, vt in hectica, cum ſint primo calefacta ſolida, natura nequaquam poſſit regere ſpiritus & humores, ſi diu protrahatur hectica; vnde accidat, vt non modo ponantur in calefieri, ſed ita incaleſcant, vt nequaquam ſint vſui cordi. Vnde ſciendum, calorem febrilem tribus modis afficere cordis ſolida, humores, & ſpiritus: primo modo, vt eſt caliditas in facto eſſe, & vi huius caliditas toti corpori impertitur; tuncq; prout vel omnia tria, vel duo, vel vnum ſunt affecta, febris fit vel vnius generis, vel duplicis. Secundo modo cor afficitur a calore febrili, dum partes ob viciniam ſolam incaleſcunt; vt in omni febre ſimplici ſit neceſſarium, vt vnica cordis materia ſit calefacta, reliquæ autem incaleſcant. Tertio autem modo ſe habet caliditas febrilis; dum vna ſubſtantia eſt in calefacto eſſe, & reliquæ, quamuis ab his non impertiatur caliditas toti, tamen ita afficiantur, vt perperam cordis facultatibus inſeruiant: veluti cum in febre hectica, vel putrida ſpiritus ita afficiuntur, vt fiat animi deliquiũ, non tamen producatur febris ephemera: pariter in hectica ita quandoque compatiuntur humores, vt, aucta neceſſitate euentandi, fiat frequẽtiſſima reſpiratio & inſignes pulſus mutationes, non tamen oriatur putrida febris. D E F

Calor febrilis cur tribus modis diſtinguatur.

Secundum deinde explicandum erat, cur Galenus capiat caloris febrilis differentias a tribus non a pluribus, nec paucioribus. Dico cauſſam fuiſſe, propterea quod cognouit in rebus præter naturam (vt alibi oſtendit) triplicem tantum eſſe vehementiam: nempe ratione propriæ eſſentiæ, dignitatis, & facultatis corpus regentis. Vnde reſpiciens ad vehementiam ratione propriæ eſſentiæ, cũ pertineat ad maiorem vel minorem receſſum a naturali ſtatu, differentias capit a calore, quatenus magis vel minus intenſus eſt. Quæ differentiæ locum habere poſſunt in febrib. ſiue inuicẽ conferantur genera, ſiue ſpecies: nam ſi inuicem conferamus febrium genera, hectica eſt debilis ratione propriæ eſſentiæ, cum vehementior calor perſentiatur in ephemeris & putridis: ſi autem inuicem conferamus ſpecies, datur magis & minus in febrib. vt comparantes hecticam ad hecticam, putridam ad putridam, & ephemeram ad ephemeram. Reſpiciens deinde ad vehementiam ratione dignitatis, cum hæc ſubiectũ reſpiciat, dicit, differentias capi ex materia in qua hic calor præter naturam accenditur. Quæ differentiæ locum habent in febribus, dum inuicem G

A uicem secundum genera conferuntur: nam quamuis, vt ait Gal. 8. meth. vlt. febris, vt febris, sit vehemens ratione dignitatis, si respiciamus ad febrem, seu intemperiem calidam, lædētem præcipuum organum facultatis; nihilominus ratione materię, in qua primo accenditur calor febrilis, vehemētior est hectica, minus vehemēs ephemera; adhuc minus vehemens putrida: nam in corde solida, quia viuunt, sunt reliquis digniora; spiritus autem vitalis dubio procul humoribus anteponendus. Neq; in hac differentia licet inuicem conferre febres secundum species; siquidem hectica alia hectica non est vehementior ratione dignitatis: & idem est dicendum de ephemeris, & putridis. Tandem respiciens ad vehementiam ratione facultatis corpus regentis, cum hæc vehementia dirigatur ad facultatem, vt regit cordis subiectum; differētias capit ex modo motus caloris, quatenus scilicet his est impetus, vt natura vel magis vel minus regat & B muniat substantias non affectas. Sic licet inuicem conferre febres & secundum genus, & secundum species: secundum genus vehementior est hectica; minus vehemens putrida; adhuc minus ephemera, cum huius substantia tenuis promtius alteretur quam crassa: secundum species autem febris hectica est maioris actiuitatis, vt spiritus, vel humores maioris sunt resistentiæ; & sic de reliquis. Patet ergo quemadmodum Galenus proprias febris differentias capiat a calore febrili, vt tantum tripliciter sumitur; quoniam triplex tantum est vehementia, vt ex his colligere liceat, omnem febrem esse vehementem ratione dignitatis, ratione autem essentiæ, & facultatis corpus regentis aliquam esse vehemētem, aliquam debilem, seu mali vel boni moris. Quæ autem sit necessitas triplicis vehementiæ, non est hoc loco explicandū. Hæc de secundo.

Propriæ febrium differentiæ Hippocraticę.

Tertio explicanda est febrium diuisio, tradita ab Hippocrate 6. epid. primo 29. & hoc loco a Gale- C no relata: dum ait, febrium alias tactui esse mordaces, alias vero mites; alias non mordaces quidem, sed postea insurgentes; aliquas acutas, quæ tactui succumbant, alias statim exardentes; quasdam semper pusillas & siccas; quasdam salsuginosas; quasdam πεμφιγώδεις, aut πεμφιγγώδεις, id est, flatibus plenas, quæ scilicet sunt adspectu graues, nonnullas tactu humidas; alias valde rubras, alias valde pallidas, liuidas, & id genus alias. Non recedentes a Galeno, dicimus, Hippocratem proprias proponere febrium differentias, hasque capere a febris substantia, & simul etiam per signa illas patefacere, vt his verbis doctrinam tradat & pathologicam, & Semeioticam: hic enim fuit Hippocratis mos, vt breuibus summa complecteretur.

2. a subiecto

Cum itaque a calore differentiæ capiantur, vt differt secundum magis vel minus, vel ratione subiecti, vel modi motus; Hippocratem omnes differentias cum dignotionis modo proponere, declaro. Sciē- D dum autem cum Galeno, Hippocratem hoc loco loqui de propriis differentiis febrium, vt capiūtur a calore, sed simul cum dignotione; & signa capere (vt ait Galenus sexto epid. primo, 19.) non ex iis quę laborantes referunt, sed ex iis quę medici tactu & visu euidenter percipiunt. Itaque quo ad differentias quę capiuntur a calore, vt est magis vel minus accensus, inquit Hippocrates, febrium alias tactui esse mordaces, alias vero mites; quod est febrium alias esse vehemētes, alias debiles. Ceterum quia possemus decipi, dum tangendo mordacitatem non percipimus; ne tunc statim existimemus febrem esse debilem, ideo admonet, si tangendo mordacitas non persentiatur, manum diutius detinendam, & tangendum corpus ægri: nam in quibusdam, quamuis ab initio non videantur mordaces, mordacitas tamen postea apparet; quædam autem ilico mordacitatem præ se ferunt, sed quę a manu vincitur. Vnde, si concludenda sit differentia febrium in magnitudine penes essentiam, dicendum alias esse statim perurentes, hoc est, quæ ab ini- E tio ad tactum sese offerunt mordaces, & ita mordaces vt statim perurant, & proinde a manu non vincantur; alias autem in totum debiles, quæ scilicet nec ab initio, nec post, insignem mordacitatem præ se ferant.

Quo autem ad differentias, quæ capiuntur a materia, in qua calor præter naturam accēditur; ad has respiciens Hippocrates, ait, febres esse aridas, vel salsuginosas, vel pemphigodeis, hoc est, flatibus plenas, vel adspectu graues, alias tactu humectas. Dum aridas proponit, insinuat hecticas, quarum calor accenditur in solida cordis substantia, vt ariditas potissimum vigeat in hecticis. Dum autem proponit salsuginosas, & pemphigodeis, proponit putridas, & proinde differentias quæ capiuntur a calore, vt primum accenditur in humoribus: & quia, dum calor accenditur in humoribus, est febris putrida, quæ esse po- F test & pestilens in humoribus vehementer putridis, & non pestilens: propterea respiciens ad febres simpliciter putridas, proponit salsuginosas; has enim ad tactum redigit, vt quæ pruritum aliquem ac morsum tangentibus inferant, qualem maris aqua, & reliqua salsa corpora excitare solent; qui sane tactus solum in febre putrida locum habet: respiciens autem ad febres putridas pestilentes, in mediū adfert pemphigodeis, hoc est, flatulentas, vt flatus ad tactum appareant; flatus autem non nisi prodeunt ex humore; quare putrida febris significatur: & amplius respiciens ad putridam pestilentem, subdit, adspectu graues; nec enim inquit, febrem esse adspectu grauem, vel non grauem, sed esse pemphigodem adspectu grauem; quare pestilentem, siquidem febris putrida pestilens est adspectu grauis: nec inconuenit, vt signo quod capit a tactu, addat signum quod capitur a visu; siquidem dictum est tradi differentias, quę capiuntur a tactu & visu. Dum deinde proponit febres tactu humectas, dubio procul insinuat calorem accensum in te- G nui subiecto, & proinde in spiritibus: vnde prodit ephemerarum genus.

3. a modo motus.

Quantum denique ad differentias quæ capiuntur a modo motus, hoc est, a vehementia ratione facultatis corpus regentis, has Hippocrates proposuit, dum ait, alias valde rubras esse, alias valde pallidas, alias liuidas, & id genus alia. Siquidem per colorem deducimur in cognitionem febris, an sit vehemens, vel debilis, ratione facultatis corpus regentis, seu, an sit boni, vel mali moris. Quæ sane vehementia, si conferatur cum vehementia essentiæ, vel dignitatis, statui potest vehementia minus propria: vnde sæpe Galenus duplicem tantum proposuit vehementiam, relicta vehementia ratione fa-

cultâ-

cultatis corpus regentis,cum pendeat potius a resistentia passi: vt febris biliosa æque vehemēs secundum A
essentiam & dignitatem,in Socrate potest esse vehemens ratione facultatis corpus regentis, in Platone
minus vehemens. Vnde 2.methodi 12.cum proposuit vehementiam ratione dignitatis & essentiæ, addit
esse tertiam præter has. Propterea ad hanc veritatem respiciens Galenus 6.epidemiorum 1.29. ait Hipp.
absolutis maxime propriis ac principalibus febrium differētiis,deinde transgredi ad eas,quæ a colore su-
muntur:& has differentias licet non sint maxime propriæ ac principales, non propterea iudicandas esse
improprias,vel non principales,sed minus proprias,ac minus principales. Ceterum hic notandum, dum
dicimus differentias capi a colore,differentias accipi in modo signati,vel signi. Si signati; hoc signatum
nil aliud est, quam modus motus caloris febrilis,& proinde vehementia ratione facultatis corpus regen-
tis:vt hæ sint propriæ differentiæ: secundum quem modum,hoc loco capit Galenus. Si autem capiantur B
differentiæ in ratione signi,vt signum in colore;secundum hanc rationem(vt ait Galenus 6. epid. 1. 29.)
non sunt differentiæ secundum febris essentiam,sed quæ petuntur ab aliquo accidente, vt a colore, qua-
tenus est signum differentiæ essentialis. Ita dicimus colorem rubicundum esse signum febris boni moris,
liuidum pessimi, pallidū medii. Galenus enim 6.epidemiorum primo,29.febres rubras ait admittere ve-
hæsectionem vsque ad animi defectum:ideo his non est summa vehementia ratione facultatis corpus re-
gentis. Liuidæ autem febres significant succum sanguineum,& proinde alimentum deficere,& cum san-
guine calidum ingenitum:ex quibus nonnullæ efficiunt syncopas;vt idcirco sint mortiferæ: quare insi-
gnem habent vehementiam ratione facultatis corpus regentis. Mediocris autem vehementia indicatur
ex pallido colore: siquidem huiusmodi febres,nisi rigore atque sudore iudicentur,tabem inferunt: vnde C
color pallidus est signum febris vehementioris ratione dignitatis,quam color ruber; & minus vehemen-
tis, quam color liuidus. Addit autem Hippocr. *& id genus alia:* insinuans, febrium differentias proposi-
tas vt cognoscuntur tactu,& colore, ita posse etiam ex aliis id genus cognosci: de quibus non sit in præ-
sentia dicendum; cum non liceat totam partem semeioticam hoc loco referre,quæ potissimum ad libros
de prognosticis pertinere videatur. Vnde Galenus primo de cris. 16.statuit cum Hippocrate in progno-
sticis, febrium alias esse mitissimas, quæ cum signis tutissimis fiant, & has quarto die deficere, vel prius:
alias autem malignissimas,quæ sane cum signis grauissimis accidant,& has quarto die, vel ante occidere.
Et Hippocrates mites nominat contrarias malignis: nil aliud insinuans, quam febrium vehementiam
ratione facultatis corpus regentis. Hæc ergo dicta sint de principalibus febrium differentiis, vt in gene-
rali sermone licuit. Sequitur vt agamus de differentiis minus principalibus: prius generalia quædam de D
Morbo præmitttentes.

Capvt V.

De Morbi definitione generalia quadam proponuntur, ad sequentem doctrinam scitu necessaria.

Definitio morbi triplex esse potest.
Tres caussæ operationis
Tam sanitatē, quam morbum, tribus constare.

QVoniam differentiæ febrium non principales,seu communiores,sumuntur a morbo in genere; lo-
cus hic postulat,paucis morbi naturam vt explicemus:cum ferme omnes hactenus multum hac in re
sint alucinati. Definitio igitur morbi triplex esse potest:quia ad operationem edendum tria concurrunt.
Primum *facultas,qua* corpus operatur:& hoc præcipuū est. Deinde *suppositum, quod* operatur: vnde non
pupilla,non vita videt,sed oculus. Tertio *instrumentum,cum quo,seu quo mediante* facultas agit: & hoc li-
cet multiplex esse possit,præcipuum tamen locum obtinet constitutio,id est,intemperies,compositio, &
vnitas:reliqua omnia,quæ extra constitutionem sunt,habent rationem erroris externi. Quod si ergo hęc E
tria, id est,facultas,suppositum & constitutio bene se habeant;tum bona fit actio:si male,actio lęditur. Et
sicut ad bonam actionem necesse est,vt omnia tria bene habeant: ita ad malum,omnia tria male habeant
necesse est. Differentia tamen est:quia in sanitate requiritur non tantum facultas bona,& suppositum be-
ne dispositum; sed etiam quælibet constitutio bona, id est, temperies,compositio & vnitas:at in morbo
vt lædatur operatio,est quidem necessarium,vt male habeat facultas,vt male disponatur suppositum, vt
non bona sit constitutio;non tamen requiritur,vt quælibet constitutio reddatur mala,sed sufficit ad ma-
lam operationem,vel intemperies,vel mala compositio,vel soluta vnitas. Si igitur respicimus ad faculta-
1. definitio. tem; definietur morbus,*læsio facultatis,seu impotentia agendi:*& hac ratione omnis morbus erit in secunda
2. qualitatis specie. Si respicimus ad offensam suppositi; *morbus est dispositio præter naturam,lædens operatio-* F
*nes:*qua ratione omnis morbus est in prima specie qualitatis. Si respicimus ad constitutionem; *morbus est*
3. *constitutio præter naturam,lædens operationes:*& hoc modo morbus non potest ad certum genus reuocari,
quia constitutio non est genus vniuocum,sed analogum,cuius analogata in diuersis reponuntur generi-
bus:vt intemperies ad qualitatem refertur,magnitudo ad quantitatis prædicamentum. Hinc ergo colli-
gitur morbum esse læsionem facultatis:dispositionem præter naturam:& constitutionem pter naturam.

Morbi forma & materia
Materia est læsio facultatis:forma est mala cōstitutio.

Deinceps morbi materia, & forma inuestiganda. Sicut enim substantiæ compositæ sunt e materia &
forma,id est,ex potentia & actu:ita etiam accidentia e materia cōstant & forma. Et sicut materia & forma
substantiæ,etiam ipsæ sunt substantiæ:ita materia & forma accidentium, sunt accidentia. E substantia n.
& accidente non potest fieri vnum per se. Morbi igitur materia(*.non in qua,id est,subiectum, sed e qua, id* G
est caussa,quæ est imperfectio:cum prior materia in qua accidentibus tribuat perfectionem:)seu potentia, est
lęsio facultatis(*:non enim est caussa formalis:*)Ratio est,quia hæc potentia perficienda est: ac pēdet imme-
diate a mala dispositione subiecti:& dispositio suppositi habet rationem potentiæ,respectu cōstitutionis:
vt constitutio mala in morbo sit forma,bona in sanitate. Constitutio autem mala est forma:quia perficit,
& veluti dat esse dispositioni præter naturam,& læsioni facultatis: vt, quamprimum ponitur constitutio
præter naturam, necessario etiam ponatur dispositio præter naturam, & læsio facultatis. Et propterea
constitutio est id,quod primo & per se lædit actionem:est enim præcipuum instrumētum,& immediatū:

ex hac

ex hac deinde neceſſario dependet diſpoſitio præter naturam:ex hac rurſus neceſſario dependet læſio facultatis. Facultas quidem principaliter concurrit ad actionem obeundum:non tamẽ immediate, ſed mediante inſtrumento,nimirum conſtitutione.

Morbus per conſtitutionem definiẽdus.

Licet igitur dictum ſit,morbum tribus modis poſſe definiri:potiſſimum tamen per conſtitutionem definiri debet:hæc enim eſt forma & actus.Et ſic etiam Galenus in l.de diff.morb. definit morbum. *Conſtitutio ergo morbi genus eſt*,nimirum actus,ſeu perfectio,tum diſpoſitionis præter naturam, tum læſionis facultatis.Addit *præter naturam*;ad differentiam conſtitutionis ſecundum naturam; non ad differentiam diſpoſitionis præter naturam,aut læſionis facultatis.Alii etiam addunt in morbi finitione; *primo & per ſe lædens operationes:* Quod ineptiſſimum.Si enim hæ particulæ ſunt diſtinguentes & determinantes genus; oportet eſſe aliam diſpoſitionem præter naturam,quæ non primo læderet operationes:itemq; aliam,quæ nec primo,nec per ſe lęderet actiones:quod tamen falſum eſt:quia omnis conſtitutio pręter naturam,primum & per ſe lędit operationem.Neque eſt quod aliquis dicat;*in hydrope lædi ſanguificationem a morbo frigido iecoris,quem,verbi gratia,produxerit frigidus lienis morbus;& propterea ſanguificationem non immediate a morbo frigido lienis eſſe læſam?* Reſpondemus enim,lienis conſtitutionem hic non ſumi pro morbo,ſed pro cauſſa alterius morbi:nam ſi ſumatur pro morbo,immediate læditur actio lienis,non hepatis. Galenus nunquam ait,morbum eſſe conſtitutionem primo & per ſe lædentem operationes:licet dicat,eſſe affectum primo & per ſe lędentem,&c.Affectus enim vox generalis eſt,poteſtque eſſe error externus,cauſſa morbifica.

Præter naturam.

Περιττολογία quorũdã, in morbi definitione.

Obiectio.

Quare ita morbus definiendus eſt,quod ſit conſtitutio præter naturam, *lædens ſenſibiliter operationes*.Et hæc differentia eſt neceſſaria;Conſtitutio enim eſt quædam præter naturam,quæ tamen intra latitudinem ſanitatis ſubſiſtit:vnde etiam c.4.l.4.de temp.intemperies datur & ſanitatis,& ægritudinis.Adiectione igitur illa conſtitutio non morboſa,præter tamen naturam,remouetur:vt etiam docet Gal.c. 8. & c.88.art.paru.& c.vlt.l.2.de fac.nat.Præterea explicata definitione morbi formali: quia tamen forma hæc eſt accidens,quod aliqua perfectione eget,quæ ſubiectum eſt:ideo ad hoc addẽdum in definitione, quod morbus ſit conſtitutio præter naturam ſenſibiliter lædens operationes *corporis vita præditi*.Tandem etiã, in finitione accidentium requiritur cauſſa efficiens,ad differentiam formæ ſubſtantialis:hæc enim materiæ ineſt ſine vllo medio,nec pendet ab externa aliqua cauſſa,vt ſimul ſit eſſentia,& cauſſa rei in ſubſtantia.Accidens vero producitur ab externa cauſſa,quæ ab eſſentia accidentis diuerſa eſt: nec igitur animus acquieſcit in cognitione quiditatis accidentis,niſi etiam cognoſcat cauſſam quiditatis,quæ eſt cauſſa efficiens.Duplex autem morbi cauſſa efficiens:antecedens,& continens.Antecedens eſt,quæ producit conſtitutionem ex vſu:ita vt cauſſa remota,conſtitutio tamen iam producta non ſtatim remoueatur:vt pituita in ventriculo excitans dyſcraſiam frigidam:hic licet humor frigidus remoueatur,morbus tamen frigidus manet,& eſt ex vſu;opus enim eſt præterea calidis medicamentis.Continens,ſeu contẽtiua cauſſa,eſt quæ producit conſtitutionem nõ ex vſu:ita vt cauſſa hac remota,ſponte effectum cedat: ſic enim inflammatio eſt morbus,nimirũ aucta magnitudo,quæ tamen ita producitur a ſanguine,vt hoc euacuato,ſponte tumor diſſipetur,nec præterea quicquam ſit agendum.

Verę morbi differentię in finitione vſupandæ.
1.
2.
3.

Morbi cauſſa interior efficiẽs duplex.

Abſolutiſſima ergo hæc erit morbi definitio: *Morbus eſt conſtitutio præter naturam,lædens ſenſibiliter operationes corporis viuentis,producta a cauſſa morbifica.*

Perfecta morbi definitio.

CAPVT VI.

De Minus principalibus ſeu communibus febrium differentiis.

IN propoſita morbi definitione tria continentur,Forma,Subiectum,& Cauſſa efficiens: a quibus communes febris differentiæ ſumi poſſunt. Quantum igitur attinet conſtitutionem præter naturam, lædentem actiones; duo communia locum habent:primum,vt conſtitutio Eſt;deinde, vt conſtitutio Agit. Si perpendimus conſtitutionem vt Eſt:tunc vel perpendimus Tempus,in quo eſt:vel Modum ſecundum quem eſt. Si tempus;Febres aliæ Nouæ,alię Antiquæ.Modum conſideramus vel Citra relationem ad alias res præter naturam,vel Cum relatione.Si citra relationem; Febris dicitur eſſe in Habitu, vel in Habitudine:quæ differentiæ ponuntur cap.1.lib.8.method.Si modus eſſendi cum relatione perpenditur ; Febris alia dicitur Simplex,alia Compoſita:cap.3.lib. 2. de differen.febr. Compoſitæ febres rurſus,vel ipſæ ſunt inter ſe compoſitæ;vel cum aliis rebus præter naturam : cap. 14. lib. 1. ad Glauc. Si inuicem componuntur:tunc vel hecticæ ſunt cum ephemeris,vel cum aliis putridis:vt in ſpeciali doctrina febrium compoſitarum dicetur. Aliæ res præter naturam, quæ cum febribus nonnunquam coniunguntur,ſunt vel morbus,vt dyſcraſia,mala compoſitio,ſoluta vnitas;vel ſymptoma. (*Galenus cap.4. lib.3. de criſ. ait , cum acutis morbis neceſſario coniungi vel febres ſynochos,vel continuas bilioſas.Vbi loquitur de morbis acutis ſecundum propriam naturam,qui habent materiam velocis motus,vel ſanguinem,vel bilem: non autem loquitur de acutis ratione loci & partis affectæ,vt eſt apoplexia,quæ non neceſſario febrem habet adiunctam, cum tamen ſit morbus acutiſſimus*) Symptoma autem, quod cum febre coniungitur , non eſt quodlibet,ſed vehemens tantum,& quod rationem habet cauſſæ,text.69.lib.4.de vict.acut.& vtile indicat:vt ſi cum febre bis, aut ſemel appareat ſingultus,non ſtatim dicendum,hanc febrem eſſe cõiunctam cum ſingultu:oportet enim vt aliquantiſper perſeueret.Sic cõiungitur febris cum actione læſa,vt cum paralyſi,cum ſyncope:aut cum excunte mutato,vt cum fluxu alui,cum ſuppreſſione menſium:aut cum qualitate mutata, vt cum inſigni frigiditate : vnde & Auicennas hoc cap. ait,febres alias eſſe calidas,alias frigidas. Hæc de conſtitutione, prout eſt.

Differentię communes.
1. Conſtitutio præter naturam.

Quantum ad conſtitutionem,quatenus Agit;in hac operatione conſideramus vel Tempus,vel Vehementiam.Si tempus;febris eſt breuis,vel longa.Si vim actionis,febris eſt Salubris,vel Inſalubris.

2. lædens operationes.

3 corporis viuentis. 4. producta a caussa morbifica.

Ratione subiecti, id est, corporis humani viuentis; febris est Proportionata, vt causus in corpore ca- A
lido & sicco: vel Non proportionata, vt causus in corpore frigido & humido.
Quantum ad caussam effectricem, quæ secundum propriam naturam agit; sumuntur differentiæ,
vel a propria natura, seu idea caussæ, vel a læsione ipsius caussæ. Quantum ad ideam, caussa efficiens, vel est
Febris, vel quid Aliud a febre. Vnde etiam illæ differentiæ, quod Febris dicitur Incipiens, vel Non incipi-
ens: verbi gratia, si febris hectica fiat e calidioribus medicamentis, est hectica incipiens: si fiat e putrida, aut
ex ephemera, dicitur febris hectica non incipiens. Quoad læsionem caussæ; dicimus caussam anteceden-
tem ita lædere, vt læsio vel sit Communis, vel Non communis: vnde febres dicuntur Populares, vel Spo-
radicæ. Et communes subdiuiduntur: quia sunt vel Endemiæ, vel Epidemiæ: hæ quando læsio communis
fit in tota regione; illæ quando in certa vrbe: cap. 2. 3. 4. lib. 1. de differen. febr. & circa initium libr. 1. e- B
pidem.

Capvt VII.

Soluuntur quædam Dubia, circa diuisionem febrium.

Synochus putredinis expers, ad ephemeras pertinet.

*QVæritur, num præter tria prima febrium genera, detur quartum. Videtur enim primum synochus non pu-
tris ad nullam trium primarium specierum referri posse: nam putrida non est; nec etiam ephemera, quia
vltra diem durat?* Responsio sumi potest e c. 1. & 2. l. 9. meth. ephemera enim bifariam accipi potest; primũ,
vt ephemera est & re & nomine; calefacti enim sunt spiritus, si rem spectes; & diem non excedit, nomen si
vrgeas: secundo, vt est ephemera re, non nomine: & huiusmodi est synochus sine putredine, quę fit ob san-
guinis feruorem, quo spiritus cordis inflammantur.

Pestis est putrida.

Istud etiam agitatur pestis quo referenda sit; cum a quibusdam febris a tota substantia dicatur? Respon- C
sio; pestis est putrida; differt autem a putrida non pestilenti, ratione caussæ antecedentis, non ratione for-
mæ: quia caussa antecedens in pestilenti febre, est materia venefica, quæ a materia reliquarum putridarum
differt per excellentiam putredinis, quæ excellentia facit, vt hæc materia euadat venefica.

Chylus in ventriculo putrescens, facit febrẽ putridam.

Quidam etiam aiunt, chylum, in ventriculo putrescentem, excitare febrem? Responderi autem potest,
febrem illam esse putridam: e chylo enim putrefacto, vapores putres cor petũt; vnde cordis humores po-
nuntur in calefacto esse; & sic fit putrida.

Vehemẽtia triplex

Dubitatur, num febris vehemens, maligna, mali moris, & insalubris, coincidat, nec ne? Hoc vt soluatur,
scire oportet, quid nam sit vitium vehemens malignum, mali moris, insalubre. Vitium igitur vehemens
est vitium præter naturam, vehementer agens in virtutem. Vehementia autem est triplex. cap. 15. & 16. lib.
1. de constit. art. & cap. 12. lib. 7. method. Essentiæ, Dignitatis, Facultatis. Ratio numeri est: nam dum vitium D
2. vehementer agit in facultatem, facultas vel Resistit, vel Cedit. Si resistit; vitium lædit vel simpliciter, vnde
oritur vehementia essentiæ: vel in respectu ad præstantiam actionis; vnde vehementia dignitatis ortum
trahit. Et hæc vehementia dignitatis duplex est: aut enim respicimus Præcipuum facultatis instrumen-
tum, quod est temperies; aut Partem, in qua fit actio: priori modo vehemens est dyscrasia; posteriori; viti-
um partis magis præstantis. Si facultas cedit; oritur vehementia ratione facultatis: vt si tumor paruus fit in
ventriculo, cum syncope; hic tumor ratione essentiæ est debilis, magnitudo enim modice elata est: ratio-
ne dignitatis est vehemens, quia est in parte, quæ maximum habet consensum cum parte principe: ratio-
ne facultatis etiam vehemens est, quia inflammatio ita lædit, vt excitet syncopen. Per facultatem autem
intelligimus & eam quæ totum corpus & eam quæ partem determinatam regit. Totum corpus regens
facultas, ad tria præcipue viscera pertinet, cerebrum nimirum, cor, & hepar: item ad communia organa, E
neruos scilicet, arterias & venas. Signa autem vehementiæ ratione facultatis, pulcre explicat Galenus cap.
14. lib. 1. ad Glaucon. Vehementia enim facult. animalis, cognoscitur e motu voluntario debilitato, item e
delirio, quoties nimirum hæc vitia fiunt ob cerebri intemperiem: si enim motus imminuatur ob angu-
stiam, vt in epilepsia, paralysi, &c. tunc motus ablatus non est signum vehementiæ facultatis. Vehementia
facultatis vitalis cognoscitur e pulsu debili. Vehementia facultatis naturalis cognoscitur e reiectione san-
guinis, primum tenuioris, deinde etiam crassioris. Alia etiam est vehementia facultatis quæ partem regit

Vehemẽtia etiam in caussis & symptomatis locum habet.

determinatam: vnde humorem malignum proponit Galenus, qui erodit, & putrefacit: vt abrasio partis si-
gnum sit vehementiæ facultatis regentis partem determinatam. Porro vehementia non tantum perti-
net ad morbum, sed etiam ad caussam morbificam, & ad symptomata: non enim morbus tantum vehe-
menter lædit, sed etiam caussa & symptoma, vt colligitur e cap. 9. lib. 8. meth. Vehementiam morborum F
proponit Galenus cap. 12. l. 7. meth. & c. 3. l. 1. de crisibus, vbi morbi magnitudinem, & mores proponit: per
magnitudinem morbi, intelligit vehementiam essentiæ & dignitatis; per mores intelligit vehementiam
facultatis. Sic caussa morbi tripliciter vehemens est, c. 12. l. 7. meth. & com. aph. 43. sect. 4 nam potest & ma-
gis recedere a naturali statu, & esse in parte præstanti, & lædere facultatem. Idem de symptomatis est sta-
tuendum: vt si dolor insignis in ore sit ventriculi, excitans syncopen.

Malignitas, & κακοήθεια.

Vitium malignum vocatur a Galeno interdum, quod vehemens est ratione essentiæ; interdum, &
magis proprie, quod vehemens est ratione facultatis. Vitium mali moris etiam proprie intelligitur, quod
vehemens est ratione facultatis.

Nõ semper hectica aliis febribus succedit.

Quæritur, *num hectica incipiens detur: cum semper spiritus prius & humores, quam solida calefieri que-* G
ant. Sciendum ergo, posse interdum hecticam statim ab initio prehendere: nam pro maiori vel minori re-
sistentia passi quandoque vnum, quandoque alterum afficitur: si enim in corde humor sit frigidi, &
solida calida; tum probabile est, solida prius affici a caussa calefaciente; cap. 1. 7. & 8.
lib. 1. de differen. febr. cap. 5. libr. 10. method. At hoc
raro fit.

Capvt

CAPVT VIII.

De Corporibus præparatis ad febres.

Apti ad febres.

GAlenus ad febrem putridam diſpoſita eſſe ait corpora calida & humida; ad ephemeram, calida & ſicca. cap. 7. lib. 8. method. Et his cap. 8. lib. 8. method. addit corpora calida tantum, & ſicca tantum; vtpote in quibus ſpiritus facile inflammantur: demum & corpora temperata, quæ ſymbolica ſunt, contra, quam frigida & humida, frigidaque & ſicca: poſtremo addit, reliqua temperamenta non ita facile vexari tentarique febribus. Corpora autem frigida & humida, item frigida & ſicca, non facile febribus corripiuntur, quia frigidum maxime reſiſtit cauſſæ calefacienti. *Dubitatur autem, quomodo aphoriſm. 16. ſectio. 3. dici videatur, corpora frigida & humida maxime febribus eſſe obnoxia?* Reſponſio. Ibi humida tantum proponuntur: quæ abſque dubio ſatis ſunt obnoxia febribus putridis. Videatur commentar. 22. ſectio. 3. lib. 3. epidem.

CAPVT IX.

De Horis, ſeu temporibus febrium.

HActenus de Idea & Magnitudine febris: ſequitur de eius Motu; qui cognoſci nequit, ſine temporum & horarum doctrina; vnde iam de temporibus febrium dicendi locus eſſe videtur. Proponemus igitur primum eſſentiam temporum; ſecundo differentias; tertio rationem tempora cognoſcendi, vt appareat in quibus febribus reperiantur.

Tempus quid.

Tempus ſumitur dupliciter, e cap. 35. lib. ad Thraſybulum: primo pro tempore materiei remedii, id eſt, pro quando agendum: deinde pro parte ipſius morbi, de quo iam loquimur. Hoc tempus definitur a Galeno cap. 35. & 37. lib. ad Thraſyb. quod ſit *motio cauſſarum in corpore febricitante.* Vbi notandum tempus duobus modis accipi poſſe, nimirum ſecundum ſuum eſſe vel formale, vel materiale. Secundum eſſe formale, tempus non eſt motus, ſed numerus motus ſecũdum prius & poſterius; numeratur enim ab anima, a qua ita dependet, vt extra eam eſſe non poſſit. Secundum eſſe materiale, dependet, a continuitate & ſucceſſione, & proinde a motu: & ſic eſſe ſuum non in anima habet, ſed extra animam, vt ſit quippiam reale extra animam. Et hoc poſtremo modo Galenus definiuit. Per cauſſas autem in hac definitione Galenus intelligit id omne, quod habet vim agendi & lędendi; vt eſt non tantum cauſſa morbifica, ſed etiam morbus & ſymptoma, in quibus omnibus tempus locum habet.

De temporum differentiis, dierumque medicorum computatione.

Temporũ febris partitio.

TEmpora ſunt 4. vt docetur cap. 2. lib. 1. de totius morbi temporibus: nimirum Principium, Augmentum, Status, Declinatio. Et hæc tempora, vel ſunt Vniuerſalia, ſeu communia, quæ perpenduntur ratione totius febris; vel Particularia, ſeu determinata, quæ perpenduntur in acceſſionibus, ſeu periodis febrium. Tempora igitur vniuerſalia pertinent ad tria, quoniam etiam tria ſunt præter naturam: ad febrem, cauſſam febris, & ſymptomata, quia hæc tria habent rationem lædentis. Vnde apparet tempora non ſumi ratione intenſionis & remiſſionis rerum præter naturam: nam in omni hectica a principio ad finem, febris parua, remiſſa & æqualis permanet, nec intenditur. Oportet igitur vt tempora capiantur ab actione febris; vt *principium* febris ſit, dum febris agere incipit, & eo tempore actio eſt ita remiſſa, & læſio ita exigua, vt natura nondum reagat. *Augmentum* eſt, dum febris magis lædit, ita vt virtus reagere incipiat. *Status* eſt, dum ſumma eſt actio inter febrem & naturam. *Declinatio* eſt, dum imminuitur actio & læſio febris, ita vt virtus ſuperet. Dum dicitur febris agere, per febrem intelligitur, vel cauſſa efficiens, vt calor accenſus in corde; vel cauſſa formalis, vt dyſcraſia calida partium ſimilarium viuentium totius corporis. Sic etiam virtus, ſeu natura, ſeu facultas, in reagendo duplici vtitur inſtrumento: nimirum ratione cordis & cauſſæ efficientis, vtitur calido innato cordis; ratione formæ, vtitur temperie partium ſimilarium corporis. Pugna igitur febris & naturæ, eſt inter gradus caloris ſecundum naturam, & caloris præter naturam: in declinatione enim, verbi gratia, ita vincit natura, vt prorſus deleantur omnes gradus præter naturam, & cauſſæ efficientis febris, & cauſſæ formalis.

Tempora definiuntur actione febris & naturæ.

Febris quo inſtrumento agat. Natura vt reagat.

Vnde principium numerationis dierum ſit petendum.

Quæritur autem, vnde incipere debeamus numerare dies febris. Reſpondendum e c. 5. l. 5. Aetii, numerandos eſſe dies, ab illo tempore, quo ſenſibiliter læduntur operationes, id eſt, quo patiens eget decubitu, non autem quo decumbit: multi enim licet egeant decubitu, non tamen decumbunt.

Dies medicorum.

Porro de *die medicorum* notandum eſt, eum eſſe breuiorem vulgari: nam 20. dies vulgares, conſtituunt medicos dies 21. Galenus enim cap. 9. lib. 3. de diebus decretoriis, ait, menſem lunarem eſſe coniungendum cum menſe apparitionis: quia corpora febricitantia potiſſi. afficiuntur ſecundum mutationem pertinentem ad hos menſes. At menſis lunaris habet dies 27. horas 8. menſis apparitionis habet dies 26. horas 12. Ideo ſi duo hi menſes vniantur, fiunt D. 53. H. 20. vt vnus menſis habeat dimidium, nimirum D. 26. H. 22. Septenarius igitur medicorum abſoluitur ſpatio 6. dierum vulgarium, & hor. 17. $\frac{1}{2}$; vt tres ſeptenarii medici, abſoluantur diebus 20. vulgaribus, & hor. 4 $\frac{1}{2}$. dies enim medicus conſtat horis vulgaribus 22 $\frac{6}{7}$. id eſt ſcrup. primis 51 $\frac{3}{7}$. ita vt a ſingulis diebus vulgaribus paullo plus vna hora ſit detrahendum.

D.med. 21.—ſunt D.vulg. 20.— Ergo 24.H. D.med. 1. continet H. 22.51.52.″.

1
68
480 (H.22. 18 | 6—60—360 (51 3/7 &c.
211   21 | 7— 1— 77
2

Principiũ.

Principium febris totius (non paroxyſmi) tribus modis dicitur, c.19.l.1. criſ. primum pro morbi inſultu: ſecundo pro tribus primis diebus, ſicut accipiebat Theſſalus: tertio pro quarta morbi parte, ſicut nos in pręſentia capimus. Hoc principium determinatur per cruditatem: materia enim cruda in virtutem agit, virtus autem ſeu calor non reagit. Et quidem ſi cruditas eſt exacta (c.17.l.1. criſ. prima principii pars eſt: ſi non exacta, id eſt, ſi aliqua leuicula ſit coctio, eſt ſecunda pars principii. *Augmentum* eſt, quando natura euidenter agit in materiam morbificam, id eſt, quando coctio euidenter apparet, ita vt humores vel coquantur, vel corrumpantur; tunc enim pugna eſt euidens inter materiam & calorem. *Status* eſt, dum ſumma eſt pugna inter naturam & materiam, vt tum perfecta ſit vel coctio, vel corruptio. *Declinatio* eſt, quando materia non modo exacte cocta eſt, ſed etiam aliqua e parte euacuata: ad declinationem enim tantum pertinet materia concocta, nequaquam autem corrupta.

Augmentũ. Status. Declinatio.

Obiectio.

Obiici autem hic poſſet, cur Galenus dicat l.3. de criſ. in declinatione materiam eſſe coctam: parum tamen materiæ ſupereſſe, quæ nondum ſit cocta?

Reſponſio. In ſtatu eſt neceſſarium, vt materia ſit exacte cocta; non tamen neceſſarium eſt, vt ſemper tota ſit exacte cocta: quia non ſemper eſt homogenea: alia enim tenuior, alia craſſior eſt: ſufficit igitur ad conſtituendum ſtatum, vt materia perfecte ſit cocta ſecundum maiorem ſui partem. Morbus interim non redditur periculoſus ratione materiæ, ſeu portionis nondum coctæ; quia eſt declinatio: ſed poteſt tamen excitare nouum morbum, a quo periculum immineat; ſic enim a reliquis recidiuæ fiunt. Et hæc de temporibus vniuerſalibus, quæ pertinent ad totam febrem, & ad materiam totius febris, & ad ſymptomata, quæ comitantur febrem a principio vſque ad finem, prout ſymptomata incipiunt, augentur, conſiſtunt, & declinant.

Particularia tẽpora. Periodus.

Particularia tempora, non pertinent ad totam febrem, ſed ad periodos. *Periodus autem eſt tempus intenſionis & remiſſionis, cum febris ab eodem ad idem redit:* vt febris incipit, verbi gratia, hora 10. redibit ergo hora 10. Et, febris incipit cum rigore: redibit ergo cum rigore. In periodo autem clauditur *Typus: qui nil aliud eſt, quam ordo intenſionis & remiſſionis comprehenſus a periodo.* Typus autem eſt Primus, vel Secundus: conſiſtens, vel Mobilis: Simplex, vel Compoſitus. Primus typus eſt, quando in periodo breuis eſt acceſſio, & longa remiſſio, ſecundus contra: vt verbi gratia, typus primus ſit quatridianus, in quo breuis acceſſio, longa remiſſio: typus ſecundus, ſit quotidianus, &c. Typus conſiſtens eſt, qui ſeruat eandem horam: Mobilis contra, qui vel anticipat, vel poſtponit. Simplex eſt, qui pertinet ad vnicam tãtum febris ſpeciem; compoſitus, contra:

Typus.

Tempora vniuerſalia in ſingulis febribus declarantur.

Tempora febrium intermittentium, in quibus materia de loco ad locũ mouetur. 1. Principiũ.

NOn autem eadem temporum ratio eſt in omnibus febribus. Nam in febribus materia quandoque mouetur a venis extra venas; quandoque non mouetur, ſed quieſcit. *In febribus igitur intermittentibus, in quibus primum materia mouetur de loco ad locum,* ſunt 6. tempora (cap.4. & 6. lib. de morb.temp.) nimirum principium, inæqualitas, incrementum, ſtatus, declinatio, & integritas, ſeu interuallum. Tota enim periodus diuiditur in accerſionem, quæ pars eſt deterior; & remiſſionem, quæ benignior: ad accerſionem pertinent 4. priora tempora; ad remiſſionem duo poſteriora. Principium eſt, quando materia incipit moueri, & natura nondum cœpit agere in materiam. Alucinatus ergo fuit Fernelius, & recte ab Altimaro reprehenditur, quod dixit, rigorem eſſe principium accerſionis; eſt enim tantum ſignum principii; quoniam ſi adeſt frigus, vel rigor, eſt principium periodi: c.3. & 4. l. de tot.morb.temp. Quod ſi rigor eſſet principium; tunc in omni principio accerſionis neceſſario eſſet febris: quod tamen falſum eſt. Nec tamẽ Altimarus recte loquitur, qui voluit rigorẽ nõ eſſe principium febris, ſed accerſionis. Nam Gal.t.39.l.4. acut. vict. inquit: dum frigus eſt, non oportet cibare: nam febris imminet: ſi imminet: nondum igitur eius principium. Et in lib. de inæq. intemperie ait; rigorem eſſe, dum materia nondum putruit: quod ſi materia nondum eſt putrida, febris etiam nondum eſt. Sic 2.cap.10.lib.method. ait, febrem inuadere cum horrore: ſi principium febris eſt cum horrore; ergo horror non eſt principium. Inæqualitas, ſeu ἀνωμαλία eſt, quando materia incipit putreſcere, ita vt putridæ fuligines cor petant, calorque febrilis extra cor diffundatur; & dum expanditur febrilis calor, natura aggrediatur pugnam aduerſus materiam. Augmentum eſt, cum calor æqualiter eſt expanſus per omnes partes, gradus vero intenditur, virtus reagit in materiam morbificam. Status eſt cum in calore febrili omnibus modis eſt æqualitas, id eſt, quando calor & expanſus eſt per omnes partes, & ſeruat eundem gradum. Declinatio eſt, quando eſt inæqualitas in calore ſecundum gradum, id eſt, calor minuitur, & natura vincit: & proinde e Galeno penultim. text. lib. 1. de ratione vict. ob victoriam naturæ calor febrilis deſerit cor, & inuadit extrema, ac pedes: propterea cibandus eo tempore eſt, calore ad pedes deſcendente. Integritas, ſeu interuallum eſt, quando febris non adeſt. Hæc tamen 6. tempora, ad 4. poſſunt reſtringi: nam inæqualitas ſecundum partem priorem reducitur ad principium; ſecundum poſteriorem, ad augmentum: Integritas vero non eſt tempus febris, ſed periodi; & propterea Galenus cap. 11. lib. 1. ad Glaucon. admittebat, vt patientes quartanam febrem in interuallo

2. Inæqualitas. 3. Augmentum. 4. Status. 5. Declinatio. 6. Integritas.

propria

A propria obirent munera, ſeque exercerent; quod non eſſet morbus eo tempore. Et hęc de febre intermittente, in qua materia mouetur de loco ad locum.

Datur vero etiam febris intermittens, in qua materia non mouetur de loco ad locum, ſed retinetur in parte. Galenus enim cap. vlt. l. 2. de diff. feb. ait, interdum in corporis parte eſſe imbecillitatem, vt non modo generentur ſuperfluitates, ſed etiam vt hæ expelli nequeant: neceſſario igitur putreſcunt; & propterea fit febris putrida; quæ deducitur ad intermiſſionem, euacuata materia. Quia vero adhuc perſiſtit imbecillitas in parte; neceſſario adhuc regenerantur ſuperfluitates; quæ cum non poſſint expelli, putreſcunt, & aliam acceſſionem generant. In his ergo febribus principium eſt, cum ſuperfluitas incipit putreſcere, & tum in parte calor accenditur ratione putredinis, cuius caloris vi ad hanc partem fit fluxio a reliquis partibus:
& proinde hoc tempore partes reliquæ, priuatæ calore & ſanguine, refrigerantur; vt hæc refrigeratio ſit 1.
B priuatiua, non poſitiua. Augmentum eſt, cum a materia putrida fuligines putridæ cor petunt, ita vt acceſſi 2.
ſint humores cordis, & calidum innatum cordis ſit redditum igneum: vnde calor febrilis in totum tranſ-
miſſus eſt: & hoc tempore natura in febrem agit, & natura partis agit in materiam. Status eſt, dum ad ſum- 3.
mum feruoris perducta eſt materia, & ſumma eſt pugna inter calorem & materiam. Declinatio eſt, ſi na- 4.
tura ſuperat, & euacuatur materia in hac victoria; & hoc quidem ſpecie ſudoris, ſi materia eſt tenuior, expultrix robuſtior, pori cutis rariores: ſi contra, euacuatio fit forma vaporis. Facta euacuatione non eſt amplius febris, ſed integritas.

Tempora febrium intermittentium, in quibus materia non mouetur de loco ad locum.

Continuæ febres ad integritatem nunquam deueniunt. Et hæ vel non habẽt tempora particularia, vel habent. Non habent tempora particularia, in quibus materia non mouetur, ſed putreſcit in magnis vaſis, citra motum; & hæ abſoluuntur vnica tantum acceſſione, nec habent periodos. Habent autem tempora
C particularia eæ febres continuæ, in quibus materia mouetur, & motus eſt in venis, Motus vero hic, vel eſt ad venas remotiſſimas, & tunc quinque illa tempora, princip. inæqualitas, &c. ſatis ſunt euidẽtia & diſtincta; vel ad venas non ita remotas, & tunc tempora non ita ſunt diſtincta, ſed principium, inæqualitas, & augmentum, confunduntur.

Tempora febrium continuarum.

Porro *in febribus hecticis* tempora perpendenda ſunt tantum ratione eſſentiæ febris: non autem ratione ſymptomatum, quia cum febris hectica ſuapte natura ſit debilis, debilia etiam ſunt ſymptomata, vt horum tempora non ſint perpendenda: nec etiam ratione materiæ tempora ſunt perpendenda, quia hectica non fouetur a materia propria, vt tertiana. Deſumenda igitur tempora ab eſſentia, non ratione gradus febris, qui ſemper idem eſt; ſed ratione actionis in humiditatem roridam cordis: cap. 9. l. 1. de diff. febr.
Principium ergo eſt, dum calor febrilis ita agit in humiditatem roridam cordis, vt eam plus iuſto calefaci- 1.
D at, ſed nondum incipiat conſumere. Augmentum eſt, quando incipit conſumere: & hoc tempore natura 2.
incipit reagere. In ſtatu, eſt ſumma pugna, & facta eſt conſumtio humiditatis roridę, quę fieri poteſt in hac 3.
febre ſalubri. Declinatio eſt, quando humiditas rorida incipit reſtaurari, propterea quod natura vincit. 4.
In hac ergo febre virtus ſeu id quod agit, non eſt humiditas rorida, (hęc enim patitur, conſumitur, reſtauratur:) ſed facultas naturalis reſidens in corde, quæ calido innato cordis, & temperamento cordis, vtitur pro inſtrumentis, ſecundum gradus naturales. Febris autem eſſentia, per gradus non naturales aduerſatur humiditati roridæ, inflammando & conſumendo.

Tempora febris hecticæ.

In febre ephemera, quæ & re & nomine talis eſt, non poſſunt ſumi tempora a materia, quia nulla eſt: nec a ſymptomatibus, quia hæc ſatis ſunt debilia: nec ab eſſentia ſeu forma ephemeræ, quæ eſt morbus calidus in toto, non habens permanentiam ex vſu. Capienda ergo ſunt tempora ephemeræ ab eius eſſentia,
E quatenus hæc pertinet non ad cauſſam formalem, ſed ad efficientem: cauſſa autem efficiens, erat ſpiritus vitalis, primo in corde accenſus, qui calidum cordis reddit igneum: tempora ergo capi debent, ab hoc calore igneo reddito vt, vel incipit, vel augetur, vel conſiſtit, vel ſuperatur.

Tempora febris ephemeræ exquiſitæ.

In febre, quæ re tantum, non autem nomine eſt ephemera, id eſt, in ſynocho non putri, tempora capiuntur ab eſſentia, a materia, & a ſymptomatibus: & ab eſſentia, tum ratione formæ, tum ratione cauſſæ efficiẽtis; vt e ſuperius dictis patet. A materia; quatenus hæc febris producitur ab excrementis ichoroſis, a ſanguine calidiore non putrefacto. A ſymptomatis: dum hæc incipiunt, intenduntur, conſiſtunt, & remittunt. Et hæc de temporibus vniuerſalibus in febribus ſalubribus.

Tempora ſynochi imputris.

In febribus inſalubribus & lethalibus, non reperiuntur omnia tempora; nõ enim in iis eſt declinatio, quia in declinatione nemo moritur. Habent ergo interdum tria tempora; interdum duo: quandoq; vnũ
F tantum: prout mors fit vel in principio, vel augmento, vel ſtatu. cap. 1. lib. de tot. morb. tempor. In principio quidem fit mors, ſi febris ſit valde vehemens, & virtus maxime imbecilla: ſi autem non ſit tanta vehementia, nec tanta virtutis imbecillitas; æger in augmento moritur: ſi adhuc minor; in ſtatu: cap. 2. lib. 1. de criſibus.

Tempora vniuerſalia febrium inſalubrium.

De temporibus febrium particularibus.

ET hactenus dictum ſit, quomodo tempora vniuerſalia in febribus reperiantur. Deinceps docendum, quomodo particularia reperiantur, & in ſalubribus, & in inſalubribus. Quoad *ſalubres:* & primũ quoad hecticas; in his non reperiuntur tempora particularia. In ephemeris autẽ aliquibus reperiuntur: etiam ſi multi non ſine maximo errore hoc negent: in quibuſdam enim ſunt acceſſiones non duæ tantum, ſed etiam vſque ad ſeptem. c. 3. l. 10. meth. neceſſe ergo eſt, vt in his etiam ſint tempora particularia, quæ pertinẽt
G ad materiam morbificam. Quoad putridas febres, hæ ſunt Intermittentes, vel Continuæ. In intermittentibus reperiuntur 6. tempora. Continuæ vel ſunt Continentes, vel Continuæ proportionatæ. Continentes non habent tempora particularia, ſed tantum vniuerſalia; quia vna tantum acceſſione abſoluuntur. Continuæ proportionatæ, ſi materia putreſcit in venis remotiſſimis, habent quinque tempora particularia; ſi in venis non ita remotis, quatuor.

Tempora particularia in febribus ſalubribus.

Tempora particularia in febribus insalubribus.

Quantum ad febres *insalubres*; hæ possunt habere tempora 4. vel 3. vel 2. vel 1. vt docetur cap. 9. l. 3. de cris. Occidunt enim potiss. in principio, dum materia est vel copiosior, vel crassior: vel coniuncta est magna inflammatio: occidunt etiam in augmento & statu, dum vehementia rerum præter naturam est mitior: occidunt denique in declinatione, propter virtutis imbecillitatem; quę quamuis potuerit resistere vehementiæ rerum præter naturam per tria tempora, ob imbecillitatem tamen dissoluitur habitus, id est, substantia calidi innati, vnde mors in declinatione. A

Dubia quædam circa febrium tempora discutiuntur.

Quando coincidant tempora vniuersalia, ab essentia, caussa, & symptomatib9 sumta.

Q*Varitur autem de temporibus tum Vniuersalibus, tum Particularibus, num coincidant ea, quæ a materia, symptomatibus, & essentia sumuntur?* Hoc ad curationem multum facit. De vniuersalibus. Si conferatur essentia febris, cum materia, quæ fuit in caussa febris, & cum symptomatibus pathognomonicis; tum tempora coincidunt: vt eodem tempore sit principium ratione essentiæ, ratione materiæ, & ratione symptomatum. Ratio est: nam quoad materiam; ab hac efficitur & fouetur febris, vt dum vis materię est debilis, etiam febris sit debilis. Hic tamen notandum; paritatem esse seruandam ratione copiæ materiæ, & essentiæ ipsius febris: nam in synocho decrescente ratione materiæ non est declinatio, sicuti ratione febris, quæ decrescit: & ratio est, quia non seruatur paritas materiæ, cum hæc euacuetur; non tamen est declinatio ratione materiæ, quia materia non est concocta & victa. B

Quoad symptomata pathognomonica; horum etiam tempora coincidunt cum essentia febris: quia Febrem, vt vmbra corpus, sequuntur. *Obiectio. Quomodo igitur ait Galenus com. 29. aph. sect. 2. in statu fortiora esse symptomata: morbum autem siquidem salubris sit, mitiore?* Responsio: in statu morbus est vehementior, ratione essentiæ: & sic etiam symptomata in statu sunt vehementia; ratione essentiæ: sed ratione facultatis regentis, fieri potest vt symptomata tunc sint mitia. Sic etiam t. vltim. lib. 3. de vict. acut. dicit, affectum esse mitiorem, id est, debilem, scilicet ratione facultatis: symptomata autem fortiora, id est, intensiora, scilicet ratione essentiæ. C

Quando non coincidant tempora vniuersalia.

Quod si vero conferatur febris, cum materia noua; & symptomatibus non pathognomonicis; tempora non coincidunt. Ratio est: nam materia noua agere incipit, dum morbus est in augmento: similiter symptomata non necessario dependent a febre, vt propterea non habeant idem tempus.

Tempora particularia num coincidant.

Similiter statuendum est de temporibus particularibus, quod ratione essentiæ non coincidant: nam materia in accessione primum facit rigorem, antequam febrem efficiat: proinde aliud est tempus febri, aliud materiæ.

Num in omni febri salubri sint 4. tempora.

Controuertitur etiam, num in omni febri salubri reperiantur 4. tempora. Responsio. Affirmatur a Galeno cap. 1. l. de tot. morb. temporibus: & c. 7. & 17. l. 1. de cris. ita vt etiam in detruncatione colli reperiantur. *Obiicitur autem quod Galenus cap. 2. l. de tot. morb. temp. ait, quæ in instanti generantur, vt febris, carere principio?* At respondendum, principium essentiæ, non capiendum a febre, vt generatur: producitur enim veluti in instanti: sed ab essentia febris, vt est genita febris, ita vt incipiat agere: hoc enim est principium. *Obiicitur etiam e cap. 47. l. ad Thrasyb. acutos morbos, quamprimum inuadunt, ad summum ascendere, & proinde carere augmento?* Respondendum, e c. 4. l. de morb. temp. in morbis salubribus 4. reperiri tempora, si non semper ex vsu, quia interdum celerrime pertranseunt, nec satis semper perdurant: vt contingit in acutis. *Obiicitur denique ex eodem loco proxime citato, nim. c. 47. l. ad Thras. morbos qui indicātur, carere declinatione?* Respondendum: omnes morbos salubres habere 4. tempora, nisi præsidio vel naturæ, vel artis tollantur: vnde Galenus c. 9. l. 3. de cris. ait, morbos carere declinatione ob crises repentinas. D E

Num quis moriatur, in declinatione vniuersali.

Quæritur, num mors cōtingere possit in declinatione vniuersali? Negatur c. 5. & 9. l. de cris. vnde & Hippocrates aph. 45. sect. 2. l. 1. epid. ait, coctionem polliceri securitatem: & ratio est, quia natura superat, & victrix est. *Obiicitur tamen: homo potest mori in declinatione particulari. Et etiam in vniuersali? Responsio consequentia: nam virtus est fortior in principio vniuersali, in quo est declinatio particularis.* Responsio. In declinatione vniuersali, natura iam victrix est, & superauit; non autem agit & superat. Contra vero in particulari declinatione materia morbifica ratione totius nondum est victa. Notandum autem hoc loco, quod si materia sit heterogenea; tum ratione portionis crudæ, mortem posse contingere, etiam in declinatione vniuersali: non tamē fit mors in declinatione huius morbi, sed in alio tempore morbi noui subsequentis, seu recidiuæ. *Obiicitur etiam e text. 67. l. 3. progn. in peripneumonia non sufficere coctionem, sed etiam exspuitione opus esse: posse enim ægrum mori, etiam facta coctione, id est, in declinatione, nisi exspuatur.* Responsio. Periculum mortis non impendet ratione huius morbi, sed alterius succedentis; materia enim excrementitia, licet cocta sit, nisi exspuatur, corrumpitur, nouumque facit morbum, in quo (ante tamē noui huius morbi declinationem) æger moritur. *Obiicitur etiam e c. 4. l. de temp. tot. morbi; in detruncatione ceruicis reperiri quatuor tempora, & tamen esse mortem?* Respondeo. Ratione detruncantis sunt quatuor tempora: hic enim (quia motus fit successiue) incipit & definit: at ratione solutæ vnitatis præter naturam, hæc in principio interficit. *Obiicitur denique e c. 4. l. 9. meth. in synocho decrescente hominem posse mori?* Responsio. In synocho decrescente est declinatio, sed ratione febris essentiæ, non autem ratione materiæ; hæc potest esse in principio, augmento. Sicut etiam Auic. ait, hominem posse mori in declinatione variolarum; quia est declinatio ratione variolarum, non tamen ratione morbi & febris. F G

Signa temporum vniuersalium.

1 Species morbi.

SIgna temporum vniuersalium potissimum referuntur ab Auicenna ad Statum. Proponuntur autem duodecim. I. *Idea, seu Species morbi*, quæ potissimum per motum significat statum futurum: velox enim motus, significat statum cito futurum; tardus, tardum. Diximus ideam potissimum significare per mo-

A per motum: nam significat etiam per vehementiam: vt febris vehemens secundum essentiam: qualis est ardens, significat cito statum futurum. Sic morbus vehemens ratione dignitatis, vt inflammatio pulmonum, indicat cito statum futurum. Sic morbus vehemens ratione facultatis regentis, vt febris pestilens, significat cito futurum statum. II. *Signum est motus ægritudinis, ratione accessionum*: paroxysmi enim breues, significant statum proximum: longi, longinquum. Quod si febris prorsus nullos habeat paroxysmos, vt continua; indicatur status omnino proximus. III. *Signum est figura*: Si enim facies, vna cum hypochondriis cito extenuetur; tum indicatur febris acuta, & velocis motus: si autem corpus non minuitur; secundum comment. aphoris. 28 sectio. 2. signum est longitudinis; quia hoc fit ob cutem densam, aut humorem crassum. Notandum, hoc signum in febre tantum vehementi locum habere: nam in ephemera, licet hæc breuis sit, non tamen mutatur figura. IV. *Signum est virtus*: si enim virtus cito fiat debilis; in-

2. accessiones longæ, breues.

3. figura.

B dicatur morbus acutus, & velocis motus. V. *Signum est tempus anni, & ætas*: si enim hæc vergant ad caliditatem; indicant materiam calidam, & breuitatem morbi: si ad frigiditatem; contra. *Huc etiam pertinet cæli status, regio, consuetudo, institutum vitæ. Eadem etiam ratio est mensis, ac diei.* Aetius enim capite 162. serm. 5. lib. 1. mensem lunarem diuidit in 4. septimanas; e quibus prima a nouilunio assimilatur veri, & febres quæ in ea incipiunt, non sunt admodum longæ: altera assimilatur æstati, & febres huius sunt breuiores. tertia quæ incipit a plenilunio, assimilatur autumno, & febres parit longiores: quarta assimilatur hyemi, & febres huius adhuc longiores. Sic & dies aphor. 15. sect. 1. li. 6. epid. diuiditur in 4. partes: in tempus matutinum, quod veri assimilatur; in meridiem, quæ æstati; in vesperam, quæ autumno; in noctem, quæ hyemi. Hinc nocturnæ febres sunt longiores diurnis, quia nox assimilatur hyemi; quod verum est ratio-

4. virtus.

5 tempus.

C ne humorum; interdiu enim mouentur humores calidiores, noctu frigidiores. At ratione præsidiorum, diurnæ febres sunt diuturniores nocturnis, secundum aphor. 6. sect. 3. li. 1. epid. quia materiæ præsidiorum noctu non commode administrari possunt. Vt enim hoc signum valeat, oportet esse paritatem in copia & quantitate materiæ: nam si æstate febris fiat a materia copiosa & frigida; hyeme, a non copiosa & calida: tum certe febris hyemalis erit breuior. Oportet etiam febres esse eiusdem speciei: vt febris biliosa æstiua, breuior est biliosa hyemali: fieri tamen potest vt biliosa hyemalis, sit breuior quotidiana æstiua. Oportet etiam febrem fieri a materia: nam simplex intemperies calida, sine materia dubio procul longior est in æstate, quam in hyeme. Postremo oportet materiam esse excrementitiam, non alimentalem: nam materia alimentalis in hyeme citius concoquitur. VI. *Signum, est pulsus frequens, velox, magnus*: indicatur febris 6. pulsus.
acuta & velocis motus. VII. *Signum est rigor*: Si enim febres incipiunt cum rigore, sunt longiores: rigor 7. rigor.

D enim significat materiam esse minus vehementem, ratione facultatis, quia computruerit extra venas. Rigoris autem absentia, significat materiam putrescere in venis, & vehementiorem esse, ratione dignitatis, & ratione facultatis, ideoque breuiorem: ratione dignitatis, quia materia est in venis: ratione facultatis, quia facultas non potest expellere extra venas. Rigor etiam præsens, si sit breuior, febrem indicat breuiorem: est enim a materia pauca. VIII. *Signum est hora accessionis*: Si enim febris incipit eadem hora, significatur longa; Si anticipat; siquidem anticipatio est inæqualis, significatur augmentum, si æqualis, status. Si postponit, indicatur declinatio. Locum autem habet non qualibet anticipatio, sed quæ effatu digna est: cap. 3. lib. 1. de cris. IX. *signum, vehementia symptomatum in accessionibus*: si enim symptomata intenduntur, significatur augmentum: si remittuntur, declinatio: symptomatum enim vehementia; indicat vehementiam materiæ morbificæ, & hinc motum velocem. X. *signum, longitudo & breuitas accessionum*:

8. hora accessionis.

9. vehementia sympto matum.

10. duratio accessionu.

E Si. n. accessio posterior, longior est priori, indicatur augmentum: si contra, declinatio. XI. *signũ, dispositio euacuationis*: Si enim in priori accessione fiat euacuatio per sudorem, & succeeds accessio sit vel æque longa cum priori, vel etiam longior; indicatur febris longa, & materia copiosa. XII. *signum, coctio & cruditas in vrina*. In lotio ergo sunt signa cruditatis, coctionis, vel corruptionis: eaque debilia, euidentia, vel perfecta. In cruda vrina, substantia est tenuis; color albus; nulla contenta. In coctione debili, lotium tenue; color ab albo ad rufum vergens; contentum aliquod in lotio. In euidenti coctione, lotium aliquam habet crassitiem; color magis accedit ad rufum; in vrina conspicitur nebula. In coctione perfecta, lotium habet mediocrem crassitiem: colorem rufum, vel subflauum; rufum in corporibus temperatis, subflauum in calidioribus & biliosis: hypostasis lotii alba, læuis, æqualis. Debilis corruptio significatur lotio tenui; colore subnigro; contentum nullum adest. Corruptio euidens si sit, lotium e parte euadit crassum; nigredo augetur; nebula conspicitur, non albicans, quemadmodum in coctione, sed liuescens, & subni-

11. dispositio euacuationis.

12. coctio, & cruditas.

F gricans. Si perfecta est corruptio; tota lotii substantia est nigra, & cum sedimento nigro. Ex his igitur signis coctionis & cruditatis Galenus capite 16. libro 1. de cris. pronuntiat: si vrina aquosa permaneat, indicari statum longinquum; significat enim materiam maxima cum difficultate concoqui. Quod si autem post cruditatem appareant signa coctionis, bonum: si corruptionis, lethale. Methodus autem Auicennæ Semeiotica, hæc est:



Sequitur de signis indicantibus tempora particularia.

Principi signa.

PRINCIPIVM indicatur e pulsu coarctato, propter materiam suffocantem: vt pulsus ita coarctatus, si tardus secundum diastolem, rarus secundum internam quietem, quæ diastolen præcedit: præterea velox secundum systolen, & frequens secundum externam quietem, quæ systolen præcedit. Maior enim necessitas est in expellendo, quam in attrahendo: & propterea velocitas ac frequentia magis pertinet ad systolen. Secundo indicatur principium particulare, e colore plumbeo, subliuido, frigore extremorum, pedum, manuum, narium, &c. calor enim cum spiritu & sanguine, ad partes interiores vocatur. Tertio indicatur e pigritia: nam partes motui voluntario destinatę, sensuque tactus præditæ, aliqua e parte molestantur à materia morbifica; & eo magis, quo magis mouentur. Quarto indicatur principium ex angustia, id est, tristitia & dolore; idque propter rigorem horroremque. Quincto, indicatur e somno profundo: inter initia facile dormiunt ægri: dum enim calor ad cor retrahitur, cerebrum aliquantisper refrigeratur. Sexto indicatur, quod ægri vix palpebras alleuare possunt: quia, vt in tertio dictum est signo, materia mouetur extra, & partes molestat. Septimo indicatur, quod in ore saliua exsuperat; nam in principio accessionis fit concussio, rigor & horror, secundum partes oris: cuius ratione materiæ salivalis exprimitur, quæ residet in glandulis circa linguæ radicem. Octauo tussis molestat plerumque: quia tenuis portio illius humiditatis salivalis ad principium tracheiæ protruditur; vnde tussis sicca. Nono, æger in principio & statu, magis cruciatur, quam in augmento: nam in incremento nec calor est summus, vt in statu; nec ita cõcentratur, sicuti in principio. Et hæc sunt signa principii particularis *præsentis*. Ad præcognoscendum autem principium particulare *futurum*; obseruare oportet horam præcedentis paroxysmi; vt si secundus paroxysmus anticipet per duas horas, probabile est tertium paroxysmum posse anticipare per duas horas: ca.7.l.2.de diff.f.br. *Augmentum* indicatur e pulsu magno, frequenti, & calore expanso ad omnes partes. *Status* indicatur e summo calore, eoque consistente, qui nec augeatur, nec minuatur: item, e vehementia symptomatum: & e pulsu maiori, veloci, frequentiori, quam fuerit antea. *Declinatio* indicatur e remisso calore: pulsus pene ad naturalem accedit: adest sudor, & tandem febris eradicatio: & hęc quidem vera sunt in declinatione salubri. Interdum vero etiam in declinatione mortali, est quædam dispositio, similis dispositioni salubri: hæc tamen a salubri distinguetur e pulsu, c.9.li.3.de cris. Si enim calor febrilis remittit; pulsus tamen ad naturalem non accedit (vt in salutari declinatione) sed contra fit debilis, magisque inæqualis, ac inordinatus; cum declinatio est lethalis.

Augmenti signa. Status signa. Declinationis signa, tum veræ, tum falsæ.

CAPVT X.

De Ephemera febre: & primum de eius Definitione, Caussis, atque Signis.

Nomen.

EPHEMERÆ sæpe in morbos graues & incurabiles transeunt, si negligatur earum curatio; cap. vltim. lib.8. method. cap.2. lib.1. ad Glauc. Vocantur ephemeræ, quoniam non pertranseunt diem; comm. aphoris 55. sectio. 4. & capite secundo libri decimi method. quippe cum calor ipsorum in substantia tantum spirituosa subsistat.

Definitio.

Ephemera autem est febris producta a spiritibus vitalibus præter naturam excalfactis.

Modus generationis.

Modus generationis est talis: Caussa calefaciens, primum in calefacto esse constituit spiritus vitales, in corde exsistentes. Licet.n. interdum caussa calefaciens sit primitiua, quæ alia parte prius calefaciat, quã cor; quemadmodum radii Solares primum calefaciunt caput, illa tamen caliditas, a parte excalfacta impertitur cordi, vt spiritus vitales cordis inprimis ponantur in calefacto esse: vnde calidum cordis innatum redditur igneum: hincque toti calor communicatur.

De Caussis ephemerarum.

Caussæ Ephemeræ.

DE caussis ephemeræ Galenus diligenter loquitur, cap.2. lib.1. ad Glauc. & capite vltimo, lib.2. de cris. & cap.2. atque 5. li.8. meth. Caussa igitur morbifica, vel per Motum, vel per Calorem, vel per Vtrumque agit: vt supra cap.2. diximus. Per calorem agens, agit vel Actu, vel Potentia: item, per S., vel ex Accidente. Et hæc caussa est Primitiua, vel Antecedens; pertinetque (ca.85.art.par.) ad assumenda, facienda, retinen-

A retinenda,extrinſecus occurrentia. Aſſumenda excedunt copia,vel qualitate.Facienda excedunt,vel deficiunt. Extrinſecus occurrentia hic perpenduntur,quatenus nimis calefaciunt. Quæ retinentur; ea vel euacuantur cum debeant retineri; vel retinentur, cum debeant euacuari. Ad hæc ergo capita reſpiciens Auicennas:quantum ad facienda;proponit laborem,iram,triſtitiam. Quoad aſſumēda;crapulam,ebrietatem,&c. Quoad extrinſecus occurrentia;dolorem,apoſtema externum,id eſt,bubonem. Quoad retinenda;obſtructionem,quæ tamen adeo magna non eſt,vt in putridis febribus. Notandum autem, quod ait,proprium eſſe ephemerarum,non fieri a cauſſa antecedente,ſed a primitiua. Id quod Galenus capite ſeptimo,lib. 1. de differ.febr.non quidem proprium,ſed inſeparabile facit ephemeræ. *Hoc tamen videtur dubium eſſe: nam Galenus cap.4.lib.8 meth.proponit ephemeram ex obſtructione,quæ non fit a cauſſa externa, ſed ab antecedente. Et hanc cap.1.lib.9.meth. & ca.2.lib.10.meth.ait,ſolui vnico die,vt ſit & re & nomine ephemera.* B Reſponſio. Ephemera,vel re & nomine talis eſt,vel re tantum. Re & nomine, quando diem non tranſcendit,calorque in ſpiritibus eſt accenſus. Hæc duplex eſt: altera exacte exquiſita,altera non exacte exquiſita. Exacte exquiſita eſt,quam Galenus cap.vlt.lib.8.meth.& cap.8.lib.5.meth.ait,non eſſe in fieri, ſed in facto eſſe,vt hectica,id eſt,non foueri a cauſſa interna. Non exacte exquiſita eſt,quæ fit ex obſtructione ita exigua,vt diem non pertranſeat:& hæc a cauſſa antecedenti fieri poteſt. Ephemera re tantum, eſt febris ſynochus ſine putredine:calor enim eius accenſus eſt in ſpiritibus:ſed tamen diem tranſit:& hæc quoque fieri poteſt a cauſſa antecedente.Loquitur ergo Auicennas de exquiſita exacte.

Num ephemera cauſſam habeat antecedentem.

De Signis ephemerarum.

C AVicennas ſeptem proponit ſigna. I. eſt, quod ephemera exacte exquiſita non fit a cauſſa antecedente,ſed a primitiua. II. ſignum eſt,quod nō incipit cum coarctatione pulſus, vt putridæ:quia in ephemera non fit concentratio caloris & ſanguinis,ſicuti in putridis.Præterea,vt plurimum (non tamen ſemper) inuadit ſine rigore,pigritia, ſomno, &c. quæ in inuaſionibus aliarum febrium apparent: Cauſſa huius eſt;quod non adeſt materia,quæ per partes ſenſitiuas mouetur,vt in putridis. III. ſignum eſt calor mitis,parum mordax. ca.7. l.1. de diff.feb. reſidet enim in ſubiecto vaporoſo.Et hic in quibuſdam ephemeris,primo contactu mitis apparet,vt in ephemera ab ebrietate: in quibuſdam, vt in ephemera ex ardore ſolis,cutis calor primum apparet mordax,deinde fit mitis, quoniam procedit e ſpiritibus. IIII. ſignum eſt,quod in vrina primo die apparet concoctio,vrinaque rufa eſt,ſeu bene colorata.cap.7. lib.1. diff. febr. cap.2. lib.1, ad Glauc. cap.13. lib.2. de criſibus.

I. Cauſſa. II. Modus inuadendi. III. Caliditas. IIII. Vrina.

D *Vt autem horum ſymptomatum ratio reddi poſſit, lotii natura paucis explicanda.* Lotium igitur eſt excrementum tenue,genitum e portione aquoſa eorum,quæ per os ſunt aſſumta. Eſt igitur ſeroſum hoc & aquoſum excrementum chylificationis:& conficitur in ventriculo:formam autem vrinæ,vt nimirum dicatur excrementum ſanguinis,ſuſcipit in venis cauæ vltra ſimum iecoris,non in venis portæ ad cauum iecoris. In venis autem,dum coquunt,duplex ſegregatur excrementum; alterum tenue, craſſum alterum. Tenue,eſt bilis excrementitia,quæ genita in iecinoris parte ſima, non fuit expurgata per veſicam felleam: & propterea in venas perducta,beneficio caloris venarum miſcetur cum excremento ſeroſo:vt hoc, licet in ventriculo album fuerit genitum,in venis tamen cauę,ob miſtionem bilis excrementitiæ,reddatur coloratum,ſubflauum,ſubrufum. Craſſum excrementum venarum,eſt portio,quæ non exacte miſcetur cū excremento ſeroſo;& propterea degenerat in contentum,nebulam,hypoſtaſin. Quod ſi ergo nullum ſit vitium in aſſumtis,in ventriculo,in hepate, in venis;generatur lotium optimum: ſubſtantia eius medio- E criter erit craſſa:color vel ſubrufus in frigidioribus corporibus; vel ſubflauus in calidioribus: ſedimētum album, læue, æquale. Optimum etiam mingitur lotium iam generatum,ſi nullum ſit vitium in partibus per quas tranſit,vt in renibus,in veſica,in meatu vrinario.

De natura lotii in genere. Vrina formam recipit renis. Color vrinæ. Hypoſtaſis vrinæ. Vrina optima.

His ergo ſic breuiter explicatis;cum in ephemera vitium ſit in ſpiritibus,non in reliquis partibus:recte dixit Galenus,vrinam in ephemeris ſimilem eſſe naturali, vt exigua admodum ſit mutatio: magis tamen eſſe coloratam,quam ſecundum naturam,quia calor febrilis per venas diffunditur. Hoc autem verum eſt de ephemera,quatenus eſt ephemera:ſi enim aliquid connectatur,quod lædat partes prius propoſitas;mutatio etiam in vrina fiet:vt ſi ephemera ſit e cruditate;lotium euadet craſſius.

Ratio redditur vrinæ in ephemera.

V. ſignum eſt pulſus bonus,ſine ſignis inflammationis, non inæqualis in vna arteriæ compulſione; vel leuiter ſaltem inæqualis,qui ſoluta febre ſtatim ad naturalem redeat: id quod proprium & inſeparabi- F le eſt ephemerarum.cap.2.lib.1. ad Glauc. Addit Galenus cap.7. lib.3. de præſag. e pulſ. pulſum ephemeræ mutari in magnitudine,celeritate,& crebritate, vt fiat magnus atque vehemens.Præterea ait capite ſeptimo,libro primo,de differen.febr.inſeparabile & proprium eſſe ephemeræ,quod pulſus ad magnitudinem & celeritatem effatu dignam accedit, quod frequentia a proportione deficit ſecundum exteriorem quietem, vt nullo modo ſyſtole ad celeritatem tendat, vel (ſi hoc aliquando contingat) ita leuiter, vt vix percipiatur. Pulſus etiam ephemeræ dicitur æqualis,mollis,ordinatus. capite decimo tertio, libro ſecundo, de criſ.

V. Pulſus.

Vt autem tum hæc,tum quæ in reliquis febribus de pulſu afferemus, recte intelligi queant; doctrina pulſuum paulo altius repetenda fuerit. Quare docebimus quid pulſus, quot eius differentiæ,quæ differentiarum cauſſæ,& quomodo cognoſcantur.

Digreſſio ad generalē doctrinam de PVLSIBVS.

G Pulſus eſt motus dilatationis & contractionis arteriarum,procedens a vi pulſifica, vt ſeruetur calor inſitus partium.Per partes intelligo omnes,excepto corde:ſic enim Galenus,capite duodecimo,lib.16. de vſu part. ait, arterias propterea inſeri partibus, vt ſeruent caloris ſymmetriam in omnibus præterquam in corde: id quod arteriæ motu efficiunt; cuius beneficio calidum innatum nec diſſoluitur, nec ſuffocatur, nec igneſcit.

Pulſus quid?

Differentiæ pulsus. 1. a Forma.

Ex his differentiæ pulsuum facile patent. Pulsus enim vel consideratur Absolute; vel Respectiue, A
collatione ad alios pulsus facta. Si absolute consideratur, differentiæ sumi possunt, a Forma, a Subiecto, &
a Caussa efficiente (non a fine, qui semper est vnicus:) Forma pulsus, est motus geminus, scilicet dilata-

Tempus motus. Quies.

tionis, & contractionis, in tempore factus. Quatenus ergo pulsus fit in tempore; pulsus est vel Moderatus,
qui fit in tempore moderato: vel Immoderatus, qui fit in tēpore non moderato: & hic est Velox, aut Tar-
dus. Quatenus motus est geminus, necesse est intermediam esse quietem: hinc pulsus vel est Moderatus
secundum quietem, vel Immoderatus, prout quies vel moderata est, vel immoderata: & Immoderatus se-
cundum quietem, est Rarus, vel Frequens. Rarus est, cum inter quietem & quietem est longum interual-

2. a subiecto. Dimensio arteriæ.

lum: frequens, si breue. Subiectum pulsus sunt arteriæ. Arteria autem duobus modis potest considerari;
primo, vt Corpus: secundo, vt Genitum a facultate generatrice. Arteria, vt corpus considerata, tribus cō-
stat dimensionibus. Dimensiones autem vel Seorsim considerantur; Longitudo, Latitudo, Profunditas, B
seu altitudo: vel Coniunctim. Ratione longitudinis, pulsus est Moderatus, vel Immoderatus: & hic Lon-
gus, vel Breuis. Ratione latitudinis, pulsus est Moderatus, vel Immoderatus: & hic Latus, vel Angustus.
Ratione profunditatis, pulsus est Moderatus, vel Immoderatus: & hic Altus, vel Humilis. Si dimensiones
simul sumantur; tum pulsus, vel est Moderatus secundum corpus & quantitatem arteriæ, vel Immodera-
tus: & hic Magnus, vel Paruus. Secundo modo arteria consideratur vt corpus genitum a facultate gene-
ratrice. Generatrix autem agit per Alteratricem, aut per Formatricem. Si per alteratricem; tunc tribuit

Arteriæ durities & mollities.

arteriæ Temperiem, & Consequentia temperiem. A temperie non sumuntur pulsus differentiæ: nisi quis
velit dicere, pulsum esse Calidum, aut Frigidum. Consequuntur temperiem durities, & mollities: vnde
pulsus vel Moderatus dicitur secundum id quod temperiem cōsequitur, vel Immoderatus: & hic Durus,

Arteriæ cauitas. 3. a caussa efficiente.

vel Mollis. Formatrix porro arteriam efficit vel magis, vel minus cauam: vnde pulsus vel Moderatus se- C
cundum cauitatem, vel Immoderatus: & hic Plenus, vel Vacuus. Caussa effectrix pulsus est facultas natu-
ralis: attractrix quidem, in dilatatione arteriarum; expultrix vero in contractione. Et hæ facultates con-
currunt, vt influunt a corde, adiuuante tamen calido insito ipsarum arteriarum. Hinc ergo pulsus, vel est

Pulsus relate considerati.

Moderatus secundum facultatem seu caussam efficientem, vel Immoderatus: & hic Vehemens, vel Debi-
lis. Hæc de pulsu absolute considerato. In pulsu autem respectiue considerato, perpendimus Æqualita-
tem, Ordinem, & Rhythmum seu proportionem. Hinc pulsus Æqualis, vel Inæqualis: Ordinatus, vel In-
ordinatus (*notetur, inæqualitatem comprehendi posse, & in vno pulsu, & in pluribus: ordinem autem necessa-
rio in pluribus, non in vno tantum.*) Proportionatus, vel Improportionatus.

Sequitur, vt de caussis differentiarum pulsus agamus. E pulsus finitione patet, ad producendum pul-
sum tria concurrere: nempe facultatem, instrumentum, & vsum; hæc enim tria si eundem seruant statum, D
pulsus non mutantur: contra autem mutatur pulsus, si hæc tria mutentur. Facultas autem mutatur, quan-
do idem robur non seruat: instrumentum mutatur, si non sit æque obediens facultati: vsus mutatur, si vel
excedat, vel deficiat. Caussæ autem mutantes facultatem, instrumentum, vel vsum, sunt Naturales, vel
Non naturales. Naturales mutant iam proposita citra violentiam. Non naturales mutant cum violentia:
& hæ vel Intra sanitatis limites adhuc consistunt; quæ mutant cum quadam violentia, sed leuiore: vel Ex-
cedunt latitudinem sanitatis, & morbosæ sunt; quæ magna violentia mutant, vt pulsus fiant naturalibus
dissimillimi. Naturales caussæ sunt, ætas, habitus corporis gracilis, vel quadratus, gestatio vteri, &c. Nō na-
turales caussæ, intra tamen sanitatis latitudinem, sunt cibus largior, parcior: potus copiosior, magis exi-
guus, calidior, frigidior: balneum calidius, frigidius: exercitatio cum virtutis tolerantia, &c. Morbificæ

Caussa differentiarū pulsuum.

caussæ pulsus mutantes, vim vitalem Dissoluunt, aut Grauant. Dissoluunt; inedia, morbi prauitas, synco- E
pe, dolor, vacuatio. Grauant; caussa morbifica, & organorum tumor Ex his differentiarum propositarū
caussas facile reddere possumus. Primum enim quoad differentias a forma: velox pulsus fit, si vsus excedat,
id est, si calor intendatur, si augeatur copia vaporis fuliginosi aut fumosi: calor respicit diastolen, vapor sy-
stolen. Frequens eandem habet caussam, nempe calorem & vaporem: in hoc tamen facultas non est ita ro-
busta, vt in veloci: hinc frequentia supplet, quia magnitudine & velocitate non potest. Rarus contra, e le-
ge oppositorum fit, si vsus deficit, & facultas non est vegeta. Quoad differentias a subiecto: in pulsu a di-
mensionibus sufficit scire caussas pulsus magni & parui. Magnus fit, si arteria est mollis, facultas robusta,
vsus excellens: paruus contra. Durus fit, si arteria est durior: mollis, si mollior. Plenus fit, si facultas
est robusta, arteria capax, & particeps spiritus sanguinisque copiosi. Quoad differentias a caussa efficiente:
Vehemens fit, si facultas sit robusta: debilis contra. Pulsuum relate sumtorum caussæ etiam reddi possunt F
e dictis. Inæqualis enim fit pulsus, si arteria angusta, insignis durities, vel mollities; facultas admodum im-
becillis, vel resoluta, vel suffocata. Vsus solus, citra mutationem in arteria, & facultate, vix potest pulsum
inæqualem reddere; nisi mutatio fiat a contrario, vt dū adest ira, simul cū timore. Inordinatus fit a caussis
pulsum inæqualē producentib. sed iis maiorib. & efficaciorib. Improportionat' pulsus, vel sine rhythmo,
fit ab vsu mutato. Rhythmus autem nil aliud est, quam proportio quædam inter diastolen & systolen, se-
cundum motum, ac secundum quietem. Differentia autem magna est, inter pulsum æqualem & propor-
tionatum: æqualis enim pulsus, necessario requirit æquale tempus motus & quietis; rhythmus autem mo-
do æquale tempus motus & quietis, modo inæquale, admittit. Exempli gratia in pueritia pulsus est pro-
portionatus, si in systole & diastole fit æqualitas secundum motum & quietem. At in adolescentia diastole G
magis viget, multoque magis in iuuentute: hinc in iuuentute pulsus velox secundum diastolen & systo-
len, est improportionatus: & sic videtis, quomodo pulsus æqualis esse possit sine rhythmo. In ætate con-
sistente, diastole minus est velox. In senectute rhythmi proportio requirit, vt systole adhuc velocior sit
diastole. Horum autem caussa est: quia in pueritia calor & vapor æqualiter vigent; in adolescentia magis
calor: in iuuentute calor est acrior; in ætate consistente fuligines abundant: in senectute calor minuitur.

Vt tan-

A Vt tandem proportionis caussa sit, vsus secundum naturam, secundum ætates: quotiescunq; enim in his fit mutatio, mutatur proportio.

Tandem restat, vt quomodo pulsus cognoscendi sint, edoceamus. Quoad differentias formales: pulsus velox cognoscitur, si digitus cũ impetu percutiatur; tardus cõtra. Frequens est, si aduertimus arteriam cito vel redire, vel fugere, sed citra impetũ, nisi cũ frequentia iuncta sit velocitas: rarus contra. Quoad differentias a subiecto: Magnus est, dũ arteriam trib. digitis tangentes, obseruamus motum arteriæ excedere illos digitos: si paruus fuerit, tangentib. videbitur ceu filum tenue. Durus, percutit digitũ, instar corporis duri: mollis contra. Plenus est, si digitus percuti videatur a corpore repleto. Quoad differentias a caussa efficiente: in Vehemente pulsu, digitus vehementer percutitur, & si cõprimatur arteria, nõ cedit: debilis cõtra. Quoad pulsus respectiuos: in æquali nulla percipitur mutatio, vel in vno pulsu, vel in plurib. at si fuerit B inæqualis, mutatio deprehenditur. Ordinatus nullã habet mutationem: inordinatus habet mutationẽ in pluribus pulsibus. Num aũt pulsus sit cum rhythmo, nec ne; non ita facile comprehendi potest: colligitur tamen, si pulsus præter naturam sit inæqualis, si item inordinatus, eum necessario ẽt esse sine rhythmo.

Nota, signa q; pulsuum.

Et hæc de pulsibus Simplicibus: breuiter iam etiam de Compositis disserendum est. Hecticus pulsus est, qui semper similis manet, estque compositus e frequẽti, paruo, & imbecilli. Caussa eius est facultas imbecillis. Differt a reliquis pulsib. compositis: quod neq; inæqualis est, neq; inordinatus. Myurus, vel meiurus, i. decurtatus, seu mutilus, est paruus & debilis: & hic duplex est; Reciprocus & Non reciprocus: Meiurus reciprocus est, dum reuertitur, magnus; & huius caussa est facultas minus debilis. Non reciprocus est, cum paruus exsistens, manet paruus; & huius caussa est facultas imbecillior: ideoq; hic peior est, quam reciprocus. Deficiens est pulsus, qui prorsus euanescit; vnde minor est & imbecillior meiuro: Et si eo contin- C gat, vt pulsus deficiens sit non reciprocus; deterrimus est. Serrinus est in quo digitus videtur a serra secari, c. 10. lib. 2. de cris. fit per inflammationem loci neruosi. Vndosus est pulsus, in quo arteria in modum vndæ assurgit inæqualiter; vt modo sit altus, modo humilis, non admodum magnus & vehemens: Huius caussa est vitium, quod pertinet ad instrumentum, nõ ad facultatem. Vermiculans, præter ictum instar vndæ est admodum creber, paruus, debilis: Huius caussa est virtus imbecillis. Formicans peior est vermiculante: & propterea est crebrior, minor debilior, & annexam habet tarditatem: indicium est virtutis admodũ prostratæ. Conuulsiuus est inæqualis in sede arteriæ, vt arteria solum ex vtrisque terminis conuelli videatur, veluti quædam corda intensa: vnde est pulsus durus & paruus. Vibratus est inæqualis in sede arteriæ: partes tamen arteriæ quædam sursum, quædam deorsum mouentur, vt hic pulsus magis inæqualis sit, quam conuulsiuus. Intermittens est inæqualis, & potissimum in raritate: huius caussa est facultas, potius oppres- D sa, quam resoluta. Intercurrens est inæqualis in crebritate: huius caussa est facultas oppressa, sed minus quam in intermittente pulsu. Caprisans (ita dictus, quod capras imitetur) est, in quo dum motum arteriarum desiisse putamus, e tempore velocius quam prius mouentur: vt sit inæqualis potissimum secundum velocitatem & vehementiam: cuius caussa est facultas oppressa.

De compositis pulsib.

Ex his ergo quæ hactenus dicta sunt, facile rationem reddere possumus pulsuum in ephemeris. Primum ergo dictum fuit, pulsum esse naturalem, & inæqualis expertem: in ephemera enim non est putredo, non est materia facultati noxia: vt si aliqua sit inæqualitas in vno pulsu, est quod diastole velocior exsistit: & hæc tamen inæqualitas omnino est exigua, & soluta febre prorsus euanescit. Dictum etiam est, pulsum mutari ad magnitudinem, celeritatem, & crebritatem. *At oppositum videtur asserere Galenus cap. vlt. l. 2. de cris. vbi ait, commune esse omnibus ephemeris, pulsum ad paruitatem & frequentiam promoueri, & non-* E *nunquam ad magnitudinem.* Vbi sic legere oportet Galenum; quod commune sit ephemeris, pulsum ad magnitudinem & celeritatem promoueri; nonnunquam tamen ad frequentiam: sicut etiam scripsit ca. 7. l. 1. de diff. feb. Nam in ephemeris in solo vsu est excessus, magis ratione caloris, quam vaporis: vt propterea in ephemeris pulsus primum mutetur ratione magnitudinis, secundo ratione velocitatis, tertio interdum, sed non semper, ratione frequentiæ, quando scilicet in ephemera summus est excessus, & virtus non est admodum robusta (notetur autem quod velocitas & frequentia pertineant ad diastolen.) Cur autem pulsus in ephemera sit æqualis, mollis, ordinatus; e iam dictis euidens est. Durus tamen interdum esse potest, non per se, sed ratione annexi; vt si ephemera fiat a caussa vehementer siccante: cap. 7. lib. 1. de diff. feb. Hinc patet ephemeram indicari e pulsu fere naturali, aliquantisper velociori, frequenti, magno, non duro, vehementi, vix inæquali & ordinato.

Redditur ratio pulsuum in diariis febribus.

F VI. signum ephemeræ, est species seu idea febris: ab initio enim leuiter toleratur diaria: augmentum non pertransit duas horas: in statu non est insignis feruor, nec vehementia symptomata: desinit spatio 24. horarum, cum modico sudore, aut rore, aut vapore. *Dubitatur autem quomodo ephemera terminetur per sudorem; cum in hac febre non sit materia seu humor?* Responsio: Serosum excrementum, tertiæ coctionis, quod vehiculum est sanguinis, in sano corpore insensibiliter transpirat: at in ephemera mutatur in sudorem, rorem, vel vaporem. VII. signum est alteratio (quæ fit ab extrinsecus occurrentibus) modo iuuans, modo lædens: vulgo hæc signa vocant iuuantia & lædentia; attamen proprie a iuuantibus & lædentibus non capiuntur signa, sed ab alteratione. Indicatur ergo ephemera e balneo, si iuuat, ita vt non succedat horror insolitus: ad differentiam putridarum: c. 2. li. 1. ad Glauc. ratio est, quoniam in ephemera non sunt humores, qui balneo liquentur, & hinc in partes sensitiuas fluant.

VI. Idea febris.

VII. Alteratio iuuans, & lædens.

G

De Transitu diariæ in alias febres.

CEterum oportet etiam cognoscere, quomodo ephemera in alias febres permutetur. Id autem fit ob errorem medici, vel ægri, capite 2. lib. 1. ad Glauc. maxime ob diætam, eamque non tam largam, quam tenuiorem. Corpus enim calidum & siccum, laborans ephemera, si vtatur inedia; tunc ephemera, secundum Auic. transit in hecticam incensiuam, id est, quæ vehemens est, non quidem ratione essentiæ (quia

Ephemeræ in alias febres permutatio: vt in hecticam.

hectica est debilis & pusilla, vt supra diximus) sed ratione facultatis, quæ in corpore calido & sicco non resistit, sed cedit, vt celerrime fiat marasmus torridus. Hectica autem fit ob inediam; quia hæc materiam acriorem, calidiorem, & ficciorem reddit: nam per inediam, cum calidum innatum, quod nunquam est otiosum, non queat agere in alimentum absens, agit in obiectum præsens, nimirum in sanguinem, & excrementum, vt propterea hoc obiectum reddatur acrius, & bilis pallida vertatur in flauam, flaua in vitellinam: & lotium hinc redditur magis coloratum, tempore inediæ cap.12.lib.1.de cris.c.1.l.14.meth.ca.1.li.de venæ sect. ad Erasist.

Mutatio ephemerę in putridam. Signa permutationis.

In alias etiam febres mutatur ephemera, si non adhibeamus materias aperientes: nam quia prohibetur transpiratio, fit putredo. Facile autem cognoscitur hæc ephemeræ permutatio e modo declinationis: Si enim declinatio fiat circa omnem euacuationem, item si sit longa, difficilis, pulsus perseueret præter naturam, symptomata protrahantur; indicatur mutatio in alias febres. In quam autem febrem fiat permutatio, e propriis signis cuiusque speciei apparet.

CAPVT XI.

De Indicationibus ephemeræ; deque Prognostico, & Materiis remediorum.

Indicantia tria.

INdicationes ephemeræ sumuntur a febre, caussa, & virtute: quæ a febre sumuntur, primum habent locum ratione inuentionis: quæ a virtute ratione dignitatis: quæ a caussa ratione exsecutionis. Quod vero Gale.ca.vlt.l.8.meth.ait, *in ephemeris raro indicationes capi a viribus*; id non absolute, sed respectiue est intelligendum, ratione reliquorum indicantium: virtus enim quia plerunque in ephemeris robusta est, despici solet: absolute tamen in omni ephemera est consideranda. Notandum etiam est, ephemeram exacte exquisitam, carere caussa interna; & proinde requirere simplicem sanationem: c.1.l.10.meth. vnde in hac febri indicatio a caussa non sumitur.

1 Febris. Dubium.

Febris igitur indicat refrigerantia & humectantia, siue actu, siue potestate; siue per se, siue per accidens. *Dubitatur autem num indicatio refrigerandi & humectandi, sit curatoria, an præseruatoria? Febris enim ephemera euanescit, ad remotionem feruoris spirituum: vnde cum refrigeratio indicetur a spiritibus cordis, & non a toto corpore, indicatio videtur esse præseruatiua, non curatiua?* Responsio. Indicatio quæ capitur a spiritu calefacto, est curatiua: alias defendi non posset Galeni fundamentum, ephemeræ ideam esse morbum calidum, cum feruore spirituum. Sicut enim in pleuritide, ca.4.l.3. de crisibus, sanguis actu inflammationem producens, id est, caussa contentiua, indicationem curatiuam præbet, quia respicit ideam (vnde vt sanguis minuitur, ita magnitudo etiam minuitur) pari ratione in ephemera spiritus accensus præbet indicationem curatiuam. Ab idea enim ephemerę sumitur indicatio refrigerandi; quæ idea non simplex est, sed composita e morbo & caussa contentiua. Breuiter: ab idea sumitur curatiua indicatio: vt patet in pleuritide, c.4. lib.3. de crisibus: at spiritus calfacti, pertinent ad ephemeræ ideam; his enim refrigeratis, febris euanescit. E spiritibus sumitur indicatio curatiua.

II. Virtus.

Virtus, id est, natura, seu substantia quanta & qualis, indicat alimentum ratione quantitatis & qualitatis. Virtus autem alimentum indicat bifariam: primo vt virtus ab alimento conseruatur, & sic indicat alimentum bonum, secundum quantitatem, & qualitatem: altero modo, vt virtus agit in alimentum, & sic virtus debilis indicat εὔπεπτα, quæ facile cedunt. Cum igitur ephemera lædat organum facultatis coctricis, opus est alimento quod cedat.

III. Caussæ.

Caussa in ephemera non exacta, est indicans præseruatorium, & indicat sui ablationem.

Indicatio ephemeræ, quę in alias febres mutatur.

Indicationes ephemeræ, quatenus hæc mutatur in alias febres, sumuntur a caussa. Hęc autem caussa est materia, vel serosa, vel humorosa, siue sit plenitudo, siue cacochymia; vt opus sit euacuatione: necessarium ergo est aperire poros; ne in alias ephemera transeat febres.

De Præsagio.

Prognosticum.

PRædictos scopos facile implere possumus, quia virtus est robusta, & febris debilis: præterea in ephemera non adest vehementia caussæ & symptomatum; & propterea motus breuis est, facileq; tollitur morbus, nisi committatur error.

De Materiis remediorum in ephemera.

IN cibo Auicennas proponit, primum alimenti vires: secundo materiam: tertio vsum. Quantum ad alimenti vires: proponit alimentum & nutriens tantum; deinde & nutriens & simul vacuans. Cibus enim vim habet nutriendi, quatenus assimilatur: hic enim & roborat corpus, i. partes viuentes, quæ nutriuntur; & auget calorem, seu substantiam calidi innati. c.2.l.3.de temperam. Cibus autem medicinalis, vel vacuat, vel alterat, præter vim alimentalem. Pro diuersitate autem caussæ cibus variat: nam in ephemera e labore, probatur cibus augens, ratione virtutis: in ephemera ex obstructione, probatur cibus minuens, ratione materiæ morbificæ. Laudat aũt Auicennas *panem infusum in aqua, addito vino*, vt magis penetret: & hunc cibum iubet exhiberi in ephemera, quæ cum horrore inuadit. Multi medici putauerunt hanc esse putridam, indeq; innumeros errores in praxi admiserunt. Ephemera enim cũ horrore inuadens, est, quæ corripit corpora biliosa: quoniam in his corporibus, dum patiuntur inediam, calidum innatum intense agẽs in succum alimentalem, hunc reddit mordacem, qui vbi in partes extimas transmittitur, in caussa est horroris (& hanc febrem de tertio in tertium accessiones habere Gal. ait, c.4.l.10.meth.) Quoniam autem fit horror, cutis stipatur (rigor enim omnis cutem stipat, vt infra c.14. probabimus) vnde fuligines non egrediuntur, sed cor petunt: & hinc fit febris, quæ est ephemera, quia non habet locum putredo. Sic igitur Gal. ca.5.li.10.meth. distinguit febrem putridam, a febre quæ fit propter mordacitatem succi excalfacti & acris redditi, a calido ingenito corporis biliosi. In proposito aũt cibo medicinali, e pane, cum vino & aqua: panis est ba-

1. Cibi facultates. *2. Cibi materiæ.* *Ephemera inuadens cum horrore.* *Examen cibi medicinalis Auicennæ.*

A eſt baſis,qui non eget correctione. Quoniam enim febris inuadens cum horrore,fit in corpore calido &
ſicco,quod inediam eſt paſſum;neceſſario deficit ſuccus alimentalis: & propterea opus eſt alimento boni
ſucci.Deinde,quia calidũ innatum in hac febre ſuccos attenuat, opus eſt alimẽto mediocris craſſitudinis:
cuius materia potiſſimum eſt panis. c.26.l.3.de fac.alim. Quoniam aũt non tantum alimento,ſed ẽt refri-
geratione opus eſt in hac febre;panis vero non refrigerat:additur adiuuans frigidum,ad baſin, cuius ma-
teria eſt aqua.Præterea quia ẽt cita & veloci opus eſt refectione,& panis nõ ita velociter penetrat:opus eſt
adiuuante,cuius materia eſt vinum. *Dubitatur autem hic,cur Gale.c.3.l.10.meth.in ephemera cum horrore in* Dubium de cibo coctu difficili.
gracili corpore probet halicam integram, ex aqua calida,cũ granis mali punici? hic.n.cibus non eſt facilis dige-
ſtionis? Reſponſio. Auicennas propoſuit panẽ cum vino,i.cibum facilis digeſtionis;quia reſpexit ad nutri-
tionem totius corporis.Gale.autem reſpicit ad imminentẽ ſyncopen, in ſtomacho bilioſo,de quo ibi lo-
B quitur:reſpicit ergo ad ventriculum,& non ad totum corpus,vt Auic. *Cõtrouertitur quoq; de vino:nã Gal.* Aliud dubium, de vino.
c.3.l.10.meth.in ephemera cũ horrore vinum exhibet ſolũ die vndecimo,propter ſyncopen. Reſponſio.Gale.non
exhibet vinum niſi vndecimo,rõe potus:Auic.autẽ ante exhibet vinum,non rõe potus, ſed ratione con-
dimenti,& adiuuantis baſin.In putridis autẽ vinum nõ debet exhiberi,vt a quibuſdã fit, ꝑꝑ hanc Galeni
auctoritatẽ,male intellectã.Quoad *vſum*,Auic.proponit *Quando cibandũ*,vt magis neceſſarium:& ait,ci- 3.Quando cibandum, in diaria.
bum in declinatione ephemeræ dandum ẽe. Excipitur aũt ephemera cum horrore in corpore bilioſo: nã
in hac febre in principio cib.eſt dandus,ne ſuccedat ſyncope:vnde Gale.beneficio panis cũ vino exhibiti,
& horrorẽ,& febrem ꝓhibuit:c.3.& 4.l.10.meth.Quoniam igiẽ hæc febris cum horrore inuadit de tertio
in tertium,prodeſt ante horrorẽ cibare;aut ẽt,ſi illud tempus iã ſit neglectum,imminente horrore: vel,ſi
& hoc tempus ſit neglectum,exhibendus eſt cib.poſt horrorem,decreſcente paroxyſmo:nec exſpectanda
C integritas.Ratio eſt:quia præſentia indicantis vehementioris cibum flagitat,ẽt imminente acceſſione,aut
horrore præſente:vel.n.ſyncope ſequitur,vel febris fit moleſtior:fit aũt moleſtior, quia niſi cib. exhibea-
tur,calidum innatum efficacius agit in ſuccum, eumq; reddit acriorem ac mordaciorem, vnde febris in-
tenditur.Hoc ẽt loco in principio non adeſt aliquod prohibens,quia nec adeſt materia quæ prohibeat(vt
in febrib.putridis) nec febris prohibet,quæ tum imminente acceſſione, tum tempore horroris nondum
adeſt, & nondum eſt febris. At poſt horrorem febris ſubſequitur; & propterea prohibet cibum in au-
gmento,ac in ſtatu; permittit autem in declinatione:nam in augmento & ſtatu, per febrem organum fa-
cultatis coctricis ita eſt læſum,vt cibum non regat:ſecus autem in declinatione.

Præterea etiam *aquam frigidam* probat Auicennas:eiuſque & vires & vſum proponit. Quantum ad Aqua frigida.
vires:aqua datur vt medicamentum;deinde etiam pro potione. Vt medicamentum datur;quatenus re-
D frigerat ſpiritus vehementer accenſos;in periculo hecticæ.ca.5.lib.10.method.potiſſ.quia virtus permit-
tit,nec eſt materia quæ prohibeat.Frigida pro potu non copioſe ſumenda,dum viſcera ſunt debilia:vnde
Galenus capite tertio,libro decimo,meth.in corpore cal.& ſicco, *vinum* exhibet poſt diem vndecimum,
quia ante vndecimum prohibetur vinum a feruore in ſpiritibus,propter hecticam. *Vinum autem dum ex-*
hibetur,aquoſum erit: cap.3.lib.8.methodi. Quoad vſum; Auicennas frigidam non prohibet in princi-
pio; nam virtus eſt fortis.

Proponit etiam *balneum aquæ dulcis*;quod vim habet refrigerandi,humectandi,vacuandi, ſenſibi- Balneum, eiuſq; partes.
liter & inſenſibiliter,poroſq; aperiendi:idque præſtat balneum,ratione variarum ſuarum partium,ca.10.
l.10. meth.Quatuor autem ſunt partes principales:aer calidus,ſolium calidæ,ſolium frigidæ, ſudatorium:
quibus licet etiam inunctionem addere, tanquam partem minus principalem. *Aer* calefacit, laxat, fun-
E dit,vacuat. *Solium calidæ moderate*,vim habet moderate calfaciendi & humectandi. *Solium mediocriter*
frigidæ,refrigerat mediocriter,denſat,prohibet diſſolutionem ſubſtantiæ calidi inſiti. In *ſudatorio*,ſudor
adhærens abluitur. *Inunctio* ſi fiat tantum in fundendo & leniendo,citra frictionem,ſtipat:vnde Galenus
c.2.l.8.meth.in ephemera e cutis denſitate,vtitur oleo cum blandiſſima frictione.Hinc igitur Gal.c.3 l.1.
ad Glauc. balneum ſecundum aerem probat, in ephemera e cutis denſitate,& in ephemera ex inflamma-
tione inguinum: in reliquis autem quamprimum ab aere recedendum ſuadet, quia non eſt opus euacua-
tione.Solium calidæ,probatur in omni ephemera;humectat.n. & attemperat calorẽ febrilem acreſq; va-
pores euocat.Solium frigidæ,non probatur in ephemera e bubone:neq; in ephemera e denſitate. Sudo-
ris deterſio probatur in ephemera, vbi locum habet aer balnei. Poſtremo inunctio, ſi fiat cum oleo te-
nui:verbi gratia,chamæmelino,probatur in ephemera e denſitate: contra, in ephemera e labore impro-
F batur,quia non eſt opus euacuatione.Notandum autem ne aliquid prohibeat:veluti materiæ copia, vt in
ephemera e nauſeabunda ſatietate: qualitas,vt in ephemera ex obſtructione; in ephemera cum catarrho
frigido motus,vt in ephemera cum alui fluore.Debet autem balneum in declinatione adminiſtrari.

Quin etiam in genere Auicennas *frictiones proponit*: quæ vel molles ſunt, & habent vim aperiendi;vel Frictiones.
duræ & aſperæ,& habent vim ſtipandi.Longa etiam efficacius agit,quam breuis. Probatur autem frictio
in ephemera ex obſtructione,& e repletione,non in ea quæ eſt ex inanitione.Galenus tamen c.3 lib.1.ad
Glauc.in omni ephemera frictiones molles vſurpat: interdum cum panno reſiccato, quæ ſiccant & eua-
cuant;vt in ephemera,quæ eget euacuatione:interdum cum panno madefacto, manibus inunctis iis quæ
poros aperiunt,vt humor olei vel aquæ ingrediatur,& humectet, in ephemera e vapore,& ab euacuatio-
G ne. Conueniunt autem frictiones tempore balnei, & poſt balneum.

Poſtremo *euacuatio totius* probatur in ephemera ex obſtructione,e nauſeabunda ſatietate,& ſolidi- Euacuatio totius.
tate,i.repletione vel ſanguinis,vel alterius ſucci.Licet igitur in ephemeris,quandoq; ſecare venam,quan-
doq; purgante medicamento vti:dum ſcilicet ſuccus vehementer peccat,putridamq; minatur. Vtimur
ergo illis remediis vehementibus: non quod ephemera ſit vehemens,ſed quod humor vehemens ſit.

Et hæc de ephemeris generatim dicta ſufficiant.

CAPVT XII.

Proponuntur Species febris ephemeræ.

Transitio.

DE *febribus ephemeris sunt quæ omnino comparantur &c.)* Cum Auicennas hactenus docuerit curationem ephemeræ in genere; & nunc eius institutum esset ad curationem specificam descendere; optimum esse iudicauit primo ephemeræ diuisionem tradere, & proinde omnes ephemeræ species ante oculos ponere: quod sane præsenti capite est exsecutus. Caput autem hoc in duas partes diuidi potest: in prima tradit diuisionem, in secunda diuisionis membrum explicat: & secunda pars secari in tot potest partes, quot sunt diuisionis & subdiuisionis membra; nimirum ratione diuisionis diuidi potest in tres; ratione autem subdiuisionis in quinque. Secunda autem pars principalis incipit ibi. *Et de comparatis ad dispositiones animales est illa.*

Differentiæ ephemerarum a caussis efficientibus.

Ceterum, posthabita breuitatis gratia verborum lectione, vt sensus genuinus verborum elucescat, sciendum, Auicennam ephemeræ species capere a caussis effectricibus: & merito: quoniam ephemeræ, vt ephemera, eadem conuenit curatio: at vt ephemera variis ex caussis ortum capit, varia eget curatione. Caussæ autem ephemerarum, vt diuisio sit bimembris, bifariam capi possunt: vno modo vt pertinent ad corpus; alio vero, vt spectant ad ea, quæ foris accidunt. Caussæ ad corpus pertinentes (cum per corpus intelligere oporteat corpus animatum) sunt in duplici differentia: vt magis pertinent, vel ad Animam, vel ad Corpus. Si magis pertinent ad animam; oriuntur ephemeræ, vtpote ex ira, vel timore: ex tristitia, vel gaudio: ex cogitatione, vel tranquillitate: ex somno, vel vigilia. Si autem magis pertineant ad corpus; sunt vel Actiones, vel Opera: si actiones, fit ephemera ex labore, otio, vacuatione, dolore, fame, siti, & syncope: si autem sint opera, erumpit ephemera ex oppilatione, nauseatiua satietate, apostemate, & cutis densitate, sed quæ fit ab interna caussa. Si denique caussæ spectent ad foris occurrentia, fit ephemera ex adustione solis, ex cutis densitate, sed quam excitat vel frigus, vel ablutio in aquis stipticis. Hæ ergo sunt ephemerarum species: de quarum essentia, cognitione, & cura loquitur Auicennas. Nos autem circa quinque tantum versabimur: nempe circa ephemeram ex Labore, Stipatione, Cruditate, Bubone, & Solis vstione: siquidem ex curatione tradita ephemeræ in genere, & tradenda harum quinq; specierum, quilibet citra docentis præsidium reliquarum ephemerarum curationem a Galeno & Auicenna præscriptam facile assequi poterit.

CAPVT XIII.

De ephemera e Labore.

Nomen.

DICTVRI de ephemera ex labore; primum circa nomen admonere liceat, hanc febrem magis proprie dici ephemeram ex labore, quam ex lassitudine. Nam quamuis labor sit caussa lassitudinis; non tamen quælibet lassitudo prodit a labore: etenim quædam est lassitudo, cuius origo est immodicus corporis motus, & simpliciter lassitudo vocatur; quædam autem est, quam efficit materia in musculorum partes sensitiuas effusa aduersaria, ratione vel copiæ, vel qualitatis, vel vtriusque, quæ spontanea lassitudo vocitatur. Itaque cum ab hac ephemeræ specie seiungatur lassitudo, cuius caussa est interna, non autem corporis labor; ob id vocamus ephemeram potius ex labore, quam ex lassitudine.

Definitio & modus generationis.

Patet autem ex alibi traditis, hanc nil aliud esse, quam ephemeram productam a labore: cum nimirum vel cursus, vel nauigatio, vel quodlibet aliud corporis exercitium ad eam vim fuit prouectum, vt non modo artus sint calefacti, verum etiam cordi ita sit impertita caliditas, vt cordis spiritus sint accensi; hinc igneum sit redditum calidum cordis natiuum, & hinc denique febrilis calor toti communicatus.

Differetiæ.

Quoad differentias: labor est vel Minus, vel Magis violentus. Auicennas minus violentum vocat temperatum, violentiorem superfluum.

Signa.

Quoad signa: primum esse ephemeram cognoscimus ex signis suo loco propositis, indicantibus ephemeram a reliquis distinctam. Esse autem ephemeram ex labore cognosci potest vel Sine arte, vel Arte. Sine arte facta cognitio est etiam communis vulgo; si interrogantes audiamus vel ægrum, vel alios, asserentes, in motu commissam esse violentiam, & hinc subsecutam febrem. Arte cognoscitur ex sensu caliditatis secundum iuncturas; ex lassitudine, ex ariditate ad tactum. Vnde prudens medicus obseruās corporis siccitatem, & intelligens querelas esse de articulorum calore, & lassitudine; non exspectans ab aliis de labore fieri mentionē, summa omnium admiratione dicere poterit, fieri non posse, vt nō sit in motu aliquis commissus error. Ceterum cum differentia esse possit in labore secundum magis, & minus: si labor fuerit minus intensus, indicatur ex sudore in fine apparente, nisi frigus prohibuerit sudorem; nam dum labor non est admodum intensus, nec calor procreatur, qui ita siccet, nec sudor apparet: Adhæc percipitur pulsus ephemeræ proprius, de quo suo loco dictum fuit. Quod si alia ex parte labor summus extiterit; indicatur primum, quia in fine exigua apparet humiditas, & modicus sudor; nam labor immoderatus producit calorem siccantem: indicatur præterea ex pulsu paruo, debili, & quandoque duro: quia vbi insignis labor præcessit, facta est spirituum dissolutio, & siccatio partium: fit autem paruus pulsus, & quia facultas non valens, & quia arteria ob siccitatem non est obediens: debilis pulsus, nam virtus ob spirituum resolutionem languet: quandoque autem est etiam durus, dum nimirum calor magis, & magis siccat, vel arteria aliquam contrahit duritiem. Indicatur etiam ex tussi sicca, quæ quandoque euenit, dum in consensum ducitur pulmo, dum nimirum vehemens fit inanitio, & siccatio. Tandem indicatur ex vrina citrina, calida, & tenui: nam per motum superfluum calor gignitur adeo intensus, vt bilis misceatur cum excremento seroso, vt propterea & colorem, & calorem seu acrimoniam acquirat: &, cum per

A per calorem fiat reſolutio excrementorum, quæ ante febrem commiſcebantur cum lotio, lotium tenuius
euadit. Hæc de ſignis.
Indicationes, præter communes omni ephemeræ, non ſunt capiendæ a labore; nam a cauſſa primi- Indicationes.
tiua, non ſumitur indicatio, etiam ſi ſit præſens. Quare in hac ephemera ſunt capiendæ ab effectu labo-
ris: effectus autem potiſſimum ſunt calefactio, & ſiccatio articulorum: quare refrigeratione & humecta-
tione egent. Adhæc cum laboris effectus ſit ſubſtantiæ virtutis noxa, ſecundum quantitatem imminu-
tam, & qualitatem calore excedentem: ideo opus eſt & ſubſtantifice humectare, & præterea refri-
gerare.
Quos ſane ſcopos aſſequi licet: & ratio patet ex traditis in ſermone generali: Verumtamen ſi ſpecte- Prognoſticum.
mus ad vim inſignioris laboris; febris hæc nō eſt paruipendenda: ſiquidē labor, quando peruenit ad ſum-
B mum, eſt plurimi nocumenti & grauitatis ſuper ſpiritum vitalem & animalem: nam per ſummum labo-
rem ſpiritus diſſipantur. Cum ergo hæc febris non prorſus ſit expers vehementiæ, ratione facultatis re-
gentis, vitalis & animalis: ſi aliquis in curatione committatur error, periculum imminet, ne degeneret in
hecticam, quæ promte etiam maraſmum attingat.
Quare breuiter quidem, ſed citra negligentiam, præſidiorum materiæ proponendæ. Auicennas er- Materię remediorum.
go ſumma prudentia non facit mentionem materiæ vacuantis vel ſanguinem, vel alios ſuccos; cum vi la-
boris corpus ſit potius exinanitum: reſpicit autem potius ad materiam diæteticam; in medium adferens
Cibum, Potum, Balneum, Inunctionem, & quietem.
Quoad cibum: proponit Vires, & Materiam. Quoad vires: merito ſubſtantiæ deperditæ probat ci- Cibus.
bum potius augentem, quam minuentem, & qui ſit boni chymi. Ratione autem facultatis agentis in ali-
C mentum, cum ſit debilis, vt nequeat tantum cibi conficere, quantum tempore ſanitatis; ob id non debet
ea copia exhiberi, vt tempore ſanitatis; idcirco ea debet eſſe cibi facultas, vt in exigua copia plurimum nu-
triat. Adhæc, cum violentia laboris facta exſiccatio, opus eſt cibo humectante. In materiis numerat car-
nes pullorum, hœdorum, vitellos ouorum ſorbilium, teſticulos gallorum, piſces ſaxatiles, & fructus hu-
midos. Nec præter rationem. Nam carnes ſunt copioſi & boni ſucci: ſiquidem, vt ait Gal. 1. de facultatib. Carnes.
naturalibus 10. natura noſtra totam carnem propemodum vincit, mutatque & alterat, ac ſanguinem ſalu-
brem ex ea creat. Inter carnes autem proponit carnes pullorum, & hœdorum, vt carnes facilis coctionis;
nam vires agentes in cibum non ſunt admodum robuſtæ. Proponit etiam vitellos ouorum ſorbilium; Oua.
ſunt enim boni & copioſi ſucci, exigui excrementi, & facilis coctionis. Ceterum, vt colligitur ex Gal. 3. de
facultatibus alimentorum 22. eligendi ouorum vitelli; nam album ægre coquitur: & ſint oua gallinarum,
D ſint recentia, & ita coquantur, vt ſint quidem ſorbilia, ſed nō liquidiora, verum potius tremula: hæc enim
dum per coctionem mediocrem acquirunt conſiſtentiam, ad nutriendum ſunt præſtantiſſima, liquidio-
ra autem ſeu ſorbilia minus nutriunt, ſed facilius ſubducuntur: ideo dum aluus fluida deſideratur, ſorbilia
ſunt fluidis anteponenda; in ephemera autem ex labore, cum opus ſit refectione, tremula ſunt exhibenda.
Teſticulos gallorū iure etiam probat: ſiquidem ex Galeno 33. alim. 21. gallorum teſtes ſunt ſucci boni co- Teſticuli gallorum.
pioſi, & facilis coctionis: debent autem eſſe gallorum, qui & coitum non ſint experti, & qui ſint ſaginati, &
altiles, & potiſſimum nutriti cibo ſeroſo lacte imbuto. Vnde hoc loco admoneantur iuniores in cibis gal-
lorum teſtes maxime probari, nequaquam aliorum animalium: quandoquidem (vt ait Gal 3. alim. 7.) ſuū,
boum, caprarum, & ouium teſtes, ad coquendum ſunt difficiles, & mali ſucci: quamuis minus mali ſint
ſuum teſtes. Piſces ſaxatiles, ex Gale. 3. alim. 26. mutantur in ſanguinem mediocrem, & proinde laudatiſ- Piſces ſaxatiles.
E ſimum: quod dubio procul procurandum eſt in ephemera ex labore. Tandem quoad fructus; humidos Fructus.
proponit. Quamuis autem fructus, & præſertim fugaces, non ſint probi ſucci, vt colligere licet ex Galeno,
2. alim. 11. nihilominus vt habent vim humectandi, in hac ephemera probantur: quia vi laboris ita ſicca-
tum eſt corpus, vt egeat humectatione. Quare non ſimpliciter proponit fructus, ſed humidos: verbi gra-
tia, inter non fugaces, poma matura; inter fugaces, pruna, ceraſa non acerba, melones, & potiſſimum me-
lopepones, hoc eſt, quorum caro intima, in qua ſemen continetur, manditur, vt docet Galenus 2. alim. 5.
Hæc de cibo.
Pro potu probat Auicennas vinum plurimæ commiſtionis, hoc eſt, mixtum copioſa aqua: nam aqua Potus.
humectat, & citius humectat vino permixta, citiuſq; permeat. At pro conſuetudine ægrotantis, alia etiam
potio poteſt propinari: vtpote iulepus, vel quidpiam ſimile.
F Balneum vult Auicennas adminiſtrandum eſſe in tina, hoc eſt, in ſolio tepidæ: nam corpus ſiccatum Balneum.
propter laborem, non eget aere balnei magis ſiccante, ſed refrigeratione & humectatione, quas cōſequi-
mur virtute ſolii: Si indigeat iteratione balnei, hoc eſt, ſi ob ſuperfluum laborem ea eſt inducta corporis
ſiccitas, vt balneum vnica vice adminiſtratum non ſufficiat, balneo rurſus vti licet.
Inunctionem probat confectam cum oleo humectante: cui ſi aliqua frigiditas ſit adnexa, adhuc ma- Inunctio.
gis proderit: huiuſmodi autem eſt oleum violaceum. Etenim refrigeratione & humectatione eſt opus.
Modus autem inunctionis ſit, vt inunctio fiat frictione molli, quo oleum penetrans magis refrigeret &
humectet. Probat etiam inunctionem plurimam, hoc eſt diu perdurantem: nam & ſiccitas perdurat a la-
bore excitata. Applicat autem vnctionem toti corpori, & potiſſimum capiti, collo ſpondylibus dorſi, &
iuncturis omnibus: propterea quod vi laboris tum totum corpus calet & ſiccatum eſt, tum potiſſimum
G affectio in partibus propoſitis ſubſiſtit.
Quantum denique ad motum & quietem: cum febris ortum duxit ex motu immodico, iure quie- Quies.
tem probat: & vt quies omnibus numeris proſit, probat quietem in ſtratis, & ſedilib. mollibus, quæ aro-
matis infici præcipit, vtpote aqua roſacea, vel violacea, vt vna cum corporis quiete etiam ſpiritus vi laboris
inaniti beneficio ſuauis odoris reparentur. Hæc de ephemera ex labore.

CAPVT XIV. A

De ephemera ex constipatione: nimirum ex obstructione venarum, orificiorum conniuentia, vel cutis densitate.

Nomen, & generatio. EPHEMERAM ex stipatione vocat Gal. 8. meth. 2. & 9. meth. 1 quam Auicennas nominat ephemeram ex oppilatione. Cuius febris hæc est generatio, cum Galeno locis citatis. Si ob stipationem detineatur in corpore id, quod deberet transpirare, & id non sit halituosum ac mite, sed potius mordax, & acri fumo fuliginiue non absimile: hoc, inquam, acre, vi stipationis detentum, petit cor; vnde cordis spiritus accenduntur, & hinc febris oritur ephemera.

Definitio. Hæc igitur ephemeræ species, est febris Ephemera producta ex stipatione.

Vnde, pro intelligentia huius definitionis, & pro curatione huius febris, duo sunt explicanda: primum quid intelligere oporteat per stipationem: deinde, quæ sint stipationis caussæ. B

Stipatio quid? Stipatio igitur pertinet, vel ad Venas, vel ad Cutem. Si ad venas pertinet, ad venarum vel Meatus, vel Orificia. Si ad meatum, dicitur obstructio: si ad orificia, vocatur conniuentia: si autem ad cutē, nuncupatur densitas. Vnde cum cutis pori, & venarum orificia, sint collocata in corporis superficie, venarum autem meatus seu ductus sedem occcupent interiorem: propterea dicit Galenus primo de differentiis febrium tertio, stipatos corporis meatus duplices esse, nempe vel cutis, vel partium penitiorum: vbi per partes penitiores intelligit venarum meatus; per cutis autem meatus, intelligit tum cutis poros, tum venarum orificia, quatenus hæc pertingunt ad cutem. Hactenus ergo patet, per stipationem opus esse intelligere ratione ductuum venarum, obstructionem; ratione orificiorum, conniuentiam; ratione pororum cutis, densitatem: Hæc de primo.

Stipationis caussæ. Obstructio fit a succis, peccantibus vel Copia, vel Qualitate: &, si qualitate, vel Crassitie, vel Viscidi- C tate: Orificiorum venarum conniuentia, & cutis pororum densitas, ab iisdem fiunt caussis: si enim remissiores sint, excitant densitatem; si intensiores, etiam conniuentiam: nec ab re; cum densitas pertineat non solum ad cutem, verum etiam ad cuticulam; conniuentia ad sola venarum orificia, nequaquam ad cuticulam. Hæ autem caussæ conniuentiæ & densitatis in hoc conueniunt, quod sint vel Internæ, vel Externæ. Externæ, stipant qualitate Prima, vel Secunda: & si prima, est caussa vel Refrigerans, vel Siccans: si secunda, est adstringens. Verbi gratia, inter caussas refrigerantes recensere licet aerem frigidum, balneum frigidum, medicamentum frigidum: inter caussas autem siccantes, solem feruentem, frictionem duram, siccamq; immoderatam exercitationem: tandem inter caussas adstringentes, balneum aluminosum, oleū adstringens. Caussæ deniq; conniuentiæ & densitatis internæ sunt, vt sordities, intermissa lotio, præterea, D vt voluit Gal. 10. meth. 2. & 10. meth. 4. horror & rigor: quem sane esse stipationis caussam intrinsecā, colligitur ex Gale. cum dicit ca. 2. stipationem fieri, vel ab externa caussa, vel a febre: vbi febrem distinguit ab externa caussa: declarans autem quomodo febris sit stipationis caussa, subdit, febris principium, vbi cum horrore inuadit, stipationem, hoc est densitatem facere. Hæc de caussis stipationis.

Differentiæ stipationis. Quo autem ad differentias; cum capi debeant a stipatione, patet, stipationem diuidi in Densitatem, Conniuentiam, & Obstructionem. Notandum autem cum Galeno nono meth. 1. & 10. meth. 2. circa obstructionem, eam esse vel pusillam, vel magnā: &, si pusilla sit, fieri ephemeram, quæ diem nō pertranseat; si autem magna, fieri ephemeram, quæ diem necessario pertranseat, vt sit non nomine, sed re solum ephemera, quæ sane modo vnum, modo plures habet paroxysmos, vt testatur Auicen. Nam vi magnæ obstructionis, si corpus sit sanguine refertum, fit ephemera, quæ vnicam accessionem, & est ephemera, quæ vo- E catur synochus sine putredine: si autem corpus non est refertum sanguine, fit febris habens paroxysmos, qui tamdiu sunt paroxysmi febris ephemeræ, quamdiu vi obstructionis non suboritur putredo: nam hac genita, febris non est amplius ephemera, sed putrida. Hæc de differentiis.

Indicia in genere. Quoad signa, vt colligere licet ex Auicen. indicatur ex siti, inflammatione caliditatis adhærentia, & vrina media inter igneam & fuscam, hoc est, flauam & pallidam. Quæ sane indicia quamuis Auicennas potius referre videatur in stipationem ex obstructione; nihilominus possunt etiam esse indicia stipationis ex densitate, & conniuentia orificiorum venarum: solum enim est differentia secundum magis & minus; nam in stipatione propter obstructionem sunt vehementiora. Ratio autem tum communitatis, tum discriminis est: & primo communitatis: nam in ephemera ex stipatione, siue fiat ex densitate, siue conniuentia, siue obstructione, necessario impeditur transpiratio vaporis mordacis, qui in corpore detentus, sua a- F crimonia quatenus petit cor, excitat febrem; quatenus ventriculum, sitim: vnde & ratione febris, & ratione huius vaporis detenti, calidi fiunt succi in venis exsistentes, fitq; inflammatio, hoc est, vehemens incendium persentitur a patiente: dum etiam hi vapores detenti acriores euadunt, nec difflantur, medicus tactu non modo percipit caliditatem mordaciorem, quam in reliquis ephemeris soleat persentire, verum etiam obseruat caloris acris perseuerantiam: & tandem cum venæ hac caloris acrimonia turbentur, lotiū redditur satis coloratum. Discriminis autem caussa est: quia cum stipatio ex obstructione, ad differentiam stipationis ex densitate, fiat a caussa interna, & humorosa; ob id stipatio ex obstructione est vehementior, vt merito symptomatibus vehementioribus indicetur.

Differentiarum signa. Quoad cognitionem differentiarum, cum stipatio fiat vel ex densitate seu conniuentia, vel ex obstructione; non erit difficile discernere. Neque obstat, quamuis in hoc c. dicit Auic. difficile esse hanc febrem G cognoscere: nam hoc dicit propter ephemeram ex stipatione, quæ fit ab obstructione; non tamen ad differentiam stipationis, quæ fit ex densitate, sed ad differentiam putridæ febris: addit enim esse difficilis cognitionis, propter similitudinem cum febre humorali. Non est ergo difficile inuicem discernere stipationem, an sit vel ex densitate, seu conniuentia, an potius ex obstructione. Nam si fuerit ex densitate, præter id quod omnia symptomata erunt mitiora, prægressæ sunt vel caussæ primitiuæ, vel horror aut

rigor

A rigor: adhæc, ſenſibiliter remittit, & 24. horis prorſus terminatur. At ſi alia ex parte ſtipatio pendeat ab obſtructione; præter externam cauſſam adeſt etiam interna: nec in declinatione apparet vacuatio effatu digna: & vt ait Galenus octauo method. quarto, ſimilis ſibi perdurat remiſſio, quæ in aliis febribus eſt ſatis diſſimilis: nam magis & magis imminuitur: tum etiam (vt ait Auicen.) eſt longa declinatio. Ceterum cùm ſtipatio pendere poſſit ex vna parte a denſitate, vel conniuentia, ex alia ab obſtructione; ſi non fiat ex obſtructione, ſed ex denſitate, ſeu conniuentia, cum plures poſſint eſſe cauſſæ; quænam fuerit cauſſa, facile erit cognoſcere. Nam ſi verbi gratia balneum aquæ aluminoſæ febris ſit ſubſecuta, facile erit intelligere eſſe ſtipationem ex denſitate. Vtrum autem ſit, vel ſola denſitas, vel etiam conniuentia, ita diiudicare licebit: ſi homo diutius in balneo aluminoſo ſit commoratus, & febris ſit ſatis vehemens, indicium erit cõniuentiæ; ſi contra, ſolius denſitatis. Si autem alia ex parte ſtipationem excitarit obſtructio, cum poſſit eſ- B ſe vel puſilla, vel magna; præterea dependere poſſit a variis ſuccis; primum puſillam & magnam ſuis indiciis ita diſtinguemus, cum Galeno octauo meth. quarto, & Auicenna: puſilla quippe indicatur ex pulſu, qui non minuitur, magna autem ex pulſu paruo: nam vbi magna eſt obſtructio, nequit arteria a facultate oppreſſa in omnes dimenſiones plurimum dilatari. Adhæc puſilla obſtructio indicatur ex febris paruitate; contra magna ex magna febre. Præterea, ſi puſilla fuerit, indicabitur ex vnica acceſſione. Quod ſi plures habeat paroxyſmos, indicium eſt vehementis obſtructionis; & iam febrem putridarum fores attingere: nam ſi ſecunda periodus incipiat cum frigore & horrore, iam permutatur in putridam. Si autem capiatur obſtructio, vt a variis pendet ſuccis; erunt huius vel illius humoris indicia; de quib. non eſt in præſentia dicendum. Hæc de ſignis.

Stipationis indicationes.

Quoad indicationes: ſuppoſitis indicationibus omni ephemeræ communibus, in ſpecie conſide- C randa eſt ſtipatio, vt ſit vel a denſitate, ſeu conniuentia, vel ab obſtructione. Si ergo febris e prioribus illis originem habuerit; indicatio ſumitur potius ab effectu cauſſæ, quam a cauſſa; cum externa ſit cauſſa: excepta ſtipatione, quæ fit à ſorditie, & ab horrore, vel rigore, inuadente in principio illius ephemeræ, quæ fit in corpore bilioſo ex inedia: nam huic febri eſt occurrendum, & ſordities eluenda. Cum ergo, his exceptis, denſitas & conniuentia fiant a cauſſa externa: ob id indicatio capi debet ab effectu cauſſæ externæ: quia omnis indicatio capi debet & a præſenti, & ab eo quod in corpore reperitur. Vnde admoneantur iuniores, quandoque contingere, vt cauſſa primitiua indicet, dum in corpore reperitur: verbi gratia, pila plumbea in corpus illata indicat ſui eradicationem. Sed forte cauſſa primitiua mutatur in antecedentem. Ad rem noſtram. Si ſtipatio fiat ex inunctione olei roſacei omphacini, & hoc inhæreat corpori, indicat ſui remotionem: at niſi hæreat, indicatio ſolum capi debet a cauſſæ externæ effectu. Hic autem eſt vel Com- D munis vel Proprius. Communis quidem effectus eſt vel denſitas, vel conniuentia: quoniam quælibet cauſſa, ſiue refrigerans, ſiue ſiccans, ſiue adſtringens, excitat & denſitatem, & conniuentiam: a denſitate oritur indicatio aperiendi poros cutis; a conniuentia oritur indicatio aperiendi orificia venarum. Effectus autem proprius eſt, vt cauſſa externa, inducendo denſitatem aut conniuentiam, vel refrigerat, vel ſiccat: vnde præter apertionem, opus eſt vel calefactione, vel humectatione: & propterea 8. meth. 3. ait Gal. ſi febris fiat ex frigore, calefacientibus eſſe remittendam. At ſi alia ex parte ſtipatio fiat ab obſtructione, indicatio vtilis non ab obſtructione, ſed eius cauſſa capienda: ideo materia copioſa minuenda, craſſa attenuanda, & viſcida detergenda: de toto prius habita prouidentia.

Prognoſticum.

Quoad prognoſticon: ſuppoſita vehementia ephemeræ ex ſtipatione, quatenus febris ephemera eſt: hoc loco perpendenda eſt vehementia ſtipationis, vt multiplex eſt ſtipatio. Propterea cum Gale. 9. meth. E primo, cum ſtipatio eſſe poſſit denſitas, conniuentia, & obſtructio: ſiue ſit denſitas, ſiue conniuentia, febris, ſi recte tractetur, ita deleri poteſt, vt nec vltra 24. horas progrediatur, nec alia ſubſequatur acceſſio. Ratio autem eſt: quoniam tum denſitas, tum conniuentia, ſunt debiles affectus ſecundum eſſentiam, dignitatem, & facultatem regentem: & præterea vel non adeſt cauſſa, vel ſi adeſt, eius vis omnibus modis imbecilla. At ſi ſtipatio ſit obſtructio, tunc obſtructio eſt vel Parua vel Magna. Parua pariter, ſi error non committatur, 24. horarum interuallo euaneſcit: ſiquidem obſtructio parua triplici modo eſt imbecilla, vt pendet a materia quæ ſimiliter eſt imbecilla. At ſi obſtructio ſit magna, neceſſarium eſt vt febris diem excedat: & tunc periculum imminet, ne in aliam febrem degeneret, potius putridam, quam hecticam: vnde (vt ait Gale. 8. meth. 4.) ſi hæc ephemera detineat corpus vitioſo ſucco refertum, degenerabit in putridã; ſi autem corripiat corpus copioſo ſanguine repletum, mutabitur in ſynochum ſine putredine. Et ratio F eſt: nam ſecundum eſſentiam ea eſt obſtructionis, & potiſſimum materiæ obſtruentis vehemẽtia, vt prius quam tolli queat, vel vitioſus ſuccus putreſcat, vel ſanguis efferueſcat; propterea quod materiæ vehementia diutius iuſto tranſpiratione prohibetur.

Materiæ auxiliorũ.

Circa materias primo monendum, ſat eſſe has proponere cauſſa ſtipationis ex obſtructione: nam ſi ſtipatio fiat vel ex denſitate, vel conniuentia, curatio patet ex ſuperius traditis, & potiſſimum in ephemera ex labore; patebit etiam ex dicendis in cura ephemeræ ex ſolis ardore: ſiquidem & vi laboris, & ardoris ſolis, ſtipatio ex denſitate, & conniuentia induci poteſt. Ceterum Gal. 8. meth. 4. caput integrum abſumit in cura ephemeræ ex obſtructione, & pariter Auic. c. 33. qui huius ephemeræ proponũt curationem ſumma diligentia: nec ab re: nam ſi quis committatur error, illico in putridam mutatur. Propterea tum a Galeno, tum ab Auicenna proponuntur materiæ Cheirurgicæ, Medicinales, & Diæteticæ.

1. Materia cheirurgica.

G Primum ergo quoad materias cheirurgicas proponitur venæſectio, tum a Galeno, tum ab Auicen. Ceterum vterque vſque adeo obſcure loquitur, vt arduum admodum ſit ipſorum mentem aſſequi: conabor tamen, vt potero, hanc doctrinam illuſtrem reddere. Et quoniam ordo tum diſcendi, tũ docendi facilitati maxime fauet: venæ ſectionem primo perpendemus, vt reſpicit Quid agendum, deinde vt refertur in Vſum. Quoad primum: Gale. 8, meth. 4. dicit, in ephemera ex obſtructione, niſi ſuccus vitioſus penitus

tranſpiret, neceſſe eſſe vt putreſiat: igitur, vt tranſpiret, maiori auxilio eſſe opus, nempe ſanguinis detractione, ētſi ſigna plenitudinis non adſint: præſtare enim, vitioſi ſucci maiore parte vacuata, ad detergendũ obſtructiones accedere: nam ſi prius detergamus, quam ſanguinem vacuemus, metum eſſe, ne obſtructiones augeamus. Adhæc ait Gal. aliam eſſe vtilitatem ſectionis venę; nim. vt ſuccis imminutis, ſuccorum excrementa fumoſa, & fuliginoſa pauciora reſtent, & inde minor reddatur febrilis calor. Hæc verba vt explanant vtilitates ſectionis venæ, ita reſpiciunt Quid agendũ; & proinde id, quod Quid agendum indicat. Hoc aũt nihil aliud eſſe pōt, quam ſanguis vehementer peccans. Cum aũt ſanguinis peccatum pertinere poſſit ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi, ſeu locum: in hac febre ſpectat ad quantitatem & qualitatem. Declaro: & primo, quoad quantitatem, peccatum eſt; quia ſanguis copia excedit. Hic aũt exceſſus duplex eſſe pōt: nempe ratione vel Totius corporis, vel ſolum Partium extimarum, obſtructione laborantium. Si primo modo; in corpore hac diaria correpto ſunt ſigna plenitudinis, vel quo ad Vaſa, vel quo ad Vires: ſi ſecundo mō, vtraq; plenitudo deſideratur: & hoc inſinuauit Gale. dum ait, ſanguinem eſſe detrahendum, etiamſi ſigna plenitudinis non adſint. Vnde & Auic. reſpiciens ad ſanguinis copiam, & ratione totius, & ſolum partium obſtructarum; & primo quo ad copiam rōne totius, cum & cā eſt multitudo humorum, & repletio, properandum eſſe dicit ad phlebotomiam, & vacuationem; hoc eſt, ad venæ ſectionem, & pharmacum purgans: nam vtrumq; dirigitur ad copiam; venæ ſectio ad copiam ſanguinis, pharmacum ad copiam alterius ſucci. Alia deinde ex parte, reſpiciens ad copiam ratione partium obſtructarum, ſubdit; ſi nō adſit multitudo humorum, ſed obſtructio pendeat a viſciditate, vel craſſitie; opus non eſſe ſuperflua vel phlebotomia, vel purgatione. Ecce ergo queādmodum Auic. ēt non exſiſtente copia in toto, hoc eſt, plenitudine, vel quoad vaſa, vel quo ad vires, probat venæ ſectionem, ſed non ſuperfluam. Nā, dubio procul, exſiſtēte plenitudine in toto, indicatur remedium vacuans ſanguinem in maiori copia, quam ratione plenitudinis, & rōne copiæ, quæ dirigitur ſolum ad partes obſtructas. Hæc quoad vitium ratione copiæ. Quo autem ad vitium qualitatis, locum habet in hac ephemera; vt ſanguis eſt refertus excrementis fumoſis & fuliginoſis: nam cum vi obſtructionis impedita ſit tranſpiratio, ſanguis fumoſis ac fuliginoſis excrementis inficitur. Quod vitium, cum non eſſet ignotum Auicennæ, dicit, non modo purgationem, ſed etiam phlebotomiam educere ſuperfluitates fumoſas, facientes has febres, & ſic prohibere, ne permutentur ad putredinem: & proprie hoc obtineri, quando fiat vacuatio proxima ſyncope. Ecce quam euidenter proponit ſanguinis vitium ſecundum qualitatē, vt ſcilicet ſanguis eſt refertus excrementis illis fumoſis. Quare ſi accidat vt ſanguis ſit copioſus, & ob copioſa excrementa fumoſa non parum alteratus; ſicut contingit in ſynocho ſine putredine, quæ eſt ephemera ex ſtipatione, excitata ab obſtructione: tum ſi fiat vacuatio proxima ſyncope, prohibet hæc ſanguinis vacuatio ephemeræ in putridam permutationem. Hactenus ergo patet ſecundum Gale. & Auicen. venæ ſectionem probari ob ſanguinis vitium, & ſecundum quantitatem & qualitatem: vnde ſi vtrumque vitium ſit coniunctum, maxime tunc probabitur.

At propter iuniores explicandum relinquitur, qua ratione vitium ſanguinis ſecundum copiam, & qualitatem ſit ita vehemens, vt indicet vehemens auxilium. Itaque ſciendum, primo quoad copiam, ſanguinis vitium eſſe vehemens, quia ratione obſtructionis habet rationem cauſſæ ſemper ſine qua non, & quandoque cauſſæ principalis. Habet quidem rationem cauſſæ ſine qua non: nam impedit, quo minus liceat aperire & mundificare: quia ſi negligatur ſanguinis vacuatio, aperientibus & mundificantibus augeatur obſtructio, & ephemera mutatur in putridam. Habet autem quandoque rationem cauſſæ principalis, dum obſtructio fit a copia ſanguinis, non a viſciditate vel craſſitie. Vnde cum ſanguis foueat, & augeat obſtructionem, niſi vacuetur, pariter perſeuerat & augetur obſtructio, vt putrida febris oriatur. Quo autem ad vitium ſecundum qualitatem: habet ſecundum hoc vitium ſanguis rationem cauſſæ principalis, non ratione obſtructionis, ſed febris: vnde dicit Auic. phlebotomiam educere ſuperfluitates fumoſas, facientes febres: Huius autem vitii ea eſt vehementia, vt cum alterantibus non cedat, niſi vacuentur primum excrementa, putreſcunt, & fit ſynochus putrida, & tandem etiam peſtilens: & propterea dicit Auic. phlebotomiam, educta ſuperfluitate fumoſa prohibere, ne febres permutentur ad putredinem. Quare ſi contingat in ſanguine vitium eſſe & ſecundum quantitatem & qualitatem; opus eſt vacuatione proxima ſyncope; ita enim male conſtitutus ſanguis viget in ſynocho ſine putredine, de qua febre ſuo loco dicendum. Hæc de venæ ſectione, vt reſpicit Quid agendum.

Adminiſtratio venæ ſectionis.

Quo autem ad Vſum, ſat ſit duo monere: alterum circa quantum, reliquum circa Quando agendum. Quoad Quantum: Dum ſumma eſt actio ſanguinis, expedit vnica vice ſanguinem vacuare, & proinde vſque ad animi defectum: ſemper autem ſupponuntur permittentia. Summa autem eſt actio, dum vtroque modo ſanguis peccat, hoc eſt, copia, & qualitate: cuiuſmodi erat ſanguis illius iuuenis correpti ſynocho ſine putredine, vt propterea 9. meth. 5. Gale. venæ ſectionem probarit vſq; ad animi defectum. Quo autem ad Quando agendum, in hoc cap. duo monet Auic. & vtrumque decet iuniores intelligere. Primum eſt in ephemera ex obſtructione, ſi poſt phlebotomiam lateris dextri occurrat dolor in latere ſiniſtro, non eſſe excuſationem iterationis phlebotomiæ, præſertim cum ſedatur febris, & permanet dolor. Cuius dicti hęc eſt ratio: nam dum dolor perſeuerat, ſignificat ſanguinem præſentem, & vehementer peccantem, vt niſi vacuetur, oboriatur inflammatio. Deinde dicit: cum eſt repletio, oportet præparare ad phlebotomiam, vt ſatius ſit ante febrē phlebotomari; &, ſi adſit febris, melius ſit deſiſtere a phlebotomia, quia phlebotomia facit humores currere & permiſceri. Sed deinde addit: quamuis ſit febris, & non fuerit excuſatio, nō oportet vt poſtponatur, & tardetur phlebotomia. Vt pateat Auic. in febre ephemera ex obſtructione probare venæ ſectionem ſemper ante febrem; & ſi non fuerit ſecta vena ante febrem, tempore febris quandoque eſſe ſecandam, quandoq; non ſecandam. Vnde pro huius ſententiæ intelligentia confugiendum ad methodi fundamenta. Sumitur autem Quando agendum a præſentia indicantis, cum abſentia prohibentis.

Vnde

A Vnde ante febrem adest præsentia indicantis:nam adest sanguis vehementer peccans secundum copiam,
qui etiam incipit infici secundum qualitatem.Et quamuis per venam sectam agitetur,hic motus non no-
cet:quoniam nec adest febris, quæ per motum sanguinis intendatur; nec obstructio,quæ per sanguinis
cursum possit augeri. At præsente febre si aperiatur vena,sanguis agitatur,vt euadat materia morbifica: vt
etiam dicit Auic.in cap. de cura dolorum iuncturarum cap.35.siquidem ait,in principio non fiat phlebo-
tomia;nam commouet humores & facit eos currere in corpus.Dum autem currit sanguis, perducitur in
partes obstructas:vnde obstructio augetur,vt sequatur febris putrida.Quare expedit desistere a venæ se-
ctione;& cibi parcitate occurrere copiæ sanguinis,& caliditati refrigerantibus : nisi vehemens sit sangui-
nis peccatum;dum nimirum & admodum copiosus sanguis,& excrementa fumosa vigent: nam tunc (vt
B ait Auicennas.)non est excusatio a sectione venæ;quia maius detrimentum exspectare oportet a copia &
impuritate sanguinis,quam a motu quem inducit venæ sectio:nisi enim sanguis vacuetur, necessario fit
putrida febris:si autem vacuetur,ex vacuatione excrementorum fumosorum minuitur febris. Nec ex
motu ita periculum impendet,vt augeatur obstructio,præsertim si copiosa fiat euacuatio:quod si accidat,
vt nonnihil materiæ influat in locos obstructos,cum amplius sanguinis copia non prohibeat aperientia,
& febris iam remissior reddita efficaciam amittat, fieri potest vt expugnetur, antequam ephemera in pu-
tridam mutetur. Hæc de venæ sectione.

Quoad medicamenta,cum respicere possint & Totum,& Partes obstructas. Quoad totum respici- II. Medicamenta: totius.
entia;hæc octauo meth.4.supponit Galenus:aliqua autem ex parte tetigit Auicen. siquidem vbi est copia
humorum,probat tum sectionem venæ,tum vacuationem : vbi vacuationem cum distinguat a phlebo-
C tomia,nil aliud intelligit,quam purgationem:nec ab re:nam sicut copiosus sanguis sua præsentia prohi-
bet,quominus tuto deobstruere valeamus;idem etiam periculum imminet a copioso succo,etiam nõ san-
guineo. Quæ autem esse debeat purgantis materia,dicendum potius in sermone de putridis,quam in præ-
sentia:siquidem,vt in putridis licet vti quandoque,verbi gratia,rhabarbaro caussa bilis;ita etiam in præ-
senti ephemera.Hoc loco sat sit vnum admonere circa Quando agendum:iubere nimirum Auic.in prin-
cipio properandum esse ad purgationem,hoc est,ante apertionem,& mundificationem,& proinde ante-
quam oboriatur putrida. Ita autem præcepit Auicennas, quoniam cognouit adesse indicans,& non esse
prohibens;& proinde materiæ cruditatem non inhibere.Nam in ephemeris primo die apparet coctionis
signa,quæ etiam in hac febre non desiderantur : vnde Galenus 8. meth.4.ait;si fiat ephemera ex obstru-
ctione mediocri a succo vitioso,primo die,& aliqua parte secundi,in vrinis nõ est signum cruditatis.Hæc
D de medicamentis ratione materiæ totius.

Quo autem ad medicamenta respicientia materiam,quæ est obstructionum caussa; Auic.non rece- 2 partis obstructæ.
dens a Gal. proponit medicamenta tum Aperientia, tum Mundificantia : inter quæ hoc est discrimen,ꝙ
aperientia sunt alterantia,mundificantia autem vacuantia:siquidem per aperientia intelligit, quæ aduer-
santur qualitati secundæ morbificæ materiæ obstruentis,nempe crassiciei,& visciditati;per mundificantia
autem,quæ materiam detersam & attenuatam e corpore elidant.

Primo ergo quoad materias aperientes,cum sint attenuantes & detergentes,& eo magis attenuan- Aperientia.
tes ac detergẽtes quo sunt calidiores;cum medicinas calidas febris prohibeat:propterea iubebat Gal. esse
vitanda calidiora,vtpote quæ febrem accendunt.Vnde non admittebat calaminthiam,hyssopum, origa-
num,serpillum,iridem,& apium,incocta in mulsa;sed veluti optimum medicamentũ probabat oxymeli;
E vtpote quod febrem non accendit,strenue deterget,glutinosa & crassa dissoluit,ac meatus obstructos li-
berat.Vnde a Gal.accipiens Auic.dicit,propterea quod ægritudo est febris,aperientia,detergentia, & at-
tenuantia calida vitanda,& accedendum ad illa,quæ sunt inter syrupum acetosum purum, vsque ad illum
qui est cum seminibus,& aqua endiuiæ,vsque ad aquam feniculi.Ex quibus colligendum, probari medi-
camentum compositum ex calidis,vt est feniculum,& frigidis,cuiusmodi endiuia. Ceterum Gal.præter
oxymeli probabat tum mulsam,tum saccharum,tum apomeli,quod medium esse voluit,inter oxymeli,&
mulsam:siquidem apomeli calidius est oxymelite, minus autem calidũ mulsa. Hoc autem verum est si in
his conficiendis vera proportio seruetur:nam si,verbi gratia,oxymeli cõficiatur ex plurimo melle, & exi-
gua aqua;apomeli autem ex copiosa aqua,& exiguo cremore fauorum mellis; dubio procul oxymeli erit
calidius apomelite:quinimo & mulsa si fiat ex copiosa aqua,& exiguo melle,erit frigidior:at si puritas ser-
F uetur,oxymeli erit minus calidum:nam præter aquam & mel recipit acetum, quod vim refrigerandi ha-
bet.Sed præterea Gal.adscendebat ad aquam,in qua parum apii esset incoctum. Et Alexander aduersus
Gal.ait,si obstructio fiat ex visciditate,probari oxymeli;si autem ex crassitie,improbari,& præsertim si cras-
sa materia,vi caliditatis seu exustionis sit genita:hocq; comprobat tum ratione,tum experimento.Ratio-
ne:nam oxymeli in corpore calido & sicco,dum siccat materiam crassam,hanc crassiorem reddit; nam ꝙ
vi siccitatis crassescit,nequaquam a sicco attenuatur.Experimento autẽ siquidem ait,se quendam obser-
uasse calidi & sicci temperamenti,cui cum oxymeli ad prouocandũ lotium propinaretur, retentionẽ po-
tius peperisset.Ceterum pro Gal.& veritate dicendũ,oxymeli probari ratione materiæ & viscidæ, & cras-
sæ:nam detergit & attenuat citra caliditatẽ.Verum aduertendum,oxymeli probari caussa materiæ viscidæ,
si fiat ex copioso melle,acri aceto,& exigua aqua,& non sit admodum dilutum;itemq; probari caussa ma-
G teriæ crassæ,exustæ,& siccatæ,si conficiatur ex exiguo melle,mitiori aceto,& copiosa aqua, vt sit oxymeli
impurius dilutũ,hoc siquidem materiã crassam attenuabit,siccam humectabit,& molliorem reddet.Vn-
de propter iuniores hæc poterit esse administratio:si materia sit viscida; Recipe oxymelitis simplicis vnc.
ij.aquæ hordeaceæ alteratæ apio vnc.iij ß.Si autem materia sit crassa ac exusta:Recipe oxymelitis mitioris,
vel etiã syrupi acetosi simplicis vnc.j.aquæ hordeaceæ vnc.iiij.Modus sit,vt hæc medicamenta actu calida
administretur;nam oportet,vt ab ore ad extrema corporis permeent.Tempus,post totius vacuationem?

A vnde dicit Auic. non properandum ad aperientia & mundificantia, ante vacuationem scilicet totius: nam quæ aperiunt, deuehunt materias in venas, & augent obstructiones, & præcipue si meatuum orificia natura fuerint stricta.

Mundificantia. Quo autem ad mundificantia, hoc est, vacuantia materiam viscidam detersam, & crassam attenuatam; hæc proponebat Gal. tum Leuiora, tum Fortiora. Inter leuiora recensebat farinam hordei, erui, fabarum; & aquosam mulsam: inter vehementiora autem mulsam meraciorem cum iride, cum radice panacis, etiam cum sapone nigro. Horum vsus est, verbi gratia; Recipe farinæ fabarum, erui ana vnc. v. pulueris iridis ℈ ij. mulsæ moderatæ vnc. ij ß. Modus sit, vt administretur medicamentum actu calidum, & fricādo. Tempus sit, post aperientia. Locus sint extimæ partes. Hæc de materia medicinali.

III. Victus ratio. Cibus. Quo ad diæteticam, sat sit versari cum Auicen. & Galeno circa cibum, potum, & balneum. Quo ad cibum, cum Auicennas in cura generali probarit in ephemera ex obstructione cibum tenuem, vt per accidens vacuetur materia, obstructionis caussa & efficiens, & fouens; & in hac ephemera opus sit detersione, & attenuatione: propterea vtilis est cibus qui attenuat, detergetque; nimirum victus minuens, & attenuans; qui etiam caussa febris vim refrigerandi obtinere debet. Hæc fundamenta pernoscens Galenus, iam proposita aperientia etiam in genere victus collocauit: sed præterea etiam probat ptissanam. At si febris sit vehementior, magis probat ptissanam scilicet colatam: quæ sane quomodo confici debeat, cumulatissime in sermone de febribus putridis explicabitur. Hoc loco cum Auicenna mouere liceat, ptissanæ cremorem condiri posse saccharo: nam & gratior redditur cibus; & præterea fit nutritio, cum saccharum sit propinquum cibo; & apertio, cum facultatis detersoriæ non sit prorsus expers. Vnde nec improbatur panatella liquidior, cum saccharo, vel seminibus melonum. At si febris non ita vrgeat, nec corpora sint calida & sicca, mulsa maxime probatur. Quæ sane vario modo conficienda, pro statu tum virtutis, tum febris: siquidem cum esse possit meracissima, aquosissima, & mediocris, pro maiori indigentia virtutis, meracior probatur; & pro febris intensiori feruore aquosior. Secundum Paullum libro primo, c. 96. mulsa meracissima conficitur ex vna parte mellis, & duabus aquæ: aquosa; ex vna parte mellis, & octo aquæ: mediocris, ex vna parte mellis, & quatuor aquæ.

Potus. Quoad potum: Galenus vini non meminit, sed monet ante horas suspectas futuræ secundæ accessionis, si sit interuallum trium tantum horarum post balneum, nihil esse offerendum præter aquam, cui parum apii sit incoctum: si maius sit interuallum, vtendum esse tantum ptissanæ cremore. Vnde, & Auicennas dum homo egreditur balneo, & periculum est putridę febris, non exhibet cibum, nec vinum; si autem virtus inediam non ferat, propinat in potu quod aperit, vt aquam hordei, quæ sit confecta cum aqua substantiali, hoc est, tenui, & copiosa, & pauco hordeo; sed longo tempore fiat decoctio, quę deinceps aqua hordei ita confecta, cum apio decoquenda: siquidem hic potus nonnihil nutriet, & aperiet citra calfactionem.

Balneum. Balneum denique Galenus 8. method. 4. probat, nisi adsit materia putrida prohibens. Materia autem putrida suis signis deprehendetur, vtpote pulsu, & lotio: de quibus in sermone putridarum. Et quia contingere potest, vt medicus in cognitione fallatur; monet Auicennas, si, dum æger est balneum ingressus, horrore afficiatur, vt nullo modo moretur in eo: nam illæ obstructiones ope balnei non aperiuntur. At si nihil prohibeat, cum Galeno balneo vti licet. Hoc autem in balnei administratione seruandum, vt virtute huius fiat apertio meatuum cutis, & hinc transpiret, & egrediatur materia obstructionis effectrix: ob id iubet Galenus, vt in balneo prius corpus inungatur oleo aperiente, verbi gratia, anethino, ac moderatissime fricetur; mox extrinsecus detergatur medicamentis, nimirum superius allatis mundificantibus, & abluatur. Dixit autem extrinsecus, hoc est, extra solium balnei. Tempus autem opportunum erit, si tres aut quatuor horæ æquinoctiales inter balneum & futuram accessionem interponantur. Addebat Auicennas, si paroxysmus non redeat, balneum repetere licere, si æger desiderauerit illud. Ceterum præter patientis desiderium, non oberit balneum, tum quia febris non est mutata in putridam, tum etiam vt quę in cute sunt reliquiæ, inaniantur. Hæc de ephemera e stipatione.

CAPVT XV.

De ephemera e Cruditate.

Nomen. HAnc febrem Galenus 8. method. 5. vocat ephemeram e cruditate: quoniam eius caussa est cruditas; & quidem prima cruditas, hoc est, ad ventriculum pertinens. Vocat autem Auicennas ephemeram ex nauseatiua satietate, & repletione: nam vbi in ventriculo cruditas, ibi nauseatiua satietas, & repletio.

Generatio. Hæc febris gignitur, dum in ventriculo, adest succus crudus, a quo mittuntur vapores nidorulenti, qui petentes cor, sua caliditate cordis spiritus accendunt, & hinc calidum innatum, totumque corpus.

Definitio. Quare hæc febris est ephemera, producta a cruditate ventris nidorosa.

Cruditas nidorulēta. Pro huius definitionis intelligentia (cum pateat quid sit ephemera) sufficit tria explicare: primum, quid nam sit cruditas nidorosa: deinde, ad quam corporis partem pertineat: tertio, quæ sit huius cruditatis caussa effectrix. Itaque cum Gal. 8. method. secundo, & 3. de sympt. caussis primo, per cruditatem intelligimus ventris symptoma, quod potius pertinet ad functionem corruptam, quam ablatam: siquidem cibi in ventre mutationem accipiunt, non diminutam, sed corruptam: vt propterea hæc cruditas dici possit corruptio. Ceterum cum intelligere oporteat cruditatem, in qua cibus corrumpitur: scire oportet hanc cruditatem duplicem esse posse. Siquidem vna ex parte est cruditas, in qua cibi ita corrumpuntur, vt vapores acidos emittant. Cum autem acidi vapores sint frigidi, vt spiritus accendere nequeant, propterea hæc cruditas ephemeræ caussa esse nequit; præsertim cum vapores acidi sint effectus frigiditatis, vel ventriculi,

A triculi, vel pituitæ in ventriculo collectæ, vel ciborum. Neque obstat, quamuis Trallianus aduersus Gal. dicat, acidam qualitatem etiam a calore produci; quia vinum & fermentum non tantum in frigidis, sed etiam in calidis acescant domiciliis! siquidem verissimum est, acidæ qualitatis caussam immediatam esse calorem diminutum; imminui tamen constat calorem modo a calore, modo a frigore: ideoque dum vinũ in calidiori aere acescit, id fit, quoniam vini calor propter ambientem calidiorem diminuitur, & hinc postea a diminuto calore prodit aciditas. Constitutum ergo sit, vi huius cruditatis non produci ephemeram: sed, si febris oboriatur, esse putridam, quando videlicet materia aciditatis particeps putredinem cõcipit. Si autem alia ex parte capiatur cruditas, in qua cibi eam assequuntur corruptionem, vt vapores prodeant nidorulenti; hæc illa est quæ febris ephemeræ caussa esse potest. Siquidem nidor est odor insuauis, prodiens a substantia vstionem patiente. Ideo cum vapor nidorulentus, ad differentiam acidi, vim cale-
B faciendi obtineat, rationabiliter febrem accendere potest: Propterea dictum est, hanc ephemerã produci a cruditate nidorulenta.

Vnde vapor nidorosus.

Cum ergo pateat quid nam intelligere oporteat per cruditatẽ nidorosam; modo explicandum ad quam corporis partem pertineat. Itaque sciendum, quamuis vapor nidorulentus eleuetur a materia quæ in ventriculo corruptionem suscipit; nihilominus vaporem nidorosum, febris opificem, prodire a materia quæ adhuc residet in ventriculo; quandoque autem a materia, quæ infra ventriculum delabitur, & cum infra ventriculum sint intestina, fieri potest, vt corrupta materia occupet intestina tenuia, vel crassa.

Generatio materiæ corruptę in ventriculo

Tertio explicanda est huius corruptę materię generatio. Cum ergo sit opus in ventriculo genitum, sed prauum, propterea gignitur vel Læsa ventriculi facultate, vel ob Errorem externum. Gignitur quidẽ
C læsa, imo labefactata ventriculi facultate, nempe alteratrice, ob immoderatam ventriculi caliditatem, cui vt plurimum adiungitur siccitas. Generatur autem ob errorem externum, qui esse potest vel cibus aliquis calidior, vel bilis in ventriculo residens. Quæ sane caussæ, vt modo magis, modo minus efficaces sunt, ita cruditatem gignunt, modo magis, modo minus peccantem, & secundum quantitatem, & secundum qualitatem: vt ratione copiæ materia sit, vel in maiori, vel in minori copia, & proinde vapor nidorulentus magis, vel minus copiosus: ratione autem qualitatis, materia sit magis vel minus exusta, & hinc vapor nidorosus vel fuliginosus, vel fumosus: siquidẽ (vt ait Gal.) fuligo est vapor terrestris, qui proinde prodit ex materia immodice vsta; fumus autem est mixtio quædam ex terrestri & aquea substantia, vt prodeat ex materiis semiustis. Hæc de definitione.

Differẽtiæ.

Differentiæ capiendę sunt a cruditate nidorosa, nimirum a vitio cruditatis caussarum producentiũ
D cruditatem, & a loco principaliter a cruditate affecto. Si ergo respiciamus ad vitium ratione quantitatis, vel in maiori, vel minori copia producitur: ratione qualitatis, magis vel minus exusta est. Si respiciamus ad vitium ratione caussarum, est vel ventriculi calida intemperies, vel bilis: Denique ratione loci primum affecti, est vel ventriculus, vel sunt intestina, hæcque vel superna, vel inferna.

Signa in genere.

Esse ephemeram, dignoscere oportet ex signis, traditis in sermone de signis ephemerarum in genere: esse autẽ ephemeram ex cruditate, facile noscere licet ex vaporibus e ventriculo prodeuntibus, quippe qui carnium, siue piscium semiustorum odorem præseferunt. Insuper hæc febris peculiariter obtinet, vt lotium lotii sanorum similitudinem non seruet: quoniam, dum hæc cruditas gignitur, excrementum serosum necessario inficitur. Quo autem ad signa differentiarum: & primo, si capiantur a vitio materię corruptæ, ratione vel copiæ, vel qualitatis; quo ad copiam, num materia sit vel in maiori, vel minori copia; di-

Differẽtiarum signa.

E gnoscemus ex maiori & minori copia ructuum nidorosorum; ad hęc ex symptomatum vehementia & remissione: nam in maiori quanto maior est virtus; tum ex perseuerantia febris, vt si redeat febris per periodos, & quatuor, aut septem vicibus. Quo ad qualitatem; vehementiorem & remissiorem exustionem deprehendimus ex indiciis intensioris & remissioris caliditatis: verbi gratia, ex intensione sitis, ex febre intensa, ex vehementia caussarum effectricum, intensiorem esse exustionem indicabimus. Si autem capiantur differentiæ a vitio caussarum effectricum; cum caussa esse possit cibus calidus, succus biliosus, & calida ventriculi intemperies: originem duxisse ex cibis cognoscimus, si ciborum calidorum vsus est prægressus: sin minus, cum esse possit vel succus biliosus, vel calida intemperies: succus biliosus deprehendetur ex amaritudine, & grauitate; calida autem intemperies ex siti, & feruore, citra amaritudinem & grauitatem. Quo ad locum primo affectum, ad huius cognitionem assequendum pręcipiebat, Galenus esse diligenter
F manibus hypochondria & totum ventrem contrectanda, interrogandumq; ægrum, qua maxime in parte vel morsum, vel grauitatem habeat: vbi enim hæc obseruabuntur, ibi corruptum cibum esse collectum iudicandum. Hæc de signis.

Præsidia.

Indicationes, posthabitis & notis generalibus, caussa ephemeræ; hoc loco a cruditate nidorulenta sunt hauriendæ. Expedit autem, vt hauriantur tum ab ipsa cruditate, tum ab eius caussis, tum quandoque ab effectibus. Dico, quandoque ab effectibus: nam semper respicere oportet ad cruditatem, & caussas; non semper autem ad effectus, sed solum dum vrgent, dum nimirum sunt symptomata quæ habent locum caussæ. Igitur quantum attinet ad cruditatem, hæc est toto genere præter naturam; præterea vi caliditatis infensa. Ea ratione, qua est toto genere præter naturam, prorsus est vacuanda; vt noxia est vi caliditatis, refrigeranda, ne scilicet ductus, per quos permeat, male afficiantur. Quo autem
G spectat ad caussas; cum sint cibus calidus, bilis, & intemperies calida ventriculi: a cibo, vt a caussa primitiua nulla sumitur indicatio; vt sufficiat, vel bilem purgare, vel ventriculum refrigerare: nisi cibus caussa sit in ventriculo: nam ratione caussæ antecedentis, est refrigerandus, & vacuandus. Quo ad effectus, qui produci solent, veluti dolor, necnon immoderata intestinorum laxitas, quando per aluum fluit materia non modo morbifica & excrementitia, verum etiam alimentalis; ratione doloris

indicatur anodynum; cauſſa laxitatis, condenſans ſeu adſtringens. Hæ ergo ſunt indicationes, ad quas reſpexit Gal. 8. meth. 5. ſi recte intelligatur. A

Prognoſtica.

Quoad prognoſticum: hæ indicationes expleri poſſunt, ſed modo minori, modo maiori negocio. Nam cum indicationes reſpiciant vel febrem, vel cruditatem; quo ad febrem, cum ſit ephemera, & proinde ratione eſſentiæ & facultatis debilis, ſuperari poteſt. Quo autem ad cruditatem, cum indicationes dirigantur vel ad ipſam materiam crudam, vel ad cauſſas, vel ad effectus; materia, vt eſt toto genere præter naturam, & exuſta, vehementiam habet inſignem ratione eſſentiæ; nec leuem ratione dignitatis, cum lædat ventriculum; at ratione facultatis exiguam vehementiam, vt vel ſponte naturæ, vel ope medicamenti vacuari poſſit. Ex quo obiter colligendum, in prognoſtico vehementiam ratione facultatis primas partes obtinere. Quo autem ad cauſſas, cum indicationes dirigantur ad bilem in ventriculo exiſtentem, & eius calidiorem intemperiem; in vtraque cauſſa eſt quidem vehementia ratione dignitatis: at vtraque B cauſſa debilis eſt ratione facultatis, nec admodum vehemens ratione eſſentiæ; nam & bilis vacuari poteſt, & calida intemperies corrigi, præſertim cum, vt ait Gal. ſeptimo meth. quincto corrigatur a frigido, quod eſt inſignis actiuitatis. Quoad effectus; dolor, & alui laxitas penes eſſentiam non ſunt inſignis vehementiæ; cuius indicium eſt, non proponi ſtupefacientia: &, ſi ſola inteſtina afficiantur, vehementia etiam ratione dignitatis deſideratur: quod ſi præterea ſyncope vel quippiam ſimile non ſubſequatur, ratione facultatis debilem eſſe effectum iudicandum eſt, vt propterea eius vis expugnari poſſit. Verumtamen hoc malum modo facilius, modo ægrius cedit, pro vehementia intenſiori & remiſſiori rerum prȩter naturam, hoc eſt, cruditatis, cauſſarum, & effectuum: vnde, ſi materia corrupta ſit copioſior, ſit magis exuſta; reſideat in ventriculo potius quam in inteſtinis; genita ſit vitio potius morbi calidi ventriculi, quam vel bilis, vel ciborum; dolores vehementiores pariat, nec non immoderatum alui fluorem: dubio procul indicationes minori cum facilitate explebuntur. Si ergo cruditas cum ſuis cauſſis & effectibus occurrat, multo C facilius perfici poſſe prædicendum. Hæc de prognoſtico.

Curatio. Cheirurgia.

Quo ad materias, & primo, quo ad materiam cheirurgicam, Galen. octauo method. quincto, quamuis accurate huius febris curationem tradat, nihilominus ne verbum quidem facit de venæſectione. Neque præter rationem: ſiquidem materia hæc corrupta, præter id quod maxime diſtat a natura ſanguinis, & reſidet in primis ductibus, vt nequaquam meſaraicas pertranſeat, ideoque lenientibus cedat; propterea huius cauſſa venæſectione non eſt opus. Amplius, ſi cruditate præſente ſecaretur vena, metuendum, ne venæ corporis inanitæ (vt ait Galenus quarto de tuenda ſan. vltimo) ad ſe materiam crudam rapiant. Prȩter id, quod venæſectio etiam facit currere humores. Vnde & totum hac materia inficeretur, & iecur etiam; cum nequeat a ventriculo in totum deduci, niſi per medium iecur: vt propterea recte moneat Auicennas, venam ſectam in hac febre poſſe eſſe cauſſam fluxus hepatici. Ceterum recte aſſequi oportet, quid D voluerit Auic. dum in hoc cap. ait; & iter quidem ad phlebotomiam eſt, vt non fiat in ea, donec declinet, tunc enim fiat. Hæc verba ita intelligenda: nimirum venam ſecari poſſe, ratione putridæ febris imminentis: nam quandoque euenire poteſt, vt vi febris ephemeræ ſanguis incaleſcat, qui niſi inaniatur, febrem putridam excitat, & præſertim cum ſanguis ob vapores nidoroſos non ita regatur. At ſecandam venam ait Auicen. cum declinat ephemera, & imminet putrida: nam dum ephemera declinat, & cruditas eſt victa; non amplius vi ſectionis venæ poteſt per corpus currere.

1\. Medicamẽta: primum reſpicientia vaporem.

Quo ad materiam medicinalem: Galenus octauo meth. quincto exactam huius febris curationem docens, proponit medicamenta, quæ reſpiciunt tum Materiam corruptam, tum eius Cauſſas, tum Effectus. Reſpicientia materiam ſunt in duplici differentia: nam reſpiciunt Vaporem, vel Mineram illius vaporis. E Reſpiciunt vaporem, quæ habent vim diſcutiendi, vt diatrionpipereon illud ſimpliciſſimum, quod fit ex triplici pipere, vi cuius vapores nidoroſi diſſoluuntur, qui cauſſa ſunt vt materia corrupta ſuſpenſa permaneat, & ita ventriculum lædat: his ergo diſſolutis materia ad inteſtina deſcendit. Nec periculum imminet, vt vi diatrionpipereon febris accendatur: nam præter id, quod huius ope diſſoluuntur vapores calidi febrem fouentes: huius medicamenti caliditas, in tenui ſubſtantia reſidens, dum vapores diſſoluit, & ipſa euaneſcit, vt eius vis vltra iecur non perducatur. Quare rationabiliter probatur hoc medicamentum, dum cruditas ſuperiores partes occupat. Si autem forte prohibeat calida intemperies ventriculi, vt ait Auicennas, licet vti aliquo debiliori: verbi gratia, aromatico roſato. Ceterum, vt magis atque magis vapores diſſoluantur, deinde etiam præcordia, & omnem ventrem perfundere oportet iis medicamentis, F quæ parem vim cum diatrionpipereon obtinent, hoc eſt, quȩ vim habent diſſoluendi vapores, nimirum, quæ calida ſunt, & tenuis ſubſtantiæ, non citra tamen aliquam leuem adſtrictionem: ſiquidem ope conſtrictionis tuemur calidi innati ſubſtantiam, ne a calidis & ſiccis diſſoluatur. Quoniam autem quæ miſcentur ſunt tenuis adſtrictionis, calidorum & roborantium tranſitum ad intima non inhibent. Et hoc eſt quod ſignificauit Gal. dum probat, quæ vim habent tenuiorem adſtringendi; vt medicamentorum vis ſiccando, calefaciendo, & robur inferendo, in corpora, quæ circa ventriculum habentur, alte penetrare poſſit. Hæc autem medicamenta ſunt, oleum, vna cum abſinthio, oleum nardinum purpuræ marinæ admixtum; & eſt materia illa inſtar ceræ lenta, quæ prodit ex mutuo attritu piſcis purpuræ. Quo loco notandum, purpuram eſſe quid admodum diuerſum a grano, quo tinctores vtuntur in pannis tingendis: verumtamen in penuria purpuræ, non eſſet ita ab re vti hoc tinctorum grano; ſiquidem, vt ait Galenus G ſeptimo ſimplic. granum tinctorum amarum eſt, & adſtringit, ac citra morſum ſiccat: ſed cum magis adſtringat, quam purpura; propterea grano & parciori vtendum, & cum copioſiore nardino. Tandem addebat Galenus, ſi os ventriculi ſit imbecillius, etiam opus eſſe addere oleum maſtichinum: & his addebat etiam vnguenta pretioſa, vtpote quæ conficiuntur ex moſcho, & ambra odorata: quo fine ſuperius propoſitis medicamentis addentur ſpecies galliæ moſchatæ.

Hoc

A Hoc loco autem admoneantur iuniores, Galenum quædam proponere, quæ ſunt extra methodum medendi; quædam autem quæ pertinent ad methodum medendi. Extra methodum ſunt, quę diriguntur ad ipſa medicamenta, quatenus opus habent vel adiuuante, vel corrigente: verbi gratia, cum abſinthium poſſit nidore offendere, feruente aqua tingendum. Pariter, cum vnguenta actu calida ſint adminiſtrāda, ſi ſuper prunas vel calidum cinerem calefiāt, vitiatur eorum facultas; ideo cum Galeno oportet illa calefieri in duplici vaſe, coniecta in vas maius aqua feruēte. Adhæc, eſt extra methodum compoſitio cerati ibidem tradita. Poteſt autem hunc in modum colligi, & deſcribi: ℞. ceræ, olei nardini, ana vnc. i. cera autem liquetur in oleo nardino: quibus refrigeratis addantur aloes ligni ℨ. j. pulueris molliſſimi maſtiches. ℈ iiij. ſpecierum galliæ moſchatæ ℈ ß. & fiat ceratum. Nota, oleum nardinum eſſe baſin: reliqua adiuuantia, ſiue B cuſtodiendo, vt cera: ſiue deducendo, vt xyloaloe; ſiue adſtringendo, vt maſtiche; ſiue corrigendo, vt odorata, ne olei odor lædat. Adhæc etiam extra methodum eſt præparatio penicilli, qui poſt fomentum oleo de abſinthio debet inungi. Per penicillum autem intelligere oportet mollem aliquam ſubſtantiam, quæ ventri eſt applicanda, & vt detineatur, intingi debet. Vnde penicillus poteſt parari ex panno lineo, molliter, & quater obuoluto, ſeu duplicato; ex molli ſpōgia; ex lana optime carpta; ex panno etiam laneo. Quæ ſane materiæ vt plurimum proſint, non modo ſiccæ & calidæ applicandæ, verum tingendæ oleo de abſinthio, vel oleo nardino, quod præſtantius, vel marina purpura: & ſi addatur maſtiche, redditur penicillus efficacior ad os ventriculi firmandum, ſi ſit imbecillum. Hæc ergo & ſimilia ſunt extra methodum; quæ tamen ſcitu ſunt neceſſaria.

Ad methodum medendi pertinet, quæ ſunt præter naturam eſſe depellēda. Verum inuicem miſcere C medicamenta, attinet ad methodum componendi: carni admouere ceratum, & deſuper penicillum, & penicillum ligare, attinent ad methodum materiæ cheirurgicæ. Circa ea, quæ pertinent ad methodum medendi, duo potiſſimum monere videtur, quorum vtrumque ad modum agendi ſpectat. Alterum, & præcipuum eſt, dum ait: eſto autem abunde calens talium quodque, cum primum imponitur; nam quæ tepida ſunt omnia ventriculi firmitudinem diſſoluunt. Hæc dicta ita intelligenda. Quantum attinet ad paſſionem vaporum, hæc indicat medicamentum actu calidum: nam diſſolutio impeditur actu frigidis. Ceterum hoc eſſe poteſt vel abunde calidum, vel moderate calidum, hoc eſt, tepidum. At tepidum prohibetur a virtute: nam tepida omnia ventriculi firmitudinem diſſoluunt, quia diſſipant ſubſtantiam calidi innati: nam vt calida, diſſoluunt; vt moderate calida, non alliciunt nouum alimentum. At vehementer calida, quamuis diſſipent, attamen quoque nouum alimentum attrahunt. Adhæc calida cutis poros anguſtant, tepida aperiunt. Reliquum autem quod pariter ſpectat ad methodum medendi, eſt, dum inquit: D ſi quis morſus, aut doloris ſenſus, adhuc in ventriculo ſuperſit; poſt fomentum vel incingendus penicillus, vel ſi cinctum non patitur, ſiue ob conſuetudinem, ſiue delicias cingi recuſet, cerato idem efficias. Hæc dicta ita intelligenda. Cum medicamenta poſſint adminiſtrari in modum vel fomenti, vel penicilli, vel cerati: ſi paſſio vaporum nidoroſorum fuerit facilis, ſufficit adminiſtratio medicamenti in forma fomenti, ſeu ſimplicis inunctionis: at ſi vapores non cedant, quod ex eo dignoſcitur, quoniam morſus aut doloris ſenſus adhuc perſeuerat; tunc opus eſt vti medicamento eo modo, quo efficacius agat, & hinc ſpiritus nidoroſos diſſipet: qui modus eſt vel penicillus, vel ceratum. Et cum medicamentum hoc vtroque modo adminiſtratum idem efficiat; ſi placeat iucunde curare; & patiens renuat penicillum, medicamento cerati forma vtendum. Hæc de medicamentis, reſpicientibus materiam ſecundum vaporem.

E Quo autem ad medicamenta cauſſa mineræ adminiſtranda, quæ nimirum ſenſibiliter materiam debent inanire; animaduertere oportet, an hæc materia ſit in ventriculo, vel infra; & ſi infra, an in ſupernis, vel infernis inteſtinis. Itaque ſi materia ſit in ventriculo, & potiſſimum, vt ait Auicen. ſtans deſuper; vomitorio eſt vacuanda: verbi gratia, iure pulli tepido, immixto oxymelite: ſiue ſit, ait Auicen. cibus, id eſt, non mutatus in chylum; aut feces, ſeu excrementum craſſum chylificationis, quod non in ventriculo, ſed in inteſtinis mutatur in verum ſtercus; ſiue grauitas, hoc eſt, excrementum crudum cibi. At ſi contingat, vt vomitus ſit difficilis, medicamentis vti licet, vt per aluum materia corrupta educatur: ait enim Galen. primo, de aliment. excrementorum alui deiectionem eſſe vnicum remedium in cruditatibus. Propterea ad hoc commodum reſpiciens Auicen. probat per aluum vacuantia, tum quæ per os ſumuntur, tum quæ per ſedem immittuntur, nempe clyſteres, & glandes: ſiquidem nouit, materiam corruptam F quandoque detineri in ventriculo, vel in ſupernis inteſtinis, vt clyſteriis & ſuppoſitoriis non ita cedat. Galenus autem quæ per os aſſumuntur proponit: quoniam rariſſime accidit, vt materia nidorulenta, cum mordax ſit, expulſa ab expultrice non deſcendat: vnde etiam fit, vt quandoque alui fluor coniurgatur. At ſi contingat, vt ad craſſa inteſtina non deſcendat, cum Auicenna probantur lenientia. Quæ autem hæc ſint, non proponit: ſed nos remittit ad doctrinam de vacuantibus. Quare & nos paucis de his loquemur: cum vberior horum doctrina magis ad febres putridas pertinere videatur.

Vacuātia materiam nidorulentam.

Sciendum igitur, ratione huius cruditatis probari potius lenientia, quam ſoluentia: nam cum materia ſit proxima, non egemus medicamento attrahente, ſed lubricante, & moderate expultricem irritante: cuiuſmodi eſt flos caſſiæ cum ſeminibus citri, ſyrupus roſ. ſol. manna, quæ diſſolui poſſunt in iure alterato G endiuia, ſi ventriculus ſit calidior; ſeu minus, vti licebit melle roſ. ſol. diſſoluto in iure alterato cichorio, & ſeminibus citri, ſi forte flatus vigeant. Quæ autem eſſe debeat lenientium adminiſtratio, alibi explicabitur. Hoc loco duo monere liceat, circa Quando agendum. Primo e Galeno 8. method. quinto: ſi confugiendum ſit ad vacuantia per glandes & clyſteres, poſt primam remiſſionem, hoc multo magis eſſe ſeruandum in iis, quæ per os exhibentur. Deinde notandum, e ſecundo aliment. 31: id omnibus, quæ aluum deiiciunt, commune eſſe, vt ab aſſumtis non liceat illico prandere, ſed opus eſſe aliquid temporis

interponere. Quæ dicta ita intelligenda, vt pertinere videantur potius ad Quando agendum ratione cibi, A quam lenientis. Leniens enim exhibendum, quando indicat materia præſens quæ debet vacuari; nec cibus prohibet, cum vid. licet adhuc non eſt ſumtus. At vbi exhibitum eſt leniens, hoc ſua præſentia prohibet cibi exhibitionem: & leniens eius eſt vehementiæ, vt inſtar cauſſæ morbificæ poſſit lædere: quia ſi ilico exhibeatur cibus, miſcebitur cum leniente, vnde cibus deiicietur, & non nutriet. Ex quo colligendum, cum Gal. hanc ſententiam protulerit, accepta occaſione a prunis, id multo magis eſſe ſeruandum in caſſia, manna, & ſimilibus, quæ efficacius ventrem mouent, quam pruna: vt ſaltem cibus non exhibeatur niſi poſt horam ab aſſumto leniente, ſi leniens deſcendit ad fundum ventriculi, & iam ad inteſtina pellitur. Hæc de vacuantibus per aluum, ore adſumtis.

Clyſteres. Quoad clyſteres, hi vt inaniunt inteſtina craſſa, & hæc laxant, vt promte admittant materiam reſidentem in tenuibus, iuuare poſſunt ad eductionem materiæ etiam in tenuibus inteſtinis exſiſtentis. B In his autem vſurpandis admonebat Gal. opus eſſe leni per inferius infuſione, & proinde mitiori clyſtere: non ſimpliciter tamen, ſed dum materia corrupta notabiliter ad inferiora eſt mota. Vnde probabat clyſterem, confectū ex melle, aqua, & pauxillo oleo: vt ſi, verbi gratia, capiamus lib. i. aquæ, decoctę cum vnc. iij. mellis, & vnciæ ij. olei addantur. At non in omni morbo ſimuli clyſtere vtendum, ſed ſolum vbi opus eſt leni infuſione: ideo ſi contingat coniunctam eſſe materiam viſcidam, opus eſt valentiori clyſtere, vt etiam caſſiam addere liceat. Vnde monebat Galenus, ſi cum materia corrupta ſint flatus, clyſterem parandum ex oleo, in quo ruta & ſemina, quæ flatus diſcutiant, fuerint incocta; cuiuſmodi ſunt apii, cumini, marathri, citri, aliaque id genus.

Glandes. Quo ad glandes, ex quibus confici debeant, nihil dicit: ſupponens, ex traditis de clyſtere facile eſſe ſcire, ſi non ſint flatus, glandem eſſe parandam cum melle; ſi autem ſint flatus, opus eſſe addere puluerem C cymini, apii, & ſimilium, quæ flatus diſcutere poſſunt. Hæc de medicamentis ratione materiæ corruptæ.

II. Medicamēta reſpiciētia cauſſā. Sequuntur medicamenta ratione cauſſæ. Et cum cauſſa poſtulans medicamentum poſſit eſſe vel Bilis, vel Calida ventriculi intemperies: quantum ad bilem, Galen. non proponit medicamenta: nam cognouit, medicamenta vacuantia materiam corruptam vacuare etiam bilem. Quantum autem ad medicamenta cauſſa intemperiei calidioris ventriculi, ſi ventriculus ita vratur, vt affectus quidam ſimilis inflammationi adeſſe videatur; probat ceratum ex melino, hoc eſt, ex oleo cydoniorum: ſicut etiam conducunt medicamenta ex roſaceo, hypociſtide, balauſtiis, & palmarum carne confecta, vtpote quæ ventriculo tum refrigerando, tum firmando idonea ſunt: nam dum ita vritur ventriculus, fit diſſipatio ſubſtantiæ calidi innati; ideoque refrigeratio reſpicit immodicam caliditatem, adſtrictio autem calidi innati ſubſtantiæ diſſipationem. Auicennas etiam exhibet trochiſcos de caphura, ſiue rhabarbaro. D

Effectum reſpicientia medicamēta. Quantum denique ad medicamenta ratione effectus; cum effectus pertineat ad Dolorem, & Fluxum alui: quod attinet ad dolorem, dum nimirum vehementior morſus vrget, Galen. probabat clyſterem, paratum ex ſabino oleo, in quo liquatum ſit aliquid ſepi anſerini, gallinacei, caprini, vel in horum penuria parum ceræ, & præſertim lotæ decocto maluarum. Ad alui fluxum, ventri applicabat oleum melinum. Notandum autem, hoc & alia id genus adſtringentia vſurpanda, dum alui fluor eſt immoderatus, qui vacuata cruditate perſeuerat: & propterea dicit Auicennas, ſi aluus fluat, conſidera, an id quod vacuatur ſit id quod eſt corruptum; & ſi fuerit illud, non retineatur, donec totum vacuetur vſque ad poſtremum eius.

Hæc ergo medicamenta fuere a Galeno propoſita, & ſane varia, pro diſcrimine indicantium. Quod ſi noſcere voluiſſet Trallianus, non ita impudenter Galenum redarguiſſet. E Dicit enim, cum contraria cōtrariis curentur; & in corruptione nidoroſa materia ſit calida; cauſſæ etiam, ſiue bilis, ſiue ventriculi intēperies, ad calorem vergant: inepte Galenum calidis, & intus, & extra, eſſe vſum; exhibendo diatronpipereon, & applicando oleum nardinum. Sed ex ſuperius propoſitis facile eſt tueri Gal. num: ſi quidem his calidis vtitur cauſſa flatuum, qui quandoque vigent in hac cruditate: cū enim flatus indicet vacuans, quod eſt diſcutiens, & proinde calidum; ſeruatur contrarietas, dum replenti flatui opponitur vacuatio. Neque Galenus negligit, vel cruditatem, vel cauſſas: ſi quidem materiam crudam vacuat, & ratione caliditatis ventriculi vtitur refrigerantibus. Hæc de medicamentis.

Diæta. Cibus. Tandem compar probatur viuendi ratio: propterea a Galeno varia proponuntur, vt etiam varia fuere medicamenta. In ephemera omni ex cruditate cibos probat boni ſucci. Et ſi non adſit alui fluor, F adſtringentes dimittit: dum autem aluus fluit, dat polentam: per quem cibum intelligit (vt declarauit primo de aliment. vndecimo) eum, qui fit ex viridi ſiue recenti hordeo frixo, deinde in farinam redacto: dat etiam panem, quem Græci oxylipe vocant, qui vtique minimum habet aceti; ad differentiam illius panis, qui ad vincendum diutinam diarrhœam & dyſenteriam, copioſiore aceto præparari debet. Ex quo obiter colligendum, ad alui fluxum compeſcendum probari acetum. Neque obſtat, quod inteſtinis ſit noxium: nam in medicamentis acetum improbatur, in cibis autem admittitur, quoniam ope cibi aceti vis inteſtinis infenſa corrigitur, & ope aceti panis vim alui fluxibus contrariam adſequitur: dicit enim Galenus primo de aliment. acetum aluum modice ſiſtere. Qua autem ratione hoc præſtet, non eſt ita facile adſequi: præſertim quia ex Galeno, decimo methodi nono, inter ea quæ poteſtate refrigerant, nihil reperitur quod ſit tenuius aceto, quod admiſtam aliquam habet caliditatem, & corpora quæ tangit, ſiccat. Cum G igitur ad alui fluorem compeſcendum probentur adſtringentia, quæ ſunt craſſarum partium, cuiuſmodi, verbi gratia, eſt ſuccus cotoneorum: merito ambigitur, quomodo acetum tenuiſſimæ ſubſtantiæ inter refrigerantia, & particeps alicuius caliditatis, aluum ſiſtere valeat? Dicerem ego acetum aluum ſiſtere, quoniam id cui miſcetur celerrime perducitur in venas. Nam ſicut diuretica aluum cohibent, dum vi horum materia petens vias lotii, ductus alui deſerit: ita hoc efficit acetum, dum celerrime materias diſtribuit in venas.

A venas. At quia hic modus sistendi aluum satis imbecillis est, vt merito dicat acetum modice aluum sistere: propterea octauo methodi quincto, in ephemera ex cruditate cum alui fluore vehementiore, qui proinde mitioribus non cedit, non contentus pane confecto cum aceto, adscendit ad ea, quæ valentius aluum cohibent, & sunt crassarum partium: idcirco iubet, vt polenta conspergatur succo mali punici, vel pirorum, vel malorum, & potissimum cotoneorum: vel, si loco succi magis placeat ægro horum fructuum decoctum, hoc polenta poterit conspergi. Dum autem venter fluere desinit, exhiberi poterit tum alica integra cum exiguo aceto, tum alicæ sorbitio sine aceto, tum testiculus gallinaceus, tum piscis saxatilis ex albo iure, tum aliquis fructus adstringens, vel solus, vel cum pane: quamuis hi fructus magis probentur, dum aluus adhuc fluit. Circa quæ dicta notandum, Galenum, posteaquam fluxus immoderatus cessauit, B probare alicam: cum autem hæc possit exhiberi vel integra, vel solum secundum cremorem; si integra, miscetur acetum; si solus cremor, exhibetur sine aceto. Quorum (vt puto) hæc fuit caussa: nam cognouit, post fluxum euenire posse, vt virtus esset vel magis, vel minus imbecillis. Vnde si imbecillior erat reddita virtus, vt opus esset cibo magis nutriente, dabat alicam integram; si autem opus non erat cibo ita nutriente, dabat alicæ cremorem. Ceterum quamuis fluxus non perseueraret, quia tamen superfluus erat prægressus, & periculum imminebat ne rursus inualesceret, imminebat autem præsertim ex cibo, qui non facile permearet, cum alica integra ægrius penetret cremore; ob id cum integra miscebat acetum, non autem cum cremore. Ceterum Galenus nulla ex parte negligens, noscens vires imbecilles propter fluxum egere cibo, a quo sæpius in hoc malo homines abhorrent: propterea ad excitandum appetitum, duo cochlearia dabat vel succi cydoniorum simplicis, vel etiam, si succi copia non erat, dabat medicamentum ex C carne compositum, hoc est, diacydonium, vtpote ad vnc. 1. Tempus autem cibi, sit in declinatione, & post balneum.

De potu Galenus ne verbum quidem facit, supponens, vt notum, in hac febre non esse opus vino, cum materia corrupta sit calida, & producatur a caussa calida, & sit febris, quæ possit habere plures periodos, & proinde minetur putridam. Vnde Auicennas etiam vini mentionem non facit; sed inquit, prius dandam in potu esse aquam hordei; &, si æger desideret, dandas etiam aquas fructuum. Potus.

Quantum denique attinet ad balneum, Galenus hominem lauabat, dum febris plane desierat. Admonet autem, si forte homo propter alui inanitionem virtutem defessam sentiat, satius esse, omissa lotione, hominem cibare; si autem virtus non sit imbecillis exspectandam declinationem paroxysmi, & ingrediendum balneum, & cibandum. Hæc de ephemera ex cruditate. Balneum.

D

CAPVT XVI.

De ephemera ex Bubone.

EPhemera ex bubone vocatur propterea, quod vi bubonis oboritur. Per bubonem autem intelligere oportet tumorem calidum, pertinentem ad partes externas glandulosas, potissimum ad inguina, quæ Græci vocant bubones, ex quorum calidis tumoribus plerumque ephemeræ oriuntur. Nomen.

Huius febris generatio proponitur a Galen. 1. de differentiis feb. 5. Ex quo loco colligere licet, si fiat bubo seu tumor quidam calidus a caussa externa, eum fieri per modum potius attractionis, quam transmissionis; quando sanguis, qui influxit putredinem in parte quidem concipit, sed in loco bubonis perma-E net circumscripta putrida fuligo, quæ nequaquam ad cor perducitur, sed solum alteratio ad calidum fit, seu calfactio per continuum, vt vsque ad cor calor perueniat, cuius vi cordis spiritus inflammetur, & hinc calidum cordis insitum, & ab hoc deinde toti corpori calor impertiatur. Hæc omnia si occurrant, necessario ephemera ex bubone oborietur. Generatio.

Propterea hæc febris species est ephemera, producta a caliditate bubonis. Definitio.

Pro huius definitionis intelligentia, sat est breuiter circa bubonem digredi. Itaque sciendum, per bubonem opus esse intelligere tumorem, pertinentem ad glandulas externas, collocatas prope aures, sub axillis, & potissimum in inguinibus. Hic autem tumor oportet, vt sit calidus, & proinde (vt ait Galen. 1. de differentiis febr. 3.) vel phlegmonosus, vel erisypelarosus, vel vtriusque naturæ particeps: vt originem ducit a materia, vel sanguinea, vel biliosa, vel mixta. Ceterum hæc materia calida, quæcunque sit, glandu-F las addit vel Transmissa, vel Attracta: siquidem differentia est inter tumorem, dum fit per modum vel transmissionis, vel attractionis. Nam si fiat per modum transmissionis, fluxio pendet ab interna caussa, a viscere videlicet vel copia oppresso, vel mala qualitate irritato, vt ad expellendum impellatur, & impressio fiat in partes imbecillas: vnde cum caussa sit interna, & proinde perseuerans, gignitur tumor, ita perdurans, vt cordi etiam putrida fuligo offeratur, & fiat potius putrida febris. At si fluxio fiat per modum attractionis, malum occasionem habere videtur ab externa caussa, vel calorifica, vel doloris effectrice: vt si, verbi gratia, quis vlcus patiatur in crure, vel femore, nec quieti se tradat, sed contra sese exerceat; vi motus, & præcipue non citra dolorem administrati, dabitur occasio materiæ, vt per modum attractionis fluat a supernis partibus ad infernas, fluensque materia suscipiatur in inguinum glandulis, ad suscipiendum admodum idoneis. Hæc veritas comprobatur Galeni auctoritate: primum quidem, dum octa-G uo method. sexto, ait, ephemeram fieri ex bubone, cuius occasio fuit vlcus. Adhęc, dum Hippocrat. quarta sectione aphorism. 55. ait, ex bubonibus omnes febres malas præter diarias: Galenus in commento ait, ephemeras prouenire ex iis bubonibus, qui ex caussis manifestis oriuntur, ad differentiam bubonum, qui sine caussa manifesta fiunt, ex viscerum inflammationibus, hoc est, visceribus vel aggrauatis, vel irritatis a materia calida. Vnde & Auicen. ait, ephemeram fieri ab apostemate extrinseco, ad differentiam in-

terni apoſtematis;& ad differentiam bubonis,ſeu externi apoſtematis, vt ſit a cauſſa interna. Ceterum hoc loco admoneantur iuniores,ne eorum mentes Auicennæ verbis turbentur: nam capite præſenti, hoc eſt,decimo ſexto, vbi loquitur de ephemera ex apoſtemate,ait,apoſtemata febres, vel præcedere, vel ſequi; &, ſi apoſtemata præcedant, febres oriri ephemeras ſæpenumero: ſi autem apoſtemata ſequantur febres, has febres eſſe putridas. Et ratio eſt: quia febris ephemera non eſt eius vehementiæ,vt poſſit eſſe cauſſa apoſtematis:ſecus autem ſtatuendum de putridis: nam vi putridarum viſcera ita affici poſſunt, vt vel in ipſis fiat inflammatio per modum receptionis,vel extra viſcera per modum tranſmiſſionis.Deinde ait Auicennas quandoque contrarium accidere:vt Hippocrat.nominarit has febres malignas,quarum aliquæ ſint ephemeræ,aliquæ non ephemeræ.Ex quibus colligendum;quamuis contrarium accidat, hoc eſt,quamuis apoſtemata non ſequantur,ſed potius præcedant;fieri tamen febres malignas, quarum aliquæ ſint ephemeræ,aliquæ non ephemeræ. Hæc dicta (vt puto) ita intelligenda;quandoque fieri febres malignas,hoc eſt,vehementes ratione facultatis regentis, ac proinde fere lethales, dum ſequuntur apoſtemata ſumma vehementia affecta, cuiuſmodi ſunt bubones peſtilentes: & illas febres poſſe eſſe tum ephemeras, tum non ephemeras, hoc eſt, ſiue putridas, ſiue hecticas. Ex hoc loco etiam colligendum, quamuis ephemera,vt ephemera, ſit morbus debilis ratione facultatis regentis, & proinde mitis, nequaquam malignus; nihilominus ex accidente, hoc eſt, vt procreatur vi peſtilentis bubonis, malignam euadere. Quomodo autem detur ephemera peſtilens,in doctrina de febre peſtilenti docebimus. Hæc de definitione.

Differentiæ. Quoad differentias,cum ſumi debeant ex bubone;in bubone differentiæ locum habẽt ratione Loci,& Materiæ:ratione loci,vt pertinet ad glandulas poſt aures,vel axillarum,vel inguinum; ratione materiæ,vt ſuccus calidus vel biliosſus,vel ſanguineus,vel mixtus.

Indicia. Quoad ſigna:hanc ephemeram dignoſcimus ex præcedente bubone,quem comitata eſt febris.Differentiæ etiam facile noſcuntur.Nam oculis conſpicimus,qui ſit bubonis locus;vtrum bubonis cauſſa ſit ſuccus,vel ſanguineus,vel biliosſus,vel etiam mixtus,cognoſcere licet ex ſignis propriis huius & illius ſucci;de quibus in præſentia nihil dicendum:verbi gratia,a calore non admodum acri,& colore rubro, ſuccus ſanguineus indicabitur;ex acriori calore, & colore citrino,biliosſus.

Indicationes. Indicationes capiendæ ſunt potius a bubone, & a bubonis cauſſa, quam a febre: & propterea dicit Gal.8 meth.6.ex bubone febricitantes,medicos non conſulere;ideoque ſat eſſe,proſpicere tum vlceri,quod bubonis cauſſa fuit,tum poſtea buboni. Quæ autem eliciendæ ſint indicationes,ratione,tum bubonis, tũ cauſſarum;petere oportet ex propria doctrina;vt verbi gratia,ratione cauſſæ,ſi ſit vlcus,ex traditis in doctrina de vlceribus;ſi dolor,ex traditis in doctrina de dolore;ratione autem bubonis,ex traditis in doctrina de tumoribus calidis;ſecus in qualibet doctrina hæc eſſent miſcenda.

Præſagium. Quoad prognoſticum,cum dicit Hipp.4.aph.55.ex bubonibus febres omnes malas, exceptis ephemeris;ſtatuendum eſt,hanc ephemeræ ſpeciem expugnari poſſe,ſiquidem ſola adeſt vehementia rationе dignitatis,& virtus eſt robuſta.

Curatio. Quo ad præſidiorum materias;in hac febre potiſſimum reſpicere oportet ad materiam in toto exſiſtentem,quæ bubones fouere poteſt,& impedire quo minus bubones curentur; nec non ad materiam a qua actu bubo efficitur. Auicennas igitur quantum ad materiam cheirurgicam, proponit venæſectionem: nam huius beneficio minuitur ſanguis, vt bubo, ſi phlegmonoſus eſt, nequaquam incrementum ſuſcipiat.

Venæſectio

Medicamenta. Materias medicinales inſinuauit ratione materiæ, & totius, & exſiſtentis in bubone. Nam quantum attinet ad materiam in toto exſiſtentem, cum morbifica ſit, peccat vel Copia, vel Motu: ſi copia, huius cauſſa proponit fluxum ventris, inferens eſſe pharmaco purgandum. Notandum hanc copiam eſſe copiam non ſanguinis, ſed bilis; quæ, vt peccat qualitate, alteranda; vt copia, vacuanda: ſicut enim copioſo ſanguini occurrimus venæſectione, ita copioſæ bili rhabarbaro. Si autem materia motu peccet, ſiue ſit ſanguis, ſiue bilis; huius cauſſa ad coercendum hunc motum Auicennas probat exſtinguẽtia, & infrigidantia, humectantia, & emplaſtra infrigidata cum niue; ſiquidem hæc efficiunt vt ſuccus ſanguineus,vel biliosſus, per modum attractionis currens ad bubonis locum, ab hoc curſu reuocetur: cuiuſmodi, verbi gratia, eſſe poſſunt, oleum violaceum, roſaceum, cum ſucco endiuiæ, & lactucæ. At animaduerſione dignum eſt, vt hæ & ſimiles materiæ recte adminiſtrentur; & præcipue quo ad Vbi agendum: nequaquam enim applicanda buboni, ſed ſupra bubonem: quod docuit Auicennas dum ait,admouenda eſſe ſupra membrum, ita vt non noceat apoſtemati, neque faciat ipſum crudum; ſed infrigidetur via inter apoſtema & cor, infrigidatione penetrante in profundum; vt huius ope non modo inhibeatur curſus materiæ ad bubonem, verum etiam caloris adſcenſus a bubone ad cor.Materias porro medicinales,ratione materię bubonis,inſinuat,dum ait,curandum apoſtema iis,quæ deſcripta ſint proprio capitulo.

Victus ratio. Quantum denique ad materiam diæteticam, ait Auicennas ſubtiliandum regimen, & non bibendum vinum omnino, & non cibandum,niſi poſt declinationem completam. Cuius ſane victus ratio non aliunde petitur, quam ex natura ſucci bubonis: nam cauſſa copiæ, ſubtiliatur regimen; cauſſa caliditatis & motus, prorſus abſtinendum a vino, quoniam & calefacit, & materias iam currentes ad bubonem deuehere poteſt; & tandem, cum materiæ morbificæ violentia vigeat ante declinationem, propterea iubet, ægrum non eſſe cibandum, niſi poſt declinationem, & completam præſertim, quia in hac febre vires permittunt, cum huius ephemeræ cauſſa ſit potius repletio, quam inanitio. Hæc de ephemera ex bubone.

A

CAPVT XVII.

De ephemera ex Ardore ſolis.

Nomen, & generatio.

HÆc febris ſpecies nomen accipit ab efficiente cauſſa, hoc eſt, ab ardore ſolis. Generatur, vt colligere licet ex Auicenna, quando cordis ſpiritus accenduntur, & admittunt caliditatem, impreſſam ab ardore ſolis. Solis autem ardor vim ſuam imprimit, modo in capite, modo in pectore: at plurimum imprimit in capite, raro autem in pectore, dum nimirum caput cuſtoditur a calore; tũc enim vis ſolis agit in pectus, & inſpiratio fit aeris adeo calidi, vt & incaleſcat thorax, & hinc etiam accendantur cordis ſpiritus. Quare hæc ephemeræ ſpecies eſt ephemera, producta ab ardore ſolis.

Definitio. Differẽtiæ.

Differentiæ hauriri poſſunt, vt ſol ſuum feruorem primum imprimit vel in caput, vel in B pectus.

Signa.

Febris hæc citra interrogationem de cauſſa externa, cognoſci poterit, ſi patiens feruorem percipiat ſecundum caput, vel anhelitum; ſi eo tempore ſolis ardor vigeat, vtpote diebus canicularibus. Quod ſi æger dicat, febrem ſe percepiſſe poſt moram in ſole, nihil deſiderari poterit. Vtrum autem ſolis caliditas primo fuerit impreſſa capiti, vel pectori, cognoſcemus ex querelis de capite, vel de pectore, vel de anhelitu.

Indicationes.

Indicationes dirigendæ potiſſimum ſunt, tum ad ſpiritus accenſos, tum ad partem, cui primum calor eſt impreſſus. Spiritus, cum ſint accenſi a cauſſa ſatis valida, opus habent non leui refrigeratione: & propterea dicit Galen. octauo, method. tertio, qui ex vſtione febricitant, iis intendendam eſſe curationem, quæ fit refrigerantibus. Quo ad partes vim ſolis primum ſuſcipientes, cum ſint modo caput, C modo pectus, propterea oritur indicatio refrigerandi modo caput, modo pectus, vt optime iubet Auicennas.

Præſagium.

Facile autem eſt colligere, ſcopos poſſe abſolui: nam res præter naturam imbecillæ, præter aliquam vehementiam ratione dignitatis; vis autem robuſta.

Curatio. Cheirurgia.

Quo ad materias: a Galeno & Auicenna nulla fit mentio venæſectionis, propterea quod non eſt opus venæſectione, nec ratione febris, nec ratione cauſſæ. At ſi cõtingat, ante febrem corpus eſſe repletum ſanguine, ne vi huius caput vel pectus, alioqui calfacta a ſolis ardore, inflammatione corripiantur, venæſectio minime improbatur.

Medicamenta.

Quo ad materias medicinales, ſuppoſita corporis puritate, probantur refrigerantia; & cauſſa caliditatis ſpirituum accenſorum in corde, & caliditatis impreſſæ in capite, vel pectore. Vnde merito ſpirituum D accenſorum, probatur frigidæ potus: & ratio patet ex traditis in cura generali ephemerarum. Gratia autem partium, probantur refrigerantia, applicanda modo capiti, modo pectori, vt a ſole impreſſio facta eſt in capite, vel pectore. Ceterum, cum vt plurimum caput afficiatur, propterea Galenus refrigerantia proponit, ad capitis caliditatem vincendum. Et non modo proponit materias, verumetiam earum vſum: Siquidem ait, reſpiciens ad materias, refrigerandum eſſe roſaceo, & omphacino; quæ etiam vtiliora eſſe affirmat, ſi nihil in ſe ſalis omnino habeant. Reſpiciens autem ad modum, hunc proponit ratione & ſecundæ materiæ, & primæ materiæ. Ratione ſecundæ materiæ; dum ait, efficit hæc magis frigida, ſi vas ea continens in puteo ſuſpendatur, vt aquam tangat, & ſi defluxus frigidæ aquæ vaſi ſe illidat, medicamentum adhuc magis refrigerari: & ad largiorem refrigerationem vas niue circumdandum. Hæc igitur omnia diriguntur ad olea, vt magis vel minus frigida actu redduntur, Ideo cognoſcimus ex methodo curatiua, ra- E tione materiæ ſecundæ, olea reddi ab vno magis, ab alio minus frigida: deinde, methodo duce, verſantes in prima materia, dum ex difficili paſſione affectus calidi colligimus eſſe vtendum materia refrigerante impenſe actu frigida; nouimus accipere, in virtute methodi ſpectantis ad ſecundam materiam, olea detenta in vaſe niue circumdato. Sed præterea Galenus ibidem, reſpiciens ad modum cauſſa primę materię, ait, opus eſſe infundere olea incipiti, ſublata in altum manu, per mediocrem lanæ modum; hęcque facit ab initio vſque ad inclinationem. His ſane verbis proponit oleorum refrigerãtium modum, tempus, & vbi, rati one corporis febricitantis, & proinde ratione primæ materiæ. Declaro; modum proponit, dum probat adminiſtrationem infuſionum, ſublata in altum manu, ſecundum modum ſtillicidii: nam ita magis penetrat, & proinde magis refrigerat. Neque obſtat, quamuis ex motu fiat calor; nam motus eſt mediocris, quia fit per lanam, & modum mediocrem, ratione penetrationis. Proponit autem Quando agẽdum, F dum ſtatuit, a principio vſque ad declinationem applicanda eſſe refrigerantia: nam adeſt præſentia indicantis: in declinatione autem intermittit; nam ſufficit eo tempore vti balneo. Et quoniam dum vi ſolis incaleſcit caput, vt oboriatur febris, caliditas etiam poſt balneum poteſt perſeuerare: ideo iubet Gal. etiam poſt balneum caput inungendum. Proponit etiam Vbi agendum: dum ait, ſincipiti eſſe infundenda refrigerantia: nam vis refrigerans promtius penetrat. Cum autem Vbi agendum indicetur a ſubſiſtentia caliditatis impreſſæ a ſole; propterea Auicennas, ſi primo pectus fuerit affectum, refrigerantia pectori applicanda aſſerit. Hæc de materia medicinali.

Diæta.

Victus erit refrigerans & humectans: vinum etiam aquoſum in aſſuetis. Potiſſimum autem a Galeno & Auicenna probatur balneum, etiamſi grauedo & deſtillatio non ſint concocta: nam vis vſtionis magis poteſt ad indicandum humectantia, quam grauedinis & deſtillationis materia ad prohibendum: Bal- G neum quippe vſque adeo prodeſt, vt parcior eſſe debeat frictio, vberior autem lauatio, & minime oleum largum: nam ab vſtione ſolis fit ſtipatio, oleum autem etiam ipſum ſtipat. Vnde lauacri noſcens vtilitatem Auic. ait, non permittas aerem balnei calfacere, ſed balneum cum aqua tepida: nec timeas effundere calidum ſupra caput: nam humectat, & reſoluit febrem, præſertim ſi dum egreditur balneo, caput inungatur oleo roſaceo, & de nenufare. Hæc de ephemeris.

Capvt XVIII.

De Definitione & Caussis febris putridæ: & simul de Putredinis natura in genere.

A

AVicennas de Putridis loquitur in genere, & in specie. In genere primum agit de indicationibus, secundo de signis, tertio de indicatis & materiebus. Hoc autem primum caput secundi tractatus in quatuor partes diuidi potest: primum enim agit de caussis putredinis; secundo de loco, in quo viget caussa putredinis; ibi, *& quandoque putredo communis toti, &c.* tertio, de numero humorũ putrescentium; ibi, *& humor recipiens putredinem, &c.* postremo, de differentiis putridarum febrium, vt capiuntur a materia, & loco; ibi, *& putredo choleræ facit tertianam, &c.*

Quomodo generetur putrida. c. 5 l. 1. de diff. febr.

Modus, quo generatur febris putrida, hic est. A succo putrescẽte vapor putridus eleuatus cor petit, B & humores cordis accendit, ponitq; in calefacto esse; vnde deinceps calidum cordis innatum redditur igneum, & hinc calor extraneus præter naturam impertitur toti corpori: & tunc est febris.

Putrida febris quid.

Putrida igitur febris, est febris producta ab humore cordis primum calefacto citra putrefactionẽ. Dicitur, *ab humore cordis, &c.* propter differentiam ephemeræ & hecticæ. Dicitur, *citra putrefactionem;* ad differentiam putridæ pestilentis: putrescunt enim humores extra cor, non in corde, nisi in febre pestilenti.

De generatione humorum.

Quoniam febris putridæ caussa, est humor putridus, & corruptus; de *putredine* erit dicẽdum: & primum de *generatione humorum*, quę putredini opponitur. Sic enim contraria sese mutuo explicant. Oportet igitur cognoscere, quænã sit materia, e qua humor generatur: secundo quodnam sit agẽs: tertio, quodnam sit opus. 1. Materia humorum e qua, est cibus, vt in chylum mutatur. c. 4. l. 8. de plac. 2. Agens est hepar, ad C quod totum hæc actio perfecta pertinet, ratione propriæ compositionis ipsius: actio autem eadem, quatenus non consideratur vt perfecta, sed vt incipiens; tunc concurrit hepar per propriam carnem, & proinde per temperiem propriæ carnis, non per compositionem, & per calidum insitum, quod habet permistum spiritum naturalem. 3. Tertio, humor est opus, particeps sanguinis, & vtriusque bilis: l. 1. de natura humana. Notandum autem Galenum hoc loco excipere pituitam: licet enim hæc in massa humorum etiam contineatur, c. 4. l. 8. de plac. & tex. 23. l. 1. de natura humana; tamen pituitæ efficiens non est hepar, sed ventriculus. Hinc c. 8. l. 2. de fac. nat. dum proponit hepar, quatenus calore suo producit humores, non meminit pituitæ. E tribus his succis, sanguineus est solum alimẽtalis: reliqui & alimẽtales, & excremẽtitii. Quoniam enim a quatuor humoribus constamus, & generamur, ex his etiam nutrimur: c. 8, l. 1. de elementis, c. 2. & 4 l. 2. de elem. Etsi autem omnes succi sint alimentales: succus tamen sanguineus primum locum obtinet, c. 4. l. 2. de elementis, quia calidum innatũ, cum spiritibus, e solo sanguine regeneratur: vnde hic tam naturæ est familiaris, vt in ὑπερκαθάρσει ad extremum retineatur: tex. 30. l. 1. de natura humana. D

Generatio misti.

Iam etiam misti generationem, quæ putredini opponitur, tradere oportet. Aristoteles li. 4. meteor. ait, mistum generari, quotiescunque elementa miscentur. Sed quomodo miscentur? Calidum habet rationem agentis, humidum habet rationem passi: vtrumque tamen eget adiuuante; calidum nimirum eget frigido, vt temperetur, ne absumat & dissipet humidum; frigidum igitur ad misti generationem secũdario concurrit. Humidum præterea eget sicco, quo firmetur & stabiliatur, vt actionem calidi retineat. Misti ergo generatio fit a calido, per frigidum temperato, quod calidum agit in humidum, sicci beneficio stabile redditum.

Corruptio corporis misti.

Putredo & corruptio misti, contraria est generationi: & fit dum misti elementa dissoluuntur: vnde E elementa in generatione & corruptione contrario se modo habent. Calidum enim nec terminat humidum, nec terminum gradumque suum seruat: frigidum non temperat calidum, sed exstinguit: humidum a sicco non seruatur, sed separatur & egreditur, vt corpus putridum foris humidum appareat, tandemque remaneat portio sicca; omnis enim putredo tendit ac degenerat in terrã, vel in fimũ, vel in situm; idq; pro diuersitate misti putrescentis: vt in cadauere humano, cum putrescunt primũ succi, in circumferentia cadaueris apparet situs: cum putrescunt partes carnosæ, apparet fimus: tandẽ cum ossa putrescunt, fit cinis & terra. Cum autẽ putredo fiat, quod calidum a frigido exstinguatur, & humidũ a sicco separetur: caussa horum reddenda. Ait igitur Aristoteles frigidũ in misto exstinguere calidum, quoniã calidum misti imminuitur, frigidum autem suum retinet gradum, nec minuitur. Calidũ autem misti imminuitur, ab ambiente calidiore: vt quemadmodũ magna flamma exiguã ad se allicit, ita ambiens calidius, misti caliditatẽ ad se trahit, F vnde misti calidum minuitur. Deinde vero vt calidum misti, attrahitur ab ambiente calidiore; ita simul educitur humidum; vnde humidi & sicci fit separatio. Quoniam igitur calidum minuitur a frigido, & educitur etiã ab aliena caliditate, scilicet ambienti: recte dixit Aristoteles, calidũ & frigidum esse caussas effectrices putredinis; & putredinẽ esse communẽ passionem, frigiditatis propriæ (quę exstinguit calorẽ proprium) & caloris ambientis. Dum autem ait Philosophus, putredinem esse interitum proprii caloris, in quouis humore, ab externo calore factum: respicit ad omnem putredinem, tam secundum totum, quam secundum partem; tam naturalem, quam pręter naturã. Quamuis illa definitio nõ sit integra: proponit enim tantum modum, quo mistum, antequam putrescit, a proprio statu recedit. Putredinis autem finitio hæc esse potest: quod sit corruptio misti secundũ totam substantiam, procedens a frigiditate propria, vna G cum calore ambientis. Dicitur *corruptio*, id est, motus ad non esse, in misto iam putrefacto. Galenus autem c. 8. l. 11. meth. ait esse mutationem ad corruptelam; respiciens videlicet ad mistum semiputridum. Additur, *corruptio misti:* ad discrimen corruptionis elementi, quæ non est putredo, sed tantum corruptio: solũ enim mistum est obnoxium putredini: & elementum si putrescit, tantum in ratione misti putrescit, quatenus admittit substantiam vaporosam, e quatuor elementis constantem. Additur, *secundum totam substantiam:* vt pu-

Caussæ efficientes putredinis.

Putredo quid.

1. Motus Corruptio: motus ad corruptionem.

2. Mobile.

A vt putredo diſtinguatur a corruptione animati:cum enim animal moritur,eſt corruptio miſti,ſed non ſe- Putredine
cundum totam ſubſtantiam;manet enim cadauer,quod deinde putreſcit.Corruptio ergo miſti,quatenus res corrũ-
hoc eſt animatum , fit, quando diſſoluitur ſubſtantia calidi primogeniti,quod vinculum eſt animæ cum pitur ſecũ-
corpore.Per totam autem ſubſtantiam,intelligi oportet partes corporis putreſcentis: ſi enim in Socrate dum totam
putreſcit vna libra ſanguinis; non totus putreſcit Socrates, ſed tota libra ſanguinis. Similiter dum aqua ſubſtantiã.
putreſcit; non tota putreſcit, ſed tota ſubſtantia illius portionis impuræ. Hoc modo vinum,cum in ace-
tum mutatur,non totum putreſcit,ſed pars humidior,ſeu ichoroſa:vnde in locis nonnullis vinum deco-
qui ſolet,vt abſumatur humor,qui cauſſa eſſe poſſet corruptionis & putredinis. Cum autem finis putre-
dinis ſit terra,fimus,vel ſitus:in aceto ſitus reperitur.Proinde acetum licet frigidum ſit,obtinet tamen et-
B iam quandam caliditatem,c.19.l.1.ſimp.Frigidum eſt,quia propria vini caliditas eſt imminuta; vt acetum
dicatur vinum mortuum,c.17.l.1.Calidum vero ſtatuitur,quoniam portio ichoroſa putreſcit; cuius finis ἡ οἰκεία θερμότης.
eſt ſitus,qui cum aceto miſcetur:& cum hic ſit calidus,fit vt acetum alicuius caloris ſit particeps. Acetum
ergo propria natura eſt frigidum:e putredine tamen alienam caliditatem eſt adeptum,cap.2.lib.4.ſimplic.
Ceterum,quoniam putredo eſt corruptio proprii caloris,in vnoquoque humido; ita vt fiat iactura cali-
ditatis & humiditatis miſti,totaque corrumpatur ſubſtantia: breuiter iam de Calido, & Humido dicen-
dum.Calidum eſt quod patitur in putredine:& illud calidum eſt in miſto,quatenus eſt miſtum :non enim
eſt calidum quod ingenitum vocatur,& per mortem diſſoluitur;cum hoc pertineat ad miſtum,non qua-
tenus miſtum,ſed quatenus animatum eſt. Calor ergo ab Ariſtotele proprius dicitur, qui eſt in miſto;ad
differentiam eius qui eſt extra miſtum.Humidum,in quo calor corrumpitur,eſt cuiuslibet miſti;ſiue hoc ἐν ὑγρῷ.
reperiatur in elemento,ſiue in alio miſto,eoque aut animato,aut inanimato.Elementa putreſcunt, qua-
C tenus redduntur impura a miſto vaporoſo,quod putreſcere poteſt:excipitur ignis,c.4.l.5. de gen. animal.
Metalla etiam putreſcere poſſunt,quia ſunt miſta:ſed difficulter , propter denſitatem. Hæc de ſubiecto.
Quoad cauſſam efficientem;dictum eſt,*putredinem produci a frigiditate propria,vna cum calore ambientis.* 3. Mouens.
Et hoc dicitur,ad differentiam combuſtionis,quæ etiam eſt corruptio miſti ſecundum totam ſubſtantiã:
ſed hic calor naturalis miſti,vincitur a calore igneo;in putredine autem a frigido & a calore ambiẽtis. Per
ἀλλοτρίαν θερμότητα enim Ariſtoteles intelligit calorem ambientis:vnde addit,tẽpore frigido miſta minus
putreſcere:calor enim ambientis tum eſt exiguus:putredo autem non producitur,niſi ambientis calor ſit
intenſior: alias enim internum calorem euocare nequit.Hinc ignis non putreſcit;quia nil reperitur extra
ignem,quod ſit igne calidius.Miſtum etiam quod mouetur magis ſeruatur a putredine: propter motum
enim miſti calor ambientis fit languidior.Hinc magna Ariſtoteles ait a putredine vindicari: quia calorem
D habent validiorem.Hinc etiam probl.15. ſect. 5. ait, quod putreſcit,calidius inter initia euadere,aſſcititio
calore:quod & Galenus probat,c.6.l.2.de temper.Eadem quoque de cauſſa in prohibita tranſpiratione fit
putredo:quia calor fit intenſior. Hæ ergo duæ putredinis cauſſæ ſunt primæ & neceſſariæ:frigiditas pro- Adiuuantes
pria,& calor alienus.Præter has vero etiam cauſſæ quædam ſunt adiuuãtes:vt ſi ſanguis in parte collectus, cauſſæ pu
a natura non regitur,nec difflatur,putreſcit,c.9.l.2.de febr.Sic etiam immobilitas auget putredinem:quia tredinis.
per quietem corporis putreſcentis calor putrefaciens efficacius agit,ſect.1.l.3.epid.Perpetua autem cauſſa
adiuuans putredinis,eſt calor aſſcititius impreſſus in miſto putreſcente:vnde pro vi cauſſarum, miſtum,
citius,vel tardius,magis vel minus,putreſcit.

Putredinis differentiæ ſumuntur a Mobili,& Mouente. A mobili:putredo eſt vel ſecundum Totũ, Differentię
vel ſecundum Partem. Secundum totum ;dum totum cadauer putreſcit. Secundum partem;cum verbi putredinis.
E gratia,pomum,ſecundum dimidium putreſcit.A mouente:mouens agit vel e lege naturę,vt dum cadauer
putreſcit,& dicitur putredo naturalis:vel citra legem naturæ,& dicitur putredo præter naturam.Et hęc in
genere de Putredine dicta ſunto.

De Cauſſis febrium putridarum.

CVm putredo humoris ſit corruptio humoris ſecundum totam ſubſtantiam,a frigiditate propria, vna
cum calore ambientis:cauſſas putredinis humorum oportet ſumere,ab humore,& ab ambiẽte,id eſt,
a mobili & mouẽte.Mobile,ſeu paſſum,eſt humor putredini aptus:qui fit e cibis humidis.Humiditas hæc I.
ciborum eſt Naturalis,vel Adſcititia.Naturalis;eſt Alimentalis,vel Excrementitia: hæc magis,illa minus Cauſſa pu-
putredini apta.Alimentalis humiditas eſt,qualis eſt in *lacte*.Excrementitia,eſt Naturalis,vel Præter natu- tredinis in
F ram.Naturalis eſt Seroſa,vel Humoroſa.Seroſa;cum maior cibi portio mutatur in excremẽtum ſeroſum: cibis.
vt in *fructibus humidioribus,horariis,fugacibus*. Humoroſa eſt in fructibus qui mutantur in ſuccum cru-
dum;vt ſunt *cucumeres*.Humiditas excrementitia præter naturam,non eſt aquoſa,nec cruda,ſed praua:vt
in cibo malo ſecundum ſubſtantiam,in *braſſica ſcilicet,fungis,&c.*Humiditas adſcititia conſideratur in ci-
bo,vel Ante aſſumtionem , vel Dum aſſumitur. Ante aſſumtionem,eſt humiditas,quæ prodit a malitia
artificii:vt Auicennas vocat:Malitia autem artificii multiplex eſt: perpenditur enim ratione cibi Simpli-
cis,vel Compoſiti.Ratione ſimplicis;dum frumentum,hordeum,& alia,quæ ſua natura bonę ſunt humi-
ditatis,non recte ſeruantur:ſed ob malum artificium vitiantur.Ratione cibi compoſiti; dum coqui cibos
male miſcent,vt ratione huius miſtionis generentur humores,qui facile putreſcunt.Humiditas adſcititia
dum cibus aſſumitur,prodit ex importuna ciborum exhibitione;vt dum vel cibus ingeritur, priore non-
dum concocto;quæ malitia horæ ab Auicenna dicitur:vel δύσπεπτοι,cibi prius quam εὔπεπτοι aſſumuntur,
G vt caro bouina ante lac;quæ malitia ordinis eſt Auicennæ.Hæc de vitio ciborum. De ſapore & odore ni-
hil dictum eſt:quia non ſunt cauſſæ,ſed ſigna cibi putreſcibilis. Quod de cibis dictum, de potu etiam in- II.
telligendum;vt de vino corrupto,de aqua feculenta,&c. Cauſſæ putredinis humorum , quæ ſumuntur a Cauſſa pu-
mouente,id eſt,ab aere ambiente ſunt duplices:ambiens enim redditur intenſior,propter cauſſam Inter- tredinis, ab
nam,vel Externam,vt eſt aer peſtilentiæ,lacunarum. Interna, eſt obſtructio:huius cauſſa eſt humor,pec- ambiente
ſumta.

cans Copia, vel Qualitate, crassitie nimirum aut siccitate. Humorum autem caussæ sunt Generantes, vel A
Detinentes. Generantes sunt Internæ, vel Externæ. Internæ generant materiam vel Copiosam, vel Cras-
sam, vel Viscidam. Copiosam, hepar calidum & humidum. Crassam & viscidam; ventriculus frigidior; ma-
xime si hepatis iuncta sit caliditas: ab hepate enim calidiore iusto citius attrahitur chylus. Externæ quoq;
vel generant materiam copiosam; vt aer temperatus, copiosus cibus & potus, somnus, quies, vel crassam &
viscidam; vt aer frigidus, cibus frigidus, similis potio, somnus, quies, medicamenta frigida. Detinentes
caussæ sunt habitus densus, temperamentum frigidum, cibi astringentes, vt cydonium, mespila, &c. cibi
conditi astringentibus, omphacio, &c. potus astringens, aluus astricta, somnus, quies, medicamẽta astrin-
gentia. Hæ obstructionis sunt caussæ. Ceterum obstructio interdum sola est, interdum caussam habet ad-
iuuantem. Obstructio sola concurrit, dum prohibetur transpiratio, seu euentatio. Caussa adiuuans est vel
Materia genita quæ agit, vel Cibus crudus. Si materia agit, tunc hæc actio, seu hic motus pendet, vel e faci- B
endis, vt dum fit motus post nauseabundam satietatem: vel e foris incidẽtibus, vt e balneo, solis ardore: vel
ex assumendis, vt dum assumuntur calida super repletionem. Si cibus sit crudus & incoctus, pendet e di-
missione cautelæ: vt si quis solitus sit scuto tegere ventriculum, & dimittat; tunc enim ventriculus nõ po-
test cibum concoquere. Hæ sunt caussæ, quæ possunt humores putrefacere. Notãdum vero humores pu-
trescere interdum cum prohibita transpiratione, interdum sine prohibita transpiratione. At in febre pu-
trida semper necesse est prohibitam esse transpirationem: alias enim humoris putrescentis fuligines cor
non peterent, sed egrederentur.

De loco, in quo fit putredo.

Putredo vel in omnibus venis, vel in certa parte.

PVtredo fit vel in Toto, vel in Parte. In toto; cum materia putrescit in omnibus venis. In parte; dum hu- C
moris putrescentis origo pertinet ad membrum determinatum: vnde illud membrũ nominatur Fo-
cus putredinis, c. vlt. l. 2. de diff. feb. c. 4. & 20. l. 11. meth. Ceterum membrum determinatum euadit fomes
putredinis, quoniam præter naturam repletur. Repletur autem præter naturam, quoniam vel suscipit, vel
Attrahit, c. vlt. de diff. feb. l. 2. Suscipit propter debilitatem. Attrahit autem propter Caliditatem, aut dolo-
rem. Doloris autem caussa præcipua, vel est Sensus exquisitus, vel Caussa dolorifica.

De numero humorum putrescentium.

Humores 4 possunt putrere.

DEinceps Auicennas tradit putredinis differentias, desumtas ab humore putrescente. Cum autem hu-
mores quatuor possint putrescere, bilis, pituita, melancholia, sanguis: ob id quatuor sunt differentiæ
putredinis. Hoc loco notandum, in succis esse portionem & alimentalem, & excrementitiam. Alimenta-
lem Gal. proponit c. vlt. l. de inęq. intemp & t. 18. l. 1. de natura humana. Excrementitia patet in bile, pituita D
& melancholia. Sanguis autem si se habeat secundum naturam, tunc portionem solum alimentalem ob-
tinet: sin præter naturam sanguis sit affectus, etiam excrementitiam obtinere potest, quæ est ichor, e quo
febrem oriri putridam infra demonstrabimus.

Ichorẽ esse quid distinctũ a lotio.

De ichore autem quædam breuiter admonebimus. Esse autem ichorem testatur Galenus cap. 4. l. 1.
prorhet. ait enim serum bilis atræ, misceri cum excremento seroso: vbi serum bilis atræ, id est, ichorem, di-
stinguit ab excrementis serosis, id est, a lotio. Item, c. 9. l. 1. de tuend. san. ait, sanguinem optimum, nec sero-
so nec aquoso liquore esse permistum: vbi serum distinguitur ab aquoso humore, id est, ab ichore. Et aph.

Ichor omnis præter naturam. Ichoris caussæ.

37. sect. 2 l. 6. epid. sanguinem ichorosum proponit. Sciendum autem ichorem semper esse præter naturã:
vnde Galenus loco cit. monet, cum omnis sanguis ichorosus sit malus, ab Hippocrate vocari quandoque
bonum, id est, minus malum. Hinc t. 4. l. 1. de nat. hum. ait, ichorem generari in morbis grauibus. Dicit au- E
tem Gal. c. 2. l. de tum. præter naturam, ichorem esse tenuiorem sanguine, & generari e sanguine, a calore
inflammatorio. Vnde & Philosophus c. 4. l. 2. de par. an. dicit, saniem esse portionem dilutam, siue aquo-
sam sanguinis: & addit, quod sit pars vel nondum cõcocta, vel corrupta: quibus significat, saniem seu icho-
rem, esse partem sanguinis aquosam, frigidam, non concoctam, quæ a calore coquente vel vincitur, & in

Ichoris vox improprie vsurpata.

sanguinem vertitur, vel nõ vincitur, & in serum, id est, in ichorem mutatur. Et sic manifeste ichor discer-
nitur a lotio; quod nõ est materia corrupta, nec in sanguinem potest mutari. Improprie autem Gal. icho-
ris voce vtitur, c. 13. lib. 3. de natural. fac. vbi ait, ventriculum in inedia excrementis impleri, quæ sint sanies
biliosa, pituitosa, & serosa, id est, ichor bilis, pituitæ, & lotium seu serum. Quoniam enim semper ventri-
culus tempore famis hæc excrementa attrahit; necesse est, vt semper in corpore nostro, secundum natu-
ram generentur. At ichor est contra naturam. Ergo non loquitur de veris ichoribus. Quod si quis dicat F
veros ichores esse secundum naturam: quæso, cur igitur ichor sanguinis & melancholiæ non etiam gene-
ratur, & a ventriculo per inedias attrahitur? Licet autem per famem attrahatur serum, & pars tenuior pi-
tuitæ, itemque bilis; non tamen a ventriculo attrahitur sanguis: quia excrementa tantum in fame trahun-
tur ad ventriculum, non autem alimenta: at portio sanguinis tenuior, non est excrementitia. Nec melan-

Ichor quid: & quotuplex.

cholia attrahitur, quæ ob crassitiem non ita trahi potest, vt bilis: & præterea excrementum melancholicũ
est adhuc alimentale, saltem caussa lienis; excrementum autem biliosum nulla e parte est alimentale. Con-
stitutum ergo sit, ichorem esse excrementum præter naturam, prodiens e tenui portione cuiuslibet hu-
moris. Sicut autem humor accipitur & pro aggregato quatuor humorum, & pro vnico tantum humore:
ita ichor primum est massa ichorosa; quæ potest esse sanguinea, biliosa, &c. deinde est ichor sanguineus, G
pituitosus, biliosus, melancholicus.

CAPVT XIX.

De Differentiis putridarum febrium.

IN hac capitis parte Auicennas febres distinguit: 1. ab idea, seu specie humoris. 2. a loco in quo materia
putrescit. 3. a materia accessionis. 4. a vehementia dignitatis, essentiæ & facultatis.

Quem-

I. Diff. ab idea humorum. Obiectio.

A Quemadmodum igitur quatuor sunt ideæ humorum; ita etiam quatuor sunt species febrium putridarum: scilicet biliosa, sang. pit. melancholica. *Hic vero dubitatur, cur Gale. c. 8. & 9. l. 2. de differ. febr. sanguineam febrem omittat?* Responsio. Si quæritur de numero febrium putridarum; tunc necessario quatuor species putridarum constituuntur; negari enim non potest sanguinem putrescere; quod etiam Gale. fatetur; c. 5. l. de cur. per venæ sect. At si quæstio est de numero periodorum, tres tantum sunt differentiæ; cum sanguis non obtineat propriam periodum, vt ait Gal. c. 9. l. 2. de cris. Et huc respicit Galenus si quando tres species putridæ proponit.

II. Diff. a loco.

Sequuntur differentiæ a loco. Per locum intelligitur sedes, in qua putrescit humor faciens febrem; non autem focus, seu fomes. Ait ergo Auicennas, materiam putrescere vel In venis, vnde oriuntur febres Continuæ: vel Extra venas, vnde Intermittentes. B Sanguis quidem saltem in venis putrescit: contra reliq. succi, & in venis, & extra putrescere possunt. Intermittentiũ sunt tres species, Pituitosa, Biliosa, Melancholica. Continuæ subdiuiduntur, ratione Venarum, & ratione Materiæ. Ratione venarum; materia putrescit in Omnibus venis, vel saltem Plurimis, seu proximis cordi, & prodeunt febres continuæ, continẽtes, quæ ab Auicenna conclusæ nuncupantur: aut contra putrescit materia Non in venis omnibus, vel proximis cordi, & oriuntur continuæ proportionales. Ratione materiæ, datur continua sanguinea, pituitosa, biliosa, melancholica. Porro febres continentes sunt in triplici differentiæ: nam si æqualiter se habent, dicuntur Nomotonæ, si inæqualiter, & quidem si augentur, dicuntur Epacmasticæ; si decrescunt, Paracmasticæ dicuntur. Continuæ etiam proportionatæ sunt triplices; ca. 2. lib. 2. de diff. feb. primum genus pertinet ad bilem, & dicitur tertiana continua proportionata. Secundum genus pertinet ad bilem & pituitam, & quotidie inuadit, sed accessiones sunt dissimiles, quia febris simplex non est. Tertium genus C pertinet ad melancholiam, & ad quartanas.

Obiectio: humores in venis nõ putrescere.

Alexander autem c. 2. l. 12. aduersus hanc Galeni differentiam affirmat, humores in venis potius comburi quã putrescere. Si enim putrescerent, ait, generarentur in venis animalia, quæ aliquando per vrinas excernerentur? Responsio. Animalia non possunt generari, nisi mistum putrescens paulatim putrescat: at humores in venis repente putrescunt.

Num materia intermittentiũ extra venas putrescat, an intra?

Dubitatur, num materia, quæ a venis extra mittitur, putrescat in venis, an potius extra? Alexander loco citato inquit; in febribus intermittentibus materiam putrescere in venis: quod inde probat, quia in intermittentibus indicia sumimus a lotio; lotium autem indicat putredinem in venis. Responsio. In intermittentibus materia putrescit extra venas: id quod rigor, quandoque apparens, indicat: dum enim rigor fit, nondum est febris, quia materia nondum est putrida. Ergo extra venas putret. Lotium vero in D dicat saltem materiæ dispositionem ad putredinem. Hæc de differ. a loco.

III. Differ. a materia accessionis: vbi quædã prius explicantur.

Quantum attinet ad differentias a materia accessionis desumtas; quædam prius de accessionibus & periodis dicenda sunt. De accessione dicendum; primo, cur inuadat? secundo, cur inuadat cum rigore, horrore, frigore, vel inæqualitate, vel sine his? Periodus vero perpendenda ratione principii, & ratione finis. Ratione principii, explicandum; primo, cur febris redeat? secundo, cur alia velocius, alia tardius reuertatur: tertio cur reuertatur statutis diebus, vt pituitosa quotidie? quarto, cur redeat quandoq; eadem hora, quandoque diuersa? Ratione finis declarandum, cur quædam accessio longiore tempore, quædam breuiore perducatur ad finem.

Caussæ inuasionis: in non periodicis. Caussæ inuasionis in periodicis: iisque: 1. citra fluxionem; aut 2. cum fluxione.

Primum igitur, *quantum ad caussas inuasionis*; e ca. vlt. lib. 2. de diff. febr. aduertere oportet, an febris habeat periodos, nec ne? Si enim nullos habet reditus, tum vnicam tãtum habet accessionem, in qua nulla E corporis pars præ aliis determinate læsa est; sed male se habent humores, in vasis vel omnibus, vel plurimis, vel proximis: vt duret febris, quamdiu perseuerat putredo, vel calor febrilis. In febribus autem quæ periodos habent, offensum est membrum determinatum; idque modo vnicum, modo multiplex. Vnicum; si materia non fluit de vno loco ad alium: multiplex, contra. Si ergo febris fiat citra fluxionem; tunc pars determinate læsa dupliciter afficitur: primum enim superfluitates generat, deinde eas non potest expellere, vnde necessario putrescunt. Hinc ergo colligitur aduersus plerosq; in intermittentibus citra fluxionem, non moueri materiam extra venas. Vnde etiam Gal. c. 7. de trem. ait: in febre ardente, bilem contineri in vasis; in tertiana vero intermittente, vel per carnes moueri, vel per carnes a natura expurgari; tanquam copiosior humor in ipsis carnibus sit creatus. Generantur autem superfluitates, vel læsa facultate partis ob intemperiem, vel ob errorem externum, id est, ob vitiosum alimentum. Pars non expellit F genitas superfluitates, vel expultrice labefactata ob intemperiem, vel impedita ob angustiam, aut ob errorem externum, id est, ob materiæ copiam, crassitiem, aut visciditatem. Si multiplex læditur membrum, materia de loco in locum fluit. Fluxio autem fit per motum transmissionis, vel attractionis. Transmittens membrum necessario robustius est suscipiente: vt expultrix insurgat ad expellendum. Insurgit autem excitata vel copia, vel qualitate, vel vtraque. Hoc tamen membrum transmittens, quatenus superfluitates generat, obtinet aliquam imbecillitatem: & in febribus potissimum esse solet, ventriculus, iecur, lien, cerebrum. Suscipiens membrum imbecillius est transmittente: inque hoc potissimum viget frigiditas, humiditas, raritas, ignobilitas, ca. 1. li. 2. ad Glauc. In attractione, aliud membrum est a quo fit attractio, aliud attrahens. Quoad locum a quo fit attractio; pro varia eius dispositione, variæ species materiæ attrahuntur: vt a iecore calido & humido, fit attractio sanguinis: a iecore calido & sicco, fit attractio bilis, &c. Attrahens, ratione caloris, vel doloris attrahit. G

2.

Cur autem accessio inuadat cum rigore, vel sine rigore (quod secundo loco erat propositum) id Auicennas infra proprio explicat capite. De quo nos cap. 14.

3. Caussa periodi.

Tertio, cur febris redeat; facile explicatur ex aph. 63. sect. 4. Si enim finita accessione nullum relinquatur vitiũ, in membro; non reuertitur accessio: si relinquitur, cõtra. Differentia aũt est inter primã accessio-

nem & ſubſequentes, ratione materiæ putreſcentis: vt colligitur e ca.vlt.l.2.de diff. feb. In prima enim ac- A
ceſſione, materia quę putreſcit eſt vnica, vt exempli gratia, in tertiana eſt bilis flaua. At in acceſſionibus ſequentib. materia, quæ putreſcit, eſt triplex: vna eſt præcipua, vt materia biliosa, in tertiana: ſecunda eſt ſuperfluitas putrida relicta in præcedente acceſſione in parte, id eſt, extra venas: tertia eſt ſanguis, confluens a reliquis partib. in partes debiliores, qui etiam putreſcit, quoniam & reliquis putridis miſcetur, & in partem detruſus non diflatur. Huc igitur reſpiciens Gal. cap.15. lib.11.meth. ait ſaluberrimum eſſe in omni putrida, tam continua, quam intermittente, ſanguinem mittere: cognouit nimirum etiam in intermittentibus peccare ſanguinem.

4. Cauſſa frequentiæ periodorum. Cur pituitoſa citius redeat, quã biliosa, & melancholica.

Quarto quæritur, Cur acceſſiones velocius, aut tardius redeant? Reſponſio. Si plures febres coniunctæ ſint, vt tertiana & quotidiana: frequentior fit acceſſio. Cauſſa autem cur plures febres coniungantur, peti poteſt e ca.vlt.l.2.de diff. feb. Nam ſi acceſſio fiat per modum attractionis; tum pars attrahens imbecillior B redditur, vt putreſcant & excrementa, & ſanguis; vnde febris accenditur a priore diuerſa: quare febre ſimplici perſeuerante; & duplices & triplices oriri poſſunt febres. *In febribus autem ſimplicibus quæritur, cur pituitoſa citius redeat, tardius biliosa & melancholica?* Plato in Timæo reſpiciens motum, ait, febres cõtinuas fieri ex igne: pituitoſas ex aere; hic enim celerius mouetur quam aqua: bilioſas ex aqua: melancholicas e terra. Sed nos veras cauſſas inueſtigabimus. Acceſſiones redeunt, quoniam noua materia putreſcit: ideo citius redit acceſſio, ſi materia adeſt quæ citius putreſcit. At in febre pituitoſa, cauſſæ putredinis ſunt validiores, minus in biliosa, adhuc minus in melancholica. Pituitoſa igitur citius redit, &c. Cauſſæ autem facilioris putredinis ſunt in copia, & qualitate materię: materia vero quædam regeneratur, quędam in priori acceſſione relinquitur. Quantum ad *materiam pituitoſam*, & primum eam quæ regeneratur: hæc citius regeneratur, quam bilis & melancholia, in ea copia, vt nouam poſſit acceſſionem cauſſare: nam pituita fit C e portione ciborum frigida, humida & viſcida; & producitur a ventriculi calore, qui longe remiſſior eſt calore hepatis. Hinc fit vt huius materiæ portio exigua diſſoluatur, quia & mobile viſcidum eſt, & mouens eſt calor remiſſus: copioſa igitur relinquitur. *Bilis* generatur & in ventriculo, & in hepate; vt in febre biliosa docebimus. Si in ventriculo; eſt bilis porracea, ca.6.l.2.de temper. & fit e cibis calidioribus: agens autem eſt ventriculi calor, ſed iuſto intenſior. Hinc fit, vt non tam celeriter (vt in pituita) iuſta bilis copia queat colligi, quæ febrem excitet: maior enim fit diſſolutio, quia & mobile eſt calidum, & mouens eſt vehemẽs Si bilis in hepate gignatur: materia e qua, eſt pars tenuior ipſius chymi; agens eſt calor hepatis, qui intenſior eſt calore ventriculi, a quo pituita producitur: hinc fit materiæ diſſolutio, vt tam cito cumulari nequeat, quemadmodum pituita.

1. Copia materiæ quæ generatur.

Melancholia denique fit e chymi portione craſſa: quæ eſt admodum exigua; in chylo enim craſſa D quæ ſunt, in feces abeunt: agens eſt hepatis calor, qui intenſior eſt calore ventriculi. Hinc fit vt melancholia ſufficiens ad febrem excitandum, longiſſimo tempore regeneretur: materia enim e qua fieri debet, eſt exigua; ratione vero caloris fit aliqua diſſolutio. Quantum ad qualitatem materiæ: pituita eſt frigida, humida, viſcida, quandoque craſſa: bilis eſt calida, ſicca, tenuis: melancholia, frigida, ſicca, craſſa. Hinc, licet bilis ratione caloris & tenuitatis magis ſit fluxilis quam pituita: quia tamen tardius regeneratur, ideo tardius etiam acceſſionem facit. Vt melancholia omnibus modis tardius moueatur, quoniam cum exigua eſt, tum frigida & craſſa. Portio autem relicta in priore acceſſione, vocatur inquinamentum: cap.7. & 10.lib.3. de pulſ. Hoc inquinamentum in febre pituitoſa eſt copioſius, quam in biliosa, & melancholica: cap.4.lib.2.de diff. febr. Cum ergo in acceſſione febris pituitoſæ, non parum inquinamenti relinquatur; feſtinat ſecunda acceſſio. E

2. Qualitas.

3. Reliquiæ.

V. Cauſſæ fixarum periodorum.

Quincto quæritur, Cur ſtatutis diebus febres reuertantur: pituitoſa quotidie; biliosa die tertio; melancholica quarto? Reſpõſio. Cauſſa nulla alia adeſt, quam propria humorum natura. Vnde ſi humor aliam naturam ſuſcipit; acceſſio etiam variatur. ca.vlt.l.2.de diff.febr. vt dum bilis flaua mutatur in atram; ſicut prius acceſſiones erant die tertio, ita deinde quarto reuertuntur.

VI. Cauſſa ordinis & inordinationis paroxyſmorum. Cur paroxyſmi anticipent, vel poſtponãt.

Sexto quæritur, cur acceſſiones modo cum ordine, modo ſine ordine reuertantur? Vbi ſciendum inordinationem in paroxyſmis dupliciter ſumi poſſe: primum, vt paroxyſmi anticipant, vel poſtponunt: ſecundo, vt paroxyſmus primo erat triduanus, poſt euaſit quatriduan⁹. Si primo modo ſumatur inordinatio: cã eſt in humoribus, in membris, in materiis auxiliorum. Humor enim, ſi eadem copia, & qualitate, eodem tempore regeneratur; acceſſiones ſeruant ordinem: ſin minus, contra: ſi enim materia citius regeneratur, acceſſio anticipat; ſi tardius, poſtponit. Quoad membra; ſi acceſſio fuerit citra fluxionem, paroxyſmus or- F dinem ſeruat, ſi membrum ſeruat eandem diſpoſitionem: at ſi euadat imbecillius, paroxyſmus anticipat. Si acceſſio ſit cum fluxione materiæ: & fluxio fiat per tranſmiſſionem; ordinem ſeruat paroxyſmus, quandiu in membro mandante & ſuſcipiente ſimilis manet diſpoſitio: at ſi, verbi gratia, in membro mandante ſenſus exquiſitior euadit, acceſſio anticipat; ſi contra, poſtponit. Quod ſi per attractionem fiat fluxio, non mutatur ordo, ſi pars attrahens ſeruet eundem ſtatum & caliditatis & doloris, at ſi calor intendatur, acceſſio anticipat. Materiæ auxiliorum ſi non mutentur, ſeruatur ordo in paroxyſmis: at ſi febricitans vtatur cibis copioſioribus, vel calidioribus, anticipat acceſſio. Secundo autem modo ſi ſumatur inordinatio: eius cauſſa eſt mutatio humoris, febrem efficientis: mutatio autem illa fit dupliciter, primo cum vnus humor in alium tranſmittatur, vt bilis flaua in atram: deinde, ſi alius atque alius humor tranſmittitur, vt ſi prius bilis tranſmiſſa eſt, & poſtea tranſmittatur pituita. Et vtraque hæc mutatio fieri poteſt a cauſſa & interna & G externa. Ab interna; verbi gratia, dum iecur calidius redditum, bilem flauam mutat in atram: item, dum in febre biliosa, ventriculus frigidus gignit pituitam, vt e tertiana fiat quotidiana. Ab externa; verbi gratia, dum e victu calidiore, & medicamentis calidioribus, bilis flaua mutatur in atram: Item, dum e cibo frigido, & medicamentis frigidis, non amplius bilis, ſed pituita generatur.

1. 2. 3.

Cur paroxyſmi mutetur ſpecies.

Septi-

A *Septimo, & postremo quaeritur, cur accessiones modo longiores sint, modo breuiores?* Respondetur e c. 3. 5. & vlt. l. 2. de diff. feb. caussam esse in materia, virtute & habitu corporis. Materia enim est caussa longitudinis, si sit copiosa, frigida, crassa, viscida: breuitatis, si pauca, calida, tenuis; nam citius dissipatur. (*hic Galen. motum & quietem Auicennae comprehendit.*) Virtus si robusta sit, breui tempore materiam expurgare potest, vnde breuis accessio: contra debilis, longam accessionem efficit. (*hic Gale. sensum exquisitum Auic. complectitur.*) Habitus corporis densior, est in caussa longitudinis accessionum: rarior breuitatis. Caussis ergo longitudinis concurrentibus; interdum adeo longa est accessio, vt, licet febris sit intermittens, dicatur tamen continua, non quidem simpliciter; sed continua per subingressum.

VII. Caussa breuitatis, & longitudinis accessionum. Continua per subingressum.

Verum, antequam progrediamur; explicandum est, *an materia in febribus intermittentibus semper transmittatur a venis extra venas:* quod vt cognoscatur ad curationem per est necessarium. Communis plerorumque est opinio, semper materiam e venis extra ferri. At hi errant: nam c. vlt. l. 2. de diff. feb. interdum
B accessio fit per transmissionem, vt materia in mesaraicis, tanquam in foco resideat. Quod si igitur communis illa opinio vera esset: materia transmitteretur primum a mesaraicis, quae sunt debiliores, ad membra robustiora, nimirum in iecur, & hinc in magna vasa, & hinc in venas quae collocatae sunt in ambitu totius, & tandem extra venas. Quod tamen fieri nequit: cum in fluxione, quae fit per transmissionem, necessarium sit, vt pars mittat ad debiliorem, non ad fortiorem. Alia Fernelii est opinio, qui voluit intermittentium originem esse circa praecordia, ventriculum, diaphragma, caua hepatis, lienem, pancreas, omentum, & mesenterium. Has partes ait membranas obtinere sensu praeditas, & neruosa sexto pari cerebri prodeuntes: vt proinde his partibus, exquisite sentientibus, totum corpus compatiatur, & pro vbertate, acrimonia & impetu materiae, rigor, horror, vel frigus producatur. Quemadmodum igitur, inquit idem, dum pars
C vlcerata pungitur, fit horror: ita etiam in intermittentibus fit, dum partes *ἐπαίσθητοι* a materia morbifica molestantur. Sed contra Fernelium ratio est demonstratiua: Si enim focus materiae est in parte, sensu exquisito praedita; tunc in omni intermittente esset dolor, & grauitas circa praecordia: quod falsum. Verum quidem est in punctione vlceratae partis, totum corpus horrore affici; cuius rationem suo loco afferemus: sed cum illa punctio in parte vlcerata dolorem excitet acerbum, videtur in intermittentibus etiam, cum materia morbifica pungit praecordia, dolorem in his esse necessarium, cuius ratione horror totius oboriatur. Veruntamen quoniam Fernelius vir fuit summae auctoritatis: nō abs re fuerit, fundamenta eius praecipua penitus euertere. Primū ergo fundamentum esse pōt: *Si materia in intermittentibus a venis extra mittitur: tum in qualibet febre materia peccabit in venis. Consequens falsum: ergo & antecedens.* Responsio. Hoc argumentum pugnat saltem contra communem opinionem, quod in omni intermittente materia transmit-
D tatur a venis: quam & nos reiecimus: [illegible] in aliqua intermittente a praecordiis ad totū transmittitur. Alterū Fernelii fundamentū: *Impossibile est, tā cito materiam in venis [illegible] separari a sanguine, & ad extrema depelli?* Responsio. Datur quaedam intermittens, in qua materia e venis expellitur: verum illa transmissio non fit ita subito: sed principium durat etiam per horas. Quantum vero ad frigiditatem quae subito fit: dicendum, illam non fieri a materia, quae extra venas transmittitur, non enim est frigiditas positiua, sed priuatiua. De quibus terminis infra. Tertium argumentum Fernelii: *Quartana continua est rarissima: propterea quod materia melancholica raro in venis putrescit. Quoniam aūt quartanae intermittentes sunt frequentissimae, & diu durant: necesse est earum materiam, quae sane copiosa sit oportet, non esse in venis, nec e venis extra mitti?* Responsio. Quartana continua raro contingit, quia melancholia raro putrescit in venis: idque ea de caussa, quod melancholia in venis abundans, est excrementum, non alimentum, & quidem excrementū
E praeter naturam, etiam bilioso excremento maligniūs. ca. vlt. l. 2. de fac. nat. hinc fit vt e venis expellatur, & proinde raro in venis putrescat. Verum quoniam interdum copiosa melancholia & generatur, & colligitur (vt in propr. cap. demonstrabimus) fit vt tunc etiam ad ambitum totius transmittatur, & quartanas intermittentes, diuque durantes faciat.

Num in intermittentibus materia semper mittatur a venis extra venas. Communis opinio reiicitur. Fernelii sententia. Confutatio.

Pugnatur contra Fernelii rationes. 1 Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

Concludatur igitur febrem intermittentem esse, vel Sine fluxione, vel Cum fluxione. Sine fluxione; vt cum excitatur a materia in ventriculo genita & putrescente: atque haec solis lenientibus curatur. Cū fluxione; si materia e venis extra mittitur, vel interdum per alios fluit ductus: huc Gale. respiciens c. 6. li. 2. de cris. ait, materiam intermittentium deferri vel per venas, vel per totum corpus.

Differentiae febrium a materia accessionis.

Sequuntur differentiae a vehementia. Aliae febres sunt vehementiores, aliae debiliores, ratione dignitatis, essentiae, vel facultatis. Ratione dignitatis; si materia putrescat in venis, vt in continuis: ratione
F essentiae; si febris valde accendit, vt in ardente: ratione facultatis; si pulsus sit imbecillis, praeterquam in principio paroxysmorum.

IV. Differentiae a vehementia.

CAPVT XX.

De Signis putridarum febrium.

ABSOLVTA doctrina, de essentia generica & specifica febrium putridarum; de Signis agit Auicennas: indicationes enim capiuntur ab essentia nota: nota autem fit essentia per signa. De his ergo quatuor tradit. I. agit de signis febrium putridarum in genere, quatenus scilicet hae ab ephemera & hectica distinguuntur. II. de signis continuae febris: quatenus haec ab intermittente distinguitur. III. de signis, quae indicant quomodo & differant, & conueniant putridae. IIII. de significationibus accidentium febrium.

G Primum generale signum febris putridae est, quod non oriatur e caussa primitiua, sed ex antecedente. Et hoc signum soli putridae conuenit, nō autem omni: c. 7. l. 1. de diff. feb. quaedam enim putridae ab externa fiunt caussa. De ephemera ex obstructione, quae non ex [illegible] exquisita est, Auicen. hic non loquitur: nec sermo ipsi est de hectica, quae fit ex vlcere pulmonis: confert haec enim ex antecedente caussa oritur. Nec sermo ipsi est de hectica, quae fit ex vlcere pulmonis: confert enim putridam, cum hectica incipiente ante alios morbos. Alterum signum, a pulsu & respiratione su-

I Signum a caussa. II. Pulsus, respiratio.

mitur: putridarum inseparabile indicium est systoles velocitas, cap. 7. l. 1. de diff. feb. & ratio est, quia assunt fuligines putridæ, quæ necessario sunt expurgandæ. Hoc autem intelligendum est, dum febris perseuerat: nam dum putrida intermittit, & ad integritatem perducitur (quod in quibusdam fit) tum diastoles potius adest velocitas, non systoles. Putrida igitur febris indicatur ex inæqualitate pulsus febrilis: nam in hac calidum innatum cordis magis igneum redditum est, quam in ephemera; vnde in pulsu ephemerarum

III. Calor totius.

inæqualitas febrilis prorsus dissoluitur. Pulsui etiam par est respiratio: nam exspiratio est velox. Tertium signum a calore totius corporis sumitur: qui mordax est, non suauis, vt in ephemeris. Et hoc signum putridis conuenit inseparabiliter: ca. 7. li. 1. de diff. feb. Per mordacem autem calorem intelligit Galenus fumosum & fuliginosum; ad differentiam caloris flammei, qui in ephemeris & hecticis locum habet. Dari

Transitio.

autem talem calorem triplicem, ostendit Gale. c. 1. l. 3. de præsag. e puls. Hactenus de signis, quæ putridam respiciunt, quatenus est febris, id est, quatenus inuadit, quatenus est vitium cordis, quatenus est morbus

IV. Corporis dispositio ad putridam.

totius. Deinceps signa tradit, quæ respiciunt putridam, vt fit a materia. Quartum igitur signum, est corporis præcedens dispositio ad febrem putridam, quæ soli, sed non omni conuenit: in quibusdam enim putridis præcedit lassitudo, pandiculatio, oscitatio, anhelitus constrictio, venarum hypochondriacarum tensio, capitis dolor & pulsatio, &c. quæ reperiuntur in febribus, in quibus materia mouetur de loco ad

V. Pulsus inæqualis.

locum. Quintum signum est frequentia pulsus: pulsus coarctatus, id est, submersus & paruus: interdum magnus & vehemens, non admodum velox. Ratio est: quia in putrida facultas a materia opprimitur: præterea dum materia incalescit, pulsus fit frequens: dum facultas insurgit ad expellendum, pulsus fit magnus & vehemens. Cum ergo hinc pateat pulsum esse inæqualem: Galenus cap. 7. libro 1. de differ. febr. dixit, pulsus inæqualitatem in principio & augmento, signum esse putridarum proprium quidem, sed non inseparabile, quia soli putridæ, sed nō omni conuenit. Soli putridæ conuenit, scilicet respectu ephemeræ & hecticæ: nam alias etiam vitiosis humoribus in ventriculo collectis, pulsus oritur inæqualitas. Licet vero pulsus inæqualis fiat a materia putrescente, quæ in omni putrida reperitur: in quadam tamen putrida, pulsus non est inæqualis, vt in tertiana exquisita, cuius materia adeo tenuis est, vt facultatem non o-

VI. Calor inæqualis in principio & augmento.

neret. Sextum signum, est diuersitas caloris in principio & augmento: calor enim non semper est flammeus. Et hoc soli putridæ conuenit, sed non omni: in tertiana enim propter leuitatem materiæ non euidenter apparet. Septimum signum, est, quod fiat euacuatio in prima periodo, ad differentiam ephemeræ: quia enim putrida febris a materia producitur, hæc per sudorem copiosum vacuatur. Excipitur tertiana

VII. Euacuatio in prima periodo.

intermittens, propter leuitatem materiæ. Octauum signum, est augmentum non permistum, non proportionatum, non simile, prolixum: Non permistum est illud augmentum, quod dissimile est principio; ad differentiam augmenti ephemerarum: indicat vero materiam, cuius actio in principio diuersa est, ab

VIII. Ab augmento.

actione in augmento. Non proportionatum est, dum finis augmenti, dissimilis est principio augmenti; ad differentiam augmenti ephemerarum: & hoc indicat materiam, cuius diuersa est actio in principio & fine augmenti. Non simile est, dum calor in principio est fumosus, in augmento fuliginosus & flammeus; ad differentiam augmenti ephemerarum, in quibus calor semper est flammeus. Longum autem est augmentum; ad differentiam ephemerarum, in quibus vltra 2. horas non durat: proinde significat materiam quę

Transitio.

IX Signum.

cito & æqualiter non accenditur. Sequuntur deinceps signa respicientia materiam ratione loci, in quo putrescit. Febris ergo intermittens distinguitur ab ephemera, quia incipit cum rigore, aut horrore; & vt plurimum terminatur cum sudore, & habet periodos determinatas. Continua distinguitur ab ephemera: quia vel incipit cum tepore, si fuerit proportionata; vel sine tepore, si continens. Dissimilitudo etiam

X Signum, a vehementia morbi.

continuæ & ephemeræ indicatur ex vrina, e pulsu, e terminatione & quiete symptomatum. Sequuntur signa indicantia vehementiam maiorem in putridis, quam in reliquis: vt sunt quæ indicant primum maiorem vehementiam febris; sitis, dolor capitis, nigredo linguæ, impotentia quiescendi: quæ proueniunt a summo calore, cuius caussa est materia putrida. Vehementia putridæ febris ratione facultatis indicatur, e pulsu modo magno, modo forti, modo paruo, modo debili; quia materia putrida diuersimode agit in cordis humores: & hæc dicuntur ad differentiam ephemeræ, in qua pulsus semper est robustus: atque ad

XI. Signum a vehementia materię.

differentiam hecticæ, in qua dum pulsus euadit debilis, postea non amplius fit robustus. Vehementia materiæ indicatur, ratione facultatis, e pulsu magno, inæquali, in quo systole est velocior: lotium in principio crudum, aut parum coctum.

Continuæ signa.

II. Traduntur signa febris continuæ, quatenus hæc ab intermittente distinguitur Pulsus continuarum est intensior quam intermittentium. Tempus excedit 24. horas: cap. 5 & 8 lib. 1. ad Glauc. In princi-
1. pio continuæ non apparet rigor, vel horror, qui in intermittentibus est euidens: nam rigor fit, dum ma-
2. teria transmittitur ad venas remotiores. Vnde in continua exquisita non est rigor *sui ratione*, id est, qua-
3. tenus est continua; huius enim materia in venis est: accidit tamen, vt dum materia a venis magnis ad paruas & remotissimas transmittitur, portio quædam extra venas mittatur; at hoc non fit ratione continuæ: in intermittentibus vero rigor fit propria intermittentis ratione. Non tamen semper in intermittentibus fit rigor: quia interdum materia adeo est benigna & exigua, vt debili suo motu rigorem efficere nequeat. Quod si rigor sit longus & intensus, indicat febrem continuam per subingressum: sin exiguus &
4. breuis, indicat vere continuam proportionatam, cuius materia in venis remotus putrescit. Augmenti symptomata variant in putridis: modo enim intenduntur, modo minuuntur.

Signa differentiarū ab humoribus.

III. Pars huius capitis continet signa differentiarum, a 4. speciebus desumtarum. Diuiditur autem in 4. membra. Primum traduntur signa, quibus discernuntur 4. species febris, biliosa, sanguinea, pituitosa, melancholica. Secundo traduntur signa, quibus conueniunt. Tertio traditur documentum caussa tactus. Quarto traditur documentum caussa vehementiæ. *Biliosa* igitur febris indicatur e motu; mouetur enim e tertio in tertium; nisi sit adusta, id est, ardens, vel continens, quæ vnica accessione absoluitur. Deinde in

biliosa

A biliosa pura, est caliditas acuta, magna, mordicās: acuta, id est, quæ cito expanditur, propter materiam tenuem, cum exquisite pura biliosa, non habeat permistam pituitam, vel melancholiam. Tertio biliosa pura indicatur, quod sit salubris, id est, est debilis ratione facultatis. Quarto habet motum breuem: nam biliosa pura intermittens, raro pertransit septimam periodum, continua vero hebdomade finitur. *Sanguinea* indicatur, quia vere est continua, non per subingressum. Calor etiam vehemens est in sanguine, cum lenitate; non mordicans, vt in biliosa. Motus velox est: perducitur enim ad statum in quarto. *Pituitosa* pura intermittens quotidie mouetur: calor est lenis, motus tardus, ob frigidam materiam facultas non parum læditur, quia integritatis tempus est admodum exiguum. Continua pituitosa potius est debilis, quā vehemens, vt aliquo modo hecticæ sit similis: differt tamen ab ea, quod in pituitosa pulsus est mollis. Pituitosa etiam pura distinguitur a non pura, seu notha: hæc enim minorem habet paroxysmum & breuiorem, B ob bilis permistionem cum pituita: quod si vero pituitæ non bilis, sed melancholia permisceatur, contra iudicandum est. *Melancholica* non est acuta, sed longa, propter frigus: virtus etiam tolerat ob longitudinem interualli.

Commune porro est quartanæ, tertianæ & continuæ & intermittenti, vt terminentur vomitu, alui solutione, per sudorem, per vrinam: sique febris sit ardens, etiam per hæmorrhagiam narium. Conuenientia.

Tertio Auicennas proponit documentum ratione motus. Tarditas & velocitas motus referenda est ad totam febrem. Nam ratione partis fieri potest, vt febris breuis habeat principium longum, aut aliam partem longam: vt in tertiana intermittente, longius tempus est principium: in febre conclusa, id est, continente longius tempus est status: in biliosa proportionata, est declinatio, in quotidiana, est status & declinatio: similiterque in quartana. Præceptū de tarditate & velocitate motus.

C Postremo traditur præceptum caussa vehementiæ. In curatione non est committendus error: alias febris salubris euadit lethalis. Præceptum de curatione.

In IIII. capitis parte Auicennas signorum applicationem tradit: & ex signis deducit nos in cognitionem signatorum, pertinentium ad putridas febres. Ea autem hic breuiter ob oculos ponere placuit. Signorum applicatio.

Signa febris alia sunt

- 1. præcedentia,
  - 1. præterita
    - 1. Extra corpus; vt regimen antecedens: sic ars destinata lanarum lotioni indicat putridam.
    - 2. Intra corpus
      - 1. Secundum naturam; Temperamentum, habitus corporis. Si enim præcessit temperamentum calidum & humidum, habitus carnosus; significatur febris sanguinea.
      - 2. Præter naturam; vt morbi & symptomata. Si enim vomitus pituitæ præcessit; indicatur febris pituitosa.
  - 2. præsentia
    - 1. Extra corpus; vt præsens regio, anni tempus, præsens constitutio: si, verbi gratia, ad calorem vergant; significant febrem biliosam & vehementem.
    - 2. Intra corpus ratione
      - 1. Continentium; vt ætas, complexio: sic ętas iuuenilis, temperies calidior, significat febrem biliosam; eo vehementiorem, quo gradus caloris in temperie est intensior.
      - 2. Contentorum; nimirum excrementorum, quæ copia, aut qualitate expultricem irritant ad expellendum. Hæc autem signa sunt, pulsus, vrina, alui deiectio, hæmorrhagia narium. Verbi gratia, pulsus velocior, vrina flaua, indicant febrem biliosam.
- 2. sequentia
  - 1.
    - 1. Immediate, vt actio: verbi gratia, sitis, pulsus inæqualis, dolor, &c.
    - 2. Mediate: & hæc pertinent vel ad
      - 1. Contenta: vt sunt excreta, verbi gratia, sudor.
      - 2. Continentia: vt sunt, verbi gratia, calor, color, forma, figura, &c.
  - 2.
    - 1. Necessario, idque vel ratione
      - 1. Totius febris: vt est dispositio febris: verbi gratia, si ad. st calor admodum mordax, inæqualis; putrida indicatur.
      - 2. Paroxysmorum: accessio enim triduana, indicat febrem biliosam.
    - 2. Non necessario
      - 1. Indifferentia, seu non coniuncta: vt fames, vel inappetentia, &c.
      - 2. Determinata, seu coniuncta: verbi gratia, dolor, sitis, indicant febrem biliosam: delirium & inquietudo, indicant febrem mali moris.

 A

CAPVT XXI.

De Rigore.

De rigore quid tradendum.

ANTEQVAM ad curationem putridarum accedat Auicennas, prius de rigore agit. Nos ergo in hac doctrina ita procedemus, vt exponamus. 1. modum generationis rigoris. 2. definitionem rigoris. 3. discrimen rigoris & cognatorum symptomatum. 4. rigoris differentias. 5. omnia febribus applicabimus.

Caussæ rigoris.

Galenus cap.6. & 7.lib.de rigore, voluit rigorem fieri a materia frigida, a calida, præterea dum vlcus irritatur, item dum inflammatio mutatur in abscessum, præterea cum occurrit obiectum aliquod horrendum, vel secundum visum, vel secundum auditum. Videndum ergo quæ sit communis caussa. Idq; vt

Modus generationis.

appareat; modum generationis rigoris ita describemus. Ad rigorem generandum, necesse est vt corpori B occurrat aliquod noxium, vi cuius corporis partes, destinatæ motui voluntario & sensui tactus, refrigeretur; vt refrigerationis iudicium in sensu fiat; & tanta etiam refrigerationis in dictis partibus sit violentia, vt frigus ipsarum calido natiuo cordis communicetur; quod deinde cum impetu reconcentretur & expandatur, & hinc rursus concentretur & expandatur: hunc enim caloris cursum & recursum sequitur partium sensitiuarum expulsio, facultate nimirum expultrice a caussa noxia irritata, & a cordis calore adiuta; ea violentia, vt fiat concussio, motus prauus, & rigor totius corporis.

Rigor quid? Forma rigoris.

Hinc rigor nil aliud est, quam vibratio totius corporis, dependens ab expultrice, irritata a frigiditate, mediante cordis calore refrigerato. Forma rigoris est *vibratio*, id est, motus deprauatus, seu numerosus & densus, propter breuitatem quietis, & celer, propter impetum.ca.1.& 2.lib.2.de causs.sympt. Quatenus ergo rigor dicitur vibratio, distinguitur a motu ablato & diminuto; item a motu palpitationis, qui nume- C

Subiectum rigoris.

rosus aut densus non est. Subiectum rigoris est *totum corpus*. Et hinc rigor ab horrore distinguitur, cuius subiectum non est totum corpus, sed solum cutis. Per totum intelligimus partes externas, id est, cutim, partes carnosas, partes musculorum, cum vicinis partibus neruosis: vt viscera excludantur. Hinc Galenus cap.5.lib.2. de causs. sympt. ait, in rigore musculos omnes vibrari, & cum his articulos, vt fiant extensiones & inflexiones præter voluntatem.

Caussa efficiens rigoris.

Efficiens principale, est *facultas expultrix*; ad differentiam conuulsionis legitimæ, quæ non est motus expultricis. ca.6.& in fine lib.2.de causs.symp. Notandum autem in motu prauo concurrere interdum solam caussam morbificam, vt in legitima conuulsione; interdum solam naturam, vt in sternutatione; interdum vtramque in tremore. De rigore vero Gale.c.2.l.2. de causs.sympt. duo dicit; primum, eum instar tremoris, esse motum mistum, & naturæ & caussæ morbificæ: secundo subdit, in rigore motum omnem D esse expultricis. Dum igitur inquit, rigorem esse motum solius naturæ: intelligit solam naturam concurrere ad vibrationem efficiendum. At dum ait, rigorem esse motum mistum; intelligit adesse expultricem,

Expultrix irritatur a frigore vehementi.

& præterea caussam morbificam, quę expultricem irritat. Expultrix porro irritatur, tum a frigiditate, tum ab aliis caussis: ita tamen vt in omni rigore frigiditas sit necessaria. Frigiditas hæc est, de qua Gale. c.6.l.de inæq intemperie loquitur: vbi ait, rigorem produci ab inæquali intemperie, id est, ab extremorum frigiditate, vt agit in cor calidum. Hanc frigiditatem vehementem esse oportet, quæ repellat, & cum violentia atque dolore agat. Hinc enim c.6.l.de rig. Gal.ait, si homo in aquam frigidam coniiciatur, eum non rigere, nisi diu moretur. Præterea hæc frigiditas non solum est positiua, sed potest etiam esse priuatiua: vnde c.7 l.de rig. Gal.ait, in tertiana esse rigorem, quoniam humor motu vehementi per sentientia corpora de-

Frigiditatis caussa. 1.

feratur; vnde sanguis & calor in viscera refugiant, vt extrema frigida reddantur. Frigiditatis autem illius E caussa est interna, vel Externa, cap.7.l.de rig. fit enim a frigore externo, & a corporis dispositione, vt in febribus. Caussa interna est materia vitiosa; idque vel propria ratione, vel ratione loci in quo colligitur. Vitium autem triplex est, Copia, Qualitas, Motus. Copia requiritur; quoniam omne agens agit in determinata quantitate: & quo copiosius, eo magis agit. Quoad qualitatem non debet esse materia mitis: vnde Gal.c.5.l.2.de cris. proponit materiam mordacem, siue sit calida, siue frigida. Id tamen verũ est, materiam frigidam esse caussam frigiditatis positiuæ; calidam priuatiuæ: vt testatur Gal.c 6 l.de rigore. Quoad motum; hunc proponens Gale.c.5.l.2.de causs.sympt.inquit, rigorem fieri a materia commota, & agitata: & c.

2.

6. lib.de rigor.ait, non fieri rigorem, nisi materia cum impetu feratur. Externæ caussæ variæ sunt, c.3.li.2. de cris.& c.6.lib.de rigore: nimirum aqua frigida, medicamentum calidum vlceri applicitum, ratione cuius fit dolor, vnde calor refugit ad viscera, vt in partibus extimis sit frigiditas priuatiua. Ad caussas etiam F externas pertinet, obiectum visus & auditus, quod tamen ita vehemens esse oportet, vt timorem efficiat,

Instrumentum expultricis, est calidum natiuum.

cuius ratione calor intro reuocetur, & exteriora calore priuata refrigerentur. Ceterum caussa rigoris instrumentalis, est calidum innatum influens cordis: vnde rigor affectus calidi natiui c. 6.li.de rigor. dicitur & c.7.l.eiusd. Galenus ait, calidum innatum in rigore fieri veluti instrumentum facultatis expultricis: ait, *veluti*; nam præcipuum instrumentum cuiuslibet partis est temperamentum, & spiritus insitus; hæc tamen a calore cordis influente iuuantur.

Calor natiuus 4 modis afficitur.

Cum autem rigor sit affectus calidi natiui refrigerati: inuestigare oportet, quis nam sit hic caloris affectus, Galenus cap.6.lib.de rig. ait, natiuum calorem, instar flammæ, 4.modis affici posse: primum ob materiæ defectum: secundo, dum in sole splendor contabescit: tertio, dum a lignorum copia suffocatur: quarto, dum a copiosa aqua exstinguitur. Ratio horum 4 modorum inde pendet; quod calidum innatum G est substantia per se & semper mobilis: vnde tria locũ habent in calido innato, Substantia, Qualitas, & Motus. Ad substantiam pertinet illud vitium, quod dicitur inanitio substantiæ. Ad qualitatem, seu calorem pertinet læsio a frigido. Motus autem calidi natiui duplex est, intra & extra: cuius ratione duplex occurrit vitium; alterum, quotiescunque extra ab immodico calore dissoluitur calidum innatum; alterum, dum

intus

A intus a materia opprimitur,ficuti flamma a copiofis lignis.In rigore vero calidum innatum læditur tātum fecundum qualitatem,non fecundum fubftantiam,aut motum.Si ergo calidum cordis in rigore afficitur fecūdum caliditatem;igitur læditur a frigido:nil enim læditur,quam calor influens, & proinde pura qualitas. Notandum autem hunc calorem in rigore reddi vaporofum:quia calor influens illiditur in ea, quæ obfiftunt,quæ fane vertuntur in vaporem. Dum ergo calor influens euadit vaporofus,efficacius percutitur,& efficacius percutit:vnde fit,vt rigor ab initio fit remiffior,mox autem reddatur intenfior. *In rigore calidum nat.tantum læditur fecundum qualitatem.*

Expofita rigoris definitione:tertio iam loco fequitur,vt rigorem a cognatis fymptomatis difcernamus:nimirum ab horrore,inæqualitate,& frigore.*Horror* igitur (cap.6.lib.de rigor.) eft fenfus frigiditatis cum dolore, & cum concuffione cutis, reliquo non moto corpore: vnde horror eft vibratio folius cutis,non totius corporis;dependens ab eadem cauffa,a qua & rigor. Hinc, cum in horrore extrema refri- *Rigoris, & cognatorū fymptomatum difcrimen.*
B gereatur;Galenus lib.11. meth.ait, horrorem,ob cutis conftipationem,febres & augere fi iam factæ fint, & nouas quoque excitare. *Inæqualitas*, quam Auicennas fractionem vocat,eft, dum quis in corpore inæqualitatem fentit,quam verbis explicare nefcit:eft igitur via ad horrorem, nimirum vibratio admodum remiffa folius cutis. *Frigus* eft fenfus frigiditatis citra dolorem: Auicennas vocat frigus purum. Eft autem fenfus frigiditatis partium extimarum,dependens a qualitate tactili,citra folutionem vnitatis refrigerante. Ab his igitur rigor facile difcernitur. Conueniunt enim inæqualitas, horror,& rigor,quatenus fiunt ab excrementis mordacibus,tanquam a cauffa interna, vt in putridis febribus:differunt autem & ratione excrementorum,vt agunt;& ratione partium,vt patiuntur ab excrementis. Excrementa differunt copia, morfu,& motu: partes,vt patiuntur,differunt virtute,fenfu tactus,& motu. Vnde quoad excrementa,fi horum vitia fint debiliora,id eft,fi fint pauca,parum mordacia,& debilis motus,fit inæqualitas:fi validio- *Collatio.*
C ra,horror:fi adhuc validiora,rigor. Quoad partes:fi minus funt difpofitæ, fit inæqualitas:fi magis ad patiendum difpofitæ,fit horror:fi maxime, rigor. In maiori enim quanto, maior virtus:mordaciora efficacius ftimulant:motus velocior,eft cauffa fymptomatis vehementioris;hinc rigor vehementiffimus a bile, quia frigidi fucci nō poffunt ita effe tenues, vt vehementiffime moueantur. Virtus imbecilla facile patitꝰ; contra corpus robuftum,quod bene habet & fecundum temperiem & fecundum calidum infitum. Senfus acutus,qui eft in corpore prædito neruis magnis & mollibus,facile patitur;ratione magnitudinis neruorum, fpiritus animalis radii copiofiores diftribuuntur;ratione mollitiei,qualitas tactilis efficacius agit: Motus quo maior,eo facilius partes rigent. Quantum ad frigus attinet, fi intelligatur illud frigus,quod reliqua fymptomata confequitur,fit ab eadem cauffa,fed remiffiore:vnde primum fit frigus, mox horror, tandem rigor. Si accipiatur frigus purum, hoc eft frigus pofitiuum; fit hoc a materia frigida, quæ citra
D vnitatis folutionem refrigerat.

Reftat poftremo, vt quæ iam dicta funt febribus applicentur. Inæqualitas igitur, fi cæteri affectus non fubfequantur,reperitur in continuis proportionatis: fi vero reliqui fuccedant,tum reperitur in illis febribus,in quibus reliqui exfiftunt affectus fimiles. Horror cap. 8. lib.2. de diff. feb. reperitur in quotidiana,nifi materia ad fummum attenuetur: item in tertiana notha. Rigor,cap.6 libr.de rig. reperitur in quotidiana, tertiana, quartana, intermittentibus, fed in principio acceffionis:in febre ardenti reperitur in fine,aphorif.58.fect.4. Difcrimen tamen a Galeno ftatuitur,cap.7. lib. de rig. quia rigor in quotidiana eft longus,non magnus,nifi corpus vehementer agitetur:in tertiana eft cum fenfu punctionis; in quartana cum fenfu frigiditatis,ac fi quis per loca admodum frigida iter faciat. Frigus priuatiuum reperitur in febribus putridis mali moris:pofitiuum,in quotidiana intermittente e dulci pituita, cap.4.lib. 2.de crif.&
E cap.8.lib.2.de feb.diff.reperitur etiam in quotidiana continua,cap.8.lib.2.de feb. vbi Galenus vult,in hemitritæo effe frigus,ratione quotidianæ continuæ,quia materia pituitofa exigua extra venas propellitur, cum præfertim in hemitritæo bilis poffit pituitæ effe vehiculum. Reperitur etiam frigus in primis quartanarum acceffionibus. *Inæqualitas. Horror. Rigor. Frigus.*

CAPVT XXII.

De Curatione putridarum in genere: & primum de Præfidiis.

AVICENNAS ad curationem accedens,materias adiuuantium proponit:refpicitque ad materiam morbificam in hoc feptimo capite:ad virtutem in octauo & nono:ad febris vehementiam in decimo: ad
F fymptomata in plurib. fequentibus capitibus. Nos autem in explicatione huius capitis tractabimus. I. de Indicationibus. II. de materia cheirurgica & medicinali. III. de materia diætetica. *Tranfitio.*

De Indicationibus in putridis.

IN putridis triplex eft indicatio:Vitalis,Curatoria, & Præferuatoria. Indicans vitale dirigitur ad cuftodiam animæ,vt operetur;operatur autem per organa,quæ funt partes viuentes, itemque fpiritus infiti & influentes:vnde ab his indicatio vitalis fumitur,non autem ab humidioribus, vel a fanguine; hic enim animæ organum non eft,fed opus fanguificæ facultatis. Sanguis tamen vitiofus,quatenus rationem fubit cauffæ morbificæ,eft indicans. Prout autem virtutis cuftodia multiplex eft, pro eo etiam indicata vitalia variant. Alia enim funt generica,nimirum quantitas & qualitas: alia fpecifica,certa menfura,& apta qua- *Indicans vitale.*
G litas: alia determinata,cibus,potus,fpiritus: cap.5.lib.11.meth.materia vero eft panis, &c. & proxima fanguis, roridaque humiditas. Indicans curatorium,eft cauffa continens ex vfu,& quidem cauffa vel læfæ facultatis,vel læfæ functionis: vt in morbo læditur,actio ob læfionem facultatis, facultas læditur ob intemperiem: quia tamen læfio facultatis eft cauffa continens non ex vfu; ab ea non fumitur indicatio, fed a cauffa quæ læfionem efficit, fi modo hæc alicuius fit momenti: in phlegmone enim magnitudo eft læfio facultatis, fed nihil vtile poteft indicare; vnde in phlegmone indicatio curatiua fumitur a fanguine in- *Indicans curatoriū.*

Eeee

fluxo,& a morbo calido:hæc enim phlegmonis ideam,a qua indicatio capitur,constituunt. Sic putridę fe- A
bris idea constituitur a morbo calido,& a caliditate in humoribus cordis, quæ est caussa continens ex vsu:

Indicans præseruatorium.

ab his ergo sumitur indicatio curatoria. Indicans præseruatoriũ,præcipue sunt humores: potest esse dys-
crasia, quæ humores generat:item lumbrici, calculi. In putridis igitur ab humoribus sumitur indicatio
prophylactica:non quidem a vitiis humorum,in substantia, quantitate, qualitate,& motu locali. Si enim
(quoad substantiam:) humor prorsus corrumpitur, indicatur totalis euacuatio:vt si sanguis mutatur in
bilem excrementitiam,vel putrescit. Quantitas deficiens,vel excedens,indicat additionem,vel imminu-
tionem. Qualitas prima vel secunda mutata,indicat contraria. E motu,si non fit, oritur indicatio mouē-
di: si motus male fit; & quidem si imminutus est,oritur indicatio adiuuandi:si deprauatus, retrahendi,vel
coercendi. Et hæ sunt indicationes genericæ & specificæ:determinatæ autem indicantur a specie materię,
& a definito gradu vitii materiæ:vt si sanguis abundat ad libram vnam,indicatur minuens sanguinem, & B
quidem ad libram vnam. Et sic indicatio præseruatoria capitur a materia. Sumitur deinde etiam a sym-
ptomatibus,pro.:t hæc rationem habent caussæ.

Indicationes in putridis, vnde oriantur.

His ita positis,in febribus putridis indicatio sumitur a viribus,febre,& caussa.c.8.& 10.l.11.method.
Virtus roborantia indicat: vt superet putredinem,& succos concoquat. A febri oritur indicatio & cura-
toria,& præseruatoria. Curatoria;vt portio febris facta curetur:præseruatoria;vt portio,quæ est in gene-
ratione, prohibeatur. Curatio fit per refrigerantia; & per eradicantia materiam omnino putrefactam.
Præseruatio respicit patiens,vel agens. Patiens,est humor qui incipit putrefieri:idque interdum fit, quia
humidus est,vnde oritur indicatio siccandi;semper vero dum humor putrescit,calidior euadit, vnde ori-
tur indicatio refrigerandi. Quoad agens, hoc vel est principale & immediatum, vel sine qua non & me-
diatum. Principale,est calor extraneus,intensior calore naturali humoris putrescentis:hinc indicatio ori- C
tur refrigerandi. Agens sine quo non, est quod impedit transpirationem caloris: & hoc est vel densitas,
vnde indicatio rarefaciendi;vel constrictio, vnde indicatio fundendi;vel obstructio, quæ vel facta est, vel
est in fieri: si facta est, ipsa obstructio nil indicat quod sit ex vsu; materia autem actu obstruens, vtile indi-
cat quæ si copia peccat, minuenda; si crassitie, attenuanda; si viscididate detergenda: si autem obstructio
sit in fieri,indicans in corpore quidem exsistit, sed extra locum obstructum, in quem tamen potest con-
fluere:vnde huius caussa opus est affluxum obstruentium succorum compescere: hinc cum succus fluens
sit multiplex,indicatio etiã multiplex oritur:verbi gratia, si sit sanguis, euacuandus;si vero sit succus a san-

Conclusio indicationum.

guine diuersus,& quidem supra iecur subsistat,indicat purgans:& si succus,nō sit præparatus,indicat præ-
parans:si infra iecur subsistat succus,lenienda est aluus. Hinc igitur scopi in putrida febre sunt, *alui lenitio,* D
sanguinis euacuatio succi non sanguinei præparatio,purgatio,materiæ obstruentis minutio, attenuatio, detersio,
caloris putridi refrigeratio,materiæ putrescentis refrigeratio,& exsiccatio,materiæ putrefactæ eradicatio,febris
factæ refrigeratio,virtutis corroboratio. Et hæc de indicantibus.

Præsagia.

De prognosticis in doctrina speciali tradendum.

CAPVT XXIII.

De materia Cheirurgica: & primum de Phlebotomia.

Venæsectio quid?

PRACTICI tria considerare solent: indicans, indicatum, & materiam indicati. Sic sanguis est indi-
cans;euacuatio sanguinis, est indicatum:venæsectio,est materia indicati. *Venæsectio igitur est materia*
remedii indicati a vitio vehementi, per se, sensibiliter & confertim sanguinem vacuans, & ex accidente refri-
gerans. Venæsectio indicatur a vitio vehementi sanguineo:breui enim tempore vacuat, quod in affecti- E
bus vehementibus est necessarium.cap.6.lib.de venæsect.contra Erasistr.cap.10.l.de curat.per venæsect.

Facultates venæsectionis.

Facultates venæsectionis duæ sunt: vacuare, & refrigerare. Vacuat enim sanguinem,per se; ad differen-
tiam victus tenuis,qui per accidens vacuat: sensibiliter; ad differentiam fictionis: confertim; ad diffe-
1. rentiam & propositarum materierum, & maxime ad differentiam cucurbitularum, & hirudinum. Dum
2. igitur confertim vacuat venæsectio, simul impetum & cursum largitur humoribus in venis exsistenti-
3. bus. Deinde etiam alterat phlebotomia,dum per accidens corpus refrigerat, detracto sanguine:comm.
aphor. 23. sect. 1.

Venæsectionem indicantia.

Deinceps explicandum, quid requirat venæsectio, vt materia remedii: & quid requirat, quatenus
vehementer agit: id est, quidnam venæsectionem indicet, & quid eandem vel permittat, vel prohibeat.
Sicut igitur omnis materia remedii supponit aliquod indicans:ita etiam *venæsectio indicatur a vitio vehe-* F
menti,quod vel ad sanguinem pertinet,vel ad morbum calidum. Sanguis, vt morbificus est,indicat remediũ,

Vitiũ sanguinis in substantia, quantitate, & motu, indicat venæsectionem.

remouēs vitium sanguinis:& hoc est remedium genericum. Vitium autem sanguinis pertinet vel ad sub-
stantiam,vel ad quantitatem,vel qualitatem,vel vbi: & de his quatuor vitiis,prædicatur vitium genericũ;
e quatuor autem vitiis specialibus nullum de altero prædicatur. Indicans ergo genericum est vehemens
vitium sanguinis;non autem plenitudo, vt alogi quidam tradunt. Licet autem vitium sanguinis quadru-
plex esse possit;excluditur tamen qualitas,in venæsectione:si enim sanguis simpliciter est calidus, indicat
refrigerans, cuius materia potius est medicamentum simpliciter refrigerans, quam venæsectio quæ va-
cuando refrigerat. Tria aũt reliqua vitia indicant venæsectionem. Nam ratione substantię,si sanguis pro-

Morbus vehementer calidus, cũ vitio sanguinis, indicat venæsectionem.

priam qualitatē non seruet, vt alere amplius nequeat, putrescit:vnde educēdus est (*NB. qualitas hic sumi-*
tur, ceu signũ sanguinis corrupti:) c.11.l.9.meth. Secundo, sanguis euadit inutilis in plethora, quoad vasa, & G
quoad vires:indicat igĩt remediũ minuens;cuius materia venæsectio. Tertio, sanguinis impetus,indicat
remediũ retrahens & reuulsorium:cuius materia est venæsectio.c.11.l.de venæsect. Quarto, si morbus ali-
quis sit vehementer calidus,eiq; non sit annexum aliquod sanguinis vitium, e trib. iam propositis;tutius
est refrigerare medicamentis: at si est annexũ vitium sanguinis; locũ habet venæsectio, quæ tunc materia
est re-

A est remedii præseruatorii & curatorii simul, ratione sanguinis; atque curatorii, ratione morbi calidi. Dum igitur Galenus inter scopos venæ sectionis proponit morbi magnitudinem; non de indicante loquitur, sed de signo, quod vitium sanguinis vehemens detegit: sicut enim in sanis, validæ tensiones vel grauitatis sensus, significant vitium sanguinis vehemens; nimirum plethoram ad vasa, vel ad vires: ita in ægris morbus vehemens, significat vitium vehemens sanguinis, & sic non est indicans, sed signum. Hactenus quid requirat venæ sectio vt materia indicati. Morbi magnitudo, non indicat venæsectionem.

Porro venæ sectio, quatenus vehementer agit; confertim euacuat, spiritusq; exhaurit: vnde *necessario virtus robusta requiritur, quæ venæsectionem permittat: oportet autem vires & iam esse præsentes, & tales etiam quæ post venam apertam possint sufficere.* Vires de quibus hic loquimur, pertinent ad quātitatem & qualitatem partium viuentium & spirituum, maxime tamen ad partes spermaticas & principales (hinc Gal. Phlebotomiam permittentia, nimirum, Vires.
B præcipue ad cor respicit pulsum explorans c.6.&13.l.de venæsect.) Vnde, si imbecillitas sit secundum partes seminales, vt in pueris (in quibus substantia partium seminalium, & substantia calidi innati facile dissoluitur) etiamsi virtus secūdum carnem & spiritus, sit robusta; prohibetur tamen venæsectio. At si robur assit secundum partes seminales, vena est secanda: nam imbecillitas secundum partes carnosas non prohibet venæ sectionem, vnde mulieri emaciatæ aperta est vena, aph.19.sect.3.l.6.epid. Spirituum etiam imbecillitas, si fiat ob nimiam concentrationem non prohibet phlebotomiam: vnde Galenus text.23.82. & 111. li.4.de ratione vict. in syncope, e concentratione, venam secat. Si autem imbecillitas sit in spiritibus, quia nimium dissoluuntur; hæc venæsectionem prohibet: vnde Galenus cap.13.lib.5.meth. in muliere affecta sputo sanguinis propter ieiunium, non secat venam: nam in dissolutione, spiritus & secundum motum, & secundum quantitatem patiuntur; in concentratione vero tantum secundum motum.

C Ad virtutem autem omnia reliqua prohibentia referri possunt, vt ætas, ambiens, &c. *Ætas* enim florida solum admittit phlebotomiam, id est, quæ media est inter pueritiam & senectutem, seu annum decimumquartum & septuagesimum: in hac enim ætate virtus bene se habet, secundum omnes species substantiæ, id est, & secundum partes viuentes, & secundum spiritus, secundum copiam & qualitatem: hęc ergo virtus robusta est ante & post venæsectionē. Puerilis ætas prohibet venæsectionem: licet.n. ante venæsectionem virtus sit robusta, secundum omnes substantias, ratione quantitatis & qualitatis; tamen post phlebotomiam succumbit & dissoluitur calidum innatum promtissime, propter humiditatem & mollitiem, ac propter temperamenti caliditatem. t.19.l.4.de ratione vict. Ætas senilis prohibet venæsectionem: quia in hac etiam ante venæsectionem virtus est debilis: partium enim viuentium & spirituum quantitas est exigua, & qualitas est immoderata frigiditas: vnde & per venæsectionem, quæ & vacuat & refrigerat, Omnia reliqua prohibentia ad virtutem referuntur, ceu signa. 1. Ætas.
D virtus necessario concidit. *Succorum crudorum copia*, & ipsa quoque virtutis debilis est signum: indeque venæsectionem impedit. c.13.l.de venæsect. Per succum vero crudum non intelligimus biliosum, melancholicum, pituitosum, aquosum (qualis in hydrope:) nam his exsistentib. possunt dari vehementia purgantia, quæ postulant virtutem robustam: sed intelligimus (c. vlt.l.de plen.) succum crassiorem pituitoso, albicante (vnde etiam corpus albicans:) & minus flatulentum, qualis in vrinis subsidet; & hic generatur in voracitate, crapula, otio, vel etiam cum cibus bonus non tandiu detinetur in ventriculo, vt in bonum chylum verti queat, sicut vi balnei contingit. Distinguatur autem succus crudus a pituitoso: nam hic necessario generatur, e chyli portione analoga, potestque mutari in pituitam excrementitiam atq; alimentalem, hæc vero in sanguinem pituitosum, qui partes frigidas & exsangues nutrit: & sic, pituita dominante, virtus potest esse robusta. Succus crudus non necessario generatur; & generatur e cibi portione non 2. Crudorū succorum copia.
E solum pituitosa, sed ex ea quæ in bonum sanguinem mutari deberet: vnde ex eius abundantia, sanguinis defectus arguitur; quo deficiente, virtus, alimento priuata, succumbit, corpusque refrigeratur: & hinc in copia succorum crudorum virtus patitur secundum quantitatem, & qualitatem. Tandem *aer circumfusus, regio, & anni tempus*, ad virtutem, ceu signa, referri possunt: si enim aer admodum calidus aut frigidus est, prohibet venæsectionem, ca.14.lib.1.ad Glauc. cap.20.lib. de venæsect. In calido ergo aere, significatur virtus imbecillis in futurum; quæ scilicet vacuationem & sectionis venæ, & aeris calidioris perferre nequeat: in frigidiore autem aere, virtus non potest ferre phlebotomiam; quia non fert refrigerationem, & venæsectionis, & aeris. 3. Aer ambiens.

Hactenus igitur patet, venæsectionem esse materiam remedii, indicati a sanguinis vitio secundum substantiam, quantitatem, & motum, atque a vehementi caliditate; permitti que a virtute robusta. Conclusio.

F Sequitur *de recta administratione venæsectionis, id est, quantum, quomodo, quando, & vbi vena secanda*: quæ indicantur ab essentia respectiua, nimirum ab actione, passione, præsentia, & subsistentia; prout hæc essentiam indicantis subsequuntur. Explicandus autem hic est locus Galeni c.15.l.11.meth. cur saluberrimum esse dicat, in omnibus putridis aperire venam, nisi ætas & vires prohibeant: Ratio autem est, quia primum corpus refrigeratur: deinde vacuatur sanguis, qui in omni putrida rationem habet materiæ morbificæ: hac tamen distinctione, vt habeat rationem caussæ principalis in febribus sanguineis; caussæ sine qua non, in febribus non sanguineis; nam in tertiana, verbi gratia, quia bilis non potest vacuari citra corporis calefactionem, oportet sanguinem vacuare, ne incalescat & corrumpatur; vel habet rationem caussæ adiuuantis, quatenus in periodo febrium, ad focum, & partem imbecillam confluit, cap. vlt. lib.2. de differ. feb. Recta administratio phlebotomiæ. Vena in omnibus putridis secanda: quia sanguis peccat in omni putrida.

G Quantitas vel respicit Quid agendum, vel vsum. Primo modo sumitur cap.9.lib. de venæsectio. vbi dicitur, vacuationis quantitatem indicari a morbo vehementi, virtute, ætate, &c. per quantitatem hic intelligitur copia sanguinis, quæ est ℔j. vel ℔ij. &c. vt libra sanguinis indicet quid agendum, id est, remediū vacuans libram sanguinis. Secundo modo sumitur cap.12.& 21.lib. de venæsect. quando scilicet quæritur, num libra sanguinis vacuanda sit vna vice, an pluribus. Quantitas duplex. 1. 2.

Quantum agendum.

Quantum igitur agendum, indicatur a maiori vel minori actiuitate indicantis: & permittitur a virtute magis vel minus robusta. Hinc in continuis, sanguis paucioris vicibus est detrahendus: in his enim sanguis peccat in maiori quantitate, & eius maior est actiuitas. Vnde cap. 16. l. de venæsect. & aph. 23. sect. 1. & cap. 4. lib. 9 meth. in febribus vehementissimis sanguis vacuatur vnica vice, ad leipothymiam vsque. Sed necesse est, vt virtus valida hoc permittat. Secus enim tutius est quantitatem partiri: cap. 7. li. de venæsect. contra Erasistrat. & hoc potissimum in reliquis putridis seruandum, vnde Galenus cap. 14. lib. 11. method. in putridis non vacuat sanguinem ea quantitate qua est auctus, ne intempestiue nutrire cogamur. Et hinc in putridis magis ad virtutem est respiciendum, quam in ceteris morbis: præsertim quia venæsectio, nec obstructionem a materia crassa, viscida; copiosa, perfecte tollit, nec putredinem aufert: cum ergo relinquatur portio materiæ putrescentis, opus est virtute, quæ & concoquendo, & vacuando materiam vincat. A B

Quomodo agendum.

Modus agendi, indicatur a vehementia resistentiæ, & consistit in foramine ampliore, aut arctiore: per amplius egreditur sanguis crassior, & vitalis spiritus copiosior. Permittitur autem a viribus. In febre igitur melancholica, ratione materiæ foramen amplum indicatur.

Quando agendum.

Quo die vena sit tundenda.

Quando agendum, id est, dies & hora venæsectionis, indicatur a præsentia indicantis vehementioris;
siue hoc sit res præter naturam, id est, caussa, morbus, symptoma; siue virtus: vrgens enim est vehementius,
magisque potest, sicut etiam caussa potior affectu est. Diem igitur quod attinet, perpendere oportet vitium sanguinis, vehementiam succi crudi, vehementiam materiæ accessionum, & vehementiam symptomatum (*hic omittitur vis febris & virtutis: febris enim a venæsectione per accidens tollitur: virtus vero si robusta sit, permittit; si debilis, prohibet: dum ergo prohibetur venæsectio, quid opus est de vsu verba facere?*) In putri-
1. dis igitur quamprimum vena est secanda, nisi aliquod eiam propositis prohibeat. Quo autem sanguis est C
vehementior, eo citius secanda est vena: vnde aph. 3. sect. 1. ob imminens periculum, statim Hippo. venam
aperit. Et Gal. c. 4. l. 9. meth. in synocho putrida statim venam tundit; ad differentiam synochi sine putre-
dine. Ratio est c. 2. l. 10. meth. quia vires indies dunt debiliores. At vero præsentia succorum crudorum, &
2. materiæ accessionum, ac vehementium symptomatum, conferenda est cum sanguinis vehementia. Succus enim crudus vt plurimum magis vrget, quam sanguis: interdum tamen & sanguis magis potest. Si etenim crudus succus, i. cibus non concoctus, qui residet in primis viis, infra hepar (ad differentiam crudi succi vltra hepar:) sit copiosus, & sanguis non sit insignis vehementiæ; tum succus crudus magis potest: nam c. 5. l. 4. de tuen. san. phlebotomia materiam per iecur in totum corpus distribuit, quæ noxa maior est, quam vtilitas e detracto sanguine. Hinc c. 14. l. 11. meth. ait mittendum sanguinem, si ventris absit cruditas. Et c. D
3. 5. l. 9. meth. itemq; c. 20. l. de venæsect. ait, si præcedat cibi cruditas, differendam esse venæsectionem, dum
cibus concoquatur. Quod si tamen sanguis vehementer vrgeat, etiam ante coctionem secanda vena. Materia accessionis magis vrget quam sanguis: vena enim secanda die mitiori, non circa exacerbationem: in
4. die accessionis materia morbifica magis potest ad prohibendum, quam sanguis ad indicandum; cum natura vim & materiæ, & venæsectionis perferre nequeat. Symptomatis vehementibus occurrendum ante venæsectionem, nisi per ipsam venæsectionem remoueri queant: vnde Auicennas ait, si vacuare vis, prius dolorem seda, nisi hic per venæsectionem cedat. Hinc etiam Galenus cap. 14. libro 1. ad Glauc. primum occurrit ori ventriculi, ante venæsectionem. Constitutum igitur sit, in putridis prima die venam esse secandam: nisi aliquid cogat differre; quod nil est aliud, quam succus crudus, materia accessionis, & symptoma vrgens, non cedens venæsectioni.

Num venæsectio eodem die, an diuersis repetenda.

Qua hora vena incidenda.

Quod si vero necessarium sit venæsectionem bis terue iterare: id in euacuatione eodem die faciendum; in reuulsione diuersis: in euacuatione enim respicimus ad vitium in quanto; in reuulsione ad vitium in motu: magis autem potest vitium in quanto. Hinc in angina, omnibusque affectibus inflammatoriis, item in febribus putridis sanguineis, eodem die venæsectio iteranda; in non sanguineis febribus diuersis diebus, prout videlicet regeneratur sanguis peccans substantia, vel quantitate. Postremo, quoad horam: dum insignis est vehementia sanguinis; vena qualibet hora secanda. Vnde Galenus c. 12 & 21. de venæsectio. in febre acutissima qualibet hora secuit. Quod si obstet, cibus, vel chyli excrementum crassum, vel symptomatis vehementia; tunc cibus prius est concoquendus: feces primum vacuandæ sunt clysmo: symptomatum denique vehementia fugienda: vnde in intermittentibus, hora venæsectionis procul ab accessione erit; in continuis proportionatis, hora erit remissionis; in continentibus, hora mitior. E

Quænam vena tundenda. c. 16. l. de venæ. sect.

Vbi. Secanda autem est basilica dextra in putridis, nisi sit febris melancholica, in qua basilica sinistra aperienda ca. 11. li. 1. ad Glauc. licet enim sanguis in toto affligat, ita vt per quamlibet venam euacuari posse videatur, quædam tamen partes præcipuum locum obtinent: nam in febribus sanguineis, sanguis fomentum habet a iecore; in pituitosa & biliosa febre, sanguis pendet a iecore. Hæ ergo venæ in putridis secandæ sunt nisi aliquid impediat, nimirum vel virtus vel pars affecta. Virtus quippe in febre diuturna, si non sit valde robusta; tutius est, secare venas remotas & exiles; vt saluatellam, quæ est inter annularem, & minimum digitum: vel eam quæ inter pollicem & indicem est. Nec huius venæsectio prorsus a Galeno improbatur: c. 14. l. de venæsectio. ibi enim respicit ad largam euacuationem, quæ per saluatellam fieri nequit. Quoad partem affectam; si, verbi gratia, febris putrida foueatur a sanguine menstruo retento; tunc vena pedis secanda, non brachii: Item, si caput sit affectum; humeraria externa aperienda, imo vena frontis. Et sic de reliquis. F G

De Cucurbitulis, cum scarificatione.

Cucurbitula, quid?

CVcurbitula scarificata est materia, per se sensibiliter, sed paullatim vacuans sanguinem, & ex accidente refrigerans. Et si vero paullatim vacuet; potest tamen totum corpus vacuare: vnde Galenus cap. 4. lib. 4. de

A de tuen.ſan.dicit,eam cum venæ ſectione idem valere:quod etiam affirmat cap.10.eiuſd libr.cap.11.lib.de venæ ſectio. & ca.5.lib.13.meth.differt igitur tantum a venæ ſectione,quod non confertim, ſed paullatim euacuet. Hinc venæ ſectioni ſcarificatio proxima eſſe dicitur,com.aphor.17.ſectio.2. & Auicennas vocat vicariam phlebotomiæ.Porro cucurbitula ſcarificata,vacuat vel Totum,ſi ſit numeroſa,mediocriter profunda,ſique ſæpius applicetur: vel Partem,ſi contra. Vt autem etiam craſſus effluat ſanguis,ſecundum Auicennæ præceptum, cap. de ventoſis, oportet balneare, & vnam horam morari. Quamobrem in praxi hoc obſeruandum, vt ſpongia madefacta in aqua dulci tepida locus foueatur, quo ſanguis attenuetur & fundatur. Addit Auicennas ſcarificationem venæ ſectioni anteponendam eſſe:& magis conferre ad mundificandam cutim:ſcarificatio enim primum e venis capillaribus vacuat, quæ deinde a proximis trahunt, B vt ab intimis etiam fiat euacuatio:at venæ ſectio niſi repetatur,cutem non mundat;vt tradit Galenus cap. penult.lib.4.de tuen.ſan. Hæc de facultatibus cucurbitulæ.

Facultates cucurbitulæ.

Cucurbitula ſcarificata,quatenus vicaria eſt venæ ſectionis,*indicatur a vitio vehementi ſanguinis*.Licet enim hoc vitium primum indicet vehemens remedium,& confertim vacuans: quia tamen virtus minus robuſta exſiſtens,non tolerat;quærenda eſt materia minori vehementia agens, & longiori tempore vacuans (*ita ſi propter vires,non licet vti medicamentis;verbi gratia,frigidis in eo gradu, quem indicat ventriculus calidus;tunc moderatis refrigerandus ventriculus,ſed longiori tempore,cap 8.lib.7.meth*) Quatenus autem: cucurbitula propria ratione vſurpatur,*indicatur a ſanguinis vitio non ita vehementi.*

Quid indicet cucurbitulam.

De vſu,ſeu recta adminiſtratione cucurbitularum. Quoad *quantum agendum:* Si ſanguis eſt actiuitatis vehementis,vtpote dum ſcarificatio eſt vicaria phlebotomię,licet ſanguinem peccantem vna vice educere:ſi contra,pluribus. *Modus* reſpicit reſiſtentiam,quæ pendet e copia & craſſitie.Ratione craſſitiei,partes C aqua tepida fouendæ,ratione copiæ,adminiſtrandæ ſunt cucurbitulæ magnæ,numeroſæ,ſæpius repetitæ;punctiones etiam erunt numeroſæ,& mediocriter profundæ. Sic enim ſanguis copioſus & craſſus vacuatur. *Quando*,indicatur dum præſens eſt indicans,nilque prohibet.Primum ergo ſecanda eſt vena,ſi vires permittunt: deinde in putridis febribus, perſeuerante ſanguinis vitio, dum vires non permittunt, vel ſanguinis peccatum minuitur, ſcarificatione vtendum. *Quoad vbi:* in febribus putridis cucurbitulæ ſcarificatæ non ſunt applicandæ dorſo: ratio, nam febris producitur a calore igneo cordis; huius autem domicilium eſt thorax;quem,vt partem affectam,inter initia turbare non licet. Hinc Galenus c.19.lib.de venæ ſectio.iubet partem affectam ante totius vacuationem non eſſe vacuandam:ideoque capite affecto, per crura mollienda eſt euacuatio. Pari conſil.cap.17.lib.11.meth. in inflammatione thoracis & pulmo-D nis,cum non expediat reprimere materiam morbificam, ſed foras trahere; non concedit Galenus vt cucurbitulæ thoraci applicentur,ante totius vacuationem; quia ſcilicet materiam e toto ad pulmonem trahunt,ſiue cum,ſiue ſine ſcarificatione adhibeantur. Cucurbitulæ igitur in putridis,cum Oribaſio,applicandæ ſunt partibus ignobilioribus. Vnde Auicennas cap.de ventoſis, ait,ſi cruribus applicentur cucurbitulæ ſcarificatæ,eas vicarias eſſe venæ ſectionis:at quoniam crurum imbecillitas, interdum non admittit ſcarificationem, Addit Auicennas,applicatas natibus,& caput,& totum corpus vacuare. Præterea vero Auicennas ait,ventoſas ſupra alchael,id eſt, inter duas ſpatulas poſitas,vicem gerere ſectionis baſilicæ: cum igitur in putridis baſilica ſit aperienda,quidam hac ducti auctoritate,male dorſo applicant cucurbitulas. Sciendum ergo locum hunc Auicennæ verum eſſe in morbis ſanguineis pectoris; in quibus cucurbitula ſanguinem vacuat deriuando, vt in pleuritide: non autem valere in morbis,in quibus per baſilicam totum corpus vacuatur. Hinc in febribus, cum non vigeat ſanguis in thorace; tutius eſt applicare cucur-E bitulas partibus remotis,nimirum cruribus,ſecundum Aetium cap. de ſcarificatione: cui ſententiæ accedens Gale.com.aphor.17.ſect.2.ſtatuit tibiarum ſcarificationem proximam eſſe venæ ſectioni:& ca.4.ac 10.lib.4 de tuen.ſan.iubet vel venam incidere,vel malleolos ſcarificare,non dorſum. Hæc de cucurbitula,vt eſt vicaria venæ ſectionis.

Vſus. Quantum. Quomodo. Quando. Vbi. Cap 1 fen. 4 lib 1 Error quorundam.

Quo vero ad *cucurbitulam ſcarificatam,quæ accipitur propria ratione*, non vt vicaria; hæc probatur dum ſanguinis vitium non eſt vehemens:& reſpicit euacuationem vel totius, vel certæ partis. Si primo modo;oportet ſcarificare partes infernas Si ſecundo modo,id eſt,ſi ſcarificatio adminiſtretur pro euacuatione partis;toto prius vacuato,cucurbitula variis partibus applicari poteſt, prout variant partes affectæ: verbi gratia, ſi exanthemata ſint in dorſo, dorſum ſcarificandum. At notandum,in muliere prægnante, F cucurbitulas,gratia euacuationis totius,nec partibus infernis,nec dorſo,ſed brachiis applicandas eſſe. Et hæc de cucurbitulis.

Vſus cucurbitulæ per ſe & primario requiſitæ.

De Hirudinibus.

H*Irudines ſunt materiæ, quæ pungendo aperiunt ora venarum;vnde per ſe ſenſibiliter, ſed paullatim ſanguinem vacuant,inſtar cucurbitulæ ſcarificatæ.* Differunt a venæ ſectione;quod totum vacuant, ſed longiori tempore;ſicut etiam apertio hæmorrhoidum:c.4.lib.4.de tuen ſan. Differunt a cucurbitulis, quod vacuant minori moleſtia. Interdum ergo cucurbitulis,interdum potius hirudinibus vtendum,cauſſa alicuius priuati,pertinentis ad ægrum:verbi gratia.Si vires non admittunt phlebotomiam,nec homo aſſuetus ſit ſanguinem per hæmorrhoides vacuare,vel ſi circa hæmorrhoides ſint vlcera; expedit potius crura ſcarificare. Contra, ſi ſuppreſſa ſit hæmorrhoidum vacuatio,cruraq; male affecta;hirudinibus potius v-G tendum. Vacuatur autem per hirudines is potiſſimum ſanguis,qui in illis exſiſtit venis,quibus hirudines applicantur:inde conſequitur vacuatio ſanguinis, contenti in reliquis venis,ſiue is ſit tenuis,ſiue craſſus. Quidam tamen craſſum ſanguinem egredi negant,cum hirudo exiguum faciat foramen.His reſpondeo, foramen illud a ſanguinis impetu dilatari poſſe:aut,ſi non amplietur,attamen, ſi locus ſpongia foueatur, vt Oribaſius iubet cap.16.lib.7. med.collect. craſſum ſanguinem attenuari,& per foramen exiguum egredi,dico:quod frequentiſſime experientia comprobaui.

Hirudines quid, earumque facultas. Quinam ſanguis per hirudines vacuetur.

Quoad vsum, hic idem est cum cucurbitulis: sufficit quædam proponere circa *vbi agendum*. In putridis ergo febribus; si hirudines applicantur gratia totius; tunc applicabuntur hæmorrhoidibus, cruribus, brachiis, & quidem brachiis potissimum in muliere prægnante: magis enim in his probantur hirudines quam cucurbitulæ scarificatæ, & sæpe experimur, citra abortum sanguinem fuisse euacuatum. Ratione partis si applicentur; vt variæ sunt partes repletæ, ita variis partibus applicandæ; verbi gratia, caussa capitis, applicabuntur post aures, item temporibus, naribus, quandoque etiam linguæ. A

Hæmorrhoidum apertio.

Ceterum *hæmorrhoides* variis materiebus aperiri possunt: vt frictione cum foliis ficus, cum pannis asperis, item scarificatione crurum, & sectione venarum crurum: cap. vlt. lib. de hirudin. Galeni. item. c. 10. & 19. li. de venæ sectione. Ratio est; dum enim hæmorrhoidum fluxus supprimitur, sanguis, qui deorsum fluere deberet, sursum mouetur: quod si igitur hirudinibus, sectioneque & scarificatione crurum deorsum moueatur; facile impetum recuperare potest. Verum differentia est inter hæc aperientia: nam hirudo est materia remedii specifici & determinati; trahit enim sanguinem deorsum, & determinate ad hæmorrhoidas: venæ sectio autem & crurum scarificatio, sunt materia remedii solum specifici, non determinati; trahuntur enim tantum deorsum. Vnde, si maior necessitas est aperiendi hæmorrhoidas, vtendum materia remedii & specifici & determinati. B

Per hæmorrhoides vacuatur sanguis & melancholicus, & biliosus.

Quæritur autem num per hæmorrhoidas saltem vacuetur sanguis melancholicus & crassus, an vero etiam biliosus & tenuis? Respondeo, vtrumque vacuari. Primum, probo de melancholico: nam Hippocrates aph. vlt. sect. 6. lib. 6. epid. dicit, hæmorrhoidas sanguifluas, prohibere incipientem atram bilem, & sanare durum lienem: & aphor. 11. sect. 6. ait, hæmorrhoidas superuenientes melancholicis, esse bonum, quia euacuetur sanguis crassus: quod etiam Galenus asserit com. aphor. 21. sect. 6. Secundo, biliosum etiam sanguinem apertis hæmorrhoidibus vacuari probo: nam per ora venarum quilibet sanguis egreditur, imo crassiore facilius prodit tenuior: vnde miror eos, qui hoc adeo manifestũ negant. Hac de caussa Hippocrates, text. 37. sect. 3. lib. 6. epid. ait, hæmorrhoidibus laborantes, non corripi morbo laterali, neque peripneumonia, neq; phagedænis, & aliis morbis, quorum quidam producuntur a sanguine bilioso. Per hæmorrhoidas ergo vacuatur sanguis non tantum in febribus melancholicis, sed etiam in biliosis. Hinc, dum sanguis biliosus impetum habet in caput, vt immineat delirium phreniticum; per hæmorrhoidas licebit sanguinem biliosum euacuare. Vt autem componatur pugna, quæ videtur esse inter propositas auctoritates, dicendum; sanguinem per hæmorrhoidas vacuari, vel naturaliter, vel non naturaliter: naturaliter quidem sanguis crassus, non tenuis, & proinde hæmorrhoides suppressæ aperiuntur, vt sanguis crassus vacuetur. Et sic intelligendus est Hippocrates aph. 11. & 21. sect. 6. præsertim cum Galenus apho. 11. sect. 6. dicat, venas hæmorrhoidales aptas esse *natura*, vt euacuent sanguinem crassum. Non naturalis autem vacuatio potest esse sanguinis cuiuslibet, id est, tenuis, & crassi: quo modo Galenus loquitur, apho. 37. sect. 3. lib. 6. epid. Et hæc de materia cheirurgica. C D

CAPVT XXIV.

De materia Medicinali: & primum, de Lenientibus per os, seu de Vomitoriis blandis.

Quid deinceps agendum.

MATERIA medicinalis est Vacuans, & Alterans. Cum autem in febribus putridis respiciendum sit, & ad Materiam morbificam, & ad Partes viuentes: primo nos loquemur de medicamentis, quę propter materiam morbificam vsurpantur: secundo de iis, quæ partem, ipsamque febrim respiciunt: infra cap. 20. Materiam morbificam igitur hic consideramus aliam a sanguine: nam sanguinem potissimum respicimus in doctrina de materia cheirurgica, quam iam absoluimus. E

Materia in primis viis indicat Leniens, per os, & aluũ.

Materia proinde morbifica, alia a sanguine, & per consequens excrementitia, est Prima, vel Secunda: prima hæret in primis viis citra iecur; secunda vltra hepar subsistit. Prima superfluitas caussa copiæ indicat vacuans, seu minuens, quod determinate vocatur *Leniens*. Cum autem prima superfluitas triplex sit (in febribus scilicet putridis, non in omnibus morbis:) scilicet pituitosa, biliosa, fecalis: hinc fit, vt leniens etiam triplex indicetur, respiciens nimirum superfluitatẽ, vel pituitosam, vel biliosam, vel fecalem: & hinc etiam triplex materia remedii, quæ vim habet vacuandi primas superfluitates. Ceterum hoc leniens duplex est: vacuat enim aut per Os, aut per Aluum. Ratio est: quia licet materiæ vitium (aph. 21. sect. 1.) pertineat ad corruptionem, auctionem, imminutionem, alterationem, & lationem; in præsentia tamen vitium perpenditur tantum secundum lationem: Primæ ergo superfluitatis latio, vel Non fit, vel Male fit. Si latio non fit, sed superfluitas detinetur, indicatur mouens; idque determinate mouens vel sursum ad os, quod dicitur *Vomitorium*, vel deorsum ad aluum, & dicitur *Leniens aluum*. Hæc autem remedia determinata indicantur a materiæ inclinatione: in genere enim materiæ quies, indicat mouens; sed inclinatio, indicat motum determinatum, ratione termini ad quem. Inclinatio autem seu propensio, num sursum sit, vel deorsum, cognoscitur e signis præteritis: verbi gratia, si suppressa sit consueta vacuatio per vomitum, cognoscitur inclinatio ad superiora. Et hæc inclinatio, est bona, vel mala: bona verbi gratia, si solitus est homo pituitam per vomitum facile euacuare; contra, mala, si cum difficultate, & prauis symptomatibus, vt cũ syncope &c. vnde inclinatio mala per superius, indicat vacuans per inferius; & bona per superius, indicat vacuans per superius. F

Inclinatio materiæ sine motu.

Inclinatio materiæ cũ motu.

Quod si primæ superfluitatis latio fiat, id est, si prima superfluitas moueatur, & quidem bene; motus hic adiuuandus: sin male, retrahendus. Bene mouetur, si fertur ad loca decentia, sed debiliter, ita vt materia tota non euacuetur. vnde hic motus non vt omnino bonus, sed vt imbecillis, indicat iuuantia. com. aph. 21. sect. 1. Male mouetur, si ad loca non decentia fertur materia, vt ad partes principes, ad loca quæ effluxu carent, verbi gratia ad cor, pulmones, thoracem. Est vero & alius motus omnibus numeris bonus; cum humor per loca vergit conferentia, vt vniuersa materia per optimam crisin vacuetur: com. aphor. 20. sect. 1. Sunt autem loca conferentia, dum vacuatio confert, & virtus sustinet, verbi gratia, G

intesti-

A intestina, ventriculus, vesica, vterus, cutis, pori, palatum, nares. Constitutum igitur sit, *leniens vomitorium indicari a materia, quatenus habet inclinationem ad superiora imminutam* (: ad differentiam lenientis per aluum; quod indicatur a prima superfluitate, quatenus inclinationem habet ad inferiora imminutam.) Vomitoriũ, a quo indicetur.

Ceterũ materia vomitoria licet in genere triplex sit, Vehemens, Debilis, Mediocris: hic tamen, quia verba saltem facimus de vomitorio leniente, non de vomitorio purgante; omissis vehementibus, saltem debilia & mediocria proponemus: quæ vtraq; in putridis probantur, pro materiæ copia, qualitate, & inclinatione ad os: nam materia copiosior, frigidior, crassior, viscidior, & inclinationem sine motu obtinens; vomitorium poscit mediocre; quæ contra, debile. Vomitorii differentię.

Debile vomitorium fit *ex aqua hordei, e iure Pulli, aceto, vel syrupo acetoso.* Si mediocre desideratur, Formulæ, seu quantũ.
B additur *oxymeli simplex, succus raphani.* Exempli gratia debile vomitorium hoc erit: ℞. *iuris pulli* ℥ *x. syr. acetosi simpl.* ℥ *ij. dosis ab* ℥ *viij. ad* ℥ *xij.* Mediocre sic præscribetur: ℞. *oxym. simpl.* ℥ *ij. succi raphani* ℥ *j* ß. *iuris pulli* ℥ *xiiij. pulueris cymini,* ℈ *v.* In hoc vomitorio, basis est *ius pulli*, quod copia aggrauat expultricẽ, vt expellat. Quoniam autem hoc vomitorium debet esse mediocre, ob superfluitatem viscidam & crassam: certe ius pulli sufficere nequit, quod vim detergendi & incidendi non habet: propterea adiuuans additur, nimirum *oxymeli*, quod attenuat ac detergit. Adiuuat etiam basin *succus raphani*, qui ratione alicuius acrimoniæ irritat sopitam expultricem. *Cyminum* & iuuantis & corrigentis habet rationem: iuuantis, quia attenuat, & quia etiam satis ingratum ac iniucundum est (*vomitoriis enim sunt addenda, quæ ingratum habẽt saporem: si enim iucunda addantur, expultrix non insurgit ad expellendum, sed potius viget attractrix, & retẽ-*
C *trix: vnde hoc in loco cinanomum, quia gratum est, non additur, licet attenuandi vim habeat*) corrigentis rationem potest habere, si verbi gratia ventriculus sit frigidior, qui ab oxymelite frigido lædi queat, huic frigiditati occurrimus cymino; quod etiam flatus, qui interdum vigent, discutit. Hęc quoad quantum agendum. *Modum agendi* quod attinet; oportet vomitorium administrari & liquidum, & tepidum: nam ratione tepiditatis euadit iniucundũ: vnde humoris inclinatio abolita excitatur, & imminuta intenditur. Quoad *quando agendum*: vtendũ vomitorio, dum superfluitas reperitur in vẽtriculo, & nihil prohibet. Quare interdum pluribus diebus vtẽdum vomitorio, si pluribus diebus perseueret præsentia materiæ. Hora opportuna est, qua ventriculus non est famelicus; nam tunc viget expultrix: præterea hora opportuna debet esse tepidior: nam expultrix ea hora citra dissolutionem calidi innati expellit. *Vbi agendum*, patet. Quom do. Quando.

De Lenientibus aluum.

D MAteria medicinalis aluum leniens, habet vim per inferiora vacuandi primas superfluitates vltra iecur existentes, citra attractionem:* eæ autem superfluitates pertinent ad ventriculum, ad mesaraicas, ad intestina tenuia & crassa. Porro, vt medicamentum aluum moueat, oportet esse humidum, lubricum, acre vel salsum: his enim qualitatibus venter ad excernendum irritatur, c. 45. l. 2. de fac. alim. & c. 24. l. 1. de fac. alim. Si autem medicamentum simplex tale non sit, quod has omnes qualitates obtineat; miscemus plura: vt pro humiditate, miscemus *aquam vel ius:* pro lubricitate, *oleum, butyrum:* pro acrimonia, *aromata, mel:* pro salsedine, *salem.* Leniens aluum quas habeat vires.

Differentia est inter lenientia: quod acriora, & magis salsa, sunt efficaciora: quibus vtendum, si materia est copiosa, frigida, crassa, viscida, si inclinationem sine motu obtinet. Hinc in febribus pituitosis & melancholicis fortiora locum habent; in sanguineis, & biliosis, mitiora. Applicationis etiam ratione dif-
E ferunt materiæ lenientes: pro varia enim materiæ subsistentia, administrantur vel per Os, si materia contineatur in ventriculo, in mesenterio, in intestinis supernis; vel per Inferiora, si in crassis intestinis. Differentiæ a viribus, & loco administrandi.

Medicamenta ergo per os exhibenda, quæ aluum leniunt, sunt aut Debiliora, vt *syrupus rosarum solutiuus, syrupus violarum solutiuus, manna, cassia, tamarindi, diaprunum non solutiuum, serum lactis:* aut Efficaciora, vt *mel rosatum solutiuum, mel violatum solutiuum, hiera simplex.* de quorũ nonnullis, breuiter quędam admonebimus: nimirum de manna, cassia, tamarindis, sero lactis, hieræque speciebus. *Mannam* Galenus proponit c. 39. l. 3. de fac. alim. habet autem vim vacuandi superfluitates tenues: sed ob dulcedinẽ mutatur in bilem, dum ventriculus vel est calidior, vel est repletus succis calidioribus: dulcia enim dum a calido patiuntur, amarescunt, & hinc in bilem conuertuntur. In huiusmodi ergo ventriculo manna est corrigenda *endiuia, soncho, cichorio, acetosa, &c. Cassia* excedit vires mannę: nam vacuat superfluitates & tenu- Materiæ aluũ leniẽtes. Manna. Cassia.
F es, & mediocriter etiam crassas. Præterea, quia moderate calida est, refrigerat, obtundit acrimoniam, humectat, habetque portiones alimentales, sed facile in flatus vertitur, qui extendendo dolores insignes excitant. Cassia ergo antequam exhibeatur est decoquenda, secundum Rhasim c. 83. l. 9. ad Almans. coctione enim dissoluitur portio, quę in flatus mutari posset: quod idem euenit in hordeo, fabis, &c. quę portionem flatulentam deponunt, si coquantur: coquit autem Rhasis cassiam *cum succo cichorii.* Quod si cassia exhibeatur non cocta, corrigenda est *aniso, feniculo, seminibus citri, &c.* quæ crasso modo sunt contundenda (*nam ea tantum tenuissime puluerisari debent, quæ ad loca longinqua debent penetrare, c. 7. li. 4. de tuen. san. alia vero ruditer sunt contundenda. Hinc species diaspolitici, nitrum, cyminum, piper, ruta, si in puluerem terantur, pronocabunt lotium; sin ruditer contundantur, monebunt aluum. Idem testatur Auicennas c. 5. tract. 1. l. 2.*) *Tamarindi*, secundum Mesuem, vacuant superfluitates tenues, biliosas, & refrigerant: vnde in febribus Tamarindi.
G biliosis, & valde calidis probantur. Neque astringunt tamarindi: alias eorum vsus in putridis febribus non esset ita tutus. Aluum mouent, non astringendo, vel comprimendo, sed lubricando: quia pingues sunt, participes dulcedinis & aciditatis: expertes acerbitatis & austeritatis, qui sapores sunt astringentes. Hinc Mesues myrobalanos, quæ comprimendo vacuant, corrigit lenientibus, inter quæ etiam tamarindos recenset. *Serum lactis* habet vim attenuandi, & aluum mouendi. Vacuat, ratione humiditatis, quæ caussa principalis est; & quia etiam particeps est qualitatis acris; id quod seri generatio testatur. Est enim serum Serũ lactis.

excrementum tenue primæ coctionis;genitum in ventriculo;ex assumtorũ portione aquosa,excremen- A
titia,frigida & humida:acrimoniam vero acquirit in iecinore,propter amistionem paucæ bilis excremẽ-
titiæ.Hoc serosum excrementum defert sanguinem in mammas:vbi lac fit,constans triplici substantia,c.
15.l.3.de fac.alim.Vix autem alit serum,quia pene totum est excrementitium:vnde Galenus,cap.10.l. 1.ad
Glauc.pro victu tenui,serum lactis proponit.Laudatur serum caprinum,vel vaccinum, permistum cum
medicamento aliquo leniente.

Hiera picra. *Hiera* non excedit mesenterium c.11.l.7.meth habet tamen vim calefaciẽdi,siccandi, vacuandi ma-
terias viscidas & crassas.Vis quidem hieræ purgans,non pertransit iecur,vt Gal.ait: attamen experientia
comprobatum est,vim eius aperientem iecur transire;hieræ enim species,prouocant menstrua.Hiera igi-
tur probatur solum in intermittentibus pituitosis:& est corrigẽda cum frigidis,vt *cassia*,& similibus. Cæ-
terum in praxi notandum,quod tamen pauci obseruant,hieram ab initio ea ratione exhibendam,vt non B
transeat vltra iecur:quia non licet inter initia, agitare materias vltra iecur; maxime in febribus putridis:
vnde pharmacopœis iniungendũ,vt species hieræ conficiant cũ medicamẽtis ruditer contusis,nõ tenuis-
sime puluerisatis,inter putridarum initia.

Dosis lenientium :supra c.8.l.1. pract. Sequitur de *Vsu* lenientium:& primum de *Quantum agendum.* Dosis syrupi rosati sol. & syr. viol.
sol.potest ascendere ad ℔ß. Mellis autem rosacei sol.ad ℥v.mellis viol.sol.ad ℥vß.mannæ ad ℥iiij.cassiæ,ta-
marindorum,diapruni non sol.ad ℥ij.seri ad ℔v.vnde Gal.c.15.l.3.de alim.ait, veteres ad aluum vacuan-
dam,plurimo vsos fuisse sero:secus autem statuendum de sero,quod gratia alterationis exhibetur,de quo
suo loco.Dosis hieræ specierum,non transcendat ʒj ß.in febribus putridis,in quibus, cum sola hiera vti
non liceat,non potest ita copiosa exhiberi:in aliis tamen morbis etiam vltra ʒiij.dari potest; vnde Aetius
c.68.l.16.in vteri strangulatu,ad integram alui ductionem spec.hieræ ℥ß.exhibet.Tandem circa lenientiũ C

Formulæ. Materia tenuis,calida. dosin obseruetur,vt in lenientibus simus liberaliores,in purgantibus admodum auari.Exigente igitur re,
sequentia præscribi possunt.Si prima superfluitas sit summæ actiuitatis,itemque tenuis,& biliosa: *℞.syr.*
ros.sol.℥v.decocti endiuiæ,vel acetosæ parum:fiat potio breuis. Vel hoc modo:*℞.syr.ros.sol.℥iij.seri lactis capri-*
*ni,optime depurati parum:fiat potio breuis:*cui patiens superbibat,*seri optime depurati ℔iij.*& hæc caussa est,
quod syr.ros.sol.tantum ℥iij.præscripsimus Vel:*℞.mannæ elect.℥iij.seri vt supra præparati parum,fiat potio*
breuis: Vel:*℞.florum cassiæ nouiter extractæ ℥vij pulpæ tamarindorum ℥ß mannæ electæ ℥ij.& si contingat,vt*

Materia tenuis, aquosa. *patiens sit obnoxius flatibus,addatur seminum citri mundatorum ℈ß.Misc.& cum saccharo fiant boli.* Si pri-
ma superfluitas sit quidem tenuis,sed non calida & biliosa,verum aquosa:& præsertim si vẽtriculus febri-
citantis fuerit frigidior;ita præscribendum:*℞.syr.ros.sol.℥v.iuris pulli parum:fiat potio breuis.*

Materia crassa, calida. Si prima su-
perfluitas sit calida,non tenuis:*℞.mellis ros.sol ℥vß.*(non vtimur syr.ros.sol.quia superfluitas est crassa,i.nõ D
tenuis)*deinde,cum materia sit calida,addimus vel endiuiæ,vel seri parum,fiat potio breuis.* Vel:*℞ florum cas-*
siæ nouiter extractæ ℥x.pulpæ tamarindorũ,mannæ electæ ana ℥ij.cum saccharo fiant boli.

Materia crassa, frigida. Si superfluitas crassa
sit & frigida:*℞.mellis ros.sol.℥vß.iuris pulli parũ,fiat potio breuis.* Vel:*℞ flor.cassiæ nouiter extractæ ℥ß.man-*
næ electæ ℥ij.anisorum ruditer contusorum ℈j.cum saccharo fiãt boli.

Materia crassior & pituitosa. Si superfluitates sint crassiores, quales in
febribus pituitosis dominari solent: *℞.specierum hieræ ℈iij.florum cassiæ nouiter extractæ ℥j.mannæ electæ*
℥ß.cum saccharo fiant boli. Vel ad eandem materiam:*℞.specierum hieræ ʒj.*(est basis)*cassiæ nouiter extractæ*
℥iij.(quæ corrigit,refrigeratione;& iuuat lubricitate)*Mis.cum saccharo fiant boli.* Quibus febricitans su-
perbibat hoc medicamentum:*℞.mellis ros.sol ℥iijß.iuris pulli parum.Mis.& fiat potio breuis.* Mel basis est:
ius adiuuans,& vehiculum.Ob hanc potionem de pondere hieræ & cassiæ aliquid in bolis detraximus.

Quomodo. *Modum agendi*,indicat superfluitatis resistentia,nisi aliquid prohibeat. Si ergo materia fuerit cras- E
sior,& maioris resistentiæ;prodest leniente vti forma boli,qui diutius in ventriculo moratur, & efficacius
agit:si contra,forma potionis. Additum est,nisi aliquid prohibeat: verbi gratia,si febricitans non potest
bolum deuorare,cogimur potionem dare.De hiera notandum,quod boli forma sit exhibenda,ne nimiũ
iniucunda sit assumtio,propter amaritudinem.

Quando. *Tempus agendi*,indicat superfluitas præsens citra hepar,& præsertim supra crassa intestina; nisi ali-
quid prohibeat.Lenientia igitur & primis diebus danda febricitantibus;& sequentibus,si procedente fe-
bre aliæ superfluitates primæ generentur. Quod prohibet, præter virtutem, est cibus in ventriculo exsi-
stens,qui prius est concoquẽdus. Prohibet etiam materia actu efficere caussans paroxysmũ: vnde leniens
nõ est exhibendum in die accessionis,vel prope accessionẽ.Ad hæc prohibet insignis vehemẽtia,tum san-
guinis,tum cacochymiæ:dum enim insignis est vehementia sanguinis,leniens non est exhibendum,sedi- F
lico vena secanda,præmisso tantũ clystere:si autem cacochymia turgeat,& proinde sit insignis vehemen-
tiæ,non est leniens dandum,sed statim purgans.Et hæc de medicamentis per os exhibendis,cum materia
in primis viis subsistit supra crassa intestina.

Lenientia per inferiora administranda. Quod si materia sit in crassis intestinis,nimirum superfluitas fecalis: medicamẽta per inferiora sunt
administranda:& vel liquida immittenda sunt instrumento aliquo,vt Clysteres:vel solida imponenda, vt

Clyster, eiusque facultates. Suppositoria.*Clysteres* sunt vehementiores suppositoriis,& virtutem postulant robustiorem. Vacuãt pri-
mas superfluitates, citra nocumentum ventriculi; ad differentiam lenientium, quæ per os exhibentur.
Exonerant autem intestina crassa,& his vacuatis,materia tenuium intestinorum descendit. Non probã-

Materiæ clysmi. tur hic vehementes,sed mediocres,& debiles:quia sermo est de materia non purgante,sed leniente.Debi-
les conficiuntur *e malua,violis,beta,hordeo,quæ possunt decoqui in aqua,vel iure:probatur etiam succus betæ,* G
oleum commune,butyrum,serum.saccharum rubrum,oui vitellus. Mediocribus clysmis præbent materiam,
furfures,linozostis,huius succus,mel rosatum,electarium lenitiuum,hiera,oleum chamæmelinum,sal. Dosis vl-
tra puerilem ætatem potest ascendere ad ℔ ij. Debilis ergo clysmi hæc erit formula: *℞.sacchari rubri ℥ijß.*

Formulæ. *olei communis ℥iij.succi betæ ℥j.oui vitellum,salis communis ℈ß.decocti hordei,maluarum,violarum ℔j.* Cly-
ster

A ster mediocris: *℞. mellis rosati ℥ iij. electarii lenit. ℥ j. succi betæ ℥ ij. olei chamæmelin. ℥ iij. oui vitellum, salis ʒ j. decocti furfurum* ℔ j. *Misc. pro clysmo.* Et hæc de quantitate. *Modus administrandi*, non pertinet ad instrumentum e ligno, vel alia materia, sed ad medicamenta, quæ magis, vel minus calida iniiciuntur; item, magis vel minus fluida vsurpantur. Si enim materia fuerit frigidior, & viscidior; medicamenta etiam magis minusve calida & fluida erunt. Notandum tamen, vt sint calida moderate, quo detineri queant. Quoad *quando agendum*: vti oportet clysmis, dum intestina sunt repleta: nisi prohibeat, vel cibus iam assumtus, vel accessionis materia: hora ergo paroxysmi non est iniiciendus clyster; quia virtus non potest sustinere molestiam & accessionis, & clysteris. Notandum tamen, si forte contingat, vt tempore accessionis materia petat os ventriculi; nos cogi etiam in accessione clysteribus vti, quia materia illa magis potest: sed pro-
B pter virtutem patientes e lecto non surgent, quia in syncopen inciderent. Hora sit ante cibum.

Quomodo.

Quando.

Suppositoria etiam lenitionis gratia fiant e melle & sale. *Vsus* patet, e traditis de clysteribus. Notandum tamen circa *quando agendum*, vsurpanda esse suppositoria etiam post clysteres, dum e clysmo non fit lenitio.

Glandes.

CAPVT XXV.

De Præparantibus, seu concoquentibus.

HActenus dictum est de medicamentis, quæ respiciunt materiam citra hepar exsistentem: iam dicendum de medicamentis, quæ respiciunt materiam vltra hepar. Et hæc medicamenta sunt Præparantia, ac Purgantia. *Præparantia, seu concoquentia* diriguntur ad materiam febris putridæ, quæ cruda commode non vacuatur; contra, concocta cedit pharmaco. De *Coctione* igitur, & *Cruditate* quædam dicenda
C sunt. Mistum animatum (vt Aristoteles docet libro quarto meteor.) & generatur & conseruatur: generatur generatione; conseruatur coctione. Conseruatio autem duplex: vna secundum speciem, quæ fit ea coctione, quam Aristoteles Maturitatem vocat, & huius opus est semen, cuius virtute fit generatio alterius similis: altera conseruatio est secundum indiuiduum, quæ fit per Coctionem, vnicam quidem ratione finis, id est, conseruationis indiuidui; at duplicem ratione efficientis; nam, vt fit a calore naturali insito, dicitur Elixatio; vt fit a calore naturali ascititio, vocatur Assatio. Coctioni autem opponitur cruditas: cuius item tres sunt species, Immaturitas, Leuis coctio, Frixio, seu tostio. *Coctio* igitur non artificiosa (de qua Aristoteles agit, gratia facilioris doctrinæ) sed *quæ fit in animali, nil aliud est, quam perfectio misti perfectibilis, profecta a calore naturali & proprio coquentis, caussa suæ conseruationis. Forma* igitur coctio-
D nis est perfectio, id est, deductio e potentia ad actum, ex imperfecto ad perfectum. Licet autem mistum mutetur secundum substantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi: hæc tamen perfectio coctionis pertinet ad substantiam & qualitatem; vt concoctio sit motus mistus e mutatione in substantia, & motu in qualitate. In coctione enim est mutatio secundum substantiam; quia cibus mutatur in substantiam partis vel sanguineæ, vel seminalis. Est etiam motus secundum qualitatem; nam mutationem in substantia præcedit alteratio; vnde Galenus commen. 4. lib. 4. de ratione vict. ait, quæ coquuntur euadere crassiora. Et Galenus capite quarto, libro secundo, de facul. natural. coctionem quæ ad substantiam & qualitatem pertinet, distinguit a chylosi & hæmatosi: ait enim coctionem esse alterationem & mutationem alimenti in propriam qualitatem corporis nutriendi: sanguificationem autem tantum esse alterationem, non perfectam coctionem. Respexit autem Galenus capite quarto, libro secundo, de facul. natural. & aphorism. 44. sectione secunda, libro primo, epidem. ad coctionem specificam: videlicet caussa conseruationis indi-
E uidui, non speciei. *Subiectum* seu mobile, quod afficitur motu & mutatione, est mistum perfectibile, non perfectum, capax tamen perfectionis: si enim non est capax perfectionis, non coquitur; vt in homine ferrum. Hoc mistum Aristoteles vocat oppositum passiuum, id est, aptum admittere motum & mutationem. *Caussa efficiens* est calor naturalis, ad differentiam caloris præter naturam, qui caussa est cruditatis & corruptionis; qui etiam calor proprius est partis concoquentis, id est, temperiem eius complet, ad differentiam non proprii, cuiusmodi est calor balnei, qui etiam ad coctionem concurrit, tanquam adiuuans extrinsecum: proprius tamen calor est caussa præcipua, ideoque in definitione ponitur. Hinc etiam Galenus capite quarto, libro secundo, de natural. facul. ait, coctionem fieri a calore innato, & iuuari a materia mediocriter calida, cuiusmodi est balneum. *Finis* est conseruatio concoquentis, & secundum speciem, & secundum indiuiduum. Ex hic facile colligitur, quod *cruditas sit imperfectio misti perfectibilis, a ca-
F lore proprio diminuto coquentis. Forma* cruditatis est mistio secundum qualitatem & substantiam: mistum enim hoc non est aptum ad conseruationem, vel speciei, vel indiuidui; ita vt perseuerante cruditate, concoquens deducatur ad infœcunditatem, & dissipetur. *Subiectum* est mistum perfectibile, seu oppositum patibile: quod in genere & coctioni & cruditati subiicitur. *Efficiens caussa* est calor proprius diminutus, id est, calor proprius coquentis, qui tamen a naturali recedit, ac fit præter naturam, ratione defectus; vt in senectute, & frigidis corporibus. *Fine* ac bono caret cruditas; tendit enim ad malum.

Transitio.

Præparātia.

De coctione & cruditate.

Coctio quid?

Cruditas quid?

Porro concoctio, vel recipit Speciem, & dicitur Maturatio: vel Indiuiduũ, & retinet nomen generis, diciturq; Concoctio, quæ fit per modũ Elixationis, vel Assationis. Vnde colligitur quod *maturitas sit concoctio misti seminalis, caussa conseruationis coquentis, secundũ speciem.* Forma est concoctio, id est, perfectio
G in qualitate substantia, prodiens a calore naturali & proprio. Subiectũ, est mistũ perfectibile quidē, sed seminale; ad differentiam alimentalis, quod est subiectum in elixatione & assatione. Quoniam ergo mistum in maturatione mutatur secundũ qualitatem & substãtiam, vt euadat semen perfectum, quo cõcoquens secundum speciem conseruatur: patet maturitatem non tantum in fructibus locum habere (vt quidam philosophastri imaginantur) sed etiam in animalibus, quę in testibus semen conficiunt. Vnde Aristoteles

Coctionis species.

1. Maturitas quid?

exempli ſaltem gratia maturitatem applicat fructibus, facilioris doctrinæ cauſſa:& ſubdit, in ceteris etiam A rebus, ſcilicet animatis, ſimile perfectionis genus comprehendi. *Elixatio & aſſatio, ſunt concoctio miſti alimentalis, propter conſeruationem indiuidui:* vnde Galenus ad has duas coctionis ſpecies reſpiciens, aph.44. ſect.2.l.1.epid.ait, concoctionem eſſe deductionem coctibilis, id eſt, miſti alimentalis in ſubſtantiam coquentis. Hæc autem concoctio fit per modum Elixationis, vel Aſſationis. Elixatio differt ab aſſatione ſolum per cauſſam efficientem. Nam *elixatio eſt concoctio miſti alimentalis, a calido humido:* & ſimilis eſt elixationi artificiali, cuius ſubiectum eſt ſubſtantia humida: qu... *Aſſatio eſt concoctio miſti alimentalis, prodiēs a calore, tum ſicco, tum alieno:* & ſic diſtinguitur ab elixatione, quæ fit a calore humido, & natiuo. Quæritur autem cum aſſatio ſit concoctio: quomodo fiat a calore alieno? Reſpondendum, aſſationem neceſſario fieri a calore naturali ad differentiam caloris præter naturam: at hic calor naturalis & proprius corporis cōcoquentis, vel natiuus eſt & inſitus, vel aſſcititius: com.aph.22.ſect.1. natiuus quidem viget in primis ætatibus, quæ participes ſunt humiditatis; vnde calor iſte naturalis eſt cauſſa elixationis: aſſcititius autem viget ætate progrediente, cum humiditas minuitur, & qualitas caloris intenditur; vnde hic calor naturalis, ſed aſſcititius cauſſa eſt aſſationis; & a Philoſopho propter exiguam humiditatem vocatur ſiccus; quia vero aſſcititius eſt, vocatur alienus. Sciendum autem in calore & natiuo & aſſcititio vim eſſe abſumēdi, vt propterea omnia quæ coquuntur fiant craſſiora. At in elixatione partes internæ ſunt ſicciores externis: contra in aſſatione, externæ ſunt ſicciores internis, quia in aſſatione meatus contrahuntur, vt humor inſitus effluere prohibeatur. Hinc etiam ſpecies cruditatis facile cognoſcuntur. Nam *immaturitas eſt cruditas materiæ ſeminalis, prodiens a calore imminuto:* ſiue (vt Philoſophus ait) calor propria ratione exiguus ſit, ſiue humor maturandus exſuperet. *Leuis coctio, elixationi oppoſita, eſt cruditas materiæ alimentalis, prodiens a calore natiuo diminuto, propter frigiditatem & humiditatem.* Vnde notandum, ſi hæc frigiditas & humiditas pertineat ad elixans, fieri leuem coctionem læſa facultate; vt dum ventriculus eſt affectus morbo frigido & humido: ſin vero pertineat ad id quod elixatur, fit hæc cruditas ob errorem externum; verbi gratia, dum cibi frigidiores & humidiores copioſi ingeruntur. *Frixio denique ſeu toſtio, quæ opponitur aſſationi, eſt cruditas materiæ alimentalis, prodiens a calore aſſcititio diminuto, qui non poteſt æqualiter alimentum conficere.* Imminuitur autem vel propria ratione, vel ratione alimenti humidioris: vt apparet in frixione arte facta. Toſtio igitur fit, aut propter exterioris ignis tenuitatem; aut propter aquæ vim, qua res aſſanda abundat.

Concoctio ſpecialis, contra maturitatem diſtincta, quid? 2. Elixatio quid? 3. Aſſatio quid? Cruditatis ſpecies. 1. Immaturitas. 2. Leuis coctio. 3. Frictio.

Ex his ergo nunc ſtatuendum, ad quam ſpeciem pertineat *coctio humoris morbifici.* Sciendum ergo, quod ad nullam e propoſitis ſpeciebus redigi poſſit: materia enim morbifica concoquitur, nec generationis, nec nutritionis gratia, ſed vt purgetur: non eſt igitur legitima coctio, ſed cōcoctio metaphorica, qualis eſt in tuberculis, pituita, &c. Hanc tamen metaphoricam coctionem Philoſophus ob ſimilitudinē mauult ad maturitatem referre, quam ad elixationem, vel aſſationem. Sicut enim in maturitate, id eſt, in coctione materiæ ſeminalis, minor portio mutatur in ſubſtantiam vel teſtium, vel vaſorū ſeminalium; maior vero in ſemen perfectum, quo ſpecies conſeruetur: ita in coctione materiæ morbificæ, minor portio vertitur in alimentum, & ſubſtantiam partis; maior in excrementum purgandum, ſed tamen mitius. Cōtra in elixatione & aſſatione, id eſt, in coctione materiæ alimentalis, maior portio vertitur in alimentum. *Maturitas igitur metaphorice accepta, eſt concoctio innati humoris materiæ morbificæ, prodiens a calore naturali; vt cedat pharmaco attrahenti, & naturæ expellenti. Forma,* eſt perfectio & concoctio: quæ poteſt tum ad ſubſtantiam & qualitatem, tum ad qualitatem tantum pertinere. Ad ſubſtantiam & qualitatē, cauſſa portionis alimentalis, quæ euadit alimentum coquentis. Ad qualitatem tantum, cauſſa portionis excrementitiæ: quamuis enim mitior materia excrementitia; tamen remanet adhuc materia excrementitia, vt ſit purganda. *Subiectum* huius concoctionis eſt innatus humor materiæ morbificæ, id eſt, portio alimentalis: materia enim morbifica in corpore viuente, vix expers eſſe poteſt portionis alimentalis. Vnde Galenus aph.44. ſectione ſecunda, libro primo, epid. ait, maturitatem eſſe concoctionem eorum, quę ſunt præter naturam: & addit differentiam coctionis materiæ præter naturam, & ſecundum naturam: ſi enim materia ſit ſecundum naturam, maxima pars concoquitur, & minima eſt ſemicocta: contra ſi materia ſit præter naturam, quod aſſimilatur exiguum eſt, plurimum autem ſemicoctum. Ariſtoteles igitur reſpiciens ad vtramque portionem, ait, in maturatione materiæ morbificæ, partem concoquentem alia ad ſe trahere, nimirum partem alimentalem; alia expellere, nimirum partem excrementitiam: quod etiam de excretione poſt coctionem ſcribit Gal.com.aph.22.ſect.1. *Cauſſa efficiens* maturationis materiæ morbificæ, eſt calor naturalis. Sic Galenus ait, c.4.l.2.de fac.nat. concoctionem & alterationem alimenti, & excrementi, fieri a calore innato: & t.22.l.2.de ratione vict. ait, coctionem materiæ morbificæ, fieri a calore non ſicco, ſed humido & vaporoſo, qui in animalibus iuuetur a materia mediocriter calida, id eſt, a balneo, &c. calor enim vt moderatus, adiuuātur a ſimili.

De coctione materiæ morbificæ. Maturatio humoris morbifici quid?

Notandum autem varia eſſe, quæ coctionem materiæ morbificæ iuuant: nimirum calidiora, frigidiora, incraſſantia, attenuantia. Materia enim morbifica conſideratur, vel quatenus cōcoquitur, vel quatenus eſt concocta. Primo modo conſiderata, vt concoquitur, permiſtam habet portionem alimentalem: & hæc materia, vt cruda, requirit moderate calida, quo craſſior euadat: quatenus autem impedimenta habet, coctionem prohibentia, alia eaque varia requirit medicamenta. Impedimenta illa pertinent ad qualitates primas vel ſecundas. Ad primas, materię caliditas, aut frigiditas: vnde refrigerantia, vel calefacientia G miſcenda. Hac ratione pituitam Gal. concoqui dicit a calore febrili, com.aph.57.ſect.4. Ad ſecundas qualitates pertinet materię craſſities & tenuitas: vnde modo incraſſantia, modo attenuantia miſcenda (omnis quidem coctio fit incraſſando: ſed ratione impedimentorum, interdum oportet craſſefacere, interdum ſubtiliare.) Altero autem modo conſiderata materia morbifica, prout concocta eſt, & ſeparata per maturitatem

Concoquētium facultas. Materia concocta non eſt incraſſanda.

A ritatem a portione alimentali:hæc materia nequaquam est incrassanda. Vnde Galenus t. 23. libro tertio, prognostic. ait, corporis humores tenuiores paratissimos esse ad excretionem:& commen. aphorism. 24. section. prima, inquit, humorem purgandum fluxioni paratum, id est, tenuem esse debere. Hac distinctione, loca Galeni in specie pugnantia, vere conciliari possunt. Et hæc de coctione materiæ morbificæ.

Materię coquentes.

De materiis medicinalibus, quæ materias morbificas concoquunt, in doctrina speciali dicendum. Duo tamen sunt maxime communia medicamenta, quibus in omni fere putrida febri vti licet: nimirum *syrupus acetosus simplex, & oxymeli simplex.* Syrupus conficitur *ex aqua, saccharo & aceto:* habetque vim refrigerandi, detergendi, incidendi, attenuandi. Dum refrigerat; remittit calorem putredinalem, & infringit feruorem excrementi calidi. Incidendo, pituitam viscidam, friabilem reddit. Detergendo, pituitam

Syrupus acetosus simplex.

B viscidam remouet a parietibus vasorum. Attenuando, præparat pituitam & melancholiam crassam. Siccitate non nocet, quia ex aqua conficitur: imo siccitate prodest, quia imminuit materiæ humiditatem, quæ in caussa est facilioris putredinis: vbi tamen siccitatis timor est, hic syrupus exhibetur cum diluto humectante. Frigore etiam suo non nocet pituitæ frigidæ: syrupi enim huius frigiditas remissa est; & præterea calidiora in formulis misceri possunt. *Oxymeli compositum est, ex aqua, aceto, & melle.* Strenue detergit, nec febres accendit, cap. 4. lib. 8. method. Quod si febris vehementior sit, expedit diluere: vnde secundum Galenum t. 30. lib. 3. de ratione vict. oxymeli parum aceti habens sitim sedat, mellisque noxam inhibet. Hæc duo medicamenta in eo conueniunt, quod vigilias faciant: vnde in putridis febribus, si vigiliæ sunt pertinaces, his vel non vtendum, vel in exigua copia, admistis aliis. Præterea etiam conueniunt, quod ratione aceti lædunt intestina dysenteriæ obnoxia, t. 32. libro tertio, de ratione vict. Differunt au-

Oxymeli.

C tem ratione mellis, quod saccharo calidius est: vnde in febribus vehementioribus potius syrupo acetoso, quam oxymelite vtendum. *Ius pulli*, calorem habet admodum similem calori naturali: vnde in putridis febribus syrupi diluendi sunt iure pulli; quia hoc materiam morbificam attemperat, caloremque naturalem iuuat. Possunt etiam alii liquores cum syrupis misceri, parati e coquentibus, per Destillationem, Decoctionem & Infusionem. Destillatio fit in vase plumbeo, figlino, vel vitreo: beneficio vel solius ignis, vel ignis cum aqua. Decoctio fit vel simpliciter, vel in vase duplici. Infusio, est leuis, vel insignis. Destillatio in vase plumbeo non probatur; abraditur enim portio plumbea, quæ nocet: probatur in vase figlino, & potissimum in vitreo, maxime in balneo Mariæ. Decoctio institui debet a perito pharmacopœo, vt quæ citius coquuntur, tardius iniiciantur:& magis probatur in vase duplici, ore vasis occluso. Infusio maxime omnium probatur: vnde Mesue, capite de myrobalan. ait, medicamenta magis fieri aperientia per in-

Quibus diluendi syrupi.

D fusionem, quam per decoctionem. Insignis autem est infusio, si simplicia infundantur in diluto actu calido; & dilutum, quantum fieri potest, calidum seruetur: secus enim leuis est infusio, & potius madefactio.

Quantum.

De *Vsu.* Syruporum dosis est ab ℥iii. ad ℥vi. Vt, *℞. syr. acetosi simpl. ℥ii. iuris pulli ℥iiii. Misc. pro syrupo.* Sciendum autem dosin variari, pro actiuitate materiæ morbificæ. Actiuitas autem maior est, primum in maiori copia materiæ: deinde etiam maior est actiuitas, in materia excrementitia, separata a materia alimentali (ad differentiam materiæ morbificæ: permistæ cum materia alimentali) & hæc proinde statim præparanda & euacuanda est; alias peior redditur: qua de caussa recidiuæ etiam peiores solent esse, morbo priore. *Modus* syruporum, pertinet ad qualitates primas & secundas. Ad primas: verbi gratia, bilis, vt resistit ratione caliditatis; indicat syrupum actu frigidum exhibendum: pituita contra. Perpetuo tamen re-

Quomodo.

E quiruntur etiam permittentia: vt, ventriculus interdum prohibet actu frigida. Quoad secūdas qualitates; exhibemus syrupos magis vel minus liquidos: item medicamenta exhibentur forma pulueris, trochiscorum, electarii; scilicet materia præparanda est insignis resistentiæ, vt contingit in febribus diuturnis pituitosis. Notandum autem cum syrupi exhibentur, vel cum diluto, vel sine diluto; item dulces, aut alterius saporis; hoc non pertinere ad methodum medendi, sed ad compositionem medicamentorum: diluta enim miscentur, vt sint vehicula syruporum: sic ius pulli vehit syrupum acetosum: dulcia autem miscētur, propter syrupi iniucundum saporem. Quoad *Quando agendum:* Exhibendi sunt syrupi, dum præsens est materia concoquenda, & præparāda: nisi aliquid prohibeat. Primū ergo exhibendi sunt caussa materiæ morbificæ, mistæ cū alimentali. Deinde exhibendi sunt caussa materiæ morbificæ separatæ ab alimentali. Porro prohibens, est prima superfluitas; plenitudo totius; portio materiæ excrementitiæ separatæ ab alimen-

Quando.

F tali; & quandoque virtus imbecillis. Dum enim prima superfluitas est præsens; timendum, ne per syrupos vltra hepar deferatur, vnde obstructiones augerentur: quare primo lenienda aluus, dein syrupi exhibēdi. In plenitudine totius, primum sanguis est euacuandus, ne a syrupis agitetur; neve ab his, si calidi sint, putredo oriatur. Portio materiæ excrementitiæ separata ab alimentali, magis potest ad indicandum purgās; quam materia morbifica mista cum alimentali possit, ad indicandum cōcoctionem: quare in febribus putridis, in quibus per vices est cōcoquenda materia; vna die oportet intermittere syrupos, & exhibere purgans, cuius beneficio portio excrementitia secreta ab alimētali euacuetur. Virtus denique nimiū debilis, interdum cogit medicum, vt cibum exhibeat singulis quatuor horis; vt non possint dari syrupi: vbi tamen medicus prudēs, iura alterata præbet quibus & nutrit, & simul cōcoquit. Hora, omnis esse potest, qua præsens est materia coquenda: nisi quid prohibeat; nimirum cibus, materia accessionis, aut virtus. Cibū enim

G assumtum prius concoqui oportet: deinde exhibendus est syrupus: vnde Gal. t. 35. l. 3 de ratione vict. syrupos exhibebat ante cibum. In accessionum principio, syrupi nō sunt dandi, sed ante accessionē: vnde Hip. t. 40. l. 3. de ratione vict. nolebat aquam esse exhibendam dum pedes frigent, id est, in principio accessionis, quia virtus nimis defatigatur a materia accessionis. Virtus prohibet, dum est debilis, verbi gratia, propter vigilias; vt non liceat febricitantem excitare a somno, propter materiæ concoctionem.

Capvt XXVI. A

De medicamentis Purgantibus.

Purgans quid.

HActenus de medicamentis præparantibus: sequitur de purgantibus. *Medicamentum purgans est illud, quod potest euacuare materiam separatam ab alimentali: seu purgans est materia remedii, indicati a cacochymia*, c.11.l.de plenitud. Breuiter ergo dicendum de cacochymiæ speciebus, vehementia, & latione, seu inclinatione. Species cacochymiæ tres sunt, Pituitosa, Biliosa, & Melancholica: vnde indicatur vomitorium, soluens, diureticum, sudoriferum, vacuans vel pituitam, vel bilem, vel melancholiam. Deinde, cacochymia, quo vehementior, eo & purgans vehemẽtius sit oportet. Inclinatio cacochymiæ quadruplex est, c.9.l.11.meth. nimirum ad Ventriculum, Aluum, Renes, & Poros cutis: vnde indicatur remedium vomitorium, soluens, diureticum, sudoriferum. B

Purgantiũ differentię, e cacochymia.

I. De Vomitoriis.

Quãdo per vomitũ vacuare liceat.
1 Ratione inclinationis materia.
2 Ratione loci.

CAcochymiæ inclinatio vel abolita est, vel imminuta: si est abolita; reuocanda & excitanda, nisi cacochymiæ vitium sit in substantia, id est, nisi sit putrida: materia enim putrida, non habens inclinationẽ, per os ventriculi non est deducenda. Si materia habeat inclinationem, sed imminutam; hæc iuuanda: ita vt etiam putrida materia, quæ sponte impetum habet ad os ventriculi, vomitum prouocandum suadeat: quia enim inclinationem habet ad os ventriculi, non detinetur tamdiu vt lædere queat os ventriculi, sed illico pertransit: quod aperte Gal.c.9.l.11.meth. affirmat. Præterea si abolita sit inclinatio; cacochymia existens, in locis superioribus, quæ vias habent sursum, per superiora est purganda; in partibus inferioribus, quæ vias habent deorsum, per inferiora educenda est. Verbi gratia si pituita est genita in vẽtriculo, & nullam habet inclinationem, per vomitum est educenda: quod si inclinationem habeat ad inferiora, vacuanda est per aluum. C Hinc facile conciliari possunt loca quæ pugnare videntur: Hippo. enim aph.4.sect.4. ait, æstate per superna, hyeme per inferna esse euacuandum: contrarium vero iubet auctor lib. de salub. diæta, com.15. Vbi dicendum, Hipp. respexisse ad inclinationem materiæ imminutam: bilis enim per æstatem in iecinore genita, inclinationem habet imminutam ad superiora; ideoque vomitu vacuanda: pituita autem per hyemem in ventriculo genita, inclinationem habet imminutam ad inferiora, ideoque per sedem purganda. Auctor vero l. de salubri diæta, respexit ad inclinationem abolitam: bilis enim æstate genita, in parte inferiore, nimirum hepate, nullamque ad os habens inclinationem, per aluum euacuanda: pituita vero hyeme genita in ventriculo, parte superiori, nullam habens ad aluum inclinationem, per superna est euacuanda.

Cõciliatio Hippocratis, & auctoris l de sal. diæta.

Permittẽtia vomitoriũ.

Semper autem hic permittentia oportet supponere: si enim virtus sit debilis, omne purgans prohibetur: D sic e morbo graciles, nullam ferunt purgationem: aph.35.sect.2. natura autem graciles, & facile vomentes per superna purgandi sunt.

Quando valentioribus opus sit vomitoriis.

De vomitorium varietate, in doctrina febrium speciali agetur. Num autem valentioribus, an debilioribus vti debeamus, ita æstimandum. Si materia euacuanda est putrida, validioribus non vtendum: quia putrida non vacuatur per vomitum, nisi habeat inclinationem; quod si ergo inclinationem habet, facile & leui medicamento euacuari potest. Si materia non est putrida, vehemẽtioribus vti licet; præsertim si nõ assit inclinatio (quæ in materia nõ putri, non est necessaria) vnde in quartana *album veratrum* adhibetur. De vsu vomitoriorum c.17. satis dictum est.

II. De Soluentibus.

A vehemẽtibus soluẽtibus cauẽdum.
Quantum.
Quomodo.
Quando.

MEdicamenta per aluum purgantia, varia sunt, pro cacochymiæ specie: de quibus in doctrina febrium E speciali. Hoc in genere obseruandum, e cap.11.l.2. de alim. cum soluens acre sit, & calidum, in putridis febribus, a validioribus abstinendum esse; præsertim in continuis, & continentibus. Quoad *quantum agẽdum*, a summa dosi recedere tutius est. Purgantium *modus*, est potio, validior bolus, adhuc validior pilulæ: quibus pro materiæ resistentia vtendum. Respicere tamen oportet ad prohibentia. Si enim febris sit admodum vehemens; cauendum est a forma boli, & maxime pilularum; quoniam medicamenta purgantia in his formis plus iusto calefaciunt. Quod si ægrotans non possit medicamenta assumere, nisi in forma pilularum: tum post pilulas deuoratas, aliquod decoctum refrigerans propinabimus, verbi gratia ℥v. vel ℥vj. *seri lactis, aut aqua hordeacea, vel iuris alterati cum endiuia*. Quoad *quando agendum*: & primum, quo die purgans exhibendum sit; mox in quæstione, de minoratione materiæ explicabitur. Quoad horam: pharmacum interdum exhibetur per quinque aut sex horas ante cibum; interdum per semihoram tantum: F semper tamen hora esse debet, qua cibi assumti sint cõcocti & infra ventriculum distributi: ratio petitur e c.13.l.2. de ratione vict. pharmacum enim tria requirit: primum, vt e potẽtia in actum ducatur, ab alteratrice: deinde, vt ab expultrice distribuatur ac deferatur ad materiam purgandam: tertio, vt materia purgãda ab expultrice pellatur a circumferentia ad centrum, quam expultricem iuuat pharmacum, & per facultatem acrem irritantem, & per facultatem attrahentem. Quia igitur post assumtum pharmacum ventriculus exercetur & agitatur, dum medicamentum e potentia ad actum deducitur, itemque dum distribuitur: patet, cibum tunc oblatum, duo incurrere incommoda: primum enim virtus agitatur, quæ eodem tempore deberet, & expellere materiam attractam, & retinere cibum: deinde ob cibi pręsentiam vis pharmaci exsoluitur, vt non succedat purgatio, quemadmodum deberet. Si ergo virtus permittat, pharmacũ G detur per 6. horas ante cibum: sin minus, detur saltem per mediam horam ante pastum, quemadmodum Hipp. præbuit, t.12.l.2. de ratione vict. (nunquam vna cum cibo) & tunc cibus sit tenuis, vt *cremor ptissanæ*. Pharmacum porro sui pręsentia non prorsus prohibet somnum: quia in somno facilius de potentia ad actum deducitur: distributionem autem pharmaci somnus impedit, quam promouent vigiliæ. Quod si pharmacum sit debile, ait Auicẽnas, quarta, primi, c.5. æger non indormiat: alias enim natura coquet medica-

Pharmaco superdormire licet.

A dicamentum. *Vbi agendum*, patet, ratione ſubſiſtentiæ, nimirum per os medicamentum eſſe offerendum, niſi id ventriculi aliquod vitium prohibeat: tunc enim per ſedem lenientia medicamenta ſunt iniicienda: &, ſi æger non admittat clyſmos, licebit vmbilico applicare *vnguentum Agrippa, aut de cyclamino, ſeu artanita*, vt ſic cacochymia euacuetur.

Vbi agendum.

III. De Diureticis.

MEdicamenta quæ per lotium euacuant materiam morbificam, id faciunt qualitatibus primis, vel ſecundus. Primis; calore, ſiccitate, humiditate. De calore & ſiccitate Gal. agit c.13.l.5.ſimp. quibus qualitatibus etiam tenuitas (: qualitas ſecunda:) iuncta eſt, qua ſanguis attenuatur, funditur, & portio ſeroſa a craſſa ſeparatur. Tale ergo medicamentum eſt calidum in tertio, tenuis ſubſtantiæ, & acre: vt *ſemen apii, petroſelini, feniculi, dauci, ammios, &c.* Quæ per humiditatem agunt, ſunt valde aquoſa: vt *fructus humidiores, ſemina melonum*: ſic c.6.l.b.2. de alim. Gal. ait, *cucumeres minus humidos eſſe peponibus, ideoque minus vrinam mouere.* Hæc autem humiditas, tenuis & aquoſa vt ſit oportet: tali enim humiditate renes gaudent; vnde ad renes fluens, materias morbificas ſecum defert. Diuretica etiam quædam agunt per qualitates ſecūdas: vt *hordeum, ceterach.* Semina frigida tum maiora, tum minora, humiditate & tenuitate lotium prouocant: vt *ſemina cucurbitæ, cucumeris, melonum.* Ex his igitur variis diureticis, in febre continente, dum putredo totum corpus occupat, probantur, quæ citra valentem calorem & ſiccitatem lotium prouocare poſſunt: vt *cremor ptiſſanæ, mulſa, oxymeli, apomeli, apii radix decocta in aqua potabili*, cap.9.l.11.meth. Sed dubitatur *quare apium proponatur inter ea, quæ non vehementer calefaciunt? cum tamen c.13.l.5.ſimpl. apium dicatur valenter calefacere: & propterea cap.4.l.8.meth. in febribus improbatur mulſa cum apio: calefacit enim vt vinum.* C Reſponſio. Apium l.11 meth. proponitur in aqua: vbi non ita calefacit, ac in mulſa, l.8.meth. Deinde lib.11. meth. radices apii proponuntur, at l.8.meth. & l.5.ſimp. de apii ſemine inſtituitur ſermo. Dubitatur etiam, *quare in febribus putridis, non vtamur diureticis, ſolum frigidis?* Reſponſio. Quoniam materia putrefacta quamprimum euacuanda eſt: at quæ tantum ſunt frigida, non ſunt ita efficacia, ſicuti quæ moderate ſunt calida, vt *radix apii, vel petroſelini in aqua.* Vnde prout calor febrilis maior, aut minor eſt; pro eo, magis aut minus calida, eaque in maiori aut minori doſi miſceri poſſunt.

Diuretica calida & ſicca.

Humida.

Quænam diuretica in febribus locū habeant.

Apium ponitur inter non vehementer calefacientia.

Cur in febribus diureticis permiſceantur calida.

Quoad *vſum*; & primum ad *Quantum agendum*; id in praxi obſeruandum, vt diuretica exhibeantur in maiore doſi, quam pręparantia; & proinde vſque ad ℥x. ſecundum hanc formulā: ℞. *capillorum Veneris viridium, fol. betonicæ, ceterach, ana P.j. rad. petroſelini ℥ß. aqua hordeaceæ, alteratæ cum liquiritia ℥vij. fiat infuſio ſuff. aq. & facta expreſſione adde. ſyr. acetoſi ſimpl. ℥j ß. ſeminum melonum ℥j. Miſc. pro diuretico.* Quoad D *modum*: diuretica actu calida, non frigida ſunt amminiſtranda. Efficaciora redduntur, ſi pulueres propoſitorum ſimplicium miſceantur in aqua hordeacea. Quoad *quando*. Diureticis vtendum non eſt primis diebus, dum materia cruda eſt; alias enim non vacuatur, ſed ſolum agitatur a diureticis: l.1. ad Glau. in cura febris pituitoſæ. Hora autem qualibet exhiberi poſſunt, niſi quid impediat, nimirū cibus. Hic enim prohibet diuretica medicinalia, non alimentalia, quæ cum cibis miſceri poſſunt. Diuretica ſiquidem medicinalia, vt *betonica, ceterach*, quia ventriculo non ſunt familiaria, tamdiu in ventriculo non detinentur, donec cibus concoquatur, ſed cibum crudum ſecum ducunt. Alimentalia vero, vt *ſemina melonum, radices petroſelini, aſparagi*, ob familiaritatem in ventriculo detinentur, donec cibus aſſumtus coquatur,

Quantum.

Quomodo.

Quando.

IV. De euacuantibus per Poros cutis.

E VAcuantia per meatus cutis ſunt, quæ materiam morbificam a centro ad circumferentiam mouent; idq; vel Impellendo, vel Attrahendo. Quæ impellendo mouent, habent naturam diureticorum: eadem enim materia & lotium, & ſudorem poteſt ciere: c.9.l.11.meth. Lotium quidem; ſi renes ſint calidiores, cutis denſa, ſi materia reſidet in conuexo hepatis, & inclinationem habet ad renes. Sudorem cōtra, ſi renes ſunt frigidi, pori cutis rari, ſi materia reſideat in venis cuti proximis, & inclinationem habeat ad cutim. Horū igitur materia patet ex iam dictis. Attrahentia autem ſunt, quæ moderate calefaciendo, cutim rarefaciunt, vt *chamæmelum, balneum tepidum*, c.9 l.11.meth. *Vnde oleo chamæmelino* vti licet, quod non cōſtipat, vt quidam dicunt, qui ratione viſciditatis omnia olea ſtipare exiſtimant: ſunt enim quędam olea laxantia, vt *Sabinum*, c.2.l.8.meth. Hinc & Auicennas probat inunctionē cum *oleo chamæmelino*, & vtitur frictione *cum vino albo, & aqua tepida.*

Impellētia, & attrahētia.

F *Balneum* in putridis ſumme vtile eſſe poteſt; ſed iam in vſu non eſt, dubio procul cum detrimento ęgrotantium. Galenus c.10 l.11 meth. balneum in putridis, omnibus materiebus anteponit: quia vacuantia per aluum, vrinam, ſudorem, ſunt calida; balneum autem minus calidum. Probat item balneum in putridis, c.7.l. de marcore, ſiue putridæ ſint ſolæ, ſiue cum hecticis. Præterea c.20.l.11.meth. ait, balneum in putridis iuuare: quia humor abunde vacuatur, & calor febrilis tranſpirat; balneum enim excrementa humida & fuliginoſa educit. At notandum ex eodem c.20.l.11.meth. balneum materiam morbificam trudere ad articulos, id eſt, ad partes ignobiles, humores liquando, & vias dilatando: vnde cauendum, ne febricitātes ſint obnoxii doloribus articulorum, ita vt ſint ſenſus exquiſitioris; virtus enim præ nimio dolore ſuccumberet. Prohibetur autem balneum, ſecundum Galenum loco citato, ſi adeſt imbecillitas viſceris alicuius principalis, vel conſentientis cum principali.

Balneum in putridis.

Quoad *modum* Galenus c.10.l.10.meth. ait, in febribus quæ oriuntur ex inflammatione, vel putre- G dine, probari balneum caloris moderati; tepidum ſcilicet non actu frigidum; in hecticis autem febribus probari balneum actu frigidum: ratio eſt: quia in hectica opus eſt refrigeratione; in putrida opus eſt, vt materia per cutim euacuetur, c.20.l.11.meth.

Quomodo.

Quoad *quando agendum*: Balneo vtendum, dum materia per cutim vacuanda eſt præſens, & nō adeſt prohibens. Prohibet febris vehemens: cap.20.lib.11.meth. tunc enim balneo in declinatione vti licet,

Quando.

non in statu. Præterea prohibet materia copiosa, cruda, c. 10. l. 11. meth. & hinc c. 7. l. de marc. vult, balne- A
um esse administrandum post materiæ concoctionem. Sed notandum, quod c. 9. l. 11. meth. Galenus. ait,
si febris sit vehemens, vt est continens, non esse vtendum vino, lauacro, nec inunctione cutim rarefaci-
ente. Ratio est: quia febris vehemens habet rationem vrgentis, cum calidum innatum & secundum sub-
stantiam consumat, & secundum motum extra moueat, ac dissipet: vnde, si adhiberentur rarefacientia, ca-
lidum innatum prorsus euanesceret. Obiicere hic quis posset inunctionem resoluentem Aetii. *ex oleo, a-
qua & nitro*; qua practici in febribus malignis & continentibus vtuntur. Responsio: in febribus malignis,
accedentibus ad febrem pestilentem, optimum est, vti inunctione Aetii, quæ materiam morbi veneficam
vacuat: licet enim hic & febris vehemens sit ratione essentiæ, quia intensissima; & materia vehemens ra-
tione essentię, quia maligna, plurimumq; a naturali statu recedit: magis tamen potest vehementia materię
quam febris: quia nisi materia hæc vacuetur, imminet etiam vehementia facultatis, nimirum casus virtu- B
tis. Ceterum Aetius ita occurrit materiæ, vt interim febrim non omnino negligat: quare propter materi-
am, vtitur nitro; propter febrem, miscet aquam. Quod si autem materia non sit maligna; tunc febris ve-
hementia magis potest: quo respiciens Gal. c. 9. l. 11. meth. prohibet inunctionem. Tempus autem inun-
ctionis sit hora ante cibum.

Inunctio Aetii in febribus malignis: infra cap. 38. huius libri.

Recta administratio impellentium.

De iis quæ impulsione euacuant, hoc notandum est; vt, cum per os exhibeantur, in maiori *dosi* ad-
ministrētur, quam diuretica, nimirum ad ℔j. *Modus* sit, vt actu dentur calida. *Tempus*, vt dentur post diu-
retica, deinde, vt prius exhibeantur impellentia, post attrahentia; materia enim in gibbo hepatis exsistēs,
primo est vacuanda diureticis; deinde vtendum impellentibus, quæ materiam attenuant, & in vaporem
mutant; postremo attrahentibus quæ tantum attrahunt.

Appendix: de tempore exhibendorum soluentium. C

Purgandū, quando adest indicās: & abest prohibens.

QVando purgantia exhiberi debeant, breuiter Hipp. proponit, aph. 22. sect. 1. inquiens: Πέπονα φαρμακεύειν,
καὶ κινέειν, μὴ ὠμά, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ. τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ. Quibus verbis statuit materiam morbi-
ficam esse purgandam, dum adest indicans ita vehemens, vt nihil prohibeat. Prohibens autē est Virtus, &
Materia. De virtute Hip. nil dicit: quia communis est, in administratione cuiuslibet materię. Proponit igi-
tur solum materiam, quæ non est sanguis, sed materia excrementitia præter naturam; quæ vel cōcocta est,
vel cruda: item, vel turgens, vel non turgens. Hæc igitur materia vel Similia indicat, vel Dissimilia. Similia;
si per omnia indicat purgans, vt materia morbifica concocta: hæc enim quatenus est excrementitia, indi-
cat purgans; quatenus concocta, non prohibet, sed potius permittit. Dissimilia; si e parte indicat purgās, e
parte prohibet: vbi vires interdum magis prohibent purgans, interdum magis indicant. Primum enim: si
materia cruda est; vires magis prohibent, quam materia excrementitia indicet purgās. Deinde, si materia D
est turgens & furiosa; vires magis indicant purgans, quam prohibeant: quia materia turgens magis potest
ad indicandum, quam cruda ad prohibēdum. Furiosa enim materia vrget: quoniam ex ea periculum im-
minet, ne in partem aliquam ruat principem. Postremo addit Hip. plurimum vero non turget. Vbi medi-
cos monet, vt, licet raro turgeat materia, non tamen raro purgantibus vtantur, sed frequēter. Nam repe-
riuntur materiæ, quæ magis vrgent, quam materia furiosa, id est, maius periculum portendunt; & per cō-
sequens etiam magis indicant purgans. Tales autem materiæ sunt & Venenatæ, & Actu ad partē aliquam
principem ruentes. Venenata enim materia, celerrime cor occupare, & hominē interficere potest: magis
ergo potest, quam furiosa, & proinde statim purganda; præsertim si talis sit venefica qualitas, quæ alteran-
tibus nō cedat. Hinc Gal. c. 4. l. 1. de diff. feb. & l. 8. meth. ait in pestilentia illos sanitati restitutos esse, qui per
vomitum, & alui fluxum sint purgati. At aph. 57. sect. 3. l. 3. epid. inquit, in constitutione pestilenti, cum alui E
fluxu, neminem esse sanatum. Vbi sciendū, non contigisse mortē, e fluxu alui; sed e copia crudorū humo-
rum, cum quibus virtus cōsistere nequit. Nec etiā obstat, quod aph. 22 sect. 4. dicitur, bilem atram, morbis in-
cipientibus exeuntē, lethalem esse: hæc enim bilis, atra non est venefica, nec furiosa, nec impetu petit partē
principalē; sed cruda est, & permista cum materia alimētali. Quamobrem si indicantiū est dissensio, e duo-
bus malis, minus est eligendum. Materiam quidem crudam, non purgare ab initio, sed exspectare coctio-
nem, & declinationem, bonum est: attamen si turgens est, aut venefica; necesse est, vt vel crudā educamus,
vel declinationem exspectantes mortem ab illa materia illatam videamus. Minus ergo timenda est noxa
cruditatis, quam veneni, καὶ τοῦ ὀργασμοῦ. Secundo, materia, quæ euidentem habet impetum in partem præci-
puam, id est, quæ actu ad partem principem mouetur; magis vrget, quam furiosa, in qua solum imminet
impetus in partem principalem. Hinc Galenus c. 8. l. de venæsectione; ait, incipiēte inflammatione, si su- F
spicemur inflammationem fore magnam; curationem auspicādam esse a vacuatione, id est, phlebotomia,
aut purgante (*ecce, purgat inter initia*) ne materia impetum habens ad partem, magnam inflammationem
suscitet: nec enim præparantia, si ea ante purgans dare vellemus, inflammationē prohibere possunt: & fa-
cta iam inflammatione, non amplius tutum est purgare; materia enim collecta & impacta, nō cedit phar-
maco. Ceterum, expedit etiam purgare materiam, dum habet impetum ad partem non principem, quę ta-
men cum principali consentit. Hinc c. 2. l. 6. meth. Galenus in punctura nerui, succum vitiosum protinus
purgat, non exspectat coctionem; priusquam enim absoluatur coctio, cerebrū traheretur in consensum,
homoque moreretur.

Indicans, est materia præter naturā, cocta. Prohibens est cruditas, ni turgeat materia.

Materia venenata, & partē principem petens, magis indicat, quam turgens.

1. Venenata materia.

Obiectio.

Obiectio alia.

2. Materia actu partē principem petens.

3. Materia petens partem principi consentientem.

Num materia iecur petens, purganda.

Dubitatio autem hic oritur: *nam Galenus dum incipit inflammatio hepatis, non vtitur pharmaco: cum
tamen materia impetum habeat in partem principem?* Responsio. Ea materia, quatenus est excremētitia, in- G
dicat purgans: quatenus cruda, prohibet: quatenus impetum habet in iecur, indicat purgans, sed tale quod
retrahit. Cum autem omne purgans attrahat ad hepar, fit vt in inflammatione iecoris purgans prohibea-
tur. Longissime enim materiam a parte affecta retrahere oportet, non ad partem attrahere. Vnde quoque
in principio inflammationis oculi Gal. purgat; quia sic materia ab oculis retrahitur.

Vtau-

A Vt autem breuiter totum comprehẽdamus negotium, sic statuendum. Materia morbosa alia a sanguine, vel est Cocta, vel Cruda. Si cocta; purganda. Si cruda; vel Non admittit coctionem, vel Admittit. Si non admittit; ea cruditas non prohibet purgans: vt in ascite aquam liceat ex abdomine euacuare, etiam non coctam, quia coctionem omnem respuit. Si materia cruda coctionem admittit; vel Venenata est, vel Veneni expers. Si venenata; ilico purganda. Si materia cruda est expers veneni; vel Quiescit, vel mouetur. Si quiescit; primo concoquenda est, deinde purganda. Si mouetur: tunc terminus ad quem vel Latet, vel Patet. Si latet, vt in materia furiosa; ilico ante coctionem materia hæc purganda. Si patet; tunc impetus fit ad loca vel Conuenientia, vel Non conuenientia. Si ad conuenientia; tunc iuuandus est, & primum materia coquenda, deinde purganda. Si ad non conuenientia loca fiat impetus, id est, ad partem vel principem, vel consentientem principi; B cohibendus est impetus, id est, materia ilico purganda est, neglecta concoctione: nisi purgantis vi, impetus augeatur, vt dum materia iecur petit, vbi a purgante desistendum.

Breuis ἀνακεφαλαίωσις.

CAPVT XXVII.

De medicamentis Alterantibus.

MAteriam medicinalem, cap. 17. in duo summa diuisimus genera, nimirum in materias Vacuantes, de quibus hactenus: & in Alterantes, de quibus iam pauca. Alterantibus vtimur caussa partium viuentium: de quibus in doctrina speciali febrium agemus accurate: nunc de eorum vsu & applicatione paucula subnectemus.

Transitio.

Galenus igitur, c. 3. l. 12. meth. ait, non vtendum esse perfusionibus antequam superfluitates magna e C parte coctæ sint & euacuatæ: nec sola admouenda esse relaxantia, sed *absinthium* addendum, nisi febris sit magna. E quibus colligimus, topica non debere vsurpari, toto corpore repleto; nam vel laxant & trahunt a toto corpore, vel astringunt, & cogunt materiam. Obiter quoque colligitur, in febribus ardentibus non esse vtendum *absinthio*; sufficit oleum mastichinum; de quo alibi.

Topicis nõ vtendũ, toto repleto.

Quoad *quantum agẽdum*: Cum vna vncia conseruæ sufficit permiscere specierum ℈ß. ad ℈j. præsertim æstate: nam hyeme ad ʒß. licet ascendere. Exempli gratia, ℞. *conserua cichoracea, ex acido citri, ana* ʒß. *specierum diarhod. abb.* ℈ß. *Misc. pro duabus vicibus. Modus agendi* multiplex esse potest: alterantibus enim vti possumus & liquidis, & consistentibus, vt forma boli, pilularum, &c. item, dum extra applicantur, licet vti inunctionibus, linimentis, vnguentis, emplastris, ceratis, fomentis, sacculis, stillicidio, &c. *Tempus* applicandi alterantia, est, cum pręsens est indicans, & nihil impedit: potissimum autem impedit materię pręsentia. Vnde Auicennas probat trochiscos refrigerantes, post coctionem & vacuationem materiæ: D id quod Galenus etiam iubet, cap. 15. & 16. lib. 11. method. item, cap. 14. lib. 1. ad Glaucon. *Vbi agendum* variat, pro variatione partium alterandarum: modo enim medicamenta sunt applicanda ventriculo, modo alteri parti.

Quantum. Quomodo. Quando. Vbi.

CAPVT XXVIII.

De materia Diatetica in febribus.

Ratio numeri sex rerum nõ naturalium.

E Res nõ naturales, seu materiæ diæteticæ, diriguntur ad custodiam virtutis: quę duo postulat, vt sunt:

- 1. obiectum, seu alimentum
  - spirituum, Aer.
  - partium vitalium, Cibus, cuius vehiculum Potus.
- 2. facultas agens in obiectum, id est, vis coctrix: quæ requirit cõmoderationẽ omnium functionũ, quatenus dirigũtur ad coctricem. Functiones autem sunt, vel
  - 1. communes naturæ & animæ, vt
    - Somnus, qui concoquit.
    - Vigilia, quæ digerit: cap. 3. lib. 12. meth.
  - 2. determinatæ
    - 1. natura, vt
      - expulsio, per quam fit Inanitio.
      - attractio, & retentio, quibus fit Repletio.
    - animæ.
      - sine cognitione, vt
        - Quies: per quam calor concentratur, vt detineat, & concoquat.
        - Motus: per quem fit distributio in partes.
      - cum cognitione, vt Animi accidentia: in quorum commoderatione calidum innatum, nec dissipatur, nec omnino concẽtratur.

F

De Aere.

G AEr in febre putrida sumitur, vt materia iuuans: & habet rationem vel Alimenti, vel Remedii. Vt materia alimenti indicatur a virtute: vnde Galenus cap. 3. lib. 11. method. ait, virtutis substantiam spirituosam, custodiri respiratione & transpiratione: quod idem affirmat cap. 5. lib. 12. method. Vt materia remedii, indicatur a re præter naturam, cap. 14. lib. 9. method. Quare cognoscendum, qualis aer in putridis febribus sit vsurpandus. Cum ergo tria sint, quæ in putridis agendorum indicationem præbent, virtus,

Aer est materia, tũ alimenti, tum remedii. Quis aer cõueniat in putridis.

caussa febris,& febris ipsa:c.1.l.10.meth.quantum attinet ad virtutem;aer debet esse purus, non putridus & infectus,c.5.l.12.meth. Quoad caussam;si hæc sit materia putrida:quę calida est & humida(ratione enim humoris fit putredo;& ratione putredinis materia illa euadit calidior)egemus refrigeratione & perspiratione,c.8.l.11.meth.ideoque inspiratio debet esse aeris frigidi & sicci(hoc accipe de aere qui respiratione in corpus ingreditur)aer autem qui extra administratur,debet esse temperatus;calidior enim febrem auget;frigidus poros cutis densat,& transpiratione impedit.Si materia non sit putrida;varius probatur aer, pro discrimine materiæ morbificæ,verbi gratia,si materia sit biliosa;aere opus est frigido & humido:& sic de reliquis.Ratione febris,aer eligi debet frigidus & humidus. A

Aer artificiose vt alterandus.

Cum igitur constet,aerem in putridis debere esse purum,frigidum,siccum,temperatũ,non adstringentem,non densantem,frigidum & humidum:si aer præsens talis sit,seruandus: sin minus, arte talis est parandus,c.8.l.10.meth.verbi gratia,impurus redditur purus,beneficio *rosarum,aquæ rosaceæ, aquæ violaceæ,succo citri,aurantii,&c.* hic enim aer inspiratus,roborat spiritus,& materiam putridam iuuat,maxime si alteretur *aceto*.Non inspiratus,sed extra occurrens aer,erit temperatus:vnde febricitans nõ debet corpus nudum aeri exponere,non debet brachia,& pedes detegere.Hac ratione virtutis, & caussæ. Ratione febris;si aer sit calidior,eligi debent ædes subterraneæ,ad boream spectantes, hominum frequentia arcẽda.nam & hæc aerem calidiorem reddit:solum aspergendum est frigidis,& irrorandum: vnde *folia vitis, nymphææ* probantur,&c.de quibus in febribus hecticis,c.28. B

De Cibo: & primum, vt est alimentum.

Cibus tripliciter cõsideratur. Alimentorum differentiæ.

CIbus est materia primum alimenti,ratione virtutis,& dicitur materia vitalis: deinde remedii,idq; vel ratione materiæ morbificæ,& dicitur materia præseruatoria;vel ratione febris,& dicitur materia curatoria.Materia cibi,quatenus est alimentum,& ad virtutem dirigitur,sumitur e plantis & animalibus: ca.39.l.3.de alim.e quibus modo materia e plantis,modo ex animalibus magis laudatur.Nam c.2.l.8.meth.olera & fructus postponuntur ouis,& carnibus;quia in his plurimum alimentum,exiguum excrementum; in illis contra.At c 26.l.3.de alim.quædam animalia postponuntur quibusdam plantis;vt pisces pani. Probatur etiam caro pullorum,caporum,hœdorum,vitulorum,phasianorum:perdices & francolini omnibus anteponuntur,vt & auiculæ montanæ. Sed quoniam discrimen est,circa *carnes, oua & pisces*, de his breuiter dicendum. C

Carnis differentiæ.

Discrimen inter *carnes* sumitur a specie,a partibus, a vi testium, ab ætate,ab alimento, a loco,a vitæ instituto,& pręparatione,c.2.19.& 21.l.3.de alim. Quoad *speciem*;Suilla caro generat sanguinem optimum & copiosum,nullumque alimentum magis nutrit.Bouina minus est lenta,sed crassior, vt gignat sanguinem melancholicum. Ouilla est succi deterioris. Caprilla etiam mutatur in succum vitiosum. Volucria minus alunt,sed facilioris sunt coctionis,quam gressilia.Et,si inter se comparentur,caro turdorum, merularum,est durior carne perdicum & attagenarum(:sunt francolini:) Adhuc durior est caro turturum, & palumborum,anatum:phasianorum autem caro similis est gallinarum carni,sed suauior. Pauonum caro est durior. Quoad *partes*;Carnosæ vertũtur in sanguinem bonum:neruosæ in pituitosum. Viscera laudatorum animalium,generant sanguinem meliorem. Hepar anserum(: quod optime norunt Hebræi:) est iucundissimum,boni & copiosi nutrimenti. Alæ etiam anserum sunt facilis coctionis: his tamen alæ gallinarum anteponuntur.His antecellunt gallorum testiculi,qui gignunt succum bonum,copiosum,facile coquuntur. Testes contra suum,boum,capri,sunt mali succi,& difficilis coctionis,cap.7.lib.3.alimen. Quoad *vim testium*;prout hæc magis viget, pro eo caro peior redditur : vnde caro castratorum suauior est,& non infecta. Quoad *ætatem*;Carnes animalium augescentium sunt præstantiores,quam eorum quę florentis sunt ætatis:his adhuc peiores sunt carnes animalium nouellorum & seniorum; hæ enim duræ, siccæ,neruosæ,difficilis coctionis, exigui alimenti;illæ mucosæ,scatentes humiditate excrementitia,sed facile descendunt,ac proinde sua lubricitate ad aluum astrictam prosunt. Quoad *alimentum*; Bonum alimentum in caussa est,vt bonæ sint carnes:praua edulia,contra. Quoad *locum*;Quæ in stagnis, & locis palustribus degunt,carnes habent humidiores,excrementitias,difficilis coctionis:contra,quę in montibus degunt. Quoad *vitæ institutum*;animalia domestica sunt humidiora:syluestria contra. Quoad *præparationem*;hæc spectant vel coctionem,vel ea quę iniiciuntur.Coctio est assatio,elixatio,frixio:elixatio vel simplex est,vel in patinis.Carnes assæ & frixæ,habent vim siccandi:elixæ simpliciter,humectant: elixæ in patinis,medio modo se habent.Pro variis autem iniectis,carnes varias nanciscuntur facultates,vt si aromata iniiciantur,carnes habent vim siccandi.Et sic de reliquis. D E F

Ouorum differentię.

Quoad *oua*;horum differentiæ sumuntur,a specie animalium,a tempore,& coctione, c.22.l.3.alim. Gallinarum enim & phasianorum oua sunt præstantissima:praua sunt anserum.Ratione *temporis*, recentiora sunt meliora.Ratione *coctionis*;perpenditur vel Gradus,vel Modus coctionis. Gradus; quatenus magis,vel minus coquuntur:hinc sorbilia minus nutriunt:dura difficulter coquũtur:tremula,id est, medio modo se habentia inter sorbilia & dura,optime nutriunt,nec sunt difficilis coctionis. Quoad modũ coctionis;oua elixantur,assantur in cineribus,friguntur in sartagine,& suffocantur, quando scilicet coquuntur in vase obturato foramine.Tremula optima sunt,& præcipue suffocata:secundum locũ tenent elixa:tertium quæ coquuntur in cineribus:pessima sunt frixa.Notandum autem oua sorbilia esse eligenda,dum volumus vt aluus fluat,& ventriculus non est nauseabundus: vbi autem nausea vexatur ventriculus,maxime a sorbilibus cauendum. G

Pisces.

Quoad *Pisces*;saxatiles optimi sunt,cap.28.& 30.lib.3.alim.generant enim sanguinem mediocrem: & huiusmodi pisces perpetuo sunt boni;nec enim mutant alimentum,nec locum,nec vtuntur aquis dulcibus.At coctio est quadruplex:nam elixãtur,friguntur,assantur in craticulis,& in patinis. Elixatio bona est:

A est: frixio & assatio probantur in sanis: coctio in patinis est caussa cruditatis. Febricitantes ergo potissimũ
vti debent elixis: quia in febribus egemus cibis facilis coctionis, cum in iis semper coctio lædatur, c. 8. l. 2.
de facult. nat. Et hæc de materiis ciborum, vt respiciunt virtutem.

De Cibo medicinali, vt respicit materiam morbificam.

CIbus respiciens materiam morbificam, est indicatum non vitale, sed præseruatorium. In putridis au- Qualis cibus conueniat, si materia sit putrida.
tem materia morbifica est Putrida, vel Non est putrida. Si sit putrida; probantur cibi refrigerantes &
siccantes, non humectantes: vt *succus aurantii maturi, endiuia, acetosa, acetum, acetositas citri.* Hic autem
quædam de aceto, & acetositate citri dicenda sunt. *Acetum* est potentia frigidum, tenuissimum: quia ta-
men iunctam habet aliquam caliditatem & siccitatem, ideo, si refrigerare & humectare volumus, *aquam* Acetum.
B miscere debemus, ea copia, vt bibi possit: dum autem exsiccare volumus, non humectare; acetum exhibe-
re debemus, non cum frigida, sed potius cum acido citri. Quoad *acidum citri*; de toto fructu breuiter dis- Malũ medicũ: cuius exemplo ratio simplicia tractandi docetur.
seremus. Galenus c. 37. l. 2. alim. malum citrium perpendit Theorice, & Practice. In theoria habet Physio-
logiam, Semeioticam, Pathologicam. In physiologica parte, proponit Structuram & Facultates. Quoad
structuram; tres partes describit, tegumentum, carnem, succum: semen ibi omittit, quia loquitur de citrio,
vt habet rationem alimenti; semen autem nec alimentum est, nec condimentum alimenti. Quoad facul-
tates; tegumentum est aromaticum, suauis odoris & saporis, suauem obtinet acrimoniam, & difficulter
coquitur: pars media nec acida est, nec acris: intima est acida. Semeioticam partem insinuat Galenus, cum
ait; per duritiem & callositatem nos cognoscere, tegumentum esse difficilis coctionis. Pathologicam sup-
ponit, ex alibi dictis: verbi gratia, si malum citrium sit putrefactum, euadit caussa morbifica: & sic pertinet
C ad παθολογίαν. Quoad practicam partem; addit Galenus, corticem esse vtilem in ratione alimenti, quamuis
difficulter coquatur: partem intimam coniici in acetum imbecille, vt reddatur acrius: carnem comedi cũ
aceto & garo, id est, sale, vt saporis hebetudo imminuatur, & fiat sapor acutus.

Si materia non sit putrida, oportet perpendere & vitium huius materiæ, & vitii effectum, id est, fe- Qualis cõueniat cibus in materia non putrida.
brem. Vitium materiæ multiplex esse potest, prout multiplex est materia in febribus; verbi gratia, si mate-
ria sit biliosa, probatur cibus refrigerans & humectans. In genere autem cum putrida ab obstructione o-
riatur, probatur cibus attenuans, detergens; vt *semina melonum, ptisana hordeacea:* Vitari autem debent,
caro agnina, anates, anguillæ, &c. Si consideratur materia, vt efficit febrem magis vel minus acutam: opus 1 Ratione vitii materiæ.
etiam est cibo magis vel minus minuente. Victus enim minuens indicatur a materia, non a virtute: mate-
ria enim morbifica, indicat euacuationem; cuius remedii materia est cibus, per accidens vacuans: si namq; 2. Ratione
D resolutio quæ fit a calore, & reparatio quæ fit ab alimento, sint æquales; virtus seruatur, & eundem retinet vehemẽtiæ
statum: si autem cibi portio minuatur; calor naturalis agit in materiam morbificam, & illam dissipat. Si vi materiæ;
ctus parum minuit, dicitur Tenuis: si multum, Tenuissimus. Et vterque subdiuiditur. Tenuis enim vel est qua indicatur a
Simpliciter tenuis; cuius materia est *ptisana hordeacea integra:* vel Exquisite tenuis; cuius materia est *cre-* morbo
mor hordei, in moderata copia. Tenuissimus vel Nõ in extremo est; cuius materia est *mulsa:* vel In extremo; acuto.
cuius materia est *oxymeli.* De inedia breuiter dicemus. Inedia est priuatio: sola exsistens non vacuat, nec Inedia.
per se, nec per accidens, nisi longo tempore: oportet ergo cum ea coniungi, vel acrem calorem, vel cor-
poris motum: & hinc animalia in latebris degentia, non vacuantur; quia sola est inedia, non adest acris ca-
liditas, neque motus. Inedia igitur neque indicatum est, neque indicati materia; sed sequitur per consecu-
tionem quandam: vt virtus indicat alimentum; materia morbi vehemẽtissima prohibet: quod si ergo vir-
E tus robusta sit, materiæ indicatio præualet, id est, alimẽtum prorsus prohibetur, vnde subsequitur cibi ab-
stinentia: non aliter atque si sanguis vehemens, phlebotomiam indicet, virtus vero debilis eam prohibeat;
tum enim per quandam consecutionem emergit abstinentia a venæsectione.

De cibo medicinali, quatenus a febre indicatur.

CIbus a febre indicatur refrigerans & humectans. Materia sumitur ab oleribus, a fructibus, a granis. Cibus, quẽ febris indicat.
Quoad olera, probatur *cichorium domesticum (agreste enim recte a Galeno improbatur li. de cib. boni &*
mal. succi) probatur etiam borago, buglossa, lactuca: cum his carnes coqui possunt: licet etiam hæc aqua incoque- Olera.
re, & condire oleo atq; aceto.

Fructus omnino sunt vitandi, quia facile corrumpuntur: quidam tamen caussa appetitus probãtur, Fructus.
F vt *pruna, cerasa, poma, pyra,* sed non astringentia: neque improbantur in febribus *amygdalæ dulces:* nam at-
tenuant & detergunt, cap. 29. l. 2. alim. nec despiciendæ *passulæ dulces,* quę stomachum non dissoluunt, nec
aluum subducunt, sed contemperant, mediocriter abstergunt, & exiguam oris ventriculi mordicationem
obtundunt, c. 10. l. 2. alim. vnde passulæ dulces aluum non mouent, sicuti falso quidam credũt, nisi addãtur
tur quæ possunt lubricare. *Cucurbitæ* propter succum aqueum, tenuem, refrigerant & humectant, sed pa-
rum alunt, facile subsident, nec ægre coquuntur, nisi corrumpantur, id quod fit, ob vitiosam præparatio-
nem, aut succum prauum in ventriculo febricitantis coaceruatum, aut si nimis diu in ventriculo hęreant.
Pepones sunt illi fructus, quorum caro prope semen est iniucunda: sunt frigidi, & valde humidi, cum vi de-
tersoria, quæ magis viget in seminibus, c. 4. l. 2. alim. *Melopepones* sunt illi fructus, quorum caro, semen cõ-
tinens, est iucunda, & esculenta, vt qui Clodiæ nascuntur: c. 5. l. 2. alim. & huius quoque classis est *anguria,*
G cuius caro, semen continens, esitatur: melopepones minus humidi sunt, quam pepones, nec ita praui suc-
ci, minus mouent vrinam, tardius descendunt, nec ita celeriter in ventriculo corrumpuntur. Vnde colli-
gitur febricitantibus potius melopepones & angurias, quam pepones concedi posse.

Quantum grana attinet; breuiter de *Tritico, Halica, & Hordeo* agemus. *Triticum* densum, est ali Grana.
menti copiosioris: rarum, habet copiosius excrementum furfuraceum. Panes varie inde cõficiuntur: puri Triticum

enim fermento egent copioso, & insigni subactione, nec statim post subactionem sunt coquendi, & præterea diu sunt assandi: contra, panes furfuracei, egent fermento pauciori, subactione leuiori, assatione breuiori. Addit Galenus, eum panem facile concoqui, & distribui, qui plurimum fermentatus & subactus est, & moderato igne æqualiter coctus, & assatus (*: ignis enim ardentior, primo occursu partem extra indurat, vt intus crudus permaneat. Vnde obiter colligitur, plurimum eos errare, qui in lue venerea panem assatum, seu biscoctum exhibent; qui sane in lue non conuenit, nisi ventriculus sit robustus, & corpus nec obstructum, nec emaciatum, cum talis panis exigui sit alimenti, & ægre distribuatur:*) Panis furfuraceus parum nutrit, sed vim habet detergendi & lubricandi: cap. 12. lib. 1. alim. In febribus probatur panis lotus, qui minus alit, & non obstruit, cap. 5. lib. 1. alim. estque in medio calefacientium, & refrigerantium, cap. 9. lib. 1. alimen. Est autem panis lotus, qui in frustra diuiditur, inque frigidum sæpe immergitur. *Halica* est alimenti copiosi & lenti: ideoque nocet in hepatis obstructione, & dum calculi est suspicio, cap. 6. lib. 1. alimen. Potest autem mitigare vehementem ventriculi mordicationem, maxime si coquatur, & coletur, vt cremor hordei. Iuuat etiam in superflua alui deiectione, cap. 3. lib. 12. method. *Hordeum* est frigidum & siccum in primo gradu, lib. 7. simplic. Et cap. 9. lib. 1. alimen. ait; siue ex hordeo fiat panis, siue ptissana, siue polenta, vim habere refrigerandi; pro varia autem præparatione, hordeum modo siccare, modo humectare: habet vim siccandi, si frigatur; humectat, si fiat ptissana; vnde cap. 1. lib. 1. alim. dicitur, hordeum elixatione humidum, & natura frigidum esse. Quoniam vero *ptissana hordeacea* magni est vsus, eius præparatio enarranda erit. Galenus lib. de ptis. & cap. 9. lib. 1. alimen. hordeum primo coquit igne valido, vt in tumorem attollatur, & hinc flatus dissipentur: secundo coquit lento igne, æqualiter, ne portio alimentalis dissoluatur: tertio, coquit ad consistentiam chyli, seu cremoris: si enim superflua fiat decoctio, hordeum redditur viscidum, quod facile obstruit. Ceterum Galenus cap. 9. lib. 1. alimen. hordei decocto quædam ammiscet. In principio enim dum incipit concoqui; miscet ea, quæ ad tumefactionem hordei conferũt, vt *oleum, anethum, porrum, &c.* Cum intumuit hordeum; addit ea, quæ concoctionem faciunt æquabilem, vt *acetum*, quod incidendo portiones crassas æquales reddit tenuibus. Cum hordeum exacte coctum est; sub tempus edendi, immiscet *salem tenuem*, qui vim habet attenuandi, & detergendi; ne cremor sit crassior aut viscidior. Ex hoc coctionis modo, prodit liquor moderate humidus, sitim arcens, refrigerans & humectans; lentus, lęuis, continuus, lubricus, vnde aluum seruat lubricam; abluens, detergens, aperiens, non adstringens, nec tormina gignens. Porro cum hordeo in febribus misceri possunt, & alimenta, & condimenta, cap. 18. lib. 1. alimen. Alimenta; vt *carnes probæ*, quo ptissana magis nutriat. Condimenta, caussa suauitatis, & alterationis: verbi gratia, propter attenuationem & detersionem miscetur *oxymeli*: propter refrigerationem & humectationem, *lactuca*: propter lotii prouocationem, *semina melonum*: propter visciditatem, *sal*: sanis quidẽ misceri potest, sed in febribus a sale abstinendum. De aqua dubitatur, quando hordeo sit affundenda? Si a principio affundatur aqua, quę ad finem vsque sufficiat; periculum est, ne longa decoctione salsa reddatur: quod etiam in optima aqua, diu decocta, fieri solet; c. 32. l. 3. alim. Quod si affundatur ea copia in principio, vt sufficiat pro tumefactione: & hac abiecta, mox noua infundatur, quæ ad finem sufficiat: tum fiet iactura succi alimẽtalis; quem hordeum in aquam solet deponere: c. 44. l. 2. alim. c. 32. l. 3. alim. Quare a principio aqua est affundenda, quæ sufficiat pro tumefactione: deinde relicta portione illa exigua, addenda noua aqua, vt sufficiat ad perfectam concoctionem. Quod si vero ptissanam albicantem quis desideret; is aquam post tumefactionem abiiciat; & caussa nutritionis carnem addat.

[Margin: Halica. — Hordeum. — Ptissana vt pręparãda. — Vires ptissanæ. — Ptissana magis composita. — Aqua, quãdo affundenda.]

De recta ciborum administratione.

Quantum. QVoad *quantum agendum*: si cibus sumatur pro alimento: virtute debili exsistente in febricitantibus, plus cibi dandum: virtus autem robusta, despicienda est. Si cibus sumatur pro materia remedii; tunc pro vehementia materiæ morbificæ & febris, cibi copiosiores exhibendi: verbi gratia, si materia sit calidior, si febris intensior; augeri debet dosis *aceti, acetosæ, & similium*. Hinc Galenus commen. aphoris. 17. sect. 1. ait, dum corrupta est materia, cibos copiosiores esse exhibendos, scilicet medicinales, non alimentales: impura enim corpora (aphoris. 10. sect. 2.) quo magis nutriuntur, eo magis læduntur. Ceterum si opus sit cibo medicato copioso: virtute exsistente robusta, dari debet multum, & raro; si contra, parum & sæpe.

Quomodo. *Modus* capitur ab indicante, vt resistit cibo. Hinc cibus alimentalis, si virtus debilis sit, liquidus debet exhiberi, forma contusi, destillati. Cibus autem medicinalis modo actu calidus, modo actu frigidus datur: calidus, si materia sit pituitosa; frigidus, si biliosa.

Quando. De temporibus vniuersalibus. In declinatione & principio virtus poscit cibum. Quoad *quando agendum*: Cibus alimentalis indicatur a virtute, prohibetur a materia morbifica: dabitur ergo quando virtus magis potest, nimirum semper in declinatione, vtplurimum vero in principio (: loquimur hic de temporibus vniuersalibus:) contra in augmento & statu, res præter naturam plus possunt. Declaratio: in declinatione res præter naturam superatæ sunt; virtus autem ob pugnam præcedentium temporum debilis, refectione indiget: in principio virtus seruanda est, vt ad statum perdurare queat; & tunc etiam res præter naturam sunt leuiores, ac minus possunt. Dictum est, virtutem *vtplurimum* in principio magis posse, quam materiam: nam interdum materia plus potest; si nimirum, licet in principio non admodum agat actu, magnam tamen potentiam habeat ad agendum, ita vt immineat vitium vehemens, & pene incurabile: tunc enim indicat victum minuentem, & tenuem. Vnde Auic. Paullus, Mesues, in principio paralyseos (: morbi longi:) victum probant tenuissimum: nam periculum est, ne materia deducatur ad neruos, & paralysis fiat incurabilis. Eodemque consilio Hippocr. tot. 48 & 49. lib. de fract. in principio luxationis magni articuli, prohibet cibum, quamuis sit morbus diuturnus.

In augmẽto & statu res præter naturam prohibẽt cibũ. In augmento & statu, magis possunt res præter naturam, quam virtus; idque vtplurimum; nam interdum virtus debilis magis potest, dum nimirum virtutis substantia dissoluitur; verbi gratia, in pleuritide, si materia in augmento copiosa per tussim euacuetur, ita dissoluitur virtus, vt magis

cibum

A cibum indicet, quam materia eundem prohibeat, maxime quia materia morbifica euacuatur. Cibus, vt materia exſiſtit remedii; in augmento, & potiſſimum in ſtatu, maiore doſi exhibendus, iſque & vacuans, & alterans: tunc enim res præter naturam ſunt vehementiores. In ſtatu igitur cauſſa vacuationis, probatur victus tenuiſſimus: cauſſa alterationis, maior copia ciborum alterantium, *lactucæ acetoſæ, &c.* Hactenus de temporibus vniuerſalibus. Quoad particularia tempora; prohibetur cibus, & a materia quæ replet totum corpus, & a materia quæ eſt cauſſa acceſſionis. Vnde Gale. l. de ptiſ. reſpiciens ad materiam, replentem totum; cum eadem die ſit vena ſecanda, & cibus exhibēdus, iubet primum venam eſſe ſecandam. Reſpiciens vero ad materiam, quæ acceſſionis cauſſa eſt; cum Hippo. aph. 11. ſect. 1. in acceſſionibus a cibo abſtinendum eſſe ait. Hora cibandi ita ediſcenda. Si febris ſit intermittens, & interuallum longum obtineat: B poſſumus exhibere cibum per quatuor, quinque, aut ſex horas, ante acceſſionem; virtus enim adeſt indicans, & nil prohibet. Si vero intermittens breue habeat interuallum; cibus exhibendus vel in ſtatu, vel imminente acceſſione: vt modo vna hora, modo alia ſit eligenda, prout virtus magis poteſt: ſi enim virtus reſoluitur, virtus magis poteſt, & propterea imminente acceſſione dandus cibus: ſi autem virtus ſuffocatur, materia morbifica magis poteſt, & proinde circa ſtatum cibus exhibendus. In febre continua proportionata, eligenda eſt hora minoris afflictionis; hac enim materia minus poteſt. In non proportionata, id eſt, continenti, ſecundum cap. 5. l. 11. meth. eligenda eſt hora, qua æger facilius cibum ſuſtinere poteſt: hæc autem eſt hora diei tepidior, & hora conſueta tempore ſanitatis.

Quando cibus medicinalis dandus.

De temporibus particularibus.

Hora cibandi.

Circa cibos dubitatio oritur. Nam Galenus t. 35. l. 3. de ratione vict. ait, cibos multiplices, & facultate diſſimiles, ventris perturbationem facere; vt oxymeli non niſi exhibendum, niſi ingeſtus cremor hordei prius ſit coctus: Attamen practici exhibent ptiſanam cum amygdalis, cum contuſo: imo eodem prandio, exhibent, ouum, C *panatellam, carnes.* Reſponſio. Ea quæ exhibentur, vel omnia habent rationem cibi: vel vnum habet rationem cibi, reliqua condimenti, ſeu opſonii. Id quod habet rationem condimenti, licet cibis permiſcere: nam alimentum ſeruat vires proprias, & virtute condimenti, redditur iucundius guſtui, ac olfactui, & efficacius contra materiam. Hinc Gal. l. 1. ad Glauc. in tertiana notha, probat *ptiſanam, cum pipere:* quare & *oxymeli,* prout habet rationem condimenti, in parua ſc. copia, ad ℥ß (nam ratione cibi poteſt dari ad ℥iij. & ℥iiij.) Si vero omnia quæ miſcentur rationem habent alimenti; tunc febris vel eſt breuis, vel longa. Si breuis præſtat cibum ſimplicem exhibere; vel ſaltem permiſcere cibos facultatis ſimilis (*non cremorem ptiſanæ, qui eſt materia victus tenuis & oxymeli, quod eſt materia victus tenuiſſimi.*) Ceterū, ſi in febre acuta virtus ſit debilior: eodem prandio licet exhibere *cremorem ptiſanæ, cum deſtillato:* quia hæc non ſunt adeo diſſimilia facultatibus, vt ventrem perturbare poſſint: alimentum enim ex his cibis permiſtum nutrit ra- D tione deſtillati, contuſi; refrigerat & humectat, ratione *hordei;* præterea lotium poteſt prouocare, ratione *ſeminum melonum;* & ſomnum inducere, ſi miſceantur *amygdalæ.* Si febris ſit chronica; optimum eſt cibos exhibere pauciores: ſed tamen quia morbus eſt longus, ægrique aſſueti, ac nauſeabundi; plures cibos offerre cogimur; vt *oua, panatellam, carnes. fructus.*

Dubium, de varietate ciborum.

Λύσις.

De Potu.

POtus eſt cibi vehiculum: & conſideratur, ratione virtutis, materiæ & febris. Quoad virtutem; potus probatur purus: cuius materia eſt *aqua,* quæ interdum nutrit, & *vinum,* quod ſemper nutrit. Aqua cruda, quoniã craſſa, diutius moratur, & in bilioſo ventriculo amareſcit t. 40. l. 3. de ratione vict. proinde coqui debet, vt euadat tenuior, & bonum cibi vehiculum: non nutrit autem aqua, niſi decoquatur cũ *carne,* E *vel miſceatur ſaccharum, aut mel.* Vinum probatur purum, non recens, tenuis ſubſtantiæ, confectũ e bonis & maturis vuis, puri odoris & ſaporis, album vel rubrum: nam rubrum eſt craſſum, ſicut & dulce craſſum eſt; t. 2. l. 3. de ratione vict. aquoſum probatur, quod caput nõ lædit, & vrinas mouet; c. 4. l. 12. meth. Ratione materiæ morbificæ, ſi hæc ſit putrida, laudatur potus refrigerans & ſiccans: vt *aqua cum aceto, cum acido citri.* Si materia non ſit putrida, varius conuenit potus, pro diſcrimine materiæ: v. g. in materia pituitoſa, prodeſt *aqua cum melle, cum cinamomo.* Ratione febris, conuenit *aq. hordei, cum iulepo violaceo.*

Vinum igitur & aqua, in ratione potus maxime locum habent: vinum enim potiſſimum indicatur a virtute, & cauſſa; aqua potiſſimum indicatur a febre. Videndum ergo, quinam potus conueniat febricitantibus. Quoad *virtutem;* ſi hæc ſit robuſta, vinum non eſt dandum: quia febris magis poteſt ad prohibendum; c. 6. l. 7. meth. Hinc, cum febris magis poſſit in principio, augmento & ſtatu, virtus autem in decli- F natione: vinum exhibendum eſt in declinatione: Aqua autem ſi propinetur, non debet alterari *calamintha, origano, &c.* quia ſic nimis calefaceret, vt vinum. cap. 4. li. 8. meth. Si debilis eſt virtus; vel debilis eſt per ſuffocationem, vel per reſolutionem: ſi per ſuffocationem; hæc fit ab humore vel tantum copioſo, vel copioſo & crudo. Si ſuffocatio fiat a ſucco tantum copioſo; minus poteſt virtus, vt de cap. 14. libro 1. ad Glauc. a vino prorſus abſtinet Galenus, in hoc caſu. Si virtus ſit reſoluta, & hæc reſolutio pertingat ad ſolida, non eſt vinum dandum; vnde in maraſmo torrido, vino Galenus interdicit. libr. de marc. cap. vltim. Si reſolutio pertineat ad ſpiritus; vinum eſt dandum, quia virtus magis poteſt ad indicandum. Quoad febrem; hæc eſt vehemens, aut mediocris. Si vehemens eſt, & acuta, in qua appareant ſymptomata ſecundum caput, vel ſaltem ſuſpicio delirii; penitus a vino vinoſo, & a vino aquoſo ſyncero abſtinendum: & dãda eſt vel aqua; vel vinum aquoſum, non ſyncerum, ſed aqua permiſtum, ſi videlicet virtus debilis ſit, vt G magis poſſit, quam materia petens caput: t. 41. l. 3. de ratione vict. Gale. c. 3. l. 8. meth. Et tunc etiam ad prohibendam vini euaporationem, frigida ſuperbibenda. Si mediocris ſit febris; moderate vinum exhibendum, niſi aliquid prohibeat: diligenter enim perpendenda ſunt, virtus, materia morbifica, febris & ſymptomata: ſi ergo virtus non ſit robuſta, materia concocta, febris moderata, nec ſymptomata prohibeant, verbi gratia, capitis grauitas, aut deliriũ, &c. vinum eſt dandum, ſed aquoſum, quod febricitantibus minori

Quando vinum conueniat febricitantibus.

1.

4.

noxa datur, quam reliqua. cap. 3. li. 8. meth. tex. 4. & 7. & 41. l. 3. de ratione vict. qui postremus locus, a multis male intellectus, plurimis caussa fuit exitii. Quoad materiã morbificam; febris vel est continua, vel intermittens. Si continua; materia cruda prohibet vinum: prohibet item materia concocta, si sit copiosa: non copiosa, permittit vinum aquosum, nisi febris vehementia prohibeat. In intermittente, vinum prohibetur tantum a materia cruda, non a cocta (vt in continua.) Vnde Galenus ca. 9. li. 1. ad Glauc. ait, a vino esse abstinendum, antequam materia concoquatur; quod verum est, si febris est intermittens, & longum habet interuallum, vt est exquisita tertiana & quartana: secus statuendum est in febre tertiana notha, & quotidiana, quia breue est interuallum. Hæc de cibo & potu. A

5.

De Reliquis rebus non naturalibus.

RElIqua ad viuendi rationem pertinentia, manifesta sunt. Constat enim somnum probari moderatum, & non in principio accessionum: aph. 1. sect. 2. Aluus erit lubrica seruanda. Quiescant febricitantes in lecto: præterquam in quartana. Spes sit salutis. B

CAPVT XXIX.

De febribus putridis in specie; & primum de febribus Biliosis.

Biliosa febris Caussæ. D ffeientiæ.

HACTENVS putridarum febrium doctrina generalis: specialis sequitur. Speciales autem febres quatuor sunt, Biliosa, Sanguinea, Pituitosa, Melancholica. *Biliosa febris, est febris putrida, quæ producitur a bile putrescente.* Caussæ bilem generantes sunt, calida intemperies, præsertim hepatis, interdum etiam ventriculi, præterea victus calidior, medicamentum calidius. Differentiæ sumuntur a Materia, & Loco. A materia; vt bilis est vel alimentalis, vel excrementitia: excrementitia potest esse, pallida, flaua, vitellina, porracea, æruginosa, cœrulea: vt testatur Gal. aphor. 14. sect. 5. l. 6. epid. Porracea bilis generatur in ventriculo, e cibis calidioribus & praui succi: cap. 6. lib. 2. de temperam. Additur a Galeno bilis rubra. t. 4. lib. 1. de natura humana, quæ tamen nihil aliud est, quam ichor sanguinis, quod etiam colligitur e cap. 2. de atra bile. Pallida ergo bilis minus est calida: cœrulea calidissima. Quoad differentias a loco: materia biliosa putrescit vel extra venas, vel in venis: vnde oriuntur febres Intermittentes vel Continuæ. Primum ergo de biliosa intermittente. C

De Tertiana intermittente exquisita.

Definitio.

T*Ertiana intermittens exquisita, est febris putrida, producta, a bile syncera, extra venas putrescente.* Dicitur, ***a bile syncera***; ad differentiam bilis mistæ cum aliis humoribus: & dicitur ***extra venas***; ad differentiam tertianæ continuæ. D

Caussæ.

Caussa bilem generans, est Error externus, vel Intemperies calida.

Differentiæ. 1 A materia.

Differentiæ capiuntur a Materia & Loco: vt colligere licet e Galeno, c. 8. l. 2. de diff. feb. aph. 5. sect. 3. l. 1. epid. aph. 23. sect. 2. l. 6. epid. A materia si capiantur; tum vel a Copia, vel a Qualitate sumuntur. A copia; si bilis est exigua, fit tertiana exquisita exacte, quæ non excedit 12. horas: si copiosa, fit tertiana, quæ simpliciter tertiana vocatur, & hæc ad differentiam prioris excedit horas 12. vt paroxysmus perduret vsque ad horam vigesimam: si maxima bilis sit copia, oritur tertiana extensa vocata, cuius accessio potest produci, vsque ad 40. horas. A qualitate sumuntur differentiæ, vt bilis magis vel minus est calida, minus calida, est pallida; calidior est flaua; dein vitellina, porracea, æruginosa; calidissima cœrulea. Hæc autem febris,

A loco.

de qua nos loquimur, a quacunque fiat bile, semper est exquisita, non notha. A loco sumuntur differentiæ, vt materia prodit vel a iecinore, seu venis proximis hepati, vel a vesica fellea, vel a ventriculo; quamuis vt plurimum prodeat ab hepate. Vnde, vt locus est vel vnicus, vel multiplex; ita etiam febris prodit simplex, duplex, vel triplex. Duæ vocantur tertianæ, dum ab vno foco vno die, ab alio, alio die, prodit materia: duplex autem vocatur febris, si materia a duplici foco eodem die prodeat. E

Signa.

Febris hæc cognoscitur, non vt febris, nec vt putrida, quia hæc signa suo loco fuerunt proposita; sed cognoscenda est, vt fit a bile. Signa ergo omnia vergunt ad calidum & siccum: quare & caussæ externæ, vt victus calidior, medicamenta calidiora; & caussæ internæ, vt temperamentum calidum & siccum hepatis; & symptomata, vt rigor cum sensu punctionis & caliditatis; sitis; excrementa omnia biliosa, lotium biliosum. Signa differentiarum a materiæ copia: minor copia indicatur a paroxysmo, qui non pertransit duodecim horas: maior, cum paroxysmus durat ad horam vigesimam: maxima, cũ protrahitur ad horas quadragesimas. Differentiæ a materiæ qualitate, cognoscuntur e vehementia symptomatum: vt si bilis sit calidissima, quemadmodum cœrulea, omnia symptomata vehementissima sunt: cognoscuntur etiam ex exeuntib. mutatis: verbi gratia, si euomatur bilis porracea, statuendum est; a bile porracea febrem oriri, &c. Differentiæ a loco, sic noscuntur: si vnicus sit focus, febris est simplex: si focus duplex, est febris duplex. Qui vero sit locus, num scilicet ventriculus, an hepar; cognoscitur e signis, quæ illarum partium affectiones indicant: de quibus suo loco. F

Indicationes

Indicationes hic non sumuntur a febre, nec a putrida; de his enim alibi dictum; sed a bile. Bilis ergo per contrarium est alteranda, & vacuanda. Virtutis indicatio patet alibi.

Prognostica.

Quoad πρόγνωσιν. Tertiana intermittens periculo vacat. aph. 5. sect. 3. li. 1. epid. & aph. 43. sect. 4. nam febris non est admodum vehemens, ratione essentię, quia est intermittens; materia morbifica, non est admodum vehemens, ratione dignitatis, nam putrescit extra venas: nec adest vehementia, ratione facultatis, cum virtus resistat. At differentia est, ratione materiæ, & loci. Quoad materiam copiosior & calidior, est peior: vt si fiat a bile cœrulea. Quoad locum; si iecur est focus, peior: sic, si plures sunt fomites, peius. G

Venæsectio.

Materiæ remediorum. Primum cheirurgica. In hac febre conuenit venæsectio; peccat enim sanguis, vel vt sine quo non, vel saltem vt habet rationem adiuuantis: quemadmodum supra e Galeno c. vlt. li. 2. de diff.

A diff.feb.diximus. Virtus autem in exquiſita exacte prohibet venæſectionem: vnde Galenus l.1.ad Glauc. c.proprio.de cura tertianæ intermittentis exquiſitæ, non ſecat venam: hæc enim febris neceſſario fit, anni tempore calido, regione calida, conſtitutione calida & ſicca; quibus exſiſtentibus, virtutem debilem eſſe, neceſſe eſt, vt venæſectionem ſuſtinere nequeat. In reliquis autem febribus exquiſitis, ſed non exacte, licet venam ſecare: cum nihil prohibeat. Vſus venæſectionis, patet alibi.

Sequitur materia medicinalis. Primum lenientia: *℞.flor.caſſ.nou.extract.℥j.pulpæ tamarind.ʒiij.mannæ electæ ℥ ij Miſc.& cum ſaccharo fiant boli.* (Notandum, hic non proponi calida, quia febris eſt tertiana exquiſita, a bile ſyncera.) Si patiens cupiat leniens in potu. *℞.ſyr.roſ.ſolut.viol.ſol.mannæ electæ, ana ℥ jß.decocti hordei, cum ℥ iij.pulpæ tamarindorum, q.ſ. Miſc. fiat potio breuis.* Lenientia.

B Quoad præparantia: *℞. decocti hordei, alterati endiuia, acetoſa & lactuca, ℥vj. pro ſyrupo.*

Notandum *ſaccharū* & dulcia hic non proponi; quia in corpore bilioſo dulcia facile bileſcunt. Præterea notandum, ſi in febre propoſita bilis ſit calidior, cuiuſmodi eſt vitellina, porracea, æruginoſa; addendam eſſe *lactucam* in decocto iam præſcripto, maiore copia; ita vt quantitas lactucæ excedat quantitatem endiuiæ: adiungenda etiam tunc eſt *nymphæa.* Prodeſt etiam pro præparatione materiæ bilioſæ vti *℔j.ſeri caprini, optime depurati, cum ſucci endiuiæ, vel etiam lactucæ vſq. ad ℥j.* Vſus ſyruporum e generalib. patet. Præparantia.

Quoad electiue purgantia. *℞ flor.caſſ.nou.extra. ℥ vij.rhab.el.pulueriſati ℈ iiij.mannæ el.℥ ij. Miſ. & cum ſaccharo fiant boli.* In hoc medicamento ponitur rhab. quod bilem trahit: miſcetur caſſia; quia alias rhab. nimis calefacit: beneficio mannæ, facilius & citius fit purgatio: Purgans in modum potionis: *Recipe rhab. electi, minutim inciſi, non pulueriſati ℥ j ß.fiat infuſio in decocto hordei: & facta diligenti expreſſione, adde mannæ el.ſyr.roſ.ſol.ana ℥ ij. Miſ. & fiat potio breuis.* Obiter hic notandum, non corrigi rhab. hoc in loco Purgantia.
C ſpica, ſchœnantho, vel vino aromatico: quia verſamur in curatione tertianæ exquiſitæ: vbi a calidis abſtinere oportet.

Quoad alterantia, ſeu refrigerantia; his vti licet Intus, & Extra. Intus, *℞. ſeri lactis caprini, optime depurati ℔j.emulſionis ſem.melonum.℥ ij.* Licet autem loco emulſionis ſem.melon. vti *℥j.ſucci endiuiæ.* Et ſi intenſior ſit caliditas, licet admiſcere *℥ß.ſucci lactucæ.* Notandum hic non proponi *ſaccharum roſaceum, conſeruam cichoraceam, &c.* quia propter ſaccharum in hac febre exquiſita non approbantur. Extra: *℞. ſucci endiuiæ.ſucci lactucæ, ana ℥j.aceti ʒij. Miſ.& applicentur hepati.* Pro ventriculo: *℞.ſucci cichorii ℥ j ß. aceti ℥ ij.olei maſtich.℥ß.* admiſta hic vides calida; non item in iecore; quia ventriculi calor exiguus. Alterantia.

Quoad materiam diæteticam: Si febricitans non ſit delicatus, ſatis eſt vti *cremore ptiſanæ hordeaceæ.* Delicatis autem licet exhibere *lactucam, cucurbitas, anguriam, oua.piſces ſaxatiles, carnes volucrum pullorū,* Diæta.
D *&c.* Poſſunt etiam concedi *fructus, vt poma, pyra, pruna.* Alexander etiam in hac febre concedebat *perſica, carnes peponum, & maxime melopeponum,* præſertim vbi ſitis vrget. Sed fructus parce dandi, ſaltem ad deguſtandum. Quoad potum: Gal. l.1. ad Glauc. delicatis concedit *vinum aquoſum tenue,* in exigua quantitate, dum morbus incipit concoqui; in maiori quantitate, dum morbus prope eſt vt ſoluatur, nimirum in declinatione: ratio eſt, quia virtus eo tempore indicat, & materia non prohibet: at ante declinationem tutius eſt, vti *aqua.*

De Tertiana intermittente notha.

T*Ertiana intermittens notha, ſpuria, ſeu non exquiſita* (quia fit e bile non ſyncera) *eſt febris putrida producta a bile miſta prædominante, putreſcente extra venas.* Proponitur in hac febre *bilis;* vt diſtinguatur Definitio.
E a ſanguinea: proponitur *bilis miſta;* vt diſtinguatur ab exquiſita, quæ fit a bile ſyncera. Notandum autem in hac ſpuria, non modo bilem oportere eſſe coniunctam cum alio humore, ſed miſtam: Si enim, verbi gratia, fiat febris e pituita & bile, non exacte miſtis, erunt duæ febres, vna bilioſa, altera pituitoſa; vt in hemitritæo: at vbi exacta miſtio eſt facta, febris eſt ſimplex, ſed ſpuria. Additur in definitione *prædominante:* nam ſi, verbi gratia, bilis cum pituita miſceatur, vt pituita prædominetur omnibus modis, id eſt, & ratione quantitatis, & ratione vigoris, febris erit pituitoſa, non tertiana. *Extra venas,* dictum fuit, ad differentiam, bilioſæ nothæ continuæ. Porro miſtio bilis fit interdum cum humore omnibus modis contrario, nimirū cum pituita, quæ frigida eſt & humida; vnde conſtituitur tertiana notha exacte, de qua loquitur Galenus l.1.ad Glauc.c.proprio *(non loquitur ibi de qualibet notha, quod non cognoſciens Alexander, temere Galenum redarguit:)* interdum vero bilis miſcetur cum humore non prorſus contrario, nimirum cum melancho-
F lia, quæ frigida eſt & ſicca; vnde producitur tertiana notha, ſed non exacte.

Cauſſæ febris, & putredinis patent e generalibus. Cauſſæ generantes bilem propoſitæ fuerunt in febre bilioſa exquiſita. Cauſſæ aliorum humorum pituitæ & melancholiæ, proponentur ſuo loco. Cauſſæ.

Bilis miſta eſt cum Pituita, vel cum Melancholia: præterea miſta eſt vel cum Vnica tantum materia, vel cum Vtraque. Differētiæ.

Signa indicantia bilem, propoſita fuerunt in bilioſa exquiſita. Signa pituitæ & melancholiæ patebunt ſuo loco. Signa.

Indicationes dirigi debent ad humorem, & intemperiem membrorum affectorum. Quoad humorem, ſeu materiam, quæ eſt bilis permiſta pituitæ, aut melancholiæ; indicatur alterans & purgans. Quoad dyſcraſiam; indicatur alterans per contrarium, verbi gratia ratione pituitæ, quæ generari poteſt a ventri- Indicationes.
G culo frigido & humido, oritur indicatio calefaciendi & ſiccandi: aut ſi ventriculus exſiſtat ſiccus, humectandi. Præterea ratione bilis & melancholiæ, oportet iecur refrigerare, quia iecur calidius generat humorem bilioſum, & melancholicum.

Vt hæc febris intermittens eſt, vacat periculo. At ob miſtionem bilis cum pituita, vel melancholia, longiori tempore curatur. Prognoſtica.

Venæsectio. Sanguis si mittendus videtur, ab initio statim secanda vena: cap. 10. lib. 1. ad Glauc. nam virtus ab initio robustior est, & phlebotomiam permittit. A

Lenientia. Leniens esse potest huiusmodi: *♃. mellis rof. sol. syr. rof. sol an. ℥ ij ß. iuris pulli parum, fiat potio breuis.* Hic mel. rof. sol. proponitur caussa materiæ pituitosæ; syr. rof. sol. propter bilem: dissoluuntur autem in iure; quia in hac febre ventriculus, pituitæ auctor, non ita sustinet aquam: vnde ius potius probatur. Bolus fiet hoc modo. ♃. flor. cass. nou. ext. ℥ j. mannæ el. ʒ ij. specierum hieræ simplicis ʒ j ß. Mis. & cum saccharo fiant boli. Hiera ponitur caussa pituitæ.

Præparantia. Præparans bilem pituitæ permistam: *♃. syr. de cich. simpl. mellis rosati an. ℥ j. decocti cichorii, betonicæ ℥ iij Mis. pro syrupo.* Si autem bilis sit permista melancholiæ: *♃. syr. de endiu. de boragine, an. ℥ j. decocti cichorii, borag. ℥ iij ß.* Dum autem Febris hęc progreditur, adscendere oportet ad syrupos valentiores, id est, magis detergentes & attenuantes: vt, *♃. syr. de cich. comp. Byzantini, de 2. rad. an. ℥ ß. decocti endiuiæ, petroselini, feniculi, melissæ ℥ iiij. Mis. pro syrupo.* B

Purgantia. Purgantia: si bilis mista sit cum pituita: *♃. rhab. el. ℈ iiij agarici trochiscati ʒ j fiat infusio in decocto endiuiæ & betonicæ, sufficiente autem & facta diligenti expressione. adde nannæ elect. mellis rof. sol. an. ℥ ij. Mis. & fiat potio breuis.* Et hoc seruandum, si bilis est copiosior pituita. Purgans etiam exhibetur in infusione hac formula: *♃. rhab. el. ʒ j. agarici ʒ j ß infundantur in decocto cichorii & betonicæ: deinde facta diligenti expressione, adde mellis rof. sol. mannæ el. an. ʒ j ß. fiat potio breuis.* Notetur hic dosin agarici maiorem esse, quam rhabar. licet in hac Febre bilis prædominetur: nam interdum non ratione quantitatis, sed solum ratione vigoris prædominatur: & propterea dosis agarici debet esse maior. Boli forma est talis: *Recipe flor. cass. recens tracta ℥ j. mannæ el. ʒ ij. pulu. rhabar. electi, agarici trochisc. an. ʒ j. Misc. & cum saccharo fiant boli.* C

II. Si bilis mista sit cum melancholia: *♃. rhab. el. ℈ iiij. fiat infusio in decocto fructuum, cum ʒ iij. foliorum senæ, & ʒ j. passularum: & facta diligenti expressione, adde syr. rof. sol. mannæ el. an. ℥ ij. Mis. & fiat potio breuis.* Notetur in hoc medicamento non esse agaricum, nec mel. rof. quia non peccat pituita. Bolus: *♃. elect. lenit. flor. cass. nou. ext. an. ℥ ß. confect. Hamech ʒ ij. rhab. electi ℈ ij. cum saccharo fiant boli.*

Roborantia. Medicamenta roborantia, respiciunt hepar calidum, vt generat bilem, vel melancholiam: & respiciunt ventriculum frigidum, vt generat pituitam. Quare si intus medicamentum est assumendum: *♃. conseruæ e flor. cich. conseruæ beton. an. ℥ j. spec. diarh. abb. aromatici rof. an. ℈ j. Mis. & poterimus exhibere a ʒ ij. ad ʒ vj. pro singulis vicibus.* Alterans extra admouendum, caussa ventriculi: *♃. ol. mastichini ℥ j. spec. arom. rof. ℈ j. ceræ ʒ j. Mis. ad ignem.* Caussa hepatis: *♃. succi cich. ℥ j ß. aceti ʒ ii. spec. diarh. abb. ℈ i. Mis.* Modus administrandi patet e doctrina generali: verbi gratia, medicamentum caussa ventriculi magis actu calidum esse vsurpandum. D

Victus. Quoad materiam diæteticam; Cibus debet esse mediocris: nam febris non est breuis. Debet esse refrigerans, propter bilem: calefaciens, propter pituitam: humectans, propter melancholiam. Parabitur ergo *ptisana, endiuia, acetosa* ratione bilis: *addetur oxymeli, vel piper ruditer contusum, petroselinum,* propter pituitam: addetur cibis *borago, bugl. melissa,* ratione melancholiæ. Potus erit *aqua cum oxymelite*: probatur etiam *aqua saccharata, aqua cum boragine*, præsertim caussa melancholiæ: nec *ius* improbatur. *Vinum* in declinatione conceditur: nam in hac febre prohibet materia cruda, prohibet etiam, febris, quia breue habet interuallum.

CAPVT XXX.

De tertiana Continua, primum exquisita; deinde notha. E

Definitio. B*iliosa continua exquisita, est febris putrida, producta a bile syncera, in venis putrescente.* Bilis hæc syncera, & non permista cum alia specie materiæ, est alimentalis, vel excrementitia: excrementitia est humorosa, vel ichorosa: vt colligitur e tex. 1. & 13. libro 4. de ratione vict. aphoris. 59. sect. 4. cap. 3 & 6 libro 2. de crisibus.

Caussæ. Caussæ bilem generantes, sunt calefacientes & exsiccantes; vt dictum est in tertiana intermittente exquisita: Differentia est; quia in continua, caussæ & internæ, & externæ sunt vehementiores.

Differentiæ. Differentiæ sumuntur a Materia & Loco. A materia; vt est alimentalis, vel excrementitia: & excrementitia, vel humorosa, vel ichorosa. Sed notandum tertianam continuam exquisitam exacte, seu exquisitissimam, fieri e bile flaua excrementitia humorosa; in quam bilem omnes caussas, & internas & externas conspirare oportet: vnde si febris fiat a bile vitellina, æruginosa, vel cœrulea, febres fiunt biliosæ continuæ, sed non exacte exquisitæ; hæ autem dicuntur febres *Colliquatiuæ*, ob insignem caliditatem. Differentiæ a loco, seu venis: Venæ sunt vel proximæ cordi, vel remotæ: & remotæ vel admodum sunt remotæ, vel medio modo se habent: vnde, si venæ sint proximæ, vehemens est caliditas, vt calor vniuersus ad interiora confugiat, vt interiora vrantur, exteriora algeant: & hæ febres dicuntur *Leipyriæ*. F

Signa. Signa bilem indicantia, proposita sunt in biliosa intermittente: sed in hac febre sunt intensiora: vt, pulsus est velocior, sitis magis molesta, vigiliæ magis contumaces, &c. Signa indicantia bilem in venis putrescentem, sunt absentia rigoris, non adest sudor, non integritas seu interuallum. Signa differentiarum a materia: si materia biliosa sit alimentalis; cognoscitur e difficili tolerantia, ægri vix se mouere possunt. Si materia sit excrementitia ichorosa; cognoscitur e facili tolerantia; quæ non erit facilis, si materia excrementitia sit humorosa, & præsertim si sit calidior, cuiusmodi est bilis vitellina & reliquæ. Signa differentiarum a loco: Si materia putrescat in venis omnibus; cognoscitur, quia vnica est accessio; & hæc febris dicitur *ardens exquisita*. Si materia putrescat in venis tantum remotioribus; cognoscitur, quia est febris continua proportionata, id est, quæ habet plures accessiones, proportione respondentes tertianæ intermit- G

A termittenti. Si materia putreſcat in venis mediis; erit febris continua proportionata, quæ accedit ad continentem, ſatiſque conuenit cum exquiſita, & *communiter dicitur febris ardens*. Si materia putreſcat in venis circa aliquod viſcus, (*NB. facit enim ad curam:*) vt circa iecur; in ea parte ſumma eſt noxa, ægrotantes circa iecur percipiunt inſignem feruorem.

Indicationes.

Indicationes reſpiciunt bilem: quare oportet alterare & vacuare.

Prognoſticum.

Continua febris periculoſa eſt, aphor. 43. ſect. 4. adeſt enim vehementia & febris, & materiæ, & ſymptomatum. Febris eſt vehemens ratione eſſentiæ; quia maxime calida & ſicca. Materia eſt vehemens ratione dignitatis; quia putreſcit in venis: materia etiam vehemens eſt ratione eſſentiæ: quia valde eſt calida. Symptomata ſemper vehementia ſunt ratione eſſentiæ: interdum etiam vehementia ſunt ratione dignitatis & facultatis, vt facultas non ferat, ſed cedat, & periculum augeatur. Ratione differentiarum a materia; B periculoſior eſt febris, ſi materia ſit alimentalis: & ſi materia ſit excrementitia, periculoſior eſt humoroſa, minus periculoſa ichoroſa. Materia etiam, quo calidior (vt ſi ſit æruginoſa:) eo magis auget periculum. Ratione differentiarum a loco; periculoſior eſt, ſi materia putreſcat in venis cordi proximis. Intenditur periculum, ſi vires debiliores.

Venæſectio. Ebullitio cholericorum Auic. ca. 20 fen 4. lib. 1. & c 42. tr 2 fen 1 libr. 1. Vide enarr 2. lib. 2 Vallerio-læ.

Circa materiam cheirurgicam: Cum bilis peccet in venis, neceſſario ſanguis incaleſcit, vt poſſit putreſcere: quare ſanguis vacuandus, niſi per venam ſectam immineat periculum *ebullitionis cholericorum*: nam tunc phlebotomia mortis eſſet cauſſa. Hoc autem periculum imminet, dum bilis putreſcit in venis, non totius corporis, ſed alicuius partis determinatæ: tunc enim poſt venam ſectam, deducitur in venas communes totius, quarum ſanguis iam eſt imminutus: dum ergo bilis poſt venæ ſectionem petit venas communes, miſcetur cum exiguo ſanguine, qui reſtat; & ſic poſt venæ ſectionem maior copia bilis repe- C ritur in venis, quam ante venæſectionem: vnde neceſſario fit ebullitio cholericorum.

Lenientia.

Leniens: ℞ *flor. caſſ. nou. ext.* ʒ *x. pulpæ tamarind.* ℥ ß. *mannæ el.* ʒ *ij. Miſ. & cum ſaccharo fiant boli.* Vel: ℞ *ſyr. roſ. ſolutiui, mannæ el an.* ℥ *iij. aquæ hordei, cum* ʒ *ij. pulpæ tamarindorum, parum: fiat potio breuis.* Notandum hanc doſin eſſe magnam; quia ſumma eſt actio bilis: vnde Auicennas vult, has febres in principio lenificationem fortiorem, id eſt, lenientia in magna doſi poſtulare.

Præparantia.

Præparetur hoc modo: ℞ *aqua hordeaceæ, alteratæ ſoncho, lactuca, nymphæa (& papauere interdum)* ℥ *viii.* Hic non imponimus *ſaccharum*, quia bileſceret. Aſcendimus ad *nymphæam, papauer*, quotieſcunq; fit a bile æruginoſa feruente: vt exhibere liceat hos ſyrupos actu frigidos; & bis in die.

Purgantia.

Purgans in continua non debet eſſe acre: vnde medicamenta non ſunt conficienda *e ſcammonio*. Si ergo febris fuerit bilioſa proportionata, hoc medicamentum præſcribetur: ℞ *rhab. el* ℈ *iiii. infundantur* D *in ſero lactis caprini, optime depurato, & alterato lactuca; & facta diligenti expreſſione, adde ſyr. roſ. ſol. mannæ el. ſucci roſ. an* ℥ *i ß. Miſ. & fiat potio breuis.* Bolus: ℞ *pulueris rhab. electi* ʒ *i. flor. caſſ. nou. extractæ* ʒ *vii. pulpæ tamarind.* ʒ *ii. mannæ el.* ʒ *i ß. cum ſaccharo fiant boli: & iubeatur patiens poſt deuoratos bolos, ſeri* ℔ *i. ſuperbibere.*

Frigidæ potus in febre continenti.

Si febris bilioſa ſit continens, non tantum a *ſcammonio*, ſed etiam a *rhab.* abſtinendum: vt colligitur e tex. 11. libro 2. de ratione vict. ratio eſt, quia hæc febris eſt feruidiſſima. Quare ℞ *mannæ el.* ℥ *iiii. ſeri lactis caprini, optime depurati, parum; fiat potio breuis: deinde iubeatur patiens ſuperbibere ſeri* ℔ *iiii.* Vel etiam loco propoſiti medicamenti licet exhibere *frigidam*, cap. 5. libr. 9. meth. hæc enim bilis feruorem extinguit, & huius etiam beneficio bilis euacuatur. Sic ergo frigida eſt materia remedii, indicati & a bile, & a febre; quia & a ſiti, quæ in hac febre vrget. In febre igitur ardente, de qua nunc loquimur, maxime prodeſt po- E tus frigidæ, vt admonet Galenus text. 12. libr. 4. de ratione vict. ſed oportet, vt virtus permittat, quemadmodum Galenus ſcribit cap. 5. lib. 9. meth. & cap. 9. lib. 11. meth. Prohibetur autem frigida, a virtute debili; deinde ab indicante; quod contrarium frigidæ, id eſt, calidum & ſiccum remedium poſtulat; vt eſt verbi gratia, materia frigida, materia etiam calida, ſed impacta (quæ vacuari nequit, niſi medicamento calefaciente, & attenuante:) vt contingit in inflammatione. Sed notandum, febris vehementiam interdum adeo eſſe inſignem, vt magis poſſit ad indicandum frigidam, quam materia impacta ad prohibendum. Quod cognoſcens Aetius, ad vtrumque indicans reſpicit, & probat frigidam fractam, verbi gratia, ſi miſceatur *aquæ calidæ quincta pars, cum frigida*: vnde etiam expedit dare *aquam decoctam hordei, vel anguriæ.* Quoad vſum, & primum *quantum agendum*: ſi frigida exhibeatur cauſſa totius febris; æger maximam copiam hauriet, quantum poteſt: cap. 5. lib. 9. meth. ſi vero detur non cauſſa totius febris, ſed ratione alicuius F ſymptomatis, vt ſitis ratione; debet exhiberi ea copia, quam homo vno hauſtu haurire poteſt: tex. 4. lib. 1. de ratione vict. & ſic hæ auctoritates facile cōciliantur. Quoad *modum*: aqua exhiberi debet actu frigida, niſi aliquid prohibeat, cap. 5. lib. 9. method. Quoad *quando* agendum: frigida exhibenda eſt, dum materia eſt concocta. cap 5. libro 9. method. Et, ſi febris ſit inſignis caliditatis, ſufficit coctio mediocris, non integra, ca. 16. lib 9. meth. nam ſi, exſiſtente febre inſigni, exſpectare velimus exactam coctionem, homo corripietur febre hectica.

Alterantia.

Quoad medicinas alterantes. Refrigerantia probantur, maxime, ſi aqua non eſt exhibita. Medicamentum ergo intro dandum, tale eſſe poteſt: ℞ *ſeri* ℔ *i ß. ſucci lactucæ* ℥ *i. Miſ.* Vel: ℞ *aquæ hordei* ℔ *i. ſucci endiuiæ* ℥ *ß. nymphææ* ℥ *ii. Miſc. & fiat potio.* Vt hinc colligatur, non eſſe dulcia miſcenda: nec ſemper benedictis illis conſeruis eſſe vtendum. Extra vſurpari poteſt hoc: ℞ *ſucci endiu. lactucæ, pampinorum vitis,* G *cucurbitæ, an.* ℥ *ß. acetoſitatis citri* ℥ *ii. (cauſſa penetrationis:) Miſc.* Hoc medicamentum applicandum eſt hepati: ſed præterea etiam thoraci, propter hecticam imminentem.

Quoad materiam diæteticam. Aer admodum frigidus probatur: quare aqua frigidiſſima prope os ægri ponenda, vt aerem illum refrigeratum inſpiret. Cibus debet eſſe frigidus & humidus: vt *ptiſana cum lactuca.* Potus ſit *aqua*. Reliqua ſunt manifeſta.

De Tertiana continua notha.

A

Definitio. BILIOSA *continua notha, est febris putrida, procedens a bile mista prædominante, putrescente in venis.*

Differentiæ. Differentiæ sumuntur a materia & loco. A materia; vt dictum est de tertiana intermittente notha, eodem prorsus modo. A loco; vt dictum est de continua exquisita.

Signa. Quoad Signa; hæc patent, quatenus est febris, quatenus putrida, & quatenus continua. Quoad materiam biliosam permistam: & hæc signa patent ex doctrina nothæ intermittentis.

Indicationes. Indicationes etiam manifestæ sunt: siue sumantur a virtute, siue a febre, siue a materia permista: nam de indicatione huius materiæ, locuti sumus in tertiana intermittente notha.

Prognosticum. Febris hæc periculosa est, quia est continua, in qua materia putrescit in venis.

Venæsectio. Quoad materiam cheirurgicam. Cum vena secanda sit in notha intermittente; c. 10. li. 1. ad Glauc. B multo magis in continua febre vena est secanda.

Pharmaceia. Materia medicinalis eadem probatur, quæ proposita fuit in notha intermittente. Differentia est, quod in hac febre probentur & minus calida, & magis frigida; quoniam febris est continua. Et idem de diæta dicendum.

CAPVT XXXI.

De febre Sanguinea.

Definitio. PER febrem sanguineam, intelligimus omnem sanguineam, excepta pestilenti; de qua suo loco. *Febris ergo sanguinea est febris procedens a sanguine peccante in venis, citra venenositatem* (non dico citra malignitatem:) In definitione hac communi, non dicimus, quod sit febris putrida: quia quædam sanguinea C non est putrida. Dicimus, *procedens a sanguine*; ad differentiam aliorum humorum. Addimus, *peccante*; scilicet & ratione putredinis, & citra putredinem. Per sanguinem autem hic intelligimus & massam sanguineam, & quartum succum: vt colligitur ex aphoris. 3. sect. 1. cap. 9. lib. 2. de diff. feb. & cap. 12. lib. 2. de cris.

Febris sanguineæ species. Massa sanguineæ. Massa autem sanguinea, vel Efferuescit tantum, vel Putrescit. Efferuescit Remisse, vel Intense. Si feruor remissus sit; oritur febris sanguinea, quæ *Synochus sine putredine* dicitur. Si intensus sit feruor, necessario generantur ichores, & portiones quædam excrementitiæ, putredini obnoxiæ, quæ putrescunt; vnde fit febris sanguinea, quæ *Synochus cum putredine* dicitur. Si vero massa sanguinea putrescat; fit febris sanguinea, quæ dicitur *Synochus pestilens:* de qua in præsentia non loquimur.

Succus quartus. Porro succus ille quartus, vel Feruet tantum, vel Putrescit Feruet Remisse, vel Intense. Si feruor est remissus; tum febris imminet. Si intensus; tunc quartus ille succus, degenerat in materias excrementitias, vt aliæ febris species oriantur: verbi gratia, si ob insignem feruorem sanguinis, portio tenuis degeneret in bilem flauam, fit febris biliosa, D non sanguinea, &c. At, si quartus putrescat; putredo vel est remissa, vel intensa. Si remissa; sanguis putrescit sub forma sanguinis: & tunc febris fit *sanguinea, quæ tamen vocatur febris quodammodo biliosa*, propter similitudinem; est tamen sanguinea. Si putredo sit intensa; tunc sanguis degenerat in excrementum, vt fiat febris non sanguinea, sed alterius speciei.

Dictum etiam fuit in definitione, sanguinem putrescere *in venis:* vt pateret febrem sanguineam esse febrem continuam; & distingui a febre, quæ fit ex inflammatione. Postremo addidimus, *citra venenositatem*; vt hanc febrem distingueremus a pestilenti.

Caussæ sanguinis. Caussæ sanguinem generantes, sunt calefacientes, & humectantes: vt, hepar calidum & humidum; E cibi calidi & humidi, itemque boni & copiosi succi; potus vini, otium, &c.

Differentiæ. Differentiæ sumuntur a Materia, & Loco. A materia; Sanguis vel accipitur pro massa, vnde synochus Cum putredine, & Sine putredine: vel pro quarto succo, vnde febris sanguinea, quodammodo vel biliosa, vel melancholica. A loco: Sanguis peccat in venis vel Totius, vel Partis. Si totius; vel in magnis venis, vnde synochus oritur; vel in paruis, vnde oritur febris sanguinea proportionata. Sic in parte est febris, quæ oritur ex inflammatione; de qua alibi.

Signa. Signa febris sanguineæ in genere sunt, quæ indicant sanguinem peccantem: vt sunt, pulsus magnus, plenus, velox; caliditas mitis, non valde mordax. ca. 3. l. 9. meth. c. 9. l. 2. de diff. feb. Præterea signa sunt sanguineæ febris, caussæ generantes sanguinem, vt hepar calidum & humidum, victus, producens copiosum sanguinem. Signa differentiarum a materia: si materia sit massa sanguinea, cognoscitur inde, quod febris est synochus, seu continens, non habens accessiones, præter vnicam. Hæc est putrida, vel non putrida. Si F putrida, lotium a naturali est mutatum, pulsus inæqualis, calor in toto mordax, quemadmodum de putridis in genere dictum est: Si hæc signa non assint, synochus est sine putredine. Si materia est quartus succus, cognoscitur inde, quod febris est proportionata, plures habens accessiones. Signa differentiarum a loco: Si sanguis putrescat in magnis vasis, cognoscitur inde, quod vnica est accessio: si in paruis, cognoscitur e pluribus accessionibus.

Indicationes. Quoad indicationes: sanguis alterandus, id est, refrigerandus, & vacuandus.

Prognostica. Febris sanguinea non est lethalis: quia ratione sanguinis, non est vehementia insignis penes essentiam: vel enim feruor est, vel leuis putredo: dum vero insignis est putredo, febris oritur pestilens, de qua iã non agimus. Ceterum febris sanguinea est minus periculosa, si efferuescat sanguis, & præsertim si feruor non sit insignis, vt in synocho sine putredine. Si ad copiam materiæ respicimus, synochus increscens, mi- G nus tuta est, quam decrescens, & homotona: portio enim putrescens excedit portionem quæ resoluitur. Ceterum, si recte vsurpentur materiæ, febris hæc vincitur: sin minus, interficit.

Venæsectio. Quoad materiam cheirurgicam, si phlebotomia omittatur, summum imminet discrimen, cap. 4. lib. 1. meth. nam sanguinis vitium est vehemens. Quare etiam ad leipothymiam (*non ad syncopen:*) confertim san-

A tim ſanguis eſt vacuandus: quia virtus in hac febre admodum eſt robuſta. Reliqua adminiſtratio patet e generalibus.

Leniens. Materiæ medicinales probantur, quales in febribus bilioſis. Vnde leniens medicamentum ſit: ℞. *flor.caſſ.non.ext.℥j. pulpæ tamarind.ʒiiij.mannæ el.ʒij. cum ſaccharo fiant boli.*

Præparans. Præparans eſſe poteſt: ℞. *ſyr. acetoſi, ſyr. de ſucco acetoſæ, ana ʒ v. decocti acetoſæ hordei, lupulorum, ℥iiij. Miſc.*

Purgans. Medicamentum purgans, ſit leniens modo propoſitum: niſi contingat, vt ſanguis mutetur vel in bilem, vel in melancholiam: tunc enim addere licet, propter bilem quidem, *rhabarb.* propter melancholiam vero, *ſenam.*

Alterans. Medicamentum alterans (ſecundum Gale.ca.5.li.9.meth.) debet eſſe *frigida*, ſi venæſectio eſt præ-B termiſſa. At ſi ſecta fuit vena, refrigerantibus vti licet remiſſioribus, vt *ſerum lactis, cum ſucco endiuiæ, & reliquis*, de quibus in febre bilioſa.

Diæta. Quoad materiam diæteticam; cum ſanguis ſit copioſus & calidior: ob id probatur victus minuens, & refrigerans: vnde cibi alterandi, quemadmodum in bilioſa febre dictum eſt.

CAPVT XXXII.

De febre Pituitoſa.

Definitio. PER febrem pituitoſam, intelligimus omnem febrem pituitoſam, excepta pituitoſa ſyncopali; de qua ſuo loco. *Febris autem pituitoſa eſt febris putrida, procedens a pituita putreſcente.* Pituita alimentalis vt putreſcat. Pituita eſt Alimentalis, vel Excrementitia. Alimentalis, eſt portio chyli frigida & humida, quæ in ſanguinis penuria, in ſanguinẽ C mutari poteſt. Et hæc alimentalis pituita putreſcere poteſt, vel vt alimentalis, vel vt excrementitia. Si putreſcat, vt alimentalis; oritur febris *pituitoſa continua*, e pituita dulci. Quod ſi pituita alimentalis, antequam putreſcit, euadat excrementitia; variæ prodeunt febres, *& continuæ, & intermittentes:* prout alimentalis pituita in variam excrementitiam mutatur. Mutatur vero a cauſſa calefaciente, aut refrigerante. Calefaciens, pituitam alimentalem mutat in ſalſam: ſiue hoc fiat per putredinem; ſiue per admiſtionem ſalſæ ſeroſæque humiditatis; ſiue, vt Auicennas ait, ob permiſtionem amaræ bilis: omnibus enim his modis, vapor calidus & exuſtus, cum materia aquea permiſcetur, quæ vera ſalſi ſaporis cauſſa eſt ſecundum Philoſophum. (cap 6 l 2. de diff. feb.) Ob putredinem ſalſa fit pituita: quoniam calor putredinalis, agens in pituitam nondum ſalſam, producit vapores exuſtos, qui cum portione aquea permiſcentur. Deinde citra putredinem ſalſa fit pituita: quando ſeroſa humiditas ſalſa, pituitæ non ſalſæ permiſcetur: genita autem eſt illa ſalſa humiditas a ca-D lore, qui in ſeroſam humiditatem agens, produxit vapores exuſtos; hi deinde miſti cum aquoſa portione humiditatis, ſeroſitatem illam ſalſam reddiderunt. Ita etiam amara bilis, permiſta pituitæ, calore ſuo in pituitam agens, producit vapores exuſtos, qui cum portione aquoſa pituitæ miſti, cauſſa ſunt ſalſedinis. Sic igitur pituita ſalſa, quæ ſecundum Alexandrum eſt calida, & ſicca, a cauſſa calida generatur. Secundo pituita alimentalis a cauſſa refrigerante mutatur in acidam, imo ſi intenſum ſit frigus in acidam vitream. Hæc de pituita alimentali. Excrementitia pituita vt ſit febris cauſſa. Excrementitia pituita, vel generatur in ventriculo, & proprie pituita dicitur: vel in cerebro, & vocatur mucus pituitoſus: vel etiam in neruoſis partibus, ca.4.li.13.meth. quæ improprie pituita vocatur. Pituita in ventriculo, vel cerebro genita, febris cauſſa eſſe poteſt: non item, quæ in partibus neruoſis gignitur. Ceterum, pituita hæc excrementitia, vel eſt naturalis, vel præter naturam. Naturalis expers inſignis qualitatis, eſt inſipida inſtar aquæ, vel ſubdulcis (*nõ dulcis: nam hæc eſt alimentalis:*) Pitui-E ta excrementitia præter naturam, particeps eſt qualitatis effatu dignæ: nimirum caliditatis, vt ſalſa pituita: vel frigiditatis, vt acida, & vitrea. tex.31.lib.1 de nat.hum. cap.2.lib. de atra bile, cap.vlt.lib.2. de fac.natural. Gypſeam omittimus, quia non eſt cauſſa febris. Hinc ergo colligere poſſumus, pituitam calidam & ſalſam, produci a calore, qui viget vel in capite, vel in hepate, vel, quod ratum eſt, in ventriculo: pituitam vero frigidam, ſalſedinis expertem generari a cauſſa frigida, quæ in capite, aut ventriculo viget, maxime ſi prægreſſus ſit victus pituitoſus, id eſt, frigidus & humidus.

Cur hyeme copioſa pituita reperiatur: cum tamen κοιλίαι θερμόταται. *Hoc loco dubium quoddam diſſoluendum, de pituita, quam Hippocrates hyeme generari aſſerit, tex.31.l.1. de nat. hum. Contra vero aphoriſmo 15.ſect.1. hyeme ventres natura calidiſſimos eſſe ait: vt proinde potius ſanguis, quam pituita hyeme produci videatur?* Reſponſio. Hyeme quidem calor natiuus ventriculi, copioſus eſt ſecundum ſubſtantiam, quoniam non diſſoluitur, niſi aliquot violentum occurrat: nihilominus pitui-F ta admodum copioſa hyeme reperitur, ob tres cauſſas. Prima, quia hyeme copioſa generatur: nam homines tunc veſcuntur cibis pituitoſis, & bibunt vinum recens, quæ omnia materia ſunt pituitæ generandæ. Secunda cauſſa eſt, quia pituita hyeme genita, non mutatur in ſanguinem, ſicuti aliis anni temporibus: (c.8.l. de atra bile.) mutatio in ſanguinem, fit in hepate & venis; at frigus hyeme penetrat ad iecur, & potiſſimum ad venas; ac proinde pituita iam genita non poteſt ita mutari in ſanguinem. Tertia cauſſa eſt, quia pituita hyeme non poteſt diſſolui, vt æſtate; pori enim corporis ſunt ſtipati. Vnde hyeme copioſa pituita viget.

Differentiæ. Differentiæ ſumuntur a Materia, & Loco. Materia eſt Alimentalis, vel Excrementitia: Alimentalis eſt dulcis. Excrementitia eſt Naturalis, vt inſipida: vel Præter naturam, quæ aut Calida, vt ſalſa; aut Frigida, vt acida & vitrea. Febris tamen exquiſitiſſima, fit e pituita naturali excrementitia. Differentiæ a loco. Pituita putreſcit Extra venas, vel In venis: & hinc febris pituitoſa, eſt intermittens, vel continua. Quod ſi G continua febris pituitoſa producatur a pituita ſalſa, vocatur *cauſus nothus.*

Signa. Pituitoſa febris indicatur in genere, in cauſſis internis & externis, pituitam generantibus: c.4.l.2. de diff.feb. c.5.l.1. ad Glauc. de quib. ſupra. Præterea indicatur ex exeuntibus pituitoſis, vt e vomitu pituitoſo, ſimilique alui deiectione, &c. Signa differentiarum. Si ſalſa ſit pituita; ſigna ſunt caliditatem indicantia, vt ſitis: adeſt etiam vomitus ſalſæ pituitæ. Si pituita ſit acida; ſigna ſunt frigiditatis, vomitus materiæ acidæ. Si

pituita sit vitrea; signa sunt frigoris intensi; verbi gratia, signa admodum frigidi ventriculi, vomitus pituitæ vitreæ, similisque alui deiectio. Quoad differentias a loco. Si pituita putrescat in venis; signa sunt febris continuæ, de quibus suo loco: si extra venas; signa sunt intermittentis, de quibus etiam in doctrina generali egimus. Ceterum febris continua, a pituita subdulci, vel insipida, ab Auicen. *Latica* dicitur, similisq; est hecticæ: ne igitur medici decipiantur, has ita ab inuicem distinguere oportet: in latica singulis diebus aliqua intensio obseruatur; & cutis non euadit arida, vt in hectica, sed albicans, & subtumida, ratione pituitæ: præterea etiam signa pituitæ assunt. A

Indicationes. Pituita est alteranda, & vacuanda. Alterantia, sunt calefacientia: exceptis iis, quæ salsam pituitam alterant refrigerando, quatenus est calida; alterantia dein sunt attenuantia, & detergentia, ratione crassitiei, & visciditatis.

Prognostica. Pituitosa febris, non est prorsus salubris: & potius diuturna, quam breuis; vnde longo tempore potius expugnatur. At periculum maius est, minusve; ratione materiæ, & loci. Quoad materiam: minus est periculosa, quæ fit a pituita insipida: magis periculosa, quæ a salsa, vel acida. Longiori tempore curatur, quæ fit a pituita acida, maxime si etiam sit vitrea: cap. 6. lib. 2. de differ. feb. in vitrea enim est insignis vehementia essentiæ. Quoad locum: magis periculosa est, si materia putrescat in venis, quam si extra: additur enim vehementia dignitatis. B

Phlebotomia. Venæsectionem Gale. c. 12. l. 1. ad Glauc. non proponit, quia non conuenit, in quotidiana exacte exquisita (de qua ibi Galenus loquitur:) nam in hac febre necesse est, vt omnes caussæ in vnam pituitam dirigantur; vt nimirum aer sit frigidus, tempus hyemis, constitutio frigida, & regio frigida: quibus exsistentibus, virtus venæsectionem permittere non potest; vt e doctrina generali patet. Quod si febris non sit exacte exquisita; licet venam secare. Vsus e generalibus patet. C

Leniens, si pituita non sit salsa: *℞. mellis ros. sol ℥ vß. iuris parum: fiat potio breuis.* Si pituita sit salsa: *℞. flor. cass. nou. extr. ℥ j. mannæ electæ ℥ ß. anisorum ruditer contusorum g̃ vij. Mis. cum saccharo fiant boli.* Si pituita sit acida, & febris intermittens: *℞. specierum hieræ ℥ ß. cum melle ros. sol. fiant boli.*

Præparantia. Præparans, si pituita sit salsa: *℞. syr. de cich. simpl. de beton. ana ℥ j: decocti cich. beton. ℥ iij. Misc. pro syrupo.* Si pituita sit frigida: *℞. oxymelitis simpl. syr. de beton. mellis ros. ana ℥ ß. iuris alterati cum beton. metha, & cich. ratione febris, ℥ iij. Misce pro syrupo.* Si frigidior sit pituita; vtendum est syrupis compositis, hoc modo: *℞. syr. de beton compositi, oxymelitis scillitici, ana ℥ ß. syr. de stœch. ʒ vj. decocti petroselini, feniculi, hyssopi, cichorii propter febrem, ℥ iij ß. Mis. pro syrupo.*

Purgantia. Purgans, si pituita sit salsa: *℞. agar. trochiscati ℈ iiij. infundatur in suff. q. decocti betonicæ & cichorii: & facta diligenti expressione, adde, mellis ros. sol. ℥ iij ß.* Bolus, ad pituitam salsam: *℞. agar. trochisc. ℈ iiij. flor. cassiæ, propter salsam pituitam ℥ j. mannæ el. ʒ ij Misc. & cum saccharo fiant boli.* Si pituita non sit salsa: & primum si fuerit insipida: *℞ agar. trochisc. ℈ iiij. diaphœn. seu electarii de dactylis ʒ iij. propter febrem: flor. cass. nou. ext. ʒ vij Mis. cum saccharo fiant boli* Si pituita fuerit acida: *℞. agar trochiscati ʒ j ß. fiat infusio sufficientis aquæ in decocto stœch. & facta diligenti expressione, adde diaphœn. ʒ ij ß. mellis ros. sol. ℥ iij. Misc. & fiat potio breuis.* Poterimus etiam vti hoc medicamento: *℞. pil. coch. ʒ j ß. mastichinarum ʒ ß. cum melle ros. sol. fomentur pil. vj.* post assumtas has pilulas, patiens superbibet *ius alteratum cichorio, ratione febris.* D

Roborantia. Medicamentum roborans respicere debet non tam febrem, quam partes generantes pituitam. Quare caussa salsæ pituitæ, hepar calidius eget refrigerantibus: caussa pituitæ insipidæ & acidæ, ventriculus atque caput postulant calefacientia. Ratione igitur salsæ pituitę, huiusmodi medicamentum intus vsurpari potest: *℞. conseruæ cich. ℥ j. cons. betonicæ ℥ ß. specierum diarrhod. abb. ℈ ß. Misce pro tribus vicibus.* Extra hoc applicabitur: *℞. succi cich. ʒ vj. succi absinth. ʒ iij. aceti gratia penetrationis ʒ j. Misce & applicetur hepati.* Caussa autem pituitæ frigidæ, medicamentum hoc intus exhibeatur: *℞. conser. beton. dianthos ana ʒ j. specierum diatrionpiper. diacalaminth. ana g̃ vij. Misce & sat erit pro quatuor vicibus.* Probantur etiam *magna antidoti* in hac febre, nimirum *theriaca, & mithridatium.* Si medicamentum extra est adhibendum, caussa ventriculi, *℞. oleorum de spica, de absinth. mastichini, de nuce moschata, ana ℥ ß. pulueris macis, nucis moschatæ, caryophyll. ana g̃ v. ceræ lotæ vino maluatico ʒ j. Misce & applicetur ventriculo;* dummodo ventriculus nō modo sit frigidus, sed etiam humidus: nam si siccitas dominetur, ab hoc medicamento abstinendum: sed de his potius dicendum in affectibus ventriculi. Caussa capitis *℞. puluerum beton. stœch. hyssopi ana ℈ ß. Applicetur hic puluis suturæ coronali; & superponatur ceratum de betonica, vel etiam ceratum sacrum.* Diæta ad proportionem respondeat. E F

CAPVT XXXIII.

De febre Syncopali.

Definitio, & caussæ. FEbris pituitosa, non modo ea est, de qua iam diximus, sed etiam syncopalis, quæ & pituitosa, & interdum etiam biliosa est. Sic autem vocatur, quia syncope vel adest, vel imminet. *Febris ergo syncopalis, est febris putrida, procedens a materia, vehementer lædente os ventriculi.* Hæc materia est pituitosa & biliosa. c. 2. 3. 4. 5. l. 12. meth. Materia pituitosa, est pituita copiosa, crassa, cruda, quæ aliquando coctionem non admittit: est item succus crudus, qui improprie pituita dicitur: & secundum Auicennam interdum est pituita tenuis, sed raro. Caussæ generantes patent e febre pituitosa. Materia biliosa est bilis flaua, dein etiam, quæ deterior, vitellina, æruginosa, cœrulea: potestque materia biliosa, tum crassa esse, tum tenuis. Caussæ generantes patent e febre biliosa. Additur in definitione, materiam illam *vehementer lædere os ventriculi, vt cor in consensum trahatur:* e vehementi enim oris ventriculi læsione, spiritus modo dissoluuntur, modo alterantur, modo vtrumque patiuntur: vnde leipothymia, vel syncope oritur. G

Differētiæ. Differentiæ sumuntur a materia: quæ est Pituita, vel Bilis: quarum vtraque vel crassa, vel tenuis. Si ma-

A Si materia eſt craſſa;dicitur *ſyncopalis humoroſa:* quæ ſi fiat a pituita craſſa,dicitur exquiſita exacte. Si materia eſt tenuis;dicitur *ſyncopalis minuta:* quæ ſi fiat a bile tenui, exquiſita exacte dicitur:at ſi fiat pituita a tenui,nequaquam dicitur exquiſita exacte.

Febris ſyncopalis facile cognoſcitur:quia vel imminet,vel adeſt leipothymia,aut ſyncope: ægri noxam percipiunt ſecundum ventriculum. Signa differentiarum,ſunt ſigna indicantia pituitam, vel bilem: de quibus ſuo loco dictum fuit. Signa.

Indicationes ſumuntur a materia, vt eſt alteranda,& vacuanda. Alteratio eſt multiplex:nam materia cruda eſt concoquenda:frigida pituita,calefacienda:materia bilis refrigeranda:materia craſſa humoroſa, attenuanda:materia tenuis quæ peccat in febre ſyncopali minuta, craſſefacienda. Et in hac febre virtus potiſſimum ſecundum ſpiritus cuſtodienda. Indicationes.

B Periculoſa eſt hæc febris:nam adeſt vehementia materiæ,& ratione eſſentiæ, quia admodum recedit a naturali ſtatu:& ratione dignitatis,quia afficitur os ventriculi:& ratione facultatis, propter deliquiū animi. Quoad ſyncopalem humoroſam;periculoſior eſt,quæ fit a pituita admodū copioſa.c.3.l.12.meth. Quod ſi crudus ſuccus ea cruditate affectus ſit,vt coctionem non admittat:febris hæc eſt mortalis:quia id quod eſt præter naturam,eſt vehementiſſimum,& virtus debilis.Si non ſit tanta copia materiæ; aliqua ſalutis ſpes eſſe poteſt, quamuis hæc materia cruda non admittat coctionem:ratio eſt,quia,dum hæc materia ſumme cruda,eſt exigua,natura admittit alimentum;non autem,ſi ſit copioſa:& præterea,materia cruda exigua, licet non admittat coctionem cauſſa nutritionis; attamen præparationem quandam & maturationem admittit,vt poſſit expelli.Vnde non eſt e toto deſperandum. Syncopalis vero minuta, curationem admittit:cap.vlt.l.12.meth. quamuis producatur etiam a materia æruginoſa;niſi virtus ſit admodum C imbecillis,vel aliqua ſit inflammatio in viſceribus:tunc enim mors prædici poteſt. Prognoſtica.

Quoad materiam cheirurgicam:non conuenit venæſectio,quia adeſt cacochymia,ſuccus crudus,& virtus eſt debilis.In ſyncopali autem humoroſa,probatur *frictio*,tanquā materia euacuans. c.3.l.12.meth. primum frictio debet eſſe ſicca,linteis mediocriter aſperis:poſtea oleo relaxante,vt *anethino*,fricare oportet.Frictio ſtatim in principio fieri debet:vacuatione enim opus eſt in hac febre;cuius materia eſt frictio: aliam enim vacuationis materiam hic vſurpare non licet.Frictio debet adminiſtrari ſuperne deorſum: & primo fricanda crura,ſecundo brachia,tertio ſpina dorſi:deinde artus,id eſt brachia,crura,rurſus ſpina,& vltimo artus: a frictione ergo artuum incipiendum, & in ea deſinendum. Hæc frictio in febre ſyncopali minuta improbatur:vt teſtatur Galenus c.6.l.12.meth.Non ergo in qualibet ſyncopali fricare licet. Venæſectio. Frictio.

Quoad materiam medicinalem:in ſyncopali humoroſa probantur lenientia,infra adminiſtrata:tu-D tiuſque eſt *ſuppoſitoriis vti,quam clyſteribus:* e qua vero materia parentur,dictum eſt in doctrina generali. Lenientia autem per os exhiberi non poſſunt,quia os ventriculi non permittit. Lenientia.

Præparantia non ſeorſim, ſed vna cum cibis danda: verbi gratia ſi velimus *oxymeli* exhibere; cum *cremore hordei* exhibemus. Præparantia.

Purgans nequaquam dandum:permearet enim per os ventriculi,excitaretque ſyncopen,ſi non adeſſet,& mortem inferret. Purgantia.

Roborantia ventriculum,locum habent:quorum materia, in ſyncopali humoroſa,eſt *oleum de abſinthio*. Non tamen ilico primo die,vt quidam faciunt,ventriculus eſt inungendus,ſed præcedere debent frictiones,& materiam magna e parte concoctam & euacuatam eſſe oportet.In ſyncopali minuta,probatur medicamentum adſtringens, c.6.l.12.meth. cuiuſmodi eſt *oleum melinum*. Ad inhibendum ſudorem, E qui in hac febre copioſus eſſe ſolet;inſpergere oportet puluerem,paratum e *roſis*. Vnde Auicen. inungebat pectus *cum ſantalis & aqua roſacea*. Roborantia.

Quoad materiam diæteticam;in ſyncopali humoroſa,probatur aer temperatus; in minuta refrigerans & adſtringens,ac proinde alteratus *roſis,cydoniis,foliis cydoniorum,foliis myrti*. cap.3.& 6.l.12.method. Quod cibū attinet;in ſyncopali humoroſa,probatur *mulſa cum hyſſopo*. Quod ſi æger ab hoc cibo abhorreat,Galenus probat *cremorem hordei,cum oxymelite*. Gal.etiam admonet,ſi forte pulſus fiat imbecillior; exhibendum eſſe *panem, e vino diluto,aquoſo*,niſi prohibeat inflammatio:hac enim præſente,actum eſt. NB. *Mulſa* probatur minus cocta,ſi aluus eſt ſtiptica,vel ſaltem non fluit immoderate: magis autem cocta,dum aluus immodice fluit:hæc enim magis nutrit,& aluum non ſubducit.Quod ſi plus iuſto alui fluxus vigeat;loco mulſæ probatur *cremor hordei*,vel potius *cremor halicæ*. Circa *oxymeli* notandum, e cap.3. F l.12.meth. illud æſtiuo tempore actu frigidū eſſe exhibēdum,licet patiens aſſuetus ſit vti calidis actu:contra hyeme actu calidum oxymeli dandum eſt,licet conſuetudo ſit frigidorum actu,vbi Gal. aerem magis reſpicit,quam conſuetudinem:ratio eſt; quia in hac febre aer calidior rationem habet cauſſæ morbificæ, liquat enim materiam, quemadmodum aer frigidus vim habet cogendi: dum vero aer calidior crudum humorem liquat,periculum imminet,ne materia liquata,pulmones & cor petat. Cibus autem in ſyncopali minuta conuenit,qui non facile diſſipatur,vt *ſorbitio ex halica: mala punica,pyra, vitelli ouorum, teſticuli gallorum,cerebrum ſuillum,ſed diligenter aſſatum*. Potus ſit *vinum aquoſum*,actu frigidum. Reliqua patent e doctrina generali. Diæta: in ſyncopali humoroſa. mulſa. oxymel. In ſyncopali minuta.

CAPVT XXXIV.

De febre Quartana, & cognatis aliis.

G FEbris *quartana ſeu melancholica, eſt febris putrida,procedens a bile nigra putreſcente*. Bilis nigra, eſt Melancholica,Sanguinea,Cholerica, & Pituitoſa. Nigra bilis melancholica, eſt Alimentalis,vel Excrementitia. Alimentalis, eſt quartus ſuccus maſſæ ſanguineæ,vergens ad frigidum & ſiccum: vt propterea ſit alimentum oſſium;partium frigidarum,& ſiccarum.Excrementitia,eſt Naturalis,vel Præter naturam. Naturalis, eſt excrementum craſſum hepatis, e quo producitur *quartana exquiſita exacte*. Præter natu- Definitio. Bilis nigra quadruplex. I.

ram nigra bilis, generatur ex alimentali, & ex excrementitia: ſi vis exurens ſit remiſſa, generatur excremẽtum, quod melancholia dicitur; ſi intenſa, oritur excrementum, quod atra bilis nuncupatur. Bilis nigra ſanguinea, fit e ſanguine: eius nimirũ portione vel tenuiore, vel craſſiore. Si e portione tenuiore; primum fit bilis flaua, mox atra. Si e portione craſſiore; exuſtio vel remiſſa eſt, vel intenſa: ſi remiſſa, fit melancholia, excrementum ſi intenſa ſit, atra bilis. Bilis nigra cholerica, fit e flaua bile, & vocatur, atra bilis. Bilis nigra phlegmatica, ab Auicenna propoſita, non fit e quolibet phlegmate, ſed e ſalſo; hoc enim primum degenerat in flauam bilem, deinde in atram; vt colligitur e cap. 2. l. 4. ſimpl. & aph. 42. ſect. 7. A

Cauſſæ. Cauſſæ in hac febre concurrunt calefacientes & ſiccantes; vt vel generant melancholiam, vel humores aſſant; & modo in melancholiam mutant, ſi ſint remiſſiores; modo in atram bilem, ſi ſint calidiores; ſiue hæ ſint internæ, ſiue externæ.

Differentiæ. Differentiæ ſumuntur a Materia, & Loco. Materia, ſeu bilis nigra, eſt melancholica, ſanguinea, bilioſa, pituitoſa. A loco: materia putreſcit in venis, aut extra venas: vnde febris continua, vel intermittens. B

Signa. Febris hæc in genere facilime cognoſcitur. Nam præter periodos quatriduanas, cauſſæ generantes melancholiam, vel præceſſerunt, vel ſunt præſentes. Signa differentiarum: ſi ſit a materia melancholica, omnia ſunt mitiora: ſi ab atra bile, intenſiora. An vero ſit melancholica, ſanguinea, bilioſa, pituitoſa; cognoſcitur e ſignis, indicantibus dominium huius vel illius humoris.

Indicationes. Indicationes monſtrant alterantia, & vacuantia. Alterantia, modo calefaciunt & humectant, ſi materia ſit melancholica: modo refrigerant & humectant, ſi materia ſit bilis atra. Cum autem quælibet materia, ſiue melancholica, ſiue bilis atra, ſit craſſa: ſemper etiam oportet attenuare.

Prognoſtica. Prognoſtica variant pro vi differentiarum. Quoad differentias igitur a materia: ſalubris eſt febris, ſi materia ſit melancholica; nam vehementia eſſentiæ eſt remiſſa. t. 4. ſ. 3. l. 1. epid. Si materia ſit atrabilaria febris eſt admodum periculoſa; quia maxima eſſentiæ vehementia. Quoniam vero materia melancholica eſt craſſa, in cauſſa eſt longitudinis; vnde quartana per annos durare poteſt. Quoad differentias a loco: intermittens non eſt periculoſa ratione dignitatis loci; continua contra (*non loquor hic de vehementia febris, ſed cauſſæ: alias enim ratione febris, quartana etiam intermittens, ſatis periculoſa eſſe poteſt.* C

Phlebotomia. Venæſectio probatur in quartana continua, in intermittente exquiſita exacte (ſecundum Galenum l. 1. ad Glauc. c. de cura quartanæ exquiſitæ exactæ:) in melancholica ſanguinea. Non autem ita probatur venæ ſectio in quartana phlegmatica, & minus in bilioſa; nam cacochymia potius viget. Notandum vero (& hoc potiſſ. in intermittente exquiſita exacte.) tum demum venam aperiendam eſſe, cum ſanguis melancholicus reperitur in venis pertinentib. ad totum corpus: ſi enim bilioſus ſanguis, in venis totius corporis reſideat, melancholicus vero in venis circa hepar; vena nequaquam tundenda. Hoc vero vt cognoſcamus, poſt venam ſectam obſeruare debemus, quiſnam ſanguis effluat: ſi egrediatur niger & melancholicus, permittamus effluere: ſi flauus egrediatur, ſtatim ſupprimere oportet; indicat enim ſanguinem melancholicum non reſidere in venis totius; vnde per venam ſectam copia eius non minueretur, ſed eius vires potius intenderentur, detracto humore contrario. De adminiſtratione venæ ſectionis, & de apertione venarum hæmorrhoidalium, in generali doctrina dictum. D

Lenientia. Medicamentum leniens, in quartana melancholica non atrabilaria: *℞. elect. lenitiui ʒ x. mannæ el. ʒ ij. cum ſaccharo fiant boli.* Si febris melancholica ſit ſanguinea: *℞ flor. caſſ. nou. ext. elect. lenit. ana ʒ v. mannæ el. ʒ ij. cum ſaccharo fiant boli.* Notandum in priore formula, caſſiam non proponi, quia in quartana nõ ſanguinea, color tam inſignis nõ eſt, vt in ſanguinea, in qua caſſiæ flor. refrigerantes miſceri debent. In quartana pituitoſa. *℞. flo. caſſ. nou. tr. ℥ j. ſpecierum hieræ ʒ iß. mannæ el. ʒ ij. cum ſaccharo fiant boli.* Hic ſpecies hieræ reſpiciunt ſuperfluitatem pituitoſam, quæ habent rationem materiæ antecedentis: caſſia eſt corrigens, quia materia pituitoſa putreſcens, verſa eſt in atram bilem, valde calidam. Potio in eadem *℞. mellis roſ. ſol ℥ iij. mellis viol. ſol. ℥ iß. iuris, alterati boragine, parum fiat potio breuis.* In quartana bilioſa *℞. flor. caſſ. nou. ext. ʒ x. mannæ el. ʒ ij. cum ſaccharo fiant boli.* Species hieræ non adduntur, neque electarium lenitiuũ, propter feruorem materiæ bilioſæ, & atrabilariæ. Potio in eadem. *℞. ſyr. viol. ſol. mannæ el. ana ℥ iß. decocti endiuiæ, boraginis. parum: fiat potio breuis.* E

Præparantia. Præparans in quartana melancholica: *℞. ſyr. de borag. de liquiritia, de lupulis, ana ℥ ß. decocti borag. meliſſæ, ceterach ℥ iij Miſ. pro ſyrupo.* In quartana pituitoſa; *℞. oxymelitis ſimplicis, ſyr. de ſucco bugloſſæ ana ℥ j. decocti beton. meliſſæ, borag. ℥ iij. Miſc. pro ſyrupo.* Hic betonica & oxymeli proponuntur propter pituitam: in priori recepta non proponuntur, quia illa reſpicit febrem quartanam melancholicam. In quartana bilioſa *℞. ſyr. violati, ſ. de pomis ſimpl. ana ʒ vj. decocti hord. endiu. lactucæ (non vtimur betonica.) ℥ iij. Miſ. pro ſyrupo.* Hic violis, hordeo, lactuca vtimur, quia materia eſt atra bilis, humor calidus & ſiccus. F

Vacuantia ſenſibiliter. Purgans, ſeu vacuans medicamentum vacuat Senſibiliter, vel Inſenſibiliter. Vacuans ſenſibiliter, in quartana melancholica *℞. corticũ radicum hellebori nigri ℈ iiij. feniculi, cinamomi (correctionis gratia ana g̃ v. fiat infuſio in decocto ceterach, & cichor. cum ℥ ij fol. ſenæ: & ʒ j. paſſul. dulcium & facta diligenti expreſſione, adde mannæ el. ſyrup. de polypodio ana ℥ iß. Miſc. & fiat potio breuis.* Bolus in eadem: *Recipe electarii lenitiui ℥ j. conf. Hamech. mannæ el. ana ʒ ij. Miſc. & cum ſaccharo fiant boli. Albo veratro* non vtimur: quia nimis eſt periculoſum medicamentum. In quartana pituitoſa: *Recipe agar. troch. ℈ iiij. fiat infuſio in decocto beton. cum ℥ iij. fol. ſenæ, & ʒ j. paſſul. & facta diligenti expreſſione, adde mellis roſ. ſol. ℥ iiß. Miſc. & fiat potio.* Vel: *Recipe agar. troch. ʒ j. electarii len. ʒ vii mannæ el. ʒ ij. cum ſaccharo fiant boli.* In quartana bilioſa: *Recipe rhabarb. electi ℈ iiij. fiat infuſio in decoctione endiuiæ cum ℥ iß. fol. ſenæ, & ʒ j. paſſul. & facta diligenti expreſſione, adde mannæ el. ſyrupi de polyp. ana ℥ iß. Miſc. & fiat potio breuis: cui patiens ſuperbibat. ℔ 1 ß. ſeri lactis caprini, optime depurati:* & hoc ob febrem immenſam, cuius materia atrabilaria; & ob iecur calidius. Bolus in eadem: *Recipe pulu. rhabarb. el. ʒ j. (ratione bilis.)* G

confe-

A *confectionis Hamech: (ratione atra bilis.)* ℥ij. *flor. cassia* ʒvij. *(vt attemperetur medicamentorum propositorum caliditas) manna el.* ℥ij. *cum sacharo, fiant boli.* Cum autem febris valde sit calida, non sufficit cassiam adiicere, sed prodest etiam, vt patiens superbibat ℔ j ß. *seri.*

Vacuantia insensibiliter. Medicamentum vacuans insensibiliter, est calidum, siccum, tenuis substantiæ, cuiusmodi est *diatrionpipereon, diaspermaton, quod fit e pipere, ruta, cymino & nitro.* Huius classis est medicamentum, quod conficitur *e feniculo, petroselino, & similibus*; quorum forma est exiguæ actiuitatis, ad differentiam magnarum antidotorum, quorum forma est magnæ actiuitatis.

De theriaca, & mithridatio. Notandum autem hæc medicamenta insensibiliter vacuantia, in quartana atrabilaria nequaquam vsurpari debere: Galenus enim ea proponit in melancholica exquisita. Præterea dum hæc medicamenta administrantur, oportet miscere *boraginem, buglossam* &c. Vt: *Recipe diatrionpipereon* ℈ij. *deinde patiens superbibat, decocti borag. vel buglossæ, vel cich. ad* ℥ iiij. Quod si febris melancholica (non atrabilaria) sit contumax vt sæpe fit, probatur *radix chinæ cum boragine decocta:* patientes autem dum hoc decoctum assumunt, sudare debent.

B

Alterantia. At vero hic notandum, medicamenta magnæ actiuitatis secundum formam, vt est *Theriaca, & Mithridatium,* non probari, nisi post concoctionem materiæ, & aliquam etiam materiæ euacuationem, quod de reliquis non est statuendum; verbi gratia, possumus vti diatrionpiper. &c. & aliis, quorum forma non est magnæ actiuitatis, ante theriacam & mithridatium: vnde Galenus magnas antidotos tam cito exhiberi prohibet, ne e quartana simplici, fiat duplex, vel triplex; ex intermittente, continua; ne augeantur obstructiones, febresque intendantur; quando scilicet ob summam actiuitatem, materia cum impetu plus iusto agitatur.

C *Diæta.* Medicamenta alterantia duorum sunt generum. I. Calefacientia, ratione ventriculi generantis pituitam; & ratione lienis, qui frigiditate affectus excrementum melancholicum exacte nec suscipit, nec regere potest: probantur igitur in quartana melancholica & pituitosa. E.G. ♃. *conserua beton. dianth. sacchari boraginacei ana* ℥ ß. *Mis. pro tribus vicibus.* II. Refrigerantia, caussa iecinoris calidioris, quæ probantur in quartana biliosa & atrabilaria: verbi gratia, ♃. *sacchari violati* ℥ ß. *& æger superbibat* ℔ j. *seri: vel* ℔ ß. *aquæ hordeaceæ, alterata endiuia, & quandoque lactuca.*

Diæta medicamentis proportione respondere debet. Victus igitur erit mediocris, quia longa est quartana. Ceterum, modo debet esse calefaciens, vt in quartana melancholica, & pituitosa; modo refrigerans, vt in biliosa. *Vinum* probatur in melancholica & pituitosa: non in biliosa & atrabilaria. Reliqua patent.

D

De Febribus Quinctanis, Sextanis, Septimanis, Nonanis.

Quartanis affines. FEbres quinctanæ, sextanæ, septimanæ, & nonanæ, referuntur ad quartanam melancholicam, eandemque admittunt curationem. Notandum autem quinctanam fieri ab atra bile; reliquas non ab atra, sed a materia melancholica: vnde quinctana febris deterior est, & maxime periculosa, quoniam maior est vehementia essentiæ. com. 2.7.9. sect. 3. l. 1. epidem.

CAPVT XXXV.

De febribus Hecticis.

Nomen. HACTENVS de febribus putridis egimus: sequuntur Hecticæ. Hectica autem febris, secundum Gale. cap. 7. l. 1. de diff. feb. dicitur, quia habitum corporis ita comprehendit, vt si progrediatur, ad differentiam reliquarum febrium, euadat morbus in habitu.

E

Definitio. Nō omnis hectica est morbus calidus in habitu. Differentia hecticæ, e phemeræ, & putridæ. *Hectica igitur est febris, producta a primaria accessione solidorum cordis, citra venenositatem.* Hæc definitio est explicanda, e cap. 1. & 9. l. 1. de differ. febr. Quatenus igitur hectica dicitur *febris*; necesse est, vt sit morbus calidus in toto, & in facto esse, qui tamen modo est in habitu, modo in habitudine. Errant igitur vehementer, qui credunt omnem hecticam esse morbum calidum in habitu: nam morbus in habitu, ad differentiam morbi in habitudine, semper est difficilis curatu; at datur hectica, quæ inter initia facile curatur. Ergo etiam datur hectica in habitudine. Additur in finitione: *producta a primaria accessione solidæ substantiæ cordis:* ad differentiam ephemeræ, quæ fit a primaria accensione spirituum; & putridæ, quæ producitur a primaria accensione humorum: at in hectica cor afficitur morbo, seu intemperie morbosa: vnde in hectica cordis actiones læduntur, læsa facultate; in ephemera & putrida tantum ob errorem externum. Hic morbus calidus in corde, modo est in habitudine, modo in habitu: si est in habitudine; virtus cordis nondum patitur, quia hoc tempore substantia virtutis cordis nondum est imminuta, sed solum calefacta: vnde etiam facilis est curationis. Per *primariam accensionem,* intelligimus principalem, non primã in tempore. Nam cor modo primo afficitur, vt si hectica fiat ex ira: modo cor non primo afficitur, vt si fiat hectica ex inflammatione ventriculi, pulmonisve vlcere, ca. 8. l. 10. meth. Quia ergo prima accensio non semper ad cor spectat, principalis autem semper; ideo hæc in finitione proposita est.

F

Caussæ. Caussæ, quæ efficiunt principalem accensionem, sunt calefacientes, & exsiccantes, sed *citra venenositatem (ad differentiam febris pestilentis, quæ etiam est morbus in corde, sed producitur a caussa venefica.)* Caussæ igitur hæc calefaciens & siccans, citra venenositatem, est Interna, vel Externa. Interna, est soboles seu effectus morbi Communis, vel Determinati. Communis morbi soboles est, nimirum febris siue hæc sit ephemera hecticam producens, siue putrida diuturna, & potissimum febris ardens. Est autem effectus morbi determinati, verbi gratia empyematis, vlceris pulmonis, inflammationis diuturnæ plerarumque partium, vt ventriculi, intestini, coli, renum &c. Præterea alui fluxus in caussa esse potest, maxime si febrem habeat annexam. Externæ caussæ, sunt medicamenta calefacientia & siccantia, plus iusto vacuantia: viuendi ratio similis: ira etiam non infimum locum obtinet.

G

Effectus caloris in febre hectica: nimirũ absumtio humiditatis roridæ, carnosæ & primigeniæ.

Explicandum iam est, quomodo principalis accensio, id est calor febrilis, agat, tum in cor, tum in partes similares extra cor. Sciendum igitur, e c.6.l.7.meth. & ca.vlt.l.10.meth. humiditates partium similarium, extra venas exsistere; ad differentiam quartæ humiditatis, quæ residet in venis capillaribus. Hæc partium similarium humiditas, extra venas exsistens, in duplici est differentia: nam vel Mutatur, vel Non mutatur. Humiditas quæ mutatur, est humiditas rorida, quæ conuerti & mutari potest in alias humiditates. Humiditas, quæ non mutatur, vel est Sanguinea, vel Spermatica. Sanguinea, est humiditas adiposa, seu carnosa. Seminalis, est humiditas radicalis, quæ conseruat vitæ radicem, scilicet calidum primogenitum. In has ergo tres humiditates, quæ & in corde, & extra cor reperiuntur, agit calor febris hecticæ. Quoad cor: calor febrilis primum agit, in humiditatem cordis roridam, eamque feruidam, seu efferuescentem reddit: deinde eandem incipit consumere: postremo eam prorsus absumit cap. 9. libro primo, de differ. febr. At extra cor (*quoniam vltimum quod siccatur, est cor:*) primum, dum calor febrilis humidi- B
tatem roridam cordis feruidam reddit; hoc eodem tempore consumit humiditatem roridam partium similarium extra cor: postea, cum calor febrilis incipit absumere humiditatem roridam cordis; hoc eodem tempore absumit humiditatem carnosam extra cor: postremo dum febrili calore, cordis rorida humiditas consumta est; iam consumitur radicalis humiditas, non in corde, sed extra cor.

Differẽtiæ.

Differentiæ capiendæ sunt à Calore cordis, ab Humiditate, & Caussis efficientibus. A calore; vt est in Habitudine, vel Habitu. Ab humiditate: vt cordis humiditas rorida, vel Eff[illegible]rescit, vel Incipit absumi, vel Consumta est, vt in marasmo, siue hectica tabida. A caussis: vt caussæ sunt Internæ vel Externæ: item, caussæ sunt Morbi, vel Non morbi: vnde datur hectica incipiens, & non incipiens, vt Galenus testatur, capite 8. lib. 1. de diff. feb.

1. Signa generalia.

H[e]ctica febris *in genere* cognoscitur, e calore mordaci, quia calor febrilis solidas partes afficit; vt C
2. hic calor potissimum sentiatur in corpore arteriæ; etiam post balneum: cap 9 lib. 1. de differ. febr. Calor
3. etiam debilis est: nam hectica est parua ratione essentiæ, quoniam solida (ad differentiam humorum:) eundem statum seruant, & in corde, & extra, libro tertio, de præsag. e puls. Tum etiam calor est æqualis; quia non adest materia, quæ accendatur, nec spiritus accenduntur, sed solida, quæ æqualiter afficiuntur,
4. licet primo in habitudine, deinde in habitu. Præterea hectica in genere cognoscitur, quod caliditas pertinens ad cor, per vnam vel alteram horam a cibo augetur & intenditur: idque hac ratione: nam propter calorem febrilem in corde, rorida humiditas efferuescit, & procedente febre incipit etiam absumi: ob hanc igitur necessitatem, dum cibus est assumtus, portio liquidior & tenuior, antequam totus cibus in iecur distribuatur, perducitur in cor, ad restaurandum id quod absumitur, vnde calor cordis augetur, vt calor fiat inæqualis, & per consequens fit sensus caliditatis (*vbi enim inæqualitas, ibi sensus caliditatis:*) alias D
5. autem hectici calorem febrilem non sentiunt, ob caloris æqualitatem: capite quincto, libro primo de inæq. intemper. Insuper hæc febris cognoscitur, si caussæ febris hecticæ, vel præcesserunt, vel præsentes

Hectica etiam ab initio facile cognoscitur.

sunt: vt si vlcus est in pulmone, &c. H[e]ctica igitur in genere facile cognoscitur, etiam in principio: falsumque illud vulgatum est axioma; hecticam in principio facilis esse curationis, sed difficilis cognitionis: nec enim hæc Galeni est sententia, capite nono, libro primo, de differ. febr. vbi statuit hecticam, cui putrida annexa est, difficulter cognosci in principio; eam vero, quæ sola est, facilis esse cognitionis.

1. Signa differentiarum.

Signa *differentiarum* & primum *a calore:* Si calor sit in habitudine; præsentia sunt signa ephemerarum, capite nono, libro primo, de differ. febr. quare pulsus non est debilis (*vt male quidam volunt, hecticam indicari ex pulsu debili: hoc non est verum in principio, dum calor est in habitudine:*) quia scilicet virtus nondum aliquid est passa: febrem hectici tunc sentiunt aliquo modo; sed vix. Si autem calor sit in habitu; ægri non E sentiunt febrem (*secundum Auerr. comment.* 33. *libro quarto collect.*) & pulsum habent debilem, quia
2. scilicet virtus a calore in habitu maxime patitur. Secundo, signa differentiarum *ab humiditate.* Si rorida humiditas efferuescat; sunt signa, quæ diximus iam comitari calorem in habitudine: si rorida cordis humiditas incipiat absumi; tunc pulsus est debilis, & calor magis mordax, corpus emaciari incipit, quia iam extra cor consumitur humiditas sanguinea, id est, adiposa, seu carnosa. Si denique rorida cordis humiditas sit consumta; pulsus non modo debilis est, sed etiam durus, ob siccitatem; & æger nil nisi ossa & cutis es-
3. se videtur. Tertio, signa differentiarum *a caussis:* num hectica sit incipiens, vel ex aliis morbis orta; cognoscitur e propriis signis: Exempli gratia; si corpus donatum sit calido & sicco temperamento & febris ardens prægressa fuerit; facile cognoscimus, præsentem febrem esse hecticam, quæ ex ardente febre duxerit originem. F

Indicationes.

Indicationes per se sumuntur a febre, & virtute: febris indicat refrigerantia & humectantia: virtus indicat alimentum. Ex accidenti autem interdum capiendæ sunt indicationes a materia, quæ impedimẽto esse potest, quo minus & febri, & virtuti occurrere possimus: hæc autem sunt corporis excrementa, quæ ob id sui euacuationem indicant.

Prognostica.

Prognostica variant ratione differentiarum: Iccirco quoad differentias a calore; hectica in habitudine facile curatur, quia non adest vehementia ratione facultatis: in habitu, contra. Quoad differentias ab humiditate cordis rorida: si hæc humiditas tantum efferuescat, febris facile curatur: si incipiat absumi, cum difficultate tollitur: si sit consumta, e toto curari nequit; cum. n. hæc febris sit morbus calidus & siccus, curari potest vt morbus calidus, non autem potest curari siccus; dum enim partium humiditas radicalis seu seminalis consumitur, vsque adeo labefactata est illarum partium facultas alteratrix, vt nullo G
pacto semen possit regenerari, quod sufficit ad reparandum humiditatem seminalem deperditam. Quoad differentias a caussis: si hectica fiat ab vlcere pulmonis, est incurabilis, etiam in principio, id est, quando calor est in habitudine, seu quando solum efferuescit humiditas; caussa enim incurabilis est, nimirum vlcus pulmonis.

Quoad

A Quoad materiam cheirurgicam; venæſectio non probatur in hac febre: quia potius defectus eſt ſanguinis. *Venæſectio.*

Medicamenta interdum probantur, dum ſcilicet excrementa in corpore redundant: ceterum ſint lenientia, non purgantia; quæ cum acria ſint, calefaciunt & ſiccant, ideoque faciunt, vt habitudo in habitum tranſeat. Vti ergo poſſumus *caſſia, manna ſyr. roſ. ſol. ſpecies hieræ* vitandæ ſunt. Propoſita autem medicamenta, ſi adminiſtrantur in potione, cum iure diſſolui debent. Clyſteres ſimiliter parentur *ex oleo & iure.* Præparantia hic locum non habent, nec purgantia: quia febris eſt immaterialis. Si gratia vacuationis medicamentum ſit repetendum: id ſemper leniens erit, nunquam ſoluens. *Lenientia.*

Alterans vſurpatur Intus, & Extra. Intus: ſi corpus bilioſum ſit; dulcia ſunt fugienda, quia bileſcunt, B Si corpus non ſit bilioſum; probatur *ſaccharum roſaceum*, quia refrigerat & humectat. Ceterum in quolibet corpore hectica laborante, ſiue bilioſum ſit, ſiue non bilioſum, probatur *decoctum hordei, lactucæ; probatur* ℔j. *ſeri optime depurati, cum ſucco lactucæ.* Præterea etiam probatur *frigida ad* ℔iij. dum febris eſt in habitudine, vel dum incipit eſſe in habitu, vt immineat maraſmus: non ergo differenda eſt exhibitio frigidæ; nam quo citius exhibetur, eo magis efficax eſt, ad expugnandum febrem, & virtus eſt robuſtior, & proinde magis permittens. Alterans, quod extra adminiſtratur, poteſt eſſe *balneum aquæ dulcis:* quod primo tepidum eſt adminiſtrandum, deinde frigidum, ita vt ne ſudent ægri: vtimur enim balneo, non vt vacuante, ſed vt alterante, id eſt, refrigerante & humectante. Vt vero alimentum, balnei beneficio attractũ, non diſſipetur; præter balneum frigidæ, probatur etiam *inunctio*, quæ fiat ſecundum artus, & ſecundum thoracem. Secundũ artus, licet corpus inungere *oleo amygdalino, violaceo & vino ſubdulci, vel poſca aquoſa*, quæ ad penetrationem largitur, & refrigerat atq; humectat. Sic ergo poſſumus præſcribere: ℞. *ol. amyg.* C *dulc. violacei, ana* ℥ß. *poſcæ aquoſæ* ℥ij. *Miſc.* Ne autem inunctione ægri lædantur, oportet pharmacopœo iniungere, vt oleum amygd. ſine igne conficiat, ſi modo humectare debet. Ad thoracem hoc probatur: ℞. *ol. violacei, ſucci lactucæ ana* ℥ß. *cauſſa penetrationis, poſcæ dilutæ, vel acetoſitatis citri* ℥j. *Miſ.* Probatur etiam *infrigidans Galeni*, maxime in principio, dum rorida humiditas efferueſcit. Quare non exſpectandum, vt progrediatur malum; ſed tempeſtiue occurrendum. *Alterantia interna. Externa alterantia.*

Quantum ad diætam: aer ſit frigidus & humidus. Cibus ſit augens, non minuens; quia deficit alimẽtum: præterea ſit optimi ſucci, facilis concoctionis & diſtributionis: itemque ſit refrigerans ac humectãs. Optimæ igitur carnes, & reliqua proba cibaria condienda ſunt *ſeminibus melonum, cucurbitæ; lactuca, boragine.* Probatur *lac optimum, vt eſt humanum, deinde aſininum, & caprillum*; niſi adſit prohibens, nimirum materia febris putridæ, materia catarrhi frigidi, materia catarrhi copioſi, dolor capitis, materia tendens D hypochondria; quibus præſentibus, lac cum maximo detrimento datur. Quod ſi æger frigidum habeat ventriculum, lacti miſcere poſſumus $\frac{1}{10}$ vel $\frac{1}{3}$ *ſacchari: vt ſi exhibeatur lactis* ℥jß. *permiſceatur ſacchari* ʒj. Quoad lactis *vſum.* Exhiberi poteſt, ab ℥j vſque ad ℥x. quã doſis non excedẽdã: c.10. l.10. Quoad *modum:* lac exhibendum actu calidum. *Tempus exhibendi*, eſt ante ſomnum, & ante cibum; cibus dari non debet, niſi lac prius ſit concoctum. Potus, contra pleroſque practicos, non erit *vinum:* hoc enim habitudinem in habitum mutat: vnde & Galenus c. vlt. l. de marcor. vinum improbat, in hectica tabida. In maraſmo quidẽ syncopoſo probat; ſed id tantum propter reſolutionem ſpirituum: vinum enim celerrime reficere poteſt ſpiritus, qui ſane cita egent refectione. Hæc ergo de hecticis. *Diæta. Lac.*

CAPVT XXXVI.

E *De febris Peſtiferæ Definitione, Cauſſis, Differentiis, Signis.*

PEr febrem Peſtilentem intelligimus febrem, quæ cito poteſt interficere; & intelligimus febrem contagioſam, ſiue fiat ex aere, ſiue ex aliis cauſſis, quomodocunque. Sic ergo accepta, nihil aliud eſt, quam *febris, producta a veneno calido putrefactiuo.* Cum dicimus, quod ſit *febris*; febrem peſtilentem a peſte diſtinguimus, quæ interdum eſſe poteſt ſine febre, dum vitium partes exteriores afficit, nec cordi communicatur: vt colligitur e Gal. aph. 25. & 57. ſect. 3. l. 3. epid. & l. 9. ſimp. c. de bol. Arm. Dicimus, *producta a veneno:* ad differentiam reliquarum febrium, quæ non ſunt peſtilentes. Addimus, *a veneno calido:* ad diſcrimen morbi venefici frigidi. Tandem adiungimus, *putrefactiuo:* ad differentiam morbi venefici calidi, non putrefactiui, vt contingere ſolet vi arſenici. *Nomen. Definitio.*

Iam vero confirmandum ratione & auctoritate, in febre peſtilenti, eſſe venenum calidum & putre- F factiuum. Ratio, *Venenum* eſt, quod, licet copioſum non ſit, cito tamen poteſt interficere: at talis eſt materia febris peſtilentis. Ergo eſt venenum. *Calidum* autem eſt hoc venenum, quia habet effectum calidũ, ſcilicet febrem. Eſt etiam *putrefactiuum*, quia producit febrem putridam & contagioſam. Auctoritate quoque hæc confirmantur. Quod ſit *venenum*, teſtatur Gal. com. 4. l. 2. de nat. hum. vbi dicit, in euaporationibus quandoque affici corpora, potius ſubſtantiæ proprietate, quam nuda qualitate; innuens, vehementem formæ actiuitatem, & proinde vim veneficam. Hoc venenum eſſe *calidum*, idem ſtatuit, aph. 29. ſect. 1. l. 1. epid. cum ait, in febre peſtilenti interiora exuri. Venenum hoc eſſe *putrefactiuum*, fatetur Galenus c. 5. l. 1. de diff. febr. vbi ait, omnem febrem peſtilentem fieri a putredine. *In peſtilenti febre eſſe venenum calidum & putrefactiuum.*

Intelligendum autem eſt, *quomodo iam dictum venenum concurrat ad producendum febrem peſtilentem.* Concurrit ergo quatenus vehementer agit in cor: obtinet enim formam magnæ actiuitatis; vt, licet G inſtrumentum, id eſt, calor non ſit vehemens, nihilominus vehemens noxa imprimatur. Quoniam autem cor conſtat ſpiritibus, humoribus, & ſolidis: videndum, quidnam hæc tria a peſtifero veneno patiantur. *Spiritus* in genere affici poſſunt, ſecundum ſubſtantiam, vel qualitatem, c. 5. l. 12. meth. ſecundum ſubſtantiam, dum corrumpuntur, quoniam nimis vel diffunduntur, vel concentrantur: ſecundum qualitatem, dũ alterantur, id eſt, incaleſcunt, aut refrigerantur, id quod fit ab alterante, cuius forma eſt magna, vel *Quomodo venenum peſtilens in cor agat. Spiritus vt afficiantur in febre peſtifera.*

exiguæ actiuitatis. Ceterum spiritus putrescere non possunt:nam,vt aliquid putrescat, oportet continens esse calidius;vnde ignis non putrescit,quia igne nihil calidius:deinde requiritur etiam,vt id, quod debet putrescere,euadat impurum;vnde aer,aqua,terra,non putrescunt,nisi secundum partem euadant impura:at spiritus cordis vitales,non admittunt impuritatem,id est,humiditatem putredinis capacẽ:putrescere igitur nequeunt. Quamobrem statuendum, venenum pestilens ita agere in spiritus vitales, vt eos vehementer calefaciat,vnde calidum cordis innatum redditur igneum,& hoc deinde primum in spiritus agens,ephemeram producit pestilentem,quæ putrida etiam est,sed non formaliter, verum ratione caussæ efficientis,quatenus a veneno putrefactiuo producitur. Notandum vero hanc febrem necessario degenerare in putridam vel hecticam;quia venenum,non solum in spiritus,sed etiam in humores ac solida agit:qua de caussa Galenus non meminit febris ephemeræ pestilentis. Quoad *humores cordis*; hi vel tãtum a veneno calefiunt,dum scilicet humores extra cor putrescunt,& ab his vapores prodeũt,qui cordis humores tantum in calefacto esse ponunt,sed non putrefaciunt:vel simul etiam putrescunt, dum nimirum insignis est vis veneni,& potissimum dum inspiratur:nam ilico perducitur in cor,vt humores cordis & calefiant & putrescant. *Solida vero cordis* ab hoc veneno semper afficiuntur intemperie calida morbosa (*ad differentiam febris putridæ non pestilentis,quæ licet ardens sit,solida tamen non afficit dyscrasia calida morbosa, vt pestilens:*)quod Gal.docet,c.5.l.3.de præsag.e pulsu.ratioque est;quoniam venenũ formam habet magnæ actiuitatis,ita vt efficaciter agat,& solidam quoque cordis substantiam morbo afficiat;qui tamen morbus calidus, non semper est in habitu, sed primo etiam in habitudine esse potest: hinc ergo pestilens hectica oritur. Notandum vero solida cordis calefieri quidem,non autem putrescere:quia sic vita stare non posset,c.2.l.5.de loc.aff. Ad hæc tria respiciens Auicennas,ait,aerem pestilentem corrumpere complexionem spiritus cordis,id est,calefacere spiritus:deinde putrefacere,quod circundat spiritum,id est,humores: tertio accendere calorem præter naturam,scilicet in solidis:quarto,hunc calorem diffundi in corpus, id est, excitari febrem.

Humores vt afficiãtur a veneno pestil.

Solida,vt afficiantur a veneno pestil.

c.1.tr 4 fen. 1.lib.4.

Margin letters: A, B, C.

Caussæ veneni pestiferi. Porro de *origine veneni pestilentis* agendum;de qua Gal.c.3.& 4.l.1.de diff.feb.& ab initio l.1.epid.& c.3.l.3.de præsag.e pulsu. Venenum ergo pestilens,vel Extrinsecus accedit, vel In corpore generatur. *Extrinsecus* accedit,aer,cibus,potus,seminarium contagii,& venenum putrefactiuum. *Aer pestilens*,est caussa febris pestilentis exquisitæ,non omnis febris pestilentis,vt multi credunt. Aer autem euadit pestilens, dum mutatur,non secundum qualitatem solum,sed secundum substantiam,vt vel suscipiat vaporem veneficum,vel putrescat. Vaporem veneficũ quilibet aer suscipere potest;calidus,humidus,frigidus, siccus. Putrescit autem non quiuis aer,sed tantum calidus,ac humidus:vt ait Gal.ab initio l.1.epid.& ab init.sect. 3.l.3.epid. Ceterum inficitur aer,a caussis Infernis,vel Supernis. Ab infernis caussis infectus aer,est Conclusus,vel Liber. Conclusus;vt aer carcerum,sepulcrorum,putei diu occlusi. Si liber sit aer;venti vel Dominantur,vel Non dominantur. Si dominantur venti;hi vel Ferunt venenum pestilens,vel Non ferũt. Deferre possunt,venti quilibet,non tantum austrini. Si venti venenum non secum vehũt, sed alio modo excitant,tantum sunt australes:quia hi aerem calidorem & humidiorem reddere possunt. Si venti non dominantur,tunc vapor pestilens,quem aer suscipit,prodit a propinquis,nimirum ab Elementis,vel Mistis. Ab elementis;vt cum putrescit aqua proxima,vel terra:omnia enim elementa secundum partem possunt putrescere,excepto igne. A mistis;verbi gratia,a cadaueribus non combustis,a pannis pestilenti veneno infectis. Hæ sunt caussæ infernæ. Supernæ caussæ,aerem inficientes,sunt certi siderum aspectus; quorum caussa certo tempore aer humectatur,& putrescit. Quoad *cibum, & potum*; producitur febris pestilens, dum cibi putrescunt,dum aqua est putrida quæ bibitur,vt contingere solet tempore caritatis annonæ,& in præliis. *Seminarium pestilens*,est materia quædam pannis inhærens,inuisibilis; sunt autem reliquiæ misti insigniter putrefacti:& est potius situs,quam terra,aut fimus. Tale fuit seminarium,quod viguit Venetiis,locisque proximis,& in hac etiam ciuitate,ante decennium. *Venenum calidum putrefactiuum*, vel inspiratur,agitque per vaporem;ideoque primum in cor agit:vel cum esculentis ingreditur,& primum agit in ventriculum,hepar,venas,deinde in cor. Quodnam autem hoc sit venenum,impium est docere: ideo non exspectabitis. Hactenus de veneno,quod extrinsecus accedit. Illud autem quod *in corpore gignitur*, nihil aliud est, quam excrementum veneficum: de cuius generatione in doctrina venenorum agemus. Notandum vero hoc excrementum nõ totum esse veneficum,sed habere etiam portionem aliquam excrementitiam non veneficam;secundum veneficam tamen portionem agere, calefaciendo & putrefaciendo succos vicinos,tum excrementitios,tum alimentales,modo extra cor, modo in corde: vnde febris oritur pestilens.

I. Externæ. a.

2.

3. μίασμα.

Anno Christi 1576.

4.

II. Internæ.

Margin letters: D, E, F.

Differẽtiæ. Differentiæ sumuntur a Febre,& a Veneno. A febre:pestilens febris est vel Putrida, vel Hectica: ephemera omittitur,quia necessario statim in putridam,vel hecticam degenerat. Differentiæ a veneno, sumuntur tum ab eius Specie;tum a Caussa efficiente. A specie: vt veneni species est, aer, cibus,potus,seminarium,venenum externum,excrementum in corpore. Ab efficiente:vt venenum generatur vel extra corpus,vel in corpore.

Signa imminentis febris. Signa alia sunt febris pestiferæ imminentis,alia præsentis. Signa febris *imminentis*, sumuntur e corporis dispositione,& præsentia caussarum. Si enim corpus sit impurum, aut imbecille ex aliqua euacuatione,facile inficitur tempore pestilentiæ. Quomodo autem cognoscantur præsentes caussæ, infra docebimus. G

Signa præsentis febris,in genere. *Præsens* autem febris,in genere indicatur,si caussę sunt pręsentes,& homo febricitat,& virtus robur non seruat;quoniam cor morbo afficitur calido,quo nec in ephemeris,nec in putridis non pestilentialibus afficitur.

Putrida. *Signa differentiarum a febre. Putridæ pestilentis* signa proponit Gal.c.1.l.de cibis boni & mali succi,c. 3.& 4.

A 3.& 4.l.3.de præſ.e pul.c.8.l.de inæq.intemp.aph.48.ſect.4.& aph.57.ſect.3.l.3.epid.& aph.29.ſect.1.l.6.epid.& l.9.ſimp.c.de terra Samia.& c.4.l.de atra bile. Ea autem ſunt:delirium,ſitis,ſenſus inſignis feruoris,vt æger intus vri videatur:venenum enim calidum,vapores mittit in caput,vnde delirium ; in os ventriculi, vnde ſitis;in viſcera,vnde vri videntur.Indicatur etiã febris putrida,ex anhelitu magno & frequenti: nam ſucci vehementer putreſcunt.Item ex impotentia quieſcendi;vnde loco conſiſtere nõ poſſunt; quia materia peſtilens turbat partes muſculoſas. Indicatur etiam e vigiliis:e pulſu plerunque frequenti & paruo, quia virtus plerunque eſt debilis:ex excrementis,cum fœtore,& colliquatione; fœtoris cauſſa eſt ſumma putredo;colliquationis cauſſa eſt calor intenſus,præſertim quatenus inſtrumentum eſt formæ magnæ actiuitatis.Non ſemper autem quæ excernuntur,ſunt cum fœtore & colliquatione; ſed dum aluus eſt lubrica.Adeſt etiam tepiditas extremorum:nam intro calor refugit:adſunt vibices,& maculæ citra tumorẽ,
B puſtulæ,carbunculi,bubones,parotides,tumores circa axillas,vlcera maligna,& potiſſimum oris inflammatio,ob euaporationem.*Hectica* indicatur ex anhelitu fœtido:nam in hectica peſtilenti cordis facultas ita ſuccumbit,vt ſuccos regere nequeat;quare putreſcunt.Indicatur etiam e pulſu debili: nam in hectica peſtilenti,morbus celerrime,& neceſſario eſt in habitu,non in habitudine tantum. Pulſus autem ſecundum velocitatem & frequentiam non multum mutatur,in hectica peſtilenti, quæ ſit ab initio ; non in omni:in tali enim hectica,cordis contenta ſunt frigidiora,& continentia calidiora, vt propterea in peſtilẽtiali conſtitutione,continentia,tanquam magis diſpoſita,primum accendantur,fiatque potius febris hectica,quam putrida,c.5.l.3.de præſ.e pulſ.hinc ratione contentorum cordis,quæ, quod frigidiora ſint cõtinentibus,primo non afficiuntur,pulſus deberet eſſe rarus & tardus;ratione autem continentium, quæ calidiora ſunt,deberet eſſe velox & frequens:proinde medius eſt inter rarum & frequentem, interq; tar-
C dum & velocem,vt hac ratione ſimilis videatur pulſui ſanorum;differt autem quod medius non ſit ſecundum debilitatem & vehementiam,ſecundum paruitatẽ & magnitudinem;eſt enim debilis & paruus,quia maxime languet facultas.Indicatur etiam hectica,quod æger febrem non ſentit:prçterea lotium nõ mutatur,quia vitium non eſt in ſuccis:calor etiam in hac febre eſt acris,ſed debilis,& æqualis : vt ſupra quoq; de febre hectica retulimus. Hectica.

Signa differentiarum a veneni tum ſpecie,tum cauſſa efficiente,ſequuntur. *Aer* cognoſcitur eſſe peſtilens,cum aues nidos relinquunt,& animalia pleraque e putri materia generantur, eaque admodum ſunt frequentia:item ſi panis,caro,aut quippiam ſimile,aeri expoſitum,iuſto citius putreſcat. Cum autem aer ſit peſtilens propter vapores,aut propter putredinem:cognoſcitur peſtilens eſſe propter vapores;quando non apparet humidus,non craſſus,non turbulentus;vapor enim peſtilens aerem nõ craſſefacit:cognoſci-
D tur autem peſtilẽs propter putredinem;cum aer apparet humidus ac turbulentus, vt Sol exoriens vix deprehendatur. Cum deinde inficiatur aer,a cauſſis ſupernis, vel infernis:ſi ſit cauſſa ſuperna;cognoſcitur inde,quod prægreſſa eſt conſtitutio calida & humida,cõſtitutio pluuioſa.Si cauſſa ſit inferna; facile apparet,vtrum aer ſit concluſus,an apertus:& ſi eſt apertus ac liber;facile ſcire poſſumus, num aer infectus ſit propter ventos;venti enim ſeipſos manifeſtant.Si venti ferant peſtilentiam;non ſunt neceſſario auſtrales, ſpirant vero e loco peſtilentiali,& aer non eſt turbidus.Si autem venti non deferant vapores peſtilẽtiales; id cognoſcitur,quia neceſſario ſunt venti auſtrales,& aer apparet humidus,ac turbidus. Quod ſi vẽti nulli ſpirent;vapor veneficus prodit ex elementis,aut miſtis.Si ex elemẽtis;& primum ſi ex aqua;hæc eſt pinguis,& tactu tepida,vireſcens,multiplicantur ranæ & alia animalia e putri materia in aqua orta,piſces etiam quandoque moriuntur.Si e terra procedit vapor;cognoſcitur inde,quod terra euadit ſterilis præter
E conſuetudinem,vigent terræmotus,animalia cauernas fugiunt. Si vapor e miſtis procedat; cognoſcitur, quia miſta ſunt præſentia,ſiue ſint cadauera,ſiue panni infecti copioſi Quoad *cibum,& potum*;facile poſſumus intelligere,num febricitans vſus ſit cibis aut potionibus corruptis & putrefactis. Quoad *ſeminarium*;cognoſcitur,ſi febris oborta eſt propter indumenta. *Venenum externum* non ita facile cognoſcitur, quia clam & doloſe ab hominibus perfidis adminiſtratur:at ex aliarum cauſſarum abſentia coniectari licet,venenum extrinſecus datum eſſe.*Excrementum* cognoſcitur;ſi ſigna aliarum ſpecierum non aſſint;& potiſſi.ſi ante febrem corpus erat cacochymicum,& male diſpoſitum. Signa ſpecierum veneni

Quoad *veneni cauſſas*,an venenum extra,vel intra corpus ſit genitum;cognoſcitur, ſi cauſſæ externæ præceſſerunt,vel non præceſſerunt:id quod aſſidentes indicare poſſunt. Signa cauſſarum.

F

CAPVT XXXVII.

De ratione Pracauendi febrem peſtilentem.

INdicationes aliæ ſunt Præſeruatoriæ,aliæ Curatoriæ.Quando ergo febris peſtilens imminet: indicantur præſidia,quorum beneficio corpus munitur,ne afficiatur a veneno peſtilenti.Cum autem indicatio ſumatur ab eo quod eſt intra corpus,non extra: hic etiam deſumetur a Veneno in corpore exſiſtente,& ab ipſo Corpore:ita vt & venenum non agat in corpus,& corpus non patiatur a veneno (*: Medici occurrunt quidem aeri,vnde nemora comburuntur de Hipp ſententia:non tamen propterea ſumitur indicatio ab aere:nam hoc eſt extra medendi methodum,vt in doctrina generali de methodo diximus.*) *Venenum* quodlibet, 1. cum toto genere præter naturam ſit,indicat eradicans. Quoad corpus; perpendere oportet tum Contenta,tum Continentia.Quoad *contenta*:pro vario vitio contentorum,variæ oriuntur indicationes: ſi e- 2.
G nim contentum peccet ſecundum ſubſtantiam,indicat eradicans:ſi ſecundum quãtitatem,minuens, &c. Sic etiã pro varia ſpecie contentorũ,oriuntur variæ indicationes,ſed determinatę:verbi gratia,ſi contentũ copia peccãs, eſt ſanguis,hic minuendus,&c. Continentia pertinent,vel ad Totũ corpus,vel ad Cor. Si cõtinentia *ad totum* pertineant;reſpicimus vel ad cõplexionem,vnde ſi humidius eſt corpus, oritur indicatio exſiccandi:vel ad conformationem,vnde ſi denſus eſt corporis habitus,indicatio oritur rarefaciẽdi, 3. Indicationes præſeruatoriæ.

4. Quantum *cor* attinet, licet in corde multa reperiantur, vt anima, facultas, vtriusq; domicilium, & instrumentum: nullum tamen ex iis vim habet indicandi, præter domicilium & instrumenta; per domiciliũ intelligo propriam cordis substantiam, peculiari proportione donatam; per organa vero cordis cõstitutionem, & potissimum temperamentum cum calido innato, & spiritu vitali. In præsentia autem remedia potissimum respiciunt proportionem substantiæ cordis, & temperiem: si enim hæc bene habent, non est indigentia calidi innati, vel spiritus vitalis. Cordis ergo proportio indicat remedium, cuius propria substãtia sit domicilium facultatis, cuiusq; forma adeo insignis sit actiuitatis, vt cordi humano robur addat, viresque largiatur supra facultates humani corporis, & supra venenum; ne cor a veneno opprimatur, sed illud potius expellat. Complexio cordis, si bona, seruanda: si improba, bona efficienda. Hinc Auicennas ca. 4. tract. 1. l. 2. ait: *theriacæ* proprietatem esse, temperare membri essentiam, id est, propriam substantiam, seu proportionem; & complexionem quoque eius membri temperare. In materia ergo remedii, ratione cordis, duo sunt necessaria; primum propria substãtia, vt domicilium maioris actiuitatis, deinde complexio.

Prognosticum præphylacticũ. Prognosticum sumi debet e conditione veneni, & corporis. Si enim summa sit vis veneni, corpus resistere non potest, nisi fugam arripiat. Si contra sperare oportet, posse præseruari. Verbi gratia. Si aer sit vehementer putrefactus, corpus humidius, impurum, densum; præseruari non potest. Si contra; potest præseruari.

Materia cheirurgica. Quoad materiam cheirurgicam: in sanguinis abundantia probatur venæsectio, si virtus eam admittat: Sin minus, conueniunt hirudines, cucurbitulæ scarificatæ. Probantur etiam fonticuli in brachiis, vel cruribus, vt assidua fiat euacuatio.

Lenientia. Materia medicinalis, & inprimis leniens, varia est administranda, prout varia est prima superfluitas. Cauendum autem est ab humidioribus, vt a *cassia, a syr. ros. sol.* Auicennas probat *pilulas ex aloe, myrrha, & croco*: euacuant enim primas superfluitates, habent vim exsiccandi, & suffragantur proportioni cordis: exhibebat quotidie ʒj. vos frequenter poteritis exhibere.

Præparãtia. Præparantia etiam varianda, pro varietate contentorum. Caussa pituitæ, probantur calida, vt *betonica, myrrhis, ruta, semina citri, &c.* quibus tamen in curatione nequaquam vti licet; febris enim prohibet calida. Cauẽdum autem ab astringentibus, cuiusmodi est *aqua agrestæ, & cetera.* licet enim Auicennas probet aquam agrestæ, & astringentia; is tamen ibi non respexit ad materiæ præparationem, sed ad dissolutionem calidi innati.

Purgantia. Purgantia multiplicia esse possunt, prout materia variat. Notandum autem in præseruatione exspectandam esse concoctionem; in curatione nequaquam; cum venenum præsens sit, & tuto purgationem differre nõ queamus: quamprimum ergo purgandum. Quoniam vero interdum imminente febre pestifera, venenum actu in corpore reperitur: adhiberi potest medicamentum vacuans insensibiliter, quod venenum e corpore attrahat, & a tota forma, & ratione caliditatis. Formula talis esse potest, quam nonnulli pro secreto habẽt: *℞. arsenici ʒj. dictamni Cretici, sinapi, cinamomi ana g̃x. ambræ odoratæ, benzoini, ana g̃v. Misc. & fiat sacculus, qui debet applicari sub axillis.* Hic basis est arsenicum: reliqua sunt adiuuãtia: quatenus enim sunt tenuis substantiæ, vehiculũ sunt arsenici; quatenus calida, attrahunt extra ad circumferentiam; odorata sunt corrigentia, vt cinamomum, ambra, asa odorata.

Alterantia. Alterantia, quatenus agunt a tota forma, respiciunt proportionem & substantiam cordis: quatenus autem calida sunt vel frigida, respiciunt complexionem cordis. Si enim corpus, verbi gratia, est frigidius, caussa vel temperamenti, vel ętatis, vel aeris, &c. probantur calida: si contra, frigida. Quę ergo agunt a tota forma, si sint calida, iis frigida miscere oportet, quando corpus præseruandum est calidius.

Calida. Calida autem sunt, tum simplicia, tum cõposita. Simplicia sunt, *angelica, carduus benedictus, cortex, citri, semina citri, dictamnus Creticus, myrrhis, scorzonaria (aliqui enim habent pro secreto) melissa, cortex ligni aloes, moschus, ambra odorata, benioinum, trifolium, betonica, pimpinella, sassafras (quod admirabile) Zedoaria.* Compositũ medicamentum hoc esse potest: *℞. pulu. fol. rutæ ʒxx. nucum ʒij. salis, caricarum, ana ʒv. Dosis est a ʒj. ad ʒß.* Inter composita etiam laudãtur, *diamoschus, gallia moschata, magna antidoti.*

Frigida. Quoad frigida; probantur *acidum citri, acetosa, succus quinquefolii, aurum, margaritæ; caphura, corallia, hyacinthus, santali, bolus Armen. terra sigillata.*

Calida tẽperanda. Notandum autem in his medicamentis miscendis, calida esse temperanda, frigidis adstringentibus permistis, nimirum *margaritis, santalis, coralliis*; quæ astringendo calidi innati dissolutionem impediunt, quam calidiora facere possunt.

Formulæ calidorum. Quoad *Vsum* horum medicamẽtorum. Exempli gratia. Calidum intus administrandum: *℞. conseruæ e beton. flor. rorismar. ana ʒjß. Mithridatii antiqui ʒiij. pulueris myrrhidis, scorzonariæ, sassafras, ligni aloes, fol. rutæ, Zedoariæ, ana ℈j. galliæ moschatæ ℈ß. cum syrupo de corticibus citri, fiat electuarium, cuius dosis sit a ʒjß. ad vj.* Calidum extra administrandum: *℞. Mithridatii antiqui, theriacæ antiquæ ana ʒj. pulueris sassafras, dictamni Cretici, Zedoariæ, ana ℈ß. galliæ moschatæ g̃v. vini aromatici parum. Misc. & applicetur regioni cordis.* Vel: *℞. myrrhidis, dictamni Cretici. sassafras, cardui benedicti, ligni aloes, zedoariæ, pimpinellæ, corticis citri ana ʒij. croci ℈ß. galliæ moschatæ, moschi odorati, ambræ odoratæ, ana g̃v. Mis. & fiat culcitra, vel sacculus, quem continuo ægri gestabunt, applicitum regioni iecinoris, & cordis.* Intus etiam licebit vti *scorzonaria condita.* Et extra non improbatur *oleum Magni Ducis, quod potissimum fit e magis antidotis, & hyperico.*

Formulæ frigidorũ. Frigida medicamenta intus adhibenda: *℞. seri lactis caprini, vel vaccini, optime depurati ℔j. succi citri ʒß. Mis.* quotidie potest exhiberi in præseruatione. Vel: *℞. aquæ extractæ ex fabis viridibus ℔ß. succi acetosæ ʒß. Mis.* Vel: *℞. cons. ex acetosa, ex acido citri ana ʒij. fol. auri numero vij. margaritarum, trium santalorum ana g̃vij. Mis. dosis a ʒij. ad ʒj.* Frigida extra admouenda: *℞. fol. aurantii, citri, limonis, rosarum, acetosæ, ana P. j. caphuræ ℈j. trium sant. ʒß. Mis. fiant culcitra.* Prodest etiam applicare cordi, *succum citri, succum acetosæ, & aquam ros. ad ʒß. cum aceti ʒij. Puluis lapidis bezoar ad g̃v. probatur.*

Quod

Quoad diætam attinet; *Aer* alterandus eſt;calidior enim non corrigendus frigidis ; & frigidus cal- Victus ra-
dis,quæ fuere propoſita. Aer autem multis modis poteſt alterari,potiſſimum tamē pilulis,ſeu pomis, quæ tio.
pro olfactu manibus verſantur:Exempli gratia tempore calidiore:*℞.flor.ſiccatorum citri, limonis, aurantii,nymphææ,roſarum,ſantalorũ,an.ʒß.corticis mali citrii ʒj.ß.ambræ odoratæ g̃v.tragacanthæ ʒij. Cum aqua roſ.vel aceto fiat pila,ſeu pomum.* Tempore autem frigidiore:*℞.nucis moſchatæ,macis,ſaſſafras, caryophyll. ligni aloes,ſtyracis calamitæ ana ℈j. benzoin ℈ß. moſchi g̃vij. ambræ g̃iij. ladani ʒiij. cum aqua cinamomi, vel vino aromatico,fiat paſta,pro pila,ſeu pomo.* In prima recepta non proponitur moſchus, nec benzoin,quæ calidiora ſunt;ſed ſola ambra,quæ minus eſt calida. Quoad *cibum* in præſeruatione,ſi corpus ſit repletum, probatur cibus minuens:ſi vero ſit inanitum,augens cibus conuenit : oportet vero cibum condire frigi-
B dis & ſiccis,vt *aceto,acetoſa,acido citri,ſucco aurantiorum,limonum*;& niſi immineat obſtructio,vel aſſi: alui fluxus,licet etiam cibos condire *omphacio,agreſta.granatis.* Cibus ergo his refrigerantibus & ſiccãtibus conditur,vt mutetur in humorem non facile putreſcibilem. Si eſculenta ſint vitioſa,vt tempore caritatis annonæ,vel ſi aer ſit peſtilens;tunc carnes priuſquam coquantur,macerandæ ſunt *in aceto, vel omphacio, cum exiguo ſale:mox ex aqua abluendæ.vt ſal remoueatur:& deinde coquendæ ſunt.ac condiendæ,vt ſupra propoſuimus. Potus* cibis reſpondere debet:notandum id ſolum,potum ſic eſſe adminiſtrandum (:de Auicennæ ſententia:) ne homo ſitiat;quia ſitis corpus accendit,taleque corpus accenſum,a veneno peſtifero calido promtius afficitur:hacq; de cauſſa potus etiam calidior improbatur. Cauendũ eſt ab immodico *motu* & corporis,& animi:ne corpus incaleſcat.

Capvt XXXVIII.

C *De Curatione febris peſtiferæ.*

HActenus προφυλακτικὰ febris peſtilentis:ſequuntur θεραπευτικά. Indicationes ergo Curatoriæ ſumuntur a Febre,a Cauſſa & Virtute. Indicationes a *febre* patent e doctrina generali. Quantum ad *cauſſam* Præſidia.
febris peſtilentis;ea eſt vel materia,in quam agit venenum,vel eſt venenum. Materia vel eſt putrefacta,vel imminet ne putreſcat. Putrefacta indicat eradicans,quod a ſpecie materiæ determinatur; verbi gratia, bilis putrefacta,indicat eradicans bilem. Si autem immineat ne materia putreſcat;ratione copiæ indicat minuens;ratione qualitatis indicat ſiccans:nam materia copioſa & humidior facilime patitur a veneno putrefactiuo. Quoad venenum peſtilens;vt venenum,indicat eradicans,& a tota forma alterans , nimirum alexipharmacum:vt calidum,indicat refrigerans:vt putrefactiuum,nil indicat ; dum enim vacuatur , & a
D tota forma alteratur,& refrigeratur venenum, dum item occurritur materiæ putreſcibili ; venenum putreſcere non poteſt:ideoque vt putrefactiuum non indicat. Quoad *virtutem*; Virtus totius indicat alimẽtum:virtus cordis requirit bezoarticum per proportionem.

Febris peſtilens multos ſolet perimere,& cito,aph.20.ſect.3.l.3.epid.nam inſignem habet vehementiam eſſentiæ , quia adeſt exuſtio :& vehementiam dignitatis , quia exuſtio eſt intus , & afficiuntur ſolida cordis:poſtremo vehementiam facultatis,nam virtus facile ſuccumbit. Proinde, ſi perpendimus febrium differentias:hectica peſtilens eſt prorſus incurabilis,c.3.l.3.de præſ.pulſ. Cauſſa febris peſtilentis vehemẽs eſt ratione eſſentiæ,quia materia eſt venefica,toto genere præter naturam,& præterea ſummæ actiuitatis (:*calculus renalis etiam eſt toto genere præter naturam,ſed non eſt ſummæ actiuitatis:*)adeſt etiam vehementia dignitatis,hæc enim cauſſa cor petit:eſt vehementia facultatis,quia vi huius cauſſæ promte virtus ſuccumbit. Quoad ſymptomata;hæc quoque in febre peſtilenti omnibus modis ſunt vehementia. Quoad Prognoſtica
E virtutem,hæc vt plurimum debilis euadit. In hac ſalutis vnica ſpes eſt ſita,ſi nimirum robuſta ſit , vt excrementum veneficum poſſit expellere:c.12.l.5.meth.aph.20.ſect.3.l.3.epid. Maximum ergo ſalutis indicium eſt,ſi virtus ita eſt robuſta,vt materiam ad partes extimas detrudat.

Quod materiam cheirurgicam. *Venæſectio* locum habet,ſi ſanguis peccet;nam vitium vehemens eſt Venæſectio.
in hac febre:ſi ſanguis non peccet,non eſt tundenda vena. Hinc Galenus venam ſecat,apho.26.ſect.3.l.1. epid.vbi ſermo eſt de Critone,repleto ſanguine:non autem ſecat venam,ca.1.l. de cibis bon.& mali ſucci, vbi reſpicit ad annonam,cuius cauſſa adeſt cacochymia. Verum ſi vena eſt aperienda,præter ſanguinis vitium,etiam permittentia oportet adeſſe:vt in doctrina generali diximus. Vſus venæſectionis e generalibus patet : vnicum ſaltem notandum: in putrida peſtilenti ilico , prima hora venam eſſe ſecandam,quia ſtatim virtus concidit:hac de cauſſa Hippocrates aph.26.ſect.3. lib.1.epid.non ſecuit venam,quia ab initio
F non acceſſerat ; æger proinde tertio die obiit. Quoad *cucurbitulas*; ſi vſurpentur loco venæſectionis,ſecundum Oribaſium partibus infernis ſunt applicandæ : ſi vſurpentur cauſſa ſymptomatum , vt vibicum, macularum , aut puſtularum , ſunt adminiſtrandæ poſt totius euacuationem , poſſuntque non tantum partibus infernis,ſed etiam aliis,vt dorſo,applicari. Reliqua patent e doctrina generali : vbi & de hirudinibus. Cucurbitulæ.

Medicamenta lenientia per os,non probantur ante venæſectionem,nam ſtatim vena eſt ſecanda,vt Lenientia.
nulla mora interponatur:nec probantur poſt venæſectionem,quia tunc purgante,non leniente opus eſt, in febre nimirum peſtilenti contagioſa,de qua iam loquimur. Sufficit ergo in hac febre quamprimum tali clyſmo vti,ante venæſectionem:*℞.mellis roſ.ʒiij. elect.de pſyllio ʒß. olei communis ʒiij. ſalis communis ʒj. iuris alterati furfuribus & malua* ℔j. *Miſ.pro clyſtere.*

G Præparantia non probantur,quia materia eſt venefica,quæ non præparanda , ſed ilico expurganda: Præparantia.
niſi forte contingat,vt febris peſtilens mutetur in non peſtilentem;tunc enim materia non eſt venefica,& poteſt præparari medicamentis,de quibus in febrium doctrina ſpeciali diximus.

Vacuantia,vacuant per Vomitum,per Aluum,per Veſicam,per Cutim. Vomitorium non proba- Vacuantia. Vomitoria.
tur,niſi febris peſtilẽs oriatur e veneno aſſumto:vnde *℞.ſucci raphani ʒj.oxymelitis ſimpl.ʒij.butyri recentis*

*℥iij.iuris pinguis ℥viij. Miſ.pro vomitorio:*cuius beneficio & acrimonia veneni aſſumti attemperabitur ; & A
venenum ipſum vacuabitur.

Purgantia.

Quoad medicamentum per aluum vacuans,vtendum eſt validioribus,propter venenum peſtilens. Hinc cauſſa bilis,oportet vti *dacrydio,non rhab.tantum.*Cauſſa pituitæ,oportet vti *colocynthide, non agarico ſed trochiſcis alhandal.*Cauſſa melancholiæ,oportet vti *helleboro nigro,non ſufficit ſena.* Vnde quidam in Germania pro maximo ſecreto habent *pilulas Comitum de Salm,quæ nil ſunt aliud , quam pilulæ de euphorbio,*vt accepi ab vno ex generoſis illis Comitibus.E quibus intelligitur,ad vehementiſſima eſſe confugiendum. Ceterum propter febris feruorem , miſcenda ſunt refrigerantia:ſi enim medicamentum datur in bolo,addenda *caſſia:*ſi in potione,miſcēdum *ſerum:*ſi in pilulis,*ſerum eſt ſuperbibendum.*Verbi gratia,pro purgatione bilis:*℞.dacridii ℈ß.flor.caß nou.extr.℥j.cum ſaccharo fiant boli.*Pro purgatione pituitæ:*℞.pilu. cochiarum,de euph.ana ʒß.maſtichinarum ℈j.cum ſucco citri fiant pil.numero v. & æger ſuperbibat* lb *ij. ſeri.* B
Pro melancholiæ purgatione,*℞ pilu.cochiarum cum helleboro præparatarum,fœtidarum ana ʒß. de fumaria ℈j.cum ſyrupo de pomis fiāt pilulæ,numero v.& æger ſuperbibat ſeri* lb*ij.* Ceterum hæc medicamenta ſtatim poſt venæſectionē exhibenda ſunt,id eſt,intra horas decē aut duodecim a venæſectione:materia enim venefica,magis vrget,quam turgēs:quod etiam in doctrina generali eſt explicatum. Vnde Auicennas ait; incoandum eſſe a venæſectione vel pharmaco.

Diuretica.

Quoad medicamentum vacuans per veſicam ; probantur frigida(: non calida:)vt *ſerum, hordeum, capillus Veneris,ſemina frigida:*de quibus in doctrina generali. Maxime probatur *aqua extracta e ſiliquis fabarum,vna cum fabis. Vſus:*hæc medicamenta poſt venæſectionem & purgationem adminiſtranda.

Attrahētia foras.

Medicamenta vacuantia per cutim,non debent per os exhiberi:alias enim caliditas σχετικὴ fit ἑκτική. Tantum ergo extra ſunt adminiſtranda,vt venenum foras trahunt.Attrahunt autem vel per Similitudinem,vel per Caliditatem,vel per Vtramque.Ratione ſimilitudinis,ſeu formæ, quæ magnam habet actiuitatem,attrahit *arſenicum,*de quo in præſeruatione.Attrahēs ratione caloris; vel attrahit citra excitationem veſicæ,vel excitando veſicam.Citra excitationem veſicæ attrahit *inunctio Aetii.℞.olei communis aquæ communis ana ℥ij nitri ℥ij. Miſ.& fiat inunctio ſecundum totum corpus.* Quod ſi extrema ſunt frigidiora, loco olei communis vti poteſtis,*oleo anethino ad ℥iiij.& aqua ad ℥j & nitro ad ʒß.* Veſicantia,id eſt,quę attrahunt excitando veſicam,maxime probantur:vnde Galenus c. 12. li.5. meth.omnes fere euaſiſſe ſcribit, quibus ſcatebat corpus vlceribus.Hæc autem medicamenta confici poſſunt e *ranunculo, flammula Iouis, allio,& potiſſimum e cantharidibus.Verbi gratia.℞.cantharidum præparatarum ʒij. ſinapi ℈j. fermenti ʒß. cum aceto ſcillitico fiat paſta pro veſicatorio.*Huic veſicatorio ſuperimponi debet *diachylon ſimplex,vel cum gummi;*vt nimirum veſicatorium detineri queat(: eſt enim per 24. horas detinendum :)Poſtea remota D
veſica,applicetur *butyrum:*& deinde *ceratum ſacrum* per aliquot dies:debetq; artubus applicari. Nec hoc medicamentum nocet calefaciendo,vt quidam ſomniant;nam per accidens refrigerat :neque etiam proprietate nocet:nam cantharides primum agunt in veſicam,quod nocumentū vt ſubito apparet,ita ſubito ei poſſumus occurrere.Cauteria in curatione non habent locum ; quia operantur poſt 8.dies : probantur autem in præſeruatione.Medicamentum denique attrahens,ratione & ſimilitudinis,& caliditatis,*eſt oleū viperinum & potiſſimum oleum Magni Ducis.* Ceterum quæ operantur ratione ſimilitudinis, efficaciora euadunt,ſi addatur *arſenicum:*hoc enim per ſimilitudinem validiſſime attrahit.

Supra c 26. huius libri.

Alterantia.

Quoad medicamentum roborans,ſeu alterans:hoc alterat vel Qualitate manifeſta,vel Tota forma. Si manifeſta qualitate;probatur alterans frigidum , quia febris eſt calida, & venenum etiam peſtilens eſt calidum.Si tota forma agit,habet organum Frigidum aut Calidum.Quod habet organum frigidū, probatur;omnibus enim modis iuuat:quod organū habet calidum,improbatur.Vnde *theriaca* improbatur, quia habet formam magnæ actiuitatis,calefacit vehementer,caloremq; cordis σχετικὸν,facit ἑκτικόν:& hoc maxime,quia neceſſarium eſt,vt in magna quantitate exhibeatur,exhibeatur & bis in die,ob veneni præſertim,c.1.l.1.de antid.Hinc Auicennas in præſeruatione probat magnas antidotos,in curatione vero ſaltem proponit refrigerantia:vnde aerem & cibum frigidis ſaltem corrigit,& non calidis : metuit etiam calorem ſacchari:vnde multo magis theriacæ calor formidandus. Obiectio.*Scribitur ca.16.l.de ther.ad Piſonem,theriacam etiam peſte correptis mederi?*Reſponſio:primum liber ille non eſt Galeni:deinde locus ille recte eſt intelligendus:hoc modo:Si theriaca exhibeatur ante febrem peſtilētem,eam in cauſſa eſſe, vt vel homo non corripiatur,vel ſaltem correptus non ita lædatur. Porro probatur theriaca in peſte actu exiſtente,ſed ſine febre.Nec improbatur in aliis febribus non peſtilentibus;c.7.& 16.l.1. de antid. vnde probatur in quartana intermittente Auicennas alterantia hæc probat:*aquam frigidam copioſam, trochiſcos de caphura,ſerum lactis cum aceto,& aqua roſacea,item aquam cum aceto:præterea ſuccos refrigerantes ſine ſaccharo(:metuit enim calorem ſacchari:)vt ſuccum cichorii,endiuiæ,ſonchi,præſertim acetoſæ & citri.*Huius loci etiam ſunt,*folia auri,margaritæ,cornu cerui,hyacinthus ſuccus quinquefolii:nam ſiccant,citra calorem, & ſunt beZoartica.*Quamobrē *℞ fol.auri,nu.3 cornu cerui ℈j.lapidis beZoar gr.xv. hyacinthi ℈ß. margarit. gr.vj. ſucci citri quantum ſufficit,& redigantur in formam pilularum,vel boli:*diſtribuatur in portiones 4. vel 5.totvicibus aſſumendas,bis in die,idq; vel ilico ante cibum,vel per horas quatuor poſt cibum. Extra probantur frigida,ſed citra aſtrictionē:vnde *℞.aquæ acetoſæ ℥iij. acidi citri, aceti ana ℥ij. Miſ. & applicetur cordi.*

Theriaca.

Diæta.

Quoad diætam.Aer frigidis eſt alterandus.Cibus condiatur *aceto,acetoſa, acido citri, ſucco limon.arantiorum,vt cibus euadat refrigerans & ſiccans.*Potus nequaquam ſit *vinum,*niſi ſyncope vrgeat;ſed *aqua, vel ius,alteratum propoſitis.* G

F I N I S.

PRACTICÆ

Huius generis eſt puluis Georgii Wirth, in epi. Langii.

A

B

PRACTICÆ MEDICINÆ Liber Septimus.

DE VENENIS.

CAPVT I.

C *De Nomine & Definitione Veneni: tum quo modo in corpus agat.*

IN Veneni natura explicanda, breuiter ac perspicue ita progrediemur. 1. agemus de nomine seu voce Veneni. 2. de Essentia. 3. de Differentiis & Speciebus. 4. de Signis, quibus deprehendi venena possunt. 5. de Præsidiis seu indicationibus. 6. de Prognosticis. 7. de Materiis præsidiorum. 8. His in genere ita traditis, quasdam etiam Venenorum species explicabimus; nimirum præstantiores; vt sunt, Napellus, Anacardus, Opium, Veratrum album, Cantharides, Canina rabies, &c. Propositio tractandorum.

Quantum ad Nomen, notanda est differentia, inter alimentum, medicamentū, & venenum; e c.4.l.3. de temperam. Alimentum enim est mistum, quod secundum totam substantiam (:& D *proinde etiam secundum qualitates; nam vbi forma amittitur, etiam temperies perit:*) vincitur a corpore nostro (*: si decenti quantitate sumatur; mustum enim copiosum non vincitur:*) vt in substantiam corporis nostri transeat. Medicamentum est mistum, quod secundum quamlibet qualitatem mutatur & alteratur a corpore nostro. Venenum est mistum, quod nequaquam secundum substantiam mutatur a corpore nostro, sicque corpus nostrum lædit. *Dubitari autem potest, quare medicamentum hic definiatur, quod a corpore alteretur: cum tamen medicamentum potius alteret ipsum corpus, vt lactuca refrigerat, quatenus est medicamentum, c.1.l.1. de alim.* Respondendum, Gal. l.1. de alim. agere de vi medicamenti erga corpus, id est, de facultate eius, qua in corpus agere potest; hac enim actione vincuntur caussæ morbificæ. At l.3. de temp. docetur de vi humanæ naturæ erga alimentum, medicamentum, & venenum: vbi alimentum vincitur secundum totam substantiam, medicamentum secundum omnem qualitatem, venenum nec secundum sub- E stantiam, nec secundum qualitatem vincitur, sed hoc potius vincit corpus. (*: Notandum hic per naturam Galenum intelligere & substantiam, & temperiem, quæ e quatuor qualitatibus elementorum consurgit: substantia autem ista nihil est aliud nisi forma substantialis; non materia, quæ nihil agit. Hinc functiones manifestæ sunt, quæ a temperamento prodeunt; constat enim num temperies sit cal. frig. &c. functiones autem occultæ, quæ a forma prodeunt:*) Vt autem intelligatur, quomodo medicamentum a corpore vincatur, hæc consideranda sunt. Mista, quę cum natura humana conferuntur, habent formam similem, vel dissimilem: & vtraque habent agendi facultatem vel infimam, vel summam, vel mediocrem. Mistum ergo formæ similis, sed minimæ actiuitatis, vincitur a natura humana secundum formam, quia hæc maioris est actiuitatis: & hoc mistum dicitur alimentum. Si forma similis sit actiuitatis summæ; non potest vinci a corpore: & hæc in minima dosi prodest, in maxima obest, id est, rationem habet veneni: huiusmodi sunt omnia Bezoartica, id F est, alexipharmaca, & alexiteria. Si forma similis sit facultatis moderatæ; tum interdum vincitur quoad actum secundum, id est, secundum accidens; est enim medicamentum: (: solum autem alimentum secundum actum primum:) interdum non vincitur, & tunc iuuat, quia forma similis est. Mistum formæ dissimilis nullum secundum actum primum vincitur, sed tantum quoad secundum. Forma ergo illa dissimilis, si sit minimæ facultatis; vincitur a natura humana: sicuti etiam vincitur magnes ab adamante, vt ferrum non trahat. Forma dissimilis, si sit summæ actiuitatis; vincit naturam humanam, & est venenum. Si forma dissimilis sit facultatis mediocris; modo vincit, modo vincitur. Dictum ergo est a Galeno, medicamentum vinci secundum omnem qualitatem, id est, remitti & refringi; ad differentiam alimenti, quod secundum substantiam vincitur; & veneni, quod secundum nullam qualitatem vincitur, sed vincit. (*: Distat venenum a medicamento deleterio: Venenum habet formam dissimilem naturæ humanæ, & interficit in do-* G *si summa, minima, mediocri: nec vnquam potest esse medicamentum. Sed medicamenta deleteria formam habent similem, & in minima dosi iuuant, in summa interficiunt, quia sunt summæ actiuitatis: & hæc venena sunt pessima, quia ob similitudinem iucunda sunt, ac interficiunt sine vllo signo.*)

Nomen. Venenū vt distet ab alimento & medicamento.

Quomodo Galen. dicat, medicamentum vinci a corpore.

Gradus agendi efficaciæ mistorum. 1 forma similis.

2. forma dissimilis.

Differentia veneni & medicamēti deleterii.

Veneni porro vocem hic non ita accipimus, vt Dioscorides libro 6. vbi omnia, quæ in copia immodica interficere possunt, venena nominat: vt vinum, mustum, crocum, &c. Nec etiā loquimur de veneno,

In qua significatione vox veneni hic vsurpetur.

Hhhh

quod est extra corpus humanum, & sic est res natu alis; sed quod reperitur in corpore, in id agit, præter A naturam est, ac caussa morbifica.

Definitio. Venenum est qualitas.

Venenum ergo ita acceptum *est qualitas corr otiua confertim cordis hominis.* Genus est *qualitas:* quia hoc omni veneno competit: & quidem hæc qualit interdum pura & syncera est, interdum vero necessario in substantia. Venenum, quod sit pura qualita est in basilisco (:vt colligitur e l. de ther. ad Pison.) qui solo intuitu hominem interficit, id est, syncera qu ate, non substantia. Sic Auicennas ait, esse serpentem, qui, si ab homine hasta percutiatur, hominem in rimat, dum scilicet per medium illud lignum, qualitatē venefi am brachio hominis communicat, qua inde cor petit. *Obiici autem hic potest, quod Galenus c. 19. l. 3 simpl. ait, frigida venena agere quantitate; c da qualitate?* Responsio. Galenus id propterea dicit, quia frigida venena in minima dosi non corrum nt corpus, sed a corpore vincuntur, & secundum portionē alimentalem in alimentum vertuntur, c. 4. l. de temp. atq; sic ratione quantitatis debent i terficere quia B hæc subiectum est qualitatis copiosioris, & quia in maiore quanto est maior virtus, nō quod a quanto procedat actio. Calida autem venena in summa, minima, & mediocri dosi interficiunt (*: non tamē si dentur infra minimam; quia cuiuslibet medicamenti determinata est dosis, sic $\frac{1}{100}$ scintilla ignis non calefacit, &c.*) Et licet in calido etiam veneno sint portiones alimentales; non tamē vinci possunt a natura humana, ob summam admisti veneni actiuitatem, quod abradit & putrefacit, antequam in alimentum vertatur: quod in frigido non fit. Hinc calida venena toto genere præter naturam sunt, & quidem simpliciter, id est, in qualibet dosi: frigida toto genere præter naturam sunt, id est, secundum genus, speciem & indiuiduum; sed nō simpliciter, verum secundum quid, id est, secundum dosin summam & mediocrem. Venena autē calida, licet toto genere & simpliciter sint præter naturam; interdum tamen corpus humanum non corrumpūt, C sed iuuant: primo, quando alias materias permiscemus, nimiam actiuitatem tollentes; vt si cum canthari dibus misceantur ea, quæ acrimoniam auferunt. Secundo, cum exhibentur infra minimam dosin. Sic ergo patet *venenum non agere, nisi per insignem qualitatem:* com. 75. sect. 3. l. 3. epid. Gal.

Obiectio. Calida venena maioris sunt a[c]tiuitatis, quam frigida.

Toto genere præter naturam, dupliciter dicitur.

Venena calida interdum iuuant.

Sequitur, vt explicemus quænam sit illa qualitas. Est ergo Euidens, vel Recondita, c. 4. l. 3. de temper. Auic. l. 2. f. n. 1. tract. 4. Auer. 5. coll. 22. Euidēs; calor, frigus, &c. Recondita, vel Dissimilis est corpori humano, vt in venenis toto genere præter naturam & absolute, vt in napello: vel Similis, vt in iis, quæ toto genere præter naturam sunt, secundum quid; & hæc rursus vel est Alterans, vt in bezoarticis, in theriaca; vel Attrahens, vt in purgantibus.

Veneficæ qualitatis differentiæ.

Deinceps de *subiecto* huius qualitatis. Venenum igitur generatur vel Extra corpus, vel In corpore. Extra corpus, ex Elementis, vel Mistis. Ex elementis, iisque impuris, omnibus, preter ignem, qui calore o D mne venenum absumit: huius qualitatis subiectum est vapor, ab aqua, aere, vel terra procedens. E mistis ortum venenum, vel ex Inanimatis, vel Animatis oritur. Ex inanimatis, vt mineralibus: cuius subiectū est substantia misti inanimati, eaque vel terrestris, vel aquosa, vel vaporosa: terrestris, quando mistum in puluerē minimum redigitur: aquosa, quando a pestiferis humoribus extrahitur humiditas aquosa, & oleaginosa: vnde hæc substantia humida aquosa in vaporem vertitur. Ex his, puluis tardius interficit, quia non tam facile penetrat; vapor celerius. Venenum e mistis animatis est vel e Plantis, vel Animalibus. Quod e plantis oritur subiectum triplex habet; puluerē, aquā, vaporē: & hoc, ceteris paribus, magis est mortiferum q̄ quod ex inanimatis sumitur. Venenum ex animalibus ortum, subiectum habet interdum brutum, interdum hominem. Si brutum subiicitur; interdum pars terrestris, interdum aquosa, modo vaporosa subiicitur: terrestris, vt caro, quæ vel per se, vel ex accidenti est venefica; per se, vt caro Scorpii; ex accidente, vt E caro animalis, a venenato animali demorsi (*: NB. non omnium animalium carnes sunt venenatæ, licet venenum suscipiant: vt, cum cerui & apri vulnerantur sagittis venenatis, carnes non redduntur venefica, sed excrementa: venenum autem per ablutionem & decoctionem carnium e toto exstinguitur, vt carnes tuto comedi possint. Sic etiam gallinæ scorpios comedunt, quia vincunt portionem alimentalem, cum habeant fortiorem ventriculum, quam homo: conficiunt enim fabas, & cibaria quædam cruda, quæ homo vel non, vel difficulter coquit: veneficam autem portionem, tanquam excrementitiam expellunt. Longo tamen vsu, carnes etiam ab alimentis inficiuntur, vt docet Galen. lib. 11. simplic. cap de viperarum carne.*) Hominis denique substantia veneno subiicitur, quoties impertitur sola qualitas, vt a basilisco, &c. lib. de theriac. ad Pison. huius qualitatis subiectum est aer, dum extrinsecus accedit. Et hoc venenū, quod ab animalibus procedit, ceteris paribus deterrimum est.

Subiectum qualitatis veneficæ extra corpus humanum.

Carnes animalium nō protinus ab alimentis venenatis inficiuntur, aut a venenata cruentatione.

Venenum etiam interdum in humano corpore generatur, com. 17. sect. 2. lib. 1. prorrh. & commen. F 75. sect. 3 lib. 3. epidem. Huius materia potest esse Contentum, & Continens. Contentum; & excrementum & alimentum: vt sanguis menstruus, semen, materia alimentalis, cap. 5. lib. 6. de loc. affect. Continens; vt partes solidæ, in quas calor putredinalis & veneficus etiam agere potest, cap. 5. lib. 21. method. Caussa efficiens est calor, non simpliciter alterans, sed corrumpens, & nouam formam, humanæ contrariam, introducens. Nisi enim forma sit contraria, non est venenum. Sic in corruptione naturali, si bonus cibus corrumpitur, id est, interit, & in chylum conuertitur; noua quidem inducitur forma: inter hanc tamen & præcedentem, non est contrarietas, sed similitudo; & altera solum maioris, altera minoris est actiuitatis: vt in carne & sanguine patet: caro enim fit e sanguine, non contra; quia maior est actiuitas in forma carnis, quam sanguinis. Sed neque venenum statim est in corruptione preter naturam: vt dum sanguis mutatur in bilē flauā, id est, in excrementū simile naturali; licet non possit nutrire, est enim maioris actiui- G tatis, quā vt a calore corporis vinci queat: forma tamē nondū est cōtraria. Præterea in corruptione præter naturā, dum sanguis mutatur in excrementū p̄ter naturā, semper lædit, nō semper autē est venenū: vt bilis vitellina, æruginosa, atra, nō semper est venenū, quia adhuc cedit medicamētis attrahētibus ob formæ similitudinē. Si vero quæ corrumpuntur, formā acquirunt naturę humanæ contrariā, tunc demū sunt venena.

Corruptiones in quibus mistum non dissoluitur.

1.

2.

3.

Si ergo

A Si ergo *contentum* euadit veneficum;tunc eius ſubiectum ſemper eſt excrementum.Agens vero modo in contento eſt;vt ſi quis mordetur a cane rabido,tunc excrementum veneficum,etiam reliqua excrementa in ſuam naturam conuertit:modo in continente;vt in febre peſtilenti,dum calor partium ſolidarum redditur igneus præter naturam:modo & in contento & in continente;vt dum homo rabie corripitur,& calor eſt igneus in contentis & partibus ſolidis(:*N.Venenum caninum magis eſt peſtilens, quam ſimile canino, quod in homine generatur:illud enim contagioſum,hoc autem non.*)Si autem *continens* eſt veneficum; ſubiectum veneni eſt continens,vt in ſphacelo,a quo aſcendens vapor,& cor petẽs, homines celerrime interimit.Totum tamen corpus,quamdiu homo viuit,non poteſt eſſe veneficum,ſeu ſubiectum veneni ſecundum totum:& proinde falſum eſt,quod quidam dicunt,puellam illam napello nutritam, ſecundum totũ corpus euaſiſſe veneficã.Puella enim ab initio vſa eſt napello in exigua copia, & ſenſim aſſueuit eius vſui;
B vt progreſſu ætatis ob conſuetudinem,ſemper minus ab eo paſſa fuerit(:a conſuetis enim non fit paſſio:) vnde napelli portionem alimentalem,in ſubſtantiam partis conuertit, manente adhuc in finibus ſpeciei humanæ;portionem vero veneficam expulit,tum per alias vias,tum per os; vnde etiam oſculo homines interfecit:ipſam tamen puellam illud venenum non læſit,propter proprietatem & conſuetudinem. Obiectio:*Simile generat ſimile:caro ergo carnem gignit,non venenum!* Reſponſio: hoc verum eſt,niſi aliquod occurrat impedimentum,vel in obiecto,vel in agente.

Contenti venenati ſubiectũ, & cauſſa efficiens. Continẽtis venenati ſubiectum.

Hactenus de veneno intra corpus generato,per corruptionem,in qua nulla fit miſti diſſolutio: ſequitur de ea corruptione,in qua miſtum diſſoluitur in fimum,terram,ac cineres: id quod fit per *putredinem*.Putredo autem duplex eſt:alia naturalis,alia præter naturam.Naturalis;quãdo miſtũ,quod putreſcit, non calidius ſed potius frigidius euadit,l.4.meteor. Ariſt.hic enim ambientis calor non eſt admodũ intẽ-
C ſus,nec in miſto putreſcente imprimitur,ſed natiuus calor euocatur, vt miſtum in fimum abeat,c.9.l.2.de diff.febr.Putredo præter naturam eſt,quando miſtum, quod putreſcit,redditur calidius,& fit per exuſtionem,vel ſuperaſſationem,a calore intenſo,vt miſtum in cinerem degeneret.In vtraque autem putredine quidam ſunt gradus,ita vt non omnis putredo venefica ſit,ſed tantum ſumma putredo.In febre enim pituitoſa,verbi gratia,humor adhuc ſeruat formam pituitæ,ſeu formam nondum veneficam, quæ agarico poteſt ob ſimilitudinem euacuari:at ſi pituita ita putreſcat,vt venefica euadat;tunc prorſus corrumpitur, & nouam induit formam;nec agarico educi poteſt,ſed ſaltem diureticis,ſudorem cientibus;vel calidis attrahentibus ad extimas corporis partes.Putredo igitur magis vel minus eſt praua ratione loci, in quo generatur,ratione materiæ,& ratione cauſſæ efficientis.Ratione loci,dum putreſcens in venis putreſcit,peius eſt,quam extra venas.Ratione materiæ;ſi materia alimentalis putreſcit,deterius eſt, quam ſi excremẽ-
D titia:vnde deterius venenum e ſemine,quam e ſanguine menſtruo,c.4.lib.6.de loc.aff.natura enim magis tuetur alimentum,quam excrementum,& proinde ſi natura amplius tueri nequit, ſed deſerere cogitur, neceſſe eſt,calorem præter naturam eſſe admodum potentem,ac proinde venenum inde fieri magis deleterium.Ratione agentis;quo hoc potentius,eo peius venenum generatur.

Corruptio, in qua miſtum diſſoluitur,id eſt, putredo.

Nõ omnis putredo eſt venefica: alias enim omnis putrida febris eſſet venenata.

Quænam putredo malignior.

Altera definitionis particula eſt,*corruptiua*.Venenum enim hominis complexionẽ corrumpit.Vnde improprie loquuntur,qui vel torpedinem,vel gallicam virulentiam,veneficam eſſe dicunt: licet enim in his qualitas ſit,corpori noſtro infenſa;venefica tamen non eſt,quia non interficit:qualitas enim torpedinis potiſſimum infenſa eſt facultati animali;qualitas luis gallicæ facultati naturali; qualitas veneni, facultati vitali atque cordi.Venenum ergo non ſimpliciter alterat,ſed corrumpit;ita vt ii etiam periclitentur,qui tractant cadauera eorum,qui venenum aſſumſerunt.Vnde Plato in Phœdro refert, quod corpo-
E ra eorum,qui ad ſupplicium deſtinati venenum aſſumebant,ante venenum, non poſt aſſumtum, lauari ſolita:ne ſcilicet & homines qui lauabant interficerentur.

Modus quo venenum hominem corrumpit,explicatur c.18.l.3.ſimp.nimirum quod ſimili qualitate corpus afficiat;calidum caliditate,frigidum frigiditate,à toto forma agens ſuo etiam modo: venenũ ergo calefaciendo,vel refrigerando corrumpit,id eſt,calorem natiuum diſſoluit,vel exſtinguit; medicamenta autem ſimpliciter alterant.Licet vero quædam venena dicantur calida vel frigida;omnia tamen tota forma contraria ſunt, & a tota forma agunt, vt corpus ſimili affectione afficiant: vi enim veneni abolentur actus ſecundi facultatum,& ita imminuuntur,vt tandem vigeant actus ſecundi ſeu operationes veneni.

I I. Venenũ omne poteſt interficere hominem.

Sic igitur venena agunt:modo explicandum eſt,quid ea ipſa a corporibus patiantur, & quomodo e potentia in actum deducantur.Hoc Galenus cap.3.lib.3. de temper. explicat. Omne miſtum,ait,eſt Ali-
F mentale,vel Non.Si eſt alimentale;vel a corpore Vincitur,vel Non.Si vincitur, ita deducitur e potentia in actum,vt conuertatur in ſubſtantiam partis,& augeat ſubſtantiam caloris natiui:vnde omnia miſta alimentalia calefaciunt, ſiue ſint calida, vt caro columbarum,ſiue frigida,vt *lactuca*. Si miſtum alimentale non vincitur a calore humano; tunc hoc alimentum ſecundum vnam rationem ſemper refrigerat corpus:ſecundum alteram , interdum conſeruat calorem natiuum, aliquando minuit, aliquando intendit. Declaro hæc.Secundum primam rationem,dum alimentum non vincitur; non fit nutritio & reparatio ſubſtãtiæ caloris:minuitur ergo calor, & proinde corpus refrigeratur.Secundum alteram rationem,accipimus calorem,non ratione ſubiecti & ſubſtantiæ,ſed ratione qualitatis. Quod ſi ergo alimentum temperatum eſt,& non vincitur,ſed vincit,ac proinde agit;conſeruat caloris natiui qualitatem: nec enim au-
G get,nec imminuit, quia eſt temperatum. Si alimentum ſit frigidum, nec vincatur;imminuit qualitatem caloris,& refrigerat.Si alimentum calidius non vincatur,vt *allium,cepa,&c.*auget calorem. Miſtum non alimentale,agit frigiditate,caliditate,vel tota forma.Quod frigiditate agit,id eſt, quod potentia frigidum eſt,nil patitur a calore noſtro,nec de potentia in actum ducitur, cap.3. & 4. lib.3. de temper.etiamſi enim actu calidum exhibeatur,caliditas tamen illa ſponte diſſipatur,non vi caloris natiui. Quod calore agit,id eſt,quod poteſtate calidum eſt,ſiue ſimpliciter calefaciat,ſiue etiam abradat & putrefaciat;dum actu frigi-

Veneni paſſio, ſeu a potentia in actum deductio 1. Alimentũ vt alteretur.

2 Venenũ vt a corpore alteretur.

dum exhibetur, a calore humano alteratur, ac de potentia in actum ducitur. (: *Obiectio: ſupra dictum fuit* A
medicamentum alterari & vinci a corpore, venenum non: quomodo ergo hic dicitur, quod venenum a corpore
alteretur? Reſponſio: ibi per alterationem intelligitur exacta victoria, & ſic venenum alterationes quaſdam ſuſ-
cipere quidem poteſt, vinci autem a corpore nequit.) In eo quod tota forma agit, ſimilis eſt ratio: formæ enim
organum, modo caliditas eſt, modo frigiditas. *Obiectio: dictum eſt, frigidum a corpore non pati. At contra*
Galenus cap. 20. lib. 3. de ſimplic. ait, commune eſſe cuilibet medicamento, vt patiatur a corpore: imo frigidum
magis patitur, quam calidum; hoc enim ſua ſponte ad partes remotas penetrare poteſt; illud non, niſi per modum
quendam aſcititium? Reſponſio. Secundum primas qualitates, medicamentum calidum patitur a corpo-
re, frigidum non patitur. Secundum qualitates ſecundas, tum alteratiuas, tum motiuas, calidum a corpo-
re nil patitur, ſed frigidum (: & hoc modo loquitur Galenus lib. 5. de ſimplic. vbi facultates medicamento-
rum conſiderat, quæ non tantum a primis, ſed etiam a ſecundis qualitatibus proficiſcuntur.) Quantum B
ad alteratiuas; vt medicamentum agat, oportet in vaporem abire, quod calidum inſito calore præſtare
poteſt, nec corporis calore ad id eſt opus: frigidũ autem per ſe in vaporem verti nequit; reſiſtit enim eua-
porationi, ac proinde corporis calore opus habet. Quoad motiuas; calidum proprio calore mouetur, &
ad corporis partes etiam remotas deducitur: frigidum vero alieno calore opus habet; quia frigus per ſe
quietis eſt cauſſa.

Frigidum a corpore patitur, & nõ patitur.

3 Venenum confertim corrumpit.

Tertia definitionis particula eſt de tempore, quo fi corruptio. Dictum igitur eſt venenum *confer-*
tim & celerrime corrumpere; ſpatio diei 1. vel 2. vel ad ſummum 3. ſecundum Galenum text. 75. ſect. 3. lib. 3.
epidem. Vnde febris hectica & putrida, licet cor corrumpat, non tamen eſt venenum, quia non confer-
tim corrumpit. Nec venefica etiam erat aura illa frigida, cap. 7. lib. 3. de loc. affect. quæ puero (: antequam
remedia adhiberentur:) quotidie epilepſiam concitabat. Confertim autem venenum agere, duæ ſunt C
cauſſæ: primum vis & actiuitas veneni inſignis, qua celeriter ſanguinem, carnem, & cor inficit: ſecundo,
diſpoſitio animalis, quæ talis eſt, vt facilime vis intenſa toti corpori impertiatur, cap. 16. lib. 3. ſimpl. Si quis
enim tempore frigidiore, digitum in aquam frigidam immittat, repente tota manus refrigeratur, con-
fertim etiam totum brachium, totumque corpus. Venenum ergo, quando in cor cœpit agere; hoc celer-
rime corrumpit: quando vero nondum cœpit agere, ſed in via adhuc eſt, & ad cor perducitur; modo lon-
gius, modo citius interficit. quia modo cito, modo longiore tempore ad cor perducitur, ob copiam, diſ-
poſitionem viarum, & craſſitiem. Copia enim & quantitas, niſi debita ſit, venenum cor non petit: ſic qui a
cane rabido morſi ſunt, non moriuntur, niſi poſt quatuor aut quinque menſes: interim ſenſim illud ve-
nenum ſe multiplicat, & vbi ad debitam quantitatem redactum eſt, cor petit, & iugulat. In corporis diſpo-
ſitione, ſi viæ ſint aſtrictæ, non ita facile permeat venenum. Sic quando venenum craſſum eſt, vt opium, D
vel non interficit, quia non penetrare poteſt; vel ſerius interficit, ſi ope vini attenuetur. Dicendum vero
etiam eſt, qua ratione a veneno cor corrumpatur. Homo moritur, ob inſignem cordis intemperiem: c. 8 l.
3. ſimpl. Cor autem afficitur, quia diſſipatur ipſius calor, ſecundum vnum aliquem ipſius motum (: *cordis*
enim calor duplici conſeruatur motu, quorum vnus eſt ſurſum, alter deorſum: & quamprimum vnus motus de-
ficit, illico etiam alter deficit, vt homo pereat:) Venenum calidum, tollit motum deorſum: frigidum, tollit
motum ſurſum, deprimit enim ad inferiora. Si venenum agat tota forma; hæc vel ſimilis eſt, vel diſſimilis:
ſi ſimilis; tollitur motus deorſum, quia hoc venenum agit ad ſimilitudinem magnæ flammæ, quæ in mi-
norem flammam agit. Si diſſimilis; tollitur motus ſurſum, hoc enim venenum, ad ſimilitudinem veneni
frigidi, exſtinguit calorem naturalem.

Venenum, modo citius, modo tardius ad cor perducitur.

Quomodo a veneno corrumpatur cor.

4. Venenũ afficit cor, mediate, aut immediate.

5. Cor hominis.

Quarta finitionis pars eſt *cor*: omne enim venenum habet proprietatem cordi aduerſam. Afficitur E
autem cor vel Immediate, ſi venenum non reſpicit aliam partem determinatam, præter cor, vt *cicuta,*
napellus: vel Mediate, cum venenum partem determinatam reſpicit, & per mediam iſtam partem
cor afficit; ſic *lepus marinus* pulmones corrumpit, & per hos medios, etiam cor: *cantharides* veſicam, & per
hanc, cor.

Quincta finitionis pars eſt, quod venenum corrumpat *cor hominis*: multa enim miſta homini vene-
num ſunt, aliis animalibus alimentum: vt cicuta ſturnis alimentum eſt, homini venenum. Et hæc de ve-
neni definitione.

CAPVT II. F

De Speciebus, & Differentiis venenorum.

Differentię venenorum vnde ſumẽdæ.

DIfferentias venenorum tradituri, tantum de Simplicibus, quæ natura fiunt, loquemur, non de com-
poſitis, quæ arte fiunt. Differentiæ autem ſumuntur a Veneno vt eſt agens, & a Corpore humano
vt eſt patiens. In veneno autem tria conſiderantur, primum id quod producit venenum: ſecundo natu-
ra veneni, id eſt, materia & forma: tertio, id quod eſt productum. Ab his igitur fontibus ſumendæ ſunt
differentiæ.

I. A cauſſa efficiente.

Quantum igitur ad cauſſam efficientem; venenum gignitur In corpore, vel Extra. In corpore; vel
In venis, vel Extra venas. In venis, Simile eſt canino, Peſtilens, Putrefactum. Extra venas, eſt ſanguis gru-
meſcens. Si venenum generatur extra corpus; tunc procedit ex Elementis, vel Miſtis. Ex elementis impu-
ris, *aere aqua, terra*; vt fit in febre peſtilente. Si e miſtis; vel ex imperfecte miſtis, vt *e glacie veneno affecta;* G
vel perfecte miſtis, iiſque aut inanimatis, vt *arſenicum*; aut animatis, plantis nimirum vel animalibus: plan-
tis, vt *e napello*: animalibus, vt *e cane rabido. ſcorpio, &c.*

II. A ſubiecto.

Differentiæ a materia in qua, id eſt, a ſubiecto. Subiectum qualitatis veneficæ, eſt Indeterminatum,
aut Determinatum. Indeterminatum; cuius qualitas ſpiritalis eſt, & modo vnum, modo aliud ſubiectum
occupat,

A occupat,vt qualitas quæ procedit *a baſiliſco,& a ſerpente per haſtam.* Determinatũ; cum qualitas materia-
lis proprium habet ſubiectum, nec alteri ſubiecto impertitur: vt *venenum caninum* pro ſubiecto habet
contentum excrementum,quod in cane reperitur.

III. A forma:& IV. A veneno iam producto.

Forma veneni,id eſt,qualitas,eſt Euidens,aut Recondita.Euidens,calida,frigida,humida,ſicca.Re-
condita eſt Alteratoria,vel Purgatoria.A caliditate igitur procedunt venena calida:de quibus c.18. 19.22.
l.3.ſimp.Calidum autem venenum aliud eſt ſimpliciter calefaciens,vt *euphorbium*: aliud etiam attrahens,
vt *arſenicum*:aliud corroſiuum,vel putrefaciens.Diſcrimen inter hæc eſt:nam ſimpliciter calefaciẽtia ve-
nena non ſunt viſcida:at quæ abradunt,vel putrefaciunt,viſcida ſunt, & craſſioris ſubſtantiæ. Difficilius
enim ſoluitur continuum,quam introducatur dyſcraſia:& propterea abradentia diutius in corpore ma-
nere oportet,quod fit viſciditatis ope,quam calefacientia ſimpliciter.Corrodentia etiam ac putrefacien-

Calidum venenum.

B tia a ſe inuicem diſtinguuntur:illa enim agunt in continentia tantum,& craſſioris ſunt ſubſtantiæ:hæc et-
iam in contenta agunt,& ſubſtantiæ ſunt tenuioris.Putrefaciens etiam varium exſiſtit:nam interdum in-
troducit calidam dyſcraſiam: interdum putrefactionem præter naturam, vt ſi admodum eſt calidum,
quemadmodum venenum caninum & peſtilens:interdum introducit putrefactionem ſimilem naturali,
in qua quod putreſcit refrigeratur,vt ſi venenum remiſſe calidum eſt,quemadmodum *fungus putrefacti-
uus*(: *Vide lib. 2.ſimpl. vbi fungi frig.& hum ſtatuuntur;in putrefactiuis tamen miſta portio calida aſſeritur.*)

Frigidum.

Hæc de veneno calido.Frigidum venenum,vt colligitur e can.2.Auicennæ,vel interficit refrigerando, &
inducendo cordi frigidam intemperiem;vnde cordis actio aufertur,vel interficit per mediantem malam
compoſitionem,id eſt,anguſtiam viarum.Refrigerando interficit *ſemen hyoſcyami,mandragoræ,ſuccus pa-
paueris*;quoties confertim in cor producuntur:ſi enim diutius in corpore morantur,tum ita alterari poſ-
C ſunt,vt ſecundum portiones alimentales vertantur in alimentum.Quoniam igitur venenum cito ad cor
perduci debet:fit,vt a veneno frigido promtius interficiatur corpus calidius, quam frigidum: vi enim ca-
loris venenum frigidum attenuatur,facilius mouetur,venæ ſunt latiores, cor etiam ob calorem attrahit.
Hinc Galenus dicebat *opium* potiſſimum interficere,quoties poſt ipſius aſſumtionem bibitur *vinum nec
copioſum,nec generoſum*:vino enim opium attenuatur,viæ recluduntur:At copioſum & generoſum vinũ,
plus iuſto excalfacit,& frigiditatem opii e toto vincit.Hinc *cicuta* alimentum eſt ſturnis,homini venenũ:
in hoc enim viæ latiores ſunt,vt cicuta citius ad cor perducatur;in illis viæ ſunt anguſtæ,vt diutius in cor-
pore hæreat,& ſecundum portionem alimentalem in ſubſtantiam ſturni vertatur. Nec hoc repugnat hi-
ſtoriæ de vetula Athenienſi,quæ citra noxam cicutam comedit:hoc enim e conſuetudine factum eſt:nam
primo in exigua copia comedit,deinde ſenſim in maiore,ita vt conſuetudine aliam quaſi naturam con-
D traxerit.Venenum frigidum per mediam anguſtiam interficiens,eſt *plumbum vſtum*: & hoc quoniã craſ-
ſioris eſt ſubſtantiæ,& aſtringẽs,hominem calidiorem celerius,quam frigidiorem, iugulat.Siccum vene-
num,interficit vel exſiccando ſimpliciter,vt *calx viua,venenum caninum*:vel abradẽdo,vt *realgar*. Et hoc
etiam corpus calidius citius interficit; tum quia ob caliditatem citius ad cor ducitur, tum quia cum cali-
diore temperamento facilius & frequentius ſicca,quam humida intemperies cõiungitur. Venenum hu-
midum eſt,quod interficit per mediam intemperiem humidam,non putrefaciendo. Vnde hiſtoria illius
ſerpentis,cuius morſu tacta erat cutis & carnes,vſque ad oſſa,vt marcor ſecutus fuerit; huc non pertinet:
ſunt enim effectus illi putredinis ac putrefacientium venenorum,non humidorum, ſed calidorum. Tale
ergo venenum reddit corpus humidius,humiditate non alimentali(:vt in athletis:)ſed excremẽtitia,quę
obſidet partium & præcipue corpus poroſitates,& hinc calorem cordis exſtinguit.Hoc autem miſtũ non
E tantum venenum eſſe oportet,ſed etiam neceſſe eſt,vt talem adeptum ſit ſubſtantiam,vt facile ducatur ad
cor:& tale eſt *argẽtum viuum*,quod facile permeat,ita vt in internis oſſium partibus repertum ſit,poſt diſ-
ſectionem eorum qui hydrargyro inuncti fuerant.

c.2 l.3.ſimp.

Siccum.

Recondita & alterans veneni qualitas.

Hæc de manifeſta qualitate venenorum.Recondita eſt Alteratoria, vel Purgatoria. Alteratoria eſt
Similis,vel Diſſimilis.Simile miſtum eſt,quod e toto eſt Bezoarticum,vel ferme e toto,vt *theriaca*, quæ in
ampliore doſi interficit,ad ſimilitudinem magnæ flammæ.Diſſimile miſtum,quod tota forma eſt contra-
rium,vt *napellus*.Purgatoria ſeu attrahens qualitas conſtituit medicamenta purgantia.Purgantia attrahũt
ſanguinem,vel alios ſuccos.Quæ ſanguinem trahunt,admodum ſunt venefica,nec vlli hominum cogni-
ta:quidam enim,qui hoc vſus erat veneno,ligatis oculis ad ſupplicium ducebatur, ne hoc peſtiferum aliis
patefaceret;vt Galenus prodidit memoriæ.Purgantia reliquos ſuccos,dupliciter reddũtur venefica, pri-
F mo,ſi nimis intenſa & violenta eſt eorum actio,vt in *veratro albo*,quod interficere poteſt, licet non eua-
cuet humores.Secundo,dum immodicam ſuccorũ quantitatem alliciunt, inſuper purgatione, vnde po-
ſtremo etiam ſanguis vacuatur,& homo perit:hoc vitium non tantum committi poteſt a vehementi me-
dicamento,*vt a veratro albo,ſed etiam a mediocri,vt ab agarico,a rhabarbaro.*

Purgatoria.

Purgantia attrahunt ratione ſimilitudinis.

Porro doctrina purgantium magni eſt momenti,& diligenter tradenda.Omne purgans attrahit ra-
tione ſimilitudinis,id eſt,propter ſimilem proprietatem cum proprietate humoris euacuandi: vnde pro-
prietas purgantium,ſimilis eſt proprietati corporis humani:humor enim qui a purgante attrahitur, non
ſemper eſt veneficus,ſed ſæpe excrementitius vel ſecundum,vel præter naturam:tale autem excremẽtum
naturale, corpori noſtro eſt ſimile, & quoque ſalutare(: *niſi in quanto vel quali peccet*:)quare etiam pur-
gans hoc excrementum ſimile eſt corpori noſtro.Purgantia medicamenta, ſecundum Gal. c. 24 & 25.l.3.
G ſimp.alia habent permiſtas portiones alimentales,nullas veneficas,vt *ſyrupus roſ.ſolut.caſſia, & forte etiam
rhabarb.*quæ ſi non purgant,ſed a corpore vincuntur,mutantur in humorem familiarem,& in alimentũ;
vt rhabarbarum in ſanguinem bilioſum: alia permiſtas habent portiones veneficas (: *hæc tamen non at-
trahunt ratione portionis veneficæ, quæ diſſimilis eſt corpori noſtro, ſed ratione ammiſtæ portionis alimenta-
lis*: (vt *ſcammonium, turbith, colocynthis, vtrumque veratrum*; & hæc ſi non purgant, corrumpuntur in

Purgantia alia benigna, alia maligna.

corpore,& generatur materia venefica;nec enim portio alimentalis,propter portionem veneficam vin- A
ci poteſt.

Num purgantia ſimilia ſint corpori humano.

Hic autem dubia quædam ſoluenda ſunt. Primum: *num in purgantibus ſit portio ſimilis proprietati*
corporis humani,ſeu humorum? Negatur hoc:primum, quia Galenus in lib.quos purg.&c.ait,ſi medica-
mentum detur corpori ſano,non fieri euacuationem,ſed colliquationes:ſi non fit euacuatio, & tamen o-
mnis generis humores in corpore ſano exſiſtunt;medicamentum ſane non trahit ob ſimilitudinem : ali-
1. as enim in corpore ſano etiam traheret?Reſponſio.Purgatio hic nulla ſequitur, non quod ſoluens ſimile
non ſit humori,ſed quia materia humorem gratum non expellit, ſed eum retinet, & medicamento ſol-
2. uenti refragatur:vnde colliquationes fiunt,& difficiles purgationes.Secundo ſic negatur: Theriaca inhi-
bet vim purgantium,ob proprietatem ſuam,quæ diſſimilis eſt proprietati medicamenti, eſt autem ſimi-
lis proprietati corporis noſtri:Quod ſi theriaca ſimilis eſt corpori noſtro,& diſſimilis medicamēto; quo- B
modo medicamentum ſimile erit corpori noſtro?Reſponſio:theriacæ proprietas maximæ eſt actiuitatis,
& agit tam in veneficam,quam in ſimilem medicamenti proprietatem,eiuſque actus ſecūdos tollit; ſicut
magna flamma diſſipat minorem:maior enim actiuitas minorem ſuperat.

Proprietas medicamēti efficacior,quam humoris. Idem non attrahit idem:ſed ſimile trahit ſimile,ca.4.fen.4.lib.1.

Dubitatur etiam,*quænam proprietas maioris ſit actiuitatis,medicamentine,an vero humoris?* Et ratio
eſſe videtur,proprietatem in humore eſſe efficaciorem,quia humoris maior eſt quantitas ; in maiori au-
tem quanto vis maior.Reſponſio:medicamenti vis maior eſt:nam attractio fit ratione alicuius indigen-
tiæ:ſicut caro ſanguinem attrahit,quia eget ſanguine,non contra. Sic magnes eſt quaſi rudimentum fer-
ri,& attrahit ferrum,non attrahitur a ferro.Rhabarb.eſt quoddam bilis rudimentum:& propterea bilem
attrahit,non attrahitur a bile. Vt autem hæc rectius intelligantur, & vt Galeni ſententia defendi queat
contra Auicennam, (: *qui ait, ſi attractio fieret propter ſimile:tunc ferrum attrahi potius a ferro,quam a ma-* C
gnete:)ſciendum,proprietatem eſſe triplicem:genericam,ſpecificam,& indiuidualem. Generica, vt ani-
malis.Specifica,vt humana,equina,gallinacea,&c.Indiuidualis,vel determinati indiuidui,vt Socratis; vel
partis determinatæ,vt iecoris,cordis,&c.Iam proprietas ſimilis in ſimilem debiliorem agit,non eadem in
eandem:vt proprietas animalis,non agit in proprietatē animalis,ſed plantæ.Proprietas humana,non agit
in humanam,ſed in bouinam,gallinaceam,&c.Proprietas indiuidualis Socratis,non agit in proprietatem
indiuidualem Socratis,ſed in proprietatem indiuidualem alterius indiuidui. Proprietas iecoris non agit
in proprietatem iecoris,ſed in proprietatem lienis,oſſis,&c.in eodem indiuiduo : vnde omnium partium
conſpiratio,& conſenſus mutuus.

Quænam purgantia ſint venefica.

Quæritur, *num omnia purgantia ſint venefica?* quod Galenus aſſerere videtur com.12.li.2. de vict. ra-
tione.Vt hoc diſſolui queat,notandum,purgantia alia eſſe vehementia,alia debilia.Vehementia ſunt,quę D
cum impetu attrahunt,& a partibus remotis,& tollunt impedimenta,quæ purgationem tardare poſſunt:
Si enim impedimentum eſt in humore craſſo & viſcido;medicamenta ob calorem & amaritudinem atte-
nuant ac detergunt:Si in viis eſt obſtructio a craſſis & viſcidis humoribus;medicamenta hos detergunt: ſi
expultrix ſopita ſit:excitatur medicamenti mordacitate & malignitate.Et hæc vehemētia purgantia ſunt
venefica:de quibus etiam Hippocrates & Galenus loco citato loquuntur,vt *de peplo,de veratro,&c.* De-
bilia purgantia ſunt,quæ attrahunt a proximis,nec impedimenta remouere poſſunt.Et hæc non ſunt ve-
nefica:nihilominus & hæc corrigenda ſunt,propter os ventriculi, quod ſyncera purgantia ferre nequit,c.
vlt.l.3.de ſimp.

Quomodo pharmaca interficiāt. Quo ordine humores in ὑπερκαθάρσει educantur.

Denique cognoſcendum,*quomodo pharmaca ſint venena:* nimirum dum non caſtigata, & in maio-
re doſi exhibentur:tunc enim fit ὑπερκάθαρσις,id eſt,ſanguis euacuatur,& mors ſequitur,ob diſſipationem E
caloris vitalis.Cur autem fiat ſuperpurgatio,patet e fine libri ſecundi, de elementis,vbi dicitur, & in nu-
tritione & in purgatione fieri attractionem non modo conuenientis,ſed etiam noxii. Vt in nutritione,ſi
caro ſit temperata , & ſanguis frigidior, caro etiam optima attrahit ſanguinem frigidiorem. Sic in pur-
gatione,principaliter quidem attrahitur humor familiaris : ſed in ſuperpurgatione, cum ſuccus familia-
ris attractus eſt,trahitur humor qui promtius euacuatur,id eſt,qui magis eſt fluxilis, & ſimul magis fami-
liaris humori qui primo fuit attractus. Vt, ſi rhabarbaro bilis educatur,poſt bilem vacuabitur pituita
(:*licet enim ſanguis magis ſit fluxilis,pituita tamen magis familiaris eſt ſucco bilioſo, quam ſanguis, ac proinde*
prius educitur:)mox melancholia,quæ minus eſt fluxilis quam pituita, & licet craſſior ſit ac minus fluxi-
lis,quam ſanguis , prius tamen euacuatur, quia familiarior eſt ſucco bilioſo, & pituitoſo,quam ſanguis;
quia illi ſucci ſunt excrementitii:poſtremo ſanguis euacuatur,qui ſuccus eſt alimentalis. Hic tamen no- F
tandum,in ſuperpurgatione a ſcammonio non omnem prorſus vacuari bilem,antequam ſanguis effluat,
ſed maximam ſaltem eius partem:vita enim ſine 4.ſuccis conſiſtere non poteſt : comm.n.33.libro primo,

Alia ſuperpurgationis cauſſa.

de natura humana. Præterea, ſuperpurgatio non tantum fit propter pharmaci attractionem;ſed potius
propter læſam retentionem & expulſionem:cap.27.& vltim.lib.3.ſimplic. Quia enim in ſuperpurgatione
ſuccus familiaris eductus eſt; non reſtat alius familiaris medicamento ſuccus , ac proin maxima e parte
ceſſat attractio,quia agens non agit,niſi aſſit patiens. Fit ergo tunc ſuperpurgatio læſa retentione & ex-
pulſione:læditur autem facultas retentrix ob morbum vaſorum,qui vel in via eſt,vel in intemperie. In via
vaſorum,id eſt,in nimia apertione orificiorum,propter copiam & impetum materiæ expurgatæ. In in-
temperie,& præſertim frigida,quia in ὑπερκαθάρσει partes corporis ita fatigantur,vt calor hebeſcat,& vaſa
refrigerata langueant,nec ſuccos detinere queant.Læditur ergo expulſio,non læſa facultate,ſed ob erro- G
rem externum:qui ſumitur e praua qualitate,ſeu acrimonia medicamenti purgantis. Hæc de
venenorum differentiis,quæ a cauſſa efficiente,formali,& materiali deſumuntur.
Auicennas etiam a corpore patiente ſumit differentias:quæ facile
e dictis patebunt.

CAPVT

A

CAPUT III.

De Signis venenorum.

VENENUM *in genere* modo facile, modo difficulter cognoscitur. Facile; si in corpore agit, vt appareant symptomata venefica, syncope stomachi, anxietas, pallor totius corporis, pulsus imbecillis, &c. Difficulter; si venenum non agit, sed otiatur, quia est in minima copia, & in partibus remotis: & tunc cōsiderandæ sunt caussæ prægressæ, ac dispositio patientis. Caussæ prægressæ; si forinsecus accedit venenum: vt si quis a cane rabido sit demorsus, facile suspicamur venenum latitare: Ita si quis cum inimicis, & veneficis versatus est. Dispositio patientis; si intus venenum latitat; quoties corpus est insalubre, vsum est prauis cibis, dum est suppressa consueta euacuatio vel seminis vel sanguinis. Signa veneni in genere.

B Signa *differentiarum*: & primum num *in corpore venenum sit genitum, an extrinsecus accesserit?* Si igitur homo sanus repente moriatur, cadauer fœteat; liuescat præter consuetudinem cadaueris, foris accessit venenum: si vero corpus insalubre fuit refertum prauis succis, & euacuatio consueta fuit cohibita, venenum intus genitum ipsum iugulauit: vt Galenus docet cap. penult. lib. 6. de loc. affect. In corpore viuente eadem est ratio. Num genitum sit in corpore, an extra.

Si in corpore genitum est venenum; vel Extra venas, vel In venis. Si *extra venas*; an a sanguine grumescente, in cauitatibus, vt ventriculo, vesica; confugiendum ad signa particularia, de quibus in doctrina de sanguine grumescente. Si *in venis*; hæc signa non aderunt, sed potius erunt signa febris pestilentis, prægressa est suppressio seminis, vel sanguinis menstrui. Num in venis an extra venas.

Si extra corpus generatum est venenum; vel ab elementis procedit, vel a mistis. Si *ab elementis*; signa C sunt impuritatis elementorum, de quibus in febre pestilenti. Si *e mistis*; facile cognosci potest, an procedat e mistis animantis: modo clam non sit exhibitum; hoc enim cognoscere fere est impossibile. Num ab elementis, an e mistis.

Hactenus de signis differentiarum a caussa efficiente: sequitur de signis differentiarum *a caussa materiali, id est, a subiecto veneni.* Ratione igitur subiecti, veneni qualitas est Spiritalis, vel Corporea. *Spiritalis* cognoscitur, si aliquis afficitur post serpentem hasta percussum, item post aspectum basilisci, & quoties præsens fuit animal, quod qualitatem veneficam spiritalem impertiri potest. *Corporea* qualitas est terrestris, aquea, vaporosa. Terrestris; si venenum in puluere est exhibitum: aquea; si in diluto & destillato: vaporosa; si homo solo odore afficitur. Signa subiectorum veneni.

Sequuntur signa differentiarum *a caussa formali.* Venenum calidum, simpliciter calefaciens, indicatur, cum patiens feruorem in capite sentit; afficitur siti, & corpus tactui calidum apparet, venæ turgentes D conspiciuntur; a calido enim veneno sanguis funditur, vnde etiam oculi rubent. Venenum calidum corrosiuum, indicatur ex insigni ventriculi dolore. Putrefaciens indicatur e graui & iniucundo corporis odore: ructus enim & anhelitus sunt fœtidi. Putrefactiuum autem modo intense, modo remisse calidum est: si intense, signa erunt intensæ caliditatis. Frigidum simpliciter refrigerans, cognoscitur e somno profundo, stupore, absentia sitis, e frigiditate totius corporis. Frigidum constipans, seu angustans, adiunctam etiam habet difficultatem anhelitus. De sicco & humido, nil Auicennas: nec enim hæc facile dantur, nisi caliditas, vel frigiditas assit. Siccum tamen a macie & tabe indicatur. Humidum ex insigni corporis imbecillitate, vt statim corpus iusto grauius euadat: ob nimiam enim humiditatem ligamenta laxantur, vt membra quasi onerosa fiant. Signa qualitatis manifestæ veneni.

Hæc de qualitate manifesta. Abdita est Alterans, vel Purgans. *Alterans*, est similis corpori, vel dissimi-E lis. Si simile sit quod exhibetur, vt theriaca, tunc (licet alias salutare esset) pestiferū euadit, quia datur in maiori dosi, quam oportet, & hoc exhibitum est, vel a plebeio, ab empeirico, vel a medico indocto. Si autem a docto daretur: cognosci non posset; cordis enim proprietatem dissipat, propter summam actiuitatem; sicut magna flamma minorem exstinguit: & minus adhuc cognosci posset, si nec sit amarum, nec ingrati odoris; vt homo pereat, antequam sciamus venenum esse in corpore, & post mortem nulla veneni apparent vestigia. Alterans qualitas dissimilis cognoscitur, quia mutatur pulsus, fit syncope, erumpunt sudores frigidi, præsertim in fronte, maxime si napellus assumatur. Signa qualitatis alterantis.

Qualitas *purgatoria.* Si purgatur sanguis, facile cognoscitur: huius generis tamen venenum nemini notum hoc seculo. Si purgans materia alios attrahat succos; bifariam nocet: intensiue, id est, actione violenta; & extensiue, id est, actione immodica. Si lædit intensiue; fiunt tormina, conuulsiones, nec corpora F euacuantur. Si extensiue; insignis fit euacuatio. Signa purgatoriæ qualitatis.

A *dispositione corporis* etiam sumuntur differentiæ, quæ facile cognoscuntur. Si enim venenum agit in totum corpus; non est noxa aliqua in membro particulari. Si agit in partem determinatam; noxa inprimis in parte illa percipitur: verbi gratia, si cantharides assumantur, patiens noxam sentiet in vesica. Signa differentiarum a corporis dispositione.

Hoc igitur modo prima venenorum genera cognoscuntur. De speciebus enim specialissimis, in capitibus propriis agendum erit. Monet autem Auicennas, indicia e visu, olfactu, & sapore sumi posse: e visu, vt si quis euomat hydrargyrum: ex olfactu, si quis percipiat odorem opii: e sapore, eadem ratione. Conclusio signorum.

CAPUT IV.

De Præsidiis venenorum.

G AGEMUS iam de curatione veneni in genere: specialia suum in locum seruantes. Præsidia igitur ab essentia veneni sumēda sunt. Et quoniam venenum est qualitas corruptiua cordis hominis: necessario indicationes præsidiorum sumuntur a qualitate, a corde, & ab homine. Præsidia venenorum, vnde sumenda.

Præsidia quæ sumuntur a veneno, seu veneni qualitate, sunt alterantia vel euacuantia, vt colligitur e cap. 7. lib. 3. de loc. aff. & c. 6. lib. 13. meth. & cap. 18. lib. 5. simpl. Alterantia sunt, modo calida, modo frigida, 1. A veneno. Alterantia.

Bezoarticũ quid?

modo a proprietate occulta iuuant; prout varia eſt veneni qualitas. Nos potiſſimum agemus de alteran- A
tibus per qualitatem reconditam. Auicennas remedium bezoarticum ita definit, cap.4. fen 1. lib.2. Albe-
zoar eſt remedium, quod pro ſua proprietate conſeruat ſanitatem & virtutem in ſpiritu, vt veneni noxã
a ſe expellat. Vnde colligitur bezoarticum habere proprietatem ſimilem proprietati corporis humani.

Bezoarticũ per accidẽs, & mediate in venenũ agit.

Patet etiam hinc bezoarticum exſtirpare venenum, non quod agat in venenum, ſed quia agit in corpus
humanum, & illud roborat, vt veneno expellendo ſufficere queat. Et ſic venenum a bezoartico quaſi per
accidens curatur: bezoarticum enim non agit in venenum, ſed per ſimilem proprietatem (quæ tamen
maioris eſt actiuitatis:) corpus immutat, vt huius actus ſecundus, vi veneni iam deperditus, reuocetur.

Bezoartica ſunt media inter venena & corpus humanum.

Hinc Galenus cap. 18. libr. 5. ſimpl. ait bezoartica obtinere mediam quandam naturam, inter corpus hu-
manum. & venenum: vt, quæ eſt proportio corporis humani ad bezoarticum, eadem ſit bezoartici ad ve-
nenum. Quo dicto ſignificat ita adminiſtrandas eſſe antidotos, ne, ſi largiore doſi exhibeantur, maxima B
ſua actiuitate corpus lædant. Sicut enim bezoarticum vinci non debet a veneno: ita etiam corpus a bezo-
artico vinci non debet a veneno: ait etiam loc. cit. bezoarticum eſſe medium inter medicamentum, & ve-
nenum: medicamentum enim iuuat, venenum interficit; bezoarticum iuuat ſi recte adminiſtretur, & in-

Euacuantia manifeſte.

terficit, ſi non recte, ſed in maiore doſi exhibeatur. Præſidia euacuantia explicantur. c.18. l. 5 ſimpl. & hæc
vacuant qualitate vel manifeſta, vel recondita: Manifeſta qualitas attrahit, vel calefaciendo ſimpliciter, vel
ſimul abradendo & corrodendo cuticulam, atque excitando veſicas. Simpliciter calefaciens, eſt remediũ
calidum, & tenuis ſubſtantiæ, quod venenum e profundis, id eſt, a centro ad circumferentiam attrahit.
Corrodens & abradens, eſt calidum & craſſæ ſubſtantiæ, cuius ope parti adhæret; vnde abradit, dolorem-

Occulta.

que excitat: Et ſic vacuatio fit non tantum per attractionem caloris & doloris, ſed etiam per modum re-
ceptionis, quia pars redditur imbecillis, & proinde apta ad recipiendum. Occulta qualitas vacuat nõ per C
expulſionem, ſed per attractionem, propter proprietatem, ſimilem proprietati veneni: vnde Galenus ait,
omne venenum vacuari a medicamentis extrinſecus applicatis. Quod tamen dictum non ita eſt intelli-
gendum, tanquam venena ſemper ſint applicanda, & nunquam exhibenda: nam & cantharides, & hy-
drargyrum vtiliter nonnunquam exhibentur: tutius tamen eſt, venena applicare, quam exhibere. Vene-
na autem applicanda ſunt, non aduerſiſſima corpori humano, quæ interficerent: ſed quæ mediam quan-
dam naturam habent inter corpus humanum, & venenum; vt eſt *caro viperæ, caro ſcorpii:* quæ media ſunt
ratione actiuitatis & ſimilitudinis: non enim ſunt ſummæ actiuitatis, vt *arſenicum*, nec proprietatis vel o-
mnino ſimilis, vel admodum diſſimilis.

II. Præſidia a corde indicata.

Hæc de præſidiis quæ a veneno ſumuntur. A corde languente indicatur remedium cor roborans:
& hoc vel euidens eſt, vel occultum. Euidens eſt, quod cordis calorem & complexionem conſeruat. Re- D
conditum eſt, quod cordis proprietatem reſpicit: & eſt bezoarticum. Bezoarticum autem requiritur, ve-
neno & præſente, & imminente. Si præſens eſt venenum; tum bezoarticum requiritur, ratione & ipſius
veneni, & proprietatis cordis. A veneno enim requiritur aliquid, quod proprietatem veneno habeat cõ-
trariam, vt virtute huius remedii, ab expultrice cordis venenum expellatur. Cordis autem proprietas po-
ſtulat remedium ſimile, quo roboretur, ad reſiſtendum proprietati veneni. Quatenus ergo bezoarticum
requiritur a veneno, eſt præſeruatorium: quatenus requiritur a proprietate cordis, eſt vitale. Si immineat
venenum, in aere peſtilenti, vel ab hoſtibus; requiritur bezoarticum, quod cor ita roboret, vt ſi for-
te ingruat venenum, homo non pereat. Bezoarticum igitur, ſanitatis etiam tempore, requiritur a pro-
prietate cordis (*non a veneno, quod præſens non eſt; cum tamen indicatio a præſenti ſumatur:*) tanquam
remedium vitale. E

Dubium ex Auerroe.

Alucinatus ergo Auerroes eſt, qui materiam bezoarticam tempore ſanitatis non admittit: nam &
experientiam habet repugnantem, & rationem. Si enim bezoarticum exhibitum, præſente veneno, non
diſſipat cordis proprietatem; multo minus abſente veneno deſtruet: nam cum venenum in cor agat, ſi in
bezoartico facultas eſt diſſipandi cordis proprietatem, adhuc magis deſtruetur ambabus cauſſis coniun-
ctis, quam ſi vna tantum adeſt. Sed forte excuſari poteſt Auerroes, hoc modo: Bezoarticum duplex eſt:
alterum maximæ actiuitatis, præditum tamen proprietate ſimili proprietati cordis e toto; vt eſt *confectio
Mithridatica*, quæ ſanis etiam dari poteſt. Alterum non eſt tantæ actiuitatis, & habet proprietatem mediã
inter corpus & venenum, qualis eſt *caro viperæ, & ſcorpii*, extracto inde veneno: & hæc tempore ſanitatis
præter rationem exhibentur: de quibus etiam locutum eſſe Auerroem, vero eſt ſimile.

III. Præſidia a toto ſumta.

Præſidia etiam a toto ſumuntur. Nam repletio corporis prohibet, quo minus tuto feſtinanter liceat F
venenum expellere, ca.7. l.3. de loc. aff. Quare ſi corporis repletio eſt æqualis; indicat remedium euacuans:
ſi inæqualis; purgatorium, ſeu electiue ducens.

Capvt V.

De Prognoſticis venenorum.

PRimvm proponemus prognoſtica differentiarum a cauſſa formali & materiali: nec enim cauſſæ effi-
cientes hic perpenduntur. Secundo ſigna trademus lethalia, e quibus ſciamus, num homines ſanitati
poſſint reſtitui, nec ne.

Prognoſtica differentiarum a ſubiecto.

Quantum ergo ad differentias a ſubiecto; qualitas ſpiritalis eſt efficaciſſima, præcipue quia non ha-
bet determinatum ſubiectum, & momento per corpus in cor irruit, nihil quod reſiſtat inueniens. Nõ eſt G
tamen omnino deſperandum: inuenitur enim remedium, cor ita roborans, vt qualitas illa ſpiritalis diſ-
ſoluatur, ſicut tenebræ diſſipantur a lumine Solis. Qualitas materialis, ſi ſubiectum ſit determinatum, mi-
nus eſt periculoſa, & præſertim ſi ſubiectum ſit terreſtre: magis periculoſa, ſi ſubiectum ſit aqueum: adhuc
magis, ſi aereum; celerrime enim homines per prauos odores intereunt.

A Quantum ad cauſſam formalem. Venenum agens a tota forma eſt magis periculoſum, quam manifeſta agens qualitate: in corde enim duo ſunt, complexio & proprietas: complexio ſtante vita mutari poteſt: proprietas, maxime penes motum, mutari nequit; quamprimum enim adimitur actus proprietatis, id eſt, motus, homo ſtatim moritur; quia mors nihil eſt aliud quam quies & immobilitas cordis. Inter venena autem a tota forma, illud magis eſt peſtiferum, quod eſt maioris actiuitatis. Qualitas manifeſta in genere, prout inſtrumentum eſt maioris, vel minoris actiuitatis, pro eo etiam vehementiores habet operationes. Non ſolum enim numerus graduum, ſed etiam vis & vehementia(:quę a forma ſubſtantiali procedit:) attendi debet: opium enim venenum eſt, non aqua; quia frigiditas aquæ eſt organum formæ elementaris minimæ actiuitatis; frigiditas autem opii, eſt organum formæ miſti, quæ forma corpori noſtro
B eſt contraria. Sic euphorbium eſt venenum, non ſinapi; licet vtrumque in quarto ſit calidum. (:*Vt autem melius hæc intelligantur, paullo erunt altius repetenda. Forma miſti, eſt Similis corpori humano, vel Diſſimilis. Si ſimilis, eſt Actiua, vel Paſſiua. Paſſiua; cum miſtũ illud eſt alimentale, nam alimentũ patitur a corpore. Quo fit, vt qualitas, quæ eſt organum formæ minimæ actiuitatis, parum etiam agat. Hinc theriaca calida in primo, magis calfacit quam piper vel ſinapi, quæ calida ſunt in quarto, & pueris piper dare poſſumus, non theriacam: caliditas enim piperis & ſinapi eſt organum formæ alimentalis paſſiuæ: caliditas autem theriacæ, eſt organum formæ quidem ſimilis, ſed ſummæ actiuitatis, cui corpus cedit, non reſiſtit, vt calor in habitum corporis imprimatur. Idem de forma diſſimili ſeu venefica ſtatuendum. Licet enim omne venenum corpori humano a toto forma ſit contrarium: hæc tamen forma interdum eſt ſummæ actiuitatis, interdum minimæ, interdum mediocris. Hinc venena, quæ formam habent maximæ actiuitatis, homines interficiunt: etſi in calido, frigido, humido, ſicco non ſit ſummus exceſſus: vt eſt napellus. Venena autem quæ exiguam habent actiuita-*
C *tem, non dicuntur agere a tota forma, ſed per manifeſtas qualitates intenſas, vt euphorbium, opium, &c. quæ tamen ipſa non interficerent, niſi organa eſſent formæ contrariæ. Hinc ergo patet, in venenis manifeſta qualitate agentibus, vim & actionem vehementem, ſeu veneficam, dependere e qualitatibus, quatenus ſunt organa formæ contrariæ*) Præterea ſiue venena ſint calida, ſiue frigida; celerius nocent corpori calido, quam frigido: in calido enim vis ipſorum citius ad cor perducitur. Calida & frigida venena magis ſunt periculoſa, quam humida & ſicca; quia illa maioris ſunt actiuitatis, ſi venena calida cum frigidis comparemus, ceteris paribus, calida magis ſunt periculoſa; vt cito, & in exigua quantitate homines iugulare poſſint: Frigida vero a natura ſuperari poſſunt; vt alimentales portiones in alimentum vertantur, venenificæ extra corpus protrudantur.

Prognoſtica differentiarum a cauſſa formali.
Prognoſticum qualitatis manifeſtæ.
Qualitates venenorũ agunt pro ratione formæ ſuæ, magis vel minus efficacis.
Aliud prognoſticum.
Aliud.

Signa lethalia ſunt ſequentia ſymptomata, quæ de ſalute hominis deſperandum eſſe indicant, ſecun-
D dum Auicennam c.4. I. Syncope, quæ cor inſigniter affici oſtendit. II. Si pupilla occultatur, indicat vehementer lædi cerebrum, ob conſenſum cum corde: cor enim ſi læditur, ſpiritus vitalis exſtinguitur: hic cum materia ſit ſpiritus animalis, animalem etiam languere neceſſe eſt; vnde inſignis in pupilla fit mutatio. III. oculorum rubor, ob noxam cordis, ita cerebrum lædi arguit, vt ſanguinem continere non valens, in oculos defluere ſinat. IV. Si lingua intra os detineri nequit: quoniam ita languet cerebrum, vt partes relaxentur. V. Si pulſus cadit, & non percipitur, maxima cordis noxa eſt. VI. Sudor frigidus ſignificat maximam imbecillitatem ſecundum omnes corporis partes, ita vt partes alimentum proprium non poſſint continere, vnde humiditas alimentalis erumpit. Quod ſi ergo hæc conſpiciantur ſigna; ſpes ſalutis nulla relinquitur: contra, ſi non appareant.

Signa θανάσιμα.

E

CAPVT VI.

De Materiis præſidiorum.

PROPONEMVS materias cheirurgicas, medicinales & diæteticas, in genere: in quibus etiam rectam adminiſtrationem, quantum licet in curatione generica patefaciemus. Commune autem eſt cuilibet materiæ circa rectam adminiſtrationem ſeu *Quando agendum*, vt adhibeatur celerrime, antequam cor a veneno petatur.

Cito agendum.

Materia cheirurgica ſunt Venæſectio, Fonticuli, Veſicatoria. Venæſectio locum habet in veneno calido, ſi corpus ſit refertum ſanguine, qui vi veneni neceſſario acrior & feruidior eſt redditus: quinetiam funditur ſic ſanguis, & fuſus ampliorem occupat locũ, vnde venæ apparent turgidæ. Si ergo hoc indicans principale adeſt, & virtus vel coindicat, vel ſaltem permittit; vena eſt aperienda: quæ & per ſe cõfert, & per
F accidens, totum corporis habitum refrigerando. In veneno autem frigido a tota forma, licet corpus indigeat venæſectione; hæc tamen adminiſtrari non debet: veneno enim frigido adeo repente corpus refrigeratur, vt virtus nequaquam poſſit ſuſtinere venæſectionem; geminaretur enim refrigeratio.

I. Materiæ cheirurgicæ. Phlebotomia.

Cauteria etiam probantur, quibus corpus ab excrementis mundatur, vt non tantopere a veneno lædatur. Probantur autem potius pro præſeruatione ante venenum, quam poſt, id eſt, in aere peſtilenti: potius ante febrem, quam tempore febris: item potius ante ſumtum venenũ, quam poſt: ratio eſt, quia fonticuli non euacuant ſuperfluitates, niſi poſt remotionem cruſtæ, quæ excitatur vel ab igne, vel a cauſtico; at hic cito opus eſt auxilio. Poſt venenum tamen, non omnino negligenda ſunt cauteria, ſi modo venenũ non ſit admodum copioſum: vt inter initia morſus canis, dum venenum adhuc eſt exiguum. Notandum etiam, vt quamprimum æſchara remoueatur, primo aut ſecundo die: alias tamen in morbis chronicis ſo-
G lent demum remoueri die octauo, aut quinctodecimo, aut etiam vigeſimo.

Fonticuli.

Veſicatoria, ſpatio trium aut quatuor horarum, euocant venenum.

Veſicatoria.

Cum Auicenna etiam licet vti ligaturis, frictionibus, cucurbitulis ſiccis: vt venenum retrahatur a corde, in partes ignobiles.

Materiæ medicinales proponuntur a Galeno c.18.l.5. ſimpl. Sunt autem vel Euacuantes (:quo per-

II. Materiæ medicinales.

Vacuantia. Primum expellentia.

1. Ratione copiæ, hydrelæum.

tinent Epispastica, id est, attractoria, ratione vel caloris, vel similitudinis:) vel Alterantes. De euacuantibus primum dicendum: quia hæc & substantiam, & vim veneni tollunt: alterantia vero substantiam non adimunt: Prius ergo de remedio efficaciori, id est, de vacuante. Vacuans, aut ratione Copiæ vacuat, aut ratione Qualitatis. Vacuante ratione copiæ vti possumus in quocunque veneno, siue cognito, siue incognito: ca.7.l.2. de antidot. Est autem medicamentum *hydrelæum* dictum: vnde hoc vti possumus: ℞. *aquæ ℥x. olei maturi vel communis, vel amygd. dulc. ℥iiij. Misc.* Hoc medicamentum per vomitum euacuat, & qualitate sua omnem veneni vim attemperat, siue calidum sit, siue frigidum; accedit enim ad temperiem. Præterea efficit hoc medicamentum, vt venenum in corpore exsistens non ita facile possit partibus adhærere, nec abradere queat, licet sit corrosiuum. Sic etiam si corporis pars hoc inungatur, nulla ab adhibitis vesicatoriis (vt a cantharidibus:) fiet corrosio, quia prohibet substantia oleaginosa, & pinguis. Oportet autem hoc medicamentum in magna copia dare, ad ℥iiij. vel xv. summa enim cum sit veneni actio, summam etiam exhibere dosin conuenit. Oportet etiam dare quamprimum: quia nihil prohibet, & adest præsentia indicantis vrgentis. Pluribus etiam vicibus hydrelæum est dandum, bis aut ter, in summa dosi, donec venenum sit vacuatum. Sed quia venenum aliquando in ventriculo residet, aliquando in intestinis; propterea Auicennas hydrelæo etiam alia ammiscet, quæ per inferiora venenum educunt: nimirum *semen lini, mercurialis decoctum, cinerem e vitis confectum ramentis.* Aduertendum etiam, an aliquid noxii post vomitum succedat, vel propter venenum, vel propter vomitorium. Si vis veneni sit noxia, post vomitum probat Auicennas *exhibitionem lactis, vel crudi potius butyri.* Si vomitorium lædat, ita vt maximus ipsius impetus, ac violentus motus, inflammationem œsophagi excitet: conuenit exhibere *lac refrigeratum, aquam hordei, imo oleum rosaceum frigidum.* Quod si venenum in infimis subsistat partibus, probatur purgans per inferiora, ne id tamen sit veneficum. Maxime autem laudatur *agaricus*, qui portiones habet bezoarticas, & alexiterias: euacuat autem venenum non per se, sed per accidens; per se enim ob proprietatem similem pituitæ, attrahit succos pituitosos, & sic ex accidente venenum etiam euacuat. Semper tamen obseruandum, vt purgans medicamentum exhibeatur, quod humori in corpore redundanti respondeat. Optimum etiam est secundum Auic. confugere ad clysteres, acres quidem, si in superioribus intestinis venenum hæret (vt sic a partibus longinquis attrahant:) mites vero si in inferioribus. Nunquam tamen, siue in superioribus siue inferiorib. intestinis venenum contineatur, a pinguibus oleaginosis desistendum; quæ scilicet veneno transeunti occurrunt, ne intestinis adhæreat, sed facile præterlabatur.

(margin: Noxæ a vomitu vt succurrēdum. — Purgatio per inferiora. — Clysmi.)

(margin: 2 Ratione qualitatis vacuantia, seu trahentia. — Calida attrahentia.)

Hæc de iis, quæ ratione copiæ vacuant. Sunt etiam nonnulla, quæ potius qualitate, quam quantitate euacuant; non expellendo, sed attrahendo. Attractio fit qualitate vel Manifesta, vt caliditate; vel Occulta, sed simili. Quantum ad caliditatem, Gale. c.7.l.3. de loc. aff. probat *medicamentum e thapsia, sinapi, fimo columbino:* Quæ tamen medicamenta probantur, quoties venenum non est in ventriculo, id est, si non est per os exhibitum, sed potius applicitum aut ingressum per morsum alicuius animalis: tunc enim propter subsistentiam, per partem demorsam venenum educitur. Quod si exhibitum venenum in ventriculum commearit, & hinc in venas; subsistentia non amplius est in parte determinata, sed in toto corpore: vnde calefacientia toti corpori applicamus, quæ venenum a centro ad circumferentiam attrahant: & huius generis est *balneum aquæ dulcis calidioris;* quod vna cum bezoarticis vsurpari potest. Eodem etiā modo confert, *si magna animalia, vt equi, boues, &c. discindantur, & in horum ventres patientes collocentur,* hoc enim in viris principib. experientia comprobatum est. Quantum ad qualitatem occultā, seu ea quæ ratione similitudinis attrahunt; videndum num venenum sit in corpore, nec ne? Interdum enim licet venenum nondū sit in corpore, vtimur tamen materia vacuante, quæ mediam habet naturam inter corpus & venenum. ca. 18. lib. 5. simpl. & proinde tutius hæc applicantur, quam exhibentur: quale est hoc, quod axillis applicatur: ℞. *arsenici ℥j. dictamni Cretici ℈j sinapi, cinamomi ana ℈ß. moschi, siue ambræ g̃iiij.* Ratio huius medicamēti est talis: Arsenicum admodum efficax est venenum: cum autem opus sit materia, quæ nec a toto sit venefica, nec corpori omnino similis (alias enim non attraheret venenum:) propterea arsenicum corrigimus, ea tamen ratione, ne ipsius operatio, id est, attractio impediatur: miscemus ergo dictamnum, sinapi, cinamom. moschum, quæ proprietates corpori nostro similes habent, & e parte vim arsenici deleteriam summam corrigunt, non tamen omnino adimunt, quia in parua quantitate miscentur, quia etiam calida sunt, id est, tractionem iuuantia. *Obiectio. Indicatio sumitur a præsenti: Si venenum nondum est in corpore, quomodo indicatur arsenicum?* Respon. In aere pestilenti, vbi venenum imminet, vtimur arsenico, tanquā materia remedii requisiti a veneno præsenti, licet nondū sit in corpore: ope enim arsenici, cum venenum in corpus ingreditur, euocatur & attrahitur extra corpus. Quod si venenum actu est in corpore, vel Ignotum est, vel Notum. Si ignotum: vtimur arsenico, ex aliqua parte tamen castigato, quod ratione similitudinis, & vehementis attractionis, quodlibet venenum potest attrahere. Notum venenum vel agit tota Forma, vel manifesta Qualitate: & in hoc satius est vti determinata materia: vt, si quis morsus esset a scorpio, satius esse scorpium applicare, quam arsenicum: si a vipera, carnem viperæ: si a cane rabido, ventres cantharidum. *Dubitatur autem, qua ratione scorpii morsui proprio vtilitatem præstet?* Respondetur: ante scorpii applicationem, venenum cum impetu in cor ruit: post applicationem vero: venenum illud e corpore trahitur; ne amplius ad cor ruat: attrahens enim vis magis est efficax in scorpio, quam in eius veneno: sicut etiam alias caro trahit sanguinem, non contra. Errant igitur, qui negant scorpium suum venenum extrahere; quod simile trahat simile, non idem, idem. Hic enim non est identitas, sed similitudo, cum duo sint mista, Caro scorpii, & Venenum contentum, non continens: caro igitur proprietate simili attrahit venenum. Vnde etiam fit, vt in scorpii morsu, idem scorpius probetur, a quo patiens est morsus, quia per morsum maxima e parte venenum est imminutum: cuius argumentum est etiam hoc, quod si scorpius duo mordeat indiuidua, magis primum afficitur, quam secundum, quia ab initio venenum magis copiosum

(margin: Ratione similitudinis attrahētia; primum si venenum nondum est præsens. — Prophylactica, vnde indicentur. — Attrahentia venenū, actu in corpore exsistens. — Quomodo scorpius; morsui proprio medeatur.)

A copiosum est ac deleterium. Cum vero scorpius præsens non est, probatur *ol. e scorpiis*, quod similitudinem habet carnis, ac mediam naturam inter corpus & venenum. Quoniam vero secundum Auic. in carnibus viperæ & scorpii, debilis attrahendi vis est, cum mediam naturam habeant inter corpus & venena: iis semper addenda sunt calida, attractionem promouentia, vt *sinapi, euphorbium*. Hæc autem attrahentia, aliquando applicanda sunt parti demorsæ, aliquando axillis, interdum vtrisque; sumta indicatione a veneni subsistentia. Si enim venenum per os sit exhibitum; tunc quoniam facile fieri potest, vt venenum in corde habeat subsistentiam, medicamenta sunt axillis applicanda. Si homo ab animali venefico morsus fuerit; tunc inter initia parti demorsæ medicamenta applicanda: si morsus recens non sit; tunc medicamenta & parti demorsæ, & axillis applicanda; temporis enim progressu, cor petit venenum: vnde duplex substantia veneni, duplicem etiam applicationis locum indicat. Et hæc de materia medicinali B vacuante.

Carni viperæ & scorpii, calida sunt addenda

Cui parti applicanda sint, quæ attrahunt venenum.

Alterantia medicamenta, vel alterant per qualitates Reconditas, vel per Manifestas. Primum autem agendum de his, quæ agunt per qualitates reconditas: his enim vti licet, non tantum ad venena a tota forma agentia, sed ad ea ēt, quæ qualitate euidenti agunt, vt *opium*, quoniam hæc quoque formam habēt contrariam. Agentia igitur a tota forma, si venenum in corpore non adest, sunt materia remedii præseruatorii, & requiruntur a proprietate contraria veneno: si autem in corpore sit venenum, sunt materia remedii vitalis, & requiruntur a proprietate cordis. Hæc autem medicamenta, siue venenum exhibitum sit notum, siue ignotum, sunt materia remedii bezoartici. Præstantissima autem proponuntur alexiteria & alexipharmaca, *Theriaca, & Mithridatium*, c.1.l.1. de antid. c.1.l.2 de antid. a Galeno, & c.4. ab Auicenna. De horum vsu pauca dicenda, quia multi medici peccant. Theriaca superat mithridatium in vno veneno viperino: in morsu enim C viperæ vtilius theriaca, quam mithridatium exhibetur. In reliquis autem venenis (:præter calida:) mithridatium vtilius quam theriaca datur: vt si venenum est incognitum, non tamen viperinum; si agit a tota forma; si agit frigiditate. In venenis calidis manifesta qualitate agentibus, nec theriaca, nec mithridatio vtendum: illa tamen minus nocet, quam hoc: quia theriaca non excedit primum gradum calidi, mithridatium ad secundum ascendit. Quod autem theriaca & mithridatium, in venenis impense calidis sint pestifera, ita patet: Venenum manifesta agens caliditate, vehementer corpus calefacit: theriaca autem & mithridatium vehementissime etiam calefaciunt; licet enim theriaca in primo tantum gradu sit calida, magis tamen calorem in corpore imprimere potest, quam cinamomum, quod in tertio est calidum, quia caliditas cinamomi est organum formæ minimæ actiuitatis. Neque admodum prodest theriaca ratione formæ dissimilis: quia sermo hic est de veneno calido, cuius forma est minimæ a- D ctiuitatis, & proin opus non habet, vt per formam theriacæ maximæ actiuitatis expugnetur. Hinc sequitur maxime eos errare, qui in febribus pestilentibus theriacam exhibent, ac mithridatium: in febre enim pestilenti adest venenum calidum putrefactiuum, interiora exurens, vt frigeant exteriora, cuius etiam vi solida cordis substantia (:ad differentiam aliarum febrium putridarum:) est posita in calefacto esse, sed in habitudine, non in habitu. Dum autem theriaca exhibetur, caliditas illa in habitudine firmatur, habitumque contrahit: vt necessario febris pestilens degeneret in hecticam, & homines moriantur, etiamsi optima fuerit theriaca. Auicennas etiam cap.4. alias habet materias, quæ venenis tota forma aduersantur, & eas quidem non ratione, sed experientia inuentas & comprobatas. Ex Galeni igitur sententia ca.7.l 2. de antid. probatur *medicamentum confectum e caricis*: si quis enim hoc ieiuno sumat stomacho, is a veneno vix vincitur. Conficitur autem *e caricis, nucibus, ruta, exiguo sale. Dosis a ℥ij. ad ℥ß.* prout veneni actio ma- E gis vel minus est vehemens. *Zedoaria* etiam omnibus modis veneno aduersatur. Prosunt quoque *semina napi syluestris, ad ℨij. cum maluatico exhibita. Semen citrii ad ℨij cum maluatico datur*: vt vinum sit materia vehiculi, cuius gratia citius cor roboratur. *Crocus secundum Auicennam spiritus viuificat, dilatat, solidat: ad dosin tamen ℨiij. iugulat*: quia licet proprietatem habeat proprietati cordis similem, tantæ tamen est actiuitatis, vt in nimia copia exhibitus, instar magnæ flammæ spiritus & calorem vitalem dissipet. Postremo Auicennas proponit medicamentum efficax, *e succo & radicibus laserpitii (:conferunt proprietate, & odorata sunt:) e semine absinthii santonici (:est cordiale:) cum melle (:vt consistentiam acquirat, & præterea vt medicamentum euadat iucundum:) & exhibet cum aqua, cum decocto pomorum (:est enim hæc materia cordialis, & ceterorum etiam caliditatem attemperat.)* Moderni hæc quinque simplicia proponunt, non contemnenda: *hypericum, vincetoxicum, helenium, aristolochiam longam, & herbam quam vocant dragoncel-* F *lum. Valet plurimum cornu cerui, & vnicornu: item lapis qui bezoar dicitur Auicennæ. Smaragdum nonnulli pro secreto habent, & exhibent ad ℈ij.*

Alterantia bezoartica.

De Theriaca & mithridatio.

Theriaca & mithridatio in venenis calidis non est vtendum.

In febribus pestiferis, non sunt danda theriaca & mithridat.

Theriaca rusticorum.

Sequitur, vt agamus de ratione administrandi hæc medicamenta, siue sint euacuantia, siue alterantia. Medicamenta quæ per spiritalem qualitatem operantur, promtissime iuuāt: sed talia inuenta nondum sunt. Dicunt quidam *adamantem orientalem*; sinistro alligatum brachio, omne venenum superare: sed hoc experientiæ non respondet. Potius ergo medicamenta administranda sunt in puluere, in substantia aquosa, maxime autem in aeria, vt quam citissime expellatur venenum. Parandum igitur *destillatum e magnis antidotis, theriaca & mithridatio: vnde oleum illud Magni Ducis non est contemnendum*, præsertim cum experientia testetur, vim illud contra venena habere maximam. Substantia autem illa est oleaginosa, quæ dum applicatur corpori, ilico in vaporem vertitur. Medicamentum autem hoc efficacissimum redditur, G si *ambra & moschus* misceantur, quæ facile in vaporem abeunt: oleis destillatis etiam aliquid *caphuræ* addendum, hæc enim cordialis est & theriacalis media, & promtissime in aerem resoluitur, & sic facit vt etiam oleum facile in vaporem vertatur; præterea quoque caliditatem olei nimiam frangit. Proin si oleum illud calidius perferre corpus non queat, miscenda caphura: si vero facile admittat, loco caphuræ, ambra & moschus miscenda, vt vi hac calidissima feliciter expugnentur venena. Obseruandum quoque est,

Modus administ.ādi.

Oleum e theriaca & mithridatio.

Quantum agendum.

si venenum actu sit in corpore: antidotis in magna dosi, vt quinctupla, vel quadrupla portione esse exhibendas: hoc enim requirit & præsens venenum, & proprietas cordis: Secus, si nondum sit in corpore, quia tunc proprietas cordis solum indicat. Præterea si actu venenum sit in corpore, exhibemus quotidie, & bis etiam de die; quia summa est veneni actio. Et sane præsentia veneni tantum apud Auicennam potuit, vt vomitorio antidotos adiunxerit; eodem videlicet tempore vacuans & alterans. Notandum tamen vomitoriis quidem theriacam esse addendam, Verbi gratia, *oleo & aqua permistis:* at si *rhabar. agaricus, vel aliud soluens* exhibeatur, theriaca miscenda non erit, quia hæc tractionem soluentium impedit: vt tutius sit prius dare purgantia, quæ non quidem similitudine trahunt venenum, sed hoc tamen per viam consecutionis cum materia excrementitia vacuant: deinde veneno magna e parte educto, licet antidotos exhibere, quarum vi e toto vincatur venenum. A

Antidoti vomitoriis, non purgãtibus misceri possunt.

III. Materia. διαιτητική.

Quoad materiam διαιτητικὴν, Auicen. ca. 4. improbat *Aerem* conclusum, probat autem odoratum, & alteratum suauibus odoribus, quibus spiritus reficiuntur. B

Victus in prophylaxi.

De victu. Si venenum nondum est in corpore, Auicen. maxime probat victum pleniorem, pro præseruatione a veneno, si timor est, ne venenum exhibeatur: a cibo enim copioso vis veneni frangitur, & facile prouocatur vomitus, quo vna cum cibis venenum expellitur: cibo etiam pleniore meatus venarum replentur, vt corpus tam facile veneno non sit peruium. Fieri etiam potest, vt e variis cibis, aliquis donatus sit facultate bezoartica. In victu tenui, omnia sunt contraria. Quantum ad victus qualitatem, ante venenum assumtum, fugienda sunt cibaria & potiones, in quibus est vapor & odor euidens: dum enim vtimur dulcibus, salitis, acribus, odoratis, non facile percipitur venenum ammistum. Monendi ergo sunt homines, si suspicio est de veneno, vt antequam cibos deglutiant, prius optime masticent, & degustent. Summa etiam cauendum est diligentia, ne cibi inficiantur: quod multis modis accidere potest: verbi gratia, si inter decoquendum e tecto in lebetem scorpii decidunt; aut si in dolia viperæ (: quæ vino maxime delectantur:) ingrediuntur. C

Victus in veneno actu præsente.

Quod si venenum iam sit exhibitum; vires cito reficiendæ *aqua carnis & vino.* Si tamen venenum per manifestam caliditatem agat; a vino abstinendum, & aqua carnis administranda, correcta tamen refrigerantibus, nimirum, *acetosa, acido citri,* in quibus etiam vis inest bezoartica. Homines etiam post venenum nequaquam dormiant, cap. 7. l. 2. de antid. Gale. Frictionibus & aliis quoque materiis veneno est occurrendum. De quibus hæc sufficiant.

Vinum viperinum quomodo elephanticis prosit.

Dubitatio hic de vino viperino dissoluenda est. Dioscorides enim mortiferum esse dicit. At Galenus libro 11. simpl. cap. de vipera, salutare esse ait, quod experientia in pluribus elephantiacis comprobauit. Galeni etiam sententiæ Auicennas cap. de lepra suffragatur. Vt autem dubio huic occurratur, sciendum per vinum viperinum intelligi vinum, in quo exstincta sit vipera. In hoc vino duo reperiuntur: *venenum pessimum, & caro viperæ.* Venenum, proprietatem habet cordi hominis aduersam, proprietatem tamen habet similem proprietati alterius misti, nimirum virulentiæ elephanticæ. Sicut enim similitudo est inter magnetem & ferrum; ita etiam inter venenum viperinum & elephantiasin. Fortior tamen est proprietas elephanticæ virulentiæ, remissior veneni: vnde virulentia elephantica venenum attrahit, non contra. Carnes viperinæ vim habent discutiendi, digerendi, dissoluendi, expellendi materias in cute exsistentes: vnde carnes viperinæ in affectibus cutaneis admodum sunt vtiles. Venenum igitur viperinum præditum est facultate & veneni viperini, & carnis viperinæ. Dum igitur elephantico exhibetur: venenum trahitur ad partes cutaneas a virulentia illa elephantica. Confluens autem venenum ad partes extimas, ὄχημα simul est & vehiculum illius facultatis, quæ in carne est viperina: Carnis ergo qualitas a veneno viperino delata ad exteriores partes, agit in virulentiam illam, digerendo, discutiendo, attenuando, vt e toto expellatur elephantiasis. Quod si autem hoc vinum exhibeatur corpori non læso, siue venenum in corpore sit, siue non; semper mortiferum est: non enim tunc a partibus cutaneis attrahitur, sed in cor impetu ruens: necem affert. D E

CAPVT VII.

De veneni quibusdam speciebus: & primum de Napello.

Transitio.

ABSOLVTA doctrina venenorum communi; ad specialia accedemus. Venenum ergo procedit a mistis, vel inanimatis, vt *arsenicum:* vel animatis. Animata illa, sunt plantæ, vel animalia. Plantarum venena vel agunt secundum qualitates manifestas, nimirum vel caliditatem, vt *anacardus,* vel frigiditatem, vt *opium:* aut agunt secundum qualitates reconditas, easque vel alterantes, vt *Napellus,* vel purgatorias, vt *veratrum album.* Venenum porro ex animalibus profectum duplex est: aut enim ipsum animal exhibetur, vt *cantharides;* aut venenum per morsum communicatur, vt in *rabie canina.* Nobis igitur sufficiat agere de *Napello, Anacardo, Opio, Veratro albo, Cantharidibus, & Veneno canino.* F

Natura napelli.

Vide animaduersiones Fuchsii, & Matthioli, in hunc Auicennæ locum.

Mus napelli: pro quo muscam le-

Napellus est planta venefica vtraque qualitate, & recondita & manifesta: a tota enim forma summe homini aduersatur, ita vt exhibitus ad ℥ ß. altero, aut primo etiam die interficiat. In summo etiam calidus est & siccus. Est autem venenum tam dirum, vt sagittis hoc veneno tinctis vulnerata animalia, vi veneni, non vulneris, obeant. Auicennas napellum in lepra & morphæa conferre ait: vbi procul dubio, non syncero, sed castigato vtitur: vel etiam fieri potest, vt Auicennas eo in loco per napellum intelligat non venenum, sed plantam illam, quæ prope radicem napelli nascitur, & mus napelli dici potest, quæ simpliciter non est venenum. Vtcunque hæc se habeant, a napello in medicina prorsus abstinendum. G

Cognoscitur napellum fuisse exhibitum; si tumor inflammatorius labia, os, frontem, oculos corripit, vt oculi præ magnitudine in loco destinato non contineantur. Lingua etiam intumescens, in ore detineri nequit. Totum quin etiam corpus tumore afficitur: nam cum venenum hoc summe calidum sit & siccum

A siccum, fit vt sanguis fundatur, agiteturque, vt spatio ampliore sit opus, vnde tumores exsistunt. Oriuntur præterea vertigines & epilepsiæ: ob calidi huius veneni euaporationem in caput. Syncope sequitur, & crura collabuntur: quia venenum est summæ actiuitatis, tota forma cordi inimicum, vt omnes vires frangat.

gunt Angli Botanici Signa.

Præsidia.

Venenum hoc, vt substantia, indicat remedium vacuans: ratione autem qualitatis & proprietatis, requirit bezoarticum: ob euidentem qualitatem, indicat refrigerans, & humectans.

Prognostica.

Huius autem veneni summa est vis; vt, nisi diligenter occurramus, celerrime interficiat. Et si forte festinanter non iugulet, periculum impendet vel febris hecticæ, vel phthisis: ratio, cum enim napellus celerrime interficiat, occurrendum est remediis, quæ occulta proprietate aduersantur, hæc enim vt B plurimum sunt calida; quibus tollitur quidem vis recondita, non autem operatio, quæ a manifestis prodit qualitatibus: vnde napellus sua caliditate, in solidis partibus cordis imprimit calorem in habitu, a quo hectica febris. Deinde cum napellus sit calidus, & erodens; pulmones erodendo phthisin facit. Cito igitur & summa cum prudentia veneno huic occurrendum.

Materiæ præsidiorũ. Expellentia remedia.

Materia medicinalis vel Euacuans est, vel Alterans. Euacuans est Expellens, vel Attrahens. *De expellente.* Auicennas proponit vomitoria *e decocto napi, & vino, cum butyro, cum decocto corticum glandium.* In hoc autem vomitorio respicit, non tantum ad napelli substantiam, sed omnes etiam eius qualitates. Substantiam respiciens, proponit vomitorium, id est, euacuans. Cortex glandium, vim habet adstringendi, ideoque vomitum non promouet, sed tardat potius: adhibetur vero alia de caussa, scilicet, ne venenum adeo repente ad cor transeat; ne etiam lac & butyrum, vias nimium laxent & aperiant. Qualitatem C occultam respicit semen napi, & cortex etiam glandis: in his enim est vis bezoartica: misceri etiam vomitorio potest aliquid theriacæ, vt simul vtamur materia vomitorii, & intercipientis, & bezoartici. Euidentes qualitates respiciunt lac & butyrum; quæ siccitatem, calorem, & insignem acrimoniam huius veneni obtundunt. Decoctio etiam fit seminum & corticum in aqua, quæ vim habet refrigerandi. Hinc ergo dicimus, eodem tempore exhibenda esse medicamenta, omnibus numeris contraria veneno: maxime vbi potens est.

Attrahẽtia præsidia.

Attrahens remedium est oleum viperinum, e scorpiis: nec improbo oleum Mathioli e scorpiis destillatum. Prodest etiam oleum Magni Ducis, applicatum arteriis manuum & pedum: axillis etiam, si cor infici incipiat, temporum arteriis, si vertigines & epilepsiæ assint.

Alterantes materiæ.

Materiæ alterantes respiciunt qualitatem Reconditam, vel Manifestam. Quantum ad reconditam; probantur *magnæ antidoti, theriaca, Zedoaria, bezoar, vel huius loco potest exhiberi ʒ j. diambræ, aut* D *diamoschu.* Notandum tamen, siue exhibeatur theriaca, siue Zedoaria, siue diamoschu, aut aliud calorificum, semper miscenda esse refrigerantia, quæ tamen sint bezoartica: alias enim hectica vel phthisis metuenda. Probat etiam Auicennas *quendam murem e genere soricis, qui frequenter in agro Tridentino reperitur: datur caro & puluis: efficacius esset destillatum, non amplius ligatum a substantia terrestri:* Sed hic mus vix capi & comprehendi potest.

Muscæ napello victitantes. Num tuto vti queãt mus muscis napelli.

Medicamentum bonum est, quod conficitur *e muscis illis magnis, quæ nutriuntur napello. Nec improbatur planta, prope radicem napelli orta, quæ mus dicitur:* radicis huius puluerisatæ dari potest ʒ ß. & ʒ j. est enim alexipharmacum napelli. Dubitatur autem, *qua ratione tuto assumi queant muscæ, quæ napello aluntur, & planta illa:* ratione alimenti enim est similitudo inter muscas & napellum: & quoniam inter hominem & napellum est dissimilitudo, inter hominem quoque & muscas erit dissimilitudo? *Responsio.* In napello E partes aliæ sunt alimentales, aliæ veneficæ. Secundum partes igitur quasdam alimentales, similis est proprietas muscis cum proprietate napelli: in hac tamen similitudine proprietas muscarum fortior est, vt muscæ napellum vincant, & partes alimentales in suam substantiam mutent. Quantum ad portiones veneficas napelli, hæ muscis sunt contrariæ: verum quia in muscis est summa vis, partes alimentales vincuntur, & veneficæ expelluntur, vt muscæ veneno careant, & proprietate sua efficacissima, dum exhibentur, napelli venenum expellere & superare queant.

CAPVT VIII.

De Anacardo.

Natura anacardi. Discrimen caloris in sinapi napello, anacardo.

PER *anacardum* intelligimus non corticem, vel semen, sed liquorem, qui inter corticem & semen F residet: qui e sententia Auicennæ lib. 2. & 4. est venenum per manifestas qualitates, calorem nimirum & siccitatem in quarto gradu. Cum autem *& sinapi, & napellus, & anacardus,* sint mista in ordine quarto calida: differentia horum notanda est. Caliditas enim in sinapi est organum formæ alimentalis, hoc est, formæ similis humanæ naturæ: caliditas ergo non est venefica. Calor in anacardo & napello, est organum formæ dissimilis, & proinde veneficus est calor: discrimen tamen in eo est, quod forma napelli est summæ actiuitatis; vnde napellus est venenum secundum qualitatem manifestam & reconditam: anacardi autem forma est minoris actiuitatis; vnde anacardus venenum statuitur, non vtraq; qualitate, sed euidente solũ.

Signa.

Indicatur e feruore in ore, gula, ventriculo, e febre acuta. Est enim anacardus in summo calidus, vnde calidos habet effectus.

Præsidia.

Substantia igitur anacardi est euacuanda: oportet etiam refrigerare & humectare bezoarticis, vt G forma dissimilis, etiamsi minimæ sit actiuitatis, e toto tamen opprimatur.

Prognostica.

Celerrime autem oportet occurrere: alias enim homines obeunt, ratione tum febris acutæ, tum delirii.

Materiæ medicæ.

Proinde Auicennas vomitorium probat *e lacte, butyro, iuribus pinguibus:* vt simul & euacuetur venenum, & eius immodica caliditas ac siccitas reprimatur; quam ad rem laudat *aquam hordei, aquam lactucæ,*

oleum violarum, inſeſſionem in frigidam. Suadet, vt non tantum vtamur potentia, ſed actu etiam frigidis: A quia hoc venenum non ita promte cedit, ob inſignem caliditatem & ſiccitatem. Auicennas autem non proponit materias attrahentes ad circumferẽtiam: immodicus enim huius veneni calor prohibet. A proprietate conferunt bezoartica, vt *nuces*: ſi quis enim anacardum cum nuce maſticet, non læditur, niſi in maxima copia ſit anacardus. Probantur etiam *grana pini*, quæ proprietate ſua anacardo aduerſantur. Vtile denique eſt *oleum illud, quod conficitur e ſemine anacardi.* Naturæ ergo mirum in anacardo eſt opus: portio enim eius alia venefica eſt, alia bezoartica.

CAPVT IX.

De Opio, & Meconio.

Opium & meconium vt differant.

OPium, ſecundum Galenum ca. 7. l. 2. de antid. eſt lacryma & liquor, qui extrahitur e capitibus papaueris ſylueſtris. B *Meconium* vero ſuccus eſt, qui extrahitur non modo e capite papaueris ſylueſtris, ſed etiam e foliis, dum ex vniuerſa planta contuſa, ſuccus exprimitur. Vtrumque frigidum eſt in quarto gradu: meconium quidem in principio quarti, opium vltra principium: ita vt differant tantum ſecundum magis & minus.

Opii vt partes, ita etiam effectus diuerſi.

Natura autem opii mirabilis eſt: habet enim vim inducendi ſomnum profundum: præterea etiam excitat pruritum inſignem, adeo vt homines excitentur a ſomno profundo: inſuper etiam ſenſum inſignis amaritudinis infert. Qua ergo de cauſſa hi effectus diuerſi ab opio proficiſcuntur? annon enim ſomnus profundus frigidi; pruritus vero & amaritudo calidi ſunt effectus? Dicendum ergo opium ſubſtantias habere diuerſas: ſicut etiam lac & ſanguis. Opium enim habet partes frigidas, & craſſas; habet etiam partes calidas & tenues. Vnde ſi exhibetur opium, partes illæ calidæ, ad tenuitatem, facilius expelluntur, præſertim quia ſunt veneficæ, & ad ſimilitudinẽ carnis viperinæ ſponte feruntur in habitum corporis, C vnde pruritus producitur.

ὄχημα partium opii frigidarum.

Partes autem frigidæ, quia ſunt craſſæ, in centro commorantur; vt niſi aſſit vehiculum, non ita facile partes illæ ad cor perducantur. Hinc qui opium exhibent vt interficiant, miſcent vinum, aut aromata: nec enim portiones opii calidæ poſſunt eſſe vehiculum frigidarum, quia vt veneficæ expelluntur, irritantes expultricem; & ſponte etiam inſtar viperinæ carnis ad circumferentiam mouentur: at vinum & aromata poſſunt eſſe vehicula, quia non expelluntur a natura, ſed potius a iecore & corde attrahuntur.

Opium nõ poteſt calidum dici.

Quæritur, autem cum opium habeat partes & calidas & frigidas: cur frigidum ſaltem eſſe dicatur, & non potius calidum: præſertim quia forma partium calidarum eſt venefica: & quia opium excitat pruritum, inſigniter ſane erit calidum? Reſponſio. Frigidæ opii partes & quantitate plures ſunt, & qualitate ſeu gradu intenſiores, D quam calidæ: frigidæ enim in quarto ſunt gradu, calidæ in tertio. Licet autem forma vtraque ſit diſſimilis; quia tamen vtraque etiam non eſt ſummæ, ſed remiſſæ actiuitatis, & altera tantum qualitas in ſummo; fit vt ſecũdum ſolas partes frigidas opium dicatur venenum. Nec etiam opium poteſt eſſe medicamentum calidum: medicamentum enim dicitur, quatenus iuuat: iuuat autem refrigerando, non calefaciendo; itemque interficit ſuffocando & exſtinguendo calorem natiuum.

Signa.

Signa opii ſunt ſomnus profundus, & pruritus inſignis: illo a reliquis venenis calidis, hoc a reliquis frigidis diſtinguitur. Partes enim calidæ, dum expelluntur ad ambitum corporis, pruritum excitant.

Præſidia.

Subſtantia opii vacuanda. Qualitas euidens contrarium requirit, occulta vero bezoarticum.

Prognoſticum.

Celerrime agendum: alias ità imprimit ſuas qualitates, vt non cedat.

Materiæ cheirurgicæ.

Materiæ præſidiorum cheirurgicæ ſunt, & medicinales. Cheirurgicæ ſunt frictiones vehementes E inſtitutæ aſperis linteis, manibus inunctis oleo de caſtorio, cum ſapone acerrimo. Vtendum etiam ligaturis vehementer adſtringentibus, cucurbitulis cum magna flamma, citra ſcarificationem, vt fiat euacuatio a ſuperficie cutis.

Materia medicinalis, eſt Euacuans, & Alterans. *Euacuans*, eſt Expellens, vel Attrahens. Expellens eſt vomitorium: ſecundum Auicennam. Galenus autem c. 7. l. 2. de antid. *ad meconium exhibet olea, oxymeli; ad opium, quod frigidius eſt, exhibet vinum meracum plurimũ*, vt ſic ſimul & alteretur per calorem, & euacuetur vomitu per magnam vini copiam. Quando autem homines vomere nequeunt, aut etiam ſi ad inteſtina deſcendit opium, probantur clyſteres fortes quidem ſecundum Auicennam & Dioſcoridem: ſecundum Galenum autem fortes in meconio, mites in opio.

Conciliatio Dioſco. & Galeni.

Quæ diſcrepantia ita ſolui poteſt: mediocribus & fortibus clyſmis in meconio vti licet, & in opio; vtriuſque enim veneni ſubſtantia ſatis eſt rebellis: F ſed in meconio expedit tantum vti acribus; in opio interdum acribus, interdum etiam mitioribus, qui acrimoniam partium opii calidarum attemperare queant. Attrahens materia eſt oleum valde calidum, & tenuis ſubſtantiæ, vt penetret, quale eſt *oleum de caſtorio, & euphorbio*, quibus corpus inungendum. Aliquando tamen eſſet tutius vti *balneo aquæ dulcis*, aliqua tamen e parte calido, vt acrimonia partium calidarum temperetur, & propter calorem venenum euocetur.

Alterantia.

Alterantia per qualitates manifeſtas: probatur *medicamentum e ſatureia, origano, cinamomo:* deinde etiam probantur ob partes calidas, *acetoſa, lac caprinum, ius pingue, verbi gratia, cum adipe vituli* Bezoarticum eſt *Caſtorium, piper, crocus, aſa odorata, theriaca, mithridatium.* Et ſi pruritus plus iuſto infeſtet, expedit *cum magnis antidotis miſcere conſeruas refrigerantes.*

CAPVT X. G

De Albo veratro.

Natura albi hellebori.

IN *albo veratro* vis lethalis duplex eſt: primum, vt nimia violentia attrahit: ſecundo, vt ſuperpurgationem facit. Subſtantia eius duplex eſt: altera ſimilis, diſſimilis altera: vtraque tamen venefica. Similis eſt, qua determinatus ſuccus ſcilicet melancholia, ratione ſimilitudinis attrahitur: & hæc venefica eſt propter immodicam actiuitatem: tanto enim impetu humor attrahitur, vt homines ſtrangulẽtur.

Diſſimi-

A Diſſimilis eſt etiam portio in veratro albo, quia eſt purgans validiſſimum: & quia dum non euacuat, non in alimentum vertitur, ſed in venenum, & cauſſa eſt, vt ſucci corrumpantur. Qualitate calidum & ſiccum eſt in ſecunda manſione tertii gradus.

Signa.

Si exhibitum eſt album veratrum, nondum tamen purgat, cognoſcitur inde, quod patientes aſſerunt, ſenſibiliter ſe percipere, violenter a capite & partibus remotis attrahi materiam; vt cõuulſiones ſuccedant, anhelitus difficiles, & veluti ſuffocari videantur. Adeo enim vehementer albus helleborus attrahit, vt quandoque cum impetu tanto confluant ſucci, vt ob viarum occluſionem non fiat purgatio, ſed propoſita potius oriantur ſymptomata. Si vero exhibitum veratrum purget; manifeſta eſt ſuperpurgatio, & copioſa euacuatio, quam difficulter ægri ferunt, vnde animi defectus & ſyncope oritur.

Præſidia.

Cum autem albus helleborus, violenter ſuccos attrahat per venas, & tantopere viribus noceat, vt
B interdum mors ſequatur: præſidia igitur a tribus ſumenda: primum a veneno: ſecundo, a viis, per quas materia fuit attracta: tertio a viribus. Quantum ad venenum; ſubſtantia indicat euacuans. Qualitas recondita diſſimilis, indicat bezoarticum. Qualitas recondita ſimilis, quæ ſcilicet ſuccum melancholicum attrahit, quatenus violenter attrahit, requirit medicamentum contrarium; quatenus autem a circumferentia ad centrum attrahit, requirit diureticum, tanquam deriuatorium; & ſudoriferum, tanquam reuulſorium. Qualitas euidens, indicat refrigerans & humectans. Quantum ad vias; quia mors ſuccedit, in ſuperpurgatione, eo quod viæ nimis recludantur; indicatur adſtringens, & claudens. Virtus denique indicat ſui cuſtodiam: & virtus cordis, cordiale requirit.

Prognoſticum.

Hellebori vis ſumma eſt: vnde conuulſio oritur. Quod ſi conuulſio fiat ab inanitione, deſperandum. Si autem fiat ob affectum oris ventriculi, & neruorum, ita vt facultas non ob inanitionem lædatur, ſed ob
C errorem externum; tum occurri quidem malo poteſt, ſed difficulter: maxime ſi ſanguis egrediatur, ſi ſyncope ſuccedat, ſi cadat pulſus.

Materiæ cheirurgicæ.

Materia cheirurgica. Venæ ſectionem Dioſc. & Auicennas in tractatibus de venenis, non proponunt. At Auicennas quarta, primi cap. 8. ait: ſi pharmacum ſoluens exhibeatur, & non ſuccedat euacuatio, ſed ſymptomata ſequantur vehementia, præſertim circa ſuperiores partes, tunc neceſſariam eſſe venæ ſectionem: quia adeſt principale indicans, nimirum ſanguis vi vehementi affectus; adeſt etiam virtus permittens, alias enim pharmacum dari non potuiſſet. Dum igitur corpus eſt robuſtum, licet non ſit pharmacum, ſed potius cacochymum; poteſt tamen affici plenitudine determinata, quæ inflammationem efficiat. Virtus autem interdum adeſſe poteſt, vt dum helleborus a medico exhibetur, in doſi maiuſcula, & minus correctus, ob ignorantiam: interdum autem virtus non adeſt, vt dum a carnifice propinatur, hoc fi-
D ne, vt vires collabantur, vnde tunc venæ ſectio locum non habet. Cum igitur hic ſermo fiat de helleboro albo, vt de veneno, non licet cum Auicenna venam ſecare: ſed vtendum calidis frictionibus, ligaturis vehementibus, cucurbitulis ſine ſcarificatione cum magna flamma.

Materia medicinalis Euacuans.

Materia medicinalis multiplex eſt. Ratione ſubſtantiæ veneni eſt euacuans, interdum per ſuperius, interdum per inferius: prout veratrum vel in ventriculo, vel in inteſtinis reſidet: & hoc potiſſimum intelligitur, dum in ὑπερκαθάρσει non egreditur ſanguis. Vomitorium poteſt eſſe *oleum cum aqua tepida*. Si educere volumus per inferiora, vti debemus lubricantibus, deterſoriis, & comprimentibus. Hinc probatur *aqua hordeacea, oleum amygdal.* Subſtantiam veratri detergunt *mulſa, decoctum caricarum, ſaccharum rubrum*. Si deterſa eſt; tum propinanda, quæ vim habent comprimendi, vt *myrobalani, tamarindi*. Clyſmi etiam proſunt, maxime ſi non ſit purgatio (: dum enim perfidi homines veratrum exhibent, purgatio fieri
E nequit, quia corpus non eſt præparatum.) clyſter autem fieri debet ex eclegmate ſequenti: ℞. *radicularũ hellebori albi*, ℔j. *aquæ fontis* ℔iiijß. *fiat infuſio per triduum: deinde fiat decoctio ad conſiſtentiam eclegmatis.* Quod ſi eclegma non adſit, nec etiam tres dies exſpectare liceat; breuiori temporis ſpatio fieri poterit infuſio, nimirum hora vna *ſi pro* ℔j. *veratri accipiamus aquæ* ℔jß. Et hoc eclegmate in modum clyſmi vtemur, cum aqua ſufficiente diluto. Poſſumus etiam hoc eclegma vlterius coquere, vt formam accipiat ſuppoſitorii: eſt enim efficaciſſimum remedium.

Alterans.

Sequuntur medicamenta, quæ reſpiciunt hellebori albi qualitatem. Ratione ergo qualitatis occultæ diſſimilis, nil præſtantius *theriaca*: quæ, ſi bona eſt, actum ſecundum cuiuslibet purgantis adimit. Ratione qualitatis occultæ ſimilis, quatenus nimis vehementer attrahit, probatur theriaca, ad hanc violentiam compeſcendum: theriacæ enim proprietas fortior eſt proprietate veratri. Auicennas etiam & Dioſc. lau-
F dant *puluerem e floribus nymphææ*, qui proprietate quadam violentiæ hellebori albi aduerſatur. Quatenus autem qualitas occulta ſimilis ad centrum trahit, vtendum diureticis & ſudoriferis: vnde Auicennas proponit *capillum veneris, feniculum, petroſelinum, ſemen melonum*. Sudorem cient *balnea ſicca calida*. Ratione qualitatis manifeſtæ, refrigerantia & humectantia ex vſu ſunt: *vt nymphæa, lactuca, malua, hordeum, violæ &c.* Ob vias proponuntur adſtringentia, vt *rhus opſoniorum, roſæ, cydon.* quibus poſt euacuationem materiæ noxiæ ſeu veneni vtendum; dum ſcilicet ſanguis euacuatur, qui ſalutaris eſt materia.

CAPVT XI.

De Cantharidibus.

Cantharidum partes duæ.

IN *Cantharidibus* partes quædam ſunt veneficæ, vt venter; quædam alexiteriæ, vt pedes, alæ, caput.
G Quamdiu autem cantharides viuunt, vires vna animalis forma ita ligantur, vt altera pars in detrimentum alterius agere nequeat: nec enim alæ ventri, nec venter alis officit. Dum autem obierunt cantharides, partes illæ deſtitutæ vinculo, & priuatæ forma illa communi, ſecundum vires proprias operãtur.

De ventre. Forma.

In *ventre* ſubſtantia ſeu forma eſt venefica, aduerſaria proprietati humanæ, & præſertim veſica: licet autem cantharides partibus extimis applicentur, vt occipitio, manibus, pedibus; interdum tamen patien-

tes sanguinem mingunt: cantharides enim sponte vi sua deleteria ad vesicam feruntur. Cantharides sunt calidæ & siccæ in quarto. Et licet ventris forma sit venefica, quia tamen non est summæ actiuitatis, vt in napello; ideo ventres non annumerantur venenis a tota forma, sed calidis tantum venenis. Quoniam autem venenum calidum, aliud corrodens est, aliud non corrodens: hoc venenum est corrodens: vnde ventris substantia potius crassa, quam tenuis arguitur, e c.22.& 23.l.3. simp. A

Extremitates cantharidum.

In *partibus alexiteriis* substantia & forma est similis corpori nostro, maxime vesicæ (*.hinc recte medici, qui vtuntur vesicatoriis, non applicant extremitates, sed tantum ventres.*) Proprietas autem harum extremitatum est summæ actiuitatis, alias non possent superare proprietatem ventris; cum omnis actio fiat in proprietate maioris inæqualitatis, præsertim in venenis: & proinde etiam vehementior est proprietas in extremitatibus, quam in vesica; vnde liquet, vesicam non attrahere proprietate sua extremitates, sed in extremitatibus esse vim, qua sponte in vesicam perducuntur. Calidæ sunt & siccæ extremitates in tertio & substantia sunt tenui. B

Signa.

Exhibitas esse cantharides, cognoscitur e feruore circa vesicam oborto, ex ardore lotii, e mictu sanguinis, e vertigine, delirio, tandem e syncope.

Præsidia.

Substantia euacuanda est. Qualitas euidens, indicat refrigerantia & humectantia. Occulta qualitas requirit alexiteria vesicæ propria.

Prognosticum.

Quoniam vero venenum est corrosiuum, antequam abradat occurrendum: si enim facta est abrasio, difficilis est curatio. c.22. & 23.l.3. simpl. Galeni.

Materia medicinales.

Euacuans præsidium potest esse vomitorium, clyster, balneum aquæ calidæ: vt venenum hoc omnibus modis per vomitum, aluum, poros cutis educatur: Præcedat autem vomitorium, quia tutius est, vt venenum euacuetur, antequam descendat. Notandum autem cum venenum sit calidum, a calidis ab- C
1 stinendum esse: & proinde vomitorium atque clysteres conficiantur *e lacte, aqua hordei, & similibus re-*
2. *frigerantibus.* Ratione qualitatis euidentis, vtimur *lacte, sero lactis cum portulaca, seminibusque frigidis maioribus, & minoribus*, vt sic & veneni exstinguamus calorem, & vesicæ occurramus. Vtimur etiam diureticis, quorũ vi venenum residens in vesica exstinguitur: quod fit insessione in decocto aliquo refri-
3. gerante *ex hordeo, lactuca, portulaca*, Expedit etiam *lac & serum in vesicam intromittere.* Postremo probantur alexiteria, vt *oleum liliorum. & quod efficacius, oleum cydon. Dioscorides maxime laudat theriacam & mithridatium*, quia conficiuntur e pluribus simplicibus, vt rationi sit consentaneum, esse aliquas proprietates, similes proprietati vesicæ: semper tamen refrigerantia miscenda; quia venenum hoc est calidum. Vnde multum probantur *semina alkekengi: & extremitates duarum cantharidum cum lacte tuto exhiberi possunt.* D

CAPVT XII.

De Rabie canina.

Natura veneni canini.

VEnenum caninum Galenus com. 17. sect.2. lib.1. prorhet. vocat hydrophobiam: quod tamen nomen veneno canino ab initio non conuenit, sed longe post. Auicen.cap.7.lib.4.ait: rabiem canis esse conuersionem suæ complexionis ad melancholiam malignam & venenosam. Vnde nil aliud intelligit per venenum caninum, quam inquinamentum atrabilare. Est inquinamentum; quia affectus est contagiosus: & proinde adest putredo. Est aũt hoc inquinamentum non fimosum, sed cinerulentum; quia succus putrescens redditur calidior, & producitur ab insigni caliditate, vt in atram vertatur bilem, quæ assata putrescit. Substantia seu forma huius veneni est dissimilis, non tamen summæ actiuitatis: & proinde non est venenum a tota forma, quia nec syncope tam facile oritur, nec sudores frigidi erumpunt, vt in venenis a tota forma fieri solet. Temperamentum est igneum, calidum & siccum. cap.de cancris, l.11.simpl. comm.17. sectio.2.li.1 prorhet. Et sane venenum hoc ordine quarto esse calidum, testatur experientia: Cum enim dissectum esset monachi cuiusdam cadauer, tria notanda apparuerunt: primo, nulla aderat humiditas aquosa in pericardio, tota erat consumta ab hoc igneo veneno: secundo, sinus cordis conspiciebantur aridi, & sanguine prorsus destituti: tertio, in pericardio portio quædam fuit obseruata ferme combusta, & in puluerem redacta. In definitione ergo sua Auicennas non proponit naturam & essentiam huius veneni, sed effectus, qui ab hoc veneno in corpore humano & canis producuntur. Per complexionem melancholicam, hic non intelligit temperamentum, quod a contento, id est, a succo melancholico, qui frigidus & siccus est, producitur (:l.2.de temperam. Gale.) sed eam complexionem melancholicam, quæ generare potest succum melancholicum atrabilarem, calidum & siccum. Complexionem autem hanc Auicen. malignam statuit, id est, contumacem in habitu, quæ maxima cum difficultate amoueatur: vnde etiam vlcera cacoethe: ratio; quia caliditas in habitum imprimitur, cum qualitates sint summæ actiuitatis, & organa etiam sint formæ contrariæ. E F

Temperies.

Historia rabie interemti.

Venenum caninum agit in contenta, & continentia

Sensit autem Auicennas huiusmodi venena non in continentia solum agere, sed etiam in contenta: ait enim: accidit creaturæ vt varietur, & accidit eius complexioni vt alteretur. Insinuans igitur actionem huius veneni in contenta, ait, accidere creaturæ vt varietur. Per creaturam intelligit succos: sic enim sanguis cum iecore collatus, creatura est, iecur, creator. Per variationem intelligit, non alterationem solum, sed mutationem formæ & corruptionem. Ista autem corruptio duplex est, primum citra dissolutionem misti; cum sanguis veneno canino corrumpitur, & mutatur in atrabilarem: secundo cum dissolutione misti, quando sanguis veneno ita corrumpitur, vt putrescat, & in cinerulentum inquinamentum dissoluatur. Respiciens autem ad complexionem continentium, ait, accidere complexioni vt alteretur. G

Generatio veneni canini in homine

Hoc inquinamentum, hoc opus, in cane sequitur actionem læsam, id est, coctionem canis. Hæc autem læditur (.c.1.l.3.de symp. causs.) vel læsa facultate, vel ob errorem externum. Læditur & labefactatur facul-

A facultas ob intemperiem calidam & ſiccam:& hoc potiſſimum accidit cani, animali ſatis calido & ſicco, vt facile eius caliditas & ſiccitas incrementum ſumat, & ita hoc venenum producatur. Hoc igitur fieri poteſt, impedita facultate ob obſtructionem, qua plus iuſto calor accenditur. Error etiam externus facultatem lædit; quem duplicem Auicennas proponit: nimirum aerem, cibum, & potum. Aere enim tum calido, tum frigido, ſucci redduntur atrabilarii & venefici: calore enim ſucci accenduntur; frigore ſtipantur corpora, vt ſucci, qui vacuari nequeunt, inflammentur. Huc reſpicientes Dioſcor. Aetius, Paullus, aiunt rabiem hanc potiſſimum inuadere æſtate & hyeme: oculos enim hi dirigunt ad generationem huius veneni, & rabiem incipientem. At Auicennas, non tantum de incipiente, ſed etiam de inualeſcente loquens, addit ver & autumnum, quibus rabies vigere ſolet: vere enim commouentur ſucci hyeme geniti: & qui æſtate procreati ſunt, ſuccedente autumno non poſſunt diflari, vnde rabies excitatur. Quoad
B cibum & potum; ait Auicennas, produci hoc venenum, ſi canis ſanguinem putrefactum ſorbeat, aut carnes putridas deuoret.

Idem dicendum de ortu huius veneni in homine. Quoad læſam facultatem; differentia eſt inter hominem & canem, quod in hoc frequentius generatur, quoniam caliditas canis facilius intenditur. Præterea venenum caninum magis eſt deleterium, quam quod interdum in homine ob intemperiem calidiorem generatur. Quantum ad errorem externum potiſſimum in homine gignitur hoc venenum ob præſentiam virulentiæ caninæ, per morſum illatæ, quæ initio exiguæ eſt copiæ, poſtea vero agens in ſanguinem, eum in ſuam naturam conuertit: vnde fit, vt a cane rabido demorſi, modo poſt menſem primũ, modo poſt 6. modo etiam elapſo anno, rabidi fiant: quod fit ob variam corporis conditionem. Si enim verbi gratia, canis eiaculetur virulentiam copioſam & admodum acrem, per morſum; & homo qui mor-
C detur corpus habeat biliosum, præditum ſuccis calidis, qui facile atrabilarii euadunt: tunc breui tempore, etiam vno menſe, homo rabidus euadit. Generatio veneni canini in homine.

Virulentia hæc inter initia, dum adhuc pauca eſt, & a corde remota, non agit in cor, & proinde ſigna rabiei nondum vlla apparent. Cognoſcitur tamen venenum eſſe in corpore hominis a cane demorſi; primum e ſignis rabiei in cane, qui momordit, apparentibus c.16. de ther. ad Piſ. Si enim canis eſt gracilis, ſi oculos habet flammeos, toruos & ſqualidos, ſi linguam ore continere non poteſt, ſi huc & illuc vagatur, auribus pendulis, caput deorſum inclinans, vmbram ſuam allatrans, ſpumam ore oſtendens, ſolus currẽs, aliis canibus fugientibus, indiſcriminatim homines mordere tentans: facile apparet canem eſſe rabidum, & proin hominem etiam demorſum contagio eſſe infectum. Præterea alia quoque ſecundum Paulium & Aetium ſunt experimenta: Dum enim vulnus adhuc eſt recens, ſumantur nuces, & contuſæ applicen-
D tur vulneri, detineanturque per noctem integram, & exhibeantur gallinis, vt deuorent. Si enim ab harum eſu pereunt, venenum latere patebit. Panis etiam ſecundum Aetium applicandus eſt vulneri, vt ſanguine inficiatur, & tunc cani exhibendus: quod ſi canis nec comedere, nec olfacere velit, in corpore venenum eſſe ſtatuendum. Signa veneni adhuc in corpore latitantis. Canis rabidi indicia.

Si venenum copioſum eſt, progreſſu temporis vehementer agit, & cor occupat; & tunc ſigna ſunt euidentiſſima, quorum ratio reddi fere nulla poteſt: timent ergo aquam, & omnem humiditatem, licet aqua non ſit præſens: interdum intenditur timor, & oritur imaginatio canis; interdum non intenditur, ſed patientes euadunt nauſeabundi, adeo vt maxima cum difficultate aquam hauriant: & tandem cum aquã bibunt, illico ſtrangulantur, & pereunt. Ratio ergo videtur talis afferri poſſe, e ca. 16. l. 2. de ther. ad Piſ. In rabie canina, ob nimiam ſiccitatem, eſt indigentia. & proinde quoque deſiderium humidi: ſed quia rabidi
E mente ſunt alienati, humiditatem deſpiciunt, & ob delirium auerſantur id, quod iuuare poſſet. Vt autem hæc melius intelligantur, quædam ſunt explicanda. *I. Cur homines rabie affecti timeant.* Reſponſio. Id fit propter abundantiam ſucci atrabilarii, a quo vapor ater, melancholicus, ad cerebrum fertur, & ſpiritum animalem tenebricoſum reddit, vnde actio læditur, ob errorem externum, id eſt, ob ſpiritum animalem, tenebricoſum redditum. *II. Cur potius aquam timeant, quam aliud obiectum?* Reſponſio: quia adeſt indigentia humidi: vt propterea ſpecies humida aquæ in cerebrum imprimatur. *III. Cur, ſi aqua affertur, quandoque intendatur timor; & quandoque nauſeabundi euadant?* Reſponſio. Si aqua præſens non eſt, timent: præſente ergo aqua magis augetur timor, dum oculis obiicitur. Interdum eſt recordatio morſus, vt imaginentur adeſſe canem. Nauſeabundi autem euadunt, quia os ventriculi a veneno afficitur, vnde in ore ventriculi ſenſus quidam triſtis excitatur, qui impertitur ſenſui interiori, eſtque in cauſſa, vt a cere-
F bro impertiatur vis illa appetens infeſta & noxia: vnde quemadmodum ſi ori ventriculi vis animalis a cerebro recte offertur, bonus fit appetitus, cui famulatur attractrix ventriculi; ita dum vitiata offertur facultas appetens a cerebro, nauſea fit, cui expultrix famulatur: inde fit, vt aquam hauſtam rurſus euomant. *IV. Qua ratione Auicennas dicat, rabidos aquam bibentes perire. Galenus vero aſſerat, aquam rabidis iuuare poſſe, ab ipſis tamen reſpui?* Reſponſio. Rabies canina, vel eſt inter initia, vel in progreſſu. Si eſt in initio; aquæ potus iuuare poteſt. Si in progreſſu, & timor perdurat; tunc e potu aquæ homines pereunt, quia ſpiritus vitalis e toto ferme eſt diſſipatus, vt facile celerrime exſtinguatur. Signa veneni copioſi, iam manifeſto agẽtis. Cur rabidi aquam timeant.

In præſidiis inueniendis, oportet reſpicere ad Venenum, & ad Corpus, quod venenum admittit. Veneni ſubſtãtia eſt euacuanda. Forma requirit bezoarticũ ſeu alexiterium: quod feliciter cum vacuantibus coniungitur: niſi enim operatio venefica adimatur, in corpus agit venenum, nec ita facile cedit va-
G cuantibus. Manifeſtæ veneni qualitates, indicant refrigerans & humectans. Præter venenum, oportet perpendere corpus rabie affectum: in quo ratio habenda & Contentorum, & Continentium. Quantum ad Contenta; oportet toti occurrere: vnde indicatur remedium euacuans, præſertim ſuccum atrabilarium. Quoad Continentia; intemperies calida ſiccaque, indicat refrigerans & humectans: proprietas autem cordis, requirit medicamentum Cordiale. Indicationes.

Hoc malum curari poteſt, ſi homo nondum rabie eſt affectus: poteſt enim venenum exſtirpari, & A cordis proprietas roborari. Sed ſi homo rabie afficitur, & adeſt timor aquæ; etiamſi omnia adhibeantur, curari nequit. Mentio fit duorum, qui ſint ſanitati reſtituti: ſed Aetius inquit, hos non fuiſſe demorſos a cane, ſed ab alio homine: & hi interdum curari poſſunt, etiam cum incipit aquæ timor.

Venæſectio. Materia cheirurgica. In morſu canis rabidi, & cuiuſcunque animalis venefici, optimum eſt venam ſecare, ſi corpus ſit repletum, & venenum ſit diſperſum: neque ſit tale venenum, quod ratione ſimilitudinis facile ab alio veneno attrahatur; tunc enim venæ ſectione non eſt opus; vt in morſu ſcorpii, cui ſanando applicatur ſcorpius. Nō autem oportet ſecare venam primo die, ſed cum iam venenum diſperſum eſt, ob abſentiam medicorum, qui inhibere debebant. Ab initio autem venenum in parte vulnerata hærens, indicat euocationem ad ſuperficiem: quod ſi tunc ſecetur vena, introducitur venenum.

Cucurbitulæ: ſcarificatio. Laudantur etiam cucurbitulæ & hirudines. Ampliandum eſt vulnus. Vicinæ partes ſcarificandæ ſunt, B vt ſanguis egrediatur, & cum eo venenum. Locus ferro inurendus, & eſchara celerrime amouenda, vt cito euocetur venenum: id quod ſpatio bidui poſſumus aſſequi, vt etiam magnam eſcharam euellamus, dū frequenter applicamus butyrum adeo calefactum, quantum patiens ſuſtinere poteſt. Apertus autem locus per 40. dies ſeruandus eſt. Quod ſi pars demorſa ſit exquiſiti ſenſus, hæc adhiberi nequeunt: ſed partibus vicinis non demorſis, quæ facilius ferre poſſunt, prædicta ſunt adhibenda: parti autem demorſæ, initia applicari poſſunt medicamenta, de quibus in materia medicinali.

Exſuctio. Cum demorſus miniſtrum habere poteſt, qui ore exſugat venenum, id non eſt improbandum: eſt autem pium, vt fiat citra detrimentum miniſtri: fiet autem citra noxam, ſi vlcuſcula in ore nulla apparent: & præterea os ipſius fouendum eſt oleo, quod venenum hærere non permittit. Vlcus autem ſatis diu apertum eſt detinendum.

Pharmaceia. Expellentia. Materiæ medicinales ſunt Euacuantes, & Alterantes. Euacuans, eſt Expellens vel Attrahens. Expel- C lens eſt, quod proprietate recondita ita roborat proprietatem corporis noſtri, calorem & ſpiritum, vt hoc venenū facile expellatur. Huius farinæ eſt *medicamentum e cancris fluuiatilib. vſtis, & pulueriſatis*. E cancris, puta, cauda deſtitutis, qui vulgo Mollucci dicuntur: Exhibetur hoc ad quantitatem magni cochlearis, quoties primis diebus occurrimus: ſi vero non primis diebus, eſt exhibendum ad duo cochlearia. Probatur quoque *alyſſum: item, coagulum catuli adhuc lactentis. Ficus ſylueſtris cortex ad ℨj. Magna etiam laudantur antidoti, præſertim cum aqua acetoſæ exhibita.* Hæc tamen medicamenta nō ſunt exhibenda, quando homo iam rabie afficitur, ſed ante illud tempus, & quamprimum, niſi quid impediat.

Attrahentia. Attrahens, qualitate Occulta, aut Manifeſta attrahit. Occulta qualitas, ſimilis eſt vel Humoribus, vel

1\. Veneno canino. Humores enim dum purgantibus euacuantur, ſimul etiam venenū educitur: vnde probantur *catapotia ex helleboro, elaterium, veratrū album: item, vehementiſſima medicamenta, vt antimonium.* D Et, ſi corpus non ſit ita robuſtum, vt hæc ferre queat, fiant medicamenta *e ſena, polypodio, epithymo, helleboro nigro.* Hæc autem ab initio vſurpanda non ſunt; quia materia eſt cruda, & venenum tantum eſt in parte demorſa.

2\. Poſt tres autem dies (: *ſemper enim præſentia indicantis eſt reſpicienda:*) ſi venenum per corpus ſparſum eſt, pharmacum exhibendum, etiamſi materia nec cocta ſit, nec turgeat. Attrahunt etiam quædā ſimilitudine cum veneno canino; nimirum *medicamentum e ventre cantharidum, cum æquali portione lentium excorticatarum: quod ad ℈ß. per plures dies adhibendum*, quia præſentia indicantis per plures dies perſeuerat: prodeſt autem hac ratione: cum enim medicamentum ad veſicam perducitur, attrahit venenum, & id cum ſanguine excernit, mictu cruento.

3\. Inter initia quoque *cantharides loco demorſo applicandæ: & præcipitatum quoque applicari poteſt: vt etiam hepar canis rabidi.* Quædam denique manifeſta qualitate attrahunt. Vnde per initia, dum patientes ratione loci affecti nolunt admittere cantharides, poſſumus *animalia viua nuper diſſecta parti applicare, vt catulos, columbos, gallinas*: hoc enim calore virulentia euocatur, E & dolor mitigatur. Vel hoc imponatur: *℞. cineris cancr. fluuiat. allii, menthæ, gentianæ, ariſtolochiæ rotundæ ana ℥ ij. bacc. lauri, boli Arm. ana ℨj. cum ſucco menthæ fiat emplaſtrum.* Progreſſu etiam temporis, cum venenum per corpus diſperſum eſt, probatur *balneum aquæ dulcis calentis*, vt aperiantur pori, & venenum euacuetur.

Alterantia. Materiæ alterantes, agunt qualitate Occulta, aut Manifeſta. Occulta, quæ modo ſunt propoſita, quæ vincunt calorem corporis & ſpiritus, vt venenum expellatur. Talia poſſunt eſſe materiæ expellentes & roborantes: *vt ſerum, aqua fabrorum, aqua acetoſa & lactuca.* Hæ aquæ facile ægris dari poſſunt, ante timorem aquæ: at cum timoris iam adeſt principium, inſciis ægris danda: quare vas aqua repletum ſit occluſum: & arte etiam poteſt confici vas, in cuius parte ſuperiori ſit vinum, in poſteriori aqua, vt ſic deci- F piantur. Bibere autem poterunt aquam per fiſtulam longam, vt ſic aquam non intueantur.

Victus. De Diæta pauca dicenda. Obeſt victus tenuis, quia ſucci redduntur acriores & maligniores: ſit igitur mediocris. Cibi interdum acriores, interdum mitiores conueniunt: vnde ſecundum Aetium inter initia *allium* exhiberi poteſt, non autem temporis progreſſu; ſic enim venenum redderetur efficacius. A potu *vini* abſtinendum. Progrediente malo etiam a *theriaca* deſiſtendum: & potius refrigerantibus vtendum. Inter initia, poſt triduum, aut quatriduum exhibito pharmaco, & ſecta vena, probatur *agrimonia*, quæ contra virulentiam caninam plurimum valet.

FINIS.

HIERO-

A

B

HIERONYMI CAPIVACCI, DE MEDICA CONSVLTANDI RATIONE, SEV DE ARTE COLLEGIANDI, LIBER.

CAPVT I.

C

De summis consultationum medicarum capitibus.

Vsus, & dignitas huius doctrinæ.

QVANQVAM multa in arte medica reperiantur, quorum cognitio maxime necessaria est medico: nihilominus vix quidquam esse adeo vtile, necessarium, atque dignum arbitramur, quam artem consultandi: quandoquidem hac vna medici docti ab indoctis distinguantur. Licet enim mulieres etiam, artis medicæ expertes, summo miserorum ægrotantium dispendio, morborum aggrediantur curationes: illos tamen esse solum medicos doctos dicimus, qui campum ingrediuntur consultandi, & arte officium suum exsequuntur.

Agēda hoc tractatu.

Cum ergo hoc negotium sit tantæ necessitatis & vtilitatis; optimum fore sumus arbitrati, si quid de huiusmodi materia diceremus. Ea vero ratione id expediemus, vt facilius redda- D tur quod propositum est. Verum quia nihil est, quod res abditas reddat faciles & apertas, nisi modus distincte procedendi; ideo & nos, ordinem obseruantes, duo absoluemus: primum enim omnia capita inuestigabimus, de quibus hac in arte erit differendum: vt, in collegio volentes esse, sciamus, quæ & quot capita sint proponenda; atque cur nec plura, nec pauciora. Deinde trademus, quę in singulis capitibus sint obseruanda.

Consultationum septē capita.

Quapropter si volumus inuenire, quot capita sint proponenda, & quod neque plura, neque pauciora constituenda sint; confugiendum ad illam erit methodum, quæ facit ad inuentionem. Et cum duplex hæc sit, Diuisiua, & Resolutiua; potiorem locum habet resolutiua, quæ initium sumit a notione finis. Vt vero, quod nunc docemus, intelligatur facilius, supponendum est, consultandi methodum septem capitibus contineri: quorum primum est historia casus: alterum, informatio de rebus non naturalibus, & præ- E cipue de aere præsente: tertium, de rebus naturalibus: quartum, de rebus præter naturam: quæ omnia e proposita historia deducenda, vt his veluti fundamentis reliqua postmodum innitatur consultatio: quinctum caput, est de indicationibus: sextum, de prognosticis: postremum de auxiliis. Omissum est caput de signis. Cum enim signa sint triplicia, alia rememoratiua, alia dignoscitiua, alia prognostica: de postremis sermo haberi debet capite de prognostico: de reliquis loquendum est, vbi de rebus naturalibus, ac præter naturam fit sermo, quatenus scilicet hæ latent: namque vbi de re occulta dicendum est, quęcunque illa sit, hanc per sua signa statim manifestare oportet, ne mentes audientium dubiæ relinquantur: si enim res ignotæ per sua signa manifestandæ seorsim essent, hocque vni loco reseruandum: id & dicenti, & audienti laboriosum exstaret. Quare his de caussis locus peculiaris signis constituendus non est.

Quomodo capita consultationis inueniātur, ἀναλύσει iisnis, ac mediorum.

Methodus igitur collegiandi septem his capitibus absoluitur: quæ, vt scientifice, proposita a nobis F methodo, inueniamus: constituere primum oportet, scopum artis collegiandi esse, consultare de sanitate, vel præsente conseruanda, vel amissa recuperanda. Hoc autem assequi nequimus sine medicis præsidiis; ideo necessarium est de his discurrere. Verum medicus quilibet consultare debet non tanquam empiricus, sed tanquam dogmaticus: ac proinde ita de medicis aget auxiliis, vt pateant ordine consilii sui rationes ac fundamenta, nec temere quidpiam vel sine caussa proferre videatur. Primo igitur prognostica in medium afferet: deinde remedia: & cum hæc petantur ab indicationibus, de his etiam tractabit. Quia vero prædictionum & indicationum hauriendarum ratio e tribus dependet, nimirum, ex rebus secundum naturam, præter naturam, & non naturalibus: iccirco hæc tria capita explicanda occurrunt: primum, de rebus præter naturam; alterum, de rebus secundum naturam; tertium, de non naturalibus. Et quia accidit, vt res præter naturam, & secundum naturam nos lateant: ideo de signis differendum est; vt ductu eo- G rum veniamus in cognitionem latentium. Cum vero totum hoc pendeat ex rei historia; propterea hæc etiam necessaria est, vt possimus deuenire in cognitionem rei absconditæ.

Vnde hac methodo resolutiua inuenta erunt capitula omnia de quibus disputare debet medicus. Primo igitur proponenda rei historia: cum enim aliquid inuenimus, & illud quod inuentum est assequi intendimus, tali ordine a nobis est progrediendum, vt illud quod in resolutione est vltimum, efficiatur

Primum in exſecutione. Secundo vero aſſignare oportet res non naturales. Tertio, dicendum de rebus A
naturalibus. Quarto de rebus præter naturam. Quincto, de indicationibus. Sexto, de prognoſticis. Septi-
mo ac poſtremo de medicis auxiliis. Propterea cum medica auxilia fuerint poſtremo loco propoſita, atq;
hoc ordine inuenta; poſtremo etiam loco ſunt pertractanda ab eo, qui conſultat.

Caput II.

In medicis conſultationibus Res ſecundum naturam proprio capite, ceu reliquorum fundamentum, proponendas eſſe: indicationes item præcedere prognoſtica: nec ſignis in conſultandi methodo peculiare caput deberi.

Queſtiones quædā expediendæ. VErum quia aliqui, de hac arte loquentes, contrario modo negotium diſponere videntur: ne vllam
relinquamus dubitationem; nonnullæ ſunt a nobis ſoluendæ difficultates, quæ potiſſimum tres nu- B
mero ſunt: prima, de rebus ſecundum naturam: altera, an prognoſticum præcedere debeat indicationes,
vel e contra: tertia, quia ſigna neceſſaria exſiſtunt, cur ſignis aliquod non ſit conſtitutum caput.

1. Quæſtio. De rebus ſecundum naturam, aduerſariorū opinio. Quod igitur ſpectat ad primam difficultatem; dicunt iſti, præter rationem tractari in collegiis de
rebus ſecundum naturam: dicunt enim hunc procedendi modum eſſe tum ſuperfluum, tum confuſum.
Nam ſi, verbi gratia, fuerit morbus in mala compoſitione, vt luxatio; non eſſe loquendum de rebus ſe-
cundum naturam. Præterea ſi ægritudo ſit manifeſta, non agendum de temperatura, ſed ad morbum ſta-
tim deueniendum. Addunt præterea, ſi qui velint loqui de rebus ſecūdum naturam, incidenter eos debe-
re loqui, non autem conſtituere proprium caput; exempli cauſſa, vbi febris non ſit manifeſta, aliquid di-
cendum eſſe de temperatura, vt in febris cognitionem deueniamus: ſic & quando ægritudo non admo-
dum a ſtatu diſtet naturali, tunc etiam loquendum de rebus ſecundum naturam: pariter, de prognoſtico, C
& de remediis tractantes, etiam de rebus ſecundum naturam debere loqui; quia virtus permittat vnum,
& temperamentum aliud. Inferunt ergo, proprium caput de rebus ſecundum naturam minime conſtitu-
endum eſſe: ſed de his nos incidenter loqui debere; nimirum dum de rebus præter naturam loquimur, at-
que de prognoſticis, & de medicis auxiliis. Dicunt igitur, illos, qui propoſito a nobis ordine progrediun-
tur, obſcuros eſſe, confuſos, & ſuperfluos.

Sententia auctoris. Dicere pro rei veritate poſſumus, in collegiandi arte neceſſarium eſſe, de rebus ſecundum naturam
loqui, antequam de rebus præter naturam ſermo habeatur. Quia ſi volumus cauſſam inuenire, neceſſe
profecto eſt, vt ſupponamus eſſe res ſecundum naturam, quæ ſunt fundamenta conſultationis. Præterea,
ſi conſideretur modus procedendi, opponitur illi viæ, quæ locum habet in reſolutione. Inueniebamus
autem remedia, prognoſtica, indicationes, res præter naturam, & res ſecundum naturam. Quare, ſi vlti- D
mum locum habent res ſecundum naturam in inuentione; ergo in exſecutione debent habere primum
locum. Ea propter in collegiando ordine progredi debemus compoſitiuo; ideoque primum de rebus ſe-
cundum naturam, & poſtea de rebus præter naturam dicendum eſt: & ſic erit poſtremum in exſecutione,
quod primum exſtitit in inuentione. Quod ſi aliter faceremus, eſſemus diminuti, & confuſi: in quolibet
enim collegio neceſſarium eſt ſermonem habere de rebus ſecundum naturam. Si namque ſermo fiat de
morbo tollendo; morbus autem nihil aliud ſit, quam receſſus a naturali ſtatu; quomodo poterimus id ef-
ficere, niſi ſupponamus naturalem ægri ſtatum? Aduertendum autem, quoſdam & in hoc decipi. Quam-
uis enim in quocunque collegio de rebus ſecundum naturam loqui opus ſit; differenter tamen eſt loquē-
dum: nam plura interdum, pauciora nonnunquam, & aliquando mediocria proponenda, pro caſuum di-
uerſitate. Si enim accidat conſultatio de iecinoris inflammatione; debemus loqui diligenter de tempera- E
mento naturali potiſſimum iecinoris: quoniam vitium habemus in parte principali, & in parte recondi-
ta. Quod ſi fuerit eryſipelas in crure, loquendum etiam eſt de rebus ſecundum naturam, non tamen ita di-
ligenter, ſicuti in iecinoris morbo. Quare reprehendendi ſunt illi, qui ſemper in rebus ſecundū naturam
eodem procedunt modo. Cum itaque ſermo eſt de rebus præter naturam, verbi gratia, ſi quis correptus
ſit calida & humida iecoris intemperie; poterimus tunc quidem in illius affectus cognitionem facilius
venire, ſi cognouerimus corpus eſſe temperaturæ calidæ & humidæ naturaliter; cum temperatura illa ſit
veluti affectus indicium: ideo accipimus temperaturam loco ſigni, ad indicandum hunc morbum. De-
ſcendentes deinde ad indicationes, quæ ſane deſumuntur a rebus ſecundum naturam; nonne & ibi quoq;
loquemur de rebus ſecundum naturam? Pariter in prognoſtico neceſſarium eſt loqui de rebus ſecundū
naturam. Quare vt confuſionem vitemus, conſtituendum eſt nobis peculiare caput de rebus ſecundum F
naturam: vt, cum incidit ſermo de his, ea nos ſupponamus, quæ dicta ſunt in proprio eorum capitulo; nec
cogamur ea ſæpius repetere. Nam, verbi gratia, conſtituatur corpus, de quo habetur collegium, calidum
eſſe & humidum: hoc ſi notum eſt, ſupponimus; ſi ignotum, probamus ſignis. Cum accedimus ad res præ-
ter naturam, dicimus, corpus febricitare febre a ſanguine; indicium eſſe, quia corpus ſit calidum & humi-
dum: & hoc ſupponimus, non amplius probamus. Vbi deſcendimus ad indicationes, dicimus, oriri indi-
cationem euacuandi ſanguinem: & hoc deſumentes ſimul ex temperamento calido & humido, apto ad
ſanguinem gignendum, de temperamento non amplius loquimur. Cum deſcendimus ad prognoſticum,
ſi ſit ſynochus; dicimus eam tolli poſſe, quia non ſit maximus a naturali ſtatu receſſus, eo quod morbus a
ſanguine dependeat, in corpore calido & humido. Vnde ſemper ſupponimus, hoc eſſe comprobatum ſuo
loco. Quod ſi non conſtituamus hoc caput, ſemper confuſe procedemus. Ideo neceſſarium eſt, vt primo G
loco hæc veluti fundamenta ponamus, atque ſic res ſecundum naturam conſtituamus.

Obiectionū ſolutio. Ad rationem autem aduerſariorum facile reſpondemus. Cum dicunt, non eſſe neceſſarium de his
loqui, ſi fuerit luxatum aliquod membrum: miramur certe quomodo in luxatione non debemus con-
ſiderare res ſecundum naturam: non enim ſolum principales partes debemus conſiderare, ſed & organicas
quaslibet,

A quælibet,& temperamentum partis quoque luxatæ:nam habemus sensum , & exquisitiorem ; & minus exquisitum:ex quo elicimus quid agendum,& ratione prognostici,& remediorum.Opus namq; est, partibus luxatis aliqua admouere medicamenta:& quia morbus in luxatione alio modo est curandus in vna temperatura,alio in alia;ideo medicamentum debet esse in variis temperaturis varium. Necessarium est ergo in luxatione loqui de rebus secundum naturam.

Quando vero asserunt,quod in febre manifesta loqui de rebus secundum naturam non liceat:certe sunt in maximo errore:quia haud scimus,an sit maximus lapsus a statu naturali necne.Oportet profecto scire,quam proportionem habeat febris cum temperatura naturali.In prognosticis quoque, & remediis id non ignorandum:quia pro diuersitate temperamẽti,diuerso quoque modo hunc & illum tertianariũ curabimus.Quare necessarium est,vt in febribus loquamur de rebus secundum naturam.

B Quando vltimo dicunt,nos esse confusos:respondemus,hoc minime verum esse.Quia in omnibus non cogimur sermonem facere de rebus secundum naturam,veluti faciunt ipsi.Ideo necessarium est, vt aliquod de huiusmodi rebus constituatur caput:vt tale caput sit veluti fundamentum omnium dicendorum.Et patet ex iam dictis,si in collegiis modo ab illis proposito procedamus,maxime nos fore confusos. Non erit autem confusio vlla,si de prædictis vnum constituamus caput:atque demum in omnibus iis, in quibus de his debet fieri sermo, supponamus quæcunque in eorum capitulo dicta sunt;ne pluries indistincte eadem repetamus.

Secunda erat difficultas;an immediate post sermonem de rebus præter naturam sit loquendum de indicationibus,an vero de prognosticis?Quidam dicunt,primum loquendum esse de prognosticis:initio enim constare debere an sit agendum,deinde quid sit agendum:sciri autem an sit agendum ex prognostico,quid agendum ex indicatione:quare prognosticum præcedere indicationes. Ex altera parte Gal.l.de constit.art.med.c.17.& 18.prius hauriendas esse indicationes ostendit;demum perpendendum esse,an illis possimus satisfacere,nec ne:ergo indicationes debent præcedere.

II. Quæstio. Num indicationum, an prognosticorum prior esse debeat tractatio.

C Vt autem sciamus,qua ratione in collegiando recte procedere oporteat, vti distinctione opus est. Nam cum sermo est de aliquo morbo;animaduertere est necesse,num euentus morbi sit certus, an dubius.Si certus:distinguendum est,an sit certus ad bonum,vel ad malum. Si ad malum : adhuc distinguendum;vel enim iam imminet periculum,vel non,vel cito futurum est.Si cito futura sit mors ; primum loquendum de prognostico:nam non est quod hauriamus indicationes,cum cito sit moriturus æger.Quod si non ita cito sit ad malum:in hoc casu,cum tale prognosticum pendeat ex indicationibus, & coindicationibus,quæ inuicem diffident;prius est agendum de indicationibus. Si vero ad bonum euentus sit futurus;prius quidem loqui debemus de indicationibus,ratione quarum dicemus, cito ne; an tarde exspectandus sit bonus euentus.Quod si sit dubius,ea ratione quatenus indicationes diffident; debemus prius loqui similiter de indicationibus. Hinc possumus colligere, quod in vno tantum iam dicto casu liceat prius de prognostico loqui, quam de indicationibus. Et ideo Galen. libro de constitut: artis medendi considerans,vt plurimum pendere prognosticum ex indicationibus,docuit,prius esse indicationes hauriendas.

D Ad rationes aduersariorum dicimus,non consistere prognosticum tantum in hoc,vt cognoscamus an sit agendum;sed an cito,vel tarde futurus sit euentus;an possimus scopis satisfacere:quod ex indicationibus dependet.Quare non valet argumentum.

E Tertia erat difficultas de signis.Nam necessarium est loqui de signis : nec tamen est iis constitutum aliquod caput peculiare:cum tamen rebus secundum naturam,& rebus præter naturam,sua sint assignata capita.

III. Quæstio. Signis an sit esse constituendum peculiare caput.

Dicendum ergo,signa esse in triplici differentia,(vt alibi etiam dictum est,)scilicet rememoratiua, demonstratiua,& prognostica. Rememoratiua pertinent ad præterita : demonstratiua ad præsentia: & prognostica ad futura.De prognosticis loquimur,cum sermo est de præsagiis.De reliquis duobus loquimur,dum sermo est de rebus secundum naturam,& præter naturam.Sed cur non cõstituimus caput proprium,ab aliis separatum?Dicimus,si hoc seorsum constitueretur,tunc in hoc capitulo aliud non contineri,quam scientiam de signis;quę breui tempore haud perfici posset,nam deberet tradi diuisio signorũ, & similia.Sed res secundum naturam proponuntur illius tantum ægri,de quo habetur consultatio : non vniuersaliter traditur ars de rebus secundum naturam.

F

CAPVT III.

Casus,quo de instituitur consultatio,vt proponendus.

HVcusque constat,quæ & quot sint constituenda capita in consultando;& qua ratione sint ordinanda: deinceps quidnam vnumquodque requirat caput,sigillatim considerabimus. Transitio.

Quantum igitur spectat ad historiam : aduertendum est, alio modo esse ei progrediendum, qui primo loco loquitur;alio vero ei,qui secundo,& tertio, & quarto est loquuturus. Qui *primo loco* sermonem habet,cum maxime diligentem esse oportet,in declaranda historia;vt quod superfluum est,omittat; non negligat vero,quod ad rem videtur pertinere.Auspicandum vero ab initio,e quo arbitramur malum originem traxisse:atque deinceps ea,quæ egerit,aut passus fuerit æger,quæque ab aliis pro reparanda eius salute fuerint administrata,particulatim commemoranda : tandem status proponendus, in quo postremo reperitur ægrotans.Ita igitur a prima morbi origine incipientes,sensim per ea,quæ acta sunt, sermonem eo vsque ordinatim deducere debemus, quousque (vt dictum est) ad præsentem, in qua reperitur æger, constitutionem perueniamus.

Historica propositi casus relatio.

G Qui *posteriore loco* loquũtur,de historia interdum nihil fere dicent;interdũ vero aliquid. Nihil qui-

A dem dicent, quando qui prius locutus est, historiam exacte recensuit: superfluum enim est narratam historiam repetere: vt quidam faciunt, qui in historia repetenda plus conterunt temporis, quam qui prius eam fuse exposuerunt. Supponenda igitur tunc, quæ a primo dicta sunt; atque sufficit tũc pauca quædam, & principaliora breuissimo compendio referre. Quod si aliqua etiam ab eo, qui primo loco dixit, ex principalioribus videantur omissa; hæc sane non erunt prætermittenda: vt suppleamus defectum. Prudens ergo medicus secundo loco loquens, per epilogum historiam recenseat, propriisque locis addat, quæ a priori fuerunt neglecta.

Capvt IV.

De rebus non naturalibus quantum & quo pacto consultantes disserere debeant.

Rerum non naturalium explanatio.

B Secundum caput erat de rebus non naturalibus; quid nam scilicet circa huiusmodi res debeat medicus moliri. Non multa quidem heic dicenda sunt, sed pauca, & ex proposita historia potissimum colligenda; quæ nempe ad aerem spectant, in quo præsertim tunc temporis commoratur æger. Quamobrem, etsi res non naturales in sex capitibus potissimũ consistant, in aere videlicet, cibo & potu, motu & quiete, somno & vigilia, inanitione & repletione, & animi accidentibus: potissimum tamen supponenda medico est aeris constitutio, in quo (vt diximus) versatur æger, dum curationi se exponit. Quis nam igitur sit aer, cõsiderare debemus: nam alio modo est progrediendum, si æger versabitur in aere frigido; alio, si in calido. Et quod de aere dicimus, idem intelligendum est de aeris constitutione, tempore anni, & regione: nam per aerem omnia hæc simul intelligimus. Non parum autem ad cognitionem rerum tum præter naturam, tum secundum naturam conducit aeris cognitio: namque si supponatur biliosus æger, temperamento calido, in constitutione aeris calida; facile cognoscemus, quid agendum, & quid dicendum. C Quod si sit tempus pœnuriæ, aut pestilentiæ, debetis supponere victus rationem, quæ in hoc casu non minus debet considerari.

Capvt V.

Rerum naturalium explicatio quatenus in medicis consultationibus, & qua ratione, instituenda.

Necessitas capitis de rebus secũdum naturam.

Ad res naturales tertio loco accedere oportet. Explicatis enim rebus non naturalibus, necessarium est ad res secundum naturam deuenire. Quoniam, dum quarto loco accedimus ad ponderandum res præter naturam, nihil aliud facimus, nisi quod consideramus recessum patientis a statu suo naturali. Necessarium igitur est, vt prius calleamus, quisnam fuerit eius status secundum naturam: in quo considerare D possumus temperamentum, habitum corporis, ætatem, consuetudinem, & huiusmodi.

Vt itaque appareat euidentius, quomodo in consultationibus sit absoluendum hoc caput, tria declarare oportet: primum, quid per res naturales intelligamus: alterum, an de omnibus loquendum, vel de aliquibus; vel pluribus, vel paucioribus: tertium, quo pacto de his disserẽdum; an scilicet per modum probationis, vel suppositionis.

I. Res Naturales quæ dicantur.

Res naturales sunt, quas modo in statu ęgri naturali considerandas proposuimus: temperamentum videlicet tum totius, tum partis, corporis habitus, ætas, consuetudo, sexus, ars cui ęger est addictus, & facilis vel difficilis tolerantia tum morborum, tum remediorum.

II. An in collegiis de omnibus vel de aliquibus dicendum.

De his interdum loquendum est omnibus, interdum de aliquibus, modo de pluribus, aliquando de paucioribus. Nunquam enim omni penitus silentio inuoluendæ: vt perperam arbitrantur quidam. E Siquidem cum in omni morbo consideremus pugnam inter ipsum & naturam: res naturales consequenter ac necessario considerare debemus. Sunt igitur in errore, qui nolunt loqui de rebus secundum naturam. Verum & hi quoque errant, qui in quolibet casu exacte de rebus secundum naturam loquuntur. Non enim in quocunque patiente, & quacunque consultatione id obseruandum est: verum de istis oportet modo sic, modo aliter loqui. Gratia enim exempli, in pestilenti febre non poterimus ita esse diligentes, præsertim circa aerem, quin adhuc maiore diligentia loqui oporteat: at in inflammatione ex ictu, aut simili caussa, nequaquam debemus esse ita diligentes. Præterea animaduertendum est, ne, quod quidam faciũt, in omnibus morbis semper solliciti simus de temperamento tum totius, tum singularum partium. Non enim indifferenter debemus de omnibus partibus in quocunque affectu loqui; sed de aliquibus tantum. F Quare si sermo fiat de affectu totius corporis, vt puta de febre, quoniam totum corpus occupat, non est præter rationem, diligenter callere, quæ sit totius corporis temperatura. In morbo vero occupante aliquã partem priuatam, expedit quidem scire totius temperamentum, sed non est opus, vt tantam in hoc assequendo adhibeamus diligentiam: verum præcipue laborandum est in cognoscendo statu naturali illius partis, quæ laborat; siue sit pars principalis, siue non. Quare si morbus sit in renibus, de renum temperatura; si in iecinore, de illius statu loquendum est. In catarrho ex capite prodeunte, præsertim diligentes esse debemus in cognoscenda naturali cerebri constitutione. Eodem modo si afficiantur testes: & sic de singulis.

III Quo pacto de rebus naturalibus disserendum.

Quo autem pacto de rebus naturalibus in collegiis differendum sit: videlicet an probando, an supponendo: sciendum, res secundum naturam, vel esse Notas, vel Ignotas. Nam primo adspectu quandoque temperatura potest cognosci: sic etiam conformatio partium; vt quando quis fuerit promtus ad actiones. G Ideoque non est, quod simus in huiusmodi diligentes, cum sint manifestæ: sed tunc supponendæ potissimum sunt: nec est tempus conterendum in proponendis signis rerum manifestarum. Cum vero nos latent; cognoscendæ sunt per signa, ac probandæ.

Aduertendum insuper est; quando loquimur de temperamento totius corporis, primo modo loqui

nos

A nos poſſe de temperamento totius, progrediendo ad partes: ſecundo modo, incipiendo a parte principali, deinde pergendo ad reliquas: vel denique vtroq; modo progredi nos poſſe. Si igitur medicus, qui primo loco dixit, a totius temperamento proceſſit ad partes: nos contra procedemus; incoantes a conſuetudine, habitu, colore corporis, & ſimilibus, quæ poſſunt temperaturam totius indicare: & ab hac demũ progredientes ad temperaturam partium, hoc eſt, iecinoris, & cordis: quandoq; etiam contra, & melius, incipiemus a iecinore, cerebro, & corde; quoniam temperatura totius pendet a temperatura partium.

Iam vero cum interdum habeamus infirmos abſentes, interdum præſentes: ſi abſentes ſint, & habeamus ſcriptam informationem vel vnius medici tantum, vel plurium: in hac vel de rebus naturalibus ſit ſermo, vel non. Quod ſi de ægri temperamento, & reliquis nihil ſcriptum exſtiterit, poſſumus ſupplere, & per coniecturam quandam ex rebus tum præter naturam, tum ex non naturalibus in aliquam cognitio-
B nem naturalium deuenire. Si vero a ſcribente fiat aliqua mentio, dummodo erronea penitus non ſcribatur, ei fidendum eſt; atque res naturales e ſcripto eliciendæ, taleſque ſupponendæ: vel per coniecturam etiam cognoſcendum eſt, an fideliter relatum ſit a ſcribente temperamentum: quod facit tãtum optimus medicus: nam ſæpe errant, qui huiuſmodi ſcripta conficiunt. Proponatur, gratia exempli, æger quidam, qui conſueuerit in epilepſiam incidere, ac ſoleat exſpuere ſputum viſcidum, & ſine ſapore: hoc certe cognito, cognoſcere poterimus, hunc eſſe cerebri frigidi, quamuis non ſcribatur: ita etiam, ſi ſputum ſit acidum, album, & inſipidum.

Quod ſi infirmum præſentem habeamus, res naturales, ſi patent, ſupponendæ ſunt; ſi dubiæ, per ſigna manifeſtandæ. Quibus propoſitis, poſtea circa ægrotantem inquirendum, quæ nam facta ſit diſſimilitudo: quæ in hoc conſiſtit: quoniam, cum prius æger non affligeretur a rebus præter naturam, in præſentia
C dum ægrotat, ab illis patitur atque cruciatur. His autem quartum caput aſſignauimus.

CAPVT VI.

Conſideratio rerum præter naturam in medico conſilio.

SVccedit igitur quartum caput, in quo de rebus præter naturam agendum eſt. Inquirendum autem, quid nam de his dicere expediat, & quo ordine: maxima enim diligentia progredi oportet; cum in hoc ſine dubio tota vertatur curatio. Primum ergo ex propoſita hiſtoria elici debent ea, de quibus præcipue conqueritur infirmus: quæ vel ſunt ſymptomata, vel morbi. De cauſſa enim, vtputa de bile, vel conſimili, nemo conqueritur. Verum quoniam prædicta a ſuis producuntur cauſſis, vel originem traxerunt: non immerito & has quoque ex prædictis elicere oportet; & de his a medico ſimiliter dicendum eſt. *Tractatio rerum præter naturã.*

D Res ergo præter naturam ternario clauduntur numero: ſunt enim vel ſymptomata, vel morbi, vel horum cauſſæ. Si fuerit ſymptoma; primum inueſtigare neceſſe eſt, quale nam ſit; deinde ad quem morbum proxime conſequatur. Quo ad primum, vt hoc conſequi valeamus, callere oportet genera, ſpecies, & differentias omnium ſymptomatum: de quibus alias ſæpius dictum eſt. Cum autem hæc tria primum ſint; Actio læſa, Exiens mutatum, & Qualitas mutata: quale igitur ex his ſit ſymptoma propoſitum, conſiderandum eſt. Quod ſi fuerit actio læſa; num hæc ſit animalis, vel vitalis, vel naturalis, cognoſcendum eſt; atque de hac inquirendum, an ſit ablata, vel corrupta ſeu deprauata, an potius diminuta: & hæc ad propoſitum ſymptoma, a ceteris ſeiunctum, deducenda ſunt. Sed forte quæret quis; num in quocunque ſymptomate, de quo conqueritur æger, hæc omnia a primo vſque ad vltimum inquirere & proponere, debeamus. Nequaquam vero, nec enim niſi multo tempore ſermonem explere poſſemus. Ob id, notum ſuppo-
E nendo, aut ſolum proponendo, ignotum vero manifeſtando, breui oratione, non tamen deficiente perſtringemus, ne auditoribus tædio ſimus. Quare nec eſt etiam in præſentia, vt de reliquis ſymptomatibus plura dicamus. Nam qualitas mutata varia eſſe ſolet, prout variæ ſunt qualitates, quæ ſenſuum ſunt obiecta: præſertim tamen ea medico ſe offerre ſolet, quæ pertinet ad ſenſum viſus, vt ſunt vitiati colores. Exiens vero, quod eſt tertium ſymptoma, varium etiam eſt, tum ratione loci, vnde exit; tum ratione propriæ ſubſtantiæ, & qualitatis. *Symptomatis propoſiti genus.*

Hinc (quod ſecundo loco erat explicandum:) vbi habemus, quale nam ſit ſymptoma, tunc id reducere oportet ad ſuum morbum, ſiue primum a morbo dependeat, ſiue ſecundario. Quare reliqua duo poſteriora ſymptomata primum ad actionem læſam, & hac mediante ad morbum reduci debent. *Reductio ſymptomatis ad ſuum morbum*

Si quis vero conqueritur de morbo & de ſymptomate ſimul: poteſtis procedere, & a morbo ad ſym-
F ptoma, & e contra. Inquirendum vero, an morbus ſit in intemperie, vel mala compoſitione, vel ſoluta vnitate; deinde debemus morbum in ſuas cauſſas diducere; & morbi partes, atque differentias dignoſcere. *Morbi propoſiti genus.*

Tres autem potiſſimum morbi cauſſas expendunt medici: Formalem, Materiam in qua, & efficientem. Omittitur cauſſa finalis, quia in rebus præter naturam proprie non reperitur. Formalis cauſſa ipſamet eſſentia ac morbi natura eſt, & ſuperius expoſita: prout videlicet morbus eſſe dicitur vel in intemperie, vel ſoluta vnitate, vel mala compoſitione. Si itaque morbus in intemperie exſiſtat, videndum erit, (vt prius dicebamus) an intemperies ſit ſimplex, vel compoſita; vtrum cum materia, vel ſine materia; an cum tali, vel tali materia, ac proinde qualis hæc ipſa ſit. Quo vero ad materiam in qua; animaduertere oportet, an morbus occupet corpus vniuerſum, an partem. Et ſi par-
G tem; an præcipuam ſeu principalem, vel ignobilem. Si præcipuam, an magis, vel minus. Si minus præcipuam, an hæc habeat commercium cum præcipua: & vtrum hæc ſit vel ſuperior, vel inferior: an interior, vel exterior: dextra, vel ſiniſtra: anterior, vel poſterior: profunda, vel in ſuperficie: Præterea quæcunque hæc fuerit, inueſtigandum eſt, an occupetur per eſſentiam, vel per conſenſum: &, ſi per conſenſum, an a toto, vel a parte. Circa cauſſam efficientem, videndum, an hæc ſit interna, vel externa: *Cauſſæ morbi.*

mediata, vel immediata: proxima, vel remota. Maxime proxima; est caussa continens; remota ac mediata, A antecedens; remotissima, dicitur primitiua, procatarctica, externa Notandum autem, quod interdum cōcurrant omnes caussæ, interdum quædam tantum: vt si fiat vulnus a gladio, malum hoc antecedente caret caussa, & continente, sed habet primitiuam tantum. Propositis caussis, vt adsunt; si considerentur vt agūt, & concurrunt ad agendum; videndum, an agant per se, vel per accidens, vti opium, vel aqua frigida; quæ per se refrigerant, per accidens calefaciunt, condensando poros; vnde calor concentratur, atque validior efficitur. Videndum præterea, an concurrant ad agendum principaliter seu tanquam caussæ principales, vel tanquam adiuuantes, aut denique vt sine quibus non. In pharmaco, gratia exempli, electiue educente, caussa principalis est forma propria; adiuuans, est caliditas; caussa sine qua non, calor corporis natiuus. Itē in morbo caussa principalis, verbi gratia, est fluxio; adiuuans, calor imbecillis; sine qua non, laxitas partiū, tenuitas materiæ. Sic si ferro aut ligno contundatur brachium, ita vt inflammatio excitetur, caussa prin- B cipalis est ferrum, necnon plenitudo; caussa adiutrix, humoris tenuitas; caussa sine qua non, loci imbecillitas, & viarum laxitas.

Morbi partes. Caussis absolutis; partes morbi inuestigandæ sunt: quod quidem molimur, cum inquirimus de morbo, an sit in principio, vel in augmento, vel statu, vel declinatione: addere possumus, an sit in accessione, vel interuallo.

Differentiæ morbi. Postremo descendere possumus ad morbi differentias, desumtas vel a propria morbi forma, vel ab eius forma & caussa efficiente, vel a loco affecto. Et propterea inquirendum, an morbus sit exquisitus, vel nothus seu spurius: natiuus, vel adscititius: magnus, vel paruus: boni vel mali moris: chronicus, vel breuis: atque, si breuis, vel acutus, vel non acutus: &, si acutus, vel ex decidentia, vel citra hanc: & si absque decidētia, vel exquisite acutus, vel valde acutus, aut peracutus & acutissimus. Item num sit ordinatus, vel inordi- C natus: simplex vel compositus: &, si compositus, vel complicatus, vel non complicatus: intermittens, vel continuus: communis, vel particularis, atque appropriatus: similis, vel dissimilis cum ægri temperatura, ætate, habitu, & reliquis. Et an postremo vulgaris, vel epidemicus: & hic aut pestilens, aut nō pestilens; vel endemus, vel sparsim & priuatim prehendens, seu sparsus, siue sporadicus. Huiusmodi enim & consimiles differentiæ, quæ ex morbi natura ac definitione præsciri a medico debent, expendi possunt.

Quo pacto res præter naturam explicandæ. In collegiis itaque, cum de aliquo symptomate habitus fuerit sermo, illud ad morbum reducendo; morbi que essentia natura, & caussæ efficientes fuerint propositæ, necnon & morbi partes; debent (vt diximus) proponi morbi differentiæ, sed primo, quæ a forma communi sint acceptæ, deinde a loco affecto, vltimo a caussis efficientibus. Nec omnes tamen differentias proponere debemus, sed eas tantum, quæ ad morbi, de quo agitur, cognitionem ducere possint. Nec semper in his inquirendis eodem modo procede- D re debemus. Si enim manifestæ exstiterint, (vt sæpius diximus) supponendæ: si occultæ, propriis signis indagandæ. Et quoniam in rebus proponendis duplex præsertim potest esse ordo; si forte, qui primo loco loquutus est, vno vsus sit ordine, ac distincte & ordinate processerit; debent ii, qui secundo loco loquuntur, ne eadem repetere videantur, alterum sectari ordinem: vt, si primus progressus sit a symptomatibus ad morbos, & a morbis ad caussas; cōtra alter ꝓgrediatur a caussis ad morbos, inde a morbis ad symptomata.

Verum hoc scire non sufficit, sed multo maioris est momenti, ita distincte & docte circa hæc digredi, vt nec superflui videamur, nec diminuti. Oportet igitur, vt cognoscamus circa quodlibet, quæ, quot, & qua ratione sint proponenda. Quando itaque ad symptomata accedimus, & etiam ad morbos, non tātum callere debemus vtrorumque naturam, sed & sedem affectam, tum symptomatis, tum morbi. Hoc asserimus, quoniam (vt dictum est) duobus modis potest pars affici, per consensum, vel per essentiam. Si per cō- E sensum afficitur locus, patet, affectum esse symptoma, non morbum: si vero obseruetur pars morbo affecta, tunc necessario fatendum erit, partem illam per essentiam affici. Quare neque semper omne symptoma primum in morbum refertur: nam interdum inter symptomata & morbum, teste Gal. lib. de diff. sym. c. vlt. tria vel quatuor media interueniunt symptomata. Vt igitur legitimus a naturali statu ostendatur recessus, semper quantum fieri potest, referemus symptomata in magis proxima, deinde & in morbū. Quāuis enim læsa functio immediate prodeat a morbo; consequuntur tamen hanc exeuntia mutata, & qualitates mutatæ, quæ vtique non ita primum a morbis fiunt.

In morborum vero generibus, ac differentiis explicandis, non est progrediendum, vt aliqui faciunt, qui videntes ægrum de febre conqueri, digrediuntur circa omnia febris genera, & differentias; dicendo, hanc febrem esse vel putridam, vel ephemeram, vel hecticam: deinde dicunt, non esse ephemeram; quia F non adsint eius signa: & ita de reliquis: postea ægrum laborare tertiana, verbi gratia, concludunt. Ad immediata igitur recta via est descendendum, manifesta omittendo: &, si forte, qui primo loco est loquutus, optime dixit, id tanquam rationabiliter dictum, atque vti notum, supponendum: quod si ille fuerit deceptus, tunc esse debemus diligentes, vt illius sententiam reprobemus, non tyrannico more, sed placide; propriisque signis, ac firmissimis rationibus prioris sententiam falsam esse demonstrabimus. Dum vero morbos in suas caussas referimus, inuestigabimus quidem primum caussas internas, deinde externas: & ex internis primum immediatas, deinde remotas: & non modo principales, sed etiam adiuuantes, & sine quibus non, & tandem natiuas, & adscititias. Verum non debemus tūc edocere artem inueniendi caussas, sed omne artificium adhibere debemus his in apte disponendis.

Inuento postmodum morbo, vel in principio, vel augmento, vel statu, vel declinatione, ex propriis G signis; erunt a nobis comparandæ res præter naturam inter se; vt sciamus, quænam ex illis habeant rationem vrgentis, quæ efficientis caussæ, vel conseruantis, vel sine qua effectus nequit remoueri. Quibus adinuentis, illico ad iuuantia inuestiganda descendemus. Atque si voluerimus ab aliis differre circa iuuantiū inuentionem, oportet vt in nostra consultatione animaduertamus, an liceat conferentia inuenire per indi-

A indicationes, vel per obseruationem, vel per analogismum. Quare illi deridendi sunt, qui per solas indicationes semper progrediuntur: nam interdum habet locum indicatio, interdum obseruatio, quandoque analogismus; interdum omnibus vtimur, interdum aliquibus, pro rerum præter naturam diuersitate.

CAPVT VII.

De indicationibus in consilio perpendendis.

Pars cōsultationis de indicationibus.

INdicationes quinćto loco omni diligentia proponendæ. Atque primum de Indicationibus sermonem habere oportet, secundo de Coindicationibus. Nam ex indicationibus quid agendum cognoscitur; ex B coindicationibus quid permittat virtus; an scilicet id quod proponitur possit agi, nec ne. Indicantia itaque, Coindicantia, Permittentia, Prohibentia quam diligentissime in collegiis sunt expendenda. Et in his profećto medici artificium, quinimo totius curationis consistit cardo. Non est autem, vt artem tradamus de indicationibus: quoniam in methodo curatiua eam professi sumus.

CAPVT VIII.

Prognosticorum in consultationibus locus.

De præsagiis.

ACcedamus ad sextum caput, in quo de prognostico agendum est. Vbi igitur de indicationibus loquuti fuerimus, debemus deuenire ad prognosticum; vbi morbus nō est lethalis: nam si illico moriturus sit æger, non est de conferentium inuentione loquendum, sed æger solis prognosticis relinquendus. Si autem loquamur de illis, qui non cito sunt morituri, tunc multo conuenientius est, (vt antea etiam di- C ximus,) primo haurire indicationes, deinde prædicere, an possint indicationes absolui, nec ne; quod est loqui de prognostico.

In prognostico autem oportet callere artem prognosticandi: de qua in præsentia illud tantum a nobis dicendum est, quod hæc potissimum in duobus consistat; primum, vt ostendamus quidnam prognosticum præstare possit; deinde vt intelligamus ex quibus prædićtiones petendæ.

Quid præsciendum medico.

Quo ad primum, sciendum est, nos ante omnia prænoscere debere, an morbus futurus sit salubris, vel insalubris; & an simpliciter, vel secundum quid. Insalubrem simpliciter appellamus, qui non aufertur, nisi morte ægrotantis: veluti & morbus hæreditarius. Secundum quid vero is est insalubris, qui in alterum insolubilem morbum desinit. Atqui, sicuti salubris simpliciter cum certa ægrotantis salute terminatur: ita cum non certa soluitur, qui salubris secundum quid est. Si igitur insalubris futurus sit morbus, præuidere D oportet, an semper declinet in deterius, & ad malum, an aliquando non ita: similiter si salubris, an ad bonum soluatur simpliciter, an aliquando ad malum, & demum ad bonum. Et quia hoc dependet ex pugna naturæ, & morbi; si videbitur naturam morbo superiorem fore, tunc erit ad bonum. Proinde considerare debemus res secundum naturam, & res præter naturam, & earum vires expendere: nam si maior sit vis rerum secundum naturam, bene sperandum est; si contra, male.

Verum, vt hoc clarius intelligatur, ac fusius explicetur, animaduertendum est, vbi proponitur aliquis patiens, num vnico, vel pluribus malis torqueatur. Si vnico, præscire debemus an talis morbus sit terminaturus, nec ne. Per morbum non terminaturum intelligimus, qui nec occidit, nec tollitur, sed comitatur hominem vsque ad mortem: veluti elephantiasis, quæ (vt dicit Aret. lib. 2. de morb. diutur. cur. cap. 13.) iam in visceribus fixa est, & iam faciem inuasit. Per terminaturum vero, qui vel interficit homines, vel E tollitur. De tali ergo morbo prædicendum, quisnam futurus sit terminus; an ad bonum, an ad malum. Amplius etiam præscire oportet, quæ sit futura solutio huius termini: num facilis, vel difficilis; an perfećta, vel imperfećta. Deinde prædicendū, quæ sit futura solutionis caussa; an videlicet malū expellendū sit beneficio naturæ, vel artis, vel vtriusque, vel vi potius materiæ. Præterea modum prænuntiare decet; an solutio paullatim, vel repente sit futura; &, si repente, an cum vehementia, an citra. Deinde & solutionis tempus indicandum; nimirum quo die, imo & qua hora terminaturus sit morbus. Tandem corporis locū etiam præscire oportet: an solutio sit futura per sudorem, vel per lotium, vel per vias alui, aut per vomitū, vel per venas narium, aut hæmorrhoidum, vel vteri; vel denique per tumores, aut abscessus huius vel illius partis. Hæc ergo præscire oportet circa ægrotum, vbi vnico morbo affligitur.

Quod si pluribus molestetur; tunc prænoscere decet, qui primum cessaturus sit, & qui deinceps. Hęc F sunt quæ in vniuersum prognosticando præstare debemus.

Ex quibus elicienda prognostica euentus morbi.

Quo vero ad secundum iam propositum, e signis prognosticis non modo scimus morbi terminum futurum ad bonum, vel malum; sed & distantiam, propinquitatemque futuri status præuidemus: ac proinde cognoscimus, non solum an morbus futurus sit salubris, vel insalubris, aut lethalis, sed & an breuis, vel longus, seu chronicus. Hæc autem signa a quinque potissimum fontibus desumuntur: videlicet a rebus præter naturam; a rebus secundum naturam; ab his quæ sunt in simili consuetudine; a viuendi ratione; atque a iuuantibus ac lædentibus. Propterea morbi caussas, & propriam naturam, siue speciem, differentias, & partes eius, atque mores, nec non symptomata, quæ omnia præter naturam sunt: insuper ęgri temperaturam, partiumque affećtarum constitutionem, habitum, ætatem, consuetudinem, & ægri tolerantiam, quæ naturalia existunt: demum affećtuum similitudinem, siue hæc hæreditaria sit, siue propria, G vel communis cum aliis: sic & viuendi rationem; tandem iuuantia & lædentia, diligentissime considerare necesse est. Dependet enim ab his, & elicitur tota prognosticandi ars: in qua optime nos esse versatos oportet. Si enim præ dićta in bonum concurrunt, atque benigna, facilia, ac moderata sunt; bene prognosticandum & morbum futurum salubrem prædicendum; contra, si maligna, si grauia, difficilia, ac præter modum a naturali statu recedentia.

Status morbi præsagia.

Nec minus cognitionem futuri status consequi similiter possumus ex signis, quæ ex prædictis capi- A untur: a rebus nempe præter naturam, a naturalibus, & non naturalibus; & proinde a caussis, a morbi natura, a differentiis, a symptomatibus: ab ægri, tum totius, tum partium temperatura, & constitutione, a corporis habitu, ætate, tolerantia, similitudine: a victus ratione, præsertim ab aere: & denique a iuuantibus ac lædentibus. Morbi enim caussæ, nimirum humores ac materiæ, si fuerint huius vel illius naturæ, scilicet tenuiores, aut crassiores, paucæ, aut multæ, frigidæ, aut calidæ, & huiusmodi; breuiorem, vel longiorem morbum fore denuntiant. Sic & morbi, vbi soli, ac simplices sint, calidi, acuti, similes, ordinati, & huiusmodi, statum proxime futurum significant: contra, vbi frigidi, inordinati, ægri naturæ dissimiles, atque compositi simul cum materia. Symptomata vero, & potissimum exeuntia, propria sua natura ac substantia, quantitate, qualitate, modo exeundi, tempore, ac loco, breuem vel longum morbum præmonstrant: vt propterea testatus sit Galenus, primo de crisibus 15. & 16. nos sæpe futuri status verissimam co- B gnitionem consequi posse, si ad signa coctionis & cruditatis confugiamus. Præterea etiam res secundum naturam hoc idem præstare videntur, quod de rebus præter naturam diximus. Vbi enim temperatura est calidior, habitus corporis mollis, rarus, ætas florens, & facilis tolerantia, ægritudines fiunt breuiores: contra, vbi temperies frigidior, habitus densus, ætas senilis. Verum & pars principalis nobilis, pars mollior, laxior, caua, excrementis excipiendis non dicata, citius a morbo soluitur. Similitudo itidem, prout hæc facilis, vel difficilis, seu longi, vel breuis affectus extiterit, ita vel breuem, vel longum morbum ostendit. Aer etiam quo fuerit calidior, eo breuiores morbos reddit. Iuuantia denique vbi non parum vtilitatis afferunt, breuem morbum indicant: si vero æger parum vel nihil vtilitatis suscipiat, longior sane indicabitur morbus.

Vbi itaque constat, morbum curationem admittere, ad medica præsidia descendendum est. C

CAPVT IX.

Præsidiorum materia quemadmodum in consultationibus proponendæ.

Auxilia medica.

RElinquitur ergo septimum caput ac postremum explicandum, in quo agendum est de auxiliis medicis. Et in hoc illud quidem notandum est, atque ad euitandum omnem in dicendo confusionem, seruandum, vt, antequam aliquod remedium proponatur, consideremus mala, de quibus infirmus conqueritur, an vnicus sit morbus, an plures: &, num sint morbi soluti symptomatibus, nec ne: item si annexum symptoma fuerit, an sit vnum, vel plura. Quod ea de caussa aduertendum: quia si vnicus fuerit morbus sine symptomate, nulla adhibita distinctione quamprimum licet ad auxiliorum enumerationem accede- D re. Si autem plures fuerint morbi; tunc considerandum, an eisdem auxiliis tolli possint, an diuersis. Si iisdem; neque hic tempus conterere oportet in repetendis auxiliis, sed admonendo, idem auxilium vtrunque morbum profligare, repente ad recensendum auxilia properandum. Quod si morbi varia, ac diuersa auxilia requirant; vt omnis tollatur confusio, distinguere debemus. Agentes enim de auxiliis huius morbi, si morbus fuerit cum symptomate, dummodo symptoma non curetur ad curationem morbi; primo loquemur de auxiliis morbi, deinde symptomatis. Atque pariter si plures fuerint morbi, & plura etiam symptomata; antequam accedamus ad auxilia, indicandum erit, nos primo proposituros auxilia, quæ referuntur ad vnum morbum, deinde quę ad alium: regulam illam seruantes, vt magis attendamus illi, quod magis vrget, reliquo non neglecto. Secus enim impossibile erit euitare confusionem. Sic loquentes de symptomatibus, quæ ad se curationem trahunt, primo prouidendum esse dicemus vehementioribus. Li- E cet vero dixerimus, loquentes de morbo & symptomate, proponenda prius auxilia quæ diriguntur ad morbum; hoc tamen non est obseruandum in operatione, sed semper attendendum illi quod magis vrget.

In arte porro consultandi non solum debemus proponere auxilia quæ conueniunt, sed etiam vsum, videlicet, Quantitatem, Modum administrandi, Locum, & Tempus. Et cum de tempore loquimur, possumus loqui de auxiliis, vt vel ad symptomata, vel ad morbum attinent, prout huic vel illis prius attendendum est. Et cum hoc fecerimus, debemus descendere ad auxilia, & ad eorum rectam administrationem.

Non est autem necessarium, vt primo de cheirurgia, secundo de pharmaccia, demum de diæta lo- F quamur. Id tamen aduertendum est, si de cheirurgia dicere cœperimus, non immiscendum sermonem de pharmaceia, & denuo redeundum ad cheirurgiam: sed vnum absoluendum, ac deinde veniendum ad aliud. Verum non est præter rationem, vt primum de cheirurgia, secundo de pharmaccia, demum de diæta dicatur.

1. Cheirurgica.

In cheirurgia primum debemus videre, an sit euacuandus sanguis, an vires permittant, & alia, quæ diximus in lib. de arte curat. cap. de venæ sectione. Vbi autem non videtur conuenire venæ sectio, videndũ est, an liceat vti cucurbitulis, vel hirudinibus, vel demum an emissaria conueniãt. Dum autem inuenimus conuenire sanguinis missionem: determinanda est recta administratio; in qua scilicet Quantitate, Quomodo, Quando, & Vbi.

2 Pharmaceutica.

Hinc postea accedendum est ad pharmaceiam: & prius differendum de purgante primas su- G perfluitates, seu de leniente: secundo, de præparantibus: tertio, de euacuantibus, & primo totum, deinde etiam alias partes, si necesse videbitur, & maxime caput: postremo de cor roborantibus totum, & partes, tum mandantes, tum recipientes. In quibus omnibus semper inuestigare oportet Quæ eligenda sint, in qua Quantitate, Quomodo, Quando, & Vbi. Aduertant autem iuniores, interdum proponi casus vrgentes, veluti est febris cum fluore alui; & tunc de lenientibus non esse dicendum,

A dum:cum enim natura aluum lenit,arte non est lenienda:de præparantibus tamen & purgantibus sermo habendus est:nisi natura importune quoque euacuet:tunc enim non sunt danda euacuantia, antequam ipsa desinat.

Postremo versabimur circa diætam:circa quam considerandæ sunt res nō naturales, discurrendūq; de aere,cibo & potu,motu & quiete,somno & vigilia,inanitione & repletione,ac animi accidētibus. Verū non opus est,vt in his omnibus simus multum diligentes, ac prolixi:sed modo in vno,modo in alio,vt res postulat. Vnde obseruandum est,si affectus sit in cerebro,& partibus spiritalibus,summa diligentia considerandam esse boni aeris administrationem:si in ventriculo, & membris naturalibus, magis debere nos esse sollicitos circa cibum & potum:si affectio sit circa pedes,magis consideranda exercitia: in quocunq; autem morbo diligentiam requiri in motu & quiete. Non tamen licet vti prolixitate. Quare si præcipue B illa capita seruabimus,quæ seruanda a nobis proponuntur in sermone de diæta, erimus breues, & ægris satisfaciemus. Circa cibos autem debemus determinare,an victus debeat esse tenuis, mediocris, aut plenus:& vbi habuerimus,hunc vel illum esse eligendum;an hic esse debeat calefaciens, vel refrigerans, vel humectans,vel siccans,attenuans,vel incrassans,declarabitur. Post hæc non debemus proponere carnes, vel pisces,vel olera;quia nunquam possemus negotium absoluere;nisi ita requireret ægrotans, & scriptis consultatio esset tradenda. Possumus quidem addere,esse eligenda cibaria,alterata condimentis, vel quæ possint calefacere,vel refrigerare,vel humectare,vel exsiccare,vel attenuare,vel crassefacere. De potu vnico verbo poterimus nos expedire,cum proportione respondeat cibis. Vbi autem videbimus conuenire vinum;qualis substantiæ hoc esse debeat,erit considerandum. 3. Diæta.

Hac methodo incedentes,nihil necessarii,nihilue vtilis omittemus; minus aliquid addemus super- C flui;minimeque in confusionis notam incurremus.

CAPVT X.

Præcepta methodi consultandi exemplo febris pestilentis declarantur.

HActenus omnia medicæ consultationis capita expediuimus:quæ vt clariora euadāt in iuniorum gratiam proponemus casum,medicę consultationis forma disceptandum. Historia.

Si ergo Socrates,tempore veris,in regione calida & humida, complexionis sanguineæ , in ætate iuuenili,detineatur febre pestilenti:primum supponendum,hunc patientem ægrotare tempore anni temperato:& eam quam diximus,esse regionem,ac statum cœli. Non naturalia.

Quantum pertinet ad res secundum naturam,supponendum,quod sit temperamenti calidi & hu- D midi,optimi habitus,& talis ætatis. Naturalia.

Quo ad res præter naturam, in præsentia non debemus esse admodum diligentes; quia exponitur oculis ægrotans febre pestilenti. Sed quando non haberemus morbum notum,tunc sane conueniret progredi per sua signa a symptomatibus ad morbum. Iam supponimus,quod hic habeat febrem pestilentem. Hæc autem consistit in intemperie calida & sicca;quia si debet esse febris,debet etiam esse intemperies calida & sicca;cum materia insigniter putrida,quia pestilens. Et cum habeamus formam, debemus etiam habere materiam in qua. Duplex autem est subiectum febris;scilicet Principale, & Adæquatum. Natura febris est morbus vniuersalis;putredo autem hęc distenditur per omnes venas;principale itaque subiectū est cor,vbi putrefacti ita sunt cordis humores,vt non solum putreant,sed insigniter putreant: subiectum vero adæquatum est totum corpus. Quod si accedamus ad caussas efficientes; dicendum est,dependere a E sanguine obstruente:quia in hoc corpore abundat sanguis,qui peccat quantitate,& qualitate;vnde fit insignis obstructio:ergo sanguis sua copia est caussa antecedens. Quæ possunt sanguinem producere, sunt ætas proportionata,& tale temperamentum. Caussa externa est talis aer: etsi vsus fuerit talibus cibariis. Accedamus ad morbi partes. Supponamus, nos fuisse accersitos in principio ad hunc ægrum. Quantum ad differentias,simus diligentes,vt sciamus in omnibus morbis ponere differentias. Primum quidem certum est, nos habere febrem putridam pestilentem exquisitam; quia adsunt omnia indicia putredinis, & insignis putredinis. Ita etiam si consideremus,quæ sunt externa; tempore veris viget putredo:si interna; corpora calida & humida apta ad putredinem exsistūt; ideo habemus morbum pestilentem exquisitum. Deinde habemus morbum cum materia;est enim intemperies calida & sicca, cum materia putrescente. Præterea habemus morbum nouum ratione originis,quia nunc primo incipit. Et quo ad alias differenti- F as;ratione actiuitatis habemus morbum vehementem simpliciter. Non est autem, vt hic consideremus differentias ab euentu:de his enim dicendum in prognostico:quæ nimirum sint indicia morbi vehementis,siue consideratio sit de signis,siue de symptomatibus. Habemus insuper morbum qui cito terminatur: est enim morbus pestilens,mali moris,contagiosus;& est continuus,ac ordinatus;quia febris pestilens eodem modo procedit,pręcipue dum est putredo in magnis venis. Demum dicere debemus hunc esse morbum vniuersalem,totius corporis,adsciritium,proportionatum cum temperamento. Et quo ad differentias status anni;si febris facta sit in anno peste non grassante,non possumus febrem pestilentem epidemicam vocare; sed morbus ea ratione appellabitur particularis, quia corpus hoc particulare dispositum est hac febre affici,& vsus est æger cibariis putrefacientibus. Præter naturam.

In curatione huius febris oritur indicatio refrigerandi & humectandi; sed quia magis potest caussa G putredinis,ideo minuitur humectandi illa indicatio;& non solum refrigerandi, sed etiam exsiccandi indicatio suboritur. Putredo enim in calido consistit & humido. Et quia nō licet deuenire ad alterationem, nisi prius fiant euacuationes,& tollantur obstructiones;cum obstructio ex multitudine emergat,hinc ratione obstructionis attenuandi; & quia hæc ex multa pendet copia, hinc minuendi exoritur indicatio. Atqui,cum minuere haud possimus,nisi excrementa euacuentur,oritur postremo indicatio euacuandi. Indicationes.

Præsagia.

Posse autem satisfieri his scopis,& morbum hunc posse solui in bonum, constat ex comparatione, facta inter res præter naturam,& secundum naturam. Licet enim multa sit morbi vis, nō tamen multum habemus recessum a naturali statu: nec deest morbi proportio cum ætate,& anni tempore. Si consideremus res secundum naturam; habemus bonum temperamentum,& habitum, ætatem florentissimam, habemus corpus, quod facile resistit. Propositis ideo scopis possumus satisfacere.

Curatio. Cheirurgia.

Deueniamus postremo ad auxilia. Possumus sane in hoc morbo(quoad virtutem) accedere ad venæsectionem: peccat enim sanguis,& euacuandus est valido auxilio; quia morbus est magnus, ętas consentit, vires tolerant,& sanguinem in multa copia expedit euacuare. Non proponimus modo, an liceat in febre pestilenti sanguinem mittere ex vena: sumus namque in morbi principio, & supponimus in hoc casu cōuenire:& insuper foramen latius efficiendum: quamprimum etiam euacuandum esse sanguinē. Quod si non præcesserit alui beneficium, iniiciatur clyster: deinde aperiatur iecoraria vena, vel communis. Verū in hac febre illud obseruandum est; an post venæ sectionem appareant maculæ, & delitescant: atque tunc apponantur cucurbitulæ. Et pro diuersione possumus hirudines hæmorrhoidibus admouere.

Pharmaceia.

Pro siccæ alui lenitione demus syrupum rof. solut. cum decocto tamarindorum. Quantitatem breuitatis caussa non proponimus. Ad humorum præparationem exhibeatur syrupus de acetosa, de acetositate citri, de limonibus, cum decocto acetosæ,& boraginis,& radic. pentaphylli,& sem. citri. Quantitas ex his sit vnciarum quinque. Dentur autem syrupi immediate post venæ sectionem, & post leniens medicamentum. Purgans conueniens est rhabarbarum, ad sanguinem mundificandum: infundatur in decocto florum,& fructuum,& addatur syrupus rof. solutiuus. Quantitas non proponitur, breuitatis gratia. Et si loquamur de tempore, dabimus concocta materia. Quo ad corroborantia, hæc duplicia sunt; alia intrinseca, extrinseca alia. Intrinseca sint refrigerantia & humectantia, quibus addatur aliquid de succo acetosæ, aut acetositatis citri, vel de syrupo acetosæ. De quantitate nihil dicimus. De tempore autem; vbi viget morbus, atque post alui lenitionem,& venę sectionem. Externa vero (hic attendamus oportet) aliqui immediate cordi applicanda præcipiunt,& ad epithemata veniunt: addunt species santalorum, corallia, margaritas,& cum aceto admouent cordis regioni. Interdum hi bene faciunt; interdum male. Male faciunt, cum destillatio est ad pectus, quæ sane familiaris esse solet febre pestilenti laborantibus. Et tunc male faciunt; quia materiam hanc in illis partibus inculcant. Similiter quādo apparet sudor circa illas partes: quod nos ter hoc anno vidimus. Apparentibus denique maculis, trāsitum huius materię prohibent. Vt mirum non sit, si sæpius ita curati moriantur: quod etiam hoc anno obseruauimus. Si igitur signa hæc adsint, abstineamus ab his. Et, si volumus cordi robur adiicere, accipiamus vnguentum rosatum Mesuæ, non sandalinum. Quod si nullum prædictorum appareat, vtemur epithematibus; sed non iam dictis, verum quæ cōficiantur ex aqua acetosæ, melissæ, endiuiæ, boraginis,& aliqua aceti portione: addendo species cordiales, quæ non recipiunt santalos, nec corallia. Circa tempus; ad hæc non deueniamus, nisi corpore leniente medicamento purgato.

Diæta.

Quoad diætam, aer debet esse refrigerans,& ad siccum tendens. Cibus sit attenuans, refrigerans,& siccans. Potus debet proportione respondere: abstineat a vino,& bibat aquam alteratam acetosa, acido citri,& similibus.

Et hæc in præsenti casu dicta sufficiant.

F I N I S.

HIERO-

A

B HIERONYMI CAPIVACCI CONSILIORVM, CONSVLTATIONVM, ET EPISTOLARVM, VOLVMEN.

CONSILIVM I.

C *In destillatione a capite, tussi, & febricula: pro Patritio quodam Augustino:*

HIERONYMI CAPIVACCI.

CVM patiens magnificus nunc in patriam sit reuersurus: consentaneum fore arbitramur, parentes medicosque admonere, qualis fuerit, & qualis nunc sit status, in quo magnificus iuuenis reperitur: præterea omni diligentia recensere ea, quæ hucusque acta sunt; & ea etiam, quæ in itinere atque patria sunt peragenda.

Sciendum igitur quod iam agatur tertius mensis, e quo illustris patiens capitis Historia
D destillatione, tussi, & febricula cœpit affligi. Ideo a diligentissimo præceptore ipsius ante actorum.
statim fuimus accersiti, rogatique vt valetudini ipsius consuleremus. Naturam proinde affectuũ contemplati, cognouimus duo præcipue esse, iuuenem magnificum insigniter vrgentia: destillationem nimirum a capite, & febriculam, quæ in hunc vsque diem perdurant.

Quantum ad *destillationem* spectat, clarum est, symptoma esse in exeunte mutato, quod sequitur actionem læsam, videlicet expulsionem ipsius cerebri, quod irritatur a copia materiæ pituitosæ, quæ in cerebro (tum labefactata facultate ob intemperiem humidam, tum ob errorem externum) procreatur. Hic autem error externus etiam internus dicendus est: nam in ventriculo frigidiore, multa pituitæ copia generatur, quæ a calore iecinoris attenuata, facilime in caput eleuatur, in quo condensata, succi crudi & pituitosi prouentum adauget, qui fluxilis ea ratione semper visus est, quia ratione iecoris calidioris magis ac
E magis attenuatur, & facilius ad infernas partes, scilicet ad arteriam asperam & pulmones, decumbit: quæ partes promtius illum succum suscipiunt, detinentque, tum propter humidam intemperiem, a qua laxiores redduntur; tum quia a generationis principiis insignem obtinent imbecillitatem. Nam, cum diligenter patientem, & assidentes interrogaremus, num aliquis e parentibus phthisi vnquam fuerit correptus: retulerunt nobis (quod satis molestum fuit) infelicem illustris patientis sororem eo morbo occubuisse. Quod signum manifestissimum, consanguineos ad fluxiones suscipiendum posse habere pulmones propensos, tenellam, scilicet & corruptioni paratam substantiam pulmonum obtinere: & præcipue hunc iuuenem, cui pectus angustum ac depressum, collum oblongum, spatulæque latæ.

Ab initio igitur in hunc vsque diem symptoma illud perdurauit: cui annexa fuit *febricula*, quæ tum temporis putrida, mox hectica effecta est. Nam, cum materia illa pituitosa nõ solum ad asperam arteriam
F præcipitaretur, sed etiam in ambitum totius corporis per venas destillaret: cumque in nutrimentum verti e toto non posset, putredinis naturam acquirebat, a qua, eleuatæ in cor putridæ fuligines, febrem putridam excitabant: eo magis, quod in mesenterio non mediocres obstructiones reperiebantur, quæ, impedientes quo minus calor innatus transpiraret, calorem adscititium febremque augebant: vt mirum non fuerit, si procedente tempore calor, cordis solida inuadens, febrem hecticam procreauit, quæ, continuam toti corpori impertiens caliditatem, ipsum emaciatum reddidit. Hæc igitur sunt ea, quæ antea passus est, & de quibus nunc conqueritur illustris patiens.

Vbi vero cognoscebamus, ægrum malis illis vexari: valde verebamur, nos posse destillationẽ remouere. Nam quamuis scopi faciles esse videbantur, videlicet, cerebrum exsiccare, destillationem intercipere, pulmones corroborare, & vias aperire, euacuando materias, quæ obstructiones inducebant: nihilomi-
G nus, habitum totius inspicientes, maximam pulmonum imbecillitatem aduertentes, præterea insignem esse vehemẽtiam rerum præter naturam: in difficili valde (vti diximus) spes nostra erat. Verum, quoniam malum parum fuerat progressum, & nobilis patiens iuuenis erat: statim ad validiora præsidia descendere tunc temporis voluimus: cum magni morbi præsidia magna expostulent.

A Ideo, quantum ad cheirurgiam, ratione iecoris calidioris *cucurbitulæ scarificatæ* (cum venam secare non liceret) partibus inferioribus applicitæ fuere: spatulis relictis; ne sanguis ad partes thoracis, & per consequens ad pulmones attraheretur. Præterea *fonticulus* in brachio fuit excitatus. Et administrata in cruribus & brachiis *vesicatoria*, quæ vim haberent, per modum deriuationis & reuulsionis, materiam pituitosam a cerebro euacuare.

Quo vero ad pharmaceiam: lenita aluo, præparatis humoribus, & purgatis iisdem leuiter, expurgato etiam per errhina capite, ad exsiccandum illam materiam pituitosam, *chinæ decoctum* per aliquot dies potauit: quod, ad remouendam totius corporis maciem, cum *carne* parabatur; additis, pro corroborandis pulmonibus, & iecinore refrigerando, *pulmonaria, farfara, endiuia*. Sumebat quinetiam ad materiam pituitosam intercipiendum, expectorandumque, noctu diuque lambitiua, electaria, & confectiones. Præterea etiam ratione macici *oleo amygdalarum dulcium*, pectus & vniuersum corpus inungebatur. Multa B quoque alia administrabantur. Quæ, licet primis illis diebus non mediocriter profuisse cognosceremus; (melius enim quam antea habebat) quoniam tamen tempore procedente malum, quod intus fouebatur, reuertebatur: cogebamur ea ratione validiora præsidia inuenire, quæ caput exsiccarent. Ideo per multos dies *stillicidia ex aquis D. Petri in agro Patauino* supra coronalem suturam administrabamus: quæ quidem non mediocriter proderant.

Sed cum in præsentia e toto liber a tot malis non reperiretur, & videremus, nec assiduas medicationes nostras, nec sedulam incredibilemque præceptoris diligentiam, optatum finem assequi posse: consuluimus, vt *in patriam* reuerteretur: sperantes, fore, vt beneficio aeris natiui ad meliorem statum, & (beneficio Dei) ad pristinam sanitatem sit rediturus.

In itinere quæ agēda.

Age igitur ea nunc recenseamus, quæ in itinere, quæ in patria erunt peragenda. In *itinere*, hoc præcipue a præceptore erit obseruandum, ne illustrem patientem aeri pluuioso nebulosoque vnquam exponat. C Aduertendum præterea, vt, antequam e cubiculo, in quo dormiuit hactenus, discedat, in eodem, postquam e lecto surrexerit, maneat per horam: nec antea vllo pacto aeri sese committat. Cauendum etiam erit, ne aer nocturnus illum inuadat. Cibaria parentur, *quæ salis aromatumque* sint expertia, & *boni succi*. Aluus sit fluida: quemadmodum reperitur. *Turturibus & castratorum carnibus* vescatur: laudantur etiam *aues montanæ, perdices, pulli gallinacei, carnes hœdinæ ac vitulinæ, oua sorbilia*, & alia huiusmodi fercula. Si aluus non sat commode fluat, ex *hordeo*: sin minus, *e farre, & e pasta* cibi parentur. Bellaria omnia, tanquam perniciosa, vitanda sunt. A prandio concedimus *pyra*, probe cocta, cum *saccharo* parata (modo aluus non fluat) & in modica quantitate. *Pistacia* non improbamus. Ab oleribus, & omnibus aliis fructibus declinandum est, *vua* excepta, quæ, si humiditatem sub sole deposuerit, cum *pane* comesta, multum D proderit, modo aluus liquidior non fuerit. *Vinum* pauciferum, dilutum, & tenuis substantiæ sit. Quod si maturæ patriam attigerit, parabitur vinum, in quo *pulmonaria, tussilago, betonica, borago*, sufficienti quantitate ebullierint. Motus nimius fugiendus est: sed tamen vna hora ante cibum domi vel in curru se exerceat. Somnus & vigiliæ modum teneant. Quod si interdum a continua destillatione somnus interturbetur, si ea salsa extiterit, *diacodeion*; si autem insipida, *diatragacantho*, vel *saccharo rosaceo*, cum puluere *boli Armenæ* intercipiatur. Aluus quando recte non fluit, *clystere*, vel *manna* soluenda erit. Præterea & in itinere, & in patria vitet omnia animi accidentia.

Medicatio in patria qualis instituenda.

Vbi domum peruenerit, præter aerem natiuum medicamenta erunt administranda: tum cheirurgica, tum pharmaceutica. Quoad cheirurgiam; *fonticulus* non innouandus, sed continuo apertus est seruandus. Quod si malum perseueraret: in occipitio, vel in coronali sutura *cauterium* erit inurendum. E

Pharmaceutica præsidia pauca erunt administranda. Vt, aluus si subsistat, *clystere*, vel *manna*, vel *cassia*, proritanda. Humores præparandi *decocto betonicæ, capillorum Veneris, cichorii, farfaræ, & boraginis*. Educendi leui medicamento, vt: *melle rosato solutiuo & manna*. Quibus peractis, deueniendum est ad *decoctum radicis chinæ*: quod (vt prius) parabitur cum *carne farfara pulmonaria*, &, si calor iecoris vrgebit, cum *endiuia*: & hoc per plures dies vsurpabitur. Interim expectorantibus vtetur, vt *syrupo de farfara, de glycyrrhiza*. Sed si aluus fluat, desistendum ab iis, quæ vim habent proritandi: quale est *oxymel. syrupus acetosus*. Habeat præterea in vsu eam *confectionem*, quam Patauii sumebat.

Quoad externa: illinatur thorax *oleo amygd. dulc.* recenti & sine igne parato, cui etiam modicum succi *acetosæ* admistam sit. Vniuersum corpus inungatur *oleo amygdalarum dulcium*, cui modicum *vini* F *albi* permistum sit. Gestet quinetiam supra suturam coronalem *ceratum e betonica*, non solum in itinere, verumetiam in patria, dummodo in ea cauterium infixum non sit. Tandem ea viuendi ratione semper vtatur, quam supra diligenter præscripsimus. Læto vero cum primis sit animo: speramus enim fore, vt ad pristinam sanitatem sit rediturus.

MEDICAMENTA, EIDEM PATRITIO præscripta.

℞. *florum cassiæ recens extr. ʒx. mannæ electæ ℥iij. pulu. anisi g. iij. cum saccharo fiant boli.* G

℞. *syrupi acetosi simplicis ℥j.*

℞. *syrupi ros. solut. ℥iij. mannæ electæ ℥ij. seri lactis caprini q. s. fiat potio.*

℞. *cassiæ recenter extractæ ʒvj. sacchari rubri ℥jß. vitellum oui num j. salis communis ℈j. butyri ℥iij. iuris gallinacei alterati ʒx. fiat clyster.*

℞. *ptissanæ*

A ℞. ptiſſanæ colatæ ℥vj.
℞. mannæ electæ ℥jß. ſeri caprini q. ſ. fiat potio breuis.
℞. ſeri caprini ℔ iij. ſuper bibat.
℞. cantharidum præparat. ʒiij ſinapis ℈ ij. fermenti ʒjß. cum aceto ſcillitico fiat paſta.
℞. fol. acetoſæ, endiuiæ, glycyrrhizæ, ana parum: iuris gallinacei ℥viij. bulliant ad tertias: adde ptiſſanæ colatæ ʒjß. miſce: quo aliquoties vſus fuit.
℞. emulſionis ſeminum melonum ℥ ij. pro ſingulis vicibus.
A ptiſſanæ vſu nunquam interim deſiſtat, durante hac cura.
℞. ſeri lactis caprini ℥x. caſſiæ extractæ ʒvj. ſacchari rubri ℥j. butyri recentis ℥iiij. ſalis communis ʒj. fiat clyſter.
B ℞. ol. amygd. dulc. ſine igne extract. ℥jß. ſemin. acetoſæ ʒjß. miſce, pro inunctione.
℞. diatragacanthi frigidi ℥j.
℞. ſl. caſſiæ extr. ʒx. mannæ electæ ʒij. ſem. citri mund. ℈ß. cum ſaccharo fiant boli.
℞. ſucci pulmonariæ ℥ ij.
℞. decocti communis ℔ j. caſſiæ extr. ʒvj. mellis roſ. ſimpl. ℥j. ſacch. rub. ℥jß. ol. comm. butyri recentis an. ℥ij. ſalis comm. ʒj. fiat clyſter.
℞. ſeri lactis caprini ℔ iij. emulſion. ſem. melon. ℥ij. miſce.
℞. radic. chinæ ℥ ij. aquæ comm. ℔ ij. fiat infuſio per 24. horas: deinde adde carnis vituli ℥j. fiat decoctio ad conſumtionem duarum partium: ſub finem adde folia V. farfaræ viridis. Vtatur mane, pro ſyrupo.
C ℞. mannæ electæ ℥jß. ſeri lactis caprini q. ſ. fiat potio breuis.
℞. ſeri lactis ℔ ijß. ſuper bibat.
℞. iuris alterati ℥x. caſſiæ recens extr. ʒ vj. ſacchari rubri ℥ ij ß. butyri recentis ℥ iij. ſalis comm. ʒj. fiat clyſter.
℞. ſyrupi roſati, violarum, ſacchari candi, penidiorum, mannæ electæ, ſyrupi acetoſi ſimpl. an. ℥ß. miſce pro tinctu.
℞. ſeri lactis caprini ℔ j. adianti recentis P. ij. bulliant: adde emulſionem ſem. melon. ℥ij. miſce.
℞. ol. amygd. dulc. ℥vj.
℞. ſucci betæ ℥j. mannæ electæ ʒjß. miſce.
℞. herb. betonicæ, boraginis, cichorii an. Mj.
D ℞. conſ. de cichorio ℥j. pulueris boli Armenæ ℈ ij. miſce, pro duabus vicibus.
[Mortuus eſt iuuenis hic phthiſicus in itinere, prope patriam: alui fluxu ſuperueniente.]

CONSILIVM II.

In catarrho ſalſo, cum frigida & humida dyſcraſia ventriculi, calidaque iecoris & renum:

HIERONYMI CAPIVACCI.

CVM deſtillatio fons ſit omnium malorum, nec infimas partes obtineat, quia ſalſedinis eſt particeps: Affectus
E merito illuſtris Baro ſalſa vexatus deſtillatione, hanc aboleri petit. Cui vt obſequio ſimus, primum præter na-
putamus illuſtrem Baronem a primordiis decenter procreatum, mox viuendi rationem valetudini ſuæ turam.
admodum aduerſam iniiſſe: vt iam ventriculus frigida humidaque intemperie laboret: vnde chylus pituitoſus non modo ob errorem externum progignatur, ſed etiam alteratrix, vi propoſitæ dyſcraſiæ labefactata, ad eundem ſuppetias ferat. Hunc dum pituita petit iecur, hoc feruido ſuo calore ſalſam reddit pituitam: cuius portio a calidioribus renibus allicitur, inque arenulas, & quandoque in calculos, ob efferueſcentiam renum, mutatur: portio vero a frigido cerebro ſuſcepta, hinc ad pectus & ſubiectas partes depellitur, & deſtillationem producere cauſſat.

Hæc mala cum ita habeant: medici dogmatici officium erit, ventriculum calefacere, ſiccareque: ie- Indicatio-
cinoris & renum incendium corrigere: capitis frigiditatem delere: tandem materiam morbificam, ac po- nes.
F tiſſimum pituitoſam, auertere, deriuare, & prorſus exſtirpare.

Quos ſcopos maiori e parte perfici poſſe, confidimus: tum quia adfectus malignitatis apicem nondum attigere; tum quia virtus mediocriter adhuc conſtat. Ceterum cum hæc vitia non exiguam magnitudinem ſint adepta: & virium robur per ætatem vacillare nonnihil videatur: tuto quidem ſcopos propoſitos perfici poſſe minime ambigimus: interim tamen nec celeriter, nec admodum facile moueri poſſe pollicemur: ſed opus eſſe iudicamus & temporis diuturnitate aliqua, & valentibus præſidiis, Dominique laborantis obſequio. Præſagia.

Sic ergo ſalutis ſpe concepta ſuademus, vt quamprimum ineunte vere (quod ægro noxium eſſe conſueuit) curatio incohetur. Curatio.

Primum quoad præſidia cheirurgica: cum deſtillatio ſit ſalſa & corporis habitus non expers ſangui- 1. Cheirur-
G nis: cenſemus ſanguinem eſſe detrahendum: vt ſic & cauſſæ ſine qua non, occurramus, & ex accidenti hepa- gica.
tis renumque feruorem compeſcamus: Sanguis ergo vacuari poſtulat per *dextram iecorariam*: nec virtus diſſuadet. Quantitatem vero emittendi ſanguinis, præſens medicus decernet.

Præterea *fonticuli* probantur: alter in brachio ſiniſtro, alter in crure dextro: vt ſuperuacanea tam cerebri, quam iecoris euacuentur.

2. Pharmaceia. Aluus lenienda erit *cassia*, cum exiguo *diacatholici & mannæ*. Si potionem malit: vtatur *manna, cum melle rosato solutiuo, vel melle violato solutiuo*: neque *syrupum rosatum, violatumue solutiuum*, improbamus. Perseuerante alui constipatione, mediocres *clysteres* subiiciendi. A

Materia dehinc purgationi præparetur, *melle rosato*, cum *syrupo acetoso simplici*, vel etiam *oxymelite simplici, syrupo de pomis simplici, de boragine*, additis *cichoraceis*; & post primam purgationem etiam *betonica*: cuius vsus initio, ob vim calculo aduersam suspectus nobis est.

Purgantibus vero cedens materia, potissimum *agarico* deiicienda est, addito *rhabarbaro*: vel *senæ foliis in decocto pectorali* infusis, addendo *mel rosatum solutiuum, & mannã*, vel *cassiam* miscendo. Num vero potio, aut siccior forma conueniat, præsens Medicus docebit.

Totius curatione instituta: materia cerebro infensa, destillationis caussa, ad nares deriuanda, *succo betonicæ, sampsuchi, & nigellæ*, additis pro tolerantia mitiorib. vtpote *manna*, vel maxime *aqua hordeacea*. B

Hinc confugiendum ad ea, quæ materiam morbificam prorsus siccare & absumere valeant, nec tamen viscerum intemperantias augeant: quale *decoctum est chinæ, & tertiæ partis sassafras: additis cichoraceis, tussilagine betonica*.

Potandum hoc XL. erit dies: nam salsæ pituitæ adeo est efficax actio, vt decocti tanta copia indicetur. Præterea tempore decocti, & post, antequam aer ambiens incalescat, sumatur electatium *e mithridatio, stœchade, & betonica*, cum *cichoriis & rosarum conseruis*: quæ solæ etiam æstate mirifice proderunt.

Tandem viscerum intemperantiæ corrigendæ, capitis nimirum, ventriculi, iecoris & renum. Capiti sane *stillicidium* conuenit in suturam coronalem, ex *aquis medicatis* moderate calefacientibus: quales *D. Petri* sunt in agro Patauino. Possent etiam capiti applicari medicamenta, e *stœchade, betonica, hyssopo*, & similibus parata: *ceratum* etiam de *betonica*. Capitis quoq; lotio iisdem instituenda addito *agarico*. C

Ventriculus fouendus est sequenti oleo: Sumantur *olea de spica, de absinthio, de mentha, de nuce myristica & mastichinum*: his addantur *cinamomum, macer, xyloaloe & caryophylli*, prius in *maluatico*, vel *generoso quouis vino* infusa coquantur in vase duplici, ad vini consumtionem. Oleum vero colatum seruetur in vsum prædictum.

Feruorem hepatis remittent *cichoracea*, cum exiguo *aceto* mista, & applicata. Quibus etiam renum incendium castigabitur. Cumulatissime vero hoc in vtroque viscere præstabit (ambiente calido exsistente) potus tum *aquarum Lucensium*, tum *seri lactis caprini* exquisitissime depurati. Nec horum vsum inhibebit ventriculi frigiditas: si eodem tempore, tum post & ante, calorificis vnice adhibitis foueatur incalescatque ventriculus.

3. Diæta. His omnibus compar diæta respondebit: hæc quippe inepta, & proportione destituta, caussæ morbificæ vim adipiscitur. Summo igitur studio errata victus omnia cauenda. Aer minime inclemens sit, nec impurus. Cibus moderatus, & moderate attenuans, probi succi, facilis concoctionis ac distributionis. Infensa proinde *lacticinia* erunt, item *pastæ, legumina, aromata* caput petentia & iecoris incendium augentia, hisque similia, siue sint carnes, siue pisces, siue fructus, siue olera, & quæuis alia esculentorum genera. D

Pro potu, nec *vina* generosiora, nec acerba, nec austera conueniunt. Et dum æger decoctum *sassafras* bibit: vel intermittet vinum; vel exigua quantitate bibet, cum secunda decoctione permistum, præsertim si ventriculus syncerum decocti secundarii potum non facile ferat.

Somnus diurnus omnino fugiatur: nisi prorsus cogat consuetudo: nec post cœnam, nisi duabus transactis horis, somnum capiat.

Aluus quotidie, vel alternis minimum diebus respondeat: sique hac parte segnior natura sit, mediocriter adiuuabitur, *prunis vel passulis saccharo conditis*, vel *manna* etiam, prima mensa sumtis. Vrgente necessitate, mitiora *enemata* & *glandes* conueniunt. E

In motionibus corporis modus seruandus: estque exercitatio ante cibum instituenda: repleto vero ventriculo quiescendum. Animi etiam adfectus mediocritatem seruabunt. &c.

CONSILIVM III.

In destillatione a capite, memoriæ diminutione, vertigine, spatulæ ac pectoris dolore, ventriculi debilitate, & vrinæ sabulositate:

HIERONYMI CAPIVACCI. F

Casus. REuerendus patiens conqueritur de quadam capitis destillatione, memoriæ diminutione, ac dum cibus concoquitur, præter alia tempora, de vertiginosa adfectione. de leui quodam spatulæ & pectoris dolore; tum de ventriculi imbecillitate; & de vrinæ permistis arenulis plurimis. Horum malorum non obscuræ in ægro deprehenduntur notæ. Destillatio enim manifestatur ex eo, quod patiens adsidue ferme exspuere cogitur; doloremque, licet leuem, in humero & pectore, per interualla experiri solet. Aliquando autem, potissimum dum peragitur concoctio, caput veluti circumagi videtur: neque, vt antea præterita facile memoriæ suggeruntur. Ventriculi imbecillitas, e difficili ciborum concoctione; facili cruditatum generatione manifestatur. Vrinæ sabulositas oculis conspicua est.

Caussæ. Horum affectuum caussæ omni diligentia indagandæ: vt his inuentis, vtiles indicationes hauriantur, ac remediorum materiæ inueniantur. G

Dubium non est, destillationem illam generari, labefactata facultate alteratrice ipsius capitis, ob intemperiem humidam, & aliquo modo frigidam, cuius ratione plurima pituita generatur, a qua cum expultrix crebri adgrauetur, insurgit ad expellendum, portionemque crassiorem per solita naturalia loca, per os scilicet & nares impellendo, extra protrudit: portionem vero tenuiorem ad spatulas pectusque demandans,

A mandans, facit, vt partes illæ tendantur, e quarum tensione fit solutio quædam vnitatis, vnde leuis ille dolor oboritur.

Memoriæ detrimentum, ab iisdem excitatur intemperantiis, a quibus capitis destillatio.

Ventriculi debilitas genita est, labefactata facultate alteratrice ipsius ventriculi, ob intemperiem frigidam & humidam: vnde fit, vt cum cibus probe concoqui nequeat, cruditates in ventriculo gignantur; a quibus aliquando flatus excitantur, qui ad intestina descendentes, per aluum sensibiliter euacuantur; sursum vero tendentes, in caput feruntur, fiuntque in caussa, vt spiritus animalis inordinate moueatur, caputque veluti circumagi videatur. Hi vapores in ventriculo generantur, cum materia & agens in eo exsistant: fiuntq; hæc symptomata, dum cruditates in ventriculo detinentur; cum autem ad iecur deuoluuntur, sunt in caussa, vt leues quædam obstructiones in eo oriantur, quarum ratione iecur aliquo B modo calefiat; calefactumque, in materiam illam pituitosam agens, arenulas in vrina apparentes producat.

His ita habentibus, caput exsiccandum, & aliquo modo calefaciendum. Ventriculus item calefaciendus & siccādus. Materia, iecoris obstructionē producere caussans, elidenda, iecur leuiter refrigerandū, pituita crassa attenuanda, viscida detergenda, frigida calefacienda, ruens ad pectus & humerum intercipienda, deriuanda, reuellenda & euacuanda. Flatus discutiendi. Virtus vero tonusque harum partium, vna cum virtute totius, conseruanda: habita prius totius prouidentia. Indicationes.

Scopos hosce explere, impossibile non est: sed admodum difficile. Vehementia enim dignitatis est insignis: quia caput læditur, membrum principalissimum, cuius actio non saltem melioris vitæ, sed vitæ etiam gratia est necessaria. Ventriculus autem, licet non sit pars principalis; principales tamen æmu- Prognostica.
C latur, cum eius actio nutritioni totius inseruiat: vnde vehementia non spernenda emergit. Vehementia essentiæ, intensissima est: dictorum enim viscerum dyscrasiæ plurimum a naturali statu recedunt, cum in habitum quasi conuersæ esse videantur. Pituita etiam destillans ab hoc statu naturali plurimum diuariat, cum ad locos minus conuenientes moueatur, copiosior gignatur, frigida, crassa, ac viscida exsistat. Hæc omnia, licet difficilem admodum curationem reddant: non tamen omnino desperandum est; cum virtus Domini ægrotantis secundum quantitatem & qualitatem satis robusta sit: iuuenis enim est, & bono satis corporis habitu præditus.

Quoad curationem cheirurgicam: cum ægro hæmorrhoides fluere consueuerint, suademus, vt per eum locum *sanguis* emittatur, in moderata tamen quantitate. De *fonticulis* nihil in præsentia dicendum existimamus. Curatio.

D Quoad pharmaceiam: leniatur aluus *melle ros. solutiuo, cum iure.* Præparentur humores *iusculis alteratis betonica, stœchade, calamintha*, &c. Purgentur deinde *agarico & rhabarbaro*, infusis in *decocto florum & fructuum*, cum *foliis senæ*, addito *syrupo de polypodio*.

Caput deinde purgetur *masticatoriis* leuibus, aut *mastiche* tantum, si destillatio infestet minus vehemens. Si destillatio intensior, caput euacuetur errhinis, paratis e *succo maioranæ, saluiæ, betæ*, &c. posset etiam *manna* his addi.

His peractis, probatur *decoctum chinæ*, cum portione *sassafras*, additis *boragine, stœchade, calamintha, iua*, & similibus. Eodem tempore *stillicidium* conueniet supra futuram coronalem, paratum ex *aquis Aponitanis*; si heic erit patiens: sin minus, parari poterit e *lixiuio*, alterato herbis præscriptis, nec non *aromatibus*, vt *nuce moschata, mace, cinamomo, caryophyllis*. Post vsum stillicidii caput diligenter exsiccetur. De-
E inde futuris adspergantur pulueres e *betonica, stœchade*, &c. Et postea *ceratum de betonica* imponatur.

Ad ventriculum quoque *stillicidium* probatur, ex *aquis Aponensibus*, vel ex *oleo absinthino, mastichino*, cum *aromatibus* prædictis, & *vino* generoso, decoctis in duplici vase. Probe autem post stillicidium exsiccato ventriculo, imponatur *ceratum e mastiche* paratum, cum pulueribus *macis, caryophyllarum*, &c.

Dehinc pluribus diebus potandæ *aquæ thermales D. Petri*: & vtendum *conseruis betonicæ, anthos*, & simul. Tum futura hyeme singulis decem diebus *theriaca* antiqua, vel *mithridatium* antiquum adsumetur.

Victus ratio erit moderata, & moderate attenuans. *Vinum* probatur medicatum, quod parari poterit tempore debito, cum portione *ligni, betonica, stœchade, calamintha, maiorana, melissa*.

Verum, quia iam aer æstatis est calidissimus, nihil omnino in præsentia agendum: quia virtus non
F posset sustinere vim medicamentorum & æstuum. Et ideo prædicta omnia facienda erunt aduentante autumno.

CONSILIVM IV.

In destillatione a capite, anhelitus difficultate, febre hectica secundæ speciei, & atrophia seu macie totius corporis:

HIERONYMI CAPIVACCI.

Conqueritur vir clarissimus de capitis destillatione, anhelitus difficultate, de febre hectica secundæ speciei, & de macie totius corporis. Destillatio inde manifestatur, quia patiens semper exspuere cogitur. Materia autem pituitosa, quæ sputo reiicitur, non est salsa, vel alia sapore prædita, nec crassa: quia Affectus.
G nullus inter spuendum in ore sapor percipitur: sed est insipida, & tenuis: nam oculis patet, eam vndique fluere, partibusque nullatenus coalescere.

Anhelitus difficultas perspicua redditur: quoniam assiduo in respirando defatigatur, etiamsi decumbat: si autem sedeat, surgat, vel stare velit, adeo hæc difficultas augetur, vt inuitus decumbere cogatur, quo suffocationis periculum defugiat.

Febrem in habitu eſſe, inque ſecunda ſpecie, inde patet, quod pulſus debilis & frequens ſentiatur, A item vacuus & durus: quodque ab ægro hæc febris non percipiatur, tangentibus vero calor mordax appareat, & quidem vniformis, a que cibo intenſior: ægro non animaduertente. Corpus prorſus emaciatum eſt: facies Hippocratica, cutis rugoſa, corii inſtar: vt nō modo rorida cordis humiditas efferbuerit, ſed iamiam e toto conſumta ſit. Maciei totius corporis ſigna alia quærenda non ſunt, cum oculis manifeſtiſſime ſubiiciantur.

Cauſſæ. Horum malorum cauſſæ accurate ſunt indagandæ, vt inueniantur indicationes vtiles, & præſidia ad ſanitatem, quoad fieri poterit, reſtituendum neceſſaria. Deſtillationis quidem hæc fuit occaſio. Æger ob quendam affectum a Medicis perſuaſus eſt, vt iter ſuſciperet ad aquas Lucenſes. Hæ aliquoties potatæ, cum non euacuarentur, ſed e toto detinerentur: caput inde redditum fuit humidum, & oborta deſtillatio. B

Anhelitus autem difficultas a quadam ſatis latente cauſſa dependere videtur. Nec enim hæc ſpirandi difficultas orthopnœa eſt: in hac quippe ægri non niſi recta ceruice reſpirare queunt, cum decumbentibus pulmones & horum bronchia in ſe ſubſidant, vt hinc maior e neceſſitate reſpirandi orta ſurgere ægrotantes cogantur, quo magis dilatentur arteriæ. In noſtro autem patiente contrarium accidit. Vnde certo ſtatuendum, in diaphragmate tuberculum aliquod, ſeu tumorem e materia dura concretum exſiſtere, cuius ratione ſeptum tendatur: hoc tenſum, non poteſt, vt par eſt, ſe mouere: ideoque anhelandi difficultas excitatur: quæ amplius augetur, cum ſedere vel ſtare deſiderat, cum tali ſitu diaphragma magis tendatur, quam decumbente ægro. Cum autem magis tendatur, fit vt minus moueri poſſit, immo quaſi immobile reddatur: vt tunc ſuffocationis periculum immineat. Fouetur etiam hæc ſpirandi difficultas ab adſidua deſtillatione materiæ pituitoſæ a capite, in bronchia pulmonum: quæ cauſſa eſt, fouens dyſpnœam a tuberculo primum exortam. C

Porro propter anhelitus difficultatem pulmones præter naturam moueri oportet: vnde plus iuſto ob hunc motum incaleſcunt: quæ caliditas cordi communicata, auctaque ob inopiam aeris externi, quo cordis calor euentatur, febrem hecticam induxit, quæ aucta eſt ad ſecundum vſque gradum, ob cauſſæ diuturnitatem & perſeuerantiam: dyſpnœa enim illa ſemper fuit, & adhuc eſt: ideoque carnes indies magis imminuuntur. Hinc quoque factum eſt, vt cum totum redditum ſit diſtemperatum, & præſertim iecur, bonus ſanguis non ſit genitus: quo prauo alimento, cum corpus per longum temporis ſpatium, per octo ſcilicet menſes, nutritum ſit; maciei intenſæ occaſionem præbuit.

Præſidia. Hæc de cauſſis. Studium vero noſtrum eo tendere debet, vt capitis dyſcraſiæ corrigantur; tumoris materia, in diaphragmate exſiſtens, emolliatur, digeratur, & diſſipetur: vt pituita deſtillans, qua frigida calefiat; qua mouetur ad locos non decentes, intercipiatur, deriuetur, reuellatur, & euacuetur; quæ pulmonibus inhæret, elidatur: vt febri hecticæ, quia calida & ſicca paſſio, refrigerantia & humectantia opponantur: vt virtus partium præcipuarum, earumque tonus conſeruetur, habita totius prouidentia. D

Prognoſtica. Quibus intentionibus ſatisfacere omnino eſt impoſſibile: nam caput, cor, pulmo, totumque corpus grauiter & fere extreme læſa ſunt, vt propter vehementiam dignitatis non niſi mors ſit exſpectanda. Eſſentiæ quoque vehementia in ſummo eſt gradu: quia dyſcraſiæ capitis, cordis, hepatis, & totius, in habitum ſunt conuerſæ, ac confirmatæ augenturque indies. Vehementia ratione virtutis extreme vrget: nam totum corpus macie confectum eſt; facultates omnes & naturales, & vitales ſunt debiliſſimæ: facultas etiam corpus gubernans plurimum oblæſa eſt, quia patiens non facile tolerat prædicta mala, ſæpeque ſuffocationis periculum incurrit. E

Curatio. Si quid tamen moliendum, *ſetaceum* ferro ignito excitandum in ſutura coronali: vt deſtillatio reuellatur, & euacuetur. In occipite ſeto fieri nequit: quia ſemper ſupinus manet laborans. Et quia ante paucos dies ſatis commode euacuatus fuit bolo *caſſiæ* adſumto: vtiliter modo exhiberi poterit ipſi *manna* iure ſoluta. Præterea per aliquot dies ſumit decoctum e pauca *china, & althæa, malua, & cichorio*: vt emolliatur ſepti tranſuerſi tuberculum, reſiſtaturque ſiccitati totius, & ipſi febri. Totum corpus inungatur largiter *oleo amygdalarum dulcium*, facto ſine igne, torculari nimirum expreſſo: cui permiſceatur *aqua acetoſæ* ad penetrationem & infrigidationem. Ad remolliendum diaphragmatis tumorem, imponantur *adipes* ſeu *omenta ſuis*, aut *vituli*, ad regionem ſepti in vtroque latere, derelinquendo medium ſpatium, ratione ventriculi: quod ſpatium, ne ventriculus nimis laxetur, inungatur *oleo maſtichino*; vel *puluis maſtiches* imponatur. Præterea ad tumorem molliendum vti poſſumus *dialthææ vnguento*, & potiſſimum *ammoniaco aceto diſſoluto*: quæ vtrique laterum admoueantur. Victus his correſpondeat. F

CONSILIVM V.

In catarrho, a capite delabente ad os ſacrum: & inibi dolorem intenſum faciente;

HIERONYMI CAPIVACCI.

Caſus. AFfectus, de quibus egregius patiens conqueritur, duo potiſſimum ſunt: nimirum, dolor quidam circa os ſacrum, ad lumborum fines ſpectans: tum adſidua capitis deſtillatio, in ſubiectas partes decumbens. Doloris ad os ſacrum hæc occaſio fuit, quod e ſcripto intelleximus: quatuordecim ab hinc annis, cum æger quoddam graue pondus e terra eleuare tentaret, in regione dicti oſſis ſtrepitum quendam, & G illico dolorem non mediocrem perſenſit, qui ab illo tempore hucuſque ſemper eundem locum occupauit. Deſtillatio autem inde cognoſcitur: quod os ſemper madet, & adſiduo pituita exſpuitur.

Cauſſæ. Dolor in oſſe, a ſolutione vnitatis oritur: nam cum pondus illud graue e terra ſubleuare niteretur: partes illæ circa os ſacrum, cum magis, quam par eſſet, tenderentur: neceſſario illarum continuitas ſoluta fuit,

A fuit, & inde obortus dolor. Postmodum partes hæ debiles redditæ, fluxionem quandam materiæ pituitosæ insipidæ suscipere incœperunt, & continuo suscipiunt: vnde partes illæ dolorosæ hac materia pituitosa imbuuntur, imbutæ tenduntur, & ob continui solutionem a tensione caussatam, dolore propemodum adsiduo vexantur. Generatur autem materia hæc pituitosa in capite, læsa ipsius concoctione: læditur vero concoctio, labefactata facultate alteratrice ipsius capitis: quæ facultas labefactatur ob intemperiem cerebri humidam, & forsan aliquo pacto frigidam.

In hoc igitur ægro caput exsiccandum, & aliquo modo calefaciendum: materia fluxura prohibenda ne fluat; fluens vero diuertenda, deriuanda, reuellenda, & prorsus exstirpanda; fluxa a loco dolente educenda: dolorque e toto delendus. Tum virtus capitis, vna cum virtute & tono partium dolentium, totiusque corporis, est conseruanda: totius prius habita prouidentia. Indicationes.

B Quibus scopis omnino satisfacere, est impossibile. Nam vehementia dignitatis est insignis, cum caput membrum principalissimum, lædatur; cuius actiones non modo caussa vitæ, & commodioris vitæ, sed etiam caussa melioris vitæ sunt necessariæ. Læduntur etiam partes ad os sacrum spectantes: quæ, etsi non sint principales, has tamen æmulantur; cum sine ipsis impossibile sit hanc vitam ducere. Vehementia etiam essentiæ intensa est: adest enim dolor non mediocris, intemperiesque diuturna, & longe recedens a naturali statu, cum iam, annis quatuordecim durans, habitum contraxerit. Augetur etiam hæc vehementia, quia materia destillans est copiosa, frigida, crassa, lenta, & fortiter adhærens partibus dolentibus, vt non nisi summa difficultate ab ipsis vacuari, ac discuti possit. Ceterum, quia æger hic in virili est cōstitutus ætate, in qua virtus secundum quantitatem & qualitatem solet esse robusta: si non omnimoda sanatio, emendatio tamen aliqua non leuis speranda. Præsagia.

C Salutis ergo spe animo concepta, ad præsidiorum materias descendendum. Et, vt primo cheirurgica tractemus, suademus, vt, ratione capitis, sinistro brachio *cauterium* imprimatur. Quod si in dextro etiam brachio *fonticulus* excitetur, non abs re erit. Curatio.

De venæsectione vero & totius euacuatione nihil heic dicimus: quoniam cum æger iam medicamenta euacuantia & alterantia adsumere incœperit; hæc omnia diligentissima facta esse supponimus.

Ligni decoctum, quo vti cœpit, continuandum, quamdiu aderit præsentia indicantis, & nihil prohibuerit. Vt autem in caput penetret hoc decoctum, alterari debet *iua*, *betonica*, *stœchade*, & similibus. Præterea semper antequam capiat decoctum meracius, quod syrupum indigitat, sumet vnam vel alteram pilulam *e terebinthina Cypria*, cum *iuæ puluere* formatam: idq; ea de caussa, vt materia e neruosis partibus elidatur: nam *terebinthina* a neruis materiam trahere valet. Sed priusquam sumantur vel pilulæ, vel
D decocti syrupus, mane & vesperi, pro expurgando capite, *masticatoriis* vtendum, nisi tussis, vel aliquid aliud prohibeat: tunc enim errhinis id agere satius erit.

Extrinsecus autem, vt caput exsiccetur & corroboretur, probatur *stillicidium aquarum thermalium, in agro Patauino scaturientium*. Quia vero æger heic degere nequit: ad eundem scopum parabitur *stillicidium e lixiuio, alterato betonica, stœchade, agarico*, & id genus aliis. A stillicidio diligenter caput resiccabitur: & coronali suturæ puluis aspergetur ex *iua, betonica & stœchade*.

Tandem dolentium etiam partium est habenda ratio: vnde ad eas roborandum *luta thermarum* imponenda: materia euacuanda, ac digerenda. Sed quoniam heic non moratur æger, ad materiam molliendam imponi potest *emplastrum diachylon*, vel *de meliloto*. Remollita vero aliquo modo materia, mistis præsidiis vtendum erit: vt materiæ emollita portio digeratur & euacuetur; portio autem non emollita
E molliatur: quod præstare poterunt *emplastrum de meliloto*, & *ceratum sacrum*, æqualibus partibus mista. Postremo, vt materiæ e toto remollita eradicetur, probatur *ceratum sacrum*: cui ad maiorem euacuationem admiscebitur *colocynthis, elaterium*, & similia, quæ valent a proprietate occulta materias a centro ad circumferentiam euocare. Quod si adhuc dolor perseueraret: pro eo abolendo, & materia (si fieri omnino possit) penitus tollenda, conducit, vt in loco dolente *vesica* excitetur & aperiatur: ad quam etiam intentionem ibidem *inustio* fieri posset.

CONSILIVM VI.

In catarrho, & faucium molestia.

F HIERONYMI CAPIVACCI.

IVuenis nobilissimus, etsi adspectu sanus videatur: quia tamen in militia galeam, & alia arma gestare fuit coactus, incidit in caliditatem capitis, & post in febrem: hinc caput debilitatum est, vt ab eo destillauerit materia aliquando salsa, aliquando, sed raro, sine sapore: tandem in faucium etiam molestiam incidit, cuius curam nunc flagitat. Historia.

Dolor hic in faucibus, est a materia salsa, continuum soluente: rarissime enim sputum insipidum ægro est. Salsum autem fit aliquid, vel per putredinem, vel per admistionem salsi humoris. Sic pituita fit salsa, quando serum, quod est excrementum primæ coctionis, fit salsum, ob iecoris caliditatem. Et cum serū sit vehiculum alimenti, non mirum est, si adscendat in caput, & ibidem salsum reddat phlegma, quod in capite exsistit. Pituita etiam putredine fit salsa: putrescente enim parte subtili pituitæ ob calorem, gignitur
G vapor exustus, qui permistus cum hac materia, est caussa salsedinis pituitæ. Hæc Aristotelis & Galeni est sententia: non quod ad omnem putredinem sequatur salsedo, sed solum ad eam pituitæ putredinem, quæ eo modo fit, quem dixi. Quæritur autem, cur in patiente nostro, aliquando sit salsa pituita, aliquando nō? Respondeo, id fieri, quoniam vel non semper misceatur salsum serum; vel quia non continuo putrefiat pituita. Vtrum dicamus, nihil refert. Caussæ.

Scopi. Nostri ergo muneris est, iecur refrigerare; cerebrum siccare: de toto esse sollicitos. A

Prognost. His autem satisfacere scopis non est difficile: est enim æger iuuenis: & licet sanguinem aliquando exspuit, hoc tamen non diu durauit.

Curatio. Probatur *venæsectio*. *Fonticuli* etiam excitentur, ad diuersionem materiæ a capite.

Leniatur aluus *syrupo rosarum solutiuo, manna, & diacatholico*. Præparentur humores *lactuca, acetosa*. Purgentur *rhabarbaro, tamarindis, cum melle rosato*.

Caput per nares purgetur.

His factis, si apud nos maneret æger, probarem *aquas thermales Castrenses*. Ad iecur refrigerandum, vtatur *sero lactis caprini*, imponanturque iecoris regioni epithemata refrigerantia, *e succo hepaticæ & cichorii*.

Caput exsiccetur *stillicidio aquarum Castrensium*. B

Probo etiam *balneum aquæ dulcis*: nam destillatio salsa hoc modo poterit mitigari.

Ore detineat medicamentum refrigerans, ac detergens: vt *aquam hordeaceam cum diacodeio*.

Quod si his peractis, nihilominus duret malum: vsurpetur *decoctum chinæ & salsæ, cum cichorio*, ne nimis augeatur hepatis caliditas.

Quoad victum: abstineat *a sale, vino generoso, aromatibus, omnibusque calefacientibus*.

CONSILIVM VII.

In somnolentia, memoriæ atque rationis diminutione, vertigine, melancholia, nausea, & vomitu:

HIERONYMI CAPIVACCI. C

Affectus. SYmptomata, quibus vir nobilis iamdudum premitur, intemperantias cerebri, ventriculi, & iecoris indicant. Somnolentia quidem, memoriæ, ac discursus diminutio, arguunt cerebrum frigidum & humidum. Nausea vero & vomitus, doloresque ventriculi, demonstrant, ipsum quoque ventriculum frigida humidaque dyscrasia laborare. Iecur calidius esse, indicat scabies, quæ circa partes infernas vexauit, & melancholia non raro obrepens.

Caussæ. Omnia igitur mala prodeunt e dictorum viscerum intemperantiis: & ex erroribus, qui in viuendi ratione continuo committuntur. Nam memoriæ ac discursus diminutio contingit: quia, cum ratione intemperiei cerebri, non procreetur decens quantitas spirituum animalium: sequitur, has actiones in præsentia minime posse celebrari, quemadmodum antea solebat. Vertigo autem illa, quæ et molestat, ortum D ducit a vaporibus: qui partim a materia pituitosa, in cerebro contenta, genitaque; partim ab infernis partibus, nempe a ventriculo eleuantur: qui permisti cum spiritibus animalibus, ipsos agitant, & sic vertiginem excitant. Nec mirum est, dextrum brachium torpore quodam fuisse correptum: nam materia pituitosa in magna copia irritauit expultricem cerebri; quæ expulit eam ad initium spinalis medullæ: hæc deinde pituita, neruis illis imbibita, qui in brachium porriguntur; fuit caussa, quo minus e toto radii spirituum animalium illas partes potuerint illustrare. Tinnitus aurium, quem continuum esse audimus, a vapore fieri non potest: quia necessarium esset, vt vapor quandoque dissiparetur, & sic, remota caussa, sibilus etiam remoueretur. Caussa autem eius est frigida intemperies nerui expansi, ratione cuius, cum non possit aerem regulare, fit continuus tinnitus. Ventriculi accidentia a frigida & humida intemperie, & ab erroribus in victu, procreata sunt: nam labefactata visceris coctrice facultate, insignis E copia materiæ pituitosæ genita est, quæ sui copia aliquando visceris expultricem irritans, vomitum & nauseam excitauit. Præterea cum calor in exigua quantitate reperiatur; fit, vt cum non possit hos succos regulare, extollat ab eis vapores, qui aliquando distendentes ventriculi tunicas, dolores efficiunt; quandoque petentes caput, & prouenientes ad initium spinalis medullæ, impediunt transitum radiorum spirituum animalium; vnde aufertur motus, & fit incubus. Hepar tandem ob caliditatem citius, quam par sit, attrahens succos illos pituitosos; ex his sanguinem generat, qui cum nutritioni idoneus non sit, aliquando scabiem & tumores producit. Ex iisdem succis pituitosis continue impurum serum educitur: vt mirum non sit, quod vrinæ turbulentæ appareant. Quin etiam hepar sua caliditate sanguinem superassando, copiam humoris melancholici gignit: quæ, transmissa ad os ventriculi famem excitat. Et ab eodem humore eleuantur vapores in caput, qui, permisti cum spiritibus animalibus, hos tenebriosos F reddunt, & sic melancholiam inducunt: vnde fit, vt vir illustris de omnibus suis rebus admodum sit sollicitus; & mori potius, quam a studiis discedere, cupiat. Hac eadem calida intemperie renes præditi sunt: ideoque circa regionem renum nonnunquam calor persentitur.

Indicationes. His ita constitutis, clarum est, scopos esse debere, viscera corroborare, intemperiem eorundem remouendo: ideoque caput & ventriculus calefieri & exsiccari; iecur atque renes refrigerari debent: prius tamen habita totius corporis prouidentia.

Quid spei. Quamuis autem mala hæc altas egerint radices, & ad ea remouendum plurima, & quidem sæpius, sint tentata: nihilominus, si ea victus ratione, quam propediem descripturi sumus, vti patiens volet; speramus omnia ita mitigari posse, vt sex vel septem mensibus elapsis denuo studiis facile possit incumbere. Si vero, præter spem nostram, in viuendi ratione peccabit; medicamentis nihil effici poterit. G Hortamur igitur virum nobilem, vt saluti suæ consulat, præmissaque diligenti victus ratione, medicationi se tradat.

Curatio. Quoad cheirurgiam: si innatas habet hæmorrhoides, per *hirudines* ab his partibus exsugatur moderata sanguinis quantitas. Et quoniam *fonticulum* gerit in dextro brachio, quod torpore afficitur: suadeo, vt

A suadeo, vt is, purgato prius corpore, claudatur; & alius in crure inuratur. Audimus in crure id iam tentatū esse, & defluxionem eo concitatam: caussam vero esse putamus, quod corpus non fuerit probe purgatum.

Leniatur aluus: præparentur & purgentur humores iis medicamentis, quæ patiens iam ante in vsu habuit. Caput etiam vacuetur *masticatoriis* leuissimis. His factis, laudamus vt *aquas Tettutii* sumat. Adhibeatur etiam capiti & ventriculo *stillicidium* ex iisdem aquis. *Balneorum* vsum non suademus, ob ventriculi imbecillitatem, brachiique torporem.

CONSILIVM VIII.

In vertigine cum ingenti capitis grauedine, dolore ventriculi, a cibo faciei rubore, nephritide cum vrinis calculosis, necnon quandoque dolore podagrico:

B

HIERONYMI CAPIVACCI.

ILlustrissimus regni Polonię Marescallus sæpe vertigine laborat, coniuncta cum ingenti capitis grauedine: ita vt quoties ipsum vexat vertigo hæc, quamcunq; in partem caput ille flexerit, in eam veluti cadere sibi videatur. Caussa esse potest, quod æger olim sæpius vini fortissimi largiore potu est vsus: & nūc quoque, sed rarius, quam ante, vtitur. Insuper fere semper vbi largius bibit, graues experitur orificii ventriculi dolores, cum molestis vomitibus: quorum caussa est, tum largior vini potio, tum quod & in prandio, & in cœna fere semper auidissime, & cum appetitu, cibos, interdum etiam semicoctos ingerit: vinis postmodū vtitur vetustioribus, ante tres annos collectis, vngaricis, fuluo colore, ac sapore austero præditis: hæc etenim ad digerendos cibos deglutitos sibi fore vsui existimat. Licet vero a Medico moneatur, ne plus ingerat, quam possit concoquere; & vt e Galeno discat, vina vinosa imbecilli ventriculo magis oneris, quam vsui esse: frustra tamen hæc omnia fiunt. Præter hæc statim ab adsumto cibo semper caput vehementer incalescit, faciesq; rubet, ad duarum triumue integrarum horarum spatium. His in præsens torquetur symptomatibus. Vexatus antea quoque aliquoties est calculo vesicæ: & nunc etiam aliquando per vrinam arenulæ excernuntur. Quin & nephritici dolores interdum vrgent: qui facile placantur refrigerantibus. Affectuum narratio.

C

Quandoque dolores podagricos sentit, & rarius: horum caussa potus largior est; & pedum, propter longam in stando moram, defatigatio: cogitur enim aliquādo per integrum diem in comitiis coram Regia Maiestate, suum exsequendo munus, stare: vnde pedes fessi, imbecilliores facti, defluxiones a largiore cibo potuque caussatas, excipiunt a membris mandantibus, vnde dolores sequuntur.

Horum omnium symptomatum caussæ procatarcticæ duæ potissimum: vna, quod ante annos nouem duplici quartana laborauit, cum grauibus leipothymiis: altera, quod ante annos quatuor pustulas nigricantes in vniuersum corpus diffusas habuit, maxime molestas: a quibus commoda ligni potione liberatus quidem est, aliquid tamen fortasse relinqui potuit. Caussæ.

D

Quoad naturalem ægrotantis constitutionem, est hepate calidissimo, corde animoso, animali facultate acuta satis & ingeniosa, ætate 45. circiter annorum. Pulsus languidus, paruus, & creber semper deprehenditur: licet cordis caliditas pulsus magnos, celeres, & vehementes faciat.

RESPONSVM HIERON. CAPIVACCI.

CAussas dictarum affectionum recte Medicus in victus rationē inordinatam, & vini fortis potionem refert. Verum, si caussas internas penitius inquirere placet, omnium symptomatum primariam caussam inueniemus, esse frigidam humidamq; ventriculi intemperiem: adscititiam quidem illam, sed tempore iam satis confirmatam, & satis validam. Quomodo vero eam intemperiem illustrissimus Dominus sibi adsciuerit, & adhuc adsciscat, hic modus est; primo bibit vina fortia, & calidiora, quam ventriculus postulat; nempe eiusmodi, a quorum nimia caliditate ventriculi caliditas resoluitur: maior enim calor (vt Philosophorum est regula) minorem obtundit. Deinde cibos ingessit plurimos, & aliquando non satis coctos: vnde idem ipsi accidit, quod igni, qui strue lignorum, præcipue viridium, imposita, non modo non alitur, sed etiam suffocatur. Tertio, quia auide & celeriter ingessit, plurimum simul aeris intro hausit, qui postmodum ventriculi tunicas distendendo, facit vt calor ipsius imbecillius agat in cibos, ideoq; infirmetur concoctio: nam virtus omnis dispersa imbecillior est seipsa vnita. Vehemens etiā appetitus, ventriculi frigidi nota est: ideo cibos adeo celeriter inglutit. Amplius, calido exsistente hepate, fere semper ventriculus est frigidus: at domino laboranti iecur est calidum, quia vastum est; nam & corpus satis magnum, proceræq; staturæ. Postremo dolores ventriculi, nephritici quoq; & podagrici, eandem intemperiem testantur: hi enim non nisi e materia crassa & pituitosa fiunt, quæ in frigido & humido generātur. E quibus concludimus, ventriculi illustris huius viri dyscrasia frigida & humida, seu (vt breuius dicam) vehementi confusione, laborare. Quare, cum, statuente Hippocrate, ventriculi confusio, omnium confusio: plane idem huc quadrat; nam ex ea, quam explicuimus, ventriculi confusione, omnia mala quæ ægrum adfligunt, veluti e fomite quodam ortum, ducunt. Atq; vt sigillatim modum explicemus, quo vnumquodque malum ex hoc fonte oriatur: primum dolor ventriculi, quem adsumto cibo persentit, ita fit; quoniam, vt relatum est, ob inordinatam viuendi rationem, ventriculus frigida & humida intemperie adficitur: exsistente vero hac intemperie, copia crassæ pituitæ in eodem generatur, quæ postea in flatus mutatur, qui deinde & copia & qualitate orificii ventriculi tunicas distendunt, ita vt inde (veluti e solutione continui solet) sequatur dolor. Caussæ.

E

F

G

Alterum symptoma est, quod illustrem Dominum a cibo capitis calor, & faciei rubedo infestat: ob eandem, quam modo attulimus, caussam. Magna quippe copia flatus seu vapores generantur a frigido ventriculo, e pituita crassa: tum quoque vina generosa multos & calidos admodum sursum mittunt vapores: mistus ergo vterque hic vapor, facile per venas, quibus capiti & ventriculo consensus fit, defertur in

caput, tum sua ipsius natura, quoniam leuia omnia sursum feruntur, tum attrahentis capitis calore: possibile enim est, illustri huic viro, cui tot publica impendent & ardua negotia, assiduis cogitationibus caput turbatum calere; & hanc capitis caliditatem postmodum caussam esse, vt vapores e ventriculo, & plures, & celerius in caput trahantur, ita vt sequatur postea faciei rubedo, & calor, dispersis scilicet vaporibus per eas partes. Eodem modo tertium symptoma, quod grauissimum est, oritur, capitis nimirum vertigo, cum grauedine. Hoc vno differt tantum a priore symptomate, quod plures in vertigine & crassiores eleuantur vapores, & vltra magis progrediuntur, quam in faciei calore & rubedine: feruntur enim in ventriculos vsque cerebri; & inibi spiritibus animalibus commisti, hos in gyrum rapiunt, vt inde praua sequatur imaginatio, ac si obiecta visibilia circumagerentur. A

At, quod huic coniuncta est tam magna, vt scribitur, capitis grauedo, hoc multo est deterius: indicat enim non solum vapores in caput eleuari, verum etiam humores ipsos crassos pituitosos. Non enim vapores, qui etiam crassissimi exsistentes, leues natura sunt, eam grauedinem facere possunt: sed necessario ex humoribus eodem delatis oritur. B

Hactenus ergo ostendimus quomodo ventriculi frigida & humida intemperies peccet in superiora: sequitur modus quo in inferiora peccat. Quoniam n. sursum leuia, grauia deorsum ferũtur, copiosa genita pituita in frigido ventriculo, rapitur a caliditate hepatis ꝓpinqui, & ad renes cũ ceteris excrementis pellitur, ibique a calore renum in arenulas calculosque concrescit, quæ vrinis postmodum excernuntur.

Podagricos tandem dolores eadem materia pituitosa efficit: natura enim (quæ materiam peccantem ad imbecilliora semper pellere consueuit) pituitam ad pedes, statione longa debilitatos demandat: cuius delapsu continuum soluitur, indeque dolor oritur.

Indicationes. Cum igitur omnia symptomata, quæ Dominus experitur, ex humida frigidaq; ventriculi dyscrasia fiant, nunc indicationes perquirendæ, quæ duæ sunt potissimũ. Quoniam n. ventriculus frigidus & humidus, multos generat humores crassos & pituitosos: oportet hos euacuare, & procurare, vt non amplius generentur. Deinde, cum singula fere mala caussas adiuuantes habeant; hæ quoque cohibendæ. Primus explebitur scopus, si ventriculus calefiat & exsiccetur: alter, si hepar attemperetur, renes infrigidentur, caput & articuli siccentur ac corroborentur. C

Præsagia. Explere has indicationes minime fuerit impossibile: nam corporis viriumq; robur, f rendis medicamentis sufficit. Præterea cum fere omnis mali origo e vini fortis potione exsistat: curationem facilem speramus, si illustris Dominus a vini potu sibi tẽperabit: ablata quippe caussa hac efficiente prædicta mala, facile quoq; ipsi affectus auferentur. Ceterum, si malum vltro sciens volensq; fouebit: nõ solum omnino non curabitur, verum alia etiam grauissima symptomata exspectet oportet: scilicet & calculi maiorem magnitudinem, ventriculi dolores intensiores, & demum (nullum sit in omine pondus) grauissimam apoplexiam. Supponentes autem Dominum vitaturum caussas externas, malum fouentes, omnimodam sanitatem sperabimus. D

Curatio. Quocirca ducti hac spe, quod ipse patiens e se curationem sit incepturus, nec sibiipsi defuturus: nos quoq; ad scopos reuertemur. Primum autem humores euacuandi sunt. Sed quoniam morbi, quos patitur Dominus, magni sunt, vna euacuatione tolli non possunt: ideoq; per tempora partienda curatio. Autumno igitur ita ineunda curatio. Quoad cheirurgica præsidia, probamus *sectionem venæ communis, aut iecorariæ* brachii dextri: quã iterare verno tempore proderit, cũ corpus sit plethoricum. *Hæmorrhoidum* etiam apertionẽ laudamus, si alias fluere consueuerint. Cetero vix esset præsentius vllũ præsidium, quã *fonticuli*: quorũ alter in brachio sinistro caput respiceret; alter in dextro crure, propter hepar & renes. Nec obstat, q pedes, iã antea debilitati, fonticuli imbecilliores reddi, videri possent: sicuti n. serpentes caudã periculo exponunt, caput vt seruent; ita ẽt nos agentes; culpa vacabimus. Quod si vero omnino metuatur maior ista pedũ debilitatio: suaderẽ, in vtroq; brachio excitari fonticulũ: cum vnus non possit satis ẽe reuulsioni tam copiosæ materiæ. Medicamenta quod attinet: purgabitur corpus temporib. congruis; primũ lenientibus, vt *manna, cassia, tamarindis, melle rosato solutiuo*. Deinde præparabuntur humores syrupis conuenientib. *de cichorio, betonica, stœchade, boragine, &c.* Purgabuntur postmodum *rhabarbaro, agarico, decocto senæ: &c.* Si videatur opus esse iterata purgatione: præmittatur præparatio *syrupis compositis*: tum purgatio instituatur *pilulis cochiis de agarico*, vel aliis quæ caput respiciunt. E

His factis, quoniam corpus vastum est, crudisque refertum humoribus: probamus, vt hoc eodem autumno sumat *decoctum ligni & sarsæparillæ, cum cichoraceis*: ita vt simul sudet: optime namque hoc facit ad siccandum ventriculum. F

Tum vero ad caput veniendum erit: idq; studio omni siccandum. Conueniret heic *stillicidium aquarum Patauinarum*. Sed quia negotia publica ægrum tandiu a patria abesse haud sinunt: iccirco stillicidii istius vicem subibunt lotiones e *lixiuio cinerum quercus*, cui incoxerint *agaricus, scabiosa, betonica*, & similia, quæ siccandi vim habeant: quæ præsens medicus facile præscribet. Antequam tamen caput lauetur, bonum erit illud purgare *sternutatoriis errhinis*, & id genus aliis præsidiis.

Tandem etiam ad hepar descendendum, & eius caliditas vsu *caprini seri* inhibenda, ne calculo aliqua maior occasio præbeatur.

Sed nec hyeme a remediis erit abstinendum. Probamus ergo tum temporis duo inter cetera: vnum, quod ventriculum, alterum quod articulos respiciat. Pro ventriculo faciet, si vtetur *vino vel oligophoro*, vel saltem *medicato, e sarsaparilla, iua arthritica, betonica, mentha, absinthio, & aliis*. Pro articulis, optimus nobis videtur vsus *terebinthinæ Cypriæ*: sed priusquam æger hanc assumat, corpus exquisite purgabit; vel semper ante illam aliquas pilulas assumet. Quoad partem affectam, seu ipsos articulos, qui ob laxitatem indigent exsiccatione, plurimum prodessent *aquæ nostræ thermales*, vel etiam G

Lucen-

A *Lucenses*: sed quoniam ad nos proficisci ipsi non est integrum, earum loco poterit adhiberi inunctio ex *oleo mastichino*: tum quoque cerata applicari poterunt, ad easdem partes desiccandum & roborandum, veluti *ceratum sacrum, diachalcitros, & barbarum*: &c. Si possent haberi *vinacea*, omnibus modis adhibita conferrent, maxime vero autumni tempore.

Verum prædicta omnia, nisi optima victus ratio adiungatur, nihil quicquam proderunt. Si enim in vini fortis potione perseuerabit, & diætam hactenus consuetam continuabit: omnino frustra & his & aliis vtetur, imo indies in deterius verget. Quod DEVS optimus maximus malum omen auertat, precamur.

CONSILIVM IX.

B

In vertigine, epilepsia, melancholico delirio, tremore cordis, macie totius corporis, & aliis nonnullis symptomatibus:

HIERONYMI CAPIVACCI.

FOEmina quædam Styria Germana, annorum 36. satis carnosa & floridi coloris, ante matrimonium: quamprimum viro nupsit, ac vtero gerere cœpit, macilentior facta est. Peperit mares quinque, & femellas totidem. Ante annos autem octo, e febre ardenti maligna abortum fecit. Ab hoc tempore multis ærumnis & aduersitatibus afflicta fuit: e decem enim liberis duos saltem habet reliquos: ita vt in perpetuo quasi luctu fuerit. Cœpit ante abortum vertigine tentari, memoriæ pati detrimentum, carie & dolore dentium affici, horrore & tremore subito interdum concuti, præsertim noctu ante lecti ingressum, dum se exsuebat: aliquando etiam, sed rarius, vniuersum corpus conuelli, ac in terram prolabi, cum principum facultatum læsione, ac stridore dentium: aliquando congelari quasi, ac instar statuæ rigescere, tam inter deambulandum, quam sedendum, aut cubandum, nihil neque audiens, neque videns, neque mouens; semper de cordis tremore, de capitis, vel cerebri frigiditate conqueri. Qui omnes affectus superioribus annis mitiores fuere: duobus autem abhinc annis, post acerbissimum luctum, ob lepidissimæ filiæ obitum, cum paucos menses ante, duos elegantes filios vna hora etiam sepulturæ tradidisset, omnes grauiores, ac magis horrendi redditi sunt. Accessit delirium plane melancholicum: imaginatur enim sibi, quasi potu aquæ fœtui vltimo nocuisset: qui tamen viuus & saluus in lucem fuit editus, ac tres integros menses superuixit. Illud imaginarium facinus dies noctesque deplorat: grauiora sua delicta clamitans, quam vt remitti possint: & metuit, ne sibiipsi manus violentas afferat: quod nuper etiam ante duos menses duobus cultris tentauit. Delirium autem hoc semper matutino tempore grauius est, quam post meridiem, vel vesperi. Fœtor etiam tum sentitur ex ore cadauerosus: qui absente delirio non sentitur. A cœna autem saltem quatuor horas dormit, non vltra. Vix parum comedit, & bibit. Bibit autem vinum. Et quoties bibit, confestim tota facies rubore denso suffunditur: ac frequenter etiam post rigescit. Interdum in epilepsiam incidit, dum vinum meracius suffuratur. Interdum vrina subruffa ac densa est, interdum alba, interdum iumentalis: semper cum sedimento albo, copioso, distracto. Dum delirium durat, cuticulam vrina concipit desuper, quæ instar glaciei supernatat, colore quasi iridis. Superiori tempore aluus erat semper constipata: nunc autem beneficio naturæ vtitur quotidiano. Post paroxysmos epilepticos plerunque ad vomitum commouetur, ac de ventriculi dolore conqueritur. Aliquando intolerabili dolore capitis opprimi, aliquando oculorum, aliquando coxæ videtur. In fine paroxysmi, dum ad se se redit, deglutire veluti aliquid conspicitur: & id etiam dum riget. Dum paroxysmi obrepunt, in admirationem quandam commouetur, quasi res aliqua noua & admiranda oculis subiiceretur. Conqueritur semper de tremore cordis continuo: sed, si locus tremoris inquiritur, magis ori ventriculi superiori digitos admouere videtur: nec tremor cordis vel e pulsu, vel applicatione manus potest deprehendi a medico. Tempore huius delirii macie pœne consumta est: ac scabie sicca per totum corpus infecta. Post paroxysmos etiam, & quando delirio hoc grauius afficitur, labra oris exsiccantur, excoriantur, finduntur. Præsentium mox obliuiscitur: præteritorum autem bene recordatur.

Casus historica narratio.

C D E (margin letters C, D, E stand beside the lines beginning "lore dentium", "quam vt remitti", "bili dolore capitis")

Superiori tempore semper de sensibili cerebri frigiditate conquerebatur: proximo autem vere, dum purgata esset, & stillicidium admisisset, & esset vsa cucupha & roborantibus & calefacientibus; frigiditas illa desiit, vt de illa amplius nihil conqueratur. Remiserunt etiam tum insultus epileptici; remisit delirium: remiserunt omnia alia symptomata: reddita etiam fuit carnosior; bene comedebat, dormiebatque: vt id omnibus fuerit admirationi. Menstrua etiam suppressa erant menses octodecim: quæ iterum, sectis ad crura saphenis, rite ac decenter redire cœperunt. Sed accidit, peregre absente marito, dum oleribus frequenter in magna copia vteretur in cibis, ac in victu reliquo esset liberalior: vt subito in priora mala reciderit: quæ omnia iam grauissima sunt reddita, & deploranda. Adhuc tamen generosius medicamentum non est experta.

F (margin letter beside the line beginning "ditas illa desiit")

RESPONSVM CAPIVACCI.

MVltis, & grauissimis, ne dicam lethalibus vitiis vexatur magnifica mulier. Quorum quædam ad facultatem animalem, quædam ad vitalem, quædam ad naturalem pertinere videntur. Nec vlla fere corporis pars est præcipua labis omnino expers. Nam si facultatem animalem spectemus: illam quidem vertiginosis affectibus, conuulsione totius corporis, affectu soporoso, epilepsia, memoria præteritorum, obliuione præsentium, melancholico delirio, & fere maniaco, dolore capitis, oculorum, coxæ, nec non deglutitione illa symptomatica perturbari videmus. Si autē vitalem facultatem intueamur: tremore cordis illam impediri, est iudicandum; dummodo tremor ille realis, non autem imaginarius exsistat; præser-

Affectus.

G (margin letter beside the line beginning "corporis pars")

tim cum sensu tactus motus hic in regione cordis non percipiatur: aut, si quid tale existit, ad cardiacam A potius sit referendum. Vltimo, si facultatem naturalem spectemus: quis est ille, qui e macie totius corporis, e gingiuarum erosione, seu carie, facultatem naturalem oblædi non videat?

Caussæ. Hæc omnia mala videntur esse partus materiæ pituitosæ, sed maiori e parte melancholicæ: quæ aliquando ita exuritur, vt periculum sit, ne atræ bilis sapere videatur naturam. Quod autem hi omnes affectus vni fere materiæ melancholicæ sint attribuendi: e sequentibus satis constare arbitror. Quoniam cum hæc materia sit suapte natura frigida & sicca: mirum non est, si sua siccitate vigilias inducit, & frigiditate memoriam imminuit; ita tamen, vt ob siccitatem præsentium simulacra non imprimantur, & præterita succurrant. Eadem materia, si aliquantulum exuratur, delirium melancholicum inducere solet. Dum vero ab ea vapores excitantur, & cum spiritu animali confunduntur, ob eorum obscuritatem, melancholiam; ob inordinatum vero motum, vertiginem inducunt. Quod si eadem materia vaporosa spinalem medullam petat: tum rigorem totius corporis, tum tetanum interdum fieri, est necesse. Si cerebri B ventriculorum tunicas vellicet, epilepsiam: si os ventriculi, cardiacam passionem: si meningas, dolorem capitis & oculorum excitat. Humorosa autem materia si petat ventriculos cerebri, & præsertim posteriorem: affectum soporosum parit. Quod si vapores illi melancholici ad coxas deferantur: coxendicos afferunt dolores. Rursus si materia illa vaporosa, cum pituita salsa commista, ad gingiuas descendat; cariem, dentium dolorem, orisque fœtorem generat: si ad corporis totius ambitum, maciem.

Hanc vero materiam melancholicam in hepate generari, non est dubitandum, ob illius insignem caliditatem: vi cuius etiam fit, vt ventriculus labem aliquam patiatur, cum citius iusto chylus imperfectus attrahatur. Et quoniam continuo vapores melancholici, & eorum minera, capiti subministrantur: fieri non potest ob illorum præsentiam, quin cerebrum sit refrigeratum, & exsiccatum: quemadmodum etiam symptomata proposita significare videntur. Cuius frigiditatis caussa vix fieri potest, quin C etiam materia aliqua pituitosa, exigua tamen, generetur: quæ, quamuis suapte natura frigida sit: fieri tamen potest, vt salsedinem aliquam acquirat, & humor ille melancholicus aliqua e parte aduratur: vt non sit mirandum, si gingiuæ erodantur, si gracilescat corpus, & scabies illa ambitum totius corporis occupet.

Indicationes. Quibus sic propositis: totius curationis ratio in hoc posita esse videtur, vt materia, tum pituitosa, tum melancholica euacuetur, & absumatur: iecur refrigeretur: caput calefiat, & humectetur: ventriculus roboretur: vniuersus totius corporis ambitus attemperetur: ita tamen, vt virtus totius corporis & partium conseruetur.

Prognostica. Hoc consequi nos posse vix arbitror: cum hæc mala radices altiores iam egerint. Verum, quia e leuioribus medicamentis insignem vtilitatem percepit: sperandum est, si eam præstabit obedientiam, quam D tantorum malorum natura postulat, fore vt in meliorem statum reducatur. Quare non sine remediis est relinquenda.

Curatio. Et quoniam ob maximam vim frigoris medicatio grauis est: ob id hoc tempore non est instituenda, sed proximo vere. Interim tamen, vt vitam commodius traducat: optimum fore iudicamus, vt singulis quindecim diebus assumat *syrupum de polypodio*. Deinde vtatur scrupulo vno *theriacæ* non admodum antiquæ, matutino tempore: interdum *melle rosato solutiuo*. Et sic modo vno, modo altero medicamento vtatur. Victus etiam rationem instituat, cui vis sit refrigerandi & humectandi: qualem infra breuiter describemus: a *vino* autem vel penitus abstineat, vel non nisi paucifero vtatur, & in exigua admodum quantitate: non enim dubitandum est, e meri potione omnia fere mala contigisse. E

At proximo vere, si Deus dabit, absoluta curatio erit instituenda. Et primum quoad cheirurgiam, circa *sanguinis missionem* videndum erit, nunquid menses fluant, necne; Nam si fluxerint; vena communis cubiti dextri, procul a mensibus, erit aperienda: sin minus; prope mensium tempus vena pedis erit secanda: dummodo nihil adsit quod impediat. Vacuabitur sanguis ea quantitate, quam virtus sustinebit: cuius robur e temperatura, aere, & his cognatis, non erit difficile iudicare. *Fonticulus* laudatur in brachio sinistro, ad materiam a capite deriuandum: itemque in parte interiore cruris dextri, ad reuellendum a iecinore: dummodo nihil adsit quod impediat. Ad idem conferunt *frictiones* partium inferiorum.

Verum, quia tuto hæc administrari non possunt, nisi corpus vniuersum prius expurgetur: propterea laudamus, vt leniatur prius aluus, *melle rosato solutiuo*, *syrupo de polypodio*, *vel electario lenitiuo*. Dein F præparetur materia *syrupis de succo boraginis, de soncho, de pomis simplici*, & similibus: qui diluantur *brodio, alterato malua, boragine, & soncho*. Hinc purgabitur corpus *diluto epithymi foliorum senæ, rhabarbari modico, & agarico trochiscato*: quibus addetur *syrupus de polypodio, & mel rosatum solutiuum*, ea quantitate, quæ præsenti medico opportuna videbitur. Si vnica purgatio non sufficiat: iterum materia præparetur, propositis alterantibus: sed tertio quoque die cum syrupo simplici misceatur aliquid *syrupi de polypodio, vel epithymo*. Tumque superius dicto purgante, vel simili, corpus prorsus purgetur.

Itaigitur exquisite vacuato corpore, caput *errhinis* purgandum: iis tamen, quæ non habent vim admodum insignem irritandi facultatem expultricem: veluti sunt ea, quæ tantum emolliunt, vt *decoctum maluæ, althææ, fœnugræci*, in quo aliquid *manna* sit dissolutum. Extrinsecus vero nasus *oleo amygdalarum dulcium, vel butyro pluries e maluæ decocto loto*, erit inungendus. G

Interim assumatur *decoctum salsæ & chinæ*: vt pro singulo syrupo dosis vtriusque medicamenti sint drachmæ duæ: quæ quantitas augeri minuiue poterit, prout res ipsa postulabit. Decoctum autem parabitur, cum *carne vitulina, vel caponum, vel perdicum, vel phasianorum*: carnisque capietur vncia vna pro singulo syrupo. Si virtus feret, quotidie bis assumet syrupum: sin minus, semel tantum: ita tamen, vt inter

A vt inter syrupum & cibum intercedat spatium ad minus trium horarum. Obseruetur quoque, vt parcius sit prandium, quam cœna, si bis de die syrupum accipiat: sin semel, prandium sit liberalius. Victus autem tum temporis, quo decoctum illud vsurpatur, nec plenus sit, nec tenuissimus: sed tenuis, vel saltem mediocris. Cibus quidem sit *panis* non bis coctus, sed optime coctus & fermentatus: *amygdalæ dulces*, & *passulæ cum modico carnis*. Probatur autem *caro elixa*, propter maciem: quamuis tosta etiam aliquando conuenire videatur. Loco vini vtatur *aqua, e residuo decocti parata*: in quam, gustus gratia, portio aliqua *passularum* exprimatur. Singulis decem diebus purgans aliquod medicamentum assumatur. Et post primum decendium, ante singulos syrupos, deglutiantur duæ vel tres pilulæ, *e puluere chinæ, salsæ, & boraginis*, paratæ; quibus recte aliquid *cranii humani, visci querni, & terebinthinæ Cypriæ*, adiungi poterit. B Vel interdum patiens *terebinthina*, cum modico *theriacæ* non antiquæ, vtatur. Et vicibus permutatis hæc medicamenta vsurpabit. Decoctum autem hoc sumendum per triginta, quadraginta, vel plures dies; prout necessitas postulabit.

Decocto vsurpato, si ægra non tentabitur epilepsia; temporibus calidioribus, summopere laudamus *balneum aquæ dulcis*; & *stillicidium* super suturam coronalem, ex *oleo anethino, mastichino, & amygdalarum dulcium*, vna cum *vino albo* non austero, in quo *folia maluæ, & radices althææ*, per diem fuerint inmacerata. Quod si epilepsia tentabitur; abstinendum erit & a balneo, & ab omnibus quæ vim habent laxandi. Præter hæc laudamus *conseruam betonicæ, & boraginis*: quibus ad singulas vncias addi poterit *theriacæ* non antiquæ semidrachma, & nonnihil *conseruæ e floribus maluarum*.

His tamen omnibus diligens ratio victus est addenda. Aer igitur erit intemperatus, qui ad caliditatem potius, quam ad frigiditatem vergat: omnisque aeris inclementia prorsus fugiatur. Odores sint C suaues & iucundi, quibus potissimum delectatur, calidi potius, quam frigidi; his enim spiritus animalis maxime oblectatur. Cibi vim habeant attenuandi. Quare carnes optimæ sunt eligendæ. Fercula e pane contrito, ex ouis contusis, e carne contrita, & similibus, parentur. Si condiantur aromatibus, caute admodum erit agendum, ne iecur incalescat; quod, nostro iudicio, fons est atque origo omnium malorum. Cordi tamen aromata prodesse videntur; quia cor frigiditatem aliquam contraxit, cuius ratione, quod splendidum & luminosum est in spiritibus vitalibus, absumitur; vnde hi veluti opaci redduntur; qui cum animales spiritus instaurare nequeant, mirum non est, prauas fieri imaginationes. Si acetario vtatur; non sit admodum acre acetum: hoc enim neruis nocet; vel illius acrimonia passulis retundatur. Laudantur cappares, radices cichorii, borago, buglossa, & id genus alia. Improbantur legumina, fercula e pasta, lacticinia, & quæ ex his parantur, salsa, acria, dulcia, nec non fructus omnes, D præter pistacia, & amygdalas dulces. A cibo conuenit puluis coriandri; vel diacydoniten, cum modico saccharo & coriandro paratum. Somnus sit consueto longior: qui si haberi nequeat, vesperi in cœna comedatur panatella, cum multo lacte amygdalarum dulcium. Exercitium sit moderatum, ante cibum: a cibo enim quiescat, & colloquiis familiaribus, quibusque potissimum delectari consueuit, tempus fallat.

CONSILIVM X.

In suffusione oculi sinistri: qua veluti culices ante oculum obuersari videntur.

E

HIERONYMI CAPIVACCI.

FAcilis cognitu affectus est, quo Vir illustris conflictatur: oculo enim sinistro imagines quædam, formam culicum referentes, se offerunt. Qui affectus est symptoma in genere actionis deprauatæ ipsius visus. Huius symptomatis caussa est morbus in numero: aliquid enim oculo additum est, quod toto genere præter naturam exsistit, videlicet numerus quorundam corpusculorum, quæ, cum ante pupillam obuersentur, sunt in caussa vt visio deprauetur. Affectus.

Porro corpuscula hæc sunt vapores, qui a capite in oculum decumbunt. Nec aliunde generantur, quam ex intemperie cerebri sicca, & moderate frigida: quæ cum non possit sanguinem in alimentũ vertere, est in caussa, vt succus pituitosus generetur. Accedit, quod ratione studiorum multi errores commissi sunt, vnde factum est, vt in ventriculo multæ cruditates orirentur; & adiuuante iecoris caliditate, F multi vapores eleuati sunt, vnde maior pituitæ copia genita est in cerebro, a qua postea sunt eleuati vapores, qui sinistram partem debiliorem inuaserunt, & hoc symptoma produxerunt. Caussæ.

Euacuandi humores pituitosi, qui in cerebro continentur; oculi corroborandi, ne amplius illos vapores suscipiant: habita totius prius prouidentia. Scopi.

Curatio difficilis; quia affectus est per essentiam, & oculus insignem debilitatem contraxit. Prognostica.

Quoad chirurgiam: Tempore veris, quo medicatio erit aggredienda, secatur *vena iecoraria*; licet enim sanguis non peccet vt caussa principalis, sine eius tamen vacuatione non possumus administrare medicamẽta calida, quæ alioquin oculum facile inflammare possent. *Hæmorrhoides* si fluant tum temporis, bonum. Post purgationem totius & cerebri, *fonticulus* in brachio sinistro inuratur: vel, quod magis conferre opinamur, in occipitio fiat *setaceum*; &, si e setaceo pristinam sanitatem erit adeptus, quoniam G laboriosum est remedium; contenti sumus, vt ipso clauso, ad prohibendam huius mali generationem, in brachio sinistro *cauterium* figatur. Curatio.

Quoad φαρμακ. Leniatur aluus *melle ros. sol. & manna, vel diacathol.* Præparentur humores *decocto beton. stœch. borag. cich. & melissæ.* Expurgentur *pil. cich.* additis *mastichinis*: post quas *iusculum* statim erit propinandum, in quo *cich. ac borago* ebullierint, vt hac ratione facilius a ventriculo accipiantur, &

detineantur. Post, iterum præparentur humores, *syrupo de pomis simplici, & decoctis* suprascriptis: quibus A etiam licet *euphragiam* addere. Expurgentur *pilulis* suprascriptis, quæ tamen in maiori sint dosi. Caput expurgandum, non nasaliis, quæ humores vehementer concuterent & agitarent, sed leuib. masticatoriis, nimirum *cera & mastiche*. His peractis, deueniendum ad generosum aliquod præsidium, quod humores pituitosos, in capite exsistentes, absumat: vt est *decoctum salsæ & guaiaci*; ita tamẽ vt salsa sit basis, & in maiori copia, quæ tamen augenda, vel minuenda, vt res postulare indies astanti medico videbitur. In vl ima autem huius medicamenti decoctione, bullienda erunt, *borago, cich. beton. euphrag. fenic.* Et hoc decocto saltem per XL. dies vtendum. Ante quemlibet syrupum *pilulæ e puluere salsæ, euphragiæ, & feniculi, cum syrupo de beton.* concinnatæ, erunt sumendæ.

Quoad medicamenta externa, ipsumque oculum. Purgato corpore & cerebro: discutiendi erunt illi vapores, prius mitioribus, deinde grauioribus, nimirum *aqua panis* primum nõ saliti, deinde saliti, & post- B modum *feniculi euphragiæ*; quibus postremo succedunt *sal & mel*, quæ cum *decocto rutæ, & euphragiæ* sint administrata. Quod si aliqua inflammationis suspicio oriatur ex administratione horum medicamentorum; grauiora erunt omittenda, & mitiora amplexanda. Sin affectus hic adeo ferox exstiterit, vt medicamentis non cedat, & initium suffusionis sit: exspectandum erit, vt e toto suffusio perficiatur, tumq; *manu* exercitati cheirurgi erit deponenda. Verum, si beneficio medicamentorum internorum & externorum propositorum, vapores discutiantur: statim tentandum erit, vt oculi roborentur; quod fiet, *vino albo generoso*, in quo *euphr. & feniculum* ebullierint: & vas argenteum conficiatur, in quo huiusmodi liquor commode imponi possit, vt in eo oculi immergi possint. Præterea in vsu habeat *conseruam e melissa atq; beton.* in quibus *pulueres ocularii* sint permisti. Tempore minus calido, ratione affectuum rheumaticorum, non erit præter rationem, addere *theriacam & mithridatium*. C

Diæta. Caueat a cibis, quæ succum lentum & crassum gignunt: vt sunt *carnes bouinæ, agninæ, conchylia, pisces*, nisi sint saxatiles, & qui circa scopulos morantur: hos enim laudamus in albo iure decoctos. Caueat etiam a *fructibus, leguminibus, oleraceis omnibus*. Victus ratio sit attenuans. Dapes vice aromatum, salisv, condiantur *puluere euphra. fenic. rutæ, cinnamom.* vna cum copioso *sacchuro* Et dum vtetur decocto, non vtetur ea viuendi ratione, quæ solet præscribi lue venerea affectis: sed moderate comedat carnes, & oua. Loco vini bibat *aquam, paratam e residuo illius suprascriptæ decoctionis*. Hoc autumno, vinum conficiatur, in quo *lignum, salsa, euphragia. feniculum*, &c. ebullierint. A prandio, hyeme vtatur *sacchuro ros.* æstate *coriandris*, quæ vaporum impetum coercent. Laudamus *frictiones* in partibus dextris: nam sinistræ non exposcunt hoc genus remedii, quia sollicitantur affectibus rheumaticis. Aluus lubrica seruetur: & laudamus *pil. e therebinthina*: tum clysmos quoque. Somnus & vigiliæ moderata sint. D

CONSILIVM XI.

In affectu quodam soporoso, qui caro est finitimus:

HIERONYMI CAPIVACCI.

Casus. QVamuis nobis plurimi casus quotidie se offerunt: nullus tamen vnquam magis contemplatione dignus visus est, quam præsens. Iuuenis enim nobilis, licet olim quibusdam epilepticis symptomatis tẽtaretur, in præsentia tamen affectus, qui per nonnulla internalla oriuntur, nullo pacto epilepsiæ naturam sapiunt. Nam quo tempore symptomata inuadunt, non repentinum casum, non oris ac faciei distractionem, non deniq; artuum conuulsionem astantes conspiciunt: sed clausis oculis stat fere mortuus: quo tẽpore, si quis ipsum excitet, & interroget, respondet quidẽ, sed inconcinne ea verba profert, quæ ipsum delirare satis commonstrant: quamuis admonitus, rogatusq; vt exspuat in manus, aut si quid aliud ipsi offeratur, statim iubenti morem gerit: & ea ratione (quod auditu mirum est) a symptomate liberatur. Verum E quandoque nihil præteriti recordatur. Cum igitur epilepsia non sit; & varia sint mala, quæ ad principales functiones cerebri; & ad motum sensumq; pertinent: videndũ est, num hoc vitiũ sit apoplexia, catochus, catalepsis, vel carus, aut num his aliqua in parte assimiletur: nec enim putandum, esse vertiginem. Apoplexiæ quidem mores non imitatur: quia motum & sensum tum temporis e toto non amittit. Nec simile est catocho, vel catalepsi; quia in his malis, etsi ægri vigilantis retineant figuram, nihilominus tamen omnis functio animalis consopita est, quod in præsenti casu non conspicitur. Reliquum ergo est, vt vel carus sit, vel illius formam referat. Carus non est: licet enim motus & sensus e toto non tollantur, & tum temporis somniculosus, & clausis oculis conspiciatur: non tamen somnus ita profundus est, vt insigni vociferatione egeat, si quis ipsum excitare velit; blande n. vocatus expergiscitur & obloquitur. Præterea quandoque F delirat; & symptomate superato, præteritorum est immemor. Quare ex his colligitur, quod magis formam referat cari, quam aliorum affectuum: ideoque est quasi via quædam in carum.

Caussæ. Hoc ergo vitium est symptoma in actione deprauata & ablata principalis functionis cerebri, & in diminuta facultate motrice: quæ ambæ impediunt, illa pp errorem externum, hæc propter morbũ in via. Error externus est vapor pituitosus, qui perfunditur p spiritus animales, ac per substãtiam cerebri, a quib. perfecta functio depromitur: ideoque tunc temporis a vitio illorum vaporum cerebri substantia deuicta, insigniter deprauatur. Quæret aliquis, si vapores cum spiritibus animalibus permiscentur, quare non fiat vertigo? Responsio. Vaporum tanta turba tum temporis in cerebrum defertur, vt spiritus quasi copiosis tenebris offundantur suffocenturque, antequam illis ansa præbeatur, vt huc atque illuc possint peruagare, sicut in vertigine contingit. Vnde mirandum quoq; non est, si ad neruos opticos nequaquam perue- G nientes, visum tamen auferant. Morbus n. in via ille est, qui motum & sensum imminutos reddit: qui nil aliud est, quam semiobstructio meatuum ventriculorum cerebri, quæ in caussa est, quo minus spiritus animales ad spinalis medullæ initium possint penetrare. Caussa obstructionis est vapor humorque pituitosus frigidus, qui per cerebrum effusus, talia symptomata producit: & procul dubio pareret epilepsiam, si,
quem-

A quemadmodũ antea, parietibus ventriculorũ cerebri hæreret: tunc .n. facultas expultrix insurgeret ad expellendum. Propterea mirum non est, si sola exspuitione sanatur. Nam cum cerebro materia illa & vapor insigniter non adhæreant; ex illa agitatione facilime ad infundibulum descendit, & pars post partem deriuata exspuitur. Porro, dum symptoma viget, memoria adeo vitiatur, vt deinde nihil præteriti quandoque recordetur. Hæc ergo aboletur, vel quia ratione imaginationis vitiatæ, ipsi non efferuntur phantasmata; vel quoniam humor ille vaporque pituitosus frigidus, postremam cerebri partem obsidet, cui frigidam impertiens qualitatem, & memoriam lædit, & tunc temporis somnum adauget. Porro, hic humor vaporque pituitosus in cerebro non generatur; sed facilime ob imbecillitatem, ac humidam frigidamque dyscrasiam suscipitur, ab infernis partibus prodiens. Has autem partes ventriculum, ac pollicem
B dextri pedis esse censemus. Ventriculus enim humorem pituitosum procreat, labefactata facultate, propter intemperiem humidam: humiditati enim etiam coniungitur frigiditas, id quod indicat difficilis inediæ tolerantia: ideoque hoc affectu tum temporis præcipue corripitur, quando ieiunum stomachum fames vrget, exsugitque & conturbat, prauosque vapores & humores in cerebrum expellit: & propter errorem externum, videlicet a nimia ventriculi cibi potusque repletione. A dextro autem pede aura quędam per continuatas partes in cerebrum efferri percipitur. Cuius generationis nulla alia est caussa, quam intemperies quædam maligna, & venefica qualitas, ex imbecillitate in pede contracta: in ea enim parte erodentia vlcera perpessus est. Hæc igitur mala oriuntur ab hac aura, & ab illis vaporibus & humoribus pituitosis.

Caput & ventriculus, exsiccanda & corroboranda: materiæ pituitosæ euacuandæ: vapores discutiendi, deriuandi, in cruribus intercipiendi: imbecillitas pedis e toto remouenda. Scopi.

C Dignitatis vehementia nos non terret: licet enim cerebrum affectum sit, nihilominus humores & vapores illi, nõ ita hærent in ea parte, vt epilepsiam, vel alium huiusmodi periculosum affectum, vt antea, procreent. Nec est vehementia facultatis: nam animalis sola afficitur, & leuiter, quia motus non est abolitus, sed diminutus: & delirium illud paullulum perdurat. Vehementia essentiæ non leuis est: aura enim frigidior, humores ac vapores illi insultantes, & intemperies illæ pedis & cerebri, non parum facessent negotii. Præsagia.

Quoad chirurgiam. Cum corpus sanguineum sit, & administranda remedia calidiora, suademus, vt tempore veris, quo curatio iucunda erit, *vena communis* secetur. Si malum non cesslabit, duo *fonticuli* in duobus cruribus erunt inurendi. Quoad Pharm. leniatur aluus *melle ros. solut. & manna.* Præparẽtur humores *syrup. de beton. oxymelite. & melle rosato.* Purgẽtur *rhabar. agarico, polypod. sena.* Iterum præparentur
D *syrupis de cich. beton. cum decoct. beton. borag & cich.* Et purgentur *pilu. coch. & mastich.* Quibus peractis decoctum potest parari *e china, ligno, & salsa:* & in vltima ebullitione ferueant *cichor. borag. & beton* Hoc decocto per XL. dies vtatur. Vtatur *etiam conseru. beton. cum pulu. cranii human. coriandroque.* Hyeme laudantur *magnæ antidoti. Lixiuium* paretur cum herbis exsiccantibus, *beton. agar.* quo abluatur caput. Paroxysmi tempore conuenient *ligaturæ* supra genu administratæ. Victus sit attenuans & siccans, &c. Curatio.

CONSILIVM XII.

In epilepsia, & amentia pueri septennis.

E HIERONYMI CAPIVACCI.

CAsus infelicis pueri, qui nuper se nobis obtulit, deplorandus est: quia, cum septimum ætatis annum ageret, in epilepsiam incidit: & ex eo tempore in hunc vsque diem fatuum sese ostendit. Affectus.

Horum malorum fontem esse pituitam, clarum est: quæ in capite reperitur, & generatur, propter cerebri intemperiem frigidam & humidam: huius enim vi multi humores pituitosi sunt procreati, qui nunquam beneficio pustularum, quæ pueris solent erumpere, expurgari potuerunt. Quia igitur per illas partes non potuerunt vacuari, sed in capite detenti atque collecti sunt: symptomata supra dicta produxerunt. Id quod hoc modo factum est. Melancholia (teste Hippocrate) in cerebri ventriculos irrepens, epilepsiam efficit: substantiam vero subiens cerebri, producit melancholiã. Sic igitur heic pituita cerebri ventriculos occupans, epilepsiam induxit: in substantiam vero corpusque cerebri demersa, fatuitatem
F producere caussauit. Et quia pituita continue in ipsa cerebri substantia inhæret: propterea puer semper fatuitatem præ se fert. Caussa.

Porro quid agendum sit, non est difficile videre. Nam caput est exsiccandum & calefaciendum: materia etiam, in ipso reperta, euacuanda. Præsidia.

Quæ omnia, quam difficile sit implere, cuiuis constat: mihi quidem impossibile videtur. Certe hac ætate natura nonnunquam monstrosum quippiam molitur. Et forsan etiam fieri poterit, vt horum operum ipsa non oblita, puerum ab his malis vindicet, beneficio tum ætatis, tum medicamentorum nostrorum. Prognost.

Hoc autem tempore nihil aliud agendum erit, quam vt statim *setaceum* in occipitio paretur. Curatio.

Tempore vero autumni, leniatur aluus, *melle rosarum solutiuo:* vel, si id sumere nequeat, *suppositoriis.*
G Præparentur humores *decocto betonicæ, stœchadis, & pæoniæ, e tusculo.* Deinde exhibeatur lenissimum medicamentum purgans: id quod erit *agaricus.*

Caput expurgetur nasalibus, *ex aqua sacchari,* vel *e succo betæ, cum manna,* cum isto dissoluta.

Postea deueniendũ erit ad generosum aliquod præsidium, cuius ratione caput exsiccari possit. Tale erit *decoctũ e china, sassafras, & guaiaco,* in quo bullierint *betonica, stœchas, & pæonia,* itemque *cichoracea:*

quæ modo maiori, modo minori copia erunt imponenda, prout medico præsenti conueniens esse videbitur. A

Electarium etiam conficiendum erit, *e conserua betonicæ, cum puluere pæoniæ maris, atque cranii humani*: quo vti ante prandium debebit.

His addenda fuerit diligens viuendi ratio. Cauebit a *vino*, quantum fieri poterit: & *aquam* bibet, *in qua anisum & feniculum ebullierint*: præsertim hoc æstatis tempore. Autumno paretur *vinum medicatum*, quod constet tribus aquæ partibus, & vna vini: in quo bullierint *betonica, stœchas, atque pæonia*. Vtatur optimis cibis. Caueat *a carne suilla, & hœdina: a piscibus, fructibus, lacte*, & ab omnibus quæ caput replere possunt. Aluus lubrica seruetur *suppositoriis e melle*.

CONSILIVM XIII. B

In Melancholia hypochondriaca; cum vertigine, vigiliis, & Gallici morbi reliquiis.

I. Hieronymi Fabricii ab Aquapendente.

Historia.

PAtiens nobilissimus, licet bene deambulet, bene discurrat, & ratiocinetur, &c. conqueritur tamen de vigiliis, vertigine, stomachi imbecillitate, doloribus iuncturarum; præterea valde semperque timet, vt ab his affectibus liberari queat. Agitur iam 13. aut 14. annus, e quo in luem incidit veneream: patiebatur tunc iuncturarum dolores, & gummata in capite oriri videbantur. Vsus ergo decocto est; quo sanitati fere est restitutus. Fere, dico: quia integre curatus non est, sed semper aliquos percepit dolores. Verum ante C biennium, cum gonorrhœa infestaretur, & de consilio Hebræi cuiusdam, ad depellendum seminis effluuium immodicum, cum muliere coiret; ita hac in re modum trãsgressus est, vt cum semine vna & sanguinem profunderet. Statim tunc symptomata, quæ recensuimus, ipsum inuasere. Grauis inter medicos oriebatur disceptatio, esset necne patiens a lue Gallica integre curatus. Qui virulentiam hanc adesse credebant, decocto vtebantur: cui tamen nullo modo cedebant vigiliæ, ægro permolestæ. Alius, immunitatem a Gallico pollicitus, serum exhibuit, quo vigiliæ sunt ablatæ. At symptomata paullo post omnia rediere: ideoque denuo sumsit decoctum: nec tamen quicquam proficere his potuit præsidiis. Equidem luem e toto fuisse exstirpatam, credere nequeo. Quos enim iam sentit in iuncturis dolores, eosdem quoque ante annos 14. est expertus: præcesserunt etiam luis caussæ, vt coitus cum mulieribus, itemque gonorrhœa, quæ residere quippiam morbi Gallici testantur. Contra tamen nonnulli omnino hunc morbum recessisse opinabantur: eo quod vxor ipsius sana permanserit, liberosque sanos procrearit: quod etiam dolores validi D non sint & perpetui, sed quasi momentanei. E quibus, vel non adesse luem, vel adesse exiguam, statuendũ mihi videtur: idque etiam hac de caussa, quod patiens, magis a refrigerantibus, vt a sero, est adiutus, quam a decocto; cum tamen contra euenire debuisset, si Gallici morbi affuisset soboles. Iecur credo calidum esse & siccum: quod multum offendit ventriculum, consumens partes adiposas circa ventriculum, huius coctionem iuuantes, & calorem ipsius, alias membranosi & frigidi, custodientes. Hinc excrementa pituitosa in ventriculo generata, mittuntur ad hepar, & obstructiones tum in hoc viscere, tum in mesaræo, efficiunt: hac de caussa dum apparent hypochondria, maxime sinistra, adeo vt pressu etiam doleant, ob materiam in mesenterio contentam. Ex his ergo locis vapores ad cerebrum delati, vigilias excitant, & imaginationem deprauant, vt spe patiens omni abiecta, sanitati se restitui posse diffidat. Iidem vapores vertiginosum producunt affectum, seu potius offuscationem mentis; nec enim vera est vertigo, cum neque cadat, neque in gyrum agi obiecta ipsi videantur. Hos vapores, cerebrum ob debilitatem propellere a se nequit, sed facilius admittit. Vergit autem cerebri temperies ad calidum & siccum: quod declarant modica E excrementa e naribus & cerebro defluentia. Potissima ergo affectio heic esse videtur ventriculi frigida & sicca intemperies; frigida quidem, nam flatus gignit; sicca vero, quia patiens humidis iuuabatur, nimirum sero, & quia copia adest vaporum melancholicorum: Præter etiam hæc, assunt, iecoris caliditas & siccitas, obstructio omnium viscerum, præcipue mesenterii. Non tamen siti æger vexatur, propter multam pituitam, in ventriculo hærentem.

Scopi.

Quoad indicationes; lues Gallica, poscit alexipharmaca: Iecur est refrigerandum & humectandum: Ventriculus calefaciẽdus & humectandus: Materia pituitosa, detergenda, incidenda, attenuanda. Tensionem, tumoremque faciens materia, euacuanda: Humores melancholici & pituitosi euacuandi, & maxime F diuertendi a capite. Vigiliis etiam obsistendum.

Præsagia.

De prognostico. Difficilis admodum est hic casus; non tam ob effectuum magnitudinem, quam quod patiens salutis spem omnem abiecit: tractatus etiam a multis viris doctis, sanari non potuit. Nihilominus habitus corporis is est, qui non omnino despondendum esse animum iubeat.

Curatio.

Materiæ præsidiorum ad triplicem referuntur fontem, Cheirurgicum, Pharmaceuticum, Diæteticum. De cheirurg. *Sanguis* mitti potest, & quidem a vena inferiori, vt reuulsio fiat a capite. Quod si nimis emaciatum corpus non videretur vena secta magis affligendum; per *hæmorrhoides* materia vacuari vtiliter posset. *Fonticulum* habet æger in dextro crure, qui seruãdus est: imo & alter in sinistro crure faciendus est, pro materiæ reuulsione. G

Pharmaceia. Purgatio non erit vehemens, quoniam corpus emaciatum & extenuatum. Leniri ergo debet aluus, *syr. ros. sol. manna, &c.* Materia præparabitur *beton. cich. imo etiam iua*, propter dolores articulorum, & *mentha* propter ventriculum. Purgabitur postmodum, *rhab. agarico, helleboro etiam nigro*, infusis in *decocto cordiali*, additis *manna, & melle solutiuo*. Hæc tamen cura non videtur hoc tempore suscipienda

A pienda,sed in aliud commodius reiicienda. Ideoque in præsens saltem parabitur *vinum medicatum,e ligno,salsa,cortice*,cui etiam imponetur *cichoracea,mentha,betonica,iua,&c.* contra luis virulentiam, & intemperiem ventriculi,iecorisque,contra etiā viscerū obstructionē. Tota ergo hyeme pro potu,in prima die & cœna,hoc *vinū* bibet. Corpora .n. medicamētis fatigata,interdū sine medicamentis oportet relinquere:sed tamē quia melācholici semper auxilia & remedia desiderāt,vt a morbo liberētur; possumus etiam hoc tempore frigido dare,ea quæ deobstruunt,& tensum tumorem auferunt: vt est *decoctum seu ius columbi,aut pulli*,qui repleatur iis quæ contra obstructionēs faciunt, vt sunt *radices filicis, ceterach, beton. radices petrosel.* Ratione stomachi exterius admouebitur *ceratum e mastiche*,& aliqua portione *caryophyllorum,cum cera noua,& oleo de mentha*,quod calefacit,nec admodum siccat. Hæc quidem hyeme peragēda. Veris autem tempore,prout patiens vino & decocto adiutus videbitur, pro eo etiam reliqua decerni
B poterit curatio. Insistemus post in *sero lactis*,quod iecur calidum & siccum maxime iuuare poterit. Eodemque tempore *stillicidiis* prospiciendum ventriculo,aut ex *aqua thermali*,aut (si huius siccitas suspecta sit) ex *ol.mastich. de mentha & absinth.* quibus addetur *ol.amygd. dulcium*, propter siccitatem ventriculi: Ratione articulorum,sumsit æger *terebinthinam Cypriam*; quam laudo hyeme: huic tamen misceantur pulueres *beton.iuæ,salsæ,aut ligni*,& fiat bolus,sumendus non quotidie,sed per interualla,&c.

II. N. Nigri.

QVoniam vertigine patiens laborat,necesse est caput vel primario,vel per consensum affici: non primario,quia nec tinnitus in auribus percipitur,nec caput dolet: ergo ea fit per consensum a partibus infernis,videlicet ventriculo,vnde neque continua est vertigo,neque valde magna. Ventriculus est frigi- Affectus.
C dus,non bene digerit,vnde rugitus in eo percipitur: parum etiam est siccus. Affectio etiam hypochondriaca adest:quia æger timet,solus manere cupit,&c. Iecur calidum est & siccum,vnde pinguedo circa vētriculum absumitur & resiccatur,frigidusque fit ventriculus. Hac de caussa cruditates generantur,obstructionesque in iecore & mesaraicis,maxime circa lienem. Ex his deinde locis vapores elati caput petūt, vigiliasque excitant. Ab eadem caussa iuncturarum exsistunt dolores. Gallicum morbum sublatum esse penitus,non dixerim:quia e decocti vsu iuuamentum percepit,integre tamen sanatus non est. Quod autem liberos habet sanos,vxoremque sanam,nihil est noui:idem enim & aliis accidisse vidi, in quibus & vlcera & gummata conspiciebantur.

Quoad indicationes,ventriculus est calefaciendus & humectandus:caput humectandum: iecur refrigerandum & humectandum,obstructiones tollendæ;humores denique peccantes euacuandi. Indicationes.

D Non impossibile esse,vt his scopis satisfaciemus,existimo:licet enim sępius decoctum,aliaque assumserit remedia,ab his tamen perfecte sanari non potuit,quia forsitan minus recte fuere administrata. Præsagia.

Quoad præsidiorum materias,non adest indicatio mittendi sanguinis, quia æger non est plethoricus,sed extenuatus:attamen cum melancholici humoris assit copia, hæc per *inferiias venas* detrahenda. *Fonticulum* dextri cruris retineat,aliumque in crure reliquo adiungat. Curatio autem ad tempus magis opportunum dimitttenda:iam roborantibus contentos nos esse oportet. Lenienda aluus *manna, melle ros.solut.* Materia præparanda *syru.de cich.de fumar.de beton.cum decoct.iuæ.* Purgantia non erunt valida,eo quod ventriculus per medicamēta iam satis debilitatus est:potest ergo æger assumere *fol.senæ,in decoct.flor.& fruct.cum melle ros.& manna.* His peractis consulendum cerebro,& maxime vertigini. Probo *ius columbinum,pullinæ*,in quod ingrediatur herbarū *mal.beton.iuæ, &c.* quæ non valde siccant. Laudo etiam inun- Curatio.
E ctiones & fomenta ventriculi:nollem stillicidia e thermalibus aquis parari, quæ nimis siccant, sed ex *oleo mastich.& amygd.dulc.* Placet etiam *Ceratum e mastiche* & aliis. Lotiones humectantes capiti administrādæ,e lixiuio,in quo *malua,beton.* bullierint. Stillicidium in capite suspectum esset, ob vertiginem: faceret enim vt magis commouerentur spiritus:& præterea vigilias augeret. Victus erit calfa.& hum.

III. Hieronymi Capiuacci.

PAtiens nobilissimus affectu melancholico detinetur. Ergo necessario afficitur cerebrum tenebricosa affectione,& tenebricoso phantasmate. Cuius caussa interna est spiritus animalis,redditur tenebricosus,non secundum propriam substātiam,sed permistione alicuius materiæ. Huius materiæ species, est vapor melancholicus,non minera. Vitium eius multiplex est:primum,copia;nam patiens fere perpetuo detinetur hoc affectu. Deinde qualitas:est enim vapor frigidus & siccus:vnde vigiliæ ob siccitatem. Tertio, Affectus.
F quies:præter naturam enim in capite quiescit,& animali spiritui miscetur, vnde tenebricosa fit affectio: dum enim mouetur ad caput,fit quasi vertigo. Cerebrum,quia imbecille est,suscipit,habetque rationem termini ad quem:terminus autem a quo,est venter inferior, secundum ventriculum & partes inferiores. Agens,est imbecillitas caloris secundum abdomen. Huius materia est melancholicus humor,qui detinetur propter angustias,& obstructionem,potissimum in liene;quæ suo tempore in flatus vertitur. Caussa generans,est caliditas & siccitas iecoris;propter enim obstructiones, calor non euentatus, intenditur, & exsiccat humidum. Obstructionis vero caussa,est materia pituitosa in ventriculo. Huius enim intemperies,quoad pituitam,& partes superficiarias,est humida:quoad vero alimenti penuriam, & partes internas, est sicca dyscrasia: priore ratione,maxima,vt audio,pituitæ copia per intestina reiicitur. Luem Gallicā recessisse,nihil est quod certo euincat. Nam quod alexipharmaca adhibita non prodesse, sed vigilias excita-
G re potius visa sunt;id eo factum existimandum,quod nimis corpus resiccauere. Nec altera quidquam valet ratio,quod sanam vxor,liberique vitam degant:quippe cum gradus quidam sint luis venereæ, vnaque altera exsistat vehementior:Semen quoque ipsum non perpetuo est infectum, vt per hoc necessario malum præsens videatur propagari debere:imo,si quid illapsum est vitii, natura id omne per fortem calorē, in ætate infantili superare & debellare potest.

Prognost. Quoad prognostica; difficile hoc est negotium, eo quod principes detinētur partes. Quod si tamen spes salutis aliqua concipienda, omnis in generosis medicamentis propositis consistit. A

Curatio, Quamobrem valentiora, veris potius tempore, quam nunc, videtur esse adhibenda, maxime *decocti* vsus. In præsens euacuatio fiet *sanguinis melancholici*, per inferna, non euacuationis quidē, sed reuulsionis tantum gratia. Lenientia & syrupi probantur, cum iuribus animalium, probo etiam *ius pulli, cum boragine*, quæ iecoris feruorem temperat. *Terebinthinæ* vsus mihi suspectus est: facile enim renes, materia copiosa eo deducta, replere potest. Quoad diætam: placet mihi *vinum propositum medicatum*, quo per hyemē æger noster vti poterit.

CONSILIVM XIV.

In melancholia hypochondriaca: pro viro annorum quadraginta, complexionis melancholicæ. B

HIERONYMI CAPIVACCI.

Affectus. QVamuis multa sint vitia, de quibus conqueritur vir egregius: multum tamen est, de quo magis sollicitus esse debeat, quam de melancholia hypochondriaca: cum inde reliqua mala fere omnia dependere videantur. Hoc symptoma est imaginatio deprauata: quæ deprauatur frustrata facultate imaginatrice, ob permistionem vaporis melancholici, cum spiritibus animalibus: cuius vaporis copia vigilias quoque inuehit. Hic autem vapor non in capite generatur: sed ab hypochondriis sursum in caput attollitur. Generatur vero in hypochondriis, e materia melancholica: quæ, cum sit opus quoddam præter naturam, necessario sequitur sanguificationem, tum labefactata facultate, ob intemperiem calidiorem; tum impedita, propter obstructionem venarum iecoris: quæ obstruuntur a materia pituitosa, crassa, dura, lenta, & viscida: quæ sequitur læsam ventriculi chylificationem, labefactata facultate, ob intemperiem frigidam; nec non frustrata, ob errorem externum, ob prauam scilicet viuendi rationem. Vnde & reliqua symptomata excitantur. C

Indicationes. Curationis igitur ratio ita instituenda, vt materia, quæ facit obstructiones, emolliatur, attenuetur, incidatur, ac detergatur: vniuersum corpus purgetur & euacuetur: iecur refrigeretur: ventriculus calefiat: atque vniuersus corporis ambitus attemperetur. Virtus interim minime negligenda.

Præsagia. Quod negotium, quam sit arduum & difficile futurum, norunt illi, qui huiusmodi vitia, & præsertim inueterata, tractarunt. Si huic difficultati etiam inobedientia accedat: nihil certi possumus polliceri. At si optimis præceptis parere voluerit: multa polliceri possumus, & reuera præstabimus. D

Curatio. Cum ergo de optima ægri voluntate bene speremus: præsidiorum materias proponemus. Atque vt de re cheirurgica primum loquamur: laudamus, vt primo sanguis euacuetur, *secta vena iecoraria* cubiti dextri. Deinde *hirudines* applicentur hæmorrhoidibus, & sanguis ea quantitate detrahatur, quam virtus sustinere queat. *Cauteria* etiam duo cruri vtriq; inurantur: vt materia, quæ in ventre inferiori generatur, per ea euacuetur, & sursum tendens, deorsum reuellatur.

Vt vero hæc tuto administrari possint, leniatur aluus *melle rosarum solutiuo, & manna*; vel *electario lenitiuo, & manna*. Præparetur materia *brodiis alteratis* cum iis quæ vim habent attenuandi, & emolliendi, vt sunt, *cichorium, borago, quinquefolium, capillus Veneris, malua*. Purgetur corpus *infusione hellebori nigri, addito melle rosarum solutiuo*.

Corpore semel iterumque purgato, *ius galli* non admodum antiqui summopere laudamus, quod paratum sit cum *boragine, quinquefolio, agrimonia, radicibus althææ, & filicis maris*. His nonnihil *chinæ* addi potest, si bona habetur: sin minus, modicum *salsæ parillæ, ac ligni*. E

Hinc alternis diebus, vel tertio quoque die adhibeantur ea, quæ vim habent humorem melancholicum educendi: cuiusmodi sunt, *epithymus, polypodium, & sena*: vel horum loco detur *syrupus e polypodio*.

Quod si *serum* optime paratum haberi posset: alternatim nunc ius, nunc serum esset exhibendum: dummodo alternis diebus, vel tertio quoque die medicamentum aliquod euacuans propinaretur. Prodest quoque *theriaca*, nec noua, nec vetus admodum.

Extrinsecus conuenit *stillicidium ex oleis*, quæ vim habent calefaciendi, si ventriculo admoueantur, ac instillentur. Nec improbamus, vt hepati refrigerantia admoueantur. Quod si obseruentur obstructiones insignes, laudamus *diachylon cum succo cichorii, & ceratum sacrū*: quin & *synapismos*. Inter cetera summopere probatur *balneum aquæ dulcis*, recta ratione administratum. F

Diæta congrua his iungi debet. *Aer* itaque in actiuis sit temperatus: in passiuis vero ad humidum potius, quam ad siccum vergat. *Panis* sit optime fermentatus, spongiosus, & ex optimo frumento paratus. Probantur *carnes laudabiles: oua recentia*: inter olera, *borago, buglossa, lactuca*, & quæ huius sunt generis. *Acetaria* item sint *e cichorio & boragine*: cocta potius, quam cruda. Inter fructus prosunt *amygdalæ dulces* Refrigerātibus si velit vti fructibus, parce admodum id fiat. *Vinum* sit medicatum. Quare hoc tempore parari poterit, e multa *boragine, buglossa, melissa, quinquefolio, malua, althæa, agrimonia*, & similibus, itemque *radicibus capparum, cum ligni atque salsæ modico*. *Somnus* paullo longior sit consueto. Ad hunc prouocandum, cōuenit *emulsio amygdalarum dulcium; esus lactucæ coctæ* ante cœnam: suffumigium e decocto *capitum papaueris & lactucæ*: ablutio etiam capitis, *lacte* ex vberibus recens mulso instituta. Vrgente necessitate, *semina papaueris albi, syrupus de papauere, philonium*, & quæ huius sunt farinæ, adhiberi caute poterunt. Exercitium non sit vehemens: & instituatur ante cibum, aluo inanita: conueniunt vero peregrinationes. Aluum mollem & fusam habeat: sin minus, arte id beneficii comparetur. Venere, si vxorem habet, parca vtatur. Animi curas tandem & sollicitudines longe propellat. G

CON-

A

CONSILIVM XV.

In melancholia hypochondriaca, anhelitus difficultate, & vrina ſabuloſa:

HIERONYMI CAPIVACCI.

VIr illuſtriſſimus conqueritur hoc tempore de melancholia hypochondriaca, de anhelitus difficultate, & vrina ſabuloſa. Caſus.

Horum affectuum cauſſa præcipua inquirenda eſt, vt curatio recta ratione inſtitui poſſit. Atque vt Cauſſæ.
de melancholia primo loquamur: non eſt dubitandum, quod timor & triſtitia ſint affectus imaginationis
B deprauatæ: quæ deprauatur fruſtrata facultate, ob errorem externum; qui nihil aliud eſt, quam vapor quidam melancholicus, qui cum ſpiritu animali, ſuapte natura æthereo, commiſcetur, eumque obſcura quadam caligine perfundit. Vaporem autem melancholicum in capite generari, non eſt exiſtimandum: ſed gignitur in partibus inferioribus, & excitatur ex humore melancholico, & ab hypochondriis ſurſum in caput fertur. Humor vero melancholicus generatur ob inſignem iecinoris caliditatem: quæ plurimum augetur, propter obſtructionem venarum, quæ alimentum a ventriculo ſuſcipiunt, ſanguine in his craſſiore facto: quid mirum non eſt, propter multas cruditates, quæ in ventriculo generantur, ob ineptam & importunam viuendi rationem. Quare nec mirari quiſpiam debet, quod ex inſigni flatuum copia tunicæ illæ extendantur: quo motu, tanquam obiecto communi inſuaui, ſenſibilis facultas excitata, dum eiuſmodi obiectum percipit, ſenſationem efficit corruptam: quo fit, vt obiectum hoc, ſenſui com-
C muni oblatum, ad appetitum ſenſitiuum transferatur; a quo cum refugiat, tanquam a re moleſta, dolor excitatur. Quo vero iniucundius eſt illud obiectum, eo vehementiorem fieri dolorem, conſentaneum eſt. Fit etiam propter illas cruditates, quæ in ventriculo generantur, vt flatus excitentur: vnde eructationes. Et quoniam ſeroſitas illa copioſa, quæ in ventriculo generatur, in omentum defertur: murmura & ſtrepitus ibidem oriuntur.

Quod ſi ſpectemus materiam pituitoſam, quæ a ventriculo ad renes tranſmittitur: ſi renum caliditatem penſitemus, non erit difficile vrinæ calculoſæ cauſſam reddere.

Feces autem paucæ, & cum difficultate excernuntur, ob inteſtinorum ſiccitatem, ac flatuum copiam.

Difficultas anhelandi proficiſcitur a materia, quæ vias ſpiritus anguſtiores reddit. Hæc materia a ca-
D pite in pectus præcipitatur: & in eo fortaſſe generatur, tum labefactata facultate, ob intemperiem humidam; tum fruſtrata, ob errorem externum. Etenim cum ſuccus crudus & imperfectus in ventriculo generetur copioſus: vix fieri poteſt, quin maior copia nutrimenti in caput attollatur, quam gubernari poſſit: vnde materiæ excrementitiæ quam plurimæ generantur, e quibus deſtillationes.

Hi ſunt affectus, & hæ illarum omnium cauſſæ: a quibus indicationes ſunt deſumendæ. Atque, vt a Præſidia.
cauſſis primum ordiamur: materia, e qua flatus excitantur, & cuius cauſſa obſtructiones fiunt, præparanda, euacuanda, & penitus abſumenda: errata victus corrigenda: ſeroſitas illa, in omento exſiſtens, exſiccanda: renes, pectus, & caput expurganda: deinde, ſi opus fuerit, caput ſiccandum; inteſtina humectanda; omentum calefaciendum & exſiccandum; iecur & renes refrigerandum: virtus & partium, & totius, conſeruanda.

E Omnia vero hæc præſtare, non modo difficile eſt, ſed fere impoſſibile: nam indicantia & plurima Prognoſt.
habemus, & inter ſe pugnantia. Præterea, quis eſt ille, qui ſeroſitatem in omento exſiſtentem, euacuare aut exſiccare poſſit? Sat igitur feciſſe videbimur: ſi ventriculi & hypochondriorum dolores mitigauerimus, ne vehementiores fiant. Neque id quidem conſequi poterimus: niſi patiens mandatis medicorum obedierit: quod ſperamus.

Quoad cheirurgiam igitur: ſi *ſanguis* aliquo modo peccabit, vel habebit rationem cauſſæ ſine Curatio.
qua non: euacuabitur. Quantitatem docebit vis indicantis, & robur permittentis. Locus, per quem euacuandus ſit, quantum coniectura conſequi poſſumus, eſt vena iecoraria cubiti dextri. Modum docebit ſanguinis reſiſtentia: quo enim craſſior eſt, eo foramen latius fieri debet. Quando vero agendum ſit, cognoſcetur e præſentia indicantis, & abſentia prohibentis. Vt autem materia, quæ in caput attollitur, &
F a capite in pectus deſtillat, ad commodiorem locum auertatur: probamus, vt duo fiant *cauteria*: alterum in crure dextro, alterum in brachio ſiniſtro. Quod ſi forte iam fuerint excitata: omnino aperta ſeruabuntur. *Frictiones* partium extremarum, ſi aliter corpus exercere nequeat, adhibeantur: plurimum enim ad materiam auocandam conferre poſſunt.

Vt vero hæc tuto adminiſtrari queant, corpus erit mundandum. Quare leniatur aluus *melle roſarum ſolutiuo, & manna:* vel *caſſia, & electario lenitiuo*. Deinde præparetur materia *melle roſarum ſimplici, vel oxymelite*, abſque diluto. Tum purgetur corpus, *diluto agarici, foliorum ſenæ, & epithymi*: quibus addatur *mel roſarum ſolutiuum, & ſyrupus roſarum ſolutiuus*. Si vnica non ſufficiat purgatio: iterum præparetur materia, ſyrupis *de betonica, de pomis ſimplici, de cichoria*: & alternis diebus, vel tertio quoque capiatur ſyrupus aliquis purgans, veluti *de pomis compoſitus, de epithymo de polypodio, de cichorio cum rhabarbaro*. His ter, vel
G quater ſumtis; iterum purgetur corpus *diluto agarici & veratri nigri, vel epithymi*, prout hoc, vel illud cõmodius ferre videbitur: hiſque addatur *mel roſarum ſolutiuum, & ſyrupus de polypodio*, vel ad *pilulas cochias cum helleboro* fugere licebit: quæ *maſtichinis* corrigendæ.

Corpore exquiſite purgato, caput ſternutatoriis vacuabitur: primo quidẽ leuioribus, vt eſt *ſuccus maioranæ, radicis betæ*: deinde valẽtioribus, vt *decocto cyclaminis, ſucco hederæ, myrrha, cumino*, quibus addere

licet duplum *medullæ cucumeris asinini*:hæc tuta,& *lacte muliebri vel capillo* macerata & subacta , in colly- A
ria redigi,& administrari possunt;præsertim si caput repletum esse videbitur.
Interim vero *decoctum salsæ & chinæ cum boragine* est exhibendum , vt obstructiones penitus aufe-
rantur,& materia excrementitia exsiccetur,atque absumatur.Dosis iam non definitur:est enim pro tole-
rantia patientis præfinienda.In hoc decocto administrando,ea semper cautio adhiberi debet,ne iecur in-
calescat:quod ex vrina & siti facile cognoscetur.Eo tempore,quo decocto vtetur æger, victus sit medio-
cris:subtrahatur enim tertia pars illius cibi,quo alias vti consueuit.Potus sit vinum tenuis substantiæ,& in
pauca quantitate.Et singulis decem diebus vtatur aliquo purgante.Quod si sudor,illæso capite , quando-
que euocari poterit,non erit præter rationem:id quod instrumentis appositis,& accommodatis tentabi-
tur.Tempore autem,quo sudabit,munietur iecur *vnguento santalino , vel succo cichorii cum modico aceti,*
penetrationis gratia:renes vero *vnguento rosato Mesuæ*, vel *refrigerante Galeni.* B
Vt autem serositas illa,quæ murmura facit,si fieri potest,elidatur , ac penitus absumatur , partesque
illæ roborentur:non improbamus *stillicidium aquarum sulphurearum*;nec *luti administrationem* , si forte
aderit. Qua in re illud est cauendum , ne oblædatur iecur. Hoc autem præcaueri poterit facile,si instru-
mentum paretur accommodatum,quo ceu pariete quodam & vallo regio,vna ab altera distinguatur.Lo-
cus administrandi stillicidii,sit paullo infra ventriculi regionem. Post stillicidium vero , aut luti admini-
strationem,pars illa foueatur cerato aliquo,quod vim habeat calefaciendi & exsiccandi:veluti est *sacrum*;
vel e pulueribus & liquoribus calidioribus & siccioribus,cum modico *ceræ* paratum.
Eodem modo caput erit exsiccandum:ni forte cum capitis humiditate fuerit coniuncta caliditas:
tunc enim exsiccantibus quidem,sed frigidis,aut minus calidis erit agendum : veluti, si paretur lixiuium
aliquod cum *foliis rosarum,betonicæ,salicis,cum radice filicis maris,cum agarico*,& eiusmodi aliis. Hoc stilli- C
cidium,abrasis capillis,fiet in sutura coronali.Post huius administrationem,eodem modo pars illa cerato,
quod eandem vim habeat,muniatur.Tempus opportunum stillicidii vsui erit ieiuno ventriculo. Et quia
gutta cauat lapidem non vi, sed sæpe cadendo : ob id pluribus diebus hæc alterantia erunt vsurpanda : &
quamdiu indicantis præsentia postulabit.
Ne autem materia ita facile a capite ad pectus delabatur:noctu ad eam intercipiendum probamus,
vt sub lingua detineatur *saccharum rosatum antiquum,bolo Armena* permistum: aut confectio illa , quam
Diacodeion vocant,aut *diatragacanthum.*
Vt vero materia,quæ in pectore exsistit,educatur:medicamentum aliquod vsurpandum,quod vim
habeat incidendi,detergendi,concoquendi:& quod stomachicum simul exsistat : cuiusmodi parari pote-
rit e *melle* optime despumato,cum modico *aceti*:vel ex *oxymelite simplici*,cum *penidiis* , vel *saccharo viola-* D
rum,& diatragacantho:ex his facta mistura sub lingua detineatur.
Peracta purgatione,ad caput,partesq; inferiores roborandum,frequenter patiens vtatur , tempore
æstatis,*conseruis betonicæ,rosarum,boraginis,cichorii*:tempore frigidiore,nõnihil *theriacæ*, vel alicuius ma-
gnæ antidoti admiscere proderit.
Verum omnis medicatio vana & irrita est futura, nisi recta & diligens viuendi ratio adiungatur.
Quare *cibaria* habeant vim attenuandi,& flatus discutiendi:sintque facilis concoctionis. Atque inter ci-
bum & potum par semper ratio seruetur.*Carnes laudabiles, & oua sorbilia* probantur:nec non fercula, quę
ex his parantur : quæ condiri possunt speciebus paratis *e coriandro , & saccharo* , pro saporis iucunditate.
Acetariis potius coctis,quam crudis,vtẽdum: & potissimum *boragine,cichorio, & capparibus.*Inter fructus
laudantur *amygdalæ dulces,pistacia.*In secunda mensa apponatur *diacydoniten cum coriandro* præparatum; E
vel puluis *coriandri*,cum modico *saccharo* ; vel aliquid aliud flatus discutiens , & os ventriculi roborans.
Potus sit vinum maturum,non potens,sed mediocre:non nigrum , sed rubrum , & in pauca quantitate.
Somnus sit moderatus.A meridiano careat,nisi forte noctu vigilauerit. Exercitium laudatur: sed ante ci-
bum,aluo inanita.Sedes quotidie procurabit:& si natura hac in parte segnis fuerit, vtendum *iure passula-*
to,cui *pruna damascena admodum dulcia, vel caricæ pingues,ac dulces* incoxerint:*passulæ* quoque,*pruna, &*
caricæ deuorari debent:neque semel id agendum,sed pluries,donec aluus lubrica fiat.In hunc finem lau-
datur etiam *brodium caulium*,vel *betarum*,vel *mercurialis*,cum *oleo & saccharo*,sæpius administratum. His
enim leuioribus aluus erit mollienda,si opus esse videbitur.In reliquis rebus non naturalibus optime e-
tiam se gerat.

CONSILIVM XVI. F

In melancholia,vertigine,& muscis ante oculos apparentibus:

HIERONYMI CAPIVACCI.

Affectus, & caussæ.
NObilissimus hic patiens diu iam & assiduo studiis inuigilauit: vnde non solum ventriculus , & cere-
brum debilitata sunt , verum etiam totius corporis actiones male celebrantur. Hinc factum est, vt
cruditates in ventriculo genitæ sint : quæ omnium malorum ; de quibus conqueritur, caussæ exsistunt.
Dum enim attrahuntur a iecore,obstructiones fiunt,quæ iecur calidius,quam par est, reddere valent:vn-
de fit,vt humor melancholicus producatur:a quo cum vapores eleuentur , & ad cerebrum perueniant,
melancholicos affectus producunt.Amplius vero a cruditatibus in ventriculo detentis similiter eleuan-
tur vapores,qui,petentes caput,miscentur cum spiritibus animalibus,qui in anterioribus cerebri ventri- G
culis reperiuntur,ac vertiginem efficiunt.Quædam vero portio eorundem vaporum ad oculos aliquan-
do peruenit:vnde muscarum ante oculos volitantium imago exsistit.

Indicationes.
Scopi curationis sunt,ventriculum roborare calefaciendo & exsiccando : caussam obstructionum
remouere:vapores,caput petentes,reuellere,& intercipere:habita prius totius prouidentia.

Nec

Præfagia.

A Nec desperamus hos scopos impleri posse:quia dyscrasiæ illæ tantæ nō sunt,quæ medicamentis non cedant.Facile quoque erit,obstructionum illarum caussam remouere.

Curatio.

Quod igitur cheirurgiam attinet,semper obseruet, vt *hæmorrhoïdes*, quarum fluxus ægro consuetus iam ante est,fluere permittat: imo hoc autumno (in quod tempus omnis medicatio differenda est) si occlusæ erunt,*hirudinibus* aperientur. Nec alia per venas sanguinis missio erit instituenda. Paretur præterea in crure dextro *cauterium*,ad vapores illos reuellendum.

Quoad pharmacciam:leniatur aluus *diacatholico*,& *speciebus hieræ*. Præparentur humores *syrupo de betonica,& melle rosarum*.Expurgentur,*rhabarbaro,agarico foliis senæ,polypedio,infusis in decocto florum & fructuum*.Iterum præparentur *syrupo de fumaria composito*,& *de cichorio simplici,cum decocto boraginis, ceterach,agrimoniæ,melissæ,& betonicæ*.Et tum denuo purgentur *agarico,helleboro nigro*, additis *epithymo &*
B *sena*. Quod si bolus magis arriserit, quam potus: exhibebitur *confectio hamech*, *& electarium lenitiuum*.

Caput,his peractis,euacuandum erit,masticatoriis,confectis *e cera & mastiche*.

Tandem deueniendum erit ad aliquod generosum præsidium,quo ventriculus calefieri,& exsiccari possit.Quare conueniet *ius galli* non admodum decrepiti,alteratum *mentha,ceterach,agrimonia,betonica, melissa,feniculo*,& portione ipsius *sassafras*.

Stillicidium etiam parabitur ex *oleo medicato,vt ex oleo de spica;& de mastiche,cum aromatibus, & cū vino albo generoso*:hocque ipsi ventriculo administrabitur.

Tota sequenti hyeme vtendum erit *conserua betonicæ,menthæ,melissæ*. Quibus nōnunquam aliquid *theriacæ* permiscebitur.

C Omnibus prædictis accurrata victus ratio accedat,necesse est. Caueat igitur ab *aere* frigidiore. *Cibi* sint boni succi,& facilis digestionis. Fugiat *lacticinia,& pisces*. Fructibus moderate vescatur. *Vinum* paretur tempore autumni,in quo ebullierint *stœchas,betonica,saluia,rosmarinus,borago,guaiacum*, & similia.

CONSILIVM XVII.

In melancholia:

HIERONYMI CAPIVACCI.

Natura affectus.

AFfectus huius mulieris melancholicus pertinet ad imaginationem deprauatam. At imaginatione deprauari aliter non potest, si caussam proximam & continentem spectemus, quam ob errorem externum,id est,ob spiritus animales tenebricosos & veluti caligine obductos: quos quidam spiritus du-
D plici ratione tenebris offundi existimandum est;vel quod ex impuriori spiritu vitali reficiantur ac restaurentur;vel quod vapores melancholici a partibus inferioribus,& præsertim ab vtero sursum ad caput delati,cum spiritibus animalibus permisceantur. Spiritus autem vitalis impurus redditur, cum e sanguine melancholio generatur;qui sanguis melancholicus est veluti partus iecoris, calida & sicca intemperie affecti. Quo fit etiam,vt ob eiusdem sanguinis crassitiem, interdum aut imminuantur,aut supprimantur menses.Quo tempore,cum plurimos vapores a iecore & vtero in caput exhalare contingat; mirum non est,si sæuiora symptomata subsequuntur,sique vigiliæ maxime ægram exercent.

Indicationes.

Quæ cum ita sint:ratio curationis postulat, vt iecur refrigeretur & caput totumque corpus humectetur,& sic corporis proprietas conseruetur,ac veluti viuificetur.Sed quia hæc tuto administrari nō possunt,nisi totius prius ratio habeatur:ideo corpori vniuerso consulendum.

Prognostica.

E Hos autem scopos implere est difficile:nam propensio illa naturalis ad melancholiam,iam habitum contraxisse videtur. Quod si tamen obedire voluerit, pollicebimur, eam ad meliorem statum redituram.

Curatio.

Purgato igitur corpore,duos *fonticulos* in cruribus excitauimus:& eos quidem in parte interiori, vt essent materia auxilii,reuellentis materiam,quæ a partibus inferioribus ad caput defertur; tum vt matricis purgationibus plurimum conferrent.Reliquum erat,vt & quæ intus assumuntur, & quæ extrinsecus adhibentur,pro iecore refrigerando, proque capite,vtero,ac toto corpore humectandis, proponeremus.Sed quia curatio hæc longitudinem temporis postulabat:decreuit ægra in patriam abire,vt ibi curatio tota absolueretur. Laudo igitur pro refrigeratione iecoris,vt *serum lactis caprini* his diebus calidioribus per XV.dies bibat:cuius dosis pro singula vice,sit a ℔ ij.vsque ad ℔ iij ß.Sed aduertendum est, vt se-
F rum sit a partibus caseosis maxime perpurgatum, nec sit fallum, alioquin magnopere obesset, non prodesset.Etsi non pertransiret,in primo cyatho ponantur ℥ *iij.mannæ*:& post quartum,vel quinctum,commisceatur *emulsio sem.melon*.Confert etiam plurimum *aqua B.Virgin*.Laudo *balnea aquæ dulcis*.Item, irrorationes capitis *e lacte caprillo*,dum animalibus recens ex vberibus extrahitur. Vel eius loco vti poterit *decocto aquæ dulcis,tum althæa,malua*,& id genus aliis alterantibus. Præterea laudatur aliquod conseruæ genus,vim habēs lætificandi, verbi gratia, ℞. *succi condensati extracti e foliis borag. & sonchi, semin.acetos. coralli rub.ana* ℨß.*santal.citrin.margarit.glandis vnguentariæ,ana* ℈ j.*sacch.ros.antiq.syrup.de acetos.citr. ana* ℥ j.M.fiat electar.His & similibus vtendum,si nihil impediat. Nec erit præter rationem, si pessarium aliquod paretur cum his,quæ vim habent vterum roborandi, quæ tamen primum caloris & siccitatis gradum non transcendant,veluti est *manna thuris,aloe crassa,&c.* quæ vino albo tenui & aromatico formari
G & administrari poterunt.

Diæta vergat ad frigidum & maxime ad humidum. *Carnes* sint optimi succi & εὔπεπτοι. Inter *olera* probatur *borag.bugloss.meliss.blitum,&c. Pisces* nō omnino improbantur. *Legumina* omnia sunt vitanda. *Oua* probātur,præsertim sorbilia,vtetur eis mane & vesperi. *Acetosa,cichorium, borag.lactuca, endiu. bugloss.&c.* cocta magis quā cruda conueniūt. *Floribus* crudis etiam vti poterit.Somnus sit consueto lōgior.

Exercitium laudatur opportunum. Nec domi clauſa detineatur, alioquin de illius ſalute actum eſt, potius A curru, & equo, &c. loca circumſpiciat. Aluus ſit lubrica: & ſi reſtiterit, balano vel clyſmis prouocetur. Omnium maximum, eſt animi lætitia, ſine qua nullum eſt remedium, quod prodeſſe poſſit. Demantur ergo, quoad fieri poteſt, omnes curæ, & animi ſollicitudines. Et quia nihil eſt, quo lætari magis videatur, quam diuitiis & opibus, danda eſt opera, vt aliquo modo decipiatur, ipſi per ſuadendo, opes ipſius indies magis augeri, & eam breui tempore fore ditiſſimam. Et ſi quid aliud erit, quo delectabitur, in eo erit decipienda. Reliqua medicis præſentibus committenda.

CONSILIVM XVIII.

In puſtulis, fiſſuris, & denudationibus labiorum:

HIERONYMI CAPIVACCI.

Affectus. PVſtulæ, rimulæ, & decorticationes labiorum, in viro illuſtriſſimo, oriũtur ab humore miſto, pituitoſo B ſcilicet & deurente ſanguine, qui deſcendit a capite: quod præter alia certo demonſtrat, calidæ materię ad dextrum oculum deſcenſus, quæ in ipſo quidem capite partim oritur, & partim aliunde recipitur. Habitus patientis eſt ſiccior, & iecur calidius: cuius cauſſa iam pridem exuſtus generabatur ſanguis, qui in cruribus vlcera curatu difficilia excitabat. Curatio moram non patitur: facile enim illa vlcera, quæ prauitate non carent, fœditatem & contumaciam adipiſci poſſent. Labia ſane ad concipiendum fluxiones prona ſunt, eiſque non ægre, ob conſortium & ventriculi, & cerebri vitia, communicari poſſunt.

Scopi. Primum corpus expurgandum eſt ab his, quæ exuſta iam ſunt, & quæ leuiter deuri poſſunt, & denique ſeroſus ſalſus humor a ſanguine expurgandus. Deinde auertendi ſunt humores ad cerebrum irrepẽtes: cum his quæ iugiter id præſtant; tum his quæ per interualla nonnunquam maiora, nonnunquam minora, ipſas reuocant. Deinceps afflictis partibus ſuccurrendum erit repellẽtibus leuioribus, euacuantibus, C detergentibus, ſiccantibus clementioribus. Tandem rimulę & decorticationes auferendæ: & labia ſanitati priſtinæ reſtituẽda. Interim diæta ita inſtituetur, vt & noxiorũ generatio inhibeatur, & viſcera roborẽtur.

Curatio. Primum his abſoluendum: ℞. *electuar. diacathol.* & *lenit.* ana ℥ß. *M. ad ſacch.* fiant *boli*, capiendi ſeſquihora ante cibum. Sequenti die cephalica dextra tundenda, ad ℥iiij. aut ℥v. Interpoſito deinde vno aut altero die, baſilica ſiniſtra ſecanda, & eadem quantitate detrahendus ſanguis. Peractis ambabus venarum ſectionibus, ſerapiũ hoc præſcribatur: ℞. *ſyr. de ſucci cich. de ſucco borag. iulepi viol. ana* ℥ß. *decocti ſem. melon. fol. endiu. capill. Veneris rad. bugloſſ. & paſſul.* ℥iij. *M.* Huius vſu humoribus temperatis, & corpore parato ad purgationem, ſoluens leue dabitur hoc: ℞. *ſyr. roſ. ſol. de fumo terræ ſolutiui ana* ℥jß. *decocti facti e foliorum ſenæ* ℥ß. *florum cordialium p. j. paſſul.* ℥vj. *in aqua endiu. & bugloſſæ ſ. a. q. ſ. fiat potio.* Abſoluta hac purgatione, D ſi humorum contumacia perdurauerit, repeti poterunt ſerapia, addendo *beton.* itemque repetetur ſoluẽs, addendo momentum *rhab. & agarici:* vel purgans erit componendum, e *leniente, agar. trochiſcato, & confect. hamech*, nec non & tantillo *rhab.* Hæc de primo ſcopo.

Alter ſcopus eſt, retrahere humores, repentes in cerebrum, & alias laborantes partes. Quamuis autẽ & quæ iam in primo ſcopo egimus, hoc mediocriter faciunt: tẽtanda tamen ſunt, quæ magis idem agunt. in quorum albo ſunt *vlcuſcula*, excitata in ſiniſtro crure, & dextro brachio, quibus mirifice, retractio fit a ſupernis partibus ad infernas. Ad idem faciũt infernarum partium *frictiones* ſuperne deorſum validiores: nec non earundem partium *lotiones, e ſimplici aqua* inſtitutæ: quæ exerceri etiam poterunt in brachiis. Vlcuſculum in occipitio ſummopere eſſet commendandum, niſi deterrerer a vocis raucedine quadam, ſignificante, lingulam caputque tracheiæ arteriæ, aut acquiſititio, aut natiuo temperamento imbecilliora eſſe. Ceterum, ſi concurſus humoris non poteſt his compeſci aut retrahi: generoſius quid præſcribendũ, E nimirum decoctum *ſalſæ parill.* diligenter paratum, tum *rad. cich. bugloſſ. & fol. beton.* quorum quantitatem medicis aſſiſtentibus relinquimus, monentes, decoctum leuiuſculum eſſe debere: huius enim vſu, nõ tantum humores auerti poterunt ad externas partes, ſed omnis etiam ſuſpicio luis Venereæ tolletur; & commendaremus eius vſum hoc tẽpore. Hoc præſidio, vna cum mediocri diæta, per XX. dies vtendum, ſi morbus primo præſcriptis non cedat. Deriuantium a capite medicamentorum omnẽ vſum reprobamus: quia deductio ad conſueta emunctoria, per quæ cerebrum mundari ſolet, poteſt obeſſe oculis, & aliis partibus afflictis.

Vltimo loco ſatisfaciendũ ipſis partibus affectis. Vbi probamus *vnguentum Laurẽtii Lazari*, medici & cheirurgi excellentis, quod omnes propoſitos ſcopos perficere poteſt, & ſic habet: ℞. *litharg. argenti, plumbi vſti ana* ℥j. *myrrhæ, aloes, tutiæ præparatæ ana* ℥ij. *pingued. vituli* ℥j. *ſucci ſolam. ſucci plantag. vini granat. ana* ℥ß. Bulliant humida omnia ad conſumtionẽ ſuccorum: deinde colentur: quibus adde *cera aloë* q. ſ. & reliqua omnia in tenuiſſimũ pollinẽ redacta, atq; per pannũ trãſmiſſa adde: fiat vnguentũ in mortario plumbeo reformatũ: quo panni linei ſubtiliſſimi imbuti parti affectę applicandi, & bis in die permutandi. E

Viuendi ratio hæc eſto: *Vinum* ſit album, non potens, non adſtringens, ne aluus ſiccior reddatur, ſed ſubſtãtiæ tenuis. *Cibi* elixi potius, quam aſſi, medicati cum *rad. bugloſſ. fol. borag. &c.* Cauendũ ab omnibus acribus, itẽ a ſale conditis, nec non a generantibus craſſum & pituitoſum ſuccũ. Fugiẽdus aer caliginoſus, valde frigidus & nocturnus. Proſunt corporis motus mediocres, congruo ſeruato tempore: quos ſi adire non poterit, frictiones adminiſtrandę. Labia minime exercenda, quantũ fieri poteſt. Aluus ſi ſponte mollis non ſit, iuſculis paratis *e paſſulis & prunis damaſcenis* mollienda erit, vel clyſmis lenientibus. G

CONSILIVM XIX.

In paralyſi infernarum partium, nec non conuulſione, & dolore:

HIERONYMI CAPIVACCI.

Affectus. PRoponitur paralyſis partium infernarum a renibus infra; cui motus quidam conuulſiui adiunguntur, nec non dolor quidam grauatiuus circa regionem renum & lumborum. Suppoſitis igitur

intem-

A intemperiis membrorũ principum, iecoris ſcilicet calidioris & ſiccioris, ventriculi frigidioris, & aliquan-
tulum humidi, nec non capitis humidi ad calidum vergentis, a medico præſente optime cognitis & no-
bis præſcriptis: vt recte inſtitui poſſit curatio, inuenienda eſt cauſſa. Cum igitur propter paralyſin patiens
non modo nihil inferiora mouere poſſit, ſed ſecundum illas partes difficulter etiam ſentiat: cõſtat duplex
eſſe ſymptoma in actione animali; quorum alterum in motione ablata, alterum vero in ſenſu diminuto
conſiſtit. Quæ ſymptomata ratione cauſſæ minime curationem immutant; ſunt tamen ſigna vehemen-
tioris eſſentiæ ipſius cauſſæ, & proinde difficilioris curationis, quod ad prognoſticũ facit. Cũ autẽ omnis
actio animalis, non modo requirat ſubſtantiam, ſiue partem aliquam, cui actio illa credita ſit, ſed etiã ſpi-
ritus animalis, pro obeundis actionibus ſummopere ſit neceſſarius: mirum non eſt, ſi deficiente hoc ſpiri-
tu, nulli etiam fiant motus, in muſculis & partibus infernis, quę ſentire poſſunt, adeoque actiones moti-
B uæ in his aboleantur, ſenſibiles autẽ partium infernarum imminuantur. Cumque ceterę actiones anima-
les, quæ membris ſupra renes exſiſtentibus ſunt concreditæ, optime fiant; ſignum eſt, ſpiritus animales in
cerebro generari, & transmitti ad ſpinalem medullam, ita vt omnes partes ſupra renes ſpiritu animali
irradientur, & muneribus ſuis fungantur. Ad partes autem infernas non tranſmittuntur, impedimento
ſcilicet in via exſiſtente; quod nullum aliud eſt, niſi denſitas in ſpinali medulla. Et ratio eſt; quia cum partes
infra renes omnes æqualiter illis vitiis afficiantur: procul dubio neceſſarium eſt, noxam ſtatuere in aliquo
communi principio, a qua ſentiens & mouens facultas illis partibus diſtribuatur. Hoc autem principium
nullum aliud eſſe poteſt, niſi ſpinalis medulla, a qua (vt notum eſt) omnes nerui, facultatem animalem de-
ferentes, originem ducunt. Denſior autem medulla eo loci, infra renes, eſt reddita; nam ab eo infra, & ſen-
ſatio imminuitur, & motus aufertur. Hæc autem denſitas, cum ab aliqua cauſſa pendeat: hæc nulla alia vi-
C detur, quam materia pituitoſa, craſſa & lenta, quæ ob intemperiem cerebri & vẽtriculi generatur, e craſſo
& lento alimento, prauaque victus ratione, vt medicus optime retulit. Hic autem humor frigidus, craſſus,
& lentus, detruſus ad illas partes, non modo ſpinalem medullam denſare poteſt, vt hac ratione cauſſa ſit,
quo minus ſpiritus animalis trãſire queat, & partes infernas illuminare; ſed etiam ſua copia partes illas, ad
renes & lumbos ſpectantes, replet; cumque ſua qualitate nullam aut exiguam ſolutionem vnitatis inferre
queat, multitudine tamen aſſiduam grauitatem infert, & proinde leuem & grauatiuum dolorem, Quin
imo hæc eadem materia, in iiſdem & proximis locis detenta, & aliqua e parte in vapores verſa, (inque va-
pores forſan ſatis infarctos) eſt in cauſſa, vt vapores illi, ab ipſa eleuati, membrorum ipſorum partes ner-
uoſas petentes, expultricem irritent, vnde partes irritatæ in ſeipſas contrahuntur, vt noxium expellant;
& hinc motus illi conuulſiui oriuntur, qui legitimi ſeu veri non ſunt, id eſt, non pendentes a ſolo morbo, a
D repletione, ſeu inanitione; ſed illegitimi, pendentes a ſola facultate expultrice irritata eo modo, quo dixi-
mus. Ex his dictis, non difficulter ratio poteſt reddi ſymptomatum, quæ & in mictione, & egeſtione con-
tinguut; & quoniam in relatione, quæ fit a patiente, & quæ fit ab excellẽte viro, eſt aliqua diuerſitas, vtri-
uſque relationis ſatis poteſt reddi ratio. Et primum, ſi (vt refert patiens) neque ſe egerere, neque mingere
ſentiat: dicendum eſt, quod, ſicuti ceteri motus auferuntur, reſolutis muſculis, propter dẽſitatem ſpinalis
medullæ: ita propter eandem denſitatem reſolutos eſſe muſculos, qui podici & collo veſicæ præficiuntur,
vnde ſine ſenſu excrementa illa deiici neceſſe eſt. Si vero res ſe habet, vt refert excellentiſſimus vir, ſumma
ſcilicet difficultate in aluũ infuſa detineri, & deſiderio aſſiduo mingendi vexari, nec tamen ad libitũ lotiũ
emittere poſſe; dicendum eſt, non vndiquaq; reſolutos muſculos illos, ſed cum maior ſit noxa in muſculo
podicis, difficulter iniecta detineri; cum autem in veſicæ muſculo minor ſit noxa, fieri, vt vrina detineri
E poſſit, quæ detenta cum copia aggrauet & irritet facultatem expultricem, deſiderium mingendi inferat;
debili autem exſiſtente eadem expultrice, propter veſicæ frigidam intemperiem, non poteſt ad libitum v-
rina expelli. At vtcunque res habeat, nil mutatur curatio.
His ita conſtitutis, patet quid pro curatione agendum ſit; ſcilicet materiam illam, ſeu continentem Indicatio-nes.
cauſſam tum denſitatis, tum doloris grauantis, omnino eſſe exſtirpandam; ita tamen, vt, cum ſit viſcida, &
craſſa, & fortaſſis per moram duritiem aliquam adepta, debeat detergeri, incidi, & emolliri; quæ emollitio
ea ſaltem ratione iniungenda eſt, ne forte ratione medicamentorum diſcutiẽtium, tenuiores partes re-
ſoluantur, & craſſiores remaneant. Partes ſunt attemperandæ. Ventriculus calefaciendus & ſiccãdus. Ca-
put exſiccandum. Totius ante omnia eſt habenda prouidentia.
Quos ſcopos explere admodum difficile eſſe iudico: præſertim ratione illius materiæ occupãtis ſpi- Prognoſt.
F nalem medullam. Nam quod ſpectat ad intemperantias illas, non erit fortaſſis ita difficilis curatio; diffici-
lima tamen erit ratione dictæ materiæ; huius enim ſi conſideremus poteſtatem & vehemẽtiam, habet ve-
hementiam inſignem, ratione propriæ eſſentiæ, propterea quod eſt copioſa, viſcida, craſſa, & proinde dif-
ficilis exſtirpatu; cuius copiæ, viſciditatis & craſſitiei, illud poteſt eſſe indicio, quod maior copia & maior
craſſities eſt in materia, quæ cauſſando denſitatem, & ſenſum, & motum aufert, quam quæ motum tantũ
aufert. Præterea habet vehemẽtiam ſatis magnam ratione dignitatis; occupat enim materia hæc ſpinalem
medullam, quæ eſt membrum ſatis nobile, e ſubſtantia cerebrali conſtans: vt hac ratione etiã difficilis red-
datur curatio. Ratione facultatis corpus regentis, nullam videtur cauſſa hæc habere vehementiam, cum
nullas lædat facultates, Proin cum virtutes omnes ſatis ſint robuſtæ, ſpes optima eſt aliquid efficiendi.
Ergo quoad cheirurgiam: *ſanguis* non videtur mittendus; nec enim habet rationem cauſſæ princi- Curatio.
G palis, quia malum non fit a ſanguine; nec cauſſæ ſine qua non; cum enim multos dies in lecto æger permã-
ſerit, conſonum rationi eſt, potius abundare alios humores, omiſſis ſcilicet conſuetis exercitiis, corpore
refrigerato, caloreque tepido reddito. Quod ſi forte alias fluxiſſent *hæmorrhoides*, non eſſet pręter rationẽ
aliquid ſanguinis ab eo loco detrahere. *Fonticuli* maxime laudãtur in ambobus brachiis, præſertim in oc-
cipitio infixi. Præterea, poſtquam omnia & interna, & externa, & toti, & parti affectæ adminiſtrata, non p-

fuerint: maxime laudamus si eo loci, vbi suspicio est, densitatem adesse in spinali medulla, fiat *inustio*, vt scilicet materia ibi contenta, hoc præsidio generoso euacuetur. A

Leniens medicamentum, sit *mel ros. sol.* Præparantia sint, *syr. de beton. cich. borag.* Et quia refert excellentissimus vir, adesse obstructiones in iecore, & liene: ideo ratione illorum cõueniunt aperientia, absque tamẽ caliditate insigni, vt *pentaphyll. agrim. capill. Veneris, tamarisc. radices filicis, &c.* Præparatis humoribus, expurgentur hi, non semel, sed bis, *agarico*, seu recipientibus *agaricum*, vel *pilulis de agar. permistis cum cochiis*, & similibus. Toto expurgato, est expurgandum caput: & cum duæ sint viæ, os, & nares: via oris est suspecta propter dyspnœam quam passus est, ne scilicet catarrhus forsan masticatione ad illas partes deuoluatur. Expurgabitur igitur caput per nares sternutatoriis, & succis per nares attractis, vt *succo betæ maioran.* Hoc facto ad generosum aliquod præsidium deueniendum: qualia sunt, *salsa, china, guaiacum, sassafras*: omnia hæc probantur, ita tamen, ne nimis calidis vtamur his temporibus, quia virtus ratione aeris calidioris, non profert. Quare paretur decoctũ *e salsa & china*: in quo, ratione iecoris, *borag. & cich* addãtur. Frigidioribus vero temporibus, si malum non cessauerit, *guaiaco & sassafras* erit vtendum: quo tempore erit etiam opportunus vsus *magnarum antidotorum*. Sicuti tempore calido, non erit pertrãseundum vltra *conseruam betonicæ*, & similia in primo gradu calida. Multa quoque conueniunt exterius administrata, ratione ventriculi. Potissimum autem quando *salsæ & chinæ* decoctum assumitur, optimum erit, si foueatur *vino generoso*, in quo *betonica, mentha, absinthium, anisum, &c.* sint incocta: & postea iungatur *decoctum anethi, mastich. de absinth.* Conuenit *stillicidium ex aqua thermali*, & siccante, & calefaciente, si adesset. Capiti similiter conueniunt ea medicamenta exsiccantia, & minime calefacientia: vt abluitiones, *e lixiuio & cinere panco vitis*, confectę, in quo sit incocta *beton. folia salicis*. Locis affectis, si fieri potest, omnino parentur *insessus in aqua thermali*, quæcunque illa sit, dummodo calefaciat & exsiccet: ita tamen vt omnes partes inferiores, vsque ad iecur, in aqua illa immergantur. Locis illis in regione renum, & pręsertim vbi est densitas, optimum erit prius imponere *emplastrum de meliloto*, per 4. aut 6. dies: deinde per 6. alios dies idem emplastrum permiscere æquis portionibus, cum *emplastro sacro*: Vltimo loco ponatur *triapharmacum. confectum ex oleo antiquo, lithargyro, & aceto*, æquis portionibus, cui adiungatur *elaterium & colocynthis*. Ita enim primo loco emolliemus: secundo emolliemus, & pariter resoluemus: tertio emolliemus, resoluemus, & materias illas a proprietate attrahemus. Quod si hęc non profuerint, ad *inustionẽ* accedendũ. B C

Diæta erit moderata, ne cibi copia augeatur materia, vel paucitate prosternantur vires: sit attenuans & incidens, quia materia viscida, crassa, & difficulter resolubilis. Vinum fugiatur: tum potissimum, quando decoctum sumitur.

CONSILIVM XX. D

In læsa visione: in iuuene 25. annorum:

MEDICORVM SVBSCRIPTORVM.

Affectus. MAnifestus hic est affectus, sed difficilis curationis. Actio quidem humoris crystallini nequaquã prorsus est ademta, neque neruus opticus adeo affectus, quin & facultas & spiritus aliquatenus transmittatur, quia lumẽ solis videt: nihilominus facultas illa admodum est impedita. Caussam vero, qua actio crystallini sit impedita, nullã aliam esse dicimus, quam materiam, in parte ante crystallinũ, aut albugineũ humorẽ ita concretã & induratam, vt fere callũ ibi induxisse videatur. Hæcq; cũ sæpe varios colores referat: non vnius generis est. Neq; vlli mirũ sit, si ob importunã tractationẽ cheirurgicam, & ob continua studia, nec non naturalẽ oculorũ imbecillitatẽ, maxima materiæ copia confluxerit, & in hac humorum colluuie, cornea aliquid sit passa, & huiusmodi humore secundũ intrinsecã & extrinsecã partẽ fuerit imbuta. Hos vero humores inibi generari non credendũ est, sed potius in cerebro eos produci credimus, & inde ad oculos labi, & malum adaugere: vbi enim in corpore pars aliqua læsa est, natura semper ad illam excremẽta demittit. Et quamuis corpus nobilissimi iuuenis alioqui sanum sit: attamen in ipso quoque aliquam humorum copiam exsuperare, minime a ratione alienum est. E

Præsidia. Cũ igitur res ita se habeat: vnicus is medico scopus esse debet, vt materia indurata in parte externæ & internæ tunicæ, emolliatur: deinde medicamẽtis insensibiliter vacuetur, & erodẽtibus callus adimatur, quemadmodum veteres faciebant.

Prognost. His scopis e toto satisfacere, nobis impossibile videtur: quia morbus est vetutiss. a cheirurgis nõ bene tractatus, & quia tandẽ materia, quæ est in parte interna corneę, indurata & scirrhosa iam facta est, vt e toto emolliri nequeat. Verumtamen quia nobiliss. iuuenis, hoc saltẽ petit, vt vel parietas ab animantibus discernere queat, deserendus non est, maxime cum ipsi placeat in casu desperato medicinam experiri. F

Curatio. Itaq; consulimus, vt quamprimũ curationẽ aggrediatur. Nã Galeni est sententia, humores crassos & viscidos, semper initio veris purgandos esse. Et primũ, quoad materiã cheirurgicã: quoniam medicamẽta oculis administrãda, futura sunt calida & sicca, ne calore suo materiã e capite attrahant, primũ *sanguis* per venęsectionẽ, deinde per cucurbitulas extrahẽdus: nec improbamus *setaceum* ad diuertendum humores.

De aliis vero remediis ita statuimus: aluũ primo *cassia, & elect. lenitiuo* esse molliendam: mox præparãdos esse humores, *syr. de cich. de beton. cum decoctis accommodatis cich. beton. euphrag. chelid.* postremo expurgandos *pil. coch. & lucis.* Post hoc caput per masticatoria & errhina medicamenta euacuandum.

His factis ad medicamẽta localia deueniendũ erit; quæ omnia cõsolationis gratia erũt potius exploranda, quã quod boni aliquid præstari posse speremus, cũ oculis fere nihil deterius contingere possit. Hæc vero agenda sunt, dummodo reliquo corpori non obsimus. De dissipatione autem suffusionis nihil agendum erit, cum præsens status oculi minime exigere videatur. Et quamuis cheirurgi multa polliceri soleant: nil tamen eos præstare posse certo scimus. Dimissa igitur *perforatione*, in primis deueniendum erit ad emollientia & detergentia: veluti si paretur *aqua*, cui incoquantur *rad. maluæ, althææ. lapathi*; atque ita sæpius tepida intra oculos immittatur, spongiisque illa imbutis, noctu per aliquot dies oculi foueantur. G

Posthæc

A Posthæc ad ea quæ dissipant,& callum discutiunt,transeundum est. Cumque hæc complura esse possint;
prius mitiora sunt vsurpanda,quemadmodũ essent *aqua vitis,ol.feni.*cui modicũ *aquæ euphragiæ* esset ad-
mistum,ne nimis oculus mordeatur.Aqua etiam destillata ex iis quæ habẽt vim absumendi a proprietate
humorem pituitosum,nobis probatur;cuiusmodi esset illa,quæ fit *e radicib. iridis* , *vel colocynth.* sic enim
exsiccãtur & extenuantur huiusmodi humores.Nã quemadmodũ antiqui interdũ corpora purgabãt in-
unctionibus:ita nos maiori cũ fiducia speramus his ꝓpositis medicamentis humores attrahi & consumi
posse.Quod si hæc nil profecerint:administranda erunt, quæ manifestis proprietatibus agunt. Sed quia
maxima difficultas est in medicamentorũ impositione,vt diutius in loco affecto consistere possint: ideo
parari poterit *phiala parua*,quæ respondeat oculorũ orbibus,quæ ora angusta habeat: in hanc aquæ im-
mittendæ,ea mox oculis apponenda,& in his apertis per aliquod temporis spatium detinenda. Compo-
B sitionem quoque illam *elixir* vocatam non improbamus, eo quod conficitur e multis aromatibus, & o-
cularibus, quæ incidunt,attenuant,& penetrant.Imo,si sub hisce remediis oculus non inflammetur, pla-
cet nobis,vt gutta vna tantum *olei de sulphure*,admista cum *decocto fœnugræci*,infundatur : sed ne inflam-
matione oriatur,aliquid *aquæ refrigerantis* addendum.Quod si ex horum vsu profectus quidam apparere
videatur,tunc vlterius progrediẽdum potius,quam vt iis vtamur,quæ in puluere administrãtur, eo quod
vim habet magis corrodendi;vt *antimonium*,& similia,quæ a Galeno lib.4.κ.τόπ.proponuntur.*Decoctum*
etiam ligni extrinsecus adhiberi poterit,eo quod propter pinguedinem vim habet emolliendi. Haud se-
cus alia duo valde probamus,quæ ex aliorum relatione experta esse sæpius audimus. Alterum est medica-
mentũ confectum *e violis albis,& foliis raphani hortens.& e cubebis* in pollinẽ redactis: quæ addita dimidia
parte *ammoniaci,cum opobalsamo*,si optimum reperiri potest,conficiuntur. Alterum refertur ab Auicen.
C & Galen. in lib. de facile parab. & paratur e *fructu lauri decorticato, cum portione aliqua gummi*:quamuis
Auicen.ipse cum *felle viperarum domestic.* conficiat. Ab eodem quoque laudatur vsus *theriacæ*, applicitæ
oculis,sed prius cum copioso *melle*, atque *vino* dissolutæ. Scimus enim in *theriacam* multa ingredi, quæ
vim habẽt digerendi,& detergendi.Paratur etiam medicamentũ *e succo feniculi & allii*,q̃ conferre dicũt,
si cum *vrina pueri impolluti* administretur. Hæc varia proposuimus, quia in tali casu deterrimo, omnia
sunt experiunda. Patauii CX. D. VI.

Bernhardinus Paternus.
Ego Hieronymus Capiuaccius , assero, eam medicationem prorsus inutilem fore.
Hieronymus Mercurialis.
D *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente.*

CONSILIVM XXI.

De Orthopnœa; & Visione deprauata:

HIERONYMI CAPIVACCI.

EX omnibus capitis destillationibus nulla grauior est ac deterior,quam illa quæ ad pulmones delabitur; Querelæ ægri.
atque inter has illa potissimum,quæ a pituita salsa fieri solet:cum periculum sit, ne pulmones exulce-
rentur,& phthisis inde fiat. Quia igitur illustris Baro,in florente ætate cõstitutus,per interualla,& præser-
E tim in patria,catarrho illo a capite ad bronchia pulmonum corripitur;(quod malum a Medicis,ob suffo-
cationis periculum, orthopnœa vocatur;& eodẽ laborantes,anhelosi ac suspiriosi dicuntur,cum ob præ-
sentiam illius materiæ vix respirare valeant,& corpus penitus erectum tenere cogantur) eidemque etiam
visio aliquantulum imminuta esse videatur,quia,quæ procul absunt,accurate cernere nequit:tum per in-
terualla salsam exspuit materiam:ob id recte a medicis dictorum affectuum quærit remedia.
Primum autem sciendum,humores qui in capite generantur,& qui a iecore sursum in caput ferun- Caussæ.
tur,ac destillant,ad plures partes subiectas præcipitari consueuisse:hi,cum magna satis copia ad pulmonis
bronchia descendãt, orthopnœam introducunt,vt patiens non nisi recta ceruice respirare possit. Immi-
nutam vero illam visionem fieri affirmamus,ob angustiam naturalem,cuius ratione spiritus non influit,
quemadmodum opus esset.Sed cum omnia hæc mala soboles sint materiæ pituitosæ, nimirum humoris
F cuiusdam præter naturalis:necessario sequitur,materiam hanc effectum esse alicuius actionis deprauatæ:
quæ nulla alia esse potest,quam concoctio cerebri:quæ quidem deprauatur, quia facultas alteratrix labe-
factatur,ob intemperiem calidam & humidam : & quia e partibus infernis, nempe ex hepate,vapores bi-
liosi,acres,& mordaces subministrantur:vnde fit,vt excrementa ista quandoque salsa esse videãtur, & hoc
quidem ob intemperiem calidam & siccam ipsius iecoris.Propter imbecillitatem vero pulmonum inter-
dum ista materia suscipitur,vnde suffocationis periculum intenditur.
Quare tota curationis ratio in eo posita esse videtur,vt materia,quæ in capite & iecore redundat, e- Indicationes.
uacuetur:& horum viscerum intemperies corrigatur;pulmonesque corroborentur. Caput itaque cali-
dum & humidum ad pristinam temperiem est reuocandum:iecur refrigerandum & humectandum: &,
quia sanguis calidior fouere videtur hepatis & capitis caliditatem,non abs re erit sanguinem euacuare.
G Quibus scopis satisfacere,difficile sane erit , non tamen impossibile , si modo illustris Baro parere Præsagia.
monitis nostris velit.
Concepta igitur optima curationis spe,materias præsidiorum proponemus:leuiores quidem, hoc Curatio.
tempore,grauiores vero aduentante vere vsurpandas. Et initio , quoad cheirurgiam,hoc tempore san-
guis euacuabitur *cucurbitulis scarificatis*,ea quantitate,quã sanguinis actio præscribere,& virtus permitte-

re videbitur. *Fonticuli* non erunt excitandi, quamuis in hoc malo locum habere videantur: quia speramus beneficio medicamentorum proponendorum eum e toto ab his affectibus liberatum iri: quod nisi fieret, omnino illis vtendum foret. A

Quoad pharmacciam: aluus leniatur *melle rosarum solutiuo & manna*, dissolutis in *decocto fructuum & betonicæ*. Præparetur materia *syrupis de betonica, boragine, cichorio, & tussilagine, cum decoctis proportione respondentibus*. Præparata materia, purgetur corpus *agarico & rhabarbaro, cum decoctione fructuum*, quibus addatur *mel rosarum solutiuum & manna*. Quæ leuis purgatio sufficiet per totam hyemem: vbi etiam quandoque vsus erit conueniens *mellis scillitici*. Sumendæ *conseruæ betonicæ, boraginis & buglossæ, cum exiguo pulmonis vulpis*.

Aduentante autem vere, sanguis *vena secta* mittatur: leniatur aluus, & præparetur materia, purgeturque corpus iam propositis. Et quia vna purgatio non sufficit, repetatur: præpareturque materia denuo B syrupis valentioribus, vt *syrupo de betonica composito, de pomis composito, & de cichorio cum rhabarbaro, & de hyssopo*, cum decoctis appropriatis: purgetur vero *pilulis ex agarico Mesuæi, & mastichinis*.

Corpore exquisite purgato, caput etiam euacuandum erit, nõ apophlegmatismis, ne materia adhuc magis ad os attrahatur, sed tantum errhinis, iis tamen leuioribus, ne oculi offendantur: nimirum *e succo betæ & sampsuchi*, addita *manna*, &, si opus fuerit, *cyclamine*.

Capite purgato, probatur *stillicidium ex aquis nostris Diui Petri*, supra suturam coronalem.

Vt autem caput & iecur ad optimam temperaturam deducantur, & pulmones corroborentur: vix erit aliquid viribus par *decocto ligni, sarsæ parillæ, & chinæ*, additis *foliis betonicæ, boraginis, cichorii & farfaræ, glycyrrhizæ item ac passulis*: quo decocto vti poterit per triginta & plures dies: singulisque octo aut decem diebus capiat *pilulas de agarico, & mastichinas*. Transactis etiam quatuor aut quinque diebus, mane ac vesperi ante syrupum, sumat *vnam alteramque pilulam e pulueribus ligni, sarsæ, chinæ, betonicæ, glycyrrhizæ, boraginis, ac pulmonis vulpis*, paratam: vt beneficio harum pilularum vires medicamenti ad partes etiam remotiores distribuantur, & felicius agant. Interdum quoque ante cibum per horam vti poterit *melle illo scillitico* proposito. C

His omnibus diligens viuendi accedat ratio, necesse est. Quare ab omni aeris importunitate caueat, præsertim vero ab aere calidiore & humidiore; &, ob eandem caussam, ab igne. Reliqua his respondeant: quæ breuitatis gratia, ceu nota, prætermittimus.

CONSILIVM XXII.

In anhelitus difficultate, pulsu frequentissimo, & inæquali: D

HIERONYMI CAPIVACCI.

Affectus. RESpiratio per os, & inspiratio arteriarum, ad vitam vnice necessaria est, vt calor cordis & arteriarum euentetur, fuliginesque expellantur. Non igitur abs re illustris & reuerendus vir, noxam huius actionis sentiens, eam a nobis emendari cupit. Caussa autem huius actionis læsę, non est materia pituitosa, viscida & crassa, quæ a capite descendens obstruat vias respirationis: nullum enim vnquam apparuit sputum, nec tussis, nec stertor: etenim si materia descenderet, necessario in somno saltem stertteret. Proinde vera caussa est tuberculum aliquod crudum, occupans carnem, seu substantiam pulmonis: hoc, initio paruum exsistens, læues arterias comprimendo obstruxit; vnde caussa fuit pulsus frequentis & inæqualis; nam hæ arterię habent consensum & communicantiam cum arteriis totius corporis. Paullatim deinde auctum illud tuberculum, obstruxit etiam comprimendo asperas arterias, seu bronchia pulmonis; vnde caussa fuit difficultatis anhelitus: & cum calor cordis, ob hanc anhelitus difficultatem euentari satis nõ poterit, leuis quędam febricula superuenit. Genitum autem est hoc tuberculum crudum, quoniam diebus elapsis cauterium, quod in brachio gestauit, occalluit: vnde materia, quę illo emissario vacuabatur, deuoluta ad pulmones, in his concreuit, & tumorem excitauit. Potuit etiam hæc materia habuisse originem ab errore externo, & mala viuendi ratione. E

Scopi. Vt autem mala hæc auferantur, necesse est, materiam crassam, facientem tumorem, attenuare, calefacere, digerere, & per insensiles meatus euacuare: pulmones corroborare: virtutem totius seruare, totius etiam habita prouidentia.

Prognost. His scopis satisfacere, meo iudicio, est impossibile: adest enim vehementia dignitatis, quia pulmo, pars præcipua, afficitur, sine qua animal viuere nequit. Ratione propriæ essentiæ etiam adest vehementia: quia materia tumoris est crassa, dura, viscida, frigida, & ratione partis quoque copiosa. Ratione tandem facultatis corpus regentis, nulla fere est tolerantia: vnde hac de caussa summa est vehementia: quæ etiam adest ratione virtutis, tum in quanto, tum in quali: est quippe patiens in senili ætate constitutus, annumque 63. agit. F

Curatio. Quia vero ægrotantes deserere inhumanum est, ad præsidia veniendum. De cheirurgicis nihil dicendum: cum diebus elapsis per hæmorrhoidas missus sit sanguis. De fonticulis nihil: nullum enim inde iuuamentum. Quod si melius haberet, & ab hoc malo hac vice liberaretur: præseruationis gratia *duo fonticuli* mihi probarentur: alter in brachio, alter in crure.

De pharmacis nihil dicendũ: cum ei lenita sit aluus *melle ros. sol. & manna*, & *electario lenitiuo*: præparati humores *betonica, melissa, farfara, boragine viridi, cichorio*, & similib⁹: euacuati *agarico, rhabarbaro, &c.* Quod si non videretur satis vacuatũ totũ: iterum per tres dies assumat iura alterata, & purgetur. Pro alteratibus pbatur *decoctũ salsæ & chinæ, cũ modico sassafras*, pluribus diebus potũ: itẽ *decoctũ botryos* (q̃ ad anhelitus difficultatem mirę laudat Dioscorides) *melissæ, betonicæ, hyssopi, rad. althææ, farfaræ viridis, &c.* Ante syrupum G

A tapū sumantur *pilulæ e puluere salsæ, chinæ, sassafras, & herbarū prædictarum.* Probatur etiā vsus *terebinthinæ Cypriæ.* Præstantissimum quoque remedium est *puluis sulphuris, seu flores*, qui discutiunt, incidunt, digerunt: sed cum nimis calidi esse videantur, corrigi possunt *ammoniaco*, & inde formari pilulæ, & ante decoctum exhiberi. Licet vero *sulphur* calidum sit recessu tertio, vel quarti initio, simulque febris assit: hæc tamen leuissima est, & *sulphur* correctum *ammoniaco*. Victus dictis correspondeat, & a vino abstineat.

CONSILIVM XXIII.

In anhelandi difficultate, producta a pituita salsa, occupante bronchia pulmonis, in iuuene 22. annorum:

B

HIERONYMI CAPIVACCI.

Citra respirationem animal viuere nequit: merito itaque iuuenis nobilissimus, multis abhinc annis anhelandi difficultatem sentiens, huius quærit remedia. Ante plurimos annos sensit dyspnœam: sed spatio annorum sex omnino ab illa fuit immunis: post iterum ea affectus est: deinde per annum intermisit: cœpit postmodum singulo mense corripere: iam vero non semel tantum, sed bis, terque mensis spatio affligit, vt sæpe etiam suffocationis periculum incurrat: liberatur tamen materiæ salsæ excretione per sputum. Affectus.

Hæc anhelandi difficultas oritur a materia pituitosa, salsa, occupante, & obstruente bronchia pul- Caussæ.
C monis. Generatur hæc materia pituitosa in capite, copiosa; adeo, vt cum per naturales solitasque vias excerni nequeat, paullatim ad tracheiam arteriam descendat, & ab hac in pulmonis bronchia fluens, illa maiori e parte obstruat. Pulmones autem suscipiunt hanc materiam, ob suam debilitatem & laxitatem: & quia e diuturna mora & fluxione habitum quasi contraxere. Generatur autem materia hæc in capite, labefactata ipsius facultate alteratrice, ob intemperiem humidam: nam in actiuis nullus apparet recessus a naturali statu: quæ intemperies humida, tum indies aucta sit, ob prauam viuendi rationem; hinc factum est, vt malum, intensius redditum, non semel tantum in mense, sed sæpius inuadat. Salsedinem autem pituita adquirit, quoniam ob iecoris caliditatem in generatione sanguinis generatur salsa quædam serosa humiditas, quæ ad caput assiduo ascendens, est in caussa, vt inter spuendum leuis illa salsedo appareat: descendens autem pituita, cū illa salsa & serosa humiditate, & permista ad bronchia pulmonis, ibiq; præ-
D ter naturam detenta, putrescit; & ob putredinem magnam illam salsedinem contrahit, quam exspuendo in paroxysmo persentit.

Pro ablatione horum malorum, necesse est, caput humidum exsiccare; iecur quoquo modo refrigerare; pulmones debiles, laxos, qui habitum fere contraxere ob continuam fluxionem, exsiccare, & corroborare; materiam, seu salsam pituitam deuertere, deriuare, & e toto exstirpare. Scopi.

Quas indicationes explere, non impossibile quidem, at summe est difficile. Adest enim primum vehementia dignitatis: quia læditur respiratio, actio caussa vitæ omnino necessaria. Læditur etiam caput secundum alteratricem: quod est membrum principalissimum. Deinde si consideremus vehementiam ratione essentiæ: materia generatur copiosa, putrescit, fit salsa, est viscida, crassa: intemperies capitis humida, & pulmonum quasi in habitum mutata, vt ita summa sit vehementia penes essentiam tum mor- Prognostica.
E bi, tum caussæ, id est, materiæ pituitosæ. Summa etiam vehementia est ratione facultatis corpus regentis: nam dum adest accessio, æger veluti suffocari videtur, vt vires difficilime tolerent. Ceterum ratione virtutis nulla adest vehementia: nam æger est iuuenis & robustus, vt omnia remedia, etiam fortissima, ferre possit. Vnde sperare licet, ægrum, si non integre, ex parte tamen conualiturum.

Ad curationem ergo accedentes, laudamus, vt sanguis euacuetur, primum *secta vena* iecoraria cubiti dextri: deinde *hirudinibus* applicatis hæmorrhoidibus, si natura prius fluere consueuerint. Inurantur post *fonticuli*, in brachio dextro alter, ratione capitis: alter in crure dextro, ratione hepatis: totius tamen prouidentia prius habenda. Curatio.

Primum enim leniatur aluus, *melle rosato solutiuo, & electario lenitiuo:* vel *melle violato solutiuo & manna.* Præparentur humores *decocto melissæ, hyssopi, cichorii, fu-fara, &c.* Purgentur vero *agarico.*

F Hinc caput errhinis purgetur, nimirum *decocto betæ, veratri nigri,* & similibus.

His omnibus expeditis, probatur, vt assumat *salsæ & chinæ decoctum*, per plures dies, alteratum *cichorio.* In quo assumendo alternis diebus, ante decocti syrupum capiat *pilulam e terebinthina Cypria*, cum aliquo puluere exsiccante reformatam. Post huius decocti exhibitionem, quia iecur erit excalefactum; temporibus calidioribus, per plures dies vtatur *sero lactis caprilli.* A seri vsu, assumere debet *aquas Lucenses*, per sex, vel octo dies. Neque timenda est suffocatio, eo quod ventriculus, aqua hac repletus, comprimat diaphragma: nam moderata quantitate est capienda.

Stillicidium præterea non improbatur, vt caput exsiccetur: quod parabitur ex aquis, in actiuis temperatis, vt sunt *Laterenses.*

Extrinsecus hepar refrigerandum epithemate *e succo cichorii*, cum *pauco aceto*, ad maiorem pe-
G netrationem.

Tandem suademus, vt post horum omnium vsum per plures dies vtatur lambitiuo *e saccharo betonica, cum puluere quinquefolii*, & aliis exsiccantibus.

Diæta his par sit: & pro potu sit vinum multa aqua dilutum.

CONSILIVM XXIV. A

In interpolata anhelitus difficultate.

HIERONYMI CAPIVACCI.

Affectus. PRæseruatio in caussarum ablatione omnis posita est: ideo ad curandum dyspnœam, ex interuallis re-
currentem, caussas eius rimari decet. Refert vero patiens, Vir illustris, anhelitus difficultatem desine-
re, postquam materia, partim tenuis, partim crassa, viscida, & subflaua, per tussim reiecta est. Patet ergo vi-
tium dictum recurrere, dum pituita frigida, partim crassa, partim tenuis, in capite accumulatur eousque,
donec, præ copia facultatem expultricem cerebri irritans, ab ea in pectus, ac præsertim brouchia pulmo-
nis, præcipitatur: vbi vias spiritus occludens, tantisper luctam illam cum exeunte & ingrediente aere exer-
cet, subindeque anhelandi difficultatem inducit: donec tota consumta & eiecta, meatus illos liberos, ac B
spiritibus peruios relinquat. Ad hunc autem humorem suscipiendum magnopere confert inueterata &
insignis pulmonum laxitas, & infirmitas: quod satis docent diuersorum affectuum genera, quibus antea
laborauit. Malum autem huiusmodi fit: tum quia pulmones recipiendæ a capite fluxioni maxime accom-
modati & propensi sunt: tum quia cerebrum excrementorum ferax promte demittit superuacaneos
& copiosos in pectus succos. Porro excrementa ea, cum sint praua vitiatæ cerebri coctionis opera: puto
eam vitiari ob frigidam & humidam illius intemperiem, nec non ob varios, quos iuuenilis ætas commit-
tit, in victu errores.

Scopi. Quod si itaque ab hac calamitate prorsus liberari cupit: necesse est, victus errata, & præsertim im-
portunas exercitationes & compotationes vitare: mox superfluos quoscunque humores, tam a pectore,
quam ab vniuerso corpore amouere: postremo calefacere moderate cerebrum; simulque & ipsum, & C
pulmones exsiccare.

Prognost. Quanquam vero non admodum facile huiusmodi viscerum dyscrasiæ penitus expugnari possunt,
quæ ob vetustatem iam quasi habitum contraxerunt: attamen cum in ætate firma & valida, potiusq; pro-
ficiente, quam deficiente, sperare omnia bona liceat; eoque maxime, quod mihi compertum sit, eam non
fuisse adhibitam medicationem, quæ potuerit vitium hoc aut finire, aut saltem imminuere: itaq; alacriter
curationem, siue præseruationis rationem, aggrediendum consulo.

Curatio. Et quoniam in omnibus defluxionibus curandis magnam vim diæta commoda habet: hinc inco-
andum. Fugiat ergo aerem inclementem. Capite humili, dum libere respicit, dormiat. Ante cibum mo-
derate exerceatur. A cibo, tum animo, tum corpore quiescat. Moderate semper edat & bibat. Nec somno,
nisi duabus tribusve horis a cœna sese det. Compotationes, vina generosa, cruditates omnes, tanquam pe- D
stem, fugiat. A cibo semper *coriandrum cum saccharo* sumat. Quæ omnia rectius præsentes Medici.

Quoad cheirurgiam: *cauterium* sinistro brachio imponatur, diuque apertum seruetur: constat enim
experientia, anhelitus difficultate vexatos, hinc incredibilem vtilitatem percipere. Quantum alia medi-
camenta attinet: vbi curatio auspicanda videbitur, primum vniuersum corpus expurgetur, lenita aluo,
melle rosato solutiuo: mox præparatis humoribus, *decocto pulmonariæ, betonicæ, hyssopi, cum syrupo de betoni-
ca, atque oxymelite simplici:* tandem euacuatis *agarici dilute, & melle rosato solutiuo,* vel *pilulis de agarico.*
Hinc caput errhinis purgandum, vt *succo betæ, cum aqua betonicæ:* aut simili.

Hoc facto, *chinæ* optimæ, vel *salsæ* decocto, ad minus per triginta dies vtatur: ac simul placide sudare
conetur. Quo tempore magnopere iuuabit, si singulo mane, priusquam syrupum potet, pilulam sumse-
rit e semiscrupulo *sulphuris viui, aqua maluæ sæpius læuigati, cum drachma vna optimæ terebinthinæ.* Tum E
etiam probo eam victus rationem tenuissimam, quæ adhiberi solet, sed paullo mitiorem.

Et quia formidandum est, vt etiam diligenti hac adhibita cura mali radices funditus eruncentur:
futura hyeme hortor, saltem singulo mense *pilulas de agarico* deuoret: sæpeque sequentis confectionis
portionem, ad nucis videlicet magnitudinem sumat: ℞. *conseruæ violarum & betonicæ ana ℥j ß. pulueris
glycyrrhizæ ℥j ß. pulmonis vulpis ℥ ij. cum syrupo betonicæ* fiat mistura. Quod si aduentante vere malum
nondum finitum fuerit: tunc *de potu & stillicidiis aquarum thermalium* diligenter & mature cogitan-
dum erit.

CONSILIVM XXV.

In anhelitus difficultate, capitis destillatione, & raucedine: F

HIERONYMI CAPIVACCI.

Casus. AFfectus, de quibus illustrissima fœmina conqueritur, tres potissimum esse videntur: nimirum anhe-
litus difficultas, capitis destillatio, & raucedo. Cum enim loca altiora adscendere, & descendere cona-
tur: statim anhelandi difficultas oboritur. Raucedo autem cum clare auribus percipiatur, aliis non eget si-
gnis. Destillatio inde deprehenditur: quoniam assidue ferme materia pituitosa, insipida, crassa, & lenta,
sputo excernitur, quæ, cum male oleat, vt ipsa refert: argumentum est ipsam aliquam contrahere pu-
tredinem.

Caussæ. Omni igitur diligentia horum affectuum caussæ sunt indagandæ: vt illis inuentis, indicationes ex v-
su hauriantur, materiæque remediorum inueniantur. Dubium non est, anhelitus difficultatem, vocis G
raucedinem, & materiæ illius pituitosæ excretionem, esse partus destillationis. Nam, vt a raucedine ex-
ordiamur: materia illa pituitosa, descendens ad instrumenta vocis, glottidem & epiglottidem irrigans, est
in caussa, vt vox rauca euadat. Decumbens vero ad pulmonis asperas arterias, ac ibi aliquam moram tra-
hens, a calore cordis & pulmonum, nec non ab illa mora, contrahere videtur quandam crassitiem & pu-
tredinem

A tredinem: cuius putredinis signum est, quod illustrissima patiens, dum hanc materiam excernit, insuauem quendam odorem in ore persentit: præterea, quamuis materia illa reiecta, non sit exactum pus, ad puris tamen conditiones & naturam proxime accedere videtur. Hæc itaque materia ob sui copiam bronchia pulmonis aliquo modo obstruens, est in caussa, vt illa respirandi diffi.ultas oboriatur. Generatur autem hæc pituitosa materia in ipso capite, læsa coctione ipsius: quæ quidem actio læditur, labefactata facultate alteratrice, tum ob intemperiem humidam; (*nam in actiuis qualitatibus nullus est recessus a naturali statu: & licet caput aliquo modo calidum esse videatur, hæc tamen caliditas est naturalis, & ipsius capitis natiua temperies.*) tum ob errorem externum, ratione nempe obiecti, id est, praui alimenti, in quod agit capitis alteratrix: quod quidem alimentum inde gignitur prauum, quia (vt nobis relatum est) illustrissima fœmina assiduo fere praua viuendi ratione vtitur: Cuius ratione etiam aliquando fit, vt aliquæ cruditates
B in ventriculo generentur: a quibus flatus eleuari, & e ventriculo erumpere vt plurimum solent.

Studium ergo nostrum eo conuertendum est omne, vt caput humidum exsiccetur: vt pituita, quæ præter naturam mouetur, præcepsq; ruit ad fauces & pulmones, intercipiatur, deriuetur, repellatur; brõchia vero occupans, elidatur, dissipetur, ac penitus exstirpetur: virtus denique horum viscerum, & tonus, vna cum virtute totius, conseruetur: totius tamen prius habita prouidentia. Indicationes.

Quibus satisfacere, non quidem impossibile est, sed tamen omnino difficile. Dignitatis etenim vehementia insignis est: quia caput, membrum principalissimum, læditur: læduntur vocis instrumenta, offendunturque pulmones; quorum actio caussa vitæ summe est necessaria. Vehementia etiam propriæ essentiæ satis intensa est: nam excernitur materia longa recedens a naturali statu: exspuitur quippe materia pituitosa, insipida, frigida, crassa, viscida, &; quod peius est, aliquando semiputrida. Quam vehemen- Prognost.
C tiam capitis dyscrasia, iamiam in habitum conuersa, augere videtur. Duobus enim abhinc annis sese infestari ab hac capitis destillatione refert: quamuis vnus tantum sit elapsus annus, e quo hæc materia & prauam qualitatem, & crassitiem contrahere inceperit. Ceterum de curatione omnino non est desperandum: quia virtus secundum quantitatem, & qualitatem satis robusta exsistit. Est enim illustrissima fœmina in iuuenili ætate constituta, satisque bono corporis habitu prædita: nec vllum adhuc generosum præsidium est experta. Quare alacri animo, ad præsidiorum materias descendendum.

Vocatur autem in dubium, *an sanguis euacuari debeat, necne*; Cum menses in hac matrona illustri, secundum debitam quantitatem, & consuetum ordinem fluant: nullo modo sanguis in hoc corpore exundare videtur: vt, hac ratione, ab omni sanguinis missione sit abstinendum. Verumtamen, si consideremus mensis medietatem, quod sane tempus ab hac consueta vacuatione procul abest: facilime vni- Curatio.
D cuique apparebit, tunc aliquam copiam sanguinis redundare: vnde, cum huius copiæ gratia; tum, quod sanguis tunc habeat ratione caussæ sine qua non, possumus tuto vti calorificis medicamentis; quæ necessario in hoc casu sunt vsurpanda: suademus, vt sanguis euacuetur, secta vena communi dextri cubiti: in moderata tamen quantitate. Quoad *fonticulos*: conueniret quidem non solum cauterium in futura coronali, sed etiam setaceum in occipite: verum quoniam hæc speciem & pulcritudinem defœdare solent, quę fœminis præter cetera sunt carissima, vt ab hoc remediorum genere valde abhorreant; propterea suademus, vt in vtroque brachio, vel saltem in vno, fonticulus fiat. Nam si vllum est præsidium, cuius ratione hanc dyscrasiam, & capitis destillationem auferri posse speremus: hoc certe vnicum exsistit. Proinde fœminæ huic illustrissimæ omnino persuadendum est; immo, si fieri aliter nequeat, ipsa cogenda, vti vnicum hunc saltem fonticulum admittat.

E Quoad pharmaceiam: leniatur aluus, *melle rosarum solutiuo, vel cassia*. Præparentur humores, *decocto ex herbis non calefacientibus*, sed potius temperatis: verbi gratia, *decocto betonicæ & farfaræ, itemque cichorii*. Purgentur deinde *agarico & rhabarbaro*: quibus addatur *mel rosatum solutiuum, vel syrupus rosarum solutiuus*. Hac peracta purgatione, rursus præparentur humores, ac denuo expurgentur. In hac autem secunda purgatione, ratione capitis probantur *pilulæ cochiæ*, cum portione *mastichinarum* permistæ. Ceterum, quia omnia æstuare incipiunt: poterit excellentissimus medicus diem aliquem obseruare aliis magis temperatum, vel ob pluuiam, vel etiam ob aliam caussam: & tunc prædictas pilulas exhibere. Quarum caliditas vt magis corrigatur, illis assumtis, statim poterit aliquod apozema propinari, vt *serum lactis* optime depuratum.

F Caput vero, quo melius & exactius mundetur: purgari debet errhinis illis ab excellentissimo viro propositis.

Quod si capitis destillatio ad pulmones perseueraret: probatur lambitiuum, paratum e *loch de pulmone vulpis, cum syrupo de glycyrrhiza, de farfara, de betonica*: addita etiam *manna*. Vt autem expurgetur materia in pulmonibus exsistens, probatur *sulphur, cum cera ad ignem, donec rubeat, præparatum, & cum ouo recenti exhibitum*.

Ratione autem faucium & raucedinis, hortamur, vt sub lingua, & in fauces imponatur *oxymeli*, præparatum cum *puluere e scabiosa, betonica, cornu ceruino*, &, vrgente necessitate, cum *puluere boli Armenæ*. Nec esset præter rationem, ad intercipiendum materiam illam pituitosam, quæ assiduo in pulmones præcipitatur, vt dormiturus in ore detineret *theriacam recentem*, vel *diaco-*
G *deion*.

Ceterum ante omnia, vt illa humida capitis temperatura aboleatur, probatur *stillicidium*, per plures dies, quandiu scilicet aderit præsentia indicantis, nihilque prohibebit, supra futuram coronalem, paratum ex *aqua nostra Latrensi*: &, quia capitis temperies est conseruanda, temporib. calidioribus paranda erit embrocha *ex aqua Latrense, & aqua Tegulæ*, mistis: immo, vrgente æstu, e sola *Tegulæ aqua*. Sta-

tim vero a ſtillicidio caput exſiccandum, & ſupra ſuturam prædictam imponendum *ceratum de betonica*, vel aliud ſimile. A

Verum illuſtriſſima fœmina hac vnica medicatione, (quæ quidem ſatis longa eſt futura, ob purgationem, repurgationem, & ſtillicidium) e toto iam liberari non poterit, quia tempus nimis anguſtum tantæ curationi abſoluendæ reſtat; & quia æſtu iamiam ingruente *decoctum ligni* propinare non licet; (nam virtus tum æſtu, tum medicamenti generoſi vſu, nimis diſſolueretur eodem tempore) propterea aduentante autumno ſuademus, vt denuo purgetur, repurgetur, & *decoctum chinæ, ſalſæ, & ligni*, per aliquot dies aſſumat. Tunc enim, aere temperato exſiſtente, vires commodius horum alexipharmacorum facultates tolerare poterunt.

Viuendi ratio his erit proportionata: quam, ceu perſpectam viro excellentiſſimo, conſulto prætermittimus, B

CONSILIVM XXVI.

In voce pœne deperdita, & difficili reſpiratione:

HIERONYMI CAPIVACCI.

Affectus, & cauſſæ. PRoponitur curandus iuuenis, qui exſpirat difficulter, & vocem fere amiſit: licet enim loqui poſſit, vix tamen percipitur. Ad inquirendum ergo cauſſam læſionis vocis, primo ſciendum, varias eſſe vocis differentias: vox enim ſonora eſt, vel rauca; acuta, vel grauis; magna, vel parua. Læſio vocis heic eſt vocis diminutio: licet enim adſit vox, fere tamen non eſt intelligibilis. C Ad partem affectam quod attinet: columella quidem ad vocem concurrit, non tamen eſt cauſſa præcipua, ſed minima: Galenus enim non ponit ipſam inſtrumentum adæquatum vocis, nec præcipuum; ſed dicit, concurrere vt melius fiat vox. Puto ergo affici in ægro noſtro laryngem, qui conſtat lingula, & tribus cartilaginibus: quæ partes nimis humidæ ſunt redditæ. Præterea columella non debet poni pro parte prima huius affectus: nam vox fit a gutture, vt inſtrumento adæquato: columella vero eſt extra adæquatum inſtrumentum, cum ad os potius pertineat, quam ad guttur. Alia igitur cauſſa aſſignanda & concedenda eſt, ſecundum Galenum, & Ariſtotelem libro quincto, de gener. animal. non enim poteſt fieri vox magna, niſi magna ſit & copioſa efflatio. Cum impetu ſi fiat efflatio, facit acutam vocem: de qua heic non agimus. Paruæ igitur vocis cauſſa continens, eſt pænuria efficientis materiæ: nam cum vua ſit deperdita, neceſſarium eſt, pulmones refrigerari: hi refrigerati, non egent aere refrigerante: D vnde quia non attrahunt aerem refrigerantem, non ſequitur etiam excretio materiæ attractæ, quæ eſt deinde materia vocis. Videtur præter hoc vitium etiam in larynge eſſe aliqua obſtructio: vnde fit, vt dum patiens vult reſpirare, accidat ſingultus ille paruus, qui ſentitur: nam quando attrahit aerem, hic non poteſt intrare per laryngem obſtructum, ſed regurgitat, & affectum illum excitat, qui videtur ſingultus. Cauſſa huius obſtructionis eſt pituitoſa materia, deſcendens a capite ad pulmones: eſtque tenuis & inſipida, nonnunquam etiam amara, quia iam ad ſalſedinem tendit. Generatur in capite labefactata facultate ab intemperie humida, quod cognoſcitur e ſomno longo, & memoriæ diminutione. Eadem cauſſa eſt difficultatis anhelitus.

Scopi. Quare, quoad columellam, quod deperditum eſt, implendum & reparandum: humiditas capitis & gutturis exſiccanda: obſtructio abolenda: materia auertenda.

Prognoſt. Hos ſcopos implere partim difficile eſt, partim impoſſibile. Ideo ne res in peius labatur, & reſpiratio E penitus tollatur, in eo potiſſimum laborandum, vt in hoc ſtatu conſeruetur æger.

Curatio. Quoad cheirurgiam: quia ſanguis peccat vt cauſſa ſine qua non, ideo confert *venæſectio*. *Fonticulum* in occipite laudo; hic enim partem imbecillem reddit: vnde humores ab aliis partibus ad hanc propelluntur, & inde euacuantur. Quod ſi quis dicat, caput iam ante læſum eſſe: ideoque non amplius lædendum: reſpondeo, caput, ſeu cerebrum eſſe læſum: non autem cutim, in qua fiunt fonticuli. Nec prætermittendi ſunt fonticuli, quia per hos non ſolum euacuatur materia, quæ in parte affecta generatur, ſed etiam quæ in aliis partibus: id quod ſenſu percipitur; nam per cauterium, quod patiens hactenus in coronali ſutura geſtauit, expurgata eſt materia nigra, quæ in hepate generatur.

Leniatur aluus, *manna. ſyrupo roſarum laxatiuo.* Præparentur humores *ſyr. roſ. hyſſopi*: purgentur *agarico pilulis codriis.* Caput errhinis vacuetur; & pectus lambitiuis. F

Ad exſiccandum, conuenit *decoctum chinæ, guaiaci, ſalſæ & ſaſſafras.* Item *puluis ſulphuris & cornu ceruini*: qui exſiccat, roboratque pulmones. Inſtituatur etiam *ſtillicidium aquarum Aponenſium D. Petri.* Capiti quoque raſo exſiccans medicamentum imponendum, *e ſulphure & colocynthide*: qui materiam pituitoſam attrahit.

Victus his proportione reſpondeat.

CONSILIVM XXVII.

In tumoribus circa faciem, pluresque alias corporis partes: quorum alii melicerides, alii ſcirrhoſi apparent: G

HIERONYMI CAPIVACCI.

Hiſtoria. IVuenis vigintiduorum annorum, etſi ætate & colore videatur florens, diuerſa tamen patitur mala. Affligitur enim tumore in lobo auris ſiniſtræ: tumore item in vtroque angulo oculi ſiniſtri: nec non

A ßiio tumore in parte suboculari. Quinctus iam est annus, e quo malum in aure cœpit: iam magis semper magisque serpit: est tamen affectus indolens, durus, & sine inflammatione, qui neque erysipelas, neq; œdema, nec scirrhus: sed abscessus, e genere meliceridum.

Morbi hi sunt in magnitudine aucta: a materia melancholica & pituitosa; sed magis pituitosa: color tamen apparet nigricans, quia nigredo permista cum albedine, hanc facile obscurat. Et quia materia pituitosa peccat: fit, vt hi tumores in capite oriantur: vbi generatur pituita. Materia melancholica transmittitur a iecore: quemadmodum etiam materia biliosa, genita a caliditate iecoris: vnde per interualla adsunt pruritus. Melancholia non est sola, neque exusta, vt punget, aut mordicet. Transmittitur ea ab hepate, vt nutriat illas partes: sed cum regi non possit a caliditate partis, fit vt in tumorem transmutetur.

B His ita comparatis, caput frigidum, quod generat pituitam, calefaciendum: iecur, quod generat melancholiam & bilem, refrigerandum. Et, quia morbi hi potius præseruationem, quam curationem requirunt: ideo hi scopi sunt præseruatorii: qui expleri possunt. Indicatio-nes, & Præsagia.

Sectionem tumorum non probo: ne peiores fiant, maxime in oculis. Auris vero tumor folliculo seu vesica propria non continetur: vnde sectio neque heic necessaria est. Curatio.

Fonticuli in brachio sinistro, & dextro crure, differri possunt in sequentem autumnum. *Venæsectionem* probo in vtroque brachio: in sinistro quidem, cum tumor sit in sinistra aure, ideoque recitudo seruanda; nam vbi agendum indicatur a sede, & subsistentia morbi. Dextri etiam brachii vena secanda, quia sanguis melancholicus generatur, & fouetur in hepate: secta igitur illa vena, instituenda est diuersio. Si consuetæ essent hæmorrhoides ægro: probarem *sanguisugarum* applicationem.

C Purgandum est corpus: ita tamen ne incalescat iecur: valde probo *serum caprinum, cum senæ foliis, epithymo, & polypodio.*

Decoctum salsæ non probo: nam in aliquibus hisce tumoribus humor folliculo concluditur, qui talibus decoctis, etiam millies exhibitis, extrahi non posset.

Post totius & capitis purgationem, conueniret *balneum aquæ dulcis*: & *stillicidium* in sutura coronali.

Quoad externa non probo vehementia, ne fiant vlcera cancrosa: ideo *aquam vitæ* non probo, nisi correctam, cum admodum sit calida.

Hæc omnia si seruentur, vna cum decente victus ratione: ab augmento horum tumorum præseruatum iri ægrum nostrum speramus.

D

CONSILIVM XXVIII.

In morbo Gallico.

HIERONYMI CAPIVACCI.

VIR quidam ætatis consistentis laborat morbo venereo, cum vlcere, seu carie in pene, tumoribus circa omoplatas & crura, vlcere quoque in oculi dextri palpebra, scabieque totius corporis. Cum vero non omnes, qui luem Gallicam patiuntur vno modo sint tractandi: morbi huius natura est cognoscenda. Dum quis lue Venerea in coitu afficitur, non is morbum aliquem, sed caussam morbi accipit, Casus.
E nimirum virulentiam gallicam, quæ materia est calida, quia facit erosiones, tumores, & gummata; contagium quinetiam calorem arguit: nam, vbi contagium, ibi putredo: vbi putredo, ibi caliditas. Virulentia igitur hæc calida & putrida exsistens, maximam obtinet actiuitatem in corpore. Agit autem in corpus, & est caussa læsæ actionis, vel ob errorem externum, citra morbum; vel ob aliquem morbum. Vario igitur modo lues venerea in corpus agit: aliquando enim excitat gummata, quæ sunt morbi in magnitudine aucta; aliquando vlcera, quæ sunt in continui solutione: aliquando non interuenientibus his morbis, per se ipsa agit. Si autem agat in aliquod viscus, vt in iecur: si iecur sit calidius, facile iecur adhuc magis incenditur: quia in habentibus symbolum facilis fit transitus. In hoc corpore, quia viget materia satis calida, & iecur quoque natura calidum; ob id facta intemperies in hepate.

Scopi ergo sunt materiam virulentam propellere: iecur refrigerare: occurrere solutioni vnitatis, & Indicatio-nes.
F magnitudini auctæ.

Spem sanationis concipimus, quia morbus nondum inueteratus, vtpote ante biennium ortus: errorque a medico commissus. Præsagia.

Singulis quibusque decem diebus expurgandi humores adusti & biliosi, ita tamen, vt iecoris caliditas non augeatur. Exhiberem *infusionem senæ in caprino sero, cum confectione Hamech, & cassia.* In decocto obseruandum, ne hoc nimis calidum paretur. Nam æger prius quoque *decocto guaiaci* vsus est: sed relinquere, illius vsum coactus fuit: quia per totum corpus incaluit, pustulisque ita discruciatus fuit, vt mouere se non potuerit. Decoctum autem illud parauerat medicus *e guaiaci* ℥iiij. *salsæ parillæ* ℥ij. *& aquæ cichorii* ℔ x. addideratque *coriandrum, anisum, & cinamomum:* hæc autem hyberno tempore administrauerat. Ne ergo idem nobis contingat, mitius progredi decet. Non igitur vtemur Curatio.
G *cortice ligni:* & maiorem præstituemus *salsæ* dosin, quam *guaiaci:* addemus ad decoctum iustam *endiuiæ* quantitatem, propter calidi hepatis calidam dyscrasiam. Quod si nihilominus caliditatem aliquam e decocto percipiet, per tres, quatuorue dies *serum* exhibebimus; & decoctum per sexaginta dies. Pilulæ vsurpabuntur, non e *guaiaci* puluere, sed e *salsa, cum agrimonia*: & assumentur, non cum dulcibus, quæ

facile bileſcunt, ſed cum *cichorio & endiuia*. Sic enim Auicennam imitabimur, qui in febre peſtilenti, A quæ calida erat, non exhibebat *ſaccharum*, ſed *ſuccos refrigerantes*.

Ad oculi vlcus *miſy* valet, quod valde exſiccat: extra vero apponetur *linteum, madefactum in ſyrupo, ſeu meraciore decocto ligni*: contra inflammationem autem pars *vnguento de ceruſſa* munietur.

Vlcus penis lauabitur *decocto ſalſæ, & radicum cucumeris aſinini*: ſic enim materia pituitoſa & melancholica extrahitur: poſt imponetur *ceratum ex oxelæo*.

Placet etiam *decoctum, & oleum viperinum*. Reliqua nota ſunt & vulgaria.

CONSILIVM XXIX.

In vigiliis, dolore artuum, pruritu & caliditate immenſa vniuerſi corporis: B

HIERONYMI CAPIVACCI.

Affectus. PAtiens hic nobiliſſimus ſexagenarius, a natiuitate calidum iecur obtinuit, adeo vt in iuuentute laborarit puſtulis, ſcabie, & febre. Aucta ætate, cœpit dolor ingens capitis, qui viſus eſt periodum ſeruare modo viginti, modo triginta dierum. Aduerſus hunc varia tentata fuere, omnia fruſtra. Sponte tandem ceſſauit hic dolor: ſed alia tunc oborta fuerunt ſymptomata, ſuffuſiones nimirum, vigiliæ, & articulorum dolores, qui nunc moleſtant, prurituſque & caliditas tanta in corpore vniuerſo, vt nec hyeme tegumenta ferre queat.

Cauſſæ. Omnia hæc mala e iecoris incendio prodire, manifeſtum eſt. Id vero dubitationem parit, quod in C viro hoc nobiliſſimo caliditas illa, ætate non modo nihil imminuta, ſed potius adaucta eſt. Medicus excellentiſſimus, cauſſam huius rei redditurus, ait, ignis calorem quatuor modis augeri; ſimiliterque calorem in ſummo corpore: primum ob materiæ ſeu pabuli augmentum: deinde, propter calidæ materiæ vicinitatem, vt ſi ſulphur igni addatur, augetur calor: tertio propter antiperiſtaſin, vt cum fabri aquam igni adſpergunt: tandem, ob loci anguſtiam, vt in fornacibus. Hinc colligit, cum patientis noſtri calor non augeatur ob pabulum, quod ætate ſemper minuitur; nec ob antiperiſtaſin, cum nullibi de frigore conqueratur æger: prodire augmentum caloris, ab obſtructione viſcerum, & præcipue iecoris, qua mediante calor detineatur, biliſque putreſcat: vnde augeri neceſſum ſit, tum quia concluſus illis locis cohibeatur, tum quod vicinam habeat materiam calidam. Verum mihi conſentaneum non videtur, ex hepatis obſtructione hoc incendium augeri: nam hypochondria ægro a natura vix ita mollia eſſe videntur, D vt nunc ſunt. Nec dici poteſt in iecinore detentum auxiſſe calorem iecoris: potius enim in totum corpus diſperſa eſt bilis, vnde genita ſunt eryſipelata, pruritus, & calor. Accedit his, quod bilis, ſi in parte aliqua detineatur, non calorem tantum excitet, ſed alio multo peiora ſymptomata. Statuo igitur cauſſam caliditatis in noſtro patiente eſſe, non ſubſtantiam, ſeu ſanguinem, ſed qualitatem. Nam, ſecundum Galenum, calor toti corpori communicatur, a corde, & iecore: magis quidem a corde, per arterias mediante ſpiritu vitali: a iecore autem per venas, interuentu ſpiritus animalis, ſi hic detur. Et de his nihil ambigitur: ſed de eo, quomodo in ſenectute augeatur illa caliditas iecineris. E Galeni igitur ſententia cuiuslibet partis operatio fit, non ſolum mediante temperie, ſed etiam calido innato: hoc autem (vt Galenus ait libro de reſpirat. & palpitat.) eſt miſtum e ſanguine & ſemine: & a principio generationis producitur. Vnde fit, vt ratione diuerſitatis corporum, diuerſa etiam ſit natura temperiei, & calidi in- E nati: verbi gratia, ſi temperies, calidumque innatum ſubſiſtant in re magis dura & ſolida, tunc augebuntur: & proinde ſi ſint in ſanguine & ſemine magis duro, erunt calidiora: ſic dyſcraſia cordis calida, intenſior eſt dyſcraſia hepatis calida: nam materia cordis eſt durior: quare augetur calor, & ratione calidi innati, & ratione intemperiei. Quamobrem ex his patet, in ægro propoſito, ingraueſcente ætate non imminutam eſſe caliditatem: quoniam eius temperies in materia denſa eſt; & calidum innatum a principio generationis factum eſt e ſemine & ſanguine valde ſicco ac denſo. Ob geminum hunc calorem, facta eſt caliditas hæc intenſior: & ob illas materias duras, in quibus hæret, non ceſſit medicamentis.

Indicationes. Scopus ergo præcipuus eſt, refrigerare hunc intenſum calorem, non ſolum calidi innati, ſed etiam carnium. Hoc enim calore mitigato, mala illa nō fierent. Sed toti corpori prius ſuccurrendum: caput ſiccandum, non tamen intenſe, ob vigilias, quibus tenetur. F

Prognoſt. His ſatisfacere difficile quidem eſt, ſed non impoſſibile. Licet enim ætate non ſit factus calor, deinceps tamen annorum progreſſu imminuetur.

Curatio. Quoad cheirurgiam: cum ſanguis malus, qui continuo generatur, ſubinde per *hæmorrhoidas* euacuetur: ideo, ſi hæ ſupprimerentur, aperiendæ eſſent: præſertim cum tantum ſanguinis vena ſecta educere non audeamus, vt iecinoris caliditatem minuamus. *Fonticuli* etiam conſeruandi ſunt, quos in cruribus geſtat.

Quoad medicamenta: purgandum corpus. Iecur refrigerandum, ſecundum calidum innatum, & temperiem. Hoc fine ſumat *aquas Lucenſes*, per 10. aut 12. dies. Parentur epithemata e refrigerantibus, *cichorio, lactuca, nymphæa*: quæ applicentur hepati. *Seri* darem quotidie libram, per totam æſtatem: &, quo minus cito ad renes præcipitaretur, admiſcerem non *ſemina melonum*, nec *ſyrupum acetoſ. citri*, ſed *ſyrupum cichorii*, qui hepaticus eſt, nec refrigerat ventriculum, e l. 8. κ. τόπ. Proſunt etiam ſucci refrigerantes: nam conſeruæ facile bileſcunt. Doloribus conueniret *decoctum ſalſæ & chinæ, cum cichoraceis*. G

CON-

CONSILIVM XXX.

In dolore, & inflatione ventriculi:

HIERONYMI CAPIVACCI.

A AEGRVM noſtrum dolor & inflatio ventriculi ſollicitant:tunc temporis præcipue, cum coctio cele-
bratur: præterea in hepate, & in hypochondrio ſiniſtro, non leues obſtructiones ſentiuntur. Ho-
rum affectuum cauſſæ ſunt inueſtigandæ. Dolor,qui potiſſimum in ore ventriculi reperitur,fit a ſolutio-
ne vnitatis: cuius cauſſam putamus eſſe nō ſolam intemperiem,ſed etiam materiam quandam præter na-
B turam.Quoad intemperiem, hæc eſt frigida & ſicca: vt teſtantur ſymptomata,quæ continuo producun-
tur,& errores in victu antea commiſſi: iam enim & ante quinquennium valde in victu deliquit, &, quod
peſſimum, immodica Venere vſus eſt, qua robur neruorum maxime diſſoluitur, & præcipue ventriculi.
Accedit, quod aquas D. Petri, bis, diuerſo tamen tempore,potauit: e quibus, licet non parum emolu-
menti perceperit primis diebus,calefacto ſcilicet ventriculo, & materia attenuata ac diſſoluta: ex iiſdem
tamen poſtea maximam noxam percepit, reſiccato nimirum ventriculo, vnde macies totius corporis
ſubſecuta eſt,& ſitis. Hæc de dyſcraſia. Quoad materiam,quæ concurrit ad gignendum dolorem,& flu-
ctuationem: hæc non alia eſt, quam ſuccus pituitoſus crudus,qui in ventriculo ortum ducit, labefactata
facultate, ob intemperies iam dictas, ob quas cibus non, vt par eſt, alteratur & comprehenditur. Cum
ergo ventriculus producat chylum crudum & pituitoſum: fit vt calor debilis, agens in materiam non o-
C ptime elaboratam, ab ea eleuet flatus, qui diſtendendo ventriculi tunicas,inflationem excitant, & dolo-
res, qui ægrum præcipue poſt cibum inuadunt, quia coctio eo tempore celebrari incipit. Dolor etiam
magis occupat os ventriculi, quia hæc pars maxime eſt ſenſibilis. Hæc eadem materia pituitoſa & cru-
da, cum citius, quam par eſt, a iecore rapiatur, & non poſſit in optimum ſanguinem mutari;producit ob-
ſtructiones in ambobus hypochondriis, præcipue autem in iecore, in cuius regione maior tenſio & duri-
ties perſentitur. Quod ſi durities hæc inualeſceret, poſſet fieri, vt ſcirrhoſi affectus producerentur.

Ventriculus calefaciendus & humectandus: materiæ, in ipſo contentæ, craſſæ & viſcidæ, ſunt inci- Indicationes.
dendæ, & abſtergendæ: præterea cauſſæ obſtructionum auferendæ, viæque aperiendæ, habita ratione
prius vniuerſi.

Scopis his difficulter ſatisfieri poteſt:quia malum altas radices egit, & quia eſt intemperies ventri- Prognoſt.
D culi ſicca, omnium intemperierum difficillima. Sed ſpes adeſt, quia æger eſt iuuenis, nondum expertus eſt
medicamentum generoſum, obſequium pollicetur.

Quoad cheirurgiam, cum iam hyems accedat, & corpus exſiccatum ſit, nil de venæſectione dicam. Curatio.
Euacuatio per *hirudines*, ex hæmorrhoidibus non parum prodeſſet. *Fonticulum* habet in crure, quem ge-
ret:nec alterum in præſentia aliis in partibus inuri neceſſarium videtur, cum præſertim paſſio hæc rheu-
matica non ſit.

Leniatur aluus *melle roſac. ſolut. & manna.* Humores præparentur, *melle roſ. ſim. & ſyrupo de mentha;*
cum decocto boragin. beton. mentha, orig. & cichorii. Hæc enim decoctiones in *iuribus vituli, vel pullaſtri,*
conficiantur: quia in omnibus medicamentis ſemper humectantia ſunt ponenda. Purgetur corpus leui
purgatione: vnde ſufficit *agaricus* ſolum in parua quantitate, addito ad infuſionem *melle roſ. col.* Et po-
E tius repetenda erit purgatio mitioribus his medicamentis, quam grauioribus vtendum. His peractis, de-
ueniendum ad generoſum aliquod præſidium, quo ſimul & ventriculo & iecori proſpiciatur. Sumet ergo
per 15. vel 30. dies, *decoctum e iure galli*, in quo ſint cocta ea, quæ habent vim calefaciendi, humectandi,
obſtructiones tollendi, & ventriculum aſtringendi; vt *orig. mentha, beton. radix aſpar. filicis, agrimon. hyſ-*
ſopus; & ratione humectationis, *radix malu. cum althaa.* Huius decocti quolibet mane ſumet ℥vij. Aliud
generoſum præſidium, eſt *ſtillicidium olei medicati*; cui ventriculus per horam ſubiici debet: oleum au-
tem fiat ex *oleo de maſtich. de amygdal. dulc. de mentha, cum puluer. cinnamom. beton. macis, laudani, caryo-* Oleum ſtomachale cōpoſitum.
phyll. nuca myriſtica, &c. Et hæc olea pulueresque coquantur cum *vino albo dulciſſimo*, ad conſumtionem
vini, deinde oleum ad inſtillandum ſeruetur. Ex iiſdem oleis ac pulueribus, addita ſolum *cera noua*, con-
fici debet ceratum, quod ſupra ventriculum ſemper geſtari debet, præterquam eo tempore, quo ſtillici-
dium adhibetur. Cuius adminiſtrationis tempus futurum eſt decem dierum; horis duabus, vel vna, vel
F dimidia ante cœnam. Et quoniam mala hæc longo tempore contracta:non poſſunt cito ſolui: ideo hac
hyeme mane ſumet *decoctum ligni guaiaci*, relicta *ſalſa*, &c. ſic enim calefiet & roborabitur ventriculus;
& fiat decoctio *cum iure vituli vel pulli*, vt ventriculus ſubſtantifice humectetur. In vltima autem ebul-
litione ponetur aliqua portio *mentha & macis.* doſis eſt ℥viij. Tranſacta hac hyeme, experietur, quan-
tum remedia ſibi contulerint: & tunc præſens ſtatus medicos admonebit, num ad maiora præſidia ſit ve-
niendum, nec ne.

Quoad victum. Abſtineat ab aere frigido. Ventriculum foueat ſemper vel *pelle*, vel *purpura.* Noctu
catellum iuniorem, vel *puellum*, qui facile non ſudet, apud ſtomachum manere curet. Cibus euchy-
mus, eupeptus. Caueat a piſcibus, a leguminibus, a lacticiniis, a carnibus craſſi ſucci. Vinum ſit medica-
G mentoſum, *e beton. mentha, roremar. ſaluia*, quæ in eo bulliant. Exercitium ſit modera-
tum nec magis exſiccet. Cauendæ vigiliæ immodicæ. Vitet
curas. Abſtineat a Venere. Aluus ſerue-
tur lubrica.

CONSILIVM XXXI.

In dolore renali & coxendico: itemque in doloribus per totum corpus vagantibus:

HIERONYMI CAPIVACCI.

Affectus, & caussæ. FOns omnium horum malorum, consistit in ventriculo. Licet enim calculi illi renales, a renum iecorisque calore, ceu a caussa efficiente, foueri videantur, vtpote qui materias pituitosas exsiccando in lapillos conuertat: materialis tamen caussa sunt succi pituitosi, qui in ventriculo reperiuntur. Ab his iisdem succis oriuntur illi dolores variarum partium vagantes, qui modo scapulas, modo vertebras, modo regionem pectoris obsident, & eam præcipue partem, quæ ante laborauit pleuritide, ideoque debilis reddita est: hi inquam dolores, a materia vaporosa & flatulenta oriuntur, eo quod modo hanc, modo illam partem sollicitent: At dolores coxendicis non a flatu, sed ab humore fiunt: materia scilicet pituitosa & cruda, quæ a ventriculo in illas partes præcipitatur. Hi humores pituitosi & crudi gignuntur in ventriculo, labefactata facultate coctrice, ob ipsius dyscrasiam frigidam & siccam. Frigida patet. Sicca arguitur: quia iecur a naturæ primordiis calidum, ob viciniratem longo tempore potuit humiditates ventriculi absumere: accedit Veneris diuturnior vsus, ætas senilis, potus multarum aquarum thermalium, quæ obfuere, præcipue autem Venus robur partium neruosarum & ventriculi euertit. Capacitas interim ventriculi superflua humiditate impletur: quæ enim de siccitate diximus, ad partes solidas, & ad humidum naturale, referenda sunt. Non autem verisimile est, hosce prauos humores in cerebro generari, & ab hoc in prædictas partes decumbere: nam æger secundum cerebri functiones bene habet.

Scopi. Ventriculus calefaciendus, & substantifice humectandus: iecur & renes aliquo modo refrigeranda: humiditates excrementitiæ coaceruandæ, & prohibendum, quo minus ad renes, & ad partes infernas perducantur: flatus, qui vagos dolores excitant, discutiendi.

Prognost. Res hæc autem difficilis est, ne dicam impossibilis. Est enim vehementia & essentiæ, quia altas radices affectus egere; & dignitatis, quia ventriculus afficitur, cuius ratione etiam cetera membra languent; sed spes aliqua est, quia patiens est obsequens, & prudens medicus adest.

Curatio. Quoad materias, quæ omnes solum autumni tempore administrandæ. Primum quoad cheirurgiam: si eo tempore non fruitur beneficio hæmorrhoidum, fiat aliqua per *hirudines* euacuatio. *Fonticulum* quem habet, tum geret. Quoad φαρμ. Aluus leniatur *melle rosaceo solutiuo, & manna.* Præparentur humores crudi, non his quæ habent vim ducendi ad renes, & ad partes infernas, vt sunt *beton. petroseli.* &c. Sed contenti simus *melle rosaceo, & syrupo e cichoreis simplicis:* quæ cum brodio exhibeantur. Diureticis enim calculus inducitur, & ischias augetur. Ideoque ab his cauendum, ante exactissimam purgationem. Purgetur corpus leuissime, cum *agarico, polypodio, sena, epithymo,* & cum portione *rhabarb.* quæ omnia sint infusa in brodio. Quod si ipsi magis placeret bolus, post ipsum apozema e brodio dari bolus poterit. Sic autem purgandum corpus, vt excrementitiæ quidem humiditates exturbentur, nulla tamen e siccitate contingat noxa. Si totum corpus leui illa purgatione non perfecte purgatum videretur: rursus humores erunt præparandi, cum *syrupo de cichoreis simplicis, cum boragine, melissa, mentha, & bugloss.* in brodio decoctis: postea erunt purgandi supradictis medicamentis. Quibus peractis, deueniendum erit ad generosum aliquod præsidium, ratione cuius ventriculus calefiat, substantifice humectetur, & ipsius excrementitiæ humiditates absumantur. Non ergo probamus *aquas thermales:* nam si sint frigidæ, calorem quidem iecoris renumque remittunt, ventriculo tamen officiunt: si autem sint calidæ siccæque, plus siccitate obsunt, quam caliditate prosint ventriculi. Conueniet autem *ius columbi, vel ius galli,* qui sit vnius anni: in quo ebullierint herbæ, quæ vim habent calefaciendi, modice exsiccandi, & etiam humectandi: vt *mentha, cichor. borag. rad. fil. althææ, bugloss. malu. China* etiam prodest, si imponatur iuri, quia calefacit moderate & excrementitiæ humiditates exsiccat, suaque oleositate & pinguedine humectat. *Cichor. & borag.* respiciunt iecur & renes, ne scilicet reliquorum calore lædantur. Hoc medicamento vtetur per multos dies: Si enim in lue gallica *ligni decocto* per quadraginta dies vtimur, quanto magis in hoc affectu contumacissimo remediis insistendum est. Vtetur etiam patiens *conseruis e flor. rorismar. borag. malu. & melissa.* Hyeme, si flatibus infestabitur, *theriaca* admodum conueniet; quæ, ne ventriculo siccam inducat qualitatem, permiscenda erit *conserua e malua, aut buglossa. Terebinthina Cypria* & alia, tum temporis solum probantur, quando in renibus materiæ infarctæ reperiuntur: reliquo vero tempore ab his summopere cauendum, ne affectus, contra quos pugnamus, præter opinionem inducamus. Quoad externa, probo vt ventriculus stillicidio subiiciatur, quod sit confectum *ex oleo mastichino amygd. dulc. cum aromatis:* quare conueniet *cinnamomo, mastiche, mixta.* &c. quę omnia in *vino albo dulcissimo* incoquantur, & ventriculo instillentur. Vel, vt melius qualitas imprimatur, fiat *ceratum e mastiche, cera, & pulu. cinnamom. ac caryophyll.* idque ratione iecoris, potius versus sinistram, quam dextram regionem imponatur. Nec inutile erit fouere iecur, cum *succis cichor. end.* quibus modicum *aceti*, pro penetratione misceatur. Renes inungantur *vnguento rosf. Mes.* eo tempore, quo calculo non infestabitur.

Diæta a medico præscribatur. Id saltem moneo, vt tempore autumni paretur *vinum medicatum,* mediocris facultatis *ex vuis nigris,* in quo bulliant *rosm. salu. china etiam,* si in copia reperiretur; alias contenti erimus *ligno guaiaco,* cui tamen *cichor. & borag.* addenda. In hoc vino bulliant etiam quæ vim habent humectandi, vt *malua, althæa, buglossa* &c. Venus & animi accidentia vitentur.

A

CONSILIVM XXXII.

In, pulsus frequentia, vrinæ ardore cum sabulositate, tumore lienis, iecoris obstructione, & ictero nigro:

HIERONYMI CAPIVACCI.

MVLTI sunt affectus, de quibus nobilissimus patiens conqueritur: inter quos recensetur pulsus cum immoderata frequentia, vrinæ ardor cum sabulositate, lienis tumor, virium debilitas & nigricans totius corporis color. Affectus & eorũ signa.

B Pulsus frequentia immoderata ipso tactu clara est, quæ a cibo ita augeri solet, vt euidentissima sit. Inter mingendum vero, tum in vesicæ collo, tum in glandis extremo, ardor non mediocris percipitur. In fundo quinetiam matulæ sabulositas conspicua est. Vniuersi corporis nigredo oculis obiicitur. Lienis tumor tangentibus ac prementibus manifestatur.

Horum omnium malorum caussæ sunt indagandæ; vt, si fieri possit, remoueantur mala, & malorum caussæ, ac symptomata omnia. Principio autem minime dubium est, omnia hæc fieri a iecore & liene. A iecore quidem, labefactata facultate eius alteratrice, partim ob intemperiem calidam, partim ob errorem externum, qui nihil aliud est, quam tumor durus & scirrhosus lienis, cuius ratione fit, vt lien non possit suscipere excrementum melancholicum, quemadmodum opus esset. Redditum autem hepar est calidius, quod natura etiam calidum exstitit. Nam, ob caliditatem, copiosum gignit sanguinem, in quo excrementum melancholicum copiosum est, vnde sanguis crassus: quod excrementum melancholicum secundum naturæ leges transmissum ad lienem, cum ab eo regi non possit, lienem obstruxit, & tumorem genuit. Lien autem non regit excrementum hoc melancholicum, quia est affectus intemperie frigida. Facto ergo hoc tumore, veluti scirrhoso in liene, prohibetur hac de caussa susceptio excrementi melancholici. Hoc autem ex parte in hepate detentum, gignit obstructionem. Et iecur obstructum magis incaluit: vnde ardor vrinæ, & sabulositas illa gignitur, nec non pulsus frequentia. Pars vero alia melancholici excrementi, cum sanguine mista, ad vniuersum corpus transmittitur; vnde icterus niger. Tandem, cum prauo hoc succo corpus alatur; virium debilitas inde proficiscitur. Caussæ.

C

Pro curatione iecur refrigerandum: materia, obstructionis caussa, attenuanda, incidenda, calefacienda, emollienda, & euacuanda: lien calefaciendus: materia tumoris dura emollienda; crassa attenuanda; frigida calefacienda; copiosa euacuanda: virtus tonusque harum partium, vna cum virtute totius, conseruanda: totius inprimis quoque ratio habenda. Scopi.

D

Hæc omnia explere, impossibile est: sed tamen meliorationis spes aliqua restat. Vehementia enim ratione dignitatis est insignis, quia iecur afficitur, membrum principalissimum, nutritioni destinatum: quæ actio caussæ vitæ necessaria est. Lien quoque afficitur: qui, etsi non sit pars principalis, non tamen sperni debet. Ratione propriæ essentiæ vehementia intenditur; quoniam tumor lienis quasi scirrhosus difficillime auferri potest: intemperies etiam frigida lienis, cum sit in habitu, vix emendabilis est: iecoris obstructio, & intemperies calida, quasi confirmata, admodum curatu sunt difficilia. Ratione facultatis corpus regentis, nulla est vehementia: quia neque animi deliquia, neque alia adsunt, quæ hæc facere possunt. At virtutis ratione summa est vehementia: corpus enim totum emaciatum est. Prognost.

E Nunc vero meliorationis spe animo concepta, ad præsidia descendemus. Quoad cheirurgica: secanda est *basilica sinistri brachii*, & sanguinis vnciæ quinque detrahendæ. *Fonticulus* ratione lienis in sinistro crure excitandus. Curatio.

Aluus lenienda *melle ros. solutiuo, cum electario lenitiuo, manna*, & similibus. Præparandi humores, iusculis alteratis *betonica, buglossa, cichorio*, & similibus. Purgandi, *diluto rhabarbari, cum syrupo de polypodio, additis foliis senæ, & epithymo.*

His peractis ad generosa accedendum præsidia. Quamprimum igitur assumendum *ius galli non admodum antiqui*, cuius venter impletus fuerit *foliis cichorii, boraginis, maluæ, althææ, agrimoniæ, & sassafras.* Ante hoc iusculum singulis vicibus sumenda est pilula vna vel altera, parata ex *ammoniaco, sassafras, & agrimonia.* Possumus etiam, vrgente necessitate, ad *chalybis limaturam* ascendere: e qua *vinum chalybeatum* parari solet, quod ad lienis tumorem debellandum mirabile est, & pluribus diebus sumendum.

F

Dum autem hæc administrantur, simul efficacissimum præsidium extrinsecus non negligendum, ad tumorem illum lienis emolliendum, digerendum, & auferendum: regioni lienis nimirum applicandum *ammoniacum aceto dissolutum*, additis *oleo amygdalarum dulcium, pulueribus agrimoniæ, vtriusque veratri*, & similibus: vel imponendum *ceratum sacrum*, adiectis *pulueribus agrimoniæ, & vtriusque veratri*: veratrum enim humorem melancholicum ex alto euocat, & vacuat. Cerata autem illa lienem calefaciunt; materiamque, obstructionis caussam, discutiunt & dissipant. Temporibus calidioribus, vt lien calefiat, ac roboretur, tumorem faciens materia emolliatur & dissipetur: probatur *lutum S. Bartholomæi*; quod hæc omnia egregie præstat. Pro iecore refrigerando, applicari ipsi debent epithemata, parata *e succo cichorii*, & similibus, cum *aceti* momento ad penetrationem.

G

Non probantur *aquæ thermales*, nec *serum*. Licet enim conuenire videatur serum ratione caliditatis iecoris, quia refrigerat: attamen cum lien, qui caussa est obstructionis iecoris, sit refrigeratus; periculum esset, ne potius serum noceret, quam prodesset, quia splen facile impletur serosis humoribus. Possumus autem exhibere serum ad refrigerandum iecur: sed tum demum, cum lien a tumore liberatus est, & ab intemperie illa frigida, quam nos amoueri posse non speramus.

Ratione totius, probatur *balneum aquæ dulcis*, sæpe repetitum. Sed aqua illa balnei alteranda erit *radicibus & foliis althææ, maluæ, agrimoniæ*, & similibus. A

Victus per omnia iam propositis respondebit.

CONSILIVM XXXIII.

In Stranguria, & vrinæ ardore: pro Barone Germano.

HIERONYMI CAPIVACCI.

Affectus, & caussæ. ILLVSTRIS Baro de læsa vrinæ excretione conqueritur: quæ actio dupliciter vitiatur: dum enim mingit & materiam sabulosam excernit, ardorem quendam percipit: præterea continuo vrina guttatim paullatimque effluit, quod vitium stranguriam vocant. B Ad curandum hos affectus, eorum caussæ indagandæ sunt. Ardor oritur, quia meatus vrinarii tunica interior, ex vrinæ acrimonia, & frequentiore sabulosæ materiæ transitu, si non excoriationem aliquam perpessa est, ad eam tamen deuenit tenuitatem, vt e quauis leui occasione soluatur continuum: vnde dolor oboritur. Sabulosam materiam a renibus præcipitari, ipsius rubedo indicat. Generatur autem in renibus, ob illorum imbecillitatem, & natiuam, & adscititiam: nam patiens iure quodam hæreditario renes habet imbecilliores, quia calor innatus infirmus est, adscititius vero intensior, quam par est: vnde fit, vt cum materia pituitosa transmittatur ad renes, in lapillos & sabulosam materiam facile conuertatur: quæ materia pituitosa in ventriculo generatur, ob illius imbecillitatem, quam errata in victus ratione pepererunt, & præcipue frequens ac copiosus frigidæ potus. C Stranguriæ duplex caussa est: vrinæ scilicet acrimonia, facultatem expultricem proritans: tum retentricis facultatis imbecillitas. Vrinæ acrimonia, quamuis omni lotio sit naturalis; hoc tamen loco plurimum augetur, ob hepatis, renum, & totius corporis caliditatem ac siccitatem. Imbecillitatem vero retentricis inde oriri putamus, quod vesicæ corpus intemperiem aliquam frigidiorem & humidiorem, ob caussas iam dictas, contraxerit, & musculus colli vesicæ, sphincter dictus, in extractione lapidis aliquid fuerit perpessus: qui etsi primaria ratione ad vrinam retinendam non sic fabricatus, secundaria tamen quadam ratione corpori vesicæ ad hoc munus obeundum fert suppetias.

Scopi. Quæ cum ita habeant, labor omnis in eo positus esse debet, vt mundato corpore, refrigeretur iecur, expurgentur renes, roboretur ventriculus, corpus & collum vesicæ calefiat & exsiccetur.

Præsagia. Negotium sane arduum ac difficile. Nam si vrinæ acrimoniam spectemus, cum maxima e parte renum vitio hæreditario obtingat: nemo salutem perfectam polliceri ausit: plurimum præstare videbimur, D si, ne lapis in vesica regeneretur, prohibuerimus. Stranguriæ caussa eo loci posita est, quem vis remedii vix contingere potis est: vnde curationis difficultas arguitur.

Curatio. Cum vero casus bene nos sperare iubeat: age alacri animo curationem ineamus. Quoad cheirurgiam igitur: sanguinis aliquid detrahatur, e cubiti dextri *iecoraria*: nam etsi non peccet sanguis: huius tamen vacuatio vim habet refrigerandi hepar & renes, per accidens. *Cauteria* ad scopos nostros parum, vel nihil faciunt: nec enim materiam, quæ ad renes transmittitur, nec sabulum illud, quod in vesicam præcipitatur, euocare vlla ratione possunt.

Ante autem venæsectionem lenienda aluus venit, *melle rosato solutiuo & manna*, vel, pro placito, *electario lenitiuo & manna*. Præparabitur materia *brodiis alteratis cichorio, mentha & endiuia*: vel iuncto illis *melle rosato simplici*. Purgabitur corpus *diluto agarici, & modico rhabarbari*: quibus addi nonnihil poterit E *mellis rosati solutiui*.

Corpore exquisite purgato, nihil aliud hoc tempore fieri potest, quam vt extrinsecus, & intrinsecus corroboretur ventriculus. Intrinsecus quidem conseruis, vim calefaciendi insignem non habentibus, qualis *betonicæ conserua est*, tum sine *theriaca*, tum huius adiecto modico, temporibus præsertim his frigidioribus. Eodem etiam valet *aromaticum rosatum Gabrielis, mithridatium*, & id genus alia, quæ mitioribus permisceri debent. Extrinsecus inunctiones conueniunt, *cerata & sacculi*, ex his quæ rem habent moderate calefaciendi, & exsiccandi.

Tum partes, ad vesicæ corpus & collum pertinentes, sunt roborandæ. Possunt autem hoc tempore administrari fomentationes, & emplastra. Fomenta fieri poterunt cum *spongia noua, vino potenti & generoso imbuta*, atque expressa: cuiusmodi vinum est *maiuaticum subausterum*, cui incoxerint *lignum* F *Indicum, salsa parilla, ruta, marrubium, rosmarinus, aristolochia, radix cucumeris agrestis, sassafras, alumen scissile*, & alia quæcunque huius generis. Post fomentationem emplastra sunt admouenda, quale est *emplastrum barbarum, & sacrum*, quod *e dictamno* paratur: valent etiam alia magistralia, quæ parari solent. Et hæc præsenti tempore fieri possunt.

Ineunte autem vere, purgato corpore, non erit abs re, ad expurgandum renes, & hepar refrigerandum, *serum lactis caprini* exhibere: quo tempore ventriculus muniri poterit, nec non partes vrinariæ. Præter serum non improbamus *aquas thermales*, cuiusmodi sunt *Patauinæ, Lucenses*, aliæque id genus. E calidioribus vero insessus fieri possunt.

Decoctum vero *salsæ & ligni* non admodum probamus: licet enim vim habeat exsiccandi; tamen G cum illustris æger vigilias patiatur, fortassis magis læderet, quam iuuaret, præsertim cum ipse sit habitus calidioris & siccioris.

His omnibus recta victus ratio est adiungenda. Aer itaque in actiuis & passiuis sit temperatus. A cibis calidis, acribus ac salsis omnino abstinendum. Vtendum tamen iis, quæ vim moderate exsiccantem habeant, vt *carnibus veruecinis*. Diuretica vitentur: nisi corpus accurate fuerit purgatum.

Lacti-

A Lacticinia omnia fugienda, & quæ ex his parantur: legumina item, & cibaria e pasta parata. Olera non conueniunt. Acetaria e *capparibus* sunt opportuna: nec non e carne contrita. Vinum non sit admodum potens: sit autem subausterum, & modice sumtum. Abstineat ab aqua, quantum fieri potest. Inter fructus *pistacia* conueniunt, *pyraque* cocta: reliqui sunt suspecti. Somnus paullo sit consueto longior. Exercitium sit moderatum ante cibum: a pastu conquiescat. Aluum teneat lubricam: si natura officium non faciat, proritetur arte. Animi accidentia vitanda sunt. Venus, si quid aliud, est inimicissima.

CONSILIVM XXXIV.

B *In melancholia, capitis dolore, imbecillitate totius corporis:*

HIERONYMI CAPIVACCI.

Variis æger noster symptomatis vrgetur. Primum est melancholia: nam continuo est mœstus. Deinde, cum aeri se exponit, dolore capitis tentatur, circa frontis regionem. Longos & profundos habet somnos. Percipit totius corporis imbecillitatem, & manus pedesque interdum adeo frigidi persentiuntur, vt calore destitui omnino videantur. Adest oris siccitas & sitis. Item alui durities. Sentitur calor quidam in iecore. Melancholia est actio deprauata imaginatricis, quæ læditur ob errorem externum, (non propter intemperiem) scilicet ob spiritum animalem tenebricosum, qui redditur tenebricosus, ob impurum spiritum vitalem, qui talis generatur a cordis frigiditate, quæ non tantum natiua est in hoc ægro, sed multis etiam de caussis adaucta. Vnde Hippocrat. sait: si motus & mœstitia diu perseuerent, homines melancholicos euadere: non sane, quod humor melancholicus a frigiditate gignatur, cum potissimum fiat a calore: sed quia ob cordis frigiditatem, non regi potest sanguis in corde genitus: vnde spiritus vitalis & paucus & impurus, ob cordis intemperiem frigidam, procreatur; qui postea vertitur in spiritum animalem tenebricosum; vnde melancholia. Nec obstat, quod ad iram promtus sit: nam & fœminæ facile ira accenduntur, quæ statim tamen recedit. Hunc affectum medici & philosophi, omnes a visceris frigiditate oriri censent. Dolor capitis fit e flatibus, qui eleuantur a materia pituitosa, quæ in capite reperitur, inque eo gignitur propter dyscrasiam humidam; quod patet e longis & profundis somnis. Sollicitatur autem dolore, dum aeri sese exponit: quia tunc agitantur humores illi, e qua agitatione eleuantur flatus, qui distendendo partes illas sensitiuas, soluunt continuum, & dolorem excitant. Non autem sollicitatur dolore, quando destillatione detinetur: quia ea materia, e qua flatus gignuntur, extra cerebrum extruditur. Et quoniam (vt diximus) propter frigidam cordis intemperiem, non tantum impurus spiritus animalis procreatur, sed etiam exiguus: ideo mirum non est, si totius corporis imbecillitas persentiatur, quia facultas animalis, vt par est, ad neruos peruenire nequit. Verumtamen non est credendum, tantam esse imbecillitatem, quantam se sentire patiens asserit: nam melancholicorum hoc proprium est, vt grauiora dicant esse symptomata, quam sunt. Eadem cordis frigiditas est in caussa, vt flos caloris insiti deperdatur, & aliquando manus pedesque gelidi persentiantur. Valde autem insignem esse frigidam intemperiem, id ostendit, quod maximus iecoris calor non potest refrenare partium extremarum frigiditatem. Porro iecoris caliditas varia symptomata producit. Cum enim aluus sicca exsistat, id fieri censendum est, quia calor iecoris feces duras reddit. Eadem de caussa sitim persentit: quia calor & siccitas iecoris communicantur etiam ventriculo. Frequentissime etiam mingit, quia iecoris calor sanguinem fundit, & plus, quam par est, serum a sanguine seiungit. Affectus, & Caussæ. C D E

Cordis intemperies medicamentis calidis est remouenda: iecoris feruor castigandus, humores pituitosi in capite redundantes euacuandi. Scopi.

Quoad cheirurgiam, iam de venæsectione nil dicemus. Tempore autem veris consulimus ante purgationem, fieri e cruribus euacuationem, vel per *venæsectionem*, vel per *cucurbitulas*. Hoc enim tempore simpliciter tantum purgationem laudo. Quare primum leniatur aluus *melle rosf. sol. & manna*. Præparandi humores decoctis *e cich. bor. end. beton. & melissa*. Postea mitissime purgentur, diluto *rhabar. agar.* cum portione *senæ & polypodii*. Masticationes conficiantur e *pyrethro*, *mastiche*, *& cera*. Facta hac purgatione, vtatur *conseruis de cich. melissa, anthos, borag.* simul mistis, cum aliqua potione *theriacæ*, fiat electarium. Quoad externa: ratione iecoris calidioris, proderit, si circa eius regionem fomentum applicetur *e succo cichor. cum aceto*. Supra cor gestetur sacculus, qui contineat *flores rorismarini, stœchadis, melissæ, summitates ocymi, cortices citri, macem, caryophyllum, cinnamomum, galangam, moschum, lign. aloes, ambram, species diamarg. calc.* Misceantur inuicem decenti proportione, & imponantur in sacculo adiecto gossipio ad retinendum pulueres: sacculus autem sit *e serico purpureo & delicatissimo*. Tempore autem veris, post venæsectionem, vel scarificationem purgandum erit corpus, iisdem medicamentis, quæ iam proposuimus; verum magis iteratis. Nec improbatur *syrupus de polypodio*. Deinde, cum optimo præditus sit stomacho, laudamus *serum lactis*, sumtum modo cum manna, modo cum *syrupo rosarum solutiuo*, modo cum infusione *senæ*, ratione stipticitatis alui. Laudamus etiam vt in vsu habeat *balnea aquarum dul.* in quibus efferbuerit *melissa, borag. viol. &c.* Vtatur etiam dictis conseruis, temporibus calidis, e quibus tamen *theriaca* dematur, & augeatur dosis *borag. & cich.* vt his etiam syncenis liceat vti tempore æstiuo. Fomentum iecori, sacculus cordi applicetur. Curatio. F G

Quoad diætam: caueat sibi ab aere nimis frigido: quemadmodum æstate, a nimis calido. Caueat a cibis mistis cum aromatibus: fugiat vinum generosum, & dulce. Moderatum sit exercitium. Soli-

tudo fugiatur. Somni non sint ita longi: sunt enim in caussa, vt pituitæ copia in cerebro coaceruetur: tres horas a cœna vigilet. Ad alui duritiem, proderit, si aliquando sumet *mannam*, cum *melle rosaceo solutino*, cum *syrupo de polypodio*, nisi vigeat æstas: habet enim vim lubricandi intestina. Conueniunt etiam clysmi e *puro olei communi*. Sit læto animo, curas omnes, cogitationes & studia fugiat, itemque iram. Et in hoc prudentis viri iudicium requiritur. Pila fiat oderata *e moscho, ambra, Zibetto*.

CONSILIVM XXXV.

In dolore articulari: & scabie, seu impetigine:

HIERONYMI CAPIVACCI.

Caussæ affectuum. MALA hæc a tribus caussis originem duxere: ab hepate nimis calido: a capite humido, a ventriculo frigido & humido. Iecoris incendium inde facile coniicere possumus, quod vere proximo elapso, quando lue Venerea admodum laborabat, sicut & iam quædam assunt reliquiæ; decoctum guaiaci per plures dies assumsit: quod veneno quidem venereo profuit, obfuit tamen iecori, & id impense calidum, & aliquo modo siccum reddidit. Hoc igitur postea maiori feruore correptum, multos humores acres, mordaces & lue affectos genuit; qui a partibus præstantioribus & robustioribus, ad ignobiliores & imbecilliores, scilicet ad cutim, quæ excrementorum corporis quasi sentina est: propulsi sunt; vnde pustulæ exortæ sunt per vniuersum corpus, quæ in vlcus pruriginosum & serpens versæ & expansæ sunt. Humores autem qui suapte natura sunt frigidi & pituitosi, ascititia autem qualitate calidi & salsi, quadam bilis portione permista, ad articulos delati sunt; partim a capite transmissi, partim ab articulis, propter imbecillitatem, recepti: vnde dolores articulares exorti sunt. Generatio horum humorum pendet e peccatis in victu commissis, maximeque in potione.

Scopi. Victus ratio mutanda. Hepatis feruor exstinguendus. Vniuersum corpus vacuandum. Caput exsiccandum. Ventriculus calefaciendus & exsiccandus. Articuli roborandi & exsiccandi, ne fluxionem facile recipiant. Gallica virulentia exstirpanda. Scabies delenda.

Prognostica. Cura est difficilis: quia lues Venerea in præcipuo viscere contraxit habitum, & dolores articulares ob diuturnitatem sunt veluti confirmati. Non tamen impossibilis cura: cum tota dirigatur potissimum ad euacuandum humores, & exstinguendum iecoris incendium.

Curatio. *Ligni indici decoctum* non habet locum, cum plus iusto calefaciat hepar: *sed decoctum salsæ & chinæ*, quæ attenuant, moderate exsiccant, citra immodicam caliditatem. Omnia enim quæ valde calefaciunt, in hoc casu sunt vitanda. *Salsæ & chinæ*, dosis sit ab ℥ iij. ad v. *aquæ* ad ℔ v. fiat decoctio ad consumt. medicam. & colatura seruetur pro syrupo. Quod *reliquum* est, decoquatur in ℔ x. *aqua*, ad consumt. $\frac{1}{3}$. & pro potu retineatur. Decoctum parari etiam potest cum *hordeo cichorei hepatica*, vel etiam *lactuca*: sic enim magis feruor hepatis compesceretur: *hordeum* præter frigiditatem, habet etiam vim abstersoriam, sed oportet esse hordeum copiosum, & optime coctum, cum longam patiatur coctionem. Magis potest ad indicandum hepatis intemperies, quam virulentia ad prohibendum. Ideo magis intemperiei, quam virulentiæ damus operam. In maximo vsu habemus pilulas quasdam, *e salsa, china*, & herbis refrigerantibus iam descriptis: hæ semel diebus alteratis per horam ante prandium capiendæ erunt.

Quoad sudorem: hic obesset, si spectamus iecoris incendium: quia tamen ope sudoris facile huiusmodi morbus finiri solet, suademus vtendum esse sudore, desistendum tamen per aliquot dies, dum hepatis incendium aliquo modo sit exstinctum. Dum decoctum administrabitur, caueat a *vino*, & vtatur *aqua secundo loco præparata*. Victus sit tenuis, ita tamen vt tolerari possit. Decocto vtetur ad minus quinquaginta aut quadraginta diebus, cum aduersus longam & diuturnam affectionem sit pugnandum: eoque quamprimum vtatur: nam in hoc præsidio salutis spem positam habemus: ideoque non placet, quod eius vsum patiens in aliud tempus differre vult ob quædam negotia. Quod si tamen iam administrari non possit: interim *serum caprinum* epotet, ad exstinguendum hepatis calorem: ideoque pluribus diebus secum domi detineat tres vel quatuor capras, easque nutriat rebus refrigerantibus, vt *lactuc. endiu. cichor. hord. foliis salicis, rubi*, vt lac magis fiat frigidum: caueat autem summopere, ne capræ *salem* comedant, quia contrarius sequeretur effectus. Sin vsus seri ventriculo officeret, & ipsum labi faceret in διάῤῥοιαν: vt huic obsistamus incommodo, in primo cyatho *syrupum de mentha* imponamus: extrinsecus autem inunctiones *ex oleo mastichino de absinth.* in regione ventriculi non improbantur. Si cupimus, vt viam vrinæ petat serum, in primo cyatho miscemus, aut *syrupum de beton.* aut *lac sem. melon.* Laudamus etiam vsum *trochiscorum viperinorum*, qui multum scabiei amouere possunt; & affectibus etiam articularibus prosunt. Sic parentur: *℞ salsæ ℥j. trochisc. viperin.* ℈j Misc. Sint in frequenti vsu: quemadmodum & *terebinth. ad ℥j.* hac hyeme vsurpabitur sæpius, cum partium imbecillium roboratio exoptetur. Integram sanitatem pollicemur ægro, quia ætas robusta, & patiens obtemperans.

Quoad cheirurgiam igitur, conuenit venæsectio e *basilica dextra*: sanguis enim peccat secundum quantitatem, formā & motum. Quia aūt sanguis impurus & salsus per vniuersum corpus est dispersus, nō sufficit venæsectio, sed alio ēt opus est præsidio, quod hunc humorē probe possit euacuare. Proinde multę *cucurbitulæ* N. xvj. plus minusve, diuersis corporis partib. applicabunt̄, quot videlicet sufficere ꝓ patientis quan-

A quantitate videbuntur: Et hæ erunt affigendæ post purgationem. *Fonticulum* vnum in crure gerit, qui non est submouendus, licet locum idoneum non habeat, attamen nec dolorem inducit, nec aliud symptoma affert: imo, si opus esset, alterum in brachio efficiendum proponeremus. Sed prius optamus, vt remedia proponenda experiatur: quæ si non prodessent e toto, tunc in brachio nouum *cauterium* figere oportet.

Corpore per venæsectionem optime inanito, ad φαρμακείαν veniendum. Leniatur aluus *melle ros. sol.* aut *melle & manna*, aut *cass.* vel *elect. lenit.* Præparētur humores, *syrupo de cich. de borag. de succo rosar. cum melle ros. simp. & decoctis accommodatis.* Purgentur *diluto rhabarb. & agar. & fol. senæ*, quibus addatur *mel rosar. solut. aut manna.* Et quia tum colluuies non potest vna vice exhauriri: ideo grauioribus iteranda est purgatio. Præparentur ergo denuo humores *syrupis tum simp. tum comp.* vt est *syrup. de pom. comp. de cich.*
B *cum rhabarb. de fumar. &c.* Hic autem ordo in syrupis obseruetur, vt tertio quouis die compositi exhibeantur, interpositis diebus simplices. Euacuentur *pil. cochi* vel *assaiereth, de agaric. Mes.* Quandoque vt iecur attemperetur, vice syruporum forte tutius erit, toto eo tempore, *serum lactis caprini* ad minimum ad ℔ iiij. propinare. Post corporis purgationem, contra luem pugnandum, *decocto* paullo ante descripto.

Externa respiciunt Cutem & Articulos. Cutis nobis videtur nimium exsiccata, ob humorum calidorum & siccorum diffluxum: proinde laxanda erit & rarefacienda, vt humor acris, qui pruritum & pustulas facit, insensibiliter possit euacuari. Laudamus igitur vt foueantur partes corporis, procul ab articulis, cum aquis, in quibus *violæ, maluæ, & lactucæ* sint positæ. Post fomentum ad cutem corroborandam & siccandam, non improbantur *aquæ marinæ*, & *aquæ montis Orthonis.* Inunctiones *olei viperini* exsiccant, & si in cute remanserit qualitas mala, prohibent ne rursus possit repullulare. Inunctio huius linimenti prodest:
C ℞. *ol. rosati* ℥ij. *cerussæ* ʒj *sulph. viui* ʒij. *salis* ʒj. & cum *aqua helleb. nigri*, aut *succo limon.* fiat linimētum. Vel *radicum helleb. nigri decoctum* probatur. Articuli roborandi & exsiccandi, *vinaceis, oleo salito.* Caput humidum, quod multam pituitam gignere videtur, expurgetur masticatoriis & errhinis. Ventriculi frigiditas & humiditas, cum non sit effatu digna, decocto suprascripto poterit auferri.

Quoad diætam: cauendum a plus iusto calefacientibus & exsiccantibus, vt sunt cibi calidiores, aromata, salita, acria, vina generosa.

CONSILIVM XXXVI.

In Scirrho lienis:

D MEDICORVM SVBSCRIPTORVM.

DVas scirrhus iste habet caussas: altera est facultas alteratrix imbecillis reddita, quæ imbecillitas est hæ- Caussæ.
reditaria; quia patientis mater, & frater, eodem morbo correpti fuere: altera caussa est nimius hepatis feruor, qui copiosam humoris melancholici copiam gignit, qui a splene attractus, ob expultricis imbecillitatem expelli nequit, ideoque congestus tumorem excitat.

Splen roborandus. Prohibenda humoris melancholici generatio, hepar refrigerando: Humor in Præsidia.
liene congestus, vt copiosus, euacuandus; vt crassus, attenuandus; vt viscidus, incidendus. Sed attenuantia non erunt immodice calida & sicca; ne humor crassus, rebellis reddatur.

Quoad cheirurgiam, aperienda *interna vena* sinistri brachii: conuenit etiam *hæmorrhoidum* apertio. Curatio.
E Quoad φαρμακείαν: locum habent interna & externa medicamenta. Leniatur ergo aluus, & quia auersatur potiones, fieri potest bolus: ℞. *elect. len.* ℥vj. *confect. hamech.* ʒij. M. & cū *saccharo* fiat bolus. Præparētur humores hoc modo. ℞ *rad. filicis, apii ana* ℥ß *fol. ceterach. eupatorii, borag. ana M.* ß. fiat decoctio s. a. Deinde ℞. *dictæ decoctionis* ℥v. *syrup. de duab. rad. oxym. simpl. ana* ℥vj. M. pro vno syrupo, sic & pro aliis. Purgentur h. m. ℞. *agar. troch* ʒj. *confectionis hamech* ʒij. *rhabarb. el.* ℈ iiij ß. *spicæ* g̃ iiij. *mannæ el florum cass. ana* ℥ß. *M.* & cum *decoct. fl. & fruct.* fiat breuis potio. Et quia magna est colluuies: ideo hæc purgatio repetenda, addita solum portiuncula *helleb. nigri.* Postea ad ventriculum & lienem corroborandum vtemur *conseruis, e chalybe preparato:* verbi gratia, ℞. *chalybis præparati,* ʒj ß. *conseru. borag. cons. cich. ana* ʒj. Misce. Huius conseruæ ʒij. capiantur horis quatuor ante prandium: superbibendo parum *vini albi generosi*, aut *vini maluatici. Confectiones magnæ,* præsertim *theriaca* mirifice conducunt. Inter cetera autem maxime proba-
F mus *vinum chalybeatum*, quod paratur sumendo *vinum album, cum limatura chalybis* confectum. Quoad externa, profutura speramus *luta D. Bartholomæi*, quæ moderate calfaciunt & exsiccant, tumoremque istum tollunt. Priusquam tamen administrentur, probamus fomenta & cerata, quæ emolliunt, attenuant, & discutiunt. Fomentum sic pāretur: ℞. *aquæ loturæ lanarum* ℔ *xx. rad. alth. malu. ana* ℔ j *fol. malu. lapath. viol. ana M. ij.* bulliant simul ad consumtio. ¼ s. a. In hoc decocto spongia noua madefiat, & expressa locus affectus septies singulo manę, & toties vesperi foueatur. Ceratum hoc erit: ℞. *diachyl. magni, ammoniaci aceto dissoluti, ana* ℔ ß. Misc. Vel: ℞. *ammoniaci aceto dissol* ℥vj. *ceræ flauæ* ℥iiij *resinæ abiegnæ* ʒij. *ol. de capparibus q. s. M.* fiat ceratum.

Victus ratio a medicis præsentibus præscribi potest. Illud saltem suademus, vt a dulcibus maxime caueat: nam ab his lien maxime intumescere consueuit. Cibi viscidi & crassi sunt fugiendi. Exhibeantur
G quæ obstructiones eximunt, attenuant & detergent. Vina non generosa, sed diluta: item aqua, in qua *ferrum candens* frequenter fuerit exstinctum. Exercitium quotidianum maxime prodest: nam quies potius ad huius morbi incrementum facit, &c.

Paternus, Capiuaccius, Mercurialis, & Aquapendens subscripserunt.

CONSILIVM XXXVII. A

In Orthopnœa.

HIERONYMI CAPIVACCI.

Historia. PAtiens per quædam interualla de difficultate anhelandi conqueritur, ideoque interdum non nisi recta ceruice spirare potest. Hoc symptoma pertinet ad læsam actionem, nimirum ad læsum motum thoracis: cuius caussa est morbus in angustia bronchiorum pulmonis. Fit autem hæc angustia a materia pituitosa, quæ eas partes obstruens, in caussa est, ne illæ partes perspirentur. Materia hæc a cerebro transmittitur, a pulmonibus imbecillioribus, & intemperie humida laborantibus facilime suscipitur. Generatur hæc materia in cerebro, labefactata facultate coctrice, propter intemperiem humidam, cuius ratione fit, vt sanguis, qui pro nutritione in caput defertur, non e toto in alimentum vertatur, sed in pituitam B degeneret.

Scopi. Pulmones roborandi, caput exsiccandum: materia pituitosa euacuanda, & in alias partes diuertenda.

Curatio. Quoad cheirurgiam: secetur *iecoraria* dextri cubiti, non quod sanguis sit caussa principalis, sed ne e medicamentis calidioribus proponendis sanguis incendatur; vnde multa pericula imminerent. Purgato vniuerso corpore, ad deriuãdum materiam a cerebro, *fonticulus* in brachio sinistro inurendus erit. Quoad pharmaceiam, leniatur aluus, *melle ros. sol. & manna.* Præparentur humores *e melle ros. & syrupo de beton.* addito *decocto beton. & cichorii.* Purgentur *agarico & rhabarbaro.* Rursus altera repetenda erit purgatio: vt e toto exturbentur humores, qui in cerebro, & in pulmonibus reperiuntur. Quare præparantia erunt *syrup. de beton. decoct. stœchad. iua, beton farfaræ, cich.* Purgantia erunt *pilulæ coch. de agar. Mes.* additis etiam C *mastichinis.* Hac vniuersali peracta purgatione: expurgetur cerebrum nasaliis, *e succo betæ, maioranæ, & mannæ confectis.* Masticatoria ad pulmones ducunt: ideo improbantur. Post hæc ad præsidium generosum deueniendum, quod caput exsiccet, & pulmones corroboret: hoc autem facit *decoctum salsæ parillæ:* in cuius vltima ebullitione imponantur *beton. farf. pulmonar. & cich.* Et hoc saltem per 30. dies sumere debet. Et eo tempore ante syrupũ singulis tribus quatuorue diebus pilulę exhibendæ e puluere *sulphuris, botryosque, cum Cypria terebinthina* concinnatæ. Vtatur *conseruis e beton. pulmonar.* Sudor non est arte prouocandus: sed si sua sponte prorumpat, nullo pacto coerceatur. Tempore autem veris, si e toto liber non extiterit, *stillicidiis ex aquis D. Petri* caput subiiciatur. Quo tempore supra futuram coronalem *ceratum e beton.* gestandum erit. Interim sacculum *e pulu. salicis, beton.* quandoque supra caput gestet; & abluat interdum caput lixiuio, in quo *agaricus, stœchas, salix, & beton.* bullierint, &c. Victus. Caueat ab aere frigidiore, pluuioso, & nebuloso. Vitet cibos crudos & frigidos, vt olera, lacticinia, pisces, conchylia, &c. Exercitium moderatum sit. Fugiatur nimius somnus. Aluus sit fluida. Læto sit animo, &c. D

CONSILIVM XXXVIII.

In imminuto teste; & hernia intestinali:

MEDICORVM SVBSCRIPTORVM.

Affectus. DE duobus illustris Baro conqueritur: de magnitudine diminuta testis sinistri: & de hernia intestinali in sinistra parte scroti. Quoad testis imminutam magnitudinem, auctor quidem libri de sacro morbo ait, vasa partis sinistræ esse minora: sed tamen imminutio nostri patientis est præter naturã. Quia enim ob herniam illa pars imbecillitatem contraxit, frigidiorque reddita est: non potuit, vt par erat, probum E alimentum sibi allicere & apponere: e quo factum est, vt in atrophiam testis ille inciderit. Tumor sinistræ partis scroti, est morbus in magnitudine aucta, vel in situ, si spectemus intestinum prolabi e sede propria. In hanc partem duo tantum intestina decumbere possunt, ileum, & cœcum: caussam autem tumoris esse cœcum intestinum, ab omnibus vnanimiter est statutum. Flatum in intestino esse, pars manibus contrectata testatur; & solet in eo intestino materia flatuosa subsistere. Lapsum autem est hoc intestinum e propria sede, quia in suo robore non confirmatur: non confirmatur, quia peritonæi foramen amplum ipsi præbet ansam, vt possit in scrotum descendere: præbet autem ansam, vel ob ruptionem, vel relaxationem: ruptio heic locum non habet, quia nulla scabrities vel inæqualitas sentitur, & quia nulla caussa præcessit: nec enim tussis, cantus, clamor, equitatio, saltus, immodica commotio in vsu Venereo præcessit. Sed id facessit negotium, quod præteritis mensibus in egerendis fecibus valde laborauit; quæ posset alicui videri occasio disrupti peritonæi: sed quoniam ex eo tempore in hunc vsque diem, non habuit deterius; F signum certissimum est, malum hoc talem non habuisse occasionem. Sequitur ergo vaginalem tunicam relaxatam esse; & cum nullus externus error, vt cursus, saltatio, &c. accesserit, dolorque non sentiatur; statuere licet, relaxationem hãc esse natiuam: statim enim ac ex infantia excessit, tangens illas partes, cognouit eo affectu se laborare, in qua ætate nec ratione clamoris, nec aliorum similium laborum, credendum est affectum esse exortum; sed potius hoc tribuendum est innatæ humidiori complexioni, victuique humidiori; quæ omnia istas partes laxare valent, vnde intestinum in scrotum descendit.

Indicationes. Testis emaciatus, reficiendus & augendus: intestinum in propriam sedem reponẽdum, repositumque conseruandum: partes relaxatæ constringendæ & roborandæ, illaque humiditas exsiccanda.

Præsagia. His scopis, mitioribus medicamẽtis vix possumus satisfacere: sed si ferro erit res agenda, speramus e G toto patientem euasurum & ad generandum quoque aptissimum, maxime ad mares generandum, quia dexter testis nulla e parte est culpatus. Veteres medici præcipiunt, vt, si quis mares gignere velit, in coitu sinistrum testiculum liget.

Curatio. Quoniam autem testiculo imminuto calida præsidia sunt adhibenda, ne, si quæ sunt in primis viis crudi-

A cruditates,eo,tanquam ad partem debiliorem deducantur;tutius erit aluum lenire, vel *melle rosa.solut. vel*
*syrupo ros.solut.& manna.*Lenita aluo,vt testiculus nutrimentum ad se alliciat,& sic augeatur,non erit præ-
ter rationem,spongia eam partem fouere,quæ sit imbuta decocto *chamæmeli, malu. & rad.althaæ*; & fo-
uendæ erunt illæ partes ad ruborem. Non enim licet hanc rem moliri frictionibus in partibus sensibili-
bus & debilioribus.Peracto hoc fomento,pars molli cerato erit circumlinenda:quod fieri poterit ex *oleo*
*phistic.ex oleo amygd.dulc.& pinearum,addita cera noua.*Hæc de testis diminutione.

Quoad Herniam:intestinum a quo procreatur,erit *manibus* in propriam sedem reponendum; ibi-
que erit conseruandum *ligaturis,& medicamentis adstringentibus.* Et cum ligaturæ variæ esse soleant,ni-
mirum e ferro,ligno,corio,& plumaceolis e tela paratis:in hac ætate,reliquas omittentes, eas solum lau-
damus,quæ fiunt e *tela bombacea.* Et hæc ligatura ita accommodetur, vt totum scrotum amplectatur su-
B stineatque. Solent patientes huiusmodi, per X L. dies in lecto detineri, sed quoniam hoc admodum esset
molestum,& periculum esset,ne ex otio immodico cruditates in toto corpore generarentur, quæ postea
(vt in pluribus obseruauimus) febres,variosque affectus producerent:nos idem ligaturæ beneficio asse-
qui conabimur.Medicamenta porro adstringentia,sunt interna;vel externa: Interna sunt confectiones,
electaria,& potiones,quæ e *pilosella, herniola, pentaphyllo,&c.*parari solent,quæ omnia possunt exhiberi
pauciora numero: suspecta enim nobis visa sunt, quippe quæ solent insignes obstructiones procreare.
Consulto igitur hæc omittentes,descendimus ad ea,quæ externis partibus applicantur.Multa sunt ad hãc
rem apta:quemadmodũ est quod *ceratum ad crepatos de pelle arietina* nuncupatur. Exstant & alia quæ ta-
men omnia,cum patiens sit mollis naturæ,debent esse mitiora,ne impediant vnionem. Supra hæc cerata
brachæum gestabit:& hoc modo totam hyemem transiget. Tempore veris non esset præter rationem, il-
C lam partem *stillicidio* subiicere,ex *aquis montis ægrotorum*,in quibus res quædam adstringentes bullierint:
Iam enim agitur sextus mensis,e quo patiens alius, eodem fere affectu laborans, a nobis sanatus est. Ex
his possunt etiam insessiones parari. Hæc omnia si non contulerint; consulimus vt ad *extrahendum testi-*
culum deueniatur: adeo enim dextre a n[illegible]ris ministris hoc munus obitur, vt omnes incolumes eua-
dunt.

Quoad victum,vitanda sunt flatulenta,vt legumina,poma,& vina valde diluta. Testes gallorum,to-
ta substantia nutriunt hominum testes,qui in frequenti sint vsu. Motus sit moderatus. Cauendum a cur-
su,equitatione,saltu,clamore,tussi,risu immodico,vociferatione,&c. Audimus *oleum* reperiri apud ma-
gnum Hetruriæ ducem,sexagenarios ruptos sanans.

D

Hieronymus Capiuaccius
Hieronymus Mercurialis.
M.Antonius Montagnana.
Hieronymus Fabricius ab Aquapendente.

CONSILIVM XXXIX.

In præseruatione & curatione podagræ,pro Nobili viro.

HIERONYMI CAPIVACCI.

NObilem hunc Virum Salisburgensem intellexi ter singulis annis articulorum doloribus cruciari: Affectus.
E quos dolores voluntariæ motionis noxa comitatur,vi cuius cogitur a sibi consuetis muniis abstine-
re,quia nec stare, nec ambulare potest,sed a famulis de loco ad locum defertur. Molestant autem ipsum
hi dolores,præsertim secundum inferiores artus:qui tamen non adeo vehementes & intensi sunt,vt vita-
lium indicationum rationem subeant:quandoquidem nec pressu digitorum dolor affectarum partium
exacerbatur.Ab his malis corpus præseruari Nobilis optat:atque ita, vt vel in hæc non amplius incurrat;
vel vt mitius saltem & longioribus interuallis affligant.

Sed cum Medicos rationales non deceat affectionis alicuius præseruationem præscribere,nisi prius Caussæ.
affectionis caussa inuenta:iccirco de horum morborum caussis primo & breuiter sum acturus. Motionis
igitur voluntariæ noxa contingit a natura offensa,labefactata pariter,& impedita. Labefactatur ob ma-
lam compositionem,quæ consistit in angustia,repletioneque cauitatum articulorum; & in aucta supra
F modum magnitudine ligamentorum,tumore scilicet.Impeditur autem ob intemperiem earundem par-
tium frigidiorem & humidiorem. Ceterum malæ compositionis & intemperiei iam dictæ caussa opifex
proxima est humoralis materia confluxa,quæ corpulentia sua malam structuram efficit, sed qualitate al-
terata.Solet autem in membris materia præter naturam colligi,vel paullatim,& via quadam congestionis;
quando nimirum pars infirma ægre concoquit:ratione cuius offensæ,concoctionis excrementa in parte
multiplicantur & aceruantur:vel confertim,& via confluxionis,quando materia aut attrahitur,aut trans-
mittitur.In hoc nobili viro materiam humoralem in artus confluere iudico,quia ipsum repente affectus
hi arripiunt.Namque cum horum locorum nullus calor immodicus præcesserit, nullus etiam dolor gra-
uiter lancinans antegrediatur:existimo, materiam humoralem in artus excurrere per viam transmissio-
G nis,non attractionis.Accidit autem in artubus materiæ fluxionem firmari propter imbecillitatem, quam
adscititiã e relatis coniicio,propter malã viuẽdi rationẽ in cibo & potu,& ob Veneris vsum. Quas caussas
multum posse,tum ad refrigerandum,humectandumque,tum immoderate laxandum artus, omnes no-
runt. Materia hæc initio mista est e sanguine, bile, & pituita. Dico autem,initio: quia temporis inter-
uallo humores calidiores in tenuitatem resoluuntur, & transpirant: pituita vero frigiditate, crassitie, &
lentore, calori resistens, permanet. Atque hinc euenit, dolores principio esse acerbiores: qui postea,

diſſolutis,diminutiſque calidioribus humoribus,miteſcunt.Propellitur vero materia hæc a toto corpore in artus,per venas.Et hæc materia peccans,cum opus præter naturam ſit;læſam aliquam functionem cõſequitur.Hæc functio eſt,tum chylificatio,tum ſanguificatio Chylificatio quidem,ratione pituitæ: ſanguificatio,ratione calidorum humorum.Offenſa autem eſt chylificatio,non læſa facultate coctoria;(quia e caſu mihi propoſito intelligo,ventriculum & robuſtum ſatis,& bene temperatum eſſe:)ſed ob errorem externum,qui oritur a cauſſa externa,a cibis videlicet craſſis,& immodico vini potu. Sanguificatio vitiatur,partim læſa facultate & labefactata ob intemperiem calidiorem iecoris,& ob errorem externum, vinum ſcilicet meracum & potens:a quo vino potuit etiam iecur accēdi.Dũ peccantes hi humores copioſi & noxii colliguntur in venis totius corporis:non mirum eſt,ſi otio & quiete conſumi nequeant, quod, ſæpe aggrauantes & moleſtantes vim expulſoriam,propellantur ad artus,tanquam ad cloacas quaſdam, & præcipue ad artus inferiores:tum,quia naturę impetu humores craſſiores deorſum potius vergant,quã ſurſum;tum etiam,quia hi artus magis a fonte caloris diſtant.

Indicationes.

Præſeruationis igitur gratia ad duo potiſſimum oculi dirigendi:ad materiam ſcilicet peccantem, & ad partes affectas.Ratione materiæ iam genitæ,oritur indicatio euacuandi:ratione vero confluxionis,reuellendi.Et quia non licet materiam peccantem in quali,purgare;niſi prius alteretur & præparetur:ideo oritur etiam indicatio præparandi. Cumque non liceat materiam peccantem in quanto, euacuare;niſi prius viæ primæ repurgentur:ideo oritur indicatio leniendi.Quoad partes affectas; artus omnes, præſertim inferiores,calefaciendi,ſiccandi,vel leuiter denſandi ſunt.Iecur moderate refrigerandum.

Prognoſt.

Scopos hos abſolui quidem poſſe confido,cum in viſceribus effatu dignæ diſtemperantiæ non ſint: (quæ fere ſemper has ita affectos comitantur)non e toto tamen, nec ita facile ſucceſſuram hanc præſeruationem polliceor,propter antiquam & inueteratam articulorum imbecillitatem.

Curatio.

Quoad materias auxiliorum,e cheirurgico fonte elicio *venæſectionem, hirudines,& cauteria.* Nam cum vitia articularia ſint magni momenti: quis, exſiſtente plenitudine, vitia illa efficiente, fouente,aut producere potente,magnum auxilium,ſanguinem minuere,differret. Cuius magni auxilii materia eſt *venæſectio.*Hoc ergo vere futuro proximo,abſentibus ipſis malis,audacter vena baſilica dextri cubiti, aut communis,aperiatur:& ſanguis ea copia educatur,quę videbitur præſenti medico congrua & idonea,pro ratione & plenitudinis indicantis,& virium permittentium. Autumno poſtea ante malorum inuaſionem ſanguis adhuc euacuari poterit debili auxilio:nimirum *hirudinibus* hæmorrhoidibus adhibitis:ne, bis in anno ſecta vena,magnum nimis fiat,ratione ætatis & virium,ſpiritus vitalis diſpendium. *Cauteria* etiam probo:non in cruribus quidem,propter maximam harum partium imbecillitatem:ſed in brachiis potius: per hæc enim emiſſaria fiet reuulſio,maxima humorum colluuie a natura extra corpus per hæc depulſa & expurgata.

E fonte pharmaceutico,gratia lenitionis ventris elicio *mel roſatum ſolutiuum,cum manna*; ſi excrementa pituitoſa,& ſatis craſſa,primos obſidebunt ductus;diſſolutum *aqua betonicæ:* ſin minus, *ſyrupum roſat.ſolutiuum,*diſſolutum *aqua cichorii:*Ad præparandum materiam in quali peccantem,probo *ſeraspia e betonica,& cichorio,*additis decoctis,vel aquis ſtillatitiis *cichorii,betonicæ,iuæ* Pro hac materia purganda in vſu ſunt *pilulæ de hermodactylis maiores,cochiæ*, addita *maſtiches* particula, ne ventriculus labefactetur: addatur etiam pulueris *iuæ* aliquid,pro vehiculo,vt pilularum vis ad artus deducatur. Præparatio & purgatio,non ſemel,ſed bis, inſtituentur.

Ad articulos roborandum,quamprimum vtatur ſequenti decocto: *℞ ſalſæ parillæ ℥iij ligni guaiaci ℥iij corticum guaiaci ℥ij.decoquantur in* ℔xij.*aquæ ſtillatitiæ.ſonchi,endiuiæ,& cichorii,* ne iecur accēdatur, ad conſumtionem medietatis;vel in *aqua communi,*additis tum in fine *foliorum cichorii & endiuiæ quatuor manipulis.*Probantur etiam pulueres *betonicæ,ſalſæ & corticis ligni:*e quibus pilulæ formentur cum *ſyrupo e cichorio:*& harum tres,ante ſyrupum decocti ſuperioris ſemper aſſumat.Vtendum decocto bis quotidie, per quadraginta,vel plures dies,pro tolerantia.

Autumno futuro & hyeme,probatur *terebinthina Cypria,lota ex aqua betonicæ,cum pulueribus chamæpityos & betonicæ.*Conuenit etiam celebre illud Alexandri Tralliani *Diacorallium: magnaque antidotus.* Ea tamen lege hæc vſurpanda:ne ratione caliditatis ipſorum iecur accendatur:vnde corrigantur *conſerua roſarum,aut cichorii:*ipſaque *terebinthina abluatur aqua cichorii.*

Extrinſecus pro cruribus & pedibus parentur lotiones,*ex aqua, alterata maſtiche, nucibus cupreſſi, betonica,iua & ſaluia.*

Quoad iecur:aere calidiore,poſt vſum ligni,ſumenda ſunt refrigerantia mitia: veluti *conſerua roſarum,cichorii,ſerum lactis caprini.*Extrinſecus etiam,dum longo temporis interuallo ligni bibet decoctũ, regioni iecoris poterunt admoueri epithemata,confecta *e ſucco cichorii,endiuiæque, modico aceti* addito. Linimenta etiam adhibebuntur:nimirum *roſatum & ſantalinum.*

Diligens inſtituatur viuendi ratio:nec cibis illis craſſis vtatur,quibus delectatur:ſed tenuibus,& coctu facilibus.A vino per annum abſtineat:&,loco vini,bibat aquam alteratam *coriandris:*tempore autem frigidiore,*cinnamomum* adiiciatur.Vinũ poſtea eligat tenue,& aquoſum. Veneris voluptuoſæ relinquat vſum: nec niſi rariſſime cum vxore coeat. De aliis rebus non naturalibus,nihil adfero:cum certo ſciam, Medicos præſentes recte omnia inſtituturos. Patauii, An. 1575.

CONSILIVM XL.

In arthritide: pro eodem nobili viro:

HIERONYMI CAPIVACCI.

Nũ arthritis curabilis.

NObilis hic vir,pro corpore a doloribus articularibus præſeruando,multa ſcire deſiderat. Atque primum rationem prognoſtici:*numquid omnino euelli & profligari poſſint:*vel,ſi hoc fieri nequeat,*vtrum*

minores

A *mitiores reddi possint*, vt rarius corpus affligatur. Galenus noster sexto libro de regenda valetudine, dolores arthriticos, ait, esse affectiones præter naturam diuturnas, rebelles, remediisque recta etiam ratione administratis valde resistentes. Præsertim vero hoc accipiendum est, de doloribus, qui aliquandiu progressi sunt. Cum enim ad horum dolorum generationem, articulorum imbecillitas præter naturam concurrat: rationi consentaneum est, doloribus his longo tempore perseuerantibus, articulos imbecilliores reddi. Quia igitur dolores, Nobilem virum cruciantes, non sunt vnius alteriusque vel mensis, vel anni, sed duodecim annorum: concludo, esse impossibile, vt penitus hi dolores remoueantur. Spero tamen, materiis auxiliorum nuper propositis, eos fore mitiores, nec ita frequenter ipsum inuasuros. Nam, si articulorum imbecillitas præcipua caussa est horum dolorum: nonne hac imminuta imbecillitate; dolores minus acerbi, & rarius infestantes, efficientur?

Vires guaiaci & salsæ ad arthritidem.

B Dubitatur deinde circa *exhibitionem decocti ligni & salsæ*: quod nimirum ex huius vsu plurimi nocumentum senserint. Ego vero sentio, maximam ex vsu huius vtilitatem secuturam. Ratio est: quia omnia remedia conferunt, dum adsunt ea, quę indicant remediorum exhibitionem. Cum autem in articulis huius nobilis viri, introducta sit imbecillitas, propter intemperiem frigidiorem, & humidiorem: nonne maxime conducent remedia calefacientia, siccantia, & ad longinquas partes penetrantia? Materia autem remedii calefacientis, siccantis, & quoquo versum penetrantis, præstantissima & efficacissima, est *decoctum ligni Indici, & radicis salsæ*. Sed præterea, nonne cerebrum habet frigidius & humidius? nonne ventriculum frigidiorem? Atqui horum membrorum distemperantiis magnopere opitulabitur decoctum ligni Indici, & radicum salsæ.

Sed obiiciet quis: iecur calidius esse ægro: ideoque non requiri calefacientia & siccantia, verum refrigerantia. Respondeo: quando adsunt contraindicantia; attēdendum iis est quæ magis vrgent: at in nostro ægro magis potest vrgetque excessus frigiditatis, quam caliditatis: ergo ad frigiditatem pręcipue oculi sunt dirigendi. Nam habemus articulos frigidos, cerebrum frigidum, ventriculum frigidum: iecur autem duntaxat calidius est. Præterea incipit prima ætas declinans, in qua calor solet diminui. Tandem iecoris caliditati cōsuletur quoque eo tempore, quo decoctum assumitur: ideoque iecoris regioni tunc adhibebuntur epithemata refrigerantia, & vnguenta refrigerantia, iam ante a me proposita. Post assumtionem quoque, si iecur redditum calidius videbitur; in vsum venire poterunt *conserua illæ refrigerantes, & serum lactis caprini*.

C

Quod autem adfertur, *multos e decocti vsu nihil iuuamenti percepisse*: facile diluitur. Remedia enim nonnunquā parū prosunt; licet horū adsint indicantia: quia videlicet perperā vsurpātur, aut ob insolentiā

D ægrotorum, aut ob inscitiā medicorū. Læto igitur animo præparet se ad sacrosancti huius remedii vsum.

Quæritur etiam, *num posthabita huius remedii* (nimirum decocti) *materia, alio modo æger curari queat?* Vbi constanter adseuero, nullo alio curandi modo nos posse vti, qui tantū iuuamenti sit allaturus, atque iam prædictus: quia, secundum Hippocratem, in magnis & extremis affectibus, magna remedia conueniunt: dolores autem articulares duodecim annorum, sunt affectus magni momenti: ideoque postulabunt magna remedia. Et, licet multa reperiri possint, artus frigidiores, cerebrum frigidius, & ventriculum frigidiorem corroborantia: nullum tamen huic indiuiduo magis erit idoneum, quam decoctū ligni & salsę.

Vinum pro arthriticis aduersum.

Quantum attinet ad *vinum, cuius abstinentia ob consuetudinem grauis ægro videtur*: si eo non poterit carere annum integrum: per mensem saltē vinum abstineat: vel, si nec hoc possit, eo tempore vinum relinquat, quo Medici curationem aggredientur. Nam vinum solet materias ad locos debiles præcipitare.

E

CONSILIVM XLI.

In arthritide:

HIERONYMO CAPIVACCIO A NONNVLLIS ADSCRIPTVM.

Lenientia aluum.

PRocurandū est, vt aluus quotidie faciat officiū. Id aut cibis lubricātibus, aut leuibus medicamētis fieri potest. Cibi, qui id præstare poterunt, sunt *fercula e beta, spinachia, brassica, oleo & sale* confecta. *Caricæ* itē quatuor, aut sex, prima mensa sumtę. *Pruna* optime matura, ac dulcia, recētia, quatuor, aut plura, si parua sint: quod si recentia non adsint, sicca macerentur *in vino dulci*, ac eidē incoquātur, aut in *iusculo pinguiori*, addito *sacchoro*, aut optimo *melle*. Poterit & hoc præstare *passularum* vsus si sub dio fuerint expositæ, quatuor aut quinque noctibus, respersæ *saccharo Thomasino*, non admodum albo: de his duo aut tria cochlearia sumenda, & optime masticanda, initio prandii: & simul cum his comedenda *offa panis, confecti e tenuiore parte furfuris, pauca adiecta farina, & mellis modico*.

F

Medicamēta lenientia sunt: *cassia* ex arundine sumta ad quantitatē ℥iij, cū *arundine*. Aut ℥j. *electarii lenitiui*, vna hora ante prandiū vorata. Vtiliter semel in mense (euitando tamē calorē) capiantur drachmę duæ vel tres sequētis medicamenti, aut ad summū semuncia, mane, horis quatuor ante prandiū: hoc enim maxime cōmendatur, & sępissime experimēto probatum fuit, in morbo articulari: paraturq; hoc modo: ℞. *hermodactylorū alborū a cortice mundatorū, diacrydii ana ℨij. costi, cymini, Zingiberis, caryophyllorum, ana ℨj. terantur omnia, & cum syrupo, facto e melle & optimo vino, fiat electarium*. Hoc soluet aluum, educetque materias, quæ dolorem creare possent.

Caryocostinum P. Bayri, c. 3. l. 18. a R. Solenandro in consiliis suis cōmendatum

Somnus.

A somno diurno abstineat, nisi noctes duxerit insomnes. Quo casu non statim cibo erit indormiendum, sed horæ spatium ad minimum interiiciendum.

Cibi.

G *Cibaria* sint, *panis* optimus, fermentatus, mediocriter salsus, bene coctus in furno, non permistus caseo, butyro, aut pingui aliquo, sed sit purus, ex optima farina. *Carnes* sint gallinaceę, vitulinę, hœdinæ, veruecis castrati, perdicū, phasianorū, & auicularum, quæ in montibus aut nemoribus degūt. *Aromatibus* nō omnino interdicendū: sed parce tamē vtendū. *Salsamentorū* vsum nō damno in prima mēsa; verū in exigua quantitate, vt pituitā e ventriculo detergeant. Sic ut etiā admittuntur aliqui *pisces saliti*, ea de caussa, vt sunt sardæ, haleces, & similia molliter salita. Oua recentia, tenera, & tremula, optima sunt: minime vero

indurata, aut frixa admittantur. *Casei* vsus maxime damnatur. *Butyrum* pro condimento parce conceditur. *Pisces* raro edentur, & in exigua quantitate, in craticula assati, aut elixi & aromate mediocriter conditi: frixi vero deteriores sunt, & adhuc magis, si in butyro: sint etiam aut maritimis vndis agitati, aut fluuiatiles; non palustres, nec ex aquis stagnantibus: caroque eorum mollis sit, ac friabilis, non viscida, aut lenta. *Cancri* & omne genus *testaceorum*, *conchylium*, & *ostrearum*, damnantur. *Testudines* tamen concedi possunt. *Acetaria*, quia acetum nocet neruosis partibus, non sint in frequenti vsu: & parentur ex aceto non admodum forti: misceaturque *saccharum*, *mel*, aut *passulæ*, veluti *cappares* demto sale parantur. Conceduntur etiam *radices & folia cichorii*, *endiuiæ*, *boraginis*, *buglossæ*, *melissæ*, *comaque tenera feniculi*. *Radicula esculenta* quoque admittitur: vt e ventriculo detergeat pituitam. Aliquando *moretum* edi potest pro condimento, siue *salsa viridis*: & *diasinapi*, quod *mostardam* Itali vocant. Leguminum frequens vsus pedes debilitat: lib. 6. epid. *Amygdalas* etiam cum iusculo, aceto, & saccharo mistas, concedimus. *Fructus* etiam permittuntur: *vt pruna*, *ficus*, *vua bene matura*, *pistacia*, *pineæ*, *amygdalæ*, *auellanæ nuces*. *Pyra & cydonia* damnantur: quia faciunt dolores arthriticos: neque nisi cocta, & saccharo conspersa, melleque condita, raro ac parum in vsum venient. *Cerasorum* omne genus parcissime comedatur. *Fructus molles* si sumendi, præponantur cibis reliquis omnibus: duri vero fructus postponantur. *Persicis* optime maturis parce etiam vescatur.

Vinum & cereuisia vitanda.

De *vino* vnum dixerim. Si æger per biennium ab eo abstinuerit, sperarem a morbo ipsum omnino liberatum iri. Quod si hoc minime velit facere, saltem parcissime bibat, & vinum nō sit dulce, crassum, vel nouum. Si rubrum habere posset, magis probarem, quam album. Sit etiam oligophorum, aut aqua cocta lymphatum. Quod si acerbitate aliqua foret præditum, nō tamen multa; maxime videretur opportunum. Vina Cretica, & similia potentia, sunt vitanda: nam præter id, quod neruis nocent, caput etiam replent, & sic fluxiones excitant. Vitanda etiam est *cereuisia* potens.

Sanguinis missio.

Bis in anno mittatur *sanguis* e dextro brachio, ad ℥vij. vel circiter, prout visum fuerit medico, qui tū aderit. Et hoc erit agendum in fine Aprilis, & initio Septembris: citius, aut serius, prout regio calidior, vel frigidior fuerit eo tempore. Quod si hæmorrhoides eo tempore fluxerint; sanguis mittendus non erit, sed differendum, donec per aliquot dies non fluxerint. Si autem toto anno fluerent, & corpus non admodum videretur grauatum ob plenitudinem: tum a venæsectione omnino erit abstinendum.

Purgatio.

Facta missione sanguinis, si eam fieri contigerit: etiam expurgandum est corpus a superfluitatibus, tum pituitosis, tum biliosis. Primum ergo aluus leniatur hoc medicamento, per horam ante prandium: ℞. *electarii lenitiu.* ℥x. *pulueris hermodactylorum* ℈j. misce, & cum *saccharo* fiat bolus. Deinde coquatur materia per dies octo, aut decem: ℞. *syrupi de betonica*, *mellis rosati simp.* *syrupi de stœchade*, *ana* ℥ß. *decocti betonicæ & cichorii* ℥iij. Misce. Quibus assumtis, expurgabitur corpus, assumendo pilulas sequentes, quinque horis ante prandium; quibus per horam indormire poterit æger: ℞. *pilularum de hermodactylis* ʒj. *specierum Episcopi* ʒß. misce, & fiant pilulæ quinque deaurandæ. In defectu specierum Episcopi, succedere possunt *pilulæ cochiæ*, præparatæ cum *radicibus hellebori nigri*.

Exsiccātia.

Commendantur etiam *thermæ sulphureæ & aluminosæ*, aut etiam *salsæ*, mense Maio, per dies decem: purgato tamen ante corpore medicamentis supra scriptis.

Hyeme, ter in septimana, mane surgens, accipiat sequens medicamentum: ℞. *resinæ terebinthinæ*, *aut abiegnæ*, *vino albo bis*, *terve lotæ* ʒij *spec. hieræ simplicis* ℈j. *turpethi albi* g̃. *vj*. fiant boli: quos cum *placentis azymis vino madidis* capiat.

Semel etiam in septimana, tribus horis ante prandium, sumatur *mithridatii* ʒß. superbibendo haustum *vini generosi*. Non oberit etiam, si in fine cœnæ concedantur *quinquaginta nuclei pinei*, *abluti aqua rosarum*, *aut aqua*, *in qua aliquid cinnamomi sit incoctum*. Aliquando etiam comedantur *folia saluiæ*, vel sola, & sine condimento, vel cum modico *salis*, *olei*, *ac vini* respersa: sumantur ab ituro cubitum.

Pro superfluitatibus expurgandis, æger semel in mense (modo calor non vigeat) sumat medicamentum supra scriptum *ex hermodactylis*.

Roborātia arriculos.

Doloribus absentibus, bonum erit pro iuncturis roborandis, quæ dolore affici consueuere, eas inungere *oleo salito*, calidiusculo, eo tempore, quo lectum ingredi volet: sitque oleum hoc pacto paratum: ℞. *olei oliuarum omphacini* ℔j. *salis* ℥ij. bulliant in duplici vase, seu balneo, ad consumtionem quartæ partis: serueturque oleum ad vsum. Caligas infra genu non liget: nam hoc, si quid aliud, facit ad podagram excitandam. Pariter etiam nihil habeat, quod pedes aut comprimat, aut adstringat: si quando abluere volet pedes (quod raro fiat) consulo, vt id fiat vacuo exsistente ventre, nempe ante cœnam: nec postea ambulet multum, sed quiescat potius: aquæ vero, pro lotione, incoquentur *rosæ*, *saluia*, *rosmarinus*, *betonica*, *& salis modicum*. Vel hoc fine *aqua marina* (si haberi queat) vtendum: cui eadem incoxerint.

Vomitus.

Si facile vomat: laudo, vt semel saltem in mense euomat, a prandio, aut a cœna: &, si ieiunus vomere posset facile, bonum esset, vt mane vomeret: nam in arthritide nulla alia melior est euacuatio & diuersio, quam ea, quæ per vomitum fit. Eo tempore, quo vult euomere (quia vomitus nocet oculis) vt descendantur ab incommodo oculi, conueniet eos ligari fascia aliqua: quæ non statim a vomitu soluenda est, sed sinenda ad octauam horæ partem, vel circiter.

Dum dolores infestant, solo *rosaceo* vtatur: & a reliquorum vsu abstineat.

[Ante annos aliquot, Capiuaccii & Donzellini quædam consilia, Laurentio Scholtzio, Vratislauiensi medico, piæ memoriæ, transmisi: qui antidoti loco hoc ipsum Capiuaccianum cōsilium, vna cum aliis quibusdam, mihi communicauit. Ego vero *γνήσιον*, & Capiuaccio dignum, pronuntiare minime ausim.]

CON-

A CONSILIVM XLII.

In iſchiade, luxatione imperfecta pedis dextri,& eiuſdem ſtupore:

HIERONYMI CAPIVACCI.

NOtiſſimi ſunt affectus qui Iuuenem nobiliſſimum affligunt; primum videlicet iſchiadicus dolor co- Affectus & caußæ.
xæ dextre,ita vt pars illa imperfecte luxata reperiatur,& propterea claudicare cogatur.Conqueritur
etiam de ſtupore quodam pedis dextri,qui per interualla quædam ipſum inuadit.Coxæ quidem dolor, ab
initio adeo mitis fuit,vt medicinam vllam adhibere non cogitauerit:ſed is ita nunc inualuit, vt medelam
quærere cogatur,ne imperfecta luxatio in perfectam abeat.Et quanquam referat Galenus lib.de anatom.
administration.iſchii articulum non poſſe imperfecte luxari;hæc tamen ſententia non ſolum nobis, qui
B hanc imperfectam eſſe luxationem ſtatuimus,aduerſatur;ſed etiam ipſimet Galeno,qui lib. de vſu partiũ
talem luxationem poſſe fieri cenſuit.Nos autem hæc loca ita ſolemus cõciliare: fieri nempe poſſe imper-
fectam luxationem a cauſſa interna:at ab externa minime.Quia igitur a cauſſa interna hoc malum factum
eſt,dici poteſt imperfecta luxatio.Origo hæc fuit.Cum adoleſcens eſſet,ludens cecidit: e caſu pars illa de-
bilitatem contraxit,ob quam poſtmodum faciliime excrementa ſuſcepit,quibus,cum tendines relaxarẽ-
tur,factum eſt,vt os non potuerit e toto detineri,ſed luxari cœperit. Hi autem humores alii non fuerunt
quam pituitoſi,qui generantur in capite,quod humidius eſſe grauitas arguit,quæ in ipſo ſentitur.Et cum
hi humores ſatis copioſi ſint,expultricem aggrauatam irritãt,vt materiam ad partes illas expellat. Eadem
hæc materia cauſſa eſt ſtuporis illius: nam ab ea vapores eleuantur, qui tranſmiſſi ad neruos genu dextri,
impediunt illuſtrationem ſpirituum animalium. Hinc,quia id a vaporibus contingit, ſtupor ille cito fit,
C citoque diſſoluitur,
Sequitur vt videamus,quid agendum ſit,pro malis hiſce remouendis.Curandum itaque erit,vt hu- Indicationes.
mor emolliatur,incidatur,attenuetur,& euacuetur:pars vero corroboretur,ne excrementa illa ſuſcipiat:
cerebrum quoque exſiccandum,& expurgandum.
Quæ,licet factu facilia eſſe videantur;tamẽ,quia morbus inueteratus eſt, & in partibus internis re- Prognoſt.
peritur,non videntur facilia,Verum,cum iuuenis ſit,& huiuſq; nullam expertus medicinam : ſperamus,ſi
non e toto curari queat,rem tamen in multo meliorem ſtatũ reduci,& integrã luxationẽ præcaueri poſſe.
Quoniam vero æſtus præſens ab omni medicatione nos deterret:ſuademus,vt,quia hoc malũ tam- Curatio.
diu pertulit,tota medicatio in autumni tempus differatur.Interim diligens victus ratio tenebitur. Vita-
buntur igitur fructus,cibi craſſi,vinum,Venus immoderata, curſus, & omnia quæ vel craſſos producunt
D ſuccus,vel membri robur euertunt.
Autumni vero tempore curationem auſpicabitur *venæſectio* in dextro cubito;cum corpus & plenũ
ſit,& calidiora medicamenta ſint adhibenda.Poſt brachii venam ſectam , pedis affecti vena etiam aperie-
tur:& *cauterium* parabitur in brachio ſiniſtro:ſic enim materia pituitoſa deriuabitur,& euacuabitur.Pur-
gato exquiſite corpore,ſi malum non cedat;deuenietur ad *cauſtica & veſicantia* medicamenta: a mitiori-
bus autem incipientes,conſiciemus *paſtam ex iberide & cantharidibus:*quæ niſi proderit, ad *ferrum ignitũ*
accedemus, & vſtionem,quatuor,vel ſex locis inſtituemus.
Leniatur aluus *melle roſarum ſolutino,& electario lenitino.*Præparẽtur humores *decocto betonicæ, iuæ,
cichorii.*Purgentur,*pilulis cochiis.*Iterum præparentur humores etiam ſyrupis compoſitis ,vt *ſyrupo de be-
tonica,de ſtœchade:*purgenturque *pilulis de hermodactylis,*
E Caput erit purgandum maſticatoriis,confectis *e maſtiche ex cera.*
Vt autem abſumantur humiditates , quæ in capite & ligamentis reperiuntur:deueniendum erit ad
maiora præſidia.Quare conueniet *decoctum guaiaci & ſalſæ parillæ cum iua,& portione ſaſſafras.*Tunc etiã
temporis ea victus ratio præſcribetur,qua in lue venerea vti ſolemus : a qua immunem eſſe egregium pa-
tientem minime putamus,cum bis iam antea bubones perpeſſus ſit.
Stillicidium paretur ſupra ſuturam coronalem,vel ex *aquis Aponenſibus,*vel arte factum , *e ſulphure,
cum betonica ſtœchade,& agarico.*
Parti affectæ imponatur *emplaſtrum ex iberide:*& adhibeatur *ſuffumigium e lapide molari.Luta etiam
D.Bartholomæi* admodum conueniens:vſuſque *vinaceorum.*
Hyemis tempore laudamus,vt ſingulo mane ſumat *pilulas e terebinthina,cum ſale theriacali , & pul-
F uere iuæ.* His etiam addi poſſunt *pilulæ arthriticæ.* Quod ſi magis efficax medicamentum requirit,ſumat
*Diacorallium,*ab Alexandro adeo laudatum & expertum;quod ceteris anteferendum;plurimum ipſi con-
feret,ſi ſcrupulum vnum per totam hyemem ſumſerit, per ſex horas ante prandium:exhibeatur autem ea
ratione,quam Alexander docet.Magnis etiam antidotis vtatur,vt *theriaca , & mithridatio.* Vtatur ea vi-
ctus ratione,quam ſupra propoſuimus;id in memoria habens,vt tempore autumni vinum ſibi paret me-
dicatum,in quo ebullierint *lignum,betonica,*& ſimilia,

CONSILIVM XLIII.

In dolore circa os ſacrum:

HIERONYMI CAPIVACCI.

COnqueritur egregius patiens de dolore intenſo circa os ſacrum;cuius ratione ſæpe ambulare nõ poſ- Caſus.
G ſit:& præterea de tumore in inguine dextro.Quorum affectuum cauſſæ ea diligentia ſunt indagande,
vt earum eſſentia pateat,indeq; indicationes ex vſu hauriri poſſint.Traxit autem hic dolor proculdubio
in ſe originem:quod materia catarrhalis,diſtillans ad eas partes,illas diſtendat,vnde ſolutio vnitatis, & a-
cerbiſſimi dolores.Generatur vero hæc materia in capite,tum læſa facultate coctrice ipſius cerebri,ob in-
temperiem frigidam,& humidam;tum etiam fruſtrata,ob errorem externum. Ventriculus enim debilis

redditur, cum non possit optimum chylum generare, prauum demittit ad iecur, qui ibi non potest in bonum sanguinem mutari: talisque defertur in cerebrum: a quo cum non possit regi; facultas expultrix aggrauata, materiam illam detrudit ad prædictas partes subiectas. Tumor autem inde factus est, quoniã pars plus iusto alimentum suscepit; vnde caro concreuit. A

Præsidia. Hæc mala vt auferantur, oportet caput & ventriculum calefacere, & exsiccare: materiam morbificam, præsertim pituitosam, auertere, deriuare, & prorsus exstirpare; tumorem vero auferre.

Prognost. Quibus scopis satisfacere, meo quidẽ iudicio non est impossibile. Licet enim materia illa catarrhalis sit vehemens ratione propriæ essentiæ: attamen ratione dignitatis, & facultatis corpus regentis, nulla est vehementia: siquidẽ pars quæ obsidetur, licet non sit spernenda, nobilis tamen non est: preterea virtus facile tolerat, nam est satis robusta, ratione quantitatis, & qualitatis: patiensq; in virili ætate constitutus est: vt optime sit sperandum. B

Curatio. Hac salutis spe concepta, ad materias deueniendum, & primum cheirurgicas. Laudamus igitur, vt *secetur vena* communis cubiti dextri; e qua sanguis detrahatur ad quinque vel sex vncias, si consultũ præsenti medico videatur. Præterea probãtur *duo cauteria*, vniuerso prius corpore expurgato: alterũ in crure dextro, vt materia illa reuellatur, & euacuetur: alterum, ratione capitis, in brachio sinistro.

Quoad pharmacciam: leniatur aluus ℥iß. *mellis rosati solutiui, cũ decocto florũ & fructuũ*. Deinde preparentur humores iusculis, alteratis cũ *foliis boraginis, betonicæ, cichorii*. Purgentur deinde *rhabarbari & agarici trochiscati ana* ʒj. infusis in *decocto florum & fructuum*: addendo *mãnæ, & mellis rosati solutiui ana* ℥j. Quod si corpus non videbitur optime euacuatum: iterum sumãtur iura illa alterata, per tres dies: & denuo exhibeatur prædictum purgans.

Probatur præterea vt caput expurgetur masticatoriis, paratis *e piperis & pyrethri ana* ℈j. *mastiches* ʒij. *ceræ quantum sufficit* pro pastillis effingendis. Hoc fine nasalia etiam laudantur, *e* ʒj. *mannæ, &* ℥j *succi betæ*. C

Purgato corpore & capite, prodest *decoctum salsæ, cum modica ligni portione* per vigintiquinque, vel triginta dies. Paretur autem hoc modo: ℞. *radicum salsæ parillæ* crasso modo contusarum ℥iß. *rasuræ ligni guaiacini* ℥vj. *aquæ fontanæ* ℔viij. misce, & fiat infusio per vigintiquatuor horas: deinde fiat decoctio, ad consumtionem medietatis: in fine decoctionis addantur *foliorum boraginis, betonicæ, cichorii, ana P. jß.* & fiat expressio: quæ seruetur pro syrupo. Deinde *residuum salsæ & ligni*, coquatur ex *aquæ simplicis* ℔xiiij. ad consumtionem tertiæ partis: in fine ebullitionis addatur *passularum dulcium libræ semissis*: & facta expressio seruetur pro potu communi. De syrupo assumat mane, ante prandiũ per horas quinque, ℥viij. post prandium per horas sex, assumat ℥vij transactis deinde quatuor horis cœnet. Dum autem decocti syrupũ sumit, singulis decem aut duodecim diebus, deglutiat pilulas, paratas *e terebinthina Cypria*, ad ʒij. cum puluere *salsæ* formatas. D

Pro corroborando capite paretur *lixiuium*, alteratum *agarico, foliis rosarum, & betonicæ*: quo sæpe caput abluatur.

Tumor autem cum aliis materiis auferri non possit; *caustico* aperiatur: & cheirurgo cura tota relinquatur.

Ratio viuendi dictis correspondeat. Aer ad calidum & siccum vergat. Panis sit optime fermentatus. Carnes sint laudabiles: vitentur agnorum & porcorum: itemq; lacticinia & legumina omnia. Vinum sit mediocre: & rubrum potius, quam album. Somnus moderatus. Exercitium moderatum, & ante cibum; aluoque inanita: quæ semper mollis fusaque sit, aut arte talis fiat. E

CONSILIVM XLIV.

In macie cruris dextri, ac læsa deambulatione:

HIERONYMI CAPIVACCI.

Historia affectuum. PAtiens propositus Gallus duas actiones læsas habet: quarum altera pertinet ad cruris dextri nutritionem; altera ad eiusdem deambulationem. Vtraq; manifeste oculis subiicitur: apparet enim cruris magnitudo diminuta; item & læsa deambulatio, cum neque flectere, neque ex toto crus illud erigere valeat. Videndum autem a quanam caussa hæc mala dependeant. Constat, lædi actiones, vel læsa facultate, vel ob errorem externum. Vtraque actio proposita, non ob errorem externum læditur, sed ob morbum. Nutritio enim læditur, læsa facultate alteratrice ipsius cruris: cuius ratione alimẽtum, quemadmodum opus esset, attrahi non potest. Redditum autem est crus intemperatum, id est, frigidum, ob otium, & diuturnam quietem: patiens enim ob morbum, doloremque in genu, non mouet se, quemadmodum facere antea solebat. Præterea hæc cruris frigida intemperies occasionem habuit, ob præsentiam seu viciniam materiæ pituitosæ frigidæ, in genu exsistentis. Ambulatio autem læsa est ob morbum in magnitudine aucta, ob tumorem scilicet circa genu excitatum, & in ipso etiam genu: non quod materia occupauerit ossium genu cauitatem, sed quia collecta est extra cauitatem, circa dearticulationem ipsius genu: ratione cuius tumoris & materiæ collectæ, cum patiens noster crus flectere vult, partes neruosæ a materia illa tumoris comprimuntur, fitque solutio vnitatis, vnde dolor ille excitatur. Hic autem tumor inde ortus est: quoniam, cum crus illud ob ictum violentum fractum fuisset; pars illa secundum genu est debilis reddita, cuius debilitatis ratione materia pituitosa suscepta est, ac in genu, vt diximus, collecta. Hec autem cruris debilitas indies semper aucta est: quoniam hic nobilis patiens, cum deambulationis modum aliquem non seruaret, factũ fuit, vt sæpissime in terram ceciderit, & partem illam percusserit: & ante XV. dies iterum in terram ruere coactus fuit, vt nouissima debilitatis caussa huic parti addita sit. F G

Indicationes. Pro auferẽdis his malis, necessariũ est prouidere, vt crus illud renutriatur. Quod, vt cõmode fiat, opus est intemperiem illam frigidam calefaciendo corrigere & auferre. Materia vero, tumoris caussa, vt dura, est

A est emolliendą; vt crassa, attenuanda; vt frigida, calefacienda; vt locum indecentem occupat, elidenda. Genu est corroborandum, itemque crus: seruando semper eorum virtutem & tonum, vna cum virtute totius: habita de toto prouidentia.

Quibus scopis satisfacere non est impossibile: quamuis omnino sit difficile. Nam si consideremus vehementiam ratione propriæ essentiæ, ea est satis insignis: quoniam & intemperies cruris, & eius figura multum recedunt a naturali statu: est enim tertius annus, ex quo hic tumor ortus est, & crus macie illa tentari cœpit. Præterea materia tumoris, vt diximus, est frigida, crassa, & dura: vt non nisi summa difficultate, & longo temporis spatio hæc omnia vinci possint. Nec est, quod vehementiam ratione dignitatis contemnamus: quoniam læditur deambulatio, quæ est actio, caussa commodioris vitæ necessaria. Speramus tamen nobilem patientem ad pristinam sanitatem reduci posse; cum virtus ipsius robusta sit, secundum quantitatem, & qualitatem. Præsagia.

B Et quoniam est iuuenilis ætas: laudamus, vt primo quoquo commodo tempore fiat aliqua *sanguinis missio*, secta vena iecoraria dextri cubiti. Curatio.

Leniatur aluus *melle rosarum solutiuo, cum manna*, in iure dissolutis: vel similibus. Præparentur humores iusculis alteratis *betonica, farfara, boragine, endiuia*, & similibus. Purgentur, *rhabarbaro & agarico, infusis in decocto florum & fructuum, cum foliis senæ, addendo mel rosatum solutiuum, & mannam.*

His omnibus diligenter peractis, laudamus vt *thermas Dom. Bartholomæi* adeat, ibique vtatur *luto Dom. Bartholomæi*, immergendo in illud vniuersum crus, & totam coxam. In eo enim luto est vis emolliendi, calefaciendi, & aliquo etiam modo digerendi. Hocque luto vti poterit per 8. vel 10. dies. Mundato autem crure & coxa a luto *vino generoso*: tumor ipsius genu inungatur *adipe vituli, anatis, gallinæ, modico*

C *croco* adiecto. Transactis diebus octo, suademus vt *luto Dom. Helenæ* vtatur, modo & forma supradictis: hoc lutum enim magis digerit. A luto parte *vino optimo* diligenter mundata, supra genu imponi poterit *diachylon cum gummi*, cui sit permistus *puluis colocynthidis, & vtriusque veratri.*

His peractis, si e toto non fuerit liberatus, & æstus non vrgeant: per *sudorem* materia e toto discutietur & euacuabitur.

Vt autem crus emaciatum renutriatur, laudamus *inunctionem cum oleo liliorum alborum, & similibus, addito vino generoso*, pro vehiculo.

His addatur diligens viuendi ratio: quam, ceu notam, prætermittimus.

CONSILIVM XLV.

D *In tumore vtriusque cruris, ictero nigro, & lienis scirrho:*

HIERONYMI CAPIVACCI.

Conqueritur vir strenuus ac magnificus de tumore vtriusque cruris, de colore secundum totius corporis partes defœdato, & de quodam lienis scirrhoso tumore, qui non difficulter prementibus manifestatur, nec compressus dolet. Hic tumor scirrhus est confirmatus, & penitus exquisitus: quia indolens. Color autem mutatus, qui ad nigredinem vergit, est symptoma, in genere qualitatis mutatæ, & a medicis morbus arquatus niger dicitur. Tumor vero in vtroque crure excitatus, oculis etiam obiicitur: a quo hydrops anasarca non longe abest: cum enim digitis eum comprimimus, euidens in cruribus fouea relinquitur. Hinc ergo manifestum est, patientem hac cachexia, seu malo totius corporis habitu laborare: Affectus.

E quæ affectio, vt norunt medici, ad introducendum hydropem præuia est dispositio.

Horum affectuum caussas quod attinet: dubium non est, splenis tumorem horum omnium malorum originem & fundamentum esse. Nam cum lien, ob huiusmodi tumoris præsentiam, melancholiam a iecore sibi transmissam, suscipere non valeret: fuit in caussa, vt iecur frigidius iusto sit redditum: ob quam frigiditatem, cum chylum in optimum sanguinem permutare non posset, factum est, vt sanguis pituitosus, & proinde frigidus sit genitus: cuius portio ad crura decumbens tumores illos euidentissimos excitauit: portio reliqua, cum melancholia permista, ad reliquum corpus diffusa, tum cachexiæ, tum icteritiæ nigræ occasionem præbuit. Lienis vero scirrhosus tumor ex eo ortum habuit: quoniam, cum elapsis mensibus copiosa sanguinis excretio, & per sedem, & per vomitum, facta fuerit: in frigidã lien dyscrasiam extemplo incidit: cuius ratione, cum melancholiam a iecore transmissam, quemadmodum opus erat, regere Caussę.

F non potuisset; eam ibi concrescere necessarium fuit, & cum pituitosa materia, a ventriculo frigidiori eo delata, in tumorem scirrhosum degenerare. Hic vero scirrhus deinde exquisitus euasit: quoniam ob diuturnam moram pituitosæ & melancholicæ materiæ in ea regione, partes tenuiores per resolutionem euanuere; terrestriores vero, crassiores & viscidiores remansere: vt hac ratione adhuc durior materia reddita, in scirrhum exquisitum migrauerit. Ventriculus autem ob promiscuam, qua patiens semper vsus est, viuendi rationem, aliquam frigiditatem acquisiuit.

Omne igitur studium nostrum eo conuertendum est, vt errata in victu corrigamus: depravatum illum calorem auferamus: materiam, scirrhosi tumoris caussam, emolliamus, digeramus, ac dissipemus: lienem, iecur, & quoque aliquo modo ventriculum, calefaciamus & corroboremus: horum viscerum virtutem & tonum, vna cum virtute totius, conseruemus: habita tamen prius de toto prouidentia, quæ eo tendere debet, vt cachexiam e toto auferamus. Scopi.

G Quibus scopis satisfacere omnino est impossibile. Nam si consideremus vehementiam ratione dignitatis; eam satis intensam esse reperiemus: læditur enim ventriculus, itemque iecur, quod est membrũ principalissimum: quorum viscerum actiones a natura pro totius corporis nutritione sunt ordinatæ; cũ in altero omnium alimentorum concoctio, in altero vero sanguificatio celebretur: quæ actiones pro vita Prognost.

meliori & commodiori valde sunt necessariæ. His accedit intensissima vehemētia essentiæ: nam quia sple- A nis scirrhus exquisitus est, indicio est, frigidam lienis intemperiem esse cōfirmatam. Plurimum ergo præstabimus, si hæc mala omnia mitiora reddemus, & patientem ab imminēte hydrope præseruabimus. Hoc autem non valde difficulter futurum esse speramus, licet scirrhus ille sit exquisitus: nam reliqua mala nōdum exitii summum apicem attigerunt: virtusque non adeo prostrata est, vt non validissima etiam remedia ferre possit.

Curatio. His ita constitutis, ad præsidiorum materias deueniemus. Et, vt de re chirurgica primum agamus: statuimus, sanguinem moderata quantitate euacuandum, *hirudinibus* applicitis hæmorrhoidibus, si harū fluxus ægro fuerit consuetus: sin minus, *secta vena* sinistri cubiti: si tunc niger, crassusque exierit sanguis, egredi permittetur: si tenuis & rubicundus, illico supprimetur. *Fonticulus* etiam in crure sinistro probatur, nisi tumor hunc prohibeat: tunc enim omnino abstinendum. Tandem, vt materia tumoris funditus B euacuetur: consulimus, vt, si alia remedia, quemadmodum opus esset, non contulerint, in regione lienis *ferro candenti* fiat inustio.

Quoad pharmaceiam: leniatur aluus *melle rosato solutiuo, cum electario lenitiuo, diaphœnicon*, & similibus. Præparentur deinde humores *melle rosato, cum syrupo de betonica, de buglossa, oxymelite*, & similibus: sine decoctis, vel dilutis. Purgentur *electario lenitiuo, confectione Hamech, & syrupo de polypodio*. Præparentur iterum humores syrupis compositis, vt *de fumaria composito, de pomis composito*, & id genus aliis. Expurgentur iterum, vel prædictis medicamentis, vel *pilulis cochiis, cum pilulis de fumaria* mistis.

His diligenter administratis, *vinum chalybeatum* per plures dies assumat: quamdiu scilicet aderit præsentia indicantis, & nihil prohibebit. Paretur vinum illud hoc modo: ℞. *chalybis in diebus caniculari- C bus & hunc vsum diligenter parati* ℥viij. addantur *frustula radicis althææ, & puluis menthæ, ceterach, betonicæ, iuæ, stœchadis, melissæ, sassafras, capparum radicum, & tamarisci*. Hæc omnia infundantur in *vini generosi* ℔xij. & in vase vitreo, ad radios solares, macerentur, per octo dies, sæpissime vas agitando.

Probatur præterea, vt materia dura emolliatur & digeratur, vsus *luti Dom. Bartholomæi*, administrati per plures dies supra lienis regionem. Interim tamen ab aliis præsidiorum materiis abstinendum non erit: sed quotidie, ante & post luti administrationem, dum scilicet luto vtitur, gestabit supra eandem splenis regionem, *ammoniacum, aceto dissolutum*: vel *diachylon cum gummi*, cui admistus sit puluis *e sassafras, vtroque veratro, colocynthide, iua, stœchade, ceterach*, & similibus. Poteritque æger modo vno, modo altero remedio vti.

Quibus omnibus diligenter peractis, magnas antidotos in frequenti vsu æger habebit: vt *theriacam,* D *mithridatium*, & *trochiscos cypheos*, itemque *trochiscos de capparibus, &c.*

Diæta sit moderata, & moderate attenuet. Carnes sint laudabiles, vt vituli, hœdi, pullorum & pullarum, auium montanarum. Fugiat aues aquatiles, pisces, & lacticinia. Vinum moderate bibatur. Sit autem medicatum, *e ligno guaiaco, stœchade, buglossa, iua*, & herbis aliis superius relatis.

Omnia autem prædicta instituí poterunt autumno aduentante: virtus enim hoc tempore simul & remedia & morbos sustinere non posset.

CONSILIVM XLVI.

In ambulandi difficultate: ob dolorem, tumoremque pedum:

HIERONYMI CAPIVACCI.

Affectus. PAtiens hic ab ineunte ætate iecore est calido, & obstructionibus obnoxia, vnde facile in febres incidit. E Cœpit autem conqueri paullulum de dextro crure, cum adhuc recte valere videretur: inde febri correptus est: post febrem, pedes intumuerunt, dolueruntque, vnde ambulandi difficultas secuta est. Surgenti de lecto, intumescunt pedes: & cum incipit ambulare per decem passus, dolent pedes: deinde cessat dolor.

Caussæ. Huius doloris materia est flatus: quia cito generatur, & cito dissoluitur: dum enim nondum ambulat, habet materiam flatulentam in pedibus: ambulando vero suscitatur calor, qui dissipat flatum. Materia hæc in pedibus gignitur: prius enim laborauit febre, quæ, cum sit morbus totius, illas partes magis debilitauit, quæ a fonte caloris longius fuerunt dissitæ: vnde in iis debilitatis flatus gignitur. Materia tumoris exterioris, est materia corpulenta: non pituitosa: quia hæc ob tenacitatem non cito soluitur: non melancholica, ob eandem caussam: non biliosa, nam sentiret calorem: neque sanguinea, ob caussam eandem: F Quare a prædominio hæc materia non est ex vno aliquo istorum humorum. Est autem materia serosa: quæ alimenti est vehiculum, & tertiæ coctionis tenue excrementum. Oritur autem tumor in pedibus: quia partes, quæ deberent hoc excrementum tenue ad vesicam transmittere, vel per sudores exigere, trāsmittunt illud ad pedes. Aristoteles problem. 6. sect. 1. ait, iis, qui inedia vtuntur, pedes intumescere, propter colliquationem. Nam calidum innatum perpetuo agit, & absumit suum pabulum: & quando pabulum non adest, colliquat humores, & partes: cuius signum est, quod per inediam lotium fit rubrū. Cum autem humores colliquati non possint nutrire calidum innatum: fit vt delabantur ad pedes, ceu partes inferiores, ibique tumorem excitent. Sed hæc pedum tumoris ratio ad nostrum ægrotum nihil spectat; qui nōn vsus est inedia: ratio tamen Aristotelis bona est.

Scopi. Pro curatione & præseruatione, roborentur pedes, ne suscipiant: &, quoniam materia transmittitur G a corpore; succurrendum huic est purgatione.

Prognost. His scopis facile satisfaciemus: nam transmissio materiæ a corpore reliquo ad pedes, progreditur ad salutem: tumoresque pedum febribus malignis succedentes, bona adhibita diæta spōte sanari solent, præsertim accedente æstate.

A Quoad materias præsidiorum: cum sanguis non habeat rationem, nec caussæ principalis, nec sine qua non: a venæsectione abstinerem. Prætermitterem quoque fonticulos. Cur.

Præparandi humores *melle rosato*: purgandi, *agarico, rhabarbaro, epithymo*. Roborandus ventriculus & iecur *conseruis rosarum & cichorii*.

Quoad pedes: administrentur *aquæ thermalis salsæ & sulphureæ*: nam euacuant, siccant, & partem roborant. Sed non valde calide adhibeantur, ne fiat attractio. Quando vadit dormitum, lauet pedes *vino*, in quo bullierit *saluia, absinthium, iua, &c.*

Victus ratio exquisita instituatur.

CONSILIVM XLVII.

B *In crurum vlceribus:*

I. Hieronymi Fabricii Ab Aquapendente.

Vir nobilissimus Germanus podagra & gonagra laborat: sed præterea vlcusculis quibusdam, modo hanc, modo illam crurum partem occupantibus: oboritur enim vesicula, qua disrupta, exit ichor tenuis potius, quam crassus, & postea fit vlcus, quod deinde sanatur: sic autem hisce vlceribus sanescentibus, subinde aliæ pustulæ erumpunt, & in vlcera degenerant. Huiusmodi autem vlcera superuenerunt, post longissimas febres, primo quidem tertianam duplicem, deinde quartanam simplicem, ac postremo quartanam duplicem. Verisimile est, naturam horum morborum reliquias velle depellere ad crura, vtpote ad C partes, præ ceteris maxime imbecilles, propter podagram. Ceterum, missa podagra, de vlcusculis saltem his verba faciemus. Oriuntur ea a pituita, cui tamen pro vehiculo admista est multa bilis, quæ maxime in hoc corpore redundat. Fluxio dependet a capite & iecore. Caput, licet satis robustum videatur, fluxionibus tamen est obnoxium; quod testantur abscessus, qui aliquando genam sinistram infestarunt: id quod factum videtur, non tam ob capitis imbecillitatem, quam ob ingentes errores in victu commissos. Sed iam duo tantum in cruribus vlcera apparent, & ea quidem exigua: crura autem ipsa videntur satis labefactata, & colorem naturalem quasi amiserũt. Hæ pustulæ sunt etiã germina bilis acris, quæ a iecore affluit: hoc enim impense est calidum, imo calidius redditur, ob vsum aromatum, & rerum calidarum. Quare bilis copiam iecur producit, & eam ad partes imbecilles transmittit. Affectus & caussæ.

Porro, quia affectus hi iam sunt exigui, potius præseruationem, quam curationem exposcere videntur. Quare prohibenda generatio materiæ pituitosæ & biliosæ: iecur refrigerandum: obstructiones tollendæ. Et quia nec de capite, nec de aliis membris sunt querelæ; potissimum bona victus ratione præseruandus erit æger a generatione humorum pituitosorum. Fluentes humores reuellendi sunt: qui fluxerunt, exsiccandi & digerendi. Crurum laxitas & imbecillitas exsiccanda & roboranda. Indicationes.

Quoad prognosticum: casus hic non videtur difficilis: quia exiguus est affectus, & ipse patiens quotidie melius habere videtur. Præsagia.

Igitur ad præsidiorum materias descendentes: quoad cheirurgiam, ineunte vere, *sanguis* e iecoraria dextri brachii mittatur; vel quemadmodum ambo crura patiuntur, partite sanguinem ex vtroque latere detrahere possumus, e singulo ℥iiij. vel ℥v. vacuando. Sed præ ceteris *fonticuli* probantur, qui in hoc affectu, & in hoc patiente vim habent maximam. Quia enim aliis vlcusculis sanescentibus, subinde alia exoriuntur; optimum erit, vt materiæ redundantia, crura petens, continuo hac ratione educatur. Posset quidem & purgatione tolli, & diæta; (nec enim vir nobilissimus libenter admittet fonticulos.) Sed quia in aulis principum exquisita victus ratio seruari nequit, potius ad fonticulos confugiendum. Administretur ergo vnus in crure dextro, hepar affectum respiciens: & ponatur sub genu, quia nos non potest deterrere affectio in cruribus, quæ admodum est exigua. Quoad pharmaceiam. Primum leniatur aluus, *cassia, thamarindis, manna, syrupo ros. solut.* Præparentur humores *syrupo de beton. borag. & cichoraceis*. Purgentur *rhabarb. & agarico*, infusis in *decocto flor. & fruct. cum ℥iij. senæ. addita manna, &c.* Facta purgatione, iecur refrigerandum, & ratione doloris podagrici corpus exsiccandum. Probatur ergo mihi *decoctum salsæ*, omisso ligno, quod calefacit, & potissimum quia ne minima quidem luis Venereæ est suspicio: quod si, ad roborandum stomachum, quid de *china* miscere velimus, non improbo. Hoc ergo tempore vsurpabit decoctum plures dies, & sudabit quoque. Victus rationem seruabit, non exquisitam illam, qualem Venereis F præscribere solemus, sed mediocrem. Et si per dies 15. aut 20. sumserit decoctum; postea ad refrigerandum iecur sumat *serum lactis caprini*, per mensem; primum assumat serum per 15. dies, deinde quiescat 15. dies, & postea rursus vtatur sero. Localia debent esse exsiccantia & roborantia. Si heic degeret, posset vti *thermalibus aquis*: sed harum loco ipse sibi domi similes parari curet: *sal, & sulphur* in aqua decoquantur, & infundantur crura quotidie, quando non assumit *salsæ decoctum*. Sed quia crura non sunt admodum affecta; potest his remediis ita progredi: vt autumni tempore crura infundat in *vinaceis*, primo sub quibus ebullit vinum, dein vero in siccis pro maiori roboratione. Curatio.

Deferat *caligam e pelle canina*, quæ carnem tangat, quæ intercipit humores descendentes, & facit ne vltra fonticulum progrediantur, sed vt per hunc exeant. Quoad victum, abstineat a rebus calidis, aromatibus, vinis potentibus, &c. Vsus est vnguento citrino Aquapendẽtis, quod describitur ab ipso in doctrina de herpete; fitque e succo tabaci.

G

II. Alexandri Massariæ.

Patiens nobilissimus post febrem diuturnam, variam, inconstantem, quæ multos abhinc annos cœpit, biennium iam laborat vlceribus in vtroque crure, modo hoc, modo illud crus occupantibus: quæ

interdum euanescunt, mox autem e se reuertuntur. Omissa podagra, & reliquis affectibus, si qui assunt: A caussæ horum vlcerum, ita frequenter pullulantium, duæ sunt: vna externa, vt errores in omni victus genere, motio importuna, cibi calidi, &c. altera est interna, nimirum mala constitutio principum viscerum, & potissimum iecoris. Licet enim querela non sit de ventriculo & capite: verisimile tamen est ventriculum propter errores in victu, excrementa gignere, quæ postea ad crura imbecilla ferantur. Calidi iecoris signa sunt; primum quod in cruribus sentit pruritum; deinde quod iam biennium, in vola manuum & pedum, & in toto corpore, sentit calorem. A capite etiam portionem quandam demitti crediderim: quia caput multos iam annos excrementosum est, vt testati sunt abscessus difficiles.

Scopi. Cum ergo hæ duæ sint caussæ, duæ etiam oriuntur indicationes: primum diæta exacta: deinde ablatio intemperiei principalium viscerum, quibus crurum roboratio accedit. Iecur in primis laborat calida intemperie: vnde bilis & adustus humor generatur.

Curatio. Quare facta totius euacuatione per *venæsectionem* dextri brachii; leniatur aluus, potissimum cum *cassia*, & modica portiuncula *hieræ*, ratione ventriculi: præparatique humores purgentur maxime *confect. Hamech, syrupo ros. solut. & sena*. Sequitur præcipua indicatio, refrigerandi & humectandi iecoris: id quod fieri potest duobus præcipue præsidiis, quæ alterant, roborant, obstructiones auferunt, & in summa omnibus scopis satisfaciunt. Primum, est potus *thermarum frigidarum*, vt sunt *Villenses, & B. Virginis*, quæ opportuno tempore bibantur: roborant enim & nõ nocent ventriculo. Frigidissimæ thermæ improbantur. Alterum præsidium est *serum lactis*, quod thermalibus aquis antepono: egemus enim refrigeratione & humectatione; thermæ vero exsiccant: præterea etiam serum magis ad obstructiones valet. Non improbo *decoctum salsæ*, cum portiuncula *chinæ*, si vtatur, antequam tempus sit opportunum ad sumendas aquas, circa mensem Maium. Quod si medicamentorum multitudo molesta sit patienti, assumat tantum C serum, ad heminas quinque, singulis octo aut decem diebus, *alteratũ sena, epithymo, & quandoque etiam helleboro*, vt præparentur & euacuentur humores acres atque adusti. Leuiora medicamenta sunt manifesta: ideoque ea silentio prætereo. Roboratio etiam instituenda est crurum, ne suscipiant excrementa a partibus superioribus: quare *balnea ex aquis thermalibus, & vinacea*, admodum mihi probantur. Sed propter viscerum intemperiem maximam, & quia patiens in aula degit, vnum aut alterum *cauterium* inuratur, quod sensim materiam, quæ generatur, expurget. De loco dubitari potest. Si cruribus laborantibus affigantur cauteria, arte id consequi videmur, quod natura tentat & perficit; expurgabimus nimirum excrementa per crura, & ita naturæ quasi conatus iuuabimus. Sed altera e parte, cum crura sint debilia, non licebit vacuare per partem laborantem, aut ad eam humores attrahere. Quare figantur in partibus superioribus, vt potius fiat materiæ reuulsio; & maxime in brachio dextro, vt ratio habeatur iecoris, quod o- D mnium malorum fons est. Quia tamen crura non vehemẽter laborant, etiam cruribus applicari possunt: sed magis probo in brachio, &c.

III. HIERONYMI CAPIVACCI.

Caussæ. VLcus in proposito patiente, est soluta vnitas, cum amissione cutis & cuticulæ in cruribus, originem ducens a materia mordaci. Porro in hac materia considerari debet, species, vitium, & caussa generans. Quoad speciem, materia est biliosa; quod cognoscitur e caliditate: mista tamen est pituita salsa, quod pruritus indicat. Adest tumor quidam œdematosus circa imum pedem: quia materia crassior descendit, tenuior vero vlcera excitat. Vitium est, primo secundum substantiam, nam materia est putrida, & maxi- E me pituita salsa: deinde est vitium secundum quantitatem, nam materia est copiosa, quia nunquam ab hoc malo perfecte liberatur, semper enim vlcera illa repullulant; quod non fieret, nisi materia esset copiosa: est vitium secundum qualitatem, quia sentitur calor: secundum quietem est vitium, quia materia in cruribus quiescit: vitium est denique secundum motum, quia materia multos iam menses ad crura mouetur: huius motus terminus ad quem, sunt crura, quæ suscipiunt materiam, tum per modum attractionis, quatenus incalescunt, & dolent; tum per modum transmissionis, quatenus sunt imbecilla, propter intemperiem frigidam & laxitatem. Præter materiam calidam, affluit etiam materia pituitosa, vnde tumor pituitosus: quia assiduo vsus est emplastro quodam frigido, e cuius vsu crura sunt refrigerata: Terminus a quo, est iecur, ratione bilis; & ventriculus, ratione pituitæ, quæ postea salsa redditur.

Præsidia. Quoad indicationes: vlcus mundificandum ab excremento tam tenui, quam crasso, per exsiccantia F & detergentia: deinde agglutinandum, & cicatrix inducenda. Sed antequam hoc fiat, prius remouenda sunt impedimenta, vt sunt & morbi, & alia quædam præter morbos: vnde quoad materiam fluxam, mordax alteranda; impacta, vacuanda & discutienda; fluens retrahenda: partes alterandæ.

Prognost. Affectus hic non ita facilis curatu mihi videtur: & hoc potissimum propter vitium vehemens in motu, quod non ita facile auerti poterit, quia materia longo iam tempore ita fluere consueuit.

Curatio. Quoad materiam cheirurgicam. Sanguis peccat, vt caussa sine qua non: ideoque *vena* basilica secanda. *Fonticulus* reuellens in dextro brachio figatur, nam crura infirma sunt, & ἐρυσιπελατώδη; vel inuratur secundum femur, id est, supra genu: sic enim retrahet materiam, per modum interceptionis. *Aquas B. Virginis*, si esset obstructio, non probo: vsu enim earum mensium suppressionem augeri, testatur experientia. Probo *decoctum e salsa & china*, cui *cichoracea* in maxima copia misceri de- G bent. Ad partes vlceratas, vinum est optimum: calefacit enim partes refrigeratas; densat rarefactas; & calorem natiuum tuetur, &c.

CON-

A

CONSILIVM XLVIII.

In meliceride, & tumore quodam intra oculum; item nubecula in iride, infra tamen pupillam.

HIERONYMI FABRICII AB AQVAPENDENTE.

PRoponitur iuuenis 16. annorum, in quo adhuc puero, vix sextum mensem agente, tumor in fronte apparuit magnitudine pisi, qui tempore ita increuit, vt iam satis sit magnus. In fronte prius erat hic tumor: sed tractatus atque constrictus lamina plumbi, sensim deductus est ad supercilium sinistrum, in quo iam consistit. Est de genere abscessuum, qui melicerides dicuntur: quamuis e meliceride & atheromate misceri, libenter dixerim: ratio enim, quæ me mouet, hæc est, quod & alius tumor exiguus consistebat in eodem oculo, sed magis versus angulum maiorem, qui, cum nonnullis medicamentis ad suppurationem deueniret, exiuit materia quædam melli similis, vt fit in meliceride, & præterea quædam similia pulticulæ, vt fit in atheromate: quare, cum & hic tumor, qui iam affligit, eiusdem cum præcedente naturæ esse videatur, mistus sit e meliceride & atheromate necesse est. In orbita etiam oculi, adest tumor, similis naturæ, qui exterius non apparet, sed digito immisso in angulum internum, & durities, & resistentia deprehenditur: credo igitur hunc esse priorem tumorem, qui iam reuertitur, quoniam ex eo folliculus non est detractus. A primo non læditur actio, sed a secundo: parum enim videt, & oculus extra protuberat, vergitque ad angulum externum Præter hæc sciendum, adolescentem hunc per totam vitam habuisse quendam vomitum biliosum, & quidem bilis æruginosæ, itemque pituitosum; singulis mensibus vomuit: sed ab hoc iam liberatus est nonnullis purgantibus. In sinistro oculo habet nubeculam albam, in parte inferiore iridis. Quare, cum tumor duplex sit, internus vel externus: vterque vel meliceris est, vel mistus e meliceride & atheromate. Materia horum tumorum continetur in propria tunica: eaque melli, aut pulticulæ similis generatur a partis locique proprietate. Materia influens, sapit naturam aut bilis, aut pituitæ salsæ: nam abscessus proueniunt ex acrioribus humoribus. Sicut autem ibi generantur humores ob loci proprietatem: ita etiam aliunde fluunt. Nam pituita fluit a capite, quod frigidum est ac humidum: indicium, quod somnos habet longos & profundos, capitisque excrementa redundant. Bilis e iecore calido fluit: signum calidi hepatis, quod singulis mensibus biliosa & pituitosa euomuit. Hi ergo humores, e capite & iecore, ad oculum debilem fluentes, tumores excitant. Præterea quia vomuit, ventriculus non omnino robustus fuerit necesse est: Postea tamen robustior factus est, cessante vomitu. Iam etiam ventriculus, ob intemperiem, quadam imbecillitate laborat, quæ tamen exigua est. (margin: B, C, D; Historia casus.)

Vacuanda materia, faciens tumorem, digerentibus, repellentibus, &c. Materia fluens reuellenda, intercipienda, repellenda. Materia genita superabundans vacuanda, nimirum, tum bilis, tum pituita. Materiæ nondum genitæ generatio prohibenda; quod fit, caput siccando & calefaciendo; iecur refrigerando; ventriculum calefaciendo & parum siccando. Indicationes.

Talis curatio necessaria quidem, sed difficilis: Necessaria est; nisi enim ferantur suppetiæ, tumor internus prorsus de loco suo oculum sinistrum deturbabit. Difficilis autem est curatio, quia nonnulli scopi impleri possunt, nonnulli nequeunt. Potest enim obtineri, ne materia biliosa & pituitosa generetur: potest item genita materia reuelli & vacuari. Sed vt tumor supercilium occupans, medicamentis tollatur, difficile erit: multoque magis vrget tumor internus, ad quem nec medicamenta, nec manus pertingere queunt. Sed si genita materia vacuetur, generatio materiæ prohibeatur, tumor externus auferatur: etiam internus aliquo modo minui poterit. Alacri ergo animo ad materias præsidiorum descendendum. Prognosis. (margin: E)

Quoad cheirurgiam, cum adolescens sit 16. annorum, delicatus, nec admodum carnosus, non videtur *venæsectio* conuenire; vel, si viris clarissimis ea ex vsu videatur, parum sanguinis detrahendum erit e cephalica eiusdem lateris. Sed tamen, quia affectus non prouenit a sanguine, magis probo *cucurbitulas scarificatas* dorso applicitas. Id manifesto patet, *fonticulum* fieri debere: maxime probo *setaceum*, reuellit enim ad loca contraria, scilicet ad partes posteriores, & caput illud idem euacuat. Ergo suadeo vt quamprimum illud efficiatur, quia periculum oculo imminet. Postea setaceum claudi potest, pro euentu: & excitari cauterium in brachio sinistro. Curatio.

F Quoad medicamenta. Leniatur aluus, *melle rosaceo solutiuo.* Materia præparetur *syrup. de beton. cich. borag.* &c. purgetur, *rhabarb. agarico*, infusis in *decoct. cordial. cum sena*, addito *melle rosac. solut. & manna.* Probo etiam aliam purgationem, *syr. de beton. compos. de pomis.* postea *pil. de rhabarb.* His licet caput quoque purgetur, magis tamen particularis purgatio capitis per masticatoria institui potest. Postea deueniendum ad generosum aliquod medicamentum, exsiccans totum corpus & tuberculum. Mihi ergo *salsa* probatur, quæ (vt sum expertus) contra tumores duros & tophaceos maximam habet vim, ita vt gummata etiam Gallica dissoluat: sed quia stomacho inimica est, radix *chinæ* simul coquenda. Decoctum ita detur, vt seruet mediocrem victus rationem, non omnino tenuem, quia corporis habitus in iuuene dissolueretur: sudet pro virium tolerantia.

G Quoad localia: meliceris admittit curationem per medicamenta in tenera ætate, quæ huiusmodi materiam dissoluunt. Ea autem medicamenta sunt, quæ valenter dissoluunt, incidunt & attenuant: quale est *suffumigium aliquod e decocto salsæ & chinæ*, cum modico *aceto*, aut modico *aqua vitæ*, quod sursum per siphonem deferatur: ad locum enim tumoris assit instrumentum tubæ forma, quod ita tangat locum, ne vlla alia pars a suffumigio calefiat; & hoc dextre administrandum:

ne oculus inflammetur. Quod si oculus inflammari videretur, desisterem ab hoc medicamento: & ad alia deuenirem, quæ tamen eiusdem essent facultatis: vt est *frictio* tumoris, cum digitis, inunctis *aqua vitæ*, permista cum *oleo de sulphure*, quod eximium est & præstantissimum discussorium. Non tacebo medicamentum, quo ego in his felicissime vtor, ad materias discutiendum: *Calcem viuam, in aqua liquefacio; deinde spongia aquam excipio, & stricte super tumores alligo*; & sic insignes satis tumores dissoluo. Si his medicamentis tumor non dissolueretur, ego deuenirem ad incisionem, & extraherem humorem cum folliculo: quod alias quoque feci in illa parte, & quidem in tumoribus triplo vel quadruplo maioribus. A

Quoad tumorem internum, hic resolui debet per medicamenta reuulsoria, quale est *setaceum* propositum, *cucurbitulæ siccæ, frictiones &c.*

Quoad nubeculam, quia non offendit foramen pupillæ, de ea non essem sollicitus: maius n. negotium facessunt tumores: & medicamenta contra nubeculam administranda, debent esse vehementer detersoria, quæ labefactarent oculum, & impedirent priorem curationem. Exhibita salsa & china, aduentante tempore calidiore; intemperies alteranda est. Caput ergo alterabitur *aquis thermalibus*: aut fiant *stillicidia*. Ventriculus etiam aquis his roborabitur, extra & intra: sed beneficio decocti id fieri poterit commodius. Quoad iecur, quia tempus tunc erit calidum, quando hæc medicamenta administrabuntur, propterea *seuum* dabitur, semper vnguendo ventriculum, ne noxam aliquam inde capiat. B

II. ALEXANDRI MASSARIÆ.

Affectus. MOrbi potissimum duo proponuntur, tumor in fronte, qui abscessus est, & tumor in angulo oculi interno, qui tactu manifeste sentitur: itemque nubecula in oculo infra pupillam. Hi tumores sunt abscessus, qui faciunt partem abscedere, siue meliceriides dicantur, siue atheromata, siue stratomata. Eiusdem sunt naturæ: dependent enim a materia crassa pituitosa; cui tamen parum bilis misceri, negandum non est. Et fortasse nubecula eodem humore constat, transmisso non tantum ad frontem, sed etiam ad oculum. Et hæc omnia sensui quoque manifesta sunt. Cœpit tumor in fronte, cum ageret vix sextum mensem, qui iam perseuerat. Humor autem qui tumorem effecit, & etiamnum fouet, vel ibi generatur, vel transmittitur: ego puto maxime transmitti ex aliis partibus: in hac ipsa tamen parte facta est dyscrasia, ob quam ibi etiam excrementa generantur. Transmittit primum caput, quod imbecillum est, ob intemperiem frigidam & humidam: ideoque pituitam ad frontem & oculum transmittit. Ventriculus, vt colligitur e vomitu assiduo pituitæ viscidæ, insipidæ, & ex appetitu, est frigidus & humidus: mittit materiam ad caput, quæ hinc ad frontem & oculos fertur. Leuia illa argumenta videntur, valde calidum siccumque iecur arguentia, vt ex habitu corporis, & aliis signis coniicio: Emittit humorem crassum, frigidum, & etiam melancholicum, parum bilis. C D

Prognost. Tumor, nisi chirurgia, vix potest auferri: quod est difficile.

Indicationes. Auferenda materia contenta in tumore & in oculo. Totius etiam vacuatio instituenda, quia redundant excrementa.

Curatio. *Venæsectio* conuenire non videtur, ob corporis habitum, ætatem, & constitutionem humorum, qui a sanguine multum absunt. Galenus capite quarto, libro quarto tuen. san. vicarias venæsectionis facit, *hæmorrhoidas, & scarificationem malleolorum*: at quia in hoc adolescente hæmorrhoides nec fluxere, nec ob id suppressæ sunt, videtur crurum scarificatio instituenda, eaque profunda, vacuat enim & reuellit a capite, nec vires deiicit. comm. aphorism. 17. sectio. secunda. E

Leniatur aluus *hiera*, mista cum *cassia*, vel *elect. lenitiuo*. In potione conuenit *mel rosar.* Postea sanguis mittatur per *cucurbitulas*. Præparetur materia *melle rosaceo, syrupo de beton. oxymelle simpl. decocto beton. fumiterræ*. Vacuetur leuiter, detrahendo bis vel ter, quod in robusto vna vice educeremus: idque fiat *agarico, rhabarbaro, hiera*. Iam morbi ipsi auferendi. Prohibenda igitur generatio humorum: tollenda intemperies frigida & humida capitis & ventriculi: alterandum iecur calidius. Decoctum *salsæ* probo, si primo sumatur, valenter enim tumores dissoluit: Sed quia salsa obest ventriculo, magis ego probo, si *portio ligni guaiaci vel corticis* misceretur: nam nec *china* videtur amica ventriculo. Ergo statim facta purgatione sumatur decoctum: per quindecim, viginti, aut vigintiquinque dies. Post vero accedente tempore commodiore, sumatur exsiccans caput & ventriculum, discutiens tumores, vt *potus aquarum thermalium calidiorum*, quales sunt *S. Petri, vel Aponitanæ*: administretur etiam extrinsecus post purgationem, vnde æger suscipiat stillicidium, quod tamen non cadat ab alto, ne nimius calor lædat iecur calidius. Hic aquarum vsus sit circa Maium, vel Iunium. F

Vtatur etiam *mithridatio*, cuius caliditas *conserua boraginis* temperanda. Dyscrasiæ emendentur inunctionibus, fomentis, emplastris, caput & ventriculum respicientibus. Localia sint discutientia, & dissoluentia, vt *oleum e ligno ladico, oleum e vitellis ouorū*. Sed tamen ad manus operationem deueniendum esse arbitror. Quoad tumorem internum facta prouisione totius, cauendum ne is fiat maior. *Cauteriis* sensim materia euacuetur: probo igitur *setaceum* in occipitio, simul etiam *cauterium* in brachio sinistro.

III. HIERONYMI CAPIVACCI. G

Affectus. TVmor hic pertinet ad secundam quantitatem, quia pendet a materia non solum copia, sed etiam qualitate peccante. Non autem in omni abscessu materia est acris: nec enim diu posset contineri, sed faceret vlcus. Galenus quando abscessum materiam acrem esse dicit, loquitur de inflammatione, quæ in pus degenerat. Hi autem abscessus quia fuerunt diuturni, propterea materia non fuit acris, alias erosio subse-

A subsecuta fuisset. Materia est pituitosa, quæ degenerauit in substantiam melli similem. Ergo hic tumor est meliceris. Prior tumor cum hoc eiusdem fuit naturæ:apparuit in eo materia pulticulæ similis: Ergo hic tumor cum atheromate mistus. Non autem omnis meliceris habet folliculum:nam libro 14. method. datur meliceris, cedens digerentibus; tumor autem folliculum habens, certe digerentibus tolli nequit. Quæritur autẽ, quare materia degenerauerit in materiam similem melli & pulticulæ? Si id fieret ratione proprietatis loci, aut membranæ, vna tantum materiæ species fuisset genita:nam in vna membrana, vna tantum est proprietas, vt si habet proprietatem mutandi materiam in substantiam melli similem, non habet aliam proprietatem. Quare fieri potuit, vt materia pituitosa, diu ibi detenta degenerarit in materiam pituita crassiorem:soluta enim tenui parte portio crassior in pultem, minus crassa in substantiam melleam est conuersa. Generatur materia in capite, labefactata facultate:fouetur a ventriculo. Nubecula non an-B testat crystallino. Ergo vereor, ne materia demissa fuerit ad humores oculorum, vnde iam spiritus animales non ita queant extramitti.

Tumores pendent a materia toto genere præter naturã. Ergo e toto materia vacuanda, non per repercussionem, quia materia non cedit:sed per modum digestionis, discussionis, ac putrefactionis. Materia, quæ humores impuros reddidit, euacuanda. Totius etiam ratio habenda. Scopi.

Impossibilis est curatio: materia etiam in tunica, non potest e toto remoueri:nec folliculus medicamentis tolli potest. Per digestionem materia non euacuatur, quia habet folliculum. Per putrefactionem & discussionem aliquid præstari poterit. Prognost.

Quoad materias. Sanguis habet rationem caussæ sine qua non fieri potest curatio: in hac ætate potest quid sanguinis demi, sed vires non sunt robustæ. Ergo ad *cucurbitulas* confugiendum, quæ apponen-C dæ dorso, vel infernis partibus:vtroque enim modo sanguis vacuabitur & deriuabitur. Quoad medicamenta, probo *hieram*, & reliqua mitiora, non fortiora. Decoctum fiat e *salsa*, cuius beneficio fiat materiæ præparatio in capite, & reliquo corpore, & resolutio materiæ in tumoribus:non improbo *chinam*;superioribus enim diebus quidam nobilis, laborans imbecillitate ventriculi, non potuit curari, nisi sumta *china*. Pro vehiculo potius probarem in decocto *euphrag. fœniculum, stœchadem*, quam *lignum* & præcipue *corticem*, quæ calidiora videntur in hoc iuuenili corpore non esse vsurpanda. Non improbo aquas, exhibitas & admotas:maior tamen vis est in decocto:hoc enim diutius moratur, aqua celeriter transit. Decoctum per quadraginta dies. Assiduo regenerantur excrementa, essem contentus simplici potione. Topica nil prosunt, quia folliculus adest. Vehementiora primum vsurpari non debẽt, ne materia euadat scirrhosa: quare *malua & althæa* miscenda. Ego *sectionem* suaderem, corpore recte expurgato. Pro-D bo etiam *cauteria. &c.* Curatio.

CONSILIVM XLIX.

In hernia intestinali:

MEDICORVM SVBSCRIPTORVM.

CVm N. N. in pueritia laborasset enterocele, artis medicæ beneficio curatus, ab eo tempore annos circiter duodecim bene habuit. At a tribus annis, e diuturnioris equitationis motu, cœpit tumorem persentire in inguine dextro, descendentem testiculotenus, secundum vasorum seminariorum ad testem E ductum: qui, cum æger decumbit, euanescit; cum stat, aut sedet, reuertitur. Fit autem hic tumor ob intestina delabentia, quæ descendunt. Nam ea parte, vbi vasa seminaria abdomen in imo destituunt, & per inguen in scrotum descendunt, peritonæum discissum, aut disruptum est: quo fit, vt per cauitatem inuolucri vasorum seminariorum, quod a peritonæo suscipiunt, intestina delabantur. Hanc cauitatem hactenus nondum exierunt: nam si tunicam illam exiissent, maximus tumor appareret, ac in magnam molem attolleretur. Nec dicendum est, foramen in abdomine per peritonæum naturam constituisse, vt vasa seminaria per illud descenderent ad testes. Nam vasa sub ipso peritonæo, a sua origine, per lumbos ac ilia ad inguina deducuntur, nec extra peritonæum conspici possunt: sed cum eo deuenerint, induta, vti diximus, tenui tunica, a peritonæo mutata, ad testes deueniunt, & peritonæum pertundunt. Affectus, & caussæ.

Quare nunquam fit epiplocele aut enterocele, nisi disrupto peritonæo, e regione foraminis, per quod F vasa sub ipso viam sibi acquirunt in scrotum. Quare ruptura semper dici debet:non relaxatio. Quæ ruptura fit ex aliquo vehementi aut concitato motu, aut clamore, aut nixu vel conatu:vt in nostro casu equitationis concussione.

Cum itaque res sic habeat:nullo artis medicæ auxilio egemus, pro tumoris discussione:cum decumbendo facile euanescat: Sed quod ad nos spectat, est, vt prohibeamus ne fiat tumor, etiamsi æger exercitia, & alia munia subeat. Hoc autem perficiemus, si solutam vnitatem peritonæi sustulerimus. Id quod fiet, si adglutinantibus, & adstringentibus vtemur: ac prohibuerimus, ne intestina foramini facto sese offerant: quod (vt dictum est) decubitu facile fieri potest. Indicationes.

Licet vero peritonæi coalitus, constrictio, & adglutinatio difficilis sit:tamen validis appositis instrumentis, quæ adglutinantia, & adstringentia sint, spes bona est, ægrotum conualescere posse. Prognostica.

G Ad hoc autem commode obtinendum, necessaria est vniuersi corporis expurgatio: ne quid nobis in reliquo sanitatis incommodi contingat: ac materiæ aquosæ ad apertum locum delabantur; & consolidationem, alioquin difficilem, impediant. His accedit, cum adstringentibus & intus & foris sit opus: mundandum esse corpus a superfluitatibus, ne obstructiones inde nascantur, & corpus in febres, aut alia mala incidat. Curatio.

Corpus igitur purgandum erit mane per horam ante prandium, sequenti bolo: *℞. electarii leniti* A *ui ʒ j ß spec. hieræ simpl. Galeni ʒ ij. cum sacharo* fiant boli. Postea per septem dies mane in aurora calidum sumat hunc syrupum:& quiescat per horam, ad minimum, vel dormiendo, vel non: *℞. mellis rosati colati, syrupi de betonica an. ℥ vj. decocti betonicæ, bislinguæ & cichorii ℥ iij.* Misce. Prandium differatur ad horas tres. Hoc peracto, sequenti die in aurora, quinque vel sex horis ante prandium sumatur sequens pharmacum: *℞. agarici trochiscati ʒ j. rhabarbari electi ℈ ij. electarii diaphœnicon ʒ ij. diacatholici ʒ ß.* misce: & cum *saccharo* fiant boli.

Toti cum sic prospectum fuerit, ad topica erit confugiendum: quæ minime prodesse possunt, non obseruata simul recta victus ratione. Vbi præcipue obseruandum, vt quies adhibeatur, & vt ad minimum duobus mensibus in lecto decumbat. Præterea in ventre exonerando, semper teneat compressum locum aperturę in inguine, cum linteolo multiplicato, aut pila e lana, vel gossipio: ne prolabentia intestina rursus B aperiant, quod coalitum fuerit.

Comedat cibaria crassa ac viscidæ substantiæ, & adstrictionem promouentia: quales sunt carnes agninæ, pedes ac partes nerueæ animalium, vt vituli & auium pedes; alæ quoque anseris, anatis & gallinarum, elixæ magis, quam assæ, oua indurata, fercula ex oryza, farre, milio, & pasta: minima legumina, olera, & fructus. Pisces conueniunt: & ii maxime, qui sunt carnis viscidæ, vt anguillæ, tenchæ. Lacticinia item prosunt, & caseus.

Vinum sit adstringens & austerum, vel saltem medii saporis, minime dulce, nec album.

Herbæ omnes crudæ, præsertim quæ in acetariis, &, vt aiunt, in salatis adhibentur, debent vitari: præter modicum *lactucæ, cappares & cichorium. Botam, spinachiam, & cucurbitam* rarissime sumat. Prosunt *oua sorbilia*, vitellus magis, quam albumen. *Passulæ nigræ* & pingues bonæ sunt, præsertim in primis fercu- C lis ad leniendum ventrem.

In genere autem vitentur frigida, cruda, nimium humectantia, salsa nimium, pinguia, & flatuosa.

A cibo comedi poterunt aliquando *pyra cocta, coriandri semina, nuclei pinei præparati, pistacia.*

Inprimis vero ad maturam sanitatis recuperationem facit abstinentia, seu moderatio cibi ac potus.

Opera præterea est danda, vt quotidie laxa sit aluus: ne, dum induratæ feces cum labore excernuntur, conatus ille plurimum obsit. Itaque *cingulum, seu bracherium* ad retinendum intestina loco affecto probe stricteque applicetur.

Quod si aluus strictior fuerit, comedantur *duo aut tria cochlearia passularum nigrarum maturarum, cum sacharo* mistarum, hora vna ante cibum, vel paullo amplius. Vel comedat *quinque aut sex ficus*, de- D coctas in iure capi, vel gallinæ: & post comestionem ficuum bibet ius, in quo ficus decoctæ fuerunt, cum aliqua portione sacchari. Vel *cassiam* sumat recens e fistulis extractam: vel *pilulam aloes lotæ & præparatæ*, pondere vnius scrupuli, cum *saccharo rosaceo*. Si hæc non satis sint efficacia, subiiciatur *clysmus e iure intestinorum, oleo chamæmelino, & saccharo rubro tantum, sine sale*: hic enim aluum lubricam relinquet per plurimos dies. Leniunt etiam aluum *caricæ pingues*, ante reliquos cibos sumtæ: *pruna dulcia e mulsa* cocta: aliquando *malua, spinachia*, & similia.

Quoad topica, seu medicamenta quæ foris adhibentur: postquam fuerit expurgatum corpus, fouendus erit inguinis locus, duabus horis mane ante prandium, & vna hora vesperi ante cœnam, sequente decocto calido, spongia excepto: quæ expressa loco affecto apponenda, & subinde innouanda, si calor remiserit. Fomentum hoc continuetur per horæ spatium. Hinc, loco resiccato, emplastrum infra scriptum E alutæ molli inductum admoueatur: quod semper maneat, donec amouendum fuerit pro fomento administrando.

Mane in aurora calide sumantur quatuor cochlearia decocti describendi, cum modico *saccharo*: & herba *herniola*, si haberi queat, puluerisetur, si exsistat sicca, & pulueris semidrachma sumatur in dicto decocto; aut in vino, vel iure gallinaceo, vesperi, duabus ante cœnam horis. Verum si recens haberi possit, succi expressi vncia bibatur in *aquæ dulcis* seu communis ℥ ij.

Decoctum autem pro inguine fouendo, tale erit: *Recipe bislinguæ, plantaginis, corrigiolæ, nucum cupressi, corticum castanearũ, germinum hypocistidis, corticum granatorum, gallarum, cupularum glandium ana M. j. rad. symphyti maioris M. ij. aquæ fabrorum in qua ferrum ignitum exstinguitur ℔ xx.* Infundantur per diem & noctem. Deinde bulliant lento igne, donec ad duas tertias redeant: & colentur cum F expressione. Verum antequam ab igne remoueantur, adde *aceti nigri optimi ℔ iij.* Seruentur postea in vsum iam dictum.

Emplastrum, a fomento applicandum: *℞. cerati Paganelli*, quod prostat Patauii in officina Angeli, ℥ ij. Vel si hoc non posset haberi, ob loci distantiam, sumatur *ceratum Arnoldi Villanouani, e pelle arietis.*

Decoctum, pro potu medicato matutino: *℞. foliorum myrti, rosarum immaturarum nondum apertarum, bislinguæ, consolidæ, ana M ß. plantaginis, althææ, ana ʒ iij. caryophyllorum ʒ j ß*, bulliant in aquæ pluuialis ℔ x. ad consumtionem tertiæ partis: colentur: & vsui adseruentur.

Prædicta vero dum fiunt, locus *institis* ligatus seruari debet, pluries complicatis, desuper apposito *spleni triangulo, e tela, bombace impleta, aut lana molli*; quod arcte ligandum, vt comprimat versus interiora: & talia subligacula conuenientia solent a peritis cheirurgis parari. Patauii 20. Nouemb. 1567. G

Consultantibus, Hieronymo Capiuaccio, physico; & Petro Zanono, cheirurgo; Alouisius Bellocattus Salst. descripsit.

CON-

A

CONSILIVM L.

In mensium profluuio, ventriculi dolore, siti, & anorexia.

HIERONYMI CAPIVACCI.

AFfectus, de quibus magnifica mulier conqueritur, multi sunt: præcipue vero mensium profluuium, dolor ventriculi, sitis immodica, & appetitus deiectio. Tredecim enim abhinc mensibus, mensium fluxu detinetur: qui menses quotidie fluunt, aliquando rubri tantum; aliquando rubri & pallidi; aliquando etiam, sed raro, rubri & flaui. Præterea siti non mediocri vexatur: vnde plus bibere, quam comedere B cogitur. Accedit ventriculi dolor, qui contrectata ventriculi regione sentitur. Appetitus tandem ita prostratus est, vt fere semper sine appetitu cibum capere cogatur. Affectus.

Inquirenda igitur horum malorum origo. Magnifica hæc mulier ante multos menses, retentione menstruorum laborauit, & medicos excellentissimos consuluit: qui plurimis remediis calefacientibus, clausa venarum orificia reserare studuerunt. Quod cum assecuti essent: magnifica mulier in contrarium morbum incidit, in hoc scilicet profluuium. Huius caussa alia non est, quam ἀναστόμωσις, id est, immoderata orificiorum venarum apertio, ob quam frustratur retentrix, vnde sanguis rubicundus semper fluit. Permiscetur autem cum eo materia illa pallida, quæ est materia pituitosa: quia iecur ob diuturnum sanguinis fluxum, intemperiem frigidam & humidam, contraxit: cui dyscrasiæ ventriculus etiam occasionem præbuit: qui, cum ob prauam viuendi rationem redditus sit frigidus, chylum probe concoquere ne- C quit, talemque demittit ad iecur: a quo cum regi non possit, in pituitam degenerat, quæ vna cum sanguine illo rubro egreditur. Verum aliquando etiam flaua materia cum illo sanguine exit, quæ nihil aliud est, quam bilis: & hæc quoque in iecinore generatur, licet iecur frigidum sit: nam in omni ætate, & omni hora (vt ait Hippocrates) in hepate singuli humores generantur. Sitis autem illa intensa oritur, quia materia continuo euacuatur, & ita resiccatur ventriculus, vnde sitis. Dolor ventriculi inde fit, quia vapores a materia pituitosa eleuantur, ventremque distendunt, & sic, soluendo continuum, dolorem pariunt. Caussæ.

Ad tollendum hæc mala, vterus calefaciendus & siccandus: orificia venarum corroboranda, & leuiter adstringenda: iecur calefaciendum & exsiccandum: ventriculus calefaciendus & substantifice humectandus: materiæ tandem per contraria alterandæ, diuertendæ, deriuandæ, & exstirpandæ.

Quos scopos explere, omnino est impossibile. Læditur enim vterus: quæ pars etsi non sit princi- D palis, non est tamen contemnenda, cum generationi sit destinata, & ratione eius omnes partes in consensum trahantur. Offenditur etiam ventriculus, cuius actio pro nutritione totius est ordinata. Iecur quoque, pars principalissima, intemperie duplici vexatur. Vt ratione dignitatis summa sit vehementia. Essentiæ vehementia insignis etiam est: quia morbus antiquus: nam abhinc tredecim mensibus est excitatus, summusque factus est recessus a naturali statu. Porro nec vires facile morbum tolerant: quoniam iam est in principio cachexiæ constituta. Et licet pinguis videatur, caro tamen illa est caro flaccida, & e sanguine pituitoso orta. Vnde ratione facultatis corpus regentis non est exigua vehementia. Virtutis etiam ratione insignis est vehementia: nam cum generetur sanguis prauus, & eo nutriantur partes, fieri non potest quin virtus sit debilis. Sed quoniam est iuuenis, neque virtus est adeo prostrata, verum medicamentis etiam fortibus tolerandis sufficiens: speramus, si non e toto sanari queat, in meliorem tamen E statum deduci ægram posse. Indicationes. Præsagia.

Quoad cheirurgiam igitur: quia sanguis motu peccat, licet non copia: suademus, vt reuulsionis tantum gratia *secetur vena cubiti*, sanguisque extrahatur ad vnam vel duas vncias. Immo sanguinis hæc missio partite institui potest: vt vno die secetur vena vnius cubiti, sanguisque educatur ad vnam vel alteram vnciam: tumque post quatuor aut quinque dies secetur vena alterius cubiti, & tantundem sanguinis euacuetur. Curatio.

A lenientibus abstinendum est: quia ægra fluidam habet aluum. Quod si leniens aliquod sit exhibendum, detur exigua copia: vt *mel rosatum solutiuum*, iure dissolutum: quod roborat & adstringit: deturque in iure, ratione siccitatis ventriculi. Vel dari potest bolus, ex *electario lenitiuo, & manna*: a cuius assumtione, bibatur apozema *e iure*, ratione siccitatis ventriculi. Species vero *hieræ* non dandæ sunt pro F leniente, etiamsi respiciant pituitam: calefaciunt enim & siccant: tum vero propter *aloen* clausa venarum ora aperiunt: vt potius in affectu contrario probentur. Præparentur humores his quæ non adstringunt, sed diuretica sunt: vt *iure alterato foliis mentha, agrimoniæ, ceterach*, & similibus: quæ herbæ etiamsi menses excitare valeant, nihilominus quoniam cum iure exhibentur, qua aquositate renes delectantur, & proinde illam trahunt; fit, vt materiam ad vterum fluentem, ad renes potius deuoluant. Ad purgandum postea humores; si aluus iam copiose flueret, tunc repetenda essent purgante medicamento lenientia supra proposita: si vero non flueret aluus, dari debent *agaricus & rhabarbarum*, sed in moderata quantitate.

His expeditis, pro alteratione *aquæ thermales* non assumentur, etiamsi calefaciant & siccent: quoniam sæpissime detineri solent: cumque iam principium sit cachexiæ, si detinerentur, facile fieri posset, G vt in hydropem incideret. Probatur tamen *decoctum e china, sassafras, & modico ligni*, alteratum *coriandro*, quod vim habet leuiter adstringendi: leuiter enim in hoc casu est adstringendum: nam si strenue stringeremus, periculum esset, ne materia detenta grauiora mala & symptomata pareret.

Præterea eo tempore iecur calefaciendum & siccandum, *confectione cyphoeide*, alterata *puluere coriandri*: vt succedat aliqua moderata adstrictio orificiorum venarum.

Pro dyscrasia vteri frigida & humida remouenda, proque matrice corroboranda probantur insef- A siones & fomenta, quæ parari possunt e *vino austero*, vt fiat aliqua adstrictio: incoquentur autem herbę supra propositæ. Pro insessu conuenirent quidem *aqua thermales*, calefacientes & siccantes: sed quia etiam aperiunt, per vices modo aqua, modo vino est vtendum.

Ad ventriculum roborandum, calefaciendum, & humectandum, probatur *stillicidium* supra ventriculum ex *oleis* proportionatis.

Victus ratione prædictis respondeat.

CONSILIVM LI.

In conceptione intermissa:

HIERONYMI CAPIVACCI. B

Caussæ affectus. E Literis viri excellentis intelleximus, illustrissimam Dominam de intermisso conceptu conqueri; cum toto triennio liberos non conceperit, vt prius. Huius affectus caussa indaganda; vt remedia commoda inueniantur. Verum, quoniam contraria iuxta se posita magis elucescunt: quædam de naturali conceptione afferenda; vt clariora reddantur, quæ conceptionem impedire solent. Sciendum itaque ad efficiendum conceptionem necessarium esse, vt mas & fœmina cum delectamento coniungantur: ita vt ab vtroque fiat seminis fœcundi eiaculatio, partim quidem in vterum, partim vero in vteri ceruicem: ea tamē ratione, vt quæ portio seminis in ceruicem conicitur, a facultate attractrice in vterum attrahatur, & a retentrice, ita retineatur, vt os vteri claudatur; & intus vtrumque semen exacta mistione misceatur; ac beneficio facultatis conceptricis, vis illa in semine exsistens, quodammodo sepulta latitans, excitetur, vt va- C leat fœtum & formare, & perficere. Hæc omnia eo præsertim tempore contingunt, quando in concubitu seruatur temporis opportunitas. Est autem tempus opportunum, secundum Hippocratem, libro de natura pueri, quando menses iam cesserunt: quia eo tempore expurgatus est vterus; nec periculum est, semen ablui a sanguine menstruo.

His ergo sic constitutis, non erit difficile caussas intermissæ conceptionis illustrissimæ Dominæ inuenire. Cum enim ante triennium filium iam pepererit, optima fruatur valetudine, bonoque corporis habitu, secundum omnes corporis partes, atque etiam secundum vterum, prædita sit: sterilis dici non potest: sed potius vtero aliquid contigisse putandum, cuius vi facultas conceptrix impediatur. Caussam vero esse arbitramur, pinguiorem habitum; nam huic Dominæ omentum magis pingue redditum est, quod os vteri comprimens, caussa est, vt semen ingrediatur tantum ceruicem, & nequaquam os vteri, & illico D etiam egrediatur. Quod testatur quoque Galenus comm. aphor. 62. sect. 5. & Hippocrates lib. 1. de morbis mulieribus: itemq; Vir excellentissimus qui consilium præscripsit. Totum ergo vitium referendum est ad morbum in mala compositione: in ea nimirum specie, quæ consistit in angustia, prout a compositione dependet.

Præsidia. Quare scopi nostri erunt, intermissam conceptionem ad pristinum statum reuocare. Hoc autem præstari non potest, nisi auferantur morbi, quorum ratione proprietas conceptricis impeditur; proinde morbi illi sunt depellendi. At morbus hic, in mala compositione exsistens, logicus, & nequaquam ex vsu artis: quia ad caussæ ablationem aufertur: propterea tota curatio ad caussam erit dirigenda. Caussa hæc est nimia pinguedo, tum totius corporis, tum omenti: & indicat sui imminutionem, totiusque extenuationem. Vterus autem vteri remedia vterina requirit: illa scilicet, quæ experimento inuenta fuerunt potius E vtero prodesse, quam aliis partibus. Calor etiam vteri indicat calorificum, scilicet vniens; prius tamen habita totius corporis prouidentia.

Quid spei. Licet autem vitium hoc maximi sit momenti, ratione conseruationis speciei: putamus tamen Dominam voti compotem fieri posse: quia pinguedinem imminuere, non omnino difficile est, dummodo obsequens esse voluerit iis, quæ a nobis proponentur.

Curatio. Concepta itaque spe curationis, præsidiorum materias age proponamus. Primum, quoad cheirurgiam, cum Hippocrate, libro de superfœtatione, quia adest principale indicans, probamus *venæsectionem*, non tantum bis in anno: secundum manus & pedes, sed ter, quaterque. Maxime autem commoda erit sectio venarum superiorum: ad quam confugiendum, quando non aderunt prohibentia. Statim ergo finita menstrua purgatione, secetur basilica dextri lateris, euacueturque sanguis ea copia, quæ præsenti medi- F co congrua iudicabitur: leniente medicamento prius exhibito.

Quoad pharmaciam, leniatur aluus *manna, vel syrupo rosato solutiuo*. Præparentur humores *syrupo de cichorio, de boragine*, cum decocto *endiuiæ, cichorii, radicis pastinacæ syluestris, & testiculi maioris canis*. Purgetur corpus *rhabarbaro, & foliis senæ*, infusis in decocto *florum & fructuum*, addita *manna* potione.

Corroborantia sint intrinseca, & extrinseca. Intrinsecus probatur *decoctum ligni*, cum aliqua *salsæ* portiuncula; eo tamen modo exhibitum, vt eo per 40. dies, semel tantum in die, & matutino tempore vtatur: & postea, transacta hora, sudor copiosus excitetur, non instrumentis illis ligneis, quibus alias vti solemus, sed in lecto: nam decumbentibus in lecto, absq; vllo labore sudor promouetur: & sudet minimum per horam.

Ante prandium multum sese exerceat, siue pedibus, siue curru. Cibum sumat attenuantem: vt præ- G cepit Hippocrates, libro de salubri diæta. Vtatur carnibus assis, non elixis: paneque optime cocto: vino tenui, & oligophoro, mediocri copia.

Cum Auicenna etiam probamus, vt illustrissimus Dominus non statim emittat semen: sed eo tempore, quo vxor emittet. Ipsa vero Domina post vsum Veneris corpore resupino, & eleuatis cruribus aliquan-

A quandiu maneat. Atque tandem tali vtatur electario: ℞. *radicum testiculi maioris canis, testiculi vulpis in vmbra exsiccati, testiculi capri, matricis suillæ fœcundæ in vmbra resiccatæ, coaguli leporis, limaturæ eboris, seminum crucæ satiuæ, pastinacæ syluestris, & sileris montani, in lacte muliebri maceratorum, ana ℥j. conseruæ florum cichorii ℥iij. succi e nuce myristica ʒj.* Misce, & fiat electarium. Huius dosis a drachma, ad semiunciam.

Extrinsecum roborans, est *balneum aquorum Lucensium.*

Victus ratio propositis correspondeat: quæ cum nota sit viro excellentissimo, propterea silentio a nobis inuoluitur.

B HISTORIA CAVSSAEQVE OBITVS, NOBILIS CVIVSDAM ADOLESCENTIS; ALVO FLVIDA, VARIISQVE SYMPTOMATIBVS ALIIS CONFECTI;

ab Hieronymo Capiuaccio descripta.

CVM a die XXVII. Septembris, anni LXXII. obseruauerim, quod vitæ genus nobilis adolescens N.N. piæ memoriæ, ad XXVI. Iunii, anni LXXIII. hoc est, ad extremum vsque vitæ suæ diem, duxerit: non erit mihi difficile, symptomata, quæ tam extra morbum, quam in ipsa ægritudine, C afflixerunt, enarrare. Relicta is Germania, ad diem XXVII. Septembris, Brixiæ in itinere, alui fluore correptus est; qui, durans per dies forte quindecim, valde ipsum debilitauit. Hoc fluxu cessante iterum conualuit: nisi quod faciei color omnino cineritius remansit. Porro circa Ianuarii medium aluus strictior iusto reddita est: remansitque deinceps semper ita, vt, nisi suppositorium adhiberetur, rarius sedes haberet, nimirum tertio, quincto, vel etiam interdum sexto demum die. Laxari non potuit vsu prunorum, vel passarum vuarum coctarum. Nihilominus tamen comedit multum, & hilariter, nullos sentiens dolores, aut capitis grauedinem vllam. Victus ipsi cum reliquis communis fuit. Vinum ei semper fuit gratissimum, sine aqua. Extra prandium vel cœnam nunquam bibit: nec excessum vllum admisit. Ingruente vero æstate in facie pustulæ ipsi oboriebantur rubicundæ. Et ad diem Aprilis vigesimum nonum febri tertiana duplici laborare cœpit: a qua medicorum auxilio mox liberatus, nunquam postea commode habuit; cœ- D nans nihilominus & prandens more solito. Lactis sero subinde vtebatur, vsque ad XVII. Iunii: quo denuo per integros decem dies incipit decumbere, ob febrem putridam, & hecticam: cui obuiam ire medici conati sunt; ipse vero monitis paruit, donec tandem XXVI. die Iunii, statim post solis occasum extremum vitæ diem clauderet.

Cadauer autem hoc, cum post horas decem vehementer intumesceret, nigerque sanguis e naribus erumperet: diuersa suspicatus, vt aperiretur omnino volui.

Aperto igitur corpore, primum pulmones pustulis affecti, & omnino putridi, reperti sunt. Lien nigrior & grandior. Iecur ponderosum adeo & plane exsiccatum. Stomachus, cum reliquis partibus, purus & integer, continens (quod medici adstantes viderunt) adhuc aliquantulum brodii hordeacei, quatuor horis ante mortem sumti. Adapertum corpus fœtidissimum spirauit odorem.

E Cum igitur prædictus nobilis minimum nouem mensibus (quod ego cum ceteris optime testari possum) semper maxime sobrie, immo sine minimo etiam excessu quam temperantissime vixerit: ab excellentissimis medicis caussas auidissime scire desidero: primum, vnde aluus adeo stricta permanserit: deinde, vnde iecur & lien vsque adeo affecta, & pulmones tam valde putridi redditi sint: vndeq; mors ipsa prouenerit. Nam & in morbo, & extra morbum, nullum commisit errorem: habitaque eius exquisita est ratio, a medicis, & domesticis omnibus. Victu quoque vsus semper est optimo. Num forsan aer hic Italicus morbi huius caussa exstiterit: & an credendum eum diutius in Germania viuere potuisse. Postremo, vnde cadauer post mortis horam decimam demum cœperit intumescere: & tandem cum maximo fœtore nigri sanguinis copia per nares sit reiecta. De his, inquam, liberum, syncerum, & constantissimum medicorum requiro iudicium.

F Equidem, vt ex arte differam, de affectibus, quos passus est nobilis iuuenis de illius morte, ac de iis quæ mortem sunt subsecuta: hoc vnum ceu manifestum & confessum statuo; iuuenem hunc a primordio generationis suæ, iecur calidissimum habuisse, caput humidius, pulmones satis imbeciles, matremq; non vsque adeo sanam. Hinc igitur factum est, vt hepatis caliditate humor melancholicus indies magis magisque fuerit auctus; vnde obstructiones, & caloris incrementum. Ex hoc iecinoris incendio omnia mala tandem sunt subsecuta. Galenus enim cap.3.lib.6.de Placitis, Hippoc. & cap.7.lib.1.de locis affectis, ait, affecto hepate sensim animal læsionem in alimento percipere, & colorem alienum contrahere. Quare mirum non est, si e generatione humoris melancholici, & propterea frigidi alimenti, calor ille liuidus & cineritius exortus sit: sique e multis obstructionibus iecur exarserit, & lien tumidior factus sit. Etenim, cum plurimum sanguinis melancholici generaretur, & ad lienem transmitteretur: neque virtus lienis tanta G esset, vt humorem illum distribuere, aut absumere posset: proinde lienis tumor insecutus est. Et hanc esse caussam putamus, cur iecur siccius, ac veluti aridum, in cadaueris sectione obseruatum sit; & lien tumidior apparuerit: quod secundo loco quærebatur. Hinc etiam apparet caussa, cur post alui profluuium, aluus adstricta permanserit. Nam sicuti aluus fit humidior, quando cibus in chylum conuersus, parcius distribuitur in hepar: ita siccior & magis adstricta redditur, cum omnis humor chyli e ventriculo & inte-

ſtinis ad iecur fertur. Præterea, ſicuti chylus parcius diſtribuitur, vel quia plus cibi aſſumitur, quam hepati A
opus eſt; vel, quia citius chylus traiicitur, quam hepar attrahit, idque aut ob multitudinem bilis expultricem facultatem irritantis, aut propter alui retentricem vim debiliorem: ita omnis humor ad hepar fertur, vel quia minus ſumitur, quam hepar indiget, vel quia hepar ſua caliditate citius attrahit, quam par ſit, & omnem chyli humiditatem abſumit; immo propter obſtructiones venarum hepatis, bilis ad inteſtina non tranſmittitur, ideoque facultas expultrix non propriatur: tum propter caliditatem & ſiccitatem iecoris, inteſtina quoque fiunt calidiora & ſicciora, & ob id ad retinendum robuſtiora. Quare in hoc adoleſcente nobiliſſimo, præcedente alui profluuio, ſubſecuta eſt alui adſtrictio: non quod cibus plus iuſto fuerit ſubtractus, ſed propter iecinoris caliditatem & ſiccitatem, quæ omnem fere humiditatem abſumſit. Aucta fortaſſe alui hæc conſtipatio fuit, propter obſtructiones, quibus bilis tranſitus ad inteſtina fuit impeditus, & vis inteſtinorum retentrix facta robuſtior, fecesque ſicciores. Hæc, vti arbitramur, eſt cauſ- B
ſa illius quod primo quærebatur.

Quod vero & humorum exuſtio, cum quadam prauitate coniuncta, in corpore contracta, fuerit in cauſſa putredinis pulmonum; ex hoc facile coniectari licet: quoniam fieri potuit, vt vapores & praui ſucci, in caput delati, cum in optimum nutrimentum conuerti non potuerint, ob capitis humiditatem computruerint; qui ad pulmones tranſmiſſi, puſtulas in his excitarint: aut, cum pulmones ſuapte natura imbecilliores exſtiterint, ob prauum alimentum puſtulæ illæ fuerint excitatæ: aut vtroque modo perpeſſi fuerint: quibus puſtulis excitatis, vti ſolet, febris maligna & fixa fuerit aſſociata: quemadmodum Galenus docet comment. 1. ſection. 2. in libro tertio de morb. vulgaribus. Hoc ipſum perſuadere quoque videtur raucedo, & catarrhus inſignis, qui apparuit. Vnde mirum non eſt, ob puſtulas illas veneficas & malignas, quæ virus & materiam veneficam generarunt, calorem natiuum pulmonum fuiſſe exſtinctum: in- C
deque putredinem illam pulmonum inſignem, & tandem e ſuffocatione mortem eſſe inſecutam. Quod tertio & quarto loco quærebatur.

Quod cum ita ſit, cur mirari debemus, cadauer poſt mortem intumuiſſe: cum hoc ſit opus materiæ veneficæ, in iis præſertim, qui per ſuffocationem pereunt: quoniam humores & ſpiritus a proprio principio in materiam deleteriam reuocati, liberi, & ſoluti, immo ab eadem refugientes quodammodo, ad partes optimas delabuntur, & ſic vniuerſum corpus attollunt. Hinc etiam orificia venarum aperiuntur, vnde ſanguis effluere ſolet: quemadmodum in hoc præſenti cadauere contigit: e cuius naribus ſanguis niger, & melancholicus, & ob inſignem putredinem valde fœtidus, effluxit. Et hoc eſt, quod poſtremo loco in dubium vocabatur.

Concludendum ergo eſt, materiam hanc, quæ febrem excitauit, & tandem mortem induxit, vene- D
ficam quidem fuiſſe, ſed in corpore genitam: quod aliquando in corporibus male affectis contingere poteſt. Quare non aeri Italico, non prauæ victus rationi, non ineptis & importunis medicamentis, non alicui cauſſæ externæ; ſed prauæ corporis illius conſtitutioni mala illa ſunt adſcribenda.

EPISTOLAE ALIQVOT HIERONYMI CAPIVACCI.

Epiſtola prima: ad Thomam Eraſtum. E

Vide epiſtolas duas Eraſti ad Capiuaccium: nimirũ 269. & 270. operis epiſtolici, a Scholzio editi, Anno 1598.

Contagiũ non conſtituit ſpeciẽ morbi.

Ego ſane, Vir excellentiſſime, tuas doctiſſimas maxima cum voluptate legi literas. Quibus nunquam mihi viſum fuit reſpondere: cum illæ rationes a te contra ſententiam meam adductæ parum concluderent. Nunc autem quia longa oratione, miro artificio, & omni diligentia meam confutare ſententiam laboras, de contagio, & de putredine ſpiritus, & de aliis: quæ tibi lubenti animo per literas ſignificaui. Breuiter autem meam mentem aperiam: vt, hac aperta, cognoſcas, quantum Medici, hac noſtra tempeſtate, in diuinis abditiſque artis medicæ myſteriis debeant inſudare.

Quantum igitur attinet ad morbos contagioſos, hanc pono concluſionem negatiuam: *nullus morb. formaliter eſt contagioſus*. Fundamentum huius concluſionis colligitur ex Auicenna, fen prima, libro primo, capite de ſubiecto medicinæ: & e Galeno, lib. de differentiis morborum. Qui auctores vnanimes af- F
firmant, cauſſam formalem morbi eſſe malam conſtitutionem organi animati: hancque diſtribuunt in intemperiem, in malam compoſitionẽ, & in ſolutam vnitatem. Morbus ergo omnis formaliter non erit niſi mala conſtitutio organi animati: ac proinde vel intemperies, vel mala compoſitio, vel ſoluta vnitas. Contagium autem neque eſt intemperies, neque mala compoſitio, neque ſoluta vnitas: ſed vapor quidam fortiter commiſtus, a tota ſubſtantia diſſimilis humano corpori. Quamuis autem non ſit horum aliquid formaliter: aptum tamen eſt, habetque facultatem introducendi intemperiem, malam compoſitionem, & ſolutam vnitatem. Sed quomodo ſoleat hanc introducere, nunc explicare nolo: cum nullus morbus ſit formaliter contagioſus.

Morbi contagioſi cauſſaliter.

Pono etiam hanc aliam concluſionem: *multi morbi ſunt contagioſi cauſſaliter, & concomitanter*: illi nimirum, qui fiunt a contagio, quamdiu comitatur contagium: v. g. ſi quis propter conuerſationem factam G
cum phthiſico incidat in vlcus pulmonis; dicimus, vlcus hoc contractum, eſſe vlcus contagioſum, non formaliter quidem, in quantum vlcus, (propterea quod omnia vlcera eſſent contagioſa) ſed cauſſaliter, & concomitanter, quia hoc vlcus fuit a contagio productum, quod vlcus comitatur contagium. Veritatem hanc magis exemplo naturali declaro. Dixit Ariſtoteles libro 2. phyſicorum, priuationem eſſe formam.

At, quis

A At, quis tam ineruditus, vt intelligeret hoc dictum formaliter? Nam priuatio formaliter ſumta eſt negatio, & nō forma: ſed dicitur forma cōcomitanter: quia ſemper priuationem vnius rei, comitatur forma: vt priuationem formæ hominis in ſemine humano, comitatur forma ſeminis: vnde priuatio formæ humanę in ſemine, non eſt niſi forma ſeminis concomitanter. Sic medici dicunt, multos eſſe morbos contagioſos, non formaliter, ſed cauſſaliter, & concomitanter.

Facultas, quomodo lædi dicatur.

Ex his infero, in morbis contagioſis functionem lædi dupliciter: vel læſa facultate, vel ob errorem externum. Nam, morbo exſiſtente, læditur facultas. Sed præſente contagio, a tota ſubſtantia diſſimili, impeditur actio, non læſa facultate. Tu obiiciebas, *facultatem non lædi*: quia, cum (ſecundum Galenum, libro primo de ſimpl. med. facult. & lib. de plenitud.) ſit effectus, cauſſa functionum non realiter differt ab anima: vnde, ſicut anima nec intenditur, nec remittitur; ita nec facultas. Ego huic friuolæ obiectioni ſic
B reſpondeo. Anima, cum ſit ſubſtantia vna & ſimplex, & eſſe indiuiſibilis, non habet plures facultates, ſed vnam tantum, quæ indifferens eſt ad omnes obeundum operationes. Hæc autem communis facultas, vt determinatæ operationes obiri queant, neceſſe habet, vt limitetur, contrahatur, & reſtringatur certo quodam modo. Reſtringitur autem, limitatur, & contrahitur, in partibus ſimilaribus, a proportione formarum elementorum, & a complexione ipſa: verbi gratia, ſanguificatio eſt functio determinata, quæ fit a facultate communi animæ, ſed contracta in iecore, a proportione formarum elementorum conſtituentium iecur, & ab eiuſdem complexione. Vnde facultas ſanguificatrix, eſt facultas animæ, certo modo contracta in iecore, a determinata complexione iecoris, & ſtatuta proportione formarum elementorum, quam ſolus Deus cognoſcit. Quando igitur Galenus & alii auctores aiunt, in morbis lædi facultatem: non intelligunt facultatem illam communem animæ, quæ eſt indifferens ad omnes operationes; ſed
C determinatam a conditionibus partium, quatenus læſio fit in his conditionibus, quæ lædi poſſunt. Sic læditur facultas ſanguificatrix, quando mutatur complexio iecoris: & tunc fit facultatem communem animæ non bene reſtringi & limitari ad ſanguificationem. Simili rem doceo. In materia prima eſt potentia vna, ſimplex, & communis, quæ eſt indifferens ad ſuſcipiendum omnes formas. Eſt etiam alia potentia determinata & particularis, quæ tota pendet ab agente extrinſeco, diuerſimode diſponente determinata ad formam hominis. Illa prior potentia ſequitur eſſentiam materiæ: eſtque inuariabilis, & incorruptibilis: altera vero accidentalis, cum oriatur ab extrinſeco agente, & corrumpatur. In morbo igitur, quando affirmaui facultatem lædi: intellexi non communem animæ facultatem, ſed determinatam, ratione comparationis corporis ſubiecti.

Læſio actionis ob errorem externum.

Inſtabis: quod dixerim *quandoq; lædi actionem, non læſa facultate*. Apud doctos medicos adeo eſt hoc
D apertum, vt probatione non egeat. Vnde rogo te, vt magna diligentia, nō ſuperficie tenus, & in cortice legas c. 1. l. 3. de ſympt. cauſſ. quia hoc capite intellecto, omnis prorſus ceſſabit admiratio. Verum quia te magnopere diligo, rationem vnam afferam, atq; ni fallor, demonſtratiuam, probantem, lædi actionem, non læſa facultate. Sæpenumero accidit, lædi partis cuiuſpiam functionem, nullo exſiſtente morbo in parte. Tunc quæro, an lædatur actio læſa facultate, necne? Primum ſi dicatur, Galenus contra ſtatuit loco iam adducto: vbi euidentiſſime dicit, tunc lædi actionem læſa facultate, quando morbus eſt in parte. Si dicatur ſecundum: obtinetur propoſitum, lædi nonnunquam actionem non læſa facultate: tuncq; dicitur actio lædi ab externo quopiam, cum non lædatur pars, nec ſit morbus in parte: veluti, quando nulla exſiſtente in cerebro intemperie, vel mala cōpoſitione, vel ſoluta vnitate, delirium oritur, propter præſentiam melancholiæ obtenebrantis ſpiritum: vel, quando nullo morbo obſidente ventriculum, læſa eſt coctio, ob
E nimiam copiam alimenti.

Putredo eſt corruptio miſtorum.

Quantum attinet ad *putredinem*, multa ſcribis, quæ aliena mihi a propoſito ita videntur: vt non mihi, ſed alteri te illa ſcripſiſſe fuerim arbitratus. Aſſero ego, & docti viri in hoc meam ſequuntur ſententiam, putredinem eſſe corruptionem miſtorum, in quantum miſta ſunt, oppoſitam generationi miſtorum, vt miſta ſunt. Vnde, ſicuti in generatione calor, dominans paſſiuis, congregat & vnit ſimul humidum & ſiccum: ita ex oppoſito, in putredine calor non debet dominari, id eſt, calor debet diminui. Diminuitur autem calor miſti in putredine, ratione quantitatis, & gradus. Ratione quantitatis, a calore ambientis aeris vel aquæ, extrahentis calorem miſti a centro ad circumferentiam. Ratione gradus, a frigiditate interna miſti. Nam dum incipit calor miſti quantitate igniri, frigiditas interna miſti augetur & intenditur, quæ poſtea, ratione contrarietatis, agens per ſe in calorem, qui quantitate diminuitur a calore
F ambientis, ipſum quoad gradum remittit. Hinc Ariſtoteles concludebat, putredinem eſſe communem paſſionem frigiditatis internæ, & caliditatis externæ. Calor autem ambiens dum agit in miſtum, hoc calefacit, attenuat, & rarefacit: quo attenuato & rarefacto extrahit poſtea calorem miſti a centro ad circumferentiam. Ex hoc ſequitur *ſpiritum non putreſcere*: quia e Galeno, capite quincto, libro duodecimo, methodi medendi, dum immodice attenuatur & rarefit, corrumpitur & euaneſcit. Bene dixi, aliam putredinem dari, minus proprie dictam: quam Ariſtoteles proprie ſeu peculiariter dixit competere iis, quæ ſecundum partem corrumpuntur, vt ſunt elementa, igne excepto. Nec aliud eſt hæc putredo, quam receſſus a naturali conſtitutione, ſiue diſſolutio miſtionis in elementis, igne excepto. Eſt hæc putredo, quando recedunt a naturali conſtitutione, ob admiſtionem alienæ ſubſtantiæ. Si capiatur putredo hoc modo; poteſt concedi ſpiritum putreſcere, quando diſcedit a naturali ſuo ſtatu, vel ratione alterationis,
G vel ratione admiſtionis malorum vaporum. Sed hæc putredo non eſt illa, ratione cuius fit contagium, quia in hac fit ſolutio miſtionis.

Spiritus nō putreſcit.

Cōtagium nō ſemper inducere morbum calidum.

Obiiciebas tandem, Vir excellentiſſime, quod *contagium ſemper lædat operationes, labefactata facultate propter intemperiem calidam, introductam a contagio*: hoc argumento: Res putrida, quatenus putrida, dum agit in aliquam rem, alterat & vitiat temperamentum rei illius: quia putredo per ſe eſt intem-

peries vitiosa; & cum per se putredo sit intemperies calida; ergo res putrida, quatenus putrida; semper ca- A
lefacit: Atqui contagiũ est res putrida; nec agit, nisi vt est res putrida: Ergo partes semper calefaciet. In hoc argumento multa sunt ponderanda. Primo illud, quod putredo sit intemperies calida. Id est contra Aristotelem: qui definiens putredinem, dicit, hanc esse corruptionem & diminutionem caloris. Si est diminutio caloris: quomodo dicitur a te intensio caloris? Præterea, quomodo dicitur contagium res putrida? Aduertas, non dici rem putridam, quia in se habeat actu putredinem: eo quod actu exsistente putredine, dissoluta est mistio illius rei, vel incipit dissolui: sed dicitur res putrida, quia oritur via putredinis, & quia habet vim putrefaciendi. Est enim contagium vapor fortiter commistus. Cum contagium sit vapor: habet vim calefaciendi: quia, ex Aristotele in meteoris, vapor est habitus, seu exhalatio calida & humida; & ipsius est calefacere. Quod concedo: at nego, quod agens in corpus semper de facto introducat morbum calidum. Idque sic probo. Sit aliquod corpus debile & languens, occur- B
ratque inspiratione attractus vapor pestilens, maxime venenosus. Dico, quod vapor hic venenosus citius interficiet hominem illum, ratione venenositatis, quam introductus sit morbus calidus in solido corpore cordis. Ecce, quod in contagio non est necessarium vt lædatur facultas ob intemperiem calidam.

Contagio læditur actio dupliciter.

Sed concesso, quod contagium introducat semper morbum calidum: dico etiam, *quod semper lædatur actio dupliciter*: vno modo labefactata facultate ob intemperiem calidam introductam: alio modo, ob externum erratum, ob præsentiam contagii, quod ratione venenositatis & a tota forma impedit, quo minus pars recte operetur. Sicuti adamas iuxta positum magnetem ratione formalis antipatei impedit, quo minus ferrum ad se alliciat.

Morbi a tota forma non datur.

Quæris de *morbis a tota forma*, numquid dentur? &, si dentur, numquid methodo possint curari? C
Ego constanter affirmo, *hos non dari*. Quod probo sic: Si datur morbus a tota forma, vel in hoc corrumpitur forma, vel intenditur, vel remittitur. Si dicatur corrumpi: vel corrumpitur secundum partem, vel secundum totum. Primum est absurdum: quia ex se forma est indiuisibilis, & tota simul momento temporis corrumpitur. Si secundum dicatur: ergo omnes morbi a tota forma essent incurabiles: quia alias daretur regressus a priuatione substantiali ad habitum, contra Philosophos: at, qui hos morbos ponunt, negant illos omnes esse incurabiles. Nec possumus dicere formam intendi vel remitti: quia, cum consistat in indiuisibili, nec intenditur, nec remittitur, seu diminuitur. Ecce, e rei natura ostendi, hos non dari. Assumo tamen, dari caussam præter naturam, agentem a tota forma, propter dissimilitudinem formalem: sicut pleraque venena mortifera, quæ, cum nobis tota forma sint dissimilia, dum ingrediuntur corpus, agunt in cor, & impediunt, quo minus cor generet spiritum vitalem: & quatenus impediunt ob D
formam dissimilem, dicuntur agere a tota forma. Remotio talis caussæ, agentis a tota forma, fit, inuentis auxiliis, & recta ratione administratis. Non inueniuntur hæc auxilia methodo, & indicationibus: quia latet forma illa, ratione cuius oritur illa dissimilitudo. Nam Galenus, libro de optima secta ad Thrasybul. & lib. 2. de methodo medendi, ait, indicationem desumi e rei indicantis natura & essentia, intellectui perspecta. Quare pro inueniendis auxiliis, cogimur confugere, vel ad experientiam, vel ad analogismum. Postquam inuenta sunt auxilia, vel hac, vel illa via: concedo, quod recta ratione, & e methodo possint administrari. Sic in contagio Gallico inuenitur illud antipharmacum, quod appellatur lignum Indicum experientia. Guaiaco autem per experientiam inuento: postea methodo instituitur recta administratio, quæ consistit in quantum, quando, quomodo, vbi, &c.

Hæc sunt, quæ mihi visa fuere digna responsione: & quæ, vt tibi morem gererem, volui in medium E
afferre. Interim rogo te, ne prius respondeas, quam sedulo a te lectum sit caput illud Galeni, & rei natura considerata. Vale. Patauii. Anno 1576.

EPISTOLA II.

Ad Petrum Monauium, Medicum.

Vide Monaui ad Capiuaccium epistolas: quarũ duæ exstant in opere Scholziano, nimirũ 211. & 212.

EXcellentissime vir, literas tuas libẽter legi, tum quia ex his amorem erga me tuum facile perspexi: tum quia nonnullas dubitationes proposuisti, doctas sane, quæ te studiosissimum esse ostendunt. Sed, cum solutiones harum cupias a me audire: opinionem meam breuissima oratione tibi scribere non grauabor: cuius breuitatis caussa sunt publicæ lectiones, & ægrotantium hominum frequentes visitationes, quibus F
toto fere die impedior.

Dubitas primo de caussa contentiua, a me proposita, quid sit, & quid hac seclusa morbus sit? Miraris valde, quod dixerim, intemperiem, malam compositionem, & solutam vnitatem, esse caussas morbi contentiuas: cum omnis morbus sit vel intemperies, vel mala compositio, vel soluta vnitas. Dicis postremo, caussam contentiuam realiter non differre ab antecedente: & eandem esse cum coniuncta.

Caussa cõtentiua læsionis facultatis, est formalis, seu de essentia morbi.

Morbus, Vir præstantissime, est facultas læsa: vel, vt alia voce vtar, impotentia quædam hominis ad operandum. Hæc impotentia ad operandum cum sit quidam effectus: habet caussam, a qua dependet in esse, & in conseruari. Hæc caussa aliud non est, quam constitutio vitiosa organi animati: quod sane organum est pars similaris, vel dissimilaris. Hæc autem vitiosa constitutio, est vel intemperies, propria organi similaris: vel mala compositio, propria organi dissimilaris: vel soluta vnitas, vtrique communis. G
Vnde sequitur, quod hoc ordine homo egrediatur extra latitudinem sanitatis. Caussa primo occurrit præter naturam, quæ operatur in organum animatum: hæc vitiat constitutionem: hac vitiata, illico sequitur læsio facultatis, & impotentia ad operandum. Quare *vitiosa constitutio, siue sit intemperies, siue mala compositio, siue soluta vnitas, erit caussa contentiua læsionis facultatis.* Morbus ergo potest

sumi

A ſumi bifariam: vel cum cauſſa contentiua, vel ſine ea. Morbus ſine cauſſa contentiua, aliud nihil eſt, quam impotentia ad operandum. Et hoc modo ſumtus, poteſt vocari morbus logicus: nam ope ſolius intellectus abſtrahitur læſio facultatis a vitioſa conſtitutione: cum realiter non poſſit eſſe ſine vitioſa conſtitutione organi animati. Quando Galenus ait, omnem morbum eſſe vel intemperiem, vel malam compoſitionem, vel ſolutam vnitatem: ſumit malum vna cum cauſſa contentiua, quæ eſt vitioſa conſtitutio: & vt ſumitur a morbo iuuantis indicatio. Hinc patet, cur Galenus dixerit, libro de optima ſecta, non ſumi indicationem a morbo: & rurſus, in libris methodi, ſumi indicationem a morbo. Idem hoc Galeni & Auicennæ teſtimonio amplius oſtenditur. Galenus enim libro 2. de natura humana ait, plenitudinem non eſſe cauſſam contentiuam morbi: & ita argumentatur; morbus immediate lædit operationes: plenitudo non lædit operationes immediate: ergo plenitudo non eſt cauſſa contentiua Ecce, quod confundit cauſ-
B ſam contentiuam cum morbo. Auicennas etiam fen 2. libr. 1. tractat. 1. ait, tria eſſe genera ægritudinum: vnum dicit ſequi intemperiem: aliud, malam compoſitionem: & tertium, ſolutam vnitatem. Dicit etiam fen. 1. libri 1. cauſſas formales morbi eſſe intemperiem, malam compoſitionem, & ſolutam vnitatem. Hinc colligo, cauſſam contentiuam eſſe cauſſam formalem, eſſe de eſſentia morbi; & ideo ab hac ſumi indicationes curandi.

Quod contentiua cauſſa non differat realiter ab antecedente, & quod ſit coniuncta, falſum eſt: quia cauſſa antecedens & coniuncta ſunt efficientes: & ab his non ſumuntur niſi indicationes præſeruatoriæ, quæ interdum (communi modo loquendi) dicuntur curatiuæ, quando ſcilicet corpus actu ægrotat. Cauſſa autem contentiua eſt formalis: & ab hac ſemper ſumitur indicatio curatiua Et quia de nominibus parua eſt habenda ſollicitudo: ſynonymas puto has voces, contentiuam & continentem. Nec vnquam le-
C gi, partes continentes ob id vocari cauſſas continentes morbi: ſed materiales potius, & ſubiectiuas. Et hæc ſatis dicta ſint de cauſſa contentiua. &c.

Dubitas ſecundo, *cur a me fuerint omiſſæ in curatione doloris capitis indicationes curatiuæ, alias propoſitæ:* cum enim dolor ſymptoma ſit, & ſymptoma morbum neceſſario ſequatur, atque a morbo ſumantur indicationes curatiuæ: concludis, in curatione doloris capitis eſſe hauriendas indicationes curatiuas. Reſpondeo: dolorem poſſe ſumi bifariam: vno modo formaliter, vt dolor eſt; alio modo cauſſaliter. Indicationes quæ ſumuntur a dolore, vt dolor eſt, duæ ſunt: ſenſus tactus obtuſio: & eiuſdem remotio; & ambæ ſunt præſeruatoriæ: quia non concurrit dolor ad indicandum, niſi vt habet rationem cauſſæ vrgentis. Vnde ſequitur ex hoc, quod in curatione doloris, vt dolor eſt, non habeant locum niſi indicationes præſeruatoriæ. Si conſideretur dolor cauſſaliter: cauſſa doloris vel eſt morbus; vel eſt cauſſa ſolum, & non mor- *A dolore tantũ prophylacticæ ſumuntur indicationes.*
D bus. A morbo ſumitur indicatio curatiua: a cauſſa præſeruatoria. Sed iſtæ indicationes, quæ præſente dolore ſumuntur vel a morbo, vel cauſſa; non ſunt indicationes a dolore, vt dolor eſt, quatenus ſcilicet eſt ſenſus obiecti contriſtantis. Quare nullam adhuc video eſſe in meis dictis diſcordiam. Moneo te tamen, ne credas hanc propoſitionem, quæ dicit, ſymptoma neceſſario morbum ſequi, eſſe vniuerſalem affirmatiuam, vt plærique arbitrantur. Nam eſt propoſitio affirmatiua indefinita, quæ particulari æquipollet. Falſum enim eſt & ridiculum, quod omne ſymptoma neceſſario morbum conſequatur: quamuis aliquod ſymptoma morbum neceſſario ſequatur: & hoc ſymptoma eſt actio læſa facultate: omnes quippe læſæ actiones, læſione facultatis, morbum conſequuntur, vt vmbra corpus. Et ego exiſtimo, dolorem eſſe actionem læſam, non læſa facultate tactoria, ſed ob errorem externum. Et, quamuis morbus aliquando ſit cauſſa doloris; non id tamen ille morbus eſt morbus reſpectu doloris, ſed reſpectu aliarum opera-
E tionum.

Quæris, cur dixerim, *putrefactionem materiæ eſſe vitium ratione formæ: & venenationem eſſe vitium merito organi formæ principalis.* Vir præſtantiſſime: miſta ſimilaria habent in ſe formam, proprietatem, & complexionem: forma eſt agens principale: proprietas & complexio ſunt inſtrumenta: proprietas, reſpectu complexionis magis principaliter concurrit. Et hoc colligi poteſt e capite primo, lib. tertio de ſympt. cauſſis. Putredo, auctore Ariſtotele, eſt corruptio: corruptio autem eſt mutatio ab eſſe ſimpliciter, ad non eſſe ſimpliciter. Eſſe ſimpliciter habet materia a forma. Non eſſe ſimpliciter, contingit ex abſentia & interitu formæ: quæ forma corrumpitur a putredine, per diſſolutionem miſtionis. Venenatio conſiſtit in occulta quadam proprietate aduerſante cordi. Recte igitur putrefactio erit vitium merito formæ: & venenatio, merito organi formæ principalis. *Putrefactio eſt vitium formæ, venenatio, proprietatis occultæ.*

F Quantum attinet ad indicationem illam, *an ſit agendum*, a quo ſcilicet deſumatur: hæc alia non eſt indicatio, quam agendorum indicatio, inuentionis iuuantium, & quid agendum. Nam, quærere an ſanguis vacuandus ſit, nec ne: eſt quærere, quid agendum. Et hæc indicatio ſumitur ab eſſentia indicantis. *An agendum, a quo indicetur.*

Quantum attinet ad *viam cognoſcendi prohibentia:* ego ſane puto, nos arte aliqua venire poſſe in cognitionem prohibentium. Hæc autem eſt methodus reſolutiua, & demonſtratio ſigni; quæ non ſpectant ad artem curandi, ſed ad partem medicinæ ſemeioticam. Sit enim vena ſecanda; virtus vitalis prohibeat: pulſu cognoſcitur virtutis vitalis infirmitas, *Prohibentium cognitio.*

Hæc ſunt quæ pro temporis anguſtia potui breuiter ſcribere; vt tibi, Viro doctiſſimo & mei amantiſſimo, ſatisfacerem. Interim fac, vt me diligas: & ſi quid aliud animum tuum perplexum reddit, protinus me certiorem facias: cum nihil mihi gratius poſſit in hac vita contingere, quam ſtudioſiſ-
G ſimis viris & mei amantiſſimis morem gerere. Vale. Datum

PatauI: prid. non. Nouembr. Anno

1579.

EPISTOLA III. A

Ad eundem Petrum Monauium.

VIr magnifice & cariſſime: tardius ad te reſcripſi, quam ſtatueram occupationibus impeditus. Nunc vero vt tuæ morem geram voluntati, illud inprimis ſcias velim, nihil mihi moleſtius futurum, quam vt methodus curatiua, nobis inſcientibus, imprimatur: præſertim, cum nondum extrema manus impoſita fuerit. Et, ſi quis adeo eſſet audax, vt imprimendam curaret: nequaquam permitteremus, vt publice venderetur. Curabimus tamen, ſi Deus dabit, vt breui publice vel legendo, vel ſcribendo, in communem vtilitatem prodeat. Atque cum ea fortaſſe doctrina de Venenis erit coniuncta: in quibus vtriſq; multa deſiderari poſſunt.

Cauſſa cõtentiua.

Sed accedamus ad dubitationes: quibus vt ordine reſpondeamus, illud inprimis ſtatuendum eſt verisſimum, *in omnibus morbis cauſſam contentiuam eſſe & habere locum*: ſi tamen morbus capiatur pro vitio B proprietatis: tum enim morbus eſt in fieri. Quod ſi capiatur pro conſtitutione præter naturam: proculdubio ab eo ſeiungitur cauſſa contentiua, cum ſit in facto eſſe. Et quamuis eiuſmodi morbus reuera ſit cauſſa efficiens: habet tamen apud medicos rationem formæ. Cum vero dicimus morbum fieri læſa facultate: non eſt credendum nos excludere morbos in mala compoſitione, & ſoluta vnitate: quandoquidem & ipſi fiunt læſa facultate, non labefactata, ſed impedita. Nec duo tantum morborum genera conſtituere debemus, ſi partes ſimilares a diſſimilaribus per ſimplicitatem & compoſitionem diſtinguantur.

Indicatio a dolore eſt præſeruatiua.

A dolore vero, *vt dolor eſt, non curatiuam, ſed præſeruatiuam indicationem deſumi poſſe* exiſtimamus: vt anodyna quandoque ſint frigida, quandoque humida, quandoque calida in primo. Neque ſymptoma perpetuo conſequitur morbum: cum actio lædi poſſit, non læſa, ſed fruſtrata facultate, ob errorem exter- C num. Et, ſi Galenus quandoque dicat, partes noſtri corporis ab humiditate alterari & corrumpi: non tamen debemus ſtatim inferre; ergo ab humiditate fit dolor. Et, ſi dicas, ſententiam eſſe Hippocratis, dolorem fieri ex alteratione & corruptione: nos fateri debemus, dolores non fieri ſine permutatione. Sed propoſitio Hippocratis intelligatur ſecundum ſubiectam materiam: hoc eſt, ſi fiat cum violẽtia. Quod de humiditate nequaquam eſt dicendum. Quare, ſi Galen. videtur quandoq; dolores referre in humiditatem: non eſt, vt exiſtimemus, in ſolam humiditatem eſſe referendos: ſed quæ coniuncta ſit vel cum altera ex actiuis qualitatibus, vel cum materia. At fames fit e priuatione ſicci: ergo e redundantia humidi: non valet conſequentia.

Proprietas differt a tẽperie.

Quod autem non agnoſcis *diſcrimen inter proprietatem & temperiem*, mirum non eſt: quoniam & multi alii non agnoſcunt. Nihilominus, ſi ſtatueris temperaturam in ſimilaribus facere proprietatem; D compoſitionem in diſſimilaribus, vt voluit Galenus: non amplius admiraberis, cum ſine huiuſmodi proprietatibus actio nulla poſſit fieri.

Semiputredo.

Nec miramur, ſi non intelligis, *quomodo miſti forma ſemiputreſcat*: quoniam id veritati repugnet. At nos, cum dicimus materiam ſemiputreſcere; imitamur illos, qui appellant homines ſemiuiuos: & ſemimortuos: quorum tamen forma incorrupta manet.

Tria permittentia, prohibentia, & indicantia.

De *permittentium vero & prohibentium natura* quod ſcribis, & in ſententia noſtra acquieſcere non poſſe: non eſt mirandum; ſi plura permittentia, plura prohibentia, quam tria, quęris. Quod ſi ſtatueris tria tantum eſſe permittentia & prohibentia: quemadmodum etiam tria indicantia tantum: cetera tria hæc circumſcribere, & definire, & ſpecifica, immo ſingularia reddere, proculdubio nõ amplius dubitabis. Nec opus erit methodo ad inueniendum id, quod permittit vel prohibet: cum ſemper hæc tria ſint ſpectanda: E & ab his declinare nequaquam valeamus.

Catarrhus epidemicus: anno 1580.

Poſtremo, quod quæris, *quæ natura fuerit illius morbi epidemici*, qui ſuperioribus diebus per vniuerſam fere Europam graſſatus eſt: ſi licet dicere quod ſentimus, arbitramur, merito cauſſæ externæ, originem duxiſſe ab aeris conſtitutione: ratione autem internæ cauſſæ, a materia catarrhali, quæ, dum putreſcebat, nunc febrem ephemeram, nunc putridam excitabat: quemadmodum in febribus, quæ e bubonibus fiunt. Nec putamus, morbum fuiſſe contagioſum: præſertim apud nos: quoniam nec fuit pernitioſus: imo breui, aut nullo etiam auxilio reſtituebantur ægrotantes.

Hæc ſunt, quæ horis ſuccisiuis reſcribenda duximus. Interim vale: & nos, quod facis, ama.

F I N I S.

HIERO-

HIERONYMI CAPIVACCI OPERVM

Sectio Quincta,

Quæ est

EXTRANEA, nimirum LOGICA:

Et complectitur opusculum de Methodis, seu differentiis doctrinarum.

A

HIERONYMI CAPIVACCI,

B

De differentiis Doctrinarum, siue de Methodis, LIBER.

CAPVT I.

C

Operis procemium: quo de vsu, difficultate, titulo, & methodo huius tractatus differitur.

Necessitas & difficultas doctrinæ de methodis.

DE doctrinarum acturus differentiis, temerarii & impudentis hominis munus quibusdam forsitan subire videbor, & suscipere prouinciam ad Logicos potius, quam ad Medicos spectantem: atque in ea explicanda ab omnibus recentioribus ita dissentire, vt nullum concordia locum habere possit. Ceterum, qui animi nostri conditionem, omni deposita turbulentia, iudicare voluerint, nos nequaquam temeritatis accusabunt; sed contra potius nos vniuersos vtilitati vestræ destinatos esse tuebuntur. Siquidem prouinciam suscipimus logicam quidem, at non ita logicam, vt etiam philosophica, & medica non sit: vt ob id summus ille inter recentiores Philosophus atque Medicus Leonicenus, quæstionem illam prolixam de tribus doctrinis ediderit. D Præterea, quamuis Logicam aggrediamur contemplationem: ea tamen a Logicis nostri (vt opinor) seculi non est tradita: cum tamen præsens negotium tantæ sit vtilitatis, imo necessitatis, vt ne verbum quidem, vel Hippocratis, vel Platonis, vel Aristotelis, vel Galeni, vel alterius cuiusque eruditi viri, absq; doctrinarum cognitione assequi, possibile sit. Etenim cum auctorem intelligere aliquem nemo possit, nisi artificium eius apertum habeat: atque artificium callere non valeat, qui doctrinarum fuerit inscius: sequitur necessario tantam in doctrinis esse necessitatem, vt maior vel calamo scribi, vel verbis exprimi, vel animo concipi haud possit.

Verum, cum in tanto negotio necessitas difficultatem minime excedat: iccirco in tam ardua materia illud dicere possum, quod (Platone auctore in Gorgia, vel de Rhetorica) Socrates, cum Gorgia disputans, asserebat: nempe me in hac materia, non loqui tanquam scientem, sed vera vobiscum communiter indagantem. E Quapropter siquis vestrum aliquid recte dicere videbitur, qui me reprehenderit, ego libentissime assentiar; & pro maximo beneficio id adscribam. Sed iam, Deo Opt. Max. duce, rem ipsam aggrediamur.

Cum autem difficile negotium, eo minus difficile euadat, quanto maiori cum distinctione, & artificio disponitur: propterea nos præ ceteris studebimus, vt confusionem euitemus, & distincto procedendi modo incumbamus. Quare tria faciemus: primum reddemus caussam huius nostræ inscriptionis: secundo proponemus methodum, qua in hoc opere progredi instituimus: tertio opus ipsum aggrediemur.

Titulus huius tractatus.

Quantũ ad inscriptionem (ex cuius notitia scopus etiam noster innotescet) sciendum, nos inscripsisse hoc opusculum *de differentiis doctrinarum*: non alia ratione ductos, quam ea, ad quam respexit Galenus in libro *de morborum differentiis* inscripto. F Cum namque indagare Galenus sibi proposuisset omnẽ morborum numerum, hoc est, omnes morborum species; quæ digniori via inueniri nequeunt, quam diuisiua: hæc autem sit, qua species inueniuntur per diuisionem generis, per differentias essentiales, proindeque constituentes ipsas species: iccirco librum illum inscribere voluit, *de morborum differentiis*, hoc est, constituentibus morborum species. Vnde quamuis in eo libro proponantur morborum tum differentiæ, tum species: maluit tamen librum illum inscribere de differentiis, veluti de constituentibus; quam de speciebus, veluti de constitutis. Quare inscriptio sit de differentiis constituentibus species morborum.

Neque est vt aliquis dicat libellum illum, si propria voce vti volumus, esse inscribendum *de speciebus*: propterea quod Galenus agit de mala temperatura, mala cõpositione, & soluta vnitate, atque de speciebus sub his generibus contentis: vt ob id potius de generibus, & speciebus sermo sit, quam de differentiis. G Nos enim dicimus, quod, qui ita Galenum hac voce abutentem redarguunt, ne corticem quidem logicæ facultatis degustarunt. Namque Galenus proponit quidem tum genera, tum species morborum, sed quatenus constituuntur a differentiis, a morbi definitione depromtis, nimirum a subiecto, cui de more acciden-

A accidentium inhæret morbus, nempe a parte tum similari, tum organica, quatenus a similari prodit intemperies, ab organica culpata compositio, ab vtraque soluta vnitas. Quare tametsi Galenus sæpenumero confundat differentias cum speciebus, & e contra: cum tamen talis confusio in librorum inscriptionibus, seu titulis minime admittenda sit: ob id, propria voce vtens, libellum illum de morborum differentiis inscripsit, vt a nobiliori, proindeque a constitutione potius, quam a constituto, inscriptio fieret.

Similiter ergo & nos, vt Galenum imitaremur, hoc nostrum opusculum de differentiis doctrinarum inscribere voluimus: propterea quod propositum nostrum est, indagare numerum omnium doctrinarum, atque cum Galeno methodo diuisiua, proindeque in virtute differentiarum constituentium, doctrinarum tum omnia genera, tum omnes species specialissimas: vt his postea habitis nihil vel legere vel audire possitis, quod ad aliquam doctrinarum speciem, atque ad suum genus referre non valeatis. B

Hæc ergo sit inscriptio, *de differentiis doctrinarum*, hoc est, de differentiis constituentibus omnia genera subalterna vsque ad species specialissimas doctrinarum.

Eadem vero progrediemur via, seu methodo, qua & ipse Galenus in suo aureo libello de morborũ differentiis progressus est. Itaque sciendum, quemadmodum Galenus, sibi ipsi cõsentiens primo methodi quinctio, cognoscens esse impossibile, vt sciamus differentias & species alicuius generis, nisi prius sciamus quid sit illud genus: propterea, vti methodo incederet, prius morbi, veluti generis diuidendi, definitionẽ adduxit, mox per differentias, ex definitione desumtas, morborum genera, & species venatus est: nos itaq; eodem modo volentes omnium doctrinarum numerum indagare, prius genus diuidendum definiemus, nempe ipsam doctrinam: secundo, doctrinam, genus, per suas differentias diuidemus: tertio, sigillatim agemus de quolibet genere subalterno, quod pariter, vt subdiuidamus, definiemus, vt prius definientes, deinde diuidentes: tandem ad specialissimas doctrinarum species descendemus. C

Methodus in hoc libello obseruanda.

Quare ex hac methodo tria principalia capita a nobis absoluenda proponuntur: primum est definitio generis, hoc est, doctrinæ: secundum, diuisio generis in genera subalterna: tertium de quolibet genere subalterno specialis dissertatio.

CAPVT II.

De Definitione doctrinæ.

NOmen doctrinæ desumtum est a docendo, seu a doctore: sicuti disciplina dicitur a discendo, seu a discipulo. Volentes igitur doctrinæ definitionem assignare: circa hanc doctrinæ vocem illud perpendere oportet, quod in quacunque re definienda ponderandum est, nimirum vt præsciamus, an doctrina sit nomen quoddam vniuocum, seu analogum, vel contra potius æquiuocum. Quoniam si nomen fuerit vniuocum, seu analogum, doctrinam prius definiemus, mox diuidemus: si autem extiterit quid æquiuocum, prius doctrinam distinguemus, deinde definiemus. Quod si ad Aristotelem, & Galenum respicere volumus: dicendum potius videbitur esse genus vniuocum seu analogum, quam æquiuocum. Namque (quantum ad Aristotelem attinet) si doctrina esset quid æquiuocum, lib. primum posterior. non incœpisset a quodam æquiuoco: inquiens, *omnis doctrina, & disciplina fit ex præexsistenti cognitione.* Quantum vero ad Galenum, neque ipse a voce æquiuoca auspicatus esset artem medicinalem, dicens, *tres sunt omnes doctrinæ, &c.* Quare cum non sit rationi consonum, tantos auctores a quodam æquiuoco suorum librorũ initium constituisse, sed potius ab vniuoco, vel saltem analogo: merito doctrinæ nomen potius vniuocũ, seu analogum, quam æquiuocum constituendum esse arbitramur. D E

Nomẽ doctrinæ vniuocum.

Sed forte dicet aliquis: equidem præter auctoritates, vellem scire, qua ratione constitui debet nomẽ vniuocum, seu analogum, vt nullo pacto possit censeri æquiuocum? Atq; ea de caussa potissimum, vt nõ modo cognoscam quid de doctrina statuendum sit sed etiam de qualibet alia voce generica, plura sub se continente. Qui huius quæsiti, nec leuis momenti, exactam consequi resolutionem cupit, confugere debet ad Aristotelem, libro secundo poster. vbi, nec difficulter, explanat, qua arte æquiuocum ab vniuoco secernatur: atque a magnanimitate exemplum desumit. Si volumus dignoscere an magnanimitas sit quid æquiuocum, vel vniuocum, opus est considerare indiuidua, quæ magnanima ab omnibus iudicantur: atq; si propter eandem rationem dicetur magnanima, magnanimitas erit vniuocum quoddam: si autem propter diuersam, æquiuocum. Vt si accipiamus Vlyssem, Aiacem, Socratem, & Diogenem, dubio procul hi ab omnibus magnanimi censebantur, verum non propter eandem, sed diuersam rationem. Namq; Vlysses, & Aiax magnanimi reputabantur propterea, quod iniuriam pati non poterant. Socrates autẽ & Diogenes propterea, quod fortunæ bona despiciebant. Cum autem aliud sit, non posse iniuriam perferre, & aliud fortunæ bona despicere: idcirco magnanimitas quid vniuocum, seu analogum esse non potest, sed quid æquiuocum: proindeque non vnica, sed duplex virtus. F

Vniuoca & æquiuoca, in genere, quæ sint.

Quapropter a simili si volumus cognoscere an doctrina sit quoddam vel æquiuocum vel vniuocũ, perpendamus indiuidua, vel etiam species, quæ hoc doctrinæ nomine donantur, inquiramusque an tali donentur nomine propter eandem, vel potius diuersam rationem. Vnde, cum hoc nomine doctrinæ insigniantur tum scientiæ, tum prudentia, tum artes, tum ordines, tum methodi, tum locutio, tum scriptura, tum doctrina diexodica, tum compendiosa, tum aphoristica, tum denique facilis, & difficilis doctrina: merito inquirendum, an his doctrinæ nomen æquiuoce competat, nec ne? Et, dubio procul, per regulam datam, doctrinæ nomen de his potius vniuoce, quam æquiuoce prædicabitur. Declaro, insistens in fundamento Aristotelico, sumto exemplo a magnanimitate. Si primum consideremus, propter quam caussam vnumquodque doctrinæ nomine legitime insignitur: absque dubio constabit, non aliam ob caussam, G

Doctrina est quiddã vniuocum.

quam propterea,quod id docetur a doctore.Cum enim doctrina dicta ſit a docente, ob id illud doctrinæ nomen merito ſibi vendicabit,quod docebitur a docente.Iam ſi per propoſita diſcurramus, facile apparebit,omnia propter eandem rationem doctrinæ nomen ſibi arrogare. A

Et primum ſi diſcurramus per Scientias. Metaphyſica,quatenus eſt habitus in mente philoſophi diuini,dicitur ſcientia diuina:at quatenus docetur a doctore, dicitur doctrina diuina. Pariter Philoſophia naturalis,quatenus eſt habitus in mente philoſophi naturalis,dicitur ſcientia naturalis: quatenus autem a doctore docetur,dicitur doctrina naturalis.Idem de Mathematica animo concipiendum.

Quantum vero ad Prudentiam,ſi conſideremus philoſophiam moralem,quatenus eſt habitus actiuus in mente philoſophi moralis,dicitur prudentia:quatenus autem docetur a doctore, dicitur doctrina moralis.

Si poſtea per Artes diſcurramus: Medicina, prout eſt habitus effectiuus in mente artificis, dicitur ars:quatenus autem docetur a doctore,dicitur doctrina medica.Idem de reliquis artibus aſſerendum. B

Si deinde ad Ordines progrediamur:ſi accipiamus(exempli gratia)compoſitiuum, quatenus ordinat & diſponit quæ in ſcientia vel arte tractantur,dicitur ordo:quatenus autem ratio compoſitionis docetur a doctore,doctrina dicitur compoſitiua Idem de reliquis ordinibus dicendum.

Si poſtea per Methodos diſcurramus : ſi ſumamus (verbi cauſſa) demonſtrationem,ſub ea ratione, qua artifex vel ſciens demonſtratione vtitur ad probandum aliquod naturaliter ignotum, dicitur inſtrumentum ſciendi:quatenus autem demonſtratio ſeu ars demonſtrandi,a doctore docetur, dicitur doctrina demonſtratiua.Idemque in reliquis methodis facile eſt dignoſcere.

Quantum deinde ad Locutionem,& Scripturam:& primum quo ad locutionem, quatenus doctor aliquam artem vel ſcientiam actu docet (hoc eſt, loquendo) ipſa locutio eſt inſtrumentum docendi,eſt inſtrumentum quo docens vtitur : at quatenus modus loquendi docetur a grammatico doctore,dicitur doctrina. Similiter ſcriptura,quatenus doctor aliquam artem vel ſcientiam potentia docet (hoc eſt ſcribendo) ipſa ſcriptura eſt inſtrumentum docendi:at quatenus modus ſcribendi docetur a grammatico,dicitur doctrina. C

Quantum ad doctrinam Diexodicam, Compendioſam, & Aphoriſticam: & primum quantum ad Diexodicam,quatenus doctor docens aliquam artem vel ſcientiam,docet prolixe,dicitur modus docendi;at quatenus doctor docet, in hoc modo docendi opus eſſe, non ſolum concluſionem proponere, ſed vtramque præmiſſam;& vtramque quoque tum ratione,tum auctoritate,tum exemplis confirmare;dicitur doctrina diexodica. Quantum vero ad doctrinam Compendioſam, prout docens aliquid docet per compendium,dicitur modus docendi:at ea ratione,qua doctor docet in hoc compendio ſat eſſe ſolas cõcluſiones & rerum capita proponere,dicitur doctrina compendioſa.Quantum ad doctrinam Aphoriſticam,quatenus artifex docens aliquam artem,eam aphoriſtice docet,dicitur modus docendi : at quatenus doctor ſimilitudine a rhetore accepta docet,vt tradatur ars per quaſdam enunciationes vniuerſales, quæ ſint breues ,& graues, prægnãtes,de rebus etantum effectibilibus, quæ proinde non niſi a graui & experto proferantur artifice;dubio procul ad hunc ſenſum dicetur doctrina aphoriſtica, quia ſcilicet a doctore docetur. D

Poſtremo quantum ad Facilem,& Difficilem doctrinam : ſi Facilem perpendamus, quatenus doctor docens facile docet,dicetur modus docendi cum facilitate,ſeu facilis: ſi autem conſideretur hic modus facilis,quatenus docetur a doctore,nimirum quatenus doctor docet in hoc conſiſtere, vt ab altioribus & difficilioribus abſtineamus quæſtionibus; dicitur doctrina facilis. Pariter quantum ad doctrinam Difficilem,ſi conſideretur quatenus doctor difficilia in docendo inquirit,dicetur modus docendi difficilis,quo auctor vti debet,vbi ad prouectiores reſpicit;ſicuti facili,vbi ad initiatos : at ſi hic modus docendi difficilis conſideretur quatenus a doctore docetur,nempe vt quælibet ardua materia diſcutiatur, abſque dubio doctrina nuncupabitur difficilis. E

His ita habentibus,apertiſſimum relinquitur,doctrinam eſſe nomen,a quo quæ denominantur,ſecundum eandem rationem nomen ſuſcipiunt:atque idcirco doctrinam non quid æquiuocum, ſed vniuocum,vel ſaltem analogum conſtituendum eſſe.Quod cum ita ſit,nulla pręmiſſa vocis diſtinctione,immediate ad definitionem properare licet.

Doctrina quid? Doctrinæ genus.

Quare doctrinæ talis proponitur definitio : *Doctrina eſt actio docentis in diſcipulum.* Declaro hanc definitionem,atque oſtendo aliam aſſignari non poſſe,quando quidem doctrina neque aliud genus, neque alias differentias admittit.Primum dictum fuit:*doctrina eſt actio:*actio ergo eſt genus doctrinæ. Sed qua ratione tale genus inueniri poteſt? Via ſeu methodo tum diuiſiua,tum reſolutiua.At breuitatis gratia ſola methodo diuiſiua inueniamus : quia poſtea ſuo loco declarabimus, qua etiam ratione definitionis partes methodo reſolutiua vel compoſitiua reperiri poſſint. Indagantes ergo doctrinæ genus methodo diuiſiua,dicimus,quod cum doctrina aliquid ſit,ideo in aliquod ex decem prædicamentis,&,conſequenter,generibus,referri debet.Cum autem prædicamenta ſint decem,videre oportet in quod iſtorum referatur. Dicimus autem cum Ammonio, cum prædicamentorum quædam ſint ſimplicia,quædam ipſum eſſe per ſimplicium combinationem complexumque obtineant:doctrinam in nullum ſimplicium referri poſſe.Namque cum ſimplicia ſint in duplici differentia,alia quidem,quæ per ſe ſubſiſtunt,vt ſubſtantia, alia vero quæ ipſum eſſe in aliis poſſident,vt quantitas, qualitas,& ad aliquid : doctrinam nullum horum eſſe poſſe aſſerimus. Non eſſe quidem ſubſtantiam : quoniam doctrina per ſe non ſubſiſtit. Neque eſſe quantitatem,vel qualitatem,vel ad aliquid:quoniam, quæ ipſum eſſe in aliis poſſident, vel partim in reſpectu conſiderantur,vel eo reſpectu carent.In reſpectu conſiderantur relatiua:at doctrina,tametſi,quatenus, eſt alicuius doctrina, ſit de genere relationis; attamen, vt in ſuo fundamento(veluti in præſentia F G

perpen-

A perpenditur) respectum non denotat: ideo de genere relatiuorum esse non potest. Si autem fuerint simplicia prædicamenta, quæ respectu careant: vel in partes secari possunt, vt quantitas; vel non, vt qualitas. Sed doctrina in partes secari nequit: ideo in quantitatis genus minime referenda. Constat ergo, si referri debeat in aliquod simplex prædicamentum, referendam in prædicamentum qualitatis. Sed neque in hoc referri debet: quoniam doctrina esset in qualitatis specie vel prima, vel secunda, vel tertia, vel quarta. Sed in nulla reperitur: ideo doctrina in genere qualitatis inseri non potest. Quod autem doctrina non sit in aliqua specie qualitatis, probatur. Namque primum non est in prima: quia neque est habitus, neque dispositio: namque habitus, & dispositio quiescunt, & permanent in mēte, (quamuis magis habitus:) at doctrina est quid fluens a doctore in discipulum. Neque doctrina est in secunda qualitatis specie: quoniam non est potentia vel impotentia naturalis. Neque in tertia: quoniam nec passio vel passibilis qualitas. Nec deni-
B que in quarta: quoniam nec figura nec circa aliquod constans forma. Patet ergo doctrinam in aliquod ex illis simplicibus generibus reduci non posse. Relinquit igitur, vt in aliquod referatur prædicamentum, quod suũ esse per simplicium combinationẽ consequatur. In quod autem referatur, vt sciatis, supponere oportet cum Ammonio, talem complexum esse inter substantiam, & accidens. Quo fit, vt cum accidentis tria sint genera, nempe quantitas, ad aliquid, & qualitas: triplex etiam erit complexus. Complicabitur nimirũ substantia vel quantitati, vel relationi, vel qualitati. Primum itaque si complicetur substantia quantitati, duo prodeunt prædicamenta, nempe quando, & vbi. Namque si substantia complicetur tempori, fit prædicamentum quando. Si autem loco, vbi. Quorum nullum (vt patet) est doctrina. Si autem substantia cōplicetur relationi, fit prædicamentum situs, & habere. Situs quidem fit, vbi relatio simpliciter adhæret substantiæ. Vbi autem fit complicatio in re quapiam arte constructa, est habere. Quorum nullum (vt cōstat)
C doctrina esse potest. Si vero & postremo substantia complicetur cum qualitate, oritur agere, & pati: nam agere, & pati penes qualitates sunt. At doctrina ad prædicamentum pati (præcipueque ratione suæ originis) non reducitur: quoniam docere non est pati, sed potius agere. Quare tandem doctrinæ genus ex necessitate erit actio: quemadmodum nos in definitione constituimus.

Ceterum cum doctrina non sit quęlibet actio, sed determinata: ideo hoc genus, nimirum actionem, distinguere & limitare oportet. Dicimus ergo cum Ammonio, actionem esse vel corruptiuam, vel perfectiuam. Corruptiua quidem est, vt cum ignis agit in lignum: perfectiua vero, quãdo visibile agit in visum. Iam doctrina non est corruptiua, sed perfectiua actio. Præterea actio perfectiua, quoniam producitur ab agente, quod multiplex esse potest; in doctrina autem non habeat locum quodlibet agens, sed doctor, seu docens: ideo in definitione dictum fuit, quod doctrina sit *actio docentis*. Non diximus autem, quod sit a-
D ctio perfectiua docentis: quoniam definitiones breuissimæ esse debent. Vnde ponentes actionem docentis: habemus etiam perfectiuam esse actionem. Constat enim docentem non agere ad corruptionem, sed ad perfectionem discipuli: & præcipue quoniam docentem vocamus doctorem, qui legitime & non per abusum sit doctor; nempe qui scientiam pariat, non autem ignorantiam. Dicebat enim Plato in conuiuio, vel de amore, quod per doctrinam in discipulum induci possit tum scientia, tum ignorantia, tum medium inter hæc, nimirum opinio recta. Inducitur quidem scientia, vbi vera, cum ratione docentur: nam scientia nunquam est sine ratione. Inducitur autem ignorantia scilicet prauæ dispositionis, vbi falsa docentur. Imprimitur denique recta opinio, vbi vera quidem, sed citra rationem docentur. Propterea doctor, vt suis auditoribus bene faciat, studere debet, vt in illis scientiam imprimat, proindeque debet tum vera, tum ea per caussam & rationem, quo ad fieri potest, aperta reddere. Quare nos in præsentia excludentes prauam
E illam doctrinam, ex qua ignorantia prodit, per docentem intelligimus legitimum docentem, qui vel scientiam, vel saltem rectam impertiatur opinionem: proindeque illum intelligimus, cuius actio non corruptiua, sed perfectiua sit. Quare cum dixerimus, doctrina est actio docentis: est idem ac si dictum esset, doctrina est actio perfectiua docentis.

Doctrina est actio perfectiua docentis.

Ceterum quæret, nec ab re, quispiam: quisnam erit hic docens, qui potissimum vera & cum ratione docebit? Colligimus ex Arist. 1. de partibus anim. capit. 1. quod homo per habitum, quem in mente obtinet, seu quo præditus est, in operationem descendere possit: veluti citharœdus per habitum, quem est cōsecutus, quamprimum voluerit ad actum citharizandi peruenire valet. Pariter philosophus naturalis per habitum, cuius est dominus, res naturales tum speculari, tum docere potest. Cum itaque docens doceat per habitum, quem in mente habet: sequitur vt doctor, si doctor esse debet, habeat in mente habitum il-
F lius, quod docere instituit. Aristoteles autem loco citato talem habitum facit duplicem: inquit enim, in omni contemplandi genere, imo in quacunque tum nobiliori, tum ignobiliori docendi via & ratione, duos esse habitus oportet, quorum alterum appellare possumus rei scientiam, reliquum autem peritiam quandam. Vnde hic, pro intelligentia multorum Auctorum, hos duos habitus recte assequi oportet: præcipue vero, quia pauci sunt, qui hanc veritatem explicarunt. Dicimus itaque cum Platone in Gorgia, vel de rhetorica, habitum, qui dicitur rei scientia, eum esse, qui per rationem est comparatus: vt proinde homo illum obtinens, caussam eorum, quæ agit, vel efficit, vel speculatur, vel etiam docet, expendat, & illorum rationem reddere possit. Vnde per istum etiam scientificus & artifex appellatur: & facultas quoque ad talem relata habitum, vel ars, vel scientia dicitur. Hoc autem intelligendum in illis, quæ caussam habent: quod dictum est propter principia, quorum ratio esse non potest: horum ta-
G men habitus dicitur potius intellectus, quam peritia, & est habitus principalis, vt voluit Aristotel. 6. Ethic. 4. Altera ex parte, quantum attinet ad habitum, qui dicitur peritia: sciendum, hunc duplicem esse: alium quidem in docente, qui proprie dicitur peritia: reliquum vero in addiscente, qui potius dicitur peritia quædam, hoc est, veluti peritia, de quo loquemur, cum de discipulo differemus. Redeũtes igitur ad habitum, qui in docente reperitur, qui proprie dicitur peritia: dicimus, hunc inniti solis vel

Docẽs præditus esse debet duplici habitu: peritia, & scientia.

experimentis, vel regulis, vel etiam dictis seu scriptis sine caussa, hoc est, historice propositis. Vt proinde A sit habitus, qui nullius rei caussam afferre potest: atque merito per talem nec facultatem dici, vel artem, vel scientiam, sed peritiam: nec hominem illo præditum habitu dici scientem, vel artificem, sed peritum. Propterea ad hanc veritatem respiciens Plato, loco citato, dicebat, coquinariam non esse dicendam artẽ, sed peritiam: quia in coquinaria principia non ratione, sed solis experimentis & obseruationibus sunt inuenta. Pariter historici non scientes, non artifices nuncupandi sunt, sed periti: quia tantum habent habitum, qui in peritia consistit: non enim ipsorum doctrina ex caussis pẽdet. Similiter & legibus operam nauantes non dicuntur artifices legales, nec scientes, sed iurisperiti: quia scilicet habent peritiam: non enim sciunt leges ex suis principiis & caussis, sed historice, & per regulas tantum: vt secundum hanc rationem coquinariæ destinatis merito sint comparandi. Rationabiliter tamen legibus incumbentes digni essent vt prudentes & scientes nuncuparentur, si philosophiam actiuam callerent: ab illa enim legum caussæ, & B fundamenta pendent, cuius legumlatores minime ignari erant: propterea illi quidem erant scientifici & veri philosophi: at tempestate nostra plærique Iurisconsulti periti tantum sunt. Ceterum cum sit hic duplex habitus, sciendum, reperiri vtrumque in scientiis, & artibus; proinde etiam in medica facultate. Hi autem habitus in eadem facultate inuicem ita se habent, vt prius sit peritia, deinde sequatur scientia, hoc est alter habitus: & hinc Plato in Gorgia, vel de rhetorica inquit, artem sequi peritiam: a quo accipiens Arist. 1. Polit. 7. dicit, quod, vbi aliquid acquirere volumus, hoc est intelligere, opus sit peritiam habere illarum rerum acquirendarum, quæ optimæ sunt. Ecce quomodo peritia præcedit scientiam: ecce quomodo habitus ignobilior præcedit nobiliorem, scilicet tempore. Cuius veritatis ea est ratio: quoniam peritia est ille habitus, qui experimento comparatur: alter autem habitus, qui dicitur scientia, est ille, qui ratione acquiritur: vnde cum experimentum sit opus sensus, ratio autem opus intellectus; atque sensus præcedat C intellectum; hincque experimentum præcedat rationem: sequitur etiam vt peritia alterũ habitum, nempe scientiam, præcedat. Quibus sic dispositis, & enucleatis, non solum liquet quid sit peritia, quid scientificus & artificialis habitus: verumetiam patet quemadmodum in docente debeat esse vterque habitus: siquidem necessarius est habitus scientificus, vt doctor non simplicem peritiam, sed scientiam in discipulũ imprimat: est etiam necessarius alter habitus, nempe peritia, quando habitus scientificus peritiam supponat. Quare cum in definitione dicamus, quod doctrina sit actio docentis: docentem vtroque præditum habitu intelligimus.

Discipulus adferet ad discendum quandam peritiam.

Postremo in definitione dictum fuit, *in discipulum*. Quoniam cum doctrina sit actio, proindeque perfectiua, quatenus progreditur a perfecto docente: hæc tamen actio, cum Ammonio, porro subdiuidi potest, quatenus agens agit vel in seipsum, vel in aliud: in seipsum, vt per se laborans, vel cernens, vel ser- D mocinans: in aliud, vt visibile in visum. Vnde, vt constaret doctrinam esse actionem perfectiuam quidem agentis, sed non quatenus in seipsum, sed in aliud agit: ob id in definitione dictum fuit, *in discipulum*, qui ita concurrit, vt sicuti ratione agentis, & docentis, dicitur tum actio, tum doctrina, ita ratione discipuli dicitur tum passio, tum disciplina. Aduertatis autem, vt per discipulum non intelligatis discipulum prorsus ignarum: quia tunc doctor in discipulum nihil ageret, cognitionem non gigneret: nam (vt optime ait Aristot. primo poster. *omnis doctrina & omnis disciplina intellectiua fit ex praexsistenti cognitione*) doctrina fit ex præexsistenti cognitione, quatenus in docente debet esse vterque habitus, nempe scientia, & peritia: disciplina etiam fit ex præexsistenti cognitione, quoniam discipulus antequam præceptorem audiat, aliquid præscire debet, non enim omnia discit a doctore, sed aliqua etiam sine doctore, vt optime monet lucidissimus Themistius. Quinimo hæc sententia fuit etiam proposita a Plat. in Alc. primo, vel de natura E hominis: inquit enim nos res posse cognoscere bifariam, nempe vel quatenus ab aliis discimus, & talis cognitio fit a docente: vel ex nobis ipsis, & talis cognitio minime supponit doctrinam: & hæc illa est, quæ ab Arist. primo de partibus primo dicitur quasi peritia: inquit enim, hominis probe periti officium esse, iudicare posse quidnam recte aut non recte ab eo qui docet exponitur. Hæc autem peritia, seu quasi peritia, quæ in discipulo requiritur, est ille habitus, qui præcipue in terminorum & primorum axiomatum cognitione consistit.

Ex quo obiter colligatis, quomodo toto, vt aiunt, cœlo logici illi interpretes decipiantur, qui vniuersalem illam propositionem ita legunt, *omnis doctrina & omnis disciplina discursiua*. Facile enim significant, se legitimum illius propositionis sensum ignorare. Siquidem cum Philosophus per præexsistentem cognitionem intelligat, ratione doctrinæ, vtrumque habitum, nempe scientiam, & peritiam: per præexsi- F stentem vero cognitionem, merito disciplinæ, veluti peritiam quandam in discipulo necessariam, ac veluti insitam: apertissimum esse debet, intellectiuam, non autem discursiuam disciplinam legi oportere: atque in ea propositione, quæ merito vniuersalis ab omnibus dicta est, includi non modo doctrinã demonstratiuam, sed quamcunque aliam doctrinæ speciem. Sed hæc obiter dicta sint.

Ad rem igitur redeuntes, in definitione per, *discipulum*, intelligimus non prorsus ignarum, sed qui habeat quandam peritiam: namque qui talis erit, & addiscet a docente, prædito vtroque habitu, hoc est, scientia, & peritia: hic dubio procul consequetur disciplinam firmam, proindeque illam, quæ a credulitate maxime distinguitur. Namque, ex Platone in Gorg. credulitas a disciplina differt: nam credulitas quędam vera esse potest, quædam falsa: at disciplina semper vera: vnde credulitas præstat fidem, disciplina autem scientiam. G

Quare tandem constituta, explanata, & stabilita sit definitio doctrinæ: nempe quod sit actio docentis in discipulum. Quæ definitio (ni fallor) talis est, vt non modo definiti natura innotescat, sed etiam per eam omnes dirimi possint ambiguitates, imo sponte euanescant.

CAPVT

A

CAPVT III.

De Diuisione doctrinæ.

PRoposita & explanata doctrinæ definitione, deinceps doctrinam, genus hoc, diuidere oportet: ita vt a Diuisio doctrinæ ab habitu, qui est in mẽte docentis.
supremo doctrinæ genere descendamus ad subalterna, vt deinde de his differentibus tandem appareat
diuisio doctrinæ vsque ad eius species specialissimas, vltra quas descendere minime licet. Ceterum cum
diuisio fieri debeat per differentias non modo oppositas, sed & proprias, & essentiales; ea autem ex ipsa de-
sumantur definitione: ob id, cum doctrina nihil aliud sit, quam actio doctoris in discipulum; differentiæ
non aliunde capi possunt, quam ex ipso docente: cuius fundamentum, quoniam a docente magis habet, vt
B sit doctrina, quam a discipulo; ab hoc enim magis habet, vt sit disciplina. Amplius ex doctrinæ differentiis
habentur etiam differentiæ & genera disciplinæ: quoniam subiecto cum doctrina coincidit, ratione autẽ
discrepat. Differentię igitur capiuntur a docẽte. Sed quomodo? Profecto non alia ratione, quam ea, quam
definitio nobis dilucidauit: proindeque a docente, quatenus est docens. Cum autem sit docens quatenus
in mente habitum possidet illius quod docere debet: propterea differentiæ doctrinæ nõ simpliciter a do-
cente desumendæ sunt, sed a docente, quatenus est habitu pręditus: vnde sequitur, pro discrimine habitu-
um diuersa quoque doctrinarum genera haurienda.

Itaque quemadmodum Galenus in l. ar. med. c. 9. partium corporis alias esse principales, statuit, alias Habituum diuisio.
non principales: ita nos dicimus, habitus in mente docentis exsistentes essę vel Principales, vel Non prin-
cipales. Veluti quoque Ammonius in commentariis in prædicamenta, libros Aristotelicos in principales,
& instrumentarios, hoc est non principales, diuidit.

C Habitus principales, sunt illi de quibus loquitur Arist. 6. Eth. cap. 4. & Ammon. in præfatione præ- Habitus principales.
dicamentorum. Atque tametsi quinque ab Arist. proponantur; nempe, intellectus, qui est habitus prin-
cipiorum: scientia, quæ est habitus conclusionis: sapientia, quæ est habitus vtriusque: prudentia, quæ est
habitus actiuus: ars denique, quæ est habitus effectiuus: quamuis (inquam) quinque proponantur habi-
tus, nos tamen, si diuisionem bimembrem efficere volumus, dicere possumus (nõ recedentes ab eodem
Aristot.) principalem habitum esse de rebus, quæ vel aliter sese habere non possunt, & est habitus Specu-
latiuus, seu contemplatiuus; vel de rebus quæ aliter sese habere possunt, & est habitus (vt ita dixerim) O-
peratiuus. Habitus speculatiuus, vel est de rebus in materia immersis, vel de rebus a materia separatis. Si
de rebus materiæ annexis, ab hoc oritur doctrina Naturalis. Si autem de rebus a materia seiunctis; tunc
vel est de rebus omnifariam a materia seclusis, & prodit doctrina. Diuina: vel de rebus non omnifariam a
D materia separatis, doctrinaque mathematica prorumpit. Quantum autem Habitus operatiuus, cum sit de
rebus quæ aliter sese habere possunt, est de rebus quæ cadunt vel sub actionem, & est habitus Actiuus, est
prudentia, a quo habitu proficiscitur doctrina Actiua, doctrina moralis: vel est de rebus, quæ cadunt sub
effectionem, & est habitus effectiuus, est ars: cumque variæ sint artęs, hinc etiam variæ doctrinæ hauriri
possunt, veluti doctrina aucupatoria, venatoria, medica, & similes, quas silentio præterire volumus, pro-
pterea quod nostrum propositum est potissimum agere de habitibus non principalibus, non autem de
principalibus: siquidem institutum nostrum est de instrumentis, artibus, & scientiis famulantibus, disse-
rere, non autem de ipsis artibus vel scientiis. Hic solum admonere liceat hos dici & esse habitus principa-
les, propterea quod sunt illi, qui principaliter nos ducunt ad felicitatem, tum actiuam, tum contemplati-
uam; tum quoque; quoniam his, ceu dominis, alii, qui non principales dicuntur, famulantur: ob idque ab
E Ammon. & aliis Græcis habitus non principales instrumentarii nuncupantur.

Hæc de habitibus principalibus. Altera ex parte in mente docentis sunt habitus nõ principales, sci- Non principales habitus.
licet principalibus famulantes, seu instrumentarii. Atque hi quotnam sint, vt ex his quælibet doctrinarũ
genera hauriantur, non est ita facile colligere: præsertim cum in hac materia neminem habeamus ducem.
Dicemus tamen quod sentimus. Dicimus ergo quod cum hi habitus instrumentales dicãtur, & sint, qua-
tenus ad principales, nempe ad scientias & artes referuntur, iisque ministrant: propterea pro multiplici
artium & scientiarum indigentia, multos etiam instrumentales habitus prodire. Neque enim agens in-
strumento aliquo vtitur, vbi eo non eget; ita enim natura homini non donasset manus, nisi cognouisset
homini iis opus esse, vt apprehenderet: neque pedes, nisi optimum fuisset homini ambulare. Cum itaque
instrumentales habitus necessarii sint pro artium & scientiarum indigentia: sequitur, pro multiplici &
F varia indigentia, multos etiam & varios requiri instrumentales habitus, quibus præditus artifex vel scien-
tificus, tum artes, tum scientias constituat, atque doceat. Sed quæ est hæc indigentia? Vt semper per no-
tissima progrediamur, certum est, scientias & artes constitui ex rebus contemplabilibus, & effectilibus,
quæ non modo inuicem dispositæ essę debent, sed etiam cognitæ. Si quis enim res effectibiles nec sciat dis-
ponere, nec agnoscat; hic dubio procul artifex non erit. Sequitur igitur, in artibus necessariam esse tum
Dispositionem, tum Cognitionem: dispositionem quidem rerum dispersarum; cognitionem autem re-
rum ignotarum. Cum autem artifex vel scientificus, per habitum principalem res ipsas neque disponere,
neque patefacere possit: propterea necessarii fuere habitus instrumentales, quorum beneficio res tum di-
gererentur, tum patefierent. Igitur ratione dispositionis prodit habitus (vt ita dicam) Dispositiuus, qui
logicus est; per quem doctor docet ordines, qui, quatenus docentur per illum habitum, nomine doctri-
G næ donantur: vnde dicimus doctrinam disponentem, vel ordinantem: communiter autem ordinem ap-
pellant: sed nobis, clarioris doctrinæ gratia, rebus magis quam vocibus addictis, ita nomina fingere liceat.
Si postea consideremus res quatenus patefieri debent, quoniam videlicet sunt ignotæ; tunc oritur habi-
tus instrumentalis Patefaciens; per quem doctrina instrumentalis patefaciens docetur. Ceterum patefa-
ciens habitus est vel Simpliciter, vel Secundum quid: prout res ignota occurrit vel simpliciter, vel secun-

Qqqq

dum quid. Res quidem dicitur ignota simpliciter, verbi gratia, cum absolute latet quidnam res sit: secun- A
dum quid autem, cum quidnam res sit, hunc vel illum addiscentem latet. Quare si res fuerit ignota sim-
pliciter, requiritur habitus, per quem docetur doctrina patefaciens rem ignotam simpliciter; seu, per
quem docentur instrumenta patefacientia, quibus vel magis deuenimus in rerum ignotarum scientiam,
& sunt Methodi, seu doctrina methodica, seu rationalis; vel magis deuenimus in rerum ignotarum peri-
tiam, & sunt Experimentum, ac similia, velut exemplum, vnde dici potest doctrina experimentalis, vel
exemplaris. Si autem res secundum quid lateat, exigitur habitus, per quem docetur modus docendi: qui
modus docendi, quatenus docetur hæc vel illa doctrina, diuersimode nuncupatur, prout docetur a do-
ctore prædito habitu vel grammaticæ, vel rhetoricæ: vt in sermone speciali de modo docendi inferius suo
loco patefaciemus.

Doctrina instrumentalis generica.

Licet ergo in præsentia colligere, ex habitu instrumentali, ex differentia hac generica, ad differenti- B
am doctrinæ principalis, oriri doctrinam quandam genericam instrumentalem; quæ deinde prædicetur
de doctrina ordinante, proindeque de ordinibus; de doctrina patefaciente, proindeque de methodis, ex-
perimento, & modo docendi: ea tamen lege, vt doctrina instrumẽtalis ad genera hæc subalterna ita se ha-
beat, vt analogice de his prædicetur; nempe prius de ordine, posterius de methodis, & experimento; atque
adhuc posterius de modo docendi.

Doctrinæ ex habitibus instrumentalibus ortæ, nobiles, vel ignobiliores.

Vnde merito sequitur, tum habitus instrumentales, tum doctrinas ex habitibus instrumentalibus
prodeuntes, inuicem differre penes nobilitatem, & ignobilitatem. Namque ordines, quamuis ignobilio-
res sint doctrinis principalibus; tamen respectu aliarum doctrinarum instrumentalium sunt nobiliores;
methodi autem & experimentum ignobiliores; modi docendi adhuc ignobiliores. Hunc autem in mo-
dum doctrinæ instrumentales constituuntur, propterea quod ordines nobiliores dicuntur, & sunt, quo- C
niam solis principalibus, hoc est, scientiis & artibus inseruiunt; illis nimirum tribuentes ordinem, ac ve-
luti vitam & animam; deinde sunt methodi, & experimentum, quæ doctrinæ, seu instrumenta ignobilio-
ra sunt, quoniam famulantur non solum habitibus principalibus, sed etiam instrumentalibus, nempe or-
dinibus: tandem maxime ignobiles sunt, & propterea absolute ignobiles, modi docendi, propterea quod
solum famulantur; si quidem ministrant habitibus principalibus, præterea vero ordinibus ac methodis,
imo & experimento: vnde in respectu ad methodos sunt ignobiles absolute, propterea quod res ignotas
patefaciunt secundum quid, & rationem solum serui habent, non autem domini, vt methodi, quæ tum
patefaciunt res ignotas simpliciter, tum (quamuis habeant conditionem serui ratione ordinum) respectu
modi docendi vices domini sibi vendicauerunt.

Repetitio diuisionis doctrinæ.

Ex his constat, doctrinam esse genus generalissimum, quod prædicatur de doctrinis principalibus, D
& instrumentalibus; atque de his tum disponentibus, proindeque nobilioribus, tum patefacientibus,
proindeque ignobilioribus: & si de patefacientibus, vel simpliciter, proindeque ignobilioribus secũdum
quid; vel patefacientibus secundum quid, proindeque ignobilioribus absolute.

De instrumentalibus doctrinis hoc in libro agendum.

Ex qua generali doctrinæ diuisione, cum habeamus doctrinarum alias esse principales, alias non
principales, seu instrumentales; principalibus posthabitis, veluti ad negotium nostrum non attinentibus;
de instrumentalibus differemus: nimirũ de Ordinibus primo; secundo de Methodis, & Experimento; ter-
tio de Modo docendi. In quibus ita progrediemur: primum definitionem proponemus; deinde ex defi-
nitione differentias hauriemus principales, essentialesque, genera ac species constituentes; a quibus per
gradus descendemus, donec ad speciem specialissimam cuiuslibet doctrinæ genericæ perueniamus, atque
inde absolutum sit opusculum nostrum, quod est de differentiis doctrinarum, constituentibus scilicet E
doctrinarum omnia genera, & omnes species specialissimas. Sed iam de ordinibus agamus.

CAPVT IV.

De Definitione ordinis doctrinæ.

Ordinis dignitas, ac necessitas.

CVm propositum nostrum sit de ordine doctrinæ differere; primo scire oportet, negotium hoc esse
summi momenti: quandoquidem Galenus secundo de diebus dec. cap. 2. ex mente tum Hippocratis
tum omnium philosophorum præcipuorum, dicit, pulcrum omne, quod hic pulcrum sit, atque etiam or-
dinatum, & artificiosum, ex supernis & diuinis mentibus naturæ innasci; inordinatum autem & errati- F
cum, ex materia, quæ hic versatur, prouenire. Propterea optimi quique auctores, vt diuinas mentes imi-
tarentur, ac incertis materiæ vestigiis expurgati viderentur, suas scientias & facultates ordine ac artificio
digerere omnino studuerunt. Et Aristoteles, ad tantam ordinis dignitatem atque necessitatem respici-
ens, tertio de part. anim. decimo fatetur id quod secundum naturam est, semper ordinem habere. Cum i-
taque de ordine doctrinæ negotium veluti diuinum videatur: omni studio nitendum, vt huius cognitio-
nem consequamur.

De nomine ordinis doctrinæ.

Quia vero cognitionem optimam & scientificam largitur definitio: ideo ordinem doctrinæ defi-
nire statuimus. At, ne ob nominis ignorantiam aliqua contingat deceptio, prius quædam circa nomen
admonere oportet. Sciendum itaque ordinem doctrinæ bifariam accipi posse: primo quidem quatenus
artifex hoc vtitur, res in arte disponens; secundum quem sensum est instrumentum artificis ordi- G
nantis. Secundo modo accipi potest ordo doctrinæ, quatenus ars ordinandi res in artibus & scien-
tiis docetur a doctore; secundum quam significationem ordo doctrinæ est actio docentis in discipu-
lum. Nos secundo modo accipiemus: quoniam nostrum propositum est, agere de differentiis
doctrinarum, auspicando a primo genere, deinde sensim descendendo vsque ad species specialissimas.

A Quare, cum egerimus de doctrinæ genere generalissimo; modo, descendentes ad genera subalterna, hæc eodem modo accipere oportet. Vnde sicut doctrinam sumsimus, quatenus a doctore docetur; ita ordinē doctrinæ, quatenus docetur accipere oportet: quia secundum hanc rationem capietur vt genus subalternum, sub generalissimo genere contentum.

Error cuiusdam recentioris.

Hinc colligatis multiplicem moderni errorem, qui, dum interpretatur procœmium artis med. de ordine doctrinæ sermonem habens, doctrinam statuit accipi pro habitu, qui per caussam comparatur: & hoc modo accipere Galenum, cum ait, *tres sunt doctrinæ*: quasi dicat, *tres sunt habitus acquisiti per cognitionē caussarum, qui habitus ordini inhærent*, id est, acquiruntur aliquo ordine, a quo ordine (vt etiam voluit Leonicenus,) doctrina quælibet denominationem sumit: namque omnis doctrina est aut resolutiua, aut compositiua, aut definitiua. Sed maxime & multifariam decipitur. Primo enim falsum est, doctrinam esse habitum: nam doctrina est actio, prodiens a docente, prædito habitu, secundum quem in actionem prodire potest, & docere. Secundo erroneum est, doctrinam hanc esse habitum, qui aliquo ordine acquiritur: quia tunc intelligeret Galenus per doctrinam, aliquam artem, vel scientiam, quæ ordine aliquo acquiritur; cum tamen velit per doctrinam non artem vel scientiam, sed ordinem, secundum quem res in artibus & scientiis disponi possunt. Proponit enim tres ordines, nempe resolutiuum, compositiuum, & definitiuum; quos tamen doctrinas appellat nomine generis. Doctrina enim prædicatur non solum de scientiis & artibus, sed etiam de ordinibus & methodis; differenter tamen: quia prædicatur doctrina de artibus & scientiis, quatenus docentur a doctore per principalem habitum; de ordinibus autem & methodis, quatenus docentur a doctore per habitum non principalem. Atque hinc etiam colligitur tertius error, quando dicit, quamlibet doctrinam nomen ab ordine sumere: innuens, quemlibet habitum, quamlibet scientiam, vel artem nomen desumere ab ordine: verbi gratia, artem medicam, si tradatur ordine definitiuo, dici definitiuam; si resolutiuo, resolutiuam; si compositiuo, compositiuam. Quod falsissimum est: namque ars medica si tradatur ordine definitiuo, non propterea dicitur doctrina definitiua; sed ars medica, tradita doctrina definitiua; vel doctrina medica, tradita doctrina definitiua. Quare falsum est, doctrinam omnem ab ordine denominationem accipere. Sed verum est, sicut est triplex ordo, ita ratione triplicis ordinis triplicem esse doctrinam. Dicuntur autem tres ordines, quia ordinãt & digerunt artes, & scientias: qui tres ordines nomen sibi vendicant doctrinæ, quatenus a docente aliquo docentur; quamuis postea ordo doctrinæ, seu doctrina, non simpliciter, non quælibet, sed ordinans, pro triplici ordine, dicatur, modo definitiua, modo resolutiua, modo compositiua. At quamlibet doctrinam nomen accipere ab ordine falsum est: ideoque decipitur Modernus.

Definitio ordinis doctrinæ.

D Nos igitur omnem euitantes æquiuocationem, a legibus diuisiuæ methodi minime recedentes, ordinem doctrinæ accipiemus, quatenus artificium ordinandi res in scientiis & artibus a doctore docetur. Vnde talem proponemus definitionem: *Ordo doctrinæ, est doctrina instrumentalis, qua facultates disponere docemur.* Declaro hanc definitionem. Primo dictum fuit, quod *ordo doctrinæ sit doctrina*: cum namque ordo doctrinæ contineatur sub genere doctrinæ, ideo per suum genus definiri debet. Vnde sicut anima per substantiam definitur; ita ordo doctrinæ per suum genus, hoc est, per doctrinam, definiri debet: quod fieri minime posset, nisi acciperetur ordo doctrinæ, quatenus ab artifice docetur. Itaque ordo doctrinæ est doctrina: quod est idem, ac si diceremus, est actio docentis in discipulum. Maluimus autem definire ordinem doctrinæ per doctrinam, quam per actionem; vt fieret definitio per genus magis proximum: namque actio prædicatur de doctrina; doctrina autem prædicatur de ordine doctrinæ. Attamen Galenus dicit secundo de differen. pulsuum, cap. 4. ordinem esse in prædicamento ad aliquid: vbi accipit ordinem, quatenus illius beneficio res ordinantur: vnde dicit habitudinem multorum ad vnum, seu respectum: secus autem est, vbi accipitur ordo quatenus docetur, quemadmodum nos in præsentia accipimus, & accipere debemus.

E Deinde in definitione dictum est, *instrumentalis*: vt ordo doctrinæ, seu doctrina hæc ordinans, distingueretur a doctrina principali. Namque (vt scitis ex dictis de doctrina in communi,) philosophia, quatenus scientia, est habitus; quatenus autem docetur a doctore, est doctrina, sed principalis, quoniam est actio quæ docetur a doctore, in virtute habitus philosophici, in virtute habitus principalis. At ordo doctrinæ docetur a doctore, in virtute habitus potius logici, iureque ipso in virtute habitus instrumentalis.

F Amplius dictum est, *qua facultates disponere docemur*: quæ particula addita fuit, vt hoc definitum a quocunque alio distingueretur; & potissimum ab omni alia doctrina instrumentali, nempe methodo, experimento, & modo docendi. Hęc enim (vt proprio loco noscetis) in hoc communi conueniunt, quod ad doctrinam referuntur instrumentalem. Dictum autem fuit, *qua facultates*, id est, tum sermocinales, tum reales *disponere docemur*: quoniam doctor docet, quæ pertractantur, siue in logica, siue in rhetorica, siue in grammatica, vel etiam aliis facultatibus sermocinalibus, ea esse aliquo ordine inuicem disponenda, vt scilicet vnum sit post alterum. Docet etiam idem doctor in facultatibus realibus, hoc est, artibus & scientiis, res ipsas perpendendas esse ordine aliquo digerendas: quod, quamuis difficile sit, non tamen impossibile: namque cum Platone in ciuili, vel de regno, fieri non potest, vt certus quidam simplexque ordo sit in his quæ semper varia sunt, nec vnquam vniusmodi. At cum in scientiis sermo sit de rebus, quæ aliter G sese habere non possunt; in artibus autem de rebus, quæ vt plurimum eodem modo se habent: ideo possibile est, vt tum in artibus, tum magis in scientiis sit ordo. Proinde ordo doctrinæ est, secundum quem res in artibus & scientiis disponi debent.

Hæc de definitione ordinis doctrinæ; modo ad diuisionem accedamus.

CAPVT V.

De Diuisione ordinis doctrinæ.

A

Ordo essentialis, vel accidentalis.

CVm genera & species constituere debeamus ex essentialibus & constitutiuis differentiis, quæ merito a definitione hauriuntur: propterea ex definitione ordinis doctrinæ facile colligere licet, cum dispositio idipsum sit, quo ordo doctrinæ, seu doctrina hæc instrumentalis a quacunque alia seiungitur; merito a varia rerum dispositione in facultatibus, ordinis doctrinæ differentias desumendas esse. Dicimus ergo talem rerum dispositionem esse duplicem: nempe Essentialem, atque Accidentalem. Appello essentialem dispositionem, quando in facultatibus res inuicem ita dispositæ sunt, vt vna ita ad aliam determinatam referatur, vt ad aliam referri non possit: verbi gratia, cœlum in philosophia naturali ita ordinatur ad primũ motorem, vt non ad elementa, vel mixta, vel quodlibet aliud, de quo in philosophia naturali differtur. B

Accidentalis ordo.

Ordo autem accidentalis dicitur, qui est ad melius esse; & arbitrarius etiam nuncupatur: sic Aristoteles in sua philosophia naturali, ordine vtens compositiuo, secundo de anima ordinem essentialẽ aliqua ex parte peruertit, dum de sensibus exterioribus agit; nam prius agit de visu, postremo de tactu; cum tamen secundum leges ordinis compositiui prius agere debuisset de tactu, postea de visu: sed ordinem peruertit essentialem, accidentalemque propter melius intermiscet; satius namque erat, vt a visu, tanquam a nobiliori & notiori auspicaretur. Pariter Hip. in l. de artic. (ita referente Galeno primo de art. 6.) exquisitum ordinem doctrinæ non seruat, quando aliqua res occurrit, quæ maxime vrget: nam vnusquisq; nostrum de re quæ magis vrget primum omnium disserit: veluti si occurrat falsam aliquam in hominibus opinionem esse, illam prius de medio tollere oportet, vt deinde vera scientia in expurgatum animum inducatur: quemadmodum etiam Arist. 1. de anim. prius prauas antiquorum opiniones refellere voluit. Quare tandem colligendum, ordinem accidentalem esse illum, qui est propter melius, in quo incipimus vel a nobiliori, & notiori, vt Arist. 2. de anim. primo agens de visu, & vltimo de tactu; vel a notiori, vt Aristot. in prędicamentis, verba faciens primum de relatione, mox de qualitate; vel ab errorum dissipatione, vt Hipp. primo de artic. atque Philosophus primo de anim. C

In Recentiorem.

Ceterum circa hunc ordinem accidentalem, ad maiorem veritatis confirmationem, & dilucidationem, duo animaduertere oportet; primum est, Modernum, dum de ordine accidentali exemplum affert, dicere, Galenũ tali vsum fuisse in lib. ad Glauc. in quibus ab ephemeris exorditur, deinde ad putridas pertransit, & demum secundo lib. de tumoribus præter naturam sermonem habet. Caussa autem fuit, (inquit Modernus) quoniam ephemeræ facilioris sunt cognitionis quam putridæ, & putridæ quam tumores. Sed hæc falsissima sunt. Namque Galenus primo ad Glaucon. cap. secundo, inquit, ephemerarum cognitionem maiorem exigere diligentiam, de quibus nemo ante se quantum oportuerit scriptum reliquerit. Præterea cum & inflammationes, & tumores occupent partes non solum internas, sed externas; quis diceret, putridas febres facilius cognosci, quam tumores? Ideo ego dicerem, Galenum secundum leges ordinis compositiui auspicari a simplicioribus, proindeque ab ephemeris: ait enim loco citato, se prius agere velle de ephemeris, quoniam simplicissimæ sint: deinde progreditur ad putridas, in quibus præter intemperiem est materia: tandem deuenit ad tumores, in quibus vtplurimum est etiam mala compositio. D

Ordo accidentalis diuersimode locũ habet in scientiis, & peritia.

Secundum vero animaduersione dignum circa ordinem accidentalem, est, talem ordinem reperiri tum in artibus & scientiis, tum in peritia. At in artibus & scientiis non habet locum a principio ad finem, secundum totam artem vel scientiam, sicut essentialis ordo; sed secundum aliquam partem, quæ scilicet propter melius accidentalem ordinem admittit: in peritia autem hic accidentalis ordo locũ habet a principio ad finem peritiæ; quoniam in peritia essentialis ordo locum habere minime potest, veluti videre licet in historia, in qua semper auspicantur ab eo, quod prius tempore contigit, ad id quod posterius. Idem obseruatur in mercatura: nam mercatores res suas per alphabetum, ordine accidentali, disponunt. Sed hęc sufficiant, quantum ad accidentalem & arbitrarium ordinem requirebatur. E

Ordo essẽtialis:

Ordo essentialis est, secundum quem res in scientiis & artibus determinato ac statuto quodam filo digeruntur: estque vel Particularis, vel Vniuersalis. Ordinem particularem voco, secundum quem res in parte aliqua artis vel scientiæ certo quodam ordine disponuntur. Vniuersalem autem, beneficio cuius res in tota arte vel scientia essentialiter ordinantur.

1. particularis.

Ordo essentialis particularis est ille, qui compositiuus, vel etiam compositio, vel methodus compositiua dicitur: namque compositione interdum vtimur in contemplatione alicuius particularis: exempli gratia, acturus de elementis, primum propono quid nominis; secundo quid rei; deinde per diuisionem indago quodlibet elementum, atque cuiuslibet elementi per definitionem propriam naturam inquiro; vt inde constet, tum cuiuslibet elementi natura, tum omnia pateant accidentia, elementorum naturam comitantia. Qui progressus absque dubio ad ordinem accidentalem referri nequit: namque ex omnium sententia quid rei supponit quid nominis; & accidentia supponunt subiectum, cuius sunt accidentia. Neque hic progressus referri potest in ordinem essentialem vniuersalem; quoniam hoc non vtimur a principio vsque ad finem facultatis, sed particulatim, de hoc vel illo differentes. Sed neque ad methodos reduci potest; quoniam in methodis (vt suo loco cognoscetis) progressus est a noto ad ignotum; at in pręsenti progressu, qui est a natura elementorum, ad accidentia comitantia elementa, nõ est via a noto ad ignotum. Quare erit ordo essentialis particularis, & compositiuus, a priori ad posterius progrediens, resolutiua methodo inuentus: quod in sermone de methodis latius enucleabimus. In præsentia, clarioris doctrinæ gratia, tale exemplum subiicere licet. Differere volens de febre tertiana, primum ago de nomine, secundo de definitione, tertio de differentiis, quarto de signis, quincto de indicationibus, sexto de prognostico, septimo de auxiliis. Hic progressus non est accidentalis, F G

non

A non vniuerſalis,non methodus;ſed ordo eſſentialis,particularis,compoſitiuus;cui methodi famulantur, nempe definitiua,ad definiendum tertianam febrem;diuiſiua,ad indagandum ſpecies huius febris,ſi quę ſunt;demonſtratiua,ad comprobandum ſi quid in hoc ordine naturaliter ignotum occurrat; reſolutiua, ad inueniendum huiuſmodi progreſſum. Vt inde appareat, vbi definit methodus reſolutiua, exordiri licere ſecundum ordinem compoſitiuum particularem , atque eſſentialem. Hęc de ordine eſſentiali particulari.

Ordo eſſentialis atque vniuerſalis,qui veri ordinis potiſſimas ſedes ſibi vendicauit, ſubdiuiſionem 2 Vniuerſalis.
admittit.Quomodo autem,& qua arte,non eſt ita facile ſcire. Propterea Modernus, vt haberet tres eſſe ordines,nec plures,nec pauciores,capiens a Montano,inquit ex mente Ariſtot.12.metaphyſic.cap.10. ſeu vltimo,vel ſecundum Auer.tex.commēti 52.ordinem,ſeu habitudinem eſſe aut vnius ad vnum , aut mul-
B torum ad vnum:ſi ſit vnius ad vnum;neceſſario eſſe vel poſterioris ad prius,& eſſe ordinem reſolutiuum; vel vnius prioris ad poſterius,eſſeque ordinem compoſitiuum;vel multorum ad vnum , & eſſe ordinem definitiuum.Vnde ex ſententia Ariſtotelis tale format argumentum: Tres ſunt habitudines nec plures, nec pauciores.Ergo tres ordines,nec plures,nec pauciores.Equidē maxime laboraui,vt tantorum virorū opinionē ſequerer:proindeq; ſtudui,vt Ariſtotelis verba in eundem cū illis ſenſum traherē: ſed id impoſſibile fuit.Mihi namq; videtur,hæc eo in loco nō dicere Ariſtoteles:ſed talē fuiſſe ipſius ſentētiam , ſi tum Alexandro,tū magis Auerroi,tū maxime Ariſtoteli fidē præſtare debemus:nimirū ibi proponi hanc quęſtionē:Cum mundus hic ſenſibilis bonus & optimus ſit;quæ cauſſa ſit talis bonitatis?an ipſa natura conſiſtens?an potius ordo quo mundus iſte diſpoſitus atque digeſtus eſt?Et ſoluēs Ariſtoteles inquit,mundum optimū eſſe propter vtramq; cauſſam;quamuis minus propter ordinē:quemadmodum etiam in exercitu
C duplex ſit bonum,nempe ordo,& imperator:exercitū tamen magis præſtare propter imperatorem,quam propter ordinem;propterea quod in exercitu ordo propter imperatorem conſiſtit,nō imperator ſeu dux propter ordinem.Deinde addit Ariſtoteles ad vnum vniuerſa eſſe ordinata:quamuis non ſimiliter:namq; omnia ad naturam,ſeu primam cauſſam referri : veluti enim (vt ait Auerroes)omnia quæ ſunt in domo ordinantur ad dominum domus , differenter tamen ; namque magis ordinantur ad dominum domus liberi,minus ſerui,adhuc minus feræ in domo degentes:ita etiam dicendum de homine , brutis , plantis, mineralibus,& mixtis imperfectis in mundo. Ex quibus verbis neſcio quomodo colligant iſti triplicem ordinem,nempe prioris ad poſterius,poſterioris ad prius,& multorum ad vnum:quia enim expreſſe Ariſtoteles ait,ad vnum omnia eſſe ordinata;ideo omnis habitudo erit multorum ad vnum. Præterea vero decipitur Modernus,propterea quod abſolute aſſerit,in ordine eſſentiali,vbi eſt habitudo vnius ad vnū,
D eſſe vel poſterioris ad prius,vel prioris ad poſterius. Quamuis enim vbi eſt ordo, ibi etiam eſt prius & poſterius:(quandoquidem ex Ariſtot.in prædicamento quantitatis,quantitates non habentes poſitionem, habent ordinem,propterea quod habent prius & poſterius:vnde etiam dicebat Auer.primo phyſicor.41. prius & poſterius eſſe differentias ordinis:)quamuis,inquam,vbi ordo,ibi prius & poſterius:nihilominus non ſequitur,vt ordo intelligatur tum prioris ad poſterius,tum poſterioris ad prius: quoniam tum prius, tum poſterius,ad vnum referuntur:at quod habet rationem prioris,immediate refertur ad ſuum principium,ad ſuum,vt ita dixerim , vnum : quod autem habet rationem poſterioris,mediate refertur, non eſt ita proximum,vt prius.Quare prius & poſterius dicuntur,non quod prius referatur ad poſterius,vel contra;ſed prius & poſterius dicuntur in relatione ad quoddam tertium:neque enim hoc poteſt dici prius , illud poſterius,niſi reſpectu tertii,quod etiam Ariſtotel. quincto metaphyſ. 11. clare patefacit. Quare non
E valet:ordinis differentiæ ſunt prius & poſterius:ergo in ordine eſt ordo prioris ad poſterius,& poſterioris ad prius,proindeque vnius ad vnum:ſed ordo prioris & poſterioris ad vnum tertium:quod tertium ſi fuerit principium,id quod magis primo principio erit proximum,habebit rationem prioris;quod erit minus proximum,habebit rationem poſterioris: ſi autem illud tertium fuerit finis , id quod in priori ordine erat prius , hoc ſit poſterius;& quod erat poſterius,ſit prius.

Quid igitur in tanto negotio dicendum?Crederem ego eſſe confugiendum ad definitionem,veluti ad ſacram,vt aiunt,ancoram.Vnde cum ordo eſſentialis & vniuerſalis ille ſit,per quem res cunctæ inuicem ita digeruntur ac diſponuntur,vt in hac diſpoſitione hoc ſit ita primum,vt non poſſit eſſe ſecundum; hoc ſit ita prius,vt non poſſit eſſe poſterius;(quod eſſe minime poteſt,niſi omnia in arte propoſita ad vnū referantur,quod etiam Ariſtot.12.diui.vltimo cōſtituit,vbi ait,vniuerſa ad vnum eſſe ordinata:) propter- Subdiuiſio ordinis eſſentialis vniuerſalis in ἀναλυτικόν, συνθετικόν, & ὁριστικόν.
F ea inquirendum,quidnam ſit illud vnum:quandoquidem ordines deſumuntur ab habitudine,quæ eſt inter omnia ad hoc vnum,non autem ab habitudine,quæ eſt inter multa ad inuicem. Vnde prout illud vnum multiplex fuerit;multi quoque ac varii ordines ſeu doctrinæ prodibunt.At ſcire nō poſſumus quotuplex in ſcientiis & artibus ſit vnum,niſi prius conſtet quid intelligamus per illud vnum.Certum itaque eſſe debet,ſi per vnum accipiamus illud , ad quod vniuerſa in arte vel ſcientia propoſita referuntur:illud vnum potentia ſeu virtute omnia continere debere:vnde non niſi triplex eſſe poteſt; nempe principium, finis,& medium ſeu centrum:principium quidem,quatenus omnia principiata a principiis pendent primis,vltra quæ in ea facultate adſcendere haud licet : finis præterea omnia virtute continet , ſiquidem omnia propter finem illum vltimum , vltra quem deſcendere inhibemur, fiunt : medium autem,hoc eſt, centrum,omnia virtute includit,quatenus,exempli gratia,omnes lineæ ad circumferentiam producuntur
G ab ipſo centro dependent,& in centrum referuntur ; quemadmodum etiam ſenſus omnes exteriores in ſenſum communem. Cum itaque ordo doctrinæ exigat , vt vniuerſa ad vnum referantur,vtque ſit habitudo multorum,imo omnium,ad vnum;atque illud vnum eſſe non poſſit niſi finis,principiū, & medium ſeu centrum:propterea triplex tantum ordo ſcaturire poteſt.Ratione enim finis, quatenus omnia ad finem referuntur,a fine auſpicamur,& progredimur ad ea quæ fini proxima ſunt; deinde ad ea

quæ remotiora;& tandem remotissima, vltra quæ progredi in ea facultate est impossibile; vt sic constituatur ordo resolutiuus, seu doctrina resolutiua. A Merito autem principii, quatenus omnia principiata ad principium referuntur, a principio exordimur,& descendimus ad ea quæ magis vicina sunt primo principio; deinde descendimus ad remotiora;& demum ad remotissimos infimosque effectus, vltra quos descendere non licet, peruenimus: vt sic ordo germinet compositiuus, seu doctrina compositiua. Tandem caussa medii, seu centri quatenus omnia in circumferentia exsistentia ad vnum centrum referuntur, ab eo centro incipimus, deinde instar ducentium lineas a centro ad circumferentiam progredimur, donec nulla relinquatur linea, quæ a centro prodire possit; nec vltra progredimur: vt sic constituatur ordo definitiuus, seu doctrina definitiua: quoniam definitio est centrum, a quo omnia in arte veluti lineæ deducuntur. Constitutum itaque ex dictis sit, doctrinas ordinantes tres tantum esse, nec plures, nec pauciores: atque omnes in hoc conuenire, vt concurrant ad disponendum res, quæ in facultatibus docentur, non aliquas tantum, sed omnes; B siquidē cum Aristotele, 12. metaphys. vltimo, non aliqua, sed vniuersa ad vnum referuntur: proindeque fieri, vt, si quis a principio auspicetur, & ad hominem progrediatur, aliqua tamen in via relinquat, imperfectus sit ordo compositiuus: pariter, si exordiatur a fine, & ascendat vsque ad primum principium, atque aliqua in adscensu dimittat, diminutus sit ordo resolutiuus: similiter, si quis initium sumat a definitione, a centro, & deinde progrediatur ad ea quæ ex definitione prodeunt, veluti ex cētro lineæ deducūtur, non tamē omnia inquirat, vel saltē principalia, ordo hic definitiuus exsistat mancus.

Transitio.

Quibus circa diuisionem ordinis doctrinæ enucleatis, modo singillatim de vnoquoque ordine disseremus: primum de resolutiuo, secundo de compositiuo, tertio de definitiuo: quia deinde facillimum erit has doctrinas inuicem conferre, dignoscereque in quo conueniant, in quo discrepent, quæ etiam magis, quæue minus nobiles sint. C

CAPVT VI.

De ordine Resolutiuo.

Analytici ordinis definitio.

ORdo resolutiuus est doctrina instrumentalis disponens, qua docemur vniuersa ad vnum finem ordinare. Primum loco generis dictum fuit, quod sit *doctrina instrumentalis disponens:* siquidem hæ differentiæ, additæ generi, nempe doctrinæ, de ordine in quid prædicantur: atque totum hoc rationem habet generis, quoniam in his communicant omnes ordinis species; sicut omnes brutorum species conueniunt in animali irrationali. Propterea, vt ordo resolutiuus a reliquis, nempe compositiuo & definitiuo, seiungeretur, addita fuit particula, tenens locum differentiæ, dum dictum fuit, *qua docemur vniuersa ad vnum finem ordinare.* D Differt enim ordo resolutiuus a reliquis: quoniam in ordine compositiuo omnia relationem habent ad principia; in definitiuo ad centrum, ad definitionem; in resolutiuo, ad finem. Namque ordo resolutiuus incipit a notione finis, deinde progreditur ad ea quæ sunt propter finem: quandoquidem, vt dicebat Plato in Gorgia, cetera omnia fiunt propter finem, non autem finis propter reliqua: quod etiam in Philebo, vel de summo bono repetit. Hic autem per finem intelligere oportet non finem alicuius partis artis, sed totius artis, quam constituere intendimus: hic enim est, qui necessitatem imponit his, quæ sunt ad finem. Ad quam veritatem respiciens Galenus, in prooemio artis medicin. ait, doctrinam resolutiuam fieri ex notione finis, & propterea maxime ad artium inuentionem seu constitutionem conferre. Vnde Galenus opus edidit, tum de constitutione artium, tum de constitutione artis medicinalis per resolutionem. E

Duplex ἀναλύσεως progressus.

Hunc resolutiuum ordinem, vt intelligatis, exempla proponere oportet. Prius tamen pro recta huiusmodi ordinis intelligentia, multarumque difficultatum enodatione, inquirendum, an hoc definitum diuisionem aliquam admittat nec ne? Et quamuis nec apud Leonicenum, nec alios, diuisionem aliquam obseruauerimus: necessarium tamen esse arbitramur, ordinem resolutiuum diuidere. Hanc autem necessitatem suo loco cognoscetis. Itaque ex definitione diuisionem haurientes, cum ordo resolutiuus sit doctrina disponens, qua docemur vniuersa ad vnum finem ordinare; cumque in ordine resolutiuo progrediendum sit a fine, ad ea quæ ad finem referuntur; dicimus, talem progressum duplicem esse: vnum, in quo incedimus a fine ad totam artem, deinde a tota arte ad artis partes, partes singulas per resolutionem inuenientes: reliquum vero, in quo progredimur a fine, non ad totam artem, sed ad ea, quæ sunt proxima fini, ad ea quæ remota, & vsque ad remotissima. F

Primi ordinis resolutiui exemplum, e medicina.

Horum ordinum necessitatem declaro exemplis, tum e philosophia, tum e medicina. Et primum e medicina, quoniam tali ordine est vsus Galenus, non autem Aristoteles. Itaque quantum ad resolutiuum ordinem, in quo progredimur a fine ad totam artem, mox vero a tota arte ad partes omnes artis; exempli gratia, cum Galeno, in libro de constit. art. medic. cum obseruamus homines aliquos bene habere, aliquos male, nascitur cupiditas, vt bene habentes conseruemus, male autem habentes vt ad sanitatem redigātur: hinc nascitur desiderium constituendi aliquam artem, quæ sanitatem præsentem cōseruet, & deperditam reuocet; quæ ars medicina est. Ecce, quemadmodum a sanitate, seu sanitatis fruitionē circa corpus humanum, ab hoc fine concepto progredimur in inuentionem medicinæ, in inuentionem totius artis. Postea vero properamus a tota medica arte ad partes artis, nempe ad partē φυσιολογικὴν, αἰτιόλογικὴν, seu παθολογικὴν σημειωτικὴν, ὑγιεινὴν, & θεραπευτικὴν: has assiduo per resolutionem inuenientes. Propterea Galenus c. 20. illius G libelli ait, institutum esse, non fusa explicatione de partibus omnibus medicinæ differere, verū quo pacto a finis notione quarumuis artium, sic & huius constitutio fiat. Vnde aduertatis, cum Galenus in fine illius libelli asserat, se progredi ab inuentione partium, tum similarium, tum dissimilarium, ad inuentionem affectuum, atque ab his ad scopos curationis; ipsum, progrediendo a tota medicina ad partes, primum inue-

A inuenire partem φυσιολογικὴν, deinde παθολογικὴν, & σημειωτικὴν ab his transire ad θεραπευτικὴν, seu ad sco-
pos curationis. Secundum quem progressum falsum est illud, quod instar axiomatis omnes communiter
in ore habent, nempe, ordinem compositiuum & resolutiuum inuicem ita disponi, vt, vbi desinit resolu-
tiuus, incipiat compositiuus. Hoc (inquam) est falsum. Namque Galenus in libello de constitutione ar-
tis medicinalis progreditur ordine resolutiuo, & desinit in remediis: a quibus tamen nemo sanæ mentis
diceret ordinem compositiuum incipere: siquidem ordo compositiuus progreditur a principiis ad prin-
cipiata, a primis ad vltima: quare non potest incipere a remediis, quæ vltima sunt. Propterea Auicennas
totam medicam artem secundum ordinem compositiuum disponens, primum de elementis seu princi-
piis differit, vltimo vero ad partem curatiuam descendit. Quare inter ordinem resolutiuum & composi-
tiuum nequaquam constituenda illa differentia, quod vbi desinit resolutiuus, incipiat compositiuus Sed
B ad rem. Constitutum sit, Galenum in medicina vsum esse ordine resolutiuo, a fine, ad totam artem, & a
tota arte, ad partes artis: secundum quem ordinem licet non solum inuenire, sed etiam docere artem.
Quod in eo libello moliri videtur Galen. nam cap. 20. ait, institutum esse de partibus omnibus medicinæ
differere, sed non fusa explicatione, verum compendiosa: vt proinde Galenus resolutiuo ordine non so-
lum artem disponat, sed etiam doceat. Quod adhuc euidentissime confirmatur, quoniam in prooemio
art. med. inquit, sicuti alio loco tractarit doctrinam resolutiuam, ita hic secuturum sese doctrinam defini-
tiuam: sed hic artem medicam doctrina definitiua non modo disponit, verum quoque explanat: quare,
si veram profitetur similitudinem Galenus, idem dicendum de doctrina resolutiua, de qua in libel. de cō-
stit. art. Aduertendum tamen, differentiam esse inter hunc lib. artis medicinalis, & lib. de const. art. quo-
niam in libro artis medicinalis, magis respicit ad explicationem compendiosam, quam ad dispositionem;
C contra in li. de const. art. magis oculos dirigit ad dispositionem & ordinem, quam ad explicationem: pro-
pterea hunc librum inscripsit de arte medicinali, illum autem de constitutione art. med. quia scilicet quā-
uis doceat artem, magis tamen affectat artis inuentionem & constitutionem, nempe applicando ea, quæ
vniuersaliter proposuit in opere de constitut. artium, ipsi medicinæ. Neque enim in hoc lib. traditur tum
scientia, tum modus sciendi: quia modus sciendi desumtus est ex libro de constit. artium; at in hoc traditur
scientia quatenus resolutio applicatur medicinæ, ita vt per illam resolutionem medicina tum constitua-
tur, tum doceatur. Quæ ea ratione monere volui vt facile Matthæi Curtii errorem deprehenderetis:
quippe qui credidit, Galenum in libr. de const. artis non tradere artem medicinalem ordine resolutiuo,
sed solum proponere modum constituendi artem medicinalem ordine resolutiuo. Sed ad rem. Constat,
quomodo detur ordo resolutiuus, progrediens a fine ad totam artem, & a tota arte ad partes: idque liquet
D exemplo ex arte medica proposito.

Ex philosophia naturali, clarioris doctrinæ gratia, modo proponatur exemplum, quod sit huiusmo-
di. Videntes, verbi caussa, homines in hoc mundo inferiori, in hoc mundo sensibili, varia, & propemodū [Exemplum e philoso-
infinita: allecti fuere desiderio omnia cognoscendi. Vnde ex hoc fine, ex cognitione rerum quæ in hoc phia, primi
mundo sentiuntur adinuenta fuit philosophia naturalis, beneficio cuius omnia in mundo existentia in ordinis.]
communem quandam naturam redigerentur, proindeq; dignoscerentur; siquidem indiuidua, quoniam
infinita, dignosci nequeunt. Ecce ergo quemadmodum a fine progredimur ad totam scientiam, ad phi-
losophiā naturalem; deinde vero progredimur a tota naturali philosophia ad partes: postremo nempe ad
partem de principiis, & de principiatis. Atq; quantum ad partem de principiis, progredimur ad partem de
principiis tum primis, tum non primis: per primo intelligo illa, de quibus in libro physicorum: per non
E prima, ac veluti secunda, de quibus in lib. de cœlo: per non prima, ac veluti tertia, de quibus in lib. de ort. &
interitu. Quantum autem ad partem de principiatis, intelligimus partem de principiatis tum perfectis,
tum imperfectis. Quantum ad imperfecta, ea sunt, de quibus in libro meteor. Quantum ad perfecta
sunt vel inanimata, de quibus in lib. de mineralib. vel animata, tuncq; vel citra sensum, & motum, de qui-
bus in lib. de Plantis; vel cum sensu & motu, de quibus in lib. de animalib. Quæ omnia si hac inueniantur
serie, a tota philosophia progrediendo ad partes, vt resolutiuo ordine singulæ constituantur, doceantur-
que (quemadmodum Galenus in li. de const. art. med. in facultate medica obseruauit.) dubio procul phi-
losophia naturalis erit constituta & tradita ordine resolutiuo: secundum quem tamen Aristoteles nō tra-
didit; tradidit enim solum ordine compositiuo. Hæc de ordine resolutiuo, secundum quem progredimur
a fine ad totam artem, deinde a tota arte ad artis partes, artem ipsam integrantes perficientesque.

F Alter ordo resolutiuus est, in quo quidem a finis notione auspicamur, sed protinus ad totam non [Secundus
adscendimus artem, verū ad ea quæ in arte ipsi fini vicina sese offerunt, progredientes ad ea quę remota, & ordo reso-
demum vsque ad remotissima. Hicque ille est ordo resolutiuus, qui desinit in illud, a quo secundum ordi- lutiuus.]
nem compositiuum auspicari oportet. Cuius discriminis inter ordines resolutiuos fortasse ex caussa esse
potest, quoniam iste non est ita idoneus ad docendum, sicuti prior: namque prior erat aptus ad inuenien-
dum, & docendum; quia satis commodum est docere progrediendo a tota arte, ad partes tum similares,
tum dissimilares; ab his ad inuentionem & dignotionem affectuum; atque demum ab his ad scopos cura-
tionis: nam similiter etiam progreditur compositiuus, qui maxime ad docendum est destinatus: & ideo
non fuit necessarium in illo priore, vt desineret in id, a quo debet compositiuus incoari: sed in posteriore
ordine resolutiuo id est necessarium, quoniam non est ita aptus ad docendum, & proinde eius defectum
G docendo supplet compositiuus. Tametsi secundum hunc ordinem resolutiuum (vt aperte hoc anno de-
monstrauimus) artem docere videatur Hipp. in aphorismis: quamuis non secundum omnes partes, sed
solum secundum partem θεραπευτικὴν & σημειωτικὴν, progrediendo a θεραπευτικῇ ad σημειωτικὴν, hoc est, ad
præsagatoriam. Nemo tamen vnquam docuit artē integram hoc ordine resolutiuo: est enim progressus
difficilimus, addiscentes exigens quam maxime eruditos, quales Hippocratis auditores esse debent.

Sed ad rem. Cum detur hic secundus ordo resolutiuus, in quo progredimur a fine ad prima princi- A
pia, a quibus ordo compositiuus exorditur: ad lucidiorem doctrinam demus exemplum, tum in philoso-
phia, tum in medicina: vt medicis, atque philosophis morem geramus. Itaque in philosophia sit tale ex-
emplum. Quemadmodum in actiuis, & effectiuis facultatibus finis est bonum, quod tamen in actiuis in
actione, in effectiuis in effectione consistit: ita in speculatiuis finis erit veritas, seu veri cognitio. Ceterum
veri cognitio multiplex esse potest; prout res, quarum veritatem inquirimus, multiplices sunt. Sunt autem
vel omnifariam a materia Separatæ, vel omnifariam Immersæ, vel Medio modo sese habentes. Si primo
modo, finis in cognitione rerum diuinarum includitur, & erit finis philosophi diuini: si secundo modo,
finis consistit in cognitione rerum naturalium, & erit finis philosophi naturalis: si tertio modo, finis deti-
nebitur in cognitione & veritate rerum mathematicarum, & erit finis mathematici. Sed accipiamus nos
finem philosophi naturalis. Hic ergo cum sit res noscere naturales quatenus immersæ sunt in materia; at- B
que cognitio consistat non in indiuiduis & singularibus, sed speciebus: propterea opus est cognoscere o-
mnes species sensibiles, nempe omnes species mixtorum, tum imperfectorum, tum perfectorum; atque
horum tum inanimatorum, tum animatorum; & horum tum non sensitiuorum, tum sensitiuorum; ho-
rumque tum irrationalium, tum rationalium. Ceterum, cum species istas sensibiles & materiæ immersas
impossibile sit exacte cognoscere nisi per cognitionem suorum elementorum, caussarum, & principiorũ:
ideo oportet vt philosophus naturalis cognoscat mistorum tum caussas proximas, scilicet elementa; tum
remotas, quæ sunt caussæ; tum remotissimas, quæ sunt prima principia. Vnde philosophus naturalis con-
cepto fine progreditur quamprimum ad species; & primo ad perfectiores, quia scilicet fini maxime pro-
ximæ sunt; deinde ad imperfectiores; & tandem ad perfectissimas, de quibus in libris meteororum. Postea
vero progreditur a speciebus ad caussas; & primum proximas, de quib. in libris de ortu & interitu; deinde C
adscendit ad caussas remotiores, de quibus in libris de cœlo; tandem ad remotissimas pergit, vltra quas na-
turalis philosophus minime progredi potest, nimirum, ad materiam primam, formam, priuationẽ, & pri-
mum motorem. Vnde cum hic ordo resolutiuus ille sit, qui definit in id, a quo secundum compositiuum
ordiri oportet; propterea philosophus naturalis ordine cõpositiuo progredi debet, non a mixtis ad prin-
cipia mixti, instar resolutiui; sed contra, a principiis mixti, ad mixta. Proponens autem principia, primum
non debet proxima proponere, sed remotissima primo loco sunt firmanda, deinde minus remota, & tan-
dem propinqua: a quibus descendens ad mixta, non primum de perfectis differendum, sicuti in ordine
solutiuo, sed contra potius de imperfectis, deinde de perfectis, & tandem de perfectissimis, nempe de spe-
cie humana. Quare constat quid sibi velit ordo hic resolutiuus in philosophia naturali.

Exemplum philosophicum.

Quantum autem ad medicam facultatem, sit tale exemplum. Finis medici est ipsa sanitas, vel sanita- D
tis fruitio, in corpore humano: propterea omnia efficere debet, vt homo sanitate fruatur. Cum autem ho-
mo sanitate frui nequeat, nisi tum præsentem conseruet, tum deperditam reparet: hinc oritur duplex pars
medicinæ, quarum altera sanitas cõseruatur, & est ars tuendæ sanitatis; reliqua deperdita reuocatur, & est
ars curatiua: virtute quarum partium medicus dogmatice, hoc est, per indicationes, vti sciat auxiliis, quib.
sanitatem præsentem conseruet, & deperditam reparet. Ceterum, quoniam nec sanitatem præsentem cõ-
seruare licet, nec deperditam reparare, nisi dignoscamus omnes corporis dispositiones tum sanas, tum æ-
gras; nisi etiam illarum dispositionum caussas nouerimus: hinc oritur illa artis pars, quæ dicitur παθολογι-
κὴ, in qua de signis differitur, beneficio quorum dignoscamus varias corporis dispositiones, siue corpus sit
salubre, siue insalubre, siue neutrum. Verum quoniam signum est rei signatæ signum; ideo de signato a-
gendum: quoniam non licet deuenire per signum in signati cognitionem, nisi prius quidnam sit illud si- E
gnatum animo conceperimus: neq; enim ex signis tertianæ febris poterimus deuenire in cognitionem
tertianæ febris, nisi prius tertianæ febris naturam menti affixerimus; nimirum, quod talis sit, quam talia
symptomata consequi debeant. Cum itaque signum supponat signatum; ideo medicus circa signatum
speculari debet. Hoc autem signatum cum sit tum præter naturam, tum secundum naturam; ideo ratio-
ne signati præter naturam, oritur illa pars, quæ dicitur φυσιολογικὴ: gratia autem signati secundum naturã,
prodit illa, quæ dicitur θεραπευτικὴ: quæ cum vltimo loco fuerit adinuenta, ob id secundum compositiuum
ordinem prima esse debet: & proinde, sicuti secundum ordinem resolutiuum progressus est a fine ad par-
tem θεραπευτικὴν & ὑγιεινὴν, mox ab his ad σημειωτικὴν, ab hacque ad παθολογικὴν, & φυσιολογικὴν: ita per ean-
dem viam, secundum ordinem compositiuum descendendo, progressus fieri debet a parte φυσιολογικῆ ad
παθολογικὴν, σημειωτικὴν, ad ὑγιεινὴν, & θεραπευτικὴν. F

Medicum exemplum.

Capvt VII.

De ordine Compositiuo.

Synthetici ordinis definitio.

EX his quæ dicta sunt de ordine resolutiuo, non erit difficile de ordine compositiuo sermonem habe-
re: quandoquidem vbi definit alter ex resolutiuis, auspicatur compositiuus. Quare huius talis propo-
nitur definitio: *Ordo compositiuus est doctrina instrumentalis disponens, qua docemur vniuersa ad suum prin-
cipium ordinare.* Pro declaratione huius definitionis sat sit ponderare illam partem, quæ est loco differen-
tiæ, in qua dicimus, *qua docemur vniuersa ad suum principium ordinare.* Namque per hanc particulam
hæc doctrinæ species specialissima a quacunque alia doctrina distinguitur. Dictum itaque fuit, *qua doce-
mur vniuersa ad suum principium ordinare:* Quoniam per hanc docemur, progrediendum esse a primis G
principiis ad principiata, & ab his ad alia; ea tamen serie, vt omnia ex primis pendeant principiis, omnia
ad illa prima ita referantur, vt illis demtis nulla principiorum ratio haberi possit. Aduertendum autem,
secundum hunc ordinem ita esse progrediendum a primis ad vltima, vt cum Auerr. primo physicor. pri-
mo, & secundo physicorum 72. secundum ordinem progrediamur, hoc est, a primis ad vltima, per secun-
da, ter-

A da, tertia, quarta, & quincta, ſingillatim, vſque ad poſtrema, vt nihil relinquatur. Vnde cum in hoc or-
dine talis ſit via, nempe deſcenſus, ad differentiam reſolutiui: ſequitur cum Platone tum in Hippia ma-
iori, vel de pulcro, tum in Philebo, vel de ſummo bono, vt ſecundum hunc ordinem procedentes a prio-
ribus ad poſteriora, merito a cauſſis ad effecta, ſeu (vt ita dicam) cauſſata progrediamur: namque ſemper
natura præcedit quod efficiens eſt, quod vero factum eſt, & ab eo genitum, ipſum ſequitur. Ad quam ve-
ritatem pariter reſpiciens Galenus, ſexto de decretis capite quincto, ordinem hunc compoſitiuum, quem
doctrinæ ordinem nuncupat, ita comparauit naturæ, vt dixerit ſtultum eſſe, velle inuenire aliud naturæ,
& aliud doctrinæ principium: doctrina enim, quæ ſecundum rei naturam fit, ſcilicet compoſitiua, idem
principium cum re ipſa habet: neque poteſt quiſpiam qui recte exponere velit alicuius generationem, a-
liud initium quam id quod verum eſt, conuenientius inuenire; veluti domus initium ſunt fundamenta,
B nauis autem carina.

Sed hic vos monitos eſſe velim, ne decipiamini more aliquorum, qui dixerunt vniuerſaliter loquen-
tes, diſcrimen eſſe inter ordinem, & viam doctrinæ: quia via doctrinæ a nobis notioribus procedit; ordo
vero a notioribus & prioribus naturæ. Nam in his dictis partim vera, partim falſa continentur. Vera qui-
dem; cum aſſerunt: in via doctrinæ progreſſum inſtitui a nobis notis; ſiue hæc nota naturæ ſint ignota, ſi-
ue etiam nota; vt infra, cum de methodo diſſeremus promulgabimus. Vera etiam dicunt, quantum ad
ordinem doctrinæ, ſi ſermo ſit de compoſitiuo, de quo Auerroes locis allegatis mentionem habet: loqui-
tur enim Auerr. de eo ordine, quo philoſophus totam ſuam naturalem philoſophiam diſpoſuit: verum e-
nim eſt, ſecundum eum ordinem philoſophum procedere a prioribus & notioribus naturę. Sed falſa pro-
ferunt, propoſitionem illam vniuerſalem, quemlibet includentem ordinem, proponentes. Namque fal-
C ſum eſt de ordine reſolutiuo: hic namque eſt ordo doctrinæ, & tamen a poſterioribus & nobis notioribus
ad notiora naturæ progreditur.

Nõ omnis ordo a notioribus naturæ progreditur.

Ceterum, vt ad amuſſim huius ordinis compoſitiui naturam aſſequi valeatis; exempla aſſignabo, tum
e philoſophia, tum e medicina. In philoſophia itaque, ſecundum leges propoſiti ordinis, exordimur a pri-
ma materia, & primo motore, de quibus in lib. phyſicorum: deinde ab his progredimur ad ſecundam ma-
teriam, hoc eſt, ad elementa, vt ſunt partes vniuerſi; & ad ſecundum motorem, nempe cœlum, de quibus
in libris de cœlo: poſtea ab his deſcendimus ad tertiam materiam, hoc eſt, ad elementa, vt ad mixtionem
concurrunt; & ad tertium motorem, hoc eſt, ad ſolem, qui in zodiaco circulo per acceſſum ad nos cauſſa
eſt generationis principaliter, per receſſum, (ſecundario tamen) cauſſa corruptionis, de quibus in libris
de ortu & interitu. Poſtea ab his nouiſſimis principiis progredimur ad principiata, & primum ad ſimpli-
D ciora, imperfectioraque, de quibus in meteoris mox ad minus imperfecta, hoc eſt, ad inanimata, ad mine-
ralia: deinde ad perfectiora, non tamen vndiquaque perfectiſſima, veluti ad plantas: tandem deſcendimus
ad maxime compoſita, & perfectiſſima, veluti ad animalia, & non ſolum ad bruta, ſed etiam ad hominem,
veluti ad ſpeciem omnium perfectiſſimam abſolutiſſimamque.

Exemplum philoſophicum.

Exemplum vero in medicina facile eſt intueri: ſiquidem in hac arte ſecundum hunc ordinem pro-
grediens, auſpicatur a parte φυσιολογικῇ, a qua progreditur ad παθολογικὴν, ad σημειωτικὴν, ad ὑγιεινὴν, & tan-
dem ad θεραπευτικήν.

Medicum exemplum.

Ceterum hic animaduertere oportet, ne fortaſſe decipiamini, credentes, vbi deſinit reſolutiuus or-
do, ibi incipere compoſitiuum; arbitraremini propterea ordinem compoſitiuum ita ſupponere reſoluti-
uum, vt non ſit poſſibile tradere & docere ſcientiam aliquam ordine compoſitiuo, niſi prius inuenta eſſet
E ordine reſolutiuo. Hoc enim falſiſſimum eſt: namque Ariſtoteles tradit philoſophiam naturalem ordine
compoſitiuo, eam tamen non inuenit ordine reſolutiuo. Præterea dicit Galenus, neminem ante ſe artem
tradidiſſe doctrina reſolutiua, cum tamen ante Galenum fuerit inuenta medicina. Et quamuis loquatur
Galenus de arte medica, & proinde de medicis: attamen ſi Ariſtoteles vſus eſſet doctrina reſolutiua, non
ſubticuiſſet Galenus. Sed ſtatim dicet quis: ſi ordo compoſitiuus non ſupponit reſolutiuum, qua ratione
tradi poterit aliqua facultas, quæ prius non inueniatur; quoniam compoſitiuus conducit, tum ad diſpoſi-
tionem, tum ad docendum, non autem ad inueniendum, imo exigit rem inuentam. Fatemur & nos, eſſe
impoſſibile artem aliquam vel ſcientiam tradere ordine compoſitiuo, niſi prius præceſſerit inuentio: non
propterea tamen dicere cogimur tres ordines ſeu doctrinas inuicem ita eſſe connexas, ſe conſequentes,
vt prima ſit reſolutiua, ſecunda compoſitiua, tertia definitiua: ſed contra potius tres eſſe doctrinas, quæ
F ordini inhærent, ita, vt nulla alia animo concipi poſſit doctrina ordini inhærens, hoc eſt, res ipſas in arti-
bus & ſcientiis ordinans, quam triplex doctrina a Galeno propoſita. Verum pro integra intellectus veſtri
quiete aduertendum, artium & ſcientiarum inuentionem non neceſſario fieri ordine reſolutiuo, de quo
loquuti fuimus; ſed interdum etiam methodo reſolutiua, de qua ſuo loco: atque talis inuentio ſufficit ad
hoc, vt poſſit ars vel ſcientia methodo reſolutiua inuenta, compoſitiuo ordine diſponi & doceri: quemad-
modum eſt videre apud Ariſtotelem, quippe qui primo phyſicorum in proœmio, antequam auſpicaretur
ſuã philoſophiam naturalem ordine ſeu filo compoſitiuo, vſus eſt tali reſolutione, hoc eſt, methodo reſo-
lutiua; non autem ordine, vt quidam male crediderunt: inquit enim, cum ſcopus ſit, rerum naturalium
cognitionem tradere; atque res naturales, veluti habentes principia, cauſſas, & elementa, cognoſci ne-
queant, abſque cognitione principiorum, cauſſarum & elementorum: ob id neceſſarium eſſe, prius ſer-
G monem habere de rerum naturalium principiis, cauſſis, & elementis. Ecce igitur, quemadmodum per i-
pſam reſolutionem inuenit philoſophiam, conſecutuſque eſt viam progrediendi in docendo hanc ſcien-
tiam, progrediendo nimirum a principiis, cauſſis, & elementis, ad principiata, cauſſata, &,
vt ita dixerim, elementata; proindeque ordine compoſitiuo. Sed iam
ad definitiuum properemus.

Ordo compoſitiuus non præſupponit analyticũ.

CAPVT VIII. A

De ordine Definitiuo.

Definitiuus ordo quid?

DEfinitiuus itaque ordo *est doctrina instrumentalis disponens, qua docemur vniuersa ad vnum centrum ordinare.* In qua definitione breuitati studentes, quemadmodum in explicatione definitionis ordinis
compositiui, postremam tantum particulam explanabimus; per quam institutus ordo a reliquis distin-
guitur, nimirum quando dictum fuit, *qua docemur vniuersa ad vnum centrum ordinare.* Namque sicuti in
ordine resolutiuo omnia ordinantur ad vnum finem, in compositiuo ad vnum in quolibet genere pri-
mum: similiter in ordine definitiuo referuntur omnia ad vnum medium, ad vnum centrum, hoc est, ad v-
nam definitionem. Proinde in hoc ordine via est, non a fine ad priora, non a prioribus ad posteriora; sed
a centro, a definitione, ad ea quæ ex definitione prodeunt, veluti lineas, quæ a centro ad circumferentiam
deducuntur. Secundum hunc igitur ordinem ita artes & scientiæ disponuntur, vt primum proponatur
definitio, deinde ipsa definitio in suas partes dissoluatur & particulas, singulas partes explanando. Hinc
factum est, vt, quemadmodum ait Galenus in procemio artis medicinalis, hanc doctrinam aliqui appel-
lent dissolutionem, alii resolutionem, alii diuisionem, alii explicationem, alii expositionem, vel explana-
tionem. Nominant quidem dissolutionem, & resolutionem, quia definitionem in tot partes resoluunt,
seu dissoluunt: diuisionem vero, quatenus partes definitionis diuidunt: explicationem autem vel exposi-
tionem, vel explanationem, quatenus definitionis partes explicant, vel exponunt, vel explanant. Sed de
nominibus non sit cura: satis sit scire, secundum hunc ordinem viam esse a definitione tota ad eius partes,
ita vt partes in definitionem vnam referantur, quemadmodum lineæ in centrum vnum, & exteriores
sensus in communem sensum.

In Recentiorem.

Ceterum hic vos monitos esse velim, ne in eum labamini errorem, quo obrutus est Modernus. Vo- C
luit enim, in ordine definitiuo esse habitudinem multorum ad vnum, sed ad vnum definitum. Quod est
falsum. Quoniam verum quidem est, in definitiuo ordine esse habitudinem multorum ad vnum; siqui-
dem in quocunq; ordine vniuersa ad vnum ordinantur: sed in definitiuo ordine illud vnum, quod cen-
trum vocamus, non est definitum (vt putat Modernus) sed ipsa definitio. Neque enim dicendum est, quæ
tractantur in libro art. med. referri ad vnum definitum, hoc est, ad medicinam, sed potius ad totam defini-
tionem, de medica arte traditam, quatenus in se definitio continet tot capita, vt in arte medica nil tracta-
ri possit, quod ad definitionem non referatur. Propterea, vbi in dissolutione vel explicatione talis defini-
tionis vtimur methodo diuisiua, vel resolutiua, vel demonstratiua, vel definitiua; hisce methodis non vti-
mur ratione definiti, sed ratione totius definitionis, ratione partium definitionis. Quare in ordine defi-
nitiuo, est habitudo multorum ad vnum, hoc est, ad vnam definitionem. Et in hoc potissimum distingui- D
tur ordo definitiuus a methodo definitiua: nam in ordine definitiuo præter habitudinem partium defi-
nientium ad definitum, adest etiam habitudo, quæ in hoc ordine potissima est, nempe habitudo omnium
quæ in arte tractantur ad ipsam definitionem: at in methodo definitiua est quidem habitudo partium de-
finitionis ad definitum, non tamen omnia quæ in arte tractantur ad illam definitionem vt ad principem,
seu imperatorem, referuntur. Quod non vidit Modernus.

In Leonicenum.

Hincque (pace tanti viri dictum sit) non parum alucinatus est Leonicenus, qui voluit, Aristotelem
vti ordine definitiuo in secundo physicorum, vbi definit naturam; in tertio, vbi definit motum; in quar-
to, vbi definit locum, & tempus. Sed constat hoc esse falsum; quoniam Aristoteles vtitur ordine composi-
tiuo, in naturali philosophia tradenda docendaque. Quod si definiat aliquando; non propterea ordine v-
titur definitiuo, sed methodo definitiua: idque maxime confirmatur, propterea quod non omnia, quæ in E
philosophia dicuntur, ad vnam ex illis definitionibus, imo neque ad illas definitiones referuntur; cum ta-
men expostulet definitiuus ordo, vt omnia in arte contenta ad vnam referantur definitionem.

Exemplum medicum.

Verum ad huius veritatis faciliorem intelligentiam; exemplum tum e philosophia, tum e medicina,
de more afferre liceat. In medicina quidem euidens a Galeno habetis exemplum, cum inquit, medicinam
esse scientiam salubrium, insalubrium, & neutrorum. Qua constituta definitione postea diuidit definitio-
nis partes in corpora, signa, & caussas: atque de omnibus per compendium differit; ea tamen ratione, qua
omnia ex definitione, tanquam ex centro constituto, proficiscuntur.

Philosophicum exemplum.

Exemplum deinde in philosophia naturali sit: Cum ex sententia Platonis philosophia sit diuinarum
& humanarum rerum cognitio: propterea naturalis philosophia rerum erit naturalium cognitio. Quam
deinde definitionem diuisiua methodo diuidere oportet, dicentes, res naturales vel esse principia, vel F
principiata. Si principia; vel remotissima, de quibus in libro physicorum; vel propinqua, veluti illa de qui-
bus in libro de gen. & interitu; vel media, de quibus in libris de cœlo. Si autem principiata; hæc esse vel im-
perfecta, de quibus in libris meteor. vel perfecta; tuncque vel inanimata, de quibus in lib. de mineralibus;
vel animata, quæ sint vel sensus expertia, de quib. in libr. de Plantis; vel sensitiua; tuncq; vel irrationalia, vt
bruta; vel rationalia, vt homines, de quibus in lib. de animalibus. Ecce igitur quemadmodum ex dissolu-
tione definitionis propositæ, omnia in scientia tum disponuntur, tum etiam secundum hanc dispositio-
nem per capita doceri possunt. Quo fit, vt hæc doctrina satis ad compositiuam accedere videatur, atque
tum ad dispositionem, tum ad conciliandum memoriam conducat.

Definitiui & compositiui ordinis affinitas.

Hinc obiter colligatis, Galenum in ar. medic doctrina definitiua res in arte medica ita disponere, vt
quam maxime ad doctrinam compositiuam accedere videatur. Namq; cũ definitionem medicinæ veluti G
centrum fixisset, in quam definitionem partes pertractandæ referuntur; cum hæ partes essent corpora, si-
gna, & caussæ: primo corporum speculationem aggredi voluit, mox vero signorum, & tandem caussarum
ponderationem adire voluit: eo nimirum fretus fundamento: quoniam, agens de corporibus medicæ fa-
cultatis

A facultatis, partem φυσιολογικὴν, atq; αἰτιολογικὴν aggredi videtur: dum vero de signis differit, σημειωτικὴν partem profitetur: dum tandem ad caussas descendit, partem tum ὑγιεινὴν, tum θεραπευτικὴν perficere nititur. Quæ medicæ facultatis partes, cum tali serie, beneficio etiam compositiui ordinis, disponantur, & connectantur: non ab re doctrinam hanc definitiuam ad compositiuam quam maxime accedere constitutum esse debet. Sed de his fusius alias.

Aduertendum autem, doctrina hac definitiua vsum esse Galenum, non autem Aristotelem: quoniam Aristoteles tractās philosophiam naturalem, ordine compositiuo concise eam tradidit, vt ad memoriam doctrina definitiua non ita opus fuerit: at Galenus, cum tradiderit medicam artem non concise, sed prolixe admodum, ideo optimum fuit ad memoriam conciliandum & confirmandum, totam artem doctrina definitiua disponere, & concludere. Hæc de doctrina definitiua.

Cur Galenus ordine definitiuo sit vsus; non Aristoteles.

B

CAPVT IX.

De Conuenientia, atque Discrepantia ordinum.

PRoposito atque explanato triplici ordine modo, vt polliciti fuimus, de horum ordinum tum vtilitate, tum præstantia agere oportet, vt scilicet dignoscamus quis vtilior, quive præstantior sit. Ceterum, cum neutrum horum consequi possimus, nisi prius supponamus in quibus conueniant, & in quib. discrepent: propterea primum de ordinum conuenientia inuicem differemus; secundo de discrepantia. Ex his de vtilitate pertractabimus, & vltimo de præstantia.

Transitio.

Quantum ad primum, hoc ex definitione, veluti constantissimo fundamento, desumentes, dicimus; cum omnis ordo sit doctrina instrumentalis disponens, qua facultates disponere docemur: ordines meritò penes tria conuenire: primum quidem est, quod quilibet ordo vim habet disponendi res, quæ in scientia vel arte tractantur; secundum, quod in quocunq; ordine semper vniuersa ad vnum referuntur: tertium, quod quicunque ordo in sua dispositione potest res ipsas docere.

In quo conueniant doctrinæ ordines.

C

Discrepantia quoq; ordinum, ex illis tribus potissimum desumitur, quib. ordines conueniunt. Declaro. Cum ordines conueniant, quatenus disponunt, quatenus in his omnia ad vnum ordinantur, & quatenus docere possunt; primo est discrimen in dispositione: namque resolutiuus ordo disponit, exordiendo a fine, & adscendendo ad remotissima, eminentissimaque principia. Contra, compositiuus disponit, a remotissimis incipiendo a principiis, ad inferiora, imo vsq; ad infima descendendo. Ordo denique definitiuus disponit, auspicando a definitione, & proficiscendo ad partes, & particulas definitionis.

Quibus discrepent. 1.

Secundo, discrimen est penes id, quod vniuersa ad vnum ordinantur: namque in ordine resolutiuo ordinantur omnia ad vnum finem: in compositiuo ad vnum in quolibet genere primū: in definitiuo denique ad vnum medium, seu centrum. 2.

D

Tertio, discrimen est, quatenus docent: namque resolutiuus docet tum inueniendo, tum declarando; inueniendo quidem, vel in relatione ad ordinem compositiuum, vel citra relationē: in relatione quidem, quando inueniendo progreditur a fine ad ea quæ sunt proxima fini, & remota, vsq; ad remotissima: citra relationem vero, quando inueniendo procedit a fine ad totam artem, & a tota arte ad partes. Ordo etiam resolutiuus docet declarando, idque potius concise, quam fusius: licet etiam fusius id efficere possit. Ordo compositiuus docet, sed, ad differentiam resolutiui, citra inuentionem: requirit enim artem inuentam vel methodo resolutiua, vel ordine illo resolutiuo, qui a fine artis ad ea quæ proxima sunt fini, ad remota, & vsque ad remotissima progreditur: docet autem potius fuse, seu per διέξοδον, tametsi etiam concise docere possit. Postremo definitiuus docet pariter citra inuentionem, ad differentiam resolutiui; atque magis per compendium, ad differentiam compositiui. 3.

E

Quibus sic iactis fundamentis ad ordinum vtilitatem explanandum facilius est deuenire.

CAPVT. X.

De Vtilitate ordinum.

DE ordinum vtilitate, si recte loqui volumus, prius videre oportet, quomodo alter alterum penes aliquem vsum excedat: quia deinde inquiremus facilius, quis absolute vtilior sit. Quantum ad primum, a propositis fundamentis minime recedentes; vtilitas capitur non ex eo, quod ordines disponunt, vel in his vniuersa ad vnum ordinantur; ex his enim potius præstantiam desumere oportet: sed vtilitas inde præcipue petitur, quatenus docent. Vnde sequitur, ordinem, qui maiori vtilitate docet esse vtiliorem.

Ordo commodius docēs, vtilior.

F

Discurrendo igitur per ordines; patet e dictis, resolutiuum habere vim docendi, quatenus res ipsas tum inuenit, tum exponit; vt ex Galeno constare potest, qui in libro de const. art. med. medicam artem resolutiuo ordine inuenit, atque docet. Accedit etiam hunc ordinem ad memoriam conducere: tum quia ordo, vt ordo, ad memoriam conducit, sicuti eadem memoria ex confusione dissipatur; tum quia concise, proindeque in virtute paucorum phantasmatum, quæ facile memoriæ mandari possunt, docet.

Ordo analyticus vtilior ratione inuentionis.

Ordo vero compositiuus docet, sed citra inuentionem, ac per diexodum res exactissime explicat; vt proinde nullus ad docendum ordo aptior esse videatur ordine compositiuo. Quod etiam colligere licet ex Plat. in Theæteto vel de scientia: dicit namque ad singulas disciplinas exacte percipiendum, elementa, hoc est, prima principia, clariorem principalioremque intelligentiam cōstituere, quam syllabam, hoc est, principia non ita prima. Cum itaque in ordine compositiuo progrediamur a primis ad posteriora, a caussis ad effecta: ob id ad res explicandum maxime vtilis erit. Confert etiam ad memoriam: quia (vt dictum est) vbi ordo, ibi memoria.

Syntheticus ordo vtilior ratione scientiæ addiscēdæ.

G

Ordo definitiuus docet citra inuentionem; & proinde docet res inuentas: neq; has tamen ita explicat, vt compositiuus; quandoquidē in ordine definitiuo res per cōpendium potius tractantur, vt ob id exacte

Definitiuus ordo vtilior gratia memoriæ.

explicari nequeant, ſicuti in compoſitiuo ordine. At maxime ad memoriam confirmandum vtilis eſt definitiuus: ſiquidem res tum inuentas beneficio ordinis reſolutiui, vel methodi reſolutiuæ, tum explanatas in virtute ordinis compoſitiui, per compendium docet.

Aduertendum tamen: quia forte quis diceret: cum reſolutiuus etiam per compendium docere poſſit; igitur reſolutiuus ordo, quoad memoriam, ſi non erit vtilior ordine definitiuo, ſaltem erit æque vtilis? Huic quæſito ſatisfaciens Leonicenus, ait, definitiuum vtiliorem eſſe ad memoriam conciliandum; propterea quod magis ſint ordinatæ partes in definitione, quam in reſolutiuo ordine. Sed hæc ſolutio ſatis ſuſpecta mihi videtur: ſi enim conſideremus res ea ratione, qua in ordine definitiuo & reſolutiuo connectuntur: ſine dubio magis connectuntur ſecundum reſolutiuum quam definitiuum, vt ſuo loco clarius demonſtrabimus. Sed in præſentia hoc etiam facile eſt demonſtrare: nam maior eſt connexus rerum ad finem, quam ad definitionem: non enim poteſt quis maiorem imaginari connexum, quam inter ea, quæ ſunt ante finem, quia omnia ob finem conſiderantur, omnia citra diſcordiam in finem currunt. Vnde arctiſſimus eſt in ordine reſolutiuo connexus, qui in definitiuo maxime deſideratur: namque in definitiuo non attenditur habitudo, quæ eſt inter definitionis partes ad definitum; ſed inter res quæ in arte pertractantur ad definitionem; quæ dubio procul non eo vinculo cum definitione connectuntur, quale in reſolutiuo obſeruatur. Quare dicerem ego, ad memoriam vtiliorem eſſe definitum reſolutiuo: nam ad memoriam efficiendum & firmandum non modo requiruntur pauca phantaſmata, ſed ea etiam firma atque conſtantia. Vnde cum in ordine definitiuo, ſint pauca phantaſmata, eaque firmiora, quam in reſolutiuo; conducet merito magis ad memoriam, quam reſolutiuus. Quod autem ſint firmiora phantaſmata in definitiuo, conſtat: quia in definitiuo pertractantur ea, quæ fuſius tractata ſunt ordine compoſitiuo. In reſolutiuo autem, quamuis locum habeant pauca phantaſmata, ea tamen tanta ſtabilitate prædita eſſe non poſſunt, quoniam adhuc per ordinem compoſitiuum enucleata non ſunt. Quare tandem concludimus, cum in ordine tum reſolutiuo, tum definitiuo locum habere poſſint pauca phantaſmata, hæc tamen firmiora ſint in ordine definitiuo; propterea, quoad memoriam, reſolutiuum ordinem a definitiuo ſuperari.

Ordo reſolutiuus abſolute vtilior.

Quibus ita conſtitutis, vt principale propoſitũ abſoluamus, cũ ordo reſolutiuus vtilior ſit ratione inuentionis; compoſitiuus, gratia ſcientiæ addiſcendæ; definitiuus, merito memoriæ: facile ſequitur, ſi abſolute hi ordines perpendantur, magis vtilem, imo neceſſarium eſſe ordinem reſolutiuum; minus, compoſitiuum; adhuc minus, definitiuum. Et fundamentum eſt; quoniam magis vtile eſt, imo neceſſarium, tum inuenire, tum docere, tum memoriæ mandare, quæ reſolutiui ordinis ſunt munia; quam docere, vel memoriæ commendare, citra inuentionem. Rurſus magis vtile eſt docere, quod pertinet ad compoſitiuum, quam in memoriam reuocare, quod ſpectat ad definitiuum. Proinde etiam fit, vt ordo reſolutiuus nullo egeat ordine; compoſitiuus vero reſolutiuo, vel ſaltem reſolutione; definitiuus vtroque. Reſolutiuus quidem nullo eget ordine; propterea quod artem tum inuenire, tum docere, tum memoriæ commẽdare poteſt. Compoſitiuus autem eget reſolutiuo, vel ſaltem reſolutione, ratione inuentionis; at poſtea abſolute docet, atque memoriæ ordinate progrediendo committit. Definitiuus denique vtroque eget: reſolutiuo quidem, merito inuentionis; compoſitiuo vero, ratione fuſæ explicationis.

Conſtitutum itaque ſit, magis vtilem, & neceſſarium eſſe ordinem reſolutiuum; minus compoſitiuum; adhuc minus definitiuum. Sed iam de nobilitate loquamur.

CAPVT XI.

De præſtantia ordinum.

ORdinum nobilitatem pariter venari oportet, reſpicientes ad illa, quibus conueniunt, & diſſident; nimirum quatenus diſponunt, in his vniuerſa ad vnum ordinantur, & docent.

Analyticus ordo ratione diſpoſitionis eſt præſtãtior.

Quantum ad primum attinet, diſpoſitio in ordine reſolutiuo erat a fine ad principium; in compoſitiuo, a principio ad finem; in definitiuo, a definitione ad partes facultatis. Vnde in ordinibus viam conſiderantes, quoniam in ordine reſolutiuo eſt adſcenſus, in compoſitiuo deſcenſus, in definitiuo via eſt ad latera, quatenus partes a definitione deducuntur, vt lineæ a centro ad circumferentiam: cum igitur præſtantius ſit adſcendere, quam deſcendere, vel ad latera declinare: propterea reſolutiuus ordo ratione diſpoſitionis & viæ reliquos præcedet. Et hoc eſt, quod inſinuauit Galenus in prooemio art. medic. quando dixit, reſolutiuum præſtare definitiuo, docendi methodo, ſeu via, quia nimirum adſcendit: in quo adſcenſu maiori artificio vti oportet, quam in deſcenſu, vel progreſſu ad latera. Si deinde comparemus inuicem compoſitiuum & definitiuum; compoſitiuus prẹſtantior erit definitiuo: quoniam compoſitiuus eandem habet viam & methodum cum reſolutiuo, & ſolum ratione diſcrepant: ob id ſicut adſcenſus eſt nobilior progreſſu ad latera; ita & deſcenſus erit præſtantior. Ad quod etiam accedit, hanc viam a ſupra ad infra, ſpeciebus demonſtrationis potioribus eſſe quam maxime accommodatam.

Ordo analyticus ratione finis præſtantioris eſt dignior.

Secundo vero ſi conſiderantur ordines, quatenus in vnoquoque vniuerſa ad vnum referuntur; cum in reſolutiuo omnia ordinentur ad vnum finem; in compoſitiuo ad vnum principium, in definitiuo ad vnam definitionem; propterea ordo reſolutiuus præſtantior erit tum compoſitiuo, tum definitiuo. Fundamentum: quoniam in reſolutiuo omnia referuntur ad vnum, quod nobilius eſt ceteris, nimirum principiis, & definitione. Deſumitur hæc veritas ab Ariſt. tum alibi, tum primo de partibus cap. 1. vbi ait, cum plures ſint cauſſæ generationis naturalis, nempe finalis, cuius gratia res gignuntur; & efficiens, vnde mouendi initium; principatum illam obtinere, quam ſub hoc verbo, cuius gratia, ſignificamus, quæ nimirum eſt cauſſa finalis: hæc enim eſt ratio & principium in rebus, tam arte, quam natura conſtituendis. Proinde, teſte Ariſtotele, vbi medicus vel per intellectum, vel per ſenſum ſanitatem definierit, finemque nunc ſibi

propo-

A proposuerit;rationes &caussas rei quã facile reddere solet;nempe omnia ad sanitatem ceu finem redigendo. Itaque cum tanta sit finis dignitas, & a fine ordo resolutiuus exordium sumat;dubio procul resolutiuus ordo reliquos nobilitate & principatu superabit. Vnde & Galen.ad hoc respiciens in procœmio artis medicinalis, inquit,doctrinam resolutiuam definitiua digniorem esse.

Compositiuus ordo pariter præcedit definitiuum: propterea quod prima principia,in quæ reliqua referuntur,firmissima sunt,& stabilia,quæ semper manere oportet,atq; reipsa permanent; vt,in philosophia naturali, materia prima,& primus motor:definitio autem non est ita constans, tum quia plures possunt assignari definitiones;difficillimum enim est optimam ac firmam venari definitionem; tum magis quia definitio consistit per intellectum;est enim opus intellectus: principia autem scientiarum & artium sunt entia realia;vt materia prima.primus motor:digniora igitur & firmiora sunt.

B At hic vos monitos esse velim,quod Modernus capiens a Montano voluerit,ordinem resolutiuum esse præstantiorem definitiuo,non dignitate,sed potius celebritate, scil. honore & auctoritate:propterea quod priscis illis temporibus,scil.Platonis,Aristo.Eudemi,Theophrasti,& vsq; ad tempora Galeni,celebratissimus omnium ordinum esset resolutiuus,nõ tamen dignior:&ideo in textu græco est,ἀξιώματι,hoc est,celebritate,fama,nõ autem ἀξίᾳ,hoc est, dignitate; quia dignitate ordo definitiuus resolutiuum præcedit.Hocq; tali ratione probare cum Montano nititur:ille ordo,qui propinquior est vero & bono,præstat dignitate;talis est definitiuus,non resolutiuus; ergo &c. Maior est euidens,& a nobis etiam supra ex mente Arist.confirmata minorem probat:quoniam in resolutione quæritur bonum & verum; in definitione aũt supponitur. Ceterum dicimus nos,possibile esse,vt ordo resolutiuus priscis illis temporib.maioris esset auctoritatis;quia nimirum difficilior,artificiosior,vtiliorque erat.Sed addimus,etiam fuisse di- *(margin: In recentiorem.)*
C gniorem:propterea dixisse Gale.resolutiuum excedere definitiuum ἀξιώματι,hoc est,celebritate & dignitate;per ἀξίωμα vtrumque intelligendo: neque enim Gale.est ita addictus vocabulis (vt millies ipse testatur)sicuti isti,& alii Grammatizantes sæpius obstrepunt.Ad argumentum autem,quod ille ordo,qui propinquior est vero & bono,seu fini,sit dignior;hoc concedimus:quando postea addebatur minor;talẽ esse definitiuum,non resolutiuum;hanc minorem esse falsam dicimus. Ad probationem enim,quando dicebant,in resolutione quæri finem,in definitione supponi; respondemus ordinem resolutiuum non respicere finem,vt quærat finem,& definitionem,vt finem supponat:sed in hoc consistere, vt in resolutiuo omnia ordinentur ad finem, inquantum finis;in definitiuo aũt ad definitionem, inquantum definitio est quid cõtinens tum finẽ,tam cetera,quæ sunt propter finem. Cum aũt finis nobilior sit definitione;etiam ordo resolutiuus erit nobilior definitiuo; quoniam & talis ordo est maxime vicinus fini,quia scil. omnia
D ordinantur ad vnum finem,inquantum finis est:at in definitiuo omnia ordinantur ad finem,non inquãtum finis, sed quatenus continetur in definitione, namque omnia ordinantur ad vnam definitionem. Quare argumentum nullum,imo(vt constat) aduersus aduersarios retorqueri potest.

Tertio & vltimo consideratur nobilitas in ordinibus quatenus docent. Vbi asserimus,resolutiuum reliquis esse præstantiorem: propterea quod docet quatenus inuenit,& constituit,atque explicat artem, & memoriæ mandat. A tanta nobilitate cadit compositiuus:propterea quod non inuenit,sed tantum explicat, & fuse. A cuius perfectione magis recedit definitiuus,quoniam eius doctrina potius ad memoriam,quam ad quid aliud conducit. *(margin: Analyticus præstat reliquis gratia doctrinæ.)*

Vnde cum inuenire & explicare sit quid nobilius; quam exacte tantum explicare, quod inuentum
E est;atque deinde exacte explicare sit dignius,quam memoriæ mandare: propterea nobilissimus erit ordo resolutiuus,minus nobilis compositiuus,adhuc minus definitiuus.

Sed est dubitatio propter Leonicenum: qui voluit,ordinem compositiuum resolutiuo nobiliorem esse:propterea quod resolutiuus ad hunc inuenit finẽ,vt compositiuus,quod inuentum est,digerat,& copiosius edisserat.Vnde sicut finis est nobilior iis quæ sunt ad finẽ: ita ordo compositiuus resolutiuo perfectior esse debet. At dicimus nos,falsa esse dicta Leoniceni si de quocunq; ordine resolutiuo intelligantur. Primum n. si accipiamus eum resolutiuum ordinẽ, in quo a fine ad totam progredimur artem, deinde ab arte tota ad partes;hunc constat ad compositiuum non referri:non enim desinit in illud,a quo incipit cõpositiuus,vt patet ex lib.de const.art. Quare hic ordo non inuenit pp compositiuũ,sed propter seipsum: vnde quæ inuenit ẽt explicat.Si autem alterum accipiamus resolutiuum ordinem,in quo a fine progredimur ad ea quæ sunt proxima fini,deinde adscendimus ad remota,& demum ad remotissima, a quibus ex- *(margin: In Leonicenum.)*
F orditur compositiuus: quamuis hic ordo referri videatur ad compositiuum,tamen hæc inuentio non est principaliter propter compositiuum;quoniam & secundum hanc ipsam ars doceri potest. Hinc sequitur; cum referatur ad compositiuum,hanc non esse relationem serui ad dominum,sed domini ad seruum. Atque secundum hanc rationem differt resolutio ab ordine resolutiuo:quia resolutio,hoc est,methodus resolutiua,refertur quidem ad compositiuum ordinem,vt seruus ad dominum, quoniam tantum inuenit, & non explanat;at resolutiuus ordo,quoniam non solum inuenit, sed etiam explicare artem & scientiam potest,ideo refertur ad compositiuum,vt dominus ad seruum,quatenus compositiuus ipso eget. Quemadmodum etiam diuina philosophia, quatenus tribuit aliis scientiis principia,scil.a priori, habet relationem domini ad seruum; quatenus autem philosophia naturalis largitur principia, videlicet a posteriori, primæ philosophiæ,ad primam philosophiam refertur,vt seruus ad dominum. Quare cum resolutiuus
G ordo referatur ad compositiuum,vt dominus ad seruum;ideo ordo resolutiuus nobilior erit.

Tandem concludentes dicimus,siue loquamur de ordinum vtilitate,siue de præstantia,semper potiorem locum obtinere resolutiuum ordinem,secundum compositiuum,tertium definitiuum. Et ob id mirum videri non debet,si resolutiuus ordo a Gal.in procœmio artis med. adeo celebretur extollaturque. Hæc de ordinibus,seu doctrina disponente,dicta sufficiant. Quare ad methodos transeamus.

CAPVT XII. A

De Methodis; & primum de Definitione methodi.

Transitio ad methodos.

DOctrina genus quoddam generalissimum a nobis constitutum est, sub se continens doctrinas tum Principales, tum Non principales, seu instrumentales: & hæ sub se continent doctrinam Disponentem, atque Patefacientem. Doctrina igitur disponente absoluta; ratio ordinis exigit, vt de doctrina patefaciente disseramus. Verum cum hæc (vt ex generali doctrinæ diuisione didicistis) duplex sit, alia quidem patefaciens simpliciter, alia vero patefaciens secundum quid: primum de doctrina patefaciente simpliciter, veluti de nobiliori, disseremus. Rursus, cum hæc subdiuidatur, & alia sit patefaciens, per quam rei scientiam potissimum consequimur, nimirum doctrina Methodica; alia vero, per quam solam rei peritiam adipiscimur, videlicet doctrina Experimentalis: ordinate procedentes, primũ de perfectiore loquemur, B de doctrina methodica. Quod negotium cum non modo vtile, sed etiam necessarium sit, ad artes omnes & scientias capessendum, atq; suapte natura difficillimum: ob id omni diligentia de hac doctrina methodica pertractare conabimur. Atq; ne ob confusionem aliquis contingat error, hac serie progrediemur: primum quidem proponemus definitionem methodi in communi; secundo, ex definitione hauriemus omnes methodi species; tertio, singillatim de qualibet specie methodi verba faciemus.

Nomen methodi.

Quantum ad primum: antequam definitio proponatur, libet nonnulla circa nomen præfari. Itaq; sciendum, quod μέθοδος nihil aliud significet, quam viam quandam artificiosam. Hæc in suo communi significato accepta, quoniam locum habere potest, tum in scientiis, tum in ordinib. scientias & artes disponentibus, tum denique instrumentis res ignotas scientifice patefacientibus: hinc sequitur, tum scientias & artes, tum ordines, tum denique patefacientia instrumenta, vocem hanc interdum sibi arrogare, vt ab C auctoribus methodi nuncupentur. Quæ omnia ostendo: non vt in hac voce immorer, sed vt ex tali ponderatione aliorum errores dignoscatis, & euitare sciatis. Primo, quantum ad scientias: quoniam in his via quædam, & progressus quidam ordinatus requiritur; ideo scientiæ interdum methodi nominantur: quẽadmodum appellauit Aristot. 1. physi. a principio, vbi ait, cognoscere ac scire contingere circa omnes methodos. Ex quo eliciatis, Altimarum satis imperite redarguere Simplicium, propterea quod primo physi. 1. dixerit, tum ex propria, tum Alex. sententia, methodum esse habitum speculatiuum, seu contemplatiuum eorum, quæ ad ipsum attinent, cum ratione, id est, cum caussa. Namque rationes Altimari nullæ sunt: quoniam Simplicius ibi non intendit methodum pro instrumento patefaciente, sed pro scientiali notitia: interpretatur enim Arist. dicentem; cognoscere ac scire contingere circa omnes methodos, quarum sint principia. Hic ergo accipit methodos, (vt explicuit Simpl.) pro notitia scientiali, quæ fit ex principiis & D caussis rerum cognoscendarum, quarum sunt principia, vel caussæ, vel elementa, quales sunt res naturales. Ecce igitur, quomodo per methodos intelligat scientialem notitiam, quæ ex principiis est: quæ notitia scientialis dubio procul nihil aliud est, quam scientia, & consequenter habitus spectatiuus, seu contemplatiuus. Et ob id in tex. Arist. vbi Simplicius legit methodos, alii legunt scientias. Quare quam maxime deceptus fuit Altim. Constat igitur quemadmodum optimi auctores scientiam interdum methodũ nuncupant. Secundo, quantum pertinet ad ordines: quoniam & in his talis est via, propterea auctores interdum ordines methodos nuncuparunt. Nam Galenus in libr. de const. art. medic. passim, & præsertim cap. 16 ordinem resolutiuum methodum appellat. Tertio & vltimo, quantum ad instrumenta res ignotas patefacientia, veluti sunt demonstratio, diuisio, definitio, & resolutio: hæc instrumenta nomine methodi donari ab omnibus auctoribus, est adeo clarum, vt nulla egeat probatione. E

Methodi voce quid heic intelligatur.

Itaque cum methodus seu via tot applicari possit: nos in præsentia proprie methodum intelligimus, hoc est, vt ad logica instrumenta refertur, quæ proinde non solum dicuntur methodi, sed etiam methodi dialecticæ, instrumenta quinetiam artium, & scientiarum. Imo methodus ita accepta etiam ars nuncupatur, quomodo appellabat Galenus 9. de Plac. 5. vbi diuisionem & compositionem modo methodum, modo artem vocabat. Aduertendum autem methodum dici artem, non quod sit habitus cum ratione effectiuus; namque methodus est ars necessaria ad constituendum artes & scientias; sed dicitur ars, quatenus methodus docet viam, non fortuitam, non casualem, non incertam, sed indubiam, & artificiosam. Quo etiam factum est, vt ad artificium respiciens Galen. artem curatiuam, medendi artem, ac medendi methodum nuncuparit; & hinc inscripserit libros XIV. de methodo medendi, quod idem est, ac si dixisset, de arte medendi, seu curandi; nam c. 100 artis medicinalis, libros de methodo medendi etiam de arte curandi vocat. Sed ad rem. Quamuis methodus dici possit ars; nos tamen, clarioris doctrinæ gratia, assiduo methodi F voce vtemur; intelligentes semper per methodos, methodos logicas; quæ deinde methodi vt variis applicantur artibus & scientiis, diuersis nuncupantur nominibus; veluti cum vocant resolutionem mathematicam, resolutionem naturalem, & sic de reliquis. Et ideo vanum est, præter logicas methodos alias inquirere: quod in progressu euidentissime deprehenderis. Ceterum quoniam methodus, ita accepta bifariam considerari potest; nempe quatenus est instrumentum quo a noto ad ignotum progredimur; & quatenus a doctore docetur: cum sermo noster sit de doctrinis, propterea accipiemus methodum sub ea ratione, qua docetur. Secundum quam rationem tamen methodum ita contemplabimur, & definiemus, vt etiam appareat, quomodo sit instrumentum, & quale.

Definitio methodi.

Itaque methodi inquantum docetur acceptæ talis proponitur definitio: *Methodus est doctrina instrumentalis, qua docemur progredi a noto ad ignotum, vt problematum scientiam consequamur.* Quid G velimus per *doctrinam instrumentalem*, ex dictis satis constare debet: nimirum methodum, quatenus docetur, esse actionem doctoris, quatenus doctor præditus est habitu logico, proindeque instrumentali. Ad quam veritatem respiciens Galen. 6. de tuend. val. cap. 8. dicebat, compendiariam esse, & facile recordabilem

illam

A illam doctrinam, hoc est, scientiam, vel artem quæ methodo traditur. Si igitur methodus est, qua traditur scientia; ergo methodus non est scientia, sed instrumentum. Quare si consideretur quatenus instrumentum hoc docetur; nihil aliud esse potest, quam doctrina instrumentalis: ad differentiam doctrinæ principalis. Propterea nescit quid dicat Altimarus, probans methodum non esse habitum, quia non sit aliquis ex quinq; habitibus, propositis ab Arist. 6 ethic. ca. 4. namq; ibi Aristot. sermonem habet de habitibus principalibus; ad quos methodus minime referri potest: refertur enim ad habitum instrumentalem, quatenus (vt dictum est) docetur a doctore, in virtute habitus instrumentalis.

Ceterum quoniam methodus, inquantum doctrina instrumentalis, ab ordinibus non discrepat: propterea in definitione quædam assignare opus fuit, per quæ methodus seu doctrina methodica, a doctrina ordinante seiungeretur: additum igitur fuit, *qua docemur progredi a noto ad ignotum.* Vnde, sicuti in B doctrina ordinante docemur scientias disponere: ita in methodo docemur progredi a noto ad ignotum: nec immerito; quoniam methodi munus est patefacere; nec licet aliquid manifestare, vt ex logica patet, nisi ignotum per notum. In Altimarum.

Tandem dictum est; *vt problematum scientiam consequamur.* Et primum posita fuit particula illa, *problematum:* quoniam etsi non omnis ordo in sua via progrediatur a noto ad ignotum, vt ordo compositiuus; tamen aliquis ordo, vt resolutiuus, progreditur a noto ad ignotum: idcirco vt omnifariam methodus ab ordinibus distingueretur, dictum fuit, *vt problematum scientiam consequamur:* per quam particulam methodus ab ordine seiungitur; propterea quod ordo locũ habet in vniuersa arte, methodus autem in parte artis, nimirum in problematibus. Ob id dicebat Gale. 1. meth. 5. in omni methodo C seruandum, vt prius in leuioribus problematibus exerceamur, quam in maioribus. Ecce quomodo methodus ad problemata refertur. Ad eandem veritatem respiciens, affirmabat 9. met. 6 haberi methodum, ad differentiam exercitationis, per vniuersalia quædam theoremata.

Sed aduertendum, ne decipiamini instar quorundam, credentium methodum esse collectionem plurium vniuersalium theorematum. Hoc enim est falsum. Nam quamuis methodus consistat in vniuersalibus theorematibus: ita intelligere tamen oportet, quod methodus sit via, per quam a noto ad theoremaignotum progredimur. Quo fit, vt cognitio illorum theorematum minime sit methodus: quod satis lucide declarauit Gale. quarto metho. quarto; inquit enim aduersus Thessalum, ex mente Plat. & Aristot. eum qui methodo aliquid molitur, oportere notitiam habere tum similis, tum dissimilis: non tamen similis & dissimilis notitia est methodus. Quare quamuis methodus consistat in theorematibus, quia est via progrediens per illa theoremata: non tamen methodus est theorema, seu theorematum collectio; quemD admodum etiam exercitatio, quamuis consistat in singularibus, non propterea exercitatio est collectio singularium. Sed ad rem. Methodus ad theoremata, seu problemata refertur: non tamen (& hoc ad ordinum differentiam) ad totam artem. Dictum autem fuit non simpliciter, vt problemata dignoscamus; sed, *vt problematum scientiam consequamur:* propterea quod experimentum quoque est doctrina instrumentalis, qua progredimur a noto ad ignotum, & ad problemata refertur: attamen per experimentum consequimur tantum peritiam, non autem cognitionem scientialem, quam ex methodo adipiscimur. Cuius discriminis ratio inde colligitur: quoniam experimentum est opus sensus; methodus autem opus intellectus. Vnde, vt methodus ab experimento distingueretur, iure merito diximus, *vt problematum scientiam consequamur.* Sed iam ex proposita definitione methodi diuisionem aggrediamur.

CAPVT XIII.

E

De Diuisione methodi.

NEgotium de methodi diuisione, vt opinor, difficillimum aggrediens Modernus, quatuor tantum esse methodos, nempe Definitiuam, Demonstratiuam, Diuisiuam, & Resolutiuam, probare nititur: idque tum auctoritate, tum ratione. Auctoritate quidẽ duplici, nempe Ammonii, in pra f. prædicabil. atq; Aristot. 1. de anima. Ratione autem: quoniam omnis artifex considerat aut Accidens, & prodit methodus demonstratiua: aut Substantiam, & oritur methodus definitiua: quæ postea definitio, cum constet ex Genere & Differentia, genus vel est Infimum, vel Supremum; si infimum, inuenitur sola methodo diuisiua, quæ descendendo procedit; si supremum, inquiritur methodo resolutiua, quæ adscendẽdo progreditur. Postea addit, inter has methodos nullum ordinem esse: nam his vtimur pro varietate rerum, quæ nobis occurrunt: cum enim quæritur quid res sit, ad definitiuam confugimus methodum; cum passio de subieF cto, ad demonstratiuam; quando aliquod confusum, aut vnire, aut dissoluere volumus, aliquando diuisione, aliquando resolutione vtimur. Hæc in summa de methodis habuit addens, se longiorem sermonẽ de his habere nolle, tum propter alias caussas, tum præsertim, quia conscripserit quatuor libros de his methodis: qui vtinam in lucem editi essent: nos etenim in præsentia fortasse non laboremus, nec ad eos refellendum multum temporis contereremus. Diuisio Recentior.

Ceterum hæc opinio de methodorum numero seu diuisione, maxima ex parte ex Leoniceno desumta, quot verbis proposita est, tot etiam falsitatib. & confusionibus inuoluta est. Primo autem ostendo Modernum in auctoritate vtraq; fuisse deceptum. Ammonius enim absque dubio proponit methodum diuisiuam, definitiuam, demonstratiuam, & resolutiuam: at non proponit illam methodum resolutiuam, quam hic sibi fingit Modernus: namq; Modernus accipit resolutiuam methodum, ex qua inueniamus geG nus, vt definitio constituatur: Ammonius autem ait, definitionem fieri ex sola diuisione. Quare loquitur de alia resolutione, quam de illa, quæ conducit ad definitionem: ideoq; Modernus verborum Ammonii sensum intelligere noluit. Quantum deinde ad Aristotelem; is citato loco proponit methodos non absolute, sed vt ad definitionem referuntur. Facilimum insuper est videre ex Aristot. dictis, nos non posse numerum methodorum determinatum inde haurire. Namque primo ille de an. 5. habet formalia verba Confutatio.

ſi autem manifeſtum ſit, vtrum demonſtratio aliqua ſit, aut diuiſio, aut etiam aliqua alia methodus. Ecce cum dicat, aut aliqua alia methodus; determinatum methodorum numerum minime proponit. Quare auctoritates a Moderno adductæ non ſunt ad propoſitum.

Quantum autem ad rationem: quod merito accidentis ſit demonſtratio; cauſſa ſubſtantiæ definitio; gratia generis infimi, diuiſio; ratione ſupremi, reſolutio: in hac ratione tres tantum committuntur errores. Primus error eſt, quando inquit, merito ſubſtantiæ oriri methodum definitiuam. Namque methodo definitiua vtimur non ſolum in contemplatione ſubſtantiæ, ſed etiam accidentis: neq; enim per methodum definitiuam, accipere debemus definitionem quidditatiuam tantum, ſed quamlibet. Ob id, quando Ariſtot. ſecundo de an. definit colorem, vtitur methodo definitiua: quando 4. phyſicorum definit locũ, & tempus, vtitur eadẽ methodo. Pariter Galenus, definiens morbum, definiens accidens, nõ alia methodo quam definitiua progreditur. Et ratio eſt: quoniam, quãuis definitio principaliter ſit ſubſtantiarũ; ſecundario tamen ẽt eſt accidentium: vt paſſim affirmat Auerr. præcipueq; vero 7. meth. 14 15. & 33. Quod ſi quis pro ſalute Moderni, vel potius Leoniceni, aſſerat, demonſtrationem dirigi ad accidentia, definitionẽ autem ad ſubſtantias, hoc eſt, ad rerum eſſentias, ſiue eſſentiæ ſint accidentium, ſiue ſubſtantiarum; non propterea tamen concludere determinatum methodorum numerum poterit. Siquidem methodorum neceſſitatem non ex ſubſtantia & accidente, ſed potius ex aliquo alio (vt ſuo loco explicabitur) petere oportet. Secundus deinde error fuit: quoniam, cum habuit, diuiſionem & reſolutionem deſumi ex genere inueniendo, ratione definitionis; error in hoc conſiſtit, quoniam ſibi non conſtat; nam infra dicit, inter methodos non eſſe aliquem ordinem, & tamen vult diuiſionem ac reſolutionem ad definitionem ordinari: quare methodi inuicem modo habent, modo non habent ordinem. Tertius error: quoniam ait, infimum genus, ſcilicet proximum, inueniri ſola methodo diuiſiua. Quod ſi eſſet; ex ſola reſolutione inueniri non poſſet definitio: quod eſt contra Ariſtot. ſecundo poſt. ob idque Auerr. primo de an. circa principium inquit, quod Plato definitionem per diuiſionem venatus fuerit, Ariſtoteles per compoſitionem, hoc eſt, per reſolutionem. Conſtat ergo, quantum attinet ad methodorum numerum, Modernum deliraſſe, & in auctoritatibus, & in ratione.

Quando poſtea addit, inter methodos nullum ordinem eſſe: nam his nos vti pro rerum diſcrimine, ita vt quando quærimus quid res ſit, vtamur definitiua; cum paſſionem de ſubiecto, demonſtratiua; quando aliquod confuſum aut vnire, aut diſſoluere volumus, aliquando diuiſione, aliquãdo reſolutione: in his dictis eſt duplex error. Primus: quoniam falſum eſt, abſolute aſſerere, methodos inuicem relationem non habere: namque diuiſio & reſolutio interdum referuntur ad definitionem, nempe quatenus definitionis partes inquiruntur; modo deſcendendo, tuncque per diuiſionem; modo adſcendendo, tuncq; per reſolutionem. Quinimo interdum & ipſa definitio refertur modo ad diuiſionem, modo ad reſolutionem. Ad diuiſionem quidem, vt euidenter colligere licet ex Gale. tum alibi, tum primo methodi 5. tum ſecũdo method. 6. quibus in locis habet, eſſe impoſſibile, vt ſciamus differentias & ſpecies per diuiſionem, niſi prius per definitionem ſciamus quidnam ſit genus diuidendum: propterea in lib. de morb. diff. ſibi proponens diuiſiua methodo venari omnes morborum ſpecies, prius quid ſit morbus edocet. Refertur etiam definitio ad reſolutionem; vt ex Ariſt. primo poſt. facile eſt haurire: ibi namq; definit ſcire, vbi tamen principaliter reſpicit ad methodum reſolutiuam, vt in huius virtute de arte demõſtrandi diſſerat: vnde inſcriptionem a methodo nobiliori deſumens, libros illos reſolutorios nuncupauit. Quare diuiſio & reſolutio non ita referentur ad definitionem, vt etiam ad has definitio relationem non habeant. Secũdus error eſt: quoniam aſſerit, quod quando aliquod confuſum aut vnire, aut diſſoluere volumus, vtamur aliquando diuiſione, aliquando reſolutione. In quibus verbis Modernus ſe tum confuſum, tum mendacem patefacit. Mendacem quidem, cum dicat confuſum eſſe vniendum: quando potius quæ inuicem ſunt confuſa, non magis vnienda, & confundenda, ſed contra potius diſſoluenda ſunt. Confuſum autem ſe declarauit, cum dixit, quod quando aliquod confuſum aut vnire, aut diſſoluere volumus, vtamur aliquando diuiſione, aliquando reſolutione; quaſi tum diuiſio, tum reſolutio conducant tum ad vniendum, tum ad diſſoluendum. Quare Modernus ſeſe ſatis inuolutum ſignificauit.

Differentię methodi ſecundum Auctorem.

Quid igitur dicendum? Oculi perpetuo dirigendi ad optimum fundamentum, nempe ad definitionem, a qua differentiæ omnes, definiti tum genera, tum ſpecies cõſtituentes, prodeunt. Cum ergo methodus nihil aliud ſit, quam doctrina inſtrumentalis, qua a noto ad ignotum progredi docemur: propterea pro diſcrimine rei ignotæ diuerſæ ſunt cõſtituendæ methodi. Vnde Plato in Theæteto, vel de ſcientia, ait: ſi geometra in diſputationib. geometricis vtatur non demonſtratione, ſed veriſimili tantum ratione, hoc eſt, probabili, nullius prorſus fore æſtimationis. A qua veritate neq; recedens Ariſt. dicebat ſecundo de gen. an. c. 4. principiorum non eſſe demonſtrationem, ſed aliam cognitionem. Quam veritatem aliqua etiam ex parte colligere licet ex Ariſt. tertio rhe. c. 1. Itaque cum ex rerum diſcrimine variæ methodi hauriri poſſint; nos merito ex rebus diuiſionem noſtram confi ciemus. Verumtamen, ne extra propoſitum egrediamur, diuiſionem ex rebus potiſſimum hauriemus, quatenus vario modo ignotę ſunt: ſiquidem methodus eſt ea doctrina, quæ ad rem ignotam per res notas proficiſcitur. Propterea, cum rerum omnium quæ ſunt in mundo aliquæ ſint Notæ, aliquæ Ignotæ: notæ methodis minime egẽt; quia methodus propter res ignotas, non autem notas eſſe poteſt. Res ignotæ ſunt in duplici differentia: vel enim ignotæ ſunt Naturaliter, vel Non. Res ignotæ naturaliter ſunt, quæ e diametro opponuntur notis: quæ vero non ſunt ignotæ naturaliter, ſunt mediæ inter res notas, & naturaliter ignotas. Primum itaque ſi ſint res naturaliter ignotæ, gratia harum methodus pullulat Demonſtratiua: quæ ab Auerr. primo phyſicorum a principio via doctrinæ appellatur, quippe quæ methodus (vt quam primum noſcetis) refertur ad quæſitum ſi eſt, quia eſt, & propter quid eſt. Si autem res medio modo fuerint ignotæ, oriuntur methodi, quę ab Auer.

A loco præcitato disciplinæ nuncupantur. Ceterum hæc disciplina, hæc methodus, adhuc subdiuiditur, prout res medio modo ignota subdiuidi potest: nam circa rem medio modo latentem, vel latet quid, & oritur methodus Definitiua; vel latet quotuplex sit res, hoc est, an vna, vel plures; &, si plures, quot sint: quemadmodum etiam apud Arist. primo physicorum non constabat, an vnum, vel plura essent rerum naturalium principia; & si plura, an infinita, an finita; & si finita, quotnam essent. Ad rem: vel latet quotuplex res sit, atque ad hanc patefaciendum progredimur, vel descendendo, & est methodus Diuisiua; vel adscendendo, & nascitur methodus Resolutiua. Quo postea fit, vt cum res ignota aliam subdiuisionem genericam non patiatur, propterea neque posse aliquod aliud genus methodi subalternum scaturire. Quod si quis forte proponat methodum compositiuam; sciat hanc referri modo ad diuisiuam, modo ad resolutiuam, quin nimo etiam ad definitiuam: vt propriis locis enucleabimus. Quare prima methodorum genera partiri non B licet in plura, quam in quatuor proposita: nempe in methodum Demonstratiuam, Definitiuam, Diuisiuam, & Resolutiuam. Dico autem prima methodorum genera: quia deinde (vt sigillatim declarabimus) vnaquæque methodus generica in suas species specialissimas subdiuidetur. Hæc de generali methodi diuisione.

Capvt XIV.

De Definitione demonstrationis.

DOctrinæ methodicæ generica diuisione proposita, atque firmata, modo vnumquodq; subalternum genus priuatim adire oportet, atq; de illo disserere. Primum autē de methodo Demonstratiua verba faciemus, vtpote de illa, quæ qua situm naturaliter ignotum respicit. De qua tamen pauca dicemus: pro- *Transitio.* C pterea quod in hac nihil a doctissimis Logicis intactum relinquitur: vtinam autem in reliquis, si non ita accurate, saltem mediocriter laborassent.

Antequam autem demonstrationis definitionem proponamus, primum vos monitos esse velim, per demonstrationem nos intelligere etiam syllogisticam rationem, quatenus est alterum inuentionis instrumentum, vt distinguitur contra experimentum. Vnde instrumentum dicitur, tum demonstratio, tum ratio: demonstratio quidem, ad differentiam aliarum methodorum; ratio autem ad differentiam experimenti. Quare agentes de demonstratione, agemus vna de ratione. *Nomen.*

Demonstrationis itaque (sed de more acceptæ, quatenus a doctore docetur) talis proponitur definitio: *demonstratio est methodus, qua docemur progredi a noto ad naturaliter ignotum.* *Definitio demonstrationis.*

Primum, quando dicitur, demonstratio est *methodus*: idem est, ac si diceremus, quod demonstratio D sit doctrina instrumentalis, qua progredimur a noto ad ignotum, vt problematum scientiam consequamur. Hæc enim fuit methodi definitio. Vnde cum methodus sit genus proximum demonstrationis, ideo dictum est, quod sit methodus.

Ceterum cum methodus, sit commune genus, tum demonstrationi, tum aliis methodis; propterea vt demonstratio distingueretur a ceteris methodis, additum fuit, *qua docemur progredi a noto ad naturaliter ignotum*: namque demonstratio refertur ad naturaliter ignotum, ad differentiam reliquarum methodorum. Verum pro clariori intelligentia propositæ definitionis, atque consequenter naturæ ipsius, indicare oportet, quid velimus, tum per notum, tum per naturaliter ignotum. Per notum intelligimus interdum præmissas, interdum conclusionem: vt propterea in aliqua demonstratione progrediamur a præmissis notis ad conclusionem ignotam; interdum autem a conclusione nota ad præmissas ignotas. Progredi- E mur quidem a præmissis notis ad conclusionem ignotam in demonstratione ostensiua nuncupata: contra autem procedimus a conclusione nota ad præmissas ignotas, cum Aristo. primo post. 41 in demonstratione ad impossibile ducente, in qua progredimur a falsitate consequentis ad falsitatem antecedentis; vbi cū consequentis falsitas existat notior præmissarum, seu antecedentis falsitate, ob id progressus a noto ad ignotum perpetuus est. Quantum deinde ad naturaliter ignotum; per hoc intelligimus An res sit, Quia est, Propter quid est. Vt denuo ex his haurire liceat in demonstratiua methodo, seu in hac via a noto ad ignotum, notas esse vt plurimum præmissas, interdum autem notam esse conclusionem; ignotum autem esse, an res sit, quia est, & propter quid: viam vero in hac methodo esse, vt plurimum a præmissis ad conclusionem, interdum autem a conclusione ad præmissas, nempe in demonstratione ducente ad impossibile. Sed ad diuisionem accedamus.

F

Capvt XV.

De Diuisione demonstratiuæ methodi.

DIfferentiæ, si demonstrationis species constituere debent, desumendæ sunt ex ipsius demonstrationis definitione, proindeque ex particulis, per quas demonstratio a reliquis seiungitur methodis: atq; ob id, tum a Noto, tum potissimum ab Ignoto.

A noto quidem, quatenus id includit vel Præmissas, vel Conclusionem: Si præmissas, est demonstratio ostensiua; si conclusionem, est demonstratio ducens ad impossibile. *Diff. a noto.*

Quantum autem ad naturaliter ignotum, cum hoc sit vel Simplex, vel Compositum: si simplex, est Si est, seu esse rei; si compositum, est Quia est, & Propter quid. *Differ. ab ignoto.*

Vnde si ignotum fuerit, vel *Si est*, vel *Quia est*, quod per demonstrationem notum fiet; erit demon- G stratio Quia; quæ progreditur a principiis manifestis ad si est: sed a principiis non essendi, verum inferendi tantum: atque propterea procedit tum a priore ad posterius, tum a posteriori ad prius. A priore quidem ad posterius, hoc est, a caussa remotissima ad esse rei, vel inhærentiæ affectionis de subiecto: non autē proficiscitur a caussa vel propinqua, vel media, quæ sit caussa tum essendi, tum inferendi; quia tunc non esset cognitio a posteriori; est enim cognitio a posteriori in demonstratione Quia, quatenus sit per principia

inferendi tantum. Progreditur etiam a poſteriori ad prius, hoc eſt, ab effectu ad cauſſam: veluti cum ex A tranſmutatione adſcendimus in cognitionem ſubiecti materiæ primæ: vnde & talis demonſtratio. Quia dicitur reſolutio; non tamen ratione rei ignotæ, ſed potius ratione viæ, quoniam talis demonſtratio procedit a poſteriori ad prius, ſicut reſolutio.

Si poſtea ignotum, quod demonſtratio largitur, fuerit *Propter quid* tantum; tunc oritur demonſtratio Propter quid, quippe quæ a priore progreditur, proceditque ex principiis tum eſſendi, tum inferendi. Hæc vero principia ſunt vel formalia & conuertibilia, vel potius efficientia & non conuertibilia, non tamen remotiora, vt in demonſtratione Quia. Si fuerint formalia, conuertibiliaque; naſcitur demonſtratio Propter quid, quæ per accidens differt a demonſtratione potiſſima, quatenus accidit, vt in demonſtratione Propter quid, notum ſit Si eſt: vnde largitur ſolum Propter quid; at in potiſſima demōſtratione vtrumque latet. Si vero principia fuerint effectiua, non conuertibilia, oritur demonſtratio Propter quid, quæ a B potiſſima demonſtratione eſſentialiter diſcrepat.

Si denique ignotum, in quod demonſtratio refertur, fuerit *Si eſt, & Propter quid eſt*; tunc cum Themiſtio oritur demonſtratio potiſſima: quippe quæ fit per principia, quę non ſolum ſunt principia eſſendi, & inferendi, verum quoque intrinſeca, immediata, & conuertibilia, vt propterea in tali demonſtratione medium, ſit definitio, quæ conuertibilis eſt. Vtrum autem talis definitio, ſit definitio vel minoris extremi, ſeu ſubiecti, vel maioris extremi, hoc eſt, paſſionis; non eſt vt in dubium reuocetur: quandoquidem noſtrū propoſitum eſt, magis inſiſtere in ceteris methodis, parum autem in demonſtratione. Liceat ſolum propter iuniores per viam reſolutionis dicere, medium in demonſtratione potiſſima eſſe definitionem tum ſubiecti, tum paſſionis: quoniam, cum demonſtratio hæc per internam fiat cauſſam; ideo definitio debet eſſe interna, qualis non poteſt eſſe paſſionis definitio: namq; paſſio cauſſaliter, non intrinſece, non formaliter definitur. C Quare medium debet eſſe definitio ſubiecti, quia huic merito definitio formalis adſcribitur. Definitio etiam debet eſſe medium paſſionis: namq; opus eſt illud pro medio accipere, quod eſt cauſſa illius quod debet ſciri, non autem eius quod debet præſupponi: Quo fit, cum præſupponatur ſubiectū, quæratur autem paſſio de ſubiecto: idcirco opus eſſe, vt medium ſit definitio paſſionis. Quare in potiſſima demonſtratione medium erit definitio, tum ſubiecti, tum paſſionis. Verum eadem definitio erit definitio formalis ſubiecti, cauſſalis autem paſſionis: veluti, animal rationale mortale, quod erit medium in demōſtratione, eſt definitio formalis hominis, proindeq; ſubiecti; definitio autem cauſſalis riſibilitatis, ideoq; ipſius paſſionis. Sed de his fuſius verba facere non eſt noſtrum inſtitutum.

Colligatis igitur ex his, demonſtratiuæ methodi has eſſe ſpecies, nec plures, nec pauciores. In quibus aſſequendis cum non ſit exigua difficultas, propterea dicebat Gale. 2. de placitis 3. non ſat eſſe demon- D ſtrandi viam aliquam diſcere, ſed opus quoque eſſe exercitationem adhibere, vt tantæ methodi beneficio deuenire poſſimus in cognitionem rerum naturaliter ignotarum, quæcunque illæ ſint; hoc eſt, ſiue partes definitionis, ſeorſum tamen a definitione acceptæ, vnde demonſtratio famulatur definitioni; ſiue membra, in quæ definit diuiſio, quæ cum nil probet, ob id demonſtratio probans concurrit, atque ſecundum hanc rationem, demonſtratio famulatur diuiſioni; Siue etiam membra, in quæ adſcendit reſolutio, quorum etiam cognitio ſyllogiſmo demonſtratiuo acquiri poteſt, vt ob id demonſtratio quoque reſolutioni inſeruiat. Demonſtratio tandem principaliter refertur in ſimpliciter naturaliter ignotum; ſecundario autem in naturaliter ignotum, quod eſt vel ex quo definitio conſtitui debet, vel in quod deſinere poteſt tam reſolutio, tum magis diuiſio. Et hæc de demonſtratione. Alia vero circa rationem ſyllogiſticam, ac triuialia, conſulto omittimus. E

CAPVT XVI.

De Definitione definitiua methodi.

Neceſſitas & vtilitas definitionis.

AGgredimur in præſentia definitionem, ſeu definitiuam methodum; proindeque methodum ceteris præſtantiorem, atq; neceſſariam. Vnde Plato in Phædro, vel de pulcro, ait, in omnibus vnicum principium eſſe iis, qui bene conſulere volunt, intelligere quid illud ſit, de quo conſulatur. Quid autem ſit, intelligi non poteſt niſi methodo definitiua. Vnde addebat etiam, quod qui ſingula definit, manifeſtū ſemper reddit id de quo agitur. Valeant igitur qui reprobant & derident definitiones: & præcipue, quoniam ibidem addit Plato, ex definitione diſputationem claritatem habere, conſtantemq; ſibiipſi concordiam: neq; immerito; namque conſtat de quo habetur ſermo, ſeu diſputatio. Propterea etiam Galen. 2. de decr. F cap. 3. præcipit, vbi quæſtio eſt de aliqua re, vt auſpicemur a quæſita rei ſubſtantia, a definitione: qua deinde, tanquam formula & ſcopo rerum omnium quæ ſingillatim erunt dicendæ, vtamur. Exempli gratia: vbi proponitur difficultas de principatu membrorum, quod nimirum membrum principatum obtineat; prius ſcire oportet, quid ſit principatus: cuius deinde definitioni, tanquam optimo fundamento, innitentes, ad quæſitum enucleandum tuto progrediamur. Quemadmodum etiam progreſſus eſt Galenus in libello, an ars tuend. ſanit. pertineat ad med. vel ad gymnaſticum: Præterea vero definitio non ſolum eſt optimum initium & fundamentum diluendarum quæſtionum; verum quoq; ad diuiſionem quam maxime confert. Dicebat enim Gale. tum primo meth. 5. tum ſecundo meth. 6. impoſſibile eſſe, vt per diuiſionem ſciamus differentias ac ſpecies alicuius generis, niſi præноſcamus quid ſit illud genus; quod præſcire nequaquam valeamus, niſi per definitionem, ſeu deſcriptionem.

Difficultas definitionis.

Ceterum quemadmodum hæc methodus, tum præſtantiſſima eſt, tum ſumme neceſſaria; pari quo- G que ratione hanc aſſequi eſt difficillimum: quandoquidem conficitur (vt ſuo loco patebit) per genus & differentiam: arduumq; eſt inuenire, tum proximum genus, tum maxime differentiam propinquā. Vnde mirum eſſe non debet, in hac methodo ex ſententia Galeni, ſecundo de differentiis pulſuum tertio, multos committi errores: ibi namque Galenus proponit quinque errores in definitione contingentes, in quos

A quos præcipue labebantur Sophistæ tempore Galeni: quales præcipue erant, qui ne olus quidem citra definitionem emere videbantur, quamuis nec per transennam dialecticam viderant. Primus itaque error erat, quoniam imperabant, vt definirentur nomina quædam noua, petita ex Syria, vel Cilicia, quæ nullus homo Græcus audiuerat. Secundus error, quemadmodum accipiebant aliquod nomen græcum quidem, quod tamen non erat rei cuipiam assignatum: nihilominus ita assumebant miseri sophistæ, & definitionē poscebant. Tertius error, non in nomine, sed in re: quomodo definitiones proponebant, quę a peritis dialecticis iudicabantur vel non plenæ, vel superfluæ, vel indistinctæ, vel obscuræ, vel prolixæ, vel falsæ, vel omnino etiam non definitiones. Quartus error: quomodo nescientes non omnium esse definitiones, cuncta definire studebant. Quinctus error, qui inter ceteros est singularis: quomodo, antequam æquiuocum distinguerent, illius vnam faciebant definitionem, quasi definitiones essent nominum, non autem rerum; B cum tamen non nominum, sed rerum sint definitiones: vnde si ab vno nomine res multæ significantur; quot res significabuntur, tot etiam erunt definitiones; veluti, cum canis significet cœlestem, marinum, & terrestrem; canis tres erunt definitiones: sic, cum vna res pluribus nominibus significatur, illius nominis vnica erit definitio; veluti, ensis, gladius, mucro; tria sunt nomina: tamen est vna definitio. Hi ergo sunt errores in definitiua methodo occurrentes.

Itaque respicientes nos ad huius methodi tum præstantiam, tum difficultatem, decreuimus de hac omni diligentia differere; præcipue vero, cum a iunioribus logicis fortasse omnia non habueritis. Ceterum vt negotium hoc difficile, quantum fieri potest assequi valeatis; cōfusionem euitantes, hac serie procedemus: primum proponemus definitionis naturam per definitionem, seu descriptionem: secundo, loquemur de diuisione definitionis; tertio, cum plures sint definitionum species, quem ordinem inuicem C habere debeant, inuestigabimus; quarto, de modo conficiendarum definitionum differemus; vbi declarabimus, qua arte fieri debeat definitio in communi; deinde quomodo conficienda sit definitio generis, & quomodo speciei. *Ordo dicendorum.*

Quātum ad primum spectat: primo sciendum, nos per definitionem intelligere tum definitionem, tum descriptionem; atque sub ea ratione, qua a doctore docetur, quatenus ad genus doctrinæ refertur. Dicimus itaque quod definitio sit *methodus, qua docemur a noto deuenire in cognitionem quid ignoti ipsius definiti.* Quæ definitio est satis clara. Namque cum definitio, (vt ait Boetius,) sit oratio, explicans quid incertum, vt proinde sit instrumentum declarans ipsum quid; merito, si considerabitur hoc instrumentum, quatenus a doctore docetur, erit *doctrina*, & ea *methodica*; qua docemur per notum deuenire in cognitionem quid ignoti, ipsius definiti. Hic autem per *notum* nihil aliud intelligimus, quam definitionem, vt de- D finitum respicit: namque si definitio debet explicare quid ipsius definiti; necessario definitio debet esse nota, hoc est, partes, ex quibus constituitur definitio, debent esse notæ, siue sint genus, & differentia, siue aliquid his proportione correspondēs. Quid autem definiti debet esse ignotum: propterea Gal. 4. de caus. puls. ait, definitionum nullum esse vsum, vbi res ante apertæ sint. Verum per *quid ignotum* intelligimus tum quid nominis, tum potissimum quid rei. Hinc sequitur, in methodo definitiua, notum, esse ipsam definitionem; ignotum, quid definiti: viam autem a definito ad definitionem, atque deinde in essentiali definitione (vt videbitis) a genere ad differentias. Vnde satis errauit Moder. quod dixerit in definitiua methodo progressum esse a toto definito noto, ad partes definitionis, distinctas magis, sed nobis ignotiores. Namque in qualibet methodo necessarium est, vt progressus sit a noto ad ignotum: quo fit, vt, si quid rei notum fuerit, otiosa sit illius definitio. *Definitio methodi definitiuæ.*

E Quod si dixerit Aristoteles primo physico. in procœmio, circulum, ceu definitum, esse quiddam notius, quam definitionem circuli; hoc sano est modo intelligendum. Nam vel est sermo de cognitione Cōfusa, vel Distincta; si de confusa; certum est, si progredi velimus ad definitum per cognitionē, nempe confusam, progrediendum esse descriptione, quæ notior erit descripto. Si autem loquamur de cognitione distincta; non est dubium, quod procedendum sit per nota naturæ & nobis, quia aliter non possemus progredi ad quid rei distinctum. Vnde aliud est, comparare doctrinam confusam cum confusa, distinctam cū distincta, & confusam cum distincta. Nam si comparamus doctrinā confusam cum confusa, veluti est, quæ per descriptionem acquiritur; descriptio erit notior descripto. Si autem comparemus doctrinam, seu cognitionem distinctam cum distincta; adhuc definitio notior esse debet definito. At si comparemus doctrinam confusam cum distincta; quoniam definitum habet cognitionem confusam, definitio autem co- F gnitionem distinctam; confusa autem cognitio distinctam præcedit; secundum hanc rationem Aristoteles, comparans cognitionem confusam cum distincta, dicere potuit, circulum, nimirum definitum esse quiddam notius, cognitione, scilicet confusa, quam definitionem circuli, alludens ad cognitionem distinctam. Sed his posthabitis ad diuisionem definitiuæ methodi properemus. *Obiectio soluitur.*

CAPVT XVII.

De Diuisione definitiuæ methodi.

QVoniam in definitione, ad differentiam aliarum methodorum, ignotum est quid definiti: propterea differentiæ rationabiliter ab hoc ignoto desumentur. Dicimus ergo cum Gal. 4. de puls. differentiis secundo, definitum per definitionem explicari, vel ratione quid Nominis, vel ratione quid Rei, vel ratio- *Differentiæ definitionum.*
G ne Vtriusque. Definitio, quæ definitum explicat quo ad nomen tantum, dicitur definitio notionalis: atq; *1.*
hanc (inquit Galenus) Aristoteles vocabat definitionē nominis, ac si diceremus, definitionē nomē inter-
pretantē. Hæc autem omnibus nota esse debet qui eadem vtuntur lingua: exempli gratia, cū dicimus, fe-
bris est feruor; constat enim apud omnes lingua latina vtentes, feruorem significare caliditatē excedentē.
Deinde vero definitio quæ essentiā explicat tantum, est illa quæ quid rei explanat; nec tamen diffidet ab ea *2.*

quæ nomen exprimit: vt cum dicimus, febris est intemperies calida & sicca cordis. Tum est media defini- A
tio, quæ definitum explicat quo ad vtrumque, hoc est, quo ad nomen, & quo ad essentiam: hæcque est du-
plex: vel enim aliquantum recedit a notione, atque nonnihil ad essentiam accedit; vel amplius tum de no-
tione, tum de essentia aperit. Prima quidem definitio est; vt, si dicam, febris est calor accensus in corde: se-
cunda, vt, cum dicimus, febris est efferuescentia caloris naturalis in partibus similaribus cordis: nam cum
dicimus, esse efferuescentiam, definitio ad notionem accedit; cum vero additur, quod sit in partibus simi-
laribus cordis, constat definitionem febris quoque essentiam patefacere.

Modi definiendi: horumque delectus.

Quibus ita constitutis, merito cum Galeno colliguntur quatuor vnius rei definitiones, vel potius
modi definiendi: qui tamen se inuicem consequuntur, vt quarta definitio referatur ad tertiam, tertia ad
secundam, secunda ad primam. Aduertendum autem cum Galeno has quatuor definitiones inuicem ita
se habere, vt modo duæ, modo plures, modo pauciores sint assignandæ; prout res definienda erit magis B
vel minus difficilis; prout etiam auditores erunt magis vel minus eruditi. Vnde tyronibus priores sunt
proponendæ definitiones, veluti faciliores: prouectis autem illa postrema, quæ rei essentiam exprimit, &
per quam, secundum Aristotelem lib. quarto phys. circa principia, omnes etiam proprietates definiti es-
sentiam comitantes innotescunt, singulæque occurrentes diluuntur ambiguitates. Ad quam veritatem
respiciens Auer. primo de an. circa initia, dicit, omnem definitionem, per quam non cognoscuntur acci-
dentia, non dici definitionem, nisi æquiuoce; aut quia in ea collocatur aliquod falsum, aut quia componi-
tur ex caussis remotis, aut accidentalibus. Quare definitio non solum debet explicare naturam definiti, &
quascunque exstirpare difficultates; verum quoque reddere caussam proprietatum omnium, definitum
comitantium. Vnde definitio optime assimilari potest naturali agenti: namque sicuti hoc, quantum dat
de forma, tantum dat de consequentibus formam: ita definitio, quantum naturam definiti explicat, tantũ C
etiam propria patefacit accidentia. Quare præstantissima est definitiua methodus, præcipue vero penes
definitionem essentialem.

Subdiuisio.

Rursus definitio essentialis, quatenus definitum explicat vel Formaliter, vel Effectiue; si formaliter,
proprie, quid rei declarat; si effectiue, potius propter quid rei insinuat, & dicitur definitio caussalis. Rur-
sus definitio formalis, vel traditur Citra additamentum, & dicitur definitio formalis quidditatiua: vel tra-
ditur Per additamentum, & dicitur definitio formalis per additamentum, quę etiam quietatiua nuncupa-
tur. Hæc de diuisione definitionis. Iam de ordine inter definitiones differamus.

CAPVT X. V I I I.

De Ordine definitionum. D

Quãdo singulæ definitiones locum habeant.

CVm plures eiusdem definiti esse possint definitiones, nempe Notionalis, Essentialis, & Media; inqui-
rendum, an omnes semper in medium adducendæ nec ne? &, si adducendæ; quæ prius, quæve posteri-
us proponendæ? Huic itaque quæsito satisfaciens Galenus, primumque an omnes sint in medium affe-
rendæ; & primum, quo ad definitionem notionalem, ait, quarto de puls. diff. 17. notionis definitionem es-
se ponendam, vel vbi omnes propositam rem non assequuntur, vel vbi quis nominis significationem cõ-
mutauit; quod si nullum horum fuerit, definitionem non esse assignandam: nam velle quidque definire,
ad sophisticam disciplinam potius pertinere.

Quantum autem ad definitionem essentialem, asserit idem Gal. quarto de diff. puls. cap. 2. circa cal-
cem, omnino apud tyrones cuiusuis disciplinæ essentiales definitiones proferendas non esse: quoniam E
quicunque medici ac philosophi alicuius disciplinæ initiatis a definitione exordiuntur essentiali, licet e-
loquentissimi sint, atque clare interpretentur, obscuri tamen euadunt: propterea quod auditores ea, quæ
amplam explanationem requirunt, per definitiones strictas tradita, assequi haudquaquam possunt.

Ideo inquit Gal. ita progrediendum esse, vt prius longa oratione essentia rei, de qua agitur, aperiatur;
& deinde aperta longa oratione veritas ipsa breuibus verbis memoriæ gratia concipiatur; hoc est, vt post
prolixum sermonem, gratia memoriæ tandem definitio proponatur. Ex quibus colligatis, definitionem
essentialem a Gal. reprobari; primum si sit sermo ad tyrones: nam si fuerit sermo ad prouectos, licet defi-
nitionibus res explanare. Deinde si proponatur definitio, qua res breuiter explicetur, nec postea propo-
sita definitio declaretur: at si quis definitionem proposuerit, mox vero propositam explanauerit, hic mi-
nime redarguendus; namque & post explicationem per prolixa verba habitam, definitionem rursus in F
memoriæ gratiam repetere poterit.

Quo ordine definitiones proponendæ.

Quod si proponenda sit definitio tum notionalis, tum essentialis; teste Galeno 4. de diff. puls. 2. pec-
cãt illi, qui solum proponunt definitionem quam vocant essentialem: nam opus est prius definitionem
afferre notionalem, mox essentialem: quoniam, vt ait idem Gal. 4. de caus. puls. 9. omnis disciplina initium
ducit ab aliqua definitione notionis. Porro a notionali progrediendum est vel paullatim, vel repente, ad
essentialem, hoc est, ad eam quæ ad amussim explicet rei propositæ essentiam. Quod intelligendum, pro
auditorum discrimine. Si namque iuniores fuerint; paullatim progrediendum: vt primum proponatur
definitio notionis; deinde definitio aperiens simul notionem & essentiam; tandem deueniendum ad de-
finitionem essentialem tantum. Si autem fuerint prouectiores; protinus a definitione notionis ad essen-
tialem definitionem properandum.

Ordo partium, & totarum definitionum.

Ex quibus colligendum, in methodo definitiua non solum esse ordinem ratione definiti & defini- G
tionis; quia prius proponitur definitum, deinde definitio; atque in definitione prius genus, deinde diffe-
rentia: sed etiam esse ordinem inter vnam & alteram definitionem, nempe notionalem & essentialẽ. Ve-
rum iam de modo conficiendarum definitionum verba faciamus.

CAPVT

A

Capvt XIX.

De conficienda definitione formali Quiditatiua.

Transitio.

QVoniam auctori quam maxime necessarium est rectas proponere definitiones; atque addiscenti dignoscere, an recte vel contra propositæ sint; quorum nullum fieri potest ab auctore, vel addiscente, nisi vterque conficiendarum definitionum modum calleat: propterea talem modum, seu artem in mediũ afferre decreuimus; præsertimque illam, secundum quam definitio essentialis confici potest & debet. Verum cum definitio essentialis duplex sit, nempe Formalis, & Caussalis: primum agemus de arte conficiendi definitionem formalem. Cum autem formalis definitio alia sit Quiditatiua, quæ nimirum proprie est solius substantiæ; alia per Additamentum, quæ est tum substantiæ, tum potissimum accidentium: primum
B de modo definitionis formalis quidditatiuæ conficiendæ mentionem habebimus. Itaque sciendum, ad constituendum definitionem formalẽ & quiditatiuam, ex omnium optimorum philosophorum sententia, operæpretium esse, eam tradere per genus, & differentiam. Et hoc est, quod significauit Auer. 7. meta. 43. namq; ait, definitiones constare ex genere & differentiis; siue sint multæ, siue non multæ differentiæ: etenim illa, quæ sunt inter primum genus & vltimam differentiam, sunt quasi genus. Ex quo eliciendum, vnicam tantum particulam differentiæ locum sibi vendicare, reliquas autem generis.

Genus proximum in definitione ponẽdum.

Ceterum cum definitio constet ex genere, & differentiis: ob id quædam admonere oportet, tũ circa genus, tum circa differentias. Quantum ad genus: dicebat Galenus 4. de diff. puls. 7. definitionem constare ex genere, & differentiis: verum ex genere continuo, seu proximo: inquit enim, non parum quæsitũ fuisse, an in definitione constituendum esset genus proximum, an remotissimum, an medium, vtroq; noti-
C us; additque merito quosdam contentos fuisse, continuum ac proximum genus in definitione collocasse. Definitio igitur per proximum genus constituatur.

Differentia propria ad definitionẽ adiumẽda.

Quantum autem ad differentias; sciendum, non esse quamcunque differentiam adsumendam, sed propriam. Ad quod respiciens Plato dicebat in Theæteto, vel de scientia, cum definire, qui accipit cuiusque differentiam, qua ab aliis est distincta: neque enim aliter possibile est tradere definitionem, per quam proprietates quoque definitum comitantes innotescant: siquidem, vt dicebat Auer. 2. coll. 80. & 3. coll. 77. differentiæ non solum sunt caussæ specierum, sed etiam sunt caussæ accidentium in speciebus illis inuentorum.

Differentiæ propriis accidentibus describẽdæ.

Aduertendum autem, has differentias, cum postremæ sint, & nos vt plurimum lateant, secundum Auer. 7. coll. 40. & 8. metaphys. 5. per accidentia propria circumscribi posse: quemadmodum humanam
D formam per risibilitatem circumscribimus. Sunt autem accidentia illa eligẽda, quæ formam potius quam materiam consequuntur: quemadmodum & differentiæ potius a forma, quã a materia peti debent: namque, vt ait Auer. 1. de an. 53. & 10. metaphys. 25. quæ differunt secundum speciem, non differunt propter diuersitatem suarum materierum, sed quia in suis formis est contrarietas. Nec tamen materia vndiquaq; est negligenda; sed in definitionibus interdum est collocanda, interdum autem non: nempe, prout res definienda modo citra materiam, modo materiæ immersa perpenditur. Proinde fit, vt res naturales, quia materiæ immersæ sunt, cum Auer. 1. de an. 16. & 8. metaphys. 6. non sint definiendæ per materiam tantum, neque per formam tantum. Non per materiam tantum; quia tunc definitio fit rei, quæ est tantum in potentia; vt cum dicimus, quod domus sit composita ex lignis & lapidibus. Neque definitio tradi debet per solã formam; quoniam est imperfecta definitio, siquidem formæ non sunt sine materiis: vt, si dicam, domus est
E id quod tegit corpora.

Differentiæ non debent diuidere definitum.

Illud præterea in assignandis in definitione differentiis monere oportet, vt sint differentiæ, per quas definitum a quocunque alio definito seiungitur: non autem sint differẽtiæ, per quas diuidatur ipsum definitum, vel in genera inferiora, vel in species. Et hoc fuit documentum, constitutum a Gal. 4. de diff. puls. c. 8. vbi inquit, in definitione non esse partiendam, seu diuidendam rem definiendam: talem enim inartificiosam esse definitionem: veluti, si dicamus; aphorismus est enuntiatio vniuersalis rerum effectibiliũ, aut sine ratione, aut cum ratione: illa particula, aut sine ratione, aut cum ratione, est inutilis, supernacaneaque; propterea quod diuidit rem definiendam, ipsum scilicet aphorismum. Ob id, inquit Gal. exacte completa est definitio, vbi abunde definiti essentiam declarat: & inutile est, quicquid deinde additur: maxime si addatur ex diuisione illius rei, quæ definitur. Propterea non admodum probari potest gloriæ definitio, a Ci-
F cerone tradita, cum ait: gloria est illustris & peruulgata fama recte factorum, & præmagnorum, vel in suos ciues, vel in rempublicam, vel in omne genus hominum fama meritorum. Namque vna definitionem proponit, & definitum diuidit: vnde confundit definitionem, & diuisionem. Sed fortasse hoc grauioribus auctoribus permittendum est; vtpote qui vna definientes atque diuidentes, non confundunt definitionem & diuisionem; sed potius paucioribus verbis, breuitati studentes, rei tum definitionem, tum diuisionem concludere, & sigillare intendunt.

Nõ omnia definiri possunt.

Quibus ita constitutis; duo per modum corollarii haurire licet: alterum est, cum Boetio, illa tantum definiri posse, quæ generibus subiiciuntur, & per specificas differentias distinguuntur. Propterea cum in prædicamentis quædam sint suprema, nempe genus generalissimum; quædam infima, nimirum indiuidua; quædam media, veluti genera subalterna, & species specialissimæ: definitiones non erunt generis su-
G premi, quia hoc non habet genus superius; non indiuiduorum, quia specificis destituuntur differentiis. Quare solum mediorum, hoc est, generum quæ subalterna sunt, & specierum quæ specialissimæ constituuntur.

Species, totum est: genus & differentia, partes.

Alterum quod elicitur pariter cũ Boetio, est; quod in definitione genus habeat rationẽ partis, pariter & differentia; species autem quæ definitur habeat rationem totius. Et hoc est, quod dixit Philosophus

in proœmio primi physicorum, circulum, hoc est definitum, totum quoddam esse. Exempli gratia: ani- A
mal rationale mortale; hæc tria hominem componunt: vnde homo, definitum hoc, instar circuli, est ve-
luti quoddam totum, ex genere & differentiis, veluti ex partibus compositum. Et propterea dicitur, in
definitione esse habitudinem multorum ad vnum, hoc est, multarum partium ad vnum constituendum.
Quare definitum est quoddam totum: & species definita est totum; genus autem definitionem ingredi-
ens est pars.

Definitio, quomodo sit compositio.

Vnde ad hunc sensum definitio appellari potest compositio, quia scilicet definitum ex definitione
componi videtur. Hoc autem ea ratione monere volui; vt, si fortasse ab auctoribus definitio compositio
nuncupetur, intelligatis, quo sensu compositionem cum definitione commisceant: nec methodos multi-
plicare vestrum aliquis cogatur.

Transitio: & vestras dicendorū ca. 20 & 21.

Ceterum cum ex propositis constet, posse definiri tum genera subalterna, tum species specialissimas: B
non ab re fore opinamur, si tradatur ars, secūdum quam venari liceat definitionem tum generis, tum spe-
ciei. Quoniam ex hoc etiam sciemus methodum indagandi tum genus, tum differentiam cuiuslibet rei,
quam definire voluerimus: & in hoc consistit præcipua pars methodi definitiuæ. Quinimo ex his patebit
aditus facilis, ad aliarum methodorum naturam indagandum: namque methodi adeo inuicem conne-
ctuntur, vt explanatione vnius, reliquæ etiam, si non vndiquaque, saltem non leui ex parte, dilucidentur.
Præterea ex dicendis quoque constabit, cum definitio constituatur ex genere & differentiis, qua arte tum
genus, tum differentias, seorsum a definitione inuestigare oporteat.

Caput XX.

De definitione Speciei. C

Speciei definitio per compositionem, seu resolutionem. 1. Generis inuentio.

CVm definitio inuestigari possit per modum tum compositionis, seu resolutionis, tum etiam diuisio-
nis: primum a facilioribus auspicantes, speciei definitionem compositiua methodo, lucidissimo Thе-
mistio comite secundo post inuestigabimus. Itaque Themistius, proponens methodum definiendi spe-
ciem, noscensque definitionem constare ex genere & differentiis; ideo quantum ad genus, statuit benefi-
cio singularium species specialissimas referendas esse in aliquod commune, in aliquod genus; quod deinde
de per differentias limitari seu contrahi debeat, ad naturam definiti: veluti si voluero definire numerū
ternarium, considerabo multas species, quatenus in aliquo communi conueniunt. Aduertendum autem
hoc commune esse in duplici differentia: nempe vel quia extenditur vltra genus naturæ illius, quod defi-
nire volumus; vel quia citra consistit. Vltra genus extenditur; vt cum considero ternarium numerum D
quatenus aliquid est: tunc hoc aliquid esse, est supra genus ternarii numeri, id est, supra numerum: nam &
alia dicuntur esse, quæ non sunt numeri: & tale commune non ingreditur definitionem: daretur enim de-
finitio per nimis remota. Commune autem quod est citra genus, citra numerum, est imparitas: quia tan-
tum ad naturam numeri pertinet. Est autem quid commune; nam competit non solum ternario, sed qui-
nario, septenario, &c. Vnde omnes hi numeri, omnes hæ species, reducuntur in vnam communem natu-
ram, nempe in numerum imparem: quod nihil aliud est, quam hanc naturam communem, dispersam in
plures species, colligere in vnam communem naturam, nempe in numerum imparem. Propterea defini-
tio indagatur per viam compositionis, seu resolutionis, adscendendo a speciebus ad genera, ad commu-
nia, non tamen ad communissima. Quæ etiam resolutio dici potest, quatenus ternarium numerum resol-
uimus in sua principia: est enim quoddam compositum ex numero, & impari; & ideo resoluitur in nume- E
rum, & imparem, in hæc duo communia. Quare dicitur compositio, quatenus natura dispersa in vnum
colligitur: dicitur autem resolutio, quatenus res composita in sua principia communia resoluitur.

2. Differentiæ inuētio.

Ceterum, quia definitio datur non solum per communia, sed etiam per propria; ideo opus est con-
siderare, quidnam sit peculiare ternario numero: quia inquantum numerus, inquantum impar, propter-
ea non distinguitur a quinario, & aliis speciebus. Itaq; cum animaduertimus, quod primus sit imparium;
atque primus bifariam, nempe quod eum alius numerus non metiatur, & quod in numeros alios resolui
non possit: statim habemus talem definitionē, quod ternarius sit numerus impar, primus, incompositusq;
dupliciter.

Exemplum de homine

Sed clarioris doctrinæ gratia demus exemplum in homine. Si perpendo hominem vna cum equo,
asino, boue, & aliis speciebus: si volo hominem definire; opus est, vt inquiram in qua communi natura cō- F
ueniant: & quamuis consentiant in natura substantiæ, corporis, & animalis; quia tamen magis est proxi-
ma animalitas, ideo has species in animal refero; ob idque homo erit animal. Verum adhuc a brutis non
distinguitur. Qua igitur ratione distinguetur? Per rationale. Qua arte hanc venabimur differentiam? Pro-
posita methodo, nempe resolutiua, seu compositiua. Nec enim possumus dicere, hanc differentiam hac
serie esse indagandam; quia animal vel rationale sit, vel irrationale; namque diuisiua progrederemur me-
thodo. Quare hanc differentiam indagabimus, humanæ speciei indiuidua considerantes. Vnde quemad-
modum indiuidua humana, cum brutorum indiuiduis in animalitate concurrunt, vt in quodam com-
muni, ratione cuius habemus genus; ita si differentiam indagare volumus, opus est considerare quidnam
sit in indiuiduis humanis, quod non sit in indiuiduis brutorum. Vnde cum obseruemus humanis indiui-
duis communiter inesse rationem, quæ in brutorum indiuiduis minime locum habet: ob id illi generi G
addimus hoc commune indiuiduis humanis, quod tamen brutis non competit, & ideo per hoc distingui-
tur a brutis; atque dicimus, homo est animal rationale. Deinde vero, quoniam obseruamus indiuidua cœ-
lestia, seu corpora cœlestia esse animalia, & esse rationalia; vt ab his seiungatur homo, opus est vlterius in-
quirere aliquod aliud, commune quidem indiuiduis humanis, quod tamen indiuiduis supernis non com-
petat.

A petat. Quare cum obseruemus, indiuidua humana interitui esse obnoxia, non autem suprema illa indiuidua: ideo addimus mortale; & dicimus, homo est animal rationale mortale. Atque secundum hanc rationem inuenta est hominis definitio per viam resolutiuam, seu compositiuam.

Vnde cum hæc compositiua methodus originem habeat a singularibus; sicut contra diuisio ab vniuersalibus: mirum non est si dixerit Auer. 2. post. 82. ex mente quoque Arist. modum compositionis diuisionis modo faciliorem esse; quia nomen æquiuocum non fallit in rebus particularibus, in vniuersalibus autem decipit. Hinc etiam sequitur cum dixerit Auer. primo de an. 5. inuestigandum esse, an animæ definitio indaganda sit, vel demonstratione, vt fecit Hippocrates; vel diuisione, vt Plato; vel compositione, vt Arist. in posterioribus. Vnde quo ad Hipp. non est credendum, ita absolute vsum fuisse demonstratione: definitio enim demonstrari non potest, vt definitio. Sed caussa est, quoniam fuit primus, qui de rebus disseruit: vnde potius considerauit partes, seorsum a definitione, quam in definitione: partes autem seorsum a definitione, demonstratione probari possunt; vt deinde demonstratę ipsam ingrediantur definitionem, constantissimaque fiat definitio. Plato autem & Aristot. potius considerant partes definitionis in definitione. At Plato methodo vsus est diuisiua, quoniam altius est philosophatus, non fuit ita sensibus immersus, sicut Aristoteles: ob idque maluit vti methodo illa, quæ ab vniuersalibus exorditur, & ad minus vniuersalia progreditur, proindeque diuisione. Aristoteles autem magis sensatus vtitur compositione, quæ a sensibus ortum trahit, quæ via facilior est. Ceterum circa compositionem aduertendum; quamuis opponatur diuisioni; quoniam diuisio incipit a supremo genere, & gradatim per genera subalterna descendit ad speciem specialissimam, seu genus proximum: contra autem compositio procedit incipiendo a specialissimis, adscendendo ad generalissima; non propterea tamen semper adscendere oportere vsque ad genus generalissimum: namque vbi habemus genus proximum, sat est. Vnde, vbi habeo hominem esse animal; non est vt laborem, & inquiram, esse in genere vel substantiæ, vel corporis: quia, si est animal, est etiam corpus, est etiam substantia. Et ex hoc colligitur quoque minor difficultas in compositione, quam in diuisione: nam in diuisione auspicamur a generalissimo, in quo minime insistendum; in compositione autem primum referimus indiuidua in speciem, & speciem in proximum genus, in quo quiescere licet, quoniam definitio per proximum genus tradi debet. Hęc de constitutione definitionis speciei, per viam compositionis, seu resolutionis. *Cōpositio diuisione est facilior.*

Quantum vero ad constitutionem definitionis speciei, per viam seu methodum diuisiuam; sciendum, hunc in modum constitui. Atque vt eidem exemplo insistamus; hominem, exempli gratia, si definire voluero, tunc ita progrediar. Homo cum sit in genere entis, vel est substantia, vel accidens; sed homo est substantia. Porro, substantia vel incorporea, vel corporea: homo substantia est corporea. Vltra, corporeum vel animatum, vel inanimatum: homo est animatum; ergo substantia corporea animata. Amplius, substantia animata vel sensitiua, vel insensitiua: homo sentit; quare homo substantia animata sensitiua; quare homo animal. Insuper, animal vel rationale, vel irrationale: homo habet rationem; quare homo est animal rationale. Tandem, animal rationale vel mortale, vel immortale: homo moritur; quare tādem homo nihil aliud est, quam animal rationale mortale. Hæc de constitutione definitionis speciei per methodum tum compositiuam, seu resolutiuam, tum diuisiuam. *Speciei definitio per diuisionē.*

CAPVT XXI.

De definitione Generis.

E QVantum autem ad artem constituendæ definitionis generis, & primū per viam compositionis; Themistius hanc artem proponens duo obseruanda pręcipit; primum, vt accipiamus species proximas illius generis, & resoluamus in vnum commune proximum: secundum, vt genus definiendum resoluatur in genus superius: atque ita in definitione genus sit illud superius, differentia autem sit illud commune, in quo species conueniebant. Vnde hic est resolutio specierum definiti, & resolutio ipsius definiti. Exempli gratia, volo definire lineam. Species lineæ sunt, recta, obliqua, & circularis: quæ omnes in hoc conueniūt, quod sint lineæ longæ citra latitudinem, seu quod in his sit longitudo citra latitudinem. Si postea genus definiendū resoluamus; dubio procul huius genus erit quantitas. Quare lineæ definitio erit; linea est quātitas lōga citra latitudinem. Declaro etiam, sumto exemplo ab animali. Volo animal definire: accipio species specialissimas, veluti hominem, bouem, leonem, & similia: certum est, quod conueniunt, quatenus in his est animalitas, proindeque sensus, & motus. Quantum ad genus, dubio procul est in genere substātæ; quare hoc genus animal, erit substantia animata sensitiua. *Definitio generis per cōpositionem.*

Declaro adhuc, sumto exemplo a febre, propter medicos. In febre obseruamus tertianam febrem, quotidianam, & quartanam, has species conuenire, quatenus in qualibet specie est calor coniunctus cum siccitate, qui calor potissimū viget in corde; quod a posteriori ex pulsu, & respiratione habemus: ideo colligimus, has species conuenire in caliditate & siccitate cordis. Si deinde genus definiendum, nempe febrē, in suum referamus genus; nemini dubium, quod genus remotum sit morbus, proximum autem intemperies: nam morbus prædicatur de intemperie, non econtra. Quare accipiamus genus proximum, & dicamus, quod febris sit intemperies. Deinde communitatem in speciebus addamus, loco differentiæ; & dicamus, calida & sicca cordis.

Si autem genus definire volumus, definitionem nempe illius indagantes methodo diuisiua, vt optime explanabat Eustratius; primum in definitione (exempli gratia) animalis, supremum accipimus genus, quod est substantia. Postea diuidimus; dicentes, omnis substantia aut corporea, aut incorporea: animal autem substantia est corporea. Vltra, omnis substantia corporea aut animata, aut inanimata; est *Generis definitio per diuisionē.*

autem animal animata. Porro substantia animata aut sensitiua, aut insensitiua; sed est sensitiua. Quare tan- A
dem animalis, generis huius, definitio est, quod animal sit substantia animata sensitiua.

Si autem medici desiderent exemplum febris, ita est progrediendum: nempe a supremo genere, vsq;
ad proximum, per differentias oppositas, hunc in modum. Constat febrem esse quid præter naturã: quod
autem est præter naturam, vel est morbus, vel caussa, vel symptoma: cum autem morbus sit a quo imme-
diate operationum læsio procedit, ideo febris erit morbus. Tunc rursus morbus diuidendus; vnde, cum
morbus sit affectus præter naturam, seu contra naturam partium corporis; cum sit accidens, & accidentis
sit inesse subiecto; ideo per subiectum tradi debent differentiæ. Vnde cum partes sint vel similares, vel dis-
similares; merito similarium, erit morbus in intemperie; caussa organicarum, in mala compositione; ra-
tione omnium, morbus communis, nempe in soluta vnitate: modo cum in febre partes lædantur simila-
res, ideo erit morbus in intemperie. Tunc rursus si intemperies diuidatur; intemperies est vel calida, vel B
frigida, vel humida, vel sicca: ideo cum hæ sint differentiæ definiti, febris non potest habere genus magis
proximum, quam ipsam intemperiem. Quare febris est intemperies: quæ intemperies cum possit esse vel
simplex, vel composita, in febre locum habet intemperies composita, & ea calida ac sicca. Quare febris e-
rit intemperies calida & sicca. Omittamus autem nunc cor: quia sermo noster est de definitione formali
quiditatiua potius, quam quietatiua nuncupata, & per additamentum: de arte cuius definitionis confici-
endæ iam differamus.

Capvt XXII.

De conficienda definitione formali Quietatiua, seu per additamentum. C

Quietatiua definitio.

ITaque iam agemus de modo conficiendi definitionem etiam formalem, sed quietatiuam, seu per addi-
tamentum: quæ nimirum competit tum substantiis, tum potissimum accidentibus. Competit autem
substantiis potius simplicibus quam compositis: vt cum dicimus, anima est actus corporis: vnde definitur
per corpus, proindeque per additamentum.

Discrimen quiditatiuæ, & quietatiuæ definitionis.

Circa quam definitionem constituendam primo sciendum cum Auerroe 7. meta. 17. & 8. method.
6. quamuis vtraque definitio, hoc est, quiditatiua & quietatiua constituatur ex genere & differentia; dis-
crimen tamen esse, quia in definitione quiditatiua genus est quasi materia, differentia autem quasi for-
ma: vel etiam, cum eodem Auer. 7. metaph. 33. in definitione formali: genus habet rationem formę vniuer-
salis, differentia autem formæ propriæ. At in definitione quietatiua nuncupata, genus est quasi forma, dif-
ferentia autem quasi materia; & præcipue in definitione accidentium: nam differentia est ipsum subie- D
ctum, quod est substantia; genus autem est accidens, sicut & definitum accidens est. Ob id Auer. 5.
metaphys. 34. & 7. eiusdem operis a 17. ad 19. ait, accidens habere definitionem secundum quid; quoniam
accidentium definitiones componuntur ex pluribus vna natura; nimirum ex accidente, & substantia, sci-
licet ipso subiecto.

Discrimen quietatiuæ definitionis substantiæ & accidentium.

Vnde secundum hanc rationem definitio substantiæ per additamentum, distinguitur a definitione
accidentium per additamentum: namque si definiatur substantia, tam genus, quam suum additamentum
est in eodem genere: verbi gratia, cum dicimus, anima est actus corporis; tam genus, quam differentia, sunt
in genere substantiæ; sicuti & anima in eodem genere collocatur. Quo fit, vt ex substantia & suo addita-
mento fiat vnum per se, in definitione scilicet quietatiuæ substantiæ; ex accidente autem & suo addita-
mento, scilicet in definitione quietatiua accidentis, fiat vnum per accidens: quia, vt constat, accidentium E
definitiones componuntur ex pluribus vna natura, hoc est, substantia & accidente. Exempli gratia, cum
dico, febris est intemperies calida & sicca cordis: intemperies, quæ est genus, est accidens; cor autem, quod
est loco differentiæ, est substantia: & ideo dicitur quasi materia: est enim materia circa quam; per quam in-
temperies febrilis a reliquis intemperantiis seiungitur. Vnde in definitione essentiali seu formali acciden-
tium, vt vndiquaque quiescat intellectus, definitionem per omnia caussarum genera tradere oportet.
Hinc Gal. 4. de differen. puls. 2. inquit, definitionem essentialem esse orationem, quæ rei essentiam doceat.
Hæc autem est explicatura genus, differentias, vsum generationis, hoc est, caussam finalem; dummodo res
præter naturam non definiatur; nam in rebus præter naturam, in rebus malis, finis locum non habet. De-
finitio præterea cum Galeno explicatura est caussam efficientem: præcipue vero, vt confirmat idem Gal.
cap. 9. vbi res definienda de genere exstiterit illarum, quæ sunt in fieri. Definitio quinetiam cum Gal. ex- F
planatura est caussam materialem, hoc est, instrumentalem, quæ tamen aliquo modo ad efficientem re-
fertur: veluti est definitio pulsus, tradita a Gal. in qua habet, quod pulsus sit actio peculiaris, præcipue cor-
di, deinde arteriarum, quæ distentione & contractione mouentur a facultate vitali, quo caloris natiui
mediocritas retineatur, & generetur in cerebro spiritus animalis. Quam definitionem proposui, tum lo-
co exempli, tum vt animaduerteretis quam rationabiliter quidam reprehendant definitiones longas: hi
namque optimos viros redarguentes, facile ostendunt, definitiuæ methodi artificium se neque in cortice
assequi potuisse. Namque interdum longas definitiones euitare non est possibile, & præcipue vbi defini-
untur accidentia, quæ per omnia caussarum genera definiuntur. Vnde & illa est optima absolutissimaque
formalis & quietatiua febris definitio, qua dicimus: febris est intemperies calida & sicca cor-
dis, dependens a calore influente in igneum mutato, a caussis calefactiuis pro- G
ducibili. Hæc de definitione formali: modo ad caussa-
lem deueniamus.

Prolixæ quædam definitiones.

Capvt

A

CAPVT XXIII.

De definitione Caussali.

QVantum itaque ad definitionem caussalem; paucis sciendum, hanc potissimum locum habere in accidentibus, vtpote in illis, in quibus ita formales & exquisitæ definitiones inueniri nequeunt. Hæc vero caussalis definitio non traditur per genus, vt formalis; sed vel per caussam efficiêtem; vel per caussam formalem substantiæ, quæ est caussa mediata accidentis, immediata autem substantiæ: est enim ipsius substantiæ forma: traditur quin etiam per operationes definitio, quæ tamen caussalis, & effectiua dici potest, quatenus traditur per operationes ab efficiente prodeuntes. Caussalis definitio quibus cõpetat, & quomodo constituatur.

Quam veritatem vt apertam habeatis, do exemplum in singulis. Primũ traditur definitio per caussam efficientem: vt cum dicimus; febris est calor natiuus in igneum mutatus: namque idem est, ac si diceremus, febris fit a calore natiuo in igneum mutato. Deinde vero traditur definitio per caussam formalem quidem, sed potius substantiæ, quam definiti, quod accidens est: veluti si dicimus, risibile est animal rationale mortale: quod idem est, ac si diceremus, risibile inest homini, propter animal rationale mortale. Tandem assignatur definitio per operationes: veluti cum dicebat Hip. medicina est appositio & ablatio; quod idem est, ac si diceremus, medicina est ars, in qua a natura & artifice superflua auferuntur, & deficientia apponuntur. Exempla. B

Sed dicet aliquis: qua ratione possibile est dignoscere, vbi definitio aliqua proponitur, hãc esse caussalem definitionem, non autem formalem? Hunc in modum quilibet hanc veritatem intueri poterit. Si namque definitio fuerit formalis, nempe per proximum tradita genus; tunc redigendo proximum genus in remotum, & vsque in remotissimum; perpetuo quodcunque genus, hoc est, tum remotum, tum remotius, tum remotissimum, in quid de definito prædicabitur. Namque per regulam antepraedicamentalem, in essentialiter & formaliter digestis, quicquid prædicatur de prædicato, prędicatur etiam de subiecto. Exempli gratia, cum dico, homo est animal rationale mortale: hæc est definitio formalis, tradita per genus: quia, siue animal referatur in corpus, siue in substantiã, semper quodlibet horum in quid de homine prædicabitur: verum enim est asserere, homo est corpus, homo est substantia. At si dixerimus, risibile est animal rationale mortale: constabit hanc definitionem non esse formalem, sed potius caussalem: quia si animal referatur in corpus, atque in substantiam; tamen neque corpus, neque substantia de definito, nimirũ de risibili prædicatur. Atq; ideo cum dicimus, risibile est animal rationale mortale; hæc est definitio caussalis, quæ traditur per formam hominis, quæ est caussa mediata passionis, scilicet risibilitatis. Ob idque huiusmodi definitio locum habere solet in accidentibus quidem, sed propriis, a subiecti essentia fluentibus: quemadmodum risibile fluit ab essentia hominis, beneficio nimirũ naturalis agentis, quippe quod quantum dat de forma, tantum dat de consequentibus formam. Proposita definitio, hũ sit formalis, vel caussalis. C D

Sed propter medicos libet exempli gratia febris definitionem in medium afferre. Si itaque dixerimus: febris est intemperies calida & sicca cordis: hæc erit definitio formalis, tradita per genus: quia, siue intemperies reducatur in dispositionem, in primam qualitatis speciem, siue in qualitatem; semper qualitas, & prima qualitatis species, in quid prædicabitur de febre: & verum erit dicere, febris est mala dispositio, febris est morbus, febris est qualitas. Ecce: quemadmodum semper quodlibet genus, hoc est, tum remotum, tum remotissimum, in quid de febre, seu de definito prædicatur: & propterea dignoscimus, hanc definitionem esse formalem. At si dixero: febris est calor natiuus mutatus in igneum; hæc non est definitio formalis, quoniam calor naturalis in igneum mutatus, non potest esse genus febris: etenim calor natiuus est substantia; falsum autem est, febrem esse substantiam. Ecce: quemadmodum prædicatio in quid locum non habet: & propterea non est formalis definitio, sed caussalis, hoc est, tradita per caussam efficientem. E

Quam veritatem si cognouissent Seniores quidam, non ita laborassent in confirmanda illa de febre sententia, dum nimirum contendunt, febrem esse corpus. Quæ opinio tametsi ab aliquibus noua reputetur, fuit tamen promota etiam tum ab aliis, tum a Taddæo Florentino prima particula aphor. 16. Dicimus etenim nos ex mente Galeni, tum prima aphor. 16. tum etiam 14. febrem esse passionem, seu intemperiem calidam & siccam; febrem esse de genere qualitatis; proindeque magis & minus suscipere, quotiescunque febrem formaliter consideramus: namque, tum intemperies, tum quodlibet genus supra intemperiem, vt constat, in quid de febre prædicatur. Dicimus etiam cum eodem Galeno, prima aphorism. 14. febrem esse calorem naturalem in igneum mutatum: qui quidem calor est substãtia, est corpus: vt propterea statuendum etiam sit, febrem esse corpus. Non propterea tamen fateri cogimur, sicuti doctissimi Seniores forsitan propter ætatem dormitantes fateri coacti fuere, febrem quidem esse corpus, sed non propterea esse morbum in numero; quoniam in febre calor naturalis secundum substantiam minime augetur, sed solum minuitur. Quod dictum tametsi falsissimum sit, in præsentia tamen a nobis reprobãdum non est; tum propterea quod institutum nostrum non est de febribus disserere; tum magis, quia in commentariis nostris in interpretatione aphor. 14. hanc difficultatem ad amussim aperuimus; tum maxime, quia alios redarguere minime volumus, sed simplicem veritatem in medium afferre. Ob id in præsentia, regulæ antepraedicamentali ac optimo fundamento innitentes, dicimus, cum febris sit calor naturalis in igneum mutatus, sit substantia, sit corpus, verum secundum definitionem non formalem, sed caussalem, quia scilicet nec substantia, nec corpus in quid de febre prædicantur; ob id nec aduersarios concludere posse, si febris sit substantia, igitur esse morbum in numero: ratio enim hæc valeret; si febris esset calor pro substantia formaliter; cum autem sit caussaliter, seu effectiue, nihil illorum ratio concludere potest. Sed hæc per transennam sint dicta. Num febris sit corpus. F G

Quare definitiuæ methodo extremam manum imponamus; atque ad alteram accedamus, nempe A ad diuisionem.

CAPVT XXIV.

De Definitione diuisiuæ methodi.

Methodi diuisiuæ dignitas, & vtilitas.

CVm propositum nostrum sit, sermonem habere de diuisiua methodo: necessarium erit omni diligentia de hac methodo differere, vtpote quæ summam in se includit dignitatem, vtilitatem, atq; difficultatem. Quæ tria facile ostendo. Primum enim huius methodi præstantiam Plato maxime extollebat, quando in ciuili, vel de regno illum honorabat processum, quo secundum differentias distinguere valemus: vnde etiam diuinitus ortum sæpius testatum reliquit. Hinc factum est, vt sicuti dignissima est methodus, ita fœcundissima exsistens vberrimos pariat fructus. Vtilitas quippe eius non est vnica, sed multi- B plex. Dicebat enim Auer. primo phys. 1. secundo phys. 3. quarto, cœl. 22. & alibi, nos diuisione vti ad declarandum aliquod, quod neque vndiquaque est notum, neque vndequaque, hoc est naturaliter, ignotum, sed medio modo. Diuisione etiam vtimur cum eodem Auer. 7. meth. 43. & secundo poster. ad largiendum definitiones. Vnde Galen. 4. de differentiis pulf. 7. dicebat tum ex propria, tum ex Pla. sen. in Soph. & ciuil. diuisiuam methodum ad conficiendum definitiones concurrere: etenim inuenimus per diuisionem tum genera, tum differentias, ex quibus definitiones conflantur. Accedit præterea alia, & maioris momenti, vtilitas; nempe, impossibile esse sine hac methodo diuisiua morbum aliquem dogmatice curare. Quam veritatem cognouit, imo patefecit, Galenus secundo meth. 6. a principio; cum dicat illum maxime in medendi methodi limine impingere, qui omnem morborum numerum methodo diuisiua non inuenerit. Sed quomodo sequitur hoc? Quia nimirum sine hac methodo non poterimus a communissima indica- C tione ad distinctissimam descendere. Exempli gratia; quomodo in febre descendam a communissima indicatione curatiua ad refrigerationem & humectationem; nisi prius sciuero, qua arte morbus diuidatur in intemperiem, malam compositionem, & solutam vnitatem: mox vero, quomodo intemperies diuidatur in simplicem & compositam; composita, in frigidam & humidam, frigidam & siccam, calidam & humidam, calidam & siccam. Hæc dubio procul citra diuisiuam methodum assequi est impossibile. Vtilis ergo est, & necessaria.

Eiusdem difficultas.

Sed insignis adnectitur difficultas. Ideo dicebat Plat. in Sophista, vel de ente, caussam diuisionis generis in species superioribus ignotam fuisse, adeo vt nemo partiri contenderit. Vnde non immerito illos vocabat dialecticos, qui bene pro rerum natura diuidere scirent; non autem male imperiti coqui ritu, qui membra potius confringit & dilacerat, quam diuidit. Cuius insignis difficultatis minime ignarus Gal. 1. D meth. 3. ait, Aristot. & Platonem admodum difficile censuisse, genera in proprias differentias exacte diuidere; atque post hos Theophrastum, & alios philosophos rationem absoluere tentauisse, vtpote ne apud illos satis adhuc constantem. Quare diuisiua methodus difficillima est. Sed dicet quis: cur tanta est in diuisiua methodo difficultas? Solutio huius quæ sit colligi potest ex eodem Gal. 3. de resp. diff. c. 3. vbi inquit: an quis recte diuidat, & an nulla relicta sit difficilis respirationis species, hoc non omnibus inuenire facile est; sed qui de his iudicaturus est, eum & diuidendi methodi expertum esse oportet, & circa Hipp. dogmata non inexercitatum. Ex quibus facile colligendum, difficultatem in hoc consistere; quoniam ille, qui recte diuidere exoptat, non solum methodum diuisiuam callere debet, sed etiam cognoscere naturam & essentiam rei, quam diuidere intendit in species, per oppositas & essentiales differẽtias: quod assequi est admodum arduum. Vnde mirum esse non debet, si doctiores etiam viri in diuidẽdo alucinati fuerint. Et ob E id Gal. 2. de tuend. 3. asserit, plærosque in diuidendo errare, dum numerosas proponunt differentias, quas numero comprehendere facile non est, propterea quod logicæ contemplationis plane expertes, cũ propriis differentiis externa & aliena imprudentes confundunt. Accedit etiam quod Galenus nono de plac. 6. inquit, ex Hipp. mente duplex in diuisionibus esse peccatum: nimirum, quia alii deficiunt, omittendo necessaria, alii excedunt, qui rem de qua agitur secant in multitudinem non propriam, scilicet diuidentes per differentias quæ speciem non constituunt. Quinimo ex propria sententia, primo de diff. febr. a principio, proponit tres errores, contingentes in methodo diuisiua. Primus error est, quia prætereunt primum genus, quod desumitur a rei diuisæ substantia. In quem errorem in opusculo de latitudine sanitatis lapsus est Altimarus: atque ob hoc insalubre vt nunc, in genus primum, commune omnibus corporibus, referre ignorauit. Secundus error: quia deficiunt, inquit Galenus, in diuisione; vtiles scilicet differentias omittẽ- F do, hoc est proprias. Tertius error: quia excedunt; proponendo inutiles & accidentales, has cum vtilibus & essentialibus permiscentes.

Ordo dicẽdorum.

Cum itaque hactenus cõstet, diuisiuam methodum sibi adscribere insignem dignitatem, vtilitatem, necessitatem, ac difficultatem: merito summa diligentia de hac methodo differendum: & potissimũ citra confusionem: quando quidem sicut confusio res claras obscurat, ita distinctio res alioqui tenebris inuolutas satis faciles efficit. Quare tali serie progrediemur. Primum quidem proponemus definitionem diuisionis, eamque enucleabimus: secundo, de differentiis huius methodi loquemur: tertio de arte conficiendi hanc methodum, differemus.

Nomen diuisionis.

Quantum ad primum: inquirẽdum initio an diuisio sit vox vniuoca, vel æquiuoca seu analoga: quia, si æquiuoca, prius est distinguenda, deinde eam definire opus erit. Sed neminem latere debet, diuisionem G esse vocem æquiuocam, quatenus significare potest primum capitulorum diuisionem, quæ ab auctoribus fieri solet, quando nimirum diuidunt tractatus in libros & capita: de qua diuisione in præsentia minime agere decreuimus: namque, vt ait Auer. 1. collect. 1. tales diuisiones non sunt necessariæ in scientia, ex natura scientiæ, sed inducuntur ab auctoribus propter debilitatem discretiuæ discẽtium. Diuisio præterea

signifi-

A significare potest, cum Alcinoo Platonico, & Ammonio, in primum περὶ ἑρμην. imo Galen. 9. de placi. vltimo, multiplicem diuisionem; quarum tamen (vt cito noscetis) vnica tantum ad methodum diuisiuam proprie referri potest, & in ea includi. Primum enim diuisio fit vocis in sua significata: atque hæc diuisio, vt optime explanat Boetius, est duplex, nimirum vel vnius Nominis, vel vnius Orationis. Vnius nominis: vt cum canis diuiditur in marinum, terrestrem, & cœlestem: & dicitur diuisio vocis æquiuocæ in sua significata. Vnius autem orationis: vt est; aio te Aeacidam Romanos vincere posse: diciturque distinctio ambiguitatis, quatenus significare potest, quod vincere debeant vel Romani, vel victorem fore Aeacidam. Atque huic diuisioni minime innititur methodus diuisiua, quoniam versatur circa res, non autem circa voces. Præterea diuisio est totius, quæ duplex est: nimirum, vel totius in partes Eiusdem prædicamenti, vel Diuersorum prædicamentorum. Diuisio autem totius in partes eiusdem prædicamenti, est adhuc duplex:
B est enim totius in partes vel Integrales, vel Essentiales. Diuisio quidem totius in partes integrales; veluti si corpus humanum diuiditur in caput, thoracem, ventrem inferiorem, manus, & pedes: quę diuisio, quamuis maxime & proprie diuisio sit, quia est continui; attamen nequaquam se habet secundum leges methodi diuisiuæ, sed potius secundum leges resolutiuæ: nam secundum hanc diuisionem non fit compositio, sed contra potius resolutio totius in suas partes. Diuisio autem totius in partes essentiales est, veluti cum compositum diuiditur in corpus, & animam; vel materiam, & formam: quæ diuisio pariter methodo diuisiuæ non inhæret; sed potius resolutiuæ; quia pariter resoluitur compositum in materiam, & formam. Diuisio vero fit in partes diuersorum prædicamentorum; veluti cum compositum diuiditur in substantiam, & accidens: quæ diuisio nec ipsa efficit methodum diuisiuam, sed potius resolutiuam; quoniam compositum resoluitur in ea, ex quibus est conflatum, in substantiam & accidens: & ob id ait Galenus, hanc
C nonnullos philosophos appellare diuisionem perinde ac resolutionem. Amplius alia diuisio est, quæ (vt ait Boetius) secundum accidens fieri dicitur. Atque huius est triplex modus diuidendi. Primus modus, est diuisio subiecti in accidentia: vt cum dicimus, hominum alii sunt nigri, alii candidi, alii medii. Secundus, est diuisio accidentis in subiecta: vt est, omnium quæ expetuntur alia sunt in anima, alia in corpore. Tertius modus, est accidentium in accidentia: vt, candidorum alia sunt dura, vt margaritæ, alia liquida, vt lac. Atque hæc triplex diuisio a Boet. merito secundum accidens fieri dicitur, quoniam non nisi improprie ad diuisiuam methodum refertur. Postremo fit diuisio generis in species, per oppositas differentias: quæ diuisio, secundum Galenum, dicitur diuisio per translationem, ab illa, quæ est totius continui in partes integrales: & hæc illa est, circa quam versatur qui methodo vtitur diuisiua: proindeq; talem diuisionem, talem methodum diuisiuam definire intendimus.

D Quare diuisionis ita acceptæ, talis proponitur definitio: *diuisio est methodus, qua docemur per notas differentias deuenire in cognitionem rei, quotuplex sit.* Quæ definitio satis facile explicari potest. Constat enim quid per methodum velimus: nempe instrumentalem doctrinam, qua a noto ad ignotum progredi docemur. *Methodus diuisiua quid?* Verum cum in qualibet methodo tria sint, nempe notum, ignotum, & via: vt methodus hæc diuisiua a reliquis seiungeretur, dictum fuit; *per notas differentias:* namque in diuisiua methodo *notum* non alium locum tenet, quam differentiarum; quatenus notiores existentes constituunt tum genera, tum genera, tum species omnes, vsque ad specialissimas. Quantum autem ad ignotum, dictum fuit, *in cognitionem rei, quotuplex sit:* namque in diuisiua methodo *ignotum* nihil aliud est, quam rerum numerus, & præcipue generum ac speciei; verbi gratia: vbi proponitur sermo de febribus, nos latet, quotnam sint genera & species febris; & ob id numerum tum generum, tum specierum, per ipsas differentias constitutiuas, beneficio
E diuisiuæ methodi, inquirimus. Quemadmodum progressus est Galenus in libr. de differ. morborum, necnon in lib. de febrium differen. ad ignotum morborum numerum, nempe genericum & specificum indagandum. Hinc merito sequitur, quantum ad tertium pertinet, nimirum ad *viam*, non aliam esse in hac methodo, quam a supra ad infra. Quam veritatem optime declarauit Galenus, tum alibi, tum nono de placitis ca. 5. vbi ait, ex mente etiam Plat. in Philebo, & Phædro, diuisiuam methodum, ad differentiam compositiuæ, seu resolutiuæ, auspicari a primo, & maxime generali, atque desinere ad ea, quæ nullam amplius sectionem admittunt. Hæc de definitione. Diuisionem modo aggrediamur eiusdem.

Capvt XXV.

F

De Diuisione methodi diuisiuæ.

Reperio hanc methodum nullam proprie admittere diuisionem: nisi dicamus, hanc duplicem esse, quatenus & huius duplex est finis. *Differentię diuisionis.* Namque huius methodi vel finis simpliciter est rerum numerum indagare. Et talis est præstantissima methodus diuisiua, cui definitio famulatur. Vnde de tali methodo loquens Galenus, primo methodi quincto, ait, impossibile esse, vt sciamus differentias & species alicuius generis, nisi sciamus quid sit illud genus: quare methodo diuisiuæ famulatur definitio. Vel huius finis est, inuenire genus, & differentias, ex quibus definitiones constituantur. Et de hac Galen. nono de placit. 6. ex mente Platonis in Philebo dicit, diuidendi methodo inueniri differentias. Atque hæc, ad differentiam prioris, in relatione ad definitiuam habet rationem serui, sicut prior habet rationem domini: namque sicuti priori famulatur definitio; ita hæc famulatur definitioni; nempe definitionis inueniendo tum genus,
G tum differentiam. Imo dicebat Auer. primo de an. quincto: & sexto metaphys. primo, regulas dantes definitionem præ ceteris esse diuisionem. Sed iam ad magis vtilia, magisque necessaria progrediamur; nempe ad explicationem artis, cui innititur diuisiua methodus.

CAPVT XXVI. A

De Arte diuidendi.

Diuisionis præcepta.

TAmetsi alii, de hac materia differentes, plurimas proposuerint conditiones, quæ in diuidendo ser-
uandæ sunt; nos tamen satius fore arbitrati fuimus, si ad pauciores, imo paucissimas has reduxerimus;
nempe ad duas tantum: quæ, vt opinor, tanti sunt roboris, vt vltra has quælibet superuacanea censenda
sit. Hæ autem non sine arte hauriuntur, nimirum ex dictis Hippoc. ita referente Galeno, 9 de plac. cap. 6.
etenim cum ibi asserat, in diuisionibus duplex esse peccatum, nimirum excessum, ac defectum: ob id in re-
cta diuisione duo principaliter obseruanda: alterum, vt non fiat excessus; reliquum, vt non committa-
tur defectus. Proinde inquirendum relinquitur, quid requiratur ad euitandum tum Excessum, tum De-
fectum.

Ad excessum fugiendum, duo seruanda: primum, vt diuisio per differentias celebretur oppositas; se- B
cundo, vt vltra specialissimam speciem non fiat progressus.

Diuisio instituenda per differentias oppositas.

Quantum ad primum, cum Them. diuisio fieri debet per differentias non omnes, sed oppositas.
Quod optime Galen. in lib. ad Thras. 40. dilucidauit: vbi inquit, nos ex methodis diuidendi didicisse, res
eiusdem generis partiendas esse per differentias, seu per membra opposita: veluti, cum dicimus animal est
vel rationale, vel irrationale; nam rationale, & irrationale opponuntur. Vnde in diuisione ille est error,

Et proprias.

quando fit diuisio per membra, quæ non sunt opposita: sic enim extremæ esset dementiæ dicere, animali-
um alia immortalia esse, alia pedestria; quia mortale, & pedestre non opponuntur. Præterea vero non so-
lum diuisio fieri debet per oppositas, sed etiam proprias differentias, quæ scilicet species constituere pos-
sint: quia secundum hanc rationem impropriæ omittentur, & vitium in excessu minime committetur. Et C
hoc est quod voluit Galenus 1. meth. 3. vbi ait, non omnem differentiam generi additam, ad speciei con-
stitutionem aliquid conducere, sed quæ ex propria generis diuisione nascitur: nam illæ differentiæ sunt,
quæ species constituunt, reliquæ omnes alienæ. Etenim animalis propriæ differentiæ sunt mortale, & im-
mortale; rationale, & irrationale; mansuetum, & ferum; & alia id genus. Molle vero, ac durum; graue & le-
ue; rarum, & densum; magnum & paruum; animalis differentiæ non sunt, sed substantiæ. Itaque, etiamsi
cum animali vel molle, vel durum, vel densum, vel rarum, vel magnum, vel paruum componas, ad speciem
conficiendum nihil contulerit: at si rationale & immortale adiicias, efficitur deus; si rationale & mortale,
efficitur homo, & veluti componitur.

Σύνθεσις aliquando coincidit cum διαιρέσει.

Ex quo colligatis diuidentem quodammodo componere: ac proinde diuisiuam methodum etiam
compositiuam dici posse. Nam Galenus 1. meth. 3. ait, si magnum vel paruum compones, nihil efficies; si D
autem compones rationale & immortale, vel rationale & mortale, speciem efficies. Ecce igitur, quomodo
compositiua methodus secundum hanc rationem cum diuisiua coincidit. Hocque ea de caussa monere
volui, ne forte quis vestrum decipiatur, methodosque citra necessitatem multiplicare cogatur.

Differentia cum genere sumta in quid prædicatur de definito.

Ceterum circa prædicta monere libet, vbi diuisio fit per differẽtias, tũ oppositas, tũ proprias, proin-
deq; cõstituentes; talia membra ex diuisione accepta, cum Arist. 2. post. de definito in quid prædicari. Ad-
uertendum autem cum Philopono, Eustrat. & omnibus, differentias prædicari in quid, quoniam sunt ac-
ceptæ cum genere, & non sunt amplius differentiæ: & ideo non prædicantur in quale quid, sed, vt genera
innominata, in quid: vt, animal rationale prædicatur in quid de homine: similiter, animal mortale, & sic
de reliquis.

Diuidens, speciem specialissimam non excedat.

Secundum vero, ad euitandum excessum seruandum est, vt vltra speciem specialissimam non fiat E
progressus. Propterea in methodo diuisiua scire expedit, quousq; diuidere liceat. Hoc autem diuinissime
(difficillimis tamen verbis) explicabat Pla. in ciuili, vel de regno: siquidem ibi docens quo vsque diuidere
oportet, inquit, quod vel percipiatur multorum communio, vel percipiantur dissimilitudines plurimæ in
multitudine. Si percipiatur multorum communio, veluti lapis, planta, bos, homo, quæ multa in vno com-
muni conueniunt, veluti in substãtia; tunc, cum Platone non est desistendũ, nisi prius differentias omnes,
quæ speciebus clauduntur, inspexerimus: veluti diuidentes substantiam in animatam, & inanimatam; vel
irrationalem, & rationalem: per quam differentiam, quæ specie clauditur, nempe humana, fit perfecta co-
gnitio: & vltra hanc descendere non licet. Propterea dicebat Gal. 2. meth. 6. neque opus esse, vt simus intẽ-
ti priuatis morborum proprietatibus, vt inde infinitos statuamus; nec in primis statim generibus quiescẽ
dum: sed eo vsque progrediendum, quousque ad morborum ideas omnes, hoc est, species specialissimas, F
descenderimus: quoniam quot sunt morborum ideæ, tot sunt curationes. Quare cum Platone infra speci-
em specialissimam descendere non licet. Si autem, ait Plato, alia ex parte percipiantur dissimilitudines plu-
rimæ in multitudine; veluti si percipias hominem, colorem, figuram, numerum, dominũ, & seruum; quæ
dissimilia sunt in multitudine, nempe in ente, quod multa continet; tunc præcipit Plato, non prius desistẽ-
dum, quam cuncta, quæ cognata sunt intra cognitionem vnam & proprietatem concludantur, vniusque
generis essentia vestiantur: hoc est, ex dictis accipiens dominum & seruum, per proprietatem illam, quod
simul sunt natura, habemus esse ad aliquid: attamen, quia hæc ceu accidentia distincta a substantia, in alio
insunt, atque sic per proprietates quodlibet vnius generis essentia vestitur; ideo prius, verbi gratia, ita di-
uidendum; quod est, aut est per se, aut alteri inest: dominus & seruus alteri insunt; ergo accidens: tũc vltra;
accidens, aut absolutum, aut respectiuum; dominus est quid respectiuum; respectiuũ autem est ad aliquid; G
ideo dominus & seruus sunt in prædicamento ad aliquid. Ecce, quod per diuisionem reperimus genus, in
quo reperitur vnumquodq;, diuidendo scilicet per illa, per quæ vnum genus ab alio discrepat: vt tandem
deueniamus ad id, vltra quod progredi non licet. Hæc de regulis seruandis, vt euitetur excessus.

Defectus in diuisione vt fugiendus.

Quãtum autem ad fugiendum in diuisione defectum, nimirũ vt in diuisione nihil desit; hoc assequi
non

A non est ita leue:& præcipue vbi cum Galen.2.de differen.pulſ.8.tale fuerit genus, quod habeat maiorem, & minorem exceſſum,maiorē & minorem defectum:namque tale genus neceſſario infinitas habet differentias,quamuis ad ſenſum res ita non habeat: exempli gratia, pro meliori & peiori exercitatione percipimus interdum minutulas pulſuum differentias,interdum ſolum inſignes. Ceterum,vt tantam methodum(quantum poſſibile eſt)aſſequamur,confugiendum ad præceptum,traditum a Themiſtio 2.poſt.vbi præcipit,non eſſe ſtatim deueniendum ad vltimam ſpeciem: vt ſi quis ſtatim diuidat ſubſtantiam in animatam & inanimatam;quia prior diuiſio debebat eſſe in corpoream & in incorporeā. Atq;proinde opus eſt progredi a ſupremo genere,ad infimum genus,gradatim,per ſubalterna,per oppoſitas differētias; veluti a ſubſtantia ad corpus,a corpore ad animal.Vnde,cum vniuerſaliores differentiæ primo loco ſint cōſtituendæ,ſecundo loco minus vniuerſales;non ita difficulter colligi poteſt,ordinem reperiri non ſolum B in ordinibus,ſed etiam in methodis.Hinc in definitione animalis non dicimus, quod animal ſit ſubſtantia ſenſitiua animata;ſed potius,quod ſit ſubſtantia animata ſenſitiua:quoniam ſcilicet ſubſtantia corporea prius diuiditur in animatam & inanimatam, quam in ſenſitiuam & non ſenſitiuam. Hæc igitur ſeruanda ſunt,vt in diuiſione diminuti non ſimus.

Quare vt dignoſcamus diuiſionem,& potiſſimum quatenus definitioni famulatur, abſolutam fuiſſe,ita vt ad vltimam deuenerimus differentiam,quæ ſpeciem conſtituit ſpecialiſſimam; obſeruare oportet,quodnam ex tali diuiſione proficiſcatur.Namque ſi ex omnibus in diuiſione propoſitis exeat quoddam proprium,quod alteri rei applicari nequit,optima atque exacta fuit diuiſio:ſiquidem ex ea oriuntur ita genera,& differentię,vt inde egrediatur definitio cum definito conuertibilis; proindeq; optime vi abſolutiſſimæ methodi diuiſiuæ acquiſita. *Probæ diuiſionis nota.*

C Ceterum circa dicta duę occurrunt difficultates:ex quarum diſſolutione magis atque magis ars methodi diuidendi eluceſcet.Difficultates autem inde ſcaturiunt. Cum ad euitandum exceſſum neceſſe ſit diuiſionem moliri per differentias non diſparatas,ſed potius oppoſitas; oppoſitio autem quadruplex ſit, nempe affirmationis & negationis,habitus & priuationis,contrarietatis,& relationis:prima,inquam,difficultas eſt,an eadem ratione & arte fiat diuiſio per has oppoſitas differentias?ſecunda autem,quæ diuiſio ad definitionem conducat?Quantum ad primum:ſi accipiamus diuiſionem,quæ eſt inter affirmationem & negationem,dicimus cum Boet.hanc oppoſitionem,quæ etiam contradictionis oppoſitio dicitur, ea ratione & ſerie fieri debere,vt in diuiſione primum ponatur affirmatio,deinde negatio. Vt,cum dicimus, imparium numerorum alii ſunt primi,vt 3.5.7.alii non primi, vt 9.Neque dicendum imparium numerorum alii ſunt non primi,alii primi. Fundamentum autem eſt:quoniā affirmatio eſt prior negatione: quod D autem primum eſt,in diuiſione prius collocari debet. Aduertendum autem cum Boet.tunc potiſſimum fieri hanc diuiſionem,quando vnum nomen ſpeciebus impoſitum non eſt:tunc enim neceſſe eſt ſpeciem negatione componere;vt cum dicimus,imparium numerorum alii primi,alii non primi. Aliter negatione vti non licet,quoniam negatio per ſe nullam ſpeciem facit:nam cū dico,homo,vel equus,ſpecies ſunt: quicquid autem negatione profertur,ſpeciem non declarat:namque non eſſe hominem,ſpecies non eſt; omnis enim ſpecies conſtituit eſſe:negatio vero quicquid proponit,ab eſſe diſiungit:vt,cum dico,homo, quaſi ſit aliquid,locutus ſum;cum autem dico,non homo,ſubſtantiam hominis negatione deſtituo.Itaque per negationem diuiſionem moliri non licet,niſi(vt diximus)quando nomen ſpeciebus impoſitum non eſt.Ob id Ariſt.1.phyſ.vt hanc vitaret diuiſionem,dixit;neceſſe eſt,principia aut vnum eſſe, aut plura; poterat autem dicere,aut vnum,aut non vnum.Vnde dicit Philoponus:idem eſſe,dicere, neceſſe eſt principia aut vnum eſſe,aut plura;ac ſi dicamus,aut vnum eſſe,aut non vnum;ſed maluit dicere Ariſt. aut vnū, E aut plura;vt deſiſteret ab eo,quod nihil in eſſe reponit. *Diuiſio per affirmationem & negationem.*

Quantum vero ad oppoſitionem,quæ eſt habitus & priuationis:in hac pariter ſeruandum, vt prius proponatur habitus,deinde priuatio:veluti,homo eſt vel videns,vel cœcus;entia ſunt vel finita,vel infinita;æqualia,vel inæqualia.Vnde aduertendum,hoc in qualibet diuiſione pro viribus eſſe ſeruandum,vt ponatur prius illud membrum,quod natura prius eſt,vel ſaltem dignitate;præcipue vero cum fiunt diuiſiones,quarum ratione rerum numerum inueſtigare intendimus:quod dico,ad differentiam diuiſionis, quæ merito definitionis conficitur:nam(vt dictum fuit)diuiſio primum ad rerum numerum,ſecundo ad definitionē dirigitur. Itaque in diuiſione,quæ ad rerum numerum dirigitur,prior eſſe debet habitus priuatione;dummodo habitus ſit præſtantior priuatione:nam vbi priuatione negat imperfectionem, hæc F perfectior eſt habitu:dicant alii quicquid velint.Exempli gratia,ſi dixerimus, entium alia mortalia, alia immortalia;rurſus, quædam mobilia, quædam immobilia: cui dubium,quod immortalia,& immobilia ſint perfectiora?Et ideo,accipiendo priuationem largo modo,priuatio negans imperfectionem,ad differentiam legitimæ priuationis negantis perfectionem,habitu excellentior eſt:ob idque in diuiſione primo ponenda ſunt immortalia, & immobilia. Quibus diuiniſſimis legibus aſſiduo addictus Philoſophus, 1. phyſico.vbi per diuiſiuam methodum principiorum numerum inueſtigare inſtituit,habet formalia verba:neceſſe eſt principia vel eſſe vnum,vel plura.Ecce,primo ponit vnum,quia vnitas perfectionem, multitudo & pluralitas imperfectionem arguit.Poſtea ſubdit:ſi autem vnum,vel immobile,vel mobile.Ecce, præponit immobile;nam immobile perfectius eſt mobili.Deinde ait:& ſi plura,vel finita,vel infinita:pręponit finita;quia finitum perfectius;imo infinitum cognoſci non poteſt. Quare methodo diuiſiua pro- G grediendum ſemper a nobiliori. *Per habitū & priuationē diuiſio.*

Tertia oppoſitio eſt contrariorum,qua etiam frequenter vtimur in generum diuiſione. Propterea dicebat Auer.7.metaphyſ.42.diuiſionem fieri debere per contrarias differentias; ita vt primum ponatur contrarium ex parte boni,deinde ex parte mali:veluti ſi dicamus;colorum alii albi, alii nigri. Aduertendum autem circa hanc diuiſionem; contrariorum alia eſſe immediata, alia habere media: ſi non habent *Diuiſio per contraria.*

media,diuisio est bimembris:si autem habent media,non necessario est bimembris,vt si dicamus;colorum A
alii albi,alii nigri,alii medii. Verum studendum semper, vt etiam hæc ad bimembrem reducatur; veluti si dicamus;colorum alii extremi,alii medii;extremorum alii albi,alii nigri.

Relatio nō diuidit genus.

Oppositio relationis nullam habet substantialem differentiam, qua hæc relatiua a se inuicem discrepent;imo habent cognationem,qua ad se inuicem referuntur,vt alterum sine reliquo esse non possit. Propterea non est facienda diuisio generis in relatiuas species: neque enim hominis species est seruus, aut dominus; pater, aut filius. Quare tota huiusmodi sectio a genere separanda est. Hæc de prima difficultate.

Quæ diuisio ad definitionem conducat.

Ex his oppositionibus ad definitionem conducit ea oppositio,quæ ad diuisionem generis confert. Vnde semper reiicienda est relationis diuisio;quia dominus & seruus non cōstituunt hominem.Sumenda
autem quandoque diuisio contradictionis,quæ est inter affirmationem & negationem.Dico autem, quādoque;hoc est,quum cogit necessitas,nimirum quando nomen speciebus impositum non est. Sumendæ etiam sunt diuisiones habitus & priuationis;nec non contrariorum:hæ enim quam maxime ad definitionem conferunt. Propterea concludebat Boet. ad definitionem illam conferre diuisionem,quæ est generis in species;non per omnes tamen differentias,sed per illas,præter quas species esse non possent, imo per eas solas sint species:vt,cum ad definiendum hominem accipimus rationale & mortale ; sine quibus homo esse nequit;imo per has solas est homo. B

Fundamētum diuisionis.

Atque hi diuidendi modi ea potissimum ratione admittuntur,quoniam validis, constantissimisque innituntur fundamentis:veluti est;non contingit simul affirmare,vel negare;item,de quolibet affirmatio aut negatio vera est,vel falsa. Declaro. Cum dico,principia esse vel vnum,vel plura:horum alterum necessarium est confiteri, propter illud principium, non contingit simul affirmare vel negare:non enim con- C
tingit idem esse plura,& vnum,secundum idem;nam si est plura,non est vnum;& si est vnum,non est plura. Pariter,cum dicimus;animal est vel rationale,vel irrationale;vel immortale,vel mortale; horum alterum confiteri est necessarium,propter illud principium, de quolibet affirmatio aut negatio vera est, vel falsa:namque si vnum verum est de homine,reliquum falsum erit;quare necessario homo si est rationalis, non potest esse irrationalis;si mortalis,non potest esse immortalis. In his ergo consistit vniuersa,atque absoluta ars diuisiuæ methodi. Vnde ad postremam methodum,nempe resolutiuam, vt deueniamus, ratio ordinis postulat.

CAPVT XXVII.

De Definitione resolutionis. D

Tractanda deinceps.

PRoponitur postremo loco resolutiua methodus dilucidanda:quæ non exigui momenti methodus est: præstat namq; tum ad definitiones indagandum,tum præcipue ad compositorum structuram dignoscendum;nempe vt calleamus,ex tot constitui,nec ex pluribus,nec ex paucioribus constitui posse. Iccirco pro more de huius methodi natura & essentia differemus:secundo de diuisione. Quæ duo ea ratione perficiemus,vt,in quo ars resoluendi consistat,inde etiam elucescat.

Anlytica methodus quid?

Itaque primum resolutiuæ methodi hæc proponitur definitio: *Resolutio est methodus, qua docemur a posteriori deuenire in cognitionem prioris,quotuplex sit.* Declaro hanc definitionem : paucis tamen, quandoquidem plura ex dictis constare debent. Dicimus igitur quod resolutio sit *methodus*, hoc est, doctrina instrumentalis,qua a noto ad ignotum progredi docemur. Verum cum in qualibet methodo locum habeat res nota, res ignota, & via, per quam a re nota ad ignotam progredimur: ob id inquirere oportet, E
quomodo in resolutione hæc sese habeant, vt appareat,qua ratione hæc methodus a reliquis separetur. Quoniam vero definitio debet esse illa,beneficio cuius vnum ab alio dissidens deprehenditur;ideo videamus,quomodo hæc præstet proposita definitio. Dictum ergo est, *qua docemur a posteriori.* Nam sicut in diuisione res nota erat differentia,quæ prior est definito, seu prior est re ignota:ita contra in resolutione *res nota* est posterior ignota. Sed quid est posterius? Dicimus esse duplex: nempe notionem finis,& ea quæ sensibus subiiciuntur,siue sint indiuidua,siue operationes.

Analysis a finis notione.

Declaro:& primo quantum ad notionem finis: veluti cum resoluitur ab Ammonio in prædicab. homo in membra,hæc in humores,hi in elementa,hæc denique in materiam & formam:exempli gratia, ita dicendo:cum homo ob vniuersi perfectionem productus sit,atque hac ratione tum ad agendum,tum ad contemplandum;quæ munia obire nō possit,nisi membra habeat tum similaria,tum dissimilaria: ideo F
talia membra fuerunt necessaria. Rursus: membra cum diu durare nequeant, nisi assiduo alimento seruentur,ob id necessarii fuere humores. Rursus: cum nutritio hæc simplici elemento fieri nequeat,ideo humores fuerunt compositi ex elementis:quæ elementa & ipsa cum corruptibilia sint, saltem secundum partem,ideo necessum fuit vt resoluerentur in quædam principia, quæ omnifariam simplicia & incorruptibilia sint,nempe in materiam & formam. Quare tandem a finis notione inuenimus, hominem resolui in membra tum similaria,tum dissimilaria,in humores,in elementa,& tandem in materiam & formam. Si exemplum apud Galen. desideratis,tale ab ipso desumi potest,11. meth. 10. vbi ait:si proponatur febris putrida curanda,tunc ex hoc fine concepto,merito febris oritur indicatio refrigerandi:sed quoniam talis febris a putredine pendet,ideo tolli non potest,nisi inhibeatur putredo:vnde,ratione putredinis, quod factum est,est tollendum; quod est in generatione, sistendum: non possumus autem talem putredinem si- G
stere,nisi dematur prohibita transpiratio,merito cuius quod retentum est, est vacuandum ; quod autem retinendum,est inhibendū ne putrescat;inhibebitur vero si obstructioni occurremus; vnde, ratione factæ obstructionis exobstruendum;ratione autem futuræ,cum immineat ex affluxu obstruentium succorum,hos compescere oportet. Atque ab hac postrema indicatione in curatione exordiri oportet: ob idq;

A Gale. ſubdit, quod vltimum in ipſa reſolutiua methodo eſt, id primum omnium in curatione eſſe peragẽdum. Ex quo colligatis, quomodo methodus reſolutiua ad auxiliorum conducat inuentionem, non ſimplicem, ſed quatenus tempore opportuno, decentique ſerie adminiſtrari debent. Reſolutione hac quoq; vſus eſt Ariſt. in principio phyſi. namq; fine concepto, qui erat, rerum naturalium cognitionem tradere; quoniam haud erat poſſibile rerum naturalium cognitionem largiri, niſi per ſua principia, cauſſas, & elementa; ideo opus fuit, vt in philoſophica ſua contemplatione de principiis, cauſſis, & elementis rerũ naturalium ſermonem haberet. Ecce quomodo a notione finis numerum venatur rerum de quibus agere debet. Hæc de methodo reſolutiua, quæ a finis notione auſpicatur.

Analyſis a notione ſenſilium, vel indiuiduorum, vel operationum.

Quantum autem ad eandem methodum quatenus pariter auſpicatur a noto, quod tamen notum conſiſtit in illis, quæ noſtris ſubiiciuntur ſenſibus, nempe in indiuiduis, vel horum operationibus; talis reB ſolutio hunc in modum progreditur, verbi gratia (vt colligi poteſt ex Ammon. in præludiis prædicab.) particularia in vniuerſalia referendo. Veluti, cum a particularibus hominibus adſcendimus in hominis naturam, quæ eſt animal rationale mortale; propterea quod indiuidua humana, tum ratiocinari, tum interitui obnoxia eſſe oculis conſpicimus: pariter, cum a particularibus indiuiduis deuenimus in vniuerſalem equi naturã, quę eſt animal quadrupes hinnibile, propterea quod quælibet equorum indiuidua quadrupedia eſſe, atq; hinnibiſia obſeruamus: pariter, ex variis, & prope innumeris animalium ſpeciebus, deuenimus in communem omnibus communitatem, veluti in animal, quod eſt commune homini, equo, & aliis animalibus. Rurſus volo animalis naturam in ſuperiorem naturam redigere: tunc conſidero indiuidua, veluti hanc ficum, hanc vitem, & in ſpecificam refero naturam; deinde in genericam, nempe in plantam; deinde vtramque ſumo naturam genericam, nempe plantam & animal, ac refero in animans; a-C nimans enim eſt communis natura animalibus, atq; plantis. Rurſus volo animantis naturam in ſuperiorem referre naturam: vnde conſidero indiuidua, quæ veluti in oppoſitam referuntur naturam; veluti hoc lignum, hunc lapidem; atque hæc indiuidua reduco in naturam ſpecificam, & genericam, videlicet in inanimatum, atque deinde animans: & nõ animans refero in communem naturam, nempe in corpus, quod commune eſt & animatis, & inanimatis. Rurſus volo corpus adhuc in communiorem naturam referre: tuncque confugio ad indiuidua, quæ ad naturam corpoream reduci nequeunt, veluti ſunt dæmones, & animæ, quæ corporibus vacant: vnde referuntur in communem naturam, quæ eſt incorporeum: atque deinde corporeum, & incorporeum refero in communiorem, imo communiſſimam naturam, nempe in ſubſtantiam. Ecce ergo quemadmodum inuenimus inferiora, ſuperiora, & ſuprema genera, per viam reſolutionis, hoc eſt, per ipſa ſenſibilia, ſeu per ipſa indiuidua. Quo fit, vt talis reſolutio quam maxime cõD ducat ad indagandum definitionem, quatenus ſcilicet definitio per genera conſtituitur. Atque tali reſolutione vſus eſt Ariſtot. ſecundo, poſt. ibi enim definitiuam methodum per reſolutionem indagat; nempe progrediendo ab indiuiduis ad communiorem indiuiduorum naturam: ſicuti euidenter in methodo definitiua explanauimus.

Analyſis ſemper a poſteriori ad prius.

Hucuſque igitur conſtat, quod in methodo reſolutiua res nota ſit vel notio finis, vel ea quæ ſenſibus ſubiiciuntur, nimirum indiuidua, & eorum operationes; atque proinde reſolutiuam methodum aſſidue progredi a poſteriori ad prius; ſicuti diuiſiua a priori ad poſterius progrediebatur. Propterea dicebat Phi. 2. poſt. reſolutionem eſſe regreſſum poſteriorum in priora ac ſuperiora, ex quibus conſtant. Atque videtur vocabulum ſumtum per translationem ab his, qui poſt peregrinationem in patriam referuntur: nam ad priores lares ab exteris regionibus reditus, reſolutio vocatur.

In Zimarã.

E Aduertendum autem ne decipiamini; quemadmodum deceptus fuit Zimara, alioquin optimus Auerrois aſſecla. Nam in theor. 60. ait Auer. aſſerere, ſecundo metaph. 11. diſſolutionem, ſeu reſolutionem fieri a prioribus ad poſteriora. Sed male intellexit Auerroem: nam Auerroes per diſſolutionem non intelligit reſolutiuam methodum, ſed diuiſiuam. Nec hoc mirum videatur: quoniam Galenus quoque in prooemio art. med. de ordine definitiuo, inquit: liceat huiuſmodi doctrinam appellare non tantum definitionis diſſolutionem, ſed etiam vel explicationem, vel reſolutionem, vel diuiſionem. Ecce, quomodo per diſſolutionem intelligit etiam reſolutionem. Sed quorſum Auerroem per Galenum interpretamur? cum ipſemet Auerroes 1. de an. 5. dicat, Hippocratem venari definitionem per demonſtrationem; Platonem per diuiſionem, Ariſtotelem per compoſitionem, vt in poſterioribus. Sed Ariſt. in poſterioribus per compoſitionem (vt interpretatur idem Auerr.) intelligit reſolutionem. Quare ſi Auerr. per compoſitioF nem vbiq; intelligit reſolutionem; igitur & loco citato, nempe 2. metaph. 11. per compoſitionem intelligere debet reſolutionem. Quod ſi ita eſt, cum poſtea compoſitionem opponit diſſolutioni; igitur per diſſolutionẽ non poteſt intelligere reſolutionẽ, ſed quid contrarium compoſitioni, ſeu reſolutioni, atq; iure ipſo diuiſionem. Manifeſtum igitur, Auerroem hoc in loco intelligere per diſſolutionem, diuiſionẽ; quia per compoſitionẽ reſolutionem intelligit. Sed hoc adhuc clarius oſtendo: præcipue vero, vt Auerrois verba difficillima intelligere valeatis. Dicit Auerroes; cum poſuerimus poſtremum non eſſe, & primum eſſe, deſtruitur ſcientia definitionum, quæ fit ſecundum diſſolutionem: ſicut deſtruitur ſcientia definitionum, quæ fit per compoſitionem, cum poſuerimus poſtremum eſſe, & primum non eſſe. Quæ verba ita intelligenda. Primum, ſi poſuerimus primum eſſe, & nõ poſtremum, deſtruetur ſcientia definitionum, deſtruetur definitio, quæ fit per diſſolutionem, hoc eſt, per diuiſionem; hæc enim progreditur a primo genere vſG que ad poſtremum genus, hoc eſt, proximum, quod in definitione collocari debet. Scientia enim non fit (inquit Auer.) niſi per diuiſionẽ deuenerimus ad ſpeciem poſtremã. Quare ſi differentiæ erunt infinitæ, vt non poſſimus per diuiſionem deuenire ad cognoſcendũ naturam illius ſpeciei; tunc eius ſpeciei ſcientiam, & definitionem conſequi non poterimus. Ergo ſi fuerit primum, & non poſtremum; deſtruitur definitio, quæ fit per diſſolutionem, hoc eſt diuiſionem, quæ progreditur a primo ad poſtremũ, hoc eſt, a ſu-

premo ad infimum genus. Quando vero posuerimus postremum, & non primum; destruitur definitio quæ fit per compositionem: quoniam definitio, quæ fit per compositionem, hoc est, resolutionem, fit, quando incipimus a postremo, a sensibilibus, & adscendimus in prius, quod ponitur in definitione. Quare si dabitur tantum postremum, non prius; non dabitur genus definitionis: proindeque destruetur definitio, quæ fit per compositionem, seu resolutionem. A

Constitutum itaque sit, resolutiuam methodum semper a posteriori progredi ad prius: atque in hac methodo rem notam esse quid posterius, hoc est, vel notionem finis, vel indiuidua, vel eorum operationes.

Res ignota in methodo analytica.

Quantum autem ad *rem ignotam*, iam constare debet, esse quid prius, in quo inquirimus quotuplex sit: namque vbi resoluitur compositum, tunc per resolutionem deuenimus in cognitionem partium simplicium ex quibus constituitur compositum; ita vt sciamus ex tot constitui partibus, vt nec ex pluribus, nec ex paucioribus constare possit. Pariter, vbi resoluitur indiuiduum in species & genera; per resolutionem adscendimus in cognitionem omnium specierum ac generum, vt inde pateat, indiuiduum nec in alias species, nec in alia genera, vel subalterna, vel generalissima referri posse. Vnde si postea contingat, vt ea, quæ inueniuntur, sint vel genera, vel differentiæ, ex quibus conflantur definitiones; hac ratione resolutio definitioni famulatur: sed non omnibus modis. B

Via methodi analyticæ.

Quantum denique ad *viam*: dubio procul est e diametro opposita viæ, quæ in diuisione reperitur: namque sicut in diuisione via est a supra ad infra, ita in resolutione via est ab infra ad supra: etenim in diuisione est progressus ab vniuersalibus ad minus vniuersalia; in resolutione contra a singularibus ad vniuersalia.

C

Capvt XXVIII.

De Diuisione resolutiua methodi.

Differentiç analyseos a re nota.

QVantum ad resolutionis diuisionem attinet, dicimus differentias capi, tum a re nota, a qua hæc methodus in rem ignotam progreditur; tum aliqua ex parte a materia circa quam versatur. Res nota vel est finis, vel non est finis: Si est finis; tunc est perfectissima resolutio, incoans a finis notione, beneficio cuius inquirimus dignoscimusque rerum numerum determinatum; vt, verbi gratia, huius compositi tot esse partes, & principia, vt nec plura, nec pauciora constituere seu imaginari possibile sit, siue resoluamus totum in partes, siue compositum in simplicia. Si autem notum non habuerit rationem finis; tunc vel est sensatum, vel non sensatum. Si sensatum; tunc cum Alcinoo Platonico fit illa resolutio, in qua est adscensus a sensibilibus ad intelligibilia, vel ab indiuiduis in species, & ab his in genera, vsq; ad generalissima. Si autem notum non fuerit sensatum; tunc vel est notum quatenus demonstratum, vel notum ex suppositione. Si fuerit notum quatenus demonstratum; adhuc cum Alcinoo ea fit resolutio, in qua progressus est a demonstratis ad indemonstrabiles & immediatas propositiones; quæ a Io. Damasceno in li. de arte, seu logica, resolutio quoque logica nuncupatur; ea potissimum ratione, quoniam hac resolutione in logica vtimur: veluti, cum Themistio, primo poster. c. 26. quando vera conclusione posita, propositiones, ex quibus confecta est, exquirimus. Ex quo colligatis aduersus Zimaram, hunc esse processum a posteriori ad prius, hoc est, a conclusione ad præmissas; non autē a priori, vt imaginatur Zimara in suo theor. 60. Quod monere volui, vt sciatis resolutionem a posteriori semper progredi. Si autem fuerit notum ex suppositione; tunc cum Alcinoo fit resolutio quæ exorditur a suppositione, & adscendit ad principia, quæ suppositione non egent: quæ a Io. Damasc. vocatur, a modo progrediendi mathematico, resolutio methematica: namque hæc resolutio exorditur a concesso, quemadmodum mathematici in suis demonstrationibus petere solent, vt aliqua sibi concedantur, suasque suppositiones faciunt. Exempli gratia, volo probare animam esse immortalem; tunc hoc, quod quæritur, accipio tanquam concessum; atque ab eodem progredior, donec ad aliquod omnium opinione confessum perueniam: atq; sic ratiocinor: si anima est immortalis, sunt pro malis & bonis actionibus præmia repensa: si sunt pro bonis & malis operationibus præmia repensa, ideo est quod iudicatur, & iudicat: si est quod iudicat, est quod prouidet. Quare ex hac resolutione ad prouidentiam, quam omnes concedunt, adscendimus: quo vbi peruenerimus, deinde via compositiua descendendo ita progredimur: est prouidentia, ideo iudicium: est iudicium, ideo est quod iudicat, & iudicatur: &, si hoc, igitur anima est immortalis. Hæc igitur est resolutio, progrediens a noto ex suppositione, quæ etiam mathematica dicitur. D E F

Differentiç a materia circa quā.

Quantum autem ad materiam circa quam; prout resolutio in diuersa versabitur materia, ita resolutio diuersis potius donabitur nominibus, quam quod diuersa & alia sit. Exempli gratia: resolutio naturalis dicetur, vbi mixtum naturale resoluitur in elementa, & hæc in materiam primam. Dicetur autem resolutio medica, vbi corpus humanum resoluitur in humores, & hi in elementa. Logica quinetiam dicetur, vbi conclusio in præmissas resoluitur, vbi syllogismus in proprias reducitur figuras.

Libri analytici priores, & posteriores.

Quo factum est, vt tum libri priorum, tum libri poster. resolutorii nuncupati sint: non propterea tamen, sicuti imaginatur Leonicenus, quoniam Arist. in logica ordine vtatur resolutiuo; constat enim Aristotelem ordine vti compositiuo, a simplicibus ad composita, hoc est, a terminis ad propositiones, a propositionibus ad syllogismos: sed dicti potius sunt resolutorii, quoniam in his Aristot. vtitur non ordine, sed methodo resolutiua, seu resolutione. Aduertendum autem obiter, cum Philopono, & Ammon. alios dici priores resolutorios, alios posteriores; quoniam in prioribus fit resolutio syllogysmi in genere; in posterioribus autem fit resolutio syllogismi in specie, hoc est, demonstratiui. Vnde, quemadmodum si fiat resolutio tum animalis, tum hominis; animalis resolutio dicetur prior, hominis autem posterior: simili G

ratione

A ratione resolutio syllogismi in genere, dicetur prior; syllogismi autem demonstratiui, posterior. Hæc de
diuisione resolutionis.

CAPVT XXIX.

De Conuenientia & Discrepantia methodorum.

HIs ita in genere & specie de methodo propositis; modo quæ supersunt facilius erit absoluere. Hæc au- Transitio
tem sunt quatuor capita. Primum est, in quo methodi conueniant. Secundum, in quo dissideant. ad sequen-
Tertium, quæ methodus nobilior, præstantiorue sit. Quartum, qua methodo vsus sit Galenus; & præci- tia.
pue in quatuordecim libris de methodo medendi.

B In quo ergo inuicem conueniant methodi, hoc ex declaratis facile est haurire: nam cum quælibet Quibus cō-
methodus sit doctrina instrumentalis, qua a noto ad ignotum progredimur; sequitur, omnes methodos ueniant
in hoc concurrere, quod quælibet a noto ad ignotum proficiscatur; proindeque omnis methodus habeat methodi.
rem notam, rem ignotam, & viam per quam a re nota ad ignotam progrediamur.

Discrepantia vero ex iisdem tribus præcipue desumitur: nempe a noto, ignoto, & via. Namq; quan- Quibus
tum ad rem notam; in methodo demonstratiua vt plurimum res nota est præmissa. Dico autem, vt pluri- dissideant
mum; propter demonstrationem ducentem ad impossibile, in qua progredimur a consequenti ad antece- 1.
dens: in definitiua, definitio: in diuisiua, differentia: in resolutiua vero notio finis, atque res sensata, vel de-
monstrata, vel ex suppositione nota.

Quantum autem ad rem ignotam: in demonstratiua est quid naturaliter ignotum, seu est conclusio 2.
C naturaliter ignota; atq; esse potest Si est, Quia est, & Propter quid est. In definitiua, est quid definiti, nem-
pe quid nominis, & potissimum quid rei. In diuisiua, numerus rerum, & potissimum inferiorum, hoc est,
specierum specialissimarum. Denique in resolutiua, numerus rerum, sed supremarum, hoc est, generum,
& principiorum, ex quibus res composita constituitur.

Postremo quantum ad viam: in demonstratiua est a præmissis ad conclusiones; interdum etiam a
conclusione ad præmissas, nimirum in demonstratione ad impossibile ducente. In definitiua, a definito 3.
ad definitionem. In diuisiua, a supra ad infra. In resolutiua, ab infra ad supra. Vnde hoc discrimen inter
diuisiuam & resolutiuam methodum dignoscens Galenus dicebat secundo de differ. puls. cap. 6 nos me-
thodo diuisiua indagare numerum differentiarum cuiusque generis, scilicet descendendo: methodo au-
tem compositiua, hoc est resolutiua, prima genera inuenire, nempe incipiendo ab indiuisis, & numero
D infinitis, hoc est, indiuiduis; & adscendendo per media vsque ad genus generalissimum. Dixit etiam idem
Galen. 9. de Placit. 5. ex mente Plat. in Philebo, ac Phædro, diuidendi & componendi artem vel metho-
dum esse ad artes quam maxime necessariam, atque has methodos inuicem discrepare: namque metho-
dum diuisiuam a primo & maxime generali auspicari, atque desinere ad ea quæ nullam amplius sectio-
nem admittunt: resolutiuam vero vel compositiuam methodum contra progredi, nempe a specialissimis
ad primum genus adscendendo, nimirum naturas dispersas in aliquod commune genericum colligendo,
ac veluti componendo. Hinc merito sequitur, resolutiuam a diuisiua distingui, quatenus diuisio progre-
ditur a simplicioribus ad composita, hoc est, a substantia ad corpus, ad animal, & hominem: contra reso-
lutio, a compositis ad simplicia, ab hominis indiuiduis ad hominem, animal, corpus, & substantiam. Et
fundamentum est: quoniam resolutio a posterioribus a priora semper progreditur. Sed aduertatis, vbi re-
E solutiuam methodum reliquis opponitis, ne vos ipsos confundatis: sicut seipsum confundebat Leonice-
nus; qui ait, ex sententia Ammonii in prioribus, resolutiuam reliquis opponi methodis: namque resolu-
tionem opponi diuisioni, quoniam diuisiua genera secet in species, resolutiua species in genera cogat.
Quod est verum non de qualibet resolutione, sed de ea tantum, quæ incipit a sensu, ab indiuiduis. Pro-
pterea nos resolutionem ceteris methodis opponentes dicimus, resolutiuam reliquis opponi, eo quod a
posteriori ad prius progrediatur: vnde differt a diuisiua, quia (vt patet) in hac via est a priori ad posterius.
Resolutio etiam opponitur demonstrationi: quoniam demonstratio progreditur interdum a priori, in-
terdum a posteriori, verum semper a præmissis ad conclusionem: (sermo sit de demonstratione ostensi-
ua.) resolutio autem, siue in demonstratione Propter quid, siue in demonstratione Quia, progreditur a
conclusione ad præmissas. Ex quo colligendum, demonstrationem Quia a resolutione distingui: quo-
F niam, tametsi demonstratio Quia a posteriori progrediatur; in demonstratiua tamen methodo potius re-
sidet, quam in resolutiua; quoniam eius progressus est non a conclusione ad præmissas, sed a præmissis ad
conclusionem. Præterea resolutio opponitur demonstrationi; quoniam demonstratio ex caussis effecta
demonstrat: resolutiua autem ab effectis ad caussas adscendit: quod etiam verum est de resolutiua, quæ in-
cipit a notione finis. Insuper resolutio opponitur definitioni; quoniam definitio ex notis partibus totum
aliquod constituit; resolutio autem a toto ad partes adscendit: quod verum est de resolutione, quæ incipit
a notione finis. Sed hæc omnia ex superius propositis facillimum est assequi. Sicut etiam facile est cogno-
scere, vbi in praxi seu effectione per resolutionem inuenimus quid agendum; & postea quod est vltimum
in inuentione debet esse primum in exsequutione: dum fit exsequutio contraria resolutioni, illam non
dici compositiuam methodum, sed esse potius operationem seu effectionem, quia tunc operatur artifex,
G exempli gratia, incipiendo expurgari superfluitates, mox præparando, deinde purgando, atque demum
corroborando: quemadmodum etiam fabricator primo fodit terram, deinde facit funda-
menta, deinde conficit parietem. Hæc compositio dubio procul non methodus
compositiua, sed effectio potius dicitur, & est. Hæc ergo de metho-
dorum conuenientia & discrepantia.

CAPVT. XXX. A

De nobilitate Methodorum.

Leoniceni sententia

QVantum ad nobilitatem seu præstantiam methodorum:Leonicenus statuit,methodum definitiuam
& demonstratiuam esse perfectiores;diuisiuam autem & resolutiuam imperfectiores: quoniam me-
thodus resolutiua & diuisiua ministræ sunt atque famulæ methodi definitiuæ,ac demonstratiuæ; imme-
diate tamen definitiuæ,mediate autem demonstratiuæ. Namque ministræ sunt,quatenus conducunt ad
inueniendum genus & differentias,ex quibus constituitur definitio; quæ postea medium & caussam sub-
ministrat demonstrationi,sine qua demonstratio esse non posset. Ad inueniendum autem genera & dif-
ferentias inuicem discrepant diuisio & resolutio: nam diuisio incipit a supremis generibus, resolutio au-
tem ab indiuiduis. Atque tandem ad hunc vsum Leonicenus has methodos referre voluit, vt dixerit, si B
quis diuisiuæ ac resolutiuæ cum auferat vsum, quem definitionibus præstant, atque ab illarum respectu
seiungat,imperfectas esse,& nihil aut parum vtilitatis afferre. Comparans deinde demonstratiuam cum
definitiua,inquit, definitiuam esse præstantiorem demonstratiua; quoniam definitiua rerum substantias
explicat, demonstratiua autem res ipsas sequentia demonstrat: vnde sicuti substantia accidente est præ-
stantior, ita definitio demonstratione.

Confutatio.

Quæ dicta, quamuis prima facie nonnihil veritatis in se continere videantur; multiplicem tamen
in se falsitatem includunt. Namque primum falsum est, definitiuam & demonstratiuam methodos esse
perfectiores resolutiua & diuisiua,propterea quod hæ sint ministræ,& quod in his non sit alius vsus. To-
tus autem error originem traxit,quoniam opinatus est Leonicenus,nullum esse vsum resolutiuæ,& diui-
siuæ,quam ad definitiones:quod falsum est. Quamuis enim ex sen.tum aliorum, tum potissimum Auerr. C
4.phys.t.1.de an.5.& 6. metaph.primo ad definitionem indagandum,tum diuisio,tum resolutio referan-
tur:non propterea tamen credendum,harum methodorum nō esse alium & præstantiorem vsum. Quod
ostendo in vtraque methodo.

Diuisio famulatur definitioni

Primum etenim diuisiua conducit ad indagandum definitionem, nempe ad inueniendum genus
& differentias. Quod optime declarabat Them.secundo poster.inquiens, definitionem fieri citra proba-
tionem vllam,atque ex concessis, per interrogationem, & responsionem:ita vt nihil veluti necessarium,
sed solum vt concessum accipiatur. Exempli gratia:volo definire hominem:tunc interrogo,sit ne animal,
vel non animal? Respondens ait,esse animal. Tunc rursus quæro;num animal aut gressile, aut aquatile?
Concedit respondens esse gressilem hominem. Vnde definiens hoc sumit,nec syllogismo probat. Tunc
vltra interrogat;num gressile vel bipes,vel multipes? Concedit esse bipedem. Vnde tunc definitio texit; D
homo est animal gressile bipes. Ecce ergo, quemadmodum methodus diuisiua famulatur definitiuæ.
Quod etiam exacte Boetius in l.diui.declarat.

Definitio inseruit diuisioni.

Sed ex eodem Boetio habemus, diuisionem non tantum famulari definitioni, sed etiam definitio-
nem famulari diuisioni:quoniam (inquit) cum alia sint æquiuoca,alia vniuoca,atque conueniat æquiuo-
cis significationis diuisio, vniuocis autem diuisio generis in species:propterea videndum est prius quid sit
æquiuocum,& vniuocum;quæ sine definitione haberi non possunt. Quare etiam definitio famulatur di-
uisioni. Hoc autem intelligendum est de ea diuisione,cuius vsus non est indagare genus & differentias,vt
ex his definitio constituatur;sed potius numerum rerum. Exempli gratia,volo indagare numerum pul-
suum,species omnes respirationum,febrium,& similium. Inueniam methodo diuisiua: & a primo inci-
piam genere:quod cum diuidi nequeat,cum Gale. locis citatis,nisi prius videamus quid sit res diuidenda, E
quid sit,verbi gratia,febris,quid respiratio,quid pulsus:propterea ipsa definitio diuisioni famulatur. Quo
tandem fit, vt diuisio non solum alium habeat vsum,ab eo quem proposuit Leonicenus; verumetiam di-
uisioni inseruire definitionem,quatenus rem diuidendam constituere debet.

Demōstratio ministrat diuisioni.

Quinimo aduersus eundem Leonicenum addimus,diuisioni non modo famulari definitionem,sed
etiam demonstrationem:nimirum vbi in diuisione aliqua occurrit difficultas,seu aliquod occurrit natu-
raliter ignotum,illud demonstratione probari potest. Quæ veritas colligitur ex Galeno,primo metho s.
inquit enim,esse constituendas non nominum,sed rerum differentias; atq; vbi, verbi gratia, habuerimus
quatuor esse partes,nimirum per diuisionem; deinde demonstratione confirmandum, nec plures, nec
pauciores esse. Eandem sententiam habuit quoque Them.dicebat enim secundo poster.6. nos posse cer-
tis rationibus probare ea,quæ in sermonem incidunt illum,qui vltro citroque,hoc est, per interrogatio-
nem & responsionem habitus est:verbi gratia animatum hominem esse,quia non inanimatum; & ratio- F
nalem,quia non irrationalem. Ceterum monet Them. ne propterea credamus hominis definitionem
probari,sed probari conclusionem,quæ ex diuisionum membris coalita est. Ex quo colligendum, diui-
sioni famulari tum definitionem,tum demonstrationem:ac definitionem immediate,mediate autem de-
monstrationem, quatenus per demonstrationem probantur conclusiones, quæ ex diuisis colliguntur
membris. Quare constat, diuisionem non esse ita definitionis seruam, vt etiam definitionis domina
non sit.

Analysis seruit definitio, & demonstratio.

Quantum vero ad resolutionem:huius pariter non solum est vsus ad definitionem, vt Leonicenus
proposuit;sed etiam ad inuentionem aliarum rerum,quæ tamen non sunt definitionis partes. Atque ta-
lis est resolutio,quæ a finis incipit notione. Vt,si proponantur a Gal.plures partes,veluti quatuor princi-
pales corporis humani,volo inuenire has nec esse plures,nec pauciores.Inueniam resolutione,incipiendo G
a notione finis. Et hæc minime famulatur definitioni:quinimo, si in hac via resolutiua aliquid ignotū oc-
currit, vel definitione declarabitur, vel demonstratione probabitur, vt merito talis resolutionis famulæ
sint definitio,& demonstratio. Quæ veritas confirmari etiam potest cum Aristot. primo post.vbi volens

omnes

A omnes demonſtrationis conditiones methodo reſolutiua indagare, (vnde libros etiam illos gratia reſolutionis, reſolutorios nuncupauit) cum hæc reſolutio, (vt toties dictum fuit) a finis notione exordiatur; iure ipſo Ariſt. a notione finis, hoc eſt a ſcire exordiri voluit: atque ſcire, quod finis erat, primum d. finiuit. Quod cum ita ſit, dubio procul definitionem ipſius ſcire, gratia reſolutionis conſtituit.

Auctoris ſententia.

Quantum poſtea ad id, quod dicebat Leonicenus, definitiuam eſſe præſtantiorem demonſtratiua, quoniam verſatur definitio circa ſubſtantiam, demonſtratio autem circa accidentia: neque hoc ſine ſuſpicione eſſe poteſt: ſiquidem definitio & circa ſubſtantiam, & circa accidentia verſari ſolet. Namque in ſcientiis etiam accidentia indagamus methodo definitiua.

Methodorum collocatio, ratione ordinis naturæ.

Cum itaque in errore fuerit Leonicenus, alioquin vir grauiſſimus; quid dicendum? Dicerem ego methodos inuicem conſtitui poſſe dupliciter: nempe ratione Ordinis, & Dignitatis. Ratione quidem ordinis B ab Ammon. in prædicab. ita collocantur, vt prima ſit diuiſiua, ſecunda definitiua, tertia demonſtratiua, quarta reſolutiua. Secundum hunc ordinem hæ methodi ab Ammon. qua ratione digerantur, non eſſet fortaſſe præter rationem, ſi a logicis explicaretur. Sed cum hoc ab ipſis (quod ſciam) nõ ſit declaratum; explanare conabor; neq; enim res tanti momenti ſilentio prætereunda. Dicimus ergo Ammonium nihil aliud inſinuaſſe, niſi quod prima ſit diuiſiua, vtpote quę conſtituit genus & differentias: ſecunda ſit definitiua, quæ genus & differentias accipit a diuiſiua; tertia ſit demonſtratiua, quæ ex definitione conſtat; quarta ſit reſolutiua, ſed non quælibet, verum illa quæ incipit a notione finis, quæ tum demonſtrationem, tum alia compoſita in ſuas partes, ſeu in ſuas præmiſſas & principia reſoluere poteſt. Vnde aduertatis Ammonium reſolutionem illam ſecludere, quæ definitioni famulatur; propterea quod ſecundum dogma Platonicũ voluit (vt ipſe ſe ipſum interpretatur) definitionem omnem fieri ex diuiſione. Quare reſolutionem C excludit: reſolutionem, inquam, quæ definitioni famulatur. Et propterea reſolutionẽ poſtremo loco collocauit. Quod ſi reſolutionem definitioni inſeruientem intellexiſſet; neceſſarium fuiſſet, vt quemadmodum definitioni diuiſionem præpoſuit, ita etiam famulantem reſolutionem præpoſuiſſet. Quare methodos inuicem ita dirigere poteritis: perpendentes, an progreſſus fiat a priori, more Platonico; vel a poſteriori, more Ariſtotelico. Si a priori; primum eſt diuiſio, quæ indagat genus & differentiam, ex quibus ſit definitio; quæ poſtea ſecundo loco collocatur, veluti medium demonſtrationis: tertio eſt demonſtratio: reſolutio autem, quę definitioni famulatur nullum locum habere poteſt, quando definitio non niſi ex diuiſione (vt ait Ammonius ex Plat. ſententia) fieri poſſit. Si autem progrediamur a poſteriori; prima eſt reſolutiua, ſecunda diuiſiua, tertia definitiua, quarta demonſtratiua. Primo quidem eſt reſolutiua, quæ nimirum definitioni famulatur; nam in hac ab inferioribus, & indiuiduis, & operationibus adſcendimus in D ſpecies, genera, & differentias. Secundo fit progreſſus a priori per diuiſionem, vt habeamus genus & differentias, primo a poſteriori per reſolutionem, ſecundo a priori per diuiſionem. Ex quibus tertio loco ſit definitio. Quæ tandem medium tribuit demonſtrationi. Notandum vero, reſolutionem definitioni famulantem vel non habere locum, vel ante definitionem eſſe collocandam: reſolutionem autem non inſeruientem definitioni, poſt alias methodos eſſe collocandam, quemadmodum Ammon. loco citato collocauit.

Methodorum collocatio ratione quæſiti ignoti.

Si methodi inuicem conſtituantur ratione dignitatis; opus eſt aliqua diſtinctione: namq; methodi conſiderantur vel ratione Quæſiti ignoti, vel ratione Viæ, per quam methodi progrediuntur a noto ad quæſitum ignotum. Primo, ſi conſideramus methodos ratione quæſiti ignoti, quoniam id in diuiſione & reſolutione eſt rerum numerus; in demõſtratione, cauſſa inhærentiæ paſſionis in ſubiecto; in definitione, E quid rei, tum accidentis, tum quoq; ſubſtantiæ: dubio procul, cũ quid rei nobilitate excedat reliqua quæſita, definitio dignitate ceteras methodos ſuperabit. Neq; aliquid facit, etiamſi demonſtratio dirigatur ad quæſitum naturaliter ignotum; definitio autem non; vt propterea demonſtratio dicatur via doctrinæ, definitio autem diſciplina: namque magis honorificum eſt, parum ſcire de magis honorabilibus, quam multum de minus honorabilibus. Quare, cum quæſitum definitionis, nempe quid rei, tum accidentis, tum præcipue ſubſtantiæ, ſit nobiliſſimum; ob id & hæc methodus nobiliſſima erit.

Meth. collocatio ratione viæ.

At ſi perpendantur methodi merito viæ, per quam progredimur a re nota ad ignotam; cum talis via præſertim locum habeat in methodo reſolutiua & diuiſiua, quatenus in hiſce methodis locum habet adſcenſus & deſcẽſus: ideo hæ methodi nobiliores ſunt: vt propterea a Galeno paſſim nomine methodi, hoc eſt, viæ, potiſſimum nominentur reſolutio & diuiſio, non autem demonſtratio & definitio. Quod colligere F licet ex Galeno, tum alibi, tum tertio methodi primo, vbi inquit; eum qui procedit ratione & methodo, logicum dici, methodicum, & dogmaticum, non autem empeiricum: vbi per methodum intelligit diuiſiuam & reſolutiuam; per rationem autem methodum demonſtratiuam, diuiſiuæ & reſolutiuæ famulantem. Quapropter cum Galenus primo methodi quarto ait, methodum ratione inueniri; nemo inde arguat, quod ratio non ſit methodus: nam ratio ſeu demonſtratio eſt methodus: ſed dicit methodum ratione inueniri, hoc eſt methodum diuiſiuam & reſolutiuam ratione acquiri, hoc eſt non empeirice. Quare methodos conſiderantes ratione viæ, aſſerimus & concludimus, a diuiſiua & reſolutiua reliquas nobilitate ſuperari. Quod ſi denuo comparabimus inuicem diuiſiuam & reſolutiuam, vt conſtet quæ harum ſit nobilior; dicimus, has methodos bifariam conſiderari poſſe: nempe vel quatenus conducunt ad indagandum definitionem, vel potius ad rerum numerum determinatum inquirendum. Si primo modo; G diuiſio, ſicut eſt methodus difficilior reſolutione, ita etiam nobilior: nec ab re: nam diuiſio auſpicatur ab intelligibilibus, reſolutio autem a ſenſibilibus. Propterea Plato eminentiſſimus philoſophus diuiſiuæ methodo addictus fuit; contra autem Ariſtoteles ſenſibus magis immerſus definitionem per reſolutionem inquirebat. At ſi hæ methodi conſiderẽtur, vt ad rerum numerum indagandum conducunt; dubio procul reſolutio diuiſione eſt excellentior: namque reſolutio incipit a notione finis, ſupremarumque

rerum numerum, nempe principiorum, inquirit: diuisio autem descendendo progrediens, rerum infimarum numerum indagat. Hæc de methodorum nobilitate. Vnde nihil aliud superest, nisi vt videamus quidnam sit methodus apud Galenum: quod iam aggrediamur. A

Capvt XXXI.

Quid Methodus apud Galenum.

Dicendorũ necessitas, & vsus.

DIfficultas in sermone de doctrina methodica, quæ absoluenda relinquitur altissima, atq; maxime necessaria, in hoc consistit, vt sciamus quidnam Galenus per medendi methodum intellexerit. Hanc autem quæstionem altissimam appello, propterea quod Altimarus gloriabundus satis, neminem hanc difficultatem cognouisse asserit; seque tantæ veritatis vnicum fuisse inuentorem gloriatur. Deinde vero maxime necessariam hanc quæstionem intelligo: propterea quod ex huius resolutione, non modo quid Galenus per methodum medendi voluerit percipietis, verum etiam ad intelligendum omnes 14. libros Galeni de methodo medendi inscriptos additum satis apertum atque amplum consequemini. In qua materia tametsi Altimarus methodi definitionem venari contendat; ea tamen quam assignat, licet ex verbis Galeni depromi videatur, veruntamen satisfacere minime potest. Siquidem non constat apud ipsum, an talis methodus sit vel diuisiua, vel resolutiua, vel definitiua, vel demonstratiua. Vt inde quispiam suspicari queat, præter quatuor methodos fortasse quinctam, eamque inusitatam, & Galenicam reperiri: cum tamen hoc falsissimum sit: siquidem Galenus non alias methodos quam logicas vbique profitetur. Propterea nos in hac materia breuiter ita procedimus. Primum proponemus verba Galeni; deinde, quomodo intelligenda sint, enucleabimus: vt tum veritatem acquiratis, tum nouissimos Altimari discursus vanos esse dignoscatis. B C

Galeni verba de methodo medendi.

Quantum itaque ad primum: Galenus inquit primo methodi, capite quarto: *methodo quidpiam inquirere & inuenire, ex aduerso opponitur ei quod fortuito & temere reperitur: est autem id cum via quadam, & ordine; vt in disquisitione aliquid primum sit, aliquid secundum, tertium & quartum; quoad demum sit peruentum ad ipsum, quod ab initio est propositum.* Dicebat etiam idem Galenus quarto methodi quarto, *methodum esse vnam quandam vniuersalem viam, quæ omnium particularium sit communis: quæ quidem via nos ducat a principio vsque ad finem, atque in omnibus particularibus similis sit:* Atque addit, *in singulis morbis priuatim quandam esse methodum sanandi, in omnibus tamen commune genus esse: namque perpetuo auspicandum ab indicatione, quæ sumitur ab affectu cui mederi volumus; ad discernendum an caussa affectus desierit, necne: si desierit, confugiendum ad eam methodum quæ traditur in tertio libro; si autem adsit, veniendum ad eam methodum, quæ in quarto libro docetur.* Quibus verbis (vt opinor) difficillimis videtur velle Galenus, methodum esse vel Vniuersalem, vel Particularem: præterea methodum aliam esse, de qua in tertio, aliam de qua in quarto libro; quasi non sit vna via curandi morbos, sed duplex. Quæ igitur erunt hæ viæ, seu methodi? Quid voluit Galenus? D

Scopus librorum de medendi methodo: remediorũ inuentio rationalis.

Dicam ego in hac materia difficillima illud quod sentio: meliori iudicio semper me submittens. Atque vt nostra sententia tum firma, tum euidens, quantum fieri potest, reddatur; altius aliquantisper exordiri nobis liceat, atq; primo statuere, quodnam sit munus methodi medendi, quam Galenus in illis libris profitetur? Itaque cum ipso Galeno primo methodi quincto, dicimus, in methodo medendi illud propositum esse, vt ægrota corpora in sanitatem vendicentur: id vero esse, vt naturales partium actiones (si quæ vitiatæ sunt) corrigantur. Ob idque dicebat Galenus nono methodi capite decimo, primum propositum in methodo medendi correspondere primo proposito in arte de tuenda sanitate; quandoquidem, sicut in arte tuendæ sanitatis est sanitatis tuitio, ita in methodo medendi est morbi sublatio. Ceterum cum methodi medendi propositum sit corpora ægra in sanitatem redigere, id autem fieri nequeat absque remediis medicis; ideo talia remedia inuenire oportet. Quare etiam aliud erit huius methodi propositum, nempe præsidia reperire: ad quem scopum respexit Galenus primo methodi quarto. Cum autem remediorum inuentio fiat tum methodo, quæ rationi innititur; tum experientia, quæ sensibus addicta est, ratione que non vtitur: in præsentia Galenus sermonem habere vult non de omni remediorum inuentione, sed de ea quæ methodo acquiritur. Quare methodi medendi munus esse debet, vt vi huius remedia inueniantur, atque ita inueniantur, vt non fortuito seu temere reperta esse videantur, sed methodo, hoc est, via quadam, & ordine, ac ratione. Vnde etiam sæpenumero Plato fortunam ab arte excludebat. E F

Obiter de fortuna medendi.

Sed hic obiter aduertatis, Hippocratem in lib. de arte videri fortunam in medicina collocare: inquit enim; ego vero non priuabo fortunam, tanquam nihil operæ pretii faciat: puto enim morbis, qui male curantur, vt plurimum infortunium accidere; qui vero bene, eos bonam fortunam nancisci. Sed credo ego cum Platone, fortunam non habere locum in medica arte, quatenus videlicet ars constituitur, & secundum artem operatur medicus: quoniam siue sequatur mors, siue salus, semper optimus artifex recta ratione procedit. Quod si fortuna cum Hippocrate locum habet; id intelligendum est tum ex parte infirmi, tum ex parte medici, secundum hanc rationem. Ex parte quidem infirmi: quatenus se subiicit malo vel bono artifici: propterea dicebat interdum Galenus eos ægros esse fortunatos, qui optimum medicum nanciscuntur; infortunatos, qui malum. Ex parte vero medici cum fortunatum asserere possumus, cui infirmi morbis correpti salubribus curandi occurrunt; infortunatum, vbi insalubribus, & pæne lethalibus. G

Sed ad rem. In libris de methodo medendi propositum est remedia inuenire, non temere & fortuito, sed methodo, hoc est, via quadam, ratione, & ordine. Ceterum cum duplex sit remediorum inuentio,

duplex

A duplex etiam methodus erit. Namque alia ſimplex eſt remediorum inuentio;alia vero recta inuentorum adminiſtratio. Ad quam duplicem præſidiorum inuentionem reſpiciens Gale. 6. method. ſecundo,inquit,medendi methodum non ſolum poſſe inuenire meliora medicamenta, quam a medicis fuerint inuenta;ſed etiam poſſe inuenire vniuerſum curationis modum, hoc eſt rectam adminiſtrationem illorum inuentorum remediorum. Itaq; cum duplex ſit remediorum inuentio,duplex etiam quodammodo methodus oritur; altera quidem eſt,qua inueniuntur auxilia:reliqua, qua inuenitur recta adminiſtratio inuentorum auxiliorum. Propterea Galenus 4. method. 4. dicit, eſſe deueniendum modo ad methodum quæ in tertio libro traditur;modo ad methodum quæ proponitur in quarto lib.hoc eſt,modo ad methodum diuiſiuam,beneficio cuius inueniuntur auxilia;modo ad reſolutiuam, virtute cuius reperitur recta auxiliorum adminiſtratio. Declaro magis. Per ſimplicem remediorum inuentionem,intelligo inuentio-
B nem auxilii vel calefacientis,vel refrigerantis,vel humectantis,vel ſiccantis;præterea vel vacuantis,vel replentis:per inuentionem autem rectæ auxiliorum adminiſtrationis,intelligo, an primo vti oporteat hoc vel illo inuento auxilio. *Inuentio alia auxiliorum,alia adminiſtrationis.*

Vnde ſi primum conſideremus inuentionem ſimplicem auxilii, progredi oportet methodo diuiſiua, quæ a ſummo exorditur genere: cui famulatur demonſtratio,vbi aliquod naturaliter ignotum in hac via occurrit: ſubminiſtrat quinetiam definitio, vbi aliquod ignotum quoad quid eſt offertur.Quomodo autem hæc ſit methodus diuiſiua,atque qua ratione hanc propoſuerit Galenus,declaro. Exempli gratia, proponatur febris putrida: in qua cum duo ſint, nempe febris, & cauſſa; propoſitum eſſe debet remedia inuenire tum febris,tum cauſſæ. Qua procedendum via?Primum quo ad febrem,incipiendo a generaliſſimis,cum ſit quid præter naturam,oritur indicatio remouendi. Cum autem ſit præter naturam, vel eſt
C morbus,vel cauſſa, vel ſymptoma. Ecce, vtor diuiſione. Sed non eſt cauſſa,non ſymptoma,ſed morbus: nam morbus eſt,a quo immediate læſio prodit operationum;talis eſt febris;ergo &c.Ecce,vtor definitione,& ratione,merito diuiſionis.Itaq; cum febris ſit morbus,naſcitur indicatio auferendi morbum.Tunc vltra in hac via progrediendo dicendum:morbus cum ſit vel in mala compoſitione, vel in ſoluta vnitate, vel in intemperie;febriſque ſit morbus in intemperie:naſcitur indicatio alterandi. Tunc vltra:cum morbus in intemperie ſit vel in ſimplici,vel in compoſita;& febris ſit morbus in intemperie compoſita:prodit etiam indicatio compoſita,hæc autem cum conſiſtat vel in calido & ſicco,vel in calido & humido, vel in frigido & humido,vel in frigido & ſicco;febriſq; ſit morbus in intemperie calida & ſicca; ideo oritur indicatio refrigerandi & humectandi. Atque cum vlterius deſcendere non ſit poſſibile,ideo hæc poſtrema & diſtinctiſſima indicatio eſt illa,quæ remedium diſtinctum inuenit, nempe auxilium refrigerans & hu-
D mectans. *Prima methodus, inuentionis remediorū. Exemplū. 1.*

Præterea vero quantum ad materiam febrilem eodem progrediendum modo:nempe a materia,quatenus eſt quid præter naturam;deinde ad materiam,quatenus eſt replens:vnde habet locū vacuatio. Deinde ad materiam,vt eſt talis materia,determinatum efficiens repletionem:vbi oritur indicatio vacuandi, vt puta ſanguinem: vnde inuentum eſt auxilium quod ſanguinem vacuat. *2.*

Ecce ergo quemadmodum hic progreſſus eſt a ſupra ad infra, a ſupremis generibus ad ſubalterna, ad ſpeciem ſpecialiſſimam,proindeque eſt methodus diuiſiua:de qua Gale.3. meth.paſſim,vbi ſermonem habuit de inuentione medicamentorum vlceris; quamuis etiam nonnulla de recta illorum adminiſtratione intermiſeuerit.Sed potiſſimum talem methodum explicauit 1.meth.4.vbi ait: methodo quippiam inuenire,ex aduerſo opponitur ei,quod fortuito & temere reperitur:eſt autem id cum via quadam,& or-
E dine,vt in diſquiſitione aliquid primum ſit,aliquid ſecundum,tertium,& quartum,quoad demum ſit peruentum ad ipſum quod ab initio eſt propoſitum. Quæ Galeni verba dubio procul ita intelligere oportet: vt per propoſitum finem remedii inuentionem intelligamus: nam munus methodi medendi eſt, ipſa inuenire remedia. Quandoautem dicit;vt diſquiſitione aliquid primum ſit,deinde ſecundum, tertium, & quartum;opus eſt intelligere progreſſum a generibus ad ſpecies,a ſupra ad infra,non autem ab infra ad ſupra. Et proinde hæc erit via potius diuiſiua quam reſolutiua; quando nimirum initium ſumit a generica & ſuprema indicatione: nam Galenus inquit illos qui hac methodo procedunt,a primo aliquo auſpicari, de quo inter omnes homines ſit conuenientia;deinde ad reliqua tranſire. Exordiri ergo oportet a communiſſima intentione,quæ eſt,res præter naturam indicare ſui ablationem, ſcilicet per contraria; res autem ſecundum naturam conſeruationem,videlicet per ſimilia. Ablatio autem capitur a morbo:deinde eſt
F ablatio morbi:tertio alteratio:quarto & vltimo refrigeratio & humectatio. Ecce, quomodo hic progreſſus eſt ab vniuerſalibus ad minus vniuerſalia,a ſupra ad infra:ideoque hæc eſt methodus diuiſiua. Neque hic poſſumus auſpicari a ſymptomatibus,adſcendendo ad morbum:quoniam dicebat Galenus auſpicandum eſſe perpetuo ab indicatione,quæ ab affectu ſumitur. Vnde Galenus ſemper ſibi ipſi conſentiens primo meth. 7. ait, principium,& radicem,& elementum methodi medendi eſſe corporis affectum præter naturam:quando nil aliud ſit quod curetur a medicis,quam corporum affectus. Cum autem initium ſit a morbo communiſſime conſiderato,ideo erit via hæc methodus diuiſiua. Ad eandem veritatem reſpiciens quoque Galen. 8. de decretis cap.6. ex mente Hipp.ait,contrariorum contrarias eſſe curationes, elementa eſſe methodi medendi. Si igitur hæc communiſſima indicatio eſt elementum, eſt principium a quo auſpicari opotet;igitur methodus hæc medendi erit via diuiſiua,progrediens a generaliſſima indica-
G tione ad minus generalem,donec ad ſpecificam & diſtinctam deuentum ſit. Et hæc de medendi methodo,qua remedia inueniuntur. *Methodus inuentionis remediorum eſt diuiſiua.*

Quantum autem ad alteram methodum,qua inuenitur recta adminiſtratio inuentorum remediorum,nempe an hoc vel illo auxilio prius vti oporteat:ad hanc inuentionem conducit methodus reſolutiuam,quæ nimirum incipit a notione finis, atque exordium ſumit ab indicatione quæ ab affectu ſumitur. *Altera methodus qua inuenitur vſus auxilio-*

…rum: quæ est analytica.

Veluti si ita in biliosa febre dicamus: ratione morbi calidi & ſicci, oritur indicatio refrigerandi & hume- [A] ctandi: ſed quoniam morbus pendet a bile copioſa & craſſa; ideo ratione copiæ oritur indicatio vacuandi: ratione craſſitiei, attenuandi. At quoniam hæc bilis craſſa non poteſt vacuari, niſi prius attenuetur; ob id oritur indicatio attenuandi, prius quam vacuandi: quoniam vero ita attenuari nequit, niſi prius ſuperfluitates primæ educantur; ideo primum purgandæ ſuperfluitates illæ primæ. Ex quo progreſſu diſcimus, hæc auxilia ita eſſe adminiſtranda, vt primum vtendum ſit lenientibus, ſecundo præparantibus, tertio purgãtibus, quarto corroborantibus: nempe illud quod eſt vltimũ in inuentione per methodum reſolutiuam, in exſequutione priorem ſibi vendicat locum. Ecce ergo, qua ratione recta hæc præſidiorũ adminiſtratio methodo reperitur reſolutiua. Porro hæc ipſa orditur etiam ab indicatione quæ ab affectu ſumitur, perinde ac diuiſiua; ſed diſcrimen eſt, quoniam diuiſiua exorditur ab affectu generico; reſolutio autem ab affectu ſpecifico. Et de hac loquitur Gal. 4. metho. 4. dicens; ſi morbi cauſſa adhuc perſiſtat, & augeat mor- [B] bum, deueniendum ad hanc methodum quæ traditur in quarto, ſcilicet ad methodum reſolutiuam, quippe quæ rectam auxiliorum adminiſtrationem declarat; nimirum prius eſſe cauſſæ occurrendum, deinde morbo. Quare hactenus conſtat, quid voluerit Gale. quando dixit, aliam eſſe methodum quæ traditur in tertio lib. aliam quæ traditur in quarto.

Methodus vniuerſalis, & particularis.

Quantum autem ad aliud dictum, quod methodus ſit vel vniuerſalis, vel particularis; 4. meth. cap. 4. dicimus, per methodum vniuerſalem, intelligi methodum medendi in generali, quatenus non applicatur huic vel illi morbo; per particularem autem methodum, quatenus applicatur huic vel illi morbo: fruſtra enim traderetur cognitio methodi generalis, niſi morbis particulatim applicaretur. Vnde 1. meth. 5 Gale. dicebat, id tenaciter in omni methodo ſeruandum, vt in ea prius multis leuioribus problematis ſæpe exerceamur, quam maioribus manum admoueamus. Eandem veritatem colligimus ex Gal. 4 meth. 1. nem- [C] pe duplicem eſſe methodum: aliam generalem, aliam minus vniuerſalem, hoc eſt ſpecificam; & opus eſſe vtramque callere: inquit enim, non ſat eſſe didiciſſe tantum generalitatem methodi, ſed etiam in ſingulis eius partibus opus eſſe vt exerceamur, propterea quod cuiq; morborum ſpeciei ſua ſit methodus. Eadem ſententia colligitur ex 9. meth. 4. dicit enim, ad exactam cognitionem non ſatisfacere methodos vniuerſales, ſed in exemplis exercitari quiduis diſcentes maxime expedire.

Verum aduertatis, ne interdum auctoritates malæ acceptæ vos confundant: namq; dicebat Gale. 9. de placit. 2. vniuerſalem methodum ſine exercitatione multa in ſingularibus artificem bonum efficere nõ poſſe; ideoque eam aſſidue per totum vitæ curriculum exercendam: demonſtratiuam autem methodum non tanta indigere exercitatione, quamuis non pauca. Ex quibus dictis facile aliquis iunior colligere poſſet, aliam eſſe methodum vniuerſalem, aliam demonſtratiuam: & methodum demonſtratiuam non poſſe [D] eſſe tum vniuerſalem, tum particularem. Quod falſum eſt. Nam quælibet methodus, nempe diuiſiua, reſolutiua, definitiua, & demonſtratiua, eſt vniuerſalis, & particularis, hoc eſt, priuatis problematis applicabilis. Quare Galenus, dum diſtinxit vniuerſalem methodum a demonſtratiua methodo; per vniuerſalem methodum intelligit methodum excellentiorem ratione viæ; quæ via eſt vel a ſupra ad infra, vt in diuiſiua; vel ab infra ad ſupra, vt in reſolutiua, in qua viæ reſoluendo & adſcendendo inuenimus; deſcendendo autem exſequimur. Vnde cum in artibus præualeat via diuiſiua & reſolutiua; proinde hanc viam vniuerſalem methodum vocat, ideoq; magis neceſſariam, & in qua magis ſit exercendum in methodo medendi, ſeu arte curandi, quam in methodo demonſtratiua. Propterea ratione talis viæ ſupra ca. 30. de methodorum præſtantia methodum diuiſiuam & reſolutiuam ceteris præſtantiores eſſe ſtatuimus. Itaque hunc in modum dicta Galeni intelligere oportet: neque nouas methodos ſomniare licet. [E]

Et hæc tandem dicta ſint de doctrina methodica: nunc ad doctrinam progrediamur experimentalem.

CAPVT XXXII.

De doctrina Experimentali.

Tranſitio.

CVM hactenus egerimus de doctrina methodica, proindeque de doctrina patefaciente ſimpliciter res ignotas; ſed quatenus in tali cognitione quæſitorum ſcientiam conſequimur: reliquum eſt vt agamus de doctrina pariter ignotas res ſimpliciter patefaciente, ſed quatenus in tali cognitione quæſitorum potius peritiam adipiſcimur. Et hæc doctrina dicitur experimentum; alterum ſcilicet inſtrumentum, quod conducit tum ad inueniendam artes, tum ad harum vſum: atque contra diſtinguitur ipſi rationi, proindeque demonſtrationi. [F]

Experimẽtum quid?

Experimenti autem talis proponitur definitio: *Experimentum eſt doctrina inſtrumentalis qua docemur progredi a noto ad ignotum, vt problematum peritiam conſequamur.* Primum itaq; dictum fuit, eſſe *doctrinam inſtrumentalem:* namque in præſentia conſideramus experimentum, ſicut & methodos, & ordines conſiderauerimus: nempe ſub ea ratione, qua experimentum docetur a doctore, in virtute habitus non principalis, nempe logici. Vnde doctor; docens artem conficiendi experimentum, doctrinam præbet experimentalem.

Generatio experimẽti.

Deinde in definitione dictum fuit: *qua docemur progredi a noto ad ignotum.* Pro intelligentia huius particulæ ſcire expedit, qua arte fiat experimentum. Itaque ſciendum cum Ariſt. primo metaphyſ. a principio, & ſecundo poſt. circa finem, ad procreandum experimentum tali via eſſe procedendum: nimirum [G] vt primum præcedat ſenſus multiplicatus, hoc eſt, vt multæ fiant ſenſationes, eodem modo, circa eiuſdem ſpeciei indiuidua. Exempli gratia, video hoc rhabarbarum purgare bilem in hoc homine: video etiam aliud indiuiduum rhabarbari ſimiliter purgare bilem: & recordor primi indiuidui: tunc ex duplici hac ſenſatione fit memoria. Quod ſi tertia vice, quarta, & quincta videam rhabarbarum indiuiduum hoc efficeres tuncq; recordatus fuero primæ, & ſecũdæ, & præcedentiũ ſenſationũ: tunc fient plures memoriæ. Et hinc, cum

A cum memoria necessario requirat sensum, post mortem non recordamur: atque hinc etiam memoria primo & per se est in sensu; non sic autem in mente. Ad rem. Ergo ex pluribus memoriis, seu ex hac memoria multiplicata, resultabit in facultate rememoratrice spectrum, seu simulacrum fixum & stabile: quod nil aliud est, quam opus animæ sensitiuæ; ad differentiam rationis, quæ est opus intellectus. Atque hoc sensu opus stabile & fixum vocatur experimentum, ex multis collectum memoriis: quo deinde opere seu simulacro excitatus intellectus, facit vniuersale, quod est, omne rhabarbarū purgare bilem. Quod quidem vniuersale est artis principium; non ratione, sed experimento inuentum: atque hoc principium stabile & fixum est in intellectu; quoniam occasionem habuit ab illo simulacro pariter fixo & stabili in facultate memoratrice, vt proinde prodeat etiam artis principium stabile & fixum. Quibus sic positis, constat, cur in definitione dictum sit, in doctrina experimentali progressum fieri a noto ad ignotum: nempe notum B esse sensationes ipsas: rem autem ignotam esse principium, & problema in arte, vel scientia: viam autem a sensationibus ad memorias, ab his ad experimentum, ab hoc ad vniuersale in arte, ad problema.

Tandem dictum fuit; *vt problematum peritiam consequamur.* Quæ particula addita est, vt aptissime experimentalis doctrina a methodica distingueretur; & potissimum, vt experimentum a ratione & demonstratione seiungeretur. Namque sicut demonstratio est opus intellectus, ita experimentum est opus sensus. Vnde quamuis vtraque doctrina referatur ad problemata potius singularia in arte, quam ad totā artem, ad differentiam ordinis doctrinæ: differentia tamen est inter rationem & experimentum; nam per rationem consequimur scientiam de problemate; per experimentum autem peritiam. Exempli gratia fit hoc vniuersale: omnis lactuca conuenit febricitantibus. Huius propositionis possum habere scientiam, & peritiam. Scientiam habeo per rationem, hunc in modum: omne quod habet vim refrigerandi & hume-C ctandi, conuenit febricitantibus: sed lactuca habet vim refrigerandi & humectandi: ergo. Maior manifesta esse potest per illud axioma, contraria contrariis curantur. Minor autem hunc in modum probari potest: omne quod constat ex aqueo elemento, habet vim refrigerandi & humectandi: lactuca huiusmodi: ergo. Quare probatum est hoc vniuersale, nempe quod omnis lactuca omnibus conueniat febricitantibus. Peritiam autem habeo hunc in modum: video hoc indiuiduum lactucæ conuenire huic & illi febricitanti; tunc ex multiplici sensatione & obseruatione fit memoria; ex memoria multiplicata fit simulacrū quoddam in memoria; ex hoc excitatur intellectus, & confingit hanc vniuersalem propositionem, nimirum quod omnis lactuca conueniat febricitantibus. At huius vniuersalis habemus non scientiam, sed solum peritiam. Ideo in definitione ad hanc veritatem respicientes, vt euidenter doctrinam experimentalem a methodica seiungeremus, diximus, *vt problematum peritiam consequamur.* Hæc de definitione ex-D perimentalis doctrinæ.

Discrimen experimēti & methodi.

Exemplū.

Quantum ad diuisionem, nihil habetur notatu dignum: nisi ratione finis dicamus, experimentum conducere tum ad inuentionem principiorum in scientiis & artibus, tum etiam ad vsum artium. Quare iam ad postremum propositum in sermone de doctrinis deueniamus, nempe ad Modum docendi.

Differentiæ experimēti.

CAPVT XXXIII.

De Definitione modi docendi.

CVM hucusque egerimus de doctrina tum principali, tum maxima ex parte etiam de instrumentali, siquidem egimus de doctrina disponente, atque methodica: modo nil aliud superest, nisi vt de ea do-E ctrina instrumentali differamus, quæ res potius secundum quid quam absolute patefacit; atque dicitur modus docendi.

Transitio.

In hac doctrina ne decipiamini, sicut deceptus fuit Modernus; primo eius errorem, qui veritatem turbare posset, eradicare oportet. Inquit igitur doctrinam capi pro modo docendi: qui modus docendi sit ratio quædam accommodandi se ad naturam, aut Auditoris, aut Rerum. Auditoris quidem: namque aliqui sunt, qui exemplis doceri appetunt, alii demonstratione. Sed hic satis se confundit: quoniam distinguit prius modum docendi a methodo; & tamen declarans quomodo modus docendi sit varius pro varia natura auditoris, inter reliqua accepit demonstrationem, quæ sine dubio est methodus, vt etiam ipse fatetur. Quare modo seiungit modum docendi a methodo, modo confundit: proindeque seipsum confundit. Quando etiam addit docendi modum se accommodare ad naturam rerum, vt propterea res ma-F thematicas doceamus per formam, diuinas per efficientem, naturales per materiam, morales & artificiales per finem: hoc quidem admittere possumus, & ex Ammon. in præfatione prædic. facile colligi potest. Sed propterea non tollitur, quin a Moderno confundatur modus docendi cum methodis: nam vtentibus methodo definitiua in mathematica, definitio tradetur per formam, in philosophia naturali per materiam, vel per formam in materia. Amplius methodos quoque dirigi ad rerum naturam patet: quoniam, si res est ignota, quo ad Quid est, vtimur methodo definitiua; si quo ad Si est, vel Quia est, vel Propter quid est, demonstratiua; si quo ad Numerum, diuisiua & resolutiua. Quare cum methodi dirigantur ad varias rerum naturas, sicut etiam modus docendi: propterea Modernus modum docendi cum methodis maxime confundit.

In Recentiorem.

Nos itaque hanc & quamcunq; aliam euitantes confusionem, accipientes modum docendi, vt eui-G denter a methodo & quacunq; alia doctrina distinguantur, modi docendi talem definitionem proponimus: *Modus docendi est doctrina instrumentalis, qua docemur facultates diuersimode docere.*

Definitio modi docendi.

Dictum in definitione primum fuit, modum docendi esse *doctrinam*; quoniam accipimus modum docendi sub ea ratione, qua etiam sumsimus experimentum, methodum, & ordinem; nempe sub ea ratione, qua modus docendi a doctore docetur, exempli gratia, modus docendi aphoristicus dicitur doctri-

Doctrina.

na, quatenus a doctore quis docetur, quomodo confici debeat aphorismus. Pariter, locutio seu modus loquendi, dicitur doctrina, quatenus modus loquendi docetur a doctore. Merito igitur dictum fuit, modum docendi esse *doctrinam.* A

Instrumentalis.

Postea dictum est, *instrumentalis:* vt haberetis modum docendi prodire a doctore, prædito habitu instrumentali, non autem principali. Atque hucusq; est conuenientia inter ordines, methodos, & modum docendi: nam quodlibet horum est doctrina instrumentalis; quoniam ita ordines, ac methodi prodeunt a doctore in virtute habitus instrumentalis, sicut etiam modus docendi.

Discrimen modi docendi a reliquis doctrinis.

Vnde necessum erat, vt per definitionem seiungeretur modus docendi a reliquis doctrinis: & ob id in definitione dictum fuit; *qua docemur facultates diuersimode docere.* Per quam particulam dubio procul modus docendi distinguitur tum ab ordinibus, tum a methodis. Namque ordo est doctrina instrumentalis, sed qua docemur facultates disponere: vnde cũ aliud sit disponere, & aliud docere, propterea & modus docendi differet ab ordine. B Distinguitur præterea modus docendi a methodo: namque methodus est quidem doctrina instrumentalis, sed qua docemur progredi a noto ad ignotũ: vnde aliud est docere quomodo sit progrediendum a noto ad ignotum, & aliud est simpliciter res ipsas docere, ac explanare: & ob id modus docendi quid diuersum erit a methodo, quia est doctrina, in qua doctor nos docet facultates diuersimode docere: per facultates autem intelligo facultates tũ reales, tum sermocinales; namq; in omnibus docendi modus locum habet. Verum vt discrimen inter modum docendi & methodos, imo etiam ordines, a priori dignoscatis; in memoriam reuocare oportet, quemadmodum doctor aliquis docens doceat per habitum, quem in mente obtinet; neque enim alia ratione docere potest. Hic autem habitus est vel Principalis, vel Non principalis. Si principalis, tunc doctor artes & scientias docet. Si autem fuerit nõ principalis; tunc vel docet rationem Disponendi facultates, & sunt ipsi ordines, hosque docet in virtute C potissimum habitus logici: vel docet rationem Progrediendi a noto ad ignotum, suntque methodi, & experimentum, quæ pariter in virtute habitus logicæ disciplinæ docet: vel denique docet modum & artem Declarandi, seu explanandi, & docendi res ipsas, suntque docendi modi; quod pariter docet in virtute habitus non principalis, sed potius habitus grammaticæ atq; rhetoricæ: namque sicut a logica prodeunt ordines, methodi, & experimentum; ita a grammatica & rhetorica progrediuntur modi docendi, & diuersi; exempli gratia, a grammatica modus docendi viua voce, in scriptis, facile, difficulter, cõcise, prolixe; a rhetorica, per quandam similitudinem, modus docendi aphoristice: dico autem, per quandam similitudinẽ; quoniam sicuti a rhetore habemus modum docendi per sententias circa res, quæ in actione consistunt, ita per quandam similitudinem modus docendi aphoristice est per sententias seu per enuntiationes, quæ sunt de rebus effectibilibus. Itaq; ad hanc veritatem respicientes, & modum docendi a reliquis doctrinis D vndiquaque seiungentes, diximus in definitione, qua docemur facultates, hoc est, tum reales, tum sermocinales, diuersimode docere. Docet enim doctor grammaticus, & rhetoricus, qua arte quis docere & explanare possit facultates quaslibet diuersimode, hoc est, tum per locutionem, tum per scripturam, tum facile, tum difficulter, tum prolixe, tum per compendium, tum deniq; aphoristice. Sed vt hæc clariora reddantur, ad diuisionem accedamus.

CAPVT XXXIV.

De Diuisione modi docendi.

Differentiæ vnde sumendæ.

VT arte aliqua modi docendi species haurire videamur, propterea non aliunde quam ex proposita definitione depromendæ. Itaq; cum modus docendi nihil aliud sit, quam doctrina instrumentalis, qua E docemur ipsas facultates diuersimode docere, seu explanare: sequitur, pro diuersitate talis doctrinæ instrumentalis, diuersos etiam modos docendi hauriendos. Cum autem diuersitas hęc pendeat ex vario doctoris in discipulum respectu; ob id ex hoc multæ etiam ac variæ modi docendi species prodibunt. Itaque modus docendi respicit magis vel Docentem, vel Addiscentem, vel indifferenter Vtrumque.

Differentiæ a docente.

Si magis docentem; tunc consideramus an doctor docere velit Actu, vel Potestate. Si actu; tunc oritur modus docendi qui dicitur locutio: cuius beneficio comparatur doctrina, quæ dicitur doctrina viua voce tradita: quam Galenus, primo de facultatibus alim. cap. 1. optimam esse voluit. Vnde aduertatis, ne contingat aliqua deceptio; cum dicimus, verbi gratia, medicinam esse doctrinam viua voce traditam; nemo credat, medicinam esse modum docendi, propterea quod sit doctrina viua voce tradita; namque medicina est ars, inquantum est habitus effectiuus; est doctrina, quatenus a doctore docetur; est autem F doctrina viua voce tradita, inquantum traditur per modum docendi, qui dicitur locutio: quæ locutio dicitur doctrina, non inquantum medicina viua voce docetur, sed in quantum locutio, modus docendi seu loquendi, a doctore, vtpote grammatico, docetur: vnde est tum doctrina, tum doctrinæ instrumentum. Sed ad rem. Doctor docere vult scientias & artes vel Actu, vel Potestate. Si actu; oritur modus docendi, qui dicitur locutio. Si potestate; prodit docendi modus qui dicitur scriptura: nam sicut qui loquitur, actu docet; ita qui scribit, potentia docet.

Differ. ab addiscente.

Si autem modus docendi magis respiciat addiscentem: consideratur modus docendi ratione, vel Temporis, vel Cognitionis. Si ratione temporis; tunc oritur modus docendi vel Prolixus, per διέξοδον, per fusam enarrationem; vel Concisus & per compendium. Si primo modo; tunc est doctrina per διέξοδον tradita, quæ maxime conducit ad conficiendum artifices & scientes: dicebat enim Galen. 1 de facul. al. primo, G doctrinam quæ traditur per diffusam enarrationem artifices reddere: conducit enim hic modus docendi ad addiscendum, ad primam disciplinam. Si autem modus docendi sit per compendium, & breui tempore absoluatur; tunc hic modus conducere quidem potest ad auditores iam edocendum, veluti colligi potest ex Galen. libro de puls. ad tyrones: sed conducit potissimum ad artifices, seu auditores, iam per modum

docendi

A docendi διεξοδικὸν edoctos confirmandum. Et hoc eſt, quod in proœmio art.med.inſinuare voluit Galenus, cum ait: quæ alibi latius per διέξοδον ſunt demonſtrata, nunc a nobis per capita, & per compendium dicentur. Et ob id, ſicuti prior docendi modus conducit ad docendum auditores, ita ſecundus confert ad confirmandum iam edocta in mente auditorum. Proinde, cum in ordine compoſitiuo ars doceatur, in definitiuo memoriæ mandetur; merito modus docendi per διέξοδον præſertim locum habet in ordine cōpoſitiuo; modus autem docendi per compendium in ordine definitiuo: & ob id in arte medicinali, cum ordine Galenus vtatur definitiuo, rationabiliter modo docendi per compendium innititur.

Si autem modus docendi conſideretur ratione cognitionis, conſideratur quatenus modus docendi eſt vel Facilis, vel Difficilis. Facilis quidem reſpicit auditores iuniores, in arte & ſcientia initiatos; difficilis autem ſeniores & prouectos. Vnde admodum facilem aliqua ex parte reſpiciens Plato in Sophiſta di-
B cebat, faciliora prægustanda, antequam ad difficiliora deueniamus. Vnde etiam Porphyrius, Platonis præceptis addictus cum in prædicabilibus iuuenes vellet introducere ad prædicamenta Ariſtotelis, & ad methodos quoque ab Ariſtotele in logica traditas, quamprimum modum docendi facilem pollicetur: ſiquidem ait, ſe velle ab altioribus quæſtionibus abſtinere. Quo modo docendi vſus etiam eſt Galenus in libris ſuis eiſagogicis. Modus docendi difficilis, prouectos reſpiciens auditores, eſt, in quo doctor altiſſimas omnes atq; arduas difficultates pertractat. Quo docendi modo vſus eſt Ariſt. tum alibi, tum potiſſimum in libris de phyſico auditu: vt propterea ad Alexan. Regem ſcribens hos libros editos eſſe, atq; non editos aſſerat: nimirum, quia ob prouectiores editi eſſent; non autem propter imperitos. Vnde hic aduertatis, ſicuti modus docendi per compendium poteſt eſſe tum facilis, tum difficilis; ſimili quoque ratione modum docendi per διέξοδον eſſe poſſe tum Facilem, tum Difficilem. Propterea ſi ad Galeni libros reſpiciamus, nō
C difficulter obſeruare poſſumus, aliquos eſſe in quibus Galenus vtitur modo docendi breui & facili; quoſdam vero in quibus breui & difficili; quoſdam præterea in quibus longo & facili; quoſdam deniq; in quibus longo & difficili. Vtitur quidem modo docendi breui atq; facili, in lib. de pulſ. ad tyron. in quo (vt patet) breuiter docet, a diligentiori rerum inquiſitione abſtinens, citra difficultatem. Vtitur vero breui, ſed difficili docendi modo, in li. de conſt. ar. med. atq; in art. med. Vtitur præterea modo docendi longo & facili, in libris de vſu partium, & potiſſimum de anatomicis adminiſtrationibus, & aliis pleriſque in libris. Vtitur denique docendi modo longo & difficili, in lib. de placitis Hippoc. & Platonis; ibi enim de altiſſimis quæſtionibus pertractat.

Quod ſi poſtremo loco conſideretur modus docendi penes doctorem & addiſcentem ſimul; oritur modus docēdi aphoriſticus: quippe qui neceſſario exigit doctorem grauem, atq; addiſcentem eruditum:
D quandoquidem qui per Aphoriſticum modum docet, docet per ſententiam, quæ eſt enuntiatio tum vniuerſalis, tum breuis, tum de rebus agibilibus, vel etiam per aliquam ſimilitudinem effectibilibus: quæ quidem enuntiatio non niſi a graui & prudenti viro proferri poteſt; atque apprehendi non niſi ab addiſcente in arte verſato. Et hoc docendi modo vſus eſt Hippoc. auctor grauiſſimus in aphoriſmis.

Diff. à doctore, & diſcente.

Ex quo euidentem Moderni errorem colligatis: namque inquit, doctrinam aphoriſticam ordinem eſſe particularem, non vniuerſalem; ad differentiam ſcilicet doctrinæ reſolutiuæ, compoſitiuæ, & definitiuæ: quoniam per doctrinam aphoriſticam ſint aliqui aphoriſmi, qui ordinem pendeant, vt annuli in catena. Quæ dicta falſiſſima ſunt. Nam doctrina aphoriſtica nil aliud eſt, quam actio docentis grauiſſimi; proindeq; mira grauitate & breuitate, & veluti ænigmatice propoſita. Nam doctrina aphoriſtica non eſt illa, quæ inuicem ordinat aphoriſmos: etenim aphoriſmi connectuntur in genere, ordine reſolutiuo: cū Hip-
E poc. in aphoriſmis tradat artem medicam curatricem, & præſagatricem, has partes diſponendo ordine reſolutiuo; atque potiſſimum innititur methodo reſolutiua, nempe a notione finis progrediens a poſteriori ad prius, a re videlicet indicata ad ſua indicantia, & coindicantia: atque vtitur modo docendi perfectiſſimo, & de grauiſſimo, nempe aphoriſtico: quippe qui modus docendi (vt ſcitis) dicitur doctrina, quatenus docetur a doctore, & præcipue a rhetore; dicitur autem inſtrumentum, & modus docendi, quatenus artifex hoc vtitur; artifex tamen non quilibet, ſed grauiſſimus, eruditos docens auditores, qualis fuit Hippo. qualeſque eius auditores eſſe debent. Et hæc de modo docendi.

In recentiorem.

CAPVT XXXV.

Epilogus dictorum.

F ITA igitur opuſculum noſtrum de doctrinarum differentiis abſolutum & elaboratum eſt. Vnde conſtat, doctrinas tali, nec alia ſerie apud ſapientes diſponi poſſe. Primum enim ſunt doctrinæ principales, hoc eſt, ſcientiæ, & artes. Secundo vero ſunt doctrinæ non principales, nempe principalium miniſtræ, & famulæ: ſunt autem ordines, methodi experimentum, & modi docendi. Ordines quidem, veluti diſponētes tum artes, tum ſcientias: atque ſunt reſolutiuus, compoſitiuus & definitiuus. Methodi autem, & experimentum, veluti ea inſtrumēta, quæ per nota nos in ignotorum notitiam manuducunt: quippe quæ notitia, vel eſt ſcientia, vel peritia. Si ſcientia; ſunt diuiſio, reſolutio, definitio, & demonſtratio: ſi peritia; doctrina ipſa experimentalis. Tandem modi docendi ſunt res ipſas declarantes potius ſecundum quid, quā ſimpliciter: nimirum ratione habita, vel ad docentem, vel ad addiſcentem, vel ad vtrumque. Si ad docentem, eſt locutio, & ſcriptura: ſi ad addiſcentem, eſt doctrina diexodica, compendioſa, facilis, & difficilis: ſi
G ad vtrumque, aphoriſtica.

ἀνακεφαλαίωσις.

Merito igitur liquet, nullum eſſe in lucem editum opus a digno aliquo auctore, in quo cuiuslibet generis doctrinæ aliquod membrum non reperiatur. Proinde indignus eſt & imperitus ille interpres, qui in ſui auctoris explanatione tale artificium, & adeo neceſſarium diſſimulat. Vnde mea quidem ſententia ſatis deficiet logicus ille interpres, qui (gratia exempli) aggrediens explicationem librorum

Interpretes omnia ad genus aliquod doctrinæ reuocare debent.

poſteriorum, non dicat, ſermonem eſſe de facultate ſermocinali, nempe de arte tum demonſtrandi, tum definiendi; ordinem eſſe compoſitiuum; methodum præcipuam eſſe reſolutiuam, ſecundariam definitiuam; modum docendi, tum per compendium, tum difficilem. Nec parum etiam a legitimi interpretis legibus aberrabit ille philoſophus, qui aggrediens, verbi gratia, interpretationem librorum de phyſico auditu, non moneat, primum ſermonem eſſe de rerum naturalium ſcientia; ordinem eſſe compoſitiuum: methodum vero eſſe diuiſiuam, definitiuam, atque demonſtratiuam; tandem docendi modum eſſe breuem, & difficilem. A

Phyſicæ acroaſeos methodus.

Vnde Ariſtoteles cognoſcens hæc eſſe maximi momenti, imo vndiquaque impoſſibile eſſe, aliquem philoſophiam naturalem adire, niſi hæc cognouerit; ideo omni diligentia hæc ab ipſo in ſuo procœmio proponuntur. Nam expreſſe patet, quod proponat Philoſophus id, de quo eſt agendum; proponit enim ſe velle de cognitione principiorum verba facere: imo non modo in primo text. proponit doctrinã principalem, de qua eſt verba facturus, ſed proponit etiam doctrinam diſponentem, id eſt, ordinem compoſitiuum: pollicetur enim ſe primum de principiis locuturum. Methodos vero manifeſtat, ſed difficulter, & more Ariſtotelico, in ceteris contextibus procœmii, vſque ad principium tractatus. Sed quot methodos proponit? Tres (vt opinor:) diuiſiuam, demonſtratiuam, & definitiuam. Sed quare has tres methodos adducit? Dicerem ego, quod cum dixerit in primo contextu, ſe velle agere de rerum naturalium principiis; cum hæc ignota ſint, debemus ita de ipſis agere, vt ignota principia dignoſcantur: & ob id in contextu ſecundo ſtatim ſubdit; *innata eſt nobis via a notioribus.* Debemus ergo aliqua methodo progredi, per quã deuenire poſſimus in cognitionem principiorum, quæ occulta ſunt. Et propterea videndum eſt, penes quid principia ſint occulta: an penes plura, an penes pauciora? Quia hoc cognito, cognoſcemus etiam quot methodi ad principiorum cognitionem neceſſariæ ſint. Atqui certum eſt, latere circa principia eorum numerum, nimirum an ſint plura, an pauciora: deinde vero, vbi habemus tot eſſe principia, adhuc latet, quænam ſint hæc: Vbi poſtea habemus quænam ſint, adhuc non conſtat quidnam ſint. Quo fit, vt tria ſint quæſita ignota de principiis: nempe principiorum numerus; quæ ſint; & quid ſint. Cum ergo hæc tria ſint ignota de principiis; haud difficile eſt videre, quænam ſit neceſſaria methodus. Nam vbi de methodis loquebamur, diximus methodum vnam ad vnũ referri quæſitum, alteram ad aliud. Et ad numerum quidem rerum, tum diuiſiua ſpectat, tum reſolutiua; ad Si eſt, demonſtratiua; ad Quid eſt, definitiua. Et ideo facile patere poteſt, quot methodi referri debeant in hæc principia, ſi hæc tria quæſita ſint ignota. Ariſtoteles autem in procœmio non de alia mentionem habuit methodo, præterquam de diuiſiua: dixit enim; *manifeſtum eſt, diuidentibus hæc.* Non proponit autem demonſtratiuam, nec definitiuam methodos: quia breuiſſimus, & præcipue in his libris, fuit Ariſtoteles: cumque breuitati ſtuduerit, cognoueritque ad quæſitum Si eſt nihil aliud dirigi, quam methodum demonſtratiuam; ad Quid eſt ſolum definitiuam; ad Numerum vero tum diuiſiuam, tum reſolutiuam; quia poſſet dubitari, Ariſtoteles ad principiorum numerum indagandum vti velit methodo reſolutiua, an diuiſiua: ob id Ariſtoteles in procœmio methodum diuiſiuam aperte proponere voluit, quia de hac erat dubitatio; & ideo dicit Philoſophus, *manifeſtum eſt diuidentibus*; & non dicit, *reſoluentibus*: quaſi dicat; nolo vti reſolutione, ſed diuiſione. Et ob id immediate aggrediens tractatum, dicit, *neceſſe eſt, aut vnum eſſe principium, aut plura.* Ecce, vtitur diuiſiua methodo. Atque in fine primi libri dicit; *manifeſtum eſt ex his, quæ diximus, quot ſint principia, & quæ ſint*: nam probauit materiam eſſe principium, a poſteriori, videlicet per tranſmutationem; quia innata eſt nobis via a notioribus nobis; neque vtitur demonſtratione a priori, quia non potuit principia niſi a poſteriori probare: probatio enim a priori munus eſt philoſophi primi. Pariter quantum ad Quid, non vtitur vera definitione, ſed deſcriptione, quæ nobis notior eſt; per fundamentum propoſitum, nimirum *quoniam innata eſt nobis via, &c.* Ideoque definit materiam per ſubiectum, quod notius eſt cognitione confuſa. Et ideo in fine primi libri habet: *rurſus aliud principium*, id eſt naturam & formam, *aggrediamur.* De natura autem proponit Quid eſt, non autem Si eſt, quia eſt notum. Poſtea etiam in ſecundo libro cauſſarum numerum inquirens, per methodum progreditur diuiſiuam. Quare Ariſtoteles ad rerum numerum inueniendum non reſolutiua, ſed diuiſiua methodo procedit. B C D E

Sed forte quis ambiget, inquiens, hanc expoſitionem eſſe voluntariam: nam Ariſtotelem primum quærere quæſitum compoſitum, id eſt, numerum principiorum, quot ſint principia; deinde quæſitum ſimplex, quid ſit: cum tamen e ſecundo poſter. quæſita ſimplicia præcedant compoſita: ideoque primo de Si eſt, & Quid eſt loqui debere Philoſophum, deinde de numero. Sed facile poteſt huic difficultati ſatisfieri; ſi dixerimus verum eſſe, quod quæſita ſimplicia præcedant compoſita eiuſdem rei, non diuerſæ. Declaro. Volo de materia agere, poſt de forma. Et de materia primo Si eſt inquiro; deinde Quid; tertio Propter quid eſt. Vbi hæc tria de materia prima quæſiuero; poſt hæc de forma etiam inquiro eadem. Nonne apparet, quod Propter quid materiæ, præcedat Si eſt formæ? Vnde non inconuenit, vt Quid & Propter quid vnius præcedat. Si eſt alterius: ſed inconuenit, vt in eadem re primo de Quid rei, deinde de Si eſt loquamur. Cum igitur Ariſtoteles inueſtigarit numerum principiorum methodo diuiſiua; ſermo eſt de principiis in genere, nõ de hoc vel illo, id eſt, non de materiali vel formali; nõ de per ſe, vel per accidẽs. Sed cum loquitur de principiis, quænam ſint, quid ſint: proponit determinatum principium, materiam, Quid materiæ. Quare quæſitum Quia eſt, ſeu quæſitum circa numerum, eſt de principiis in genere: quæſitum autem Si eſt, & Quid eſt, de materia. Vnde non erat vt naturalis de Si eſt, & Quid eſt principium in genere, diſſerere: contra enim negantes principia in genere non eſt diſputandum: ſed tamen contra eum qui negaret materiam eſſe principium. Pariter non erat vt definiret principium in genere: nam hoc ſpectat ad metaphyſicum. De numero autem principiorum in genere bene poterat naturalis (ſupponens Si eſt, & Quid eſt) diſſerere, beneficio methodi diuiſiuæ. Sed hæc obiter dicta ſint. F G

Ad rem

A Ad rem ergo redeuntes dicimus, interpretes illos acriter reprehendendos, qui lib. phys. exponentes, negligentia, vel fortasse inscitia ducti, non monent, Aristot. vti methodo diuisiua, definitiua, ac demonstratiua; necnon docendi modo difficili, tum breui. Similiter & ille medicus delinquet; qui, verbi gratia, Hippocrat. aphorismos expositurus, non dicat, sermonem esse de rebus effectibilibus ad medicum spectantibus, præsertim penes partem curatricem, & præsagatricem; ordinem esse resolutiuum; methodum præcipue resolutiuam; & modum docendi aphoristicum. Ita maxime deficiunt librum artis medic. Galeni exponentes, (cuius gratia potissimum hunc tractatum constituere voluimus; nimirum vt sequēti anno citius libellum propositum percurramus) qui haud monent, sermonem esse de rebus effectibilibus ad medicum spectantibus, quinimo de omnibus artis medicæ partibus; ordinem esse definitiuum; methodum quamlibet, sed potissimum definitiuam, & diuisiuam; modum docendi per scripturam, per com-
B pendium, atque cum difficultate. Absque harum igitur doctrinarum cognitione, vel auctoris, vel interpretis, vel auditoris vices quempiam obtinere, impossibile esse, luce meridiana clarius constat.

FINIS.

SEDES MATERIARVM ET VERBORVM MEMORIA DIGNORVM IN OPERIBVS CAPIuaccI contentorum.

A.



Bortus.800.801
Abortum prohibētia.802
Abscessus internos rumpentia.664.637
Accessio cibum prohibet.425
Accessio ordinata, vel inordinata.426
Accessio, deterior pars periodi febrilis.378
Accessionis febrilis cur mutetur species 872
Accessiones & vigores quibus præmonstrentur.381
Accessiones febris pituitosæ cur citius reuertantur.384
Accessiones febriles cur anticipēt, vel postponant.872
Accessiones cur reuertantur in febribus 384 871
Accessionum frequentiæ ac tarditatis caussæ.384.872
Accessionum febrilium breuium & longarum caussa.873
Accessionum febrilium caussa, in periodicis, & non periodicis.871
Accessionum ordinatarum, & inordinatarum caussæ.872
Accidentia etiam constant materia & forma.840
Acetabula.3
Acetabulum ossis.61
Acetum lædit vterum, & neruos.780
Acetum vinum est mortuum.869
Acetum in arthritide vitandum.809
Acetum.893
Achores: vide tinea.
Acinus.550
Actio hominis.25
Actio læsa.183
Actio est corruptiua, vel perfectiua.1007
Actio morbi indicat quantitatem remedii.260.292
Actionis læsio ob errorem externum.999
Actionis caussa finalis.42
Acuti morbi conditiones.357
Acutorum morborum subdiuisio.358
Adeps.74.& deinc.
Additio carnis lacrymalis.580
Adiuuantia in medicam. composito.298
Adolescentia.389
Adstantium officium in curatione.324
Ægri officium in curatione.324
Aer materia alimenti & remedii.891
Aeris artificiosa alteratio.892
Ægilops oculi.580
Æstate & autumno cibi difficilime feruntur.424
Αἱμωδία.596
Æquinoca quæ.1005
Ætas conueniens purgationi.330
Ætas venæsectionem ferens.347.879
Ætatum differentiæ.389
Affectio primaria, & per essentiam non sunt idem.497
Agenicus ad venena efficax.922
Agendi efficaciæ in mistis gradus.913
Akilus Auicennæ.580
AlbeZoar Auicennæ.920
Albugo oculi.576
Alchasi affectus oculi.566
Alchutrab species melancholiæ.503
Alexipharmaca nimia dosi rationem habet veneni.913.917.919.920
Alexipharmaca roborant expultricem omnium partium: nec tantū sudoribus virulentiam exigunt.819
Algichar Auicennæ.584
Alimentum purum 354.355.892
Alimenta hyeme & vere melius cōficiuntur.403
Alimentum vt alteretur a corpore.9 5
Alimentum respōdere debet ei quod resoluitur.396
Alimentum medicamentosum.354
Alimentorum differentiæ.892
Alintisar.570
ἀλλαντοειδὴς tunica.3.792
Allium sitim non excitat.710
Allium theriaca rusticorum.710
Alopecia.458
Alopeciæ principio locum habet repercussio.459
Altarfati.574
Alterantia in febribus putridis.891
Altimari error.357.400.450.516.719.728.733.734.803.1023
Alucinatio visus.584
Aluum constipantes caussæ.701
Aluum leniens: vide, leniens.
Aluo fluida, aliisq; symptomatis interempti historia.997
ἀμαύρωσις.585
Amentia: vide, ratiocinatio læsa.
ἀμβλυωπία.585
Amiculum, tunica fœtus.3
Ammios tunica.3.792
An agendum a quo indicetur.1001
Anacardus.925
Anacardi portio alia venefica, alia beZoartica.926
Analogismus medicus.246.290
Anasarca: vide, hydrops.
ἀναστόμωσις.593.620.722
Anatomes efficiens caussa.23
Anatomiæ subiectum.22
Anatomiæ diuisio.44
Anatomiæ finis.44
Anatomiæ necessitas.14
Anatomicæ methodi applicatio.52
Anatomica methodus quid 15
Anatomica dissecandi ratio.48
Anatomico in singulis partibus quid perpendendum.49
Anatomicorum Galeni librorum de vsu partium ἀνάλυσις.45
Anatomicorum Galeni librorū ordo.45
Anaxioni pleuritico octauo die vena secta.387
Anchilops.580
Aneurisma.629
Anginæ definitio, 597. caussæ, differentiæ, signa, indicationes, prognostica.598. curatio.599
Angor: vide cardialgia.
Angustia pororum vteri, seu densitas.774
Angustiæ species & caussæ.512.524.530.538.607.635.701.774
Anhelitus difficultas e tumore in diaphragmate: forma consilii.946
Anima plures habet partes.509
Animæ pars quælibet plures facultates habere potest.509
Animalis spiritus.32.36
Animalis spiritus alitur vitali.398
Animalis facultas aliquibus tātum partibus communicatur.399
Animalis spiritus est proximum organum facultatis animalis.399
Animi defectus: vide leipothymia.

Aniuden

Aniuden Auicennæ quid.637
Anni tempus purgationibus cõmodum.329
Anodyna.472.475.612.707.808
ἀνορεξία.677
ἀντιάδες.550
Antidoti: vide beZoartica, vel alexipharmaca.
Antidoti misceri possunt vomitoriis, non purgantibus.924
Antimonium.817
Antiperistasis calorem robustũ intẽdit, imbecillem exstinguit.404
ἀπεψία.682
Aphorismi medici natura.305
Aphorismi nomen.305
Aphorismi definitio.306
Aphorismi differentiæ.307
Aphorismorum Hippocraticorum connexus.308
Aphorismorum Hipp. intentio. 308. & deinc.
Apium in epilepsia improbatum. 523
ἀπόληψις τῶν φλεβῶν.805
Apoplexia est morbus acutus.527
Apoplexiæ definitio, caussæ 524. differentiæ, signa, indicationes, 525. prognostica, 526. curatio, 527
ἀπόφυσις ossium.60
Apostema lacrymalium.580
Appendix ossis.59
Appetitus quotuplex.671
Appetitus ciborum quomodo fiat. 389
Aqua oculi: vide suffusio.
Aqua oculi.572
Aqua panis, ad albuginem.577
Aqua carnis, vires instaurans. 695
Aquæ timor rabidorum.929
Area capitis.458. curatio.460
Argemon, affectus oculi.566
Argenterius notatur.729.757
Argentum viuum: vide, hydrargyrum.
Aristoteles male a Galeno reprehẽsus.5.124
Aristoteles male reprehendit Empedoclem.133
Aristotelis & Platonis cõsensus.28
Arquatus: vide icterus.
Arsenicum gestatũ ad venena.922
Arteria aspera. 67
Arteriarum doctrina.89. & deinc.
Arteriarum sectio.474
Arthritis. 807. &c.
Arthritis num curabilis.982
Arthritidis & scabiei curatio: forma consilii.978
ἀρθρωδία.57
ἄρθρωσις.57
Ars, habitus principalis.1009
Articulorum dolores.807. &c.
Ascarides.713
Ascites: vide hydrops.
Aspasia, meretricum fucus.739
Assatio.440.886
Asthma.607
Atherima.581
Athletæ copioso egent cibo.407
ἀτροφία oculi.582
Attractio fit a simili.918
Attrahentia ad cutis meatus.889
Auditio vt fiat.138
Auditus læsus.587
Auditus ossicula.118.138.140
Auerrhoidis error.453.499.920
Augescentia corpora, plurimo calido abundant.395
Augmentum morbi.370.843
Augmentum corporis.392
Auicennæ codex restituitur.89.750
Auicennæ canonis ἀνάλυσις.824
Aulunum, affectus oculi.566
Aurigo: vide icterus.
Aurium anatomica consideratio 136. & deinc.

B.

BAlani: vide, suppositoria.
Balneum in putridis.889
Balneum, eiusque partes.853
Barba alba segnes in Venereis indicat.767
Barbæ prouentum iuuantia.461
Balis medicamenti compositi.298
Bathmocides.61
Bezoar lapis Auicennæ.923
BeZoarticum quid.920
BeZoarticum etiam sanitatis tempore conuenit.920
BeZoartica sunt media inter venena & corpus humanum.920
Bezoartica alterantia.923
Bezoartica media sunt inter corpus & venenum.920
BeZoarticorum differentia.920
Bilis receptacula.175
Bilis nigra quadruplex.903
Biliosa febris cur alternis diebus exacerbetur.385
Biliosa febris, & eius differẽtia.896
βόθειον, affectus oculi.566
βραδυπεψία.682
Brasauolæ lapsus.364
Bubones luis gallicæ.821
βούλιμος.679.

C.

CAchexia.728. &c.
Cacochymia, quando requirat venæsectionem, quando purgationem.332
κακοήθεια affectuum.842
κακοήθεια.842
Caducus morbus: vide epilepsia.
Cæsius color oculi.584
Calculi renum definitio, caussa.756. differentiæ, signa.757. indicationes prognostica, curatio.758
Calidi innati vsus.34.35.395
Calidi natiui motus duplex.338.876
Calidi innati conseruatio per adipem.78
Calidum innatum est substantia, actu & potentia calidum.392
Calidum innatum quid.8
Caligo oculorum.584
Calor naturalis differt a spiritu naturali.398.392
Calor naturalis, quomodo prouide agere dicatur.406
Calor naturalis hyeme & vere copiosior.406
Calor natiuus est temperaturæ calidæ & humidæ.393
Calor innatus est instrumentum omniũ operationũ naturaliũ.408
Calor natiuus quid 393
Calor vt cœlestis dicatur.394
Calor natiuus respondet elemento stellarum.393.394
Calor natiuus quatuor modis afficitur, 876
Calor natiuus est aereæ, & aqueæ substantiæ.393
Calor exercitio augetur.407
Calor febrilis est qualitas substantiæ calidi innati.830
Calor influẽs ad actum deducit calorem implantatum.399
Calor puerorum an iuuenum validior.397
Caloris natiui & adscititii differentia.393
Caloris elementaris & natiui discrimen.406
Caloris discrimen in anacardo, napello, & sinapi.925
Caloris naturalis duplex alimentũ 399
Caloris natiui differentiæ.393
Caloris spiritusque naturalis discrimen.400
Caloris natiui duplex destructio 338
Calores corporis omnes subiecto conueniunt.394
Caluaria: vide cranium.
Caluitium.458. curatio.461
Cancer suppurari nequit.668
Cancri, medicecti dicti 930
Canis rabidi indicia.929
Canina rabies.928
Caninum venenum.928
Canitiei caussa.462
Canitiem præcauendi ratio.462
Cantharides 927
Cantharides in ischuria hydropicorum.736
Cantharides fœtum mortuum excludunt.803
Cantharidum extremitates alexiteriæ. 928. intro exhiberi tuto possunt. ib.
Capilli vt fiant fului ac nitidi. 463
Capillorum denigratio.463

Capillorum defluuium 458.curatio 461.in lue venerea.461.822
Capillorum excessus.462
Capillorum color vitiatus.462
Capillorum tinctura caute vtēdum. 462
Capillorum defectus. 458. &c. differentiæ 458.indicationes, prognost.& signa.459
Capitis affectus interni.466
Capitis dolor 466. &c. caussæ 467. curatio. 474. definitio. 466. —differentiæ 469.indicationes 472.prognostica 473.signa 470
Capitis affectus externi.457
Capitis ossa.112
Caput muscæ,affectus oculi.569
Karabitus.484.
Cardialgiæ nomen 666. definitio & caussæ 667.differentiæ,signa, indicationes 668. prognostica, curatio.669
καρδιωγμός.629
Caries luis gallicæ.822
Carnis differentiæ.892
Carnis explicatio.105.& deinc.
Caro magis nutrit quam panis.547
Cartilago 61.62
Carus exquisitus.530.531
Carus communiter dictus.528
Caryocostinum Bayri. 983
Caseum cur quidam non comedant. 439
Cassia.883
Casus,de quo consultandum, historica relatio.933
Catalepsis:vide catochus.
Cataphora somnolenta.528
Cataracta oculi.572
Catarrhi curatio:forma cōsilii.941
Catarrhi salsi curatio; forma consilii.943
Catarrhi curatio, cum fauciū molestia:forma consilii.947
Catarrhi curatio, cum ventriculi debilitate:forma consilii 944
Catarrhi curatio; forma consilii. 945
Catarrhi definitio 549. caussæ 550. differentiæ,signa 551. indicationes:prognostica 552. curatio.553
Catarrhus epidemicus, anni 1580. 1002
Catochus exquisitus.533.534
Catochus nothus:vide coma vigil.
Caussa efficiens morbum.178
Caussa contentiua læsionis facultatis est de essentia morbi. 1000. 1002
Caussa morbifica vt indicet. 265. 293
Caussa morbifica.178
Caussa morbifica, vt indicet rationem vtendi.274.295
Caussa morbi continens.602
Caussa morbi externa & interna. 179
Caussarum morbificarum differentiæ.178
Cauterium a quo indicetur.301
Cauterium quando, & vbi inurendum.301
Cauterii vtilitas.301
Cauterio triplex fit euacuatio.301
Cauterii inurendi modus.302
Cephalalgia:vide capitis dolor.
κέρχνος.601
Cerebellum.120.
Cerebrale profluuium 717
Cerebri membranæ.120
Cerebri anatomica cōsideratio. 119. & dein.
Cerebri actiones.122
Cerebro sentimus.122
Cerebro vulnerato bilis vomitus superuenit.692
Cerebrum est organum facultatum principum, & non principum. 123
Cereuisia arthriticis vitanda.984
Ceria.713
Chalybis præparatio.505.744.746. 752.753
Chateman,affectus oculi.566
Chemosis 558
China.816
Cheiragra.807
Choleræ definitio & caussa. 696. differentiæ, notæ, indicationes, progn.curat 697
Cholericorum ebullitio.899
Cholirica:vide cholera.
χοάνη.120
χωείον.3.792
Chylificatio læsa. 681. eius definitio & caussæ.682.differentiæ, signa, indicationes,prognostica.685.curatio.686
Chylosus fluxus.717.
Chylus in ventriculo putrescens facit febrem putridam.842
Cibandi modum indicantia, & coindicantia.421
Cibandi horæ cognitio.426
Cibus prohibetur tempore molesto. 426
Cibus quot vicibus offerendus. 421
Cibus medicamentosus. 354. 355. 893
Cibus,seu alimentum purum. 354. 355.892
Cibi difficulter feruntur æstate & autumno.424
Cibi facile feruntur hyeme.424
Cibi mediocriter feruntur vere. 424
Cibi parum, vel multum quando dandum.421
Ciborum administratio in febribus putridis.894
Ciborum varietas ventrem turbat. 895
Cicatrix oculi.576
Cicuta sturnis alimentum, homini venenum.916
Cilia.130
Circuitus febrilis:vide periodus.
κίτlα.678
Clauus,affectus oculi.569
Clysteres.884
Coeundi impotentia.767
Cæcitas.585
Cœliaca.717
κοίλωμα,affectus oculi.566
Coitus naturalis.767
Colica catarrhalis.550
Colicæ definitio,caussæ 700.differentiæ,signa 703. indicationes, prognostica.705.curatio.706
Colis erectio.767
Collegiandi ars medica.931
Colliquatiuus fluxus.717
Color non arguit temperamentum. 214
Color e mistione elementorum. 584
Color e mistione lucis & tenebrarū. 584
Colorum physiologia.211
Columbus improbatur. 60.113.116
Coma proprie dictum.528
Coma vigil.533
Comitialis morbus:vide epilepsia.
Compositio diuisione est facilior. 1031
Compositio est præcipuum organum operationis,quæ fit a toto organo. 40
Comtoria facultas medicinæ.457
Conarium.120
Conceptio naturaliter vt fiat.790
Conceptionis factæ signa 794
Cōceptionis intermissæ curatio: forma consilii.996
Conceptionis vitia.772
Concocta materia nō est incrassanda.886
Concoctio speciatim dicta. 438.886
Concoctio medica est maturatio materiæ morbificæ.440.886
Concoctio fit a calore proprio.439
Concoctio adiuuatur a calore externo.439
Concoctio quæ fit in animali, quid. 885
Concoctio ventriculi duplex.681
Concoctionis excrementa duo.209
Concoctiones quatuor.209.438.885
Concoctionis species.885
Concoquentium in febribus putridis materiæ, & vsus.887
Concoquentium facultates.886
Concupiscentia quomodo ad hepar spectet.174
Congelatio:vide catochus.
Consistens ætas.389

Consue-

Consistens ætas.389
Consuetudo magni momenti.415
Consilia, & consultationes Capiuacci 941
Constitutio corporis humani.179
Constitutio partis.38
Constrictio pupillæ.571
Consultandi ratio medica.921
Consultandi methodi præcepta, exemplo febris pestiferæ illustrantur 939
Consultationum medicarum septē capita.931. & quomodo inueniātur ἀναλύσει finis ac mediorū.ibi.
Contagiosi morbi caussaliter.998
Contagium nō semper inducit morbum calidum.999
Contagium non constituit speciem morbi.998
Contagio dupliciter actio læditur. 1000
Contenta vrinæ.215.849
Contenta praua.229
Contenta vrin.morbosa pessima.231
Contenti vrinæ materiæ alimentalis, & morbificæ dignotio. 219
Cōtenti vrin.morbosi differētiæ. 231
Continua febris per subingressum. 873
Continuarum febrium tēpora. 845
Continui solutio duplex.467
Conturbatio oculi 558
Conuulsio nō proportionata ad materiam.544
Conuulsio ex inanitione.544.689
Conuulsio in epilepsia est spuria. 517
Conuulsio e repletione.544.689
Conuulsio canina.547 548.545
Conuulsio sicca Auicennæ.544
Conuulsionis definitio, caussæ. 443. differentiæ, notæ, præsidia.545. prognostica, curatio.546
Cor quomodo a cerebro refrigeretur.124
Cordis morsus.629
Cordis anatomica consideratio. 159
Cordis color communicatur toti. 831
Cordis palpitatio: vide palpitatio.
Corrigentia in medicam composito. 298
Corruptio in qua mistum dissoluitur, id est, putredo.915
Corruptio misti 868.915
Corruptiones in quibus mistum non dissoluitur.914
Coryza.550
Cotyle ossis.61
Cotyledon ossis.61
Coxendicus dolor.807
Crampe: σπασμὸς φυσώδης 544
Cranium.112
Cranii suturæ.116
Crasis: vide temperamentum.
Crisis fiens, & facta.428
Crisis tempore nihil mouendum. 428
Crisis optimæ conditiones.429
Crisis quid.429
Crisis per abscessus non est symptomatica.430
Criseos caussa finalis.431
Criseos imperfectæ defectus est supplendus.432
Critica signa.386
Critico die num aliquid agendum, non operante natura.433
Cruda materia quid, & quotuplex. 443
Cruda non mouenda.443
Cruditas quid.885
Cruditas nidorulenta 860
Cruditatis species.886
Crurum vlceratorum curatio: forma consilii.989
Cruris dextri maciei curatio; cum læsa deambulatione: forma consilii.986
Crystallini raritas.584
Crystallini intemperies.584
Cucurbitini lumbrici.713
Cucurbitula magna.623.727.706
Cucurbitulæ cum scarificatione: & earum vsus.880 881
Curatio tuta, cita, iucūda. 298.322
Cutis corporis explicatio.101. & deinc.
κυνορεξία.678
κυνώδης ὄρεξις.678

D.

Declināte morbo num quis moriqueat 848
Declinatio morbi.370.843
Decretoria signa: vide critica.386
Decubitus tempore somni.686
Definiendi modi, horumque delectus.1028
Definiri non possunt omnia.1029
Definitio quæ formalis, & quæ caussalis.402
Definitio speciei per compositionem, seu resolutionem.1030
Definitio speciei per diuisionem. 1031
Definitio formalis quiditatiua. 1029
Definitio quomodo sit compositio. 1030
Definitio formalis quietatiua, seu per additamentum.1032
Definitio generis per compositionem.1031. per diuisionem. ibidem.
Definitionis quiditatiuæ, & quietatiuæ discrimen.1032
Definitionis quietatiuæ substantiæ, & accidentium, discrimen. 1032
Definitiones quædam prolixæ.1032.
Definitiones medicæ quando requirant finem, quando caussam efficientem.466
Definitionum ordo.1028
Deglutitio vt fiat naturaliter.634
Deglutitionis læsæ definitio & caussæ.635. differētiæ, signa, indicationes, prognostica 636. curatio.637
Deglutitioni faciliori deseruiens instrumentum.600
Deleterium medicamentum.913
Densitas vteri, est angustia pororū vteri.774
Dentes.156
Dentem extrahentia medicamenta.596
Dentium nigror.597
Dentium sensus.594
Dentium præseruatio.594
Dentium hebetudo.597
Dentium inuita concussio.545
Dentium casus luis venereæ.821
Dentium affectus.594
Dentium dolor.594
Dentium mobilitas.597
Dentitio.594
Depilatio gallica.822.461
Deriuans a quo indicetur. 271.295
Destillatio: vide catarrhus.
Destillatio ad os sacrum, vt curanda: forma consilii.946
Detentio: vide catochus.
Diabetes.754
διαπήδησις.593.620.722
διακωδειῶν.605
Diacorallium Alexandri.810
Diæta: vide, victus ratio.
διαίρεσις, soluta vasorum vnitas. 593.621.722
διαίρεσις inseruit τῇ ἀναλύσει. 239. 287
διαφθορά 682
διάρθρωσις.57
Diarrhoea: vide fluxus alui.
Diaria febris: vide ephemera.
Dies medicorum.843
Differentia est pars definiti.1029
Differentiæ propriis accidentibus describendæ.1029
Differentiæ propriæ ad definitionē adsumendæ.1029
Differentia non debēt diuidere definitum.1029
Dilatatio pupillæ.570
Diminutio carnis lacrymalis. 579
Discipulus peritiam quandam adferet ad discendum.1008
Dissimilares corporis partes.119
Diuisio fieri debet per differentias oppositas, & proprias.1009
Diuisionis triplex vitium. 240. 287
Diuretica in febribus 889
Diuretica etiam sudorem mouent: 889

Doecendi modus.1010
Docens præditus esse debet peritia, & scientia.1007
Doctrina disponens, seu ordinans. 1009
Doctrina instrumentalis generica. 1010
Doctrina non est habitus, sed actio. 1011
Doctrina quid.1006
Doctrinæ nomen vniuocum. 1005
Doctrinæ genus est actio.1006
Doctrinæ diuisio.1009
Dogmatici medici.246
Dolor suppeditat saltem indicationes prophylacticas.1001.1002
Dolor oris ventriculi: vide, cardialgia.
Dolor thoracis.610
Dolor actio est deprauata.467.610
Dolor quomodo sit actio & passio. 467
Doloris circa os sacrũ curatio: forma consilii 985
Doloris caussa proxima.467.610
Doloris generatio.466
Doloris forma, sensatio corrupta. 467.610
Doloris subiectum.467.610
Dolores vehementes pharmacum purgans requirunt.450
Doloris caussæ remotiores seu principales.468
Dolores luis gallicæ.822
Dolores maximi requirunt sanguinis missionem ad animi defectũ. 453
Dolorifica qualitas vt excitet vigilias.531
Dolorificarum caussarum medica consideratio.468
Dosis partium medicamenti compositi.299
Dosis compositi cuiuslibet medicamenti.299.300
Dosis medicamẽtorum simplicium. 300
Dulcia facile accenduntur, & bilescunt.815
Dura mater.120
Dyscrasia: vide intemperies.
Dysenteria.722
Dyspnœæ interpolatæ curatio: forma consilii.968
Dyspnœæ curatio, cum catarrho & raucedine: forma consilii.968
Dyspnœæ curatio: forma consilii. 967
Dyspnœæ curatio, cum pulsu frequentissimo, & inæquali: forma consilii.966

E.

EBrietas, cephalalgiam inducens, 482
Ebrietatem auertentia.681
Ebullitio cholericorum.899
ἐκπιεσμός.582
Efficiens caussa quando proponenda in medica definitione.466
Elaterii vsus in aquis hydropicorum educendis.737
Elephanticis vinum viperinum cõuenit.924
Elixatio.440.886
Embrochæ forma oculo inepta.262. 292
Empedocles defenditur.133
Empeirici medici.246
Empyema.618
Emprosthotonus.545
ἐνάρθρωσις.57
Encanthis.580
Enemata: vide, clysteres.
Ephemera e solis ardore.867
Ephemera e cruditate.860
Ephemera e bubone.865
Ephemera e constipatione.856
Ephemera e labore.854
Ephemerarum differentiæ.854
Ephemera nũ caussam habeat antecedentem.849
Ephemeræ febris definitio, & caussæ,848. signa, 849. indicationes, præsagia, materiæ remediorum, 852
Ephemeræ febris tempora.845
Ephemeræ in alias febres transitus. 851
ἐφιάλτης.514
ἐπίκρισις venæsectione instituta.553
Epilepsiæ & amentiæ curatio: forma consilii.955
Epilepsiæ definitio.516. caussæ.518. differentiæ. signa.520. indicationes, prognostica.521. curatio.522
Epiphora oculi.578
Epiphora catarrhalis.550
ἐπίφυσις ossis.59
ἐπουλίς.595
Erysipelas externum.485
Erysipelas internum.485
Ethmoeides os.113
Euacuatio: vide, vacuatio.
Excipientia partes medicamenti compositi.299
Excrementa coctionis cuiuslibet duo.209
Excrementum mutatum.183
Exemplaris doctrina, qua deuenimus in rei ignotæ peritiam.1010
Exercitia quomodo augeant calorẽ natiuum.407
Exitus oculi.582
Exordium quæ requirat.311.312
Exornatoria pars medicinæ.457
Experientia.246.289
Experimentum medicum.317.318
Experimenti generatio medici.318
Experimentum medicum periculosum.318.319
Experimentum, quo deuenimus in rei ignotæ peritiam.1010
Experimenti medici tuti conditiones.323
Expressio oculi.582
Externorum apparatus ad curationem necessarius.324
Externa omnia periculosa.340

F.

FAcies nitida vt fiat.463
Facultas quomodo lædi dicatur. 999
Facultas animæ quæ reliquis præstantior.398
Facultas generatrix insita est.653
Facultas animæ communissima. 28
Facultas non est temperamentum. 27
Facultas naturalis: vide naturalis facultas.
Facultas quælibet vnicam tantum habet operationem.509
Facultatis communissimæ sedes, est cor.162
Facultatis formatricis subiectum. 797
Facultates principes sedibus discluduntur.127.121.486
Facultatum sedes.28
Facultatum principum sedes.121
Facultatum animæ diuisio.27
Facultatum corporis quæ prius, & quæ magis lædatur, ab immodica vacuatione.339
Fames vaccina.679
Fames naturalis quid, & quomodo generetur.672.389
Fames est appetitus calidi & sicci. 671
Fames canina.678
Famis morbosæ definitio & caussæ. 672. differentiæ, signa, indicationes, prognostica.676. curatio.677
Faucium affectus inflammatorius: vide, angina.
Faui: vide tinea.
Febriculæ curatio: forma consilii. 941
Febrilis intemperiei plures gradus. 833
Febris caussa efficiens est calor influens, non innatus.402
Febris omnis in corde.831
Febris definitio formalis, & caussalis.402.412.833
Febris vt prabeat cibandi indicationem.414
Febris luis gallicæ 821
Febris num substantia, vel qualitas. 401
Febris complicatio cum aliis rebus præter naturam.413
Febris ardens postulat venæsectionẽ ad leipothymiam.453
Febris generatio, 829. nomen, & definitio,

definitio.830.ſigna cõmunia.832
Febris eſt morbus totius.832.
Febris omnis affectus ſiccus.835
Febri conuenit victus humidus.411
Febrium cauſſæ primitiuæ.835. differentiæ principales.836. differẽtiæ minus principales.841
Febrium lethalium tempora. 845
Febrium doctrina.824
Febribus quinam opportuni.843
Fel:vide,bilis.
Femina, quomodo calidior mare. 773
Fernelii lapſus. 394.757.792.873. 808
Fibræ corporis humani. 79
Fibræ triplices.80
Finis quando in medica definitione proponendus.466
Fiſſuræ luis gallicæ.822
Flammæ, vt caloris natiui, duplex motus:ſurſum, & deorſum.338. (876
Flatuum cauſſæ. 222
Fluxus alui definitio 716. cauſſæ, differẽtiæ,ſigna 717.indicationes, prognoſtica 718. curatio 719
Fluxus alui catarrhalis. 550
Fluxus alui ſanguinolentus. 722
Fœcunditatis natura. 790
Fœcunditatis ſigna 794
Fœtus alimentum. 793
Fœtus formatio. 792
Fœtus cur interdum plures gignantur.11.793
Fœtus humanus quid.3
Fœtus ſimilitudo,ratione ſpeciei, ſexus, & effigiei. 12.793
Fœtus tunicæ. 3.792
Fœtus partes quo tempore generentur.10.792
Fœtus geſtationis tempus. 11.793
Fœtum excludentia.802
Fonticulus quid.474
Fonticuli in veneno.921
Fonticulus vt excitandus,& tractãdus,302.vide cauterium.
Formæ occultæ.439
Formarum multi gradus. 439
Formicalis affectio oculi.569
Fornix cerebri.120
Foſſula,affectus oculi.566
Frigidum medicamentũ quomodo a corpore non pati dicatur. 916
Frigus vt a rigore differat. 877
Frontis os. 114
Fructus. 893
Fuci feminarum.457
Functiones principes vt obeantur, tria ſunt neceſſaria. 508
Furfures capitis:vide porrigo
Furioſa pars. 444
Furioſa materia quæ. 444 (800
Furioſa materia expurganda.444.
Furioſa exſiſtente materia quando pharmacum exhibendum.455
Furor:vide mania.

G.

GAlea,tunica fœtus. 4
Galeni codex emendatur. 96. 363
Galeni operum vulgata diſpoſitio improbatur.45
Galenus notatur.5.124.408
Gallic⁹ morb.811.vide,venerea lues.
Garab.580
Genitalium partium affectus. 765
Genus quando formæ, & quando materiæ rationem habeat. 467
Genus eſt pars definiti.1029
Genus proximum in definitione ponendum.1029
γίγγλυμος.57
Gingiuæ ſanguinolentæ.596
Gingiuarum inflammatio.596
Glandes 885
Glandulæ cerebri. 120
Glandulæ corporis humani. 71
Glanduloſa corpora. 73
Glaucedo, glaucoma.584
Glaucopis: vide glaucedo.
Glaucus oculi color.584
Glene.61
Glottis:vide lingula.
Glycii,ad ventriculum vacuandũ, & roborandum.669
Gomphoſis oſſium. 58
Gonagra.807
Gonorrhœa gallica.822
Gonorrhœa catarrhalis. 550
Gonorrhœa 765.
Grana 893 (299
Gradus medicamentorũ ſimpliciũ.
Grauedo:vide, coryza. (983
Guaiaci & ſalſæ vires ad arthritidẽ.
Guaiacum 816.817
Guloſi cur non augeantur. 651
Gummata luis gallicæ.821
Guſtatus inſtrumentum.146
Guſtus vt fiat.149
Gutta ſerena,587
Guttur. 152

H.

HAbitus corporis plenior venæſectione ſoluendus.338
Habitus inſtrumentales, ſeu non principales. 1009
Habitus corporis quid medicis? 336
Habitus patefaciens.1009
Habitus principales quinque.1009
Habitus in mente docentis duplices. 1009
Habitus diſpoſitiuus, ſeu ordo. 1009
Habitus athleticus, bonus ſecũdum quid.336
Habitus corporis ſumme plenus, cur periculoſus. 337
Hæmorrhagia narium. 593
Hæmorrhoidibus quinam ſanguis vacuetur.882
Hæmorrhoidum apertio. 882
Halica 894
Harmonia oſſium.58
Hectica peſtilens. 909
Hectica non ſemper aliis febribus ſuccedit,842
Hecticæ febri non competit purgatio.330
Hecticæ calor non ſemper in habitu, ſed quandoq; in habitudine. 905
Hecticæ febris cognitio & curatio. 905
Hecticæ febris tempora.845
Hectici caloris effectus 906
Helleborus vt inducat ſpaſmum. 545
Helleborus albus.926
Hepar:vide iecur.
Hepaticus fluxus.722
Hepaticis purgans prohibet. 890
Hepatitis non admittit topica actu frigida.262.293
Herculeus morbus:vide epilepſia.
Herniæ inteſtinalis curatio: formà conſilii.980
Herniæ inteſtinalis curatio: forma conſilii. 993
Hiera picra.646.778.884
Hiera Alexandri.541
Hiera educit pituitam in cauitate reſidentem, non in tunicis ventriculi.646
Hirudines 474 881
Hora febrium 843
Hordeum. 894
Horror vt a rigore diſtet. 877
Humiditas dolorem non facit. 468
Humor aquoſus:vide,ichor.
Humoris peccantis cognitio. 329
Humores oculi tres. 127
Humores quatuor putrere poſſunt 870
Humorum portio alia excrementitia, alia alimentalis. 870
Humorum vitium in qualitate. 325
Humorum generatio. 868
Hydrargyrum.817.819
Hydrelæum.922
Hydrocephala affectio. 557
Hydrophobia rabidorum. 929
Hydrops quinam venæſectionẽ admittat. 342.
Hydrops capitis.557
Hydropis definitio & cauſſa 725. 729. differentiæ 726. 730 ſigna, 726.731. indicationes 726. 732. prognoſtica 727.732. curatio 727 733
Hymen, membrana in pudendi muliebris labiis.13
ὑπερκάθαρσις. 918
ὑπνωτικά. 472.475
Hypochondriaca melancholia.499 500.503.504
ὑπόχυμα, ὑπόχυσις. 572

ὑπόπυον.569
Hypoſarca:vide hydrops.
ὑπόσφαλμα, ὑπόχυσις αἱματώδης. 574
ὑπώπιον.574.

I.

IChor omnis præter naturam.870
Ichor quid & quotuplex.870
Ichores diſtant ab excremento ſeroſo.217.722.870
Ichores nullum habent vſum.217
Ichoris vox impropriè vſurpata.870
Ichoris cauſſa.870
Icteri definitio & cauſſa.741.differentiæ.742.ſigna, indicationes, prognoſtica.743.curatio.744
Iecoris affectus.725.728
Iecoris anatomica conſideratio.172.& deinc.
Iecoris inflammatio:vide hepatitis, vel inflam.
Ieiunium:vide inedia.
ἧλος.affectus oculi.569
Iliaca:vide colica.
Iliacæ pilulæ.709
Imaginatio viſus Auicennæ.584
Imminutus oculus.582
Impellentia ad cutis meatus.889
Impotentia coeundi.767
Imbecillitas iecoris.728.&c.
Inappetentiæ curatio.677
Incubi definitio,cauſſæ.514.differẽtiæ, ſigna, indicationes, prognoſtica.515.curatio.516
Indicans curatorium. 256.291.877
Indicans præſeruatorium 265.293.878
Indicans vitale.277.296.877
Indicantis diuiſio.250.290
Indicantia ſaltem tria.250.290
Indicantia tria.1002
Indicatio medica quid.243.288
Indicans in methodo medendi duplex.244
Indicantium proprietates.245.289
Indicatio generalis & ſpecialis.247.290
Indicationes generaliſſimæ duæ.248 290
Indicatio vtilis & inutilis.248.290
Indicatio artificioſa, & inartificioſa.248.190
Indicatum duplex.249.290
Indicantium ſigna, non indicant.250.291
Indicati vehementia.257.291
Indicationes in medico conſilio perpendendæ.937
Indicationes præcedere debent prognoſtica in conſultandi methodo.933
Indulium,tunica fœtus.4
Inedia etiam in peracutis locum habet noſtro æuo,contra Montanum.369
Inedia.354.355.893
Inedia conuenit in morborum acceſſionibus.377
Inediam qui tolerent facile.388.391
Inflãmatio vehemens requirit miſſionem ſanguinis ad animi defectum.453
Inflammationis iecoris definitio, cauſſæ,differentiæ,ſigna.746.indicationes, prognoſtica.748.curatio 74
Infundibulum cerebri.120
Innatus ſpiritus.31
Inquinamentum caninum.928
Inquinamentũ febrile, relictum in fine acceſſionum.384.871.872
Inſtrumentum pars corporis.20
Intellectus,habitus principalis.1009
Intemperies naturalis tempore ſanitatis corrigenda.419
Intemperies quænam dolorem excitare queat.468
Intemperies iecoris.728.&c.
Intemperies doloris eſt cauſſa qua inæqualis.468
Intemperiei ventriculi definitio & cauſſæ.638.differẽtiæ.639, ſigna, 640. indicationes. 642. prognoſtica.643.curatio.645
Intercipiẽs a quo indicetur.271.295
Intermittentium materia num extra venas putreſcat.871
Intermittentium materia non ſemper a venis tranſmittitur extra venas.873
Intermittẽtium febriũ tẽpora. 844
Interrogandi ægros ratio.236
Inteſtinorũ læuitas:vide,leienteria.
Inteſtinorum dolor:vide Colica.
Inteſtinorum affectus.699
Inteſtinorum natura & vſus.698
Inuaſio:vide,acceſſio.
Inunctio Aetii ad febres malignas. 890.912
Iraſcibilis facultas.162
Iſchias.807
Iſchiadis curatio, cũ luxatione imperfecta pedis dextri:forma conſilii.985
Iſchuria.761.&c.763.&c.
Iudicium medicum.319
Iudicium medicum difficile 320
Iugale os.118
Iuuans in methodo medẽdi duplex. 241
Iuuentus.389

L.

LAbiorum puſtulæ & fiſſuræ, vt curandæ:forma conſilii. 962
Lacryma oculi.578
Lactis in hectica vſus.907
Lactis ſerum.883
Læuitas inteſtinorũ:vide,leienteria.
Lapis:vide,calculus.
Larynx.152
Leienteriæ definitio.720.cauſſ. diff. notæ,indicat.progn.curatio.721
Leipothymia quid, & eius cauſſæ. 452.631.differentiæ, ſigna. 631. indicationes, prognoſtica, curatio.632
Leipothymiæ venæſectioni ſuperuenturæ ſigna.452
Leipothymiæ & ſyncopes differentia.631.452
Leniens aluum quas habeat vires. 883
Lenientium differentiæ.883
Lenientium doſis.477.884
Leoniceni error.1018.1021.1023
Lethargus.492.&c.curatio.494
λεύκωμα.576
Lienis affectus.751
Lienis obſtructi curatio, cũ tumore vtriuſque cruris:forma conſilii. 987
Ligamentum.62.63.64.65
Lingula.150.154
Lingua.158
Lingua.148
Lippitudo:vide,ophthalmia.
Lithiaſis.vide,calculus.
Localia:vide topica.
Locus corporis humani.22
Locus euacuationi accommodatus qui ſit.434
Locus agendi indicatur a ſubſiſtentia indicantis.265.293
Lotium:vide vrina.
Lues venerea. 811. vide, venerea lues.
Luluma,affectus oculi.566
Lumbricorum in inteſtinis definitio & cauſſa.711.differentiæ.712.ſigna,indicationes.713. prognoſtica.714.curatio.715
Luſcioſitas.585.

M.

MAcula oculi.574
Maculis in febre maligna apparentibus,quid agendum.433
μαλακία.678
Malignitas affectuum.842
Malignitas morborum.842
Malum,affectus oculi.569
Mali medici doctrina theorica & practica.893
Maniæ definitio,cauſſæ, differẽtiæ, ſigna, 506. indicationes, prognoſtica,curatio.507
Manna.883
Manſiones graduum medicamenti ſimplicis.299
Materia morbifica,vt indicet. 266
Materiæ morbificæ differentiæ.266. 294
Materiæ morbificæ vitium in forma.267.294
Materiæ morbificæ vitium in quãtitate.269.294

Materiæ

Materiæ morbif. vitium in qualitate.270.395
Materiæ morbif. vitium in motu. 271.295
Materiæ morbif. vitium in quiete. 272.295
Materia morbif. vehemens vel debilis.272.295
Materia morbifica lædens partem determinatam.273.295
Matrix: vide vterus.
Maturatio.440.885
Maturatio materiæ morbificæ. 886
Meconium.926
Medicamēta calida, frigidaq́, &c. dicuntur potentia, non actu.323
Medicamenta quomodo ad actum deducantur.323
Medicamentum alterat corpus: & alteratur a corpore.913
Medicamenta componendi ratio. 298
Medicamentum compositum quid. 298
Medicamenti compositi partes.298
Medici officium, curare cito, tuto, & iucunde.298.322
Medici empeirici & dogmatici. 246
Medicina eſt ars liberalis.314
Medicina eſt longa.314.315.316
Medicinæ amplitudo tribus ab Hippocrate declaratur.320
Medulla oſſium.54
Melancholica febris cur quarto die exacerbetur.385
Melancholicæ mulieris caſus: forma conſilii.961
Melancholici delirii cauſſæ, 495. curatio, 502. definitio, 495. differentiæ, 499. indicationes, 500. prognoſtica, 501. ſigna. 499
Melancholiæ hypochōdriacæ curatio: forma conſultationis.956
Melancholiæ curatio, cum imbecillitate totius corporis: forma conſilii.977
Melancholiæ hypochōdriacæ curatio, cum dyſpnœa, & ſabulo: forma conſilii.959
Melancholiæ hypochōdriacæ curatio; pro viro: forma conſilii.958
Melancholiæ curatio, cum vertigine: forma conſilii.960
Meliceridis curatio, cū tumore intra oculum: forma conſilii 991
μῆλον, affectus oculi.569
Membrana corporis humani.68.& deinceps.
Membrum corporis, quid.20
Memoratrix facultas citra diſcurſum recipit, conſeruat, & indicat.509
Memoria læſa.508
Menſis apparitionis, & lunaris.843
Menſium ſtillicidium.784
Menſium profluuii curatio, cum ventriculi dolore, ſiti, & inappetentia: forma conſilii.995
Menſium feminæ tempus.773
Menſium ſuppreſſorū definitio, 772. cauſſa, 774. differentiæ, ſigna, indicationes, 775. prognoſtica, 776. curatio.777
Menſes immodice fluentes.780
Menſtrui ſanguinis vſus.773.9
Menſtruæ purgationis vitia.772
Menſtruus ſanguis ſecundum naturam quid.773.9
Metallicorum elaboratio.505
Methodus.1010.1022
Methodus definitiua quid.1026. eiusq́ diuiſio.1027
Methodus medendi differt longiſſime a methodo componēdi medicamenta.863
Methodus demonſtratiua. 1025. eiusq́ diuiſio.ibid.
Methodus analytica explicandorū affectuū præter naturā. 457.601
Methodus medendi quid. 240.287
Methodus medendi breuis.250
Methodi doctrinarum.1004
Methodi diuiſio.1023.1024
Methodi medendi diuiſio. 242.288
Methodi medendi ſynopſis 296
Methodi medendi neceſſitas, & difficultas.239
Methodus ab vniuerſalibus.239. 287
μίασμα: vide, peſtilens ſeminarium.
Michael Gauaſſetius taxatur. 640
Mictio num ſit actio volūtaria. 761
Mictio naturalis vt fiat.761
Mictionis præter naturam differētiæ.761
Minera quid indicet.266.294
Minoratio materiæ initio morbi, cruda exſiſtente materia, non habet locum.445
Miſti generatio.868
Miſti putredo, & corruptio.868.915
Mithridatium in quartana, caute. 905
Mithridatio in venenis calidis non vtendum 923
Modus vtendi a morbi paſſione indicatur.261.292
Mola.798
Monachorū ſecretum ad venerea. 769
Monſtrum quid.797
Monſtrum quotuplex:797
Montani error. 339.369.371.408. 417.421.425.435.1013.1021
Morbifica cauſſa: vide, cauſſa.
Morbi extremi differentia.366
Morbi totius formæ nulli ſunt. 1000
Morbi tria ſumma genera.41
Morborum differentia.180.181
Morbis extremis, conueniunt extrema remedia.365
Morbus quinam pharmacum requirat.330
Morbus acutus vel chronicus.357
Morbus extremus ſeu magnus quid.365
Morbus proportionis.41
Morbus quid.601.840.841
Morbus varie definiri poteſt.602. 840
Morbus quid.179
Morbus indicat remedium auferēs morbum.256.291
Mors quid, & quomodo fiat.313
Morſus cordis.629
Mortis repentinæ cauſſa.338
Mures concoquunt argentum. 439
Mus napelli.924
Muſcæ caput affectus oculi.569
Muſcæ napello victitantes.925
Muſculorū tractatio.105. & deinc.
Mydriaſis.570
μυοκέφαλος.569
μύωπις.584

N.

N*Apellus.924.925*
Napelli mus.924
Narcotica quando miſcenda purgantibus.708
Narium ſanguinis fluxus.593
Naſus.144
Nates cerebri.120
Naturalis ſpiritus generatur in iecore.400
Naturalis ſpiritus eſt vehiculū alimenti caloris naturalis 400
Naturalis ſpiritus non defert facultatem naturalem, nec calorem inſitum, nec influentem.399
Naturalis ſpiritus an detur.31.38
Naturalis ſpiritus famulatur calori innato 399
Naturalis facultas quadruplex.29
Naturalis facultas non defertur. 399
Naturalis ſpiritus alitur vapore ſanguinis attenuati in iecore.399
Nauſea.691
Nerui vocantur Ariſtoteli ligamēta.65
Neruorum explicatio.95. & deinc.
Nigra num albis calidiora. 213
Nonana febris.905
Nubes, affectus oculi.566

O.

O*Blinio morboſa.508.509*
Obſeruatio medica.246.289
Obſtructio iecoris.737
Occaſio medica.316
Occiput.114
Oculi ſanæ craſin quæ indicent.559
Oculi color glaucus.584
Oculi humores.127
Oculi membranæ, ſeu tunicæ.128

Oculorum affectus.558.
Oculorum anatomica consideratio. 127.& deinceps.
Odontalgia.594
Odorum caussa.144
Oesophagi affectus.634
Olera.893
Oleum stomachale compositum. 650
Oleum e theriaca, & mithridatio. 923
Oleum Magni Ducis Hetruriæ. 923
Oleum Hetruriæ Ducis Magni ad rupturas.981
Olfactus organum.142
Olfactus læsius.591
Olfactus vt fiat.144
Operatio tribus læditur.601
Operationis tres caussæ.601.840
Ophiasis.458
Ophthalmiæ definitio, 558. caussæ, differentiæ, signa, 559 indicationes, prognostica, 560. curatio.561
Opisthotonus.545
Opiata.475.472
Opiatis quando vti possimus. 475. 708
Opium.926
Opium ad circumferentiam fertur. 926
Opium non potest calidum dici. 926
Opium diuersis constat partibus. 926
Opticorum neruorum vsus.134
Orbicularis affectio oculi.569
Ordo compositiuus quid.1016
Ordo compositiuus non præsupponit analyticum.1017
Ordo resolutiuus quid.1014
Ordo essentialis & vniuersalis, est analyticus, syntheticus, & definitiuus.1013
Ordo doctrinæ est accidentalis, vel essentialis.1012
Ordo doctrinæ quid.1011
Ordo definitiuus quid.1018
Ordo non omnis a notioribus naturæ progreditur.1017
Ordo, seu habitus dispositiuus. 1009
Ordo essentialis & particularis, est compositiuus.1012
Ordinis resolutiui duplex progressus.1014
Ordinis definitiui & compositiui affinitas.1018
Ordinum præstantia 1020
Ordinum discrepantia.1019
Ordinum vtilitates.1019
Ordinum conuenientia.1019
Oris tortura: vide conuulsio canina.
Ore detenta medicamenta quomodo ad actum deducantur.479
Orthopnœa.607
Orthopnœæ curatio, cũ visione deprauata: forma consilii.965
Orthopnœæ curatio: forma consilii. 980
Os quid.53
Os sermonis organum.155
Ossa humana, ad arthritidem.811
Ossis durities.55
Ossis temperamentum.55
Ossis caussa efficiens.55
Ossis corruptio luis gallicæ.822
Ossis alimentum, & materia.53.54
Ossium connexus cum aliis partibus, 56. & inter se.57
Ossium cauitates & meatus.56
Ossium corporis humani numerus. 56
Ossium vtilitas.59
Ossium compositio 55
Ouorum differentiæ.892
Oxymeli.887
Oxymeli in arthritide vitandum. 809
Ozæna.592.

P.

PAlpebræ.129.135
Palpitationis cordis definitio & caussæ 628. differentiæ, signa, indicationes, prognostica. 629. curatio.630
Panis assus in morbo gallico. 784
παρακέντησις.727.735
Paralyseos infernarum partium, & conuulsionis curatio: forma consilii.962
παραλύσεως definitio, caussæ. 539. differentiæ, signa, indicationes, prognostic.540 curatio.541.&c.
Pariendi difficultas.802
Pariendi tempus mulier non habet statum.11.800
παρίσθμια.550
Paroxysmus: vide, accessio.
παρέγχυσις.584
παρουλίς.595
Pars corporis quæ, & quot modis dicatur.20
Pars affecta vt consideranda in medendi methodo.280
Partis corporis substantia propria anatome addiscitur.16
Parti organicæ quæ accidant.17
Partes non viuentes vtiles sunt per totam substantiam.49
Partes non viuentes qua ratione anatomico considerandæ.50
Parturitionis vitia.772
Partus octimestris nõ vitalis.11.800
Partus definitio, & tempus.799
Partus feminarum caussæ.800
Prauitas ventriculi 652
Passio morbi indicat modum vtendi.261.292
Passulæ dulcès aluum non mouent. 893
Passulæ laxatiuæ.504
Pedicularis morbus.465.466
Pediculorum caussæ.465
Pedum tumoris ac doloris curatio: forma consilii.988
Periodus febris quid.377.844
Periodorum febrilium partes.378
Periodorum fixarum in febribus caussa.872
Periodorum febrilium caussæ.384. 871
Peripneumonia.619.620
Peritia docentis 1007
Pestiferæ febris definitio.907. caussæ, differentiæ, signa, 908. indicationes, prognostica, & materiæ præseruatoriæ. 909. itemque curatoriæ.911
Pestis est putrida.842
Pestilens febris qualem indicet victum.423
Pestilens venenum quomodo afficiat spiritus.907. item humores & solida.908
Pestilens venenum quomodo in cor agat.907
Pestilens seminarium.908
Pestilens venenum calidum & putrefactiuum 907
Pestilentis febris curatio.440
Pharmaca quomodo interficiant. 918
Pharmacum quo tempore exhibẽdum.438
Pharmaco quatenus indormiendũ. 888
Phlebotomia: vide, venæsectio.
Phlyctæna: vide, vesica cornea.
Phrenitis ferina.484
Phrenitidis caussæ. 484. curatio. 490. definitio, 484. differentiæ. 486. indicationes.488. prognostica.489. signa.487
Phrenitis tumultuosa & hectica. 485
φθειρίασις.465
Phthisis definitio, caussæ, differẽtiæ, signa, 625. indicationes, prognostica, 626. curatio.627
φθίσις pupillæ.571
Physiologiæ subiectum.15
Pia mater.120
Pica.678
Pilorum generatio quæ requirat. 450
Pilorum incrementum prohibẽtia. 462
Pili crassi vt reddantur tenues. 462
Pilorum deficientium caussæ. 458
Pilorum tardus exortus.461
Pilos tingentia.462

Pilos exstirpantia.462
Pilulæ fœtidæ.541.542
Pilulæ iliacæ.709
Pilulæ de hermodactylis malignitatis sunt participes.810
Pilulæ comitum de Salm.912
Pineæ difficulter coquuntur.651
Pinguedo nutrit.74
Pinguedo.74. & deinc.
Pisces qui meliores.892
Pituita alimentalis vt putrescat: itemque excrementitia.901
Pituitæ cursus ex oculo.578
Pituitæ prouentus hyeme.407.901
Pituitosa febris cur quotidie exacerbetur.385.872
Pituitosa febris 901
Plenitudo: vide plethora.
Plethora duplex.332
Plethora quando requirat venæsectionem, quando purgationem. 332
Pleuræ tumor catarrhalis.550
Pleuritis requirit venæsectionem, dolore adscendente; purgationē, descendente.333.613
Pleuritidis caussæ, differētiæ, signa, 611. indicationes, prognostica. 612. curatio, 613
Podagra.807
Podagræ præseruatio & curatio: forma consilii.981.982
Polypus.592
Porrigo.464.465
Potentia medicamentorum vt ad actum deducatur.323
Potus in febribus putridis.895
Præfocatio vteri.803.&c.
Prænoscere medicus quid debeat. 937
Præparantia partes medicamenti compositi.299
Præparantibus quo tempore vtendum.441
Præparatio humorum num instituenda vehementer calidis, an tēperatis.442
Præparatio humorum ante & post maturationem.440 441
Præparationis humorū summa capita.442
Præsentia morbi indicat tempus agendi.262.293
Præsidium medicum generale est, vel speciale.249
Præsidium vehemens vel debile. 257
Præsidiorum materiæ, vt in consultationibus proponendæ.938
Præter naturam toto genere, dupliciter dicitur.914
Partium corporis diuisio.772
Priapismus.769
Principium morbi.370.843
Processus ossium.60
Profunditas pupillæ.582
Prognostica status morbi.938
Prognostica euentus morbi e quibus elicienda.937
Prognosticæ artis duo capita.489
Prognosticorū locus in medicis consiliis.937
Prohibentium cognitio.1001
Proportio morbi & remediorum. 330
Proprietas differt a temperie.1002
Proprietas occulta.439
πρόπτωσις.569
Prudentia, habitus principalis. 1009
Pruritus gallicus.822
Psilothra.462
πτερύγιον.575
Ptissana.894
Pubertas.389
Pueri difficulter ferunt inediam. 388.391
Pueris maior copia caloris natiui. 395
Pueris appetitus ciborū viget. 338. 407
Puerorum lumbrici.716
Pueritia.389
Pulmonis vlcus.625
Pulmonis anatomica consideratio. 167. & deinc.
Pulmonis inflammatio.619
Pulsifica facultas 93
Pulsus arteriarum quid 93.184
Pulsuum tractatio 184.849
Pulsus systole & diastole.185
Pulsuum differentiæ.185.850
Pulsus complicati & compositi. 186
Pulsus ordinati & inordinati. 187
Pulsus æquales & inæquales. 187
Pulsus rhythmici, & sine rhythmo. 189
Pulsuum diagnosis. 190. & deincep. 851
Pulsuum caussæ. 193. & deinceps. 850
Pulsus cuiuslibet sexus.201
Pulsus ætati cuilibet conuenientes. 201
Pulsus temperamentis proportionati.202
Pulsuum prognostica.202. & deinceps.
Pupilla.128
Purgans Galeno interdum leniens est.332
Purgans quid.888
Purgantis proprietas efficacior, quā humoris attrahendi.918
Purgantis caliditas frigidis corrigenda.456
Purgantia quæ venefica.918
Purgantia aluo.888
Purgantia num similia sint corpori humano.918
Purgantia alia benigna, alia maligna.917
Purgantia attrahunt ratione similitudinis.917
Purgantia aluo quando exhibenda.890
Purgantibus magnæ antidoti non debent misceri 924
Purgantium differentia.888
Purgatio non respicit humorum quantitatem, sed qualitatem. 331
Purgatio in acutis raro instituēda, & in principiis.455
Purgatio debet esse conferens, & tolerabilis.326
Purgatio ad animi defectum vsque non instituenda.454
Purgatio quatuor requirit.334
Purgatio requirit humoris peccantis cognitionem.329
Purgationem prohibentia.329
Puris in oculo collectio.569
Purulentus fluxus.717
Pustula cornea: vide, vesica cornea.
Pustulæ in ore luis gallicæ.822
Putredo non omnis est venefica. 915
Putredo misti.868.915
Putredo vt fiat.438.439.
Putredo humorum in venis fit repente 871
Putredo quæ malignior.915
Putredo est corruptio mistorum. 999
Putredinis caussæ. 868. differentiæ. 896
Putredine res corrumpitur secundum totam substantiam.869
Putrefactio est vitium formæ. 1001
Putrida pestilens febris.908
Putridæ omnes febres venæsectionē requirunt.879
Putridæ febris definitio. 868. & caussæ. 869. differentiæ. 870. signa 873. indicationes.877. curatio.878

Q.

Qualitas mutata.183
Qualitas alia materialis, alia spiritalis, 518.531 544
Qualitates agūt pro ratione formæ, 921
Quantitas materiæ auxiliorum est duplex.879
Quantitas prima & non prima. 654
Quantitas remedii indicatur ab actione morbi.260.292
Quantitas remedii est dosis materiæ præsidii.261.292
Quantitas nihil operatur.914

Quartana continua rarissima. 873
Quartanæ caussa & curatio. 903
Quid agendum duplex. 249. 256
Quies non indicat ex vsu. 643
Quies, seu immobilitas membri triplex. 539
Quinctana febris. 905

R.

Rabies canina. 928
Rabie interemti historia. 928
Rabidi cur aquam timeant. 929
Ratiocinatio læsa. 508
Raucedo. 550
Remedium curatorium a morbi essentia indicetur. 256. 291
Remedia extrema quæ. 367
Regio purgationi conueniens. 329
Renalis & coxendici doloris curatio: forma consilii. 974
Renum affectus. 754
Repellens a quo indicetur. 272. 295
Repletio extrema periculosa. 339
Repletio cibi & fecum, cibum prohibet. 426
Repletioni extremæ, quomodo opponatur extrema vacuatio salutaris 340
Reprimens non est indicatum. 488
Res secundum naturam. 178
Res præter naturam. 178
Res naturales quæ dicantur. 934
Res secundam naturam in consultationibus medicis perpendendas. 932
Rerum non naturalium numerus. 891
Rerum præter naturam tractatio in medico consilio. 935
Rerum naturalium explicatio quomodo in medicis consultationibus instituenda 934
Rerum non naturalium explanatio, in consultandi arte. 934
Resolutio: vide paralysis.
Respiratio secundum naturam. 607
Respirationis deprauatæ definitio. 606. caussæ, differentiæ, signa, 607. indicationes, prognostica, curatio. 608
Reuellens a quo indicetur. 271. 295
Rhabarbarum in pituitosis affectibus non conuenit. 739
Rhagades luis gallicæ. 822
[illegible]. 569
Rhœas. 579
Royas. 579
Rigor quid, & eius caussa. 876
Rigoris & cognatorum symptomatum discrimen. 877
Risus Sardonius: vide conuulsio canina.
Ruptura corneæ. 569

S.

Sacer morbus: vide epilepsia.
Salsaparilla. 816 818
Saltus Auicennæ. 544
Sanguificatio hepatis actio. 173
Sanguis e sanie quomodo? 173
Sanguificandi facultas etiam venarum. 174
Sanguis menstruus: vide, menstruus sanguis.
Sanguis vlterius calefactus, quomodo flauescat. 227
Sanguis num vna vice vacuandus, an pluribus. 349. 880
Sanguis vel tota massa humoralis, vel quartus humor. 331
Sanguis pharmaco educi nequit electiue. 331
Sanguinea febris. 900
Sanguinis sputum. 620
Sanguinis euacuatio fieri potest valido, vel debili auxilio. 334
Sanguinis missio ad animi defectũ, referri debet ad virium tolerantiam. 452
Sanguinis missio ad leipothymiam quando necessaria. 453
Sanguinis detrahendi quantitas. 348
Sanguinis plenitudo: vide plethora.
Sapientia, habitus principalis. 1009
Sassafras. 816
Satyriasis. 769
Scammonium cydonio corrigitur. 456
Scientia præsupponit peritiam. 1008
Scientia docentis. 1007. 1009
Scirrhus lienis. 751. 752
Scirrhus iecoris. 744
Scirrhi lienis curatio: forma consilii. 979
Scorpius morsui proprio vt medeatur. 922
Sebel. 13. 575
Secundina. 3. 792
Securi morbi natura. 357
Semen muliebre. 8
Semen virile. 4
Semen vt a toto procedat. 4. 790
Semen in testibus perficitur. 5. 791
Semen quibus constet partibus. 4. 790
Semẽ fœcundum agit per spiritum. 5
Semiangustia. 512. 514
Seminis eiaculatio. 767. 791
Seminis facultas generatrix. 6
Seminis facultas formatrix. 6
Seminis facultas alteratrix. 6
Semiputredo. 1002
Senes facile ferunt inediam. 388. 390
Senes morbis calidis non opportuni. 397
Senes paucis egent alimentis. 397
Senibus paucum est calidum innatum. 397
Senium. 389
Sensus principium quomodo a cerebro. 122
Sensus a corde, & a cerebro. 122
Septimana febris. 905
Septum cerebri 120
Sermo quid. 157
Serum lactis: vide lactis serum.
Sextana febris. 905
Sexum concepti fœtus indicantia. 394
Sibare. 484
Signa pathognomonica includuntur in morbi specie. 386
Signa morborum mox apparentia. 386
Signis non debetur peculiare caput in arte consultandi. 933
Signorum medicorum fontes. 559
Signum medicum quid. 559
Simile simili conseruatur. 417
Simile simili non semper prodest cõseruare 419
Simplicia tractandi ratio docetur exemplo mali medici. 893
Singultus definitio & caussa. 686. differentiæ, signa, indicationes, prognostica, 689 curatio, 690
Sirsen calidum. 484
Sitis morbosa. 679
Sitis est appetitus frigidi & humidi. 671
Soluens: vide purgans aluo.
Somnus præter naturam quis. 528
Somnus a pharmaco. 888
Somnus quid. 404. eiusque caussæ. 405
Somni præter naturam generatio, definitio, caussæ. 529. differentiæ, signa, indicationes, prognostica, curatio. 530
Somni secundum naturam caussæ. 528. 529
Somni hyeme & vere lõgissimi. 403. 405
Somnolentiæ, melancholiæ, & nauseæ curatio: forma consilii. 948
Sonus, vox, sermo, quid differant. 152
Soporifera. 472. 475
Soporosi affectus curatio: forma cõsilii. 954
Spasmus: vide conuulsio.
Spasmus cynicus: vide conuulsio canina.
Species totum est. 1029
Sperma: vide, semen.
Sphenoeides os. 115

Sphygmo-

Sphygmologia: vide pulsuum tractatio.
Spiritus colorisque naturalis discrimen. 400
Spiritus non putrescit. 999
Spiritus seminis non igneus, sed aereus. 4
Spiritus est organum facultatis. 30
Spiritus quid 30. 398
Spiritus insitus idem est cum calore natiuo. 400
Spiritus naturalis non est calor natiuus. 392. 398
Spiritus diuersimode famulatur facultatibus. 398
Spirituum discrimen. 398
Splen: vide, lien.
Spuma in angina. 599
Sputum sanguinis. 620
σταφύλη. 550
σταφύλωμα. 569
Status morbi. 370. 843
Stercoralis fluxus. 717
Sterilitatis definitio & caussæ 795. differentiæ, notæ, indicationes, prognostica 796. curatio 797
Sternutamentum 555. 556
Stibium. 817
Stibium ad arthritidem. 810
Stipatio quid, & quotuplex. 856
Strabismus. 583. 545
Strabositas 583. 545
Stranguria. 765
Stranguriæ curatio: forma consilii. 976
Stridor. 545
Stupor. 537 538. 539
Subeth. 528
Subsistentia indicantis, indicat locum agendi. 265. 293
Succi: vide humores.
Sudor quid. 410
Sudor, an quid naturale, vel præter naturam. 410
Sudor mouetur etiam diureticis. 889
Suffocatio ab vtero, 803. &c.
Suffusio. 572
Suffusio sanguinis in oculo. 574
Suffusionis oculi sinistri curatio: forma consilii. 953
Sugillatio oculorum. 574
Superpurgatio: vide ὑπερκάθαρσις.
Suppositoria. 885
Suppurantia vnde indicentur. 659
Sutura ossium. 58
σύμφυσις *ossium. 57. 58*
Symptoma. 182
Symptoma quomodo indicet. 276. 296
Symptomatum differentiæ. 182. 183
Symptomaticus motus non iuuandus 433
συνάρθρωσις. 57
Synciput. 114
Syncopalis febris. 902
Synochus putredinis expers ad ephemeras pertinet. 842
Synochi imputris tempora 845
Syrupus acetosus simplex. 887

T.

Tabes pupillæ. 571
Tabes: vide Phthisis.
Tactus vt a reliquis distet sensibus. 123
Tactus instrumentum non est cutis, nec caro. 123
Tamarindi. 883
Τάραξις. 558
Temperamentum partium anatomia docet. 17
Temperamentum est primum organum facultatis in parte similari. 39
Temperamentũ consequentia, quænam sint. 17
Temperamentum partis est calor insitus in ea parte. 438
Tempus morbi quid. 370. 843
Tempus agendi indicatur a morbi præsentia. 262. 293
Tempora morbi vniuersalia quatuor. 370. 843
Tempora febrium. 843
Tempora morbi particularia. 844. 845
Temporum ossa. 115
Temporum febris vniuersalium signa. 846
Temporum febris particularium signa. 848
Tendines. 65. 66. 67
Tenesmus. 722.
Tenuis materia num incrassantib. præparanda. 441
Teretes lumbrici. 713
Tertiana continua exquisita 898. & notha 900
Tertiana intermittens notha. 897
Tertiana intermittens exquisita nõ est morbus acutus: contra Altimarum. 357. 358
Tertiana intermittens exquisita. 896
Tetanus. 545
Testis imminuti curatio: forma cõsilii. 980
Testes cerebri. 120
Theriaca præstat mithridatio ad venenum viperinum. 923
Theriaca rusticorum. 923
Theriaca in venenis calidis non vtendum. 923
Theriaca peste correptis noxia. 912. 923
Theriacæ vsus in quartana, quando. 905
Thermæ factitiæ sulphureæ. 476
Thoracis affectus. 601
Thoracis perforatio 619
Tinea. 463. &c caussæ, curatio, definitio, differentiæ, indicationes, prognostica, signa. ibid.
Tinea omnis contagiosa. 463
Tingentia albuginem oculi. 578
Tinnitus aurium gallicæ luis. 822
Topicis non vtendum, toto repleto. 891
Torpor: vide stupor.
Tremor cordis. 628
Tremoris morbosi definitio, caussæ 534. differentiæ, signa 535. indicationes, prognostica, curatio. 536
τρισμός. 545
Triticum. 893
Triuerii lapsus. 311. 364. 373. 387. 416. 422. 425. 447
Tumor magni anguli ipsius oculi. 580
Tumoris ventriculi definitio & caussæ 654. 655. differentiæ, signa 657. indicationes 659. prognostica 660. curatio. 662
Tumorum faciei scirrhosorum curatio: forma consilii. 970
Tunicæ: vide membranæ.
Turgens materia: vide furiosa.
Tussis morbosæ definitio, & caussæ 602. 603. differentiæ signa, indicationes 604. prognostica, curatio. 605
Tussis curatio: forma consilii. 941
Tympanites: vide Hydrops.
Typus febris. 844

V.

Vacillatio oculi. 558
Vacuatio spontanea. 327
Vacuatio immodica lædit facultates & calorem. 339
Vacuatio extrema periculosa. 339
Vacuatio producenda dum euacuentur humores noxii, pro virium tolerantia. 452
Vacuationi opportunius locus. 434. 435 & dein.
Vapor nidorosus. 861
Vapor quid indicet. 266. 294
Vardenegi, Auicennæ. 558
Vehementia indicantis quæ & quotuplex. 257. & deinc. 366. 842
Vehiculum remedii a quo indicetur. 260. 292
Vena delicatis secanda est decumbentibus. 351
Venarum doctrina. 81. & deinc.
Venarum aperiendarum electio. 351. 880

Venæsectio qua hora administranda. 350. 880
Venæsectio quo die instituenda. 350 880
Venæsectio, ne iusto largior 338.
Venæsectio in veneno quãdo locum habeat. 921
Venæsectio quatuor requirit. 334
Venæsectio cibum prohibet per horam 427
Venæsectio non indicatur a morbi magnitudine. 330. 343. 879
Venæsectionis quantitas. 340. 348
Venæsectionis vulnusculum. 351.
Venæsectionis recta administratio. 348. 879
Venæsectionis facultates. 878
Venæsectionis doctrina generalis. 341. 878
Venæsectionem indicantia, & coindicantia 341. 878
Veneficæ qualitatis subiectum. 914
Veneficæ qualitatis differentiæ. 914
Venenata materia statim purganda. 890
Venenatio est vitium proprietatis occultæ. 1001
Venenum vt a corpore alteretur. 915
Venenum caninum vt generetur in homine. 929
Venenum caninum vt generetur in cane. 928
Venenum confertim corrumpit. 916
Venenum omne potest interficere hominem. 915
Venenum quomodo cor corrumpat. 916
Venenum in corpore humano generatum. 914
Venenum modo citius, modo tardius ad cor perducitur. 916
Venenum vt distet ab alimento, & medicamento 913
Venenum concoqui nequit. 443
Veneni definitio. 914
Veneni passio, seu in actum deductio. 915
Veneni canini manifesto iam agentis signa. 929
Veneni canini indicationes 929. prognostica, & curatio. 930
Veneni nomen multiplex. 913
Veneni canini in corpore latitantis signa. 929
Veneno quidam nutriuntur. 440
Venena calida interdum iuuant. 914
Venena calida efficaciora frigidis. 914
Venenum differentiæ. 916. 917.
Venenorum prognostica. 920
Venenorum curatio generalis. 921
Venenorum indicationes. 919. 920
Venenorum signa. 919
Venereæ luis curatio: forma consilii. 971
Venereæ luis symptomatum curatio. 821
Venereæ luis definitio. 811. sedes, caussæ, differentiæ 812. signa 813. indicationes, prognostica 814. curatio 815. &c.
Veneris vsus, vocem mutat. 13.
Veneris vsus odorem corporis hircinum inducit. 13
Veneri ætas florens apta. 5
Venereorum voluptas. 792
Ventosæ: vide, cucurbitulæ.
Ventriculi oris dolor: vide cardialgia.
Ventriculi doloris & inflationis curatio: forma consilii. 973
Ventriculi paruitas. 652
Ventriculi affectus. 637
Ventriculi cerebri. 126
Ventriculus hyeme & vere natura calidissimus. 403. 404
Veratrum: vide, helleborus.
Veris temperatura. 404. 409
Vermes: vide, lumbrici.
Verrucæ luis gallicæ. 822
Vertiginis generatio, definitio, 410 caussæ 511. differentiæ, signa 512. indicationes, prognostica, curatio 513
Vertiginis curatio, cum dolore ventriculi, nephritide & podagra: forma consilii. 949
Vertiginis, epilepsiæ, cardialgiarum curatio: forma consilii. 951
Vesalius improbatur. 60. 66. 113
Vesica corneæ. 564 565
Vesicæ vrinariæ affectus. 761
Vesicatorium quid, & eius vsus. 475
Veternus: vide lethargus.
Victus tenuissimus conuenit morbo peracuto. 368
Victus plenus, mediocris, & minuens 356
Victus ægrorum minuens repletionem. 355
Victus quomodo indicetur a morbo & viribus. 354
Victus ratio quid 353
Victus est alimentum, medicamentum, vel vtrumque. 354
Victus ratio accuratissima, etiam sanis parum tuta. 362
Victus quomodo seruet, vel augeat vires. 360
Victus tenuis simpliciter & exquisite, si fuerit vltra virium tolerantiam grauis. 359
Victus tenuis magis periculosus paullo pleniore. 362
Victu tenui in morbo acuto quomodo vires seruentur. 361
Victus tenuissimus quomodo indicetur a statu chronici. 370
Victus ratio in febribus. 379. 894
Victus instituendi rationem compendium. 376. 427
Victus ad morbum analogiam habere debet. 369
Victus tenuis periculosus in chronicis, & acutis, quibus non conuenit. 358
Victus plenior hyeme vereque indulgendus. 405
Victus tenuissimus conuenit morbi vigore. 369
Victus humidus febricitantiũ, duorum generum. 412
Vigilia secundum naturam. 531
Vigilia præter naturam. 531. 532
Vigiliarum, doloris artuum pruritus totius corporis curatio: forma consilii 972
Vigor morbi: vide status.
Vinum obest arthriticis. 983. 984
Vini fastidium vt inducendum. 68
Vinum viperinum ad elephantiasin. 924
Vinum quando conueniat febricitantibus. 895
Viperæ morsus auriginem inducit. 741
Viperina caro ad circumferentiam fertur. 924. 926
Vires indicant victum pleniorem; coindicant tenuiorem. 360
Virginitatis notæ ancipites. 13
Viriditas, affectus oculi. 584
Virium roboris consideratio. 345. 346. 347
Virium dissolutio. 631
Viribus contraindicantibus magis attendendum, quam morbo acuto indicanti. 561
Virtus quomodo indicet. 277. 296
Virtutis essentia in quibus consistat. 277. 296
Visio læsa 583. eiusque caussæ 584. differentiæ, signa 585. indicationes, prognostica 586. curatio. 587
Visio obscura. 585
Visionis modus. 130
Visionis imminutio. 585
Visionis læsæ curatio: forma consilii. 964
Visus obscuratio. 585
Visus alucinatio. 584
Visus destructio. 585
Visus instrumentum. 127
Vitalis facultas. 163

Vitalis

Vitalis caloris generatio.166
Vitalis spiritus.32,36
Vitalis facultas vniuerso corpori cõmunicatur.399
Vitalis spiritus alitur naturali. 398
Vitali facultate ablata, protinus moritur animal.399
Vita breuis.313
Vitæ subiectum.313
Vitæ diuturnioris caussæ. 313
Vita consistit in calore insito & influente.399
Vitta, tunica fœtus. 4
Vlcera luis gallicæ. 822
Vlceris corneæ definitio, differentiæ, notæ, indicationes, 566. prognostica, curatio, 568
Vlcerum indicationes generales. 566.
Vlcus renum.760
Vlcus iecoris.746
Vlcus ventriculi 665
Vlcuscula capitis manantia: vide tinea.
Vnguis oculi.575
Vngula oculi.575
Vniuoca quæ. 1005
Vnitas partis est organum facultatis secundarium. 40
Vnitatis solutio. 40
Vocis pene amissæ, & dyspnœæ curatio: forma consilii. 970
Vocis subiectum. 152
Vocis differentiarum caussæ. 153
Vocis organa.150
Voluptas venereorum.792
Voluptas finis est actionis.42
Voluptas diuisio.43
Vomitorium a quo indicetur. 883
Vomitorii differentiæ. 883
Vomitus e quo symptomatum genere.691
Vomitus quomodo sit opus naturæ, & quomodo præter naturam. 691
Vomitus definitio & caussa 691. differentiæ signa 692. indicationes, prognostica, 693. curatio 694
Vomitus noxæ vt succurrendum. 922
Vomitu quando vacuare liceat. 888
Vsus præsidii medici quadruplex. 249.290
Vrina exigua & copiosa.224
Vrina inodora, & fœtens. 224
Vrina perspicua, & opaca. 225
Vrina splendens, & non splendens. 225
Vrina quid.208.849
Vrina formam recipit in venis. 849
Vrinæ splendor. 214
Vrinæ contentum.215.849
Vrinæ generationis caussa. 217
Vrinæ generationis vsus. 217
Vrinæ optimæ signa.218.849
Vrina bona, nõ tamen optima, quæ. 218
Vrinæ retentio in lethargo.495
Vrinæ materia. 210
Vrinæ colores. 211. horumq; caussæ. 225.849
Vrinæ suppressio: vide ischuria.
Vrinæ stillicidiũ: vide, stranguria.
Vrinæ ardoris, obstructionum iecoris & splenis curatio: forma consilii.975
Vrinæ retentio: vide, ischuria.
Vrinarum non naturalium differentiæ.221
Vrina tenuis. 221
Vrinæ, vini, & aceti diagnosis. 221
Vrina crassa, turbida, & non turbida.222
Vrinam cientia: vide diuretica.
Vteri album profluuium.786
Vteri affectus 772
Vteri præfocatio.803. &c.
Vueatio, affectus oculi.569

Z.

Zaara.531

F I N I S.

Errata vt corrigenda.

Pag. 3 lin. 2. & aliis pluribus locis legatur Capiuaccl, pro Capiuacci. p. 3. l. 49. chorii, pro diorii p. 3 l. 51. amiculum, pro auriculum. p. 4. l 14. craſſo, pro craſſio. p. 4 l 63 elementis pro electis. p 7 l. 36. loquitur, pro loqui. p. 7. l 58 docuimus, pro dominus p. 9. l. 30. portio, pro partio. p 15. in marg. lin. 23. ſubſtantiam, pro ſubiectum p. 49. in marg. lin. 4. conſectori, pro conſectari. p. 49 l. vlt. vitreus, pro vitreum. Numeri pag 49. &c. vſq; ad numerum p. 190. item 195. 196. 197. 198 denario minui debent. p. 50. l. 9. ſciendum, pro ſecundum. p. 61. l. 16. ſinus, pro ſitus. p. 239. in marg. lin. 13. ἐπὶ τῶ. pro τῶ. p. 241. l 6. curatricem. p. 249 in marg lin. 1. Indicatum p. 309. l. 26. ego, pro ergo. p 33. in marg. li 23. plethora, vel cacochymia. p. 333. in marg. lin. 28. venæſectione, pro plethorica. p. 351. l 19. eſt, pro ad. p. 395. l. 30. acres, pro aere. p. 400. l. 14. inſita, pro infra. p. 424. l. 37. conſtet, pro conſiſtat. p. 763. l. 23. damulæ. p. 791. l. 12. dele, reb. p. 793. l. 17. cellulæ. p. 819. in marg. lin. 24 præparatio, pro præpoſitio. p. 826. l. 5. theoricam. p. 849. in marg. lin. 17. in venis. p. 871. l. antepenult. c. 21. pro 14. p. 895. l. 19. ſit, pro niſi. p. 928. in marg. li. vlt. cane, pro homine. p. 945. l. 14. producens, & dele cauſſans. p. 984. l. 61. antidori, pro antidoti. &c.